

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

2
1409

8-2 N. 8.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. CORNELII CORNELII

A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SACRÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII,
POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

COMMENTARIA

IN QUATUOR

EVANGELIA.

EDITIO NOVISSIMA ANTERIORIBUS AUCTIOR,
& correctior, ac Indicibus neceſſariis illuſtrata.

C. de la Biblioteca de l'Sr Canonge Marí



EX-LIBRIS PROVINCIAL — STI.

DIPUTACIÓ PROVINCIAL DE BARCELONA

VENETIIS, MDCCLXI.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

CARMELITES DESCALÇOS DE CATALUNYA,
DIPOSIT BIBLIOTECA PUBLICA EPISCOPAL DE BARCELONA.

R. 70.495

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM IN EVANGELIA

CAPUT PRIMUM.

DE EVANGELIORUM PRÆ CETERIS Sacræ Scripturæ Libris excellentia & majestate ex Parallelis Legis & Evangelii.



EDEO a veteri Testamento ad novum: a Salomone, inquam, ad Christum, quasi a rivulo ad fontem: a Proverbiis ad Evangelia, quasi a flumine ad Oceanum sapientiæ; ac per ea sacræ Scripturæ novi Testamenti coronidem impono.

Tanta est sacræ Scripturæ dignitas, utilitas, majestas, ut, omnes Philosophorum & Theologorum tam Hebræorum, quam Græcorum & Latinorum libros tantum, superet, quantum divina sapientia omnem humanam transcendit. S. Scriptura enim est verbum Dei, est ipsa Dei loquela, & vox, qua scilicet Deus suam sapientiam nobis enuntiat, viamque ad virtutem, salutem & felicitatem æternam demonstrat. Quocirca S. Aug. epist. 3. ad Volusianum: *Quæ mens*, inquit, *avida eternitatis, vitæque præsentis brevitate permota, contra hujus divinæ auctoritatis culmen, lumenque contendat? quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatũ duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam legem, Prophetasque pendere, ullo modo sint comparandæ? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum.* Deinde asserit S. Scripturam esse scientiarum omnium encyclopædiam, dicens: *Hic Physica; quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica; quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipubl. salus: neque enim conditur & custoditur optima civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sinceriſſime se diligunt homines, cum propter illum se diligant, cui, quo animo diligant, occultare non possunt.* Et nonnullis interjectis ita concludit; *His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse salubberrimam, vel odit ægrotando medicinam.*

S. Scriptura ergo est ars artium, scientia scientiarũ: ipsa est Pandora & encyclopædia sapientiæ. Nostra memoria S. Teresia, virgo spiritu prophetiæ, æque ac sanctimoniæ & miraculorum gloria in Hispania celebris, a Deo didicit omnem noxam Ecclesiæ, omnia mundi damna ex hoc fonte manare, quod mortales clara solidaque cognitione, & seria consideratione non penetrent veritates S. Scripturæ. Auctor est P. Franciscus Ribera nobilis S. Scripturæ interpres, in ejus vita. Nam, ut ait S. Basil. hom. in Psal. 1. *S. Scriptura est communis curandarum animarum officina, e qua medelam quisque suo morbo salutarem & accommodam queat seligere:* ipsa ergo est apotheca rebus omnibus instructissima, quæ singulis temporibus, locis, personis, difficultatibus, periculis, morbis, malis pellendis, bonis accersendis, erroribus jugulandis, orthodoxis dogmatibus statuendis, virtutibus inserendis, vitiis propulsandis pharmaca, arma, instrumenta suppeditat. Ita nimirum Ecclesia a sacra Scriptura, dum agones erant martyrum, hausit constantiam & fortitudinem; dum sæcula doctorũ, ac facultas docendi discendique, sapientiæ lumina, eloquentiæ flumina; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, quibus errores convelleret: in prosperis ex ea didicit humilitatem & modestiam, in adversis magnanimitatem, in tempore diligentiam & fervorem. Denique si quando tot labentibus annis senio, maculis, nævis deformetur, ex ea morum perditorum restitutionem, reditumq; ad pristinam virtutis dignitatem & statum sibi adscisit.

Porro *inter omnes divinas auctoritates, quæ sacris Literis continentur*, ait S. Aug. l. 1. de Consensu Evangelist. c. 1. *Evangelium merito excellit. Quod enim lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc redditum & completũ in Evangelio demonstratur.* Prophetia ergo est Evangeliũ velatum, Evangelium vero est prophetia revelata. Audi S. Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 7. *Evangelium est, de quo martyr ascendit. Evangelium est mare, in quo piscantur Apostoli, in quo mittitur rete, cui simile est regnum cælorum; Evangelium est mare, in quo Christi figurantur mysteria; Evangelium est mare, in quo Hebræus evasit, Ægyptius interemptus est; Evangelium est mare, in quo divinæ gratiæ plenitudo est, & sponsa Christi Ecclesia, quæ super mariæ fundata est, sicut dixit Propheta: Ipse super maria fundavit eam. Exili super undas, o homo, quia piscis es, non te oprimat sæculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altum; si serenitas, lude in fluctibus; si procella, cave a scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat.* Quocirca S. Basilius hom. 16. *Omnis*, ait, *Evangeliorũ vox, reliquis omnibus sancti Spiritus præceptis eminentior esse dignoscitur.* Et Origen. Præfat. in Joannem: *Totius Scripturæ primitiæ*, inquit, *est Evangelium.*

Clamat Christus: *Ego sum lux mundi*, utique per Evangelium, quod quasi lumen diffundo, ut per illud totum orbem illuminem. Evangelium ergo est lumen mundi, & sol terræ, qua de causa dum illud legitur, cerei accenduntur. Vetus fuit ille mos ante tempora S. Hieronymi; ita enim ipse scribit contra Vigilantium, ad lumina hæc cæcutientem & dormitantem: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: unde & virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas,* &c. *ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine & lumen semitis meis.* Ps. 118.

Quocirca mira semper fuit omnium non tantum Sanctorum, sed & Christianorum erga Evangelium reverentia,

A

B

C

D

E

F

G

H

3. Scripturæ dignitas, utilitas, majestas.

Evangelii præcellentia.

Ad Evangelium cerei accenduntur. Cur?

Evangelii reverentia!

BIBLIOTECA PROVINCIAL

Digitized by Google

A tia, mirus amor, mira veneratio. Constantinus Magnus Evangeliorum codicem auro gemmisque ornatum dono misit S. Nicolao Myrensi Episcopo, uti habet ejus vita. Theodosius Imper. Evangelium propria manu descriptum quotidie lectitabat bona noctis parte. Testis est Niceph. lib. 14. cap. 3. Synodi Oecumenicæ ambæ Nicenæ, Calcedonensis, Ephelina Evangeliorum codicem in medio concilii statuebant, ut ad illum, quasi ad personam Christi converterentur; ac si Christus ipse eis diceret: *Justum judicium judicate*, ait S. Cyrillus in Apolog. Jure canonico sancitum est, ut in solemni juramento per sacrosancta Evangelia, ea manu tangendo juretur: unde etiamnum rem juramento firmantes dicimus: *Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia*. Uti ergo per Deum, ita & per Evangelia, quasi per sacrosanctum Dei verbum juramus. Neque orthodoxi dumtaxat, sed & hæretici plerique idipsum faciunt, qui licet alios S. Scripturæ libros e S. Canone expunxerint, alios mutilarint, alios depravarint, Evangelia tamen tangere & temerare non sunt ausi, amplius dico, B Gentiles Evangelia suspexere. Quanti ea fecerint Platonici, narrat S. Aug. l. 10. de Civit. Dei cap. 29. qui & lib. 7. Confess. 9. docet se in Platonicorum libris legisse initium Evangelii S. Joannis: *in principio erat Verbum*, non vero illud: *Et verbum caro factum est*. Denique dæmones ipsi ad Evangeliorum codices pavore percelluntur, & sacro quodam horrore concutiuntur; scribit S. Chrysost. hom. 51. in Joannem, dæmones locum illum, in quo aliquis eorum sit codex, ingredi non audere.

Miracula per Evangelium patrata.

Denique per Evangelia plurima Christus edidit miracula, Accipe pauca e multis, Gregor. Turon. de Vita Patrum cap. 6. narrat, quod cum Averna civitas incendio conflagraret, S. Gallus Ecclesiam ingressus diutissime ante sanctum altare Deum exoravit, surgensque apprehenso Evangeliorum codice, eoque aperto obviam se igni obtulit, subitoque incendium extinctum est ut ne favillæ quidem remanerent. S. Martianus, cum jam flamma serpens Ecclesiæ S. Anastasiæ appropinquaret, accepto in C manus sacro Evangelio, per tegulas in tectum conscendit, precibusque & lacrymis illæsam ab incendio servavit. Ita refert Nicephor. lib. 5. c. 22. Zonaras item in Basilio Macedone scriptum reliquit, Rhosos, libro Evangeliorum ab igne erepto illæso, fidem Christi amplexos. Itaque Evangelia totius Scripturæ sanctæ divinissima, sublimissima, fœcundissima, profundissima pars sunt ac portio, ideoque semper obvia in cathedris, in pulpitis, in controversiis, in officio divino, in omni sermone & publico, & privato: quod ergo Theologi & veteres, & moderni uno ore toti S. Scripturæ tribuunt, nimirum illam esse omnium librorum, disciplinarum, scientiarum certissimam, augustissimam, efficacissimam, sapientissimam, utilissimam, altissimam, & maxime necessariam, hoc proprie & primo sibi vendicant Evangelia, sive materiam, sive auctorem, sive dicendi rationem, & modum spectes.

Materia Evangeliorum.

Materia enim est Deus, tum qua Deus, tum qua homo; scilicet Evangelia describunt verba & acta Christi Domini, quibus tum nos redemit, tum docuit quæ credenda sunt, quæ agenda, quibus itineribus ad vitam beatam tendere debeamus. Itaque hic agit de præceptis divinis, de consiliis, de perfectione vitæ Christianæ, de virtutibus, de vitiis, de Sacramentis, de fide, spe, charitate, de Trinitate, ideoque de omni materia theologica, ut recte Evangelia definire possis cum S. Hieron. *Breviarium, vel Compendium totius Theologiæ*, & doctrinæ vitæque Christianæ.

Auctor.

Auctor ipse, & quasi in comœdia hac Evangelica choragus, qui pene solus hic aut agit, aut loquitur, est Christus Dominus, sapientia æterna; *Multifariam, multisque modis*, inquit Apostolus Hebr. 1. *olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula*. Ergo non Moses, non Prophetæ, non reges, sed Unigenitus, qui e mente Patris arcana sapientiæ divinæ, ipsamque increatam sapientiam totam, quanta quanta est cum divinitate hausit, eamdem hic in Evangeliis nobis communicat; ipsum, inquam, verbum omnisciæ intellectus divini ore proprio hic sonat, hic loquitur, hic eructat mysteria æternis temporibus tacita, & tot figuris legis & Prophetarum adumbrata.

Methodus.

Modus autem, & ratio dicendi atque differendi in Evangeliis quam admirabilis! S. Dionysius Areopagita in Platonica & Peripatetica philosophia instructissimus, S. Pauli discipulus, & Christianæ Theologiæ facile princeps, E inter alios doctissimos libros, tres præcipuos edidit; primum inscripsit de Divinis nominibus, in quo tantum nomina, quæ perfectionem aliquam & excellentiam continent, Deo convenire demonstrat, qualia sunt ens, bonum, pulchrum, perfectum. Secundum scripsit de mystica Theologia, in quo nullum nomen Deo proprie convenire posse, & perfectius cognosci Deum per negantem, quam affirmantem Theologiam ostendit. Tertium edidit de symbolica Theologia, in quo omnia nomina, quæcumque illa existant, Deo attribui posse ex Scripturis sanctis demonstrat. Evangelia triplicem hanc Theologiam sequuntur, sed maxime ultimam symbolicam, ad quam spectant tot metaphoræ tot similitudines, tot parabolæ, in quibus Deus multas rerum species & hominum imagines, quasi Proteus quidam cælestis propter nos induit. Jam enim comparatur regi, qui fecit nuptias filio suo, aut hero ponenti rationem cum servis suis; aut duci venienti ad bellum cum decem millibus; nunc vero patrifamilias, nunc agricolæ; nunc pastori; nunc piscatori, nunc negotiatori; nunc fœneratori, & aliis permultis, F quibus se Christus assimilare voluit, ut seipsum non tam vocibus, quam rebus ipsis ad eruditionem nostram, menti, oculisque repræsentaret. Unde hic adversus in Evangeliis nos tum per verba, tum per facta Christi edoceri: *Omnis* enim Christi *actio*, inquit S. Greg. *nostra est instructio*, & Dei proprium est non tantum verbis, & rebus ipsis ac gestis quasi alphabeto quodam res divinas & Evangelicas menti spectandas exhibere.

Vendicat & aliam sibi hæc Evangelicæ sapientiæ methodus dignitatem. Ita enim est a Spiritu sancto concionata, ut & rudes & simplices fructu lectionis ejus non destituantur, & magna excelsa ingenia difficilia multa, obscuraque, in quibus exerceri & desudare valeant, inveniant; quia usque semper aperta est, nec semper obscura: *Divinus enim sermo*, ait S. Greg. Præfat. in Job. cap. 4. *sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat, servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius, ut ita dixerim, planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Id Scriptura agnus ambulat, elephas natat. Nimirum Christi doctrina facilis & pervia est parvulis & studiosis; difficilis & impervia mentibus superbis, otiosis, sibique præfidentibus. *Confiteor*, ait ipse Christus, *tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis; ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*. Matth. 11.

Hæc & plura ad oculum perspicies, si legem cum Evangelio per parallela & antitheta componas, & opponas. Sub lege Prophetas, ceteroscque veteris Testamenti libros accipio, sub Evangelio ceteros novi Testamenti. Evangelium enim est quasi eorum basis & centrum. Sicut enim sol in medio lunæ, Mercurii, Veneris, Martis, Saturni, & Jovis fulgidus resplendet, hique planetæ a sole lumen suum mutuantur, ac circa eum oberrantes quasi chorum, &, ut ita dicam, choream agunt; sic Evangelium quasi sol inter Apostolorum scripta coruscat, eisque suam lucem & fulgorem impertit. Quid enim sunt Petrus, Paulus, Jacobus, Joannes, Judas, nisi præcones & interpretes Evangelii? *Paulus*, ait S. Hieron. epist. 61. ad Pammach. *tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ*. Quocirca Evangelii praxim tradunt Acta Apostolorum; doctrinam epistolæ S. Pauli & ceterorum Apostolorum; prophetiam Apocalypsis. Quæ enim Christus prædixit de Elia, antichristo, judicio, consummatione sæculi, signisque illi præviis, hæc fusius enarrat & explicat S. Joannes in Apocalypsi. Christus etenim in Evangelio, uti summus est legislator, Apostolus, Evangelista, & doctor, ita & divinus est vates & Propheta.

Antitheses legis & Evangelii.

PRIMA ergo antithesis legis & Evangelii est in auctore, quod legis auctor sit Moses merus homo; Evangelii vero auctor sit Christus verus Deus & homo, ita Concil. Trid. sess. 4. *Evangelium*, ait, *Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, proprio ore primum promulgavit. Lex*, ait Apostolus Galat. 3. 19. *ordinata est per Angelos in manu mediatoris*, scilicet Mosis, qui medius & mediator fuit inter Deum & populum. Quare quantum Christus Mose & Angelis, quantum Creator creaturis antecellit, tantum Evangelium præcellit legi. Christus enim, ut ait Apost. Hebr. 1. 3. *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus* (Dei Patris) &c. *sedet ad dexteram Majestatis in excelsis, tanto melior* (præstantior) *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit.*

Cui

A *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? &* c. 3. 3. *Amplioris enim gloriæ iste* (Christus) *præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet homo, qui fabricavit illã,* & v. 5. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus vero tamquam filius in domo sua.* Christo in Evangelio subservierunt Angeli omnes, velut ejus administratorii Spiritus. Unde S. Cyprian. (vel quisquis est auctor) tract. de Nativit. Christi: *A supernis,* ait, *legationibus* (Gabrielis Archangeli ad B. Virginem, & ad Zachariam patrem Joannis Baptistæ) *incipit Evangeliũ, cujus primi dictatores Angeli extiterunt.* Cæterum Christus ipse per se Evangelii est conditor. Idcirco enim deitatem suam nostra carne vestivit, ut per illam ore suo Evangelium dictaret: *Nam,* ut ait S. Joannes cap. 1. 17. *lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Quid ergo est Evangelium? Est liber Christi, Philosophia Christi, Theologia Christi, est lætissimum Christi nuntium de redemptione, gratia & æterna salute generis humani e cælo per ipsum allata, ipsisq; credentibus collata. Longe enim sublimiora & diviniora Christus ore

B suo locutus, quam per Mosen & Prophetas locutus sit.

Quare Evangelium legere vel audire est ipsissimam vocem Filii Dei legere vel audire. Tanta ergo reverentia audiendum est Evangelium, quanta Christus ipse; uti S. Antonium, S. Basilium, S. Franciscum, similesque Sanctos factitasse legimus. *Nos itaque sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominũ,* ait S. Aug. tract. 30. in Joannem: *Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Dominus.* Quocirca dum Evangelium in templo legitur, omnes ei assurgant, quasi Christum in eo venerantes, simulque ad cælum, quod in eo promittit, anhelantes: idque ex Apostolorum sanctione. Audi S. Clementem lib. 2. Constit. Apost. cap. 61. *Cum Evangeliũ legitur, omnes Presbyteri, diaconi & laici assurgant cum magno silentio.* Exat in eam sententiam aliud Anastasii Pontificis decretum ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Episcopos, in hæc verba: *Significastis, quosdam in Ecclesia, quando leguntur Evangelia, sedere.* Et paulo post: *Quod nullatenus deinceps fieri auctoritate Apostolica mandamus; sed dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, sacerdotes, & ceteri omnes præsentes non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu S. Evãgelii stantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent.* Can. Apost. de Consecr. dist. 1. Hanc assurgendi consuetudinem etiam in Episcopis probat Isid. l. 1. ep. 136. his verbis: *Nam cum ipse verus pastor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demũ Episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirũ Dominum ipsum pastoralis artis ducem, ac Deum & herum adesse significans.* Sozom. l. 9. hist. tripart. c. 39. damnat ritum Alexandrinorum, apud quos, præter communem morem, non surgit Episcopus, dum Evangelia leguntur. Porro Synodus 8. Oecumen. action. 10. can. 3. Evangeliis honorem æqualem illi, qui cruci Christi defertur, decernit: *Sacrã,* ait, *imaginem Domini nostri Jesu Christi & omnium Salvatoris, a quo honore cum libro sanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarũ eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequuntur omnes; ita per colorum imaginariam operationem, & sapientes, & idiotæ cuncti ex eo, quod in promptu est, perfruuntur utilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & Scriptura, quæ in coloribus prædicat, & cõmendat.*

Secunda. Secunda Antithesis consequens ex prima petitur a doctrinæ præcellentia. Evangelii enim doctrina longe excedit eam, quæ in Mose & lege reperitur. Lex Deum unum credendum colendumque proponit, Evangelium Deum unum in essentia, sed trinum in personis amandum adorandumque prædicat: *Euntes,* inquit Christus, *docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Matth. 28. fateor in lege & Prophetis extare umbram mysterii S. Trinitatis: unde ex illi hausit Trismegistus suum illud oraculum: *Monas genuit Monadem, & in se reflexit ardorem,* sed Mysterii veritatem non intellexit, non penetravit. Idipsum secuti Platonici, sed non assecuti, errore Arrianismo simili veritatem contaminarunt, dum unum Deum summum, alios vero deos minores & inferiores statuerunt. Christi ortum, vitam, passionem, crucem, ascensionem, missionem Spiritus sancti, vocationem & conversionem omnium Gentium tenuiter & obscure vaticinantur Prophetæ; at Evangelium solide & clare hæc ipsa annuntiat. Dei præscientiam, providentiam, prædestinationem, omnipotentiam, charitatem immensam, cæteraque attributa distincte & aperte pandit non lex, sed Evangelium: *Deum,* ait S. Joannes cap. 1. 18. *nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ideo enim Christus e sinu Patris in sinum matris factus homo descendit, ut arcana Patris ipsi soli cognita nobis enuntiaret. Nimirum hoc est *magnum pietatis sacramentum, quod,* ut ait Apost. *manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria;* utique non in lege, sed in Evangelio. 1. Timoth. 3. 20.

E

Idem honor Evangelio & cruci Christi deferendus.

D

Tertia. Tertia Lex est veluti umbra; Evangelium vero est ipsa veritas per legis typum adumbrata. Quantum ergo umbræ præstat veritas, verumque corpus, tantum Evangelium præstat legi. *Umbram enim habens lex futurorum bonorũ, non ipsam imaginem rerum,* &c. ait Apost. Hebr. 10. 1. Et 1. Cor. 10. 1. *Patres nostri omnes,* ait, *sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequentes eos petra; petra autem erat Christus,* &c. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Nimirum tot Patriarcharum gesta, tot Prophetarum oracula, tot visionum symbola, tot hostiarum sacrificia, tot baptismatum & cæremoniarum sacramenta, tot legum decreta sanguine animalium sancita, erant umbræ, figuræ & typi, quæ Christo præluderent, eumque quasi in ænigmate, & sub velamine rudi populo repræsentarent. Evangelium autem manifeste nobis Christum, ejusque mysteria & sacramenta exhibet. Unde Apostolus 2. Cor. 3. 8. *Nos vero omnes,* inquit, *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, tamquam a Domini spiritu.* Hac de causa primam ad Rom. epistolam Apostolus ita orditur: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium; quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio,* &c.

F

Evangelio quasi Christo loquenti omnes assurgunt.

C

Quarta. Quarta Lex erat nuntia timoris, Evangelium vero amoris. Lex enim mortem prævaricantibus intentabat; Evangelium præcipue præmium credentibus ostentat. Quare lex erat servorum; Evangelium est liberorum & filiorum. *Deus,* inquit Paulus, *idoneos non fecit ministros novi Testamẽti non litera, sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autẽ vivificat. Quod si ministratio mortis* (puta lex minans mortẽ) *literis deformata in lapidibus fuit in gloria,* &c. *quomodo non magis ministratio spiritus* (Evangeliũ ministrans spiritum) *erit in gloria?* 2. Cor. 3. 6. Quid ergo est Evangelium? Est lex libertatis, lex spiritus, lex beneficentiæ & charitatis. Christus enim *pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Actor. 10. 38. Quocirca S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexand. teste Leontio in ejus vita cap. 22. ad largissimas suas eleemosynas accensus fuit Evangelio atq; exemplo viri Evangelici Serapionis Sindonii, cum in actis ejus legeret ipsum amictum suum dedisse egeno, & iterum paululum processisse illinc, & frigus patienti obviasse, & illi tunicam præbuisse, unde quia nudus sedebat tenens sanctum Evangelium, interrogatus a quodam: *Quis te expoliavit Abba?* demonstrans sanctũ Evangelium, ait: *Iste.* Alio quoque tempore, hoc ipsum Evangelium vendidisse, & dedisse eleemosynam: discipulo vero suo dicente: *Abba Evangeliũ ubi est?* respondisse illum: *Crede fili, qui dixit mihi: Vende quæ habes, & da pauperibus, ipsum vendidi, & dedi eis, ut in die judicii habeamus fiduciam abundantiorẽ apud Deum.* Et quia alias iterum vidua mulier petiisset ab eodem sancto Serapione eleemosynam, quoniam esuriebant filii ejus, & non habente eo aliquid omnino, tradidit se ei, ut venderet eum ad mimos Græcos, quos & Christianos fecit in paucis diebus. Sic & S. Paulinus seipsum pro filio viduæ VVandalis in servitutem tradidit, ut imitaretur Christum, qui, cum esset Dominus gloriæ, in Evangelio propter nos pauperem & servum se fecisse legitur, ut nos sua paupertate & servitute ditaret, liberosque efficeret. Palladius in Lausiaca cap. 116. narrat Bisarionem Abbatem semper Evangelium sub axillis gestasse, ut ex eo, quid agendum foret, & qua ratione evangelice vivendum, disceret. Quare, cum in nudum incidisset, se vestibus suis spoliasse, ut nudum vestiret. Cumque rogaretur: *Quis te nudavit?* protendisse Evangelium: *Hoc,* inquit, *me exuit.* Rursum, cum in alium egenum incurrisset, nec aliud haberet quod daret, ipsum Evangelii codicem vendidisse, pertiumque egeno dedisse. Cumque Dulas ejus discipulus quæreret: *Abba, ubi tuum est Evangelium?* respondisse: *Ne tristitia afficiaris: Nam ut illic* (in cælo)

G

Serapion Evangeliũ vendit, ut pauperi succurrat.

H

Simile fecit S. Paulinus.

Et Bisarion.

Digitized by Google

habeamus fiduciam, vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat: Vende quæ habes, & da pauperibus.

Quinta. QUINTA. Lex bona terrena & caduca promittebat; Evangelium vero cælestia & æterna. In lege non audis nisi pollicitationem abundantiæ olei, vini, mellis, pecorum, &c. In Evangelio vero visionis & possessionis Dei, gaudiorum & bonorum sempiternorum. Josue induxit Hebræos in terram lacte & melle manantem; sed terram morientium: Jesus vero Christianos inducit in terram viventium omni gratia & gloria splendentem, uti docet Apostolus Hebr. 4. v. 8. unde Rom. 1. fidenter ait: *Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum & Græco*, id est, deinde Gentili, *Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.* Virtus ergo Evangelii docet & persuadet fidem, fides justificat, justitia salvat & beat.

Sexta. SEXTA. Lex erat onus grave; Evangelium vero leve. Audi Christum, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Lex enim plurimas sanxit leges, easque triplices, morales, cæremoniales & judiciales, quarum pleræque transgressoribus mortem decernunt; ac Evangelium pauca decalogo addidit præcepta, æque ac sacramenta. Insuper eis annexuit copiam gratiæ Spiritus & consolationum cælestium. Unde Isaias c. 61. Christum ita inducit loquentem: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, prædicarem captivis indulgentiam & clausis apertionem.*

Septima. SEPTIMA. Lex erat via ad Christum & Evangelium: hoc vero legis est meta & terminus, nimirum: *Finis legis Christus ad salutem omni credenti.* Rom. 10. 4. Quocirca S. Ber. hom. 1. super *Missus est*, docet Christum promissionis legis, velut seminis & florum, fuisse fructum. Fructus enim finis est, ad quem semina tendunt, & in quem desinunt. In Christum ergo, ut scopum, collimant Moses & Prophetæ: quare Evangelia pariter eorumdem sunt finis & scopus, omnesque illi ad Evangelia manu ducunt, Evangeliis continentur & explicantur.

Octava. OCTAVA. Lex data fuit solis Judæis, Evangelium omnibus Gentibus. Hinc Isaias cap. 49. de Christo vaticinans: *Parum est*, inquit, *ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Rursum lex fuit temporaria, duravit enim dumtaxat usque ad Evangelium; hoc vero permanebit semper, eritque æternum. Audi Apostolum Hebr. 7. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum*, &c. *per eum qui dixit: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum.* Ps. 109.

Porro ita miro modo a Christo compositum est Evangelium, ut cuique hominum ætati, sexui, gradui conveniat, ut universalis sit liber, ac instar Pandoræ sit universitas sapientiæ. Evangelium enim normam vitæ justæ & sanctæ, imo perfectæ præscribit viris, feminis, pueris, conjugibus, viduis, virginibus, monachis, pastoribus, doctoribus, Episcopis. Exempli sit instar quod ait S. Aug. l. de Vera relig. c. 16. *Tota vita Christi in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit*: omnia enim bona mundi, cum contempsit, contemnenda docuit: omnia mala mundi, dum perpessus est, perpetienda & superanda monstravit. Nihil enim Christus verbo docuit, quod non exemplo monstravit: *Satellites voluptatum divitias pernicioſe populi appetebant, pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhiabant, rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant; tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabatur: quæ major injuria, quam justum, innocentemque damnari? dolores corporis execrabantur; flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant; morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant; crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vili fecit. Omnia, quæ vitare cupientes a semita deviabamus veritatis, dejecit.* Hucusque S. Aug.

Nona. NONA. Lex fuit imperfecta, Evangelium vero quaqua-versum, sive fidem, sive mores spectes; integrum est & perfectum. Judæi ergo sub lege fuere quasi alphabetarii; Christiani vero sub Evangelio perfecti evadunt Theologi. Audi Apost. Galat. 4. 3. *Cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Quo circa S. Cyrillus lib. 9. in Joan. *Oportebat*, inquit, *per Moysen tanquam puerum erudiri Israelem, qui puerilis adhuc & rudioris mentis erat: at per Christum, in quo omnes sunt thesauri sapientiæ & scientiæ recõditi, descriptam veram & consummatissimã nobis afferri scientiã.* Quinimo Christus *Matth.* 5. multa legis decreta reformavit, & ad meliorem virtutis pietatisque formam normamque revocavit. *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autẽ dico vobis, non jurare omnino; neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedũ ejus est*, &c. *Sit autẽ sermo vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est. Audistis, quia dictum est: Oculũ pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, &c. *Audistis, quia dictum est: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Hac de causa S. Hieronymus (vel potius S. Paulinus, uti stylus indicat) Celantiæ præclarissimæ matronæ conjugio tamen illigatæ, piæ vitæ regulam flagitanti epist. 14. eidem respondens, Evangelii tramitem ut legat, assignat, ejusque qui dicit: *Ego sum veritas & vita. Ad compendiosum*, ait, *quoddam commonitorium illa tibi Evangelii eligenda sententia est, & superscribenda cordi tuo, quæ ad totius justitiæ breviatiũ Dominico ore profertur: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Cujus præcepti vires exprimens jungit, ac dicit: Hæc enim lex & Prophetæ.* Et post nonnulla: *Ad omnem igitur actum, ad omne verbum, ad omnem etiam cogitatum hac sententia retractetur: quæ tibi quasi speculum quoddam puratum, & ad manum semper positum qualitatem tuæ voluntatis ostendat, ac etiam vel de injusto opere redarguat, vel de justo lætificet, quotiescumque enim talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero servari cupis, æquitatis viam tenes: quoties vero talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter justitiæ dereliquisti.* Idem S. Hier. epist. ad Gaudentium, eum, qua ratione Pacatulam filiolam educet, instruens: *Cum virgunculam*, ait, *septimus annus exceperit, discat memoriter psalterium, & Evangelia sui cordis thesaurum faciat.*

Decima. DECIMA. Lex præcepta dumtaxat tradit, eaque naturæ conformia: Evangelium vero & præcepta, & consilia, & mixta ex præceptis & consiliis, illaque naturam transcendentia, paradoxa, supernaturalia & divina. Inter præcepta primum tenet illud novæ charitatis: *Mandatum novum*, inquit, *do vobis, Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Joan. 13. 34.

In Evangelio est beatitudo. Consilia sunt: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Et, *Ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et: *Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Matth. 5. 39. Mixta, id est, partim præcepta, partim consilia sunt: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, ceteræque octo beatitudines, quas recensct S. Matth. c. 5. v. 3. & seq.

Quocirca S. Aug. ser. 112. de Tempore, docet beatitudinem hujus vitæ in sacris Literis & Evangelio consistere, idque demonstrat hoc argumento. Beatitudo, ait, consistit in Dei cognitione & contemplatione. Dei cognitionem haurimus ex sacris Literis & Evangelio: ergo in iis, eorumque studio & meditatione sita est beatitudo; quin & Christus ad Judæos: *Scrutamini*, ait, *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Joan. 5. 39. & c. 17. conversus ad Patrem: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, &c. *Ego* enim *sum via, veritas, & vita:* Sum *via* incipientium, *veritas* proficientium, *vita* perfectorum; Sum *via* sanctæ conversationis, *veritas* doctrinæ divinæ, *vita* beatitudinis sempiternæ, ait S. Leo. *Sequamur ergo*, inquit S. Bernard. serm. 2. de Ascens. *Sequamur Dominum te per te ad te: quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.* Causam dat S. Aug. ser. 112.

Digitized by Google

A ser. 112. de Tempore: *Quia*, inquit, *sacrarum lectio Scripturarum divina est præcognitio non parva beatitudinis. In his enim, quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest qualis sit; vel quo tendat: Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere; nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur.*

Sublimis Evangelii dignitas.

Tota Christiani sapientia, virtus, perfectio, & felicitas in eo sita est, ut Christi doctrinam & vitam Evangelio descriptam hauriat, meditetur, & moribus exprimat. Docet Christum veram justitiam, & sanctimoniam consistere in interna mentis puritate & integritate, non in externa operum specie, in conscientia modesta & sancta coram Deo, non in pompa plausuque hominum; in humilitate, non in ostentatione: in honorum non ambitu, sed fuga & contemptu. Docet non resistere malo, sed diligere inimicos æque ac amicos. Quis Socrates, qui Aristoteles, quis Plato hæc intellexit? Docet terrena ut vilia & brevia despicere, anhelare ad cælestia, ut qui mundo & sæculo majores esse cœpimus, supra omnes mundi luctantis æstus

B & turbines mente & vita conversemur in cælis, vivamus Deo, laborebus æternitati, ideoque in agone justitiæ, Deo & Christo spectante, ad propositam gloriæ palmam alacres procurramus, pro eaque vitam & sanguinem si quis sit, libente & generose profundamus. Quis Sophorum hæc cognovit? Secuti sunt, & etiamnum sequuntur mundani famæ & gloriæ fumos, ambiunt honorum culmina, opibus & deliciis inhiant; Christi discipulus hoc fixum habet; *Mihi autem adherere Deo bonum est. Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.*

Docet Christus se a Patre missu in terras triplici de causa, ut nimirum hominibus esset redemptor, doctor, & vitæ exemplar. Redemptori amorem, doctori disciplinā, exemplari sequelam & imitationem debemus. Hæc est summa Evangelii: Evangelia, inquit S. Basil. in princ. S. Joannis, Christum ipsum nobis repræsentant, quasi spirantem, docentem, mira patrantē, dira patientem. S. Antonius, teste S. Anastasio in ejus vita. *Evangeliū*, inquit, *est epistola quedā Dei e cælo emissa*, docens qua via ad cælūtendere, quomodo

Evangeliū est Dei epistola.

C Deo placere, qua ratione bene perfecteq; vivere debeamus.

Clare & præclare S. Bern. serm. 1. de Septem panibus: *Evangelium*, inquit, *speculū veritatis, nemini blanditur, nullū seducit: talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet, ubi non est timor; nec lætetur, cum male fecerit.* Eadem metaphora utitur D. Greg. l. 2. Mor. c. 1. *Scriptura*, inquit, *sacramentis oculis quasi quoddam speculū opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quantum proficimus: ibi a profectu quam longe distamus.* Consentit D. Ambr. ser. 20. in Ps. 118. circa medium: *Evangelium*, inquit, *non solum fidei doctrina, sed etiam morum est magisterium & speculum conversationis.*

Undecima. UNDECIMA. Lex nudum præceptum intellectui proponit. Evangelium simul cum præcepto voluntatis gratiam ad illud implendum aspirat; juxta illud S. Leonis: *Juste instat præcepto, qui prævenit auxilio.* Christus enim; qui in Evangelio loquitur, non tantum extetius insonat auribus, sed & interius menti illabitur, illique soni externi sensum gustumque insinuat, ut quod vox suadet, hoc

D spiritus persuadeat: *Verba mea spiritus & vita sunt*, ait ipse Joan. 6. & Jerem. c. 31. quem citat Paulus Hebr. 10. *Hoc*, ait, *testamentum, quod testabor ad illos, dicit Dominus; dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas.* Cum ergo legimus Evangelium, loquitur nobis Christus, cum oramus, nos ipsi loquimur Christo. Potuit una Evangelii vox, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; mannum illum Antonium, jam tum juvenem nobilitate & opibus inclytum tanto Evangelicæ paupertatis amore incendere, ut e vestigio bonis omnibus, quibus ita impense cæci mortales inhiant, sese exueret, & cælestem in terris vitam monastica professione complecteretur. Insonat Christus. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. 29. *Hæc sunt verba*, (ait S. Bern. serm. *Ecce nos reliquimus omnia*,) *quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasere paupertatem, hæc sunt, quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis:* hoc classicum in Bethlehem & mandras ad vexilla crucis excivit Hieronymos, Antonios, Franciscos, tenerrimas & nobilissimas principes, Paulas, Melanias, Pelagias, & mille agmina corporeorum Angelorum; non miror. Miretur quis placitum S. Ber. qui serm. 1. in Septuag. non dubitat asserere eum, qui verbum Dei cum fructu audit, legit, meditatur, signum habere & tesseram suæ prædestinationis, & ne mirere, rationem affert: *Qui ex Deo est, ait veritas, verba Dei audit; propterea vos auditis, quia ex Deo estis.* Quocirca S. Cæcilia Romæ gloria, virginum dux, martyrum antesignana semper Evangelium Christi gerebat in pectore, quod nec ignes, nec gladii, nec aculei ei extorquere potuerunt; quin per illud virginitatis & martyrii lauream non tantum ipsa sit assecuta, sed & sponsum Valerianum, fratremque Tiburtium, pluresque alias ad eamdem erudierit & efformavit, ut de ea merito canat Ecclesia: *Cæcilia famula tua Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit.* S. Hilarionis hereditas erat Evangelium propria manu descriptum, quod proinde moriens legavit Hesychio discipulo. *Octogesimo ætatis suæ anno*, ait S. Hier. *cum absens esset Hesychius, quasi testamenti vice brevem manu propria scripsit epistolam, omnes divitias suas ei derelinquens, Evangelium scilicet, & tunicam, saccum, cullam, & palliolum.*

E

F

Ita cœnobitæ, anachoretæ, sancti omnes ab Evangelio, suam quoque vitæ formam hauserunt: multis non alius erat codex. S. Joannes Calybita librum unum Evangelii pro suo sensu habuit, nec alium vitæ ducem, non alium doctorem philosophiæ tam sublimis, quia ita patriæ & parentum affectus vicit, ut Cosmopolitanus, ut ἀπάτωρ & ἀμήτωρ videretur. S. Benedictus, S. Franciscus, S. Augustus. S. Basil. regulas suas, & constitutiones ab Evangelio mutuati sunt. Hinc & S. Bern. serm. 43. in Cant. Evangelio acceptum refert omnem suum profectum a conversione sua. Hac de causa S. Hieron. S. Eustochio virgini religiosæ præcipit diurnam & nocturnam hanc lectionem, adeo ut *tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta susciplat.* De S. Paula vero quam miram sacrarum Litterarum non tantum scientiam, sed & experientiam, usumque commemorat? fœminam diceres arcam testamenti, & armentarium Evangelii. In periculis, ait S. Hieron. loquebatur: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Cum eversio totius patrimonii nuntiabatur, ajebat: *Quid enim prodest homini, si totum mundum lucrifecerit, anime sue detrimentum patiatur?* Et: *nudus exivi de utero matris.* In crebra infirmitate: *quando infirma sum, tunc fortis sum.* Et: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem.* In mœrore cantabat: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo.* Invidia & probris appetita: *Cur non*, ait, *patientia livorem superem, cur non humilitate frangam, superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram?* Cum nimio fervore virtutum nonnullis videretur insana: *Theatrum*, ait, *facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* Et: *nos stulti, propter Christum; sed stultum Dei sapientius est hominibus.* Cum eleemosynas profunderet, seque ipsa nudaret: *Beati*, ait, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* In sui contemptu: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo:* humilis premi

G

H potest, opprimi non potest; palma est, quo eam magis deprimis, eo altius victricem comam attollit. Sola humilitas exaltat. In Parasitos: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*; adulari non possum, palpones odi: Christiana libertas, sinceritas, veritas cum S. Baptista mihi vita sunt cariora. Et quid timeo hominem, qui cras cinis erit, & vermis: ac plura, ad singulas vel tentationes, vel virtutes, vel vitia hac Dei armatura pectus obfirmans, prima in Bethlehem angelicos virginum choros instruxit: tanti dux femina facti, viros docuit opes, gloriam, regna, plausus, & omnia fortunæ ac mundi ludibria ridere, contemnere, pedibus premere. Hæc & plura S. Hier. sparsim, & eisdem fere verbis in Epit. S. Paulæ.

Ex Evangelio constitutiones monasticæ acceptæ.

Duodecima. DUODECIMA. Lex nullos creavit Apostolos: Evangelium plurimos. Causa est, quam paulo ante assignavi: *Vivus enim est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem anime & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Evangelium enim hanc vim habet ut credentem mox sui propagandi fatagentem, ideoque præconem & prædicatorem efficiat.

Duodecima. Evangeliū facit Apostolos.

Exempla. S. Chrysanthus, qui Romam multo suo, & suorum sanguine purpuravit, lectione Evangelii assidua a Gentilismo

Digitized by Google

A3 converſus ad Chriſtum, ad eundem & Dariam conjugem converit, ac innumeros ille viros, hæc mulieres ad fidem & caſtitatem pellexerunt. Quocirca ipſi a Numeriano imperatore poſt varia tormenta, ac poſt lupanar, in qua Dariam a ſtupro defendit leo a Deo immiſſus, vivi in terram defoſſi & ſaxis obruti glorioſum obiere martyrium anno Domini 284. 25. Octob. qua die anniverſariam eorum memoriam & lauream recolit & celebrat Eccleſia, præſertim Romana, quæ idem certaminis eorum oſtendit ſepulchrum & trophæum.

Germanorum Apoſtolus S. Bonifacius, anno a Virginis partu 750. Chriſti legem cum ſeis in Germania propagans, jugiter ſacrum Evangelii codicem ſecum deferebat, adeo ut eum nec in martyrio dimitteret, quin cum in ejus caput Friſones enſem vibrarent, hunc codicem quaſi ſpiritualem clypeum objecit, & illuſtri miraculo, licet enſe acuto per medium ſectus ſit liber, nulla tamen litera ea ſectione abolita eſt. S. Dominicus fax illa Eccleſiæ, Prædicatorum parens, Evangelium S. Matth. perpetuum habebat comitem; itaque terebat, ut pene totum memoriter noſſet, cujus illud axioma: B *Sine ſacra Scriptura prædicator eſſe non poteſt.* Recte S. Gregorius in illud Job: *Habet argentum venarum ſuarum principia.* Argentum, ait, eſt eloquii vel ſapientiæ claritas. Venæ ſunt ſacræ Scripturæ, ac ſi aperte dicat: *Qui ad veræ prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt, ut earum origines a ſacris paginis ſumat, ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis ſuæ firmet.* Hac de cauſa Evangelio S. Joannis immorruus eſt Ven. Beda, & pene animam agens, ut commentarium hunc abſolveret, accito ſcriba: *Accipe*, inquit, *calamum, & feſtinanter ſcribe.* Et tandem *conſummatum eſt*; ac cygnæum canens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, placidiſſime ſpiritum emiſit, pro fide & labore Dei viſione beandum, anno Domini 731. Quin & Carolus Imper. uti corpore, ita ſacrarum Literarum & rerum geſtarum gloria magnus, ſub obitum coronato Aquiſgrani Ludovico filio, totum ſe orationibus, eleemoſynis & literis dedit; ipſe ſcilicet quatuor Evangelia ad Græca & Syra exemplaria egregie correxit, eiſque vacavit ad ultimum uſque vitæ agonem; codex ejus religioſe Aquiſgrani, ut ipſe vidi, aſſervatur. Idem imitantur hæretici velut Catholicorum ſimiæ. De uno Philippo Melanchtone celebre eſt, nuſquam eum profectum eſſe, nuſquam conſediſſe, non cœnaſſe, non prandiſſe niſi a latere ei adeſſet codex Evangelii; ita profanus, & ater hic terræ filius hac larva, qua ſapientiæ, qua ſanctimoniæ multis fucum fecit. Sed miſſis ſectariis, ad orthodoxos Apoſtolos redeamus. S. Barnabas primus cum ſancto Paulo gentium apoſtolus, ad eas iturus Evangelium S. Matth. propria manu deſcriptum quaquaverſum circumtulit, ac tandem pro eo martyr in Cypro occumbens, cum eodem quaſi cum pignore cæleſtis reſurrectionis ei promiſſæ, ſepeliri voluit: unde Evangelium hoc in pectore ejus repertum eſt ſub Zenone Imper. uti habet ejus vita. S. Bartholomæus, teſte Euſeb. lib. 5. Hiſtor. cap. 10. 5. Matthæi Evangelium Hebraice ſcriptum ſecum ad Indos detulit, ibique reliquit, ac poſt centum & amplius annos Pantenus illud ibidem repertum Alexandriam tranſtulit. Quis Saulum effecit Paulum? utique Evangelium. Iſti ſunt viri, ait S. Leo ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo, per quos tibi, o Roma, Evangelium Chriſti reſplenduit: hi Evangelium a Chriſto ſibi creditum tibi in depoſitum tradiderunt, illudque ſuo ſanguine obſignarunt, ut ipſum purum ac purum conſerves, ceteriſque Eccleſiis quaſi magiſtra veritatis tradas, & explices. Hoc eſt, quod tibi inclamat Paulus Rom. 15. 16. *Ut ſim miniſter Chriſti in gentibus ſanctificans* (Græce ἱερουργῶν. id eſt, conſecrans, ſacrificans) *Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Evangelium ergo, & Evangelii prædicatio ac interpretatio eſt ſacrificium, victima ſunt Romani & Gentes Evangelio credentes; hos enim quaſi victimam gratiſſimam evangelizando Deo obtulit. Libamen eſt ſanguis Pauli, quo hoc ſacrificium rigatum & ſancitum eſt. Idem ad Epheſ. c. 3. 8. *Mihi*, ait, *omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſeculis in Deo, qui omnia creavit, ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Paulus ergo fuit doctor Angelorum, docuit principatus & poteſtates Evangelium Chriſti, ait ibid. S. Chryſ. Idem 1. ad Cor. c. 9. *Væ mihi eſt, ſi non evangelizavero. Quæ eſt ergo merces mea, quæ gloria? ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate mea in Evangelio.* Pauli ergo imitatores, aſſeclæ & cooperatores ſunt, qui Evangelium tractant, explicant, prædicant tam indigenis, quam exteris; tam fidelibus, quam infidelibus, quibus merito gratulatur Iſaias cap. 52. 7. & Paulus Rom. 10. 15. *Quã ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!*

Supereſt, ut in mores noſtros & alienos hæc Evangelii dogmata conferamus; Evangelium enim eſt ſpeculum, in quo quiſque faciem ſuam, æque ac alienam intueatur, detergat, poliat & ornet. *Non ſit*, ait S. Aug. ſer. 112. de Temp. *mora in faciendo, quod intus ſapitis intelligendo. Et ille beatiſſimus eſt, qui divinas Scripturas vertit in opera*, ut divina Chriſti verba in divina ejus facta imitando transferat. Audi S. Bern. ad milites templi cap. 11. *Vita Chriſti vivendi mihi regula extitit.* Et D. Greg. lib. 30. Moral. cap. 30. *Deus*, inquit, *inter nos homo factus eſt, ut non ſolum nos ſanguine ſuo redimeret, ſed etiam oſtenſo exemplo commutaret.* Planius adhuc & plenius D. Baſil. in conſtitutionibus monaſticis, cap. 2. *Omnis actio*, inquit, *omnis item ſermo Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, excolende pietatis, virtutiſque obeundæ regula eſt. Propter hoc enim humanam naturam ſuſcepit, ut in ſe, velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis ante oculos poneret, unicuique pro viribus imitandam ſeu archetypum proponeret.* Chriſtus enim eſt α & ω, primus & ultimus. Apoc. 14. *Primus æternitate*, ait S. Ambroſ. *ultimus humilitate.* Unde ab Iſaia c. 35. v. 3. vocatur *noviſſimus virorum*, Hebr. *deſitio vel ceſſatio virorum. O noviſſimum*, exclamat S. Bern. *& altiſſimum! O humilem & ſublimem! O opprobrium hominum & gloriam Angelorum!* Diſcamus igitur ex Evangelio evangelice, id eſt, Angelice vivere. Chriſtus enim quaſi Angelus e cælo deſcendit, ut homines angelicam doctrinam æque ac vitam doceret, imo ex hominibus Angelos, & quaſi deos quoſdam efficeret. *Ecce ego*, ait ipſe per Malachiam cap. 3. *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quare ab ipſo, qui æterna eſt Patris ſapientia, aſſidue lumen poſtulandum, ſpiritus & gratia, ut ipſe, qui olim in medio doctorum ſacram Scripturam conſedit, Evangelium inchoaturus, etiam nunc idem docentibus æque ac diſcentibus pandat, ut illud intelligamus, & intellectum actionibus Chriſtianis compleamus. Hoc enim ei eſt volupe. *Neſciebatis*, ait, *quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* In ſcripturis utique priſcis, quæ mihi & Evangelio præluſerunt, de quibus audio & ſciſcitor Scribas & legis doctores, ut ex iis me Chriſtum & Meſſiam a Patre miſſum agnoſcant. Dicamus ergo & identidem dicamus, ſi non pari, certe ſimili devotionis affectu cum S. Aug. l. 4. de Trinit. cap. 1. *In hoc genere hominum* (qui dolorem habent peregrinationis ſuæ ex deſiderio patriæ, & conditoris ejus beati Dei) *in familia Chriſti tui Domine Deus meus, inter pauperes tuos gemo; da mihi de pane tuo reſpondere hominibus, qui non eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, ſed ſatiati ſunt & abundant. Satiavit autem illos phantaſma eorum, non veritas tua, quam repellendo reſiliunt, & in ſuam vanitatem cadunt. Ego certe ſentio, quam multa figmenta pariat cor humanum. Et quid eſt cor meum, niſi cor humanum? ſed, hoc ore Deum cordis mei, ut nihil ex eis figmentis pro ſolido vero eructem in has literas, ſed inde veniat in eas quidquid per me venire potuerit, unde mihi quamvis projecto a facie oculorum ſuorum, & de longinquo redire conanti per viam, quam ſtravit humanitati divinitas Unigeniti ſui, aurora veritatis ejus aſpergitur.* Et paucis interjectis: *Omnino enim Dei eſſentia, qua eſt, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate; quia æterna ibi eſt veritas, & æterna charitas; & vera ibi eſt charitas, vera æternitas; & chara ibi eſt æternitas, & chara veritas.*

Aperi nobis Domine Jeſu arcana veritatis, veræque charitatis tuæ, qui habes clavem David, qui aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit, ut illam clare cognoſcamus, cognitam colamus & diligamus, dilectam opere exerceamus, quia tu es amor noſter, deſiderium noſtrum; vita & beatitudo noſtra. Amen.

C A-

Digitized by Google

A

CAPUT II.

De Evangeliorum numero, ordine, dissonantia, & consonantia.

PErmulti olim scripsere Evangelia, præsertim hæretici, illaque Apostolis supposuerunt, & eorum nomine insignierunt; ut illis, indeque suæ hæresi auctoritatem conciliarent; *Unde a diversis auctoribus edita*, ait S. Hieron. procem. in S. Matth. *diversarum hæresum fuere principia, ut est illud juxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiam, & Bartholomæum, duodecimque Apostolorum, Basilidis, atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longissimum est; cum tantum impræsentiarum hoc necesse sit dicere, extitisse quosdam, qui, sine Spiritu & gratia Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quam historiæ texere veritatem. Quibus jure potest illud propheticum conveniri; Væ qui prophetant de corde suo, qui ambulant post spiritum suum; qui dicunt: Dicit Dominus, & Dominus non misit eos: de quibus & Salvator in Evangelio Joannis loquitur; omnes qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt.* Et post plura: *Quibus cunctis perspicue ostenditur, quatuor tantum debere Evangelia suscipi, & omnes apocryphorum nenias mortuis magis hereticis, quam Ecclesiasticis, cavendas.* Igitur hæc quatuor dumtaxat sunt Evangelia canonica, ut talia enim ea probavit Ecclesia ex doctrina & traditione Apostolorum. Nam Evangelium S. Marci probavit S. Petrus; S. Lucæ Paulus; S. Matthæi chorus Apostolorum, qui abituri in suas provincias, illud secum detulerunt; S. Joannis omnes Asiæ Episcopi, ceterique fideles. Citant Origenes & S. Hieronymus subinde Evangelium secundum Hebræos, quasi S. Matthæi: quare illud idem fuisse videtur cum Evangelio *S. Matthæi, sed additionibus variis, iisque incertis hinc inde depravatum;* unde auctoritas ejus est dubia & incerta; transtulit tamen illud ex Hebræo in Latinum S. Hieronymus. Audi de eo ipsum in catalogo virorum illustrium, in Jacobo fratre Domini: *Evangelium, quod appellatur secundum Hebræos a me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum, quo Origenes sæpe utitur, post resurrectionem Salvatoris de Jacobo sic refert: Dominus autem cum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei; juraverat enim Jacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis.* Rursusque post paululum; *Afferte*, ait Dominus, *mensam & panem*, statimque additur: *Tulit panem; ac benedixit, & fregit, & dedit Jacobo justo, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus.* Hæc Hieronymus, qui in eodem libro de Ignatio loquens, inquit: *Ignatius unam ad Smyrnæos scripsit epistolam, in qua de Evangelio, quod nuper a me translatum est, super persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego vero & post resurrectionem eum in carne vidi, & credo, quia sit. Et quando venit ad Petrum & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce palpate, quia ego demonium non sum incorporale; & statim tetigerunt eum, & crediderunt.* Insuper Orig. tom. 2. in Joann. ex Evangelio hoc citat illud: *Dixit Christus: Modo accepit me mater mea, Spiritus sanctus uno capillorum, & me in montem magnum Thabor portavit.* Quæ quidem sententia, nisi candide consideretur, videtur continere hæresim Gnosticorum Valentinianorum asserentium Spiritum sanctum esse matrem Christi.

B

Quatuor tantum Evangelia.

Unde?

C

D

Evangelium secundum Hebræos non est canonicum.

Origenes tamen hoc ita excusat, quod Spiritus sanctus vocetur mater non generatione, sed imitatione, quia imitatur patrem, ejusque voluntati se conformat; quæ excusatio videtur frigida. Beda quoque hoc Evangelium laudat, & a veteribus probatum asserit. Ut ut est, certum est non esse canonicum, nec habere auctoritatem S. Scripturæ. Porro Evangelium hoc secundum Hebræos vocatur quoque Evangelium Nazaræorum, quia eo Nazaræi utebantur. Audi S. Hieronymum in cap. 12. Matth. v. 13. ubi agitur de manu arida a Christo sanata; *In Evangelio*, inquit, *quo utuntur Nazareni & Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus & quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum) homo iste, qui aridam habet manum, cementarius scribitur; istiusmodi vocibus auxilium precans: Cementarius eram manibus victum quæritans: precor te Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.*

Potro Nazareni fuere Judæi ad Christum conversi, qui cum Evangelio servantes legem Mosis, ab Ecclesia ejecti sunt, ac Evangelium Hebraicum S. Matthæi, quod primo purum intactumque servarant, additionibus quibusdam vitiasse videntur, æque ac fecere Ebionæi, & Carpocratiani.

E

Cur quatuor Evangelia?

Resp. Primo.

QUÆRES cur præcise quatuor sunt Evangelia & Evangelistæ, non plures, non pauciores? Varii varias dant causas. Primo S. Augustinus, lib. 1. de Consensu Evang. cap. 2. respondet ita factum esse ob quatuor mundi plagas, quibus prædicandum erat Evangelium: *Quoniam*, inquit, *quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari ipso suo numeri exordio quodammodo declararunt.*

Secundo.

Secundo, hi quatuor sunt velut *quatuor columnæ Ecclesiæ, in quibus velut in quadrato lapide sancta fidei structura consurgit*, ait S. Greg. lib. 1. epist. 24. Ædificia enim quadrata forma fiunt ut sint firma. Unde & cælestis Jerusalem in quadro posita dicitur Apoc. 21. 16.

Tertio.

Tertio, quia quaternarius est numerus solidus & quadratus: hic ergo significat Evangeliorum soliditatem & perfectionem. Unde Philo lib. de Mundi opificio, ait, quaternarium numerum primum solidi naturam ostendere: nam in unitate censetur punctum, in binario linea; ubi accessit latitudo, fit superficies ad ternarium pertinens: hæc quo minus sit corpus natura solidum, una destituitur altitudine, qua juncta ad ternarium, fit quaternarius. D. item Augustin. lib. 83. quæstionum quæst. 57. *Progressio*, ait, *a puncto ad longitudinem, a longitudine ad latitudinem, a latitudine ad altitudinem, soliditatem corporis facit, quæ rursus quaternario numero continetur.* Præterea nec illud ignorandum (ait Philo) quod primus numerorum quatuor quadrangulus est, pariter par, mensura æquabilitatis & justitiæ, indeque omnis virtutis. Quo circa Aristoteles lib. 1. Rhetor. c. 12. virum perfectum comparat quadrato. Nam hic numerus est primus pariter par, tamquam justi æquique mensura. Idem continet trinam solidi corporis cum puncto dimensionem. Denique quaternarius est denarii, qui omnium est perfectissimus, causa, basis, & fons. Nam numeri omnes ab unitate usque ad quaternarium, si eidem addantur, faciunt denarium, scilicet adde 1. 2. 3. 4. efficies decem.

F

G

Quarto.

Quarto, alii assignant causam quod totidem, scilicet quatuor literæ sint in nomine Dei tetragrammato יהוה quatuor primaria Dei attributa, quæ Evangeliis explicantur, repræsentantes. Alii, quia quatuor sunt flumina paradisi. Ita S. Augustinus 13. Civit. cap. 21. & S. Hieron. in Prol. S. Matth. Verum hæc omnia mystica & symbolica sunt, unde hisce similes causas, vel potius analogias symbolicas ad viginti recenset noster Joannes de la Haye in Apparatu Evangelico c. 29.

Quinto. Genuine.

Quinto ergo ad literam propria & genuina causa est, quod sicut in aula cælesti sunt quatuor Cherubini, quasi principes & sapientes Dei; sic in Ecclesia terrestri docuit esse quatuor Evangelistas, quasi principes & Cherubinos Christi. Id ita esse patet Ezech. 1. ubi ipse quatuor hosce Cherubinos cum quatuor stemmatibus, quatuor Dei attributa repræsentantibus depingit. Adde duos Evangelistas initio sui Evangelii duas describere Christi naturas, scilicet Matthæus humanam, Joannes divinam: duo vero reliqui duplicem Christi dignitatem, scilicet Marcus regiam, Lucas sacerdotalem. ita Rupert. in cap. 1. Ezech. cap. 7. *Christus enim est homo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ascendendo*, ait S. Hieronym. Præfat. in Marcum, vel quisquis est auctor. Stylus enim indicat non esse S. Hieronymi. Hic ergo currus Cherubicus est quadriga Evangelii a quatuor equis, id est, Evangelistis agitata, & toto orbe circumacta. Quocirca per quatuor Cherubinos, quos vidit Ezechiel cap. 1. & S. Joannes Apocal. cap. 4. quatuor Evangelistas significari docent S. Hieron. S. Athanasius, S. Augustinus, S. Irenæus, S. Gregorius, S. Ambrosius, Beda, ceterique Patres & Interpretes; unanimi consensu.

Quatuor Evangelia quatuor Cherubini.

H

Audi S. Hieronymum epist. 103. ad Paulinum: *Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes quadriga Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo: per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime pendentes, terga pennata, & ubique volitantia. Tenent se mutuo, sibi perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur & pergunt, quocumque eos flatus S. Spiritus perduxerit.*

Ita vero Cherubini Ezechielis quaternas habebant facies & formas, scilicet Leonis, Vituli, Hominis & Aquilæ.

Digitized by Google

A Ix, Unde S. Joannes Apoc. 4. illos vocat quatuor animalia: *Animal primum*, inquit, *ſimile leoni, & ſecundum ſimile vitulo, & tertium ſimile homini, & quartum ſimile aquilæ volanti*. Et poſt paululum, *Plena erant*, inquit, *oculis, & requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*.

Leo eſt Marcus. Cur?

Leo denotat S. Marcum, cujus facies, id eſt, initium Evangelii eſt clamor & rugitus S. Joannis Baptiſtæ in deſerto: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*.

Vitulus eſt Lucas.

Vitulus denotat S. Lucam, qui Evangelium ſuum orditur a ſacerdotio veteri (cujus victima erat vitulus) Zachariæ, qui pater fuit Baptiſtæ.

Homo eſt Matthæus

Homo denotat S. Matthæum, qui incipit ab humana Chriſti genealogia.

Aquila eſt Joannes.

Aquila denotat S. Joannem, altiſſime e terra in cælum inſtar aquilæ ſe librantem, & illud divinitatis exordium intonantem: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, ut merito S. Dionyſ. Areopag. epiſt. ad eumdem S. Joannem ipſum vocet *Solem Evangelii*, ejuſque Evangelium nuncupet memoriam & renovationem Theologiæ illius, quam ipſe recumbens in pectore Chriſti ex eo hauſit, ac Evangelio, quaſi ſolis radio, poſteris intuendam reliquit. Audi S. Hieron. Procem. in S. Matth. *Hæc igitur quatuor Evangelia multo ante prædicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima viſio ita contexitur: Et in medio ſicut ſimilitudo quatuor animalium: & vultus eorum facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies aquila. Prima hominis facies Matthæum ſignificat, qui quaſi de homine exorſus eſt ſcribere: Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Secunda Marcum, in qua vox leonis in eremo rugientis auditur: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Tertia vituli, quæ Evangeliſtam Lucam a Zacharia ſacerdote ſumpſiſſe initium præfigurat. Quarta Joannem Evangeliſtam, qui aſſumptis pennis aquilæ ad altiora feſtinans, de verbo Dei diſputat*. Porro quatuor hæc animalia primaria quatuor Chriſti attributa, & quaſi ſtemmata ſignificant, nimirum leo fortitudinem regiam, quam vel maxime in reſurrectione ex morte & ſepulchro oſtendit. Sicut enim leo rex eſt animalium; ſic Chriſtus Rex eſt fidelium, imo omnium hominum & Angelorum. Vitulus notat ejuſdem ſacerdotium, quod ipſe in cruce ſeipſum in holocauſtum & victimam pro peccato Deo Patri offerens, peregit, & conſummavit: Homo, ejuſdem humanitatem ex Virgine aſſumptam, ejuſque dicta, factaque: Aquila, divinitatem & aſcenſum in cælum. Singula hæc animalia quaternas habebant facies, eo quod initia aliorum trium Evangeliorum, adeoque totam narrationis Evangelicæ ſeriem quartus quiſque complectatur, ut recte notavit Primaſius. Vide dicta Ezech. 1. v. 28. q. & Apoc. 4. Paulo aliter hæc quatuor aſſignavit S. Auguſt. l. 1. de Conſenſu Evang. cap. 3. & l. 4. c. 10. ac S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. & Rupertus: Matthæus, inquiunt, præcipue commendat regiam in Chriſti humanitate dignitatem, Marcus, propheticam, Lucas, ſacerdotalem, Joannes, divinam. Chriſtus enim fuit Rex, Propheta, Sacerdos, & Deus.

Chriſti quatuor ſtemmata.

Jam quoad ordinem temporis, Primus Evangelium ſcripſit S. Matthæus; ſecundus S. Marcus; tertius S. Lucas; quartus S. Joannes. Audi S. Hieronymum Procœmio in S. Matth. *Primus omnium Matthæus eſt publicanus, cognomento Levi, qui Evangelium in Judæa Hebræo ſermone edidit ob eorum vel maxime cauſam, qui in Jeſum crediderunt ex Judæis, & nequaquam legis umbram ſuccedente Evangelii veritate ſervabant. Secundus Marcus, interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus: qui Dominum quidem Salvatorem ipſe non vidit, ſed ea, quæ magiſtrum audierat prædicantem, juxta fidem magis geſtorum narravit quam ordinem. Tertius Lucas medicus, natione Syrus, Antiochenſis, cujus laus in Evangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli, in Achaja Bœotiæque partibus volumen condidit, quædam altius repetens: & ut ipſe prooemio confitetur, audita magis quam viſa deſcribens. Ultimus Joannes Apoſtolus, & Evangeliſta, quem Jeſus amavit plurimũ, qui ſupra pectus Domini recumbens, purriſſima doctrinarum fluenta potavit: & qui ſolus de cruce meruit audire: Ecce Mater tua*. Audi S. Aug. l. 1. de Conſenſu Evang. c. 2. *Primum*, ait, *Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Joannes. Unde alius eis fuit ordo cognoſcendi, atque prædicandi, alius autem ſcribendi. Ad cognoſcendum quippe, atque prædicandum, primi utique fuerunt, qui ſecuti Dominum in carne præſentem, dicentem audierunt, facientemq; viderunt, atque ex ejus ore ad evangelizandum miſſi ſunt; ſed in conſcribendo Evangelio, quod divinitus ordinatum eſſe credendum eſt, ex numero eorum, quos ante paſſionem Domini elegit, primum, atque ultimum locum duo tenuerunt. Primum Matthæus, ultimum Joannes, ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, ſed tamen Chriſtum in illis loquentem ſecuti erant, tamquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio conſtituti, utroque ab eis latere munirentur. Horum ſane quatuor ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, ceteri Græco*.

Inſuper tam appoſite hi quatuor ſcripſere dicta, geſtaque Chriſti: ut muſicam Diateſſaron harmoniam efficere videantur, ſic enim quiſque ſcribit, ut ab aliis ſtylo diſſonet, ſed ſenſu & reipſa conſonet. Quod enim unus tacet, alter ſupplet; quod hic conciſe perſtringit, alter enucleate exponit: quod ille obſcure indicat, iſte clare enuntiat. Audi S. Auguſtinum loco jam citato: *Et quamvis ſinguli ſuum quemdam narrandi ordinem tenuiſſe videantur; non tamen unuſquiſque eorũ velut alterius præcedentis ignarus, voluiſſe ſcribere reperitur, vel ignorata prætermiſiſſe, quæ ſcripſiſſe alius invenitur, ſed ſicut unicuique inſpiratum eſt, non ſuperfluam quoque cooperationem ſui laboris adjunxit*.

Plura hac de re dicam in canonibus, quos mox ſubjungam, ubi quam diſpar ſit eorum paritas, concors diſcordia, oſtendam; ac ſimul quam ſuavem hæc diſcors eorum concordia efficiat hiſtoriæ melodiã & concentũ, demonſtrabõ.

Denique hæc Evangeliſtarum diaphonia *maximum eſt teſtimonium veritatis*, ait Chryſoſt. Præfat. in Matth. *Si enim ex toto & omnibus conſonarent, & cum nimia diligentia atque cura uſque ad tempora & loca omnia, uſque ad ſingula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidiſſet umquam, ſed eos communi ad decipiendum conſilium congregatos, quaſi ex humana quadam compoſitione Evangelium condidiſſe; non enim ſimplicitatis tam ſollicitam conſonantiam indicarent*. Et poſt nonnulla: *Sive enim unus quilibet univerſa dixiſſet, ſuperfluus jam fuiſſet numerus ceterorum; ſive varia omnia inter ſe ſcripſiſſent, ac nova omnia, nullum potuiſſet convenientiæ apparere documentum: propterea & communiter multa dixerunt, & nihilominus quiſque proprium aliquid ac ſpeciale conſcripſit; & ne ſuperflue & importune aliquid videretur adjectum, ſi nihil adderetur novi; nec tota rerum fides adduceretur in dubium, ſi omnia diverſa dixiſſent*.

CAPUT III.

De Interpretibus Evangeliorum.

SYriaca Evangeliorum ex Græco, ut videtur, interpretatio exſtat in Bibliis Regiis. Arabica cum traductione latina impreſſa eſt Romæ in typographia Medicea anno Domini 1591. utramque crebro citabo.

Romæ pariter in bibliotheca Vaticana, & in noſtra collegii Romani reperi Evangelia Coptice ſive Ægyptiace, Æthiopice, & Perſice conſcripta, illaque vetuſta; mox enim a Chriſti temporibus Evangelium in Ægyptum illatum eſt a S. Marco, in Æthiopiam a S. Matthæo, in Perſidem a SS. Simone & Juda. Unde in his regionibus floruit tum Evangelica fides, vita & perfectio. Quocirca ibidem extitere tot examina SS. monachorum æque ac fortiſſimorum martyrum. Evangelium Perſicum a R. P. Hieronymo Xaverio Societatis Jeſu cognato S. P. Franciſci Xaverii, ex civitate Agra, quæ eſt regia regis Mogor, quaſi pretioſum donum, & inſigne antiquitatis monumentum tranſmiſſum eſt ad collegium Romanum, ubi illo uſus ſum. Codex hic ex originali tranſcriptus eſt anno 790. Maurorum, quos ſcilicet Mauri numerant ab ortu ſuæ ſectæ Mahometis, quæ cœpit anno Chriſti 591. Annus ergo 790. Maurorum, eſt annus ab ortu Chriſti 1381. quo tranſcriptus eſt hic codex. Sed originale ipſum longe eſt antiquius: unde & per plura habet vocabula Perſica valde iis, quibus nunc Perſæ utuntur, diſſimilia. His omnibus ſubinde utar, ſed ſobrie & cum grano ſalis: non enim habet iſtam auctoritatem & fidem, quam obtinent Evangelia Græca & Latina; illa tamen confirmant, & ſubinde illuſtrant. Porro Romæ ſunt Æthiopes, ſive Abyſſini, ideoque juniores ex eis ſacerdotes collegium Romanum frequentant; ſunt & aliarum linguarum periti: in urbe enim eſt orbis. Hi mihi Evangelia ſuæ gentis & linguæ interpretati ſunt, ac præſertim R. P. Athanaſius Kircher Societatis

Digitized by Google

A cietatis noſtræ, linguarum Orientalium peritus, uti patet ex earum Lexico, quod nuper edidit.

Porro eſto S. Matthæus prædicarit in citeriori Æthiopia, quæ vicinior eſt Ægypto, hodieque *Sonar* nuncupatur, ubi nigriores ſunt Æthiopes, ac mortuus dicatur in civitate Luah, ubi etiamnum templa in honorem S. Matthæi extant: tamen in reliqua Æthiopia, ſive Abyſſia, Evangelia, ceteraſque SS. Scripturas, æque ac fidem Chriſti accepta refert cuidam monacho Æthiopi, cui nomen Aba Salama, id eſt, Pater pacis, eo quod veram pacem & ſalutem eis attulerit. Hic educatus apud Arabes Orientales, ab eis Chriſtianam fidem & S. Scripturam hauſit, ac deinde univerſæ Æthiopiæ eaſdem communicavit; unde ejus habetur Apoſtolus. Quocirca Æthiopica S. Scripturæ verſio cum Arabica, ceu matrice ſua, conſentit.

Plurimi priſcis temporibus, æque ac poſterioribus & modernis Commentarios ſcripſere in Evangelia (nonnulli in omnia, plures in unum aliquod) illaque ſuis commentationibus illuſtrarunt, nimirum Origenes, S. Hie-
B ronymus, S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Cyrillus, S. Chryſoſtomus, S. Gregorius, Beda, Theophilus, Euthym. Audi S. Hieronymum procœmio in Matthæum; *Legiſſe me fateor ante annos plurimos in Matthæum Origenis viginti quinque volumina, & totidem ejus homilias, commaticumque interpretationis genus: & Theophili Antiochenæ urbis Epiſcopi commentarios, Hippolyti quoque Martyris, & Theodori Heracleotæ, Apollinariique Laodiceni ac Didymi Alexandrini: & Latinorum Hilarii, Victorini, Fortunatiani opuſcula: e quibus etiamſi parva carperem, dignum aliquid memoria ſcriberetur.*

Recentiorum pene infinitus eſt numerus. Hic ergo interpretum copia parit eligendi inopiam, ut lector dicat cum priſca Niobe:

Inopem me copia fecit.

Inter tam varios enim in ſenſu evariantes, neſcis quem præferas, & ſequaris. Multi quoque ita prolixi ſunt, ut non ſtudioſi modo, ſed & doctores, qui toti S. Scripturæ vacant, iis evolvendis tempus & otium, æque ac capitis robur vireſque requirant. Eminent Alphonſus Toſtatus,
C Epiſcopus Abulenſis, qui quatuor ingentes tomos in unum S. Matthæum elucubravit; Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, Franciſcus Lucas Decanus Audomarenſis; ac e Societate noſtra Alponſus Salmeron, Joannes Maldonatus, Franciſcus Toletus, Sebaſtianus Barradius: Janſenius interpretandi ſoliditate excellit, Lucas in linguis Græca, Hebræa, Chaldæa, Syriaca; Salmeron in adaptandis parabolis. Toletus maturitate judicii, Barradius in Moralibus, quæ meditationi æque ac concioni ſubſerviunt. Novatores quoque ac ſectarii plurimi in Evangelia commentati ſunt. Tanta enim Evangeliorum apud omnes ſemper fuit veneratio, ut noſtro ævo Lutheri aſſeclæ nuncupari voluerint Evangelici, cum revera eſſent cacangelici, ac nemo divinam Evangeliorum auctoritatem in dubium revocare auſus ſit, præter Maniacos, Manichæos, Ebionem, Cherintum, Carpocratem, Marchionem & noſtros Enthuſiaſtas, Anabaptiſtas, & Servetianos; hæretici, inquam, innumeri Evangelia ſuis commentis inſignierunt; aut potius temerarunt & vitia-
D runt, ut Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Beza, Pelicanus, adeo ut Auguſtinus Marloratus eorum Symmyſtes; ex eorum viginti facile celebrioribus, catenam contexuerit.

Hoſce ego evolvi, partim cum Lovanii anno Domini 1600. partim cum Romæ publice in ſcholis Evangelia pertractarem, docerem, & dictarem; ac nunc evolvo eos, qui poſterius in illa ſcripſerunt. Jam enim ſenior, ætatem pene omnem in hac ſacræ Scripturæ palæſtra diſcenda contrivi, ac a quadraginta fere annis illam qua docendo, qua ſcribendo docere ſatago. Nemo enim in arte tam vaſta, tam ſublimi & difficili poteſt eſſe magiſter & doctor, niſi qui ante ſtudendo in ea diu fuerit doctorum diſcipulus; nimirum, *divinatio in ore doctoris, in doctrina non errabit os ejus.*

Denique bipartitus fuit, & eſt, Evangelia explicandi modus & ratio; prior multorum olim & etiamnum, ut ſcilicet quatuor SS. Evangelia ſibi invicem apte intexentes, ex iis unum Monoteſſarum pulchra harmonia contexerent. Fecit id primus Theophilus, ſeptimus a S. Petro Antiochiæ Epiſcopus, inquit S. Hieronymus ad Algaſiam: deinde Tatianus Eucratitarum parens; tertio Ammonius, quem, ut ait S. Hieronymus, ſecutus eſt Euſebius Cæſarcenſis: recentiores multi id imitati ſunt, ſed magna præ cæteris laude Cornelius Janſenius. Poſterior eſt eorum, qui Evangelia ſigillatim ex ordine ſunt proſecuti, & etiamnum proſequuntur: poſteriores hoſce ego ſequar: tum quia hæc methodus magis plana, obvia, & ordinata eſt. Facile enim eſt locum, quem quæris in Evangelio quolibet ſeorſim invenire; difficile vero in Monoteſſaro, puta in concordia e quatuor in unum conflata, ideoque confuſa: tum quia mei muneris eſt S. Scripturam uti extat, explicare: non autem novum Evangelium, aut novam Evangelii harmoniam cudere. Ita tamen id exequar, ut uni Evangeliſtæ illa, quæ alii commemorant, inſeram, ad illumque in aliis lectorem remittam, ne idem bis, ter, & quater repetere oporteat. Chronotaxin vero, ordinem & ſeriem omnium quatuor, æque ac ſingulorum nunc paucis ſubjungo, & commentatio velut operis ſynopſin præpono.

MONOTESSARON,

SIVE CHRONOTAXIS

annorum & geſtorum Chriſti,

In qua quatuor Evangelia recto ordine temporis digeruntur, & inter ſe ordinantur, ut unam vitæ Chriſti hiſtoriam efficiant.

INFANTIA, ADOLESCENTIA, ET JUVENTUS CHRISTI:

Sive acta Chriſti a conceptione uſque ad annum trigeſimum completum, quando a Joanne baptizatus eſt.

VERBUM, quod erat in principio apud Deum, ideoque lux & vita mundi in tempore creati, factum eſt caro, puta Dei Filius factus eſt homo, ut homines Dei filios efficeret, anno a mundi creatione 3590. qui fuit a diluvio annus 2293. ab Abraham 2001. a Roma condita 751. a captivitate Babylonica 591. ab hebdomadibus Danielis 453. a Machabæis 165. ab annis Julianis 43. Auguſti Cæſaris circiter 42. Joan. 1. idque hoc modo & ordine contigit. 1.

Archangelus Gabriel miſſus a Deo, nuntiat Zachariæ conceptionem S. Joannis Baptiſtæ, qui futurus erat præcurſor & index Chriſti: quare Eliſabeth ejus uxor concipit S. Joannem. Idem Gabriel poſt ſex menſes die 25. Martii anni jam dicti, nuntiat B. Virgini conceptionem filii Dei; conſentit illa, concipitque, ac in ea Verbum caro factum eſt. B. Virgo viſitat Eliſabetham, ac ipſam cum Joanne implet Spiritu ſancto. Naſcitur Joannes die 24. Junii. Naſcitur Chriſtus in Bethlehem die 25. Decembris ejuſdem anni, ac die octava, puta prima die Januarii circumciditur, vocaturque Jeſus, id eſt, Salvator. Lucæ c. 1. & 2. Genealogiam Chriſti ex Patriarchis & regibus texit Matthæus c. 1. & Lucas c. 3. 2.

Die 13. ab ortu Chriſti puta die 6. Januarii proxime ſequentis, Magi duce ſtella excita veniunt in Bethlehem, Chriſtum adorant, eique offerunt aurum, thus, & myrrham; fugientes Herodem, alia via revertuntur in terram ſuam. Matth. 2. 1. 3.

Die 40. ab ortu Chriſti, puta die 2. Februarii quaſi die purificationis puerperæ lege præſcripto, B. Virgo puerum Jeſum offert in templo, quem S. Simeon in ulnas accipiens, Meſſiam prædicat, æque ac Anna prophetiſſa. Luc. 2. 22. 4.

Herodes ſe deluſum videns a Magis, occidit omnes infantes in Bethlehem, hoc fine, ut inter eos & Chriſtum occideret; ſed is jam Angeli monitu a Joſeph & Maria abductus erat in Ægyptum, qui mortuo Herode reducitur die 7. Januarii, moraturque in Nazareth; unde Nazaræus cognominatur. Matth. 2. 23. 5.

Chriſtus duodennis aſcendens cum parentibus Hieroſolymam, ab iis perditus, poſt triduum repertus eſt in templo inter doctores, cum quibus reverſus in Nazareth, ſubditus illis proficiebat ætate, ſapientia, & gratia apud Deum & homines. Lucæ 2. 42. 6.

A duodecimo anno uſque ad trigeſimum Chriſtus delituit, & artem fabrilem exercuit. Lucæ 3. 23. Marci 6. 3. Matth. 13. 55. 7.

VIRI-

Digitized by Google

A

VIRILIS CHRISTI ÆTAS.

Acta Christi a Baptismo usque ad proximum Pascha, puta acta per tres menses proximos, scilicet ab initio Januarii anni 31. Christi, usque ad 25. Martii.

8. ANno 15. Tiberii Cæsaris S. Joannes Baptista in deserto juxta Jordanem jussu Dei cœpit prædicare pœnitentiam: & baptizare, viamque Christo præparare. Lucæ 3. 1.

9. Eodem anno Christus, expleto anno ætatis trigesimo, ac trigesimo primo per tredecim dies inchoato, baptizatus est a Joanne die 6. Januarii, eadem scilicet die, qua ante triginta annos puer adoratus fuerat a Magis Lucæ 3. 21. Matth. 3. 13. Marci 1. 9. tumque a Deo declaratus est quis esset, scilicet filius non Joseph, sed Dei, nam Spiritus sanctus in eum specie columbæ descendit, & vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. 16. Lucæ 3.

B 21. Joann. 1. 23. Ex hac voce Joannes testatus est ipsum esse Messiam Patribus promissum, id est, Redemptorem & Salvatorem mundi. Ibidem.

10. Illico a baptismo, puta eadem die 6. Januarii, Christus secessit in desertum, ubi, ut se ad opus prædicationis præpararet, per quadraginta dies vacavit orationi & jejunio, post quos esuriens tentatus a diabolo, eum superavit, ac Angeli ei, ut Domino suo, ministraverunt. Matth. 4. 1. Lucæ 4. 1. Marc. 1. 12. Cœpit ergo Christus jejunium quadragenarium die 7. Januarii, finiit die 40. quæ fuit 15. Februarii, quo die, victo tentatore diabolo, revertitur in Galilæam, & quindecim diebus manet in Nazareth, ait S. Epiphan. hæresi 15.

11. Die 56. a baptismo, ait S. Epiphan. hæresi 51. scilicet die prima Martii (erat enim ille annus bissextilis, ac consequenter Februarius habebat 29. dies) Judæi legatos miserunt ad Joannem, rogantes an ipse esset Messias? negavit ipse, & postero die, quæ fuit 2. Martii, Joannes videns Christum venientem, eundem digito demonstravit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Idem fecit, dixitque Joannes postridie, puta die tertia

C Martii; quo audito duo ex ejus discipulis secuti sunt illico Jesum, quorum unus Andreas fratrem suum Simonem postridie ad Jesum adduxit. Postridie item, puta die 4. Martii, Jesus vocavit Philippum, qui Nathanaelem adduxit; ita enim hæc per singulos dies enarrat & consignat S. Joannes c. 1. 2. 29. 35. 43. 45.

12. Tertia exinde die a vocatione Petri & Andreæ, scilicet die 5. Martii, quæ fuit sexagesima a baptismo Christi, ait S. Epiphan. hæres. 51. Christus vocatus ad nuptias in Cana Galilææ, mutavit aquam in vinum; hocque primum ejus fuit miraculum, quo se, quis esset, mundo patefecit. Joan. 2. 1. Mox descendit Capharnaum. Ibidem vers. 12.

ANNUS PRIMUS
Prædicationis Christi.

Nimirum acta Christi a primo Paschate post baptismum usque ad Pascha secundum, scilicet acta a die

D *25. Martii anni 31. Christi, usque ad finem Martii anni 32. Christi.*

13. CHristus ex urbe Capharnao instante Paschate ascendit Hierosolymam, ubi flagello ejiciens ementes & vendentes e templo, ac prædicans, plutaque miracula patrans, multos ad credendum in se pellexit. Joan. 2. v. 13. & 14. Hæc omnia contigerunt in Martio ejusdem anni, qui fuit 31. Christi.

14. E quibus unus fuit Nicodemus princeps Judæorum, cui Christus spiritalis regenerationis, per baptismum & fidem in Christum crucifigendum, necessitatem ostendit. Joan. 3. 1

15. Cœpit ergo Christus anno ætatis trigesimo primo sub Pascha per se prædicare, & per Apostolos sub initium Aprilis in Judæa baptizare: quare multi a Joanne, ipso probante & instigante, ad Christum transierunt. Unde Joannes, quasi suo defunctus officio, Herodem ob adulterium reprehendens, sub Decembrem ab eo conjectus est in vincula. Joan. 3. 22. & 23. Matth. 14. 3. Marci 6. 17. Lucæ 3. 19. Quare Christus Herodem fugiens a Judæa initio anni 32. (ut patet ex eo, quod ipse ait: *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.* Joan. 4. 35.) pertexit in Galilæam, ac in itinere transiens per Samariam, Samaritanam adulteram, & per eam cæteros Samaritanos convertit, ac post biduum prosequens iter in Galilæam, a Galilæis benigne exceptus est. Igitur sub initium Februarii egressus in Canam Galilææ, ibi rogatus a regulo, filium ejus febricitantem a febribus liberavit, fuitque hoc secundum Christi ibidem miraculum, quod plura alia secuta sunt, quibus ipse prædicationem suam in Capharnao confirmavit. Matth. 4. 12. & 13. Marc. 1. 14. Joan. 3. 22. c. 4. v. 1. 4. 45. & 46.

16. Inde ambulans juxta mare Galilææ, per miraculum capturæ piscium Petrum & Andream, mox Jacobum & Joannem ad sui sequelam evocavit, eosque piscatores hominum effecit. Matth. 4. 18. Lucæ 5. 1. Marci 1. 16.

17. Cum his introjens synagogam Capharnai, prædicans dæmoniacum a dæmone liberavit, & domum Petri ingressus socrum ejus a febribus, multosque alios a variis morbis sanavit. Postridie orandi causa secessit in desertum, ubi a Petro, & mox a turbis repertus, ut eas fugeret, jussit discipulos transfretare, & in navi

F obdormiens, orta tempestate, a discipulis excitatus, ventis imperavit & mari. Marci 1. 21. 29. 32. 42. Lucæ 4. 23. 31. 38. 40. 42. Matth. 1. 14. 16. 18. 24. Hæc & sequentia videntur contigisse initio Martii anni Christi 32. ante Pascha.

18. Transfretans ergo pervenit in regionem Gerasenorum, ubi duos dæmoniacos sanavit: permittens dæmonibus id postulantibus, ut in porcos introirent, qui in eos ingressi eorum duo millia in mari submerserunt; quare rogatus ab incolis ut discederet, rursus transfretans rediit Capharnaum, ubi paralyticum, per tectum ad se submissum, curavit. Matth. 8. 28. & c. 9. 1. Marci 5. 1. & c. 2. 1. Lucæ & 8. 26. & c. 5. 18.

19. Inde egrediens ad mare, Matthæum ad telonium sedentem ad sui sequelam evocavit. Mox Jairi filiam a morte suscitavit, & in itinere hæmorrhoissam a fluxu sanguinis curavit, ac duos cæcos illuminavit, & dæmonem mutum expulit. Matth. 9. 9. 18. & 27. Marci 2. 14. & c. 5. 22. Lucæ 5. 27. & c. 8. 41.

G

ANNUS SECUNDUS
Prædicationis Christi,

Continens acta a secundo Paschate post baptismum usque ad tertium, puta a fine Martii anni 32. Christi, usque ad finem Martii anni 33. Christi.

20. CHristus a Galilæa profectus Hierosolymam ad secundum Pascha, ægrotum per 38. annos decumbentem ad probaticam piscinam sanavit, jussitque ei grabatum tollere die Sabbati: quare illud opus quasi Sabbati violationem accusant Judæi; sed Christus multis idipsum defendit. Joan. 5. 2. Sic & Pharisæos taxantes ejus discipulos, quod famentes in Sabbato vellerent spicas (sub finem Aprilis anni 32. Christi) confutat. Lucæ 6. Matth. 12. 2. Marci 2. 23. Idem præstitit, cum alio Sabbato cuidam manum aridam restituisset. Unde Judæorum iras declinans, contulit se ad mare, ubi turbam docuit, &

F plurimos ægros, ac a diabolo possessos curavit. Matth. 12. 9. & 15. Marci 3. 1. & Lucæ 6. 6.

21. Inde sub medium Maji secessit in montem, & pernoctans in oratione, mane duodecim Apostolos elegit, ad quos coram ingenti hominum multitudine habuit sermonem, qui in monte cognominatur, ac summam vitæ Christianæ, & perfectionis Evangelicæ complectitur. Marci 3. 13. Lucæ 6. 12. & 17. Matth. 5. 1.

22. Descendens de monte in agro Capharnaensi, leprosum mundavit: & urbem ingressus, servum Centurionis paralysi liberavit: ac in ingressu Naim filium viduæ a morte suscitavit. Matth. 8. 1. & 5. Marci 1. Lucæ 5. & cap. 7. v. 1. & 11.

23. Hæc audiens Joannes in carcere, misit ad eum duos discipulos, ut ab eo discerent, ipsum esse Messiam, quibus ad Joannem regredientibus, Christus laudat Joannem, taxatque Scribas & Pharisæos, quod nec Joanni, nec sibi crederent, quare eis præfert publicanos & meretrices pœnitentes. Lucæ 7. 8. & 24. Matth. 11. 2. & 7.

24. Quocirca prandens apud Simonem Pharisæum, Magdalenæ pœnitenti peccata condonat, eamque Simoni

præ-

Digitized by Google

A præfert. Lucæ 7. 36. Mox Capharnai dæmoniacum, cæcum ac mutum ſanat; ac Phariſæos hæc miracula quaſi magica carpentes, confutat. Matt. 12. 22. 24. Lucæ 11, 14. 13. Marci 3. v. 21.

21. Advolant cognati, ut eam quaſi furioſum ligent. Marc. 3. v. 21. Significanti adeſſe cognatos reſponder, fratres & cognatos ſuos eſſe eos, qui audiunt & cuſtodiunt Verbum Dei. Matth 13. 43. Marci 3, 51. Lucæ 8. 19.

26. E domo vadens ad mare, ibi turbam docuit per varias parabolas ſeminis, zizaniorum, ſinapis, fermenti, quas domi diſcipulis explanavit, addens alias, theſauri, margaritæ, & ſagenæ miſſæ in mare. Matth. 13. 1. Lucæ 8. 4. Marci 4. 1.

27. Pergens in Nazareth patriam ſuam, ibique concionans, a ſuis non eſt auditus, imo urbe expulſus, & fere præcipitatus, quare vicinas urbes, ceteroſque Galilææ vicos, & civitates, evangelizando, cum ſuis perambulat. Marc. 6. 6. Luc. 8. 1.

28. Duodecim Apoſtolos mittit binos ad regnum Dei
B prædicandum, & ſanandum ægros: illi ubique prædicant, dæmones pellunt, ægros oleo ungentes ſanant. Idem facit Jeſus Galilæam obeundo. Matth. 10. 1. & c. 11. v. 1. Marci 6. 7. 12.

29. Herodes hæc audiens, ſuſpicatur Jeſum eſſe Joannem, paulo ante a ſe occiſum, & jam a morte ſuſcitatum. Lucæ 9. 7. Matth. 14. 1. Marci 6. 14. Quare ejus inſidias declinans Jeſus, ſeceſſit cum ſuis trans mare Galilææ in deſertum, ibique turbas affluentes docens & ſanans, quinque millia virorum pavit quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus: quare cum turba vellet eum regem creare, jubens diſcipulos transfretare, ipſe ſolus veſpere fugit in montem orandi cauſa; ſed diſcipulis in mari periclitantibus, ambulans ſuper mare Petrum ad ſe venientem, ſed fide titubantem, cum jam mergeretur, erexit, & tempeſtatem ſedavit, ac appellens in terram Geneſareth, omnes ægros tactu fimbriæ ſanavit. Matth. 14. 13. 22. 24. 34. Marc. 6. 30. 45. 48. 53. Luc. 9. 10. Joan. 6. 1. 15. 18.

30. Poſtridie, multis eum ob multiplicationem panum
C ſequentibus; eos traduxit ad deſiderandum panem ſpiritualem & cæleſtem, qui dat vitam mundo, & ſine quo nemo vivere poteſt; atque hunc panem ſe eſſe aſſerit: nam ſuam carnem eſſe cibum, & ſuum ſanguinem eſſe potum, qui confert vitam æternam. Joan. 6. 24.

Octavo exinde die, quæ fuit ſexta Auguſti (hac enim E
die Eccleſia recolit memoriam transfigurationis Chriſti) transfiguratur coram Petro, Jacobo, & Joanne, ac reſplendens ut ſol cum Elia & Enoch de ſua morte colloquitur. Acceſſit vox Patris: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite.* 35.

Poſtridie, puta ſeptima Auguſti, deſcendens de monte 36.
ad turbas, ſanavit dæmoniacum, quem diſcipuli ſanare nequiverant, eo quod hoc genus dæmoniorum non pellatur, niſi oratione & jejunio. Proficiſcens per Galilæam, rurſum prædicit ſuam mortem & reſurrectionem. Ingrediens Capharnaum juſſit ſolvi publicanis didrachmum unum pro ſe, & alterum pro Petro. Matth. 7. 14. 22. 24. Marci 9. 13. 29. Lucæ 9. 37. 44.

Ibi revelavit & redarguit ambitionem Apoſtolorum, 37.
qui in itinere de primatu contenderant: docuitque valde cavenda eſſe ſcandala, ac modum, quo corripiendus eſt proximus peccans, eique, ſi peccaverit, veniam eſſe dandam, idque probat parabola ſervi immiſericordis, a quo herus omne debitum jam remiſſum repetiit. Matth. 18. 1. F
6. Marci 9. 32. 41. Lucæ 9. 46. & c. 17. 1.

Inde in Septembri aſcendit Hieroſolymam ad feſtum 38.
Tabernaculorum (quod celebrabatur die 15. menſis Tiſri, quæ illo anno viderur incidiſſe in die 29. Septembris) ſed occulte: in via male exceptus a Samaritanis, cum Joannes & Jacobus vellent eos perdi fulmine, docuit ſuum Spiritum non eſſe ultionis, ſed charitatis; ideoque Samaritanum leproſum curavit, ac gratum præ aliis laudavit. Ingreſſus Hieroſolymam ultimo die feſti Tabernaculorum, puta die ſexta Octobris, tanta gratia concionatus eſt, ut miniſtri ad eum capiendum miſſi, ipſi caperentur: veſpere vero exiit in montem Oliveti. Matth. 19. 1. Joan. 7. 2 & 14. c. 8. 1. Lucæ 9. 51. & c. 17. 11.

Ex monte Oliveti poſtero die regreſſus in templum, 39.
adulteram, pudefactis Scribis eam accuſantibus, abſolvit; mox docens ſe eſſe Dei Filium, cum Judæi eum quaſi blaſphemum lapidare vellent, ſecreto exiit e templo. Inde cæcum a nativitate die Sabbati oculos luto ex ſputo oblinens, illuminavit: mox aſſerens ſe eſſe bonum paſtorem, de eo, ac de mercenario, & ovibus fuſe diſſeruit. Joan. 8. 2. 12. & cap. 9. 1. cap. 10. 1. G

Diſcedens Hieroſolyma peragrat vicos & urbes Judææ, 40.
ac 72. diſcipulos deſignans, miſit eos binos inſtar Apoſtolorum cum mandatis in omnem locum; ad quem erat ipſe venturus. Quos cum gaudio ad ſe revertentes modeſtiæ admonet, & felices prædicat, ac ſpiritu exultans celebrat Dei ſapientiam, quæ ſua arcana revelat parvulis, illamque a ſuperbis ſapientibus abſcondit. Lucæ 10. 1. 17. Matth. 11. 25. Hucuſque ordo certus eſt. Cæterorum, quæ ſequuntur, ordo probabilis eſt, at non plane certus.

Jeſus a Legiſperito tentatus, quæ ſit via ad vitam 41.
æternam, mandatum dilectionis Dei & proximi aſſignat: inſtante illo, quis ſit proximus, idipſum per parabolam Samaritani, qui vulnerati curam ſuſcepit, declarat, Lucæ 10. 25.

Novembri menſe hoſpitio excipitur a Martha & Mag- 42.
dalena, ac pium hujus otium ſollicito illius miniſterio præfert. Luc. 10. 38.

Peracta oratione, tradit diſcipulis normam orandi: H
Pater noſter, &c. monetque perſeverandum eſſe in oratione, 43.
cujus vim per parabolam importune noctu petentis panes pro hoſpite amico, oſtendit Lucæ 10. 1. 5. & c. 18. 1.

Invitatus a Phariſæo ad menſam Phariſæorum, lotio- 44.
nes, ſuperbiam, hyprocriſim, &c. redarguit. Lucæ 11. 37.

Interpellatus a quodam dicente: *Dic fratri meo, ut* 45.
dividat mecum hereditatem, avocat ab avaritia & ſollicitudine temporalium, & ad curam æternorum, ſpemque divinæ providentiæ, oſtendens hujus vitæ brevitatem, & adventus Domini incertitudinem multis adhortatur. Lucæ 12. 13.

Audiens Galilæos a Pilato occiſos, omnes ſtimulat 46.
ad pœnitentiam, ne ſimiliter inſtar ficus ſterilis excidantur. Lucæ 13. 1.

Sabbato ſanans feminam contractam, ideoque repre- 47.
henſus ab Archiſynagogo, ejus præpoſteram religionem confutat, ac per parabolam grani ſinapis, & alteram fermenti demonſtrat Evangelicam prædicationem a parvis initiis ad magna incrementa proceſſuram. Lucæ 13. 10.

Rogatus, an pauci ſalvarentur, affirmavit; ideo arctam 48.
virtutis viam cuique eſſe capeſſendam, idque cito, ne clauſo cæli oſtio fruſtra illud pulſemus. Eodem die monitus, ut caveret ſibi ab Herode, reſpondit ſe non ab Herode,

TERTIUS ANNUS
Prædicationis Chriſti,

Continens acta ejuſdem a tertio Paſchate uſque ad inſtans Paſcha quartum, puta uſque ad ſuſcitationem Lazari: hoc eſt, acta Chriſti a fine Martii anni 33. ætatis Chriſti, uſque ad initium Martii anni 34. ejuſdem.

31. TErtio hoc Paſchate Jeſus non aſcendit Hieroſolymam,
D uti ex lege ſolebat, quia Judæi ei necem machinabantur: ſeceſſit ergo in Galilæam, ubi Scribis diſcipulos ejus arguentibus, quod illotis manibus manducarent, docet non illa quæ in os intrant, ſed quæ de corde exeunt, hominem contaminare. Joan. 7. 1. Matth. 15. 1. Marc. 7. 1.

32. Sub initium Maji, ut videtur, e Galilæa abiit in partes Tyri & Sidonis, ubi Chananææ filiam victus matris precibus a dæmone liberavit, inde regreſſus in Galilæam multorum languores depulit, ac ſurdum & mutum digitis in aures immiſſis, & linguæ ſaliva contingens curavit. Matth. 15. v. 21. & 19. Marci 7. v. 32.

33. Mox miſertus turbæ ſe ſequentis & famentis, rurſum quartuor millia virorum pavit ſeptem panibus, & paucis piſciculis; deinde conſcenſa navi venit in fines Magedan. Matth. 15. 32. & 39. Marci 8. v. 1. & c. 7. v. 10.

34. Ibi curioſitatem Phariſæorum ſignum de cælo flagitantium retundit. Rurſum transfretans monet diſcipulos, ut caveant a fermento, id eſt, hypocryſi Phariſæorum; ac veniens Bethſaidam cæcum extra vicum illuminat: inde accedens ad partes Cæſareæ Philippi ob Petri fidem, qua dicebat: *Tu es filius Dei vivi*, eum petram Eccleſiæ futurum promittit; mox mortem crucis ſe Hieroſolymæ ſubiturum prædicit, quam cum Petrus exhorreſceret, a Jeſu corripitur, docenturque cuique qui ſalvari velit, ſuam crucem eſſe ferendam. Matt. 16. 1. 13. 21. Marc. 8. 11. 22. 27. 31. Lucæ 9. 18. & 22. Id videtur contigiſſe ſub finem Julii: nam.

Digitized by Google

A rode, sed a Hierosolymitis occidendum, ideoque illos a Tito esse vastandos. Lucæ 13. 22. & 31.

49. Decembri mense invitatus a principe Pharisæorum ad mensam, die Sabbati sanat hydropicum, idque licere evincit, ac docet invitatos humilitatem, ut imum locum capessant; invitantes vero misericordiam in egenos. Unde inducit parabolam invitantis ad cœnam, qui divitibus se excusantibus, vocavit pauperes undequaque collectos, quo significat Judæis ob superbiam rejectis, gentes humiles ad cæleste Christi epulum vocandas. Lucæ 14. 1.

50. Affluentem turbam docet, eum qui suus velit esse discipulus, debere terrenis affectibus renuntiare, ac suam crucem tollere; ideoque instar ædificantis & bellantis debere prius vires suas explorare, an ad tam ardua sufficiant. Luc. 14. 25.

51. Reversus Hierosolymam ad festum Encæniorum, quod celebrabatur die 25. mensis Casleu, quam Mathematici censent illo anno incidisse in diem septimam Decembris, rogatus a Judæis, ut clare ediceret, an ipse esset Christus,
B respondit, opera sua idipsum demonstrare, sed illos non credere, eo quod ex ovibus suis non essent; quare illorum iræ & perfidiæ se subducens, abiit in Bethabara, ubi Joannes baptizarat, cumque eo multi etiam peccatores & publicani confluerent, illos more suo docuit & curavit. Murmurantes Pharisæos, quod peccatores reciperet, confutavit tribus parabolis, scilicet ovis errantis, drachmæ perditæ, & filii prodigi. Joan. 10. 22. 40. 41. Matth. 19. 2. Marc. 10. 1. Lucæ 15. 1.

52. Excitat deinde ad eleemosynam per exempla villici iniqui, & divitis epulonis. Luc. 16. 1. quibus tacite taxat Pharisæorum avaritiam.

53. Ibidem disputat cum Pharisæis de divortio, ac cælibatum præfert conjugio. Matth. 19. 3. Marci 10. 2.

54. Ineunte Januario monet discipulos de cavendis scandalis, de fide ut grano sinapis, de servo arante, &c. Luc. 17. v. 1. 5. & 7. Mox in Februario Pharisæorum superbiam retundit per parabolam Pharisæi & publicani, qui humiliter confitens se peccatorem, justificatus est præ illo. Item per exemplum parvulorum, quos ipse sibi oblatos, manibus impositis, benedixit: *Sinite*, inquit, *parvulos*
C *venire ad me, talium enim est regnum cælorum*. Lucæ 18. v. 9. & 15. Matth. 19. 13. Marci 10. 13.

55. Adolescentem divitem servantem Dei mandata, hortatur ad consilium paupertatis Evangelicæ: sed ille re tam ardua perculsus, resiliit. Unde ostendit Christus, quam difficile sit divitem salvari, quamque sapientes sint, qui omnia Dei amore relinquunt, ut Christum sequantur, quibus, proinde centuplum, & vitam æternam promittit. Matth. 19. 23. Marci 10. 17. 23. Lucæ 18. 18. 24.

56. Denique per parabolam operariorum diversis temporibus conductorum ad colendam vineam, docet in cœlo primos fore novissimos, & novissimos primos, multos enim esse vocatos, paucos vero electos. Matth. 20. 1.

QUARTUS ANNUS

Prædicationis, passionis, & resurrectionis Christi,

D *Continens acta ejus a suscitatione Lazari, usque ad ascensum in cælum.*

SUscitatio hæc Lazari contigit paulo ante quartum & ultimum Pascha, quo crucifixus est Christus, imo ipsa fuit causa, vel potius occasio necis Christi, ut mox dicam: Christus enim vixit 33. annos & tres menses, qui a natali ejus excurrunt usque ad Pascha. Quare quartus hic prædicationis & passionis Christi annus fuit tantum inchoatus, non completus, imo duos tantum menses complectitur, scilicet Martium & Aprilem, ac initium Maji, quibus omnia illa egit, & passus est, quæ a suscitato Lazaro, usque ad ascensionem in Evangeliis narrantur: Christus enim suscitavit Lazarum post initium Martii, crucifixus est die 25. Martii; resurrexit die 27. Martii, ascendit in cælum die 5. Maji anno ætatis suæ 34. inchoato per quatuor menses.

57. Christus Lazarum mortuum quatriduanum in Bethania a morte suscitat, quo miraculo permoti multi in Christum crediderunt; quare invidentes ei Pontifices & Pharisæi in concilio, cui præerat Caiphas, decernunt eum esse occidendum. Id sciens Jesus, secessit ad fines Judææ in urbem Ephrem, mox instante Pascha te ascendit Hierosolymam, ac in via edixit Apostolis, instare *sibi crucem* E & mortem: seque ultro ad illam pergere. Joan. 11. 17. 46. 54. 65. Matth. 20. 17. Marc. 10. 32. Lucæ 18. 31.

58. Joannes & Jacobus opinantes Christum ascendere Hierosolymam regni sui ineundi causa, per matrem postulant, ut in regno hoc post eum primas obtineant; sed Jesus pro regno calicem passionis eis propinat. Matth. 20. 20. Marci 10. 35. Lucæ 19. 11.

59. Jesus transiens per Jericho, Zachæum publicanum se invitantem convertit; inde pergens Hierosolymam, duos cæcos, quorum uni nomen erat Bartimæus, illuminat, ac ante sex dies Paschæ, scilicet die Veneris ante Dominicam Palmarum venit Bethaniam. Lucæ 18. 35. & c. 19. 1. Matth. 20. 29. Marc. 10. 46. Joan. 12. 1.

60. Ibi postero die, puta Sabbato, in domo Simonis Leprosi cœnat cum Lazaro: Martha ministrat, Magdalena unguentum nardinum in caput ejus effundit: id ægre ferens avarus Judas, a Jesu corripitur. Matth. 26. 6. 8. Marc. 14. 3. 4. Joan. 12. 2. 4.

61. Postridie, puta Dominica palmarum, quæ illo anno incidit in diem 20. Martii, Bethania abiens Bethphage, illinc asino vectus, palliis discipulorum strato, populo
E cum ramis palmarum applaudente; clamanteque, *Hosanna filio David*, quasi triumphans & Messias Hierosolymam ingreditur; cumque ei appropinquaret, ejus excidium prædicens illacrymavit. Matth. 21. 1. Marci 11. 1. Lucæ 19. 29. & 41. Joan. 12. 12.

62. Urbem ingressus primo templum adiit, ex eoque ementes & vendentes ejecit, multosque ægros sanavit, frendentibus idcirco Pharisæis: Gentiles excitantur, ut eum videant & noscant. Unde vox de cælo missa Jesum glorificat. Matth. 21. 12. 15. Marci 11. 15. Lucæ 19. 45. & 39. Joan. 12. 20.

63. Eadem die, scilicet vespere Dominicæ palmarum, urbe egressus ivit Bethaniam; postero mane, nimirum feria 2. sive die Lunæ 21. Martii in urbem regrediens maledixit ficui ficubus carenti; atque ejecit vendentes e templo: inde cum tota die docuisset in templo, vespere rursus exivit Bethaniam. Matth. 21. 17. Marci 11. 11.

64. Postero mane, quæ fuit feria 3. sive dies Martis, 22. Martii, in urbem revertens; cum discipuli ficum a Jesu
G maledictam, arefactam mirarentur, quanta esset vis vivæ fidei & orationis ostendit. Inde more suo docens in templo, Pharisæos sibi obstrepentes confutat, eisque excidium intentat. Illi ut eum capiant in sermone, captiosas ei proponunt quæstiones de tensu, resurrectione, & mandato maximo, quas omnes ipse prudentissime resolvit, ac vicissim eis quæstionem de Messiæ deitate proponens, eisdem os occlusit, eorumque hypochrysim, superbiam, avaritiam, aliaque vitia taxavit. Matth. 21. 20. 23. & c. 22. 15. 41. c. 23. 1. Marci 11. 20. 27. & c. 12. v. 13. 15. 38. Lucæ 20. 1. 20. 41. 45.

65. Mox sedens contra gazophylacium, pauperem viduam duo minuta offerentem ceteris offerentibus prætulit. Egressus templo ac discipulis fabricam templi admirantibus, ejus ruinam prædixit. Marci 12. 41. & cap. 13. 1. Lucæ 21. 5. Matth. 24. 1.

66. Templo egressus in montem Olivarum, cum discipuli rogarent: *Quando hæc erunt, & quod signum adventus tui,*
H *& consummationis seculi?* edixit signa consummationis tum urbis, tum orbis, diem tamen adventus sui ad judicium fore incertum; ideoque cuique vigilandum esse, ut ad eum se comparet, docet variis parabolis, virginum sapientium & fatuarum, servi pigri, furis, diluvii Noe. Matth. 24. 3. 36. Marci 13. 3. 32. Lucæ 21. 7. 34. Denique formam judicii ultimi graphice depingit. Matth. 25. 31.

67. Feria quarta, sive die Mercurii, 23. Martii prædicit Jesus, se post biduum, puta in die Paschæ, crucifigendum. Unde Judas de eo Judæis vendendo cum eis pretio 30. argenteorum pacisci tur. Matth. 26. 1. 3. 14. Marci 14. 1. 10. Luc. 22. 1.

68. Feria quinta, sive die Jovis, 24. Martii præmittit Petrum & Joannem in urbem, ut parent Pascha, id est, necessaria ad cœnam Agni Paschalis, quos ipse secutus, vespere cum discipulis cœnam Agni celebravit, ac post eam pedes discipulorum lavit, & Eucharistiam instituit, eamque discipulis distribuit. Mox Judæ proditionem prædidixit, ac proditorem signo bucellæ Judæ porrectæ, Joanni indicavit: Judas notatum se sentiens, egressus est ad scelus perficiendum. Contendentes rursum de primatu discipulos, præcepto humilitatis repressit, ac novum dilectionis mandatum edidit, comprehensionem sibi instantem,

Digitized by Google

A ſtantem, ac diſcipulorum fugam, Petroque conſtantiam ſuam jactanti, trinam negationem prædixit; inde mœſtis diſcipulis vale dicens, longum ſermonem amore & ſpiritu æſtuantem texit, quem S. Joannes a c. 14. uſque ad 18. fuſe deſcribit; denique eos Patri commendans, ſinit & vale dicit. Matth. 26.17.20.26. Marci 14.12.17. 22. 18 Lucæ 22.7.14.19.21.24.26.31. Joan. c. 1. 13. v. 21. 26.36. & c. 14. c. 15. c. 16. c. 17.

Series paſſionis Chriſti.

69. INde eadem nocte, hymno gratiarum actionis dicto, cœnaculo & urbe egreſſus, in montem Olivarum oraturus ſeceſſit in hortum, ac ſeorſim coram Petro, Jacobo, & Joanne, ex viva apprehenſione inſtantis paſſionis cœpit pavere, tædere, contriſtari, & mœſtus eſſe. Unde orans: *Pater mi*, inquit, *ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Tandem agoniam ſubiens, ſudavit aquam & ſanguinem; ideoque ab Angelo confortatus mox ultro ſe Judæ
B oſculandum, & Judæis vinciendum obtulit, Petrumque gladium ſtringentem cohibuit. Matth. 26. 31. 36. 37. 39. 41. 51. Marci 14. 27. 32. 33. 35. 44. 47. Lucæ 22. 39. 40. 42. 47. 50. Joan. 18. 1. 3. 7. 10.

70. Vinctus ergo Jeſus ductus eſt primo ad Annam, deinde ad Caipham illius anni Pontificem; cui libere reſpondens, a ſatellite cæſus eſt alapa; productis falſis teſtibus, & ob falſitatem rejectis, rogatus ipſe Jeſus, an eſſet Meſſias Dei Filius, cum id aſſereret, quaſi blaſphemus damnatur & illuditur. Interim Petrus ab ancilla & Judæis, an Chriſti foret diſcipulus, interrogatus, ter negavit: ſed reſpiciente eum Chriſto, pœnitens, egreſſus flevit amare. Hæc die Jovis nocte poſt cœnam geſta ſunt. Joan. 18. 13. 19. 16. Matth. 26. 59. 63. 69. 67. Marci 14. 55. 61. 66. 65. Lucæ 22. 56. 63.

71. Feria ſexta, ſive die Veneris, 25. Martii, mane concilium a Caipha coactum Jeſum iterum damnavit, ac plectendum tradidit Pilato Romanorum præſidi. Id videns Judas, deſperans laqueo ſe ſuſpendit, projectis prius
C in templo argenteis, quibus Judæi emerunt agrum pro ſepeliendis peregrinis. Lucæ 22. 66. & c. 23. 1. 2. Matth. 27. 1. 3. 6. Marci 15. 1. Joan. 18. 28.

72. Pilatus Jeſum, licet a Pontificibus damnatum, ab eis ſibi traditum, damnare renuit, niſi cognita ejus cauſa. Accuſant ergo eum, quod ſe Regem Judæorum fecerit, ac tumultum concitarit a Judæa uſque in Galilæam. Pilatus ergo rogat Jeſum, an vere Rex ſit Judæorum? aſſerit ille, ſed addit, regnum ſuum eſſe cæleſte, non mundanum, a quo proinde ſibi timere non debeat Tiberius Cæſar, ejuſque præſes Pilatus. Quare innocentem & ſanctum eſſe Jeſum Pilatus agnoſcens, variis modis eum abſolvere & dimittere ſatagit. Primo enim, audito nomine Galilææ, rogat an Jeſus ſit Galilæus? quo cognito, eum ad Herodem Galilææ regem, quaſi illi ſubditum amandat; atque hoc honore ei reconciliatur. Herodes a Jeſu ſigna & mirabilia expectans, cum nil tale videret, eum veſte alba indutum ſpernit, & ad Pilatum remittit.
D Joan. 18. 29. 33. Lucæ 23. 23. 46. 8. Matth. 27. 11. Marci 15. 2.

73. Secundo, Pilatus Jeſum ad ſe remiſſum liberare laborat, componens eum cum Barabba ſeditioſo homicida, ut de more in Paſchate unum a morte liberaturi Jeſum eligant & liberent: at illi Pontificum ſuggeſtu Barabbam liberari poſtulant, Jeſum vero crucifigi. Matth. 27. 15. Marci 15. 6. Lucæ 23. 17. Joan. 18. 39.

74. Tertio, Pilatus videns Judæorum in Chriſtum rabiem, ut eam ſedet, jubet eum flagellari, ac flagellis deformatum, & corona ſpinea, veſteque purpurea, velut fictum pictumque regem, illuſum, Judæis ſpectandum exhibet, ut tam afflicti miſereantur: at illi crudeliores effecti, conitentis vocibus poſtulant eum crucifigi, minanturque Pilato illum non habendum amicum Cæſaris, ſi Jeſum, qui ſe regem fecit, impune dimittat. Quare Pilatus lotis manibus, innocentiam Jeſu teſtatus; Judæis ſuccla-mantibus: *Sanguis ejus ſuper nos, & filios noſtros*, eum Judæis crucifigendum tradidit, licet paulo ante ab uxore monitus eſſet, ne ſe morti viri tam juſti immiſceret. Matth. 27. 28. 19. 23. Marci 15. 17. 14. Lucæ 23. 15. 20. Joan. 19. 1. 7. 12. 15.

75. Educitur ergo Jeſus e prætorio in montem Calvariæ crucem ſuam humeris geſtans; quam Judæi in exitu portæ, verentes, ne Jeſus illi ſuccumberet, Simoni Cyre-
E næo poſt Jeſum bajulandam imponunt. Sequuntur mulieres piæ plangentes, quas Jeſus ſuper ſeipſas & filios ſuos plangere jubet, ob imminens urbi Deicidæ excidium. Matth. 27. 31. 32. Lucæ 23. 25. 26. 27. Marci 15. 21.

76. Ut ventum eſt in montem Calvariæ, Judæi, Chriſto propinant vinum felle mixtum, & deinde myrrhatum; neutrum ipſe bibere voluit: mox veſtibus ſpoliatus, & humi in crucem ſtratus, eidem clavis affixus eſt hora ſexta, pura in meridie; crux deinde erecta eſt cum titulo cauſæ, atque ab utroque ejus latere fuere ſuſpenſi duo latrones, quaſi ipſe eorum eſſet princeps. Denique in conſpectu ejus milites veſtimenta inter ſe partiti ſunt. Matth. 27. 34. 35. 37. 38. 39. Marci 15. 23. 26. 27. 24. Lucæ 23. 33. 38. 33. 34. Joan. 16. 19. 18. 23.

77. Principes & populus Jeſu crucifixo inſultant & convitiantur, ille pro eis orat Patrem. Eidem convitiatur latro a ſiniſtris pendens, quem alter reprehendit, Jeſumque Meſſiam confeſſus deprecatur, ideoque a Jeſu audit: *Hodie mecum eris in paradiſo*. Matth. 27. 39. Marc. 15. 29.
F Lucæ 23. 35. 39.

78. Matrem deinde S. Joanni commendat. A Patre ſe derelictum queritur. Clamat: *Sitio*; quare aceto potatur, ac tandem vociferatur. *Conſummatum eſt*. Denique in manus Patris commendans ſpiritum ſuum emittit circa horam nonam. Interim ſol obſcuratur, terra concutitur, petræ ſcinduntur, monumenta aperiuntur, velum templi ſcinditur, ut omnes creaturæ Creatoris ſui mortem lugere & deplorare videantur; quibus commotus Centurio, multique e populo ſpectantes percuſſi ſunt, & tundentes pectora, domum reverſi. Joan. 19. 25. 28. 30. Matth. 27. 45. 46. 49. 51. Marci 15. 33. 34. 37. 38. Lucæ 23. 44. 46. 47.

79. Mortuo Jeſu, Judæi latronum adhuc viventium, ut cito morerentur, crura fregerunt; Jeſu vero minime, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, ex quo manavit ſanguis & aqua; mox de cruce depoſitum Chriſti corpus, & unguentis delibutum, honorifice a Joſepho ab Arimathia & Nicodemo ſepelitur; denique ſepulchro cuſtodes a Pilato apponuntur, ac ſepulchri os lapide clauditur & obſignatur. Joan. 19. 31. 38. Math. 27. 57. 62. Marci 15. 42. Lucæ 23. 50.
G

Series reſurrectionis Chriſti.

80. JESUS die tertia a morte ſua, ſcilicet die Dominica, quæ fuit 27. Martii, e ſepulchro glorioſus reſurrexit ante auroram, ac lapidem, quo ſepulchrum claudebatur, per dotem ſubtilitatis penetrans exivit: lapidem deinde removit Angelus, ac cuſtodes exterruit & in fugam compulit, ut mulieres venturæ ſepulchrum ingredi poſſent. Quare mulieres, quæ emerant, & paraverant unguenta ad corpus Jeſu ungendum; cum die Dominico ſummo mane ad ſepulchrum venirent, ſepulchrum apertum, & corpore Chriſti ſublato, ejus tantum linteamina repererunt, ac ab angelis audierunt Chriſtum reſurrexiſſe. Id ipſæ illico nuntiarunt Apoſtolis: mox Petrus & Joannes cucurrerunt ad ſepulchrum, ſecutæ ſunt
H eos mulieres cum Magdalena. Petrus & Joannes viſis tantum Chriſti linteaminibus, admirantes redierunt domum: ſecutæ ſunt eos rurſum mulieres; ſola Magdalena hærens ad ſepulchrum, & plorans, meruit prima videre Jeſum ſpecie hortulani, at non agnovit; ſed audiens ab eo MARIA, illico cognovit. Mox ſecutæ mulieres; eis narravit ſe vidiſſe Jeſum, & ecce Jeſus, omnibus occurrit obvius, dicens: *Avete*. Hæc eſt prima Chriſti reſurgentis apparitio, quæ in Scriptura extat, facta Magdalenæ & mulieribus. Matth. 28. 1. 2. 3. 5. 9. Marci 16. 5. Lucæ 29. 1. 3. 4. Joan. 20. 1.

81. Mulieribus teſtantibus Jeſum reſurreviſſe, cum non crederent Apoſtoli, ſecundo apparuit Jeſus ipſi Petro. Lucæ 24. 34.

82. Tertio, eadem die, pura Dominica, qua reſurrexit, apparuit Chriſtus duobus diſcipulis euntibus in Emmaus, ac veſpere in menſa ex fractione panis ab eis fuit agnitus. Luc. 24. 13. Matth. 16. 12.

83. Quarto eadem die & veſpera apparuit undecim diſcipulis in cœnaculo, abſente Thoma, eiſque ſe palpandum exhibuit, ac cum eis manducavit, dedit que poteſtatem remittendi peccata. Marci 16. 14. Lucæ 24. 26. Joan. 20. 19.

Quinto,

Digitized by Google

A Quinto apparuit iisdem octavo die, scilicet die 3.
84. Aprilis, præsente jam Thoma eisque vulnerum cicatrices videndas palpandasque præbuit, quare Thomas jam credens resurrexisse, exclamat: *Dominus meus, & Deus meus*. Joan. 20. 24.

85. Sexto, apparuit in littore septem discipulis piscantibus in mari Tiberiadis, ab eisque ex ingenti piscium captura fuit cognitus. Ibidem Petro dixit: *Pasce oves meas*. Joan. 21. 1.

86. Septimo, apparuit Apostolis ceteriisque fidelibus in monte Galilææ, quem eis jam ante *designarat*, ibique jussit eos evangelizare & baptizare omnes Gentes, ac Evangelium miraculis confirmare. Marth. 28. 19.

Denique quadragesimo a resurrectione die, puta die 5. Maji, illos educens in montem Oliveti, docens & instruens, promittensque Spiritum sanctum in Pentecoste, data benedictione, in cælum glorioſus ascendit, sedetque ad dexteram Dei, atque inde Ecclesiam suam gubernat, ac sensim illam carpit, & ad se colligit. Marci 16. 19. Luc. 24. 50.

CANONES,
QUI FACEM EVANGELIIS
ET EVANGELISTIS PRÆFERUNT.

B Primus Evangelistarum scopus & propositum fuit, non omnia dicta, factaque Christi enarrare (hoc enim prolixum fuisset, & pene impossibile) sed pauca e multis, præcipua e communibus seligere, ut per ea doctrinæ & vitæ Christi imaginem, & quasi ideam nobis proponerent, uti diserte asserit S. Joannes in fine Evangelii; nimirum ut ostenderent Jesum Beatæ Mariæ filium esse Christum, sive Messiam in lege & Prophetis olim promissum, & nunc ad homines a peccato, morte, & inferno redimendos missum; ipsumque non esse merum hominem, sed verum Deum, verumque hominem in una persona Filii Dei subsistentem, ac consequenter in Christo attributa Dei attribuenda pariter esse homini, & quæ hominis sunt, danda esse Deo per communicationem idiomatum, ut Deus dicatur natus, crucifixus, mortuus, quia hic homo, puta Jesus, qui simul erat Deus, natus, crucifixus, & mortuus est pro hominum salute.

C Secundus: Hac de causa sæpe non servant ordinem temporis in recensendis Christi dictis & factis: multa etiam silet unus, quæ alii exprimunt, & tamen sic suam continuat, & prosequitur narrationem, quasi nihil sit omissum, ut patet in apparitione Christi, post resurrectionem, facta mulieribus, quam valde diversimode narrant. Quocirca disparatas non raro jungunt sententias, parabolas, sermones, quæ nullum inter se habent nexum vel ordinem, sed alio tempore, alia occasione, & de alia materia dictæ sunt a Christo.

Tertius: Evangelistæ, ne omnino idem dicere videantur, verbis discordant, sed sensu concordant. Inter se ergo conferendi sunt Evangelistæ illi, qui idem Christi factum, dictumve narrant (qui proinde in Bibliis ad marginem adnotari solent) ut ex omnium collatione plena rei historia colligatur: sicubi contrarium dicere videantur, conciliandi sunt, quod aliam & aliam circumstantiam temporis, loci, personarum, &c. ab aliis omissam spectarint, juxta illud: *Distingue tempora, & concilliabis jura*. Præclare S. Augustinus lib. 2.
D de Consensu Evang. c. 28. *Per hujusmodi*, inquit, *Evangelistarum locutiones varias, sed non contrarias, remplane utilissimam discimus & perneceſſariam: nihil in cujusque verbis non debere inspicere, nisi voluntatem cui debent verba servire: nec mentiri quemquam si aliis verbis dixerit, quod ille voluerit, cujus verba non dicit: neque miseri aucupes vocum, apicibus quodammodo litterarum putent ligandam esse veritatem, cum utique non in verbis tantum, sed etiam in ceteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus inquirendus.*

Quartus: Christus priscos sequens sapientes & ethicos, præsertim Hebræos, doctrinam Evangelicam de moribus per breves gnomas & disparatas sententias tradit, uti fecit Salomon in Proverbiis, & Siracides in Ecclesiastico. Quare in his frustra quæritur connexio, ut patet in sermone Christi habito in monte. Matth. 5. & seq.

Quintus: Christus eamdem sententiam, præsertim si sit proverbium, pluries, & ad plura, diversaque proposita accommodat. Exemplum est Matth. 5. 15. ubi per hoc proverbium: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt*, Christus docet Apostolos debere publicum date omnibus virtutis exemplum, unde illud huic applicat, cum illico subjicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. At Lucæ 8. 17. & Marci 4. 21. Christus per hoc idem proverbium docet Apostolos Evangelium non abscondere, sed publice omnibus prædicare debere: unde subdit: *Non enim est occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur*. Generice ergo hoc proverbium: *Lucerna ponenda est super candelabrum*, significat doctores cæteris omnibus tam verbo, quam exemplo sanctæ vitæ prælucere debere. *Aliud:* Christus Matth. 18. 24. per hoc proverbium: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum*, probat Apostolos non debere esse melioris conditionis, quam ipse sit, nec honorem & laudem debere expectare a mundo, a quo ipse accepit vituperium; unde subjicit: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* At Joan. 13. 16. per hoc idem probat Apostolos sibi invicem debere servire & lavare pedes, cum ipse illis eosdem laverit: *Exemplũ enim*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Lucæ vero c. 16. 40. per hoc idem probat discipulum non esse doctiorem & meliorem magistro: quare si magister sit cæcus, indoctus, & vitiosus, non debere sperare discipulum suum fore oculatum, doctum, & virtute præditum. Igitur hoc proverbium: *Non est discipulus super magistrum*, generice accipiendum est, ut significet discipulum magistro, nec honore, nec commoditate, nec gloria, nec doctrina, nec virtute, &c. esse superiorem.

Sextus: Christus, quia cardiagnostes, & cordium inspector, magis ad mentem & sensa interna eorum, qui secum agebant, quam ad interrogationes & verba externa sermonem suum attemperat & accommodat, ait S. Chrysost. in Matth. 9. 3. ubi clarum in se extat exemplum: *Et ecce quidam*, in S. Matth. *de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et
H cap. 12. 25. cum Pharisæi intra se cogitarent: *Hic non ejicit demonia, nisi in Beelzebub*, subdit Matth. *Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis*, &c.

Septimus: Deitas una prædicatur in lege a Mose: dualitas personarum a Prophetis: Trinitas a Christo in Evangelio. Moses enim dicit: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est*. Deuteronom. 6. 4. Prophetæ prædicunt, & prædicant Patrem missurum Filium in mundum pro salute hominum. Christus vero ait: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Matth. 28. Non quod in lege & Prophetis S. Trinitas negetur, aut nullo modo proponatur, sed quod raro, tenuiter, & obscure prædiceturjin Evangelio vero crebro, diserte, & clare. Ita S. Epiphan. hær. 74. post medium: *Deitas una*, inquit, *in Mose maxime denuntiatur: dualitas in Prophetis vehementer prædicatur: Trinitas autem in Evangeliis manifestatur, amplius juxta temporũ occasiones, ac generationes conveniens justo in cognitionem & fidem*; sensim enim in mundo, Deo plura revelante Prophetis & Apostolis, crevit fides & cognitio Dei, & sanctæ Trinitatis; sicut sol crescit ab auroræ caligine, usque in claram lucem meridiei. 2. Petri 1. 19.

Octa-

Digitized by Google

A

Octavus: In Christo, ait S. Gregor. Nazianz. ad Cledonium est aliud & aliud, scilicet alia natura divina, alia humana. In S. Trinitate vero est alius & alius, quia in ea sunt tres hypostases, sive personæ, puta Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quæ tamen in essentia sunt unum, scilicet una deitas.

Nonus: De Deo Patre sæpe dicitur, quod ipse sit Deus unus aut solus, ut Joan. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*, supple & repete, esse solum Deum verum. Vox enim, *Solus*, hic non excludit Filium, & Spiritum sanctum, sed idola & falsos Gentium deos, qui diversæ a Deo Patre sunt naturæ: Filius autem, & Spiritus sanctus ejusdem sunt cum Patre naturæ divinæ, ideoque idem cum eo Deus, qui unus dumtaxat est & solus, non multi vel plures: ita S. Chrysost. hom. 72. in Matth. *Quando*, ait, *in Scriptura, sive veteri, sive nova dicitur unum esse Deum, & præter eum alium non esse, non ad exclusionem Filii, sed ad exclusionem dictum est idolorum*. Sic & S. Hieronymus in Isaiæ c. 43. ante medium, Nazianz. orat. 4. de Theolog. S. August. lib. de Spiritu & litera, cap. 33. & passim Theologi.

B

Decimus: Christus certam habet futurorum quorumliber cognitionem & præscientiam; addit tamen subinde adverbium dubitandi *forte*, vel *forsitan*, non ut rem in se vel sibi dubiam & incertam significet, sed ut ostendat rem futuram esse contingentem non necessariam, eamque subjacere libero hominum arbitrio, ut homines dubii & incerti de sua perseverantia & salute, magis sint solliciti, & studiosius eam curent. *Forte* ergo non tollit Dei præscientiam, sed notat rei contingentiam, & arbitrii humani libertatem, cujus tamen electionem futuram determinate & certo præscit, ac per immensitatem aciei *mentis suæ prævidet* Deus. Quare libertas non repugnat præscientiæ Dei, nec præscientia tollit homini libertatem, quia natura posterior est re prævisa, & libere ab homine electa. Ideo enim, ut recte ait Damascenus, præscit Deus Petrum, v. g. peccaturum, quia Petrus libere volet peccare; non vero ideo peccabit, quia Deus prævidet eum peccaturum: sicut quia ambulo, hinc Deus

C

videt me ambulantem, non vero e contrario, quia Deus videt me ambulantem, idcirco ego ambulo. *Forte*, ergo significat rem non necessario, sed casu, & quasi per sortem evenire, si causas secundas, & hominis libertatem spectes: Deo enim nihil est fortuitum, sed omnia certo prævisa & provisa. Id ita esse patet ex textu Græco, qui pro *forte* habet ἄν, quæ particula expletiva est & confirmantis, non dubitantis, significans *sane, certe*. Sic Christus ait de Capharnao: *Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte* (Græce ἄν, id est, *certe*) *mansissent usque in hanc diem*. Matth. 11. 23. q. d. Si in Sodomis facta essent miracula, quæ ego feci in Capharnao, utique Sodomitæ pœnituissent, & pœnitentia Deum placantes, excidium per conflagrationem evasissent.

Undecimus: Christus ægros sanans sæpe sanitatem, sive salutem animæ & corporis tribuit fidei, dicens: *Fides tua te salvum fecit*, ubi fidem non solam & nudam intelligit, uti volunt hæretici, sed fidem charitate vestitam, ac per actus spei, pœnitentiæ, amoris, &c. operantem, ut patet in pœnitentia Magdalenæ, quæ

D

ex dilectione & contritione ardentissima in publico convivio lachrymis lavans pedes Christi, capillis tergens, ore osculans, audire ab eo meruit: *Remittuntur tibi peccata*, &c. *Fides tua te salvum fecit. Vade in pace*. Lucæ 7. 48. & seq. Nominat tamen solam fidem, tum quia initio prædicationis ejus maxime necessaria erat fides in ipsum, quod scilicet ipse qui exterius videbatur pauper, vilis & despectus, esset verus Messias, orbis doctor & redemptor: tum quia fides principium & radix est spei, pœnitentiæ, Charitatis, ceterarumque virtutum. Quare Christus, & ex eo Paulus, sub fide ut principio omnia dona & virtutes, quasi fructus in arbore & radice intelligit per metonymiam: fidem enim opponit non charitati & gratiæ, sed legi veteri & naturæ viribus, idque ut ostendat necessitatem fidei & gratiæ suæ, quæ initium est justificationis & salutis. Ita S. August. libr. de Fide & Operat. cap. 14. & Trident. sess. 6. cap. 8.

Duodecimus: Verba apud Hebræos actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc perfectum & consummatum significant, ut *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*. Matth. 5. 1. *Beati*, scilicet in-

E

choative, sive in spe, sed necdum in re, quia nimirum sunt in via, quæ tendit & ducit ad beatitudinem æternam. Continuatum, ut cum per miraculum conversionis aquæ in vinum in Cana Galileæ discipuli dicuntur credidisse in Jesum, Joan. 2. 11. *credidisse*, id est, in credendo confirmati fuisse. Jam ante enim eum crediderant, utpote ejus sequaces & discipuli. Consummatum, ut cum Joan. 20. 17. Jesus ait Magdalenæ: *Noli me tangere*, id est, noli in hoc tactu mei hærere & desistere, sed vade propere, & nuntia Apostolis meis de morte mea mœstissimis, me jam resurrexisse. Et: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Marci 16. 16. scilicet, qui crediderit perfecte, non tantum corde & ore, sed & opere, ut ea quæ corde credit, ore confiteatur, & opere exequatur, idque continuo & perseveranter usque ad finem vitæ. Si enim quis postquam crediderit, a fide apostatet, aut scelerate vivat, hic utique non salvabitur, sed damnabitur.

F

Decimus tertius: Affirmantes propositiones, præsertim quæ continent promissiones, benedictiones, beatitudines, præmia, &c. sæpe intelligendæ sunt non absolute & universaliter, sed commode, & cum exceptione, scilicet, ut significent virtutem & naturam rei, quantum est ex parte ipsius, nimirum rem esse talem, quæ ad tantum præmium, bonumve, hominem perducere nata sit, nisi quid aliud impediat, aut si cetera requisita adsint. Sic dicit medicus ægro: *Hæc medicina sanabit te*, id est, potens est, & nata curare tuam ægritudinem, scilicet, nisi ejus operatio aliunde, ut per tuam intemperantiam vel imprudentiam impediatur. Sic Christus salutem æternam rursum tribuit fidei, Joan. 3. 1. Rom. 1. & seqq. quia scilicet fides quantum est ex parte sua, nata est perducere hominem ad spem, timorem, pœnitentiam, charitatem & salutem, nisi ipse hanc ejus operationem sua malitia vel pigritia impediat & incidat. Aliquando vero salus tribuitur invocationi Dei, ut Joan. 2. 32. *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, scilicet si cetera requisita adsint; nam alibi salus tribuitur charitati, spei, timori, pœnitentiæ, & bonis operibus, ut Lucæ 7. 47. 1. Cor. 13. 2. Isaiæ 40. 31. alioqui enim, nisi adhibeatur moderatio, concluderetur pari modo, nec Sacramenta requiri, & eum, qui semel crediderit, salvum fore, etiamsi postea fiat infidelis.

G

Negantes vero propositiones absolute, & sine alia superaddita conditione intelligendæ sunt, ut: *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces*. Romanorum 13. 9.

Decimus quartus: S. Matthæus maxime doctrinæ & verbis Christi, ad mores hominum recte formandos idoneis fuse ordinateque recensendis insistit: Lucas vero magis factis gestisque Christi inhæret. Marcus Matthæi est abbreviator, & subinde interpres. Joannes maxime divinitatem Christi astruit; ut per ejus cum Scribis & Pharisæis disputationes & miracula ostendat Christum vere esse Deum, Deique Filium, idque contra Cherinthum & Ebionem, similesque hæreticos jam tum subnascentes, qui docebant Christum merum esse hominem, illumque Deum esse negabant.

Decimus quintus: Christus, Apostoli, & Prophetæ res spirituales & divinas per corporales & humanas explicant, quia aliter eas homines capere non possent. Quidquid enim homo mente concipit, idipsum prius per sensum aliquem cognovit, juxta illud Aristot. *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*. Quia ergo Deum & divina, uti sunt in se, imaginari nequimus; hinc per imagines rerum corporearum eas adumbrat, & hominibus repræsentat Christus: *Neque enim aliter*, ait S. Dion. c. 1. cælestis Hierar. sub medium, *fas erat infimitati nostræ lucere divinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum* (*quibus ad superiora ferremur*) *opertum, & his, quæ nobis familiaria sunt, providentia paterna naturæ mortalium sese accommodante, vestitum*. Hac de causa S. Scriptura Deo dat caput, manus, thronum, arma; item situs & passiones, ut sedere, stare, volare, iresci, misereri, tristari Anthropathōs: qua de re S. August. scripsit librum de essentia divinitatis, & Eucherius Lugdun. tract. de Forma verborum spiritualis intelligentiæ, & Damasc. lib. 1. de Fide, cap. 14. Sic Christus tropice vocatur leo, agnus, ostium, lux, vitis. Sic vita æterna vocatur denarius, thesaurus, nuptiæ agni, cœna magna, mensa Christi, regnum cœlorum, &c. Sic Angeli in Script. pinguntur quasi juvenes alati. Præclare S. Aug. lib. contra Adimantum c. 7. *Sacra Scriptura*, ait, *verbis nostris loquens, etiam per hæc verba mon-*

H

Digitized by Google

A. *ſtræ nihil digne de Deo poſſe dici. Cur enim non etiam verba iſta dicantur de illa majeſtate; de qua quidquid dictum fuerit, indigne dicitur, qui omnes opes linguarum omnium ineffabili ſublimitate præcedit?*

DECIMUS SEXTUS: Attributa Dei, ut bonitas, ſapientia, omnipotentia, præſcientia, providentia, juſtitia, miſericordia, ſanctitas, &c. quæ reipſa idem ſunt cum ſimpliciſſima Dei natura, ideoque una quædam res ſunt, unaque eſſentia ſingularis & individua, S. Script. effert pluraliter, & in numero plurali, ut ſignificet plures cujuſque attributi vires & effectus, imo & affectus, qui in hominibus & Angelis ſunt varii & multiplices, ſed in Deo uniuntur, unumque ſunt cum deitate. Exempla accipe: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Pſalm. 144. *Omnes viæ ejus judicia*, Deut. 32. 4. *Juſtitia Domini recta.* Pſalm. 18. 9. *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus.* Pſalm. 110.

DECIMUS SEPTIMUS: Si Chriſtus, Prophetæ, & Apoſtoli facinus aut flagitium ſua voce jubere aut conſulere videntur, illa vox non proprie, ſed figurate & myſtice accipienda eſt. Tale quoque eſt omne id quod
B. impoſſibile, aut quod ad morum honeſtatem, vel fidei veritatem, vel ad Sacramenta proprie referri non poteſt; ut: *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & projice abs te*, &c. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Matth. 18. 8. Quod literaliter accipiens Origen. caſtravit ſeipſum, ut tentationes libidinis evaderet: ſed perperam. Non enim licet ſeipſum mutilare: quare hæ ſententiæ non ad literam, ut ſonant, ſed figurate accipiendæ ſunt, ut per manum, pedem, oculum accipias amicum, familiarem, cognatum; &c. qui tibi inſtar manus, oculi, pedis inſervit & opitulatur: hic enim ſi te ſcandalizat & ad hæreſim, libidinem, aliudve ſcelus pellicit, omnino a converſatione tua abſcindendus & abjiciendus eſt. Cum vero nullum ſcelus aut flagitium *jubet Chriſtus*, tunc proprie ut ſonat, id quod dicitur, intelligendum eſt, ut, cum: *Hoc eſt corpus meum*, &c. *Hic eſt ſanguis meus.* Matth. 26. Nec enim carnem Chriſti in Euchariſtia laniamus, aut ſanguinem cruentum vel patentem potamus, uti intelligebant, & horrebant Capharnaitæ, ſed utrumque ſub ſpeciebus panis & vini intectum, & latentem inſtar Angeli ſumimus, qua in re nullum eſt flagitium, nulluſque horror.
C.

Tradit hunc Canonem S. Aug. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, c. 19. *Quidquid*, ait, *in ſermone divino, neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. Morum honeſtas ad diligendum Deum, & proximum; fidei veritas ad cognoſcendum Deum & proximum pertinet.* Et c. 16. *Si præceptiva locutio eſt, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt.*

Idem de catechizandis rudibus, c. 26. *Hoc autem breviter diſcet, ut quidquid audierit ex libris canonicis, quod ad dilectionem æternitatis, & veritatis, & ſanctitatis, & ad dilectionem proximi referri non poſſit, figurate dictum vel geſtum eſſe credat: atque ita conetur intelligere, ut ad illam geminam referat dilectionem.* Eumdem Canonem tradit. Orig. 4. Periarchon. c. 2.

DECIMUS OCTAVUS: Hebræorum mos eſt, ut antecedentia & cauſas taceant, ac conſequentia & effectus enarrent. Aut vice verſa ex cauſis, quas recenſent, effectus, quos ſubticent, intelligendos relinquant. Sic Joannes cap. 1. 43. ait. *In craſtinum voluit exire in Judæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jeſus: Sequere me*, ubi ex *το invenit*, intelligendum relinquit, quod Chriſtus jam ante quæſierit Philippum, q. d. Ideo Jeſus ivit in Galilæam, ut quæreret Philippum; illum enim jam animo deſtinarat vocare ad Apoſtolatum, unde invenit eum, quem quærebat, & vocavit, dicens: *Sequere me.* Sic c. 16. 14. ait: *Et invenit Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum*; ubi ex *το invenit*, intelligitur jam ante quæſiſſe eum. Nam, ut ait Matth. c. 21. 2. Jeſus præmiſit duos diſcipulos in caſtellum vicinum, ut aſinum quærerent, & ad ſe adducerent. Non ergo caſu, ſed ſtudio quærendi eum invenit. Pari modo ex reſponſione colligendam relinquunt præviam interrogationem. Sic Joannes c. 1. 20. ait, Judæos miſiſſe legatos ad Joannem Baptiſtam, interrogantes: *Tu quis es?* reſpondit Baptiſta: *Non ſum ego Chriſtus:* ex qua reſponſione intelligitur Judæos interrogaſſe eum: *Tune es Meſſias, ſive Chriſtus?* Sic c. 3. 2. ait, *Reſpondit Jeſus* (Nicodemo) *& dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Ex qua reſponſione colligitur Nicodemum prius interrogaſſe Jeſum, qua ratione poſſet ſalutem & regnum Dei conſequi; ſed hanc interrogationem ſubticet Joannes. Subinde tamen reſpondere apud Hebræos idem eſt, quod ordiri ſermonem, etiam ſi nullius præceſſerit interrogatio. Sic apud Græcos: unde illud ab Homero toties iteratum: Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, id eſt, *huic reſpondens, locutus eſt pedibus celer Achilles*, quod uſurpat etiam, cum nemo Achillem interrogat.
E

Simili modo ſilent nonnulla, quæ tamen dicta eſſe vel ipſi poſtea, vel alii dicunt aut inſinuant. Sic Joan. c. 6. 36. ait Jeſus: *Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis*, ubi & quando id dixerit Jeſus, Joannes nuſquam expreſſit, uti notat S. Chryſoſt. Sed ex hoc loco eum id dixiſſe conſtat. Sic Joannis 11. 28. Martha ait Magdalenæ, *Magiſter adeſt, & vocat te:* cum tamen de hac vocatione antea nulla facta ſit mentio in colloquio Marthæ cum Jeſu, ſed contentus fuit Joannes illam hoc loco dumtaxat per Martham inſinuare, uti notant S. Cyril. Chryſoſt. & Leontius. Ibid. v. 40. ait Jeſus Marthæ: *Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?* puta glorioſam ſuſcitationem Lazari fratris tui, cum tamen ubi & quando id dixerit Jeſus, numquam ante expreſſerit Joannes.
F

DECIMUS NONUS: Hebraiſmo ſæpe verbum ponitur ſine ſuppoſito, maxime apud S. Marcum, quaſi hoc ex circumſtantiis, puta ex antecedentibus & ſequentibus facile intelligi & ſuppleri poſſit. Sic cap. 4. 26. ait Marcus: *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die dormiat*, ſcilicet homo: *exurgat*, ſcilicet *ſementis*; unde explicans ſubdit: *& (& ſignificat id eſt) ſemen germinet & increſcat, dum neſcit ille.* q. d. Sicut dormiente homine ſeminante ſementis ipſa exurgit creſcitque die ac nocte: ſic Chriſto in cælis quieſcente, & quaſi dormiente, creſcit & propagatur aſſidue Evangelii prædicatio & doctrina: ita explicant S. Hieronymus, Beda, & Gloſſa, licet aliter planius interpretentur S. Chryſoſt. Theophil. Euthym. ut ſuo loco dicam. Et cap. 9. 49. *Omnis enim* (ſupple qui Deo & Chriſto ſervire, & ſe quaſi victimam offerre cupit) *igne* (tribulationis) *ſalietur.* Unde explicans, ſubjicit: *Et omnis victima ſale ſalietur.*
G

VIGESIMUS: Solet in Evangelio & Scriptura integer numerus exprimi, etiamſi aliquid illi deſit, aut ſuperſit: ſic numerantur diſcipuli Chriſti 70. cum præciſe fuerint 72. S. Aug. in quæſt. Evangel. quæſt. 47. Rurſum in eo ſolet poni numerus definitus pro indefinito. Sic Chriſtus relinquentibus omnia, & ſe ſequentibus promittit *centuplum*, Matth. 19. 29. quod Lucas c. 18. 30. explicat, dicens: *Recipiet multo plura.*

VIGESIMUS PRIMUS: Chriſtus ex phraſi Hebræorum ſolet comparationem duorum exprimere per affirmationem majoris, & negationem minoris; id enim quod majus eſt, & præceſſit, affirmat, quod vero minus & inferius eſt, negat. Quare per negationem tunc non proprie dictam negationem ſignificat, ſed tantum id quod negatur, minus eſſe altero, aut certe ipſum non eſſe ſolum in hoc genere indicat, ut: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Matth. 9. 13. hoc eſt, miſericordiam malo, & præfero ſacrificio: alioqui certum eſt ſacrificium quoque ipſi placere, & gratum eſſe in ſuo ordine & gradu, puta poſt miſericordiam. Sic Lucæ 10. 20. ait Chriſtus Apoſtolis: *Nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*, id eſt, plus gaudete quod ſcripti ſitis in cælis, quam quod dæmones vobis ſubjiciantur; nam & de hoc ſuo modo & gradu gaudendum eſt. Sic Lucæ 12. 44. ait Chriſtus: *Qui credit in me, non credit in me* (ſcilicet ſolum, vel præcipue) *ſed in eum, qui miſit me*, q. d. Talis non tantum credit mihi homini dicenti & loquenti, ſed multo magis credit Deo Patri, qui me quaſi legatum ſuum miſit.
H

VIGESIMUS SECUNDUS: Cavenda in ſacræ Scripturæ explanatione nimia ſubtilitas & argutiæ, æque ac plana, nimiaque craſſities & ruditas. Unde S. Hieron. in c. 25. Matth. *Prudentem*, inquit, *ſemper admoneo lectorem, ut non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ commatice pro fingentium dicuntur arbitrio, ſed conſideret priora, media & ſequentia, & nectat ſibi univerſa, quæ ſcripta ſunt.* S. Scriptura ergo inter ſe collata & compoſita, optima ſui ipſius eſt interpres.

VIGESIMUS TERTIUS: Evangeliſtæ ſæpe ludunt in verbis

Digitized by Google

A bis elegantiæ causa, ac idem verbum vel nomen statim aliter & aliter accipiunt, maxime cum ex sensu literali ad allegoricum vel anagogicum assurgunt. Sic Christus ludit in voce *mortuos*, dicens: *Sequere me, & dimitte mortuos* (spiritualiter) *sepelire mortuos* (corporaliter) *suos*. Matth. 8. 22. Nec enim mortui corporaliter possunt alios mortuos sepelire, ut patet. Sic Joan. c. 2. v. 23. 24. ludit in verbo *credo*, dicens: *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat: ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis*. Prius enim *crediderunt* notat fidem divinam, posterius vero *credebat*, notat fidem humanam, sive fiduciam. q. d. Jesus non confidebat eis, qui licet viderent eos credere in se, tamen sciebat eos mutabiles, & facile a Scribis posse perverti: unde non diu, nec secure versatus est cum eis. Ita S. Chrysost. Sic Paulus ludit in voce *peccatum* 2. Cor. 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Ubi *peccatum* priori loco proprie accipit; posteriori vero metonymice, ut significet hostiam pro peccato, q. d. Deus Christum innocentem & ab omni peccato immunem fecit *peccatum*, id est, hostiam B pro peccato, ut nos a peccato liberaret & justificaret.

Vigesimus quartus: Palæstinis & Syris (qualis erat Christus) familiare est uti parabolis, proverbiis, & tritis catachresibus, ut suavius in animos audientium influant; qua de causa Christus toties utitur parabolis, easque multiplicat, ut patet Matth. 13. Ita etiamnum Romæ audivimus Maronitas, qui Syri sunt & incolæ montis Libani, ea quæ dicunt, illico allatis similitudinibus & parabolis, venustare. Audi S. Hieronymum in cap. 18. Matth. ad v. 23. *Familiare est Syris, & maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplorum teneatur*.

Vigesimus quintus: Christus coram nasutis & critis, quales erant Scribæ & Pharisæi, parabolis utitur ambiguis & obscuris, tum quia ipsi indigni erant eas intelligere; tum quia quærebant Jesum capere in sermone, accusare, & occidere; seorsim vero discipulis & amicis suis easdem interpretabatur, ut diserte patet Matth. 13. 11. & c. 7. v. 6. *Nolite*, ait Christus, *sanctum C dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos*. Hoc factitavit Aristoteles, dum libros suos ita tecte & involute scripsit, ut ab æmulis carpi, confutarique nequeant: unde ipse libros de Physico auditu ad Alexandrum, scribit fuisse conscriptos, & non fuisse conscriptos, eo quod maximis ambiguitatibus & obscuritatibus, quibus ipse, quasi sepia se involvit & obtegit, constent.

Vigesimus sextus: Sensus literalis parabolæ non est is, quem voces prima facie ostendunt, sed qui per res vocibus significatas designatur: prior vocum sensus, est grammaticalis, quæ literæ corticem, puta verba vocesque explicat; posterior est parabolicus, ideoque in parabola proprius, literalis, & genuinus: v. g. Matth. 6. 22. & Lucæ 14. 16. in parabola Regis invitantis ad nuptias debiles & claudos, eo quod honestiores se excusarent, sensus literalis non est is, quem γράμματα, id est, literæ & voces ostentant, scilicet quod vere Rex quispiam idipsum fecerit; cum hoc ad scopum Christi sit impertinens, & forte numquam contigerit; sed ad D literam parabolice significatur, quod Christus ad Ecclesiam, gratiam, & gloriam suam vocarit Gentiles idololatras, ideoque viles & abjectos, eo quod Judæi legi Mosi præfisi Christum respuerint.

Vigesimus septimus: Tres sunt parabolæ, apologi, & fabulæ partes, scilicet προμύθιον, μῦθος, ἐπιμύθιον, hoc est, profabulatio, fabula, & affabulatio, sive proparabola, parabola, & epiparabola. Profabulatio est proœmium parabolæ vel fabulæ, & quasi prologus, sive gustus & prælibatio quædam parabolæ, qui illi præmittitur, ut indicet, quo fine, & contra quos parabola dicenda sit: post quam sequitur ipsa parabola, vel fabula: ac denique subjungitur affabulatio, sive postfabulatio, quasi conclusio & applicatio fabulæ aut parabolæ, quæ parabolam vel fabulam explicat, applicatque ad id quod significat, quodque in moribus corrigendum vel faciendum denotat. Exemplum clarum est Lucæ 18. 9. in parabola Pharisæi & publicani, ubi προμύθιον, sive profabulatio præmittitur, cum dicitur: *Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, & aspernabantur ceteros, parabolam istam*. Ipsam deinde parabolam enarrat. Denique v. 14. ἐπιμύθιον, sive postfabulationem, E qua mentem fructumque parabolæ ostendit, subjungit, dicens: *Dico vobis: Descendit hic justificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*. Idem ad oculum videre est in fabulis Æsopi, in apologis Phædri, in emblematibus Alciati.

Vigesimus octavus: In parabolis sæpe non personæ personis, nec partes parabolæ partibus rei significatæ, sed tota parabola toti rei aut sententiæ comparatur. Exemplum est Matth. 11. 16. *Similis est* (generatio hæc) *pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis*; ac deinde id applicat prædicationi Christi & Joannis Baptistæ, non per partes, quia Christus & Joannes nequeunt comparari hisce pueris, sed totam parabolam toti rei significatæ adæquat. Sensus enim est, q. d. Videre est in hac generatione simile quippiam illi, quod in parabola & ludo puerorum contingit, ut sicut nec cantu, nec planctu puerorum moventur morosi homines ad saltandum vel lamentandum; sic Scribæ & Pharisæi nec exemplo laxioris vitæ Christi, nec severioris Joannis Baptistæ provocari potuerint ad pœnitentiam, conversionem, & salutem. Simile est Matth. 13. 24. *Simile*, inquit, *est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*, &c. nec enim præcise & per partes feminans similis est regno, sed potius regi. Sensus ergo est. q. d. Similiter agitur in regno cœlorum, perinde ac si quis in agro suo seminet bonum semen, cui deinde inimicus superseminet zizania.

Vigesimus nonus: In parabolis æque ac in similitudinibus non omnia sunt similia, nec applicanda rei significatæ. Multa enim in iis dicuntur ad decorem & elegantiam parabolæ, quæ ut ab aliis rei significatæ applicandis discernas, hunc Canonem nota. In parabolis finis & scopus parabolæ spectandus est; illa enim quæ ad hunc scopum pertinent, parabolæ partes sunt necessario applicandæ rebus per parabolam significatis, quæ vero ad eum non pertinent, parabolæ sunt emblemata & ornamenta. Ita Origenes & S. Chrysost. in Matth. cap. 13. & S. Aug. lib. 16. de Civit. 2. Sic Matth. 25. 15. dicitur rex distribuisse servis suis talenta, *unicuique secundum propriam virtutem*, quia scilicet rex prudens ita facere solet. G At Christus non ita; nec enim attribuit gratiam secundum vires doteſque naturæ & liberi arbitrii, uti voluere Pelagiani, ut ingeniosis, divitibus, principibus det majorem; rudibus vero, pauperibus & plebeis minorem. Sic Lucæ 14. 26. in parabola computantis sumptus ad parandum bellum, & ad ædificandum turrim, multa sunt emblemata, uti ibidem patebit. Denique ex parabola, & ex postparabola, puta prologo, æque ac ex conclusione parabolæ venandus est genuinus ejusdem sensus. Audi S. Basilium in regul. brevior. interrog. 55. *Sane*, ait, *quæ afferuntur similitudines, nequaquam ea omnino singulis earum rerum, ad quas illatæ sunt, partibus respondent, sed illud agunt, ut mentem ad id, de quo agitur, argumentum dirigant*. Celebre est Augustini documentum lib. 16. de Civit. c. 2. *Non sane omnia, quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant, attexuntur: solo enim vomere terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria: ita in prophetica historia dicuntur & aliqua; quæ nihil significant, sed quibus adhæreant, quæ significant, & quodammodo religentur*. H

Trigesimus: In multis parabolis præter id ad quod primo & principaliter assumuntur, Christus secundario mysteria aliqua insinuare voluit, quasi sensu tropologico, vel allegorico, ut patet Lucæ 10. 30. ubi Christus per parabolam Samaritani non tantum ostendere voluit, quis sit noster proximus, quem diligere debeamus, quod quærebat legisperitus, sed simul allegorice significavit se esse Samaritanum, qui Adamum, ejusque posteros, peccato primævo saucios, infuso oleo gratiæ suæ, & vino sanguinis sui, sanaret & salvaret.

Trigesimus primus: Parabolæ sunt duplices, aliæ similes, aliæ dissimiles. In similibus vis argumenti est a pari vel simili; in dissimilibus a minori ad majus.

Trigesimus secundus: Nonnulla dicuntur in Evangelio & Scriptura non ex rei veritate, sed ex opinione hominum illius temporis, quo gesta referuntur. Sic Joseph vocatur pater Christi etiam a B. Virgine; quia homines illius ævi putabant eum esse patrem, cum revera non esset pater, Lucæ 2. 48. Sic Ananias Jerem. 28. 10. vocatur Propheta,

Digitized by Google

A pheta, quia talis æstimabatur a vulgo, cum revera esset Pseudopropheta. Ita S. Hieronymus in Jerem. 28.

TRIGESIMUS TERTIUS: S. Scriptura, mutatis licet rebus, eadem tamen pristinaque nomina, quæ prius habuere, servat, rebusque assignat. Sic Joan. 6. caro Christi in Eucharistia vocatur panis, quia fuit panis; sed per transsubstantiationem, quæ fit in consecratione, panis mutatus est in carnem Christi. Sic Dina a Sichem corrupta vocatur virgo, quia paulo ante fuerat virgo. Genes. 34. 2. Sic virga Aaronis conversa in serpentem vocatur virga, quia paulo ante fuit virga, Exodi 7. 12. *Devoravit*, inquit, *virga Aaron virgas eorum*, hoc est, serpens, in quem virga Aaronis a Mose conversa erat, devoravit serpentes, in quos Magi Pharaonis suas pariter virgas ad ostentationem miraculi converterant. Ita S. Hieronymus in Matth. 26.

TRIGESIMUS QUARTUS: Evangelistæ & Apostoli in citanda S. Scriptura veteris Testamenti sæpe illam non verbotenus, sed quoad sensum citant: ut *quoniam Nazareus vocabitur*, Matth. 2. 23. de quo ibidem plura. B Sic quod Osee ait c. 2. 1. *Dicite fratribus vestris, populus meus: & sorori vestræ, misericordiam consecuta*, Paulus Rom. 9. 25. citat, *Sicut in Osee dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.*

TRIGESIMUS QUINTUS: Scriptura novi Testamenti sæpe alludit ad vetus Testamentum, quia res novi adumbratæ fuere in veteri: *Finis enim legis Christus*. Rom. 10. 4. Moses ergo & Prophetæ fuere προφήται, & præcursores Christi. Mira igitur, mireque consona est harmonia novi Testamenti cum veteri, cujus artifex & auctor est Spiritus sanctus. Quare ut Scripturam novi Testamenti a radice & fundamentis explices, scrutare & vestiga figuram, prophetiam vel sententiam veteris Testamenti, ad quam alludit, vetus enim lex novæ fuit præludium; nova veteris est complementum, uti fuse docet S. August. lib. pluribus, quos scripsit contra Faustum, Manichæum, & Tertull. lib. quatuor, quos scripsit contra Marcionem.

TRIGESIMUS SEXTUS: Interpres latinus idem verbum C Græcum diversimode vertit, præsertim dum una vox Latina vim verbi Græci non assequitur, nec adæquat: sic ἐπιτιμάω, in Marco fere semper vertit *comminari*, in Luca *increpare*, in Matthæo *imperare* vel *precipere*, ut Marc. 4. 39. Et *Exurgens*, inquit, *comminatus est vento*. Sed Lucæ c. 8. 25. *At ille surgens*, inquit, *increpavit ventum*. Matth. 8. autem v. 26. *Tunc surgens*, inquit, *imperavit ventis & mari:* quia ἐπιτιμάω significat *precipere*, sive *imperare*, non simpliciter, *sed cum increpatione, objurgatione, & comminatione, additis minis objurgare, interminare, & interdicere.*

Denique huc spectant Canones 64. quos Epistolis S. Pauli præfixi. Epistolæ enim istæ explicant Evangelium, quia Paulus interpres est Christi.

TRIGESIMUS SEPTIMUS: Evangelistæ sæpe brevitatis studio rem gestam implicant & convolvunt, qua de causa subinde repugnantia dicere videntur: quare res gesta Interpreti fusius explicanda & distinctius enucleanda est, ut consonantia appareat. Sic Lucas c. 7. v. 3. de Centurione mittente legatos ad Christum, ut servum D suum sanaret, ait: *Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret, & salvaret servum ejus*; cum tamen paulo post subdit eumdem dixisse: *Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te*, quia scilicet ego sum Gentilis, ideoque indignus tuo aspectu & alloquio, quare pro me submisi ad te seniores Judæorum: quomodo ergo paulo ante putat eo se dignum, imo rogat ut Christus veniat ad se? Resp. τὸ *rogans*, quatenus refertur ad τὸ *ut salvaret servum ejus*, pertinet ad ipsum Centurionem, quatenus vero refertur ad τὸ *ut veniret*, pertinet ad seniores Judæorum, qui de suo hoc addiderunt, putantes hoc decere, & Centurionem tacite hoc cupere: Lucas tamen tribuit idipsum quoque Centurioni, quia quæ legatus dicit, & petit nomine legantis hæc legans ipse dicere & petere censetur, de quo plura Matth. 8. v. 6. Sic Lucas cap. 19. 9. ait Christum dixisse Zachæo, cum domum ejus ingrederetur: *Quia hodie salus domui huic facta est*, ubi involute significat, Zachæo in Christum credente & converso, totam familiam heri sui exemplum secutam in Christum credidisse, & sanctificatam fuisse, etiamsi paulo ante solius Zachæi credentis meminerit. Sic octo beatitudines, quas recenset Matth. E c. 5. v. 1. & seqq. Lucas c. 6. 20. in quatuor contrahit.

TRIGESIMUS OCTAVUS: Christus sanaturus ægrotos, prius ab eis solet requirere fidem, qua scilicet credant Christum id posse facere, sperentque facturum; quare fides hæc non est historica & nuda, non etiam charitate formata & justificans; sed est fides miraculorum, quæ includit certam spem & fiduciam miraculi, quod scilicet Christus eos sua omnipotenti manu sanabit, qualis fuit fides S. Gregorii, qui idcirco cognominatus est Thaumaturgus, id est, miraculorum opifex. Hanc enim fidem quasi congruam ad miraculorum dispositionem, prærequirit Christus; unde de illa ait: *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Matth. 17. 19.

POstremo in Evangeliis solerter expendendum est & secernendum, an id, quod Christus ait, sit consilium, an præceptum, an promissio, an permissio dumtaxat (qualis est illa ad Judam proditorem: quod facis, fac citius. *Joan. 3. 27.) an parabola, an adagium, an emblema, &c. Quocirca in gratiam lectoris ex singulis Evangeliis collegi (eo quod nemo hucusque id præstiterit) omnia Evangelica consilia, præcepta, promissa, minas, miracula, oracula, sacramenta, paradoxa, parabolas, adagia, emblemata, & ænigmata, eaque ordine suo disposita hic subjicio.*

Accipe ergo primo omnia Consilia per Evangelium sparsa hic in unum collecta: deinde præcepta Evangelio propria, denique mixta, id est, partim consilia, partim præcepta. Consilia & præcepta voco, quæ ut plurimum sunt talia; nam & consilia in necessitate fiunt præcepta, & præcepta citra necessitatem subinde fiunt consilia, ut patet in præcepto eleemosynæ.

CONSILIA EVANGELICA, QUÆ *omnia sunt de actibus heroicis virtutum Christianarum, imo Apostolicarum.*

1. SIne modo: Sic enim decet nos implere omnem justitiam. *Matth.* 3. 15.
2. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Matth.* 5. 3.
3. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.
4. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.
5. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.
6. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.
7. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.
8. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.
9. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.
10. Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me:
Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis.
11. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. *Matth.* 5. *v.* 39.
12. Et qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. *ibid. v.* 40.
13. Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. *ibid. v.* 41.
14. Omni petenti te tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. *Luc.* 6. 30. *Matth.* 5. 42.
15. Estote vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. *Matth.* 5. 48.
16. Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Matth.* 8. 22.
17. Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. *Matth.* 23. 8.
18. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester, qui in cælis est. *ibid.*
Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus. *ibid.*
19. Qui major est vestrum erit minister vester. *ibid.*
Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur. *ibid.*

20. Opor-

Digitized by Google

20. Oportet semper orare, & numquam deficere. *Luc.* 18. 1.
21. Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. *Matth.* 19. 12.
22. De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.
Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.
23. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. *Matth.* 19. 21.
24. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Luc.* 10. 42.
25. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15. 13.
26. Mutuum date nihil inde sperantes. *Luc.* 6. 35.
27. Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *Matth.* 5. 44.
28. Et accedens unus Scriba, ait illi: Magister sequar te quocumque ieris.
Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Matth.* 8. 19.
29. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Qui ergo erit nobis? *Matth.* 19. 27.
30. *Denique consilium Evangelicum est, evangelizare gratis, non accepto ullo prædicationis stipendio aut sumptu, uti fecit S. Paulus labore manuum se, suosque sustentans, qui proinde ait:* Quæ est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium. 1. *Cor.* 9. 18. *Jure enim natura & divino Apostolus vivere potest ex Evangelio: dignus est enim operarius mercede sua: unde si gratis evangelizat, facit opus liberale & supererogationis, quod consilii est, non præcepti.*
Ex dictis liquet multa esse Consilia Evangelica, sed præcipue tria, scilicet voluntariæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ religiosæ, uti contra Novantes uno ore docent omnes orthodoxi.

PRÆCEPTA EVANGELIO PROPRIA, nec in Lege veteri expressa.

1. POenitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. *Matth.* 4. 17.
2. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est. *Matth.* 5. 16.
3. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. *Matth.* 5. 23.
4. Esto consentiens adversario (*adhori & accusatori, quem verbo & verbere læsisti*) tuo, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministris, & in carcerem mittaris. *Matth.* 5. 25.
5. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 5. 28.
6. Quod si oculus tuus (*vel manus*) dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te. *Matth.* 5. 29
7. Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth.* 5. 32.
8. Diligite inimicos vestros, ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos & injustos. *Matth.* 5. 43.
9. Qui iratscitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Matth.* 5. 22.
10. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. *Matth.* 6. 1.
11. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *ibid. v.* 6.
12. Orantes nolite multum loqui (*ore, sed corde*) sicut Ethnici. *ibid. v.* 7.
A Lap. Tom. IX. in Evang.
13. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, *&c.*
14. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, *&c.* sed in cælo. *Matth.* 6. 19.
15. Non potestis Deo servire & mammonæ. *Matth.* 6. 24.
16. Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. *Matth.* 6. 25.
17. Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum. *Matth.* 6. 33.
18. Nolite judicare, ut non judicemini. *Matth.* 7. 1.
19. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, *q. d. Nolite sancta dogmata tradere incredulis & obstinatis, qui ea rideant & subsannent. Matth.* 7. 6.
20. Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. *Matth.* 7. 12.
21. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. *Matth.* 7. 13.
22. Qui dixerit (*verbum*) contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Matth.* 12. 32.
23. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis. *Matth.* 12. 36.
24. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. *Matth.* 18. 3.
25. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, *ibid. v.* 15.
26. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. *ibid.*
27. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. *ibid.*
Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. *ibid.*
Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Joan.* 13. 34. *His adde præcepta Sacramentorum, quæ inferius afferam.*

MIXTA, HOC EST, PARTIM CONSILIA, partim Præcepta.

1. EGo autem dico vobis, non jurare omnino. *Matthæi* 5. 34.
2. Sit autem sermo vester: est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. *Matth.* 5. 37.
3. Cum jejunas, unge caput tuum & faciem tuam lava, ut videaris hominibus jejunans, sed patri tuo qui est in abscondito. *q. d. Cum jejunas, noli id ostentare, sed cela & dissimula per corporis animique alacritatem & lætitiam. Matth.* 6. 17. *Idem dixit de Eleemosyna v.* 3. *de Oratione vers.* 6.
4. Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis. *Matth.* 7. 7.
5. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. *Matth.* 10. 41.
6. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *ibid.*
7. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11. 28.
8. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. *Matth.* 12. 50.
9. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Matth.* 16. 24.
10. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. *Luc.* 12. 33.
11. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. *Luc.* 21. 36.

Digitized by Google

12. Scrutamini Scripturas. *Joan.* 5. 39.
13. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignavit Deus. *Joan.* 6. 27.
14. In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. *Joan.* 13. 35.

PRÆCEPTA ET CONSILIA A CHRISTO ſeorſim data Apoſtolis.

1. VEnite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. *Matth.* 4. 19.
2. In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael. *Matth.* 10. 5.
3. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cælorum, *ibid.*
4. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmonia ejicite,
5. Gratis accepiſtis, gratis date, *ibid.*
6. Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. *ibid.*
7. Non peram in via, neque calceamenta, neque virgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo. *ibid.*
8. In quamcumque autem civitatem aut caſtellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis. *ibid.*
9. Intrantes autem in domum, ſalutate eam dicentes, Pax huic domui, *ibid.*
10. Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris. *ibid. v.* 14.
Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. *ibid.*
11. Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *ibid. v.* 16.
12. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synogagis ſuis flagellabunt vos. *ibid. v.* 17.
Et ad præſides, & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & Gentibus. *ibid.*
13. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, *ibid. v.* 19.
Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. *ibid.*
14. Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite ad aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat filius hominis. 14. *ibid. v.* 23.
15. Ne ergo timueritis eos; Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur: & occultum, quod non ſcietur. *ibid. v.* 26.
16. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta, *ibid.*
17. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. *ibid. v.* 28.
18. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam. Et inimici hominis domeſtici ejus. *ibid. v.* 34.
19. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus; & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. *ibid. v.* 37.
20. Et qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.
21. Qui invenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. *ibid. v.* 35.
22. Qui recipit vos; me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. *ibid. v.* 40.
23. Nemini dixeritis viſionem (*Transfigurationis*) donec filius hominis a mortuis reſurgat. *Matth.* 17. 9.
24. Ut autem non ſcandalizemus (*exactores didrachmi pro tributo*) vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle; & aperto ore ejus invenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me & te (*o Petre.*) *Matth.* 17. 26.
25. Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. *Matth.* 18. 18.
26. Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter;
Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. *Matth.* 20. 26.
Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. *ibid.*
27. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hic & vigilate mecum: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. *Matth.* 26. 38.
28. Ego rogavi pro te (*o Petre*) ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. *Luce* 22. 32.
29. Deinde dicit Thomæ; Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. *Joan.* 22. 27.
30. Mitte in dexteram navigii rete & invenietis, *&c.* afferte de piſcibus quos perdidiſtis nunc, *&c.* Venite, prandete. *Joan.* 21. *& ſeq.*
31. Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine tu ſcis quia amo te; Dicit ei; Paſce agnos meos.
Dicit ei iterum; Simon Joannis, diligis me? Ait illi; Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. *ibid. v.* 15.
32. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. *Matth.* 28. 19.
Et ego mitto promiſſum patris mei in vos. Vos autem ſedete in civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto. *Luce* 24. 49.

PROMISSA EVANGELICA.

1. NE timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.
Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. *Luca* 1. 13.
2. Et erit magnus coram Domino; & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ. *ibid.*
3. Et multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum.
4. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ; ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam. *ibid.*
Ne timeas Maria; inveniſti enim gratiam apud Deum,
5. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum,
Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ſui, & regnabit in domo Jacob in æternum. Et regni ejus non erit finis, *ibid. v.* 30.
6. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *Matth.* 5. 3. *ibid. in ſeq. Idem regnum aliis titulis & nominibus, ceteris Septem beatitudinibus promittitur.*
7. Qui recipit vos, me recipit; & qui recipit me, recipit eum, qui me miſit. *Matth.* 10. 40.
8. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. *ibid.*
9. Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. *ibid.*
10. Juſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum. *Matth.* 13. *v.* 43.
11. Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. *Matth. v.* 16. 17.
12. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram

Digitized by Google

tram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

13. Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram: erit solutum & in cælis. *Matth.* 16. 17.

14. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est. *Matth.* 18. 19.

Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *ibid.*

15. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies?

Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. *ibid.*

16. Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cælorum. *Matth.* 19. 12.

17. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum.

Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. *Isaiæ* 26. 4.

18. Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. *Matth.* 19. 21.

19. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim; judicantes duodecim tribus Israel.

20. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *ibid.*

21. *In resurrectione neque nubent*, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. *Matth.* 22. 30.

22. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam intra in gaudium Domini tui. *Matth.* 25. 23.

23. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. *Matth.* 28. 20.

24. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis.

25. Serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. *Marci* 16. 17.

26. Habete fidem Dei.

27. Amen dico vobis: quia quicumque dixerit huic monti: Tollere & mittere in mare; & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

28. Propterea dico vobis, omnia quæ orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. *Marci* 11. 22.

29. Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum, in pace. *Lucæ* 1. 29.

30. Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

31. Prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. *Lucæ* 4. 18.

32. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.

33. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis. *Lucæ* 10. 19.

34. Martha, Martha, sollicita es & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Lucæ* 10. 41.

35. Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. *Lucæ* 12. 8. *Matth.* 10. 32.

36. Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Matth.* 6. 33.

37. Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur? *Lucæ* 12. 49.

38. Injicient vobis manus, *&c.* Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.

Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. *Luc.* 21. 13.

39. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.

Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum:

Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. *Luc.* 22. 28.

40. Pax vobis, ego sum, nolite timere. *Luc.* 24. 36.

41. Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *ibid. v.* 49.

42. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis.

Et factum est, cum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. *ibid.*

43. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.

Et erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum. Amen. *ibid.*

44. Oves meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me.

Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea. *Joan.* 10. 27.

45. Vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. *Joan.* 14. 2.

46. Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet; & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

47. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. *Joan.* 14. 12.

48. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.

Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.

49. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. *Jo.* 14. 16.

50. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. *Joan.* 14. 21.

51. Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14. 23.

52. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joan.* 15. 15.

53. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis, *Joan.* 15. 15.

54. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. *Joan.* 16. 26.

55. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. *Joan.* 16. 13.

56. Sanctifica eos in veritate, *&c.* Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. *Joan.* 17. 17.

57. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorum in me. *ibid. v.* 20.

58. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti. *ibid. v.* 21.

Et ego charitatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. *ibid. v.* 22.

59. Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant charitatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi. *Joan.* 17. 24.

60. Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Joan.* 19. 26.

Digitized by Google

MINÆ EVANGELICÆ.

1. QUicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.
2. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. *Matth.* 10. 14.
3. Væ tibi Corozain; Væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. *Matth.* 11. 21.
4. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis. *ibid. v.* 22.
5. Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. *ibid.*
6. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. *ibid.*
7. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista; & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; & ecce plusquam Jonas hic. *Matth.* 12. 41.
8. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam; quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic. *ibid.*
9. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum. *Matth.* 13. 40.
10. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. *ibid. v.* 48.
11. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala; verumtamen væ illi, per quem scandalum venit. *Matth.* 18. 7.
12. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. *Matth.* 18. *v.* 8.
13. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines, *&c.* *Matth.* 23. 13.
14. Væ vobis Scribæ, *&c.* quia comeditis domos viduarum, *&c.* *Matth.* 23. *v.* 14. *& sequent. ubi continuo usquem ad finem capitis.* Væ, *fulmen æternæ damnationis in Scribas ob eorum superbiam, avaritiam, sævitiam, impietatem detonat.*
15. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. *Matth.* 23. 35.
Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam.
16. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *ibid.*
17. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: moram facit dominus meus venire.
Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis.
Veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora quam ignorat.
Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium. *Matth.* 24. 48.
18. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. *Matth.* 25. 26.
19. Væ homini illi *(Jude)* per quem filius hominis traderur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. *Matth.* 26. 44.
20. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.
21. Væ vobis, qui saturati estis; quia esurietis: væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.
22. Væ cum benedixerint vobis homines; secundum hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum. *Luc.* 6. 24.
23. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.
24. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.
25. Omnis autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *Luc.* 12. 48.
26. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. *Luc.* 13. 3.

MIRACULA CHRISTI ORDINE Temporis, quo patrata sunt, sigillatim digesta.

1. *ET factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* Luc. 1. 41.
2. *Et exclamavit voce magna, & dixit: benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui.* ibid.
3. *Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* ibid.
4. Christus recenter natus misit Angelum, qui pastoribus, & stellam, quæ Magis nuntiaret suam nativitatem, eosque ad se visendum adorandumque vocaret. *Luc.* 2. *v.* 9. *Matth.* 3. 2.
5. Oblatus in templo fecit, ut Simeon & Anna se ut Messiam agnoscerent, ac de se prophetarent. *Luc.* 2. 25.
6. In Christum, cum baptizaretur a Joanne, Spiritus sanctus specie columbæ illapsus est, & vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. 14.
7. Christus mox a Baptismo secedens in desertum, ibi 40. diebus jejunavit, & per miraculum ab omni cibo potuque abstinuit. *Matth.* 4.
8. Christus in nuptiis Canæ Galilææ mutat aquam in vinum. *Joan.* 2. 11.
9. Mox in Paschate omnes vendentes & ementes vultus sui majestate percellens, flagello ejicit e templo. *Joan.* 2. 15.
10. Filium Reguli ægrum sanat Capharnai. *Joan.* 4. 50.
11. Dæmoniacum ibidem in Synagoga a dæmone liberat. *Marci* 1. 23.
12. Socrum Petri febrientem, multosque ægros curat. *Matth.* 8. 15.
13. Dormiens in navi excitatur a discipulis, ac sedat maris tempestatem, ventisque & fluctibus imperat. *Matth.* 8. 15.
14. Sanat duos dæmoniacos in regione Gerasenorum, ac dæmonibus permittit ingredi in porcos, qui eos præcipitant in mare. *Matth.* 8. 28.
15. Sanat paralyticum per tegulas ante se demissum. *Matth.* 9. 2.
16. Vocat Matthæum a telonio, itaque mentem ejus immutat, ut omnibus relictis illico eum sequatur. *Matth.* 9. 9.
17. Archisynagogi filiam a morte revocat, & Hemorrhoissæ fluxum sanguinis sistit. *Matth.* 9. 18.
18. Duos cæcos illuminat, & dæmoniacum mutum curat. *Matth.* 9. 27.
19. Ad probaticam piscinam in Sabbato sanat ægrum per 38. annos. *Joan.* 5. 2.
20. Manco manum aridam restituit. *Matth.* 12. 13.
21. Leprosum a lepra mundat. *Matth.* 1. 2.
22. Centurionis servum paralyticum sanat. *Matthæi* 8. 5.
23. Filium viduæ in Naim a morte suscitat. *Luc.* 7. 11.
24. Magdalenam a morte animæ, & a dæmonibus liberat. *Luc.* 7.
25. Curat dæmoniacum cæcum & mutum. *Matth.* 12. 22.
26. Quinque panibus pascit quinque hominum millia. *Joan.* 8. 11.
27. Ambulat Jesus super mare, & Petrum super illud ambulare facit. *Matth.* 14. 25.
28. Sanat filiam Chananæa a dæmone vexatam. *Matthæi* 15. 28.
29. Sanat surdum & mutum mittens digitos in auriculas, & expuens tangensque linguam ejus, dicens, Ephphetha, id est, adaperire. *Marci* 7. 34.
30. Septem panibus pascit quinque hominum millia. *Matth.* 15. 36.
31. Illuminat cæcum in Bethsaida, dicentem: *Video homines sicut arbores ambulantes.* Marci 8. 24.
32. Transfigurat se Christus in monte Tabor; *Et resplendu-*
it

Digitized by Google

duit facies ejus ſicut ſol, & apparuerunt Moyſes & Elias cum eo loquentes. Matth. 17. 2.

33. Ejicit dæmonem lunaticum, quem diſcipuli ejicere non potuerant, quia *hoc genus*, inquit, *non ejicitur niſi per orationem & jejunium.* Matth. 17. 14.

34. Facit ut Petrus in ore piſcis inveniat didrachma, illudque pro tributo perſolvat. *Matth.* 17. 26.

35. Mundat decem leproſos. *Luc.* 17. 12.

36. Cæco nato viſum reſtituit. *Joan.* 9. 1.

37. Sanat mulierem contractam. *Luc.* 13. 11.

38. Sanat hydropicum in Sabbato, prandens cum Phariſæo. *Luc.* 14. 2.

39. In feſto Encæniorum eripit ſe e lapidantium manibus, *Joan.* 10. *v.* 31. *&* 39.

40. Lazarum quatriduanum e ſepulchro evocat & ſuſcitat. *Joan.* 11. 1.

41. Duos cæcos juxta Jericho illuminat, e quibus unus famoſior erat, nomine Bartimæus. *Matth.* 20. 29. *Marci* 10. 46. *Luc.* 18. 35.

42. Inſidens aſino glorioſe quaſi Meſſias ingreditur Jeruſalem, turbis cum ramis palmarum acclamantibus, quid & infantibus: *Hoſanna filio David.* Matth. 21. 9.

43. Mox cæcos & claudos in templo curat. *Matth.* 21. 14.

44. Ficulneam maledicendo arefacit. *ibid. v.* 19.

45. Ejicit rurſum vendentes & ementes e templo. *Luc.* 19. 45. *Matth.* 21. 12.

46. *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Lucæ 22. 43.

47. *Ut ergo dixit eis, ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Joan. 18. 6.

48. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.* Matth. 27. 45.

49. Chriſtus in paſſione & cruce fuit miraculum miraculorum; fuit enim portentum, imo abyſſus humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis, fortitudinis, martyrii, omniumque virtutum. *Matth.* 27.

50. Clamans: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, per miraculum expirat: morientis enim vox, vita, & ſpiritus deficit. *Matth. ibid. v.* 50.

51. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt a ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere Filius Dei erat iſte.* v. 51.

52. *Unus militum lancea latus ejus aperit, & continuo exivit ſanguis & aqua.* Joan. 19. 34.

53. Chriſtus tertio poſt mortem die ſeipſum reſuſcitat, & corpus gloria, ceteriſque dotibus beatitudinis condecorat, & beat. *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24.

54. *Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum, & dixerunt ad invicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Lucæ 24. 30.

55. Chriſtus die 40. a reſurrectione ſua coram Apoſtolis, e monte Oliveti glorioſus in cælum aſcendit, ſederque a dextris Dei. *Luc.* 24. 51. *Marc.* 16. 19.

ORACULA ET PROPHETIÆ CHRISTI ex ordine, quo ab ipſo per ſe vel ſuos edita ſunt, diſpoſitæ.

1. ECce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Lucæ* 1. 48.

2. Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

3. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum. *Lucæ* 1. 76.

4. Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.

5. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Lucæ* 2. 34.

6. Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te. *Joan.* 1. 48.

7. Videbitis cælum apertum & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis. *ibid.*

8. *Chriſtus ejiciens ementes & vendentes e templo, Judæis, petentibus ſignum aſſignat ſuam mortem & reſurrectionem; utramque prædicens primo,* Joan. 2. 19. *ſecundo, paulo ante, & poſt transfigurationem ſuam.* Matth. 17. 21. *tertio, paulo ante mortem, cum ad eam, Hieroſolymam pergeret.* Matth. 20. 18. *quarto, in ultima cœna paucis horis antequam caperetur.* Matth. 26. 2.

9. *Chriſtus mulieri Samaritanæ edicit occulta, quæ per vitam geſſerat, itaque eam & Samaritanos convertit.* 4. 18.

10. Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. *Joan.* 4. 23.

11. Levate oculos & videte regiones, quia illæ jam albæ ſunt ad meſſem. *Joan.* 4. 35.

12. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius (*Antichriſtus*) venerit in nomine ſuo, illum accipietis. *Joan.* 5. 43.

13. Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt? ſcilicet Judas, qui me tradet. *Joan.* 6. 71.

14. Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob, in regno cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. *Matth.* 8. 11.

15. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.

16. Et ad præſides, & ad reges ducemini propter me, in teſtimonium illis & Gentibus. *Matth.* 10. 17.

17. Tradet autem frater frarrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient.

18. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *ibid. v.* 21.

19. Amen dico vobis: ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo. *Matth.* 16. 28.

20. Elias venturus eſt, & reſtituet omnia. *Matth.* 17. 11.

21. Vade (*o Petre*) ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro te & me. *Matth.* 17. 26.

22. Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo. *Matth.* 20. 23.

23. Digito ſcribens in terra, occulta Phariſæorum adulteram accuſantium ſcelera pandit, eoſque confundit. *Joan.* 8. 8.

Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, in quod introeuntes invenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo umquam hominum ſedit: ſolvit illum, & adducite.

24. Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? ſic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus deſiderat.

25. Abierunt autem qui miſſi erant: & invenerunt ſicut dixit illis, ſtantem pullum. *Lucæ* 19. 30.

26. Venient dies in te (*o Jeruſalem*) & circumdabunt te inimici tui vallo & circumdabunt te, & coangueſtabunt te.

Et ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ. *Lucæ* 19. 43.

27. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis; & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem.

28. Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. *Matth.* 23. 34.

29. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. *ibid.*

30. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. *ib. v.* 38.

31. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent. *Matth.* 24. 5.

32. Audituri enim eſtis prælia & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. *ibid.*

33. Con-

Digitized by Google

33. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca. *ibid.*

Hæc autem omnia initia sunt dolorum. *ibid.*

34. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum. *ibid.*

35. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem. *ibid.*

36. Et multi Pseudo prophetæ surgent, & seducent multos. *ibid.*

37. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *ibid.*

38. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *ibid.*

39. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus: & tunc veniet consummatio. *ibid.*

40. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum conmovebuntur. *ibid. v.* 29.

41 Et tunc parebit signum Filii hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majestate. *ibid.*

42. Et mittet Angelos suc cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum. *ibid.*

43. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam. *ibid. v.* 38.

Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis. *ibid.*

44. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.

Duæ molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur. *ibid.*

Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. *ibid.*

45. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. *Matth.* 25. 31.

46. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis. *ibid.*

47. Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. *ibid.*

48. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *ibid*

49. Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum. *Lucæ* 21. 14.

50. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat.

51. Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister: Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?

52. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.

Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt Pascha. *Lucæ* 22. 10.

53. Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. *Matth.* 26. 31.

54. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. *ibid. v.* 23.

55. Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simoni Iscariotæ.

56. Et post buccellam introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis facilius. *Joan.* 13. 26.

57. Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. *Matth.* 26. 25.

Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. *ibid.*

Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. *ibid.*

Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.

Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.

58. Christus tam ante quam post mortem prædixit adventum Spiritus sancti. *Joan.* 14. 16. *Luc.* 24. *v.* 49.

59. Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. *Matth.* 26. 29.

60. Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet. *Matth.* 26. 45.

61. Filiæ Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

62. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

63. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos.

64. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? *Lucæ* 23. 28.

65. Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso. *Lucæ* 23. 43.

66. Tunc ait illis (*mulieribus venientibus ad Christi sepulchrum*) Jesus: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. *Matth.* 28. 10.

His adde nonnulla ex Joanne præter ordinem.

67. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor. *Joan.* 10. 16.

68. Resurget frater tuus, *ait Christus Marthæ de Lazaro mortuo*. Joan. 11. 23.

69. Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. *Joan.* 11. 50.

70. Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud, *scilicet unguentum Magdalenæ*. Joan. 12. 7.

71. Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Joan.* 13. 1.

72. Absque Synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. *Joan.* 16. 2.

73. Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis; & non sum solus, quia Pater mecum est.

74. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. *Joan.* 16. 32.

SACRAMENTA A CHRISTO INSTITUTA.

1. *BAPTISMUS.*

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. *Joan.* 3. 5.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

Euntes docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. *Matth.* 28. 18.

2. *CONFIRMATIO.*

His auditis baptizati sunt in nomine Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos, & loquebantur linguis & prophetabant. *Actor.* 19. 5.

Miserunt ad illos Petrum & Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.

Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. *Actor.* 8. 14.

3. *EUCHARISTIA.*

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis sui, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.

Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.

Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth.* 26. 26.

Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

& pa-

Digitized by Google

& panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Joan.* 6. 51.

Sacrificij Eucharistiæ.

Hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19.

Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur, qui, *scilicet calix*, (*ut patet ex Græco*) *pro vobis offeretur* (*nam liquida solent per effusionem Deo libari & offeri*) *jam jam in hac ultima cœna, cum ego & vos illum bibemus, & bibendo Deo libabimus.* Lucæ 22. 20.

4. *POENITENTIA.*

Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 22. 20.

Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. *Matth.* 18. 18.

5. *EXTREMA UNCTIO.*

Ungebant oleo multos ægros, & sanabant. *Marc.* 6. 13.

Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. *Jacobi c.* 5. *v.* 15.

6. *ORDO.*

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, *&c. Joan.* 20. 21.

Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 2. *Tim.* 1. 6.

Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos. *Actor.* 13. 3.

Constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego dispositi tibi. *Tit.* 1. 5.

7. *MATRIMONIUM.*

Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. *Matth.* 19. 3.

Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia, *Eccles.* 5. 32.

PARADOXA EVANGELICA.

1. IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, *&c.* Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Joan.* 1. 1.
2. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. *Joan.* 14.
3. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.

   In propria venit, & sui eum non receperunt.
4. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.
5. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Joan.* 1. 10.
6. Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. *ibid. v.* 15.
7. Et de plenitudine ejus non omnes accepimus, & gratiam pro gratia.
8. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.
9. Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. *Joan.* 1. *v.* 16.
10. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.
11. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. *Marci* 1. 2.
12. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Joan.* 1. 29.
13. Spiritus ubi vult spirat: & vocem ejus audis: sed nescis unde veniat aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu. *Joan.* 3. 8.
14. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo.
15. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis;

   Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.
16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 13.
17. Illum oportet crescere, me autem minui. *Joan.* 3. 30.
18. Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est.
19. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.
20. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus. *Joan.* 3. 33.
21. Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.
22. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, *Joan.* 4. *v.* 13.
23. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. *Joan.* 4. *v.* 34.
24. Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim fecerit, hæc & Filius similiter facit. *Joan.* 5. 19.
25. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat.
26. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. *Joan.* 5. 21.
27. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.
28. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28.
29. Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet umquam. *Joan.* 6. 35.
30. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die.
31. Et scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a patre, & didicit, venit ad me. *Joan.* 6. 44.
32. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. *ibid. v.* 64.
33. Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire. *Joan.* 7. 34.
34. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura; Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.
35. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est. *Joan.* 8. 56.
36. In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. *ibid. v.* 39.
37. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit & credit in me; non morietur in æternum. *Joan.* 11. 25.
38. Qui amat (*Matth. c.* 10. 30. qui invenit) animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12. 24.

   Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati qui lugent, *&c. Matth.* 5. 1.
39. Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.
40. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

   Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. *Joan.* 12. 31.
41. Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me: si cognovissetis me, & patrem meum utique cognovissetis, & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. *Joan.* 14. 6.
42. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? *Joan.* 14. 10.
43. Ego sum vitis, & Pater meus agricola est, *&c.* Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.
44. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.
45. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis. *Joan.* 15. 5.
46. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.
47. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi, ut faciam.

48. Et

Digitized by Google

48. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.
49. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. *Joan.* 17. 3.
50. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. *Matth.* 19. 24.
51. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. *Luc.* 18. 14.
52. Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Joan.* 20. 17.

APOLOGI ET PARABOLÆ EVANGELICÆ ordine historico dispositæ,

1. PArabola puerorum canentium & lamentantium. *Matth.* 11. 16.
2. Parabola seminantis, in qua semen aliud cecidit secus viam, aliud in petrosa, aliud in spinas, aliud in terram bonam, fecitque fructum centesimum, sexagesimum, trigesimum. *Matth.* 13. 4.
3. Parabola zizaniorum, quæ semini superseminavit inimicus. *ibid. v.* 24.
4. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* ibid. v. 31.
5. *Simile est regnum cælorum fermento in farinæ satis tribus.* ibid. v. 38.
6. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* ibid. v. 44.
7. *Simile est regnum cælorum margaritæ pretiosæ.* ibid. v. 45.
8. *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare.* ibid. v. 47.
9. Parabola patris familias, qui a servo in conservum immisericordem debitum decem millium talentorum, jam remissum repetiit. *Matth.* 18. 23.
10. Parabola boni pastoris, mercenarii, & ovium. *Joan.* 10. 2.
11. Parabola Samaritani, curantis eum, qui inciderat in latrones, infuso in plagas oleo & vino. *Lucæ* 10. 30.
12. Parabola amici petentis noctu ab amico tres panes pro hospite, docens modum & vim orandi. *Luc.* 11. 5.
13. Parabola divitis sic dicentis: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti cujus erunt?* Luc. 12. 19.
14. Parabola servi vigilantis noctu, & dominum a nuptiis revertentem expectantis. *Lucæ* 12. 36.
15. Parabola ficulneæ infrugiferæ, quæ jubetur excidi. *Luc.* 13. 6.
16. *Contendite intrare per angustam portam* in cælum, quia pauci salvantur: & arcta est salutis via. *Lucæ* 13. 24.
17. Parabola de captando inter convivas ultimo loco. *Lucæ* 14. 7.
18. Parabola de computandis sumptibus ante bellum, & ante fabricam turris. *Lucæ* 14. 28.
19. Parabola ovis centesimæ perditæ, quam pastor relictis 99. requisivit. *Lucæ* 15. *v.* 4.
20. Parabola mulieris quærentis drachmam perditam, eaque inventa, sibi suisque congratulantis. *Lucæ* 15. 8.
21. Parabola filii prodigi. *Luc.* 15. 11.
22. Parabola de villico iniquo, faciente sibi amicos de mammona iniquitatis, ut officio privatus, ab eis reciperetur. *Lucæ* 16. 1.
23. Parabola divitis epulonis & Lazari mendici. *ibid. vers.* 19.
24. Parabola iniqui judicis & viduæ. *Luc.* 18. 2.
25. Parabola Pharisæi & Publicani. *Lucæ* 18. *vers.* 9.
26. Parabola de operariis in vineam conductis hora 1. 3. 6. 9. & 11. ubi in mercede novissimi fiunt primi, & primi novissimi. *Matth.* 20. 1.
27. Parabola de decem mnis in servos ad nogotiandum distributis. *Lucæ* 19. *v.* 13.
28. Parabola duorum filiorum, unius pœnitentis & patri obedientis, alterius fingentis se obedire. *Matth.* 21. 28.
29. Parabola locatæ vineæ, cujus conductores occiderunt & servos, & filium. *ibid. vers.* 33.
30. Parabola invitantis ad nuptias filii, ubi invitati neglexerunt venire; sed abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam: unde herus invitavit omnes obvios, & ingressus in convivium, ejecit eum qui carebat veste nuptiali. *Matth.* 22. 1.
31. Parabola de decem virginibus, quinque prudentibus, quæ acceperunt oleum in vasis cum lapadibus; & quinque fatuis, quæ oleum accipere neglexerunt. *Matth.* 25. 1.
32. Parabola de talentis in servos distributis, cum uni dedit quinque, alteri duo, tertio unum. *ibid. v.* 14.

ADAGIA, GNOMÆ, ET EMBLEMATA Evangelica.

1. VOs estis sal terræ: Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.
2. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.
3. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. *Matth.* 5. 13.
4. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Matth.* 6. 21.
5. Nemo potest duobus dominis servire. *Matth.* 24.
6. Sufficit diei malitia sua. *ibid. v.* 34.
7. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.* 7. 2.
8. Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? *ibid. v.* 3.
9. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, *ibid. v.* 6.
10. Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?
Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?
Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?
11. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. *ibid. v.* 9.
12. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.
13. Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. *Matth.* 9. *v.* 13.
14. Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.
15. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, & pejor scissura fit.
16. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur & utres pereunt; sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur. *Matth.* 9. *v.* 15.
17. Secundum fidem vestram fiat vobis. *Matth.* 9. 29.
18. Messis multa, operarii autem pauci. *ibid. v.* 38.
19. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. *Matth.* 10. 24.
20. Nihil est opertum quod non revelabitur, & occultum quod non scietur.
21. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Matth.* 10. 26.
22. Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.
23. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.
24. Omnes enim Prophetæ & lex usque ad Joannem prophetarunt.
25. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.
26. Quid habet aures audiendi, audiat. *Matth.* 11. *v.* 11.
27. Justificata est sapientia a filiis suis. *ibid. v.* 19.
28. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.
29. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. *ibid. vers.* 26.
30. Jugum meum suave est, & onus meum leve. *Matth.* 11. 30.

31. Omne

Digitized by Google

31. Omne regnum divisum contra se, desolabitur, *Matth.* 12. 25.
32. Qui non est mecum, contra me est. *ibid. v.* 30.
33. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. *ibid. v.* 50.
34. Omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera, *Matth.* 13. 25.
35. Non est Propheta sine honore nisi in patria sua, *ibid. v.* 57.
36. Modicæ fidei quare dubitasti? *Matth.* 14. 31.
37. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.
38. At illa dixit: etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Matth.* 15. 26.
39. Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod exit de ore, hoc coinquinat hominem. *Matth.* 15. *vers.* 11.
40. Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum,
Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum,
Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? *Matth.* 16. 2.
41. Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? *Matth.* 16. 26.
42. Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. *Matth.* 17. 19.
43. Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cælorum. *Matth.* 18. 4.
44. Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Matth.* 21. 13.
45. *Scribis petentibus, an liceat tributum dare Cæsari, respondet Christus:* Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.
Et ait illis Jesus: cujus est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris.
Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. *Matth.* 22. 19.
46. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.
Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt. *Matth.* 23. 2.
47. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. *Matth.* 23. 32.
48. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit & adventus filii hominis.
49. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. *Matth.* 12. 20.
50. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *ibid. v.* 35.
51. Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus venturus sit, *Matth.* 24. 42.
52. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 40.
53. Pater mi, si non potest calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. *Matth.* 26. 42.
54. Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum, itaque Dominus est filius hominis, etiam Sabbati. *Marci* 2. 28.
55. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Matth.* 4. 4.
56. Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. *ibid.*
57. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. *Luc.* 9. 62.
58. Dignus est operarius mercede sua. *Lucæ* 10.
59. Beatus vester qui te portavit, & ubera quæ suxisti.
At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *Lucæ* 11. 27.
60. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Lucæ* 16. 9.
61. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.
Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis?
Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est quis dabit vobis? *Luc.* 16. 10.
62. Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.
63. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. *Luc.* 16. 25.
64. Vidit quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo;
Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit.
Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi omnem victum suum, quem habuit, misit. *Luc.* 21. 2.
65. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? *Luc.* 24. 26.
66. Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12. 24.
67. Si ergo lavi pedes vestros, Dominus & Magister; & vos debetis alter alterius lavare pedes.
68. Exemplum enim dedit vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Joan.* 13. 14.
69. Quia vidisti me, Thoma, credidisti? beati, qui non viderunt, & crediderunt. *Joan.* 20. 29.

ÆNIGMATA EVANGELICA.

1. IPse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.
2. Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Matth.* 3. 12.
3. Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. *Matth.* 4. 16.
4. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.
5. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? *Matth.* 22.
6. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Matth.* 8. 22.
7. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non invenit.
Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi; & veniens, invenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam.
Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus, sic erit & generationi huic pessimæ. *Matth.* 12. 43.
8. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, *&c.* Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. *Matth.* 21. 42.
9. Qui habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. *Marc.* 4. 25.
10. Video homines velut arbores ambulantes. *Marc.* 8.
11. Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.
12. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. *Marci* 9. 48.
13. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Luc.* 3. 8.
14. Dicite vulpi illi (*Herodi*) Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consummor. *Lucæ* 13. 32.
15. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi. *Matth.* 20. 30.
16. Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. *Luc.* 22. 36.
17. Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modi-

Digitized by Google

modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. *Joan.* 16. 16,

18. Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, *Matth.* 24. 28.

19. Et cum venerit ille (*Paracletus*) arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio,
De peccato quidem: quia non crediderunt in me,
De justitia vero; quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me,
De judicio autem: quia princeps hujus mundi jam judicatus est. *Joan.* 16. 8,

20. Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Joan.* 20. 17.

21. Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. *Joan.* 21. 18.

22. Sic eum volo manere donec veniã, quid ad te? *ib. v.* 22.

23. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes, *Matth.* 23. 24.

24. Væ vobis Scribæ, *&c.* quia mundatis quod defori e est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia, *ibid.*

ARGUMENTUM IN S. MATTHÆUM.

A SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM secundum Matthæum,



NSCRIBITUR hic liber tam in Latinis, quam Græcis & Syris exemplaribus: *Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Matthæum*. q. d. Hic est liber continens optimum & lætissimum Nuntium adventus Christi, sive Messiæ Patriarchis promissi, puta Incarnationis, Nativitatis, vitæ, prædicationis, passionis, resurrectionis, ascensionis Christi ac redemptionis, salutis, gratiæ & gloriæ ab eo partæ, & toti orbi allatæ, cujus scriptor fuit S. Matthæus, dictator Spiritus sanctus. Syrus interpres hunc præfigit titulum; *In virtute Domini Deique nostri Jesuæ Christi, incipimus scribere librum sacrosancti Evangelii, primumque Evangelium Matthæi præconium*, hoc est, quod Matthæus præconizavit, sive prædicavit. Unde illud sic finit: *Sancti Evangelii præconii Matthæi, quod prædicavit Hebraice in terra Palæstinæ, finis*. Arabicus: *Evangelium Jesu Christi sicut scripsit Mar* (id est Dominus) *Matthæus, unus ex duodecim discipulis ejus*. Nunc singula verba pressius expendamus,

Evangelii sanctum; cur?

SANCTUM] Evangelium est, & dicitur *sanctum*, quia omnia, quæ continet, sancta sunt per eminentiam, scilicet sancta est Christi nativitas ex Spiritu sancto, sancta doctrina, sancta opera, sancta miracula, sancta passio, sancta resurrectio, ascensio, missio Spiritus sancti. Alludit ad illud Daniel. 9. 24, ubi dicitur consumandas esse 70. annorum hebdomadas usque ad Christum, *ut ungatur Sanctus Sanctorum*, q. d. hoc libro & Evangelio ostenditur impleta esse propheria Danielis de Christo venturo,

C qui est sanctus sanctorum, ideoque; sicut olim Jacob Patriarchæ, sic & nunc affectis suis Christianis dabi *scientiam Sanctorum*; finis enim ejus est sanctificatio nostra, ut *serviamus illi in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris*. Luc. 1. 75. Porro quanta & quam admirabilis sit sanctitas, & perfectio Evangelii præ lege naturæ & Mosaica, liquet ex cælestibus præceptis & consiliis, quæ sancit Christus Matth. cap. 5. v. 6. & 7. atque ex vitis Sanctorum novi Testamenti: in iis enim videre est, quantus fuerit zelus sancti Pauli & Apostolorum; quam cælestis vita & contemplatio anachoretarum & religiosorum; quam insuperabilis fortitudo martyrum; quam angelica puritas Virginum; quam heroici labores SS. Confessorum, Episcoporum, Pontificum, &c.

Jesus nomen proprium.

JESU CHRISTI] Jesus est proprium nomen Verbi Incarnati, puta hujus hominis Verbo hypostatice uniti, sicut meum nomen proprium est Cornelius, alterius Petrus,

D Paulus, Jacobus, &c. Dicitur *Jesus* Hebr. יהושע *Jeoshua & contracte* ישוע *Jeshua*, id est, Salvator, quia, ut prædixit Gabriel Archangelus: *Ipse populum salvum faciet a peccatis eorum*. Matth. 1. 21. Luc. 1. 31.

Christus nomen officii.

Christus vero nomen est officii & dignitatis. Jesus enim Hebraice cognominatur משיח *Messias*: Græce χριστὸς: Latine *unctus*, quia a Deo Patre unctus & consecratus est in summum orbis Pontificem, Regem, Legislatorem, Prophetam & Doctorem.

Evangelii est lætum nuntium.

EVANGELIUM] id est, bonum nuntium: εὐαγγέλιον enim est *nuntio*, unde ἄγγελος est nuntius, εὐαγγέλλω est bona nuntio, εὐάγγελος & εὐαγγελικὸς est *bonus Angelus*, sive E *lætus nuntius*, εὐαγγέλιον est *jucundum lætumque nuntium*. Ita SS. Chrysost. hic, vide Budæum in Pandectas, ubi addit Evangelium per metonymiam significare donarium, vel sacrificium exhibitum pro felici nuntio. Unde Cicero ad Atticum: *O suaves*, ait, *tuas Epistolas, quibus Evangelia deberi fateor, Evangelia*, id est, præmia læti nuntii: Evangelium Hebr. dicitur בשור *besora a* בשר *basar*, id est *caro*; quasi *besora*, sit lætissimum incarnationis Verbi nuntium de salute & felicitate æterna, quod Christus Dominus quasi magni consilii Angelus hominibus attulit. *Hic* vero Evangelium metonymice sumitur pro libro vel scriptura, quæ hoc nuntium historice enarrat.

Vox Secundum quid significet hic. Primo.

SECUNDUM MATTHÆUM] Vox secundum notat, Primo, primum & primarium Euangelii hujus auctorem esse Spiritum sanctum, secundarium vero S. Matthæum; fuit enim ipse quasi organum, instrumentum & calamus F Spiritus sancti scribens ea, quæ Spiritus sanctus dictabat, juxta illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Psalm. 44.

Secundo. Secundo,

Secundo, notat unum idemque esse Evangelium, sed diversimode & quadrupliciter a quatuor Evangelistis conscriptum. Igitur τὸ *secundum* indicat Evangelium sancti Matthæi non esse aliud ab Evangelio S. Lucæ, Marci & Joannis, nec aliam afferre historiam vel doctrinam, sed tantum alium fuisse scriptorem, aliumque scribendi modum. Unum enim est Evangelium, sed a quatuor Evangelistis quadruplici modo, ordine, & stylo conscriptum.

Tertio. Tertio,

Tertio, notat Spiritum sanctum se naturæ & ingenio S. Matthæi attemperasse: illuminabat enim, excitabat & dirigebat eum spiritus sanctus, ut eas, quæ partim viderat, vel ab Apostolis audierat, partim quæ Deus ei revelabat, scriberet illa methodo, ordine, sententia, conceptu & phrasi, quæ sancti Matthæi genio & ingenio congruebat. Non enim opus erat nova revelatione Dei in his, quæ S. Matthæus jam sciebat, quia ea vi- G derat vel audierat, sed tantum assistentia, excitatione & directione Spiritus sancti, ne ex oblivione aut lapsu mentis, similive fragilitate humana, vel in puncto a veritate aberraret, neve alia vel aliter scriberet, quam Spiritus sanctus volebat. Hinc S. Lucas initio Evangelii ait, se scribere ea, quæ ab Apostolis audierat. Hinc rursum alius est stylus, alia phrasis, alia methodus S. Lucæ, alia S. Matthæi, alia S. Marci, alia S. Joannis, sicut cuique suus est dicendi scribendique genius.

Putant nonnulli hunc titulum suo Evangelio esse præfixum a S. Matthæo, æque ac suo a S. Marco, Luca, & Joanne. Sic enim Prophetæ suis prophetiis nomen suum præfixerunt, ut *visio Isaiæ, visio Abdiæ, verba Jeremiæ*, &c.

Titulus hic præfixus est ab Ecclesia,

Verum longe verius est, titulum cuique Evangelio esse H præfixum non ab ipsis Evangelistis, sed ab Ecclesia; id enim indicat similitudo inscriptionis: Eadem enim est inscriptio, sive titulus cujusque Evangelii, mutato duntaxat nomine Evangelistæ, qui illud conscripsit. Idem clarius indicat inscriptio tituli Syriaca, quæ sic habet: *In virtute Domini Deique nostri Jeschua Christi, incipimus scribere librum sacrosancti Evangelii, primumque Evangelium, Matai* (Matthæi) *præconium*. Sic & Arabica initio citata. Atque hinc collige irrefragabile argumentum pro auctoritate traditionum, scilicet non sufficere sanctam

Auctoritas Traditionum quam necessaria?

Scriptu-

A *Scripturam Ecclesiæ ad veram fidem, moresque adstruendos, sed insuper opus esse traditionibus Apostolicis: quare eas perperam negari ab Hæreticis. Dic enim sodes, unde scis Evangelium hoc esse S. Matthæi, esseque Canonicam Scripturam potius quam Evangelia Thomæ, Barnabæ, duodecim Apostolorum, quæ olim circumferebantur, nisi ex traditione, sensu, consensu Ecclesiæ? Multi enim libri falsos habent titulos! falsoque aliis auctoribus inscribuntur, ut patet in operibus S Augustini, S. Hieronymi, S. Cypriani, S. Prosperi, & ceterorum Patrum. Sic enim nonnulla Evangelia ab Hæreticis conficta inscribebantur nomine sancti Bartholomæi, S. Thomæ, S. Barnabæ, &c. qui potuere eadem arte & fraude falsa ascribere S. Matthæo, uti de facto fecere Gnostici, qui Evangelium sancti Matthæi suis additionibus immutarunt & vitiarunt. Ut ergo sciamus librum vere adscribi sancto Matthæo, ac magis ut sciamus illum totum esse Evangelium a Spiritu sancto dictatum, accedat oportet declaratio & definitio Ecclesiæ, qua hunc librum a Pseudographis secernat, & Canonicum esse decernat. Unde sapienter sanctus Augustinus* B *lib. contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, cap. 4. Evangelio, ait, non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Non quod dignior aut major sit Ecclesiæ auctoritas, quam S. Scripturæ, cum hæc sit verbum & oraculum Dei ipsius, sed quod Ecclesiæ sit veram sanctam Scripturam a falsa & supposititia segregare & indicare, ejusque genuinam mentem & sensum explanare. *Cum ergo dicimus*, ait quidam gravis auctor, *Evangelistas & ceteros Scriptores Sacros eo modo, quo dictum est, ab Ecclesia Catholica auctoritatem habere, nullus offendi merito debet, quasi Deo Ecclesiam anteponamus. Sic enim dicimus Ecclesiam Scripturis auctoritatem dare, quod eas a Deo datas esse confirmet. An domino servum præponant, qui vulgo dicunt litteras regias a Nomophylace, qui sigillum adhibuit, auctoritatem habere? Ecclesia profecto Dei sigillum habet illum ipsum Spiritum, qui Ecclesiæ promissus & datus est, ut cum illa maneret in æternum, quique suam manum Scripturamque recognoscit. Hic est, qui quatuor hæc Evangelia primum dictavit; deinde nobis eadem a se dictata fuisse per Ecclesiam declaravit.*

C Matthæus primus scripsit Evangeliū. MATTHÆUM] Sanctus Matthæus a telonio vocatus a Christo ad Apostolatum Matthæi 9. primus omnium scripsit Evangelium. Unde hoc ei elogium dat beatus Petrus Damiani serm. de S. Matthæo: *Inter omnes plane sanctos, qui cœlesti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt, B. Matthæus mihi videtur insignis atque conspicuus, & quemdam inter eos dignitatis obtinere primatum, atque, ut clarius dicam, nemo post Christum est, cui magis debeat sancta universalis Ecclesia: Nam quod mundus vivit, hæc est causa, quia lux nobis Evangelica coruscavit.* Quia, ut idem subdit: *tamquam dux vexillum sequentibus prætulit suoque exemplo, ut scriberent, incitavit.* Græce eum scripsisse censent Cajetanus & Anabaptistæ hic, eo quod nomina Hebraica Græce interpretetur, ut *Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Matth. 1. 23. Et *Eli, Eli lammasabactani, hoc est Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me.* Matth. 27. 46. Verum hæ interpretationes adjectæ sunt ab interprete Græco. Hebraice, D Quocirca S. Hieronymus, S. Augustinus, Eusebius, ceterique omnes uno ore asserunt S. Matthæum scripsisse Hebraice, utpote rogatum a Judæis, ut abiturus ad Gentes, quæ prædicaverat ore, eis scripto reliqueret, uti asserit sanctus Chrysostomus hic hom. 1. & ex eo Euthymius, & S. Hieronymus de Script. Eccles. in Matthæo: & Eusebius l. 3. Histor. c. 18. Addit Auctor imperfecti in procemio: *Matthæum*, inquit, *conscribere Evangelium causa compulit talis: cum facta fuisset in Palæstina persecutio gravis, ut periclitarentur dispergi omnes, ut carentes forte doctoribus fidei, non carerent doctrina, rogarunt Matthæum, ut omnium verborum & operum Christi conscriberet eis historiam, ut ubicumque essent futuri, totius secum haberent fidei statum.* S. Bartholomæus ad Indos profecturus, Evangelium sancti Matthæi descriptum secum detulit, teste Eusebio libr. 5. Histor. cap. 10. sancto Hieronymo de Script. Eccles. in Pantæno: ac S. Barnabas illud idem sua manu exaratum asportavit in Cyprum, uti initio dixi. Quin & S. Hieronymus loco jam citato in Matthæo asserit, se ejus Evangelium Hebraice conscriptum vidisse Cæsaræ in Bibliotheca S. Pamphyli martyris; indeque illud se descripsisse. Jam tamen Hebræus S. Matthæi textus intercidit. Nam quod nobis obtrusit Sebastianus Munsterus excucullatus Apostata, quasi a Judæis acceptum, viris probis & doctis, vel ex auctore Hæretico & traditoribus Judæis, de falsitate suspectum est, & in se spurium olet. Verbotenus enim textum Græcum consectatur, & nimis pueriliter Hebraismos imitatur, & affectat. Adde: plures habet voces & phrases non Hebræas, sed exoticas & Rabbinicas; imo solœcismos & barbarismos. Denique de ejus parum fide translatione variæ extant doctorum querelæ, ait noster Gretserus. E

Scripsit S. Matthæus Evangelium Hebraice, præcipientibus Apostolis, ait S. Epiphanius hæresi 51. eodem anno quo Apostoli consilium inierunt de dispersione & profectione ad Gentes, qui fuit annus a nativitate Christi 37. ab ejusdem passione quartus, uti ostendi in Chronotaxi, quam Actis Apostolorum præfixi. Minus ergo verisimile est quod censet Baronius, Matthæum scripsisse anno Christi 41. Minus adhuc probabile est quod censet S. Irenæus lib. 3. cap. 1. Evangelium hoc scriptum eo tempore, quo SS. Petrus & Paulus Romæ prædicabant. S. Petrus enim non venit Romam ante annum secundum Claudii Imperatoris, Paulus non ante annum tertium Neronis. Unde sequeretur, quod decimo octavo vel vigesimo ab ascensu Christi in cælum anno scripsisset S. Matthæus, quod liquet esse falsum. F

Evangelii Matthæi conversum in Græcū. A quo? Porro Evangelium Hebraice scriptum a S. Matthæo illico conversum est in linguam Græcam, utpote tunc apud Gentes quas Apostoli adituri erant, celeberrimam & latissime patentem, idque vel ab ipsomet S. Matthæo, vel a S. Joanne, Jacobo, aut simili. Unde S. Athanasius in Synopsi S. Scripturæ: *Matthæi Evangelium*, inquit, *Hebraica dialecto conscriptum est a Matthæo, editum Hierosolymis, & interpretante Jacobo fratre Domini expositum.* Theophylactus vero Præfat. in Matth. *Joannes*, inquit, *hoc ex Hebraica lingua in Græcam, ut ferunt, interpretatus est.* Sunt qui opinantur, Barnabam Apostolum Matthæi Evangelium ex Hebræo in Græcum transtulisse, inter quos est Sixtus Senensis: Anastasius vero Sinaita Antioch. lib. 8. Hexameron dicit, Lucam & Paulum reddidisse idem Evangelium Græce. Hinc textus Syriacus Evangelii S. Matthæi non ex Hebræo, sed ex Græco traductus est, ut patet utrumque conferenti. Hinc & S. Hieronymus jussu S. Damasi corrigens quatuor Evangelia, ac inter illa Evangelium S. Matthæi, illa correxit juxta textum Græcum, non Hebræum, atque illa Græcæ fidei reddidit, ut ipse ait præfat. in Evang. ad Damasum, ubi adverte S. Hieronymum jussu Damasi vertisse vetus Testamentum ex Hebræo in Latinum, novum vero non vertisse, sed correxisse ad Græcum autographum. Quare interpres novi Testamenti non fuit S. Hieronymus, sed alius eo antiquior, minus tamen Latinus, ut patet illud decurrenti. Unde non mirum, si subinde aliter, quam ille, vertat hic S. Hieronymus in Comment. Syrus ex Græco traductus. G S. Hieronymus Evangelium non vertit, sed correxit.

Quocirca textus Latinus Evangelii S. Matthæi, æque ac S. Marci, in vulgata editione non ex Hebræo, sed ex Græco traductus videtur; uti diserte asserit Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. in Matth. & Franc. Lucas præfat. in Marcum, idque conferenti textum Græcum cum Latino clare apparebit, scilicet hunc ex illo esse expressum. Adi eumdem Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei c. 7. Porro Anastasius loco citato existimat, ab Apostolo Jacobo Matthæi Evangelium in Græcam linguam esse translatum; alii vero Joanni Apostolo, & alii ipsi Matthæo eam translationem tribuunt. Sed cujuscumque sit, ita recepta est illa translatio; ac si ea lingua primum scriptum fuisset Evangelium Matthæi. Quocirca non multum egemus Evangelio Hebraico quod Munsterus edidit, nec illo etiam, quod nuper edi curavit Joan. Tilius, in quo multa desunt, multa supervacanea sunt, non pauca etiam immutata cernuntur, & Deus novit utrum id factum non sit ad detrahendam fidem Græcæ & Latinæ editioni, astutia videlicet Judæorum, ex quorum promptuariis Evangelium illud prodiit. Porro S. Matthæus cum scripserit Hebraice, in citandis sententiis ex veteri Testamento secutus videtur Hebraicam veritatem, ait S. Hieronymus de Script. Eccles. in Matthæo; sed interpres Græcus ejus loco in Græca sua translatione substituit versionem Græcam Septuag. Interpretum, utpote Gentibus notiorem. H

An S. Matthæus scripserit Hebræa dialecto, puta, quali scripserunt Moyses & Prophetæ; an vero in captivitate Babylonica per Chaldæos corrupta, puta Syriaca, non constat. Certe Judæi tempore Christi loquebantur Syriace non pure Hebraice: quare Syriaca tunc eis [illegible] oracula.

Digitized by Google

A cula unde Albertus Widmanſtadius, qui primus novum Testamentum Syriacè edidit, & Guido Fabritius, qui illud in Latinum convertit, putant Syram versionem esse autographum S. Matthæi, Sic & Matthæus Gallenus Cancellarius Duacensis præfat. in Epistolam S. Pauli ad Hebræos contendit, Syrum textum illius Epistolæ, qui extat in Bibliis Regiis, esse ipsum S. Pauli autographum. Verum hoc parum est verisimile. Constat enim cetera in novo Testamento ex Græco conversa esse in Syrum, idemque omnino videtur horum & illorum fuisse interpres. Idem liquet ex eo, quod Hebræa, quæ citantur in Græco autographo, discrepent a Syris vocibus, quæ in Syra versione S. Matthæi nunc extant. Nam Matth. 27. 8. pro Hebræo *haceldama*, id est, ager sanguinis, Syrus jam habet *agureſca dema* ubi manifeste græcizat, dum ex ἀγρος, id est, *ager*, format *agureſca*. Sic pro Hebræo *Cephas*, habet *Kipho*; pro *Eli*, *Eli*, vertit *Il Il*, id est, *Deus Deus*, sine *meus*, quod est in *Eli*. Matth. 27. 46. pro *Golgota*, *Gogoulto*, pro *Jacob*, *Jaabou*, pro *Joseph*, *Jauseph*, & sic consequenter in ceteris discrepat a vocibus Hebraicis, quæ extant in Græco & latino, quin & ipsas voces Græcas facit Syras, ut ex Βυλευτὴς, id est, consilarius format *bulenta*. Marci 15. 43.

Syrum non esse autographum S. Matthæi.

B

An Syriacæ versionis Auctor S. Marcus.

Syri putant interpretem, qui novum Testamentum ex Græco in Syrum vertit, fuisse S. Marcum Euangelistam. Verum id difficile est creditu. Nam uterque Cyrillus, Clemens Alexandrinus, S. Anastasius, Damascenus, Theodoretus, S. Ephrem, & alii, qui in Syria, vel vicina Ægypto vixerunt & scripserunt, illius non meminerunt. Adde quod quædam habeat, quæ doctis vel displicent, vel parum placent. Videtur ergo interpres Syrus Patrum jam citatorum ætate posterior. Hoc tamen boni habet, quod faveat Catholicis contra Hæreticos: sæpe enim in titulis meminit jejuniorum, vigilarum, festorum, invocationis sanctorum, &c.

Jam quoad libri partitionem, Evangelium S. Matthæi a variis varie fuit divisum & interpunctum; nam a vetustioribus Latinis secundum S. Hilarii sectionem dividitur in Canones 33. & secundum aliorum partitionem in Ca-

C nones 67. apud recentiores vero Latinos in 28. capita; apud Græcos autem juxta Euthymium, in capita 68. juxta Suidam, in titulo 68. capita 355. Ammonius similiter & Eusebius in capita 355. illud partiuntur.

S. Matthæus Evangelistis præcellit. Primo.

Denique S. Matthæus ceteris Evangelistis in hisce præcellit; Primo, quia omnium primus Evangelium edidit; hinc plene cuncta & instanter exequitur, ait S. Chrysostomus hom. 4. in Matth. Unde Tertulianus lib. de Carne Christi, cap. 22. eum nuncupat fidelissimum Evangelii commentatorem.

Secundo.

Secundo, quod regiam Christi dignitatem præ ceteris explicet. Ita S. Augustinus, Beda, Petrus Damian, Rupert. & alii.

Tertio.

Tertio, quod divina revelatione sit inventum Evangelium ejus Hebræum sub Zenone Imperatore ad pectus S. Barnabæ; Rursum deinde illud injuria temporum interciderit. Unde Nicolaus V. Pontifex quinque ducatorum millia Evangelium Matthæi Hebraicum ad se afferenti promisit, ut scribit Joannes Eckius Lutheromastrix homil. de S. Matthæo.

E

Quarto.

Quarto, quod S. Matthæus fuerit *Æthiopiæ Apostolus & virginitatis victima:* occisus enim est ab Hirtaco rege, eo quod Iphigeniam regis filiam, quæ virginitatem Deo voverat, ipsi in uxorem dari nollet.

Quinto.

Quinto, quod S. Matthæus valde usu rerum & experientia excellens (unde & telonio præfectus fuit) ait S. Chrysostomus, ad Christum conversus sit, non ex visis ejus miraculis, non ex audita prædicatione, sed unica ejus voce. *Sequere me*, huic enim promptissime obediens, repente in alium virum, imo Apostolum mutatus est, ut relicto telonio, opibus, familia, &c. Christum secutus sit, ejusque mores induerit. Adde eum deinde numquam a Christo discessisse, testemque ac spectatorem signorum ejus & miraculorum, vita etiam imitatorem, itineris socium, atque laborum, curarum & angorum fuisse participem: ut qui toto tempore dispensationis cum eo sit versatus, & in numerum relatus summorum discipulorum, & simul procedentem tempore habens virtutem.

F

Matthæi etymon.

Hinc Matthæus Hebraice idem est, quod *donatus*, ajunt Origenes & Isidorus lib. 7. Etymol. cap. 9. aut *donum*, ut vult Pagninus מתן *matthan* enim est donum, licet aliud etymon (unde petitum sit, nescio) det Anastasius Antiochenus l. 8. Hexameron: *Mattheus*, inquit, *interpretatur mandatum altissimi.* Quocirca S. Greg. 18. moral. c. 16. ad illud Job 28. *Ferrum de terra tollitur. An non Mattheus*, inquit, *in terra inventus est, qui terrenis negotiis implicatus telonii usibus serviebat? Sed de terra sublatus in fortitudinem ferri convaluit, cujus videlicet lingua quasi acutissimo gladio, Evangelii administratione Dominus infidelium corda transfixit: & qui infirmus prius dispectusque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cælestia prædicamenta.* Scripsit de eodem Evangelista Clemens Alexandrinus Pædag. l. 2. c. 1. quod seminibus, baccis & oleribus, non carnibus vesci soleret.

G

Omitto quod Abdias lib. 3. Histor. Apostol. scripsit S. Matthæum ob Evangelium, quod Myrmidonibus prædicabat, ab idololatris fuisse excæcatum, sed a S. Andrea Apostolo, jussu Angeli, ipsi visum fuisse restitutum. Item S. Matthæum duos magos Zaroen & Arphaxat ope divina superasse, aliaque plura: quia Abdias hic apocryphus est. Pluta de S. Matthæo vide apud Surium, Baronium, Ribadeneiram, & Joannem de la Haye in Apparatu Evangel. cap. 45. & sequentibus. Denique audi quid S. Matthæus de seipso revelarit S. Birgittæ oranti ad sepulchrum ejus in urbe Malphi, lib. 1. Revel. cap. 129. *Cum illud* (Evangelium) *scriberem, tantus divinæ inflammationis ardor perseverabat mecum, quod si tacere voluissem, nullatenus præ ardore intenso potuissem.*

D

CAPUT PRIMUM.

H

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur genealogia Christi ab Abraham usque ad ipsum. Inde v. 18. ejusdem Conceptio ex Spiritu Sancto, ac Nativitas ex Virgine Deipara.

VERS. 1. LIBER Generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

2. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.

3. Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron, Esron autem genuit Aram.

4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson, Naasson autem genuit Salmon.

5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem.

6. David autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ.

7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa.

8. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam.

9. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.

10. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam.

11. Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis.

12. Et

Digitized by Google

A 12. Et post transmigrationem Babylonis, ; Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

16. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus.

17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim, & a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

18. Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens

B de Spiritu sancto.

19. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

21. Pariet autem filium; & vocabis nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetã dicentem:

23. Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.

24. Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam.

25. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium

C suum primogenitũ: & vocavit nomen ejus Jesum.

VERS. 1. LIBER GENERATIONIS.] Sic ad verbum habet textus Græcus, Latinus, Syriacus, Arabicus, Ægyptius, Persicus: Æthiopicus vero habet: *Genealogia Jesu Christi.* Porro Matthæus imitatur Moysen. Audi B. Petrum Damiani serm. de S. Matthæo: *Sicut Moyses Prophetis, & omnibus, qui aliquid scripserunt in veteri Testamento non absurde præponitur: ita Matthæus omnes jure præcellit, qui scripsisse reperiuntur in novo; ut enim ille nascentis mundi texit originem: sic iste tamquam spiritalis cujusdam mundi orientem descripsit Ecclesiæ novitatem: unde, Spiritu sancto calamum temperante, provisum est, ut uterque non diversum, sed unum idemque suis libris præmitteret initium, dicens: Liber generationis:* Hæc Damian. Moyses enim Gen. 5. c. 1. genealogiam & prosapiam Adæ protoplasti, & posterorum ita orditur: *Hic liber generationis Adam.* Adam enim fuit typus Christi. Sicut enim Adam omnibus hominibus fuit pater vitæ mortalis; sic Christus fidelibus est pater vitæ immortalis, uti docet Apostolus Roman. 5. vers. 14. & seq. Corinth. 15. 57. & seq. Hebr. est

D ספר תולדות *sephertoledoth*, id est, liber, sive catalogus & enumeratio generationum Adæ. Nam Genes. 5. plures, imo omnes generationes recensentur, quibus ab Adam usque ad Noe & diluvium propagata est stirps humana. Unde verisimile est S. Matthæum, qui alludit ad Moysen, in Hebræo hic pariter scripsisse *sepher toledoth*, id est, *Liber generationum* in plurali. Septuag. tamen Genes. 3. vertunt Βίβλος γενέσεως, id est, *Liber generationis*, in singulari, quia una fuit generatio Adæ, qua ipse quasi totius generis humani Patriarcha genuit Seth, quæ deinde a Seth & posteris continuata & propagata fuit usque ad Noe. Septuag. utpote Græcos, secutus est hic Græcus S. Matthæi interpres, & qui ex Græco traductus est Latinus vulgatus, quia proprie hic describitur generatio & prosapia solius Christi, quæ tamen per plures generationes patrum & avorum, ab Abraham derivatur & continuatur usque ad Christum. Igitur sicut Adam fuit mundi veteris, sic Christus est mundi novi & melioris origo. Unde ab Isaia c. 9. v. 6. vocatur *pater futuri sæculi*. Hinc & ex Sybilla Cumana Virgil. Eclog. 4. ita de eo cecinit:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo. E
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Nimirum ut subdit:

Chara Dei soboles, magnũ Jovis (verius patris) *incremẽtũ.*
Incipe parve puer risu cognoscere matrem.

Hæc enim de Christo a Sybilla esse dicta liquet, sed Virgilius vel ignorans, vel adulans ea transtulit ad Pollionem Asinii Pollionis, consulis Romani filium.

Nota τὸ *liber* hic idem est quod catalogus, sive enumeratio aut descriptio. Unde Syrus vertit כתבא *ketobo*, id est, Scripturę descriptio. Hoc enim proprie significat Heb. סֵפֶר *sephur*, cui respondet Græcum βίβλος, & Latinum Liber, a rad. סָפַר *saphar*, id est enumerare, recensere. Unde nonnulla a *saphar* derivant *siphra* vel *cifras*, id est numerus & computus. Simili sensu liber repudii vocabatur charta, in qua repudium uxoris factum a marito describebatur: sic liber justorum vocatur catalogus, in quo justorum nomina & facta notabantur. Sic & liber vitæ est catalagus electorum, qui in mente Dei quasi in libro conscripti sunt, & destinati ad vitam æternam. Sic Cicero librum nominum appellavit catalogum nominum. Sic denique dicitur Psal. 70. 15. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.* Litteraturam Hebr. סִפּוֹרוֹת *sephorot*, id est, libros, catalogos, computos. Unde Septuag. vertunt γραμματείας, quod Noster vertit *litterarum*, pro quo nonnulli legunt, πραγματείας, id est, negotiationes. Sensus est, q. d. David quoniam non cognovi litteras sæculares, computos puta, & negotia hujus sæculi, quæ mentem a Deo distrahunt, hinc accedam ad penetrandam, & celebrandam Dei potentiam, & beneficentiam erga me. F

Liber vocatur catalogus.

Nota secundo: τὸ *generationis*; Primo, & planissime idem est quod *generis* aut *genealogiæ* Christi: hæc enim hic recensetur. Hoc enim significat Heb. *toledoth* & Syrum *jalidoutho*, cui respondet Græcum γένεσις. Secundo, *generationis*, id est, conceptionis & nativitatis Christi. Hoc sensu enim mox se explicabit v. 18. dicens: *Christi autem generatio sic erat*, id est, hoc modo contigit. Tertio, Maldonatus, *generationis*, inquit, id est, vitæ Christi. Matthæus enim hoc Evangelio totum vitæ Christi decursum quasi historiam describit. Sic Gen. 6. 9. dicitur Noe, *perfectus in generationibus suis*, id est, omnibus partibus vitæ suæ. Verum ib pro *generationibus suis*. Hebr. non est *toledoth*, sed דורותיו *dorotau*, id est, in suis sæculis. q. d. Noe inter homines suæ ætatis & sæculi corruptissimos, fuit justus & perfectus, quare inter eos velut stella lucidissima emicuit. Quarto, Heb. *toledoth* proprie significat generationes, quæ plures ab Adam usque ad Christum intercesserunt. Unde in iis toties repetitur τὸ *genuit*. Generationes hasce repræsentarunt gradus in scala Jacob, cui innitebatur Deus, per quos Angeli a terra in cælum ascendebant. Sicut enim scala hæc quasi jungebat terram cælo, & Jacobum Deo, sic generationum hæc series omnes Patriarchas univit Christo, qui caro factus, omnes homines sibi, Deoque copulavit. Vide dicta Gen. 28. 12. G

Generatio quid? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

FILII DAVID] *filii*, id est nepotis. Hebræi enim omnes nepotes in recta generationis linea, ab avis & abavis descẽdentes, vocant filios. Davidem pręponit Abrahæ: tum quia David erat proximior Christo, ac per eum Christus ad Abraham pertingit: tum quia sic brevius & commodius genealogię Christi, sine repetitione series texitur. Si enim prępositisset Abraham, non potuisset subjungere *filii David:* Nec enim, Abraham fuit filius David. Prolixe ergo dicere debuisset, qui Abrahã fuit pater David, ex quo prognatus est Christus: voluit enim dicere Christũ descendere ex Abrahã per David. Ita S. Hieronymus. Tertio, & maxime, quia promissio Dei facta Davidi de Christo ex posteris ejus nascituro, erat recentior, specialior, & honorificentior, uti docet S. Chrysost. Theoph. & Euthym. Hinc Judæi Messiam suum passim vocabant filiũ David. Unde in Dominica palmarũ Christo ingredienti Hierosolymam, quasi Messiæ acclamarunt: *Osanna filio David*, id est, salva Domine nostrum Messiam, quasi Davidis filium & hæredem. Denique nomine *filii David*, innuitur nobilitas stirpis Messiæ, puta Christi, ejusque regnum, quod scilicet ipse velut Davidis regis filius sit futurus rex, juxta illud Archangeli Gabrielis ad B. Virginem oraculum: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in eternum, & regni ejus non erit finis.* Luc. 1. 31. Hac de causa Prophetæ passim de Christo, quasi de Davidis filio & hærede vaticinati sunt, ut Isaias cap. 9. 7. c. 55. 3. Jeremias c. 25. 5. Ezechiel c.

H

Christus vocatur filius David: cur?

Digitized by Google

A 34. 23. & c. 37. 25. Amos c. 9. 11. &c. Porro prima promissio facta Davidi de Christo ex se nascituro, & regnaturo in æternum extat 1. Reg. 7. 12. eadem Deo corroborata est, Psal. 88. & 131. ac repetita Salomoni Davidis filio 3. Reg. 9. 5. Matthæus ergo dicens; *Jesu Christi filii David* significat, hasce omnes promissiones jam in Christo esse expletas. Ita S. Chrysostomus homil. 2. Theoph. Euthym. & Iren. lib. 3. c. 8. S. Ambros. lib. 3. in Lucam c. 3. & alii.

Filii Abraham] *τὸ filii* tam ad Christum quam ad Davidem referas: Tam enim David quam Christus fuit filius, id est, nepos Abrahæ, utpote ex eo prognatus. Significat ergo Christum per Davidem patrem suum fuisse quoque filium Abrahæ, qui fuit pater credentium & Ecclesiæ veteris, cui primo facta est expressa de Christo promissio, Gen. 22. 18. Porro a nativitate Abrahæ usque ad diem natalem Christi fluxere anni 2001. a morte vero Davidis usque ad Christum fluxere anni 1013. Tam antiqua fuere Dei oracula & promissa de Christo, tam constans pariter & certa fuit ejus fidelitas in iis explendis. Arque

B hæc est causa, cur S. Matthæus studiose genealogiam Christi arcessat ab Abraham, per continuas 42. generationes, scilicet, ut Judæis ostendat Jesum Christum verum esse Messiam Abrahæ promissum, ejusque & ceterorum Patriarcharum filium; ideo a Judæis ut talem recipiendum, venerandum & colendum.

Vers. 2. Abraham genuit Isaac] Hi duo, uti & sequentes fuere primi Patriarchæ, fundatores Synagogæ & populi Dei, ac regni Christi; illi ergo ut typi præluxere. Vide dicta in Genesi, ubi hasce eorum genealogias explicui, quare hic eas non repetam. Hinc Deus passim se vocat Deum Abraham, Isaac, & Jacob, de eoque gloriatur. Unde & Abrahæ posteritatem, descendentem per Isaac, & Jacob, sibi in familiam & Ecclesiam delegit, ejusque signum & tesseram ei dedit circumcisionem. Quocirca Deus Abrahæ nomen commutavit, ut pro *Abram*, id est pater excelsus, vocaretur *Abraham*, quasi אברהמן *ab rab hamon*, id est, pater magnæ multitudinis, scilicet populi fidelis ex se nascituri secundum carnem; sicut ex Christo tam Judæi

C quam Gentes in eum credentes, nascuntur secundum spiritum; *Isaac* vero, id est, *risus*, immolandus ab Abraham patre in monte Moria, plane repræsentavit Christum, qui in eodem monte crucifixus, salutem & gaudium toti orbi attulit, Gen. 22. v. 2. & seq.

Vers. 3. Cur Thamar, Bethsabee, & Raab nominentur in genealogia Christi? Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar] Vide quæ de Thamar dixi Gen. 38. v. 29. Nota in genealogia Christi nullæ (dempta ejus sanctissima matre) nominantur feminæ, nisi quatuor, illæque peccatrices scilicet tres meretrices; nimirum Thamar, Bethsabee & Raab, de qua Josue 2. & quarta Gentilis, puta Ruth Moabitis. Gentilis quoque fuit Raab, utpote Jerichuntina, At quæ hujus rei est causa? Respondent S. Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, Euthymius hic, id fieri, ut significet Christus se, qui propter peccata dissolvenda & dimittenda veniebat, de peccatoribus velle nasci. Hæc ratio vera est, sed allegorica. Litteralis ergo & simplex est, quod hæ mulieres modo non ordinario, uti ceteræ, sed extraordinario & novo accidente viris suis copulatæ sunt, ideoque typus fuerunt Ecclesiæ Christi ex Gentilibus (rejectis Judæis) nova vocatione novoque modo

D congregandæ. Thamar enim ob negatum, vel potius dilatum Sela maritum, sibi promissum a patre Juda, ei se dolose prostituit, quia ex ejus, ut pote Jacobi, Isaac ac Abrahæ stirpe prolem quærebat. Bethsabee uxor Uriæ, Davidi copulata est, primo per adulterium, deinde per conjugium. Raab nupsit Salmon, quia Hebræorum exploratores a Josue in Jericho submissos, hospitio excepit ac protexit, ideoque in eorum fidem & religionem transiit. Ruth nupsit Booz, quia cum Noemi socru ex Moab transiit in Judæam. Vide librum Ruth.

Tropologica causa est, ut ostendatur generis & prosapiæ vanitas, ac nobilitatem non in avorum stemmate, sed in propria indole & virtute consistere. Ita S. Chrysostomus. Quare nemini erubescendum esse de suis natalibus, & majoribus obscuris, vel vilibus aut sceleratis, sed dicendum cum Cicerone: *Ego mea virtute meis majoribus præluxi*. Sane non est dubium in cujusque etiam nobilissimi stirpe, si illa ab Adam, imo ab aliquot annorum centuriis dumtaxat repetatur, multos intercurrisse patres &

Omnes reges ex servis orti, & servi ex regibus. matres ignobiles, abjectas, sceleratas & infames. Certe Plato, teste Seneca, epist. 44. asserit omnes reges ex servis natos, & omnes servos ex regibu ortos, nullumque olim regem extitisse ligonis expertem, nec contra ligonem, ad quem non aliquando sceptrum pertinuerit. Tri- E
tum est Camillum, Curionem, Fabricium & priscos Romanorum duces, a ligone & aratro vocatos ad Romæ regimen & culmen.

Denique Salomon inter alias mundi vanitates & inconstantias hanc recenset: *Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in Regno inopia consumatur*, Eccl. 4. 14. vide ibi dicta.

Vers. 4. Aminadab] Hic fuit dux tribus Juda in egressu filiorum Israel ex Ægypto, qui ceteris trepidantibus ingredi mare rubrum, licet a Deo patefacto alveo divisum & siccum, primus illud animose ingressus, suam tribum per illud incolumem traduxit, quem deinde ceteri duces & tribus secuti sunt, uti tradunt Hebræi, & ex eis Lyranus. Unde Cantic. 6. v. 11. de eo dicitur: *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*. Vide ibi dicta. Successit ei in Ducatu filius Naasson in deserto, ut patet num. 1. vers. 7. & sequent.

Vers. 5. Booz] Plures fuisse Booz censet Lyranus, sed uni- F
cum dumtaxat fuisse patet, eum scilicet, cujus fit mentio cap. Ruth 4. v. 21. & 1. Paral. c. 2. v. 11. & 12.

Jesse] vl aliis punctis *Isai*, pater fuit Davidis, qui suo nomine præfiguravit Jesum Christum ex se nasciturum. Jesse enim & Jesus idem quasi sunt nomen, si utriusque radicem Hebræam (quæ est יש *jasca*, id est, salvare) spectes, si scilicet *Jesse* addas expunctum י.

Vers. 6. Ex ea quæ fuit Uriæ] Græce ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου, id est, *ex ea quæ Uria*, scilicet fuerat uxor. Nam Uria mortuo duxit eam David, ex eaque genuit Salomonem, ne quis putet Salomonem natum ex adulterio fuisse spurium, cum sit natus ex conjugio. Hac enim sententia significatur Deum promissa data Davidi, ob ejus adulterium cum Bethsabee non revocasse, sed ob utriusque pœnitentiam confirmasse. Unde ex Bethsabee ejusque filio Salomone prognatus est Christus, nimirum Bethsabee pœnitens evasit sancta, ac Salomonem filium sancte educavit, imo spiritu prophetico claruit, ut dixi Proverb. 31. 1. ad illa: *Verba Samuelis Regis; Visio qua erudivit eum mater sua.*

Vers. 8. Joram autem genuit Oziam] Non immediate, sed G
mediantibus tribus generationibus; nam Joram proxime genuit Ochosiam; Ochosias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Azariam sive Oziam (erat enim binomius) ut patet 1. Paral. 3. 11. & 2. Paral. 22. & sequent.

Cur Ochosias, Joas, & Amasias in genealogia Christi prætermissi sunt? Petes, cur tres medios, scilicet Ochosiam, Joas & Amasiam omittit hic S. Matth. Respondet S. Hieronymus hic id eum fecisse, quia ei propositum erat tres tesseradecades generationum præcise assignare, de quo v. 17. & quia Joram se miscuerat impiissimæ Jezabeli, & Achab, ejus sororem Athaliam impiam (utpote quæ omnes suos filios, excepto Joas a sorore abscondito, occidit, ut sola regnaret) in uxorem accipiens. Juraverat enim Deus se omnem posteritatem Achab ob impietatem & idololatriam deleturum, 3. Reg. 21. 22. Posteritas autem in Scriptura computatur usque ad quartam generationem, ut patet Exodi 20. 5. 4. Reg. 10. 30. Deletur ergo hic, dum a Matthæo omittitur & obliteratur. Sic & S. Hilarius, S. Thomas, Jansenius, Salmeron, Baradius, Abulensis & alii. Aliter respondet Gaspar Sanchez in lib. 4. Reg. c. 14. v. 18. Scilicet Matthæum hos tres non omisisse, sed addidisse, scripsisseque hoc modo, *Joram autem genuit Ochosiam, Ochosias autem genuit Joas, Joas autem genuit Amasiã, Amasias autem genuit Oziam*; sed descriptorem Matthæi ob simili- H
tudinem Ochoziæ & Oziæ, fallente oculorum jactu ab Ochozia transiliisse ad Oziam, scripsisseque; *Joram genuit Oziam*, pro *Ochoziam*. Sic enim v. 12. *Jechonias genuit Salathiel*, transiliit medium Jeconiam, putans eumdem esse cum Jechonia. Verum hic saltus nimis est magnus & enormis, quem etsi unus descriptor fallente oculo commisisset, alii tamen eum deprehendissent & correxissent. Jam autem omnia exemplaria Græca, Latina, Syra, Arabica, &c. habent *Joram autem genuit Oziam* non *Ochoziam*, &c. Denique si hi tres, scilicet Ochozias, Joas & Amasias interferantur, erunt generationes septemdecim a David usque ad transmigrationem Babylonis, cum tamen Matthæus dicerte v. 17 tantum numeret quatuordecim, vimque faciat in trina generationum tesseradecade.

Vers. 11. Josias autem genuit Jeconiam et fratres ejus] Josias quatuor genuit filios: primus fuit Johanan: secundus Eliakim, qui & Joakim: tertius Joachas, qui & Sullum: quartus Sedecias, qui & Matanias. Porro Joachas, licet tertius genitus, proxime in regno successit Josiæ

patri

Digitized by Google

A patri occiſo, ſed amovit eum Pharao Rex Ægypti, eique ſuffecit fratrem ſecundo genitum, puta Joakim: hunc poſt undecim annos regni cepit, & occidit Nabuchodonoſor rex Babylonis, eique ſubſtituit filium nomine Joachin: quem poſt tres menſes in Babylonem abducens ſubrogavit ei in regno patruum, puta Sedeciam, quem tandem rebellantem abduxit & excæcavit, in eoque deſiit ſtirps regia Davidis. Unde de Joachin dixit Deus Jerem. cap. 22. 30. *Scribe virum iſtum ſterilem*, &c. *nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David*. Jechonias ergo hic eſt Joakm ſecundo genitus Joſiæ filius, qui duos fratres habuit reges, fuitque pater Joachin, qui etiam Jechonias vocatur. Lege hiſtoriam 1. Paralip. 3. 15. & 16. & 4. Reg. cap. 23. & 14. Licet ergo pater Joakim proprie dicendus fuiſſet Jeconias per K, filius vero Joachin Jechonias, per ch, uterque tamen dictus eſt Jechonias, nimirum in nominibus propriis multa talia magis immutata videmus. Igitur tam pater Joakim, quam filius Joachin vocatur Jechonias; ſed hic pater intelligitur: hic enim tres habuit fratres.

B Triplex captivitas Babylonica.

IN TRANSMIGRATIONE BABYLONIS] Græce ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, id eſt, ſub vel circiter tranſmigrationem Babylonis, id eſt, ſub captivitatem Babylonicam, in qua Judæi capti a Nabuchodonoſore abducti ſunt in Babylonem. Traſmigratio ergo Judæorum Babylonis, id eſt, Babylonica vel in Babylonem, fuit triplex: Prima enim contigit anno undecimo Joakin regis, in qua abductus fuit Daniel & Ezechiel: Secunda contigit poſt tres menſes, in qua cum rege Joachin, filio Joakim, abductus fuit Mardochæus, Patruus Eſther: Tertia & perfectiſſima accidit poſt undecim annos, ſcilicet anno undecimo & ultimo Sedeciæ regis, qua pene omnes reliqui abducti ſunt, vide dicta Daniel. 1. 1. & Jerem. 52. 4.

VERS. 12

JECHONIAS AUTEM GENUIT SALATHIEL] Hic gravis eſt difficultas, quam Prophyrius Chriſti & Chriſtianorum hoſtis, eis objectabat velut inextricabilem: nimirum quod hic Jechonias pater Salathielis, non fuerit Jechonias filius Joſiæ, de quo dictum eſt verſ. præcedenti, ſed Joſiæ nepos ex patre Joakm ſive Jeconia, ac conſequenter hic recenſeri tantum tredecim generationes non quatuordocim, cum tamen quatuordecim numeret S. Matthæus v. 17. Reſpondet S. Hieronymus hunc Jechoniã alium eſſe a Jechonia filio Joſiæ, de quo verſ. præcedenti: præcedens enim dictus fuit Joakim & Jeconias, ac corrupte Jechonias: fuitque pater hujus; hic enim proprie dictus fuit Joachin & Jechonias; Joſias enim genit Joakim ſive Jeconiam; Joakim autem genuit Joachin ſive Jechoniam. Quare hic ſupplenda eſt una generatio, nimirum ut ante verſ. 12. addas: *Jechonias autem genuit Jechoniam*, uti addunt nonnulli codices Græci & Latini. Id ita eſſe patet ex 1. Paral. 3. verſ. 15. & 16. & 4. Reg. c. 23. & 24. Omiſſa eſt autem iſta generatio, ſive ab ipſo Matthæo, ne bis idem nomen Jechoniæ repeteret, uti cenſet S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Evangel. cap. 4. ſive potius ſcriptorum vitio & ignorantia putantium ſcilicet eumdem eſſe Joakim & Joachin, ſive Jeconiam & Jechoniam, præſertim cum Jechoniam quoque Jeconiam vocari viderent, quare alterum quaſi redundantem expunxerunt. Ita S. Epiphan. in ſecta Epicuræorum.

C Omiſſa hic una generatio.

SALATHIEL AUTEM GENUIT ZOROBABEL] Quis, qualis & quantus fuit hic Zorobabel, dux Judæorum e Babylone, quaſi ex exilio in patriam, puta in Judæam redeuntium, ideoque typus Chriſti, fuſe dixi Aggæi 1. v.

D VERS. 16 Cur per genealogiã Joſeph texitur genealogia Chriſti?

JACOB AUTEM GENUIT JOSEPH VIRUM MARIÆ] Quæres, quomodo ex genealogia Joſeph, hic colligatur genealogia Chriſti, cum Chriſtus Mariæ Virginis, non autem Joſephi fuerit filius, præſertim cum, ut videtur, B. Maria potuerit nubere viro non ſuæ, ſed alterius tribus, ſicut Eliſabeth cognata ejus; adeoque orta ex tribu Juda nupſit Zachariæ ſacerdoti, ideoque oriundo ex tribu Levi? Reſpondetur, feminas quidem apud Judæos potuiſſe nubere viro alterius tribus; ſed tamen ſi ipſæ, deficiente prole maſcula, in hereditatem patris ſuccedebant, ne illa hereditas per conjugium ad aliam tribum tranſiret, debuiſſe ex lege Numer. ult. v. 7. nubere viro ejuſdem tribus & familiæ. Joakim autem pater B. Virginis nullos habebat maſculos filios, uti præſupponit hic S. Matthæus, quaſi illo ævo ſat perſpectum & vulgatum: tum ex fama communi, tum ex tabulis genealogiarum & matrimoniorum, quæ apud Judæos extabant exactiſſimæ. Quare B. Virgo debuit contribuli & ejuſdem familiæ viro nubere, puta Joſepho. Unde ejus genealogia, pariter eſt genealogia B. Mariæ, & conſequenter Chriſti Domini. Vide dicta Num. ult. v. 7. Unde Patres docent paſſim Joſeph & B. Mariam fuiſſe ejuſdem tribus & familiæ. E

Inſtabis, cur S. Matthæus retexit potius genus Joſeph, quam B. Mariæ, cum ex hac ſola, utpote virgine natus ſit Chriſtus? Reſp. Primo, quia apud Judæos aliaſque gentes genealogia ſolet texi per patres & viros, non per matres & feminas. Secundo, quia Joſeph fuit verus & legitimus Chriſti pater, ea ratione & modo, quem mox explicabo, ac per Joſeph, non per B. Mariam, Chriſtus fuit heres ſceptri & ſolii Davidis, prout Deus Davidi promiſerat, 2. Reg. 7. 11. Pſal. 88. & 131. & rurſum 3. Reg. 9. 5. Sceptrum ergo Juda non tantum ex Dei promiſſione & donatione, ſed & hereditario ſucceſſionis jure per Joſeph devenit ad Jeſum Chriſtum. Si enim jure communi in hereditatem parentum ſuccedunt filii, qui dumtaxat per publicam famam cenſentur filii; item illi qui a parentibus adoptantur, quanto magis Chriſtus ſucceſſit Joſepho patri ſuo, utpote natus ex ejus conjuge, virtute & dono Spiritus ſancti: quare ſicut Joſephus habebat in Chriſtum jus paternum, puta omnia jura quæ habent patres in filios; ſic viciſſim Chriſtus habebat erga Joſephum jus filiale, ſcilicet omnia jura, quæ habent filii reſpectu parentum, ac conſequenter jus quoque regni Judaici poſt mortem Joſephi. Unde c. 2. 2. ajunt Magi: *Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum*? quod cum demonſtrare vellet S. Matthæus, qui, ut ait S. Auguſtinus, præ ceteris Evangeliſtis regiam Chriſti dignitatem perſequitur, idcirco illi fuit genealogia Joſeph texenda, non B. Virginis, utpote quæ viris ſuperſtitibus (qualis erat Joſeph) ex Davide & regibus prognatis, regni heres eſſe non poterat. Ita Franc. Lucas, idque ſatis eſt probabile. Unde conſequenter dicendum eſt Joſephi patrem & avos fuiſſe primogenitos, aut maximos natu, ut jus regni ad eos devolveretur, Deo ſcilicet ita ordinante, ſicut idem ordinavit, ut Roboam, Aſa, Joſaphat, ceterique Davidis poſteri uſque ad Jechoniam eſſent primogeniti, ex iiſque Chriſtus naſceretur, itaque fieret ſolii Davidis legitimus ſucceſſor & heres. Huc enim ordinavit, apteque diſpoſuit Deus omnes haſce generationes, uti & cetera omnia ad majorem ſcilicet Chriſti gloriam ac regni jus regiamque ejus dignitatem. Idque Deo fuit perfacile. Idem enim fecit in Joakim, Sedecia aliiſque impiis regibus, ergo multo magis in Chriſto. Hoc eſt quod diſcitur Lucæ 1. *Et dabit ei Dominus ſedem David Patris ejus*. Et Geneſ. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt*; puta Chriſtus, qui ſceptrum inique per Herodem ablatum Judæ reſtituat, ſitque rex Judæorum, imo regnum eorum evehat, & in longe ſubliniorem ſtatum commutet, ut ex corporali faciat ſpiritale, ex terreſtri cæleſte, ex temporali æternum. Ita Franc. Lucas & alii, qui profunde hæc ſcrutati ſunt: Quare immerito nonnulli Theologi hanc de Chriſti hereditario jure ad regnum Judææ ſententiam rejiciunt. G

Per Joſep Chriſtus ſucceſſit i gnum Judæ.

Nota τὸν *Joſeph virum Mariæ*, id eſt, maritum Mariæ: Arabicus, *ſponſum Mariæ*; ex eo enim collige S. Joſephum habuiſſe omnia jura veri ſponſi in virginem, ac conſequenter eum jure vereque vocari patrem Chriſti, uti docet Franc. Lucas, Suarez 3. p. q. 29. diſp. 8. ſect. 1. & ſeq. & indicat S. Auguſtinus.

Chriſtus jure fuit Filius Joſeph.

Probatur id primo, quia Chriſtus fuit fructus conjugii Joſeph & Mariæ; natus enim in utriuſque conjugio, utrique jure adſcribendus eſt, tamquam patri & matri. Ratio a priori eſt, quia Joſeph per conjugium, corporis B. Virginis quaſi dominus effectus eſt; ergo & fructus corporis B. Virginis, puta Chriſtus ad Joſephum pertinuit, uti metalla nata in agro, ad dominum agri pertinent. Quod enim in agro meo naſcitur, meum eſt, ait Juriſconſultus. H

Probatur Primo.

Dices: hæc proles, puta Chriſtus, natus eſt ex conjugio Joſeph cum Maria, non naturaliter, ſed ſupernaturaliter, puta virtute non Joſephi, ſed Spiritus ſancti fœcundantis virginem; ergo illa Joſepho attribui nequit. Reſp. negando conſequentiam: proles enim, quæ ex conjugio legitime naſcitur, conjugum eſt, undecumque & quomodocumque naſcatur: ſicut ſeges nata in agro meo ſterili ſupernaturaliter, mea eſt. Sicut ergo Chriſtus vere B. Virginis eſt filius, etiamſi ex ea naturaliter non ſit natus, ſed miraculoſe; ſic & idem jure conjugii eſt Joſephi filius, etiamſi ex conjugio non naturaliter, ſed miraculoſe ſit genitus, imo eo magis magiſque admirabilis Joſephi eſt filius, quia Deus in præmium virginitatis ſervatæ in conjugio, hunc miraculoſum conjugii virginalis fructum Jo

Digitized by Google

A sepho dedit, donavitque; perinde ac si Deus in agro ejus produxisset messem sine semine, illamque ei dedisset.

Secundo. Secundo, quia vir & uxor per conjugium sunt unum, & quasi una persona civilis: quare omnia habent communia, etiam proles legitime natas (excipio enim proles natas ex adulterio; hæ enim adulterum habent patrem, ejusque sunt,) Ergo Christus, Deiparæ filius, fuit quoque filius Josephi, qui erat conjux, ideoque omnium ejus bonorum consors & particeps. Ita Franc. Suarez loco citato quæst. 29.

Joseph ergo magis fuit pater Christi, quam pater adoptans sit pater filii adoptati. Hic enim tantum est pater adoptivus, Joseph vero fuit pater matrimonialis Christi. Hinc sequitur Josephum habuisse quasi patris auctoritatem in Christum, ideoque summum erga eum affectum, curam & solicitudinem; ac vicissim Christus Josephum ut patrem coluit, amavit, honoravit, eique obedivit; ut patet Lucæ 2. 51. *Et erat subditus illis*. Et

B *hæc subjectio*, ait Gerson, *sicut inæstimabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Joseph & Maria*.

Tertio. Tertio, quia Christus proprie pertinebat ad familiam Josephi: pertinebat enim ad familiam matris, mater autem ad familiam Josephi mariti sui. Una ergo in terris dignissima, imo cælestis & divina erat familia, in qua paterfamilias, ideoque præses & rector erat Joseph, materfamilias B. Virgo, filius vero Christus. In hac igitur erant tres summæ & excellentissimæ totius orbis personæ; prima Christus, utpote Deus & homo: secunda Virgo Deipara Christo conjunctissima, quasi mater naturalis; tertia Joseph, quasi pater Christi matrimonialis. Hac de causa Christo debetur cultus adorationis & latriæ; B. Virgini hyperduliæ; Josepho summæ duliæ. Quocirca errat vulgus hominum, imo multi in sæculo sapientes, qui S. Josephum ut simplicem & abjectum fabrum lignarium parvi æstimant: neglectus quidem fuit & incognitus hucusque in terra, sed eo gloriosior fuit in cælo. Jam tamen viri docti ejus excellentiam ostendentes, multos in ejus admirationem & venerationem rapuere. Unde nuper Gregor. XV.

C Pontifex festum ejus ritu duplici solemniter a toto populo, totaque Ecclesia quotannis celebrari jussit die 19. Martii. Et merito: Considera enim quanta ejus fuerit præ omnibus hominibus prærogativa, dignitas & officium ex his quæ subjungo,

Dignitas S. Josephi. Primo. Primo, S. Joseph fuit maritus B. Virginis ac pater Christi, uti jam ostendi; fuit ergo ipse caput & superior tam B. Virginis quam Christi, ut homo est. Hinc

Secundo. Secundo, singularis fuit amor & reverentia tam B. Virginis, quam Christi erga Josephum. Unde Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis serm. de nativit. B. Virginis: *O miranda prorsus*, inquit, *Joseph, sublimitas tua, o dignitas incomparabilis, ut mater Dei, regina cæli, Domina mundi appellare te Dominum non indignum putaverit*. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 11. Gorgoniæ sororis suæ maritum, ejusque excellentiam hoc uno titulo indicat & celebrat, quod Gorgoniæ fuerit conjux & vir: *Vultis*, ait, *uno verbo virum describam? virillius, id est, Gorgoniæ: nec enim scio quid amplius dicere necesse sit*. Idem dicas de sancto Joseph. Aves scire quis, qualis,

D quantus fuerit S. Joseph? vir fuit Deiparæ.

Tertio. Tertio, ministerium & officium Josephi fuit nobilissimum, quia attigit ordinem unionis hypostaticæ Verbi cum carne nostra, uti & maternitas B. Virginis. Joseph enim omnes suos labores & actiones proxime circa Christi personam exercebat. Hinc Christum aluit, fovit, custodivit, ac eum in arte fabrili secum exercenda direxit, ut habet communis Doctorum sententia. Audi Franciscum Suarez 3. part. quæst. 29. disput. 8. sect. 1. Quædam, ait, ministeria præcise pertinent ad ordinem gratiæ gratum facientis, & in hoc supremum fastigium tenent Apostoli, ideoque indiguerunt pluribus auxiliis gratiæ (præsertim gratis datæ & sapientiæ) quam cæteri. Alia vero sunt ministeria, quæ attingunt ordiem unionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est, ut patet de maternitate Dei in B. Virgine. Et in hoc ordine est ministerium S. Joseph, quod proinde priorem excedit.

Quarto. Quarto, Joseph per familiarem & continuam cum Christo & B. Virgine conversationem, factus est secretorum divinorum particeps, & summarum utriusque virtutum quotidianus inspector & imitator.

Quinto. Quinto, Joseph fuit eximiæ sanctitatis, ac eximiis naturæ & gratiæ doctibus a Deo instructus, adeoque illo sæculo non fuit vir sanctior aut dignor, cui mater Dei

E desponsaretur. Unde Franciscus Suarez 3. part. quæst. 29. disput. 8. sect. 1. probabiliter opinatur Josephum in gratia & gloria antecellere Apostolos & Joannem Baptistam, quia ejus officium illorum officio præcellebat. Plus enim est esse patrem & rectorem Christi, quam præconem & præcursorem ejusdem. Additque Josephum, cum duxit B. Virginem, fuisse ætate matura, non juvenili nec senili, eumque vita functum esse ante mortem Christi, & B. Virginis. Unde in passione Christi nulla Joseph fit mentio. Denique eum post mortem cum Christo inter ceteros Patriarchas resurrexisse, de quibus dicitur Matth. 27. 52. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. His omnibus ipse eminebat.

Porro nostri Barradius & Ribadineira in festo S. Josephi, eum eminentis sanctitatis fuisse docte solideque probant, primo ex ejus officio, quia ipse fuit pater Christi &

F sponsus B. Virginis; inter sponsos autem solet esse æqualitas; id est, proportio, ut sit matrimonium congruum & commodum. Ergo præ omnibus Joseph accessit ad sanctitatem B. Virginis. Unde Patres censent Joseph fuisse virginem, & sua virginitate quasi meruisse, ut fieret conjux Virginis Deiparæ. Audi sanctum Hieronymum contra Helvidium: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio Virgo filius nasceretur*. Et sanctus Aug. serm. 24. in nativitate Domini: *Habe*, ait, *Joseph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virginis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua, virginitate servata: sis autem & tu pater Christi cura castitatis & honorificentia virginitatis, ut de virgineis membris genitricis, seculis Christianis nulla sit zelotypia*. Idem & paulo post: *Gaude itaque Joseph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugii; quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris*: Sic & ceteri. Unde B. Petrus Damiani epist. 11. ait Ecclesiæ fidem in eo esse, ut non modo Deipara, sed & Joseph ejus maritus & nutritius Christi, virgo habeatur.

G Secundo, quia B. Virgo unica salutatione sanctificavit Joannem Baptistam, eumque quasi Christi præcursorem, & paranymphum consecravit. Quantum ergo ipsa sanctitatis afflavit Josepho crebra salutatione, imo continua conversatione & alloquio tot annorum?

Tertio, quia Joseph quotidie videns & audiens Christum, divinaque ejus verba, gestus, & spiritus hauriens, mire incendebatur ejus amore & reverentia. Ad hæc Christus nutritus a Josepho corporaliter, vicicim, imo multo magis nutriebat eum spiritualiter, mentemque ejus spiritualibus epulis gratiisque cumulabat.

Quarto, quia omnes Josephi actiones erant circa Verbum incarnatum, ideoque cælestes & divinæ: fuit ergo ipse Angelus potius, quam homo.

Quocirca B. Teresia mira devotione colebat S. Josephum, eumdemque omnibus commendabat, asserens se per intercessionem S. Josephi multa & magna, imo omnia, quæ habebat, a Deo impetrasse.

Plures S. Josephi prærogativas & dignitates recensetnoster Sebast. Barradius lib. 6. c. 8.

H Denique S. Joseph sanctificatum fuisse in utero matris, censet Gerson. hom. de Nativit. B. Virginis, & 3. par. alphabeti 59. l. 2. ubi ait idipsum asseri in officio Hierosolymitano, & Jacobus de Valentia scribens super *Magnificat*. Idem de S. Jacobo fratre Domini, qui ea de causa vocatus sit justus, opinantur Hegesippus apud S. Hieronymum lib. de Script. Eccles. in Jacobo, & Epiph. hæresi 29. Idem de S. Nicolao, & S. Dominico suspicatur S. Antoninus 3. par. Summæ tit. 18. cap. 15. §. 9. Idem de Jacobo Patriarcha, qui in utero matris collisus fuit cum Esau, illumque supplantavit, censent S. Ambrosius lib. 4. de Fide cap. 4. Histor. Eccles. cap. 66. in Genes. & Dionys. Carthus. in Genes. cap. 25. & 28. ubi pro eadem sententia citat S. Augustinum. Idem de Mose autumat S. Ephrem orat. de Transfig. Christi. Alii idem privilegium dant Samsoni, quia de eo dicitur Judic. 13. (*Et erit Nazaræus* (id est, separatus, & consecratus) *Dei ab infantia sua, & ex matris utero*) Verum hæc incerta sunt, & tantum exemptionis a communi peccati & nativitatis maculatæ lege privilegium nulli dandum est, nisi de eo constet e S. Scriptura, vel traditione. Hic autem nihil tale constat de ullo, nisi de Jeremia cap. 1. 5. Et de Joanne Baptista

An Joseph sanctificatus in utero matris

Lucæ

A Lucæ 1. 44. ita Barrad. lib. 7. Concord. Evang. cap. 12. & Franc. Suarez 1. p. quæſt. 27. diſp. 8. ſect. 1. Excipio Chriſtum ex vi ſuæ conceptionis, quia conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Maria Virgine. Item B. Virginem, utpote matrem Dei, uti habet traditio Eccleſiæ. Potuit Deus pluribus hoc privilegium dare, ſed an de facto dederit, neſcimus. Sane ſi poſt B. Virginem illud alicui alteri ex initio recenſitis dedit, S. Joſepho ejus ſponſo idipſum non negaſſe videtur.

De qua natus est Jesus] Mutat phraſim, non enim ait, Joſeph genuit Jeſum, uti de aliis dixit: *Abraham genuit Iſaac: Iſaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam*, &c. nec etiam dicit: *Maria genuit Jeſum*, etſi id verum ſit, ſed, *de qua natus eſt Jeſus:* qua phraſi ſignificat primo Jeſum de Maria natum, non virtute naturali, ſed ſupernaturali, vi & operatione Spiritus ſancti. Secundo, Jeſum non eſſe genitum a patre Joſeph, ſed natum ex ſola matre, ideoque ex virgine, ac proinde Joſeph non aliter pertinere ad genealogiam Chriſti, quam ratione uxoris, ſcilicet B. Mariæ, ex qua natus eſt Chriſtus.

B Præclare S. Bernardus hom. 1. ſuper *Miſſus eſt: Pulchra*, ait, *permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: ſed quanta veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem?* Et rurſum: *Talis*, inquit, *nativitas decebat Deum, ut non niſi ex virgine naſceretur: Talis partus decebat virginem, ut non pareret niſi Deum*: tum quia decebat, ut Chriſtus habens patrem in cælis non haberet patrem in terris, ſed matrem dumtaxat, ut qui in cælis erat ἀμήτωρ, in terris eſſet ἀπάτωρ: tum quia conceptus & ortus Chriſti debebat eſſe remotiſſimus a peccato originali, ut nec deberet, nec poſſet illud contrahere, in eoque ſuperaret matrem: quæ licet concepta ſit ſine peccato ex ſingulari Dei præſervatione, tamen ex vi conceptionis ſuæ, qua ex Adam naturali generatione Joachimi & Annæ prognata eſt, debebat illud contrahere, niſi a Deo Deique gratia præventa fuiſſet: tum quia partus hic debebat eſſe puriſſimus & divinus: tum denique ut virginitatem & caſtitatem nobis impenſe commendaret. Unde S. Gregorius Nazianz. orat. 38. de Nativit. in principio: *Chriſtus*, inquit, *ex virgine* (naſcitur) *mulieres virginitatem colite, ut matres Chriſti eſſe poſſitis*. Et Cyril. Hieroſol. Catechesi 12. *Chriſtus*, ait, *naſcebatur, ut virgines faceret: multo ergo magis debuit virgineum conſervare corpus.*

C Secundo, hæc phraſis, *de qua natus eſt Jeſus*, ſignificat B. Virginem veram eſſe matrem Jeſu, id eſt, hujus hominis, qui hypoſtatice unitus Deo ſimul eſt Deus & homo; quare ipſam vere eſſe matrem Dei: licet enim ipſa non genuerit Deitatem, genuit tamen Deum, quia genuit hunc hominem: atqui hic homo eſt Deus; ergo B. Virgo genuit Deum. Ratio a priori eſt identitas perſonæ; quia enim una eſt perſona, eaque divina in Chriſto, hinc illi competunt attributa utriuſque naturæ, fitque communicatio idiomatum, ut hic homo dicatur Deus ac viciſſim Deus dicatur homo, filius virginis paſſus, crucifixus, &c. perſona enim eſt ſuppoſitum in ſe ſuſcipiens omnes naturæ utriuſque actiones & paſſiones; quare perſona Filii Dei, quæ eſt Deus, vere dicitur nata ex Maria Virgine, ſed ſecundum naturam humanam non divinam. Indicatur ergo hic immenſa dignitas B. Virginis, talis enim eſt maternitas Dei, per quam Filius Dei ab ipſa ſuum eſſe, & ſubſtantiam humanam, ſcilicet carnem, oſſa, ſanguinem, &c. accepit, ita ut eam coleret, amaret, revereretur quaſi matrem, eique ut matri in omnibus obediret, jugiter compellans eam: *Mater mea*. Unde S. Bern. hom. 1. ſuper *Miſſus eſt*, id admirans exclamat: *Utrimque ſtupor, utrimque miraculum: & quod Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo, & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio.*

D Virgo enim Deipara habebat jus & auctoritatem maternam in Chriſtum, uti habent aliæ matres in ſuos filios, quos genuerunt, imo pluſquam aliæ matres, quia ipſa magis fuit mater Chriſti, quam ſint aliæ matres ſuorum filiorum, ob rationem, quam mox afferam. Quocirca S. Thomas 1. par. q. 25. art. 6. docet: Deum non poſſe facere opus majus, quam ſit incarnatio Verbi, & maternitas B. Virginis, quia ipſa eſt mater Dei, quo nil majus concipi poteſt; unde Beda: *O beatiſſima Virgo*, inquit, *in te ſola Rex ille dives & prædives exinanitus eſt*; maternitas enim Dei eſt ſumma affinitas, conſanguinitas, & cunjunctio cum Deo: per illam ergo B. Virgo tam affinis & conſanguinea eſt Deo; quam mater filio. E

Ex hac dignitate maternitatis Dei ſequuntur omnia dona & privilegia B. Virgini a Deo præ omnibus hominibus & Angelis conceſſa. Sicut enim humanitas Chriſti, quia Verbo unita ab eo accepit dotes & privilegia tali unione & conjugio digna, quæ ſcilicet talem humanitatem ſic exaltaram & Verbo unitam decebant, imo quæ eam exaltarent, & unione cum Verbo quaſi dignam efficerent: ſic pariter Deus B. Virgini largitus eſt omnia chariſmata & decora, quæ talem matrem Chriſti & ſponſam Dei decebant. Unde ſic conclude: B. Virgo eſt mater Dei; ergo ipſa longe excellentior eſt omnibus Angelis, etiam Seraphinis & Cherubinis. Mater Dei eſt; ergo puriſſima eſt & ſanctiſſima, adeo ut ſub Deo major puritas intelligi nequeat, ait S. Anſelm. l. de Excellentia Virginis, Mater Dei eſt; ergo quidquid ulli Sanctorum conceſſum eſt privilegii, hoc illa præ omnibus obtinet. Privileg ex ea co ſequentia

Tertio, τὸ *de qua natus eſt Jeſus*, ſignificat eum ex ſola matre natum, ac proinde illam ſolam Chriſto dediſſe omnem carnem & ſubſtantiam, quam ceteris filiis dant pater & mater conjunctim: filii enim partim ſubſtantiæ accipiunt a patre partim a matre, imo plus accipiunt a patre, quam a matre: pater enim potior eſt cauſa generationis filii quam ſit mater. Quare B. Virgo plus dedit Chriſto, quam filiis ſuis dant ceteræ matres, quia ipſa dedit quoque id quod pater dare ſolet. Unde ipſa magis eſt mater Chriſti, quam ſint aliæ matres ſuorum filiorum; quia ipſa ſola fuit quaſi pater & mater Chriſti. Hinc ſequitur primo, quod B. Virgo majus jus habuerit in Chriſtum, quam habent ceteræ matres in ſuos filios. Secundo, quod B. Virgo longe magis amaverit Chriſtum, ac Chriſtus viciſſim B. Virginem, quam aliæ matres ament ſuos filios, ac filii viciſſim ament ſuas matres; tum quia ſola eum genuit; tum quia genuit cum modo non naturali, ſed ſupernaturali & divino. Amor ergo qui in ceteris filiis dividitur in patrem & matrem, in Chriſto fuit unitus, totuſque ferebatur in matrem: mater viciſſim duplicato quaſi amore patris & matris diligebat Chriſtum, ideoque duplicato quaſi ſenſu ſenſit dolores Chriſti in cruce, ac viciſſim gaudia in reſurrectione. F Beata Virgo magis eſt mater Chriſti, quam ſint aliæ matres ſuorum filiorum.

Quarto, τὸ *de qua natus eſt*, ſignificat potiſſimam cauſam, & activitatem nativitatis Chriſti fuiſſe Spiritum ſanctum, qui in beata Virgine ex puriſſimis ejus ſanguinibus corpus Chriſti formavit, organizavit, animavit, ac Verbo hypoſtatice univit in primo conceptionis ejus inſtanti. B. Virgo tamen quoque ut cauſa ſecunda, & vera mater ad generationem Chriſti, non tantum paſſive ſubminiſtrando materiam, ſed & active illam formando, diſponendo, organizando concurrit. Vide Franciſcum Suarez 3. p. q. 32. art. 4. ac q. 33. a. 4. ubi docet generationem Chriſti ex virgine fuiſſe ſupernaturalem quoad modum & velocitatem, quia in inſtanti perfecta eſt a Spiritu ſancto, velut cauſa efficiente. Eamdem vero naturalem fuiſſe quoad materiam, vim originis, & terminum, quia terminus fuit proles, puta Chriſtus natus ex matre, quaſi filius ejus naturalis, inſtar aliorum filiorum, qui ex ſuis matribus naturaliter oriuntur, & naſcuntur. Actio ergo pariendi in ea fuit naturalis, ſed modus fuit ſupernaturalis. G

Natus est Jesus] q. d. Verbum caro factum eſt, Deus factus eſt homo, Filius Dei factus eſt Filius Virginis. Hoc, ut fuſe docet D. Thomas 3. part. quæſt. 1. a. 1. fuit omnium Dei operum ſummum & maximum, ideoque illud ſtupuerunt, & ſtupent Angeli, Sanctique omnes. In eo enim Deus oſtendit ſummam potentiam uniendo hominem Deo, limum Verbo, terram cælo: ac ſummam ſapientiam, ut qui divinitate pati, & nos redimere non poterat, carnem in Virgine indueret, qua pati, & pro peccatis noſtris Deo Patri ſatisfacere poſſet: ſummam quoque juſtitiam, quia ob dignitatem perſonæ, ex æquo quaſi Dei iræ & vindictæ moriendo in cruce ſatisfecit: ſummam etiam bonitatem, quia ſemetipſum exinanivit, ut nos ſuis donis repleret: *Ac factus eſt filius hominis, ut nos efficeret filios Dei*, ut ait S. Aug. *Natus eſt in terra, ut homo naſceretur in cælo*, ut ait S. Gregor. H

Qui vocatur Christus] Hoc eſt, qui eſt Meſſias ſive Chriſtus, redemptor Orbis Patribus promiſſus, ac proinde Meſſias ſive Chriſtus ſuo jure vocari poteſt & debet, itaque nunc ab omnibus fidelibus reipſa vocatur. De nomine Jeſu & Chriſti dixi in titulo libri.

Quomodo hæc genealogia Chriſti conſentiat cum illa S. Lucæ c. 3. v. 23. ibi enucleabo.

Digitized by Google

A OMNES ITAQUE GENERATIONES AB ABRAHAM USVERS. 17 QUE AD DAVID, GENERATIONES QUATUORDECIM: ET A DAVID USQUE AD TRANSMIGRATIONES (*Syrus usque ad exilium*) BABYLONIS, GENERATIONES QUATUORDECIM: ET A TRANSMIGRATIONE BABYLONIS USQUE AD CHRISTUM, GENERATIONES QUATUORDECIM] Ad Abraham ergo usque ad Christum sunt generationes 42. ter enim 14. faciunt 42. Lucas capit. 3. numerat generationes 77. sed nullam vim ponit in numero, uti facit hic S. Matthæus; S. Augustinus tamen lib. 2. de Consensu Evang. cap. 4. per 77. generationes censet denotari plenam omnium peccatorum remissionem & abolitionem, quæ facta est per Christum: unde Christus jussit fratri peccanti dimittendum esse septuagesies septies. Matth. 18. v. 22. Per *generationes* accipe, & numera personas omnes tam generantes quam genitas: hæ enim sunt 14. Græce enim non est γένεσις, id est, generatio; sed γενεά, id est progenies, genus, familia, & liberi, ætas vitæ unius hominis. Nam generationes ipsæ præcise sunt tantum 13. in prima tesseradecade, ut videbis, si numeres τὸν *genuit*: hoc enim in ea 13. vicibus repetitur: quia in ea sola numeratur primus Abraham, & ultimus David: in secunda vero tesseradecade non numeratur primus in ea David, nec in tertia primus in ea Jechonias, quia hi jam nominati & numerati sunt ut ultimi in secunda & tertia tesseradecade, quapropter in tertia tesseradecade addi debet una generatio, scilicet: *Jechonias autem genuit Jechoniam*, ut in ea conflentur 14. generationes: hoc est, 14. personæ tam generantes, quam genitæ, ut superius dixi. Generationes ergo omnes præcise sunt 41. personæ vero generantes, & genitæ sunt 42. quia primi, puta Abrahæ, generatio hic non recensetur, sed ex Genesi nota præsupponitur.

B

Tres tesseradecades notant triplicem Israelis statum.

Quæres, quo *fine* S. Matthæus tam accurate hasce tres tesseradecades generationum enumeret? Respondetur, quia voluit triplicem populi Judaici statum recensere, primum quasi Democraticum sub singulis Patriarchis & judicibus, quales fuere Othoniel, Gedeon, Samson, Heli, Samuel, &c. qui præfuerunt Israeli ab Abraham usque ad Daid: secundum quasi monarchicum sub regibus, qualis fuit sub David, ejusque posteris usque ad captivitatem Babylonicam: tertium quasi Aristocraticum sub ducibus & pontificibus, uti fuere Judas, Jonathas, Simon, ceterique Machabæi, qualis fuit a captivitate Babylonica usque ad Christum. Significat ergo Matthæus triplicem hunc populi statum & regimen tertio immutatum, quarto debuisse per Christum mutari, & in Christo, qui regnum attulit æternum, terminari. Ita passim Patres & interpretes: unde Nanzianzenus in carmine de Genealogia Christi ait:

C

Sic tradit regale genus, sceptrumque superbum.

Dies decimusquartus criticus.

Addit Maldonatus medicam analogiam: Medici enim in febribus & morbis diem decimumquartum vocant criticum, eumque omnium esse periculosissimum asserunt. Videtur ergo congrue ad naturam hominis, decimaquarta quaque generatione, sive hominis ætate & sæculo Deus populi sui statum immutare voluisse, ut una repub. quasi ægrotante & deficiente, alia nasceretur & succederet melior, donec optima per Christum subrogaretur, quæ triplicis præcedentis defectus & infirmitates sanaret & corrigeret: ac regnum Ecclesiæ stabiliret vegetum, sanum & æternum.

D

Ratio arithmetica.

Denique Matthæus enumerat 42. generationes per tres tesseradecades, ut probabilem lectori conjecturam faciat, debuisse Christum post exactum hunc numerum generationum venire. Sicut enim fuerunt generationes ante regnum Judæorum stabilitum 14. in regno, post quas per 14. generationes sensim plane defecit, ita verisimili conjectura potuit colligi post 14. hasce generationes regnum hoc deficiens & labescens a Messia in melius fore restituendum. Sicut enim fuerunt 14. generationes ante regnum, & totidem in regno, ita totidem fuerunt post regnum Israelis usque ad Christum. Rursum ante regnum facta est Christi promissio Abrahæ, Isaac, & Jacob, in regno David & Salomoni: post regnum eadem repetita est per Aggæum, Zachariam, Malachiam, &c. ut sensus sit, q. d. Omnes prophetiæ factæ de Christo tam ante regnum, quam in regno, & post regnum terminatæ & adimpletæ sunt in Christo. Primam tesseradecadem inchoat Abram, finit David: secundam inchoat Salomon, finit Joachim, sive Jechonias: tertiam inchoat Joachim, sive Jechonias, finit Christus, qui est finis legis, totiusque populi & mundi captivi liberator. Ita Franciscus Lucas. Judæi enim ex defectu & lapsu suæ reipub. ac præsertim ex eo quod ablatum esset sceptrum a Juda per Herodem, ex prophetia Jacob, Genes. 49. 10. sciebant, certoque expectabant adventum Messiæ. Unde ex eodem jam collapso, sceptroque translato, Messiam jam venisse, nec alium esse quam Jesum Christum, docet hic S. Matthæus, ut Judæis fidem in Christum persuadeat. E

Symbolice Primo.

Symbolice Orig. hom. 27. in Num. & S. Hier. epistol. ad Fabiolam de 42. mansionibus notant has 42. generationes respondere 42. mansionibus Hebræorum in deserto, quibus ipsi ad terram Chanaan Abrahæ a Deo promissam pervenerunt. Simili enim modo per hasce 42. generationes ad Messiam, sive Christum eidem promissum pervenitur, & per eum ad veram viventium Sanctis in cælo promissam.

Secundo.

Rursum numerus 14. quia geminatum continet septenarium, quo septena Spiritus sancti gratia declaratur, duplicatam in homine designat ejusdem Spiritus largitatem, qualis fuit in Christo, qui proinde eodem symbolo die 14. mensis Nisan, cum luna plena est, puta in Paschate, passus morte sua nos redemit, & gratiarum copiam nobis promeruit. Unde de eo canit Psaltes Psalm. 71. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.* Audi S. Ambros. orat. in obitu Theodosii Imp. *In quartodecimo perfectionem hominis accepimus*, &c. *Unde Domini Pascha 14. lunæ formam celebritatis accepit, Quoniam qui Pascha celebrat, debet esse perfectus, debet amare Dominum Jesum, qui diligens populum suum perfecta charitate sese obtulit passioni. Grande numeri mysterium, quando Pater Filium unicum pro nobis omnibus tradidit, cum pleno luminis sui orbe luna fulgeret. Ita est enim Ecclesia, quæ pie Pascha celebrat Domini nostri Jesu Christi; sicut luna perfecta in æternum manet: quisquis bene hic Domini Pascha celebrat, in lumine perpetuo erit.* F

Anagogice.

Anagogice, numerus 42. conflatur ex sex & septem; sexies enim septem faciunt 42. Senarius autem notat labores hujus vitæ, quibus pervenitur ad septenarium, puta ad Sabbatum quietis & felicitatis æternæ, sex enim primis mundi diebus Deus omnia operatus est in cælo & in terra; die autem septimo, puta Sabbato, requievit ab omni opere suo Genes. 1.

Tropologice.

Tropologice quadragenario hoc generationum numero significatur nostra vita corporis, quatuor elementis constantis. Hec enim in decem mandatorum Dei, quæ quatuor Evangeliis perficiuntur, observatione consistit: dum enim quatuor in decem, efficies quadraginta. Ita Salmeron; imo S. Augustinus, & ex eo Petrus Bongus lib. de Numer. mysteriis, Num. 14. *Tres distinctiones*, ait, *in generatione Christi mystice insinuant fidem S. Trinitatis, quam concorditer astruit doctrina legalis & Evangelica. Tres enim Trinitatis fidem; quatuor, doctrinam Evangelicam; decem, legis significant institutionem.* Idem quoque paulo post: *Quod autem ter quatuordecim ponuntur, id veram significat religionem. Quatuor enim & decem novum & vetus Testamentum indicant, quia via ad Christum per decem verba legis, & quatuor Evangelia prædicatur; ita tamen, ut quidquid ascribitur Trinitati, qua Deus est, consecremus, quia nulla præceptio impletur, nisi hic numerus colendi Deum teneatur.* Hoc quoque numeri typo Ezechiel cap. 4. vidit quartodecimo anno percussionis civitatis, novam civitatem, puta Ecclesiam, quam quartadecima generatione post excisam a Chaldæis Jerusalem, nascens, morienque Christus fundavit, ut notavit Cassiodorus in Psalm. 14. sub finem. Denique 42. anno a passione Christi, in ejus vindictam Jerusalem excisa est a Tito & Vespasiano, uti notat S. Hieronym. in Psalm. 108. ad illa; *In generatione una deleatur nomen ejus:* tunc que cœpit florere Ecclesia Christi. Hæc Bongus. G

H

CHRISTI AUTEM GENERATIO SIC ERAT] q. d. Christi VERS. 18 ortus hoc modo contigit: Pro *generatio* enim Græce non est μίησις, id est, generatio proprie dicta, sed γένησις, id est, ortus, conceptus, generatio, nativitas, qua quis oritur, concipitur, gignitur, nascitur.

CUM ESSET DESPONSATA MATER EJUS MARIA JOSEPH, ANTEQUAM CONVENIRENT (copularentur actu conjugii. Arabicus: *Antequam sese cognoscerent*) INVENTA EST IN UTERO HABENS (uterum ferre, esse prægnans & gravida) DE SPIRITU SANCTO] Syrus: *De Spiritus sanctitatis*, id est, sancto, & sanctitatis omnis auctore & fonte.

Cur B. Virgo desponsata Joseph.

Voluit Deus B. Virginem desponderi Joseph primo, quia Joseph videtur fuisse proximus regni Davidis heres, ut illud ab eo ad Christum quasi a Patre ad Filium recto successio-

Resp. Primo. Secundo.

Digitized by Google

A successionis ordine jureque devolveretur, uti dixi v. 16. Secundo, quia Joseph fuit vir sanctissimus, ut ibidem dixi, similis Patriarchæ Joseph, cujus proinde uti nomen, sic & castitatem virtutemque sortitus est, dictusque *Joseph*, id est, *auctus*, magnisque Dei donis & virtutibus cumulatus. Ita S. Bern. hom. 2. super *Missus est*. Vide dicta Gen. 30. 24. & c. 39. v. 20.

Quæres, an B. Virgo fuerit hic desponsata Josepho per sola dumtaxat sponsalia, an vero etiam per matrimonium reipsa contractum, & nuptias celebratas; ac consequenter, an Christus incarnatus & conceptus sit ex Virgine desponsata tantum, an vero etiam conjugata? nam ad Virginem sic desponsatam missus est Gabriel nuntians incarnationem Christi. Lucæ 1. 27. Virgoque ejus nuntio consentiens, dicensque: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, illico eodem instanti concepit Christum. Multi censent B. Virginem tantum desponsatam fuisse per sponsalia, sive per verba de futuro, quibus tantum fit promissio matrimonii. Ita S. Hilarius hic, S.

B Basilius, hom. de Humana Christi generatione, Origenes hom. 1. in diversos Evang. locos, Cyrillus catechesi 12. Abulensis & Cajetanus. Verum melius alii censent B. Virginem desponsatam fuisse non tantum per sponsalia, sed etiam per matrimonium per verba de præsenti, & nuptias reipsa contractas. Probatur primo, quia vers. sequenti, & vers. 16, Joseph vocatur vir, id est, maritus Mariæ. Jam ergo per matrimonium illam sibi maritarat. Secundo, Joseph voluit eam utpote gravidam dimittere, ut dicitur versu sequenti. Ergo jam eam acceperat in uxorem: nemo enim dimittit id quod non habet. Tertio, quia *desponsatam* Lucas cap. 2. v. 5. interpretatur conjugatam, imo eam vocat uxorem Joseph. Erat ergo ipsa jam ducta, & traducta in domum sponsi Josephi quasi uxor, ut scilicet Joseph esset testis virginitatis ejus, ejusque æque ac pueri Jesu esset custos & nutritius. Adde: B. Virgo illico accepto Gabrielis nuntio, jam plena Verbo visitavit Elisabeth, ac apud eam mansit tribus mensibus: unde ibi non videtur celebrasse matrimonium cum Jose-

C pho: nec post reditum in Nazareth, quia nullum ejus extat vestigium: ergo ante Gabrielis nuntium, & Verbi incarnationem matrimonium hoc celebravit: nec decebat Virginem innuptam iter tantum in montana conficere sine marito, vel comite, vel potius directore associante ei ancillam, vel cognatam fidelem. Quarto, quia si non fuisset conjugata, Judæi videntes, uterum ejus intumescere, illi notam fornicationis, imo adulterii impegissent, illamque lapidassent. Quinto, quia plane decebat Christum ex conjugata in conjugio nasci, ne a Judæis ut spurius contemneretur, sed ut legitimus acceptaretur. Et hac de causa Joseph vocatur pater Christi. Denique proles est proprius matrimonii fructus. Ita S. Hieronymus, Haymo, & S. Chrysostomus hic homil. 4. Theophylactus, S. Ambrosius lib. 2. in Lucam, Jansenius, Suarez, & alii passim.

Objicitur Primo. Objicies primo: Angelus hic ait Josepho: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: ergo nondum eam acceperat in conjugem, sed tantum desponderat per sponsalia.

Resp. D Respondetur, *accipere* hic idem est quod acceptum habere & retinere: ait enim, vocatque eam *conjugem tuam*. Erat ergo ipsa jam conjugata. Hebræa enim verba sæpe actum non inchoatum, sed continuatum significant, ut dixi Canone 12. Sensus ergo est, q. d. Noli o Joseph dimittere Mariam tuam conjugem, sed acceptam serva & retine. Non enim dimittitur, nisi jam acceptum & habitum.

Objicitur Secundo. Resp. Objicies secundo. B. Virgo hic dicitur desponsata ante quã convenirent, ergo ante conjugium. Respondetur, nego cõsequentiã, quia convenire hic non significat contrahere matrimoniũ, nec cohabitare, sed cõtracto matrimonio uti: notat enim congressũ & actũ materialẽ, de quo mox plura.

Objicitur Tertio. Resp. Objicies tertio, cur ergo hic non dicitur conjugata, sed desponsata? Respondetur, dicitur desponsata, quia viro incognita, perinde ac est sponsa, quæ viro necdum nupta, sed tantum est promissa. Ita S. Chrysostomus. Unde B. Petrus Chrisol. serm. 175. *Joseph*, ait, *maritus solus nomine conscientia sponsus*, id est, sponsus per matrimonium ratum, sed non maritus per consummatum, sive per copulam. Et S. Bernard. hom. 2. super *Missus est*: *Virum nominat, quia homo virtutis erat, non quia maritus.*

Verũ fuit matrimonium inter Joseph & B. Virginẽ. Porro verum fuisse matrimonium inter Joseph & B. Virginem, certum est ex dictis, & ex communi Theologorum & Jurisperitorum axiomate: *Matrimonium facit non culpa sed consensus.* Unde S. August. lib. 1. de Nuptiis & concup. cap. 11. *Nuptiarum*, ait, *bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum* (hæc enim sunt tria matrimonii bona, quæ ex S. Augustino illi assignant passim Theologi) *prolem cognoscimus, ipsum Dominum Jesum: fidem quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.* Idem fusius docet lib. 5. contra Judianum Pelagianum (quibus negabat matrimonium Joseph & Mariæ) c. 9. jus enim matrimonii non repugnat religioni & voto castitatis. Ex matrimonio habeo jus in uxorem; sed ex voto non possum licite eo uti. Si utor, pecco contra votum, non contra matrimonium, id est, facio actum irreligiosum, sed non injustum; non enim est adulterium, uti esset, si foret uxor copulata matrimonio. Joseph ergo per matrimonium habebat jus in B. Virginem, ut posset uti copula maritali, sed per castitatis propositum, &, ut videtur, votum hoc jure suo non est usus, nec uti voluit: hæc enim duo valde distincta sunt habere jus ad copulam, & copula uti: prius requiritur ad matrimonium, non posterius.

Ratio a priori.

E

F

Tres effectus matrimonii virginalis.

Jus autem hoc copulæ, & quasi dominium conjugis, in virginibus conjugatis habet aliquos effectus non fictos, sed veros & reales. Primus est, ut conjux virgo non possit alteri nubere. Secundus, ut licet per copulam votum violet, non tamen sit fornicaria. Tertius, ut proles divinitus data & nata (uti Christus hic conceptus ex Spiritu sancto) sit & habeatur legitima, utpote ex legitimo conjugio prognata. Ita Suarez 3. p. q. 29. art. 1. sect. 1.

Matrimoniũ B. Virginis verũ.

Ex dictis collige, non tantum verum, sed & licitum, imo sanctum fuisse conjugium B. Mariæ cum Josepho. *Verum*, quia essentia matrimonii consistit in mutua traditione & potestate corporum; etiamsi hæc potestas nunquam in actum redigitur, votum autem virginitatis nemini hoc jus & potestatem adimit, sed tantum illius usum facit illicitum. Sicut ergo dominium separatur ab usu in nonnullis religiosis; qui manent domini hereditatis paternæ: sed ob votum paupertatis illa uti non possunt: sic idem dominium separatur ab usu in conjugio virginum. *Licitum*, quia licet voviſſet virginitatem B. Virgo, licite tamen & sine periculo violandi voti iniit matrimonium cum Josepho; quia ex instinctu Spiritus sancti sciebat Josephum potestate sua, & jure maritali nunquam usurum ad votum hoc infringendum. Ita S. Aug. de S. Virg. c. 4. & passim Theologi. Et verisimile est B. Virginem hoc suum votum Josepho ante matrimonium revelasse, & Josephum in illud consensisse. Addunt aliqui & promisisse se illud custoditurum. *Sanctum*, quia per matrimonium hoc Joseph tutatus est famam & virginitatem B. Virginis, ac puerum Jesum custodivit, aluit, educavit. Quid eo sanctius?

Licitum.

G

Sanctum.

Vide S. Thomam 3. p. q. 29. art. 1. in corpore, ubi multas affert causas cur ex Virgine desponsata natus sit Christus. Additque: Potest & quinta ratio esse, quod mater Domini fuit desponsata, & virgo, quia in persona ipsius, & virginitas, & matrimonium honoratur contra hæreticos, alteri horum detrahentes. Addit aliam rationem S. Ignatius martyr, quem citat S. Hieronymus hic: *Ut partus ejus*, inquit, *celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum*; Deo scilicet impediente, ne diabolus videret quod naturaliter videre poterat, quid scilicet ageretur inter B. Virginem & Joseph, videlicet quod viverent caste & intacte.

H

Tropologice nota hic in B. Virgine & Joseph summum angelicæ castitatis & virginitatis gradum. Aliæ enim virgines fugiunt viros, & virginitatem in claustris & cœtibus virginum conservant. At B. Virgo in ipso conjugio, assidue versans cum viro virginitatem illibatam servavit, quod tantumdem est, ac inter epulas esurire, inter vestes algere, inter honores se humiliare, imo in igne versari & non ardere. Nam, ut ait S. Bernardus serm. 65. in Cant. *Cum femina semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare?* Quocirca B. Virgo nonnullis eximiis personis sibi devotis, hoc continentiæ in conjugio donum communicavit, ut S. Pulcheriæ, & Martiano Imper. SS. Juliano & Basilissæ, quibus prima nocte post emissum continentiæ votum apparuit hinc Christus stipatus ingenti albatorum choro, inde B. Virgo cincta virginum cœtu. Qui cum Christo erant, succinebant: *Vicisti Juliane, vicisti.* Quæ cum B. Virgine occinebant. *Beata es Basilissa, quæ terrenas nuptias spernens, ad æternam gloriam te præparasti.* Quocirca Julianus innumeros Christo fideles & martyres: Basilissa vero innumeras virgines verbo & exemplo Christo peperit. Ista non sterilis, sed fœcundissima est virginitas conjugum, uti fuit in

Tropolog.

Exeu conjug virgin

Digitized by Google

A Deipara, quæ genuit Jesum hominem & Deum. Vide vitam eorum apud Sutrium die 9. Januarii. Sic S. Eduardus Angliæ rex mire devotus B. Virgini, ejus imitatione cum conjuge Editha illibatum puditiæ florem servavit. Unde ab ea per S. Joannem Evangelistam evocatus, & assumptus est in cælum anno Domini 1066. die 5. Januarii. Idem fecit S. Cæcilia cum sponso Valeriano, quibus proinde B. Virgo per Angelos coronas ex liliis & rosis cælestibus transmisit. Idem S. Henricus I. vel ut alii numerant, secundus imper. cum conjuge sua Cunegunda; quam moriens parentibus reddens: *En*, inquit, *virginem a vobis accepi, virginem restituo.*

In Christo, Maria & Joseph fuit imago S. Trinitatis.

Symbolice: in hoc matrimonio, & familia Josephi cum Maria fuit imago S. Trinitatis. Josephi enim repræsentabat Patrem æternum, B. Virgo Spiritum sanctum, quia ipsa erat sanctissima, & quia ex Spiritu sancto conceperat: Christus seipsum, pura Filium Dei. Unde primo, sicut in S. Trinitate est una essentia deitatis in tribus personis: sic hic unum erat matrimonium, & una familia perfecta e tribus personis, scilicet Joseph, Maria, &

B Christo. Secundo, sicut in S. Trinitate Pater spiritualiter generat Filium, & spirat Spiritum sanctum; ita hic B. Virgo spiritualiter, non carnaliter, pura per virtutem Spiritus sancti, concepit peperitque Christum. Tertio, in S. Trinitate Pater generat Filium, sicut lux emittit lumen: unde in symbolo canimus: *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Ita B. Virgo quasi stella maris peperit Christum, qui est *candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sap. 7. 25. Unde sicut sine sui corruptione sidus fulgidum evibrat radium; sic absque sui læsione Virgo genuit Christum, qui est lux mundi: *Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Filius Virgini suam integritatem*, ait S. Bernardus hom. 2. super *Missus est.* Unde illud S. Simeonis de Christo: *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*, Luc. 2. 32.

Familia Nariæ & Josephi erat cælum terrenum.

Fuit ergo hæc familia quasi cælum quoddam terrenum, trium non tam hominum, quam corporeorum Angelorum, imo trium quasi personarum divinarum symbolice. Quare non dubium illam plenam fuisse Angelis ministrantibus Virgini, quasi Reginæ cælorum; ac Christo, quasi Domino, Deoque suo: nimirum stupebant illi, & summe desiderabant videre Verbum incarnatum. Igitur domus illa quasi cælum erat admirandum celans mysterium, *Nigra* foris, *sed formosa* intus, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, Cant. 1. 5. ait Rupert. Unde Joannes Gerson serm. de Nativit. quasi attonitus exclamat: O quam dilecta Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui sancto domus illius Trinitas, Christus, Maria, Joseph! nil charius, nil melius, nil in terris erat excellentius. Invidebat terris tales habitatores cælum, utique cælo digniores, quam terris.

C

Tropologice: Conjuges imitentur B. Virginem & Josephum in castitate, sanctitate, patientia, & charitate, ut alter alterius onera portet. Erat enim in familia Josephi, Mariæ & Christi summa omnium concordia, summus amor, summa reverentia, humilitas, pietas, auxilium, & obsequium mutuum; ab ea procul aberat non tantum rixa, sed & omnis mali vel leviissima suspicio. Hinc meruerunt gignere Christum Sanctum Sanctorum; nunc sæpe in familiis sunt proles pravæ, inobedientes, superbæ, rixosæ, obscœnæ, quia tales sunt parentes. Patrem

D enim sequitur sua proles, quæ, quod videt & audit a patre & matre, hoc imitatur & imbibit: proles enim sunt similæ parentum.

ANTEQUAM CONVENIRENT] Puta ante congressum & actum maritalem, non quasi postea convenirent, ut inferebat impurus Helvidius, qui negabat B. Virginem semper fuisse virginem, asserebatque eam postea ex Joseph concepisse, ac genuisse eos, qui in Evangelio vocantur fratres Domini, quem multis confutat S. Hieronymus, sed tantum ut indiceretur miraculosa Christi ex Virgine sine opera viri conceptio. Sic vulgo dicimus: Talis habuit canos, antequam senesceret, significantes mirum esse, quod viro nati sint cani, etiamsi is postea non senuerit, sed ante senium mortuus sit: significamus enim dumtaxat, quid factum sit ante senium, non quid in senio, vel post senium: illud enim velut impertinens tacemus & præterimus. Simile est, cum dicimus: Hic puer sapit ante virilem ætatem, hoc est, præcocis est ingenii, etiam si ante virilem ætatem moriatur, uti sæpe præcoces moriuntur. Porro fratres Domini vocantur cognati Christi. Nam, ut ait S. Hieronymus contra Helvid.

Tratres quadruplices,

fratres dicuntur quatuor modis, natura, gente, cognatione, affectu. Natura fratres sunt, qui ex iisdem parentibus nati sunt: gente qui ex eadem gente sunt oriundi. Sic Paulus Judæos vocat fratres suos Rom. 9. 1. & sequenti: cognatione, quia cognati vocantur fratres in Scriptura: affectu, ut cum Christiani amant se mutuo amore fraterno; hic est enim amor fraternitatis, quem toties commendat S. Paulus. E

INVENTA EST IN UTERO, HABENS (gravida esse, ut vertit Arabic.) DE SPIRITU SANCTO] Nota Josephum ex tumore uteri deprehendisse B. Virginem conjugem suam concepisse, sed an sciverit eam concepisse de Spiritu sancto, dubium est. Affirmant S. Basilius, Origenes, Theophylactus, & alii superius citati. Contrarium verius est, quia Joseph volens eam dimittere, v. sequenti vetatur ab Angelo, qui ei scrupulum eximens subjicit: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ergo ante revelationem Angeli id nesciebat; si enim id sciviisset, noluisset eam dimittere.

Dicitur ergo B. Virgo *inventa in utero habens de Spiritu sancto*, eo quod revera concepisset de Spiritu sancto. Unde τὸ *de Spiritu sancto* referendum est ad τὸ *in utero habens*, non autem ad τὸ *inventa*. Ita passim ceteri Patres & interpretes. Addit Origenes eam inventam ab Angelis: hi enim sciebant eam concepisse de Spiritu sancto. F

DE SPIRITU SANCTO] Non quasi de Spiritus sancti substantia decisus sit Christus, uti fit in aliis prolibus, quæ deciduntur a parentibus: nec de Spiritu sancto, ut patre; quia Christus, qua homo, non erat similis Spiritui sancto qui est Deus in natura; sed de Spiritu sancto, ut figulo & artifice. Ita S. Ambrosius in Lucæ 1. 35. *De Spiritu sancto* ergo, non quasi de Patre, sed quasi de patris concursum supplente; quod enim facit pater in matre, hoc Spiritus sanctus fecit in Virgine formando Jesum per suam potestatem & operationem, ait S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto, c. 5. & S. Aug. in Enchiridio c. 39. Nam materiam corporis, quam aliis filiis subministrat tam pater quam mater, hanc sola B. Virgo subministravit Filio suo. Vide Franciscum Suarez 3. p. q. 29. art. 1. alioqui proprie *de* significat causam efficientem, *ex* materialem. Unde Christus dicitur in symbolo *conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

Quæres cur non æque dicit Matthæus, *in utero habens de Patre æterno*, aut *de Filio*, sicut dicit, *in utero habens de Spiritu sancto*? Respondetur id æque vere eum dicere potuisse. Axioma enim Theologorum est: Opera S. Trinitatis ad extra (in creaturis) omnibus tribus personis divinis esse communia: sed maluit dicere *de Spiritu sancto*, quia sicut potentia appropriatur Patri, & sapientia Filio, utpote Verbo: sic amor, bonitas, gratia, quæ in hoc incarnationis opere maxime elucet, attribuitur Spiritui sancto. Nam Spiritus sanctus a Patre, & Filio procedit per spirationem, quasi terminus amoris notionalis Patris, & Filii. G

De Spiritu sancto tria notas.

Porro S. Thomas 3. par. q. 32. art. 1. & seq. ac ibidem Suarez docent τὸ *de Spiritu sancto* tria significare. Primo, ex puro amore Dei & Spiritus sancti, sine meritis hominum peractam esse Verbi incarnationem. Secundo ex eadem gratia Dei & Spiritus sancti conceptum esse, sine præviis ejus meritis. Unde S. Aug. lib. de Prædest. Sanct. c. 15. Christum quasi ideam prædestinationis & H prædestinatorum proponens: *Ea gratia*, inquit, *fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum.* Tertio, Christum ex vi conceptionis suæ fuisse sanctum: sicut enim homo, qui per generationem communem propagatur ex Adam peccatore, ex vi conceptionis suæ nascitur peccator: sic Christus, qui conceptus & quasi propagatus est de Spiritu sancto, ex vi conceptionis suæ conceptus est sanctus: quod enim operatur Spiritus sanctus, hoc aliud esse nequit, quam sanctum: sicut ignis non aliud producit, quam calorem & ignem. Quarto, τὸ *de Spiritu sancto* significat Spiritum sanctum in efformatione humanitatis Christi, omnem suam sanctitatem in eam transfudisse (quantum creatura capax est, potestque suo creatori assimilari) eamque quasi in se transformasse, ita ut post se fecerit eam quasi exemplar & prototypum sanctitatis, ut ex illo, & ad illud omnem deinde sanctitatem omnium tam Angelorum, quam hominum quasi expingeret & exprimeret. Humanitas Christi

ergo

Digitized by Google

A ergo fuit opus eximium, proprium & sanctissimum Spiritus sancti, in quo ipse omnis sanctitatis fontem constituit, qui sua puritate omnes scelerum sordes abluetet, omnesque peccatores (quantum in se est) sanctificaret.

Porro S. Thomas quæst. 32. jam citata, artic. 2. docet præpositionem *de*, cum dicitur, *de Spiritu sancto*, significare Christum esse consubstantialem Spiritui sancto quoad divinitatem, non quoad humanitatem, quam in Christo operatus est. Verum negat S. August. in Enchiridio, c. 39. nam, inquit, de homine nascitur capillus, pediculus & lumbricus, quorum nihil est filius, quia diversæ sunt ab homine substantiæ: ergo præpositio *de* non significat rem factam esse consubstantialem suo factori.

B. Virgo effective concurrit ad generationem Christi.

Articulo vero 4. docet D. Thomas ex Aristotele, & ex utroque Suarez, B. Virginem solum materialiter concurrisse ad generationem Christi subministrando corpori ejus materiam, puta sanguinem, non effective, quia sic decidisset semen, quod videtur repugnare purissimæ ejus virginitati. Verum contrarium censet S. Bonaventura & Scotus ex Galeno, qui docet matrem non tantum materialiter, sed & effective (licet debiliori actione, quam pater) concurrere ad generationem prolis: quare valde probabile est B. Virginem effective quoque concurrisse ad generationem Christi, quia sic magis fuit mater Christi, quam si solum materiam subministrasset. Nec id obstat illibatæ ejus virginitati, quia sine omni concupiscentia inoperante Spiritu sancto purissimus ejus sanguis (qui vicem habuit seminis) decisus est ad formandum corpus Christi.

VERS. 19 JOSEPH AUTEM VIR EJUS CUM ESSET JUSTUS, ET NOLLET EAM TRADUCERE, VOLUIT OCCULTE DIMITTERE EAM] Primo, S. Chrysostomus hic, S. Augustinus epistola 52. ad Macedonium, S. Justinus contra Triphon. Franc. Lucas hic censent Josephum male suspicatum de B. Virgine, quod ex alio viro concepisset; id enim innuere videtur τὸ *traducere:* sed procul absit hæc suspicio a viro tam probo de virgine tam sancta. Quomodo enim Joseph de tali suspicari potuisset eam adulterium commisisse, vel fornicatam esse in domo parentum?

Cur Joseph voluit dimittere B. Virginem. Resp. Primo.

Secundo alii censent Josephum ex reverentia voluisse dimittere B. Virginem, quod se indignum censeret illa, quam Deus fœcundasset. Unde censent pariter, quod S. Joseph B. Virginem comitatus sit dum visitaret Elisabeth, ab eaque audierit B. Virginem salutari matrem Dei, ideoque ea se putasse indignum. Ita Origenes & S. Basilius locis jam citatis, Theophylactus hic, S. Bernardus hom. 2. super *Missus est*, Idipsum sibi revelatum asserit S. Birgitta lib. 7. Revelat. c. 25. unde noster Salmeron lib. 3. c. 30. tredecim rationibus hoc ipsum confirmat.

Secundo,

Tertio, plane & genuine, Joseph videns B. Virginem gravidam, rei novitate fuit attonitus, & suspensus varios animi motus æstusque sentiebat, ex quibus sic ratiocinabatur: Scio hanc Virginem esse sanctissimam, unde illam fidem mihi datam fefellisse non credo. Est tamen gravida, scio, quod non ex me; ex quo, nescio. An forte a sponso aliquo priore? an in itinere visitatura Elisabetham ab aliquo vim passa? an dormiens a spiritu quodam illusa? an potius, quod ejus sanctitas suadet, ab Angelo vel Deo ipso impregnata? si ita est, nolim ego detinere illam, quam Angelus vel Deus sibi ambit: indignus ea sum, quæ digna est Deo; vel Angelo: quare illam ei resignabo, & a me dimittam. Id permisit Deus, ut conceptus Virginis ex Spiritu sancto, tum a Josepho, tum ab Angelo omnibus testatus fieret; sicut permisit S. Thomam dubitare de resurrectione Christi, ut ipse tangens Christi vulnera fieret testis irrefragabilis resurrectionis ejusdem. Joseph ergo vir justus docet conjuges & fideles, ne ob indicia de personis probis & sanctis male suspicentur, sed in indiciis sistant, nec ulterius pergant ad inferendam consequentiam criminis, sed potius illa in meliorem partem interpretentur.

Dices, cur Joseph non interrogavit B. Virginem, quid sibi vellet uteri tumor, & ex quo esset gravida? Respondetur: fuit hic primus quasi motus mentis Josephi, quem ex verecundia tacuit, mox præventus fuit ab Angelo, qui pro Virgine respondit, eamque excusavit, dicens eam concepisse ex Spiritu sancto.

B. Virgo autem ex modestia, noluit ultro secretum hoc divinum Josepho pandere, ne sua dona tanta & tam divina jactare videretur, sed Deo, Deique providentiæ & curæ, cujus totum hoc opus erat, idipsum resignavit, certissime confidens Deum suam innocentiam & famam turaturum, ac rem totam opportune vel patefacturum, uti paulo ante Elisabet cognatæ patefactum esse experta erat, vel directurum omnia ad majorem suam gloriam, & consequenter ad majorem conceptionis hujus honorem & venerationem. Unde vide hic, & mirare magnanimitatem & magnanimam B. Virginis in Deum resignationem & confidentiam, qua omne hoc suspicionis sinistræ & infamiæ periculum metumque discussit: qua in re rarum dedit exemplum æquanimitatis & constantiæ uxoribus, quæ maritos habent zelotypos, æque ac fiduciæ in Deum, ut sperent, quod Deus innocentiam & castitatem eorum pandet, proteget, & celebrabit, uti hic fecit B. Virgini. Ita S. Hieronymus, *Hoc*, ait, *testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.* Et S. Ambrosius in c. 1. Lucæ: *Maluit*, ait, *Dominus quosdam de sua generatione, quam de matris pudore dubitare.*

Hinc videtur S. Joseph non fuisse comitatum B. Virginem, dum ipsa mox a conceptione Christi visitavit S. Elisabeth: si enim fuisset comitatus, vidisset & audisset magnalia & mirabilia de B. Virgine, quæ omnem ei scrupulum eximissent, nec de ejus dimissione cogitasset: ac præsertim illud, quod dixit S. Elisabeth B. Virgini: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. 1. 43. Inde enim sciviſſet B. Virginem non tantum concepisse ex Deo, sed concepisse ipsummet Deum, eumque utero suo gestare. Nota, Joseph hic vocatur *justus*, id est, probus, utpote qui ex charitate vellet conjugis suæ famæ, imo & dignitati consulere, dum eam occulte dimittere cogitat, qua se putat indignum. Censent S. Hieronymus & Theophylactus lege veteri præceptum fuisse maritis, ut uxores, si adulterium commisissent, traducerent, & apud judices accusarent, traderentque puniendas. Verum nullum locum, in quo id præceptum sit, afferunt. Nam locus ille Num. 5. 2. id tantum permittit, non vero præcipit, sed, ut dixi, hoc crimen procul aberat a B. Virgine, & ejus suspitio procul a Josepho.

TRADUCERE] non in domum suam, ut vult Abul. Græce enim est παραδειγματίσαι id est, infamare, propalare, publicum exemplum facere, &, ut S. August. epist. 50. ad Paulinum verbotenus vertit, *exemplare*. Solebant enim adulteras in Creta, sicut captivos Romæ, per mediam urbem populo spectandos, & deridendos traducere, inde traducere significat divulgare, diffamare. Unde illa lex olim, & pœna in lenas, *Lenæ & polygami mitrellati per publica civitatis loca efferuntur, ut catamidientur & derideantur.* Et Propert.

Nec sic infamis totam traduceret urbem.

Vide Budæum in Pandectas pag. 263. in verbo καταμωδέω, id est, derideo, traduco.

VOLUIT OCCULTE DIMITTERE EAM] per secretum divortium dando ei occulte libellum repudii, ait Abulensis hic q. 39. aut potius & honestius secedendo ab ea prætextu peregrinationis, quasi abiturus in longinquam regionem. Ita Maldonatus. Unde Syrus vertit: *Et cogitabat clam illam derelinquere:* Arabic. *Cum non vellet eam divulgare, cogitavit de dimissione ejus occulta.*

VERS. 20 HÆC AUTEM EO COGITANTE (Non plane decernente: fuit enim hæc prima cogitatio & quasi primus animi motus) ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT EI IN SOMNIS, DICENS: JOSEPH FILI DAVID NOLI TIMERE ACCIPERE (id est, acceptam retinere, eique deinceps indivulse convivere, jam enim duxerat in uxorem, ut dixi v. 18.) MARIAM CONJUGEM TUAM, QUOD ENIM IN EA NATUM EST, DE SPIRITU SANCTO EST] *Natum*, simul scilicet & eodem tempore conceptum, formatum, & animatum: hoc enim proprie dicitur γεννᾶσθαι, id est, generatum, & natum. Vide Abulensem qu. 53. & S. Thomam 3. p. q. 33. & 34. ubi docet Christi corpus a Spiritu sancto primo conceptionis suæ instanti quoad omnia membra fuisse, Primo, perfecte formatum & organizatum. Secundo, animatum anima rationali. Tertio, assumptum a Verbo. Quarto, animam Christi fuisse impletam omni sapientia & gratia capitis, quam scilicet influeret in omnia membra, id est, in omnes fideles. Quinto, eamdem vidisse Deum per visionem beatificam. Sexto, eamdem usam rationis etiam extra visionem beatificam, per scientiam infusam, ac per eam cognovisse se unitam Verbo hypostatice, ideoque pro hac unione & exaltatione summas Deo egisse gratias: Deum vero ei revelasse suam voluntatem de ejus morte & cruce, ut per illam

Natum in Christo ex vi generationis.

Digitized by Google

A illam homines redimeret & ſalvaret: ipſam vero mox ſi acceptaſſe; ſeſeque Deo in holocauſtum & victimam pro peccato ad mundi ſalutem ultro ſumma humilitate, obedientia, reverentia, amore, exultatione & jubilo mentis obtuliſſe, dicendo: *Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* Pſalm. 39. 8. & Hebr. 10. 7. Vide ibi dicta.

DE SPIRITU SANCTO] Qui modo ineffabili & divino hæc omnia, quæ dixi, in B. Virgine operatus eſt. Præclare S. Aug. epiſtol. 54. ad Macedonium, *Apparuit*, inquit, *illi Angelus, qui doceret eſſe numinis, quod illeputaverat criminis.* Putat enim Auguſtinus Joſephum voluiſſe dimittere B. Virginem ob ſuſpicionem adulterii, uti ſuperius dixi.

VERS. 21 PARIET AUTEM FILIUM, ET VOCABIS NOMEN EJUS JESUM: IPSE ENIM SALVUM FACIET POPULUM SUUM A PECCATIS EORUM] Si Jeſus, qui, ut ſequitur, eſt *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, eſt partus & filius B. Mariæ, ut hic dicitur; ergo ipſa ejuſdem eſt mater, ideo-

B que non tantum Chriſtipara, ſed & Deipara, uti definivit Concilium Epheſinum contra Neſtorium: Mater enim & filius ſunt correlativa. Rurſum damnatur hic Valentinus, qui docebat Chriſtum e cælo corpus cæleſte detuliſſe, ac per B. Virginem tantum quaſi per canalem tranſiſſe: quia, quæ parit filium, hæc vere mater eſt filii, eique corpus & membra omnia ſubminiſtrat, imo efformat.

JESUM] id eſt, Salvatorem. Hoc nomen fuit proprium Chriſto, hic ab Angelo prænuntiatum, ſed in circumciſione illi inditum, quod ejus officium, dignitatem, imo totam vitam quaſi per compendium ſignificat & repræſentat. Vide quæ de hoc nomine dixi Num. 13. 17. & S. Bernard. ſerm. 15. in Cant.

VERS. 22 HOC AUTEM TOTUM FACTUM EST, UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST A DOMINO PER PROPHETAM DICENTEM: ECCE VIRGO IN UTERO HABEBIT, ET PARIET FILIUM, ET VOCABUNT NOMEN EJUS EMMANUEL, QUOD EST INTERPRETATUM, NOBISCUM DEUS] Syrus: *Et vocabunt nomen ejus Amanuil, quod exponitur, nobiſcum*

C *Deus noſter*. Perſicus: *Immanuil, Id eſt quod in nobis habitet Deus*. Ægyptiacus: *Et imponent nomen ei Emmanuel, cujus interpretatio eſt, quod Deus apud nos*. S. Matthæus lectori, vel ut alii Angelus Joſepho refricat oraculum Iſaiæ, c. 7. 14. ut ſignificet illud jam impletum eſſe in hoc B. Virginis ſponſæ ſuæ conceptu, & plene implendum in ejus partu: ideoque Joſephum nuncupavit filium David, quia idipſum Davidi a Deo promiſſum fuerat. Porro oraculum hoc expoſui Iſaiæ 7. Vide ibi dicta, ne idem hic repetere cogar.

ECCE] Vox eſt excitans attentionem, conſiderationem & admirationem. q. d. Ecce, o Angeli, o homines univerſi, videte & admiramini rem novam, admirandam, & omnibus ſæculis inauditam, quod Virgo concipiet & pariet Emmanuelem, hoc eſt, Deum hominem factum. Unde Jeremias idem obſtupeſcens exclamat cap. 31. 22. *Creavit Dominus novum ſuper terram: Femina circumdabit virum*. Primus Perſarum rex Cyrus, teſte Xenophonte, nil admirabatur, ſuoſque docebat: *nil in terris admirari*. Hoc enim eſſe magni animi & regii, omnia quaſi ſub ſe poſita deſpicere, ut

D Sapiens nil miratur, niſi Verbū incarnatū. parva & minora ſe. Et Seneca ajebat ſapientem nihil mirari, quia terris altior cuncta ſub ſe deſpicit. At in divinis omnia ſunt admiranda, quia magna, imo maxima, præſertim hoc Emmanuelis myſterium, quod eſt magnum divinæ pietatis ſacramentum, ut ait Apoſtolus 1. Tim. 3. 10. Igitur ſtupenda & admiranda eſt pietas magna Dei, qui per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit nos oriens ex alto. Ecce ergo Verbum infans, puer ſapiens, Deus homo, ait S. Bernardus. Docent Theologi, virique contemplativi, hoc myſterium variis modis nos poſſe conſiderare & meditari, ut per modum compaſſionis, gaudii, gratiarum actionis, amoris, imitationis, ſed ſublimiſſime per modum ſtuporis, ut quaſi ſtupentes & attoniti jugiter ſtemus ad tantam Dei noſtri dignationem, quæ ad nos terræ vermiculos deſcendere, & vermis nobiſcum fieri dignatus eſt, idque non propter ſe, ſed propter nos, ut homines velut vermes ſibi uniret, faceretque deos. Ita ſtupebat illud B. Virgo, S. Paulus, S. Bernardus, S. Franciſcus, aliique maximi Sancti; qui plane pleneque mundum, & omnia, quæ in mundo ſunt, uti exilia, brevia & caduca contempſerunt, totumque amorem, cogitationem, & ſtuporem defixerunt in Verbo incarnato, jugiterque E cum Jeſu verſati ſunt, cetera omnia deſpicientes.

EMMANUEL] Syrus interpretatur; *Amman, Elohan*, id eſt, *nobiſcum Deus noſter*, ſed *ו noſter* non eſt in Hebræo *Emmanuel*. Ex Syro liquet potuiſſe S. Matthæum, ſi Syriace ſcripſit (ut multi putant, eo quod Judæi, quibus ipſe ſcribebat, tempore Chriſti Syriace loquerentur) Hebræum *Emmanuel* interpretari Syriace *Amman, Eloha*, id eſt, *nobiſcum Deus*; imo Munſterus, & alii, qui Evangelium S. Matthæi ex Latino vertunt in Hebræum, unicam vocem Hebræam *Emmanuel* interpretantur per duas; unde ſic habent; *Emmanuel, quod interpretatur, immanu Elohim*, id eſt, nobiſcum Deus. *Emmanuel quid?*

Alii putant hanc interpretationem factam ab interprete Græco, & deinde Latino. Galli *Emmanuel* per aphæreſin decurtarunt in *Noel*, quod in Chriſti natalitiis decantant & ingeminant. Jam nomen *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, ſignificat Verbi incarnationem, & omnem ejus in carne œconomiam. Ita S. Chryſoſt. quia per eam proprie & phyſice nobiſcum fuit Deus per carnem & converſationem; ethice vero per reconciliationem & gratiam. *Quid Noel Gallorum?* F

Dices, quomodo nomen *Jeſus*, idem eſt, quod *Emmanuel*, ut innuit hic S. Matthæus? Reſpondet Tertullianus lib. contra Judæos idem eſſe non ſono, ſed ſenſu. Eſſe enim nobiſcum Deum (quod ſignificat *Emmanuel*) idem eſt, quod eſſe *Jeſum* id eſt ſalvatorem: nec enim alius a Deo poterat nobis eſſe ſalvator. Nota Hebraiſmum, quo vocari ſumitur pro eſſe, q. d. Jeſus *vocabitur*, id eſt, erit Emmanuel, quia in ipſo, & per ipſum nobiſcum erit Deus, ut ipſe jure vocari poſſit Emmanuel. Eſt metonymia, cui plane ſimilis eſt Jeremiæ 23. 6. Zachariæ 8. v. 3. & Iſaiæ 9. 6. *Et vocabitur nomen ejus*, inquit, *admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis*. Hæc enim omnia ſignificantur vel explicite, vel implicite nomine Jeſu, id eſt Salvatoris. Vide ibi dicta.

Nota, Chriſtus ab Iſaia & Matthæo non vocatur *Emmanu Jehova*, vel *Emmanu Adonai* aut *Elohim*, ſed *Emmanuel*, cum tamen hæc omnia ſint nomina Dei; quia *Jehova* notat Dei eſſentiam, ſignificatque Deum, quatenus eſt primum, ſummum & immenſum ens, a quo omnia entia ſuum eſſe participant. *Adonai* notat Dei dominium, ſignificatque Deum, quatenus ipſe ſupremus eſt omnium Dominus. *Elohim* notat Dei providentiam, ſignificatque Deum, qua gubernator eſt, judex & vindex omnium. *El* vero notat Dei robur & omnipotentiam, ſignificatque Deum, qua fortis eſt & omnipotens; quia Deus in incarnatione & Chriſto ſummum robur & potentiam oſtendit, dum per Chriſtum debellavit hoſtes potentiſſimos, ſcilicet dæmones, infernum, mortem, & peccatum, imo & peccata & vitia omnia, quantumvis enormia & plurima. Hinc & Angelus nuntians hoc myſterium dictus eſt *Gabriel*, id eſt, *fortitudo Dei*. G

Hinc & tropologice nota: *Nobiſcum* eſt *Deus*, non tantum per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, uti eſt in omnibus & ſingulis creaturis, ſed etiam per incarnationem vere, proprie & realiter nobiſcum eſt quaſi frater, vivens, loquens, converſans nobiſcum in natura humana a ſe aſſumpta; inde ſecundo nobiſcum eſt, ſeu caput cum ſuis membris. Chriſtus enim quaſi caput fidelium in eos ſenſum & motum ſpiritualem, æque ac directionem & regimen influit. Tertio, idem jam incarnatus in Euchariſtia nobiſcum eſt, quaſi cibus ſua carne nos H paſcens, & ſuo ſanguine potans. Hæc phyſice. Quarto, ethice Chriſtus eſt cum Eccleſia, quaſi ſponſus cum ſponſa ei aſſiſtens, protegens, ſuſtentans, orans, fœcundans. Unde Pſalt es: *Si ambulavero*, ait, *in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Pſal. 22. 4. Fidelis ergo in quavis difficultate, labore, tribulatione invocet Emmanuelem, id eſt, Deum nobiſcum in carne verſantem, lætuſque dicat: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ, ibi me collocavit*, &c. *deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ*. Ibidem verſ. 1. Et Pſal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* &c. *ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo*. Et cum Paulo: *Si Deus pro nobis* (imo cum nobis) *quis contra nos?* Roman. 8. Jam ergo cuivis fideli, præſertim Sancto aut martiri, dicere licet id quod Angelus dixit Gedeoni, Judic. 6. 22. *Dominus tecum virorum fortiſſime*. Nobiſcum Deus in Chriſto quadruplici citer. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

EXURGENS (Græce ἐγερθεὶς, id eſt expergefactus, excitatus) AUTEM JOSEPH A SOMNO, FECIT SICUT VERS. 24

PRÆ-

Digitized by Google

A PRÆCEPIT EI ANGELUS DOMINI, ET ACCEPIT, id est, jam acceptam non dimisit, sed retinuit, CONJUGEM SUAM] hoc enim præceperat ei Angelus.

VERS. 25 ET NON COGNOSCEBAT EAM DONEC PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM; ET VOCAVIT NOMEN EJUS JESUM] Primo S. Hilarius citatus hic a S. Thoma in Catena, Dionys. Carthusian. & Gagnejus sic exponunt, q. d. Sicut Judæi non potuerunt inspicere & cognoscere faciem Mosis ob radios lucis, quos quasi cornua illi Deus afflaverat, dum cum eo colloqueretur in Sina. Exodi 34. v. 29. & seq. Sic nec Joseph poterat intueri & cognoscere B. Virginem, utpote quæ Deum habebat in utero, ideoque facie erat radiantissima; nato autem Christo fulgor hic & gloria faciei defiit, tumque a Joseph videri & agnosci potuit. Ita ipsi.

Secundo, e contrario S. Epiphan. hæresi 30. quæ est Ebjonæorum sic exponit, q. d. Joseph mente non cognovit, nec penetravit sanctitatem & dignitatem B. Virginis suæ sponsæ, donec ipsa peperit Christum. Verum hæc vel aliena sunt, vel symbolica & mystica.

B Tertio ergo ad litteram genuine cognoscere conjugem in Scriptura significat copulam maritalem, sive actum conjugalem: hunc enim excludit a Christo, ut significet eum non ex Joseph, sed ex Spiritu sancto conceptum.

DONEC] Hinc inferebant hæretici, ergo postquam peperit filium, Joseph illam cognovit. Unde negabant B. Virginem semper mansisse virginem, eamque asserebant virginitatem perdidisse post partum. Ita Helvidius, Jovinianus, Ebionæi, ceterique Antidicomariani, quos confutat S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Augustinus, & alii, qui docent τὸ *donec* dumtaxat significare quid ante partum factum sit, non quid post partum, hoc enim ad hunc locum erat impertinens. Hac enim voce *donec* tantum voluit Matthæus asserere rem miram, inauditam & naturaliter incredibilem, scilicet conceptionem Christi sine patre ex sola matre virgine. Simili modo sumitur τὸ *donec*, vel *usque*, Psal. 109. 2. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; non quod tunc ulterius non sedebis, sed quod tunc longe glorioſior, quasi victor & triumphator sedebis ad dexteram meam. Et Matth. 5. 26. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*, C hoc est, numquam exhibis de carcere gehennæ. Et 2. Reg. 23. *Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*, id est, numquam. Et Genes. 8. 8. de corvo a Noe emisso ex arca dicitur: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ*, id est, numquam est reversus. Sic dicimus: S. Agnes mansit virgo, donec mortua est, id est, semper mansit virgo; nec enim post mortem virginitatem perdere potuit.

Quid donec?

Instabis: S. Matthæus ait: *donec peperit Filium suum primogenitum*: ergo alii deinde fuere ab ea geniti ex Joseph, scilicet qui in Evangelio vocantur fratres Domini. Resp. nego consequentiam, Primogenitus enim in Scriptura dicitur omnis is, ante quem nemo est natus, etiamsi sit unigenitus, ut patet Exodi 4. 22. & cap. 13. 2. τὸ enim *primo* negat tantum anteriores fuisse filios, nec requirit aut præsupponit posteriores extitisse: sic etiamnum primogenitus vocatur is, qui est unigenitus.

D Igitur B. Virginem semper mansisse virginem dogma est fidei, ut patet Lucæ 1. 34. Ezech. 44. 2. & ex consensu Patrum omnium ac communi Ecclesiæ sensu, jugique traditione. Vide S. Hieronymum contra Helvidium initio tom. 2.

CAPUT II.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur primo Magorum per stellam vocatio & adoratio Christi. Secundo v. 13. fuga Christi in Ægyptum. Tertio v. 16. infanticidium Herodis. Quarto v. 20. Christi ex Ægypto reditus & secessus Nazareth.

VERS. 1. CUm ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam,

2. dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.

3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, E & omnis Jerosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: Sic enim scriptum est per Propheram.

6. Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.

8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.

9. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usquedum veniens, staret supra ubi erat F puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum; & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

13. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum,

14. Qui consurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & recessit in Ægyptum:

15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per G Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum,

16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis.

17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem:

18. Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto,

20. Dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel: Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. H

21. Qui consurgens, accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Israel.

22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

23. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

VERS. 1. CUM ERGO NATUS ESSET JESUS IN BETHLEHEM JUDA, IN DIEBUS HERODIS REGIS] *Juda*, ita legendum cum Romanis & Græcis, non *Judæ*, multo minus *Judææ*. Juda vocabatur tribus Juda, cui post schisma decem tribuum creantium sibi regem Jeroboam, adhæsit tribus Benjamin, atque hoc duarum tribuum fuit regnum Juda, in quo regnavit Roboam, ceterique ejus posteri usque ad captivitatem Babylonicam. Addit hoc S. Matthæus ad distinctionem alterius Bethlehem, quæ erat in Galilæa in tribu Zabulon, de qua Josue 19. 15. Ita S. Hie-

Herodes Ascalonita avus.

Digitized by Google

A S. Hieronymus. Porro Herodes hic fuit primus, Antipatri filius, cognomento Aſcalonita & Magnus, gente Idumæus, quem Senatus Romanus commendatione Antonii primum ſubactæ Judææ regem creavit, teſte Joſepho lib. 14. Antiq. c. 18. vel juxta aliam diſtinctionem 26. Matthæus Herodem nominat, ut innuat translatum jam eſſe ſceptrum a Juda in alienigenum, qualis erat Herodes, ac proinde veniſſe jam Meſſiam, ſive Chriſtum: hoc enim ſignum adventus ejus fore prædixerat, & propheterat Jacob Patriarcha, Geneſ. 49. 10. Ita S. Chryſoſt. & Theophyl. Id audiens & advertens Herodes, ut regnum ſibi ſtabiliret, hoc oraculum in ſe declinavit, voluitque ipſe haberi Meſſias: atque ideo magnificentiſſimum templum Judæis ædificavit, illudque anniverſario regni ſui die natali dedicavit, teſte Joſepho lib. 15. Antiq. c. 14. & lib. 20. c. 8.

Herodes Antipas filius. Porro hujus Herodis Aſcalonitæ filius fuit Herodes Antipas, qui Joannem Baptiſtam decollavit, & Chriſtum in paſſione veſte alba induit, & illuſit; nepos vero ejus

Herodes Agrippa nepos, b ex Ariſtobulo filio fuit Herodes Agrippa, qui Jacobum Apoſtolum fratrem Joannis occidens, ab Angelo percuſſus interiit, Act. 12. cujus Agrippæ filius fuit Herodes Agrippa junior, coram quo Paulus vinctus cauſam ſuam peroravit. Actor. 25. 23. & ſeq.

Herodes Agrippa junior. Denique noſter Salianus, Scaliger, & alii cenſent Chriſtum natum anno regni Herodis 36. penultimo, regnavit enim 37. annis, de quo plura verſ. 16. licet Baronius putet Chriſtum natum anno regni Herodis 20. Abulenſis 30. Beda 31. Euſebius 32. Severus Sulpitius 33. Torniellus 34. alii alio, ut nil certi in rem tam nova & incerta ſtatui poſſit.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT HIEROSOLYMAM, DICENTES: UBI EST QUI NATUS EST REX JUDÆORUM?] *Magi*, eſt nomen uſitatum apud Perſas

Magi qui? (unde Evangelium Perſicum hoc loco habet *Maguſam*, hoc eſt, Magi, *ſapientes*, *Aſtrologi*) ſignificans ſapientes & Philoſophos. Videtur autem origine eſſe Hebræum, ut cenſet Genebrardus in Pſalm. 1. a radice הגה *haga*, id eſt, meditari, inde מהגים *magim*, q. d. meditantes, ſpeculantes, *Meditatio enim eſt clavis ſapientiæ*, ut

C ait Ptolomæus in procemio Almageſti: hinc meditabundi vel ſunt vel fiunt ſapientes. Hebræos ſecuti Chaldæi ſuos Philoſophos vocabant Magos, teſte S. Hieronymo in cap. 2. Danielis & Eugubino lib. 1. de Perenni philoſophia cap. 3. Inde Arabes, Syri, Perſæ, Æthiopes, & alii Orientales (quorum linguæ, vel proles ſunt, vel cognatæ & affines linguæ Hebraeæ) ſuos ſapientes & Aſtrologos vocant Magos, teſte Plinio lib. 25. cap. 2. & Tertulliano lib. contra Judæos. Magia ergo hæc naturalis, aſtrologica, licita & bona fuit, ſed ex Aſtrologorum abuſu tam nomen quam res in vitium abiit, æque ac aſtrologia judiciaria (imo Aſtrologos judiciarios fuiſſe hos Magos, opinatus eſt Origenes) hinc Magos jam vocamus ſagos & incantatores. Quocirca perperam Munſterus in Evangelio Hebræo (quod ipſe quaſi autographum S. Matthæi nobis obtrudit) pro *magi* vertit מכשפים *mecaſſephim*, id eſt, *præſtigiatores*, *incantatores*. Nam Syrus, Arabicus, Perſicus, Ægyptius, æque ac Græcus, & Latinus retinent vocem *Magi*: ſolus Æthiopicus pro *Magi* habet *adoratores*, quia Magi hi venerunt ad adorandum Chriſtum.

D Nove quoque & perperam Theod. Beza Calviniſta putat Magos hos oriundos, dictoſque a Magia regione Mediæ, de qua Herodotus lib. 1. & 3.

Plura de Magorum nomine, vociſque uſu vide apud Caronium & Janſenium hic.

VENERUNT HIEROSOLYMAM] Tum quia Magi regem Judæorum in urbe regia quærendum cenſebant. Ita S. Leo, tum quia Hieroſolymis erant Pontifices, Scribæ, & legis doctores, qui ex oraculis Propheterum ſcire poterant, ubi & quando naſceretur Chriſtus, uti de facto hic reſponderunt eum naſcituram in Bethlehem. Prudenter enim Magi, licet ſtellam haberent, voluerunt etiam illos adire quaſi animatos Dei interpretes, ideoque ſtella inanima ibi ſe ſubduxit, ut cogeret Magos adire Scribas; vult enim Deus homines per homines, & doctores a ſe ſtatutos viam ſalutis edoceri.

AB ORIENTE] Græce ἀπὸ ἀνατολῶν, id eſt, *ab Orientibus*, quaſi ex diverſis Orientis regionibus vel provinciis venerint hi Magi. Nota, Saba, Madian, & Epha,

Filii Orientis qui? filii Abrahæ ex Cetura, datis muneribus ſeparati ſunt a Patre Abraham, ab Iſaac filio Saræ herede ſuo, hinc ab eo diſceſſerunt ad plagam orientalem, fueruntque incolæ Arabiæ felicis. Gen. 25. 6. unde in Scriptura vocantur *filii Orientis*. Quocirca Epiphan. in fine Panarii ait, Magos hos fuiſſe ſucceſſores Abrahæ patris credentium ex Cetura, habitantes in partibus Arabiæ Magodiæ regionis.

Magos fuiſſe Perſas cenſent multi. Quæres, e qua regione venere Magi? Primo, Clemens Alex. S. Chryſoſt. Cyril. Alex. & S. Leo, quos citat Baronius, cenſent veniſſe ex Perſia, hæc enim orientalis eſt reſpectu Judææ. Verum obſtat diſtantia nimia. Perſia enim trecentis leucis diſtat a Judæa, quod iter tredecim diebus ægre conficere potuiſſent Magi. Verum eſt dromedariis, qui quotidie 40. leucas decurrunt, potuiſſe abſolute hoc iter tot diebus a curſoribus peragi: verum reges deliciis rhediſque ſuis aſſueti non ſunt curſores nec ſolent, imo non poſſunt ita continuo decurrere. Communior enim patrum & doctorum ſententia eſt, Magos die 13. ab ortu ſtellæ, & a nativitate Chriſti veniſſe in Bethlehem, Chriſtumque adoraſſe, idque inquit τὸ ecce, & quia ipſi Chriſtum cum parentibus in Bethlehem apud peregrinos adhuc hærentem invenerunt, qui paulo poſt cum iiſdem in Nazareth civitatem ſuam rediit: ita cenſent S. Auguſt. ſerm. 1. 2. & 3. de Epiphan. & S. Leo ſer. de Eadem, ac cereri: unde & Eccleſia hoc myſterium recolit & celebrat die 13. a natali Chriſti. F

Alii putant fuiſſe Chaldæos. Secundo, alii veriſimilius putant Magos fuiſſe Chaldæos: tum quia Chaldæi erant aſtrologiæ dediti, ſicut Magi hi ex intuitu ſtellæ agnoverunt Chriſtum: tum quia ipſi poſteri erant Abrahæ, qui a Deo e Chaldæa revocatus eſt in Judæam. Ita opinantur S. Hieronymus, Chalcidius Platonicus ſcribens in Timæum Platonis, Janſen. & Gloſſa, ſive Strabus, hic enim auctor fuit Gloſſæ.

Alii Meſopotamios. Tertio, Abulenſis in Numer. c. 24. & noſter Sebaſt. Barradius hic cenſent Magos fuiſſe Meſopotamios, quia inde oriundus fuit Balaam, qui hanc Magorum ſtellam prædixit. Numer. 24. 27.

Alii Indos. Quarto, Navarrus tract. de Oratione cap. 21. aſſerit ſe accepiſſe ab Hieron. Oſorio Epiſcopo Algarbiorum, & celebri ſcriptore, in vetuſtiſſimis Calecutii annalibus haberi, regem Calecutii fuiſſe unum e Magis, aut certe primarium ſocium trium Magorum. Credibile eſt id poſtea factum, cum Magi ibidem cum S. Thoma Apoſtolo prædicarunt. Vide Oſorium lib. 1. de Geſtis Emmanuelis regis Luſitan. ubi aſſerit ex Indorum traditione regem Cranganoris, qui non longe diſtat a Calecutio, fuiſſe unum e Magis: hunc enim duobus Magis, e Perſide & Carmania, ſtella duce, ad Chriſtum properantibus, tertium ſe ſocium adjunxiſſe, ideoque *Chereperimale*, id eſt, unum e tribus nominatum. Addit eumdem fuiſſe colore ſubnigro, & quaſi Æthiopem. Similia habet noſter Maffejus lib. 2. Hiſt. Indicæ: ubi eumdem vocat *Pirimal*, aſſeritque Culani regem fuiſſe, ac Sibyllæ Indicæ monitu, duce ſtella ad Chriſtum veniſſe. G

Verius eſt fuiſſe Arabes. Probat. Primo. Quinto, & veriſimillime, Magi hi fuere Arabes orientales. Unde Cornelius Tacitus l. 5. Hiſtor. ait, Judæam ab Oriente habere Arabiam. Probatur id Primo, quia ita cenſent S. Juſtinus, Tertull. Cyprian. Epiphan. & alii quos citant, & ſequuntur Baronius, Franc. Lucas, & Suarez. Secundo, quia id proprie reſpondet vaticinio Iſaiæ, Secundo. qui cap. 60. 6. prædicit Sabæos, Madiam & Epha (hi omnes enim ſunt Arabes) venturos ad Chriſtum cum muneribus. Et ſic videtur vaticinium hoc Iſaiæ intelligere Eccleſia, cum idipſum aſſidue recitat in officio Eccleſiaſtico Epiphaniæ. Id quoque plane reſpondet illi oraculo Pſaltis, Pſal. 71. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent*. Tertio, quia Ara- Tertio. bia vicinior eſt Judææ, quam Chaldæa, Perſia, India, &c. Quarto, quia Magorum horum typus fuit regina Saba, quæ ex Arabia cum ſimilibus muneribus venit ad Salomonem, Chriſti antitypum. 3. Reg. 10. Et licet regina hæc dicatur veniſſe ex Æthiopia, tamen Æthiopia hæc non erat Abyſſia, ſed pars Arabiæ: nam venerat ex Æthiopia orientali, non occidentali, ut ait S. Anſel. lib. de Imagine mundi c. 19. Arabia ergo complectitur & regiones huic mari adjacentes, ac præſertim vicinam Æthiopiam orientalem. Sic Madianitæ vocantur Æthiopes, quia nigri, vel fuſci. Unde uxor Moſis Madianitis vocatur Æthiopiſſa. Num. 12. Inde enim mare rubrum dicitur ſinus Arabicus, non Æthiopicus, quia tam cis quam ultra mare hoc porrigit ſeſe Arabia. Hinc rurſum veriſimile eſt unum vel alterum Magorum fuiſſe nigrum, ſive Æthiopem, tum quia vulgo omnes ita ſentiunt, itaque adoratio-

Digitized by Google

A nionem Magorum pingunt pictores: tum quia ex Æthiopia dicitur veniſſe regina Saba, tum denique quia Pſalm. 71. dicitur: *Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Et mox: *Coram illo procident Æthiopes.* Magi vocantur: *Reges Tharſis*, id eſt, maris rubri.

Quinto. Quinto, id patet ex donis, quæ Magi Chriſto obtulerunt. Nam Arabia abundat auro, thure, myrrha: hinc cognominatur *Felix*, utpote aurifera, thurifera, aromatifera, *Thura præter Arabiam nullis*, ait Plinius lib. 12. 24. Et Virgil.

Solis eſt thurea virga Sabæis.

Et 2. Georg.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

In hac Arabia quoque myrrhæ & aromatum tanta eſt urbertas, ut non alia ligna ſint in uſu, quam odorata, ne ad ignem quidem parandum, ait Plinius lib. c. 17. Ibidem tantum eſt auri, ut gentis ſupellex auro argentoque ſplendeat, imo in Saba Æthiopiæ vincula reorum fiunt ex auro. Unde Mela lib. 3. c. 10. *Ære*, inquit, *exornantur, auro ſontium vincula fabricant.*

B Sexto. Sexto, quia vaticinium Balaam de hac Magorum ſtella editum fuit in Moab, quæ erat in Arabia, ut docet S. Hieronymus in locis Hebr. Vide noſtrum Pinedam lib. 5. de Rebus Salomonis c. 14. ubi docet reginam Saba veniſſe ad Salomonem, & tres Magos ad Chriſtum ex Saba, quæ eſt in Arabia Felice, ubi habitant Homeritæ (apud quos proinde ſub Elysbaam rege mire floruit Chriſtiana religio, quaſi avita a patribus & regibus, puta Magis his accepta) non autem ex Saba, quæ eſt in Æthiopia.

Magi fuere reges. Communis fidelium vox & ſenſus eſt, Magos hos fuiſſe reges, id eſt regulos, ſive principes, idque (licet id videat Calvinus) diſerte tradunt S. Cyprianus, S. Baſilius, S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, S. Hilarius, Tertullianus, Iſidorus, Beda, Idacius, quos citat & ſequitur hic Maldonatus, Baronius, & Barradius. S. Matthæus tamen eos non vocat reges, ſed Magos, quia ex ſtella Chriſtum agnoſcens Magorum fuit, non regum. Hinc & Pſalm. 71. *Reges Tharſis, reges Arabum & Saba.* Rurſum eos numero tres fuiſſe, ſecundum tria munerum genera, puta aurum, thus, & myrrham, quæ Chriſto obtulerunt, docent S. Auguſt. ſerm. 29. & 33. de Tempore. S. Leo ſerm. 1. 2. 5. 6. de Epiphania, idque habet pia fidelium traditio, & innuit Eccleſia in officio Eccleſ. Epiphaniæ.

C Tres. Ad hæc auctor operis imperfecti in ſanctum Matthæum apud S. Chryſoſtomum aſſerit poſt Chriſti reſurrectionem ſanctum Thomam Apoſtolum adiiſſe provinciam horum Magorum, eoſque baptizaſſe, & feciſſe ſibi ſocios prædicationis.

Eorum nomina. Inſuper Ven. Beda (penes quem ſit fides) in collectaneis non longe a principio, ita eos nominat & depingit. *Primus dicitur fuiſſe Melchior, ſenex & canus, prolixa barba & capillis: hic aurum obtulit Regi Domino. Secundus Gaſpar, juvenis imberbis, rubicundus, thure, quaſi Deo oblatione digna, Deum honoravit. Tertius fuſcus, integre barbatus, per myrrham Filium hominis morieturum profeſſus eſt.* Alii opinantur Magos ſingulos terna munera, puta aurum, thus, & myrrham Chriſto obtuliſſe, ut eum profiterentur ſimul eſſe Regem, Deum, & moriturum pro ſalute hominum, idque veriſimilius eſt, uti inferius oſtendam; fieri tamen potuit, ut primus plus auri, ſecundus plus thuris, tertius plus myrrhæ obtulerit, & hoc videtur voluiſſe Beda.

D Fuere prædicatores & martyres. Denique Magos hoſce Chriſtum prædicantes, ab idolatris occiſos, & martyrii lauream adeptos, ac ſeipſos quaſi aurum, thus, & myrrham Chriſto in holocauſtum obtuliſſe tradunt nonnulli, inter quos L. Dexter in Chronica anno Chriſti 70. *In Arabia Felice*, inquit, *civitate Seſſanie Adrumentorum, martyrium SS. Regum trium Magorum, Gaſparis, Balthaſaris, & Melchiaris, qui Chriſtum adorarunt.* Inde ſacra eorum corpora translata ſunt Conſtantinopolim, inde Mediolanum, Mediolano (cum illud a Frederico Barbaroſa everteretur) Coloniam, ubi hodie magno hominum concurſu & religione coluntur, ibique eadem ego ipſe ſæpe veneratus ſum.

Vers. 2. QUI NATUS EST REX JUDÆORUM] Nota hic, & mirare fidem & magnanimitatem Magorum, quia in urbe regia alium regem quærunt, nec timent iras & vires Herodis, Deo confiſi. τὸ *natus* dupliciter capi poteſt. Primo materialiter. q. d. Qui natus eſt, ut ſit, vel fiat Rex Judæorum. Secundo formaliter. q. d. Qui natus eſt Rex, qui natura, aut nativitate, ſive naturalis eſt Rex Judæorum; ut Chriſtus opponatur Herodi, qui fuit intruſus rex a Romanis. Utrumque verum eſt; tum quia Chriſto ob unionem hypoſtaticam debebatur regnum omne, non ſolius Judææ, ſed totius mundi; tum quia Chriſtus deſcendens quaſi primogenitus ex Davide & Salomone, jure primogenituræ heres, & ſucceſſor erat regni eorumdem, ut dixi c. 1. 16. Ita Franciſcus Lucas, Janſenius, Maldonatus, & alii. *Rex Judæorum*, Antonomaſtice puta Meſſias, ſive Chriſtus: Unde iis auditis Herodes congregans Scribas, *ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur*, Chriſti enim index erat ſtella, de qua Magi ſubdunt: *Vidimus enim ſtellam ejus.* q.d. Natus eſt Rex Judæorum, imo cælorum, quia cum nobis indicavit ſtella cælorum, noſque evocavit, imo omnes invitavit, ut eum viſitent, honorent, & adorent. In nova enim ſtella hac in cælo producta, cælum quaſi ſtuporem ſuum tanti Regis, puta Verbi incarnati, oſtendit. Nato ergo Chriſto ſtupet cælum, ſtupent Angeli, & attoniti ad hanc Dei ſui philanthropiam, canunt jubilantes: *Gloria in excelſis Deo*, ut homines ſtupidos ad tantæ dignationis ſtuporem & venerationem excitent. Sicut eadem de cauſa in paſſione Chriſti obſcuratus eſt ſol & luna, terra contremuit, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, ut ſignificarent Deum ſuum mori, ſeſeque ob indigniſſimam ejus necem funditus concuti, & indignari. Hoc eſt, quod prædixit Aggæus c. 2. 7. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cælum & terram*, &c. Et *veniet deſideratus cunctis gentibus.* Hoc & ſtupens Habacuc c. 3. 2. *Conſideravi*, ait, *opera tua, & expavi: in medio duorum animalium cognoſceris* (in præſepio a Magis & paſtoribus) uti vertunt Septuag. Quocirca Franciſcus Mayronius ſer. de Nativit. docet majus magiſque ſtupendum Dei opus eſſe incarnationem Verbi, quam ſit mundi creatio: *quia magis diſtat homo a Deo, quam homo a nihilo*: homo enim eſt finitus, ſed Deus eſt infinitus. In incarnatione autem Deus unitur homini; in creatione vero homo unitur nihilo, id eſt, corpori creato ex nihilo.

E Chriſtus natus eſt ex dupliciter.

Denique ex ſtella hac nomen ſibi impoſuit impoſtor ille, qui paulo poſt Chriſtum ſub Adriano Imperatore Meſſiam ſe exſimulans, Judæos excitavit ad rebellandum Romanis, ac rebellium dux factus, vocavit ſe *Barchocabas*, id eſt, filius ſtellæ, dicens *ſe ob ſalutem eorum ſidus magnum cælo dilapſum, egris mortalibus longa obſcuritate damnatis ferre lucis auxilium*, ait Euſebius l. 4. Hiſt. cap. 6. ſed cito hæc ſtella occidit; nam ipſe cum ſuis mox a Romanis interemptus eſt, uti ſubjicit Euſebius.

F Rex Judæorum, id eſt Meſſias.

G *Barchocabas*, id eſt filius ſtellæ. infignis impoſtor.

Appoſite ſtella duxit tres Magos reges ad Chriſtum Regem regum, quia ſtella habet ſpeciem coronæ regiæ, ejuſque fulgentis & radiantis, atque ideo ſtella ſymbolum eſt regis & regni. Unde Deus Gen. 15. 5. promittit Abrahæ, dicens *Numera ſtellas cæli, ſi potes, ſic erit ſemen tuum*; ubi inter alia per ſtellas deſignavit reges Iſrael & Juda ex Abraham naſcituros, ac præſertim Regem Chriſtum. Hinc Gen. 17. 6. idem Abrahæ, id explicans, diſerte ait: *Regeſque ex te egredientur.* Quocirca S. Fulgentius ſerm. 5. de Epiphan. *Quis eſt*, inquit, *iſte Rex Judæorum? pauper & dives, humilis & ſublimis, portatur ut parvulus, adoratur ut Deus: parvulus in præſepio, immenſus in cælo: vilis in pannis, pretioſus in ſtellis.*

Stella inſigne regis.

H Hinc acceptus eſt verus militaris ordo regum & principum Franciæ, qui inſigne ſtellæ in veſte præ ſe ferebant, cujus hoc erat emblema:

Monſtrant regibus aſtra viam.

Qui ordo poſtea a Ludovico XI. Franciæ rege in ordinem ſancti Michaelis commutatus eſt, uti referunt Gaguinus l. 10. & Genebrardus in Chronol. ad ann. Domini 1496. Hic ordo ſtellifer primitus inſtitutus fuit a Roberto rege Franciæ, ſub anno Chriſti 1022. in honorem B. Virginis, cui rex mire erat devotus, ipſo ejus Nativitatis feſto die 8. Septembris, eo quod ipſa ſit ſtella maris, obſecrans, ut ipſa ſui regni, ac præſertim nobilitatis eſſet ductrix, quaſi præjens ſtella. Quare triginta equites e prima nobilitate in hunc ordinem allegit, ſinguliſque torquem aureum cum ſtella ad pectus dependente, in collum injecit. Vide Annales Pariſienſes Jacobi Brouſſii.

VIDIMUS ENIM STELLAM EJUS] ſcilicet Regis Judæorum, puta Meſſiæ, ſive Chriſti recens nati. Hinc videtur, quod ſtella hæc radios ſuos clariores & longiores extenderit verſus Judæam, uti cometæ ſuas expandunt caudas in hanc vel illam regionem, ut ſcilicet Magi ſcirent quo ire deberent nempe verſus Judæam; ibi enim natum eſſe Meſſiam Regem Judæorum; quia hoc innuit τὸ *enim*.

Sapién-

Digitized by Google

A Sapienter S. Gregor. hom. 10. *Omnia elementa*, ait, *auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt: Deum hunc cœli eſſe cognoverunt, quia protinus ſtellam miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile prebuit. Terra cognovit, quia eo morienſe contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia inſenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum eſſe minime cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt.*

Quæres, quomodo Magi, viſa ſtella, ex eo cognoverunt natum eſſe Chriſtum?

Primo, Priſcillianiſtæ, teſte S. Greg. hom. 10. dicebant ſtellam hanc eſſe fatum Chriſti, ut ſicut fatum ſignificat, imo determinat res futuras, ſic ſtella hæc ſignificarit & determinarit Chriſtum: ſed hos recte refutat S. Gregor. hom. 10. in Evang. dicens: *Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit, ſi dici liceat, non ſtella, fatum pueri: ſed fatum ſtella is, qui apparuit, puer*
B *fuit.* Et S. Auguſt. lib. 5. de Civit. cap. 1. & ſeqq. confutat eos, qui dicunt ſtellas cuique ſua fata diſtribuere.

An in aſtris ſignata ſit Dei providentia.

Huc accedunt Aſtrologi, ut Albumaſar, & ex eo Albertus Magnus (ſi tamen ipſe eſt auctor) in ſpeculo, ac Petrus de Aliaco Cardin. & Archiepiſcopus Cameracenſis quæſt. 30. in Geneſ. & lib. de Legibus & ſectis, qui cenſent Deum in aſtris providentiam ſuam, in ea, quæ per illam facturus eſt, certis notis ſignaſſe, & quaſi ſcripſiſſe, ut in iis Aſtrologi legere potuerint Chriſti ortum, mores, totamque vitam. Unde Petrus de Aliaco ait ſub tempus nativitatis Chriſti fuiſſe concurſum Jovis cum Saturno in Cancro: in ipſa vero Chriſti nativitate Horoſcopus, inquit, erat pars Virginis octava, quæ religionis mutationes (& partum Virginis) ſignificat; in culmine vero cæ-

Horoſcopus Chriſti.

li erat Saturnus; in imo autem ſol. Horoſcopum hunc Chriſti in figura ſpectandum exhibet Sixtus Senenſis l. 6. Biblioth. c. 10. Hoc de aſcenſu Virginis, & benigno ſiderum in Chriſtum naſcentem aſpectu, fidei non repugnat, ait Salmeron. Sic enim cometæ dicuntur portendere
C mortem regum, & mutationem regnorum, ac nominatim cum cometæ apparent in ſigno Libræ, portendunt rebellionem populi, uti contigit in celebri illo, qui apparuit anno Domini 1618. ac præſagus fuit rebellionum & bellorum, quæ hæretici in Germania contra Imperatorem & Catholicos geſſerunt, & etiamnum gerunt.

Reſellitur. Primo.

Verum nulla ſtella potuit oſtendere & ſignificare Magis ortum Chriſti ex Virgine, ejuſque mores, miracula & facta ſingula, præſertim ſupernaturalia, ut transfigurationem, reſurrectionem, aſcenſionem in cælum, &c. Primo, quia nulla res naturalis, qualis eſt ſtella, ſignificat rem ſupernaturalem, qualis eſt partus Virginis, reſurrectio, &c.

Secundo.

Secundo, Aſtrologorum præſagia & prædictiones fiunt experientia, v. g. dicunt Aſtrologi: Tali anno in concurſu Martis cum Jove in Libra experti ſumus ſucceſſiſſe tot rebelliones & prælia; ergo hoc anno in ſimili eorum concurſu idem accidet. Hic autem nulla præceſſit experientia: numquam enim virgo pepererat; imo omnes putabant hoc eſſe ἀδύνατον, & plane impoſſibi-
D le; ergo nullo modo ex ſtellis id præſagire potuere Aſtrologi. Adde, ſtella hæc nullas habebat literas: literis enim ſcribendum erat: *Virgo pariet filium*. Et: *Chriſtus naſcetur, crucifigetur, reſurget, aſcendet in cælum*, &c. nullis enim notis, ſed ſolis literis ſignificari poterat tota ſeries vitæ Chriſti.

Tertio.

Tertio, conjectant Aſtrologi ex horoſcopo, ſive ex concurſu ſtellarum, qui fit dum naſcitur puer, v. g. ex aſcenſu ſtellæ Jovis, infantem, qui tunc naſcitur, fore jovialem & hilarem: ex aſcenſu Martis, fore pugnacem: ex aſcenſu lunæ, fore varium & mutabilem: ex aſcenſu Saturni, fore ſuſpicacem & melancholicum: quia hæ ſtellæ ad has complexiones, & ad hos effectus naturalem habent ordinem, inclinationem & influxum: ſed nulla ſtella eſt, quæ habeat ordinem vel influxum ad patranda miracula, verbi gratia, ad partum Virginis, ad Dei incarnationem: hæc enim omnem vim ſtellarum ſuperant, ac a ſola Dei omnipotentia ſupernaturali peragi queunt.

Quarto.

Quarto, Chriſtus eſt dominus ſtellarum, uti & rerum omnium: ergo eis ſubdi non debet, ſed potius eas ſibi ſubdere.

Quinto.

Denique, *Aſtra inclinent, non neceſſitant*. Quare *Sapiens dominabitur aſtris*. Vide S. Auguſt. l. 2. contra Fauſtum c. 5. ubi confutat Manichæos dicentes Chriſtum E
colligatum eſſe ſtellis, & eſſe ſub fato ſtellarum: unde concludit: *Itaque ſtella illa, quam viderunt Magi, Chriſto ſecundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur, nec eum ſubjiciebat imperio, ſed indicabat obſequio*. Et inferius: *Non ideo Chriſtus natus eſt, quia illa extitit, ſed ideo illa nova exorta eſt, quia Chriſtus natus eſt. Unde, ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſti, ſed Chriſtum ſtellæ fatum fuiſſe diceremus. Ipſe quippe illi, non illa huic naſcendi attulit cauſam. Si ergo ſunt fata, quæ a fando, id eſt, dicendo appellata ſunt, quoniam Chriſtus Verbum Dei eſt, in quo antequam eſſent, dicta ſunt omnia, non conſortium ſiderum fatum Chriſti eſt, ſed fatum etiam ſiderum Chriſtus eſt, qui & ipſam carnem ſub cælo creatam ea voluntate aſſumpſit, qua etiam cælum creavit; ea poteſtate diſpoſuit & recepit, qua etiam ſideribus imperavit.*

Secunda ſententia eſt Auctoris imperfecti: Stella hæc, F
inquit, inſignita fuit imagine pueri geſtantis crucem, quia fidei lumen oſtendit Chriſti incarnationem & crucem. Verum hoc gratis dicitur: nulla enim hiſtoria id narrat aut teſtatur, niſi libri Sethianorum hæreticorum, de quibus mox.

Dico ergo Magos cognoviſſe Chriſtum natum ex ſtellæ indicio; primo, quia id prophetarat Balaam, Num. 24. 17. *Orietur*, inquit, *ſtella ex Jacob*. Magi autem fuere poſteri vel ſucceſſores Balaam. Senſus eſt ergo. q. d. Ubinam eſt qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam *ejus*, quem ſcilicet ex vaticinio Balaam & Sibyllæ, indicio ſtellæ deſignandum omnes hactenus expectavimus, & jam, ea viſa, natum credimus. *Sibyllæ* enim Erythreæ hoc extat oraculum l. 8. Orac. Sibyllic.

Ex oraculo Balaam Magi, in ſtella cognoverunt Chriſtum.

Et ex Sibylla.

Divinamque Magi ſtellam coluere recentem,
Monſtratuſque Dei precepta ſequentibus infans
Eſt in preſepi.

Ita ex Balaam & Sibylla Magos cognoviſſe ſtellam hanc eſſe indicem Chriſti, cenſent S. Baſilius, S. Hieronymus, Origenes, S. Leo, Euſebius, Proſper, S. Cyprianus, Procopius, & alii, quos citavi Num. 27. 17. Hinc & Svetonius in Veſpaſiano, ac Cicero lib 2. de Di-
G vinatione, & Oroſius lib. 6. c. 6. ſcribit communem tum fuiſſe famam, ex Judæa proditurum regem, qui omnibus dominaretur; quod Gentiles falſo tribuerunt Veſpaſiano, idem tradit Chalcidius, qui licet Gentilis & Platonicus Philoſophus, commentans in Timæum Platonis ita ſcribit: *Eſt alia* (ab Evangelio ſcilicet Matthæi) *ſanctior & venerabilior hiſtoria, que perhibet de ortu ſtelle cujuſdam, non morbos morteſque denuntiantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humane converſionis, rerumque mortalium gratiam; quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum geſtarum ſatis exercitati, queſiſſe dicuntur recentem Dei ortum, reperiſſeque illa majeſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe.* Addit Auctor imperfecti hom. 2. ſucceſſores Balaam poſt hoc ejus oraculum de ſtella, per ſingulas generationes aliquos deputaſſe, qui continuo cælum contemplarentur, ut obſervarent ſtellæ hujus ortum in monte qui Victorialis dicebatur; ac tandem cum Magi hi ibidem ejus ortum expe-
H ctarent: *Apparuit*, inquit, *deſcendens ſuper montem illum Victorialem, habens in ſe formam quaſi pueri parvuli, & ſuper ſe ſimilitudinem crucis: & locuta eſt eis, & docuit eos, & precepit eis, ut proficiſcerentur in Judæam. Proficiſcentibus autem eis per biennium precedebat ſtella, & neque eſca, neque potus defecit in peris eorum. Cetera autem quæ geſta referuntur ab eis, in Evangelio compendioſe poſita ſunt.* Verum hæc incertæ ſunt fidei, & ex Apocryphis Sethianorum libris, ut Auctor fatetur, accepta.

Melius ex inſtinctu & revelatione Dei.

Secundo, & potius id cognoverunt ex inſtinctu & revelatione divina: Magi enim ſecretiori cæleſtis numinis afflatu inflincti, hanc quaſi cæli linguam, ait S. Auguſtinus ſerm. 2. de Epiphan. loquentem (natum eſſe in Judæa Chriſtum) audiverunt, eamque uſque ad Bethlehem & ad cunas Chriſti proſecuti ſunt. Nam, ut ait S. Leo ſerm. 4. de Epiph. *Dedit* (Deus) *aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum* (ſtellæ) *& quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inveniendum obtulit requiſitus.* Tanta enim claritas & majeſtas fuit ſtellæ, ut divinam eſſe, ac divinum quid portendere Magi intelligerent, ſcilicet Deum incarnatum eſſe, uti eis ſuggerebat Spiritus ſanctus.

Denique vultus Chriſti pueri divinus cæleſtis lucis radium evibrabat, qui oculos & magis mentes Magorum

fecie-

A ferlebat & illuſtrabat, ut agnoſcerent infantem hunc non eſſe merum hominem, ſed verum Deum; nam, ut ait S. Hieron. in cap. 9. Matth. *Fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.*

An ſtella fuerit Spiritus ſanctus?

Quæres ſecundo, qualis & quanta fuerit hæc ſtella? an communis uti ceteræ, an propria & ab aliis diverſa? Primo, Auctor de Mirabil. S. Script. lib. 3. c. 40. qui extat tom. 3. S. Auguſt. cenſet ſtellam hanc fuiſſe Spiritum ſanctum, qui ſicut per columbam deſcendit in Chriſtum, ſic per ſtellam direxit Magos. Secundo,

An Angelus?

Origenes, Theophyl. S. Chryſoſt. & Maldonatus putant ſtellam hanc fuiſſe Angelum, quia ſcilicet Angelus erat

An cometa?

motor, & quaſi auriga ſtellæ. Tertio, alii putant fuiſſe verum novumque ſidus, ſimile illi, quod apparuit in Caſſiopœja anno Domini 1572. Quarto, alii opinantur

Stella hæc ſuperabat ceteras.

fuiſſe cometam. Verum Reſp. Nova & inuſitata fuit hæc ſtella, plane differens a cereris, eaſque ſuperas novem privilegiis, & quaſi porrentis, ad hoc ab Angelis

B efformata, ut Magos raperet in ſui admirationem, illique ipſam novum quid & divinum præſagire cognoſcerent. Primo enim ſtella hæc ſuperabat ceteras creatione

Primo, Productione,

ſive productione, quia ceteræ creatæ ſunt quarto mundi die, Gen. 1. 14. hæc vero producta eſt ipſa nocte nativitatis Chriſti. Nova ergo fuit, & numquam antea viſa, nec poſtea. Ita S. Auguſt. lib. 2. contra Fauſtum cap. 5.

Secundo, Materia,

Secundo, materia: hæc enim in ceteris ſtellis eſt cælestis, in hac autem erat aerea, Angeli enim ex ære condenſato, ſplendorem ei infundendo, illam efformarunt.

Tertio, loco,

Tertio, loco: ceteræ enim ſunt in cælo, hæc vero erat in aere: præibat enim Magis viam ex Arabia in Judæam.

Quarto, Motu,

Quarto, motu: quia ceteræ circularem habent motum, hæc vero habebat rectum; recta enim ibat ex Oriente in Occidentem, puta in Bethlehem.

Quinto, Tempore,

Quinto, tempore: ceteræ enim nocte dumtaxat fulgent; per diem enim lux ſolis eas obſcurat: hæc vero interdiu ſplendente ſole æque fulgebat ac noctu.

Sexto, Durationc.

Sexto, duratione: quia ceteræ perpetuæ ſunt, hæc vero erat temporanea: tantum enim tempore itineris

C Magorum, quod fuit tredecim dierum, duravit, & deinde evanuit.

Septimo, Magnitudine.

Septimo, magnitudine: ceteræ enim majores ſunt terra & luna: hæc vero utraque erat minor: major tamen apparebat, quia citima erat terræ, & Magis vicinior; ſicut luna major apparet ſtellis fixis, quia nobis vicinior, cum revera iis longe ſit minor.

Octavo, Varietate.

Octavo, varietate: ſtella enim hæc aliquando ſe occultabat, uti fecit in Jeruſalem, alias vero ſe oſtendebat, erat dux viæ. Rurſum cum ambulantibus Magis ibat, cum quieſcentibus quieſcebat. Denique ſtetit ſuper domum, ubi erat puer, ibique quaſi peracto jam oſtenſionis Chriſti officio, evanuit. Nil tale habent ceteræ ſtellæ.

Nono, Fulgore.

Nono, fulgore, quo ceteras omnes ſtellas vincebat. Unde S. Ignatius, qui paulo poſt Chriſtum vixit, epiſt. 14. ad Epheſios de ſtella hac ait: *Stella fulſit, exuperans omnes quotquot ante fuerant: lux enim illius erat inenarrabilis, & ſtuporem incuſſit omnibus aſpicientibus ea rei novitas: omnia autem reliqua aſtra una cum ſole & luna, chorus fuere ſtellæ illius, ipſa vero claritate exuperabat omnes.* Prudentius in hymno Eccleſ.

D Epiphaniæ: *Stella*, ait, *quæ ſolis rotam vincit decore & lumine.* Idem docet S. Chryſoſtomus. Unde S. Leo ſerm. 1. de Epiphania: *Tribus Magis*, inquit, *in regione Orientis ſtella novæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior ceteris, pulcriorque ſideribus, in ſe intuentium oculos, animoſque converteret, ut confeſtim advertere-tur non eſſe otioſum, quod tam inſolidum videbatur.*

Fuit ergo hæc ſtella novum meteorum ab Angelis ex aere efformatum, & luce ingenti informatum, ac motum ab Angelo, perinde ac columna ignis & nubis; quæ dux Hebræorum fuit in deſerto in terram promiſſam, pura in eamdem Judæam. Ita S. Chryſoſtomus hic, S. Fulgentius ſerm. de Epiphania, S. Baſilius hom. de Humana Chriſti generatione, D. Thomas 3. p. q. 36. art. 7. ibique Suarez, & alii. Imo illa columna typus fuit hujus ſtellæ: quare plura ejus prodigia, quæ recenſui Exodi 13. 21. & Num. 9 15. & ſeq. huic ſtellæ attribue. Vere S. Chryſoſt. hom. 16. ex variis in Matth. locis: *Ipſe*, inquit, *adventu tuo Magos ab Oriente vocaſti, & Evangeliſtas eos ad ſua remiſiſti*, ut ſcilicet ipſi Gentibus evangelizarent natum eſſe Chriſtum orbis ſalvatorem, ſeque cum vidiſſe & adoraſſe in Bethlehem.

Porro ex libris quibuſdam Apocryphis, nomine Seth filii Adæ inſcriptis, multa de Magis feruntur, deque ſtella formam pueri crucem geſtantis exprimente, &c. quæ commenta ab hæreticis Sethianis excogitata videntur. Ita S. Epiphanius hæreſ. 26. & 39. E

Rurſum Gregorius Turon. ait Haymo, narrat ſtellam hanc cecidiſſe in puteum, ibique etiamnum videri, ſed nonniſi a virginibus: Unde cum tres viri, inquit, ad eam inſpiciendam veniſſent, unus ſolus, qui erat virgo, illam vidit; ſed ceteri duo, quia non erant virgines, illam non viderunt. Verum hæc næniæ ſunt & fabulæ, ait S. Anſelmus,

Allegorice Chriſtus eſt ſtella.

Allegorice Chriſtus eſt ſtella ſplendida & matutina. Apoc. 22. v. 16. Unde S. Ambroſius in Lucam c. 2. l. 2. *Chriſtus*, inquit, *eſt ſtella. Orietur enim ſtella ex Jacob, & exurget homo ex Iſrael. Denique ubi Chriſtus, & ſtella eſt. Ipſe enim eſt ſtella ſplendida & matutina, ſua igitur ipſe luce ſe ſignat.*

Et B. Virg.

Rurſum ſtella maris, id eſt, mundi hujus procelloſi, quæ viam nobis per illud oſtendit & præit ad portum ſalutis, eſt B. Virgo: unde nomen ejus eſt *Maria*, Hebr. מרים *Mariam*, id eſt, doctrix, ſive magiſtra, & ductrix maris. *Aſpice ſtellam, invoca Mariam*, ait S. Bernardus. Hinc & Eccleſiam eam invocat, dicens: *Ave maris ſtella, Dei mater alma.* F

Tropologice ſtella eſt inſpiratio divina.

Tropologice ſtella hominis fidelis primo eſt fides; ſecundo prudentia; tertio præcepta; quarto conſilia Evangelica, ac præſertim obedientia ductuſque ſuperioris; quinto ſanctæ inſpirationes a Deo menti immiſſæ, quibus eam vocat ad actum vel ſtatum perfectiorem, v. g. ad virginitatem, ad martyrium, &c. Vide Barradium & Adamum Sasbout homil. de Stella. Vocat ergo te Deus ad ſanctitatem, & heroicam virtutem, ad ſtatum perfectionis, oſtendit tibi ſtellam, quæ iter præeat in cælum, illam intuere, illam ſequere, ne ſtella hæc vocationis divinæ a te viſa, ſed neglecta, in die judicii coram Deo accuſet & condemnet; *Nil ergo arduum eſt humilibus*, ait S. Leo ſer. 5. de Epiph. *nihil aſperum mitibus, & facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* G

Audi S. Gregor. hom. 39. in Evang. *Ecce vocat* (nos Deus) *per ſe, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Apoſtolos, vocat per paſtores, vocat etiam per nos; vocat per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi proſpera, vocat aliquando per adverſa. Nemo contemnat, ne, dum vocatus excuſat, cum voluerit intrare non valeat. Audite quid Sapientia per Salomonem dicat: Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non invenient me. Hinc eſt, quod fatuæ virgines tarde venientes, clamant, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.*

Anagogice ſtellæ ſunt doctores.

Anagogice, Doctores, & quicumque *ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, Daniel. 12. 3. Apoc. 2. 28. Vide ibi dicta. Quocirca S. Leo ſerm. 3. de Epiphan. in fine; *Quicumque*, inquit, *in Eccleſia pie vivit, & caſte; quia ea, quæ ſurſum ſunt, ſapit, non quæ ſuper terram, cæleſtis quodammodo inſtar eſt luminis. Et dum ipſe ſanctæ vitæ nitorem ſervat, multis viam ad Dominum quaſi ſtella demonſtrat. In quo ſtudia omnes, dilectiſſimi, vobis invicem prodeſſe debetis, ut in regno Dei, ad quod recta fide & bonis operibus pervenitur, ſicut lucis filii ſplendeatis.* H

Denique ſtella nos invitat & vocat ad cælum: ut per vitam cæleſtem tendamus ad feliciſſimum Angelorum, & cælitum omnium conſortium.

VIDIMUS STELLAM EJUS IN ORIENTE] Aliqui τὸ *in Oriente* referunt ad τὸ *vidimus*. q.d. Nos in Oriente exiſtentes, vidimus ſtellam in Occidente incubantem Judææ, ut Magi ſcirent eo ſibi eſſe eundum: ſimile enim modo ſtella polaris nautis viam; & turris vel mons viatoribus oſtendit qua ſit eundum. Ita Procopius in Num. cap. 24. v. 17. Alii melius τὸ *in Oriente* referunt ad *ſtellam*, q.d. Nos degentes in Oriente, vidimus ibidem ſtellam in Oriente fulgentem. Utrumque eſt probabile. Primo enim ſtella hæc videtur apparuiſſe ſupra Judæam, ut ſignificaret natum ibi eſſe Regem Judæorum, ibique a Magis quærendum: alioqui unde ex ea ſciviſſent Magi Chriſtum quærendum in Judæa potius, quam in Græcia, Italia, Aſſyria, India? Unde Num. 24. 17. pro *orietur* דרך *darach*, id eſt, *inceſſit*, hoc eſt, incedit *ſtella ex Jacob*: deinde mox eadem ſtella apparuit in Oriente, ut Magos inde evocaret ad Chriſtum. Ita Barradius.

Quæ-

Digitized by Google

A Quæres, an ſtella hæc fixa manſerit, ſteteritque in Oriente, an vero inde Magos aſſidue comitata fuerit uſque in Judæam? Nonnulli probabiliter cenſent eam hæſiſſe fixam in Oriente. Ita Janſenius, Cajetanus, Clarius, Barradius, Franc. Lucas: Probant primo, quia Magi ajunt: *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*, & S. Matth. v. 9. cum Magi diſceſſere e Jeruſalem, ait, *Et ecce, ſtella, quam viderant in Oriente*. Secundo, quia Herodes & Judæi, ac ut videtur, ceteri homines eam non viderunt; alioqui enim eam ſecuti, cum Magis veniſſent ad Chriſtum. Tertio, quia magi ex prophetia Balaam ſciebant ſtellam hanc portendere Regem Judæorum jam eſſe natum, ipſi autem ſciebant iter in Judæam; ergo ad hoc ineundum non erat opus duce ſtella.

Aliqui putant ſtellã hæſiſſe in Oriente. Prob. Primo. Secundo. Tertio.

Ex adverſo ſtellam hanc comitatam eſſe Magos uſque in Judæam, cenſent S. Chryſoſtomus, S. Leo, Theophyl. D. Thomas, Lyranus, Abulenſis, Suares, Maldonatus, Pererius, Conimbricen. & Chryſologus ſerm. 156. dicens: *Ambulante Mago, ſtella ambulat, ſedente, ſtat, dormiente, excubat*. Eſtque hic communis fidelium ſenſus. Probatur primo, quia ſtella quam viderant in Oriente, poſtea apparuit in Bethlehem, ſteteritque ſuper domum ubi erat puer. Ergo eo commigravit, non aliter utique, quam cum Magis; niſi dicas: Magis exeuntibus e Jeruſalem, ſtellam ex Oriente ſubito ſe tranſtuliſſe in Bethlehem, ut Magis viam præiret: neſciebant enim ipſi ſtabulum, in quo erat Chriſtus. Secundo, quia iter ex Arabia in Judæam prolixum erat, incertum, difficile. Ut igitur Magi ad illud capeſſendum animarentur, opus fuit, ut ſtella quaſi dux iter præiret. Unde Eccleſia in hymno Eccl. canit: *Ibant Magi, quam viderant ſtellam, ſequentes præviam*.

Verius alii cenſent ſtellam Magos comitatam.

B Quod ergo ajunt Magi, *Vidimus ſtellam ejus in Oriente;* tantum initium viſionis ſtellæ, quod eos ad Chriſtum evocavit, ſignificant. q. d. *Vidimus*, id eſt videre cœpimus ſtellam *in Oriente*, atque ex hac viſione evocati *venimus*, ſcilicet eadem ſtella duce, ſecuti illam iter nobis præeuntem uſque Hieroſolymam: ſed quia ibi ſtella diſparuit, hinc adierunt Herodem & Scribas, ab eiſque ſciſcitati ſunt, ubi Chriſtus naſceretur.

C Conciliatur utraque ſententia. Utraque ſententia eſt probabilis, & quaſi problema, ac utraquè conciliari poteſt, dicendo quod ſtella, quæ in Oriente luce fulſerat clariſſima, teſte S. Ignatio ep. 14. ut feriret oculos Magorum (ideoque dicunt Magi: *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*, ſcilicet mire fulgentem & radiantem) cum deinde eos comitata eſt, ut viam præiret, obtecta fuerit nube, minuſque fulſerit, ita ut ſolis pene Magis eſſet conſpicua: ne, ſi alii homines & gentes viderent eam ita fulgide coruſcantem, & iter præcuntem, ad Magos concurrerent, eoſque magno agmine ſequerentur in Judæam; itaque concitarent Herodem & Judæos contra Chriſtum, ut eum perderent. Decebat enim plane, ut ſtella evocans Magos, monſtraret eis viam ad Chriſtum ita diſſitum & occultum. Simili modo columna ignis & nubis (quæ fuit typus hujus ſtellæ) erat dux caſtrorum Hebræorum, illaque præibat, ac noctu eis præfulgebat ut ignis, per diem vero nube tegebatur, imo ipſa ex ſe ſpargebat nubem tota caſtra adumbrantem, & ab æſtu ſolis protegentem, ut dixi Exodi 13. & Num. 9.

D Quod aliqui alii præter Magos ſtellam viderint, eſt probabile: ſtella enim magna erat, clara & viſibilis Magis, cur non & aliis? quia Deus volebat toti mundo Chriſtum patefacere; ſed pauci vel nulli ſtellam cum Magis ſecuti ſunt, tum quia ejus myſterium ignorabant, tum quia curis domeſticis occupabantur. Hinc diſce, quam neceſſaria ſit gratia potens & efficax ad quærendum Chriſtum; de qua Chriſtus Joan. 6. 44. *Nemo*, ait, *poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*. Sic in paſſione Chriſti, eclipſis ſolis viſa eſt Athenis a S. Dionyſio Areopagita, qua de cauſa ipſe converſus eſt a S. Paulo, cum ipſe ab eo illius cauſam didicit, ſcilicet quod eadem die & hora crucifixus & mortuus eſſet Chriſtus.

Addit Franciſcus Suarez, quod ſtella, quæ in progreſſu erat terræ vicina, tantum lucebat in locis, quæ vicina erant Magis per diem; noctu vero elevabatur, minuſque erat conſpicua, ut ait Nicephorus lib. 1. Hiſtor. 13.

*Denique appoſite Magi vocantur per ſtellam, quia ipſi erant Aſtrologi: unde ſcire poterant ſtellam hanc non eſſe communem, ſed prodigioſam, & divinum quid portendere: quocirca ipſa ex novo pulcherrimoque ſidere, ſiderum conditorem & Dominum, cui ſidera omnia famulantur, jam natum agnoverunt. Paſtores vero vocati ſunt per Angelos, quia ipſi erant fideles & probi, utpote Judæi, qualibus gaudent Angeli. Ita S. Gregorius hom. 10. in Evang. Magi ergo fuere primitiæ Gentium, vocati ad Chriſtum per ſtellam; paſtores fuere primitiæ Judæorum, vocati ad Chriſtum per Angelos: unde Eccleſia tanta ſolemnitate celebrat feſtum Epiphaniæ quo Magi vocati Chriſtum adorarunt, quia in ipſis & per ipſos cœpit Gentium vocatio & ſalus. Quocirca S. Leo ſer. 2. de Epiphan. *Agnoſcamus*, ait, *dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti vocationis noſtræ, fideique primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus: Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire*. Et S. Aug. ſer. 2. de Epiph. qui eſt ſer. 30. de Tempore: *His* (Magis) inquit, *dies iſte primus illuxit, anniverſaria nobis feſtivitate redit. Illi erant primitiæ Gentium, nos populi Gentium. Nobis hoc lingua nuntiavit Apoſtolorum, ſtella iſtis tamquam lingua cælorum, & nobis iidem Apoſtoli tamquam alii cæli enarraverunt gloriam Dei*.*

E Cur Epiphania tanta ſolemnitate celebrata.

AUDIENS AUTEM HERODES REX TURBATUS EST, ET OMNIS HIEROSOLYMA CUM ILLO] Herodes turbatur, quia ſe regnum Judæorum, nato jam ejus vero & legitimo rege Meſſia, perditurum metuebat, quaſi Meſſias eum eſſet regno deturbaturus. *Quid mirum, ſi naſcente pietate turbatur impietas?* ait S. Auguſt. ſerm. 2. de Innoc. Turbatur Hieroſolyma, tum quia multi in ea erant faventes Herodi, quaſi ejus clientes; tum quia Scribæ & Pontifices ſuis vacantes commodis, iiſque indormientes, non cogitabant de adventu Meſſiæ, quod is, translato jam ſceptro a Juda, natus eſſet, uti prædixerat Jacob, Geneſ. 49. 10. tum quia ceteris ſuis cupidinibus vitiiſque addicti, metuebant Meſſiam, ne is illa caſtigaret. Sapienter S. Gregor. hom. 10. in Evang. *Cæli Rege nato*, ait, *rex terræ turbatus eſt; quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum altitudo cæleſtis aperitur*; ſed in vanum, & fruſtra. Nam, ut ait S. Fulgentius ſerm. 1. de Epiph. *Rex iſte non venit reges pugnando ſuperare; ſed moriendo mirabiliter ſubjugare. Nec ideo natus, ut tibi ſuccedat, ſed ut in eum mundus fideliter credat. Non capit Chriſtum regia tua* (ait D. Leo ſer. 4.) *nec mundi dominus poteſtatis tuæ ſceptri eſt contentus anguſtiis, quem in Judæa regnare non vis, ubique regnat, & felicius ipſe regnares, ſi ejus imperio ſubdereris*.

VERS. 3. F

G

Porro Herodes, quia Idumæus, in alienum Judææ regnum per fraudem irrepſerat, hinc ut illud retineret, legitimos regni hæredes ad unum omnes partim dolo, partim aperta vi occidit, adeoque in univerſos ſæviit, qui in regno ſibi aſſecurando obicem poſituri videbantur. Primo ergo occidit Hyrcanum legitimum regni hæredem & Pontificem, mox Ariſtobolum Hyrcani nepotem & Pontificem; tertio Mariamnem Hyrcani filiam, & ſuam uxorem; quarto Alexandram Mariamnis matrem; quinto Alexandrum & Ariſtobolum ſuos ex Mariamne filios: ſexto Antipatrum ſuum ex alia uxore filium, idque ex metu amittendi regni, quo Herodes uſque ad mortem laboravit, ideoque in timoribus, ſuſpicionibus, angoribus miſerrimam & crudeliſſimam egit vitam. Atque hæc fuit cauſa cur tot innocentes parvulos occiderit, ut nimirum inter eos Chriſtum Judææ regem jam natum interimeret, ne ipſe ſibi regnum auferret. Lege Joſephum.

Herodis Aſcalonitæ ambitio offeratur.

ET CONGREGANS OMNES PRINCIPES SACERDOTUM, ET SCRIBAS POPULI SCISCITABATUR AB EIS UBI CHRISTUS NASCERETUR] Scribas vocat litteratos, legiſque doctores, qui ſacris Litteris, puta S. Scripturæ deſcribendæ, legendæ, explicandæ vacabant, unde alibi vocantur legiſperiti, qualis fuit Eſdras Scriba.

H VERS. 4.

AT ILLI DIXERUNT EI: IN BETHLEHEM JUDÆ: SIC ENIM SCRIPTUM EST PER PROPHETAM: (Michæam cap. 5. 2.)

VERS. 5.

ET TU BETHLEHEM TERRA JUDA, NEQUAQUAM MINIMA ES IN PRINCIPIBUS JUDA: EX TE ENIM EXIET DUX, QUI REGAT POPULUM MEUM ISRAEL] Teſtimonium hoc expoſui Michææ 5. quare ibi dicta non repetam.

VERS. 6.

Tantum adverte triplicem hic eſſe S. Matthæi cum Michæa antilogiam, Prima eſt, quod Matthæus nominat *Bethlehem*, cum Michæa eam vocet *Ephrata*. Reſpondetur, Bethlehem erat binomia. A conditoribus enim dicta eſt Bethlehem, & Ephrata, quia Ephrata fuit pater Bethlehem. 1. Paral. 4. v. 4. Et *Ephrata* Heb. idem eſt quod *frugifer*; idem ſignificat *Bethlehem*, id eſt, *domus panis*. Vide dicta Gen. 35. v. 16. & 19. Cauſa litteralis, cur Chriſtus naſci voluerit in Bethlehem, fuit ut haberetur

Cur in Bethlehem natus eſt Chriſtus.

A beretur filius Davidis, qui natus fuit in Bethlehem, illi promissus quasi futurus Messias: moralis, ut doceret nos humilitatem, scilicet amplecti humiles natales, humilem patriam, humilem casam. Unde S. Leo ser. 1. in Epiph. *Qui formam servi susceperat*, inquit, *Bethlehem præelegit nativitati* (ut in illo obscuro gloriam ortus sui occultaret) *Hierosolymam passioni*, ut probrum crucis magis esset publicum. Docuit ergo nos decus abscondere, dedecus nostrum propalare. Docuit hic nos suo exemplo sapientiam cælestem, & mundo paradoxam, *viam ad gloriam esse fugam gloriæ*. Christus enim qui est stella, id est, lux, & dux ad beatitudinem & gloriam, se suamque deitatem & dignitatem Messiæ abscondit, latens in præsepio Bethlehemitico, ideoque Deus pater illum toti mundo indicat & glorificat per stellam e cælo radiantem. Igitur si appetis veram gloriam, fuge gloriam, ambi ignominiam: si enim ambis gloriam, perdes eam: si contemnas, vel invitus honoraberis. Verissimum enim est illud paradoxon: *Gloria sequitur fugientem, sequentem fugit, sicut umbra corpus. Gloriam præcedit humilitas*, ait Sapiens Prov. 15. 33. Deus enim humiles exaltat, & superbos humiliat. Unde Christus exinanivit *& humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Philip. 2.

Via ad gloriam, est fuga gloriæ.

B Secunda antilogia est, quod pro *nequaquam minima es*, ut habet Matth. Michæus dicat contrarium, scilicet *parvulus*, id est, *minimus es*. Respondetur, apud Michæam tacite adversativam particulam ex nexu sermonis intelligi, ut Psal. 118. v. 141. & 157. q. d. Minima quidem es, o Bethlehem, o Ephrata, si muros, si cives, si ædificia, si celebritatem spectes, sed tamen nequaquam minima es, si principes a te datos, & in te natos, vel nascituros spectes. Ex te enim natus est rex David, & ex te nascetur Christus Davidis antitypus. Aliqui legunt per interrogationem in Michæa *Parvulus es?* q. d. Nequaquam es minima, sed per Christum evades maxima & celeberrima. Verum Romani codices carent hac interrogatione.

Tertia, pro *in principibus* Michæas habet *in millibus*. Resp. Hebr. אלף *eleph* & principem & mille significat; sed eodem hic redit utraque versio. Nam *in principibus* idem

C est, quod inter principes, scilicet urbes Juda, vel etiam homines, hoc est, in proventu horum principum, qui ex te prodierunt, vel prodibunt: *In millibus*, idem est, quod inter civitates, quæ continent multa populi millia, ideoque sunt principes, & ipsæ suos habent principes. Nam in Chiliadas, sive per millia familiarum distributus a Mose erat populus Israel, quarum quæque suos habebat duces & principes, ut patet Exodi 18. 25. & Judic. 6. 15.

Vers. 7. TUNC HERODES, CLAM VOCATIS MAGIS, DILIGENTER DIDICIT AB EIS TEMPUS STELLÆ, QUÆ APPARUIT EIS] Fecit id clam, tum ad evitandos rumores, & populi Messiam suum expectantis murmur ac tumultus; tum ut penitus & fidentius omnes stellæ circumstantias indagaret a Magis.

Didicit ab eis tempus stellæ, ut ex eo sciret, quo tempore natus esset Christus, ac omnes infantes illo tempore natos occidendo, inter eos etiam Christum occideret. Jam enim animo destinabat infanticidium, ut sibi regnum Judææ assecuraret. Unde Arabicus vertit: *Certior factus fuit ab illis de tempore, in quo apparuit eis stella*.

D ET MITTENS ILLOS IN BETHLEHEM, DIXIT. ITE, ET Vers. 8. INTERROGATE DILIGENTER DE PUERO: ET CUM INVENERITIS, RENUNTIATE MIHI, UT ET EGO VENIENS ADOREM EUM] Vulpis hæc vulpina fuit fraus; ut enim Magos sibi redderet obsequentes & fidos, fingit se velle Christum adorare, cum eum jugulare cogitaret. Sic Antonius Caracalla, ut solus imperaret, Getam fratrem consortem imperii anno Christi 214. in sinu matris occidit, utque scelus pietate mitigaret, fratrem inter divos retulit, dicens: *Sit divus, dum non sit vivus*. Ita Spartianus in vita Getæ. Simili modo Herodes ait Magis se Christum adoraturum ut Deum, sed animo destinat se eum ut hominem regemque occisurum.

Vers. 9. QUI CUM AUDISSENT REGEM, ABIERUNT, (versus Bethlehem, ubi Scribæ dixerant nasciturum Messiam, (ET ECCE STELLA, QUAM VIDERANT IN ORIENTE (magno splendore radiante, eosque evocante, resumpto simili splendore) ANTECEDEBAT EOS, USQUEDUM VENIENS STARET SUPRA UBI ERAT PUER] Hinc apparet quod stella in oriente majori fulgore splenduerit, deinde Magos comitans, fulgorem hunc temperarit, ac in Jerusalem plane eum occultarit, tum ut Magos cogeret adire Pontifices &

Scribas, ad quærendum ubi nasceretur Christus, itaque eis innotesceret jam natum esse Messiam; tum quia Herodes, ceterique ejus affectæ, utpote impii, indigni erant, qui cælestem hanc stellam viderent: nam ea abusi fuissent ad quærendum & occidendum Christum. Discedentibus vero e Jerusalem Magis, rursum stella apparuit, & primæva claritate præfulsit, ut Christum, qui lux, imo sol est mundi, suo fulgore indicaret, certumque locum, puta stabulum, in quo ipse natus degebat, demonstraret, ne Magi per domos eum quærendo, diu & frustra oberrarent. E

Vers. 10. VIDENTES AUTEM STELLAM (ita ut primitus corruscantem) GAVISI SUNT GAUDIO MAGNO VALDE] id est, gaudio maximo. Sic enim Hebræi dicunt גדולה מאד *gedola mead*, id est magno valde, vel magno nimis, id est, maximo; quia ex stella ita radiante, quasi ex certo Messiæ indicio, cognoverunt eum sibi esse vicinum, seque duce stella recta ad eum tendere.

Vers. 11. ET INTRANTES DOMUM, INVENERUNT PUERUM CUM MARIA MATRE EJUS] Hinc putant aliqui Christum, cum affluens ob descriptionem & censum turba, eo peracto, recessisset, ut multæ domus in Bethlehem, hospitibus essent vacuæ, Christum, inquam, e stabulo in quo natus erat, in honestam civis alicujus domum fuisse translatum, ibique adoratum a Magis, quia hic dicitur *intrantes domum*. Ita S. Epiphanius hæres. 51. Maldonatus, Franc. Lucas, & alii. F

Quamnam domum intrasse dicuntur hic Magi?

Verum alii passim censent domum hic vocari locum, puta stabulum, in quo natus erat Christus: de eo enim dixit v. 9. *Dum veniens staret supra ubi erat puer*. Hebræi enim quemlibet locum, in quo quis degit, vocant domum. Sic Psal. 103. 17. dicitur: *Herodii domus* (id est, nidus) *dux est eorum*, scilicet volucrum & avium. Cum enim census ab Augusto toti populo indictus per multos dies, imo septimanas & menses ageretur, per singulos dies, affluente alia & alia divitum censendorum turba, B. Mariæ & Christo, utpote pauperibus, nullus erat locus in diversorio, usque ad diem tertiumdecimum ab ortu suo, idque ordinavit Deus, tum ad probandam constantiam Magorum, tum ut eos ceteroſque doceret Christi regnum situm esse in paupertate, humilitate, contemptu mundi, non in opibus, fastu, palatiis, pompisque hujus sæculi. Ita S. Augustinus ser. 1. & 2. de Epiph. Justinus contra Triphonem, S. Chrysostomus, Nyssenus, Rabanus, Euthymius, S. Bernardus, D. Thomas 3. p. q. 36. & ibidem Franc. Suarez sect. 4. qui addit: Constat, inquit, in stabulo mansisse Christum & B. Virginem, utpote puerperam, usque ad purificationem. G

Unde S. Hieron. ep. 17. ad Marcellam: *Ecce*, inquit, *in hoc parvo terræ foramine cælorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic inventus a pastoribus, hic adoratus a Magis*. Et S. Aug. ser. 2. de Epiph. *In præsepi*, ait, *tunc jacebat, & Magos ab oriente ducebat: abscondebatur in stabulo, agnoscebatur in cælo, ut agnitus in cælo manifestaretur in stabulo*. Utramque sententiam conciliabis, si dicas in Bethlehem, utpote urbe parvula, unum dumtaxat fuisse hospitium publicum pro advenis, cujus appendix fuerit stabulum pro illorum equis & jumentis: quare Magos dici ingressos domum sive diversorium, quia ingressi sunt stabulum diversorii. Huic sententiæ favet quod ait Lucas: *Et non erat ei locus in diversorio*, uno scilicet communi, non pluribus. Et *invenerunt infantem positum in præsepio*, H uno scilicet, unius illius hospitii & stabuli.

Josephi hic nulla fit mentio, vel quia aberat, ineratque in urbem vel agrum, ut cibos, aliaque necessaria B. Virgini & Christo procuraret, idque Dei consilio, ne Magi eum Christi esse patrem, Christumque ex eo more ceterorum puerorum genitum putarent: vel si aderat, ut curator Christi æque ac stabuli, sub nomine Mariæ conjugis suæ intelligitur. Sed hac phrasi significat Matthæus ita se nescisse B. Virginem & Josephum coram Magis, ut illi ex Dei instinctu intelligerent Christum natum ex sola Virgine per virtutem Spiritus sancti, Josephum vero tantum esse eorum administrum. Unde Auctor imperfecti: *Vides*, ait, *ut Joseph ad ministerium Mariæ erat electus*. Quocirca non dubium esse Magos cum B. Virgine per se Arabice (quia B. Virgo dona linguarum pollebat) vel per interpretem Hebraice fuisse collocutos, ab eaque didicisse modum conceptionis, partus & nativitatis Christi, ideoque Christum ut Deum Deique Filium adorasse, ac ei terna munera obtulisse, sed majora ab eo spiritualia munera in mente recepisse, puta illuminationes, consolationes, & ardores cælestes,

Digitized by Google

A ut pro Christo usque ad fatigationem laborare, cruciari, & necari optarent. Pro auro ergo, quod obtulerunt, receperunt augmentum sapientiæ & amoris ardentis: pro thure, donum orationis & devotionis: pro myrrha, studium puræ & incorruptæ vitæ.

Latria Christum adorarunt Magi.

ET PROCIDENTES ADORAVERUNT EUM] Arabicus: *Prociderunt eum adorando.* Erasmus censet Magos non cognovisse Christum esse Deum, ideoque non latria, sed cultu civili eum ut regem Judæorum adorasse, id est, veneratos esse: verum contrarium docent Patres & interpretes, scilicet Magos instinctu Dei agnovisse Christi divinitatem, eamque latria adorasse, ideoque ei thus, quod soli Deo debetur, obtulisse. Ita S. Irenæus l. 3. c. 10. S. Leo serm. 1. de Epiphan, & ceteri passim. Unde sapienter S. Fulgentius ser. de Epiph. *Attende*, ait, *quid obtulerint, & cognosce quid crediderint.* Hinc dies hic a Græcis vocatur *Epiphania* & *Theophania*, id est, Dei apparitio, quod Christus eo die Magis declaratus sit esse Deus, ac ut Deus ab eis adoratus.

B ET APERTIS THESAURIS SUIS OBTULERUNT EI MUNERA (patria & domestica) AURUM, THUS, ET MYRRHAM] Horum enim Arabia est ferax, teste Ezechiele c. 27. v. 22. & Plinio l. 12. c. 14. ex qua veniebant Magi. Nam vetus Arabum & Orientalium fuit mos, regem vel principem non adire, nisi cum munere, quasi hic sit vectigalis honor regi debitus, ut patet Genes. 34, 11. 1. Reg. 10, 27. Unde Seneca ep. 17. *Reges Parthos*, ait, *non potest quisquam salutare sine munere.* Porro Dei lex est, Exod. 23, *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Denique regina Saba pretiosa dedit munera Salomoni, & majora ab eo recepit, 2. Paral. 9. 12. Similiter factum est cum Magis & Christo, qui verus est Salomon.

S. Bernardus in sententiis censet Magos obtulisse B. Virgini & Christo aurum, ut eorum paupertati succurreret: myrrham, ad consolidanda *infantilia* Christi membra: thus, ad *stabuli* & *animalium* fœtorem abigendum. Hic sensus est humilior, & ad literæ corticem. Nam passim *subtilius* & sublimius Patres docent Magos illuminatos a Spiritu sancto obtulisse aurum Christo quasi Regi sapien-

C tissimo (sapientia enim confertur & præfertur auro Prov. 8. 19. *Melior*, ait, *est fructus meus auro:*) thus quasi Deo, & quasi summo Sacerdoti ac Pontifici, qua homo erat; myrrham quasi homini pro generis humani redemptione morituro, sepeliendo, & die tertia vi divinitatis suæ ad immortalitatem & gloriam æternam resurrecturo: myrrha enim condiuntur mortuorum corpora, ut maneant incorrupta; nam myrrha, cum sicca sit, humiditatem exsiccat, nec sinit gigni vermes. Ita S. Leo serm. 1. de Epiph. *Thus*, ait, *Deo; myrrham homini; aurum offerunt regi, scienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes; quod cordibus credunt, muneribus protestantur.*

Auri, thuris & myrrhæ symbola.

Et S. Amb. lib. 2. in 2. c. Lucæ: *Aurum regi*, inquit, *thus Deo: myrrha defuncto.* Et S. Greg. hom. 10. *Auro regem; thure Deum; Myrrha mortalem prædicant. Pulcherrime*, ait S. Hieronymus hic: *Juvencus presbyter munerum sacramenta uno versiculo comprehendit.*

Thus, aurum, myrrham, regique, homini que, Deoque
Dona ferunt,

Thuris Etymon.

Hinc Grammatici thus derivant a θύω, id est, odorem facio; aut potius a θύω, id est, sacrifico, quod qui sacrificabant, thure urebantur, imo prima priscorum sacrificia fuere thuris suffumigationes, atque inde *thuris hono-*

D *res* vocantur honores divini, qui soli Deo deferuntur. Hinc rursum Saba, ubi thus nascitur, alludit ad σέβω, id est, colo, veneror, & ad Hebr. זבח *zabach*, id est, sacrifico: licet Priscianus, Varro & Servius *tus* scribentes sine aspiratione, derivent a *tundendo*, quod glebæ tunduntur, cum quibus fluens thus coalescit.

Beda in collectaneis, cujus verba superius recitavi, asserit primum e Magis nomine Melchiorem Christo donasse aurum; secundum nomine Gasparem thus; tertium nomine Balthasarem myrrham.

Verum alii melius censent singulos terna hæc dona Christo obtulisse; singuli enim hisce donis protestabantur fidem suam in Christum, scilicet se credere Christum esse regem totius orbis, ideoque aurum ei obtulere: eumdem quoque esse Deum, ideoque ei thus; ac denique moriturum pro salute hominum, ideoque myrrham addidere; quisque enim credebat Christum esse regem, & Deum, & passibilem, passurumque pro hominibus. Ita Juvencus, Ambrosius, Gregorius locis jam citatis, atque hoc loco Abulensis, Lyranus, Anselmus, Remigius, Dionysius Carthus. Barradius, & alii. Unde Glossa: *Divina*, ait, E *inspiratione id factum est, ad significandum in Christo regiam potestatem* (per aurum) *divinam majestatem* (per thus,) *& humanam mortalitatem* (per myrrham.)

Allegorice hæc tria munera notant Christum, qui Deo Allegor. Patri seipsum in cruce obtulit ut aurum, dum ex aurea charitate, scilicet ex amore hominum seipsum immolavit; ac ut myrrham amarissimæ passionis dolorum & tormentorum, atque ut thus summæ religionis, submissionis, venerationis, & latriæ. Unde eadem feria sexta qua Christus se obtulit in cruce, Magi quoque hæc tria munera Christo obtulerunt. Traditio enim est, Christum natum esse die Dominico, a quo, si numeres tredecim dies, incides in feriam sextam hebdomadæ sequentis, Magi enim adorarunt eum decimotertio ab ortu ejus die, quo Ecclesia eorum memoriam recolit. Ita Suarez 3. p. quæst. 36.

Rursus Christus S. Trinitati trina obtulit dona, puta suam carnem, animam, & divinitatem, æque ac Christiani eidem offerunt actus fidei, spei, & charitatis.

Tropologice primo aurum est charitas, item sapien- Tropologice. tia; thus est oratio & devotio; myrrha mortificatio. F Unde S. Gregorius hom. 10. *Aurum*, ait, *offerimus, si sapientiæ lumine splendemus; thus, si orationis studio redolemus: myrrham, si carnis vitia mortificamus.* Hinc Cant. 5. 14. de Christo sponso ait sponsa: *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*, q. d. *Manus*, id est, opera Christi adeo perfecta erant, ac si torno essent elaborata. Rursum *tornatiles*, id est, versatiles & agiles ad omne bonum; *aureæ*, quia ornatæ charitate: *plenæ hyacinthis*, quia cælestium amorem spirantes: aurea ergo opera charitatis faciunt aureas manus: quare quot opera charitatis facis, tot quasi aureos annulos digitis tum tuis, tum Christi inseris. *Bona* autem *opera*, ait S. Bern. de Convers. ad Cleric. cap. 15. *Sunt semina æternitatis*, & æternæ gloriæ. Zeuxis pictor celeberrimus morose pingebat, rogatus causam, dedit: *Pingo*, ait, *æternitati*; ita & tu, o fidelis, operare, vive, pinge æternitati, ut opera tua in cælo coram Deo, Angelis, & beatis per omnem æternitatem resplendeant. Porro thus orationem denotare, & myrrham mortificationem, patet ex Cant. 4. 7. *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Et c. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi.* Et c. 4. 14. *Odor vestimentorum* G *tuorum sicut odor thuris*, id est, exhalans orationem & suspiria ad Deum: *Quia in omnibus operibus suis orat, dum perveniendi ad cælestia intentione, ea, quæ potest, bona operatur*, ait ibidem S. Greg. Idem in c. 3 Cant. *Sancta anima*, inquit, *quasi thuribulum cor suum Deo facit.* Notanda est sententia S. Gregorii Nysseni: *Peccati causa est Dei auxilium per orationem non implorare.*

Rursum aurum est voluntaria paupertas; hæc enim E unde ditissima est; Deo gratissima præ omni auro. Unde Apostolus: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6, 10.

Thus est obedientia, qua homo suam voluntatem & intellectum, imo totum seipsum Deo quasi thus in holocaustum offert.

Myrrha est jejunium, carnis mortificatio, & quæ inde nascitur, castitas. Quocirca multi hic tria religiosorum vota mystice notari censent, scilicet per thus votum obedientiæ; per myrrham votum castitatis; per aurum votum paupertatis.

Insuper tribus hisce donis denotantur tria bonorum Tertio. operum genera, scilicet eleemosyna, oratio, & jeju- H nium, ad quæ omnium virtutum opera referuntur. Eleemosyna enim proximum juvat: oratio Deum colit & invocat: jejunium hominem in seipso componit. Ad hæc per hæc tria: tria, id est, omnia bona nostra Deo offerimus, scilicet per eleemosynam opera, per orationem animam, per jejunium corpus.

Anagogice *S. Maximus* hom. 3. de Epiphan, censet auro Anagogice. designari redemptionem hominum; thure Christianam religionem, myrrha resurrectionem: *Auro*, inquit, *ostenditur captivitatis nostræ pretiosa redemptio; in thure autem & dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur: in myrrha, qua ex anima solent corpora conservari, præfiguratur carnis nostræ reparatio, & resurrectio mortuorum*, &c.

ET RESPONSO (id est, oracula a Deo: χρηματί enim Vers. 12 sunt oracula. Vox *responso* innuit Magos in re ancipiti Dei lumen & numen prius imploratse, ac hoc responsum a Deo accepisse) ACCEPTO IN SOMNIS, NE REDIRENT AD HERODEM, PER ALIAM VIAM REVERSI SUNT IN REGIO-

Commentaria in Matthæum. Cap. II.

A REGIONEM SUAM] Cyrillus monachus in vita S. Theodosii cœnobiarchæ, narrat, Magos fugientes Herodem publicas vias, & publica hospitia declinasse, ac in montibus & speluncis hospitatos esse, atque in iisdem vitam egisse S. Theodosium; quia, inquit, cum statuissent non ingredi Jerusalem, difficile eis fuisset alia via domum reverti, sicut etiamnum videmus eos, qui a Bethlehem transeunt per hanc (Jerusalem) proficisci, Auctor imperfecti admirans hic fidem & constantiam Magorum, exclamat: *O fides Magorum, non contradixerunt Angelo admonenti, dicentes: Tantam viam venimus, venientes autem multitudinem civitatum non timuimus, regem terribilem apud illos omnino non expavimus: sed stetimus, & fiducialiter, qui natus fuerat, regem prædicavimus, & quasi Deo munera digna obtulimus, & quasi servos latenter jubes nunc fugere, ut alia via venientes, alia redeamus: sed fideles constituti, nec tunc timuerunt cognosci, nec modo erubuerunt occulte recedere.*

Tropolog. Tropologice, Herodes est diabolus, mundus, & caro; via ad eum est voluptas & cupiditas: qui ergo ab eo ad

B Christum transeunt, per aliam viam crucis & mortificationis gradiantur, & in patriam suam, puta in paradisum cælestem, revertantur oportet. Audi Auctorem imperfecti hom. 2. *Qui*, inquit, *a diabolo venit ad Deum, numquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum. Venisti per viam fornicationis, ambula de cetero per viã castitatis. Venisti per viam avaritiæ, ambula de cetero per viam eleemosynarum. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis, & filis proditor Christi.* Et S. Greg. hom. 10. *Regia nostra*, ait, *paradisus est, ad quam, Jesu cognito, redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitũ carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniã qui a paradisi gaudiis per delectamẽta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur.*

Vers. 13 QUI CUM RECESSISSENT, ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS JOSEPH, DICENS: SURGE, ET ACCIPE PUERUM ET MATREM EJUS, ET FUGE IN ÆGYPTUM,

C ET ESTO IBI USQUE DUM DICAM TIBI: FUTURUM EST ENIM, UT HERODES QUÆRAT PUERUM AD PERDENDUM EUM] Nota hæc non statim contigisse post adorationem Magorum: nonnulla ergo hic supplenda sunt & interserenda ex Luca cap. 2. v. 22. scilicet quod post abitum Magorum, sive post diem 6. Januarii Christus ductus sit Hierosolymam, ibique præsentatus in templo die 2. Februarii, indeque redierit in Nazareth patriam suam, quæ erat in Galilæa, ut ait Lucas 2. v. 39. indeque tandem fugerit in Ægyptum. Ita Euthymius & Maldonatus hic, & Ammonius ac Tatianus in Harmon. Evang. licet S. Augustinus, & ex eo Jansenius censeant Christum ex Judæa, non ex Galilæa fugisse in Ægyptum, ex eo quod Matthæus hic v. 22. dicat Josephum redeuntem ex Ægypto, cogitasse ire in Judæam: ergo inquiunt, ex ea fugerat, Ægyptum. Verum id expresse non dicit Matthæus, sed tantum: *Audiens autem*, inquit, *quod Archelaus regnaret in Judea pro Herode patre suo, timuit illò ire.* Innuit tamen eum cogitasse ire in Judæam, ut scilicet adiret Jerusalem & templum, ibique pro felici reditu Deo gratias ageret; sicut viris piis mos est, cum in aliquem locum appellunt,

D ut primo adeant templum, Deoque gratias agant & se suaque commendent, de quo plura v. 22.

Cur Christus fugit in Ægyptum? Resp. Primo, Causa, cur in Ægyptum potius, quam in Assyriam, aliamve regionem fugerit Christus: Prima est, quod Ægyptus Judææ sit vicina, eratque illo tempore ab Herode ceterisque Tetrarchis libera, ac ob Nili rivos, quibus circumdatur, & ob mare, quo alluitur, ab hostium incursu secura. Hinc Judæi fugientes Chaldæos & Assyrios, ibant in Ægyptum.

Secundo. Secunda, quia Abraham, Jacob, & Joseph, adeoque omnes filii Israel, ex quibus prognatus est Christus, per ducentos annos habitarunt in Ægypto, indeque evocati sunt a Deo per Mosen, quæ erat figura & typus revocationis Christi ex Ægypto, juxta illud, quod Matthæus subdit. *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam* (Osee c. 11.) *dicentem: ex Ægypto vocavi filium meum:* præsertim quia Hebræi liberati sunt ex Ægypto per sanguinem agni Paschalis, qui typus erat Christi: Exod. 12. *Ne sine illa regione pararetur singularis hostiæ Sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum crucis signum, & Pascha Domini fuerat præformatum*, ait S. Leo serm. 3. de Epiphan.

Tertia, quod Ægyptus plena erat idolis & superstitionibus. Colebat enim canem, crocodilum, felem, taurum, arietem, hircum, & quid non? Christus ergo E Tertio. ingreditur, ut a sordibus hisce eam expurget, & Deo vero dedicet. Audi S. Leonem ser. 2. de Epiphan. *Tunc etiam Ægypto Salvator illatus est, ut gens antiquis erroribus dedita, jam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur; & quæ nondum efecerat ab animo superstitionem, jam hospitio reciperet veritatem.*

In Ægypto idola corruerunt veniente Christo. Unde idipsum in sensu mystico prophetans Isaias c. 19. 1. *Ecce*, ait, *Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra a facie ejus.* Unde revera idola in Ægypto ad ingressum Christi corruisse, scribit ibidem S. Hieronymus, Palladius, Ruffinus, quos citavi Isaiæ 19. 1. & 2. ut merito hæc traditio prisca videri possit.

Sozomenus lib. 5. c. 20. veterem fuisse famam narat, quod Christo Hermopolim urbem Ægypti ingredienti, arbor præcelsa se inclinarit, eumque ut Dominum venerata sit. Plura alia narrantur, sed quia ex libro Apocrypho, F cujus titulus: *Infantia Salvatoris*, & ex Alcorano accepta, ut de fide suspecta, & fabulosa rejicienda videntur.

FUTURUM EST ENIM, UT HERODES QUÆRAT PUERUM AD PERDENDUM EUM] Sciebat id Angelus ex revelatione Dei, qui sua præscientia, qua infinita mentis suæ acie & vi omne verum etiam occultum & futurum, licet contingens ac liberum, certo cognoscit, id revera certe futurum prævidebat. Idem per se Angelus conjectabat ex Herodis ingenio, & ambitione regni. Herodis ingenium suspicax, crudele & ferum ita describit Josephus lib. 2. Bello c. 19. *Timore pavidus erat, & ad omnes suspiciones excitabatur, multosque innocentes metu, ne quem nocentium prætermitteret, in tormenta ducebat.* Hinc & amicos sibi intimos, puta Dositheum, Lysimachum, Antipatrum & Costobarum occidit, teste Josepho lib. 15. Antiq. c. 1. Idem lib. 17. Antiq. c. 10. *Erat in omnes sævus*, ait, *iræ servus, juris dominus.*

QUI CONSURGENS ACCEPIT PUERUM ET MATREM EJUS NOCTE, (nota hic promptam obedientiam Josephi) Vers. 14 G ET SECESSIT IN ÆGYPTUM] ut Christus eam suo ingressu sanctificaret & benediceret. Hinc in Ægypto adeo floruit fides & sanctitas, ut protulerit Antonios, Paulos, Macharios, & plurima Essæorum, monachorum & anachoretarum, angelicam in terris vitam æmulantium examina, ut patet ex Eusebio, Palladio, S. Hieronymo, S. Athanasio, & vitis Patrum. Unde S. Chrysostomus hic hom. 8. ait Ægyptum a Christo in paradisum esse conversam: *Nonita*, inquit, *cælum variis astrorum choris refulget, ut Ægyptus innumeris monachorum ac virginum distinguitur, & illustratur habitaculis.* Et Trismegistus apud S. Aug. l. 8. de Civit. c. 14. *Ægyptus*, ait, *cœli imago, & totius mundi templum.*

Jesu secum traxit balsamum in Ægyptum. Addit ex Brocardo & Saligniaco Adrichomius in descriptione terræ sanctæ pag. 47. num. 116. in *Engaddi*; Jesum ex Judæa fugientem in Ægyptum secum transtulisse balsamum. Cleopatra enim amica Antonii, invidens Herodi regi Judææ tantam felicitatem, ab Antonio impetravit facultatem transferendi frutices balsami ex Judæa in Ægyptum, cui ipsa præerat ut regina, teste Josepho lib. 1. H Belli cap. 13. Justum fuit hoc Dei vindicis judicium, ut quia Herodes olim balsami possessor persequebatur puerum Jesum, Jesus fugiens in Ægyptum, quasi post se traheret hortum balsami: Jesus enim est verum merumque mentis balsamum, juxta illud: *Unguentum effusum nomen tuum.* Cant. 1. Addit Adrichomius: Hortus hic in Ægypto irroratur a fonte parvo, uberrime tamen fluente, in quo fama est, sæpe lotum a B. Virgine puerum Jesum, adeoque ex eo potum sibi & sponsæ suæ sanctum Joseph paravisse, cum in Ægypto esset; atque ideo ab incolis veneratione & cultu haberi maximo.

Porro Anselmus asserit Christum in Ægypto habitasse in urbe, cui nomen Heliopolis, id est, urbs solis: Denique fuga hæc Christi non formidinis fuit, sed prudentiæ & fortitudinis. Audi Chrysologum serm. 150. *Sicut natus est Christus, ut repararet hominem: sic ut fugaces revocaret, aufugit. Et si ut revocet errantem ovem in montibus, ipse erat; quomodo ipse non fugiet, fugientes populos ut reducat?* Et paulo post: *Reorum*, inquit, *refugium fugit, auxilium latescit omnium, formidat fortitudo cunctorum, sese universorum defensio non defensat.* Et post pauca: *Bellicosus*, inquit, *miles quod in bello fugit, artis est, non timoris. Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavo-*

Digitized by Google

A *parvo: potens, quando se subducit infirmo, insequentem non avet, sed foras projicit: vult enim in aperto vincere, & publicam referre cupit ex hoste victoriam: occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum seculis vult triumphum.*

Tropologice Christus fugit in Ægyptum, ut doceret nos exilium contemnere, adeoque pro quasi peregrinos & exules in terra, ad cælum quasi ad patriam assidue anhelare & contendere. Unde Petrus Chrysologus serm. 115. *Christus*, inquit, *fugit, ut fugas nostras in persecutionibus temperaret.* S. Greg. Nazianz. orat. 28. *Mihi*, ait, *omnis terra, & nulla terra patria est.* Nulla terra erat Gregorio patria, quia patria illi erat cælum: omnis terra pariter eidem erat patria, quia totum orbem pro patria ducebat. Sic Socrates rogatus, *cujus esset?* Respondit: *Sum cosmopolita*, hoc est, civis mundi. Idem dixit S. Basil. teste Nazianz. orat. 20. Nimirum

Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor.

Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut A-
Vers. 15 B pimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum] Citat Oseæ c. 11. v. 2. ubi hanc prophetiam exposui; tu lector, si libet, ibi notata consule.

Tropologice Chrysostomus hic homil. 8. docet Deum Christi & Christianorum vitam, quasi coronam ex adversis & prosperis pulchre contexere & variegare: Vidit quippe S. Joseph sponsam gravidam, inquit, incidit in conturbationem maximam; sed affuit repente Angelus suspicionem solvens, & timorem expellens: subsecuta est læta adoratio Magorum, sed hanc excipit persecutio Herodis, & fuga in Ægyptum.

Porro non dubium multos Ægyptiorum visa sanctitate B. Virginis & Josephi, atque ex crebra cum eis conversatione & colloquio, Deum verum cognovisse, coluisse & amasse. Martyrologium Romanum reditum Christi ex Ægypto consignat die 7. Januarii: annum alii tertium ab itu, alii quintum, alii septimum, alii octavum, alii alium assignant. De anno ergo hic nil statui potest. Vide Suarez 3. p. q. 37. disp. 17. sect. 2.

Vers. 16 C Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis (promiserant enim illi se ad illum redituros; sed monitu Dei cognita ejus perfidia non redierunt) iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus] Herodes videns Magos non redire, cogitabat eos forte delusos, nec invenisse Christum, ideoque ex pudore non ausos ad se reverti; at ubi audivit ea, quæ in præsentatione Christi in templo die secunda Februarii contigerant, quomodo scilicet S. Simeon & Anna palam professi fuissent illum esse Messiam, hoc est, *lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel*, videt se a Magis delusum, ideoque excandescens, iram in omnes infantes evomuit. Nam, ut ait S. Chrysostomus, *inextinguibilis est ira, quam regni zelus accendit*, &c. *ut fera vulnerata quidquid oculis occurrit, tamquam auctorem vulneris dilaniat.*

Immensa regni Judææ servandi augendique cupido & ambitio, ad infanticidium tam barbarum, impulit Herodem: quocirca cum ex Scribis intelligeret instare tempus Messiæ, eo quod jam translatum esset sceptrum a Juda ad se alienigenam: ipse sibi arrogavit nomen Messiæ, dixitque se esse Messiam Judæis promissum, ideoque magnificentissimum, instar Salomonis, templum eis extruxit; de
D quo Christo dixere Judæi, *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Joan. 2. v. 20. sed incassum & frustra nomen Messiæ ambivit. Messias enim nasciturus erat ex Juda, ac Davidi & Judæis, quasi eorum filius & heres, erat promissus; Herodes autem oriundus erat non ex Judæis, sed ex Idumæis, qui continui fuere Judæorum hostes. Id sciens Herodes, verum Messiam esse natum, ac indicio stellæ Magis indicatum, hunc destinavit ad necem, cumque ex Scribis didicisset Messiam nasciturum in Bethlehem, sed nesciret ex qua familia & domo, hinc infantes omnes in Bethlehem occidit, sed vide hic justum judicium Dei, quo effecit, ut Herodes per hoc ipsum regnum Christo stabiliret, & sibi adimeret. Nam in pœnam hujus sceleris ipse Herodes suos filios sibi in regno successuros occidit, ac anno eodem paulo post cædem infantium, & Antipatri filii sui; ipse a vermibus gorrosus & interemptus est paulo ante Paschæ. Cum enim ob ejus crudelitatem, in ejus necem conjurassent frater ejus Pheroras, & uxor Mariamne, ejusque pater Hyrcanus Pontifex, & mater Alexandra, ac tres filii E
Alexander, Aristobulus, & Antipater, hos omnes occidit, obtenta prius ab Augusto Cæsare illos trucidandi facultate, qui tamen illam Herodis sævitiam falsæ perstringens: *Malim*, ait, *Herodis esse porcus quam filius*; de quo mox plura. Rursum Christus infanticidium Herodis evasit fugiendo in Ægyptum, indeque sensim crevit ejus nomen, regnum, & gloria: imo infantes ab Herode in odium Messiæ cæsi, sua cæde testari sunt jam natum esse Messiam, utpote quem Herodes impie quærebat ad necem; ut enim eum occideret, omnes infantes occidit. Fuse hæc omnia narrat Josephus lib. 15. Antiq. & seq.

Tropologice. Herodes est diabolus, qui infantes, id est, teneros in fide & virtute, imm primas Dei inspirationes, ac bonas cogitationes, ante quam roborentur ac crescant, elidere satagit: *Unde si parvulos interficiat*, ait S. Leo serm. 3. de Epiphan. *Jesum sibi videtur occidere, quod utique facere sine cessatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum Sanctum eripere, & quandam tenere fidei velut infantiam tentat extinguere.* Diabolus teneris insidiatur.

A bimatu, et infra, secundum tempus, quod F
exquisierat a Magis] Græce est ἀπὸ δυετοῦς, id est, *a bimatu*, vel *a bimo*; posterius hoc secutus Syrus cum Arabico vertit: *A filio duorum annorum*; Ægyptius: *A duabus annis, & infra*, sic & Persicus. Pro *exquisierat*, Græce est ἠκρίβωσε, id est, *exacte scrutatus erat.* Unde noster v. 7. vertit: *Diligenter didicit.*

Quares, cur a bimatu, id est, biennes infantes necavit: præsertim cum multi censeant Herodem mox ab abitu Magorum, cum audisset Christum in templo præsentatum, a S. Simeone & Anna Messiam fuisse celebratum sub Pascha, cum Christus tantum esset trium mensium, occidisse infantes! Respondent Jansenius, Maldonatus, Baronius, & alii, id eum fecisse ex ingenti metu perdendi per Messiam regni: ex eo enim extendisse tempus trimestre nati jam Christi usque ad biennium. Si objicias; Matthæum dicere eadem hanc *a bimatu factam & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis*: Respondent *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, referendum esse non ad *a bimatu*, sed ad *& infra*, ut G
significet Herodem cædendorum puerorum non initium, sed terminum dumtaxat fecisse *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, ut scilicet ulterius non occideret infantes, qui intra illos tredecim dies nati erant post ortum stellæ indicantis Christum jam natum. q. d. Herodes occidit infantes omnes a bimatu; quia nimis erat perspicax & crudelis; & infra bimatum, secundum tempus, quod exquisierat a Magis, quia eos solos a cæde excepit, qui nati erant post tempus, quo Magis apparens stella significabat eis jam natum esse Christum: inde enim certo constabat neminem eorum utpote post ortum stellæ natum, esse Messiam, a quo sibi Herodes metuebat; hic enim cum ortu stellæ jam natus erat. Cur a bimatu cæsi infantes? Resp. Primo.

Verum vix videtur credibile Herodem adeo ambitiosum & meticulosum, voluisse occidere infantes biennio ante ortum stellæ natos; neglexisse vero eos, ac pepercisse eis, qui paulo post ortum stellæ nati fuerant; æqua enim, vel major ratio erat suspicandi, præsertim Herodi timidissimo & suspicacissimo tam inter hos, quam inter illos nasci potuisse Christum. Unde Herodem occidisse infantes tam post ortum stellæ, quam ante eum natos censent Beda, Glossa, Dionysius, & Barradius. Et quorsum occidisset infantes biennio fere ante stellam natos? Nulla enim suspicio esse poterat inter eos natum esse Christum, utpote quem stella post biennium secum natum indicabat. Quare eos occidere non tantum inhumanum, sed & irrationale ac stolidum brutumque fuisset, nec nisi summæ crudelitatis infamiam, & odium immane, omniumque execrationem Herodi conciliasset; imo omnes in illum ut tyrannum intolerandum, qui fera potius esset, quam homo, involassent. H

Dico ergo Herodem non statim, nec eodem anno, quo venere & abiere Magi, occidisse infantes, sed anno sequenti; qui erat secundus a nato Christo, ideoque infantes bimulos occidit. Sensus est ergo. q. d. Herodes infantes necavit *a bimatu*, id est, qui duorum erant annorum, *& infra*, id est, eos, qui necdum attigerant biennium, sed unius erant anni, vel aliquot mensium aut dierum dumtaxat, hoc est, occidit omnes, qui intra biennium ab ortu stellæ nati fuerant, *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, juxta quod currebat annus secundus ab ortu stellæ, tunc cum Herodes occidit infantes hoc biennio Secundo, genuine.

Herodes infanticida pœnam anticipat.

Digitized by Google

A biennio natos. Rursum magis stricte & precise τὸ *secundum tempus*, &c. sic accipi posset. q. d. Herodes biennium hoc non integrum accepit, sed computavit a tempore, quo stella Magis apparuit, quod erat tempus biennii inchoati, sed non expleti. Herodes enim occidit pueros anno secundo ab ortu stellæ & Christi circa Pascha, cum scilicet Christus esset anni unius & trium mensium; nam ab ortu stellæ tantum lapsi erant quindecim menses: quare eos non occidit, qui diu ante ortum stellæ, ante quindecim menses nati erant. Hoc innuit quod ἠκρίβωσε, id est, exacte scrutatus erat tempus stellæ, ut illos solos occideret, qui sub tempus stellæ nati fuerant; non autem eos, qui diu ante, vel diu post tempus stellæ nati fuerant, ne sine causa plures barbara nimis crudelitate occideret, quam necessum erat ad occidendum Christum cum stella natum. Ergo.

A BIMATU ET INFRA, SECUNDUM TEMPUS, QUOD EXQUISIERAT A MAGIS] Idem est, quod a quindecim mensibus natos: hoc enim est tempus, quo orta fuit stella, quæ ad tredecim dies duravit, quibus Magis iter præivit usque in Bethlehem. Herodes ergo videtur tantum occidisse infantes a quindecim mensibus circiter, hoc est, paulo ante quindecim menses, vel paulo post quindecim menses sub ortum stellæ natos. Credebat enim cum Magis, Christum simul cum stella sui indice natum, non vero diu ante eam natum, vel diu post eam nasciturum: quare non curavit occidi, nisi eos, qui simul quasi cum stella nati erant. Hinc colligitur τὸ *a bimatu & infra* non copulative accipiendum esse, sed copulatim, sicut cum dicimus, duo & tria sunt quinque: omnes planetæ sunt septem; elementa sunt quatuor, &c.

Infanticidium contigit decimoquinto mense a nato Christo.

Infanticidium hoc non tertio mense, sed biennio inchoato, puta decimoquinto mense ob ortu Christi contigisse tradunt Eusebius in Chron. S. Epiphanius hæresi 30. S. Augustinus serm. de Epiphan. Eucherius, Cedrenus, S. Anselmus, Haymo, Hugo Victor. S. Thomas, Lyranus, Abulensis, D. Antoninus, Dionysius, Carthusianus, Barradius, & alii passim: licet ex his nonnulli non recte separarint, vel ortum stellæ ab ortu Christi, dicentes stellam biennio ante natum Christum, apparuisse Magis. Ita C S. Augustinus, Chrysostomus; vel ortum Christi & stellæ ab adoratione Magorum, dicentes Magos ob longitudinem itineris, biennio post natum Christum appuliſse in Bethlehem, ibique Christum adorasse. Ita S. Epiphanius lib. 2. hæresi 30. contra Ebionæos, & Auctor imperfecti hic. Longe enim verius est stellam ortam simul cum ortu Christi, ut ejus esset index, ac quasi signifer & lucifer; atque Magos eodem anno, quo natus est Christus, scilicet decimotertio die ab ejus nativitate, venisse in Bethlehem, nec enim verisimile est Magos visa stella tam potenter a Deo vocatos & excitatos, iter hoc confeciſse vel distuliſse ad biennium; ait Franc. Suarez, Baronius, & alii; sed Herodem infanticidium hoc a se animo destinatum distuliſse ad annum sequentem ob causas, quas mox afferam. Hunc sensum exigit plana S. Matthæi narratio, præsertim τὸ *a bimatu*. Item rerum post adorationem Magorum factarum, ante fugam Christi in Ægyptum congeries, quæ non potuit paucis diebus vel mensibus peragi. Nam post abitum Magorum Christus fuit præsentatus in templo D Hierosolymæ quadragesimo ab ortu die, scilicet die secunda Februarii, quando Ecclesia hoc mysterium recolit per festum purificationis. Inde Christus reversus est in Galilæam, ac habitavit in Nazareth: ex qua tandem fugit in Ægyptum; ut patet Lucæ c. 2. v. 22. & 39. quæ omnia plures hebdomadas, imo menses exigebant.

Huic sententiæ faver, quod Nicephorus lib. 1. cap. 14. & Cedrenus in Compendio Hist. scribunt sanctum Joannem Baptistam ob hanc Herodis persecutionem fugisse in desertum, cum esset bimulus, hoc est, cum ageret secundum ætatis annum, sed necdum eumdem expleſſet: Baptista enim sex mensibus ante Christum natus est: quare in infanticidio erat mensium viginti & unius. Unde Nicephorus l. 1. Histor. cap. 14. ait: *Joannes annum cum dimidio agebat, & cum matre Elisabetha in spelunca quadam montana salvus conservabatur, fortasse Herodis sanguinariam effugiens manum.*

Rursum quod Macrobius, ait, non a *bimatu*, sed *intra bimatum* infantes ab Herode esse occisos: *intra bimatum* autem sunt, qui quindecim sunt mensium. Ad hæc Lucius Dexter in Cronico: *Anno tertio Christi*, inquit, *urbis Romæ 754. Herodes universos pueros in Bethlehemitica regione necat.* Fuit enim tertius annus ab ortu Christi, inchoando annum a die prima Januarii: hinc enim ut E Christi nativitas, quæ contigit Decembri anni præcedentis, tertium annum efficiat, cum alias biennium integrum non fluxerit ab ortu Christi usque ad infanticidium.

Herodes distulit infanticidium ad biennium. Cur? Resp. Primo.

Quæres, cur Herodes distulit infanticidium usque ad secundum annum ab ortu stellæ & Christi? Respondeo primo, ut sensim magis se de Christi ortu, persona, patentibus, loco informaret. Ita Glossa. Rursum, quia omnes quæsivit modos ad vitandam crudelitatis invidiam, ut solum Christum posset invenire & occidere, ut innuit hic Matthæus vers. 13. Ita S. Augustinus lib. 2. de Consensu Evang. cap. 12. & Abulensis hic.

Secundo, quia, ut docent Euthymius, Divus Thomas, & Lyranus, Herodes sub finem vitæ accusatus ab Arabibus apud Augustum Cæsarem, ejus indignationem incurrit, adeo ut Augustus ejus legatos semel iterum, & tertio, ne quidem ad alloquium admiserit, tandem tamen mira arte Herodes Cæsarem placavit, uti narrat Josephus lib. 17. Antiq. cap. 7. & seq. tumque veniam occidendi infantes, ut videtur, ab eo petiit & impetravit, qua in re F non parum culpandus est Augustus, quod veniam hanc dederit. Ita Rupert. lib. 1. de Victor. c. 2. Secundo.

Tertio, eædem distulit, ut modum certum inveniret omnes infantes occidendi, ne quis a matre absconderetur, & necem evaderet. Unde Abulensis censet Herodem prius conscribi jussisse parvulos cum nomine & ætate cujusque, ac juxta catalogum singulos evocasse, cumque omnes evocati simul essent congregati, omnes occidisse: congregati, inquam, non in uno loco, v. g. in foro Bethlehem, sed in singulis ejus pagis, aut vicis, unde ad singulos misit carnifices, qui quærerent, colligerent & occiderent infantes, uti docet hic S. Matthæus. Porro facile id erat apud Judæos, qui libros genealogiarum conscribebant exactissimos, ut sciretur, quod Messias, quem expectabant, ex tribu Juda foret natus, juxta oraculum Jacob Genes. 48. Hinc in circumcisione cujusque infantis, ejus nomen, diem nativitatis, & parentes in libros hosce referebant, sicut modo Parochi eadem conscribunt in Baptismo parvulorum. Tertio.

Sanctus Antoninus censet Herodem instituisse festum puerorum & jussisse, ut matres omnes parvulos bimulos ad se afferrent, quasi præmium accepturos. Ceterum Herodes per cædem hanc, licet ignorans, infantes summo affecit beneficio, quia dum eos perdere curat, meliorem vitam eis procurat, uti docet S. Chrysostomus; esto præter mentem & intentionem suam. G

Herodes occidit filium suum cum infantibus.

Porro Herodes ab Augusto obtinuit facultatem tres suos filios, scilicet Alexandrum, Aristobolum & Antipatrum occidendi: unde duos primos anterius necavit; Antipatrum vero paucis, puta quinque diebus ante mortem suam, quæ contigit sub Pascha anno regni ejus 37. ait Josephus lib. 17. Antiquit. c. 10. 11. quando & infantes occidit. Id discimus ex Macrobio, qui lib. 2. Saturnal. c. 10. inter jocos Augusti hunc recenset: *Cum audisset*, inquit, *inter pueros, quos in Syria Herodes rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum*, ait, *Melius est Herodis porcum esse quam filium*; quia Judæi porcos non mactabant: illorum enim velut animalium immundorum esus erat eis vetitus, Levit. 11. hunc enim Herodis filium fuisse Antipatrum docet Joseph, si enim alius fuisset parvulus, & bimulus, hunc utique Herodes non occidisset, sed regni sui hæredem & successorem jam senex optasset. H

Sub Pascha.

Ex dictis colligitur, infantes ab Herode occisos fuisse sub Pascha, decimo quinto circiter mense ab ortu stellæ & Christi: Ecclesia tamen celebrat eorum festum mox a Nativitate, quia propter Christum fuere occisi, ut Navitatem Christi iisdem condecoret & exornet: licet noster Barradius & Emmanuel Sa, illo ipso die anno redeunte ipsos occisos existiment, quo Ecclesia eorum festum celebrat. Infantes ergo ab Herode occisi sunt, cum Christus ageret annum ætatis secundum in vere & Martio: quo tempore olim quoque mortua fuit Rachel eorum avia, Gen. 35. v. 16. Sub idem tempus scilicet quinto die ante mortem suam mandavit Herodes occidi filium suum Antipatrum, quasi sibi suoque regno insidiantem.

Jubet occidi primates Judæ.

Eodem tempore concilium magnum Judæorum, quod *Sanedrim* dicebatur, sustulit; ac plures Pharisæos quod eum nollent regem agnoscere, interemit; ceteri coacti sunt ipsi juramentum præstare. Ad hoc eum juvit ejus socer Simon Boethi filius, ab eo factus Pontifex, & fiebant hæc consciо Quintilio Varo Sytiæ Præside, Herodis amico. Unde omnes primores Judæorum in carcerem conjicere

Digitized by Google

A

non est veritus, eosque occidisset, si diutius vixisset. Insuper vero sibi morte, jussit sorori suæ Salomæ, ejusque marito Alexæ illos omnes occidere, *Ut*, inquit, *Judæi vel inviti cogantur lugere mortem meam, cum suos occisos lugebunt*. Verum Salome mitior, eo mortuo primores e vinculis solvit, & liberos domum dimisit. Ita Josephus, Josippus, Eusebius & alii. Vidi Joseph. 17. Antiq. c. & seq. & Eusebium l. 1. Histor. c. 9.

Opinantur nonnulli ex Apocal. c. 14. v. 1. infantes ab Herode occisos fuisse numero 144. millia: tot enim ibidem visa sunt a Joanne. Verum S. Joannes loquitur de Virginibus, qui Antichristi libidini & persecutioni usque ad mortem & martyrium restitent, non vero loquitur de nostris ab Herode occisis: nec credibile est in loco tam parvo, qualis erat Bethlehem, fuisse 144. millia parvulorum bimulorum tempore Herodis. Verisimilius est quod habent Abyssini in suo Missæ canone, infantes ab Herode occisos fuisse numero quatuordecim millia. Ita noster Salmeron, Franc. Lucas & Genebrardus lib. 2. Chronolog. anno Christi tertio, qui & addit Græcos eumdem numerum in suo Calendario exprimere. Verisimile est enim Herodem suspicacissimum jussisse carnificibus, ut locum a Scribis indicatum (puta Bethlehem) æque ac tempus ortus stellæ ampliarent, ideoque carnifices plures occidisse, quam vel locus, vel tempus stellæ præcise poscebat, ne ullo modo Christus evaderet; quamquam adhuc in loco tam exiguo difficile sit invenire 14. millia infantum; nec enim tot Romæ, Neapoli, Mediolani, aliisque magnis in urbibus reperiuntur.

Infantes occiuordequatuorcim millia

B

Sunt martyres.

Nota primo, hos infantes ab Herode in odium Christi occisos vere esse Martyres, ac ut tales ab Ecclesia coli & festo celebrari, idque commune est omnibus infantibus, qui in odium fidei trucidantur ex gratuita & liberali Dei ordinatione.

Martyrium dat gratiam ex opere operato.

Unde sequitur martyrium ex opere operato justificare (per illud enim parvuli illi, qui necdum erant circumcisi, purgabantur a peccato originali, & justificabantur) ac idem operari, quod operatur Baptismus. Ita passim Patres & Doctores in 4. distinct. 4. Imo Ecclesia tota, ut dixi. Vide S. Bernardum serm. de Innocentibus. Hinc Doctores tres classes martyrum statuunt: Prima est eorum, qui

Tres martyrum classes.

C

opere ac voluntate sunt martyres, quales sunt adulti, qui voluntarie mortem a tyranno pro Christo illatam suscipiunt: Secunda eorum, qui solo opere sunt martyres, quales sunt infantes, qui pro Christo occiduntur: Tertia eorum, qui sola voluntate, ut qui optant martyrium, uti optabat S. Franciscus, qui idcirco profectus est ad Soldanum Ægypti, sed hic videns eum virum sanctum, noluit eum occidere. Unde caruit ipse realis martyrii laurea. Hi ergo infantes fuere cruore lacteo loti, ait sanctus Cyprianus. Quocirca sanctus Augustinus serm. de Innoc. *O parvuli*, ait, *de vestra corona dubitet, qui parvulis baptismum prodesse non putat*.

Mira Dei hic providentia

Nota secundo miram Dei providentiam, qui primo Bethlehemitas punivit stragе puerorum, eo quod ipsi B. Virginem perperam & puerum Jesum hospitio non excepissent, sed coegissent stabulum adire, ibique parere. Secundo, quia pueros per hanc cædem laurea martyrii decoravit. Tertio, quia fecit ut Christus per fugam in Ægyptum evaderet, & per cædem hanc magis orbi innotesceret, qua re portendebatur *Ecclesiam Dei per furorem crudelitatis* (persequentium) *augeri*, ait S. Leo serm. 6. de Epiphan. *quoniam in suppliciis & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo*. Quocirca *sanguis martyrum semen est Christianorum*, uti notat Tertullianus in fine Apolog.

D

Porro Christus qua homo, licet infans, utebatur tamen ratione: quare revelante Verbo sibi unito, hanc parvulorum propter se stragem intimo pietatis affectu dolebat, eisque & parentibus eorum compatiebatur: spiritu vero exultabat de eorum martyrio & gloria: quare illos quasi adventus sui primitias, primasque gratiæ suæ victimas Deo Patri offerebat.

Dei in Herodem vindicta.

Nota tertio justam in Herodem infanticidam, & quantum in ipso erat, Christicidam, Dei vindictam. Nam ipse post quinque dies ab infanticidio, febri, tussi, dysenteria, hydrope, podagra, phtiriasi (morbo pediculari) putredine verendorum, asthmate & fœtore intolerabili percussus, animam truculentam exhalavit, adeo, ut ipse seipsum occidere conatus fuerit. Filii ejus non ad regnum, sed ad regni particulam dumtaxat quasi tetrarchæ fuere admissi, & infeliciter perierunt. Tota quoque ejus posteritas licet numerosissima, intra centum annorum spatium, paucis demptis, consumpta interiit, uti narrat Joseph. lib. 17. Antiquit. c. 8. & sequent. qui & addit omnes censuisse hanc esse justam numinis vindictam. Sic & ex Josepho Eusebius lib. 1. Hist. c. 8.

E

Infantes quasi agni paschales,

Allegorice infantes occisi ab Herode sub Pascha quasi agni Paschales, typus fuere Christi, qui post 32. annos ab Herode, filio hujus Herodis infanticidæ, illusus, & a Pilato in Paschate crucifixus, semetipsum quasi agnum & victimam Paschalem, pro salute mundi Deo Patri obtulit. Audi S. Augustinum serm. 8. de Sanctis, qui est primus de Innocentibus: *Nascente Christo luctus cœpit, non cælo, sed mundo. Indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio, & infantibus transmigratio. Deus est, qui natus est; innocentes illi debentur victima, quia venit damnare mundi malitiam. Agnelli debent immolari, quia agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi; sed oves ululant matres, quia agnos perdunt sine voce balantes. Grande martyrium, crudele spectaculum*. Et prudentius in Hymno Epiphan.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener;
Aram ante ipsam simplices,
Palma & corona luditis,

F

lidem præluisere & exemplum dedere omnibus martyribus, quolibet sæculo pro Christo usque ad mortem generose certaturis. Unde S. Leo serm. 8. de Epiphan. *In stellæ fulgore*, ait, *Dei gratia; & in tribus viris* (Magis) *vocatio Gentium; & in rege impio crudelitas Paganorum; & in occisione infantium cunctorum Martyrum formam præcessit*. Si enim infantes teneri jugulationem pro Christo patiuntur, quidni eamdem pro eodem patiantur fideles adulti & robusti? Quod enim censent aliqui usum rationis infantibus fuisse acceleratum, eosque elicuisse actum fidei, credendo in Christum: & martyrii, suscipiendo mortem pro Christo, temere & frivole dicitur. Extat tamen idipsum in serm. quodam de Innoc. qui S. Chrysostomo tribuitur; sic enim ait: *Fiunt intercapueri sine Magistro diserti, docti sine doctore, periti sine eruditione. Agnoscunt Christum, prædicant Dominum, non quem persuasio humana docuerat, sed quem divinitas innocentibus inspirabat*. Verum falso hic sermo ascribitur S. Chrysostomo, nam S. Chrysostomus hic homil. 4. diserte contrarium asserit; verba ejus mox subjiciam. Jam si in parvulis passio propter Christum involuntaria, & ut ita dicam, invita, parvulis utique reluctantibus, adeo accepta fuit Deo, ut illam æstimarit martyrium, ac patientes infantes laurea martyrii coronaret, quid faciet passio voluntaria, qua quis cupit, imo ambit multa pati & mori pro Christo?

G

Et flores martyrum.

Symbolice, pueri in vere ab Herode occisi fuere quasi verni flores, e terra Bethlehemitica solis justitiæ radiis tepefacta producti, & Christo Nazareno, id est, florido oblati. Unde Prudentius in Hymno Epiphan. & ex eo Ecclesia in Officio;

Salvete, ait, *flores martyrum,*
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit;
Ceu turbo nascentes rosas,

Et S. Augustinus serm. 2. de Innocent. *Quam feliciter nati*, ait, *quibus in ipso nascendi limine æterna vita obviam venit?* Et serm. 3. *Jure Innocentes dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quædam pruina persecutionis decoxit*. Et S. Chrysostomus serm. 4. *Infantia*, ait, *passionis ignara palmas martyrii rapuit, & coronas. Veri isti sunt gratiæ martyres, confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt insci, moriuntur inconscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes*. Hosce ergo parvulos Deus prius facit quasi triumphare, quam vivere; prius eos coronis ornat, quam membris.

H

Tropologice Christus amat infantes, id est, parvos & humiles, talesque evehit ad summam gratiam, imo ad martyrium. Hinc ipse ait: *Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in regno cælorum*. Matth. 18. 4. Audi S. Leonem serm. 7. in Epiphan. *Unde tota, dilectissimi, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus Christus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine & elegit & docuit*. Et mox: *Amat infantiam, quam primum suscepit & animo & corpore. Amat Christus infantiam humilitatis magistram,*

Tro. de

Digitized by Google

A *ſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Amat Chriſtus infantiam, quæ majorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum.* Et anterius: *Tota victoria Salvatoris, quæ & diabolum ſuperavit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta.*

VERS. 17 TUNC ADIMPLETUM EST, QUOD DICTUM EST PER JEREMIAM PROPHETAM DICENTEM: VOX IN RAMA AUDITA EST: PLORATUS ET ULULATUS MULTUS. RACHEL PLORANS FILIOS SUOS, ET NOLUIT CONSOLARI, QUIA NON SUNT] Quia ſcilicet occiſi ab Herode interierunt quoad corpus, nam quoad animam *erant, qui in æternitatem afferebantur*, ait S. Hilarius: locum hunc explicui Jeremiæ cap. 31. v. 15. Vide ibi dicta. Ploratus hoſce matrum graphice depingit S. Auguſtinus ſerm. 1. de Innocent. & tandem concludit: *Miſcebatur lamentatio matrum, & ad cælum tranſibat oblatio parvulorum.*

Tropologice plangit Rachel, id eſt, ovis necem agnorum (*Rachel* enim Hebr. ſignificat *ovem*) ſed plaudunt B Angeli, imo & parvuli, quia animæ parvulorum, quaſi agnorum ad ſocietatem tranſibant Angelorum. Unde S. Auguſtinus ſerm. 3. de Innoc. *Ecce*, air, *profanus hoſtis numquam beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.* Cauſam ſubdit: *Siquidem ante vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quam uſuram præſentis acciperent*, &c. *quia inciplentis vitæ primordiis, ipſe eis occaſus initium gloriæ dedit, qui præſentis terminum impoſuit.* Naſcendo ergo mortui ſunt mundo, & moriendo vivere cœpere cælo. Infantibus hiſce igitur proprie competit illud ſancti Pauli: *Spectaculum* (Græce θέατρον, id eſt, theatrum) *facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus.* 1. Corinth. 4. 9. q. d. In circo, in amphitheatro ab omnibus ſpectamur quaſi βεβδιάνται, gladiatoribus, beſtiis & feris objecti.

Ubi adverte: hoc infanticidio voluit Deus quaſi in ſcena nos docere, omnem Chriſtiani vitam a puero uſque ad mortem eſſe continuam perſecutionem, crucem & mortem; ac fortitudinem & virtutem Chriſtiani magis C conſiſtere in ardua patiendo, quam in agendo, puta, in conſtanti patientia magis, quam in pugna: Difficilius enim eſt pati, quam agere & pugnare: *Fortia agere*, ait ille, *Romanum eſt*; *fortia pati*, *Chriſtianum*, Chriſtus pro nobis patiens: *Corpus meum*, inquit, *dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Iſaiæ 50. 5. Parvuli viciſſim pro Chriſto membra ſua dedere laceranda carnificibus. Idem faciat Chriſtianus, ut corpus ſuum prædæ det Deo, & pro Deo morbis, laboribus, tormentis quibuslibet. Id fecit S. Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, qui ad ſuos ſcribit: *Ego*, ait, *corpus meum in prædam dedi Arrianis.* Unde ab eis excarnificatus glorioſus Chriſti martyr & homouſii uſque ad mortem propugnator occubuit. Celebrat Eccleſia hunc fidei pugilem & heroem die 15. Decembris. Vere S. Fulgentius de Epiphania: *Ad hoc*, ait, *permiſit Deus Herodem infantes occidere, ut illos de Herode faceret triumphare.* S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 6. ad Thibarit. *Ætas*, ait, *necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam.* Et mox: *Filius Dei paſſus eſt, ut nos filios Dei efficeret*; *& Filius hominis pati non vult, ut eſſe Dei Filius perſeveret?*

Vita Chriſtiani eſt pati.

D

VERS. 19 DEFUNCTO AUTEM HERODE, ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS JOSEPH IN ÆGYPTO.

VERS. 20 DICENS: SURGE, ET ACCIPE PUERUM ET MATREM EJUS, ET VADE IN TERRAM ISRAEL: DEFUNCTI SUNT ENIM, QUI QUÆREBANT ANIMAM PUERI] Defunctus eſt Herodes paucis diebus poſt cædem Antipatri, ut ait Joſephus, ac conſequenter & infantum, ut liquet ex Macrobio: quare Chriſtus non videtur hæſiſſe in Ægypto ultra biennium; nam eo non ivit, niſi uno anno ante mortem Herodis, & poſt eam ſtatim Archelao Herodis filio Romam profecto, & mox inde redeunte ac regnante, rediit, ut hic dicitur. Ita Onuphrius Panuinus in Faſtis, & ante eum S. Epiphanius hæreſi 78. Nicephorus lib. 1. c. 14. licet Baronius putet Chriſtum rediiſſe ex Ægypto anno ætatis nono, Ammonius ſeptimo, Janſenius quinto. Vide Pererium lib. 11. in Danielem q. 5.

Quanto tempore Chriſtus manſit in Ægypto.

QUI QUÆREBANT ANIMAM PUERI] Puta Herodes, ejuſque filii Ariſtobulus, Alexander & Antipater, qui ambientes regnum, ideoque contra patrem (conſequenter & contra Meſſiam, ut videtur) conjurantes cum Scribis & Phariſæis eis faventibus, ab Herode interfecti ſunt, teſte Joſepho lib. 17. Antiq. c. 8. & ſequent.

A Lap. Tom. IX. in Evang.

QUI CONSURGENS, ACCEPIT PUERUM ET MATREM E EJUS: ET VENIT IN TERRAM ISRAEL.

VERS. 21

VERS. 22 AUDIENS AUTEM QUOD ARCHELAUS REGNARET (non ut rex, ſed ut tetrarcha) IN JUDÆA PRO HERODE PATRE SUO, TIMUIT ILLO IRE; ET ADMONITUS IN SOMNIS, SECESSIT IN PARTES GALILÆÆ] Angelus Joſepho dixerat: *Vade in terram Iſrael.* Joſephus Judæam intellexit, quia hæc erat potior pars terræ Iſrael, ac in ea erat templum: illud ergo adire cogitabat, ut Deo pro felici reditu gratias ageret, præſertim, quia Dei juſſu maſculi omnes Hebræi ter ſingulis annis debebant adire templum, Exodi 23. 17. Unde S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Evang. c. 9. & ex eo Gloſſa: *Non determinat* (Angelus) inquit, *in quam partem, ut ad dubitantem iterum revertatur: quia vero non diſtinxerat, Joſeph intellexit Judæam, quæ dignior eſt pars regni: Putavit enim tali puero non niſi Hieroſolymis habitandum: Angelus vero Galilæam intellexit.*

Porro Joſeph ſeceſſit in Galilæam, licet illi præeſſe ſciret Herodem Antipam, Archelai fratrem; tum quia Archelaus ambitioſior erat & ſævior, quam Antipas, ideo- F que ab Auguſto pulſus eſt in exilium; tum quia infanticidium Herodis Aſcalonitæ, qui pater erat Archelai & Antipæ, contigerat in Judæa, puta in Bethlehem. Unde illius memor erat Archelaus, ac facile intelleciſſet Chriſtum reducem in Judæam evaſiſſe infanticidium, ideoque eum ad necem revocaſſet.

Ut hiſtoriam hanc plene & ab ovo, ut dicitur, intelli- Hiſtoria filiorum Herodis. gas, nota ex Joſepho, lib. 10. Antiq. c. 10. & ſequent. Mortuo Herode anno regni ſui 37. cum duo ejus filii ſuperſtites Archelaus, & Herodes Antipas, qui Chriſtum in Paſſione veſte alba indutum illuſit, de regni ſucceſſione inter ſe contenderent, Auguſtus Cæſar litem hanc decidendam commiſit Cajo Cæſari, ſuo ex Julia filia nepoti, qui litem ſic decidit, ut neutri regnum adjudicaret, ſed illud in quatuor tetrarchias diſſectum, quatuor non regibus, ſed tetrarchis adminiſtrandum aſſignaret; nimirum Judæam Archelao tradidit; Galilæam Antipæ; Trachonitidem tertio eorum fratri Philippo; Abilinam Lyſaniæ, ut patet Lucæ 31. Cum ergo S. Matthæus ait, *quod Archelaus regnaret*, intellige non ut rex, vel ut habens titulum regis, ſed ut tetrarcha ſive toparcha, cum ſpe tamen re- G gni & nominis regii, ſi bene ſe gereret, illi data & promiſſa ab Auguſto Cæſare.

Porro Archelaus poſt novem annos ſuæ tetrarchiæ, ob malum regimen pulſus eſt in exilium anno 37. ab Actiaca Victoria, & ſeptennio ante mortem Auguſti. Joſephus, Euſebius, Zonaras, Beda, Haymo, Abulenſis, Marianus, Scotus, Salmeron, Scaliger, Toletus, Barradius, & alii.

Archelao in exilium acto, Auguſtus Judææ dedit Præſi- Archelao ſuffecti Præſides Romani. des, qui eam nomine ſuo gubernarent. Hi tres fuere; qui ſeptem annis, ſcilicet uſque ad mortem Auguſti Judææ præfuerunt. Primus fuit Coponius, qui ſimul cum Quirino Syriæ Præſide confiſcavit opes Archelai. Secundus M. Ambivius. Tertius Annius Rufus. Mortuo poſt ſeptem annis Auguſto, illi ſuccedens Tiberius Cæſar, quartum Syriæ Præſidem creavit Valerium Gratum, ac poſt eum Pontium Pilatum, qui Chriſtum crucifixit. Pilato ex ordine ſucceſſere Marcellus, Cumanus, Claudius, Felix, Porcius, Feſtus, Albinus, & Florus, ſub quo anno Neronis 12. a H morte Chriſti 35. cœperunt Judæi rebellare Romanis, ac mox exciſi ſunt a Tito & Veſpaſiano; nam quinto poſt anno die octava Septembris Hieroſolyma capta eſt, & vaſtata a Tito. Fuſe hæc narrat Joſephus.

Herodi Antipæ vero tetrarchæ Galilææ tandem a Cæſare conceſſum fuit nomen regis, cum diademate, ceteriſque inſignibus regiis. Idem conceſſum fuit Herodi Agrippæ, qui fuit Herodis Antipæ (ex Ariſtobulo fratre, quem olim pater Herodes Aſcalonita occiderat) nepos, ejuſque filio Agrippæ juniori, qui rex permanſit uſque ad excidium Hieroſolymæ. Unde horum trium in Evangeliis & Actis crebra eſt mentio. Antipas enim Joannem Baptiſtam occidit, & Chriſtum illuſit. Agrippa ſenior Jacobum Apoſtolum interemit, & S. Petrum in vincula conjecit, Actor. 12. Agrippa junior Pauli auditor fuit & judex, Actor. 25. & ſeq.

Ex dictis lux magna SS. Matthæo & Lucæ affertur, ac in primis clare liquet, cur Matthæus dicat Joſephum ſeceſſiſſe in Galilæam metu Archelai regnantis in Judæa, ne ſcilicet ipſe æque, ut pater ejus Herodes, Chriſtum quaſi regem Judæorum quæreret ad necem. Rurſum cur Chriſtus nonniſi duodennis aſcenderit in Judæam ad templum, quia

Digitized by Google

A scilicet jam Archelaus a Cæsare privatus erat tetrarchia Judææ, & pulsus in exilium. In Archelao autem desiit Herodis stirps in Judæa regnare, a quo metuendum erat Christo, illique succedere Præsides Romani, a quibus nil Christo erat timendum, utpote qui Christum non notant, imo, nec nomen ejus audierant.

Vrs. 23. ET VENIENS HABITAVIT IN CIVITATE, QUÆ VOCATUR NAZARETH, UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER PROPHETAS, QUONIAM NAZARÆUS (S. Marcus Latinos imitatus c. 1. 24. habet Ναζαρινὸς, ceteri vero Evangelistæ scribunt Ναζωραῖος (VOCABITUR] Nazareth urbem, ita ex S. Hieronymo, Eusebio, Brochardo, Saligniaco & aliis describit Adrichomius in descript. terræ sanctæ pag. 241. num. 73. *Nazareth*, inquit, *quod interpretatur flos, pulchra ac florens Galilææ civitas est Chapharnaum urbi subjacens, ædificata super montem quem corona instar ambit, duabus leucis a monte Thabor, trium autem dierum itinere ab Jerusalem distans. Hic beata Maria, candens flos virginum, nata est. Hic Christus Dominus noster & Salvator, gloria & corona nostra, ut flos campi (inquit Hieronymus) nasceretur in flore virtutum, conceptus & educatus est, ac viginti quatuor annis habitavit. Unde & civitas hæc, civitas sua & patria sua; ipse vero Nazarenus, seu Nazaræus & Galilæus appellatus est. Sed & nos qui nunc a Christo Christiani, apud veteres quasi opprobrio a Nazareo Nazarei, & a Galilæo Galilæi dicebamur.*

Nazareth qualis?

Porro *Galilæa*, ait Rab. *interpretatur transmigratio; Nazareth flos; quo enim ardentius Ecclesia ad cœlestia transmigrat, eo magis virtutum flore abundat.*

B UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER PROPHETAS; QUONIAM (id est, *quod*,) NAZARÆUS VOCABITUR] Quia Christus a Nazareth, ubi conceptus & educatus fuit, cognominatus est Nazaræus, vel ut habet Marcus, Nazarenus. Porro vox *Nazareth* non nominatur in toto veteri Testamento; unde nescimus, an per literam ע *zain* an per ץ *tsade* scripta fuerit. Si per *zain* scribatur, hebr. idem est, quod sanctificata, separata, consecrata: si per *tsade*, idem est, quod florida vel custodita.

C Christus dictus Nazarenus, Quæres, a quo Prophera, ubi, & cur Christus vocatus sit Nazarenus? varii varia afferunt, Ego sunt verisimiliora.

Unde Resp. Primo. Primum, quod Christus dictus sit Nazaræus, hebr. נָזִיר *nazir* vel *nazari* per literam *zain*, id est separatus, sanctus, consecratus, coronatus, religiosus; quia Christus qua homo, separatus ab omni alia re, hypostatice totus fuit unitus Verbo: radix enim נזר *nazar* significat separare, consecrare, coronare. Unde Religiosi veteris legis, qui se a vino & sæculo separabant, ac Deo consecrabant, vocabantur Nazaræi, ut patet Numer. 6. 2. & seq. Vide ibi dicta; Christum autem fore sanctum & Deo consecratum, omnes Prophetæ prædixerunt, ac in primis Daniel c. 9. 24. *ungetur*, ait, *Sanctus sanctorum*, scilicet Christus, & sic Samson, qui Christi typus extitit, fuit Nazaræus. Judic. 13. 7. æque ac Joseph Genes. 49. 2. Sicut enim Joseph post carcerem factus est princeps Ægypti; sic Christus post mortem factus est princeps mundi.

D Ita S. Ambrosius & Rupertus, quos citavi Gen. 49. 2. Verum tamen est, quod hi Nazaræi Græce vocantur Ναζιραῖοι per ι, Christus vero ubique vocatur Ναζωραῖος per ω ut distinguatur a Nazaræis, quod ipse non ex voto, ut illi, sed ex patria Nazareth dictus sit *Nazarenus*. Christus enim bibit vinum, quod vetitum erat Nazaræis ex voto. Ita S. Hieronymus hic & Eusebius lib. 7. de Demonstr. c. 2. demonst. 5. ubi citat illud Levit. 21. 12. de Pontifice Aaronico, qui typus erat Christi, dictum: *Nec egredietur de Sanctis, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum*. Pro *sanctæ* hebr. est נזר *nezer*, id est, consecratio, vel sanctificatio olei unctionis Dei sui super eum est: sic & Leo Castrius in c. 11. Isaiæ v. 1. & seq. Index vocum hebr. qui Bibliis in fine affigi solet, ac Paulus Burgensis hic, qui proprie hic citari putat illud psalm. 131. 18. *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, hebr. נזרי *nizri* quod S. Hieron. vertit *diadema ejus*. Unde & lamina aurea tiaræ Pontificis affixa, cui insculptum erat *Sanctitas Domino*, vocatur נזר, *nezer*, id est, corona vel diadema sanctitatis. Exodi 29. 6. Erat que typus, imo index Christi Nazaræi sancti & coronati. Quare huc alludens Apost. Hebr. 2. 9. *Videmus*, ait, *Jesum propter honorem passionis gloria & honore coronatum*. Vide dicta ibidem v. 9. & 10. Audi Eusebium: *Nazer*, inquit, *Septuaginta vertunt sanctum. Aquila: Separatio, Symmach. intactum. Itaque ex his Nazaræum nomen significabit aut sanctum, aut segregatum, aut intactum. At vero prisci quidem sacerdotes cum oleo comparato, quod apud Moysem Nazir appellatur, ungeventur, ex derivatione a Nazer vocabantur Nazarei. Sed Salvator & Dominus noster suapte natura in se habens & sanctum, & intactum, & separatum, neque alicujus indigens humanæ unctionis, tamen Nazarei appellationem apud homines obtinuit, non quod ab oleo, quod Nazer vocaretur, Nazareus extiterit; sed quod quamvis natura quidem talis esset, tamen a Civitate Nazareth apud homines Nazareus vocatus sit, ubi apud suos, qua homo erat, parentes puerilem educationem obtinuit.* Christus ergo fuit Nazaræus, id est, a ceteris hominibus segregatus, sanctificatus, consecratus & coronatus summus mundi Pontifex, legislator, doctor, redemptor & sanctificator.

E

Huic sententiæ favet character: Nam ubique Evangelistæ *Nazareus* vel *Nazarenus* scribunt per literam Z quæ est in Hebr. *nezir* & *nazir*. Si enim Nazarenus derivaretur a נזר *neser* per tsade, ut significet *floridum*, scribi deberet *Nasarenus* per literam *s*. Nam in omnibus aliis nominibus litera Hebræa ץ *tsade* transfertur per literam *s*. ut patet in Bosra, Asor (de qua Josue c. 11. & 15. quam aliqui putant esse Nazareth) Melchisedech, Sabaoth, Sion, Sephora, Sadoch, Sadducæi. Ex adverso ז *zain* hebr. semper transfertur in *zeta*, ut patet in Zare, Zabulon, Zacharias, Beelzebub, &c.

F

Adde, dignius est Christum vocari Nazaræum, per *zain*, id est, sanctum, quam Nasarenum per *tsade*, id est floridum; nam נזר *nezer*, id est, sanctitas, consecratio & corona Christi, qua homo est, fuit unio hypostatica, vel potius, ipsa Verbi divinitas, quæ humanitatem Christi totam coronavit, sanctificavit, sibique separavit, univit & consecravit. Denique favet huic sententiæ, quod S. Matthæus dicat: *Quod dictum est per Prophetas*, non *per Prophetam*, quo ostendat se non verba unius Scripturæ, *sed multarum sensum dedisse*, ait sanctus Hieronymus, quia scilicet multæ Scripturæ dicunt Christum fore sanctum per antonomasiam.

G Secundo. Secundo, alii passim censent quod Christus dicatur Nasarenus a נצר *nezer*, per *tsade*, q. d. floridus a flore, aut potius germinans a germine: *neser* enim Theodotio & Aquila, teste S. Hieronymo in Isaiæ 11. 2. verterunt *germen*. Hoc enim nomine proprie vocatur Christus Isaiæ 11. 2. *Et flos*, inquit, *de radice ejus ascendet*: ubi pro *flos* hebr. est, נצר *neser* per *tsade*. Nazaræus ergo idem est, quod floridus aut germinans, succrescensque in magnam & gloriosam arborem, pretiosos multosque fructus producentem.

Prob. Primo. Ratio est prima, quia alibi Christus vocatur צמח *tsemach*, id est, *germen*, quod noster vertit *oriens*, scilicet, germinans e terra Zachar. 6. 12. & c. 3. v. 8. quia scilicet Christus de Virgine ut germen de terra impollutum, & ab omni labe peccati purum, omni virtute virens effloruit, ac suavitatem odoris sui & famæ longe lateque sparsit. Unde S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. *Flos*, ait, *avulsus odorem non amittit, contritus accumulat.* Sic & Christus in passione contritus & occisus, vim suæ divinitatis & gratiæ magis ostendit.

Secunda. Secunda ratio est, quod in titulo crucis Christi, qui Romæ servatur & ostenditur in Basilica sanctæ Crucis in Jerusalem, נצרי *notseri* scribatur per *tsade*, non per *zain*, ait oculatus testis Pagninus in Explicat. vocum hebr. in voce *Nazareth* & *Nazarenus*. Sic & Syrus cum Arabico *Nazarenus* scribit per *tsade*, & Rabbini moderni a Christo *notseri*, id est, Nazareno Christianos vocant *notserim* per tsade, id est, Nazarenos. Unde præcise scribendum fuisset Nasarenus per *s*, non Nazarenus per *z*; sed quia litera *tsade* Hebræis sono est duplex, valetque *ds*, vel *ts*, æque ac idem valet apud Græcos & Latinos litera *zeta*, hinc per eam scripsere Nazarenus. Vidi & ego sæpius titulum S. Crucis Christi Romæ, & studiose inspexi, sed literas ita exesas vidi, ut discernere nequiverim, an Nazarenus in Hebræo scriberetur per *tsade* an per *zain*, imo potius per *zain* quam per *tsade* scribi videretur. Formam hujus tituli exacte in imagine expictam impressit Jacobus Bosius lib. 1. de Cruce triumphante c. 11. inspice illam, & ita, ut dixi, esse censebis. Adde titulum hunc fuisse conscriptum a Pilato Præside Romano, ejusque ministris Romanis, qui parum Hebraice periti, nescibant an Christus diceretur Nazarenus per *tsade*, an per *zain*, aut certe non curabant hasce literas distinguere, cum quasi

H

ejusdem

A ejusdem sint soni. Porro Nazarenum per *tsade* scribunt, explicantque *floridum*, Rabanus, Lyranus, Abulensis, Pagninus, Jansenius, Cajetanus, Barradius, Franciscus Lucas, Salmeron; sed multi ex his secuti sunt Pagninum, illique quasi oculato testi, dicenti in cruce Christi *netser* scribi per *tsade*, crediderunt.

Conciliatio utriusque sententiæ. Verum utraque sententia conciliari & conjungi potest, si dicas Christum Nazarenum dici, si literas præcise spectes, a נזר *nezer* per *zain*, id est, sanctitas, consecratio, corona; alludere tamen ad נצר *neser* per *tsade*, id est, germen, flos; quia hæ duæ literæ *tsade* & *zain*, uti charactere, ita & sono sunt vicinæ, & inter se, ac cum aliis, quas includunt, subinde commutantur, ut patet in conjugatione Hitpael. Vide Grammaticam Hebræam Bellarmini & aliorum. Quocirca utrumque conjunxit Psaltes psal. 131. 18. dicens: *super ipsum autem efflorebit* (ecce *Nazarenus*, id est floridus) *sanctificatio mea*, ecce, *nezer*, id est, sanctitas. Sic & S. Hieronymus hic: *Nazaræus*, ait, *sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis scriptura commemorat. Possumus* B *& aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit: Exiet virga de radice Jesse, & Nazaræus de radice ejus conscendet.* Denique ut literis, ita & sensu hæc duo nomina sibi mutuo cognata sunt, qui enim est Nazarenus, id est separatus a terrenis voluptatibus, hic utique est Nazaræus, id est, floridus virtutibus. Hinc nonnulli Græcum ἅγιος, id est, *Sanctus*, derivant ab α privativo & γῆ, id est, terra q.d. sine terra, qui enim a terra semotus cælestia ambit, hic cœlestis est & sanctus.

Porro Matthæus hoc addit, quia Nazareth oppidum erat exile & vile, hinc Nazareni nomen pariter Judæis & Gentibus videbatur vile & exile, imo ob illud multi absterrebantur a Christo, ne crederent ipsum esse Messiam. Unde Nathanael ad Philippum indicantem ei Christum a Nazareth: *A Nazareth*, inquit, *potest aliquid boni esse?* Joan. 1. 46. & Julianus Apostata Christum per contemptum vocabat Galilæum & Nazarenum (Nazareth enim erat in inferiori Galilæa) adeoque telo cælesti a Christo percussus moriensque: *vicisti*, ait, *Galilæe, vicisti*. C Contrarium ergo hic ostendit Matthæus scilicet Nazareni nomen glorioſum esse utpote Prophetis ante tot sæcula prænuntiatum & Christo attributum.

Nazareni nomen illustre. Sensus igitur est, q. d. Licet in Bethlehem natus sit Christus, tamen in Nazareth conceptus & educatus est, scilicet in urbe parva & obscura, ut ibi facilius Herodem infanticidam ejusque posteros latere posset, utque nobis daret exemplum humilitatis, & contemptus pomparum mundi. Unde a Nazareth urbe dictus est Nazarenus; sed ita ut non tantum nomen Nazareni, sed & res, puta sanctitas nomine Nazareni significata, illi conveniat, atque ut hoc significaretur, Deus Christum voluit concipi & educari in Nazareth: Itaque reipsa impletum est, quod Isaias & prophetæ de eo prædixerunt, scilicet quod Christus *nazir*, id est, *Nazaræus*, id est, *Sanctus*; ac *neser*, id est *Nazarenus*, id est, *floridus* omni virtute & gratia, uti revera erit, sic & vocabitur: ac consequenter Nazareni nomen, quod Judæi & alii probro dederunt Christo & Christianis, illustre est, imo nota & index veri Messiæ; hoc enim titulo Messiam indicarunt & insignierunt Prophetæ. D Porro Nazareni cognomen primi Christo dederunt dæmones. Lucæ 4. 34. Marci 1. 24. deinde turbæ, Marci 10. 47. Lucæ 18. 37.

Tropologice Nazarei sunt religios. Tropologice, Christus Nazarenus, id est separatus a mundo & consecratus Deo, ideoque omni virtute florens, origo, pater & princeps fuit Nazaræorum, id est, religiosorum, qui mundum spernentes, totos se Deo dicant, ut virtutibus efflorescant, juxta illud Thren. 4. 7. *Candidiores Nazarei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Vide dicta ibidem, & Num. 6. Vide & nostrum Hieron. Platum lib. 2. de Bono status relig. c. 19.

Nazarenus, id est, custos. Addit Salmeron: *Nazarenus* idem est quod *Samaritanus*, id est, *custos*, (נצר *natsar* enim est servare, custodire) scilicet hominum, vel *custoditus* scilicet deitate, juxta illud Job 7. *Quid faciam tibi custos hominum?* Et Psal. 120. *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.* Sic & Franc. Lucas: *Nazarenus*, inquit, *est custos, servator, defensor*. In Nazareth ergo beata Virgo repræsentatur, ex qua Christus Nazarenus natus est, quia ipsa custodita fuit ab originali peccato, a pudore conceptus, ab onere ventris, a corruptione & dolore partus, a molestia viri subjectione in vita, & ab incineratione in morte. E Corpus enim Virginis post mortem non fuit resolutum in cineres, uti fit in cæteris hominum corporibus, sed in cælos cum anima assumptum ad gloriam. Ita Salmeron. *Hæc vera sunt, sed magis symbolica, quam literalia.*

Minus recte Isidorus Clarius per Prophetas accipit interpretes S. Scripturæ, puta Scribas & Pharisæos, qui ex Isaiæ 11. v. 1. intellexerunt, & dixerunt Christum fore nesar & Nazarenum; id est, florem & floridum, ideoque apte patriam ejus vocatam esse Nazareth, id est, florem, eo quod ipsa florem hunc, scilicet Christum, esset productura.

CAPUT III.

SYNOPSIS CAPITIS.

P*Prædicat Joannes Baptista pœnitentiam, ut per eam homines præparet ad Christum, Christique gratiam, Unde v. 13. Christum baptizat, quando Spiritus sanctus in eum specie columbæ descendens, & vox Patris:* F *Hic est filius meus dilectus, ipsum esse Messiam toti orbi declaravit.*

IN diebus autem illis venit Joannes Baptista VERS. 1. prædicans in deserto Judææ.

2. Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.

3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus.

4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre:

5. Tunc exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem,

6. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confi- G tentes peccata sua.

7. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum, venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?

8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.

12. Cujus ventilabrum in manu sua: & per- H mundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

13. Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

14. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debo baptizari, & tu venis ad me?

15. Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.

16. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.

17. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

IN DIEBUS AUTEM ILLIS VENIT JOANNES BAPTISTA VEL PRÆDICANS IN DESERTO JUDÆÆ] q. d. In tempore illo scilicet quo Christus incarnatus & natus, vitam egit inter

Digitized by Google

A ...ent homines. Nam hæc contigerunt anno 15. Tiberii, ut ait Lucas c. 3. v. 1. cum Joannes & Christus agerent annum ætatis trigesimum. Transit ergo Matthæus a pueritia Christi ad virilem ejus ætatem, in qua cœpit prædicationis & redemptionis munus, ad quod obeundum a Patre in carnem & mundum missus erat, exercere, ideoque præmisit Joannem Baptistam, ut is illum esse Messiam Judæis indicaret: nec si ex abrupto sine indice aut teste fide digno Christus in Judæa appareret, ab omnibus sperneretur.

Porro Christus delituit (& artem fabrilem exercuit cum Joseph patre) per annos 19. ut insigne humilitatis orbi daret exemplum. Cœpit ergo prædicare anno trigesimo, ut se Judæorum moribus & legibus conformaret: apud Judæos enim nemini munia Doctoris aut sacerdotis obire licebat ante annum ætatis trigesimum, ut tradunt Hebræi, & colligitur 1. Paralipom. 23. 3. Hinc & Joannes eodem anno trigesimo, sed paulo ante Christum, cœpit prædicare. Tantas & tam longas humilitatis Christi latebras admirans S. Bernardus serm. 1. de Epiphania exclamat:

B *O humilitas virtus Christi, quantum confundit superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & jam scire non possum, impudenter me, & imprudenter ingerens & ostentans; promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria patris? Cui que timebat, sed non sibi. Nobis timebat ob illa, quibus noverat esse timendum: nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere; & quod postea docuit verbo, jam clamabat exemplo: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.*

IN DESERTO] Non culto & habitato, quasi Joannes in domo paterna, quæ in montanis Judææ erat, commode habitarit, uti volunt nostri delicati Novantes & desertores. Nam Isaias 40. v. 3. vaticinans de Joannis deserto, illud proprie accipit pro eremo, ut patet ex circumstantiis. Idem convincit asper Joannis e pilis camelorum vestitus, & cilicium ac esca sylvestris, scilicet locustæ & mel sylvestre, ita passim Patres Græci & Latini, quos

Joannes vixit in deserto cura

C fuse citat noster P. Canisius de Corrupt. Verbi Dei cap. 2. Causa fuit, ut Joannes, velut Moysis & Eliæ æmulus, ac Christi præcursor, in deserto, ab hominum inquinamentis remotus, cum Deo & Angelis conversaretur, ab eisque magnæ virtutis & Spiritus vim hauriret, ac sanctitatis nomen & famam sibi pareret, cui proinde Christum ostendenti omnes crederent, ac ejus prædicatione compuncti, pœnitentiam agerent: unde Patres crebro S. Joannem vocant principem monachorum & anachoretarum, ut sanctus Hieronymus epist. 22. ad Eustochium, sanctus Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius hic, Cassianus collatione 18. c. 6. Hinc Joannes in deserto cum Angelis Angelice vivens, æstimatus fuit Angelus, imo a Malachia c. 3. & a Christo, Matth. 11. 10. vocatur Angelus: *Hic est*, inquit, *de quo scriptum est: Ecce ego mito Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam, ante te.*

Symbolice.

D Symbolice B. Joannes prædicans in deserto, significabat Evangelium præcipue fore prædicandum, non in Jerusalem & Judæa, sed in solitudine & deserta Gentium multitudine. Ita S. Hieronymus in c. 40. Isaiæ.

Tropologice.

Tropologice S. Joannes suo exemplo docuit viros Apostolicos & prædicatores futuros prius secedere ab hominum tumultu, & in secreto vacare orationi & meditationi, ut in ea magnam vim spiritus cælitus hauriant, quam deinde prædicando in auditores effundant. Vide quæ de laudibus deserti dixi Osee 2. 14. ad illa: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Huc facit illud S. Augustini epist. 76. *Non erit bonus Clericus qui non fuit bonus monachus.* Quocirca SS. Augustinus, Martinus, Chrysostomus, Nazianzenus, Basilius, Gregorius, aliique plurimi ex monasteriis in Clerum assumpti, & licet inviti, ad Episcopatus evecti sunt.

Porro hoc desertum Judææ fuit juxta Jordanem prope Ænon & Salim, ut patet Joan. 3. 23. eratque celeberrimum, cum copia aquarum ad baptizandum, tum habitatione & miraculis prophetarum ac virorum religiosorum, qui in libris Regum filii Prophetarum, id est discipuli Eliæ, Elisæi & similium vocantur.

Denique Nicephorus lib. 1. c. 14. testatur Joannem sesquiannum agentem a matre ductum in desertum, Herodianam forte iram fugiente. Addit Cedrenus in Compendio Histor. eum delituisse in spelunca quadam, ibique matrem objisse, Angelum autem Joannis pueri curam suscepisse. Hæc spelunca postea ab eremitis culta fuit, ut patet ex Joanne Moscho in Prato Spirit. c. 1. ubi narrat hanc speluncam sitam esse juxta Jordanem, ad eamque casu divertisse Joannem Abbatem ægrotum, ibique a Joanne Baptista sanatum cum pacto, ut speluncam eamdem incoleret. Apparens enim Baptista, ait illi: *Ego sum Joannes Baptista, & ideo tibi jubeo, ut numquam hinc recedas, nam spelunca ista brevis major est monte Sina. Quippe in hanc sæpius Dominus noster Jesus, cum me visitaret, ingressus est. Pollicere ergo mihi, quod hic habitabis, & ego mox sanitatem tibi restituo.* Quod senex audiens libenter spopondit se in eadem spelunca permansurum. Et continuo sanus effectus, perseveravit ibidem toto vitæ suæ tempore. Speluncam vero illam fecit Ecclesiam, congregavitque ibi fratres. Appellatur autem locus ipse Sapsas.

E Spelunca Baptistæ.

Versa in Ecclesiam.

ET DICENS: POENITENTIAM AGITE; APPROPINQUAVIT ENIM REGNUM CÆLORUM] Ideo Joannes ivit in desertum, ut ibi pœnitentiam & vitam austeram agens, congruus fieret præco pœnitentiæ, utpote qui illam prius doceret exemplo, quam verbo. S. Joannem imitatus sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in sancta luminaria. Epiph. post medium: *Officium*, ait, *Magni Joannis, imo potius famulatum subire contendo, vel gestio, & licet non sim præcursor, de eremo tamen venio.* Ipse enim cum S. Basilio secessit in solitudinem Ponti, ibique asperam egit vitam, atque inde hausto cælitus Spiritu, quasi novus Baptista, pœnitentiæ præco prodiit. Hoc fuit thema, hæc summa prædicationis Baptistæ: *Pœnitentiam agite:* quia tunc pene omnes erant peccatores, vivebantque in suis vitiis & cupiditatibus; peccatori autem necessaria est pœnitentia, ut gratiam & justitiam a Christo percipiat.

F

Nazianzenus similis Baptistæ.

Porro pœnitentia non tantum est morum emendatio, & novæ vitæ inchoatio, ut volunt hæretici; sed & veteris vitiosæ per dolorem detestatio, castigatio & destructio: nec enim nova vita inchoari potest, nisi vetus destruatur: unde Glossa interl. sic exponit: q. d. *Puniat quisque mala prioris vitæ, quia appropinquabit salus, quam perdidimus, & facultas redeundi, unde cecidimus.* S. Augustinus lib. de Pœnit. *Novam vitam*, inquit, *inchoare non potest, quem veteris non pœnitet.* Gloss. *Hoc*, ait, *præco nuntiat, quod postea veritas. Est autem pœnitere, anteacta deflere & deflenda non committere. Quem vere pœnitet, punit in se præteritos errores, erigitque animum ad cælestia: concipitur autem hæc virtus timore, & dicitur pœnitentia a puniendo quod illicite commissum est.* Pœnitentia ergo dicitur quasi pœnæ tenentia. Idem significat Græcum μετάνοια. Unde Ausonius:

Pœnitentia non est tantum emendatio, sed & castigatio.

G

Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas;
Ut te pœniteat. Sic Metanœa vocor.

Hinc S. Gregorius hom. 34. in Evang. *Pœnitentia*, inquit *est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.* Idem significabat Hebr. הנחם *hinnachem*, scilicet pœnitere & dolere de malo admisso. Unde Deus videns homines a se creatos in scelera ruentes, *pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra; & tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, a facie terræ*, Genes. 6. 6. Quare minus plene Evangelium Hebraicum, S. Matthæo a Munstero attributum, pro *hinnachem* & *nechumim*, id est, pœnitere & pœnitudines nude ponit תשובה *teschuba*, id est conversio, vel שובו *schubu*, id est, *convertimini* ad Dominum: pœnitentia enim non est nuda conversio ad Deum, sed & aversio a peccatis, sive dolor, compunctio, & satisfactio, uti docet Apostolus 2. Corinth. 7. v. 10. & 11. & Joel c. 1. 12. *Convertimini*, ait, *ad me in toto corde, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Unde liquet pœnitentiam tria munia complecti, scilicet dolorem, novam vitam, & castigationem peccatorum, ut Deum placet.

H

APPROPINQUAVIT ENIM REGNUM CÆLORUM] quo scilicet Deus regnat in fidelibus in hac vita per gratiam, & in futura per gloriam, ipsosque facit reges & regni sui æterni participes, *Regnum cælorum primus Joannes prædicavit*, ait Glossa, *quod numquam Judæi audierant*, ait S. Chrysostomus. Et S. Hieronymus hic: *Primus*, ait, *Baptista Joannes regnum cælorum prædicat, ut præcursor Domini hoc privilegio honoretur.* Nota: Judæi expectabant regnum suum sub rege Messia in terra opulentum & splendidum, quale fuit sub Salomone: hujus enim filius & successor fuit Messias sive Christus, & tale etiamnum

Judæi

Digitized by Google

A Judæi expectant a ſuo Meſſia. S. Joannes ergo, & poſt eum Chriſtus, & Apoſtoli ordiuntur prædicationem a regno Meſſiæ, ſed cæleſti, non terreſtri, q.d. Jam adeſt tempus reſerati cæli, hoc enim brevi Chriſtus vobis ſua morte pandet. Agite ergo pœnitentiam de peccatis præteritis & in futurum mores corrigite, & in melius mutate, ut ab eo in regnum hoc introduci mereamini; *Ecce nunc tempus acceptabile* (prædictum ab Iſaia c. 94.) *ecce nunc dies ſalutis*, quo cælum quatuor annorum millibus clauſum aperiatur, ac qui volent, in illud ingrediantur, ſi videlicet ſemitam a Chriſto proponendam, ſcilicet fidem, ſpem, charitatem, & vitam cæleſtem ineant atque regnum cæleſte ſive ſpirituale in Eccleſia militante inchoent, quod in triumphante lætiſſime conſummabunt. Ita Theophylactus, Janſenius, Maldonatus, & Franciſcus Lucas: *Regnum cælorum*, ait, *vocatur dominatus Chriſti, ut in Angelos ſanctos, ita & in ſocietatem hominum eorum, quorum recte compoſita vita in terris regentem e cælis Deum ſequatur, in cœlis, totam ipſam poſſidente Deo, æternum fruitur.*

B HIC ENIM EST DE QUO DICTUM EST PER ISAIAM VERS. 3. PROPHETAM (cap. 40. 6.) DICENTEM: VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI; RECTAS FACITE SEMITAS EJUS] Hæc ſuſe explicui Iſaiæ 40. 6, quare ibi dicta hic non repetam. S. Joannes enim fuit vox Dei: Primo Chriſtum venturum præmuntians: Secundo eum jam natum demonſtrans, & ad pœnitentiam invitans, & ad Chriſti gratiam præparans. Per τὸ *clamantis*, *fortitudo prædicationis indicatur*, ait Raban. clamatur enim longe poſitis & ſurdis, idque per indignationem. Apte Beda: *Clamavit quidem per alios Deus, ſed & iſte ſolus vox, quia Verbum præſens oſtendit. Parate* ergo *viam Domini*, idem eſt, quod *pœnitentiam agite*, uti præceſſit; q. d. Agite o Judæi, o mundi incolæ, quotquot eſtis Chriſto jam jam venturo & quaſi Meſſiæ Regi veſtro inaugurando, vias (uti regibus fieri ſolet) complanate, hoc eſt, omnia amovete, quæ eum offendere vel dedecere poſſent, ſcilicet errores & peccata tollite per pœnitentiam, atque efficite, ut Chriſtus ab omnibus ſingulis expedite & cupide recipiatur, ut ſcilicet ſinguli

C corda menteſque ſuas ad Chriſti fidem & gratiam, omnemque ſanctimoniam pœnitendo ſtudioſe ſe præparent.

VERS. 4. IPSE AUTEM JOANNES HABEBAT VESTIMENTUM DE PILIS CAMELORUM] Non undulatum, quod vulgo *Camelot* vocant, ut vult Chytræus & delicati Novantes, qui in purpuris ſplendide ornantur, quaſi ſponſi Penelopes. Chriſtus enim Joannem commendat ab aſperitate veſtitus. Matth. 11. 8. *Quid*, ait, *exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum?* quaſi dicat, minime; nam *ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt*. Joannes autem domos Herodis fugit & ſeceſſit in deſertum, ac caulam prætulit aulæ: fuit ergo hæc ejus veſtis vilis, aſpera, hirſuta, horrida, eremitica, cilicina, idque ut habitu ipſo præferret & concionaretur humilitatem, mundi contemptum ac pœnitentiam: nimirum *de virtute animæ habitus corporis loquebatur*, ait ſanctus Chryſoſtomus, ſic & ceteri Patres & Interpretes, ac nominati S. Anſelmus & Euſebius Emiſſenus hom. 1. de Joanne Baptiſta, qui, ajunt veſtem ſancti Joannis fuiſſe cilicium camelinum: in Syria enim copia eſt camelorum. Hoc enim domabat carnem in juventute, ſanguine & calore bullientem, ne in luxuriam deflueret, ſicut faciebat S. Paulus dicens: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*. 1. Corinth. 9. Cilicium enim ſuis pilis & ſetis aculeatis, quaſi totidem aciculis carnem pungens, valde eam mortificat, ejuſque laſciviam & libidines refrænat, uti norunt experti. Hinc S. Ægydius, unus e primis S. Franciſci ſociis rogatus, cur S. Joannes, qui nil peccaverat, tam auſteram egiſſet vitam & pœnitentiam? Reſpondit: *Sicut carnes condiuntur ſale, ne putrefcant, ita corpus Baptiſtæ conditum fuit pœnitentia*. Ita referunt Annales Franciſcanorum: *Pœnitentia enim*, ut ait S. Cyprianus ſerm. de Ratione circumciſionis, *eſt corroſorium ſal, deſiccans recrudeſcentes carnis putredines*. Hinc S. Hilarion, S. Antonius, S. Paulus, S. Pachomius, S. Barlaam ceterique Anacoretæ, teſte S. Hieronymo, S. Athanaſio, Palladio, Caſſiano, & aliis, veſtiebantur cilicio vel ſacco cilicino, uti nunc veſtiuntur Cappucini, atque olim veſtiebatur Elias, Eliſæus, ceterique Prophetæ, uti oſtendi procœmio in Minores Prophetas, imo Deus Adæ fecit tunicas non byſſinas, laneas aut lineas, ſed pelliceas & duras, ut iis quaſi ciliciis carnem domaret, & peccati ſui pœnitentiam ageret, ut dixi Geneſ. 3. v. 21. Celebris eſt gnome Auguſti Cæſaris apud Suetonium: *Veſtitus inſignis ac mollis, ſuperbiæ vexillum eſt, niduſque luxuriæ*. Vis exempla? Accipe. S. Ephrem vitam S. Abrahæ Eremitæ ita concludit: *in omnibus quinquaginta abſtinentiæ ſuæ annis, veſtem cilicinam, qua indutus fuerat, non mutavit*. S. Clara per 28. annos licet infirma, cilicium e ſetis porcinis geſtavit. S. Joſaphat rex, regnum cum eremo commutans aſperum ſibi a Barlaam datum cilicium ſub veſte ad nudam carnem portabat; teſte Damaſceno, in Hiſtor. cap. 37. Theodor. in Hiſtor. relig. cap. 37. de S. Abraamo Eremita ita ſcribit: *Hunc quoque deſideravit videre Imperator, & ad ſe accerſivit, & veniens ſalutavit & excepit; & agreſte illud cilicium ſua purpura exiſtimavit præſtantius*. S. Guilielmus dux Aquitaniæ converſus a S. Bernardo, lorica ferrea carnem ſuam domabat, & contra tentationes armabat. Idem fecit S. Dominicus, qui ideo Loricati cognomen accepit: Durum ſane & ferreum cilicium S. Martini, teſte Sulpitio, ſententia fuit: *Decet Chriſtianum in cinere mori*: unde ipſe recubans in cinere & cilicio mortuus eſt; æque ac S. Anſelmus, S. Carolus Borromeus, pluteſque alii. Quin & Joſephat patrem ſuum Abenner regem in cilicio ſepelivit: teſte Damaſc. in Hiſtor. 1. 35.

Exempla. S. Abrahæ. S. Claræ. S. Joſaphat. S. Guilielmi. S. Dominici Loricati. S. Martini.

E F

ET ZONAM PELLICEAM CIRCA LUMBOS SUOS] Prophetæ, imo omnes Judæi & Syri longa utebantur veſte: unde ne illa diffluereet & greſſum impediret, zona eam ſuccingebant, ut eſſent expediti ad iter, & robuſti ad opus. Hinc monet Chriſtus, ut lumbis ſimus ſuccincti. Lucæ 12. 15. Epheſ. 6. 14. vide ibi dicta: Joannes vero inſuper lumbos ſuccingebat zona pellicea, ut illa magis veſtem cilicinam corpori apprimeret, itaque magis carnem pungeret & mortificaret, ac ſpiritui ſubjectam redderet; in lumbis enim eſt origo ſeminis & libidinis; qua in re imitatus eſt Eliam; cujus hoc eſt elogium: *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus*. 4. Reg. 1. 8. Tritum eſt illud: *Accincta veſtis, accincta mens; diſcincta veſtis, diſcincta mens*. Nam, ut ait Eccleſiaſticus cap. 19. 27. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo*. Unde Sylla Pompejum & Romanos Senatores monebat, ut male præcinctum puerum caverent, in eo enim multos ineſſe Marios. Erat is Julius Cæſar, qui tum puer, ſed poſtea vir, Pompejum, ſenatum & nobilitatem Romanam oppreſſit. Ita Macrobrius lib. 2. Saturnal. cap. 9. Vide S. Chryſoſtomum hic & Caſſianum lib. 1. de Habitu monachi cap. 1. qui ita inchoat: *Itaque Monachum ut militem Chriſti, in procinctu ſemper belli poſitum accinctis lumbis jugiter opus incedere*, idque probat exemplo Eliæ, Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli.

Zona Joannis ad quid? G Male præcinctus puer cavendus.

ESCA AUTEM EJUS ERAT LOCUS Æ ET MEL SYLVESTRE] Pro *locuſta* Græce eſt, ἀκρίδες, per quod primo perperam Beza accipit pyra ſylveſtria: hæc enim non vocantur ἀκρίδες, ſed ἄχραδες: ἄχρας enim eſt pyrus ſylveſtris, ſpinæ genus: Item pyrum agreſte. Unde Columella lib. 10.

Palmitibuſque feris lætatur & aſpera ſylvis
Achrados, hoc eſt, Pyraſter, ſive Pyrus Sylveſtris.

Secundo. H

Secundo, perperam quoque nonnulli apud Epiphanium hæreſi 30. quæ eſt Ebionæorum, per ἀκρίδες accipiunt ἐγκρίδες, id eſt, bellaria ex melle & oleo confecta.

Tertio, alii Novantes per ἀκρίδες accipiunt cancros marinos. Verum hi non vocantur ἀκρίδες, ſed ἀκαλήφαι, vel καρίδες apud Athenæum; apud alios vero καρκίνοι. Et unde quæſo cancros marinos habuiſſet Joannes in deſerto? Adde cancros, utpote reptantes ſuper terram, lege fuiſſe Judæis vetitos. Levitic. 11. verſ. 41. Denique cancri hi deliciæ ſunt divitum, a quibus abhorrebat Baptiſta.

Tertio.

Quarto, alii ἀκρίδες vertunt herbas, vel arborum, frondiumque ſummitates. Unde Æthiopicus vertit; *Eſca ejus erant anvota, id eſt, extremitates herbarum cum melle ſylveſtri*, in mel intinctæ.

Quarto.

Verum dico ἀκρίδες ſunt locuſtæ, uti vertit noſter, Syrus & Arabicus: (Ægyptius vertit *cicadæ*, ſed per eas intelligunt locuſtas: ſunt enim locuſtæ, quæ canunt ut cicadæ) ita dictæ, quod τὰ ἄκρα, id eſt, ſummitates ariſtarum & plantarum advolantes depaſcantur. Ita Theocritus, & alii paſſim in Lexicis. Unde Origines, Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus apud Caniſium

Quinto. & vere.

S. Joannis veſtis erat cilicium. D

Sic & Anachoretarum.

Digitized by Google

A ſam lib. 1. de corrupt. el Verbi Dei cap. 4. par ἀκρίδας accipiunt inſecti genus ſaltando volitans, uti ſunt locuſtæ, quas comedi ſolitas ab Æthiopibus, Libyis, Parthis, aliiſque Orientalibus docet Plinius lib. 11. cap. 29. & lib. 6. 30. Unde hi a Diodoro Siculo lib. 3. cap. 3. vocantur ἀκριδοφάγοι, id eſt, locuſtivori, & S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, *Orientales*, ait, *& Libyæ populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe Joannes quoque Baptiſta probat.* Hinc & locuſta, quia ſalit quaſi mundum animal, inter eſcas Judæis a Deo permiſſas ponitur Levit. 11. 22. Nec id mirum, cum in hiſtoriis legamus Germanos milites olim bombyces frixos comediſſe, Italos muſtelas, Hiſpanos teſtudines domiportas: multi quoque hodie edunt oſtrea & conchylia etiam cruda, quæ ex putredine procreari ſcimus.

Locuſtæ, Orientalium cibus.

Porro locuſtas priſci manducabant vel elixas, vel toſtas & in pollinem redactas: imo ſole, vel ſale & fumo duratas in totum annum ſervabant.

Quæſt.

B Denique locuſta vilis eſt cibus, temperantiæ, paupertatis & pœnitentiæ index. Hieron. Mercurialis lib. 2. Variar. lect. cap. 20. docet locuſtas cibum eſſe ſiccum & vitam abbreviare, ac pediculos morboſque generare; ſed Dei beneficio aliter factum in Joanne Baptiſta, qui locuſtis veſcens ſanus vegetuſque vixit, ac validus Dei præco, acer gulæ, luxuriæ, omniumque ſcelerum caſtigator, & cæleſtis regni prædicator exemplo magis, quam verbo evaſit.

De potu Joannis hic tacetur, quia conſtat eum non niſi aquam bibiſſe; in deſerto enim nil aliud reperiebat. Unde Angelus de eo: *Vinum*, ait, *& ſiceram non bibet*. Luc. 1. 15.

Mel ſylveſtre quodnam? Reſp. Primo.

ET MEL SYLVESTRE] Quæres, quodnam & quale hoc mel? Primo, Rabanus cenſet eſſe arborum folia candida & tenera, quæ manibus confricata & trita, odorem & ſaporem quaſi mellitum exhibent.

Secundo.

Secundo, Jac. Faber Stabulenſis putat mel hoc eſſe illud, quod Plinius lib. 11. c. 16. inter genera mellis facit tertium, & ericæum vocat ab erica, qui frutex eſt autumni tempore florens, cum reliquæ herbæ & virgulta deflorent; eſtque id mel inſuave.

C Tertio.

Tertio, alii putant mel hoc eſſe humorem ex arborum foliis collectum.

Quarto.

Quarto, Suidas æſtimat eſſe rorem, qui ex fruticibus & arboribus decerptus, mana dicitur.

Quinto. Vere.

Quinto, & genuine, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hic, & Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 5. & epiſt. 132. cenſent hoc mel eſſe agreſte ab agreſtibus apibus, quæ in arboribus aut lapidum ſciſſuris mellificant, confectum, quod amari & ingrati ſaporis eſſe docent Euthymius, & Iſidorus Peluſiota. Porro Æthiopicus habet *Sedena*, quæ vox ſignificat mel quoddam particulare communi ſuavius & ſanius; quod conficit certum genus apum, ab Æthiopibus vocatum *taſma*, minus ceteris inſtar muſcæ.

VERS. 5. TUNC EXIBAT AD EUM HIEROSOLYMA, ET OMNIS JUDÆA ET OMNIS REGIO CIRCA JORDANEM] *Tunc*, cum ſcilicet fama vitæ eremiticæ, auſteræ & ſanctæ Joannis, æque ac prædicationis ejus tam ſeriæ & ardentis, ubique vulgaretur: hac enim fama Joannis,

D Hieroſolymitæ & Judæi exciti, & ſpiritu Dei impulſi ad eum accurrebant, ut hominem novum quaſi cælo lapſum viderent & audirent. Tanti apud omnes eſt ſanctitas & ſanctitatis opinio: quare ea excellant, qui populum ad vitæ mutationem traducere ſatagunt, oportet. Porro Jordanis Hebr. dicitur quaſi ירד מן דן *jored min dan*, id eſt, *deſcendens ex Dan* civitate, quæ poſtea a Philippo tetracha ædificii aucta & illuſtrata, in gratiam Tiberii dicta eſt Cæſarea Philippi. *Dan* Hebr. ſignificat *judicium*. Unde myſtice notat eos, qui timent Dei judicium accurrere ad ſanctos prædicatores, qualis erat Joannes, ut ab eis viam ſalutis ediſcant, itaque in die judicii a Chriſto judice cælo adjudicentur.

VERS. 6. ET BATIZABANTUR AB EO IN JORDANE CONFITENTES PECCATA SUA] Inepte Calvinus τὸ *baptizabantur* interpretatur, docebantur baptiſmum pœnitentiæ.

Baptiſmus Joannis qualis, & in quo a Chriſti Baptiſmo differens?

Baptizare enim non eſt docere, ſed corpus aqua abluere, ut patet verſ. 13. Baptiſmus Joannis alius a baptiſmo Chriſti, ut contra hæreticos docui Actor. 19, 2. Baptiſmus enim Chriſti ex opere operato omnia peccata delet, & gratiam juſtitiamque confert; nil tale faciebat baptiſmus Joannis, ſed tantum erat ſignum pœnitentiæ, & ad eam excitatio, per quam proteſtabantur ſe optare, E animam ſuam ablui a peccatis, ſicut corpus aqua abluebant. Erat ergo baptiſmus Joannis dumtaxat proteſtatio pœnitentiæ, & præparatio ab baptiſmum Chriſti, ut eo juſtificarentur. Hinc erant *confitentes peccata ſua*. Pœnitentia enim ſive dolor de peccatis facit, ut homo ea confiteatur, eorumque remedium & veniam quærat. Sic Judæi in certis caſibus debebant peccata ſua confiteri ſacerdoti, uti oſtendi Levit. 5. 5. & cap. 6. v. 6. & 7. & Numer. 5. v. 7. Hæc tamen confeſſio non erat Sacramentum, nec peccata condonabat, uti fit in confeſſione a Chriſto inſtituta: in illa enim quaſi in Sacramento ſacerdos poteſtate ſibi a Chriſto in ordinatione collata, abſolvit confitentem a peccatis. Illa ergo Judæorum confeſſio tantum erat index pœnitentiæ & compunctionis, ſive contritionis internæ, quæ ſi erat perfecta, proficiſcens ſcilicet ex amore Dei ſuper omnia, peccata abolebat & juſtificabat: *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*. Jacob. 5. ſin autem contritio hæc eſſet imperfecta: ut tantum foret attritio manans ex timore pœnarum, peccatum non tollebat, nec gratiam juſtificantem conferebat, F ſed ad contritionem diſponebat, & attritum excitabat, ut per eam juſtificaretur.

VERS. 7. *Luc. 3. 7.* VIDENS AUTEM MULTOS PHARISÆORUM ET SADDUCÆORUM VENIENTES AD BAPTISMUM SUUM, DIXIT EIS: PROGENIES VIPERARUM, QUIS DEMONSTRAVIT VOBIS FUGERE A VENTURA IRA?] Primitus tempore Jonathæ, qui fuit frater Judæ Machabæi, erant tres ſectæ Judæorum, ſcilicet Phariſæi, Eſſeni, Sadducæi, de quibus ita ſcribit Joſephus lib. 1. 3 Antiquit. c. 9. *Hoc tempore* (Jonathæ) *tres Judæorum ſectæ erant, quæ de rebus humanis inter ſe diſſentiebant: una phariſæorum dicta, altera Sadducæorum, tertia Eſſenorum. Horum Phariſæi quædam, ut non omnia facto tribuunt, quædam vero in ſua poteſtate, ajunt, ut vel fiunt, vel non fiant. Eſſeni vero omnia in fati poteſtate eſſe affirmant, nec quidquam hominibus præter fati decretum accidere. At Sadducæi fatum omnino negant, & e rebus tollunt, dicentes nihil fataliter evenire hominibus, & omnia in noſtra ipſorum poteſtate eſſe, ut tam felicitatis nobis ipſi auctores ſimus, quam infortunii, ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus.* Fuſius haſce tres ſectas, eorumque dogmata & mores idem proſequitur lib. 2. belli cap. 7. ubi docet Phariſæos certiorem legalium rituum notitiam fuiſſe profeſſos; Sadducæos negaſſe numen, ſive providentiam, & animarum poſt mortem præmia vel ſupplicia, quod unicum eſt frænum ad cohibendum ſe a peccato ſancteque vivendum: quo amoto, homines quaſi effrænes equi ruunt in omnes voluptates. Unde S. Lucas Actor. 23. 8. *Sadducæi*, ait, *dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum: Phariſæi autem utraque confitentur*. Sadducæi enim Græcorum (quibus tum ſuberat Judæa) Sophiſtarum & Atheorum fabulas ſecuti, ridebant campos beatorum Elyſios, Orcum, Cerberum, gehennam, &c. hos impugnabant Phariſæi, priſcorum Patrum Abrahæ, Moyſis & Prophetarum fidem ſpemque ſectantes, eoſque ſecutus eſt populus. Sadducæos vero optimates, &, ut videtur, Herodes, qui quaſi Atheus vixit, effuſus in omnem libertatem & ſævitiam. Utrique veniente Chriſto, contra eum quaſi communem Judæorum hoſtem conſpiraverunt. Contra Sadducæos ſcriptus eſt liber Sapientiæ, & liber ſecundus Machabæorum. Vide dicta in Argumento Sapientiæ. Dicti ſunt *Sadducæi*, id eſt, *juſti*, quia juſtitiæ nomen ſibi arrogabant, vel potius a *Sadoc* eorum auctore: Dicti ſunt Phariſæi, id eſt, expoſitores & explanatores legis; aut ſeparati (radix enim פרש *pharas*, ſignificat ſeparare, indeque exponere, quia dum partes rei convolutæ a ſingulis ſeparantur, tunc res tota diſtincta ob oculos poſita explicatur, apperitur & exponitur) a vulgo, ob doctrinam & ſanctitatem, quorum magiſtri & Principes fuere R. Hillel & Sammai paulo ante Chriſtum, ait S. Hieronymus in cap. 8. Iſaiæ. Utrique ſemper virtuti & veritati fuere adverſi. Unde a S. Joanne hic graviſſime increpantur, tum quia erant ſuperbi, vana ſcientiæ & ſanctitatis opinione inflati; tum quia erant hypocritæ, & fictæ quaſi ſanctitatis ſtudioſi, baptiſmum cum aliis expetebant a ſanctiſſimo viro Joanne, ut & ipſi ſancti a populo haberentur. Ita Origenes tom. 6. in Joannem. Adde hac ratione volebant devincire ſibi Joannem, eique os claudere, ne in illorum vitia detonaret. Idem nunc faciunt Politici. Hinc Chriſtus Matth. 21. 26. & toto cap. 23. acriter eorum ambitionem

Tres ſectæ Judæorum.

Sadducæi Atheï.

H

Unde dicti?

Phariſæi qui & unde dicti.

Digitized by Google

A nem, avaritiam, præpoſteram & perverſam legis explicationem, aliaque ſcelera redarguit, eiſque *ve æternæ* damnationis intentat, atque ideo ipſi necem Chriſto machinati ſunt, & reipſa intulerunt, ac poſt eum ſanctum Stephanum & primos Chriſtianos ad *necem* perſequi ſunt, ut patet Actor. 4. tum quia verum eſt vetus dictum: *figulus figulo invidet, faber fabro*, doctor doctori: tum quia Chriſtiana ſapientia contraria erat, & redarguebat Phariſæorum Judaiſmum, inſipientes eorum legis interpretationes, ac multo magis mores impuros & impios. Soli Eſſeni ob fidei morumque pietatem Chriſto & Chriſtianis faverunt, imo Chriſtiani effecti primi monaſticen exercuerunt, ſub ſancto Marco, ut dixi Actorum 5. 2.

Eſſeni qui?

DIXIT EIS: PROGENIES VIPERARUM] Eſt Hebraiſmus, q. d. Vos eſtis viperæ a viperis geniti, hoc eſt, peſſimorum parentum filii peſſimi, noxii plane, callidi & venenati, qui veſtros virulentos, quos a parentibus virulentis hauſiſtis & hereditaſtis, mores & errores, in diſcipulos velut in filios propagatis, quibus eorum animas necatis & perditis. Ita S. Hieronymus in cap. 30. Iſaiæ, & S. Gregorius homil. 20. in Evang. Viperæ enim morſus adeo noxius & exitialis eſt, ut mortem in ſeptem horis afferat, aut, ut longiſſime, tertia die. Ita Geſnerus libr. de ſerpen. in Vipera. Sic hæc Joannis verba explicat Chriſtus Matth. 23. 31. dicens: *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram Patrum veſtrorum. Serpentes & genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?*

B Viperæ morſus quam exitialis.

Addit ſecundo Plinius lib. 10. cap. 62. fœtus viperarum naſcendi avidos uterum corrodere, itaque matrem occidendo, in lucem prodire. Audi Plinium: *Viperæ mas caput inſerit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine, Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit ova, unius coloris, & mollia, ut piſces. Tertia die intra uterum catulos excludit, deinde ſingulos diebus ſingulis parit viginti fere numero.* Idem tradit Nicander, Herodotus, Plutarchus, Galenus, Ælianus, ac S. Hieronymus, & S. Baſilius hom. 9. Hexam. quos citat Geſnerus in Vipera. Unde Lucanus:

An vipera ſit matricida?

C

Viperei coeunt abrupto corpore nati.

Et Cælius Rhodiginus lib. 3. Variar. Lection. c. 37. ait, hac de cauſa quibuſdam videri, patricidas olim inſutos culeo cum vipera præfocatos fuiſſe, quia vipera matricida eſt: inde etiam dictam *viperam*, quod *vi pariat*, aut *vi pereat*. Græce vero vipera dicitur, ἔχιδνα, παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ γονὴν μεχρὶ θανάτου, id eſt, quod contineat in ſe fœtus uſque ad mortem & interitum, ajunt Lexicographi. Sic ſenſus magis appoſitus & profundior erit; q. d. Vos, o Phariſæi & Sadducæi, eſtis quaſi viperæ, quia ſicut vipera matris ventrem erodit & occidit, ut in vitam prodeat; ſic vos matrem veſtram Synagogam ac patres ſpirituales, ſcilicet veros Dei Propheras & doctores lancinatis & occiditis, ut in veſtra cupiditate & ambitione glorioſe vivatis. Ita S. Chryſoſtomus huic homil. 11. Euthymius, S. Hieronymus epiſt. ad Præſidium, Iſidorus Peluſiotus lib. 1. epiſt. 105. S. Gregorius 15. Moral. cap. 9. & S. Auguſtinus ſerm. 83. de Tempore.

Viperæ etymon.

D Vipera matre nascendo non caret.

Verum hanc de vipera traditionem, quod naſcens, ventrem matris erodat, Geſnerus loco citato, & Matthiolus in Dioſcorid. lib. 2. cap. 16. ac Albertus Magnus lib. 25. Hiſtor. animal. refellunt multorum experientia, qui viperas in capſa, aut vitro parere viderunt more aliorum animalium, ſine matris patientis eroſione vel interitu. Idem mihi aſſeruit Romæ noſter Collegii Romani Pharmacopœjus; qui crebro viperas alit & parientes obſervat, ex eiſque theriacam ſingularem efficit, quæ a Romanis, Italis & Tranſalpinis avide expetitur. Quare *viperam* dici cenſet Geſnerus, non quod *vi pereat*, ſed quaſi *vivipara*m, eo quod ſola inter ſerpentes non ova, ſed vivum animal pariat, teſte Theophraſto lib. 7. cap. 14. & Ariſtotele lib. 5. Hiſtor. animal. cap. 34. qui ait: *Vipera e ſerpentibus una, animal edit, cum intra ſe primum ova peperit.* Addit Ariſtoteles fœtus viperæ rumpere ſecundinas, non uterum matris, ſicut pulli gallinæ rumpunt ovi corticem, cui includuntur, ut in lucem prodeant. Audi Ariſtotelem: *Parit catulos obvolutos membranis, quæ tertia die rumpuntur: evenit interdum, ut qui in utero adhuc ſunt, abroſis membranis, prorumpant: ſingulos diebus ſingulis parit plures quam viginti.* Hæc ex Ariſtotele tranſcripſiſſe more ſuo videtur Plinius, ſed male per *membranas* accepit *lateramatris*, cum *ſecundinas* intelligat Ariſtoteles, quibus involuta vipera naſcitur, & cum nata eſt, extra uterum matris eas rumpit, ut lucem aſpiciat.

Viperæ vocis etymon.

E

Similj modo olim multa credita ſunt, quæ poſteritas falſa eſſe deprehendit, ut quod Salamandra vivat in igne; conſumitur enim igne, etſi non ita cito, ut alii ſerpentes, quia frigida eſt: quod Phœnix una ſit in mundo quæ ſeipſam reſuſciret: quod Chamæleon vivat ex aere, vivit enim ex rore & muſcis in aere volantibus. Sic pariter fabula eſt viperas ore coire; feminam maris caput demordere; fœtus matris uterum erodere, eamque occidendo naſci. Doctores ergo & Patres præſertim Epiphanius hæreſi 26. in fine, qui hæc aſſerunt, ſecuti ſunt vulgatam opinionem, ut ex ea aptam tropologiam contexerent.

Olim credita plura, quæ nunc deprehenſa eſſe falſa.

Tertio, viperæ amant vinum, adeoque vino ebriæ capiuntur, ait Ariſtoteles lib. 8. Hiſtor. animal. c. 4. Inſuper in libidinem ſunt effuſæ, ideoque tot catulos generant. Apte ergo S. Joannes per viperas taxavit Phariſæorum intemperantiam, gulam ſcilicet & luxuriam.

Phariſæi ſimiles viperis in multis.

Quarto, Viperæ vorant ſcorpios, quorum venenum ſumme eſt exitiale, ideoque viperarum morſus magis ſunt venenati, teſte Ariſtotele lib. 8. Hiſtor. animal. cap. 29. ita Phariſæi & Sadducæi e venenatis Rabbinorum ſuorum dogmatibus, virus ſuorum errorum augebant. Rurſum viperæ notant detractiones & calumnias, quas Judæi intorſerunt in Joannem & Chriſtum. Detractionis enim ſymbolum eſt dens ſerpentinus & viperinus, juxta illud Deuter. 32. in ſenſu myſtico: *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium.* Fingunt Poetæ *Cadmum Agenoris Phœnicum Regis filium, ſerpentinos dentes ſeminaſſe, & ex eis illico armatos milites natos eſſe, qui ad invicem contra ſeipſos inſurgentes, cede mutua corruere omnes.* Hæc dentium fictio repræſentat detractiones, quia dentes a demendo dicuntur, ait Caſſiodorus in pſal. quare non improprie detractorum linguæ dentes vocantur, quia ſicut dentes partes ciborum demunt, ita hominum famam & honorem jugiter corrodunt detractores. Ex his ergo dentibus a diabolo in mundo ſeminatis, id eſt, mediantibus detractoribus, lites, bella, & contentiones oriuntur.

F

G

Quinto, S. Ambroſius in Lucam c. 3. v. 7. cenſet in viperis notari prudentiam Phariſæorum, juxta illud Matth. 10. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes: ſerpens enim per prudentiam prævidet futura, venenum tamen non deſerit: ſic iſti provida quadam devotione profutura & ſponte depoſcunt, nempe Joannis baptiſmum, adhuc tamen non reliquunt noxia & peccata.*

Varijs morbis medentur viperæ.

Sexto, Viperæ exempto veneno, anginæ, caligini oculorum, elephantiæ, multiſque aliis morbis medentur, teſte Dioſcoride lib. 2. cap. 16. Unde Ægyptii viperas comedebant, teſte Galeno lib. 3. Aliment. facul. æque ac Indi, teſte Plinio lib. 7. quin & ex viperis fit theriaca præſentiſſimum contra venena, peſtem, ceteroſque morbos remedium. Sic Phariſæi demptis erroribus, populum docebant veram fidem, legem & pietatem. Unde Chriſtus: *Super cathedram Moyſi*, ait, *ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundum opera vero eorum noliteſacere; dicunt enim & non faciunt.* Matth. 23. v. 1. & 2.

H

QUIS DEMONSTRAVIT VOBIS FUGERE A VENTURA IRA?] *Fugere*, id eſt, effugere: Hebræi enim per verbum ſimplex ſignificant omnia compoſita, utpote quibus carent. Rurſum *fugere* hic denotat actum non inchoatum ſed perfectum, idemque eſt, quod fugiendo evadere Dei iram & gehennam, juxta Canonem 12.

Pro *demonſtravit*, Græce eſt, ὑπέδειξεν, quod Primo vertas *præmonſtravit*; Secundo, *ſuggeſſit, ſubmonuit*: Tertio, *demonſtravit* per rationes & exempla: unde ὑπόδειξις, eſt demonſtratio.

Quid?

VENTURA IRA] eſt non tam excidium Judææ per Titum, quam ira judicis Chriſti, quam oſtendet impiis reprobandis in die judicii, ac ulſio & ſententia damnationis, quam in eos proferet, ipſaque æterna damnatio & gehenna, ut exponit Chriſtus, Matth. 23. 33. Hanc enim Chriſti iram iratumque vultum ita expaveſcent impii, ut dicant *montibus: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam dies magnus iræ ipſorum; & quis poterit ſtare?* Apoc. 6. 16. S. Joannes enim uti præco fuit regni cælorum, illud pœnitentibus promittens, ſic & præco fuit Dei iræ & gehennæ, illam impœnitentibus, quales erant Phariſæi & Sadducæi, inten-

Digitized by Google

A iracundus. Idem faciat prædicator, uti fecit Isaias c. 12. v. 19. & Osee c. 10. v. 8. & Christus Lucæ 23. 30.

Sensus ergo planus & germanus est, q. d. *Quis demonstravit vobis fugere*, quod effugietis, vel modum effugiendi venturam iram, id est, Christi irati judicium, vindictam & damnationem eternam? Sic enim Joannem explicat Christus, cum eisdem Scribis & Pharisæis comminatur gehennam, Matth. 23. 33. *dicens: Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* q. d. Minime fugietis, aut fugere poteritis judicium gehennæ, sed in illud certo certius incidetis, quia estis genimina viperarum, id est, innatam & longo usu confirmatam habetis hypocrisim & malignitatem, a qua aveli non potestis, quia non vultis: ficti enim ad me accedetis quasi pœnitentes, cum vel non credatis Dei providentiam, iram & vindictam, uti non credebant Sadducæi; vel si eam creditis, uti credebant Pharisæi; eam non timetis, quia superbe putatis vos esse justos. Hos ergo Joannes graviter increpat. q. d. Quis vobis promisit, quod evaderis gehennam? falsissima enim est vestra persuasio, o Sadducæi, quod non sit gehenna. Vanissima quoque est vestra præsumptio & securitas, o Pharisæi, quod non timeatis gehennam, eo quod superbe æstimetis vos esse justos. Emphasis est in Verbo *demonstravit*. q. d. Ita secure vivitis, & vestris cupiditatibus indormitis, ac si nulla post hanc vitam sit Dei vindicta & scelerum castigatio, aut certe vobis illa non sit metuenda. Unde vobis ista securitas, unde ista demonstratio? Quis vobis id certa & evidenti ratione demonstravit? certe nemo, nisi vestra superba stultaque persuasio.

Aliter Jansenius & Franciscus Lucas, qui censent hæc verba esse Joannis increpantis hypocrisin Pharisæorum & Sadducæorum, q. d. Non credo vos sincere ad baptismum meum accedere; sed ficte & hypocritice; quis enim vobis demonstrare potuisset, fugiendam esse per meum pœnitentiæ baptismum venturam Dei iram, cum eam vel non credatis, uti Sadducæi; vel non timeatis, uti Pharisæi? Incredulis enim & arrogantibus nihil demonstrari vel persuaderi potest, quod eorum opinioni & arrogantiæ sit contrarium; quare vos pœnitentiam ex animo non
C facitis, sed simulatis & fingitis vos iram Dei fugere.

Aliter quoque Maldonatus, qui censet hæc verba esse Joannis admirantis tantam tamque subitam Sadducæorum & Pharisæorum conversionem, q. d. Quis demonstravit vobis ut Dei judicium & gehennam timeatis, quam antea non credebatis, vel non timebatis? Unde tanta in vobis mutatio? utique non a vobis, sed a potenti Dei gratia & inoperatione, ait sanctus Chrysostomus, ac a mala vestra conscientia, quæ vos quasi reos accusat, cogitque Dei judicium formidare.

Tropologice. S. Bernardus in Declamat. docet venturam, vel ut Græce est μελλούσης, id est futurum iram fugiendam esse per præsentem iram, id est, pœnitentiam, quam quis sibi irrogat, vel irrogatam a Deo acceptat: *Quis enim miseri*, inquit, *demonstravit fugere a ventura ira? Quid præsentem tantopere fugitis iram* (qua futuram effugitis) *flagellum timetis, declinatis virgam? & quidem in hac die vestra, quæ ad pacem vobis; sed si cognovissetis & vos: Mutatis, sed non effugitis, pœnitentiam. Nam malum impunitum esse non potest. Non punitur hic propria voluntate, punietur alibi sine fine. Misera sane & extrema plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum.* Peccator enim fugiens virgam Patris castigantis incidit in
D gehennam Dei Judicis damnantis.

VERS. 8. Luc. 3. v. 8. FACITE ERGO FRUCTUS DIGNOS (Græce καρπὸν ἄξιον id est, *fructum dignum* in singulari) POENITENTIÆ] Id est, dignos pœnitentia. Græcizat Interpres: Græcum enim ἄξιος, id est, *dignus*, Græca Syntaxi poscit genitivum. Adde genitivum *pœnitentiæ* regi tam a *fructus* quam a *dignos*. Docet Baptista modum & medium evadendi futuram iram esse præsentem pœnitentiam, sed dignam, id est, veram, seriam & condignam, q. d. Quia vos, o Sadducæi, Dei providentiam & iram in impios, scilicet vindictam & gehennam non creditis: vos vero, o Pharisæi, præfisi vestris operibus, quasi justi illam non timetis; hinc utrique certo in eam incidetis: ut ergo eam evitetis, pœnitentiam agite, ac errores moresque commutate, ut vos, o Sadducæi, perfidiam atheismi in fidem numinis; vos, o Pharisæi, superbiam in humilitatem, utrique gulam in abstinentiam, luxuriam in castitatem, avaritiam in eleemosynam; externam & Pharisaicam justitiam, ejusque ostentationem in Christianam & internam sanctitatem transferatis. *Facite* ergo *fructus pœnitentiæ*, non simulatos & fictos, non externos, non tales quales, sed veros, internos & *dignos*, qui scilicet vere pœnitentem decent, ac seriam pœnitentiam indicant, atque ex animo vere pœnitenti proficiscuntur, uti sunt lacrymæ, detestatio & punitio peccatorum, ac vitæ morumque seria conversio. Vide S. Gregorium hom. 20. in Evang.

E Digna pœnitentia quæ? Resp. Primo.

Adde dignam pœnitentiam esse, cum mensura doloris & pœnæ respondet mensuræ voluptatis & culpæ, ut crescente culpa, crescat & pœna, ac gravitas hujus illius quantitati respondeat. Longe enim gaviorem pœnitentiam agere debet adulter quam fur, & homicida quam adulter, & parricida quam homicida. Unde singulis peccatis pœnæ ex æquo decretæ, & adnexæ sunt in canonibus pœnitentialibus. Ex æquo: intellige respectu criminum & hominum, non respectu Dei. Unum enim peccatum mortale, cum sit offensa Dei, eique, quantum est ex se, rationem summi boni & ultimi finis (hunc enim peccator implicite ponit in creatura, quam amat, ita ut eam Deo præponat) ac consequenter deitatem quasi adimat, ideoque peccatum sit quasi Christicidium & Deicidium; hinc infinitam quamdam malitiam in se continet; quia est offensa, injuria & violatio Dei, quis est immensus & infinitus: quamobrem nulla creaturæ cujusliber pœna, vel pœnitentia illi ex æquo & condigne satisfieri potest, imo etiamsi omnes homines & omnes Angeli sponte sua omnia tormenta gehennæ per totam æternitatem paterentur, numquam pro uno peccato mortali dignam pœnitentiam & satisfactionem Deo offerrent, sed solus Christus id facere potuit, utpote Dei filius, verusque Deus, cujus proinde pœnitentia & satisfactio ratione personæ, quæ infinitæ est dignitatis, pariter est infinita, & æqualis ac condigna offensæ & injuriæ infinitæ in Deum infinitum admissæ. Tanta est peccati malitia, quam si plene perspicerent homines, utique non peccarent.

Secundo.

Denique dignos pœnitentiæ fructus facit, qui conversus tanto studio servit veritati, quanto antea servivit vanitati & Diabolo; ac tam ferventer amat Deum, quam, antea amavit carnem & mundum, juxta illud Apostoli: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Rom. 6. 19. Sic fecit S. Magdalena, S. Petrus, S. Paulus, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia, aliique pœnitentes. Lege eorum vitas, illosque imitare. Ita fiet illud S. Gregorii: *Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia*. Vide S. Chrysostomum, Tertullianum, Patianum tract. de Pœnitentia, Climacum gradu 5. qui est de accurata pœnitentia, ubi eam ita describit: *Pœnitentia est corporeæ consolationis perpetua & jugis repudiatio. Pœnitentia est voluntaria earum rerum omnium, quæ affligunt, toleratio. Pœnitentia est cruciatuum sibi semper opifex. Pœnitentia est valida ventris afflictio, animaque in sensu firmissimo jugis reprehensio.* Lege sequentia, & vivam digne pœnitentium effigiem inspicies.

Tertio.

G Pœnitentiæ effigies.

VERS. 9. Luc. 3. v. 8. ET NE VELITIS DICERE INTRA VOS: PATREM HABEMUS ABRAHAM. DICO ENIM VOBIS, QUONIAM POTENS EST DEUS DE LAPIDIBUS ISTIS SUSCITARE FILIOS ABRAHÆ] Pro *ne velitis* Græce est μὴ δόξητε, id est, ne videamini, ne opinemini, ne reputetis, ne gloriemini *dicere intra vos*, in animo cogitare, vobisque blandiri, ut in hac cogitatione innixi, secure conquiescatis, & in utraque aurem dormiatis: *Patrem habemus Abraham*. Solebant enim Judæi confidere & gloriari in hoc, quod essent filii Abrahæ; unde illud Christo objecerunt: *Semen Abrahæ sumus*, Joannis 8. 33. Hæc erat eorum superba reputatio, hæc vana confidentia, hæc stulta gloriatio, quam hic eis extundit S. Joannes. Sensus ergo est, q. d. Abraham fuit Patriarcha sanctissimus, Deique amicus, cui Deus promisit benedictionem & salutem transfundendam in ejus filios. Gen. 12. v. 2. & cap. 22. 17. nos autem sumus filii Abrahæ: ergo hæredes sumus benedictionis & salutis, Abrahæ & semini ejus promissæ. Esto ergo libere vivamus, nec pœnitentiam condignam agamus, tamen ex hoc quod sumus filii Abrahæ, salvabimur, tum quia Deus fidelis est in promissis, ut quod promisit, certo præstet; tum quia alioqui Abraham tantus Patriarcha fraudaretur filiis, & filiorum suorum salute, sibi a Deo promissa, ac stirps Abrahæ deficeret. Respon-

VERS. 9. Luc. 3. v. 8.

H Filii Abrahæ quis?

det

A det Joannes, æque ac sanctus Paulus Rom. 9. filios Abrahæ, heredes benedictionis & salutis ipsi promissæ, non censeri carnali origine, sed spirituali fide & virtute, nimirum filios Abrahæ æstimari, non qui ex Abraham geniti sunt, sed qui fidem & sanctitatem Abrahæ imitantur: quare etiamsi Sadducæi & Pharisæi, ceterique Judæi ob suam impietatem excidant a justitia & salute; Deum tamen suffecturum in eorum locum alios, puta Gentiles, eosque Abrahæ daturos quasi filios, qui in ejus benedictionem, id est, gratiam & gloriam succedant, q. d. Licet vos, o Judæi, pereatis, non ideo peribit benedictio & salus semini Abrahæ promissa, sed a vobis indignis ad alios dignos transferetur; quare nolite gloriari & objectare: *Patrem habemus Abraham*, imo *magis erubescite, quia patrem non imitamini*, ait S. Chrisostomus; *Non enim successio carnis quæritur*, inquit S. Hilarius, *sed fidei hereditas, dignitasque originis in operum consistit exemplis, & prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur*.

QUONIAM POTENS EST DEUS DE LAPIDIBUS ISTIS SUSCITARE FILIOS ABRAHÆ] Græce est τῷ Ἀβραάμ.

B Vox ergo *Abrahæ* est dativi casus, non genitivi, q. d. Vobis, o Judæi, pereuntibus non fraudabitur Abraham sua sobole & stirpe benedicta, quia Deus, qui fidelis est in promissis, si opus sit de lapidibus, quos hic in ripa Jordanis acervatim jacere videtis, potest efficere filios Abrahæ. Porro Joannes baptizabat & prædicabat in Bethabara, id est, in domo trajectus, ubi scilicet filii Israel duce Josue transierunt sicco pede Jordanem, miraculose a Deo divisum & siccatum; unde in memoriam tanti miraculi Josue eodem loco erexit duodecim lapides in medio Jordanis alveo; atque illos lapides hic designasse & demonstrasse Joannem censent Remigius, S. Anselmus, ac ex iis Pineda in cap. 1. Job. 1. vers. 1. n. 38. Hi enim lapides erant typus & figura Gentium, errorum & ignorantiæ fluctibus obrutarum, sed tandem per Christum, & Apostolos de imo idololatriæ alveo, ad Ecclesiam & filiorum Dei gloriam per baptismum suscitandarum.

C Quæres, quomodo hoc sit verum? quomodo enim filii lapidum possunt esse filii Abrahæ jam defuncti; & si ex lapidibus excitati ac animati sint a Deo, quomodo ab Abraham sunt geniti? Multi ad Allegoriam confugiunt, sed dico proprie, ut verba sonant, id verum esse. Primo, quia potest Deus ex lapidibus homines efficere, quos ipse sua intentione & voluntate Abrahæ in filios arroget, aut Abraham sibi adoptet, non minus quam potuit Adamum plasmare ex terra, & Evam ex costa Adæ, ac ex sterili Sara Isaacum Abrahæ producere. Genes. 18. 11. & seq. Alludit ad Isaiæ 51. 1. *Attendite*, inquit, *ad petram* (ecce lapides) *unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis*, hoc est, ut explicans subdit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*. q. d. Abraham est quasi petra, & Sara quasi caverna laci, de qua vos, o Judæi, quasi lapides vivi præcisi, & prognati estis.

Deus e lapidibus potest suscitare filios Abrahæ, Quo sensu? Primo.

Secundo, Secundo, physice & præcise, q. d. Sicut Deus uxorem Lot in statuam salis convertit, ita vicissim potest saxa immediate in homines & filios Abrahæ, qui ex Abraham prognati sunt, convertere: imo potest Deus per absolutam potentiam quamvis substantiam creatam transmutare in aliam totaliter, puta tam quoad materiam, quam quoad formam. Sufficit enim ad veram conversionem, ut sola accidentia eadem remaneant, ut patet in transsubstantiatione, qua tota substantia panis convertitur in corpus Christi in Eucharistia, solis accidentibus panis remanentibus. Ita S. Thomas 3. p. q. 75. art. 4. Quocirca potest Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, etiam jam vita functos & mortuos, quia potest convertere lapides in corpora mortuorum, illaque animare, & a morte suscitare.

D Comparat S. Joannes Sadducæos & Pharisæos lapidibus, tum ut eorum duritiem & obstinationem in malo denoret, tum ut superbos humiliet, q. d. O tumidi Pharisæi lapidibus non estis meliores, quantum est ex vobis, sed quod lapidibus præcellatis, hoc habetis a Deo: Deus enim vos fecit Abrahæ filios: & si superbiatis, vos ex Abrahæ familia expunget, aliosque in vestrum locum ex lapidibus quoque si velit, suscitabit. Sic fecisse Pyrrham cum Deucalione marito narrant, vel potius fabulantur Poetæ, scilicet illos jecisse post tergum lapides, qui in homines conversi sint, itaque genus humanum diluvio perditum reparasse; nam lapides, quos Deucalion jaciebat, in viros vertebantur, quos Pyrrha, in feminas; unde Ovidius de his ita canit lib. 1. Metamorph. E

Et jussos lapides sua post vestigia mittunt, &c.
Inque brevi spatio superorum nomine, saxa
Missa viri manibus faciem traxere virorum.
Et de femineo reparata est femina jactu.
Inde genus durum sumus, experiensque laborum,
Et documenta damus, qua simus origine nati.

Hinc Græci nomen λαὸς, id est, populus derivant a λάος, id est, lapis, quod lapides conversi sint in homines, atque ex lapidibus robur ad laborandum, & duritiem ad patiendum traxerint. Porro Joannes in lapidibus hic sigillat duritiem pœnitendi in Sadducæis & Pharisæis, q. d. Deus potest saxa durissima mollire & convertere in carnem, ac reipsa uno verbo dicendo: *Fiat*, mollietque & convertet quoties volet; & vos, o Pharisæi, omnibus hisce meis; imo Dei per me loquentis sermonibus non mollimini, non convertimini; saxis ergo duriores sitis oportet, quia corda haberis adamantina. Tale cor habent obdurati, ut habuit Pharao, de quo plura dixi Exodi 7. vers. 3.

F Denique Deus potest lapides quoslibet convertere in homines, eisque indere fidem & pietatem Abrahæ, itaque eos spirituales Abrahæ filios efficere. Nam, ut ait Apostolus Roman. 9. 7. *Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*, id est, æstimantur esse semen & filii Abrahæ. Unde. Tertio.

Mystice, Deus suscitavit ex lapidibus filios Abrahæ, cum Gentiles, qui rudes & impoliti erant ut lapides, & saxa pro diis colebant, ideoque a Davide saxis assimilantur, Psal. 113. v. 16. præsertim quia in cupiditatibus & vitiis obdurati erant quasi saxa, cum Gentiles, inquam, per fidei, obedientiæ, & pietatis imitationem fecit filios Abrahæ: ipse enim est pater credentium & justorum. Ita S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Gregorius hom. 20. & omnes veteres. Addit Euthymius id impletum in passione Christi, in qua multi obdurati videntes petras scindi, aliaque prodigia, compuncti pœnituerunt & crediderunt in Christum.

G IAM ENIM SECURIS AD RADICEM ARBORUM POSITA EST (ut homines, quasi arbores non ferentes dignos pœnitentiæ fructus, succidat, & in ignem mittat) OMNIS ERGO ARBOR QUÆ NON FACIT FRUCTUM BONUM, EXCIDETUR, ET IN IGNEM MITTETUR] Pro *jam enim* Græce est ἤδη δὲ καὶ, id est, *jam vero etiam*. Est enim hic alius stimulus, quo Joannes Pharisæos pungit ad agendum pœnitentiam, idque cito, nimirum instans periculum succisionis & combustionis in gehenna. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, & alii, e quibus Euthymius securim, ait, morti, arborem homini, radicem vitæ comparari. Unde Græce pro *excidetur* est ἐκκόπτεται, id est, *exciditur* in præsenti, & pro *mittetur* est βάλλεται, id est, *mittitur*, q. d. Jam jam excidetur, & in ignem mittetur. Res ergo vestra, o Pharisæi, versatur in acie novaculæ. Imminet extremum periculum, instat vobis excidium, mors, & gehenna: illico ergo agite dignos pœnitentiæ fructus ut illa evadatis. Sensus ergo est, q. d. Securis, id est, Dei judicium, & vindicta ad radices arborum, id est ad vitam singulorum hominum posita est, ut si sint infrugiferi, nec proferant dignos pœnitentiæ fructus, uti hucusque fecistis vos, o Sadducæi & Pharisæi, eos propediem per mortem a vita hac succidat & in ignem æternum mittat. Si vero sint frugiferi, ac pœnitentiæ & bonorum operum feraces, uti sunt pœnitentes & justi, eos brevi per mortem non tam succidet, quam transferet & transplantabit in cælestem paradisum, ad perennes æternæ felicitatis, gloriæ, & laudis divinæ fructus producendos. Vers. 10. Luc. 3. 9. infr. 7. v. 19. Securis est judicium Christi. H

Dices, hoc etiam verum fuit ante Christum, quomodo ergo post adventum Christi Joannes ait: *Jam enim securis*, &c. *posita est*? Respondetur, quia id verius & clarius est post Christum, quam fuerit ante Christum. Christus enim ad hoc in mundum venit, ut quasi Judex, Rex & Dominus omnium credentes, sibique obedientes in cælum transferat, incredulos vero & rebelles morte præsenti & æterna puniat. Ideoque primus Christus per se, per Joannem, & Apostolos clare prædicavit, promisitque piis regnum cælorum, impiis vero minatus est gehennam, ut scirent in sua manu esse eorum salutem & damnationem, ac ad eum conversi gehennam vitarent, & ab eo cælo adscriberentur; idque ipsum statim facere posse, ac mox facturum, cum nulla infirmitatis vel ignorantiæ in hominibus jam sit excusatio, uti erat in fœdis rudibus

Digitized by Google

A ante Christum; quibus præmia & supplicia præsentia & temporalia, non futura & æterna a Mose & Prophetis promittuntur vel intentantur.

Secundo & aptius: securis est Christi Regis & judicis judicium & vindicta, qua arbores non tantum noxias, sed & infrugiferas, hoc est, Judæos incredulos illico excindet ex horto Ecclesiæ, ac a stirpe, salute & benedictione Abrahæ ejusque filiis promissa, illosque in ignem æternum mittet; atque pro iis Gentes in se credentes, quasi arbores frugiferas inseret paradiso Ecclesiæ suæ, quæ est quasi prædium & hæreditas Abrahæ, qui est pater credentium & justorum, ideoque easdem benedictionis & salutis Abrahæ promissæ faciet participes & hæredes. Minatur ergo Joannes Pharisæis reprobationem Judæorum, ac vocationem & subrogationem Gentium, quæ paulo post facta est a Christo. Christus enim Pharisæos & Judæos ob incredulitatem rejecit a familia Abrahæ, id est, ab Ecclesia fidelium, ac consequenter a regno Dei, eosque addixit morti & gehennæ; Gentes vero ob fidem Ecclesiæ suæ inseruit, cæloque destinavit.

B Porro Toletus in cap. 9. Luc. vers. 9. carpit S. Chrysostomum dicentem securim, nec radici peperciſſe: dicitur enim, inquit ipse, securis posita ad radicem, nempe inter radicem & truncum, alias non esset abscindere, sed evellere. Sensum ergo esse vult, q.d. Baptista: Adest jam tempus, quando incisio arborum infrugiferarum, & insitio frugiferarum facienda est: prope est Christus; qui quasi securis præcidet incredulos Judæos a radice Abrahæ, eosque in ignem mittet; radici vero eidem inseret & inoculabit Gentes in se credentes, juxta illud Pauli Rom. 11. *Si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis factus es: noli gloriari adversus ramos, quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo, fracti sunt rami, ut ego inserar: bene, propter incredulitatem fracti sunt. Merito autem Gentes infideles per lapides; Judæi vero antequam præciderentur arbori collati sunt: arbor enim vivit & fructificat, dum radici unitur: sic Judæus per fidem futuri vivebat spiritu, antequam per infidelitatem, quia in advenientem credere noluit, abscisus est.*

C Hæc Toletus.

Verum Baptista hic tantum incisionem vel potius excisionem Judæorum, non vero incisionem vel inoculationem Gentium in eadem radice Abrahæ, puta in eadem fide & Ecclesia, perurget, inoculatio enim arborum non fit in radice, sed in ramis. Unde Paulus ait: *Facti sunt rami, ut ego inserar*. Hic autem Baptista ait: *Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur*. Ergo loquitur non de incisione vel inoculatione, sed de excisione, qua arbor infrugifera radicitus ex horto excidituf, & ejus loco alia frugifera in eodem plantatur. Sic enim Judæi excisi sunt ex horto Ecclesiæ, qui est quasi prædium Abrahæ, & Gentes in eodem a Christo & Apostolis plantatæ sunt, juxta illud, quod de eisdem Judæis, eorumque synagoga, per metaphoram ficus infrugiferæ ait Christus Lucæ 13. 7. *Succide illam, ut quid etiam terra occupat?* Judæi ergo radicitus excisi sunt ex horto Abrahæ, id est, ex Ecclesia, quia fidem, quæ est quasi radix, per quam horto Ecclesiæ infixi erant, perdiderunt.

D EGO QUIDEM BAPTIZO VOS IN AQUA IN POENITENTIAM: QUI AUTEM POST ME VENTURUS EST, FORTIOR ME EST, CUJUS NON SUM DIGNUS CALCEAMENTA PORTARE; IPSE VOS BAPTIZABIT IN SPIRITU SANCTO ET IGNI] Hæc verba non sunt connectenda præcedentibus, nec immediate postea dicta sunt a Joanne, sed interpolate per occasionem, quam supplet & explicat Lucas, dicens cap. 3. 16. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Joannes omnibus, dicens: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Populus ergo ex sanctitate vitæ & fervore prædicationis, atque ex baptismo suspicabatur Joannem esse Messiam, sive Christum. Nullus enim ceterorum Prophetarum usus est baptismo, nisi Joannes: & Ezechiel c. 36. baptismum Christo proprium fore prædixerat: *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Joannes ergo hanc suspicionem eis eximit, negatque se esse Christum, sed Christi anteambulonem & indicem se esse profitetur, suumque baptismum Christi baptismo præludere, ad eumque præparare E significat. Ait ergo.

Vers. 11 Luc. 3. v. 16 Marc. 1. v. 7. Joann. 1. v. 25. 26. 27. 30.

EGO QUIDEM BAPTIZO VOS IN AQUA] id est, aqua sola. Est Hebraismus. Hebræi enim instrumentum denotant per præpositionem seu litteram ב id est, *in*, quam Latini subticent, unde dicunt בַּמַּיִם *bammajim*, id est, *in aqua*, hoc est, *aqua*: *in pœnitentiam*, ut scilicet excitem vos ad agendam pœnitentiam, vosque abluendo corpore, præparem ad ablutionem animæ recipiendam in baptismo Christi. Baptismus ergo Joannis erat professio pœnitentiæ. Unde baptizandi in eo confitebantur sua peccata, non autem erat condonatio culpæ: hanc enim expectare debebant a Christo per ejus baptismum, aut per veram animi contritionem.

QUI AUTEM POST ME VENTURUS EST] Græce ὁ ἐρχόμενος, id est, *qui venit* in præsenti, qui adventat, qui jam imminet, nobisque vicinus est.

FORTIOR] Græce ἰσχυρότερος, id est robustior, potentior, validior, præstantior est, majoribus viribus & dotibus longe me præcellit: pollet enim cælesti divinaque vi & efficacia, qua non tantum corpus, uti ego, sed & animam spiritu gratiæ suæ pervadit, illamque ab omni scelere expurgat, & emaculat. Unde Isaias cap. 9. inter alia epitheta Christo dat elogium *fortis: vocabitur*, ait, *nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis. Vere autem fortis fuit, qui admiranda opera divinitatis suæ operatus est, qui diabolum superavit, prædam de ejus manu abstulit, regnum ejus evertit, & in se transtulit, cæli portas aperuit, mortem absorbuit in victoria, peccata delevit, gratiam & gloriam comparavit*. inquit Toletus in Lucæ cap. 3. vers. 19. F

Rursum Christus Joanne erat fortior in miraculis, quia solo nutu mortuos suscitabat, dæmones pellebat, ægros sanabat, elementa mutabat; cum Joannes pœnitentiis carnem domaret, ut eam spiritui subjiceret. Hæ erat virtus Christi, & infirmitas Joannis.

CUJUS NON SUM DIGNUS CALCEAMENTA PORTARE] S. Lucas cap. 3. 16. *Cujus non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere*. Marcus cap. 1. 7. addit *procumbens*. Utrumque est verum, & utrumque est vile ministerium servorum, qui herum suum, præsertim principem, procumbendo ad ejus pedes calceant & excalceant, ac ejus calceos portant, cum ipse ocreas aut crepidas induit. Joannes ergo fatetur hic se esse Christi servum & mancipium, Christum vero esse suum Dominum, imo Deum. Mystice calceus notat humanitatem Christi, cui ut serviat, ut eamque humeris bajulet, vel manibus sustineat, Baptista se indignum profitetur; hæc enim humanitas ex unione cum Verbo summæ, & quasi immensæ erat dignitatis & majestatis. Unde S. Bernardus: *Calceo*, ait, *humanitatis nostræ calceata fuit Verbi majestas;* quia enim calceamenta in extrema corporis parte sunt, & ex mortuis fiunt animalibus: id circo juxta S. Gregorium, & S. Hieronymum in Marci cap. 1. v. 7. recte significant incarnationem Christi, quam se explicare non posse, nec ad hoc dignum esse hic confitetur S. Joannes. Theophylactus per calceamenta accipit Christi descensum in terram, & post mortem in limbum Patrum. Tropologice Joannes humilians se infra pedes & calceos Christi, per hanc humilitatem meruit exaltari super caput Christi, illudque abulere & baptizare. G

Calceus humanitatem Christi notat.

H

IPSE VOS BAPTIZABIT IN SPIRITU SANCTO] id est, Spiritu sancto, q.d. Christus Spiritum sanctum cum omnibus suis donis in vos effundet ita copiose, ut eo vos a peccatis omnibus abluat, ac gratia & charitate, ceterisque charismatibus suis impleat, & quasi obruat. Fecit hoc Christus visibiliter in Pentecoste. Unde ipse ascensurus in cælum ad hæc verba Joannis alludens, idipsumque promittens Apostolis, ait: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*. Act. 1. 5. Invisibiliter vero id facit in Sacramento baptismi & confirmationis, quæ baptismi quasi est perfectio & consummatio. Antithesis ergo Joannis & Christi hæc est, quod Joannes solum baptizavit aqua, Christus vero aqua & Spiritu sancto; quodque Joannes corpus, Christus animam abluat: quantum ergo Spiritus sanctus aquam, ac anima corpus antecellit, tantum præstat baptismus Christi baptismo Joannis, qui tantum fuit rudimentarius. Ita Conc. Tridentinum sess. 7. can. 1. & passim Patres, quos citat Bellarminus tract. de Baptismo cap. 21. Hinc Doctores triplicem assignant baptismum, fluminis, flaminis, & sanguinis: Fluminis est, cum quis

Baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis.

aqua

A aqua baptizatur: flaminis sive spiritus est, cum quis catechumenus in carcere vel eremo, ubi non est aqua, de peccatis vere convertitur, optatque baptizari: talis enim justificatur per contritionem, quæ includit votum baptismi: sanguinis est, cum quis necdum baptizatus, pro fide martyr occumbit; hic enim in suo sanguine baptizatur, & ab omnibus peccatis abluitur.

SPIRITU SANCTO ET IGNI] Ita constanter habent Græcus, Latinus, Syrus, Arabicus, Persicus, Ægyptius, Æthiopicus: Sensus est, q. d. Baptista: Meus baptismus est aqueus, Christi vero est igneus: quantum ergo ignis efficacior est aqua, tanto baptismus Christi potentior est meo. Hinc hæretici dicti Hermiani & Seleuciani baptizabant suos non aqua, sed igne, teste S. Aug. hæresi 59. Dignus sane hæresi & hæreticis fuit igneus hic baptismus, digna talibus tortoribus carnificina: jam non est quod ipsi quærantur hæreticos a Catholicis igne comburi, cum ipsimet suos igne baptizent.

Christus baptizat igne: quo? Resp. Primo.

Quæres, quis hic ignis? Primo, Origenes homil. 24. in Lucam accipit ignem purgatorii, q. d. Christus suos fideles cum peccatis venialibus decedentes expiabit igne purgatorii, juxta illud; *Uniuscujusque opus ignis probabit.*

B *Et: Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, 1. Cor. 3. Sic quoque ex S. Hieronymo & Beda, Suarez.

Secundo. Secundo, S. Hilarius per ignem accipit judicium Christi, quod acre, clarum, & horridum erit instar ignis.

Tertio. Tertio, S. Basilius in cap. 4. Isaiæ, Damascenus lib. 4. de Fide cap. 10. & Toletus in cap. 3. Lucæ, vers. 16. accipiunt ignem gehennæ, quo reprobos Christus punit in inferno; unde explicans subdit: *Paleas autem comburet igni inextinguibili.*

Quarto. Quarto, Auctor imperfecti per ignem intelligit tribulationes, quibus, quasi igne fideles suos affligit, & a peccatis abluit Christus.

Quinto. Gemine. Quinto, & genuine, *Spiritu sancto & igni*, hoc est, Spiritu sancto igneo & igniente: Spiritu sancto, qui est ignis, id est, qui est similis igni, & quasi ignis urit & ignit. Est hendiadys. Spiritus sanctus enim quasi ignis fideles a peccatis expurgat, illuminat, accendit, sursum ad cælum rapit ac roborat, ut omnia adversa superent. Denique eos intime sibi unit, & quasi ignis in se transformat. Hæ enim sunt dotes ignis, purgare, tenebas expellere, lucere, inflammare, sursum rapere, roborare, in se transformare. Hinc in Pentecoste in Apostolos illapsus est Spiritus sanctus per speciem ignis & linguarum ignearum. Unde S. Chrysostomus; *Ignis*, ait, *commemoratione adjuncta Spiritus sancti efficacitatem signavit, gratiæ ipsius robur vehemens & invictum.* Sic & Euthymius ac interpretes Æthiopici per ignem accipiunt Spiritum sanctum. Hinc in primitiva Ecclesia sæpe Spiritus sanctus visibili specie ignis descendebat in baptizatos & confirmatos, ut significaretur plena purgatio peccatorum; item ignea charitas, igneique sermones, quos eis inspirabat Spiritus sanctus; juxta illud Deuter. 4. 24. *Deus tuus ignis consumens est*, Et illud Jerem. 23. 29. *Numquid non verba mea sunt sicut ignis, dicit Dominus; & quasi malleus conterens petram?*

C Denique duodecim baptismatum genera, sive species e S. Scriptura colligit ex Damasceno, S. Athanasio, & aliis Toletus in cap. 3. Lucæ annot. 37.

VERS. 12 Luc. 3. 17. D CUJUS VENTILABRUM IN MANU SUA, ET PERMUNDABIT AREAM SUAM, ET CONGREGABIT TRITICUM SUUM IN HORREUM: PALEAS AUTEM COMBURET IGNI INEXTINGUIBILI] *Ventilabrum* est vanus (vel ut Romæ cribrum) quo agricolæ segetes trituratas ex spicis excussas evannant, ventilant, & in ventum jactant, ut paleis a vento abreptis, sola frumenti grana pura & a paleis separata remaneant. Græce dicitur πτύον, quod paleas quasi expuat: πτύω enim est *expuo*. Ventilabrum repræsentat Christi judicium & potestatem judiciariam, sicut enim ventilabro triticum a palea secernitur; sic Christus in judicio bonos a malis separabit: bonos enim a dextris statuet, malos a sinistris: bonos cælo, malos tartaro adjudicabit. Area non tam locum, quam frumenta, puta segetes in area collectas significat: hæ enim mundantur, ut palea a tritico separetur. Est metonymia; ponitur enim continens pro contento. Area ergo notat Ecclesiam, sive cœtum fidelium.

Ventilabrum est judicium Christi. Igitur ventilator est Christus Judex, ventilabrum est ejus judicium, quo singulorum cogitata, dicta, factaque ventilabit & examinabit, ac bona bonosque a malis secernet. Area est Ecclesia: palea sunt impii, quos Christus comburet igne gehennæ: triticum sunt justi & sancti, quos Christus colliget in suum horreum, id est, in regnum cælorum, ut iis quasi tritico pascat & oblectet S. Trinitatem, omnes Angelos, totamque Ecclesiam triumphantem. E

Assurgit Joannes a primo gratiæ adventu Christi ad secundum judicii: tum enim omnino permundabit aream, id est, Ecclesiam suam, idque ut Sadducæos & Pharisæos hoc judicii & gehennæ terrore concutiat, & ad pœnitentiam adigat. Porro instare, & vicinum esse hoc judicium significat, cum ait hoc ventilabrum esse in manu Christi, ut scilicet illico eo segetes eventilet, & paleas a tritico, id est, malos a bonis sequestret: ita S. Ambrosius in Lucæ c. 3. v. 17. licet enim usque ad diem judicii multi supersint centeni anni; tamen hi omnes, si cum æternitate comparentur, modicum & quasi nihil sunt. Adde, Christus Dominus & Judex in manu sua habet cujusque spiritum, animam & vitam, & ut eam illico tollat, si velit, judicet, beet, damnet, & in cælum vel gehennam mittat.

PALEAS (quanto magis zizania) AUTEM COMBURET IGNI INEXTINGUIBILI] Impii & damnandi vocantur paleæ, quia ut paleæ sunt leviſſimi, viliſſimi, inutiliſſimi, & ad nihil fere utiles, nisi ad ignem, ut scilicet sint F folles & fomenta gehennæ. Pro *inextinguibili*, Græce est, ἀσβέστῳ, id est, *inextincto*, hoc est, æterno. Hinc Asbestus lapis dicitur, qui semper ardet, & non extinguitur: est miosis; parum enim dicitur, & plus significatur. Ignis enim gehennæ dicitur ἄσβεστος, id est, inextinguibilis, non tantum quod extingui nequeat, sed & quod homines impios urendo non extinguat, imo eos perpetuo viventes & sentientes jugiter cruciet, & urere pergat. Damnatur ergo hic error Origenis, qui putavit pœnas inferni non fore perpetuas, sed post magnum Platonis annum (quo omnia renovabuntur) finiendas. Rursum τῷ ἀσβέστῳ, id est, *inextincto*, hoc est, *inextinguibili*, notat ignem gehennæ non consumere vel incinerare corpora damnatorum, nec fomenta carbonum vel lignorum illi suggeri; quæ enim posset esse materia tanta, ut sufficeret ad alendum eum per totam æternitatem? sed ignem illum eumdem omnino numero, in eodem sulphure & iisdem corporibus a Deo conservari, ut ea præsertim urat, & numquam comburat. G

Ignis gehennæ idem numero durat in æternum.

Alludit ad Isaiæ c. 66. v. 24. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Et cap. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Vide ibi dicta. Exempla dat sanctus Chrysostomus: *Nonne*, ait, *cernis solem istum semper ardentem, & numquam prorsus extinctum?* (multi enim censent solem esse igem) *non legisti* (Exodi 3.) *incensum rubum, nec tamen ipso incendio concrematum?* Et S. August. contra Donatist. libr. Post collationem cap. 9. *Jam satis*, ait, *superius disputavi posse animalia* (quæ inde Pyraustæ nominantur) *etiam in ignibus vivere, in ustione sine consumptione, in dolore sine morte per miraculum omnipotentissimi creatoris, cui hoc possibile esse qui negat, a quo fit quidquid in naturis omnibus miratur, ignorat.*

Cogita & horresce hunc ignem gehennæ, quem nullæ aquæ, nullæ lachrymæ, imo omnia flumina, omnes abyssi, omnia maria in unum collecta, omnes dæmones, omnes creaturæ totis viribus suis non possunt extinguere, imo nec vel tantillum minuere: *Quia flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Isaiæ 30. 33.

TUNC VENIT JESUS A GALILÆA IN JORDANEM AD JOANNEM, UT BAPTIZARETUR AB EO] *Tunc*, oppor- H VERS. 13 tune scilicet, cum Joannes Christum prædicaret, sibique præferret, dicens se non esse dignum ejus calceamenta portare; cumque omnes excitaret ad pœnitentiam, & baptizando præpararet ad gratiam a Christo accipiendam: *tunc* inquam, supervenit Christus, ut quem absentem commendarat, præsentem indicaret, & digito ostenderet; sicut lucifer præit & ostendit solem orientem. Luc. 3. 21. Mar. 1. 9.

A GALILÆA] scilicet *a Nazareth*, ait Marcus c. 1. 8. patria sua, ubi cum matre hucusque privatus vixerat, & cum patre Josepho artem fabrilem exercuerat usque ad annum ætatis trigesimum. Unde illo jam expleto adiit Joannem, ut ab eo declararetur Messias, hoc est, orbis doctor, & redemptor, utque publicum hoc docendi, & legem Evangelicam instituendi officium, ad quod a Patre missus erat, habito a Joanne testimonio, inchoaret. *In Jordanem*, hoc est, ad Jordanem, puta in Judæam, ad eum Jordanis locum, ubi Joannes baptizabat. Decreverat enim Deus, ut Christus Judæis promissus, in Judæa prædica-

Digitized by Google

A tionem inchoaret: nam alioqui per Galilæam quoque fluit Jordanis.

Cur Joannes baptizavit? Resp. Primo. UT BAPTIZARETUR AB EO] Quæres quæ fuere causæ prædicationis & baptismi Joannis, & quare Christus a Joanne baptizari voluit? *Triplicem ob causam*, ait S. Hieronymus, *Salvator a Joanne accepit baptismum; Primum, ut quia homo natus erat, omnem justitiam & humilitatem legis impleret. Secundo, ut baptismate suo Joannis baptisma comprobaret. Tertio, ut Jordanis aquas sanctificans per descensionem columbæ, Spiritus sancti in lavacro credentium monstraret adventum.*

Secundo.

Tertio.

Quarto. Quarta causa est, ut Christus Joanni auctoritatem adderet, ejusque baptismum (cui nonnulli detrahebant, probarent, ait Beda: itaque vicissim majoris auctoritatis testimonium ab eo acciperet, ut scilicet Joannes eum verum esse Messiam omnibus ad se confluentibus ostenderet, juxta id quod ipse ait: *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*, Joan. 1. 31. utque homines ad pœnitentiam invitando per baptismum suum

B præpararet & assuefaceret ad baptismum Christi, ut innuit hic vers. 11.

Quinto. Quinta est, ut in baptismo Spiritus sanctus specie columbæ in Christum descendens, & Pater de cælo intonans: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, ipsi irrefragabile testimonium perhiberent. Ita S. Hieronymus.

Sexto. Sexta est, ut Christus baptismum a Joanne suscipiens suo exemplo omnes ad suum baptismum alliceret, & fructum ejus ostenderet, scilicet Spiritus sancti donationem & illapsum.

Septimo. Septima, Christus in se peccata nostra susceperat; ergo quasi reus & pœnitens Joanni se sistit, ut ab eo baptizatus, in se quasi luat & abluat peccata nostra. Unde Nazianzenus orat. in Sancta luminaria; *Joannes*, ait, *baptizat, & accedit Jesus sanctificans quidem & ipsum qui baptizat, præcipue tamen ut & veterem Adam sepeliat in aquis.* Et mox: *Ascendit Jesus de aqua, secum quodammodo demersum educens & elevans mundum.* Hoc humiliando se coram Joanne meruit Chri-

C stus, ut nos doceret, ei qui animarum lucro studet, viam prius sternendam esse per multiplicem humiliationem.

Octavo. Octava, ut Christus, qui novam Christianorum rempublicam condere decreverat, in quam non nisi baptizati adscriberentur, esset & ipse princeps baptizatus, ut sic per omnia fratribus assimilaretur absque peccato. Celebre est illud Catonis: *Patere legem, quam ipse tuleris.*

Nono. Nona, ut sicut Abraham olim veteris synagogæ jussu Dei symbolum instituit circumcisionem: sic Christus novæ Ecclesiæ novam tesseram daret, sanciretque baptismum. Quocirca S. Thomas 3. part. quæst. 66. articul. 2. censet Christum, dum baptizaretur, non verbis, sed facto instituisse baptismi Sacramentum, ut esset omnium peccatorum lavacrum: nam tum apparuit tota S. Trinitas, quam in forma baptismi profitemur, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Pater enim apparuit in voce: Filius in Jordane, Spiritus sanctus in forma columbæ. Verius tamen est Chri-

Christi baptismus quando institutus?

D stum, dum baptizaretur, designasse tantum suum baptismum, ejusque materiam, scilicet aquam; eum vero paulo post, dum cœpit prædicare, publice instituisse, ut docet Suarez, & alii plures: quare videtur eum instituisse, dum Nicodemo secreto, & nocte ad se venienti dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*, Joan. 3. 5. Hæc enim secreta fuit ad unum Nicodemum Christi vox: publicum autem baptismi Sacramentum publice fuit instituendum & promulgandum. Indicatus ergo dumtaxat a Christo fuit hic baptismus, mox a se conceptis verbis in publica populi concione & cœtu instituendus. Et hoc est, quod dicere volunt S. Chrysostomus hic, & S. Augustinus, serm. 36. & 37. de Tempore, S. Gregorius Nazianz. orat. in S. Nativitatem, & alii, dum ajunt Christum suo baptismo aquas sanctificasse, & contactu corporis vim regenerativam eis indidisse, non quasi aquis indiderit qualitatem physicam, sed moralem; quia scilicet tunc ipso facto ex intentionem Christi deputatæ & designatæ sunt aquæ ad sanctificandum homines eis abluendos in Baptismi Sacramento, mox a Christo instituendo.

Tropologice Christus suo baptismo hic nos docere voluit viam sanctam & perfectam inchoandam a baptismo, id est, a pœnitentia, lachrymis, & purificatione affectuum, idque maxime facere debere eos, qui alios bapti-

E zare id est, purificare, convertere, & sanctificare destinant, uti sunt doctores & prædicatores.

VERS. 14 JOANNES AUTEM PROHIBEBAT EUM] Agnovit Joannes Christum ex privato Dei instinctu & revelatione, per quam Christum videns, facies tenus agnovit, quem ante triginta annos infantem latentem in utero matris, latens & ipse in ventre suæ genitricis per mentem & spiritum agnoverat, salutarat, & exultarat, Luc 1. 41.

Dices quomodo ergo, Joan. 1. 33. Baptistæ a Deo datur signum, quo Christum agnoscat, scilicet descensio & mansio Spiritus sancti super eum? Respondetur hoc signum Baptistæ dari, non ut primo Christum cognoscat, sed ut illo plenius se in hac cognitione fideque confirmet, utque eodem quasi certo Dei testimonio Christum populo ostendat & commendet.

Joannes baptizatus a Christo ab non? DICENS: EGO A TE DEBEO BAPTIZARI ET TU VENIS AD ME?] Pro *debeo* Græce est χρείαν ἔχω, id est, opus habeo, indigeo *a te baptizari*, id est spiritualiter ablui a levibus peccatis, tuoque spiritu & gratia perfici; non ergo significat debitum præcepti, quasi Baptista obligatus fuerit suscipere baptismum Christi. Hoc enim præceptum baptismi Christi editum & promulgatum fuit a S. Petro post mortem Baptistæ & Christi in Pentecoste. Hinc tamen nonnulli colligunt, Baptistam paulo post a Christo fuisse baptizatum, sicut ab eodem baptizata fuit B. Virgo, S. Petrus, Jacobus, Joannes, ceterique Apostoli, uti testatur S. Evodius, qui S. Petro in Cathedra Antiochena successit, epistola, quæ inscribitur περὶ φωτὸς, id est, lumen: Christum vero non decuit suo baptismo baptizari, quia ipse quasi Hierarcha, baptismum instituit quasi peccati remedium ac sui, suæque Ecclesiæ notam, & characterem. Ita D. Thomas, Suarez, & alii passim tract. de Baptismo.

F

Christus non suscepit baptismum a se institutum. Cur?

Favent huic sententiæ Nazianzenus orat. 39. versus finem: *Sciebat Christus*, inquit, *paulo post futurum, ut ipse Baptista baptizaret.* Item & sanctus Chrysostomus, qui dicunt Joannem baptizasse Christum aqua, Christum vero baptizasse Joannem spiritu. Unde Auctor imperfecti hic hom. 4. *Dum*, inquit, *Joanni dicenti: Ego a te debeo baptizari, respondit: Modo interim sine, ostendit, quia postea Christus baptizavit Joannem, quamvis in secretioribus libris manifeste hoc scriptum esset; Joannes quidem baptizavit illum aqua, ille autem Joannem in spiritu.*

G

An Joannes Baptista fuerit baptizatus a Christo. Dici posset tamen Christum baptizasse Joannem spiritu, non in Sacramento baptismi, sed spiritu, id est, spiritualiter, quia majorem spiritus copiam ei infundit, fecitque ut in gratia & charitate valde proficeret. Unde Abulensis hic in cap. 3. Matthæi quæst. 78. censet Joannem non fuisse baptizatum a Christo; idque probat ex admiratione discipulorum Joannis, qui paulo post nuntiarunt Joanni Christum, cui Joannes testimonium perhibuerat, baptizare, & omnes ad eum venire. Joan. 3. 26. Hoc enim frustra illi nuntiassent, si Joannes jam a Christo baptizatus erat, idque sane eis Joannes respondisset; nisi dicas post hoc discipulorum nuntium Joannem a Christo petiisse baptismum, ut pariter discipulos suos ad Christum, ejusque baptismum adduceret. Itaque res manet dubia, adeoque problema est, an Joannes baptizatus fuerit a Christo, an non?

VERS. 15 RESPONDENS AUTEM JESUS, DIXIT EI: SINE MODO, (permitte me nunc baptizari a te) SIC ENIM DECET NOS IMPLERE OMNEM JUSTITIAM] *Nos*, scilicet me suscipiendo, te dando baptismum. Alii, q. d. *nos*, id est, quotquot aliorum magistri sumus, decet eos præire exemplo. Nihil quantumvis leviculum est prætereundum: Instituere volo baptismum; præcipientis est, quod præcipit præ aliis adimplere. Unde de Christo ait Lucas: *Cœpit Jesus facere*, & deinde *docere*. Actor. 1. vers. 1. *Hæc est justitia*, ait S. Ambros. lib. 2. in cap. 3. Lucæ cap. ultimo, ut *quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tua alios horteris exemplo.* Unde S. Gregor. lib. 31. Moral. c. 1. *Ex humilitate*, inquit, *vera secura semper auctoritas nascitur.*

H

Porro non solus Christus recipiens, sed & Joannes conferens ei baptismum, implebat omnem justitiam, tum quia contendens de humilitate, & humili baptismi susceptione cum Christo, sinebat se ab eo vinci, ut par erat: unde victus a Christo humilitate, vincebat quasi Christum obedientia, cedendo & obediendo ei: sicut S. Dominicus volens dare dexteram S. Francisco, cum ille plane obsisteret & occuparet sinistram, ei dixit: *Tu me vincis humilitate, ego te vinco obedientia*, quia tibi cedo & obedio; tum quia Joannes rem valde sanctam,

puta

A puta baptiſmum pœnitentiæ exercebat, ut homines præpararet ad gratiam Chriſti; tum quia cooperabatur ſummæ humiliationi Chriſti, dando ei baptiſmum, quem ipſe poſcebat, & a nullo alio, quam a Joanne accipere poterat; tum quia cauſa fuit, ut Chriſtus a S. Trinitate declararetur eſſe Filius Dei; hoc enim factum eſt in baptiſmo. Veriſimile quoque eſt Joannem in ipſo baptiſmo Chriſtum populo demonſtraſſe: cum enim forma baptiſmi Joannis fuerit hæc, aut ſimilis: *Baptizo te in nomine ejus, qui venturus eſt*. Vel: *Credo in Meſſiam jamjam venturum*, ut colligitur c. 19. v. 4. videtur quod Chriſto veniente, & baptiſmum recipiente, dixerit: *Hic eſt Meſſias: quem venturum dixi* quæ omnia erant ſanctiſſima, ut merito Joannes quoque dicatur hic impleſſe omnem juſtitiam.

Rurſum S. Hieronymus ait: *Pulchre dixit: Sine modo, ut oſtenderet Chriſtum in aqua, Joannem a Chriſto in ſpiritu baptizandum*. Et mox: *Tu me baptizas in aqua, ut ego te baptizem pro me in ſanguine tuo*, q. d. Tu me baptizas baptiſmo fluminis, ego te baptizo baptiſmo flaminis & ſanguinis.

B Implere omnem juſtitiam quid? Reſp. Primo.

SIC ENIM DECET NOS IMPLERE (Arabicus *perficere*) OMNEM JUSTITIAM] Primo, *omnem juſtitiam*, Syrus *omnem rectitudinem*, hoc eſt, quidquid juſtum eſt, rectum, ſanctum, & Deo gratum, nec quidquam tale recuſare, etiamſi humile ſit & abjectum, nec ulla lege cautum, ſed conſilium dumtaxat ſit, non præceptum, quale hic eſt, ut ego Chriſtus baptizer a te, o Joannes, qui es ſervus & creatura mea: omnis ergo juſtitia eſt quælibet virtus, ſanctitas, & perfectio. Rurſum *omnem juſtitiam*, id eſt, quidquid præcepit Deus Pater, ait Vatabl. Juſtum enim eſt, quod Deus ſancit & præcipit. Videtur enim Deus Pater Chriſto uſti moriendi, ſic & baptiſmum a Joanne ſuſcipiendi præceptum dediſſe.

Secundo. Omnis juſtitia eſt humilitas, Cur?

Hinc ſecundo Gloſſa: Omnis juſtitia, inquit, & humilitas, quæ ſe omnibus, id eſt, ſuperioribus & æqualibus; æque ac inferioribus ſubjicit. Ex adverſo omnis injuſtitia & ſuperbia, qua quis non modo inferioribus & paribus, ſed & ſuperioribus ſe præponit. Jus enim & ſubjectionem eis debitam adimit. Sicut enim in omni actu

C juſtitiæ, id eſt, virtutis intervenit humilitas, qua quis rationi & virtuti ſe ſubmittit: ſic in omni actu peccati miſcet ſe ſuperbia, qua quis rationi, legi, & voluntati Dei ſe, ſuamque voluntatem, & cupiditatem anteponit. Humilitas ergo implet omnem juſtitiam, quia ſolvit, imo ſuperat omne jus & debitum, quod homo debet Deo, proximo, & ſibi. Deo enim ſe ſubjicit per religionem, proximo per charitatem, corpus animæ, animam legi Dei. Quocirca humilis cum omnibus pacem habet; ſuperbus cum omnibus diſſidium & bellum. Quot hodie ſunt diſſidia & lites etiam inter clericos & Prælatos de loco, de titulis, de præcedentia, quam utraque pars ſibi deberi pertinaciter contendit cum ſcandalo laicorum, & nullo vel exiguo victoriæ lucro? Quid enim lucraris, ſi litem vincas, niſi exiguum & inane honoris punctum? & interim longe majorem famæ, pacis, & ſæpe conſcientiæ jacturam facis. Diſce, o Chriſtiane, a Chriſto hic, cedere, imo & ambire locum imum, ſic cum Chriſto exaltaberis & merebere ſummum. Chriſtus enim ſubdens ſe Joanni, ab eo, imo a tota S. Trinitate declaratus eſt eſſe major Joanne,

D imo Filius Dei. Dic ergo cum Chriſto: *Sic nos decet implere omnem juſtitiam*, quam imitatus S. Ignatius fundator Societatis noſtræ, aureum hoc axioma dedit:

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potius, quam ſuperare juvet.

Humilitas eſt honor Chriſtiani.

Decus enim, honor & gloria Chriſtiani eſt humilitas, puta cedere, ſinere ſe vinci, primas alteri dare: quare major eſt, qui eſt humilior, qui cedit, qui alterum ſibi præfert. Nam, ut ait S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 13. *Malorum locus eſt ſuperbia, bonorum locus eſt humilitas*. Docet ergo hic nos Chriſtus, ſequi vitam communem, non quærere exemptiones a communi lege & more, haberi ut unus de vulgo, juxta illud: *Si ſis egregius, eſto quaſi unus egrege*; imo ad ima deſcendere, & omnibus ſe ſupponere, juxta illud Eccleſ. 3. 20. *Quanto magnus es, humilia te omnibus, & coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab omnibus* (humilibus) *honoratur*. Vide ibi dicta.

Tertio.

Tertio, *omnem juſtitiam*, id eſt, ſummam juſtitiam. Sic Exodi 33. 19. ait Deus Moſi: *Oſtendam omne*, id eſt

Juſtitia ima, media, ſumma.

ſummum, *bonum*, ſcilicet, meipſum, *tibi*; ima enim juſtitia eſt, ſubdere ſe ſuo ſuperiori; media, ſubdere ſe æquali; ſumma, ſubdere ſe inferiori, uti Chriſtus ſubdidit ſe Joanni: Chriſtus, inquam, qui eſt Sanctus Sanctorum, inclinavit caput Joanni ad baptiſmum, quaſi petens ab eo purificationem & ſanctificationem velut peccator & pœnitens, ſicut erant ceteri, qui poſcebant baptiſmum a Joanne. Præclare S. Gregorius 3. parte Paſtor. admonit. 18. *Audiant*, inquit, *humiles, quia Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: audiant elati, quia initium omnis peccati ſuperbia eſt. Audiant humiles, quia redemptor noſter humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem: audiant elati quod de eorum capite ſcriptum eſt: ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ. Occaſio igitur perditionis noſtræ facta eſt ſuperbia diabali, & argumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei.* Et paulo poſt: *Dicatur ergo humilibus, quia dum ſe dejiciunt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt: dicatur elatis, quia dum ſe erigunt, in Apoſtatæ Angeli imitationem cadunt. Quid igitur elatione dejectius, quæ dum ſupra ſe tenditur, ab altitudine veræ celſitudinis elongatur? Et quid humilitate ſublimius, quæ dum ſe in ima deprimit, auctori ſuper ſumma conjungit?*

E

Idem alibi: Hæc ait, eſt ſumma juſtitia & ſanctitas, ſi virtutis merito ſummi, humilitate ſimus infimi. S. Thomas Aquinas (ut in ejus vita inter ejus axiomata refertur) rogatus quo indicio vere ſanctus & perfectus dignoſci poſſet? reſpondit *humilitate*, contemptu ſui, contemptu honoris & laudis, tolerantia ignominiæ & vituperii. Si enim, inquit, videris aliquem, dum negligitur, contemnitur, poſtponitur, dare ſenſum doloris vel indignationis; dejicere vultum, naſum contrahere, rugare frontem, ſcito hunc non eſſe ſanctum, non eſſe magnum, etiamſi is miracula faceret. Oſtendit enim in ſui neglectu ſuam ſuperbiam, triſtitiam, iram, impatientiam, ac proinde vilem ſe facit & contemptibilem. Ex adverſo humilis, qui gaudet ſuo contemptu, dignus eſt, qui ab omnibus laudetur, & glorificetur.

F Quo indicio ſanctus aliquis ſeu perfectus dignoſcitur.

Quarto.

Quarto, *omnem juſtitiam*, id eſt, omne incrementum juſtitiæ, id eſt, virtutis, & ſanctitatis: Chriſtus enim licet interius in gratia creſcere non poſſet; erat enim ea plenus a primo inſtanti ſuæ conceptionis & unionis cum Verbo, tamen exterius quotidie majora virtutum ſigna edebat, ac magis magiſque ſe humiliabat. Chriſtus enim e cælo deſcendit in utero Virginis, ex utero in præſepium, e præſepio in Jordanem, e Jordanne in crucem, ut nos doceret illud Pſalmi 83. 8. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*. Sic B. Thereſia faciebat omnem juſtitiam, quia in qualibet re faciebat id quod juſtius, ſanctius, perfectius, & Deo gratius erat, imo ad hoc voto ſe obſtrinxit. Quocirca S. Aug. ep. 56. ad Dioſcorum: *Huic* (Chriſto & Chriſtianæ diſciplinæ) inquit, *te, mi Dioſcore, ut tota pietate ſubdas velim; nec aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem*. Et poſt nonnulla: *Itaque ſicut Rhetor nobiliſſimus* (Demoſthenes) *cum interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obſervari oportere, pronuntiationem dicitur reſpondiſſe: cum quæreretur, quid ſecundo, eamdem pronuntiationem: quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixiſſe: ſi interrogares, & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi humilitatem liberet, etſi forte alia dicere neceſſitas cogeret. Huic humilitati ſaluberrime, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ut doceret, humiliatus eſt; huic, inquam, maxime adverſatur quadam, ut ita dicam, imperitiſſima ſcientia.*

G

S. Thereſia.

H

Denique implet *omnem juſtitiam*, qui honore omnes prævenit, qui aliorum mores difficiles, moleſtos, ſibique injurios tolerat, juxta illud Pauli: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Galat. 6. Item qui amat odientes ſe, benedicit maledicentibus, benefacit malefacientibus ſibi, qui laudat detrahentes ſibi, qui honorat ſpernentes ſe, qui charitatis ardore vincit inimicos, eoſque facit amicos, qui injurias ulciſcitur beneficiis, qui cum Paulo optat eſſe anathema pro hoſtibus ſuis. Rom. 9. ac omnibus omnia fit, ut omnes Chriſto lucrifaciat. 1. Corinth. 9. 22. Hæc omnia docuit, & prius fecit Chriſtus.

Quinto.

TUNC DIMISIT] id eſt, hoc audito ceſſit Joannes Chriſto petenti baptiſmum, eumque baptizavit: *Ut ſi Deus ab homine accepit baptiſma, nullus a conſervo dedignetur accipere*, ait ſanctus Hieronymus. Et S. Ambroſius lib. 2. in Lucam cap. ult. *Nemo refugiat lavacrum*

Digitized by Google

A

patiæ, quando Christus lavacrum pœnitentiæ non refugit. Pulchre S. Bernardus serm. 1. de Epiphan. *Acquievit*, ait, *Joannes & obedivit: baptizavit agnum Dei, & aquas lavit; nos abluti sumus, non ille, quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ.*

Porro diem, quo Christus baptizatus est, fuisse Dominicum tradit S. August. serm. 154. de tempore, licet Joannes Lucidus lib. 7. cap. 2. censeat Christum baptizatum feria sexta. Certum quasi est ex traditione Christum baptizatum esse die sexta Januarii, eadem scilicet, qua ante triginta annos adoratus fuerat a Magis. Unde Ecclesia eadem die memoriam baptismi Christi recolit. Quocirca Æthiopes die 6. Januarii in memoriam baptismi Christi, aquis se non tantum aspergunt, sed & penitus immergunt. Fideles quoque in Græcia circa mediam noctem, quæ diem sextam antecedit, aquas ex obvio fonte vel fluvio hauriebant, quæ Dei dono multis annis incorruptæ manebant, uti expresse testatur S. Chrysost. homil. de Baptismo Christi tom. 5. operum Græcorum. Addit S. Epiphanius hæresi 51. illa die Nilum in vinum verti: *Circa ipsam undecimam* (mensis Tybi, qui est sextus nostri Januarii) *post annos triginta factum est primum signum in Cana Galilææ, quando aqua facta est vinum. Quapropter etiam in multis locis usque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum est, divinum signum in testimonium incredulis: velut testantur in multis locis fontes ac fluvii in vinum conversi: ut Cibyres quidam urbis Cariæ fons, qua hora hauserunt ministri, & ipse dixit: Date Architriclino: testatur & in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus de Cibyre fonte; fratres vero nostri de eo, qui est in Gerasa, in martyrum templo. Sed & multi de Nilo hoc testantur.* Tres ergo aquas nominat, quæ dicto festo in vinum vertantur, primam, fontem Cibyres; secundam, fontem in Gerasa; tertiam Nilum. Cum igitur tres isti fontes vinoso sapore numquam fluxerunt nisi hoc die, manifestum fit hoc miraculum non esse patratum, nisi ad recolendam memoriam vini ex aqua a Christo in Cana Galilææ producti, ait noster Gretserus in Curopalaten pagina 236. & seq. qui cum S. Epiphanio opinatur Christum in Cana aquam in vinum vertisse die sexta Januarii; alii enim alio die id factum putant, ut dixi in Chronotaxi Monotessari.

Christus baptizatur die 6. Januarii.

Mos & opinio veterum in vigilia Epiphaniæ.

Fontes in vinum versi in festo Epiphaniæ.

C

Quin & Jordanis aquam a Christi in ea baptismo donum incorruptionis accepisse, docet ibidem Gretserus: Addamus & hoc, inquit, aquam Jordanis postquam eam Christus contactu & baptismo suo consecravit, incorruptionis munere donatam esse. Id asserit illustris. princeps Nicolaus Christophorus Radzivilus in suo Hodœporico Hierosolymitano: *Aquam*, ait, *valde turbidam Jordanis habet, sed salubrem, quæ in vase asservata numquam corrumpitur, prout in ea, quam actuli mecum, indubitanter sum expertus.*

Aqua Jordanis a Christi baptismo non corrumpitur.

Rursum videtur Christus a Joanne non solum baptizatus, & ablutus in capite, sed & in reliquo corpore, tum quia hic erat ritus Judæorum, & etiamnum est; tum quia totum corpus aquis purificare debebant, ut singula membra quæ peccarant, abluerent: utque totius animæ omniumque ejus peccatorum purificationem repræsentarent. Spoliabant ergo se vestibus, & nudi baptizabantur. Jesus ergo dignatus est se nudare coram Joanne, & hanc verecundiam, quam casti erubescunt, pro nobis subire, ut Adæ nostramque nuditatem verecundiamque peccato inductam, sua gratia velaret & vestiret. Unde & Ecclesia eodem loci, ubi vestes Christi repositæ fuere, cum baptizaretur, erecta est a fidelibus, teste Beda de Locis sanctis cap. 13. qui & addit quod ille locus apud Jordanem, in quo baptizatus est Christus, nobili monasterio & Ecclesia in honorem Joannis Baptistæ dedicata, illustratus sit. De eodem ita scribit Greg. Turon. l. de Gloria martyrum c. 17. *In Jordane habetur locus, in quo Dominus baptizatus est. In uno etenim reflexu aqua ipsa revolvitur, in qua nunc leprosi mundantur. Cum enim advenerint, sæpius lavantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur: de publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt; sanati autem ad propria discedunt. Ipse quoque Jordanis ab eo loco in quinto milliario mari commixtus mortuo, nomen amittit.*

Christus toto corpore nudatus & ablutus.

D

Templum in loco ubi Christus baptizatus est.

In eodem loco Christum post baptismum sæpius visitasse S. Joannem ibidem baptizantem, tradit Joannes Moschus in Prato spirit. cap. 1. Porro Christus in Jordane baptizatus est a Joanne in Ennon juxta Salim. Joann. 3. 23. non longe a Sarthan & Jericho, ubi filii Israel, duce Josue, sicco pede transierunt Jordanem a Deo miraculose divisum, Josue 3. 16. & 17. ut significaretur eumdem Christum, qui olim Hebræos per Jordanem deduxerat in terram promissam, fideles suos & Christianos per baptismum pari modo deducturum in cælum. Unde sicut duce Josue aquæ Jordanis retrorsum conversæ sunt; sic Christo duce baptizato, retrorsum peccata conversa sunt, ait S. Augustin. Rursum Elias divisit aquas Jordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cælum 4. Reg. 2. ut significaretur quod transeuntibus per aquam baptismi Christi, per ignem Spiritus sancti pateret aditus ad cælum, ait D. Thomas 3. p. q. 39. art. 4.

E

BAPTIZATUS AUTEM JESUS, CONFESTIM ASCENDIT DE AQUA; ET ECCE APERTI SUNT EI CÆLI, ET VIDIT SPIRITUM DEI DESCENDENTEM SICUT COLUMBAM, ET VENIENTEM SUPER SE) Lucas cap. 3. 21. addit: *Jesu baptizato & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba super ipsum.* Unde patet non vi baptismi Joannis, sed merito humilitatis & Orationis Christi apertum esse cælum, & descendisse Spiritum sanctum super eum; orationi enim & orantibus insinuat se Spiritus sanctus.

VERS. 16 Luc. 3. v. 21 & 22. Matth.

F

CONFESTIM) Refert hanc vocem magis ad sequentia, utpote. *Aperti sunt ei cæli*, &c. quam ad τὸ *ascendit de aqua*. Nam Christo egresso ex aquis, statim aperti sunt cæli, unde Marcus cap. 1. 9. ait: *Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos.*

ET ECCE APERTI SUNT EI CÆLI) Marcus: *Vidit cælos apertos, Vidit*, scilicet ipse Jesus: non dubium, quin & Joannes idipsum viderit, ac ceteri qui aderant, utpote propter quos hæc fiebant. Unde Matthæus ait: *Aperti sunt ei*, id est, propter eum, *cæli*, puta in ejus gratiam & honorem visi sunt aperiri; idque ad hoc Primo, ut vox Patris e cælo labens: *Hic est Filius meus dilectus*, Christi dignitatem Joannis dignitate majorem significaret, Secundo, ut indicaret Deus per Christum cælum omnibus aperiri. Ita sanctus Chrysostomus. Tertio, ut vis cælestis baptismi innueretur, scilicet per eum homines carnales fieri spirituales & cælestes, ac per eum ad cælum vocari, & quasi manu duci. Ita S. Thomas 3. p. q. 39. art. 5.

G

Quomodo cæli Christo aperti.

Quæres, quomodo Christo aperti sunt cæli? Respondetur cælorum soliditatem non fuisse realiter apertam & discissam (hoc enim naturaliter est impossibile, supernaturaliter est superfluum, non etiam cæli aperti fuere per solam visionem imaginariam, uti aperti sunt Ezchieli c. 1. vers. 1.) sed quod in suprema aeris regione sensibiliter visus fuerit quidam hiatus, ceu species aperturæ sensibilis, ex quo columba æque ac vox Patris de cælo in Christum labi videretur, ita scilicet, ut partes aeris extremæ densiores viderentur, eo modo ut ad illas terminari posset visus; aer autem interjectus maneret rarus, nec videretur, sed appareret quasi hiatus lucidus, sive vacuum quoddam, & apertura radios vibrans in Christum, ex qua columba cum voce descendit in Christum. Hac enim arte pictores solent pingere & repræsentare hiatum. Omnia enim hic sensibilia fuerunt. Ita Euthymius, Jansenius, & Suarez 3. p. q. 39. art. 5. Tales hiatus sæpe apparent in aere, de quibus Aristoteles in Metheoris.

H

Addit noster Hieron. Prado in cap. 1. Ezech. v. 1. ad illa, *Aperti sunt cæli*, per fulgura & coruscationes visum fuisse quasi ætherem dividi & aperiri, indeque vocem Patris quasi tornitruum erupisse. Semper enim tonitru miscetur cum fulgure, imo fulguris est causa, etsi post fulgur audiatur, quia auditus tornitrui tardior est visu fulguris, eo quod objectum visus citius producat speciem sui quam sonus: visus enim omnium sensuum est subtilissimus & celerrimus; idque factum esse ad hoc, ut populus fulminis fulgore, & tonitrui terrore excitaretur ad audiendam vocem Patris de cælo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Favet illud Psalmi 28. v. 3. & 6. in sensu allegorico. Et Psalm. 76. *illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Sic apud Poetas æthera vel cælum aperiri, dividi, scindi, rumpi idem est quod fulgurare. Ita Ovidius 2. Fastor.

Hinc tonat, hinc missis obrumpitur ignibus æther.

Silius Ital. lib. 1.

— ruptoque polo micat ignibus æther.

Statius lib. 1. Thebaid.

— abrupta tremiscunt
Fulgura, & attritus subita face rumpitur aer.

Manil. lib. 1.

— Et cælum fulmine ruptum.

Simili

A *Simili modo vidit S. Stephanus, dum lapidaretur, cælos apertos. Actor. 7. 35. Vide ibi dicta.*

An vera columba in baptismo Christi.

ET VIDIT (*Syrus suspexit*) SPIRITUM DEI DESCENDENTEM SICUT COLUMBAM] *Ægyptius: Et vidit Spiritum Dei descendentem in forma columbæ.* Quæres primo an vera & realis fuerit hæc columba, an tantum species & similitudo columbæ? Veram fuisse columbam censent S. Hieronymus, S. Anselmus, & ex iis D. Thomas 3. p. q. 39. art. 7. Salmeron, & alii, idque est probabile, æque tamen probabile, imo probabilius est non fuisse veram columbam, sed tantum speciem sive formam columbæ ab Angelo formatam, agitatam & motam ut in Christum descenderet. Ratio est, quia id indicant omnes Evangelistæ: nam Matthæus ait: *Sicut columbam:* Marcus: *Tamquam columbam.* Joannes cap. 1. 22. *Quasi columbam.* Lucas c. 3. *Corporali specie sicut columba.* Erat ergo species & similitudo dumtaxat, non veritas columbæ, nec enim vera columba opus hic erat, sed similitudine ad symbolicam significationem, ut scilicet per speciem & symbolum columbæ designarentur dotes Christi, quas mox recensebo. Simili

B modo *cæli aperti sunt*, non realiter, sed per apparentium & spectrum dumtaxat, uti paulo ante explicui. Ita censent S. Augustinus ep. 102. S. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Lyranus, Cajetanus, Jansenius hic, Abulensis quæst. 84. & 85. Suarez 3. p. q. 39. artic. 7.

Instabis: fuitne ergo hoc phantasma, & phantastica columba? Respondetur minime: fuit enim verum, solidumque corpus, habens formam columbæ, ut docet S. August. de Doctrina Christiana c. 22. non assumptum hypostatice a Spiritu sancto sicut humanitas Christi assumpta est a Verbo, uti videtur sensisse Tertulianus lib. de Carne Christi cap. 3. sed tantum Spiritus sancti index & symbolum: quia columba est avis mansuetissima, simplicissima, innocentissima, fœcundissima, summe amabilis & zelotypa: talis pariter est Spiritus sanctus, qui hanc suam mansuetudinem, simplicitatem, innocentiam, fœcunditatem,

C charitatem & zelum animæ Christi a primo conceptionis ejus instanti perfectissime indiderat, idque nunc externo hoc signo jam a se factum esse, dumtaxat significabat, & publice toti populo declarabat.

Cur columbæ species hic? Resp. Primo.

Quæres secundo, cur Spiritus sanctus in Christum descenderit specie columbæ, in Apostolos vero specie ignis & linguarum ignearum? Act. 2. Respondet primo S. Chrysostomus, quia Christus venit in carnem & mundum mansuetus ut columba ad remittendum peccata, & solvendum peccatores. In die vero judicii veniet ut servus judex, puniturus impios per ignem. Rursum & magis ad literam, Apostolis datus est Spiritus sanctus specie ignis, quia eis indebat fervorem & ardorem prædicandi, ait S. Augustinus tract. 6. in Joannem.

Secundo,

Secundo, quia columba optime repræsentat Spiritum sanctum septuplicem, sive septem ejus dona, quæ Christo

Septem Spiritus sancti dona in columba figurantur.

D infudit, uti prædixit Isaias cap. 11. 2. dicens; *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hæc enim omnia appositе notantur per columbam. Nam, ut explicat S. Thomas 3. part. q. 39. art. 6. ad 4. primo columba secus fluenta aquarum moratur, in iisque quasi in speculo aspicit accipitrem, eoque viso fugit; per quæ significatur donum sapientiæ: secundo, columba meliora grana in cumulo seligit; ecce donum scientiæ: tertio, columba alienos pullos nutrit; ecce donum consilii: quarto, columba non lacerat rostro; ecce donum intellectus: quinto, columba caret felle & bile; ecce donum pietatis: sexto, columba nidificat in petris, ecce donum fortitudinis: septimo columba pro cantu edit gemitum; ecce donum timoris, quo Christus & Sancti gemunt pro peccatis, vel suis, vel alienis, vel utriusque.

Tertio,

Tertio, columba symbolum est reconciliationis & reparationis mundi, quam Spiritus sactus fecit per Christum: unde ejus symbolum fuit columba afferens ramum virentis olivæ ad Noe, per hoc significans cessasse diluvium iramque Dei; ac siccitatem terræ redditam, & pacem hominibus. Gen. 9. 12. Ita S. Chrysostomus.

Quarto,

Quarto, columba, quia est avis amicabilis & gregalis, notat unionem & societatem fidelium in Ecclesia, quam efficit Spiritus sanctus per baptismum Christi. Ita D. Thomas loco jam citato. Denique columba candida est, suavi odore pascitur, ac mire pullos amat. Sic Christus candidissimus est, virtutum odore pascitur, ac filios suos E amat intime.

Columba auctoritas Episcopos & doctores. Exempla S. Eleucadii.

Hac da causa Spiritus sanctus, uti hic in Christum, ita in Christianos insignes, sæpe specie columbæ descendit, ac præsertim doctores, Episcopos, & Pontifices Ecclesiæ auctoravit, & quasi consecravit. S. Eleucadius, sancti Apollinaris Ravennatium Apostoli discipulus, columba in caput ejus advolante, Episcopus Ravennatium ordinatus est, qui sanctitate illustris migravit in cælum anno Domini 115. Ita Philippus Ferar. in Catalogo Sanctorum Italiæ.

S. Aderiti.

Sic & columba in caput S. Aderiti coram clero devolans, eum designavit S. Apollinaris successorem, & secundum Ravenæ Episcopum.

S. Marcellini.

S. Marcellinus pariter columbæ indicio, ejusdem urbis Episcopus designatus est anno Domini 230. Ita Hieronymus, Rabeus in Histor. Ravennæ, & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

S. Fabiani.

S. Fabianus per columbam capiti incumbentem, in Romanum Pontificem electus est.

S. Gregorii.

S. Gregorio libros scribenti, visus est Spiritus sanctus specie columbæ in aurem suggerere ea, quæ scriberet.

F

S. Basilii.

S. Basilius, qui in eodem Jordane, in quo Christus baptizati voluit, Missam celebrans, cælesti circumdatus luce, jussit confici columbam ex auro puro, in eamque partem hostiæ consecratæ reposuit, suspenditque eam super altare, idque in specie columbæ illius, quæ apparuit in Jordane Christo baptizato, ait Amphilochius. Additque S. Ephrem vidisse Spiritum sanctum in specie columnæ ignis incumbere S. Basilio, ideoque exclamasse: *vere columna ignis Basilius, vere Spirtus sanctus loquitur per os ejus.*

S. Joannis Chrysostomi.

Flavianus Patriarcha jussu Angeli ordinans S. Joannem Chrysostomum, cumque sacerdotem consecrans, vidit albam columbam in caput sancti Joannis devolare, uti refert Leo Augustus in ejus vita, & ex eo Baronius anno Christi 456. num. 7.

Mahometis impostoris columba.

Hac de causa Mahomet impostor columbam condocefecit & assuefecit, ut advolaret ad aurem suam, ponendo in aure grana, quæ colligeret & comederet columba, ut hac ratione populo persuaderet sibi familiarem esse Spiritum sanctum, eumque sibi suggerere suam legem, & dictare Alcoranum, imo secretissima Dei consilia revelare. Idem effecit, ut columba schedam ad se afferret, in qua aureis literis scriptum erat. *Quicumque taurum domuerit, rex esto.* Ipse autem taurum, quem antea nutriverat, facile edomuit, ideoque a stulta plebe rex est salutatus. Ita habent auctores vitæ Mahometis.

G

H

ET VENIENTEM SUPER SE] Græce est ἐπ' αὐτὸν, id est, *super eum*, q. d. Joannes vidit Spiritum sanctum specie columbæ descendentem super caput Jesu, illique insidentem. Noster ad ὐν accepit pro ἐαυτὸν: Hebræi enim idem habent pronomen absolutum & reciprocum hinc עליו *alau* tam *super se*, quam *super eum* significat. Utrumque verum, utrumque appositum. Unde Joannes postea aliis & aliis turbis ad ejus baptismum affluentibus Christum demonstrans, dixit: *Quia vidi Spiritū descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum*, Joan. 1. 23. Insedit ergo columba hæc sacro Christi vertici, eumque esse Messiam, Ecclesiæ Doctorem & Salvatorem toti orbi declaravit, & quasi promulgavit. Hinc Christus & Ecclesia, animaque sancta sunt quasi columbus & columba, juxta illud Cant. 6. *Una est columba mea, perfecta mea.* Vide ibi dicta.

Appositе pieque S. Bernardus serm. de Epiphan. *Nec incongrue*, ait, *ad indicandum agnum Dei venit columba, quia nihil melius agno convenit, quam columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia, sicut agnus, & columba? Nocere cuiquam nesciunt, lædere non noverunt.*

VERS. 14

ET ECCE VOX DE CÆLIS DICENS: HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI COMPLACUI] Ex cælis apertis & coruscis lucida columba dilapsa est in caput Christi, dumque in eo considet, ex iisdem dilapsa est vox: *Hic est Filius meus.* Vox hæc symbolum columbæ explicabat, columba vero ad Christum, cui ipsa insidebat, vocem ferri & terminari significabat, non ad Joannem vel quem alium: utroque ergo signo opus fuit ad declarandum orbi Christum. Vox hæc *in persona Patris Angelorum ministerio efformata fuit*, ait Victor Antioch. in cap. 1. Marci. Hic primum orbi revelatur mysterium SS. Trinitatis, quod Judæis obscure fuerat insinuatum, dum Pater se ostendit in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in specie columbæ,

Digitized by Google

A significaretur fides S. Trinitatis jam explicanda, adeoque ejus nomine conferendus Christi baptismus, licet enim hæc omnia, puta cælorum apertio, formatio vocis, descensus columbæ, utpote opera ad extra, uti loquuntur Theologi, fuerint toti S. Trinitati communia, uti docet S. Augustinus ser. 38. de Temp. tamen speciatim singulæ personæ symbolis jam dictis repræsentabantur.

Hic est Filius] Græce ὁ υἱὸς, id est *ille Filius* Dei Patris, scilicet: per eminentiam, puta Filius per naturam: non adoptionem, uti sunt Angeli & homines sancti; ideoque non est creatura, sed creator, Deo Patri ὁμοούσιος & consubstantialis, uti definitum est in Concilio Nicæno, ceteriseque sequentibus.

Marcus & Lucas habent aliis verbis, sed eodem sensu: *Tu es Filius meus*. Et verisimile est ita dictum fuisse, tum quia duo Evangelistæ in eo consentiunt, tum quia consonum erat, ut Jesu in cælum aspiciente, Patremque orante, ac Spiritu sancto in eum descendente, vox Patris quoque ad eum dirigeretur, eumque quasi Filium complecteretur & compellaret, itaque toti orbi venerandum, amandum, B audiendum proponeret. Ita Jansenius, Maldonatus, Franc. Lucas, & alii.

Dilectus] Græce ἀγαπητὸς, id est, *ille dilectus*, id est, unice & summe dilectus, per quem ceteri diliguntur, nec ullus a Deo diligitur, nisi quem ille dilexerit, suaque gratia donaverit; unde Syrus vertit, *dilectissimus*.

In quo mihi complacui] Ita scilicet; ut tu solus, o Christe, perfecte per omnia, summe & infinite mihi places, ac nemo mihi placeat, nisi per te; imo ut per te placatus sim toti generi humano, cui antea ob peccatum Adæ & posterorum offensus fui. Hebr. enim רצה *rasah* & placere & placari, sive *reconciliari* significat.

Tu ergo es Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit,] ut habent Marcus, & Luc. quia tu solus cum sis *splendor gloriæ, & figura substantiæ meæ*, Hebr. 1. 3. singulariter & immense ita mihi places, ut nihil in te displiceat, sed omnia summe placeant: tu es ille, in quo ego acquiesco, in quo me pasco & oblector: propter te omnes tui discipuli & assecla, puta omnes Christiani & Sancti mihi placent. Alludit ad Noe, qui solus suo ævo placuit Deo, juxta illud: *Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit*. Gen. 6. 9. & c. 8. C 20. cessante diluvio *Noe obtulit holocausta super altare: odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Neequaquam ultra maledicam terra propter homines*. Sicut enim Noe adeo placuit Deo, præsertim dum illi hostiam obtulit, quæ ita eum placavit, ut promiserit se non amplius orbem diluvio perditurum: sic multo magis Christus seipsum Deo offerens in hostiam piacularem, Deum toti generi humano placavit & conciliavit. Hac voce Christus a Deo constitutus est publicus orbis doctor & legislator. Unde cum hæc vox repetita est a Patre in Christi transfiguratione, Matth. 17. 5. addit: *Ipsum audite*, q. d. Audite Christum, qui mihi est unigenitus; non Platonem, non Appollonium, non Socratem: Christum, inquam, audite, in ipsum credite, ipsi obedite: ipse e sinu meo vobis enarrabit mea arcana, abscondita a constitutione mundi; ipse vobis pandet viam pacis, viam ad cælum, viam ad felicitatem; ipse vobis evangelizabit regnum cælorum & bona cælestia, imo divina, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Hinc Magdalena se- D dens ad pedes Jesu, eumque assidue & intente audiens, ob eo audivit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Luc. 11.

Præclare S. Leo serm. de Transfiguratione: *Hic est* ait, *Filius meus, cui ex me, & mecum esse, sine tempore est. Hic est Filius meus, quem a me non separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est Filius meus, non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus. Hic est Filius meus, per quem omnia facta sunt*. Et mox: *Hic est Filius meus, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec usurpatione præsumpsit, sed manens in forma gloriæ meæ, ut ad reparandum genus humanum, exequeretur commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem deitatem*. Unde concludit: *Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo, & cujus prædicatione manifestor, cujus humilitate clarificor; incunctanter audite, quia ipse est veritas & vita, ipse virtus mea atque sapientia; ipsum audite, quem Prophetarum ora cecinerunt, ipsum audite, qui sanguine suo mundum redemit, qui viam aperit ad cælum, & per crucis* E *supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum*.

Denique valde probabile est, Christum hoc loco & tempore cum baptizaretur in Jordane, hoc ipso instituisse Sacramentum Baptismi, eique dedisse efficaciam justificandi; necessitatem tamen ejus suscipiendi indixisse post mortem suam in Pentecoste. Ita diserte docet sanctus Thomas 3. part. quæst. 26. articulo 2. Cajetanus & ceteri ejus sectatores, ac idipsum fuse ibidem probat noster Gabriel Vasquez. Idem insinuat sanctus Augustinus, sermon. 37. de Tempore: *Baptizatur novus homo*, inquit, *ut novi baptismatis constituat Sacramentum*. Patres etiam communiter docent Christum suo baptismo aquas sanctificasse, & eas contactu corporis ejus vim regenerativam accepisse. S. Ambrosius lib. 2. in Luc. c. 31. & serm. 15. & 20. S. Hieron. Dialog. contra Luciferian. S. Chrysost. hom. 2. in Matth. Nazianzenus orat. in S. Nativitatem, & passim Interpretes in hoc cap. 3. Matth. quod ita intelligendum est, non quod aquæ acceperint aliquam physicam qualitatem, sed quia tunc illo facto ex intentione Christi sunt deputatæ ad sanctificandum, sicut enim aliquid instituitur verbis, ita etiam solo facto aliquid instituitur potest: atque etiam tunc formam baptismi institutam & designatam fuisse credibile est, per hoc quod tota Trinitas tunc apparuit: ergo totum Sacramentum tunc fuit institutum. Confirmatur, quia si Christus verbis tunc dixisset: Volo ut homines baptizentur in aqua in nomine Trinitatis, omnes fatererentur ipsum tunc instituisse baptismum; atqui hoc ipsum dixit facto; nam hoc voluit suo facto significare. Accedit S. Chrysostomus homil. jam citat asserens, quod sicut Christus in eadem mensa approbavit umbram, & addidit veritatem, quando in eadem cœna comedit agnum, & instituit Eucharistiam, ita in eodem flumine conjunxit umbram & veritatem, scilicet baptismum Joannis cum baptismo suo.

Christus hic suum baptismum instituit.

Prob. Primo.

F

Probatur secundo, quia statim initio prædicationis suæ Christus per discipulos baptizabat, ut patet Joannis 3. & 4. ergo jam baptismus ejus erat institutus. Atqui non apparet ubi commodius potuerit esse institutus, quam cum Christus contactu sanctissimæ carnis suæ aquam consecravit, & Trinitatis manifestatione formam designavit.

Secundo.

Tertio, quia festum luminum apud Græcos ita celebratur, quasi tunc nostrum baptisma fuerit institutum. Vide Nazianzenum oratione in SS. luminaria. Unde in hymno illius diei canit Ecclesia: *Hodie in Jordane lavit Christus nostra crimina*. Porro hanc baptismi institutionem ipso facto a se factam, Christus verbo explicavit & promulgavit cum cœpit prædicare & baptizare. Unde Suarez tunc institutum fuisse baptismum opinatur. Denique Baptismus Christi licet jam institutus, non tamen obligavit homines ad eum suscipiendum usque ad adventum Spiritus sancti in Pentecoste; nam usque ad illud tempus fuit in consilio, deinceps vero fuit in præcepto. Ratio est, quia in Pentecoste facta est promulgatio legis novæ, cujus initium est baptismus. Usque ad Pentecosten ergo obligavit lex vetus & circumcisio, quæ tunc obligare desiit, cum successit ei lex nova promulgata in Pentecoste, Actor. 2. uti docet S. Augustinus epistol. 19. S. Thomas, & passim Theologi. In Pentecoste enim omnia mysteria Christi & Christianismi adimpleta fuere, unde tunc lex nova obligare cœpit, lex vetus vero obligare desiit, utpote quæ novæ tantum erat typus & figura; sicut umbra desivit præsente veritate & lumine.

Tertio. G

Non tamen obligavit ante Pentecosten.

H

CAPUT IV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit primo quadragenarium Christi jejunium in deserto, ejusque tripticem a Satana tentationem. Secundo, vers. 13. narrat Christum cœpisse in urbe Capharnao prædicare regnum cælorum. Tertio, vers. 18. Christum ad sui sequelam evocasse Petrum, Andream, Jacobum & Joannem, multosque ad Christum ob ægritudines, quas sanabat, confluxisse.

VER. 1. TUnc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

2. Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

3. Et

Digitized by Google

3. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi,

6. Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

7. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum vade: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum,

9. Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10. Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

11. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

12. Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam:

13. Et, relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim:

14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam:

15. Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium,

16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

17. Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.

18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores)

19. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

20. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.

21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocavit eos.

22. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

23. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni: & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo.

24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos:

25. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Jerosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.

VERS. 1. Luc. 4. 1. Mar. 1. 12. TUNC JESUS DUCTUS EST IN DESERTUM A SPIRITU, UT TENTARETUR A DIABOLO] Syrus, *ab accusatore*, διάβολος enim Græcis idem est, quod *accusator, calumniator*, qualis maxime est satanas, qui homines perpetim accusat apud Deum, ut eos sibi suæque potestati addicat in gehenna.

TUNC] scilicet illico a baptismo Christi. Unde Marcus c. 1. 12. ait: *Et statim Spiritus expulit eum in desertum*. Et Lucas c. 4. v. 1. *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane, & agebatur a Spiritu in desertum*. Unde videtur, quod Christus eadem die sexta Januarii, qua baptizatus est, actus sit a Spiritu in desertum, eademque die finiente, & septima inchoante, inchoarit jejunium 40. dierum, ideoque illud finierit die 15. Februarii. Celerrimus enim ad omne opus bonum est Spiritus sanctus, æque ac Christus.

Christus cœpit jejunium die 6. Januarii.

DUCTUS EST] Græce ἀνήχθη, id est, subductus & e medio sublatus est, ut scilicet e populi turba, cum qua hactenus conversatus erat, secederet in desertum, ibique orationi & jejunio vacans, sanctitatis famam sibi apud populum pareret, ac majori auctoritate prædicare inciperet, æque ac fecerat ejus prodromus & præcursor Joannes Baptista. Marcus habet: *Expulit eum Spiritus*: ubi vox *expulit* significat vim, efficaciam, & alacritatem Spiritus, quæ erat in Christo, ac futura erat in Apostolis, ceterisque Christianis: quos possessurus & ad heroica virtutum opera acturus erat Spiritus sanctus, juxta illud Roman. 8. 14. *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Ita S. Hieronymus, S. Hilarius, & Auctor imperfecti: *Ductus* ergo est Christus a Spiritu, non per aera raptus, sed pedibus suis alacerrime impulsu Spiritus contendens ad stadium luctæ cum satana in deserto ineundæ. Desertum enim Christo fuit orationis, jejunii & vitæ Angelicæ palæstra, ibique duellum iniit cum Lucifero, eumque prostravit. Vide S. Basilium de Laudibus eremi, & ea quæ annotavi Osee 2. vers. 14. ad ille: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*.

In deserto Quarentanæ.

IN DESERTUM] Desertum hoc vocatur Quarentana, quod ita ex Bredembachio, Brocardo & Saligniaco describit Adrichomius in descript. terræ sanctæ, pag. 19. n. 97. *Quarentana desertum inter Jerusalem & Jericho incipit juxta Anathot, & extenditur super Galgala usque ad desertum Thecue & Engaddi, juxta mare mortuum. Hic commoratus est S. Joannes Baptista, inibique in ejus memoriam exstructa fuit Ecclesia & monasterium, quod Græci monachi inhabitant, sed temporibus Bredembachii erat desolatum. Ibi venientem ad se, ut baptizaretur, Christum digito demonstravit Joannes, dicens: Ecce Agnus Dei. In hoc Christus jejunavit 40. diebus & 40. noctibus, agens & habitans cum bestiis*. In hoc deserto juxta Jordanem ejusdem nominis est *Quarentana mons altus & ascensu difficilis, in quo tentatus est primum Dominus a Satana. In hujus montis cacumine sacellum est ruinosum, jejunio & oratione Christi venerabile*.

Tropologice audi S. Ambrosium lib. 3. de Virgin. *Et nos igitur*, inquit, *procul a luxuria, procul a lascivia, tamquam in arido vitæ istius ac jejuno solo, fugitantem deliciarum Christum sequamur. Non in foro, non in plateis Christus reperitur. Nequaquam igitur queramus Christum ubi invenire non possumus. Non est Christus circumforaneus. Christus enim est pax; in foro lites: Christus justitia est; in foro iniquitas: Christus operator est; in foro inane otium: Christus charitas est; in foro obtrectatio: Christus fides est; in foro fraus & perfidia. Christus in Ecclesia est; in foro idola*, &c.

A SPIRITU] Non diabolo, sed a Spiritu sancto: hic enim præcessit cap. præcedenti v. penultimo ubi dicitur de Jesu: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se*. Hic ergo Dei Spiritus fuit possessor & auriga Christi, agens eum in desertum. Unde Syrus vertit: *A Spiritu sanctitatis*, id est, a Spiritu sancto, qui est sanctissimus & fons omnis sanctitatis, idque patet ex articulo Græco, τοῦ πνεύματος, q. d. *illius Spiritus*, scilicet magni, primi; summi & divini: & quia hic Spiritus opponitur diabolo, qui sequitur quasi antagonista Christi & Spiritus sancti, *ut illuc eum Spiritus suus duceret, ubi eum ad tentandum Spiritus malignus inveniret*, ait S. Gregorius homil. 16. in Evang. Denique vox *Spiritus*, cum absolute ponitur, significat Spiritum sanctum, ut notavit ex Didymo magistro suo S. Hieronymus.

UT TENTARETUR A DIABOLO.] Vox *ut* non significat Spiritum sanctum directe intendisse tentationem diaboli intentandam Christo, hoc enim malum & perversum est, sed intendisse dumtaxat tentationem hanc permittere, ob fructum & victoriam Christi, quam certo ope sua futuram prævidebat, ideoque Christum diabolo tentationem hanc optanti objecisse, & quasi athletam ad duellum eidem composuisse & opposuisse.

Cur Christus tentatus? Resp. Primo.

Primo ergo Spiritus sanctus hoc facto intendit, ut Christus illico a baptismo tentatus, Christianis jam baptizatis & ad Deum conversis vitæ daret ideam, qua discerent tentationibus statim occurrantibus resistere, & contra eas se commu-

Digitized by Google

A commonire. Idem S. Chryſoſtomus & Hilarius: unde Tertullianus libro de Baptiſmo cap. ultim. docet hic ſignificatum eſſe, neminem intentatum regnum Dei conſecuturum: ac ſimul oſtenſum eſt, quis ſit artifex & faber tentationum omnium, ut ait idem lib. de Orat. cap. 8.

Secundo. Secundo, ut nullam tentationem eſſe inſuperabilem oſtenderet, ſed omnes vinci gratia aſe aſpirata, oratione, jejunio, verbis S. Scripturæ, præceptorum & promiſſionum Dei meditatione, ac conſtantia, fortitudine & fiducia in Deum ſuo exemplo demonſtraret. Vide dicta Eccleſiaſtici cap. 2. verſ. 1. & ſeq. ubi multa hac de re annotavi.

Tertio. Tertio, ut Chriſtus ceteris hominibus, qui crebro a ſatana tentantur, quaſi fratribus ſimilem ſe præberet & exhiberet, uti docet Apoſtolus, Hebr. 4. 15.

Quarto. Quarto, ut futuros in Eccleſia Doctores, prædicatores, præſides, Apoſtolos primo tentationibus probari, ac oratione & meditatione in ſolitario receſſu firmari oportere, illoque ſpiritum ingentem a Deo haurire,
B quem deinde in alios effundant, oſtenderet. Qui ergo ſapiunt, prius cum Chriſto in deſertum hoc orationis & meditationis ſecedunt, in eoque cum Deo converſantes ad munus prædicationis, gubernationis & Apoſtolatus ſe diſponunt & præparant.

Quinto. Quinto, ut Luciferum ad duellum provocans ſuperaret, & conſequenter totum ejus dæmonum exercitum. Porro duellum hoc Chriſti & diaboli, ſimile eſt duello ſolis cum nubibus eum cingentibus, cum hoc lemmate: *Splendor ex me*. Sol enim (ita dictus, quod ſolus ſit in mundo) eſt *oculus mundi*, ait S. Ambroſius in Hexam. die 4. *jucunditas diei, pulchritudo veli, menſura temporum, virtus & vigor omnium ſtellarum*. Sic eſt & Chriſtus. Sicut ergo ſol nubes diſſipat, ſic & Chriſtus omnes diaboli tentationes. Rarſum ſicut ſol nubes aeras illuſtrans facit ſplendidas, ſic Chriſtus ſplendore gratiæ ſuæ deſolationes in conſolationem, tentationes in victorias, prælium in triumphum convertit.

Sexto, ut ſua tentatione & exempo noſtras tentationes vinceret, &
C cum eodem hoſte & antagoniſta ſuo ſatana pugnare & vincere doceret, atque ad id gratiam & fortitudinem nobis promereretur. Licet enim fideles infirmitatis ſuæ conſcii, declinare debeant tentationes quoad poſſunt, juxta id quod Chriſtus orare nos docuit: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo*, Matth. 6. tamen cum illæ ingruunt, generoſe & animoſe nixi Chriſto illis reſiſtant neceſſe eſt juxta id quod Chriſtus ait: *Confidite; ego vici mundum*, Joan. 16. 33. Unde S. Auguſtinus in pſal. 90. p. 2. *Ideo*, ait, *tentatus eſt Chriſtus, ne vincatur a tentatore Chriſtianus*. Sed, ut idem ait in pſal. 60. *ut illo vincente, nos quoque vinceremus*. Nam ut ait S Ambroſius in c. 4. Lucæ: *Quando tentaris, cognoſce quia paratur corona. Tolle martyrum certamina, tuliſti coronas: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines. Nonne tentatio Joſeph virtutis eſt celebratio? Nonne injuria careeris, corona eſt caſtitatis?*

Nota: Lucas cap. 4. 1. ait: *Agebatur a Spiritu in deſertum diebus quadraginta & tentabatur*, græce πειραζόμενος, id eſt tentationem patiens, *a diabolo*: e quo nonnulli colligunt, Chriſtum præter tres diaboli tentationes
D ab Evangeliſtis recenſitas, plures alias per hos 40. dies paſſum fuiſſe, æque ac poſt hos 40. dies, a ſatana. Unde ſubjicit Lucas verſ. 13. *Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo uſque ad tempus*. Ita cenſent Euthymius, Auctor imperfecti, Janſenius, & Cajetanus hic, Origines hom. 29. in Lucam, Beda lib. 1. in Marc. c. 5. Euſebius l. 9. Demonſtrat. c. 7. S. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Evang. c. 4.

Videtur tamen Lucas per τὸ πειραζόμενος, id eſt, *tentatus* vel *tentationem patiens*, potiſſime reſpicere ad tres celebres Chriſti tentationes, quas deinde recenſet: unde noſter vertit in imperfecto: *tentabatur*; per hoc enim videtur Lucas ſummarium quaſi capitis & tentationum Chriſti, quas ſtatuit paulo poſt enarrare, per anticipationem aſſignare & præmittere voluiſſe, uti recte advertit Franc. Suarez 3. p. q. 40.

Lucifer tentavit Chriſtum. *A diabolo*, puta a Lucifero: hic enim omnium dæmonum princeps antonomaſtice vocatur diabolus: & cum hoc congredi par erat Chriſtum, ſicut cum eo congreſſus fuit in cælo, cum eum unionem hypoſtaticam ambientem, illamque ſibi homini futuro invidentem, dejecit in tartara, uti nonnulli cenſent. Luciferego tunc ex inferno egreſſus eſt, & aſſumpta hominis (ſancti, ait Carthuſianus) forma, Chriſtum tentavit, tum ut exploraret, an ipſe eſſet Filius Dei proprius & naturalis, tum ut eum tentaret, id eſt, ad peccatum alliceret. Sic diabolus ſignificat Luciferum principem dæmonum. Matth. 15. 41. cum dicitur: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus*. Et Apocal. 12. 9. *Et projectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas*, &c. Sicut ergo Lucifer per Evam tentavit Adamum & vicit, ſic & tentavit Chriſtum, ſed ab eo victus eſt. Moraliter hic docemur diabolum, cum præſagit aliquem fore eximium Eccleſiæ Doctorem aut Præſulem, ſolere eum variis tentationibus aggredi, ut eum dejiciat & fructum animarum, quem ipſum facturum prævidet, elidat, ac ipſo quaſi ſemine ſuffocet. Ita hic dæmon Chriſtianos omnes in Chriſto quaſi ſemine, & parente ſuffocare conatus eſt.

Et Adamum.

E

Et cum jejunaſſet quadraginta diebus et quadraginta noctibus, poſtea eſuriit] Nota; Chriſtus inſtar Moyſis & Eliæ integros 40. dies & noctes ſine ullo cibo vel potu (unde Lucas c. 4. 2. ait: *Et nihil manducavit illis diebus*) jejunavit virtute non naturali, ſed ſupernaturali, non extrinſecus accepta, ut Elias & Moyſes, ſed ſibi propria & intrinſeca, puta divina, uti paſſim docent Patres.

Vers. 2. Luc. 4. 2. Mar. 1. 13.

F

Quæres, quos ob cauſas id fecit? Reſpondetur: Prima fuit, ut oratione & jejunio ad inſtantem prædicationem & munus docendi ſe præpararet, idemque nos facere doceret.

Cauſa jejunii Chriſti. Prima.

Secunda, ut jejunio per ſequentem eſuriem objective daret occaſionem diabolo ſe tentandi, & eodem contra tentationes inſtantes ſe armaret, & nos armare moneret. Ita S. Baſilius hom. 1. de Jejunio.

Secunda;

Tertio, ut jejunio carnem macerans, ſatisfacere & noctes pro Adæ pomum vetitum comedentis, omniumque ejus poſterorum gula & deliciis illicitis.

Tertia.

Quarta, ut jejunio ad contemplationem, cui vacavit per 40. dies in deſerto, ſed diſponeret, utque oſtenderet jejunium eſſe inſtar alarum, quibus anima ſurſum fertur & ad cæleſtia contendit, ait S. Chryſoſtomus hom. 1. in Geneſim.

Quarta,

G

Quinta, ut nos doceret propter ſpirituales delectationes, corporales ſpernere; ac hæc per rerum divinarum contemplationem & gaudium, quod exea naſcitur, appetitum voluptatum carnalium extingui, ac memoriam cibi & potus auferri. Unde Joannes Abbas, teſte Caſſiano Collat. 16. cap. 4. ita deliciis contemplationis paſcebatur, ut non recordaretur, an pridie comediſſet, nec ne.

Quinta.

Sexta, & potior, magiſque præciſa cauſa fuit, ut quadrageſimale jejunium Chriſtianis ex Apoſtolica traditione ſervandum, inchoaret, & ſuo exemplo ſanciret & quaſi conſecraret. Ita S. Ignatius epiſt. & paſſim alii Patres: Ratio fuit Prima, ut per hoc jejunium quaſi decimas dierum totius anni Deo dependeremus. Ita S. Gregorius hom. 16. in Evang. *A præſenti die*, inquit, *uſque ad Paſcalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus dum ſex dies Domini abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quam triginta, & ſex dies remanent. Dum vero per trecentos & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus, ut qui nobiſmetipſis per acceptum munus viximus, auctori noſtro in ejus decimis per abſtinentiam mortificemus. Unde, fratres chariſſimi, ſicut offerre ex lege jubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum*, &c. Alteram dat S. Ambroſius de Quadrageſima ſerm. 34. ut ſicut Hebræi per 42. manſiones tive ſtationes in deſerto ingreſſi ſunt terram promiſſam, ita & nos per 40. jejunii dies ad optatum Paſchatis feſtum gaudiumque perveniamus; qua de cauſa Tertullianus, Cyprianus, S. Ambr. ep. 25. Veter. edit. & alii jejunium vocant *ſtationem*. Pluta vide apud Petrum Bongum de Numerosum myſteriis in numero 40. ubi inter cetera ait: Urſa fœta dies 14. teſte Ariſt. lib. 6. Hiſtor. anim. c. 30. & lib. 8. c. 17. immobilis manet, ſine cibo vero diebus quadraginta, tantum pedis dextri linctu ſe ſuſtentans; hoc remedio utitur in morbo inteſtinorum. Serpens item, cujus prudentiam nos imitari mandat Jeſus in Evangelio, quando ſenuerit, perdit aſpectum, & ſi voluerit redire ad juventutem, jejunat quadraginta diebus, ut laxetur pellis ejus, & ſic auguſtum foramen inquirit, ut dum nititur exire inde, pellem ſenectutis deponat. Quid autem

Cauſa jejunii Quadrageſimæ. Prima.

Secunda.

Urſa quadragenarii jejunium.

Et ſerpentis.

Digitized by Google

A autem est vetusta serpentis pellis, nisi prava & vetus consuetudo carnalis corruptionis? quam si quis appetit deponere, illum oportet carnem suam jejunio quadragesimali castigare. Ita S. Hieronymus ad Præsid. de ratione cerei Paschalis. Addit Bongus 40. diebus terminari morbos chronicos, febres enim 40. die solent cessare, pestis lustratione 40. dierum expiatur, similiter fit in ceteris morbis.

Numerus 40. sanus & sanctus.

Adde jejunium hoc ante Pascha in vere institutum, non tantum sanctitati animæ, sed & sanitati corporis conferre, uti docte ostendit D. Viringus Medicinæ Professor Lovan. in lib. de Jejunio Medico Eccles. in vere enim ebullit sanguis & humores ceteri, qui febres alioquin morbos procreabunt, nisi jejunii abstinentia & piscium frigore restinguantur.

Symbolice. Symbolice S. Gregorius, homil. 16. in Evang. *In hoc*, inquit, *mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, & per voluptates ejusdem corporis præceptis Dominicis contraimus. Præcepta autem Dominica per decalogum sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eandem carnem quater decies affligamus.*

B

Mystice. Mystice, S. Augustinus in psalm. 110. sub initium, & alii docent, quadragenarium jejunii numerum significare totum præsentis vitæ tempus, pœnitentiæ & peccatorum expiationis a Deo destinatum, quo pervenimus ad Pascha lætæ resurrectionis, & ad Pentecosten, sive quinquagenarium æternæ mercedis & gloriæ.

Exempla jejunii. Porro quam veteres Christiani, Christi exemplum imitari, in hoc jejunio servando fuerint rigidi, docet Baronius anno Christi 57. cap. 153. & frequentibus. Unde Lucianus in Philopatro testatur, veteres Christianos sic solitos servare jejunium, ut decem soles sine cibo transigerent. Amplius est quod scribit S. Gregor. Nazianz. ad Hellenium de Monachis in Ponrica solitudine degentibus, complures ex iis fuisse, qui totos viginti dies, totidemque noctes a cibo abstinerent, dimidia ex parte Christi jejunium imitantes, ex eisque unum sui gregis ovem fuisse testatur. Et S. Augustinus ad Casulanum scribit epist. 86. nonnullos suo tempore repertos esse, qui ultra hebdomadam perpetuum servassent jejunium, eosque se novisse tradit, atque addit: *Ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quendam, a fratribus fide dignis nobis affirmatum est.*

In veteribus Christianis.

C

In Simeone Stylita. Sane Magnus ille Simeon Stylites, qui 49. vel ut Baron. 80. annis sub dio perdius & pernox stetit in columna, quadragesimam quotannis transigebat totam sine ullo cibo & potu, idque fecit per 28. annos, uti Theodor. in Philotheo, c. 26. aliique in ejus vita testantur, fecit hoc virtute non naturali, sed supernaturali Dei ope & gratia, per quam ipse extitit orbis portentum & vitæ prodigium. Idem nonnulli alii anachoretæ & sancti facere.

Postea esurit] Ergo antea per totos 40. dies jejunans non esurierat. Unde sententiam Cajetani, censentis, Christum etiam tam esuriisse, temerariam esse censet Suarez 3. p. q. 41. art. 4. disput. 29. seq. 2. Mirius ac proinde probabilius Franc. Lucas opinatur, Christum illis 40. diebus jejunii aliquam quidem famem sensisse, ad majus jejunii meritum & ad aliorum, qui in jejunio famem patiuntur, exemplum, sed non tantam, quantam post 40. dies, quæ scilicet eum inciteret ad quærendum cibum. Fuit ergo Christo æque ac Moysi & Eliæ per 40. jejunii dies tam animæ, quam corporis pabulum & cibus, oratio, & cum Deo colloquium: illi enim dum toti intendunt, illius suavitate & efficacia ita pasti sunt, ut famem non sentirent.

D

Oratio, cibus.

Christi jejunii fuit supernaturale.

Quæres, an per naturæ vires potuerit Christus vivere 40. dies sine cibo & potu, ac sine esurie?

Ratio a priori.

Dico Primo, per naturæ vires id fieri non potuisse: id docent Medici & experientia. Experimur enim eos, qui non tantum 40. sed paucioribus diebus cibo abstinent, fame emori. Ratio a priori est, quia deficiente alimento, calor naturalis languet & emoritur; sicut ignis lucernæ, deficiente oleo languet & extinguitur. Corpus quoque ita deficcatum ineptum est, ut anima illud informet, & animales operationes per illas exerceat: hæ enim certam humorum & quatuor primarum qualitatum temperiem; quod vulgo vocant *temperamentum*, requirunt: eo ergo deficiente deficit pariter vita & anima in corpore. Unde Franciscus Valesius Philippi II. Hispaniarum regis Medicus, Sacræ Philosophiæ, cap. 18. ex Hippocrate docet, hominem naturaliter non posse sine cibo ultra septem dies vivere, ideoque Danieli in lacu leonum sine cibo per sex dies degenti, septimo die a Deo missum est alimentum per Habacuc, ne fame interiret, Daniel. 14. 30. Causam dat Hippocrates, lib. de Carnibus, quod intestinum humore chiloso vacans, concrescat, indeque homo emoriatur. Intellige hoc in corpore sano & boni temperamenti; nam aliqui ægroti, vel mali temperamenti, v. g. in quibus abundat lentum & viscosum phlegma, ac calor naturalis est debilis, per plures dies sine cibo vivere & durare possunt; nutriuntur enim ex corporis succo & phlegmate, quod calor lentus lente depascitur, imo in quibusdam animalibus per plures menses, ut ursis, qui per hyemem non comedunt, teste Aristotele de Histor. anim. c. 17. (Item in nonnullis ægrotis subinde calor naturalis ita sopitus est, ut vis nutritiva quasi dormire videatur.) Idem de apibus, gliribus, hirundinibus docet ibidem Aristoteles, c. 14. & 16. ac de serpentibus, c. 1. 5. *Sanguinei generis*, ait; *multa se condunt, ut ea quæ intecta cortice sunt, serpentes dico, lacertas, stellliones, crocodillos fluviatiles. Mensibus quatuor frigidissimis hæc latent: nec per id tempus quidquam comedunt.* Verum in Christo nil tale fuit: habuit enim ipse corpus optimæ complexionis & summe temperatum, ac proinde potius sanguineus erat quam phlegmaticus, ideoque sine cibo per 40. dies naturaliter durare non poterat.

Ursi, apes, glires, &c. in hyeme non comedunt.

E

F

Multi per annos sine cibo vixerunt.

Dices. Plinius lib. 7. cap. 2. ait, Indos ad Gangis fontes ex solo halitu & odore pomorum & florum vivere, Rondeletius quoque lib. 1. de Piscibus, c. 13. refert quendam ex aeris respiratione vixisse per 40. annos. Robertus Baconius narrat, Anglicanam puellam 20. annis simili modo vitam transegisse. Spirensem puellam anno Domini 1540. quatuor annis jejunam vixisse, tradit Simon Portius, lib. de Puella German. Idemque fecisse sacerdotem quendam Gallum Romæ per biennium sub Nicolao V. Verum priora illa, præsertim quod aliqui ex solo odore vixerint, aut vivant, fabulosa sunt; odor enim cerebrum reficit, sed stomachum non implet. Cetera facta sunt vel vi divina, vel arte diabolica, cujus mirum in Arabica puella exemplum refert B. Prosper in dimidio temporis, c. 6. Spirensis illa puella laborabat lento, viscoso & chiloso phlegmate, indeque victitavit; sicut Indi herbam tobam, & Scythæ herbam Hippicem ore gestantes, duodenos dies durant in fame & siti. Vide Delrio lib. 2. Disquis. Magic. quæst. 21. sub finem, & Conimbricenses in lib. 1. de Generat. c. 5. q. 7. art. 1. & 2.

Quomodo?

Dico Secundo. Vehemens & longa animi ad alia attentio, qualis est in continua speculatione Mathematica, Philosophica, Theologica, item in intensa meditatione, contemplatione, extasi, potest quidem aliquamdiu hominem sine cibo conservare, sed non per 40. dies. Ratio est, quod per profundam speculationem & contemplationem actio caloris naturalis ex parte suspendatur, ita ut modice & lente digerat. Anima enim cum fere omnes suas vires exerat in speculationem, vel contemplationem, parum habet residui, quod conferat in concoctionem & nutritionem. Unde experimur in studiosis & contemplativis cibi digestionem impediri. Idem liquet ex pulmonum respiratione, quæ in profunda extasi non sentitur. Sed hæc durare nequeunt per 40. dies; semper enim calor naturalis agit. Quare in Christo sola contemplatio non potuisset efficere, ut per 40. dies sine cibo viveret. Contemplatio enim & attentio ad cælestia suspendere quidem potest actiones vitales & animales, at non naturales, qualis est actio caloris in cibum, val carnem, ita ut nihil prorsus in illum agat. Ita Suarez loco citato. Accedit & alia potior ratio, scilicet quod in speculatione & contemplatione spiritus animales consumuntur; nec aliunde quam cibo reparantur: quare sine cibo speculans & contemplans naturaliter virium defectu tandem collabitur, & moritur.

G

Contemplatio eget cibo ob spiritus quos consumit.

H

Dico Tertio: Jejunium Christi, Eliæ, Moysis, Simeonis Stylitæ & similium per 40. dies fuit supernaturale, ex singulari Dei concursu profectum. Deus enim in eis vel actionem caloris naturalis plane ad 40. dies suspendit, vel interius eos refecit & corroboravit, vel alio modo eis providit, ut sani vegetique sine cibo viverent per 40. dies, uti etiamnum efficit, ut Elias & Enoch per tot annorum millia, fortes & validi sine cibo degant in paradiso terrestri, nec nisi spiritualibus orationis & contemplationis deliciis pascantur. Christus ergo per 40. dies jejunans: non esuriit, quia ejus divinitas corpus sine esurie robustum conservabat, ac suspendebat actionem caloris

A foris naturalis, aliarumque contrariarum qualitatum in se mutuo agentium, seseque invicem debilitantium & corrumpentium, atque interius capiti & cerebro vires spirituſque animales suggerebat, ad contemplationem 40. dierum necessarios. Ita Origenes, Hilarius, S. Hieronymus, Chrysostomus, & ex iis Suarez loco citato.

ESURIIT] Cum Deus prius impediens esuriem per 40. jejunii dies suo concursu eum subduxit, & corpus Christi suæ actioni & passioni permisit, idque his de causis. Prima, ut Christus se verum esse hominem declararet. Nam, ut ait Chrysologus serm. 11. *Esuriem sentire & vincere est laboris humani, divinæ virtutis est esuriem non habere.* Secunda, ut sua esurie diabolum ad se de gula tentandum objective alliceret, & superaret, sicut duces militum simulando fugam, hostes alliciunt ad se insequendum, ut eos deinde prosternant & proterant; *ut fames Domini pia fraus esset diaboli*, ait S. Ambrosius in c. 4. Lucæ, ut scilicet famis specie lactatus diabolus Christum tentaret, quasi hominem, nesciens esse Deum: *Esuriit*, ait quidam vir sanctus, *humilis Deus homo, ne inimico innotesceret sublimis homo Deus.*

Cur Christus esuriit? Causa Prima. Secunda.

B

VERS. 3. Luc. 4. 3. ET ACCEDENS TENTATOR, DIXIT EI: SI FILIUS DEI ES, DIC UT LAPIDES ISTI PANES FIANT] *Accedens*, assumpta scilicet humani corporis forma quasi homo ad hominem, ut eum externa voce alloquendo tentaret. Nam hæc tentatio Christi sicut & Adami per Evam in statu innocentiæ, facta est per externam tantum vocis suggestionem, non autem per internas phantasiæ cogitationes & commotiones, contra rationem & spiritum insurgentes. In Adamo enim, & multo magis in Christo erat justitia originalis, quæ omnes motus animæ & phantasiæ rationi subjiciebat, ut in eo nulla illicita cogitatio, nullus concupiscentiæ motus a diabolo suscitari posset, uti suscitatur jam in nobis post Adæ peccatum, quia ob illud perdidimus justitiam originalem & laboramus concupiscentia. Ita Damascenus lib. 3. de Fide c. 20. & ex eo passim Theologi. Unde S. Gregorius hom. 16. *Tentari*, ait, *per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit, atque ideo omnis illa diabolica tentatio foris, non intus fuit.*

C

Error est, omnem tentationem oriri a diabolo.

TENTATOR] Diabolus, qui antonomastice vocatur *tentator*, quia inter tentatores est non solus, sed primus & præcipuus. Errant enim qui omnem tentationem a diabolo suscitari autumant. Nam nonnullæ tentationes oriuntur & suggeruntur a propria carne & concupiscentia, aliæ a mundo, id est, ab hominibus mundanis & carnalibus. Unde S. Augustinus, vel quisquis est Auctor lib. de Eccl. dogmat. c. 82. *Non omnes*, inquit, *malæ cogitationes nostræ semper malo dæmonis instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt.* Idem docet Chrysost. hom. 54. in Acta, *Multi*, inquit, *absque diabolo peccant, non omnia ipse efficit, sed multa etiam fiunt a sola nostra ignavia.* Diabolus tamen sæpe suscitat in nobis concupiscentiam, ejusque tentationes, objecta concupiscibilia phantasiæ repræsentando, & appetitum sensualem ad ea concupiscendum inflammando. Idem suscitat mundum, id est mundanos & animales homines, ut nos tentent vel persequendo, vel ad suas vanitates alliciendo: unde κατ' ἐξοχὴν vocatur *tentator*. Rursum notat hic, astutiam diaboli, qua quemlibet tentat ea in re, ad quam propendet, vel in qua debilis est. Sicut enim aucupes avibus, & venatores feris variis varias, & cuique proprias escas objiciunt, ut eas capiant. Sic & diabolus pronis ad gulam, vel esurientibus objicit delicias & escas, ut objicit hic Christo: saturis vero objicit otium, somnum & pigritiam: superbis objicit honores: iracundis lites & rixas: avaris usuras, prædas, fraudes, iniquos contractus, &c. curiosis objicit magiam, incantationem, superstitiones, &c. Ita S. Gregorius lib. 14. Moral. c. 7. Vide eumdem lib. 3. c. 19. Denique hæc tentatio Christi contigit die 16. Februarii anno Christi 31. Jejunium enim 40. dierum inchoarum die sexta Januarii finiente & septima inchoante, finiit die 15. Februarii, ac mox, puta 16. Februarii, a satana tentatus est gula, ceteriſque duabus tentationibus. Vide Chronotaxin, quam Commentario præposui.

D

Diabolus quasi aucceps cuiq; suã escam objicit.

SI FILIUS DEI ES] Audierat diabolus Patris oraculum in baptismo Christi: *Hic est Filius meus dilectus*: audierat quoque Joannis Baptistæ testimonium, quod Christus esset Filius Dei, sed quia alia ex parte eum videbat hominem quasi plebejum, pauperem, imbecillum & aliis similem, idcirco dubitans, an Christus esset Filius Dei naturalis, ipsumque Patris Verbum: an vero dumtaxat adoptivus, sed per excellentiam, ut hoc dubium resolvat, tentat Christum, petitque ut lapides in panes convertat, quibus esuriem suam levet, ut ex hoc miraculo vel miraculi impotentia alterutrum cognoscat: Verbo enim Dei, uti omnia tantum dicendo olim creata sunt, Genes. 1. sic & eodem jam lapides subito & immediate in panes verti poterant. Si ergo Christus id feciſſet, credidiſſet diabolus ipsum esse Dei Verbum & filium. Angeli enim possunt quidem lapides in panes vertere, at non subito & immediate, sed sensim & mediate, applicando activa passivis per multas, prævias actiones, alterationes & conversiones; Sin id non feciſſet Christus dixiſſetque se facere non posse; hocque esse opus divinum & Deo proprium, intuliſſet diabolus: Ergo tu non es Dei Verbum, nec filius naturalis. Probabilis est multorum Theologorum sententia, Luciferi peccatum & superbiam in cælo fuisse, quod, cum Deus illi revelaret filium Dei assumpturum humanam naturam, jubereteque ut Christo homini se subderet, invideret Christo, quod scilicet homo sibi, qui erat nobiliſſimus Angelus, præferretur & assumeretur ad unionem hypostaticam cum Verbo: quare illam sibi ambiverit, ideoque contra Christum & Deum rebellarit. Quocirca videns hunc hominem a Patre, & Joanne Baptista vocari Filium Dei, voluit explorare, an esset verus Dei Filius, ut in eum pristinam suam invidiam, iram & indignationem effunderet. Ita Suarez. Hæc fuit illi crux, angens & rodens superbum ejus animum: sed illam celat, & velat tegumento charitatis, quod velit per panes succurrere fami Christi. Quare verisimile est, diabolum non crude & quasi ex abrupto Christo dixisse: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*, sed prius humaniter eum saluta sse, eique per verba blanda se insinuasse, dicendo, v. g. *Quid hic mi Domine, agi solus?* Quid rerum meditaris? Vidi te in Jordane a Joanne baptizari. Audivi vocem e cælo in te delapsam: *Hic est Filius meus*: optarem scire an vere sis Filius Dei per naturam, an tantum adoptivus per gratiam, &c. Video quoque te ex jejunio 40. dierum oppido esurire. Si ergo Filius Dei es, succurre fami tuæ, & lapides istos in panes converte: Hoc enim tibi perfacile erit. Quare minus verisimile est quod sanctus Chrysostomus hic *homil.* 13. ait, diabolum voluisse Christum inducere in incredulitatem, q. d. Audistis in baptismo vocem: *Hic est Filius meus*: ne credas te esse Filium Dei; aut si es, lapides hos in panes converte: stultum enim fuisset velle persuadere Christo, ne crederet se esse Filium Dei, si revera esset Filius Dei, talemque se esse sciebat. Simul tamen hac tentatione voluit diabolus Christum allicere ad vanam potentiæ suæ ostentationem, & ad diffidentiam opis Dei Patris, q. d. Pater tuus per 40. dies tui oblitus est, nec tibi cibum submisit: tu ergo tibi ipsi consule, & lapides in panes commuta. Item ad gulam, qua etiam tentavit Adamum & Evam. Peccatum enim gulæ fuisset hic, etiam ob famem diabolo cedere & obedire, scilicet illi suadenti acquiescere & miraculum patrare, ac lapides in panes convertere. Hoc enim directe est contra religionem, quæ omne cum diabolo commercium & consensum vetat; indirecte est contra temperantiam: quod enim est contra unam virtutem directe, hoc quoque indirecte est contra aliam virtutem; in cujus materia actus ille versatur. Quare peccatum gulæ hic fuisset, si Christus illicito modo, puta suadente diabolo per miraculum cibum sibi comparasset. Imperite ergo Calvinus negat Christum fuisse tentatum de gula. Audi S. Greg. hom. 16. in Evang. ubi docet Christum triplici tentatione, gulæ scilicet, vanæ gloriæ & avaritiæ tentatum, quia iisdem pulsatus victusque fuerat: *Ex gula quippe tentavit, cum cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria tentavit, cum diceret: Eritis sicut dii: Et ex provectu avaritiæ tentavit, cum diceret: Scientes bonum & malum: Avaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur.* Deinde iisdem tentatum fuisse Christum, sed vicisse ostendit: *Per gulam quippe tentat, cum dicit: Dic ut lapides isti panes fiant. Per vanam gloriam tentat, cum dicit: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Per sublimitatis avaritiam tentat, cum regna omnia mundi ostendit, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me, sed eisdem modis a secundo homine vincitur, quibus primum hominem se vicisse gloriatur.*

E

Origo tentationis diaboli.

F

Modus, quo Satanas tentavit Christum.

G

H

Triplex Christi ut & Adæ tentatio.

Symbo-

Digitized by Google

A Symbolice confitetur hic diabolus, Christi, utpote liberalissimi proprium esse convertere lapides in panes, ac consequenter diaboli, utpote avarissimi & Antichristi officium esse panes vertere in lapides. Exemplum audi quod refert ex Sigeberto Baronius an. Christi 605. *Hoc tempore pauper quidam cum a nautis eleemosynam peteret, nec acciperet dicente nauclero: Desiste eleemosynam petere a nobis, qui nihil habemus præter lapides; cum subjecisset pauper: Omnia ergo vertantur in lapides; quidquid manducabile in navi erat, in lapides conversum est, colore & forma rerum eadem permanente.* Hoc miraculum fecit avaritia suggesta a diabolo.

VERS. 4. QUI RESPONDENS, DIXIT: SCRIPTUM EST: NON IN SOLO PANE VIVIT HOMO, SED IN OMNI VERBO, QUOD PROCEDIT DE ORE DEI] Est enallage præpositionis; *In omni*, id est, *ex omni* verbo, ut Noster vertit Deuter. 8. 3. quem locum hic citat Christus, illoque quasi scuto telum tentationis diaboli excipit, repellit & confringit. Hebr. est: *super omne quod egreditur os Domini, vivet homo*, hoc est, re quacumque, quam jusserit Dominus, vel ordinarit ad vitæ sustentationem, vivet, nutrietur & sustentabitur homo, uti Judæos in deserto sine pane per 40. annos aluit solo manna cælesti (de manna enim est sermo Deuter. 8. 3.) ac Moysen, Eliam & Christum hic aluit per 40. dies suo alloquio, suaque virtute naturam B conservante. Unde recte Abulensis in Deuter. c. 8. v. 3. Si Deus, inquit, mandaret comedere colubros, basiliscos, lapides, æs, &c. melius illis quam delicatissimis cibis nutriremur, quia Deus illa in succum & cibum præstantem converteret; imo, si vellet, sine omni cibo viveremus, uti multos orationi & contemplationi addictos, & spiritualibus delectationibus intentos, iisdem pavit; adeo, ut omnem cibum humanum fastidirent, ut patuit in S. Catharina Senensi, S. Maria Ogniacensi, S. Lutgarda, priscisque anachoretis. Sic Joannem Abbatem aluit sola Eucharistia, quam die Dominica sumebat, per tres annos. Unde Angelus ei dixit: *Christus tibi verus erit cibus*, teste Palladio in Lausiaca c. 61. Sic S. Mariam Ægyptiacam fere per 47. annos aluit in deserto sine cibo terrestri, pascens C eam lacrymis & gaudiis cælestibus. Sic Magdalenam pavit solo cantu Angelico septies per diem repetito, de qua Petrarcha ita canit,

Septemque die subjecta per horas,
Angelicos audire choros alterna canentes.
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

Sic magnus ille S. Sabas, ait auctor vitæ ejus, *toto jejuniorum tempore erat jejunus, nihil omnino cibi attingens, nisi quod Sabbatis & Dominicis divina sumebat Sacramenta.*

Mystice. Mystice fidelis quisque vivit ex *omni verbo*, id est, ex quolibet alimento Verbi cælestis, ait S. Ambrosius in c. 4. Lucæ, quo alitur anima, præ quo fames corporis est negligenda. Unde per verbum Dei: Primo accipias Christum, qui est æternum Dei Verbum, & factus homo nos nutrit sua doctrina, gratia, exemplo, ac, seipso, suaque carne & deitate in Eucharistia: Secundo, verba Scripturæ sacræ, quæ mentem illuminando & inflammando D pascunt: Tertio, orationem & inspirationem Dei; quod ultimum noster Salmeron hic censet esse litterale, non mysticum, & ad litteram hic significari.

Tropolog. Tropologice S. Gregorius hom. 16. in Evang. admiratur hic mansuetudinem Christi; *Pensate*, ait, *quanta est patientia Dei, & quanta est patientia nostra. Nos si injuriis, aut aliqua læsione provocamur, furore permoti, aut quantum possumus nosmetipsos ulciscimur, aut quod non possumus facere, minamur: Ecce adversitatem diaboli Dominus pertulit, & nihil ei nisi mansuetudinis verba respondit. Portat, quem punire poterat, ut hoc in laudem ejus altius cresceret, si hostem suum non extinguendo, sed interim patiendo superaret.*

VERS. 5. TUNC ASSUMPSIT EUM DIABOLUS IN SANCTAM CIVITATEM (Jerusalem, in qua sola erat sanctum Dei templum, & unius Dei cultus, ac vera religio, ait S. Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam quæst. 8.) ET STATUIT EUM SUPER PINNACULUM TEMPLI] Vox *tunc* significat, diabolum prima tentatione gulæ a Christo victum, illico hanc secundam vanæ gloriæ ei subjecisse. Dices, quomodo ergo Lucas cap. 4. hanc tentationem ponit non secundam, sed tertiam? Respondetur, Lucam per hysterologiam hic, uti & alias sæpe, ordinem tentationum neglexisse, quem Matthæus accurate observat & assignat, unde dicens; *tunc*, iterum sat significat se ordinem servasse. Estque hic naturæ & tentationum ordo congruus; ut a gula fiat transitus ad vanam gloriam. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, & alii. Sic etiamnum Novitii in fide & religione, primo tentari solent gula & carnis stimulis; quibus superatis, succedit tentatio vanæ gloriæ, ut patet ex Cassiano, Climaco & aliis. Cum enim diabolus quempiam videt spernere gulam, delicias & tentationes carnis, suscitat ei tentationem spiritualem vanitatis & præsumptionis; gulæ enim obnoxii sunt homines carnales, superbiæ vero excelsi & spirituales. E Tentationes novitiorum.

TUNC ASSUMPSIT EUM DIABOLUS] Prima hic est sententia S. Cypriani serm. de Jejunio & tentat. Christi, censentis hanc diaboli assumptionem Christi non fuisse realem, sed phantasticam, sive imaginariam, quales fuere visiones Ezechieli exhibitæ, & quales sæpe sunt translationes sagarum, dum videntur sibi transferri a diabolo ad epulum vel tripudium solemne, cum revera non transferantur, sed diabolus imaginationi illarum illudat (sicut illudit somnus somniantibus) ut tantum id imaginentur & somnient. Verum indignum est credere, diabolum tam false illusisse phantasiæ Christi, præsertim cum in interiora Christi diabolus nullam habuerit potestatem: unde omnis hæc tentatio Christi facta est solum per vocem externam non per suggestionem internam, ut ex sancto Gregorio dixi vers. 3. Assumpsit diabolus Christum non phantastice? F

Secundo, Euthymius & Maldonatus opinantur Christum a diabolo pedibus ductum in pinnam templi, idque ne se proderet diabolus, si eum per aera raperet. *Assumpsit* ergo, id est, duxit. Sic & Anselmus & Origenes hom. 31. in Lucam; Verum ex deserto & monte Quarentano Jericho, ubi tentatio hæc contigit, longum est iter in Jerusalem & templum, scilicet octo horarum, quod ægre uno die conficitur. Non etiam pedibus ducendo.

Tertio & verisimillime, Christus ex deserto a diabolo assumptus, id est, raptus est per aera, in pinnaculum templi. Ita S. Hieronymus, Gregorius, Auctor imperfecti, Glossa, S. Thomas 3. p. q. art. 4. ad 7. & alii. Hoc enim significat verbum *assumere*, & Græcum παραλαμβάνειν, & quod sequitur: *Statuit eum super pinnaculum*. Neque mirum id Christum diabolo circa se permisisse, qui se permisit a membris illius (impiis Judæis) crucifigi, ait S. Gregorius hom. 16. neque hic se prodidit dæmon, quia velut Angelus lucis Christum transferre poterat, aut certe non multum se hoc raptu prodi curabat diabolus; qui se jam suspectum, imo perspectum esse Christo suspicabatur & mutuebat. Unde in tertia tentatione volens adorari a Christo, plane omnem Angeli lucis larvam deposuit, seseque ac satanicam suam arrogantiam detexit. Sed rapiendo per aera. G

Notat Auctor imperfecti, & ex eo S. Thomas, quod licet diabolus sic Christum assumpserit, ut ab omnibus videretur, idque ut cum dæmone consuetudinem habere, & magus esse crederetur, Christum tamen, diabolo nesciente, sic egisse invisibiliter, ut a nemine conspiceretur, vel impediendo speciem corporis sui, ne scilicet corpus suum species visivas ex se emitteret, vel non concurrendo cum oculis videntium ad actum visionis corporis sui, ne viderent illud rapi per aera; diabolum ergo volentem sibi illudere, illusit Christus, tum in hoc, tum in ipsa assumptione sui; Putabat enim dæmon Christum, si Filius Dei esset, non permissurum se assumi, & per aera raptari a diabolo, indeque se cognoscurum, an Filius Dei esset, nec ne: Christus vero dissimulans & assumi ab eo se permittens, frustratus est dæmonis opinionem, illumque ambiguum reliquit. Quocirca illa nova tentatione præcipitationis sui id explorare aggreditur. Unde S. Chrysostomus censet diabolum putasse Christum invitum & quasi non potentem resistere, a se assumi & rapi, cum Christus posset, sed nollet resistere ad fallendum satanam. Christus fecit illusorem. H

STATUIT EUM SUPER PINNACULUM] *Pinnaculum*, ait Sipontinus, *est fastigium & summitas ædificii in acumen tendentis, sive quod veteres pinnam acutam dicebant: sive quod pinnaculis addi pinna consuevit, quæ facili motu ventorum indicet flatum, quod genus nunc vulgo pinnaculum dicimus.* Unde Græce vocatur πτερύγιον, quasi dicat, *parva ala alatum*. Pinnaculum ergo in acumen vergit, habet tamen suam quamdam planitiem & latitudinem, in qua homo pedibus consistere queat, uti in iis consistere videmus fabros cum tecta reficiunt: In eo ergo stare potuit Christus, aut certe in eo illum tenuit & sustinuit diabolus. Verisimile est pinnaculum hoc templi fuisse fastigium, sive cacumen vestibuli & frontispicii templi (puta Pinnaculi quid? Erat fastigium vestibuli.

A (puta Sancti, & Sancti Sanctorum; hoc enim solum habebat tectum: nam atrium, in quo degebat populus, erat intectum & sub dio) quod erat instar turris totum ædificium superans, altum 120. cubitis, ita ut si Christus inde cecidisset, lapsus fuisset in atrium sacerdotum, quod erat ante Sanctum, inter vestibulum jam dictum & altare holocaustorum. Suggessit ergo diabolus Christo, ut ex pinnaculo hoc se dimitteret in atrium sacerdotum. q. d. Labere & ostende te sacerdotibus ceteriscque Deicolis, ac toti populo (hic enim ex atrio laicorum spectabat sacrificia, quæ fiebat in atrio Sacerdotum) ostende, inquam, hoc miraculoso lapsu, quo manes illæsus, te esse Filium veri Dei, quem in atrio hoc omnes adorant, illique sacrificant. Ita Franc. Lucas, Toletus & alii. Voluit enim satanas Christum hac tentatione, ad vanam sui suæque majestatis ostentationem inducere.

Opinio Jansenii. Aliter Jansenius & Maldonatus: notant enim domos & templum Judæorum habuisse tectum non acuminatum, sed planum instar tabulati, ut in eo possent homines ambulare, prandere, confabulari, quin & noctu dormire, ut patet Josue 2. v. 6. Matth. 10. 27. 4. Regum 32. 12. &

B alibi. Addunt tectum hoc sepro quodam quasi muro ad latera quaquaversum circumdatum fuisse, ne quis ambulans forte inde rueret, & ruendo in terram collideretur; idque jussu Dei, Deuter. 22. 8. verisimile autem esse, in hoc peribolo vel sepro partes quasdam eminentiores fuisse, v. g. angulares, uti in muris quadratis fieri videmus, easque sat planas & latas, ut in iis homo pedibus consistere posset; ac in illis diabolum statuisse Christum. Hasce partes vocari hic pinnacula Græce πτερύγια, Hebr. כנפים *kenaphaim*, id est, alæ, quia eminebant, & in aere velu-

Refutatur a Villalpando. ti alæ expansæ volitabant. Ita Angolemus, Eucherius, Lyranus, & Richardus in 3. Reg. 7. Noster tamen Hieronymus Villalpandus tom. 2. in Ezech. parte 2. c. 23. negat tale septum fuisse in tecto templi. Quare, inquit, quæ de Christo, & Jacobo fratre Domini ex pinnaculo templi præceps misso dicuntur, vel ad hanc pene infinitam templi celsitudinem non pertinent, vel, quæ a dæmone ejusque satellitibus peracta sunt, aliis non licuerunt. Probat

Primo. C id Primo, quia sacra Scriptura hujus septi in templo non meminit. Respondent adversæ opinionis auctores, S. Scripturam meminisse septi domorum; Deuter. 22. 8. Templum autem erat instar domus, imo revera erat domus Dei. Probat Secundo, quia nulli ne Levitis quidem

Secundo. licitum erat in tecto templi ambulare: frustra ergo illud circumdatum fuisset septo sive muro, ne quis ambulans in eo laberetur in terram. Respondent adversarii, architectis, ædituis & fabris opus fuisse subinde in eo ambulare, ut illud purgarent, reficerent, pollirent; quare ne hi ex eo laberentur, septo protegendos fuisse. Probat

Tertio. Tertio, quia Josephus lib. 6. Belli c. 6. de Templo ejusque tecto sic scribit: *Desuper verubus aureis acutissimis horrebat; ne ab insidentibus avibus pollueretur.* Respondetur, hæc verua non fuisse continua, sed hinc inde posita, ita tamen ut inter ea transitus & statio pateret fabris aliisque eò venientibus. Verum prior explicatio uti certior, ita & germanior est.

VERS. 6. ET DIXIT EI: SI FILIUS DEI ES, MITTE TE DEORSUM] Ut templi & altaris quasi domus tuæ Dominum, Deumque sacerdotibus & laicis ostendas, atque ab eis jus

D adorationis & sacrificii tibi debitum reposcas.

Simili tentatione, uti refert Cassianus Collat. 2. c. 4. pulsavit vicitque Heronem. Cum enim ipse solo pane & aqua viveret, persuasit ei diabolus, eum adeo esse sanctum, Deoque & Angelis curæ & cordi, ut ipsi eum etiam ex alto ruentem, exciperent; præcipitavit ergo sese in puteum, ibique miser periit.

Diabolus trahit deorsum. Moraliter, diabolus, quia e cælo deorsum ceecidit in tartara, alios quoque deorsum ad eadem mittere vel trahere molitur. Quare cum quem ad peccatum impellit, non aliud facit quam ut ipse mittat se deorsum. Unde Christus perversis Judæis: *Vos*, ait, *de deorsum estis, ego de supernis sum.* Joan. 8.

Praxis fallendi diabolum. Rursum Christus studiose celans diabolum se esse Filium Dei, elusit omnes ejus artes & technas; tenuit enim eum ambiguum & suspensum, ut nesciret, qua via Christum aggrederetur & tentaret. Unde disce secreta mentis tuæ non evulgare, ne a diabolo impediantur. In bellis summa victoriæ consistit in celandis suis consiliis, & hostium indagandis. Experientia crebra didici, heroicos virtutum actus facile confici, si illorum destinatio secreta in mente teneatur, subitoque in opus deducatur, antequam dæmon illos odorari & disturbare valeat. Hæc est ars diludendi dæmonem. E

SCRIPTUM EST ENIM: QUIA ANGELIS SUIS MANDAVIT DE TE (Lucas cap. 4. addit, *ut conservet te*) ET IN MANIBUS TOLLENT TE, NE FORTE OFFENDAS AD LAPIDEM PEDEM TUUM] Citat Psalm. 90. v. 11. Angeli hic singulorum hominum custodes proprie intelliguntur: possunt tamen quilibet alii intelligi, quos Deus ad hominum opem & salutem variis modis mittit. Unde SS. Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius hic, & Origenes hom. 24. in Lucam, & Nazianz. Orat. in S. Baptisma, censent hic diabolum falso citare sacram Scripturam: Psalmem enim eo loco loqui de hominibus meris, non de Christo, qui erat homo Deus: hic enim non habebat Angelum custodem, uti habent ceteri homines, quia humanitatis suæ custos erat ipsa ejus divinitas. Christus caruit Angelo custode.

Ex adverso S. Ambrosius in cap. 4. Lucæ, & Remigius in psal. 90. censent diabolum non abusum hoc loco Psalmi, eumque recte attribuisse Christo: licet enim ipse non haberet Angelum certum custodem, habebat tamen omnes Angelos sibi obsequentes, suoque ministerio de- F putatos. Abusum tamen eo fuisse diabolum quia eum detorsit ad malum, puta ad præcipitationem sui. Nam hanc Angelorum tutelam & custodiam promisit Deus justis prudenter & pie agentibus, non temerariis, præsumptuosis & Deum tentantibus, uti est se ex alto in terram præcipitare. Audi S. Bernardum in psal. *Qui habitat*, serm. 14. *Quid enim mandavit? nempe quod in Psalmo sequitur: Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Numquid in præcipitiis? qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina: & si via, tua est, non illius.*

Moraliter idem S. Bernard. in psal. 90. serm. 12. *Angelis suis*, inquit, *mandavit de te: Mira dignatio, & vere magna dilectio charitatis. Qui enim, quibus, de quo, quid mandavit?* &c. Et post nonnulla: *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli (sicut ei mandatum est) in omnibus viis tuis. In quo vis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod videnti me non auderes.* Et pluribus interjectis: *Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic: Domine salva nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, etsi ad tempus quandoque dissimulet, ne forte periculosius ab illius manibus te præcipites, si te eis ignoraveris sustentatum.* G

IN MANIBUS TOLLENT TE] Est catachresis: nec enim Angeli habent manus, sed eas cum corpore subinde assumunt, manus ergo significant opem, vim & ministerium Angelorum, q. d. Ita præsens Angelorum in omni discrimine, malo, periculo, imo casu & lapsu, quamvis præcipiti, senties auxilium, ut eorum manibus gestari videare. Sic S. Benedictus, ait S. Bernardus in psal. 90. ser. 13. *Dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Episcopi, in Sphera ignea ab Angelis in cælum deferri.*

AIT ILLI JESUS: RURSUM SCRIPTUM EST: (Deuter. H 6. 16.) NON TENTABIS DOMINUM DEUM TUUM] Tentat enim Deum, qui petit ab eo miraculum non necessarium, quale hic est, in præcipitium se dantem manibus Angelorum sustinere. Poterat enim Christus ex pinnaculo templi per gradus vel funes descendere, uti descendunt fabri: non ergo necesse erat ut ex eo se præcipitaret. Ergo vitando præcipitium, reliquit diabolum ambiguum, ut ex hac tentatione cognoscere non posset, an ipse esset Filius Dei, nec ne. VERS. 7. Luc. 4. 12.

Porro in necessitate licet, majoris præcipitii vitandi causa, in minus se conjicere, si alia via evadendi non suppetat. Prudentis enim est minus malum vel periculum præ majori capessere, & majus minori redimere. Sic multæ sanctæ virgines, ut manus persecutorum, illarum virginitatem violare conantium, effugerent, cum alia via id facere non possent, in flumina se præcipitarunt, malentes mori martyres, quam violari virgines; majus enim est præcipitium virginitatis quam vitæ; illius enim præ hac majus est decus, æque ac dedecus. Ita facit S. Pelagia Antiochena virgo 15. annorum cum sua matre & sororibus, quæ, ut ait S. Ambrosius l. 1. de Virgin. longiuscule post initium, *Hinc persecutoribus imminentibus, inde*

S. Pelagia insilit in flumen; ne violetur.

A *Inde torrente fluvio exclusæ a fuga, inclusæ ad coronam: Quid veremur, inquiunt. Ecce aqua; quis nos prohibet baptizari? Et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ virgines facit, quæ cælum aperit, inferos tegit, mortem abscondit, martyres reddit. Hæc effatæ, confertis manibus, quasi choros ducerent, in medium progrediuntur alveum. Videres piam matrem stringentem nodo manus. Has tibi,* inquit, *hostias Christe immolo, præsules virginitatis, duces castitatis, comites passionis.*

Moraliter discе hic diabolum, uti Christo tentationem præcipitii ingessit, sic similes horrendas Christianis & sanctis ingerere, commovendo phantasmata, sanguinem, & melancholiam, ut sentiant cogitationes tristissimas, terrificas, sanguinarias, desperabundas, blasphemas, &c. quæ numquam ante eis in mentem venerant: solentur se exemplo Christi, quia Deus id permittit ad majorem eorum humilitatem, virtutem & meritum. Quod ergo Scipio Nasica suasit Romanis, ne Carthaginem jam devictam everterent, ne Romana juventus in pace otio torperet; sed Carthago bella suscitans continuo eidem esset cos virtutis. Idem de lucta, quam sancti in hisce tentationibus crebro subeunt, dicas. Sic Paulus, cum esset castissimus & quasi Angelus terrestris, assidue tamen tentatus fuit cogitationibus & stimulis luxuriæ: *Ne magnitudo,* ait, *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me; & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Corinth. 12. 7. Remedium est, animi constantia, fortitudo & firma in Deum confidentia, qua tentationes quaslibet, licet summe enormes, absurdas, abominandas generose refutes, imo despicias & spernas, atque magnanime pergas in cœpto virtutis stadio & cursu. Occurrit olim dæmon S. Antonio conquerens, omnes homines sibi maledicere. Respondit S. Antonius, id merito & culpa sua fieri: quia tu, inquit, omnes vexas & turbas. Cui dæmon: *Ego nihil efficio, quia in nolentem nihil possum, sed ipsi seipsos ad invicem perturbant: ipsi suo in suggestionem meam consensu sibi mali sunt auctores.* Qui ergo diabolo tentanti non consentit, sed repugnat, hic eum vincit, de eoque triumphat. Animo ergo resoluto in quavis tentatione dicamus: *Quis nos separabit a charitate Christi? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli,* &c. Roman. 8. Et vicimus.

Remedium contra horrendas tentationes.

Dæmon in nolentem nihil potest.

B

C

VERS. 8. ITERUM ASSUMPSIT EUM DIABOLUS IN MONTEM EXCELSUM VALDE, ET OSTENDIT EI OMNIA REGNA MUNDI, ET GLORIAM EORUM] Mons hic a descriptoribus terræ sanctæ ponitur vicinus deserto Quarantanæ, ubi jejunavit Christus, & gula tentatus fuit a diabolo, quem proinde *montem diaboli* vocant. Audi Adrichomium in descriptione terræ sanctæ part. 18. num. 90. *Mons diaboli distat duobus milliaribus a Quarantana. Est a latere Bethel & Hai australi: in eum deductus fuit a Satana Christus, cum ostenderet & adpromitteret illi omnia regna mundi, si procidens adoraret se.* Sic & Brocardus & Bredenbach. in descript. terræ sanctæ, penes quos sit hujus rei fides. Transtulit diabolus Christum ex pinnaculo templi, rapuitque per aera in montem hunc celsissimum, ut ex eo ostenderet illi omnia regna mundi, *& gloriam eorum*, scilicet urbium splendorem, Gentium multitudinem, terrarum pulchritudinem, regum principumque opes, famulos, vestes, rhedas, exercitus, palatia, triumphos, & quidquid in quolibet erat speciosum & magnificum, ut ea concupiscceret, & concupiscens se illa promittentem adoraret: sed nulla cupiditas Christi animum pupugit, utpote qui ab omni concupiscentia liber, mentem haberet summe compositam, Deoque subditam, ac proinde terrena omnia spernentem, & cælestia ambientem.

Luc. 4. 5.

Mons diaboli quid?

D

Omnia regna quomodo Christo ostensa? Dei modus Primus.

Quæres, qua ratione diabolus ostendit Christo omnia regna mundi, & gloriam eorum, idque *in momento*, ut addit Lucas? Nota: Solus Deus id proprie facere potest. Potest enim Deus primo confortare, acuere & actuare oculos & visum hominis, ut ipse objectum quantumvis remotum, etiam per muros & petras, in seipso sine specie visibili videat, uti confortat lumine gloriæ mentem beatorum, ut Dei essentiam sine specie intueamur: sic oculis corporis S. Anselmus vidit ea, quæ post murum gerebantur, ut habet ejus vita. Simili modo potest facere Deus, ut hic Romæ cernam oculis corporis ea quæ geruntur in cubiculo regis Sinarum. Secundo potest Deus confirmare & multiplicare species visibiles, ut se spargant per loca opaca & densa, etiam longe dissita & remotissima. Tertio, potest species ab objecto non elicere, sed se solo ubilibet producere. Hoc modo Deus Moysi ex monte Abarim ostendit totam terram promissam. Num. 27. 12. ac S. Benedicti oculis objecit totum mundum spectandum in globo, uti refert S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 36. Nil horum potest diabolus.

E

Secundus.

Tertius.

Quomodo ergo ipse Christi oculis omnia regna objecit? Primo: Origenes & Rabanus regna mystica accipiunt, sive regna diaboli, quibus in nonnullis regnat per iram, in aliis per superbiam, in aliis per gulam, luxuriam, &c. Audi Origenem: *Ostendit & diabolus innumerabiles hominum multitudines, quæ suo tenebantur imperio, & dicit ei: Scio venisti, ut adversus me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc subjectos habeo; nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas ullam in certando molestiam: unum est quod precor, procidens adora me, & accipe omne regnum quod teneo.* Verum hoc mysticum est, non litterale, nec ad rem, puta ad tentationem Christi de regno corporali propositam facit.

Diaboli nodus primus.

F

Secundus.

Secundo, alii volunt diabolum cum Christo volasse per omnia orbis regna, & sic coram illa ipsi ostendisse: sed repugnat textus, qui ait: *Tunc assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi.* Ergo ex monte ostendit illa eminus, non cominus volando per ipsa regna.

Tertius.

Tertio, S. Cyprianus tract. de Jejunio & tentat. Christi, censet id factum non sensibili, sed imaginaria visione, scilicet diabolum imaginationi Christi repræsentasse omnia regna: verum hoc rejeci vers. 3. ubi dixi omnem hanc tentationem foris, non intus fuisse; nec diabolum potuisse immurare phantasiam Christi. Denique ad hoc non erat opus Christum rapere in montem excelsum, ubique enim potest diabolus phantasiæ hominum illudere.

Quartus.

Quarto, Toletus in c. 4. Lucæ, putat dæmonem species rerum remotissimarum, puta regnorum, vi sua perduxisse ad Christum Christique oculos, sicut ventus perflans vocem longius perducit, quam illa sine vento audiri posset. Verum non potuit dæmon tot tantasque, tam longe & directe per interjectos montes, rupes, sylvas ad oculos Christi perducere; nec id facere potuit sine aere, cui species inhærent: quare debuisset undique plurimum aerem hisce speciebus imbutum ad oculos Christi vehere, quod nimis longum & operosum fuisset: imo nec cum aere id facere potuisset, nisi simul res ipsas deferret; quæ species illæ ut in fieri, sic & in conservari pendent ab objecto, ut manifestis experientiis constat.

G

Quintus.

Quinto, alii subtiliter imaginantur, quod dæmon per multa specula sibi invicem objecta, species regnorum ex uno speculo in aliud & aliud continuo reflexerit, idque fecerit usque ad oculos Christi, qua arte dicitur Socrates vidisse draconem in monte remoto homines devorantem, quem nemo alius videre poterat. Simili modo nunc per dioptram nauticam remotissima oculis conspicimus. Verum sic dæmon aerem totum implesset speculis, quæ se invicem impedivissent, nec sufficiissent ad videndum omnia.

Sextus.

H

Sexto ergo melius Auctor imperfecti, Euthymius, & alii cum D. Thoma 3. p. 41. a. 4. adjunt ideo dæmonem Christum duxisse in montem excelsum, ut ex eo cujusque regni, saltem confuse, plagam & situm Christo ostenderet, v. g. dicendo: Ibi sita est Africa, illic Asia, ilthic Europa, hic est Syria, ibi Italia, illic Hispania, &c. idque in momento, ut habet Lucas, id est, brevissimo temporis spatio. Verum quia ex monte hoc diabolus Christo ostendit non tantum omnia regna, sed *& gloriam eorum*: hinc, Adde ex Theoph. Jansen. & aliis, dæmonem instar pictoris omnium regnorum imagines in aere a se varie condensato, per varias fulgoris solis refractiones, uti fit in Iride novo quodam modo repræsentasse & quasi pinxisse, fecisseque ut per eas omnia, quæ in regnis erant gloriosa & splendida, apparerent & objicerentur oculis Christi. Sicut idem dæmon in aere, certa arte eum densando, contemperando & inficiendo, pinxit multa spectra leonum, ferarum, serpentum, & monstrorum, eaque oculis S. Antonii objecit, ut eum terreface-ret, teste S. Athanasio in ejus vita. Simili arte præstigiatores mira populo spectanda exhibent, quæ licet sæpe sint illusio oculorum & phantasiæ, tamen subinde vera sunt. Et si dæmon potest ea pingere in phantasia, cur

Septimus genuinus.

non

Digitized by Google

A non & in aere? Sit colores varii pinguntur in Iride; sic in aere tempore Machabæorum visæ sunt acies militares inter se dimicantes, & alias alia spectra. Unde Franc. Lucas putat dæmonem omnia regna objeciſſe oculis Christi per artem perspectivæ, vel opticæ, cujus ipse est peritissimus; vel certe perstringendo suis præstigiis oculos Christi, Christo id permittente & tolerante, ut generosius tentatorem vinceret & confunderet. Nota hic potentiam æque ac artem & fraudem dæmonis, qua sæpe Christianos illudit: pingendo in phantasia illorum species magnificas honorum, opum, deliciarum, quæ in rei veritate vel falsæ sunt & nullæ, vel parvæ & viles.

Fraus dæmonis pingentis in phantasia.

VERS. 9. Luc. 4. v. 6. ET DIXIT EI: HÆC OMNIA TIBI DABO, SI CADENS ADORAVERIS ME] Quæres, quomodo diabolus rem tam impiam & indignam ausus fuit proponere Christo? Respondetur primo, quia ipse ambitiosus jam inde ab initio Deus esse voluit, ac Christo homini divinitatem per unionem hypostaticam invidit, eamque sibi ambivit.

B Ambitio ergo & invidia eum excæcarunt, ut Christum quasi æmulum suum tam indigne tractaret. Secundo, quia cum Christum jam semel & iterum miracula detrectantem vidisset, certior quasi sibi videbatur eum non esse Filium Dei. Tertio, quia ex Luca c. 4. 6. liquet diabolum addidisse: *quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa*, unde patet eum finxisse se esse Filium Dei & Deum, ait S. Hilarius, ac consequenter adorandum. Diabolus ergo, Christi, se ab eo in pinnaculum, indeque in montem transferri patientis, modestia & silentio audacior factus, superbior & protervior, suspicans Christum non esse Dei Filium, sed merum hominem, honores divinitatis, quos olim in cælo ambierat, hic a Christo, uti & a ceteris hominibus, postulat. Insita enim plane, & quasi inolita est ei hæc deitatis ambitio, quæ eum excæcat; atque ideo idola, in quibus coleretur, invenit, ita Glossa. Quare simulat se esse Filium Dei, ac ut talis cupit adorari a Christo, ut scilicet Christus victus cupiditate regnandi, illum adoret, itaque peccet idololatria: facile enim scire poterat Christus (etiamsi merus fuisset homo, non Deus) ipsum revera non esse Filium Dei, sed id fingere; simul tamen tacite dæmon hic explorat, an Christus sit Filius Dei: cogitabat enim ipse, si Christus vere est Filius Dei, ipse mihi indignabitur, qui ipsi hanc dignitatem eripio, meque Filium Dei esse simulo, ac ut talis ab eo adorari postulo: quare iratus & frendens respondebit: unde tibi hæc arrogantia? Ego sum Filius Dei, tu vero es satanas: tuum est ergo adorare me: qua fronte ergo audes poscere, ut ego adorem te, qui a me creatus es, mihique subditus?

Diabolus simulavit se esse Filium Dei.

C In duabus ergo prioribus tentationibus directe voluit satanas explorare, an Christus esset Filius Dei; unde ait: *Si Filius Dei es*; indirecte vero sollicitare Christum ad peccatum gulæ & vanæ gloriæ: in hac tertia vero directe voluit sollicitare Christum ad avaritiam, ambitionem & idololatriam; indirecte vero & tacite explorare, an ipse esset verus Dei Filius. Unde S. Chrysostomus: *Ruptis*, inquit, *ventris & vanæ gloriæ retibus, retia ponit avaritiæ*. Et Remigius: *Quanta jactantia*, ait, *diaboli regna terrena promittentis ei, qui dat cœlestia?*

D Nota arrogantiam & fastum diaboli, cum ait: *Si cadens adoraveris me*. Vult enim non qualem qualem adorationem, sed cum casu, ut scilicet Christus ita se coram illo humiliet, ut cadens in faciem adoret eum. Ita Abulensis hic quæst. 35.

Fastus diaboli.

Symbolice Glossa: Qui, inquit, diabolum adoraturus est, ante corruit, quam adoret. Rursum diabolus, quia ex cælo cecidit, hinc omnes ad casum & lapsum suum, ut socios habeat, sollicitat. Audi S. Irenæum lib. 5. c. 22. urgentem τὸ *cadens*: *Ipse diabolus confitetur, quoniam adorare eum, & voluntatem ejus facere, est cadere a gloria Dei*. Ipse ergo vanos honores nobis ruinis nostris vendit. Addit Irenæus: *Deinde nec illa ipsa quæ promisit, præstabit ei, qui cecidit*.

Tropologice S. Ambrosius in c. 4. Lucæ: *Habet ambitio*, inquit, *domesticum periculum; ut enim dominetur aliis, prius servit, curvatur, obsequitur, ut honore donetur; & dum vult esse sublimior, fit demissior*.

Addit Lucas cap. 4. 6. Diabolum causam addidisse, & jus suum in omnia regna probasse dicendo: *Quia mihi tradita sunt* (a Deo, sed nomen Dei subticet, tum quia sibi exosum, tum quia ipse volebat haberi & adorari ut Deus; Deo vero ea ejecto) *& cui volo do illa*, ubi dupliciter mentitur dæmon: Primo, quia falsum est Deum omnia regna illi tradidisse: in iis enim nil potest dæmon, nisi quod Deus ei concedit, subinde & permittit. Secundo, quia falsum est dæmonem illa dare cui ipse voluerit: unde diabolus non intendebat illa dare Christo, nec dedisset, etiamsi Christus eum adorasset. Nam solius *Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo*. Psalm. 23. 1. Unde ipse solus *dominatur in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud*. Daniel. 4. 14. *cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei & obedient*. Daniel. 7. 27. qui v. 14. docet Deum illud tradidisse Filio hominis, id est, Christo Filio suo carnem assumenti. Prodit ergo hic seipsum diabolus, quia hæc ejus pollicitatio, ut recte advertit Toletus in c. 4. Lucæ v. 6. mendax fuit, falsa, arrogans & dolosa: Mendax quidem, quia quæ pollicebatur, dare non intendebat; falsa, quia regna, quæ pollicebatur, dare non poterat; arrogans, quia sua esse profitebatur, quæ non erant ejus, sed Dei; dolosa vero, quia futurum pro præsenti commutat; *dabo*, inquit; adorari vult de præsenti pro spe recipiendi promissa; in futurum enim tempus differebat, quæ dare non poterat, ut sic sperantem, accepto eo quod tentator volebat, deciperet ac confunderet. Simili modo & fraude diabolus conatur persuadere hominibus ut juventutem & præsens tempus dent voluptatibus & sibi; futurum vero & senectam dent pœnitentiæ & Deo, cum senectus incerta sit, dubia ac inhabilis ad pœnitentiam, uti advertit monetque sanctus Gregorius. Rursum persuadere nititur, ut bona terrena cælestibus, humana divinis, caduca stabilibus, momentanea æternis stulte anteponant.

E

F

Ordo tentationum.

Nota primo ordinem & gradationem tentationum; prima enim tentatio, ut Christus ex lapidibus panes faceret, fuit gulæ; secunda, ut ex pinna templi se præcipitaret, fuit vanæ ostentationis & gloriæ; tertia, ut se adoraret cum promissione regni totius mundi, fuit avaritiæ, superbiæ & idololatriæ. Secundo, Christum tentatum fuisse per tria, hoc est omnia tentationum genera, ut innuit Lucas c. 4. 13. dicens: *Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo*. Prima enim tentatio gulæ, fuit concupiscentia carnis; secunda præcipitationis, fuit ostentationis & superbiæ, tertia fuit avaritiæ, pariter, & superbiæ, ut notat S. Ambrosius, & Origenes in dictum Lucæ locum. Tertio, Christus suo exemplo & responso nos docuit, primam tentationem carnis & famis superandam esse spe in Deum, Deique providentia; secundam superbiæ & præsumptionis vincendam esse timore Dei; tertiam avaritiæ & ambitionis pellendam esse magnanimitate & contemptu mundi. Ad hoc tres efficaces stimulos suggerit S. Petrus Damiani Opusc. 11. c. 16. dicens: *Victor dæmonum, socius efficitur Angelorum: Exul mundi, heres est Paradisi: Abnegator sui, sectator est Christi*.

G

VERS. 10 Luc. 4. 8. TUNC DICIT EI JESUS: VADE SATANA] Sic & Syrus. Græca addunt ὀπίσω μου, id est, *post me*, ac pro *vade* habent ὕπαγε, q. d. Apage, secede, facesse hinc impie satan, ne diutius mihi ut satan, id est, adversarius obsistas, ne amplius ante oculos meos compareas, vade retro post me: nolo enim ulterius te audire vel videre, quia non tantum falsa & fallacia promittis, sed & impia, indigna, blasphema & sacrilega a me postulas, ut scilicet ego qui sum creator tuus, adorem te, qui es creatura mea, sed rebellis, ideoque ad gehennam damnata. Dixit ergo hoc Jesus & justa ira indignans diabolo, ejusque improbitatem objurgans; ideoque diabolus desperans de victoria, & confusus aufugit; unde discant Christiani fortiter repellere suggestiones diaboli, illumque increpare, & fugiet ab eis.

H

SCRIPTUM EST ENIM (Deut. 6. 13.) DOMINUM DEUM TUUM ADORABIS, ET ILLI SOLI SERVIES] Pro *adorabis* hebr. est, תִּירָא *tira*, id est, *tisebis*: Hebræi enim per timorem significant reverentiam, adorationem, omnemque Dei cultum. Nam ut ait Statius:

Primus in orbe Deos fecit timor.

Vox *soli* non est in Hebræo, sed subintelligitur in articulo & pronomine illi, quod habet emphasim, q. d. *illi, illi*, inquam, *soli*, utpote qui solus est Dominus Deus tuus, id est, tuus est Creator, conservator, gubernator, &c. *servies*, latria, græce enim est λατρεύσεις. Soli enim Deo datur latria, Sanctis dulia, teste S. Augustino lib. 10. de Civit. c. 1. B. Virgini Deiparæ hyperdulia.

Mora-

Digitized by Google

A Adhære Deo, & vicisti omnē tentationē.

Moraliter docet hic Christus hoc respondendum diabolo in tentatione avaritiæ, & quavis alia. Omnis tentatio enim ad hoc tendit & illicit, ut creaturam præponamus creatori, illamque quasi idolum nostrum, imo dæmonis, adoremus, eique præ Deo serviamus. Sic idolum quod dæmon avaro objicit adorandum, est Plutus, Mammona, opes, possessiones, regna mundi: idolum superbi est honor, ambitio: idolum gulosi, est venter, vina, epulæ: idolum luxurioši est Venus. Cum ergo hæc objicit, respondendum cum Christo: Deum adoro, non Venerem, non Plutum, &c. Nam, ut ait S. Cyprianus tract. de spect. *Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest.* Quid enim est totus mundus, omnia regna, omnes creaturæ comparatæ cum Deo, nisi punctum comparatum cum toto universo? Quid est omne tempus respectu æternitatis, nisi instans? Quid sunt omnes voluptates, honores, opes comparatæ cum deliciis, honoribus & opibus cælestibus, nisi vanitates & umbræ, imo sordes & stercora? Contemne ergo illa præ Deo, illique firmiter adhære, & superasti omnem tentationem. Ita Psaltes: *Mihi*, ait, *adherere Deo, bonum est.* Et alius: *Mens mea in Deo fixa & solidata est.* S. Cyprianus de Orat. Dominica: *Cum Dei sint omnia*, ait, *habenti Deum nihil deerit, si ipse Deo non desit.*

B Similimodo, si minas, metus infamiæ, paupertatis, morbi, verberum & mortis intenter, junge te Deo, Deum adora per firmam spem & invocationem. S. Cyprianus in Exhort. Martyr. docet aliquos martyrio excidisse, quia considerabant atrocitatem tormentorum, non virtutem & opem Dei contra, illos stare & vincere, qui avertunt mentem a tormentis, & figunt in Dei ope, dicuntque: *Omnia possum in eo, qui me confortat*: major est Deus tormentis. Ita S. Agnes totam spem & amorem defigens in Christum, vicit omnia tormenta Tyranni: Deus enim infirma mundi eligit, ut confundat fortia, vultque suam virtutem in nostra infirmitate toti orbi ostendere: Deus enim in se sperantes, seque invocantes & adorantes, deserere nequit.

C Lætitia spiritualis optimum contra tentationes remedium,

Quocirca S. Cyprianus tract. de Moral. *Adversa*, ait, *non avocant a fidei virtute; sed corroborant in dolore*, &c. Hoc expertus S. Antonius, teste S. Athanasio, dicebat, optimum remedium vincendi omnes dæmonis tentationes esse lætitiam spiritualem, & amorem Christi, cujus uno crucis signo victus aufugit.

VERS. 11. Luc. 4. 11. Marc. 1. 13.

TUNC RELIQUIT EUM DIABOLUS, ET ECCE ANGELI ACCESSERUNT, ET MINISTRABANT EI] Recte Anonymus in Catena: *Legitime pugnanti*, inquit, *agonum reperitur terminus, quod adversarius vel sua sponte cedat vincenti, vel trino casu deponatur, secundum pugnatoriæ artis decretum.* Qui enim ter in trino conflictu hostem vicit, is plane eum superavit & subjugavit, idcoque de eo triumphat. Nota, Christum post trinam tentationem & victoriam ex monte, in quem eum transtulerat diabolus, rediisse in suum Quarantanæ, ubi 40. diebus jejunarat, desertum, idque non pedibus, sed subitaneo quasi raptu per vim suæ divinitatis & dotem agilitatis, aut certe per Angelorum ministerium. Nam ei quasi victori, Angeli specie humani corporis assumpta (uti & fecerat diabolus tentator) accedentes congratulati sunt, & ministrarunt cibum deferentes, aliaque obsequii debiti officia exhibentes.

Quomodo Christus ex monte, in quem eum dæmon tulerat, in suum locum redierit.

D Porro Concilium Constantinopolitanum, Oecumen. V. in Constitutione Vigil. Papæ pertinente ad collationem 5. adversus quosdam Hæreticos, qui ita exponebant illud Matth. 4. *Et ministrabant ei*, ut Angeli Christo inservierint, sicut aliis Sanctis, anathema dicit eis, qui volunt Angelos ad Christum descendisse, eique ministrasse tamquam amico & domestico Dei, non tamquam creatori & Domino suo.

Disce hinc eum, qui fortiter vincit diabolum ejusque suggestiones, mereri & præmiari consortio, consolatione & ministerio Angelorum. Nam victor satanæ est quasi alter Angelus, idque, ut per Angelos animetur ad futura cum diabolo certamina, nam ut de Christo hic ait Lucas c. 4. 13. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus*; unde S. Chrysostomus: Recessit, inquit, diabolus virtute Christi excussus; postea, ait Interlinearis, pugnaturus per Judæos. Scribæ enim & Pharisæi crebro Christum tentarunt, & tandem occiderunt.

n dæmon ne vi. us redeat tentan. m?

Hinc Origenes hom. 31. in Lucam, & Abulensis putant dæmonem de uno vitio tentantem semel ab aliquo perfecte victum, amplius de illo eumdem non tentare. Idem probabile esse, ait noster Salmeron: quia, qui in se perfecte superat per actus intensos & heroicos, habitus pravos ad vitium inclinantes, eidem contrarii virtutum habitus ingenerantur, & profunde radicantur; talem autem aggredi non audet dæmon, ne iterum vincatur. Probabilius est, dæmonem a Christo & Christianis semel perfecte victum, tantum ad tempus discedere, ut hic ait Lucas: quare data occasione iterum ad tentandum simili vel eadem tentatione regredi. Sic enim ipse S. Antonium sæpe de eadem re, & S. Paulum eodem stimulo carnis sæpius diuque tentavit, ut patet 2. Cor. 12. 8. Sic enim duces redeunt ad oppugnandam arcem, cum post longam quietem hostes securos, negligentes & imparatos inveniunt: *Diabolus*, ait S. Ambros. *frequentat spicula, ut aut præmio vincat aut tædio.* Audi eumdem S. Ambros. l. 4. in cap. 4. Lucæ v. 13. *Probe omnium criminum fontes hæc triagenera demonstrantur esse vitiorum. Neque enim consummatam omnem tentationem Scriptura dixisset, nisi in his tribus esset omnium materia delictorum, quorum semina in ipsa origine sunt cavenda. Finis ergo tentationum finis est cupiditatum, quia causæ tentationum, causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatum sunt carnis delectatio; species gloriæ, aviditas potentiæ.* Et post pauca: *Vides ergo ipsum diabolum non esse in studio pertinacem, cedere solere veræ virtuti. Et si invidere non desinat, tamen instare formidat, qui frequentius refugit triumphari. Audito itaque Dei nomine, recessit, inquit, usque ad tempus; postea enim non tentaturus, sed aperte pugnaturus advenit.* Denique post multa ita concludit: *Ergo qui vult coronam dare, tentationes suggerit. Et si quando tentaris, cognosce, quia paratur corona. Tolle martyrum certamina, tulisti coronas: tolle cruciatus, tulisti beatitudenes. Nonne tentatio Joseph, virtutis est celebratio? Nonne injuria carceris, corona est castitatis? Quemadmodum regni in Ægypto consortium potuisset adipisci, nisi venditus fuisset a fratribus?*

E

F

VERS. 12. Luc. 4. 14. Marc. 1. 14. Joan. 4. 3.

CUM AUTEM AUDISSET JESUS, QUOD JOANNES TRADITUS ESSET, SECESSIT IN GALILÆAM] Omittit siletque Matthæus, æque ac Marcus & Lucas, legationem Judæorum ad Joannem Baptistam, rogantium, an ipse esset Messias, item Joannis ad Christum, rogantis per discipulos: *Tu es qui venturus es?* Ad hæc conversionem aquæ in vinum in Cana Galilææ; ejectionem ementium & vendentium e templo; Nicodemi accessum ad Christum, &c. quæ omnia facta sunt ante captivitatem Joannis Baptistæ, & a solo Joanne Evangelista c. 2. v. 3. & 4. recensentur. Igitur Matthæus orditur hic prædicationem Christi a carcere Joannis Baptistæ. Ante enim ejus incarcerationem Christus eidem munus prædicandi commisit, ut ipse sibi viam sterneret. Joanne vero incarcerato, Christus ei in prædicatione quasi sol lucifero suo successit, tuncque publice & solenniter evangelizare cœpit, uti sic enarrat Matthæus.

G lus Joannes narrat esta anni orimi præ- lificationis Christi,

Porro, Christus audita Joannis incarceratione, ex Judæa secessit in Galilæam, quia fugit Herodem, ne sicut Joannem, ita & se incarceraret. In Galilæa ergo solenniter prædicare orsus est, ut impleret oraculum Isaiæ, de quo mox. Dices: Herodes regnabat in Galilæa, non in Judæa, cur ergo Christus fugiens Herodem, fugit ex Judæa in Galilæam; ibi enim incidebat in manus Herodis? Resp. Id factum idcirco, quod Joannes in Judæa juxta Jericho prædicans & baptizans, convocansque ad se turbas, a Judæis, puta a Scribis & Pharisæis accusatus fuerit apud Herodem; illi enim a Joanne acriter reprehensi, vocatique; *progenies viperarum*, Matth. 3. 7. exacerbati suggesserunt Herodi, quem sciebant Joanni offensum, ut Joannem caperet metu novationis rerum, ne scilicet Joannes tumultum & rebellionem populi concitaret: Josephus enim l. 18. Antiq. c. 7. docet Herodem occidisse Joannem timore turbationis ex turbis ad Joannem confluentibus. Quis hunc timorem Herodi regi Galilææ de Joanne in Judæa prædicante injecit, nisi Judæi, puta Scribæ & Pharisæi? Hi enim, uti Christo, sic & Joanni Christum ostendenti fuere infensi; uterque enim illorum vitia publice libereque arguebat. Licet enim Romano Præsidi jure proprio tradendus fuisset Joannes, utpote in Judæa baptizans; tamen quia ipse & Galilæos baptizabat, & forte in vicinam Peræam Herodi subjectam, subinde per Jordanem transgrediebatur, hinc Herodes, connivente Præside Romano, agentibus id Pharisæis, Joannem quasi suæ jurisdictioni subditum incarceravit. Christus id audiens, fugit a Judæa & Judæis in Galilæam, metuens ne ab eisdem traderetur Herodi, apud illum enim, utpo-

Christus e Judæa secessit in Galilæam fugiens Herodem: Cur, cum ibi regnaret Herodes?

11

A utpote fecta Judæum, Pharisæi plurimum poterant summæque erant auctoritatis. Ipsum autem Herodem solum toti Galilææ dominantem non timuit Jesus, quia eum non offenderat, uti offenderat Joannes reprehendens eum de adulterio. Fuit hic Herodes Antipas filius Herodis Ascalonitæ, qui fuit infanticida.

Hic secundus Christi in Galilæam secessus.

Fuit hic secessus Christi secundus e Judæa in Galilæam (primus enim fuit Joannis 1. 43.) idemque est cum eo, quia a Marco c. 1. 14. & Luca c. 4. 14. & Joann. c. 4. v. 3. & 43. recensetur, ut recte Jansen. ex iisdem circumstantiis colligit. Porro Lucas ait: *Et egressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam*, non quod aliqua virtus spiritus illi hic indita & addita fuerit a Spiritu sancto, ut videtur velle Origenes: ipse enim a primo sui ortu plenus fuit Spiritu sancto, seu quod virtus Spiritus sancti, quo plenus erat, eum impelleret in Galilæam, ad ordiendam ibi magna efficacia prædicationem, & ad miracula aliaque opera heroica patrandum, quibus prædicationem suam confirmaturus erat, ut paret hic v. 23.

VERS. 13 B ET RELICTA CIVITATE NAZARETH, VENIT, ET HABITAVIT IN CAPHARNAUM (civitate) MARITIMA IN FINIBUS ZABULON ET NEPHTHALIM] *Relicta*, id est, omissa, neglecta, præterita, q. d. Noluit Jesus ingredi Nazareth, licet ipsa esset patria sua, ibique ordiri prædicationem. Causam dat S. Joann. c. 4. 44. *Quod Propheta in sua patria honorem non habet*. Secessit ergo in Capharnaum, ibique cathedram prædicandi erexit & fixit.

Galilæa duplex, superior & inferior.

Nota: Duplex erat Galilæa, scilicet inferior in tribu Issachar & Zabulon, in qua sita erat Nazareth, & superior in tribu Aser & Nephthali, in qua erat Capharnaum, quæ & Gentium dicebatur, eo quod vicina esset Phœnicibus, & quia a multis Gentilibus habitabatur. Magna enim ejus pars a Salomone data fuit Hiram regi Tiri, ob navatam ab eo operam in fabrica templi. 3. Reg. 9. 11. Vide Adrichomium in descript. terræ sanctæ in Galilæa.

Capharnaü emporium opulentü, & totius Judææ celeberrimü. C

CAPHARNAUM MARITIMA] Adjacebat enim Jordani (ubi scilicet Jordanis in mare Tiberiadis influit) ac mari Tiberiadis, quod & Galilææ dicebatur: quare per mare evehens & advehens merces, evasit emporium totius Judææ celeberrimum & opulentissimum, ac Metropolis Galilææ, adeo ut opibus, fastu, luxu, pulchritudine ceteras Galilææ urbes longe superaret, indeque nomen accepit. Dicitur enim *Capharnaum* quasi כפר נעים *copher naim*, id est, *ager jucunditatis & delectationis*, vel *villa pulchritudinis*, ait S. Hier. in Nomin. Hebraic. Pagninus, & alii. Nonnulli vero *Capharnaum* interpretantur *ager pœnitentiæ*, aut *propitiatio pœnitentiæ* a כפר *caphar*, id est, propitiari, & נחם *nacham*, id est, pœnitere: ibi enim pœnitentiam prædicavit Christus: urbes enim maritimæ ob colluviem undique affluentis turbæ, & ob merces opesque multis scatent vitiis, quod & notavit Plato. Verum sic dicendum esset *Capharnaum* per *ch*, ut vertit Syrus: quamquam Hebraicum non semper vertatur per *ch*: nam pro *Chabacuc* vertunt *Habacuc*: pro *Chaggai*, *Aggæus*: pro *Chorma*, *Horma*: pro *Chamital*, *Amital*. Porro Capharnaum Christi habitatione longe facta est pulchrior & illustrior; Christus enim relicta patria sua Nazareth, in Capharnao habitationem sibi delegit; ac commodatam aut conductam, ut videtur, domum habuit, in qua Evangelicæ prædicationis tempore, cum electis suis duodecim Apostolis triennium duxit, indeque Capharnaum sua, sive ejus civitas appellata est. Eademque de causa Christus & Apostoli Capharnaum domumque suam rediisse, ab Evangelistis frequenter memorantur.

Capharnaü idem est quod ager jucunditatis.

D

In Capharnao cœpit Christus prædicare.

In hac urbe igitur Christus cœpit prædicare regnum Dei, luxum, & vitia civium castigare, eosque a bonis terrenis, opibus & fastu ad cælestes opes invitare, tum per sermones tum, per miracula magna & multa. Hic enim in domo sua confertam hominum turbam docens, paralyticum per tectum in lecto ante se demissum, primum a peccatis, deinde & paralysi verbo curavit. Ibidem duobus cæcis visum reddidit, atque dæmoniacum mutum incolumitati restituit. Hic in platea ambulans a paralysi Centurionis servum sanavit. Hæmorrhoissam fimbriam vestis ipsius firma fiducia tangentem, a sanguinis profluvio liberavit, atque mox Jairi Archisynagogi ædes ingressus, duodennem ejus filiam a morte, sua voce excitavit.

In Capharnao multa Christus edidit miracula.

Verum cum incolæ divitiis, indeque fastu, superbia ac luxu tumidi, neque cælestibus ejus vocibus, neque miraculis ad pœnitentiam commoverentur, hanc tandem Christus in eos detonuit sententiam: *Et tu Capharnaum, quæ usque ad cælum exaltata es, usque ad infernum demergeris. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quod Sodomis remissius erit in die judicii, quam tibi.* Matth. 11. E

UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER ISAIAM PROPHETAM (cap. 9. v. 1.) VERS. 14

TERRA ZABULON ET TERRA NEPHTHALIM: VIA MARIS TRANS JORDANEM, GALILÆA GENTIUM] VERS. 15 Est appositio. q. d. Terra Zabulon, & terra Nephthalim, quæ est via maris, quæ scilicet vergit & ducit ad mare Tiberiadis, quæque sita est trans Jordanem, & alio nomine dicitur Galilæa Gentium; hæc terra, inquam, alleviata est, ut addit Isaias; scilicet, ut sequitur, populus in ea habitans, ex tenebris suæ ignorantiæ aspexit lucem Evangelii, prædicante Christo. Vox *Gentium* notat Christum Evangelium a Judæis ob incredulitatem, per Paulum & Apostolos translatum ad Gentes. Ita Chrysost.

POPULUS, QUI SEDEBAT IN TENEBRIS, VIDIT LUCEM MAGNAM, ET SEDENTIBUS IN REGIONE UMBRÆ MORTIS LUX ORTA EST EIS] VERS. 16 F Hoc oraculum fuse exposui Isaiæ 9. 1. Vide ibi dicta.

EXINDE COEPIT JESUS PRÆDICARE: POENITENTIAM AGITE: APPROPINQUAVIT ENIM REGNUM CÆLORUM.] VERS. 17 Hæc fuit summa, compendium, finis & scopus prædicationis Christi, scilicet, invitare homines ad pœnitentiam, ac mutationem morum, vitamque sanctam, ut regnum cælorum jam sua morte aperiendum ingredi mererentur. Idem prædicavit Joannes Baptista, quasi Christi prodromus & præcursor. Vide dicta c. 3. 2. Christus ergo homines a terra cupiditatibusque terrenis, velut vilibus, exiguis & caducis evocabat ad cælum, ut in eo reges regnarent cum Deo & Angelis in omni felicitate & gloria per omnem æternitatem. Hæc enim est vera sapientia, hic terminus, hæc meta, hoc bonum, hæc felicitas nostra: *Hoc est enim omnis homo*: Eccl. 12. 14. Vere Glossa: *Ad Evangelium*, ait, *pertinet beatitudinis promissio, peccatorum remissio, adoptio, resurrectio, cœlestis hereditas, Angelorum societas*. Evangelio ergo reges fiunt, & regnum datur, ait Interlin. non terrestre & caducum, sed cæleste & sempiternum. Daniel. 7. v. 27.

Evangelii facit regem.

G

Quocirca Babylas Mimus habens duas concubinas, audiens legi hæc verba Evangelii: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum*, cælitus a Deo tactus resipuit, ac in cellam se reclusit, pœnitentiam per omnem vitam acturus, suas vero opes reliquit concubinis, quæ ipsius exemplo compunctæ, simili modo in cellas sese concluserunt, ac jugem pœnitentiam egerunt. Ita Joannes Moscus in Prato spirit. c. 31. nimirum, vivus & efficax est sermo Evangelii. Heb. 4. 12.

Babylæ Mimi per Evangelii verba conversio.

Appositе in Galilæa prædicavit hæc Christus, tum quia Galilæa a Gentibus habitabatur, quæ minus resistebant Evangelio, quam Judæi; tum quia copiosa erat & populosa, adeo ut Josephus l. 3. belli c. 2. de ea scribat, *In Galilæa crebræ sunt civitates, & ubique multitudo virorum propter opulentiam populosa, ut qui sit minimus, supra quindecim milia colonorum habeat*; tum quia Galilæa Hebr. idem est, quod tornatilis, volubilis, גלל *galal*, id est, *volvere, convolvere, revolvere*; ita dicta est Galilæa a revolutis vicini maris fluctibus vel arenis, qui in littore vi æstus maris ventorumque convolvuntur & conglomerantur. In Galilæa enim Christus revolvit & tornavit perditos hominum mores, eosque quasi circinavit, ut instar globi, terram, & terrena tantum in puncto tangerent; tota vero reliqua mole convoluti & rotundi cælos rotundos tornatosque respicerent. Adhæc e Galilæa, id est, e volubilitate mundi hujus evocavit homines ad cælum & astra.

Galilæa populosa.

H

Galilæa, id est, volubilis.

Rursum Galilæa idem est quod transmigratio, ait S. Gregorius, & alii, a radice גלה *gala*, id est, *migravit*. In ea enim Christus docuit homines, mente, affectu & amore a terra & terrestribus migrare ad cælos & cælestia. Unde Apostolos non nisi Galilæos, id est, transmigrantes (qui scilicet hospites terræ, & cives cæli forent) elegit.

Vel transmigratio.

Hæc transmigratio fit per pœnitentiam. Porro quam rigida, longa, duraque fuerit olim in pane & aqua per plures annos peccatorum pœnitentia, liquet ex Pœnitentiali Romano, & ex canonibus pœnitentialibus S. Basilii, S. Gregorii, Nysseni, Bedæ, Rabani, Mauri, & Burchardi, qui conjunctim impressi extant. Denique apud

Morïbundi Hispani monasticen professi.

A apud Hiſpanos ægri & moribundi pœnitentiam agebant induendo habitum monaſticum, & tonſuram ſuſcipiendo, qua cæremonia profitebantur monaſticem: unde ſi convaleſcerent, in monaſterio tota vita degere debebant, nec ad ſæculum redire poterant, ut patet ex Conc. Toletano 12. c. 2. idque magno poſterorum exemplo fecit V-Vamba rex Hiſpaniæ ſub annum Domini 674. ut patet ex Mariana & Baronio tom. 8. anno Domini 680. in fine. Hac de cauſa Romæ pœnitentiarii pontificii virgam manu geſtant, tum quia ſunt judices Apoſtolici in tribunali conſcientiæ. Judici enim virga recta, quaſi index rectitudinis juſtitiæ præfertur, juxta illud de Chriſto: *Virga directionis, virga regni tui*. Pſal. 44. 7. tum quia in gravioribus publiciſque delictis, præſertim habentibus annexam excommunicationem, olim pœnitentiarii recitantes Pſalmum *Miſerere*, reum virga verberabant, itaque eum abſolvebant, uti etiamnum ex priſco Eccleſiæ ritu in canonibus ſancito, in ſolemni ab excommunicatione abſolutione fit. Ita S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis Henricum II. Imperatorem pœnitentem duriſſimis verberum plagis afflixit anno

Pœnitentiarii virgas geſtant quaſi judices.

Exempla Henrici II. Imperatoris.

B Domini 1056. ut habet ejus vita apud Surium 4. Decem. Hicque virgarum, ſive, ut vulgo vocatur, diſciplinæ, vel a pœnitente ſibi ipſi, vel a pœnitentiario pœnitenti inflictæ uſus valde viguit tempore B. Petri Damiani, qui floruit anno Dom. 1040. ut patet ex pluribus ejus epiſtolis, ac ex vita S. Dominici Loricati, ubi centum annorum pœnitentiam fieri ait: vigeſies recitando totum pſalterium cum continua flagellatione, unum enim pſalterium tale confi-

Henricl II, Angliæ regis.

cere quinque annos pœnitentiæ. Ita Henricus II. Angliæ rex, quia occaſionem dederat cædis S. Thomæ (uti habet ejus vita) Cantuarienſis Archiepiſcopi, pœnitens, nudis pedibus venit ad ſepulchrum S. Thomæ, ac in loco cædis ejuſdem, proſtratus in terram, ad pedes Epiſcoporum ſcelus ſuum cum lacrymis confeſſus, ſcapulas nudavit, ab eiſque quinquies flagellationem ſuſcepit; a ſingulis vero monachis, qui numero erant 80. tres diſciplinæ ictus ſubiit ſub annum Domini 1170. Quid nos delicati ad hæc? Quo abiit priſcorum pœnitentia?

S. Paulæ.

C Audiamus quid de S. Paula ſcribat S. Hier. in ejus epitaphio: *Lectuli ſtrata non habuit, ſed ſuper duriſſimam humum ſtratis ciliciis quieſcebat: ſi tamen illa quies dicenda eſt, quæ jugibus pene orationibus dies noctesque jungebat, illud implens de pſalterio. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo: In quo fontes crederes lachrymarum: ita levia peccata plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos ſervaret Evangelicæ lectioni, ajebat: Turbanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis vocavit deliciis. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicii commutanda. Quæ viro & ſæculo placui, nunc Chriſto placere deſidero.* Vide eumdem epiſt. 30. graphice deſcribentem ſanctam Fabiolæ pœnitentiam.

VERS. 18. AMBULANS AUTEM JESUS JUXTA MARE GALILÆÆ, VIDIT DUOS FRATRES SIMEON, QUI VOCATUR PETRUS,
Luc. 5. 15. Mar. 1. 16. ET ANDREAM FRATREM EJUS, MITTENTES RETE IN
D MARE (ERANT ENIM PISCATORES)

VERS. 19. ET AIT ILLIS: VENITE POST ME, ET FACIAM VOS
Luc. 5. 1. Mar. 1. 17. FIERI PISCATORES HOMINUM.

VERS. 20. AT ILLI CONTINUO RELICTIS RETIBUS SECUTI SUNT EUM.]

Supplenda ex S. Joanne.

Nota quoad ſeriem hiſtoriæ, multa hic eſſe ſupplenda ex S. Joanne c. 1. ſcilicet quod poſt baptiſmum Chriſti a Joanne ſuſceptum, poſtque ejus jejunium 40. dierum in deſerto, & trinam ſatanæ tentationem, Judæi miſerunt legatos ad Joannem Baptiſtam, qui rogarent eum, an ipſe eſſet Chriſtus. Reſpondit Joannes, ſe non eſſe Chriſtum. Poſtridie venit rurſus ad Joannem Jeſus, tuncque de eo

Ordo vocationis Apoſtolorum.

turbis dixit Joannes: Ecce hic eſt Chriſtus. Quo audito duo Joannis diſcipuli contulerunt ſe ad Jeſum, e quibus unus fuit Andreas, qui illico fratrem ſuum Simonem Petrum adduxit ad Chriſtum; moxque Chriſtus vocavit Philippum, qui ad eumdem ſecum adduxit Nathanaelem, ita ut Chriſtus jam quinque haberet diſcipulos, nunc nominatos, qui cum ipſo interfuerunt nuptiis in Cana Galilææ: iidem mox relicto Chriſto rediere ad ſuam piſcationem. Inde Jeſus rediit in Judæam, ubi habuit colloquium cum Nicodemo; quod recenſet Joannes cap. 3. ibique baptizabat & patrabat miracula, quibus dum inclareſceret, timens invidiam Scribarum, & Phariſæorum, quorum accuſatione jam captus erat ab Herode Joannes Baptiſta, iterum reverſus eſt in Galilæam, ibique vocavit Petrum & Andream, Jacobum & Joannem, uti hic narrat Matthæus. Quare ſolus Joannes enarrat acta primi anni prædicationis Chriſti: Matthæus vero, Lucas & Marcus inchoant ab anno ſecundo prædicationis, qui fuit ætatis Chriſti 32. cum congregavit Apoſtolos. E

Vocatio Apoſtolorum multiplex.

Hinc liquet aliam eſſe hanc vocationem Petri & Andreæ ab ea, quam recenſet Joannes c. 1. 36. ibi enim Andreas a Joanne Baptiſta necdum capto, miſſus eſt cum ſocio ad Chriſtum, eumque familiariter noſſe cœpit, non tamen ei diſcipulum ſtabilem ſe addixit, ſed ad ſua retia rediit: hic vero capto jam Joanne, Andreas & Petrus vocati a Chriſto ſe ei diſcipulos dedunt, conſtanterque ei adhærent, nec amplius ad propria ſunt reverſi. Eſt ergo hæc ſecunda Apoſtolorum vocatio. Tertiam vocationem addit S. Auguſtinus, Lyra. Maldonatus & Toletus, ſcilicet eam, qua poſt miraculoſam capturam piſcium vocati a Chriſto, ei ſe totos addixerunt, uti recenſet Lucas c. 5. v. 10. F

Sed verius eſt illam apud Lucam vocationem eamdem eſſe cum hac Matthæi: tum quia Petrus & Andreas, nonniſi viſo illo miraculo in captura piſcium, de quo Lucas, vocati & permoti videntur ad indivulſe ſequendum Chriſtum: tum quia Lucas æque ac Mattheus dicit eos, relictis omnibus, ſecutos eſſe Chriſtum, quod ſane abſolute intelligendum videtur: neque veriſimile eſt eos ſemel plane pleneque vocatos, & Chriſtum ſecutos rurſum ab eo defeciſſe, & quaſi apoſtataſſe, ut tertio apud Lucam vocari debuerint. Denique *ποιήσω vos fieri piſcatores hominum*, plane idem eſt cum eo, quod Chriſtus apud Lucam, ait Petro: *Ex hoc jam eris homines capiens*. Eadem ergo eſt vocatio Apoſtolorum a Matthæo & Luca recenſita, ſed Matthæus ſuccincte vocationis ſubſtantiam aſſignat, eamque quaſi per compendium perſtringit; Lucas vero more ſuo ejuſdem ſeriem & hiſtoriam particulatim & prolixe enarrat, uti fuſe & præciſe per ſingula oſtendit Janſenius c. 26. Concordiæ Evang. Ita cenſet S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & alii. Jam ſingula verba expendamus.

AMBULANS] non caſu, non animi cauſa, ſed ut ad ſui ſequelam vocaret Petrum & Andream, Jacobum & Joannem: Chriſtus enim nec ambulationem, nec aliam actionem ullam exercebat ſolius naturæ vel recreationis cauſa, ſed omnes dirigebat ad finem ſpiritualem, ſcilicet ad Dei gloriam & aliorum ſalutem. Imitentur hoc Chriſtiani, præſertim ſacerdotes & religioſi; ſic nil facient otioſum, ſed omnia fructuoſa. G

JUXTA MARE GALILÆÆ] Cui adjacet Capharnaum urbs, in qua Chriſtus domum ſibi delegerat ad prædicandum domi ſuis diſcipulis, & in ſynagogis per Sabbata omnibus Judæis. Mare hoc alio nomine vocatur Tiberiadis, item lacus vel ſtagnum Geneſareth.

SIMONEM QUI VOCATUR PETRUS] Qui ſcilicet a Chriſto vocatus eſt *Cephas*, id eſt, Petra vel Petrus, Joan. 1. 42. quia ſuper eum ædificaturus erat Eccleſiam ſuam. Matth. 16. 18. *Simon* Hebraice idem eſt quod *audiens, obediens*: שמע *ſcama* enim ſignificat audire, obedire. Vide dicta Geneſ. 29. 33.

Cephas, id eſt, Petra Eccleſiæ.

Simonis etymon.

ANDREAM] Andreas eſt Græcum nomen, quod a Græcis, quibus poſt Alexandrum Magnum ſubditi fuere, accepere Judæi, uti & Jaſon, Eupolemus, Lyſimachus, Menelaus, aliaque plura nomina Græca Judæorum, quæ 2. Mach. 4. & ſeq. leguntur; Ἀνδρέας enim Græce idem eſt, quod *virilis, robuſtus*, fortis, qualis revera fuit S. Andreas in cruce. H

Andreas, eſt virilis.

MITTENTES RETE IN MARE] Supple ex Luca c. 5. 1. & ſeq. Chriſtum aſcendiſſe in naviculam Petri, indeque docuiſſe turbas, mox juſſiſſe Petro, ut mitteret rete in mare, qui illico attraxit ingentem piſcium copiam, ita ut rete rumperetur; quo miraculo ad Chriſtum converſus eſt cum Andrea, Jacobo, & Joanne, qui omnes totos ſe Chriſto addixerunt. Tunc ergo quatuor hos diſcipulos vocavit Chriſtus, tum voce, dicendo: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, ut ait hic Matthæus; tum miraculoſa captura piſcium, ut docet Lucas. Videtur hæc vocatio Apoſtolorum contigiſſe anno primo prædicationis Chriſti ad finem decurrente, puta anno 32. ætatis Chriſti in Februario, vel initio Martii ante Paſcha, uti dixi in Chronotaxi.

VENITE POST ME] id eſt, ſequimini me, mecumque vitæ Apoſtolicæ inſtitutum, ut relicto piſcationis, omni-

Digitized by Google

A que humano officio, totos vos mecum dederis perfectioni & prædicationi Evangelicæ. Ego enim officium vestrum in longe melius & divinius commutabo. *Faciam enim vos piscatores*, non piscium, sed *hominum*. Christiani enim sunt quasi pisces natantes in aqua baptismi,

Sunt illic merces, plagæ; sunt vota, rudentes;
Mors, pretium; virtus, prora; carina, salus;
Vincla, fides; malus, pietas; suspiria, venti;
Spes, velum; remus, gratia; rector, amor.

Hæc est navis Ecclesiæ Christi, qua in cælum enavigamus. Analogias novemdecim piscium & hominum recensui Habacuc 1. 14. quas vide, si libet.

Christus vocatur piscis. Cur?

Hinc Christus a priscis vocatur ἰχθὺς, id est, piscis: unde & nominis ἰχθὺς initiales literæ per acrostichin hanc reddunt sententiam. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, id est, *Jesus Christus Dei filius salvator*; de qua extat carmen Sibyllæ Erythrææ apud S. Aug. lib. 18. de Civ. cap. 13. Tertullianum lib. de Baptismo, & Prosperum 3. parte prædict. c. 39. S. Lucas, ait Christum dixisse Petro: *Ex hoc jam homines eris capiens*: Græce ζωγρῶν, id est, *vivos capiens*, vel *ad vitam capiens*. S. Ambr. vertit *vivificans*, q. d. Piscatores capiunt pisces ad mortem, ut scilicet eos occidant & comedant; at tu, o Petre, cum cæteris Apostolis capies homines ad vitam, ut scilicet moriantur vitæ veteri, qua vixerunt in peccatis, & inchoent novam vitam, qua in sanctitate vivant Deo, juxta illud Rom. 6. *Existimate vos mortuos peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu*. Et Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*.

B Præclare S. Aug. tract. 7. in Joan. *Volens Christus*, inquit, *superborum cervices frangere, non quæsivit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator*. Nimirum Christus per piscatores convertit oratores, Imperatores, & omnes mundi principes. Hoc fuit miraculum miraculorum, & opus proprium Deo. Unde illud prævidens & prædicens Jerem. c. 16. 16. *Ecce*, inquit, *ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos*. Hoc est quod admiratur Paulus 1. Corinth. 1.

C dicens: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, &c. Causam subdit: *Ut non glorietur coram eo omnis caro*, sed *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Vide ibi dicta.

AT ILLI CONTINUO RELICTIS RETIBUS SECUTI SUNT EUM] Tanta vis fuit miraculi capturæ piscium, & vocis Christi vocantis Apostolos eos, tum exterius dicentis: *Venite post me*, tum magis interius mentes eorum sua gratia pulsantis; Apostoli enim hi primarii, ea audita, continuo mutarunt navim, & retia in domum & scholam Christi, ac piscium lucrique cupiditatem in zelum animarum. Fit ergo hic mare, terra; navis, Ecclesia; pisces, homines vagi errantesque in terra, ut pisces in vasto mari.

RELICTIS RETIBUS] Sub retibus intellige navim; domum, piscandi officium, famulos, parentes, cognatos, domesticos, ceteraque omnia, juxta illud S. Petri, ad Christum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Matth. 19. 27. Quod ergo occiso Christo, hi Apostoli Joannis 21. 3. piscationi operam dedisse leguntur, non id fuit animo repetendi piscationis

D officium, sed ut otium fallerent, & mentem ex Christi nece afflictam hac veteri occupatione recrearent. Hoc exemplum Apostolorum imitentur qui a Christo ad Apostolatum, ad actus heroicos, ad vitam perfectam, & religiosam vocantur, ut relictis parentibus, domibus, opibus, &c. continuo eum sequantur, de nulla re solliciti, sed omnes suas sollicitudines in Christum, qui eos vocat, resignantes. Christus enim de omnibus hisce eis abunde providebit, & centuplum, quod Matth. 19. promisit, rependet. Sapienter S. Bernardus ad eos, qui Deum ad ardua vocantem sequi trepidant: *Quid times?* inquit, *quid dubitas? Vocat te magni consilii Angelus, qua nemo est sapientior, nemo fortior, nemo fidelior*: Tropologice, Scholiastes in Marci cap. 1. apud S. Hieronymum: Relinquenda sunt, ait, retia aranearum, quibus velut culices tenebamur, puta vanitates mundi.

VERS. 21 Luc. 5. v. 9. Mar. 1. v. 19. 20.

ET PROCEDENS INDE, VIDIT ALIOS DUOS FRATRES, JACOBUM ZEBEDÆI, (filium) ET JOANNEM FRATREM EJUS, IN NAVI CUM ZEBEDÆO PATRE EORUM. REFICIENTES (Græce καταρτίζοντας, id est, resarcientes, redintegrantes) RETIA SUA (rupta vel vitiata) ET VOCAVIT EOS.] E

JACOBUS] Heb. idem est, quod *supplantator*, ut patet Genes. 25. 26, ipse enim supplantavit mundum & mundana omnia, ut Christum sequeretur. Jacobi etymon.

ZEBEDÆUS] idem est quod *donans, liberalis, munificus*; ipse enim jam senex duos filios, qui erant baculus senectutis suæ, ultro Christo obtulit & donavit זבד *zabad* enim est dare, donare, dotare, Zebedæi.

JOANNEM] Joannes idem est, quod *gratia Dei*, hanc enim copiose præ cæteris Apostolis in Joannem effudit Christus. *Hæc Apostolorum quadriga*, ait Anonymus, *vehimur ad æthera, his quatuor angulis constituitur prima Ecclesia*. Nimirum Petrus suo exemplo nos monet illico obedire Christo vocanti; Andreas viriliter vocationem prosequi; Jacobus supplantare adversarios; Joannes ad hæc implenda crebro flagitare Dei gratiam. Joannis.

VERS. 22 Luc. 5. v. 11. Mar. 1. v. 20.

ILLI AUTEM STATIM RELICTIS RETIBUS (Græce & Syriace pro *retibus* est *navi*) ET PATRE SECUTI SUNT EUM] Moti tum voce Christi, tum miraculo capturæ piscium in navi Petri, ipsi enim quasi socii Petri, eum in attrahendo reti tot piscium adjuverant, ut ait Luc. 5. 9. F

Nota; Luc. c. 5. v. 11. horum quatuor Apostolorum vocationem in unum convolvit, unaque sententia perstringit, de omnibus dicens: *Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum*. Sed Matthæus illam evolvit, & particulatim enarrat, duplicemque vocationem assignat; priorem Petri & Andreæ; secundam Jacobi & Joannis. Hæc est enim historiæ series: Christus navi Petri vectus, docensque turbas, appulit ad littus, ibique vocavit Petrum & Andream, dicens: *Venite post me*. Mox paulo ulterius progressus, vidit Jacobum & Joannem, socios Petri & Andreæ reficientes tum rete Petri ex captura tot piscium jam ruptum, tum retia sua, ibique eos vocavit, dicens: *Venite post me*: illi hac voce excita, & miraculo capturæ piscium, cui interfuerant, commoti, & exemplo Petri & Andreæ invitati, illi se adjungentes, illico relicto Patre & omnibus, Christum secuti sunt. Ita ex Aug. l. 2. de Consensu Evang. cap. 17. Jansenius, Franc. Lucas, & alii. G

VERS. 23 Luc. 4. v. 44. & 8. v. 1. Mar. 1. v. 39. Inf. 9. v. 35.

ET CIRCUIBAT JESUS TOTAM GALILÆAM, DOCENS IN SYNAGOGIS EORUM, ET PRÆDICANS EVANGELIUM REGNI, ET SANANS OMNEM LANGUOREM (Græce νόσον, id est, morbum, jam habituatum, ait Euthymius, & radicatum etiam insanabilem) ET OMNEM INFIRMITATEM (Græce μαλακίαν, id est, mollitiem, languorem, virium defectionem, lassitudinem, quæ solet morbi esse prænuntia) IN POPULO] Id fecit Christus, tum ut miraculis hisce Evangelium suum, & novam inauditamque legem, quam in mundum inferebat, confirmaret: Jesus enim *auctoritatem sibi, sueque legationi conciliavit claritate signorum*, ait S. Chrysostomus; tum ut per sanitatem corporis sanaret animam: sanati enim corpore ob hoc beneficium & miraculum credebant & debebant se Christo. *Evangelium regni*, est lætum nuntium de regno cælorum jam jam per Christi mortem aperiendo, & de via & modo illud ineundi, & reipsa consequendi: utrumque enim prædicabat Christus assidue & continuo, non equo nec curru vectus, sed pedibus incedens, circumeundo omnes urbes & pagos Galilææ. Mirare hic in Christo indefessum prædicandi studium, ac labores Evangelicos, imo Angelicos, illosque imitare. H

VERS. 24 Luc. 4. v. 14 & 6. 18. 19. Mar. 3. v. 10. 11.

ET ABIIT OPINIO (Græce ἀκοὴ, id est, auditio, rumor, fama) EJUS IN TOTAM SYRIAM, ET OBTULERUNT EI OMNES MALE HABENTES VARIIS LANGUORIBUS ET TORMENTIS (Græce βασάνοις, id est, *tormentibus, cruciatibus*, qui similes sunt iis, quos sentiunt illi, qui in eculeo torquentur & cruciantur: βάσανος enim proprie est *quæstio*, qua reus in eculeo torquetur, ut delictum & complices delicti confiteatur) COMPREHENSOS, ET QUI DÆMONIA HABEBANT (dæmoniacos, obsessos & possessos a dæmonibus) ET LUNATICOS, ET PARALYTICOS, ET CURAVIT EOS] Lunatici sunt ægri, qui lunæ & lunationibus subjacent, ut juxta eas ægrius habeant, aut delirent, & insaniant. Unde Arabicus vertit: *Et qui agitabantur in principiis lunationum*. Lunatici, ait Apulejus, sunt, qui cursum lunæ patiuntur, puta in quos luna agit: hæc enim dominatur humidis, iisque, qui humido & debili sunt cerebro: unde in novilunio & plenilunio humores, puta pituitam & melancholiam agit & miscet, itaque cerebrum turbat, agitque in delirium, maniam, phrenesin; quales potissimum Lunatici qui?

Digitized by Google

simum sunt epileptici, qui comitiali morbo laborant (quo agitari illos perhibent, qui nati sunt interlunio, id est, inter deficientem lunam & novilunium, licet id neget Valesius S. Philosophiæ c. 71.) aut insania, aliove morbi genere quopiam, certis lunæ temporibus gravantur & agitantur: cui malo sæpe se dæmon immiscet, graviusque tales affligit magis concitando humores, præsertim bilem utramque, tam atram quam flavam, id est, melancholiam & choleram, imo ipse subinde malum hoc procurat & efficit, ut patebit c. 17. v. 17. & 18. Dæmon enim, ait Glossa, lunæ tempora servat, ut creaturam infamet in creatoris blasphemiam; utque per humores a luna commotos magis phantasiam turbet, hominesque tentet & vexet tristibus & cholericis phantasmatibus, ac subinde adigat ad desperationem, & necem sibi inferendam.

ET CURAVIT EOS] A nullo horum fidem requisivit, ait S. Chrysostomus, nondum enim virtutem suam ostenderat, & venientes a longe parvam adhuc in eum fidem habebant: postea vero ab ægris fidem requisivit, ut patebit in sequentibus. Nubes quasdam signorum, ait Chrysostomus, Matthæus paucis verbis transcurrit, e quibus nonnulla postea distinctius & fusius enarrabit.

Lunatici sunt inconstantes.

Mystice lunatici sunt varii, mutabiles & inconstantes, qui nunc Deo & pietati, nunc diabolo & cupiditatibus serviunt, juxta illud: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur.* Eccli. 27. 12. Vide ibi dicta.

VERS. 25 ET SECUTÆ SUNT EUM TURBÆ MULTÆ DE GALILÆA ET DECAPOLI, ET DE HIEROSOLYMIS, ET DE JUDÆA, ET DE TRANS JORDANEM] Secuti sunt multi Christum, ait Glossa, alii ob cælestia, alii ob curationem, alii fama & curiositate ducti, alii per invidiam, volentes eum in aliquo carpere & accusare. Causam dat. S. Bern. ser. 1. de Omnibus Sanctis, dicens: *Prædicantem Dominum de civitatibus & castellis populi sequebantur, quorum salvabat animas, sanabat corpora, & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati; cujus nimirum vox suavis, & facies decora, sicut scriptum est: Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; talis est quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed & ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere.*

Decapolis quæ?

DECAPOLIS] Est regio decem non tribuum, ut habet Glossa interlinearis, sed urbium: δέκα enim sunt decem, πόλις est urbs. Decem harum urbium nomina, teste Brochardo & Adrichomio, hæc sunt: Tiberias, Sephet, Asor, Cedes, Cæsarea Philippi, Capharnaum, Jotapata (cui præfuit Josephus contra Romanos & Titum pugnans) Bethsaida, Corozaim, Bethsan, sive Scytopolis.

ET DE TRANS JORDANEM] id est, de regionibus ultra Jordanem sitis respectu Galilææ, quæ erat cis Jordanem, in qua prædicabat Christus, ubi sitæ sunt Galaad, Trachonitis, Abylina, Seir, Cælesyria, & Baranæa olim Basan dicta, quæ fuit ditio Og regis. Syri enim & Chaldæi sæpe Hebræum *Schin* in *Tau* commutant, ut pro *Basan* dicant *Batan*; pro *Schelosha, telata*, id est, tria; pro *schabar, tebar*, id est, fregit; pro *schub, tub*, id est reversus est, pro *scor, tor*, id est, taurus. Ulterius vero sita erat Arabia triplex, scilicet felix, Petræa, & deserta. Ex his omnibus regionibus multi fama doctrinæ & miraculorum Christi exciti, ad eum confluxerunt, eumque quaquaversum comitati sunt.

CAPUT V.

SYNOPSIS CAPITIS.

INcipit hic sermo Christi in monte, quem hoc capite, & duobus sequentibus enarrat Matthæus, quo primo docet octo beatitudines Evangelicas. Secundo v. 22. corrigit justitiam Scribarum, ac decalogum perfecte docet & explicat, scilicet eo non tantum externum actum homicidii, adulterii, furti, sed & internam concupiscentiam prohiberi.

VERS. 1. VIdens autem Jesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus,

2. Et aperiens os suum docebat eos, dicens:

3. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

4. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

5. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

6. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

7. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

9. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.

10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

11. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me:

12. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.

15. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.

17. Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.

18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.

19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iratscitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te:

24. Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

25. Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro: & in carcerem mittaris.

26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

27. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis.

28. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuo-

Digitized by Google

A num, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam,

30. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

31. Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.

32. Ego autem dico vobis; Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.

33. Iterum audistis, quia dictum est antiquis, Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua,

34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est:

35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis;

36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum,

37. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est,

38. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente,

39. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram;

40. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium,

41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.

C 42. Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari ad te, ne advertaris,

43. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos:

45. Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos,

46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?

47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?

48. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.

D VIDENS AUTEM JESUS TURBAS, ASCENDIT IN MONTEM; ET CUM SEDISSET, ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI EJUS] Causæ multæ fuerunt, cur Christus ascenderit in montem. Prima, ut instante nocte, ibi se daret quieti; turbæ vero ad vicinas villas se conferrent, ibi pernoctaturæ, & mane ad Christum redituræ. Secunda, ut in monte tota nocte oraret, uti fecit, teste Luca. Tertia, ut ibidem mane facto e discipulis suis eligeret duodecim Apostolos, uti ipsum fecisse narrant Lucas & Marcus. Quarta, ut e monte sublimi sublimem & cælestem Evangelii doctrinam depromeret. Quinta, ut antitypus responderet suo typo, & veritas suæ figuræ. Lex enim vetus, quæ typus fuit novæ, edita fuit in monte Sina, Exod. 19. Nova autem magis excelsa & ardua est, quam vetus; in celsiori ergo monte eam prædicari oportuit.

VERS. 1. Christus ivit ad mōtem. Cur? Causa. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Tropologice Auctor imperfecti homil. 9. dat causam Christi ascensus in montem: *Ut ostendat nobis*, inquit, *quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet, qui docet justitiam Dei pariter & qui audit*. Et quod ad doctorem spectat, statim rem confirmat: *Qui docet*, inquit, *verborum suorum sit ipse exemplum, ut magis opere doceat, quam sermone: qui autem ambulat per convalles vitæ terrenæ, & loquitur alios sermones, non alterum instruit, sed seipsum castigat. Nemo enim potest in valle stare, & de monte loqui: Si in terra est animus tuus, ut quid de cælo loqueris? Si autem de cælo loqueris, in cælo consiste.* Quod ad adjutorem pertinet non minus eleganter. *Qui*, inquit, *audit justitiam Dei, ideo debet in altitudine bonorum operum consistere, quia discipulus imitator esse debet magistri. Si autem in peccatis vivas, & audias justitiæ verba, judicium tibi, non salutem acquiris: audis enim ne excusationem habeas. Si facere justitiam non vis, ut quid prædicatorem justitiæ audis, ut quid doctorem appellas cujus non vis esse discipulus?* E

Quæres, quis fuit hic mons? *Nonnulli simplicium fratrum*, ait S. Hieron. *putant Christum beatitudines, & cætera quæ sequuntur in monte Oliveti* (qui est in Judæa juxta Jerusalem) *docuisse, quod nequaquam ita est, ex præcedentibus enim & sequentibus in Galilæa monstratur fuisse locus, quam putamus esse vel Thabor, vel quemlibet alium excelsum montem.* Chorographi terræ sanctæ, ut Brocardus Itineratio 3. Bredenbachius ibidem, Fretel. p. 8. Salignia- Mons Christi, qui? cus tom. 9. c. 8. Adrichomius pag. 111. num. 69. tradunt hūc montem vocari montem Christi, quod Christus in eo solitus sit orare & prædicare, qui ab urbe Capharnao versus Occidentem tribus milliaribus distat, nec procul a mari Galilææ abest, adjacetque urbi Bethsaidæ. Altitudo ejus tanta est, ut inde terra Zabulon, Nephtalim, Trachonitis, Ituræa, denique Seir, Hermon & Libanus montes conspici possint. Natura totus herbosus, floridus & amœnus, ac cælesti philosophiæ convenientissimus. Unde & Christus frequenter in hoc loco oravit & docuit. Hic divina oratione integras noctes traxit. Hic omnibus discipulis suis ad se vocatis, duodecim ex eis delegit, quos & Apostolos ordinavit ac nominavit. In hoc ergo monte celso Christus habuit hunc sermonem prolixum quo summam Evangelii & perfectionem legis novæ docet, & paucis complectitur. Ostenditur adhuc in eo lapis, ait Adrichomius, in quo Christus prædicans sedit, & loca in quibus Apostoli consedisse memorantur. Hucusque illi. F

Nota; voluit Matthæus inchoans a prædicatione Christi summam ejus initio tradere, ut novæ legis præ veteri sublimem doctrinam, sanctitatem & perfectionem statim lectori repræsentaret per sermonem, quem Christus habuit in monte, etiamsi longe posterius is habitus sit. Multa enim eum antecesserunt, quæ in sequentibus recensebit; hæc ergo fuit series historiæ. Christus cum cuidam manum, quæ exaruerat, restituisset die Sabbati, ut habet Matth. c. 12. 15. fugiens iram Scribarum, recepit se ad mare Galilææ, ubi affluente turba cum multos ægros sanasset, ascendit in montem, in quo cum pernoctasset in oratione, mane duodecim Apostolos constituit. Lucæ 6. v. 12. Quo facto, ut habet Lucas, descendit e fastigio montis ad locum in eo decliviorem & campestrem, ibique sedens, sequentem habuit concionem partim ad discipulos, partim ad totam turbam; nam hanc concioni interfuisse patet hic c. 7. 28. Porro eamdem hanc esse concionem cum illa, quam recenset Luc. c. 6. liquet ex eodem utriusque argumento, eodem initio, & fine eodem. Utrobique enim proponitur a Christo summa Evangelicæ prædicationis & perfectionis. Licet enim Matthæus octo numeret beatitudines, Lucas vero quatuor dumtaxat; tamen in illis octo hæ quatuor, & in his quatuor illæ octo continentur, ut advertit S. Ambrosius: Lucas enim in rebus gestisque Christi strictior, Matthæus vero in dictis verbisque ejus enarrandis est fusior, magisque se expandit, uti dixi canone 14. G Series historiæ. H

Igitur electio Apostolorum a Christo facta est in cacumine montis: sermo vero sequens habitus est in descensu montis, sive in loco campestri, ut ait Lucas. Ita Jansenius, Franc. Lucas, & alii, licet Maldonatus putet habitum in ipso monte, quodque Christus e loco campestri rursus conscenderit montem, ibique legem novam promulgarit.

Porro Matthæus vocationem Apostolorum, quæ hunc sermonem antecessit, rejicit in c. 10. quia necdum ipse suam a Christo vocationem enarrarat: hanc enim narrat c. 9. Certum est autem Matthæum, uti & cæteros Apostolos, huic sermoni Christi interfuisse. Habitus fuit hic sermo a Christo sub medium Maji, cum paulo ante eodem mane electio Apostolorum ab eo facta esset, anno ætatis ejus 32. qui fuit prædicationis Christi secundus, uti dixi in Chronotaxi num. 21.

ET CUM SEDISSET] doctoris enim est in cathedra vel altiori loco sedere, ut eminus audiatur; discipuli vero est docenti astare vel subsidere, in humiliori scamno vel loco.

Digitized by Google

A eo. Rursum sessio tranquillitatem Christi notat: corpore enim sedente, mens pariter sedata quasi sedet, & apta est rebus divinis meditandis & docendis. Qua de causa S. Bernardo familiare fuit sedere.

VERS. 2. ET APERIENS OS SUUM, DOCEBAT EOS, DICENS:] Aperire os Hebr. idem est, quod loqui, sed hic emphasim habet, q.d. Christus res sublimes, miras & magnas ac divina mysteria, quæ antea tacuerat & mente celarat, jam referans aperto ore patefecit. Ita Hilarius, S. Bernardus vero ser. 1. in festo omnium Sanctorum: *Aperuit*, ait, *nunc os suum, qui prius aperuerat ora Prophetarum*, &c. *Vere apertum est os ejus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt recondite.*

VERS. 3. BEATI PAUPERES SPIRITU (Ægyptius *in spiritu*) QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CÆLORUM] Christus a beatitudine, quam omnes quærunt & ambiunt, sed pauci inveniunt & nanciscuntur, orditur sermonem, uti & David librum Psalmorum, dicens: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum*, &c. Psal. 1.

Docet ergo Christus aliis in rebus sitam esse veram beatitudinem, quam vulgus autumet, aut Philosophi tradant, scilicet in paupertate spiritus, in mansuetudine, in siti justitiæ, in sancto luctu, in patientia & pace.

B

Luc. 6. v. 20. BEATI ergo sunt PAUPERES SPIRITU] *Beati*, inquam, in spe, sed nondum in re; *Beati* beatitudine vitæ, non patriæ, quia scilicet in recta sunt via tendente ad beatitudinem; *Beati* in inchoatione virtutis & pacis, non in consummatione coronæ & gloriæ. Beatitudo, ait Nyssenus, est dos propria Deo: dum ergo Christus pauperes spiritu facit beatos, facit eos participes divinitatis:

Beatitudo, dos Dei.

Alludit ad illud Mosis Deut. 33. 29. *Beatus es tu Israel: quis similis tui populе, qui salvaris in Domino?* Pauperes enim spiritu sunt Israel, populus electus, qui suam spem, opes, salutem & felicitatem collocarunt in Domino: quia enim spernunt opes terræ, iisque dominantur; hinc sunt Israel, id est, dominantes Deo & cælo: *quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Porro Isidorus l. 10. Orig. littera *B. Beatus*, inquit, *dictus quasi bene auctus, scilicet, ab habendo quod velit, & nihil patiendo quod nolit. Ille autem vere beatus est, qui & habet omnia, quæ vult bona, & nihil vult mali. Ex his enim duobus beatus homo efficitur.* Sic & Varro lib. 4. de Lingua Latina: *Beatus*, inquit, dicitur, qui multa habet bona, & is *opulentus*, ab ope, cui eæ opimæ. *Dives*, a divo, qui ut Deus nihil indigere videtur. Et Cicero Tuscul. 3. *Beatus est*, inquit, *cui secretis malis omnibus cumulata est bonorum complexio*. Quæ autem vere sint bona, hic ostendit Christus, nimirum paupertatem spiritus, mansuetudinem, sanctum luctum, sitim justitiæ, &c. quare qui hæc possident, beati sunt: ideoque semper gaudent. Unde Aristoteles lib. 7. Ethices vocem μακάριος, id est, beatus, derivat a χαίρειν, id est, *gaudere*, quasi beatus sit, qui semper gaudet.

Beati etymon.

C

Hæ octo beatitudines sunt quasi octo mundi paradoxa. Mundus enim & Philosophi beatitudinem collocant in opulentia, non in paupertate; in sublimitate, non in humilitate; in saturitate, non in esurie; in gaudio non in luctu, &c. Unde S. Ambrosius l. 1. de Offic. c. 16. *Inde*, ait, *incipit beatitudo judicio divino, ubi erumna æstimatur humano*; stultam ergo facit hic Christus sapientiam mundi, ut ait Apostolus 1. Cor. 1. *Veritas loquitur*, ait S. Bern. in

D

festo omnium Sanctorum, *quæ nec falli nec fallere potest, & ipsa est quæ dicit: Quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filii Adam divitias queritis, divitias desideratis usque adhuc, cum jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita sit hominibus? Quærat eas paganus, qui sine Deo vivit. Quærat judæus, qui terrenas promissiones accepit: sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divinas querit post quam Christus beatos esse pauperes prædicavit?* Et S. Gregorius Nazianz. orat. 12. initio: *Monachorum*, ait, *opes in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu (siquidē præstantiores fœtus illi sunt, qui secundum Deum existunt, quā qui a carne ortum ducunt) qui deliciis minime studere pro deliciis habent, qui regni cælestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, & supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopia laborant, & propter inopiam regnant.*

Monachorum elogia.

Simeon Stylita.

Has Christi beatitudines in templo legi audiens Simeon Stylites, cum oves pasceret, illico iis relictis adiit monasterium, mox columnam conscendit, ac stetit in ea perdius & pernox, vix comedens, semper cælestia meditans, fœtus orbi portentum, ut beatitudines hasce assequeretur. Menologium Græcorum die prima Septembris asserit eum stetisse in columna 47. annos. Baronius vero supra 80. mortuumque anno Christi 460. idem Simeon quotidie bis prædicans ad effluentem turbam non aliud concionabatur, quā *Contemnite terrestria, amate & ambite cælestia, quæ sola vos beabūt*, uti refert Theodor. oculatus & auritus testis in ejus vita.

E

Porro S. Lucas cap. 6. 24. singulis beatitudinibus apponit & opponit singulas infelicitates, comminans illis *væ*, id est, æternam damnationem & gehennam, de quo ibidem. Denique has octo beatitudines non distingui a virtutibus ejusdem nominis, nec a donis Spiritus sancti docet Suarez lib. 2. de Necess. gratiæ c. 22. ubi fuse omnes octo explicat.

PAUPERES SPIRITU] Pauperes hic vocantur ii, qui carent bonis non naturæ, nec gratiæ, sed fortunæ & opum. Pauperes ergo hic proprie accipiuntur; opponuntur enim divitibus. Luc. 6. 24. *Væ*, inquit, *vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*; divitiæ enim sunt causa superbiæ, gulæ, luxuriæ, injustitiæ, &c. quia divites trahunt in gehennam, uti traxerunt divitem epulonem

F

Lucæ 16. ideoque hic proprie dictis pauperibus in terra, promittuntur divitiæ cælestes, ipsumque regnum cælorum. Idque significat vox Græca πτωχοὶ, id est mendi, ac Hebr. רָשִׁים *raschim*, & Syrum ܡܣܟܢܐ *meschine*. Unde Italicum *meschino*.

Pauperes spiritu qui?

Beati ergo hic dicuntur pauperes non omnes, nec qui invita aut miserabili necessitate sunt pauperes, aut ex vana gloria, aut ex liberius philosophandi studio, ut Diogenes, Aristides, & Crates Thebanus, qui magnum auri pondus, teste S. Hieronymo, projecit in mare, dicens: *Abite malæ voluntates, mergo vos, ne mergar a vobis*: sed *spiritu*, id est, laudabili voluntate a Spiritu sancto inspirata, & ad spiritualia bona tendente, cum scilicet paupertas, propter Deum & regnum cælorum sponte suscipitur, uti fit a religiosis, qui eam profitentur & vovent; aut certe patienter toleratur, uti fit a fidelibus, qui a persecutoribus, raptoribus, vel incendio, naufragio, &c. bonis spoliantur. Ita S. Hieronymus, S. Basilius in Regul. brevior. interrog. 207. & S. Bernardus ser. 1. in festo omnium Sanctorum.

Crates.

G

Nota: Triplices sunt pauperes, primo, censu, ut mendici; secundo, sensu & spiritu, ut Abraham, qui censu erat dives, sed spiritu & affectu pauper; tertio, censu & spiritu, ut religiosi, qui ex affectu & amore paupertatis eam vovent, & bonis omnibus se abdicant. Vice versa triplices sunt divites, primo, censu, ut mercantes; secundo spiritu, ut avari, qui ambiunt opes: tertio, censu & spiritu, ut divites, qui magis cupiunt ditari: *Vis intelligere*, ait Nyssen. l. de Beatitudinibus, [quis pauper spiritu sit? qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat: qui propter spiritum egenus est, qui terrenas divitias veluti quoddam onus excussit & abjecit, ut sublimis per aerem sursum rapiatur, ut inquit Apostolus, in nube una cum Deo per cælestia tendens. Ponderosa quædam res est aurum, onerosas res omnis, quæ divitiarum causa expetitur; levis vero res quædam, & sublimia petens est virtus. Si igitur ad superna nos accedere oportet, ab iis quæ deorsum trahunt inopes, & egeni simus, ut in supernis versemur.]

Triplices pauperes.

Triplices divites.

Spiritus tria significat. Primo.

H

Vox *spiritu* ergo tria significat; primo enim opponitur carni & censui, & significat hujus paupertatis subjectum esse non corpus, sed spiritum, id est, voluntatem, q. d. Beati pauperes non carne, non censu, sed spiritu, quorum spiritus pauper est, id est, amans paupertatis, hoc est; contemnens terrena, & amans cælestia. Hic enim est pauper soli, sed dives cæli. Sic sæpe sumitur *spiritus* in Scriptura, ut cum ait Apostolus Rom. 1. 9. *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo.* & Christus Joann. 4. *Deus spiritus est, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. q.d. Non cæremoniis externis, sed interno spiritu & devotione mentis adorandus est Deus, juxta illud Catonis:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue pura sit mente colendus.

Secundo.

Ita S. Bern. serm. 1. in festo omnium Sanctorum: *Pauperes*, ait, *spiritu, id est, spirituali voluntate, spirituali intentione, desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei, & salutem animarum*, idque dicit: *propter plebejos pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate*. Secundo, τὸ *spiritu* significat originem hujus paupertatis non esse ex necessitate, ostentatione, vanitate, uti fuit Diogenis, Crateris, Aristidis, sed ex Spiritu sancto, hic enim aspirat nobis voluntatem hujus paupertatis Evangelicæ, facitque, ut si virtus Christiana, imo religiosa &

Digitized by Google

A divina. Vere S. Auguſt. in Sentent. ſententia 250. *Dives*, ait, *qui talis eſt, ut contemnat in ſe quidquid illud eſt, unda inflari ſuperbia ſolet pauper, eſt Dei*. Et S. Hieronymus: *Spiritu*, ait, id eſt, *propter Spiritum ſanctum voluntarie pauperes*.

Tertio. Tertio, τὸ *ſpiritu* ſignificat finem hujus paupertatis, ſcilicet quod contemptus opum referatur ad ſpiritum; id eſt, ad ſpiritualia bona, ut liberi a terrenis, expeditius capiamus, & tendamus ad cæleſtia: pauper ergo cenſu, ſit dives ſenſu.

Nota τὸ *in ſpiritu*, in ſequentibus beatitudinibus ſubintelligi. q. d. Beati mites, non qui tales ſunt ex natura phlegmatica, lenta, feminea, & languida, ſed mites *ſpiritu*, id eſt, ex virtute ſpirituali manſuetudinis aſpirata a Spiritu ſancto, ac tendenti ad ſpiritualia bona. *Beati qui lugent*, non carne, ſed ſpiritu, id eſt, ob amiſſa bona non carnalia, ſed ſpiritualia, *Beati qui eſuriunt*, non carne, non ventre, ſed ſpiritu *juſtitiam*.

Paupertas hæc oritur ex humilitate. Porro paupertas hæc ſpiritus conjuncta eſt, & oritur ex humilitate & contemptu opum & honorum. Hinc recte

B SS. Hilarius, Aug. Chryſoſt. Ambroſius, Nyſſenus, Epiph. Leo, Gregorius, & ex iis Maldonatus per *pauperes ſpiritu* intelligunt humiles mente & voluntate. Nam, ut ait ſanctus Chryſoſtomus, quod rerum neceſſitate aliqui humiles ſint, laus non eſt, ſed quod *ſpiritu*, id eſt, libera voluntate & electione. Unde Gloſſa, Paupertas, ait, cujus nutrix eſt humilitas, duas habet partes, rerum abdicationem, & ſpiritus contritionem. Aliam analogiam, aliter explicando τὸ *ſpiritu*, dat S. Aug. lib. 1. de ſer. Domini in monte: *Vulgo*, ait, *magnos ſpiritus ſuperbi habere dicuntur. Quis neſciat ſuperbos inflatos dici: tanquam vento diſtentos? Quapropter recte hic intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles, & timentes Deum, id eſt, non habentes inſtantem ſpiritum*. Initium enim gratiæ & gloriæ, regnique cæleſtis eſt humilitas, ſicut initium culpæ & gehennæ eſt ſuperbia. Eccl. 10. v. 15. Unde S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 6. v. 20. *Oportet*, ait, *te fieri pauperem ſpiritu: humilitas enim ſpiritus, divitiæ virtutum ſunt*. S. Leo hom. in feſto omnium Sanctorum: *Quid hac humilitate ſublimius, quid hac paupertate locupletius?*

C Radix ergo & baſis beatitudinis & perfectionis Evangelicæ, eſt voluntaria paupertas & humilitas, ſicut radix omnis peccati eſt ſuperbia & cupiditas, ſive ut Apoſtolus ait 1. Timoth. 6. 10. φιλαργυρία, id eſt, *argenti aviditas*.

Radix beatitudinis eſt paupertas. Cur? Præclare S. Cyprianus tract. de Nativit. Chriſti: *Pauperes*, ait, *electi, ſuperbi neglecti: nec faſtus, nec alius circa Chriſti diſcipulatum aliquem obtinent locum, Chriſtus pauper diſcipulos divites aſpernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hoſpitium his, qui in forma ſchola hujus in Eccleſia militant, præbent efficax documentum. Hunc in cunabulis adoravere & parvulum, confitentes Deum*. Hoc Chriſtus docuit naſcens in ſtabulo, vivens in hoſpitio, moriens in patibulo. Hi *pauperes ſunt mundo, ſed divites Deo; egentes ſæculo, ſed locupletes Chriſto*, ait Chromatius in hunc locum.

Denique S. Bern. ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum, *Attende*, ait, *quam ſapienter ordinaverit ſapientia, contra peccatum primum, remedium primum apponens, ac ſi apertius dicat: Vis obtinere cælum quod perdidit ſuperbiens Angelus, qui confiſus eſt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum? paupertatis utilitatem amplectere, & tuum erit*.

D Anagogice. Anagogice Franciſcus Salas, nuper Epiſcopus Genevenſis, vir valde ſapiens æque ac pius & ſanctus, lib. 12. Theotimi c. 2. Pauperes, ait, ſive mendici ſpiritu ſunt; qui mendicant, id eſt, eſuriunt & ſitiunt inſatiabiliter ſpiritum, id eſt, amorem & zelum Dei ejuſque augmenta, ut is eis aſſidue magnis incrementis aſſurgat & inardeſcat.

Hinc audivi quemdam ſic explicantem: *Beati pauperes ſpiritu*, id eſt, beati qui faciunt apud Deum quod faciunt mendici apud divites, qui ſcilicet tanta humilitate ſpiritus confitentur ſuam paupertatem, tantoque affectu mendicant gratiam apud Deum, quanto ſtipem a divitibus flagitat mendici. Unde S. Chryſoſtomus ait mendicos docere nos orare, & opem Dei poſtulare, per *pathos* & affectus, quos vultu, ore, tortis manibus, pedibus ulceroſis, totoque corpore compaſſionem concitando oſtentant.

Symbolice. Editus eſt libellus quidam ſpiritualis de perfectione, qui illam collocat in paupertate ſpiritus, ſed myſtica: pauper enim ſpiritu, inquit, eſt is, qui ſpiritu abnegat, & a ſe abdicat non ſolum opes, delicias, honores, ſed & omnes res creatas, adeoque etiam ipſam Dei gratiam & gloriam, ut ſe plane nudum ſiſtat, & quaſi in nihilum ſtatuat coram Deo. Probat id ex Taulero. Verum hanc nuditatem ſuam agnoſcere licitum eſt, ac non appetere (ut ſcilicet quis nudetur & privetur gratia Dei) ſicut appetenda eſt paupertas ſpiritus. Taulerus nil tale habet, ſed tantum duplicem ponit paupertatem, ſcilicet externam, qualis eſt abdicatio opum: & internam ſive mentalem, quam ſitam ait in humilitate & abnegatione omnis ſolatii creati, ut homo non delectetur ulla re creata, ne gratia quidem, quatenus ipſa eſt res creata, ut in ipſa conquieſcat, ſed in ſolo Deo creatore omne ſuum ſolatium, quietem & gaudium conſtituat. Sed & hoc myſticum eſt, nec communium fidelium, ſed ſubtiliter contemplantium & extaticorum opus, idque ſobrie & cum grano ſalis exercendum. E

Paupertatis ſpiritus tres gradus. Solidius noſter Ludovicus de Ponte part. 3. medit. 11. paupertatis ſpiritus, id eſt, humilitatis hoſce tres gradus conſtituit; primus eſt, exuere & purificare animam ab omni ſpiritu & vento vanitatis, & ab omni tumore & præſumptione vana, contemnendo omnes mundi pompas. Secundus, meipſum ab omni proprietatis ſpiritu expoliare, proprium judicium & voluntatem cum omnibus aliis deſideriis omnino exuendo. Tertius & ſupremus actus eſt, F ita meipſum exinanire, ut adeo pauperem me agnoſcam, quod ex meipſo nihil prorſus habeam, niſi Deus gratis mihi donet. Nam ne ipſum quidem *eſſe*, quod habeo, meum eſt, ſed Dei, ſine quo nihil ſum. Ex me ergo nihil aliud habeo, niſi nihilum naturæ, id eſt non eſſe; & nihilum gratiæ, id eſt, peccatum.

Gradus paupertatis Evangelicæ. Quæres primo, an hæc paupertas ſpiritus ſit præceptum, an conſilium Evangelicum? Rurſus, quot ejus ſint gradus & ſpecies? Reſp. varios ejus eſſe gradus, quorum alii conſilii ſunt, alii præcepti. Primus & ſummus eſt, omnes opes, omneſque res caducas imitatione & Primus. amore Chriſti relinquere tam affectu interno, quam effectu & opere externo, uti fecere Apoſtoli, & faciunt religioſi. Hic gradus eſt conſilii, non præcepti. Secundus eſt, patienter ferre confiſcationem bonorum propter Chriſtum & orthodoxam fidem, quod eſt genus quoddam martyrii, qui enim tollit opes ad vitæ ſuſtentationem neceſſarias, tollit ipſam vitam. Hinc multi hodie Catholici ſunt in Anglia viri divites & nobiles qui mallent pati mortem, quam ſpolium bonorum. Durum enim eſt non G tantum te, ſed & filios, omneſque poſteros tuos privare hereditate avita, ac nobilitate & priſco ſtemmate avorum, omneſque redigere ad ignobilitatem, paupertatem & manticam: ſed eo glorioſiores ſunt, qui id præſtant propter Chriſtum: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Tales fuere Hebræi converſi ad Chriſtum, qui idcirco a Judæis ſpoliabantur ſuis bonis, quos dilaudans Apoſtolus: *Rapinam*, inquit, *bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem*, &c. Hic gradus eſt præcepti. Tenemur enim pro Chriſto & fide profundere non tantum opes, ſed & ſanguinem ac vitam.

Tertius. Tertius paupertatis gradus eſt, tolerare patienter rapinam bonorum, aut aliam injuſtitiam a potentioribus vel tyrannis illatam, uti ſæpe fit, v. g. cum quis litem juſtam de prædiis, rebuſve ſibi debitis, aliudve quidlibet, quod H jure ſuum eſt, perdit ob potentiam vel tyrannidem partis adverſæ.

Quartus. Quartus eſt, opibus a Deo datis non affici, ſed affectu eas relinquere, & paratum eſſe ad eas reipſa relinquendum, cum hoc erit ad majorem Dei gloriam. In hoc gradu fuit Abraham dives cenſu, ſed ſenſu & ſpiritu pauper.

Quintus. Quintus eſt, malle paucis eſſe contentum in loco, ubi melius ſervias Deo, quam abundare in alio, ubi plus reperias opum, ſed minus pietatis. Item victu, veſtitu, & ſtatu mediocri potius gaudere, quam magnis divitiis, ut amplius Deo ſervire queas.

Sextus. Sextus, opes habere, ſed eas erogare in pauperes & pios uſus, etiam ſubtrahendo tibi neceſſaria.

Septimus. Septimus, malle eſſe pauperem, quam per injuſtitiam, irreligionem, vel aliud ſcelus parare divitias, uti fecit Tobias, qui moriturus hoc documentum dedit filio, cap. 4. verſ. ult. *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum*.

Ex his gradibus ſecundus & ſeptimus præcepti ſunt, primus vero, quartus & quintus ſunt conſilii, denique tertius & ſextus nunc præcepti ſunt, nunc conſilii.

Quæres ſecundo, cur Chriſtus inter beatitudines Evangelicas

Digitized by Google

A gelicas primum locum assignat paupertati spiritus? Resp. Ratio a priori prima est, quod hæc paupertas evertat & opprimat cupiditatem, quæ est radix & fons omnis peccati & mali. 2. Tim. 6. 10. Quare hæc paupertas hominem quasi restituit statui innocentiæ, in quo nihil alicui erat proprium, sed omnia singulis communia. Adami enim & posterorum ejus totus erat mundus, ut ex eo Deum agnoscerent, amarent, laudarent, semota omni proprietate, quæ est radix cupiditatis rixarum & litium. In pauperibus ergo, *Quod superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat*, ait S. Gregorius hom. 40. in Evang.

Cur paupertas est prima beatitudo?

Ratio a priori. Prima.

Secunda. Secunda ratio est, quod hæc paupertas liberet hominem a mille distractionibus, curis & sollicitudinibus, quas afferunt opes opumque desiderium. Quocirca ipsa est *portus tranquillus, palæstra, & gymnasium sapientiæ*, ait S. Chrysost. hom. ult. in Matth. ipsa enim facit hominem expeditum, ut animum a terrenis desideriis liberum tradat studio, orationi, virtuti & æternitati. Hinc sapienter S. Bern. *Noli*, ait, *amare bona, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant*. Huc facit & illa ratio S. Gregor. hom. 32. in Evang. quod *Nudi cum nudis* (dæmonibus)

B *luctari debemus: nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta objiciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullis rerum habentium delectationes requirat ne unde ad votum tegitur, ad casum inde teneatur.*

Tertia. Tertia, quia hæc paupertas facit, ut homo amorem suum avocet ab omni re creata, eumque totum cum omni sua spe in Deo creatore defigat: in amore autem Dei pleno & perfecto consistit summa virtutis, veraque hujus vitæ beatitudo. Quocirca de S. Francisco scribit S. Bonaventura in ejus vita, cum sæpe a fratribus rogaretur, quænam virtus præcipue & maxime nos Christo Domino commendaret gratosque faceret? eum cum musitato quodam

C affectu respondere solitum, paupertatem; eam enim esse viam salutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, & ab ea multiplices fructus existere, quamquam occultos & paucissimis cognitos.

Pauper spiritu ergo assidue cum Deo & Christo dissuavians, dicit; *Dominus pars hæreditatis meæ: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*. Ps. 15. Et: *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Psal. 72. 25. Tu, Domine, es pelagus bonorum omnium, unicusque animæ meæ thesaurus. Excute ergo a me pondus omnium terrenorum desideriorum, ut igne amoris tui solius ardeam, & diluvio charitatis tuæ penitus absorbeat. Eja honor meus, gaudium meum, sincera voluptas mea, Jesu, tantam quæso amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, ut deinceps, nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te. O Domine mi, cælum, terra, & omnia quæ in his continentur, sine te sint mihi velut hybernum gelicidium. Tu solus me afficias, solus læti fices, tui solus amor in intimis vivat & ardeat, ac vivus atque ardens permaneat. Posside mentem meam, o summum & incommutabile bonum posside eam, ut ipsa possideat te.

Quarta. Quarta, quia hæ beatitudines proprie a Christo dicuntur & assignantur Apostolis & viris religiosis, ac Apostolicis aspirantibus ad perfectionem, æque ac prædicationem Evangelicam: quia enim Apostoli totum orbem circuire, & ubique prædicare debebant opes regni cælorum, hinc pariter debebant ipsimet esse pauperes spiritu, ut expediti, tum sermone, tum potius vita & exemplo præ se ferrent

D contemptum opum terræ, ne Gentes putarent illos per prædicationem quærere suas bursas potius, quam animas; sed viderent eos homines esse cœlestes & divinos, ac regnum cælorum, quod ore prædicabant, mente possidere.

Plura hac de re dixi Actor. 4. v. 32. Vide & Climachum gradu 17. S. Chrysostomum lib. 2. contra vituperat. vitæ monasticæ, Salmeronem tom. 5. tract. 5. & Hier. Platum lib. 1. de Bono status relig. c. 9. & lib. 2. c. 3.

Paupertatis dux Christus, assectæ Apostoli. Hisce de causis paupertatem hanc spiritus primus verbo, & exemplo docuit Christus, deinde B. Virgo, mox Apostoli; item Essæi; imo omnes primi Christiani, de quibus ait Luc. Act. 4. 32. *Ne quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*; imo hoc vovebant: unde Ananias & Saphira hoc votum violantes,

Et SS. Patres. a S. Petro puniti sunt subita morte. Actor. cap. 5.

Hos secuti sunt viri & Prælati Apostolici, S. Antonius, S. Augustinus, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, S. Paula, S. Paulinus, S. Gallicanus, S. Alexius, qui raro in orbe exemplo opes amplissimas, parentes & sponsam reliquit, ut pauperem Christum pauper & peregrinus in Syriam sequeretur, quasi hospes terræ & civis cæli, ac tandem in domo paterna incognitus, quasi mendicus viveret & moreretur, factus mundi ludibrium, imo mundum deludens & ludificans. Posteriori ævo eamdem paupertatem amplexati sunt & sui ordinis alumnos amplexari docuerunt S. Benedictus, S. Bernardus, S. Romualdus, S. Dominicus, sed præcipue sanctus Franciscus, qui hujus paupertatis Evangelicæ dignitatem profundissime penetravit & adamavit, eamque sui Ordinis fundamentum constituit: unde eam in omni sermone nunc matrem, nunc sponsam, nunc dominam appellabat, sæpe etiam reginam, quod in Rege regum Christo, ejusque genitrice adeo luculenter effulsisset. Audi quid de ea suis assectis sanciat in Regula c. 6. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissima paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos hæredes & reges regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium. Cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis.*

S. Alexius

Et S. Franciscus.

E F

Idem S. Franciscus in rerum inopia exultans, tanto eam spiritus fervore deprædicavit, ut ex facie ignis emicare videretur: *Hæc enim*, inquit, *est virtus de cælo in nos influens, quæ nos ita instituit & informat, ut terrena cuncta ultro conculcemus, quæque obices omnes e medio tollit, quo humana mens cum Domino Deo suo liberrime atque expeditissime conjungatur. Hæc est, quæ animam adhuc in terris positam facit in cælis cum Angelis conversari. Hæc est, quæ Christum in cruce associat, cum Christo in tumulo absconditur, cū ipso resurgit, & cum ipso in cælum ascendit. Hæc est, quæ dotē agilitatis supervolandi animabus ipsam amantibus etiam in*

G *hac vita concedit, cum veræ humilitatis & charitatis alas se amantibus impertiat. Eamus proinde rogatū Apostolos sanctissimos, ut hanc gratiam nobis impetrent a Dom. Jesu Christo, ut ipse paupertatis forma, & observator præcipuus eam nobis donare dignetur.* Ita Waddingus in Annal. Minorum anno Christi 1216. n. 16. Hac de causa S. Franciscus, uti initio suæ conversionis se denudans, omniaque cum vestibus patri coram Episcopo resignans, vitam religiosam & pauperem cœpit; sic eamdem in simili nuditate & paupertate finivit: moriens enim se vestibus spolians, nudum in terram prostravit, dicens: *Feci quod meum, quod vestrum est, Christus vos edoceat*. Mox socius ei assistens, Dei in-

S. Francisci. stinctu prævidens ejus mortem & paupertatis studium, offerens ei chordam cum femoralibus: *Hæc tibi*, inquit, *tamquam pauperi commodo, & tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato*, quæ cum jubilo excipiens, vir sanctus elatis in cælum manibus Christo gratias egit quod exoneratus ab omnibus, liber pergeret ad ipsum; quodque Christo crucifixo, qui nudus in cruce pependit, tam in vita quam in

H morte foret conformis. Quocirca de eo ita scribit S. Bonav. in Vita ejus c. 7. *Sanctam paupertatem filio Dei familiarem considerans, & jam quasi toto orbe repulsam, eam sic studuit sibi charitate desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verum etiam quæ habere potuit universa dispersit. Nemo tam auri quā ipse cupidus paupertatis, nec thesauris custodiendi sollicitior ullus, quā iste hujus Evangelicæ Margaritæ. In hoc præcipue suus offendebatur aspectus, si quidquam videret in fratribus quod paupertati non per omnia consonaret. Revera a principio religionis usque ad mortem tunica, chordula & femoralibus dives, iis contentus fuit. Christi Jesu paupertatem & matris frequenter cum lachrymis revocabat ad mentem, & fratribus proponebat in sermone.* Hæc fusius de S. Francisco retulit, quia ipse unus illuminatus, & quasi *Seraph* accensus a Deo, intimum paupertatis Evangelicæ sensum, medullam & apicem a Christo hausit, & moribus expressit.

QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CÆLORUM] Par enim est & congruum, ut amore Christi spernentibus opes regni terrestris, retribuantur opes regni cælestis, ut, qui pauperes sunt in ære, ditentur in æthere, imo & regni terrestris, quod spernendo obtinent, illique dominantur

Pauper est mundi dominus.

Digitized by Google

A juxta illud Pauli: *Nil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6. Quocirca Climacus gradu 17. non dubitat asserere, pauperem monachum dominum esse mundi, & quia jactavit in Deum curam suam, possidere per fidem omnes gentes in servos. Idemque addit pauperem Dei famulum nullam rem amare vitiose; omnia enim quæ habet, aut habere potest, reputat quasi non sint, & si recedere contingat, æstimat ut stercora. Audi S. Bern. serm. 21. in Cant. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum. Non eos æstiment sola cælestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione, possident & terrena, & quidem tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, eo pro certo magis Domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum est, Totus plane, quia tam prospera quam adversa ipsius, eque omnia serviunt ei, & cooperantur in bonum; ergo avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut Dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat.* Causam dat S. Chrysost. hom. 57. ad populum, quod Deus sit pauperum Oeconomus: *Deo,* ait, *pascente non est opus nos esse sollicitos. Nam quemadmodum si rex promiserit quotidianum victum ex cellariis suis se præbiturum, jam in futurum confidis, multo magis, cum Deus præbeat, & omnia tibi tamquam ex fonte fluant, convenit te ab omni cura & sollicitudine solutum esse. Si autem pascit omnem carnem, multo magis sibi dicatos.*

B Quocirca S. Franciscus, ut ex Thoma Pisano, Celano, & aliis refert Lucas Wadingus in Annal. Minor. an. Christi 1210. n. 50. sui ordinis fratribus dictitabat: [Paupertatem noveritis fratres charissimi, virtutum esse reginam, quia in Rege regum & in Regina matre ipsius tam præstanter effulsit. Paupertatem scitote, fratres, specialem esse viam salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia; & quæ vendi non possunt illius comparatione spernenda. *Et inferius:* Propter quod pauperum more pauperculas casulas erigite, quas non habitare debetis ut proprias, sed sicut peregrini & advenæ alienas. Leges namque peregrinorum sunt sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacifice pertransire. Evangelica hæc paupertas nostri ordinis est fundamentum, cui substrato primarie sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, & eversione funditus evertatur. Quantum itaque fratres declinabunt a paupertate, tantum mundus declinabit ab eis, & quærent, & non invenient. Si dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. Commercium est inter mundum & fratres. Debent enim ipsi mundo bonum exemplum, debet eis mundus provisionem necessariam, quando autem ipsi retraxerint bonum exemplum, fide mentita retrahet mundus manum justam censura.] Et sane magni & continui instar est miraculi, videre religiosos & religiosas ordinis sancti Francisci (sunt facile toto orbe decies centena millia) paupertatem professos, sine censu, sine reditu, honeste tamen & commode ex fidelium eleemosynis vivere: nimirum hic elucet Dei erga suos pauperes providentia. Hic impletur illud Psaltis: quod sanctus Franciscus suis profecturis pro viatico dabat: *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Ps. 52. 22. Et illud: *Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Ps. 33. Hinc in Hispania Francisc. cuipiam nomine S. Francisci petenti eleemosynam, nullus audet negare, sed omnes liberaliter sua offerunt. Idem faciunt aliæ nationes Christianæ. Denique S. Aug. serm. 28. de Verbis Apostoli: *Felicitas,* inquit, *magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis noscere quam locuples sit? cælum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod videamus paupertati indultum? Ut ad regnum cælorum veniret dives, possessione sua obtinere non potest: nunc obtinet, ut contempta perveniat.*

Miraculi continuum S. Francisci.

D Nota: Christus non dicit: *Ipsis dabitur,* vel *ipsorum erit*; sed *ipsorum est* in præsenti *regnum cælorum*, q. d. Ex hac mea promissione & Dei decreto ad ipsos pertinet regnum cælorum, ipsi in illud plenum jus habent, adeoque de eo ineundo certi sunt, perinde ac si illud jam manibus tenerent, & in illo quasi reges regnarent. Adeo enim firma est spes promissorum Dei, ut per eam fideles rem ab eo promissam quasi manu prehendant, juxta illud Hebr. 11. 1. *Fides est substantia rerum sperandarum*, q. d. Fides est, quæ facit in mente fidelis subsistere bona cælestia, quæ sperat: adeo enim illa ipsi assecurat, ac si realiter ac substantialiter ipsi exhiberet. E

Regnum cælorum] Ita vocatur beatitudo cælestis, ubi beati cum Deo regnant in omni felicitate & gloria per omnem æternitatem. Vox *regnum* significat: Primo bonorum omnium in cælo abundantiam. Secundo, honorum, quibus beati a S. Trinitate & ab Angelis omnibus honorantur, celsitudinem. Tertio regalem dignitatem. Beati enim sunt quasi reges, qui dominantur non uni Hispaniæ, vel Asiæ, aut toti terræ, sed universo orbi, hoc est, omnibus cæli elementis, animalibus, plantis & mistis, adeoque ipsi gehennæ, omnibusque damnatis & dæmonibus: hoc regnum enim meruerunt per paupertatem spiritus, qua dominati sunt omnibus mundi bonis & cupiditatibus; unde ipsi redimiti coronis aureis jubilantes perpetim canunt Christo. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Apocal. 5. 10. Vide ibi dicta. Regnum cælorum ergo est regnum Dei: quare beati idem possident regnum, quod possidet ipse Deus, in eoque cum ipso jucundissime & splendidissime regnant perpetim. F

Regnum tria notat.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram] Hæc est secunda beatitudo in vulgata Latina, quam sequuntur S. Hieronymus, Augustinus, ceterique Latini. In Græcis vero codicibus, quos sequuntur Syrus, Arabicus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, ceterique Græci, hæc est tertia beatitudo: secunda enim in iis est, *Beati qui lugent.* Vers. 4. Mat. 5. 4.

Congrue pauperibus spiritu subjunguntur mites, quia pauperes & humiles solent esse mites, sicut vice versa divites & superbi solent esse impatientes & rixosi: vicinæ ergo & cognatæ virtutes sunt, paupertas & mansuetudo: unde vicinæ sunt & Hebrææ voces עני *ani*, id est, pauper, & ענו *anaus*, id est, mansuetus. Addit Chromatius. *Homo non poterit esse mitis, nisi prius fuerit pauper spiritu.* Causam subdit: *Non fit mare tranquillum, nisi cessaverint venti: non extinguitur ignis, nisi materiam incendii spinarumque sarmenta detraxeris: sic nec animus erit mitis & quietus, nisi quæ excitant & inflammant, fuerint abdicata.* Porro *mites*, ait Chromatius, sunt *mansueti, humiles, modesti, in fide simplices, & ad omnem injuriam patientes, qui præceptis Evangelicis instituti Dominicæ mansuetudinis imitantur exemplum.* Mites ergo sunt qui impatientiæ, iræ, invidiæ, vindictæ, ceterisque turbidis animi motibus & perturbationibus dominantur, ut nec obmurmurent Deo adversa immittenti, nec proximis injurias inferentibus indignentur, nec a lædentibus vindictam expetant, sed omnia placide tolerent, in Dei providentiam, omnia hæc ordinantis ad suam gloriam & ipsorum salutem, plane se resignantes & conquiescentes; quare miti hac morum suavitate omnium animos sibi conciliant. G

Mansuetudo beata, quæ?

Alludit Christus ad illud Davidis Psal. 36. 11. *Mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

Igitur mansuetudo. Primo facit nos gratos Deo & hominibus. Secundo similes Christo, qui ait; *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. Tertio, aptos ad sapientiam, & haurienda bona cælestia: horum enim capax est cor mansuetum, placidum & tranquillum, juxta illud Psalm. 24. *Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas.* H

Gradus ejus quinque.

Porro gradus mansuetudinis, beatitudinem eam consequentis sunt: Primo, mansueto corde & ore cum omnibus conversari. Secundo, iras aliorum mansueto cohibere responso. Tertio, mansuete tolerare injurias & rapinas sibi factas. Quarto, in iis exultare. Quinto, sua mansuetudine & beneficiis vincere inimici & iracundi malevolentiam, eumque sibi conciliare, & benevolum amicumque efficere.

Mansuetudinis elogia.

Denique causam, imo plures causas cur mites sint beati, dat Climacus gradu 24. dum ait: *Mansuetudo est adjutrix obedientiæ, dux religiosæ societatis, furentium frænum, irascentium expultrix, magistra gaudii, imitatrix Christi, cælitum proprietas, vinculum & nodus dæmonum, scutum adversus amaritudinem seu animi acerbitatem. In cordibus mansuetorum requiescet Dominus. Anima autem turbulenta nidus est diaboli. Mites hereditabunt terram, vel potius dominabuntur terris, furiosi autem exterminabuntur a terris suis.*

Mites Domini terræ cujus? Resp. Pelme.

Primo, S. Chrysostomus, Euthymius, Theophyl. & S. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, putant hic

Digitized by Google

A hic mitibus promitti terram præsentem, q. d. Mundus beatos nuncupat potentes & sui vindices, qui injuriam sibi illatam retaliant, imo in duplum & triplum ulciscuntur; at ego beatos dico mites, ac injuriæ & rapinæ patientes, ut bona terræ sibi eripi mansuete tolerent: quia licet tales sæpe a mundo opprimantur, sæpe tamen, Deo dante, stabiliter & quiete sua possident; si non, mansueto totus mundus patria est, & fideli totus mundus divitiarum est, Alludit ad Mosen qui fuit hominum mitissimus, Numer. 12. ac sua mansuetudine Hebræis impetravit a Deo possessionem terræ promissæ, factam per Josue. Hic sensus verus est, sed non plenus, nec adæquatus, sed sæpe fallit: mites enim sæpe a rixosis exagitantur, bonisque privantur, juxta illud:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Adde Mosen Judæis promittere bona terrena; Christum vero Christianis bona cælestia.

Secundo melius. Secundo ergo, melius & plenius cum S. Hieronymo hic, Nysseno lib. de Beatitud. orat. 2. S. Basilio in Psal. 33. Cyrillo in c. 58. Isaiæ, per terram accipe cælum, quæ viventium est terra, cum hæc nostra sit morientium, juxta illud Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Et Ps. 141. v. 6. *Tu spes mea, portio mea in terra viventium*. Et Isaiæ c. 38. v. 11. *Non videbo Dominum Deum in terra viventium*.

B

In cælo terra quædam est. In cælo ergo terra quædam est, at non crassa, opaca & terrestris, sed subtilis, lucida, & cælestis, ibi enim est paradisus rosarum, liliorum, gemmarum, omniumque deliciarum, at non terrestrium, sed cælestium, quæ mire oculos sensusque beatorum oblectant, alioquin enim corpora sensusque beatorum, quæ tam dura, imo martyria atrocia possa sunt in hac vita, carerent meritis suis oblectamentis, solæque animæ & mentes eorum essent beatæ, quod est absurdum. Unde S. Joannes vidit Apoc. c. 21. & 22. civitatem cælestem in quadro positam, & fundamenta ejus constructa ex iaspide omnique lapide pretioso. Vide ibi dicta. Hinc & Pythagorici, ait Clemens Alex. lib. 5. Stromat. cælum vocant ἀντίχθονα, id est, terram ex adverso sitam, vel oppositam terræ nostræ. Taceo nonnullos Philosophos censuisse lunam & stellas inhabitari; in luna enim esse opacas civitates vastasque regiones & terras, quas incolant homines a luna lunares dicti, teste Macrobio lib. 1. in Somnium Scipionis, ideoque lunam vocari ætheream, terram vero cælum terrestre, quod Plato quoque recenset in Convivio.

An in luna habitent homines?

C

Singulis ergo hisce beatis & beatitudinibus promittitur regnum cælorum, sed alio semper nomine & titulo, scilicet pauperibus nomine regni, mitibus nomine terræ, quia hi sæpe fundis suis in terra a rixosis & potentibus spoliantur, q. d. Tolerate, o mites, hæc terræ spolia, quia vestræ mansuetudini & tolerantiæ rependet Deus aliam terram, non imam hanc instabilem & mobilem, sed supernam, stabilem, & cælestem. Ipsa ergo beatitudo consistens in visione, fruitione & possessione Dei vocatur terra, tum ob stabilitatem, erit enim perennis & æterna; tum quia repræsentata fuit ipsa per paradisum terrestrem, & per terram promissam Judæis. Ita Salmeron. Mites ergo pacifice possidentur a Deo, quia ei in nullo resistunt; hinc vicissim in cælesti gloria eum possidebunt.

D Nam, ut ait S. August. de Salutaribus documentis c. 10. tom. 4. *Nullius erit possessio Dei, nisi ejus, quem prius ipse possederit.*

Terra nova. Rursum per terram proprie accipe terram novam, de qua dicitur: *Ecce ego creo cælos novos & terram novam*. Isaiæ 65. 17. Apoc. 21. & 2. Petr. 13. 3. sive orbem terræ futurum, quem Apostolus Heb. 2. 5. ait, post judicium generale subjiciendum Christo quasi heredi, ac consequenter mansuetis ejus coheredibus: post judicium enim mundus totus, puta cælum & terra, innovabuntur & glorificabuntur, ac subjicientur Christo, ejusque Sanctis.

Festive quidam vir sanctus, ait Salmeron, dixit: *Humilibus datur cælum, mitibus terra: quid superest superbis & crudelibus, nisi infernalis miseria?*

Mystice. Mystice S. Bern. ser. 1. in festo omnium Sanctorum, per terram accipit corpus aut cor, quod possidet anima hominis mansueti regnans super carnis motus, & omnibus suis membris per mansuetudinem imperans.

Anagogice. Anagogice S. Hilarius & Ambrosius: Post resurrectionem, inquiunt, mitis incipiet possidere terram, id est, corpus suum per gloriam, ac consequenter quodammodo & corpus Christi per configurationem & fruitionem: *Mitibus*, ait Hilarius, *terra hereditatem polliceetur, id est, ejus corporis, quod Dominus assumpsit habitaculum: & quia per mansuetudinem mentis nostræ Christus habitaverit in nobis: nos quoque gloria glorificati ejus corporis vestimur*. Et S. Leo ser. in festo omnium Sanctorum: *Terra*, inquit, *promissa mitibus, & in possessionem danda mansuetis, caro Sanctorum est, quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur; in nullo jam spiritui futura contraria, & cum voluntate animi, perfecte unitatis habitura consensum*. Et post nonnulla: *Possidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil unquam de eorum jure minuetur, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, ut periculum vertatur in premium; & quod fuit oneri sit honori.*

E

Symbolice. Symbolice mites possident terram, ideest, hominum, qui terreni sunt, corda; nam per mansuetudinem ea sibi conciliant, & quasi obligant, ut ea possidere videantur, juxta illud Eccl. 3. 19. *Fili in mansuetudine operatua perfice, & super gloriam hominum diligeris*. Vide ibi dicta.

F

Unde S. Chrysost. hom. 58. in Gen. *Nihil*, ait, *mansuetudine est violentius. Nam sicut regum, cum valde accenditur, aqua injecta restinguit: sic & animum camino magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit*. Vide eumdem hom. 29. ad populum. Quare mansueti possident terram, quia tot habent fundos, quot sunt corda hominum, præsertim amantium Evangelicam mansuetudinem, qui illis, licet exulibus, hereditate sua spoliatis alimenta ministrent.

Media ad mansuetudinem. Denique modus consequendi mansuetudinem est: Primo, si ejus dignitatem & utilitatem, iræ vero indignitatem & damna sæpe mediteris. Secundo, si iratus nil dicas vel agas, donec iram in corde sedaveris. Unde Clemens Alex. lib. 5. Stromat. refert Athenodorum hoc consilium dedisse Augusto Cæsari, ut iratus nil diceret aut faceret, priusquam 24. literas Alphabeti secum percurrisset. Tertio, si animo sis excelso; *Princeps*, ait ille, *superior est omni injuria*. Quocirca Augustus Cæsar obtrectantium sibi linguas spernebat dictitans, in libera civitate liberas opotere esse linguas. Quarto, si cogites exempla mitium ut imiteris, ac præsertim exemplum Christi crucifixi, de quo prædixit Isaias c. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet*. Et Jerem. c. 11. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi*. Ita S. Elzearius Comes Ariani omnes injurias sibi illatas, meditatione & imitatione passionis & mansuetudinis Christi superabat, adeo ut videretur esse ἀναίσθητος & insensibilis, ut habet ejus vita.

Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

G

VERS. 5. BEATI QUI LUGENT (Arabicus: *Beati tristes*) QUONIAM IPSI CONSOLABUNTUR] *Qui lugent*, non carne, sed *spiritu: nè* enim *spiritus* ex v. 3. in omnibus his beatitudinibus est repetendum. Beati enim sunt, qui lugent ob amissionem non opum, parentum, amicorum, sed rerum spiritualium. Sanctus ergo hic luctus accipitur, opponitur enim ridentibus, & gaudio, omnique mundana prosperitate diffluentibus, quibus ut beatis mundus applaudit: Christus vero *væ* intentat Luc. 6. 25. *Væ*, inquit, *qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*. Alludit ad Isaiæ 65. 14. *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.*

Luc. 6. 26. Luctus Beatus quis?

H

Porro hic luctus suos habet gradus, uti & ceteræ beatitudines: beati ergo hic dicuntur lugentes, qui adversitates lugubres a Deo immissas, aut permissas patienter tolerant. Ita Nyssenus de Beatitud. & S. Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte. Beatiores sunt, qui sua aut aliena peccata lugent & defient. Ita SS. Chrysost. Ambrosius, Hilarius, & Hier. Beatissimi vero sunt, qui præ dolore luctæ assiduæ, quam cum carne & concupiscentia gerunt, præque desiderio cælestis patriæ, ac præsertim præ amore Dei & Christi, quo perpetim frui summe exoptant, lugent suum hoc in corpore & terra exilium. Ita Nyssenus, Jansenius, & alii. Sic lugebat Paulus, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. Et: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Philip. 1. 23. Vide ibi dicta. In luctu hoc excelluit S. Ephrem, qui in omnibus suis scriptis luget, sanctumque luctum & compunctionem legenti aspirat. S. Macarius, ut habet ejus vita, suis dictitabat: *Ploremus, fratres, & producant oculi nostri lachrymas, antequam eamus hinc, ubi lachry-*

S. Ephrem remeburnus. S. Macarius.

Digitized by Google

A *lachryma noſtra corpora comburant, & fleverunt omnes.* Lachrymæ enim hic lavant, poſt mortem urunt.

QUONIAM IPSI CONSOLABUNTUR] Tum ſæpe in hac vita, tum ſemper in futura, ubi erit, ut ait Iſaias c. 35. 10. *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Sane compunctio ipſa mire mentem compuncti ſolatur, paſcit, & reficit: & ſi eſt gaudium ſincerum in mundo, eſt in mente compuncta. Experire, & guſtabis: *Cor, quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus*, ait Sapiens Prov. 14. 10. Vide ibi dicta. Huc alludens S. Hieronymus deſcribens obitum S. Paulæ, lugentis inſtar pœnitentis, exclamat: *O beata rerum commutatio! flevit, ut ſemper rideret: deſpexit lacus contritos; ut fontem Dominum reperiret: veſtita cilicio eſt, ut nunc albis veſtimentis uteretur, & diceret: Sciditi ſaccum meum, & induiſti me lætitia. Cinerem ſicut panem manducabat, & potionem cum fletu miſcebat, dicens: Fuerunt mihi lachryma meæ panes die ac nocte, ut in æternum pane Angelorum veſceretur, & caneret: Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.*

B BEATI QUI ESURIUNT ET SITIUNT JUSTITIAM, QUO-
VERS. 6. NIAM IPSI SATURABUNTUR] Lucas cap. 6. omittit τὴν *juſtitiam*. Sic enim habet: *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini;* quare videtur loqui de corporali eſurie, ſed quæ ex ſpirituali oritur, aut certe ad eam dirigitur, uti explicat Matthæus, qui in verbis Chriſti recenſendis eſt

Eſuries juſtitiæ quæ? fuſior & plenior, uti Lucas in factis ejuſdem. Senſus ergo eſt, q. d. Beati qui eſuriunt cibum & potum, ſed *ſpiritu* (hoc enim repetendum eſt ex v. 3.) id eſt, non carnali neceſſitate, ſed virtute ſpirituali, æque ac ſpirituali fine & intentione, quia ſcilicet eſuriunt & ſitiunt juſtitiam; nam per eſuriem & ſitim acquirere, vel augere volunt in ſe & in proximis juſtitiam. Unde Maldonatus, τὴν *juſtitiam* exponit *propter juſtitiam*. Hinc Lucas c. 6. v. 25. hos eſurientes opponit ſaturis, ſcilicet vino & deliciis: *Væ, inquit, vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*, q. d. Mundus beatos prædicat ſaturos, ego vero eſurientes, ſed juſtitiam, avidoſque, ut eam conſequenter & augeant, etiam per eſuriem, ſitim, aliaſque carnis macerationes, vel ſponte aſſumptas, vel aliunde illatas, ut innuit Lucas

C cap. 6. verſ. 21. Ita S. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Nyſſenus, Euthymius, Thophyl. & alii. Sic eſuries, ſive fames non corporalis, ſed ſpiritalis intelligitur Amos 8. verſ. 11. cum ait. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famen in terram, non famen panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Et Eccl. 24. 29. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Ad quæ loca alludit hic Chriſtus.

Gradus ejus quatuor. Primus ergo gradus hujus beatitudinis eſuriendi & ſitiendi eſt, eſuriem & famem ortam ex publica vel privata ciborum inopia patienter tolerare: ſecundus, eſurire & ſitire, jejunando ſponte, ut per jejunium carnem domes, pro peccatis ſatisfacias, tibique vel proximi Dei gratiam impetres: tertius, pro fide Chriſti pati carceres, & in iis famem ſitimque, imo fame enecari, uti nonnullis martyribus contigit: quartus, eſurire & ſitire juſtitiam, omniſque virtutis augmentum. Unde S. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctorum: *Nihil*, ait, *aliud eſt diligere Deum, quam amare juſtitiam.*

Porro diſtinguitur eſuries juſtitiæ ab ejuſdem ſiti, quaſi

D imperfectum a perfecto: eſuries enim difficilius expletur, ſitis facilius & jucundius. Audi S. Bern. ſer. 2. de Annunt. *Verumtamen*, inquit, *donec ſapis tibi veritas, non ſine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi vero cœperis in ea oblectari, jam non cibus, ſed potus eſt, & ſine difficultate intrat in animam quo videlicet ſpiritualis cibus intelligentia potu ſapientiæ digeratur, ne ipſius interioris hominis artubus, id eſt, affectibus, ſiccitate laborantibus, oneri magis ſit quam utilitati.*

Juſtitia quid? Reſp. Primo. JUSTITIAM] Primo, juſtitia hic accipi poteſt pro ſpeciali virtute, quæ cuique jus ſuum tribuit, q. d. Beati ſunt, qui eſuriunt juſtitiam, hoc eſt, qui avide exoptant ut juſtitia, quæ terrena quaſi deſeruit (juxta illud Ovidii. 1. Metam.

—— *Et virgo cæde madentes,*
Ultima cæleſtem terras Aſtræa reliquit)

& in cælum fugit, in terram redeat, ac in toto orbe dominetur, & jus ſuum tueatur. Tales ſunt, qui a tyrannis vel potentibus injuſte afflicti, deſiderant, inquit Rupertus, jus ſuum ſibi reddi, uti viduæ & orphani oppreſſi, unice deſiderant: item qui videntes alios injuſte ab aliis vexari, ex zelo juſtitiæ optant eos ab hac injuſtitia E liberari, & injuſtos puniri. Nam, ut ait Ariſtot. 5. Ethnicorum. *Neque Heſperus, neque ſol ita lucet, ut juſtitia.* Et Cicero lib. 2. de Officiis; *Tanta eſt vis juſtitiæ, ut ne illi quidem qui maleficio & ſcelere paſcuntur, in eo ſine aliqua juſtitiæ particula vivere poſſint*, uti fieri videmus in militibus ſuo principi rebellantibus, qui ut hanc rebellionem tueantur, rigidam inter ſe exercent juſtitiam.

Secundo, & plenius juſtitiam hic accipe prout genera- Secundo. lis eſt virtus, imo complexio omnium virtutum: hanc enim non ſimplicirer velle, ſed aſſidue eſurire, & ardenter concupiſcere debemus, ut iis mentem impleamus: *Non ſufficit*, ait S. Hieron. *velle juſtitiam, ſed eſurire, ut per hanc famen nunquam nos ſatis juſtos eſſe credamus, ſed ſemper juſtitiæ opera eſurire intelligamus.*

Audi S. Bern. ep. 253. ad Garinum inexplebile in juſto Juſtus ſemper deſiderat fieri juſtior. proficiendi deſiderium explicantem. [Nunquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit ſititque juſtitiam, ita ut ſi ſemper viveret, ſemper, quantum in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet: F ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur; non enim ad annum vel ad tempus, inſtar mercenarii, ſed in æternum divino ſe mancipat famulatui. *Et poſt nonnullas* Itaque indefeſſum proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quod ſi ſtudere perfectioni, eſſe perfectum eſt, profecto nolle proficere, deficere eſt. Ubi ergo ſunt, qui dicere ſolent, ſufficit nobis, nolumus eſſe meliores quam patres noſtri? O monache! non vis proficere? vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni, nec pejor fieri patiot, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt. Quid enim ſtat in hoc ſæculo? *Probat exemplo Chriſti*, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes. Pertranſiit ergo ſicut non infructuoſe ita non remiſſe, non pigre, non lento greſſu, ſed quemadmodum item de eo ſcriptum eſt: Exultavit ut gigas ad currendam viam.]

Denique concludit per ſcalam Jacob: *Vidit*, inquit, *ſcalam Jacob, & in ſcala Angelos, ubi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel aſcendere vel deſcendere videbantur univerſi, quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis* G *vitæ nihil medium inveniri, ſed quomodo ipſum corpus noſtrum continue aut creſcere conſtat, aut decreſcere; ſic neceſſe ſit ſpiritum aut proficere ſemper, aut deficere.* Præclare S. Auguſtinus tractat. 4. in epiſt. S. Joannis: *Tota vita boni Chriſtiani*, ait, *ſanctum deſiderium eſt;* ut erat de virtute in virtutem, ut inſatiabiliter opera virtutum ſitiat, ut occaſiones inſerviendi Deo ardenter ubicumque & undecumque captet.

Myſtice eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, qui eſuriunt ſitiuntque Chriſtum, ut toto amore & ſpiritu illi jungantur, juxta illud: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* 1. Corinth. 6. Chriſtus enim factus eſt nobis a Deo ſapientia, ſanctificatio, & redemptio; ita Nyſſenus de Beatitud. S. Auguſtinus epiſt. 85. ad Conſentium ſub finem, & S. Bernardus epiſt. 190. poſt medium.

QUONIAM IPSI SATURABUNTUR] Tum quia ipſa Saturitas juſti in cœlo. ſpiritus eſuries ipſummet paſcit & ſaturat; juxta illud: *Ipſa ſibi virtus ſola eſt pulcherrima merces.*

Tum quia Deus deſiderantibus gratiam ſuam, ejuſque augmenta, liberaliter illa offert, quæ ignavis & oſcitantibus negat: tum quia in cælo adimplebit omnem eorum H eſuriem per felicitatem & gloriam. Nam, ut ait S. Bern. ep. 253. *Sempiterna eſuries ſempiternam meretur refectionem.* Unde Chriſtus, *Ego*, inquit, *diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, Lucæ 22. 29.

Exemplo S. Paulæ. Hoc adepta eſt S. Paula, de qua ita ſcribit S. Hieron. in ejus epitaphio: *Saturatur, quia eſurivit, & læta decantat: Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri: o beata rerum commutatio! flevit, ut ſemper rideret: deſpexit lacus contritos, ut fontem Dominum reperiret: veſtita cilicio eſt, ut nunc albis veſtimentis uteretur, & diceret: Sciditi ſaccum meum, & induiſti me lætitia. Cinerem ſicut panem manducabat, & potionem ſuam cum fletu miſcebat, dicens: Fuerunt mihi lachryma meæ panes die ac nocte, ut in æternum pane Angelorum veſceretur & caneret: Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.*

BEATI MISERICORDES, QUONIAM IPSI MISERICOR- VERS. 7. DIAM CONSEQUENTUR] Juſtitiæ jungit miſericordiam, quia

Digitized by Google

A quia omnē opus virtutis vel eſt debitum, & eſt juſtitia; vel eſt indebitum, gratuitumque, & eſt miſericordia, & quia miſericordia juſtitiam temperat & dulcorat. Mundani beatos æſtimant, qui pauca dant, ſed multa recipiunt, itaque opes coacervant, ſeſeque ditant: at Chriſti dogma paradoxum, ſed veriſſimum eſt: *Beatus eſt magis dare, quam accipere*. Actor. 20. 35. ubi multas beatitudinis hujus cauſas recenſui, ac in primis illam: *Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Par enim eſt lege talionis, ut miſericordiam facienti fiat viciſſim miſericordia: quod enim pauperi fit, hoc ſibi factum Chriſtus æſtimat: quare cur in die judicii electos cælo ſit adjudicaturus, & reprobos gehennæ, non aliam cauſam affert Matth. 25. quam quod illi in ſe, id eſt pauperes ſuos fuerint miſericordes, hi vero immiſericordes. Miſericordia ergo miſericordi hic promittitur, & promiſſa præſtatur a Chriſto, tum ſæpe in hac vita, tum ſemper in futura. Beatitudo cælestis igitur, quam pauperibus promiſit nomine regni cælorum, ab eodem miſericordibus promittitur nomine miſericordiæ, quia, ut ait Apoſtolus, vita æterna eſt gratia. Rom. 6. 23. tum quia gratis eam promiſit Deus bene operantibus & eleemorynariis; tum quia initium boni operis & meriti eſt gratia; hæc enim nos prævenit & excitat ad opus bonum, illique divinam dignitatem & vim merendi tribuit. Vita æterna, ait S. Aug. de Corrept. & gratia cap. 13. *eſt gratia pro gratia, id eſt, pro his meritis, quæ contulit gratia*, juxta illud Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*. Unde Syrus vertit: *Beati miſericordes, quoniam ſuper ipſos erunt miſericordiæ*; quaſi dicat: Miſericordi retribuetur miſericordia, non una, ſed multæ. Deus enim ab eo non vult vinci, ſed eum vincere ſua liberalitate. Unde Primo, miſericordibus pœnitentiam inſpirat, & per eam peccata remittit, juxta illud Daniel. 4. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum*. Secundo, gratiam frequentem & copioſam eis aſpirat, per quam multa bona opera conquirant. Tertio, propter ea confert eis vitam & gloriam æternam, quæ ſumma eſt gratia, ideoque nomine miſericordiæ hic ſignificatur. Nam, ut ait S. Auguſt. epiſt. 105. *Cum Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quam munera ſua*; quia omne meritum noſtrum in nobis non facit, niſi gratia. Gradus miſericordiæ ſunt primo, miſeris compati; ſecundo, miſeriam corporalem proximi per eleemoſynam levare; tertio, animæ ignorantia, afflictione, aut peccato laboranti ſuccurrere: quarto, miſeros prævenire & quærere, ut eis ſuccurras; quinto, tibi ſubtrahere commoda, vel etiam neceſſaria, ut aliis opituleris: ſexto, pro eis tua & teipſum vitamque impendere, ut fecit Chriſtus, S. Paulus, & S. Paulinus.

Beatius eſt dare, quam accipere. Cur?

B

C Sex gradus miſericordiæ.

Symbolice miſericordibus promittitur miſericordia, id eſt, Dei viſio & poſſeſſio, ipſeque Deus, cujus natura non eſt aliud, quam miſericordia, juxta illud Pſal. 58. *Deus meus miſericordia mea*. Das ergo pauperi nummum, & accipis Deum, juxta illud: Da nummum, & accipe regnum; da micam & accipe maſſam; da pretium, & accipe præmium; da denum, & accipe Deum. Unde S. Leo ſer. in feſto omnium Sanctorum: *Agnoſce, ait, o Chriſtiane, tuæ ſapientiæ dignitatem, & qualium diſciplinarum artibus, ad quæ præmia voceris, intelligo. Miſerendo te miſericordia, juſtum vult te eſſe juſtitia, ut in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſpondeat. Secura eſt operantium fides, aderunt tibi deſideria tua, & iis quæ amas ſine fine potieris*. Eleemoſyna ergo non tam eſt miſericordia, quam ingens fœnus & uſura cum Deo; longe enim plus ab ea recipit, quam illi det, unde illud: *Si vis fœnerari, fœnerare Deo*; nam *fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & vicißitudinem ſuam reddit ei*. Prov. 19. 17. quia, ut ait Chryſol. ſerm. 42. *Manducat Deus in cælo panem, quem perceperis pauper in terra. Da ergo panem, da potum, ſi Deum debitorem, non judicem vis habere*. Nervoſius S. Aug. in Pſal. 36. *Attende, ait, quid facit fœnerator, minus vult dare certe, & plus accipere; hoc fac & tu, Da modica, accipe magna. Vide quam late creſcat fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna. Da terram, accipe cælum*. Sis ergo uſurarius, ſis fœnerator Dei; hæc uſura pia, hoc fœnus ſanctum eſt. Denique S. Chryſ. hom. 32. in ep. ad Heb. *Eleemoſyna, ait, eſt amica Dei, ſemper ei propinqua, pro quibuſcumque voluerit, facile gratiæ munus impetrat*. Et mox confert & præfert eam pavoni, quod magis decora grataque ſit oculis Dei, quam pavo oculis hominum, ac de ea ſubdit. *Virgo eſt habens alas aureas, circumſpecta per omnia, venuſteque ſuccincta, vultum habens candidum atque manſuetum, pennata eſt, levis, & ſemper ante ſolium regale conſiſtit. Quando judicamur, repente ſubvenit, & nos a ſuppliciis liberat imminentibus, aliis ſuis nos connos a ſuppliciis liberat imminentibus, aliis ſuis nos connos a ſuppliciis liberat imminentibus, aliis ſuis nos connectens. Hanc amplius deſiderat Deus quam ſacrificia innumera*.

Miſericordia eſt ſtrenua, ſed pia uſura.

D

E

Emblema eleemoſynæ.

BEATI MUNDO CORDE (S. Aug. de Sermone Domini in monte legit *mundicordes*) QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT.] Primo, mundum cor eſt mens caſta, & pura ab omni libidine & carnis concupiſcentia, q. d. Beati ſunt, non qui mundo & claro ſunt intellectu, ut Philoſophi; nec qui mundo & polito ſunt corpore ac veſtibus, quod multis eſt impoſſibile: ſed qui mundo ſunt corde, id eſt, pura caſtaque mente, quod omnibus eſt poſſibile. Ita S. Chryſoſtomus, Theophyl. Euthymius. VERS. 8. Gradus tres habet mundum cor. Primo.

Secundo, generalius & plenius: Beati ſunt, qui mundo corde, id eſt, pura ſunt conſcientia, qui ſcilicet eum mundarunt ab omni peccato, a pravis cogitationibus & deſideriis, a paſſionibus & perturbationibus, ab omni mala intentione, ac præſertim ab omni duplicitate & hypocriſi. Mundo corde ergo ſunt, qui ſimplici, recta & pura ſunt mente, qui omne bonum faciunt ſemper & cogitant, ait Auctor imperfecti: ſicut enim ſi fons ſit purus & illimis, aquæ ex eo profluentes pariter ſunt puræ & illimes; ſic & ſi cor ſit purum, omnis actio ex eo promanans erit pura & munda. Ita S. Hieronymus, Hilarius, Nyſſenus, & S. Auguſtinus lib. 1. de Sermone Domini in monte. Secundo.

F

Tertio, pleniſſime & perfectiſſime, ſummoque gradu beati ſunt mundo corde, qui ſcilicet cor ab omni creaturarum amore emundarunt, ut mundum ſit deitatis ſpeculum & templum inſtar Angeli: utque totam mentis intentionem, affectum & amorem in Deum transferat. Tertio.

Puritatis cordis perfectæ indicium dat Caſſianus l. 6. de Spiritu fornicat. c. 10. ſomnium, ſcilicet ſi quis dormiens non impura & illicita, ſed pura & ſancta ſomniet; hoc enim mentis ad purum a vitiis excoctæ certum eſt ſignum. Porro ſcalam, in qua per gradus ad hanc puritatem ſenſim aſcenditur, ita deſcribit Caſſianus & Sulpitius l. 4. de Inſt. renunt. c. 53. [Principium noſtræ ſalutis timor Domini eſt. De timore Domini naſcitur compunctio ſaluta- ris: de compunctione cordis procedit contemptus omnium facultatum ac nuditas; de nuditate humilitas procedit: de humilitate generatur mortificatio voluntatum: mortificatione voluntatum extirpantur omnia vitia: expulſione vitiorum virtutes fructificant atque ſuccreſcunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis Apoſtolicæ charitatis perfectio poſſidetur. *Quocirca S. Antonius apud S. Athanaſium munditiem cordis docet eſſe viam ad prophetiam*: Si quis, *inquit*, hoc aſſumat, ut futura cognoſcat, habeat purum cor: quia credo animam Deo ſervientem ſi in ea perſeveraverit integritate, qua renata eſt, plus ſcire poſſe, quam dæmones. Talis erat anima Eliſæi, quæ aliis incognitas virtutes faciebat.] Scala puritatis cordis.

G

QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT] facie ad faciem, adeoque viſione Dei beabuntur, immundi enim corde habent cor quaſi limo & fœce terrena obruptum, ut Deum videre nequeant. *Munditia autem cordis, & conſcientiæ puritas*, ait Chromatius: *nullam nubem ad intuendum Deum patietur*; ſed illum in ſe recipiet, ſicut ſpeculum purum & terſum in ſe recipit ſolem, quem ſicut a ſe excludit ſpeculum impurum & impolitum; ſic & cor impurum a ſe excludit Deum. Audi S. Leonem ſer. in feſto omnium Sanctorum. *Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati, ſplendorem enim veri luminis ſordens acies videre non poterit, & quod erit jucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis oculi tergantur interiores, ut ſerenus intuitus tantum Dei viſione paſcatur*. Hinc patet, ait S. Auguſtinus, Deum non oculis, ſed corde, id eſt, mente a beatis videri; eſt enim ipſe incorporeus & puriſſimus ſpiritus.

H

Poſſet ſecundo hæc Dei viſio accipi pura & affectuoſa Dei cognitio, quem Deus mundi corde in hac vita ſæpe præ aliis majorem impertit: *Agite ergo*, inquit ex Fontejo S. Aug. l. 83. q. q. 11. [o miſeri mortales: hoc agite, ne umquam polluat hoc domicilium malignus ſpiritus, ne ſenſibus immixtus inceſtet animæ ſanctitatem, lucemque mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat coloribus, adhæret ſonis,

Digitized by Google

A sonis, latet in ira, in fallacia sermonis, odoribus se subjicit, infundit saporibus, ac turbidi motus illuvie tenebrosis affectionibus tenebrat sensus; quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis solet. Et quia radius æthereæ lucis est, in eoque speculum divinæ præsentiæ, in hoc enim Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc recte facti meritum relucet, Deus ubique præsens est. Tunc autem unicuique nostrum simul est, cum mentis nostræ illibata puritas in ejus præsentia patuerit. *Dicat ergo sibi quisque eum Herminio:*]

VERS. 9. *Malo mori, quam corde fœdari.*

BEATI PACIFICI (εἰρηνοποιοὶ, id est, *pacem facientes*, uti vertit Syrus) QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR, q. d. Mundus beatos prædicat eos, qui fortiter bella gerunt, & hostes subigunt; at ego beatos prædico eos, qui dissidentes & bellantes conciliant, & ad pacem unionemque inter se & cum Deo revocant, aut revocare laborant & satagunt. Hoc enim est opus arduum & difficile, sed Deo gratissimum. Ita S. Chrysostomus, B Euthymius, Theophylactus, S. Hieronymus, S. Basilius quæst. 215. inter brevior. Vide S. Gregorium 3. part. Pastor. admonit. 4.

Pacificorum gradus tres.

Gradus hujus beatitudinis sunt: Primo, pacem animæ internam cum Deo habere vel procurare. Secundo, pacem cum vicinis & proximis colere. Tertio, dissidentes & discordes ad concordiam charitatis revocare. Nam, ait S. Leo serm. in festo omnium Sanctorum, Christiana pax in uno Deo, Deique charitate fundata est. *Extra dignitatem pacis*, inquit, *sunt improbarum paritates cupiditatum, fœdera scelerum, & pacta vitiorum.* Quartus gradus est, facere alios sibi similes, scilicet aliis instillare zelum pacis, ut studeant pacificare quoslibet discordes.

Congregatio seu religio ad pacificandum discordes quam esset utilis.

Atque posset hac de re religio vel congregatio pia institui magno Ecclesiæ bono, ut sicut sunt congregationes institutæ ad obeunda cætera misericordiæ opera, v. g. ad serviendum infirmis, ad hospitandum peregrinos, ad alendum pauperes, ad sepeliendum mortuos, &c. Sic etiam instituatur congregatio pacificorum, quorum officium C sit omnes in urbe lites sopire, omnesque discordes ad concordiam & pacem revocare. Hoc enim magnæ charitatis est opus, in quo excelluit noster P. Gaspar Barzæus Armuzii & Goæ, adeo ut advocati & procuratores dicerent sibi moriendum esse fame, eo quod sopitæ forent omnes lites, ex quarum procuratione ipsi vivebant. Lege ejus vitam scriptam a P. Trigautio. Quin & reipsa in nonnullis urbibus tales congregationes pacificorum erectæ sunt, per quas ingentia expensarum, discordiarum, pugnarum, odiorum, damna, quæ lites afferre solent, a republica propulsantur.

Pacifici vocantur filii Dei. Primo.

QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR] id est, erunt, ut jure vocari possint Filii Dei. Est catachresis vel metalepsis: *Filii Dei*, id est, simillimi Deo, illique charissimi: Deus enim pacem maxime amat, ejusque causa misit Filium in mundum, quia ipse per essentiam est pax & unio: unde ipse tres personas divinas in una eademque individua assentia, ac deitate essentialiter unit, intimeque jungit. Hinc Deus vocatur *Deus pacis*. Philip. 4. Ex adverso diabolus est Deus dissensionis: quare qui eam seminant, sunt filii non Dei, sed diaboli: *In uno enim malo*, D ait S. Gregorius 3. part. Pastor. admonit. 24. *innumera peragunt, quia seminando discordiam charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater est, extinguunt.*

Simili catachresi dicitur v. 44. & 45. *Diligite inimicos*, &c. *ut sitis filii Dei*, id est, similes & imitatores *Patris vestri, qui in cœlis est.*

Secundo.

Secundo, pacifici vocabuntur *filii Dei*, quia participabunt officium, & nomen Filii Dei, puta Christi, cujus officium est homines reconciliare Deo & sibi invicem, orbique pacem afferre, quam mundus dare non poterat. 2. Cor. 5. 18. Coloss. 1. 20. Ephes. 2. v. 14. Unde ejus nomen est *Princeps pacis*. Isaiæ 9. 6. ideoque eo nascente, pax nata est in terra; unde Angeli tunc cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. Ipse enim natus est ad hoc, ut hominem Deo, terram cælo, peccatores Angelis reconciliaret; *pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Coloss. 1. 20. *Quare ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem materiæ solvens*, &c. *per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Ephes. 2. 14.

Christus Princeps pacis.

Tertio.

Tertio, pacifici proprie & plenissime vocabuntur, eruntque filii & hæredes Dei in cælesti gloria, quam ob meritum pacis conciliatæ hæreditabunt. In cælo enim omnes Sancti per gloriam beatificam sunt filii & hæredes Dei: *Hi sunt pacifici*, ait S. Leo ser. in festo omnium Sanctorum, *hi bene unanimes, vocandi æterno nomine Filii Dei, coheredes autem Christi, quia hoc merebitur dilectio Dei & proximi, ut nullas jam adversitates sentiat, nulla scandala pertimescat, sed finito omnium tentationum certamine, in tranquillissima Dei pace requiescat.* E

Porro S. Bernardus ser. 4. de Adventu, fictos paupetes, mites, lugentes, esurientes, misericordes, mundos corde, pacificos ita depingit: Sunt, *inquit*, qui ita pauperes esse volunt, ut nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt & alii mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio: patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si oriatur occasio (*si verbo asperiore pulsentur.*) Alios quoque lugientes video, sed si de corde procederent istæ lachrymæ, non tam facile solverentur in risum. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri F possent esurire & sitire justitiam, sed semetipsos tam insipientur quam inutiliter palpant. Sunt alii misericordes de his, quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur, si non detur omnibus abundanter, sic tamen ut ipsi ne in modico quidem graventur. Sunt, qui peccata sua sic confitentur ut videri possent ex desiderio mundandi cordis id agere, nisi quod ea, quæ ipsi sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt. Sunt & alii, qui si viderint quempiam vel leviter scandalizatum, valde soliciti sunt quomodo eum in pacem reducere possint, & viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quidquam contra eos dictum factumque fuerit, tardius universis difficiliusque poterit sedari, *&c.* Singulis hisce deinde Christum in omnibus contrarium, ut virum virtutum speculum opponit.

Ficti pacifici qui?

VERS. 10. BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR PROPTER JUSTITIAM, QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CÆLORUM] Hæc octava & summa est beatitudo, in passione & patientia consistens, cum priores in actione sitæ sint. Unde S. Ambrosius lib. 5. in cap. 6. Luc. v. 22. G *Usque ad finem*, ait, *te ducit, usque ad martyrium prosequitur, ibi constituit beatitudinum palmam.* Difficilius enim est dura pati, quam ardua agere, juxta illud: *Fortia agere, Romanum est; fortia pati, Christianum est.* Quare major & perfectior est fortitudinis actus fortia pati, quam agere, uti docet D. Thomas & Philosophi. Persecutio est pertinax insectatio alicujus ad eum proterendum, qua nullus datur quieti, aut securitati locus, sed quovis genere, scilicet tam per calumnias, quam per afflictiones, tam per injurias verborum, quam verberum, innocentia vexatur & opprimitur.

Acute & subtiliter Nyssenus de Beatitudine ponderat τὸ *persecutionem*, quæ vox currentium & sequentium est, ac præcedentes cursu superare contendentium. Itaque meditatur Nyssenus sanctum virum & tribulationem, sive persecutionem simul currere, sed cum ille persecutioni non cedit, ipsum quasi victorem antecedere & præcurrere, persecutionem vero a tergo sequi, & post eum currere, ideoque vocari *persecutionem*, quia justos, inquit, *inimici persequuntur, sed non assequuntur*; justo- H rum enim patientia & constantia superantur.

Pati propter justitiam quia?

PROPTER JUSTITIAM] Quia justi, quia Christiani, quia justitiam sequuntur, quia servant Dei legem vel statuta sui ordinis, quia tuentur jus pupillorum vel fidem, aut res & jura Ecclesiæ, quia student reformationi cleri, vel monasterii, &c. justitia enim hic ample accipitur, & quamlibet virtutem significat, ait Chrysostomus. Licet enim nonnulli Philosophi propter justitiam videantur passi & occisi, ut Socrates, qui necatus est, eo quod diceret plures deos non esse adorandos, sed unum solum, tamen ubi vera non est fides nec charitas, ibi nec vera & perfecta est justitia, ait S. Augustinus.

Pati propter justitiam beatum ob tres causas.

Beati ergo sunt, qui patiuntur propter justitiam; primo, quia persecutio nos separat a mundo, & jungit Deo: secundo, quia propter Deum illam patimur: tertio, quia per hoc similes simus Christo, qui tota vita usque ad mortem crucis a Judæis persecutionem sustinuit: *Exeamus ergo extra castra, improperium ejus portantes.* Heb. 12. Crevit semper in persecutione Ecclesia, in pace decrevit. Sic & Ordo quisque.

Persecutio acuit fideles & religiosos.

Hac de causa Deus fidelibus, vel clero, vel religiosis immittit, id est, immitti permittit persecutiones, ut

vitia

Digitized by Google

A vitia quasi zizania in pace subnata resecet, ac primævum virtutis vigorem resuscitet. Ita sub duobus Philippis, patre scilicet & filio, Imperatoribus Christianis, virtus fidelium elanguit in pace, fideleſque se gulæ, avaritiæ, superbiæ, &c. dedere. Quare Deus immisit Decium & Valerianum Imperatores, qui sua persecutione fidelium virtutem acuerent. Id revelatum fuit S. Cypriano, uti ipse refert l. 4. epist. 4. *Hoc nobis*, ait, *per visionem exprobratum sciatis, quod dormitemur in precibus*, &c. *Persecutio ista examinatio est, atque exploratio peccati nostri.* Et mox: *Dic illi securus sit, quia pax ventura est. Sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui, qui probentur.* Et ser. de Lapsis: *Quia traditam nobis disciplinam pax longa corruperat jacentem fidem & pene dormitantem censura cælestis erexit: non in sacerdotibus religio devota, non in ministeriis fides interna, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina*, &c. Eamdem causam persecutionis Diocletiani dat Eusebius lib. 8. Hist. c. 1.

Societatem Jesu tria conservant.

Quocirca S. Franciscus Borgia, tertius Societatis nostræ Præpositus Generalis, dictitabat tria esse, quæ conservant Societatem Jesu. Primum, inquit, est studium
B orationis; secundum, unio mutua sociorum: tertium, persecutio, causamque dabat, quia oratio nos astringit Deo, unio socios invicem vincit; funiculus autem triplex difficile rumpitur: persecutio nos a mundo disjungit, cogitque prudenter agere, ne persecutores habeant quod carpant aut capiant; ac contra eorum insidias & violentiam, virtutem, nervosque omnes exercere. Ita habet ejus vita.

QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CÆLORUM] Cæpit beatitudines a regno cælorum, & in eodem illas terminat: primæ enim beatitudini & ultimæ, illud quasi mercedem & præmium assignat, ut indicet illud idem in ceteris sex medijs beatitudinibus tacite intelligi, iisque pari modo velut præmium promitti, sed illud diserte exprimi duntaxat in pauperibus, & persecutionem patientibus, quia par est, ut utrisque pro paupertate & persecutione regnum, in quo ditentur, & persecutoribus dominentur, velut condignum patientiæ præmium retribuatur, quamquam S. Ambrosius pauperibus putet promitti regnum cælorum quoad animam, quæ mox a morte migrat in
C cælum; persecutionem vero patientibus quoad corpus, quod post resurrectionem gloria æterna in cælo donabitur.

Beatitudinum octo præmium est regnum Dei.

Unde notat S. Augustinus lib. 1. de Ser. Domini in monte, omnibus hisce octo beatitudinibus regnum cælorum promitti, sed alio & alio nomine, proprietate & titulo, cuique operi congruo, scilicet pauperibus & patientibus nomine & titulo regni; mitibus nomine terræ; lugentibus nomine consolationis; esurientibus nomine satietatis; misericordibus nomine misericordiæ: mundis corde nomine visionis Dei; pacificis nomine adoptionis in filios Dei; in cælo enim beatis a Deo dabitur; primo, ipsum regnum cæleste; secundo, in eo stabilis terra felicitatis: tertio, omnis consolatio: quarto, omnis saturitas: quinto, omnis misericordia, scilicet omnis gratia & gloria: sexto, visio Dei; septimo, adoptio, filiatio, &
D hereditas Dei.

Pulchre & punctim S. Aug. in Ps. 93. Deum ita loquentem inducit: *Venale habeo. Quid Domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Adde, luctu consolatio, esurie saties, miseratione misericordia, munditie visio, pace filiatio Dei.

Scala octo beatitudinum.

Porro in hisce nominibus & titulis proceditur per incrementa præmiorum. Est ergo hic climax, sive gradatio, in qua quasi per scalam virtutum gradatim sursum ascenditur in cælum, gloriæque cælestis apicem. Primus ergo beatitudinum gradus est, per paupertatem abjicere curam opum: secundus, per mansuetudinem mores componere, motusque animi tranquillare: tertius, peccata lugere: quartus, esurire & sitire justitiæ & virtutum incrementa, quintus, misericordiæ corporalis & spiritualis opera meritaque cumulare: sextus, munditiei mentis plane plenequc vacare: septimus, pacem inter omnes conciliare: octavus, humiliter fortiterque pati omnes persecutionum calumnias & injurias. Hisce virtutum gradibus totidem quasi gradus cælestis gloriæ ex æquo respondent & quasi
Scala octuplicis gloriæ. præmia attribuuntur, scilicet primo, paupertati regnum: secundo, mansuetudini stabilis regni æternitas: tertio, luctui gaudium: quarto, esuriei justitiæ ejus saties: quinto, eleemosynæ plena misericordia: sexto, munditiei cordis visio Dei: septimo, pacificis hereditas Dei: Octavo, E
persecutionem patientibus & afflictis regnum cælorum amplissimum & imperiosissimum. Unde S. Ambrosius lib. 5. in cap. 6. Lucæ v. 22. *Hos*, ait, *gradus voluit esse virtutum, per quos ab ultimis ad superiora possimus ascendere. Denique sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa præmiorum. Plus est enim Dei esse Filium, quam possidere terram & consolationem.*

Octo beatitudines sunt connexæ.

Nota primo, has octo beatitudines inter se esse connexas; nec enim beatus est, qui piamam habeat, nisi habet & ceteras septem. Ut ergo omnes in unam contrahamus, nectamque, sensus est, q. d. Beati sunt, qui contemnentes hujus mundi bona per paupertatem spiritus, & honores per mansuetudinem, ac voluptates per luctum; insuper justitiam & misericordiam avide sectantes, perveniunt ad munditiem cordis; ad hæc alios quoque ad exemplum sui inter se & cum Deo pacificare & conciliare adlaborant: denique qui propter hæc & similia justitiæ opera patiuntur persecutionem; hic enim est apex perfectionis & beatitudinis Christianæ: Cum ergo dicitur *in singulis* Ordo beatitudinum. *beati*, intellige, si nihil alioquin desit, sive si cetera requisita adsint, ut dixi canone 13. Rursum prima beatitudo disponit facitque gradum ad secundam, & secunda F
ad tertiam, & ita consequenter, uti docent S. Ambrosius, S. Leo, & alii. Nam paupertas spiritus, sive humilitas disponit ad mansuetudinem, humiles enim sunt mites: mansuetudo disponit ad luctum; mites enim facile sentiunt sua aliorumque mala, eaque lugent: luctus sive compunctio disponit ad esuriem & sitim justitiæ; qui enim lugent sua aliorumque peccata, sitiunt justitiam & sanctitatem; esuries justitiæ disponit ad misericordiam; qui enim cupit crescere in justitia & sanctitate exercet opera misericordiæ: per hoc enim valde augetur sanctitas: misericordia disponit ad munditiem cordis, quia eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua ignem, augetque charitatem, quæ mundo corde Deum solum diligit: munditie cordis disponit ad pacem tam in se, quam in aliis procurandam, quia sicut lites & bella oriuntur ex immundo corde & cupiditate pleno; sic vice versa pax oritur ex corde puro & cupiditate vacuo; denique qui hanc pacem ceteraque jam dicta procurant, in multorum pravorum & cupidorum odia incidunt, ab eisque G
persecutionem patiuntur, quam generose sustinent, itaque coronam harum octo beatitudinum perficiunt, illaque se coronant.

Omnibus istis congruunt.

Nota secundo, beatitudines singulas suos habere gradus, minusque magisque perfectos, uti jam ostendi, juxta quos partim sunt consilii, partim præcepti: quare illæ perfectis conveniunt perfecte; omnibus tamen justis conveniunt inchoate suo quodam modo & gradu, ideoque nemo sine eis salvabitur. Quare hic sermo, & hæ beatitudines primario quidem a Christo dictæ & dictatæ sunt Apostolis proxime sibi astantibus vel assidentibus in monte, eorumque sequacibus viris Apostolicis; secundario tamen omnibus fidelibus, ideoque coram affluente populi turba eas Christus promulgavit, uti dixi vers. 1.

H
Septem beatitudines aptantur septem Spiritus sancti donis.

Nota tertio: Sanctus Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in monte, septem beatitudines pulchre adaptat septem donis Spiritus sancti. Timor Dei, ait, congruit humilibus, pietas mitibus, scientia lugentibus, fortitudo esurientibus & sitientibus; consilium misericordibus, intellectus mundis corde, sapientia pacificis.

VERS. 11

BEATI CUM MALEDIXERINT Græce (ὀνειδίσωσιν, id est, *exprobrarint*, ut habet Lucas cap. 6. convitiati fuerint, convitiis, probris, & contumeliis affecerint) VOBIS, ET PERSECUTI VOS FUERINT, ET DIXERINT OMNE MALUM ADVERSUM VOS MENTIENTES PROPTER ME] Quia scilicet meam fidem, meos mores, meam vitam sequimini, illamque prædicatis & propagatis: *Mentientes*, Syrus *in mendacio*, quia scilicet falso calumniantur vos esse turbatores reipublicæ, novatores, verum deorum cultum abolere, eique superstitiosum substituere, dum hominem crucifixum Deum facitis, & adorandum prædicatis. Summa ergo beatitudo est, pro Christo, pietate & virtute patienter & generose, imo hilariter ferre calumnias, probra, scommata, dicteria, ceteraque injurias verborum, carcerum & verberum. In hoc situs est apex Christianæ virtutis & perfectionis. Idem secutus Christum docuit nos S. Ignatius fundator Societatis nostræ Regula 11. Summarii Constitut. quæ valde ad rem præsentem facit. Causamque addit, quo per

Summa beatitudo est pati pro Christo.

hæc

A hæc ſimiles fiamus Chriſto, ejuſque quaſi veſtibus & inſignibus nos veſtiamus, ejus amore & reverentia. Idem docuit ipſe exemplo magis, quam decreto. Tota enim vita ejus fuit continua quaſi perſecutio, in qua ipſe exultabat & jubilabat, ac rogantibus, *quænam eſſet via ad perfectionem*, reſpondebat: *Si multa & magna pro Chriſto patiamini*. Vide Ribadeneiram in ejus vita lib. 1. c. 14.

VERS. 12 Luc. 6. 23. GAUDETE, ET EXULTATE QUONIAM MERCES VESTRA COPIOSA EST IN CÆLIS. SIC ENIM PERSECUTI SUNT PROPHETAS, QUI FUERUNT ANTE VOS] q. d. Gaudete in calumniis, falſis teſtimoniis & perſecutionibus, quia per eas beati eſtis: ſecundo, quia vos manet ampla merces in cælis: tertio, quia ſimiles eſtis Prophetis, qui fuere viri ſummi & divini, uti fuit Iſaias, qui ob ſua oracula a Manaſſe ſerra diſſectus eſt; Jeremias, qui a Judæis lapidibus fuit obrutus, ceterique Prophetæ pene omnes vario mortis genere ab eiſdem fuere interempti. Animat ergo eos exemplo Prophetarum, quod eorum ſortem in perſecutionibus tolerantiam ſequendo, eorumdem ſocietatem

B & gloriam ſint adepturi; quo tacite innuit eos in Prophetarum locum ſuccedere, imo illos ſuperare, dum ad altiora vocati non legem, ſed Evangelium toto orbe prædicabunt, cum Prophetæ ſoli Judææ prædicarint. Unde ſubdit: *Vos eſtis ſal terræ*, &c.

Merces ſupponit meritum. Nota hic contra modernos hæreticos nomen *merces*: inde enim colligimus merita bonorum operum. Meritum enim eſt mercedis meritum & merces eſt meriti merces. Sic Apoſtoli *gaudentes ibant a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Act. 5. 41. Sic Paulus exultat, quod ſit *vinctus in Domino*, ſcilicet propter Chriſtum. Epheſ. 3. 1. & c. 4. 1.

Audi S. Cyprian. l. 4. ep. 6. ad Tibaritanos: *Gaudere & exultare nos voluit in perſecutione Dominus, quia quando perſecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martiribus patent cæli*. Idem in

Martyrium eſt baptiſma. in Exhortat. ad martyr. Hoc (martyrium) ait, *eſt baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius, in quo Angeli baptizant: baptiſma, poſt quod nemo jam peccat: baptiſma, quod fidei noſtræ incrementa conſummat: baptiſma, quod nos de mundo recedentes, ſtatim Deo copulat. In aqua baptiſmo accipitur peccatorum remiſſio; in ſanguinis, corona virtutum*. Exultandum eſt ergo fideli in perſecutione & martyrio, quia hoc ſummum eſt bonum & donum Dei: hinc ſumma eſt martyrum laurea. Sic exultavit S. Ignatius Antiochenus Epiſcopus, cum Roman miſſus, amphitheatrum generoſe & alacer ingreſſus, circumſpectans turbam hominum (facile erant centum millia) eam amice ſalutavit, dixitque: *Ne putetis, o Romani, me hic damnatum ad beſtias ob maleficium, nullum enim commiſi, ſed quia deſidero uniri Chriſto, quem inſatiabiliter ſitio*. Cumque audiret rugientes leones. *Frumentum*, inquit, *Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar*. Lege epiſtolam ejuſdem ad Romanos, qua illos precatur, & qua conjurat, ne martyrium ſuum impediant, ejuſque coronam ſibi eripiant, ubi inter cætera ait: *Utinam fruar beſtiis, quæ mihi paratæ ſunt. Si noluerint venire, vim inferam, ego nunc incipio diſcipulus eſſe Chriſti*. Hoc eſt

D Vera perfecta lætitia. axioma, quod S. Jacobus velut thema epiſtolæ ſuæ proponit: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*; ubi multa hac de re dixi. S. Franciſcus rogatus, in quo conſiſteret perfecta religioſorum lætitia? reſpondit, non in magna ſcientia, vel ſapientia, non in gratia miraculorum, non etiam in magno ſanctitatis & ædificationis exemplo; non denique in converſione omnium infidelium, ſed ſi fame, frigore, nuditate afflicti; innocentes convitiis, injuriis, verberibus exagitemur, illaque cum gaudio amore Chriſti toleremus. Ibi perfecta eſt lætitia, quia præ omnibus donis maximum eſt, propter Deum opprobria ſuſtinere. Nam in ceteris mirabilibus nos gloriari non poſſumus, quia non ſunt noſtra, ſed Dei, ſed in cruce tribulationis & afflictionis gloriari poſſumus, quia illud eſt noſtrum, & ideo dixit Apoſtolus: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Hæc S. Franciſcus.

Galat. 6. 4.

VERS. 13 Luc. 14. 34. Mar. 9. 50 VOS ESTIS SAL TERRÆ: QUOD SI SAL EVANUERIT; IN QUO SALIETUR? AD NIHILUM VALET ULTRA; NISI UT MITTATUR FORAS, ET CONCULCETUR AB HOMINIBUS] q. d. *Vos*, o Apoſtoli, qui proxime mihi hic aſſidetis, quibus octo beatitudines jam dictas primario prædicavi, & quaſi appropriavi, *eſtis* ex mea electione & deputatione (q. d. Elegi & deputavi vos ad hoc, ut ſitis *ſal terræ*: illud ergo *eſtis*, id eſt, eſſe debetis, & per meam gratiam reipſa eritis. Tranſit Chriſtus a beatitudinibus ad ſal, tum quia tradit Ethicam more veterum, per breves gnomas diſparatas, ſine ordine & nexu certo; tum quia hic facilis eſt nexus, q. d. Vos o Apoſtoli, quos eligo, ut meo exemplo ſitis pauperes ſpiritu, mites, mundo corde, miſericordes, &c. hoc ipſo eritis ſal terræ.

E Syri & Palæſtini, uti dixi in canon. gaudent parabolis & metaphoris, ut ſuavius in aures & animos audientium influant. Sic hic Chriſtus vocat Apoſtolos ſal totius terræ, quo tacite præfert eos Prophetis, qui fuere ſal ſolius Judææ, uti advertit S. Chryſoſtomus.

Apoſtoli ſunt ſal terræ. Quæres, cur Chriſtus Apoſtolos vocat potius ſal terræ, quam aurum, argentum, gemmas, &c. Reſp. Primo, quia ſal eſt res ſumme utilis, univerſalis & neceſſaria; ſal enim eſt quaſi balſamum naturæ, quod ipſa pene omnibus mixtis inſervit, ut ea condiat, ſtringat, & a corruptione præſervet, ait Anſelmus Boethus lib. 2. de Lapidibus cap. 302. ſic Apoſtoli fuere ſal, id eſt balſamum terræ.

Primo. Sal eſt balſamum naturæ.

F Secundo. Sal ſapientiæ ſymbolum. Secundo, ſal notat officium, vim & dignitatem Apoſtolorum; ſal enim eſt ſymbolum ſapientiæ, quia ſicut ſal condit cibos, ut ſapidi ſint; ſic ſapientia condit animos, ut ſapientes ſint; a ſapore enim dicta eſt ſapientia, quod ipſa ſit ſapor mentis. Unde Comicus: *Si quis*, ait, *haberet ſalem, qui in te eſt*, hinc & vir inſipiens vocatur inſulſus, juxta illud Catulli:

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

Apoſtoli ergo fuere ſal, quia ſua ſapientia inſulſos mundi mores correxerunt, ſapidoſque & ſapientes effecerunt.

Tertio. Sal ex igne & aqua. Tertio, ſal, ait Plinius l. 31. c. 10. eſt igneæ & aqueæ naturæ continens duo elementa, ignem & aquam, ignem quia acre eſt inſtar ignis, & ſi in ignem projiciatur, eum acuit & accendit: aquam, quia ſal inſperſa aqua, in eam liquefit & reſolvitur; licet enim ſal, uti & ſulphur, nitrum, ſtannum, ceteraque foſſilia ex terra generetur: communiter tamen ex partibus aquæ terreſtribus calore & vento congelatis, ſubtilique ipſius aeris in vapores ſoluto, gigni ſolet: cumque terreſtris ſit, ut ipſa terra gravis efficitur, & cum calore aduſtus eſt, ſiccus amaruſque redditur, qua ratione ipſum mare ſignificat, juxta illud Poetæ Æneid. 1.

Quomodo generetur? G

—— *Et ſpumas ſalis ære ruebant.*

Idem Plinius ibid. cap. 9. ſole, ait, & ſalè nihil corporibus eſt utilius. Hinc a ſale indita nomina, indeque Romæ dicta *via ſalaria*, quod per illam ſal in ſalinas portari conſueverat, ait ipſe cap. 7. Apoſtoli ergo fuere ſal terræ, quia ignea ſua vi eam amore Dei accenderunt, ac aquea ſua ſuaviloquentia & ſapientia eam aridam humectarunt, irrorarunt, fœcundarunt, ut fruges bonorum operum & virtutum omnium proferret. Hinc S. Iſidor. lib. 16. etymol. c. 2. hæc ſalis dat etyma: *Sal*, ait, *quidam dictum putant, quod in igne exiliat, fugit enim ignem, cum ſit igneus, ſed naturam ſequitur, quia ignis & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt. Alii ſal a ſolo & ſole vocatum putant: nam aquis maris ſponte ginitur, ſpuma in extremis littoribus, vel ſcopulis derelicta, & ſole decocta*. Et inferius: *Ex eo omnis victus delectatio, & ſumma hilaritas; unde & ſalis nomen accepiſſe putatur* (ſales enim vocantur hilares lepores) *nihil enim utilius ſale & ſole*. Hinc & illud S. Pauli: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus*. Coloſſ. 4. 6. Denique Ambroſius Calepinus ſal a Græco ἅλς per metatheſin deducit ἅλς enim inverſe eſt *ſal*.

Via ſalaria unde dicta? Salis etymol.

H Quarto. Quarto, ſal cibum inſipidum, ac inſuavi ſuavitate nauſeam provocantem acuit, ſuaque acrimonia gratum ſanumque reddit. Sic Apoſtoli inſipidas & fatuas hominum opiniones, errores & mores acri ſuo ſermone, & vitæ exemplo emendarunt, gratoſque effecerunt Deo, Angelis, & hominibus. Ita S. Hieronymus.

Quinto. Quinto, ſicut ſal vi ſua penetrante carnem a corruptione præſervat, exugendo & conſumendo humores ſanguineos, quibus caro infecta eſt, & a quibus corrumperetur; ita Apoſtoli carnis deſideria menti corruptionem afferentia, hominibus exemerunt, eoſque æternæ incorruptioni & immortalitati ſervarunt. Unde Cicero lib. 2. de Natura deorum: *Sus*, ait, *quid habet præter eſcam? cui quidem ne putreſceret, animam pro ſale datam eſſe dicit Chryſippus;* ſic hominibus, qui quaſi ſues volutabantur in carne & ſanguine, Deus dedit Apoſtolos quaſi ſalem & animam, quæ eos vita ſpirituali animaret, ne putreſcerent.

Sexto

Digitized by Google

A Sexto, sal sitim excitat; sic Apostoli excitavere sitim rerum cælestium. Audi S. Hilarium: *Apostoli sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, afferentes.* Et Euthymius: *Vos*, ait, *a me electi ad curandam totius mundi putredinem estis sal terræ.*

Septimo, Septimo, sal sua acredine mordicat & pungit, siccat & urit. Audi Plinium l. 31. c. 7. & seq. *Salis natura*, inquit, *per se ignea & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens: corpora vero astringens, siccans, alligans. Defunctarum autem ac putrescentia itu vendicans, ut durent ea per sæcula. In medendo vero mordens, adurens, repurgans, extenuans, dissolvens.* Simili modo Apostoli acri suo, igneoque sermone & vita, vitia hominum momorderunt, pupugerunt, siccarunt, & exusserunt. Audi S. Gregor. hom. 17. *Si sal sumus, condire mentes fidelium debemus: quasi inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis, ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi e salis petra æterne vitæ sapore condiatur.* Legant sacerdotes totam illam S. Gregorii homiliam, & aureum invenient vitæ suæ speculum, ut fiant sal terræ. Sapienter S. Chrysostomus:

B Vis, inquit, scire an probus sit populus alicujus loci? vide, qualis pastor sit. Si enim eum pium, probum, integrum inveneris, cogita talem esse & populum, qui ab eo pascitur, & a sale sapientiæ conditur.

Qualis pastor, talis populus.

Pastor, præceptor, & prætor sunt sal reipub.

Nuper Carolus Quintus Imp. festive dictitabat, se ex litera triplicis P. conjicere de statu urbis vel reipubl. cujusvis, scilicet se considerare, qualis eo loci esset *pastor*, qualis *præceptor*, & qualis *prætor*. A pastore enim pendet Ecclesia, a præceptore schola & juventus, quæ est seminarium reipub. a prætore curia & justitia. Pastor ergo est sal Ecclesiæ, præceptor est sal scholæ, prætor est sal curiæ & civitatis. Qualis ergo est pastor, talis est Ecclesia: qualis est præceptor, talis est juventus: qualis est prætor, tales sunt cives.

Porro Apostoli & sacerdotes eorum successores plus faciunt, quam sal, quia sal solum carnes integras præservat a putredine, jam vero corruptas & putidas sanare & redintegrare nequit, uti notat S. Chrysostomus:

C Apostoli vero animas vitiis omnibus corruptas & putidas persanarunt, eisque integritatem, quam nunquam habuerant, indiderunt.

QUOD SI SAL (quod cetera salire & condire debebat) EVANUERIT] Græce μωρανθῇ, id est, *desipuerit*, factum fuerit insipidum & insulsum, infatuatum sit: sicut enim *insulsum* a cibo per metaphoram transfertur ad hominem fatuum, ita vicissim τὸ *fatuum* ab homine transfertur ad cibum: cibus ergo fatuus est, qui caret sapore, insipidus insulsus. Sic Martialis betas vocat fatuas, cum ait:

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.

IN QUO (id est, quo alio sale) SALIETUR] scilicet non cibus, sed ipsum sal, q. d. Non est unde sali insulso possit restitui deperdita vis, sapor & acrimonia: non enim salis est sal. q. d. Si Apostolus, si Episcopus, si sacerdos, qui aliorum mores quasi sal condire debebat, per gulam, luxuriam, metum, adulationem, &c. perdat suum salis spiritualis vigorem, quis illum ei restituet? q. d. Nemo; id verum esse patet in nonnullis sacerdotibus

D & pastoribus præteriti sæculi, qui vel scandalosæ vitæ fuere, vel ignorantes, vel errantes, & in hæresim vergentes, vel negligentes in populo erudiendo: unde in tantum contemptum abiit ordo Ecclesiasticus; indeque ortæ sunt hæreses Lutheri, Calvini, & ceterorum, qui insulsi similes sunt cimicibus, ait Maldonatus; vivi enim mordent, mortui fœtent. Audi S. Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte c. 10. *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? id est, si vos, per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna cælorum; qui erunt homines, per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat ceterorum? ergo ad nihilum valet sal infatuatum, nisi ut mittatur foras, & calcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus, qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest, nisi inferior; sed inferior non est, qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus est in cælo.*

Sal quatuor elementis constat.

Porro sal, cum quatuor elementis constet, quolibet eorum corrupto corrumpitur & evanescit, puta cælo, salo, solo, & igne, ait ille, cælo, id est, aere; salo, id est, aqua & mari; solo, id est, terra. Aere enim humido, sal humectatur, eoque corrupto, corrumpitur; aqua liquatur; E terra fit terrestre; igni aduritur. Ita Prælatus & pastor evanescit. Primo, si capter aetem, id est, auram popularem. Noli, ait Poeta, & ex eo S. Hieron.

Sic pastor quatuor virtutibus cardinalibus.

Respicere ad fumos, & numina vana Catonum.

Secundo, aqua & mari, id est, luxuria liquatur. Tertio, terra, id est, avaritia fit terrestris. Quarto, igni, id est, cholera aduritur. Qua ratione enim docebit alios contemnere vanam gloriam, veneres, opes, honores, qui ea quærit & ambit? Quomodo humilitatem persuadebit vanus, castitatem luxuriosus, liberalitatem avarus, mansuetudinem cholericus? Maxime vero sal licet igneæ sit naturæ, evanescit, si aquæ misceatur, tunc enim plane liquatur & solvitur: ita Prælatus, sacerdos, religiosus evanescit, mollescit & effeminatur, si familiaris sit mulieribus etiam piis. Audi quid senior ille apud Joannem Moschum in Prato spirituali c. 21. 7. dicat; *Filioli, sal ex aqua est; & si appropinquaverit aquæ, continuo solvitur & deficit. Et monachus similiter ex muliere est, itaque si appropinquat mulieri, solvitur & ipse, atque in id desinit, ut jam monachus non sit.* Evanescit pariter, si nimis agat cum secularibus, tunc enim & ipse secularescit, atque e religioso fit secularis. Ut ergo non evanescat, F atque e religioso fit secularis. Ut ergo non evanescat, atque e religioso fit secularis, claudat os & oculos, multa loquatur cum Deo, pauca cum hominibus. Non se accommodet secularibus, sed potius illos sibi adaptare & conformare satagat. Cogitet se esse sal, servet suum vigorem, gravitatem, libertatem, acrimoniam in taxandis vitiis. Non pudeat eum profiteri palam, se esse Ecclesiasticum & religiosum, id est, Dei cultorem, virum spiritualem: mundi contemptorem, cælestium amatorem, & satorem. *Intret cum alieno, exeat cum suo*, ut ajebat noster S. Ignatius, hoc est, initio accommodet se secularium ingenio & sermonibus, sed deinde dextere eos transferat ad spiritualia, & ad id quod ipse intendit, scilicet ad mutationem morum vitæque sanctimoniam. Denique sal nitrum sulphuri concoctum in lapidem vertitur, ait Plinius l. 31. c. 10. Sulphur est zelus gloriæ Dei & salutis animarum: hoc zelo lapidescat & obdurescat ad omnia probra, ad omnes blanditias, ad omnes metus, G ad omnia promissa is, qui satagit esse sal Christi. Sacerdotes ergo sint sal terræ, ut eam præstent morum integritatem, quæ ceterorum sit censura & disciplina; quod efficient, *si loquantur ut oracula, vivant ut numina.*

VOS ESTIS LUX MUNDI] *Estis*, ex mea electione & deputatione, ideoque *estis*, id est, esse debetis, & *estis*, id est, reipsa eritis, si meæ electioni & voluntati respondeatis, meæque gratiæ ut par est, cooperemini. *Lux mundi*, ut mundum errorum vitiorumque tenebris obscuratum, luce doctrinæ vitæque Evangelicæ illuminetis. Ita S. Hilarus, & alii. VERS. 15

Sensate S. Chrisost. hom. 10. in epist. 1. ad Timoth. in morali: *Idcirco*, ait, *ille nos elegit, ut simus quasi luminaria, & velut fermentum evadamus, ut velut angeli cum hominibus versemur in terra, ut tamquam viri cum pueris; tamquam si spirituales cum animalibus agamus.* Sicut ergo sol illuminat cloacas putidas, sed ab iis non sordidatur, Sacerdos sicut sol. Angelus homines, vir puerum, ita & tu, o sacerdos, o religiose, o vir spiritualis, doceas hominem carnalem, ut eum emendes, sed ab eo nullam labem contrahas. Sol H est in cælo, sed inde radios spargit in terram, quibus eam illustrat; ita & tu mente sis in cælis: corpore in terra, ut eam tuo sermone & exemplo virtutis illumines, calefacias & accendas. Sic eris lux & sol mundi. Addit Chrysostomus rem notandam: *Nemo profecto*, inquit, *Gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curaremus: si Dei monitis ac scitis obtemperaremus: si injurias perpessi vicem non referremus: si maledictis lacessiti benediceremus: si pro malis bona redderemus. Nemo esset ita fera bellua, ut non statim ad cultum veræ religionis accurreret, si videret hæc ab omnibus fieri. Atque ut discas ita esse, unus profecto Paulus tam multos ad Dei attraxit notitiam. Si omnes essemus hujusmodi, quot terrarum orbes attrahere & ipsi possemus?*

NON POTEST CIVITAS ABSCONDI SUPRA MONTEM POSITA] Christus Apostolos hic comparat primo sali, secundo luci, tertio urbi in monte conspicuæ. Eidem Ecclesiam, id est, Ecclesiæ Prælatos comparat sæpe in Psalmis, ut Psal. 45. & 47. & 86. Item Isaiæ cap. 60. & 65. Ezech. 40. Sicut ergo urbs in monte sita latere nequit; sed omnium circumcirca degentium oculos ferit, sic & Apostolus, Prælatus & sacerdos in omnium oculos incurrit,

Digitized by Google

A currit, ut officio suo rite fungatur, Christique Evangelium moribus magis quam sermonibus prædicet, multos ad Christum trahat, & ab omnibus laudetur: sin secus faciat, multos a Christo avertat, & de omnibus vituperetur. Sequitur quarta comparatio lucernæ.

VERS. 15 Luc. 8. 16. & 11. 33. Marc. 4. 21. NEQUE ACCENDUNT LUCERNAM, ET PONUNT EAM SUB MODIO, SED SUPER CANDELABRUM, UT LUCEAT OMNIBUS, QUI IN DOMO SUNT] q. d. Lucerna non solet condi *sub modio*, id est, *sub vase*, ut habet Lucas; Syrus & Hebræus *sub lecto*, quod erat mensuræ vasisque genus, sed alte in candelabris ponitur, ut omnibus in domo nocte præfulgeat; sic & vos, o Apostoli, alto officii dignitatisque gradu constitutis, ut omnes vestra prædicatione & sanctitate illustretis. Unde parabolam explicans, subdit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c.

Allegorice SS. Hilarius, Ambrosius, & Beda, Significatur hic, inquiunt, lux Evangelii non claudenda modio, id est, modicis Judææ terminis, sed *in candelabro*, id est, in culmine Romæ, Romanique imperii collocanda, ut omnibus Gentibus illi subditis præluceat.

B Mystice S. Augustinus: Propter modium, inquit, id est, propter mensuram rerum opumque temporalium, non est tegenda vel celanda lux doctrinæ & veritatis: *Sub modio ergo lucernam ponit quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei subjicit, ut superior sit prædicatio veritatis, & inferior servitus corporis.*

Lampas p. 9 fact.

LUCERNAM] Græce λύχνον, id est, lampas, tæda, fax, candela & omne quod lucet: tædæ enim & candelæ proprie imponuntur candelabris, in Italia etiam lampades; has enim habent artificiose turritas, quas proinde campanarias nuncupant. Sic Hebr. נר *lappid*, quod Noster vertit *lampas* vel *lucerna*, significat omne id quod dat flammam lucentem, uti sunt faces, titiones ardentes & proprie dictæ lampades. Hinc cum Judic. 7. 19. dicitur Gedeon cum suis imposuisse lampades lagenis, casque inter se complosisse, per lampades accipe faces vel titiones flammantes: hi enim complosis lagenis emicantes &

C fulgurantes terruerunt Madianitas: si enim fuissent lampades proprie dictæ, hæ utique complosione hac fuissent extinctæ, unde Madianitas percellere nequivissent. Hinc lucernæ & faces hic, uti & alibi in Scriptura, significant viros sanctos, præsertim Apostolicos, qui aliis luce doctrinæ & sanctitatis prælucent & præfulgent; eosque igne charitatis, quo a Deo accensi sunt, inflammant. Unde de Joanne Baptista, ait Christus: *Ille erat lucerna ardens & lucens*. Joan. 5. 35. Sic Elias & Enoch vocantur *duæ olivæ, & duo candelabra*. Apocal. 11. 4. Iisdem comparantur Jesus Pontifex, & Zorobabel dux Israel Zachar. 4. 11. Vide utrobique dicta.

Vox est viri Apostolici.

VERS. 16 SIC LUCEAT LUX VESTRA CORAM HOMINIBUS, UT VIDEANT OPERA VESTRA BONA, ET GLORIFICENT PATREM VESTRUM, QUI IN CÆLIS EST] Ecce hic explicat parabolas solis & salis, scilicet lucis ac civitatis super montem positæ, atque lucernæ impositæ candelabro. Harum ergo parabolarum hic est apodosis, sive explicatio & applicatio, q. d. Estote, o Apostoli, sal, imo sol, ac lucernæ faceisque mundi, ut scilicet simili modo luceat lux vestræ doctrinæ & sanctitatis coram hominibus, ut videant opera vestra bona, ex iisque glorificent Deum, qui vobis tanta sapientiæ sanctitatisque bona donavit. *Ut videant*, Particula *ut* partim consequentiam, partim finem, licet non ultimum, denotat. Monentur enim hic a Christo Apostoli, omnesque eorum asseclæ, ut satagant tam verbo, quam exemplo virtutis aliis prælucere, non sibi, sed Deo, intendendo, scilicet non suam, sed Dei gloriam, & animarum salutem: ut scilicet opus bonum sit in publico, sed intentio uni Deo placendi sit in occulto, ut ait Gregorius: quare hominibus non propter se, sed propter Deum, ut scilicet eos ad Deum trahant, placere studeant, atque sic concilia hunc locum cum c. 6. v. 1. 2. 5. ubi contrarium videtur dicere Christus: *Attendite*, inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*; quæ postrema pars hæc duo loca in speciem contraria conciliat, scilicet vetat ibi Christus Apostolos facere justitiam, id est, justa opera coram hominibus, hoc fine, ut ipsi operantes videantur & glorificentur ab eis, ut scilicet capiant vanam hominum laudem; hic enim vult ea fieri coram hominibus hoc fine, ut ex eis homines glorificent Deum. Audi S. Gregor. 3.

D

Opera boni quomodo occultanda & ostendenda.

part. Pastor. admonit. 36. *Quid est ergo, quod opus nostrum & ita faciendum est ne videatur; & tamen ut debeat videri, præcipitur? nisi quod ea, quæ agimus, & occultanda sunt, ne ipsi laudemur, & tamen ostendenda sunt, ut laudem cælestis Patris augeamus. Nam, cum nos justitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illico adjunxit, ut videamini ab eis. Et cum rursus videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinus subdit, ut glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Qualiter igitur videnda essent, vel qualiter non videnda ex sententiarum fine monstravit, quatenus operantis mens opus suum & propter se videri non quæreret, & tamen hoc propter cælestis Patris gloriam non celaret.* E

VERS. 17 Christus legem implevit. Primo. NOLITE PUTARE, QUONIAM (ὅτι, id est, quod) VENI SOLVERE (καταλῦσαι, id est, dissolvere, irritare, abolere) LEGEM AUT PROPHETAS: NON VENI SOLVERE, SED ADIMPLERE] Id verissime dixit Christus: Primo, quia ipse semper legem veterem Mosis servavit, etiamsi illa, utpote Deus Deique Filius, non obligaretur. Unde juxta legem circumcisus est, præsentatus in templo, porcina abstinuit, ceteraque legis illius sanctiones stricte observavit. F

Secundo.

Secundo, quia leges ceremoniales, quæ erant figuræ & umbræ Christi, ipse seipso, suoque corpore, suis actibus, Sacramentisque implevit, quia illa gessit, & passus est, quæ in ceremoniis legis veteris figurabantur. Tunc enim prophetia impleri dicitur, cum fit, quod expresse vel tacite per eam prædictum & prophetatum est. Et hoc innuit Christus ver. sequenti, dicens; *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*. Ita Irenæus lib. 4. c. 27. Tertullianus lib. de Patientia, Hilarius canon. 4. & 5. Augustinus in quæst. novi Testamenti, quæst. 69. Tertio, & maxime, quia Christus præcepta moralia legis implevit, dum ea explicatius & perfectius docuit & sanxit, ac pro pœnis præmiisque temporariis æternas substituit, atque præceptis Evangelica consilia, quæ perfectiora sunt, adjunxit, ut patet ex seq. Ita Theophylactus & Euthymius.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Quarto, quia legis Mosaicæ imperfectionem supplevit, G justificando nos per fidem & Sacramenta legis novæ, quæ instituit, quod lex Mosis facere non poterat. Quinto; ut ait S. Augustinus, Christus legem implevit dando gratiam, quæ non tantum jubeat, sed & juvet, vires addat, faciatque nos legem implere. Unde illud S. Augustini: *Domine da quod jubes, & jube quod vis*. Christus maxime hic secundum & tertium sensum intendit. Vide S. Thomam, 1. 2. q. 107. art. 2.

VERS. 18 Luc. 16. v. 17. Amen, quid? AMEN QUIPPE DICO VOBIS, DONEC TRANSEAT CÆLUM ET TERRA, JOTA UNUM, AUT UNUS APEX NON PRÆTERIBIT A LEGE, DONEC OMNIA FIANT] *Amen*, id est, vere, in veritate: unde Aquila vertit πιστῶς, id est, *fideliter, vere, certe*, ut docet S. Hieronymus epist. ad Sophronium. Porro *Amen* est vox non jurantis sed affirmantis rem a se dicendam, vel confirmantis rem jam dictam. Affirmantis est, cum orationi vel sermoni præponitur; confirmantis est, cum ei postponitur, eamque quasi obsignat, uti videre est Deuter. 27. 26. & seq. 1. Corinth. 14. 16. Quocirca Septuag. vertunt γένοιτο, id est, *fiat*. q. d. verum sit, vere fiat, quod opto, obsecro vel approbo. Hoc loco *Amen* est affirmantis & graviter asseverantis. H

Christus est Amen, id est, stabilis.

Porro ipse Christus vocatur *Amen*, Apoc. 3. 14. *Hæc dicit Amen, testis fidelis*, q. d. Hæc dicit Christus, qui est *Amen*, id est, stabilis, verus, constans, fidelis, ipsaque stabilitas, veritas & fidelitas.

DONEC TRANSEAT CÆLUM] Non natura naturæque interitu, sed qualitate & conditionis mutatione; id est, donec cælum ab hoc statu corruptionis, quo servit homini mortali, immutetur in statum novum & gloriosum in resurrectione, q. d. Ante fidem mundi, quo cælum & terra transibunt, id est, innovabuntur, necesse est omnia, quæ in lege de me scripta sunt, impleri. Aut potius *donec transeat*, id est, donec omnino pereat cælum. Est enim hypothetica, & conditionalis, sive comparativa propositio. q. d. Citius pereat cælum, facilius dehiscat terra, crepetque totus mundus, quam minimum legis punctum non impleatur, vel in hac vita, vel in futura: quamdiu ergo stabit cælum & terra, tamdiu stabit lex tota: stabit jugiter & æternabit cælum & terra, multo magis stabit & æternabit lex tota; juxta illud Christi: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*,

Digitized by Google

A *bunt*; Matth. 24. 35. Unde Græce eſt in præterito ἂν μὴ παρέλθῃ, id eſt, donec tranſierit, defecerit eſſe cælum & terra. q.d. Citius defecerit tota mundi machina, quam Dei lex. Audi Irenæum: *Sed & præcedentis nominis ejus (Ἰησοῦς, id eſt Jeſus) litteras jota & Eta octodecim* (Jota enim nota eſt denarii, Eta ſive Ita, octonarii, quæ juncta faciunt 18.) *Æonas ſignificanter manifeſtare* (aſſerunt Valentiniani) *decem autem Æonas ſimiliter per jota litteram, quæ præcedit in nomine ejus, ſignificari dicunt; & propter hoc dixiſſe Salvatorem, Jota unum, aut unus apex non præteribit, quoadusque omnia fiant.*

Simili phraſi ſenſuque dicitur Pſal. 71. 1. *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* q.d. Numquam deficiet Chriſti juſtitia & pax, ac citius quam id fiat, lunam lux omnis deſtituet. Et Pſal. 88. 38. *Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum*, q.d. Sol & luna durabunt in æternum, at multo magis æternabit thronus Chriſti.

JOTA UNUM] Chriſtus loquens Hebræis dixit *jod unum*: ut habet Syrus & Hebr. Sed interpres Græcus pro
B *jod* Græcum *jota* æquivalens ſubſtituit; Græcum more ſuo ſecutus Arabicus pariter habet jota. Jod enim Hebræis, æque ac jota Græcis & i Latinis, omnium litterarum eſt minima, q.d. Nihil vel minimum (quale eſt *jod* vel *jota*) ex iis quæ in lege ſcripta ſunt de me meiſque actibus & myſteriis, præteriri poteſt, quod non ad punctum adimpleatur. Ex hac littera Jod licet minima, maximam hæreſim conſtruxit Valentinus, teſte Irenæo lib. 2. capit. 1. nimirum Æonum ſuorum nominum portenta verius quam numina.

Unus apex quid? AUT UNUS APEX] Apicem legis vocat, non ipſa puncta vel accentus Hebræorum; hæc enim tempore Chriſti necdum erant, ac diu poſt Chriſtum a Rabbinis adinventa ſunt, ſed ſummitatem aut punctum aliquod, id eſt, minimam particulam ipſius litteræ legis.

DONEC OMNIA FIANT] *Omnia* ſcilicet, quæ de me meiſque actibus, Eccleſia, & Sacramentis in lege & Prophetis ſcripta ſunt. Rurſum *omnia*, quæ in lege præcepta & promiſſa, vel comminata ſunt. q.d. Neceſſe eſt omnes homines legi a Deo latæ obedire, quia ad hoc Deus eos
C arcte & irremiſſibiliter obſtrinxit: multi ergo ei obedient eamque implebunt, itaque promiſſa legem ſervantibus a Deo præmia nanciſcentur, tum in hac vita, tum magis in futura. Ceteri vero, qui ſua libera voluntate & malitia legem violabunt, ejus quidem præcepta non implebunt, ſed tamen in eis pariter lex implebitur quoad comminatam a ſe violantibus pœnam; hanc enim incurrent tum in hac vita, tum in futura: ardebunt enim in æternum in gehenna: qui ergo fugiunt legis obſervationem, incidunt in ejus condemnationem: unde dum eam non implent obediendo, implent eamdem pœnam ſuſtinendo: ſignificat ergo hac ſententia ſtrictam jugemque legis obligationem, vim & robur, quæ exactam omnium obedientiam requirit; ideoque certiſſimas, jugeſque pœnas inobedientibus, & præmia obedientibus ſtatuit & ſanxit.

VERS. 19 QUI ERGO SOLVERIT (violarit & tranſgreſſus fuerit, vel reprobarit, irritarit, aboleverit) UNUM DE MANDATIS ISTIS MINIMIS, ET DOCUERIT SIC HOMINES, MINIMUS VOCABITUR IN REGNO CÆLORUM: QUI AUTEM FECERIT ET DOCUERIT, HIC MAGNUS VOCABITUR IN REGNO CÆLORUM] *De mandatis iſtis minimis*, quæ ſci-
D licet lex jam dicta præcipit. Ita S. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, aut quibus ego legem jam ſum explicaturus & perfecturus, unde ſubdit: *Dico enim vobis, niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Non ergo ſignificat omnia legis mandata eſſe minima, ſed quod damnandus ſit is, qui vel unum de mandatis legis etiam minimis violarit, vel prava interpretatione perverterit, uti pervertebant Phariſæi, docentes externum adulterium lege vetari, non vero internam ejus concupiſcentiam; ubi nota mandatum hic preſſe ſumi, pro præcepto gravi obli-
Minima præcepta quæ? gante ſub peccato mortali, uti ſunt præcepta Decalogi, qui enim tale unum ſolverit, licet Decalogi minimum, hic utique damnandus eſt: nam levia quædam in lege veteri, licet a Deo præcepta eſſent, tamen obligaſſe tantum leviter ad peccatum veniale, & ad pœnam temporariam omnino veriſimile eſt; qualia ſunt matrem capere cum pullis in nido, arare cum bove & aſino, alligare os bovi trituranti, coquere hœdum in lacte matris, &c. quæ vetantur Deuteronomii 22. ver. 6. & 10. & c. 24. 4. & Exodi 23. 19.

Minima ergo hic vocantur, non levia hæc obligantia

ad peccatum veniale, ſed quæ minima ſunt inter mandata, id eſt, præcepta gravia obligantia ad peccatum mortale, quale eſt aſpicere feminam ad eam concupiſcendam; vel eam interius concupiſcere, etſi exterius opus non perpetres, quod Phariſæi cenſebant eſſe minimum & vix ullum peccatum: Chriſtus autem docet eſſe peccatum mortale, lege Decalogi vetitum. E

ET DOCUERIT SIC HOMINES] Sic ſcilicet, ut ego facio, pura recte, ait S. Hieronimus. q.d. Damnabitur qui ſolverit unum de mandatis minimis, etiamſi ipſe alios recte doceat illud eſſe ſervandum, ſicut ego doceo. Magis germane SS. Auguſtinus & Chryſoſtomus *ſic*, ſcilicet ſicut ipſe facit. q.d. Qui ſolverit unum de mandatis, & docuerit alios, *ſic*, id eſt, ſimili modo illud idem ſolvere & violare, repete per Hebraiſmum relativum *qui*. q.d. Qui ſolverit mandatum: & (id eſt, *item*) qui docuerit alios idem ſolvere, damnabitur uterque, ſcilicet & ſolvens & docens; vel ſi unus idemque utrumque fecerit, utroque titulo bis damnabitur: qui enim alterutrum facit, ſcilicet, qui ſolvit mandatum, aut qui docet alios illud ſolvere, hic minimus vocabitur, id eſt, F damnabitur. Maxime enim Chriſtus agit de Doctoribus: perſtringit enim Scribas & legis Doctores, qui pravas ſuas legis interpretationes docebant, aliiſque inſtillabant. Aut certe copula & conjuctiva capitur pro disjunctiva Et pro aut. *aut*, q.d. qui ſolverit mandatum, & id eſt *aut* docuerit alios ſolvere, hic damnabitur: ſimile eſt Exodi 21. 17. in Hebræo: *Qui maledixerit patri ſuo*, & (id eſt *aut*, ut vertit Vulgata; ſufficit enim alterutri maledixiſſe) *matri, morte moriatur*. Et: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, & (id eſt, aut) *biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joann. 6. Dicit tamen Chriſtus, &, non *aut*, tum quia Scribæ utrumque faciebant, tum, ut conſtet antitheſis, quæ ſequitur: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur*. Hic enim τὸ & proprie ſumitur; requiritur enim utrumque, ſcilicet facere & docere, ad hoc ut quis magnus vocetur.

MINIMUS VOCABITUR] Ultimus habebitur, vilis re- *Minimus in regno cælorum*, quid? putabitur, contemptui erit in cælis Deo & ſanctis Angelis quaſi hominum poſtremus & plane indignus, qui in regnum cælorum admittatur, ideoque damnabitur & relegabitur ad gehennam. G Unde S. Chryſoſt. & Theophyl. *minimus* interpretantur *nullus*; quia in regno cælorum nonniſi magni eſſe poſſunt, ait S. Auguſt. utpote reges cæli, filii Dei & choeredes Chriſti. Nota Chriſtus in τὸ *minimus* alludit ad τὸ *minimis mandatis*: ludit enim amphibologice, ſed eleganter in voce *minimus*. q.d. Vos o Scribæ mandata gravia legis qualia ſunt non concupiſcere opes, uxorem, necem proximi, æſtimatis minima minimique momenti, ac minimam, id eſt, exiguam vel nullam inducere obligationem, culpam & pœnam, ideoque vos in cælo pariter coram Judice Deo cenſebimini minimi, id eſt, nulli, contempti, deſpecti. Vide Can. 23.

IN REGNO CÆLORUM] Proprie dicto. Ita S. Chryſoſt. & Theoph. licet S. Auguſtinus, & alii regnum cælorum interpretentur Eccleſiam: hujus enim regnum inchoatur in terra, ſed perficitur in cælo.

QUI AUTEM FECERIT ET DOCUERIT, HIC MAGNUS VOCABITUR IN REGNO CÆLORUM] *Magnus*, ſcilicet, Doctor, pater & princeps diſcipulorum, quos docuit. Cenſentur autem facta omnia legis mandata, quando H quidquid factum non fuerit, a Deo ignoſcitur, ait S. Auguſt. Error enim corrigitur, ſarcitur & impletur per pœnitentiam. Nam, ut ait S. Bernard. tract. de Diſpenſatione & præcepto: *Pars regulæ eſt regularis correctio*: hanc ergo ſibi ſubit reus, regulam implet.

Moraliter diſce hic rectam docendi viam & methodum eſſe, ſi doctor prius faciat id, quod deinde dicturus eſt. Ita Chriſtus, ait S. Lucas, cœpit facere & docere prior, imo primus ipſe fuit pauper, humilis, mitis, lugens, mundo corde, pacificus, perſecutionem patiens, ac deinde docuit: *Beati pauperes ſpiritu, beati mites*, &c. Examinet ergo ſuam conſcientiam coram Deo Doctor, antequam id doceat, an ipſe ſit pauper ſpiritu, mitis, mundo corde, ſimplici an duplici, ſimulato, politico: nec doceat alios niſi prius ſeipſum docuerit, videat, an mente adhæreat mundo an Chriſto; ut enim ſit Chriſti, debet frangere teſſeram amicitiæ cum mundo, renuntiare omnibus mundanis, calcare favores, plauſus, riſus, probra ſociorum, ac dicere cum Paulo: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Et, Gal. 1. 10. *mihi autem pro minimo eſt ut a vobis judicer, aut ab humano die*, &c. *qui autem me judicat, Dominus eſt. Prima virtus* 1. Cor. 4. 3.

Digitized by Google

A *monachi* (& multo magis Apostoli & Doctoris Christi) *est contemnere & contemni*, ait S. Hieron. Idem videre Gentiles: unde Lactantius toto lib. 3. de Falsa sapientia ex Seneca, Cicerone, Varrone & aliis ostendit, Philosophos parum fecisse fructus, quia quæ docebant, illa non faciebant, & philosophia facta erat schola disputandi, non regula vivendi: unde in tales detonat Apostolus Rom. 2. 21. dicens: *Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?* &c. Et v. 1. *In quo alterum judicas, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas*. Vide ibi dicta & Ezech. 1. 8. Præclare S. Thomas Præfat. in Ep. Canon. si ejus est illud opus: *Litteras*, inquit, *mortis suæ portant viri literati qui sciunt & docent & non faciunt: Istæ sunt litteræ sine sigillo, id est scientia sine vita, & ideo non creditur eis*.

VERS. 20 DICO ENIM VOBIS, QUIA (Græce ὅτι, id est, *quid*) NISI ABUNDAVERIT JUSTITIA VESTRA PLUS QUAM SCRIBARUM ET PHARISÆORUM, NON INTRABITIS IN REGNUM CÆLORUM] *Dico*, id est, edico & graviter, constanterque assevero. *Abundaverit*, abundantior, præstantior, eminentior, plenior & perfectior fuerit, *justitia vestra*, id est, vestra legis observatio: illa enim implet id, quod lex justum esse dictat: illa quoque facit nos revera coram Deo justos. Nam, ut ait Apost. Rom. 2. 13. *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*.

B

Errores Scribarum circa legem.

Nota, Scribæ & Pharisæi, licet a vulgo doctissimi & justissimi sanctissimique haberentur, tamen a vera justitia multum deficiebant: Primo, quia magis externas actiones quam internas affectiones domabant: satagebant enim coram hominibus apparere legis observatores & justi.

Secundo, quia legis litteram pravo sensu & explicatione perverterebant.

Tertio, quia justitiam suam magis in cæremoniis, ac præsertim crebris lotionibus, quam in vero sanctitatis spiritu collocabant. Contraria prorsus hic docet Christus, ut patet ex sequentibus: ac Christiani etiam minimi & rudes prorsus contraria facere debent, itaque superare justitiam Scribarum, si cælum ingradi velint. Hæc tria in sequentibus per varia Decalogi præcepta sigillatim demonstrat Christus.

C

VERS. 21 AUDISTIS, QUIA DICTUM (præceptum) EST ANTIQUIS. NON OCCIDES: QUI AUTEM OCCIDERIT, REUS ERIT JUDICIO] *Audistis*, a Scribis legem Moysi docentibus & explicantibus. Hic ostendere incipit Christus, se legem non solvere, sed adimplere, ac justitiam Christianam præcellere debere Judaicæ & Pharisaicæ: utrumque enim paulo ante asserit. Igitur Christus hic componit, opponit & anteponit se, suamque doctrinam, tum Scribis, & Pharisæis, qui per suas διατάξεις, id est, traditiones Pharisaicas legem perverse interpretabantur, ut patet ex vers. 20. & 43. tum ipsi legi & Moysi: Christus enim legi addidit præcepta fidei explicitæ de Deo trino & uno, deque Christi incarnatione passione, redemptione, &c. item consilia Evangelica: ad hæc clariorem & expressiorem legis naturæ sive Decalogi explicationem, & hoc ultimum maxime intendit hic Christus, ut patet ex sequent. Licet enim lex naturæ semper extiterit, omnesque obligarit, tum eos qui fuerunt ante diluvium, tum eos qui post illud vixerunt, tamen obscurior mansit, nec plane expressa, ideoque paucis plene cognita ante Christum veritatis, justitiæ & perfectionis Magistrum, qui eamdem hic clare, plane & plene explicat. Ita diserte S. Augustinus lib. 1. Retract. c. 22. S. Hilarius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & alii: licet nonnulli cum Maldonato censeant, Christum hic tantum agere contra perversas Phatisæorum legis interpretationes, ideoque ipsum hic non se opponere legi & Moysi, sed tantum Scribis & Pharisæis, eorumque legis interpretationibus: sed prius, quod dixi, verius est scilicet Christum tam legi, quam Scribis se opponere, & utrorumque imperfectiones & defectus supplere. Lex enim Moysis fuit rudis & imperfecta, utpote rudibus Judæis data, quam proinde Christus per legem Evangelicam expolivit & perfecit.

Christus perficit non tantum Scribas sed & legem, ¶

D

NON OCCIDES] Multi putabant hac lege dumtaxat vetari homicidium: at Christus hic docet per illam etiam vetari iram, verba, verbeta, probra, &c. quæ sunt præludia homicidii, & ad illud recta via ducunt.

QUI AUTEM OCCIDERIT, REUS ERIT JUDICIO] q.d. Obnoxius & obligatus erit judicio, ut in judicio factus factumque ejus examinetur, utque judicium examini & censuræ homicida subjaceat, qui juxta legem eum ad mortem condemnet; nisi deprehendant eum fortuito, vel necessitate se defendendi compulsum, invasorem occidisse. Ita S. August. lib. 1. de Serm. Domini in monte, & S. Greg. lib. 21. in Job cap. 4.

Judic. pro condemnatio

Rursum reus erit judicio, id est, judicii, id est, condemnationis, pœnæ capitalis, & mortis, quam in judicio condemnabatur, & plectebatur homicida, juxta legem Levit. 27. 17. quod enim hic dicitur: *reus erit judicio*; hoc ibi aliis verbis dicitur: *morte morietur*. Ita Euthymius. Sic sæpe in Scriptura per metalepsin *judicare* significat *condemnare*, & *judicium* significat *condemnationem*.

VERS.

EGO AUTEM DICO VOBIS: QUIA OMNIS QUI IRASCITUR FRATRI SUO, REUS ERIT JUDICIO, QUI AUTEM DIXERIT FRATRI SUO, RACA, REUS ERIT CONCILIO; QUI AUTEM DIXERIT, FATUE, REUS ERIT GEHENNÆ IGNIS] Hic Christus explicat, implet & supplet legem *non occides*, docetque ea non tantum vetari homicidium, sed & iram tam internam, quam externam, quæ in probra verbaque injuriosa prorumpit. *Ego autem dico*, id est edico, assevero & sancio tamquam legislator omnis legis, tam Evangelicæ quam Mosaicæ & naturalis,

F

OMNIS QUI IRASCITUR] Græci addunt εἰκῆ, id est, temere, sine causa: sed Codices Romani, ac S. Hieronymus, & S. Augustinus l. 1. Retract. c. 19. illud omittunt, subintelligitur tamen hoc aut simile, Agitur enim hic de ira illicita, quæ via sit, initium & gradus ad homicidium injustum & illicitum, alioqui enim ira justa de causa, v. g. contra peccata & peccatores concepta, est licita & laudabilis, adeoque ira a natura insita est homini, ut sit eos virtutis & fortitudinis, ad eam contra vitia & adversa quælibet acuendam.

Ira quando peccatum, quando non.

Nota: Ira est appetitus vindictæ; ipsa est peccatum mortale, si deliberate inferat, vel optet grave malum corporis, vel bonorum, vel famæ proximo, aut de eo gaudeat, etiamsi is illud mereatur; quia iratus de eo gaudet, ut est bonum non justitiæ, sed vindictæ. Ita vero est veniale peccatum, si leve malum appetat proximo, etiamsi ira sit vehemens & valde interius exteriusque excandescat, ut docet Cajetanus in summula, Verbo *Ira*, & Toletus Instruct. sacerd. lib. 7. c. 57. Hoc enim secundum se non est peccatum mortale, nisi erumpat in grave malum proximi, aut se exponat periculo blasphemiæ, gravis convitii, scandali aut alterius peccati mortalis. Denique ira nullum est peccatum, si assumatur ex zelo justitiæ ad extirpanda scelera & scelestos, uti eam assumpsit Mathatias occidens Legatum Antiochi, qui cogebat Judæos sacrificare idolis, 1. Machab. 2. 25. & Christus flagello ejiciens ementes & vendentes e templo, Joan. 2. 15. Audi S. Chrysostomum in Psal. 4. ad illa: *Irascimini & nolite peccare*; *licet*, inquit, *juste iraſci: nam & Paulus Elymæ succensuit*. Actor. 13. 8. *Et Petrus Saphiræ*, Actor. 5. 9. *sed id non iram dixerim absolute; sed Philosophiam, curam & œconomiam. Iraſcitur enim pater filio, sed ejus curam gerens. Ille est qui temere iraſcitur, qui seipsum ulciſcitur: qui autem aliena corrigit, is est omnium mansuetiſſimus. Nam Deus etiam non seipsum vindicans, iraſcitur; sed nos corrigens. Eum ergo nos quoque imitemur. Ita enim se gerere divinum est; aliter vero humanum. Virum stultum*, inquit Job, *interficit iracundia*. Job 5. 2. Ubi S. Greg. *Sciendum*, inquit, *est quod alia est ira, quam impatientia excitat; alia quam zelus justitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur: si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadverſionis impetum Phinees per gladium non placaſſet. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter superne ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia, tepuit, eo contra illum diſtrictio æterni Rectoris exarſit*. Quin & Aristoteles lib. 3. Ethic. *Iram*, ait, *esse eos fortitudinis*, citatque illud Homeri: *Virtuti immitte furorem*.

G

Ira aliqua laudabilis.

Porro S. Augustinus, Franc. Lucas & Maldonatus putant hic agi dumtaxat de ira, quæ sit peccatum mortale, S. Chrysostom. vero & Jansenius censent hic agi de ira, quæ sit peccatum veniale. Ego autumo de utraque hic agi, scilicet de omni ira illicita, sive venialis sit, sive mortalis, maxime tamen de mortali, quia hæc proprie ducit ad homicidium, ideoque rea est judicii, id est, pœnæ capitalis.

REUS ERIT JUDICO] Paulo aliter capitur hic *judicio* quam paulo ante v. 21. ubi dicitur: *qui autem occiderit, reus erit judicio*; ibi enim intelligitur judicium humanum, quo homicida a judicibus judicatur & damnatur ad mortem; hic vero intelligitur judicium divinum, quo Deus iram judicat

H

Digitized by Google

A dicat & damnat, venialem quidem ad pœnam temporariam, qualis est purgatorii, mortalem vero ad pœnam æternam, qualis est gehennæ. Ludit ergo analogice in voce *judicio*. Vide Canonem 23. Christus ergo hic uni homicidio lege veteri verito, & uni pœnæ mortis corporeæ, ab eadem lege sancitæ, triplicem opponit iræ gradum, & consequenter triplicem pœnæ spiritualis, præsertim æternæ gradum & mensuram. Ita S. Augustinus: perstringit enim Scribas, qui in explicando præcepto *Non occides*, dupliciter errabant. Primo, quod eo putarunt homicidium dumtaxat vetari, non vero iram internam, ideoque illam non esse peccatum; contra quos Christus hic docet, illo etiam iram prohiberi, quia ipsa initium & via est ad homicidium. Secundo, quod homicidio non aliam pœnam assignarent, quam mortis corporalis a judicibus in judicio inflictam; contra quos Christus hic docet non tantum homicidio, sed & iræ in judicio divino a Deo infligendam pœnam spiritualem, vel temporariam in purgatorio, si ira sit venialis; vel æternam in gehenna, si ira sit mortalis; quarum utraque æquatur morti temporali a judicibus homicidæ inflictæ, imo longe illa gravior & acerbior est.

Duplex error Scribarum. Primo. Secundo.

B

Porro quam prava sit ira, vide S. Basilium & S. Chrysostomum hom. de Ira, Senecam lib. de Ira. Ciceronem 4. Tuscul. ubi inter alia ait: *An est quidquam similius insaniæ, quam ira? quam bene Ennius initium dixit insaniæ: color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? Quid Agamemnone in furgio? Nam Ajacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit.* Vide dicta Ephes. 4. 26.

Raca quid? Resp. Primo.

QUI AUTEM DIXERIT FRATRI SUO, RACA, REUS ERIT CONCILIO] *Raca*. Primo, S. Chrysostomus putat *raca* significare *tu*, v. g. Si quis per contemptum dicat proximo: *vade tu, quid vis tu?* quasi Christus hic vetet *tuisare*, id est, vocare aliquem *tu* per despectum.

Secundo.

Secundo, Theophylactus: *raca*, inquit, idem est quod sputo dignus vel conspuendus: רק *roc* enim est sputum: verum hoc convitium tantum, imo amplius est, quam vocare aliquem fatuum, quod tertio & summo loco hic ponit Christus.

C

Tertio.

Tertio, alii autumant *raca* esse vocem Græcam *παχὺς*, id est, pannosus. Inepte Beza hic censet, Christum pro *raca* dixisse יעש *rasca*, id est, *impie*.

Quarto.

Quarto, verosimilius S. August. Rupertus, Anselmus, & alii opinantur *raca* esse interjectionem spernentis & adversantis, per onomatopœjam, ac sub ea omnia malevoli animi signa, sive ea fiant murmurando, sive frendendo, sive expuendo, sive faciem indignanter avertendo, sive frontem rugando, sive nasum suspendendo, intelligi.

Quinto. Optime.

Quinto, optime S. Hieronymus & Angelus Caninius in Nomin. Hebræis novi Testamenti & alii censent *raca* esse vocem Hebræam, aut potius Syram derivatam ab hebr. ריק *ric*, id est, *vacuus* (non cerebro, uti vult S. Hieronymus, hic enim est fatuus, sed opibus, ait Jansen.) *inanis fuit*, quasi *raca* idem sit quod Homo levis, aut inops & pauper, & ita vertit Noster, Judic. 11. 3.

D

Denique, Georgius Michaelis Maronita in Proœmio Grammaticæ Syriacæ, c. de Præstantia linguæ Syriacæ: Raca inquit Syriacum est, & tria significat. Primo idem est, quod *testudo*, quod animal ita Syris deforme habetur, ut maxime illud nauseent & abhorreant. Sic Itali, cum tardum & deformem notant, dicunt: *pare tartaruga*. Secundo, *raco a rac*, id est, *conspuit*, significat conspuentem sive conspurum. Syri enim cum volunt alicui ignominiam inurere, vocant eum *raco*, id est, conspuentem, vel conspurum, *raco* enim tam active, quam passive sumitur. Aut *raca* idem est quod *rauco*, id est, sputum: & alter alteri hanc vocem forte dicebat, ut significaret se instar sputi illum æstimare. Sic enim Syri, ut quem ostendant a se nihil fieri, dicunt: *Tu es instar sputi apud me*. Tertio, *raco* Syris significat contemptum, despectum, vilem, abjectum, sordidum, & in hac significatione arbitror sumi vocem *raca* a Christo. Hucusque Georgius. Favet Æthiopicus, qui vertit: *qui dixerit fratri suo, quod pauper sit per contemptum, & laceris vestibus, reus erit concilio*. Persicus & ceteri retinent τὸ *raca*, nec explicant: unde & Ægyptius, sive Copticus habet *cheraka: che* enim est articulus, restat ergo *raka*, sive *raca*. Arabicus, *raca* vertit pannosus, lacer, mendicus, qui vestitur centone, sive veste ex centum plagulis confarcinata.

E

Certum est *raca* plus esse quam irasci, minus, quam *fatue*, ac proinde verius est esse interjectionem & signum irati, aut significare hominem inanem, pauperem, miserum, abjectum. Rursum *raca* est ambiguum, potestque esse veniale, potest & esse mortale, ideoque reum concilii: *fatue* vero certum est esse mortale, ideoque reum gehennæ ignis, τὸ enim *fatue* significat amentem & emedullati cerebri, qui pecudi confertur. Auser enim ab homine rationem mentemque, & irrationale pecus efficies.

Raca veniale vel mortale.

REUS ERIT CONCILIO] Græce συνεδρίῳ, a qua voce Hebræi summum suum concilium vocarunt *sanedrim*, quasi dicat, obnoxius erit & obligatus concilio, sive judicio summo Sanedrim, ut illorum judicum censuræ subjaceat, ab eisque sententiam damnationis subeat.

Nota, Thalmudici Doctores, & ex iis Franc. Lucas, Maldonatus & alii tradunt apud Hebræos triplex fuisse tribunal. Primum מטונא דין *din mammona*, id est, judicium de re pecuniaria, quod erat Triumvirum; tres enim in illo sedebant judices. Secundum דין משפט *din mispat*, id est, tribunal judicii, scilicet de re capitali, in quo examinabatur, v. g. causa homicidii, & homicida capitis damnabatur, nisi probaret illud fuisse fortuitum, aut in sui defensionem factum. Hoc tribunal constabat 23. judicibus. Tertium erat *Sanedrim*, quod erat 72. judicum, in quo graves causæ & scelera, ut hæresis, falsi Prophetæ, idololatriæ, apostasiæ, &c. tractabantur. Christus omisso primo hic alludit ad duo posteriora, ac secundum vocat *Judicium*, tertium vocat συνέδριον, id est, *concilium*. q. d. Talis est proportio inter iram & verbum contumeliosum, & inter utrinsque pœnam, qualis est inter judicium *mispat* & *sanedrim* sive summum concilium, ut sicut hoc excedit illud, ita & pœna verbi contumelioši excedat pœnam iræ: nam cetera omnia in hac similitudine, uti & in ceteris, non est necesse accommodare, imo sæpe id est impossibile. Est ergo hic catachresis in voce *judicii* & *concilii*, per judicium enim significatur minor iræ culpa, indeque minus examen, minorque condemnatio & pœna: per concilium vero major culpa, indeque majus examen majorque damnatio & pœna, Denique per gehennam proprie significatur certa culpa, damnatio & pœna.

Triplex tribunal Hebræorum.

F

Sanedrim, quid?

G

Sensus ergo est, q. d. Sicut homicida in lege veteri reus erat judicii, ut scilicet causa hæc ejus criminalis a criminalibus judicibus examinaretur, ac ipse damnaretur ad mortem, nisi judices inveniissent ipsum id casu vel necessitate feciisse, ita pariter ira, quæ est primus gradus ad homicidium, est causa criminalis, ac consequenter pertinet ad tribunal non primum *Mammonæ*, sed secundum *Judicii*, non humani, sed divini, ita ut si ira sit perfecta & voluntaria, hoc est, animus deliberatus inferendi cædem vel grave malum proximo, ob eam damnetur ad mortem, non præsentem sed æternam; sin autem ira sit levis vel improvisa & venialis, damnetur ad pœnam & mortem temporalem, ut scilicet luat pœnas in purgatorio, quæ æquiparantur morti temporali, quam infligebant judices homicidæ in tribunali judicii.

Sensus loci genuinus.

H

Sin autem eruperit ira in verbum asperum, v. g. *raca*, gravius peccat vel venialiter vel mortaliter, prout illud procedit ex interna ira vel veniali vel mortali. Gravius, inquam, peccat, quia iram signo externo prodit & perficit; ac proinde pertinet ad tribunal Concilii illud judicare & punire: hoc enim de gravioribus criminibus judicabat, ut ab eo gravius puniatur, sed pro ratione & quantitate culpæ, ut si illa sit venialis graviori, quam interna ira, pœna in purgatorio; si mortalis, graviori supplicio in inferno castigetur. Sin autem dixerit *fatue*, id est, verbum aperte & graviter contumeliosum, jam nec judicio, nec concilio est opus, sed certa ejus est damnatio ad gehennam.

Probatur. Primo.

Hunc esse genuinum hujus loci sensum probatur: Primo, quia Christus hic plene explicat Decalogum, scilicet præceptum: *Non occides*, docetque eo non tantum homicidium, sed omnem iram tam venialem, quam mortalem vetari: alioqui si solam mortalem intelligeret, non plene & perfecte explicaret hoc præceptum.

Secundo.

Secundo, quia in simili, puta in secundo Decalogi præcepto, *Non pejerabis*, Christus vers. 34. explicat illo non tantum perjurium, sed omne non necessarium juramentum, quod sæpe est veniale tantum, vetari.

Tertio.

Tertio, quia ita explicat S. Gregorius 21. Moral. c. 4.

Digitized by Google

A *Per gradus*, ait, *culpæ crevit ordo sententiæ, quia in Judicio adhuc causa discutitur, in Concilio autem causæ sententia definitur, in gehenna, ea, quæ de concilio egreditur, sententia expletur.* S. Augustin. lib. 1. de Serm. Domini in monte, c. 18, defensioni, ait, datur locus in judicio: in concilio de supplicio, quo afficiendus est reus, deliberatur: in gehenna est certa damnatio.

Peccatum aliud veniale, aliud mortale.

Ex hoc sensu contra Stoicos & Jovinianum liquet culpas & pœnas esse dispares, scilicet, peccatum unum altero esse gravius, ideoque graviorem pœnam coram Deo mereri: unde aliud esse veniale, aliud mortale; idque rursum suos habere gradus gravitatis & malitiæ: liquet consequenter contra Calvinum, distinctio purgatorii a gehenna.

Porro nonnulli cum Bellarmino lib. 1. de Amiss. gratiæ c. 9. tres hosce gradus peccatorum sic assignant, ut in *ira*, quæ est rea judicii, notetur culpa & pœna venialis: in *raca*, quod est reum concilii, notetur culpa major, de qua dubium est, an sit venialis, an mortalis, quod a concilio definiendum est: in *fatue* notetur culpa

B maxima & certo mortalis, quæ proinde gehenna ignis punitur; idque satis est probabile & appositum.

QUI AUTEM DIXERIT, FATUE, REUS ERIT GEHENNÆ IGNIS] q. d. Qui grave convitium vel contumeliam dixerit proximo, per quod fama vel honor ejus graviter lædatur, quale est dicere viro honesto & honorato, tu fatue; hic peccat mortaliter, ideoque reus erit gehennæ: sub *fatue* intellige reliqua convitiorum, dirarum, calumniarum, probrorum & imprecationum genera, quæ peccata sunt mortalia, si valde proximum dehonorent, aut ex animo graviter nocendi, convitiandi, & dehonorandi cupido proferantur. Contumeliæ enim gravitas vel levitas, maxime ex affectu eam proferentis spectanda & metienda est, Unde cum eam dicis loco, aut non animo dehonorandi, sed corrigendi, non formalis, sed materialis dumtaxat sit contumelia, ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 72. art. 2. hinc parentes licite suos filios, magistri discipulos, Domini servos durius per verba contumeliæ pungunt, castigant & increpant; si moderate ad justam correctionem id fiat. Sic Christus Petrum vocat satanam. Matth. 16. 23. Sic Paulus Galatas cap. 3. 1. vocat insensatos. Si enim eos licet flagellare virgis & verberibus, ergo & verbis, ait D. Thomas. Rursum contumeliæ gravitas metienda est ex personæ dignitate. Viro enim gravi & honorato dicere *fatue*, est gravis contumelia; vili vero & stupido, qui revera est fatuus, est levis. Vide Leonardum Lessium l. 2. de Justitia c. 11. dub. 3. Contumlia ergo æque ac ira est peccatum mortale, si proximo grave malum inferat vel optet: veniale, si leve; nullum, si nullum, præsertim si fiat ad moderatam justamque peccantis correptionem.

REUS ERIT GEHENNÆ IGNIS] Arabicus, *reus erit ignis gehennæ*. Notat S. Hieronymus Christum hic primo usurpare nomen *gehennæ* pro inferno; nusquam enim in veteri Testamento pro eo usurpatum reperitur. Dicta est autem *gehenna* quasi גי בן *ghe*, id est, *vallis* בן *Hinnom* seu *Ennom*, id est, viri Judæi ita nominati, quæ alibi vocatur *gehen. Ennom*, id est, vallis filii Ennom. Erat vallis hæc amœna prope Jerusalem, in qua parentes

Gehennæ Etymon.

D filios suos immolabant, & concremabant idolo Moloch, atque ne vagitus eorum & ploratus exaudirent, pulsabant tympana: unde locus hic dictus est *tophet*, id est, tympanum: hic pariter vocatur hic gehenna ignis, hoc est adeo ardens & ignita, ut non nisi merus ignis, isque infernalis esse videatur. Vide dicta Jerem. 7. 31. & Isaiæ c. 30. vers. ult. ubi graphice gehenna ejusque tormenta depinguntur. *Præparata est*, inquit, *ab heri Tophet, a rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta ejus, ignis & ligna multa: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Vide & Apoc. c. 19. v. 20. & c. 21. v. 8.

VERS. 23 SI ERGO OFFERS MUNUS TUUM AD ALTARE, ET IBI RECORDATUS FUERIS, QUIA FRATER TUUS HABET ALIQUID ADVERSUM TE] Id est, habet quod de te queratur, vel quod tecum expostulet de injuria sibi a te facta (eo enim hæc spectare patet ex voce rationali *ergo*) quod scilicet tu ei iratus fueris, aut dixeris ei *raca*, vel *fatue*, similemve injuriam irrogaris. Ita S. Augustinus. Simile est Apoc. 2. v. 4. Scribæ, ut videtur, docebant omnia peccata, ac præsertim violationem præcepti: *Non occides*, expiari per sacrificia & munera ad altare Dei, ac consequenter sacerdotibus Dei vicariis oblata, etiamsi proximo læso vel injuria affecto nulla fieret satisfactio, ut colligitur ex hoc loco, & ex simili parentum læsione, Matth. c. 15. v. 6.

Contrarium hic docet Christus, sanciteque legem E justitiæ & charitatis, qua jubet prius satisfieri proximo, verbo vel verbere a te læso, quam Deo munus offerri. Hoc enim ultroneum est & indebitum, illud vero necessarium, & ex justitia vel charitate debitum. Unde subdit Christus.

RELINQUE MUNUS TUUM ANTE ALTARE, ET VADE PRIUS RECONCILIARI FRATRI TUO, ET TUNC VENIENS OFFERES MUNUS TUUM] Quæres, an hoc præceptum sit, an consilium dumtaxat? Respondet Abulensis quæst. 162. esse consilium; non ergo peccat, inquit, ipse, qui offert munus & non reconciliatur, sed solum perdit utilitatem muneris (oblationis) ita quod non meretur vitam æternam per illud. Verum dico hoc esse præceptum; charitas enim, æquitas, religio & Deus ipse hoc exigit, ut offendens offenso se statim reconciliet, etiam ante sacrificia, idque, Primo, quia reconciliatio est præcepti, sacrificium vero consilii. Secundo, quia Deus manet nobis offensus, quamdiu nos in proximi manemus offensa. Tertio, quia sacrificium pacis est symbolum & protestatio: quomodo ergo offeres Deo symbolum pacis, nisi prius proximo, quem læsisti, te reconciliaveris, ab eoque pacem acceperis? Quarto, quia Deus plus diligit concordiam fidelium, quasi Ecclesiæ suæ civium, imo fratrum, quam munera, ac magis per eam honoratur, ita Auctor imperfecti: imo Deo non placet, sed displicet discordium sacrificium. Causas congruas dat Tertull. lib. de Oratione c. 10. *Quid est*, inquit, *ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? quomodo placabit patrem iratus in fratrem? Nam & Joseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem: Et ne, inquit, irascamini in via.* Gen. 45. 24. quasi diceret: Si Josephus patrem ad se evocaturus prius fratres inter se pacificavit, veritus, ne prudens pater inter discordes fratres venire recusaret: quo pacto Christus Dominus se flecti & placari a discordibus fratribus patietur? Est ergo hoc præceptum legis & juris naturæ, vel potius supernaturale & connaturale gratiæ. *Hic* enim est ordo virtutum, ut reconciliatio, pax & unio præcedat religionem actumque sacrificii, ad eumque sit dispositio: unde hoc præceptum obligavit etiam Judæos in lege veteri: a Christo tamen hic arctius sancitur, tum quia per

G incarnationem Verbi ipse nos sibi & ad invicem arctissime univit; illa ergo major per Christum unio, majorem poscit charitatem & unionem fidelium: unde ipse sanxit: *Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, Joan. 13. 34. tum quia sacrificium Eucharistiæ jam sanctius est, imo est synaxis & communio corporis, quod idem numero omnes participamus, eoque ipsi Christo & nobis mutuo summe unimur: hinc dicitur communio, id est communis omnium unio: Cum ergo Eucharistia sit sacrificium, æque ac Sacramentum & professio mutuæ unionis & pacis, necesse est, ut omnis discordia facessat, & offendentes eis, quos offenderunt, se reconcilient ante hanc sacram synaxim, ne mendaces inveniantur: Mentitur enim reipsa, qui Sacramentum unionis, id est, Eucharistiam sumens cum proximo, non unionem, sed simultatem & rancorem gerit in pectore. Pulchre S. Augustinus ser. 16. de Verbis Domini: *Te*, ait, *quærit Dominus magis quam munus: offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus quærit Christus quem redemit sanguine*

H *suo, quam quod tu invenisti in horreo tuo.*

Reconciliari fratri ante oblationem est præceptum.

Prob. primo. Secundo. Tertio.

F

Quarto.

Moderatio præcepti.

Intellige hæc; quantum fieri potest, si videlicet locus, tempus, & prudentiæ ratio id permittat, ut offendens vadat ad offensum, eique se reconciliet ante sacrificium: nam aliqui non pedibus, ait S. Augustinus, sed affectu, scilicet odium in corde remittendo; & effectu, scilicet pro injuria proximo satisfaciendo, ad offensum ire debemus. Quid si enim offendens sit Romæ, offensus vero in India, an in Indiam eat oportet antequam sacrificet? minime; sufficit enim firmum propositum satisfaciendi læso.

Porro S. Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus hoc intelligunt tam de offenso, quam de offendente, sive jure, sive injuria, quasi velit Christus, ut non tantum offendens, qui læsit, sed etiam offensus, qui per injuriam est læsus, adeat offendentem, eique se reconciliet ante sacrificium: sed tunc hoc concilium est, non præceptum. Ita Jansenius, Maldonatus, & alii.

Hac de causa olim in Missa usus fuit, ut ante sanctam communionem Christiani darent sibi mutuo osculum sanctum, quasi reconciliationis & unionis symbolum, cujus loco jam datur osculanda tabella pacis, quam vocant, uti dixi in epist. 2. ad Corinth.

Ita

Digitized by Google

A Exempla. Ita ad litteram S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus, ut hoc Christi præceptum vel consilium impleret, altari astans & Missam celebrans, cum recordaretur clerici cujusdam, qui odium contra se conceperat, licet ab eo offensus, prior tamen ab eo veniam petiit: itaque illi reconciliatus, cum eodem gaudens ad altare rediit, ac sacrificium peregit, dicens cum fiducia Deo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, uti narrat Leontius in ejus vita c. 13. & 14. Subdit Leontius cap. 14. *Deiferi quidam SS. Patrum dixerunt, Angelorum quidem est nullatenus litigare, sed in omnimoda & perpetua pace consistere: hominum vero est altercari quidem, sed statim reconciliari: dæmonum autem est totum diem litigare, & totum diem transire irreconciliatos.* Addit c. 16. 5. Joannem Missam celebrantem, Damianum Diaconum, cum vellet communicare, repulisse, eique dixisse, *Vade prius reconciliari fratri tuo; spopondit ille hoc facere, & tunc de sacris mysteriis dedit ei.* Hinc recte colligit S. Gregor. l. 4. Dialog. c. 60. aitque:

B *Quia in re pensandum est cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamvis longe positum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare, ut scilicet conditor noster dum tale placitum mentis nostræ aspexerit, a peccato nos solvat, qui munus pro culpa sumit.*

VERS. 25 Esto consentiens, Græce εὐνοῶν, id est, *benevolus*; Luc. 12. 58. Syrus, *amicus*; Arabicus, *benignus*; alii, *concors*; Hilarius Can. 4. vertit, *benevole reconciliare*, (ut præcessit) adversario tuo, Græce τῷ ἀντιδίκῳ σου, id est, accusatori & actori tuo; Syrus, בעל דינך *beel dinech*, id est, auctori vel domino litis tuæ; Arabicus, *litiganti tecum*; cito, dum es in via cum eo: ne forte adversarius tradat te judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris] Græce βληθήσῃ, id est, projiciaris, quasi in ergastulum locumque pœnarum.

VERS. 26 Amen dico tibi (certo tibi assevero) non exies Luc. 12. 59 inde, donec reddas novissimum (Græce ἔσχατον, id est, ultimum) quadrantem] debiti tui.

Primo. Quæres, quis hic adversarius, vel ut græce est, ἀντίδικος, C id est, accusator & actor? Primo, Tertullianus lib. de Anima, respondet esse diabolum. Hic enim est satan, id est, adversarius noster.

Secundo. Secundo, S. Athanasius (vel quisquis est Auctor: videtur enim plane Athanasio esse posterior, ut recte notarunt Sixtus Senensis & Bellarminus de Scriptor. Eccl. in Athanasio) in quæst. S. Script. Ad Antiochum quæst. 26. censet esse carnem, hæc enim adversatur animæ: *caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Galat. 5. 17. Verum nec diabolo, nec carni consentire debemus, aut possumus, quod tamen hic suadet Christus.

Tertio. Tertio, ergo melius idem Athanasius ibidem asserit esse conscientiam; hæc enim nobis adversatur, noscque remordet, dum male agimus, donec ei consentiamus, & quod illa dictat faciamus.

Quarto. Quarto, S. Augustinus, Anselmus, & Beda opinantur esse Deum, aut Dei legem: hæc enim cupiditatibus nostris adversatur: unde ei plane consentire debemus, ne pœnas ab ea intentatas incurramus.

Quinto. Quinto, S. Basilius in regul. brevior. interrog. 222. D censet esse hostem nobis adversantem & injurium. Verum hæc aut aliena sunt aut mystica & symbolica, ut patet ex præcedentibus.

Sexto. Optime. Dico ergo cum S. Hieronymo, Hilario, Ambrosio, auctore imperfecti, adversarium hic vocari eum, qui injuste a nobis offensus est & læsus, ideoque nos coram Deo accusare & reos peragere potest: huic enim versu præcedenti jussit nos reconciliari.

Ubi nota hoc loco esse Hebraismum, & parabolicum sermonem, in quo proinde non est necesse singula adaptare: quædam enim ad elegantiam ipsius parabolæ spectant, ut dixi canone 28. & 29. sed scopus ejus maxime spectandus est, illique omnia, quæ possunt, adaptanda sunt. Hic autem scopus non tam exprimitur, quam innuitur. Sensus ergo est. q. d. Sicut prudenter facit debitor vel reus ab actore protractus ad judicem, si ante judicium cum creditore & actore conveniat, itaque judicis condemnationem, carcerem, infamiam, integramque & citam debiti totius solutionem evadat: ita omnino fac & tu, ac si fratrem læseris, eique injuria aliqua, v.g. dicendo *raca* vel *fatue*, te debitore honoris restituendi constituisti, age cito, ut ei reconcilieris antequam Deo judici quasi reus tradaris, qui justa vindicta te mancipet carceri, donec omne debitum solvas, vel lethale & æternum in inferno, vel veniale & temporale in purgatorio; ad purgatorium enim inclinat vocula *donec*, quæ finiendam significat pœnam, hæc enim finitur in purgatorio, cum in inferno numquam terminetur, sitque æterna: Quare ibi durat τὸ *donec* in æternum: tamdiu enim durante culpa, pariter & durabit hic gehennæ pœna. Id notant S. Hieronymus hic, & Origenes hom. 31. in Lucam, ac S. Ambrosius in c. 12. Lucæ, & alii.

Possunt tamen singulæ parabolæ partes singulis rebus significatis adaptari hoc modo, ut adversarius sit is, cui convitium vel injuriam fecimus; via sit hæc vita; judex sit Christus; minister fit diabolus; carcer sit infernus vel purgatorium; quadrans sit minima culpa, si nimirum intelligas adversarium nos tradere, quia ejus loco & causa diabolus nos tradet reos judici Christo, cum in die judicii apud ipsum nos accusabit: nam homines læsi raro apud Christum lædentem accusant, imo si sancti sunt, excusant. Hanc parabolam iterato & ob alium finem, dixit Christus Lucæ 12. 59. de quo ibidem. Vide Canonem 5.

Huic Christi sententiæ similis est gnome R. Ananiæ in Pirke Avoth c. 3. *Vir ille, in cujus spiritu sibi complacent homines, sibi complacet quoque Deus. Vir ille, cujus spiritus displicet hominibus, displicet & Deo.* q. d. Cui consentiunt homines, consentit & Deus: a quo dissentiunt homines, dissentit & Deus.

Voces in Evangelio Latino Græcæ. Quadrans quid? Quid? Triplex? Primo. Secundo. Tertio. Rigor justitiæ post hanc vitam. Exempla.

Quadrantem] Græce κοδράντης; nimirum vox a Latinis ad Græcos transiit, uti & plures aliæ, quæ ab Evangelistis citantur; quales sunt prætorium, assarius, denarius, centurio, census, custodia, legio, linteum, libertinus, miliare, macellum, membrana, modius, sextarius, sicarius, sudarium, speculator, taberna, forum, titulus, flagellare, flagellum: Hæ enim omnes voces Latinæ, ab Evangelistis Græce scribentibus usurpantur. Porro quadrans est quarta pars (unde in Evangelio Hebræo S. Matthæo adscripto vocatur רבוע *ribbua*, id est, *quartum*) assis, quam a tribus unciis Plinius triuncium vocat, Cicero teruncium. As enim vel assis est libra continens duodecim uncias, quarum quarta pars sunt tres unciæ. Varro lib. de Lingua Latina dici putat *as* quasi *æs*: unde varie sumitur. Primo enim *as* erat idem quod libra vel pondo. Ita Budæus l. de Asse: Secundo, minor *as* erat moneta minor, maxime communis & usitata, qualis apud Italos est bajocus, cujus quadrans sive quarta pars est quatrinus: denarius enim inde dictus est quod valeret decem nummos parvos, puta decem bajocos. Denarius enim erat unius drachmæ, æquipollens nostro julio Italico, & regali Hispanico, qui apud Italos valet decem bajocos, apud Belgas quinque stuferos: stuferus enim valet duos bajocos, quadrans ergo est quarta pars bajoci & octava stuferi, quam Belgæ vocant *een negemanneken*, & pro minimo numero vulgari proverbio usurpant. Tertio, si denarium majorem sive duplicem, qui duos Julios sive duos regales valet, accipias, sic continebit decem asses, id est, decem stuferos (unde & Belgæ stuferos vocant asses) ac consequenter quadrans erit quarta pars stuferi, & dimidia bajoci. Summa significatur hic per quadrantem minimi pretii nummus, ac per eum indicatur omne iræ culpæque debitum, etiam minimum, rigide usque ad ultimum obolum cuique luendum & persolvendum esse post hanc vitam sive in purgatorio sive in inferno: utrobique enim est locus justitiæ non misericordiæ: quare in hac vita, ubi misericordiæ, compositioni & condonationi est locus, transigendum esse cum adversario, id est, eo quem verbo aut verbere læsimus. In historiis legimus, famulum quemdam vita functum apparuisse suo hero, ac ab eo rogatum de suo statu & loco, respondisse: *Eo loci sum, ubi omne debitum exacte rigideque computatur, & ne vel hilum condonatur.* Doctor Jacobus de Paradiso Carthusianus in lib. de Peccatis mentalibus criminalibus, narrat religiosũ quemdam vita functum veste vili, mœstoque vultu socio apparuisse, eique dixisse: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quam districte judicat Deus, & quam severe punit.*

Vers. 27 Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis] Id est, non commites adulterium, sub quo velut majori & scelestiori specie vulgo ab omnibus Gentibus damnata, fornicationem, mollitiem, incestum, cetera-sque luxuriæ species prohiberi intellige, ut dixi Deuteron. 5. 18.

Vers. 28 Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam (id est, ita ut eam concupiscat, hoc animo vel fine, ut turpi ejus amore capiatur, hoc modo ut optet ea turpiter frui) jam

Digitized by Google

A MOECHATUS EST EAM IN CORDE SUO] q. d. jam eam per adulterium in mente corrupit, jam cum ea mentaliter adulterium perpetravit, ideoque coram Deo, qui cor intuetur, est adulter, & ut adulter ab eo punietur.

Transit Christus ab ira ad concupiscentiam, quia hæ duæ in homine sunt passiones potentissimæ: sicut ergo explicuit præceptum *non occides*, vetans iram; sic hic explicat præceptum *non mœchaberis*, vetans concupiscentiam. Scribæ enim plures & Pharisæi sicut in illo, sic & in hoc explicando multipliciter errabant. Licet enim scirent præcepto nono Decalogi dici: *Non concupisces uxorem proximi tui*, tamen errabant. Primo quod hoc intelligebant de concupiscentia non pure interna, sed quæ in tactus, oscula, verba lasciva, &c. ante actum adulterii prorumpere solet, juxta illud; *Lex manum, non animam prohibet*; sed hoc verum est de lege civili & politica, quæ tantum injurias externas punit & vindicat, non vero internas, utpote quas non videt, nec cognoscit; non vero de lege & judicio Dei, qui intima cordis scrutatur & castigat. In eodem errore fuit Josephus Historicus Hebræus, qui lib. 12. Antiq. c. 13. citans Polybium dicentem, Antiochum Epiphanem misere occubuisse, eo quod Dianæ templum spoliare cupivisset, eumque redarguit, dicens: *Voluisse enim tantum, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res supplicio digna:* & R. David Kimchi citatus a Genebrardo in Ps. 66. *Etiamsi*, ait, *viderim iniquitatem in corde meo, quam vel paratus essem in actum perducere, ut ut sit illa coram Deo, atque si eam labiis protulissem, tamen non audiet eam Dominus*, q. d. *non ducet eam mihi sceleri. Cogitationem enim pravam Deus non adjungit operi, nisi certe concepta fuerit in Dei fidem atque religionem.* Sic & hodie e plebe multi sunt, qui dicunt: Cogitare malum; non est peccatum, sed facere malum.

Error Scribarum de concupiscentia. Primus.

B

Verum hic crassus est error, cognitus & confutatus ab Aristotele ceterisque Ethnicis, nam bonitatis & malitiæ, virtutis & virii proprium subjectum est voluntas libera: hæc enim si bonum honestum appetit, bona est & laudabilis; si malum, mala & vituperabilis. Quocirca actus externus, v. g. mœchiæ, in se præcise peccatum non est (ut patet in stultis adulterantibus) nisi quatenus a libera voluntate mœchandi procedit: ab ea enim trahit omnem suam formalem malitiam.

C

Secundus. Secundo, errabant Scribæ, quod impudicos aspectus, oscula, tactus, &c. putarent non esse peccata mœchiæ, id est, fornicationis vel adulterii, sed concupiscentiæ; quare illos committi contra nonum præceptum: *Non concupisces uxorem proximi tui*, sed non contra quintum: *Non mœchaberis*. Contra hos Christus hic contrarium docet, ac præceptum explicat, scilicet illos vetari quinto hoc præcepto, quia ipsi sunt dispositio & via ad mœchiam, adeoque initium & inchoatio mœchiæ; nono vero præcepto expesse tantum vetari internam concupiscentiam, quæ in actum externum non prodit.

Tertius. Tertio, errabant quod hac lege tantum vetari putarent concupiscentiam uxoris alienæ, non vero mulieris innuptæ cujuscumque, quæ tua non sit uxor. Hoc hic corrigit Christus, docetque hac lege prohiberi omnem obscœnum feminæ, quæ tua non sit uxor, contactum & concupiscentiam.

D

Primi motus an sint peccata?

Nota primo, hac lege non vetari, nec damnari primos & involuntarios concupiscentiæ motus; hi enim non sunt in hominis arbitrio & potestate, sed voluntarios, deliberatos & procuratos, ut patet ex præpositione *ad*, cum ait, *ad concupiscendam eam*. Ita S. Augustinus, ubi tamen adverto τὸ *ad* non tantum significare finem, sed & consecutionem sive sequelam: nam non tantum mœchus est, qui videt & intuetur mulierem hoc fine, ut ejus aspectu & concupiscentia se oblectet, sed & is, qui eam intuetur ex curiositate, dum advertit ex hoc aspectu consequi & excitari in se ejus concupiscentiam, aut quod hoc aspectu concupiscentiæ & peccati periculo se exponat.

Visus se- minis ori- ginem præbens.

Nota secundo, quod hic de visu dicitur, cum ait, *qui viderit mulierem*, id a pari intelligendum esse de auditu, tactu, cogitatu: visum tamen præ aliis Christus nominat, quia *oculi sunt in amore duces;* & ut moneat castis maxime illos esse continendos & coercendos. Cum ergo ait: *qui viderit mulierem*, significat visum esse originem & causam concupiscentiæ & luxuriæ, quia *ascendit mors per fenestras nostras*. Jerem. 9. 21. Et: *Oculus meus depraedatus est animam meam*, Thren. 3. 51. Quocirca prudenter Job cap. 31. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis; ut ne cogitarem quidem de virgine*. Hinc de Christo mirabantur Apostoli, quod cum muliere, puta Samaritana, loqueretur, Joan. 4. S. Thomas Aquinas accepto ab Angelo cingulo & dono castitatis, studiose tamen cavebat feminas quasi serpentes, causamque dabat: *quia cum facimus, quod in nobis est, Deus non curatur: cum autem exponimus nos periculo, Deus nos in illo nobis relinquit*, nam *qui amat periculum, in illo peribit*. Eccl. 3. 27.

E

Novum & quasi inauditum est quod scribit Petrus Damiani lib. 2. epist. 18. ad Desiderium Cardinalem: *In quodam monte orientis*, inquit, *lapides sunt igniferi, qui masculus & femina nuncupantur, & dicuntur Pyriboli; qui nimirum, cum a se invicem procul sunt, non accenduntur: si vero femina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, itaut omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus, exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus*. Huc facit festiva, sed vera gnome R. Hillel in Pirke Avoth, hoc est, in Sententiis Patrum c. 2. *Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. Qui multiplicat apes, multiplicat curas. Qui multiplicat servos, multiplicat rapinas. Qui multiplicat feminas, multiplicat sortilegia. Qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem*. S. Cypr. de Singul. Cler. *De carbonibus*, ait, *scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat, dicens: De vestimentis procedit tinea, & a mulieri iniquitas viri*. Et superius: *Quanti & quales Episcopi & Clerici, simul & laici post confessionum victoriarumque calcata certamina, post magnalia & signa, vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. Quantos leones domuit una infirmitas delicata, quæ cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam*. Femina enim visu est basilicus, voce Siren; voce incantat, visu dementat, utroque perdit & necat. Hinc S. Franciscus, teste S. Bonaventura, studiose suos monebat, ut caverent a feminis: *Quia*, inquit, *colloquium cum femina extra confessionem, eamque brevem, inutile est & periculosum*. Et Noster B. Xaverius; *Majori*, ait, *periculo, quam fructu aditur femina*.

F

Femina visu est basiliscus, voce Siren.

G

QUOD SI OCULUS TUUS DEXTER SCANDALIZAT TE, ERUE EUM, ET PROJICE ABS TE: EXPEDIT ENIM TIBI, UT PEREAT UNUM MEMBRORUM TUORUM, QUAM TOTUM CORPUS TUUM MITTATUR IN GEHENNAM. VERS. 29 *Inf.* 18. v. 9. *Mar.* 9. 47.

ET SI DEXTERA MANUS TUA SCANDALIZAT TE, ABSCINDE EAM, ET PROJICE ABS TE: EXPEDIT ENIM TIBI, UT PEREAT UNUM MEMBRORUM TUORUM, QUAM TOTUM CORPUS TUUM EAT IN GEHENNAM] Patet utramque hanc esse parabolam, a duobus membris præstantissimis & homini maxime necessariis, scilicet dextro oculo & manu petitam, qua significat, abjiciendum esse omne id quod ad peccatum nos sollicitat, quantumvis charum, pretiosum & necessarium sit. Oculi autem primo meminit, quia de eo paulo ante dixit: *qui viderit* (utique oculo) *mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. VERS. 30 *Inf.* 18. v. 8. *Mar.* 9. v. 3.

Dexter oculus & manus quid? Resp. Primo. Secundo.

Primo igitur, S. Chrisostomus homil. 17. per dextrum oculum & manum accipit mulierem amicam, de qua jam sermo præcessit: illa enim abjicienda est, si nos ad libidinem suo aspectu, voce aut gestu provocat. Secundo, S. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, per dextrum oculum & manum accipit quemvis amicum & ministrum, etiam necessarium. Tertio, S. Hilarius, Theophylactus hic, Cyrillus lib. 12. in Joannem c. 28. S. Athanasius (vel quisquis est auctor) ad Antiochum q. 70. Pacianus ep. 3. accipiunt parentes & cognatos: horum enim conversatio resecanda est, si nos ad peccatum trahit. Quarto: S. Hieronymus accipit affectus & vitia animæ. Quinto, Auctor imperfecti per dextrum oculum & manum accipit mentem & voluntatem; per sinistrum, sensum & carnis appetitum: Tam enim mens & voluntas a curiosis & noxiis avocanda est, quam sensus & caro a cupiditatibus carnalibus.

H

Tertio. Quarto. Quinto.

Verum simplicius & planius, dextrum oculum & manum hic proprie accipias, sed ita ut parabolæ subserviat & parabolice explicetur. Est enim hic continua parabola, in qua Christus alludit, & respicit ad concupiscentiam visus, de qua paulo ante egit. Occurrit enim tacitæ objectioni, q. d. Objicies mihi: si oculus & visus est mœchus, cum videt mulierem ad eam concupiscendam, quid ergo cum oculis, mihi a Deo ad videndum datis agam?

Rursum est metaphora petita a Chirurgo, q. d. Sicut læsi & ægri curant, ut chirurgus membrum etiam nobilissimum & summe necessarium, quale est dexter oculus & manus, exscin-

Sexto. Genuine.

Digitized by Google

A exscindat, si inde pendeat totius corporis salus: ita & vos, o fideles mei, moneo, ut quodvis damnum prius subeatis, quam culpam & peccatum præsertim lethale committatis, ut scilicet quidquid vobis est offendiculo, trahitque ad peccatum, licet tam charum & necessarium sit quam dextra manus vel dexter oculus, id plane a vobis resecetis & abjiciatis, quantumlibet incommodi & doloris id vobis inferat, v. g. resecetis aspectum oculi etiam alias pudicum, familiaritatem & societatem cognatorum, uxoris, filiorum, parentum alias necessariam, si illa vobis peccati creet periculum, imo si aliter peccatum effugere nequeatis, ipsum oculum & manum vobis resecate: præstat enim monoculum ingredi in cælum, quam binoculum mitti in gehennam: sed quia semper aliter peccatum vitare possumus, quam membrum resecando, hinc illud resecare, & se mutilare non licet: unde Origenem, qui se castravit pudicitiæ causa damnavit Ecclesia. Denique concupiscentiæ cuique resecandæ, & mortificandæ; adeo vivaciter & tenaciter oculis & corpori, imo ipsi animæ inhærent insitæque sunt, ut sine ingenti vi & doloris sensu evelli nequeant:

B quare qui eas resecant, ita dolent ac si ipsum oculum vel dentem sibi eruerint. Norunt hoc experti: inde dicitur mortificatio, quod mortis sensum doloremque pariat.

Exempla. Ita ad litteram S. Aquilinus & S. Audomarus (ut habet eorum vita apud Surium) cum essent cæci, & per miraculum visus eis a Deo esset restituendus, rursum petierunt a Deo oculos sibi adimi, seseque raddi cæcitati, ut carerent distractionibus, concupiscentiis & tentationibus, quas creant oculi. Amplius ex peculiari Dei instinctu fecit virgo illa apud Sophron. in Prato Spirit. cap. 69. quæ oculos sibi eruit, misitque amasio se persequenti, eo quod oculis ejus caperetur: quo dono ille compunctus lasciviam oculorum a se resecavit, imo vitam secularem in monasticam commutavit.

S. Antonius Didymum cæcum, quem S. Hieronymus vocat suum videntem, id est, præceptorem, rogavit, num doleret de cæcitate? Illo tacente & innuente subjecit: *Vir prudens non debet dolere quod careat oculis,* Didymus. *quos habent musca & apes, sed gaudere quod eo magis habeat apertos oculos mentis, quibus videat Deum & divina:* Ita Palladius in Laus. in vita Didymi.

C Porro licet membrum abscindere contagiosum, ne totum corpus inficiatur, sicut licet civem occidere noxium reip. quia pars per se ordinatur ad bonum totius: quare ipsa se exponere debet morti pro toto. Membri autem abscissio, aut occisio sui non ordinatur per se ad evasionem peccati, & salutem, nec ad id est necessaria, quia alia ad hoc sunt media: unde se mutilare vel occidere non licet. Vide Lessium de Homicidio sui.

VERS. 31. Luc. 16. vers. 18. Mar. 10. vers. 11. DICTUM EST AUTEM: QUICUMQUE DIMISERIT UXOREM SUAM, DET EI LIBELLUM REPUDII] Vide quæ de libello repudii fuse dixi Deuter. 24. 1.

VERS. 32. Legem repudii corrigit Christus. Primo. EGO AUTEM DICO VOBIS: QUIA OMNIS QUI DIMISERIT UXOREM SUAM, EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA, FACIT EAM MOECHARI (Arabicus, *dedit eam in fornicationem*) ET QUI DIMISSAM DUXERIT, ADULTERAT] Christus hic corrigit & perficit legem repudii, Primo, quia lex facile concedebat repudium multas ob causas. Christus vero tantum id permittit ob causam fornicationis, si conjux sit fornicata, id est, adulterium commiserit;

D ab adultero enim innocens discedere potest, juxta illud:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Secundo. Secundo, lex tam repudiatæ, quam repudianti concedebat secundas cum alio nuptias. Christus vero illas utrique negat. Tertio. Tertio, lex soli viro & marito concedebat jus libelli repudii: Christus vero in hoc jure matrimonii virum & feminam æquat & pares facit, uti docet Apost. 1. Corinth. 7. 4.

EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA] Nonnulli per fornicationem hic accipiunt quodlibet peccatum: hoc enim est spiritalis quædam cum creatura quapiam, relicto Deo creatore animæque sponso, fornicatio. Ita S. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, & Origenes hic tract. 7. Verum id nimis est liberale & laxum: unde Jure Canonico c. *Quæsivit, de Divortiis*, definitum est divortium non licere ob furtum vel aliud crimen. Quocirca S. Augustinus idipsum lib. 1. Retract. c. 19. retractat, aut saltem dubitat.

Alii per fornicationem accipiunt infidelitatem: hæc enim passim a Prophetis vocatur fornicatio, scilicet spiritualis & mystica.

Verum interpretes passim prisci & novi proprie hic accipiunt fornicationem, quæ in conjugata est mœchia, sive adulterium: quare per fornicationem hic intellige adulterium, sodomiam etiam cum conjuge, sed renitente, & omnem illicitum concubitum, ut patet c. *Meretrices* 32. q. 4. E

Dices: Licet uxorem dimittere, si ipsam maritum ad aliquod scelus pertrahere conetur, ut habetur cap. *Quæsivit de Divortiis*, & Christus hic satis indicavit v. 29. item si ipsa sit venefica, aut mortem marito machinetur; ergo non ob solam fornicationem licet eam dimittere. Resp. id verum est; Christus tamen hic solam fornicationem divortii causam assignat: tum quia hæc sola est propria divortii causa in conjugio, illique directe repugnans, cum reliquæ causæ generales sint, a quavis societate Christianum liberantes: tum quia repudium adulteræ etiam pœnitentis concessum est perpetuum, adeo ut licet uxor de adulterio pœniteat, maritus tamen non teneatur eam rursum in torum domumque recipere, cum in aliis casibus post ejus pœnitentiam, teneatur eam in gratiam & torum rursus admittere: tum denique quia Christus hic proprie excludere vult uxoris deformitatem, inopiam, displicentiam & quidquid citra culpam est, ob quæ Judæi dabant libellum repudii, F ad illorum enim mentem loquitur.

ET QUI DIMISSAM DUXERIT, ADULTERAT] Cajetanus & nonnulli alii repetunt *ex excepta fornicationis causa*, quasi fornicationis causa liceat viro dimittenti adulteram, ipsique adulteræ secundas inire nuptias. Verum huic sensui plane repugnat Apostolus 1. Cor. 7. 11. ubi jubet conjugem innocentem manere innuptam, aut nocenti reconciliari. Vide ibi dicta: atque hic est perpetuus Ecclesiæ usus, sensus & praxis, de quo plura c. 19. vers. 9.

ITERUM AUDISTIS, QUIA DICTUM EST ANTIQUIS: NON PERJURABIS (Levit. 19. 12. Exodi 20. 7. Deuter. 5. 11. ubi illud explicui) REDDES AUTEM DOMINO JURAMENTA TUA] Habetur hoc posterius Numer. 30. 36. *Reddes*, id est, solves & implebis, quod te facturum juraveris Domino, vel per Dominum. Ita Chrysostomus; juramenta ergo proprie hic vocantur vota juramento confirmata, uti dixi Numer. 30. 3. hæc enim Deo reddere, id est, solvere tenemur: Aliter quoque explicat Suarez. q. d. *Reddes Domino juramenta tua*, hoc est, si jurare velis, jura per Deum verum, non per idola. Ita ipse tom. 2. G de Relig. lib. 3. de Juramento, c. 2. VERS. 33.

EGO AUTEM DICO VOBIS, NON JURARE OMNINO; NEQUE PER CÆLUM, QUIA THRONUS DEI EST; NEQUE PER TERRAM, QUIA SCABELLUM EST PEDUM EJUS: NEQUE PER HIEROSOLYMAM; QUIA CIVITAS EST MAGNI REGIS; NEQUE PER CAPUT TUUM JURAVERIS, QUIA NON POTES UNUM CAPILLUM ALBUM FACERE, AUT NIGRUM] Explicat & perficit hic Christus præceptum secundum Decalogi de non pejerando, quod perperam explicabant Scribæ & Pharisæi. Primo, enim asserebant juramentum esse & obligare, si fiat per Deum, eumque in testem vocet; non vero si fiat per creaturas. Christus hic contrarium docet: In creaturis enim intelligitur creator: illæ enim creatæ sunt a Deo, totumque, quod habent, habent a Deo: & quidquid sunt, Dei sunt. Qui enim jurat, Deum, qui est prima veritas citat, vocatque in testem sui dicti, quod jurat. Jurans ergo per creaturam, vel ipsam facit Deum, quod est scelus idololatriæ, vel in creatorem, Deum subintelligat oportet. H

Errores Scribarum de juramento. Primo.

Secundo. Secundo, errabant Scribæ, quod putarent hoc præcepto solum vetari perjurium. E contrario Christus hic docet illo vetari omne juramentum, omnemque irreverentiam & abusum nominis Dei.

Tertio. Tertio, Scribæ docebant eum, qui jurabat, per templum, vel altare, juramento non obligari; eum vero, qui jurabat per aurum templi vel per donum altaris, obligari, quia aurum & donum hoc cedebat in lucrum sacerdotum, quos confutat Christus Matth. 23. 16.

An Christiano jurare liceat? Hæretici negant. EGO AUTEM DICO VOBIS, NON JURARE OMNINO] Ex hoc loco Pelagiani, teste S. Augustino epist. 89. q. 5. docuerunt nullum juramentum Christianis esse licitum. Idem senserunt waldenses & wiclefistæ, ut patet ex Concilio Constantiensi, & nunc idem sentiunt Anabaptistæ; qui ne in judicio quidem a judice coacti jurare volunt.

Catholici affirmant. Verum hic est error in fide, quem damnat perpetuus Ecclesiæ usus, atque exemplа ipsius Dei, Pauli & Sanctorum, qui jurasse leguntur, ut patet Psal. 109. 4. Rom. 1. 9. Philip. 1. 8. 1. Corinth. 15. v. 31. & alibi. Idipsum evincit ipsa ratio: juramentum enim est honor Dei, ut primæ veritatis: jurans enim invocat Deum in testem, quasi primam & infallibillem veritatem. Quare juramentum

Digitized by Google

A est actus religionis, & latriæ, si, ut docet Jeremias cap. 4. vers. 2. fiat *in veritate*, scilicet ut non juretur falsum; & *in justitia*, ne juretur quid injustum, aut malum, & *in judicio*, ne juretur temere sine magna utilitate aut necessitate.

Christus jubet non jurare omnino. Cur? Resp. Primo. Secundo. Tertio.

Dices; quomodo ergo Christus hic præcipit *non jurare omnino*? Respondet Primo S. Bernardus serm. 65. in Cantic. hoc non esse præceptum, sed consilium dumtaxat.

Secundo, alii fatentur id quidem esse præceptum, sed verant dumtaxat perjurium, ne scilicet jures falsum.

Tertio, alii putant præcipi *non jurare omnino*, scilicet per creaturas, sed per solum Deum. Id innuit hic S. Hieronymus.

Quarto. Genuine.

Verum hæc omnia aliena sunt & contorta, & refelluntur ex verbis sequentibus. Nota ergo duplicem fuisse Pharisæorum circa hoc præceptum errorem. Prior erat, Exodi 20. vers. 7. ubi dicitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, prohiberi dumtaxat perjurium, non

B autem juramentum leve, temerarium & vanum: quia Hebræa vox שוא *schau*, quam noster & Septuag. ibi vertunt *vanum*, significat quoque *mendacium*. Unde Chald. vertit: *Non assumes nomen Domini Dei tui ad mendacium*, id est; non pejerabis, & sic vertebant & intelligebant Pharisæi. Posterior, licitum esse per creaturas temere jurare & pejerare, ut patet ex sequent. & ex cap. 23. vers. 17. Christus ergo utrique eorum errori opponit vocem, *omnino*. q. d. Ego autem dico, & edico non tantum falsum, sed nec verum, sive per Deum, sive per templum,

Ne jures nisi coga tis. Primo.

sive alia formula per creaturas alias licere jurare: quod intellige ad mentem Pharisæorum, leviter & temere, ut fit in communi hominum sermone, qui crebro habent in ore *per Deum*, *per animam*, *per templum*. Vult enim Christus docere, ut ait S. Augustinus & Chrysostomus, malam esse propensionem ad jurandum, & juramentum, licet bonum sit, oriri tamen a malo, nec esse per se appetendum; itaque non jurandum omnino, nisi malum hoc cogat; idque primo, ne ex assuetudine jurandi in perjurium labamur, ut plerumque fit; ita passim Patres &

C Eccles. cap. 23. vers. 9. & 12.

Secundo.

Secundo, quia reverentia nominis divini hoc postulat; quæ ratio innuitur hoc versu.

Tertio, quia ea deberet esse fides & veritas hominum, præsertim fidelium & Christianorum, ut injuratis credi posset; ilsque de facto alii crederent. Unde Isocrates ad Demonicum asserit, homines justos fideliores se exhibere jurejurando, ut magis eis credatur injuriatis, quam aliis jurantibus; quare addit tantum jurandum esse, ut te crimine vel amicum gravi periculo liberes, non autem ob pecuniam, v. g. jures te debitum solvisse, nihilque creditori debere. S. Basilius serm. ad Adolescentes, quomodo ex Græcorum libris capienda sit utilitas, refert de Clinia, amico & familiari Pythagoræ, quod maluerit tria talenta (hoc est octodecim millia aureorum) solvere, quam jurare etiam recte & licite. Plutarch. in Probemat. ait: *Juramentum homini libero pro tormento est*. Romani a servis veritatem extorquebant per tormenta, a cive per juramentum, a sacerdote per solum verbum, nudamque affirmationem vel negationem.

D Jubet ergo Christus: *Non jurare omnino*, Primo, quia, ut ait S. Aug. serm. 28. de Verbis Apostoli: *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla secura est*. Secundo, *omnino*, id est, *ut quantum in te est, non affectes, non ames, nec quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum*, ait S. Augustinus c. 15. de Mendacio. Tertio, quia jurare in se est malum morale ad irreverentiam erga Deum spectans, uti est hominem occidere, sed sicut hoc cum debitis circumstantiis licet, imo est laudabile, sic & jurare, si fiat cum veritate, justitia & judicio, id est, ut non fiat, nisi id extorqueat alterius incredula diffidentia: In paradiso ergo non licuit, & in cælo non licet jurare. Tanta enim est majestas nominis Dei, ut illud in testem vocandum non sit, nisi cogat necessitas. Testari enim res parvas & viles est parvum & vile, perinde ac si quis pro uno aureo vocaret regem in testem. Hinc sancti cavent jurare. In vita S. Chrysostomi pro magno narratur, quod numquam jurarit. Idem narratur de S. Joanne Eleemosynario.

Tertio. In paradiso & cælo non jurat.

Rursum S. Augustinus epist. 89. quæst. 5. ridet eos, qui putabant se tantum jurare si dicerent per Deum, non autem si dicerent, testis est mihi Deus. Idem serm. 11. de Decollatione S. Joannis in fine tomi 10. asserit provocare ad juramentum eum, quem scis juratum falsum, scelus esse gravius homicidio, quia homicida, ait, tantum corpus, ille autem pejerantis animam occidit. Affert exemplum Tutilineni, qui ob exactum sale juramentum, poctu coram Deo graviter fuit flagellatus.

E

Quæres: An etiam Christianis licitum sit jurare? Multi enim Patres id videntur negare. Primo enim SS. Hier. Chrysostomus, Euthymius hic ajunt, juramentum a Deo fuisse permissum Judæis, ne per idola jurarent, non autem Christianis. Secundo, Theophylactus & Euthymius opinantur juramentum fuisse præceptum legale legis veteris, uti erat circumcisio; unde cum ea jam per Christum abolita, pariter esse abolitum. Tertio, alii censent Judæis quasi rudibus, imperfectis & duris ad credendum, a Deo permissum fuisse juramentum; Christianis autem esse veritum, quia eos utpote perfectiores perfectiora docent, & quia hi omnino cavere debent periculum perjurii: sicut Judæis permissus fuit libellus repudii, ne uxores sibi exosas occiderent, quem tamen hic tollit & Christianis adimit Christus v. 32. Ita sentiunt S. Hilarius hic can. 4. S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 1. S. Basilius in Psalm. 14. Chromatius & Origenes hic tr. 35. Epiphanius hæresi 19. S. Athanasius ser. de Passione & cruce Domini, S. Chrysostomus hom. 19. ad populum.

An Christianis licuerit jurare? Negant multi.

F

Si objicias, Deum subinde jurasse in S. Scriptura, ut Genes. 22. 16. Respondent SS. Athanasius, Basilius, Ambrosius illa Dei juramenta non esse proprie dicta juramenta, sed asseverationes dumtaxat & promissiones, vel, ut ait S. Ambrosius, Deus jurare potest, quia implere potest id quod jurat, ac de eo pœnitere non potest: homo autem jurare non debet, quia non habet potestatem certo faciendi id, quod dicit, promittit, & jurat.

Si rursum objicias S. Paulum subinde jurasse, ut cum ait: *Testem Deum invoco in animam meam*. 2. Corinth. 1. 23. Respondet S. Basilius hoc non esse vere juramentum, sed tantum sermonem simplicem juramenti specie & forma prolatum ad majorem asseverationem.

Resp. & firmat.

Verum dico: Non solis Judæis, sed & Christianis licitum est jurare. Est de fide, ut patet ex perpetuo sensu, usu, & praxi Ecclesiæ: *Omnis enim controversiæ eorum* (hominum etiam Christianorum) *finis ad confirmationem est juramentum*, ait Apost. Heb. 6. 16. Porro in Scriptura nullum extat præceptum jurandi affirmativum, sicut extat præceptum jurandi, sacrificandi, amandi & laudandi Deum, honorandi parentes, &c. quia juramentum per se non est appetibile, sed propter aliud & quasi per accidens, quatenus scilicet juramentum est velut medicina incredulitatis. Extat tamen præceptum jurandi negativum, scilicet ut non pejeres, utque non jures per deos falsos, sed tantum per Deum verum. Item extat præceptum conditionatum, ut si velis jurare, nonnisi verum, justum & necessarium jures.

G

Dices: Christus hic Christianis, ait, sancitque, *non jurare omnino*. Resp. Id verum est, quia per se indecorum est & inurbanum, Deum Opt. Max. adducere in testem recularum humanarum ob mutuam hominum diffidentiam, nisi hæc indecentia & inurbanitas excusetur necessitate mutua, ut sæpe excusatur, cum non supperunt testes, aliæque juridicæ probationes.

H

Ad Patres citatos respondeo, videri eos loqui eodem sensu, quo Christus, cum jubet *non jurare omnino*; quia enim ipsi videbant homines crebro jurare falsum, vel iniquum & injustum; aut sæpe sæpius leviter, inaniter & temerarie, hinc ob periculum perjurii vel inaniter jurandi, vetabant & dissuadebant Christianis juramentum, ut ab illo abstinerent quantum possent. Sed si quis hoc periculum caveat, illi utique in necessitate licebit jurare, id patet ex S. Chrisostomo, qui crebro & assidue in homiliis ad populum Antiochenum acriter insectatur consuetudinem temere jurandi, quæ tunc ibi vigebat, ac id mirantibus respondet: Dico & repeto, quod soleo, quia vos dicitis & repetitis quod soletis; asseritque se ab hac repetitione non destiturum, donec ipsi a jurando desistant; duro enim nodo durus adhibendus est cuneus, isque continuus.

NEQUE PER CÆLUM, QUIA THRONUS DEI EST; NEQUE PER TERRAM, QUIA SCABELLUM PEDUM EJUS EST] Subaudi *juraveris*, ut sequitur. Videntur Judæi soliti jurare per cælum & terram, quodque Pharisæi hæc juramenta quasi per creaturas facta, parvi æstimanda censuerint: Christus contrarium hic docet, scilicet eum, qui per cælum & terram jurat, jurare per Deum creatorem,

Inf. 23. *vers.* 22.

VERS. 35

Digitized by Google

A rem, qui thronum gloriæ suæ constituit in cælo, & scabellum in terra. Alludit ad illud Isaiæ 66. 3. *Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea: terra autem scabellum pedum meorum.* Vide ibi dicta.

NEQUE PER HIEROSOLYMAM, QUIA CIVITAS EST MAGNI REGIS] Puta Dei. Alludit ad illud Psalm. 47. 1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri.* Et mox: *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas Regis magni.* Sensus est, q. d. Noli jurare per sanctos, aut sanctam civitatem Jerusalem, aut alias res sacras, vel per res tuas, aut ullam aliam creaturam, quia hæ omnes sunt Dei, qui in omnibus est præsens, & solus in omnia plenam habet potestatem: ac proinde per Deum jurat, qui per creaturas jurat: intendit enim in testem vocare primam & infallibilem veritatem quisquis jurat: illam ergo aut tribuit ipsis creaturis, & sic est idololatria; aut certe usu Gentium, creaturas nuncupando, tacite earum creatorem in testem vocat.

Perperam igitur hæretici moderni, ac nominatim Augst. Marloratus commentans in hæc Christi verba, B juramentum per Sanctos damnant idololatriæ. Audi Marloratum: *Ita quisquis olim per Moloch, vel aliud idolum jurabat, tantumdem minuebat ex jure Dei, quod alium ejus loco substituerat cordium cognitorem & judicem in animas: & hodie qui per Angelos vel Sanctos mortuos jurant, spoliato Deo, inane illis numen affingunt.*

Verum hic est error & hæresis, ut patet ex dictis, ac liquet ex verbis Christi hoc loco, & c. 23. 21. Hinc S. Joseph juravit per salutem Pharaonis, Genes. 41. 16. Christus sponsus jurat per capreas cervosque camporum, Cantic. 2. vers. 7. Paulus 1. Corinth. 15. 31. jurat per gloriam Corinthiorum, ut patet ex textu Græco. Quod autem Marloratus asserit Orthodoxos, dum jurant per Sanctos, illos facere Deos, ac Deum sua Deitate spoliare; putidum est mendacium & mera calumnia: honor enim Sanctorum est honor Dei, Deus enim eos fecit Sanctos: quare qui jurat per Sanctos, per Deum eorum sanctificatorem jurat.

NEQUE PER CAPUT TUUM JURAVERIS; QUIA NON POTES UNUM CAPILLUM ALBUM FACERE AUT NIGRUM] C q. d. Ne putes tibi licere per caput tuum jurare, eo quod illud sit tuum, & tibi pleno dominio ad quemvis usum subditum, ut de eo ad libitum disponas, illudque per juramentum Diris devoveas, si pejeres, quia revera caput tuum non est tuum, sed Dei: rem autem Dei alteri obligare & devovere non potes, nullum enim in rem Dei jus habes: unde non potes vel unum capitis capillum album facere aut nigrum, sed id solius est Dei. Qui ergo per caput suum jurat, per Deum capitis factorem jurat, atque, quod horribilius est, talis etiam suum caput vitamque rogat a Deo in pignus accipi, ut si pejeret, a Deo capite vitaque mulctetur.

VERS. 37 SIT AUTEM SERMO VESTER, EST, EST: NON, NON (id est simplex affirmatio vel negotio) QUOD AUTEM Jacob. 5. 12. HIS ABUNDANTIUS (Græce περισσὸν, id est, *amplius*, Syrus, & Vatabl. *quod ultra hæc adjungitur*) EST, A MALO EST] In Evangelio S. Matthæo adscripto pro, *est, est*: *non, non*, habetur כן כן אין אין *Ken, Ken en, en*, id D est, *sic, sic*: *non, non*, vel *recte, recte*: *non, non*. Græce ναὶ, ναὶ: οὒ, οὔ. quod tripliciter accipi potest, primo, ut notet constantem asseverationem, opponaturque inconstantiæ & fallaciæ. Sic illud usurpat Apostolus 2. Cor. 1. v. 17. 18. 19. Secundo, ut notet veritatem, seu id, quod res est, opponaturque falsitati. Sic accipitur ibidem v. 20. tertio, ut notet simplicem affirmationem vel negationem, opponaturque juramento: Sic capitur hic, & Jacobi 5. 12. sensus ergo est, q. d. Sermo vester sit simplex affirmatio vel negatio: quod enim ultra hæc additur jurando, id a malo est. Ita S. Chrysostomus hic, & S. Hieronymus vel Paulinus epist. ad Celantiam.

Hinc S. Bernardus epist. 38. a simplici veracitate commendat Comitem Theobaldum: *Et quidem*, inquit, *in aliis principibus si quando verbum levitatis aut etiam falsitatis deprehendimus, nec mirum reputamus; at vero apud Comitem Theobaldum: Est & non, nequaquam omnino patienter audimus: cui, ut dicitur, simpliciter dicere, jurare est, & leve mendacium, grave perjurium imputatur: plurima quippe virtutum insignia, quæ vestram plurimum nobilitant dignitatem, & vestrum per orbem clarum reddunt ac celebre nomen, præcipue laudatur in nobis veritatis constantia.*

vela est, 37 A MALO EST] Græce *ex malo est*. τὸ *malo* potest accipi in genere vel masculino, vel neutro. Masculino *a malo*, hoc est, a diabolo, qui choragus malitiæ omnisque malitæ instigat, ut jures ex abundanti sine necessitate, itaque te sensim inducat, ut præcipitanter jures falsum, quod est scelus perjurii. Ita Theophylact. Maldon. & alii Neutro, *a malo*, id est, a vitio, sive proprio; sive alieno: q. d. Usus jurandi oritur ex vitio proprio levitatis & irreverentiæ, vel alieno incredulitatis & diffidentiæ: quia enim alter mihi simpliciter aliquid asserenti non credit & diffidit, hinc juramento dicta mea illi confirmo, quod tamen vitium, jam post hominis lapsum, est necessarium. Ita S. Augustinus lib. de Serm. Domini in monte. Hic sensus videtur simplicior & planior. Huc accedit Franc. Lucas: *a malo*, inquit, id est, a consuetudine vane & leviter, vel ficte & dolose jurandi. Rursum *a malo*, id est, a consuetudine jurandi orta ex hominum diffidentia. Dum enim viderunt homines sibi non credi nisi juratis, cæperunt quibuslibet dictis suis addere juramenta, ut iis fidem conciliarent: sed per hanc jurandi frequentiam hoc promeriti & consecuti sunt, ut jam eis etiam jurantibus non credatur. De periculis & damnis frequentis jurationis vide Salmeronem tom. 5. tract. 40. & Chrysostomum in homil. ad populum. E F

AUDISTIS QUIA DICTUM EST: OCULUM PRO OCULO, ET DENTEM PRO DENTE] Scilicet repende. Est hæc lex talionis, quæ jubet, ut si cui oculum vel dentem effoderis, tibi pariter per judicem oculus vel dens eruatur, hæc enim est justa vindicta & noxæ compensatio. Exodi 21. 1. 23. & seq. Vide ibi dicta. VERS. 38

EGO AUTEM DICO VOBIS, NON RESISTERE MALO] id est, rei malæ & injuriæ, vel malitiæ & noxæ, quæ tibi ab homine malo infertur, q. d. Noli malum malo, noxam noxæ retaliare: aut potius, q. d. Noli *resistere malo* masculine, id est, homini malo tibique injurio, Græce enim est, τῷ πονηρῷ: patet ex seq. Uterque sensus eodem redit. VERS. 39 Luc. 6. 29.

Nota Primo, veterem talionis legem fuisse justam, sed ejus praxim sæpe injustam & manantem non ex justitiæ, sed ex vindictæ appetitu, quo læsus, v. g. cui erutus erat oculus, aut dens, lædentem talionis reum peragebat, ac a magistratu postulabat, ut eidem simili modo oculum, aut dentem erueret: Christus vero hanc legem supplet & perficit talioni opponendo legem & consilium patientiæ, ac animo vindictæ cupido, legem mansuetudinis. Lex talionis justa G

Nota secundo, hanc Christi legem non spectare magistratum, uti volunt Anabaptistæ, qui omne bellum non tantum offensivum, sed & defensivum hic a Christo Christianis vetari putant; sed spectare privatas personas. Magistratus enim officium est fontes punire, ac homicidas morte plectere: ac Principis est damna reipubl. illata bello, si aliter nequit, repetere.

Nota tertio, hanc Christi legem privatis non adimere jus talionis, quod est juris naturæ & Gentium, tum ad Justitiæ læsæ reparationem, tum ad rei, qui læsit, correctionem: multo minus adimit jus se defendendi, quo quis ab hoste invasus vim vi repellit, & si aliter evadere nequit, invadentem occidit; sed tantum erat vindictæ cupiditatem. Unde.

Nota quarto, Christum hic velle nobis imprimere propensionem ad mansuetudinem, & patientiam, ut quantavis injuria lædaris, a pace tamen, charitate & suavitate mentis interna, ne vel nihilum decedas; utque si charitas proximi & Dei gloria, aut animi proprii tranquillitas & recta ratio in tali rerum peristasi, sive circumstantia non tantum suadeat ut perfectius, sed absolute id exigat ut necessarium, non resistas malo, sed patienter illud excipias, ac opes & corpus tuum prædæ des invasori, uti contingebat tempore persecutorum primitivæ Ecclesiæ, præsertim in Apostolis virisque Apostolicis: atque hac parte præceptum est, non resistere malo, alias dumtaxat est consilium, v. g. Consilium est non resistere invasori, sed ejus vim & injuriam sustinere: ubi & quando charitas & Dei gloria hoc non exigit, sed suadet tantum velut perfectius, aut ad mortificationis studium, ubi utrimque æqualis est Dei gloria, id facere ad insignem sui victoriam. Idem dico de tribus sequentibus casibus, scil. cet: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram: qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Unde S. Augustinus hic & epist. 5. ad Marcellinum & libr. de Mendacio, cap. 15. docet ista omnia magis ad internam animi præparationem H Christus talioni opponit tolerantiam.

A nem, quam ad externam operis executionem pertinere.

(Quando illa sint præcepti, quando consilii.

Hæc ergo communiter sunt consilii; præcepti vero, cum Dei gloria & salus proximi id absolute jubet & præcipit, v. g. si Indi & Japones scirent Christum præcepisse Christianis, ut percutienti unam maxillam præbeant alteram, & nisi hoc illi faciant, ipsi scandalizarentur, & a fide Christi amplectanda averterentur, tunc utique Christianus, præsertim prædicator ferienti unam genam porrigere deberet alteram. Cujus rei litterale exemplum extat in vita S. Francisci Xaverii, Indorum Japonumque Apostoli. Cum enim Japones riderent eum ut peregrinum, ejusque novam de Christo crucifixo doctrinam, contigit, ut Japon quidam audiens Joannem Fernandes, qui Xaverii erat socius, in platea concionantem, ex petulantia crassum & virulentum phlegma in faciem ejus expueret: qua injuria nil commotus Fernandes detersо leniter sputo, in concione animose perrexit: quod factum ac tantum patientiam & sapientiam novorum prædicatorum admirantes Japones, certatim eis se discipulos tradidere, fidemque Christi amplexi sunt. Tam efficax, tam potens est Christiana virtus patientia, lenitas, & magnanimitas, ut fidem persuadeat, quam omnis sermo persuadere non potuit. Numerantur enim hodie in Japone ad quingenta Christianorum millia, qui primorum Christianorum fervorem & constantiam etiam per lentos ignes imitantur. Patiens ergo non resistens malo, non ab illo vincitur, sed illud vincit: vincit enim iram, vincit & hostem malum inferentem. Audi S. Chrysostomum hom. 85. in Matth. *Hæc apud nos clarissima est victoria, nullibi certe male agentes, ubique mala sufferentes superamus: illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superasti. Sis scopuli fluctibus casi, facile illos dissolvunt*; &c. *Deus eas tibi vires concessit, ut non consertione manuum, sed patientia vincas.*

Exempli.

B

Denique proprie martyrum est non resistere malo, non se defendere, sed permittere se occidi pro Christo, quia *miles pugnat, martyr non pugnat*; martyr enim est collega passionis Christi, ut scribunt martyres ad S. Cyprianum lib. 5. epist. 12. passio enim Christi est exemplar omnis martyrii.

C

Quocirca nobilis illa Thebæa plurimorum & fortissimorum militum legio, a Maximiano Imperatore damnata ad mortem, eo quod idolis nollet immolare, immissis in eam militibus cæsoribus noluit se defendere, etiamsi caro vitam suam vendere, magnamque hosti stragem inferre potuisset, sed duce & hortatore S. Mauritio, rejectis armis, velut grex agnorum permisit se pro Christo mactari & immolari. Christus ergo novam hic docet Philosophiam mundo paradoxam, Philosophis incognitam, hominibus inauditam, sed cælestem & divinam, eamdemque suo confirmavit exemplo, dum Judæis ultro se tradidit vinciendum, flagellandum, crucifigendum. Unde ipse de se ait: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus.* Isaiæ 49. 6. & c. 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit & non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Fuit enim ipse rex martyrum, & dux patientium. Ratio a priori est, quia in hoc consistit apex patientiæ, magnanimitatis & charitatis. Patientia enim opus perfectum habet, ut ait Jacobus c. 1. v. 4. Vide ibi dicta. Perfectus autem est, si non resistat injuriis, & injuriantibus, sed iis ultro se offerat. Magnanimitatis est, omnes res hujus vitæ, adversas æque ac prosperas quasi infra se positas despicere. Magnanimus quasi in cælo positus & in cælo defixus, contemnit omnia, quæ sub Deo sunt, velut parva & exilia, itaque eis dominatur, sicut Christus dominatus est omnibus injuriis, doloribus & tormentis: quare ipse in passione fuit rex & Dominus dolorum. Charitas denique pro Deo optat dura & dira pati. Rursum optat injuriantem vincere & convertere sua tolerantia & lenitate, non vero ab eo vinci, juxta illud: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Rom. 12. 21. Vide ibi dicta. Vide & S. Ambrosium lib. 1. Offic. c. 41. nimirum:

D

Ratio a priori.

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

Luc. 6. 29. SED SI QUIS PERCUSSERIT DEXTERAM MAXILLAM TUAM, PRÆBE ILLI ET ALTERAM] Hoc quandoque est præceptum, quandoque consilium Evangelicum, uti jam dixi: proficiscitur vero ex animo generoso prompto ad patiendum, ac præsertim Christi vitam & passionem imitari gestiente. Quocirca viri magni, qui Christum proxime sequi conati sunt, idipsum reipsa præstiterunt. Hinc S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto in procemio, mystice per maxillam accipit patientiam, quæ omnium est victrix. Sicut enim, inquit, Samson maxilla asini occidit mille Philisthæos, sic Christus sua patientia prostravit dæmones; omnesque hostes, & a Christo Christianus & patiens quilibet. Judic. 15. 15. Idem S. Ambrosius in c. 6. Lucæ: *Nonne*, inquit, *omnis indignantis si ei præbeas maxillam) frangitur impetus, ira sedatur? Nonne fit per patientiam, ut tua amplius pœnitentia reverberes verberantem? Ita erit ut & injuriam repellas & gratiam quæras. Ac sæpe maxime amoris causa existunt, cum patientia insolentiæ, gratia refertur injuriæ.*

E

Ita magnus ille Spiridion Trimituntis in Cypro Episcopus, ob sanctitatis famam vocatus a Constantio Imperatore, cum vili & peregrino habitu regiam ingrederetur, a quodam e famulis irrisus & alapa in gena percussus, mox alteram præbuit, atque hac sua virtute eumdem pudefecit, convertitque, ut prostratus in terram, supplex ab eo veniam peteret, ut habet ejus vita apud Surium die 12. Decembris.

Exempla præbentia alteram maxillam. S. Spiridionis.

F

Ita Monachus ille alteram maxillam præbens energumenæ percutienti, ab ea dæmonem effugivit. Audi rem gestam narrantem Auctorem lib. doctrinæ Patrum tract. de Humilitate, numer. 5. Cum intrasset, inquit, Monachus ille in domum, venit puella illa, quæ a dæmone vexabatur, & mox dedit alapam Monacho, ille autem convertit ei & aliam maxillam secundum divinum præceptum: dæmon autem coactus, clamare cœpit: *O! violentia mandatorum Christi Jesu expellit me hinc.* Et statim mundata est puella illa. Cum autem venisset ad senes, Monachus ille indicavit eis, quid factum fuerit, & glorificaverunt Deum & dixerunt: *Consuetudo est diabolicæ superbiæ, humilitate mandatorum Jesu corruere.*

Monachi cujusdam.

Simile plane est quod narrat Ruffinus in vitis Patrum lib. 3. num. 125. *Quidam*, inquit, *ex senibus monachorum eremita fuit, quem quidam a spiritu malo correptus & spumans fortiter in maxillam percussit; senex autem præbuit illi alteram maxillam, ut feriret: diabolus autem non ferens incendium humilitatis ejus, statim discessit.* Idem pene ad verbum recensет Pelagius in vitis Patrum libello 15. num. 53.

Anachoretæ cujusdam.

G

Simili modo S. Albertus Ordinis Carmelitarum, a diabolo per energumenam in dextera maxilla percussus, præbens ei alteram, sua humilitate diabolum crucians expulit, ut habet ejus vita apud Surium die 7. Augusti.

S. Alberti.

Insuper unus e quinque Franciscanis, qui vivente S. Francisco Marrochii pro fide Christi nobile martyrium obierunt, nomine Otho, invitatus a Principe Sarraceno ad Mahometismum, in ejus & profanæ legis contemptum in terram spuens gravi alapa ab eo percussus est; at ille memor verborum Christi, alteram maxillam præbuit, dicens: *Ignoscat tibi Deus, quia nescis quid facis.* Ita habet ipsorum vita apud Sur. 16. Cal. Febr.

S. Othonis Minoritæ.

H

Cassianus Collat. 19. c. 1. celebrat patientiam religiosi cujusdam, qui ab Abbate Paulo in conventu multorum ad probandam ejus virtutem, palma in maxilla acriter percussus, ita ut sonitus longe confidentium auribus resultaret, non solum non murmuravit, sed ne rubore quidem, ut assolet, vultum perfudit.

Alterius religiosi.

Porro de S. Paula ita scribit S. Hieronymus in ejus Epitaph. *Invidia & probris appetita ait: Cur non patientia livorem superem? cur non humilitate frangam superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram?*

S. Paulæ.

Denique S. Eulogius Cordubensis presbyter & martyr, a Saraceno principe damnatus ad mortem, quod Mahometi malediceret, cum ad martyrium duceretur, a Saraceno in maxillam percussus, alteram ei præbuit, in eaque alapam recepit: unde mox capite plexus est, & columba corpori ejus insedit quasi columbinæ ejus mansuetudinis, innocentiæ & patientiæ judex & vindex, anno Domini 859. die 11. Martii: quo tempore plures ibidem eadem de causa martyrium subiere, quorum generosa certamina & triumphos paulo ante mortem descripserat ipse Eulogius. Ita habet ejus vita scripta ab ejus familiari Alvario Cordubensi, quæ extat in Surio per Mosandrum adaucto ad diem 11. Martii.

S. Eulogii.

Quod si vero quis hæreticus vel impius te in unam maxillam percutiat, ut tuam Orthodoxam fidem, religionem,

Digitized by Google

A nem, virtutem despiciat & despiciendam aliis ostendat, tunc sane non præbenda est ei altera, sed graviter ille increpandus est, uti Christus increpavit Satellitem dantem sibi alapam coronam Pontifice, dicens, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Joan. 18. 23. Et Paulus, cum eum Pontifex juberet percuti: *Percutiat*, inquit, *te Deus, paries dealbate*. Actor. 23. 3. tunc enim faciendum est illud sapientis: *Respondè stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*. Proverb. 26. 5. ubi festivum hac de re exemplum recensui, Denique Cassianus Collat. 16. c. 20. irridet vesaniam nonnullorum, qui ut hoc Christi exemplum implerent, ultro jurgia miscebant, aliosque ad iram provocabant, ut ab iratis percuterentur, ac percussi aliam maxillam percutienti feriendam offerebant. Patientis enim est neminem ad impatientiam provocare, ne ipsa patientia fiat impatiēs.

VERS. 40 ET EI, QUI VULT TECUM IN JUDICIO CONTENDERE, ET TUNICAM TUAM TOLLERE, DIMITTE EI ET PALLIUM] Luc. 6. v. 29. 30. Pallium est vestis extima & sæpe majoris pretii: tunica vero est vestis interior; unde illud: *Tunica pallio propior*: quare tunica exui detrahique nequit, nisi prius detrahatur pallium. Quocirca S. Lucas cap. 6. 29. ordinem tunicæ & pallii recte invertit, aitque: *Et ab eo qui aufert tibi vestimentum* (Græce ἱμάτιον, id est, pallium) *etiam tunicam noli prohibere*. Sed eodem redit sensus, q. d. Unam vestem auferenti, noli in judicio pro veste cum litigatore contendere, sed potius ut litem evadas, dimitte ei vestem quamlibet, adeoque si ipse pallium poscat, dimitte ei & tunicam; si poscat tunicam, adde ei & pallium: præsertim quia, ut notat Eutymius ἱμάτιον & χιτὼν, id est, pallium & tunica sæpe inter se confunduntur, ac unum pro alio sumitur. Ratio a priori est, quia *melior est uncia pacis & charitatis, quam libra victoriæ*, uti dictitabat Cardinalis Bellarm. Unde Apost. Colos. 3. 15. *pax Christi*, ait, *exultet* (Græce καταβραβευέτω, id est, tanquam brabeuta imperet & dominetur) *in cordibus vestris*. Fecit hoc ad litteram S. Franciscus, qui ob profusas Eleemosynas a patre protractus ad Episcopum Assisinatem, ut cederet bonis, non tantum iis cessit, sed & vestes patri resignavit, dicens: *Deinceps fidentius dicam: Pater noster, qui es in cœlis*. Ita S. Bonaventura in ejus vita. Hac in re rarum patientiæ & paupertatis exemplum dedit S. Elisabeth, regis Hungarorum filia, quæ mortuo marito Hassiæ Lantgravio, a Vassallis suis & cognatis per summam injuriam domo expulsa, bonis spoliata & ad extremam paupertatem redacta, læta & alacris secessit in cœnobium Franciscanorum, ibique a Fratribus: *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem Deo decantari postulavit; atque per domos cum prolibus velut mendica oberrans, tandem tugurium ingressa, ubi fumo, æstu, ventis, & imbribus exagitata; Deo semper gratias agebat: insuper cognatorum sannas, convitia, scommata hilariter sustinebat, gaudens quod digna esset talia pro Deo pati. Denique cum pater ejus rex Andreas, eam in Hungariam ad regium vivendi splendorem revocaret, non acquievit, sed in summa paupertate lanificio victum sibi parans, in vilissimis circa pauperes, ulcerosos & leprosos officiis vitam omnem transegit, ideoque sub mortem & Angelorum melodiam, & Christi ad regnum cælestе evocantis dicentisque: *Veni electa mea, & cœlesti thalamo, quem tibi ab æterno destinavi, potire*, vocem audire meruit. Ita habet ejus vita apud Surium die 19. Novemb.

VERS. 41 ET QUI TE ANGARIAVERIT MILLE PASSUS (milliare unum Italicum) VADE CUM ILLO ET ALIA DUO] Angariare est vox Persica. Persis enim publici nuntii & veredarii vocabantur *angari*, quibus jus erat equos, homines & navigia usurpandi, & ad sibi serviendum cogendi: unde angariare idem est, quod stringere & cogere: unde nomen *Angariæ* & *Panangariæ* in libris Juris. Nostrates vocant *Postas* quasi *positos* collocatosque in certis locis, & semper in procinctu excubantes. Hinc epistola dicitur Hebr. נ׳ ג׳ *iggheret*, quasi *ingeret*, id est, missa & prolata ab anagariis, sive cursoribus. Hinc & Græce dicitur ἄγγελος, id est, angelus quasi angarus per commutationem literæ *r* in *l*, uti pro *Belial*, dicitur *Beliar*, sæpe enim litera *l*, mutatur in *r*, & quandoque aliæ in alias, ut μελετῶ *meditor*, ἄμυλον, *amido* Hetruscè, ἔλαφος, ἔλαφος, id est, *cervus*, μοναστηλιον, Hispanice *monasterio* pro conspiratione, πάνορμος, *Palermo*. Ita Angel. Canus in Hellenis.

Angariare est cogere.

Sensus est, q. d. Si quis cogat te secum proficisci ad unum milliare, potius quam cum eo contendas, vade cum eo ad duo milliaria: sic enim pacem servabis, patientiam exercebis, & cogentem charitate vinces, tibique amicabis: sin illi resistas, reque vindicare velis, bellum vel duellum cum ipso suscitabis, perdes mentis tranquillitatem, & odia tibi conciliabis.

Exempla Philosophorum.

Porro ne fideles putent hic sibi nimis dura & ardua a Christo præcipi, hinc S. Basilius homil. de Legendis Gentilium libris, ostendit Philosophos similia docuisse & fecisse, ut Periclem, qui toto die a quodam probris exceptus, eumdem vespere cum lumine domum deduxit: & Socratem, qui a quoddam multis in facie plagis affectus, non aliter ultus est hominem, quam fronti suæ, velut statuæ nomen ejus, quasi opificis inscribendo. Et Euclidem, qui, cum quidam juraret se illum occisurum, juravit vicissim se eum placaturum, ac ne in se animo esset hostili, effecturum. De Julio Cæsare, ait Cicero orat. pro Marcello: *Cæsar nil oblivisci solet nisi injurias*. Aristot. lib. 4. Ethicor. c. 3. *Magnanimus*, inquit, *ignominiam hominum contemnit*. Alius: *Magnanimi est oblivisci injuriam, ut debilis stomachi est cibum duriorem non posse digerere, ita pusilli animi est duriusculum verbum non posse sustinere*. Hæ fuere umbræ virtutis Christianæ, quæ utique longe major & solidior exstitit in S. Paulo, S. Laurentio, S. Vincentio & similibus, qui tortoribus gratias agebant, quod sibi martyrii coronam torquendo pertexerunt. S. Cyprianus suo speculatori, qui caput ipsi erat amputaturus, jussit dari viginti aureos, ait Pontius in ejus vita. B. Juniperus S. Francisci socius probra excipiebat quasi gemmas Christi, unde exprobranti sibi: *Projice*, inquit, *has gemmas in sinum meum, vellem utique talibus gemmis lapidari Romam usque*. In vitis Patrum legimus de religioso quodam, quod quo quis amplius eum vexabat, aut irridebat, tanto magis ille gaudebat, dicens: *Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum: qui autem beatificant nos, conturbant animas nostras. Scriptum est enim: Quoniam hi, qui beatificant vos, ipsi decipiunt vos*.

Exempla Christianorum.

Climacus Gradu 4. de Obedientia narrat religiosum nomine Abbakirum, a sociis varie per annos quindecim tentatum & tribulatum, ita ut e mensa quoque a ministris expelleretur, omnia hæc patienter tulisse, ac interpretatum hæc omnia non serio, sed probandi sui causa fieri, atque instante morte dixisse: *Gratias ago Domino Jesu Christo & vobis, quia propter id, quod me tentastis in salutem, ecce decem & septem annis permansi a dæmonibus non tentatus*. Ibidem commemorat Macedonium senem inter novitios (id ipsomet humilitatis studio petente) relegatum dixisse: *Numquam sicut nunc evacuationem omnis prælii, & luminis divini dulcedinem in me ipso perspexi*.

VERS. 42 QUI PETIT A TE, DA EI: ET VOLENTI MUTUARI A TE, NE AVERTARIS] Græce μὴ ἀποστραφῇς, id est, *ne averseris*. S. Augustinus, *ne aversatus fueris*, scilicet mutuum a te postulantem. Videtur prima fronte hæc sententia non cohærere cum præcedentibus de lege talionis & vindictæ; sed revera optime cohæret, sensus enim est, q. d. Christus: Ego pro lege talionis & maleficentiæ surrogo & figo legem charitatis & beneficentiæ. Quare quicumque petit aliquid abs te, sive is amicus sit, sive inimicus, qui te læsit & in maxillam percussit, aut pallium abstulit, aut aliter angariavit, da illi, quod petit: ac si velit, poscatque abs te mutuum, ne eum ob injurias tibi illatas averseris, faciemque tuam, ut fieri solet, avertas, sed benigne cum ut proximum excipe, ac mutuum ei præbe, perinde, ac si numquam te læsisset. Hunc esse sensum liquet ex τὸ *ne avertaris*, vel ut Græce est, *ne averseris*, & ex eo, quod habet Lucas c. 6. 30. *Omni autem petenti te tribue*, additque: *Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Unde patet hic agi de eo, qui tibi injurius fuit, tuaque velut fur aut raptor abstulit: huic enim concedere id, quod abstulit & rapuit, nec repetere, si ipse eo valde indigeat, præcepti est (si enim non abstulisset, obligaris ei ita indigenti idipsum dare per eleemosynam) alias consilii est, eleemosyna enim, sive illa fiat dando, sive mutuando id, quo proximus, etiamsi inimicus, qui nos læsit, indiget, præcepti est in extrema vel gravi ejus necessitate; alias consilii est sed utilissimi. Intellige, si habes quod ex tuo illi des vel mutues: nam aliena, ac præsertim Deo consecrata, uti sunt bona monasterii, dare vel mutuare non licet sine venia Superioris, uti docet S. Basilius, in Regulis brevior. resp. 101. Sic S. Spiridion, & nonnulli Anachoretæ furibus ea, quæ sibi furati erant, ultro condonabant, quin & plura adjungebant.

Porro

Digitized by Google

A Porro apte subjungit Christus hoc præceptum, ut omni petenti demus, præcepto patiendi rapinam, qua tibi ablata est tunica, pallium, &c. quia hæc rapina disponit ad donationem: qui enim patienter suffert sua sibi auferri, facile dabit quæ sua sunt, alteri. Nam ut ait S. Gregorius 3. parte Pastor. Admonit. 21. *Cum dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientiæ exquirit. Prius namque præparandus est patientiæ animus, & tunc aut multa sunt, aut cuncta largienda, ne dum minus æquanimiter inopia irruens fertur, & præmissæ largitatis merces pereat, & adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat.*

Denique non decrescit, sed accrescit hic Christi sermo & sanctio; licet enim facilius sit in se dare omni petenti, quam percutienti unam maxillam præbere alteram, aut tollenti tunicam dimittere & pallium; tamen difficilius est in connexione, quia, ut jam dixi, supponit illam patientiam, qua illa & illos sufferre obligamur, & superaddit beneficentiam, qua eisdem petentibus dare vel mutuare debemus; difficilius enim est post acceptam injuriam

B injurianti benefacere, quam ab eo acceptam injuriam dumtaxat pati & sufferre. Ita S. Augustinus lib. de Serm. Domini c. 40.

Ratio a priori. Rationem a priori subdit S. Lucas c. 6. 31. *Et quodcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Hæc enim est lex, mensura & fons charitatis mutuæ, ut facias alteri, quod tibi vis fieri. Vis tibi egenti dari eleemosynam etiam ab inimico? tu similiter fac illi. Audi Climacum Gradu 26. *Piorum est omni petenti dare: sed magis piorum est, etiam non petenti largiri. Non repetere autem, aut quidquam ab eo exigere, qui abs te aliquid abstulit, dum maxime possis, illud fortasse nonnisi eorum est, qui omnem affectum ergares omnes mortales exuerunt.*

B. Philip. Nerius. Praxin hujus præcepti Christi nuper Romæ docuit raro charitatis exemplo B. Philippus Nerius qui omni petenti dabat omne, quod poterat solatium, consilium & auxilium, ideoque cuique cubiculum suum patere volebat, ut cuilibet liberum ad se qualibet hora daret aditum, dicebatque servum Dei debere esse omnium horarum hominem, ut nullam ex tota die sibi reservet, sed omnes proximis commodet, ut totus sit illorum, non suus: sicut fecit

C Christus, qui *pertransiit beneficiendo, & sanando omnes oppressos a diabolo.* Actor. 10. & 11. ac se suaque omnia una cum vita pro nobis impendit & profudit: atque Paulus, qui omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret. 1. Cor. 9. 22. Nota est

S. Joannes Eleemosynarius. S. Joannis Patriarchæ Alexandrini liberalitas, qui hac Christi sanctione stimulatus, omnibus petentibus largas dabat eleemosynas, indeque cognominatus est Eleemosynarius: ac quo plus dabat, eo plus recipiebat, ut cum Deo de liberalitate certare videretur, & Deus cum eo. Vicit enim Joannes Deum, & Deus Joannem vicit multo amplius. Quocirca nolebat Joannes petentes examinari, an divites essent vel pauperes, an digni vel indigni, an pauci vel multi. Persuasum enim habeo, inquit, quod etiamsi totus mundus simul veniret Alexandriam, egens beneficentia, hos Dei thesauros nequaquam in angustum rediget.

S. Franciscus. S. Franciscus initio conversionis suæ, cum pauperem quemdam petentem eleemosynam præter morem repulisset, repente facti pœnitens, largam ei dedit, vovitque se numquam deinceps postulanti eleemosynam negaturum, atque hac sua liberalitate vicissim copiosam Dei gratiam in se provocavit, qua ad tantam mox sanctitatem evasit.

D

Alexander Halensis. Rarum est, quod in Chronicis Ordinis S. Francisci legimus de Alexandro Halensi, qui *vitæ fons* est appellatus, fuitque præceptor S. Bonaventuræ, & ut fertur, S. Thomæ. Hic tanto in Deiparam ferebatur affectu, ut constituerit nulli umquam se negaturum quod nomine Deiparæ peteretur: quod cum intellexisset quidam Franciscanus, videns cum doctorem celeberrimum, cui nullus par in Academia Parisiensi, ad eum accessit, &, *Per S. Mariam*, inquit ad eum, *obsecro te ut vobis accedas.* Is missum a Deo credidit hominem, & illico eum sequitur, fitque S. Francisci alumnus. Fuse rem gestam narrat Lucas Waddingus tom. 1. Annal. Minorum, ad annum Christi 1222. num. 26.

VERS. 43 AUDISTIS QUIA DICTUM EST: DILIGES PROXIMUM TUUM, ET ODIO HABEBIS INIMICUM TUUM] Prius, *diliges proximum*, dictum est Levit. 19. 18. at posterius, *odio habebis inimicum*, ubi dictum est? Respondent Maldonatus id dictum esse Deuter. 25. 19. *Delebis nomen ejus sub*

E *cælo, cave ne obliviscaris.* Jusserat enim Deus Josue & Hebræis, ut gentem Chananæam impiam prorsus delerent, & eorum terram occuparent; Christum ergo non Scribas, sed legem ipsam hic corrigere, dum jubet inimicos diligere. Verum lex jussit tantum Chananæos occidi, non tamen odio haberi, multo minus alias gentes: sicut judex jubet occidi reum, non tamen eum odit, imo eum amat; curat enim ut culpam & scandalum a se datum emendet, pro eaque Deo & reipublicæ satisfaciat: sic & miles in bello justo hostem cædit, sed non odit. Est enim executor sui ducis, quasi judicis. Nam legem veterem præcepisse non solum amicos, sed & inimicos diligi patet Exodi 23. 3. & Levit. 19. Lex enim naturæ jubet inimicos diligi.

Lex vetus jussit hostes diligi.

Dico ergo id dictum esse, non a lege, sed a Scribis legem interpretantibus. Hi enim ex eo quod dicitur Levit. 19. 18. *Diliges proximum*, vel ut Noster vertit *amicum* (Hebr. enim רע *rea* significat socium, amicum, proximum) *tuum*: inferebat: ergo *odio habebis inimicum tuum*:

F per amicum autem vel proximum ipsi intelligebant proximum cognomine & gente, puta Judæum ex Abraham & Jacob secum prognatum, quasi soli Judæi essent diligendi; cetera vero gentes, præsertim Chananæa, odio habendæ: qui manifestus est error. Quare Christus sensum hunc corrigit, legemque explicat, videlicet per amicum vel proximum hic intelligi quemvis hominem, etiam extraneum, gentilem & inimicum: omnes enim homines ad invicem proximi sumus in primo patre Adamo, utpote ex eo progeniti, ideoque fratres; & in secundo parente Christo, per quem regenerati & quasi recreati sumus ad eamdem Dei similitudinem, vocatique ad eamdem Dei Patris hæreditatem in cælis. Ita S. Hieronymus, S. Augustinus, Theophylactus, & alii.

Porro Origenes hic per inimicos accipit dæmones: hos enim quasi juratos & æternos hostes, sollicitantes nos ad peccatum & gehennam, Vatiniano odio odisse debemus: Verum hoc mysticum est & symbolicum.

EGO AUTEM DICO VOBIS: DILIGITE INIMICOS VESTROS, BENEFACITE HIS, QUI ODERUNT VOS, ET ORATE PRO PERSEQUENTIBUS, (Græcus & Syrus, *qui vexant vos cum militari insultu & violentia*) ET CALUMNIANTIBUS VOS] Græca addunt καλῶς ποιεῖτε, τοῖς κατᾶρωμένους ὑμᾶς, id est, *benedicite iis, qui vobis maledicunt*, ut Christus hic præcipiat inimicos diligi corde, ore, & opere; corde, cum ait; *diligite inimicos*, ore cum ait: *benedicite iis, qui vobis maledicunt*: opere cum addit, *benefacite his, qui oderunt vos.* Præcepit ergo Christus hic: Primo, ut inimicos non odiamus, sed amore interno sinceroque diligamus. Secundo, ut communia amoris signa externa, sive loquendo & salutando, sive benefaciendo eis non negemus: peccatum enim esset, si eleemosynam faciens omnibus pauperibus, qui in urbe vel hospitali sunt, ab ea excludas unum, duos, aut tres, qui te læserunt, vel tui sunt inimici. Tertio, ut inimicis in necessitate positis succurramus, æque ac facimus amicis. Consulit autem, ut benevole eos præveniamus verbis & beneficiis peculiaribus, itaque eorum odium vincamus, eosque nobis devinciamus & amicemus, juxta illud Pauli: *Vince in bono malum.* Rom. 12. 21. ubi plura hac de re dixi. Hic est apex charitatis Christianæ, scilicet dilectio inimicorum. Vide D. Thomam & Scolasticos, 2. 2. q. 25. art. 8. & 9.

VERS. 44 Luc. 6. v. 27. 28. 35

G

H

Porro S. Chrysostomus hic homil. 18. hujus dilectionis inimicorum novem gradus constituit, *Primus est*, inquit, *ne prior injuriam ordiaris. Secundus, ubi est injuria cœpta, ne tu eamdem eodem pacto propellas. Tertius, ne par pari referas, sed quiescas. Quartus, ut etiam præbeat seipsum ad injuriam sustinendam. Quintus, ut etiam ad majora se præbeat, quam vult ille, qui fecit. Sextus, non odisse a quo ista perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octavus, beneficiis quoque eum libenter afficere. Nonus, etiam Deum pro adversario deprecari.*

Novi gradus amoris inimicorum.

UT SITIS FILII PATRIS VESTRI, QUI IN CÆLIS EST, QUI SOLEM SUUM ORIRI FACIT SUPER BONOS ET MALOS, ET PLUIT SUPER JUSTOS ET INJUSTOS] *Ut sitis*, id est, ut ostendatis vos esse filios Dei, aut potius *ut sitis* reipsa filii Dei per imitationem, id est, similes & imitatores Dei, qui jam estis filii Dei per gratiam & adoptionem. Simili sensu dixit v. 9. *Beati mundo corde, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Jubet ergo, ut in dilectione inimicorum imitemur Deum, qui impiis hostibus suis benefacit, dando eis pluviam, solem, fruges, fructus, &c. Deus enim tam celsi est animi, ut nullam, quantumvis

VERS. 45 Luc. 6. 35.

impii

A impii & blaſphemi, injuriam & læſionem ſibi factam putet; nullam enim ſentit, nil de honore & gloria ſua deperdit: item tam impatibilis eſt & ſanctus, ut nulla in eum cadat ira & vindicta, ac tam bonus & clemens eſt, ut ſua dona effundat in inimicos, eoſque gratia ſua præveniat alliciens & trahens ad reconciliationem; imo pro eis ſibi reconciliandis ſalvandiſque Filium ſuum unicum dedit in crucem. Hæc imitemur quoad poſſumus.

Urget S. Aug. τὸν *ſolem ſuum*, id eſt a ſe creatum: *Ut hinc*, ait, *commoneamur, quanta liberalitate inimicis noſtris ex præcepto ejus præſtare debeamus, quæ nos non creavimus, ſed ex munere ejus accepimus*. Stimulos ad diligendum inimicos plures ſuggerit hic noſter Salmeron tom. 5. c. 43.

VERS. 46 *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt?*] Publicani dicti a publico, quod publica vectigalia exigant & redimant, ideoque rigide a pauperibus plura ſubinde extorqueant, quam ipſi debeant aut ſolvere queant: qua de cauſa, apud Judæos habebantur ut iniqui & infames. *Quam mercedem habebitis?* q. d. Nullam: ſi enim amicos dumtaxat diligatis, non inimicos, Luc. 6. 32. B ut Publicani faciunt, Deus nullam in cælo vobis mercedem dabit; tum quia hæc dilectio eſt naturæ, non gratiæ & charitatis: hæc enim ad inimicos ſeſe extendit; tum quia mercedem ab amico recipitis, ſcilicet mutuum & vicarium amorem: ſin vero tam inimicos, quam amicos diligatis, utrorumque dilectione magnam a Deo gratiam & gloriam merebimini, & reipſa obtinebitis; quia utraque eſt actus charitatis. Charitas ergo jubet diligi amicos & inimicos; natura corrupta ſolos amicos: Unde P. Sylla jactabat ſe amicos ſuperare beneficiis, inimicos vero maleficiis, uti C. Marium crudeliter laniavit, teſte Plutarcho in ejus vita. Idem fecere alii Gentiles. Quare inter eos ſtupori fuere nonnulli, ſed pauci, qui inimicos etiam dilexerunt, ut Phocion, qui damnatus ad mortem, jam occidendus, rogatus ab amicis, num quid filio nuntiatum vellet, reſpondit: *Volo, ut illatæ mihi ab Athenienſibus injuriæ obliviſcatur*. Lycurgus rex Lacedæmonum a juvene quodam orbatus oculo, illum a populo accepit, ut, quo liberet modo, puniret; ille eum optime inſtituit, & jam probis moribus inſtructum in theatrum produxit, populoque oſtendit: *En*, inquit, *quem a vobis injurium & violentum accepi, jam frugi & popularem vobis reſtituo*. Ita Plutarchus in Lycurgo. Si hæc fecere Gentiles, duce ratione & natura, ob gloriam temporalem, quid facere decet Chriſtianum, duce fide & gratia, ob bravium beatæ æternitatis?

Gentiles aliqui dixere inimicos.

C

VERS. 47 *Et si salutaveritis fratres* (cognatos, conſanguineos, amicos) *vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et Ethnici hoc faciunt?*] Pro *ſalutaveritis*, græce eſt, ἀσπάζησθε, id eſt, ſalutare cum oſculo & complexu, qui ſalutandi mos olim fuit apud Græcos & Romanos, imo apud primos Chriſtianos, juxta illud: *Salutate invicem in oſculo ſancto*. 2. Cor. 13. 12. Vide ibi dicta. Unde Vatabl. vertit: *Si amplexi fueritis, vel ſi complectendo ſalutaveritis fratres veſtros, quid amplius præ ceteris etiam publicanis & Ethnicis facitis?* Græce eſt, τί περισσὸν, quod Vatab. & alii vertunt: *quid eximium facitis?* Nam, ut ſequitur, *& Ethnici hoc faciunt*. Sic cum Noſtro legit S. Chryſoſtomus, ſcilicet ἐθνικοὶ, jam Græca habent τελῶναι, id eſt, *Publicani*. Docet ergo hic Chriſtus ſalutandos eſſe non tantum fratres & amicos, ſed etiam exteros & inimicos. Tam ergo inimicum, quam amicum, ſi generoſi es animi, ſaluta prior, multo magis ſalutantem reſaluta, ut tu potius accipias humilitatis coronam, & de ſuperbia inimici triumphes, eamque ſternas, ut docet S. Chryſoſt. hom. 18. Sub ſalutatione cetera omnia benevolentiæ ſigna accipe. Hoc eſt, quod ait Apoſtolus: *Honore invicem prævenientes*. Rom. 12. 10.

D

VERS. 48 *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est*] Emphaſim habet, τὸ ὑμεῖς, q. d. Vos ab Ethnicis eſtis ſegregati, & a Deo electi, ut ſitis ejus fideles, amici, filii & heredes: imitamini ergo ſanctitatem & perfectionem Patris veſtri cælestis. Luc. 6. 36. Τὸ *ergo* refer partim ad proxime præcedentia de dilectione inimicorum. q. d. Ethnici quoque diligunt, ſed ſibi amicos dumtaxat: Vos ergo, o fideles, qui eſtis amici filiique Dei, ideoque Ethnicis præſtare debetis, diligite omnes tam inimicos, quam amicos, ſicut Pater veſter dilectionem ſuam ad omnes omnino extendit. Eſtote ergo *perfecti* proprie in dilectione & benignitate, ut neminem ab ea excludatis, ſed eam dilatetis & expandatis ad omnes tam inimicos quam amicos, utque tam eos, a quibus nihil ſperatis, quam eos, a quibus aliquid expectatis, eadem complectamini: partim vero τὸ *ergo* refer ad omnia præcedentia. Hæc enim gnome eſt omnium hoc capite dictorum finis & complexio. q. d. Hucuſque explicui Dei mandata ſancientia perfectionem omnis virtutis. Eſtote ergo perfecti in manſuetudine, munditia cordis, patientia, caſtitate, charitate, omnique virtute, quam præcipit lex, Deique mandata.

E

Quæres, an perfectio hæc ſit conſilii an præcepti? Reſpondetur partim eſſe conſilii, partim præcepti. Primo enim, præceptum eſt, ut quiſque fidelis in Chriſtianiſmo & ſuo ſtatu conetur eſſe perfectus, ut ſcilicet perfecte diligat inimicos, æque ac amicos, ac perfecte cætera omnia Dei mandata obſervet. Chriſtus enim hic loquitur omnibus fidelibus, ut patet ex præcedent. Unde moraliter hinc diſcimus, omnes Chriſtianos obligari tendere ad perfectionem ſui ſtatus, officii & gradus: hoc enim requiritur, ut ſint filii Patris cæleſtis, ut ait Chriſtus. Quiſquis ergo cupit eſſe filius & heres hujus Patris, eum imitari debet in perfectione. Itaque aut magnæ illius hereditatis deponenda ſpes eſt, aut ſi filiorum adoptionem tueri volumus, paternæ ſanctitatis & perfectionis imitatione tuenda eſt: quia, ut ait Cyprianus ſerm. de Bono patientiæ, filios, præſertim talis & tanti Patris, non decet eſſe degeneres. Quin & S. Jacobus c. 1. non religioſos, ſed fideles omnes compellans: *Ut ſitis*, inquit, *perfecti & integri in nullo deficientes*. Et S. Petrus epiſt. 1. c. 1. *Ut & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*. Imo Deus ipſe ad Abraham: *Ambula*, inquit, *coram me, & eſto perfectus*. Geneſ. 17. Quiſque ergo in ſuo gradu & officio debet eſſe exactus & perfectus, ut ſingula opera ad amuſſim rationis & legis perfecte faciat, juxta illud Eccleſ. 33. 23. *in omnibus operibus tuis præcellens eſto*: pluris enim fit præcellens Grammaticus, quam mediocris Rhetor; ut audias illud ſponſi de ſponſa: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* Cant. 7. 1. quia ſi milites in prælio cupiunt eſſe ſtrenuiſſimi, diſcipuli in ſchola doctiſſimi, mechanici in ſua arte exactiſſimi, famuli in ſerviendo hero obſequentiſſimi, cur non & Chriſtiani, a Chriſto vocati ad ſanctitatem & perfectionem, cupiant eſſe ſanctiſſimi & perfectiſſimi? B. Tereſia dicitabat, Deum eos præ cæteris maxime amare, qui ſunt perfecti, atque eos facere quaſi capitaneos & duces cæterorum, ut multos convertant, ſalvent & perficiant: unde ipſa votum fecit ſe in quolibet opere facturam id quod foret perfectius, & ad majorem Dei gloriam. Sic *Noe* Geneſ. 6. *placuit Deo*, fuitque mundi diluvio perditi reſtaurator: quia fuit *perfectus in generationibus ſuis & cum Deo ambulavit*. Vide S. Chryſoſt. lib. 3. contra vituperat. Vitæ monaſticæ, ubi docet, præcepta Chriſti tam ſæculares, quam religioſos obligare, ideoque utroſque debere perfectioni ſtudere, quemq; in ſuo ſtatu & gradu, juxta illud Dei ad Iſrael: *Perfectus eris & abſque macula cum Domino Deo tuo*. Deuter. 18. 13. & illud Pauli: *De cætero fratres gaudete, perfecti eſtote*. 2. Corinth. c. 13. Et: *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu*. Coloſ. 1. 28.

Perfectio quænam præcepti.

F

Secundo, perfectio hæc conſilii eſt quatenus ſe extendit ad obſervationem non tantum præceptorum, ſed & conſiliorum Evangelicorum, ut paupertatis voluntariæ, caſtitatis & obedientiæ religioſæ, &c. de qua Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni; ſequere me*. Matth. 19. 21.

H Perfectio conſilii quænam.

Porro perfectio hæc proprie conſiſtit in charitate & dilectione, præſertim inimicorum. Hæc enim eſt perfectio viæ, cum perfectio patriæ conſiſtat in viſione & fruitione Dei. Magna autem debet eſſe hæc perfectio & ſanctitas, præſertim in religioſis, quia magna eſt in Deo, cui ſe conſecrarunt, quemque imitari debent, ut jubet hic Chriſtus. Tacite inſinuat Chriſtus modum, & rationem pertingendi ad perfectionem & ſanctitatem eximiam, eſſe, ſi quis ſe exerceat in dilectione inimicorum, tum quia hic eſt ſummus & difficilis charitatis actus, tum quia hæc eſt eximia & ſumma victoria ſui: nam talis generoſe vincit iram, vindictam ceteraſque animæ paſſiones, totique animo ſuo potenter dominatur & imperat, tum quia Deus charitati & virtuti tam liberali longe liberaliorem rependit gratiam. Ita virgo illa ſancta apud D. Taulerum roga-

Perfectio ſita in amore inimicorum.

Digitized by Google

A rogata, qua ratione ad tantam ſanctitatem perveniſſet, reſpondit: *Eos, qui mihi moleſti vel infeſti erant, ſingulari amore dilexi, atque illi, a quo laſa fueram, peculiare ſemper beneficium contuli, quod alias ei non contuliſſem:* nimirum hoc eſt ulciſci, vincere & obruere maleficientiam beneficiis. Hinc in Chriſto ſummæ virtutis fuit in cruce orare pro ſuis crucifixoribus, dicendo: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Sic S. Paulus & Stephanus perfecti evaſere orando pro Judæis ſe lapidantibus & ad necem perſequentibus, liſque omni ope & opera prædicando & benefaciendo. Denique hæc perfectio maxime requiritur in Apoſtolo, viroque Apoſtolico. Nil enim ita movet animos infidelium ad credendum Chriſto, ac ſanctitas prædicantium, quæ ſæpe plus movet quam ipſa miracula. Audi S. Chryſ. hom. 47. in Matth. *Magnos Apoſtolos effecit verus ac non ſimulatus gloriæ atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam ſecularium harum rerum omnino curam habebant. Nam niſi hoc habuiſſent, ſi paſſionibus, veluti nos ſerviſſent, etiamſi a morte innumeros homines ſuſcitaſſent, non ſolum nihil utilitatis feciſſent,* B *ſed etiam deceptorum nomen non effugiſſent. Vivendi ergo diſciplina eſt quæ ubique fulget.*

SICUT ET PATER VESTER CÆLESTIS PERFECTUS EST] Scilicet perfecte omnes omnino diligit, omnibus tam malis quam bonis benefacit, in omnes diffundit radios ſuæ bonitatis, quaſi ſol quidam perennis beneficentiæ, qui a nemine quidquam commodi expectat, ſed mero amore cupit ſua bona aliis communicare, ita ut certet cum hominum malitia & ingratitudine: pauci enim eum tam ſui amantem beneficum redamant, uti par eſt. Vox *ſicut* ſimilitudinem ſignificat, non æqualitatem; nec enim Dei perfectionem æquare poſſumus, ſed illa in infinitum omnem noſtram ſuperat & tranſcendit: quare illam eminus imitari debemus quoad poſſumus. Præclare S. Leo Serm. 1. de Jejunio 10. menſis: *Invenimus*, inquit, *hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet auctoris, & hanc eſſe naturalem noſtri ſeminis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ bonitatis forma reſplendeat.* Præclarum etiam in hac re illud Gregorii de illo Apoſtoli dicto, *Nos Dei genus eſſe: Genus*, C inquit, *hominum dicimur, non ex ejus natura editi, ſed per ſpiritum illius voluntarie conditi, & adoptive recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quiſque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad ſimilitudinem illius ex imitatione renovatur.* Ita S. Greg. 20. Moral. c. 6.

Perfectionem ergo a Chriſtiano hic exigit Chriſtus, non humanam, ſed divinam, Deique perfectioni ſimilem, qualem ſcilicet pater exigit a filio. Ipſe enim eſt pater noſter non tantum per naturam, ſed & per gratiam, per hanc enim ſimus *divinæ conſortes naturæ*, ut ait S. Petrus, ideo efficimur vere filii Dei, ac quaſi dii quidam terreſtres. Quapropter illud Levit. 11. 44. Chriſtianis quaſi ſpeculum proponit S. Petrus epiſt. 1. cap. 1. v. 16. dicens: *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Et Paulus Epheſ. 5. 1. *Eſtote*, ait, *imitatores Dei ſicut filii chariſſimi.* S. Joann. Epiſt. 1. c. 2. v. 1. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Præclare S. Cypr. ſerm. de Zelo & livore: *Si hominibus*, D inquit, *latum eſt & glorioſum, filios habere conſimiles, & tunc magis generaſſe delectat, ſi ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſucceſſive reſpondeat; quanto magis in Deo patre lætitia eſt, cum quis ſic ſpiritualiter naſcitur, ut actibus ejus & laudibus divina generoſitas prædicetur?* Porro S. Auguſt. epiſt. 85. ad Conſentium: *Cogitemus*, ait, *nos tanto ſimiliores Deo, quanto eſſe poterimus ejus participatione juſtiores.* Quocirca nervoſe Chriſtianos extimulat S. Leo ſerm. 1. de Nativit. dicens, *Agnoſce o Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire: memento cujus capitis & cujus corporis ſis membrum.* Nam, ut ait Paulus Athenienſibus Act. 17. 39. *Ipſius & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei*, &c.

Scripſit in hanc ſententiam S. Thomas (vel quiſquis eſt Auctor) opuſculum 62. de Moribus divinis, in quo docet fideles imitari debere Deum, ejuſque mores divinos induere, atque ſigillatim ejus veritatem, ſapientiam, manſuetudinem, patientiam, juſtitiam, liberalitatem, clementiam, ceteraque Dei attributa æmulari, & quoad poteſt creatura, ſequi & imitari ſuum creatorem.

Perfectio Dei imitanda. Primo. Igitur perfectio Dei conſiſtit primo in ampliſſima omnium tam bonorum, quam malorum dilectione, quod proprie ſpectat hic Chriſtus.

Secundo, in manſuetudine, patientia, moderatione & temperie appetituum, ac quæ inde conſequitur, ſumma pace & tranquillitate animi, ut nulla eum tangat injuria, ira, vindicta, ſitque ἀπαθὴς, imperturbabilis & impaſſibilis: ſic & nos, ſi velimus eſſe perfecti, debemus eſſe manſueti, tranquilli, & quoad fieri poteſt, imperturbabiles, ideoque mortificare iram ceteraſque animi paſſiones. Unde S. Ambroſius lib. de Jacob & vita beata cap. 8. *Perfecti viri eſt*, inquit, *quaſi fortem militem graviſſimorum caſuum ſuſtinere incurſus, conflictus ſubire, & quaſi providum gubernatorem navem in tempeſtate regere atque occurrendo inſurgentibus fluctibus magis vitare naufragium ſulcando undas, quam declinando.* Et S. Cyprianus de Bono patientiæ citatis hiſce Chriſti verbis: *Sic*, inquit, *perfectos dixit fieri Dei filios, ſic conſummari oſtendit & docuit cæleſti nativitate reparatos, ſi patientia Dei Patris maneat in nobis, ſi ſimilitudo divina quam peccato Adam perdiderat, manifeſtetur & luceat in actibus noſtris. Quæ gloria eſt ſimilem Deo fieri, qualis & quanta felicitas habere in virtutibus, quod divinis laudibus poſſit æquari?* E Secundo. F

Quocirca medium ad perfectionem ſingulare & efficaciſſimum eſt, ſi quis ſolerter indaget animæ ſuæ ſtatum, & vitium radicale & principale, a quo cetera quaſi fibræ e radice promanant: quo cognito, totis viribus illud aſſidue impugnet, donec extirpet: ſic cito evadet perfectus: v. g. in Petro vitium radicale & dominans, a quo cetera pullulant, eſt ſuperbia, in Paulo eſt gula, in Jacobo eſt luxuria, in Joanne eſt acedia, in Philippo eſt ira, in Andrea eſt triſtitia, in Matthæo eſt puſillanimitas; quiſque ſuum vitium cognoſcat, & cognitum congruis armis, & mediis mortificet, ſic cito perfectus evadet. Quocirca S. Gregorius lib. 5. Moral. c. 30. illud Sapient. c. 12. de Deo dictum afferens: *Tu autem Domine cum tranquillitate judicas*; hæc adjungit: *Sciendum eſt quidem nobis magnopere, quia quoties turbulentos motus animi ſub manſuetudinis virtute reſtringimus, ad ſimilitudinem redire conditoris conamur.* Modus perveniendi cito ad perfectionem.

Tertio, Deus terrena omnia ex alto velut vilia & exilia deſpicit, totique cælo & cæleſtibus glorioſe inſidet & præſidet: ita & homo ad perfectionem aſpirans, opes, delicias & honores terrenos, ob quos tot fiunt lites, rixæ & bella, deſpicere debet, ut res viles muſcarum, culicum & publicum, ac ſuſpicere & ambire cæleſtes, quæ ſunt Dei, Heroum & Angelorum. Quocirca S. Baſilius ſerm. 1. de Monachi & religioſi, qui ad perfectionem aſpirat, inſtitutione, aſſerit illum, qui ſæculo nuntium remiſit, hoc in primis cogitare, ſemperque animo verſare debere, ſe jam ultra humanæ naturæ fines proceſſiſſe, ſeque ipſum ei inſtituto tradidiſſe, quod ſit quam maxime a corpore ſejunctum, ac propterea Angelorum converſationem imitandam ſuſcepiſſe: ſiquidem hoc Angelicæ naturæ proprium eſt, liberum eſſe a vinculis terrenis; nec omnino diſtrahi ad aliam ullam pulchritudinem contemplandam, ſed oculos in Dei vultum aſſidue defixos habere. Tertio. G

Quarto, Dei mens & voluntas eſt æquiſſima, ſanctiſſima & perfectiſſima; hanc ergo induere debemus, ut fiamus ſimiles Deo, imo unum cum Deo. Audi S. Bernardum ſerm. ad Fratres de Monte Dei. *Unitas*, inquit, *ſpiritus cum Deo homini ſurſum cor habenti, proficientis in Deum voluntatis eſt perfectio, cum jam non modo vult quod Deus vult, ſed ſic eſt non tantum affectus, ſed in affectu perfectus, ut non poſſit velle, niſi quod Deus vult. Velle enim, quod Deus vult, hoc eſt jam ſimilem Deo eſſe; non poſſe autem velle, niſi quod Deus vult, hoc eſt jam eſſe quod Deus eſt, cui velle & eſſe idipſum eſt.* Quarto. H

Quinto, Deus eſt magno & celſo animo, qui ſuper omnia tranſcendit, ac in ſua felici & tranquilla æternitate ſemper ſibi conſtat & conquieſcit, ideoque omnia ad ſe convertit & trahit: Sic & nos excelſo animo proſperis omnibus & adverſis eminere, & dominari debemus: ita fiemus quaſi omnipotentes & divini, atque omnes & omnia convertemus ad nos, tamquam dii quidam terreſtres, exaltati a terra, & in cælum evecti. Quinto.

Audi S. Bernardum ad Fratres de Monte Dei: *Eſt alia magis Deo propinqua ſimilitudo, in quantum voluntaria, quæ in virtutibus conſiſtit, in qua anima virtutis magnitudine, ſummi boni quaſi imitari geſtit magnitudinem; & perſeverantia in bono conſtantia, æternitatis ejus incommutabilitatem.*

Idem Serm. 11. in Cant. *Eris*, inquit, *inter adverſa, & pro-*

Digitized by Google

A *& prospera mutabilium temporum, tenens quamdam eternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcussam constantia animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vendicans tibi etiam in hujus mutabundi seculi dubiis eventibus, certisque defectibus perennis quodammodo incommutabilitatis statum, dum te cœperis renovare, & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; quippe sicut ipse est, ita & tu eris in hoc mundo; nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus.*

Et nonnullis interjectis, docens talem sibi indignum ducere conformari labenti huic sæculo, dignum renovari ad similitudinem Dei, ad quam creatus est, addit: *Ac per hoc etiam cogens, ut dignum est, seculum istud, propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiant, tamquam in propria & naturali forma abjecta degeneri specie, recognoscentia Dominum suum, cui ad serviendum creata fuere. Unde arbitror illum sermonem, quem dixit de*
B *se Unigenitus, videlicet, si exaltaretur a terra, omni traheret ad seipsum, cunctis quoque ejus fratribus posse esse communem, iis utique, quos Pater præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et ego si exaltatus fuero a terra (audacter dico) omnia traham ad meipsum. Nec enim temerarie usurpo mihi fratris mei vocem, cujus me induo similitudinem.*

Porro omnis hujus vitæ perfectio inchoata est dumtaxat, & imperfecta: concupiscentia enim, ceu Jebusæus, habitans in membris nostris, domari potest, exstirpari non potest; sed plena & perfecta erit in cælo, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc beatam immortalitatem; ubi concupiscentia & mors absorbebitur a gloria, ac Deus erit omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. ibi enim nulla erit cupiditas, quia omnia occupabit charitas. Unde Apostolus Philipp. 3. 12. de se ait: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem si quo modo comprehendam.* Et mox: *Ad ea vero quæ priora sunt, extendens meipsum,*
C *ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Scripsit hac de re S. August. lib. de Perfect. justitiæ tom. 2.

CAPUT VI.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo a versu primo usque ad septimum, docet cavendam esse in bonis operibus ostentationem, & vanam apud homines gloriam. Secundo a versu 7. usque ad 16. tradit modum orandi, præscribitque omnibus orationem Dominicam. Tertio a vers. 16. usque ad 19. assignat modum jejunandi, ut in eo satagamus secreto Deo placere, non hominibus. Quarto a vers. 19. usque ad 24. docet thesaurizare cælestia. Quinto a vers. 24. ad finem
D *capitis, vetat avaritiam & sollicitudinem de victu, vestitu, ceterisque temporalibus, jubetque ut eam Deo resignemus:* Quærite, *ait,* primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

VERS. 1. ATtendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est.

2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:

4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi:

5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab homi-
E nibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

7. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.

8. Nolite ergo assimilari eis: Scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis; sanctificetur nomen tuum.

10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.

11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed
F libera nos a malo. Amen.

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.

15. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava,

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur.
G

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?

24. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & mammonæ.

25. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: &
H corpus plus quam vestimentum?

26. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?

27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

28. Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei?

31. Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. hæc

Digitized by Google

32. Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

34. Nolite ergo sollliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

VERS. 1. ATTENDITE, NE JUSTITIAM VESTRAM FACIATIS CORAM HOMINIBUS, UT VIDEAMINI AB EIS, ALIOQUIN MERCEDEM NON HABEBITIS APUD PATREM VESTRUM, QUI IN CÆLIS EST] Pro *justitiam* nonnulli Codices Græci cum Syro, Vatablo, & aliis legunt δικαιοσυνὴν, id est, *justitiam*, ut vertit noster: jam tamen Codices Complut. Regii, aliique legunt ἐλεημοσύνην, id est, *eleemosynam* (unde Arabicus vertit *misericordiam*) de qua proxime loquitur Christus: hæc enim κατ' ἐξοχὴν, sive per excellentiam commune justitiæ nomen in Scriptura sibi vendicat, uti ostendi 2. Corinth. 9. 10. & Daniel. 4. 24. Unde S. Chrysostomus legens *justitiam* per eam accipit *eleemosynam*. Verum melius Noster, & alii legunt *justitiam*: Christus enim postquam cap. præcedenti sigillatim explicuit legis præcepta, quæ omnem justitiam, hoc est, omne quod justum, æquum & sanctum est, puta omnia bona opera præscribunt; nunc hoc capite docet modum ea rite sancteque faciendi, scilicet, ut ea faciamus recta intentione & studio placendi Deo, non hominibus. Deinde in sequentibus justitiam hanc sigillatim explicat per eleemosynam, orationem & jejunium, incipit autem ab eleemosyna, mox vers. 7. idem docet faciendum in oratione, & vers. 24. in jejunio: in his enim tribus maxime inhabitare solet vana gloria, ait Chrysostomus: alioquin enim si fiant studio placendi hominibus, asserit Christus illa Deo grata non fore, nec ullam ab eo mercedem promeritura.

Justitia hic quid.

B

UT VIDEAMINI AB EIS] Vox, *ut*, notat intentionem & finem, non consecutionem & sequelam, q. d. Nolite facere opera justa & sancta hac intentione & hoc fine, ut videamini & laudemini ab hominibus: hæc enim est vana sui ostentatio: non vetat ergo illa fieri publice & eo modo, ut homines illa videant & glorificent Deum. Id enim fieri jussit cap. 5. 16. Unde S. Gregorius homil. 11. in Evang. *Sic*, ait, *opus fit in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis prebeamus exemplum: & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.*

C

Vana gloria vim virtutis erodit.

Porro vana gloria omnem dignitatem, vim & meritum boni operis erodit, sicut vermis hederam, Jonæ cap. 4. Si scilicet opus bonum ad vanam gloriam quasi ad finem referatur; mala enim intentio sufficit, ut tota ejus malitia in opus derivetur, uti docent Theologi, ac nominatim Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 71. n. 11. Secus est, si Dei gloriam in opere bono intendenti tantum subrepat, & qua si ex latere comitem se adjungat vana gloria, ut sint duo actus, unus operis boni bona intentione facti, alter vanæ gloriæ se adjungentis, quæ priorem non inficit nec corrumpit.

ALIOQUIN MERCEDEM NON HABEBITIS APUD PATREM VESTRUM, QUI IN CÆLIS EST] q. d. Vanæ ostentationis & gloriæ merces est plausus & favor humanus, non divinus; qui enim hominibus placere cupit, Deo displicet. Deus enim, utpote bonorum operum auctor, eorumdem vult esse scopus & finis, ut scilicet ad Deum Deique gloriam ea operemur & referamus; hoc enim omne jus & fas exigit. Unde Paulus: *Si adhuc hominibus placerem*, inquit, *Christi servus non essem*. Galat. 1. 10.

D

Nota: Non dicit Christus: *Alioquin damnabimini*, quia vana ostentatio & gloria sæpe est peccatum veniale dumtaxat, non lethiferum & damnabile, nisi in invidiam, ambitionem, rixas, aliaque scelera hominem impellat, uti non raro fit. Unde a S. Chrysost. hom. 17. in Epistolam ad Romanos, vana gloria vocatur *mater gehennæ*, & a S. Bernardo serm. 6. in Psalmum; *Qui habitat: Subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, vitiorum erugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.*

Vanæ gloriæ damna.

QUI IN CÆLIS EST] Notat boni operis ad Deum relati mercedem esse cælestem, divinam & æternam, cum merces ejusdem operis ad hominum plausum relati sit terrena, humana & modici temporis. Hinc S. Basilius in Const. monast. cap. 11. vanam gloriam vocat lattonem bonorum operum. *Fugiamus*, inquit, *inanem gloriam, dulcem spiritualium opum spoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depredatricem, eamdemque mellis illitu fraudis suæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem: Quod opinor ea de causa facit, ut vitio se illi avidius ingurgitent, nec ulla illius expleantur satietate. Dulce quid, humana imperitis gloria est.*

E

VERS. 2. CUM ERGO FACIS ELEEMOSYNAM, NOLI TUBA CANERE (Syrus, *ne clamaveris cornu*) ANTE TE, SICUT HYPOCRITÆ FACIUNT IN SYNAGOGIS, ET IN VICIS (id est, in plateis, ubi est hominum confluxus) UT HONORIFICENTUR AB HOMINIBUS. AMEN DICO VOBIS, RECEPERUNT MERCEDEM SUAM] Scribæ & Pharisæi facturi eleemosynam in publicis vicis, vel Synagogis turbicinem præmittebant, qui tuba caneret, vel ipsimet eam, aut cornu inflabant, specie quidem & prætextu, ut tubæ sonitu eliciti pauperes turmatim concurrerent ad accipiendam eleemosynam, sed in rei veritate ad publicam eleemosynæ ostentationem, ut a concurrentibus eorum liberalitas videretur & celebraretur. Alludit ad convocationem theatralem: populus enim ad comœdias in theatro spectandas tuba cõvocatur: hypocrita enim est quasi comœdus & histrio.

F

Hypocrita quasi histrio.

Nota: Hypocrisim & hypocritas, qui aliud in corde intendunt, aliud exterius prætendunt & simulant, detestatur S. Scriptura & Prophetæ, sed maxime Christus, quia Christus est ipsa veritas, simplicitas, sinceritas: unde odit omnem falsitatem, duplicitatem, simulationem; hypocritæ enim habent fictum, falsum & quasi duplex cor, unum in ore, alterum in corde: unum enim dicunt, & contrarium sentiunt, intenduntque: Sunt ergo bicordes & bilingues. Hinc ergo est spiritus aulicus & politicus contrarius Christo, qui os homini dedit, ut per illud cor suum alteri patefaciat, non ut illud celet & dolose obtegat. Nam, ut ait Jerem. c. 17. 9. *Pravum est cor omnium & inscrutabile*. Hinc Momus optabat homini pectus fenestratum, ut illius consilia & arcana non subdole tegi, sed quasi per fenestram apertam cominus inspici possent.

Est bicors & bilinguis.

Porro hypocritæ similes sunt monstrosis locustis, quas vidit S. Joannes Apoc. c. 9. hæ enim habebant faciem mulierum, sed caudam scorpionum. Simili enim modo hypocritæ primo vultu blandiuntur & verbis adulantur, sed in fine occulte adversantur, pungunt & feriunt. Verum hi ipsi dum volunt aliis nocere, magis sibi nocent, *Nihil enim opertum est, quod non reveletur*. Lucæ c. 12. 2. quare facile detegitur eorum fucus, hypocrisis & fraus; quo facto confunduntur, perdunt fidem & famam, fiuntque omnibus odibiles. Quocirca David Psalm. 119. obsecrat, & simul diras hypocritis intentat, dicens: *Domine libera me a labiis iniquis, & a lingua dolosa. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potẽtis acutæ cum carbonibus desolatoriis*. Vide Jeremiam contra hypocritas detonantem c. 9. 3. & c. 11. 19. ac Christum Matth. 23. 13. 14. 15. 23. 25. 27. 29. ubi identidem *væ* damnationis Scribis comminatur, & septies repetit: *Væ vobis Scribæ hypocritæ*, ac contra tales jubet nos esse prudentes sicut serpentes, simplices tamen sicut columbas. Hinc S. Paulus Rom. 12. 9. *Dilectio*, ait, *sine simulatione*. Et Joannes epist. 1. c. 3. 18. *Filioli mei*, inquit, *non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.*

Quam mala sit hypocrisis.

G

RECEPERUNT MERCEDEM SUAM.] *Suam*, quam scilicet quærebant. Rursum *suam*, id est, sibi suæque vanitati congruam, qua sola ipsi digni sunt, ut fugacissima populi aura, velut chamæleontes, vento se pascant. Quam stulti sunt hi mercatores, qui cum eleemosyna emere possint cælestes & æternas opes, iis neglectis, malunt mercari inanem hominum laudem, hoc est, inania verba, quæ aerem verberant, & illico transeunt.

H

VERS. 3. TE AUTEM FACIENTE ELEEMOSYNAM, NESCIAT SINISTRA TUA, QUID FACIAT DEXTERA TUA] Omissis variis variorum expositionibus, quas hic congerit Maldonatus, dico breviter, Sensus est, q. d. Adeo fuge eleemosynæ & virtutis tuæ ostentationem, & quantum ad te attinet, secretum appete, ne ab hominibus videatur & celebretur tua virtus, ut si per impossibile sinistra manus tua oculos haberet, videre tamen non posset quid dextera tua faciat boni, qualesque & quantas eroget eleemosynas: Est hyperbole parabolica, & parabola Syrorum hyperbolica. Similes audivimus cap. 5. v. 29. Ita Sanctus Chrysostomus, Theophylactus & alii. Tantopere latentem & secretam vult esse eleemosynam, ut eam non tantum proximum, sed & nos ipsos, quoad fieri potest, celemus, ne illam diutius utraque manu versemus, contemplemur, mire-

Digitized by Google

A mirentur, celebremus, ejusque intuitu & laude oculos & mentem pascamus & oblectemus. Nam, ut ait S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Celata virtus Deo judice gaudet.*

VERS. 4. UT SIT ELEEMOSYNA TUA IN ABSCONDITO, ET PATER TUUS (cælestis) QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI] Græca addunt ἐν τῷ φανερῷ, id est, *in manifesto*, in propatulo. Ita Syrus, Arabicus, & S. Augustinus, quod S. Lucas cap. 14. 14. explicat *in resurrectione: Beatus eris*, inquit, *quia non habent* (pauperes) *retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum*, cum Dominus, ut ait Apostolus 1. Cor. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.* Justa congruaque merces operis secreti est publica laus in judicio. Christus enim opus suum secretum publice in judicio coram Deo, Angelis & hominibus propalabit, celebrabit & æterna gloria præmiabit, uti eleemosynam S. Martini, puta dimidium chlamidis, quam sibi absciderat, pauperique dederat, Christus sequenti nocte ea indutus apparens sancto Martino, coram Angelis celebravit, dicens: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.*

Secretum opus Deus publicat.

Exempla S. Martini.

B

Si ergo ostentas tuam eleemosynam, aliudve bonum opus, Deus illud abscondit, ut nemo illud aspiciat, miretur, recolat: sin tu illud abscondis, Deus idipsum toti mundo ostentabit, præsertim in die judicii. Sic S. Gregorius Angelo specie naufragi eleemosynam iterum & tertio poscenti largam semper & secreto dans, ab eo publicum summumque decus obtinere meruit. Angelus enim postmodum revelavit, illum hac liberalitate meruisse & assecutum esse summum Ecclesiæ Pontificatum, ut habet ejus vita. Sic Christus specie pauperis nudi, petens a S. Catharina Senensi primo tunicam, mox indusium, tertio subuculam, quarto manicas, cum illa liberaliter & secreto omnia tribueret, sequenti nocte eidem apparuit, ostentans tunicam istam gemmis conspicuam, ac promisit se illi datutum vestem invisibilem, quæ omne ab ea frigus arceret (unde postmodum nullum sensit frigus) ac in cælis publicam & eminentem gloriam. Ita Raymundus in ejus vita.

S. Gregorii.

S. Catharinæ Senen.

C

VERS. 5. ET CUM ORATIS, NON ERITIS SICUT HYPOCRITÆ TRISTES, QUI (legit οἱ, id est, *qui*, jam legunt ὅτι, id est, *quia*,) AMANT IN SYNAGOGIS ET IN ANGULIS PLATEARUM (puta in flexibus viarum, in biviis, triviis, quadriviis, ubi ex duabus, tribus, quatuorve plateis confluit populi multitudo) STANTES ORARE, UT VIDEANTUR AB HOMINIBUS. AMEN DICO VOBIS, RECEPERUNT MERCEDEM SUAM] Stolida & impudens fuit hæc Scribarum vanitas & ostentatio, qua captabant publicas plateas & trivia, ubi major erat turba populi, ut coram illa stantes ostentarent suam orationem & devotionem, cum potius in oratione quærendus sit locus secretus, in quo orans sine distractione mentem colligat, ut cum solo Deo colloquatur. Quod ergo vulgo dicitur de triplici inani studio: inane est studium in fenestra, in platea, apud focum, ob varias res inibi incidentes, quæ mentem a studio distrahunt, idem multo magis dicas de oratione: Inanis est oratio in fenestra, in platea, apud focum.

D

STANTES ORARE] Ex hoc loco & ex Marci cap. 11. 25. ac Lucæ cap. 18. 11. Jansenius opinatur Judæos orasse stando, non genuflectendo. Verum dico sacerdotes & Levitas stando sacrificasse Deo, & psalmos cecinisse; populum quoque stando ea spectasse: si enim genuflexisset, ob interjectum inter se & altare septum tres cubitos altum sacrificia videre nequivisset, præsertim in magna hominum turba. Rursum, stabat populus, cum concionem, aut publicam Salomonis vel alterius benedictionem audiret, & exciperet: item cum Deo pro victoria similive beneficio solemnis fieret gratiarum actio, uti nos stamus, cum canitur: *Te Deum laudamus:* Sic Azarias cum sociis in fornace Babylonica illæsus permanens, canens: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, stetit. Daniel 3. 25.

An Judæi stantes orarent?

Alias vero Judæi orabant genuflexi, præsertim in actu adorationis vel pœnitentiæ, cum a Deo delictorum veniam flagitarent. Ita Salomon in dedicatione templi genuflexus oravit & adoravit: nam *utrumque* (notent hoc Aulici & delicatuli; qui cum Judæis unum genu Christo flectunt) *genu in terram fixerat* 3. Reg. 8. 54. Daniel c. 6. 10. ter per diem genua flectens Deum adorabat. Sic Michæas ait c. 6. 6. *Curvabo genu Deo excelso.* Hic enim est ritus adorationis apud omnes gentes. Unde illud: *Derelinquam in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* id est, qui non adoraverunt Baal. 3. Reg. 19. 18. Hinc Deus Isaiæ 45. 23. *Mihi*, ait, *curvabitur omne genu*, ut omnes Gentes me colant & adorent. Et 2. Paral. 29. 30. *incurvato genu*, ait, *adoraverunt.* Idem fecit Esdras lib. 1. cap. 5. 5. quin & quinquagenarius missus ab Achab rege Eliam genu flexo adoravit. 4. Reg. 1. 13. Sic & omnes genuflexi adorabant Aman, præter Mardochæum. Esther 3. 2. Quod ergo Scribæ & Pharisæi stantes orabant, superbi & Pharisaici fuit supercilii, ut patet hic & Luc. 18. 11. ipsi enim sibi videbantur reliquo populo esse digniores & sanctiores.

E

Porro Christiani jam inde ab initio orare solent genuflexi. Nam Christus iturus ad mortem, genuflexus, imo prostratus in terram oravit in horto. Matth. 36. vers. 39. Sic & S. Petrus Actor. 4. 30. & S. Joan. Apocal. c. 19. 10. & c. 22. 8. ac S. Paulus Actor. 20. 36. & Ephes. 3. 14. *Hujus rei gratia*, inquit, *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Christiani ergo orant genuflexi omnibus feriis & diebus, idque ad memoriam lapsus Adæ & omnium posterorum ejus, exceptis Dominicis & tempore Paschali, quando stantes orant in honorem & repræsentationem resurrectionis Christi, ut docet S. Justinus qu. 115. *Unde*, inquit, *talis in Ecclesia consuetudo? quia utriusque nos oportuit jugem obtinere memoriam, & ipsius per peccatum lapsus nostri, & gratiæ Christi nostri, per quam a lapsu resurreximus: ea propter genuum per se dies inclinatio, simbolum & nota est lapsus per peccata nostra. Quod vero die Dominico genua non flectimus, signum est & designatio resurrectionis, per quam gratia Christi & a peccatis & a morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus.* A temporibus autem Apostolorum hanc consuetudinem cœpisse, docet S. Irenæus lib. de Paschate. Eamdem consuetudinem inculcat Tertull. lib. de Corona militis c. 3.

Christiani orant genuflexi.

F

VERS. 6. TU AUTEM CUM ORAVERIS, INTRA IN CUBICULUM (Græce ταμεῖον, id est in locum secretum, in quo quis se vel sua recondit, uti est penus, conclave, cubiculum, Vatabl. vertit *cellam*) TUUM, ET CLAUSO OSTIO, ORA PATREM TUUM IN ABSCONDITO, ET PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI] Græca rursum addunt ἐν τῷ φανερῷ, id est, *in manifesto*, sive in propatulo. S. Augustinus, S. Hieronymus & S. Ambrosius lib. de Cain & Abel c. 9. per cubiculum accipiunt cor & mentem, ejusque secretum, quasi hoc orantem ingredi & claudere oporteat, ne distractiones irrepant, quæ mentem a Deo avocant: Aut, ut S. Hieronymus: *Claude ostium*, id est, claude labia tua & secreto in mente ora, uti faciebat Anna mater Samuelis 1. Reg. 1. 13. Audi S. Ambrosium loco jam citato: *Salvator ait, intra in cubiculum, non inclusum parietibus, quo tua membra claudantur, sed cubiculum, quod intra te est, quo includuntur cogitationes tuæ, in quo versantur sensus tui. Hoc orationis cubiculum ubique tecum est, & ubique secretum est, cujus arbiter nullus est, nisi solus Deus*, qui, ut ait Cyprian. tract. de oratione, *non vocis, sed cordis auditor.* Unde in oratione summa requiritur attentio, ut exclusis omnibus cogitationibus de solo Deo cogitemus, cum eoque reverenter & ardenter colloquamur. Unde post multa subdit S. Cyprianus: *Quæ autem segnitia est alienari, & capi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo audire te a Deo postulas, cum te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui, cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis.* Huc facit dictum sancti Francisci: *Corpus est cella, & anima est eremita, quæ moratur in cella ubicumque sit, etiam inter homines, ad orandum Dominum & meditandum de ipso.* Ita refert Lucas Waddingus in Annalibus Minorum anno Christi 1216. num. 5. Aliam causam dat Cassianus collat. 9. cap. 34. Orandum, inquit, in silentio, ut inimicos nostros (dæmones) lateat petitionis nostræ intentio, nec eam impediant.

Cor est cella animæ

G

H

Hic sensus verus & appositus est, sed symbolicus potius & mysticus, quam litteralis, nil enim vetat cubiculum hic proprie, ut sonat, accipi: per cubiculum autem a pari quemvis locum secretum significat: sed intellige quantum opus est & attinet ad vanam gloriam & ostentationem vitandam, atque ad mentem colligendam, ut tota uni Deo intendat, præsertim in oratione privata. Audi S. Cyprianum tract. de Oratione: *Secreto nos orare præcepit in abditis & semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit fidei, ut sciamus Deum ubique esse præsentem, audire omnes & videre, & majestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus*

Digitized by Google

A *approximans, & non Deus de longinquo.* Jerem. 23. Non ergo damnat hic Christus publicam in Ecclesia orationem, quæ communi Judæorum & Christianorum usu laudabiliter recepta est, ut patet 3. Reg. 8. 29. Actor. 1. 24. & cap. 6. v. 6. Primo enim, publica oratione, publice colitur & honoratur Deus. Secundo, in ea quisque ad orationem aliorum exemplo magis excitatur & accenditur. Tertio, in ea quasi junctis animis & precibus vim Deo facimus, & impetramus quod petimus. Unde Tertullianus in Apolog. cap. 30. sic ait: *Illuc* (in cælum) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocui, capite nudo, quia non erubescimus* (Judæi enim præsertim sacerdotes orabant tecto capite, ut dixi in Pentateucho; nostri quoque in China, dum Missam celebrant, tegunt caput ex indulto Pauli V. Pontificis, quia apud Sinas turpe est & dedecus nudare caput) *Denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus.* Et rursum. *Quasi manufacta oramus, hæc vis Deo grata est.* Plura eaque pulchra hac de re habet S. Chrysost. hom. 3. de Incomprehensibili Dei natura. Et Origenes hom. 7. in Josue. Denique templum est proprius orandi locus, in quo omnes & singuli secreto Deum orant, perinde ac si orarent in cubiculo.

Ecclesia orat publice: Cur? Prob. Primo.

Secundo. Tertio.

Caput nudare apud Sinas inhonestum.

Quarto.

B

Hæresis cubicularia.

Ridicula ergo est hæresis ex hoc loco male intellecto nuper in Hollandia exorta, a quodam novatore, qui rejicit omnia templa, & tantum in cubiculo agit suas suæ sectæ synaxes. Quin & Calvinistæ, dum ante prandium mensæ benedicitur, pileo os contegunt, ut secreto orent: sed pileus non est cubiculum, de quo hic Christus: atque magis orthodoxi sub facie orant secreto in mente & cubiculo cordis, ut paulo ante ex S. Ambrosio dixi.

Reddet tibi] Græca, Syrus & Arabicus addunt, *in publico*, q. d. Si ores in secreto, Deus publicam tibi rependet devotæ orationis mercedem, præsertim in die judicii. Unde contra Calvinum *disce* hinc orationis meritum & mercedem. Audi sanctum Chrysostomus; *Si ergo sic oras, plurimam profecto accipies mercedem. Non, ait, donabit tibi, sed reddet, inquit, debitorem quippe se tibi constituit.*

c

Vers. 7. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur] Hoc est, propter multiloquium (ponitur ב pro בְּ more Hebræo) vel ut Græce est propter *battologiam*, id est, nugacitatem & futilem verborum profusionem & repetitionem, quasi hac sua Rhetorica Deum de rebus suis informaturi & docturi, simulque flexuri, ut concedat quod postulant: sicut Rhetores sua phalerata oratione informant, flectuntque judices, ut reum absolvant.

Pius affectus est animo orationis.

Docet ergo hic Christus orationis essentiam non esse sitam in verbis ore prolatis & profusis, sed in colloquio mentis cum Deo, cujus causa & quasi anima sit desiderium: & pius animi affectus: quam tamen non negat verbis posse exprimi & foveri, tum ut sicut corde interius, sic & exterius ore & lingua Deum laudemus: tum ut voce mentis affectus excitetur, acuatur, & continuetur. Disputat de Oratione fuse S. Aug. epist. 121. ad Probam, quæ inscribitur *de Orando Deum*; Jansenius hic c. 41. accurate tradit modum orandi, æque ac orationis utilitates.

D

Vers. 8. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum] q. d. Ethnici putant Deum ignorare, vel certe non considerare, nec æstimare suas miserias & egestates, a quibus, ut liberentur, Deum orant: utuntur ergo multis verbis, ut eas ipsi enarrent, quasi eum de illis docturi. At errant: scit enim Deus, considerat & æstimat illas magis, quam ipsi, qui orant. Vult tamen orari & sæpe non nisi rogatus succurrit, ut homines suas miserias æque ac Dei miserationes agnoscant: sciantque se non suo merito, sed Dei dono & gratia ab iis liberari. Addit S. Aug. epist. 121. cap. 8. *Deum velle exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad accipiendum parvi & angusti sumus.* Et paulo post: *Tanto quippe illud, quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere; sumemus capacius, quanto id & fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardentius.*

Vers. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cælis] Tradit hic Christus Christianis modum orandi, non tamen præcipit, ut hisce omnino verbis oremus, sed tantum docet res quæ a Deo petendæ sunt, & quo ordine, qualique verborum brevitate petendæ sint. Merito tamen Ecclesia ipsis etiam Christi verbis utitur, utpote divinis, brevissimis, clarissimis & efficacissimis. Unde S. Cypr. tr. de Orat. Dominica: *Qua*, inquit, *vera magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de ore ejus prolata est?* Et mox: *Agnoscat Pater Filii sui verba, cum precem facimus, qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat, quia quodcumque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis; quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?*

E

Nota. Hæc oratio Dominica omnes res a Deo petendas complectitur: unde Tertullianus lib. de Orat. c. 1. & eum secutus S. Cyprianus lib. de Oratione, illam vocant *Evangelii breviarium*, sicut officium Ecclesiasticum, quod sacerdotes quotidie recitant, est totius S. Scripturæ compendium, ideoque vulgo vocatur *Breviarium*.

Breviarium unde dictum.

Porro S. Augustinus epist. 121. & lib. 2. de Verbis Domini in monte, ac post eum Theologi hanc orationem distinguunt in septem petitiones, quarum tres primæ spectant honorem Dei, reliquæ quatuor utilitatem nostram. Primo enim ante omnia nobis quærendus est honor Dei: hic enim est finis noster (æque ac creaturarum omnium) simulque involvit beatitudinem nostram, & media ad illam consequendam necessaria vel opportuna.

F

Pater noster] *appellatio ista & pietatis & potestatis est*, ait Tertullianus lib. de Orat. Per *Patrem* S. Cyprianus, Chrysostomus & Rupertus accipiunt primam S. Trinitatis personam: ad hanc enim velut S. Trinitatis principium, Ecclesia in Missa pleraque orationes sive collectas dirigit, ab eaque per merita Filii exaudiri postulat dicens: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium*, &c. Melius alii accipiunt totam S. Trinitatem sive Deum, quia omnes tres personæ æque ad extra omnia operantur, ideoque omnes æque sunt invocandæ. Porro Deus est *Pater noster*; primo creatione, qua nos ex nihilo ad sui similitudinem homines rationales & liberos creavit; secundo redemptione, qua nos per Christi mortem a morte & gehenna redemit: tertio regeneratione, qua nos in baptismo peccato mortuos in novam vitam regeneravit: quarto adoptione, qua nos sibi in filios per gratiam adoptavit: quinto vocatione, qua nos ad cælestem hæreditatem vocavit, suosque heredes instituit. Voce ergo *Pater* admonemur omnium Dei beneficiorum eorumque maximorum, ac consequenter summæ reverentiæ, fiduciæ & charitatis, quam Deo debemus, ut illi quasi Patri placere satagamus. Quid enim filio charius esse potest, quam pater, aut cui magis is placere studeat, quam patri? Rursum quid non speret filius a patre? *Patris nomine*, ait S. Aug. *charitas excitatur (quid enim charius filiis, quam pater?) & supplex affectus, & quædam impetrandi præsumptio: quid enim non det filiis, qui dedit, ut filii essent?* ac significatur, ut ait Chrysostomus, peccatorum remissio, adoptio, hereditas, fraternitas ad Christum, & spiritus largitio. Notat S. Cyprianus tractat. de Orat. Dom. miram Dei dignationem, qui nos jubet orare sic; ut *Deum patrem vocemus, & ut est Christus Dei filius, sic & nos Dei filios nuncupemus, quibus æternitas repromittitur.* Unde colligit: *Meminisse debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster a spiritu, ut qui cælestes & spirituales esse cœpimus, non nisi spiritalia & cælestia cogitemus & agamus.*

Deus est Pater quia-tupliciter.

G

H

Noster] Non dicit Christus: *Pater mi.* Hoc enim Christo est proprium, qui unicus est Dei Patris filius per naturam, ait Glossa, sed *Pater noster*, quia omnes alloquitur, ut doceat Deum esse patrem omnium, ac consequenter omnes nos esse fratres, ideoque invicem amare, & pro invicem orare debere, non pro se solo. *Sic*, ait S. Cyprianus tract. de Orat. *orare unus pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit.* Et auctor imperfecti: *Dulcior est ante Deum oratio, non quæ necessitas rei transmittit, sed quæ charitas fraternitatis commendat.* Addit aliam causam aliudque commodum S. Ambr. l. de Can. c. 9. *Nunc*, inquit, *quia singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis*, &c. *Ita magna remuneratio est, ut orationibus singulo-*

Noster. Cur?

A *singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia*. q.d. Voluit Christus singulos orare pro omnibus, ut omnes orent pro singulis, ut sic quisque non suas dumtaxat, sed omnium preces lucretur, sibique ascisçat, quod sane magnum est spirituale fœnus & usura.

QUI ES IN CÆLIS] quasi dicat: Qui dominaris in cælis, indeque totum orbem ad nutum moderaris & gubernas. Significat ergo hæc vox: Primo summam Dei potentiam & dominium, ut omnia, quæ petimus, præstare possit & velit tamquam Pater noster, uti optimus, sic & maximus. Secundo, significat hæreditatem nostram, quam ex hac filiatione a Deo Patre speramus esse cælestem, non terrenam. Tertio, monet, ut orans mentem transferat a terrenis ad cælestia, ubi Deus gloriam suam ostendit Angelis & beatis. Ita S. Chrysostomus. Hinc orantes convertimur ad Orientem, unde cælum surgit, ait S. Augustinus, ut admoneantur omnes se ad Deum convertere. Quarto, innuit oranti non alia esse petenda, quam quæ ad cælum conducunt: cetera enim vana sunt, nec nisi fumus & umbra.

B SANCTIFICETUR NOMEN TUUM] Primo S. Cyprianus, & S. Ambrosius exponunt, q.d. Sanctificatio Dei, quam in baptismo accepimus, in nobis permaneat: opus est enim nobis, ait Cyprianus, sanctificatione quotidiana, *ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus*. Secundo Tertullianus sic, q.d. Sanctos fac homines. Verum hoc sensu hæc prima petitio esset eadem cum secunda: *Adveniat regnum tuum*. Tertio ergo melius SS. Augustinus, Chrysostomus, & alii explicant. q.d. Da Domine non uti idolorum, vel dæmonum, vel Mahometis, vel Arii, Lutheri, Calvini, &c. sed tuum nomen sanctum habeatur ab hominibus.

Nomen Dei triplex. Porro nomen hic proprie accipi potest, & figurate pro re nominata: Idque primo pro ipsa deitate & Deo, quasi dicat: Sanctificetur nomen tuum, id est sanctificeris tu, o Domine Deus noster. Secundo, pro fama & gloria Dei; hanc enim petimus ab omnibus celebrari. Tertio, pro Dei attributis, ut omnipotentia, justitia, sapientia, misericordia, &c. ob quæ Deus nominatur & colitur omnipotens, summe justus, sapiens, misericors, &c. Sensus ergo

C est. q.d. Fac Domine, ut homines cognoscant, colant, sanctificent tuum nomen, id est, teipsum, sive Deum in essentia unum, & in personis trinum, ac tuam famam & gloriam, tuamque omnipotentiam, justitiam, sapientiam, misericordiam, ceteraque attributa; nec quidquam iis sanctius, id est augustius, integrius, divinius, ac proinde nihil magis reverendum, colendum, glorificandum æstiment, ideoque illa perpetuo tum mente, tum lingua, tum vita & moribus celebrent & glorificent, non tantum Christiani; sed & pagani, Judæi, hæretici per veram de te fidem, veramque tui religionem, amorem, latriam & cultum, ut scilicet ad illum ipsos convertas.

Sanctitas Dei, quid? Nota: Sanctitas Dei est sacratissima Dei majestas, integritas, perfectio, divinitas: item puritas, liberalitas, fidelitas, bonitas, ceteraque divina attributa, quam videntes & intuentes Seraphini, quasi in extasin rapti, ita admirantur & obstupescunt, ut jugiter non canant aliud, quam *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus*: Isaiæ 6. Vide ibi dicta. Et

D Psaltes: *Gloria*, ait, *& divitiæ in domo ejus*. Psal. 111. vers. 3. & Ps. 3. vers. 6. *Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione ejus*. Et Ps. 144. vers. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis*, &c. *magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua enarrabunt*. Hinc B. Virgo; cum Dei sanctitatem, imo Verbum æternum mente uteroque suo concepisset, stupens jubilansque exclamavit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus*.

SANCTIFICETUR ergo NOMEN TUUM] Id est, sanctitas tua, o Domine: tua, inquam, sancta majestas, deitas, omnipotentia, justitia, clementia, &c. celebretur & glorificetur ab omnibus; quo indirecte & consequenter petimus omnium hominum sanctificationem. Quare dum dicimus *Sanctificetur nomen tuum*, tam Dei, quam nostram sanctificationem flagitamus. Deum enim in se sanctificare nequimus, imo nec gloriam ejus internam & immensam (qua immensa laude Pater glorificat Filium, & Filius Patrem, ac utrumque Spiritus sanctus, & hi vicissim Spiritum sanctum) augere, nec Deo quidquam addere. Sed dum Deum sanctificamus, nobis ipsis sanctitas accedit & accrescit, puta sancta fides, sancta charitas, sancta religio, sanctus Dei cultus, &c. per quæ nos ipsi sanctificamur intrinsece, & sanctificamus Deum extrinsece, quia per sanctitatem nostram Dei sanctitas apud homines laudatur & celebratur. Denique omnis nostra sanctificatio Dei finita & exilis est: disce ergo modum sanctificandi Deum infinite esse duplicem. Prior est dicendo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen*. Hoc est, attribuo Deo gloriam ipsi commensam & infinitam, quam habuit a principio, hoc est, ab æterno, qua scilicet Pater, Filius, & Spiritus jugiter se invicem divina & infinita laude glorificant. Posterior est, qua Deo offerimus Christum crucifixum in Missa: Christus enim, qua Deus & homo, est victima divina, ac Deo commensa & infinita. Itera & frequenta utramq; hanc praxim, ut Deum sanctifices quantum meretur, & quantum dignus est sanctificari & glorificari.

E Modus duplex sanctificandi Deum infinite. Prior. Posterior.

ADVENIAT REGNUM TUUM] Hæc est secunda petitio orationis Dominicæ, qua Deo postulamus regnum, sicut prima eidem postulavimus nominis sanctificationem; quia per hoc regnum sanctificatur & glorificatur Dei nomen.

VERS. 10 *Luc.* 11. 2.

F Porro quadruplex est Dei regnum. Primum est Dominium Dei in omnes omnino creaturas, de quo Psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem*. Secundum regnum Dei est mysticum, quo per fidem & gratiam regnat in animis fidelium & sanctorum: ac tale regnum hic nos poscere censent, ut diabolus in mundo regnare desistat, nec peccatum regnet in nostro mortali corpore. Ita S. Hier. Ambr. & Euthymius. Audi S. Ambr. l. 6. de Sacram. c. 5. *Postulatio, ut in nobis sit regnum Christi. Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest, culpa non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio*. Tertium Dei regnum est in cælo,

Quadruplex Dei regnum. Primum. Secundum. Tertium.

G quo feliciter per gloriam regnat in beatis: ac illud hic intelligunt Tertull. & S. Cyprianus tract. de Orat. Dominica: *Ut Christo*, inquit, *dominante regnemus, qui ante, sæculo servivimus. Bene autem*, ait Cyprianus, *regnum Dei petimus, id est, regnum cæleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renuntiavit jam sæculo, major est & honoribus ejus, & regno; & ideo qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat*. Quartum Dei regnum plenissimum & perfectissimum est, quo devicto & destructo prorsus diaboli regno, peccato & morte, Deus solus perfecte tam amicis suis, scilicet Sanctis, quam inimicis, id est, impiis & reprobis dominabitur, quod fiet in resurrectione & die judicii, durabitque in omnem æternitatem, de quo 1. Cor. 15. v. 28. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, tunc enim tolletur omnis potestas dæmonum & hominum impiorum, qui nunc in mundo dominantur, Deumque & Dei servos persequuntur & impugnant, idque hic optime intelligitur & petitur: nam, ut dixi, hæ tres primæ petitiones per se & directe tantum Dei honorem spectant, & non nostram gloriam, nisi consequenter. Non est ergo sensus. q.d. Regna tu Domine in cordibus nostris per gratiam, aut fac nos regnare cum beatis in cælo; hoc enim ad nos proprie pertinet, non ad Deum; sed q.d. Precamur, o Domine, ut tu absolute & sine adversario regnes, ut scilicet omnes omnino creaturæ & homines tibi substernantur, itaque tu gloriose in piis regnes per gratiam & gloriam, in impiis per justitiam & vindictam æternam. Inde tamen consequenter postulamus nobis, ut cito ex hoc mundo, velut e gravi peregrinatione & periculosa militia, transferamur ad regnum gloriæ & felicitatis æternæ, ut cum Christo & Sanctis ejus in æternum regnemus. Tunc enim Deus plene regnabit in nobis, & nos in Deo, juxta illud Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram*. Et Sap. 5. *Ideo accipient* (justi) *regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio suo defendet illos*. Tunc enim *Deus erit omnia in omnibus*. 1. Cor. 15. v. 18.

H

FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CÆLO ET IN TERRA] Hæc est tertia petitio, licet Tertullianus, lib. de Orat. eam ponat secundam; tertiam vero illam, quæ præcessit: *adveniat regnum tuum*. Spectat & hæc Deum Deique regnum, quia quo magis fit voluntas Dei, eo magis propagatur Dei regnum, dum plures illi se voluntarie subjiciunt. Magnus enim Dei honor, magnum Dei dominium & regnum est, ut omnes & omnia ejus voluntati substernantur, utque illa in omnibus compleatur. Porro duplex est voluntas Dei, scilicet, *beneplaciti* & *signi*; sive *absoluta* & *optati-*

Digitized by Google

A

Voluntas beneplaciti in Deo.

optativa. Voluntas beneplaciti in Deo est illa, qua Deus absolute vult aliquid fieri, quæ semper impletur, & quam nulla vis impedire, aut sistere vel retardare potest, juxta illud Ps. 113. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra*. Et illud Isaiæ 46. *Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Et illud Esther 13. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati*. In hac ergo nobis acquiescendum est, vel congaudendo, vel tolerando adversa, quæ nobis immittit.

Voluntas signi, quæ.

Voluntas signi est, qua Deus significat quid velit a nobis fieri per suas leges & præcepta, quæ nobis imponit. De hac secunda voluntate omnes Patres intelligunt hanc petitionem. Non ergo est hic sermo proprie de voluntate efficaci & beneplaciti, hæc enim non potest non impleri, sed de voluntate Dei optativa & impetrativa, quæ a Theologis signi dicitur. Sensus ergo est, q. d. Da Domine nobis tuam copiosam & efficacem gratiam, qua ita alacriter, integre & concorditer per omnia tam in agendo, quam in patiendo tuis jussis & desideriis obediant homines, sicut Angeli iisdem in cælo obediunt. Ita S. Hieron. Chrysost. Theophylactus, Euthymius hic, & S. Aug. l. 2. de Serm. Domini in monte. Alludere videtur Christus ad illud Ps. 102. v. 20. & 21. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus: Benedicite Domino omnes virtutes ejus qui facitis voluntatem ejus*. Angelorum ergo promptitudinem, celeritatem, efficaciam, perfectionem in implenda Dei voluntate imitari debemus, ut illam veneremur & honoremus, ac consequenter nobis ipsis benefaciamus. Nam, ut ait Apostolus 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*. Et Christus Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est*. Audi S. Cyprian. tract. de Orat. Dominica: *Voluntas Dei est, quam Christus & fecit & docuit: humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit: charitati ejus inseparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere: quando de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur: in quæstione fiduciam, qua congredimur: in morte patientiam, qua coronamur; hoc est, coheredem Christi esse velle; hoc est præceptum Dei facere, hoc est, voluntatem Patris adimplere*.

B

C

Voluntas signi duplex, præcipiens & consulens.

Nota primo: Voluntas optativa Dei, quæ *signi* dicitur, duplex est, una *præcipiens*, qua aliquid fieri jubet, aut vetat: hanc semper implere tenemur: altera *suadens & consulens*, qua consulit paupertatem spiritus, virginitatem, statum perfectionis, &c. hanc non tenemur implere: nam possumus nolle ob aliquam causam particularem honestam, verbi gratia, infirmitatem, tentationem, obligationem succurrendi parentibus vel reipublicæ, id quod Deus in genere consulit. Ratio est, quia Deus id quod consulit, neque absoluta voluntate vult, neque etiam me vult ad hoc obligare: unde non teneor illud implere: secus est in voluntate Dei præcipiente.

D

Nota secundo: Voluntas nostra debet esse conformis voluntati divinæ primo effective, quia ut voluntas nostra sit bona, debet velle, id quod eam velle vult Deus, puta, ut velit id, quod lex Dei vult eam velle & facere. Nostra enim voluntas subjicere se debet legi & voluntati divinæ; tamquam omnium creatrici & imperatrici.

Voluntas nostra debet esse conformis in objecto formali.

Secundo objective. Debet enim voluntas nostra consentire divinæ in objecto formali, sive in ratione volendi. Ut enim sit recta, debet velle id quod honestum est ac conforme rectæ rationi, idque voluntati divinæ: Hæc enim vult omne honestum & id, quod recta ratio faciendum dictat. Lex enim æterna, quæ est in mente & voluntate Dei, est norma & regula omnis honesti, omnisque virtutis, quam recta ratio dictat.

Non in materiali.

Tertio: Voluntas nostra, ut sit bona, non debet sese conformare divinæ in objecto sive volito materiali, etiam cognito. Patet hoc exemplis S. Scripturæ. Deus enim volebat Sodomam subvertere; & Abraham, quantum in se erat, hoc nolebat: unde Dominum rogavit, ne id faceret. Deus volebat infantem, quem susceperat David ex adulterio mori, David autem de hoc vehementer dolebat. Deus nolebat Christum venire in carnem ante quatuor millia annorum evoluta; Patriarchæ autem desiderabant eum venire citius: volebat gentem Judaicam deficere, & fidem beneficentiam convertere ad gentes; sed Paulus ita de hoc dolebat, ut vellet esse anathema a Christo. Denique hoc adeo verum est, ut Deus possit mihi præcipere, ut velim aliquid, quod tamen ipse non vult, sicut præcepit Abraham, ut vellet interficere filium, quem tamen ipse nolebat interfici, Ratio est, quia id quod Deus vult, potest homini esse incommodum & detrimentosum: aliud enim Deo, aliud homini congruit, ut ait Augustinus, Enchir. 101, unde quatenus est incommodum, potest homo illud nolle, & de eo dolere, & hæc affectio erit consentanea divinæ voluntati in generali ratione volendi, quæ est ratio honesti. Charitas enim & pietas dictant honestum esse, ut nostram, nostrorumque salutem desideremus, & quoad possumus, procuremus: quod si deinde videamus nihilominus Dei voluntatem absolutam esse, ut contrarium fiat, illi repugnare non debemus, nec ei obmurmurare, sed potius ei humiliter nos subjicere, in eaque conquiescere, ac dicere cum Christo in horto: *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Prior ergo voluntas nostra dissonans a voluntate Dei in volito materiali, velleitas potius est quam absoluta voluntas: unde in ea vel explicite vel implicite addenda est hæc conditio, si id placeat Deo, aut si id permittat divina voluntas, aut q.d. Vellem Deum velle hoc, quod mihi meisque commodum est, si id ei placeret. Nam si is absolute id nolit, in ejus voluntate æquissima & sanctissima conquiescendum est.

Ratio.

E

F

Nec in permissione malorum.

Hinc ulterius sequitur, non teneri nos, ut ea velimus, quæ ex sola Dei permissione eveniunt, imo quædam neque posse nos velle, ut sunt peccata, quia etiam Deus hæc nullo modo vult: alia vero quæ peccata non sunt, non tenemur velle, sed toto affectu possumus desiderare, ut non eveniant; & quantum in nobis est, amoliri; ut sunt cædes, eversiones urbium, violationes virginum, quæ pati peccatum non est, & a Deo non sunt absolute decreta, saltem ante prævisionem causarum secundarum. Sanctius tamen videtur in his quoque dicere cum Psalte: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*. Quare melius est ut plurimum, considerare justo Dei judicio ea permitti ad Dei gloriam, & acquiescere in divina ordinatione, quam de eis multum dolendo se vexare, quia hoc juvat ad patienter ferenda quælibet mala, præsertim cum non semper constet, an illa sit voluntas permittens, an ordinans & decretoria, licet negandum etiam non sit, displicentiam quamdam istorum effectuum, & ipsi naturæ & pietati & charitati esse consentaneam; solum adhibendus est modus.

G

Possumus ergo illa nolle, quatenus ex eis tot mala sequuntur: possumus etiam illa velle, quatenus Deus ea vult fieri ad justam scelerum castigationem. Hæc enim est Dei voluntas absoluta, quæ beneplaciti dicitur, cui in bonis congaudendo & congratulando consentire debemus; in malis tolerando, & non obmurmurando, sed humiliter Dei flagella excipiendo, ut cum Deus nos peste, fame, bello castigat. Unde Maldonatus: Perimus, ait, ut voluntas Dei fiat nobis, sed etiam in nobis: majoris enim momenti est, voluntatem etiam minimam Dei impleri, quam omne bonum creaturæ, qua est creaturæ. Et S. Cyprianus tract. de Mortalitate, cum hortaretur populum, ut æquo animo ferret mortalitatem, quæ tunc in illa provincia grassabatur: *Meminisse*, inquit, *debemus voluntatem non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare*.

H

Sic Actor. 21. cum discipuli non possent retinere S. Paulum, ne pergeret Hierosolymam, ubi vinciendus erat, dixerunt: *Voluntas Domini fiat*, quia, ut ait S. Aug. ser. 109. de Tempore: *Mentem suam sublimi & divino statuto devotissime subdiderunt*. Sic S. Maria Oigniacensis, cum audivisset a Deo matrem suam ob bona injuste possessa esse damnatam ad gehennam, dixit: *fiat voluntas Dei*, fiat quod Deus juste decrevit, uti refert Jacobus Cardinalis de Vitriaco in ejus vita, quæ extat apud Surium tom. 3.

Memorabile est quod in vita S. Christinæ Mirabilis (apud Surium ante diem 24. Junii) cap. 20. legimus, ea die, qua a Saladino & Saracenis capta est Jerusalem, Christique crux & sepulchrum, ipsam in Belgio degentem Deo revelante id cognovisse, ideoque non contristatam, sed exultasse in spiritu, causamque rogatam hanc dedisse: *Christus pro illata ipsi contumelia dignum censuit, ut terra illa hac ignominia afficiatur, quamvis ipsius passione sanctificata, attamen in fine mundi cum ipso reditura: quando illius recuperandæ causa anima semper victuræ, ejusque sanguine redemptæ, ab iniquitate ad justitiæ studium conver-*

S. Christina.

A *convertentur, fundentque homines ſanguinem ſuum, & quamdam morti Salvatoris vitam cum multa devotione rependent.* Sic cum videmus urbes capi a Turcis vel hæreticis, non nos affligamus, ſed conquieſcamus in Dei voluntate & providentia, cujus partim juſtitia, partim miſericordia ibi glorificatur: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, ait Pſaltes Pſal. 100. v. 1.

Adde quod infideles ſubinde honeſtius vivunt, minuſque Deum offendunt, quam fideles, qui Deum melius norunt, & majora ab eo beneficia perceperunt. Quocirca terram ſanctam ob multiplicia, eaque enormia, qualia nec Turcæ committebant, Chriſtianorum eam incolentium ſcelera a Deo traditam fuiſſe Saladino & Saracenis, graphice enarrando oſtendit Marinus Sanutus Venetus in libro, cui titulus: *Secreta fidelium crucis*, lib. 3. part. 8. c. 2. 5. 6. & ſeq.

Stolida Lutheri illatio. Denique ſtolide Lutherus hinc inferebat, Turcæ non eſſe reſiſtendum: quia Turca, inquit, eſt flagellum Dei, Deique voluntate nos invadit & caſtigat. Reſp. Turca eſt flagellum Dei non poſitivum, quale eſt flagellum magiſtri flagellantis negligentem diſcipulum, ſed permiſſivum dumtaxat: vult enim Deus permittere, ut Turca tyrannice nos invadat & affligat; ſed ſimul vult ut ejus tyrannicæ invaſioni reſiſtamus, nimirum ut pugnando & vincendo Turcam, diſcamus pugnare contra vitia, illaque ſuperare.

B Denique præclare R. Gamaliel in Pirke Avoth. c. 2. *Fac*, inquit, *voluntatem Dei perinde ac tuam, imo relinque tuam, ut Dei adimpleas. Sic enim Deus pariter aliorum voluntates tuæ concordabit.* Hoc enim congruum obedientiæ eſt præmium, ut ſicut obedimus voluntati divinæ, ſic alii obediant & conſentiant voluntati noſtræ.

SICUT IN CÆLO ET IN TERRA] q. d. Sicut Angeli in cælis promptiſſime & pleniſſime faciunt voluntatem Dei; ſic eamdem quoque faciant homines in terra, ut ſicut a beatis ex amore pure, conſtanter & perſeveranter ad Dei gloriam, Deo ſervitur in cælo; ſic & ſerviatur a mortalibus in terra: *Jubet*, ait Chryſoſtomus, *hic degentes converſationem cum cæli habitatoribus habere communem, & antequam ſuperna illa præſtetur habitatio, cælum quodammodo vult fieri e terra, alioſque nobis Angelos terram monſtrare*, ut ſcilicet ita obediamus Deo in terra, perinde ac ſi inter Angelos verſaremur in cælo.

C

Symbolum orationis eſt catena aurea. Hinc hieroglyphicum orationis eſt catena aurea e cælo emiſſa cum hoc lemmate: *Ad ſidera ſic trahimur*. Catena enim dicta eſt, quod ſe capiendo teneat, quia in ea annulus annulum capit. Catenam auream e cælo pendere finxit Homerus a Jove emiſſam, ut ceteri alii qui in terris commorabantur ad eam appenſi; ipſum e cælo traherent, qui omnes toto virium conatu egregium hoc opus aggredientes, inconſiderate in cælum veluti per ſcalam aſcénderunt. Symbolum hoc eſt orationis. Eſt enim oratio aſcenſus mentis in Deum, & hanc D. Dionyſius affirmabat eſſe catenam auream, qua Deum ipſum ad nos trahimus, noſque ad eum trahimur, dum velle noſtrum infallibili & æquiſſimæ ejus voluntati ſubjicimus, & is eſt orationis noſtræ præcipuus effectus, huncque ipſemet Chriſtus in oratione Dominicali nobis expreſſit illis verbis: *Fiat*

D *voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.*

Myſtice primo S. Auguſtinus, Tertullianus, & Cyprianus per cælum accipiunt ſpiritum, per terram carnem. q. d. Quoniam caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, fac Domine ut caro ſubdat ſe ſpiritui, ut ſicut ſpiritus ſervit legi Dei, ſic & caro non ſerviat amplius legi peccati, ſed legi Dei.

Secundo, S. Cyprianus per cælum accipit juſtos, per terram peccatores, q.d. Fac Domine ut peccatores faciant voluntatem tuam, ſicut faciunt juſti.

Tertio, S. Auguſtinus per cælum accipit Chriſtum, qui e cælis deſcendit in terram, ut terram, id eſt, Eccleſiam terreſtrem ſibi deſponderet & copularet in incarnatione, quaſi dicat: Fac Domine, ut ſicut Chriſtus facit tuam voluntatem in omnibus, ſic faciat & Eccleſia; hæc enim eſt ſponſa Chriſti, quam proinde ſponſo ſuo Chriſto in omnibus conformari decet.

Sanctitas ſita in conformatione voluntatis noſtræ cum divina. Moraliter ſanctitas, quies, lætitia, perfectio Chriſtiani conſiſtit in abnegatione voluntatis ſuę, ejuſque in omnibus tam adverſis, quam proſperis, conformatione cum voluntate divina: nam, ait S. Bern. ſer. 3. de Reſurrectione: *Quid odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſeviet, niſi in propriam voluntatem?* Quocirca priſci aſcetæ, & religioſi perfectionis ſtudioſi, continue ſe exercebant in hac conformitate, ut nihil vellent, niſi quod Deus vult, atque hanc unicam ad quietem & perfectionem eſſe viam dictitabant: *Talis enim conformatio maritat animam Verbo*, ait S. Bernardus ſer. 28. in Cant. Sicut ergo ſponſa nil vult, niſi quod vult ſponſus, itaque ſemper fit, quod ipſa vult; ſic anima, quæ ſuam voluntatem exuit & induit divinam, experitur ſemper id fieri, quod ipſa vult. Illud D. Taulerum docuit inſtructor ille ſuus, uti fuſe enarravi Rom. 12. verſ. 2. Quocirca S. Gertrudis hæc verba: *Fiat voluntas tua*; ſubinde trecenties ſexagies quinquies piiſſime recitabat, & iterabat, hocque gratiſſimum Deo ſacrificium eſſe intelligebat. Unde ipſa juſſa a Deo eligere ſanitatem, aut morbum, reſpondit: *Vehementiſſime deſidero, ut non facias voluntatem meam*, ſed tuam. Et hoc pacto in altiſſima pace & gaudio permanebat. Nam qui in Deo ſcit ſe habere omnia, cæteraque nihil æſtimat, & conſiderat voluntatem illius eſſe optimam, potentiſſimam & utiliſſimam, omnino in ea conquieſcit, dicitque cum Pſalte: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Et cum S. Auguſtino lib. 1. Confeſſ. c. 1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Deus enim eſt omne bonum: adeoque unicum & dulciſſimum ſolatium, ac quies & centrum animæ ſibi unitæ: hæc ergo fixa in Deo, quaſi rerum vertice, unum undique Deum & ſuper omnia, ſubtus ſe appetitum ſuum, omniaque cetera intuetur, & in divina voluntate, quaſi in ſinu Dei conquieſcit. Extat hac de re dialogus brevis, ſed inſignis S. Catharinæ Senenſis, quo ſummam pacem & perfectionem conſiſtere docet in conformitate cum voluntate divina, ut quis in eam voluntatem ſuam, imo totum ſe ſuaque omnia in omnibus & per omnia plane pleneque reſignet, dicatque ſemper & ubique in quolibet rerum eventu: *Fiat voluntas tua.* Quocirca ipſa in corde ſuo fabricarat cubiculum ex tabulis voluntatis divinæ concameratum, in eoque quaſi in cælo jucundiſſime & ſanctiſſime aſſiduehabitabat, ſeſeque concludebat, ut nihil cogitaret, loqueretur, aut faceret, niſi quod Deo placeret, Deique voluntatis eſſe crederet, ideoque illam, quidquid agendum erat, edocebat Spiritus ſanctus. Audierat enim a Deo: *Credo filia, Deum tuum magis poſſe, ſcire & velle bonum tuum, quam tu, ideoque omnia proſpera & adverſa ordinare & dirigere ad bonum tuum multo magis, quam pater & mater per omnia curant, & omnibus modis procurant bonum filii ſui unice dilecti.*

E

Ratio.

F

S. Catharinæ Senenſis.

G

PANEM NOSTRUM SUPERSUBSTANTIALEM (multi legunt *quotidianum*) DA NOBIS HODIE] Hæc eſt quarta petitio, qua uſi & tribus ſequentibus poſt tres primas petitiones ad Deum ſpectantes petimus ea, quæ ad nos pertinent, ac in primis *panem noſtrum*, hoc eſt, non Angelis, non etiam jumentis, ſed nobis hominibus a te Domine deputatum; non etiam alienum, aut raptum, ſed nobis per noſtros labores, cenſus, eleemoſynas aliterve a te datum. Hinc S. Chryſoſtomus hanc petitionem connectit præcedenti, hac ratione, q.d. Chriſtus: Juſſi petere, ut fiat voluntas Dei a vobis, ſicut fit ab Angelis, non tamen vos Angelis æquo: vos enim pane indigetis, illi non indigent: quia illi ſunt immortales & impaſſibiles, vos eſtis mortales & fragiles. Hinc rurſum Rupertus lib. 17. in Gen. cap. 25. colligit omnes homines, etiam divites, principes & reges eſſe mendicos Dei, & ab eo quotidie mendicare panem. Sicut enim Deus filiis Iſrael per 40. annos in deſerto quotidie pluebat manna e cælo, eoque aluit ſexcenta hominum millia: ſic quotidie dum menſæ aſſidemus, Deus quaſi pluit ſingulis eſcam de cælo. Hinc David licet rex, dicebat: *Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei.* Pſ. 39. 18. *Dicamus ergo mendici omnes*, ait Rupertus, *ante fores divinæ gratiæ: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Audi S. Aug. ſer. 15. de Verbis Domini ſecundum Matth. *Petit te mendicus, & tu es Dei mendicus: omnes enim, quando oramus, mendici Dei ſumus, ante januam magni Patris familias ſtamus, imo etiam proſternimur, ſupplices ingemiſcimus, aliquid volentes accipere, & ipſum aliquid eſt ipſe Deus. Quid a te petit mendicus? Panem: Et tu quid petis a Deo, niſi Chriſtum qui dicit: Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi?* Joan. 6.

VERS. 11.

Luc. 11. 3.

H

NOSTRUM] Panis, ait S. Greg. lib. 24. Moral. c. 7. 7. Dei eſt ex munere, noſter autem per acceptionem. S. Chryſoſtomus vero, qui de juſtitia, ait, acquiſitum mandu-

Digitized by Google

A manducat, ſuum panem manducat; qui autem cum peccato, alienum.

Panis ἐπιούσιος quid? Reſp. Primo.

SUPERSUBSTANTIALEM] Quæres quis eſt panis ſuperſubſtantialis? Reſp. Græces eſt ἐπιούσιον (quæ vox alibi non reperitur, quam hic & Luc. 6. 22.) quod primo Angelus Caninius lib. de Nomin. Hebraicis novi Teſtamenti, vertit *craſtinum*, nam ἐπιοῦσα ἡμέρα dicitur ſequens vel craſtina dies. q.d. Sicut in Paraſceve, ſive feria ſexta Hebræi in deſerto colligebant manna pro Sabbato, quo quieſcendum erat; ita tu Domine da nobis hodie panem in craſtinum: nam ulterius non ſumus ſolliciti, ſed poſt craſtinum expectamus & quaſi præparamus nos ad Dominicam reſurrectionis, & ad jubilæum æternum. Sarcinas ergo colligimus, & tantum petimus panem in craſtinum. Favet quod ſcribit S. Hieronym. in Evang. Hebræo Nazarænorum haberi מחר *machar*, id eſt, *craſtinum*. Unde S. Athanaſius tract. de Incarnatione Verbi, cenſet nos hic petere Spiritum ſanctum, qui eſt panis divinus, quo veſci & frui ſperamus in cælo, & cujus primitias accipimus & libamus in Euchariſtia.

B Secundo.

Secundo, S. Hieronymus ἐπιούσιον explicat περίσσιον, id eſt, præcipuum, egregium, eximium, peculiarem; Symmachus vertit *electum*: aut qui ſuper omnes ſubſtantias eſt, & univerſas ſuperat creaturas. Sic & Caſſianus collat. 9. c. 20. & Cyrillus catech. 5. Myſtag. & S. Ambroſius l. 5. de Sacram. c. 4. qui per panem hunc intelligunt Euchariſtiam, quæ a Zacharia cap. 9. verſ. ult. vocatur *frumentum electorum*.

Tertio.

Tertio, ad litteram, ἐπιούσιος, idem eſt, quod ἐπουσιῶδες, id eſt, ad ſubſtantiam pertinens, puta panis ſubſtantialis, eſſentialis, ſubſtantivus, qui ad conſervandam hominis ſubſtantiam & vitam quotidie eſt neceſſarius. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & S. Baſilius in qq. compendio explicatis q. 252. S. Cyrillus catecheſi 5. Myſtag. & alii multi, qui cum Suida ἐπιούσιον interpretantur, ἐπὶ τῆς ἡμῶν οὐσίας καὶ τροφῆς ἐπαρκοῦντα, id eſt, noſtræ ſubſtantiæ & nutritioni congruentem, & ſufficientem, qui ſcilicet non ſerviat voluptati, ſed neceſſitati, nec delicatior aut copioſior ſit, ſed frugalis & moderatus, id eſt, quotidianus; illud enim, quod quotidie neceſſarium eſt ad ſuſtentationem, & quo quotidie

C indigemus, hoc vocamus quotidianum. Unde Syrus vertit, *panem indigentiæ noſtræ*; Arabicus, *panem ſufficientem* (ſic & Ægyptius, Æthiopicus & Perſicus) quem Latini *cibarium* vocant, unde & Latinus interpres in Luc. c. 11. verſ. 3. clare vertit *quotidianum*, & ita hoc loco Matthæi *quotidianum* vertunt, leguntque Patres, qui verſionem S. Hieronymi anteceſſerunt, ut S. Cyprianus, S. Ambroſius l. de Sacram. cap. 4. S. Auguſtinus Enchir. c. 115. & alii, imo Eccleſia recitans in officio & Miſſa *Pater noſter*, juxta S. Matthæum, dicit oratque ex veteri ante S. Hieronymum verſione, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; itaque fideles orare docet.

Porro S. Hieronymus, qui juſſu Damaſi Latinam verſionem novi Teſtamenti ad Græcum textum emendavit, pro *quotidianum* hoc loco poſuit *ſuperſubſtantialem*, ut fideliter ad verbum vim vocis exprimeret. Dicitur enim ἐπιούσιον ab ἐπὶ εἶναι, id eſt, *ſuperſubſtantiam*, id eſt, juxta, vel ad ſubſtantiam pertinens, qui ſcilicet ſubſtantiæ noſtræ ſuſtentandæ eſt conveniens & neceſſarius, puta non ſupervacaneus, delicatus, curioſus, ſed ſubſtantialis, ſimplex, vulgaris. Audi Nyſſenum tr. de Orat. *Panem da, non luxum, non delicias, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non agros, non gentium præfecturas, non pannos ſericos, non muſica acroamata, non quidquam quo anima a divina & potiori cura abſtrahatur; ſed panem.* Et infra. *Exiguum eſt, quod naturæ debes, cur adverſus teipſum multiplicas tributa? Eſt autem venter perpetuus tributorum exactor. Dic ei, qui educit panem de terra: Dic corvos paſcenti, qui omni carni cibum dat, qui manum aperit, & omne animal bona voluntate replet. A te mihi vita eſt, a te quoque mihi vitæ ſubſidium contingat. Tu da panem, id eſt, ut ex juſtis laboribus cibum adipiſcar. Nam ſi Deus juſtitia eſt, habet a Deo panem, qui ex re fraudulenter parta cibum non habet.*

Rurſum ἐπιούσιον derivari poteſt ab ἔρχομαι & ἐπέρχομαι, id eſt, accedo, advenio, inſto, ut ſignificet panem inſtantem, id eſt, hodiernum, quem ſcilicet mane petimus quotidie pro adveniente die, & inſtante prandio vel cœna. Ita noſter Leſſius lib. 2. de Juſtitia cap. 37. dubio 4. & favet S. Ambroſius lib. 5. de Sacram. cap. 4. ubi nota Evangeliſtas ſubinde novare, novaſque voces formare, præſertim ubi res eſt nova, uti in Evangelio ſunt Euchariſtia, baptiſmus ἐπιούσιον, περίσσιον, &c. idque ſimili compoſitione illi, qua Græci ab εἶδος formarunt ἐνδέσιος, ἐτήσιος, ὁμήσιος, &c.

E

Panis ergo ſuperſubſtantialis idem eſt, qui panis quotidianus, quo ſcilicet quotidie ſubſtantiam noſtram conſervare debemus, quem Evangelium Matthæi Hebr. nuper editum vocat תמידי *temidi*, id eſt, jugem, quo ſcilicet continue egemus; hæc enim vox ficta eſt a תמיד *tamid*, id eſt, ſemper, jugiter. Alii vocant דבר יום *debar jom*, id eſt *verbum*, ſive *rem diei*, hoc eſt, quotidianum, quem quotidie ut neceſſarium ſuſtentationi a Deo petere debemus. Vetat enim mox Chriſtus, ne ſolliciti ſimus de craſtino, de quo incerti ſumus, an ſimus victuri: *Volens*, inquit Chryſoſtomus, *nec undique accinctos eſſe, & quibuſdam velut fidei pennis inſtructos, ſemper ad cœleſtia ſubvolare, nec amplius indulgere naturæ, quam a nobis ipſe neceſſitatis uſus expoſcit.* Et S. Cyprianus tract. de Oratione Dominica: *Merito*, ait, *Chriſti diſcipulus victum ſibi in diem poſtulat, qui de craſtino cogitare prohibetur, quia & contrarium ſibi ſit & repugnans, ut quæramus in ſæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire.* Per *quotidianum* ergo excluditur ſollicitudo craſtini. Rurſum S. Hieronymus vertit *ſuperſubſtantialis*, ut innueret maxime hic peti panem cæleſtem, qualis eſt Euchariſtia, de quo mox.

F

Panis ſuperſubſtantialis, quis?

Quæres ſecundo, quis in particulari eſt hic panis ſuperſubſtantialis, ſive quotidianus? Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 20. 44. & Philippus Melanchton in locis communibus tit. de invocatione & precatione, ſolum corporalem accipiunt. Catholici nonnulli ſolum ſpiritualem intelligunt. Sane hunc ſolum exprimunt S. Hieronymus, Cyrillus, Ambroſius, Caſſianus locis mox citandis. Verum dico panem hic tum materialem corpori ſuſtentando neceſſarium, tum ſpiritualem & cæleſtem animæ nutriendæ idoneum, uti eſt Verbum Dei & Euchariſtia, poſtulari; utroque enim indigemus: quare utrumque petere debemus, & tanto magis ſecundum, quam primum, quanto anima præſtat corpore; idque ſignificat vox *ſuperſubſtantialis*, quam S. Hieronymus interpretatur præcipuus, eximius, & omnes ſubſtantias creatas ſuperans, eo quod, ut Caſſianus, ait collat. 9. cap. 20. ſublimitas magnificentiæ ejus, & ſanctificationis excedat omnia creata. Sic & S. Cyrillus catech. 5. Myſtag. Unde in Græco additur, imo geminatur articulus τὸν cum ait τὸν ἄρτον, τὸν ἐπιούσιον, q.d. Da nobis panem non communem, ſed illum ſingularem, eximium, cæleſtem & divinum. Alludit enim ad manna datum Hebræis in deſerto, quod fuit typus Euchariſtiæ. De manna enim dicitur Pſ. 77. 24. *Panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo.* Sicut ergo manna erat cibus ἐπιούσιος, puta cæleſtis & Angelicus; ſic multo magis eſt Euchariſtia. Unde Sapient. 19. 20. utraque in Græco vocatur *ambroſia*, quæ a Poetis dicitur eſſe deorum cibus. Hic ergo eſt panis proprie ſuperſubſtantialis. Ita per panem hic tam ſpiritualem, quam corporalem accipiunt S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Auguſtinus, Tertullianus, & Cyprianus tract. de Orat. Dominica. Quocirca S. Ambr. l. 5. de Sacramentis, cap. 4. per panem ſuperſubſtantialem accipiens Euchariſtiam: *Si*, inquit, *panis eſt quotidianus, cur poſt annum tantum eum ſumis? Sic vive, ut quotidie merearis accipere*, uti primi fideles quotidie communicabant, ut patet Act. 2. 46. Et S. Cyprianus de Orat. Dominica: *Hunc*, ait, *panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ac cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abſtenti & non communicantes a cœleſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur, ipſo prædicante & monente: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum.* Joan. 6.

Reſp.

G

Nota ſub pane phraſi Hebræa per ſynecdochen accipi quidquid victui, veſtitui, habitationi & vitæ tum corporis, tum animæ ſuſtentandæ eſt neceſſarium; omne enim hoc petimus hic nobis dari, vel ſi nobis divitibus jam datum ſit, conſervari & cuſtodiri. Sufficientiam petimus, ait S. Auguſtinus epiſt. 121. nomine panis totum ſignificantes.

DA NOBIS HODIE] Τὸ *da* non tantum dari poſtulat panem, ſed & ſalutarem vim vigoremque nutriendi & roborandi pani inſeri, ut panis corpori proſit ad ſanitatem & robur, quo corpus melius animæ ſerviat in Dei famulatu & obſe-

H

A obſequio. Ita S. Chryſoſtomus. Tum etiam, ut docet S. Auguſtinus ſerm. 135. quoniam cupimus cibum de manu Dei accipere, id eſt, ab illo ſanctificatum, temperatum, dimenſum, ut corpori proſit, & animæ non obſit, ſi de corporali agatur; & contra, mentem nutriat, & corpus non deſtruat, ſi de ſpirituali tractetur.

HODIE] Quia omni momento aliquo Dei ſuſtentaculo egemus.

VERS. 12 ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS] Arabicus: *Et dimitte nobis peccata noſtra, ſicut nos dimittimus his, qui peccaverunt in nos.* Hucuſque in quatuor petitionibus fuit apprecatio bonorum; jam in tribus ultimis ſequitur deprecatio malorum. *Debita*, hæc Lucas cap. 11. 4. interpretatur *delicta*, id eſt, peccata; peccatum enim eſt ſummum debitum ob ſummam injuriam, quam irrogat Deo, quæ quia eſt infinita, hinc pro ea ejuſque debito nec homo, nec Angelus ex rigore juſtitiæ ſatisfacere potuit, ſed ſolus Chriſtus, qui eſt Deus & homo. Debita ergo hæc ſunt culpæ, quæ indicunt reatum ſive obligationem pœnæ & gehennæ: hujus enim debitorem
B conſtituunt hominem, dum peccat; peccator ergo debet animam dæmoni, morti, & inferno: Deo autem debet mille, imo infinitas animas, mortes & gehennas, ſi eas haberet, vel ſuſtinere poſſet.

Luc. 11. 4

Hinc Patres contra Pelagianos probant neminem eſſe ſine peccato. Reſpondebant Pelagiani, juſtos orare, ac dicere: *Dimitte nobis debita*, non pro ſe, ſed pro aliis, puta proximis, qui peccarunt: aut ſi pro ſe id dicant, id dicere non ex veritate, ſed ex humilitate & modeſtia. Utrumque confutat S. Auguſtinus lib. 2. de Peccat. meritis, cap. 10. & lib. 2. contra Epiſtolam Parmenian. c. 10. Nam non dicimus: Dimitte aliis debita aliena, ſed *dimitte nobis debita noſtra*. Abſit autem, ut coram Deo mentiamur; hæc enim non eſt humilitas, ſed hypocriſis & fictio. Unde S. Cyprian. de Orat. Dominica: *Ne quis*, inquit, *ſibi quaſi innocens placeat: & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare*. Denique Concil. Milevit. II.
C c. 2. Anathema dicit iis, qui verba Dominicæ orationis: *Dimitte nobis debita noſtra*, ita volunt a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur: *Quis enim*, inquit, *ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittuntur debita, non habere*. Idem habet Concilium Africanum iiſdem verbis c. 76.

SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS] ſcilicet debita non pecuniæ, nec reſtitutionis famæ & honoris, ſed injuriæ nobis illatæ, ita ut propter illam non proſequamur eos odio, nec velimus vindictam privatam, nec etiam publicam, niſi quando bonum publicum, aut recta ratio illud poſtulat. Tò *ſicut* non ſignificat regulam vel menſuram, quam Deus in dimittendis peccatis ſequatur: plura enim debemus, petimuſque dimitti nobis a Deo, quam alii debeant nobis, ſed cauſam inductivam, quæ Deum moveat ad dimittendum. Unde Lucas c. 11. 4. habet: *Dimitte nobis debita noſtra, ſiquidem & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Hæc eſt
Conditio remiſſionis eſt remiſſio. enim conditio, quam Deus a nobis requirit, qua poſita facile dimittit: ſi vero ea deſit, non dimittit, juxta id
D quod ſequitur: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra; ſi autem non dimiſeritis, non dimittet*. Hoc eſt ergo quaſi pactum Dei cum peccatore. Si dimittis, dimitto: ſi non dimittis, non dimitto. Ita S. Aug. Enchir. 73. Unde S. Cyprianus de Orat. *Addidit*, inquit, *legem, certa nos conditione & ſponſione conſtringens, ut ſic nobis peccata dimitti poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus. Quale crimen eſt* (nolle dimittere) *quod martyrio non poteſt exorari?* Sic enim legimus Saprititium excidiſſe martyrio, quod jam quaſi in manibus habebat. Cum enim in fide conſtans jam capite plectendus eſſet, jubereturque genua flectere, abnegavit; eo quod Nicephoro petenti veniam, offenſam nollet condonare; qui proinde in ejus locum ſe ſubſtituens, martyrii palmam illi eripuit & obtinuit, uti habet ejus vita apud Surium die 9. Februarii. Ita *Vita Sanctorum eſt interpretatio Scripturarum*, ut ait S. Hieronymus. Quocirca S. Joannes Eleemoſynarius, ut principem iram ſervantem ad reconciliationem adduceret, Miſſam coram eo celebrans, dicenſque, *Dimitte nobis debita noſtra*, illico ſiluit, idque ſtudio; proſequutus ergo eſt principes: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Tum Patriarcha ad eum converſus: *Vide*, ait, *in quali terribili hora, quid dicas Deo: Quoniam ſicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi*; qua voce quaſi fulmine ictus princeps: *Quæcumque jufferis Domine*, inquit, *faciet ſervus tuus*, illicoque inimico reconciliatus eſt. Ita Leontius in ejus vita c. 38.

Exempla Saprititi.

S. Joannis Eleemoſynarii.

E

Qui ergo nolunt proximis injuriam dimittere, mentiuntur coram Deo, & ſe hic tacite condemnant, ac ſe remiſſione indignos oſtendunt, atque quaſi contra ſe ſententiam pronuntiant, ſcilicet, quod Deus eis ſua debita non remittat. Cenſent aliqui hoc mendacium, quia fit Deo, eſſe grave peccatum. Unde aliqui nolentes dimittere recitando *Pater noſter*, hanc petitionem omittunt, ſed perperam & contra Chriſti inſtitutum. Ita Caſſianus collat. 9. cap. 22. & noſter Salmeron tom. 5. tract. 51. ubi docet eos illam recitando non peccare, quia id dicunt in perſona Eccleſiæ, quæ debitoribus debita dimittit: & quia per hoc incitantur ad remittendum, ac tacite poſtulant gratiam a Deo, qua idipſum faciant. Igitur *ſicut & nos dimittimus*, id eſt, ſicut multi ex nobis ſuis debitoribus
F dimittunt. Adde recitative hæc verba accipi, tamquam formulam precandi a Chriſto præſcriptam, ut ea moneamur dimittere noſtris debitoribus. Inſuper *dimittimus*, id eſt, ſicut debemus & optamus dimittere; ſed quia infirmitas noſtra id præſtare non valet, tu Domine da robur, & cor noſtrum immuta, ut id præſtemus. Eſt ergo hic tacita oratio, qua petimus a Deo gratiam dimittendi injurias nobis illatas. Ita explicabat S. Franciſcus, cujus verba inferius recitabo.

Qui nolunt dimittere, in peccent recitando ſicut & nos dimittimus.

Denique ſi rigide accipiantur hæc verba, mendacium ſonant, ſed ut videtur veniale dumtaxat: nulli enim perniciofum eſt. Sicut ergo ſi quis in confeſſione, quæ fit ſacerdoti, quaſi Dei vicario, dicat, falſum in re parva, peccat venialiter, modo det materiam veram abſolutionis, puta confiteatur peccata, quæ vere commiſit. Ita etiam in hoc caſu videtur dicendum. Talis enim omnes petitiones vere poſtulat a Deo, ſed mentitur in unius circumſtantia dumtaxat.

G

ET NE NOS INDUCAS (Græce εἰσενέγκῃς, id eſt, *inferas*) IN TENTATIONEM] *Inducas*, non impellendo, ut vult Calvinus: *Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*. Jacobi 1. 13. ſed permittendo inducit. Ita Patres & Catholici omnes. Subinde enim Deus dicitur facere quod permittit; quia fieri, niſi ipſo annuente, & manum omnipotentiæ ſuæ laxante, non poteſt. Senſus ergo eſt, q. d. Primo: Ne permittas nos induci in tentationem, ita nimirum, ut ea capiamur & ſuperemur, ſicut piſces & aves inducuntur in rete, cum illo concluduntur & capiuntur. Ne ſcilicet, ut explicat S. Aug. ep 121. *deſerti tuo adjutorio, alicui tentationi vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti*. Secundo, q. d. Ne permittas ut tentatio nobis obveniat: licet enim in Vitis Patrum nonnullos Sanctos legamus optaſſe tentationes, quaſi materiam augendæ virtutis & meriti, ex magna animi fortitudine & fiducia in Deum, unde Jacobi c. 1. 1. ait: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis* (vide ibi dicta) tentatione enim probamur, exercemur, certamus, proficimus ac perficimur; tamen ordinarie tutius eſt tentationes fugere & deprecari. Monet ergo nos Chriſtus infirmitatis noſtræ, & ut ob eam nos tentationibus non ingeramus, ſed eas, quoad fieri poteſt, arceamus & deprecemur. H
Ita Tertullianus, SS. Cyprian. Ambroſius, Chryſoſtomus de Orat. Dominica, & S. Auguſtinus de Bono perſev. c. 6. Hinc diſce dæmonem nil poſſe in tentando, ni Deus id ei permittat. Ita S. Cyprianus, exemplum clarum eſt in Job c. 1. quem, ut tentaret dæmon, tertio facultatem petiit a Deo. Rurſum tentationes non poſſe a nobis vinci, niſi per opem & gratiam Dei: quare illa cuilibet in tentatione aſſidue & ardenter eſt invocanda. Unde B. Petrus Chryſol. ſerm. 44. ait: *Ad tentationem vadit, qui ad orationem non vadit*. Et S. Greg. Nyſſenus orat. 1. de orat. Dominica. *Si oratio negotium præcedit*, inquit, *peccatum adverſus animam aditum non invenit*.

VERS. 13 Luc. 11. 4

SED LIBERA NOS A MALO] Hoc eſt, a tentatione; de hac enim ſermo præceſſit. Secundo; *a malo*, id eſt, a diabolo, qui præſes & artifex eſt tentationis, inquit Tertullianus & Chryſoſt. hic enim Græce vocatur ὁ πονηρὸς, ut 1. Joan. 5. *Malignus* (ὁ πονηρὸς) *non tanget eum*. 1. Joan. 2. *Viciſtis malignum*, & alibi: diabolus enim per malos homines, perque carnem & mundum omnes tentat. Tertio, generalius & plenius S. Cyprianus de Orat. omne malum hic accipit,

Digitized by Google

A quod ſcilicet vel ad peccatum trahit, vel virtutis & perfectionis eſt impedimentum. Et ſic clarius liquet hanc petitionem a precedenti diſtingui, eſſeque ſeptimam & ultimam. Audi S. Cyprianum: *Quando dicimus: Libera nos a malo, nihil remanet, quod ultra adhuc debeat poſtulari, quando ſemel protectionem Dei adverſus malum petamus, qua impetrata, contra omnia, quæ diabolus & mundus operantur, ſecuri ſtamus & tuti. Quis enim ei de ſæculo metus eſt, cui in ſæculo Deus tutor eſt?*

Anagogicè. Anagogicè S. Auguſtinus ep. 121. docet nos hic petere, ut liberemur a malo, id eſt, a concupiſcentia, omnique miſeria per gloriam felicitatis æternæ: *Cum dicimus*, inquit, *Libera nos a malo, nos admonemur cogitare nondum nos eſſe in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum, quod in Dominica oratione poſitum eſt tam late, tamque evidenter & manifeſte patet, ut homo Chriſtianus in qualibet tribulatione conſtitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lachrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem.* Idem lib. 2. de Peccat. mer. & rem cap. 4. *Deinde*, ait, *addimus quod perficietur in fine, cum abſorbebitur mortale a vita: ſed libera nos a malo, Tunc enim nulla talis erit concupiſcentia, cum qua certare, & cui non conſentire jubeamur.* Unde Franc. Lucas haſce tres ultimas petitiones refert ad concupiſcentiam, quaſi ſic oremus: Ignoſce Domini nobis ea, in quibus ſumus abſtracti a concupiſcentia, hæc enim maxima eſt tentatio: auſer a nobis concupiſcentiam, hæc enim ingens eſt malum, quod non niſi in cælo auferetur a nobis. Haſce ſeptem petitiones S. Auguſtinus lib. 2. de Sermone Domini in monte, adaptat ſeptem donis Spiritus ſancti, & octo beatitudinibus: ſingulas ſingulis.

B

Amen] Hoc, ait S. Hieron. ſignaculum Dominicæ orationis, approbantis & optantis, ut ita fiat. Unde Septuag. Pſalm. 71. v. ult. & alibi vertunt γένοιτο, id eſt, *fiat*.

Nota, In Græcis codicibus hic additur: *Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas & gloria in ſæcula.* Et ita legunt Syrus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius: ſed videntur id Græci addidiſſe ex pia & ſolenni conſuetudine, ſicut iidem ſalutationi Angelicæ addunt: *Quia tu peperiſti Salvatorem noſtrum.* Et Pſalmis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Nam codex Græcus Vaticanus & Roberti Stephani, item Latini Tertullianus, & Cyprianus, S. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius id non legunt.

C

Rurſum adverte: In hac oratione nulla fit mentio ingenii, ſanitatis, ſapientiæ, roboris, uxoris, familiæ, prolium, opum, honorum, aliorumque bonorum naturæ, quia hæc indifferentia ſunt, & tantum petenda, quatenus ad ſalutem noſtram & aliorum conferunt. Et ſic comprehenduntur ſub pane quotidiano, vel ſub prima petitione: *Sanctificetur nomen tuum*; ut ſcilicet Deum ſanctificemus. Denique non eſt neceſſum hæc petere, quia nobis ultro adjicientur, ſi primum quæramus Dei regnum, uti Chriſtus promittit v. 33. *Neque enim*, ut ait S. Auguſt. ep. 121. *in tempore utiliter vivitur, niſi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur*, &c. *Ut quid ergo per multa diſpargimur, ac non potius cum* Pſal. 26. *dicimus: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ?*

Porro tom. 5. Bibliothecæ SS. Patrum extat expoſitio orationis Dominicæ paraphraſtica, concinnata a S. Franciſco, quæ partim literalis eſt, partim myſtica, quam, quia ſublimis eſt, ſapida & fervens, ac Deo, ut videtur, acceptа (fuit enim ipſe θεοδίδακτος) viſum eſt hic arrexere.

D

Paraphraſis orationis Dominicæ ex S. Franciſco.

Sanctiſſime Pater noſter, *creator, redemptor noſter, ſalvator noſter, conſolator noſter.* Qui es in cælis, *in Angelis, in Sanctis, illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu es Domine lux, inflammans eos ad amorem tuum divinum: quia tu Domine amor es, inhabitans & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine ſummum bonum es, & æternum bonum, a quo omnia bona, & ſine quo nullum bonum.* Sanctificetur nomen tuum, *Clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoſcamus, quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas majeſtatis, & profundum judiciorum.* Adveniat regnum tuum, *ut regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, ubi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna.* Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, *ut amemus te ex toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima te ſemper deſiderando, ex tota mente omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus noſtris omnes vires, ſenſuſque animæ & corporis in obſequium tui amoris, & non in alio exponendo: & proximos noſtros amemus ſicut nos ipſos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini ullam offenſam faciendo.* Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, *Dilectum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum da nobis hodie in memoria, in intelligentia & reverentia amoris, quem ad nos habuit, & eorum quæ pro nobis fecit, dixit & ſuſtinuit.* Et dimitte nobis debita noſtra, *per tuam miſericordiam & ineffabilem paſſionis dilecti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem, & beatiſſimæ Mariæ Virginis & omnium electorum merita & interceſſiones.* Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Et quia non plene dimittimus, tu Domine fac plene dimittere, ut inimicos propter te diligamus & pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus.* Et ne nos inducas in tentationem, *occultam ſive manifeſtam, ſubitam vel importunam.* Sed libera nos a malo, *præterito, præſenti, & futuro.* Amen, *ſpontanee & gratis.* Supradicto modo dicebat hic beatus *Pater noſter*, ad omnes horas.

E

F

Si enim dimiſeritis hominibus peccata (Græce *delicta*, id eſt offenſas) eorum, dimittet et vobis Pater veſter cælestis delicta veſtra] Si ſcilicet cætera ad hoc alibi requiſita adſint, ſcilicet contritio & confeſſio. Vers. 14 Mar. 11. 25.

Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra] Tò *enim* dat cauſam ejus, quod præceſſit, non proxime, ſed remotius verſ. 12. more Hebræo, cur ſcilicet dixerit: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; quia nimirum hæc eſt quaſi conditio & lex talionis, ut quod proximo facimus, hoc nobis pari quaſi jure faciat & rependat Deus, ut ibi dixi, Remittentibus ergo injurias, remittuntur offenſæ; vindicantes viciſſim Dei vindictam ſibi accerſunt. Unde Eccleſ. cap. 28. v. 3. admirans, imo indignans: ait: *Homo homini reſervat iram, & a Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur?* &c. Unde Gloſſa hic: In noſtra, ait, poteſtate poſuit, qua conſcientia judicium Dei provocemus erga nos, & ſententiam temperemus: non aliud exigit judex, quam ut qualem eum volumus erga nos, tales nos præſtemus fratribus. Vers. 15 Inf. 18. 35.

G

Cum autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes] Arabicus: *Jejunia eorum.* Docuit Chriſtus modum orandi; nunc docet modum jejunandi, quia infirma eſt oratio ſine jejunio, ait S. Chryſoſtomus, ſcilicet, ut fiat alacriter, & ſecreto, ſtudio placendi Deo, non hominibus, uti dixit verſ. 1. de Eleemoſyna, & verſ. 5. de Oratione. Pro *triſtes* Græce eſt σκυθρωποὶ, id eſt, vultuoſi, obſcuri, triſtes, auſteri, tetrici, vultu tetrico & ſcythico trucique, quibus opponitur ἱλαροὶ, id eſt, alacres & læti. Dicuntur σκυθρωποὶ, quaſi σκυδροὶ, id eſt, mœſti, turbidi, a σκῦθος, id eſt, vultus; vel a σκύζωμαι, id eſt, iraſci, vultu triſti & obnubilo incedere, quaſi bibiſſent acetum, vel alludit ad χύδρα, id eſt, *ollæ* vel *cacabus*. ὄξος, id eſt, faciem habeant atram, nigram & tetram inſtar cacabi & ollæ: jejunium enim, quia corpus deſiccat, acuit bilem utramque, facitque homines melancholicos & cholericos; cibus vero utramque diluit, facitque ſuaves, amœnos, benevolos. Quocirca qui res arduas aliis perſuadere conantur, eos adeunt non jejunos, quia tum moroſi ſunt & difficiles, ſed in prandio, vel poſt prandium, cum cibo & potu exhilarati faciles ſunt, joviales & jucundi. Porro hypocritæ affectabant & induebant vultum tetricum, ut viderentur jejunaſſe, hoc hic carpit Chriſtus, monetque, ut omnem vultus mœſtitiam diſcutiant, faciemque oſtendant amœnam & lætam, quæ hilaritatis & hilaris jejunii ſit indicium, aut potius diſſimulatio, ut non jejunaſſe, ſed laute convivati eſſe videantur. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Corinth. 9. 7. Vers. 16

H

Exterminant] Græce ἀφανίζουσι, quod S. Hieron. vertit *demoliuntur*, S. Hilarius *conficiunt*, Syrus & Chryſoſtomus *corrumpunt*. Alii proprius *obſcurant facies ſuas*, affectando ſcilicet & induendo vultus ſeveritatem, pallorem, mœrorem. Alii *labefactant, obliterant, perdunt, & velut e medio tollunt*, ut quaſi non appareat, quod noſter vocat *exterminant*. Eſt enim ἀφανίζειν obſcurare, ac quaſi e conſpectu tollere, velut qui fucis utuntur, celant faciem ſuam; ſic & qui ficta macie, triſtique pallore luridi ſanctimoniam ſimulant, id eſt hypocritæ, quales erant Scribæ. Audi ſanctum Hieron. *Exterminantur exules,*

Digitized by Google

A *les, qui extra terminos mittuntur.* Deinde *exterminant* exponens per *demoliuntur*, id explicat, subdens; *Demolitur autem hypocrita faciem suam, ut tristitiam simulet, & animo forte lætante, luctum gestet in vultu.*

VERS. 17 TU AUTEM CUM JEJUNAS, UNGE CAPUT TUUM, ET FACIEM TUAM LAVA.

VERS. 18 NE VIDEARIS HOMINIBUS JEJUNANS (Arabicus: *Ne appareant hominibus jejunia tua* (SED PATRI TUO, QUI EST IN ABSCONDITO) qui suam essentiam & majestatem celat & abscondit, quique tam est in locis absconditis, quam publicis, tamque videt abscondita cordis, quam ostenta operum) ET PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI] Sufficit, ait Remigius, ut qui est inspector conscientiæ, sit remunerator. Familiare fuit Palæstinis, imo omnibus Orientalibus, diebus festis & lætis ungi, faciemque lavare, & expolire, præsertim in conviviis, idque tum ad refrigerium, tum ad nitorem, tum ad coloris & odoris suavitatem.

Ungebātur Palæstini, Cur?

Cum enim Palæstina sit in Climate calido & æstuoso, hinc fit ut incolæ sudent, sudorque faciem deturpet, & fœtentem efficiat: lavant ergo faciem, ut sudorem abluant; ungunt, ut fœtorem abigant. Hæc patent ex Ruth 3. v. 3. Judith 10. v. 3. 2. Reg. 12. 20. Lucæ 7. 46. Ungebantur igitur, tum sanitatis, tum recreationis, tum deliciarum, tum fragrantiæ & mollitiei causa. Unde illud de Magdalena ungente Christum: *Et domus impleta est ex odore unguenti*, Joannis 12. 3. In tristitia vero & luctu abstinebant ab unctione & lotione.

B Nota hic esse catachresin, cui similem audivimus c. 3. 6. & alibi; non enim veram unctionem hic præcipit Christus, sed tantum hilaritatem & dissimulationem jejunii, q. d. *Unge caput*, hoc est esto hilaris, & præ te fer lætitiam, quasi unctus esses oleo, id est, unguento, quod est lætitiæ causa & symbolum, juxta illud: *Ut exhilaret faciem in oleo.* Ps. 103. 15. imo ut jejunium dissimules, & convivium simules; adhibe symbola convivantium, scilicet, unctionem & lotionem. Ita S. Hieron. Theophylactus, Euthymius. Audi S. Hieron. *Juxta ritum Palestinæ loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita. Præcipit igitur, ut quando jejunamus, lætos & festivos nos esse monstremus.* Huc facit aurea S. Syncleticæ in Vitis Patrum

C l. Syncleticæ. l. 5. libello 8. num. 19. sententia: *Sicut*, inquit, *thesaurus manifestus cito expenditur; ita & virtus quælibet, cum innotuerit, vel publicata fuerit, exterminabitur. Sicut enim cera solvitur a facie ignis, ita & anima laudibus inanitur, & amittit virtutum rigorem.*

Mystice, S. Aug. trac. 2. de Serm. Domini in monte c. 20. per unctionem capitis accipit lætitiam mentis, quæ adhibenda est in omni bono opere: Sanctus Hieronymus vero accipit ipsam virtutum operationem.

VERS. 19 NOLITE THESAURIZARE (Syrus: *Ne reponatis*. Alii: *Non congregetis* vel *coacervetis*) VOBIS THESAUROS IN TERRA, UBI ÆRUGO ET TINEA DEMOLITUR, ET UBI FURES EFFODIUNT ET FURANTUR] Tranlit ab ostentatione ad avaritiam, eamque taxat usque ad finem capitis. Utraque enim laborabant Scribæ & Pharisæi, imo longe major pars hominum, qui non nisi opes corradere omni labore satagunt, ac non raro per fas & nefas, quæ ingens est vanitas & cæcitas. Ostendit ergo hic Christus, quæ sint veræ opes, quæ falsæ, nimirum, veras esse cælestes, falsas esse terrestres, ut non has, sed illas ambiamus, nec in hisce, sed in illis cor mentemque defigamus. Opes enim

D in terra *ærugo & tinea demolitur*. Græce est σὴς καὶ βρῶσις, id est, *tinea & comestura*, uti est rubigo ferro, ærugo æri & auro; utrumque enim sensim exedit, corrodit & consumit. Notat tres corruptionis modos, tinea enim exedit vestes, ærugo aurum & argentum; fures cetera omnia furantur & rapiunt.

Christus hic tribus argumentis avocat homines a studio divitiarum. Primum est, quod ipsæ fluxæ sint & corruptibiles. Secundum vers. 22. quod mentem obtenebrent & excæcent. Tertium v. 24. quod ipsæ mentem totam ad se rapiant, ut Deo servire nequeat: quia nemo potest duobus dominis, scilicet Deo & Mammonæ servire.

VERS. 20 THESAURIZATE AUTEM VOBIS (non filiis, non nepotibus, non ingratis heredibus, sed *vobis*; id est animæ vestræ) THESAUROS IN CÆLO, UBI NEQUE ÆRUGO, NEQUE TINEA DEMOLITUR, ET UBI FURES NON EFFODIUNT, NEC FURANTUR] q. d. Opes gloriæ cælestis sunt incorruptibiles, inamissibiles, stabiles & æternæ: in illis ergo cor mentemque figite, illas omni virtutum studio comparate, non vero terrenas, quæ exiles sunt & caducæ, variisque modis cito corrumpuntur & pereunt; sed eas E erogate pauperibus; *Quæ stultitia*, ait S. Chrys. *illic relinquere unde exiturus es, & non illuc præmittere quo iturus es? Thesauriza ubi patriam habes.* Idem hic hom. 48. sub finem: *Si*, inquit, *intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam, ut vestimentum a decem millibus vermium corrosum, ita eam perforatam undique a sollicitudinibus, & a peccatis putrefactam, & eruginepleam. Verum haud talis est anima pauperis voluntarii, sed potius fulget ut aurum, splendet ut gemma, efflorescit ut rosa. Non est illic tinea, neque fur, neque sollicitudo negotiorum hujus vitæ, sed sicut Angelus ita conversatur. Non subjacet dæmonibus, non assistit regi, sed assistit Deo: non militat cum hominibus, sed cum Angelis: non habet thesaurum, terram, sed cælum: non indiget servis, magis autem habet servorum loco passiones; habet servos appetitus, qui regibus dominantur, ut nec respicere audeant. Quid igitur hoc pauperemelius? at non habet equos & currum. Quid vero his opus est ei, qui super nube vehi debet, & esse cum Christo?*

UBI ENIM EST THESAURUS TUUS, IBI EST ET COR VERS. 21 TUUM] *Thesaurus tuus*, id est, quod habes in pretio, id quod amas, quod æstimas, quo delectaris, id quod Luc. 12. 34. F tibi est charissimum, in quo omne tempus & studium collocas: *ibi est & cor tuum. Hoc non solum de pecunia*, ait S. Hieron. *sed & de cunctis passionibus sentiendum est. Gulosi Deus venter est: ibi ergo habet cor, ubi est thesaurus. Luxuriosi thesaurus epulæ sunt: lascivi ludicra, amatoris libido. Huic servit unusquisque, quo vincitur.*

Vis ergo scire, quis sit thesaurus tuus, quid ames, quid æstimes? Adverte quid sæpius in corde verses, quid mente agites & cogites. Si crebro cogitas & ruminas cælestia, cælum amas, thesaurus tuus est in terra, in terra cor tuum quasi talpa sepeliviſti. Si ergo sapis, *mens tua non sit in ære, sed in æthere.*

Huc facit quod S. Antonius de Padua (ut habet ejus vita) in exequiis cujusdam usurarii concionaturus, hoc thema accepit: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*, dixitque: *Mortuus est hic dives, & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum ejus, & in medio illius invenietis cor ejus.* Abierunt amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum ejus invenerunt. Cor usurarii mortui in suo thesauro invenitur.

G Sanctius & sapientius S. Paulinus Nolæ Episcopus, Nola capta a VVandalis, Deum orabat: *Domine non excrucier propter aurum & argentum, ubi enim omnia mea sint, tu scis*, quia scilicet cor habebat fixum in Deo, non in auro.

LUCERNA CORPORIS TUI EST OCULUS TUUS. SI OCU- VERS. 22 LUS TUUS FUERIT SIMPLEX, TOTUM CORPUS TUUM LUCIDUM ERIT] *Lippientes oculi*, ait S. Hieronymus, Luc. 11. 34. *solent lucernas videre numerosas: simplex oculus & purus, simplicia intuetur & pura.*

SI AUTEM OCULUS TUUS FUERIT NEQUAM, TOTUM Luc. 11. 34. CORPUS TUUM TENEBROSUM ERIT. SI ERGO LUMEN, 35. QUOD IN TE EST, TENEBRÆ SUNT, IPSÆ TENEBRÆ QUANTÆ ERUNT?] Dicitur oculus simplex, qui sanus est, & externis humoribus, qui visum perturbant, non miscetur, ideoque purus est, sincerus & clarus. q. d. *Si oculus tuus fuerit simplex*, id est, purus, candidus, & mundus; totum corpus tuum lucidum erit, & quasi oculatum, quia prævia oculi sui luce & directione omnes H actiones suas recte obibit: *Si autem oculus tuus fuerit nequam*, Græce πονηρὸς, id est, male affectus, & vitioso humore imbutus, ideoque impurus & obnubilatus, *totum corpus tuum tenebrosum erit*, quia carebit luce & duce, puta illustratione & directione oculi sui. *Si ergo lumen* oculare, *quod in te est*; id est, esse debebat, jam offuscatum, non lumen, sed tenebræ & cæcitas sit, *ipsæ tenebræ quantæ erunt?* id est, ipsum reliquum corpus natura sua tenebrosum, ac, ut ita dicam, cæcum, cum nullum nisi ex oculis lumen habeat, jam oculis suis & luminibus, quasi ducibus orbum, quam tenebrosum erit, quamque in tenebris errabit, palpabit, & cespitabit? *Quantas*, ait S. Hilarius, *necesse est ipsarum in te tenebras esse tenebrarum?*

Est parabola, uti & pleræque aliæ Christi gnomæ hic. Per oculum ergo cum S. Hieronymo, Chrysostomo, Jansenio, Maldonato, Toleto in cap. 11. Lucæ, & aliis mentem & sensum internum accipe, q. d. ait S. Chrysostomus: A corporalibus interiora disce, quod enim oculus est corpori, hoc intellectus est animæ. Sicut enim oculus dirigit corpus; sic intellectus practicus animam: quod enim hic sentit & gustat, hoc sentit & gustat anima. Unde error & vitium animæ in operando nascitur ex errore & vitio intellectus, quod tamen vitium sæpe oritur ex prava inclinatione & Quod oculus est corpori, hoc intellectus est animæ

Digitized by Google

A ne & cupiditate affectus. Quod enim affectus concupiſcit, eodem trahit intellectus, ut judicet illud ſibi bonum & proſequendum. Hoc eſt quod paulo ante dixit: *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*. Illud enim cor hic explicat vocatque oculum mentis, hoc eſt, intellectum practicum, qui omnes actiones luce ſua præit & dirigit. Vult enim docere Chriſtus animum non poſſe eſſe purum & rectum, ac conſequenter nec actiones ab eo manantes eſſe puras & rectas, ubi cor eſt avaritia & auri cupiditate obcæcatum: de hoc enim egit in præcedentibus & aget in ſequentibus. Senſus ergo eſt. q. d. Sicut oculus purus clare illuminat regitque corpus, corporiſque motus omnes: ſin vero oculus craſſo pravoque humore obnubiletur, obtenebratur totum corpus, ut illud in tenebris oberret, & ceſpitet; ſic pariter ſi mens hominis ſit pura illuminabit totam animam omneſque ejus actiones, ut rite recteque fiant: ſin mens ſit pravo affectu & cupiditate avaritiæ imbuta & obcæcata, eodem afficiet totam animam omneſque ejus operationes, ut non niſi terram & terrenas opes ſpectent & ambiant, iiſque quaſi talpæ ſeſe oppleant

B & excæcent. Ex affectu enim pecuniæ mens multis erroribus & ignorantiis practicis obtenebratur, ut putet ſibi licere quod revera eſt illicitum, eſſeque utile, quod eſt damnoſum, atque has cæcitates ſuas cæcis & effranatis ſuis paſſionibus, affectibus & actibus communicat, ut cæce ruant in rapinas, fraudes, uſuras, aliaque ſcelera, quæ mens ipſa corrigere & frænare debuerat, itaque eos in ſe cæcos magis ipſa mens excæcat, agitque in cæcas peccatorum ruinas.

Et intentio.] Poteſt ſecundo cum S. Auguſtino & S. Gregorio lib. 28. Moral. cap. 6. ac Beda per oculum accipi intentio mentis; hæc enim mentem & intellectum movet, regit & flectit quocumque vult; atque hæc ipſa, ſi pure intendat Deum & divina, velut finem & ſcopum ſuum, faciet ut opus ex ea manans (*intellige ſi illud in ſe ſit bonum*, aut certe non malum) totum ſit purum & ſanctum: ſin intentio ſit prava & impura, faciet ut opus ex ea manans, licet in ſe bonum, ſit impurum, malum & vitioſum. Nam toto capite a v. 1. hucuſque Chriſtus egit de recta intentione, eamque requiſivit in eleemoſyna, oratione & jejunio: hoc eſt, in omni

C opere bono. Nonnulla huic parabolæ addit Lucas c. 11. v. 36. quæ ibi velut loco proprio explicanda ſunt.

Vers. 24 Luc. 16. 13. Nemo potest duobus Dominis servire] Non tantum contrariis, ſed etiam diſparatis, ſive diverſis dumraxat. Eſt adagium ſignificans rarum & difficile eſſe duobus dominis, qui fere adverſis ſunt moribus & humoribus, ſatisfacere, aut æque eis addici, ſervire, & obſequi. Non ait *famulari*: ſubinde enim quis duobus dominis famulatur, ſed *ſervire*, id eſt, ſe addicere, amare per omnia, obſequi & obedire. Id Chriſtus applicat avaritiæ & religioni, deique cultui, q. d. Non poteſtis ſervire Deo & diti, cælo & cœno, ætheri & æri, numini & nummis. Quare ſi Deo ſervire, & cor addicere placet, illud ab ære & auro avellendum eſt. Eſt hoc tertium Chriſti argumentum cæteris efficacius, quo Scribas omneſque homines avocat a ſtudio divitiarum, quod ſcilicet impoſſibile ſit eis ſervire & Deo. Vis ergo ſervire Deo? noli ſervire Mammonæ.

D Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet] Pro *ſuſtinebit* S. Auguſtinus legit *patietur*, idque exponit de Mammona. q. d. Mammona, id eſt, opes, eſt Dominus tam imperioſus & difficilis, ut avari duram ſub eo ſerviant ſervitutem, nec eum ament, ſed ſuſtineant & patiantur ejus herile & durum imperium. Franc. Lucas vero cenſens interpretem legiſſe in Græco ἀνέξεται, id eſt ſuſtinebit, patietur, ſic disjunctivam hanc exponit, q. d. Servus, qui duobus dominis ſervit, aut unum odiet, & alterum diliget; aut ſi neutrum diligat, ſed utrumque oderit, unius imperium feret & ſuſtinebit, alterius contemnet. Verum Græci hic, æque ac Lucæ 16. 13. conſtanter habent non ἀνέξεται, id eſt, patietur, ſed ἑνὸς ἀνθέξεται, id eſt, *uni adhærebit*, ut vertit noſter Lucæ 16. 13. Syrus & Arabicus, *unum honorabit*. Vatablus: *uni ſe dedet*, uni cor ſuum affiget, uni obſequium impendet, id eſt, unum diliget, ut paulo ante dixi. Senſus enim hujus poſitionis disjunctivæ eſt. q. d. Servus duobus dominis ſerviens, ambobus non ſerviet, ſed aut hunc odio habebit, illum diliget; aut vice verſa hunc diliget & ſuſtinebit, illum odiet & contemnet, v. g. Si odiat herum Jacobum, diliget herum Joannem; ſin diligat Jacobum, odiet Joannem: cui enim mores unius placent, huic mores alterius, utpote diverſi & ſæpe contrarii, d ſplicent: quare illum amabit, illi obediet & ſerviet, hunc odiet; nec prompte ei obedire aut ſervire volet. E

Sustinebit] ergo hic idem eſt quod favebit, tuebitur, fovebit, ſuſtentabit. Sic Cicero 1. Offic. ait: *Magiſtratus eſſe ſuſtinere dignitatem & decus civitatis*. Et orat. pro Flacco: *Vos rempublicam humeris veſtris judices ſuſtinetis*. Et pro Rabirio: *Labentem excepit, corruere non ſinit, fulſit, & ſuſtinuit, re, fortuna, fide, hodieque ſuſtinet*. Et Brutus epiſt. ad Ciceronem: *Apulejum*, inquit, *tu auctoritate ſuſtinere debes*. Sic matres ſuſtinent, id eſt, alunt & ſuſtentant ſuos infantes, magiſtri diſcipulos, heri ſervos, & viciſſim filii parentes, diſcipuli magiſtros, ſervi heros. Unde Virgil. 2. Georg.

Hinc patriam, parvoſque nepotes
Suſtinet.

Sic & Livius ait: *Milites fluviatili piſce & herbis ſuſtinebantur*, id eſt, ſuſtentabantur.

Non potestis Deo servire et Mammonæ] q. d. Non poteſtis vos addicere Deo ſimul & ſtudio opum, ut cor veſtrum affigatis utrique, ut utrique curas, operas, & labores veſtros impendatis; præſertim quia Deus ita vult coli & amari ſupra omnia, ut nullum rivalem patiatur, nec ſinat aliquem ſibi in amore æquari aut comparari. Vice verſa opes, ita cor & curas divitis avaris ad ſe rapiunt, ut non ſinant illa Deo impendi. F

Nota: Hebr. ממון *matmon*, Chald. *mamon*, Syriace *mamona*, ait S. Hieronymus, vocantur divitiæ & theſauri, quos in arcis recondunt divites, a radice טמן *taman*, id eſt, *abſcondere*. Aut, ut Angelus Caninius in nom. Hebr. novi Teſtamenti, a radice אמן *aman*, id eſt, *firmare*, *ſtabilire*. Nam ut dicitur Proverb. 10. 15. *Subſtantia divitis, urbs fortitudinis ejus*. Sic opes Hebraice vocantur חיל *chaïl* a robore, quod divitem faciant valentem & potentem: ſed tum potius ſcribendum eſſet *mamon* & *mamona* per ſimplex *m*, quomodo in libris Chaldæis & Syris ſcriptum habetur. Hinc & lucrum Punice (Punica enim lingua eſt affinis Hebrææ) vocatur *mammon*, ait S. Auguſtinus lib. de Sermone Domini in monte, cap. 22. Hinc quoque perſicus pro *Mammona*, vertii *divitiis & bonis caducis*. Mammonæ etymon.

Porro S. Irenæus lib. 3. c. 10. *Mammonas* interpretatur *cupidum*, quod interpres ejus exponit, quaſi S. Irenæus *Mammona* derivet ex מום *mum*, id eſt, macula; & הון *hon*, id eſt, opes; ut *mammona* ſit idem quod *macula divitiarum*: talis enim eſt cupiditas vel avaritia, quæ maculat, imo perdit opes, eas recondendo, ut ab ærugine comedantur; non vero erogando eas in egentes, quæ eſt quaſi opum vita, ſalus, finis, & felicitas, quæ ad hunc uſum a Deo & natura creatæ ſunt. G

Nota: Non dicit: Non poteſtis opes habere & Deum: utrumque enim habuit Abraham, Iſaac, Jacob, David, Salomon, multique Sancti, qui divitiis non affixere cor, quia eis uſi ſunt ad pia opera: ſed *non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ*: qui enim ſervit Mammonæ, opum eſt ſervus, quare eas non regit ut Dominus, ſed ab eis regitur quaſi mancipium, ut omnes labores & dolores ſuſcipiat, quos cupido opum illi ſuggerit. Sane dura & miſerabilis eſt hæc ſervitus: *Servire* vero *Deo, regnare eſt*. Vere S. Bernardus ſer. 21. in Cant. *Avarus*, ait, *terrena eſurit ut mendicus, fidelis contemnit ut Dominus. Ille poſſidendo mendicat; iſte contemnendo ſervat*. Igitur: Avarus est servus alterius. H

Imperat aut ſervit regina pecunia cuique.

Imperat avaro, ſervit liberali. Et quid eſt aurum & argentum, niſi terra rubra & alba? ait S. Bernardus.

Opponit Deum Mammonæ appoſite, quia Mammona ſive Plutus, vel Pluto (πλοῦτος enim vocantur divitiæ) qui & Dis dicebatur, a Gentilibus colebatur quaſi divitiarum Deus. Unde Cicero lib. 2. de Natura deorum: *Terrena*, inquit, *vis omnis atque natura Diti Patri dedicata eſt, qui dives, ut apud Græcos πλούτων, quia & recidant omnia in terras, & oriantur e terra*. Avari ergo Deus eſt Mammon, ſive Pluto, qui eum ſecum ad inferos (ibi enim eſt regnum & regia Plutonis) deducet.

Audi S. Auguſtinum lib. 4. de Civit. cap. 21. Gentiles commendabant ſe *deæ Pecuniæ, ut pecuniosi eſſent: deo Æſculano, & filio ejus Argentino, ut haberent æream aureamque pecuniam. Nam ideo patrem Argentini Æſculanum poſuerunt, quia prius ærea pecunia in uſu eſſe cœpit, poſt argentea. Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt. Quem deum ſi iſti haberent, ſicut Saturno Jovem, ita & patri Argentino, & avo Æſulano, Aurinum præponerent*. Cauſa eur pecunia facta

A facta sit deus, est ejus potentia & imperium: Nam, ut ait Eccles. c. 10. *pecuniæ obediunt omnia*: pecuniæ enim comparantur dignitates, vina, epulæ, vestes, equi, currus, & quid non? unde Osee c. 12. 8. de talibus ait: *Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi*. Hinc & Juvenal. Satyra 1.

Inter nos, inquit, *sanctissima divitiarum*
Majestas,

Et Petronius Arbiter eas Jovi pares facit, vel superiores;

Quidvis, inquit, *nummis præsentibus opta*,
Et veniet: clausum possidet arca Jovem,

Et Auctor Anthologiæ.

Nunc vulgus superos vix putat esse deos,
Nimirum ingenti congesta pecunia cura
Est Deus; humanas nunc regit illa vices,

Vide Aristophanem in Pluto.

Præclare S. Hieronymus epist. 28. ad Lucinium: *Non potestis*, inquit Dominus, *Deo servire & Mammonæ*. *Aurum deponere incipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes; seipsum offerre Deo, proprie Christianorum est & apostolorum, qui duo cum vidua paupertatis suæ in gazophylacium era miserunt, totum census, quem habuerunt, Domino tradiderunt, & merentur audire: Sedebitis super duodecim solia, judicantes duodecim tribus Israel*. Denique divitiæ dictæ sunt eo quod dividant, distrahantque mentem, ait S. Ambrosius lib. de Abraham, sicut divisérunt Abraham a Loth Genes. 13.

VERS. 25. Luc. 12. 22. 31. IDEO DICO VOBIS NE SOLLICITI SITIS ANIMÆ VESTRÆ QUID MANDUCETIS, NEQUE CORPORI VESTRO QUID INDUAMINI] *Animæ*, illa enim eget cibo, non præcise pro se, sed ut in corpore retineatur, illudque animet & vegetet. Rursum in anima est omnis cibi sensus, gustus, & delectatio. Aut *animæ*, id est, vitæ, ait S. Augustinus, anima enim est causa vitæ.

Pro *ne sollicitis sitis*, Græcis est μὴ μεριμνᾶτε, id est, ne anxie cogitetis, ne cum cura, anxietate & ærumna solliciti sitis: μεριμνᾶτε enim dicitur a μερίζειν ἑαυτὸν, quod studium congregandi opes animum dividat, & in varias cogitationes, curas, sollicitudines, anxietates distrahat, & quasi dissecet. Non ergo prohibet hic Christus providam diligentiam & laborem procurandi sibi suisque necessaria ad vitam, uti voluerunt Euchitæ (qui volebant semper orare, & numquam laborare) contra quos S. Augustinus scripsit librum de Opere monachorum: sed vetat eorum sollicitudinem anxiam, præoccupatam, intempestivam, timicam, Deo diffidentem, cor in terra defigentem, & a Dei servitio distrahentem.

Christus vetat sollicitudinem victus septem argumentis.

Atque ut eam confutet, nobisque eximat, adhibet septem rationes sive argumenta: Prima est hoc versu in verbis proxime sequentibus, petiturque a cura corporis nostri, quam gerit Deus. Secunda vers. 26. ab avibus, quas Deus curat & pascit. Tertia vers. 27. quod omnis nostra sollicitudo inanis sit sine Deo. Quarta vers. 28. a liliis & fœno, quæ vestit & ornat Deus. Quinta vers. 32. quod hæc sollicitudo paganorum sit, non Christianorum. Sexta vers. 32. quia ad Dei scientis omnia, & gubernantis providentiam pertinet de victu nobis providere, ut quærentibus regnum Dei alimenta adjiciat. Septima vers. D 34. quia sufficit diei malitia sua. Tot argumentis utitur Christus, quia longe major hominum pars laborat hac nimia sollicitudine, adeoque a mane in vesperam non aliud cogitat, non aliud laborat, quam ut cibum & vestitum sibi suisque comparet, quæ est magna miseria, & plusquam asininus labor.

Primum argumentum.

NONNE ANIMA PLUS EST QUAM ESCA, ET CORPUS PLUS QUAM VESTIMENTUM?] Est hæc prima ratio contra anxiam & nimiam sollicitudinem rerum temporalium, petita a minori, sive a minus verisimili ad id, quod magis est verisimile, q. d. Deus qui nobis animam & corpus dedit, imo ex nihilo creavit, & continue conservat, & quasi creat, hic utique etiam dabit quæ minora sunt, puta escas & vestes, sine quibus corpus & anima non possunt subsistere. Ita SS. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Vere S. Chrysostomus hom. 57. ad populum: *Deo*, ait, *pascente, non est opus nos esse sollicitos*. Nam *divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono*. Psalm. 33.

VERS. 26. Luc. 12. 24. RESPICITE VOLATILIA CÆLI, QUONIAM NON SERUNT, NEQUE METUNT, NEQUE CONGREGANT IN HORREA: ET PATER VESTER CÆLESTIS PASCIT ILLA. NONNE VOS MAGIS PLURES ESTIS ILLIS?] Græce μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν, id est, magis differtis ab illis? multum præcellitis illis, E

Secundum argumentum.

Est secundum argumentum, quo probat Christus nos non debere esse sollicitos de victu & vestitu, petitum ab avibus, ideoque a minori ad majus, q. d. Si Deus aves irrationales de victu non sollicitas, nec pro eo laborantes, sed otiosas, ac subinde odiosas, v. g. corvos, ut habet Lucas c. 12. 24. pascit, darque eis illaboratum granum & cibum: quanto magis pascet vos, qui estis homines rationales, creati ad imaginem ejus, imo filii ejus & hæredes, Christi sanguine redempti, pro quibus proinde tot agricolas procurat, quos facit serere, metere & triturare, ac tot molitores molere, tot pistores pinsere panem? &c. Comparat homines non bobus terrestribus, sed avibus cælestibus, ut doceat eos debere esse cælestes, & instar avium e terra in cælum mente avolare, indeque cibum tum corpori, tum animæ necessarium, quotidie a Deo expectare & postulare. Aves enim quotidiana annona contentæ, de crastina non sunt sollicitæ, sed in Dei providentia placide conquiescunt, tantumque volatui & cantui vacant: Poterat Christus, ait Chrisost. *hominum proferre exempla, ut Mosen, Aliam, Joannem, qui de victu non fuere solliciti: sed ut magis audientium conscientias verberaret, de irrationalium illos securitate commonuit*. Cur enim homo non faciat, quod faciunt aves; cur sollicitus sit, cum non sint sollicitæ oves?

Quocirca S. Franciscus mire delectabatur avibus, præsertim alaudis easque ad Dei laudes concinendas invitare solebat. Unde & illi mox a morte suo cantu parentarunt alaudæ. Magna enim copia ad tectum domus, in qua mortuus erat, advolantes, diu cum insolita jubilatione gyrantes, Sancti laudes & gloriam celebrarunt. Sollitus erat ipse fratres sui ordinis comparare alaudis, & ut eas imitarentur adhortari. Nam alauda, inquit, cristam habet instrar galeri, unde & galerita vocatur, teste Plinio lib. 11. c. 37. Sic & minoritæ cucullum gestant sive caputium, ut meminerint se puerorum, qui cucullis caput suum involvunt, innocentiam & humilitatem imitari debere. Secundo, alauda est cinerei coloris; cinerea est & tunica fratrum, ut recordentur illius dicti a Deo ad Protoplastum: *Memento homo, quia pulvis, sive cinis es, & in cinerem reverteris*. Tertio, alaudæ vivunt in paupertate, sine sollicitudine, grana quæ terra præbet carpentes; sic & fratres profitentur paupertatem, mendicato vivunt sine sollicitudine, in Dei providentia & fidelium charitate spem annonæ reponentes. Quarto, alaudæ mox ut granum invenerint & comederint, in cælum feruntur volatu directo & sublimi, ita ut aciem intuentium fugiant; canentes, & quasi gratias agentes Deo omnium parenti & altori. Idem faciunt fratres, *quia panem Angelorum manducavit homo*, id est, panem ex eleemosyna quæsitum, ad quem fratribus mendicantibus dandum Angeli instigant eos, qui sunt divites. Quinto, alaudæ dicuntur *a laude*, quod assiduo cantu Deum laudent; sic & fratres terrena despiciant, cælestia appetant quasi hospites terræ, & cives cæli, sciantque se a Deo vocatos ad hoc, ut jugiter Deum laudent tum psalmodia, tum prædicatione & sanctitate vitæ. Ita refert Lucas Waddingus in Annal. Minorum anno Christi 1226. n. 39. & alii. Audi S. Ambr. ser. in cap. Malachiæ, qui extat in fine tom. 1. *Aves*, inquit, *propter viles escas gratias agunt; tu pretiosissimis epulis pasceris & ingratus es? Quis igitur non erubescas sensum hominis habens, sine psalmorum celebritate diem claudere, cum ipsæ aves ad gratificandum psalterii suavitate persultent: & ejus gloriam non versuum dulcedine personare, cujus laudem volucres modulata cantilena pronuntiant! Imitare ergo frater minutissimas aves, mane & vespere creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare luscinium, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurris. Et tu igitur tuis laudibus diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam psalterii serie consolare*.

Religiosus sit alauda. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Denique idem S. Ambr. in Luc. cap. 12. ad illa vers. 24. *Considerate corvos, quia non seminant, &c. & Deus pascit illos*, ex hoc loco docet causam inopiæ nostræ esse avaritiam: *Etenim*, inquit, *illis (corvis) idcirco, inelaborati pabuli usus exuberat, quod fructus sibi communes ad escam datos, speciali quodam nesciunt vindicare dominatu. Nos communia amantissimus, cum propria vindicamus, nam nec proprium quidquam est, ubi perpetuum nihil est; nec certa copia, ubi incertus eventus. Cur enim divitias tuas æstimes, cum tibi Deus etiam victum cum ceteris animantibus volue-*

Avaritia causa inopiæ.

F

G

H

A *solucris esse communem? Aves cæli speciale sibi nil vindicant, & ideo pabulis indigere nesciunt, quia aliis invidere non norunt.*

VERS. 27 QUIS AUTEM VESTRUM COGITANS (Græce μεριμνῶν, id est, sollicitus, sollicite cogitans, anxie curans, hoc est sollicita sua cogitatione, disquisitione & mollitione: *sollicitudo* enim *est ægritudo* (inquietudo, anxietas) *animi cum cogitatione*, ait Cicero Tuscul. 4.) POTEST ADJICERE AD STATURAM SUAM CUBITUM UNUM] Est tertium argumentum a majori, sive magis verisimili ad minus. Unde Lucas cap. 12. 26. addit, *Si ergo quod minimum est, non potestis, quid de cætero solliciti estis?* q. d. Si frustranea est cogitatio, sollicitudo & labor, qua quis vellet excogitare modum adjiciendi staturæ suæ cubitum unum, ut scilicet longior & altior fieret, quam sit cubito uno; licet enim mille annos cogitaret, & cogitando se discrutiaret, numquam id perficeret: quanto magis inanis est anxia sollicitudo, qua quis vitam per escas anxie conservare, & prolongare suapte industria molitur; solius enim Dei est uti corpus a se creatum augere, ut ad justam staturam excrescat, ita multo magis vitam, quam dedit, conservare, & ad finem a se statutum producere, ac consequenter alimenta ad hoc necessaria, paterna sua providentia procurare & subministrare.

Luc. 12. 25. Tertium argumentum.

B Notat Euthymius hic nominari cubitum; quia cubitus est propria mensura staturæ humanæ. Omnis enim homo recte formatus suorum cubitorum quatuor habet in altitudine, & quatuor in latitudine, scilicet, si extensis sit brachiis, ut hæc extentio latitudini addatur: extensio enim brachiorum est mensura staturæ cujusque hominis: atque hac ratione homo est quadratus hoc est, tam latus, quam longus, ut discat esse quadratus & solidus in constantia & virtute.

VERS. 28 ET DE VESTIMENTO QUID SOLLICITI ESTIS? CONSIDERATE LILIA AGRI, QUOMODO CRESCUNT: NON LABORANT, NEQUE NENT.

Luc. 12. 27.

VERS. 29 DICO AUTEM VOBIS: QUONIAM NEC SALOMON IN OMNI GLORIA SUA COOPERTUS EST (Græce περιεβάλετο, id est, amictus, indutus fuit, Arabicus *vestitus fuit*) SICUT UNUM EX ISTIS] Est quartum argumentum ab elegantia liliorum. Si enim Deus lilia tanto candore, decore & pulchritudine vestit & ornat, quanto magis homines in ipsum confidentes veste necessaria donabit?

Quartum argumentum.

C Innuit, lilia dum crescunt & nutriuntur, suis involueris quasi vestibus obvolvi. Porro mira est liliorum venustas, fulgor, fragrantia, ordo, decor, elegantia, celsitudo, quibus ea condecorat Deus, de quibus Plinius lib. 21. c. 5.

Vestis regum Liliacea.

Meminit Christus liliorum, & vestis sive paludamenti Salomonis, quia hoc erat candidum, floridum & liliatum, scilicet intertextum, vel opere phrygionico acupictum liliorum effigiebus, & liliorum candentium fulgorem æmulabatur, hoc enim suo candore, decore & pulchritudine est elegantissimum, ideoque fuit vestis regum & principum. Audi Pausaniam in Eliacis lib. 5. cum Jovis describit simulacrum: *Cui præter alia pallium erat aureum: in eo cum diversa animalia, tum ex omnibus florum generibus, lilia in primis cælata erant.* Et Marcellinus lib. 14. invectus in luxum vestium: *Longioris*, inquit, *fimbriæ tunicæ perspicua lucent varietate liliorum, effigiatæ in species animalium multiformes.* Hinc & suam illam nobilissimam candidissimamque togam, donatam sibi a Parthenio cubiculi Domitiani præfecto, cum liliis comparat Martialis l. 8. 28.

D *Lilia tu vincis: nec adhuc dilapsa ligustra,*
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ,
Cedet Erythræis cruta gemma vadis.

Ita Pineda lib. 6. de Rebus Salomonis, cap. 5.

Lilia symbolum gloriæ cæli.

Anagogice lilia & liliata vestis repræsentant stolam immortalitatis & gloriæ, qua suos electos in cælo amiciet Christus. Unde Psal. 44. inscribitur: *Pro liliis*; sive *pro iis, qui commutabuntur*, scilicet a morte in immortalitatem, a miseria in gloriam. Quocirca Hilarius hic per *lilia non laborantia, neque nentia* significari intelligit *Angelorum cælestium claritates, quibus extra humanæ scientiæ eruditionem a Deo gloriæ candor inductus est: & cum in resurrectione similes omnes Angelis erunt, sperare nos cælestis gloriæ voluit operimentum, exemplo Angelicæ claritatis. Lilium enim etiam avulsum a radice & a terra, ex se efflorescit & virescit, & rursum suo honore vestitur. Ita sane Angelorum virtutes in sua origine, ut sint semper, accipiunt.*

Porro quam illa sint speciosa, decantque principes sponsos, præsertim Salomonem & Christum: proinde quam iis delectarentur Salomon, patet ex ejus canticis, ubi sæpius ait de sponso: *Qui pascitur inter lilia.* Et c. 2. 16. & cap. 6. 2. & cap. 7. 2. *Venter tuus*, inquit, *sicut acervus tritici vallatus liliis.* Imo cap. 2. 1. *Ego*, inquit, *flos campi & lilium convalium.* E Lilia pulchriora veste Salomonis. Cur?

Porro Christus præfert liliorum pulchritudinem liliatis ex filo argenteo Salomonis vestibus, quia illa, utpote naturalis & nativa, omnem artis elegantiam, quasi adumbratam & imitatione expressam superat. Ars enim imitatur naturam, sed non adæquat: hinc major est pulchritudo naturæ, quam artis. Ars enim est quasi simia naturæ; sicut ergo simia imitatur hominem & hominis gestus, sed non assequitur, numquam enim fit homo, sed *simia est simia, licet aurea gestet insigna*; sic & ars numquam pertingit ad dignitatem & decorem naturæ. Ars enim est quasi fucus naturæ, quasi umbra & imago naturæ; quantum ergo præstat veritas fuco, umbra imagini, tantum natura præstat arti. Ita sanctus Chrysostom. *Quantum*, inquit, *distat a veritate mendacium, tantum inter illorum amictus, & horum florum discrimen interjacet.* Et S. Hieronymus: *Revera*, inquit, *quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Quid ita rubet ut rosæ? quid ita candet ut lilium? Viole vero purpuram nullo superari murice oculorum magis, quam sermonis judicium est.* Ars simia naturæ.

F Denique flos naturæ est flos verus & vivus, flos vesti intextus est flos pictus & exanimis: tantum ergo inter se differunt, quantum homo verus & homo pictus. Ars enim est pictura & adumbratio naturæ. Vetus est dictum: *Pulchros esse fœtus artis, aureos naturæ.* Tacite hic notat Christus, quam exiles & viles sint vestes aureæ, fericæ, purpureæ, in quibus opulenti vane gloriantur, quasque tanto labore & sollicitudine ambiunt. Quid enim, ut ait S. Bernardus, est aurum & argentum, nisi terra alba & rubra? quid margaritæ, nisi excrementa concharum? quid purpura, nisi sanguis vilis piscículi, qui purpura dicitur? quid bombycina, nisi netus & stamina vermium, puta bombycum?

Tropologice Glossa: Lilia ait, sunt virgines, qui per augmentum virtutum in Deo crescunt, & induuntur gratiæ vestibus in præsenti, & gloriæ in futuro. Hinc illud Cant. cap. v. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium.* G *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et cap. 6. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia.* Vide ibi dicta.

VERS. 30 SI AUTEM (Arabicus: *Si enim*) FOENUM AGRI, QUOD HODIE EST, ET CRAS IN CLIBANUM MITTITUR, DEUS SIC VESTIT: QUANTO MAGIS VOS MODICÆ FIDEI?] Liliis pulchris addit vilem herbam & fœnum, ad majorem energiam. Pro *fœnum* enim Græce est χόρτον, id est *herbam*, q. d. Si Deus herbam in agro tanto virore, tamque pulchris foliculis & involucris vestit, quæ hodie est & viret, cras demetitur & siccatur, fitque fœnum, ac in clibanum sive furnum mittitur, ut eum succendat & calefaciat ad coquendos in eo panes; *quanto magis vos*, qui estis homines fideles, amici & filii sui, Deus vestiet? Vos, inquam, qui sine causa estis *modicæ fidei*, Græce ὀλιγόπιστοι, id est, *parum fidentes* in Deo, Deique paterna providentia. Luc. 12. 28.

Nota: Hac increpatione Christus ostendit vulgarem de cibo & veste sollicitudinem nasci ex nimia & non ferenda divinæ providentiæ diffidentia: si enim illi plane confiderent homines, non essent adeo solliciti, sed in ea secure conquiescerent, tumque Deus moderate laborantibus, sibique fidentibus de necessariis omnibus provideret. H

VERS. 31 NOLITE ERGO SOLLICITI ESSE, DICENTES: QUID MANDUCABIMUS, AUT QUID BIBEMUS, AUT QUO OPERIEMUR?] qua veste tegemus corpus mundum contra aeris injurias? Luc. 12. 29.

VERS. 32 HÆC ENIM OMNIA GENTES INQUIRUNT] Est quintum argumentum, quod hæc terrenorum, puta cibi, potus, vestitus sollicitudo pagana sit, non Christiana, ideoque congruat paganis, qui Deum Deique providentiam ignorant, non Christianis, qui utramque credunt & sperant, imo in dies sentiunt & experiuntur. Luc. 12. 30. Quintum argumentum.

SCIT ENIM PATER VESTER (Græca & Syrus addunt ἐφ' ὑμῖν, id est, *cælestis*) QUIA (quod, quantum & quamdiu) HIS OMNIBUS INDIGETIS] Est sextum argumentum, q. d. Nolite esse solliciti & anxii in vestra cibi vestisque indigentia; nam Deus probe illam novit, imo videt & intuetur, quia Deus est: ergo eidem providebit, quia amat curatque Sextum argumentum.

VOS

Digitized by Google

A vos tanquam filios, quia Pater vester: idque facere potest, quia cælestis est & omnipotens. Quin ergo in eum sollicitudinem vestram omnem devolvitis? Scit enim, vult & potest vestræ necessitati succurrere: scit, quia Deus; vult, quia Pater; potest, quia Rex cælestis in cælo & terra pleno jure dominatur. Addit S. Lucas cap. 12. 29. *Et nolite in sublime tolli*, Græce μὴ μετεωρίζεσθε, id est, nolite in meteora aut alia præsidia humana respicere, de quo ibidem plura. Unde S. Franciscus suis non aliud dabat viaticum, quam illud Psaltis 54. 23. *Jacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet*, ubi pro *curam tuam*, Hebr. est יהבך *jehabcha*, quod Chald. vertit *spem tuam*. S. Hier. *charitatem tuam*, Vatabl. *pondus vel sarcinam tuam*, hoc est tua negotia, tuas sollicitudines, tuas ærumnas, tuam paupertatem, & quidquid te onerat & gravat, Psalt. Rom. *cogitatum tuum*. Radix יהב *jahab* significat affectum postulantis, q. d. tuum *ejа*, quidquid tibi sollicitudinem, aviditatem, precem anxiam movet & elicit, *& ipse te enutriet*, Heb. *sustentabit, perficiet, curabit*. Quin & S. Petrus in epist. 1. c. 5. v. 7. *Omnem*, inquit, *sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. Et S. Paulus Philip. 4. v. 6. *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*. Vide ibi dicta. *Nobis* enim mens est arcta, humeri, & vires exiles: Deus autem latissimos habet providentiæ oculos, æque ac humeros: ipse enim est verus Atlas, qui cælum & terram humeris sustinet. Ita Deus castra Hebræorum (erant in iis facile duo milliones hominum præter equos, boves, feraque animalia) in sterili deserto aluit manna, vestesque eorum incorruptas servavit, imo fecit, ut illæ cum pueris crescentibus sensim crescerent: idem feci de calceis; idque per 40. annos, Sic etiamnum Deus ubivis gentium mirabiliter providet, alitque tot pauperes opifices, qui numerosam habent prolem & familiam, ad quam alendam quotidianus eorum labor & lucrum exile nullo modo sufficit; præsertim quia sæpe male valent; aut si sani sunt, non inveniunt quod operentur & lucrentur; quod velut certum divinæ providentiæ argumentum admiratur & celebrat alibi S. Chrysostom. Fac enim computum, ac rationes subduc tam lucri, quam extensi, invenies longe plus eos expendisse, quam lucrati sint. Facit ergo illis Deus, quod faciebat Hebræis colligentibus manna in deserto; qui enim minus collegerant, quam mensuam Gomor, his Deus insensibiliter plus addebat, tantum scilicet, quantum sufficeret ad implendum Gomor, Exodi 16. 18. *Gomor* enim erat mensura diurni victus cuique sufficiens. Quocirca Psaltes: *Dominus*, ait, *regit me* (Heb. *Dominus pastor meus*, vel *pascit me*) *&* (idcirco) *nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit*. Psalm. 22. Cur ergo de crastino es sollicitus? cur Deo non fidis? injuriam facis Deo: divinam providentiam & curam Deo quasi adimis, & tibi arrogas. Merito ergo te deseret Deus, teque vacuum, egenum, famelicum & nudum relinquet. Longe ergo satius est *sollicitum ambulare cum Deo solo*, Michææ 6. 8. eique dicere: *Ego autem sum mendicus & pauper, Dominus sollicitus est mei*. Dei enim sollicitudo pro nobis multo major est omni cura, quam pro nobis ipsimet gerere possumus. Est enim in Deo divina & immensa.

Viaticum S. Francisci.

Mira Dei providentia.

D Vers. 33 Luc. 12. 31. QUÆRITE ERGO (Græce δὲ id est, *autem*) PRIMUM REGNUM DEI ET JUSTITIAM EJUS, ET HÆC OMNIA ADJICIENTUR (Græce προστεθήσεται, id est *apponentur*, ut legunt S. Cyprianus, & Augustinus, sicut panis & cibus pauperi famelico in mensa a divite apponitur) VOBIS] *Primum* non tam tempore, quam dignitate, ait S. Augustinus, item æstimatione & appretiatione, q. d. Maxime & præcipue quærite regnum Dei, illud præ ceteris æstimate, & summi pretii ducite; parvi vero bona temporalia, utpote quæ tantum in ordine ad regnum Dei quærenda sunt, quæque a Deo mantissæ loco adjiciuntur, scilicet ubi hominum saluti id expedit. Errant ergo qui dicunt.

O cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Tales errores sunt & hodie eorum, qui pinguia officia, beneficia, dignitates & prælaturas omni diligentia quærunt & procurant, parum de onere & aptitudine sua, ac de salute æterna cogitantes.

REGNUM DEI (cæleste, pura æternam beatitudinem & gloriam) ET JUSTITIAM EJUS] scilicet Dei (Græce enim est masculinum αὐτῦ) hoc est, media, quæ ducunt ad regnum Dei, scilicet Dei gratiam, virtutes & bona justaque opera, quibus coram Deo simus justi vel justiores, quæque Deus nobis præscripsit & mandavit, ut nimirum ei ejusque præceptis obediamus. E

ET HÆC OMNIA ADJICIENTUR VOBIS] Ergo ipsa non erunt merces bonorum operum, quia hæc tota nobis servatur in cælo, ait S. Aug. sed *adjicientur* quasi mantissa, & auctoramentum exiguum ad pondus mercedis adjectum: ipsa enim sunt bona infima, ait S. Chrysost. respectu cælestium, ubi *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* expectamus. 2. Cor. 4. 17.

NOLITE ERGO SOLLICITI ESSE IN CRASTINUM (in tempus futurum) CRASTINUS ENIM DIES SOLLICITUS ERIT SIBI IPSI] hoc est, de seipso: videtur legisse ἑαυτῦ jam legunt τῆς ἑαυτῦς, id est, de rebus suis, sed eodem redit sensus. Est septimum argumentum, q. d. *Sinite* crastino, id est, futuro tempori curam & sollicitudinem crastini, id est, sui ipsius, ut quid ante tempus vultis esse anxii & miseri? licet enim hodie curas crastini vobis accersatis, nihil idcirco minus curarum vobis secum afferet dies crastinus, quibus sibi sollicitus & vobis molestus sit, ita ut non sitis illius onera leviora reddituri, sed hodiernum diem nova crastini fascis injectione dumtaxat oneraturi, F suo ergo tempori sua servetur sollicitudo, hodierno hodierna, crastino crastina: ita sollicitudo in partes divisa minuetur, fietque levior, & portatu facilior. Sane, si anima ingrediens in corpus hominis, dum nascitur, videret universas egestates, molestias, dolores & angores, quos per omnem vitam, per singulos dies, horas & momenta est subitura, exhorresceret, desperaret, nec in corpus ingredi sustineret. Quocirca Deus celat & abscondit futuras ærumnas, quæ nobis obveniunt, ut singulis diebus singulas carpamus, & divisas carptim sustineamus: quod factu longe facilius est. Sapienter S. Chrysost. hic: *Nequaquam*, inquit, *ulterioris diei curate conterat: cujus enim diei spatium te visurum nescis, quam ob causam illius sollicitudine torqueris?* Et Sanctus ille θεοδίδακτος: *Quid prodest sollicitum esse de futuris contingentibus, quæ forte nunquam evenient?*

Septimum argumentum.

Nota primo τὸ *hodie* significat tempus præsens: *crastinum* quodvis tempus futurum. Ita S. Hilarius & Hieronymus: simile est vers. 6. & cap. præced. v. 27. & 29. G

Secundo, per prosopopœjam crastino hic tribuitur sollicitudo, quia videlicet, dies crastinus suggerit homini materiam novæ sollicitudinis, quæ pro tempore & re nata curari debet. Ita S. Chrysostomus. Simili schemate, ait Poeta,

Nescis quid vesper vehat.

Et Psaltes, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*. Psalm. 18. 3.

Provisiones non vetat Christus.

Tertio, Christus hic non prohibet omnes crastinas, imo menstruas & annuas provisiones frumenti, vini, olei, &c. has enim prudentia œconomica requirit, ideoque has prudenter fecit Joseph in Ægypto, Gen. 41. 35. & Apostoli, Actor. 11. 29. Unde S. Antonius apud Cassianum collat. 2. cap. 1. ait nonnullos nihil in crastinum servare volentes fuisse deceptos, nec potuisse arreptum opus congruo exitu terminare. Vide S. Augustinum lib. de Operibus monachorum cap. 23. & 24. Sed tantum vetat sollicitudines de futuro inutiles, anxias & intempestivas, videlicet, cum quis sollicitus est circa ea; quorum cura secundum rectam rationem non congruit præsenti tempori, sed futuro: talis enim tantum diei præsenti & sibi ipsi onus curasque frustra accersendo & aggravando injuriam facit, & frustaneam molestiam creat. H

Sollicitudo duplex.

Sollicitudo ergo est duplex: Prior moderata & sedula, quam recta ratio tali rei vel negotio adhibendam dictat, quæ a Græcis dicitur σπουδή, id est, *diligentia*, & σπουδή, id est, *studium*. Unde S. Isidorus lib. 2. Etymol. *Sollicitus*, inquit, *dicitur quasi solers citus; in quantum scilicet aliquis ex quadam solertia animi velox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda*; unde *solers* dicitur quasi *solis ars*, ait Festus, id est, totus artificiosus, industrius, & ingeniosus. Hæc ergo sollicitudo est laudabilis & necessaria in omni prudentia & virtute: posterior est immoderata, nimia, anticipata, impertinens, qua homo timidus vel cupidus frustra se discruciat & affligit de futuris eventibus, qui plane incerti sunt, nec prævideri vel impediri possunt: hæc Græcis dicitur μέριμνα (quæ vox hic est in Græco) id est, anxia cura, anxietas, ærumna: hanc vetat hic Christus, ut dixi vers. 25. Unde Glossa Interlinearis: *Non labor*, inquit *& providentia damnatur, sed sollicitudo mentem suffocans.*

Solers unde.

SUFFICIT DIEI MALITIA SUA] *Malitia*, id est, molestia,

Digitized by Google

A lestia, cura & afflictio *sua*, q. d. Quisque dies suam homini affert molestiam & sollicitudinem, ut quid ergo frustra alias sibi de crastino & futuro accersit? Græcum ergo κακία, id est, malitia: sumitur pro κακώσει, id est, mali illatione sive afflictione. Sic Jacob ait Pharaoni: *Dies peregrinationis meæ* 130. *annorum sunt parvi & mali*, id est, miseri. Gen. 47. 9. Sic vice versa bonitas vel bonum sumitur pro læto, hilari & jucundo, ut: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*. Psalm. 132. 1. Ita S. Hier. Chrysost. Theoph. Euthym. & S. Augustin. lib. 2. de Serm. Domini in monte, ubi totum hunc Christi sermonem fuse explicat. Causam dat S. Chrysostom. *Ut enim eos acrius increparet*, inquit, *ipsum pene tempus animavit, & velut afflictum ab omnibus introduxit, quasi quod contra illos de impositâ sibi afflictione superfluo clamaret*. Audi & S. Aug. *Necessitatem vocat malitiam, quia pœnalis est nobis: pertinet enim ad mortalitatem, quam peccando meruimus. Cum videmus servum Dei providere necessaria, non putemus agere contra Domini præceptum; nam & Dominus propter exemplum loculos habuit; & in Apostolorum Actis legimus procurata necessaria in futurum, ob imminentem famem; non prohibemur ergo procurare, sed ob ista militare*.

B

CAPUT VII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRohibet Christus, ne alios judicemus, & ne sanctum demus canibus. Secundo, vers. 7. docet insistendum esse orationi. Tertio, vers. 13. asserit viam in cælum esse arctam, & a paucis iniri. Quarto, vers. 15. monet fugiendos esse falsos Prophetas & doctores, qui in vestimentis ovis celant lupum. Quinto, vers. 24. pronuntiat sapientem esse eum, qui ita audit verba sua, ut illa faciat, & opere impleat; ideoque similem esse ædificanti domum non in arena, sed in petra, quæ
C *ventis & procellis omnibus resistit.*

VERS. 1. NOlite judicare, ut non judicemini,
2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?

4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo?

5. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.

7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

8. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

D 9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?

10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?

12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ.

13. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.

14. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.

15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt E ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:

16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? F

23. Et tunc confitebor illis: Qui numquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem.

24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram,

25. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.

26. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam:

27. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

28. Et factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. G

29. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.

VERS. 1. NOLITE JUDICARE (temerarie & maligne) UT NON JUDICEMINI] Nota: Christus non prohibet hic publicum magistratus judicium, quo reos condemnat, innocentes absolvit; hoc enim necessarium est in omni republica, sed tantum privatum, cum scilicet temerarium est, aut curiosum, aut detractorium, hoc enim charitati & justitiæ, ipsique Deo, cujus judicium usurpamus, repugnat; proximo enim dati sumus non judices, sed socii: quare si temerarie malam de eo habemus opinionem, injuriam ei facimus, eique famam in animo nostro, & apud alios, si eam ore proloquamur, eripimus. Fama autem ingens est bonum, majusque quam sint opes. Ita S. Hieronymus, Beda, S. Basilius in Reg. brevior. reg. 164. & S. Aug. *Quæ dubium est quo animo fiant*, inquit, *in meliorem partem vult nos interpretari*. Nam φιλαυτία, id est, H amor proprius & invidia impellunt hominem, ut in deteriorem partem illa interpretetur. Unde Glossa: *Vix quisquam*, ait, *invenitur hoc vitio carens, ut suis favens, aliena facile reprehendat*. Audi S. Aug. serm. 202. de Tempore: *De ipsis ergo, quæ sunt Deo nota & nobis incognita, periculose nostros proximos judicamus. De ipsis enim Dominus dixit: Nolite judicare, ut non judicemini. De illis vero; quæ aperta sunt, & publica mala judicare & redarguere, cum charitate tamen & amore, & possumus & debemus, odio habentes non hominem, sed peccatum, non vitiosum, sed vitium detestantes, morbum potius quam ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, assidue ebriosus, proditor, superbus, si judicati vel castigati non fuerint, implebitur in eis illud, quod beatissimus martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati fomitem subministrat*. Causam perversitatis temerarii ju- Cur? dicii dabat S. Antonius, dictitans nos sæpe falli in ratione gestorum: aliud esse Dei cuncta cernentis judicium, qui non ex superficie corporum, sed ex mentium judicat arcanis. Æquum autem esse nos nobis compati, & invicem onera nostra portare, ut concesso exa-

Vers. 1. Luc. 6. 37. Temerarii judicium quod?

mine

A mine ſalvatori proprias conſcientias noſmetipſos judicantes intueremur. Ita S. Athanaſius in ejus vita.

UT NON JUDICEMINI] Temerarie ſcilicet & maligne, vel ſevere & rigide, uti jam dixi: neque ab hominibus, neque a Deo, q.d. Ita fiet, ut plurima aliorum iniqua judicia effugiatis, aut ſaltem ut ſeverum Dei judicium non experiamini. Nota: hoc ut plurimum eſt verum, non tamen ſemper. Chriſtus enim, Apoſtoli & Sancti, qui neminem temere judicarunt, a Pilato & Judeis temere & injuſte judicati & condemnati ſunt: ſemper tamen id verum eſt de judicio Dei. Audi ſanctum Auguſtinum de Sermone Domini in monte: *Temeritas, qua punis alium, ipſa te puniet: nocet ſemper iniquitas injuriam facienti.*

Vide hujus rei appoſitum & illuſtre exemplum apud Anaſtaſium Sinaitam Orat. de S. Synaxi, quod recenſui Jacobi. 4. 11.

Nonnulli codices cum Maldonato, hic addunt: *Nolite condemnare, & non condemnabimini*; ſed id delent Græca, Roman. Tertullianus, S. Ambroſius, Auguſt. Chryſoſtomus, & alii: eſto id habeatur Luc. 6. 37.

B Narrat Leontius Epiſcopus Cypri in vita S. Joannis Eleemoſynarii c. 35. Vitalium qui multas convertebat meretrices, a quodam alapa cæſum, & fornicarium judicatum, ſed hunc judicem viciſſim alapam accepiſſe a dæmone, ab eoque poſſeſſum, nec potuiſſe liberari, *niſi ſupplicem in cella Vitalii jam vita functi, ubi & in pavimento cælitus ſcriptum legerunt: Viri Alexandrini nolite ante tempus judicare, quoadusque Dominus veniat.* Porro quam ipſe S. Joannes caveret, ne quem judicaret, idemque alios cavere doceret, pluribus ibidem narrat Leontius. Sapienter S. Bernardus ſer. 40. in Can. *Excuſa intentionem*, inquit, *ſi non potes opus, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum.*

VERS. 2. IN QUO ENIM JUDICIO JUDICAVERITIS, JUDICABIMINI, ET IN QUA MENSURA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS] *In quo* & *in qua*, id eſt, *quo* & *qua*, hoc eſt, quali judicio judicaveritis alios, tale & vos ſubibitis, ſcilicet temerarium, curioſum, infamans ab hominibus: a Deo autem curioſum, exactum, rigidum & ſeverum. Deus enim temerarius eſſe nequit: ſin autem candide & benigne dicta factaque aliorum judicaveritis, in meliorem partem illa interpretando, etiam candidum & benignum de dictis factiſque veſtris judicium Dei & hominum experiemini: *Ut enim peccata examinentur tua*, ait S. Chryſoſtomus, *legem prius ipſe poſuiſti, ſeverius de his, quæ proximo peccaverat, judicando: quia judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Jacobi 2. 13. Plura de damnis & remediis judicii temerarii vide apud S. Auguſtinum ſerm. 202. de Tempore, & fuſius apud noſtrum Alphonſum Rodriguez tract. 4. de Perfectione, qui eſt de charitate fraterna, cap. 15. & ſequent. ac Joannem Buſæum in Panario verſ. *Judicium temerarium*. Sane Caſſianus libr. 5. de Inſtitut. renunt. cap. 30. Macheretem Abbatem de ſe narrantem inducit, quod in tres defectus, de quibus alios judicaverat, ipſemet juſta Dei permiſſione inciderit, de iiſque judicatus ſit. S. Dorotheus doctrina 6. qui totus eſt de non judicando, narrat Angelum detuliſſe animam adulteri cujuſdam ad ſenem, qui illum condemnarat, eique dixiſſe: *En quem judicaſti, vita functus*

D *eſt, quo me jubes igitur animam deferre, ad ſuperoſne, an ad inferos?* Tu enim judicem mortuorum te feciſti, & Chriſti judicis locum uſurpaſti; judica ergo ut judex hanc animam. Qua voce compunctus ſenex veniam petiit, totaque vita pœnitentiam egit. Denique quam noxium ſit judicare facta aliorum, & quam utile judicare ſeipſum & ſua, pulchris plurium Sanctorum gnomis & exemplis demonſtrat noſter Matthæus Raderus in Viridario part. 3. c. 1. v. 2. ubi inter alia hæc aurea eſt: *Mendoſa amuſis etiam recta depravat*, nimirum melancolia, indeque nata proclivitas ad male ſuſpicandum de aliis eſt mendaciſſima, ac in ſe graviter fallitur, indeque alios fallit. Quare qui hoc morbo laborat, diſcat ex experientia ſuarum ſuſpicionum illas plerumque eſſe falſas & fallaces; ideoque dicat: Ego vobis amplius non credam, quia hucuſque expertus ſum vos eſſe mendaces. Sic quis laborat vertigine capitis, ut videantur omnia gyrare, volvique, ſibi dicit: Erras, non gyrant res ipſæ, ſed gyrat cerebrum tuum: vertigo tua te gyrat.

ET IN QUA MENSURA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS] Eſt adagium idem ſignificans, q.d. Quali modo & menſura judicaveris alios, tali & ipſe viciſſim judicaberis, tum ab hominibus, tum a Deo; qualem te aliis exhibueris, tales, & alii ſe tibi exhibebunt, ſcilicet, ſi benignus fueris, benignos; ſi ſeverus, ſeveros; ſi temerarius, temerarios. Menſuram intellige ſimilem, non æqualem. Nam noſtra divinæ æquari nequit. Dei enim cenſura ſive ſeveritas & miſericordia longe noſtram ſuperat, licet ſeveritas ejus de meritis & culpis noſtris ſit minor, Deus enim peccata punit citra condignum. Chriſtum Dominum ſecutus S. Jacobus cap. 4. 11. *Nolite*, ait, *detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem.* Vide ibi dicta.

QUID AUTEM VIDES FESTUCAM IN OCULO FRATRIS TUI, ET TRABEM IN OCULO TUO NON VIDES?] Græce κατανοεῖς, id eſt, *non animadvertis. Feſtucam*: Græce τὸν κάρφος, id eſt, feſtuca, ſtipula, ſurculus, palea, ligni particula ſubtilis, quæ in oculos facile inſilit, vel involat; hæc enim recte opponitur trabi craſſæ. Feſtuca proprie eſt arboris novellæ, ſive cujuſque ſati pullulus, id eſt, primum germen tenue ex ea pullulans & ebulliens: inde res minimas & tenuiſſimas ſignificat, quales hic ſunt culpæ & defectus leves: trabs vero illi oppoſita notat crimina graviora. Eleganter alludit ad viſionem oculi. Oculus enim non videt ſeipſum, ſuoſque nævos, ſed alienos. Simili modo critici non vident, nec cenſent ſuos defectus, ſed alienos, ſibi ergo cæci ſunt, ut talpæ, aliis oculatiſſimi, ut lynces; aliorum vel minimis vitiis offenduntur, ſuis licet maximis, blandiuntur. Hoc hominum genus eleganter ſimili ſchemate perſtringit Horatius, dicens:

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Huc facit vetus adagium: *Non videmus id manticæ, quod in tergo eſt*, de quo extat Apologus apud Æſopum: Singuli homines, inquit, duas habent manticas, hoc eſt, peras vel ſaccos, alteram ante pectus, alteram a ſcapulis tergoque pendentem: ſed in priorem aliena vitia immittunt, in poſteriorem ſua. Unde Perſicus:

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo,
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo:

hæc eſt innata hominibus φιλαυτία.

Eodem Apologo criticos anachoretas taxavit & correxit Abbas Prior in Vitis Patrum l. 5. libello 9. n. 9. Nam ſaccum multa implens arena conjecit in tergum: modicam autem ſportam parum arenæ continentem manu ante ſe geſtabat, rogatus cur hoc faceret reſpondit: *Saccus ille, qui multum habet arenæ, mea peccata ſunt: & quoniam multa ſunt, poſui ea ſupra dorſum, ne doleam pro ipſis, & pio-*
rem; iſta autem arena modica, peccata ſunt iſtius fratris, & ſunt ante faciem meam, & in ipſis exerceor judicans fratrem. Ibidem n. 8. Abbas Paſtor hanc vitæ regulam cuidam dedit: *Nullum ſpernas, neque condemnes, & nulli obloquaris, & Deus præſtabit tibi requiem, & erit ſeſſio tua ſine perturbatione*, Ibidem n. 3. Abbas Iſaac, cum quemdam judicaſſet, aſtitit ei Angelus, dixitque: *Deus me miſit, ut dicerem tibi: Ubi vis ut mittam fratrem illum quem addixiſti?* quo audito, veniam ſupplex petiit Iſaac, cui Angelus: *Surge, ignoſcit tibi Deus, ſed cuſtodi de cetero ne adjudices quemquam priuſquam Deus adjudicet eum.*

AUT QUOMODO DICIS FRATRI TUO: SINE EJICIAM FESTUCAM DE OCULO TUO, ET ECCE TRABS EST IN OCULO TUO] q.d. Qua fronte, qua impudentia vis leve vitium proximi carpere & corrigere, cum ipſe trabale & immane ſcelus in mente tua toleres?

HYPOCRITA, EJICE PRIMUM TRABEM DE OCULO TUO, ET TUNC VIDEBIS EJICERE (Græce διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, id eſt, diſpicies, vel perſpicies, ut ejicias) FESTUCAM DE OCULO FRATRIS TUI] q.d. Sicut impoſſibile eſt, ut qui habet trabem in oculo, videat carpatque exilem feſtucam ex oculo fratris ſui: trabes enim oculum occupat & excæcat, ut feſtucam diſſitam videre nequeat, ſic pariter fieri vix poteſt, ut quis gravi ſcelere mentem rationemque velans & opprimens, recte videat corrigatque aliorum culpas minimas. Quomodo enim potes odiſſe minimas, qui maximas amas, & in teipſo foves? Quomodo potes videre minimas in aliis, qui maximas in te non advertis? Purga ergo prius oculum mentis tuæ a maximis, ut deinde minores in aliis recte dijudicare & emendare addiſcas.

NOLITE SANCTUM DARE CANIBUS, NEQUE MITTATIS MARGARITAS VESTRAS ANTE PORCOS, NE FORTE CONCULCET EAS PEDIBUS SUIS, ET CONVERSI DIRUMPANT VOS] Chriſtus more ſuo pergit docere per parabolas

Digitized by Google

A rabolas & adagia, ut dixi canone 24. Est hic duplex adagium idem significans: utrumque recte connectitur præcedentibus; cum enim paulo ante ostenderit, qui & quales esse debeant, qui alios corripiunt, hic vicissim docet, qui corripi debeant & doceri, qui non. Idem ergo hic significat sanctum, quod margaritæ, scilicet pretiosam cælestemque doctrinam Evangelii, fidei, & veritatis, consequenter etiam SS. Sacramenta. Jam per canes & porcos iisdem notantur, scilicet perversi & obstinati, idque propter immunditiam, qua similes sunt porcis, & propter rebellem oblatrationem, qua similes sunt canibus. Vetat ergo Christus, ne quis eos, qui in sceleribus suis obstinati sunt & incorrigibiles, ut canes & porci, docere velit & corripere. Rationem addit, quia illi velut porci famelici, stolidi, & imprudentes sanctas doctrinas, quæ animæ cibi sunt, suis appetitibus & immunditiis contrarias contemnunt & calcant; deinde vero acuuntur in sermonis auctorem, eumque vel verbis vel verberibus lacerant, Græce ῥήξωσιν, id est, laniant. Intellige hoc per se: nam per accidens Christus Dominus, S. Stephanus, S. Paulus, & alii perversissimis & obstinatissimis Judæis prædicarunt Evangelium, eorumque incredulitatem acriter corripuerunt & castigarunt, licet scirent se idcirco ab eis occidendos. Id enim fecerunt, tum ut publicum perhiberent testimonium veritati & gloriæ Dei; tum ad contestationem inexcusabilis impietatis improborum; tum propter aliorum astantium utilitatem, & vitandum scandalum. Tunc enim sancta non dantur porcis, sed potius Deo & electis ejus. Ita S. Aug. qui per canes accipit impugnatores veritatis, per porcos, contempores. S. Chrysostomus vero per canes accipit Gentiles tumme immundos; per porcos, hæreticos ventri deditos, per sanctum accipit baptismum & Eucharistiam, quæ non debet dari canibus & porcis, id est, immundis & indignis: margaritæ sunt mysteria veritatis inclusa divinis verbis in maris profunditate, id est, S. Scripturæ altitudine.

Obstinati porcis & canibus similes.

Non corripiendi.

B

Nisi ad aliorum bonum.

VERS. 7. *Luc.* 11. 9. PETITE, ET DABITUR VOBIS; QUÆRITE, ET INVENIETIS; PULSATE, ET APERIETUR VOBIS] Redit ad orationem, de qua cœpit agere c. 6. 5. & seqq. ad eamque instanter adhortatur.

C PETITE] scilicet per orationem a Deo ad ea, quæ hactenus docui, quasi vobis necessaria, sed ardua & difficilia, ac præsertim quæ in oratione Dominica c. 6. 7. petenda præscripsi; nam ad illam hæc refert Lucas c. 11. 9.

Petite, quærite, pulsate, an differant?

Nota: Hæc tria *petite*, *quærite*, *pulsate* idem significant, scilicet instantissimam petitionem: nam petere significat fiduciam in oratione cum primis necessariam: quærere, studium & diligentiam; qui enim aliquid quærit, totum mentis studium intendit in id, quod requirit: pulsare, perseverantiam. Significat ergo orandum esse fidenter, diligenter, ardenter, & perseveranter. Ita S. Augustinus, qui id, quod dixerat lib. 2. de Serm. Domini in monte c. 33. *petite* pertinere ad impetrandas vires, quibus præcepta Dei implemus; *quærite*, ad inveniendum veritatem, *pulsate*, ad aperiendum cælum, quo tendimus; quia *possessio ipsa aperitur pulsanti*: idipsum retractans l. 1. Retract. c. 19. *Operose*, inquit, *tria ista quid inter se differant, exponendum putavi, sed longe melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe ostendit, ubi eodem verbo cuncta concluſit, dicens: Quanto*

D *magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus, & quærentibus & pulsantibus.*

Huc accedit S. Chrysostomus, qui & addit: Petite, inquit, precibus die ac nocte orantes: quærite studio & labore: donum enim non datur negligentibus: pulsate oratione, jejuniis & eleemosynis, qui enim ostium pulsat, manu pulsat.

Rursum tria hæc notant auxesin & incrementum orationis, quæ gradatim crescere, suumque affectum augere & intendere debet: petitur enim aliquid, primo loquendo; mox si non respondeatur, clamando; si clamor non sufficiat, queritur modus, quo exaudiatur, & impetret id quod petit, v. g. rima, per quam vocem in domum ad herum immittat; si nec id sufficiat, pulsatur ostium, pulsuque excitatur herus domus, ut respondeat. Sic pariter orans, vocem non tam oris, quam cordis sensim intendere debet, ut primo petat orando & clamando ad Deum; deinde quærendo modos omnes Deum quasi excitandi & commovendi, ut concedat quod petitur: denique ingenti & intentissimo desiderio pulsando quasi cælum, ipsumque cor Dei, ut illud aperiat, indeque dona, quæ petuntur, large effundat. Hinc Remigius sic explicat: petimus orando, quærimus recte vivendo, pulsamus perseverando. Alii q. d. Petite fide, quærite spe, pulsate charitate. Oratio enim proprie est actus spei, quæ incipit a fide, & charitate perficitur. Denique Climachus gradu 28. *Pete*, ait, *per luctum, quære per obedientiam, pulsa per longanimitatem.* E

Mystice S. Bern. in Scala Claustralium; *Querite*, inquit, *lectione, invenietis meditatione, pulsate oratione, & aperietur vobis contemplatione. Lectio apponit ori solidum cibum, meditatio frangit, oratio saporem conciliat, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat & reficit.* Hæc quatuor vero ita definit: *Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans. Contemplatio est mentis in Deum suspensa elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. Lectio inquirit, meditatio invenit, contemplatio degustat, oratio postulat.* Mystice.

OMNIS ENIM QUI PETIT, ACCIPIT, ET QUI QUÆRIT, INVENIT: ET PULSANTI APERIETUR] Hoc enim meretur orationis instantia & perseverantia. Intellige, si petat, quod oportet, & quomodo oportet; ac nisi magis expediat, non accipere id, quod petitur: subinde enim petimus ea quæ salutaria videntur, sed Deus videt, ea nobis fore noxia, quare clementer & sapienter illa negat: sicut mater puero petenti cultum, quo se lædet, dare renuit. Audit ergo & exaudit Deus preces nostras, non ad voluntatem, sed ad salutem. VERS. 8 *Luc.* 11. 10 F

Eleganter & vere S. Augustinus (vel quisquis est auctor) libr. de Salutar. monitis c. 28. *Oratio justi*, ait, *clavis est cæli: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Idem S. Augustinus in lib. Sentent. apud Prosperum sent. 87. *Quid*, ait, *infirmo sit utile magis novit medicus. Itaque Deus aliquando misericorditer non audit.* Idem ad Paulinum epist. 43. *Negat Dominus sæpe quod volumus, ut tribuat quod mallemus.* Idem de Serm. Domini: *Cum Deus tardius dat, commendat bona, non negat, diu desiderata dulciora, cito data vilescunt, petendo & quærendo appetitus crescit ut capias.* Glossa: *Non negat se petentibus, qui sponte obtulit se non petentibus: & quærentes invenient eum, qui non quærentibus dedit ut invenirent, & pulsantibus aperiet qui clamat: Ecce ad ostium sto & pulso.*

AUT QUIS EST EX VOBIS HOMO, QUEM SI PETIERIT FILIUS SUUS PANEM, NUMQUID LAPIDEM PORRIGET EI?] Pro *aut* Græce est ἤ, id est, *an*, quod hoc loco clarius est: noster tamen vertit *aut*, quia ἤ quoque *aut* significat. Sic *aut* pro *an* ponitur, cum est nota interrogationis, præsertim efficacis, bicornis, & dissectæ, uti hic est. Sic Comicus in Eunucho ait: *Aut* (id est, *an*) *ego nescibam quorsum tu ires?* Efficacius vero est *aut* quam *an*, q. d. Aut Deus dabit nobis filiis suis id quod petimus, si homo det filiis panem quem petunt, non vero lapidem: aut si Deus non det, utique nec homo dabit. Deus enim liberalior est homine. Tò ergo *aut* combinat Deum cum homine, eumque homini anteponit. VERS. 9 *Luc.* 11. G

AUT SI PISCEM PETIERIT, NUMQUID SERPENTEM PORRIGET EI?] Serpens enim speciem formamque habet piscis, ut dolose pro pisce substitui possit, sed non nisi ab hoste invido, qualis non est pater. Idem dicit alia similitudine, sed efficaciori: nam si pater filio poscenti panem, daret lapidem, daret rem dumtaxat inutilem & incomestibilem: sin vero poscenti piscem det serpentem, non tantum dat rem inutilem, sed & noxiam & venenatam: serpens enim comestus a filio, cum suo veneno perimet: quare impius parricida foret pater, qui id facere, quod remotissimum est a pietate & amore paterno erga filios: unde illud hic ut ordinarie & moraliter impossibile, a Christo proponitur. VERS. 10 H

SI ERGO VOS, CUM SITIS MALI, NOSTIS BONA DATA (Græce δόματα, id est, dona) DARE FILIIS VESTRIS, QUANTO MAGIS PATER VESTER, QUI IN CÆLIS EST, DABIT BONA PETENTIBUS SE?] *Cum sitis mali*, tum naturali proclivitate in malum, quam contraxistis ex natura per peccatum corrupta. Genes. 8. 21. Ita S. Hieronymus: tum propria voluntate & moribus: tacite enim eos eorumque malos mores perstringit. Unde pater hæc ad plebem dici, non ad Apostolos. Apostoli enim boni erant, in plebe autem multi erant mali, & vitiis irretiti. Unde S. Augustinus: Multos, ait, vocat sæculi dilectores. Aliter S. Chrysostomus, ad comparationem Dei omnes, licet boni, inquit, videntur mali, sicut ad comparationem solis omnia, licet lucida, videntur obscura. VERS. 11 *Luc.* 11.

NOSTIS] id est, consuevistis. Est metalepsis: quia enim rite novimus ea, quæ facere consuevimus, hinc nosse significat consuescere. Sic dicitur Psal. 103. *Sol cognovit occasum*

suum

Digitized by Google

A *sum*. q. d. Sol scit ubi soleat occumbere, sol toties tritum a se iter optime novit; unde per illud quotidie pergit ad locum in quo occumbat, q. d. Sol quotidie ibi occumbit, ubi solet occumbere.

DABIT BONA] Lucas habet: *Dabit spiritum bonum*; omnia enim bona per gratiam Spiritus Sancti dantur, ait Remigius. *Bona*, vera & solida intellige, quæ ducunt ad beatitudinem. Unde S. Augustinus: *Aurum*, inquit, *& argentum bona, non quod te faciant bonum, sed unde facias bonum*.

VERS. 12 OMNIA ERGO QUÆCUMQUE VULTIS, UT FACIANT VOBIS HOMINES, ET VOS FACITE ILLIS. HÆC EST ENIM LEX ET PROPHETÆ] τὸ *ergo* nonnulli censent hic non habere vim illationis, sed quasi encliticum redundare; sic enim cum sermonem concludimus, vel novum dicendi argumentum ordimur, dicimus: Ergo, ut concludam, sit hæc summa dictorũ; vel: Ergo sit novum rei probatæ argumentum. unde τὸ *ergo* omittit Syrus, quin & Lucas c. 6. v. 31. Luc. 6. 31.

Potest tamen τὸ *ergo* hic proprie sumi ut illativum, sed ita ut conclusionem inferat non ex iis, quæ proxime præcesserunt, licet id velit S. Chrysostomus (qui sic explicat. q. d. Ergo ut bona, quæ orando petitis, a Deo Patre impetretis, vos quoque bona, quæ proximi a vobis petunt B illis tribuite, sicut vultis vobis eadem tribui) Verum eam inferat ex ulterioribus & remotius dictis more Hebræo, puta ex iis: quæ tum cap. 5. & 6. tum initio hujus capitis dixit de dilectione proximorum etiam inimicorum, de danda eleemosyna, de danda venia offendentibus, de non judicando. Unde Lucas cap. 6. v. 30. illis hæc ita connectit: *Omni*, inquit, *petenti te tribue, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas: Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*; ac verisimile est Christum hæc ita dixisse & connexisse, ut habet Lucas. Sensus ergo est, q. d. Quæ hactenus sparsim dixi de diligendo proximo, deque danda eleemosyna, illa omnia ex hoc primo naturæ dictamine, & primo philosophiæ moralis principio oriuntur; atque hac æquitate nituntur; ut quid tibi fieri velis, id aliis facias: ac quod ab aliis pati nolis, id alteri non irroges. Intellige quod *velis & nolis* recte & honeste, juxta judicium rectæ rationis: nam gulosus, v. g. qui vult sibi propinari vinum usque ad crapulam, non potest licite aliis illud ita propinare: sed sicut hoc sibi perperam vult, ita & perperam facit illud aliis propinando. Alludit ad monitum, quod C Tobias moriens dedit filio cap. 4. 16. dicens: *Quod ab aliquo oderis fieri tibi, vide, ne aliquando alteri facias*. Primum Ethnicos principiũ.

HÆC EST ENIM LEX ET PROPHETÆ] q. d. Hoc spectat, hoc per varia præcepta jubet les & prophetæ: hæc est summa legis & Prophetarum. Nam ex hoc principio. *Quod tibi vis fieri, hoc alteri fac*; & *quod nolis tibi fieri, alteri ne facias*, recte particulatim elicitur & concluditur: tu non vis tibi eripi vitam, uxorem, famam, opes, &c. ergo eadem aliis non eripito, sed conservato & foveto. Ita Sanct. Augustinus.

Nota: Non dicit Christus totam legem hoc spectare, quia lex etiam spectat sancitque dilectionem Dei, idque vel maxime: potest tamen hoc quoque verè dici, quia scilicet dilectio proximi includit dilectionem Dei, ex eaque procedit, sicut ramus ex radice: nec enim proximus charitate diligitur, nisi propter Deum primo & per se dilectum. Simile est Galat. 5. 14. & Rom. 13. 8. *Qui*, inquit, *diligit proximum, legem implevit*. Simili phrasi ait Eccl. D 12. 13. *Deum time, & mandata ejus observa? hoc est enim omnis homo*. Vide his locis dicta.

VERS. 13 INTRARE PER ANGUSTAM PORTAM: QUIA LATA PORTA ET SPATIOSA VIA EST, QUÆ DUCIT AD PERDITIONEM: ET MULTI SUNT QUI INTRANT PER EAM] *Angusta porta*, qua intratur in cælum ad beatitudinem & convivium gloriæ cælestis, est lex Dei, ait S. Augustinus, quæ cupiditates nostras arctat, & constringit; item obedientia, continentia, mortificatio, crux quotidiana, quam lex vel fieri vel portari jubet: *Porta lata*, quæ ducit ad perditionem vel gehennam, est concupiscentia, libertas nimia, gula, libido, &c. Respicit Christus ad suas legum partim sanctiones, partim interpretationes, quas recensuit statuitque c. 5. dicens. *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Qui viderit mulierem ad concupiscendã eam, jam mœchatus est eam in corde. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Ego autem dico vobis, non jurare omnino* &c. *non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillã, præbe illi & alteram. Qui petit a te, da ei. Diligite inimicos vestros, benefacite, his qui oderunt vos. Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est*, &c. Hæc omnia enim Luc. 13. 24. August. porta cœli, qua? E sunt ardua & arcta, q. d. Videor vobis meis præceptis arctasse viam salutis, sed scitote illam in se esse arctam ideoq; me eam non arctasse, sed talem, qualis revera est, descripsisse dumtaxat, via enim ad gloriam cælestem est puritas, & sanctitas, quæ in statu hoc naturæ corruptæ in arcta cupiditatum refrænatione & mortificatione consistit: quia Ratio a priori. enim per libertatem & voluptatem lapsus est Adam, & in eo nos omnes in peccatum, indeque in omnem concupiscentiam: hinc omnium horum remedium non est aliud, quam arcta continentia, crux, & mortificatio: contraria enim contrariis curantur. S. Ambrosius in Psal. 1. *Duæ*, inquit, *sunt viæ: una justorum, altera peccatorum: una equitatis, altera iniquitatis. Justorũ via angustior est; injustorum latior: illa sobrietatis angustior est; injustorum latior, ut possit capere fluctuantes*. Et paulo post comparans hanc viam latam cum angusta: *Hic*, inquit, *libertas cupiditatum, illic servitutis injuria; hic convivium, illic jejunium; hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lacrymarum: hic saltatio, illic oratio; hic cantus dulces, illic gemitus graves*. Clemens Alexand. lib. 4. Strom. citat laudatque illud Hesiodi: *Sudor ante virtutem est positus, via longa est atque declivis ad ipsam*. Et illud Simonidis. *Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus*. S. Basilius in Ps. 1. *Via*, F inquit, *illa facilis & lata, pronoque cursu declivis habet decipientem dæmonem malum, qui per voluptatem se sequentes ad perditionem trahit? aspera vero & acclivi & ardua Angelus præsidet bonus, qui per strenuos pro paranda virtute labores ad finem beatum sequaces suos deducit*. Quocirca Lucas c. 13. 24. habet; *Contendite intrare per angustam portam*, ubi pro *contendite* Græce ἀγωνίζεσθε, id est, agonizate, & quasi in agone & agonia contendite, extremas summasque vires velut agonizantes exerite, quasi pro vita, si vincitis; vel morte, si vincimini, luctaturi, juxta illud Apostoli: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. 1. Cor. 9. 25. Agonem ergo obimus, & in eo agonizamus certamusque pro cælo vel inferno, pro gloria vel gehenna, pro æternitate beatissima vel miserrima. Quisque videat, quomodo tantum agonem agonizet; nam stadium & via ad vitam est crux: stadium, & via ad perditionem est voluptas. Via ad perditionem est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: via ad vitam est continẽtia, paupertas spiritus & humilitas: via ad perditionem est amor mundi & mundanorum: via ad G vitam est contemptus mundi & mundanorum. Quocirca S. Barlaã Josaphat regi dixit viam ad vitam esse martyrium vel sanguinis vel voluntatis, & pœnitentiæ; hanc enim viã inivit, nobisque præivit Christus: hac de causa primos Christianos, ejusque sequaces ultro se obtulisse martyrio; sequentes vero, cessante persecutione, voluntarium sibi indixisse martyrium austeræ vitæ in cœnobiis, in desertis, & speluncis. Ita refert Damascenus in histor. c. 12. Christianus agonizet pro cælo:

Sic S. Perpetua (quam celebrat S. August. in Psal. 47. & Exemplũ. S. Perpetuæ. alibi) vidit scalam auream: sed undique circumseptam cultris & gladiis, per quam scandendum erat in cælum, atque hac visione cognovit sibi suisque portendi martyrium. Vidit enim Sanct. Satyrum, unum e sociis per illam animose ascendentem ceterosque ad se sequendum exhortantem, uti habet ejus vita apud Surium die 7. Martii.

Hinc rursum ex hac Christi sententia S. Wilhelmus ex duce Aquitaniæ pœnitens Eremita colligebat, resecatis omnibus superfluis, indulgendũ esse corpori in solis necessariis: H *Quanti fratres*, inquit, *in Ægypto quam multis annis Domino sine piscibus servierunt? Quantis tyrannis in inferno positis abunde sufficeret extra infernum saccus Hieronymi, tunica Benedicti, mastula Eulalii, lacrimæ Arsenii, nuditas Apostoli, olla Eliæi: sed væ nobis miseris, qui fortitudine mentis enervati, & fragilitate corporis pregravati, superfluitatem convertimus in necessitatem. Jam non est, quo se immisceat charitas, ubi totum occupavit vanitas. Dicebat insuper servum Dei omni hora cogitata, dicta, gesta debere circumspicere ne in ipsis contingeret oculos creatoris offendere. Servum Dei semper aut orare, aut laborare, aut cælestia cogitare debere*. Ita Theobaldus Episcopus in ejus vita cap. 23. Extat apud Surium die 10. Februarii.

Vidit ipsum per umbram Pytagoras, qui dictitabat, viam virtutis initio esse arctam & strictam: sed deinde sensim dilatari: viam vero voluptatis initio esse amplam, sed sensim magis magisque arctari: *Tribulatio enim & angustia in animam omnis hominis operantis malum: gloria autem, honor & pax omni operanti bonum*. Rom. 2. Charitas enim & gratia Christi dilatant cor, ut fidenter dicat fidelis

Digitized by Google

A cum dixit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psalm. 118. 32.

Symbolum Pythagoræ hac de re erat littera Y, quod eleganti epigrammate explicuit Virgilius, dicens:

Symbolum Pythagoræ.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Mollis opertas iter sinistrum lato; sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amare
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.
At qui desidiam luxumque sequitur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsque simul miserabile transiget ævum:

VERS. 14 QUAM ANGUSTA PORTA ET ARCTA VIA EST, QUÆ DUCIT AD VITAM: ET PAUCI SUNT, QUI INVENIUNT EAM?] Idem dicit repetitque ad majorem emphasim, ut id altissime cordibus nostris imprimat, ut notat S. Basilius in Brevior. quæst. 241. Hæc est vox æternæ sapientiæ: qui sapit ergo, & serio animam suam salvare satagit, arctam viam capessat. Unde Theophylactus & Euthymius censent hanc esse vocem Christi admirantis, q.d. Papæ, quam angusta est via ad vitam!

B

Paucitatis salvandorum symbola. Primus.

Mensuram hujus angustiæ & arctitudinis viæ ad cælum æque ac paucitatis eorum, qui illam capessunt & salvantur, æstima ex typis, quorum primus est Lot, qui solus cum duabus filiabus evasit incendium Sodomæ & Pentapolis, ceteris omnibus ob libidinem eo concrematis. Mundus enim est instar Sodomæ, ardetque cupiditate & luxuria: quocirca longe major pars eorum, qui damnantur, ob pollutiones & libidines damnantur ait Toletus, imo id revelatum est S. Christinæ Mirabili, ut habet ejus vita.

Secundus. Secundus typus est in diluvio: hoc enim solus Noe evasit cum septem animabus, ceteros ob peccata diluvium absorpsit. In mundo enim est exundatio & diluvium scelerum, indeque pœnarum & æruumnarum omnium.

Tertius. Tertius est in ingressu terræ promissæ, quæ erat typus cæli; hanc enim ex sexcentis millibus Hebræorum duo soli, puta Josue & Caleb ingressi sunt. Num. 14. 30.

Quartus. C Quartus typus est Isaiæ cap. 17. vers. 5. ubi Propheta Damascenos salvandos a strage Chaldæorum comparat paucis spicis post messem, & paucis uvis post vindemiam remanentibus, imo duabus vel tribus olivis post excussionem oleæ reliquis: hi sunt typi paucitatis salvandorum.

Quintus. Quinto, id patet ex irrefragabili Christi sententia, dicentis: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 20. Sapienter enim monet Cassianus: Vive cum paucis, ut inter paucos inveniri salvarique merearis.

Sextus. Multitudo denique damnatorum liquet ex magnitudine inferni, quæ est stadiorum 1600. Apocal. cap. 14. 20. hoc est, ducentorum milliarium Italicorum (octo enim stadia faciunt unum milliare) idque quaquaversum, scilicet, ut infernus profundus sit 200. milliaribus Italicis, totidem longus, & totidem latus, quod spatium capiet multa millena millia millionum damnatorum, qui in inferno compingentur sicut haleces & pisces in vase. Vide dicta Apocal. 13. 20.

Inferni capacitas.

Porro hæc sententia vera est, si omnes omnino homines accipias. Longe enim major hominum pars est infidelium, Turcarum, Saracenorum, hæreticorum. Sed & de fidelibus S. Chrysostomus hom. 40. ad populum, censet vix millesimum quemque salvari; ait enim: *Quot esse putatis, qui in civitate nostra (Antiochia) salvantur? infestum quidem est quod dicturus sum; dicam tamen: Non possunt in tot millibus* (facile Antiochiæ erant centum millia & plura) *centum inveniri, qui salventur, quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus est malitia? quantus in senibus torpor? nemo zelum habet, multitudo summus fervet, inordinatum mare.* Et S. August. lib. 4. contra Crescent. c. 53. Ecclesiam comparat aream, in qua plures sunt paleæ, quam grana tritici, puta plures mali, quam boni; plures damnandi, quam salvandi. Verum alii mitius probabiliter censent majorem partem fidelium salvari, quia major pars moritur perceptis sanctis Sacramentis, quæ justificant peccatores, etiam attritos dumtaxat, non contritos. Hoc verum videtur de iis, qui non vixerunt in peccatis continuis, & quasi habituatis, ut concubinatus, usuræ, odii, rixarum, &c. Hi enim ægre concipiunt serium & efficax emendationis propositum, aut si illud concipiant, mox eos rursum in morte, juste permittente Deo in vindictam scelerum præteritorum, tentat dæmon illecebrosa præteritæ, & crebro usurpatæ voluptatis illicitæ memoria, eam refrigando & acuendo, cui proinde homo infirmus ex habitu facile cedit & consentit, itaque peccat & damnatur, cujus rei plura extant exempla. Plura de numero electorum & reproborum dixi Jacobi 2. 13. ad illa: *Superexaltat autem misericordia judicium.*

C

D

E

ATTENDITE (Græce προσέχετε, id est, cum attentione cavete, attente servate vos. Syrus: *Custodite vos*) A FALSIS PROPHETIS, QUI VENIUNT AD VOS IN VESTIMENTIS OVIUM, INTRINSECUS AUTEM SUNT LUPI RAPACES] Transit Christus ad salubertimum de cavendis falsis doctoribus monitum, qui docent viam in cælum non esse arctam, sed latam, ideoque suos sequaces non ad cælum, sed ad tartara transmittunt. Docent enim non esse jejunandum, non confitendum, non esse servandam virginitatem, nec vota religionis, omnemque carni libertatem indulgent, ac bonis operibus omnem merendi vim adimunt.

VERS. 15 Act. 20. 29.

Nota; Propheta in Scriptura non tantum vatem, qui futura prænuntiat, sed & multa alia per catachresin significat, scilicet, nunc virum sanctum & religiosum, nunc cantorem, nunc miraculorum operatorem, nunc & sæpius doctorem. Olim enim Prophetæ erant doctores populi, qua de re plura dixi 1. Corinth. 14. initio capitis, & Eccles. 48. 14. Propheta ergo est doctor, qui officium videndi, & cognoscendi ea, quæ aliis non sunt manifesta, profitetur, sive futura prædicat, sive non. Propheta enim Hebr. vocatur *videns*, quod videat arcana & aliis abscondita, qualia sunt in primis futura. Falsi Prophetæ ergo sunt falsi doctores, sive illi hæretici sint, sive Gentiles & Pagani, sive alii quilibet, qui nos ab arcta & recta salutis via in latam & perversam sollicitant: quare similes sunt lupis oves laniantibus & devorantibus.

Propheta est doctor.

F

Vestes ovium quæ?

Porro vestes ovium, quas induunt hi lupi, sunt prætendere & obvelare suo errori & hæresi, primo libertatem conscientiæ; secundo sententias S. Scripturæ in specie suæ hæresi faventes: tertio reformationem morum Ecclesiæ, præsertim cleri & Ecclesiasticorum; quarto mansuetudinem, simplicitatem & simulationem pietatis; quinto blandiloquentiam & facundam garrulitatem, quibus tegunt suam lupinam saevitiam, sesque in animos audientium callide insinuant, ut eos deinde suo errore inficiant & interficiat: eorumque crumenas emungant, opesque devorent; ut enim suo ventri serviant, animas sectatorum perdunt, mittunt que in tartara, quæ sane lupina est voracitas & feritas.

G

QUI VENIUNT] a scipsis sponte sua se ingerentes & munus docendi usurpantes, cum ab Episcopis & Prælatis Ecclesiæ non sint vocati, nec missi, nec approbati, de quibus Jer. c. 23. 21 dicitur: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.*

A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS. NUMQUID COLLIGUNT DE SPINIS UVAS, AUT DE TRIBULIS FICUS?] *Colligunt*, non falsi Prophetæ, sed homines, v. g. agricolæ. *Colligunt* ergo, id est, *colliguntur*, q.d. Sicut è spinis non solent gigni & colligi uvæ, nec a tribulis ficus; sic ab hæresi & hæreticis nullus fructus bonus & suavis, sed malus, asper & spinosus colligitur. Fructus hic est duplex: primus falsæ & impiæ doctrinæ; secundus pravorum morum & scelerum ex ea consequentium. Exempla hujus sæculi dedere Lutherus & Calvinus. Lutherus enim docet vota non obligare religiosum, hominem non habere liberum arbitrium, agi fato, necessario peccare, fidem solam justificare, opera bona nil apud Deum mereri. Calvinus docet Deum esse auctorem malorum, Christum in cruce desperasse: sensisse pœnas inferni, &c. quæ prorsus sunt blasphemiæ, ac contra legem ac rationem naturalem; item fidem, id est, perfidiam suam armis esse tuendam, & propagandam, depositis, vel occisis legitimis principibus, & regibus, Episcopis, sacerdotibus & Catholicis illi obsistentibus. Unde in Gallia, Anglia, Germania audivimus, & quasi oculis spectavimus tot sacerdotum & Catholicorum cædes, rapinas, exilia, ac immane iniquitatis diluvium, & probitatis quasi incendium universale, nimirum SS. Sacramenta profanari, sacro-sanctum Sacrificium aboleri, Sanctos contemni, vota violari, templa comburi, sacros canones irritari, sanctas virgines corrumpi, viros probos eliminari, improbos exaltari, & dominari &c. Nam, ut recte ajebat Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, gloriosus cum Thoma Moro in Anglia sub Henrico VIII. martyr, *Libido est mater hæreseos, aque ac filia.*

VERS. 16 Luc. 6. 44.

H

Exemplū.

SIC OMNIS ARBOR BONA FRUCTUS BONOS FACIT, MALA (Græce σαπρὸν, id est inutilis, vitiosa, putrida, ait Euthymius) AUTEM ARBOR MALOS FRUCTUS FACIT] *Non enim ex foliis, neque ex floribus, sed ex fructu arbor bona*

VERS. 17

Digitized by Google

A *bona mala ve dignoſcitur*, ait S. Bern. ep. 107. *Arbor*, ſcilicet, fructifera; ceteræ enim dant folia & ramos ſine fructu. Sub arbore frutices omnes intellige, quales ſunt ſpinæ & tribuli, de quibus ſermo præceſſit, quem hic continuat, ut patet ex τὸ *ſic*, quæ hanc habet vim, q. d. Sicut ex ſpinis non colliguntur vuæ, ſed ſpinæ; nec ex tribulis ficus, ſed tribuli (tribulus eſt ſpinæ genus, a ſemine triangulari ſic dictum, vel quod cuſpidatim trifariam feriat, unde dicta tribulatio) ſic ex omni arbore (ex frutice) bona boni naſcuntur fructus, ex mala mali. Sic plane res ſe habet. Sic ubique fieri videmus. Ita Gloſſa Interlinealis.

Quid per arborem bonam ſignificetur hic?

Nota primo, per arborem hic ad litteram non accipi voluntatem bonam, ſive charitatem; nec per arborem malam voluntatem malam, ſive cupiditatem, uti cenſent S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus & Lyranus; ſed doctorem bonum vel malum, id eſt, verum vel falſum: de hoc enim ſermo præceſſit; hic enim tantum de fide & doctrina agitur. S. Lucas tamen c. 6. v. 43. arborem malam interpretatur hypocritas, quia falſi doctores ſunt maximi hypocritæ, tum quia hæc ſententia etiam de omnibus hypocritis vera eſt. Nam Lucas omittit falſos doctores, quos Matthæus apte hic nominat, & interſerit: propter illos
B enim proprie hæc parabola affertur a Chriſto: quare ex Matthæo ſupplendus & interpretandus eſt Lucas.

Nota ſecundo, per fructus arboris, id eſt doctoris, accipi tum ejus doctrinam, ut ait S. Lucas c. 6. 45. quæ a vero vera, a falſo falſa promanat: tum ejus opera cum S. Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino; licet enim falſi doctores & hæretici aliquando ſanctitatem in bonis operibus præ ſe ferant tamen per ſe & natura ſua fides prava in doctore pravo, pravos mores & opera progignere nata eſt & plerumque reipſa progignit, quod tantum nos hic docere vult Chriſtus: intendit enim dare vulgare & commune ſignum pravi doctoris & doctrinæ, quia vix fieri poteſt, ut diu hic lupus ſub ovina pelle deliteat, quin per opera eandem ſe prodat: vice verſa fides bona in doctore bono natura ſua nata eſt, ſanctam vitam ſanctoſque mores & opera producere, & in multis producit, etiamſi ſubinde per accidens contrarium fiat, ut v. g. hæreticus ſit largus in dandis eleemoſynis ex naturali benignitate & cõpaſſione: hujus ergo benignitatis, non autem hæreſis vel erroris,
C tunc fructus eſt eleemoſyna: hæc enim producitur a corde benigno, non vero ab hæreſi. Nam alioqui ex uno hoc, v. g. hæreticorum principio, *ſola fides juſtificat*, ſequitur, ergo fruſtra & ſine merito quis dat ſe pœnitentiæ, mortificationi, eleemoſynæ, arduiſque virtutum operibus. Comedamus ergo & bibamus, omni voluptati fræna laxemus, quaſi cras morituri, & ebrii cælum ingreſſuri.

VERS. 18 NON POTEST ARBOR BONA MALOS FRUCTUS FACERE: NEQUE ARBOR MALA BONOS FRUCTUS FACERE] q. d. Non poteſt ſpina producere vuas, nec tribuli ficus, ſed ſpina ſpinas, tribuli tribulos, uti dixi v. 16. ac vice verſa, non poteſt vitis producere ſpinas, ſed uvas, nec ficus tribulos, ſed ficus; ac licet ipſæ uvæ, & ficus ſubinde non matureſcant, ideoque acerbæ ſint, id tamen non provenit ex vitio vitis, & ficus, ſed ex aeris intemperie, & ſolaris coloris defectu; ſic pariter non poteſt Propheta, id eſt, doctor verus falſa docere vel prava agitare, nec falſus doctor poteſt vera docere vel recta ſanctaque peragere. Intellige in ſenſu compoſito & formali, quatenus ſcilicet bonus vel malus eſt; nam in ſenſu diviſo & materiali poteſt doctor bonus a bonitate ſua deficere, pravaque docere vel facere,
D uti Scribæ recta docebant, ſed prava faciebant, hoc enim eis objicit Chriſtus Matth. 23. 2.

Luc. 6. 43

Hæretici qui hoc locum abuſi.

Perperam ergo hac gnome Chriſti plures hæretici abuſi ſunt, eamque detorſerunt ad ſuas hæreſes ſtabiliendas. Primo enim Manichæi ex ea probare conabantur, alios homines natura ſua eſſe bonos, alios vero malos, ſive duas eſſe rerum naturas, unam bonam, quæ homines hos faceret bonos; alteram malam, quæ alios faceret malos, teſte S. Hieronymo hic. Secundo, Jovinianus ex hac gnomie contendebat, hominem natum ex Deo non poſſe peccare, teſte S. Hieronymo contra Jovinianum. Tertio, Pelagiani ex ea inferebant, non eſſe peccatũ originale, quod ex bono conjugio ceu arbore bona, tam malus peccati fructus naſci non poſſit, teſte S. Auguſtino lib. 2. de Nuptiis & concupiſcentiis c. 26. Quarto, Donatiſtæ ex ea colligebant; malos ſacerdotes ceu arbores malas non bene baptizare, teſte S. Auguſt. lib. 3. contra litteras Petiliani c. 44. Quinto, Calviniſtæ ex ea concludunt in homine non eſſe liberum arbitrium, ad producendum bona opera vel mala. Sexto, iidem ex ea inferunt bonis operibus nos non juſtificari, ſed tantum juſtos declarari; ſicut arbor non fit E bona ex bonis fructibus, ſed iis bona eſſe declaratur. Verum hæc omnia perperam inferuntur: ſunt enim hoc loco perarga, & impertinentia. Chriſtus enim proprie hanc gnomen applicat dumtaxat Prophetis, id eſt, doctoribus veris, & falſis, uti dixi.

Poteſt tamen hæc gnome cum S. Auguſtino, Chryſoſtomo, Theophylacto, Lyrano & Janſenio accipi generalius & applicari voluntati bonæ vel malæ, quia plerumque bona, vel mala voluntas operum, non omnium, ſed aliquorum, ad quæ magis inclinat, bonitate vel malitia ſe prodit. Sequitur enim homo frequentius appetitum in ſe dominantem. Dices; ergo bona voluntas non poteſt mala opera producere, nec mala bonos. Reſpondeo, parabolas non ſignificare quid ſemper, ſed quid ſæpe, & plerumque fiat, uti crebro oſtendi in Eccleſiaſtico & Proverbis. Rurſum in parabolis non poſſunt omnia accommodari rei per parabolam ſignificatæ: ſufficit enim ea adaptari, in quibus parabolæ vis ſive ſimilitudo conſtituitur, ut dixi Canone 29. quæ in hac parabola conſtituitur in eo, quod ſicut arbor bona bonos fructus producit, mala malos; ſic pariter bona voluntas ex habitu bono plerumque bona opera producat, mala malos: ſed diſſimilitudo eſt in eo, F quod arbor bona vel mala ſit cauſa naturalis, ideoque determinata ad ſuum fructum bonum vel malum: voluntas vero ſit cauſa libera, quæ licet ex conſuetudine & habitu ſit proclivior in bonum vel malum, ſemper tamen manet libera & indeterminata ad bonum vel malum, donec ipſa ſe determinet ad hoc vel illud, quod ipſa elegerit, tumque ipſa actu fit bona vel mala ex electione, & operatione bona vel mala, quam eligit, & exercet. Quocirca non ait Chriſtus, arbor bona non poteſt fieri mala, nec arbor mala poteſt fieri bona, ſed: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos*, quia dum voluntas bona eſt & virtuti incumbit bona opera producit: dum vero mala eſt, & vitio incumbit, mala opera profert; ſed ſicut ipſa poteſt ſe facere bonam & virtuti incumbere; ita conſequenter poteſt, & bene operari, bonoſque operum fructus producere, ac vice verſa poteſt ſe facere malam, & vitio ſtudere, itaque vitioſos ſcelerum fructus edere. Ita SS. Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alii.

OMNIS ARBOR, QUÆ NON FACIT FRUCTUM BONUM, EXCIDETUR ET IN IGNEM MITTETUR] Hanc gnomen G repetit & inculcat Chriſtus, nam eam audivimus c. 3. v. 10. ubi illam explicui. Græce eſt *exciditur & mittitur*, in præſenti, id eſt, exſcindi & mitti ſolet, idque ſtatim & cito. VERS. 19 Supra 3. 10.

IGITUR EX FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS] Scilicet Prophetas, id eſt, doctores, an veri & boni ſint, an falſi & pravi. Eſt concluſio collecta ex parabola arboris bonæ & malæ, cujus ſenſus patet ex jam dictis. VERS. 20

NON OMNIS QUI DICIT MIHI, DOMINE, DOMINE, INTRABIT IN REGNUM CÆLORUM: SED QUI FACIT VOLUNTATEM PATRIS MEI (& conſequenter meam: nam eadem eſt voluntas Patris & Filii, ſed Chriſtus qua homo modeſtiæ cauſa nominat voluntatem Patris, non ſuam) QUI IN CÆLIS EST, IPSE INTRABIT IN REGNUM CÆLORUM] Ecce hic clare fructum arboris bonæ, id eſt, boni doctoris, & Chriſtiani aſſignat Chriſtus, ſcilicet facere voluntatem Patris cæleſtis, ut nimirum non tantum credas in eum, ejuſque legem a Chriſto propoſitam, ſed ut eamdem opere perficias, & poſt omnia impleas. Ita S. Auguſt. lib. 2. de Serm. Domini in monte ſub finem; ait ergo *non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine*, id eſt, non omnis, qui in me velut Dominum & Deum credit, meque ut H talem invocat, ait S. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, quippe me crebro in ore habet, ac me nominat, meumque nomen ſuis dictis, ſuæque doctrinæ præfert, quaſi prædicet fidem veram Chriſti, purumque ejus Evangelium, uti jactant hæretici: hic, inquam, non intrabit in aulam & regnum Patris cæleſtis, ſed qui ejus fecerit voluntatem, id eſt, ejus præcepta impleverit, quæ ſunt duo, ſcilicet: Primo credere in Chriſtum fide orthodoxa. Secundo, Chriſti mandatis obedire, eaque opere exequi; *Regnum enim cælorum ſola verborum officia non obtinent*, &c. *de noſtro eſt beata æternitas promerenda, præſtandumque aliquid de proprio*, ait S. Hilarius. Atque *inter regni Dei eſt obedientia, non nominis nuncupatio*, ait Gloſſa. Unde S. Chryſoſt. *Qui*, inquit, *non converſatur ſecundum verbum Chriſti, non intrabit in regnum cælorum*. VERS. 21 Luc. 6. 46.

MULTI DICENT MIHI IN ILLA DIE] Puta in die judicii, quæ ultima & ſumma erit mundi dies, ideoque ſingularis, eximia & decretoria, utpote quæ erit janua æter- VERS. 22

Digitized by Google

nitatis, ac eos, qui bona opera fecerunt, ad beatam in cælis; qui mala, ad miserrimam in gehenna æternitatẽ transmitteret? *Quando*, ut ait S. Chrysostom. *singulorum opera loquentur & ora tacebunt, nec alter pro altero intervenient.*

DOMINE, DOMINE, NONNE IN NOMINE TUO PROPHETAVIMUS?] Id est nonne tuo lumine, gratia, & virtute futura prædiximus? Unde sequitur, *& virtutes*, id est miracula, *multa fecimus*; ita Maldonatus. Rursum *in nomine tuo prophetavimus*, id est, Spiritu sancto afflati ex tua commissione, & auctoritate veram fidem docuimus, & prædicavimus. Ita Jansenius.

ET VIRTUTES MULTAS FECIMUS] *Virtutes* vocat miracula, eaque vera & sincera. Ex hoc versu liquet Deum subinde etiam per malos prophetare, id est, facere miracula, ut fecit per Judam proditorem, Luc. 10. 17. & seq. & Caipham, Jo. 11. 49. ac Balaam ariolum, Num. 24. 3. nam, ut ait S. Hieronymus, *Virtutes facere interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit ad aliorum utilitatem*. Unde colligit S. Gregorius lib. 20. Moral. 8. *Probatio sanctitatis*, ait, *non est signa facere, sed proximum ut se diligere, de Deo vera, de proximo meliora, quam de se sentire*. Hinc disce gratias gratis datas, B uti sunt miracula, prophetiæ, sapientia, multum distare a gratia gratum faciente; hæc enim sanctificat animam, ista vero alios dumtaxat juvant & erudiunt,

Impii subinde prophetant.

Nota. Licet impii & falsi doctores ex dono Dei possint prophetare & miracula facere, non tamen ea possunt facere ad confirmandam falsam doctrinam. Miraculum enim, etiam unicum dumtaxat, modo verum sit & evidens, est argumentum non tantum probabile, sed moraliter certum veræ doctrinæ: unde eo ut certo, & invicto utuntur Christus & Apostoli ad probandã Christianam fidem. Neque unquam miraculum ullum in confirmationem hæresis vel erroris factum legimus. Et ratio a priori id evincit. Miraculum enim est singularis, supernaturalis & propria solius Dei operatio, qua quasi sigillo suo Deus sua dicta, rectamque fidem & veritatem obsignat: quare si Deus falsum doctorem, invocantem se pro miraculo ad stabiliendum errorem exaudiret, videretur illi cooperari, & errori attestari, ac per consequens mentiri, & fallere, quod est impossibile, Deus enim est prima veritas, ipsaque veracitas & fidelitas, qui proinde potestatem faciendi C miracula sibi soli reservavit, ut per eam, quasi proprium sibi testimonium, sua dicta, suasque veritates obsignaret, testareturque illa a se promanare: miraculũ ergo est quasi vox Dei operantis & attestantis se loqui, suaque dicta hoc quasi sigillo obsignare; cætera enim Deo cum Angelis & dæmonibus sunt communia: quatenus in iis incertum est, an Deus, an Angelus, an diabolus loquatur & operetur. Ita D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 2. & passim Theologi. Unde S. August. lib. contra epist. fundamenti c. 4. dicit se teneri in Ecclesia vinculis miraculorum. Et Richardus de S. Victore lib. 1. de Trin. c. 2. *Domine*, inquit, *si error est quod credimus, aut decepti sumus: ista enim in nobis iis signis & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi a te fieri potuerunt*. Vide Bellar. lib. 4. de Notis Ecclesiæ c. 14.

Miraculũ est certum signum veritatis.

Sed non ad hæresim stabiliendam.

Exceptio.

Adverte hic tamen, si cui gratia miraculorum per modum quasi habitus permanentis antea a Deo ob aliam causam esset collata, ille postea posset ea abuti, & miraculum facere ad malum finem, v. g. ad vanam gloriam, ad quæstum, ad confirmationem falsi. Tunc enim Deus concurrit quidem ad ipsum miraculum, non tamen ad abusum & malum finem ejus, qui patrat miraculum: hunc D. enim tantum permittit. Sic Deus concurrit cum impio sacerdote ad consecrationem & transubstantiationẽ Eucharistiæ, etiamsi is intendat ea abuti ad veneficia, ab blasphemiam, imo ut illam Judæo irridendam & transfigendam vendat. Quod dixi, impium posse abuti gratia miraculorũ ad malum & confirmationem falsi, intellige, cum passim constat gratiam hanc illi collatam a Deo ad alium finem, ipsumque illa abuti ad malum vel falsum: sicut constat sacerdoti impio datam a Deo potestatem consecrandi alio fine, esto ipse ad malum ea abutatur. Pertinet enim ad Dei providentiam, non permittere hominem impium abuti gratia miraculorum ad alios decipiendum, & in hæresim inducendum, si hic abusus sit planè occultus, ita ut hominibus constare, vel ab eis deprehendi nequeat. Tunc enim homines sine sua culpa, ex auctoritate quasi attestantis Dei inducerentur in errorem, quod est impossibile, neque Deus hunc errorem per aliud miraculũ corrigere, & emendare posset. Dicerent enim homines, si prius miraculum factũ est ad confirmationem falsi, pari jure secundum fieri potuit ad confirmationem falsi; quare Deus nunc quasi se exarmaret, privaretque se sua auctoritate ac fidelitate dicendi & attestandi verum, ac confutandi falsum: hæc enim consistit in operatione miraculi. Sic in iis, quos vulgus *Salvatores* vocat, licet subinde malæ sint vitæ, constat, ait Navarrus in Manuali, a Deo datam gratiam curandi morbos ad commune Ecclesiæ bonum, qua tamen illi ad malum possunt abuti. Sic in Flandria ajunt natos in die Parasceves; item masculum septimũ continua masculorum generatione a parentibus prognatũ, curare strumas, eas tangendo, sed prius a Deo datum est diei sanctæ Parasceves, & mysterio passionis mortisque Christi, secundum conjugio, ut scilicet id honoretur, & a Deo institutum, ac a Christo in Sacramentum erectum ostendatur; quare si quis hac potestate ad malum uteretur, omnes scirent illum potestate sua abuti, nec Deum ad malum hoc cooperari, sed tantum ad curationem illam miraculosam illo fine illi datum. Sic regibus Franciæ, & Angliæ eadem potestas dicitur a Deo collata, ob merita sancti Eduardi regis, aliorumque, imo Tokerus quidam Novator, libellum conscripsit de Strumis ab Elisabetha nuper Angliæ regina curatis, sed eum valide confutat Delrio in Magicis lib. 1. c. 3. q. 4.

Num Salvatores Nati in die parasceves; Septimus masculus sanandi gratiã a Deo accipiant, & quare? Reges Franciæ & Angliæ strumas tactu sanant.

E

F

Denique hucusque nullum extat exemplum, quo doceatur hæreticum patrasse miraculum, etiam ex habitu, ad eorum confirmationem hæresis falsæque doctrinæ, nisi quod Calvinus in confirmationem suæ hæresis volens resuscitare quemdam, qui se fingebat mortuum, cum revera esset vivus, Deo finctionem puniente, ex vivo fecerit mortuum, sed talia miracula, quasi perfidiæ indicia, damnant hæresim, veramque fidem stabiliunt. Quod enim Caiphas prophetarit, dicendo: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Jo. 11. 50. illaque prophetia abusus sit ad confirmationem falsi, scilicet, ad damnationem Christi, impertinens est: nec enim populus vel sacerdotes sciebant Caipham hic prophetare, sed putabant eum ex proprio suo sensu judicioque loqui. Quod enim Spiritus sanctus per os ejus dictabat, scilicet expedire Christum mori, ad hoc, ut ejus morte redimeretur genus humanum, hoc Caiphas non intelligens, suo sensu detorsit ad Christi velut malefici, blasphemi, & seditiosi condemnationem, quæ in re ipsa fuit falsissima & injustissima. Vide Franc. Suarez 3. p. q. 44. disp. 31. sect. 2.

Caiphæ oraculum quale?

ET TUNC CONFITEBOR (profitebor, libere & palam asseverabo) ILLIS: QUIA (quod) NUNQUAM NOVI VOS; DISCEDITE A ME OMNES, QUI OPERAMINI INIQUITATEM] q. d. Ego Christus doctoribus falsis & impiis, qui in nomine meo prophetarunt, docuerunt & fecerunt miracula, dicam in die judicii; novi quidem vos ut meos Prophetas, doctores & miraculorum patratores; at non novi vos, ut meos amicos & filios, quos prædestinavi ad meam hæreditatem, & gloriam, hoc est, non amo, non diligo vos, quia voluntatem & legem Patris cælestis, quam alios voce docuistis, ipsimet opere non implestis. Ite ergo maledicti in ignem æternum: quia operati estis iniquitatem. Ita S. August. ser. 23. de Verbis Domini, ubi interrogans; ait: *Non novit illos, qui novit omnia; quid est ergo, non novi vos? improbo vos, reprobo vos. Hoc est autem magnum, & nescit vitia & judicat vitia, nescit faciendo, & judicat arguendo*. Et S. Greg. hom. 12. in Evang. *Velut incognitos*, inquit, *deserit, quos per vitæ meritum non cognoscit*. Quocirca Apostolus signacula, quibus Deus suam prædestinationem & amorem erga electos obsignat, duo hæc 2. Tim. 2. 19. assignat: *Firmum, ait, fundamentum Dei stat; habens signaculum hoc. Cognovit Dominus, qui sunt ejus, & discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini*. Vide ibi dicta. Est ergo hæc notitia in Deo, non speculativa, sed practica, amorosa & affectuosa, qua dicimur nosse eum quem diligimus, non nosse eum quem non diligimus; sed odimus & rejicimus; quia amor parit familiaritatem, indeque notitiam rei amatæ; odium vero parit aversionem, indeque ignorantiam rei exosæ. Est Catachresis & Metalepsis. Hinc a contrario colligit Glossa Interlin. Si Deus non novit eos, qui Dei mandata non servant; ergo novit, diligitque illos, qui ea custodiunt quasi filios lucis. Nam ut ait Glossa: *Non novit lux tenebras, id est, non aspicit, quia si aspiceret, tenebræ non essent*.

G

VERS. 23 *Luc. 13. v. 27.*

OMNIS AUTEM QUI AUDIT VERBA MEA HÆC, ET FACIT EA, ASSIMILABITUR VIRO SAPIENTI, QUI ÆDIFICAVIT DOMUM SUAM SUPER PETRAM] Est epilogus, quo Christus prolixum sermonem habitum in monte a c. 5. v. 1. hucusque concludit. q. d. Hucusque vos docui, quomodo vitam prudenter & sancte juxta legem, & voluntatem

H

VERS. 24 *Luc. 6. v. 47. 48.*

Digitized by Google

A tem Dei instituere debeatis, si velitis ad Dei regnum, & fœlicitatem æternam pervenire: quia hæc ad illam est directa via, & præter illam non est alia: quare si illa, quæ docui, opere præstetis, similes eritis viro prudenti, *qui ædificavit domum suam super petram*, ut in ea firmiter fundata, ventis omnibus & procellis irruentibus, invicta resistat & immota consistat. Simili enim modo vos faciendo quæ docui, construetis quasi fabricam sanctæ conversationis, & domum perfectionis in soliditate animi, solidaque & constanti mandatorum Christi observatione & obedientia, quasi in petram fundatam, quæ omnibus tentationibus generose obluctetur ac perduret in æternum.

Alludit ad Prov. c. 10. 25. *Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempiternum*. Etc. 9. v. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*.

Domus spiritualis est perfectio virtutum. Nota; domus spiritualis animæ est perfectio virtutum; sicut enim domus materialis construitur magno labore, ordine, varietate, sensim crescendo ex variis lapidibus, tignis, & trabibus: sic spiritualis ædificatur ex variis virtutibus & sanctis operationibus, idque longo labore, ordine, varietate & lento incremento sensim crescendo. Longitudo ejus est longanimitas, latitudo charitas, altitudo spes.

B Quatuor parietes sunt quatuor virtutes Cardinales, scil. Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia. Pavimentum est humilitas; tectum patientia; fenestra desiderium cælestis gloriæ, per quam venit & intrat lux Euangelii. Ostium est obedientia mandatorum. Ostiarius est timor sanctus. Custodes sunt sancti Angeli. Turris est contemplatio, canis vigil, & improbis motibus moribusque allatrans est synderesis; Dominus est mens & intellectus; sponsus est voluntas; filii sunt bona opera; servi sunt sensus obsequentes menti; mensa est S. Scriptura; panis est Eucharistia; vinum est sanguis Christi; aqua viva est Spiritus sanctus; oleum est misericordia; lectus est animi quies & pax; medicinæ sunt Sacramenta; medici sacerdotes; hospites sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ita Salmer. Vide S. Bernardum tract. de Interiori domo, id est, de conscientia; ubi fusè ostendit, quomodo hæc domus particulatim singulis virtutibus sit exædificanda & perficienda.

Pavimentum est humilitas, tectum patientia, parietes quatuor virtutes Cardinales, &c.

Denique nota hic Primo contra Novatores, fidem sine bonis operibus, quæ fides facienda præscribit, & dictat, non sufficere ad salutem. Christus enim hic fundamentum arenarium, sive in arena fundatum vocat solam fidem ex

C auditu prædicationis conceptam, quæ instar arenæ arida est, inutilis, & diffluens; petram vero vocat fidem bonis operibus solidatam. Nota secundo, ordinem Christi; nam primo v. 15. docuit necessitatem veræ fidei, & verorum doctorum, Secundo, v. 21. & seq. necessitatem etiam bonorum operum & vitæ sanctæ. Mystice petra est Christus, unde Glossa: *Ille*, ait, *ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit*.

VERS. 25 Et descendit pluvia, et venerunt flumina, Luc. 6. 49. et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram] Arab. *quoniam fundamenta ejus firmata erant super petram*. Pluvia, venti, flumina sunt quævis adversitates & tentationes tum a mundo, tum a carne, tum a dæmone ingruentes: item condemnatio, quam Christus in improbos detonabit & fulminabit in die judicii: hæc enim sæpe in Scriptura nomine tempestatis & procellæ exprimitur, ut Isaiæ 28. 2. *Ecce validus, & fortis Dominus sicut impetus grandinis; turbo confringens sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram spatiosam*. Simile est Ps. 49. 3. & Sap. 5. 18. & seq. ubi graphice ira & vindicta Dei in reprobos per procellas, fulmina & grandines depingitur.

D Fidelis ergo in Christo Christique lege, timore & amore velut in firmissima petra fundatus, non curat flabra persecutionum, nec fluctus adulationum, nec zephyros promissionum, nec aquilones minarum, nec nimbos probrorum, nec procellas verborum, sed in vocatione & officio suo, in timore & amore Dei inconcussus consistit, sicut Marpessia cautes, sicut rupes, quæ maris fluctibus undique tunditur, ventis agitatur, grandine & fulmine feritur, & tamen immota invictaque persistit. Exemplum fuit S. Petrus, qui in Petra, id est, Christi amore solidatus, omnia adversa pervicit. Unde Actor. 4. 20. a Principibus Sacerdotum jussus cessare a prædicatione Christi, respondit: *Non possumus, quæ vidimus & audivimus non loqui*, quem locum citans S. Chrysost. hic scr. 15. *Considerasti*, inquit, *grande mentis invictæ excelsum. Vidisti petram undarum murmura deridentem. Vidisti domum contra ventorum flatus prorsus immobilem. Quod enim multo est amplius admirandum; non modo deterriti per adversa non sunt, verum etiam majorem inde assumpsere constantiam, & persecutores suos in trepidationem maximam compulerunt. Quicumque enim adamantem percutit; magis ipse percutitur; & qui adversus stimulum calcitrat, sine dubio ipse cõpungitur, suisque propriis ictibus vulneratur; & qui impugnat virtutem tenentes, ipse profecto subruitur, & malitia tanto efficitur infirmior, quanto contra virtutẽ diutius præliatur. Et sicut qui ignem obligat in vestimento, illum quidẽ non extinguit, vestẽ verò comburit; ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autẽ omnino perdebant. Etenim quantacumque ob justitiã passus fueris adversa, tanto ingentior efficeris & firmior*.

E Virtus invicta omnia vincit.

Simili schemate S. Gregorius Nazianz. Orat. 28. pingit Christianum philosophum: *Est quædam in fabulis arbor*, inquit, *quæ cum cæditur, viret, & adversus ferrum certat, morte vivit, & sectione pullulat, atque cum absumitur, crescit*. Non vera sed fabulosa est hæc arbor, ait scholiastes Nazianzeni: si tamen vis veram, accipe vitem, quæ quo plus putatur, eo magis pullulat & fructificat. Talis quoque est ilex Horatiana, quæ duris tonsa bipennibus, ab ipso ducet opes animumque ferro. Pergit Nazianzenus: *Talis plane esse vir Philosophus videtur. Floret enim inter cruciatus, ac vita molestias virtutis segetes existimat atque in adversis gestit & gloriatur: sic nimirum se comparans, ut nec ob dextera justitiæ arma efferatur: nec ob sinistra inflectatur, sed in diversis rebus idem semper, suique similis permaneat, atque adeo probatior, tamquam aurum in fornace reperiatur*. Particulatim deinde per varias hominum sortes, & conditiones idipsum ostendit, ac deinde concludit tria esse insuperabilia, scilicet Deum, Angelum, & Philosophum: *Duo hæc*, inquit, *arripi ac superari nequeunt: Deus & Angelus: tertium est Philosophus, in materia expers materiæ, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facile ferens, præter quam animi magnitudine, eo quod vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, devincens*.

F

Tria insuperabilia, Deus, Angelus, Philosophus.

ET OMNIS QUI AUDIT VERBA MEA HÆC, ET NON FACIT EA, SIMILIS ERIT VIRO STULTO, QUI ÆDIFICAVIT DOMUM SUAM SUPER ARENAM] Recte instabilitas & inobedientia ejus, qui audit verba Christi & non facit, comparatur arenæ. Primo, quia sicut arena mollis est, mobilis & fluida, ut fundamenti solidi vicem subire nequeat, ac proinde quod arenæ inædificatur irruentibus undis, & ventis, cedit ac prolabitur: sic pariter animus instabilis, & inobediens fundamentum solidæ virtutis, & perfectionis esse nequit, sed ingruenti tentationi illico succumbit & corruit, unde fabrica virtutum illi innixa illico collabitur, uti Christus explicat v. sequenti.

VERS. 25 Luc. 6. 49. Inconstans similis arenæ. Primo.

G

Secundo, arena est sicca, unde *arena* dicitur ab *ariditate*, inquit Varro, vel ab *arendo*, quod sibi per particulas adhæreat: sic animus instabilis, qui non facit ea quæ audit, aridus est, & virtutis spirituque divini succo vacuus, ac terræ & terrenis affixus adhæret. Secundo,

Tertio, sicut arena vento difflatur & dispergitur in omnes partes: sic & animus levis & inconstans omni cupiditatum, & tentationum æstu raptatur in omnem concupiscentiam. Tertio.

Quarto, sicut arena est minutissima, & milliones arenularum sive granulorum complectitur: sic cor instabile mille cogitationibus & desideriis rerum exilium, & minutarum est refertum & dissectum. Quarto.

H

Tropologice, stultus & mundanus ædificat super arenam, id est, super creaturam, ait Salmeron, quæ instar arenæ sterilis est ad bonum; & fluida, ut in peccatum cadat, & fluctibus concussa, quia laboribus & tentationibus agitatur. Est enim sicca, sive bibula & insatiabilis, quia creaturæ hominem satiare non possunt. Est etiam multiplex, quia impii innumerabiles sunt & stultorum infinitus est numerus. Arena ergo est omnis diaboli populus, sterilis & minime unitus, magnis laboribus agitatus & sine numero, quêadmodum populus Dei unitus est, ut petra, & fortis & fructosus: quia etsi multi sunt vocati, pauci tamen electi. Tropologice.

Hinc Elias Cretensis in Orat. 1. Naz. Arena, ait, est superbia, inanis de se opinio, vanæ gloriæ cupiditas: cui quidquid inædificatur, levi adversitatis vento difflatur & corruit.

Denique Glossa: *Omnis*, ait, *conscientia, non fixa spe in Deum, in tentationibus non subsistit*. Radix enim, & tomes omnium tentationum, est mentis inconstantia & diffiden-

Digitized by Google

A tia in Deum, qui offendi Eccles. 2.6. ad illa: *Crede Deo, & recuperabit te; & dirige viam tuam, & spera in illum.*

VERS. 27. ET DESCENDIT PLUVIA, ET VENERUNT FLUMINA, ET FLAVERUNT VENTI, ET IRRUERUNT (Græce προσέκοψαν, id est, impegerunt: Arabicus, *percusserunt*) IN DOMUM ILLAM, ET CECIDIT, ET FUIT RUINA ILLIUS MAGNA] Pluvia notat tentationem mundi; flumina, carnis, venti, diaboli. Pluvia enim ex alto descendens, terramque irrigans, inflans, tumentemque efficiens, & fœcundans, notat ambitionem honorum & cupiditatem opum, quas offert mundus homini vano & inconstanti, quibus ille illectus, a Dei lege, & subinde a fide deficit & apostatat.

Luc. 6. 49. Pluvia est tentatio mundi.

Flumina carnis. Flumina, quæ ex terra oriuntur, & domum circumlambunt, notant tentationes carnis, puta gulam & libidinem, quæ ex ipsa carne oriuntur, eamque oblectando & blandiendo quasi circumlambunt, ut a continentia & paritate, quam Dei lex præscribit, desciscat.

Venti, diaboli. Venti, quippe occulte latenter, & invisibiliter in domum sufflant, notant tentationes dæmonis, qui est spiritus invisibilis, & princeps aeris hujus, hic enim mille pravas cogitationes & affectiones phantasiæ nostræ ingerit & insufflat, ita latenter ut nescias sæpe an ab angelo an a diabolo proveniant. Stanas enim transfigurat se in Angelum lucis, 2. Corinth. 11. 14. quare ipse homines leves & inconstantes agitat & rotat ad libitum, ut ab observatione mandatorum Dei ad cupiditates suas deflectant, itaque ruant in tartara; sicuti domus arenæ inædificata, flabris ventorum agitata, magno fragore collisa cadit, corruitque in subjectam vallem, vel voraginem.

B

VERS. 28. ET FACTUM EST CUM CONSUMMASSET JESUS VERBA HÆC, ADMIRABANTUR TURBÆ SUPER DOCTRINA EJUS] Adeo nova, clara, solida, paradoxa, inaudita, cælesti, divina, æque ac super novo divinoque docendi modo. Pro *admirabantur*, Græce est, ἐξεπλήσσοντο, id est, *excutiebantur*, scilicet mente, hoc est obstupescebant, percellebantur, ita ut viderentur eis mens animusque eripi & excuti.

Luc. 4. 32. Mar. 1. 22.

TURBÆ] Id est vulgaris populus, non principes, ait S. Chrysostomus, unde liquet hunc sermonem a Christo habitum coram populo, uti dixi initio c. 5. licet S. August. lib. 2. de Consensu Evang. c. 19. *Forte*, ait, *intelligitur turba discipulorum, ex quibus duodecim elegerat.*

C Hic ergo finitur totus sermo Christi in monte, continens totam legem & perfectionem Evangelicam; ac licet in ea disparata sint præcepta, nec inter se connexa, si quis tamen eorum inter se ordinem, & aliqualem connexionem desideret, legat Bellar. lib. 4. de Justificat. c. 3. in fine.

VERS. 29. ERAT ENIM DOCENS (solebat docere: significat enim phrasis docendi consuetudinem, & frequentiam) SICUT POTESTATEM (ἐξουσίαν, id est, *auctoritatem*; Syrus, *dominium*; alii *jus*; alii *libertatem*) HABENS, ET NON SICUT SCRIBÆ EORUM ET PHARISÆI] Primo, quia Christus docebat magna auctoritate res serias, graves, & summi ad salutem momenti, ipsamque veritatem: Scribæ vero docebant leviter res frivolas & nugosas, ut ritus & ceremonias, crebrasque lotiones manuū, corporis & calicum.

Luc. 4. Mar. 1.

Christi modus docendi. Primo.

Secundo. Secundo, quia Christus id quod sermone docebat, hoc opere faciebat, magisque docebat exemplo quam verbo. Magna enim auctoritas doctrinæ, docenti accedit, si bonum, quod docet, reipsa perficiat. Longum, ait Seneca, ad virtutem iter est per præcepta; breve & efficax per exempla. Audi S. Gregor. 23. Moral. 7. *Cum imperio quippe docetur quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo potestatem ei elata locutionis, sed bona fiduciam insinuavit actionis. Unde etiam de Domino scriptum est: Erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut Scriba & Pharisæi; singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. Ex divinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis sua innocentiam ministravit.*

D

Tertio. Tertio, Christus docebat magno spiritu & fervore, magnaque vi & efficacia ad persuadendum: Scribæ aride, frigide & superficialiter.

Quarto. Quarto, Christus doctrinam confirmabat miraculis: nil tale poterant Scribæ. Rursum Christus miram habebat dicendi gratiam, juxta illud: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Lucæ 4.

Quinto. Quinto, Scribæ docebant ut legis interpretes; Christus vero ut legislator e cælo missus, cælesti sapientia & majestate; ipse ergo ejus proprium docendi habebat. Ita Beda & Theophylactus. Unde Christus Joan. 3. *Quod scimus*, ait, *loquimur, & quod vidimus, testamur.* Et Joannes Baptista ibidem de Christo: *Qui de sursum venit*, inquit, *super omnes est. Et quod vidit & audivit, hoc testatur.*

E

Sexto. Sexto, Christus docendo dumtaxat quærebat Dei gloriam & hominum salutem; Scribæ vero suam gloriam & hominum plausum.

Septimo. Septimo, Christus exterius docendo, interius in sua sancta inspiratione & luce gratiæ illuminabat mentem, & inflammabat affectum auditorum, ut homines etiam rudes & stupidos faceret doctos, ac torpidos, & frigidos faceret ferventes.

Denique Christi doctrina erat rectissima, utilissima, integerrima, sublimissima, perfectissima, plenam & consummatam in rebus omnibus, quæ ad mores pertinent, perfectionem continens. Unde legis interpretationes a Scribis prolatas velut manetas, inutiles, imperfectas; imo falsas & erroneas correxit c. 5.

Octavo. Christum in hisce imitetur Christianus orator, & concionator: ut magis vita doceat, quam verbo, instar S. Basilii, de quo scribit S. Gregorius Nazianz. orat. 20. *Verbum Basilii erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur.* Sic sua libertate, auctoritate & nervo dicendi utatur, ut quasi Doctor agat cum discipulis, sitque efficax in docendo & persuadendo. Talis erit possessor cathedræ, dominus pulpiti: talia docebit, & prædicabit, ut potestatem habens, instar Christi, sicut fecit S. Paulus & Apostoli. S. Malachias, ait S. Bernardus in ejus vita, fœminam quamdam iracundā & furibundam, ideoque omnibus intolerabilem, adeo mansuefecit, ut viderentur nequire irasci, idque uno verbo, dicendo: In nomine Domini Jesu jubeo, ne amplius irascaris: quod S. Bernardus præfert suscitationi mortui factæ ab eodem S. Malachia, *eo quod exterior quidem ibi, hic vero interior vaxerit homo.* Sic S. Franciscus Borgia dicebat de S. Ignatio de Loyola: *Loquebatur tanquam potestatem habens*, quia efficax erat ejus sermo, & quocumque volebat homines impellebat. Testis est Ribadeneira in ejus vita.

F

CAPUT VIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

G *Christus doctrinam Evangelii, quam a c. 5. hucusque docuit, confirmat & obsignat miraculis. Ita S. Hieronymus. Primo ergo v. 1. sanat leprosum. Secundo, v. 5. curat puerum Centurionis. Tertio, v. 14. Socrum Petri liberat a febri. Quarto, v. 18. duos se sequi volentes jubet omnibus tam opibus, quam parentibus renunciare, eo quod filius hominis non habeat ubi caput reclinet. Et dimitte, ait, mortuos sepelire mortuos suos. Quinto, v. 23. sedat tempestatem in mari. Sexto, v. 28. sanat duos dæmoniacos, dæmonesque obsecrantes permittit ingredi in porcos, qui mox eosdem in mari submergunt.*

H

CUm autem descendisset de monte, secutæ VERS. 1. sunt eum turbæ multæ.

2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.

4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum,

6. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paraliticus, & male torquetur.

7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum.

8. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit: & servo meo: Fac hoc, & facit.

10. Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum.

12. Fi-

Digitized by Google

A 12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

13. Et dixit Jeſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

14. Et cum veniſſet Jeſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem:

15. Et tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis.

16. Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat ſpiritus verbo: & omnes male habentes curavit:

17. Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit: & ægrotationes noſtras portavit.

18. Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe, juſſit ire trans fretum.

19. Et accedens unus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocumque jeris

20. Et dicit ei Jeſus: Vulpes foveas habent, B & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21. Alius autem de diſcipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum.

22. Jeſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

23. Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.

24. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat.

25. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Domine, ſalva nos, perimus.

26. Et dicit eis Jeſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.

27. Porro homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?

28. Et cum veniſſet trans fretum in regionem C Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.

29. Et ecce clamaverunt, dicentes. Quid nobis, & tibi, Jeſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?

30. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum paſcens.

31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

32. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis.

33. Paſtores autem fugerunt, & venientes in civitatem nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant.

34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jeſu: & viſo eo rogabant, ut tranſiret a finibus eorum.

VERS. 1. D CUM AUTEM DESCENDISSET DE MONTE SEGUTÆ SUNT EUM TURBÆ MULTÆ] Excitæ vel voce, vel fama doctrinæ & concionum ejus: docebat enim ut poteſtatem habens, uti paulo ante audivimus. Jam dixi initio c. 5. ex Luca, ſermonem illum Chriſti hucuſque ab eo habitum poſt deſcenſum e vertice montis in loco campeſtri, puta in medio montis, ubi planities erat campeſtris; ex quo Chriſtus finito jam ſermone, deſcendit in ſubjectam, & imam vallem. Ita Franc. Lucas.

Aliter Janſenius, qui cenſet Matthæum hic per hyſterologiam poſterius ponere deſcenſum Chriſti e monte, quia Chriſtum alio migraſſe narrat: nam deſcenſus Chriſti è monte hucuſque non meminit Matthæus, ſed Lucas dumtaxat initio ſermonis Chriſti jam recenſiti, quem ipſe c. 6. 17. aſſerit habitum in loco campeſtri.

VERS. 2. ET ECCE LEPROSUS VENIENS ADORABAT EUM, DICENS: DOMINE, SI VIS, POTEST ME MUNDARE] Idem miraculum deſcribitur a Marco c. 1. 40. & Luca c. 5. 12. ex utroque videtur colligi hoc miraculum non contigiſſe ſtatim a deſcenſu in radice montis; nam Lucas ait, id contigiſſe *in una civitatum*: & quia Lucas c. 4. 23. & Marcus cap. 1. 23. prius alia miracula a Chriſto patrata enarrant. Verum magis ordinata videtur narratio S. Matthæi, juxta quam dicendum hoc miraculum Chriſti fuiſſe primum a deſcenſu montis. Ita S. Hieronymus, Janſenius, & alii, quod ergo ait Lucas, id contigiſſe *in una civitatum*, intellige juxta unam civitatum. Nam lege Lev. 13. v. 45. & 48. jubentur leproſi omnino ſeparari, arcerique ab urbibus & caſtris, ne incolis lepram ſuam affricent: licet alii cenſeant ibi vetari tantum, ne morentur in urbibus, non autem ne per eas tranſeant; quare leproſum hunc in tranſitu civitatis videri a Chriſto curatum. Hæc civitas, ut colligitur ex verſu 5. fuit Capharnaum, juxta quam videtur curatus hic leproſus: huic enim civitati adjacet mons, ex quo deſcendebat Chriſtus, ut dixi c. 5. v. 1. Vide Chronotaxin, quam commentario huic præfixi numero 22.

Ubi curatus fuerit hic leproſus?

Quantus, quamque incurabilis & contagioſus morbus ſit lepra, inde liquet, quod leproſi & lege veteri, & uſu omnium gentium a conſortio hominum arceantur. In leproſis enim contagium eſt cum ſeminario, quo ſanos attactu, ulcerum fœtore & reſpiratione putida inficere poſſunt. His proinde a contagio, & morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exeduntur oſſa, lingua tumet, fœtet reſpiratio, omne denique morbi genus, omneque ſymptoma in leproſo comitatu & ſatellitio reperitur. Morbum ergo Elephanticum ſucari quidem poſſe, jure docent Medici, curari numquam. Quomodo, ait Avicenna, curabitur lepra, cùm ſit cancer univerſalis, quando cancer particularis medicinam neſcit? Porro regiones calidæ, ſaxoſæ, ſalſæ, caloribus & algoribus inæqualiter impetitæ, morbis melancholicis, & præſertim lepræ ſubjacent. Talis eſt Judæa & pars Ægypti. Unde Galenus 2. ad Glauc. ait: *Itaque in Alexandria plurimi Elephantia tum ob victus rationem, tum ob regionis caliditatem laborant*. Medici lepræ remedia præſcribunt vinum viperinum, hydrargyrum, theriacam, aurum potabile; ſed horum non eſt ea vis, ut lepram formatam, & habitu firmatam tollant, leproſoſque totâ membrorum compage fœdatos, cute & carne innovent.

Quantus morbus ſit lepra.

ADORABAT] ſcilicet in genua, & faciem cadendo, nam Marcus addit γονυπετῶν, id eſt, *accidens ei ad genua*. Lucas πεσὼν, ἐπὶ πρόσωπον, id eſt. *cadès in faciem*. Fecit id leproſus non tantum ut civilem honorem, ſed potius ut religioſum cultum latriæ Chriſto exhiberet, ut patet ex tam humili tantæquæ fidei ejus petitione: non enim dixit, ſi rogaveris Deum, ut Moyſes, ſed, *Si vis, potes me mundare*, q. d. Scio, te paris eſſe cum Deo Patre poteſtatis, & conſequenter morborum Dominum, ut lepræ herili jure imperare, eamque ſolo juſſu a me depellere poſſis. Rogo ergo, ut id facere velis & digneris; ſi velis, res acta eſt, ſanus ſum. Ita S. Chryſoſtomus hom. 26. Theoph. Euthymius, Maldonatus, & alii. Unde S. Chryſoſt. *Spirituali medico*, ait, *ſpiritualem offert mercedem, ſcilicet fidelem orationem, qua nihil dignus Deo offerimus*. Et Gloſſa interlin. *Voluntas*, ait, *poteſtatem tribuit*; nã quanta eſt voluntas, tanta & poteſtas Dei; quidquid enim vult, hoc illico facere poteſt, juxta illud: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra*. Pſ. 134. 6. In Deo enim voluntas, potentia, ceteraque attributa ſunt paria & æqualia, quia divina, immenſa, & infinita. Habuit ergo leproſus fidē divinitatis Chriſti, partim ex ejus interna illuminatione & inſpiratione, partim ex miraculis, quæ plura jam Chriſtus patrarat primo anno prædicationis ſuæ. Leproſus enim hic anno ſecundo ſanatus eſt, uti dixi in Chronotaxi n. 22. Rurſum τὸ *Si vis*, notat deſiderium curationis mixtum cum reſignatione: reſignat enim & ſubmittit ſe voluntati Chriſti, ut ſi velit curet, ſi nolit non curet. Morbi enim & lepræ ſæpe animæ ſaluti ſunt utiles vel neceſſarii, idque ſcit Deus, ſed neſcit homo: quare ſe Dei judicio & voluntati reſignet oportet, nec ea poſtulare debet abſolute, ſed conditionate, ſi videlicet Deo placeat, & animæ ſaluti id profuturum ſit.

Leproſus credidit Chriſtum eſſe Deum.

ET EXTENDENS JESUS MANUM, TETIGIT EUM, DICENS: VOLO: MUNDARE] *Extendens*. Primo, ut ſe oſtenderet eſſe ſupra legem, quæ leproſi contactum vetabat. Levit. 13. utpote qui leproſum non contaminandi (Deus enim eſt incontaminabilis) ſed curandi cauſa tangeret, ait Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 9. & ut ait S. Chryſoſtomus, non corporis, ſed animæ lepra impedimentum eſt ad virtutem. Porrò lex non vetabat contactum leproſi, niſi ob periculum contagionis, ne ſcilicet tangens eadem inficeretur: hoc autem periculum non erat in Chriſto, ſed

VERS. 3. *Luc. 5. 13. Matth. 8. 41. 42.*

Chriſtus tangendo leproſum ſanat: cur?

Digitized by Google

A potius certitudo curationis leprosi. Ergo Christus idcirco tangens leprosum non faciebat contra, sed potius juxta mentem legis. Ita sanctus Chrysostomus & Tertullianus loco citato.

Secundo, tetigit eum benevolentiæ causa, ut suum in eum affectum ostenderet. Unde Glossa interlin. *Extendit manum*, inquit, *qui misericordiæ tendit effectum*, scilicet, *quando auxilium divinæ misericordiæ impendit*, ait Remigius.

Tertio, tetigit eum, ut salvifica vis carnis Christi patefieret, ait S. Cyrillus, utpote quæ solo tactu manus lepram pelleret. *Manus* enim dicitur a *manando*, quod e brachio *manet*, & ex manu *manent* digiti & opera: sic ex manu Christi manabant miracula & beneficia, & ipsius virtus manabat ex Deo, cui hypostatice uniebatur. Unde Victor Antioch. in cap. 1. Marci: *Verbum*, inquit, *individuam se cum carne societatem habere persuasum volens, pleraque miracula, & signa per corporis ministerium edidit*. Et Beda: *Extendit*, ait, *Deus manum, & contigit humanam naturam in incarnatione, & ejectos e castris populi Dei* (leprosos) *templo reddidit, ut possint offerre corpora sua hostiam viventem illi, cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Psalm. 109.

B Volo: Mundare] Ita hæc dispunge per comma vel colon intermedium, ut Christus *primum dicat*: Volo, *deinde imperet*: Mundare: ait S. Hieronymus. τὸ ergo *mundare*, non est Infinitivus activus, sed imperativus verbi Passivi, *mundor*, significans, *mundator* vel *munderis*. Hebr. est enim תִּטְהַר *hittaher*, Græce καθαρίσθητι, id est, *esto mundus*. Hinc Patres probant Christi omnipotentem divinitatem: citat eos fuse Maldonatus. Unde S. Ambrosius in S. Lucæ c. 5. v. 12. *Dicit*, inquit: *Volo propter Photinum; imperat propter Arrium; tangit propter Manichæum*. Photinus enim docebat, Christum esse merum hominem, nec esse Deum, cui propria est omnipotens voluntas, qua dicat, *Volo, mundare*. Arrius docet Christum minorem esse Patre, ac proinde non imperare, sed imperia Patris excipere. Manichæus docebat Christum habere carnem, non veram, sed phantasticam, ideoque vere nec tangere posse nec tangi. Hæc omnia hic confutat Christus tum verbis tum factis.

C Notat S. Hieronymus Christum pertinenter & ex æquo respondere duplici petitioni leprosi. Primo enim petierat, *si vis*: id est, utinam velis, respondet Christus: *Volo*. Secundo, *potes me mundare*; respondet Christus; *Mundare*, id est, munderis, estoque mundus: Plus ergo tribuit Christus, quam ipse expresse petat, eodem enim instanti ipsum plane curavit, imo vegetum, alacrem, validumque effecit tum corpore, tum magis animo: quos enim Christus sanavit corpore, sanavit & animo, ac justos, sanctosque effecit, ut plenam eis mentis & corporis integritatem largiretur. Dei enim perfecta sunt opera: Ac Christus sua liberalitate merita supplicum excedit & vota, ut nos ab eo discamus idem facere, ac liberalissimi esse tum erga Deum, tum erga proximos.

Et confestim mundata est lepra ejus] q.d. Et illico mundatus est homo a lepra sua, ut vertit Arabicus. Nil medium fuit inter Christi præceptum & opus. Dixit enim, & facta sunt omnia. Gen. 1. quia voluntas ejus est omnipotens, ideoque est ipsa ejus omnipotentia. Est hypallage, sive inversus sermo; nec enim lepra mundari potest, utpote in se plane immunda & contagiosa, sed homo a lepra. Hoc facto ostendit Christus se quasi medicum D venisse in mundum, ut omnes ægritudines curet omnesque sordes expurget. Nota τὸ *confestim*, inde enim liquet, Christum leprosum curasse non pharmacis naturalibus: hæc enim sensim operantur, & lente sanant, sed virtute divina, quæ in instanti operatur, juxta illud: *Ipse dixit, & facta sunt*. Ps. 148. 5. Dei enim dicere & jubere est efficax, idemque, quod facere; quia ejus voluntas idem prorsus est cum ejus omnipotentia.

Vers. 4. Et ait (Marcus: *Comminatus est*, id est, severo & minaci vultu jussit. Ita Euthymius.) illi Jesus: Vide nemi- *Luc. 5. 14. Mar. 1. 44.* mi dixeris] Id jussit ad vitandam ostentationem, & ut nos doceret virtutes doteque nostras non jactare, sed celare. Ita Chrysostomus. Si enim id fecerimus, nobis tacentibus efficiet Deus, ut prodamur inviti, idque magna cum ædificatione audientium, & majore gloria operantium. Unde addit Marcus cap. 1. 45. *At ille* (leprosus) *cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique*. E

Sed vade, ostende te sacerdoti (Marcus: *Principi sacerdotum*, qui tempore vicis suæ præerat cæteris sacerdotibus actu in templo ministrantibus) et offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis] *Mittit ad sacerdotes*, ait S. Hieronymus, *ob humilitatem, ut eis deferre videatur: deinde ut illi vel credentes salventur, vel fiant inexcusabiles; denique ne legem infringere videatur*. Et Origenes: *Mittit*, ait, *ad sacerdotes, ut cognoscant non legis consuetudine, sed gratiæ operatione mundatum*, &c. *Ut omnes, qui vident portari munus, miraculum crederent*.

Munus a leprosis lepra mundatis sacerdoti offerendum erat agnus, vel si leprosus pauper foret, duo turtures, aut duo pulli columbarum. Levit. 14. 13. & seq.

In testimonium illis] scilicet sacerdotibus; nam princeps sacerdotum, licet unus, multos tamen habebat assecias sacerdotes minores. Nonnulli per *testimonium* accipiunt legem, q.d. Offer munus jam dictum, ut impleas legem, quam Moyses præcepit Levit. 14. sacerdotibus & populo servandam in expiatione leprosi: lex enim sæpe Psalm. 118. & alibi vocatur *testimonium*, scilicet voluntatis divinæ, quia testatur quid a nobis velit fieri Deus. Verum nil vetat *testimonium* hic proprie accipi. F

Testimonium, id est, lex.

Planius ergo & germanius τὸ *in testimonium* refer ad verbum *ostende*, & *offer*, q.d. Ostende te sacerdotibus, eisque munus lege præscriptum offer, ut illi videntes te a lepra liberum, ideoque munus mundatis præscriptum offerre, ex hoc oculari testimonio cognoscant te vere sanatum, itaque ipsi sanitatis tuæ sint testes, ac populo testentur te vere a lepra curatum, ideoque eorum testimonio juxta legem restituaris communi hominum societati, & convictui.

Erat ergo duplex, imo triplex hoc testimonium. Primum, quod leprosus præbebat sacerdotibus de se ipso a lepra curato, quod erat ostensio & inspectio ocularis corporis & membrorum, quam faciebant sacerdotes, ac si videbant vere curatum, munus ab eo in gratiarum actionem Deo oblatum acceptabant; si non, refutabant.

Testimonium triplex.

Secundum testimonium erat, quod ipsi sacerdotes populo perhibebant de leproso vere curato; unde eidem adhibebant lustrationem sive expiationem lege Lev. 14. præscriptam, quæ erat legalis cæremonia tollens irregularitatem legalem ab immunditia lepræ contractam, hominemque lepra mundatum restituens convictui hominum, ac templo, & sacrificiis, ut iis jam mundus cum cæteris libere interesse posset. G

Tertium testimonium erat maximi momenti, nimirum, jussit Christus leprosum se jam curatum ostendere sacerdotibus, ut illi ex hoc miraculo agnoscerent ipsum esse Messiam, aut certe inexcusabili hoc testimonio convicti, incredulitatis condemnarentur. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, & S. Ambrosius in cap. 5. Luc. vers. 14.

Tropologice; Lepra significat peccatum mortale præsertim contagiosum, quale est imprimis hæresis, ob summam fœditatem, & contagionem. Ita S. Augustin. lib. 2. quæst. Evang. q. 40. Theod. Radulphus, & alii in cap. 14. Levit. Hinc mundatio lepræ symbolum est Sacramenti pœnitentiæ & confessionis sacramentalis, qua peccata expiantur, cujus proinde vim & efficaciam ex lepræ typo contra hæreticos probant S. Hieronymus in c. 16. Matthæi (ubi ex ea probat oportere sacerdotes cognoscere peccatorum species & varietates) & S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, ubi docet officium sacerdotum Christianorum longe efficacius & præstantius esse, quam olim fuerit Aaronicorum, eo quod hisce lepram non curare, sed curatam dumtaxat ostendere; illis vero peccata non curata ostendere, sed vere curare & condonare concessum sit. Atque hac de causa Christus primum hoc a descensu e monte, ubi legem Evangelicam docuerat, miraculum esse voluit curationem leprosi, tum quia in Syria & Judæa communis & frequens erat hic lepræ morbus, multique erat leprosi: tum quia lepræ conditiones optime per tropologiam repræsentant peccati fœditatem, & noxam, æque ac lepræ curatio peccati remissionem: ideoque Christus in passione leprosi formam assumpsit, ut lepram animæ nostræ in se susciperet, & curaret. Unde Isaias c. 53. v. 4. *Vere*, ait, *languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo & humiliatum, Ipse autem vulneratus*

Lepra est hæresis & peccatum contagiosum.

H

Christus in forma leprosi apparet.

Digitized by Google

A tus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Vide quæ de lepra dixi Levit. 13. & 14. Hac de causa Christus in forma leprosi apparuit Martyrio Monacho, & ejus humeris usque ad fores Monasterii bajulari se permisit, ibique disparuit; sed ita ut Martyrius pondus non sentiret, quia portantem se portabat, ait S. Gregorius hom. 39. in Evang.

In eadem leprosi forma Christus apparuit S. Ludovico Tolosarum Episcopo, qui fuit nepos S. Ludovici regis Franciæ, ac ab eo pedes sibi lavari permisit, ut habet ejus vita.

VERS. 5. CUM AUTEM INTROISSET CAPHARNAUM, ACCESSIT AD EUM CENTURIO, ROGANS EUM] Hoc est secundum Christi miraculum, quo doctrinam in monte editam confirmavit. Ita S. Hieronymus. Ex hoc loco colligimus leprosum primo a Christo sanatum fuisse juxta Capharnaum, uti paulo ante dixi. Porro leprosus erat Judæus; Centurio vero ethnicus, puta ex Romanorum (tunc enim Judæa a Pompejo, Julio Cæsare & Augusto subjugata, Romanorum ducum militumque præsidio tenebatur) legione dux centum militum, & subinde etiam plurium, ut docet Vegerius l. 1. de Re milit. quare in eo Gentium vocatio præsignata & inchoata fuit. L. Dexter in Chronico, quod nuper in lucem prodiit, ait hunc Centurionem fuisse C. Cornelium Centurionem Hispanum, cujus filius C. Oppius pariter Centurio Christo in cruce quasi satelles & custos astitit, vidensque signa, quæ in cælo, sole, terra & petris tunc contigerunt; conversus est ad Christum: uterque Christum & in Judæa, & in Hispania prædicavit. Hæc Dexter, De cujus auctoritate & fide fusius egi in fine Chronotaxis, quam Achibus Apostolorum præfixi.

Luc. 7. v. 1. & 2.

Centurio quis?

B

ACCESSIT] Est hic prima antilogia: Nam Lucas cap. 7. idem miraculum aliter narrat. Non enim dicit Centurionem ipsum accessisse ad Christum, sed ad eum misisse primum Judæos, deinde amicos suos, qui hanc gratiam, puta sanitatem puero suo peterent & impetrarent. Quare in Luca ex Matthæo hoc loco supplendum est, quod post Judæos & amicos, tandem Centurio ipse ultimus ad Christum jam appropinquantem accurrerit, sive honoris causa, sive ob morbi paroxysmum & instans mortis periculum, uti volunt S. Chrysostomus hom. 26. Theophil. & Euthymius: nisi dicas Centurionem hic asseri ad Christum accessisse, eique supplicasse, & respondisse, non per se, sed per legatos & amicos suos, uti censent Beda, & S. August. lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 20. Porro Judæi commendarunt Centurionis postulationem Christo, dicentes: *Quia dignus est, ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificavit nobis*, ut ait Lucas c. 7. 4.

C

VERS. 6. ET DICENS, DOMINE, PUER MEUS JACET IN DOMO PARALYTICUS, ET MALE TORQUETUR] *Puer*, id est *servus*, ut habet Lucas c. 7. v. 3. Servi enim apud heros subjectione, obedientia & reverentia sunt instar puerorum. Est catachresis. Porro hic servus Centurioni erat charus & pretiosus, ait Lucas.

Luc. 7. 2.

JACET IN DOMO PARALYTICUS] Quasi cadaver in lecto *omnibus undique artubus fluidis, & ad consistendi officium agendique corruptis*, ait S. Hilarius: Paralysis enim est resolutio nervorum, ait Celsus lib. 1. cap. 1. Est enim morbus, in quo dimidia pars corporis resolvitur, motu censuque intercepto, ait Galenus Commentar. lib. 4. unde a Græcis vocatur *hemiplexia*, id est, semiapoplexia, cum scilicet in alteram tantum corporis partem malum id incubuit, nam cum totum afficitur, apoplexia nominatur: nunc utrumque, inquit Celsus lib. 3. c. 27. paralysin appellari video.

Paralysis quid?

D

ET MALE TORQUETUR] Græce δεινῶς βασανίζεται, id est, *graviter afflictus, vehementer cruciatus* (ut vertit Arabicus) ideoque *moriturus*, ut ait Lucas. Subita & acuta fuit hæc paralysis, quæ cum cruciatu periculum vitæ creavit: Nam alioqui communes paralyses sunt lentæ, ideoque & gravi cruciatu & periculo carent. Cruciatus hic videtur fuisse convulsio & retrachio nervorum, qui a cerebro oriuntur: hi enim, cum præter naturam contorquentur, aut distenduntur, gravissimos excitant dolores, uti ex Galeno ostendit Guilielmus Ader Medicus lib. de Ægrotis & morbis a Christo sanatis cap. 2. ubi probat omnes illos fuisse desperatos, & naturaliter incurabiles, ideoque eorum curam Christo quasi Archiatro a Deo fuisse reservatam: Talis fuit hæc paralysis. Idem docet Sanctus Ambrosius epist. 75. *Eas*, inquit, *sanavit Dominus Jesus, quos nemo curaret*; id est, curare potuisset.

Incurabilis.

E

Porro Lucas paulo aliter rem gestam enarrat: Sic enim ait c. 7. v. 3. *Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret & salvaret servum ejus*. Est hic secunda antilogia. Lucas enim ait, *rogans eum, ut veniret*: Matthæus vero, imo & Lucas v. 6. subdit eum contrarium dixisse, scilicet: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo* (id est, jube absens) *& sanabitur puer meus*. Respondetur τὸ *rogans*, & *misit*, quatenus refertur ad τὸ *veniret*, pertinere ad Judæos Centurionis legatos, qui minoris erant fidei, & humilitatis, quam ipse: Centurio enim solum petebat, ut Christus sanaret puerum; Judæi vero de suo addiderunt, ut veniret, & veniendo tangendoque sanaret eum. *Misit* ergo seniores ad Christum *rogans* per se, *ut sanaret*, per seniores vero, *ut veniret*. Quod enim legatus dicit, hoc censetur dicere is, qui legatum misit. Lucas igitur more suo (ut patet c. 19.) brevitatis studio convolvit dicta factaque Centurionis, & Judæorum: quæ proinde respective explicanda sunt, ut quædam a Judæis, quædam a Centurione dicta sint. Vult enim Lucas dicere, quod seniores Judæorum missi a Centurione dixerint Christo: Centurio rogat te, ut venias, & sanes puerum ejus: ubi addunt ex suo τὸ *ut venias*, putantes id decere, idque tacite cupere Centurionem. Quod ergo subdit Lucas: *At illi cum venissent ad Jesum; rogabant eum sollicite, dicentes ei*, &c. significat eos suam hanc petitionem, ut veniret & sanaret puerum instanter ursisse, allegantes: *Quia dignus est, ut hoc ei præstes*, quæ verba plane significant petitionem seniorum fuisse illam, quæ præcessit, quam ob brevitatem Lucas convolvit, dicens: *Rogans, ut veniret, & salvaret servum ejus*. Illis igitur verbis simul missionem Centurionis, & ejus petitionem, æque ac seniorum licet postea factam, per anticipationem complexus est: unde eam non iterat, nec uti reipsa facta est, enarrat.

Enodatur difficultas occurrens in petitione Centurionis & seniorum ab ipso missorum.

F

Aliter respondent nonnulli, scilicet Centurionem, cum mitteret Judæos, per eos rogasse Christum, ut veniret, & veniens sanaret puerum; sed post Judæorum abitum ad Christum, illuminatum a Deo, crescente fide & humilitate, pœnituisse, ac optasse dixisseque, ut Christus non veniret, sed absens curaret puerum. Sed tunc dicendum est Centurionem esse mentitum, cum, ut ait Lucas v. 7. per Judæos legatos prius a se missos dixit: *Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te*. Si enim ipse putabat se non dignum, ut Christus veniret ad se, multo magis putabat se dignum, ut veniret adiretque Christum. Rursum dicendum est eum non credidisse Christum esse Deum. Deo enim non fuisset ausus mentiri, utpote quem mendacii conscium sciret.

G

Denique Centurio prius misit seniores Judæorum ad Christum honoris causa, quia ipse, utpote Gentilis, æstimabat se indignum conspectu & alloquio Jesu: Judæi enim, Gentiles, utpote Idololatras, æstimabant viles, & impuros quasi canes, ut patet Matth. 13. 26.

ET AIT ILLI JESUS: EGO VENIAM, ET CURABO EUM] Nota promptum Christi animum ad benefaciendum & sanandum paralyticum, quo plus offert Centurioni, quam ipse petierat, sed nimirum volebat hac oblatione e pectore Centurionis elicere fidem & reverentiam, quæ mox ab ipso prosiliit. Dixit Christus, & fecit, unde Lucas v. 5. ait, *Jesus autem ibat cum illis*.

VERS. 7. Luc. 7. 6.

H

ET RESPONDENS CENTURIO AIT: DOMINE NON SUM DIGNUS, UT INTRES SUB TECTUM MEUM (in domum meam) SED TANTUM DIC VERBO, ET SANABITUR PUER MEUS] Dixit hoc primo Centurio per amicos Christo, cum Christus ad domum ejus accederet, ut ait Lucas cap. 7. 6. deinde ipse accurrens ad Christum venientem idem per se dixit, & protestatus est, ut ait hic Sanctus Matthæus: urbanitas enim, & civilitas id omnino exigebat, ut ipse personaliter Christo occurreret, ipsumque venientem & jam vicinum exciperet. *Dic verbo*, id est, jube sermone. q. d. Non est opus, ut præsens tangas servum meum, sed absens jube duntaxat, & illico sanabitur. Credidit ergo Centurio Christum esse Deum, qui ubique quasi præsens imperat & operatur quodlibet, aut certe Christum eximium esse Prophetam Deo charissimum, puta Messiam Judæis promissum, qui nomine Dei in Judæa rebus omnibus ad libitum imperaret: *Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt*. Psal. 32. 9.

VERS. 8. Luc. 7. v. 6. & 7.

NAM

Digitized by Google

A NAM ET EGO HOMO SUM SUB POTESTATE CONSTITUTUS, HABENS SUB ME MILITES, ET DICO HUIC: VADE, ET VADIT: ET ALII (alii, alteri: Sic *alio* pro *alii* usurpat Plautus) VENI, ET VENIT: ET SERVO MEO, FAC HOC, ET FACIT] *Sub potestate*, id est, in potestate, in regimine, in magistratu *sum constitutus*, puta sum Centurio, imperans centum militibus. Ita Auctor imperfecti, qui a pari tendit hic argumentum Centurionis, q.d. Si ergo parvam habens potestatem in paucos milites, illis ad nutum impero; quanto magis tu, o Christe, qui plenam omnium habes potestatem, morbis imperabis? Verum τὸ *sub potestate* proprie hic accipi liquet ex Græco, qui habet, τὸ ὑπὸ ἐξουσίαν, & ex eo quod subdit, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας, id est, *habens sub me milites*. Ergo sicut Centurio vere, & proprie habebat sub se milites sibi subditos, sic vicissim ipse erat sub potestate altiori sui Tribuni, vel Cæsaris Romani, scilicet Tiberii. Ita Sanctus Chrysostomus, Leontius, Glossa, Maldonatus, Jansenius, Franc. Lucas, & alii. Est argumentum a minori ad majus, q.d. Si ego, licet sub potestate Cæsaris constitutus, impero tamen ad libitum militibus mihi subditis, *& dico huic, Vade, & vadit, & alii, Veni, & venit;* Quanto magis tu, o Christe, qui sub nullius es potestate, sed Deus es omnipotens, omnium Dominus, potueris imperio tuo facere quidquid volueris, ut si etiam absens dicas, jubeasque morbo (paralysi servi mei) *Abi*, illico abibit: si eidem dicas, *Veni*, illico veniet: morbi enim sunt quasi milites & satellites tui, quos ad nutum in reos immittis, & a pœnitentibus supplicibusque revocas. Ita S. Augustinus de Verbis Domini secundum Matthæum ser. 6. *Si ego*, inquit, *homo sub potestate jubendi habeo potestatem, quid tu non possis, cui omnes serviunt potestates?* Ponderat S. Hieron. Centurionis *Fidem*, *in eo quod credidit*, inquit, *ex Gentibus, paralyticum a Salvatore posse sanari: Humilitatem, quod se judicavit indignum, cujus tectum Dominus intraret: Prudentiam, quod intra corporis tegmen divinitatem videret, sciens non id sibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur, sed id, quod latebat intrinsecus.*

Virtutes heroicæ Centurionis.

Moraliter; si vis esse in potestate, disce esse sub potestate, si vis imperare, disce prius imperanti obedire. Audi S. Bernardum ep. 42. *Ut secure præesse possitis, subesse, & vos, si cui debetis, non dedignemini: Dedignatio quippe subjectionis, prælationis reddit indignum: videant in vobis subditi, quod redhibeant.* Probat idipsum exemplo Centurionis: *Dicturus quippe: Habens sub me milites; præmisit, homo sum sub potestate. Jam quidquid subinferat, suspectam non habemus jactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam clarum humilitatis insigne præcessit. Quia non confusus est de subjectione, jure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem, & ideo dignus, qui haberet & sub se milites. Dedit prius honorem præpositis, ut jam a subditis juste reciperet.* Sic symbolice, si anima velit imperare corpori, prius se subdat Deo; quod si illi rebellet, sentiet & sibi corpus rebelle, uti sensit Adam, violans præceptū Dei de non comedendo pomo vetito. Sic pœna superbiæ, & inobedientiæ est lapsus carnis & luxurię.

VERS. 10. Luc. 7. 9. AUDIENS AUTEM JESUS, MIRATUS EST] Tantam fidem, humilitatem, reverentiam & devotionem Centurionis, qui non erat Judæus, sed Gentilis. Unde Origenes: *Attende*, ait, *quantum sit, aut quale, quod Deus unigenitus miratur. Aurum, divitiæ, regna, principatus in conspectu ejus sunt tamquam umbra, vel flos decidens:* D *Nil ergo horum in conspectu Dei mirabile est, quasi magnum, vel pretiosum, sed tantum fides; hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi æstimat.*

An in Christo fuerit admiratio? Triplex scientia Christi.

Quæres, an in Christo vere fuerit admiratio? Suppono ex communi Theologorum sententia, in Christo, præter divinam scientiam, quam habebat qua Deus, triplicem fuisse scientiam, qua homo erat: Primo, *beatificam*, per quam Dei essentiam intuebatur, eaque fruens beabatur. Secundo, *infusam*, qua per species animæ suæ a Deo inditas ab ipso conceptionis suæ instanti omnia cognoscebat. Tertio, *experimentalem*, qua illa, quæ faciebat per scientiam infusam, quotidie per experientiam videbat & sentiebat.

Respond. Ratio. Respondeo ergo: In Christo proprie & absolute non fuit admiratio, quæ scilicet ex imo corde ejusque fundo manaret. Ratio est, quia admiratio oritur & fit in nobis ex eo, quod aliquid novi, insoliti & incogniti videamus; vel audiamus: Christus autem per scientiam infusam, jam omnia antequam fierent, cognoscebat: unde nil ei, utpote omniscio, erat novum, incognitum vel inopinatum & admirabile. Excitavit tamen Christus in se pet scientiam experimentalem, cum aliquid magni & novi experiretur, aliquem quasi superficialem actum interiorem & gestum exteriorem admirationis, ut alios idem admirari doceret. Ita S. August. quem audi l. 1. de Gen. contra Manich. c. 8. *Quis autem in illo fecerat illam fidem, nisi ipse, qui admirabatur? quod si & alius eam fecisset, ut quid miraretur qui præscius erat? Quod ergo miraretur Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri: omnes enim tales motus ejus non perturbati animi signa sunt, sed docentis magisterium.* Sic & S. Thom. 3. p. q. 15. art. 8. Hinc sapiens nihil miratur: Et Cyrus rex Persarum docebat suos nil mirari, quod rex altior sit & superior omni re mundi. Qui cum S. Paulo conversatur in cælo, nihil miratur in terra. Præclare Sanct. Cyprianus tract. de Spectaculis: *Numquam*, ait, *humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei. Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest.* Sapiens nihil miratur.

ET SEQUENTIBUS SE DIXIT: NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL] Arabicus, *in uno ex Israel*. Græce est nervosius: *Nec in Israel tantam fidem inveni*, quantam in Centurione Gentili, intellige, *non inveni*, scilicet in communi populo a tempore prædicationis meæ: nam major sine dubio erat fides in B. Virgine, Abraham, Moyse, Joanne Baptista, &c. Aut, ut S. Chrysostomus, non inveni tantam, scilicet proportionabiliter, quia hic erat Ethnicus & Centurio, cæteri erant Israelitæ & fideles: unde eadem fides in illo magis erat mira, & miranda, quam in hisce. Idem Chrysostomus præfert fidem Centurionis fidei Apostolorum, quam habuerunt initio vocationis: Origenes vero fidei Marthæ etiam & Magdalenæ. Audi S. Chrysost. *Credidit Andreas, sed Joanne dicente: Ecce Agnus Dei. Credidit Petrus, sed evangelizante sibi Andrea. Credidit Philippus, sed legendo Scripturas. Et Nathanael prius signum divinitatis accepit, & sic fidei confessionem obtulit.* Audi & Origenem. *Jairus Israelis princeps pro filia sua potens non dixit: Dic verbo, sed veni velociter. Nicodemus de fidei Sacramento audiens, ait: Quomodo hoc potest fieri? Maria & Martha dicunt: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; quasi dubitantes quod ubique posset adesse Dei potentia.*

DICO AUTEM VOBIS, QUOD MULTI AB ORIENTE ET OCCIDENTE VENIENT, ET RECUMBENT CUM ABRAHAM, ET ISAAC, ET JACOB IN REGNO CÆLORUM] *Ab Oriente & Occidente*, id est, ab extremis Gentium regionibus. Occasione enim Centurionis, qui erat Gentilis prædicit Gentium (quarum primitiæ erat hic Centurio) vocationem & Judæorum reprobationem. Alludit ad Isaiæ c. 43. v. 5. & seq. ubi a quatuor mundi plagis prædicitur Gentium vocatio, gratia, & gloria. *Recumbent*, id est, requiescent, ait S. Hilarius & Euthymius. Verum Græce est, ἀνακλιθήσονται, id est, *discumbent*, quasi in triclinio accumbent, quasi convivæ epulabuntur in opiparo convivio: huic enim regnum cælorum, ac cælestis gloria & felicitas Christi & Sanctorum sæpe comparatur, ob summam quietem, lætitiam, securitatem & satietatem. Alludit ad illud in Psal. 16. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et Psal. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hoc cæleste convivium quasi nuptiale Agni, id est Christi, graphice depingit S. Joannes cap. 19. v. 7. & seq. ac Christus Lucæ cap. 22. v. 29. VERS. 11. Luc. 13. v. 29. In cælo convivantur beati.

CUM ABRAHAM, ET ISAAC, ET JACOB] Hi tres pra aliis sanctis Patriarchis & Prophetis hic & alibi nominantur, & celebrantur. Primo, quia hi tres fuere primi Patres & Patriarchæ Judæorum, ad hoc singulariter electi, & selecti a Deo. Secundo, quia iidem erant capita Reipublicæ & Ecclesiæ Dei. Tertio, quia hi singularia dedere fidei, & religionis exempla. Quarto, quia hi tres promissionis de terra Chanaan a posteris possidenda, in typum regni in cælis eisdem eorumque affectis promissi, fuere hæredes. Unde & Deus se vocat Deum Abraham, Isaac, & Jacob, eorumque nomine apud Judæos gloriabatur.

FILII AUTEM REGNI EJICIENTUR IN TENEBRAS EXTERIORES: IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM] *Filii Regni*, id est destinati ad regnum, vocantur Israelitæ; quia hi prognati erant ex Abraham, Isaac, & Jacob, quibus, & quorum semini Deus promisit VERS. 12. Luc. 13. 28.

Digitized by Google

A rat regnum ini terrenum Judææ, ſic & ſpiritale æternæ gloriæ in cælis. Simili Hebraiſmo vocantur filii mortis, gehennæ & reſurrectionis, qui ad mortem & gehennam comminatam, aut ad reſurrectionem promiſſam a Deo deſtinati & deputati ſunt.

Moraliter ſi filius regni es, fac opera regni, fac opera digna cælo, vive ut Angelus. Sic enim Chriſtus dixit Judæis: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Joan. 8.

IN TENEBRAS EXTERIORES] gehennæ. Perſiſtit in metaphora convivii in regno cæleſti, ideoque lucidiſſimi; circa quod nota pleroſque veterum non prandiſſe, aut non niſi parce, & tenuiter per modum jentaculi, ſed cœnaſſe dumtaxat, tumque ſe exſatiaſſe & exhilaraſſe; ideoque convivia non in prandio, ſed in cœna celebraſſe, idque otii & libertatis cauſa, & ut diem, ut ait Horatius lib. 1. Ode 1. non frangerent, ſed totum negotiis darent, atque inde triclinia dicta ſunt cœnacula. De Hebræis id liquet ex Sacra Scriptura, ubi paſſim fit mentio cœnæ & cœnaculi, raro prandii, ut patet in cœna *Darii* 3. Eſdræ 3. 1. *Holophernis* Judith 12. 10. *Herodis* Marci 6. 21. *Martha* Joan. 13. 2. & 1. Corinth. 11. 20. De Eſſenis idem docet Philo lib. 2. de Vita contemplativa; imo prandii in veteri teſtamento nulla eſt mentio, niſi apud Tobiam cap. 2. verſ. 1. & Danielem cap. 13. 13. & Eſtherem, cum Judæi abducti in Aſſyriam & Babylonem, ibi inter Gentes degerent, earumque more comederent. Excipio unum Jeroboam regem Iſrael, qui Propheram, ſibi manum reſtituentem, invitavit ad prandium 3. Regum 13. 7. ſed rex hic fuit idololatra, & auctor auriſexque viculorum aureorum, quos coluerunt Iſraelitæ. Unde non mirum, ſi gulioſior prandia celebrarit. Hoc eſt, quod laudat Boetius de Conſolatione:

Felix, ait, nimium prior ætas,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ fera ſolebat
Jejunia ſolvere glande.

De Græcis id docet Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedag. cap. 2. Athenæus de Cœnis ſapientum, Hippocrates lib. de Aere & aqua, Plutarch. l. 8. Sympoſiac. qq. ſt. ubi ait, infames fuiſſe eos, qui ante cœnam manducarent; Hippocrates vero ait, eos non rectam vivendi normam ſervare. Addit Plutarchus cœnam dici quaſi κοινὴ, quod communis eſſet omnibus, cum prandium ſeorſum a privatis quaſi obiter ſumeretur. Hinc Plato, teſte Cicerone Tuſcul. 5. cum ſtomacho miratus eſt priſcos Italos & Siculos bis in die cibo impleri. Leonidas Græcorum dux contra Xerxem, & Perſas innumeros, cum paucis apud Thermopylas pugnaturus: *Prandete*, inquit, *commilitones apud Inferos cænaturi*. Alexander Magnus diſcitabat prandium condire nocturnas profectiones, cœnam vero prandii tenuitatem.

De Romanis idem docet Plutarchus loco cit. Martialis lib. 4. Epigram. ad Euphemium.

Surgite, inquit, *jam pueris vendit jentacula piſtor.*

Horat. lib. 1. Satyr. 5.

Pranſus non avide, quantum interpellet inani
Ventre, diem durare,

Idem lib. 2. Satyra 5.

Ille ſalubres
Æſtates peragat, qui nigris prandia Manis
Finiet.

Plura vide apud Alexandrum ab Alexandro lib. 5. Genial. cap. 21. & Ciacconum, ac Fluvium Urſinum libr. de Triclinio.

Porro primos Chriſtianos uſque ad veſperam jejunaſſe docet Tertullianus lib. de Jejuniis cap. 10. & alii, quos ibidem citat Pamelius, imo adhuc tempore S. Thomæ Aquinatis, qui floruit anno Domini 1290. jejunabant uſque ad nonam; nam in jejunio non niſi poſt officium veſpertinum, puta poſt tres horas a meridie, quando Chriſtus in cruce expiravit, licebat cibum ſumere, & qui prius ſumpſiſſet, cenſebatur non jejunaſſe, idque ex decreto Concilii Cabilonenſis, ut habetur de Conſec. diſt. 1. cap. *ſolent*. Vide D. Thomam 2. 2. q. 147. art. 7. ubi tamen pro *Cabilonenſis* irrepſit *Chalcedonenſis*.

Denique S. Antonium, S. Hilarionem, S. Paulum primum Eremitam, ceteroſque priſcos Aſcetas & Anachoretas quotidie jejunaſſe, nec cibum ſumpſiſſe ante veſperam patet ex eorum vita. Audi & Virgilium.

Pendent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

Nimirum comedere æſtimabant rem animalem & vilem, ideoque indignam luce & dignam tenebris; unde de ea erubeſcebant *convehantque*, ne ſol eos comedentes aſpiceret.

Quia ergo olim non prandebant in meridie, ſed cœnabant veſpere & noctu; idcirco copioſo utebantur lumine: unde Lucretius lib. 2.

Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Sic & Horatius lib. 3. Ode 2. In cœnaculis ergo & conviviis lux erat, extra eo vero erant tenebræ, quæ proinde hic vocantur *exteriores*, quia extra convivium ſitæ. Græce enim non eſt, ἔσχατας, id eſt, extremas, ſed ἐξώτερον σκότος, id eſt, externa caligo, quæ ſcilicet exterius & extra convivii locum reperitur. Unde Lucas c. 13. 28. habet: *Videbitis vos expelli foras*. Senſus ergo eſt, q. d. Filii regni, id eſt Judæi, in Patribus Abraham, Iſaac, & Jacob deſtinati ad regnum cæleſte, ob ſuam perfidiam, qua in Chriſtum credere noluerunt; a regno epuloque cæleſti expellentur in gehennæ tenebras exteriores, Græce ἐξώτερας, id eſt, a luce cæleſtis convivii regnique extorres, alieniſſimas, & remoriſſimas, nimirum profundiſſimas, & obſcuriſſimas. Gehenna enim eſt in centro terræ, quod a ſuperficie terræ diſtat tribus millibus milliarium & amplius: quare tanta terræ opacitas magnas cauſat in gehenna tenebras. Id ita eſſe patet: primo ex eo, quod Hebr. חוץ *chutſon*, quod hic eſt in Matthæo, dicatur a חוץ *chuts*, ſicut Græcum ἐξωτέρω ab ἔξω, id eſt, exterior ab extra; quia ſcilicet hæ tenebræ ſunt extra regnum & convivium cæleſte, in quo epulantur & regnant beati quaſi filii lucis. Secundo, quia ſimili modo Chriſtus c. 22. 13. ſervum non habentem veſtem nuptialem, ejecit e convivio in tenebras exteriores. Tertio, quia pari ratione ait Joannes de gehenna & damnatis Apoc. cap. 14. 20. *Calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu uſque ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta*. Nam poſt diem judicii duo tantum erunt loca hominum, ſcilicet cælum pro electis & beatis, ac gehenna, ſive lacus & tartarus pro reprobis & damnatis; quare qui a cælo, ubi erit civitas regni & convivii lucidiſſima, excludentur, hi extra illud relegabuntur in lacum & tartarum obſcuriſſimum. Et hoc eſt, quod ait Lucas 13. 28. *Cum videritis Abraham, &c. in regno Dei, vos autem expelli foras*. Et v. 25. *Cum intraverit paterfamilias & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare*. Et Chriſtus Joan. 6. 37. *Eum, qui venit ad me non ejiciam foras*. Et cap. 15. 6. *Mittetur foras, ſicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet*. Et Apocal. 3. 12. *Qui viceris, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egrediatur amplius*. Et cap. 11. 2. *Atrium autem*, &c. *Ejice foras*. Et cap. 22. 15. *Foris canes & venefici*. Ita S. Hieronymus. Quare minus recte Cajetanus cenſet tenebras exteriores opponi interioribus, quæ animum obſcurant: exteriores ergo eſſe ſenſibiles, quæ lucem ſenſibilem excludunt, interiores vero eſſe ſpirituales, quæ luce interna mentem ſpoliant.

Porro *exterior* licet ſit comparativus, tamen vicem habet poſitivi, quia poſitivo caret; aut potius ſuperlativi, ut vult Janſenius; exterior ergo, id eſt extimus, extra domum vel locum longe poſitus. Tenebræ igitur exteriores ſunt tenebræ a cælo & luce remotiſſimæ, tartareæ, profundiſſimæ. Magna enim erit pœna damnatis, cælo, id eſt conſortio Dei, Angelorum & Beatorum excludi, ac relegari cum diabolis in tenebroſum gehennæ ergaſtulum, imo tartarum: quæ a Theologis vocatur pœna damni, & æquiparatur, imo a multis præponitur, quaſi gravior & acerbior, pœnæ ſenſus, puta igni & combuſtioni, quæ tamen hic per tenebras exteriores quoque intelligitur. Denique regnum cælorum, qui eſt locus Beatorum lucidiſſimus & feliciſſimus, vocatur convivium, quia plenum omni voluptate & gaudio, omnibuſque deliciis, quibus perpetim quaſi epulantur Sancti. Per tenebras enim exteriores denotat carcerem inferni eſſque tormenta, per ſynecdochen & metonymiam, quia ibi ignis uti ferventiſſimus, ita & fumoſiſſimus ac tenebroſiſſimus, damnatos torquet, teſte S. Baſilio in priori expoſit. Pſal. 28. atque ad hoc tantum lucet ignis ille, ut damnati ſuas pœnas ſuorumque ſociorum videant & augeant, uti docet S. Gregorius lib. 9. Mor. c. 48. & 49.

Denique per tenebras hic accipe tum corporales tum ſpirituales. Unde S. Auguſtinus in Pſ. 6. per tenebras has accipit cæcitatem mentis, ex judicio practico in damnatis falſiſſimo, & perverſiſſimo, atque ex ſummo Dei vindicis odio manantem, inſuperque conſequentem obſtinationem

Nihil comedunt, ne prandeant.

Judæi.

Romani.

Christiani primi.

Exteriores tenebræ quæ?

Digitized by Google

A riem & impœnitentiam. Damnati enim ex odio & rabie in Deum, eo quod eos adeo cruciet in gehenna, judicant Deum, virtutes, omniaque, quæ Deus amat, sibi esse odienda; unde nil nisi malum amare possunt ex summa in Deum rabie ac salutis suæ desperatione.

IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM] Hac phrasi significatur summus damnatorum in gehenna cruciatus, scilicet, per fletum summus dolor, per stridorem summus horror: qui enim horrende torquentur & cruciantur, hi oculis flent, voce ejulant, dentibus stridem.

An damnati lacrymêtur? Respond negative, Ratio.

Quæres; an vere damnati in gehenna, resumpto in die judicii corpore, flebunt, & lacrymas fundent? Affirmat Maldonatus: Melius alii negant, tum quia ignis gehennæ ardentissimus lacrymas omnes, si quæ essent, cohiberet & illico desiccaret; tum quia ad æternas has lacrymas per omnia sæcula duraturas infinita flumina non sufficerent: tum quia eadem semper corpore sine nutrimento, mutatione & excretione fæcium vel lacrymarum, in æterno igne a Deo integra conservabuntur; alioqui enim sensim totum corpus, imo infinita corpora in lacrymas resolvi deberent. Per fletum ergo, & lacrymas hic catachristicos accipe singultus, gemitus, ejulatus, B omnesque complorantium gestus & lamenta, quæ fletui conjungi solent.

An strideat dentibus? Respo. affirmative

Quæres secundo, an in gehenna vere erit stridor, quo damnati dentibus strideant? Respondetur affirmative: stridor enim hic oritur ex acerbitate & horrore pœnarum: qui enim in eculeo torquentur, dentibus stridem, eosque inter se collidunt. Addunt aliqui, in gehenna esse stridorem ex summo frigore; ex eo enim proprie oritur stridor dentium: licet enim Jansenius & alii, in gehenna censeant esse merum summumque ignem, ideoque negent ibi esse frigus; tamen multi contrarium opinantur, scilicet, ibi quoque esse summum frigus, illoque cruciari, & uri damnatos, juxta illud Job 24. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*. Ita Philippus presbyter, Beda, Lyranus, & D. Thomas ibidem, ac S. Augustinus lib. de Triplici habitac, c. 2. & S. Hieronymus in c. 10. S. Matth. qui ait *triplicem esse gehennam, nimii ignis, & frigoris, in Job* (c. 24. 16.) *plenissime legimus*, quasi ideo dicatur gehenna ignis, quod sit & gehenna frigoris. Sed hæc de re plura in Job c. 24. 13.

An in inferno sit frigus?

VERS. 13. Luc. 7. 10. ET DIXIT JESUS CENTURIONI: VADE, ET SICUT CREDIDISTI (Arabicus, *secundum fidem tuam*) FIAT TIBI. ET SANATUS EST PUER IN ILLA HORA] Eodem momento, quo Jesus dixit, *fiat*. *Vade*, id est, Redi lætus & alacer C domum tuam. Est particula annuentis & concedentis id quod petitur; unde sequitur: *Et sicut credidisti, fiat tibi*: Credidisti me absentem solo verbo posse servum tuum curare, curetur ergo absens verbo meo, *fiat*. Hinc videtur quod Christus non sit ingressus domum Centurionis, nec servum ejus tetigerit, aut allocutus sit, sed in loco, ubi ei occurrit Centurio, dicens: *Domine non sum dignus*, &c. *sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*, illo eum curarit, ut eum in fide confirmaret, seseque Messiam, imo Deum esse ostenderet, nimirum: Magna fides magna meretur, magna fiducia magna impetrat: Quantum a Deo speras, tantum obtinebis. Unde S. Bernardus serm. 15. in Psalm. *Qui habitat*, illud Dei ad Josue cap. 1. promissum: *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vester erit*, tropologice explicans, ait: *Sperate in Deo omnis congregatio populi: quemcumque enim locum calcaverit pes vester, vester erit: pes vester utique spes vestra est, & quantumcumque illa processerit, obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit & non titubet*: quia Deus cum sit liberalissimus, ac fiducia, quam in eo collocamus, valde honoretur, non patitur se fiducia nostra vinci, sed eam superare destinat. Unde illud ejusdem Sancti Bernardi serm. 3. de Annunt. *Sola spes apud te* (Domine) *misericordiæ obtinet locum, nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponit*.

Quantum speras tantum impetras.

Tropologice a Centurione discant heri, quantam servis curam impendere, quantoque pretio eos habere debeant; illi enim hic servus erat *pretiosus*: ut ait Lucas, ideoque Christum tanto seniorum, & amicorum impendio ad eum curandum evocavit: sic vicissim servi heris majori studio, amore, & reverentia obsequentur. Audi Ecclesiast. c. 33. 31. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta*. Vide ibi dicta. Sapienter Seneca licet Gentilis epist. 47. *Servi*, inquit, *sunt? sed homines. Servi sunt? imo contubernales. Servi sunt? imo homines amici. Servi sunt? imo conservi, si cogitaveris tantumdem in utroque licere fortunæ*. Deinde subdit exempla servorum, qui bene ab heris habiti pro eis *parati* erant *porrigere cervicem, & periculum imminens in caput suum avertere*. Quare falsum est quod jactatur vulgo: *totidem esse hostes, quot servos*. Nam *non habemus illos hostes*, inquit, sed *facimus* inhumaniter eos tractando. Quare quilibet herus superior & prælatus id faciat suis servis & subditis, quod hic Centurio fecit famulo suo, præsertim ut eos ad Christum magis a morbis animæ, quam corporis sanandos adducat. E

Mystice, Centurio est quilibet homo, qui suis membris, sensibus, viribus, & potentiis quasi militibus præest, ut militent & serviant Deo. *Militia* enim *est vita hominis super terram*. Job 7. Quare si quis in eo sensus vel appetitus languet, & paralysi gulæ, acediæ, luxuriæ, superbiæ, &c. laboret, adeat, invocetque Jesum cum humilitate, & fiducia per amicorum, id est, Sanctorum intercessionem, nec desistat, donec illi sanitatem impetret.

VERS. 14. ET CUM VENISSET IN DOMUM PETRI, VIDIT SOCRUM EJUS JACENTEM ET FEBRICITANTEM] Est hysterologia, sive inversus ordo. Hoc enim miraculum, & cætera Christi gesta, quæ deinceps narrat Matthæus usque ad finem cap. 9. contigerunt ante curationem leprosi & servi Centurionis, imo ante ascensum & sermonem Christi in monte, ut colligitur ex Marci cap. 1. 22. & 29. ac Lucæ c. 4. v. 23. & 38. atque ex ipso Matthæo: sermo enim Christi in monte habitus fuit coram duodecim Apostolis, ac consequenter coram ipso S. Matthæo, qui tamen suam vocationem post hæc describit cap. 9. v. 9. Nimirum voluit Matthæus initio prædicationis Christi breviarium conscribere doctrinæ editum a Christo in monte, ac deinde miracula, quibus eamdem Christus tam ante sermonem, quam post eum confirmavit, ordine pertexere; quia hoc miraculum curationis socrus Petri contigit Capharnai, ubi & contigit curatio leprosi, & servi Centurionis, sed hæc post sermonem, illud ante eum, ut dixi. Hæc ergo est series rei gestæ, ut patet ex Marco, & Luca: Christus cum a piscatione Petrum, & Andream vocasset ad sui sequelam, uti narravit Matth. cap. 4. 18. ingressus Capharnaum, ibi in Synagoga prædicavit, & sanavit dæmoniacum, indeque pergens ad domum Petri, ibi socrum ejus febricitantem sanavit. Hoc ergo miraculum & cætera sequentia usque ad finem c. 9. Matthæi, recto historiæ ordine anteponenda forent, & inserenda c. 4. Matthæi statim post vers. 22. F G

Luc. 4. 38. Mar. 1. 29. 30.

Domus Petri ubinā?

IN DOMUM PETRI] Quæ Petri & Andreæ, ut habet Marcus cap. 1. v. 29. paulo ante fuerat: jam enim uterque omnia reliquerat, Christumque pauperem pauper secutus erat. Domus ergo hæc erat Bethsaidæ: hæc enim erat patria Petri. Joan. c. 1. v. 44. ac Bethsaida vicina erat urbi Capharnaum; ab ea enim distabat tantum itinere sesquihoræ: aut certe domus hæc erat ipsius socrus Petri, quæ habitabat in ipsa urbe Capharnao, apud quam proinde urbem ingrediens divertere solebat Petrus: Capharnai enim hæc contigisse insinuant Marcus & Lucas. Socrus hæc erat mater uxoris sancti Petri: ipse enim a conjugio vocatus est a Christo, tumque reliquit uxorem & filiam ex ea genitam, quæ postea a patre Petro, dicta est Petronilla, ac secutus est Christum: In Evangeliis autem nemo Apostolorum legitur habuisse uxorem, nisi solus Petrus. Porro uxor S. Petri vocabatur Perpetua, ait Molanus die 4. Novembris, licet alii Concordiam, alii Mariam nominatam dicant, quæ ad Christum conversa, cum ob ejus fidem duceretur ad martyrium, corroborata fuit a sancto Petro, dicente. *O conjux, memento Domini*, Christi scilicet, qui pro te mortem crucis alacriter sustinuit, ut pro eo vicissim generose sanguinem profundas. Uti narrat Clemens Alex. lib. 2. Strom. & ex eo Eusebius lib. 3. Histor. cap. 30. Petronilla autem ob egregiam formam a Flacco Comite in conjugem appetita, cum tres induciarum dies postulasset, tertio die, a Nicomede sacerdote percepta sacra Synaxi, in virginitate animam Deo reddidit, ac inter sanctas virgines relata, extat in tabulis Ecclesiasticis ultima die Maii, ejusque sacra lipsana hic Romæ veneramur in Basilica Sancti Petri. H

Uxor S. Petri martyra

S. Petronilla S. Petri filia.

VIDIT SOCRUM EJUS JACENTEM] Græce βεβλημένην, id est, dejectam & prostratam: viribus eam omnino deficientibus ex gravitate tum morbi, tum ætatis (erat enim vetula) ideoque in periculo mortis constituram. Acutas & ardentes fuisse febres, ideoque in vetula incurabiles, ex

Hippocr.

Digitized by Google

A Hippocr. docet Guilielm. Ader medicus lib. de Ægrotis a Christo sanatis cap. 8.

ET FERRICITANTEM] *Magnis Febribus*, ait Lucas c. 4. 38. Græce πυρέσσουσαν, id est, febrientem, æstuantem. Græce enim πύρεσσω dicitur a πῦρ, id est ignis, sicut Latine febris a fervendo, ait Servius, febris enim est calor exæstuans & versus in ignem. Hinc Tropologice febris animæ est ignis concupiscentiæ, puta ardor & æstus libidinis, gulæ, superbiæ, invidiæ, &c. Audi S. Ambrosium lib. 4. in Lucæ c. 4. 38. *In typo socrus Simonis & Andreæ, variis criminum febribus caro nostra languebat, & diversarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates. Unde & Apostolus ait, si non se continent, nubant: melius est nubere, quam uri: Febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumque pertentant.* Subjicit luxuria febrientis exemplum Theotimi, qui audiens a medico se perditurum oculos, si uxori misceretur, libidine victus exclamavit: *Vale amicum lumen.* Sic *Febre*, ait S. Ambrosius, *libido flagrantior est, graviusque præcipitat, & inflammat. Sed ubi quis respuerit a furore, tunc conscientiæ interioris aperitur visus, factique pœnitentia succedit, & pudenda sui quisque facinoris erubescit. Tunc Deus timetur, & peccator se cupit celare, sed non potest; tunc caro arguitur, diabolus accusatur: hæc quasi lena vitiorum, ille quasi auctor erroris.*

Febris est ardor concupiscentiæ.

B Christus ergo e cælo Medicus venit, ut æstum hunc febris concupiscentiæ in nobis rore gratiæ suæ restinguat; & sanet, quæ proinde sic febrienti assidue invocanda est.

Quicumque ergo laboras febri luxuriæ, non dico ut monasticam vitam capessas, non ut corpus ciliciis & disciplinis conficias, non ut aquam bibas, sed rem facilem & efficacem suggero: sæpe sume sacram Synaxin, & per illam induc Christum in domum animæ tuæ: ipse est virgo & virginis filius, ac verginea sua carne æstum hunc restinguet. Sane hoc potentissimum esse contra luxuriam remedium; & sacra Scriptura docet, & SS. Patres testantur, & experientia quotidiana comprobat. Hoc est enim *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, de quo Zach. c. 9. v. ult. Vide ibi dicta.

C Novem analogiæ febris, & concupiscentiæ.

Porro novem sunt analogiæ febris corporis & animæ. Primo, febris fit, cum noxius humor & vitiosus calor, naturali calori repugnans, cor afficit vel inficit: Sic febris animæ fit, cum voluntas hominis noxio amore concupiscentiæ, qui Dei amori repugnet, imbuitur. Primo.

Secundo, sicut febris tollit temperiem humorum, & qualitatum in corpore; sic febris animæ tollit temperiem passionum, affectuum, & actionum ejusdem. Secundo.

Tertio, sicut febris ex pulsu inordinato dignoscitur; sic febris animæ ex cogitationibus & sollicitudinibus nimiis, mentem crebro pulsantibus. Tertio.

Quarto, Quarto, febris excitat sitim, quam febrientes bibendo non extinguunt, sed acuunt & augent: sic febris animæ excitat sitim opum, honorum, voluptatum, quæ eas hauriendo non extinguitur, sed augetur, juxta illud: Quarto. D

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Quinto, febris ex frigore oritur & desinit in calorem & æstum: sic febris animæ sæpe oritur ex negligentia, otio & torpore: inde enim cupiditas ardorque luxuriæ, gulæ, superbiæ accenditur & inardescit. Quinto.

Sexto, febris gustum vitiat, ut dulcia, & mellea ei videantur amara, eo quod ipse pravo humore infectus sit: sic febris animæ facit, ut res divinæ, conciones, lectiones spirituales, colloquia pia, monita sancta ei desipiant. Sexto.

Septimo, Septimo, febris corpus sanum, pulchrum, vegetum facit infirmum, pallidum, deforme, exsuccum, & horridum: sic febris animæ eamdem facit debilem, turpem, spiritu vacuam, enervem, & horridam.

Octavo, Octavo, febris hominem agitat, nec quiescere sinit sive pronus, sive supinus, sive in latus decumbat: sic febris animæ facit hominem inquietum, ut nusquam consistat figatque mentem, sed ab una cupiditate, utpote brevi & instabili, labatur in aliam & aliam.

Nono, Nono, febris una subinde gignit aliam & aliam, sic unum vitium parit aliud & aliud; nam acedia parit gulam, gula luxuriam, invidiam, &c. Denique febre pestilente laborat hæreticus; hectica, & lenta otiosus & acedus; quotidiana gulosus; tertiana inconstans; quartana luxuriosus; tumida superbus; sitibunda avarus. E

ET TETIGIT MANUM EJUS, ET DIMISIT EAM FEBRIS, ET SURREXIT ET MINISTRABAT EIS] Marcus cap. 1. 31. *Apprehensa*, ait, *manu elevavit eam.* Lucas cap. 4. 39. *Stans super illam*, non quod pede illam calcarit, sed *super*, id est, juxta illam, scilicet, modico inflexo capite versus illam quasi incubuit super eam, velut compellans, jubensque elevata manu, ut surgeret, ac febri, ut discederet. Addit Lucas, *imperavit febri*. Græce ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ, id est, *increpavit febrim*, hoc est cum valida auctoritate, & quasi comminatione jussit febri, ut faceſſeret. Unde Euthymius: ἐπετίμησε, ait, *non est hic proprie increpavit, sed præcepit.* Præclare B. Petrus Chrysologus serm. 18. *Videtis*, ait, *quomodo dimisit febris, quem tenuerit Christus: ibi non stat infirmitas, ubi auctor salutis assistit: accessus illuc mortis nullus est, ubi vivificatoris ingressus est. Tenuit*, inquit, *manum ejus. Quæ necessitas tangendi erat, ubi inerat jus jubendi? Sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum ejus, ut quod manus præsumentis amiserat, manus reperaret auctoris. Tenuit manum ejus, ut acciperet indulgentiam manus, quæ carpserat de morte sententiam.* VERS. 15 Luc. 4. 39. Mar. 1. 31. F

ET DIMISIT EAM FEBRIS, ET SURREXIT] *Centurio*, ait Lucas, scilicet, eodem instanti, quo Christus eam tetigit, non tantum curata est a febri, sed ita valida affecta, ut surgeret, & Christo cum Petro & sociis ad mensam accumbenti ministraret, nimirum sanitate recepta sapienter usa est non ad otium, sed ad Christi sanantis obsequium. Tropologice. Cum aliquo animæ morbo, & vitio laboras, Christum adi, & invoca, ut sanet te, faciatque ut sanatus non otiose vivas; sed sudulo ei servias.

VESPERE AUTEM FACTO, OBTULERUNT EI MULTOS DÆMONIA HABENTES, ET EJICIEBAT SPIRITUS VERBO, (solo jussu dicens: exite) ET MULTOS MALE HABENTES CURAVIT] *Manuum impositione*, ait Lucas cap. 4. 40. scilicet non dedignatus est Christus manibus suis purissimis, & divinis tangere ulceroſos, sanioſos, scabioſos, leproſos, &c. ut contactus sui divini vim & efficaciam ostenderet, illico omnes sanando. Porro Deus permisit tempore Christi multos ægrotare & a dæmone possideri, ut Christo daret materiam exercendæ misericordiæ, & omnipotentiæ suæ in eis sanandis declarandæ. VERS. 16 Luc. 4. 40. 41. Mar. 1. 32. 34. G

UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER ISAIAM PROPHETAM, DICENTEM (cap. 53. vers. 4.) IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT, ET ÆGROTATIONES NOSTRAS (Arabicus, *dolores nostros*) PORTAVIT] Verba hæc Isaiæ duplicem habent sensum: Primus est de morbis animæ, id est peccatis, eorumque pœnis, quas in se suscepit, & in cruce exolvit Christus, & hoc maxime intendit Isaias; ut patet ex sequent. & ex verbo *portavit*. Secundus est de morbis corporis, quæ typi sunt æque ac effectus morborum animæ, quos Matthæus hic ait Christum portasse, non quod eos in se susceperit, hoc enim indecens fuisset, & impedimentum Christo ad circumeundum Judæam, in eaque prædicandum, sed quod portarit eos per compassionem, sublatis scilicet ipsis morbis morbidisque personatis, sicut medicus dicitur per compassionem, & curam portare & sustentare ægros, dum eorum ægritudines lenit, curat, & sanat: Unde Syrus vertit, *Ægritudines nostras sustinebit*: quomodo Apostolus ait: *Alter alterius onera portate*. Galat. 6. præsertim quia Christo tot cruciatus ipsamque crucis mortem pertulit, ut omnes infirmitates ipsamque mortem vel in hac vita, vel in resurrectione aboleret, hoc est, peccatum cum omni sua prole, & pœna tolleret. Sicut ergo Christus peccata nostra portavit, sic & morbos pœnasque nostras: hæ enim e peccato manarunt, adeoque Christus habuit potestatem morbos curandi ex eo, quod eos ipse in se luendos, & in cruce expurgandos susceperit. Ita S. Chrysost. & Origenes. Vide dicta Isaiæ c. 53. 4. VERS. 17 H Chr. curavit morbos, quia eos luit in cruce.

VIDENS AUTEM JESUS TURBAS MULTAS CIRCUM SE, JUSSIT IRE TRANS FRETUM] Jesus prædicans sananſque ægros juxta mare Galilææ, sive stagnum Genesareth, cum turba plurima affluereret, eumque obrueret, ut eam effugeret, jussit discipulis ut navim conscenderent, & secus stagnum hoc trajicerent, docens nos in bonis operibus VERS. 18 Luc. 8. 22. Mar. 4. 35.

Digitized by Google

A bus ſtudioſe autem popularem & vanam gloriam vitare debere, ac myſticè amaros ſæculi fluctus pertranſire, ait Gloſſa.

VERS. 19 ET ACCEDENS UNUS SCRIBA (id eſt legiſperitus, ſive doctor) AIT ILLI: MAGISTER, SEQUAR TE QUOCUMQUE IERIS) Scriba hic videns Jeſum parare abitum, ut tranſfretaret, motus ejus prædicatione, miraculis, & populi applaudentis concurſu, cupivit ei aſſociari; unde ait: *Sequar te*, velut diſcipulus magiſtrum, uti faciunt Apoſtoli cæterique tui ſequaces. q. d. Cupio velut diſcipulus me tibi tradere in diſciplinam, ut a te velut ſummo ſapientiæ magiſtro erudiar, former & dirigar ad omnem ſapientiam, honorem & gloriam.

Luc. 9. 57.

VERS. 20 ET DIXIT EI JESUS: VULPES FOVEAS (Græce φωλεὸς, id eſt, cavernas, ſpeluncas) HABENT, ET VOLUCRES CÆLI NIDOS (Græce κατασκηνώσεις, id eſt, umbracula ex ramis & frondibus arborum contexta. Sanctus Cyprianus lib. 1. ad Quirinum cap. 11. & S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 48. vertunt *diverſoria*) FILIUS AUTEM HOMINIS NON HABET UBI CAPUT RECLINET] q. d. Vilia, inutilia & noxia animalia, uti ſunt vulpes, & aves, præſertim rapaces, habent ſuos nidos: at filius hominis, B id eſt, ego natus ex virgine, & factus homo, nil habeo proprii, ne pulvinar quidem, aut lectum, vel ſcamnum, in quo feſſum caput corpuſque reclinem: Me ergo ditiores ſunt vulpes, & aves, ac plus commoditatis habent, quam habeam ego. Putas me commode lauteque vivere? falleris; nam ego ne quidem tantum habeo proprii, quantum aves & vulpes, quæ parvas & paupertimas habent domos ad quieſcendum, ſuoſque catulos, vel pullos educandum.

Luc. 9. 58.

Scribam avarum perſtringit Chriſtus.

Deregit latens avaritiæ ulcus in Scriba. q. d. Tu cupis me ſequi, quia vides me populo eſſe gratum ob ſanitates & beneficia, quæ ei confero. Unde ſperas te in mei ſequela poſſe rem tuam augere, & multa bona corradere, quaſi ego ex Evangelio me meoſque locupletem; ſed erras; quia ego velut perfectionis magiſter, pauper ſum & paupertatis ſtudioſus, taleſque volo eſſe meos diſcipulos, ut, expediti a cura rerum temporalium, toti vacent mihi & Deo, ac prædicationi, in qua ſatagant verbo, & exemplo, omnes ad cæleſtia ipſumque cælum traducere: Quod audiens Scriba, ſiluit ac ſpe ſua fruſtratus, ab oculis Chriſti ſe ſubduxit, ut tacite hic inquit Matthæus. Simili modo Chriſtus filiis Zebedæi per matrem primas in regno ſuo petentibus, reſpondit, propinavitque ſuum calicem paſſionis & martyrii: *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*? Matth. 20. 22. Ita S. Hilarius, Theophylactus, Euthymius, & S. Hieronymus: *Quid*, inquit Hieronymus, *me propter divitias, & ſæculi lucra ſequi vis, cum nec hoſpitiolum habeam*? Et S. Auguſtinus de Verbis Domini: *Elatus*, ait, *& doloſus non me ſequeris*. Idem S. Auguſtinus de Quæſt. Evang. quæſt. 5. *Intelligitur*, inquit, *hic miraculis motus Chriſtum ob jactantiam ſequi voluiſſe, quam ſignificant aves, & diſcipuli, obſequium finxiſſe, quæ fictio vulpis nomine ſignificata eſt*. Et Interl. *Elatio*, ait, *nidum fecit cor tuum*.

C

Hac Chriſti ſententia S. Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum, eum ad ſuam in Syria eremum invitans, extimulat: *Filius hominis*, inquit, *non habet ubi caput reclinet, & tu amplas porticus, & ingentia tectorum ſpatia metiris*? *Hereditatem expectans ſæculi, Chriſti coheres eſſe non poteris*. Et paulo ante: *Cur timido animo Chriſtianus es*? *Reſpice a Petro relictum rete, reſpice ſurgentem de telonio publicanum ſtatim Apoſtolum*, &c. *Servus Chriſti nihil præter Chriſtum habet*.

D

Paupertas Evangelica commendatur.

Hoc Chriſti exemplum imitentur religioſi, per profeſſionem paupertatis Deo ſe unientes, & ab ejus providentia alimoniam expectantes. Unde S. Franciſcus ad eam ſuos exhortans, ne erubeſcerent mendicare: [Nolite, *inquit*, verecundari petere eleemoſynam, quia Dominus pro nobis fecit ſe pauperem in hoc mundo, cujus exemplo elegimus viam veriſſimæ paupertatis. Si enim ipſius amore viam paupertatis elegimus, non debemus confundi ſtipem mendicare: arrham cæleſtis hereditatis erubeſcere, nequaquam convenit regni cælorum heredibus. Hæc eſt enim hereditas noſtra, quam acquiſivit, & reliquit nobis Dominus Jeſus Chriſtus & omnibus, qui ſuo exemplo vivere volunt in ſancta Paupertate. *Addebat petentes ſtipem plura offerre dantibus, quam ab iis reciperent*: Quoniam, *inquit*, offertis eis amorem Dei dicentes: Amore Domini Dei faciatis nobis eleemoſynam, cujus comparatione nihil eſt cælum & terra. *Et rurſum*: Evangelica hæc paupertas, *ait*, noſtri ordinis eſt fundamentum, ut ipſius firmitate firmetur, & everſione funditus evertatur. Quantum itaque fratres declinabunt a paupertate, tantum mundus declinabit ab eis, ac quærent, & non invenient. Si Dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati ſunt ad ſalutem, debent enim ipſi mundo bonum exemplum, debet eis mundus proviſionem neceſſitatum; quando autem ipſi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahet mundus manum juſta cenſura. *Ita Annales Franciſcanorum*.] E

Hæreſes circa paupertatem:

Ex hoc ergo loco refellitur hæreſis damnantium voluntariam paupertatem, quam profitentur religioſi, cujus auctor fuit quidam Deſiderius Longobardus tempore Alexandri IV. Pontificis, & alius eodem tempore dictus Guilielmus de Sancto Amore, quos valide confutarunt S. Thomas, & S. Bonaventura. Perperam tamen ex adverſo ex hoc eodem loco inferebant hæretici, dicti Apoſtolici, paupertatem hanc omnibus Chriſtianis eſſe neceſſariam ad ſalutem, teſte S. Auguſtino hæreſi 40. Perperam quoque ex eodem concluſerunt Vadiani ſive Anthropomorphitæ, ac Waldenſes ſive pauperes de Lugduno, & VVicleph Epiſcopis & ſacerdotibus non licere habere poſſeſſiones, ſed eos debere ex eleemoſynis ſolis vivere, quia ex eis vixit Chriſtus: Chriſtus enim hoc fecit, & conſuluit, ut perfectius, non autem præcepit, ut neceſſarium ad ſalutem. Unde hic error multis decretis, & Conciliis refutatur 12. quæſt. 1. 2. 3. 4. 5. F

Paupertatis vis in quo?

Rurſum ex hoc loco patet paupertatem ejuſque vim & medullam in eo conſiſtere, ut quis nil habeat proprii, nec ulli rei, quaſi propriæ afficiatur, ſed affectum ab omni re propria liberum ſoli Deo ſervet & reſignet, cui non repugnat; imo conforme eſt poſſidere in communi res ad vitam neceſſarias. Unde religioſi omnes, præter Franciſcanos, ex decreto Concilii Trident. ſeſſ. 35. cap. 3. poſſunt habere bona, etiam immobilia, in communi; ne cogantur mendicare eſſeque ſolliciti de victu quotidie conquirendo, neve fidelibus ſint graves & oneroſi; Chriſtus enim cum Apoſtolis habuit bona in communi, quorum receptor & diſpenſator erat Judas, ut patet Joan. 12. 6. Eadem habuere, & haberi juſſere religionum Fundatores ſanctiſſimi & doctiſſimi, ut S. Auguſtinus (qui epiſt. 109. jubet monialibus, ut ſi quid in ſæculo habuerint, id in monaſterio velint omnibus eſſe commune) S. Baſilius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Bruno & cæteri. Vide S. Thomam 2. 2. quæſt. 188. art. 7. quin & Juſtinianus Imp. Authent. Collat. 1. conſtit. 5. §. *ibid.* & collat. 9. Conſtit. 15. §. *Si qua.* edidit legem, qua jubet ut eorum bona, qui monachi fiunt, eo ipſo ad monaſteria pertineant. G

Tropologice.

Tropologice S. Gregor. 19. Moral. cap. 1. *Vulpes fraudulentæ*, inquit, *in ſpecubus abſcondunturs, & tortuoſis anfractibus currunt: aves volatu ſe ſublevant: Significantur ergo fraudulentæ, & elata dæmonia in illius corde habitare, nec poſſe Chriſti humilitatem in ſuperba mente quieſcere*. Et Raban. *Hæretici, ut vulpes, verſuti, ut volucres, id eſt maligni ſpiritus, in Judæorum cordibus nidos habebant*.

Symbolice S. Bern. in declamat. *Prudentia carnis*, ait, *in fovea vulpis; in nido volucris arguit cordis elationem. Prudentia carnis eſt, qua aliqui abrenuntiantes ſæculo, totos ſeſe divino committere nutui formidantes, aliquid ſibi reſervant quod totam maſſam corrumpit*.

Tritum eſt illud S. Baſilii ad Senatorem ſæculo renuntiantem, ſed ea lege, ut aliquid e bonis ſibi reſervaret: *Senatorem perdidiſti, & monachum non effeciſti*, quod citat laudatque Caſſianus, & alii. H

FILIUS HOMINIS] Id eſt, homo ab homine prognatus: ita paſſim ſe vocat Chriſtus ſtudio humilitatis, quia ipſe, cum eſſet Deus, pro nobis dignatus eſt incarnari fierique homo.

Filius hominis Chriſtus cujus? Prob. Primo.

Sed cujus hominis filius eſt Chriſtus? Primo Gentiles per hominem intelligebant Joſeph, unde eum ex ſemine Joſeph, non ex Spiritu Sancto genitum, natumque eſſe contendebant, ut teſtatur S. Juſtinus quæſt. 66. ad Orthodoxos. Verum ex Scriptura, & Symbolo conſtat Chriſtum conceptum eſſe ex Spiritu Sancto, & natum ex Virgine Maria.

Secundo.

Secundo, Theophylactus: Chriſtus, ait, & filius hominis, id eſt, filius B. Mariæ Virginis & Matris ſuæ: *homo* enim eſt communis generis, tamque de femina, quam de viro dicitur, æque ac Græcum ἀνθρωπος. Verum obſtat articulus maſculinus ὁ ἀνθρωπος, id eſt, hominis viri.

Tertio,

Digitized by Google

A

Tertio, melius alii: Christus, inquiunt, vocatur filius hominis, id est, filius Abrahæ vel Davidis: his enim promissum est, quod ex eorum posteris nasceretur Messias, sive Christus: unde horum filius in Scriptura vocatur Christus.

Tertio.

Quarto, alii: Christus, inquiunt, est filius hominis, id est, hominum, puta Patriarcharum, & regum, ex quibus genealogiam Christi Matthæus contexuit, cap. 1.

Quarto.

Quinto, & optime, Christus est filius hominis, scilicet Adæ, quia ex Adam æque ac cæteri homines prognatus est. Adam enim absolute vocatur homo, quia primus fuit homo & parens cæterorum, unde Adam Hebr. idem est, quod homo; alludit enim ad Ezechiel. cap. 2. v. 1. ubi Ezechiel, qui fuit Christi typus, vocatur *filius hominis*, Hebr. בן אדם *ben Adam*, id est, filius Adæ. Unde S. Gregorius Nazianz. Orat. 4. de Theolog. Christus, ait, dicitur filius Adam, ut sonant Hebræa, ut se patrem hominem non habere ostendat, sed per Virginem matrem ex Adam usque genus traxisse. Nasci enim voluit ex Adam, ut Adami, & posterorum in eo lapsum repararet. Unde & S. Aug. lib. 2. de Consensu Evang. c. 1. *Commendat nobis*, inquit, *quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis, & velut mysterium commendans admirabilis incarnationis suæ, nomen hoc sæpius auribus nostris insinuat.*

Quinto, Genuine, Christus, est filius hominis, scilicet Adæ.

B

Plus autem significat filius hominis, quam homo, quia homo potest creari a solo Deo, uti creatus est Adam; filius autem hominis significat prognatum ex Adam communi parente, ut significetur primo immensa Christi humilitas, qua ex peccatore nasci dignatus est, ejusque miserias, & mortem in se suscipere in terreno corpore a sese assumpto, Adam enim dicitur ab *Adama*: sicut *homo* ab *humo*, *mortalis a morte*. Vide dicta Ezech. 2. v. 1. Secundo, mira Christi cum hominibus fraternitas, & charitas, qui ex eodem communi omnium parente Adamo nasci voluit in Bethlehem, ut fieret hominum omnium frater & consanguineus, utque intime inseretur & uniretur naturæ humanæ, hominumque cœtui per humanam generationem, & naturalem ex homine nativitatem, eo modo, quo explicui cap. 1. 18. juxta illud: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. Isaiæ c. 9. v. 6. filius ergo hominis notat Christi summam mansuetudinem, familiaritatem & demissionem æque ac amoris blanditias, quibus se hominibus offert quasi filium hominis, ac parvulum parvulis, ut cum eo quasi dulcissimo puerulo, ac suavissimo fraterculo delicientur & suavientur, juxta illud: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Prov. 8. Quid times, o homo, accedere ad Jesum? Ecce filius hominis est: quid metuis, o peccator, Dei iram? accurre ad Jesum hominis filium, & factum pro te parvulum; non est in orbe dulcior eo puerulus, non est blandior filiolus; factus est enim filius hominis, ut hominibus se in pretium mortis, æque ac delicium amoris daret. *Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*. Luc. 19. 10. Et: *Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis*. Matth. 20. 28.

Plus filius hominis quam homo.

C

Filius hominis ergo est nomen proprium, vel potius appropriatum Christo; hoc fuit portentum dignationis, portentum charitatis, portentum sæculorum omnium, quod filius Dei unigenitus pro hominibus dignatus sit fieri filius hominis, ut cum hominibus conversaretur, eosque doceret viam salutis, ac cruce sua redimeret, salvaret & bearet in cælis: Ἄνθρωπος, enim (id est *homo*) ut ait Plato in Cratylo, dicitur quasi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, id est, *contemplans quæ vidit*. Alii quasi ἄνω ῥέπων, id est, *sursum vergens*, scilicet in cælum. Hinc Christus ait de se: *Nemo ascendit ad cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*. Joann. 1. 13. Ipse ergo vere est, ἄνθρωπος, ac suos asseclas pariter facit ἀνθρώπους, qui relicta terra non nisi cælestia spectent & ambiant, juxta illud: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*. Coloss. 3. 1.

Filius hominis est portentum amoris.

D

Quocirca S. Hieronymus epist. 26. ad Pammachium, Fortunatum Romanum, monachi vitam professum, ita ad perseverandum extimulat. *Quantumcumque te dejeceris, humilior Christo non eris. Esto incedas nudis pedibus, fusca tunica vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, cæcorum oculus sis, manus debilium, pes claudorum, ipse aquam portes, ligna concidas, focum extruas: ubi vincula? ubi alapæ? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors? Et cum omnia quæ dixi feceris, ab Eustochio tua Paulaque vincaris, si non ægre, certe sexu.*

E

Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum] Discipulus hic non fuit unus e duodecim Apostolis, sed alius vocatus a Christo ad sui sequelam: supplendum est enim hic ex Lucæ cap. 9. 59. Christum eidem prius dixisse: *sequere me*: ille vocationem Christi non respuit, sed expleta pietate paterni funeris, vult liberior sequi, ait Glossa. Ex responsione ergo discipuli, quam narrat hic Matthæus, intelligenda, & supplenda est interrogatio, & vocatio Christi, quam assignat Lucas, juxta Canonem 18.

Vers. 21

Luc. 9. 59.

Domine] Reverenter & obsequenter compellat Christum vocatque Dominum, quasi ejus servituti se subdere voles, cum prior Scriba audaculus Christum vocavit Magistrum, ut merito ille relictus, hic acceptus sit. Quantum in Scriba mali, tantum in hoc homine boni fuit, ait S. August. ser. 7. de Verbis Domini.

Permitte me primum ire, et sepelire patrem] Theophylactus in cap. 9. Lucæ, & ex eo Franc. Lucas putant adhuc patrem fuisse vivum, q. d. Permitte me manere apud patrem jam senem, ejusque senectuti inservire, donec moriatur, tunc pietatis officio perfunctus sequar te. Longiores ergo petiit inducias. Planius & præcisius sanctus Chrysostomus & alii sentent patrem fuisse mortuum; non enim sepelitur, nisi mortuus: Opportune ergo & suavissime eum vocavit Christus. q. d. Mortuus est jam pater tuus, sequere me; ego ero tibi pater longe melior: ille tua, tu mea indiges opera; ille vitam carnalem tibi dedit, ego dabo tibi spiritualem, & æternam: ille te similem sibi in corpore formavit, ego te similem mei in anima, puta in gratia, & gloria efficiam: faciam enim te mei Evangelii prædicatorem & Apostolum.

S. Philippus petiit sepelire patrem.

F

Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. c. 2. opinatur Philippum, postea Apostolum, fuisse illum, cui Christus dixit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Verum obstare videtur, quod jam pridem Philippus vocatus erat a Christo, eumque sequebatur, ut patet Joannis cap. 1. 43. nisi dicas Philippum jam ante secutum fuisse Christum, sed cum audisset patrem suum vita functum, eum sepeliendi facultatem a Christo petiisse, sed non impetrasse; unde & hic vocatur discipulus: *Alius*, inquit, *de discipulis ejus ait illi: Domine permitte me primum ire, & sepelire patrem*, ut eo sepulto plane tibi adhæream, & per omnia constanter te sequar, idque satis est verisimile, præsertim quia Clemens idipsum pro certo habet.

G

Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos] Iterato vocat eum Jesus, iterans τὸ *sequere me*, scilicet, ante excusationem ejus & post illam, quia efficaciter volebat eum sibi discipulum; unde impedimentum ab illo objectum discutit, vetatque redire ad patrem sepeliendum, sed ita ut causas suæ vetationis justissimas alleget, quibus vocatum erudiat, soletur, & animet ad vocationem illico sequendam: Ait ergo: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*: ubi nota, Christum non damnare sepulturam mortuorum, quod est opus misericordiæ laudatum in Tobia, sed velle docere, Deo vocanti statim esse obediendum: scit enim Deus impedimenta nostra, ac dum cum iis nos vocat, vult nos illa abrumpere, ac gratiam opemque suam ad id faciendum tacite promittit & spondet: quare jubet sequelam & vocationem Dei præferendam esse sepulturæ, etiam patentum, id est divina humanis, pietatem naturæ, Deum homini. Ludit Christus in voce *mortuos*: prius enim *mortuos* spirituaLiter, puta infideles, & fide gratiaque Dei destitutos significat, ait S. Chrysostomus, Hieronymus, & Augustinus, quæst. 6. in Matthæum: posterius *mortuos* corporaliter intelligit; sicut enim corpus ab anima separatum est mortuum; sic anima a Deo separata est mortua: sicut enim corporis vita est anima; sic animæ vita est Deus, ait S. Augustinus. Sensus ergo est quasi dicat. Sine *mortuos* id est infideles (id est Judæos fidem meam respuentes) immersos peccato & mundo, ac gratia Dei & spiritu destitutos *sepelire suos*, id est, sibi analogice similes; aut suos, id est, sibi cognatos, & affines *mortuos* corporaliter, forte enim spiritualiter: te enim volo me, qui vera sum vita, sequi, & mecum vivere hic per gratiam illustrem, & perfectam; ac in futuro per gloriam eximiam, atque utramque aliis evangelizare, ut addit Lucas.

Vers. 22

Luc. 9. 60.

H

Alludit Christus in voce æquivoca

Audi S. Ambrosium lib. 7. in Lucæ c. 9. 59. *Paterni funeris sepultura prohibetur, ut intelligas humana posthabenda divinis. Bonum studium, sed majus impedimentum. Nam qui partitur studium, derivat affectum: qui divi-*

Digitized by Google

A *dividit curam, differt profectum. Ergo prius obeunda, quæ maxima sunt. Nam & Apostoli, ne occuparentur studio dispensandi, ministros pauperibus ordinarunt: & ipsis, cum a Domino mitterentur, neminem in via salutare præscriptum est; non quod benevolentiæ displiceret officium, sed quod persequendæ devotionis intentio plus placeret.*

Cur Christus vetuit sepelire patrem. Causa prima. Prima ergo causa, quam suæ vocationi & sequelæ hic prætendit Christus, ut vocatus illam illico sequatur, eamque præferat sepulturæ patris, est, quod alii fratres vel cognati superstint, qui patrem sepeliant, ad quos decentius ejus sepultura pertineat, quam ad hunc a Christo vocatum, eo, quod & ipsi sint mortui, idque pejori morte, scilicet infidelitatis & peccati. q. d. Sine mortuos agere cum mortuis; decet enim infideles sepelire infidelem, te vero viventem in fide mea & charitate decet agere cum vivis, puta mecum, & cum meis fidelibus & Apostolis.

Secunda. Secunda causa est periculum, ne si mortuis, id est, infidelibus te immiscеas, cum iisque converseris, efficiaris unus ex eis, ac moriaris mystice fiatque infidelis.

Tertia. Tertia, ne dum sepulturæ patris indulges, post eam interfis signationi testamenti, cæterisque negotiis funeralibus, quibus a mei sequela retardaris, ne scilicet cum fratribus, & cognatis impliceris in dividenda hæreditate, in solvendis debitis, in exequendo testamento, aliisque multis tricis, & litibus quæ in domo mortuaria occurrunt, & plures menses, imo annos exigunt, antequam expediantur. Hæc omnia prudenter adolescenti succidere voluit Christus, sicut enim fragum serit fragum, sic lis serit litem, trica tricam. Ita S. Chrysost. hom. 28. *Sane experientia didici, eos qui vocantur ad sequelam Christi in religione, si testamentis suorum se implicent, ad plures annos retardari, fieri sæculares & perdere vocationem, ut numquam vitam religiosam capessant.*

B

Tropol. Tropologice significat Christus mortuos, & rei mortuæ vacare eos, qui incumbunt legatis & negotiis parentum vel cognatorum: vacant enim domi mortuariæ, id est, parentibus, filiis, cognatis mortuis, & morituris. q. d. Tu destinas vivere Deo, ac illi per gratiam vivus esse cæpisti; perge ergo illi vivere, ac servi Deo vivo: quare mortuis & morituris relinque mortua & moritura. Ita S. Hieronymus: *Si mortuum*, ait, *sepelit mortuus, non debemus habere curam mortuorum, sed viventium, ne dum solliciti sumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur.* Hinc S. Basilius in Constitutionibus Monast. cap. 21. ex hoc loco ostendit, quantum damni viris spiritualibus, & religiosis afferat affectus erga parentes, cumeisque familiaritas.

C

Et S. Chrysostomus: *Quod si nunc*, inquit, *ad tam breve tempus propter sepeliendos parentes abesse a spiritualibus vetitum est, perpende quo supplicio digni sint, qui semper ab iis, quæ digna sunt Christo, rebus recedunt, quia vilia nimium, & abjecta secularium rerum negotia necessariis anteponunt, nullo urgente.*

Symbol. Symbolice S. Gregor. lib. 4. Moral. 25. *Mortui*, ait, *mortuos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt*, (dum ei in peccatis favent, & adulando fovent:) *quid est enim aliud peccare, quam occumbere, & sepelire, quam abscondere, sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt.* Unde addit tales velut sepultos vix a peccatis resurgere. Lazarum vero resurrexisse, quia a sororibus non mortuis, sed per charitatem vivis sepultus erat.

D Addit Lucas cap. 9. v. 60. *Tu autem vade, & annuntia regnum Dei*, qua scilicet via perveniatur ad regnum cælorum, puta per fidem, & vitam conformem Evangelio, quod attulit Christus: *Quando*, ait S. August. serm. 7. de Verb. Domini: *Dominus parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus, temporalisque pietatis.* Nam ut ait S. Chrysost. *Multo melius est regnum Dei promulgare, & alios a morte retrahere, quam mortuum, qui nulli usui est, sepelire, maxime cum sint, qui hæc omnia obeant.* Hoc idem S. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 14. docuit: *Aliquando*, inquit, *in actionibus nostris minora bona prætermittenda sunt pro utilitate majorum: nam quis ignoret esse boni operis meritum mortuum sepelire? & tamen cuidam, qui ad sepeliendum patrem se dimitti poposcerat, dictum est: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei: postponendum namque erat obsequium hujus ministerii officio prædicationis, quia illo carne mortuos in terram conderet; isto autem anima mortuos ad vitam resuscitaret.*

E Et ascendente eo in naviculam (ad transfretandum, ut dixi vers. 18.) secuti sunt eum discipuli ejus] Græce εἰς πλοῖον. id est, *in navim*. Hoster vertit *naviculam*, quia parvæ solent esse naves, quæ adhibentur ad transfretandum vel piscandum. Addit Marcus c. 4. 36. *Assumunt eum ita ut erat*, scilicet, docens turbas consistentes in littore, docens, inquam, *in navi*, & ex navi. q. d. Ex loco maris littori vicino assumpserunt, & duxerunt Christum in altum mare: *Et alia naves erant cum illo.* Vers. 23. Luc. 8. 22.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat] Marcus: *Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.* Lucas: *& complebantur*, scilicet undis fluctuum ipsi discipuli in navi, & cum navi, *& periclitabantur* de submersione, & morte. Beda, & Strabus sive Glossa (hanc enim Strabus Monachus Fuldensis ex Scriptis Rabani magistri sui conflavit anno Domini 840.) opinantur hac tempestate solam Christi navim fuisse jactatam, non vero cæteras ejus comites, ut scilicet Christus ostenderet, se esse auctorem tam ortæ, quam sedatæ tempestatis. Sed verius est etiam alias fuisse jactatas; erant enim vicinæ, imo proximæ navi Christi, idque voluit Deus, ut ostenderetur major vis tempestatis, majorque Christi eam compescendi potestas. Porro permisit, imo per causas naturales, ut vapores & ventos, cum eis naturaliter concurrens Christus excitavit, & immisit hanc procellam. Vers. 24. Luc. 8. 23. Marc. 4. 37. v. 3. Strabus Rabani discipulus auctor Glossæ. F

Primo, ut declararet potentiam suam, seque tam maris, quam terræ esse Dominum, ait Origenes homilia 6. in diversos. Hinc Angelus apparens sancto Joanni, posuit dextrum pedem super mare, quasi illi imperans. Apocalypsis cap. 10. vers. 2. Angelus enim hic repræsentabat Christum, ait ibidem Beda, Richard. de S. Victore, Pannonius, & alii. Christus excitavit tempestatem. Cur? Causa Prima.

Secundo, ut discipulos exerceret ad perferendas uti persecutiones hominum, sic & procellas ventorum, pluviarum, procellarum, &c. quas crebras, & magnas experturi erant, orbem evangelizando circuituri. Ita Theophylactus. Unde etiam Chrysostomus hanc dat causam, *ut athletas orbis terrarum tentationibus & timoribus exerceret.* Secunda.

Tertio, ut discipuli cæterique vectores per miraculum sedatæ tempestatis in ipsum crederent, ipsum scilicet esse Deum omnipotentem. Tertia. G

Quarta. Quartam causam addit S. Ambrosius, & ex eo Beda, quia navis hæc impium vehebat Judam: sed incertum est, an Judas tunc fuerit impius, an postea talis evaserit.

Tropologice turbatio hæc maris, ait Chrysostomus, typus fuit futurarum in Ecclesia tentationum: navis enim in fluctibus est Ecclesia, & anima in tentationibus, quibus illa acuitur & proficit. Vita enim sine tentatione est quasi mare mortuum, ait Seneca epist. 67. Sic & homo carens tentatione est instar sopiti & mortui: tentatio ergo eum excitat ut vires exerat ad illam superandam. Rursum sicut tempestas naves impellit, ut ad optatum portum citius appellant, sic & tentatio hominem stimulat ad majus studium virtutis, quo vehatur in cælum. Ad hæc: *Gubernatoris peritiam*, ait Chrys. ser. 20. *non probat temperies serena, sed procellosa tempestas: aura blandiente navim regit ultimus nauta, in confusionem ventorum primi quæritur ars magistri.* Tempestas ergo fluctuum & ventorum est tentatio superbiæ, gulæ, luxuriæ, invidiæ, &c. uti pulchre docet S. August. hom. 3. inter 17. Tropologice Ecclesia est in navi mediis ætationum fluctibus ut & Anima. H

Porro is, qui pulsatur tentatione, faciat id quod faciunt nautæ in tempestate. Primo, enim contrahunt vela, ne vento furente navim abripiant, rotent & mergant. Sic tentatus contrahat vela voluptatum, detque se jejunio, & pœnitentiis. Tentatus faciat quod nauta in tempestate. Primo.

Secundo, nautæ fugiunt in altum mare, ne in scopulos & rupes navim allidant: sic tentatus fugiat mundum, & mundana, ac ad Deum velut salutis asylum recurrat, dicatque cum Psalte: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei & delectatus sum.* Psal. 76. Secundo.

Tertio, nautæ vasa & merces projiciunt in mare, ut navim onere levent; sic tentatus per contritionem, & confessionem evomat grave peccatorum pondus, ut animam alleviet. Hinc Doctores docent illos, qui navigaturi mare conscendunt; præsertim longum, & periculosum, teneri confiteri, ut se in statu gratiæ constituant, utpote adituri mortis pericu- Tertio.

Digitized by Google

A riculum & articulum, non unum, ſed crebrum & multiplex.

Quarto. Quarto, navarchus magno conſiſtens animo & præſenti pollens conſilio, modos omnes indagat ad evitandum periculum. Idem faciat mens tentari. *Gubernator*, ait S. Cyprian. tract. de Mortal. *in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur. Adverſa non avocant a fidei virtute, ſed corroborant in dolore. Quanta ſublimitas inter ruinas generis humani ſtare erectum?*

Chriſtus dormit. Cur? IPSE VERO DORMIEBAT] Sponte fuit a Chriſto aſſumptus hic ſomnus, naturalis tamen. Primo ut augerentur venti, creſceretque tempeſtas, in cujus proinde ſedatione magis ejus potentia appareret, majorque oſtenderetur auctoritas. Ita Chryſoſtomus.

Secundo, *exprimitur*, ait S. Ambroſius in cap. 8. Luc. v. 24. *ſecuritas poteſtatis, quod omnibus timentibus, ſolus intrepidus quieſcebat*, ut in quavis ſimili tribulatione ad eum confugientes, in eoque ſpe defixi, idem faciamus, juxta illud Proverb. 12. *Non contriſtabit juſtum quidquid acciderit ei*. Et cap. 28. *Juſtus quaſi leo confidens abſque*

B *terrore erit*. Et illud Poetæ:

Etiamſi fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Cervical Chriſti quid? Porro *cervical*, in quo, teſte Marco, dormiebat Chriſtus, myſtice eſt primo bona conſcientia: ſecundo reſignatio in Dei voluntatem: tertio fiducia de Dei ope & providentia; in hac enim fidelis in quavis adverſitate ſecurus quieſcit, & quaſi indormit.

Tertio, Origenes hom. 6. in diverſos: Chriſtus, ait, dormiebat corpore, vigilabat deitate, ut diſcipuli, ait Lyranus, in periculo poſiti, ardentius ad eum recurrerent, opemque implorarent. Hujus rei figura Jonas cap. 1. dormiebat, cæteris in navi periclitantibus. Vide ibi dicta. Porro qualis fuerit ſomnus Chriſti, & quam diverſus a noſtro, vide apud Toletum in c. 8. Lucæ Annotat. 43.

Tropologice Gloſſa: Dormit Chriſtus, inquit, cum negligentius agimus, & ideo tempeſtas; ſi vero fides reſurgit, imperat ventis & fluctibus.

VERS. 25 ET ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI EJUS, ET SUSCITAVERUNT EUM, DICENTES: DOMINE, SALVA NOS,

C PERIMUS] Arabicus: *Domine, libera nos, profecto perimus*. Non debebant timere, qui ſecum vehebant Sal-

Luc. 8. v. 24. Mar. 4. v. 38. vatorem, imo ſalutem & vitam, ſed modica adhuc in eis de Chriſto erat fides & ſpes. Marcus ſignificantius habet c. 4. 38. *Magiſter non ad te pertinet, quia perimus?* q. d. Non eſt tibi curæ, quod perimus? itane fine cura dormis, finiſque nos tecum mergi?

VERS. 26 ET DIXIT EIS: QUID TIMIDI ESTIS MODICÆ FIDEI?] Græce eſt nervoſius, ὀλιγόπιστοι, id eſt, parum fi-

Luc. 8. v. 24. 25. Mar. 4. v. 39. 40. dentes.

DIXIT] Hoc ante ſedatam tempeſtatem, ut narrat hic Matthæus, licet poſt eam id narrent Lucas & Marcus. Decebat enim prius ſedari diſcipulorum pavorem extremum, quam maris tempeſtatem, atque eorum fidem prolapſam erigi, ut hæc mererentur miraculum ſedandæ procellæ. Ita Janſenius, Toletus & alii.

MODICÆ FIDEI] Tum quia non videmini perfecte credere me eſſe Deum; tum quia non ſperatis in mea providentia, nec creditis me dormientem poſſe, aut

D ſcire, & velle vos liberare a periculo. Ita Chryſoſtomus.

Fides hic primo accipi poteſt proprie dicta; ſecundo pro fiducia: hanc enim parit acuitque fides. Porro timor cauſa eſt modicæ fidei; modica autem fides cauſa eſt modicæ fiduciæ. Lucas efficacius habet: *Ubi eſt fides veſtra?* Græce ἡ πίστις, id eſt, illa fides, ſcilicet, perfecta in me, quam toties vobis inculcavi, quamque præ vobis tuliſtis, cum relictis omnibus, me vocantem ſecuti eſtis. Chriſtus equidem in miraculis exigit hanc fidem, ut doceat eam in tentationibus maxime requiri, ac contra eas præſentiſſimum eſſe remedium. Audi S. Bern. ſer. 9. in Pſalm. *Qui habitat: Si ſeviat mundus*, inquit, *ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo. Quis enim ſperavit in eo & confuſus eſt?* Et mox. *Ut quid hæc ſapimus, ut quid cunctamur abjicere omnes ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei tota devotione animi, toto fervore ſpiritus inhærere? ſcriptum eſt enim: Adjuvabit eos, quia ſperaverunt in eo.*

Tentationis remedium ſpes.

TUNC SURGENS IMPERAVIT VENTIS ET MARI, ET FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA] Pro *imperavit* Græce eſt, ἐπετίμησε, quod reſpondet Hebr. גָּעַר gaar,

id eſt increpavit (ut vertit Arabicus) objurgavit ceu herus E famulum. Unde Marcus habet: *Comminatus eſt vento, & dixit mari, tace, obmutеſce*, id eſt, quieſce, tuoſque fremitus, fluctuſque reprime. Lucas: *Increpavit ventum & tempeſtatem aqua.*

Hiſce vocibus ſignificatur magna vis maris fluctibus agitati & exæſtuantis, quam nulla vis humana, ſed ſolum divina compeſcere & ſedare valeat; hæ ergo voces ſignificant magnum dominium & imperium Dei, imperantis mari cum ſumma auctoritate & poteſtate: rugiens enim & fremens furenſque mare procelloſum, magna vi Dei reprimendum ſedandumque eſt. Hic ergo Chriſtum ſe Deum eſſe oſtendit, utpote qui mari & ventis quaſi Dominus imperaret: mare enim illi imperanti velocius ceſſit, ceſſavitque, quam ſervus ab hero ſuo increpitus. Chriſtus ergo dormit ut homo, imperat ut Deus, ait Interlinearis.

Tropologice quomodo Chriſtus mente cogitatus & in- Tropolog. vocatus imperet perſecutionibus Eccleſiæ & tentationibus animæ, docet S. Aug. hom. 3. inter 17. quæ extant in fine tom. 10. *Audiſti convitium*, inquit, *ventus eſt: iratus es? fluctus eſt. Vento igitur flante, fluctu ſurgente periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convitio vindicari deſideras. Et ecce vindicatus es, & malo alieno cedens feciſti naufragium. Et quare hoc? quia, dormit in te Chriſtus. Quid eſt, dormit in te Chriſtus? Oblitus es Chriſtum; Excita ergo Chriſtum, recordare Chriſtum. Evigilet in te Chriſtus, conſidera illum. Quid volebas? vindicari. Excidit tibi, quia ipſe cum crucifigeretur, dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt? Qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. Excita illum, recole illum.* Et nonnullis interjectis: *Ergo compeſcam me ab iracundia mea, & redibo ad quietem cordis mei: Imperavit Chriſtus mari, facta eſt tranquillitas. Quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus veſtris. Nata eſt tentatio, ventus eſt: turbatus es, fluctus eſt: excita Chriſtum, loquatur tecum.*

Allegorice & Anagogice Beda: *Navicula* cum antenna Allegor. *eſt arbor crucis, cujus beneficio adducti maris, id eſt, mundi fluctibus everſi obtinemus littus patriæ cæleſtis: aſcendunt & diſcipuli, ait enim: ſi quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam*, &c. *Obdormit Chriſtus, tempore ſcilicet paſſionis: exorta eſt tempeſtas, id eſt, perſecutio dæmoniacis flatibus excitata. Excitant Dominum diſcipuli, cujus mortem viderant, reſurrectionem optantes. Surgit celeri reſurrectione, & ventum increpat, id eſt, ſuperbiam diaboli; ſedat tempeſtatem, id eſt, inſultantiam Judæorum, rabiem labefactat, increpat diſcipulos: exprobravit enim poſt reſurrectionem incredulitatem eorum.*

ET FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA] Nam, ut ait S. Hieroymus, *ſentiunt omnes creaturæ creatorem, & quæ apud nos inſenſibilia ſunt, illi ſunt ſenſibilia. Magna poteſtas, quia de magna poteſtate fit magna tranquillitas.* Origenes: *Decet magnum magna facere.* Et Chryſoſtomus in hom. *Confeſtim ſoluta eſt tempeſtas, & nihil turbationis manſit, impletumque illud: Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ.*

PORRO HOMINES MIRATI SUNT, DICENTES: QUALIS VERS. 27 EST HIC, QUIA VENTI ET MARE OBEDIUNT EI?] *Homines*, non diſcipuli, ſed nautæ & ceteri, qui erant in na- Luc. 8. 25. Mar. 4. 41. vi, ait Interlinearis, navibuſque eam comitantibus. Nam, H ut ait Origenes, numquam ſine honore nominantur diſcipuli, ſed ſemper aut Apoſtoli, aut diſcipuli. Addit S. Hieronymus: *Si quis contendat ſignificari diſcipulos, dicendum appellari homines, quia nondum noverant potentiam Salvatoris.* Pro *qualis*, Græce eſt ποταπὸς, quæ vox eſt non ſimpliciter interrogantis, ſed cum emphaſi admirantis. q. d. Quis, qualis, cujus eſt iſte? Non videtur ſimilis aliis hominibus, ſed alterius eſſe generis; non videtur e terra natus, ſed e cælo lapſus, quia non tantum terrigenæ eorumque morbi, ſed & cæli eorumque venti obediunt ei, quaſi hero & Domino ſuo. Unde Græce eſt: *Quia etiam venti & mare obtemperant ei.* Quis ergo, qualis & quantus eſt hic novus in Paleſtina Æolus, ventorum Deus & Imperator? Ita ipſi, necdum ſcientes Chriſtum verum merumque eſſe Deum.

Tropologice S. Auguſt. hom. 3. jam citata: *Magis*, in- Tropolog. quit, *imitare ventos & mare: obtempera creatori ſub juſſione Chriſti: mare audit, & tu ſurdus es? Mare audit, & ventus ceſſat, & tu ſuffias? Quid? dico, facio, fingo: quid eſt aliud, niſi ſufflare & ſub verbo Chriſti nolle ceſſare? Non vos vincat fluctus in perturbatione cordis veſtri.*

Digitized by Google

A VERS. 28 ET CUM VENISSET TRANS FRETUM IN REGIONEM GERASENORUM, OCCURRERUNT EI DUO DÆMONIA HABENTES] *Duo.* Marcus c. 5. 2. & Lucas c. 8. 27. unum tantum recenſent, quia ſcilicet unus ille nobilior & famoſior erat, ut vult S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Evang. c. 24. & quia ille truculentior erat: obſidebatur enim a legione dæmonum, ut habet Lucas. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius & alii.

Luc. 8. v. 26. 27. Matt. 5. v. 1. 23.

Reliqua de his dæmoniacis a Chriſto curatis, truculentius enarrat Lucas cap. 8. v. 27. uſque ad verſum 40. quare ibi commodius & plenius illa explicabo.

VERS. 29 VENISTI HUC ANTE TEMPUS TORQUERE NOS] Hinc aliqui putarunt, dæmones necdum recepiſſe ultimum demeritorum ſuorum ſupplicium, nec ante diem judicii eſſe damnandos, ut in gehenna torqueantur: Ita videtur hic ſentire S. Hilarius can. 8. dicens: *Proclamabat*, ait, *cur ſedem invideat, cur ante tempus judicii infeſtet?* Eadem ſententia a nonnullis tribuitur S. Irenæo, Juſtino, Lactantio, Euſebio & Nicephoro, ſed nil tale apud eos reperi, nec Hilarii verba id ſignificant, ſed tantum idipſum, quod verba Matthæi.

Luc. 8. v. 23. Matt. 5. v. 7.

B Dæmones ſtatim poſt ſuum peccatum igne gehennæ cruciati.

Certum eſt ex Scriptura & Patribus dæmones ab initio mundi mox ut peccarunt fuiſſe damnatos, igneque gehennæ cruciatos, quo igne cruciantur etiam abſentes, dum inferno egreſſi in hoc aere verſantur, per Dei omnipotentiam. Ignis enim gehennæ, quia eſt inſtrumentum ſupernaturale Dei omnipotentis, hinc Deo volente in diſtantiſſima agere poteſt.

Quod ergo ajunt Chriſto: *Veniſti ante tempus torquere nos*, non antiquam, perpetuam & irrevocabilem ignis gehennæ torſionem, ſed novum, quod a Chriſto timebant tormentum, deprecantur. Novum hoc erat expulſio a corpore hominis, quod poſſidebant, uti docet S. Chryſoſtomus homil. 29. ac dominii in tentandis vexandiſque hominibus diminutio: item relegatio ad carcerem gehennæ. Dæmones enim gaudent, dum permittuntur in hoc aere verſari, tum quia aliquid in eo libertatis habent ad vagandum per varias provincias, ad concitandum tempeſtates, ſterilitatem, morbos, peſtes, &c. tum qua in eo facultatem habent homines tentandi & affligendi. Quare tormentum eis eſt relegari in infernum: hæc enim eſt eorum quaſi incarceratio (arctiſſimus enim & moleſtiſſimus carcer eſt infernus) & ſumma coarctatio, ad quam damnabuntur in perpetuum a Chriſto in die judicii, in quo fiet publica eorum reprobatio & damnatio, quæ erit ſumma eorum pœna & confuſio coram omnibus Angelis & Beatis: Videntur ergo hi dæmones timere, ne diem judicii, quem ipſi remotum putabant, Chriſtus anticipet, ac velut judex in eo illos ad tartara illico condemnet, aut certe ſeorſim eo ipſos ableget. Ita Maldonatus, Toletus & Suarez lib. 8. de Angelis cap. 2. n. 13. Unde Gloſſa hic: *Torquentur dæmones*, inquit, *dum de corporibus ejiciuntur, in quorum tortura deteſtabantur*. Addit S. Hieronymus: *Præſentia Salvatoris tormenta ſunt dæmonum*. Et S. Chryſoſtomus: *Ab experientia*, inquit, *clamant: flagellabantur enim inviſibiliter intolerabilia patientes ex præſentia Chriſti.*

Tormentum dæmonum, quod?

C

D

CAPUT IX.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHRISTUS primo paralyticum ſanat, tum in anima, tum in corpore. Secundo, v. 9. vocat Matthæum, Scribis obmurmurantibus, quod cum Publicanis ageret, reſpondet ſe quaſi medicum animarum miſſum eſſe ad curandos peccatores. Tertio, v. 14. Diſcipulis Joannis Baptiſtæ crebro jejunantibus dat cauſam, cur ſui Diſcipuli necdum jejunent. Quarto, v. 18. ſanat hæmorrhoiſſam, & a morte ſuſcitat filiam Jairi. Quinto, v. 27. illuminat duos cæcos, v. 32. muto loquelam reſtituit, omneſque infirmos ſanat, ac videns multam populi meſſem, multos in eam optat mitti operarios.

VERS. 1. ET aſcendens in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem ſuam.

2. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jeſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. E

4. Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?

5. Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula?

6. Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

7. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

9. Et, cum tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.

10. Et factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes, diſcumbebant cum Jeſu & diſcipulis ejus. F

11. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?

12. At Jeſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus; ſed male habentibus.

13. Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.

14. Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi, jejunamus frequenter; diſcipuli autem tui non jejunant?

15. Et ait illis Jeſus: Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt. G

16. Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a veſtimento, & pejor ſciſſura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres; alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.

19. Et ſurgens Jeſus, ſequebatur eum, & diſcipuli ejus.

20. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. H

21. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.

22. At Jeſus converſus, & videns eam, dixit; Confide filia, fides tua te ſalvam fecit.

23. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.

24. Et cum veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum.

25. Et cum ejecta eſſet turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella.

26. Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.

27. Et tranſeunte inde Jeſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili David.

28. Cum autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et dicit eis Jeſus: Creditis quia hoc

Digitized by Google

A hoc possim facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.

29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.

30. Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.

32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.

33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel.

34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

35. Et circuibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

B

36. Videns autem turbas, misertus est eis: qui erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem.

37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

VERS. 1. ET ASCENDENS IN NAVICULAM (Græce πλοῖον, id est, navem) TRANSFRETAVIT (navigando rediit in citerius maris Galilææ littus, ex quo venerat, ut patet c. 8. 18.) ET VENIT IN CIVITATEM SUAM] Sedulius intelligit Bethleem, in qua natus erat Christus. S. Hieronymus vero accipit Nazareth; in hac enim fuit educatus. Melius S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Maldonatus, & alii passim accipiunt Capharnaum, in qua frequentius versatus est Christus: nam c. 4. 13. ibi, relicta Nazareth, Christum habitasse dixit Matthæus; & miraculum paralytici sanati, quod sequitur, in Capharnao contigisse docet Marcus c. 2. 3. Sicut enim Christus nobilitavit Bethlehem sua nativitate, Nazareth educatione, Ægyptum sua fuga, Jerusalem sua passione; sic Capharnaum decoravit sua habitatione, prædicatione & miraculorum operatione.

Luc. 8. 37. Mar. 2. 21. & 5. v. 18. 21.

Civitas Christi quænam?

C

VERS. 2. ET ECCE OFFEREBANT EI PARALYTICUM JACENTEM IN LECTO] Paralysis enim ita nervos (qui motus sunt instrumenta) corporis dissolvit, ut homo impotens fiat ad ambulandum, imo ad se movendum, fiatque quasi animatum cadaver, non nisi ad pœnam suam vivens, ideoque fere immedicabile, & in lecto quasi in vivo sepulchro recondendum. Marcus c. 2. v. 3. paralyticum portatum dicit a quatuor portitoribus: a quibus disce non tantum tuam, sed & proximorum curare salutem, idque impense; tum quia charitas id exigit; tum quia sæpe Deus flagellat bonos cum malis, eo quod boni malorum peccata corripere, impedire, & emendare negligant, uti docet S. Augustinus lib. 1. de Civitat. cap. 9.

Luc. 5. v. 18 20.

ET: VIDENS JESUS FIDEM ILLORUM, DIXIT PARALYTICO: CONFIDE FILI, REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA] *Illorum*, scilicet, qui Christo offerebant paralyticum: hi enim cum præ turba non possent paralyticum inferre in domum ad Christum, portarunt eum in tectum (tecta enim domorum in Palæstina non sunt acuminata, ut in Germania, sed plana, & longe planiora, quam sint in Italia) mox tectum aperuerunt, imo sublatis tegulis fregerunt & perfoderunt: nam Marcus c. 2. 4. ait; *Nudaverunt tectum*, indeque ægrotum ex alto per fascias & funes ante Christum demiserunt, quæ omnia arguunt magnam eorum fidem, spem & devotionem erga Christum. *Illorum* ergo, id est offerentium, ait S. Ambrosius, Haymo & Hieronymus: addit S. Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius etiam ipsius paralytici: nam ex hac fide ad Christum portari, & per tectum demitti ante ipsum voluit: nec audisset a Christo; *Remittuntur tibi peccata tua*, nisi fidem habuisset. Porro fides hæc est miraculorum, quæ includit certam fiduciam futuri miraculi, & sanitatis a Christo consequendæ. Vide Canonem 38. Moral. disce hic, quod mensura orationis est fides & spes: quod enim speras a Christo, hoc impetrabis: quo enim magis dilatas sinum animæ per spem, eo illam capaciorem & digniorem efficis, ut Deus illam donis suis impleat, juxta illud: *Dilata os*

D

Fides miraculorum quæ?

tuum, & implebo illud. Ps. 80. 11. Et: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Psal. 118. v. 131. Hac de causa dixit illi Christus:

E

CONFIDE FILI] Syrus, *bono sis animo*, scilicet, confide te a me miraculose sanandum, idque prius in anima a peccatis, deinde consequenter in corpore a paralysi, nam ob peccata morbo hoc te Deus afflixit. Ita S. Hieronym. Theophylactus, Euthymius. Nota: Paralyticus hic jam habebat fidem & spem in Christum, ut paulo ante ostendi, sed Christus jubet, ut illam corroboret & adaugeat. Porro Christus hac voce externa: *Confide fili*, & magis interno gratiæ suæ affluxu, instinctuque paralyticum excitavit ad actum magnæ fidei, spei, doloris de peccatis commissis, ac firmi propositi de nova, sanctaque vita capessenda, item amoris Dei super omnia, ut sic capax fieret remissionis peccatorum, ad eamque se disponeret: has enim dispositiones alibi requirit Scriptura: Christus tamen hic & alibi solam fidem nominat & requirit, ac fidei tribuit sanitatem, præsertim corporis, quia fides prima est radix & origo spei, timoris, doloris & amoris Dei; ac fides in Christum, maxime tunc erat inculcanda. Vide Canonem 11. Nihil ergo hic habent hæretici, quo probent solam fidem proprie justificare: maxime quia hic agitur de fide miraculorum & sanitatis, quam etiam ipsi a fide justificante distinguunt. Adde, Christum tam, vel magis loqui de fide offerentium, quæ ægrum justificare non poterat, quam ipsius ægri & paralytici.

Mensura orationis est spes.

F

FILI] Nam vere filius Dei est, cui dimittuntur peccata, ait Haymo. Nota hic Christi benignitatem, qua dulcissimis verbis paralyticum compellat, dicens: *fili*. Unde S. Hieronymus exclamat: *O mira humilitas! despectum & debilem, totis membrorum compagibus dissolutum filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere.*

REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA] *Tibi*, ita per meam inspirationem jam contrito, & ad remissionem justificationemque dispositio, ut dixi. Græce ἀφέωνται, id est remissa sunt, id est remittuntur. Est Hebræa enallage temporis. Similis est Lucæ 7. 17.

G

Notat S. Chrysost. Christum prius remisisse peccata paralytico, deinde eum sanasse, ut occasionem calumniæ Pharisæorum, quam ex hoc suo dicto factoque secuturam prævidebat, divinitatem suam eis probaret, idque triplici miraculo, quasi invincibili argumento, scilicet: Primo enuntiando, & propalando arcanas eorum cogitationes & murmura contra Christum, dicentium intra se: *Hic blasphemat*. Secundo, sanando paralyticum. Tertio, hoc miraculum sanitatis parrando ad eumdem finem, scilicet, ut per illud se habere potestatem remittendi peccata probaret & demonstraret.

Ad literam tamen magis vicina & genuina causa erat, ut ostenderet paralyses, ceteroslque morbos sæpe non tam a causis naturalibus, quam a peccatis oriri; prius ergo peccata dimittit, deinde sanat paralyticum, quia prius auferenda est causa, ut ea sublata, tollatur effectus, puta paralysis, & morbus, q. d. Recto naturæ ordine volo prius tollere causam paralysis, scilicet peccata, deinde ipsam paralysim curare: *Ut demonstraret propter peccata præterita percussum esse infirmitate corporali*, ait Haymo, & Theophyl. *Declarans*, ait, *quod paralysis ex peccatis esset*. Sic & S. Hieronymus, Euthymius, & alii.

H

Hinc jure canonico sancitum est; ut medici prius animæ, quam corporis ægroti salutem procurent, ut pater c. *cum infirm.* de Pœnit. & remiss. idque Romæ stricte servatur, ubi medici post tertium ægritudinis, præsertim periculosæ, diem infirmo adesse nequeunt, nisi is illico sacramentali confessione animam a peccatis expiet. Nam, ut ait S. Basil. Reg. 55. inter fusius disputata: *Sæpe morbi velut quædam peccatorum flagella sunt, quibus nil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus.* Vide dicta Eccli. 38. v. 1. & seq.

Medici prius curent salutem animæ deinde corporis.

Rursum ex hoc loco colligunt interpretes, eos, qui corporaliter a Christo sanati sunt, communiter etiam spiritualiter ab eo fuisse sanatos & justificatos, id enim cōgit huic paralytico: tum quia hoc decebat liberalitatem Christi, ut non dimidiatam, sed integram perfectamque daret salutem; *Dei enim perfecta sunt opera*. Deuter. 32. tum quia salus corporis refertur ad salutē animæ, tum quia salus corporis sæpe pendet ex salute animæ; tum denique quia Christus maxime ad spiritualem salutem conferendam in mundum & carnem venerat. Hoc est, quod ait Christus Joan. 7. 23. de alio paralytico a se sanato: *Totum hominem sanum*

Sanati a Christo etiam justificati fuere? Cur?

Digitized by Google

A *festi Sabbato*. Idem differe docet S. Thomas 3. qu. 44. art. 3. Maldonatus, Baradius, & alii.

VERS. 3. ET ECCE QUIDAM DE SCRIBIS DIXERUNT INTRA SE (Syrus *in anima sua*, id est, in mente sua) HIC BLASPHEMAT] quia Deo propriam potestatem condonandi peccata adimit, eamque sibi arrogat: quæ sane gravis est in Deum contumelia, adeoque blasphemia. Ita ipsi putabant enim Christum non esse Deum, sed merum hominem: hic enim fuit perpetuus & obstinatus eorum error, qui eos adegit ad continuam Christi persecutionem, usque ad cædem & crucem. Unde Marcus c. 2. 7. addit eos dixisse: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Peccatum enim est offensa in Deum commissa, ac divinæ majestatis violatio; hanc autem nemo nisi Deus ipse condonare potest.

Luc. 5. 21. Mar. 2. 6.

VERS. 4. ET CUM VIDISSET JESUS COGITATIONES EORUM, DIXIT: UT QUID COGITATIS MALA IN CORDIBUS VESTRIS?] Marcus addit c. 2. 8. Jesum id *spiritu suo* cognovisse & vidisse, q. d. Jesus arcanas Scribarum blasphemias cognovit & vidit non alio revelante, uti cognoverunt Prophetæ, sed per se & spiritum suum omnia pervadentem & penetrantem: ex quo recte Patres contra Arrianos probant Christi divinitatem, eo quod Christus sit cardiagnostes, id est, cordium inspector, quod soli Deo est proprium. Ita S. Hieron. qui & addit: *Et quodammodo tacens, loquitur: Eadem potentia & majestate, qua cogitationes vestras intueor, possum & hominibus peccata dimittere.* Sic & S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & alii; unde Chrysol. ser. 50. *Cape*, ait, *Christi divinitatis insignia, aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse.*

Luc. 5. 22.

B

Dicet: Scribæ excipere potuissent, ac dicere: Tu, o Jesu, arcanas cogitationes nostras cognoscis quidem & revelas, at non tuo spiritu (nullo enim argumento id nobis probas) sed alieno, puta Dei; ergo Propheta quidem es, sed non idcirco es Deus, ut remittas peccata; aut ea remittis non tua sed Dei virtute. *Respondeo*: Si Scribæ agnoscebant Jesum esse Prophetam, utique credere debebant eum non mentiri, sed verum dicere, cum diceret se ex seipso habere potestatem remittendi peccata, ideoque esse Deum. Rursum in veteri Testamento nulli prophetæ data est potestas remittendi peccata; sed soli Messiæ id per prophetas promissum fuit, ergo ex hoc debebant agnoscere Jesum esse Messiam, ac consequenter esse Deum, ut patet ex aliis Scripturæ locis, maxime accedente miraculo sanationis paralytici, cæterisque, quæ Christus multa & magna patrabat hoc fine, ut probaret se esse Deum.

C

Denique, quia Christus solo jussu & propria auctoritate uti sanavit paralyticum, sic & ei peccata dimisit, adeoque in omnibus aliis miraculis ita se gessit, & ad hoc omnia sua direxit, ut probaret & persuaderet se esse Messiam, id est, Dei Filium in carne assumpta, & mundi Salvatorem, ac peccatorum redemptorem a Mose & Prophetis promissum. E contrario Prophetæ & Sancti, cum patrant miracula, vel remittunt peccata, vel arcana vel futura revelant, id facere se Deo revelante, vel invocato palam protestantur, vel certe sat superque subindicant.

VERS. 5. QUID EST FACILIUS DICERE: DIMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA, AN DICERE: SURGE, ET AMBULA?] *Dicere* est jubere, & jubendo efficaciter efficere. Est metalepsis.

Luc. 5. 23. Mar. 2. 9.

D

Quæres, utrum horum duorum absolute sit difficilius? Dico Primo: per se difficilius est remittere peccata, quam sanare paralyticum, imo quam creare cælum & terram. Ratio a priori est: Prima, quia peccatum & peccator, utpote hostis Dei, longe magis distat a Deo, quam paralysis & paralyticus, imo quam omnes res creatæ, utpote in se bonæ, imo quam ipsum nihil, ex quo creatæ sunt, nihil enim negative dumtaxat & privative opponitur enti & Deo: peccatum vero ex diametro adversatur, & contrarie repugnat Deo: nulla enim contraria magis sibi adversantur, quam summa bonitas & summa malitia, hoc est, Deus & peccatum.

Difficilius est justificare quam creare. Cur?

Secunda, quia remissio peccatorum est altioris ordinis, quam sit natura, omnesque res naturales: spectat enim ad ordinem supernaturalem gratiæ; illamque secum adducit. Gratia autem est summa participatio divinitatis: per gratiam enim fimus *divinæ consortes naturæ*, 2. Pet. 1. v. 4. Ita differe docent August. tract. 72. in Joannem, & S. Chrysostomus hic, ac S. Thomas 2. 2. q. 113. art. 9.

Dico secundo: Christus tamen e contrario videtur hic proponere remissionem peccatorum ut faciliorem, quam paralytici sanatio, quasi hoc sit difficilius illo: tum quia difficilius erat respectu Judæorum: hominibus enim res naturales & corporeas magis, quam spirituales & occultas capientibus ita videtur: tum quia minus periculosum est illud, quam sit hoc, nam qui dicit: *Remitto tibi peccata*, mendacii argui non potest, sive ea revera remiserit, sive non, quia nec peccatum, nec peccati remissio oculis videri potest; qui autem dicit paralytico: *Surge, & ambula*, se & famam suam evidenti falsitatis periculo exponit: reipsa enim, si paralyticus non surgat, falsitatis, impostura, & mendacii ab omnibus arguetur & convincetur. Sic dicimus: Facilius est scribere res Tartaricas, quam Italicas, quia hic a multis, ille a nemine falsitatis argui potest. Unde signanter Christus non ait: *Quid est facilius*, remittere peccata, an sanare paralyticum, sed *dicere*: *Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula?* Nota 70 *dicere*: facilius enim & minus periculosum est dicere: Remittuntur tibi peccata, quam dicere: Surge, & ambula, ob orationem, quam adduxi.

E

Denique sanatio paralytici est opus physicum, & physice difficilius, quam sit remissio peccatorum, quæ per se tantum est ens morale, sicut & peccatum, sive culpa & offensa tantum est ens morale.

F

Addit Jansenius, respectu Dei utrumque æque esse facile & divinum: utrumque enim est miraculum, ideoque infinitam Dei virtutem & omnipotentiam requirit.

Porro licet minus in se sit opus sanatio paralytici, quam remissio peccati, tamen valide ex illo probat hoc, scilicet, ex sanatione probat se habere potestatem remittendi peccata, quia vel unum miraculum, quale est subita sanatio paralytici, certum est argumentum veritatis, si ad illam probandam edatur & fiat, ut dixi c. 7. 22.

VERS. 6. UT AUTEM SCIATIS QUIA FILIUS HOMINIS HABET POTESTATEM (Syrus *dominium*) IN TERRA DIMITTENDI PECCATA (TUNC AIT PARALYTICO) SURGE, TOLLE LECTUM TUUM, ET VADE IN DOMUM TUAM] Nota 70 *Filius hominis*: Christus enim remisit peccata, non tantum qua Deus per suam omnipotentiam, sed etiam qua homo auctoritative & meritorie: quia enim ejus humanitas hypostatice conjuncta erat divinitati, & subsistebat in persona divina Filii Dei, idcirco mereri & satisfacere potuit ex æquo pro peccatis totius mundi, qua de causa hæc primaria post Deum auctoritas, & potestas excellentiæ remittendi peccata illi data est, quam etiam aliis, puta sacerdotibus a se institutis, ceu ministris suis communicare posset, eatenus scilicet, ut queant remittere peccata. Unde D. Thomas 3. p. q. 64. art. 3. Potestas excellentiæ Christi, inquit, in quatuor consistit. Primo, quod meritum & virtus passionis ejus operetur in Sacramentis. Secundo, quod in ejus nomine Sacramenta sanctificentur. Tertio, quod ipse, qui dedit virtutem Sacramentis, potuit illa instituere. Quarto, quod effectum Sacramentorum (puta remissionem peccatorum & gratiam) possit conferre sine Sacramento. Hæc potestas soli Christo, qua homo est, propria est, ideoque nulli sacerdoti vel Pontifici, imo nec S. Petro communicata fuit.

Luc. 5. 24. Mar. 2. 10. 11.

Potestas excellentiæ Christi quadruplex.

G

TUNC AIT PARALYTICO] Hæc verba sunt Evangelistæ, volentis simul rem gestam & verba Christi intexere. Unde a Syro & nonnullis Latinis, parenthesi includuntur. Significat autem Christum a Scribis obmurmurantibus ad paralyticum sanandum sermonem animumque convertisse.

H

SURGE, TOLLE LECTUM TUUM, ET VADE IN DOMUM TUAM] *Surge* excussa paralysi sanus & vegetus, utque id probes, & Scribis totique populo declares: *Tolle lectum tuum*, ut jam curatus portes eum, qui te paralyticum paulo ante portavit, juxta illud Sedulii hoc loco:

Mercedem ipse suam grata mercede revexit.

Pro *lectum* Marcus c. 2. 8. habet *grabatum*. *Grabatus*, ait Sipontinus, est exiguus lectus, in quo meridiari solemus, dictus quasi *carabatus*, quod in eo capite recumbamus; κάρη enim caput *Græci* pervium Græci appellant. Unde Martial.

Grabatus quid, & unde dicatur.

Ibat tripes grabatus, & tripes mensa.

VERS. 7. ET SURREXIT, ET ABIIT IN DOMUM SUAM] *Surrexit* subito, dictum enim Christi fuit factum. *Et abiit* sublato in humeros lecto, uti jusserat Christus, idque in signum perfectæ sanitatis a Christo recuperatæ.

Luc. 7. 25. Mar. 2. 12.

S. Simeon Stylites paralyticum curat.

Hoc Christi exemplum & miraculum imitatus est S. Simeon Stylites, uti habet ejus vita, quam ex Theodoreto recenset

censet Surius tomo 1. Cum, inquit, quidam Saracenorum Tribunus obtulisset ei quemdam e suis paralyticum, rogans ut eum sanaret: *Vir sanctus cum illum in medium afferri jussisset, imperat, ut majorum suorum impietatem detestetur. Cum his dictis obtemperasset rogatus an Patri, & unigenito Filio, ac Spiritui Sancto crederet? ait se credere: Si credis, inquit, surge. Qui cum surrexisset, jussit ut Tribunum illum, virum sane corpulentum, sublatum humeris, usque ad tentorium ferret: qui subiens onus, confestim abstulit, quo jussus erat. Quo sane miraculo spectatores stupefacti Deum laudabant. Hoc autem jusserat illi Domini exemplo, qui paralytico, ut grabatum tolleret, imperaverat.* Simili modo S. Bern. rogante Rege Franciæ paralyticum cruce, signans curavit, jussitque ut grabatum suum tolleret.

Tropologice S. Greg. homil. 12. in Ezechielem: *Per lectum* sive *grabatum*, inquit, *in quo carnis est requies, ipsa caro significatur; per domum vero conscientia figuratur. Tolle* ergo *grabatum tuum, id est, porta lectum, in quo portatus es: quia necesse est, ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat agrotus. Quid est ergo dicere: Tolle grabatum tuum & vade in domum tuam, nisi porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ feceris?* Justo enim Dei judicio fit, ut peccator, qui prius tentationi consensit libens, postea pœnitens eamdem sentiat invitus. Pœnitentia enim tollit quidem peccatum, at non habitus & pravas inclinationes ad peccatum, quos ipse mala consuetudine sponte contraxit & induit. Hinc S. Maria Ægyptiaca post conversionem per 17. annos sensit acres luxuriæ stimulos, quia per totidem annos turpiter in eadem vixerat, uti habet ejus vita, auctore Zozymo.

VERS. 8. Luc. 5. 26. Mar. 2. 12. VIDENTES AUTEM TURBÆ TIMUERUNT ET GLORIFICAVERUNT DEUM, QUI DEDIT POTESTATEM TALEM HOMINIBUS] Pro *timuerunt*, Græce est, ἐθαύμασαν, id est, admiratæ sunt; admirationis autem effectus est timor, sive reverentia: unde Lucas cap. 8. 16. *apprehendit*, inquit, omnes ἔκστασις, id est, *extasis*, puta sacer quidam timor & pavor ex stupore tanti miraculi manans, & in Dei gloriationem erumpens. Unde Marcus addit eos dixisse: *Quia numquam sic vidimus*. Lucas: *Quia vidimus mirabilia hodie*. Erat enim paralyticus per totum corpus. Nam Marcus addit, quod portabatur a quatuor, quia erat universalis paralysis serpens per totius corporis membra. Paraliticus iste alius est ab illo, cujus meminit Joan. 5. 2. sanato ad probaticam piscinam, quia ille in Jerusalem sanatus est, hic in Capharnaum: ille hominem non habebat, hic portabatur a quatuor: ille non credebat ut iste, cui dictum est: *Confide fili*.

Paralysis est voluptas carnis.

Tropologice: Paralysis est quodvis animæ vitium, sed præsertim carnis voluptas, exque nascens acedia, quæ ita anima prosternit, ut impotens sit se erigere ad virtutem, ad cælum, ad Deum: quare anima hoc modo laborans a portitoribus, id est, a pastoribus, prædicatoribus, confessariis, &c. evehenda est in tectum, id est, ad studium salutis rerumque cælestium, indeque per tegulas ad pedes Christi dimittenda, ac supplici & ardenti prece postulandum, ut ipse eam sua gratia sanet, motumque & sensum rerum spiritualium ipsi restituat: ipsa deinde sanata Christo salvatori suo gratias agat, nec desideat, sed abeat in domum mentis & conscientiæ suæ, ut illam a vitiis expurget, & omnium virtutum actibus adornet. Ipsa ergo debet confidere in Domino, quia ipse solus potest omnia imperfecta sua supplere. Debet surgere a somno peccati, & a pravæ lecto consuetudinis, considerando ubi prostratus fuerat, quod fit per confessionem. Ut enim qui surgit, ita & qui confitetur, se prodit: debet tollere lectum, quod pertinet ad satisfactionem, quæ cum injungitur, quasi onus quoddam portatur. Caro etiam, quæ ut lectus delectabat, & portabat spiritum mortuum, post remissionem & satisfactionem, debet esse homini instar oneris, ut illi erat, qui dicebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. cap. 7. 24. Ita Salmeron, Jansenius, Toletan. Vincent. Reg. & alii.

Anagogice hæc accipe de cælesti gloria, de qua ait Psaltes Psal. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Dicit enim in resurrectione Dominus: *Surge* (scilicet a morte) *tolle lectum tuum* (id est, corpus glorioso dotibus ornatum assume) *& vade in domum tuam*, id est, in æternam & cælestem mansionem.

Analogia Paralysis acediæ. Prima.

Porro multæ sunt analogiæ paralysis & acediæ. Prima: Sicut paralysis oritur ex frigore & crassis lentisque humoribus, cum illi nervos obsident, sic ut impediatur transitus spirituum vitalium & animalium ad sensuum instrumenta, quo fit, ut motus & sensatio impediatur, uti docet Galenus lib. 2. de Symptomatum causis cap. 1. Sic & acedia ex spirituali frigore & defectu charitatis oritur, per quod homo fit insensibilis ad divina, & immobilis ad bona opera.

Secunda. Secunda: Paralysis est nervorum resolutio. Si in cerebro ipso læsio incidat, statim omnibus partibus homo impotens insensibilisque efficitur. Si in omnes corporis nervos, illico totum corpus sensu motuque privat, ac mortem celerem aspirationis privatione infert: quare paralysis in eodem genere cum torpore est, sed ab eo magnitudine differt, ait Galenus idem lib. 1. cap. 5. nam torpor est levis quædam paralysis, ait idem inferius sub finem lib. 1. Sic acedia est torpor: & paralysis animæ, quæ omnes ejus virtutes ita occupat & torpefacit, ut ad omnia pietatis officia impotens esse videatur, quare certam animæ per peccatum mortem inducit. Sicut ergo pisciculus, qui a torpore, quem inducit, dicitur torpedo sive remora, quia naves, quibus se affigit, licet vento agitatas, remoratur & sistit: sic accedia omnes animæ vires & actiones remoratur & inhibet, illasque torpore suo quasi stupefacit, hebetat & obtundit.

Tertia. Tertia: Paralysis in corpore sequitur ad dominium phlegmatis; eadem est passio atræ bilis, sive melancholiæ: unde contingit conceptis in horis melancholiæ, ait Galenus. Sic acedia oritur ex phlegmaticis & fluidis carnis voluptatibus, ex vini crapula & fluxu luxuriæ. Rursum ex melancholicis cogitationibus & affectibus, qui in morosa superbiæ, iræ, luxuriæ, vindictæ desideria hominem, etiam nescientem, inducit.

Quarta. Quarta: Paralysis, ait Galenus, sequitur apoplexiam. Rursum paralysis est totius corporis apoplexia. Sic acedia facit ut anima vivat quasi mortua, & apoplexia icta videatur.

Quinta. Quinta, ad paralysin, ait Galenus, tendit pulsus stupidus: sic cum homo nullum rerum spiritualium habet sensum aut pulsum, signum est instantis acediæ summæ & lethiferæ.

Sexta. Sexta, Paralysis, ait Galenus, causat gravitatem ut corpus ponderosum & plumbeum esse videatur, ideoque in grabato decumbit. Sic acedia mentem gravem plumbeamque efficit, ut infelici cupiditatum carnis grabato affixa videatur; hinc in otium & somnum, æque ac in gulam & luxuriam est proclivis. Vide Cassian. lib. 10. Just. cap. 2. & 3.

Septima. Septima: Apoplexia sive sideratio (& consequenter paralysis) maxime contingit senibus, & in hyeme, & in pluviarum multitudine, ait Hippocr. Aphorismo 16. 23. & 31. sect. 3. Sic acedia veteranos invadit, cum novitius ardor deferbuit. Longitudo enim temporis parit laborum tædium, præsertim cum fervor charitatis æque ac ætatis intepuit, ac cogitationum variarum sensualium, velut pluviarum multitudine obruitur.

Octava. Octava: Apoplexiam (& paralysin) fortem curare est impossibile; levem vero difficile, ait Hippoc. Aphorismo 42. sect. 2. idem dicas de acedia & tristitia. Audi S. Chrysost. epist. 8. ad Olympiam: *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaque deterius. Nam & vermi est similis venenato: non solummodo carnem, sed & animam ipsam perimens. Et tinea non solum ad ossa, sed ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, sed vires animæ consumens: & jugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo, febris non apparens omni igni validius incendens, & pugna requiem non habens.*

Tristitia animarum tormentum crudele.

Nona. Nona: Paralysin curant aut minuunt res calidæ, ut saliva & euphorbium, ait Galenus: item exercitium corporale. Sic acediam superat charitas, id est, Dei amor, & fervor: item exercitatio tum corporis tum mentis. Nam, ut ait Cassianus lib. 10. de instit. cap. ult. *Experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam*. Acedia ergo laborans ut torporem excutiat, & ad laborem violenter se cogat, oportet: quod si fecerit, acediam superabit, & sanabit.

VERS. 9. Luc. 5. 27. Mar. 2. 14. Telonium quid? ET CUM TRANSIRET (id est, discederet, abiret, pergeret. Ita Euthymius) INDE JESUS, VIDIT HOMINEM SEDENTEM IN TELONIO, MATTHÆUM NOMINE, ET AIT ILLI: SEQUERE ME; ET SURGENS, SECUTUS EST EUM] Τέλος, Græcis est vectigal, inde telonium vocatur locus seu domus, in quo nautæ & mercatores solvebant navium mercium-

Digitized by Google

A ciumque vectigal. Unde in ea ſedebant telonarii publicani, id eſt, vectigalium redemptores & exactores (Hinc Perſicus pro *in telonio*, vertit *in domo ſolutionis*: Æthiopicus *in foro*; quia in loco publico, quale eſt forum, merces, & mercium vectigalia pendebantur) qualis erat Matthæus, unde veriſimile eſt domum ejus fuiſſe Capharnai, ad littus maris Galilææ; eo enim naves & merces appellebant, qui publica Senatus populique Romani tributa & vectigalia a ſubditis pendenda, certo conſtituto pretio redemerant, illaque a præternavigantibus applicantibus exigebant. Ita Adrichomius in deſcrip. terræ ſanctæ p. 114. num. 92. Addit Janſenius, in c. 33. Concordiæ Evang. eos, qui accuratius terram ſanctam perluſtrarunt, aſſerere; locum, unde vocatus fuit Matthæus, extra Capharnaum circa mare etiamnum demonſtrari. Marcus & Lucas dicunt Matthæum ſediſſe ad telonium, quia per telonium accipiunt non domum, ſed menſam, in qua numerabant pecuniam pro vectigali ſolvendam. Myſtice *ſedentem in telonio* urget B. Petr. Chryſol. ſer. 29. *Sedebat utique, quia ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa totus conſcientia fraudis incurvus. Aurum natura grave, gravius fit avaritia nimis. Hinc eſt, quod plus habentem deprimit quam ſerentem, & vehementius aggravat corda, quam corpora. Naſcitur in terra profunda, perquæſima venarum cæcis diſcurrit anfractibus, & dum ſuam ſemper repedat ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit.* Contra vero Zachæus, ubi animum a terrenis opibus exoneravit, ſtare dicitur: *Stans*, inquit, *Zachæus dixit ad Jeſum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Luc. 19. 8.

Ex qua urbe vocatur Matthæus.

B

MATTHÆUM NOMINE] Nominat ſe Matthæus, tum humilitatis ſtudio, ut ſe publicanum & peccatorem fuiſſe toti orbi confiteatur, tum gratitudinis ergo, ut eximiam Chriſti erga ſe gratiam deprædicet, æque ac facit S. Paulus 1. Tim. 15. *Fidelis*, ait, *ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Vide ibi dicta.

SEQUERE ME] quem jam audiſti in Capharnao cæleſtem doctrinam prædicare, eamque multis confirmare miraculis ac in primis recenti paralytici ſanatione. Vocat

C Matthæum *miraculorum jam fama perdomitum*, ait Chryſoſtomus. Vide hic dignationem Chriſti, qua Matthæum publicanum, ideoque apud Judæos infamem, non tantum ad gratiam, ſed ad familiam ſuam, intimamque amicitiam & Apoſtolatum vocat.

Fulgor faciei Chriſti rapiebat ad ſe.

ET SURGENS SECUTUS EST EUM] Nota hic efficaciam vocationis Chriſti, æque ac promptam Matthæi obedientiam. Audi S. Hier. hic: *Arguit in hoc loco Porphyrius, & Julianus Auguſtus vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſint Salvatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti; cum tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequam crederent, vidiſſe non dubium eſt. Certe fulgor ipſe & majeſtas divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide & ſuccinis, hæc eſſe vis dicitur, ut annulos & ſtipulam & feſtucas ſibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat?*

D

Sicut ergo magnes trahit ad ſe ferrum, ambra paleas, ſol vapores; ſic Chriſtus ad ſe traxit Matthæum, atque hoc tractu ſuas ei virtutes communicavit, ac præſertim eximium Dei amorem, contemptum mundi, ſtudium paupertatis, zelum animarum, ardorem prædicandi, &c. Vide quæ de efficacia & effectibus gratiæ, qua Chriſtus ad ſe traxit Saulum, fecitque Paulum, dixi Actor. 9. v. 6.

Audi modum converſionis S. Matthæi, quem ipſe revelavit S. Birgittæ, oranti ad ſepulchrum ejus Malphi l. 1. Rev. c. 129. *Voluntas mea talis erat eo tempore* (telonii) *quod neminem defraudare volui, ſed deſiderabam invenire viam, qua ſepararem me ab officio iſto, & toto corde adhærerem Deo ſoli. Prædicante igitur amatore meo Jeſu Chriſto tunc inflammabatur ſicut ignis verbum vocationis ſuæ in corde meo, ſic dulciter ſapuerunt verba ſua mihi, quod de divitiis & honoribus non plus cogitabam, quam de paleis: imo mihi magis flere placuit, & gaudere, quod Deus meus tantillum & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. Adhærens quoque Domino meo, verba ejus ardentius cœpi infigere cordi meo, quæ nocte & die quaſi cibum ſuaviſſimum guſtando cogitabam.*

VERS. 10 Luc. 5. 29. Mar. 2. 15. ET FACTUM EST, DISCUMBENTE EO IN DOMO, MULTI PUBLICANI ET PECCATORES VENIENTES DISCUMBEBANT CUM JESU ET DISCIPULIS EJUS] *In domo* ipſius Matthæi, qui humilitatis ſtudio de ſe ſiler, quod virtutis eſt; prodiit, quod vitii, ſcilicet quod fuerit publicanus. Id liquet ex Luca c. 5. 29. ubi ait: *Et fecit ei convivium magnum Levi* (ita vocabatur quoque Matthæus: erat enim binomius, ut & alii multi Judæorum) *in domo ſua.* Unde ad illud a Matthæo invitati fuere ſocii ejus publicani, ſimileſque peccatores, ut Chriſti benevolentia, & doctrina allecti, ad illam ſequendam pari modo traducerentur. Nam Phariſæi eos, ut peccatores, averſabantur, nec cum eis edere aut loqui dignabantur: quare publicani malebant ſequi Chriſtum, quam Phariſæos. Signum enim veræ converſionis eſt, ſatagere alios ab iiſdem vel ſimilibus peccatis convertere. Bonum enim eſt ſui diffuſivum: & charitas inſtigat ad aliorum perditorum ſalutem procurandam, cum quis illam ejuſque ſuavitatem in ſe ipſo expertus eſt.

E

Signum veræ converſionis eſt zelus.

Porro publicanorum officium, licet ex ſe juſtum ſit, & ſine peccato exerceri poſſit, quia tamen illud ſæpe obibant homines quæſtui & avaritiæ plane addicti, qui vectigalia majora æquo, præſertim a pauperibus extorquebant, hinc apud Judæos publicani erant infames, & quaſi publici peccatores habebantur, perinde ut apud Chriſtianos habentur publici uſurarii. Accedit, quod olim Judæi contenderent ſe velut populum Deo dicatum non debere ſubjici Romanis, utpote Gentilibus & idololatris, nec eis tributa pendere: hoc enim eſſe contra libertatem & dignitatem filiorum Dei: quare publicanos tributa exigente deteſtabantur, imo hæc fuit cauſa rebellionis Judæorum, ob quam exciſi ſunt a Tito & Veſpaſ. ut patet ex Joſepho.

An publicanorum officium ſine peccato exerceri poſſet?

F

PECCATORES] Hi diſtinguuntur hic a publicanis, velut ſocii a ſociis. Quare peccatores hic videntur vocari Judæi diſſoluti, qui parum curantes legem & religionem Judaicam, cum Gentibus gentiliter vivebant, vel ad Gentiliſmum deficiebant: unde publicanis erant familiares; quare Judæis exoſi erant, ut publicani. Judæi enim ſe vocabant populum fidelem & ſanctum, quia ſic eos vocarat Deus, Exodi 19. v. 6. Quare a ſe ſuaque lege Apoſtatantes vocabant peccatores.

Qui peccatores hic nominentur?

VERS. 11 ET VIDENTES PHARISÆI, DICEBANT DISCIPULI EJUS: QUARE CUM PUBLICANIS ET PECCATORIBUS MANDUCAT MAGISTER VESTER?] Non interrogantium, ſed accuſantium vox eſt, q. d. Chriſtus magiſter veſter facit contra legem Dei & Patrum traditiones, ut quid ergo eum auditis & ſequimini? Verſatur enim cum peccatoribus, quare eorum vel peccata vel infamiam vobis afflat: quin ergo eum infamem & vos infamantem dimittitis? Hic erat paralogiſmos Phariſæorum, quem diluit & diſſolvit Chriſtus.

G

Luc. 5. 30. Mar. 2. 16.

AT JESUS AUDIENS (ex relatu diſcipulorum: nec enim Phariſæi audebant Chriſto id objectare) AIT: (non diſcipulis, ſed Phariſæis: ad eos enim, a quibus obmurmuratio profecta erat, ſeſe convertit, ut patet ex ſequent.) NON EST OPUS VALENTIBUS MEDICUS, SED MALE HABENTIBUS] q. d. Non egent medico, qui recte valent, ſed qui male. Sicut ergo medicus non inficitur morbo ægrotorum, ſed potius morbum vincit, & ab iis depellit: ideoque non dedecus, ſed decus medici eſt verſari cum ægris, eoſque curare, eoque majus, quo major eſt eorum ægritudo: ſic pariter ego, qui e cœlo in terras a Deo Patre miſſus ſum, ut ſim medicus peccatricium animarum, converſando cum eis, morbis & peccatis eorum non contaminor, ſed potius ea curo & ſano, quæ mihi ſumma eſt laus (æque ac ſummum eorum bonum) eoque major, quo peccata ſunt majora & graviora. Ego ergo peccatorum ſum medicus, non ſocius. Vos vero, o Phariſæi, peccatorum eſtis non medici, ſed ſocii, ideoque contaminati, infames, & vituperio digni: vultis tamen a populo haberi juſti & ſancti, ideoque vobiſcum (uti velletis) non verſor, tum quia valentes, id eſt juſti, quales vos eſſe dicitis, non egent medico ſpirituali; tum quia veſtram ſimulationem & hypocriſin averſor.

VERS. 12 Luc. 5. 31. Mar. 2. 17.

H

EUNTES AUTEM (q. d. Abite a me, faceſſite e conſpectu meo: eſt enim vox repellentis & repudiantis) DISCITE, QUID EST (quod ait Oſee cap. 6. 6.) MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM] id eſt, miſericordiam malo, quam ſacrificium, licet hoc nobilius ſit, & nobilioris virtutis, puta religionis actus, q. d. Miſericordiam ſequimini, ſicut ego, ut peccatores ſalvetis. Malo, inquam, miſericordiam, & miſereri miſerorum peccatorum, quam vobiſcum hoſtias offerre Deo ob cauſas, quas recenſui Oſee 6. v. 6. Vide ibi dicta, ubi de dignitate & præcellentia miſericordiæ annotavi.

VERS. 13 Luc. 5. 32. Mar. 2. 17.

Meri-

A Merito exclamat hic S. Bern. ſer. 16. in Cant. *O ſapientia, quanta arte medendi in vino & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras! fortiter ſuavis, & ſuaviter fortis: fortis pro me, & ſuavis mihi! Oleum effuſum nomen tuum, non vinum effuſum: nolo enim ut intres in judicium cum ſervo tuo. Sed oleum, qui coronas me in miſericordia & miſerationibus. Oleum plane, quod dum ſupernatat cunctis, quibus immiſcetur liquoribus, liquido illud deſignat nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

NON ENIM VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES] Græca addunt εἰς μετάνοιαν, id eſt; *ad pœnitentiam*; ſicque habet Lucas & Arabicus hic. Alioqui enim Chriſtus quoque vocavit Nathanaelem, qui jam erat juſtus, ad ſui ſequelam. Item B. Virginem, S. Joannem & Eliſabetham, quam jam erant ſancti, vocavit ad majorem ſanctitatem & perfectionem: ſed tamen prior quoque horum, quin & primorum Patrum, ut Abrahæ, Moſis, Davidis, ſanctitas manavit ex prævifis meritis Chriſti: qua de cauſa S. Auguſtinus lib. 3. contra duas epiſt. Pelag. cap. 4. Abraham & omnes priſcos ſanctos vocat filios non tam veteris, quam novi Teſtamenti, hoc eſt, Chriſti diſcipulos & B Chriſtianos: omnes enim quaſi filii Adæ peccatoris eguerunt redemptione, fide, & gratia Chriſti: *Omnes enim peccaverunt & egent gloria* (glorioſa gratia) *Dei*, Rom. 3. 23. Ita S. Chryſoſtomus.

Aliter S. Hilarius, Hieronymus, Beda, Theophilactus, & Euthymius, q. d. Non veni vocare juſtos, eos ſcilicet, qui ſuperbe, ſed falſo ſe juſtos æſtimant & jactitant, cum revera ſint peccatores & hypocritæ, quales vos eſtis, o Scribæ & Phariſæi.

VERS. 14 TUNC ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI JOANNIS, DICENTES: QUARE NOS ET PHARISÆI JEJUNAMUS FREQUENTER, DISCIPULI AUTEM TUI NON JEJUNANT?] *Tunc*, ſignificat paulo poſt hæc contigiſſe: idem inſinuat Marcus c. 2. 18. & Lucas c. 5. 33. qui omnes hanc narrationem præcedenti murmuri proxime ſubnectunt. Phariſæi ergo juſta ratione confutati a Chriſto, aliam hic moliuntur criminationem, illamque non diſcipulis, ſed ipſi Chriſto intentant. Subornant ergo diſcipulos Joannis, ut occaſione jejunii ſibi cum eis communis criminentur Chriſtum, quod cum ſuis diſcipulis non jejunet. Id ita eſſe C indicat Marcus c. 2. 18. dicens: *Et erant diſcipuli Joannis & Phariſæi jejunantes, & veniunt, & dicunt illi: Quare*, &c. Erat hoc jejunium non lege præſcriptum (hoc enim, & cetera legis exacte ſervabat Chriſtus cum ſuis) ſed vel a magiſtris ordinatum, vel a diſcipulis hortatu magiſtrorum ſponte aſſumptum. Unde Lucas cap. 5. 33. ait eos dixiſſe: *Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes facium, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt?* q. d. Tu vis eſſe reformator noſter & magiſter perfectionis, cur ergo nos jejunamus, tu cum tuis genio indulges? *Diſcipuli Joannis* cum Phariſæis ut habet Marcus; ita ſcilicet, ut Phariſæi diſcipulos Joannis inſtigarent, & animarent ad proponendum idipſum Chriſto, unde Phariſæorum tantum meminit Lucas; diſcipuli vero Joannis nomine ſuo & Phariſæorum, rem Chriſto proponerent; unde eos ſolos nominat hic Matthæus. Premunt vero urgentque Chriſtum Joannis Baptiſtæ auctoritate (hæc enim ſumma erat apud Judæos) ſed imperite & præſumptuoſe: *Fuit* ergo hæc *ſuperba interrogatio*, D ait Interlinearis, *& plena ſupercilio Phariſæorum: Reprehendendi enim*, ait S. Hieronymus, *ſunt Joannis diſcipuli, & ob jejunii jactantiam, & quia ſe jungebant Phariſæis a Joanne damnatis; & quia calumniantur a Joanne prædicatum*. Sic ſuperbus ille Phariſæus non tam Deum orabat, quam ſe jactabat, dicens: *Jejuno bis in Sabbato*, id eſt, in hebdomada. Lucæ cap. 18. verſ. 12. Porro diſcipulos Joannis hæc dixiſſe ex zelo magiſtri ſui Joannis in invidiâ Chriſti, ut Joannem præferrent Chriſto, colligitur ex Joannis capite 3. verſ. 26. Similem zelum etiamnum ſubinde videmus in viris alioqui probis, qui ſuum fundatorem vel patronum cæteris omnibus præferre ſatagunt, qua in re adhuc animales ſunt ac pueriles, produntque occultam vanitatem & arrogantiam, qua per magiſtrum ipſimet cæteris antecellere contendunt. Tales erant Corinthii, dicentes: Ego ſum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo, quos acriter quaſi animales caſtigat Apoſtolus. 1. Corinth. 3. 3. *Cum*, inquit, *ſit inter vos zelus & contentio, nonne animales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis*, &c.

Luc. 5. 33. Matt. 2. 18.

Jejunium diſcipulorum Joannis.

VERS. 15 ET AIT ILLIS: NUMQUID POSSUNT FILII SPONSI LUGERE, QUAMDIU CUM ILLIS EST SPONSUS? VENIENT AUTEM DIES, CUM AUFERETUR (Syrus, *telletur*, Arabicus, *ſublevabitur*) AB EIS SPONSUS, ET TUNC JEJUNABUNT] Sponſus eſt Chriſtus, quia humanam naturam, & per eam Eccleſiam ſibi in incarnatione deſpondit, ac perpetuo conjugii vinculo copulavit. Hoc conjugium Chriſtus inchoavit per gratiam in terra. *Matt.* 22. v. 2. ſed per gloriam cum electis conſummabit in cælo, ubi erunt perpetuæ nuptiæ Agni. Apoc. c. 19. 7. Hinc Joannes Baptiſta vocat ſe amicum ſponſi, id eſt, Chriſti, Joan. 3. 29. idque audierant diſcipuli Chriſti: unde ſciebant ſponſum vocari Chriſtum. *Filii ſponſi, Græce* υἱοὶ νυμφῶνος, id eſt, filii thalami nuptialis, & *nuptiarum*, ut habet Marcus c. 2. 19. id eſt, qui nuptiis & thalamo ſponſi gaudent, & nuptialibus gaudiis perfruuntur, ſcilicet familiares ſponſi, ejuſque intimi amici, qui ad ſecretum ejus cubiculum & thalamum admittuntur, ut familiariter cum eo agant, ejuſque ſecreta audiant. Noſter vertit *filii ſponſi*, quia νυμφὼν & ſponſum, & cubiculum nuptialem, ſive thalamum, ut vertit Suidas & Syrus, ſignificat. Simili Hebraiſmo vocantur filii obedientiæ, qui obedientiam adamant eaque gaudent: filii iniquitatis, qui iniquitatem diligunt; filii ſuperbiæ, qui eam impenſe ſectantur, valdeque ſunt ſuperbi. *Lugere*, id eſt, jejunare. Eſt catachreſis: in luctu enim jejunabant, & jejunium facit homines mœſtos, ſicut cibus & vinum faciunt joviales & hilares. Luctus ergo eſt luctuoſum jejunium. Senſus eſt, q. d. Mirum non eſt diſcipulos meos non fugere, ac per conſequens non jejunare, cum me ſponſo, meiſque nuptiis fruantur: in nuptiis enim decent modeſtæ epulæ & convivia, dedecent jejunia: filios autem ſervi, ſcilicet diſcipulos Joannis Baptiſtæ, qui meus eſt ſervus, quique auſteram & triſtem vitam degit ut homines inducat ad pœnitentiam, atque oneroſam Moſis legem (utpote adhuc vigentem) ſuis imponit: hos, inquam, decet luctus, auſteritas & jejunium: hi enim per luctum & aſpera jejunii pœnitentiæque opera oſtendebant, & parabant peccatoribus viam ad lætas nuptias ſponſi Chriſti: at morietur, auferetur que ſponſus Chriſtus, tuncque diſcipuli ejus lugebunt & jejunabunt. Alludit ad veterem morem lugendi mortuos, adhibito jejunio: ſolent enim qui lugent, cibo abſtinere. Ita Hebræi luxerunt Saulem mortuum, jejunando ſeptem diebus. 1. Reg. 13. 13. ac cæſos in prælio, Judic. c. 20. 26. ac Jonathan, 1. Reg. 7. ac cladem illatam ab Antiocho 1. Mach. 3. 47.

E

Filii ſponſi quinam?

F

Lugere eſt jejunare.

G

Significat hic Chriſtus novitios in fide & religione leniter & blande tractandos, utpote teneros adhuc, & quaſi pueros in ſpiritu, donec creſcant & adoleſcant in virtute, ne ſi initio dura & ardua eis imponantur, deſperent, aut deſerant inchoatam virtutis viam. Ita exemplo Chriſti tractantur benigne novitii in religionibus bene conſtitutis, ibique quaſi lactantur conſolationibus divinis & humanis, tum a Deo, tum a præfecto ſuo & magiſtro. Quocirca S. Pacomius, qui regulam ordinis ſui ab Angelo accepit, voluit novitios per triennium in ea ſenſim inſtrui & perfici, ſicut Chriſtus Apoſtolos in ſua ſchola per triennium lactavit & erudivit. Idem graviter caſtigavit cocum, quod junioribus jentaculum a ſe præſcriptum non præparaſſet, ut habet ejus vita. Hic eſt ordo naturæ, pueri enim lacte, adulti cibo ſolido duroque nutriendi ſunt.

Novitii leniter tractandi. Exempla.

Huc facit exemplum priſci Abbatis probatiſſimi, qui hoſpites ante canonicam refectionis horam prandio excepit, ac rogatus cauſam dixit: *Jejunium, fratres, ſemper eſt mecum; vos autem continuo dimiſſurus, mecum jugiter tenere non potero. Itaque Chriſtum in vobis ſuſcipiens reficere eum debeo: & cum vos deduxero, diſtrictionem jejunii in memetipſo petero compenſare. Non enim poſſunt filii ſponſi jejunare, donec cum illis eſt ſponſus; cum autem diſceſſerit, tunc licite jejunabunt.* Ita referunt Caſſianus & Sulpitius l. 4. in Vitis Pat. c. 32. Simile fecit ille Magnus S. Spiridion Trimyuntis Epiſcopus. H

Porro poſt mortem Chriſti Apoſtoli ſæpe jejunarunt, & fame ſitique laborarunt, ac vitam auſteram egerunt in continuis peregrinationibus, laboribus, perſecutionibus, fame & ſiti, uti de ſe fuſe narrat Apoſtolus 2. Cor. 11. Sic in vita S. Petri legimus, eum aſperam egiſſe pœnitentiam, ut non niſi panem cum olivis comederet, aut, ut ait S. Gregorius Nazianz. orat. de Amore pauperum, non niſi pane cum lupinis, vel herbis, aut leguminibus veſceretur.

Hinc in Eccleſia Orientali, ait S. Epiphan. hæreſi 75. ſub finem, Chriſtiani jejunant feria 4. & 6. ſive die Mercurii & Veneris, uti etiamnum fit in Græcia, Polonia, Hollandia. Cæteri vero Occidentales feria ſexta & Sabbato carnibus abſtinent, quia ſponſus feria quarta proditus eſt a Juda Judæis, feria ſexta crucifixus eſt & mortuus, Sabbato ſepul-

Græcorum jejunia, Unde?

Digitized by Google

A sepultus, planeque ablatus, uti docet S. August. epist. 86. ad Casulanum. Addit Innocentius I. epist. ad Lugubinum cap. 4. feria sexta & Sabbato jejunandum esse, quia eo biduo mœsti Apostoli ob Christi mortem jejunarunt. Addit Epiphanius Christianos olim in jejunio non comedisse nisi panem, salem & aquam, idque ex decreto Apostolorum.

Quadragesima Montani post Pascha.

Ex hoc loco Montanus hæresiarcha secundam post Pascha (in quo occisus & mortuus est Christus) & Pentecosten induxit quadragesimam, in speciem, quod mœstem Christi lugendam diceret, sed sic oportaret Christianos Christo suo jam mortuo, tota vita jejunare. Montanum secutus Tertullianus in ejus hæresin jam prolapsus, ut ejus jejunium propugnaret, scripsit librum de Jejuniis contra Psychicos, id est, Christianos animales & carnales, uti ipse eos nominabat.

Tropolog. Tropologice S. Hieronymus: Cum sponsus Christus, ait, a nobis propter peccata discesserit, tunc maxime suscipiendus est luctus, & jejunium.

B S. Hilarius vero & S. Ambrosius: Sponsum Christum, inquiunt, præsentem habemus, & assidue ejus corpore pascimur in Eucharistia: illi vero, quibus sponsus non est præsens (per gratiam, uti sunt, qui vivunt in peccato mortali) jugiter jejunent & esuriunt, eo quod cibo vitæ careant. Addit S. Ambr. in c. 5. Lucæ explicans *auferetur* ab illis sponsus: *Nemo tibi Christum potest auferre, nisi ipse te auferat illi; non ergo te auferat jactantia tua, non te auferat arrogantia.*

Symbolice significat Christus se salutis & lætitiæ publicæ totius mundi non solum esse nuntium, sed & auctorem, uti sponsus est auctor convivii & symphoniæ, lætitiæque nuptialis.

VERS. 16 NEMO AUTEM IMMITTIT COMMISSURAM PANNI RUDIS IN VESTIMENTUM VETUS: TOLLIT ENIM PLENITUDINEM EJUS A VESTIMENTO (Arabicus addit *veteri*) ET PEJOR SCISSURA EST] Nota primo. Pro *commissuram* Græce est πλήρωμα, id est, additamentum & assumentum, S. Augustinus & Tertullianus lib. de Orat. cap. 1. vocant *plagulam*. Syrus *frustum panni*. Alii *pannicu-lum*. Flandri clare *een lap*, Itali *un pezzo*. Unde S. Franciscus volebat suos fratres gestare vestes *rappeciatas*, quasi pauperes. Sic enim videmus mendicos vestes ex multis panniculis, & sæpe diversis coloribus consarcinatas gestare, ut si omnes numeres, subinde centum invenias, indeque centones dicti.

Luc. 5. 36. Mar. 2. 21. Parabola cōmissuræ panni rudis a vestimēti veteris.

C PANNI RUDIS] id est panni impoliti & imperi, qualis est cum a textoribus ad fullones præparandus & tingendus defertur. Patet ex Græco ἄγναφος: a enim est privativum, γναφεὺς est fullo, unde hæresiarcha ille olim addens Trisagio: *Qui crucifixus est pro nobis*; quasi tota Trinitas sit crucifixa, aut tota Trinitas sit Christus, dictus est Petrus Gnaphæus, quia arte erat fullo. Lucas habet *commissuram novi vestimenti*, tale enim est pannus novus & rudis: unde Itali vestes vocant *panno*: fieri etiam potest, ut utraque phrasi, scilicet panni & vestis usus sit Christus.

PLENITUDINEM (vocat integritatem) EJUS (id est, suam) A VESTIMENTO] scilicet veteri: si etiam assuas frustum panni novi vestimento veteri, tolles ejus integritatem, ut jam non unum vetus esse videatur, sed duo, scilicet partim vetus, partim novum.

D Nota secundo: Sensus parabolæ est, q. d. Vestis vetus, si sit lacera, simili veteri assumento, pannique frusto resarcienda est, non novo, hoc enim novum, si assuatur veteri, tollit plenitudinem; id est, integritatem *ejus*, id est, *suam*, a vestimento, scilicet veteri, cui assuitur, ut scilicet non videatur unum plenum, id est, integrum & homogeneum esse vestimentum, sed heterogeneum & multiplex, quia partim vetus, partim novum, ideoque illud deformat & detrurpat: quare qui tale supplementum vel assumentum novum veteri assuerit, videns ejus deformitatem, statim illud detrahit & aufert, ut habet Marcus cap. 2. v. 21.

ET (sic) PEJOR SCISSURA FIT] quam scilicet ante fuerat, cum vestis esset lacera: *scissura*, inquam id est; divisio partium veterum sibi similium per novi assumentum, & rursum per detractionem illius. Pejor ergo scissura fit, quia quod additum fuit ad eam resarciendam, hoc eam lacerat magis: unde iterum ex eo exscinditur, tumque major scissura fit.

Simili schemate de Julio Cæsare dixit Tullius: *Cæsar cum quosdam* (indignos senatoria dignitate) *ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit*, ait S. Hieronymus ad Pammachium; perinde ac qui asino loc. quem auream circumdat, non honestat asinum, sed torquem dehonestat. E

Aliter Jansenius cum Syro, quasi dicat *sallit*, scilicet herus vestis, cum offensus dissimilitudine & deformitate panni novi & veteris, auferet *plenitudinem* suam, id est, supplementum sive fructum suum novum, quod assuerat veteri, ut ejus scissuram impleret a veteri vestimento; & sic eo ablato major & pejor fit scissura in illa veste. Verum hoc remotius est a versione Latina vulgari interpretis.

Nota tertio: Addit Lucas c. 5. v. 36. *Alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commissura a novo*; quasi dicat: Alioqui fit novi panni ruptura (quia scilicet ex novo panno præscinditur assumentum assiendum ad vetus vestimentum) & simul perditur ipsum novum assumentum, quod Lucas vocat commissuram, quia cum illud veteri assutum, ibi nullum habeat usum, sed planeo dedeceat, rursum detrahitur & abjicitur.

Nota quarto: Parabola hæc ita est accommodanda rei propositæ; quasi dicat: Sicut novum pannum nemo assuit veteri vesti, sed novum novæ, veterem veteri: sic ego, qui sum prudentissimus & suavissimus animarum medicus, perspiciens discipulorum meorum, qui sunt vestimentum vetus & utres veteres, ut sequitur, veterem & pristinam consuetudinem, infirmissimam & libertatem, nedum eis impono tam duras & rigidas pro aevi nostri ac jejunia (cum illa non sint lege præscripta, sed voluntaria & libera) ne & doctrinæ meæ fructus apud ipsos pereat, & ipsi desperatione acti, me & salutem suam deserant, sed expecto dum inveniantur spiritu cælesti a me mittendo in Pentecoste, ut veritate & institutis depositis innovati novam austeritatem novaque jejunia suscipiant; idque non coacte & ex metu pœnarum, uti faciebant Judæi, sed sponte, & ex amore: lex enim nova Christi amoris & libertatis est, sicut lex vetus fuit timoris & servitutis: sic Apostolos post Pentecosten crebro jejunasse, patet Actor. 13. v. 2. & 3. 2. Cor. cap. 6. 5. Act. 27. 9. & alibi. Ita Euthymius, Theophylactus, Maldonatus, Jansenius, & alii. Minus apposite Tertullianus lib. de Orat. cap. 1. & lib. 3. contra Marc. cap. 15. per vetus vestimentum & veteres utres accipit legem veterem; per pannum vero rudem & novum intelligit legem novam sive Evangelium: lex enim nova veterem reformavit, & quasi novam effecit. Nam præcise & adæquate per vetus vestimentum & novum intelliguntur Apostoli, jam adhuc ex veteri comedendi libereque vivendi consuetudine veteri, sed in Pentecoste spiritu temperantiæ & austeritatis innovandi, ut dixi.

F

VERS. 17 NEQUE MITTUNT VINUM NOVUM IN UTRES VETERES: ALIOQUIN RUMPUNTUR UTRES, ET VINUM EFFUNDITUR, ET UTRES PEREUNT; SED VINUM NOVUM IN UTRES NOVOS MITTUNT (vinitores) ET AMBO CONSERVANTUR] Christus probat discipulis suis se præsente non esse jejunandum, triplici similitudine, sive parabola: Prima sponsi, & nuptiarum, v. 15. Secunda, vestis veteris & novæ, vers. 16. Tertia, vini novi, & utrium novorum, hic. Sensus est: q. d. Sicut vinum novum sive mustum bullientis spiritus, æstuantisque caloris violentia rumpit utres veteres, utpote debiles & tritos; unde duplex fit damnum, primo quod utres frangantur; secundo, quod vinum effundatur: quare vinum novum in novos utres infundendum est, utpote qui novi & robusti ferant vim musti; nec eo efferveſcente dissiliant: sic prorsus novæ austeritates & jejunia discipulis meis adhuc vetustis imponenda non sunt, ne ipsi animo frangantur & abeant, sed expecto, dum per Spiritum sanctum in Pentecoste innoventur, frantque spiritu robusti & ferventes: tum enim sponte sua illa capessent; uti dixi v. 16. Vere dixit Horat. Luc. 5. 37. & 38. Mar. 2. 22.

G

H

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit:

Sic quoque austera & perfecta vita, non nisi purgato a vitiis animo, puro & novo convenit, alioqui acescit & amarescit tam austeritas, quam ipse animus.

Huic parabolæ simile est vetus proverbium: *novum cribrum, novo paxillo*, quod citat Nonius ex Varronis Eumenidibus, ubi dicitur primus Zeno novam hæresin novo paxillo suspendisse, quia Zeno Athenis invenit novam sectam Stoicorum, idque novis rationibus & paradoxis: Et illud: *Nova hirundo, novum ver*: unde Rhodii, teste Theognido apud Athenæum lib. 8. quotannis publicis vocibus sub ver invitabant hirundinem, vociferantes; *Veni, veni hirundo pulchra tempora adducens, ac pulchros annos.* Nova hirundo, novum Ver.

Hisce

A Hiſce oppoſitum eſt adagium: *Nova Hymetia, falerna vetera*; dici ſolitum, cum rex diverſe, puta novæ & veteres optime miſcentur. Hymetia enim ſunt mella, quæ in Hymetto, qui mons eſt Atticæ, colliguntur, præſtantiſſima, teſte Plinio lib. 11. cap. 13. Unde Martial. lib. 7. 89.

Paſcat & Hybla meas, paſcat Hymettos apes,

Mel enim optimum eſt recentiſſimum, vinum vero optimum eſt vetuſtiſſimum, teſte Macrobio lib. 7. Saturn. Si utrumque miſceas, erit potus delicatiſſimus. Unde adagium: *Mulſum quod pube temperes, miſtendum eſt novo Hymettio (melle) falerno (vino) vetulo.*

VERS. 18 Luc. 8. 41. 42. Mar. 5. 22. Filia Jairi a morte ſuſcitatur.

HÆC ILLO LOQUENTE AD EOS, ECCE PRINCEPS UNUS ACCESSIT, ET ADORABAT EUM, DICENS: DOMINE, ECCE FILIA MEA MODO DEFUNCTA EST: SED VENI, IMPONE MANUM TUAM SUPER EAM, ET VIVET] *Princeps*, ſcilicet *ſynagogæ*, ut addit Lucas, qui ſynagogæ Capharnaenſi præerat. Hæc enim geſta ſunt in littore maris Galilææ vicino urbi Capharnaum, ut patet Marci 5. 21. 22. Marcus ait: *Archiſynagogorum unus*, plures enim præerant uni ſynagogæ, qui ſcilicet eam, & populum ad eam convenientem moderabantur, docebant & regebant: ut faciunt nunc ſacerdotes in templis. Nomen illi erat *Jairus*, ut habet Marcus c. 5. 22. *Jairus*, vel ut Hebræi dicunt, *Jair* idem eſt, quod ſplendebit, vel *illuminabit*, a radice יאר *or*, id eſt, *luxit*. Jairus enim velut Archiſynagogus populum illuminabat, legemque docebat.

ADORABAT EUM] ſcilicet *providit ad pedes ejus*, ut habent Marcus & Lucas.

FILIA MEA (annorum duodecim, ut habet Lucas) MODO DEFUNCTA EST; SED VENI] Matthæus brevitati ſtudens, rei geſtæ ſubſtantiam perſtringit potius, quam hiſtoriæ ſeriem enarret. Nam, ut patet ex Luca & Marco, nondum mortua erat filia, cum primo venit ad Chriſtum pater Jairus, rogans & dicens: *Veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet*; cumque ſimul progederentur, accurrit quidam Jairo, nuntians mortem filiæ, monenſque eum, ut re jam deſperata Chriſtum relinqueret. Unde Chriſtus, ut videtur, eum in fide vacillantem confirmat & ad firmam fidem, ſpemque ſanandæ filiæ erigit: ille in ſpem erectus, Chriſtum ſequitur, & domum ſuam deducit, rurſum tacite, vel expreſſe & conceptis verbis rogans Chriſtum, ut filiam jam mortuam ſuſcitaret, ut habet hic Matthæus.

C

Aliter S. Chryſoſtomus, & Theophylactus: Defuncta eſt, inquiunt, id eſt, morti proxima: ſolent enim miſeri ærumnas ſuas augere, & calamitates exaggerare, ut facilius opem, quam implorant, impetrent. Addit S. Aug. l. 2. de Conſenſu Evang. c. 28. quod conjicere poterat pater filiam, quam agonizantem reliquerat: tempore itineris ſui eſſe defunctam: *Ita enim deſperaverat*, ait S. Aug. *ut potius vellet eam reviviſcere, non credens vivam poſſe inveniri, quam morientem reliquerat.*

SED VENI; IMPONE MANUM] Viderat vel audierat Jairus, Chriſtum plures ægros Capharnai impoſitione manus ſanaſſe, idem ergo ſperabat facturum filiæ ſuæ; impoſitio enim manus eſt tum poteſtatis & dominii, tum voluntatis propenſæ & attentæ ad ſanandum. Minor fuit fides Jairi, quam Centurionis credentis, Chriſtum abſentem ſolo verbo poſſe ſanare ſuum famulum c. 8. v. 8.

D

VERS. 19 Luc. 8. 41. Mar. 5. 24. Chriſti quanta facilitas.

ET SURGENS JESUS, SEQUEBATUR EUM, ET DISCIPULI EJUS] Græce ἠκολούθει, id eſt, *cum ſurrexiſſet*. Verisimile eſt enim Chriſtum ſedendo docuiſſe turbas, indeque a Jairo rogatum ſurrexiſſe. Nota hic Chriſti facilitatem, & promptitudinem ad beneficiendum & opitulandum afflicto. Idem imitentur Chriſtiani: Mira, ait S. Chryſoſt. Chriſti humilitas & manſuetudo, ſtatim ſequentis rogantem. Prælati etiam hic ſollicitudinem demonſtravit. Addit S. Chryſ. quod Chriſtus primus interpellatus a Jairo, tardius incedebat, & plura ſit locutus mulieri a ſanguinis fluxu curatæ, ut moreretur interim puella, & manifeſta fieret reſurrectionis demonſtratio.

VERS. 20 Luc. 8. 43. 44. Mat. 9. 33. 34.

ET ECCE MULIER, QUÆ SANGUINIS FLUXUM PATIEBATUR DUODECIM ANNIS; ACCESSIT RETRO, ET TETIGIT FIMBRIAM VESTIMENTI EJUS] *Mulier* ex Cæſarea (quæ prius *Dan*, poſtea *Paneas*, deinde a Philippo filio Herodis tetrarcha amplificata, in gratiam Tiberii Cæſaris dicta eſt *Cæſarea*) Philippi, ut patet ex hiſtoria, quam de eadem narrat Euſebius Cæſarienſis l. 7. Hiſt. c. 14. Cætera de muliere hac a Chriſto ſanata fuſius narrat Marcus c. 5. quare ibi commodius explicabuntur.

VERS. 23 Luc. 8. 52. Marc. 5. 38

ET CUM VENISSET JESUS IN DOMUM PRINCIPIS, ET VIDISSET TIBICINES ET TURBAM TUMULTUANTEM] *Tibicines*, qui, ut ait S. Amb. in c. 8. Luc. v. 52. in funere conducti miſte modulantes carmen, & nænias, amicis & vicinis luctum & lachrymas ciebant ob mortem defuncti, idque faciebant non tantum viri, ſed & feminæ lamentatrices, de quibus Jerem. 9. 17. *Vocate*, ait, *lamentatrices, & veniant, &c. & deducant ſuper nos lamentum: deducant oculi noſtri lachrymas, & palpebræ noſtræ defluant aquis.* Hic erat mos apud Judæos: idem fuit apud Gentiles, qui in morte ſuos habebant planctores & planctrices, quas Nonius Marcellus, Feſtus Pompejus & Varro Præficas vocant, eo quod planctui præficerentur; de quibus Ovidius lib. 6. Faſtor.

E Tibicines in funere. Cur?

Cantabat mœſtis tybia funeribus,

Notat Lactantius Placidius in lib. 6. Statii & Theoph. hic veteres in funere virorum tuba, in funere puerorum & virginum (qualis erat filia Jairi hic) tibia cecinisse, idque in ſignum virginitatis, ait Theoph. Unde Statius l. 6. Thebaidos:

Tibia cui teneros ſuetum deducere manes.

F

Vide de Præficis Alexandrum ab Alexandro lib. 3. Genial. c. 7. & ibi Tiraquellum.

VERS. 24 Luc. 8. 52. & 53. Mors vocatur ſomnus. Cur?

DICEBAT: RECEDITE) diſcedite a luctu & lamentis) NON EST ENIM MORTUA PUELLA; SED DORMIT.] Vere mortua erat puella, ut patet ex v. 18. Chriſtus tamen id negat, aitque eam dormire: Primo, quia, ut ait S. Hier. & Theoph. Deo & ſibi, cui omnia vivunt, non erat mortua: & quia reſuſcitanda erat in reſurrectione communi, quæ fiet in die judicii: qua de cauſa paſſim in Scriptura mortui vocantur dormientes, tum ut horror mortis, & immodicus luctus mortuorum leniatur nomine ſomni, tum ob ſpem reſurrectionis, atque inde manavit pius Chriſtianorum ſermo, ut cum quis mortuus eſt, dicant: *Obdormivit in Domino*. Vide S. Paulum 1. Theſſ. 4. v. 12. & ſeq. Secunda, & melius, quia hæc puella non erat mortua eo modo, quo turba putabat, ſcilicet omnino & abſolute, quaſi ad vitam revocari non poſſet, cum tamen ſecundum extraordinariam Dei providentiam id fieri poſſet, ac reipſa ſtatim futurum eſſet: Unde non tam eſſe mortua, quam dormire dumtaxat ad modicum tempus videbatur. Sic Lazarum defunctum ſed mox a ſe reſuſcitandum Chriſtus ait dormire Joann. 11. 11. Ita Maldonatus, Janſ. Franc. Luc. Toletus, & alii. Denique vicina & cognata ſunt mors & ſomnus: nam mors videtur eſſe ſomnus diuturnus, & ſomnus videtur eſſe mors: unde Poeta:

G

Stulte quid eſt ſomnus, gelida niſi mortis imago?

Porro anima hujus puellæ defunctæ, uti & animæ aliorum, quos Chriſtus & Sancti a morte ſuſcitaruht, non fuit judicata, nec damnata ad gehennam vel purgatorium, ſed a Deo ſuſpenſum fuit ejus judicium, quia volebat eam Deus mox reſuſcitare.

Addit Chryſoſtomus, Chriſtum hac phraſi oſtendere, ſibi tam facile eſſe ſuſcitare mortuos a morte, quam dormientes a ſomno; ideoque non timendam eſſe mortem, quia, ipſo accedente, mors non mors, ſed ſomnus eſt.

ET DERIDEBANT EUM] Quia animales non capiebant divinum Chriſti ſpiritum, vim, & conſilium. Permiſit hoc Chriſtus, ut teſtatior eſſet mors puellæ, ait S. Chryſoſtomus, indeque major admiratio ſuſcitationis ejuſdem, ideoque in Chriſtum eam ſuſcitantem crederent.

H

VERS. 25 Luc. 8. 54. & 55. Mar. 5. 41. & 42.

ET CUM EJECTA ESSET TURBA, INTRAVIT (cum puellæ parentibus ac Petro, Jacobo & Joanne, ait Marcus. Hos enim primarios Apoſtolos voluit eſſe teſtes, uti ſuæ transfigurationis, paſſionis, mortis, & reſurrectionis, ſic & hujus ſtupendæ ſuſcitationis puellæ) ET TENUIT MANUM EJUS, ET SURREXIT PUELLA] Ejecit ergo Chriſtus turbam, non enim digni erant, ait Interlinearis, videre, quod non credebant; &, ut ait S. Hier. *indigni erant*, qui viderent myſterium reſurrectionis; ſuſcitantem enim irriſerant. Docet nos Chriſtus, cum magni aliquid molimur, turbas mentem diſtrahentes ac tumultus vitare, ut mens collecta tota operi intendat, ac orationi, Deoque invocando vacet. Tropolog. S. Gregor. 18. Moral. c. 28. Ejicienda, ait, eſt de corde ſæcularium curarum multitudo, ut anima mortua reſurgat. Symbolice Gloſſa: Reprobatis irriſoribus, inquit, intravit Chriſtus in electorum mentes. Anagogice S. Hilarius: Ut rarus, inquit, electorum numerus intelligatur, turba expulſa eſt.

TENUIT] Græce ἐκράτησε, id eſt, prehendit, vi tenuit, occupavit, ſicut prætor injicit manum in reum, cum eum apprehendit, vincit, ſibique captivum domat & obju-

Digitized by Google

A & subjugat. Notat ergo hæc vox efficaciam, vim, & imperium Christi, qua tenuit manum mortui cadaveris, tanquam illi dominans, imperans, & potenter efficiens, ut a morte ad vitam resurgeret. Manu enim corpus jacens e terra elevavit, animamque ex inferno in illud revocavit, ut viva resurgeret. Syriace ei dicens & imperans: *Talitha cumi*, id est, puella surge, ut habet Marcus c. 5. 41. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat.* Joann. 5. 21.

ET SURREXIT PUELLA] Græce ἠγέρθη, id est, experrecta est, evigilavit, q. d. Tam facile eam suscitavit Christus, atque si dormientem expergefeciſſet. Addit Marcus: *Et juſſit illi dare manducare* (ut magis suscitatio ejus vera esse appareret) *& obſtupuerunt parentes ejus, quibus præcepit, ne alicui dicerent quod factum erat*, id præcepit Christus, tum modestiæ & humilitatis studio, ut doceret nos præclara nostra facta non ostentare, sed occultare; tum vitandæ iræ & invidiæ Pharisæorum causa, ne eam tot miraculis a se patratis accensam, tanto miraculo magis inflammaret.

B ET EXIIT FAMA (miraculi hujus) IN UNIVERSAM VERS. 26 TERRAM ILLAM] Puta in totam Galilæam. q. d. Omnes divulgarunt & celebrarunt hanc suscitationem puellæ a Christo factam, velut opus novum, inauditum & divinum, ac consequenter Christum, velut Prophetam, imo Messiam deprædicarunt,

Allegor. Allegoriam de Ecclesia habet S. Hilar. Ambros. Hieron. Hæmorrhoissa, inquiunt, a fluxu sanguinis curata v. 22. significat populum Gentium, qui præripuit sanitatem & salutem animæ ante filiam Archisynagogi, id est, ante Judæos, qui, postquam plenitudo Gentium intraverit in Ecclesiam, convertentur ad eamdem, & salvabuntur in fine mundi. Unde Glossa: Jairus, inquit, id est, *illuminans*, vel *illuminatus* est Moses, qui videns Dominum in carne venturum, rogat pro filia, id est, synagoga, quæ lege & prophetis educata, erroribus languens, in peccatis moritur; in domo tamen, id est, in Dei cultu. Et S. Hier. *Usque hodie*, ait, *jacet mortua synagoga: & qui videntur magistri* (Rabbini Judæorum) *tibicines sunt, carmen lugubre canentes, & turba Judæorum non credentium est, sed tumultuantium.*

Jairus, id est, illuminans, seu illuminatus.

C Tropolog. Tropologice tam Hæmorrhoissa a fluxu sanguinis curata, quam filia Jairi, suscitata a Christo, significat animam peccatricem, quam Christus a morte peccati suscitat ad vitam gratiæ: sed prius expelli debent amici & tibicines, id est, pravi socii & maligni spiritus tristi eam carmine demulcentes, & in morte peccati detinentes, dum adulando suggerunt & occinunt peccatum non esse grave, aut ætati indulgendum, aut in senio per pœnitentiam expiandum, &c. Tunc Christus eam tangit; Græce κρατῇ, id est, magna potentia, vi, & imperio eam apprehendit, vivificat, & elevat a profundo mortis ad apicem vitæ. Mox jubetur ambulare ad facienda bona opera, & comedere, id est, pasci Eucharistia, quæ eam corroboret, vitamque confirmet. Interfunt soli tres Apostoli primarii, Petrus, Jacobus, & Joannes, ut significetur Christum per Apostolos & Apostolorum successores peccatores a morte suscitaturum, hancque esse primariam & summam Apostolorum potestatem, de qua ait Christus:

D *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joann. 20. 23. Ita Raban. Puella in domo mortua, inquit, est anima mortua in cogitatione: dicitur dormire, quia potest per pœnitentiam suscitari; tibicines sunt adulatores: suscitatur in domo coram paucis, Lazarus coram multis, juvenis extra portam: publica enim noxa publico eget remedio; levis leviori, & secreta potest deleri pœnitentia.

Tres mortuos suscitavit Christus. Denique Christus legitur tres dumtaxat mortuos suscitasse. Prima est hæc puella duodennis, quam defunctam mox suscitavit. Secundus est adolescens filius viduæ, quem suscitavit in Naim, cum deferretur ad sepulchrum. Luc. 7. 11. Tertius est Lazarus, quem quatriduanum e sepulcro evocavit. Joann. 11.

Forum symbola. Prima puella notat eos, qui ex ætate (quia juvenes fervidi & inexperti) fragilitate vel infirmitate prolabuntur in peccatum, sed mox tacti a Deo videntes suum lapsum facile pœnitent & resurgunt; sicut puella hæc elevatione manus Christi illico resurrexit. Secundus adolescens notat eos, qui peccatum iterarunt, ut vergant ad peccandi consuetudinem: hi difficilius revocantur: unde potentiori & efficaciori Christi gratia & impulsu indigent; sicut Christus juſſit portitores adolescentis stare, loculumque tangens imperiose dixit: *Adolescens, tibi dico: Surge.* E Tertius Lazarus notat inveteratos in peccatis; hi difficillime revocantur: unde efficacissima Dei gratia & vocatione indigent, cujus rei symbolo Christus fremens, lacrymans, magnaque voce clamans: *Lazare, veni foras*, eumdem suscitavit. Quocirca symbolice Rabanus, & alii in puella suscitata censent notari pœnitentiam ejus, qui cogitatione duntaxat, & morosa mentis delectatione peccavit: in adolescente pœnitentiam ejus, qui cogitationem opere perpetravit: in Lazaro pœnitentiam ejus, qui peccandi habitum & consuetudinem induxit. Denique docet hic Christus, peccata occulta & leviora occulta pœnitentia deleri, ideoque puellam in domo, quasi occulte coram paucis suscitavit: publica vero crimina publico remedio; ideoque adolescentem & Lazarum publice coram turbis revocavit ad vitam.

ET TRANSEUNTE INDE (a Jairi domo exeunte) VERS. 27 JESU, SECUTI SUNT EUM DUO CÆCI, CLAMANTES, ET DICENTES: MISERERE NOSTRI FILI DAVID] Cæci hi fidem & spem visus recuperandi a Christo conceperunt ex miraculis, quæ jam plurima ab eo patrata audierant: unde F magna voce clamarunt: *Miserere nostri*, ut miseriam cæcitatis, quæ summa est, abigas, nobisque lumen oculorum, cæli & solis restituas. Credimus enim te esse filium David, id est, Messiam, cui hæc cæcitatis & morborum cæterorum curatio a Prophetis promissa est, præsertim ab Isaia c. 35. v. 5. & c. 61. 1. Davidi enim promissus erat Messias, quasi filius ex posteris ejus nasciturus, unde eum omnes ex semine ejus expectabant, translato jam sceptro a Juda ad Herodem alienigenam tempore Christi, juxta oraculum Jacob Gen. 49. v. 10. ideoque Messias a Judæis passim vocabatur filius David. Ergo cæci hi oculis, oculati fuerunt mente, sicut Deus supplet non raro defectum visus per visum & acumen mentis: unde exclamat quidam hic: *O igitur tenebræ omni luce clariores! o acutissimi cæcitatis aspectus!* Quocirca Didymus præceptor S. Hier. fuit cæcus, sed in explicatione S. Scripturæ oculatissimus. Unde S. Hieronymus cum vocat suum videntem, & S. Antonius visitans & consolans Didymum ob cæcitatem mæstum: *Nihil te*, inquit, *offendat, o Didyme, quod carnalibus oculis fueris orbatus. Desunt enim oculi illi, quos mures & muscæ & lacertæ habent; sed lætare, quia habes oculos, quos Angeli habent, e quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accenditur.* Ita Ruffinus lib. 11. Histor. Eccl. c. 7. ubi Didymum, velut lampadem quamdam divina luce fulgentem Alexandrinæ scholæ præfectum, seque ejus auditorem fuisse testatur.

Cæci oculis videnti mente.

CUM AUTEM VENISSET DOMUM, ACCESSERUNT AD VERS. 28 EUM CÆCI, ET DICIT EIS JESUS: CREDITIS, QUIA HOC POSSUM FACERE VOBIS? DICUNT EI: UTIQUE DOMINE] *Domum*, scilicet suam, quam Christus Capharnai conduxerat & inhabitabat, uti dixi cap. 4. 13. Christus in itinere clamantibus, lumenque poscentibus cæcis non respondit, sed distulit, donec domum veniret. Idque primo, ut eos probaret, eorumque fidem ac desiderium sanitatis accenderet. Secundo, ut perseverantiam orationi necessariam esse doceret: *Creditis quia hoc* (quod petitis, scilicet ut vos illuminem) *possum facere*? non dicit: *Quia hoc facturus sum*, sed *possum facere*? quia fides proprie est de omnipotentia Dei; unde in symbolo dicimus: H *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ*; hæc vero fides excitabat spem, ut cæci sperarent Christum id, quod facere poterat, reipsa facturum. Exigit Christus: *Ut sicut fides illuminat mentem, ita oculis restituat lucem*, ait Interlin. Apage ergo fides Novantium, qua credunt sibi in particulari ob Christi merita remissa esse peccata, seque esse justos & filios Dei. Credunt, inquam, in sua falsa opinione, qua se fide divina firmissime id credere autumant, cum id dumtaxat imaginentur & somnient. Credi enim nequit id, quod non est revelatum a Deo. Atqui tibi, o Luthere, non est revelatum te esse justum, ergo in credere nequis.

TUNC TETIGIT OCULOS EORUM, DICENS: SECUNDUM VERS. 29 FIDEM VESTRAM FIAT VOBIS] Tactu manus suæ sanat Christus, ut salvificam manuum suarum vim ostendat, aliasque ob causas superius dictas. *Secundum fidem vestram fiat vobis.* q. d. Creditis me vos posse illuminare, ac speratis me vos reipsa illuminaturum: illuminamini ergo; uti creditis & speratis. Vide canonem 11. *Confessio oris tactum meretur pietatis*, ait Glossa Interlin.

ET APERTI SUNT OCULI EORUM] id est, videre cœperunt. VERS. 30

Digitized by Google

A runt. Est catachresis, nam cæci jam ante apertos habebant oculos, sed visu destitutos, ac proinde erant, quasi clausi fuissent. Christus autem facultatem videndi eis restituit; unde dicitur eos aperuisse. Sic aperire aures est, apertis auribus audiendi facultatem reddere. Marc. 7. 35.

VERS. 30 ET COMMINATUS EST ILLIS JESUS, DICENS: VIDETE, NE QUIS SCIAT] Græce est ἐνεβριμήσατο, id est, cum fremitu & increpatione graviter interminatus est, ut ostenderet, quam aversaretur miraculorum ostentationem & vanam gloriam, eamdemque nos aversari doceret.

VERS. 31 ILLI AUTEM EXEUNTES DIFFAMAVERUNT EUM IN TOTA TERRA ILLA] *Diffamaverunt*, id est, famam & gloriam ejus sparserunt. Græce enim est διεφήμισαν αὐτὸν, id est, *divulgaverunt eum*, famam ejus ubique celebrarunt, ut vertit Vatablus; Non peccarunt cæci contra Christi comminationem, divulgando hoc ejus miraculum, ut vult Calvinus, quia persuadebant sibi prudenter Christum id non præcipisse absolute, sed tantum
B modestiæ & honestatis causa severius dixisse, ob causam jam dictam; nec mirum, nam & Patres ita Christum dixisse sibi persuadent. Audi S. Chrysostomum: *Et alteri*, inquit, *dicit: Annuntia gloriam Dei. Nempe docet prohibendos, qui nos volunt laudare propter nos, non autem si propter Domini gloriam*. Et Greg. 19. Moral. c. 18. *Exemplum dat servis, ut virtutes suas occultari desiderent, tamen ut aliis prosint exemplo, prodantur inviti; propter memoriam gratiæ non possunt tacere*. Et S. Hier. *Dominus*, ait, *propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium*. Et Theophylactus: *Vides*, ait, *quomodo fastum fugerit: illi vero non ut inobedientes, sed ut grati divulgaverunt*.

VERS. 32 EGRESSIS AUTEM ILLIS, OBTULERUNT EI HOMINEM MUTUM, DÆMONIUM HABENTEM] Græcum κωφὸν magis surdum, quam mutum denotat, sed in Scriptura indifferenter utrumque significat, ait S. Hieronymus, & qui surdi sunt a nativitate, solent esse muti: qui enim nil audiunt non possunt discere voces & verba, quæ loquantur; nil enim discimus, nisi quod audi-
C mus, Auditus enim est sensus disciplinæ, ait Aristoteles; quare, qui nil audit, nil habet, quod articulate loqui & significare possit. Unde ab hoc Christus fidem non exegit, uti exegit ab aliis. Ita S. Chrys. Theoph. Euthymius. Porrò τὸ *mutum* non ad *dæmonium*, ut vult Cajetanus, sed ad hominem referendum est, ut patet ex Græco δαιμονιζόμενον, id est, *dæmoniacum*. Unde Syrus clare vertit: *Obtulerunt ei mutum, in quo erat dæmonium*.

Alius est hic dæmoniacus ab eo, de quo Lucas c. 11. 14. nam de illo agit Matthæus c. 12. 22. Ita Jansenius, licet Maldonatus utrobique unum eumdemque esse velit. Hic implevit Christus illud Isaiæ c. 35. de se oraculum: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum*.

VERS. 33 ET EJECTO (Christi jussu) DÆMONE, LOCUTUS EST MUTUS] Hinc videtur, quod dæmon fecerit eum surdum & mutum, cum a natura non esset talis, impediendo scilicet usum linguæ & aurium: unde eo expulso statim audivit & locutus est mutus, ita S. Chry-
D sostomus. Mira Christi benignitas & misericordia, qua hominem non petentem, nec cogitantem, imo nec loqui aut cogitare potentem (erat enim possessus a dæmone) ad preces dumtaxat offerentium eum sanitati restituit, nimirum, ubi major est calamitas, ibi vicinior est Christi miseratio & opitulatio, juxta illud: *Abyssus* miseriæ nostræ *abyssum* divinæ misericordiæ *invocat*. Ps. 41. 8.

Tropologice. Tropologice cæcitas est error in fide vel moribus; omnis enim cupiditas inducit errorem judicii practici, ut homo judicet, v. g. gulam, luxuriam, usuram sibi eligendam præ Deo, Deique lege. Unde dicitur Prov. 14. *Errant, qui operantur malum*. Hanc curat Christus, dum per lucem sapientiæ & prudentiæ, quam menti infundit, ostendit æterna præferenda esse caducis, & divina humanis, cælestia terrenis. Mutum mystice curat, cum linguam cæci peccatoris, quæ prius a dæmone tenebatur ligata, laxat, ut peccata confiteatur, utque Deum invocet, laudet, celebret. Ideoque prius Christus cæcos illuminavit, deinde muto loquelam restituit, quia oportet, ut prius apertis mentis oculis per fidem, Christum cognoscamus, deinde in laudes ejus lingua nostra laxanda est.

8.34 12.24 ET MIRATÆ SUNT TURBÆ, DICENTES: NUMQUAM APPARUIT SIC IN ISRAEL] In populo Israelitico, puta Judæis in Judæa. q. d. Nec Moyses, nec Elias, nec Isaias, nec quis alius Prophetarum tot tantaque miracula fecit, quot fecit Jesus. Ergo ille iis major, ideoque Messias sive Christus sit oportet. Præponebant, ait S. Chrysost. cæteris Christum, quia velociter curabat, & infinitas ægritudines, & insanabiles.

PHARISÆI AUTEM DICEBANT: IN PRINCIPE (*per principem*, ut habet interpres Syri) DÆMONIORUM EJICIT DÆMONIA] Sicut inter Angelos, sic & inter dæmones alii sunt inferiores, alii superiores & principes, scilicet ii, qui ex altioribus ordinibus ceciderunt, ideoque naturæ sunt nobilioris (naturalia enim in dæmonibus post lapsum manserunt integra.) Hinc qui ex ordine Seraphim, Cherubim, Thronorum ceciderunt, sunt principes eorum, qui ex inferioribus ordinibus Dominationum, Principatuum, Potestatum prolapsi sunt. Et hi consequenter sunt principes eorum, qui ex ordinibus inferioribus Virtutum, Archangelorum & Angelorum ceciderunt. Sic in militibus, dum rebellant, sunt
F signiferi, capitanei, colonelli: sine his enim exercitus ordinari regique nequit, adeoque nulla respublica sine ordine & subordinatione consistere potest. Omnium vero dæmonum princeps est Lucifer, sicut Angelorum est S. Michael, uti dixi Apoc. 12. Daniel. 12. Isaiæ 14. Nota hic quam dispar fuerit ingenium Pharisæorum & turbarum: turbæ enim ex simplici candore magnificabant Christi miracula, quasi patrata a viro divino, & a Messia: Pharisæi vero invidentes & indignantes Christo, dicebant eum esse Magum, & habere dæmonem familiarem, cujus arte magica tam mira faceret, non autem per virtutem divinam. Hæc ingens fuit blasphemia, quam valide refellit Christus cap. 12. v. 5. & seq. Verum hæc animose æque ac mansuete tolerans ac contemnens Christus, pergit in benefaciendo, & blasphemias novis miraculis compensat & confutat. Unde Chrysostomus: *Post contumelias beneficia præstat Dominus*. Sequitur ergo.

Ordo inter dæmones, quorum alii aliorū principes.

VERS. 35 ET CIRCUIBAT JESUS OMNES CIVITATES ET CASTELLA, DOCENS IN SYNAGOGIS EORUM, ET PRÆDICANS EVANGELIUM REGNI, ET CURANS OMNEM LANGUOREM, ET OMNEM INFIRMITATEM] *Et quos sanabat corpore, sanabat & mente*, ait Remigius. Christus domum fixerat Capharnai; inde egrediebatur, & pedibus circuibat prædicando, & sanando omnes circumcirca urbes & pagos Galilææ mira sedulitate, charitate, zelo, labore, humilitate, patientia & fortitudine. Addit hoc Matthæus, ut paucis perstringat Christi labores & opera, ne sigillatim ea cogatur emunerare, quod fuisset prolixum, & quasi impossibile.

Supra c. 4. v. 23. Luc. 8.

Castellum quid?

ET CASTELLA] Castrum est locus muris cinctus major castello, & minor oppido; inde diminutive dicitur castellum, quasi parvum castrum, parvum oppidum. Castella ergo sunt arces, vel minora oppida muris cincta: inde tamen dilatata significatione denotant vicos & pagos, qui muris carent; hos enim significat Græcum κώμας: & sic hic & alibi accipitur; q. d. Christus non tantum cives & honestos in urbibus, sed & pauperes & rusticanos homines in pagis degentibus visitavit, docuit, & curavit. Hoc Christi exemplum imitentur sacerdotes & religiosi. Hæc enim est vita Apo-
H stolica circuire civitates & castella, ac ubique omnibus sine descrimine opem ferre & prædicare regnum Dei, sive viam salutis, qua tendant ad regnum cæleste. Noli ergo, o concionator, ambire cathedras magnificas magnarum urbium. Christus enim tam in pagis & villis, quam in urbibus docuit, adeoque pauperum pauperum & rusticorum fuit catechista & prædicator, æque ac redemptor. Reliqua expolui cap. 4. 23.

VERS. 36 VIDENS AUTEM TURBAS, MISERTUS EST EIS, QUIA ERANT VEXATI ET JACENTES, SICUT OVES NON HABENTES PASTOREM] Pro *misertus est* Græce ἐσπλαγχνίσθη, id est, ex intimis visceribus commiseratus est, quod Hebræi dicunt רחם *racham*: רחם *rechem* enim significat σπλάγχνα, id est, viscera. *Vexati* Græce ἐκλελυμένοι, id est, variis molestiis, malisque afflicti. Syrus *fatigati*, Remigius: *Assirii infirmitatibus & languoribus*. Rabin. *Vexati per varios errores dæmonum*. Alii legunt ἐλελυμένοι, id est, dissoluti & dissipati. *Jacentes* sparsim. Græce ἐρριμμένοι, id est, disjecti, abjecti, sparsi, projecti: ῥίπτω enim est projicio, Syrus, *dispersi*; Arabicus, *errantes*; Interlinearis, *jacentes* interpretatur, vana securitate torpentes: *Sicut oves non haben-*

Digitized by Google

A *habentes paſtorem*: Nullum animal eſt magis ſimplex, incurium, ſtolidum, improvidum, prædæ luporum & ferarum expoſitum; ideoque magis egens paſtore quam ſit ovis. Notat Scribas & ſacerdotes non ſtudiuiſſe ſaluti populi, ut eum viam ſalutis docerent, ideoque non fuiſſe paſtores, ſed lanliones ovium; qui lac & lanam, id eſt, ſua dumtaxat ex populo lucra captarent, cum tamen populus ſimplex quaſi ovis maxime egeret doctore & ductore. Scribæ ergo populo non tam erant paſtores, quam lupi, ait S. Chryſoſt. quia parva & perverſa docendo tam verbo, quam exemplo perdebant ſimplicium animas, præſertim dum Chriſtum vocantes magum, illas in Chriſtum pronas ab ipſo avertebant.

VERS. 37 TUNC DICIT DISCIPULIS SUIS: MESSIS QUIDEM MULTA, OPERARII AUTEM PAUCI] Meſſem vocat multitudinem populi, paratam ad recipiendum Euangelium & doctrinam ſalutis, cujus ſemina jecerunt Prophetæ. Unde Chriſtus Joan. 4. 35. *videte*, ait, *regiones, quia albæ jam ſunt ad meſſem*, id eſt, maturæ ad capeſſenda dogmara ſalutis, ut inferantur in horreum Eccleſiæ. Hinc S. Aug. ſerm. 42. de Sanctis c. 1. Apoſtoli,
B ait, in Judæis quidem meſſuerunt, in Gentibus autem ſeminaverunt, quia prima fidei dogmata quaſi ſemina iis tradiderunt. *Operarii autem pauci*, quia ſolus Chriſtus & Joannes Bapt. laborabant in docendo populum, Scribæ vero otioſi ſuis lucris & deliciis vacabant.

VERS. 38 ROGATE ERGO DOMINUM MESSIS, UT MITTAT OPERARIOS IN MESSEM SUAM] ſcilicet, ut mittat vos, o Apoſtoli, veſtroſque adjutores & ſucceſſores, nempe viros Apoſtolicos, eiſque ſapientiam, ſpiritum & zelum ad efficaciter prædicandum & laborandum aſſidue, in tanta animarum meſſe ſuggerat & inſpiret, ne tam copioſa meſſis pereat. *Dominum meſſis*: ita ſe tacite Chriſtus nominat: ipſe enim eſt Dominus Eccleſiæ, non tantum qua Deus (ſic enim Dominus quoque eſt Deus Pater, & Spiritus ſanctus) ſed etiam qua homo: ſic enim eam ſuo ſanguine redemit & emit; quare ipſius eſt mittere Apoſtolos quaſi operarios, qui hanc meſſem eum labore & ſudore metant, & in horreum Eccleſiæ colligant, uti de facto c. 10. & ſeq. Apoſtolos dimittit. Ipſe
C ergo invocandus eſt, ut etiamnum operarios ſtrenuos & infatigabiles in meſſem hanc, quæ multis in locis albeſcit, & matura eſt, emittat. Unde S. Chryſoſt. oſtendit, ait, primo magnum donum eſſe decenter prædicare, dum dicit hoc eſſe orandum. Secundo, latenter ſe Dominum oſtendit; miſit enim Apoſtolos metere, quæ per Prophetas ſeminaverat. Addit Remigius: Auctus eſt numerus operariorum, deſignatis aliis 72. diſcipulis, & quando Spiritus ſanctus deſcendit in Pentecoſte in fideles 120. Act. 2. Denique Chriſtus hac voce tacite ſtimulat Apoſtolos, ut offerant ſeſe Chriſto ad operandum in hac meſſe, dicantque cum Iſaia cap. 6. 8. *Ecce ego, mitte me*.

Hic finitur pueritia Chriſti, & acta ejuſdem a baptiſmo ſuo, & primo Paſchate, uſque ad ſecundum Paſcha, ſcilicet acta unius anni & aliquot menſium. Fuit hic annus 31. ætatis Chriſti. Vide chronotaxin, quam commentario huic præpoſui. Quocirca Janſenius hic finit primam partem concordiæ ſuæ. Verum tamen eſt Matthæum hic
Finitur hic pueritia Chriſti. c. 5. 6. 7. & initio c. 8. inſeruiſſe ſermonem Chriſti in
D monte, qui habitus eſt poſterius, ſcilicet, poſt ſecundum Paſcha anno Chriſti 32. ac miracula nonnulla, quibus Chriſtus eum confirmavit, ut ſanationem ſervi Centurionis, & curationem leproſi: quia per anticipationem voluit Matthæus ſtatim initio dare ſummam totius doctrinæ Chriſti & legis Euangelicæ, uti dixi c. 5. v. 1. quare hic ſermo Chriſti in monte æque ac vocatio Apoſtolorum, coram quibus habitus eſt, recto temporis ordine ponendus eſt initio capitis 10. proxime ſequentis.

CAPUT X.

SYNOPSIS CAPITIS.

HOc caput recto ordine hiſtoriæ jungendum eſſet proximæ electioni Apoſtolorum & ſermoni Chriſti in monte, uti jam dixi: quare nectendum eſſet c. 8. poſt v. 13. & ponendum poſt curationem famuli Centurionis. Ita Gloſſa; Relata, inquit, a curatione ſocrus Petri hucuſque, facta ſunt ante ſermonem in monte habitum, quod patet ex electione Matthæi; fuit enim electus in monte. Hic ergo redit ad ordinem rei poſt curatum Centurionis ſervum. Igitur Chriſtus hoc capite mittit duodecim Apoſtolos (quorum nomina hic recenſentur) quaſi operarios in meſſem ad prædicandum, eiſque, Primo dat poteſtatem ejiciendi dæmones, & curandi infirmos. Secundo, v. 5. dat eis duodecim præcepta, inter quæ præcipua ſunt hæc, primum, ut Judæis, non Gentibus euangelizent; ſecundum, ut gratis & in paupertate prædicent; tertium, ut pacem hoſpitibus ſuis apprecentur; quartum, ut ſint prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ, Tertio, v. 17. prædicit eos paſſuros multas infidelium perſecutiones. Quarto, v. 27. contra eas illos animat, multiſque corroborat ad intrepidam fidei profeſſionem & propagationem. Quinto, v. 40. recipientibus Apoſtolos amplam promittit mercedem, perinde ac ſi ipſimet Chriſtum recepiſſent.

E

ET convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit VERS. 1.
illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, F
& omnem infirmitatem.

2. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus,

3. Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus,

4. Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.

5. Hos duodecim miſit Jeſus præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis:

6. ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.

7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum.

8. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: gratis accepiſtis, G
gratis date.

9. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris:

10. non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo.

11. In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibi manete donec exeatis.

12. Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui.

13. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.

14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.

15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. H

16. Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

17. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos:

18. & ad præſides, & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus.

19. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

20. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient:

22. & eritis odio omnibus propter nomen meum:

Digitized by Google

A meum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

23. Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat Filius hominis.

24. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.

25. Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus, & ſervo, ſicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?

26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non ſcietur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.

B 28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.

29. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro?

30. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.

31. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.

32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.

34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed

C gladium.

35. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam:

36. Et inimici hominis, domeſtici ejus.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.

38. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.

39. Qui invenit animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.

41. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.

D 42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

VERS. 1. *Luc. 9. v. 1. & 2. Matth. 3. 15. & 4. 6. 7.* ET CONVOCATIS DUODECIM DISCIPULIS (Apoſtolis) SUIS, DEDIT ILLIS POTESTATEM SPIRITUUM IMMUNDORUM, UT EJICERENT EOS, ET CURARENT OMNEM LANGUOREM ET INFIRMITATEM] Nota: Chriſtus proxime ante ſermonem in monte habitum, e turba diſcipulorum ſelegit duodecim Apoſtolos, ut diſerte docet Lucas c. 16. 13. *Vocavit*, ait, *diſcipulos ſuos, & ſelegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit, Simonem quem cognominavit Petrum*, &c. Elegit ergo duodecim Apoſtolos, id eſt, legatos ſuos primarios, quos cum plena auctoritate & poteſtate legavit & miſit per totum orbem, ut Evangelium ſuum annuntiarent omnibus gentibus: alios enim 72. quoque elegit, ſed hos non Apoſtolos, ſed diſcipulos nuncupavit, licet & hi a veteribus ſubinde Apoſtoli, id eſt, legati Chriſti vocentur, ac revera tales fuerint, ſed cum minore poteſtate, utpote ſubjecti & ſubordinati 12. Apoſtolis. Hos igitur duodecim Chriſtus jam mittit, ut officium, ad quod ab eo vocati erant, exequi incipiant, ejuſque ſub ſe magiſtro adhuc vivente tyrocinium ponant, quod poſtea facti ſacerdotes & Epiſcopi, poſt mortem ſuam pleniſſime obeant & conſumment. Quocirca Chriſtus Apoſtolos conſtituit principes Eccleſiæ, qui omnes fideles tam martyres, quam confeſſores & virgines, uti officio & dignitate, ſic & gratia ac ſanctitate præcellerent: *ſuper ipſos enim fundavit Eccleſiam*, ut patet Epheſ. 2. 20. & Apoc. 21. 19. Ita D. Thomas in c. 8. ad Roman. v. 23. ad illa: *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes*. E

Porro poteſtas Apoſtolorum in Eccleſia fuit maxima, ac longe major quam ſit Epiſcoporum; Apoſtoli enim docti & miſſi ſunt immediate a Chriſto Domino, quaſi Chriſti legati *latere* cum abſoluta poteſtate per totum orbem, & cum ſumma auctoritate in totam Eccleſiam, ut ſcilicet ubique poſſent primo prædicare Evangelium, idque dono linguarum & miraculis firmare, æque ac conſcribere: Apoſtoli enim habebant poteſtatem ſcribendi libros canonicos, uti de facto Matthæus & Joannes ſcripſere Evangelia, Epiſtolas canonicas, & Apocalypſin. Secundo, ut poſſent ubique fundare Eccleſias, ac paſcere & regere fideles omnes ubivis gentium. Tertio, ut poſſent inſtituere & ordinare ſacerdotes & Epiſcopos, totumque ordinem hierarchicum, cæremonias etiam ſacrificii Euchariſtiæ & Sacramentorum omnium. *Apoſtolatus dignitas, & munia tria.*

Adverte, in hac triplici poteſtate Apoſtoli pares & æquales erant inter ſe & cum S. Petro, ei tamen ſuberant quaſi capiti & ſuperiori ſuo. Unde Petrus v. 2. inter eos ponitur, imo nominatur *primus*.

DEDIT ILLIS POTESTATEM SPIRITUUM IMMUNDORUM (id eſt, dæmonum) UT EJICERENT EOS] Sicut enim Angeli ſunt mundi & ſancti, ſic dæmones ſunt immundi & ſceleſti, ideoque turpiſſimi, utpote pleni ſuperbia & odio Dei, ac ira & invidia in homines, ut eos in luxuriam & immunditiam (ad quæ ſciunt homines eſſe promptiſſimos) omniaque ſcelera, indeque in gehennam pertrahant.

ET CURARENT OMNEM LANGUOREM] Græce νόσον, id eſt, morbum: utraque hæc poteſtas data fuit Apoſtolis, per modum habitus permanentis, non quod Deus eis inderet habitum phyſicum, quo curarent omnes ægritudines (hic enim dari nequit) ſed quod omnipotentia ſua aliis promiſſa ita ſemper aſſiſteret, ut quoties vellent dæmones ejicere, vel ægritudines curare, illico Deus illa ejiceret, & ſanitatem conferret. Porro data fuit eis hæc poteſtas ad auctoritatem prædicationis, ut ſcilicet illam miraculis confirmarent, & populis perſuaderent. Ita Gloſſa. G

VERS. 2. DUODECIM AUTEM APOSTOLORUM NOMINA SUNT: PRIMUS SIMON, QUI DICITUR PETRUS (Syrus *kipho*, hoc eſt *Cephas*, id eſt Petra vel Petrus) ET ANDREAS FRATER EJUS, JACOBUS ZEBEDÆI, ET JOANNES FRATER EJUS] Cauſa, cur præciſe Chriſtus duodecim elegerit Apoſtolos, non plures, nec pauciores, eſt, ut ipſi reſponderent duodecim Patriarchis, qui fuere filii Jacob. Sicut enim hi Judæorum, ſic Apoſtoli Chriſtianorum omnium fuere parentes. Ita S. Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & paſſim Patres. Alia hujus muneris myſteria affert Rabanus, & ex eo D. Thomas in Catena: *Duodenarius*, inquit, *conſurgens ex ternario & quaternario* (in ſe ductis & multiplicatis) *ſignificat eos prædicaturos Trinitatis fidem per quatuor mundi partes: ſignificatus in duodecim filiis Jacob: duodecim principibus filiorum Iſrael: duodecim fontibus Helim: duodecim lapidibus rationalis: duodecim panibus propoſitionis: duodecim exploratoribus: duodecim lapidibus, unde factum eſt altare: duodecim lapidibus ſublatis ex Jordane: duodecim bobus ſuſtinentibus mare æneum: duodecim ſtellis in corona ſponſæ, de quibus in Apocalypſi: duodecim fundamentis civitatis: duodecim portis.* Plura vide apud Toletum in c. 6. Luc. annot. 19. *Luc. 6. 14. Mar. 3. 17. 18.* Apoſtoli duodecim. Cur? H

PRIMUS SIMON, QUI DICITUR PETRUS,] Beza, ut tollat primatum Petri, & Pontificum Romanorum illi ſuccedentium, putat mendoſe legi τὸ *primus*, ideoque expungendum: ſed conſtanter id legunt omnes codices Græci, Latini, Syri, quin & Hebræus, quem Munſterus Novator ipſum Matthæi autographum eſſe contendit: nec credibile eſt hunc locum corruptum eſſe a Græcis, ut ipſi addiderint πρῶτος, id eſt, primus: ipſi enim ſunt ſchiſmatici, negantque Petri primatum: unde

Digitized by Google

A unde potius τὸ πρῶτος expunxissent, si id honeste facere potuissent. Denique ubique in Scriptura: ab omnibus recensentibus nomina Apostolorum, Petrus ponitur primus, & Judas ultimus, cum in cæterorum ordine disserepent & evarient, ut patet Marci 3. 16. Lucæ 6. 14. & Actor. 1. 13.

Petri primatus.

Porro Petrus vocatur Apostolorum *Primus* non ætate, quia eo senior erat Andreas, teste Epiphanio hæresi 51. sub medium, non etiam vocatione, quia prior eo vocatus a Christo fuit Andreas, ut patet Joan. 1. 41. non etiam dilectione, quia præ omnibus a Christo dilectus fuit S. Joannes, ideoque in ultima cœna ipse in pectore Christi recubuit. Superest ergo, ut Petrus Apostolorum sit primus excellentia & auctoritate, quia scilicet eorum fuit caput, superior, & rector: unde in cæteris nullus ponitur ordo, nec hic vocatur secundus, ille tertius, quia omnes fuere pares, pariterque Petro subjecti: atque a Τῷ *primus* dictus est primatus Petri, quem omnes veteres Græci & Latini confessi sunt. Audi S. Chrysostomum: *Apostolorum omnium primus, & quasi vertex, indoctus ille erat ac rudis*, S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. c. 14. *Propterea*, ait, *inter duodecim Apostolos unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio*. Ambrosiastes in 2. Cor. 12. *Prior secutus est Andreas Servatorem, quam Petrus, & tamen primatum non accipit Andreas, sed Petrus*. Plura vide apud Bellarminum lib. 1. de Roman. Pontif. c. 18. Petrus ergo, quasi Apostolorum primus & primas, poterat Apostolis præcipere, atque eos, si errarent in fide & moribus, corrigere, lites eorum dirimere, provincias dividere eis, si laberentur, alios substituere, uti Judæ proditori substituit Matthiam, Actor. 1. Hæc enim subordinatio Apostolorum, Episcoporum, & fidelium omnium sub uno capite & Pontifice necessaria erat ad unionem, concordiam, stabilitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, uti docet S. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ: *Primatus*, inquit, *Petro datur, ut una Christi Ecclesia & cathedra una monstretur, &c.* Hinc secundo solus inter Apostolos Petrus habuit potestatem ordinariam, cui proinde in illa succedunt Romani Pontifices, Romæ enim pontificiam sedem statuit B. Petrus, in eaque sedit, & martyr occubuit: alii vero Apostoli habuere potestatem a Christo delegatam, quibus proinde nemo in eadem successit. Dices: Episcopi dicuntur Apostolis succedere. Respondeo: Id tantum dicitur per analogiam & accommodationem quamdam, quia scilicet Episcopi ab Apostolis participant ordinem & jurisdictionem Episcopalem, & quia Episcopi similiter eminent aliis sacerdotibus, sicut duodecim Apostoli 72. discipulis, alioqui Episcopi carent potestate Apostolica, illaque triplici, quam initio capitis assignavi, atque Episcoporum potestas non nisi ad ipsorum diœceses extenditur, Apostolorum vero ad omnes gentes toto orbe dispersas.

Episcopi non Apostolis succedunt.

SIMON, QUI VOCATUR PETRUS] Christus mutavit nomen Petri, cumque prius vocaretur Simon, vocavit eum Syriace *Cepha* vel *Cephas*, id est, *Petra* vel *Petrus*, quia destinabat eum post se facere petram & fundamentum Ecclesiæ, juxta illud Christi ad Petrum: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Joan. 1. 42. *Simon* Hebr. idem est, quod *audiens, obediens*, qualis fuit Petrus, qui Christo vocanti ad suam sequelam, illico relictis retibus obedivit, supra c. 4. 20.

ET ANDREAS FRATER EJUS, JACOBUS ZEBEDÆI, ET JOANNES FRATER EJUS] Marcus præponit Jacobum & Joannem Andreæ, eumque facit quartum. Idem facit Lucas Actor. 1. 13. Sed in Evangelio c. 6. 14. Andream utique præponit, æque ac Matthæus hic. Sic & in aliis nonnullis Apostolis ordo ab aliis Evangelistis variatur, ut docear inter eos certum non fuisse ordinem, sed eos per omnia fuisse pares dignitate & officio. Unde Cajetanus hic: *Solus Petrus*, ait, *hic ordine insignitur & describitur primus, ad insinuandum valde spectare ad Christianam notitiam scire primatum Petri, nulliusque momenti nosse Apostolorum ordinem inter se*. Probabilior est tamen ordo, quem Apostolis hic assignat Matthæus: ipse enim exactus est Christi historicus, & temporis custos. Christus ergo in monte e discipulis ad Apostolatum (nam ad discipulatum Christi prius ab eo expresse evocatus legitur Philippus Joann. 1. 43.) primo, ait Abulensis, hic q. 28. & 29. & Ribera in Apoc. c. 21. v. 16. evocavit & nominavit Petrum: secundo Andream, tertio Jacobum, quarto Joannem, & consequenter cæteros eo ordine, quo assignat hic Matthæus, nisi quod ipse modestiæ causa se postponat

Ordo duodecim Apostolorum.

Thomæ, cum illi sit præponendus, uti præponunt Lucas & Marcus, idque docent S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, & alii: atque hoc Matthæi ordine S. Joannes Apoc. 21. 19. duodecim fundamenta cœlestis Jerusalem ponens duodecim Apostolos, singulis suum locum cum gemma assignat: *Fundamentum primum*, ait, *jaspis, secundum sapphirus, tertium calcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus, octavum beryllus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus*. Primus jaspis notat Petrum, ob firmitatem fidei: secundus sapphirus Andream, ob cœlestem vitam & amores: tertius calcedonius sive carbunculus, Jacobum zelo ardentem: quartus smaragdus Joannem, virentem, & virginem; quintus sardonyx Philippum, ob candorem animi: sextus sardius rubeus Bartholomæum excoriatum: septimus chrysolithus marini coloris Matthæum pœnitentem: octavus beryllus politus Thomam, a Christo in fide resurrectionis expolitum & solidatum: nonus topazius Jacobum Minorem, aurea sanctitate radiantem: decimus chrysoprasus Judam Thaddæum, qui instar porri acri sapientia infectatur hæreticos: πράσον enim est porrum: undecimus hyacinthus Simonem Chananæum, ob mores suavissimos: duodecimus amethystus humilem, minimumque Matthiam. Fuse hac de re egi Apocal. c. 21. v. 16. & seq. ac Exodi cap. 24. v. 17. ubi eædem gemmæ duodecim ornant rationale Pontificis, puta pectus Christi.

Duodecim gemmæ, sunt duodecim Apostoli.

Denique inter hos duodecim Apostolos non nominantur, nec fuerunt Paulus & Barnabas, quia hi duo a Christo, non vivente in terris, sed jam glorioso & regnante in cælis vocati sunt ad Apostolatum, unde parem cum duodecim Apostolis potestatem & spiritum habuere.

ANDREAS] Græce idem est, quod *virilis*, fortis, heros: ἀνὴρ enim est vir, & ἀνδρεία est virilitas, fortitudo: Judæi enim plures, quia subjecti jam Alexandro Magno & Græci, Græce didicerunt, & Græca nomina assumpserunt, uti ostendi cap. 4. v. 18. Ita Pagninus, Caninius, & alii. Talis fuit Andreas, scilicet virilis & heroicus in prædicatione & passione, ex robore amoris Christi anhelans ad crucem: prius fuerat unus de discipulis S. Joannis Baptistæ, imo inter omnes primus, ait Gaudentius Brixiensis tract. de Dedic. Basil. & a S. Joanne missus ad Christum primus eum nosse cœpit, ad eumque fratrem suum Petrum adduxit Joann. cap. 1. Unde Epiphanius hæres. 51. cum Petro seniorem fuisse putat, licet Beda juniorem æstimet, eo quod hic vocetur frater Petri.

Andreas id est virilis.

JACOBUS ZEBEDÆI] scilicet filius, ut patet Lucæ c. 5. v. 10. Jacobus hic, cognomento Major, Hispaniarum & Apostolus & protector, primus Apostolorum pro fide Christi martyr occubuit, capite plexus ab Herode Agrippa, de quo plura dixi Actor. 12. v. 2.

Jacobus, id est supplantator, &c.

JOANNES FRATER EJUS] Hic est dilectus Christi discipulus, de quo fuse egi in proœmio in Apocal. epist. & Evangelium ejusdem. *Jacobus* Hebr. idem est, quod supplantator; *Joannes* idem, quod *gratiosus* & misericors, vel *in quo est gratia*, vel *Domini gratia*, ait S. Isidor. lib. etymol. c. 9. *Amplius enim eum cæteris Apostolis dilexit Jesus*. Sed de nomine Joannis plura dicam Luc. 1. v. 13. Hi sunt filii *Zebedæi*, id est, liberalis & munifici. Ita Pagninus & Angelus Caninius in Nomin. novi Testamenti cap. 13.

H

PHILIPPUS ET BARTHOLOMÆUS, THOMAS ET MATTHÆUS PUBLICANUS, JACOBUS ALPHÆI ET THADDÆUS] Syrus *Philippus & Bar Thoulmai, & Thoumo, & Mathai publicanus, & Jaacoub filius Chalphai, & Labbi cognominatus Thaddi*. *Philippus* Græce est φίλος ἵππων, id est, amator equorum, equestris, bellicosus. Ita Pagninus & Caninius. Hebræi enim jam subjecti Græcis Græca usurpavere nomina, uti dixi; Philippus fuit quasi equus bellicosus Christi contra Judæos, infideles & impios, de quo Apocal. 6. 3. *Ecce*, inquit, *equus albus: & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret*. Vide ibi dicta. Licet a S. Hieronymo in Nominibus (vel quisquis est auctor; constat enim non esse S. Hieronymi, quia auctor ostendit se Græcæ linguæ & Hebrææ imperitum, & in cap. 24. & 15. multa scribit inepta & falsa) *Philippus* interpretetur *os lampadis* a פֵּה *pe*, id est, *os*, לַפִּיד *lappid*, id est *lampas*, quia os ejus velut lampas orbem illuminavit, ait Emissenus.

Vers. 3. Luc. 6. 14. 15. 16. Marc. 3. 18.

Philippus etymon Græcum & Hebraicum.

BARTHOLOMÆUS] S. Hieronymus in Nom. Hebr. & ex eo Pagn. *Bartholomæus* interpretantur *filius suspendentis*

Etymon Bartholomæi.

Digitized by Google

A *ris aquas*: בר *bar* enim est *filius* תלה *thala suspendit* מים *maiim* sume *aquæ*. Unde Rupertus in cap. 1. Joannis, & Osorius in ferm. de S. Joanne, putant Christum occasione Bartholomæi, quas in vinum convertisse in nuptiis Canæ Galilææ, quasi ipse in iis fuerit sponsus: quod alii confutant. Verius est Hebr. *Bartholomæi* idem esse, quod *filius Tholmai*, ut habet Syrus, vel Tholomæi: *Tholmai* enim crebrum & priscum fuit nomen Hebræis, ut patet Josue 15. 14. 2. Reg. 3. 3. Minus apte nonnulli *Bartholomæus* interpretantur *filius Ptolomæi*, quasi oriundus fuerit ex Ptolomæis regibus Ægypti, quos confutat Abulensis hic. Sic Bartimæus idem est; quod filius Timæi, & *Barjona* est filius Jonæ, sive Joannis.

Thomæ. THOMAS] Græce Δίδυμος, id est, *geminus*; תאם enim est geminare, de quo Joann. 20. vers. 24.

Matthæi. MATTHÆUS PUBLICANUS] Nota humilitatem Matthæi, qui, cæteris tacentibus, se publicanum, id est, peccatorem publice profitetur. De eo dixi initio Commentar. & cap. 9. v. 9. *Matthæus* Hebr. idem est, quod *donatus*, aut *donum Dei*, Græce *Dositheus* vel *Theodoris*, ait Caninius. Idem dictus est Levi, id est, additus, appositus Christo & Apostolis, Marci c. 2. v. 14. Ita Beda, Euthymius, Pagnius, Caninius.

B

Alphæi. JACOBUS ALPHÆI] scilicet filius, ut habet Arabicus & Syrus, *Alpheus* Hebr. idem est, quod *doctus*, vel *doctor*. Hic Alphæus pater Jacobi, alius fuit ab Alphæo patre Matthæi. Marci 2. v. 14. Hic enim fuit maritus Mariæ Cleophæ, quæ dicitur soror Mariæ matris Domini. Joann. 19. v. 25. Unde Helecas Episcopus Cæraugustanus, qui continuavit Chronicon L. Dextri, & alii censent Alphæum eumdem esse cum Cleopha, licet Baronius

Jacobus hic cur dicatur Minor. id neget, de quo dicendum Joannis 19. v. 25. Alphæus ex Maria genuit Jacobum & Judam. Hic Jacobus dictus est Minor, quia scilicet ætate (ut volunt aliqui) vel potius vocatione junior erat Jacobo Majore, qui fuit frater Joannis. Dictus quoque est frater Domini, quia cognatus Christi, illique similimus, auctorque fuit epistolæ S. Jacobi, ac primus Episcopus Hierosolymorum, de quo multa dixi Præfat. in epistolam Jacobi.

C

Thaddæus, sive Judas, trinomius. THADDÆUS] Est hic Judas auctor epistolæ Canonicæ, qui fuit trinomius, cognominatus enim est *Thaddeus*, id est mammeus, & *Judas Jacobi*, scilicet Minoris frater Judæ 1. 1. & *Lebbæus*, ut habet hic Græcus & Syrus, id est, *corculum*, ait Hieronymus, לב *leb* enim est cor. Sic & Angelus Caninius in nomin. novi Testamenti c. 13. vel ut alii, *Leonimus*. לביא *labi* enim est Leo, quia primus Judas patriarcha, filius Jacob, dictus est Leo, Genes. cap. 49. vers. 9. De Juda hoc dixi Præfatione in ejus epistolam.

VERS. 4. SIMON CHANANÆUS, ET JUDAS ISCARIOTES, QUI ET TRADIDIT EUM] Simon hic dicitur Chananæus, quia oriundus non ex Chananæis, ut vult Munsterus, qui

Luc. 6. 15 16. *Mar.* 3. 18. 19. in Evang. Hebræo S. Matthæi eum nominat קנעני *kenaani*, id est, *Chananæum*, a Chanaan oriundum: sed perperam; omnes enim Apostoli fuere Judæi. Dicitur ergo

Simon dictus Chananæus. Chananæus, qui natus in Cana (unde præcise Canæus dicendus esset, ait Caninius) Galilææ, imo Nicephorus lib. 8. cap. 30. & Baronius censent ipsum fuisse sponsum in nuptiis, ad quas vocatus Christus, aquas vertit in vi-

D num Joann. 2. Verum quia *Cana* Hebr. significat *zelum*, hinc *Cananæus* quoque, id est, *zelotes*, dictus est, ait S. Hieronymus, allusione ad urbem Cana æque ac ad zelum ejus. Sicut si quem virum fortem Valentiæ natum, Valentinum vel Valentem voces, ut significes eum Valentiæ natum, & simul viribus pollere. Simili modo Simon vocatur Chananæus, id est, Zelotes, quia in Cana natus est, & ingentem habuit קנאה *kina*, id est, zelum.

Judas Iscarioter unde dictus? ET JUDAS ISCARIOTES] ita dictus quasi איש קריות *Hsch kerioth*, id est, *vir ex Carioth*, urbe tribus Juda oriundus, de qua Josue cap. 15. v. 25. Ita Angelus Caninius in nom. Hebr. cap. 13. unde Syrus vertit *Iihoudo Scarioutho*. Melius alii censent eum ita dictum, quia oriundus erat ex vico Iscarioth in tribu Ephraim, non longe a Samaria. Ita S. Hieronymus hic & in Isaiæ 28. vers. 1. Maldonatus, & Adrichomius in descript. terræ sanctæ p. 28. num. 60. *Iscariotes*. Hebr. idem est, quod *mercenarius*: שכר *Sachar* enim est merces, idque appositæ competit Judæ, qui mercede 30. denariorum vendidit

Cur Christus elegerit Judam Iscariotē? Christum. Ita S. Hieronymus. Elegit Judam Christus, licet sciret eum fore suum proditorem, tum quia proditionem ejus pati volebat, illamque addere ad cumulum passionis suæ, quia volebat illam esse plenissimam in omni genere, ideoque voluit pati quoque a discipulis, & prodi a suo Juda: voluit enim pati omne genus tormentorum, & ab omni hominum genere; tum ut doceret nos non tantum bonis & gratis, sed & malis ac ingratis benefacere. Audi S. Ambrosium lib. 5. in Lucam: *Eligitur & Judas non per imprudentiam, sed per providentiam, scilicet ab eo prodi voluit Christus, ut tu, si a socio desertus, si a socio proditus fueris, moderate feras tuum errasse judicium, periisse beneficium.* Vide S. Hieron. in Isaiæ 28. v. 1. ubi illud. *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus*, pro quo Septuaginta vertunt: *Væ coronæ injuriæ mercenarii Ephraim, flos cadens de gloria super verticem montis pinguis*, mystice accipit de Juda proditore: *Qui*, inquit, *de tribu Ephraim, & de vico ejusdem tribus Iscarioth, Dominum pretio vendidit, qui vero flos Apostolicæ gloriæ cecidit super montem pinguissimum, de quo dictum putamus: Manducavit & bibit Jacob, & saturatus est, & impinguatus, & recalcitravit dilectus. Sive juxta Hebraicum: Super vallem pinguium, id est, Gessemanim, in qua etiam nomen loci significatur, in quo Judas Dominum tradidit.* Et post nonnulla: *Ebrius fuit proditor non vino, sed avaritiæ & furore aspidum insanabili, & diaboli cibo, qui post buccellam intravit in eum, & penitus devoratus est, quia oratio ejus versa est in peccatum, & ne pœnitentia quidem ejus fructum salutis habuit.*

E

Nota Primo: Christus Apostolos omnes combinat, & cuique socium assignat, adeoque sex paria Apostolorum constituit, Petro enim associat Andream, Jacobo Joannem, Philippo Bartholomæum, Matthæo Thomam, Jacobo Minori Judam, Simoni Judam Iscariotem, ut quisque a socio haberet adjutorium prædicationis, æque ac testimonium; hac de causa misit eos binos. Lucæ 10. 1. Marc. 6. 7.

Christus combinat Apostolos. Cur?

Rursum Christus inter Apostolos elegit trinum par fratrum, scilicet Petrum & Andream, Jacobum & Joannem; Jacobum Minorem & Judam; addunt aliqui & Simonem Cananæum, quem Jacobi & Judæ fratrem fuisse autumant, ut doceret, quam sibi chara sit φιλαδελφία, id est, amor fratrum, juxta illud Eccli. cap. 25. vers. 1. *In tribus placitum est Spiritui meo, quæ probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier sibi consentientes.* Et Prov. c. 18. 19. *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Vide utrobique dicta.

Trinum par fratrum Apostolorum Apostoli.

F

G

Secundo; Nota, plures ex Apostolis fuisse Christi cognatos & consobrinos, ut Jacobum & Joannem, Jacobum Minorem & Judam: quia Christus elegit Apostolos, non ut essent principes opulenti & lauti, sed ad labores, paupertatem, cruces, aculeos, & martyria. Unde eis dedit copiam bonorum non temporalium, sed spiritualium, uti charitatis ordo exigit, juxta quam parentibus & cognatis majorem, quam aliis gratiam & sanctitatem optare & curare oportet. Adde, decebat, ut Verbum carnem assumens, eos, qui sibi carne magis erant conjuncti, magis quoque divinitati suæ per gratiam uniret; ideoque fecit, ut sua mater esset sanctissima, deinde S. Joseph, utpote pater nutritius, mox Joachim & Anna, quasi avus & avia; Joannes Baptista & Elisabeth, Jacobus & Joannes, Jacobus Minor & Judas, quasi cognati ejus & consobrini: hi enim quia magis per cognationem carnis fuere vicini humanitati Christi, hinc & divinitati ejusdem per gratiam fuere conjunctiores: sicut caro & humanitas Christi divinitati fuit conjunctissima, imo unita hypostatice. Igitur in Christo hic nullum fuit vitium acceptationis personarum, uti est in Prælatis, qui præter fas nepotes & cognatos dignitatibus, præbendis, & opibus onerant verius, quam honorant.

Consanguinei Christi electi. Cur?

H

Denique Apostolorum primarii fuere tres, scilicet Petrus, Jacobus (inde Major dictus) & Joannes, quos Christus testes suæ transfigurationis & passionis in horto, aliorumque secretorum adhibuit: unde hi fuere quasi tres Ecclesiæ columnæ, & Apostolorum triumviri, ut dixi Actor. 12. 2.

Inter Apostolos tres primarii.

VERS. 5. HOS DUODECIM MISIT JESUS PRÆCIPIENS EIS DICENS: IN VIAM GENTIUM (Syrus *profanorum*) NE ABIERITIS, ET IN CIVITATES (legit interpres πόλεις: jam legunt εἰς πόλιν, id est, *in civitatatem*, id est, in civitates, vel in ullam civitatum: est enallage numeri) SAMARITANORUM NE INTRAVERITIS:

VERS. 6. SED POTIUS ITE AD OVES, QUÆ PERIERUNT DOMUS ISRAEL]

Digitized by Google

A ISRAEL] *In viam Gentium*, id est, ad Gentes: via enim Gentium tendit & ducit ad Gentes. Est Hebraica catachresis & metalepsis. Similis est Jerem. 2. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti?* q. d. Cur vadis in Ægyptum, cur Ægyptiorum opem imploras?

Primum Christi præcepti Apostolis datum.

Primum est hoc Christi præceptum, quod ipse Apostolos mittens prædicatum, eis assignat, scilicet, ne Gentes & Samaritanos adeant, sed Judæos; cujus vera ratio erat, quod Christus volebat primo suum adventum & Evangelium prædicari Judæis: hi enim erant filii regni, ac filii Abraham, Isaac, Jacob, Davidis, &c. quibus a Deo promissus erat Messias, id est, Christus: alioqui enim Judæi contra Christum & Apostolos excipere potuissent, ac dicere: Tu non es verus Messias, quia Evangelizas Gentibus & Samaritis: Messias enim nobis Judæis a Prophetis promissus est, non Gentibus. Hoc præceptum fuit temporarium dumtaxat; duravit enim solum toto tempore vitæ Christi: nam post passionem & resurrectionem suam, Christus misit

B Apostolos Evangelizare Gentibus per totum orbem; nunc enim sublatum est dissidium Judæorum & Gentium, & ex utrisque factum est unum ovile & unus pastor, ut patet Matth. 28. v. 19. & Actor. 18. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, & alii passim. Hoc est, quod ait Paulus: *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis* (id est, circumcisorum, puta Judæorum) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.*

VERS. 7. EUNTES AUTEM PRÆDICATE, DICENTES: QUIA APPROPINQUAVIT REGNUM CÆLORUM] Secundum est hoc Christi ad Apostolos præceptum, idque præcipuum; scilicet ut circumeundo Judæam, prædicent, invitent, & impellant homines ad regnum cælorum, q. d. Ego brevi morte mea patefaciam hominibus cælum, tot millibus annorum ob peccatum Adæ clausum: itaque viam aperiam ad illud ingrediendum: invitate ergo omnes, ut hanc viam capessant, regnumque cælorum animose, terrenas cupiditates calcando, invadant & occupent. Vide dicta cap. 3. v. 2. & cap. 4. v. 17.

Luc. 9. supra c. 3. & c. 12. 17. Secundum.

C Hæc fuit summa & compendium prædicationis Christi & Apostolorum, in quo includitur prædicatio pœnitentiæ, & abnegationis vitiorum, rerumque omnium, quæ homines a regno cælorum arcent vel impediunt. Adhæc fuit hæc declaratio, quod tempus dandi regnum cælorum advenerit, brevique sit implendum: item quanta alacritate & diligentia omnes & singuli se præparare debeant ad gratiam hanc regni cælestis jam oblatam obtinendam; quamque grave supplicium maneat illos, qui tantam gratiam non receperint, vel neglexerint. Ita Jansenius.

INFIRMOS CURATE, MORTUOS SUSCITATE, LEPROSOS MUNDATE, DÆMONES EJICITE] Tertium est hoc Christi præceptum, quo jubet, ut potestate miraculorum sibi v. 1. data, ad commune orbis bonum liberaliter utantur, itaque miraculis prædicationem suam non humanam, sed divinam esse ostendant, ac fidem, quam prædicant, a Deo manare toti orbi demonstrent, atque per sanitatem corporum inducant sanitatem imo æternam salutem animarum; ideo enim dedit eis po-

D testatem sanandi corpora, ut per eam fidem Christi persuaderent, & ab infidelitate sanarent animas.

Quartum.

GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE] Quartum est hoc Christi præceptum. Per τὸ *gratis accepistis*, excludit occasionem superbiæ, ait S. Chrisostomus, cum sciant se hanc potestatem non a se habere, sed a Deo gra-

Occasionē avaritiæ, & simoniæ ab Ecclesiasticis excludit Christus.

tis sine suo merito accepisse: sicut τὸ *gratis date*, excludit occasionem avaritiæ, & simoniæ, ne scilicet miracula sua accepto pretio vendant. Rursum monentur esse liberales in exercenda hac potestate, utpote quam gratis a Deo sine labore & merito acceperunt, hoc fine, ut ipsi liberaliter illam in aliorum utilitatem expendant: quæ enim gratis accipimus & copiose, illa liberaliter elargimur instar fontium, qui, quo plus aquæ foras emittunt, eo plus interius admittunt & recipiunt. Sensus ergo est, q. d. Donum illud sanandi ægros, suscitandi mortuos, &c. tale & tantum est, ut illud non potueritis vestro labore & industria assequi, sed gratis sit a Deo vobis elargitum, ac proinde gratis eo uti debetis, ut non tantum illud pretio non vendatis, sed nec munera pro eo oblata recipiatis, uti Elisæus curans Naaman a lepra, ejus munera respuit, Giezi ea secreto accipientem lepra punivit, 4. Reg. c. 5. v. 16. Hoc est, quod de Christo prædixit Isaias cap. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas*, &c. *Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac*; hæc enim liberalitas decebat summum Regem & Principem, puta Christum Dominum, ideoque voluit Apostolos ab omni specie, imo umbra simoniæ & avaritiæ esse alienissimos, ut nullum munus acciperent, ne homines putarent eos quærere suas opes & bursas, ideoque a fide Christi averterentur: quocirca peccassent Apostoli Christique præceptum violassent, si ob prædicationem munera accepissent. Sic S. Hilarion, teste S. Hieronymo in ejus vita, cum plurimos ægros curaret, nulla admittebat eorum dona, imo nec fragmen panis, dicens: *Gratis accepistis, gratis date.* Et cuidam primario (cui nomen Orionus) quem a legione dæmonum liberarat, urgenti instantique ut munus acciperet, saltem ut in pauperes distribueret, respondit: *Noli contristari fili, quod facio, pro me & pro te facio. Si enim hac accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.*

E

F

Porro Conc. Constantinopolitanum Provinciale in epistola Synod. τὸ *Gratis accepistis, gratis date*, de Sacerdotio exponit, ne illud per simoniam vendatur: hoc enim inter cætera spiritalia Dei dona hic quoque vendi prohibetur.

Nota: Causa præcisa, cur Apostoli gratis dare debeant charismata sibi a Deo data, non est hæc, quod illa gratis a Deo acceperint, qui enim scientiam vel artem naturalem a Deo infusam accepisset, uti accepit Beseleel opifex tabernaculi Exodi 31. hic utique posset eam vendere, aliosque eamdem accepto pretio docere, uti faciunt alii artium magistri. Causa ergo præcisa est hæc, quod hic res talis sit tamque sublimis, ut non possit humana industria haberi, sed solo Dei munere gratis accipienda sit, eo quod sit divina, ideoque omne pretium longe superans & transcendens, & hoc significat τὸ *gratis accepistis*: quare eam velle pretio æstimare & vendere, est eam velut profanam indigne tractare, illique ac Deo, a quo ipsa suam sanctitatem habet, indignam vilitatem & injuriam facere, ideo-

Causa simoniæ quæ?

G que est scelus simoniæ ac sacrilegii.

Hinc patet hoc præceptum non esse juris positivi, puta divini, sed esse juris naturæ, præsertim, quia Christus in novo Testamento nulla sanxit nova præcepta positiva, nisi fidei & Sacramentorum, uti passim docent Theologi ex S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 3, & q. 107. art. 2. & 3.

Dices: Ergo pariter qui rem sacram cum alia re sacra permutat, est simoniacus jure naturæ & divino, quia non dat eam gratis. Admittit id Adrianus quodlibeto 9. ad 4. concluſ. lit. E, sed respond. negando consequentiam: Gratis enim dare hic est dare sine mercede vel pretio temporali, ut colligitur ex sequent. *Nolite possidere aurum*, &c. res sacræ autem non habent pretium temporale: hoc autem non exigitur vel accipitur, quando res sacra cum alia sacra commutatur. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, & alii. Vide Lessium tract. de Simonia dub. 3. Hoc Christi præceptum imitentur viri religiosi & Apostolici, quia ad Christi gloriam & conversionem animarum facit quam

H maxime, uti manifeste experientia 40. annorum didici. Quocirca S. Ignatius fundator Societatis nostræ merito regula 17. Summarii constit. ita sancit: *Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint se gratis dare debere quæ gratis acceperunt, nec postulando, nec admittendo stipendium vel eleemosynas ullas, quibus Missæ, vel confessiones, vel prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta nostrum institutum exercere potest, compensari videatur, ut sic majori cum libertate possit, & proximorum ædificatione in divino servitio procedere.*

Rē sacram cū alia re sacra permutare, an sit simonia?

Gratis dare, summi est momenti. Cur?

Verum est illud Chilonis apud Laertium l. 1. *Aurum cotibus exploratur; mentes hominum, auro.* Et illud Tullii lib. 2. Offic. *Homines maxime admirantur eum, qui pecunia non movetur;* imo illam ut venenosum serpentem aversatur & fugit. Quocirca S. Antonius ingenti auri massa in itinere conspecta, magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido cursu, quasi quoddam vitaret incendium, ad montem usque perrexit. Abbas Pambo trecentas argenti libras a Melania delatas repudiavit. B. Barlaam roganti Josaphat, ut pro se exiguum pecuniæ in victum & vestitum acciperet, qui

Exempla.

S. Antonii.

Abbatis Pambo. Barlaam.

A qui pro ſodalibus nihil acceperat, renuit ac reſpondit: *Si pecuniarum poſſeſſio bona eſſet, illis certe ante me eas impertiſſem: quoniam autem exitioſam earum poſſeſſionem eſſe ſcio, nec illes, nec me item hujuſmodi laqueis implicabo.* Pecunia quoties offerebatur S. Vincentio Ferrerio per caſtella prædicanti, vetabat a ſociis ſuis accipi. S. Franciſcus, teſte S. Bonaventura in ejus vita, cap. 7. *Pecunia*, ait, *ſervis Dei nihil aliud eſt, quam diabolus & coluber venenoſus.* Denique S. Petrus Simoni Mago offerenti pecuniam: *Pecunia tua*, ait, *tecum ſit in perditionem.* Actor. 8. 20.

S. Vincentii Ferrerii.

S. Franciſci.

S. Petri.

VERS. 9. NOLITE POSSIDERE AURUM, NEQUE ARGENTUM, NEQUE PECUNIAM IN ZONIS VESTRIS] *Neque pecuniam*, ſcilicet ullam aliam, v. g. æneam; unde Græce eſt μηδὲ χαλκὸν, id eſt, neque æs. Triplex enim eſt pecunia; aurea, argentea, & ænea, imo omnis pecunia, ait Budæus de Aſſe, primo ænea fuit, deinde argentea, demum aurea. *In zonis*, id eſt, *in marſupiis vel crumenis*, ut vertit Syrus. Olim enim burſas & crumenas ad zonas

Luc. 9. Matt. 9. 8.

Triplex pecunia: aurea, argentea, & ænea.

B appendebant, aut zonæ intexebant, vel attexebant, præſertim milites & itinerantes; unde proverbium; *Zonam perdidit*, de eo, cui nihil eſt pecuniæ; inde loculi dicti ſunt zonæ. Vide Nebriſſenſem quinquagena 50. Unde & Gracchus apud Gellium lib. 5. cap. 12. *Cum Roma profectus ſum*, inquit, *zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Alexander Imperator apud Lampridium: *Miles*, ait, *non timet, niſi veſtitus, calceatus, armatus, & habens aliquid in zona.* Peſcennius Niger apud Spartianum vetuit, ne milites zonam ſecum deferrent in bellum: ſed ſi quid haberent pecuniæ, publice commendarent, receptusi poſt prælium, ſimul & ipſis luxuriei mareriam eripiens, & hoſti prædam, ſi quid adverſi eveniſſet.

Quintum eſt hoc præceptum de non poſſidendis opibus, à Chriſto datum Apoſtolis tribus de cauſis. Prima, ut omni terreno affectu, æque ac ſollicitudine expediti, toti a Dei providentia penderent confidentes & ſecuri, quod illa de omnibus neceſſariis abunde eis proſpiceret. Secunda, ut toti Evangelio inſiſterent, ad illudque prædicandum

Quintum Chriſti præcepti Tres ejus cauſæ.

C omnes cogitationes & curas converterent. Tertia, ut omnibus gentibus illuſtre darent exemplum ſimplicitatis, ſobrietatis, paupertatis, contemptus opum, ſanctitatis, animique excelſi & cæleſtis, quo per Angelicam hanc vitam, ait S. Chryſoſtomus, & Euthymius, omnes in ſui amorem & admirationem raperent: *Nihil enim*, ait Euthymius, *ita admirandos reddit, ſicut vita frugalis, ac quibuslibet obviis contenta.* Quare Chriſtus hic non tantum vetat Apoſtolis præparationem pecuniarum ad viaticum, ut vult Janſenius, ſed omnem omnino poſſeſſionem, ut patet ex τὸ *nolite poſſidere:* hæc enim poſſeſſio multo magis ſui cura diſtraxiſſet & impediſſet Apoſtolos, quam viaticum. Ita Maldonatus. Dices Lucæ cap. 9. v. 3. explicatur hoc Chriſti præceptum, dicendo: *Nihil tuleritis in via*, Græce *in viam*, id eſt, pro via & itinere conficiendo. Reſpondit Maldonatus, per viam totam eorum peregrinationem & legationem, ac conſequenter vitam omnem intelligi, juxta illud verſ. 5. *In viam Gentium ne abieritis.* Simplicius dicas, Chriſtum expreſſe

D quidem vetare tantum Apoſtolis, ne ferant ſecum pecuniam ad viaticum, implicite tamen ſub hoc vetare omnem rei temporariæ, & pecuniæ æſtimabilis poſſeſſionem: qui enim v. g. agrum poſſidet vel domum, hoc ipſo virtute pretium & pecuniam poſſidet: domus enim vel ager pretio & pecunia eſt æſtimabilis. Unde Matthæus plenius ait: *Nolite poſſidere.* Chriſtus autem id hic diſerte non expreſſit, quia illud jam factum ab Apoſtolis præſupponit. Apoſtoli enim vocati a Chriſto, relictis omnibus etiam navi & retribus, ſecuti ſunt Chriſtum.

Symbolice S. Hieronymus: *Aurum*, ait, *ſæpe legimus pro ſenſu, argentum pro ſermone, es provoce* (accipi) *hæc nobis non licet ab aliis accipere, ſed data a Domino poſſidere.*

An perpetuum hoc præceptum?

Quæres, an hæc Chriſti præcepta de non poſſidenda pecunia, calceis, virga, & duabus tunicis data Apoſtolis fuerint perpetua, an temporalia dumtaxat? S. Hilar. S. Hier. S. Ambr. l. 9. in Lucam, S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Evang. cap. 30. & ex iis Maldonatus cenſent fuiſſe perpetua, ita ut Apoſtoli per omnem vitam, qua prædicarunt Gentibus, obligati fuerint hac forma & ſpecie paupertatis. Alii paſſim cenſent fuiſſe temporalia, ac obligaſſe eos dumtaxat eo tempore, quo vivente Chriſto prædicabant Judæis.

E Dico Primo, proprie & præciſe hæc præcepta fuere data Apoſtolis, dumtaxat pro tempore, quo primo miſſi ſunt bini a Chriſto prædicare per Judæam, ut Judæis hoc opum contemptu, atque hac vita Angelica & cæleſti perſuaderent ſe eſſe Apoſtolos veri Meſſiæ, id eſt, Chriſti, qui e cælo in carnem deſcendens, omnes ad cæleſtem vitam & gloriam ſpretis rebus terrenis vocabat. Id patet primo ex verſ. 5. ex quo ſequentia hæc præcepta pendent: *in viam Gentium*, inquit, *ne abieritis*, &c. *ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus iſrael.* Primo enim Judæis oſtendendus & perſuadendus erat Meſſias, ut illis eum recipientibus, Gentes facilius eum reciperent.

Resp. fuiſſe temporale.

Prob. primo.

Secundo. Secundo, id patet ex Luc. 22. 35. ubi de præterita hac miſſione & præcepto loquens Chriſtus: *Quando*, inquit, *miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit verbis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc*, &c. ubi Τὸ *miſi* ſignificat elapſum jam eſſe hoc præceptum; & τὸ *nunc* ſignificat aliud diverſum nunc eis præcipi, ſcilicet, ut tollant peram, & emant gladium.

F Tertio. Tertio, quia Apoſtoli per Gentes proficiſcentes ibant ad infideles, qui eos, quaſi hoſtes deorum ſuorum prima fronte averſabantur, nec eis hoſpitium & cibum dare dignabantur, donec per miracula & ſanctitatem vitæ ejus fidem adhiberent: ergo antequam eis fidem perſuaderent, debebant ſibi de victu providere, præſertim quia ſæpe magno comitatu catechiſtarum, interpretum, & aliorum coadjutorum incedebant. Unde Paulum proficiſcentem Hieroſolymam comitati ſunt Sopater, Ariſtarchus, Secundus, Cajus, Timotheus, Tychicus, & Trophimus, ut patet Actor. 20. 4.

Quocirca Apoſtoli permittebant mulierem piam, honeſtam & divitem ſe comitari, quæ eos aleret. Id diſerte patet 1. Cor. 9. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem* (Chriſtianam) *circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli?* Idipſum fecit Chriſtus, qui permiſit Magdalenam, aliaſque pias feminas a ſe converſas more gentis ſe comitari, ac ſe ſuoſque ſuſtentare, ut patet Lucæ 8. v. 3. Imo Judas *loculos habebat*, &c. *& ea, quæ mittebantur, portabat.* Joann. 12. 6. & Joann. 6. diſcipuli ajunt Chriſto: *Unde ememus panes, ut manducent hi?*

G Inſtabis, cur Chriſtus præceptum, quod dedit Apoſtolis de non portandis pecuniis, ipſe non ſervavit? Reſp. Chriſtus in ſe ſervavit, quia ipſe non portabat loculos, ſed Judas, ac cum initio ſolus cœpit prædicare, loculis omnino caruit, ut patet ex illo: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8. 20. Quoad Apoſtolos vero 12. & diſcipulos 72. quos ſecum ducebat, alendos, permiſit Judam portare loculos: quia alias eos alere fuiſſet impoſſibile. Qui enim tantum hominum multitudinem hoſpitio excipere, & continuo ſuſtentare voluiſſet, aut potuiſſet? Apoſtolos autem ipſe per Judæam miſit binos dumtaxat: bini autem facile apud aliquem virum pium hoſpitium, & victum reperire poterant. Simili modo S. Franciſcus Xaverius proficiſcens ad Indos, nil viatici in navim intulit, imo oblatum a rege Luſitaniæ refuravit, ſed cibum a nautis & navigantibus quotidie mendicavit, quia ſolus erat.

S. Franciſcus Xaverius.

H At jam cum quinquageni & centeni e Societate Jeſu, & aliis ordinibus in Indias evangelizaturi ſæpius mittuntur, viaticum apud ſe aut alium habeant oportet. Quis enim nautarum, aut vectorum omnes illos per ſex navigationis menſes quotidie paſcere poſſet aut vellet? Sic S. Vincentius Ferrerius, qui more Apoſtolico Europæ provincias evangelizando obivit, ſecumque centenos, imo millenos ducebat, habebat ſuos procuratores, qui ſingulis de victu aliiſque neceſſariis providerent. Nec enim indigenæ hos ſumptus præſtare potuiſſent.

S. Vincentius Ferrerius.

Quarto. Quarto, idipſum patet ex Actor. 4. & 5. ubi primi fideles omnes ſuas facultates offerebant Apoſtolis, ex quibus ipſi & cæteri omnes vivebant. Quin & paulus, qui alias animo excelſo, ſe ſuoſque labore manuum ſuarum, faciendo tabernacula, eaque vendendo ſuſtentabat, in carcere tamen Romano, & ſubinde alias ex eleemoſynis Philippenſium vixit, ut patet Philipp. c. 4. v. 14. & ſeq.

Quinto. Quinto, ita docet S. Chryſoſtomus hom. 9. in epiſt. ad Philipp. *Præcepta*, ait, *illa temporalia erant, & non perpetua*, Sanctus Thomas & ſanctus Anſelmus. Hugo, Dionyſius Carthuſianus, Janſenius, Baradius, Toletus, Franc. Lucas hic, & Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 26. Audi S. Thomam: *Ante paſſionem*, inquit, *miſſi ſunt Apoſtoli ad Judæos.*

Digitized by Google

A *Apud Judæos autem consuetudo erat, quod suis debebant providere magistris: ideo Christus nihil ferre præcepit Apostolis, cum mitteret eos ad Judæos. Sed ista non erat consuetudo in Gentibus. Ideo cum missi sunt ad Gentes, data est eis licentia portandi sumptus: portabant igitur, quando prædicabant aliis quam Judæis,*

Fuit perpetuum quoad substantiam.

Dico secundo: Hæc tamen præcepta quoad totam substantiam & scopum, qui erat ostendere animum alienum ab avaritia, ac præ se ferre magnum contemptum rerum omnium terrenarum, & desiderium cælestium, atque ac fiduciam in Deum, Deique providentiam: hæc enim hisce præceptis Apostolis imprimere voluit Christus, atque hæc Apostoli reipsa præstiterunt, cum recepto Spiritu sancto in Pentecoste, non nisi cælestia cogitabant, dicebant, agebant. Quo circa hæc Christi præcepta non tantum quoad scopum, sed etiam quoad modum præcise ad litteram servarunt Apostoli, quandocumque & ubicumque id facere potuerunt; imo Paulus hisce præceptis consilium addidit, ut sumptus sustentationis a fidelibus non accingeret, sed labore manuum sibi victum pararet. Et hoc tantum voluere Patres initio citati. Hoc paupertatis Apostolicæ exemplum imitatus S. Franciscus, cum suos fratres binos Evangelizatum mittebat, non aliud viaticum eis dabat, quam hoc; *jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet,*

B

VERS. 10 *Marc. 6. v. 8. & 9.* NON PERAM IN VIA, NEQUE DUAS TUNICAS, NEQUE CALCEAMENTA, NEQUE VIRGAM, DIGNUS EST ENIM OPERARIUS CIBO SUO] Pera est marsupium, vel sacculus viatorius, in quo itinerantes deferunt panes & escas, quos in via comedebant; unde adagium: *Mendici pera non impletur.*

NEQUE DUAS TUNICAS] Mutatorias intelligit, scilicet, duo paria tunicarum, ait D. Thomas, ut nunc unum, nunc alterum induas; alioqui frigoris aut necessitatis causa, duabus simul indui tunicis non erat, nam & ipse Christus duabus indutus fuit, ut patet Joann. 19. 23. ita S. Hieronymus, Jansenius, & Maldonatus.

C Simplicius Lyranus, Toletus, & Barradius, absolute unicam hic tunicam præcipi intelligunt, una enim in Judæa, utpote regione calida tunica sufficit. Unde & Christus unicam tantum externam habuit; nam illa inconsutilis interna erat loco induvii, vel subuculæ; externe deinde pallium injiciebant. Unde Euthymius in Matth. cap. 27. docet Christum tria tantum habuisse vestimenta, scilicet subuculam, tunicam, & superius indumentum, quale apud nos est toga vel pallium.

S. Franciscus suum Institutum hausit ex hoc loco.

S. Franciscus in Ecclesia S. Damiani, audiens, in Missa recitari Evangelium hoc, quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis, formam tribuit Evangelicam vivendi, ne videlicet possiderent aurum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas, nec calceamenta, nec virgam, finita Missa clarius ea sibi explicari petiit, quo facto incredibili perfusus lætitia: hoc est, inquit, quod cupio; hoc, quod totis præcordiis concupisco. Hoc fuit initium, hæc fuit causa conversionis ejus; hoc institutum ejus, ad æmulandam paupertatem Apostolicam. Quare statim hæc omnia executioni dedit Christi discipulus, ut Christo in Evangelio

D plene obsequeretur, seque coaptaret: calceamenta ergo solvit de pedibus, deposuit baculum, peram rejecit, pecuniam execratus, unaque contentus tunica, rejecta corrigia, pro cingulo funem sumpsit, idque per omnem vitam. Ita S. Bonaventura c. 3. vitæ ejus, & alii. Unde vivens & moriens diserte asseruit: *Ipse Dominus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam S. Evangelii.*

Sandalia permissa Apostolis.

NEQUE CALCEAMENTA] Duplicata, sive duo paria calceorum æque ac tunicarum, ait S. Thomas, & Cajetanus; & innuit S. August. lib. 2. de Consensu Evang. cap. 30. Euthymius vero vult Christum primo hic apud Matthæum Apostolis vetuisse calceos, deinde vero postea apud Marcum indulsisse eis sandalia. Verum de eodem loco & tempore agit Marcus, de quo Matthæus hic, ut patet conferenti utrumque.

Simplicius dicas, calceos hic vetari, qui pedem totum tegant, non sandalia, hoc est, soleas, quæ plantam pedis dumtaxat muniunt, ne in saxa impingant: hæc enim Apostolis concessa docet Marcus, cap. 6. vers. 9. Judæa enim aspera & saxosa est regio, æque ac calida; quare sandalia pedes contra saxa protegunt & calorem arcent eo quod superne pedes relinquant nudos. Ita S. Hieronymus, Euthymius, Jansenius, Toletus, Maldonatus, & S. Augustinus lib. 2. de Consensu Evangel. cap. 30. calcei vero pedem stringunt, & quasi incarcerant, ut minus sit liber & expeditus ad iter, atque eumdem sæpe nimis calefaciunt. Calceos ergo vetuit Christus Apostolis per Judæam peregrinantibus, ut expeditiores forent ad iter, utque eis nimiam pedum curam adimeret. Calcei vero Græce vocantur ὑποδήματα, id est, subligacula, quia olim superne ligaculis stringebantur, uti etiamnum apud multos fit. Porro sandaliis Apostolos post Christi ascensionem usos, patet Actor. 12. ubi Angelus ad Petrum: *Calcea*, ait, *te caligas tuas*, Græce *sandalia tua*. Et tale est sandalium S. Andreæ, quod Treviris in cathedrali Ecclesia a R. D. Præposito mihi ostensum fuit. Talia quoque gestare Isaias, Jeremias & Ezechiel Prophetæ, ut patet ex antiquis eorum imaginibus in codice Basilii Porphyrogeniti Imper. quæ extant in Vaticano, quas curavi expingi & prefigi Prophetis majoribus. Talia denique exhibet imago B. Virginis Romæ depicta a S. Luca; Puer enim Jesus in ejus brachiis pingitur cum sandaliis, quæ superne per ligacula circumligantur pedi, ita ut pedes & digiti pedum Christi sint intecti prorsus & nudi, planta vero pedum solea tegatur. Talia quoque exemplo Christi gestavit S. Franciscus, & ejus sequaces Capucini.

Sandalium S. Andreæ Treviris.

E

F

Primi Christiani caruerunt calceis.

Hoc Christi & Apostolorum exemplum secuti multi e primis Christianis, incesserunt sine calceis. Id docet Lucianus in Philopatro, ubi habitum Christiani describens: *Pallium putre*, ait, *sine calceis & tegmine, capite nudo incedens, detonsa coma. Sic & Plato*, ait S. Hieronymus hic, *præcepit duas corporis summitates* (caput & pedes) *non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis & pedum. Cum hæc enim habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt.* De pallio vero Christianorum olim erat adagium: *A toga ad pallium*, id est, a Gentilismo transiit ad Christianismum: Gentiles enim toga amicichantur, Christiani pallio. Unde Tertullianus lib. de Pallio c. 5. *Calceos*, ait, *nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verum & falsum. Quam enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calcea uncipedem. Magnum incessui nemini incutiunt fulmen. Venerio prospexere perones* (calceos) *effeminatos.* Clarissime vero Clemens Alexand. lib. 2. Pædagog. c. 11. *Viro*, ait, *pulchre convenit nullos habere calceos, præterquam si militet. Calceatum enim esse non parvam habet affinitatem cum eo, quod est esse ligatum. Optimum est exercitationis genus nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat necessitas; quod si iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati possimus, soleis utendum est; eas autem Attici vocant ἐνδήματα, quod pedes, quantum ego conjicio, terræ approximarent. Tenuis ac simplicis calceatura sestis* Joannes *sufficit, qui dicebat se non dignum solvere corrigiam calceamentorum Domini, non enim curiosos inhibebat calceos, qui vera philosophia typum Hebræis ostendebat.*

A toga ad pallium.

G

Symbol.

Symbolice S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. c. 30. *Marcus*, inquit, *dicit calceatos sandaliis vel soleis, quibus scilicet pes, nec tectus super, nec nudus ad terram, nempe volebat Dominus non occultandum Evangelium, nec terrenis commodis inuitendum.*

H

Rursum Glossa: Apostolo abjicienda sunt, inquit, aurum, id est, sapientia sæcularis; argentum, id est, facundia: pecunia zonæ, id est, sapientia abscondita: pera, id est, onus sæculi: calceamenta, id est, mortuorum operum exempla. Audi S. Hieronymum epist. 24. ad Marcellam de Obitu Lææ: *Hæc*, inquit, *quam unius cubiculi secreta vallabant, qua pauper videbatur & tenuis, cujus vita putabatur amentia, Christum sequitur & dicit: Quæcumque audivimus, ita & vidimus in civitate Dei nostri, & reliqua. Quapropter moneo flens, gemensque contestor, ut dum hujus mundi viam curimus, non duabus tunicis, id est, duplici vestiamus fide: non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus pregravemus, non divitiarum nos pera ad terram premat: non virga, id est, potentia secularis queratur auxilium, non pariter & Christum velimus habere & seculum, sed pro brevibus & caducis æterna succedant, & cum quotidie (secundum corpus loquor) premoriamur, in cæteris non nos perpetuos existimemus, ut possimus esse perpetui.*

NEQUE VIRGAM] Dices: Marcus c. 6. v. 9. contrarium habet, scilicet, *sed virgam tantum*. Resp. S. Marcum loqui de מִשְׁעֶן *mischan*, id est, virga, seu baculo, & fulcimine, cui innitaris. Hic enim est symbolum viatorum pauperum, qui

A qui baculo innixi incedunt, ut fatigationem levent, sicuti incessit Jacob peregrinans in Mesoporamiam Gen. 32. 10. Matthæus vero hic loquitur de מטה *matte*, id est, virga defensoria, vel vindicatoria, quam Christus Apostolis vetat; pro quo nota Græcum ῥάβδον, id est, *virga*, tria significare, primo insigne honoris & potestatis, quale est sceptrum regum, fasces consulum, virga prætorum & judicum, quæ Heb. dicitur שבט *scebet*, unde *sceptrum*: de qua David Ps. 2. *Reges eos in virga ferrea*. Et Psal. 44. *Virga æquitatis virga regni tui*. Et Isaias c. 14. *Contrivit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium*. Hinc & ῥαβδοφόροι, id est, *virgiferi* vocabantur lictores & viatores, per quos magistratus denunciabant, quid vellent fieri: horum enim insigne erat virga, quam gestabant. Sic & Judæorum doctores virgam manu ferebant, ait Lyranus, velut doctrinæ insigne, uti nunc ludimagistri ferunt ferulam. Hanc Apostolis vetat Christus, quia jubet eos præ se ferre modestiam, humilitatem, non auctoritatem & potestatem imperiosam. Talem enim virgam gestavit Moses legislator

B durorum Judæorum, qua & Pharaonem per decem plagas contrivit, & rebelles Judæos castigavit: at non Christus, cujus lex est spiritus amoris & suavitatis.

ῥάβδον, id est virga, tria notat. Primo.

Secundo. Secundo ῥάβδον significat *matte*, id est, virgam, seu baculum, quo alios ferias & percutias, sicut præceptores virgis flagellant discipulos, de qua Psalm. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum*. Et Exodi 21. v. 20. *Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga*; imo rusticorum & pauperum arma sunt virgæ & baculi. Unde David contra Goliath processit non aliis armis instructus, quam baculo & funda. 1. Reg. 17. Et Ezechiel. cap. 39. agens de Cæde Gog: *Comburent*, ait, *arma, clypeum & hastam, arcum & sagittas, baculos manuum & contos*. Et Isaias cap. 10. *Virga furoris mei Assur*. Per virgam ergo hic synecdochice quælibet arma intellige, hæc enim Christus vetat Apostolis, quos jubet non armis, sed Deo fidere, ac divinæ tutelæ esse testes & præcones; atque fidem, non pugnando, sed patiendo propagare. Nam, *qui Domini habet auxilium, cur quærat baculum*? ait S. Hieronymus.

C Tertio. Tertio ῥάβδον significat משען *mischan*, id est, fulcimen, virgam & baculum, cui incumbas, & hanc Apostolis permisit Christus, tum quia insigne est pauperum viatorum, tum quia facit ad levamen itineris & laboris.

Virga amicitiæ tesseræ. Porro Joannes Alba lib. Electorum pag. 337. per virgam accipit eam, cui insculpta erat contesseratio & signum amicitiæ, ut virga sit idem, quod tessera amicitiæ, quam ostendebant, cum ad amicos incognitos divertebant, ut ex ea reciperentur quasi amici; unde cum renuntiabant amicitiæ, dicebantur frangere tesseram amicitiæ, puta virgam contesserantem amicitiam; ut sensus Christi sit, q. d. nolite humanis niti præsidiis, nolite ferre tesseram amicitiæ, ut ex ea recipiamini: Deus enim vobis providebit de hospitio & hospite. Verum nulla hic tesseræ vel amicitiæ fit mentio, sed virgæ dumtaxat.

Symbolice virga notat potestatem Apostolorum, ait S. August. lib. 2. de Consens. Evang. 30.

DIGNUS EST ENIM OPERARIUS CIBO SUO] Causam dat, cur verterit viaticum, &c. Quia, inquit, Judæi,

D quibus prædicabitis, vos alent: dignus est enim prædicator cibo suo, quo significat & Judæos debere eos, qui sibi Evangelium prædicant, sustentare, & prædicatores jure suo inde posse vivere. *Accipiant prædicatores*, ait S. Chrysostomus, *sustentationem a populo, mercedem a Deo*. Alibi tamen hæc sustentatio vocatur merces a similitudine operariorum, quibus illa quasi pars mercedis tribuitur, etsi in prædicatoribus proprie non sit merces, quia prædicatio omne pretium, & omnem mercedem humanam longe superat & transcendit. S. Paulus 1. Cor. 9. vocat stipendium a similitudine militum, quibus datur non ut merces (quantula enim est ad periculum, quod subeunt?) sed ut sustentatio debita. Operamini ergo in vinea Domini, o Apostoli, & prædicate strenue, nec solliciti sitis de cibo, id est victu & vestitu, quia Deus de illo vobis abunde providebit, vel per hospites vestros, vel aliunde ex ditissimis providentiæ suæ thesauris.

VERS. 11. IN QUAMCUMQUE AUTEM CIVITATEM, AUT CASTELLUM INTRAVERITIS, INTERROGATE, QUIS IN EA DIGNUS SIT, ET IBI MANETE, DONEC EXEATIS] *Dignus*, scilicet aptus & congrus Evangelio, & vobis hospitibus, id est, qui sit timens Deum, religiosus, probatæ vitæ, avidus salutis, hospitalis maxime erga pauperes & pios, præsertim prædicatores; quique, ut ait S. Hieronymus, *magis se noverit accipere gratiam, quam dare*, vos hospitio recipiendo, quod scilicet a vobis recipiat fidem, gratiam, & salutem, ac vestræ prædicationi ad multorum conversionem cooperetur, quæ longe majora sunt, quam hospitium, quod ipse dat vobis. E

Luc. 9. & c. 10. Mar. 6. v. 10.

Sextum Christi præceptum. Sextum est hoc præceptum, quod Apostolis per Judæam prædicaturis dat Christus de hospite, ut scilicet non divertant apud aliquem, vel a fide Christi aversum, ne ab illo male tractentur, vel infamem, ne is suam infamiam eis affiet, sed apud virum probum & propensum ad pietatem & hospitalitatem, qui & eorum prædicationi libens cooperetur, & bonum nomen apud cives suos eis conciliet. *Hospes*, ait S. Hieron. *fama deligendus est populi, & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur*.

Non mutent hospitium quatuor de causis. ET IBI MANETE, DONEC EXEATIS] Cur? Resp. Prima causa est, ne si Apostoli non maneant, sed mutent hospitium, ipsi leves & inconstantes esse videantur. Ita S. Chrysostomus, & Victor Antiochenus in Marci cap. 6. Secunda, ne hospitem priorem contristent, vel dedecore afficiant, si ab eo ad alium dignorem commigrent. Ita S. Ambrosius, & Chrysost. Tertia, ne quis dicat eos gulosos, lautiores ditiorum mensas quærere. Ita Theodor. Quarta, ne vagentur, & per domos oberrent, itaque in incommodas & periculosas incidant. Audi S. Ambros. ser. 32. *Reprehensibile est, ut vir, qui Evangelium annuntiat, & docet errandum non esse, ipse per diversos incipiat oberrare, & domum, cui pacem dixerat, deserere, hospitemque, cui benedictionem intulerat, contristare*. Intellige, nisi nimis diu in eodem loco manerent, ut hospiti graves forent, aut alia justa migrandi causa occurreret: tum enim charitas & prudentia suaderent hospitium commutandum. F

VERS. 12. INTRANTES AUTEM IN DOMUM, SALUTATE EAM DICENTES: PAX HUIC DOMUI] Syrus: *Pacem precamini illi*. Est salutatio vetus Hebræorum, qua pacem, id est, omnia pacifica & prospera (hæc enim secum affert pax, aufert vero bellum) hero & domesticis apprecantur. Hebræi temporalia intelligebant, sed Christus spiritualia, scilicet gratiam, salutem, gloriam, & felicitatem æternam. Christus enim in terram venit, ut pacem inter Deum, homines & Angelos conciliaret. Unde eo nascente cecinerunt Angeli: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Lucæ 2. G

Luc. 10. 5.

Septimum Christi præceptum. Septimum est hoc præceptum, ut pacem hospiti apprecentur, & apprecando explorent, an hospes sit dignus & congruus. Id enim intelligent, si is salutationem æque ac salutantes gratanter acceptet, benigne resalutet, & ad hospitium invitet. Apostoli ergo precantur hospiti pacem primo cum Deo; secundo cum domesticis, vicinis, & cæteris omnibus. Unde S. Hier. *pacem*, ait, *imprecamini hospiti, & quantum in vobis est discordiæ bella sedate*. Tertio pacem, id est, omnia prospera, omnia bona, tam præsentia, quam futura & æterna. Addit S. Chrysost. Apostolorum salutationem non nudam & verbalem fuisse, sed realem & efficacem, & benedictionis vires obtinuisse, ut hospiti, si is dignus erat, pacem, id est, fidem, gratiam, & salutem reipsa conferrent.

VERS. 13. ET SI FUERIT QUIDEM DOMUS ILLA DIGNA, VENIET PAX VESTRA SUPER EAM; SI AUTEM NON FUERIT DIGNA, PAX VESTRA REVERTETUR AD VOS] *Digna*, scilicet, si, ut paulo ante dixit, hospes sit dignus, quia amans pacis, id est, Evangelii & salutis: sive, ut Jansenius, quia a Deo præordinatus & prædestinatus ad pacem, id est, ad fidem, gratiam, & vitam Evangelicam; tunc utique *veniet pax vestra super eam*, quia hospes cum suis domesticis acceptabit fidem & gratiam Christi, quam illi apprecamini, & paulo post distinctius eidem explicabitis & prædicabitis. H

Luc. 10. 6.

SI AUTEM NON FUERIT DIGNA] quia hospes salutationem vestram, & pacis Evangelicæ apprecationem refutat & repellit, *pax vestra revertetur ad vos*; Græce ἐπιστραφήτω, id est, *revertatur*, hoc est, revertetur, ut explicat Noster hic, & Lucas cap. 10. v. 6. Hebræi enim sæpe imperativum usurpant pro futuro. Nota prosopopœjam: Pax enim inducitur hic quasi persona ab hospite repulsa, alio vadens, Apostolosque deducens, q. d. Si hospes vestram pacis salutationem repellat, non tamen idcirco infructuosa erit vestra salutatio, quia vobis eveniet, quod illi precati eratis, scilicet, pax, id est, omnia prospera; itaque fiet, ut pax ab indigno hospite repulsa, ad vos quasi redeat, vosque ad alium hospitem dignum deducat, qui

Pax repulsa redit ad apostolos.

Digitized by Google

A illam avide a vobis vobiſcum hoſpicio excipiat; ac veſtræ prædicationi credat, fiatque Chriſtianus & ſanctus, dignuſque cælo & vita æterna. Similis eſt phraſis Pſal. 34. 12. & 13. ad quam hic alludit Chriſtus: *Retribuebant*, ait, *mihi mala pro bonis*, &c. *Et oratio mea in ſinu meo convertetur*, q. d. Ergo David, & antitype ego Chriſtus, pro hoſtibus meis Judæis, eorumque ſalute oravi, ſed illi fuere mihi ingrati & rebelles: quare oratio mea eis ob ipſorum malitiam non profuit; ad me ergo reverſa videtur, quia mihi, meiſque fidelibus ex Gentilitate in me credentibus profuit. Ita Euſebius, S. Athanaſius, & Heſychius in Pſal. 34. *In ſinum Chriſti*, inquit, *id eſt, in Eccleſiam Gentium a Judæis reflexa Chriſti oratio recidit*. Hoc eſt, quod Judæis ait Paulus: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes*. Act. 13. 46. Et Iſaias c. 9. 8. *Verbum miſit Dominus*, inquit, *in Jacob, & cecidit in Iſrael*; quia, ut explicat S. Greg. 2. Moral. c. 30. *Chriſtum, quem ad ſe venientem Judaicus populus reſpuit, hunc revenſ populus Gentilis invenit*. Eſto, & alius ſit illius locis ſenſus magis literalis, ut ibidem dixi.

B Non tantū quoad meritum, ſed reipſa.

Itaque ſalutatio & pax ab hoſpite repulſa redit ad Apoſtolos, non tantum quoad meritum, ut vult S. Hieronymus, q. d. Merces & meritum veſtræ ſalutationis, benevolentiæ & charitatis ad vos redibit, quia hoc meritum proprie non redit, ſed manet apud ſalutantem, ſive ſalutatus dignus ſit & gratus, ſive indignus & ingratus; ſed etiam redit proprie; ſicut legatus repulſus ab eo, ad quem mittitur, redit ad herum, qui eum miſit, quia ſcilicet ſalutatio repulſa ab indigno rediens quaſi ad Apoſtolos, in eorum poteſtate eſt, & quaſi in eorum manu ſeipſam ſiſtit, ut offerant eam dignis, qui eam magna reverentia, & gratiarum actione cum Apoſtolis ſalutantibus hoſpitio ſuum domus, tum mentis ſuæ excipiant, ſeſeque totos dedant Chriſto & Apoſtolis, quaſi Chriſti legatis & vicariis.

VERS. 14 *Luc. 9. v. 5. & c. 10. v. 10. & 11. Mar. 6. 11.*

ET QUICUMQUE NON RECEPERIT VOS, NEQUE AUDIERIT SERMONES VESTROS: EXEUNTES FORAS DE DOMO, VEL CIVITATE, EXCUTITE PULVEREM DE PEDIBUS VESTRIS] Lucas & Marcus addunt: *In teſtimonium illis*.

C Excutiendus pulvis. Cur?

EXCUTITE PULVEREM] vel ſandalia excalceando; eaque inter ſe collidendo, ut pulvis ex iis excutiatur, ſicut ait Abulenſis quæſt. 83. qui vult Apoſtolos bis id feciſſe, ſemel in urbe, ſecundo extra urbem: vel ſandalia applodendo ad terram, aut ea affricando ad lapidem, vel dignum aliquod ut pulverem extergerent.

Ratio prima.

Quæres cur hoc? Reſp. Primo S. Hier. *Pulvis*, inquit, *excutitur in teſtimonium laboris, quod ingreſſi ſint civitatem, & prædicatio Apoſtolica ad illos uſque pervenerit*. Et Theophyl. *Vel quod teſtantur*, inquit, *ſe illorum nomine magnum iter confeciſſe, nihilque illis profuiſſe*.

Secunda.

Secundo, *excutite pulverem*, quaſi impium propter impios incolas, ut ſignificetis eos eſſe quaſi anathema, nec vos quidquam cum illis quaſi execratis, ac maledictioni & condemnationi æternæ addictis, vel habere commune, ne pulverem quidem. Ita S. Hieronymus, Theophylactus hic, & S. Ambroſius in c. 9. Lucæ, & S. Auguſt. in quæſt. Evang. ex Matth. quæſt. 7.

D Tertio, ut hic pulvis a nobis excuſſus, in die judicii ſit teſtis eorum incredulitatis & impietatis, ac coram Chriſto eos accuſet, & gehennæ reos peragat. Et hoc eſt, quod ait Lucas: *In teſtimonium illis*, hoc eſt, contra illos. Ita S. Hilarius & Origenes in Gen. cap. 18. hom. 4. *Signo pulveris pedibus excuſſi*, inquit Hilarius, *æterna maledictio relinquitur*. Ita pulverem pedum excuſſerunt Barnabas & Paulus, repulſi a Judæis Antiochiæ, Piſidiæ, Actor. 13. 51. Alludit ad Prophetam, qui a Deo miſſus in Bethel ad Jeroboam idololatram, ab eo rejectus, in eum pulverem pedum excuſſit, hoc ipſo, quo juſſu Dei alia via, quam venerat, reverſus eſt in domum ſuam. 3. Reg. 13. 9.

Octavum Chriſti præcepti.

Octavum eſt hoc præceptum Chriſti jubens Apoſtolis, ut in eos, qui prædicationi reſiſtunt, pulverem excutiant, ut eis indignitatem ſuæ inhoſpitalitatis oſtendant, ac terrorem incutiant, & æternum gehennæ excidium comminentur. Quo tacite jubet Apoſtolos eſſe animoſos ne percellantur cum viderint Judæos Evangelium rejicere, ſed in eos acriter velut vindices divini inſurgant, eoſque quaſi anathematici ſubjiciant.

VERS. 15 *Luc. 10. 12.*

AMEN DICO VOBIS, TOLERABILIUS ERIT TERRÆ SODOMORUM ET GOMORRHÆORUM IN DIE JUDICII, QUAM ILLI CIVITATI] q. d. Gravius punientur & damnabuntur, qui repellunt Apoſtolos, quam Sodomitæ, qui igne cæleſti conflagrarunt horrendo Pentapolis totius incendio, & terrifico ſæculorum omnium exemplo, quia gravius iis peccant. E

Quam ſit grave reſpuere Apoſtolos.

Quæres, quomodo hoc ſit verum, cum ſodomia graviſſimum ſit ſcelus contra naturam, & clamans in cælum? Reſp. Sodomiam numerari inter graviſſima ſcelera, ſed in ſpecie libidinis, ſive contra legem naturalem, continentiæ dumtaxat; nam alioquin conſtat graviora eſſe peccata hæreſim, infidelitatem, blaſphemiam, ſacrilegium, deſperationem, odium Dei, &c. quam ſit ſodomia. Repellentes ergo Apoſtolos, Chriſtique fidem, gratiam & ſalutem longe gravius, quam Sodomitæ peccabant, idque non uno, ſed multiplici peccato, ſcilicet primo, infidelitatis; ſecundo, inobedientiæ; tertio, ingratitudinis; quarto, inhoſpitalitatis; quinto, rebellionis & contumaciæ in Deum contra legem naturalem & divinam, ac gratiam ejus tam benevole & liberaliter oblatam, totque miraculis & beneficiis confirmatam, inhumane & barbare reſpuebant. Ita SS. Hilarius, Hieron. Beda, Theophyl. & alii.

Hoc etiam ſuo modo locum habet in iis, qui reſpuunt Dei verbum, vel vocationem, & ſanctas inſpirationes, contra quos detonat Deus Prov. 1. 24. *Quia vocavi, & renuiſtis*, &c. *ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Vide ibi dicta. F

Hinc S. Hieronymus probat contra Jovinianum non eſſe æquales omnium damnatorum pœnas, ac per conſequens nec culpas: S. Anaſtaſius etiam Nicenus in quæſt. S. Script. quæſt. 17. hinc oſtendit nonnullos impios puniri tam in hac vita, quam in futura, uti Sodomitæ puniti fuere in hac vita, & rurſum punientur in die judicii damnandi ad gehennam.

Simile ſcelerī ſodomiæ obiter analogias.

Porro appoſite Chriſtus repellentes Apoſtolos comparat Sodomitis. Primo, quia ſicut hi inhumani & barbari fuerunt in hoſpites; unde Angelos diverſantes ad Loth voluerunt violare & inceſtare, Geneſ. 19. ſic illi inhumanos & barbaros ſe oſtendant erga Apoſtolos hoſpites ſuos. Secundo, ſicut hi admoniti fuere a Loth, ſed eum ſpeverunt: ſic illi admonentur ab Apoſtolis, quos Chriſtus legavit ad eorum ſalutem, ut eos benevolentiſſime ad Chriſti fidem & gratiam invitarent; quare longe inhumanius illos aſpernantur, quam Sodomitæ Loth. Tertio, ſicut Sodomitæ puniti ſunt igne & ſulphure e cælo, ſic hi punientur igne & ſulphure in gehenna, ſed longe gravius: quia ſi Sodomitæ audiſſent prædicationem Chriſti & Apoſtolorum, ac vidiſſent eorum ſigna & miracula, credidiſſent, & pœnitentiam egiſſent, uti ait Chriſtus c. 11. verſ. 23. C G

VERS. 16 *Luc. 10. 3.*

ECCE EGO MITTO VOS, SICUT OVES (Lucas cap. 10. 3. *Sicut agnos*) INTER LUPOS] S. Hieronymus per lupos accipit Scribas & Phariſæos, alii quoslibet hoſtes & perſecutores. Nullum animal tam inerme & debile, quam ovis. Sic Chriſtus mittit Apoſtolos ſine armis, imo ſine virga & viatico, ut ſuam in eis virtutem & potentiam oſtendat. Non mittit eos quaſi leones, ait Chryſoſtomus, ſed quaſi oves, ut ipſi mira ſua vi & efficacia ſuperent lupos, eoſque in oves convertant. Audi Chryſoſt. *Erubeſcant, qui quaſi lupi adverſarios ſuos proſequuntur, cum videant lupos innumeros ab ovibus ſuperari pauciſſimis. Et certe quouſque fumus oves, facile hoſtes vicimus: cum vero in naturam luporum tranſimus, tunc ſuperamur: tunc enim nullum nobis a paſtore patrocinium adeſt, qui non lupos, ſed oves paſcit*. Notat S. Chryſoſt. & ex eo Theophyl. & Euthymius Chriſtum Apoſtolis hic prædicere futura mala & perſecutiones, quatuor de cauſis. Prima eſt, ut diſcant ejus præſcientiam: ſecunda, ne putentur hæc illis ex infirmitate magiſtri accidere: tertia, ne inopinantes opprimantur: quarta, ne turbentur tempore crucis, ſed hac miſſione & promiſſione Chriſti ſeſe corroborent ad omnia generoſe ferenda & ſuperanda. Chriſtus ergo hic ſuos animat, q. d. Agite, o mei Apoſtoli, ablego vos ad Judæos, Scribas & infideles, qui vos vexabunt & perſequentur; ſed cogitate, quia *ecce ego mitto vos*: ego, inquam, qui olim Eliam, Eliſeum, Iſaiam, cæteroſque Prophetas ad Achab, Jezabelem, Manaſſem, alioſque impios reges miſi, animavi, probavi, protexi, & cum opus fuit, liberavi, ac tandem ab eis permiſi occidi, ut ſanguine ſuo meam fidem & religionem obſignarent, ac martyrii lauream conſequerentur. Idem ego nunc mitto vos, eademque, imo majora vobiſcum facturus ſum: ego vobis ubique adero, ubique aſſiſtam, ut & in vita per ovinam innocentiam, & in morte per ovinam manſuetudinem & tolerantiam omnes,

Digitized by Google

A nes, & omnia superetis. Sic Absalon jubens suis occidere Amnon fratrem suum, ait: *Nolite timere: ego enim sum, qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes.* 2. Reg. 13. 28.

Igitur hac voce: *Ecce ego mitto vos*, significatur divina Christi auctoritas, potestas, assistentia, protectio, efficacia, quæ Apostolos, quasi oves innocentes & inermes, luporum, id est hostium prædæ & lanienæ expositos tutatur, ut eos vel prædicando convertant, vel generose moriendo superent. Vide S. Chrysost. hom. de Pentecoste tom. 3. Apostolos vero jubet esse oves & agnos; primo, per innocentiam; secundo, per humilitatem & mansuetudinem, tertio, per patientiam, ut omnium injuriis, ipsique morti pro Christo corpus omniaque membra exponat. Apostolus sit prodigus vitæ. Qui ergo vult verus esse Christi servus, discipulus & Apostolus, cogitet se mitti quasi ovem inter lupos, ac proinde sit prodigus vitæ, æstimet se perdium, sit paratus & resolutus ad labores & cruces, ac ad mortem pro Christo ultro subeundam. Dux Albanus Capitaneus Generalis exercitus Caroli V. habebat 400. juvenes animosos & resolutos, quos vocabat prodigos vitæ & perditos, vulgo *enfans perdus*. B Hos in conflictu immittebat seorsim in latus hostium fortius, illi, ut audacissimi & pugnacissimi, certique mori, turbabant ordines hostium, eosque rumpendo, ordinarie pariebant victoriam. Talem se perditum, & prodigum vitæ æstimet Christi præco & Apostolus, ut infideles & impios Christo victori subjiciat. Talem se reputabat S. Xaverius vadens in Indiam, ac suis flentibus dicebat: *Mercatores tantis impendiis & periculis navigant in Indiam prodigi vitæ mercium temporalium studio; Ego non ibo eodem Dei & animarum causa?* imo prodigam libens mille vitas. Nimirum habebat illud præmeditatum: *Anima mea in manibus meis semper*, ut eam cuilibet auferti volenti offeram.

Tropologice S. Greg. & ex eo S. Thomas in Catena: *Qui*, inquit, *locum prædicatoris suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare, ut ex ipsa sua mansuetudine iram tumentium mitiget, & peccatorum vulnera ipse in aliis afflictionibus vulneratus, sanet. Quoniam & si quando zelus rectitudinis exigit, ut erga subditos sæviat, furor ipse* C *de amore sit, non de crudelitate, quatenus & jura disciplinæ foris exhibeat, & intus paterna pietate diligat, quos foris castigat. Multi autem cum regiminis jura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, domini videri appetunt, patres se esse minime cognoscunt, humilitatis locum in elatione dominationis immutant, & si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus sæviunt, de quibus dicitur: Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Contra quæ nobis considerandum est, quia sicut oves inter lupos mittimur: Sensum ergo servantes innocentiæ, morsum malitiæ non habeamus.*

Estote prudentes sicut serpentes. Primo.

ESTOTE ERGO PRUDENTES SICUT SERPENTES, ET SIMPLICES SICUT COLUMBÆ] Primo, *ut per prudentiam*, ait S. Hier. *devitent insidias, per simplicitatem non faciant malum. Et serpentis astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, ut illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est custodiamus, id est, fidem integram & incorruptam servare studeamus.* Secundo. Rabanus: Solet, ait, etiam serpens eligere strictas rimas, per quas transiens, veterem pellem exuat: similiter prædicator transiens per angustam viam, veterem hominem omnino deponat. Audi Isidorum Pelusiotam l. 1. ep. 26. *Serpens*, ait, *arte ac versutia vetustatem exuit. In arcta quadam & angusta rima sese comprimens, ac senium deponens. Vult igitur nos quoque per arctam viam & afflictionem, veterem hominem exuere, ac pro eo novum induere, qui ad ejus imaginem renovatur.* Tertio Remigius: Pulchre etiam Dominus, inquit, prædicatores serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per serpentem deceptus est, ac si diceret, quia hostis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes sitis ad liberandum: ille laudavit lignum, vos laudate crucis virtutem. Addit Hilarius: ille falsam promisit immortalitatem & divinitatem, dicendo: *Eritis sicut Dii*; vos veram promittite, ac Angelis similes futuros esse, qui credant. Quarto, serpentes, dum senescunt, per angustum foramen gliscendo, vetustã pellem detrahunt, ut novam induant, teste Aristotele li. 8. Hist. animal. c. 17. Ita & vos, o Apostoli, senectam mentis per innovationem spiritus, & meditationem æternitatis exuite. Via enim in cælum angusta est, & virtute semper innovanda, ait S. Aug. l. 2. de Doctrina Christiana c. 16. Quinto, *prudentia serpentis est*, ait Beda, *quod unam aurem petræ opponit, alteram cauda claudit, ne audiat incantantes.* Et S. August. in Ps. 57. v. 5. ad illa: *Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: Allidit*, inquit, *serpens unam aurem terræ, & de cauda obturat alteram*: Ita Christi discipulus & Apostolus, contra diaboli & impiorum suggestiones claudat aures cauda & terra, id est, meditatione finis, puta mortis & sepulchri, sibique dicat: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Sexto. Serpentis oculus.

Sexto, serpens acutissime videt: unde Adagium: *Serpentis oculus*. Sic Apostolus omnia acuto mentis intuitu prospiciat, ut mala avertat & bona accersat. Rursum serpens est astutissimus: unde quod agit, non robore, sed astutia sua agit ac prudentia: quare venenum suum non nisi cautissime, & maxime ad nocendum opportuno tempore effundit: sic & Apostolus prudenter observet prædicandi occasiones, ac videat, quid cuique loco, tempori, & personis conveniat, quidque ad persuadendum sit efficacissimum. Ita Basilius in Regul. brevior. interrog. 245. F

ET SIMPLICES SICUT COLUMBÆ] Quia, ut ait Remigius, *simplicitas sine prudentia facile decipi potest, & prudentia periculosa est, nisi simplicitate temperetur.* Et, ut ait S. Greg. l. 4. ep. 31. ad Mauritium: *Ut serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret.*

Pro *simplices*, Græce est, ἀκέραιοι, quod si a κέρας (id est cornu) & a privativo derives, idem est, quod sine cornibus, sine noxa, sine vindicta, innocentes, innoxii, ait S. Basilius loco citato: si vero a κεράννυμι, id est, *misceo*, & *a* privativo, idem est, quod *sine mistione*, impermixti, candidi, sinceri, qui quod corde sentiunt, hoc sine fuco ore profitentur. Estote simplices ut columbæ. Primo. Primo ergo jubet, *ut per prudentiam devitet insidias, per simplicitatem non faciat malum*, ait S. Hieron. Columba enim caret felle, nec ulli nocet.

Secundo. Secundo, S. Chrysostomus: Ira, inquit, per iram non extinguitur, sed per mansuetudinem: non sufficit pati mala, sed nec turbari conceditur, quod est columbæ. G

Tertio. Tertio, notant Theophylactus & Euthymius columbas, licet pullis orbentur, ad eosdem tamen nidos & dominos redire. q. d. Christus: Sic & vos, o Apostoli, nolite esse memores injuriarum vobis factarum, sed placidi & amantes redite ad eos juvandos & convertendos, a quibus læsi vexatique estis. Nonum est hoc Christi præceptum, sequitur decimum.

Nonum Christi præceptum? VERS. 17.

CAVETE AUTEM AB HOMINIBUS: TRADENT ENIM VOS IN CONCILIIS] Græce εἰς συνέδρια, id est, in concilia, in consessus magistratuum & judicum, ut ab iis quasi blasphemi in Deum, vel potius in Deos judicemini & condemnemini. Syrus: *Tradent vos in domum judiciorum*, hoc est, in prætoria. *Cavete ab hominibus*, primo fictis & proditoribus, qui vos deferent ad concilia, tradentque judicibus puniendos; sicut eos summe hac de causa cavent jam sacerdotes in Anglia, Scotia & Japonia: Secundo *ab hominibus*, scilicet, insidiatoribus, qui vobis per interrogationes perplexas & politicas, insidias tendent, ut ex ore vestro eliciant aliquid contra leges vel reges dictum, ut apud eos vos accusent: Tertio *ab hominibus*, scilicet: persecutoribus, qui vos ad necem quærent. *Cavete* ergo, id est, caute vos gerite quoad, salvo officio vestro, fieri potest, ut declinetis illorum proditiones, insidias & persecutiones; maxime vero lapsum, ne eorum suasionibus & minis cedatis, ut Christum negetis & illorum perfidiæ consentiatis; quin potius pro Christo constanter vos flagellis exponite, & mortem oppetite. H

Moral. disce hic cuique cavendum esse ab hominibus, imo a seipso ut homo est, quia *homo homini lupus*.

Quilibet potest esse martyr. Nemo ergo dicat: Infelix ego sum ac infausto tempore natus; neque enim possum fieri martyr, quia cessat hominum persecutio, nullus jam est Nero, nullus Decius; nam quilibet fieri potest martyr, si suis cupiditatibus, timoribus, tentationibus generose ex Dei amore resistat: tua cupiditas tuus est Decius; tuus timor tibi est Nero; tua tentatio tibi est Julianus. Persequitur te socius, irridet, probris afficit, calumniatur, cruciat te febris, catharrus, asthma. Si hæc Dei amore patienter toleras, martyr es patientiæ, uti fuit Job. Instigat te gula, ut vino & deliciis te ingurgites? Repugna, & martyr es abstinentiæ, uti fuit Daniel. Sollicitat te ambitio, ut præ cæteris te extollas, dignitates primas ambis? Evelle illam e mente tua, & martyr es humilitatis ac modestiæ, uti fuit S. Franciscus. Superior tibi dura, tuisque sensibus repugnantia jubet? Obedi, vince

Digitized by Google

A vince teipſum, & martyr es obedientiæ, uti fuit Abraham offerendo ſuum Iſaac. Gen. 22. Titillat te luxuria? illam jejuniis mortifica, & ciliciis crucia, eriſque martyr caſtitatis, uti fuit Joſeph. Stude, doce, concionare, labora, ad Indos proficiſcere, ut tot animas pereuntes ſalves, & martyr es charitatis, uti fuit B. Xaverius.

Luc. 21. v. 12. & 13. Mar. 13. 9. Et in Synagogis (ubi lex legebatur, & legis violatores caſtigabantur) suis flagellabunt vos] Sic in iis flagellati ſunt Petrus & Apoſtoli; Act. 5. 40. & Paulus 2. Cor. 11. 24. *A Judeis*, inquit, *quinquies, quadragenas, una minus, acceptì; ter virgis cæſus ſum*, &c.

Vers. 18 Et ad præsides (provinciarum) et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, et Gentibus] Syrus, *in teſtimonium tum ipſorum, tum Gentium*. Sic Paulus ductus eſt captivus, quaſi reus ad Felicem & Feſtum præſides Judææ. Actor. 23. 24. & ſequent. Jacobus Minor ad Ananum Pontificem, a quo juſſus occidi: Petrus & Jacobus Major ad regem Agrippam, qui Jacobum capite plexit, Actor. 12. 23. Idem a Judæis per Græciam & totum orbem ſparſis, ubique perſecutionem paſſus eſt, & protractus ad præſides provinciarum, ut patet ex Actis Apoſtol. cap. 13. 45. & ſeq. Perrus & Paulus ducti ſunt ad Neronem, a quo tandem perempti, glorioſum obiere martyrium. Sic S. Andreas ductus eſt ad Ægeum Achajæ proconſulem, ab eoque crucifixus. S. Joannes ad Domitianum Imperatorem, a quo dolio ferventis olei impoſitus, ex eo ſplendidior exivit. Sanctus Matthæus ductus eſt ad Hirtacum regem Æthiopiæ, S. Thomas ad Brachmanes, S. Bartholomæus ad fratrem Polemonis regis Indiæ, a quo vivus excoriatus eſt. Hinc patet hæc non tam ad primam Apoſtolorum in Judæam miſſionem, (tunc enim nihil tale paſſi leguntur) quam ad cæteras per omnem eorum vitam deinceps obitas ſpectare. Ad illas ergo hic Chriſtus extendit & dilatat ſermonem ſuum.

Apoſtoli ad reges & præſides variè ducti.

B

Propter me] Quia meam fidem & religionem prædicatis, me ſcilicet eſſe Meſſiam Dei Filium, Salvatorem mundi: uniculque malorum, ait S. Chryſoſtomus, mitigationem adjungit, nam non parva conſolatio eſt, pati propter Chriſtum. Quocirca Apoſtoli flagellati *ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Actor. 5. 41.

C

In testimonium] Tum veræ fidei meæ, quam prædicatis: hujus enim illuſtre teſtimonium erit veſtrum martyrium. Unde multi videntes conſtantiam Apoſtolorum & martyrum in tormentis, ad Chriſtum converſi ſunt; ita S. Hilarius: tum perſecutorum perfidiæ, obſtinationis & condemnationis: *Illis*: ſcilicet Judæis & Gentibus, quæ pariter vos perſequentur; & ad quarum præſides protrahemini. Notat Apoſtolos non tantum a Judæis in Judæa, ſed & a Gentibus, cum ad eas poſt mortem ſuam proficiſcentur, multa paſſuros. Porro τὸ *illis & Gentibus*, proprie eſt, q. d. Contra illos, ſcilicet Judæos, & contra Gentes. q. d. Veſtra productio ad tribunalia, libereque meæ fidei confeſſio, ideoque condemnatio & punitio, publicum erit teſtimonium toti orbi oſtendens, juſte Judæos & Gentes, tum in hac vita, tum in die judicii exſcindi & damnari, eo quod veſtræ prædicationi increduli fuerint, ac vos veros Dei præcones perſequi fuerint & occiderint.

D Unde Euthymius: *In Teſtimonium*, inquit, hoc eſt, ad redargutionem Judæorum & Gentium, ne poſtmodum dicere poſſint, quod veſtram prædicationem non audierint. Et Theophylactus *in teſtimonium*, ait, id eſt, in notam & reprehenſionem eorum qui non credunt.

Vers. 19 Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini] Undecimum eſt hoc Chriſti præceptum, quo jubet Apoſtolos non eſſe ſollicitos de reſponſione ad interrogationes præſidum, quia hanc ſe illis ſuggeſturum pollicetur: *Nolite cogitare*, intellige, ſollicite, anxie, intempeſtive, quaſi vobis ſolis, veſtræque prudentiæ ſiſi, Chriſto Deoque (cujus cauſa honor, & voluntas hic agitur) diffidatis. Unde Græce eſt, μὴ μεριμνήσητε, id eſt, ne ſitis anxii & ſolliciti, uti vertit Noſter interpres apud Lucam cap. 12. v. 11. Non ergo prudentem reſponſionis præmeditationem vetat, ſed anxiam nimiamque ſollicitudinem. Simili ſenſu veruit ſollicitudinem victus craſtini c. 6. v. 25. ut diſcant fideles a Dei providentia pendere, eamque ſuppliciter quotidie invocare. Quocirca martyri in quæſtionibus & tormentis aſſidue invocandus eſt Deus; ut ſapientiam ad reſpondendum, & animus ad toleran-

Luc. 12. v. 11. & 21. 14.

Undecimum.

dum ſuggerat. Hoc eſt, quod Luc. c. 21. ait, Chriſtum E
diviſſe & promiſiſſe: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri*. Sic de S. Steph. ait Luc. Act. 6. *Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur*. Ita S. Franciſcus ſpe martirii profectus in Syriam ad Sulthanum Babyloniæ, *tanta mentis conſtantia*, ait S. Bonaventura in ejus vita c. 9. *tanta virtute animi, tantoque fervore ſpiritus prædicavit illi Jeſum Chriſtum, ut Evangelicum illud in ipſo clare ſeceret veraciter eſſe completum: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri. Nam & Sulthanus* (antea Chriſto infenſiſſimus) *libenter ipſum audiebat, admirando in viro Dei fervorem ſpiritus, conſpiciens & virtutem, & ad meram contrahendam cum eo inſtantius invitabat*.

Illuſtre ad literam extat exemplum in vita S. Luciæ Syracuſanæ, quæ a Paſchaſio præfecto juſſa diis immolare, cum audacter id recuſaret, præfectus minando, dixit: *Ceſſabunt verba cum ventum fuerit ad verbera*: Cui Virgo: *Dei ſervis verba deeſſe non poſſunt, quibus a Chriſto Domino dictum eſt: Cum ſteteritis ante reges & præſides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus, qui loquitur in vobis*. Quam cum Paſchaſius interrogaſſet: *Eſtne in te Spiritus ſanctus?* Reſpondit: *Caſte & pie viventes templum ſunt Spiritus ſancti*. At ille: *Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus ſanctus deſeras*. Cui virgo: *Si invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*. Quare Paſchaſius ira inflammatus, Luciam eo trahi juſſit, ubi ejus virginitas violaretur: ſed divinitus factum eſt, ut firma virgo ita conſiſteret, ut nulla vi de loco dimoveri poſſet. Vide hic admirandam virginis prudentiam, qua ad ſingula interrogata tam ſapienter & cordate reſpondit, ut præfectus obmuteſceret: nimirum loquebatur in ea Spiritus ſanctus.

S. Lucia.

F

Tropologice S. Auguſt. lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 15. docet prædicatorem ante concionem orare debere & ſtudere: *Ad horam vero ipſius dictionis*, inquit, *illud potius bono menti cogites convenire, quod Dominus ait: Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis*.

G

Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis] q. d. Loquemini præſidibus, non ex vobis veſtraque prudentia & animo, ſed ex Spiritu ſancto, qui vobis ſuggeret ſapientiam & animos, ut præſidibus ſapienter & animo ſe reſpondeatis: quare in vobis non tam vos ipſi, quam Spiritus ſanctus loquetur: Sicut in aſina Balaam loquebatur Angelus. Num. 22. 28. Ita in Petro & Apoſtolis locutus eſt Spiritus ſanctus coram Pontificibus. Actor. 4. 13.

Vers. 20 *Luc. 12. 12. Mar. 13. 11.*

Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient] Quia in me credunt, vel me prædicant. Præmunit Chriſtus Apoſtolos & fideles prædictione futurarum perſecutionum, quas paſſuri ſunt etiam a cognatis, fratribus & parentibus infidelibus, qui naturalis cognationis & pietatis obliti fidem & fideles ad necem perſequentur; ut in iis conſtantes ſint, ac tormenta, carceres, & mortem ipſam ab iis illatam generoſe tolerent potius, quam Chriſtum & fidem negent. Unde Beda: *Prædixit*, ait, *futuram perturbationem, ut quaſi ante cognitam levius portarent*. Nam tela prævisa minus feriunt, & ut ait S. Hilarius: *Multum profuit ad tolerantiæ aſſumptionem, rerum imminentium cognitio*. Sic S. Barbara a proprio patre ob Chriſti fidem interfecta eſt: Sic & S. Chriſtiana. S. Lucia Martyr a proprio filio Euprepio de Chriſtiana fide accuſata eſt, & a judice martyrio laureata die 16. Septemb. anno Domini 303. S. Paulus primus Eremita, ne proderetur a fratre, id eſt, a marito ſororis ſuæ, fugit in eremum, teſte Hieronymo. S. Venceslaus princeps Bohemiæ, a Boleslao fratre, & Drahomira matre infidelibus, proditorie peremptus eſt. Denique Domitianus Imperator Flavium, Clementem Conſulem Romanum, patruelem ſuum, & Flaviam Domitillam cognatam ſuam ob Chriſtianam fidem interfecit. Maximianus Imperator Artemiam ſororem ſuam Chriſtianam; Diocletianus Serenam uxorem, S. Cajum Pontif. ejuſque fratrem S. Gabinium cum filia ſancta Suſanna, cognatos ſuos, quia Chriſtianos, martyrio affecit.

Persecutio a cognatis. S. Barbaræ. S. Christinæ.

S. Pauli Eremitæ. S. Venceslai.

S. Flavii Clementis. S. Flaviæ Domitillæ. SS. Artemiæ, Serenæ, Cajі Pont. Gabinii, Suſannæ.

H

Hæc non tam in prima, quam in ſecunda miſſione Apoſtolorum per Judæam & totum orbem, poſt mortem Chri-

Digitized by Google

A Christi contigerunt. Quare Jansenius putat hic esse hysterologiam: hæc enim a Christo esse dicta, non tunc, sed paulo ante mortem, ut habet Lucas cap. 21. 16.

Verum alii melius censent Matthæum, qui ordinis est tenax, hæc suo loco & ordine, quo dicta sunt a Christo consignasse; sed Christum illa rursum paulo ante mortem Apostolis refricasse & inculcasse, cum proxime futura erant, ut eos ad constantiam in adversis imminentibus animaret. Nam nonnulla ex his iterat repetitque Matthæus inferius cap. 24. v. 10. & 13. velut dicta a Christo ituro ad mortem.

VERS. 22 ET ERITIS ODIO OMNIBUS HOMINIBUS PROPTER NOMEN MEUM: QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT] *Omnibus*, id est, multis, passim omnibus, uti fiebat in conciliis, judiciis, & theatris martyrum. Christi enim crucifixi fides & prædicatio initio toti orbi erat nova, & paradoxa: Unde passim Judæi suo Moysi, & Gentiles suis diis assueti affixique insurrexerunt contra Apostolos illam prædicantes, & contra paucos fideles ad illam conversos. Sic sæpe *το omnis* in Scriptura significat multos. Sic enim vulgo loquimur, ut cum plurimos cernimus quid facere, dicamus omnes *id* facere, id est, pleroque.

Luc. 24. 17 19. Marc. 13 13. Inf. c. 24. v. 10. & 13.

B

Perseverantia in fide, virtutis consummatio.

QUI AUTEM PERSEVERAVERIT] In patientia. Græce enim est, *ὁ ὑπομείνας*, id est, *qui sustinuerit*, scilicet, has persecutiones & adversitates, *usque in finem*, tum persecutionum, tum vitæ; *hic* omnis & solus *salvus erit*, salute, felicitate & gloria æterna, quasi patientiæ suæ præmio & corona donabitur. Non satis est semel, secundo, tertio toleravisse & vicisse, sed ad coronam necesse est tolerare & vincere usque in finem, juxta illud Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Vide ibi dicta: *Ut autem tolleres in finem, jugiter respice finem*. Patientiæ enim corona, est perseverantia. Audi S. Bernardum epist. 129. *Perseverantia meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Vigor est virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, neque obsequium mercedem habet, neque beneficium gratiam, neque laudem fortitudo.*

VERS. 23 C CUM AUTEM PERSEQUENTUR VOS IN CIVITATE ISTA, FUGITE IN ALIAM] *Non timendo passionem*, ait Beda; *sed declinando, ut tribulationis occasio seminarium fieret Evangelii*, ne scilicet prædicatoribus occisis succideretur prædicatio fidei, sed iis fugientibus alibi spargeretur, sicque fugientes Evangelio & aliis locis, imo eidem loco, ex quo fugiebant, vel absentes, vel redeuntes consulerent. Fuga ergo hæc erat victoria; fugiebant enim non ex timore, sed ex amore Christi, ut ejus fidem propagarent. Sic Tartari fugiendo jaciunt sagittas in hostes, insequentes, eosque configunt & occidunt.

Fugere quando præceptū quando permissio.

Quæres, an hoc sit præceptum, an permissio dumtaxat? Resp. Partim est præceptum, scilicet, cum Ecclesiæ & fidei necessitas fugam exigit, aut lapsus proprii periculum: nam *Christum fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget*, ait S. Chrysost. Ita S. Nazianzenus Orat. 1. in Julian. & S. Athanasius lib. de Fuga sua. Si enim ipse non fugisset rabiem Arrianorum, ipsi in Oriente de fide Homousii (quæ in uno Athanasio stare videbatur) triumphassent. Partim est consilium, quando scilicet ex fuga major propria, aut aliena utilitas & perfectio speratur. Partim est permissio, ut cum quis tormenta valde metuit & horret, nec in loco, ubi persecutio viget, manere necessitate aut obligatione aliqua (v. g. quia est Episcopus aut pastor) obstringitur, de quo vide sanctum Augustinum epist. 180. ad Honoratum, & sanctum Thomam, secunda secundæ quæst. 785. art. 5. & Abulensem hic quæstion. 110. Alias fugere est illicitum, si videlicet fidei, justitiæ, Sacramentis & ovibus, puta fidelibus, inde creetur salutis periculum, aut scandalum, ut patet Joann. c. 10. v. 11. & 12. Atque hæc quæ dixi sunt juris non positivi, sed naturæ & divini. Duodecimum ergo est hoc Christi præceptum, datum Apostolis ituris ad prædicandum.

D

Duodecimum Christi præceptum.

Hinc exemplo Christi, Apostolorum, sancti Athanasii, & aliorum, qui in persecutione fugerunt, refellitur Tertullianus, qui libro de Fuga contendit fugam esse illicitam. Unde S. Hieronymus in Catal. Scriptor. Ecclesiast. in Tertulliano docet hunc ejus librum esse unum ex iis, qui ab eo jam hæretico & Montanista scripta sunt contra Ecclesiam. Porro Tertullianus Christianis objicientibus Christum hic fugam jubere, respondebat hoc Christi præceptum fuisse temporale, datum Apostolis in prima missione per Judæam, quia præcessit v. 5. *In viam Gentium ne abieritis: &* sequitur: *non consummabitis civitates Israel*, &c. Idem censuerunt S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius: sed alii passim docent hoc præceptum Christi esse perpetuum, uti & olia hic. Et patet, quia id est juris naturæ, ut dixi. Licet enim v. 5. Christus Apostolos tantum in Judæam mittat, tamen eadem occasione dat illis præcepta in omnem vitam. Quocirca Matth. 18. & Actor. 1. Christum post resurrectionem jam in cælum abeuntem, alia eis præcepta dedisse non legimus, maxime cum omni tempore in Apostolis horum præceptorum servandorum par fuerit ratio. Ita Origenes hom. 9. in librum Judicum, S. Athanasius in ep. ad Orthodoxos, Nazianz. orat. 1. in Julian. Jansenius, Maldonatus & alii.

An fuerit perpetuū?

E

Non consummabitis civitates Israel. quid? Prima explicatio.

AMEN DICO VOBIS, NON CONSUMMABITIS CIVITATES ISRAEL, DONEC VENIAT FILIUS HOMINIS] Græce *οὐ μὴ τελέσητε*, id est, non absolveritis, non finiveritis, scilicet peragrando & convertendo civitates Israelis, id est, Judæorum. Primo S. Chrisostomus, & ex eo Theophylactus, & Euthymius, exponunt de prima missione Apostolorum in Judæam. q. d. Fugite a civitate vos persequente in aliam & aliam, quia non prævenietis me circumeundo Palæstinam, sed antequam eam circumiveritis, ergo redibo ad vos, vosque rursum ad me assumam. Verum in prima missione Apostoli benigne a Judæis fuere excepti: unde eis non fuit fugendum, sed gaudentes reversi sunt ad Christum, ut patet Luc. 10. vers. 17.

F

Secunda.

Secundo, Beda exponit. q. d. Non convertetis Israelitas ante meam resurrectionem, postquam ego ad vos redibo, vosque mittam ad Gentes toto orbe dispersas, ubi perpetuus circumeundi & prædicandi erit locus, & jugis laborandi campus. Sic & Glossa Interlin. D. Thomas, Lyran. Abulen. Dion. & Cajet.

Tertia.

Tertio, alii. q. d. Non percurretis Judæam fugiendo & prædicando, donec ego ad illam redam quasi vester ultor & vindex, ut per Titum & Vespasianum, Judæos, qui vos persecuti sunt, exscindam & deleam.

Quarta: Germana.

Quarto & genuine, *non consummabitis*, id est, non perambulabitis, aut potius perambulando non perficietis in fide Evangelii, & religione Christiana civitates Israelis, id est, populum Israeliticum, ad quem jam vos mitto, ut dixi v. 5. ante secundum adventum filii hominis, puta Christi ad judicium, quia, ut docet Paulus Roman. 11. oportet, ut prius in Ecclesiam Christi plenitudo Gentium, id est, omnes Gentes intrent, & tunc omnis Israel salvus fiet. q. d. Cum vos persequentur, fugite de una civitate in aliam, quia semper vobis fugæ erit locus, ubi operam vestram utiliter collocare possitis apud Judæos, & multo magis apud Gentes: non enim deerunt Judæi, nec Gentes convertendi, & in fide instruendi usque ad finem mundi, & diem judicii. Unde Rupertus *Israel* accipit spiritualiter & mystice, id est, fideles quoslibet, qui semper futuris sæculis per omnes Gentes superetunt convertendi. Innuit Christus Judæos fore Evangelio incredulos usque ad finem mundi, sed tum paulo ante judicium convertendos ab Elia & Enoch. Ita sanctus Hilarius.

G

Hucusque præcepta Christi data Apostolis, sequuntur jam promissa & stimuli, quibus eos animat ad generose superandum persecutiones. Primus stimulus est v. 14. Christi exemplum, qui a Judæis majora sustinuit. Secundus est v. 26. quod Deus veritatem Evangelii post persecutiones sit patefacturus ad Christi & Apostolorum gloriam. Tertius vers. 28. quod magis timendus sit Deus animæ Dominus, quam persecutor corporis. Quartus vers. 29. quod Deus singularem eorum habebit curam. Quintus vers. 32. quod Deus coram Angelis eos honorabit, & glorificabit in æternum.

H

Quinque stimuli ad constantiā in persecutione.

VERS. 24 NON EST DISCIPULUS SUPER MAGISTRUM, NEC SERVUS SUPER DOMINUM SUUM] Christus animat hic discipulos ad fugæ & persecutionum tolerantiam seipso, ait Chrysostomus, id est, suo exemplo. q. d. Discipulus & servus quales vos mihi estis, o Apostoli, non debet appetere majorem honorem & plausum populi, quam habuit ejus magister & dominus, qualis sum ego. Si ergo a Judæis tantas calumnias & persecutiones passus sum, & majores patiar, ut tandem ab eis crucifigar; parate vos pariter, ut similia ab eis & Gentibus patiamini. Hunc esse sensum patet ex versu sequenti: *Multum*, ait S. Hilarius, *proficit ad tolerantiæ assumptionem rerum imminentium cognitio, maxime si patientiæ voluntas præsumatur exemplo*. Addit sanctus Hieronymus, *ne gloriæ loco ducant, si Domino vel passionibus adæquentur.*

Luc. 6. 40. Joann. 13. 16. 15. 20.

Digitized by Google

A SUFFICIT DISCIPULO, UT SIT SICUT MAGISTER EJUS; VERS. 25 ET SERVO SICUT DOMINUS EJUS. SI PATREMFAMILIAS BEELZEBUB VOCAVERUNT, QUANTO MAGIS DOMESTICOS EJUS?] q. d. Si me, qui sum Christus magister, & Dominus, imo paterfamilias vester (erat enim familia 12. Apostolis constans, cujus Christus erat caput, rector & parer) Judæi irriserunt, calumniati sunt, & vocaverunt Beelzebub, id est, amicum & socium Beelzebub, dicentes; *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Matth. c. 10. 24. imo augescente ira & odio ipsum Christum vocarunt Beelzebub, ut hic dicitur, si, inquam, in me, qui eis per tot miracula me Messiam & filium Dei esse probavi, hoc ausi sunt, quanto magis eadem audebunt in vos domesticos meos, discipulos & famulos? Et si ego hæc ab eis modeste & fortiter toleravi, quanto magis eadem simili modo tolerare debetis. imo in iis gaudere, quod pro me ista toleretis, quodque in hac tolerantia mihi assimilemini, meisque quasi vestibus & insignibus ornemini?

B Audi S. Hilarium hic Can. 10. *Omnia injuriarum & contumeliarum genera nihil nos terrent, gloriæ potius loco amplectentes, si Domino nostro vel passionum conditionibus adæquemur*. Et Tertull. li. de Bono martyrii c. 9. *Cum magister*, inquit, *& Dominus ipse perpessus sit persecutionem, & traditionem & occasionem, multo magis servi & discipuli eandem expetere debebunt, ne quasi superiores, exempti de iniquitate videantur; quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini & magistri*. Nam, ut ait S. Chrys. hom. 11. in ep. ad Roman. *Magna corona est communionem habere cum Domino*. Unde S. Ambrosius lib. 2. de Abraham c. 7. *Exercitata*, inquit, *mens non aquilarum præfert imagines, nec dracones; sed in cruce Christi, & in Jesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, vexillo fidelis*.

Moraliter virtuti studens paret se ad irrisiones. Moraliter discant hic fideles, cum se pierati dant: cum Christo & Apostolis irridendos fore & subsannandos, sed generose probra omnia tolerent, & contemnant, dicantque cum Paulo: *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*. Hinc S. Hieron. ep. 39. ad Marcellam, loquens de Blesilla S. Paulæ filia, quæ mortuo marito monachæ vitam professa, a mundanis ridebatur: *Blesilla nostra*, inquit, *ridebit, nec dedignabitur loquacium ranarum audire convicia, cum Dominus ejus dictus sit Beelzebub*. Graviter Epictetus in Enchirid. cap. 26. *Sapientiæ*, inquit, *studium suscipere cupis, statim te para, quasi futurum sit, ut deridearis, ut multi te subsannent. Sed si quid proficere vis, ne recusa, quominus obres externas amens & fatuus habearis*. Similiter Lactant. in Epitom. divin. instit. c. 1. *Teneamus*, ait, *innocentiam, teneamus justitiam, subeamus imaginem stultitiæ, ut veram sapientiam tenere possimus*. Quin & Isaias in nomine suo, cæterorumque Prophetarum & Apostolorum, ait cap. 8. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi dominus in portentum*. Et S. Paulus: *Spectaculum*, ait, *facti sumus mundo, Angelis & hominibus*. 1. Cor. 4. Vide ubique dicta.

Beelzebub quis? Quæres, quis & qualis fuit Beelzebub? Resp. fuit Deus & idolum Accaronitarum, ut patet 4. Reg. 1. 2. 3. ita dictus quasi בעל זבוב *baal zebub*, id est, *dominus muscæ*, vel *habens muscam*, eo quod adversus muscarum pestem coleretur & invocaretur. Sic enim apud Græcos Jovis cognomen erat ἀπόμυιος, q. d. *amuſca*, quod eum colerent ad fugandas muscas. Sic Cyrenaici cum muscarum multitudo pestilentiam afferret, Achorem Deum muscarum ad eas abigendas invocabant, teste Plinio lib. 8. cap. 28. Sic denique Arcades & Elæi *Myagrum* sive *Myodem* (quo nomine Josephus lib. 9. Antiq. c. 1. vertit vocatque Beelzebub) quasi muscarum venatorem & interemptorem adorarunt, teste Plinio lib. 10. cap. 28. & Pausania in Arcadicis. Vide Gyraldum de Diis Gentium. Hinc & idolum Beelzebub videtur habuisse caput muscæ. Nam Septuag. *Beelzebub* verunt, *Deum muscam*. Simili enim modo Ægyptii Apin Deum bovis capite & specie, Anubin canis, Hammonem Arietis, vel hirci, Æsculapium serpentis, alios deos & idola leonis, equi, aquilæ & avium forma pinxerunt & coluerunt. Hinc ergo Judæi Luciferum principem dæmoniorum partim irrisione, partim abominationis causa vocarunt Beelzebub, id est, Deum muscam, vel muscarium, talemque dixerunt esse Christum per summam contumeliã & sacrilegium. Plura de Beelzebub dicam 4. Reg. 1. v. 2.

Ægyptiorum varia Idola.

Beelzebub quid? Porro Græci Codices tam hic, quam Marci 3. v. 22. & Luc. 11. v. 15. 18. 19. æque ac Theophyl. Euthym. Vatabl. constanter pro Beelzebub habent Beelzebul, quo nonnulli interpretantur *Baal* aut *Jupiter stercorarius* (*zebul* enim Heb. *habitaculum*, sed Chald. Syriace & Arabice *zebel* significat *stercus*, quia diabolus per peccatum est immundissimus, ideoque homines ad omnes immunditias, præsertim crapulæ & libidinis excitat, atque in sepulchris, putridis locisque immundis ut plurimum cum suis sagis versatur) idque ad contemptum, cadaveribus enim & stercoribus muscæ insident. Atque hinc forte *zebub* nomen, quod S. Hilarius aliique veteres dant diabolo, nisi malis Arabice *za* ponipso *ba*, ut *zabulus* dicatur pro *diabolus*. Verum legendum est Beelzebub, non Beelzebul: sic enim legunt Codices Hebræi, Chaldæi, Syri, Arabici, S. Hieronymus, & alii passim. Sic etiam Septuag. legisse liquet ex 4. Reg. 1. ubi Beelzebub vertunt *Baal* (id est Jovem vel Deum) *muscam*: *zebub* enim muscam significat, non *zebul*.

C

D

E

F

NE ERGO TIMUERITIS EOS: NIHIL ENIM EST OPERTUM, QUOD NON REVELABITUR, ET OCCULTUM, QUOD NON SCIETUR] Græce est pulchra paranomasia: *Nihil enim est tectum, quod non sit retegendum; nihil cooperatum, quod non sit discooperiendum*. VERS. 26 Luc. 8. 17. 12. 2. Mar. 4. 22.

G Sensus est, q. d. Licet Judæi vos calumnientur quasi non Dei, sed Beelzebub, id est, Luciferi Apostolos & legatos; nolite tamen eorum probra, irrisiones & sannas timere, quia tandem Deus vestram innocentiam, fidem & veram religionem patefaciet, non tamen in die judicii, sed etiam in hac vita, faciet que ut ii, qui vos ante persequebantur ut diabolicos, cognita veritate, ut divinos Deique nuntios honorent, colant, credant, obediant. Ita Sanctus Chrysostomus, Theophyl. Euthym. nimirum virtus patitur famam invidiæ & infamiæ, sed eluctans in flammam claritatis & gloriæ erumpit, ac diu pressa lux majori cum luce effulgurat.

Posset secundo sic exponi, q. d. Ne timearis aut refugiatis, o Apostoli, prædicare meum Evangelium, quia licet initio pauci credant, ut videatur illud esse opertum & occultum, tamen sensim serpet, & tandem toti orbi ejus veritas innotescet, clarescet & splendescet.

Audi S. Ambrosium lib. 1. de Jacob & vita beata cap. 8. *Perfecti*, inquit, *est viri non succumbere eis, quæ pleriſque terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem, gravissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis velare naufragium sulcando undas, quam deserendo. Noviste in persecutione pavidus, non in tormentis melior, sed quasi athleta fortis, qui repercussas verberantem, si non cædis, certe sermonis flagello, dicens: Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Qui cum gravissimo licet dolore luctetur, non miserabilem se præbeat, sed ostendat, tamquam in laterna lumen, & inter asperas procellas & gravissimos flatus, suam lucere, nec extingui posse virtutem animi*. Sic olim suis in cruciatibus Vincentius tyrannum repercutiebat, dicens: *Videbis me plus posse dum torqueor, quam ipse dum torques*. Sic Apostoli in persecutionum tenebris clarius radiabant. De quorum virtute D. Bernard. ser. 27. in Cantica: *Quomodo*, inquit, *stella in nocte lucens, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis*. S. Vincentius.

H QUOD DICO VOBIS IN TENEBRIS, DICITE IN LUMINE: ET QUOD IN AURE AUDITIS (Syrus, *quod in aures vestras auditis*; Arabicus, *quod audistis auribus vestris*) PRÆDICATE SUPER TECTA] In Judæa enim sunt tecta plana, ut in eis ambulare, cœnare, dormire; atque ex iis velut ex alto suggestu concionari liceat. q. d. Quæ privatim vobis dico, hæc publice prædicate: Est catachresis; nam *in tenebris & in aure* id est, quod privatim & secreto: *in lumine & super tecta* idem est quod palam & publice, coram omnibus; Ita S. Chrysostomus, & S. Hieronymus, qui triplicem affert sensum: primum, q. d. quod audistis in mysterio, hoc apertius prædicate: secundum, quod didicistis abscondite, hoc publice loquimini: tertium, quod in uno Judææ angulo vos docui, hoc in toto mundo libere & audacter Evangelizate. VERS. 27 Luc. 12. 3.

Mystice, S. Augustinus lib. quæst. in Matth. cap. 2. quod dico in tenebris, id est in timore, inquit, hoc in lumine, id est, in fiducia veritatis prædicate.

ET: NOLITE TIMERE EOS, QUI OCCIDUNT CORPUS; ANIMAM AUTEM NON POSSUNT OCCIDERE, SED POTIUS TIMETE EUM, QUI POTEST ET ANIMAM ET CORPUS PERDERE IN GEHENNAM] Arabicus, *in ignem gehennæ*. q. d. Nolite metu mortis, quam vobis intentabunt VERS. 28 Luc. 12. 4. 5.

perſe-

Digitized by Google

A persecutores, negare meam fidem, aut cessare ab ejus prædicatione vobis a me imperata, vel aliquid ea indignum committere, quia, si id feceritis, incuretis mortem tum corporis, tum animæ longe atrociorem & diuturniorem, scilicet, æternam in gehenna, ubi damnati moriuntur morte immortali, quia jugiter in tormentis mortiferis, quasi in morte vitali & vita moribunda vivunt & perdurant, juxta illud: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Isaiæ 66. 24. Vere S. Chrysost. hom. 5. ad Populum: *Gehennam*, ait, *continue timens numquam in gehennæ ignem decidet, continue castigatus hoc metu.*

Hæc Christi gnome proprie respicit rem necessariam & præceptam, scilicet, jubet ut metu tyrannorum fidem Deo datam, ejusque legem non violemus. Extendi tamen potest ad res consultas, non præceptas; sed tunc consilii est, nunc præcepti. Sic S. Clemens Pontifex eam extendit ad consilium virginitatis. Cum enim SS. Nereus & Achilleus, famuli S. Flaviæ Domitillæ, quæ jam desponsa erat Aureliano consulis Romani filio, persuasissent

B Virginitatem, peterentque a S. Clemente ut illam velaret, Deoque Virginem consecraret; animose respondit Clemen: *Vobis, illi, & mihi, ut video, paratur palma martyrii: Sed quia Christus sanxit, ut non timeamus eos, qui occidunt corpus, contemnamus hominem mortalem, ut auctori vitæ immortalis plane plenique pareamus.* Conse-

Constantia SS. Clementis, Domitillæ, Nerei & Achillei. cravit ergo Domitillam Virginem; quod audiens sponsus ejus Aurelianus, SS. Nereum & Achilleum varie tortos jussit plecti capite, S. Domitillam in Pontiam relegavit, quæ tandem martyrium per ignem obiit, ac demum S. Clemens in mare demersus eamdem palmam obtinuit. Ita hi quatuor gloriosæ fuere virginitatis victimæ. Fuit hic eorum actus heroicus: potuissent enim licite suadere Domitillæ ad evadendam persecutionem, ut nuberet Aureliano; sed vicit amor castitatis & Christi. Ita habent eorum Acta apud Surium, die 12. Maji.

Idem S. Stephani Papæ. Hac eadem Christi sententia sanctus Stephanus I. Pontifex & martyr, fideles ad constantiam in fide animavit sub Valeriano Imperatore, qui octavam persecutionem contra

C Christianos suscitavit, edicens, ut quisquis Christianum quempiam accusasset, ejus bona possideret, & dignitates in exercitu, quas posceret, obtineret. Pavidos ergo Christianos S. Stephanus hac Christi gnome confirmavit, ut opes terrenas præ cælestibus contemnerent, & vitam pro Christo spe vitæ æternæ profunderent. Atque dicta factis stabilivit; suisque quasi dux ad martyrium prævit. Missam enim celebrans, audito satellitum strepitu, immotus & imperterritus perrexit: qua finita considens in sede, intrepide caput carnifici amputandum obtulit anno Domini 260. Ita habet ejus vita apud Surium die 2. Augusti. Idem prorsus dixit & fecit S. Cornelius Pont. & martyr anno Domini 255. die 14. Septemb. ut patet ex epistola ejus ad Lupicinum.

Metus gehennæ vincit eculeos IN GEHENNAM] Hic gehennæ metus, & vitæ æternæ spes, acerrimus fuit stimulus Apostolis & martyribus ad generose superandum eculeos, ignes, leones omniaque tormenta, ut patet in Machabæis 2. Machabæorum c. 7.

Exempl. ex S. Dionisio. Victor. Uticensis lib. 3. Wandal. persecut. narrat Dionysiam matronam, cum ab Arrianis excelso loco tota nudaretur, & virgis acerrime cæderetur, animose respondisse: *Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea.* Cumque videret unicum

D suum filiolum ad tormenta expallescentem, eum animavit recordatione gehennæ, nequando rex dicat ministris: *Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum, & stridor dentium. Illa desideranda vita, quæ semper habetur.* Victoriani item proconsulis. *Talibus itaque filium solidans verbis velociter martyrem fecit.* Hucusque Victor. Ibidem narrat Victorianum Carthaginis proconsulem, a legatis regis Hunerici sollicitatum ad Arrianismum respondisse: *Securus de Deo & Christo Domino meo, dico, quæ regi dicatis. Subrigat ignibus, adigat bestiis, excruciet generibus omnium tormentorum; si consensero, frustra sum in Ecclesia Catholica baptizatus. Nam si hæc præsens vita sola fuisset, & aliam, quæ vere est, non speraremus æternam, nec ita feciſſem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus existere, qui suam fidem mihi contulit creditori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorum temporum & quantis eum afflixerit pœnis, humanus sermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino feliciterque consummans, martyrialem coronam accepit.* Hæc

S. Flavianus. Victor. Sapienter S. Flavianus martyr apud Surium in fine Februarii: *Corpus*, ait, *tormenta non sentit, cum animus in cælo est, & Deo se toto mente devovit.* Et S. Ambrosius: E *Sapiens*, ait, *non frangitur doloribus corporis, sed etiam in ærumnis beatus manet.*

NONNE DUO PASSERES ASSE VENEUNT, ET UNUS EX ILLIS NON CADET SUPER TERRAM SINE PATRE VESTRO] *Asse*, Græce *assario*, quod vocabulum est Romanum, & diminutivum. q. d. parvus assis, cujus meminit Varro lib. 2. de Analogia. Fuit autem assarius dimidia pars assis, non illius veteris, qui erat libralis (as enim erat libra æris, auri, vel argenti) sed recentioris, qui erat semuncialis, cujus est lege Papyria, teste Plinio lib. 33. c. 3. quare *assarius* erat quarta unciæ pars, quæ in nummo æreo exigui erat valoris & pretii, adeoque duo quatrini Romani ex ære (uti meis oculis vidi) ponderant fere quartam unicæ partem; imo eam plane adæquant duo quatrini cum medio, qui valent dimidium bajocum, id est, quartam stuferi belgici partem, quam ipsi vocant *een oort*. Nam Julius, sive regalis Hispanicus valet decem bajocos, id est, quinque stuferos: bajocus enim est dimidius stuferus. Quare assarius est dimidius bajocus, sive quarta stuferi pars. Porro bajocus Romæ continet quinque quatrinos. Porro assarius dictus quoque est assis, ut vertit hic interpres, scilicet minor, sive dimidiatus: sic enim regales alii sunt duplices, alii simplices, & quasi dimidiati. Varabl. assem interpretatur quatuor denariolos; qui valent circiter duos quatrinos cum dimidio Romano. *Asse* ergo, id est, vili & minimo pretio *venient*, id est venduntur, *duo passeres*. (Unde Euthymius *assarium* interpretatur *teruncium*, vel *minimum obolum*) hoc erat eorum pretium in Judæa tempore Christi. Ita Georgius Agricola li. 2. de Extetnis ponderibus. VERS. 29 Luc. 12. 6. As quid.

NON CADET SUPER TERRAM] Id est, non peribit, non morietur. Aves enim cum vivunt, in aere degunt & volant: sagittis vero confixæ, vel alia ratione morientes, in terram decidunt: *Sine patre vestro:* id est sine providentia, cura, voluntate, & decreto patris vestri. q. d. Si Deus tantam habet passerculorum curam & providentiam quantam habebit vestri? utpote qui proprie sit pater vester, non passerculorum: vos enim ad similitudinem suam rationales formavit, & per Christum reformavit, Christoque similes, sanctos, & Apostolos effecit: quare non permittet vos lædi, vel occidi a persecutoribus, nisi ut per martyrium meliori, imo felicissima vita & corona vos donet.

Symbol. Symbolice S. Hilarius duo passeres, ait, sunt corpus & anima, quæ quasi passeres nata sunt, ut pennis spiritualibus volent in cælum; sed peccator ea asse, id est modica voluptate, vendit diabolo, ut descendant in tartara.

VESTRI AUTEM CAPILLI (Syrus *pili*, *Capillus* enim dicitur quasi *capitis pilus*, nam, & pili sunt in aliis membris) CAPITIS OMNES NUMERATI SUNT] q. d. Deus ab æterno, non tantum membrorum, sed & capillorum vestrorum numerum statuit & decrevit: quare illum exacte novit, & capillos sub numero hoc diligenter custodit, ne vel ullus pereat sine peculiari ejus providentia, ut ait Lucas: quæ enim alicui numerata & sub certo numero commendata sunt, hæc ille exacte custodit, ne vel unum depereat, sed eodem numero conservet, ut eodem suo tempore restituat. Ita facit Deus nobis in capillis. VERS. 30 Luc. 12. 7. 21. v. 18.

Capilli sunt electi & cogitationes. Allegorice, Capilli Christi primo sunt omnes electi & salvandi, ait S. Hieronymus, hi enim Christum ornant, sicut capilli caput. Tropologicæ, capilli sunt omnes cogitationes, locutiones & actiones fidelium & sanctorum. Ita S. Cyrillus lib. 8. in Levit. Rursum capilli sunt minutissimæ cogitationes & intentiones sanctorum, quas Deus exacte novit, custodit, animat, dirigit, perficit & præmiat. Ita Damasc. in Historia Barlaam & Josaphat c. 9. H

NOLITE ERGO TIMERE, MULTIS PASSERIBUS MELIORES (Syrus *præstantiores*) ESTIS (Græce *διαφέρετε*, id est, præstatis, antecellitis, excellitis) VOS] q. d. Si passerum habet curam; ergo multo magis vestri: quare in ejus paterno providentiæ sinu securi conquiescite in quavis persecutione & tribulatione: ipse enim ab omni vos liberabit vel eripiendo, vel martyrio in morte laureando, & in cælum transferendo, ubi non erit amplius labor aut dolor. VERS. 31 Luc. 12. 7.

Porro si passeres, qui ob garritum, & quia domos conspurcant triticumque furantur, a domibus fugantur, & ob carnes quæruntur ad necem, incurii tamen vivunt sine vitæ cura, eamque Deo resignant, idque ex solo naturæ instinctu, cum Dei providentiam non cognoscant; quanto magis vos, qui eamdem & ratione cognoscitis, & fide creditis, & experientia quotidie sentitis, imo quasi manibus palpatis,

Digitized by Google

A patis, eidem vos totos fidenter committere debetis, vos, inquam, qui ejus causam agitis, ejusque fidem & cultum propagatis? Horum enim, si ullorum, Deus curam habet quam maximam.

VERS. 32 Luc. 12. 8. OMNIS ERGO QUI CONFITEBITUR (ab hac voce olim *martyres* vocati sunt *confessores*) ME CORAM HOMINIBUS, CONFITEBOR ET EGO EUM CORAM PATRE MEO, QUI IN CÆLIS EST] *Confitebitur me*, Græce ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ, id est, in me. Et mox: *confitebor & ego eum*, Græce ὁμολογήσω ἐν αὐτῷ id est, *in eo*, id est, eum, & sic legit Tertullianus in Scorpiaco, cap. 9. Sic quoque habet Lucas cap. 12. v. 5. in Græco. Est Hebraismus. Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive spiritualis & mentalis (qualis est confiteri & profiteri aliquem) construunt cum propositione ב id est, *in*, dicuntque הודה בי *hodabi*, id est, confessus est in me, id est, confessus est me, ut patet ex antithesi, quam subjicit: *Qui autem negaverit me, negabo & ego eum*. Aliter Maldonatus: *confitebitur*, inquit, id est, gloriabitur *in me*, ut respondeat Heb. התהורה *hit vadde*, quod cum sit *Hit pael* B significat actionem in agentem reflexam, puta confiteri in seipso, hoc est, gloriari. Denique ἐν *in me* habet emphasim, multaque notat.

Sensus enim est, q. d. Omnis, qui coram tyrannis de fide interrogatus, ingenue, libere & constanter professus fuerit se credere in me quasi in Messiam, Dei filium, salvatorem orbis, seque mihi meæque doctrinæ mordicus adhærere, ac pro ea tuenda velle mortem oppetere; itaque me, meumque nomen & religionem palam honorarit & celebrarit, hunc pariter ego coram Deo, Angelis & hominibus profitebor esse meum discipulum, confessorem & martyrem, ac ut talem honorabo & celebrabo, atque martyrii laurea coronabo. Hoc est, quod ait Apostolus Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Unde S. Basil. hom. de Quadraginta martyribus, narrans eos unanimi voce coram præside professos se esse Christianos, exclamat: *O beatas linguas, quæ sacram illam vocem emiserunt, quam aer quidem excipiens sacer est factus, Angeli audientes plauserunt, diabolus vero cum dæmonibus magnam accepit plagam, Dominus postremo in cælo descripsit*.

C Martyrii excellentia. Martyrium ergo est confessio Christi; & professio Christianismi usque ad eculeos & necem violentam, ideoque est summus honor & amor Christi. Unde Apostoli utique Apostolici ardentissime desiderarunt martyrium. S. Ignatius ep. ad Rom. *Amor meus*, ait, *Crucifixus est: non est in me ignis mundanæ, sed cælestis materiæ, & aqua viva, quæ intus dicit: veni ad patrem*. Idem: *Pulchrum est a mundo occidere ad Deum, ut ad ipsum exoriar!* S. Basilius homil. 19. in S. Gordium martyrem: *Martyres*, ait, *cælestem gloriam violenta immaturaque morte præveniunt. Velociter ex hac vita, quæ potius est interitus longus dicenda, brevi quidem labore commigrare contendunt, supremum ætatis finem inutilem, sterilem, infructuosum, stultum, vanum expectare fastidiunt*. Mortem ergo non vocant mortem, sed, ut ait S. Sophia ad Anastasiam filiam apud Surium die 28. Octobris. *Bonum ex malo mundo discessum, lætitiam, gaudium, voluptatem, splendorem, pulchritudinem, lucem longe hac luce dulciorem & pulchriorem*. S. Antonius, teste S. Athanasio, cum futuri martyres in persecutione Maximiani ducerentur Alexandriam, spe martyrii proripiens se e monasterio, sequensque futuras Christi victimas: *Pergamus*, ait, *ad glorioſos fratrum triumphos, ut & ipsi congrediamur*. Sanctus Dionysius Areopagita, surrogato sibi Athenis Episcopo, martyrii desiderio Romam adiit, inde Gallias, ut cum Apostolis martyr occumberet: unde glorioſum pro Christo agonem fortiter obiit juxta Parisios.

Ignatius Martyr. Secundæ. S. Antonii. D S. Dionysii Areopagitæ.

Tertullianus Apologeticum pro Christo & Christianis ita concludit: *Sed hoc agite boni præsides meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis. Cruciate, torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentia nostra iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur; nam & proxime ad lenonem damnando Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni morte reputari; nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ: plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum*. Et paucis interjectis: *Quis non, ubi requisivit, accedit, ubi accessit, pati exoptat: ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei & humanæ: cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur*. E

Idem Tertullianus contra Gnosticos, docentes posse in tormentis Christum ore negari, modo ejus fides corde retineatur (idem postea docuerunt Priscillianistæ, quorum tessera erat.

Jura, perjura, secretum prodere noli)

scripsit Scorpiacum, id est, pharmacum contra Scorpios, puta Gnosticos, quo toto agit de Bono martyrii. Tertullianum quasi magistrum de more secutus S. Cyprianus mire extollit martyres & martyrium, Exhortat. ad mart. *Martyrii*, ait, *inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, inæstimabilis titulus, triumphus immensus*. Idem ibidem & in ep. ad martyres, inter alia his eos elogiis sparsim ornat: *Martyr efficitur collega passionis Christi. Martyres præstant magisteria morum. Confessores initia virtutum. Martyres cum Christo futuri judices. Martyres regnum cælorum sine cunctatione obtinent. Martyres fructum centenarium percipiunt. Martyrum triumphus glorioſus. Martyrum fides & fortitudo inexpugnabilis. Martyrum corona eo sublimior quo longior. Martyrum oratio meretur a Deo exaudiri: Martyrum triumphis lætatur Ecclesia. Martyrum prærogativa possunt lapsi apud Deum juvari. Martyrum memoriæ, passiones, & dies anniversaria, sacrificiis in Ecclesia celebrari solita. Martyribus patent cæli tempore persecutionum. Martyrium est in Dei dignatione, non in hominis potestate. Martyrium jam libenter appetunt, qui mortem contemnere discunt. Martyrium per baptisma sanguinis omnium excellentissimum. Martyrii initium ab Abel. Martyrii subeundi adjutor, testis, & probator Christus. Martyrio statim patet ingressus ad regnum cælorum*.

Elogia Martyrii. F

Denique Antesignanus Princeps & Dux martyrum est Christus. Hæc de causa primi Antistites & Patres (quod & invitus fatebatur Julianus Apostata) *omnes ad martyrium quasi apes ad alvearium volabant*, ait S. Chrysostomus Orat. in Juvent. & Maxim. mart. tom. 3. in fine. Sanctus Hubertus, sancto Lamberto martyri in Leodiensi Episcopatu succedens, ingemiscebat, quod & eidem in Martyrio non succederet: *O me infelicem*, inquit, *cujus peccata se in tantam sustulere congeriem, ut non idoneus dignusque possim reperiri consortio tanti viri, martyrii triumphum subeuntis, palmamque martyrii invadentis!* Ita habet vita ejus apud Surium die 5. Novembris. Sanctus Dominicus vix instituto a se Ordine Prædicatorum, cupiditate martyrii ad Saracenos profectus est, anno Domini 1217. Sanctus Franciscus ad martyrium ita anhelabat, ut teste S. Bonaventura, c. 9. vitæ ejus, ter in Orientem ejus potiundi spe sit profectus, Primo in Syriam, anno sexto conversionis suæ. Secundo, anno septimo ab instituto Minorum Ordine, in Africam ad regem Marochii. Tertio in terram sanctam ad Sulthanum Babyloniæ, sed irrito semper conatu, Deo nimirum ipsum ad nobilius sacrorum Christi stigmatum martyrium destinante.

Christus martyrum Antesignanus, G Martyrii avidissimi. S. Hubertus, S. Dominicus, S. Franciscus.

Plura de martyrio annotavi Osee c. 11. in fine capitis. Vide Victorem Uticensem lib. 2. 3. V Vandal. Persecut. ubi inter alia narrat ab Hunerico rege Arriano plurimos orthodoxos, quasi agmina locustarum, compactos fuisse in angustum carcerem, ubi locus non erat secedendi, quare omnia stercoribus & urina scatebant, ut ille tunc fœtor & horror universa pœnarum genera superaret: Et tamen martyres hymnum cum exultatione Domino decantabant: *Hæc est gloria omnibus sanctis ejus*. Martyrum agmen. H

VERS. 33 Luc. 6. 26. 12. 9. Matth. 10. 33 QUI AUTEM NEGAVERIT ME CORAM HOMINIBUS, NEGABO (Syrus *abnegabo*) ET EGO EUM CORAM PATRE MEO, QUI IN CÆLIS EST] Subjicit hoc Christus, ut qui non movetur magnifica promissione, percellatur terribili comminatione, quod sicut Christus confitebitur confitentem, ita negabit negantem se, dicens: *Numquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem*. Matth. 7. 23. hoc est, ite ad Luciferum, cui servistis, in gehennam. Matth. 25. v. 12. sequent.

VERS. 34 Luc. 12. 51. NOLITE ARBITRARI, QUIA (quod) PACEM VENERIM MITTERE IN TERRAM, NON VENI PACEM MITTERE, SED GLADIUM] *Pacem*, scilicet terrenam & mundanam; nam pacem spiritualem mentis, & pacem unionis fidelium inter se ac cum Deo & Angelis ejus, quæ ducit ad pacem & felicitatem æternam in cælis, Christum allaturum prædixit, & promisit Isaias cap. 9. vers. 6. & 7. & cap. 65. vers. 25. & hanc Angeli, Christo nato, hominibus nuntiarunt, Lucæ 2. 14.

SED

Digitized by Google

A SED GLADIUM] id est, *separationem*, ut habet Lucas cap. 12. 51. discordiam in fide & religione, scilicet fideles meos Christianos proprie per fidem separem ab infidelibus; hi vero inde & occasione accepta se separent a fidelibus infideli odio, eosque libertate, bonis & vita multent; & hoc posterius maxime intendit hic Christus, idque optime respondet Michææ cap. 7. v. 6. ex quo hæc sumpsit Christus. Ita S. Augustinus l. 1. Retract. cap. 19. & alibi, imo sic explicat *Lucas* c. 12. v. 51. & patet ex sequentibus; sequitur enim.

VERS. 35 VENI ENIM SEPARARE (Syrus ut *faciam dissidere*) HOMINEM ADVERSUS PATREM SUUM, ET FILIAM ADVERSUS MATREM SUAM, ET NURUM ADVERSUS SOCRUM SUAM.

VERS. 36 ET INIMICI HOMINIS, DOMESTICI EJUS] Syrus: *Et inimicos habebit vir filios domus ipsius*. Quia, ut ait S. Luc. 12. 53. Chrysost. hom. 2. contra Judæos, eveniet, ut in eadem domo unus sit fidelis, credatque in Christum, alter maneat infidelis, ac pater velit filium a fide retrahere ad pristinam impietatem. Hoc prædicens, ait: *veni separare*,

B &c. q. d. Adeo vincet posestes Evangelii, ut filii quoque contemnant parentes suos, filiæ matres suas & parentes liberos, imo & animam (vitam) & omnia pro pietate exponant. Hæc Chrysostomus. Porro alludit, imo citat Christus Michææ 7. v. 6. Putant nonnulli Christum alio sensu & causa abuti verbis Michææ; sed respondeo, Michæam ad litteram loqui de calamitate obsidionis impiæ Jerusalem per Chaldæos, uti docet itidem S. Hieronymus, quæ ejus incolæ adeo gladio, fame, peste vexati & afflicti fuere, ut etiam frater fratri, filius parenti, uxor marito panem, domum, arcem eriperet & præriperet, ut sibi uni consuleret. Allegorice autem, hæc Judæorum pugna significat discordiam & pugnam infidelium, etiam parentum, fratrum, conjugum, contra fideles Judæos & Gentes tempore Christi, maxime quando propter eos periculum famæ, bonorum & honorum, vel etiam vitæ incurrebant; tunc enim fratres, filii, ceterique domestici fiebant inimici fratrum & parentum fidelium. Et hoc

C sensu allegorico verba Michææ citat hic Christus: nec enim necesse est in Allegoria vel parabola omnia omnino adaptare. Vide dicta Michææ 7. 6.

VERS. 37 QUI AMAT PATREM AUT MATREM PLUSQUAM ME, NON EST ME DIGNUS: ET QUI AMAT FILIUM AUT FILIAM SUPER ME, NON EST ME DIGNUS] Scilicet, non est dignus, qui me habeat Dominum & magistrum: non est dignus meo nomine, consortio, gratia, regno, ceterisque promissis meis: Lucæ c. 14. 26. *Non potest meus esse discipulus*, non est dignus me præceptore. Ratio est, quia Christus, utpote Deus, Dominus, Salvator & Redemptor noster; longe præferendus est parentibus & filiis: quare qui illis eum postponit, ut propter eos a fide vel lege Christi desciscat, hic indigne tractat Christum, eique summam ignominiam irrogat: quare indignum se facit, ut in Christi familia & schola recenseatur. Ita S. Hieron. & alii. Ita S. Saturus, cum ei minaretur Hunericus rex, ni Arrianus fieret, se uxorem ejus camelario in conjugium traditurum, cumque uxor id horrescens, obsecraret Saturum, ut regi consentiret, ipse quasi alter Job respondit: *Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier si sola esset hujus vitæ amara dulcedo: artificio Conjux diaboli ministraris. Si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis, verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus.* Ita Victor Uticensis l. 1. Vandal. persec. Idem l. 3. Matrona, ait, nomine *Victoria*, *dum in conspectu vulgi continuato suspendio cremaretur, a marito jam perdito, filiis præsentibus, taliter rogabatur: Quid pateris conjux? Si me despicis, vel horum, quos genuisti, miserere impiæ parvulorum. Quare obliviscaris uteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? Ubi sunt fœdera conjugalis amoris? ubi societatis vincula, quæ inter nos dudum honestatis jure tabulæ conscriptæ fuerunt? Respice, quæso, filios ac maritum, & regiæ jussionis implere festina præceptum, ut immissa adhuc tormenta lucreris, simul & mihi doneris & liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius elevans a terra, mundum cum suis desideriis contemnebat.*

VERS. 38 ET QUI NON ACCIPIT (de manu Domini in humeros suos, ut instar Christi eam bajulet & æquo animo ferat) CRUCEM SUAM, ET SEQUITUR ME, NON EST ME DIGNUS] *Crucem*, ut scilicet paratus sit pro Christo ferre opprobria, verbera, carceres, & mortem etiam durissimam & ignominiosissimam, qualis est mors crucis, quam Christus pro nobis sustinere dignatus est, quia, ut ait S. Chrysostomus, in persona Christi: sicut ego summam vobis attuli beatitudinem; sic singularem obedientiam & affectionem a vobis postulo, imo reposco, ut in mea acie sitis leones. Alludit Christus ad bajulationem suæ crucis futuræ: omnino enim par est & justum, ut post Christum crucem pro nobis bajulantem, nos quoque crucem nostram ejus amore & reverentia bajulantes sequamur, & tendamus in cælum. Hunc esse genuinum literæ sensum patet ex sequentibus. Ita S. Chrysost. Theophyl. & alii. Potest tamen generatim per *crucem* hic accipi omnis tribulatio a Deo immissa. Crux enim a cruciatu dicitur, ait S. Gregorius, hæc Christianis Christi Ducis sui amore & exemplo fortiter ferenda est.

Crux Christi ferenda.

E

Mystice, crux est mortificatio. Ita S. Gregorius hom. 33. in Evang. Beda & alii. Audi Euthymium: *Crucem*, inquit, *vocat Christus mortem ad ea quæ mundi sunt, quia mortis instrumentum erat crux. Oportet enim eum, qui Christum sequitur, mortuum esse ad mundanas voluptates.* Audi & Glossam: *Crux duobus modis portatur, vel cum per abstinentiam corpus afficitur, vel cum per compassionem proximi, animus affligitur, peccata proximorum frixorium sunt Sanctorum.*

F

Simili modo S. Hilarius, & alii hæc accipiunt de cruce & martyrio spirituali, qua, quis carnem, concupiscentiam & vitia crucifigit, & a se resecat: Idem dico de sententia proxime sequenti. Addit S. Chrysostomus Christum meminisse crucis, ut sensim ad crucem & passionem suam animos discipulorum præparet.

Denique S. Hieronymus: *In alio Evangelio*, inquit, *scribitur: Qui non accipit crucem suam quotidie, ne semel putemus ardorem fidei posse sufficere, semper crux portanda est, ut semper nos Christum amare doceamus.*

VERS. 39 QUI INVENIT ANIMAM SUAM, PERDET ILLAM: ET QUI PERDIDERIT ANIMAM SUAM PROPTER ME: INVENIET EAM] *invenit*, est præteritum, non præsens. Græce enim est, εὑρών. Sensus est. q. d. Qui animam, id est, animæ & vitæ suæ salutem corporalem & temporalem (ne sit amphibologia cum sequenti) in periculo mortis ob fidem meam apud tyrannos constituram, per fidei & mei nominis negationem (hoc enim supplendum esse patet ex sequenti antithesi) *invenit*, id est, acquisivit & lucratus est, is perdet animam, id est, animæ suæ salutem æternam, quæ sola vera est salus, ibitque in gehennam. Et e contrario, qui perdiderit præsentem animæ vitam ob professionem mei nominis & fidei, ut pro ea mortem oppetat & martyrium; hic inveniet vitam, salutem, felicitatem & gloriam animæ æternam. Ita Theophyl. & alii. Simile est c. 16. 25. & Luc. 17. v. 33. Ita & Tertul. in Scorpiaco c. 11. *Animam*, ait, *ille invenit, qui negarit Christum lucrifaciendo vitam, sed perdet in gehennam, qui se putat in negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occiditur, sed inventurus eam in vitam æternam.*

Inf. 16. vers. 25. Luc. 17. 33. Jo. 12. 25.

G

Qui ergo indulget animæ suæ, perdit eam; qui mortificat, salvat. Vide hic Paradoxon: vita hic sita est in morte, & mors in vita. Si enim pro Christo morieris, vives, sin Christum neges, ut vivas, morieris in æternum. Unde Tertullianus in Scorpiaco c. 5. *Voluit*, ait, *Deus mortem morte dissolvere, tormentis tormenta discutere, vitam auferendo conferre, carnem ledendo juvare, animam eripiendo servare.* Quare non potes meliore usu vitam expendere, quam si eam pro Christo prodigas. *Nam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Ps. 115. *Pretiosa*, ait S. Cyprianus ep. 11. *mors hæc est; quæ emit immortalitatem pretio sanguinis*, juxta illud Sapient. 3. *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.*

Vita in morte & mors in vita.

H

Nota Hebr. נָשָׂא *masa*, id est, *invenis*, subinde significat, *acquisivit*, *nactus est*, *comprehendit*, *assecutus est*, uti vertunt Septuag. Job c. 3. v. 22. & Noster 1. Reg. 31. v. 3. Pari modo Græcum εὕρεσις, id est, venio, sæpe idem est, quod impetro, obtineo, eruo, libero, assequor, comparo. Et Latinum invenire est quasi in aliquid venire, aliquid acquirere & adipisci, ait Donatus. Sic Cicero Philip. 1. ait: *Qui propter hesitantiam linguæ, stuporemque eorum discognitionem ex contumelia invenit*, id est, acquisivit. Plenius in præfat. *Inde nomen divinum invenit*, id est, adeptus est. Sic dicitur quis invenire laudem, mortem, famam, id est, acquirere. Sic Luc. 1. ait Gabriel B. Virgini. *Invenisti gratiam apud Deum*, id est, venisti in gratiam Dei,

Inventio pro acquisitione.

Digitized by Google

A Dei, ejus gratiam inivisti, ejus amorem nacta & adepta es. Sic Apostolus Rom. 4. 1. *Quid ergo dicemus inveniſſe*, id est, assecutum esse *Abraham patrem noſtrum*? Gen. 26. 12. dicitur: *Sevit Iſaac in terra illa & invenit*, id est, acquisivit *in ipso anno centuplum*. Ratio, est quia quod quis in fundo suo natum invenit, hoc sibi acquirit. Sic hic, *qui invenit animam*, id est, qui vitam suam in persecutione mortis periculo expositam, & quasi perditam lucratur, acquirit, & quasi de novo facit ad se venire, negando Christum, hic *perdet eam* in altera & beata vita. Res enim perdita si inveniatur, æstimatur quasi de novo acquisita. Est catachresis. Qui enim vitam, quam tyrannus petit, negando fidem conservat, hic eam quasi invenisse & de novo adeptus videtur.

Invenio pro quæro.

Rursum מצא *matsa*, id est, *invenit*, subinde significat *quæsivit* per metalepsin, quia presse non invenitur, nisi quod quæsitum est. Sic sensus est, *qui invenit*, id est, quærit vitam suam conservare, & quærendo acquirit ac conservat. Sic Jonathas ait famulo: *Vade, & affer mihi*

B *ſagittas*, ubi in Hebr. *matsa*, hoc est, *vade, & inveni*, id est, quære mihi sagittas. 1. Reg. 20. 21.

Notat vim & potentiam.

Ad hæc *matsa* Subinde notat libertatem, sufficientiam, copiam, facultatem, potentiam. Ut Ps. 20. v. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, id est, sufficiat, potentior sit & fortior inimicis tuis. Sic hic invenire animam, est acquirere, animæ, id est, vitæ libertatem, rerumque copiam & potentiam per negationem fidei: hæc enim reges & tyranni negantibus Christum promittebant.

Vers. 40 Joann. 13. 20.

Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum, qui me misit.] Qui enim recipit legatum, in legato recipit regem, qui eum legavit, ut per eum loquatur & agat. Apostoli autem sunt legati Christi, & Christus Dei: qui ergo vos recipit, Christum in iis recipit, & in Christo ipsum Deum, juxta illud Pauli: *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* 2. Cor. 5, ita fecerunt Galatæ Paulo: *Teſtimonium*, ait ipse ad eos c. 4. *vobis perhibeo, quia ſi fieri poſſet: oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.* Et rursum: *Non me reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis, ſicut Chriſtum Jeſum.* Proponit Christus hic præmia recipientibus Apostolos, ut Apostolis in paupertate, quam ei præcipit, v. g. prædicantibus, consulat, in eaque confirmet, utque hospites ad eos libenter excipiendum invitet,

C

Vers. 41

Qui recipit prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet] *Prophetam*, id est, doctorem & prædicatorem Evangelii, quales erant Apostoli. Olim enim Prophetarum munus erat, non solum prædicare futura, sed & populum docere, ac prædicare legem ac verbum Dei: *In nomine Prophetæ*, id est, quia Propheta, id est, doctor & prædicator Christi. Ita S. Chrysost. Theophyl. Beda. Vide c. 7. 15.

Merces Prophetæ quid? Primo.

Mercedem Prophetæ accipiet] Primo aliqui sic explicant, q. d. Mercedem a Propheta accipiet, eamque hospitio & hospitalitate longe majorem, quia a Propheta, id est, prædicatore recipiet fidem & gratiam Christi, item orationes ejus apud Deum pro suo hospite.

Secundo.

Secundo, Euthymius: *Mercedem Prophetæ accipiet*, hoc est, inquit, erit Prophetæ & prædicatori æqualis in præmio, & æqualibus cum eo honoribus dignus habebitur. Hoc subinde verum est, cum scilicet hospes tanta charitate recipit prædicatorem, quanta ipse prædicat, eique magno fervore cooperatur, & causa est, ut plurimos convertat. Mensuræ enim charitatis respondet mensura gloriæ cœlestis, & beatitudinis essentialis. Quantum enim quis amat Deum, tanta visione Dei beabitur. Gradus enim visionis & gloriæ correspondent, & commensurantur gradibus charitatis. Alias verum non est: plus enim est prædicare Christum, ac proinde majoris meriti & præmii, quam sit prædicatorem hospitio excipere.

D

Tertio. Genuine.

Tertio & genuine, *mercedem Prophetæ accipiet*, quia sicut cooperatur Prophetæ, eumque juvat, quia Propheta & prædicator est, ita particeps erit laboris, meriti & præmii Prophetæ non æqualiter, sed proportionaliter, scilicet, secundum proportionem cooperationis & charitatis, qua prædicanti cooperatur. Sic enim jure communi receptatores latronum & furum, simili cum iis pœna plectuntur, licet non æquali. Qui enim alienæ virtuti, vel crimini cooperatur, illius alieni operis naturam & meritum, indeque præmium vel supplicium in se trahit. Sic explicat S. Chrysost. *Mercedem Prophetæ accipiet illam*, inquit, *quam decens eſt, ut is capiat, qui Prophetam recipit*; alii: *Particeps erit mercedis Prophetis promiſſæ.* Simile dat S. Greg. hom. 20. in Evang. *Quia*, inquit, *& ſi ulmus fructum non habet, uvam tamen cum fructibus portans, hæc ſua efficit, quæ bene ſuſtentat aliena.* Sic enim hospes per Prophetam, quem recipit, prophetat & prædicat, ideoque Prophetæ meritum & præmium percipit.

E

Huc facit vetus militiæ lex: *Æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter dividunt hoſtium ſpolia.* 1. Reg. 30. 24. Mercedem ergo Prophetæ, id est, prophetiæ, sive prædicationis recipiet, quia eam adjuvit, & promovit: sine eo enim prædicator (utpote carens victu) prædicare non potuisset.

Denique per *mercedem Prophetæ* nonnulli accipiunt donum prophetiæ, quod Abdiam Prophetam meruisse censet S. Hieron. in Abdiam, eo quod ipse Prophetas in persecutione Jezabelis pane & aqua sustentasset. *Hic*, inquit, *quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetæ, & de duce exercitus ſit dux Eccleſiæ. Tunc in Samaria parvum gregem paverat, nunc in toto orbe Chriſti paſcit Eccleſias.* Censet enim ipse Abdiam, qui Prophetas sub Achab latitantes aluit 3. Reg. 18. 13. eumdem esse cum Abdia, qui quartus est inter minores Prophetas: Idem censent S. Epiphanius, S. Dorotheus, S. Isidorus & alii, etsi verius sit alium fuisse ab eo, ut ostendi proœmio in Abdiam. Simili modo SS. Marius & Martha cum filiis, aliique plures martyrium adepti sunt, eo quod martyres visitassent & aluissent in carcere, de quo mox plura.

F

Ex hac sententia colligit S. Ignatius epist. ad Smyrnenses, eum qui recipit martyrem mercedem martyris recepturum: *Nimirum*, inquit, *qui honorat vinctum Jeſu Chriſti, martyrum mercedem accipiet.* Hinc in historiis martyrum legimus multos fideles, qui martyres visebant, vel alebant, vel confortabant, vel sepeliebant, vel quovis alio modo fovebant, hoc ipso martyrium meritos, & reipsa martyres evasisse, ut patet in S. Vitale martyre, patre SS. Gervasii & Protasii, qui confortans S. Ursicinum in morte & martyrio nutantem, captus & martyrio affectus est. Idem contigit S. Sebastiano confortanti S. Marcum & Marcellianum, & SS. Mario & Marthæ cum duobus filiis visitantibus, & adjuvantibus martyres Romæ in carcere detentos, & plurimis aliis.

Martyrum hospites fiunt martyres.

G

Qui recipit justum in nomine justi (quia justus est) mercedem justi recipiet] Eo modo, quo jam dixi de Propheta, imo si sit in peccato, gratiam pœnitendi obtinebit, fietque justus. Id enim sæpe Sancti suis hospitibus verbo & exemplo persuadent, ac oratione apud Deum impetrant. Ita S. Francisc. Celani a militie hospitio exceptus, prædixit illi instantem mortem, confessionem persuasit, & apud Deum impetravit gratiam & salutem æternam: nam miles illico confessus, initio refectionis expiravit. Vide S. Bonav. in vita ejus c. 11. & VVading. in Annal. Minor. anno Christi 1225. n. 10.

S. Franciscus mortē instantem militi suo hospiti prædicit.

Vers. 42 Matth. 9. 41.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli; Amen dico vobis non perdet mercedem suam] *Aquæ frigidæ*, quæ res vilissima, estque pauperrimorum, *ne*, ut ait S. Hier. *in calida quis ſumptum lignorum cauſari poſſit*, nec in calice magnitudinem vasis: non enim dicit congium, nec amphoram, sed calicem, sive cyathum, quis enim adeo debilis, vel pauper est, qui cyathum aquæ dare, aut ferre nequeat? Et S. August. ser. 62. de Tempor. *Quis erit*, inquit, *qui ſe poſſit excuſare, cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Et quare frigidæ dixit? Ne forte ſe poſſet aliquis pauper de lignorum penuria excuſare, aut certe dicere ſe vaſculum, ubi aquam calefaceret, non habere.*

Calix aquæ frigidæ remuneratur

H

In nomine discipuli] Id est, quia meus discipulus est, quia mihi, meæque doctrinæ adhæret, quia in me credit, quia fidelis est & Christianus, hoc est, in honorem meum, meique intuitu & respectu. Hic enim Christi intuitus intentionem dantis, ipsumque opus rectificat, nobilitat, & exaltat ut Christo factum videatur, quod Christiano collatum est, adeoque Christus sibi factum æstimet, & tale magna mercede remuneret. Si enim alio intuitu idem opus facias, v. g. quia tuus servus, cognatus, vel amicus est, parvi vel nullius apud Deum erit pretii & meriti: Hæc enim est eleemosyna actusque misericordiæ naturalis, prior vero est actus misericordiæ supernaturalis. Ita Suarez & Theologi. Audi Suarez lib. 2. de Necessitate gratiæ cap. 16. 10. Hisce Christi verbis insinuatur, quod opus misericordiæ, si fiat

homi-

A *homini solum, quia homo est, sit ordinis naturalis, si vero fiat, quia fidelis est, & civis Sanctorum ac domesticus Dei, sit opus misericordiæ superioris ordinis, sive supernaturalis.*

Et martyrio compensatur.

Exemplum illustre est in vita (extat apud Surium die 28. Octobris) S. Anastasiæ virginis & martyris. Hæc enim, cum ei lingua præscinderetur & dentes evellerentur, viribus deficiens sitiensque poposcit aquam. Illam ei præbuit Cyrillus quidam, qui poculo aquæ frigidæ emit coronam martyrii. Cum enim Probus præses intellexisset id ab eo quasi Christiano factum Christianæ, morte & martyrio eum affecit.

Gratia crescit per actus remissiores.

Ex hac Christi sententia nonnulli Theologi cum Suarez probabiliter colligunt gratiam in justo augeri per actus remissiores, ut si justus, v. g. habeat gradus gratiæ intensos ut octo, eliciat autem actum eleemosynæ, dando v. g. calicem aquæ frigidæ pauperi actu remisso, ut tria, hoc tamen actu ipsum promeriturum augmentum gratiæ habitualis intensæ ut octo, ut, additis tribus gradibus, intensa, vel extensa sit ut undecim.

B Prob. Primo.

Probatur primo, quia recipere Prophetam est facile & obvium, perinde ac recipere pauperem vel hospitem; hic tamen, licet jam justus & sanctus, recipiet mercedem Prophetæ, quæ est gloria æterna, scilicet certos gradus visionis beatificæ; ac proinde recipiet prius in hac vita gradus gratiæ illi respondentes, gradus enim gloriæ respondent gradibus gratiæ. Ponamus ergo, eum habuisse gradus gratiæ ut octo, jam per hoc opus intensum tantum ut tria, accedent ei alii tres gradus gratiæ: ergo minus remissum opus auget gratiam intensiorem.

Secundo.

Secundo, dare calicem aquæ frigidæ est opus minimum & facillimum, ac proinde communiter remissa intensione fit: nam dare, v. g. aureos decem vel viginti, longe majus est & difficilius; ac proinde requirit majorem conatum & intensionem voluntatis: & tamen illud, licet minimum, habet mercedem, ut ait hic Christus, scilicet, certos gradus gloriæ, & consequenter totidem gradus gratiæ ei respondentes. Justus ergo, qui sæpe actus charitatis intensiores elicuit, & per eos habitum gratiæ accepit intensum ut viginti, si det calicem aquæ frigidæ per actum

C *remissum ut duo, hujus operis mercedem accipiet, scilicet duos gradus gloriæ, ac consequenter totidem gradus gratiæ illis commensos: hi ergo duo gradus augebunt gradus gratiæ viginti, ut fiant 22.*

Tertio.

Tertio, si opus objective, & quasi essentialiter minus, quale est dare calicem aquæ frigidæ, auget gratiam acceptam ex opere, quod majus est essentialiter & objective, quale est dare centum aureos pauperi: cur non pariter (imo magis) opus quod tantum accidentaliter est minus, puta remissius in intensione, augeat gratiam acceptam ex opere, quod tantum accidentaliter fuit majus, quia scilicet fuit intensius & ardentius? Ita Suarez tom. 3. de Gratia lib. 9. cap. 3. num. 36.

Denique significat hic Christus, nullum opus, licet minimum, prædicatori impensum, cariturum sua mercede. Talia autem sunt opera remissa, qualia plurima faciunt justi, ac proinde plurimorum operum mercedem perderent, si opera remissa non augeant gratiam intensiorem (pauci enim tam intensos actus eliciunt, ut habitum adæquent vel excedant) cujus tamen contrarium

D *hic docet Christus.*

CAPUT XI

SYNOPSIS CAPITIS.

Joannes Baptista per discipulos quærit a Christo, an ipse sit Messias? Christus non per verba, sed per facta, puta per miracula respondet, se esse Messiam. Secundo, v. 7. Christus laudat Joannem quasi Angelum, quo inter natos mulierum nullus sit major. Tertio, v. 16. arguit Judæos, quod tam se quam Joannem exploserint. Quarto, v. 21. diras intentat civibus Corozaim & Capharnaï, quod eo toties audito, visisque tot signis non crediderint. Quinto, v. 25. docet Deum se, suaque non nisi humilibus & mitibus revelare & communicare.

ERS. 1. ET factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transire inde ut doceret, & prædicaret in civitatibus E eorum.

2. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,

3. Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

4. Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis.

5. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

7. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam F dico vobis, & plus quam prophetam.

10. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.

12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

13. Omnes enim prophetæ & lex, usque ad Joannem prophetaverunt:

14. Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

16. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cœqualibus. G

17. Dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis.

18. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.

19. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.

20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.

21. Væ tibi Corozaim: væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.

22. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.

23. Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes: H quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.

24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.

25. In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

26. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

27. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

29. Tollite jugum meum super vos, & discite

Digitized by Google

A scite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.

30. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve,

VERS. 1. ET FACTUM EST CUM CONSUMMASSET JESUS PRÆCIPIENS DUODECIM DISCIPULIS SUIS] Est Græcismus. Ponitur enim participium pro infinitivo vel gerundio, *præcipiens* pro præcipere. q. d. Cum finem fecisset præcipiendi, vel ut Græce est, διατάττειν, id est, *ordinandi*, & instruendi Apostolos, tam præceptis, quam consiliis, tam malorum prædictionibus, quam bonorum promissionibus. Ita Maldonatus, Jansenius, Franc. Lucas, Barradius, & alii.

TRANSIIT INDE] Separans scilicet se ab Apostolis, quos seorsim misit evangelizare: tum ut ipsi Christo secuturo viam præparatent docendo & miracula patrando; tum ut ipsi sui suæque virtutis periculum facerent in hac missione, separati a Magistro. Porro quid fecerint Apostoli ita a Christo missi & dimissi, tacet Matthæus,

B sed narrat Lucas c. 9. v. 6. & Marcus c. 6. v. 12.

UT DOCERET ET PRÆDICARET IN CIVITATIBUS EORUM] Scilicet Galilæorum, sive Judæorum, ad quos cap. præced. misit Apostolos; sed ita, ut ipse quoque seorsim ab iis iret per urbes eorumdem prædicatum. Nota Hebraismum: Hebræi enim pronominis relativi vel demonstrativi (quale τὸ *eorum*) antecedens non exprimunt dissette, sed illud ex circumstantiis quasi notum lectori, vel auditori intelligendum relinquunt. Simile est Ps. 98. 8, 4. Reg. 17. 24. 3. Reg. 5. 3. & alibi.

VERS. 2. JOANNES (Baptista) AUTEM CUM AUDISSET, IN VINCULIS OPERA CHRISTI] *Cum audisset* a discipulis suis, ut ait Lucas c. 7. vers. 18. ex quo pariter liquet hic esse hysterologiam, & quæ hic de Joanne narrat Matthæus a vers. 2. ad 29. contigisse ante missionem Apostolorum, quam ipse recensuit c. 10.

Luc. 7. v. 18. 19.

Joannes e carcere mittit discipulos suos ad Christum.

C IN VINCULIS.] Syrus, *in domum vinctorum*, puta in carcere, cui eum incluserat Herodes, eo quod ipsius cum Herodiade adulterium reprehendisset. Igitur paulo ante suam mortem & martyrium, Joannes misit hos discipulos ad Christum anno 32. ætatis Christi, qui fuit annus secundus prædicationis ejusdem, cum jam Christus per doctrinam & miracula inclarescceret, ut ab illo discerent ipsum esse Messiam sive Christum, ac se occiso & mortuo, ad illum transirent: alioqui enim schisma a Christo facere potuissent, præponentes Joannem velut magistrum suum Christo; nam majora ipsos sensisse de Joanne, quam de Christo liquet Matth. 9. 14. Sicut ergo cursores in stadio decursa meta, alteri ad cursum sequenti lampada tradunt; sic Joannes defunctus suo munere & prædicatione, illam resignavit Christo: Et sicut autora occumbens desinit in solem orientem, sic Joannes desiit in Christum; fuit enim ipse Lucifer solis justitiæ, puta Christi. Quare adeo non invidit Christo gloriam orientem cum suo occasu, ut in eo gavisus sit; imo occumbere optavit, ut Christus oriretur; non enim ipse suam, sed Dei, Christique gloriam ambiebat; unde ait: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Joann. 3. 30.

VERS. 3. AIT ILLI: TU ES QUI VENTURUS ES, AN ALIUM EXPECTAMUS?] *Qui venturus es*, Græce ὁ ἐρχόμενος, id est, *ille veniens*, hoc est, *venturus* magnus scilicet ille Propheta, redemptor Israelis & salvator mundi, puta Messias ab omnibus Prophetis promissus, & a Patribus avidissime desideratus, qui hoc tempore expletis de eo prophetiis, quasi jam jam venturus ab omnibus expectatur. Alludit ad oraculum Patriarchæ Jacob, Gen. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda*, &c. *donec veniat, qui mittendus est*, puta Messias.

Luc. 7. v. 19.

D

Joannes non dubitavit Jesum esse Messiam.

Ex his Joannis verbis Tertull. lib. de Baptismo c. 10. & lib. 4. contra Marcion. c. 18. & Justinus q. 38. ad orthodoxos opinantur Joannem dubitasse de Jesu, an ipse esset Messias sive Christus; sed perperam: nam jam in baptismo Christi Joannes eum baptizans, viderat Spiritum sanctum specie columbæ in eum descendentem, ac vocem Patris audierat: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Matth. 3. 17. Quocirca Joannes claritissimum dederat ipsi testimonium: dicens: *Ecce Agnus Dei*. Joann. 1. 32.

Nec an sit iturus ad limbum.

Alii opinantur Joannem non dubitasse quidem, quin Jesus esset Christus, sed interrogare hic dumtaxat, an ipse post mortem sit venturus in limbum, ut se propediem post mortem eo abiturum, ac Patres in eo degentes visitet & liberet. Ita S. Hier. quem audi: *Non ait, tu es, qui venisti, sed tu es, qui venturus es. Et est sensus: manda mihi quia ad infernum descensurus sum, utrum te & inferis debeam nuntiare, quia nunciavi superis? an non conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, & alium ad hæc Sacramenta missurus es?* Et S. Greg. hom. 6. *Non dubitat*, ait, *esse mundi redemptorem, sed quærit an sit ad inferni claustra descensurus*. Verum hoc quoque minus appositum & probabile videtur.

E

Sed dubitantes discipulos instrui vult a Christo.

Dico ergo: Joannes mittit discipulos, ac rogat Jesum, an ipse sit ille, *qui venturus est*, id est, an ipse sit Messias: non quod de eo dubitaret, sed quod morti vicinus, discipulos de eo dubitantes voluerit instrui, & ad Christum traduci. Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, & alii: ubi nota prudentiam S. Joannis: ipse enim nomine suo interrogat Jesum, an ipse sit Christus, quia discipuli ex se non fuissent ausi hoc proponere Christo: nimirum optimus est medicus, qui ut ægrotum curet, se quoque fingit ægrotare, & medicinam austeram sumit. Unde S. Paulus: *Quis infirmatur*, ait, *& ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. 11. 29.

F

VERS. 4. ET RESPONDENS JESUS AIT ILLIS: EUNTES RENUNTIATE JOANNI QUÆ AUDISTIS, ET VIDISTIS] *Quæ audistis* scilicet ab astantibus narrari miracula a me facta, *&* Luc. 7. v. 22. *vidistis*, quæ scilicet præsentibus vobis feci, ut vestræ quæstioni non verbo, sed facto & reipsa responderem. Testimonium enim a rebus efficacius & credibilius est, ait S. Chrysostomus, hæc enim miracula, quæ vidistis me facientem, sunt indices veri Messiæ assignati ab Isaia c. 35. v. 5. & c. 61. 1. Unde Luc. c. 7. 21. addit: *In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum*. Nec enim Elias, nec Eliseus, nec Moyses, nec quis alius Propheta tot ac tanta fecit miracula, quot Christus; ut ex iis ipse agnosceretur cæteris omnibus esse major, esseque Messias ab Isaia hoc indicio præmonstratus. Unde S. Cyrillus l. 2. Thesauri c. 4. *Christus*, inquit, *miraculorum magnitudine simul & multitudine ostendit se Messiam esse;* Adde & beneficentiam. Hæc enim Christi miracula omnes infirmitates & infirmos sanabant. Moyses vero licet miracula plura ediderit in decem plagis Ægypti, tamen iis non sanavit, sed potius afflixit & occidit Ægyptios, Exod. 7. & seq. Christus vero *transiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo*. Act. 10. 38. Hoc ergo fuit certum indicium ipsum esse Messiam. Quocirca manus illius dicuntur *tornatiles*, id est, versatiles & agiles ad benefaciendum omnibus, *plenæ hyacinthis*, id est, cælestibus operibus, miraculis & beneficiis. Cant. 5. 14. Vide ibi dicta.

G

VERS. 5. CÆCI VIDENT, CLAUDI AMBULANT, LEPROSI MUNDANTUR, SURDI AUDIUNT, MORTUI RESURGUNT, PAUPERES EVANGELIZANTUR] Alludit, imo citat illud Luc. v. 22. Isaiæ 35. v. 4. *Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus & aperta erit lingua mutorum.* Et c. 16. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem*, &c.

PAUPERES EVANGELIZANTUR] Theophylactus & Euthymius τὸ *evangelizantur* capiunt active, q. d. Pauperes Apostoli Evangelizant & prædicant Evangelium: verum εὐαγγελίζονται, id est *evangelizantur*, est verbum passivum, non activum; unde Syrus, *pauperibus evangelizatur*. Sensus ergo est, q. d. Ego evangelizo pauperibus, iisque prædico Evangelium, ipsique illud avide recipiunt, cum divites illud respuant, pauperes enim cum sint inopes in terra, sperant, ambiuntque opes cælestes; quas promittit Evangelium. Alludit, imo citat illud Isaiæ 61. v. 1. *ad annuntiandum mansuetis misit me*, ubi Septuag. pro ענוים *anavim*, id est, mansuetis, legentes עניים *aniim*, id est, pauperibus, vertunt *ad evangelizandum pauperibus misit me*. q. d. Pauperibus non coactis; sed pauperibus spiritu & voluntariis, ac consequenter mitibus & mansuetis, ut vertit S. Hieronymus Isaiæ 61. annuntiatur & promittitur gratia, cæteraque bona Evangelii, & regnum in cælis æternum, quod ut mundo paradoxum est & valde mirum, ita proprium est Messiæ indicium ab Isaia assignatum. Simplicius per pauperes accipias inopes, scilicet Apostolos, discipulos & turbas: hisce enim prædicabat Christus, ut ostenderet animas pauperum coram Deo tam pretiosas esse, quam divitum, ideoque Christum utroque

H

A què æquarè in Evangelio. Ita S. Hieronymus. Vide dicta Isaiæ 61. v. 1. Vis ergo Christum imitari? pauperes doce, dirige, solare, juva.

VERS. 6. ET BEATUS EST, QUI NON FUERIT SCANDALIZATUS IN ME] Qui, scilicet, non fuerit mea humili conversatione & abjectione offensus, Syrus: *Felix ille, qui non impegerit in me*; quia, ut ait S. Greg. hom. 6. *Mira quidem facio, sed abjecta perpeti non dedignor*. Tacite notat discipulos Joannis, qui illa offendebantur, ac significat se eorum corda & mentis arcana perspicere: Ita S. Chrysost. & S. Hier. ad Algasium ep. 151. q. 1. *Non Joannem*, ait, *sed discipulos ejus percutit*. Unde Glossa τὸ *qui non fueris scandalizatus* exponit, qui de divinitatis meæ potentia non dubitaverit. Et S. Greg. hom. 6. in Evang. ait, infideles scandalizatos fuisse in Christo; cum post tot miracula morientem in cruce viderunt. Sic & S. Hilarius: *Quia futura erat crux plurimis scandalum*, inquit, *beatos eos professus est Christus, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, sepultura*.

Luc. 7. v. 23.

VERS. 7. B ILLIS AUTEM ABEUNTIBUS] Ne turba putaret, Christum adulari Joanni, ejusque gratiam captare, ait sanctus Chrysostomus, si coram ejus discipulis ipsum laudasset, ideo promisit eos prius abire, deinde coram populo eum laudavit, ut populus testimonio Joannis, quo testatus erat ipsum esse Christum, fidem adhiberet, dum intelligit a Christo, Joannem esse virum divinum & quasi Angelum e cælo lapsum.

Luc. 7. v. 24.

COEPIT JESUS DICERE AD TURBAS DE JOANNE: QUID EXISTIS IN DESERTUM VIDERE? ARUNDINEM VENTO AGITATAM?] Græce σαλευόμενον, id est, *undantem & fluctuantem*, instar undarum & fluctuum maris. Simili metaphora segetem vocamus fluctuantem, dum vento impellente huc, illucque agitatur. Christus removet suspicionem, quæ populo ex hac legatione Joannis obrepere potuisset, scilicet, Joannem mutasse sententiam suam de Jesu, ut cum prius eum putarit esse Messiam, jam de eo dubiter, ideoque discipulos id interrogatum ad Jesum miserit. q. d. Ne puteris, o Judæi, Joannem aliter de me nunc sentire, quam ante senserit: Joannes enim non est arundo, quæ vento huc & illuc agitatur, ut C leviter aliquid asserat, ac postea idipsum ob dicta hominum reciprocet & revocet; sed est velut quercus, quæ immota in veritate & constantia contra omnia laudantium & detrahentium flabra constitit, ut quod prius, cum liber esset, tanta libertate de me sensit & testatus est, idipsum nunc carceri ab Herode inclusus pari fortitudine sentiat & testetur, nec ob metum Herodis sententiam mutet, ideoque discipulos suos ad me misit, ut ipsi reipsa ex miraculis videant testimonium ejus de me esse verum, meque esse Messiam. Quin & vos ipsi, qui Joannem toties loquentem & prædicantem audistis, creditis illum non esse virum levem, qui muteur ut arundo, sed serium & constantem, qui a Deo agatur, ut quod semel dixit, hoc semper dicat; Ideo enim e domibus vestris in desertum Joannem visuri & audituri existis, utique non exituri, nisi illum talem credereris. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus, Beda, & alii.

Per arundinem ergo primo cum S. Gregorio hom. 9. in Ezech. mentis instabilitatem; secundo cum S. Chrysost. inde nascentem doctrinæ & prædicationis inconstantiam accipe. Arundo enim est, qui leviter quid credit ob rumores hominum, ideoque ob contrarios rumores leviter discredit & sententiam mutat. Arundo est, qui ob laudes hominum pietatis officia colit, sed ob irrisionem aliorum mox eadem omittit. Arundo est, qui ob lauta promissa doctrinam veram prædicat, sed ob aliorum minas eandem subticet, vel in dubium revocat. Arundo ergo est inconstantiæ & inconstantis imago & symbolum, æque ac polypus, vespertilio, euripus, ventus, mulier; unde Adagia: Polypi mentem habet: Euripus homo: Mulieris animus: vento, chamæleonte, Proteo, vespertilione mutabilior: cothurno versatilior: duabus sedet sellis: aliud dicit stans, aliud sedens.

D Arundo quis?

Arundo est inconstans.

Adagia inconstantiæ

Tropologice, Arundo est homo levis, varius & jactabundus, qui primo nunc verbis adulantium & laudantium impulsus, aliquid asserit, nunc verbis vituperantium & minantium adactus idem negat; sicut arundo ventis contrariis in contraria agitatur. Secundo, qui veritate, virtute & constantia est vacuus, sicut arundo inanis est & medulla vacua. Tertio, qui nullum boni operis fructum edit, sicut arundo est infrugifera. Quarto, qui fluxu mundi, & fluxis ejus voluptatibus oblectatur & pascitur sicut arundo; quia arundo sicca, juxta aquas crescit & E pascitur: unde ejus epithetum est, ut vocetur *fluvialis arundo*, qua de re eleganter & pie scribit S. Aug. in Psal. 136. 1. ad illa: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion*: flumina, ait, *Babylonis* sunt omnia, quæ hic amantur & transeunt: *Sede super flumina, noli sedere in flumine, noli sedere sub flumine. Ecce in Babylonia pulchra sunt, qua tenent, non te teneant, non decipiant*, &c. Audi Auctorem Imperfecti: *Omnis homo carnalis, vacuus in fide, levis in sensu, mollis in passionibus, arundo est*.

Audi S. Greg. hom. 6. in Evang. *Quid per arundinem nisi carnalis animus designatur? Qui mox ut favore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit & extollitur, totumque se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde ventus detractionis eruperit, unde laudis aura veniebat, mox eum, quasi in partem alteram, ad iram furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Joannes non erat: quia hunc nec blandum gratia, nec cujuslibet detractionis ira asperum faciebat: Nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata Joannes non erat, quem est ausus sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat*. F

Unde cum nobis imitandum proponens subdit: *Non nos prospera elevent, non adversa perturbent, ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur*.

Audi S. Ambrosium l. 5. in c. 7. Luc. v. 24. *Neque Dominus in desertum, id est, in mundum esse prodeundum, ut mente carnis inflatos, vacuosque virtutis interna nobis putemus imitandos, quos procellis mundi hujus obnoxios vita nobilis inquietat, jure arundini comparandos, in quibus solide justitia nullus est fructus, qui forensibus criniti phaleris, nodis obsiti, vacuo oris strepitu sonori, nulla sui utilitate, frequenti etiam offensione, intus inania, foris speciosa sectantur. Arundines sumus, nulla validioris naturæ radice fundati; Et si levis aspiraverit prosperioris aura successus, vaga motu proximos verberamus, inopes ad suffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluvios amant, & nos bonorum mundi caducaque delectant. Tamen hanc arundinem si quis de terra evellat plantariis, & superfluis exuat, expolians veterem hominem cum actibus ejus, & Scribæ velociter scribentis manu temperet, incipit non arundo esse, sed calamus, qui præcepta cælestium scripturarum penetralibus imprimat mentis, tabulis cordis inscribas*. G

Subdit deinde Ambrosius bonam arundinem esse Christum, de quo propheta est Isaiæ 42. *Arundinem quassatam non confringet, quoniam carnem, quam peccata quassaverant, resurrectionis virtute solidavit. Bona arundo caro Christi, quæ serpentis caput, & mundanæ cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit*.

VERS. 8. SED QUID EXISTIS VIDERE? HOMINEM MOLLIBUS VESTITUM? ECCE QUI MOLLIBUS VESTIUNTUR, IN DOMIBUS REGUM SUNT] *Mollibus*, scilicet vestibus, ut addunt Græca & Syrus. Mollibus vero vestiri est deliciose vivere & epulari (uti faciebat dives epulo, qui quotidie inducebatur purpura & bysso, & epulabatur splendide. Lucæ cap. 16. ut ex hoc mollis & lascivus videri possit, H ideoque mutabilis, quasi dicat: Joannes non est mollis & delicatus, non ambit mensas divitum Scribarum opiparas, ut eas ambiens, illisque adulans sententiam de me editam mutet, & revocet; quia ipse non urbes & aulas, sed desertum quærit; non mollibus vestitur & alitur, sed pilis camelorum, locustis & melle sylvestri, ait S. Hieronymus, quare ipsum nec aulica mollities, adulatio vel ambitio in transversum agent, quia ipse omnis mundanæ gloriæ, æque ac voluptatum, velut eremita & cælicola, est contemptor, iisque longe superior, in ipsa veritate, ipsoque Deo & cælo mente defixus. Deliciæ enim adulationis & falsitatis sunt magistræ, asperitas autem veritatis & sanctitatis est doctrix. Unde Tertullianus in libr. ad Martyres: *Virtus*, ait, *duritia extruitur, mollitie vero destruitur*. Et sanctus Chrysostomus: *Qui mollibus*, ait, *vestiuntur, in domibus regum sunt, qui vero talia non habent, in cælis sunt*.

Luc. 7. 25.

Asperitas vestium commendatur.

Sic sanctus Franciscus, ait S. Bonaventura in ejus vita cap. 3. vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, asserens propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius: quia non in cæsulis pauperum, sed in palatiis principum, vestium dice-

bat

A bat requirendam esse mollitiem. Addebat dæmones asperitate terreri, mollitie invitari. Lege vitas Sanctorum, ac intuere & imitare eorum austeritatem vitæ, quæ multum valet ad sanctitatem, & sanctitatis famam apud alios conciliat, ut libere & efficaciter eis viam pœnitentiæ, mortificationis & virtutis prædicare, & suo exemplo persuadere valeat.

VERS. 9. SED QUID EXISTIS VIDERE? PROPHETAM? ETIAM DICO VOBIS, ET PLUSQUAM PROPHETAM] Syrus, *propheta præstantiorem*. Objicies: Joannes ipse negat se esse prophetam. Joann. cap. 1. vers. 21. Respondetur. Id dicit ex humilitate, sed vero sensu. Propheta enim proprie dicitur, qui futura prædicit, uti facit Isaias, Jeremias cæterique Prophetæ. Joannes autem Christum non futurum prædixit, sed præsentem ostendit. Christi ergo fuit index potius, quam propheta, ideoque Christus eum ait esse plusquam prophetam; Primo, quia ita Christum venturum prædixit, ut mox eum præsentem digito indicaret: Fuit ergo ipse non solum propheta, sed & demonstrator Christi. Secundo, quia divino spiritu illustratus Christum, Christique in carne œconomiam clarius, plenius & perfectius, quam aliquis prophetarum cognovit. Tertio, quia ipse fuit Angelus, id est, legatus & præcursor ipsius Christi, & immediate ab eo missus, idque coram eo & ante faciem ejus, juxta illud Malachiæ: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, uti subjicit Christus. Quarto, quia ipse major fuit omnibus omnino prophetis, uti asserit Christus v. 11.

Luc. 7. 26.

Joannes plusquam propheta. Primo.

Secundo.

B Tertio.

Quarto.

VERS. 10 HIC EST ENIM, DE QUO SCRIPTUM EST: ECCE EGO MITTO ANGELUM MEUM ANTE FACIEM TUAM, QUI PRÆPARABIT VIAM TUAM ANTE TE.] Citat Christus verba Malachiæ cap. 3. v. 1. Vide ibi dicta, attuli enim ibidem causas & analogias, cur Joannes vocetur Angelus, ideoque multi putarunt eum revera non esse hominem, sed Angelum, teste Eusebio lib. 1. Demonstr. c. 5. unde Auctor Imperfecti hic: *Mirabilis*, ait, *fuit qui humana natura Angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quod non habuit natura, per gratiam Dei.*

Luc. 7. 27.

C VERS. 11 AMEN DICO VOBIS, NON SURREXIT INTER NATOS MULIERUM MAJOR JOANNE BAPTISTA: QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO CÆLORUM, MAJOR EST ILLO] Luc. 7. 27. addit, *propheta*: *Non surrexit*, ait, *major propheta*. Unde Toletus ibidem ex S. Ambrosio & Hilario notat Joannem majorem a Christo dici non absolute, sed prophetam dumtaxat: quia Apostoli eo majores fuere, vel certe ei omnino suppares. Verum ex τὸ *propheta* Christus intelligendum relinquit, nullum alium Joanne fuisse majorem: quia prophetæ olim habebantur, & revera erant viri sanctissimi; inde prophetæ vocati sunt sancti quilibet, ut religiosi illi, qui in libris regum nuncupantur filii prophetarum, quia ergo nullus prophetarum major fuit Joanne, inde colligendum relinquit neminem alium eo fuisse majorem.

Luc. 7. 28.

Joannes omnibus veteris testamenti maximus.

D Tacite ergo Christus hic Joannem vocat omnium maximum, alioqui enim non recte hinc concluderet Joannem esse plusquam prophetam, quod tamen probare intendit. Intellige hoc de hominibus veteris testamenti, præcedentis scilicet sæculi usque ad Christum. Non ergo Joannes hic comparatur cum Christo, B. Virgine vel Apostolis, qui Christum secuti sunt, & ob dignitatem Apostolicam Joanne non fuere minores, sed potius majores. Dices, Moyses fuit major Joanne, quia de Moyse dicitur Deut. ult. v. 10. *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses*. Resp. ibidem additur: *Quem noverat Dominus facie ad faciem, in omnibus signis & portentis, quæ misit per eum ut faceret in terra Ægypti Pharaoni*. q.d. Non fuit similis propheta Moysi, similis, inquam, in isto familiari Dei alloquio & potentia, qua tot plagis percussit Ægyptum, in aliis autem rebus Joannes similis, imo major fuit Moyse cæterisque prophetis.

Joannes major Moyse. Primo.

Primo, quia Joannes in utero matris fuit sanctificatus, & reipsa prophetavit: exultans enim in utero nuntiavit matri & reliquis, Christum jam esse incarnatum in utero B. Virginis. Ita S. Chrysostomus, & Euthymius; Id autem non legimus de Moyse vel alio propheta.

Secundo.

Secundo, quia solus Joannes Baptismum pœnitentiæ instituit, eoque Christum baptizavit.

Tertio.

Tertio, ipse primus prædicavit regnum cælorum, multosque convertit & in illud induxit.

Quarto.

Quarto, ipse missus fuit a Deo, ut esset Christi præcursor & Paranymphus, eumque toti mundo ostenderet, ipsumque esse Messiam & unicum Dei filium testaretur, quod officium & dignitas omnia prophetarum officia & dignitates longe transcendit.

E

Quinto.

Quinto, ipse a Malachia comparatus est Angelis, & multo ante nativitatem promissus, ac per Eliam aliosque prophetas fuit adumbratus, illi enim fuere typi Joannis.

Sexto.

Sexto, abundantior & sublimior fuit Spiritus, prophetia, vita & gesta Joannis, quam cæterorum prophetarum, teste sancto Hieronymo, & sancto Augustino lib. 2. contra adverss. legis & Prophet. cap. 5. Joannes enim fuit quasi continuum miraculum in conceptione, in utero, in nativitate, in vita Angelica: miraculo enim ex parentibus sterilibus conceptus fuit: miraculo, Christum in utero agnovit, salutavit & adoravit: miraculo nascens, commune omnibus gaudium afflavit; miraculo in circumcisione patri muto loquelam reddidit: miraculo puer abiit in desertum, ibique tota vita vixit quasi Angelus. Unde de eo canit Ecclesia:

F

O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens Martyr; eremique cultor,
Maxime Vatum.

Baptistæ Elogia.

Habet ergo Joannes Lauream virginitatis, prophetiæ, doctoratus & martyrii. Audi B. Petrum Chrysologum ser. 27. *Joannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Joannes major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, præco Judicis, præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis.* Vide decem prærogativas S. Joannis, quas recenset S. Bernardus ser. de Privilegiis Joannis Baptistæ, & alias 28. quas enumerat noster Barradius l. 8. c. 3. & 4. ac hom. S. Chrysost. de eodem.

Minor in cælo major est Joanne Baptista.

QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO CÆLORUM, MAJOR EST ILLO] Joanne Baptista. Primo, q. d. Minimus beatus in cælo major, id est beatior, perfectior, excellentior & gloriosior est Joanne, utpote adhuc mortali & viatore. Addit hoc Christus, ut acuat auditores ad prosequendam beatitudinem, & salutem suam per legem Evangelicam, quam ipse attulit: hoc enim est regnum cælorum, ex quo prædicationem suam cœpit & continuavit Christus. Unde de eo subdit v. 12. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Ita S. Hieronymus, Beda, & S. Augustinus lib. 2. contra Advers. legis & Prophet. cap. 5. Accedit S. Ambrosius, qui sic explicat. q.d. Angelus minimus in cælo major est Joanne & quolibet sancto, qui portat corpus, quod corrumpitur, & aggravat animam; ait S. Augustinus lib. 2. contra Advers. legis cap. 5.

G

Secundo.

Secundo, magis proprie, presse & nervose dicas cum S. Chrysost. Theophyl. Euthymio, Salmerone, & Jansenio, Christum se hic opponere ac una parte se supponere, sed alia anteponere Joanni. q.d. Dixi inter natos mulierum non fuisse majorem Joanne in veteri Testamento, ut ne putatis illum esse maximum, esseque Messiam, addo Christum, qui Joanne est junior & in schola adhuc minor, ipso tamen esse majorem. Alludit Christus ad illud Joannis de seipso dictum: *Qui post me venturus est, ante me factus est*, H id est, mihi prælatus, & antepositus est velut me major. Joann. 1. 15. Aut q.d. Ego Christus, qui ætate, & opinione vulgi sum minor Joanne in prædicando, tamen in regno cælorum major sum illo, quia ita prædico, ut simul gratiam aspirem, qua fideles mei regnum hoc reipsa consequantur; unde comma ponendum videtur post τὸ *minor*, non post τὸ *regno cælorum*, ut recte advertit Franc. Lucas, Græce enim Christus vocatur ὁ μικρότερος, id est minor, junior, humilior, depressior Joanne: aut *minor* Hebr. קטן *haccaton*, id est, *ille parvus*, hoc est minimus, humillimus, abjectissimus, qualis fuit Christus, dicens: *Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Psal. 21. sæpe enim comparativus ponitur pro superlativo. Hanc exponit S. Augustinus loco jam citato. q.d. Ego Christus, qui Joanne minor sum ætate, eodem tamen major sum majestate, æternitate, potestate, gratia & gloria. Huc accedit S. Cæsarius frater S. Greg. Nazianz. Dialogo 3. qui sic explicat. q.d. Christus, qui in regno cælorum Angelis est minor humana natura (Heb. 2. v. 7.) hic tamen major est Joanne.

Tertio,

Digitized by Google

A Tertio, noster Maldonatus consequenter ad secundum sensum jam datum sic explicat. q. d. *Minor*, id est, minimus Christianus in regno cælorum, id est, in Ecclesia, quæ prædicat & ducit ad regnum cælorum, major, id est, dignior & sublimior est Joanne. Major est, inquam, ratione status Ecclesiæ, & ex Evangelii natura major potest esse Joanne Baptista: lex enim nova Christi, est lex gratiæ, quam semper augere possumus. Unde Joannes Baptista, & omnes veteres gratiam suam a Christo & lege nova acceperunt. Ecclesia enim nova sive Evangelica, vocatur regnum cælorum, vel ut Lucas ait, regnum Dei, quia ipsa est via & inchoatio vitæ & beatitudinis cælestis. Sic fere S. Cyrillus lib. 2. Thesauri c. 4. Isidorus Peluſiota lib. 1. epist. 68.

Tertio.

Symbolice. Symbol. S. Cæsarius dialog. 3. jam citato. Minor, inquit, est Apostolorum junior, S. Joannes Evangelista, qui Joanne Baptista major est, quia Apostolus & Evangelista super pectus Christi recubuit.

VERS. 12 A DIEBUS AUTEM JOANNIS BAPTISTÆ REGNUM CÆLORUM VIM PATITUR (Syrus, *cum violentia accipitur*) ET VIOLENTI RAPIUNT ILLUD] Luc. c. 16. 16. *Ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.* Pertinet hoc quoque ad laudem Joannis, ostenditque, ipsum esse plusquam Prophetam, q. d. Joannes primus cœpit prædicare regnum cælorum, adeoque efficax fuit ejus prædicatio conjuncta cum sanctæ & Angelicæ vitæ exemplo, ut multi ab eo baptizati pœnitentiam egerint, vitam mutarint, & ad cælum magno studio contenderint; hoc studium ego succedens Joanni per me & Apostolos promovi, & indies promoveo, ac deinceps promovebo.

Luc. 16. 16.

B

Cælum vim patitur. Primo à

Quare nunc regnum cælorum βιάζεται, id est, *vim patitur*. Vatab. *Vi invaditur*, vi occupatur, ad illud vi ruitur. Primo, quia magna multitudine, studio, aviditate, impetu, alio alium prævertere satagente, ad illud obtinendum, imo rapiendum homines a Joanne excitati concurrunt; sicut merx aliqua rara, v. g. vinum creticum, vel saccharum, cum ab omnibus avide emitur, rapi dicitur.

Secundo. Secundo, quia non naturali propagine, ut volebant Judæi; non etiam naturæ pondere & virtute; sed supernaturali vi gratiæ, quæ naturam superat, hoc regnum jam ab omnibus ambitur, & quasi invaditur, adeoque peccatores, ut publicani, meretrices, & Gentiles ipsis Pharisæis & Judæis, qui sibi solis quasi filiis Abrahæ hoc debitum putabant, fervore Spiritus & pœnitentiæ illud præripiunt, eripiunt & quasi vi auferunt, quasi dicat: Certant pro regno cælorum Pharisæi & Christiani, sed Christiani illud eis vi extorquent. Unde S. Hilarius & S. Amb. sub finem l. 5. in Luc. *Rapitur Christus*, inquiunt, *cum aliis nascitur, aliis diligitur & suffragatur.* Addit Ambr. *Rapuit Ecclesia a Synagoga regnum. Regnum meum Christus est. Rapitur ergo regnum cælorum, cum Christus a domesticis denegatur, a Gentibus adoratur. Rapitur, cum ab illis repudiatur, a nobis colitur.*

C

Tertio. Tertio, quia propter regnum cælorum terreni homines sibi, & suis vitiis vim inferunt per pœnitentiam, paupertatem, continentiam, mortificationem. Unde Lucas habet: *Omnis in illud vim facit.* Ita S. Chrysost. Hieron. Greg. hom. 6. in Evang. Theophyl. Euthymius, Beda & S. Basilius Orat. de Abdicatione rerum.

Discipulus Anachoretæ cujusdã coronas septem meretur ob devictam somni cupiditatem.

In Vitis Pat. (extat in editione nostri P. Hereberti p. 590. n. 40.) narratur visio Anachoretæ cujusdam, qui vidit discipulum suum una nocte septem in cælo coronas meruisse, eo quod septies cogitationibus suis & cupiditati somni viriliter restitisset: unde intellexit, quod quoties quis cogitationibus & cupiditatibus suis obluctatur, toties coronetur a Deo. Etenim scriptum est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Hæc ibi.

D

Quarto. Quarto, S. Hier. ad Algasiam epist. 152. q. 1. *Regnum cælorum*, ait, *vim patitur*; quia proprium est Angelorum, utpote, cælestium spirituum. Vis ergo illi quasi fit, cum a terrenis hominibus invaditur, uti olim a gigantibus invasum fuisse fabulantur poetæ: nunc enim per Joannem & magis per Christum fit, *ut qui homo natus est, Angelum esse desideret, & terrenum animal cæleste quærat habitaculum*, ait S. Hieron. sicut violentum esset, si pisces relicto naturali maris elemento in terra, & vice versa crassi boves in mari cuperent habitare.

Porro S. Ambr. sub finem lib. 5. in Lucam & fusius ser. 5. pro *vim patitur*, vertit; *cogitur*, id est, densatur, quia ingredientibus peccatoribus & Gentilibus, turba introeuntium fit densior. Verum Græcum βιάζεται, proprie significat *vim patitur*, etsi eodem redeat sensus; nam ex turba densata irruente, & se comprimente vim patitur.

Præclare vero in eodem serm. S. Ambr. *Vim*, inquit, *facimus Domino, non compellendo, sed flendo; non provocando injuriis, sed lacrymis exorando: non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur. sed misericordia condonatur! Beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de injuria nemo causatur: vis admittitur, & religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur a Christo. Aggredimur in itinere Dominum (si quidem ipse est via) & more latronum suis eum spoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros & vitam; sed ille tam dives & largus est, ut non abnuat, non resistat, & cum omnia dederit, nihilominus omnia possideat.* Deinde modum & arma hujus violentiæ subjicit, dicens: *Aggredimur illum non ferro, non fuste, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus, castitate. Hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferenda possimus, ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur: Prius enim ipsi regnare debemus in nobis, ut regnum possimus diripere Salvatoris.*

E

F

ET VIOLENTI RAPIUNT ILLUD] *Violenti*, scilicet, in regnum cælorum, qui scilicet illi vim inferunt, illudque vi irruunt eo sensu, quo jam dixit. Alludit ad civitatem opulentam in monte sitam, quæ magna vi superanda & expugnanda est, ac reipsa a militibus, qui ejus opibus inhiant, confertim irruentibus expugnatur: maxime vero alludit ad regnum Chananææ, sive terræ promissæ, quod Josue & Hebræi vi & armis expugnarunt; hoc enim erat typus regni cælorum. Simili enim modo cælum a terrigenis, magna vi in altum per conversationem cælestem scandentibus, superandum est. Cælum empyreum adeo altum est, sublime, & elevatum a terra, ut si quis viveret per octo annorum millia, & quotidie directe in altum scanderet per centum milliaria, tamen, per 8000. jam dicta, necdum eo perveniret, uti ex P. Clavio ostendi. Gen. 2. 16. Et quia hoc erat homini impossibile, Deus concessit, ut ad illud non pedibus corporis, sed affectibus mentis contenderemus. Rursum nobis non tantum eundum est in altum, sed & multi anfractus, saxa & spinæ superandæ sunt, imo eundum est per hostes, & hastas, puta, per multas tentationes, difficultates, persecutiones, adversa, quæ omnia magna vi magnoque animo vincenda sunt, quia ergo cælum per hanc vim a fidelibus occupatur, hinc ab iis vis fieri cælo dicitur. Quantam vim intulit cælo S. Paulus 1. Corint. 11. Quantam S. Stephanus? quantam S. Laurentius, cæterique martyres, virgines, Anachoretæ, Sanctique omnes?*

Cæli empyrei altitudo.

G

In vita S. Perpetuæ & sociorum martyrum ad diem 7. Martii legimus ipsam per visum præmonitam de martyrio. Vidit enim scalam auream a terra in cælum porrectam, undique cultris & gladiis acutis obsitam & circumdatam, per quam in cælum scandendum erat, infernc vero draconem horribilem, qui scandentes impediret: Porro vidit unum e sociis Satyrum nomine generose per scalam ascendentem, socioſque ad se sequendum invitantem: qua visione sociis enarrata, omnes intellexerunt sibi parari martyrium, quod & singulis obtigit. Idem æstimet fidelis quisque, sibi per scalam cultris obsitam, magna vi eluctandum esse in cælum.

Visio S. Perpetuæ.

Jam vero si milites illecti spe prædæ tanta alacritate, vi, ardore & impetu invadunt, imo involant per saxa, per ignes in urbem opibus, spoliisque refertam, si illa a duce ipsis prædæ detur, dum alii fossas fascibus implent, alii afferunt scalas, alii bombardis cives a muris abigunt, alii denso agmine galeati confertim mœnia conscendunt, & in muros insiliunt: quanta alacritate, vi, fervore & animo par est fideles invadere cælum, ubi sunt opes cælestes & æternæ, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec minima illarum pars in cor hominis ascendit?

H

OMNES ENIM PROPHETÆ ET LEX USQUE AD JOANNEM PROPHETAVERUNT] Commodius Luc. 16. 16. hanc sententiam præponit præcedenti hoc modo: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem* (scilicet prophetaverunt) *ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit*: q. d. Lex Moysis & Prophetæ omnes, ante Joannem & usque ad Joannem prophetaverunt, id est, obscure & per ænigmata prædixerunt, & promiserunt Christum, ejusque regnum cælorum, promittendo bona terrena, scilicet abundantiam vini, frumenti & olei, regnumque temporale pacificum & opulentum, simile regno Salomonis, quod erat figura & typus regni cælorum afferendi per Christum; at Joannes

VERS. 13 Luc. 16. 16.

Digitized by Google

A nes primus clare & diserte, cœpit prædicare regnum cælorum mox reserandum a Christo, eumque Judæis digito ostendit, quæ causa fuit, ut Judæi felicitatem & gloriam regni cælestis ponderantes, illius consequendi certa spe excitati illud omni studio ambirent, & in illud vim facerent eo sensu, quo dixi v. præced. ita Theophyl. Jansenius hic & Suar. l. 9. de Legibus c. 12. in fine; *prophetaverunt*, inquit, hoc est promiserunt bona terrena.

Rursum q. d. Vetus Testamentum, quod lege, sive Pentateucho, & Prophetis, sub quibus Hagiographa (puta Psalmos, & libros Sapientiales) constat, usque ad Joannem prophetavit, id est, docuit rudes Judæos Deum non tam amare quam timere, spe bonorum temporalium, & regni terreni, eumque colere per sacrificia, ritus & cæremonias externas, quæ fuere umbræ, & typi Christi: At Joannes cœpit prædicare novam doctrinam pœnitentiæ, & amoris Dei, spe regni cælorum, ac bonorum cælestium consequendorum per actus internos contritionis, pietatis, adorationis, & cultus Dei, quibus vere & perfecte justificamur per Christum, quem Joannes digito ostendit, ab eoque justitiam & salutem sagittandam demonstravit.

Joannes Lucifer Evangelii. B Opponit enim & anteponit Christus prophetam, id est, doctrinam Joannis, prophetiæ, id est, doctrinæ legis & prophetarum, ut patet ex verbis Luc. 26. 16. jam citatis. Joannes enim medius fuit inter novum Testamentum & vetus ac quasi utriusque horizon, dividens & disterminans novum a veteri, ait Salmeron: fuit enim ipse quasi Lucifer Evangelii, qui umbris, & nocti obscuræ legis veteris finem, ac diei claræ legis novæ initium dedit. Ita Theoph. Jansenius & alii.

Paulo aliter Maldonatus: *Omnes prophetæ*, inquit, *& lex prophetaverunt*, id est, officio suo functi sunt, & duraruntusque ad Joannem; non quod tunc statim omnino lex desierit, ut volunt Centuriatores Magdeburgenses, sed quod mori & desinere cœperit: lex enim vetus, ejusque obligatio duravit usque ad promulgationem legis novæ, quæ facta est post resurrectionem, & ascensionem Christi in Pentecoste, Act. 2.

ET SI VULTIS RECIPERE, IPSE EST ELIAS, QUI VENTURUS EST] q. d. Si vultis Joannem recipere, eique credere, uti debetis (unde Syrus vertit in Imperativo: *Si vultis, recipite*) ipse erit vobis Elias, quia spiritu & virtute Eliæ præditus vos ad Deum, & Christum convertet, uti Elias vestros nepotes & posteros in fine mundi ad eundem Christum simili zelo, ac vitæ austeritate & puritate convertet. Ita S. Hier. hic & epist. 151. ad Algasiam q. 1. *Ipse* (Joannes) inquit, *est Elias, qui venturus est, non quod eadem anima, ut hæretici suspicantur, & in Elias & Joanne fuerit, sed quod eamdem habuerint S. Spiritus gratiam, zona cinctus, ut Elias, vivens in eremo ut Elias; persecutionem passus ab Herodiade, ut ille sustinuit a Jezabel; ut quo modo Elias secundi præcursor adventus est, ita & Joannes venturum in carne Dominum salvatorem, non solum in eremo, sed etiam in matris utero salutarit, & exultatione corporis nuntiarit.*

Alludit ad Malach. c. 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*. Vide ibi dicta. Judæi etiamnum ex hoc Malachiæ testimonio Eliam expectant avide, ut ipse eis ostendat Christum, omniaque legis dubia resolvat, ideoque eum maximi faciunt: eaque de causa Christus illi Joannem comparavit & æquavit.

D Nota, Christus plura illustria Joannis dat elogia, quibus probat, ipsum esse plusquam Prophetam, ut Judæi ipsi Christum ostendenti fidem adhibeant. Primo enim v. 10. dicit eum esse Angelum a Malachia promissum. Secundo, vers. 11. quod inter natos mulierum non surrexit major Joanne. Tertio, vers. 12. quod ipse primus prædicarit regnum cælorum, ideoque illud affluente turba vim patitur. Quarto, v. 13. quod lex & Prophetæ fuerint quasi prodromi & præcursores Joannis, quodque usque ad Joannem prophetarint. Quinto, v. 14. quod ipse sit Elias, non in persona, sed in virtute & spiritu.

VERS. 15 QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT] *Audiendi*, id est, *ad audiendum*, ut vertit Syrus, hoc est, ad intelligendum & obediendum. Arab. *aures audientes*. Hebræi enim, quia verbis compositis carent, hinc simplicibus utuntur pro compositis, ut per audire significent obedire. Sensus est, q. d. qui habet aurem & mentem docilem & obedientem, hic audiat, intelligat & obediat iis, quæ dico, scilicet, credat Joanni quasi Prophetæ, imo plusquam Prophetæ, asserenti me esse Messiam, ac proinde me ut Dei filium, mundique salvatorem recipiat & colat: proprie vero respicit id, quod dixit, Joannem esse Eliam: *Hoc enim mysticum erat, & egens intelligentia*, ait S. Hier. Solet Christus in re gravi hac phrasi excitare attentionem auditorum.

E CUI AUTEM SIMILEM ÆSTIMABO GENERATIONEM ISTAM?] Pharisæorum & Scribarum; qui Dei consilium & baptismum prædicationemque Joannis spreverant, ut ait Lucas c. 7. v. 29. & 30. VERS. 16 Luc. 7. 31. 32.

SIMILIS EST PUERIS SEDENTIBUS IN FORO, QUI ELAMANTES COÆQUALIBUS DICUNT: CECINIMUS VOBIS, ET NON SALTASTIS: LAMENTAVIMUS, ET NON PLANXISTIS!] Erat illo ævo, ait Theoph. in c. 7. Luc. & S. Cyrill. hic in catena S. Thomæ, apud Judæos tale ludi genus. Pueri in duas partes & quasi duos choros divisi, vitam hominum quasi in scena repræsentabant, & deridebant instar Heraclitii illam semper flentis, & Democritii illam semper ridentis: illi enim omnia quæ agimus, miseriæ; hinc ineptiæ esse videbantur. Alii enim ex uno choro lamentabantur, alii ex adverso tibiis canebant. At neque lamentantes curabant illi, qui erant ex adverso canentium choro; neque tibicines curabant illi, qui erant ex lamentantium parte: utrosque vero velut in comodis audiebant spectatores, sed neque ad planctum, neque ad saltum movebantur. VERS. 17 Luc. 7. 32. Ludus Puerorum.

Sensus parabolæ, ut patet ex vers. seq. 18. & 19. est, q. d. Christus: Videre est in hac generatione, & hoc Pharisæorum Scribarumque genere simile quippiam illi, quod in parabola puerorum contigit: ut sicut eorum nec planctu nec cantu moventur ad flendum vel saltandum morosi spectatores, qui hæc ut ludicra, & comice ad recreationem audientium composita, otiose contemplantur. Sic patres Scribæ, & Pharisæi, nec exemplo austerioris vitæ Joannis, nec laxioris & remissioris Christi provocari potuere (quia noluere) ad vitæ mutationem, conversionem, & salutem, quam prædicabant Joannes & Christus. Comparat enim totam parabolam toti rei per eam significatæ, non vero partem parti, ut dixi Canone 28. Eleganter & lapide S. Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 6. *Non ergo*, inquit, *illa deliciarum comes, atque luxuriæ prædicatur saltatio; sed qua unusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Saltabat spiritaliter Paulus, cum se pronobis extenderet, & posteriora obliviscens, priora appetens, contenderet ad bravium Christi. Tu quoque cum ad baptismum venis, manus elevare, pedes, quibus ad æterna conscendas, velociores habere moneris. Hæc saltatio fidei spes, gratiæ comes. Hoc est ergo mysterium. Cantavimus vobis novi utique canticum Testamenti, & non saltastis, hoc est non elevastis animum ad spiritalem gratiam. Lamentavimus, & non plorastis, hoc est non egistis pœnitentiam.* Alludit ad illud Ezech. c. 33. n. 32. *Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Scribæ enim audiebant Joannem & Christum, non ut vitam mutarent, sed ut aures sapientiæ novitate & pulchritudine pascerent, perinde ac si cantorem vel histrionem audissent. Vide ibi dicta, ac præsertim Apologum tibicinis. F Saltatio mystica quæ?

Allegorice S. Ambr. l. 4. ep. 30. ad Sabinum: *Dixit*, inquit, *Dei filius: Cantavimus vobis, & non saltastis. Derelicti itaque sunt Judæi, qui non saltaverunt, qui nescierunt manibus suis plaudere, adscitæ sunt Gentes, quæ spiritalem Deo plausum dederunt. Stultus enim complexus est manus suas, & devoravit viscera sua, id est, corporalibus se implicavit negotiis, & devoravit viscera sua sicut mors prævalens, & ideo non invenies vitam æternam. Sapiens autem attollens opera sua, ut lucerent coram patre suo, qui in cælis est, non absumpsit, sed elevavit viscera sua usque ad resurrectionis gratiam. Hæc gloriosa sapientis saltatio; quam saltavit David, & ideo usque ad sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis ascendit, ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo: Sede a dextris meis.* Allegor. G H

VENIT ENIM JOANNES, NEQUE MANDUCANS NEQUE BIBENS] Id est, non comedens & bibens jucunde, more communi aliorum hominum, sed jejunans, & austere victitans, ut non tam homo, quam Angelus esse videretur, ut hac ratione Scribas compungeret, terreret, suoque exemplo moveret ad pœnitentiam. *Et* tamen de eo *dicunt* Scribæ: *Dæmonium habet.* Arab. *cum illo sunt dæmonia*, q. d. A dæmone possessus est Joannes, cujus vi, & energia tantum vitæ rigorem sufferre potest: sic austeritatem vitæ Joannis, quam ipsorum causa assumpserat (cum ipse purus & innocens ea non indigeret) ut daret eis exemplum pœnitentiæ, attribuebant dæmoni: quæ insignis fuit ingratitudo & malitia: VERS. 18 Luc. 7. 33.

Rursum *dæmonium habet*, id est, lunaticus est, emotæ mentis

mentis & insanus, uti sunt, qui aguntur a dæmone, utpote qui stulte corpus suum ita affligat, & vitæ hujus jucunditatem repudiet, qualis fuit Timon ille Athenien sis melancholicus, & maniacus, indeque μισάνθρωπος, id est, osor hominum cognominatus, teste Cicerone lib. de Admicitia, & Tuscul. 4. Sic dum S. Paulinus cum sua conjuge Terasia honoribus, opibus, & deliciis mundi valedicentes, vitam inchoarent solitariam, pauperem & austeram, multi dicebant, ipsos laborare melancholia, vel mania, quam suscitare solet dæmon. Unde Ausonius S. Paulini amicus epist. 25. eum suggillat, quod atræ bilis (melancholiæ) morbo velut alter Bellerophons laboraret, ideoque secessisset, & musas penitus abdicasset. Sic & Rutilius & ipse Ethnicus, idem monachis insulæ Capratiæ objectat, aitque:

S. Paulinus cum sua conjuge melicholicus seu maniacus habetur.

Sic nimiæ bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.

Ecce Christus hic parabolam applicat: Joannes enim austere vivens significatur per chorum puerorum lamentantium; Christus vero remissius vivens & familiarius conversans, notatur per chorum canentium, sed utrumque risere & explosere Scribæ & Pharisæi, ut suis voluptatibus & licentiosæ vitæ libere sine censore vacarent.

VERS. 19 VENIT FILIUS HOMINIS MANDUCANS ET BIBENS (vulgari mensa, & modo cum hominibus vivens, & familiariter cum eis conversans) ET DICUNT (Scribæ, & Judæi in malo obstinati) ECCE HOMO VORAX ET POTATOR VINI, PUBLICANORUM ET PECCATORUM AMICUS] Joannes austeram in deserto vitam egit, Christus communem cæterorum hominum, ut quos Joannis austeritas terrebat, illius humanitas ad se alliceret. Christus enim ad hoc in mundum venerat, ut omnibus hominibus daret perfectum humilitatis, omnisque virtutis exemplum, quod singuli pro suo gradu & statu imitarentur, ac præsertim ut peccatores a vitiis ad Deum converteret. Quare necesse fuit, ut cum eis conversaretur, ederet & biberet, itaque eos ad sui amorem & sequelam alliceret. Ita D. Thomas 3. part. q. 40. art. 2. Suarez, & alii ibidem. Aliam causam dat S. Aug. l. 3. de Doctr. Christ. c. 12. ut ostenderet, *quod in omnibus talibus* (cibo, potu, vestitu, &c.) *non usus rerum, sed libido utentis in culpa est*, itaque doceret divites in suis divitiis posse honeste vivere, & salvari. Verum Scribæ hanc Christi facilitatem calumniabantur, & gulositatem interpretabantur, quæ sane ingens fuit maledicentia, ingratitudo & blasphemia.

Luc. 7. 34. 35.

Christus agit vitam communem. Cur?

ET JUSTIFICATA EST SAPIENTIA A FILIIS SUIS] Syrus, *a servis suis*. Justificare duo significat, scilicet, justum facere, & justum declarare, hic secundo modo sumitur. *Justificata* ergo, id est, justa, irreprehensibilis, ab omni calumnia libera, plena & omnino perfecta, declarata, & pronuntiata est Dei sapientia, quam in Joanne & Christo ostendit, quia nil saluti hominum conveniens intentatum reliquit; ut enim haberent austeræ vitæ & pœnitentiæ exemplum, dedit eis Joannem: ne vero multi hac austeritate territi virtutem & salutem desperarent, dedit communis vitæ & virtutis exemplum in Christo. *A filiis suis*, puta a studiosis sapientiæ & virtutis, scilicet fidelibus Christo, & Joanni auscultantibus & obedientibus, q. d. Sapientia Dei, quam superbi Scribæ & insipientes Judæi in Christo & Joanne contempserunt, justificata, id est, honorata & laudata est ab omnibus vere sapientibus. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, S. Hilarius, S. Hieronymus. S. Augustinus, Theophyl. & alii. Itaque si qui jam pereunt, sua culpa pereunt, quia Joanni & Christo credere & obedire nolunt: sibi ergo suam perditionem imputent, Deum autem justificent, juxta illud Ps. 50. *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Simili sensu ait Apostolus 1. Tim. 3. v. ult. *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu*, id est, declaratum & ostensum est mundo justum fuisse, sanctum, sapiens, Deoque dignum incarnationis Verbi opus & mysterium. Hunc esse sensum liquet ex Luc. c. 7. v. 29. qui occasionem hujus parabolæ, indeque ejus intentionem & scopum per proparabolam, sive per præfabulationem ita enarrat: *Et omnis populus audiens & publicani, justificaverunt Deum baptizati baptismo Joannis. Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsis non baptizati ab eo.* Ac mox subjicit parabolam puerorum cantantium, & lamentantium, contra eos intortam a Christo, quam paulo ante explicui.

Sapientia Dei justificata, id est, justa declarata.

Paulo aliter Maldonatus hic, & Toletus in Luc. cap. 7. v. 34. & 35. *Justificata*, inquiunt, est *sapientia Dei a filiis suis*, id est, a Judæis (hi enim erant filii legis, fidei, & sapientiæ Dei) Judæorum enim nonnulli magistram sapientiam credendo, alii non credendo justificarunt, quia illis per tot signa juste, meritoque credentibus; hi sua culpa non credendo seipsos condemnarunt, sapientiam vero hi, illique credentes justificarunt ipso facto: credentium enim salvatio, & non credentium condemnatio est sapientiæ justificatio: quia credentes salvantur, eo quod sapientiæ a Joanne & Christo prædicatæ crediderint: non credentes condemnantur, quia eidem credere, itaque se salvare noluerunt. Simili phrasi Ezech. c. 16. v. 51. & 52. ait, *Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* Vide ibi dicta.

Rursum S. Aug. l. 2. de Doctr. Christ. c. 11. ante medium arctius sic exponit: *Justificata est sapientia a filiis suis, quia scilicet sancti Apostoli intellexerunt regnum Dei non esse in esca & potu, sed in æquanimitate tolerandi, quos nec copia sublevat, nec deprimit egestas.* Christum enim non sublevavit copia, Joannem non depressit egestas.

Denique S. Hieronymus hic, & S. Ambrosius in cap. 7. Lucæ vers. 35. notant, in quibusdam Græcis Codicibus legi: *Et justificata est sapientia ab operibus suis. Sapientia quippe non quærit oris testimonium, sed operum*, ait S. Hieronymus.

VERS. 20 TUNC COEPIT EXPROBRARE CIVITATIBUS, IN QUIBUS FACTÆ SUNT PLURIMÆ VIRTUTES EJUS, QUIA NON EGISSENT POENITENTIAM] *Tunc*, cum scilicet Apostolos misisset prædicatum per Galilæam, & ipse seorsim prædicasset, sed parvo fructu & paucorum conversione, *cœpit exprobrare* summam ingratitudinem & obstinatam malitiam *civitatibus*, puta civibus, apud quos ab eo *factæ sunt plurimæ virtutes*, id est miracula, quibus Christus suam prædicationem & doctrinam novam de more confirmabat, ut eos a vitiis ad pœnitentiam & virtutes alliceret, *quia* (quod) post tot miracula, tot exhortationes, tot minas inferni, tot promissa regni cælorum, *non egissent pœnitentiam*.

VERS. 21 VÆ TIBI COROZAIM, VÆ TIBI BETHSAIDA: QUIA SI IN TYRO ET SIDONE (Gentilium urbibus, in vicina Palæstinæ Phœnicia) FACTÆ ESSENT VIRTUTES, QUÆ FACTÆ SUNT IN VOBIS, OLIM IN CILICIO, ET CINERE POENITENTIAM EGISSENT] Corozaim inclyta est Galilææ civitas, quæ inter decem celebriores Decapoleos urbes numeratur. Sita est e regione Capharnai ad mare Galilææ, ubi scilicet Jordanis in mare hoc influit, a Capharnao distat duobus milliaribus, sive duobus passuum millibus. Unde Christus, qui sedem & domum fixerat Capharnai, sæpe ad Corozaim & Bethsaida, & ad alias vicinas urbes prædicatum excurrebat, ibique virtutes, id est, miracula patrabat. Hinc *Corozaim* Chaldaice idem est, quod *co*, id est, *hic raza*, id est, *secretum*. Appositе, quia Christus ibi prædicabat arcana fidei, & abscondita a constitutione mundi, sed civibus mercaturæ, lucro, & deliciis addictis quasi surdis canebat: unde eis hic Dei vindictam intentat, quæ eis etiam in præsenti sæculo obvenit. Testatur enim S. Hieronymus, in locis Hebr. sua ætate Corozaim fuisse desertam, atque etiamnum antiquæ ejus dumtaxat ruinæ supersunt. Sunt qui putant Antichristum in Corozaim nasciturum, ibique nutriendum, quem tamen in Babylone generandum plures opinantur ex illo Jer. 1. *Ab Aquilone* (id est Babylone, quæ Aquilonaris est respectu Jerusalem) *pandetur omne malum*, puta, Nabuchodonosor regnorum vastator, & ejus antitypus Antichristus. Ita ex Fretello Adrichom. in descriptione terræ sanctæ. Verum utrumque plane est incertum.

Luc. 10. 13.

Corozaim quænam civitas & ubi sita.

Antichristi patria quæ?

VÆ TIBI BETHSAIDA] Bethsaida pariter erat primaria civitas Galilææ, & Decapoleos, adjacens mari juxta Capharnaum, ab eo distans itinere trium horarum, ita dicta, quod in ea habitarent piscatores, *Beth* enim est *domus*, *saida* est piscatio: צד *sud* enim Hebraice significat *venari*, sed Syriace *piscari*, quia venatio in mari est piscatio: unde *saiade* sunt piscatores. Ita Franc. Lucas. Ex hac civitate orti sunt SS. Apostoli Petrus, Andreas & Philippus; unde ipsa in Evangelio civitas Andreæ & Petri appellatur. Verisimile est in hac civitate fuisse domum Petri & Andreæ, quã Christus ingressus, socrum Petri in lecto decumbentem graviterque febricitantem manu apprehendisse ac dicto sanasse, Evangelistæ describunt: ubi quoque post solis occasum oblatos sibi ante januam multos male habentes, ac variis morbis afflictos, atque a dæmoniis vexatos curaverit. Ita Adrichom. Sed vide quæ dixi Matth. 8. 14. Hic etiam Christus cæco cuidam in oculos expuens, impositis manibus visum restituit, prius quidem imperfectum, deinde ve-

Bethsaidæ etymol.

Digitized by Google

A

10 perfectum. Marc. 8. Quare Christus hic Bethsaidæ merito exprobrat, quod visis tot suis miraculis in se non crediderit, ideoque ei exitium minatur tum futurum, tum præsens, quod ei reipsa obvenit. Nam cum hæc civitas olim opibus & ædibus floreret, nunc ita deserta est, ut vix sex habeat domos, ait Adrichom. in descriptione terræ sanctæ p. 137. n. 18. in fine.

QUIA SI IN TYRO ET SIDONE FACTÆ ESSENT VIRTUTES (signa & miracula) QUÆ FACTÆ SUNT IN VOBIS] Subintellige, accedente ad signa externa interna Dei gratia, scilicet, illuminatione intellectus & impulsu voluntatis, iis signis congruente & proportionata, qualem ordinarie dare solet Deus: sine gratia enim interna, quæ mentem moveat, frustranea est omnis prædicatio externa: *olim in cinere, & cilicio Pœnitentiam egissent*, uti fecerunt Ninivitæ ad prædicationem Jonæ c. 3. Nota τὸ *olim*, q. d. Jam diu pœnituissent, nec tamdiu expectassent, sicut vos

Tyrus, & Sidon quid?

expectastis, o cives Corozaim & Bethsaidæ. Tyrus urbs est munitissima Phœniciæ in rupe maris sita, ideoque Hebr. *Tsor*, id est *rupes*, vocatur. Vide quæ de ea dixi Ezech. c. 26. Sidon est vicina Tyro, ita dicta, vel a Sidone primogenito Chanaan conditore, Gen. 10. 15. vel a piscatione

B

piscium que copia, uti paulo ante dixi de Bethsaida.

C

Hinc Theologi colligunt Deum certo scire propositiones conditionatas liberas; licet numquam eventuras, eo

Deus cognoscit futura conditionate.

quod conditio non ponatur in rerum natura: Christus enim hic certo asseverat Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos fuisse, si Christi signa vidissent, quæ tamen non viderunt, ideoque pœnitentiam non egerunt. Ratio a

Unde?

priori est, immensitas mentis divinæ, scilicet infinita acies & vis intellectus Dei, quæ omnia omnino etiam secretissima, ac nominatim libertatem hominis, liberasque cujusque cogitationes & volitiones, sive absolute, sive conditionate futuras, comprehendit, penetrat & previdet, ideoque est omniscia, nec quidquam potest illam fugere, quin illud plane pleneque cognoscat, & perspiciat. Objectum enim ejus est omne verum, præteritum, præsens, & futurum, sive absolute, sive conditionate: quare omne hoc clare intuetur, & pervidet infinita acie mentis suæ. In futuris enim conditionatis altera pars contradictionis est vera, sicut in absolutis: posita enim conditione vel erit, vel non erit id, quod dicitur. Vide dicta Jer. 38. 17. & Sap. 4. v. 11. ad illa: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*.

Rursum S. August. lib. de Bono persever. c. 9. & 10. ex hoc loco recte refellit Semipelagianos, qui dicebant Deum prædestinare hos vel illos homines, quia prævidebat eos gratia, si darentur, bene usuros. Nam Tyrii bene fuissent usi gratia, & tamen hæc eis data non fuit.

Denique ex hoc loco ne colligas Tyriis defuisse gratiam sufficientem, sed copiosam & abundantem, qualem habuere hi Galilæi.

VERS. 22 VERUMTAMEN DICO VOBIS, TYRO ET SIDONI REMISSIUS ERIT (Arab. *remissio erit major*) IN DIE JUDICII, QUAM VOBIS] q. d. Punientur quidem Tyrii, & Sydonii ob sua scelera, sed vos, o cives Corozaim, & Bethsaidæ, gravius puniemini; Primo, quia majorem habuistis Dei legis & virtutis cognitionem, vos, utpote Judæi & fideles, quam Tyrii Gentiles & infideles. Secundo, quia me prædicantem, & ad pœnitentiam exhortantem sæpius audistis, ac plura miracula facientem vidistis, cum Tyrii nil horum audierint vel viderint. Tertio, quia Tyrii, utpote in

Luc. 10. 14.

corde maris siti (uti jam sunt Genuenses, Veneti, Lisbonenses) ideoque mercibus, & opibus abundantes, longe

D

majorem superbiæ, avaritiæ, & luxuriæ occasionem habuere, quam vos, o Galilæi, & tamen vos superbiores, avariores & luxuriosiores estis Tyriis.

Moraliter. Moraliter, simili modo in die judicii gravius punientur Christiani quam Judæi; Romani, quam Indi; sacerdotes quam laici; religiosi quam seculares, si impie vixerint, quia majorem a Deo cognitionem, gratiam, aliaque beneficia si salutis adminicula acceperunt, sed iis uti noluerunt, imo iis abusi sunt ad majorem suam damnationem.

VERS. 23 ET TU CAPHARNAUM NUMQUID USQUE IN CÆLUM EXALTABERIS? q. d. minime, sed USQUE IN INFERNUM DESCENDES] Legit interpres ὑψωθήσῃ, id est *numquid exaltaberis*, jam legunt, ὑψωθεῖσα, id est, *quæ es exaltata*; Arabicus, *elevata*: quo modo etiam habet Luc. c. 10. v. 15. sed eodem redit sensus, q. d. Numquid tu, o Capharnaum, quæ meis miraculis, doctrina & prædicatione magis, quam mercibus & opibus tuis exaltata es, & celebris ac gloriosa effecta apud Deum & homines, numquid, inquam, sem-

Luc. 10. 15.

per ita exaltaberis? q. d. non, sed in die judicii ad inferna

E

detraheris, & descendes in ejus fundum profundissimum, ut sub Tyriis & Sydoniis, qui minus quam tu peccarunt, degas in ipso centro gehennæ, ibique flammantia ejus incendia præ aliis sentias, crucieris, & comburaris; plerique enim cives & incolæ tui damnandi sunt, & in fundum gehennæ relegandi. Hinc S. Aug. ser. 42. de Sanctis τὸ *exaltaberis*, vel Lucas habet *exaltata*, sic exponit, q. d. *Nimium tibi felix videris, nimium potens, nimium superba es*, ideo me, omnesque te monentes respuis & despicis: qua de causa in certum tui ipsius tuis exitium.

QUIA SI IN SODOMIS FACTÆ FUISSENT VIRTUTES, QUÆ FACTÆ SUNT IN TE, FORTE MANSISSENT USQUE IN HANC DIEM [Tò *forte* non est *dubitantis*: nam Græce est ἄν, quæ expletiva & confirmantis est particula, significans certe, utique. Unde eam omisit Interpres v. 21. & alibi passim, ubi tamen est in Græco. τὸ enim ἄν quater tantum vertit *forte*, scilicet, hic & Joann. 5. 46. & Ps. 80. 15. & 2. Cor. 7. v. 5. in cæteris omnibus locis, quæ plurima sunt, omisit τὸ ἄν, quod est in Græco, & simpliciter vertit assertive, ut Matt. c. 3, 18. & c. 5, 18. & 6. 5. & c. 10. 42. ac plurimis aliis locis, quæ videre est in Concordantiis Græcis. Sic quoque τὸ *forte* hoc v. 23. omittunt Vatabl. Pagnin. & alii, ac asseveranter vertunt *mansissent*. *Forte* ergo non significat Christum dubitasse de Sodomorum mansione, sed eam licet certo futuram, libere tamen, ideoque quasi casu & fortuito eventuram prævidisse. *Forte* enim idem est quod casu, & velut per sortem; opponitur enim naturali & necessario. Sic Comicus in Andria: *Forte*, inquit, *aspicio militem, aggredior hominem*. Et Liv. l. 1. *forte evenit*: & infra, *forte ita acciderat*. Sensus ergo est, q. d. Si Sodomitæ audissent meam prædicationem & exhortationem ad pœnitentiam, meaque miracula, quæ in ejus confirmationem tot tantaque apud vos, o Capharnaitæ, patravi, conspexissent, utique compuncti fuissent & pœnitentiam egissent; ac mansissent usque in hodiernum diem, intellige, nisi ipsi vel posteri eorum post pœnitentiam in eadem vel similia scelera relapsi, rursum ira Dei provocassent, quæ simile excidium eis intulisset. Si enim perstitissent in sua pœnitentia & mutatione vitæ, mansissent usque in hanc diem. Et hoc innuit τὸ *forte*. Unde Franc. Luc. ἴσως, quod noster vertit *forte mansissent*, exponit per modum potentialem, vertitque *mansisse potuissent*.

Forte pro utique.

F

G

C

VERS. 24 VERUMTAMEN, DICO VOBIS, QUIA TERRÆ SODOMORUM (Sodomitis) REMISSIUS ERIT (Arab. *inveniet remissionem majorem*; Syrus, *tranquilliores erunt*) IN DIE JUDICII, QUAM TIBI] q. d. Mitius punientur Sodomitæ, quam Capharnaitæ ob causas, quas recensui v. 22. Hæc Christi de Capharnao sententia, etiam juxta litteram impleta cernitur. Quamvis D. Hieronymus in suam usque ætatem Capharnaum oppidum extitisse testetur: tamen postea & etiamnum adeo desolata est, ut vilis & humilis existens vicus, vix septem piscatorum habeat casas. Ita Adrichom. & alii in descriptione terræ sanctæ.

VERS. 25 IN ILLO TEMPORE RESPONDENS JESUS DIXIT: CONFITEOR TIBI PATER, DOMINE (Syrus, *Dominator*) CÆLI ET TERRÆ, QUIA ABSCONDISTI HÆC A SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS ET REVELASTI EA PARVULIS] Apte hæc cohærent præcedentibus. Dat enim hic Christus causam, cur Capharnaitæ, Scribæ, Sacerdotes & Pharisæi spreverint Christum, ejusque prædicationem; quia, scilicet, erant superbi, sibique videbantur sapientes esse & prudentes: quare ad humilitatem Christi, & Evangelii noluerant superbas cervices inclinare, sed id fecerant humiles Apostoli, discipuli & turbæ. At hæc gnome significat Christum dolorem suum, quem ex eorum superba incredulitate conceperat, leniviisse & abstersisse consideratione, & laudatione justi judicii decretique divini, quo a superbis quasi indignis hæc abscondit, & parvulis sive humilibus ea revelavit. Unde Lucas addit: *Exultavit Spiritu S.* id est, per Spiritum sanctum, qui hanc considerationem, ex eaque lætitiam ei suggerebat, *exultavit*, Deumque laudibus celebravit. Idem Christi imitatione faciamus & nos, ut dum operam nostram apud superbos & indignos perdimus, mœstitiam abstergamus consideratione divinæ voluntatis & providentiæ, quæ superbos aspernatur, & humiles eligit, elevatque ad suam gratiam & gloriam.

Luc. 10. 21.

H

RESPONDENS] Id est, dicens, novumque sermonem orsus; nec enim hic appareat ulla interrogatio, cui proprie respondeat. Est Hebraismus. Vide Canonem 18.

CONFITEOR] id est, laudo & gratias ago; hoc enim significat Hebr. יָדָה *jadah* in Hiphil, puta הוֹדָה *hodah*, unde sacrificium תּוֹדָה *todah*, id est, *confessionis*, est laus &

Confiteor, id est laudo, gratias ago.

gra-

Digitized by Google

A gratiarum actio. Hinc Lucas addit: *Exultavit Spiritu ſancto*. Sic paſſim in Pſalmis dicitur: *Confitebor tibi in toto corde meo*, id eſt, laudabo te, *Confitemini Domino, quoniam bonus*, &c. id eſt laudate Dominum.

TIBI PATER (qui me filium tuum unice amas, omniaque ad tuam, meamque gloriam diſponis & ordinas) DOMINE CÆLI ET TERRÆ] Addit hoc, ne quis impotentiæ vel infirmati Chriſti tribuat, quod non potuerit domare, ſibique ſubjugare ſuperbos Capharnaitas & Phariſæos. q. d. Tu, o Pater mi, cum ſis Dominus cæli & terræ, omniumque corda in manu tua habeas, potuiſti ſolo nutu ſuperborum mentes flectere, & mihi ſubdere, ſed juſta tua ordinatione noluiſti.

Nomine *cæli & terræ* ſignificantur omnes creaturæ.

Porro nomine *cæli & terræ* ſignificantur omnes creaturæ, ideoque omnes homines & Angeli; quo innuitur: Primo, Deum non ſolos Judæos, ſed & Gentes curare & regere, ac revocare ad Evangelii gratiam, & ſalutem per Chriſtum. Secundo, Deum ſuos fideles e terra in cælum ſuum deducere, utpote cæli æque ac terræ Dominum: ipſius ergo eſt cælum ſuis amicis aperire. Tertio, Deum, ſicut B humiles Apoſtolos diſcrevit a ſuperbis Scribis in terra, ſic & humiles Angelos diſcreviſſe a ſuperbo Lucifero, ejuſque aſſeclis in cælo. Ita Toletus in Lucæ 10.

Audi Tertull. l. 1. contra Marcion. c. 13. *Plenitudo eſt divinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum Patrem & Dominum: Patrem clementia, Dominum diſciplina: Patrem poteſtate blanda, Dominum ſevera: Patrem diligendum pie: Dominum timendum neceſſarie: Diligendum, quia malit miſericordiam quam ſacrificium, & timendum, quia nolit peccatum: Diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem, & timendum, quia nolit peccatores ſui jam non pœnitentes. Ideo lex utrumque definit: Diliges Deum, & timebis Deũ. Aliud obſecutori propoſuit, aliud exorbitatori.*

HÆC (Myſteria gratiæ & gloriæ, quæ ego prædicavi, & prædico) A SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS] Scilicet, a Capharnaitis & Scribis, qui in mercibus, mundique negotiis præ aliis ſapere videntur; unde a me inſtrui, & diſcere viam ſaluris dedignantur: juſte ergo a nolentibus recipere lucem Chriſti tui, eam ab indignis retraxiſti. Ita SS. Hier. Chryſoſt. & Ambr. ſer. 17. in Pſ. 118.

C ET REVELASTI EA PARVULIS] Syrus, *puerulis*. Græce νηπίοις, id eſt, *infantibus*, ut vertit Arabicus, id eſt, idiotis, imperitis, infacundis, puta Apoſtolis, diſcipulis & turbis, qui Scribis & mundanis videntur eſſe rudes, & inſipientes vel infantes, ut in eis oſtendas vim lucis & gratiæ tuæ, qua linguas horum infantium ita feciſti diſertas, ut in omnem terram exierit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum. Pſ. 18. Alludit ad illud Pſ. 8. 3. *Ex ore infantium & lactentiũ perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem*. Dei enim electio & diſpoſitio plane contraria eſt mundo: mundus enim ambit & eligit divites, ſapientes, potentes: Deus vero eligit pauperes, rudes, infirmos, eoſque facit præ omnibus mundanis ſpiritu divites, ſapientes, & potentes. Quare? *Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur*. 1. Cor. 1. 19. & 31. Vide ibi dicta.

Ex hoc loco S. Auguſt. de Præd. Sanct. c. 6. & de Bono perſever. c. 8. ac S. Gregorius 25. Moral. c. 13. docent, quod cum audita prædicatione Evangelii hi credunt, illi non credunt, eſſe opus gratiæ & juſtitiæ Dei. Qui enim credunt, ita congrue per gratiam Dei in mente illuminantur, ut credant: qui vero non credunt, juſto Dei judicio ob ſuam ſuperbiam, aliaque peccata non ita congrue a Deo illuminantur, ut de facto credant, licet, ſi vellent illuminationi, quam Deus eis ſuggerit, conſentire, & cooperari, poſſent credere, & reipſa crederent.

D

VERS. 26 Luc. 10. v. 21. ITA PATER, QUONIAM SIC PLACITUM FUIT ANTE TE] id eſt tibi, Græce ſignificantius ναὶ ὁ πατὴρ, id eſt etiam, vel recte, o Pater (Græci enim ſæpe nominativum uſurpãt pro vocativo) q. d. Utique, o Pater, quod feciſti, rectiſſime feciſti, quia ſic placuit tibi humiliare ſuperbos, & exaltare humiles. Docet prædeſtinationis & electionis fidelium, æque ac reprobationis infidelium, & impiorum cauſam originalem non eſſe aliam, quam Dei beneplacitum, quare in eos nos conquieſcere debere, nec alias rationes quærere: cum illud unum fideli ſufficiat & inſtar mille rationum ſit. Hinc beati in cælo dum vident ſuos filios, parentes, nepotes ob demerita damnari, non dolent, ſed approbant, laudantque juſtum Dei judicium.

VERS. 27 Luc. 10. v. 22. OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE MEO. ET NEMO NOVIT FILIUM NISI PATER, NEQUE PATREM QUIS NOVIT, NISI FILIUS, ET CUI VOLUERIT FILIUS REVELARE] Dixit Chriſtus, Patrem ſuum eſſe Deum omnipotentem, eumque quaſi Dominum cæli & terræ ſuperbos Phariſæos rejeciſſe, humilibus vero Apoſtolis ſe, ſuamque gratiam revelaſſe: Nunc, ne quis Chriſtum ipſum putet eſſe Patre minorem, nec eſſe Deum omnipotentem, docet contrarium, ſcilicet, Patrem omnia ſua communicare Filio, imo non niſi per Filium operari, docere, prædicare, donaque ſua conferre. *Ad hunc enim finem miſit Deus Filium in carnem & in mundum, ut per eum velut doctorem & ſalvatorem omnes doceret & ſalvaret.* E

Omnia Chriſto a Patre tradita ſunt quo ſenſu?

Porro *τὸ omnia mihi tradita ſunt a Patre, ita intelligi debet, ut tamen omnia Chriſtus ſecundum naturam habuiſſe cẽſendus ſit. Sicut cum ſit ſecundum naturã vita, vivificari dicitur a Patre; ac cum ſit gloriæ Dominus, dicitur gloriã accepiſſe*, ait Conc. Eph. ex Cyrillo in defenſ. Anathem. Sènſus ergo eſt, q. d. Omnia quæ habet Pater, ſcil. divina natura, imperium & poteſtas, ait S. Hilarius & Auguſt. ac conſequenter (quod magis hic ſpectat Chriſtus) *omnia*, id eſt, omnium rerum, ſed præſertim hominum dominium, poteſtas, gubernatio, & diſpenſatio a Patre ab æterno data fuit mihi, quaſi filio per æternam generationem, & in tempore eadem F mihi data fuit quaſi homini, per hypoſtaticam unionem, ut poſſim, quos velim, v. g. humiles Apoſtolos eligere, illuminare, prædeſtinare, ſalvare, quos vero nolim, ut ſuperbos Capharnaitas, rejicere, negligere, reprobare, damnare: in manu enim mea eſt omnium prædeſtinatio, vel reprobatio, ſalus vel damnatio, q. d. Conſtitutus ſum a Deo Patre mundi ſalvator & redemptor, & in manu mea ac poteſtate poſuit Pater univerſa, ut ea reparem & reſtaurem: ut ſicut per me ut Deum omnia creavit, ſic & per me in carne aſſumpta omnia recreet & reparet. Ad hoc veni, & ad hoc ſum homo factus. Abſcondita igitur ſunt a ſapientibus ſacramenta, ſcilicet, legatio mea, incarnatio mea, finis adventus mei, officium meum; parvulis autem ex parte jam revelata, poſtmodum vero perfecte revelanda ſunt. Abſcondita, inquam, ſunt a ſuperbis & revelata humilibus, tam a me, quam a Patre meo, quia Pater omnia mihi tradidit, meæque poteſtati & arbitrio commiſit. Chriſtus enim hic ſuum officium, dignitatem & auctoritatem edocet & ſtabilit, ut omnes ei quaſi doctori & legato Patris auſcultent, credant & obediant. Sicut vice-rex, vel gubernator demonſtrat populo ſibi hoc munus a rege eſſe demandatum, ut ſibi auctoritatem & civium obedientiam conciliet. G

ET NEMO NOVIT FILIUM NISI PATER, NEQUE PATREM QUIS NOVIT NISI FILIUS, ET CUI VOLUERIT FILIUS REVELARE] Lucas c. 10. 22. *Et nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater: & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Reſpicit id quod dixit v. 25. *Et revelaſti ea parvulis*, q. d. Ego a Patre ſum miſſus, ut ſim doctor & ſalvator mundi, ut ſcil. doceam homines veritatem, & viam ad ſalutem, puta ad Deum Patrem, qui eſt increata ſalus & felicitas: hæc enim, cum ſit ſupernaturalis, a nullo homine vel Angelo naturaliter cognoſci potuit; quare ſicut nemo novit Filium niſi Pater, & cui voluerit Pater revelare: ſic viciſſim Patrem nemo novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare: Pater enim ſicut naturam, ſic & ſui cognitionem omniaque quæ habet, communicat Filio, & per Filium cæteris hominibus. Qui ergo ad veritatem, gratiam & ſalutem, quæ in Deo Patre ſita eſt, accedere cupit, per me accedat, neque docentem audiat, & in me credat oportet. Ego enim ſum via, veritas & vita. Mea doctrina eſt doctrina Dei Patris: per me ergo habebitis acceſſum ad H Patrem. Ego vos ad eum, ejuſque gloriam deducam.

Porro dum dicitur, *niſi Filius*, non excluditur Spiritus ſanctus; multo minus cum dicitur, *niſi Pater*, excluditur Filius. Regula enim Theologorum eſt particulas excluſivas additas uni perſonæ divinæ in attributis eſſentialibus, non excludere cæteras duas perſonas, ſed tantum creaturas; ſeu id, quod alterius eſt eſſentiæ. Ita S. Aug. l. 6. de Trinit. c. 9. S. Cyrillus, D. Thomas cæterique Patres, & Scholaſtici. Nota Chriſtum, primo Apoſtolis & diſcipulis revelaſſe cognitionem duarum primarum perſonarum, ſcilicet Patris & Filii, ac deinde ſub diſceſſum, cum iret ad mortem inculcaſſe fidem tertiæ perſonæ, puta Spiritus S. ut patet Joan. 16. 7. Senſim enim hoc diviniſſimum Trinitatis myſterium rudibus Apoſtolis patefaciendum fuit.

Chriſtus Apoſtolis duarum Trinitatis perſonarũ cognitionem revelat, tertiam ſub diſceſſum revelaturus.

Advertit ſolerter S. Chryſ. hom. 39. non dici, qui juſſus eſt a Patre revelare, ſed *cui voluerit revelare*, ut Filius Patri in dominio & poteſtate æqualis oſtendatur: licet enim Chriſtus revelet ut homo, ſive per naturam humanam & os, tamen hæc natura ſubſiſtit in perſona divina, ideoque hic homo, puta Chriſtus, eſt Deus & Deo Patri æqualis.

Digitized by Google

A Porro S. Chryſoſtomus, & Irenæus l. 4. c. 14. ut Marcioni vetus Teſtamentum ejuſque Deum rejicienti, dicentique: Si Deus Pater non fuit agnitus ante Chriſti incarnati revelationem, ergo non fuit agnitus in veteri lege: Ergo illius auctor & Deus non fuit Deus verus; reſpondeant, *nemo novit Patrem, niſi Filius*, exponunt de ſcientia divina, per quam filius, qua Deus comprehendit Patrem, & Pater Filium. Planius tamen accipias de ſcientia communicata naturæ humanæ Chriſti: hæc enim illius myſteria revelavit Prophetis & Patribus, hæc divinitatis & Trinitatis myſteria. Sic eadem poſt incarnationem revelat Apoſtolis, & fidelibus qua homo. Nemo enim eſt fidelis, & Chriſtianus; niſi a Chriſto & per Chriſtum incarnatum. *Aliud eſt enim*, ait Hieronymus, *naturæ æqualitate noſſe quod neveris:* (uti Filius novit Patrem) *aliud revelantis dignatione*, uti nos novimus Deum per revelationem Chriſti.

VERS. 28 VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS (Syrus, *qui feſſi eſtis & bajulantes onera*; Arabicus, *labore attriti & gravati onere*) ET EGO REFICIAM VOS] Oſtenſa deitatis ſuæ majeſtate, ne quis ea abſterreatur, Chriſtus addit humanitatem, & humaniſſime omnes ad ſe invitat. In legislatore & principe, cui ſumma ineſt po-

B tentia, & majeſtas, ſumma virtus & benevolentia & manſuetudo. Sic Moyſes legislator & dux Hebræorum fuit mortalium manſuetiſſimus Num. 12.

VENITE (Non tam pedibus corporis, quam affectibus fidei, ſpei, amoris, religionis, devotionis, & pietatis) AD ME] Cui omnia Pater dedit in manus, quemque miſit quaſi medicum peritiſſimum & officioſiſſimum, ac ſuaviſſimum tam moribus, quam pharmacis, ut omnibus omnino corporis & animæ infirmitatibus mederetur; nemo enim præter eum iis mederi poteſt.

Omnes ad ſe invitat Chriſtus. OMNES QUI LABORATIS] Nemine excluſo; nemo enim eſt, qui non aliquo morbo laboret, & Chriſti medela indigeat. Omnibus ergo Chriſtus ſe offert, ut ab eo ſanitatem & ſalutem petant & recipiant. Sic blande correxit, erexit, curavitque Magdalenam, Matthæum, Paulum, Petrum. Sic etiamnum in Euchariſtia omnes invitat, atque: Venite ad me infirmi, eſurientes, afflicti,

C ego reficiam vos.

QUI LABORATIS] Græce ὁ κοπιῶντες, (id eſt, qui moleſtiam patimini) ET ONERATI ESTIS] ſcilicet fatigati & depreſſi, ac ſuccumbentes oneri, tum peccatorum, ita S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus; tum legis Moſaicæ, ita Theophyl. tum ærumnarum, & tentationum hujus vitæ: *Nam corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Sap. 9. 15. Vide ibi dicta.

ET EGO REFICIAM VOS] Græce ἀναπαύσω, id eſt, refocillabo, feſſis *requiem dabo*, ut vertit Syrus, recreabo, in omni quiete conſtituam, ait S. Chryſoſtomus, per verba blandiſſima, per Sacramenta quaſi pharmaca efficaciſſima, denique per gloriam felicitiſſimam in cælo. Audi S. Auguſt. ſer. 10. de Verbis Domini ſecundum Matthæum: *Venite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, niſi quia ſumus mortales, fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt invicem anguſtias? ſed ſi anguſtiantur vaſa carnis, dilatentur ſpatia charitatis. Quid ergo dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, niſi ut non laboretis? Denique promiſſio ejus in promptu eſt, quoniam*

D *laborantes vocavit. Quærent forte, qua mercede vocati ſunt? Ecce ego vos, inquit, reficiam.*

VERS. 29 TOLLITE (Syrus, *bajulate*) JUGUM MEUM SUPER VOS] q. d. Tuliſtis grave & pene intolerabile jugum, & onus legis veteris, peccati & concupiſcentiæ; venite ad me, ego illud tollam & commutabo in ſuave jugum legis Evangelicæ, gratiæ, & charitatis. Reficiam ergo vos per jugum meum, quod jugum quidem eſt, quia eſt lex obligans animas, ſed ſimul pharmacum eſt, imo lectus, in quo ſuaviter quieſcatis, præſertim per humilitatem, quam docet & præcipit; quæ unica & ſingularis eſt medicina omnium morborum tam animæ, quam corporis, omniumque onerum levamen & requies. *Nihil enim aſperum eſt mitibus, nil arduum humilibus*, ait S. Leo. Sicut enim lana bombardarum globos excipit, ac ſua mollitie impetum eorum infringit: ſic mititas & humilitas omnia dura, & aſpera ſua lenitate frangit & mollit: jugum ergo hoc Chriſti eſt Evangelium & lex Evangelica, ſive lex gratiæ. Unde S. Bernardus ſerm. 15. in Pſalm. *Qui habitat*: *laborantes*, inquit, *ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos, non tamen onus ſubtrahit aut laborem: magis autem onere alio, alio labore commutat? ſed onere levi, ſuavi jugo, in quibus requies aut refectio, etſi minus appareat; tamen* E *inveniatur.*

ET DISCITE A ME, QUIA MITIS SUM ET HUMILIS CORDE (id eſt *cordis affectu, id eſt, voluntate*, ait S. Bernardus ſer. 42. in Cant. multi enim ſunt humiles ore, ſed pauci corde) ET INVENIETIS REQUIEM ANIMABUS VESTRIS] q. d. Imitamini meam humilitatem, & manſuetudinem, eſtote mites & humiles, ac ſentietis, quam ſuave ſit jugum Dei. Ita S. Chryſoſtomus, & S. Auguſt. ſerm. de Verbis Domini ſecundum Matthæum, quem audi: [Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me non mundum fabricare, non cuncta viſibilia, & inviſibilia creare, non in ipſo mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare; ſed quoniam mitis ſum & humilis corde. Magnus eſſe vis? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quiſque vult, & diſponit ſuperimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. *Sapienter Climacus gradu* 25. Humilitas, *inquit*, eſt gratia animæ, nominis expers, ſolis nominata iis, qui ejus experimentum ceperunt, inexplicabilis theſaurus, a Deo nomen ſortita, ſingulare munus Dei; Diſcite, inquis, non ab Angelo, non ab homine, non ex libro, ſed a me, hoc eſt, ex mea in vobis habitatione, illuſtratione & operatione, quia mitis ſum & humilis corde, & cogitatione, & ſenſu & in-

F venietis bellorum interiorum requiem animabus veſtris, & levamen cogitationum veſtrarum. *Et poſt plura, humilis dotes & fructus hos aſſignat:* Qui cum hac velut ſponſa ſponſus copulatus eſt, lenis, placidus, promus in compunctionem, miſericors, ſuper omnia vero ſerenus, & tranquillus, lætus & alacer, obſequens, omnium moleſtiarum expers, vigil & impiger eſt, &, ut uno verbo complectar omnia, imperturbatus.]

Humilitatis dignitas. Effectus.

Secundo, & magis genuine Auctor imperfecti, Maldonatus & Janſenius, q. d. Diſcite a me, id eſt, ne vereamini ad me accedere, & jugum mei Evangelii in collum veſtrum ſuſcipere, quin venite, & illud ſuſcipite: diſcetis enim, & reipſa experiemini in me, me non eſſe tyrannum, aut regem ſeverum & rigidum, ſed Dominum humilem, mitem, clementem & benignum. Hunc ſenſum G exigit ratio, quam ſubjicit: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et illud: *Et invenietis requiem animabus veſtris;* hanc enim ſolus præſtat Chriſtus. Porro Chriſtus tantæ fuit humilitatis & manſuetudinis in ſufferendis Scribis, diſcipulis, turbis, injuriis, probris, irriſionibus, flagellis, cruce & morte, ut etiamſi nullum feciſſet miraculum, tanta tamen manſuetudine ſat ſuperque probaſſet, ſe eſſe hominem cæleſtem, & verum Propheram a Deo miſſum. Ego ſane magis miror divinam Chriſti manſuetudinem, quam miracula; & mortuorum ſuſcitationem.

Moral. diſce hic, quanta, & quam chara Chriſto ſit humilitas. Primo ex eo, quod ſit ſumma, & corona vitæ, doctrinæ, & perfectionis Chriſti, q. d. Diſcite a me non mundum creare, non miracula facere, non ſubtilia de Deo, & ſancta Trinitate diſputare, non Herculeos labores & facinora patrare, ſed quia mitis ſum & humilis corde; hic eſt apex & breviarium meæ doctrinæ, & Evangelicæ perfectionis.

Quam chara Chriſto humilitas. Primo.

Secundo, quod humilitas ſit ſedes pacis; *Et invenietis*, inquit, *requiem animabus veſtris;* nuſquam quies animi, niſi in humilitate; vis ergo requiem? amplectere humilitatem, humilem locum, humile officium, humilem victum, veſtitum, &c. impoſſibile eſt, ut ſuperbus habeat pacem animæ, qui ſemper majora deſiderat, & ambit, ac ſæpe aſſequi nequit. H

Secundo.

Tertio, quod humilitas tollit ab homine omnem labotem & omnia onera: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, a labore, & onere ſublevando: qua ratione Domine? per humilitatem: *Tollite*, ait, *jugum meum ſuper vos & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde.* Humilitas ergo eſt levamen omnis laboris & oneris, & refectio vitium, ut quidam Doctor merito dixerit: *Humilitas eſt pharmacum contra omnes morbos, ac ſanitas animæ & corporis;* morbum enim tolerando lenit & ſuperat. Quin & Hippocr. dixit τὰ ἄχολα μακροβία, hoc eſt, animalia, quæ felle carent, ut cervi: ſunt longæva: mites ergo & humiles ſunt ſani & longævi: manſuetudo enim, uti mores, ita & humores contemperat, quos diſtemperat bilis, unde morbi.

Tertio.

Quarto, humilitas eſt virtus Chriſti: *Diſcite*, ait, *a me* hæc mea, mihi propria, mihi præ cæteris chara eſt virtus, quam deſcendendo e cælis in imam terram ad extremam

Quarto. Humilitas eſt virtus Chriſti.

pau-

Digitized by Google

A paupertatem, ad infamem mortem & crucem ita ostendi, ut nulla sit illustrior & mirabilior in vita, & morte mea. Sic ex diverso superbia est peccatum Luciferi. Humilitas ergo facit nos simillimos Christo: quid dignius, quid optabilius?

Quinto. Quinto, eadem facit jugum Christi suave & legem levem. q. d. Discite a me esse humiles, & mites, & in jugo meo non sentietis pondus, sed experiemini illud esse suave, & leve. Quocirca S. Franciscus dictitabat Christum non aliam ob causam e cælo in terram descendisse, quam ut nos doceret humilitatem. Vide S. Bonaventuram c. de Humilitate S. Francisci.

Præclare S. Aug. epist. 112. Qui, inquit, didicerunt a Domino Jesu mites esse & humiles corde, plus orando & meditando proficiunt, quam legendo & audiendo.

Denique Christus jungit hic mitem cum humili, quia mansuetudo & humilitas sunt quasi duæ sorores invicem associatæ, vel sicut mater & filia. Unde S. Bernard. ser. 2. in illud Apoc. 12. *Signum magnum: Sicut*, ait, *mater præsumptionis est elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit*. Idem de Verbis Apostoli: *Non est regnum Dei esca & potus. Mitis*, ait, *pertinet ad charitatem, quia charitas patiens est, benigna & humilis*. 1. Cor. 13.

B

Mansuetudinis natura. Audi Climacum gradu 24. *Solem matutina lux aurorę præcurrit, humilitatem mansuetudo precedit. Itaque lucem Christum prius audiamus, quæ eas ita per gradum disponit: Discite, inquit, a me, quia mitis sum & humilis corde.* Deinde mansuetudinem ita definit: *Mansuetudo est immutabilis animi status, qui in omni fortuna honorum & contumeliarum æqualem animi habitum conservat. Mansuetudo est pro aliis te perturbantibus sine perturbatione sincere & ex animo precari. Mansuetudo est prominens adversus iram maris rupes, quæ omnes illisos fluctus dissolvit ac frangit, nec ipsa interim movetur aut frangitur.* Denique ejus effectus, & dotes per elogia ita assignat: *Mansuetudo est stabilimentum patientiæ, charitatis janua, imo vero parens, prudentiæ argumentum: Docebit enim, inquit Dominus, mites vias suas; procuratrix veniæ, peccatorum fiducia in precibus, Spiritus sancti domicilium: super quos enim respiciam, nisi super mansuetum & quietum?* Isaiæ 66.

Effectus.

Vers. 30 C

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve] Jugum & onus Christi est Evangelium, ait S. Hilarius, & Beda, & alii. Evangelii ergo lex est jugum, quia disciplinæ nos alligat, ne quis a justitia discedat; hoc suave, Græce est nō χρηστὸς, id est, dulce instar sacchari, sed χρηστὸς, id est, commodum, humanum, placidum, benignum (Arabicus, *bonum*) præ lege veteri. Primo, quia pauciora, & faciliora habet præcepta. Secundo, quia majorem dat gratiam, quæ valde alleviat onus mandati. Tertio, quia amore nos regit, ut filios; non timore, ut servos, sicut faciebat lex vetus. Quarto, quia mortem non intentat, nec infert, uti lex vetus, sed aufert. Quinto, quia promittit sui observatoribus vitam felicissimam, eosque quasi manu ducit ad æternam cælestium gaudiorum dulcedinem, juxta illud: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Ps. 35. 9. Causam dat S. Paulus, & ex eo S. Aug. ser. 10. de Verb. Domini secundum Matthæum: *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futurā gloriam, quæ revelabitur in nobis. Quare, quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus; Omnia sæva & immania prope nulla facit amor*. Ait ergo. *Tollite jugum meum super vos*, quasi in jugo divinæ servitutis perfecta consolatio, & refectio includatur. Unde D. Ambrosius lib. de Helia & jejunio c. 22. *Suscipite*, inquit, *jugum Christi. Nolite timere, quia jugum est; festinate, quia leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? quid procrastinatis? Non alligat cervicem vinculis, sed mentem gratia copulat. Non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit*. Audi S. Bernard. ep. 72. *Libet admirari, quam leve sit onus veritatis, quod non solum non onerat, sed etiam portat omnem, cui portandum imponitur. Hoc onus potuit uterum gravidare virgineum, sed non gravare. Hoc onus, ipsa quibus se præbuit sustentandum, Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam Paulum in gravi scilicet & corruptibili corpore positum, rapiebat usque ad tertium cælum*. Imo David: *Propter verba*, inquit, *labiorum tuorum, ego custodivi vias duras*. Ps. 16. 4. Ubi D. Augustinus lib. de Natura, & Gratia c. 69. *Dura*, inquit, *sunt timori, leves amori*.

Jugum Christi suave.

D

Meum] quod scilicet ego Christus vobis impono, sed & vobiscum fero, onerique succollo, imo totum onus & vos ipsos bajulo & porto: jugum enim dicitur, quod duo jumenta juncta subeunt; jugum enim a jungendo nuncupatur. Christus ergo jugi, id est, legis Evangelicæ unam dumtaxat partem collo nostro imponit, alteram & potiorem ipse subit, itaque nobiscum jugum hoc trahit, & nobis vires animosque trahendi sua gratia, æque ac suo exemplo suggerit, uti nuper quidam in Japone e Societate Jesu sacerdos, mortem atrocem pro Christo generose obiens, dictitabat, Christus ergo facit computrescere jugum a facie olei. Isaiæ 10. v. 27. Ex adverso gravia esse onera peccati, ait S. Hieronymus Zachar. c. 5. dicens iniquitatem sedere super talentum plumbi. Vide dicta utrobique.

E

Visio S. Mechtildis. Huc facit, quod in vita S. Mechtildis legimus, ipsam, cum gravibus capitis doloribus torqueretur, ut nusquam posset quiescere, audisse a Christo ostendente vulnus lateris sui: *Nunc intra, ut pauses*; quæ statim cum gaudio intravit. Et visum est ei tot cervicalia serica se habere, quot ictus dolorum tunc sensit capiti suo advenire. Et ait Dominus: *Bombyces sericum gerunt, & de me scriptum est: Ego sum vermis, & non homo. Hucusque in laboribus mihi devote serviviśti, amodo in virtutum exercitiis exemplo meo placitis mihi servire studebis: & quæ tibi fuerint importabilia, ego ea tecum feram*. Hæc ad verbum stylo simplici sed candido, auctor vitæ ejusdem.

F

Jugum ergo hoc Christi non tam jugum est, quam cervical bombycinum; quia non molestia nos premit, sed a pondere rerum terrenarum exonerat, & in cœlos attollit.

Pennis avium simile Christi onus. Quo circa apposite S. Bernardus onus hoc comparat plumis avium; sic enim scribit epist. 341. ad Monachos: *In via vitæ quo citius, eo facilius curritur; & leve Salvatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilius. Nonne & aviculas levat, vel onerat pennarum sive plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, & reliquum corpus suo pondere fertur ad ima. Sic disciplina Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quod deponimus: eo deprimimur ipsi, quia portat potius, quam portatur*. Et S. Augustinus ser. 24. de Verbis Apostoli: *Hæc sarcina*, inquit, *non est pondus onerati, sed ala volaturi. Habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Portant illas, & portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. Tu, si misericordiam velis præbere avi, præsertim æstate, & dicas: Miseram istam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire voluisti*. Et rursum lib. de Perfectione justitiæ circa med. in fine 7. tomi: *Laborant*, inquit, *in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere: sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam levem, non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum*.

G

Addit S. Ambrosius in Ps. 118. ser. 3. *Portare Christi jugum*, inquit, *suave est, si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos ad Dominum Deum tuum, & quære Deum, & invenies. Erige cervicem, redimicula, non vincula geris. Multa quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari sibi magis, quam nudari videntur, genę sicut turturis præferent insignia verecundiæ, redimicula cervicis libertate attollent fiduciam. Leve est ergo jugum Christi, & ideo crevit: eo non premitur, sed levatur. Non mirum quidem, si jugum istud leve sit, quoniam homini gloriæ cupido omnia gloriosa & honorifica, levia & suavia putantur; nihil autem est isto Christi jugo gloriosius*.

Denique S. Bernardus ser. 15. in Psal. *Qui habitat*, per jugum, & onus accipit onus donorum, & beneficiorum Dei: quia onus impositæ legis, gratiæ donum est, cujus observantia perfecta cætera in animam dona invehit. Audi eum: *Grave onus iniquitas sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarcina, qui dicebat: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Quod ergo onus Christi, quod onus leve? Ut quidem ego sentio, onus beneficiorum: dulce onus, sed ei qui sentit, ei qui experitur*. Et post nonnulla: *Onerat nos, cum exonerat nos Deus; onerat beneficio, cum exonerat peccato. Vox onerati: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Vox onerati: Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. Vox onerati: Exi a me, quia peccator sum Domine*.

H

Porro superbis, & carnalibus Christi jugum, & lex humilitatis, abstinentiæ, continentiæ, mortificationis videtur gravissima & intolerabilis, quia carent spiritu, nec nisi carnem & carnalia amant & cogitant. Unde S. Bern. tractat. de Præcepto & dispens. *Christi jugum*, ait, *& onus est, & omnino importabile, nisi Christi æque spiritui*, sed & his ipsis superbis & carnalibus longe gravius jugum est ipsa ambi-

Digitized by Google

A ambitio, & carnis concupiscentia. [Asperum quippe jugum, *ait S. Gregor. 40. c. 13.* & duræ servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pavore amissionis premunt.] *Vere S. Chrysost. hom. 14. in 1. ad Cor.* Aspera, *inquit*, virtus est, si ad imbecillitatem nostram comparetur; nam quod facilis & levis sit, audi Christum testantem: Jugum meum suave est, & onus meum leve. Quod si non intelligis, nulla te admiratio teneat: non enim forti animo es; ut enim cum animi vis adest, gravia levia fiunt; sic cum abest, levia gravia. Quid, quæso, manna suavius, quid magis in promptu? ægre tamen Judæi tulerunt, cum eo in deliciis vescerentur, quid fame, & cæteris quos Paulus est perpessus, laboribus gravius? gaudebat tamen ille, & exultabat, dicens: Nunc glorior in infirmitatibus meis, quæ igitur horum causa? animi diversitas, quem, si qualem esse oportet, instituB res, facilitatem virtutis dignoscetes.

CAPUT XII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus contra Scribas probat Sabbato licere discipulis suis vellere spicas, & sibi licere curare agros. Secundo, v. 22. sanat daemoniacum, probatque se id non facere ope Beelzebub, sed in digito Dei: quare Scribas id Beelzebub tribuentes, committere blasphemiam in Spiritum sanctum, ideoque irremissibilem. Tertio, vers. 39. petentibus signum dat signum Jonæ, quodque Ninivitæ & regina Saba Judæos sibi incredulos condemnabunt in die judicii. Quarto, v. 46. suos fratres & matres asserit esse eos, qui faciunt voluntatem Patris sui.

VERS. 1: IN illo tempore abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes cœperunt velC lere spicas, & manducare.

2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.

3. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant:

4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?

6. Dico autem vobis, quia templo major est hic.

7. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes:

8. Dominus enim est filius hominis etiam sabbati.

D 9. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

10. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum.

11. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?

12. Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.

13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera.

14. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.

15. Jesus autem sciens recessit inde: & secuti B sunt eum multi, & curavit eos omnes:

16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent.

17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem:

18. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ, Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit.

19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:

20. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium:

21. Et in nomine ejus Gentes sperabunt.

22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens; cæcus, & mutus, & curavit eum ita ut loqueE tur, & videret.

23. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius David?

24. Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

25. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur; & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.

26. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?

27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

28. Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.

30. Qui non est mecum, contra me est, & qui non congregat mecum, spargit.

31. Ideo dico vobis: Omne peccatum, & G blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur.

32. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

33. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.

35. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.

36. Dico autem vobis, quoniam omne ver- H bum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre.

39. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: Et ecce plus quam Jonas hic.

42. Re-

Digitized by Google

A 42. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomo hic.

43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.

44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi, Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.

45. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.

48. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ
B est mater mea, & qui sunt fratres mei?

49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.

VERS. 1. IN ILLO TEMPORE ABIIT JESUS PER SATA (per segetes albescentes vel maturas) SABBATO: DISCIPULI AUTEM EJUS ESURIENTES COEPERUNT VELLERE SPICAS, ET MANDUCARE] Addit Lucas cap. 6. 1. hoc Sabbatum fuisse secundo primum, quod quale fuerit ibidem dicam. Est tui sum hic hysterologia; hæc enim contigisse videntur ante missionem Apostolorum, de qua c. 10. v. 1. sequens. atque adeo ante sermonem Domini in monte, de quo c. 5. v. 1. ut colligitur ex Marco c. 22. & Lucæ 6. 1. *Quod autem spicas segetum manibus confricant, & inediam consolantur*, ait S. Hieronymus, *vitæ austerioris indicium est, non præparatas epulas, sed cibos simplices quærentium.*

Luc. 6. 1. Mar. 2. 23.

VERS. 2. PHARISÆI AUTEM VIDENTES DIXERUNT EI: ECCE DISCIPULI TUI FACIUNT QUOD NON LICET FACERE SABBATIS] Lucas cap. 7. 2. habet *dixerunt illis*, scilicet
C discipulis Christi, quia, nimirum primum discipulis, deinde Christo hoc objectarunt.

Luc. 6. 2. Mar. 2. 24.

An spicas vellere licitum olim.

Nota. Non carpunt discipulos, quod spicas vel uvas vellant: hoc enim lege permissum erat Deut. 25. 25. sed quod id faciant die festo, scilicet Sabbato. Vellere enim spicas videtur opus servile, ideoque violans quietem, & sanctitatem Sabbati, cujus præ aliis festis apud Judæos summa erat observantia & religio.

Allegor.

Allegorice S. Hilarius, Ambrosius, & Beda hoc facto significatum putant, quod Apostoli in Sabbato secundo primo, id est, Evangelico, ex semine & segete prædicationis collecturi erant grana, id est, fideles ex omnibus Gentibus electos, quorum fide & pietate & profectu se pascerent, donec eos secum conderent in horreo cælesti: sed Pharisæi, & Judæi videntes Gentes sibi in Evangelio præponi, eis invidentes, frustra Apostolis obstrepunt & obmurmurant.

Tropol.

D Tropologice Beda: Per sata, ait, ambulant cum Domino, qui eloquia sacra meditari delectantur. Esuriunt, cum in eis panem vitæ invenire desiderant, & hoc in Sabbatis, cum sopita mente a turbulentis cogitationibus vacare gaudent. Vellunt spicas, & contritas purgant, donec ad escam perveniant, cum testimonia Scripturarum, ad quæ legentes perveniunt, meditando assumunt, & tamdiu discutiunt, donec in eis medullam dilectionis inveniant. Verum hæc mentium refectio stultis displicet, sed a Domino approbatur. Hinc S. Augustin. lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 20. carpit eos, qui S. Scripturæ floribus inhiant, sed segetem ejus meditando non confricant, donec ad virtutis escam perveniant.

VERS. 3. AT ILLE DIXIT EIS: NON LEGISTIS QUID FECERIT DAVID, QUANDO ESURIIT, ET QUI CUM EO ERANT?] Videtur hoc ultimum repugnare 1. Reg. 21. ubi dicitur David fuisse solus. Resp. David fugiens Saulem solus abiit ad Achimelech (quem Marcus vocat Abiatar) Pontificem, ab eoque petiit & accepit panes, sed eos detulit ad socios fugæ, quos alibi expectantes reliquerat, ut patet tum ex hoc loco, tum ex 1. Regum 21. v. 2.

Luc. 6. 3. Mar. 2. 25.

ubi David ait Pontifici: *Pueris* (famulis meis) *condixi in illum, & illum locum.* Ita S. Hieronymus. E

VERS. 4. QUOMODO INTRAVIT IN DOMUM DEI (in atrium tabernaculi; nec enim laicis, qualis erat David, sed solis sacerdotibus licebat ingredi Sanctum, & soli Pontifici Sanctum Sanctorum, idque semel dumtaxat in anno) ET PANES PROPOSITIONIS COMEDIT, QUOS NON LICEBAT EI EDERE, NEQUE HIS, QUI CUM EO ERANT, NISI SOLIS SACERDOTIBUS.]

Luc. 6. 4. Mar. 2. 26.

Panes propositionis quinam & ad quid?

PANES PROPOSITIONIS] Vocantur panes propositi semper in Sancto ante arcam & Sanctum Sanctorum, quod erat quasi thronus Dei residentis super propitiatorium, hoc est, panes propositi ante faciem Dei. Unde Septuag. vocant ἄρτους ἐνωπίους id est *Panes faciales*. Syrus *panem mensæ Domini*. Hebr. vocantur לחמי פניכ *lachme panim*, id est, *panes facierum*. Erant enim duodecim, seni in una parte mensæ, seni in altera, sicut duæ sunt genæ in facie. Hisce duodecim panibus protestabantur duodecim tribus Israel se a Deo continue pasci alique. Unde thus eis imponebant, ut patet Levit. cap. 24. Thus enim symbolum erat eos Domini esse & Domino esse oblatos. Vicissim Deus hac gratitudine oblationis duodecim panum se duodecim tribuum meminisse, easque ante faciem & oculos semper habere ostendebat. Vide dicta Exodi 25. v. 30. F
Jusserat Deus panes hos sacros innovari quolibet Sabbato, tunc enim recentes ponebantur in mensa, & veteres auferebantur ac comedebantur a solis sacerdotibus, idque in tabernaculo dumtaxat, ut patet Lev. 24. v. 8, 9. Vis argumenti est hæc: David vir secundum cor Dei in necessitate famis usurpavit, & comedit panes propositionis sanctos, quos alias laicis edere non licebat, sed solis sacerdotibus, quia prudenter judicavit legem positivam de non comedendis his panibus a laicis, cedere debere legi, jurique naturæ, quod dictat in gravi necessitate famis conservandam esse vitam comedendo quoslibet panes, & cibos etiam Deo consecratos, idcoque S. Paulinus. S. Laurentius, & alii, calices & vasa Deo consecrata vendiderunt, ut per eorum pretium succurrerent gravi necessitati famique pauperum. Ergo pariter, imo multo magis licet mihi, meisque discipulis vellere spicas in Sabbato, ut elicitis inde grauis fami nostræ succurramus: sanctitas enim Sabbati prohibens opus servile, uti est vellere spicas, est juris divini positivi, quod cedere debet juri naturæ dictanti, in fame vitæ esse consulendum quolibet cibo G
etiam sacro. Est hæc prima ratio. Sequitur secunda.

VERS. 5. AUT NON LEGISTIS IN LEGE, QUIA SABBATIS SACERDOTES IN TEMPO SABBATUM VIOLANT, ET SINE CRIMINE SUNT?] Arabicus: *Et non est eis peccatum. Violant.* Syrus *profanant*, victimas jugulando, excoriando, dissecando, lavando, componendo ligna, accendendo ignem, quo victimæ in honorem Dei comburantur, quæ opera in se nude spectata servilia sunt, & violant Sabbatum, ni pietas & sanctitas excuset, ac ex servilibus, & profanis sacra & divina efficiat, ut in hoc casu fit, Sensus est. q. d. Uti Davidem necessitas, & sacerdotis pietas, ita utrumque discipulos meos excusat a violatione Sabbati per hanc spicarum vellicationem: ipsi enim me quasi Propheram, & Messiam sequuntur, meæque sacræ doctrinæ adeo intenti sunt, ut panum & ciborum parandorum obliti fuerint. Cur ergo famen ex opere tam pio contractam non levent vellicatione spicarum in Subbato?

Nota *non legistis:* hæc enim ad verbum nusquam leguntur in Sacra Scriptura, sed quoad rem, & sensum habentur Numer. 28. & alibi, ubi sancitur ritus sacrificandi in Sabbato. Hinc Judæorum axioma est: *In templo non esse Sabbatum*, id est, vacationem ab operibus, quia in templo continuo sacrificatur, hoc est, jugulatur, excoriatur, dissecatur, lavatur, comburitur victima. Sacerdotes enim tunc erant laniones. H

VERS. 6. DICO AUTEM VOBIS, QUIA TEMPLO MAJOR EST HIC] qui vellere spicas permittit suis discipulis, pura ego: loquitur enim Christus de se in tertia persona modestiæ causa. Sensus est. q. d. Si templi sanctitas excusat sacerdotes sacrificantes a violatione Sabbati: ergo eadem me meosque vellicantes spicas in Sabbato excuset ab ejus violatione: quia ego major, & sanctior sum templo, imo Dominus sum templi, cui scilicet victimæ omnes in templo immolantur, & sacrificantur. Quare ego intrinsece sanctus, adeoque ipsa increata, & immensa sanctitas sum, temploque omnem externam istam sanctitatem impertior.

SI

Digitized by Google

A VERS. 7. SI AUTEM SCIRETIS QUID EST: MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM, NUMQUAM CONDEMNASSETIS INNOCENTES] Syrus, *non condemnaſſetis eos* (diſcipulos meos) *cum inſontes ſint*, Citat Oſee c. 9. 13. Vide ibi dicta. Vis argumenti eſt, q. d. Miſericordia potior eſt, præſtatque ſacrificio & Sabbato: ergo ob eam licet violare quietem Sabbati. Perperam ergo, o Scribæ, accuſatis & condemnatis hac in re meos diſcipulos, cum ipſi in ea ſint innocentes, vacentque omni culpa ob miſericordiam hic exercitam. Miſericordia hæc eſt, qua ego miſeris & infelicis meis diſcipulis permiſi vellicare ſpicas in Sabbato: item ea, quam ipſis inſtillo & inculco tam verbo, quam exemplo: itaque eos præparo, ut miſereantur tot miſerarum animarum pereuntium, earumque ſalutem, docendo, monendo, orando omni cura & ſtudio procurent. Huc pertinet aurea Simeonis Juſti (quem Hebræi cenſent illum eſſe, qui Chriſtum in ulnas ſuſcepit, cygnæum canens: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, &c.) gnome in *Pirke Avoth* hoc eſt, in *ſententiis Patrum*: *Mundus tribus rebus incumbit & ſuſtentatur; primo, lege: ſecundo, cultu divino: tertio miſericordia*. Porro Arabicus poſteriorem partem legit in ſingulari, *Non judicaretis ſuper eum, cui non eſt peccatum*, id eſt, non judicaretis me innocentem, qui hæc Apoſtolis permiſi. Eſt hæc tertia apologia Chriſti pro diſcipulis ratio. Sequitur quarta.

Tribus mundus fulcitur.

B VERS. 8. DOMINUS EST ENIM FILIUS HOMINIS ETIAM SABBATI] q. d. Ego, qui per naturam ſum filius Dei, & per dignationem factus ſum filius hominis, id eſt homo; hoc ipſo ſum Dominus, id eſt, auctor & legislator totius legis Moſaicæ, ac conſequenter & Sabbati; ergo in ea diſpenſare poſſum cum meis diſcipulis. Quintam rationem addit Marcus c. 1. v. 27. *Sabbatum*, inquit, *propter hominem factum, & non homo propter Sabbatum*; de quo ibi.

Luc. 6. v. 5. Mar. 2. 28.

VERS. 9. ET CUM INDE TRANSISSET, VENIT IN SYNAGOGAM EORUM] Addit Lucas c. 6. v. 6. hoc factum altero Sabbato. Diem enim Sabbati ſtudio ad Novum miraculum captavit Chriſtus, ut hunc errorem Scribarum, ſcilicet Sabbato non licere ægros ſanare, iterum iterumque confutaret. Tam chara fuit illi veritas, liberaque veritatis prædicatio, ut eam ubique captarit, etiamſi ſciret propterea Scribas ſibi machinaturos mortem, ideoque ſibi

C in cruce, eſſe moriendum.

VERS. 10. Luc. 6. 9. 6. 7. Mar. 3. 1. 2. ET ECCE HOMO HABENS MANUM (*dexteram* ut habet Lucas) ARIDAM (Syrus, *cujus manus aruerat*) ET INTERROGABANT EUM DICENTES: SI LICET SABBATIS CURARE? UT ACCUSARENT EUM] Addit S. Hieronymus: *In Evangelio, quo utuntur Nazareni & Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quo vocatur a pleriſque Matthæi authenticum) homo ille, qui aridam habet manum, cæmentarius ſcribitur, iſtiuſmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus victum queritans: precor te Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos*, Sub manu intellige brachium: χεὶρ enim id eſt manus, Hippocrati a ſcapulis ad digitos protenditur; brachium ergo hoc laborat duplici morbo; primo, convulſionem nervorum; ſecundo, atrophia, ob defectum enim alimenti exarueat; ideoque naturaliter erat incurabile, qui oſtendit Gulielmus Ader medicus lib. de Ægrotis Evangelii cap. 11.

Porro manus eſt organum tam nobile, ut Deus ſoli homini manus dederit exporrectas, belluis denegatas, quibus facile proſequatur quæcumque mens juſſerit. Ita Galenus l. 1. de Uſu partium.

D ET INTERROGABANT EUM] ſcilicet Chriſtum Scribæ & Phariſæi, an liceret ægrum in Sabbato curare? Deinde, ut narrat Marcus cap. 3. v. 4. & Lucas c. 6. 9. Chriſtus viciſſim interrogavit Scribas aliam quæſtionem, quæ interrogationem eorum ſolveret, ſcilicet an liceret Sabbato *benefacere*, & manum ardiam curare; *an malefacere*, id eſt, non curare, & nocere: tacite ſignificans, miſero non benefacere, cum poſſis, eſſe illi malefacere; & animam ſive vitam non ſervare cum paſſis, eſſe illam perdere: ac proinde, cum hoc lege naturæ permiſſum, imo juſſum ſit, non eſſe vetitum lege poſitiva Sabbati; hoc enim eſſet irrationale, ſi lex poſitiva vetaret beneficentiam in Sabbato jure naturæ permiſſam, aut præciperet maleficentiam, & noxam, jure naturæ vetitam.

UT ACCUSARENT EUM] apud vulgus quaſi impotentem vel immiſericordem, ſi ægrum non curaret; ſin curaret, quaſi Sabbati violatorem & ſacrilegum, apud Pontificem & Principes ſacerdotum.

IPSE AUTEM DIXIT ILLIS: QUIS ERIT EX VOBIS HOMO, QUI HABEAT OVEM UNAM; ET SI CECIDERIT HÆC SABBATIS IN FOVEAM, NONNE TENEBIT ET LEVABIT EAM?] q. d. Vos Scribæ docetis non violari Sabbatum, ſi quis ovem lapſam in foſſam Sabbato apprehendat & extrahat, ne ovicula tota die Sabbati cogatur in foſſa manere, eſuriri, & incommode habere. Ergo multo magis licet Sabbato hominem ægrum, & afflictum ægritudine ſua levare & ſanare. Ita ſentiebant Scribæ tempore Chriſti, & jam nonnulli Judæi ita ſuperſtitioſe quietem in Sabbato obſervant, ut eo die nec hominem in cloacam aut latrinam lapſum extrahere velint, nec lapſi ipſi extrahi ſe permittant. Lepidum eſt quod narrat Volaterranus lib. 3. Geograph. ſub finem. Tempore Henrici III. Regis Angliæ, inquit, qui regnare cœpit anno Domini 1208. Judæus quidam Terksbuti in Anglia in cloacam lapſus Sabbato, ob diei religionem extrahi noluit. Id videns comes loci chriſtianus, nec in ſequenti die eum extrahi permiſit ob Dominicæ reverentiam: quare ille, antequam extraheretur, extinctus & ſuffocatus eſt: Dicebat enim:

Superſtitioſa Sabbati Judaici obſervatio.

Lepidum Judæi in cloacam, lapſi exemplum.

VERS. 11 E

Sabbata ſancta colo, de ſtercore ſurgere nolo.

Cui viciſſim comes:

F *Sabbata noſtra* (Chriſtiana, puta Dominicam)
quidem Salomon celebrabis ibidem.

VERS. 12. Luc. 9. 10. Matth. 12. 5. QUANTO MAGIS (Græce *quanto igitur*) MELIOR (præſtantior, dignior, nobilior) EST HOMO OVE? ITAQUE LICET SABBATIS BENEFACERE] Arabicus: *Itaque licet operatio boni in Sabbatis*. Si licet ovem ærumna ſua levare Sabbato, cur non hominem? præſertim cum in ovis levatione magno multorum molimine, labore, tempore; funibus, vel ſcalis opus ſit, Chriſto vero in iſtanti ſolo verbo vel juſſu, ſine pharmacis hominem ægrum curaturus eſſet? Quodnam hic eſt opus ſervile? Quare id vetare ſtolidum, ferum, barbarum eſt. Unde addit Marcus: *Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam.*

VERS. 13. Luc. 6. 10. Mar. 3. 5. TUNC AIT HOMINI: EXTENDE MANUM TUAM; ET EXTENDIT (Chriſto imperante & dante ei virtutem) ET RESTITUTA EST SANITATI SICUT ALTERA] Syrus *ſicut ſocia ejus*. Chriſtus prius ratione, nunc facto, ſcilicet miraculo confutat Scribarum inſcitiam & invidiam, ſuamque ſapientiam, & beneficentiam toti populo teſtatam facit, & illuſtrem reddit. Audi S. Athanaſium hom. de Semente, quæ extat ſub finem tom. 1. *Tum dixit illi Jeſus: Extende manum tuam; nam ego te non tango, ne habeant Judæi quod calumnientur, ne attingere, illis, idem ſit quod operari; verbo tantummodo ago. Non enim prohibitum eſt a Deo, ne quis in Sabbato loquatur. Quod ſi autem verbum opus efficiat, admirationi ſit ille, qui hoc verbum dixit: Extende manum tuam. Vide jam mihi diſcrimen facti. Petrus in ſpecioſa porta paralyticum ſanans, apprehenſa ejus dextera, illum erexit: Dominus contra tantum jubet: Extende manum tuam, tibi dovim, & efficaciam ſanitatis; & verbis jubendo, hanc poteſtatem tibi infero. Extende manum tuam. Sic ille dixit, ſic iſte fecit, & reſtituta eſt manus.*

G

Allegor. Allegorice Primo Beda: Adam, inquit, carpens pomum vetitum, manum humani generis arefecit, id eſt, potentiam operationemque hominis fœcunditate boni operis privavit, at Chriſtus eam reſtituit, extendens manus ſuas in cruce.

Secundo S. Hieronymus: *Uſque ad adventum Salvatoris*, inquit, *arida manus in ſynagoga fuit Judæorum*, H *& Dei opera non fiebant in ea: poſtquam ille venit in terras, reddita eſt in Apoſtolis credentibus dextera, & operi priſtino reſtituta.*

Tropol. Tropologice in Synagoga & congregatione doctorum, ubi major eſt ſcientia, manum dexteram habet aridam, qui eam ad Deum per orationem, ad proximum per miſericordiam, ad ſeipſum per bona opera, quibus ſibi merita & præmia in cælis accumulet, non extendit. Ita S. Athanaſius homil. jam citata, Beda, Euthymius, Theophyl. Manum ergo, quam torpefecit acedia, contraxit avaritia, arefecit inertia, Chriſtus ſua gratia facit, ut extendat alacritas, dilatet liberalitas, vegetet zelus, & fervor ad omne bonum opus exequendum. Audi S. Anſelmum: *Sananda manus arida jubetur extendi, quia infructuoſæ animæ debilitas nullo melius ordine, quam eleemoſynæ largitate curatur. Unde Joannes Baptiſta turbis ſciſcitantibus, quid facerent, ut non velut arbores aridæ mitterentur in ignem, hoc ſolum præcipit: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.*

Luc.

A *Luc. 3, 11. Et in Eccleſiaſt. dicitur: Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Eccleſ. 4, 36. Fruſtra enim manus ad Deum pro peccatis rogaturus expandit, qui non has ad inopem rogantem beneficium laturus extendit.*

VERS. 14 EXEUNTES (e Synagoga, relicta turba, apud quam mutire non audebant confuſi, ait Franc. Lucas) AUTEM PHARISÆI, CONSILIUM FACIEBANT ADVERSUS EUM, QUOMODO PERDERENT (id eſt, occiderent) EUM] Magna fuit hæc Phariſæorum invidia, ingratitudo, & malitia, auctori vitæ machinari necem: ut quia ipſe tot ægris ſanitatem reſtituebat, mortem illi rependerent.

Luc. 6. 11. Matt. 3. 6.

VERS. 15 JESUS AUTEM SCIENS (virtute divina cognoſcens arcana eorum contra ſe conſilia) RECESSIT INDE, ET SECUTI SUNT EUM MULTI, ET CURAVIT EOS OMNES] qui ſcilicet ægri erant & ſanatione egebant, quos multos fuiſſe, ait Marcus cap. 3. 10. Ubique ſuam potentiam, & beneficentiam commendat Chriſtus. Sicut enim ſolis eſt illuminare omnes, qui obicem non ponunt; ſic Chriſti & Chriſtiani eſt benefacere omnibus, qui beneficium poſcunt.

Mar. 3. v. 9. 8. 10.

VERS. 16 ET PRÆCEPIT EIS, NE MANIFESTUM EUM FACERENT] Græce ἐπετίμησεν, id eſt, increpavit, commi-

B natus eſt, cum minis præcepit, ne divulgarent miracula ab eo patrata, tum ne Scribas offenderet, & ad majorem invidiam iramque concitaret; tum ut oſtenderet, quam remotus eſſet a captanda hominum gloria.

Mar. 3. 12.

VERS. 17 UT ADIMPLERETUR, QUOD DICTUM EST PER ISAIAM PROPHETAM DICENTEM] cap. 42. 1.

VERS. 18 ECCE PUER MEUS (*Meſſias*, ait Chaldæus) QUEM ELEGI, DILECTUS MEUS, IN QUO COMPLACUIT ANIMÆ MEÆ. PONAM SPIRITUM MEUM SUPER EUM] Dona Spiritus Sancti illi indam in ejus conceptione, *Puer meus*. Hebr. עַבְדִּי *abdi*, id eſt, ſervus meus: unde patet Iſaiam loqui de Chriſto, non qua Deus eſt, ſed qua homo: ſic enim eſt ſervus Dei.

Probat, Chriſtum reipſa docendo, & ſanando ægros impleſſe Iſaiæ de ſe, ſuaque modeſtia, miſericordia, & æquitate vaticinium; ac proinde ipſum eſſe Meſſiam ab Iſaia prædictum, & hiſce dotibus ceu notis & indiciis inſignitum. Pro *quem elegi*, Hebr. eſt: *Suſcipiam eum*. Sept. *aſſumam eum*. Chald. *admovebo eum*.

C ET JUDICIUM GENTIBUS NUNTIABIT] *Judicium*, id eſt id quod juſtum & æquum eſt: hoc enim rectorum judicium eſt judicium, q. d. Chriſtus quaſi legislator legem Evangelicam juſtiſſimam, rectiſſimam & ſanctiſſimam non ſolis Judæis, ut Moſes, ſed omnibus omnino gentibus per Apoſtolos evangelizabit.

VERS. 19 NON CONTENDET, NEQUE CLAMABIT, NEQUE AUDIET ALIQUIS IN PLATEIS VOCEM EJUS] Notatur Chriſti manſuetudo & manſuetus placiduſque & lenis docendi modus. Et hac de cauſa hoc Iſaiæ teſtimonium profert Matthæus.

VERS. 20 ARUNDINEM QUASSATAM NON CONFRINGET, ET LINUM FUMIGANS NON EXTINGUET] Syrus, & Arabicus: *Et lucernam ad extinctionem tendentem non extinguet*. Eſt geminum proverbium, idem ſignificans, ſcilicet Chriſtum infirmos & debiles in fide, ſpe, & charitate non contentioſe cum clamoribus increpaturum & oppreſſurum, ſed ſuam manſuetudine, lenitate & patientia magis roboraturum, & accenſurum. Ita S. Hilarius & S. Hieronymus: omnia enim hæc commendant admirabilem, & divinam Chriſti manſuetudinem. Audi Patres, S. Hieronymus:

D *Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris, quaſſatum calamum confringit: qui ſcintillam fidei contemnit in parvulis, linum extinguit fumigans*. S. Auguſt. 20. de Civitat. c. 30. *Perſecutores Chriſti perdita integritate, quaſſato talamo, & amiſſo lumine, lino fumanti comparantur, quibus pepercit, quia non venit judicare*. S. Hilarius: *Oſtendit ſe poſſe eos facile frangere, ut arundinem contritam, & eorum furorem extinguere*. Rabanus: *Quaſſata gentes non ſunt contrita, ſed in ſalute reſervata, nec Judei a vento agitati condemnati ſtatim, ſed ſupportati patienter. Gentes, quæ extincto naturalis legis ardore fumi amariſſimi, & oculis noxii, tenebroſæque caliginis involvebantur erroribus, à Chriſto ſunt in maxima incendia ſuſcitati*.

DONEC EJICIAT AD JUDICIUM VICTORIAM] id eſt, donec perducat *judicium*, id eſt, juſtitiam, ſive fidem & ſanctitatem Evangelicam *ad victoriam*, ut illa ſcilicet toto orbe dominetur. Unde Noſter in Iſaia vertit: *Ponet*, ipſe, quaſi Dominus & victor, *in terra judicium*, ſcilicet quaſi reginam & dominam omnibus imperantem. Hebr. eſt: *Proferet judicium ad veritatem*, id eſt proferet judicium verum.

E

VERS. 21 ET IN NOMINE EJUS GENTES SPERABUNT] Pro *Gentes*, Hebr. eſt *Inſulæ*, q. d. Gentes remotiſſimæ in Inſulis habitantes, omnes ſpes ſuas collocabunt in Chriſto Salvatore. Fuſius hæc omnia explicui Iſaiæ 42. 1. Vide ibi dicta.

VERS. 22 TUNC OBLATUS EST EI DÆMONIUM HABENS, CÆCUS ET MUTUS, ET CURAVIT EUM, ITA UT LOQUERETUR ET VIDERET] Lucas cap. 11. v. 14. tantum dicit fuiſſe mutum (unde S. Aug. lib. 2. de Conſenſu Evang. c. 37. opinatur Lucam de alio dæmoniaco loqui) ſed non negat fuiſſe & cæcum, quod aſſerit hic Matthæus. Fuit autem non a nativitate, aut ex morbo cæcus, & mutus, ut vult Abulenſis hic quæſt. 50. & Barradius, ſed a dæmone eum poſſidente oculorum & aurium uſu privatus. Dæmon ergo non eum excæcaverat, nec facultatem loquendi ei ademerat, ſed tantum oculorum, & linguæ exercitium uſumque impediebat; unde dæmone ejecto, ſine alia operatione vel miraculo, ſtatim cœpit loqui & videre. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, Lyranus, Janſenius, Maldonatus. Audi S. Chryſoſtomum: *O peſtiferam dæmonis aſtutiam: utramque viam occupavit atque obſtruxit, quibus ille erat crediturus: viſum atque auditum*. F Hinc S. Lucas ait: *Illud* (dæmonium) *erat mutum*, ſcilicet effective, quia hominem a ſe poſſeſſum efficiebat mutum: unde & ipſe dæmon licet interrogatus vel adjuratus, per os ejus non loquebatur, nec reſpondebat, quaſi fuiſſet elinguis & mutus; qui alias ſolet eſſe loquax, & loquaces facere, quia in loquacitate multa committuntur peccata. Fuit ergo proprie & per ſe unum tantum miraculum, ſcilicet ejectio dæmonis; conſequenter tamen & in effectu fuit triplex. Nam, ut ait S. Hieronymus: *Tria ſimul in uno homine perpetrata ſunt; cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus a dæmone liberatur*.

Luc. 11. 14.

Tropologice S. Hieron. *Quod tunc*, inquit, *carnaliter factum eſt, quotidie completur in converſione credentium, ut expulſo demone primum fidei lumen aſpiciant, deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxentur*. Et S. Hilarius: *Non autem ſine ratione, cum turbas omnes curatas in communi dixiſſet, nunc ſeorſim demonium habens, cæcus, & mutus offertur. Oportebat enim, ut poſtquam manus aridæ homo* G *oblatus eſt, qui in ſynagoga curabatur, in unius hujuſmodi hominis forma gentium ſalus fieret: ut qui erat habitatio dæmonis, & cæcus, & mutus, Deo capax pararetur, & Deum contineret in Chriſto, & Chriſti opera Dei confeſſione laudaret*. S. Aug. *Dæmonium enim habens, cæcus & mutus eſt, qui non credit, & ſubditus eſt diabolo, qui non intelligit, & non confitetur ipſam fidem, vel qui non dat laudem Deo*. Hæc Aug. l. 1. quæſt. Evang. q. 3. Dæmon ergo facit homines mutos; ne peccata confiteantur, ſicque venenum expuant; ne laudent Deum; ne proximos doceant vel corripiant: ſed Chriſtus ſua laxat ora ad confitendum, laudandum, docendum & monendum, quando oportet, Sapienter S. Bernardus in Sententiis: *Cur*, ait, *te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? aut cur erubeſcis Deo confiteri, cujus oculis non potes abſcondi? quod ſi forte pudor eſt tibi, uni homini, & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus expoſita tua conſcientia patebit?*

Porro contigit hæc hiſtoria, ut & ea, quæ narrat Matthæus c. 13. ante miſſionem Apoſtolorum: nam quæ cap. 14. narrat, ſtatim a reditu Apoſtolorum ad Chriſtum contigiſſe, liquet ex Marco & Luca. Ita Janſenius, Franc. Lucas, & alii. Maldonatus tamen & Barradius aiunt non eſſe neceſſe facilem hic hiſtoriæ ordinem invertere, & turbare, præſertim cum Patres eum ſervent, ut patebit v. 27. ſed Patres rei, & hiſtoriæ intenti, de ordine parum ſunt ſolliciti. H

Tropol.

VERS. 23 ET STUPEBANT OMNES TURBÆ, ET DICEBANT: NUMQUID HIC FILIUS DAVID?] Græce ἐξίσταντο, id eſt, admirabantur attoniti, ita ut extra ſe in extaſim quaſi raperentur, viſis tot tantiſque Chriſti miraculis; unde dicebant: Nullus Propheta tot tantaque fecit prodigia, quanta fecit Jeſus. Ergo iis omnibus eſt major, ac conſequenter ipſe filius David, id eſt, Meſſias David promiſſus, quaſi filius ex ejus ſemine naſciturus, quem omnes avide expectamus, ſit oportet.

Luc. 11. 14.

VERS. 24 PHARISÆI AUDIENTES DIXERUNT: HIC NON EJICIT DÆMONES NISI IN BEELZEBUB PRINCIPE DÆMONIORUM] Pharisæi invidia & odio Chriſti excæcati, quia miracula ejus tam clara & teſtata negare non poterant, calumnian-

Luc. 11. 15. Mar. 3. 22.

tur,

Digitized by Google

A cur illa magica esse, nec a Deo, sed a Beelzebub patrari. Faciunt ergo Christum magum, qui dæmonem habeat familiarem, cujus vi mira efficiat. Quis fuerit Beelzebub, dixi, cap. 10. 25.

VERS. 25 JESUS AUTEM SCIENS COGITATIONES (multo magis blasphema verba, quæ contra Christum absentem in circulis dixerunt v. 24.) EORUM, DIXIT EIS: OMNE REGNUM DIVISUM CONTRA SE DESOLABITUR; ET OMNIS, CIVITAS VEL DOMUS DIVISA CONTRA SE, NON STABIT] q. d. Omne regnum, imo omnis urbs & domus, cujus incolæ mutuis dissidiis contra se invicem pugnant, stare nequit, sed cito intestina seditione & bello evertetur: *Uti concordia res parvæ crescunt, ita discordia maxime dilabuntur*, ait S. Hieronymus. Concordia enim est quasi calx, quæ partes domus unit & conglutinat: tolle calceam, lapides dilabentur, & corruet tota domus; tolle concordiam, diffluent cives, & discordes se invicem periment. Centrum unit in se omnes lineas circuli diametrales: tolle centrum, omnes illæ diffluent. Centrum urbis, domus, & collegii est unio, & concordia. Ita Romanum imperium perdidit discordia, cum B populus in magistratum, milites contra senatum, senatus in se divisus contra seipsum pugnavit. Lege Livium, Lucanum, & alios de Civilibus bellis, præsertim Julii Cæsaris, & Pompeji.

Luc. 11. 17. Mar. 3. 24. 25.

Concordia est calx urbis.

VERS. 26 ET SI SATANAS SATANAM EJICIT, ADVERSUS SE DIVISUS EST: QUOMODO ERGO STABIT REGNUM EJUS?] q. d. Stare nequiret regnum satanæ in terra, si sataras, id est, dæmon unus assidue contra alterum hostiliter insurgeret, & adverso Marte depugnaret, ut superior inferiorem, vel inferior superiorem ex hominibus (in quibus dæmones, adeo regnare, regnumque suum stabilire appetunt) continuo ejiceret, uti vos, o Scribæ, videtis me continuo & assidue, hostiliter, & adversa fronte prosequi dæmones, eosque ex mentibus & corporibus hominum expellere. Ergo non ope Beelzebub, ut vos dicitis, sed virtute Dei illos ejicio. Neque enim Beelzebub tam stolidus est, ut dæmones sibi subditos inter se committat, ut unus alium expellat; sic enim ipse regnum eorum, suumque destrueret; inde & milites seditiosi, cum suo rebellant principi, summe inter se uniuntur & consentiunt, quia sciunt, si dissentiant, se a principe facile occupandos & evertendos fore. Dixi *hostiliter*: nam Apollonius Thyanæus, teste Philostrato in ejus vita, & magi subinde dæmones ejiciunt, sed ex composita collusione, ut homines ad magos & magiam, id est societatem cum dæmone, pertrahant: nullam autem societatem se cum dæmone habere probat Christus in seq. Dixi *assidue*: nam subinde lis & pugna inter ipsos dæmones de homine possidendo oritur. Narravit mihi Romæ sacerdos senex fide dignus, qui per plures annos officio exorcistæ functus fuerat, dæmonesque expulerat, se suis oculis vidisse, & suis auribus audisse, duos a dæmonibus possessos, in templo S. Matthæi inter se contendentes & decertantes. Dæmon enim possidens unum erat altioris ordinis, & superior altero; hic alterum, quasi se inferiorem, ex homine, quem possidebat, ejicere volebat. Sed adversa fronte restitit inferior, variaque in superiorem probra conjecit, & inter alia dixit: Tu es dæmon infernalis, ac justo Dei judicio in inferno relegatus, longe gravius puniris, quam ego, qui non sum dæmon infernalis, sed in hoc aere versari permittor, quia non rebellavi Deo ut tu, sed Lucifero, quasi subditus superiori meo nude dumtaxat adhæsi, & consensi. Sed hæc perrata sunt, & tandem D in pacem desinunt, uti hi duo inter se contendentes, paulo post posuere lites, quieverunt, & tacuerunt. Licet enim damnati, & dæmones ardeant superbia, ira & odio contra se invicem, & ringantur rixenturque in inferno ut canes; tamen in terra, ut regnum suum dominatumque in homines stabiliant, inter se consentiant ut oportet.

Luc. 11. 18. Mar. 3. 26.

Apollonius ejecit dæmones per magiam.

Dæmon superior ejicit inferiorem, sed raro.

VERS. 27 ET SI EGO IN BEELZEBUB EJICIO DÆMONES, FILII VESTRI IN QUO EJICIUNT? IDEO IPSI JUDICES VESTRI ERUNT] Est hoc secundum Christi argumentum, quo probat se ope Dei, non satanæ ejicere dæmones. Per filios vestros primo, S. Hilarius, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius accipiunt vestros Apostolos, qui erant filii Judæorum. Censent enim ipsi hæc contigisse post missionem Apostolorum factam a Christo, in qua Apostoli ope Christi dæmonia expulerunt, & miracula plura patrarunt. Verum quia verius est, ut dixi vers. 22. hæc contigisse ante missionem Apostolorum, hinc melius per filios accipias exorcistas Judæorum, qui arte a Salomone E tradita, teste Josepho lib. 8. cap. 2. expellebant dæmones, quales fuere septem filii Scevæ principis sacerdotum. Actor. 19. 14. Ita Jansenius, Toletus, Franc. Lucas, & alii.

Luc. 11. 19.

IDEO IPSI JUDICES VESTRI ERUNT] q. d. Ideo in die judicii ipsi vos suo facto & exemplo condemnabunt, quod tam perversum de ipsis, & me judicium tuleritis, scilicet quod judicaveritis ipsos ope Dei expulisse dæmones, me autem ope diaboli, cum tamen longe majora præsentiæ, & operationis Dei in me indicia videritis, quam in vestris exorcistis. Quis enim eorum tot ægros sanavit, tot mortuos suscitavit, quot ego sanavi, & suscitavi? Quis eorum tam sublimem & divinam doctrinam prædicavit, sicut ego prædico? quis eorum tam puram & sanctam vitam egit, sicut ego ago? Sic regina Saba & Ninivitæ ipso facto, id est, sua fide & pœnitentia in die judicii condemnabunt Judæos Christo incredulos & impœnitentes, vers. 41. & 42.

VERS. 28 SI AUTEM EGO IN SPIRITU DEI EJICIO DÆMONES, IGITUR PERVENIT IN VOS REGNUM DEI] q. d. Si ego virtute Dei, & Spiritus sancti, non Beelzebub, expello dæmones, uti jam probavi; ergo verum est, & ipse Spiritus sanctus miraculoso suo ad mea miracula, & expulsionem dæmonum concursu aperte testatur verum esse, quod ego & Joannes Baptista caput & summam prædicationis nostræ posuimus, scilicet: *Appropinquavit regnum cœlorum*. Videtis enim dæmonis regnum passim per me, & verbis, & factis in corporibus, & animabus hominum destrui, sicque inchoari regnum Dei per gratiam, quod in cælo perficietur, ubi Deus in Sanctis regnat per gloriam. Hoc est, quod ait Joann. ep. 1. c. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Nam, ut ait S. Leo serm. 10. de Passione: *Clavi illi, qui manus Domini pedesque transfoderunt, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum*.

Luc. 11. 20. F

VERS. 29 AUT QUOMODO POTEST QUISQUAM INTRARE IN DOMUM FORTIS (Syrus, *strenui*) ET VASA EJUS DIRIPERE; NISI PRIUS ALLIGAVERIT FORTEM, ET TUNC DOMUM ILLIUS DIRIPIET] Pro *aut*, Græce est ἢ, quod Pagninus vertit *Alioqui*; Arabicus & alii *nam*: alii *an*, ut superius dixi. Proponitur hic nova ratio, puta tertia, qua probat Christus se ope Dei, non Beelzebub, ejicere dæmonia, perituque a comparatis, q. d. Sicut qui invadit arcem, vel domum alicujus fortis, vel potentis viri, vel tyranni, v. g. Samsonis, aut Herculis, ut eam expoliet, id facere nequit, nisi ipsum herum fortem prius domet, & alliget; alioqui enim ipse sua defendet, & spolium armata manu prohibebit: sic pariter ego Christus, qui satanæ regnum expolio, dum peccatores illi subditos ad pœnitentiam & salutem traduco, necesse est, ut satanam ipsum domuerim & alligarim; alioqui enim ipse non ferret hoc spolium a me fieri: hostis ergo mihi, & a me domitus est satanas, non amicus, non socius in ejectione dæmonum, ut vos calumniamini. Fortis ergo hic est diabolus: domus est mundus; vasa sunt arma; instrumenta supellex: arma diaboli sunt artes, fraudes, illecebræ, quibus homines allicit ad vitia, uti sunt opes, honores, voluptates: item dæmones inferiores, & impii homines, ait S. Chrysostomus, quibus diabolus utitur contra nos, ut nos tenet & vexet. Supellex sunt peccatorum animæ, & corpora a dæmone possessa; item Patrum animæ in limbo ante Christum detentæ: hæc omnia diripuit & eripuit illi Christus, alligato in gehenna diabolo, unde Lucas c. 11. 21. *vasa* exponit *arma & spolia*.

Luc. 11. 21. 22. Mar. 3. 27.

G

H

Porro diabolus hic vocatur *fortis*, quia instar leonis rugentis circuit quærens quem devoret, ait S. Petrus; unde ejus robur & fortitudinem depingit Job c. 40. & 41. sub specie Behemoth & Leviathan. Diabolus hic, & alibi vocatur caput, & princeps malignorum spirituum, qui eos in mundum immittit, ut eum sibi subjiciat. *Fortem* ergo accipe Luciferum, qui est princeps dæmonum, ideoque antagonista Christi, & S. Michaelis. Lucifer enim a Christo in cruce victus detrusus est in tartara, ut ibi personaliter degat ligatus usque ad diem judicii; tum enim ad modicum tempus solvetur, uti ait Joann. Apoc. 20. 2. & seq. itaque docent SS. Gregorius, Ambrosius, Lactantius, Andreas Cretensis, Viegas & Ribera, quos ibidem citavi, ac Franc. Suarez lib. 8. de Angelis cap. 17. num. 8. Lucifer enim in Scriptura vocatur draco, serpens antiquus, diabolus, satanas per antonomasiam. Porro ita

Lucifer ligatus a Christo.

ligatus

A ligatus est Lucifer in inferno, ut non tantum per se exire non possit, sed etiam per suos dæmones, quos in terram emittit, non tantum hominibus nocere possit, quantum antea. Christus enim eorum vires, & facultates valde restrinxit, minuit & arctavit; ut ipse hic & Apoc. 20. 2. alibique significat. Vide dicta Apoc. 20. 2. Idipsum edoctus per longam experientiam S. Antonius, teste Athanasio, in ejus vita c. 6. & seq. prolixe edocet: *Diabolus*, inquit, *hamo crucis, ut draco naduncatus a Domino est, & capistro ligatus, & quasi mancipium fugitivum vinctus, circulo, & labia armilla perforatus nullum omnino fidelium devorare permittitur. Nunc miserabilis ut passer ad ludum irretitus a Christo est; nunc comites suos quasi scorpiones, & serpentes calcaneo Christianorum substratos gemit. Ille qui universa maria sese delere plaudebat; ille qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce a vobis vincitur, ecce me adversum se prohibere non potest disputantem.* Et c. 20. idipsum ex confessione diaboli confirmat: *Vidi*: inquit, *hominem enormi sublimitate, porrectum caput usque ad cælum. Cum ab hoc, quisnam esset, inquirerem, ait: Ego sum satanas. Et ego: Quid, inquam, hic quæris? Respondit: Cur mihi frustra imputant monachi? Cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? At ego: juste faciunt; tuis enim frequenter molestantur insidiis. At ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se invicem turbant. Nam ego miserabilis factus sum. Rogo, nonne legisti: Quia defecerunt inimici framee in finem, & civitates eorum destruxisti? En nullum jam habeo locum, nullam possideo civitatem, jam mihi nulla sunt arma: per omnes nationes cunctasque provincias Christi personat nomen, solitudinesque monachorum stipantur choris. Ipsi se, quæso, tueantur, & me sine causa non lacerent.* Subdit diabolum inesitibus tantum prævalere: *Nam quales*, inquit, *nos & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueverunt. Et si quid in pectoribus malæ mentis, & pavoris semen invenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam.* Unde concludit: *Una est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis & anima semper Dominum cogitantis fugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur adversarios potius, quam timebit.*

Exempla S. Antonii.

B

C

Vers. 30 QUI NON EST MECUM, CONTRA ME EST: ET QUI NON CONGREGAT MECUM, SPARGIT] Primo, S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Toletus in Lucæ c. 12. v. 23. de forti, id est diabolo, exponunt. q. d. Diabolus adeo mecum non est, ut contra me sit; & ea, quæ ego congrego, dispergere conetur. Est ergo hic novum, quartumque Christi contra Scribas argumentum, estque tale: Quorum opera sunt contraria, illi sunt contrarii: at mea & diaboli opera sunt contraria; ergo ego & ipse sumus contrarii: nam, ut ait S. Hieronymus: *Ille* (diabolus) *cupit animas hominum tenere captivas, Dominus liberare, ille prædicat idola, hic unius Dei notitiam: ille trahit ad vitia: hic ad virtutes revocat. Quomodo ergo possunt inter se habere concordiam; quorum opera diversa sunt?*

Luc. 11. 23.

Secundo, simplicius cum S. Chrysostomo & Theophylacto hæc generatim accipias, propriæque applices Pharisæis. q. d. Sicut cum in regno vel urbe oritur seditio, & una pars in aliam insurgit, ut maligni homines rempublicam occupare, & spoliare conentur, uti fecit Romæ Catilina cum suis conjuratis; tunc necesse est, ut probi cives rempublicam defendant, adeoque qui id non facit, sed neutralis esse vult, censetur esse hostis & socius seditiosorum illam impugnantium: quia illo casu cives omnes civitatem & rempublicam omni studio & vi propugnare tenentur: sic pariter ego, qui universale bellum satanæ indixi, ut eum mundi imperio, quod ipse tyrannice occupavit, depellam, omnes homines, velut mundi cives, utpote mihi quasi legitimo principi subditos, & obstrictos, qui mecum in hoc bello non sunt, nec sub me militant, mihi contrarios & hostes meos deputo & decerno, atque ut tales persequar, puniam & plectam. Tales autem estis vos, o Pharisæi, qui cum primi, utpote mei subditi, & quidem cæteris doctiores, me tanquam Messiam & Christum in vestra lege & Prophetis præsignatum, deberetis recipere, meque apud populum, ut talem, commendare, clanculum tamen mihi adversamini, palam autem dissimulatis, quasi judices inquisituri de mea doctrina & vita. Quare vos habeo ut hostes mihi contrarios, & cum satana in mei exitium conspirantes, quia homines, quos ego colligo ad unitatem fidei, ad charitatem, ad unius Dei religionem, vos ad multiplices vestras cæremonias, traditiones, superstitiones, errores trahitis, & dispergitis, ac a me, a salute, a Deo avertitis, uti faciunt hæretici, & schismatici, quibus appositè hanc gnomen adaptat S. Cyprianus l. 3. ad Quirinum n. 86. & S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. c. 4.

D

Quare hæc Christi sententia non est contraria illi ejusdem Christi apud Lucam c. 9. 50. *qui non est adversum vos pro vobis est*; ibi enim loquitur de eo, qui reipsa in doctrina cum Apostolis consentit, ideoque cum iis, & pro iis est, licet id explicite ob justam causam non profiteatur, ut ibi patet.

Porrò Franc. Lucas censet posteriori membro hujus sententiæ idem prorsus significari, quod priori, uti sæpe fit in Psalmis & proverbiis. Sic enim ipse explicat: Christus neminem pro suo agnoscit, qui non integro sinceroque animo ipsi adhæreat, diabolus omnes absque delectu ad sua castra admittit, quantumvis diversos atque adversos, modo Christo non faveant. Vide supra c. 6. v. 10. *Qui ergo non congregat mecum*, id est, non se aggregat mihi, non adhæret mihi, *spargit*; sive, ut habet Syrus, *spargendo spargit*, hoc est, omnino spargit, elongat se a me, abit in dispersionem cum satana, adversarium se mihi constituit, Hæc Franc. Lucas.

E

F

Verum aliud est congregare cum aliquo, aliud aggregare se alicui: quare prior sensus, quem dedi, est germanior.

IDEO DICO VOBIS: OMNE PECCATUM ET BLASPHEMIA REMITTETUR HOMINI: SPIRITUS AUTEM BLASPHEMIA NON REMITTETUR] τὸ *spiritus* est genitivi casus, ut patet ex Græco τοῦ πνεύματος. Blasphemia ergo spiritus, est blasphemia contra Spiritum sanctum, unde Arabicus vertit: *Blasphemiam in Spiritum sanctum*, Syrus, *Blasphemia in Spiritum sanctitatis*. Vers. 31

Luc. 12. 10. Mar. 3. 28. 29.

Blasphemia in Spiritum sanctum quæ?

Quæres, quænam est hæc? Primo, Philastrius in hæresi Rhetorii censet esse heresim, præsertim Eunomii, qui negabat Spiritum sanctum esse Deum. Sic & S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. & Epiphan. hæresi 50. Prima sententia.

Secundo, S. Hilarius censet blasphemiam in Spiritum sanctum esse eam, qua quis negat Christum esse Deum: *Peccatum*, inquit, *in Spiritum sanctum est Deo virtutis potestatem negare, & Christo substantiam adimere æternitatis: per quem quia Deus in hominem venit, homo rursus fiet in Deum, cum cæteris Deus veniam largitur, hoc solum extra veniam est.* Secunda.

G

Tertio, S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 4. censet esse schisma; item simoniam, qua v. g. Simon Magus pecunia volebat emere Spiritum sanctum a S. Petro, Actor. 8. Tertia.

Quarto, Origenes ait esse omne peccatum mortale post baptismum, puta post gratiam Spiritus sancti in baptismo accaptem, commissum. Porro Gelasius Papa de Anathematis vinculo peccatores, qui nec in hoc, nec in futuro sæculo absolvuntur, eos dumtaxat intelligit, qui peccatores permanent, neque resipiscere volunt: Ipse enim, inquit, in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non potest absolvi. Quarta. Quinam peccatores nec in hoc, nec in futuro sæculo absolvuntur.

Quinto, S. Cyprianus l. 3. ad Quirinum n. 28. blasphemiam in Spiritum sanctum, ait esse omne peccatum in Deum commissum: blasphemiam vero in filium hominis, esse omne peccatum in hominem perpetratum. Quinta.

H

Sexto, idem S. Cyprianus lib. 3. epistol. 14. blasphemiam in Spiritum sanctum censet esse negationem fidei in persecutione. Sexta.

Septimo, Richardus de S. Victore tractat. de Blasphemia in Spiritum sanctum, ait esse odium, & convitium Dei. Octodecim Patrum expositiones, scilicet undecim Patrum Latinorum, & septem Græcorum sigillatim recenset Toletus in Lucæ c. 12. annotat. 17. quas universas ego, septem jam recensitis, summatim complexus sum. Septima.

Denique Theologi (& ex iis catechistæ) ex variis S. Augustini expositionibus, colligunt sex peccata in Spiritum sanctum, scilicet præsumptionem, desperationem, agnitæ veritatis impugnationem, fraternæ charitatis invidiam, impœnitentiam, & obstinationem; hæcque dici ajunt peccata in Spiritum Sanctum, qui fiunt ex certa malitia contra bonitatem Dei, quæ appropriatur Spiritui sancto: sicut peccata, quæ fiunt ex infirmitate, dicuntur fieri contra Deum Patrem, quia illi appropriatur potentia; & quæ fiunt ex ignorantia, dicuntur fieri contra Filium, quia illi appropriatur sapien- Octava. Sex peccata in Spiritum sanctum.

Digitized by Google

A pientia. Hæc vera sunt, sed huic loco non congruunt, suntque impertinentia.

Nono. Genuine. Nota ergo, Christum hic non loqui de omni peccato in Spiritum sanctum, sed solum de blasphemia in Spiritum sanctum, quæ verbis fit (eadem tamen cogitationis, & operum est ratio) cum scilicet quis calumniatur opera manifestè divina & miraculosa, ac pia & sancta Dei, ad salutem hominum ab eo facta, quibus ipse fidem & veritatem confirmat, uti est ejectio dæmonum, quæ cum sint opera bonitatis & sanctitatis Dei, attribuuntur Spiritui sancto, qui ex vi processionis, & spirationis suæ a Patre & Filio procedit, ut amor, bonitas & sanctitas: Cum, inquam, quis hæc calumniatur, eaque scienter ex malitia adscribit spiritui immundo, puta diabolo, ut faciebant hi Pharisæi; tunc dicitur committere blasphemiam in Spiritum sanctum, talis enim directe injuriatur Deo, illique adimit suam sanctitatem & munditiem, quæ appropriatur Spiritui sancto, adeoque ex Deo facit diabolum. Id enim recte hac ratiocinatione concluditur.

B Syllogismus Christi in Scribas. Auctor miraculorum, quæ patrat Christus, juxta vos, o Scribæ, est Beelzebub;
Atqui Deus & Spiritus sanctus revera est auctor horum miraculorum:
Ergo secundum vos, Deus & Spiritus sanctus est Beelzebub.

Quo quid atrocius dici potest? quæ blasphemia major, & injuria in Deum excogitari? Ita S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. Ambrosius locis citatis, S. Athanasius tract. de Blasphemia in Spiritum sanctum, S. Pacianus ep. 1. S. Basilius in Regul. brevior. interrogat. 272. Jansenius, Maldonatus, Toletus, Franc. Lucas, & alii passim. Addit S. Basilius, tales etiamnum sunt, qui fructus & actiones Spiritus sancti adscribunt contrario spiritui immundo. *Id quod plerique facimus*, inquit, *dum strenuum appellamus ambitiosum, & ei qui justa indignatione & zelo movetur, iracundiæ calumniam impingimus, & ad eumdem modum alia iniquis adducti suspicionibus, mentitis nominibus de aliquo dicimus.*

Porro opponit Christus hanc blasphemiam *in Deum & Spiritum sanctum blasphemiæ in filium hominis*, qua nonnulli humana conversatione, & convictu Christi offensi, C facta ejus humana calumniabantur, vocantes eum vini potatorem, amicum peccatorum & publicanorum, eo quod viderent Joannem Baptistam abstemium, rigidum, austeram ac solitariam agere vitam: quæ proinde excusabilior erat, & minus venia indigna, quia hominem tangebat, non Deum.

NON REMITTETUR] Arabicus: *Non relaxabitur*, id est, difficulter & raro remittetur & relaxabitur. Est enim hæc blasphemia in Spiritum sanctum atrocissima, inexcusabilis, & plene venia indigna, ac quantum est in se ipsa, omnem medicinam & modum perveniendi ad remissionem aufert, & excludit: Opponit enim se directe, & ex diametro Spiritui sancto, eumque a se abigit, imo blasphemat Spiritum sanctum, inquam, a quo solo absolvi, curari & sanctificari poterat & debebat. Simili phrasi vocamus morbum incurabilem illum, qui medicinam non admittit, & cibum omnem respuit. Blasphemus tamen non claudit manus Deo, quin ejus subinde, licet indigni, misereatur, eumque convertat, uti convertit D S. Paulum, qui se blasphemum in Deum fuisse confitetur, 1. Tim. 1. 13.

VERS. 32 Luc. 12. 10. Mar. 3. 28. 29. ET QUICUMQUE DIXERIT VERBUM CONTRA FILIUM HOMINIS, REMITTETUR EI: QUI AUTEM DIXERIT CONTRA SPIRITUM SANCTUM, NON REMITTETUR EI, NEQUE IN HOC SÆCULO, NEQUE IN FUTURO] idem dicit & inculcat clarioribus & gravioribus verbis. *Verbum* (aliquod injuriosum, probrosum, blasphemum) *remittetur ei*, remissibile est, & pœnitenti facile remittitur. Hinc patet contra Novatianos, lapsos quoslibet in peccata enormia, admittendos esse ad pœnitentiam.

QUI AUTEM DIXERIT (verbum injurium & blasphemum) CONTRA SPIRITUM SANCTUM, NON REMITTETUR EI, NEQUE IN HOC SÆCULO, NEQUE IN FUTURO) Syrus; *Quisquis autem spiritum sanctitatis obloquetur, non remittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in sæculo futura.*

Error Origenis. Hic primo damnatur Origenes, lapsis omnibus pœnitentiam, veniam, & salutem concedens post hanc vitam. Dicebat enim post magnum Platonis annum omnia restituenda fore in integrum, ut & Judas salvetur, Lucifer cum dæmonibus & damnatis cœlo restituatur.

Secundo, S. Augustinus 21. Civit. 24. S. Gregorius 4. dialog. 39. Isidorus, Beda, S. Bernardus, & alii apud Bellarminum lib. 2. de Purg. cap. 4. ex hoc evincunt esse purgatorium post hanc vitam. Vanum enim & otiosum esset dicere: *Non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, si in futuro nullum peccatum remittitur, sicut vane & inepte quis diceret, omnino non ducam uxorem, nec in hoc sæculo, nec in futuro, cum in futuro nulla duci possit uxor. Licet enim Marcus cap. 3. 29. nude dicat: *Non habebit remissionem in æternum*; tamen Matthæus diserte & expresse explicat, dividitque æternum in duas partes, scilicet in præsens sæculum, & futurum. Addit Marcus, dictumque aggravat: *Sed reus erit æterni delicti*. Porro mortalia peccata in purgatorio expiantur quoad pœnam dumtaxat, venialia vero quoad culpam & pœnam simul. E Hinc purgatorium evincitur.

AUT FACITE ARBOREM BONAM, ET FRUCTUM EJUS BONUM; AUT FACITE ARBOREM MALAM, ET FRUCTUM EJUS MALUM; SIQUIDEM EX FRUCTU ARBOR AGNOSCITUR] Arabicus: *Aut ponitis arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut arborem malam, & fructum ejus malum*, &c. VERS. 33 Luc. 6. 44. F

Est argumentum quintum Christi, idque cornutum, &, ut S. Hieronymus ἐρωτικὸν, id est, inevitabile. Primo & plane arbor hæc est Christus: *facite*, id est statuite, decernite, asserite, q. d. Aut me simul cum operibus meis, quæ vobis laudabilia videntur, probate, & laudate; aut me tanquam arborem malam cum operibus damnate, q. d. Vos, o Pharisæi, mea opera laudatis, & tamen me eorum auctorem damnatis. Aut si opera laudatis, & auctorem laudare debetis. Aut si hunc damnatis, & opera damnare debetis, alioqui dicitis *δύσερα* & contraria: quare cum opera mea non possitis culpare, sed cogamini ea probare, fateamini me bono spiritu agi. Ita S. Hilarius, Chrysost. Theophyl. & Euthymius. Argumentum Christi cornutum in Scribas.

Secundo, S. Hieronymus per arborem accipit diabolum, cui Scribæ tribuebant opera & miracula Christi. q. d. Si opera mea laudatis, ergo & diabolum, cui ea ascribitis, laudare debetis, quod est absurdissimum.

Tertio, S. Augustinus serm. 12. de Verbis Domini, & Maldonatus per arborem accipiunt ipsos Pharisæos, q. d. Si vultis esse & haberi boni, bona opera facite, scilicet bonos & bona laudate: si enim mala facitis, uti revera facitis, cum me meaque divina opera damnatis, malos & improbos calumniatores vos esse fateamini oportet. Ex calumniis enim cognoscitur calumniator, sicut ex fructu arbor. Unde sequitur: *Progenies viperarum*, &c. Omnes hi sensus sunt probabiles, & eodem redeunt. Hinc morale documentum colligit S. August. *Prius*, ait, *mutandus est homo, ut opera mutentur. Si enim manet homo in eo, quod malum est, bona opera habere non potest; si manet in eo, quod bonum est, mala opera habere non potest.* G

PROGENIES VIPERARUM QUOMODO POTESTIS BONA LOQUI, CUM SITIS MALI? EX ABUNDANTIA ENIM CORDIS OS LOQUITUR] Vocat Pharisæos viperas, æque ac Joannes Baptista cap. 3. v. 7. ob causas ibi dictas; sed hic proprie, eo quod quasi viperæ vipereos proferrent sermones & calumnias, quibus Christum infamare, & è medio tollere conabantur. Habebant enim cor viperinum, id est, plenum veneno invidiæ, superbiæ, malitiæ, & odii in Christum, quod viperinas & lethiferas has calumnias eructabat. VERS. 34 Luc. 6. 45. H

EX ABUNDANTIA ENIM CORDIS (id est, ex eo quod in corde abundat, quod sæpe cor volvit, cogitat, amat) HOC OS LOQUITUR] Si cor, id est mens & voluntas abundet bonitate & charitate, loquitur bona & amorosa; si felle malitiæ & invidiæ, loquitur fellea, livida, & mendacia, uti vos contra me facitis, o Pharisæi. Sicut enim stomachus eructat id quod comedit, adeoque ex halitu & ructu cognoscis, quid quisque comederit; qui enim comedit allia, olet allia: qui vinum bibit, olet vinum, &c. Sic pariter ex ore cognoscitur cor, puta ex loquela mentis affectus. Unde S. Chrysost. *Si dicta abiistis*, inquit, *ita sunt mala, quantum putamus, habebant in corde malitiæ, ubi solus Deus est testis? Quare cum audieris hominem male loquentem, multo impiorem æstimes nequitiam, quam verba demonstrant. Quod enim exterius dicitur, est superfluentia ejus, quod intus est; in quo vos vehementer tetigit. Si enim quod dictum est ab eis, ita est malum, excogitata radix verborum quam magna est?* Vis ergo scire quid quisque habeat in corde, & quis affectus Ex abundantia cordis os loquitur.

Digitized by Google

A *fœtus in eo abundet, vide quid loquatur, quid crebro in ore habeat, hoc enim abundat in corde, & ex corde in os eructat.*

VERS. 35 BONUS HOMO DE BONO THESAURO PROFERT BONA, Luc. 6. 45. ET MALUS HOMO DE MALO THESAURO PROFERT MALA] Explicat abundantiam cordis per thesaurum, id est acervum & cumulum. Bonus ergo homo de bono acervo bonarum cogitationum & affectionum, quas in mente coacervat & accumulat profert bona verba & opera: malus vero de malo thesauro & cumulo malarum affectionum, profert mala verba, & opera. Audi S. Chrysost. *Vel ipsos Judæos Deum blasphemantes ostendit, de quali thesauro blasphemiam proferant. Vel cum superiore quæstione hæret sententia, quod quomodo non possit bonus homo proferre mala, nec malus bona: sic non possit Christus mala; nec diabolus bona opera facere.*

VERS. 36 DICO AUTEM VOBIS, QUONIAM OMNE VERBUM OTIOSUM, QUOD LOCUTI FUERINT HOMINES, REDDENT RATIONEM (Arabicus, *responsum*) DE EO IN DIE JUDICII] *Reddent rationem* Christo judici, id est, Christus ab eis exiget rationem verbi otiosi, quam quia reddere non poterunt (otiosum enim est, quod sine causa dicitur) hinc
B ab eo punientur. Est catachresis & metalepsis, patet ex vers. sequen. Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, & alii. Est Hebræa syntaxis. Hebræi enim ponunt relativum cum suo antecedente in nominativo: *Omne verbum otiosum*, id est, de omni verbo otioso reddent rationem. Sensus est, q. d. ait S. Hieronymus, *Si otiosum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo ejus, qui loquitur, & in die judicii reddet unusquisque rationem sermonum suorum: quanto magis vos, qui opera Spiritus sancti calumniamini, & dicitis me in Beelzebub ejicere dæmonia, reddituri estis rationem calumniæ vestræ?* Rursum sicut otiosum verbum, sic & otiosa cogitatio, volitio, actio quælibet est peccatum, saltem veniale.

Verbum otiosum quod?

Quæres, quodnam est verbum otiosum? Græce ἀργόν, quasi ἄεργον, id est iners, sine arte & opere, carens fructu & utilitate. Primo, Theophylactus & Euthymius otiosum vertunt calumniatorium. Hauserunt hoc ex S. Chrysostomo, qui ait: *Otiosum verbum est, quia mendax est, quia calumniam habet.* Addit tamen: *Quidam dicunt; Quoniam & vanum, quale est quod risum movet inordinatum, vel turpe, vel verecundum.*

Prima sententia.

C

Secunda, & germana,

Secundo & genuine verbum otiosum est vanum, frivolum, ludicrum, quod nec loquenti, nec audienti utilitatem affert, etiamsi nulli sit noxium, nec in se reprehensibile. Ita S. Hilarius verbum otiosum interpretatur ineptum & inutile. S. Hieron. *Otiosum verbum est*, inquit, *quod sine utilitate & loquentis dicitur, & audientis, si omissis seriis de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Ceterum qui scurrilia replicat, & cachinnis ora dissolvit, & aliquid profert turpitudinis: hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus.* S. Greg. hom. 6. in Evang. sub finem: *Otiosum*, inquit, *verbum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret. Otiosa ergo colloquia ad ædificationis studium vertite: quam celerrime hujus vitæ tempora fugiant, considerate: quam districtus veniat judex, attendite.* Idem 3. parte Pastor. admon. 25. *Otiosum*, ait, *verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione pietatis utilitatis caret.* S. Bern. serm.
D de Triplici custodia manus, linguæ & cordis: *Otiosum*, ait, *verbum est, quod nullam rationabilem causam habet; quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem? Nemo nostrum, fratres, parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Si quidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irrevocabile. Volat tempus irreparabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! o donec pertranseat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam misericordia conditoris indulget, donec transeat tempus, quo divinam tibi reparare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Verbum ergo otiosum, teste S. Bernardo, est, quod caret rationabili causa. Tale igitur non est, quod festive dicitur, ut afflictos soletur, vel ægros mœstosque exhilaret: aut quod prudentiam humanam decet, ut cum narrantur dicta vel facta aliorum eo fine, ut ex iis prudenter agere & lo-

E qui discamus. Ulterius S. Basilius, ut verbum non sit otiosum, requirit piam intentionem. Verum loquitur religiosis, quorum professio est pia tractare, & loqui: *Otiosum verbum est*, inquit, *quod ad propositum in Domino usum, hoc est, ad ædificationem fidei non facit: tale enim contristat Spiritum sanctum.* Sicut enim hominis est juxta normam rectæ rationis, & Christiani juxta legem Christi; sic religiosi est juxta dictamen religionis, & pietatis agere, & loqui. Unde S. Bernard. de Consid. *Consecrasti*, ait, *ostium Evangelio, jam talibus (ludricis) aperire illicitum est, assuescere sacrilegium.*

Non requiritur absolute pia intentio, ne verbum sit otiosum.

Primo ergo absolute non requiritur pia intentio, ne sit otiosum, sufficit ut quomodolibet conducat ad usum, & prudentiam humanam. Sic:

Navita de ventis, de bobus narrat arator:

Alioqui enim ferè omnia opificum, mercatorum & sæcularium verba essent otiosa. Hoc dictum sit de actu in specie, nunc dicamus de sermone & actu in individuo.

Actus, ne sit otiosus, debet referri ad finem honestum.

F

Secundo ergo Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 52. in fine docet verbum otiosum non esse illud, quod profertur hoc fine dumtaxat, ut infirmitati alicui vel indigentiæ naturæ consulatur, v. g. si in frigore tantum ob naturæ indigentiam quis dicat: Ego frigeo, cupio ignem, ut frigoris sensum a me depellam. Censet enim ipse dari actum in individuo indifferentem, qui scilicet nec bonus sit, nec malus, puta, cum eo appetitur aliquid ad commodum & exigentiam naturæ. Idem docet Bonavent. & Scotus in 2. distinct. 41. Occam in 3. q. 13. Gabriel & Almainus tract. 2. Moral. cap. 14.

Verum id negat D. Thomas 1. 2. quæst. 18. art. 9. ejusque sequaces, item Durandus in 2. dist. 40. quæst. 1. Arriminensis in 2. dist. 28. & alii passim. Cum quibus dicendum est, otiosum in particulari actum (sive cordis, sive oris, sive membrorum cæterorum: eadem enim volitionis & actionis est ratio, quæ verbi, & locutionis) esse omnem illum, qui non refertur ad bonum rationis, puta ab bonum aliquod honestum. Ergo cum dicis: Ego fameo, ego frigeo, detur mihi cibus, paretur ignis; ut hic actus & sermo non sit otiosus, sed honestus, debes illum explicitè vel implicitè referre ad aliquem finem honestum, scilicet ad hoc, ut melius studere, orare, aliaque tua officia obire, & Deo servire valeas. Multo magis actus & sermo otiosus est si dicas: Ego hoc ago, vel loquor solum ideo, quia mihi placet, vel quia ista actio vel sermo me delectat. Hæc enim actio & sermo caret debito suo fine, æque ac mensura, ideoque est otiosa: delectatio enim non est regula nostrarum actionum; unde eam adhibere tamquam regulam, est contra rectam rationem, ac proinde malum, saltem veniale. Quare malum est velle quid ob solam delectationem, præsertim quia contra institutionem delectationis est, appetere illam propter se: nam instituta est ipsa ob aliud, nimirum ob operationem, cui conjugitur; ordinatur ergo ad magius bonum.

G

Ratio a priori, Prima.

Rectæ rationis regula actionum humanarum.

Ratio a priori horum omnium est, quod homo, qua homo, sit animal rationale, quod proinde in omnibus juxta rationem vivere, agere, & loqui debet. Regula enim & mensura actionis, & vitæ illi data a natura & Deo, est recta ratio, quam in omnibus sequi debet. Ergo inordinatum est, ut homo adhibeat ad operationes suas aliam mensuram & regulam, quam judicium rectæ rationis, v. g. delectationem, sanitatem, commodum naturæ, aut quid simile. Confirmatur primo, quia licet bonum naturale multum conferat naturæ, tamen ab homine non est expetendum per se, sed referendum est ad bonum rationis, quod proprie est bonum hominis, ut homo est, quodque ad finem hominis est utile: nam bonum naturæ conveniens vel delectabile non est per se honestum, sed ex accidenti. Confirmatur secundo, quia homo, qua rationalis est, tenetur operari secundum dictamen rectæ rationis; hoc autem dictat homini non nisi bonum honestum esse amandum & prosequendum. Ratio enim est quasi lucerna totius hominis, & omnium operationum ejus, ut ait Christus Matth. 6. 22. Sicut ergo qui in tenebris ambulat sine prævia lucerna, se periculo offendendi exponit; sic & qui operatur sine prævio dictamine rationis, ideoque peccat. Confirmatur tertio, quia qui sic vult, & operatur, exponit se periculo errandi; nam non utitur recta regula rationis: unde ex vi talis voluntatis posset velle, quod inhonestum est, ut servare vitam, quando pro fide est profundenda; oblectare se illa re, vel illo modo, loco, & tempore, qui lege est vetitus. Denique talis appetitio est otio-

H

sa,

Digitized by Google

A sa, quia nihil confert ad finem ultimum vitæ humanæ comparandum.

Secunda. Secundo, hæc otiositas verborum, cogitationum & operationum est quædam prodigalitas temporis, & actionum humanarum, quæ cæteris paribus major est, quam opum & fortunarum. Modicum enim vitæ tempus nobis datum est a Deo, ad comparandam beatam æternitatem, & singulis ejus momentis bene cogitando, loquendo, operando, possumus maximos beatitudinis & gloriæ gradus & thesauros nobis comparare, quos omnes prodigimus per otiositatem verborum & operum, uti recte annotavit S. Bern. verbis supra citatis; tempus enim semel otiosè elapsum est irrevocabile & irreparabile, ut mirum sit tempus tam pretiosum adeo otiose a multis transigi, & rebus vilibus, nugisque impendi.

Tertia. Tertio, quia quisque tenetur omnia sua facere & dicere taliter, ut apta sint ad Deum referri, nimirum ut apta sint, quibus illi placeamus & obediamus, juxta illud Apostoli. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. 31. alioqui sunt otiosa, id est inutilia ad finem hominis. Ad hoc

B autem requiritur, ut recta ratione dirigantur, ut sint honesta. Omne enim & solum honestum Deo placet.

Quarta. Quarto, quia Deus nobis os dedit, ut eum oremus & laudemus; utique ea, quæ nobis vel proximis sunt utilia & salutaria loquamur: qui ergo otiosa & inutilia loquitur, ore suo abutitur, præter mentem, & institutionem Dei: *Neque enim*, ut ait S. Ambr. in Psalm. 118. ser. 22. *parvi periculi est de rebus secularibus & otiosis loqui, cum tam mirabilia Dei opera habeamus, de quibus loquamur. Ac proinde statuat justus apud se cum S. Davide: Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas;* sicque otiosa omnia a se excludat.

Remedia verbi otiosi. Ex dictis liquet, a plerisque hominibus plurima dici & agi otiosa, de quibus Deo reddenda eis erit ratio: Quare ut huic malo remedium opponant, discant, & assuescant nil agere & loqui, nisi præmeditatum, & prius a ratione expensum. Secundo, assuefaciant se loqui parce, nec nisi de rebus bonis & salutaribus. Tertio, ad aliquas dies mentem colligant, ac vitæ suæ actiones, rationes, fines

C & intentiones considerent serio, ut si pravæ vel otiosæ sint, eas corrigant, & toti vitæ suæ, omnibusque suis actionibus debitum finem præscribant, ut in omnibus intendant Dei gloriam ac suam salutem & perfectionem, atque ad utrumque ordinent omnes suos sermones, & actiones. Porro hanc intentionem quotidie mane concipiant, Deoque offerant, illamque per diem sæpius renovent, ut ita habitum induant omnes illas ad hunc finem referendi, ex quo deinceps semper virtualiter, saltem ad illum referantur, etiamsi actu de eo non cogitent. Intentio ergo bona mutat sermones & actiones, ut ex indifferentibus & otiosis fiant honestæ, sanctæ, & meritoriæ cælestis gloriæ. Vide dicta c. 6. v. 22. Cassian. l. 5. de instit. renunt. c. 29. & 31. refert Machetem Abbatem, qui cum otiosa narrarentur, incidebat in somnum, cum spiritualia evigilabat, dictitasse auctorem otiosorum sermonum esse diabolum, idque hac experientia comprobasse. Differens enim de rebus spiritualibus, vidit pleroſque omnes indormiscere, mox otiosam narrans fabulam, vidit omnes evigilare: unde ingemiscens. Quis, ait,

D hujus rei est auctor, nisi ille, cui otiosa placent, spiritualia displicent; qui illis adgaudet, hæc impugnat, nimirum diabolus?

Otiosorum Verborum auctor diabolus.

Vers. 37 Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis] Arabicus: *Judicium dabitur contra te*, q. d. Non solum operum, sed & verborum magna habenda est cura, & tam horum, quam illorum Deo reddenda erit ratio: quia utraque sunt fructus ejusdem arboris, id est voluntatis bonæ vel malæ: quare verba tua non minus, quam opera te vel justificabunt, si sint justa & sancta; vel condemnabunt, si sint prava, & perversa: justificabunt, inquam, id est, non tantum justum te declarabunt, sed & justum vel justiorem efficient, si ex Dei amore vel compunctione proficiscantur: condemnabunt vero, & reum pœnæ efficient, si sint otiosa, luxuriosa, calumniatoria, rixosa, &c. Vide quæ de commodis & noxis dixi Eccles. 28. 29. Proverb. 21. 23. Jacobi 2. 3. & seq. Damnati enim a Christo in die judicii non solum ob peccata mortalia, sed etiam venialia punientur; sed pro gravitate & merito cujusque gravius vel levius.

Vers. 38 Tunc responderunt ei quidam de Scribis, et Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum (*de cælo*, ut addit Lucas c. 11. 16.) videre] Fuerunt hi ex illis, qui calumniari fuerant Christum ope Beelzebub ejicere dæmones, ut patet ex Luca cap. 11. 16. hi enim refutati a Christo, cum nollent videri victi & conicti, instant, ut idipsum signo, id est, miraculo aliquo cælesti confirmet, q. d. Tu dicis te ope Dei, non dæmonis, patrare miracula. Si ita est, fac, ut Deus è cælo testetur, id verum esse, signo aliquo cælesti, quo significet te ab eo missum, ideoque ejus virtute ejicere dæmones. Verum eis sufficere debebant tot morborum sanationes, tot mortuorum suscitationes factæ a Christo, hoc fine, ut ostenderet se esse Messiam a Deo Patre missum; sed incredulis & calumniosis nil sufficit, ac dato uno, per effugium aliud, & aliud sine fine postulant. Sensus ergo est, q. d. Tua, o Christe, miracula in terra terrena sunt: at nos volumus videre in cælo cælestia; in cælo enim habitat Deus, quem tu auctorem tuorum miraculorum esse asseveras. Fac ergo, ut ignis de cælo descendat, ut fecit Elias 3. Reg. 18. vel ut cælum novis mirisque tonitruis & fulminibus coruscet, uti fecit Samuel 1. Reg. 7. 10. aut ut sol suo loco consistat, uti fecit Josue cap. 10. 13. Ita S. Hieronymus: Tacite ergo Christi miracula in terra facta, quasi dæmonis præstigias perstringunt, tentantque Christum, ut calumnientur. Etsi enim simile in cælo signum edidisset, illico aliud effugium quæsissent, aliudque rursus signum requisissent. Hoc enim est curiosorum, & cavillatorum ingenium, sed maxime infidelium, & hæreticorum.

E

F

Qui respondens, ait illis: Generatio mala; et adultera signum quærit, et (id est *sed*) signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ] *Generatio* (Græce γενεὰ, id est, natio, gens) *adultera* id est, infida & infidelis, quia relicto Deo sponso, cui olim in circumcisione se despondit, adhæret dæmoni, ejusque suggestioni: hinc infidelitas, & idololatria ab Ezechiele c. 16. & aliis, sæpe vocatur adulterium. Ita S. Hieron. Chrysost. Euthymius, & Theophylactus, qui ait: *Adulteram generationem vocat, quia desciscebant a Deo, & adhærebant dæmoni.* Secundo, *adultera*, id est, adulterina, & degener a fide & moribus Abrahæ, Isaac, & cæterorum Patriarcharum: illi enim crediderunt in Messiam, hi præsentem, & tot miraculis probantem se esse Messiam agnoscere nolunt. Messias enim erat sponsus synagogæ Judæorum, & nunc est sponsus Ecclesiæ christianorum, ut patet Ephes. 5. 32. Ita Barradius, Maldonatus, Franciscus Lucas, & alii. Sic enim Hebræi בְּנֵי נֵכָר *bene nechar*, id est, *filios alienos*, vel potius, *alieni*, scilicet patris, puta adulteri, vocant spurios, id est degeneres.

Vers. 39 Matt. 9. 4. Luc. 11. 29. Infidelitas & idololatria dicuntur adulterium in Scriptura.

G

Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.] q. d. Prava hæc Judæorum natio poscit a me signum de cælo, sed ego non dabo ei, nisi signum de terra, hoc est, de profundo: non de sublimi, ait Glossa Interlin. passionis & sepulturæ per tres dies, non gloriæ, quod tamen non terminabitur in signum cæleste, scilicet in resurrectionem, quæ facta est virtute cælesti, & postquam Christus glorioſe in cælum conscendit, q. d. Non assignabo Judæis aliud signum, quam quod olim assignavi, Jo. 2. 19. dicens: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; ille autem dicebat de templo corporis sui*, scil. signum resurrectionis, quod est signum Jonæ Prophetæ, quia in Jona fuit præfiguratum, & reipsa prophetatum. Hoc enim clare ostendit, quis ego sim, cur mortuus, cur crucifixus, in quo ipsi scandalizantur; nimirum, quod ego sim Messias mortis & peccati domitor, mundi salvator, ac cæli terræque Dominus. Custodes enim sepulchri nuntiarunt Judæis Christum e sepulchro resurrexisse, ac ipsi Judæi viderunt sepulchrum vacuum, & Apostoli Christi resurrectionem multis miraculis comprobarunt. Quocirca multi Judæi tunc, & postea omnes gentes in Christum jam redivivum crediderunt. Judæi enim expectabant Messiam non humilem & pauperem, sed divitem & glorioſum: talem autem viderunt Christum in resurrectione, ascensione & missione Spiritus sancti: unde tunc eum agnoverunt, & quasi Messiam receperunt, juxta illud Christi Joann. 8. *Cum exaltaveritis filium hominis* (in cruce) *tunc cognoscetis, quia ego sum;* nam è cruce & morte glorioſus resurgam. Judæi vero increduli ipsum esse Messiam, tunc pariter coacti cognoverunt, quia Christus post resurrectionem e cælo misit Titum & Vespasianum, qui Jerusalem & Judæam exscinderent ob necem injuste sibi a Judæis illatam.

Signum Jonæ est resurrectio. Cur?

H

Ita

Digitized by Google

A Ita S. Chryſoſt. Tunc enim plenum fuit gentis excidium; quod uſque nunc durat, & durabit uſque ad finem mundi; quod utique non niſi ob ſummum ſcelus, ſcilicet ob Chriſticidium & Deicidium Deus juſtus & vindex eis irrogavit. Hoc ergo excidium ſignum eſt clariſſimum, Jeſum ab eis occiſum fuiſſe Meſſiam ſive Chriſtum. Unde Chriſtus v. 41. hoc ſignum Jonæ affert, quaſi ſignum condemnationis Judæorum per Ninivitas, qui crediderunt Jonæ & pœnitentiam egerunt, cum Judæi Chriſto credere noluerint, ideoque exciſi & damnati ſunt. Quocirca Maldonatus cenſet Chriſtum Judæis petentibus ſignum de cælo ad oſtentationem, dare ſignum de terra ad eorum condemnationem: ſic enim doloſe petentes ſignum decebat ab eo retundi, & confundi.

VERS. 40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus*] *In corde*, id eſt, *in imo terræ*, hoc eſt intra terram, ſicut cor eſt intra corpus hominis: quia Chriſtus in cruce mortuus quoad corpus poſitus fuit in ſepulchro, quoad animam deſcendit in limbum Patrum, qui eſt juxta centrum terræ. Ita S. Hieron. Chryſoſt. Theoph. Euthymius, S. Irenæus l. 5. c. 31. Tertul. lib. de Anima c. 55. & alii.

Luc. 11. 30. Christus in sepulchro fuit tribus diebus, & tribus noctibus quo sensu? Primo.

B Quæres, quomodo Chriſtus tribus diebus & noctibus fuerit in ſepulchro & limbo; nam ſola nocte Sabbati & Dominicæ in eo fuit, & illico in aurora reſurrexit? Primo, Alcuinus lib. de Divinis officiis in cap. de Cœna Domini, & Paulus Foroſempronienſis, teſte Marcello, lib. de Horis canonicis cap. 50. ex hoc loco colligunt Chriſtum jacuiſſe in ſepulchro tres integros dies & noctes, hoc eſt 72. horas, ac conſequenter reſurrexiſſe in fine feriæ ſecundæ. Verum hic certus eſt error. Communis enim Eccleſiæ traditio & ſenſus eſt, Chriſtum reſurrexiſſe in die Dominica, idque patebit Matth. ult. verſ. 1.

Secundo. Secundo, Gregor. Nyſſen. orat. 1. & 2. de Reſurrectione, hos tres dies computat a feria quinta, ſive a die Jovis: putat enim ipſe, quod, dum illo die veſpere Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, ſeipſum ſub ſpeciebus panis & vini Deo immolavit per ſacrificium incruentum, animam Chriſti ſeparatam fuiſſe a corpore, ſicut fiebat in immolationibus

C boum, quando Deo ſacrificabantur & mactabantur, ſed id factum eſſe arcana & inviſibili ratione, tumque animam Chriſti iviſſe ad inferos: ſicque præveniſſe mortem ſuam, quam poſtridie, ſcilicet die veneris ſancto Judæi in cruce ipſi viſibiliter erant illaturi. Sed & hic eſt error. Nam anima Chriſti viventis realiter eſt in Euchariſtia, puta in ſuo corpore & ſanguine ſub ſpeciebus panis & vini contento; eſt, inquam, ibi non quidem ex vi verborum conſecrationis, ſed per naturalem concomitantiam: Chriſtus enim in Euchariſtia eſt animatus & vivus, ſicut eſt extra eam, ut definit Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 2. Secus fuiſſet, ſi S. Petrus, vel quis alius Apoſtolus celebraſſet, & conſecraſſet Euchariſtiam in triduo paſſionis & mortis Chriſti: tunc enim Chriſti corpus & ſanguis fuiſſent in ea ſeparata ab anima, quia ſic revera erant in ipſo Chriſto jam ſepulto. Erat enim tunc Chriſtus mortuus, non vivus.

Tertio: Vere. Dico ergo *ut tribus diebus, & tribus noctibus*, hic tantum eſſe periphraſim & deſcriptionem diei naturalis, ſive uſualis. Hujus enim duæ partes integrantes ſunt dies & nox, ſive lux & tenebræ: utitur vero illa periphraſi Chriſtus, quia eadem uſus erat Jonas ejus antitypus cap. 2. v. 1.

D & ne quis tres hoſce dies intelligeret artificiales, qui opponuntur noctibus, quaſi per tres dies, quibus lux eſt, & ſol ſupra horizontem, Chriſtus fuerit in ſepulchro: hoc enim falſum eſt. Jam vero tres hoſce dies naturales accipe non integros, ſed partiales per ſynecdochen, ſcilicet partem ultimam diei Veneris, qua Chriſtus de cruce depoſitus ſepultus eſt; totum Sabbatum, ac partem diei Dominicæ; nam illius aurora elucеſcente reſurrexit. Hebræi enim licet dies civiles ab uno ſolis ortu ad alterum numerarent, uti & faciunt Chaldæi & Perſæ, teſte Beda de ratione temporum, idque colligitur ex Geneſ. c. 1. v. 5. tamen dies ſacros (qualis hic erat Paſcha, & dies azymorum, quibus Chriſtus paſſus eſt & reſurrexit) computabant a veſpera in veſperam. Ita hoſce tres dies explicant & adaptant S. Hieron. Theophyl. Euthym. & S. Auguſt. epiſt. 49. q. 6. & paſſim interpretes. Hinc alibi paſſim ſimpliciter dicitur Chriſtus reſurrexiſſe tertia die, vel poſt tres dies, nulla facta noctis mentione.

Quarto: Plene. Verum, quia juxta hunc computum duæ tantum noctes reperiuntur, quibus Chriſtus fuit in ſepulchro, ſcilicet nox Sabbati, & nox Dominicæ; hic autem diſerte dicitur, *tribus noctibus*; planius & plenius alii reſpondent, hos tres dies & noctes computari more Romanorum, qui tempore Chriſti Judææ imperabant, & in civilibus ſuum calendarium ibidem induxerant. Romani enim a media nocte in aliam diem computabant, uti & faciunt Chriſtiani in feſtis & jejuniis; Teſtis eſt Macrobius lib. 1. Saturn. c. 3. Gellius lib. 3. cap. 2. Plinius l. 2. cap. 77. & alii. Hoc computu clarum eſt Chriſtum fuiſſe in ſepulchro tribus diebus & noctibus partialibus: ſepultus eſt enim die Veneris ante ſolis occaſum, manſitque in ſepulchro uſque ad mediam noctem, quæ pertinebat ad diem Veneris, inde a media nocte incipiebat Sabbatum, quo toto permanſit in ſepulchro per integrum diem & integram noctem: ſucceſſit dies Dominica pariter a media nocte, qua reliqua per ſex fere horas permanſit in ſepulchro uſque ad auroram, cum incœpit lux & dies, in qua reſurrexit, ita ut tota media nocte Dominicæ, & parte aliqua auroræ, ſive diei & diluculi, Chriſtus fuerit in ſepulchro, donec aurora creſcente, magiſque illuceſcente reſurrexit. Erat enim tunc Paſcha circa æquinoctium, in quo dies æquales ſunt noctibus, ac proinde noctes æque ac dies ſunt duodecim horarum. Anima vero Chriſti illico, ut ipſe in cruce expiravit hora nona, id eſt, tertia pomeridiana, deſcendit ad Limbum, manſitque ibi cum Patribus uſque ad auroram Dominicæ. Porro Judæos uſos fuiſſe hoc computu Romanorum colligitur tum ex aliis, tum ex eo quod ipſi a Caſtrenſibus Romanorum horis & vigiliis acceperint quatuor vigilias noctis, ut patet Matt. 14. 25. & alibi. Varia enim fuerunt diei apud varias gentes initia. Perſæ & Babylonii diem numerabant ab ortu ſolis ad alium ejus ortum. Athenienſes & Itali a ſolis occaſu ad occaſum. Aſtronomi a meridie in meridiem. Ægyptii tamen & Romani ſacerdotes a media nocte in alteram mediam noctem, quæ conſuetudo in Eccleſia Romana permanſit. Ita Chriſtoph. Clavius in cap. 2. Sphæræ, & Alexander ab Alexandro lib. 4. Genial. cap. 20. Hebræi ergo tempore Chriſti Ægyptiorum, & Romanorum, quibus ſubjecti erant, calculum ſunt ſecuti. Quare Franc. Lucas docet Judæos dies non feſtos a media nocte in mediam noctem computaſſe, uti faciunt Chriſtiani. Ita a media nocte in mediam noctem hos tres dies computat S. Anſelmus hic, Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 114. & 212. D. Thom. 3. p. q. 46. art. 9. ad 1. Franc. Suarez 3. p. q. 53. diſp. 46. ſect. 3. in fine. Et Baron. anno Chriſti 34.

Quomodo diem ſuum computabant Romani?

E

F

Varia apud varias nationes diei initia.

G

Denique voluit Chriſtus tres dies manere in ſepulchro, ut oſtenderet ſe vere mortuum, ac conſequenter ſe tertio die vere a morte reſurrexiſſe. Ita Beda & Anſelmus hic, & S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 3. & ſer. 181. de Temp. Plures alias hujus rei cauſas aſſignavi Oſee 6. v. 3. ad illa: *Vivificabit nos poſt duos dies*.

VERS. 41. Luc. 11. 32. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: et ecce plusquam Jonas hic*] q.d. Ninivitæ, qui cum ſuo rege Sardanapalo projecerant ſe in ſcelera, totoſque ſe dederant Veneri & ventri, cum audirent Jonam in illa detonantem, & excidium minitantem, *illi* crediderunt, & pœnitentiam egerunt: hi ergo in die judicii accuſabunt & condemnabunt Scribas & Judæos, qui Chriſto Deo & Domino per tot miracula credere, & pœnitentiam agere noluerunt: condemnabunt, inquam, non tam verbis, quam factis, ſcilicet ſuo fidei & pœnitentiæ exemplo. Hinc tamen non ſequitur Ninivitas fuiſſe ſalvatos, quia paulo poſt pœnitentiam redierunt ad vomitum: unde cum ſuo rege Sardanapalo ab Arbace Medo ſubacti & ſubjugati ſunt. Jonas enim prophetavit ſub Jeroboam rege Iſrael, & Ozia rege Juda, qui fuere coævi Sardanapalo, & regnarunt paulo ante initia Romæ, cum Procas Sylvius avus Romuli regnaret in Latio, teſte Euſebio in Chronico. Adde: poſt Jonam ad Ninivitas miſſus eſt Nahum, qui eos relapſos caſtigaret, eiſque excidium per Chaldæos intentaret: unde & reipſa exciſi ſunt a Nabuchodonoſore rege Chaldæorum. Vide dicta in proœmio Jonæ & Nahum.

H

Quo tempore Ninivitis prædicavit Jonas.

Et ecce plusquam Jonas hic] Jonas enim erat Propheta & ſervus: Chriſtus vero Meſſias & Dominus. Jonas in certo vivens, vivus egreſſus eſt: Chriſtus ex morte & inferno reſurrexit, & redivivus prodiit. Jonas reluctans, & invitus: Chriſtus ſponte prædicavit. Jonas apud Ninivitas fuit peregrinus: Chriſtus fuit cognatus Judæorum. Jonas ſubverſionem Ninivæ comminatus eſt: Chriſtus regnum

Antitheſes Jonæ & Chriſti.

Digitized by Google

A gnum cælorum promisit, Jonas nullum fecit miraculum: Christus plurima. De Jona nullus; de Christo omnes Prophetæ vaticinati sunt. Jonas vociferatus est: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur;* Christus per Apostolos clamavit: *Adhuc quadraginta anni, & Jerusalem evertetur a Tito.* Plures analogias Jonæ & Christi collegit Eusеb. Emissenus hom. 2. de Pascha, & S. Aug. ep. 49. q. 6. quas recensui Jonæ 2. v. 20.

VERS. 42 Luc. 11. 32. REGINA AUSTRI SURGET IN JUDICIO CUM GENERATIONE ISTA, ET CONDEMNABIT EAM: QUIA VENIT A FINIBUS TERRÆ AUDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS, ET ECCE PLUSQUAM SALOMON HIC.] Ægyptius, *Regina Australis*. Persicus, *Regina Themanitica*: *Theman* enim Hebræis, indeque aliis Orientalibus Austrum significat, Æthiopicus, *Regina Aseb*. Videtur ergo nomen ejus reginæ fuisse Aseb, sumptum a loco regni, puta a Saba, q. d. Sabæa. Ita aliqui suspicantur. Verum dico *Aseb* Æthiopicè idem est quod Latine, *Austri*, uti Romæ mihi Æthiopes asseruerunt. Hæc est regina Saba, quæ est Australis Judææ. 3. Reg. 10. Saba autem est regio, estque duplex; una in vicina Arabia: altera in remota Æthiopia, ejusque Metropolis, quæ postea a Cambyse nomine sororis suæ dicta est Meroe, teste Josepho lib. 2. Antiq. c. 10. & Strabone lib. 16. Hæc regina multis videtur potius ex Æthiopica Saba venisse, quam ex Arabica, quia Æthiopica est remotissima, & quia Josephus lib. 8. Antiq. c. 2. vocat eam reginam Æthiopiæ & Ægypti. Unde postmodum fama Scripturæ, & Dei veri Hebræorum apud Æthiopes permansit. Ex iis enim venit Hierosolymam adorare Deum Hebræorum Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum, Actor. 8. Reginas enim Æthiopibus imperasse & *Candaces* fuisse dictas, sicut Romani suos principes vocabant Cæsares, testis est Plinius lib. 6. c. 29. Imo Æthiopum sive Abyssinorum Imperator scribit se *filium Salomonis*, Tradunt enim Æthiopes reginam Saba ex Salomone quasi marito concepisse, indeque natos reges Abyssinorum, qui nunc Prete-Jannes dicuntur, licet hanc traditionem confutet Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis c. 14. n. 8. Addunt Abyssini, reginam hanc Azeb regnasse in Tigre, quod regnum est Abyssiæ amplissimum, ac filium ejus vocatum Menile, id est similis, eo quod patri Salomoni esset simillimus. Ita hanc reginam ex Æthiopia venisse censent Euthymius, Jansen. Maldon. Toletus, Barradius, Franc. Lucas hic, & S. August. ser. 252. de Temp. Nazianzenus orat. 40. Nissenus hom. 7. in Cant. Orig. hom. 1. in Cant. & alii. Verum alii probabiliter censent illam venisse ex Saba, quæ est in Arabia Felici, ubi sunt Homeritæ: in ea enim abundant aromata, & aurum, atque ac cameli. Rursum dicitur hæc *venisse a finibus terræ*; tum quia Arabia Sabæa distat a Jerusalem 606. leucis Gallicis, teste Adrichomio, in descript. terræ sanctæ in Manasse; tum quia ipsa est extrema regio terræ ad mare Indicum, sive Arabicum, ibi enim finitur terra, & incipit mare; hinc sæpe in Script. vocatur terra longinqua, ut Jerem. 6. Isaiæ 43. & alibi. Unde Niceph. lib. 8. c. 55. ait Felicem Arabiam esse Sabæam, ejusq; fines ad extremum oceanum pertingere. Ita S. Hier. Cyrillus, Theodor. Eucherius, Cæsarius, Salmeron, Pererius, Eugubin. Cajet. & alii, quos citat, & sequitur, fuseque probat Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 14. n. 5. & seq.

Saba duplex.

Regina Austri quænam, & unde venerit?

B

C

Quantum Arabia Sabæa distet a Hierosolymis.

D AUDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS, ET ECCE PLUSQUAM SALOMON HIC] *Hic*, id est, *ego*: loquitur enim Christus de se in tertia persona modestiæ causa, q. d. Regina Saba credidit Salomoni; ac Judæi mihi credere nolunt, qui sum longe major & sapientior Salomone; quia sum Messias eorum, Deique filius. Ergo regina ista suo facto in die judicii condemnabit duritiem & incredulitatem Judæorum. Porro comparatio hæc reginæ Saba cum Judæis magnas habet emphases, quas nervose exprimit Franc. Lucas. Mulier, inquit, Gentilis in schola Dei minime educata, regni vero amplissimi negotiis districta, fama sapientiæ, quæ de Salomone ferebatur, excitata, difficillimum arripuit iter ex remotissimis terræ partibus Hierosolymam, ut ejus sapientiæ periculum faceret; quam admirata supra modum, licet non nisi de terrenis atque humilibus rebus differeret Salomon, consilia excepit illius: Judæi vero legis divinæ alumni, sacris litteris addicti, Christum Dei virtutem ac sapientiam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, summum suum unicumque doctorem regni cælorum, æternæque salutis mysteria a sæculis abscondita, ac veram Dei sapientiam depromentem, ultro se offerentem, rogantem, atque invitantem non recipiunt, imo rejiciunt plane, etiam dato illo resurrectionis gravissimo signo, quando sapientiam illam suam credentibus atque obedientibus sibi communicavit & impertivit: quare solus ipse admirandus est. Quantum ergo regina Saba antecelluit Judæis, ac quanto jure & pondere eis in die judicii suam obstinationem, ingratitudinem, incredulitatem, & inobedientiam Christus in faciem exprobrare poterit? Hoc exemplum reginæ Sabæ, æque ac prius Ninivitarum discite ostendit in die judicii quemque pro mensura beneficiorum, & gratiarum a Deo acceptarum, quæ ipse neglexit vel contempsit, acrius castigandum a Christo judice. Videant ergo sacerdotes, religiosi, & cæteri, qui gratiis Dei abundant, ut iis recte & sedulo utantur; alioqui enim eo gravius punientur, quo majores perceperunt: imo laici in die judicii insultabunt iis, sicut & Gentiles Turcæque Christianis, quod si illas habuissent, longe iis religiosius sanctiusque vixissent. Audiant S. Greg. hom. 9. in Evang. *Lectio S. Evangelii* (de talentis cuique a Deo distributis) *fratres sollicitè considerare nos admonet; ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.*

E

F

VERS. 43 44. &c. Luc. 11. 24. CUM AUTEM IMMUNDUS SPIRITUS EXIERIT AB HOMINE, AMBULAT PER LOCA ARIDA, QUÆRENS REQUIEM, ET NON INVENIT. TUNC DICIT: REVERTAR IN DOMUM MEAM, UNDE EXIVI, ET VENIENS INVENIT EAM VACANTEM, SCOPIS MUNDATAM ET ORNATAM. TUNC VADIT, ET ASSUMIT SEPTEM ALIOS SPIRITUS SECUM NEQUIORES SE, ET INTRANTES HABITANT IBI: ET FIUNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEJORA PRIORIBUS. SIC ERIT ET GENERATIONI HUIC PESSIMÆ] Hic explicatur tota parabola, & sententia, quæ tota simul recensenda, & paucis explicanda est.

Nota, Christum persistere in materia expulsionis dæmonum: energumeni enim, quos ipse sanabat, possidebantur a dæmone corporaliter; sed Scribæ & Judæi calumniantes miracula Christi, spiritualiter in anima. Porro hic, uti & alias sæpe non propriè, sed parabolicè more Syrorum loquitur. Sensus ergo est, q. d. Sicut homo exul & profugus per arida & inculta loca vagatur; ita diabolus per legem Dei pulsus ab homine, puta a vobis o Judæi, qui fuistis populus Dei (*in quo scilicet habitabat & colebatur, seque per oracula & miracula ostendebat*) vagatur per loca deserta, & requiem quærit, sed cum eam non habeat, nisi in homine, videatque jam vos Dei gratiam per me oblatam contemnere, itaque sibi in vobis, quasi in domo vacua, & scopis mundata, locum parari & ornari, avidus ad vos recurrit, septem, id est, multis aliis sociis se nequioribus assumptis, tum ut simul hac domo, id est, animabus vestris jucunde perfruantur, tum ne facilè rursum expellantur, tum denique ut vos nequiores efficiant; uti revera efficiunt, dum vos blasphemare faciunt me, meam doctrinam, & miracula, ut dicatis me in Beelzebub ejicere dæmonia, utque assidue me ad mortem persequamini, & tandem crucifigatis, quod scelerum omnium est summum & maximum. Quocirca Deus vos puniet extremo excidio per Titum, faciètque ut sitis absque Deo, absque Messia, absque lege, absque templo, absque sacrificio, absque regno, absque fide, imo ut perfidiam & cæcitatem vestram obstinatè putetis veram esse fidem & lucem. Ita S. Hilar. S. Hier. Beda, & alii, & patet ex applicatione parabolæ, cum ait: *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.*

G

H

Porro vacua est domus, id est anima, quia caret Deo, Deique gratia; ac proinde capax est & apta, ut fiat domus diaboli. Scopis mundata est, quia eversa est ex ea omnis virtus, pietas, bonitas, ac sparsa aconita impuritatis, & aculæa superbiæ. Hæc enim est mundities, id est immundities, quæ munda est, placetque diabolo, cui nil nisi fœtidum olet, nil nisi immundum & putidum sapit.

Dæmon agit in desertis. Cor.

Rursum dæmones a Deo & Sanctis pelluntur in loca deserta, ne hominibus noceant, vel pulsi & mœsti sponte eo concedunt. Sic Raphael ligavit Asmodæum in deserto superioris Ægypti, Tobiæ 8. sic Isaias c. 13. 21. & c. 34. 14. ait Babylonem vastandam a Persis, & redigendam in desertum, ut ibi habitent pilosi, id est, Satyri & Onocentauri, id est, dæmones in hircorum & monstrorum forma. Sed ibi quietem non invenit, quia, ut ait Abulensis, *Dæmon non potest quiescere, quia in æternum cruciabitur, sed quærit quie-*

A *quietem ſuæ malæ voluntatis; eſt enim invidus, & deſiderat nocere homini: & quando nocere poteſt, quieſcit aliquo modo.* Et S. Chryſoſt. ſerm. 92. *Diabolus*, ait, *hominum damnum ſuum computabat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc ſe eſtimat acquiſiſſe*; idque fit tum ex invidia, qua homini invidet cælum & felicitatem, ex qua ipſe decidit; tum ex odio Dei, quo ardet, quia enim ipſi Deo nocere nequit, hinc nocet homini, qui eſt Dei creatura & imago, ut vel ſic Deo noceat, quoad poteſt: uti pulchre exemplo pardi, qui, cum hominem lædere nequit, ejus imaginem dilacerat, oſtendit S. Baſilius hom. 11. in aliquot Scripturæ locos.

Myſtice. Myſtice loca arida ſunt animæ Gentilium, in quibus per Chriſti gratiam ſiccatus eſt humor concupiſcentiæ. Audi S. Hier. *Immundus ſpiritus exivit a Judæis, quando acceperunt legem, & pulſus a Judæis ambulavit per gentium ſolitudines, quæ cum poſtea Domino credidiſſent, ille non inveniens loco in nationibus dixit; Abibo ad Judæos.* Et Greg. 33. Moral. c. 3. *Luca*, inquit, *arentia & inaquoſa ſunt corda juſtorum, quæ per diſciplinæ fortitudinem ab omnis*
B *carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur.* Et Euthymius: *Significat Dominus Sanctorum animas nullum affectionis humorem habentes*, &c. Sicut ergo porcus non invenit requiem in arido, ſed in luto: ſic demon non quieſcit in corpore per jejunia, & caſtitatem arido, ſed cœno gulæ & luxuriæ conſpurcato.

ET FIUNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEJORA PRIORIBUS] Arabicus: *Et fiet noviſſimum illius hominis pejus principio ejus.* Hic eſt finis & ſcopus parabolæ, ut ſcilicet doceatur, relapſum in peccatum pejorem eſſe lapſu: ſicut *pejor eſt morbo recidiva morbi*. Cauſam dat Tertull. lib. de Pœnit. c. 5. quia *pœnitens dum in priſtina peccata relabitur, eaque quaſi canis vomitum relambit, diabolum Domino præponit. Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicat pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet.* Hinc S. Aug. ep. 137. *Simpliciter*, ait, *fateor coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo*
C *difficile ſum expertus meliores, quam qui in monaſteriis profecerunt; ita non ſum expertus pejores, quam qui in monaſteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum: Juſtus juſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.* Apoc. 22. Sic Lucifer, qui erat pulcherimus Angelus, factus eſt terrerrimus dæmon: ſic Judas ex Apoſtolo factus eſt apoſtata, & proditor Chriſti: ſic olim Neſtorius, Eutyches, Pelagius, Arrius, Jovinianus, & hoc ævo Lutherus, Calvinus, Menno, & cæteri eorum ſymmyſtæ, ex monachis & ſacerdotibus facti ſunt apoſtatæ & hæreſiarchæ: vulgo dicitur ex optimo vino fit acerrimum acetum: ex pulchro Angelo fit terrerrimus diabolus: ex viro ſanctiſſimo fit homo nequiſſimus, ſi cadat, & in caſu perſeveret.

SIC ERIT GENERATIONI HUIC PESSIMÆ] q. d. Sicut diabolus facit aliis hominibus, ut pulſus ab iis ad eos redeat nequior cum majore comitatu, furore, & impetu: ſic prorſus faciet Scribis & Phariſæis, ut eos adigat in extremam invidiam, odium, & rabiem, ut me, id eſt Meſſiam & Deum ſuum occidant, eo quod illorum ſcelera taxem & culpem: quare puniet eos Deus extremo excidio
D tum corporis per Titum, tum animæ in gehenna per ipſoſmet dæmones, quorum furiis aguntur in tanta ſcelera.

VERS. 46 ADHUC EO LOQUENTE AD TURBAS, ECCE MATER EJUS, ET FRATRES STABANT FORIS, QUÆRENTES LOQUI EI] Quæres, quinam in Evangeliis vocantur fratres Chriſti? Reſpondebat ſpurcus hæreſiarcha Helvidius fuiſſe eos, qui ex eadem matre B. Virgine poſt Chriſtum erant nati. Negabat enim eam perpetuo manſiſſe virginem: ſed eum acriter & docte refellit S. Hieronymus lib. contra Helvidium.

Luc. 6. 19. Mar. 3. 31. Fratre Chriſti qui? Reſp. Primo.

Secundo. Secundo. Greci paſſim cum Euſebio l. 2. Hiſt. cap. 1. & e Latinis S. Hilar. & Ambr. quos citat Baronius in Apparatu Annal. c. 46. putant fuiſſe eos, qui nati ſint ex priori matrimonio Joſeph, antequam B. Mariam duceret in conjugem. Verum Joſeph non aliam habuiſſe uxorem, quam B. Virginem, ac cum ea jugiter manſiſſe virginem, docent S. Hier. contra Helvidium, S. Aug. ſerm. 14. de Nativ. Theodor. in c. 1. ad Galat. Beda, Anſelm. Rupert. D. Thom. & paſſim alii Latini hic; adeo ut B. Petrus Damiani ep. 11. c. 4. ad Nicolaum Romanum Pontificem, dicat hanc eſſe Eccleſiæ fidem.

Tertio. Tertio, Hugo de S. Victore, & Gloſſa in c. 1. ad Galat. Eckius hom. de S. Anna (& favet Beda Actor. 1.) cenſent hos fuiſſe progenitos ex S. Anna matre B. Virginis; S. Annam enim præter Joachimum, ex quo genuit B. Virginem, duos alios habuiſſe maritos, ex quibus geniti ſint hi, qui fratres Domini vocantur. Verum S. Annam unicum tantum habuiſſe maritum Joachimum, & ex eo unicam prolem B. Virginem, docet S. Hippolytus apud Nicephorum lib. 2. c. 3. idque multis probat noſter Chriſtophorus a Caſtro lib. de Deipara cap. 1. & Baronius in Apparatu, cap. 46. & ſeq. & Suarez 3. parte q. 28. art. 1. diſp. 5. ſect. 4.

Dico ergo hos proprie non fuiſſe fratres Chriſti, nec ex B. Virgine, vel Joſepho, aut S. Anna eſſe progenitos, ſed dici fratres, id eſt conſobrinos, patrueles, & cognatos Chriſti, phraſi Hebræis familiari, nimirum erant hi cognati, aut vere fratres S. Joachim, vel, S. Annæ, aut potius erant filii fratrum, vel ſororum S. Joachimi, vel S. Annæ, puta filii Cleophæ, qui erat frater Joſephi ſponſi B. Virginis, teſte Hegeſippo, qui fuit vicinus Apoſtolorum ævo, apud Euſebium l. 3. Hiſtor. c. 11. Joſeph enim & Cleophas fuere filii Jacob, qui erat frater S. Annæ, de quo plura c. 13. v. 55. & Lucæ 3. ſub finem. Audi S. Hier. hic: *Nos*, ait, *ſicut in libro, quem contra Helvidium ſcripſimus, continetur, fratres Domini, non filios Joſeph, ſed conſobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus matertera Domini, quæ eſſe dicitur mater Jacobi, & Joſeph, & Judæ.* Idem aſſerunt Iſidorus lib. de Vita & morte SS. Patrum, Beda ſuper 1. cap. Actor. & Anſelmus 1. Corinth. 9. & ad Gal. 1.

STABANT FORIS] Miſerunt ergo nuntium ad Chriſtum in domum, qui eum evocaret.

QUÆRENTES LOQUI EI] Non ex ambitione, & faſtu, ut viderentur eſſe conſanguinei tanti doctoris & Prophetæ, qualis erat Chriſtus, ut volunt S. Chryſoſt. & Theoph. ſed ut eum comprehenderent, ſecumque abducerent in Nazareth. Dicebant enim eum in furorem verſum eſſe, ut ait Marcus c. 3. 21. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Joann. 7. 5. (licet poſtea plures ex iis crediderunt Chriſto) ſive hoc dixerint, quod vere furere putarent, ſive ficte & ſimulate, ut eum e manibus Phariſæorum, ne ab eis opprimeretur, eriperent: hac enim vel ſimili de cauſa B. Virginem evocaſſe Chriſtum, nemo pius dubitet. Si voluerunt eum comprehendere quaſi furioſum, celarunt hoc ſuum conſilium B. Virginem, illamque adduxerunt ſecum ſpecie honoris, ut facilius & ſecretius Chriſtum evocarent, ſecumque abducerent. Certum enim eſt B. Virginem optime ſciviſſe Chriſtum eſſe ſanæ ſanctæque mentis; quare non niſi ejus viſendi ſtudio comitatam fuiſſe hoſce Chriſti fratres, id eſt cognatos. Chriſtum Dominum imitata eſt S. Paula, quæ, ut ſcribit S. Hier. in ejus Epitaphio: *Cum pro nimio fervore virtutum quibuſdam videretur inſana, & cerebrum illius dicerent confovendum, reſpondit: Theatrum facti ſumus mundo & angelis, & hominibus. Et nos ſtulti propter Chriſtum: ſed ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus. Unde & Salvator loquitur ad Patrem: Tu cis inſipientiam meam. Et iterum: Tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adjutor fortis: ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Quem in Evangelio & propinqui quaſi mentis impotem ligare cupiebant, & adverſarii ſuggillabant, dicentes: Dæmonium habet, & Samaritanus eſt. Et: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

DIXIT AUTEM EI QUIDAM: ECCE MATER TUA, ET FRATRES TUI FORIS STANT, QUÆRENTES TE] Hoc eſt, *quærentes tibi loqui*, ut habet Græcus & Syrus, *quidam*, hic fuit nuntius a fratribus ad Chriſtum evocandum miſſus. VERS. 47 *Luc. 8. 20. Mar. 3. 32.*

AT IPSE DICENTI SIBI AIT: QUÆ EST MATER MEA, ET QUI SUNT FRATRES MEI?] Nota Chriſtum ita loqui, non quaſi neget ſe veram habere matrem, quaſi Chriſtus non fuerit verus homo, ſed phantaſticus, ſive phantaſma ex phantaſmate natus, uti docuit Marcion, & Manichæi; nec etiam quaſi eum ſuæ matris & fratrum pauperum puduerit: ſed vel quia nuntius hic nimis audacter, & importune eum a prædicatione jam inchoata avocando, interpellabat, uti vult S. Chryſoſt. & Epiphan. vel potius, *Ut paternis*, ait S. Ambr. *ſe miniſteriis* (ſic legendum videtur, non myſteriis) *amplius, quam maternis affectibus debere oſtenderet*, & ſpiritualem cognationem carnali præferret, in qua non eſt ſexus, non ordo, ſed omnes proxime & omnimode contingunt Chriſtum quaſi pater, ſoror, & frater. Hoc enim eſt, quod de Chriſto ſubjicit Matthæus. VERS. 48 *Mar. 3. 33.*

Digitized by Google

A Et extendens manum in discipulos (manu indicans notansque discipulos. Unde Arabicus: *Et annuit manu sua versus discipulos*) suos, dixit; Ecce
VERS. 49 Mar. 3. 34. mater mea et fratres mei.]

VERS. 50 Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et so-
Luc. 8. 3. Mar. 3. 35. ror, et mater est] Spiritualis, uti jam dixi, non carnalis. Dicit *frater & soror*, propter utrumque sexum; fideles enim viri sunt fratres Christi, fœminæ vero fideles sunt sorores Christi, utidocet S. Gregorius, Fidelis ergo

Frater Christi est fidelis. Mater Christi est prædicator. Deo obediens, est Christi frater adoptivus: quia per gratiam est filius ejusdem Dei Patris. Idem est mater Christi, quia Christum in se & aliis docendo, hortando, consulendo patit. Ita S. Gregorius, Beda, Euthymius. Audi S. Gregorium hom. 3. in Evang. *Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater & soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater ejus efficitur, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur.* Subjicit exemplum S. Felicitatis, quæ septem filios, quos carne pepererat mundo, spiritu parturivit Deo, dum eos in persecutione roboravit, & ad martyrium animavit. Et S. Augustinus de S. Virginit. c. 3. *Mater ejus* (Christi) *est omnis anima pia*, inquit, *faciens voluntatem Patris ejus, fecundissima charitate, in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei corporalitèr Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem, & soror, & mater. Ac per hoc illa una femina non solam spiritu, verum etiam corpore & mater est, & virgo.* Causam subdit: *Sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quæ illius capitis membra sunt: corpore vero*

B S. Victoria. *mater ipsius capitis.* Hoc Christi oraculum secuta S. Victoria virgo & martyr sub Diocletiano Imper. cum proconsul eam interrogat: *Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo?* qui Gentilis erat; respondit: *Nolo, quia Christi ancilla sum: & illi sunt fratres mei, qui Dei præcepta custodiunt.* Quocirca carceri cum aliis martyribus inclusa, ibique fame enecta, martyrii lauream obtinuit. Ita habent Acta ejus apud Surium die 11. Februarii.

CAPUT XIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHRISTUS Evangelium, ejusque vim, fructum & impedimenta explicat per varias parabolas: Primo, seminis & seminantis v. 3. Secundo, zizaniorum v. 24. Tertio, grani sinapis v. 31. Quarto, fermenti v. 33. Quinto, thesauri abscondit, margaritæ pretiosæ, & sagenæ missæ in mare v. 43.

VERS. 1. IN illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore;

D 3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat, seminare.

4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea.

5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

6. Sole autem orto æstuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

7. Alia autem ceciderunt in spinas: & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea.

8. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et accedentes discipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.

12. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. B

13. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.

15. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.

16. Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt.

17. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & justi cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. F

18. Vos ergo audite parabolam seminantis.

19. Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est.

20. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud:

21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.

22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.

23. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. G C

24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.

26. Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?

28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? H

29. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

30. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

31. Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo:

32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus.

33. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

34. Hæc

Digitized by Google

34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis:

35. Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

36. Tunc, dimissis turbis, venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

37. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38. Ager autem, est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.

39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, Angeli sunt.

40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi.

41. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem:

42. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

44. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.

45. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

47. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti:

48. Quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum,

50. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

51. Intellexistis hæc omnia, Dicunt ei: Etiam.

52. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

53. Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.

54. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?

55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus, Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?

56. Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?

57. Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua.

58. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

VERS. 1. Luc. 41. IN ILLO DIE EXIENS JESUS DE DOMO, SEDEBAT SECUS MARE] Syrus: *Super littus maris*. Christus cum de more in domo, id est, in hospitio, quod pro habitatione & prædicatione Capharnai conduxerat, ut dixi cap. 4. v. 13. prædicasset, dimisit turbas, ut se suaque curarent, utque se & discipulos quiete & cibo reficeret; mox cum sciret turbas, quæ ab ore ejus pendebant, utpote cælesti ejus doctrina & spiritu insciatas, majore numero affluxuras, ut domus eas non caperet, domo egressus est ad littus capacissimum vicini maris Galilææ, ibique per parabolas sequentes prædicavit.

VERS. 2. Luc. 8. 4. Mar. 4. 21. ET CONGREGATÆ SUNT AD EUM TURBÆ MULTÆ, ITA UT IN NAVICULAM ASCENDENS SEDERET, ET OMNIS TURBA STABAT IN LITTORE] Ob copiam turbæ Christus e littore ascendit in navim, ex eaque quasi e suggestu concionatus est ad turbam innumeram circumfluentem; & littus maris occupantem.

VERS. 3. Luc. 8. 5. Mar. 4. v. 2. 3. ET LOCUTUS EST EIS MULTA IN PARABOLIS] id est, per parabolas more illius Gentis & ævi, ut dixi cap. 26. & sequentib. q. d. Locutus est eis parabolice, id est, figurate & obscure.

DICENS: ECCE EXIIT QUI SEMINAT, SEMINARE] ad seminandum, Arabicus, *ut seminaret*. Græce ὁ σπείρων, id est, *seminans*, sive seminator. Nota; Apposite doctrina & prædicatio Evangelica comparatur semini, & ex eo prodeunti messi: quia sicut ad messem corporalem opus est semine, terra, sole, pluviis, & ventis; sic etiam similibus opus est ad messem Evangelicam & spiritualem: semen enim est verbum Dei, sive Evangelium, ajusque prædicatio: terra est liberum cujusque audientis arbitrium: sol est gratia præveniens, illuminans, & inflammans liberum arbitrium, ut verbum Dei excipiat, digerat, indeque fructus charitatis, & virtutum omnium producat: pluvia est gratia rigans, conservans, & promovens hosce bonos arbitrii actus & motus: venti sunt tentationes, qui illos agitando magis radicant & roborant: denique opus est *patientia*. Græce ὑπομονῆ, id est, sustinentia in laboribus & afflictionibus arandi, seminandi, occandi, sarriendi, &c. ac longanimi messis, id est, fructus & præmii expectatione.

Seminis analogia cum Evangelio.

Adverte: finis & scopus, adeoque summa hujus parabolæ est, ut doceat Christus se esse seminatorem, id est, prædicatorem Evangelii in terra, id est, apud homines, sed dispari apud dispares fructu. Primo enim non omnes, qui audiunt Evangelium, illud acceptant, illique credunt; sicut semen, licet in terra seminatum, non tamen ubique, v.g. in via, vel juxta viam, a terra calcata & dura excipitur, nec ullas in ea radices agit. Secundo, non omnes, qui credunt, in fide perseverant, sed aliqui suadente tentatione recedunt; sicut semen in terra petrosa germinans, illico ad solis ardorem arescit. Tertio, non omnes, qui in fide perseverant, fructum bonorum operum proferunt; sicut spinæ semen in terra alias bona belle progerminans suffocant, ne fructum producat. Quarto, hæc fiunt non vitio seminis, id est doctrinæ, sed terræ, id est auditorum culpa, illaque varia, scilicet quædam ob petras, quædam ob spinas: petra est caro, spina est mundus, via est trita seculari & licentioris vitæ consueto, ubi volucres cœli, id est dæmones instar avium velocissimi, diligentissimi, & animarum voracissimi semen auditum, id est doctrinam prædicatam e memoria & mente abripiunt, dum eos, qui secus viam versantur, id est, homines naturæ, & naturali prudentiæ, communique consuetudini, & modo vivendi intentos, vagos, item otiosos & curiosos avertunt a consideratione & penetratione doctrinæ auditæ, & ad vanitates solitas distrahunt. Quinto, semen, id est doctrinam in terra bona, hoc est in corde bono suscipiunt, qui illud ruminare incipiunt, in eoque proficiunt: in optimo, qui totis viribus ejus executioni, & virtutum perfectioni incumbunt. Sexto, aliud semen fert fructum minorem, aliud majorem, aliud maximum; puta aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, idque ob majorem vel seminatinem, id est prædicationem & illuminationem rerum spiritualium, ac gratiæ affluxum, vel ob majus liberi arbitrii cum gratia studium, cooperationem & conatum. Hæc est summa totius parabolæ, ex qua facile est illam, omnesque ejus partes intelligere: quare singulas breviter pertractemus.

Dispar seminis fructus. Unde?

Applicatio in partium parabolæ.

Moraliter prædicator cum Christo, qui e domo, imo e cælo & sinu Patris impulsus vi amoris exiit in terram, exeat e domo contemplationis in agrum prædicationis, ut quod in oratione a Deo hausit, magno spiritu in populum effundat, obeundo urbes & pagos, magisque prædicet sanctæ vitæ exemplo, quam verbo: *Præbeat aliis exemplum, & sit ejus quasi copia dicendi, forma vivendi*, ait S. August. lib. 4. Doctor. Christian. cap. 29. Rursum invocet Deum, ut quod ipse loquitur in aure, Deus loquatur in mente. Nam, ut ait S. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. *Plerumque fit, ut cum audientis cor exigentibus*

Moraliter.

A Lap. Tom. IX. in Evang.

Digitized by Google

culpis, *Dei gratia non repletur, incassum exterius a prædicatore moneatur. Quia mutum est os omne, quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur.*

VERS. 4. ET DUM SEMINAT, QUÆDAM (semina, vel seminis grana) CECIDERUNT SECUS VIAM, ET VENERUNT VOLUCRES CÆLI, ET COMEDERUNT EA] *Secus viam*, scilicet in quam sive limitem agri viæ conterminam, quæ assidue a viatoribus pedibus teritur & calcatur, ac proinde semini concipiendo non est idonea, sed illud nudum servans avibus rapiendum exponit. Est gradatio, ab ineptiore enim terra, in qua seminatur, gradatim ascendit ad minus ineptam, aptiorem, & aptissimam. Ineptissima enim ad semen terra est, quæ in via, vel juxta viam omnium pedibus calcatur; minus inepta est terra petrosa; aptior est terra bona, sed spinis admista, aptissima est, quæ tota terrea est, pinguis, & succosa. Porro via est mens malis cogitationibus trita & arefacta, ait Rabanus: hæc enim doctrinam Evangelii suis consuetis cupiditatibus contrariam non capit, non sentit, non intelligit, quia tota suis carnis illecebris intendit. Unde Glossa Interlinearis: Tales, ait, sunt, qui nec prædicatione compunguntur, nec bene agere incipiunt.

Luc. 8. v. 5. Mar. 4. 4.

B

VERS. 5. ALIA AUTEM CECIDERUNT IN PETROSA, UBI NON HABEBANT TERRAM MULTAM, ET CONTINUO EXORTA SUNT, QUIA NON HABEBANT ALTITUDINEM (Græce βάθος, id est profunditatem) TERRÆ] q.d. Alia ceciderunt in terram petrosam, quæ quia in ea parum habebant terræ & multum petræ, non potuerunt profundas agere radices; quare illico ebullire & germinare cœperunt, ac ante tempus exorta sunt. Hinc velut præcocia mox defecerunt: *Quod enim cito fit, cito perit.* Causam subdit.

Luc. 8. v. 6. Mar. 4. 5.

Quod cito fit, cito perit.

VERS. 6. SOLE AUTEM ORTO ÆSTUAVERUNT (Græce ἐκαυματίσθα, id est, caumate, sive æstu solis exusta sunt, æstu perierunt, tam semina, quam germina ex eis præcociter erumpentia) ET QUIA NON HABEBANT RADICEM, ARUERUNT] Quia enim tenuem habebant terram, cui mox succedebat petra, hinc partim defectu humoris, partim vi solis ad petram radios suos reflectentis, itaque æstum augentis & intendentis, arefacta & exusta sunt. Porro petra est duritiei protervæ mentis, ait Rabanus, in qua non est altitudo, id est, profunditas terræ, id est profunda lenitas animæ obedientis, & disciplinis cælestibus institutæ. Unde tales dulcedine tantum auditi verbi, & promissionis cœlestis ad horam delectantur; sed radicem desiderii salutaris non figunt, ideoque ardore solis, id est, fervore persecutionis urunter per impatientiam, quia verbum Dei firmiter non hæserat menti, ideoque exarescunt, id est, virorem fidei perdunt, ait Interlinearis. Rursum S. Chrysost. *In animabus*, ait, *quæ petra est, potest fieri terra pinguis; & quæ via, non conculcari; & spina, destrui. Omnibus Christus loquebatur, & si prævideret futura, ut posset dicere, quid me oportuit facere & non feci? in quo docet discipulos, ne desides sint, etiamsi plures audientium pereant.*

Luc. 2. v. 5. Mar. 4. 6.

C

VERS. 7. ALIA AUTEM CECIDERUNT IN SPINAS: ET CREVERUNT SPINÆ, ET SUFFOCAVERUNT EA] *In spinas*, id est, in terram germinantem spinas, inter spineta: *Et creverunt*, Græce ἀνέβησαν, id est, *ascenderunt*, id est citius excreverunt, seseque dilatarunt, quam bona semina, quæ sensim & tarde exurgunt (lolium enim facile crescit, triticum difficile, ideoque a lolio suffocatur) itaque ea jam in culmos germinantia suffocaverunt, tum quia humorem & alimentum eis per radices suas præripuerunt; tum quia auram liberam, locumque crescendi, seseque dilatandi eis ademerunt: spinas has Christus v. 22. interpretatur divitias.

Luc. 8. v. 7. Mar. 4. 7.

D

VERS. 8. ALIA VERO CECIDERUNT IN TERRAM BONAM, ET DABANT FRUCTUM, ALIUD CENTESIMUM, ALIUD SEXAGESIMUM, ALIUD TRIGESIMUM] Arabicus: *Pro uno centum, & pro alio sexaginta, & pro alio triginta.* Hæc disparitas fructus oritur ex disparitate tum terræ, tum culturæ. Terra enim pinguis, si bene colatur, ex uno grano profert centum grana: alia minus pinguis, sexaginta: alia sterilior, triginta. Porro terra bona est fidelis & devota conscientia, ait Interlinealis.

Luc. 8. 8. Matt. 4. 8.

Nota: Sola quarta pars, sive fors seminis, scilicet quæ cecidit in terram bonam, fecit fructum: reliquæ enim tres seminis sortes, scilicet quæ cecidere in viam: in terram petrosam, & in spinas, periere, nec fructum fecere; ita ex auditione concionis pauci proficiunt, sed longe plures nullum faciunt fructum.

QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT] Utitur hac phrasi Christus, cum res est obscura & symbolica, aut ardua & difficilis, ut attentionem & studium auditorum excitet. *Aures audiendi*, id est, ad audiendum habet, qui sedulo audit, & attendit verbis Christi ea mente, ut illa capiat & ruminet, illisque obediat, & opere exequatur. Multi enim audiebant Christum ex curiositate, ut audirent aliquid novi, docti, sublimis, elegantis, non autem ut illa, quæ audiebant, menti imprimerent, & opere perficerent. Hi non habebant aures ad audiendum. Tales etiamnum sunt multi, qui audiunt conciones ob elegantiam vel doctrinam, non ut vitam mutent, de quibus Deus Ezech. c. 33. *Es eis*, ait, *quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.*

E

Vers. 9. Luc. 8. 8. Mar. 4. 9.

VERS. 10. ET ACCEDENTES DISCIPULI DIXERUNT EI: QUARE IN PARABOLIS LOQUERIS EIS?] q.d. Turbæ rudes non capiunt sermones parabolicos & symbolicos, ut quid ergo eos illis ingeminas? Cur non clare eis sensa tua pandis, ut ea intelligant?

VERS. 11. QUI RESPONDENS, AIT ILLIS: QUIA VOBIS DATUM EST NOSSE MYSTERIA REGNI CÆLORUM, ILLIS AUTEM NON EST DATUM] Arabicus: *Vos damnati estis cognitione mysteriorum regni cælorum, & illi donati non sunt.* Causa, cur Christus loquebatur turbis in parabolis, erat, quia plerique ex illis vel adhuc erant incapaces doctrinæ cælestis & Evangelicæ, vel illi non credebant, imo nonnulli irridebant: Scribæ etiam cum suis calumniabantur, Christumque habebant pro impostore falsoque Propheta: quare non habebant *aures audiendi*, quas, v. 9. exegit Christus. Ubi autem non est auditus, ne effundas sermonem, ait Sapiens. Tacite ergo stimulat eos Christus, ut aures audiendi induant, ac sermones suos parabolice dictos scrutentur, eorumque explicationem humiliter studio obsequendi ab eo efflagitent, itaque se capaces Evangelicæ prædicationis efficiant. Quod ubi fecerint, spondet se clare explicatum ea, quæ parabolice hic enuntiat.

F

Luc. 8. 10. Mar. 4. 11.

Porro indicat Christus capacitatem hanc non posse obtineri viribus propriis, sed a Deo suppliciter postulandum; Dei enim esse donum, quod ipse discipulis Christi dederit, aliis negarit, eosque in sua cæcitate & perfidia reliquerit; q.d. Vestra, o Apostoli, est hæc gratia & felicitas, quod Deus vobis dederit fidem in me, quodque ea de causa ego ejus mysteria clare vobis enuntiem, cum cæteris loquar dumtaxat in parabolis. Fides enim est donum Dei, Vos ergo de eo jugiter Deo gratias agite, ac pro ceteris Deum orate, ut eis pariter det aures audiendi, sicut dedit vobis: tunc enim parabolas meas clare edisseram, uti edissero vobis. Unde Marcus cap. 4. 11. habet. *Illis qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt*, id est, incredulis, qui sunt extra fidem & Ecclesiam, omnia a me dicuntur & aguntur parabolice, id est, obscure per symbola & ænigmata, ne ea contemnant, rideant, cavillentur. Nam, ut Beda: *Non solum ea, quæ loquebatur Dominus, verum etiam quæ faciebat, parabolæ fuerunt, id est, rerum mysticarum signa*, ab incredulis Scribis & Judæis abscondita, juxta illud: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Matt. 7. 8. Quocirca addit Marcus: *Ut videntes videant, & non videant* (non intelligant) *& audientes audiant, & non intelligant: nequando convertantur, & dimittantur eis peccata.* q.d. Excæcati sunt & obstinati; ideoque in sua cæcitate & perfidia perseverant, nec lumen veritatis, quod offero, admittunt. Cæcitas autem hæc est pœna præcedentium peccatorum, quæ commiserunt. Hæc omnia magis patebunt ex sequentibus.

Facta Christi fuere parabolæ.

G

Nota. Tò *ut*, cum ait Marcus: *Ut videntes videant, & non videant*, significat non causam & intentionem, sed consecutionem & effectum. Non enim Christus parabolice, loquens intendebant positive eos excæcare, sed permittere dumtaxat id, quod ex parabolis Christi sequebatur, scilicet ut Scribæ & Judæi invidia & concupiscentia excæcati, videntes tot Christi miracula, & audientes cælestem ejus sapientiam, illi tamen non crederent, nec visa & audita intelligerent; sed similiter se haberent, perinde ac si ea non vidissent, nec audissent.

VERS. 12. Isa. 25. 29.

H

QUI ENIM HABET, DABITUR EI, ET ABUNDABIT: QUI AUTEM NON HABET, ET QUOD HABET, AUFERETUR AB EO] Arabicus: *Et qui habet aliquid, dabitur, & addetur: & qui non habet*, &c. Gnome est habens speciem proverbii, ait Salmeron, Franc. Lucas, Maldonatus & Jansenius, estque verissima; ditioribus enim datur, pauperibus semper aufertur. Simili enim modo Deus fideles & electos suos,

Digitized by Google

A fuos, quales erant Apoſtoli, in dies cumulat novis gratiis & beneficiis; ut in virtute & ſanctitate abundent: ab infidelibus autem, ingratis & indignis, quos negligit & deſpicit, quales erant Judæi, ſenſim ſua dona tam gratiæ, quam naturæ aufert.

Senſus primus. Senſus eſt primo. q. d. Qui habet fidem, dabitur ei myſteriorum regni Dei cognitio; hæc enim ſine fide cognoſci nequeunt; qui vero non habet fidem, ab eo auferetur bonum, quod habet, q. d. Vobis, o Apoſtoli, quia in me quaſi Meſſiam creditis, datum eſt aſſidue & clare a me audire myſteria Dei & cœli, quibus in ejus ſpem & amorem in dies magis rapiamini. At Judæis & Scribis, qui in me quaſi in Meſſiam ſuum credere nolunt, Deus auferet tenuem, quam de Deo & cœlo habent cognitionem & ſenſum, imo privabit eos Eccleſia, regno, pontificatu, templo, ſacrificio, patria, omnique re ſacra & civili, ut profani & perfidi, vagabundi & miſeri toto orbe oberrent. Ita S. Hieronymus, Euthymius, & Hilarius, qui ſic exponit, q. d. Habens fidem, myſteria fidei percipiet. At Judæi fidem non habentes, legem quoque, quam habuerant, perdiderunt.

B Secundus. Secundo, q. d. Qui habent aures audiendi, hoc eſt ad audiendum, nimirum qui ad me afferunt ſincerum affectum, ſcilicet purum fidei & veritatis deſiderium & ſtudium, uti vos ex Dei dono affertis, o Apoſtoli, his ego clare veritatem cæleſtem aperiam, eoſque in via virtutis, ſpirituſque, qua ad regnum Dei perveniant, aſſidue promovebo: at qui hoc purum veritatis deſiderium non habent, ſed ſuis cupiditatibus, ſuperſtitionibus, & erroribus indulgent, uti facitis vos, o Judæi & Scribæ, ab his parva illa, quam habent de Deo rebuſque divinis, cognitio ſenſim auferetur, fientque cæci omnino, ideoque vobis, o Judæi, ego Chriſtus loquor non clare, ſed obſcure in parabolis, uti ſequitur: *Qui enim parvam boni ſcintillam habet, & eam non excitat, accenditque per ſpiritum & ſpiritualia, neceſſe eſt eam extingui*, ait Theophylactus: ſtudium enim eſt, quod promovet ſtudioſos, uti in litteris, ſic & in virtutibus: quod ſi ſtudium auferas, deficiet ſenſim ſcientia & virtus, etiam jam acquiſita. Ita

C Tertius. S. Chryſoſtomus, Beda, Remigius, D. Thomas & alii. Tertio, S. Auguſtinus lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 1. τὸ *habet* exponit per *utitur*, applicatque prædicatoribus, q. d. Prædicator, qui doctrinam habet, id eſt, doctrina ſibi a Deo data utitur, ſtrenueque eam prædicat, aliiſque communicat, hunc numquam doctrina, verbaque, quæ dicat & prædicet, Deo ſuggerente, deficient: at ſi quis doctrina non utatur, ſenſim ipſe ejus obliviſcetur, illamque amittet. Sic enim *habere* pro *uti* ſumitur c. 25. v. 29. Ita experimur ſtrenuos concionatores, quo plus concionantur, eo plus verbis ſpirituque abundare, inſtar fontium, e quibus quantum aquæ effluit, tantumdem aliunde rurſum affluit.

VERS. 13 Luc. 8. 10. Marc. 4. 9. 12. IDEO IN PARABOLIS LOQUOR EIS, QUIA VIDENTES NON VIDENT, ET AUDIENTES NON AUDIUNT; NEQUE INTELLIGUNT] Ecce hic clare Chriſtus aperit cauſam, quam verſ. 11. attuli, cur ipſe Judæis & Phariſæis loqueretur in parabolis, quia ſcilicet ipſi Chriſtum antea clare de pœnitentia, & via ad regnum cœlorum docentem & dicentem audire, id eſt, intelligere, obedire & credere noluerunt, ac videntes ejus ſanctitatem & miracula, ex iis

D Cur Chriſtus in parabola hic loquitur? ipſum pro Meſſia agnoſcere & colere detrectarunt. Merebantur ergo, ut obſcure & per parabolas eis loqueretur Chriſtus. Ipſe enim docebat Capharnai, ubi erant mercatores opulenti, ſuis opibus, luxui, & pompæ incubantes: alii erant Scribæ & Phariſæi, vel eorum aſſeclæ: hi doctrinam Chriſti de cælo, de opum contemptu, de humilitate, paupertate, pœnitentia, &c. aſpernabantur, imo ridebant & calumniabantur: quare Chriſtus ſtudio confugit ad parabolas, quas cum non intelligerent, ridere & calumniari non poterant: locutus eſt ergo eis in parabolis, non idcirco quod abſolute eſſent reprobi, ſed quia erant indigni, ingrati & incapaces; nam eum ſimpliciter & clariſſime docentem & prædicantem, magis curioſitatis & calumniæ cauſa, quam credendi ſtudio audierant, ut patet ex cap. præced. v. 2. 10. 14. 24. 38. & c. 11. v. 23. ubi Chriſtus *væ* æternæ damnationis in cives Capharnai denotat: *Uſque in infernum*, inquit, *deſcendes: quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem*. Ita S. Hilarius, Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus & Beda. Fateor tamen inter hanc infidelium Judæorum turbam admiſtos fuiſſe plures, qui boni, vel miſti erant deſiderii audiendi Chriſtum ſalutis ſuæ cauſa; ſed quia hi immixti erant turbæ infidelium Chriſto adverſantium, hinc cum ea non niſi parabolas audire ipſis datum eſt, ut ex iis, licet non intellectis ſaltem admirationem & reverentiam in Chriſtum conciperent, quæ deinde ulterius eos promoveret & inſtigaret; imo, ut ait S. Chryſoſt. Phariſæis & Scribis omnibus, quantumvis malignis & obſtinatis, Chriſtus loquebatur in parabolis hac mente & hoc fine, ut ipſis eas ſcrutandi ac Chriſto credendi, ſeque ſalvandi deſiderium ſincerum injiceret, injectumque acueret, atque ut cæcitatem temporaneam paſſi in parabolis, quas non capiebant, avidius verum lumen Chriſtum requirerent, & parabolarum explicationem ab eo flagitarent. Et hoc innuit Marcus c. 4. 33. dicens: *Multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire*; ut ſcilicet, qui poſſent eas intelligere & capere, caperent; qui vero non poſſent, ſtimularentur ad explicationem earum veſtigandam, & a Chriſto flagitandam. E

VERS. 14 ET ADIMPLETUR IN EIS PROPHETIA ISAIÆ DICENTIS: AUDITU AUDIETIS, ET NON INTELLIGETIS, ET VIDENTES VIDEBITIS, & NON VIDEBITIS] Id eſt non intelligetis id, quod in Chriſto videtis & auditis.

VERS. 15 Marc. 4. verſ. 12. INCRASSATUM EST ENIM COR POPULI HUJUS, ET AURIBUS GRAVITER AUDIERUNT (Arabicus: *Et gravatæ ſunt aures eorum*) ET OCULOS SUOS CLAUSERUNT: NEQUANDO VIDEANT OCULIS, ET AURIBUS AUDIANT, ET CORDE INTELLIGANT, ET CONVERTANTUR, ET SANEM EOS] Citat Iſaiam c. 6. v. 9. & 10. ubi pro *incraſſatum* Noſter vertit *excæca*, id eſt, excæcabis (Chald. *infatua*) *cor populi hujus*. Hebr. eſt השמן *haſmen*, id eſt, impingua, incraſſa cor populi hujus, & aures ejus aggrava. Unde nota excæcationem, incraſſationem, obdurationem tribui tum Deo hominem excæcatum, incraſſatum & obduratum deſerenti, & in ſua excæcatione relinquenti, ejuſque occaſiones ingerenti: tum homini, quia proprie ac ſponte ſua ſeipſum excæcat, incraſſat, obdurat, dum ſuis tenebris & vitiis mordicus adhæreſcens, ad lumen divinum oculos claudit, & ad doctrinam Chriſti mentis aciem obfirmat & occludit. Unde Septuag. Iſaiæ 6. quos ſequitur Noſter, legentes aliis punctis השמן *huſcheman*, vertunt clariore & penitiore ſenſu: *Incraſſatum eſt cor populi hujus*, ſcilicet, directe a ſeipſo, indirecte a Deo; præſertim, quia præcedentia ſignificant eos non tam a Deo, quam a propria ſua cupiditate, ſuperbia, malitia, odio & invidia in Chriſtum excæcatos fuiſſe. Vide dicta Iſaiæ 6. v. 9. & 10. ubi fuſe hæc explicui. G

VERS. 16 Luc. 10. verſ. 23. VESTRI AUTEM BEATI OCULI, QUIA VIDENT (Arabicus: *quia ipſi perſpiciunt*) ET AURES, QUIA AUDIUNT] *Oculi & aures* tum corporis, tum potius mentis accipe. q. d. Beati eſtis, o Apoſtoli, quia myſteria regni cæleſtis a me hauritis oculis & auribus tum externis corporis, tum internis animi: oculis enim corporis videtis meos ſanctos mores, geſtus, myſteria, miracula: auribus auditis cæleſtia mea dogmata: ſed, quod longe potius eſt, oculis & auribus mentis, Deo illam illuminante, eadem capitis, creditis, & intelligitis, quod non faciunt Judæi: animus enim, æque ac corpus, ſuos habet oculos & aures, imo ipſe totus eſt oculus, totus eſt auris, ut quælibet viſa & audita percipere & intelligere valeat.

VERS. 17 Luc. 10. verſ. 24. AMEN QUIPPE DICO VOBIS, QUIA MULTI PROPHETÆ ET JUSTI CUPIERUNT VIDERE, QUÆ VIDETIS, ET NON VIDERUNT, ET AUDIRE QUÆ AUDITIS, ET NON AUDIERUNT] Nam, ut ait Chriſtus Joann. 8. 56. *Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus eſt*. Jacobi vox & votum eſt *Salutare tuum expectabo Domine* Gen. 49. 18. & Iſaiæ c. 45. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum. Aperiatur terra & germinet ſalvatorem*. Idem fuit ſenſus, idem deſiderium omnium Patriarcharum; omnium Prophetarum, omnium Sanctorum veteris Teſtamenti, ſcilicet, cernere & audire Meſſiam mundi redemptorem, doctorem & ſalvatorem. H

Tria S. Auguſtini vota. Fertur S. Auguſtinum tria in votis habuiſſe; Primum, videre Chriſtum in carne converſantem: Secundum, cernere Romam in ſplendore Imperii triumphantem: Tertium, audire Paulum in cathedra Fulminantem. Idem multorum fuit, & etiamnum eſt votum.

VERS. 18 Luc. 8. vel 11. & 12. Marc. 4. v. 14. 15. VOS ERGO AUDITE PARABOLAM (explicationem parabolæ) SEMINANTIS. OMNIS QUI AUDIT VERBUM REGNI (cælorum, ſcilicet, quantum & quale illud ſit, quibuſque viis & medis occupandum) ET NON INTELLIGIT, VENIT MALUS (ὁ πονηρὸς, id eſt, ille malus per excellentiam, puta diabolus) ET RAPIT QUOD SEMINATUM EST IN CORDE EJUS: HIC EST QUI SECUS VIAM

VERS. 19

Digitized by Google

A SEMINATUS EST] Clarius Lucas cap. 8. verſ. 12. *Semen*, inquit, *eſt Verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.*

Analogiæ verbi Dei & ſeminis, Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta, Sexta, Septima, Octava, Nona, Decima, Undecima, Duodecima.

Appoſite verbum Dei ſive Evangelium, ejuſque prædicatio comparatur ſemini & ſeminationi. Primo quia ſicut verbum ore prædicantis; ſic ſemen manu ſeminantis ſpargitur & ſeminatur. Secundo, ſicut verbum aure & corve audientis; ſic ſemen viſceribus terræ ſuſcipitur & concipitur, ut pariat germina. Tertio, ſicut ſemen omnium frugum & fructuum, ſic & Verbum Dei omnium bonorum operum parens eſt & cauſa. Quarto, ſicut terra ſine ſemine non niſi urticas, lolia & ſpina progerminat, ſic & mens hominis ſine verbo Dei non niſi vana, vitioſa & noxia profert. Quinto, ſicut ſemen, ut fructificet, debet ſeminari, & recipi in terra non dura nec ſaxoſa, arida aut ſpinoſa, ſed molli, humida, pura & ſucceſa; ſic & verbum Dei, ut fructus ſpirituales proferat, debet ſuſcipi corde molli, flexili, puro & ad virtutem pietatemque propenſo. Hoc eſt, quod ait Jacobus cap. 1. v. 21. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum*. Vide ibi dicta.

B Rurſum Palladius lib. 1. de Re ruſtica tit. 35. ne ſemina a talpis, muribus, formicis, campis, locuſtis rodantur; remedium ſuggerit, ut ſemina prius rebus auſteris & amaris macerentur. *Serpentes*, ait, *prope omni auſteritate fugantur, & nocentes ſpiritus innocentia fumi graveolentis exagitat. Uramus galbanum, vel cervi cornua, radices lilii, capræ ungulas. Hoc genere monſtra omnia prohibentur*. Sic & Plinius lib. 19. c. 10. docet cicer arcere eruças ab oleribus, additque: *Semen olerum ſi ſucco ejus* (abſynthii) *madefactum ſeratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradant*. Vide eumdem de ſeminum vitiis & remediis lib. 18. c. 17. ubi inter alia ait: *Vino ante perfuſa ſemina minus agrotare exiſtimant*; Pari modo, ut ſemen verbi & gratiæ Dei, in corde a voluptatum corroſione in tactum ſervemus, macerandum eſt ſobrietate, jejunio, pœnitentiis, cæteraque vitæ auſteritate: hæc enim a mente omnem putredinem & corruptionem deliciarum arcet. Sexto, ſicut terra debet arari, ſtercorari, occari, ſarriri, runcari, &c. ut ſemen in ea germinet & fructum edat; ſic & cor hominum debet ſubigi, purgari, excoli laboriosis actibus pœnitentiæ, mortificationis, obedientiæ, aliarumque virtutum, ut verbum Dei in eo fructum proferat. Hoc eſt, quod ait Iſaias cap. 30. 20. *Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas immittentes pedes bovis & aſini*. Vide ibi dicta. Septimo, ſicut ſemen, ut pullulet, egeat pluvia, ſole & cælo; ſic & ut verbum Dei in mente radicetur, & germina bonorum deſideriorum & operationum producat, debet irrigari gratia, & calefieri charitate cæleſti. Hoc eſt, quod ait Iſaias cap. 61. 11. *Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat; ſic Dominus Deus germinabit juſtitiam* (per verbum Evangelii a Chriſto & Apoſtolis ſparſum) *& laudem coram univerſis Gentibus*. Octavo, ſicut ſemen in terra ſuſceptum, ut fructificet, debet reſolvi, frangi, aperiri & mori; ſic & verbum in corde hominis, ut fructificet, oportet ut meditando reſolvatur, comminuatur,

D conteratur & quaſi moriatur, utque cor ipſum pariter comminuat & mortificet, juxta illud Chriſti: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Joann. 12. 24. Rurſum, terra ut ex ſemine fructum ferat, debet pati aratrum, occationem, pluvias, grandines, ventos, &c. ſic fidelis, ut ex verbo Dei fructum edat, debet multa adverſa ſuſtinere. Nono, ſemen prius debet radices agere in terra, deinde in germina, & ramos progerminat, mox in flores efflorescit, & ex iis denique fructus producit; ſic & verbum Dei prius radicari debet in mente, deinde germina bonarum cogitationum & flores bonorum deſideriorum proferre, ut tandem fructus bonorum operum producat. Decimo, vis tota arboris, fruticis & plantæ eſt in ſemine: ex illo enim tota arbor & planta, omneſque ejus partes & membra (quæ proportionaliter ſimilia habet membris animalis & hominis) prodeunt: quocirca multi cenſent ſemen animatum eſſe, idque innuit Ariſtoteles l. 2. de Generat. anim. cap. 1. Semen enim in terra jactum, mox quaſi vivens viva producit germina. Pari modo tota vis virtutis, perfectionis & ſanitatis, qua homo fit ſpiritalis, ſanctus, & perfectus, continetur in verbo Dei quaſi in ſemine: hoc enim in mente ſe explicans & germinans omnes omnium virtutum actiones producit. Undecimo, diverſa ſemina diverſos fructus producunt, ut ſemen pyri pyrum, pruni prunum, ceraſi ceraſum, tritici triticum, hordei hordeum, &c. Sic diverſæ ſententiæ Evangelii diverſos in mente affectus pariunt, ut gnomæ humilitatis pariunt humilitatem, patientiæ patientiam, pœnitentiæ pœnitentiam. Duodecimo, ſicut ad generandum prolem concurrit pater & mater, ſic ad fructum producendum concurrit ſemen & terra, ſed ita, ut terra totam vim hinc, illinve fructum producendi, hauriat a ſemine. Simili modo ad bonum opus concurrit verbum Dei, tam externum, tam magis internum, ac liberum hominis arbitrium, quod verbo Dei cooperari debet, ſed ita ut totum vim producendi opus ſpirituale, ſupernaturale & divinum, quod ſit Deo gratum & meritorium vitæ æternæ, hauriat a Dei verbo & gratia, uti docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. ſicut a libero arbitrio hauſit libertatem, ſive quod ſit opus liberum, non coactum, nec neceſſarium: verbum enim internum, quod Deus loquitur in animo, eum excitans & corroborans ad actus pœnitentiæ, patientiæ, charitatis, religionis, &c. non eſt aliud, quam ipſa gratia Dei intellectum illuminans, & affectum ſive voluntatem roborans, & accendens ad opera divina virtutem. Hoc autem verbum internum, puta, hanc gratiam, Deus ſolet addere verbo prædicationis externo, itaque illud quaſi animare, quod alioqui ſine gratia eſſet, quaſi inanime, inefficax & invalidum ad tanta opera. Quod ergo prædicator loquitur exterius in aure, hoc Deus interius in corde loquatur oportet, ut fiat fructus.

Semen & verbum auſteritate ſervanda.

Duodecima.

E

F

Denique ſicut ex potentiori & efficaciore ſemine, atque ex meliore terra melior producitur fructus, v. g. melius triticum, melius hordeum; ſic pariter ex potentiori prædicatione, Deique gratia, ac ferventiori cooperatione liberi arbitrii producitur præſtantior virtutis actus, operaque magis excellens & heroicum. Audi Plinium lib. 18. c. 24. *Semen optimum anniculum* (unius anni,) *bimum deterius, trimum peſſimum, ultra ſterile: quod in area ſubſedit; ad ſemen reſervandum eſt. Id enim optimum quoniam graviſſimum: optimum granum, quod rubet, & dentibus fractum eumdem habet colorem: Deterius, cui plus albi ineſt*. Deinde ferendi leges haſce præſcribit, Primo: *ſationem locis humidis celerius fieri; ratio eſt, ne ſemen imbre putreſcat: ſiccis ſerius, ut pluvias ſequantur, ne diu jacens, atque non concipiens vaneſcat*. Secundo: *artis eſt æqualiter ſpargere. Manus utique debet congruere cum gradu, ſemperque cum dextro pede*. Tertio: *non transferendum eſt ſemen ex locis frigidis in calida, neque ex præcocibus in ſerotina*. Quarto: *pingui ſolo plus ſerito, gracili minus*: Quinto: *erasulum illud cuſtodiendum, ſegetem non defruges*, id eſt, ne nimia fœtura fructum omnem exhaurias; nam, ut ait Columella, *conſtat ſegetem nimia defrugatione exinaniri*. Sexto addit Plinius: Serendum eſt, *cum luna eſt in ariete, geminis, leone, libra, aquario. Virgilius triticum & far a vergiliarum occaſu ſerijubet, hordeum inter æquinoctium & brumam: viciam vero, faſeolos & lentem Boote occidente*. Hæc omnia myſtice adapta Prædicatoribus ſationi Evangelii.

Serendi leges.

G

ET NON INTELLIGIT] non advertit, non capit, non penetrat vim & ſenſa verbi Dei, eo quod alia occupatio, deſiderium vel cura, aut ipſe dæmon animum ad alia cogitanda divertat & diſtrahat.

HIC EST, QUI SECUS VIAM SEMINATUS EST] Id eſt, ſemen verbi Dei excepit. q. d. Hic, & hujus cor ſignificatur per illam terræ partem, quæ in via vel juxta viam exiſtens ſemen ſeminantis ſuſcepit: unde Vatablus per hypallagen ſic vertit: *Hoc* (ſemen) *eſt, quod juxta viam ſeminatum eſt*. Sicut enim ſemen in via, vel juxta viam cadens, a terra calcata & dura reſpuitur, ideoque in terra parulum ab avibus rapitur: ſic pariter ſemen verbi Dei in corde conſuetudine peccandi obdurato non ſuſcipitur, ſed illico a dæmone cor ad conſueta peccata impellente, rapitur. Talis ergo reipſa, non agri, ſed viæ, non auditoris, ſed contemptoris nomen ſpeciemque & formam obtinet: quare irritus prorſus & caſſus eſt in eo, utpote tam duro & inepto, omnis ſeminis verbi Dei jactus.

H

Porro terræ in via calcatæ ad ſemen ineptitudo tollitur, ſi ipſa aratro, deinde ligone bene ſubigatur, fiatque mollis & tenera, ut ſemen concipiat; aratio enim viam extorret, & ſepes tranſitum calcantium occludet; deinde ſtercoretur, ſed moderate & congrue. Nam, ut ait Plinius l. 18. c. 23. *ager, ſi non ſtercoretur, alget: ſi nimium ſtercoratus eſt, aduritur: ſatiuſque eſt id ſæpe, quam ſupra modum facere. Quo calidius ſolum eſt, eo minus addi ſtercoris;*

A *oris, ratio est.* Simili modo cordis vitiosa consuetudine, quasi callo obdurati ineptitudo ad verbum Dei tollenda est compunctione, quæ duritiem cordis scindat & molliat, ac ligone continentiæ, quæ vitiosas cupiditates frangat, & rectæ rationi legique Dei subjiciat.

VERS. 20 QUI AUTEM SUPER PETROSA SEMINATUS EST (semen excepit; sicut enim dicitur seminari semen, sic & terra; sed semen objective, terra passive) HIC EST, QUI VERBUM AUDIT, ET CONTINUO CUM GAUDIO ACCIPIT ILLUD] Vatabl. *quod autem in petrosa seminatum est, hoc significat eum, qui*, &c.

Luc. 8. v. 13. Mar. 4. v. 16.

VERS. 21 NON HABET AUTEM IN SE RADICEM, SED EST TEMPORALIS; FACTA AUTEM TRIBULATIONE, ET PERSECUTIONE PROPTER VERBUM CONTINUO SCANDALIZATUR] Hæc est secunda terræ semen recipientis conditio prioræ, quæ præcessit, melior. Prior enim in via plane dura semen respuebat, hæc vero habens aliquid terræ mollis semen recipit & concipit, sed ad modicum tempus. Sensus est ergo, q.d. Terræ prætosæ seminatæ simile est cor auditoris illius, qui verbum Dei audit, & cum gaudio illud mente accipit, concipit, ruminat, probat; quia delectatur illius pulchritudine, rectitudine, æquitate, sanctitate & spe consequendæ felicitatis, juxta

Luc. 8. v. 13. Mar. 4. v. 16. 17.

B illud: *Justitiæ* (leges & præcepta) *Domini rectæ, lætificantes corda.* Ps. 18. 9. hic cito erumpit in herbam, id est, in pium erga fidem affectum & reliqua pietatis opera. Verum hic quia in corde parum habet terræ & plus petræ, hoc est, quia plus habet pravæ consuetudinis in voluptatibus suis obduratæ & lapidiscentis, quam terræ propensionis ad res pias, hinc verbum Dei in eo profundam radicem agere nequit: sed est *temporalis*, id est, non est constans in fide, sed ad modicum tempus, ut vertit Arabicus, credit; qui dum sentit verbum Dei suis cupiditatibus & vitiis, quibus assuevit, adversari, illud instar terræ duræ & petrosæ elidit & rejicit. Unde Lucas ait c. 8. 14. Hi sunt *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt* a Dei verbo & fide, aut certe a lege, quam fides sequendam dictat: quare facta tribulatione a privatis, vel persecutione a publicis magistratibus, quæ ei vitam, opes, voluptates aut honores, quibus assuevit & amore affixus

C est, ob Dei verbum & fidem adimere minantur, continuo scandalizatur, id est, ut Syrus, *offenditur*, offensusque a fide vel fidei professione & exercitio resilit, &, ut Lucas ait, *recedit*, deficit, apostatat. Exemplum dat S. Greg. hom. 15. in Evang. *Petrosa terra*, inquit, *humorem non habuit: quia hoc, quod germinaverat, ad fructum perseverantiæ non perduxit. Multi namque cum verbum contra avaritiam audiunt, eandem avaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant: sed mox, ut viderit animus, quod concupiscat, obliviscitur, quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solum perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt: sed mox ut carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit contra hæc eadem desideria deliberatum: & damnanda agit, quæ quidquid egisse se meminit, jam & ipsa damnavit. Sæpe etiam contra culpas compungimur: & tamen post fletum ad easdem culpas redimus.*

D VERS. 22 QUI AUTEM SEMINATUS EST (semen verbi Dei excipit) IN SPINIS, HIC EST, QUI VERBUM AUDIT (Vatablus: *semen quod seminatum est inter spinas significat eum, qui*, &c.) ET SOLICITUDO SÆCULI ISTIUS, ET FALLACIA DIVITIARUM SUFFOCAT VERBUM, ET SINE FRUCTU EFFICITUR] Tertia est hæc terræ semen recipientis sors & conditio, secunda tanto melior, quanto minus impedimenti ad germinandum afferunt spinæ, quam petræ. Terra ergo hæc notat cor auditoris, quod divitiis & curis sæculi quasi spinis obsitum est: hæ enim semen verbi Dei progerminans elidunt & suffocant, antequam maturos virtutum fructus producat. Nota: divitiæ apte comparantur spinis, quia instar spinarum mentem distrahunt, pungunt, cruciant, ut de rebus divinis divitis sæpe cogitare non libeat. Audi Rabanum: *Recte spinæ vocantur, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & quasi strangulando, spirituales virtutum fructus gignere non permittunt.*

Luc. 8. v. 14. Mar. 4. v. 18. 19.

Audi & S. Hieronymum: *Nihil videtur & illud, quod juxta historiam ad Adam dicitur: Inter spinas & tribulos panem tuum manducabis, hic significare mystice, quod quicunque sæculi se dederit voluptatibus, curisque istius mundi, panem cælestem & cibum verum inter spinas comedit.*

Et S. Gregorium hom. 15. in Evang. *Quis mihi umquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem, maxime, cum illæ pungant, iste delectent? Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.* E

SOLICITUDO SÆCULI] Id est, rerum secularium & temporalium, v. g. cura uxoris, prolium, familiæ, status, officii, dignitatis, quæ habet, vel quæ sibi aut suis ambit; hæc quasi spina aculeis suis mentem lacerat, id est, distrahit, turbat, mordet, vulnerat, excidit, juxta illud:

Res est soliciti plena timoris amor:

Cum ex adverso solicitudo salutis & rerum divinarum mentem colligat, serenet, sanet, vegetet. Audi S. Gregorium hom. 15. *Suffocat, quia importunis cogitationibus guttur mentis strangulant: & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam quod duo sunt, quæ divitiis jungit, solicitudines videlicet, & voluptates: quia profecto & per curam mentem opprimunt & per affluentiam resolvunt.*



F

FALLACIA] Id est, seductio *divitiarum*, sunt ipsæ fallaces divitiæ, quæ mentem a Deo, & salute seducunt ad vanas & noxias opes, quæ multorum peccatorum & sæpe damnationis sunt causa, per fas & nefas conquirendas: fallaces ergo sunt, quia, quod promittunt, non præstant, voluptatem scilicet & jucunditatem, ut Interlinearis: imo pro ea æternas gehennæ pœnas sæpe homini accersunt. Audi S. Hieronymum: *Blandæ sunt divitiæ, aliud agentes, aliud pollicentes. Lubrica est illarum possessio, dum huc, illucque circumferuntur, & instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes requirunt. Unde & Dominus divites asserit difficulter intrare in regnum cælorum, suffocantibus divitiis verbum Dei, & vigorem virtutum emollientibus.* Sunt fallaces. Cur?

Et S. Gregorius hom. 15. in Evang. *Fallaces sunt*, inquit, *quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Solæ autem divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres charissimi, divites esse cupitis, ad regnum cæleste tendite. Si gloriam dignitatis diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate.*

G

VERS. 23 QUI VERO IN TERRAM BONAM SEMINATUS EST (semen verbi Dei excepit) HIC EST, QUI AUDIT VERBUM, ET INTELLIGIT, ET FRUCTUM AFFERT: ET FACIT ALIUD QUIDEM CENTESIMUM, ALIUD AUTEM SEXAGESIMUM, ALIUD VERO TRIGESIMUM] *Terra bona*, ait ex Remigio, S. Thomas in Catena, *est fidelis conscientia electorum, sive mens sanctorum: qui verbum Dei cum gaudio & desiderio & cordis devotione suscipit & inter prospera & adversa viriliter conservat, & ad futura perducit, unde sequitur: Et facit fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tricesimum.*

Luc. 8. 15 Mar. 4. v 20.

INTELLIGIT (mente considerat, ruminat, penetrat, probat, gustat, retinet) ET FRUCTUM AFFERT] Tum bonorum operum, quæ verbum & lex Dei facienda præcipit aut consulit, tum iis respondentis mercedis & gloriæ in cælo. Unde addit Lucas, *in patientia*. Græce ἐν ὑπομονῇ, id est, *in longanimitate*, scilicet more agricolæ, longanimiter post sementem bonorum operum & laborum patientiæ, ex ea sperans & spectans fructum & messem cælestis præmii. *Terra bona*, ait S. Gregorius hom. 15. *fructus per patientiam reddit. Uva calcibus tunditur; & in vini saporem liquatur; oliva contusionibus expressa, amaream suam deserit, & in olei liquorem pinguescit: per tritura am areæ a paleis grana separantur, & ad horreum purgata perveniunt*, &c. Hinc S. Bonaventura in c. 8. Lucæ ait, bonum auditorem verbi Dei se totum illi mancipare, omnesque animæ suæ potentias, scilicet, intellectum, voluntatem sive affectum, memoriam, operandi facultatem & patiendi. Intellectum mancipat & voluntatem, quia verbum recipit in corde bono & optimo. Memoriam, quia verbum retinet; operandi facultatem & patiendi, quia fructum affert in patientia. Ex adverso mali auditores custodiunt verbum Dei sicut frumentum in area, ait Hugo, hoc est, in quaternionibus & libris, numquam seminantes & numquam inde comedentes; & ideo numquam metent, &c.

H

Auditorum se verbo Dei mancipet.

ET FACIT (fructum) ALIUD (SEMEN) QUIDEM CENTESIMUM, ALIUD AUTEM SEXAGESIMUM, ALIUD VERO TRIGESIMUM] Syrus: *Profertque alius* (homo semi-

Digitized by Google

A seminatus, id est, qui semen verbi Dei excipit, producit vi istius seminis, fructus) *centenos, alius sexagenos, alius denique tricenos. Notandum*, ait S. Hieronymus: *quod sicut in terra mala tres fuere diversitates, scilicet, secus viam, petrosa & spinosa loca: sic in terra bona trina diversitas est centesimi, sexagesimi & fructus tricesimi. Et in illa, aut etiam in ista non mutatur substantia, sed voluntas; & tam incredulorum quam credentium corda sunt, quæ semen recipiunt.*

Porro, fructus verbi Dei centesimus vocatur maximus, sicut maximus fructus seminis est, si ex uno grano aut uno modio colligatur messis centum granorum aut modiorum, ut colligit Isaac Genes. 26. 12. fructus sexagesimus vocatur mediocris & medius, tricesimus magnus sed infimus, hoc enim dumtaxat præcise ad litteram intendit hic Christus, Ponitur enim numerus definitus pro indefinito: alioqui potuisset addere, *aliud facit fructum quadragesimum, aliud vicesimum, aliud quinquagesimum*, &c. Unde contra Jovinianum & Calvinum ex hoc loco recte probatur inæqualitas meriti, & consequenter præmii bonorum

B operum in cælo. Ita S. Chrysost. hom. 45. S. Augustinus de Virgin. c. 46. Nazianz. orat. 28. quæ est in Maximum, & alii. Verum Patres, quidquid rideat & occlamet Calvinus, hæc speciatim vere applicant diversis statibus. Primo S. Hieronymus hic & lib. 1. contra Jovin. ac S. Athanasius epist. ad Ammon. Monacum, & alii fructum centesimum assignant Virginibus, sexagesimum viduis, tricesimum honestis sanctisque conjugibus.

Fructus centesimus, sexagesimus quis? Resp. Primo.

Secundo. Secundo, S. Cyprianus lib. de Habitu virginum, & S. Augustinus lib. 1. quæst. Evang. quæst. 9. tom. 4. fructum centesimum tribuunt martyribus, sexagesimum virginibus, tricesimum conjugibus. Audi S. Augustinum: *Centesimum* affero esse, *martyrum propter sanctitatem vitæ vel contemptum mortis; sexagesimum virginum propter otium interitus, quia non pugnant contra consuetudinem carnis; solet enim otium concedi sexagenariis post militiam, vel post actiones publicas; tricesimum conjugatorum, quia hæc est ætas præliantium: ipsi enim habent acriorem conflictum, ne libidinibus superentur.*

Tertio. C Tertio, Auctor Imperfecti hic hom. 31. centesimum dat martyribus; sexagesimum paupertatem & consilia Evangelica sectantibus; tricesimum iis, qui sola præceptorum observatione contenti sunt.

Quarto. Quarto, Euthimius & Theophylactus tricesimum dant incipientibus, sexagesimum proficientibus, centesimum perfectis. Sic & Nazianzenus orat. 28. A trigesimo, inquit, ad sexagesimum progressus in centesimum desiit, ut novos subinde progressus faciens velut Isaac Genes. 26. magnus tandem fiat de virtute in virtutem ambulans, Psal. 83. & Cantica graduum canens, atque ascensiones in corde suo ponens.

Quinto. Quinto, Remigius: Semen, ait, fructum facit tricesimum, quando bonam cogitationem gignit: sexagesimum, quando bonam locutionem; centesimum, quando ad fructum boni operis perducit.

VERS. 24 ALIAM PARABOLAM (Syrus addit *ænigmatice*) PROPOSUIT ILLIS, DICENS; SIMILE EST REGNUM CÆLORUM HOMINI, QUI SEMINAVIT BONUM SEMEN IN AGRO SUO] Hoc est, similiter agitur in regno cælorum atque in agro, cum quis eum seminat, & inimicus ejus super-

D seminat zizania. Unde Marcus 4. 26. ita habet: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, & dormiat*, &c. comparatur enim tota parabola toti rei significatæ, non pars parti: alioqui enim homo seminans proprie non est similis regno, sed regi cælorum. Simile est c. 11. v. 16. Vide Canonem 28.

VERS. 25 CUM AUTEM DORMIRENT HOMINES, VENIT INIMICUS EJUS, ET SUPERSEMINAVIT ZIZANIA IN MEDIO TRITICI, ET ABIIT] q. d. Noctu, cum homines dormiunt, clam omnibus venit inimicus ejus, qui invidens felicitati & felici segeti sui æmuli, tam prospere succrescenti, ut illam perderet, superseminavit zizania. τὸ *cum dormirent*, additur ad elegantiam parabolæ; dormientibus enim has fraudes & hæc damna machinari solent invidi. q. d. Cum æmulo opportunum tempus visum fuit segetem vitiare, quod solet esse cum agricola dormit, tunc clanculum venit, & inspersit zizania.

Somnus Prælatorū. Symbolice S. Hieronymus, & S. Augustinus quæst. 11. in Matth. per hanc dormitionem accipiunt negligentiam, & incuriam Episcoporum & pastorum Ecclesiæ, aut mortem Apostolorum, hac enim occasione usi hæretici & impii, seminarunt sua hæreseum & scelerum zizania. Hinc moraliter discant fideles, præsertim pastores, vigilare & invigilare tam gregi suo, quam lupis, ne inferant zizania. His inprimis convenit illud. *Vita mortalium vigilia.* Nam, ut ille ait, *plus dormire quam vigilare vita est glirium, non hominum.* E

Zizania quæ vox? ZIZANIA] In Evang. Hebræo habetur זרולם *charulim*, id est urticæ, cardui. Porro *zizania* est vox Evangelica, Ciceroni & Demostheni incognita: significans lolium, & omne impurum segetem vitians & adulterans, quales sunt avenæ, juxta illud Virgil. Georg. 1.

Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.

Avenæ Etymol. *Avenæ* enim dictæ *quasi avidæ*, ab aviditate occupandi omnia, sicut *habenæ*, quæ sunt retinacula equorum *ab habendi* potestate, ait Agrarius. Omnis immunditia in semine zizania dicitur, ait S. Augustinus quæst. Evang. in Matth. Tertullianus lib. de Præscript. adversus Hæret. cap. 31. zizania interpretatur avenas: *Parabola*, inquit, *quæ bonum semem frumenti, a Domino seminatum primo constituit, avenarum* (zizaniorum) *autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo post ea superducit:* unde colligit: *posteritatem* hæresis *mendacitati deputandam.* Hinc l. de Anima c. 16. zizaniorum seminatorem vocat *avenarum superseminatorem, & frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem.* Audi S. Isidorum lib. 17. Ethymol. c. 9. in fine: *Zizania, quod poetæ semper infelix lolium dicunt, quod sit inutile & infœcundum. Fœnum dictum, quod eo flamma nutritur; φῶς enim flamma est. Manipulum dicimus fascem fœni: Et dictus manipulus, quod impleat.* F

Zizania; quid? Zizaniorū Etymol. Zizania ergo sunt lolium segetibus inimicum & quidquid tritico adversatur. Audi Plinium lib. 18. cap. 17. *Nam lolium, & tribulos, & carduos lappasque non minus quam rubos, inter frugum morbos prius, quam inter ipsius terræ pestem numeraverim.* Etymologus vult ζιζάνιον, dici quasi σιτοσάϊον, quod frugibus assideat, & cum iis succrescat, σῖτος enim est frumentum, ἰζάνω est assideo. Alii malunt esse vocem Syram, nam & Syrus hic habet ܙܝܙܢܝܐ *zizane*. Arab. زوان *zaven*. Chald. זן est nutrire, זין est *species, figura*. Habet enim speciem alimentariæ frugis, sed non est. Verum Syrus, & Arabicus ex Græco Evangelio traducti sunt; unde græcizant, & subinde voces Græcas usurpant; uti hic usurpant *zizane*, quod plane a Graeco ζιζάνια deductum videtur: quare hæc vox potius Græca videtur, quam Syra. Galli *yuroie* vocant, Saxones *dolck*, Germani *droncacert*, quia inebriat: parit enim

Zizania inebriant. G

Mystice sunt hæretici peccatores. esitantibus vertigines, stupiditatem & velut temulentiam quandam. Hinc zizania mystice significant Hæreticos & peccatores, præsertim qui alios verbo vel exemplo vitiant & corrumpunt, uti docet S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Gregorius & alii: zizania enim tritico nocent, illudque suffocant & enecant, tum quia alimentum, puta succum terræ exugunt, triticoque præripiunt; tum quia sua amaritie & malignitate terram, & consequenter triticum ex ea germinans inficiunt, corrumpunt, & strangulant. Hæc est secunda Christi parabola zizaniorum, per quam tacite perstringit Scribas & Pharisæos suos æmulos, qui suo verbi Dei semini, id est, prædicationi Evangelicæ superseminabant zizania calumniarum, dicendo Jesum adversari Moysi, non servare Sabbatum, versari cum peccatoribus & meretricibus, habere familiaritatem cum dæmone, & in Beelzebub ejicere dæmonia, &c. per quæ inferebant, Jesum non esse Messiam, sed magum & impostorem, itaque populum ab eo, ejusque Evangelio, quod avide audiebat, avertebant, ac bona fidei & pietatis semina, & desideria in eorum cordibus a Christo jacta elidebant, & suffocabant. Quocirca ipsi erant zizania, id est, semina prava diaboli. H

VERS. 26 CUM AUTEM CREVISSET HERBA, ET FRUCTUM FECISSET, TUNC APPARUERUNT ET ZIZANIA] Nam prima germina zizaniorum & tritici similia sunt, ut unum ab alio discerni nequeat; cum autem creverint, tunc sua dissimilitudine se produnt, ut facile zizania a tritico secernas.

VERS. 27 ACCEDENTES AUTEM SERVI PATRIS FAMILIAS DIXERUNT EI: DOMINE NONNE BONUM SEMEN SEMINASTI IN AGRO TUO? UNDE ERGO HABET ZIZANIA?

VERS. 28 ET AIT ILLIS: INIMICUS HOMO HOC FECIT. SERVI AUTEM DIXERUNT EI: VIS IMUS, ET COLLIGIMUS EA?

VERS. 29 ET AIT: NON, NE FORTE COLLIGENTES ZIZANIA, ERADICETIS SIMUL CUM EIS ET TRITICUM] Zizania enim radicibus tritici se innectunt & implectunt, ut si illa velis evellere, debeas & triticum evellere.

VERS. 30 SINITE UTRAQUE CRESCERE USQUE AD MESSEM, ET IN

IN TEMPORE MESSIS DICAM MESSORIBUS: COLLIGITE PRIMUM ZIZANIA, ET ALLIGATE EA IN FASCICULOS AD COMBURENDUM: TRITICUM AUTEM CONGREGATE IN HORREUM MEUM] *Creſcere* Græce συαυξάνεσθαι, id eſt, ſimul creſcere, pariter augere. *Colligite*, poſt demeſſam ſegetem ſeparate ab ea zizania, ut comburantur; nam nimis longum & operoſum eſſet ante meſſem, immixta ſegeti hinc inde zizania ſigillatim demetere vel evellere. Hæc eſt parabola, quam explicabit Chriſtus v. 37.

VERS. 31. ALIAM PARABOLAM PROPOSUIT EIS DICENS: SIMILE EST REGNUM CÆLORUM GRANO SINAPIS, QUOD ACCIPIENS HOMO SEMINAVIT IN AGRO SUO.

Luc. 13. v. 19. Marc. 4. 31.

QUOD MINIMUM QUIDEM EST OMNIBUS SEMINIBUS:

VERS. 32. CUM AUTEM CREVERIT, MAJUS EST OMNIBUS OLERIBUS, ET FIT ARBOR, ITA UT VOLUCRES CÆLI VENIANT, ET HABITENT IN RAMIS EJUS] Arabicus: *adeo ut volucres cæli obumbrentur ſub ramis ejus*. Hoc eſt tertia Chriſti parabola grani ſinapis, cujus occaſionem & cauſam aſſignat S. Chryſoſtomus: *Quia Dominus dixerat*, inquit, *quod de ſemine tres partes pereunt & ſalvatur una, & in ipſa rurſus, quæ ſalvatur, multa efficitur jactura propter zizania, quæ ſuperſeminantur, ne dicerent: Qui ergo erunt & quanti fideles? conſequenter hunc timorem aufert per parabolam grani ſinapis, & ideo dicitur: Aliam parabolam propoſuit eis dicens: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo*, &c.

Luc. 13. v. 19. Marc. 4. v. 31. 32.

Regnum cælorum quod? Reſp. Primo.

Quæres primo, quodnam hic vocatur regnum cælorum, quod ſimile eſt grano ſinapis? Primo, S. Hilarius hic Canone 13. accipit ipſum Chriſtum, *Grano ſinapis*, ait, *ſe Dominus comparavit acri maxime & omnium ſeminum minimo, cujus virtus ac poteſtas tribulationibus & preſſuris accenditur. Granum hoc igitur poſtquam in agro ſatum fuerat, id eſt, ubi a populo comprehenſus & traditus morti, tamquam in agro ſatione quadam fuit corporis conſepultus, ultra menſuram omnium olerum excreſcit, & univerſam Prophetarum gloriam excedit; Oleris enim vice, tamquam agroto Iſraeli data eſt prædicatio Prophetarum: Sed etiam in ramis arboris ex ſolo in ſublime prolatæ, cæli volucres inhabitant; Apoſtolos ſcilicet, ex Chriſti virtute protenſos, & mundum inumbrantes in ramis intelligimus: in quos Gentes in ſpem vitæ advolabant, & aurarum turbine, id eſt, diaboli ſpiritu flatuque vexatæ, tamquam in ramis arboris requieſcent.* Sic & S. Greg. l. 19. c. 11. quem audi totam hanc parabolam per ſingulas partes de Chriſto explicantem: *Ipſe quippe eſt granum ſinapis, qui in horti ſepultura plantatur; arbor magna reſurrexit. Granum, namque fuit, cum moreretur; arbor cum reſurgeret. Granum per humilitatem carnis: arbor per potentiam majeſtatis. Granum, quia vidimus eum, & non erat aſpectus: arbor autem, quia ſpecioſus forma præ filiis hominum. Hujus arboris rami, ſancti prædicatores ſunt. Et videamus quam late tendantur. Quid enim de eis dicitur? In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In iſtis ramis volucres requieſcunt, quia ſanctæ animæ, quæ quibuſdam virtutum pennis a terrena cogitatione ſe ſublevant, in eorum dictis atque conſolationibus ab hujus vitæ fatigatione reſpirant.* Similia habet S. Auguſtinus ſerm. 33. de Sanctis.

Dices, quomodo Chriſtus vocari poteſt regnum cælorum, cum ipſe non ſit regnum, ſed rex cælorum? Reſpondetur: Sicut rex eſt quaſi caput in regno, ſic regnum viciſſim ut corpus eſt in rege, ut ſuo capiti. Quare rex repræſentat totam rempubl. & regnum. Hinc juxta regulam Ticonis ſæpe in Script. quæ ſunt Eccleſiæ (quæ eſt regnum Chriſti) tribuuntur Chriſto & vice verſa. Reſpond. Secundo: Senſus planus eſt. q. d. Similiter agitur in regno cælorum atque ſi quis in eo velut in agro Dei ſeminet granum ſinapis, id eſt, Chriſtum, qui altiſſime excreſcat & quaquaverſum ſe propaget. Similem phraſim audivimus verſ. 24.

Secundo. Granum ſinapis eſt Eccleſia.

Secundo planius & aptius, regnum cælorum & granum ſinapis eſt Eccleſia, præſertim primitiva. Ita S. Chryſoſtomus, aut fides, ut vult S. Auguſtinus, aut potius Evangelium & doctrina Evangelica (quamquam hæc omnia eodem fere redeant) ut volunt S. Hieron. S. Ambr. Beda, & alii: hanc enim primo comparavit ſemini, v. 3. & 24. Secundo grano ſinapis, hoc verſ. Tertio fermento, verſ. 33. Quarto theſauro abſcondito in agro, verſ. 44. Quinto, margaritæ pretioſæ, verſ. 46. Sexto ſagenæ miſſæ in mare verſ. 47. Hæc dicitur regnum cælorum, quia per illam Deus regnat in nobis, & nos ad ſuum regnum in cælis perducit.

Analogiæ grani ſinapis & Evangelii. Prima.

Quæres Secundo, cur Evangelium comparetur grano ſinapis, & quæ utriuſque ſint analogiæ? Reſpond. Prima eſt, quod Chriſtus per hanc perabolam intendat ſignificare ingentem vim, fructum, & propaginem Evangelicæ prædicationis, utpote quæ a tenui initio cum Chriſto cœpit, & per paucos Apoſtolos in totum orbem ſe dilatavit. Granum enim ſinapis eſt, *minimum omnibus ſeminibus*, id eſt, omnium ſeminum, ut habet Syrus & Arabicus. Græce μικρότερον πάντων σπερμάτων, id eſt, *minus omnibus ſeminibus*: *minus*, id eſt, minimum; intelligе hoc juxta morem loquendi vulgarem hominum, quo minimum vocamus id, quod valde parvum eſt & unum e minimis; nam alioqui præciſe ſemen papaveris, rutæ, ſalviæ, baſilici, & aliarum herbarum minus eſt grano ſinapis, ſic Evangelica prædicatio primo ſtatit in Chriſto & paucis Apoſtolis, fuitque minima.

Secunda.

Secundo, Granum ſinapis præſertim in Syria creſcit in arbore, ita ut in ramis ejus *habitent*, Syrus *nidificent*, *volucres cæli*; ſic Evangelium crevit & totum orbem occupavit, ita ut in ramis ejus habitent volucres cæli, id eſt, homines ſcientia & ſenſu ſublimes; item reges & principes, uti patet Daniel. c. 4. v. 9. & 19. nonnulli Angelos accipiunt, hi enim ſunt alati & celerrimi. Audi S. Aug. ſerm. 33. de Sanctis: *Ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, ramus eſt beatus Laurentius, cujus hodie natalitia celebramus. Rami ſunt omnes Apoſtoli vel martyres Salvatoris, ad quos ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſæculi minime mergitur; quin potius ſub umbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, ſecuruſque de diabolica tempeſtatis procella erit, & de die judicii exurentis incendio.*

Tertia.

Tertio & maxime, in ſinapi notatur ignea vis & efficacia Evangelii: *Pythagoras enim*, ait Plinius l. 20. c. 22. *ſinapi principatum habere ex his, quorum in ſublime vis feratur, judicavit; quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetrat.* Granum ſinapis ad fervorem fidei pertinet; ait S. Aug. *Phariſæorum enim dogmata*, ait S. Hieronymus, *cum creverint, nihil mordax, nihil vitale demonſtrant, totum flaccidum marcidumque ebullit in olera & in herbas: quæ cito arefcunt & corrumpunt. Prædicatio autem Evangelica, quæ parva videbatur in principio, cum vel in animam vel in totum mundum ſata fuerit, non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem.*

Quarta.

Quarto, Sinapi conteri debet; contritum enim igneam vim & halitum expirat: ſic mille preſſuris & perſecutionibus contrita fuit in Apoſtolis Evangelica prædicatio, tuncque igneam ſuam vim & fortitudinem exhalavit.

Quinta. Sinapis qualitates.

Quinto, Sinapi, teſte Plinio lib. 20. verſ. 22. acre & mordax lacrymas ciet, purgat pituitam, & cerebri ſuperfluitates, excretiones faciles facit, ad dentium dolorem manditur, tritum cum aceto ad ictus ſcorpionum & ſerpentum illinitur, fungorum venena diſcutit, ſtomacho utiliſſimum contra animæ vitia, ac pectori pulmonibuſque, valet contra epilepſiam, hydropem, aſthma, lethargum, alopecias, pſoras, calculos, pluresque alios morbos: ſic Evangelium venena, id eſt, peccata expellit vomitu confeſſionis: acre eſt & mordax, quia pœnitentiam docet & crucem; lacrymas compunctionis ciet; omnibus animæ potentiis medetur & opitulatur, ac præſertim concupiſcentias deſiccat, vitia expellit, virtutes acuit: *Amaritudo* enim *ſermonum medicina eſt animarum*, ait S. Auguſtinus ſerm. 33. de Sanctis.

Sexta.

Sexto, Sinapis ſua acredine cibos condit, ſapidoſque efficit: ſic & Evangelium omne, quod durum & arduum eſt, ſapidum efficit exemplo Chriſti, & ſpe futuræ gloriæ, quam promittit. Hæc fere omnia docet S. Auguſtinus ſerm. 31. & 33. de Sanctis, qui ſunt de S. Laurentio ſecundus & quartus: iidem ſermones extant apud S. Ambroſium tom. 5. ſerm. 19. & 20. in Dominica 6. poſt Epiphaniam, ſed ſtylus magis redolet phraſin S. Auguſtini. Ibi ergo ſic ait; *Granum ſinapis magnum eſt, non ſpecie, ſed virtute. Prima fronte ſpeciei ſuæ parvum eſt, vile, deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuavitatem; at ubi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto caloris fervore ſuccenditur, ut mirum ſit in tam frivolis tantum ignem fuiſſe*

conclu-

Digitized by Google

A *concluſum, cum etiam ſemen in cibum homines, hyemis præcipue tempore, magna pro ſuavitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viſcerum interna calefaciant. Sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, ut ſi quid invalidum, ſi quid ægrotum fuerit, ſinapis igne curetur.* Deinde has ſinapis dotes applicans Evangelio & fidei Chriſtianæ, ſubjungit: *Ita ergo & fides Chriſtiana prima fronte videtur eſſe parva, vilis & tenuis, non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam præferens, non gratiam ſubminiſtrans. At ubi diverſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aſpirat, & tanto divini ignis ardore jactatur, ut & ipſa ferveat, & participantes ſibi ardere compellat. Sicut in ſancto Evangelio duo ex diſcipulis dixerunt, dum cum ipſis poſt paſſionem ſuam Dominus loqueretur: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis in via, dum aperiret nobis Scripturas Dominus Jeſus? Ergo granum ſinapis membrorum viſcera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata comburit; Et illud quidem aſperum algorem frigoris removet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis, inquam, granum humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluenta conſumit. Et per illud medicina capitis procuratur: Per fidem autem ſpiritale caput noſtrum, quod eſt Chriſtus Dominus, ſæpius refovetur, ſed & fidei, juxta comparationem ſinapis, ſancto odore perfruitur, ſicut ait Apoſtolus beatus; Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo.*

Tropologice hæc omnia adaptes animæ fideli, ac præſertim Apoſtolo, vel patienti, ac martyri verbum Dei velut granum ſinapis audienti, ruminanti, prædicanti, & in cor ſuum, quam aliorum tranſmittenti. Unde ſancto Laurentio, cui hoc Evangelium adaptat Eccleſia in ejus feſto, ita hæc attribuit ſanctus Auguſtinus loco jam citato: *Igitur ſanctum martyrem Laurentium grano ſinapis poſſumus comparare, qui diverſis attritus paſſionibus, per totum orbem gratia meruit fragrare martyrii. Qui ante conſtitutus in corpore erat humilis, ignotus & vilis, poſteaquam vexatus, laceratus, exuſtus eſt, univerſis per totum mundum Eccleſiis odorem ſuæ nobilitatis infudit. Recte igitur hinc comparatio copulatur: Si quidem granum ſinapis, cum teritur, accenditur: Laurentius, cum patitur, inflammatur. Illud fervor attritionis ſuæ movet, hic ignem plurima vexatione ſuſpirat. Sinapi, inquam, in vaſculo calido decoquitur: Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinſecus beatus Laurentius martyr tyranni ſevientis incendiis, ſed major illum intrinſecus Chriſti amoris flamma torrebat.* Arabum eſt proverbium: *Granum piperis prævalet multis magniſque cucurbitis*, quia ſi conteratur, vim igneam exerit, omniumque naribus ingerit. Idem dicas de grano ſinapis. Fidelis ergo ſit granum piperis vel ſinapis, ut ubique ſpiret ignem divinum, eumque omnibus aſpiret, itaque omnes piperet, ſuique ſimiles, efficaces ſcilicet & ardentes in Dei amore efficiat.

Sinapi fuit S. Laurentius.

Tropolog.

B

C

VERS. 33 Luc. 13. v. 21. D

ALIAM PARABOLAM LOCUTUS EST EIS: SIMILE EST REGNUM CÆLORUM FERMENTO, QUOD ACCEPTUM MULIER ABSCONDIT IN FARINÆ SATIS TRIBUS, DONEC FERMENTATUM EST TOTUM] Hæc eſt quarta Chriſti parabola fermenti, qua, ſicut & per parabolam ſinapis oſtendit vim & efficaciam Evangelicæ prædicationis & doctrinæ, q. d. ait S. Chryſoſtomus: *Sicut fermentum multam farinam tranſmutat in ſuam virtutem, ita & vos* (o Apoſtoli) *totum mundum tranſmutabitis.* Notat S. Chryſoſt. τὸ *abſcondit*, q. d. *Ita & vos cum ſubjecti fueritis impugnatoribus veſtris, tunc eos ſuperabitis: Et ſicut fermentum ſuffoditur quidem, non autem deſtruitur, ſed paulatim ad ſuum habitum omnia tranſmutat; ſic & in prædicatione veſtra continget. Non itaque quia multas dixi ſuperventuras vobis vexationes, timeatis; ita enim fulgebitis, & omnes ſuperabitis.*

Fermentum a fervendo

Quæres, cur Chriſtus Evangelium comparat fermento? Reſp. Fermentum eſt portio farinæ ſubactæ acidæ, ita dictum, quod fervendo creſcat. Audi Plinium lib. 18. cap. 11. modum, quo fit fermentum, deſcribentem: *Nunc* (nam olim alio modo fiebat, uti idem paulo ante narravit) *fermentum fit ex ipſa farina, quæ ſubigitur prius quam addatur ſal, ad pultis modum, & relicta, donec aceſcat: Vulgo vero nec ſuffervefaciunt, ſed tantum pridie aſſervata materia utuntur. Palamque natura eſt acore fermentari, ſicut & validiora eſſe corpora quæ fermentato pane alantur; quippe cum apud veteres ponderoſiſſimo cuique tritico præcipua ſalubritas perhibita ſit.*

E

Rurſum fermentum, ait Albertus Magnus, licet modicum, calore ſuo humidum totius maſſæ farinæ maturat; ſubactum quaſi totum in ſe convertit & fermentat, acore ſuo elevat, & quaſi ſpiritale aereumque efficit, ſapidum reddit, digeſtumque præparat, ut fiat panis ſalubris hominem alens, ſuſtentans, & corroborans. Simili modo Evangelium per paucos Apoſtolos multa tribulatione & morte ſubactos, totum mundum ad ſe convertit, & cor cujuſque facit amore Dei fervens Deo ſapidum, gratum, maturum, perfectum, illudque a terrenis elevat ad cæleſtia. Mulier fermentans eſt Eccleſia, vel Dei potentia & ſapientia, ait S. Auguſt. l. 1. Quæſt. Evangel. quæſt. 12. & Cæſarius dialogo 4.

Fermenti & Evangelii analogia.

Tropologice S. Auguſt. lib. 1. qq. Evang. quæſt. 12. *Fermentum*, inquit, *dicit dilectionem, eo quod ferveſcere facit & excitat. Mulierem, ſapientiam dicit. In farinæ autem ſatis tribus, intelliguntur vel tria illa in homine, ex toto corde, ex tota anima & ex tota mente: vel tria illa fructifera; centeſimum, ſexageſimum, & triceſimum; vel tria illa genera hominum, Noe, Daniel & Job.* Addit Rabanus: *Dicit autem, donec fermentatum eſt totum: quia charitas in mente noſtra recondita eo uſque creſcere debet, ut totam mentem in ſui perfectionem commutet: quod hic quidem inchoatur, in futuro vero perficitur.*

F

Porro quomodo Chriſtus, Apoſtoli & ſimiles ſint fermentum Eccleſiæ, imo totius mundi, audi docentem S. Ambroſium ſerm. 21. in Dominica 6. poſt Epiphan. *Fermentum cum ſit magnitudine parvum, ſpecie ſimplex, natura commune tantam fortitudinem intrinſecus gerit, ut cum reconditum fuerit in farina, ſuccus hic totam maſſam faciat eſſe quod ipſe eſt, & ita ſemper univerſum cumulum aſperſionis ſuæ vigore diffundit, ut omnem ipſam magnitudinem pollinis faciat fermentum, ac ſic res ipſa fortitudine ſua molem ſibi proprii vigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres, ut viris ſuis ſalubriorem panem, & cibum utilem diligenter exhibeant.* Deinde hæc applicans Chriſto: *Ergo ſi triticum Dominus* (ut ipſe ait Joann. 12. 24.) *& Dominus eſt fermentum, quia fermentum non niſi de tritico fieri ſolet: recte ergo fermento Dominus comparatur, qui cum eſſet ſpecie homo, humilitate parvus, imbecillitate dejectus, tanta intrinſecus ſapientiæ virtute pollebat, ut doctrinam ipſius mundus ipſe vix caperet; qui cum ſe cœpit per totum orbem divinitatis vigore diffundere, ſtatim omne hominum genus in ſubſtantiam ſuam ſui poteſtate protraxit, ut & jugum Spiritus ſui ſancti infunderet omnibus, hoc eſt, Chriſtianos cunctos faceret eſſe, quod Chriſtus eſt.* Addit quod ſicut fermentum confringitur, & per totam farinæ maſſam diſpergitur, ut illam fermenter, ſic Chriſtus *diverſis paſſionibus confractus, laceratus & diſſolutus eſt, & ſuccus ejus pro ſalute noſtra, qui eſt pretioſus ſanguis, effuſus eſt, ut admixtione ſui omne genus humanum ſolidaret, quod per diverſa antra reſolutum jacebat.* Vide & S. Chryſoſt. hic hom. 47. ubi inter alia ait: *Si duodecim homines* (Apoſtoli) *totam pene farinam orbis fermentarunt, diligenter animo verſa, quanta ſit noſtra malignitas atque ignavia, qui cum jam innumeri ſimus, has Gentium reliquias convertere non poſſumus, qui vel mille mundis ſatisfacere deberemus.* Idem deflebat S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, cujus hoc erat dictum: *Olim ſacerdotes aurei celebrabant in vaſis ligneis: nunc ſacerdotes lignei celebrant in vaſis aureis.*

Fermenti ſunt Apoſtoli.

G

H

Chriſtus.

IN FARINÆ SATIS TRIBUS] *Satum*, vel ut Hebraice eſt *ſea*, genus eſt menſuræ aridorum, æquale bato, quæ eſt menſura liquidorum continens modium Italicum, vel, ut ſanctus Hieronymus & Joſephus 15. Antiq. c. 11. modium cum dimidio. Sanctus Hieronymus ſatum alibi vertit modicum: Cum ergo tres modii facerent unum ephi, ut patet Ruth 2. v. 17. ſicut decem gomor faciebant unum ephi, ut patet Ezechiel. 45. v. 11. hinc ſequitur ſatum fuiſſe tertiam partem ephi, & trigeſimam cori. Denique ſatum continebat tres modios Atticos, ait Joſephus. Jam farina tota ſignificat omnes homines fide Chriſti, quaſi fermento ſpirituali conditos & fermentatos.

Satum quid?

Tria ſata ſunt tres mundi partes, ſcilicet, Aſia, Africa, Europa. Has deſignant tres filii Noe: poſteri enim Sem inhabitarunt Aſiam, Cham Africam, Japhet Europam. Ita

Tria ſata quid?

Cæſa-

Digitized by Google

A Cæsarius frater sancti Gregorii Nazianzeni Dialogo 4. & S. Augustinus serm. 32. de Verbis Domini secundum Lucam.

Mystice. Mystice S. Ambrosius, Theophyl. & sanctus Hieronymus: Evangelium, inquiunt, fermentat, sibique unit tria sata, id est, tres hominis patres, scilicet, spiritum, animam, & corpus, item tres appetitus, puta rationalem, irascibilem, & concupiscibilem, *ut in ratione*, ait S. Hieronymus, *possideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in desiderio cupiditatem virtutum.*

Symbol. Symbolice S. Hilarius: Gratia Evangelii, inquit, abscondita fuit in lege, Psalmis & Prophetis, nunc apparuit in Trinitatis fide, spe, charitate, *ut quod lex constituit, Prophetæ nuntiaverunt, idipsum Evangeliorum profectibus explearur*; vel utalii, in triplici Dei ope, scilicet, creationis, redemptionis, & glorificationis confirmetur. Aut, ut alii, quia Evangelium triplices facit fideles, scilicet, incipientes, proficientes, & perfectos, affertque fructum trigesimum, sexagesimum, & centesimum.

Allegor. Allegorice S. Bernardus lib. 5. de Consider. S. Virgo, ait, in utero suo tria sata, id est, tres Christi naturas, scilicet animam, corpus, & divinitatem uni hypostasi verbi junxit & univit.

Anagog. B Anagogice Cæsarius dialogo 4. Mulier fermentans, inquit, est Dei potentia & sapientia, puta Deitas Christi; farinæ sata tria sunt: *Primum universa mortalium natura, secundum mors, tertium orcus*, id est, infernus & sepulchrum, in quo absconditum Christi corpus fermentavit omnia in resurrectionem & vitam.

VERS. 34 HÆC OMNIA LOCUTUS EST JESUS IN PARABOLIS AD TURBAS, ET SINE PARABOLIS NON LOQUEBATUR EIS (q. d. nil loquebatur eis nisi per parabolas, hoc est, parabolice) UT IMPLERETUR QUOD DICTUM ERAT PER

Mar. 4. v. 33. 34. VERS. 35 PROPHETAM DICENTEM: APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM: ERUCTABO ABSCONDITA (Hebr. חידות *chidot*, id est, ænigmata, ut vertit Chaldæus, & sanctus Hieronymus Psal. 77. 2.) A CONSTITUTIONE MUNDI] Arabicus: *Et loquar abscondita ante constitutionem mundi.* Citat Christus Davidem Psalm. 77. vers. 2. qui toto illo Psalmo ad litteram commemorat & celebrat beneficia a Deo præstita Synagogæ, id est populo Israelitico, *ab initio*, id est, ab egressu ex Ægypto, duce Moyse, transituro per mare rubrum in terram promissam, usque ad Davidem, ut per ea excitet populum ad gratitudinem, Deique amorem & cultum: Mystice vero, ait sanctus Hieronymus, David ibidem fuit typus Christi hic, qui beneficia a Deo Ecclesiæ per se præstita, & abscondita olim, de promissa eidem in cælis terra, mysteria per parabolas enuctat & celebrat; ubi nota pro parabolis, hebr. est משל *mascal*, quod significat quamvis sententiam gravem, illustrem & aliis quasi prædominantem משל (*mascal* enim significat dominari) ideoque obscuram & reconditam, sive ea sit ænigma, sive allegoria, sive parabola, sive sententia proprie dicta, ut patet hic cap. 15. v. 15. Vide dicta Proverb. 1. vers. 1. Itaque illa Psalmo 77. non sunt Parabolæ proprie dictæ, sed graves dumtaxat sententiæ: hic vero similes sunt graves sententiæ, sunt & parabolæ proprie dictæ: & sic utrovis modo hic versus Psalmi competit Christo, cum uno tantum modo competat Davidi. In scriptura enim multa dicuntur, quæ magis & plenius conveniunt rei per allegoriam significatæ, quam ipsi allegoriæ, ejusque sensui literali: patet hoc in magnificis promissionibus a Deo factis Davidi de regno Salomonis, quasi filii sibi in regno successuri. Multa enim tam ampla in eis dicuntur, ut plene & perfecte competant soli Christo, typice vero & exiliter Salomoni, qui typus erat Christi. Vide illa 2. Regum 7. 13. Idem fit hoc loco.

C D

VERS. 36 TUNC DIMISSIS TURBIS VENIT IN DOMUM (id est, rediit in hospitium Capharnai a se conductum, unde mane egressus fuerat vers. 1.) ET ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI EJUS DICENTES: EDISSERE NOBIS PARABOLAM ZIZANIORUM AGRI] Hæc enim cæteris videbatur obscurior, & dariores continere minas.

VERS. 37 QUI RESPONDENS AIT ILLIS: QUI SEMINAT BONUM SEMEN, EST FILIUS HOMINIS q. d. Ego sum seminator boni seminis, puta, Evangelii & verbi Dei; hoc enim semino, id est, prædico non solum per me, sed & per meos Apostolos, sed ita, ut illi dumtaxat sint mea organa, meæ voces, meique præcones, ego vero sim solus prædicationis auctor, qui quod illi ex mea doctrina prædicant exterius, prædico interius in mentibus audientium, facioque ut ipsi eadem intelligant, amentque, amplectantur, & opere exequantur per gratiam meam, qua intellectum illorum illumino, & voluntatem eorum inflammo.

E

VERS. 38 AGER AUTEM EST MUNDUS: BONUM VERO SEMEN, HI SUNT FILII REGNI, ZIZANIA AUTEM FILII SUNT NEQUAM] *Mundus*: nam *in omnem terram exivit sonus eorum*. Psal. 18. Ager ergo est mundus, non Ecclesia; nam per zizania hujus agri multi intelligunt hæreticos, qui non sunt in Ecclesia, præsertim cum sunt manifesti & publici.

Filii reg i qui? FILII REGNI] Hi sunt fideles, justi, & in justitia perseverantes, ideoque a Deo electi, ut sint hæredes regni cælorum. Unde vers. 43. eos vocat justos dicens: *Tunc fulgebunt justi*. Hi sunt *filii* patris cælestis, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Joan. 1. v. 13.

Nota: *Justi* hic vocantur *semen*, quia licet semen, quod proprie seminat Christus, sit ipsum verbum Dei, tum exterius ore per loquelam, tum interius in corde per gratiam ab eo satum, juxta illud Lucæ 8. v. 12. *Semen est verbum Dei*, tamen quia seminis hujus fructus est conversio, & justificatio fidelium, hinc fideles justi vocantur quoque semen, id est, seminis fructus, & messis per metonymiam, qua per causam significatur effectus. Unde semen hoc per messem & messores, in quos definit, explicat Christus v. 39.

F

Zizania qui? ZIZANIA AUTEM FILII SUNT NEQUAM] Græce ὁἱ δὲ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, id est *filii illius mali*, vel maligni, scilicet, diaboli: ita Syrus, & Arabicus, ideoque & ipsi mali, & nequam; nam patrem sequitur sua proles: quare sicut filii Dei sunt boni & divini, sic filii diaboli sunt mali, nequam, & diabolici, quia imitatores diabolicæ falsitatis, ait S. Augustinus.

Nequam etymon. Nota; Per zizania, & filios nequam nonnulli accipiunt hæreticos, quia hi maxima sunt, maximeque nociva zizania, utpote qui fideles, fidemque a fundamentis suffocent, & evertant. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, & sanctus Augustinus, lib. Quæst. in Matth. quæst. 11. qui tamen idipsum retractat lib. 2. Retract. c. 28. ac docet ex sancto Cypriano, zizania notare omnes malos, qui sunt in Ecclesia. Idem docent S. Gregorius, S. Ambrosius, Theophylactus & S. Augustinus serm. 29. de Sanctis: Omnes enim mali sua mala vita nocent fidelibus & Ecclesiæ, sicut zizania nocent tritico, illudque suffocant, ideoque vocantur *nequam*; *nequam* enim est homo nullius pretii, *quod ne tanti quidem sit, quam quod habetur minimi*, ait Festus; vel, ut Varro, *nequam dicitur quasi nequidquam*; vel, ut alii, a *nequeo*, quod nihil queat, nullique rei sit aptus. Vide Gellium lib. 7. c. 11. Quare perperam ex hoc loco v. 29. ubi Christus vetat evelli hæc zizania, subditque vers. 30. *Sinite utraque crescere*, Novantes inferunt, hæreticos non esse plectendos & extirpandos, quia pari modo ex eodem concluderent homicidas & fures non esse plectendos: hi enim quoque sunt zizania. Dico ergo Christum hic non prohibere absolute, ne hæc zizania evellantur, sed ne quis evellere conetur omnia omnino, neque tunc, cum a tritico dignosci nequeunt, sive cum periculum est, nec cum iis simul evellatur & triticum, uti explicat ipse Christus v. 29. quod locum non habet, cum quis manifestus est hæreticus, & maxime si dogmatizet, aliosque sua hæresi inficiat: talis enim gravius lædit fideles & Ecclesiam, quam homicida; hic enim corpus, ille animam occidit. Vide 1. Cor. 5. 13. Galat. 5. 12. ubi Apostolus impios, præsertim falsos doctores auferri & extirpari jubet. Ita Origenes, & S. Augustinus, qui licet initio senserit, hæreticos non esse occidendos; imo nec cogendos ad fidem, quam in baptismo professi sunt, resumendam; postea tamen experientia edoctus, quam hæretici sint obstinati & perversi, contrarium docuit, ut patet lib. 2. contra Parmen. cap. 2. & 2. Retract. cap. 5. *Quia nondum*, ait, *expertus eram, vel quantum mali auderet eorum impunitas, vel quantum ei in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ*.

G

Tropologic. Tropologice Auctor imperfecti hom. 13. zizania, ait, sunt concupiscentiæ, v. g. cupiditas vanæ gloriæ furtim adrepens bono operi, quæ initio toleranda est, nec ob eam bonum opus relinquendum.

VERS. 39 INIMICUS AUTEM, QUIS SEMINAVIT EA, EST DIABOLUS] Cujus est semper veritati inserere errorem, ait S. Chrysostomus.

H

MESSIS VERO CONSUMMATIO SÆCULI EST] Tunc enim deme et Deus per Angelos omnes homines, tam malos,

Digitized by Google

A los, quam bonos, eosque in die judicii discriminabit, ac bonos in horreum cælestе congregabit, malos tradet urendos igni gehennæ: unde sequitur.

MESSORES AUTEM ANGELI SUNT] Messis enim, ait Remigius, est dies judicii, in quo separandi sunt boni a malis, quod fiet ministerio Angelorum; unde infra dicitur, quod veniet filius hominis cum Angelis judicare.

VERS. 40 SICUT ERGO COLLIGUNTUR ZIZANIA, ET IGNI COMBURUNTUR, SIC ERIT IN CONSUMMATIONE SÆCULI; MITTET FILIUS HOMINIS ANGELOS SUOS.

VERS. 41 ET COLLIGENT DE REGNO EJUS OMNIA SCANDALA] Mali, quos Christus prius vocavit zizania & filios diaboli, eosdem hic vocat scandala, quia mali suis sceleribus, tam sibi quam aliis fuerunt scandalo & ruinæ; fuerunt enim causa, ut ruerent in gehennam, unde explicans subdit, *& eos qui operantur iniquitatem*; nam τὰ & est exegeticum, idemque valet, quod *id est*. Notat S. Chrysostomus hic duplicem impiorum pœnam denotari, scilicet, damni, cum dicitur; *colligent de regno*, ne scilicet in regnum ejus intrent, sed cælo

B excludantur: & sensus, cum dicitur, *& mittent eos in caminum ignis*. S. Chrysostomus: *Vide*, ait, *ineffabilem Dei amorem ad homines; Est enim ad beneficia promptus, & ad pœnam tardus. Cum enim seminat, per seipsum seminat, cum autem punit, per alios: mittit enim ad hoc Angelos suos.* Addit Christus vers. 30. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*, quod explicans S. Gregorius 4. Dialog. c. 35. *Messores Angeli*, inquit, *zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum pares paribus in tormentis similibus sociant, ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia deducuntur, quia eos in locis pœnalibus Angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.*

VERS. 42 ET MITTENT EOS IN CAMINUM IGNIS] Caminus notat damnatos, utpote plurimos, in gehenna quasi in camino arctari, sicut ligna & favillæ arctantur in camino, Secundo, eosdem igne convolvi, & sursum deorsumque jactari, sicut fumus & scintillæ in camino & fornace. Unde Isaias c. 33. 14. *Quis*, ait, *poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Caminus gehennæ notat duo.

C

IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM] Significatur, ait Remigius, duplex pœna inferni, scilicet, nimii caloris, & nimii frigoris. Vide dicta c. 8. v. 12. Quam dispar, & mœsta hæc commutatio! Impii enim regnum cæli cum igne inferni commutabunt.

VERS. 43 TUNC JUSTI FULGEBUNT SICUT SOL IN REGNO PATRIS EORUM] *Tunc*, quia nunc, ait Remig. justi fulgent in exemplum aliorum, sed tunc fulgebunt sicut sol ad laudandum Deum. Alludit ad Daniel. 12. 3. *Qui autem docti fuerint*, Hebr. משכילים *maskilim*, id est, sapientes & prudentes, qui scilicet, prudenter, sapienterque vixerint, *fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates*. Vide ibi dicta. Hinc olim nonnulli hæretici putarunt, in resurrectione corpus nostrum transformandum in globum, ut esset simile corpori solari. Hanc hæresim ascribit Origeni, eamque damnat Justinianus Imp. in sua Constit. quam recitat Baronius tom. 7. anno Christi 538. p. 289 & 293. nam figura rotunda non est figura corporis humani, nec corporis Christi glorioси, cui nos conformandos in resurrectione docet Paulus, Philip. 3. 21.

An beati in globum transformandi.

D

QUI HABET AURES AUDIENDI (Arabicus, *aures audientes*) AUDIAT] Hoc est, ait Rabanus, *Qui habet intellectum, intelligat, quia mystice hæc omnia intelligenda sunt.*

VERS. 44 SIMILE EST REGNUM CÆLORUM THESAURO ABSCONDITO IN AGRO, QUEM QUI INVENIT HOMO, ABSCONDIT, ET PRÆ GAUDIO ILLIUS VADIT, ET VENDIT UNIVERSA, QUÆ HABET, ET EMIT AGRUM ILLUM] Qui enim scit alicubi latere thesaurum, & emit locum, antequam eruat, efficitur dominus thesauri: qui eruit illum jam ex loco proprio, utpote a se empto, nec tenebatur domino priori indicare, sed poterat uti scientia sua ad suum commodum, emendo agrum tanti, quanti valet secundum communem æstimationem, ad quam nihil facit thesaurus absconditus, latens & incognitus, uti ex D. Thoma, Navarro, & Soto docet noster Lessius lib. de Justitia cap. 5. dub. 15. in fine.

Parabola thesauri absconditi in agro.

QUEM QUI INVENIT HOMO] Græce est præteritum: Est enim Aoristus, ἐὰν, quod alii vertunt, *quem inveneum*, imo Noster vers. 45. *inventa autem una pretiosa*, &c. ibi enim est ἐὰν. *Tὸ abscondit* est emblema, spectans ad elegantiam parabolæ, ac proinde non necessario accommodandum rei significatæ.

Nota: Christus præcedentibus quatuor parabolis, scilicet, seminantis, seminis, grani sinapis, & fermenti declaravit naturam, vim & efficaciam Evangelii, id est, prædicationis & doctrinæ Evangelicæ, nunc duabus sequentibus, scilicet, thesauri, & margaritæ declarat ejusdem pretium, quod tantum est, ut omnium rerum jactura merito sit comparandum. Ita S. Chrysostomus, Hilarius, Jansenius, Maldonatus & alii. Simili modo Sapientia apud Salomonem Prov. 8. v. 11. de se ait: *Melior est sapientia cunctis opibus pretiosis-simis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Et v. 19. *Melior est fructus meus auro, & lapide pretioso, & geminina mea argento electo.*

Ad litteram: Per thesaurum hunc S. Hieron. accipit ipsum Christum, & Scripturam, quam quoque hic intelligit S. August. lib. Quæst. Evang. in Matth. q. 13. *Quem cum quis*, inquit, *ex parte intellectus attigerit, sentit ille magna latere mysteria, & vadit, & vendit omnia sua, & emit illum, id est, contemptu temporalium comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei.* Verum, ut dixi, proprie thesaurus hic est Evangelium, ejusque doctrina & fides.

E

Tropologice S. Greg. hom. 11. in Evangel. per thesaurum accipit cælestе desiderium: *Inventus thesaurus*, inquit, *absconditur, ut servetur, quia studium cælestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus: Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Depredari ergo desiderat, qui thesaurum publice portas in via.*

ITERUM: SIMILE EST REGNUM CÆLORUM HOMINI NEGOTIATORI, QUÆRENTI BONAS (Syrus *optimas*) MARGARITAS] Arabicus: *quærenti bonam gemmam*. q. d. Tanto studio fideles debent sibi comparare doctrinam viramque Evangelicam, quæ via est, & pretium regni cælorum, quanto mercator quærit margaritas, emitque unam ex eis pretiosissimam; nam alioqui regnum cælorum sive Evangelium proprie comparatur ipsi margaritæ, non autem negotiatori illius. Similem phrasin audivimus v. 14.

VERS. 45 Margarita est Evangelium.

F

G

INVENTA AUTEM UNA PRETIOSA (Syrus *pretiosissimi pretii*) ABIIT, ET VENDIDIT OMNIA, QUÆ HABUIT, ET EMIT EAM] Sicut enim hæc margarita omne pretium superat, sic & Evangelium. Vide Plinium de pretio margaritarum lib. 9. cap. 35. ubi inter alia ait, *margaritis cæli societas major quam maris.* Additque Cleopatram Antonii amicam, unam margaritam aceto liquefactam coram Antonio potando hausisse, quæ valebat plusquam centum millibus aureorum. Vide dicta Apocal. 21. vers. 21. ubi tredecim margaritarum dotes recensui, quas omnes longe superat Evangelium, ejusque doctrina, & gratia, quæ maxime in vitis Apostolicis & religiosis resplendet.

VERS. 46

Symbolice, margarita pretiosa est Christus, item B. Virgo, item religionis status, item charitas: *Charitas enim est margarita pretiosa, sine qua nihil tibi prodest quodcumque habueris: quam si solam habeas, sufficit tibi*, ait S. Augustinus tract. 5. in Joannem, charitas enim est monile Christi: item margarita pretiosa est vita contemplativa, de qua Magdalenæ ait Christus: *Maria optimam partem elegit*, Lucæ 11. Margarita quoque est anima cujusque hominis; item felicitas æterna, uti oppositе ostendit noster Salmeron tom. 7. tract. 11. hæc enim omnia sunt partes illustriores regni cælorum, id est, doctrinæ Evangelicæ. Talis quoque est humilitas, nimirum, ut docet noster Thomas Kempis de Imitat. Christi libr. 1. cap. 2. *Si vis utiliter aliquid scire, & discere, ama nesciri, & pro nihilo reputari. Hæc est altissima & utilissima scientia, sui ipsius vera cognitio, & despectio.* Hæc est margarita Evangelica pretiosissima, sed ejus pretium passim a superbis Adæ filiis ignoratur. Talis quoque est Christi crux, & pati pro Christo, cujus pretium callebat S. Ignatius dicens: *Amor meus crucifixus est*, & S. Paulus: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri*

H

Item Christus, Virgo Maria, religio, charitas.

Digitized by Google

A *Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, Galat. 6. Et Habacuc cap. 3. *Cornua*, ait, *in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.*

Verbum in carne est margarita in concha.

Porro prima & pretiosissima margarita, a qua omnes virtutes, omnesque sancti quasi margaritæ propinquitur, summque habent decorem & pretium, est ipse Christus. Ejus enim deitas in humanitate, est quasi margarita in concha abscondita, quæ ex materia virginea, & rore Spiritus sancti concepta, prodiit candidissima, per vitæ innocentiam; lucidissima, per sapientiam; rotundissima, per omnis perfectionis possessionem; habens pondus conscientiæ, lævorem mitritatis, pretium beatitudinis; *margaritarum* enim *omnis dos consistit in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere*, ait Plinius lib. 9, cap. 35. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, & S. Augustinus in lib. Quæst. Evang. ex Matthæo q. 13. quem audi: *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum: Est enim verbum Domini lucidum candore veritatis, & solidum firmitate æternitatis, & undique sui simile pulchritudine divinitatis: qui Deus penetrata carnis testudine intelligendus est.* Hanc ergo Christi margaritam, ait noster Salmeron, humilitate parvam, valore pretiosam, portatu facilem gestemus in capite mentis nostræ, ad ornamentum in fronte per confessionem fidei; in auribus per obedientiam legis, Deo in se, & in superioribus præstandam; in collo & pectore per amorem, & gustum; in brachio per bonorum operum exercitium; in annulis digito impositis per donum discretionis spirituum; in cingulo per castitatem; in vestimentis per modestiam & sanctam æternæ vitæ rationem, ut & ipsi efficiamur margaritum pretiosum, quo alios ad honestatem & virtutem inducamus, & ad imitationem arripiendam sanctissimæ vitæ Domini nostri Jesu Christi.

B

Christus est omnis gemma. Cur?

Denique Christus non tantum est margarita pretiosissima, sed & gemma gemmarum; Ipse enim est carbunculus, quia lux & flamma mundi; ipse est smaragdus, quia suo vigore gratiæ visum delectat Angelorum: ipse sortis & invictus, ut adamas; gaudium parit, ut sardius; lepram peccati sanat, ut chrysoprasus; ipse juvat ad partum bonorum operum, quasi spiritalis jaspis; acuit ingenium, ut beryllus; ipse cælestis est coloris, & vitæ, ut sapphirus; resistit somno & ebrietati, ut amethystus; ac cuilibet animi infirmitati, ut hyacinthus; ipse limas passionum sustinuit, ut topazius; ipse candore & nitore est sardonyx, aurea charitate est chrysolithus. Unde hisce duodecim gemmis strata sunt fundamenta cælestis Jerusalem, quorum singula singulos notant Christi Apostolos. Apoc. 21. vers. 19. & 20. Vide ibi dicta.

C

VERS. 47. ITERUM SIMILE EST REGNUM CÆLORUM SAGENÆ (Arabicus *reti*) MISSÆ IN MARE, ET EX OMNI GENERE PISCIUM CONGREGANTI] Duæ præcedentes parabolæ, scilicet thesauri, & margaritæ pretiosæ ostenderunt pretium, & dignitatem Evangelii, hæc ostendit ejusdem capacitatem & amplitudinem, scilicet, quod quaslibet orbis gentes & homines, easque tam malas quam bonas complectatur. Proponit autem Christus eam hoc fine, ut non mirentur Apostoli, & sancti, si inter fideles videant nonnullos male vivere, sicut in regno amplo nemo miratur inveniri homicidas, fures, adulteros. Rursum, ne quis sibi blandiatur, quod sit Christianus, fidelis, & filius Ecclesiæ, cum in ea multi sint improbi, sed satagat in ea esse probus, & sanctus. *Regnum cælorum* est Evangelium, hoc est, Evangelii prædicatio & doctrina; item Ecclesia, hæc enim illam continet: in Ecclesia enim verum Dei Evangelium prædicatur, & per illud in ea regnat Deus, eamque ad regnum cæleste perducit.

Similitudo sagenæ missæ in mare.

D

Sagenæ etymon.

SAGENÆ] Sagena est vox Græca significans genus retis, quod vulgo dicitur verriculum, vel everriculum a verrenda aqua, vel mari, ut pisces capiat. Proprie tamen sagena est sinus retis, in quem capti pisces deveniunt. Hinc *σαγήνη*, ait Etymologus vocatur *γαγγαμὼν*, id est, cavum illud in medio ventre vel umbilico, sic dictum, quod illic more sagenæ nervi implicentur: Pari modo Evangelii & Ecclesiæ quasi materno sinu pisces, id est, fideles omnes excipiuntur, foventur, aluntur, conservantur.

ET EX OMNI GENERE PISCIUM CONGREGANTI] Sic enim Evangelium omnibus gentibus prædicatur, & ex iis coalescit Ecclesia. Pisces ergo sunt fideles, piscatores sunt Apostoli, sagena est Evangelium & Ecclesia. Porro pisces apte repræsentant homines, ob viginti analogias, quas recensui Habacuc 1. 14. ad illa: *Et facies homines quasi pisces.*

QUAM, CUM IMPLETA ESSET EDUCENTES ET SECUS LITTUS SEDENTES, ELEGERUNT (Græce *συνέλεξαν*, id est, *collegerunt*) BONOS IN VASA, MALOS AUTEM FORAS MISERUNT] Abjecerunt in mare, vel in littus. Arabicus: *Collegerunt selecta in vasis suis, & mala projecerunt foras.* Vasa notant diversas in domo patris mansiones, ut ait Christus Joann. 14. sive varias cæli cellas, quæ alibi æterna tabernacula nuncupantur. *Malos*, Græce *σαπρὰ*, id est, putrida, marcida, spurca, puta pisces putidos, fœtentes, mortuos. Ex hoc loco recte S. Augustin. contra Donatistas probat, in Ecclesia non tantum esse bonos, & prædestinatos, (ut vult Calvinus) sed etiam malos & reprobos.

E

VERS. 48

SIC ERIT IN CONSUMMATIONE SÆCULI (Arabicus, *in fine hujus temporis*, puta in die judicii) EXIBUNT ANGELI, ET SEPARABUNT MALOS DE MEDIO JUSTORUM] Id est, a justis: est Hebraismus.

VERS. 49

ET MITTENT EOS IN CAMINUM (Arabicus, *in fornacem*) IGNIS; IBI ERIT FLETUS, ET STRIDOR DENTIUM] Vide dicta v. 42.

VERS. 50

F

INTELLEXISTIS HÆC OMNIA?] Has omnes parabolas & sermones meos? Syrus & Græcus præponunt: *Dicit eis Jesus*. Sed in suo exemplari id non legit noster interpres; id enim ex dictis intelligitur. Continuantur enim hic verba Jesu.

VERS. 51

DICUNT EI; ETIAM] Jam enim parabolas seminis & zizaniorum, quæ cæteris erant difficiliores, eis explicuerat Christus.

VERS. 52

AIT ILLIS: IDEO OMNIS SCRIBA DOCTUS IN REGNO CÆLORUM, SIMILIS EST HOMINI PATRIFAMILIAS, QUI PROFERT DE THESAURO SUO NOVA, ET VETERA] *Ideo*, q. d. Quia vos, o Apostoli, meis hisce parabolis intellexistis Evangelium, quod ducit ad regnum cælorum, tantum esse thesaurum: ideo ex hoc thesauro omnia depromere debetis, ut eum aliis, imo toti mundo communicetis. Ita S. Augustin. q. 16. in Matth. Rursum: quia intellexistis meum modum docendi ea, quæ sunt cæli, suntque hominibus nova & inaudita; per parabolas, arebus veteribus, & usu tritis petitas; vos eodem modo eadem docete & prædicate, ut ex veteribus, quæ intelligunt, capiant & intelligant nova, quæ prædicatis.

G

SCRIBA (id est, doctor, prædicator) DOCTUS (Græce *μαθητευθεὶς*, id est, instructus, eruditus, edoctus) IN REGNO. (id est ad regnum) CÆLORUM] ut habet Syrus, scilicet, prædicandum: Arab. *Scriba, qui docet pro regno cælorum*, q. d. Doctor Evangelicus probe instructus ad annuntiandum Evangelium, ducens fideles ad regnum cælorum, quales estis, vel eritis vos, o Apostoli, a me & Spiritu sancto plene instructi. Opponit enim suos Scribas, id est, doctores & prædicatores, puta Apostolos Scribis Judæorum: hi enim legem Moysi, & ex ea bona terrena prædicabant; Apostoli vero annuntiabant Evangelium, & regnum cælorum in eo promissum.

PROFERT DE THESAURO SUO NOVA, ET VETERA] Est adagium, significans omnes cibos, omnem substantiam, omnem supellectilem familiæ alendæ necessariam vel utilem; quædam enim vetera sunt meliora, quædam nova. Unde adagium: *Nova Hymetta* (mella) *vetera falerna*, id est, vina, mel enim optimum, quod recentissimum; vinum vero optimum, quod vetustissimum, ait Macrobius lib. 7. Saturn. Hinc & illud Pindari Olymp. hymno 9. *Lauda vinum vetus, sed novorum hymnorum flores*. Sensus est, q. d. Sicut paterfamilias familiam instruit novis & veteribus, id est, omni re necessaria & utili; sic doctor Evangelicus promere debet congruo tempore pro captu auditorum varium sermonem, varii & omnis generis scientiam, ac præsertim curare, ut mysteria Evangelii nova & inaudita doceat per vetera exempla, parabolas & similitudines, quas auditores capiunt & norunt. Sic enim per vetera & nova cognoscent nova & incognita. Porro veteres, ut S. Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Hilarius & Beda, *vetera & nova*, accommodant veteri Testamento & novo. Optime enim prædicatur, cum novum Testamentum confirmatur, & illustratur ex veteri, illique per omnia typice conforme demonstratur. Vetus enim fuit typus novi, novum veteris est Antitypus.

H

Mel novum est optimum, vinum vero, quod vetus est.

Objicit Abulensis, quod cum hæc diceret Christus, nondum scriptum erat novum Testamentum. Resp. illud jam dictum & doctum erat a Christo, ac paulo post a Matthæo,

Digitized by Google

A thro, Joanne, Luca, Marco ſcribendum; idque ſciebat Chriſtus; unde jubet Apoſtolis, ut ipſi a ſe dicta & audita, poſteri vero eadem ab Evangeliſtis ſcribenda, prædicent.

VERS. 53. ET FACTUM EST, CUM CONSUMMASSET JESUS PARABOLAS ISTAS, TRANSIIT INDE] Scilicet, ex domo ſua, quam habebat Capharnai, ut dixi verſ. 16. tranſiit ad alias urbes, & caſtella, ut latius Evangelium diſſeminaret.

VERS. 54. ET VENIENS IN PATRIAM SUAM DOCEBAT EOS (cives patriæ ſuæ) IN SYNAGOGIS EORUM] Patriam vocat non Bethlehem, in qua natus erat, hæc enim longe aberat a Capharnao, ſed Nazareth vicinam, in qua conceptus & educatus erat Chriſtus, ut explicat Lucas cap. 4. 16. Ita S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. *Luc. 4. verſ. 22. Marc. 2. v. 23.*

IN SYNAGOGIS] In concione, aut cœtu, qui ſingulis Sabbathis fiebat in Synagoga, ut apud nos fit in Eccleſia vel templo. In Nazareth enim, utpote parva urbe, videtur una tantum fuiſſe Synagoga. Fuſius hæc narrat Lucas c. 4. 16. *Luc. 4. 22. Marc. 6. v. 3.*

B

ITA UT MIRARENTUR (Arabicus, *obſtupeſcerent* Nazaræni, concives Chriſti) ET DICERENT: UNDE HUIC SAPIENTIA HÆC, ET VIRTUTES?] Id eſt, miracula. Arabicus; *Unde ei hæc ſapientia & virtus*, patrandi tanta miracula?

VERS. 55. NONNE HIC EST FABRI (Arab. addit *lignarii*) FILIUS?] Marcus c. 6. 3. *Nonne hic eſt faber? Nec mirandum eſt*, ait S. Auguſt. l. 2. de Conſ. Evang. cap. 42. *cum utrumque dici potuerit. Eo enim & fabrum credebant, quo fabri filium*, Adde quia & videbant eum cum Joſeph fabricantem. Videtur ergo Chriſtus cum patre Joſeph artem fabrilem exercuiſſe uſque ad annum trigeſimum, quo cœpit docere & prædicare. S. Hilarius & Ambroſius cenſent Chriſtum fuiſſe fabrum ferrarium; Hugo, murarium, vel aurificem. Communis ſententia eſt Chriſtum fuiſſe fabrum lignarium, uti ex ſancto Chryſoſtomo docet S. Thomas, & S. Juſtinus dialog. contra Triphon. *Erat*, inquit, *aratra & juga boum conficiens*.

C Hinc prædicans Chriſtus ſæpe ab eis petit ſimilitudines, ut cap. 11. *Tollite jugum meum ſuper vos. Et nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei:* Lucæ 9. 4. v. 62. Hinc & Chriſtianus ille a Gentili irriſore rogatus *quid faceret fabri filius* (puta Chriſtus,) argute reſpondit: *Juliano* (Apoſtatæ) *fabricat feretrum*: nam paulo poſt occiſus eſt Julianus. Ita Sozomenus lib. 6. cap. 2. Nonnulli tamen negant Chriſtum fabrilem exercuiſſe, cenſentes eum inſtar religioſi abſtractum vixiſſe, ac vacaſſe orationi & jejuniis uſque ad annum 30. Ita Paulus Burgenſis, Simon de Caſſia, & noſter Barradius: de quo plura Lucæ 2. verſ. 51. ad illa: *& erat ſubditus illis*. Chriſtus faberligna-rius. Belle reſpon-ſum.

Myſtice S. Auguſt. ſerm. de Nat. *Eſt*, ait, *pater Chriſtus faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus eſt, arcam Noe diſpoſuit, Moyſi tabernaculum ordinavit, arcam Teſtamenti inſtituit. Fabrum dixerit, qui mentem rigidam explanat, ac cogitationes ſuperbas excidit.* S. Hilarius: *Fabri*, ait, *etiam hic erat filius, ferrum ignea vincentis ratione, ſæculi virtutem judicio decoquentis, maſſamque formantis in omne opus utilitatis humanæ, formam ſcilicet corporum noſtrorum in diverſa membrorum miniſteria, & ad omnia æternæ vitæ opera fingentis.* Porro *Chriſtus erat fabri filius*, ait S. Chryſologus ſerm. 48. *ſed illius, qui mundi fabricam fecit non malleo, ſed præcepto: qui elementorum membra non ingenio, ſed juſſione compegit: qui maſſam ſæculi auctoritate, non carbone conflavit; qui ſolem non terreno igne, ſed ſupremo calore ſuccendit: qui lunam, tenebras, noctem formavit & tempora: qui ſtellas varias a luce diſtinxit: qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit, o homo, tibi, ut opificem operis eſtimatione penſares.*

D

NONNE MATER EJUS DICITUR MARIA? ET FRATRES EJUS JACOBUS, ET JOSEPH, ET SIMON ET JUDAS?] *Fratres*, id eſt, patrueles & conſobrini, ut dixi cap. 12. 46. At cur S. Mariam pauperem, in matrem elegit Chriſtus, & non Liviam Auguſti, aut Mariamnam Herodis uxorem? Reſpondet Theodotus tom. 6. in Conc. Epheſ. in Appendice 5. c. 2. de Nativit. Chriſti: *ſi filius eſſet imperantis, poteſtati utilitatem adſcriberent: Si Legislatoris factus fuiſſet filius, præceptis utilitatem adſcriberent; ſed quid fecit? Omnia paupera & vilia elegit, omnia mediocria & plurimum obſcura, ut divinitas ſola cogneſceretur orbem transformaſſe terrarum.*

E

JACOBUS] Hic eſt Minor, cognomento Alphæi, Apoſtolus & primus Epiſcopus Hieroſolymorum, auctor Epiſtolæ Canonicæ, ubi plura de eodem dixi in proœmio. Alter ergo diverſus hic eſt a Jacobo Majore filio Zebedæi, & fratre Joannis, cujus corpus colitur Compoſtellæ, cum Minoris colatur Romæ in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum. Fratres Chriſti. Jacobus.

ET JOSEPH] Græca habent *ωσὴς*, id eſt, Joſes, ſic & Syrus; unde eum Joſetem vocat S. Hieronymus lib. contra Helvidium. Hic fuit unus ex 72. Chriſti diſcipulis, quem combinarunt cum S. Matthia ad Apoſtolatum, cum ſors cecidit ſuper Matthiam. Hic poſtea factus eſt Epiſcopus Eleutheropolis, ac inter Sanctos relatus, colitur die 22. Julii, de quo plura Actor. 1. 23. Joſeph.

ET SIMON] Multi ex Abdia, Sophronio, Iſidoro & Beda putant, hunc eſſe Simonem Cananæum Apoſtolum, quaſi ille fuerit frater Jacobi Minoris & Judæ: ſed hic Simon ortus fuit ex Cana Galilææ: iſti autem fratres, id eſt cognati Chriſti, orti fuere ex Nazareth, æque ac ipſe Chriſtus: unde cives Nazarethani hic mirantur, unde tanta ſcientia ſit in Jeſu cive ſuo, cum norint ejus fratres & cognatos quaſi ſimplices & idiotas, ut patet Marci 6. 1. & ſequent. Verius ergo videtur, hunc Simonem eſſe S. Simonem, qui S. Jacobo in Epiſcopatu Jeroſolymæ ſucceſſit. Hic enim fuit filius Cleophæ ejuſque uxoris Mariæ, teſte Hegeſippo apud Euſebium lib. 3. Hiſtor. capit. 11. quem proinde fratrem fuiſſe Jacobi Minoris docet S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda, & ex iis Chriſtophor. a Caſtro libr. de Deipara cap. 1. licet Hegeſippus & Epiphanius hæreſ. 66. cenſeant eum non fuiſſe fratrem, ſed patruelem ſive conſobrinum Jacobi. Hic eſt ille Simon, qui anno 10. Trajani, hoc eſt anno 109. Chriſti crucifixus, cum eſſet 120. annorum, omnes ſua conſtantia & fortitudine ſtupefecit. Unde ſequitur, eum undecim annis natum fuiſſe ante Chriſtum, Chriſtoque fuiſſe ſeniorem. Ex dictis conſtat errare Abdiam lib. 6. Hiſt. Apoſt. Sophronium apud S. Hieronymum, de Script. Eccleſ. Iſidorum de Vita & morte Sanctorum, & Bedam in caput primum Actor. qui cenſent Simonem Chananæum eundem eſſe cum Simeone Epiſcopo Hieroſolymitano & crucifixo. Unde Beda ibidem idem retractat. Simon.

F

G

ET JUDAS] Hic eſt frater Jacobi Minoris, & auctor Epiſtolæ Canonicæ, de quo plura ibidem in proœmio.

Quæres, an hi quatuor fuerint proprie dicti fratres, ex eodem patre & matre geniti? in primis conſtat Jacobum & Joſeph fuiſſe fratres, ut patet ex Matth. cap. 27. 56. De reliquis duobus, ſcilicet Simone & Juda, cenſent nonnulli eos fratres fuiſſe Jacobi & Joſeph, ſed uterinos dumtaxat. Matrem enim eorum fuiſſe Mariam, quæ primo nupta Alphæo, ex eo genuerit Jacobum & Joſeph, ideoque Jacobum vocari Alphæi, ſcilicet filium, deinde mortuo Alphæo nuptam Cleophæ genuiſſe ex eo Simonem & Judam. Ita S. Thomas in c. 1. ad Galat. lect. 5. An Simon & Judas fuerint fratres Jacobi. Reſp. Primo.

Secundo, Baronius in aparatu Annal. capite 46. & ſequent. tres ponit Marias ſorores, id eſt, conſobrinam B. Virginis: Primam Mariam Alphæi, ſcilicet matrem Jacobi & Judæ Apoſtolorum, ac Joſeph: Secundam Mariam Cleophæ, quæ ex Cleopha marito genit S. Simeonem, qui S. Jacobo ſucceſſit in Epiſcopatu Jeruſalem, & crucifixus eſt anno 120. ætatis, uti jam dixi: Tertiam Mariam Salome uxorem Zebedæi, ex qua nati ſunt Joannes & Jacobus Apoſtoli. Secundo.

H

Verum unam eamdemque eſſe Mariam Alphæi cum Maria Cleophæ liquet, ſi quis conferat S. Joannis cap. 19. 25. cum Matthæi cap. 27. 56. & Marci 16. 40. nam Joannes ait: *Stabant autem juxta crucem Jeſu, mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene:* Matthæus vero ait: *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi:* Marcus autem: *inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi Minoris & Joſeph, & Salome.* Vides hic clare, quod illa; quæ a Joanne vocatur *Maria Cleophæ*, a Matthæo & Marco vocetur, *Maria Jacobi & Joſeph mater*; Jacobi, inquam, qui non Zebedæi, ſed Alphæi, ſcilicet filius, vocatur Actor. 1. Matth. 10. Eadem ergo eſt Maria Cleophæ & Maria Alphæi; Cleophas enim alio nomine dictus eſt Alphæus more Hebræorum, niſi malis cum nonnullis unum horum duorum fuiſſe maritum, alterum patrem hujus Mariæ. Eadem dicta eſt Maria Jacobi, ſcilicet Minoris mater. Ita S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Theo- Tertio. Gemine 3 fuiſſe fratres. Eadem Maria Cleophæ & Alphæi.

Digitized by Google

A Theodoretus, Beda, quos citat, & sequitur Christoph. a Castro lib. de Deipara c. 1.

Eadem Salome & mater filiorum Zebedæi.

Rursum, vides hic, ut illa, quæ a Marco vocatur Salome, a Matthæo vocatur *mater filiorum Zebedæi*: hæc ergo vocata fuit Salome. Ita sanctus Gregorius, Theophylactus, Euthymius, & S. Epiphanius hæresi 59. & 78. Videtur ergo eadem Maria Cleophæ, sive Alphæi, genuisse hos quatuor, scilicet Jacobum, Joseph, Simonem & Judam: nam eam matrem Jacobi & Joseph vocat Matthæus, & Marcus loco jam citato: Judas autem fuit frater Jacobi, uti ait ipse initio suæ Epistolæ: Simon etiam sive Simeon, qui successit Jacobo fratri in Episcopatu Hierosolymitano, ejusdem fuit frater; nam fuit filius Cleophæ ejusque uxoris Mariæ, ut diserte ait Hegesippus apud Eusebium l. 3. Histor. cap. 11. Porro Mariam hanc non fuisse filiam, sed uxorem Cleophæ, diserte asserit idem Hegesippus, S. Chrysostomus, Eusebius, Theodoretus, Euthymius, & ex iis a Castro loco citato, ac Suarez part. 3. q. 28.

B Cleophas martyr.

art. 1. disp. 5. sect. 4. Cleophas autem fuit frater Josephi sponsi B. Virginis, ait idem Hegesippus. Hic est ille Cleophas, cui cum socio in Emmaus Christus in fractione panis se revelavit, ac in eadem domo ob Christi confessionem a Judæis occisus, martyr occubuit die 25. Septembris, ut habet Martyrologium Romanum.

Dices, cur ergo Matthæus & Marcus hanc *Mariam* vocant matrem Jacobi & Joseph: non autem Simonis & Judæ? Resp. brevitatis causa id faciunt, & quia duo primi, scilicet Jacobus & Joseph, primi & insigniores tunc habebantur præ duobus ceteris. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, S. Gregorius, S. Epiphanius hæresi 59. & 78. & Nyssenus orat. 2. de Resurrect. Porro Maria hæc, tot sanctorum filiorum & filiarum mater, sancte mortua est in Judæa die 9. Aprilis, inde translata est Verulas in Italia, ibique magno honore colitur, ut habet Martyrologium Romanum ad diem 25. Maji, & ibidem Baronius in notis.

VERS. 56 ET SORORES EJUS NONNE OMNES APUD NOS SUNT?] In Nazareth. Sorores Jacobi, Joseph, Simonis & Judæ ab Hippolyto apud Nicephorum lib. 2. capit. 3. vocantur Esther, & Tamar; sed a S. Epiphanio hæresi 78. & Theophylacto vocantur Maria Salome, quæ fuit uxor Zebedæi, & mater S. Joannis & Jacobi Majoris Apostolorum, qui proinde fuere nepotes ex sorore Jacobi Minoris, Joseph, Simonis & Judæ, uti ostendam ad oculum in tabula genealogiæ Christi, quam affigam ad cap. 3. Lucæ. Vide Christophorum a Castro de Deipara cap. 1. ubi docet Salomen seniorem fuisse Jacobo & Juda fratribus suis: nam ipsa genuit Joannem & Jacobum, qui a Christo cum Jacobo & Juda avunculis eorum, electi fuere in Apostolos; Joannes enim videtur tribus dumtaxat annis fuisse junior Christo, natusque anno tertio Christi. Hinc etiam soli Jacobus, Joseph, Simon & Judas filii Cleophæ vocantur fratres, id est, patrueles Christi: Joannes vero & Jacobus filii Zebedæi, non vocantur fratres Christi, quia non fuerunt ejus patrueles, sive consobrini proprie & in primo gradu, sed consobrina Christi fuit dumtaxat eorum mater Salome. Rursum hinc idem Christophor. a Castro colligit Jacobum Minorem, qui frater fuit Salome, seniorem fuisse Jacobo Majore, filio Salome & Zebedæi, novem vel decem annis, ut minimum; Minor enim Majoris erat avunculus: Minorem ergo eum dici, respectu non ætatis, sed vocationis Christi. Plures alios cognatos vel affines habuisse Christum non est dubium, sed hi præ cæteris nominantur, quia & sanguine proximiores, & quia in eum tandem crediderunt, factique sunt ejus Apostoli.

Mar. 6. Sorores Christi quænam hic.

C

Jacobus Minor fuit avunculus Majoris.

D

UNDE ERGO HUIC OMNIA ISTA? ET SCANDALIZABANTUR IN EO] Hoc est, offendebantur & indignabantur, quod Christus, cum esset faber, faceret se doctorem & prophetam, sicut jam offenderentur & indignarentur homines, si quem e fabrili officina & malleo viderent prosilire in cathedram, agereque doctorem; insimularent enim eum summæ arrogantiæ vel stultitiæ, sed nesciebant Nazarethani Christum esse Dei filium, qui inter fabros nasci, & cum eis fabrum agere ex immensa charitate non est dedignatus, ut nos redimeret, & exemplo suo doceret humilitatem. Quare charitas hæc Christi & humilitas, quæ debebat esse admirationi & veneration, eis fuit scandalo, quia eam non capiebant, nec credebant Deum se tantopere velle humiliare & exinanire.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

JESUS AUTEM DIXIT EIS: NON EST PROPHETA (doctor, prædicator) SINE HONORE, NISI IN PATRIA SUA, ET IN DOMO SUA) *Sine honore*, Græce ἄτιμος, id est, *inhonorus*, vel *inhonorabilis*, ut vertit Hilarius. Syrus *vilis*, vel *despectus*. Arabicus, *habetur vilipendio*. Vatabl. *contemptus*. Alii, *expers honoris*. *Et in domo*, id est, in familia & cognatione *sua*, quia, *nec fratres*, id est cognati & affines *credebant in eum*. Joan. 7. 5. Est hoc Proverbium vulgo usitatum, & communiter verum, at non semper: Joannes enim Baptista æque ac Isaias, Elias, Elisæus, Daniel, Osee, *&c.* apud suos Judæos in magno fuere honore.

E VERS. 57 Luc. 4. 24. Mar. 6. v. 4. 44. Joann. 4. v. 44.

Propheta sine honore in patria

Porro causa, cur Propheta, id est, doctor, sæpe apud suos, non honoretur, sed vilipendatur, prima est, quam dat S. Hieronymus: *quod propemodum*, ait, *naturale sit cives semper civibus invidere: non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilis recordantur infantiæ, quasi non & ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint*. Rursum cives non ferunt civem sibi præferri, præsertim juniorem seniori, pauperem diviti, plebejum senatori: *Quia suam confusionem existimant gloriam contribulis*; ait Theophylactus in Joannem. Audi S. Ambrosium in cap. 4. Lucæ: *Non mediocris invidia prodiit, quæ civica charitatis oblita in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter & oraculo declaratur quid frustra opem misericordiæ cælestis expectes, si aliena fructibus virtutis invideas. Aspernator enim Dominus invidorum est, & ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula sua potestatis avertit.*

Cur? Causa Prima.

F

Secunda, quia nimia familiaritas parit contemptum, inquit S. Chrysostomus homil. 34. Et S. Cyrillus: *Quia solemus*, ait, *quod tritum est, ac quotidianum: etiamsi magnum sit, parvi pendere*, &c. Theophylactus etiam: *Consuevimus*, ait, *ea contemnere, quæ valde familiaria sunt, semper magis attendentes alienis & insolitis*, &c. juxta illud Alexis apud Athenæum lib. 3. *Alienum amamus, proximum contemnimus*. Miramur enim peregrina & exotica, aspernamur domestica & familiaria, cum subinde domi habeamus meliora. Sic Medicos nostros fastidimus, licet eruditos, peregrinos & barbaros suspicimus: Flores & herbas ex India advectos caro emimus, cum meliores, imo iidem subinde in sylvis nostris nascantur: nimirum *grata est novitas*.

Secunda.

G

Tertia, quod ex quotidiana conversatione cum hominibus facile vitia morum, vel infirmitates naturæ cujusque detegantur, quæ reverentiam minuunt & vilipiendium pariunt: secus est in conversatione cum Deo, quæ quo major est, eo majorem Dei reverentiam gignit: quia, *quanto plus homo in cognitione Dei proficit, tanto magis perfectionis ejus excellentiam admiratur, & magis eum reveretur*, ait Div. Thomas hic. Sic Nazarethani videntes Christum comedere, bibere, dormire, fabricare more aliorum, eum contempserunt, præsertim, quia videbant ejus cognatos esse pauperes & abjectos, ac præsertim S. Josephum, quem putabant verum esse ejus patrem; nec enim cogitare, aut credere poterant eum natum ex virgine, solumque Deum habere patrem. Doctor ergo & prædicator familiaritatem hominum fugiat, ne spernatur; nam, ut ait S. Cyrillus: *Prædicatio ibi fructum facere non potest, ubi prædicator contemnitur*. Romæ quidem e nostris, vir sapiens, concionatori cuidam Transalpino ad suos redeunti hoc monitum dedit: *Domi te contine, abstractus vive, cum Deo versare, non cum hominibus, ita ut Dei oraculum audieris*. Et videmus eos, qui id faciunt, ob opinionem sanctitatis ab omnibus coli, amari, audiri.

Tertia.

H

Nota.

VERS. 58 ET NON FECIT IBI VIRTUTES (miracula) MULTAS PROPTER INCREDULITATEM EORUM] Arabicus, *propter parvitatem fidei eorum*. Hæc enim faciebat eos indignos miraculis, utpote quæ Christus non nisi ad fidem sibi conciliandam & augendam patrare solebat: Aliam causam dat S. Hieronymus: *Ne multas*, inquit, *faciens virtutes, cives incredulos condemnaret*, itaque, *pœnam eis augeret*, ait S. Chrysostomus. Gravius enim peccat, qui plura miracula videt, & tamen non credit, quam qui pauca, ideoque gravius damnatur & punitur in gehenna. Hac de causa Christus *pauca signa quotidie in Gentibus per Apostolos facit, non tam in sanatione corporum, quam in animarum salute*, Jansenius cum suis post hoc caput ponit missionem Apostolorum factam

Mar. 6. vers. 5. 6.

Digitized by Google

a Christo, quam Matthæus narravit c. 10. deinde de-
A collationem Joannis Baptistæ, quam narrat Matthæus c. 14. proxime sequenti, ac reversionem Apostolorum ad Christum, Christique secessum in desertum, secutus Lucam & Marcum, qui hunc ordinem insinuant; licet aliter sentiat Maldonatus & alii. Vide Chronotaxin.

CAPUT XIV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo decollatur ab Herode S. Joannes Baptista, Secundo, v. 13. Christus id audiens fugiens Herodem secedit in desertum, ibique quinque panibus & duobus piscibus pascit quinque hominum millia. Tertio, v. 22. dimissa turba ascendit in montem, ut oret, mox ambulans super mare venit ad discipulos fluctibus
B *jactatos; Petrumque ad se evocatum & venientem, cum ipse fluctus metuens mergeretur, erigit, dicens; Modicæ fidei quare dubitasti? illicoque ventum fluctusque sedat. Unde exclamant, qui erant in navi; Vere Filius Dei es: quare ex locis circumquaque vicinis ad eum confluunt ægri, quos ipse attactu suo sanat.*

VERS. 1. IN illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu;

2. Et ait pueris suis; Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.

3. Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum; & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5. Et volens illum occidere, timuit populum; quia sicut prophetam eum habebant.

C 6. Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.

8. At illa præmonita a matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ.

9. Et contristatus est rex: propter juramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, jussit dari.

10. Misitque & decollavit Joannem in carcere.

11. Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ.

12. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud: & venientes nuntiaverunt Jesu.

13. Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de
D civitatibus.

14. Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.

15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, & hora jam præterit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.

18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

19. Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

20. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21. Manducantium autem fuit numerus, quin- B
que millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

22. Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.

28. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. F

29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.

30. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac.

31. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum; & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?

32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es.

34. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar.

35. Et cum cognovissent eum viri loci illius, misserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes; G

36. Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

IN ILLO TEMPORE AUDIVIT HERODES TETRARCHA FAMAM JESU] Hæc omnia, quæ spectant decollationem S. Joannis, fusius & plenius præ omnibus Evangelistis narrat S. Marcus cap. 6. vers. 14. quare ibi commodius illa explicabo. Herodes hic fuit Antipas, filius Herodis magni infanticidæ. Matth. 2. 16. VERS. 1.
Luc. 9. 7. Mar. 6. 14.

Historiam decollationis Baptistæ vide apud S. Marcum.

ET ACCEDENTES DISCIPULI EJUS TULERUNT CORPUS EJUS, ET SEPELIERUNT ILLUD] *Corpus.* Syrus *selado*, id est, truncum corporis sine capite; quia, ut ait Nicephorus lib. 1. cap. 19. *Herodias Joannis reprehensionem etiam post capitis resectionem veritus, conjungeretque id reliquo corpori timens, apud se remotis arbitris in abstrusiore regiæ loco sepeliendum duxit*, idem asserit Beda, Ruffinus l. 11. Histor. c. 28. & Histor. Tripart. l. 9. c. 43. Vide hic panicos timores malæ conscientiæ; Herodias enim verebatur, si caput Joannis corpori jungeretur, quod resurgeret, rursusque animaretur, & contra incestas suas cum Herode nuptias prædicando detonaret; sicut Herodes putabat Joannem resurrexisse in Christo, in eumque transisse. Adeo caput illud invictum Baptistæ, licet resectum, Herodiadi terrori fuit & horrori. VERS. 12.
Mar. 6. 29.

H

ET VENIENTES NUNTIAVERUNT JESU] Joannes enim ante mortem jusserat discipulis, ut se mortuo transirent ad Jesum, imo jam adhuc Joanne vivo nonnulli ad Jesum transierant, ut patet de Andrea, Joannis 1. 40. adeoque ipse Joannes discipulos suos ad Jesum miserat scisciatum, an ipse esset Messias? Matth. 11. 3.

QUOD CUM AUDISSET JESUS, SECESSIT INDE IN NAVICULA IN LOCUM DESERTUM SEORSUM) *Quod cum audisset Jesus*, scilicet Joannem ab Herode decollatum, ac Herodem, qui huc usque partim desidia, partim bello contra Aretam regem Arabiæ (hic enim filiam suam, teste Josepho lib. 18. Antiq. c. 7. Herodi desponderat, ideoque ejus repudium ob Herodiadem factum, bello, quo Herodis exercitum cecidit, vindicavit) occupatus, neglexerat dicta sa- VERS. 13.
Luc. 9. 10. 11. Mar. 6. 31. 32. 33. Jo. 6. 12.

Herodes ab Areta Socero suo victus.

Digitized by Google

A Acta factaque Jesu: Herodem, inquam, jam fama tot tantorumque miraculorum Jesu increbrescente de iis inaudisse, serioque ad ea animadvertere cœpisse, ut narravit Matthæus initio hujus capitis & historiæ, indeque suspicari Jesum esse Joannem resuscitatum: idcirco Jesus secessit in desertum, idque Primo, ut Herodis furorem declinaret, qui sicut Joannem decollaverat, ita jam putans eum suscitatum in Jesu, eumdem rursus decollasset, præsertim cum facile ei obrepsisset, vel suggesta fuisset a Pharisæis suspicio, ipsum vel esse, vel venditare se Messiam regem Judæis promissum, & per tot sæcula expectatum: quare metuens ab eo regno privari, eum peremisset, uti pater ipsius Herodes Ascalonita Christum cum infantibus in Bethlehem occidere fategerat, Matth. c. 2. v. 16. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Secundo, ut Apostolos a sua missione & prædicatione redeuntes, ac multo labore fessos quiete aliqua recrearet, uti docet Marcus c. 6. 31. Tertio, ut exemplo suo doceret, prædicatoribus & thaumaturgis fugiendum esse plausum populi, & vanam gloriam.

! Cur post mortem Baptistæ in desertum secessit Christus? Primo.

Secundo.

Tertio.

B In navicula] ut per eam proficisceretur trans mare Galilææ sive Tiberiadis, ut patet Joannis 6. 1. Marci 6. 45. Eadem enim est hæc historia cum illa, quam fuse narrat Joannes c. 6. ex quo liquet, hæc circa Pascha contigisse. Volebat ergo Christus navicula effugere turbarum ad se confluxum, qui ipsi carceris & vitæ periculum apud Herodem creasset.

Bethsaidæ desertum ubi.

In locum desertum] Addit Lucas cap. 9. 10. *qui erat Bethsaida*. Adrichomius in descript. terræ sanctæ, Jansenius & alii nonnulli censent hoc desertum, in quo Christus quinque panibus pavit quinque millia hominum, dici Bethsaidæ, non quod fuerit juxta Bethsaidam ad latus & littus urbis, sed in opposito littore trans mare Galilææ situm inter Juliadem & Dalmanutha. Probant, quia Joannes cap. 6. 1. ait Christum abiisse trans mare Galilææ, ac Matthæus cap. 14. 34. eum transfretasse. Bethsaidæ enim ditio extendebat se ultra mare in desertum hoc transmarinum. Ita ipsi.

C Verum dico hoc desertum fuisse juxta Bethsaidam in eadem ripa, adeoque fuisse inter Bethsaidam & Tiberiadem. Probatur primo, quia id diserte ait Lucas cap. 9. 10. *Secessit*, inquit, *seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida*. Arabicus: *in locum desertum prope civitatem, quæ vocatur Saida* decurtate, id est, *Bethsaida*.

Secundo, idipsum clare testatur Burchardus & alii in descript. terræ sanctæ, scilicet locum hunc fuisse vicinum Tiberiadi, dictumque, *Mensa*.

Templum duodecim thronorum a S. Helena constructum.

Tertio, quia Nicephor. lib. 8. cap. 3. scribit S. Helenam Constantini Magni matrem, Tiberiade δωδεκάθρονον, id est, duodecim thronorum templum erexisse eo loco, quo Christus quinque hominum millia pavit.

Quartum, quia Christus facta hac panum in deserto multiplicatione fugiens turbam, quæ eum volebat creare regem, jussit discipulos navigare Bethsaidam, tamquam vicinam. Rursus Joannes 6. 23. ait: *Aliæ supervenerunt naves a Tiberiade, juxta locum ubi manducaverunt panem gratias agentes Domino*: ergo locus hic erat juxta Tiberiadem, puta inter Tiberiadem & Bethsaidam: Cumque eum ibi non invenirent, recto itinere per mare navigarunt, ubi eum invenerunt, uti subdit Joannes.

D Ad argumentum respondeo, Christum dici transfretasse & abiisse trans mare, id est, mare navi transmisisse, sive iisse per mare, non in adversum littus, sed ex una terra per mare intermedium in aliam, ex uno sinu anfractus in alium: nam per terram flexuosum erat iter, quare recto itinere eo peregentibus transeundum erat mare, non in adversum littus, sed in adversum sinus flexum. Ita Franc. Lucas, Maldon. & alii. Vide dicta Matth. 4. 15. Sinum hunc videtur fecisse mons in quem secessit Jesus, ac deinde ex eo ad turbas eum sequentes descendit, uti narrat Joannes c. 6. v. 3. & seq. Denique *trans* idem est quod *ultra*, & ample sumitur, diciturque cum de uno loco in alium, de uno maris sinu vel portu in alium transitionem facimus.

Quomodo turbæ pedestres potuere sequi Christum navigantē.

Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus] Quæres, quomodo pedestres poterant sequi Christum navi euntem trans mare? Respond. turbas secedente Christo in naviculam, ejus famam passim per vicina loca sparsisse: qua exciti multi undequaque confluxerunt, Christumque navi recta trans mare euntem pedibus insecuti sunt, circumeundo mare Tiberiadis, sive stagnum Genesareth, usque ad Bethsaidam, & inde usque ad Capharnaum, ubi Christum invenerunt, uti narrat Joannes c. 6. v. 24. & 25. E

Tantæ enim turbæ licet longior, commodior tamen erat hic pedestris circuitus, eo quod naves ad tantam turbam vehendam deessent. Secessus Christi desiderium turbarum non retulit, sed acuit ad eum per invia & avia sequendum; quia videbant eum virum sanctum, beneficum, divinum, fugientem plausum, cum Deo conversantem. Ita honor sequitur fugientes, sicut umbra sequitur corpus: sic & secedant prædicatores & vacent orationi, ita plus eos colet & requiret mundus.

Et exiens (ex secreto deserti Bethsaidæ, in quod secesserat) vidit turbam multam, et misertus est eis (*quia erant, sicut oves non habentes pastorem*, ait Marcus cap. 6. v. 34. Scribæ enim non erant pastores: sed mercenarii quærentes sua lucra, non ovium salutem) et curavit languidos (Græce ἀῤῥώστους, id est infirmos, ægrotos) eorum] Inter eos, qui scilicet se Christo offerebant, vel ab aliis offerebantur postulantes sanitatem. Disce hic a Christo, aliorum curam & commoda præferre tuæ quieti & orationi. Vers. 14 *Luc.* 9. 11. *Marc.* 6. 34. F

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora (prandii, tempus cibi sumendi) jam præteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella (Græce εἰς τὰς κώμας, id est in vicos, in villas) emant sibi escas] Ut suæ fami succurrant: mane enim jejuni domo egressi, ut a te docerentur & curarentur, usque ad vesperam jejuni permanserunt. Vers. 15 *Luc.* 9. 12 *Mar.* 6. v. 35. 36.

Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire (Græce ἀπελθεῖν, id est, abire in villas ut emant escas) date illis vos manducare] Sternit Christus viam ad miraculum multiplicationis panum, ideoque turbas detinuit usque in vesperam, ut discipuli dimissionem illarum peterent, quibus ipse jubet dare illis cibum, ut eo testatius sit miraculum, eoque Christi beneficium gratius accidat, quo magis vident se esse in arctis ciboque omni ad tantam turbam in deserto alendam destitui. Addit S. Joan. c. 6. quod Jesus *dixit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Vers. 16 *Luc.* 6. 9. 13. *Mar.* 6. 37. G

Denarius erat idem quod Regalis.

Philippum præ aliis rogavit Christus, quia Philippus præ cæteris docilis erat & candidus, sed non ita acutus & subtilis, ideoque multa alias manifesta rogare solitus, uti Joann. 14. 8. rogavit Christum dicens: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, & S. Cyrillus, in c. 6. Joannis. Porro denarius idem est quod Julius Romanus, vel regalis Hispanicus, qui ponderat drachmam argenti, quare ducenti denarii faciunt 50. florenos Brabanticos, sive 20. aureos Romanos. Denarius enim dictus est, quod decem asses contineret. As erat Bajochus Romanus, sive medius stuferus. Vide ea, quæ de priscis monetis & ponderibus annotavi in fine Pentateuchi. Viginti aureis multi panes emi poterant. Nam Romæ jam unus panis albus octo, & subinde decem unciarum emitur uno bajocho, qui fere uni sufficit ad unam refectionem: quare uno Julio sive denario, qui continet decem bajochos, poterant emi tales decem panes, & consequenter ducentis denariis empta fuissent duo millia panum, quæ fere sufficissent ad duo millia hominum reficienda: hic autem erant quinque hominum millia præter mulieres & parvulos; quare tria millia omni pane caruissent. Adde multos in fame & jejunio esse edaces, ut eis unus panis non sufficiat, sed duos & subinde tres requirant. Vere ergo dixit Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficere ad tantam turbam alendam. H

Respondent ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces] Pisces hi jam cocti erant & parati in cibum: statim enim ab Apostolis distributi fuerunt jubente Christo, sine alia coctione. Explicat id Joannes c. 6. 8. atque. *Dicit ei unus ex discipulis, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos?* Panes hos Apostolorum fuisse censet S. Chrysostomus: melius Euthymius putat fuisse venales. Vers. 17 *Luc.* 8. 13 *Mar.* 6. 38. *Jo.* 6. 9.

Qui ait: Afferte mihi illos huc] Ut illos benedicendo multiplicem. Paruere Apostoli & attulere illos, atque hæc prompta eorum obedientia & fiducia, æque ac charitas & studium succurrendi fami tot millium hominum, elicuit hoc a Christo miraculum. Vers. 18

Digitized by Google

A VERS. 19 ET CUM JUSSISSET TURBAM DISCUMBERE SUPER FOENUM (Arabicus, *ut ſederet ſuper herbam*) ACCEPTIS QUINQUE PANIBUS ET DUOBUS PISCIBUS ASPICIENS IN CÆLUM BENEDIXIT ET FREGIT, ET DEDIT DISCIPULIS PANES, DISCIPULI AUTEM TURBIS] Prius membrum plenius enarrat S. Marcus cap. 6. verſ. 39. dicens: *Et præcipit illis, ut accumbere facerent omnes ſecundum contubernia ſuper viride fœnum*. Contubernia hæc erant diverſi hominum cœtus, in unum collecti ad prandendum. Unde Lucas c. 9. 14. ea vocat convivia, id eſt, convivarum cœtus, in quibus honeſtatis cauſa viri cum viris, ac mulieres ſeorſim cum ſuis parvulis diſcumbebant, ut innuit hic Matthæus: olim enim non aſſidebant menſæ in ſcamno, ſed diſcumbebant, id eſt, jacebant in lectulis menſalibus, qui juxta menſam ſternebantur; unde lectiſternia dicta, quorum loco hic erat fœnum. Juſſit vero Chriſtus per contubernia eos diſcumbere, tum ut magis appareret diſcumbentium multitudo, tum ut ordinate omnia fierent, tum ut nemo præteriretur, qui non ſuam panis & piſcis partem acciperet.

Luc. 9. 14 16. Mar. 6. 39. Jo 6. 10. 11. Miraculi quinque panum & duorum piſcium.

B ASPICIENS IN CÆLUM BENEDIXIT] S. Joann. cap. 6. 11. ſic habet: *Accepit ergo Jeſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus*. Unde hæretici *benedixit* exponunt per *gratias egit*; ſed perperam; Chriſtus enim more ſuo prius gratias egit Patri, deinde panes benedixit; Marcus enim c. 6. 41. ait; *Intuens in cælum benedixit; & fregit panes*. Et Lucas c. 9. 36. *Reſpexit in cælum & benedixit illis*, ſcilicet panibus, *& fregit & diſtribuit*. Chriſtus ergo hic *benedixit*, tum Deum, illum laudando & gratias agendo, ut habet Joannes cap. 6. quæ prima debet eſſe orationis pars, ut Dei laude nobis benevolentiam conciliemus, ad impetrandum id, quod deinde ſumus poſtulaturi; tum ipſos panes *benedixit*, hoc eſt divinam gratiam eis imprecatus eſt, per quam multiplicarentur, & vim roburque conciperent ad tantam turbam copioſe valideque alendam, roborandam & exhilarandam, perinde ac ſi opiparo carnium & vinorum epulo paſti fuiſſent. Chriſtus ergo hac benedictione virtutem aliquam, non phyſicam, ſed moralem panibus indidit, ſcilicet deputationem ſuam & ordinationem ad miraculoſam multiplicationem, per quam manum, id eſt, virtutem ſuam divinam quaſi panibus apoſuit, ut illico reipſa multiplicarentur, nimirum aerem vicinum, vel aliam materiam ſenſim inter diſtribuendum, ſed inſenſibiliter, & continue in panes convertendo: Deus enim nihil de novo creat ex nihilo, ſed ex materia initio mundi creata omnia producit & transformat. Simili modo multiplicavit farinam & oleum viduæ Sareptanæ ob merita Eliæ 4. Reg. 17. 14. & alterius ob merita Eliſei 4. Reg. 4. 5. Panes hos optimos & ſapidiſſimos fuiſſe, magnaque vi nutriendi, roborandi & exhilarandi præditos liquet ex eo, quod erant panes divini a Chriſto per miraculum producti: Dei enim perfecta ſunt opera. Sic vinum ex aqua in Cana Galilææ converſum, fuit optimum, ut patet Joann. c. 2. 10. Sic Deus dum ſingulis rerum ſpeciebus a ſe initio mundi creatis benedixit, hoc ipſo vim generandi, ac ſe propagandi multiplicandique eis indidit, dicens: *Creſcite & multiplicamini*, Gen. 1. Sic Chriſtus in ultima cœna inſtituens Euchariſtiam, benedicens panem, eum in corpus ſuum tranſmutavit. Matth. 26. 26. Atque hujus in Euchariſtia tranſmutationis typus, & præambula quaſi diſpoſitio fuit hæc panum per Chriſti benedictionem multiplicatio; nam paulo poſt eam Chriſtus de Euchariſtia ſermonem prolixum inſtituit, quem narrat Joannes cap. 6. ac Euchariſtiam cum manna contulit & prætulit, dicens: *Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Joann. c. 6. v. 59. Cauſam dat S. Auguſt. tract. 24. in Joannem: *Unde*, inquit, *multiplicat* (Deus) *de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicavit panes: Poteſtas enim erat in manibus Chriſti. Panes enim illi quinque quaſi ſemina erant, non quidem terræ mandata, ſed ab eo qui terram fecit multiplicata*. Unde S. Chryſoſtomus: *Multiplicabantur*, inquit, *in diſcipulorum manibus quinque illi panes, ac fontis in morem ſcaturiebant*, dum ut ait S. Hilarius, *Fragmentis fragmenta ſuccedunt, & fallunt ſemper perfracta frangentes. Frangente enim Domino, ſeminarium fit ciborum*, ait S. Hieronymus: *Vidiſſes*, inquit S. Ambroſius, *incomprehenſibili quodam rigatu inter dividentium manus, quas non fregerant fructificare particulas, & intacta frangentium digitis ſponte ſua fragmenta ſubrepere: quemadmodum videmus liquidis fontibus concinnos fluere ſucceſſus, & quidquid de illis auferas, uſurario quodam reparari meatu*.

Panes Chriſti ſapidiſſimi.

C An Deus ad hæc panum multiplicationem aliquid crearit?

D

Tropologice, Chriſtus hic ſuo facto docet panes & opera tam corporales quam ſpirituales, in eleemoſynam egentibus datos non minui, ſed multiplicari, imo centuplicari & millecuplari. Sic S. Joannes ob liberalitatem cognominatus Eleemoſynarius, Patriarcha Alexandrinus, dicebat ſe quotidiana experientia diſcere, quod quo plus daret pauperibus, eo plus a Deo reciperet: unde ajebat: *Videbis Domine, quis citius deficiat, an tu mihi dando, an ego egenis diſtribuendo*. Ita Leontius in ejus vita: ſimili modo Sanctulus Presbyter multiplicavit panem operariis, uti narrat S. Greg. 3. Dialog. c. 37. Hadrianus II. Pontifex, qui Nicolao primo ſucceſſit anno Domini 914. ac octavam Synodum Generalem Conſtantinopoli indixit, in eaque Photium invaſorem ſedis ejecit, ac S. Ignatium legitimum Patriarcham reſtituit. Hic, inquam, Hadrianus, ait Platina, Sergio Pontifici familiaris fuit, a quo cum aliquando denarios quadraginta dono accepiſſet, domum rediens, diſpenſatori mandavit, ut eos peregrinis & pauperibus, qui in veſtibulo domus ſuæ ſtabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cum videret ne minimæ quidem parti tantula re ſatisfieri poſſe, ad Hadrianum rediens rem ipſam exponit. Tum Hadrianus accepta pecunia ad pauperes veniens, & ternos denarios ſingulis præſtitit, & totidem ſibi rei familiari ſatisfacturus reſervavit, admirante diſpenſatore miraculum rei. Cui Hadrianus: Vides, inquit, quam benignus & largus ſit Dominus, his præſertim, qui liberales & munifici in pauperes ſunt? Hac, & aliis virtutibus tanto in pretio apud omnes fuit, ut cum de Pontifice creando ſermo haberetur, certatim omnes unicum Hadrianum deligerent.

Panes dati pauperibus non minuuntur, ſed augentur. Exempla S. Joannis Eleemoſynarii. Sanctuli Presbyteri. Adriani II. Pontificis.

S. Lydvvina Hollanda, ſingularæ patientiæ & charitatis ſpeculum, cum eſſet pauper, ſtudioſe tamen egenis ſuccurrebat: quocirca paucos habens in burſa nummos, dum eos liberaliter erogaret, aſſidue alii cælitus ſurrogabantur, ita ut numquam deficerent, ſed creſcerent jugiter, ideoque hæc ejus burſa Jeſu cognominata eſt. Lege ejus vitam apud Surium in Aprili. Vide 2. Corinth. c. 9. v. 6. & ſeq. *Qui parce ſeminat*, inquit, *parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus* (id eſt benedictiones, id eſt, beneficentias multas) *de benedictionibus* (beneficentias multas) *metet*. Eſt Hebraica ſyntaxis. Hebræi enim verba contactus, quale eſt ſeminare, conſtruunt cum ablativo prævia præpoſitione: unde dicunt tangere in manu, id eſt, tangere manum. Quare dum pauperi das panem vel Julium, non eum perdis, ſed ſeminas; quia ſicut ex uno ſeminis grano multa ſuccreſcunt, ſic ex uno pane vel Julio multi.

S. Lydvvina. G

VERS. 20 ET MANDUCAVERUNT OMNES] Quinque millia virorum cum mulieribus & parvulis, quorum ingens erat numerus; mulieres enim devotæ magis ſunt æque ac magis curioſæ, ut videant novum Propheram, qualis erat Chriſtus, quam viri.

Luc. 9. 17. Marc. 6. v. 42. 43. Jo 6. 12. 13.

Cur nulla hic vini mentio. H

ET SATURATI SUNT] Dices, nulla hic vini fit mentio: quomodo ergo ſaturati ſunt, qui nil biberant: ſine potu enim ſtribundum & caninum eſt prandium. Reſpondeo, Chriſtum non dediſſe eis vinum, quia vicini erant aquarum fontes, ad quos pro potu accedere poterant. Potus enim aquæ eſt naturalis & ſanus, ac naturæ ſufficit. Ulterius vero gulam irritare vino Chriſtus nolebat. Dat enim cibum Deus ad neceſſitatem & ſatietatem, non ad voluptatem & laſciviam. Sic Angelus Eliæ detulit panem & vas aquæ, non vini, in deſerto. 3. Reg. 19. 6. Sic corvus juſſu Dei quotidie deferebat dimidium panem ad S. Paulum primum Eremitam, ſitim vere ex vicina aquæ fonte eum levare volebat, teſte S. Hieronymo in ejus vita. Idem fecit Deus aliis ſanctis. Imo ab Adamo uſque ad diluvium per 1600. annos uſque ad Noe, qui primus vitem plantavit, homines religioſiores non comederunt carnes, nec biberunt vinum, ſed fructus edebant, & bibebant aquam, & tamen vivebant per 900. annos. Abſtinentia ergo mater eſt ſanitatis, æque ac ſapientiæ & ſanctitatis. Vide dicta Geneſ.

Potus aquæ naturalis & ſanus.

Ante diluvium nullus vini, nec carnis uſus.

ET TULERUNT RELIQUIAS DUODECIM COPHINOS FRAGMENTORUM PLENOS] Ergo retulerunt plus panis, quam initio ad Chriſtum attulerant, nimirum quinque: duodecim enim cophini ſive corbes, non quinque, ſed triginta & plures panes continebant. Verisimile eſt Chriſtum primo quinque panes manibus ſuis fregiſſe, & frangendo multiplicaſſe, ac eos in hos cophinos diſtribuiſſe, qui

De his panibus plus ſuper fuit, quam initio allatum fuerat.

Digitized by Google

A qui deinde ejus jussu dum ab Apostolis per contubernia in turbas distribuerentur, sensim magis & magis multiplicabantur: quare tot cophinos fragmentorum ad Christum retulerunt, quot cophinos panum primo ab eo acceperunt. Ita Maldonatus, Cedrenus in Compend. Histor. narrat duodecim hos cophinos religiose repositos fuisse in templo duodecim Apostolorum, quod Constantinopoli exædificavit Constantinus Magnus.

Porro Judæis ab olim familiares fuere cophini: Unde Juvenalis:

Judæis, inquit, *quorum cophinus fœnumque supellex*.

Unde liquet cophinum tantæ capacitatis esse, ut capiat tantum, quantum manus vel brachium viri, v. g. Judæi portare potest.

VERS. 21 MANDUCANTIUM AUTEM FUIT NUMERUS QUINQUE (Græce ὡσεὶ πεντε, id est, *quasi quinque*) MILLIA VIRORUM, EXCEPTIS MULIERIBUS ET PARVULIS] Putant nonnulli mulieres & parvulos exæquasse numerum virorum; sed hoc difficile est creditu, quia desertum hoc Christi longe aberat ab urbibus & villis frequentioribus, iter autem tam longium facere, multis minoribus fuisset difficile. Hanc quinque millium virorum, per quinque panes a Christo benedictos & multiplicatos refectionem, ad verbum prædixit Sibylla, cujus versus recitat Lactantius Lib. 4. c. 15.

Luc. 9. 14. Mar. 6. 44. Joh. 6. 10.

B

VERS. 22 ET STATIM COMPULIT JESUS DISCIPULOS ASCENDERE IN NAVICULAM, ET PRÆCEDERE EUM TRANS FRETUM (trans mare Galilææ, iterum enim iterumque illud trajiciebat Christus ad fugiendum turbas) DONEC DIMITTERET TURBAS] Id fecit Christus primo, quia volebat secedere, ut solus quietius & instantius oraret, ut patet ex vers. seq. Secundo, ut hac ratione facilius effugeret turbam, quam sciebat ipsum velle facere regem, ob multiplicationem & distributionem panum ab eo factam, uti docet Joann. 6. 15. Tertio, ut sequentis miraculi in sedanda maris tempestate daret occasionem.

Mar. 6. 45. Joh. 6. 16.

VERS. 23 ET DIMISSA TURBA (ei valedicens & bene precatus, jubensque ad sua redire) ASCENDIT IN MONTEM SOLUS ORARE: VESPERE AUTEM FACTO SOLUS ERAT IBI] Repetit hoc Matthæus, ut sternat viam ad sequens miraculum, quod scilicet Christus ex monte venerit & ambularit super mare, ut discipulis in navi vento jactatis succurreret. Solus orat Christus, ut moneat fideles in oratione fugere turbas & strepitus, ac in secreto & silentio mente collecta Deum precari. Secundo, ut doceat prædicatores subinde secedere, ut animum colligant, ac cum Deo agant, petantque, ut ea, quæ prædicarunt, Deus confirmet, ac verbi sui semina, quæ ipsi in mentibus auditorum sparserunt, irriget, foveat, promoveat & perficiat; utque novum eis spiritum indat, quo instructi novo & majori fervore redeant ad prædicandum,

Mar. 6. 46. Joh. 6. 15.

C

VERS. 24 NAVICULA AUTEM IN MEDIO MARI JACTABATUR (Græce βασανιζομενον, id est vexabatur) FLUCTIBUS: ERAT ENIM CONTRARIUS VENTUS] Syrus: *Jam recesserat a terra stadiis multis cum agitaretur plurimum*. Arabicus: *Agitabant eam fluctus*. Sicut contra fluctus constanter ibat navis, & validius remigabant nautæ: Sic contra tentationes fortius eundum est, juxta illud:

Mar. 6. 47. Joh. 6. 8.

Tu ne cede malis, sed contra audientior ito.

D

Ambulabant, ait S. Aug. tr. 25. in Joannem, *promovebant Apostoli, nec venti illi & tempestates & fluctus & tenebræ id agebant, ut vel navis non promoveretur, vel soluta mergeretur, sed inter omnia illa mala ibat.*

Porro tempestas cuique est non tantum adversitas, sed nimia prosperitas. Audi S. Aug. ser. 13. de Verbis Domini secundum Matth. *Unicuique sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum, ambulas super mare, sub pedibus ejus est timor sæculi. Amas sæculum, absorbebit te; Amatores suos vorare novit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi divinitatem.* Et inferius: *Magna virtutis est, cum felicitate luctari; magnæ felicitatis est, a felicitate non vinci.*

VERS. 25 QUARTA AUTEM VIGILIA (Græce φυλακῇ, id est, *custodia*) NOCTIS VENIT AD EOS AMBULANS SUPER MARE] Romani noctu singulis ternis horis mutabant excubias, id est, vigiles & custodes urbis vel exercitus, tum ne illi ex nimis longa vigilia in somnum inciderent, tum ne fraudi alicui & proditioni esset locus; & hæ vocabantur vigiliæ vel custodiæ. Quare noctem, si brevis erat, in ternas, si longa, in quaternas vigilias sive custodias dividebant. Quarta ergo vigilia incipiebat decima noctis hora,

Mar. 6. 48. Vigiliæ noctis quæ?

& durabat usque ad duodecimam. Porro hæc contigerant paulo post multiplicationem panum & pastum turbæ, quæ facta est circa pascha, ut patet Joann. 6. 4. Unde colligas, hanc tempestatem, & hanc ejus sedationem factam a Christo, contigisse circa æquinoctium paschale, sive vernum, quando nox æqualis diei est duodecim horarum. Duravit ergo hæc maris tempestas per novem horas, scilicet per tres vigilias noctis usque ad quartam, qua Christus venit ad discipulos mari jactatos: *Quarta vigilia noctis ad eos veniisse Dominum, ostendit tota nocte periclitatos*, ait S. Chrysostomus, illi ergo continue navigantes tres vigilias, id est, per novem horas vix confecerunt 25. vel 30. stadia (ut ait Joannes cap. 6. v. 19.) id est milliaria Italica circiter tria: nam octo stadia faciunt unum milliare; stadium enim continet 125. passus, milliare vero mille passus. Igitur Apostoli novem horis navigantes vix dimidium maris Galilææ trajecerant: Ejus enim latitudo est sex milliarium, longitudo vero sedecim, teste Plinio lib. 5. cap. 15. imo Josephus libr. 3. Belli capit. 18. ait illud latum esse quadraginta stadiis, id est, quinque milliaribus, longum vero centum stadiis, id est, milliaribus duodecim cum dimidio. Hoc verum est, si cum Adrichomio, Jansenio & aliis dicas, Apostolos totam maris latitudinem transisse. Nam alii verius censent, eos illud in longum sulcasse: desertum enim hoc situm erat inter Bethsaidam & Tiberiadem, ex quo versus Bethsaidam & Capharnaum in longum maris hujus navigarunt, uti ostendi v. 13. hujus capitis. Permisit Christus discipulos tot horis tempestate jactari: Primo, ut assuescerent pati adversa & dura. Secundo, ut opem Dei ardentius flagitarent. Tertio, ut suavior & gratior eis accideret procellæ tam difficilis & longæ sedatio, mox facienda a Christo, ita S. Chrysostomus, Theophylactus, & alii.

E

Audi Lactantium l. 4. de Vera sapientia c. 15. *At illi* (discipuli Christi) *urgente jam vespere profecti contrario vento laborare cœperunt, cumque jam medium fretum tenerent; tum pedibus mare ingressus consecutus est eos, tanquam in solido gradiens: non ut poetæ Orionem mentiuntur in pelago incedentem, qui demersa corporis parte humero sustinet undas.* Profert deinde Sibyllæ carmina, quibus illa prædixit Christum ventos & mare furens pacaturum, morbos curaturum, & mortuos suscitaturum. Audi S. Hieronymum: *Stationes & vigiliæ militares in terna horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis, atque in consummatione mundi ei auxilium prebiturum.* Audi S. Augustin. ser. 14. de Verbis Domini secundum Matthæum. *Quarta vigilia noctis, extrema pars noctis. Vigilia una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per singulas vigilias distributis. Quarta ergo vigilia noctis, hoc est, pene jam nocte finita: sic veniet in fine sæculi, iniquitatis nocte transacta, ad judicandos vivos & mortuos.*

F

AMBULANS SUPER MARE] Per virtutem divinam, quam habebat ut Deus, & per dotem agilitatis, quam ad tempus assumpsit ut homo, inquit Joannes Major hic: sicut idem Christus in tempore nativitatis assumpsit dotem subtilitatis, penetrando clausum virginis matris uterum: ac dotem claritatis in tempore transfigurationis, denique dotem impossibilitatis in jejunio 40. dierum, qua factum est, ut nullam famem pateretur aut sentiret.

Christus assumpsit dotes corporis glorioſi ad tempus.

G

ET VIDENTES EUM SUPER MARE AMBULANTEM TURBATI SUNT DICENTES: QUIA PHANTASMA EST] Syrus; *quia visio mendax*, id est spectrum est: tum quia talia noctu & in tenebris obambulare, apparere & homines territare vexareque solent, uti multis exemplis docet Delrio in Magicis: tum quia præ tenebris non agnoscebant ambulantem hunc esse Jesum, præsertim, quia, ut ait Marcus c. 6. 48. *volebat præterire eos;* quasi eos non curans, nec ad eos pertinens, sed alio pergens, ut in eis metum & clamorem excitaret, quo excitus se eis cognoscendum daret. Unde sequitur.

H

VERS. 26 Mar. 6. 49. Joh. 6. 19.

ET PRÆ TIMORE CLAMAVERUNT] Confusus fuit hic clamor elicitus a pavore, qualis esse solet navigantium, cum in naufragii periculum incidunt, ut de vita, quasi desperent. Duplex erat hic discipulorum timor. Ad metum enim fluctuum maris minantium naviculam obruere, accedebat metus phantasmatis, ne illud navim iisdem plane submergeret.

Permisit hoc Christus, ut discipuli discerent metus & tentationes sustinere, etiam dum illę augentur & duplicantur,

Digitized by Google

A tur, utque eo ſuavior eis accederet liberatio & conſolatio mox ab eo afferenda, quo major præceſſerat deſolatio & quaſi ſalutis deſperatio. In arctis enim cum res eſt in acie novaculæ, Deus illico ex alto ſuccurrit, Unde ſequitur.

VERS. 27 STATIMQUE JESUS LOCUTUS EST EIS DICENS: HABETE FIDUCIAM (Græce θαρσεῖτε, id eſt, animum lapſum reſumite, reſpirate, confidite, animoſi & fidentes eſtote: Syrus, *bono eſtote animo*. Arabicus, *eſtote fortes* (EGO SUM magiſter veſter, quem noſtis, cujuſque beneficentiam & omnipotentiam in tot miraculis a me patratis experti eſtis: qui proinde non vos illudo ut phantaſma, ſed tempeſtate & metu liberare deſtino) NOLITE TIMERE] Græce *Ne timeatis*, vel a ſpectro, vel a fluctibus. Hac voce Chriſti tum externa auribus inſonante, tum potius interna animis diſcipulorum ingeſta, Chriſtus eis ademit pavorem, ac ſerenitatem, ſecuritatem & lætitiam indidit, ut plane confiderent ſe a Chriſto omni periculo liberandos.

Mar. 6. 50. Jo. 6. 20.

Judicium an ſpiritus bonus ſit, an malus?

Ex hoc loco diſce hoc eſſe diſcrimen boni & mali Spiritus, quod bonus initio terreat, mox conſoletur, ſerenet & lætificet, uti facit hic Chriſtus; malus vero initio gaudium ſenſuale ingerat, ſed mox mœrorem, angorem & deſperationem immittat.

R

VERS. 28 RESPONDENS AUTEM PETRUS DIXIT: DOMINE SI TU ES (Jeſus, magiſter & Dominus noſter) JUBE ME AD TE VENIRE SUPER AQUAS] Calvinus Petrum temeritatis & ſtultitiæ accuſat: Dubitabat enim Petrus, inquit, an qui apparebat eſſet Chriſtus; an vero ſpectrum dæmonis. Potuiſſet enim dæmon, ſimulans ſe eſſe Chriſtum, jubere Petro, ut veniret ad ſe, itaque eum mergere in mari, uti plura ſpectra feciſſe narrat Delrio in Magicis. Reſpondent Patres & interpretes in hunc locum dupliciter. Primo, Petrum ex voce, geſtu, habitu, & multo magis ex interiore Chriſti inſtinctu agnoviſſe hoc non eſſe phantaſma, ſed ipſummet Chriſtum, ut dixi v. 27. quod ergo ait, *ſi tu es*, non eſt vox dubitantis, ſed lætitia geſtientis, ulteriuſque optantis ad Chriſtum cito venire, ut illi, quem ſumme amabat, per mare miraculoſe accedenti quam proxime jungatur. Ita S. Hilarius: *In Petro*, ait, *conſidera fide cæteros anteiſſe*. Et S. Chryſoſtomus: *Vides*, inquit, *quod vehementer Petrus arderet? vides quanta fides ipſius etiam nunc eſſet? Nemo ita ut ipſe Jeſum amabat. Non ſolum charitatem, ſed fidem etiam oſtendit. Quia enim credebat non tantummodo Chriſtum ſuper mare ambulare, verum etiam id aliis poſſe concedere, auſus eſt hoc petere, ut cum eo citius eſſe poſſet.* Et S. Hieronymus: *Eodem*, ait, *fides ardore, quo ſemper, nunc quoque cæteris tacentibus credit ſe poſſe facere per voluntatem magiſtri, quod ille poterat per naturam. Jube me venire ad te ſuper aquas. Tu præcipe, & illico ſolidabuntur undæ: lave fiet corpus, quod per ſe grave eſt.* Vide Abulenſem hic quæſtione 166. ubi aſſerit Petrum certo ſciviſſe, eum qui ambulabat ſuper mare, eſſe Chriſtum; ideoque eo vocante & jubente audacter mare ingreſſum, ac cum mergeretur eum fidenter invocaſſe, dicendo: *Domine ſalvum me fac*.

C

Petrus defenditur contra Calvinum.

Secundo, ſi omnino velis τὸ *ſi tu es* eſſe dubitantis, dicendum per πὶ *jube me venire ad te ſuper aquas*, Petrum poſtulaſſe id ſibi juberi non ſimpliciter, ſed cum efficacia, ita ſcilicet: ut Chriſtus non tantum exterius, ſed & interius ſibi juberet, ac hac ſua juſſione inderet animo ſuo tantam audaciam, fiduciam & ſecuritatem, ut non dubitaret, quin Chriſto jubente ſecurus ambularet ſuper aquas: unde mox eo jubente, juxta navim tentans aquam pedibus, illico ſenſit eam non cedere, ſed ſe ſuper illam ambulare, quare fidens & ſecurus ſuper aquas perrexit ad Chriſtum. Ita Janſenius. Solus enim Deus poteſt menti illabi, illique ſuæ præſentiæ certa ſigna dare, licet nobis incognita, nec niſi experienti cognita, quibus animam certam facit ſe illi interius loqui, non Angelum, vel dæmonem; qualia habuerunt Prophetæ, cum a Deo audirent futura; alioqui enim tam Deum, quam ſeipſos ludibrio expoſuiſſent, cum enuntiabant aliquid futurum quaſi ſibi revelatum a Deo, niſi de eo certi fuiſſent; illud ſcilicet ſibi vere a Deo, non autem a diabolo ſpeciem Dei aſſumente eſſe revelatum. Ita hic factum Petro: petit enim ipſe a Chriſto ſigna ſecuritatis interna æque ac externa, quæ omne dubium ab anima excludant, illaque ei præſtitit Chriſtus, dicens: *Veni*. Ex illis ergo certus erat Petrus hanc eſſe vocem Chriſti, non alicujus phantaſmatis vel dæmonis. Id magis patebit ex v. 30.

D

SI TU ES, JUBE ME AD TE VENIRE SUPER AQUAS] Feſtive S. Auguſt. ſerm. 14. de Verbis Domini ſecundum Matth. Petrum ita loquentem inducit: *Si tu es, non mirer quod ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis. Quid enim mirum, ſi conditori ſuo creatura famulatur? Hoc ego non mirer, fac quod mirer, ambulet Petrus. Fac quod mirer; Jube me venire ad te ſuper aquas*, &c. Et inferius: *Tu Deus es, ego homo ſum. Voluiſti de meo habere infirmitatem in carne quam portas; habeam & ego de tuo poteſtatem, ut unda me portet. Domine ſi tu es, jube me venire ad te ſuper aquas. Quomodo enim mihi in mari non erit via, ſi tu juſſeris, qui propter nos factus es via?*

E

AT IPSE AIT: VENI] Hac voce Chriſtus certitudinem & ſecuritatem indidit menti Petri, uti jam dixi. Unde ſequitur. VERS. 29

ET DESCENDENS PETRUS DE NAVICULA AMBULABAT SUPER AQUAM, UT VENIRET AD JESUM] Factum eſt hoc, modo uno e tribus, ſcilicet quod Chriſtus vi divina detineret Petrum, ne mergeretur, ſicut Angelus capillis detinuit Habacuc, rapuitque in Babylonem, Daniel. 14. 35. aut non concurrerit cum gravitate corporis Petri, ut eum gravitaret & ſub aquis deprimeret: aut quod non concurrerit cum aqua ut loco cederet, ſed ut ſolida firmaque ſub pedibus Petri inſtar glaciei, vel cryſtalli conſiſteret. Ita Joannes Major hic. Ambulat Petrus ſuper aquas

F

VIDENS VERO VENTUM VALIDUM, TIMUIT, ET CUM COEPISSET MERGI, CLAMAVIT DICENS: DOMINE SALVUM ME FAC] Arabicus: *Vidit autem validitatem venti & timuit, & prope erat ut mergeretur & exclamavit*. Validitas ergo venti injecit Petro metum, metus diffidentiam, diffidentia periculum. Quem enim fides vehebat ſuper aquas, diffidentia merſit. Cauſa fuit modica fides in Petro; uti ei objicit Chriſtus: timebat enim ne tanto vento & fluctibus, Chriſto permittente, mergeretur: necdum enim receperat fidei & charitatis robur a Spiritu S. quod poſtea recepit in Pentecoſte. Hinc & in paſſione Chriſti valido pulſatus tentationis Judæorum vento, cecidit, negavitque Chriſtum, cujus hæc tentatio fuit typus, & quaſi præambula ſignificatio. Ita Theophyl. VERS. 30

Permiſit hoc Chriſtus, ut Petrus ſuam ſuæque fidei infirmitatem agnoſceret, ſeque humiliaret, ejuſque argumentum a Chriſto poſceret, fieretque petra fidei juxta illud: *Tues Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Matth. 16. Et; *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Luc. 22. 32. Ita S. Hieronymus, Theophylactus & alii. Petrus, ait S. Chryſoſt. hom. 15. *Quod majus erat, ſuper maria ſcilicet de navigio deſcendere, magno animo fecit. Ut autem ventorum & impetu fluctuum, quod erat minus, ſuperatus, timuit. Naturæ quippe humanæ hæc conditio eſt, ut difficilioribus nonnumquam ſuperatis ſuccumbat in minoribus*. Denique S. Auguſtinus ſerm. 14. de Verbis Domini; *In Petro*, ait, *ambulante ſuper aquas figuramur in fide firmi, in dubitante infirmi*.

G

DOMINE SALVUM ME FAC] Hinc liquet id quod dixi v. 28. Petrum non dubitaſſe, quin is, qui apparebat, eſſet Chriſtus; alioquin enim eum in tanto periculo non invocaſſet, ſed Deum, qui eſt in cælis, ut ſolent facere naufragi, ſed dubitaſſe tantum, an Chriſtus permitteret ventum ſuæ naturæ ſuiſque viribus, ut ſe in fluctibus ambulantem iiſdem obrueret: cum tamen & Chriſtus fidem dediſſet dicendo, *veni*, qua voce eum aſſecurabat quod non mergeretur: ſed validitas venti quatiens latera Petri, hanc ei fidem excuſſit & diſſlavit. Pulchre S. Aug. ſer. 14. jam citato. *Titubatio iſta, fratres, quaſi mors fidei fuit. Sed ubi exclamavit, fides iterum reſurrexit. Non ambularet niſi crederet, ſed nec mergeretur niſi dubitaret. In Petro itaque communis omnium noſtrum conſideranda conditio eſt, ut ſi nos in aliquo tentationum ventus conatur ſubvertere, vel unda ſubmergere, clamemus ad Chriſtum*.

H

ET CONTINUO JESUS EXTENDENS MANUM APPREHENDIT EUM, ET AIT ILLI: MODICÆ FIDEI (Syrus: *o exigua fide prædite*) QUARE DUBITASTI] Græce, εἰς τί ἐδίστασας, id eſt, *in quid animum in duo diviſiſti*? duplicia conſideraſti, ambiguus inter duo hæſiſti & hæſitaſti, duo enim Petro hic objiciebantur, ſcilicet validitas venti incutiens illi timorem ſubmerſionis, & Chriſti vox ingerens illi fiduciam & ſecuritatem a ſubmerſione: ſed validitas venti magis ſenſibilis, ideoque magis vehemens fuit voce Chriſti; rapuit enim Petri animum ad ſe, ut illi uni intentus, nec de promiſſione Chriſti cogitans, timeret meruereturque mergi, cum potius debuiſſet totus auſcultare, & intendere voci Chriſti eum aſſecuranti, itaque reſiſtere tentationi & pavori, quem validitas VERS. 31

venti

Digitized by Google

A venti incutiebat; propriè ergo in Petro hic erat defectus fiduciæ, sed hic ex defectu fidei increbatur. Idem contingit cuilibet tentato in quavis tentatione.

Tentationis omnis origo & remedium

Fere enim omnis tentatio oritur ex diffidentia Dei, quod homo fidens sibi, vel humanis auxiliis, Deo diffidat, nec ad eum statim per orationem recurrat. Hinc ergo discat tentatus, ut animum a re, quam tentatio ingerit, avertat, eumque totum convertat ad Deum, in eoque defigat, & ejus opem supplex imploret. Pulchre vereque S. Chrys. *Sicut si pullus*, inquit, *cum antequam volare queat, nido exiens in terram decidat, mater velociter raptum in nidum restituit: sic tunc Christus cum Petro peregit*. Tentatus ergo Christum invocet, sic tentationi resistet, eamque superabit. Hinc fides Græce dicitur πίστις, quia ipsa est στῆσις πρὸς τόπον, id est, circa id, quod est statio & quies; quoniam ipsa mentem nostram in dubiis sistit, quæ prius jactabatur & fluctuabat. Ita Clemens Alex. lib. 5. Stromat. *Fides enim est substantia rerum sperandarum*. Hebr. 11. 1. vide ibi dicta. Quin & fides Latine sic appellata est, *quod fiat id, quod dictum est*, ait Cicero 1. Offic. Si enim credidisset dicto Christi Petrus, non dubitasset, nec cœpisset mergi.

Vers. 32 B Matt. 6. v. 51.

Et cum ascendissent (Christus & Petrus ambulantes super mare) in naviculam, cessavit ventus] Joannes cap. 6. vers. 21. ait: *Voluerunt* (discipuli navigantes) *accipere eum in navim*. Unde S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus opinantur Christum id noluisse, sed una cum Petro, ut ejus fidem confirmaret, magno spatio super aquas ambulasse: cum vero prope terram essent, in navim ascendisse. Verius Jansenius & alii: *voluerunt*, inquiunt: quia ex voce Christum agnoscentes, & certi non esse phantasma (hoc enim in navim recipere noluissent) *voluerunt*, id est, invitarunt Christum in navim; ac Christus voluntati & invitationi eorum obsecundans, cum Petro ingressus est navim. Sicut ergo *voluerunt*, sic reipsa acceperunt Christum *in navim*, putantes se eo præsente feliciter, sed more soliti pedetentim navigaturos. Verum Christus in navi præsens effecit id, quod subdit immediate Joannes: *Et statim* (Christo in navim recepto) *navis fuit ad terram*, in quam ibant, puta Bethsaidam, ut ait Marcus c. 6. 45. quæ erat patria Petri. Novum fuit hoc Christi miraculum, quod ex medio mari Galilææ, iter trium milliarium subito, & quasi in momento confecerint, applicuerintque ad littus Bethsaidæ. Quatuor ergo hic fuere Christi miracula. Primum, quod ipse ambularit super aquas. Secundum, quod Petrum pavidum & incipientem mergi erexerit, feceritque secum ambulare. Tertium, quod ingressus navim illico ventum & tempestatem sedarit. Quartum, quod subito navim ex medio mari ad littus transtulerit. Sicmystice Christus sua gratia facit nos calcare altitudinem sæculi, sedat tentationes, dat portum felicitatis æternæ.

C Quatuor Christi miracula.

Tropologice Theophylactus: Si Christum in naviculam nostram, id est, in corde susceperimus, inquit, statim inveniemur in terra, ad quam ire volumus, id est, in cælo.

Vers. 33 D

Qui autem in navicula erant (discipuli cum nautis obstupefacti tot Christi miraculis) venerunt, et adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es] Arabicus: *Tu es in veritate Filius Dei*. Opinantur Cajetanus, & Jansenius turbam nautarum rudem non agnovisse mysterium Trinitatis, ac proinde ipsos Jesum vocare Filium Dei, non per naturam, sed per virtutis & dignitatis excellentiam, q. d. Credimus te esse Messiam, quem scimus vocari Dei Filium, ob singularem ejus dignitatem & charitatem, qua præ aliis eximie Deum amabit ut Patrem, & vicissim ab eo amabitur ut Filius. Verum ut demus nautas sic intellexisse, certe Apostoli, qui erant vectores in navi, quique cum Christo jam diu vixerant, ex tot ejus sermonibus & miraculis sciebant, ipsum esse Filium Dei naturalem & unigenitum, ait Abulensis, in eoque ac in illa fide confirmati per novum hoc sedatæ tempestatis miraculum, exclamaverunt: *Vere filius Dei es*, scilicet per naturam.

Ecclesia fluctibus promovetur.

Allegorice & Tropologice S. Aug. serm. 14. de Verbis Domini secundum Matth. *Naviculam*, ait, *Ecclesiam* (& animam fidelem) *cogitate; mare hoc sæculum: ventum & fluctus persecutiones; quia insurgunt fluctus, potest ipsa navicula turbari; sed quia Christus erat, non potest mergi, sed in his tentationibus erigatur antenna, ut suspensa arbori crucem figuret: huic antennæ, id est, cruci Christi simplex conversatio & pura confessio, quasi candentia vela re-*

ligentur, & vela nostra fluctibus abluantur, vectisque tendatur, ut sine macula & ruga inveniatur. Unde tandem concludit: *Denique postquam navis hæc ædificata est in Jerusalem, atque in medio pelagi hujus frementis emissa est, æstuantium volumina undarum & furentium flabra ventorum, dum eam huc illuc circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces quascumque invenit, advexit*. Hucusque S. Augustinus ad verbum, sed verbis nonnullis brevitatis studio omissis. E

Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar] Marcus, *in terram Genesaret*. S. Chrysostomus & Lyranus opinantur hanc esse terram, Gerasenorum, cujus incolæ Christum, ob submersos ab eo in lacu porcos, a se ablegarunt, Matth. 8. in fine, quasi illi jam fama miraculorum Christi perterebrescente resipuerint, Christumque avide exceperint, ideoque Christus id sciens ad eos, quasi ad messem jam Evangelio maturam redierit. Verum aliud est Gerasa, de quo Matth. 8. aliud Genesar, de quo hic; Gerasa enim, sive Gergesa erat trans mare Galilææ versus Arabiam: Genesaret autem erat cis mare juxta Capharnaum & Bethsaidam. Christus enim, cum in deserto Bethsaidæ quinque panibus pavisset quinque hominum millia, qui idcirco ipsum regem creare volebant, Christus, inquam, eos fugiens jussit discipulos transfretare & in citeriorem sinus, sive montis Bethsaidæ, ut dixi v. 13. ripam, ubi erat terra Genesaret; puta Bethsaidam & Capharnaum redire. Hinc Marcus ait c. 6. *Coegit discipulos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam*. Cum enim Bethsaida in regione Genesar esset; qui versus Bethsaidam navigabant, in terram Genesar navigabant. Joannes c. 6. ait discipulos etiam veniisse Capharnaum, quæ civitas in eadem erat ripa. Itaque omnia recte consentiunt. Nomen Genesareth significat vallem floridam. Prius dicebatur urbs hæc, indeque tota vicina regio, Ceneret vel Ceneroth: inde molli inflexione dicta est Genesar & Genesaret, a qua lacus, sive mare Galilææ illi adjacens, dictum est mare Ceneret, sive stagnum Genesaret. Nam Chaldæus pro *Ceneret* vertit *Genesar*. Ita Andreas Masius in Josue c. 19. v. 35. Audi Joseph. l. 3. de Bello c. 18. *Ad lacum Genesar ejusdem nominis terra protenditur natura simul & pulchritudine admirabilis. Præter aeris lenitatem fonte irrigatur uberrimo, qui Capharnaum ab indigenis appellatur. Longitudo autem regionis secundum littora cognominis lacus, 30. stadiis extenditur, & latitudo 20. Adrichomius censet, & S. Hieronymus in locis Heb. innuit, Ceneret, sive Genesareth esse urbem Tiberiadem, sed repugnat Chaldæus, Franc. Lucas & alii. Adde Tiberiadem longe abesse a Capharnao & Bethsaida. Denique Ceneret erat in tribu Nephtali, ut patet Josue 19. 35. Tiberias autem in tribu Zabulon. Denique Cenereth sita erat juxta Capharnaum, ut dixi v. 13.

Vers. 34 Matt. 6. v. 53.

An Genesar idem quod Gerasa?

F

Genesareth, id est, urbs florida.

G

Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt] Græce διεσώθησαν, id est *servati sunt*. Syrus: *sanati sunt*. Significat amplitudinem fidei infirmorum æque, ac beneficii & miraculi Christi: facile enim erat cuilibet, Christum se offerentem tangere: ejus autem tactus sanabat omnes tangentes. Pro *fimbriam* Syrus vertit *alam*, id est, ut Arabicus, *extremitatem vestimenti*. Caro enim Christi adeo est efficax & salutifera, ut & vesti, qua tegitur, suam virtutem communicet. Hinc colligit S. Chrysostomus, si illi, qui fimbriam Christi tetigerunt, sanati sunt, quanto magis qui totum Christum tangunt, imo manducant in Eucharistia? quæ enim theriaca efficacior carne & deitate Christi? Narrat sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 11. Gorgonium sororem suam tactu Eucharistiæ a gravissimo & incurabili morbo fuisse curatam.

Vers. 35 & 36. Matt. 6. v. 55. 56.

H

Denique Christus occasione miraculi multiplicationis panum, quibus aluit quinque hominum millia, subtexuit sermonem illum sublimem de pane spirituali & Eucharistico, quem fuse narrat S. Joannes c. 6.

Atque hic finiuntur acta Christi a secundo paschate usque ad tertium, id est, acta secundi anni prædicationis Christi, ut colligitur ex Joannis 6. vers. 11. ubi ait, hæc contigisse circa pascha. Erat enim hoc tertium pascha Christi jam prædicantis. Primum enim ejus pascha recensuit Joan. cap. 2. v. 13. secundum autem cap. 5. vers. 1. tertium deni-

Finiuntur hic acta secundi anni prædicationis Christi.

Digitized by Google

A que cap. 6. v. 1. jam citato, *Superest ergo manus novissimus & ultimus prædicationis Christi, scilicet acta ejusdem a tertio paschate usque ad quartum, quo passus & crucifixus est, ut patet Joan. 13. 1. Matth. 26. 1. Luc. 22. 1.* quæ enarrat Matth. a cap. 15. *usque ad finem sui Evangelii.*

CAPUT XV.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo Christus reprobat lotiones, & alias traditiones frivolas Phariſæorum, quas ipſi legi Dei anteponebant, ac contra eos ſtatuit hoc axioma. Non quod intrat in os, ſed quod procedit de *corde* & ore, hoc coinquinat hominem, *Secundo v. 22. obſecrante Chananæa ejus filiam ſanat, ob matris fidem & obſecrandi conſtantiam. Tertio, v. 10. ſanat multos mutos,*
B *cæcos & claudos, &c v. 32. ſeptem panibus cibat quatuor hominum millia.*

VERS. 1. TUnc acceſſerunt ad eum ab Jeroſolymis Scribæ, & Phariſæi, dicentes:

2. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lavant manus ſuas cum panem manducant.

3. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit:

4. Honora patrem, & matrem: & Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit:

6. Et non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.

C 7. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens:

8. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt a me.

9. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

10. Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

12. Tunc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt?

13. At ille reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.

14. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.

D 15. Reſpondens autem Petrus dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam.

16. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?

17. Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?

18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.

20. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

21. Et egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis.

22. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur.

23. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat poſt nos.

24. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.

25. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me.

26. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

27. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.

28. Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.

29. Et cum tranſiſſet inde Jeſus, venit ſecus Mare Galilææ: & aſcendens in montem, ſedebat ibi.

30. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos:

31. Ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſrael.

32. Jeſus autem, convocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

33. Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Jeſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.

35. Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram.

36. Et acciplens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo.

37. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres.

39. Et, dimiſſa turba, aſcendit in navicularn, & venit in fines Magedan.

TUNC ACCESSERUNT AD EUM AB HIEROSOLYMIS SCRIBÆ ET PHARISÆI, DICENTES] Scribæ enim Hieroſolymis, quaſi in matrices fidei & religionis reſidentes, arrogabant ſibi cenſuram novorum doctorum novæque doctrinæ, qualis erat Chriſtus. Miſerunt ergo crebro exploratores, qui indagarent, quis, & qualis doctor eſſet Chriſtus, quidve doceret, ut eum carperent, ſibique ſubjicerent. Scribæ enim vendicabant legis ſcientiam, Phariſæi ſanctitatem, rigidamque legis externæ obſervationem: utrique ergo invidebant Chriſto jam doctrina & miraculis inclareſcenti, eumque deprimere, & ſibi ſubjicere ſatagebant. Vide dicta c. 3. v. 7. VERS. 1.

QUARE DISCIPULI TUI TRANSGREDIUNTUR TRADITIONEM SENIORUM? NON ENIM LAVANT MANUS SUAS CUM PANEM (panis per ſynecdochen Hebræis omnem cibum ſignificat) MANDUCANT?] Nota Moſen in lege veteri juſſu Dei ſanxiſſe, ut Judæi abſtinerent a contactu morticini (cadaveris mortui) avium rapacium, & immundarum; item leproſi, menſtruatæ, ac multarum rerum ſimilium; ac ſi quis ea caſu tetigiſſet, cenſeretur immundus & irregularis, ita ut non liceret illi ingredi templum, niſi prius lotione lege præſcripta hanc legalem immunditiem & irregularitatem purgando expiaſſet, ut per lotiones hasce corporales adumbraret, & excitaret craſſos Judæos ad lotiones ſpirituales animæ faciendas per contritionem & pœnitentiam. Vide dicta Levit. 11. v. 31. VERS. 2. *Marc. 7. 3.* Multarum rerum contactus Judæis olim prohibitus. Crebræ Phariſæorum lotiones.

Judæi

Digitized by Google

A Judæi ergo, & præsertim Pharisæi, qui volebant cæteris haberi religiosiores, totam suam sanctitatem in externa hac lotione constituentes crebro ante cibum, imo in ipsa mensa, ubi & alibi innuit Scriptura, se lavabant, ideoque in nuptiis Canæ Galilææ positæ erant sex hydriæ ad hanc purificationem, Joan. 2. 6. (sic Heliogabalus Imperator ad singula fercula lavabat manus, teste Lampridio) ut si forte inscii, vel incogitantes aliquo fortuito contactu immunditiam hanc & irregularitatem corporalem contraxissent, eam ablueret: hac de causa crebrò quoque lavabant calices & paropsides, e quibus bibebant & comedebant, quin & lectulos mensales, ut patet Marci 7. vers. 4. solliciti nimirum & anxii, ne si immunda essent hæc vasa, cibos ipsos, & consequenter comedentes ex eis (ut patet hic v. 11.) contaminarent & pollueret: hæc autem consuetudo, ut consuetudo, non vero ut lex fuit habita (lex enim nil tale præscribit,) sed a religiosis, imo superstitiosis Pharisæis instar legis fuit inducta & more recepta. Unde

Nota secundo hanc Pharisæorum & Judæorum consuetudinem nimis scrupulosam, fuisse parvæ, aut potius nullius pietatis vel utilitatis; totos enim eos occupabat in lotione externa: quare eos avocabat ab interiore cura, & lustratione animi a peccatis, Neque Deus tam anxiam lustrationem externam ab eis exigebat, quin potius eam vetuisse videtur Deuter. 4. 2. Christus ergo legi veteri & maxime vanis & frivolis, noxiisque hisce traditionibus finem impositurus, volensque ad animi lustrationem curam omnem dirigi, noluit hæc servare, nec discipulis lotiones præscribere; licet id expresse Pharisæis non respondeat, ad vitandam eorum invidiam, accusationem, & calumniam. Frustra igitur hunc locum hæretici objiciunt Catholicis contra traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas. Hæ enim utilissimæ sunt, spirituales, & ad perfectius servandam Dei legem ab Apostolis, eorumque successoribus institutæ & traditæ, cum istæ essent Pharisaicæ, id est futiles, erroneæ, & legi Dei contrariæ, imo eas Scribæ præponebant legi Dei, ac præ illa observabant, ut patet vers. 11. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, & alii. Id plane liquet ex Thalmudicis, qui in libro, cui titulus *Gentum benedictiones*, tradunt manus primum abluendas esse & tergendas: alioquin, inquiunt, panis, qui comeditur, immundus judicatur: & mox fundenda est aqua tribus vicibus super manus: in prima fusione digiti sursum sunt lavandi: in posterioribus manu simul lavandæ: Denique, oportet ut in ablutionem manuum, sinistra quasi famula subserviat dextræ. Hæc & plura nugarum plena isti nugivenduli. Quocirca Pharisæi, teste S. Justino, contra Triphon. vocati sunt Baptistæ. Vide S. Epiphanium lib. 1. hæresi 17. ubi docet fuisse quoddam genus Scribarum & Pharisæorum, qui singulis anni diebus baptizabantur: eaque de causa appellatos esse *Hemerobaptistas*, eo quod censerent hominem non posse vivere, nisi singulis diebus in aqua mergeretur, ac ita ablueretur & sanctificaretur ab omni culpa. Similes etiamnum sunt apud Judæos inter Rabbanos. Verum hæc est anatum potius, & piscium vita, quam hominum.

Lotionum ritus.

Pharisæi Baptistæ dicti.

Hemerobaptistæ.

Vers. 3. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.] Arabicus: *Propter statuta vestra*. Pro *propter* nonnulli vertunt *per*, sed eodē redit sensus. q. d. Vestræ traditiones spernunt, violantque legem Dei: ergo erroneæ sunt, impiæ, Deo contrariæ, nec observandæ. Frustra ergo accusatis meos discipulos, quod eas non servent.

Mar. 7. 9.

Nota *traditionem vestram*; q. d. Traditiones vestræ non sunt institutæ a Deo, nec a Sanctis, prisciisque Patriarchis & Prophetis, sed nuper a crassis Scribis & Pharisæis antecessoribus vestris adinventæ, quas vos tueri vultis non illorum amore & reverentia, sed quia in illorum locum succedetis, ut similes traditiones novas sanciendi potestatem, & auctoritatem vobis arrogetis. Divinæ vero & Patriarchales traditiones sunt, ideoque omnino observandæ: libros Mosis, Isaiæ, Jeremiæ, Danielis, cæterorumque Prophetarum esse canonicos; Deum esse unum in essentia, sed trinum in personis, vera plenaque contritione ex amore Dei expianda esse peccata; parvulos contrahere peccatum originale, ideoque Sacramento a Deo instituto esse expiandos, &c. quas vos, o Scribæ, occupati vestris baptismatibus, vel ignoratis, vel parvi facitis.

Vers. 4. Honora. Mar. 7. 10.

Nam Deus dixit (Græce ἐνετείλατο, id est *mandavit*. Exodi 20. v. 12.) Honora patrem et matrem] *Honora*, id est reverere, obedi; & sustenta patrem & matrem, si indigent. Honor enim hic, & alibi in Scriptura, non tantum reverentiam, sed & opem, et emosynam, & sustentationem complectitur, ut patet ex seq. & ex Marci c. 7. v. 12. Honor ergo tria continet, & tria jubet parentibus a filiis exiberi, reverentiam, obedientiam, & beneficentiam. Vide dicta Deuter. 5. 16. & 1. Timoth. 5. v. 3.

E Honor tria continet.

Et qui maledixerit patri vel matri (Arabicus: *Qui dicit verbum malum in patrem suum, vel matrem suam*) morte moriatur] Id est, omnino moriatur, certa plenaque morte absque ulla spe veniæ plectatur. Citat Levit. 20. v. 9. Sensus est. q. d. Si is, qui verbis tantum maledicit patri vel matri, ex lege reus est mortis, quanto magis reus mortis est is, qui eisdem malefacit, surripitque jure naturæ debitam sustentationem, nec tantum ipse surripit, sed & alios ex cathedra quasi doctor surripere docet, uti facitis vos, o Scribæ, docentes *Corban*; de quo v. sequenti. S. Chrysostomus.

Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri Vers. 5. vel matri: Munus quodcumque est ex me tibi Mar. 7. 11. proderit] Subaudi benefacit, & legem Dei de honorandis parentibus implebit. Est aposiopesis: *Munus quodcumque est ex me*, id est, munus quodcumque ego Deo obtulero vel vovero; hoc tam mihi, quam *tibi* (o pater, vel o mater) in animo & corpore *proderit*. Deus enim hoc munere illectus, vicissim sua munera mihi tibique liberaliter elargietur, ac de alimentis providebit. Hâc enim multiplici religionis aut voti specie & fuco docebant Scribæ parentibus alimoniam, etiam necessariam esse denegandam, si illa, vel illius pretium Deo offerretur, idque faciebant hoc fine, ut suo quæstui & lucro studerent. Plerique enim Scribarum & Pharisæorum erant sacerdotes, qui oblationes Deo factas quasi ministri Dei recipiebant, iisque se & suos alebant. Qua in re manifeste errabant; quia vinculum & jus pietatis, quo filii obligantur alere parentes pauperes, est legis naturæ, cui proinde omne votum, omnis oblatio, omniaque vincula jure divino vel humano inducta cedere & postponi debent. Sic si quis voviſſet Deo sua bona, & pater ejus incideret in egestatem, bona ejus patri danda forent, non templo; imo filius religionem ingredi nequit in gravi necessitate parentum, adeoque ingressus illam egredi tenetur in extrema eorum inopia, ut illis succurrat, ut docet D. Thomas, Sylvester, Navarrus, Toletus, & alii doctores casuum in explicat. quarti præcepti. Quocirca S. Augustinus, teste Possidonio in ejus vita c. 14. hereditates a nonnullis suæ Ecclesiæ oblatas recusavit, quoniam justum & æquum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus ab eis deficientes, dimittere noluerant: nonnullas quoque a parentibus oblatas, sed postea per filios repetitas reddidit. Addebatque: *Legata magis offerenda esse, quam exigenda*. Hucusque Possidonius.

F

Filius religionem ingredi non potest in gravi parentum necessitate.

G

Nota; *Munus* hoc Hebr. dicitur, קרבן *Corban*, ut habet Marcus cap. 11. cujus crebra est mentio in Levit. c. 1. 2. 3. & seq. ubi agni, hirci, vituli Deo oblati in holocaustum, aut victimam pacificam, vel pro peccato vocantur *corban*, id est oblatio. Hinc gazophylacium, in quod inferebantur oblationes a populo, metonymice dicitur *corban* vel *corbana*, Matth. 27. 6. Avari ergo & impii Scribæ docebant populum, ut sua offerrent Deo & templo, ac parentibus inopia laborantibus dicerent *corban*, quod tantummodo erat dicere, quantum apud Belgas pauperibus eleemosynam petentibus est dicere: *Godt helpe v.* & apud Gallos: *Dieu vous aide*; & apud Italos: *Dio t' ajuti*, hoc est, Deus te adjuvet: nam ego te adjuvare, & eleemosynam dare nequeo vel nolo. Dicere *corban* igitur erat petitionem refutare, negare subsidium. Porro dicendo *corban*, parentibus cibum postulantibus occludebant os, injiciendo eis scrupulum conscientiæ, & metum religionis, ne Deo suum *corban*, suumque holocaustum eriperent. q. d. Res hæc est sancta, utpote vota vel dicata Deo, vide ergo ne tu, o pater, eam ad usus tuos flagitando profanes, & sacrilegium committas. Quo audito perculsi, & quasi fulmine icti obmutescebant parentes, malentes fame emori, quam esse in Deum sacrilegi. Vide quo impietas Scribarum adigebat pios parentes.

H

Dicere corban quid.

Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam] q. d. Itaque hac ratione filius licite poterit non honorare, id est, non alere patrem vel matrem egentem, si videlicet Deum illi præponat, ac honoret illo munere, quod parentibus dandum erit. Planius enim est, ut hæc verba adhuc sint Scribarum, quam Christi. Ita Maldonatus, licet Jansenius censeat esse Christi, nec improbabiliter. Unde Marcus habet: *Et ultra non dimittis eum quidquam facere patri suo aut matri.*

Vers. 6. Mar. 7. 12. 13.

Et

A ET IRRITUM FECISTIS (Græce ἠκυρώσατε, id est exinaniistis, antiquastis, abrogastis) MANDATUM DEI (*Honora patrem & matrem*) PROPTER TRADITIONEM VESTRAM] Qua docetis filios dicere parentibus indigis *corban*. Nota *vestram*

Triplices traditiones. triplices enim sunt traditiones. Primæ sunt divinæ, quas scilicet Deus præcepto suo sanxit, esto id nusquam in Scriptura conscriptum sit: talis est, baptizandos esse parvulos, hoc enim nusquam scriptum exstat, sed traditione Ecclesiæ constat. Secundæ sunt Ecclesiasticæ, quas scilicet Ecclesia, id est Pontifices & Prælati Ecclesiæ suo mandato statuerunt, uti sunt ceremoniæ Sacramentorum, & sacrificii Eucharistiæ: item jejunia, festa, similesque sanctiones: hæ enim non tam humanæ sunt, quam divinæ, quia Ecclesia regitur a Spiritu sancto. Tertiæ sunt civiles, aut certorum hominum, eæque duplices, bonæ scilicet, aut malæ, Deique legi contrariæ, quales erant hæ Scribarum, & de his tantum loquitur hic Christus, ideoque ait *vestram*, qua scilicet vos docetis filios dicere *corban* parentibus, eisque debitum ex decalogo honorem & alimoniam negare.

B VERS. 7. HYPOCRITÆ, BENE PROPHETAVIT DE VOBIS ISAIAS, DICENS:] Scribas vocat hypocritas, quia exterius præ se ferebant sanctitatem, videbanturque religiosiores cæteris, cum interius essent irreligiosi, avari, & impii, nam suæ avaritiæ prætexebant *corban*, id est, Dei oblationem, & cultum.

Matt. 7. 6. VERS. 8. POPULUS HIC LABIIS ME HONORAT, COR AUTEM EORUM LONGE EST A ME] Arabicus: *Hic populus propinquus est mihi ore suo, & honorat me labiis suis, & cor ejus est distans a me.*

Matt. 7. 7. VERS. 9. SINE CAUSA AUTEM COLUNT ME, DOCENTES DOCTRINAS, ET MANDATA HOMINUM] Arabicus: *Et colunt me frustra, & docent doctrinam mandatorum hominum*. Citat Isaiæ c. 29. v. 13. ubi illa explicui.

Matt. 7. 14. VERS. 10. ET CONVOCATIS AD SE TURBIS, DIXIT EIS: AUDITE, ET INTELLIGITE] ego vos docebo, de vera animæ munditie vel immunditie, ut dediscatis quod Scribæ vos docuere, scilicet animam fieri immundam ex manibus vel cibis immundis.

Matt. 7. 15. VERS. 11. NON QUOD INTRAT IN OS COINQUINAT (Græce κοινοῖ, id est *communicat*; communem facit, id est coinquinat: cibi enim immundi & coinquinati communes erant omnibus, etiam immundis, mundi vero proprii erant solis mundis, hi solis enim iis vesci poterant. Hinc commune idem est quod immundum, ut patet Act. 10. 15.) C NOMEN, SED QUOD PROCEDIT EX ORE, HOC COINQUINAT HOMINEM] q. d. Scribæ vos, o populi, docent,

Error Scribarum. non licere illotis manibus comedere, eo quod illotæ manus & immundæ immundum faciunt cibum: cibus autem immundus faciat animam immundam, id est, Deo ingratam, & invisam. Verum errant, quia non quod extrinsecus intrat in os, sed quod intrinsecus exit de ore, & consequenter de corde, si immundum sit, hoc coinquinat hominem, uti explicat Christus v. 19. Peccatum enim adeo debet esse voluntarium, ut, nisi sit voluntarium, non sit peccatum, ait S. Augustinus; sic & virtus, nisi sit voluntaria, non est virtus.

Unde. Error hic Scribarum oriebatur ex eo, quod Lev. 11. caro porcina, cæteraque cibi ibidem vetiti, ideoque immundi, vocantur execrabiles & abominandi, dicunturque polluere animam. Unde v. 42. sancitur: *Nolite contaminare animas*

D *vestras* esu immundorum. Et vers. 40. *Sancti*, id est mundi *estote* in comedendo, *sicut ergo sanctus*, id est mundus, *sum*. Et mox: *Ne polluatis animas vestras in omni reptili* comedendo, quæ omnia crasse accipiebant Scribæ, quasi ipsi cibi immunditiem afflarent animæ, eo quod anima illos tangat in stomacho, dum eos digerit; sicut immunda animalia lege veteri, immundum legaliter & irregularem faciebant eum, qui illa tangebat. Verum errabant, tum quia illa immunditia erat legalis & corporea, nec animam peccato inquinabat: tum quia cibus non est capax peccati, sed sola voluntas. Cum ergo cibus nullum in se habeat peccatum, quomodo illud afflabit animæ & voluntati?

Sic Pythagoras & Plutarchus tract. de Esu carnium & lib. 8. Sympos. cap. 10. docent abstinendum esse a carnibus & fabis, quod hæc animam contaminent. Idem dicunt Turcæ de vino sibi a Mahomete in Alcorano vetito. Refert Buisbequius Legatus Imperatoris apud Turcarum Imperatorem, se vidisse Turcam, qui, cum ei propinaretur

Lepida Turcæ vinum bibituri exclamatio. vinum, cujus ille erat avidus, ingentem clamorem edidi. Rogatus cur? inclamo, inquit, animæ meæ, ut a stomacho in pedes secedat, ne vino lege nostra vetito, quod bibiturus sum, polluatur. Sic tempore Christi & Apostolorum primi hæresiarchæ, ex Judæis oriundi, & judaizantes, ut Simon Magus, Saturninus, Ebion, ac postea Manichæus, Marcion & Eucratitæ docuere vinum & carnes non esse creatas a Deo, sed a diabolo, ideoque natura sua esse malas & cavendas, eorumque esu & usu animam maculari, & contaminari: præsertim quod nonnulli ex eis dicerent, cum carnibus animalis animam ipsam comedi, illamque esse rationalem, ideoque piam, vel impiam. Audi S. Epiphanium hæresi 64. *Edentem carnes Manichæus animam edere dicit, & esse ipsum reum ut & ipsi tale quid fiat: si taurum edat, ut taurus fiat: si porcum edat, ut porcus fiat; & sic de reliquis. Quapropter ab animatis abstinent isti*. Contra hos ait Apostolus venturos impostores, qui doceant *abstinere a cibi, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione*, &c. *Quia omnis creatura Dei bona est: nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. 1. Timoth. 4. 4. Vide ibi dicta. Quare perperam hoc loco abutuntur hæretici contra jejunia ab Ecclesia indicta: Ecclesia enim non prohibet carnes die jejunii, eo quod ipsæ in se malæ sint, sed ad refrænandam gulam & luxuriam, & ad exercendam pœnitentiam simul cum obedientia. Si quis ergo in die jejunii comedat carnes, peccat, non quod carnes, sed quod ipsa inobedientia & intemperantia comedentis coinquinent animam. Simili enim modo olim Judæi comedentes carnem porcinam, vel alium cibum lege vetitum, peccabant & polluebant animam, non per carnem, sed per inobedientiam, juxta illud paulo ante citatum: *Nolite contaminare animas vestras*. Levit. 11.

E VERS. 12. TUNC ACCEDENTES DISCIPULI EJUS, DIXERUNT EI: SCIS QUIA (quod) PHARISÆI AUDITO VERBO HOC SCANDALIZATI SUNT] *Tunc*, quando scilicet dimissis turbis Christus cum suis in domum venerat, ut patet Marci 7. v. 17. *scandalizati*, id est, offensi sunt, quia Pharisæi omnem suam sanctitatem ponebant in externis lotionibus manuum, &c. quare audientes illas a Christo despici & confutari, indignati sunt, quod illis nomen sanctitatis adeo ab ipsis expetitum adimeret. Non tamen ausi sunt hiscere, & Christo contradicere, quia nimis solida ratione ab illo fuerant convicti, tum hic, tum paulo ante in *corban*; nec satis intelligebant sententiam Christi, utpote qui more suo eis parabolice, hoc est, obscure loquebatur, dicens: *Non quod intrat in os, sed quod procedit de ore coinquinat hominem*.

F

G AT ILLE RESPONDENS AIT: OMNIS PLANTATIO, QUAM NON PLANTAVIT PATER MEUS CÆLESTIS, ERADICABITUR] *Plantatio*, id est planta, semen, frutex, arbor. per quam S. Hilarius, Chrysost. & Theophyl. accipiunt doctrinam, q. d. Doctrina Pharisæorum de cibis immundis animam pollu entibus, a me confutabitur & eradicabitur. Melius alii per plantam accipunt homines: hi enim sunt plantæ plantatæ a Deo in paradiso, sed vitiatæ a serpente replantantur ab eo cum Christo, qui est arbor vitæ, per fidem & gratiam inseruntur, tuncque proferunt fructus bonorum operum vitæ æternæ meritorios, secus autem manent arbores steriles, vitiatæ & corruptæ, ideoque eradicandæ, & in ignem æternum mittendæ, uti eisdem Pharisæis comminatus est Joannes Baptista Matt. 3. v. 10. Ipsi enim Christo, ac consequenter Deo Patri, quasi hostes jurati semper se opposuere. Jansenius per plantas

H has a Deo non plantatas accipit reprobos. Verum non est verisimile Christum eos, cum nobis incogniti & incerti sint, voluisse hoc sermone demonstrare, aut hujus Pharisæorum malitiæ causam in Dei reprobationem rejicere, itaque illam quasi excusare. Homines ergo perversos, scilicet, Scribas & Pharisæos, qui se malas plantas propria voluntate fecerunt, ideoque exscindendæ, & in ignem gehennæ mittendæ sunt; ni convertantur, intelligit. Ita S. Hieronymus & Origenes hom. 1. in Jeremiam, Maldonatus, & alii.

VERS. 14. SINITE ILLOS, CÆCI SUNT, ET (Græca, Syrus, Arabicus, & Latini aliqui omittunt τὸ &, ut sermo fit strictior & nervosior) DUCES CÆCORUM, CÆCUS AUTEM, SI CÆCO DUCATUM PRÆSTET, AMBO IN FOVEAM CADUNT) q. d. Sinite Scribas scandalizari, nolite curare quod offendantur mea doctrina & correctione, quia ipsi sunt cæci: non enim vident lumen veritatis, legis & fidei a me exhibitum, sed in sua cæcitate & errore, quo sanctitatem in lotionibus, cæteriscque rebus externis collocant, sunt obstinati & incorrigibiles, sunt-

que *duces cæcorum*, scilicet populorum & turbarum, quos

Digitized by Google

A quos hunc errorem docent, & in foveam gehennæ secum trahunt. Quare ego apud turbas, quæ adhuc illuminari & corrigi possunt, hunc eorum errorem palam ostendi & redargui, ut eum caveant. Docet hic Christus contemnendum esse scandalum Pharisæorum, scilicet cum quis sua malitia & perversa obstinatione scandalizatur & offenditur. Nam, ut ait S. Greg. hom. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.*

VERS. 15 Mat. 7. 17. RESPONDENS AUTEM PETRUS (quasi anteſignanus Apoſtolorum) DIXIT EI: EDISSERE NOBIS PARABOLAM ISTAM] id est, istum obscuriorem sermonem (vide dicta cap. 13. 35. & Proverb. 1. 1. quo dixisti; *Non quod intrat in os, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.*) Quid est enim ex ore procedens, quod coinquinat hominem? & si foras emittitur, quomodo interna animæ coinquinat?

VERS. 16 Mat. 7. 18. AT ILLE DIXIT: ADHUC ET VOS SINE INTELLECTU ESTIS?] Græce ἀσύνετοι, id est, expertes intelligentiæ, insipientes, non intelligentes, q.d. Cap. 5. & 6. fuse vos docui, quibus in rebus mentis puritas vel impuritas consistat, ac speciatim verba iracunda, maledica, contumeliosa, perjura, quæ ex ore procedunt, contaminare hominem: quomodo ergo id obliti estis, nec intelligitis?

B

VERS. 17 Mat. 7. 19. NON INTELLIGITIS, QUIA (quod) OMNE QUOD IN OS INTRAT, IN VENTREM (stomachum) VADIT, ET IN SECESSUM EMITTITUR] Ex hoc Christi dicto, Porphyrius & Julianus apostata calumniabantur Christum, tanquam Physicæ ignarum, teste S. Hieronymo, eo quod non omnis cibus, qui in os intrat, in secessum emittatur, sed pars ejus melior vertatur in substantiam comedentis, eumque alat & augeat. Quibus respondet S. Hieron. aitque: *Hi dum volunt alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suam. Quamvis enim tenuis humor & liquens esca in corpus fundatur, tamen cum in venis & artubus concocta fuerit, & digesta per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora dilabitur, & in secessum vadit.*

C Verum hoc caute & cum grano salis accipiendum, scilicet quod pars aliqua per poros evanescat, vel in secessum emittatur. Omnis enim cibus non totus, sed secundum aliquam sui partem impuriorem & fæculentiorem in secessum emittitur. Prima enim cibi digestio & conversio in chilum fit in stomacho, ubi partes crassæ & ineptæ nutritioni corporis egeruntur per fæces in secessum. Secunda digestio fit in hepate, ubi chilus vertitur in sanguinem, partium vero inutilium secretio & egestio fit per urinam. Tertia digestio fit in singulis membris, quæ sanguinem ex hepate per venas acceptum sibi assimilant, convertuntque in carnem, ubi egestio partium inutilium fit per poros, per quos partes sanguinis ad carnem ineptæ expelluntur per sudores, vapores, & exhalationes. Unde Marcus cap. 7. vers. 19. addit: *Exit in secessum, purgans omnes escas.* Sensus ergo Christi est, q.d. Adeo cibus illotus vel immundus non inquinat animam, uti docent Scribæ, ut omne id, quod in cibo immundum & impurum est, homo per fæces ejiciat, & in secessum emittat: quod ergo restat, purum est, & in purum chilum, sanguinem, carnemque vertitur. Ergo illum,

Triplex cibi digestio & egestio.

D & per illum animam inquinare nequit.

Porro docent medici, ipsaque experientia constat, in sana ætate, puta in viris signum sanitatis esse, cum quis tantum fere per fæces, urinam & sudores egerit, quantum per cibum ingessit; quia tunc corpus est in statu, ita ut non augeatur, nec crescat, sed prioribus carnis partibus calore naturali resolutis & diffluentibus, succedunt aliæ meliores & novæ ex alimento & cibo: quare hic totus non egeritur saltem tunc; nam in carnem versus suo tempore consumetur, diffluet, & egeretur, uti cæteræ priores carnis partes. Addit S. Chrysostomus & Salmeron, Christum alludere & argumentari ad hominem, scilicet ad errorem Judæorum, qui censebant cibum immundum ex se exhalare tetrum odorem ad cor, in quo solo putabant Judæi animam residere, itaque per cor animam ipsam polluere: quare hominem non esse mundum, nisi plene facta cibi digestione & egestione; omnem enim cibum, uti ingestus est, ita vicissim egeri. q. d. Christus: Omnis cibus secundum vos, o Judæi, tandem egeritur in secessum: ergo secundum vos nequit inquinare animam, utpote quæ eum a se repellat, & rejiciat.

Signum sanitatis.

Error Magistri sententiarum.

Ex hac Christi sententia ortus est error Magistri sententiarum, qui lib. 2. dist. ult. in fine docet singulos homines ex Adamo trahere exiguam carnis particulam, ac per eam contrahere ex eodem peccatum originale, *in quo omnes peccaverunt*, Rom. 5. hanc autem particulam multiplicari in se, & per seipsam augeri (utpote quæ sola cuique homini sit substantialis) non vero ex cibo, cibum enim tantum esse fomentum hujus particulæ, non vero alimentum vel augmentum, sed totum in secessum emitti, ut ait hic Christus, ideoque hanc particulam solam resurrecturam in die judicii. Hinc rursum colligit Christum, licet natum ex Adamo, non tamen ex eo contraxisse peccatum originale, quia particula, quam ipse traxit ex illo, pura fuit & immunis ab omni vitio & peccato. Hæc omnia probanti nitur ex hisce Christi verbis. Verum hæc fuse confutat D. Thomas 1. par. qu. ult. art. 1. & Scholastici ibidem. Etiamsi enim Adam habuisset corpus instar montis, non tamen illud sufficisset ad continendum tot particulas, quot tot millenis millionibus hominum, qui ex eo assidue nascuntur, sigillatim suggerendæ forent. Rursum particulæ illæ deberent esse incorruptibiles, cum tamen caro omnis cito corrumpatur. Quare plerique hominum nil prorsus materiæ trahunt ex Adamo, contrahunt tamen ex eo peccatum originale; quia in eo fuerunt causaliter secundum seminalem rationem, quia scilicet ex eo per continuam generationem propagantur ut filii.

E

F

Denique impure & inepte hæc Christi verba torquet Oecolampadius contra realem præsentiam carnis Christi in Eucharistia, dicens: Si caro Christi est cibus noster; ergo ut cibus in secessum emittitur, quod absit. Sed respondet Rossensis lib. 5. contra eum cap. 29. Christi corpus, cum in Eucharistia sit modo indivisibili & impatibili, a nobis comedentibus in se non dividi, non alterari, non concoqui, ut caro communis concoquitur, ac consequenter non habere fæces, quæ emittantur, omnis enim concoctio & mutatio fit in speciebus panis & vini, non in corpore Christi.

Tropologice disce hic, quam contemnenda sunt oris & gustus nitores, lautitiæ & deliciæ, utpote quæ illico in spurcum ventrem vadant, qui illas corrumpit, & in fæces sordesque convertit adeo abominandas, ut nemo eas videre, tangere, vel odorari sustineat, sed in latrinas projiciat. Quare ne sit tibi curæ, de quam pretiosis cibis stercus conficias, ait S. Hieron. nam quo pretiosiores & delicatiores sunt cibi, eo post digestionem & egestionem magis sunt fœtidi & abominabiles. Exemplum illustre recenset B. Petrus Damiani lib. 7. epist. ad Blancam comitissam de uxore ducis Venetorum, quæ in summis deliciis nutrita, adhuc vivens computruit, adeo ut nemo intolerabilem ejus fœtorem ferre posset. Unde concludit: *Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro; quodque perhibet mortua, testetur & viva.*

Tropolog

Uxor ducis cujusdam Venetorum pra deliciis vivens computruit.

G

QUÆ AUTEM PROCEDUNT DE ORE, DE CORDE EXEUNT, ET EA COINQUINANT HOMINEM] *De corde*, id est ex ratione & voluntate, cujus symbolum, imo sedes & officina est cor. Cor enim subministrat spiritus vitales & animales intellectui necessarios ad intelligendum, & voluntati ad amandum: imo Galenus docet sensum communem, qui intellectui proxime subservit, esse in corde, licet Aristoteles verius censeat eum esse in cerebro; sed cor cerebro subservit, & spiritus submittit.

VERS. 18 Mat. 7. 20.

Sensus communis an in corde.

H

DE CORDE ENIM EXEUNT COGITATIONES MALÆ, HOMICIDIA, ADULTERIA, FORNICATIONES, FURTA, FALSA TESTIMONIA, BLASPHEMIÆ] Sicut enim ex fonte ebulliunt aquæ, sic ex corde, id est ex voluntate, pravo affectu luxuriæ, vel iræ imbuta, scaturiunt malæ cogitationes libidinis vel vindictæ, quæ ex corde in os ebulliunt, dum easdem loquimur; & ex ore in opus erumpunt, dum easdem reipsa perpetramus.

VERS. 19 Mat. 7. 21. 22.

HÆC SUNT QUÆ COINQUINANT HOMINEM, NON LOTIS AUTEM MANIBUS MANDUCARE NON COINQUINAT HOMINEM] Hæc est conclusio, & quasi ἐπιμύθιον, id est postfabulatio, sive postparabola pandens finem & scopum parabolæ, qui hic est ostendere, quod manus illotæ, & cibi illoti vel immundi non contaminant hominem, sed sola impura & prava voluntas. Hinc liquet Scribas existimasse, quod ipse cibus illotus vel immundus pollueret comedentis animam, uti dixi vers. 2. & 3. Nam alioqui Christus hic non vituperat lotionem manuum ante mensam in se, cum illa ab olim omnium Gentium usu sit recepta, tum ad munditiem, tum ad sanitatem, tum ut internæ puritatis convivas admoneat. Unde Virgil. Æneid.

VERS. 20

Dant

Digitized by Google

A *Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris*
Expendiunt, tonsisque ferunt mantilia villis.

Lavabat manus oraturi. Hinc illotis manibus accumbere, sordidum, illiberale & agreste putatur, ac convivis nauseam creat. Quocirca olim non solum sacerdotes, sed & fideles omnes ante orationem lavabant manus. Unde illud: *Lavantes puras manus.* 1. Tim. 2. 8. nam olim fideles Eucharistiam non ore, sed manu excipiebant, & ori admovebant. Vide ibi dicta.

Cur? Moraliter disce hic quam cuilibet formandum, orandum, & custodiendum sit cor, utpote quod sit officina omnis mali & boni, omnis vitii & virtutis. Quocirca senex ille apud Moschum in Prato spirit. c. 1. 10. hoc singulare suis dabat monitum: *Esto janitor cordis tui*, ut nil nisi te conscio, tuaque ratione probante, in illud ingrediatur, vel egrediatur. Et Salomon: *Omni*, ait, *custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit*, Proverb. 4. v. 23. Vide ibi dicta.

VERS. 21. ET EGRESSUS INDE JESUS SECESSIT IN PARTES TYRI
Mar. 7. 24. ET SIDONIS] Ut declinaret iras & odia Scribarum, utque Gentilibus, quales erant Tyrii, suam doctrinam &
B miracula, quæ Judæi & Scribæ aspernabantur, impertire inciperet: sicque reprobatis Judæis, utpote incredulis & perfidis, prædicationem & Ecclesiam suam transferret ad Gentes, reipsa docens Apostolos, ut id facerent, uti & fecerunt Actor. c. 13. vers. 46. Voluit tamen hoc latere, ut ait Marcus, tum quietis causa, ut ait Euthymius, tum ut honorem & gloriam fugeret, tum ne gravius contra se Judæos concitaret, eisque ansam cavillandi daret, quod ipse non esset Messias Judæis promissus, utpote qui iis relictis ad Gentes diverteret. *In partes.* Syrus, *in fines.* Phœnicia enim, cujus caput erat Tyrus, confinis erat Judææ. Tyrus vergebat ad Austrum, Sidon vero ad Aquilonem. Unde utrimque multi ex Tyro & Sidone exciti fama doctrinæ, & miraculorum Christi, ad eum turmatim confluebant.

VERS. 22. ET ECCE MULIER CHANANÆA A FINIBUS ILLIS EGRESSA
Mar. 7. 25. 26. CLAMAVIT, DICENS EI: MISERERE MEI DOMINE FILI DAVID: FILIA MEA MALE A DÆMONIO VEXATUR] *Chananea* non ex Cana Galilææ, sed ex Chananæis po-
Chananæa, id est, ex Chananæis orta. steris Chanaan filii Cham, filii Noe oriunda; Chananæi enim fuere populus unus e septem, qui Palæstinam juxta
C mare, ut patet Numer. 13. v. 30. olim incoluere, & ab Hebræis duce Josue fuere expulsi, sed non ex tota; nam mensere in Phœnicia, puta in Tyro & Sidone, quam numquam expugnare potuere Hebræi. Unde Chanaan filii Cham primogenitus filius vocatus est Sidon, Sidonis urbis conditor, Genes. 10. v. 15. Chananæi ergo idem sunt quod Phœnices. Sic enim Septuag. Josue 5. v. 1. pro *reges Chanaan* vertunt *reges Phœnicie*. Hinc Marcus c. 7. v.
Syrophœnissa quæ? 26. *Chananæam* hanc vocat *Syrophœnissam* (Syrus, ex *Punicia Syrie*, id est ex *Phœnicia*, ut habet Arabicus) vel ut quædam Græca habent *Syram Phœnissam*, quia scilicet erat ex illa Phœniciæ parte, quæ Syriæ est contermina, aut potius quia Syria complectebatur Phœniciam, vicinasque regiones omnes, quæ a mari mediterraneo usque ad Euphratem interjacent. Erant enim & alii Phœnices extra Syriam, ut Libyophœnices & Pœni, sive Afri, qui Punica lingua, quæ Hebraicæ est vicina, teste S. Hieronymo & Augustino, utebantur, quo ex Phœnicibus oriundos nomen pariter ab eisdem traxisse, non est dubium. Rursum Marcus Chananæam hanc vocat ἑλληνίδα, id
D est *Græcam*: Arabicus, *Græcam Syram*, licet enim Phœnicissa esset & Syra; dicitur tamen Græca, quia in novo Testamento, maxime apud Paulum, ut patet ad Rom. 1. v. 17. Galat. 3. v. 28. omnes Gentiles vocantur Græci, quia Græci olim dominabantur Phœniciæ & Syriæ; ideoque lingua eorum Græca latissime, & ad Syriam usque porrigebatur. Ita S. Augustinus epist. 200. Nam Alexander Magnus difficili, & longa septem mensium obsidione, cepit Tyrum in mari sitam, ideoque duo millia Tyriorum crucifixit, teste Q. Curtio lib. 4.

CLAMAVIT (magna vox magni affectus & desiderii est index) MISERERE MEI] id est, meæ filiæ: ipsam enim amo ut me: quare ipsius cruciatus est meus cruciatus, imo mallem ipsa cruciari, quam videre illam torqueri. Quare misericordiam liberationis a dæmone, quam ipsi contuleris, mihi contuleris. Parentes enim magis amant filios, quam ab iis amentur;
Parentum amor major quam filiorum. Cur? cujus rei causam dat Aristotel. in Oeconom. quod amor descendat, quodque parentes optent filios sibi superesse, ut post mortem in iis quasi vivant, & quasi immortales sint, ac æternitatem quamdam, quam in seipsis habere nequeunt, in filiis & nepotibus assequantur. Hic est maternus pietatis affectus, qui filiæ sanitatem a Christo meruit, & impetravit. E

FILI DAVID] id est, o Messia, cujus proprium est opus miserorum misereri, ac ex iis dæmones ejicere, & homines sibi Deoque restituere, uti prædixerunt Prophetæ, & communi voce prædicant Judæi. Chananæa cognovit Christum esse Messiam, partim ex fama communi, partim ex instinctu Dei.

FILIA MEA MALE A DÆMONIO VEXATUR] Arabicus: *Malum habebat dæmoniam.* Græce δαιμονίζεται, id est, est dæmoniaca, a dæmone agitatur. Dæmon enim membra eorum, quos possidet, distorquet, laniat, cruciat cum ingenti possessorum dolore, & intuentium horrore: animam vero horrendis phantasmatibus & spectris, ac timoribus, mœroribus, & angoribus affligit: dæmon enim in Deum, ac consequenter in hominem, qui est imago Dei, immensum habet odium: unde eum lædit & cruciat quantum potest. Chananæa non addit, veni, & libera eam: sed tantum malum filiæ Christo repræsentat, reliquum ejus prudentiæ & charitati committit, confidens illum opem filiæ modo F
convenienti allaturum: qua in re magnam tum animi resignationem, tum fiduciam in Christum ostendit.

VERS. 23. QUI NON RESPONDIT EI VERBUM] Ut ejus fidem, spem, humilitatem, & constantiam probaret, augeret, &, ut ait Chrysostomus, aliis patefaceret, imitandamque proponeret.

ET ACCEDENTES DISCIPULI EJUS ROGABANT EUM, DICENTES: DIMITTE EAM (concedendo ei quod petit, scilicet filiæ a dæmone liberationem) QUIA CLAMAT POST NOS] Arabicus: *In vestigiis nostris*; iis enim insistit, assidueque sequitur nos clamando & obtestando pro salute filiæ: libera ergo & illam a dolore & labore clamandi, ac te & nos a molestia audiendi, ne nobis aures obtundat. Verum *ex corde desiderante ac ferventegemitus inenarrabiles emittuntur, quibus velut suavis musica Christus demulcetur*, ait S. Augustinus epist. 121. c. 15.

Dices: Marcus c. 7. v. 2. dicit eam intrasse in domum, ibique ad pedes Christi procidisse. Respondet S. August. l. 2. de Cons. Evang. cap. 49. Chananæam prius in domo Christum obsecrasse, ut ait Marcus, deinde Christo exeunte e domo illum secutam idem a Christo flagitasse. Verius tamen videtur illam prius in via, ut hic dicitur, G
deinde in domo, ut indicat Marcus, supplicasse Christo. Ita Jansenius, Salmeron, & alii.

IPSE AUTEM AIT: NON SUM MISSUS, NISI AD OVES, VERS. 24.
QUÆ PERIERUNT (Arabicus, *errantes*) DOMUS ISRAEL] Syrus, *que aberrarunt a domo Israel*, ut scilicet solis Israelitis, quibus quasi ovibus pascendis a Deo promissus est Messias, quasi pastor corporalem mei præsentiam, ac per consequens Evangelii & miraculorum meorum gratiam exhibeam. Unde Christus a Paulo Rom. 15. 8. vocatur minister circumcisionis, id est circumcisorum, sive Judæorum doctor. Ita S. Hilar. & S. August. tract. 31. in Joannem.

AT ILLA VENIT, ET ADORAVIT (supplex flexis ante VERS. 25.
Christum genibus) EUM DICENS: DOMINE, ADJUVA ME] Chananæa a Christo repulsam passa non destitit, nec spem abjecit, sed fortius institit, majoremque spem concepit, ac validius clamavit, imo constanter Christum secuta est usque in domum, ut habet Marcus cap. 7. v. 24. & 25. atque hac sua constantia, humilitate & perseverantia meruit exaudiri. Deus enim invocatus sæpe initio non exaudit, ut orans preces & vota continuet & augeat; utque beneficium, quod petitur, eo gratius accidat, quo magis fuit desideratum, & diutius postulatum: persevera ergo in oratione, & impetrabis: perseverantibus enim Deus nil negat, ut patet in Chananæa hac: fuit enim ipsa *pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis*, ait S. Ambrosius lib. 5. in Lucam sub finem. H
Deus cur sæpe in initio preces non exaudiat.

QUI RESPONDENS AIT: NON EST BONUM (Græce VERS. 26.
καλὸν, id est honestum, decens, congruum) SUMERE PANEM FILIORUM, ET MITTERE (Græce βαλεῖν, id est *projicere*, Syrus, *objicere*) CANIBUS] Loquitur Christus more Judæorum, qui Gentiles (qualis erat Chananæa) quasi vilissimos idololatras appellabant canes. Est hæc secunda Chananææ repulsa a Christo facta, illaque priore acrior; pungit enim illam vocando canem, cui projici solet frustum panis. *Panem* intelligit non corporalem, sed spiritalem, scilicet Evangelii & miraculorum suorum gratiam: hæc enim Judæis solis, quasi fidelibus & filiis, a Deo erat promissa. Unde Marcus c. 7. v. 27. addit Christum dixisse: *Sine prius saturari filios*, q. d. Sine, ut prius sanem omnes
Mar. 7. 27.

Judæos

Digitized by Google

A Judæos à me opem poſtulantes. Pari modo Chriſtus ſæpe animas ſanctas, dum aliquid deſiderant, pungit, humiliat, & mortificat, ut humilius, & ardentius idipſum poſtulent, itaque impetrent. Sapienter S. Chryſoſt. hom. 30. in Gen. *Sive*, inquit, *conſequamur quod petimus, ſive non conſequamur, perſeveremus ſemper in oratione. Et non ſolum gratias agamus, ſi conſequamur, ſed etiamſi repulſam paſſi fuerimus. Nam cum Deus aliquid nobis denegat, non minus eſt, quam ſi conceſſiſſet. Neſcimus enim nos quæ nobis conducant, ſicut ipſe novit.*

VERS. 27 *Mar. 7. 28.* AT ILLA DIXIT: ETIAM DOMINE: NAM ET CATELLI EDUNT DE MICIS, QUÆ CADUNT DE MENSA DOMINORUM SUORUM] Τὸ *etiam* confirmantis eſt. Græce enim eſt *ναὶ*, id eſt certe, profecto. q. d. Omnino, ita eſt, veriſſimum dicis mi Chriſte. Agnoſco enim me eſſe vilem canem, nec par eſſe, ut panis filiorum, id eſt gratia miraculorum Meſſiæ Judæis promiſſi, mihi Gentili quaſi cani detur; ſed tamen canes & catelli (Græce enim eadem eſt vox *κυνάρια*) ſolent edere de micis panum, quæ cadunt de menſa dominorum, & filiorum ſuorum: nutri ergo me ut catellam tuam, quia non poſſum relinquere menſam Domini mei, cujus catella ſum, quod ſi pede vel fuſte abigas, ſecedam; ſed per aliam portam ut catella rurſum intrabo, verberibus non cedam. Nullum erit verbum aut verber tam aſperum, quod a te me abigat, aut divellat: non te dimittam, donec mihi des quod poſtulo. Da igitur, o Domine benigniſſime, tantum micam, id eſt minimam gratiam ſanitatis filiæ meæ, quæ velut una mica obiter tibi apud nos Tyrios & Gentiles excidat, & a me colligatur. Mihi, inquam, Gentili detur a te mica gratiæ & miſericordiæ; Judæis vero filiis ſervetur integer panis promiſſionis & juſtitiæ. Stringit enim Chananæa Chriſtum prudenter, modeſte & nervoſe ſua ipſius ſententia, atque humili fide & ratiocinio ipſum vinci volentem oratione & ratione vincit, ait S. Chryſoſt. imo Chriſtum ſuis verbis irretit, comprehendit, & capit. q. d. *Si canis ſum, non ſum aliena*, inquit Chryſoſt, *canem me dicis, ergo nutri me ut canem, non poſſum relinquere menſam Domini mei.* Et S. Hieron. *Mira*, ait, *hujus mulieris fides, patientia, & humilitas prædicatur: fides, qua credebat ſanari poſſe filiam ſuam: patientia, qua toties contempta in precibus perſeverat: humilitas, quod ſe non canibus, ſed catulis comparat. Scio*, inquit, *me filiorum panem non mereri, nec integros capere poſſe cibos, nec ſedere ad menſam poſſe cum patre, ſed contenta ſum reliquiis catulorum, ut per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.* Rurſus S. Chryſoſt. hom. 17. ex variis locis in Matth. *Non reſpuo opprobrium*, inquit, *tantum accipiam vel eſcam canis. Tu fac quod debetur cani, quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine, factus es advocatus meæ poſtulationis, abneganda promittis.* Et Victor Antioch. in Marci cap. 7. *Magni*, ait, *beneficii loco duco, vel in canum ordine haberi. Tanta enim ſunt menſa Dominica opes, ut abunde mihi ſat ſit, ſi juſtorum tuorum micis frui liceat.*

Comparat ſe Chananæa cani.

B

Moraliter contemplare hic ideam perfectæ orationis, illamque imitare: Chananæa enim hæc docet nos orare. Primo cum magna *humilitate*, dum canem ſe agnoſcit. Secundo, *fide*, quod Chriſtum vocet filium David, id eſt Meſſiam, Deum & Salvatorem Judæis promiſſum. Tertio, *modeſtia*, quod jus canum & ſuam miſeriam proponit Chriſto, non tamen ex eo concluſionem inferat, ut Chriſtus ſanet filiam, ſed id Chriſto faciendum relinquat. Quarto, *prudentia*, qua ipſum Chriſtum ſuis verbis comprehendit, ac rationem contra ſe factam in ipſum leniter retorſit, illamque vertit in argumentum impetrandi. Quinto, *reverentia*, religione & devotione, qua genibus flexis ſupplicavit. Sexto, *reſignatione*, qua non dixit: Sana filiam meam, *ſed adjuva me* eo modo, quo tibi melius viſum fuerit. Septimo, *fiducia*, qua Gentilis licet, ſerio ſperavit ſe a Chriſto exauditum iri. Octavo, *ardore*, quo clamavit ad Chriſtum. Nono, *charitate*, qua pro filia, quaſi pro ſeipſa ſolicita interceſſit, dicens: *Miſerere mei.* Decimo, *conſtantia* & perſeverantia, qua, licet ſecundo a Chriſto repulſa, perſtitit, & vehementius orando inſtitit. Vere Chryſol. ſer. 100. *Merito*, inquit, *quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur. Merito, adoptatur in filiam, levatur & honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa laudabili humilitate dejecit.* Chananæam hanc imitatus S. Laurentius Juſtinianus, primus Venetorum Patriarcha, moriturus ſic Deum orabat: *Felicium ſpirituum ſedes affectare non auſim, qui ſpeciem intuentur S. Trinitatis: portio tamen aliqua creaturæ tuæ poſtulat micas ſuaviſſimæ menſæ tuæ. Nimium mihi fuerit, & heu quam nimium! ſi ſubtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo ſervo tuo non negaveris.* Ita habet vita ejus apud Surium ad diem 8. Januarii c. 11.

Documenta orationi neceſſaria.

C

D

E

TUNC RESPONDENS JESUS, AIT ILLI: O MULIER, MAGNA EST FIDES TUA: FIAT TIBI SICUT VIS] Marcus c. 7. *Propter hunc ſermonem, vade, exiit dæmonium* (me excellente) *a filia tua.* Non potuit Chriſtus diſſimulare, ſeque continere, ſed victus ratione & oratione Chananææ, quaſi admirans exclamat: *O mulier, magna eſt fides tua; ideo*, ait S. Chryſoſt. *eam repulerat, ut ad hanc vocem rerum conſequentia conveniret, ut fulgente corona mulierem ornaret. Magna*, id eſt, rara & eximia eſt fides tua, tum in ſe, qua licet gentilis, credis me eſſe Meſſiam & ſalvatorem mundi; tum in ſuis effectis, puta virtutibus, ſcilicet humilitate, reverentia, charitate, conſtantia, & cæteris jam recenſitis, quas ex ſe parit & producit fides magna: quare meruit impetrare quod petebat, & audire: *Fiat tibi ſicut vis*, id eſt petis. Hæc verba, ait Chryſoſt. ſunt ſimilia illis: *Fiat firmamentum, & factum eſt*, Genſ. 1. Unde ſequitur: *Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.* Vide hic efficaciam ferventis orationis, qua Jacob luctans cum Angelo eum vicit, ab eoque obtinuit benedictionem, quam flagitabat, ideoque pro labore dictus eſt Iſrael, id eſt, dominans Deo Gen. 38. v. 28. Oratio ergo facit nos Iſraeles, id eſt dominantes Deo.

VERS. 28 *Mar. 7. v. 29. 30.*

F

Tropologice filia vexata a dæmonio eſt anima tentata a diabolo, & peccato polluta, ait Rabanus, quæ proinde illico debet ſuis viribus diffidere & fidere Chriſto, eumque invocare cum humilitate & compunctione, ut ſe canem, id eſt vilem peccatricem agnoſcat, ſed ita ut non deſperet de venia, imo vero eo magis ſperet de Chriſti miſericordia, quo major eſt ejus miſeria. Magnum enim medicum decet magnos morbos curare, & magnum Deum magna operari, & magnum Chriſtum magnos peccatores ſanctificare & ſalvare.

Tropologo.

Allegorice filia hæc Gentilis eſt Eccleſia Gentium, quæ a ſalute excluſa per Dei juſtitiam, in eam per feneſtram miſericordiæ irrupit effractis regni cælorum portis. Ubi magna facta eſt converſio: nam Judæi, qui prius erant filii, ob infidelitatem in Chriſtum facti ſunt canes, juxta illud; *Circumdederunt me canes multi*, Pſal. 21. ideoque quaſi canes comederunt oſſa, id eſt litteram S. Scripturæ; Gentes vero, quæ erant canes, facti ſunt filii, comeduntque de menſa Chriſti panem Euchariſtiæ, & ſenſum reconditum S. Scripturæ quaſi medullam & adipem frumenti. Ita S. Hieronymus.

Allegor.

G

ET SANATA EST FILIA EJUS EX ILLA HORA] Marcus cap. 7. *Et cum abiiſſet domum, invenit puellam* (liberam a dæmone, ſed ejus vexatione fatigatam) *jacentem ſuper lectum*, quaſi jam quieſcentem, ſecuram & lætam. Sic Theophylactus: Anima peccatrix per abſolutionem Chriſti liberata a peccato, quieſcit in lecto tranquillæ, ſerenæ & hilaris conſcientiæ. Moralia perplura documenta ex hiſtoria colligit Janſenius in fine c. 6. Concordiæ Evang. & Salmeron lib. 6. c. 29. ad calcem, & Barradius lib. 10. cap. 14. & Vincentius Regius dilucidat. Evang. p. 3. lib. 5. c. 2. Digreſſ. morali 1. 2.

ET CUM TRANSISSET INDE JESUS, VENIT SECUS MARE GALILÆÆ; ET ASCENDENS IN MONTEM SEDEBAT IBI] Tum ſecreti & quietis cauſa, tum ut in monte omnibus conſpicuus, expectaret multitudinem ad ſe confluxuram, vel prædicationis, vel ſanationis cauſa: omnibus ergo Chriſtus ſe promptum ad benefaciendum exhibet & offert. Myſtice Gloſſa: *Mare*, inquit, *juxta quod venit, turbida hujus ſeculi volumina ſignificat, quod eſt Galilææ, cum homines a vitiis ad virtutes tranſmigrant.* Et S. Hieron. *Aſcendit*, ait, *in montem, ut quaſi avis teneros fœtus provocet ad volandum.* Et Rabanus: *Ut ſcilicet auditores ſuos erigat ad ſuperna & cæleſtia meditanda: ſedebatque ibi, ut demonſtraret non niſi in cæleſtibus requiem eſſe quærendam.*

VERS. 29 *Mar. 7. 31.*

H

ET ACCESSERUNT AD EUM TURBÆ MULTÆ HABENTES SECUM MUTOS, CÆCOS, CLAUDOS, DEBILES, ET ALIOS MULTOS, ET PROJECERUNT EOS AD PEDES EJUS, ET CURAVIT EOS] *Debiles*, Græce *κυλλοὺς*, id eſt mancos, membris captos. S. Joannes cap. 5. v. 3. vocat *ξήρους*, id eſt aridos, qualis erat ille habens manum aridam, Matth. 12. 13. Unde Arabicus hic pro *debiles* habet *aridos*. *Et alios multos*, aliis morbis & vitiis corporis obnoxios: *& curavit eos* omnes. Ecce hic implet quod

VERS. 30 *Mar. 7. 2.*

Votum S. Laurentii Juſtiniani moriturі.

dixit

Digitized by Google

A dixit vers. 26. nimirum Judæos quasi filios saturat pane miraculorum, cum Gentilibus quasi canibus, ut Chananææ, micam tantum dederit sanitatis.

Mystice Glossa: *Muti sunt*, inquit, *qui non laudant Deum: cæci, qui non intelligunt viam vitæ: surdi, qui non obtemperant: claudi, per devia boni operis non recte gressus dirigunt: debiles sunt, qui infirmi sunt in bonis operibus.* Præclare S. Petrus Chrysol. serm. 50. *Christus*, inquit, *venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare divina: accipere injurias, reddere dignitatem: ferre tædia, deferre sanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.*

VERS. 31 ITA UT TURBÆ MIRARENTUR, VIDENTES MUTOS LOQUENTES, CLAUDOS AMBULANTES, CÆCOS VIDENTES, ET MAGNIFICABANT DEUM ISRAEL] Quod exhibuisset eis Messiam tot beneficiorum & miraculorum patratorem, Israeli, id est Jacobo ac Abrahæ, eorumque posteris Israelitis promissum. Græca & Syra addunt

B χυλοὺς ὑγιεῖς, id est debiles, seu mancos sanos, hoc est usui membrorum restitutos.

VERS. 32 JESUS AUTEM CONVOCATIS DISCIPULIS SUIS, DIXIT: MISEREOR TURBÆ, QUIA TRIDUO JAM PERSEVERANT MECUM, ET NON HABENT QUOD MANDUCENT: ET DIMITTERE EOS JEJUNOS NOLO, NE DEFICIANT IN VIA] Marc. 8. v. 1. 2. Christus ægros sanarat, jam tam sanatis, quam sanis fame laborantibus cibos exhibet. *Vult enim*, ait S. Hieronymus: *pascere quos curaverat, & ablatis debilitatibus jam sanis offerre cibos*: Ita perfecta sunt misericordiæ Christi opera, ut nos similia facere doceat. *Misereor*, Græce σπλαγχνίζομαι. Heb. מרחם אני *merachem ani*, vel נגמרו רחמי vel *nichmeru rachamai*, id est intimis visceribus commoveor, & misereor turbam hanc, mei causa famentem: me enim jejuna sequitur toto triduo. Vide hic ardens populi studium erga Christum, qui ita ejus doctrinæ intendit, ut cibi suique obliviscatur, ac vicissim indefessum Christi erga eos laborem & ardorem, quod toto triduo sine quiete, refectione & somno prædicet, & sanet ægros quoslibet in turba. Porro Christus curat primo animas, deinde corpora. Idem faciat Prælatus, & pastor. Ad Christi enim providentiam pertinet implere illud a se sancitum: *Quærite primum regnum cælorum, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Matth. 4. 33. Sic S. Carolus Borromeus sui obliviscens, totum se sui populi obsequis impendebat. Unde tempore orationis 40. horarum, integras 40. horas in templo prædicando, orando, celebrando, &c, sine somno & cibo perdurabat, ut habet ejus vita: nimirum mens Deo & divinis operibus intenta, famem non sentit, quia fide & charitate pascitur, juxta illud Christi Samaritanam instruentis: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus*. Joann. 4. 34.

S. Caroli Borromæi labor assiduus.

QUIA TRIDUO JAM PERSEVERANT MECUM, ET NON HABENT QUOD MANDUCENT] *Et si enim*, ait S. Chrysost. *quando venerunt, cibos habuerunt; tamen consumpti jam erant, & propter hoc non in prima aut secunda die hoc fecit, sed in tertia; quando jam omnia erant consumpta,*

D *ut prius ipsi in necessitate constituti, cum amplior desiderio susciperent quod fiebat*. Verum in tanta multitudine verisimile est multos nil ciborum tulisse secum, ideoque per triduum mansisse jejunos, utpote illectos charitate & dulcedine Christi: *Deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt*, ait Marcus c. 8. v. 4.

Mystice Remigius: *Peccatores*, ait, *per pœnitentiam conversi, in cursu labentis sæculi pereunt, si absque sacra doctrinæ pabulis dimittantur*. Glossa vero, *Prius*, ait, *Dominus aufert debiliores, & postea cibat, quia prius removenda sunt peccata, & postea anima verbis Dei nutrienda.*

VERS. 33 ET DICUNT EI DISCIPULI: UNDE ERGO NOBIS IN DESERTO (comparemus) PANES TANTOS, UT SATUREMUS TURBAM TANTAM?] Marc. 8. 5. Arabicus: *Unde inveniemus panem in deserto, qui satiet hanc turbam? Tantos*, id est, tam multos, æque enim multitudo, sive numerus est quantitas, ac magnitudo: quantitatis enim duæ sunt species: dividitur enim quantitas in continuam, qualis est magnitudo; & discretam, qualis est multitudo, sive numerus. Discipuli humana ratione rem metientes, putabant esse impossibile tot panes reperire in deserto, sed Christus in necessitate, cum deficiunt humana præsidia, sufficit divina: interim discipulorum στι-

matio impossibilitatis, illustravit hoc Christi miraculum.

E ET AIT ILLIS JESUS: QUOT HABETIS PANES? AT ILLI DIXERUNT; SEPTEM, ET PAUCOS PISCICULOS] VERS. 34 *Syrus*: *Modicum piscium ministrorum*. Panes hi videntur fuisse Apostolorum, q. d. *Quot habetis panes*, ad familiam nostram alendam comportatos? quia enim Christus crebro secedebat in desertum, hinc Apostoli aliquid annonæ secum deferebant, sed modicum & exile. Vide c. 16. v. 7.

SEPTEM] In priore panum multiplicatione cap. 14. v. 17. erant quinque panes dumtaxat, hic vero sunt septem; sed Christo tam facile fuit multiplicare hos quam illos: voluit enim variari numerum tam panum, quam hominum, ne unum idemque videretur utrobique miraculum, sed duo.

Panes septem sunt dona Dei septem.

Mystice S. Bernardus serm. de Septem panibus per eos accipit septem dona Dei. *Primus panis*, inquit, *verbum Dei, in quo vita hominis est, sicut & ipse testatur. Secundus panis, obedientia est. Quoniam meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Tertius panis, meditatio sancta, de qua scriptum est: Cogitatio conservabit te. Et quæ alio in loco nominari videtur panis vitæ & intellectus; Quartus panis erantium lacrymæ. Quintus vero pœnitentiæ labor est. Sextus panis est jucunda unanimitas socialis, panis, inquam, ex diversis granis confectus, fermentatus utique sapientia Dei. Porro septimus panis est Eucharistia. Quoniam panis, inquit, quem ego do, caro mea est pro mundi vita.* Idem sequenti sermone septem panes de Dei misericordiis interpretatur. Prima misericordia Dei, inquit, est quod me a multis peccatis præservavit, in quæ alioquin incidissem: secunda, quod peccantem & peccata dissimulavit: tertia, quod ad pœnitentiam excitavit: quarta, quod pœnitentem receperit in gratiam: quinta, quod dederit gratiam continendi, ne in pristina peccata relaberer: sexta, quod dederit munus bene conservandi: septima, quod indigno dederit ex tot beneficiis ad cælestia speranda præsumere. Idem serm. 3. simili modo mystice septem misericordiarum fragmenta assignat.

Septem panes, septem Dei misericordiæ.

ET PRÆCEPIT TURBE, UT DISCUMBERENT SUPER TERRAM] VERS. 35 Sedendo eo modo & situ, quo solent pransuri, sed sine mensa, vasisque mensalibus, uti fiebat in statu legis naturæ tempore Adæ. Christus enim suos reficit ad sufficientiam, & ad necessitatem, non ad voluptatem & luxum. Marc. 8. 6. G

ET ACCIPIENS SEPTEM PANES ET PISCES, ET GRATIAS AGENS FREGIT, ET DEDIT DISCIPULIS SUIS, ET DISCIPULI POPULO] VERS. 36 *Gratias agens*, Græce εὐχαριστήσας, id est, cum gratias egisset, invocando Dei Patris opem ad novam gratiam multiplicationis panum. *Syrus*, *laudavit Deum*. Qui enim gratus est, gratiasque agit de beneficio accepto, novum meretur accipere. Per synecdochen ergo sub gratiarum actione, velut una & prima orationis specie & parte, cæteras omnes intellige, ac præsertim postulationem novi concursus, ad novum hoc miraculum patrandum: Poterat Christus ut Deus per se, suoque nutu multiplicare panes, sed qua homo more suo orat Deum, ut vim ad hoc miraculum suggerat. Quare plane videtur Christus post gratiarum actionem, signando panes cruce eos benedixisse, ac benedicendo multiplicasse sensim & continue inter frangendum & distribuendum, uti fecit cap. 14. vers. 19. *Aspiciens in cælum*, inquit, *benedixit, & fregit, & dedit*. Unde Arabicus hic pro *gratias agens* vertit *benedixit*, scilicet panem & pisces. Marc. 8. 6. H

ET COMEDERUNT OMNES, ET SATURATI SUNT: ET QUOD SUPERFUIT DE FRAGMENTIS, TULERUNT SEPTEM SPORTAS PLENAS] VERS. 37 Tot scilicet, quot fuerunt panes; ac proinde tantum panis superfuit, quantum initio Christo oblatum fuit, imo amplius: quælibet enim sporta (quæ onus est justum hominis, sive manus portantis) plusquam unum panem continebat, imo Franc. Lucas opinatur sportam, Græce σπυρίδας fuisse duplicem cophini, esseque onus, quod a duobus portatur. Arabicus tamen pro *septem sportas* vertit *septem cophinos*. Voluit Christus colligi fragmenta & micas, tum in memoriam miraculi, tum ut nihil de donis Dei deperiret, tum ut doceret nos esse frugi, & frugaliter Dei creaturis cibisque uti. Ex hoc Christi jussu in religionibus nonnullis statutum est, ut post mensam quisque micas suas in lancem colligat. Audi quid in vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis c. 14. narratur (extat apud Surium die 28. Novemb.) *Micas expanum sectione decidentes singuli diligenter colligebant, & ante lectionis finem*

Micæ colligendæ. Cur?

Digitized by Google

A *finem cum benedictione sumebant: finita lectione, nec illas, nec cibum ullum quispiam capere ausus erat. Has autem micas aliis cibis sanctiores existimabant propter miraculum.* Hoc autem miraculum sic se habuit: Monacho moribundo, qui micas pro consuetudine non comedebat, cum bene valeret, sed sinebat a mensa cadere, dæmon saeculum micarum plenum ostentavit sæpius, terrens hominem, & se crucis signo munire ac vociferari cogens. Ex eo die magno studio micæ illæ colligebantur. Ibidem cap. 17. narratur aliud miraculum, scilicet micas in manu religiosi eas studiose asservantis, in margaritas fuisse conversas, quæ postea ornamento cuidam Ecclesiæ intextæ sunt. *S.* Franciscus in visu vidit se micas panum colligere, ac cælitus jussus ex omnibus unam hostiam conficere, eamque in fratres distribuere, vidit eos, qui illam respuebant, lepra notari, mox visioni explicationem hanc a Deo accepit: Micæ sunt verba Evangelica, hostia est regula, lepra est iniquitas. Ita *S.* Bonaventura in ejus vita c. 3. in fine. Vide nostrum Julium Nigronium tract. de Cura Minimorum,

Monachus qui micas non collegerat, in morte terrent.

Micæ in margaritas conversæ.

Visio sancti Francisci.

VERS. 38 ERANT AUTEM QUI MANDUCAVERUNT QUATUOR MILLIA HOMINUM EXTRA (præter) PARVULOS ET MULIERES] Vide dicta c. 14. v. 21. Moralia, quæ ibidem versibus præced. recensui, etiam huic loco & miraculo adaptanda sunt.

Mar. 8. 9.

B

VERS. 39 ET DIMISSA TURBA ASCENDIT IN NAVICULAM, ET VENIT IN FINES MAGEDAN] Græce *Magdala:* Arabicus *Magedal*. Sæpe enim litteræ M. & N. liquescunt in L. uti ostendi Cantic. 6, 12. in voce *Sunamitis* & *Sulamitis*. *Magedan* est oppidum ultra mare Galilææ, situm juxta Gerasam; nunc Magedena regio dicitur, ait S. Hieronymus in locis Hebr. Marcus c. 8. v. 10. pro *Magedan* habet *Dalmanutha*, sive quod unus idemque locus fuerit binomius, ut vult S. Augustinus, unde & nonnulli codices in Marco pro *Dalmanutha* habent *Magedan:* sive potius, quod hæc erant duo loca, sive oppida, sed vicina, ac Christus venerit in fines utriusque, quia appulit ad littus, quod utrique oppido vicinum erat. Perperam Brocardus Itiner. 2. censet *Magedan* esse *Medan*, id est aquas Dan; Nimirum fontem illum, ex quo Jordanis oritur, quem Josephus Phialam vocat: nam Medan & origo Jordanis longissime distat a mari Galilææ, cui adjacebat Magedan. Perperam quoque nonnulli censent *Magedan* esse *Mageddo*, ubi cæsus est Josias rex Juda; nam Magedan est ultra Mageddo cis mare Galilææ, ac longe ab eo distat; adjacet enim torrenti Cison, ac vicinum est Cesarææ & mari mediterraneo: Vide Tabulas Geograph. Adrichomii. Hic versus spectat ad caput sequens. Unde multi ab eo inchoant c. 16. In Magedan enim contigit Scribarum petitio signi de cælo, quæ sequitur.

Mar. 8. 10.

Magedan quid?

Magedan non est Medan.

C

Non Mageddo.

CAPUT XVI.

SYNOPSIS CAPITIS.

D *Prima, Pharisæi a Christo petunt signum e cælo, quibus ipse dat signum Jonæ: Secundo, vers. 6. monet discipulos, ut caveant a fermento, id est mala doctrina Pharisæorum. Tertio, v. 13. eos rogat, quem se esse censeant: Petrus respondet:* Tu es Christus filius Dei vivi: *quare Christus promittit ei Ecclesiæ Petram, & claves cæli. Quarto, v. 21. prædicit suam passionem & resurrectionem, suosque vocat ad crucem.*

VERS. 1. ET accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis.

2. At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum.

3. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.

4. Faciem ergo cæli dijudicare nostis; signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit.

5. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.

6. Quid dixit illis: Intuemini, & cavete a fermento Pharisæorum, & sadducæorum. E

7. At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus.

8. Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?

9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis?

10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis?

11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum?

12. Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.

13. Venit autem Jesus in partes Cæsarææ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? F

14. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.

15. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi.

17. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

19. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. G

20. Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.

21. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc.

23. Qui conversus dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.

24. Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. H

26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

28. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

ET AGGESSERUNT AD EUM in Magedan c. 15. ult.) PHARISÆI, ET SADDUCÆI (de quibus dixi c. 3. 7.) TENTANTES: ET ROGAVERUNT, UT SIGNUM DE CÆLO OSTENDERET EIS] Idem rogarunt cap. 22. 38. Sed hic rursum rogant occasionem miraculi multiplicationis panum, quod paulo ante Christus patraverat. Cum enim hoc viderent passim a turbis, quæ præsentes, & panum participes fuerant, celebrari, ut illud apud populum elevarent, dixerunt illud signum esse terrestre, posseque a dæmone, qui

VERS. 1. *Mar.* 8. 11.

Digitized by Google

A Phariſæi ſignum de cælo petunt a Chriſto. Cur?

qui in terra dominatur, fieri: inſinuabant ergo Chriſtum eſſe Magum, & ope dæmonis multiplicaſſe panes, cetera que ſua mira patraſſe, ut colligitur ex c. 12. v. 34. Petunt igitur a Chriſto ſignum de cælo, ut Deus, qui regnat in cælo, per illud atteſtetur Chriſto, eum a ſe miſſum, & cæleſtem ejus eſſe doctrinam: quod ſi fecerit, ſe credituros in eum quaſi Meſſiam, & populum in eamdem fidem inducturos. Sed Sadducæi, utpote Athei, cenſebant, nullum poſſe dari ſignum e cælo a Deo, qui illorū opinione nullus erat: Phariſæi cenſebant poſſe dari hoc ſignum, ſed non dandum a Chriſto, utpote qui vel non erat Meſſias, vel ſi erat, nollet eorum petitioni annuere, uti noluerat c. 11. verſ. 38. quare putabant ſe populo perſuaſuros, Chriſtum non poſſe edere ſignum de cælo, ac conſequenter non eſſe miſſum a Deo, ſed a dæmone. Cætera vide explicata c. 12, 38. Aliter Lyranus, qui cenſet Judæos aſtrologiæ judiciariæ deditos, petiiſſe a Chriſto ſignum, quo ex aſtris oſtenderet ſe eſſe Meſſiam: in aſtris enim deſignaſſe, & quaſi ſcripſiſſe Deum omnem ſuam providentiam circa res humanas, totumque ordinem univerſi. Verum nihil tale hic innuit Matthæus. Proprie videntur Phariſæi alluſiſſe ad manna, ut colligitur ex Joann. 6. v. 30. 31. q. d. O Jeſu, multiplicaſti quidem panes in terra, ſed da ſignum e cælo, ſcilicet plue manna de cælo, uti fecit Moſes, ſic oſtendes te Moſi eſſe ſimilem, novumque Evangelii tui legislatorem a Deo miſſum. Ita Remigius, Beda, Abulenſis.

B

VERS. 2. AT ILLE RESPONDENS, AIT ILLIS: FACTO VESPERE DICITIS: SERENUM ERIT (craſtino mane) RUBICUNDUM EST ENIM CÆLUM] Ratio phyſica eſt, quod rubor cæli, id eſt aeris, indicet nubes eſſe raras, ideoque facile tota nocte conſumendas, vel diſſipandas, ac conſequenter mane fore ſerenum, utpote nube vacuum. Rubor enim eſt medius color inter nigredinem & albedinem. Nigredo nubium ſignificat nubes eſſe ſpiſſas & denſas, utpote per quas radii ſolis penetrare nequeant, ideoque opacas, & ſolutu difficiles: albedo indicat eas eſſe rariſſimas, utpote per quas radii ſolis tranſparent & tralucent: rubedo indicat eas nec eſſe plane denſas, nec rariſſimas, ſed rareſcere, ideoque partim ſolem per eas tranſparere, partim excludi; rubedo enim habet aliquid nigredinis, & aliquid albedinis; ex utraque enim comiſta eſt: quatenus accedit ad nigredinem, ſolis radios excludit; quatenus accedit ad albedinem, eoſdem admittit, & tranſmittit.

Rubor cæli veſpere ſignum ſerenitatis. Cur?

C

VERS. 3. ET MANE: HODIE TEMPESTAS (erit pluviæ aut venti) RUTILAT ENIM TRISTE CÆLUM] Græce eſt idem verbum, quod præceſſit verſ. 2. πυῤῥάζει, id eſt, *rubicundum eſt*; συγνάζων, id eſt, *mœſtitiam afferens cælum*. *Rutilat* ergo, id eſt *rubet*, ut vertit Syrus & Arabicus. Rutilus enim color eſt rubeus, quia rubedo rutilat, id eſt ſpendeſcit. Sic Ovid. 5. Metamorph. *Cruor Rutilus*, inquit, id eſt rubeus: & *capilli rutili*, id eſt rubei. 2. Metam. *Et Mars rutilus*, id eſt rubeus & cruentus, apud Ciceronem in Somnio Scipionis: *Et flamma rutila*, id eſt rubea & ſplendens. 2. Faſtor. Ratio phyſica eſt, quod cælum, ſi veſpere rubeat, indicet raras eſſe nubes, ideoque nocte, utpote quæ prolixa eſt, conſumendas: ſol enim occidens & abiens nequit eas liquare: ſin mane rubeat, indicat nubes eſſe raras quidem, ſed tamen ita denſas, ut a ſole oriente nequeant conſumi, ſed illi reſiſtant: quare mox a ſole increſcente & incaleſcente reſolvendas in pluviam aut ventum. Ex eo enim quod per penetrationem radiorum ſolis rarefactæ ſunt, liquet eas viciniores eſſe, ut in pluviam aut ventum reſolvantur a ſole, quam ut ab eo alio propellantur. Audi de Præſagiis temporum Plinium lib. 18. c. 35. *Si ſol purus occidit, ſerenitatis ſignum eſt. Si occubuit pridie nitido cælo, & oritur eodem, tunc certius argumentum ſerenitatis. Si ſol in ortu appareat major, quam ſolet: ſi quaſi cæruleo colore imbutus prodeat, vel occidat, imbrem; ſi igneo, Euros nuntiat. Cum ante illius ortum rubeſcunt nubes, venti erunt: cum expalleſcunt, vel nigræ rubentibus intermiſerunt, pluviam ſpondent.* Ex luna ſimilia hæc accipe præſagia: *Si ſplendens exorta puro nitore fulſit, ſerenitatem; ſi rubicunda, ventos, ſi nigra pluvias portendere creditur*, ajunt noſtri Conimbricenſes in Meteor. tract. 7. c. 3. Aliam cauſam planiorem horum duorum diſſimilium, cur ſcilicet rubor cæli veſpertinus ſit index ſerenitatis, matutinus vero tempeſtatis, dat Abulenſis hic quæſt. 8. Ratio, inquit, primi eſt, quia rubor, qui apparet ad veſperum in aere, ſignat deficationem aeris, & ideo materia groſſa vaporum, quæ in aquam vertibilis erat, eſt jam deſiccata, ita ut inflammetur, quod eſt rubefieri, & ita non eſt proxime diſpoſita, ut pluvia ex illa fiat: & ſic eſt ſignum propinquum ſerenitatis. Ratio ſecundi eſt, quia quando cælum mane rutilat, eſt materia inſpiſſata; & non eſt illa deſiccata, quia non eſt rubea ſicut nubes rubeæ, quæ apparent occidente ſole; ſed eſt materia turbida aliqualiter, & aliqualiter rubea, & ita eſt materia irregularis, quæ calore ſolis ſoluta ſtillat in pluvias, quantum ad partem turbidam & groſſam, vel ſolvitur in ventos, quantum ad partem aliqualiter deſiccatam & rutilantem; vel propter humidam materiam circumſtantem totum ſimul vertitur in pluvias, & ita fit tempeſtas, quia tempeſtas non ſolum dicit pluvias, ſed etiam ventos impetuoſos cum aqua: atque hoc innuit Noſter, dum ſagaciter vertit *rutilat*.

Rutilus color eſt rubeus.

Mane notat tempeſtatem. Cur?

D

E

Symbol. 1

Symbolice idem Abulenſis quæſt. 9. In primo, ait, adventu Chriſti fuit ſerenitas gratiæ; in ſecundo ad judicium erit tempeſtas vindictæ & gehennæ, quam in reprobos detonabit Chriſtus judex. Sic & S. Auguſt. in quæſt. Evang. hic.

VERS. 4. FACIEM (externam formam & ſpeciem) ERGO CÆLI DIJUDICARE NOSTIS; SIGNA AUTEM TEMPORUM NON POTESTIS SCIRE] *Signa temporum* vocat ſigna temporis adventus Meſſiæ, ſive *temporum*, id eſt 70. hebdomadarum Danielis, vaticinii Patriarchæ Jacob, Gen. 49. v. 10. & cæterorum Prophetarum. Hæc enim vaticinia uti & miracula, quæ per ſingulos dies patrabat Chriſtus, plane convincebant Meſſiam jam veniſſe, ipſumque eſſe Meſſiam. Hic verſus legendus eſt per interrogationem, non ſine ea aſſertive, uti legit Lyranus, qui ſic explicat, q. d. Vos Judæi dediti aſtrologiæ, vultis ex aſtris cognoſcere tempus adventus Meſſiæ, ac erratis. Ex aſtris enim poſſunt ſumi præſagia ſerenitatis, vel tempeſtatis, at non adventus Meſſiæ. Sed hoc parergum eſt: eſt enim hic argumentum a minori ad majus. q. d. Si ex ſignis cæli, o Phariſæi, noſtis dijudicare futuram ſerenitatem, vel tempeſtatem: ergo multo magis ex oraculis Prophetarum, meiſque miraculis poteſtis & debetis agnoſcere me eſſe Meſſiam. Hæc enim illis ſunt clariora & certiora. Ita S. Hilarius, Hieronymus, Euthymius: & ſat patet ex Luc. 12. v. 56. ubi Chriſtus ait: *Hypocritæ faciem cæli & terræ noſtis probare; hoc autem tempus* (adventus mei, qui ſum Meſſias) *quomodo non probatis?* Sic & hodie multi ſunt in rebus terrenis lynces, in divinis talpæ; prudentes in ſæculo, inſipientes in cælo; oculatiſſimi in congerendis nummis, ignorantiſſimi in colendo numine. Hi ſapiunt in burſa, deſipiunt in conſcientia. Aliter explicat S. Chryſoſt. hom. 54. hæc *ſigna temporum*. q. d. Alia ſunt ſigna temporis præſentis, alia futuri: ſigna curationum, quæ ego edo, ſunt temporis præſentis, ſigna vero temporis futuri, erunt ſigna in cælo, quæ vos poſtulatis, o Scribæ: tunc enim erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis. Luc. 21. Facitis ergo ſicut Thales, qui cælum contemplans eundo, in foveam incidit: ſic & vos futura ſpectantes, & præſens gratiæ tempus negligentes, ruitis in gehennam.

Signa temporis. Cur?

Thales cælum contemplans in foveam cecidit.

GENERATIO MALA ET ADULTERA SIGNUM QUÆRIT, ET SIGNUM NON DABITUR EI, NISI SIGNUM JONÆ PROPHETÆ] Hunc verſum iterat Chriſtus, jam enim eum audivimus cap. 12. v. 39. ubi eum explicui.

VERS. 5. Mar. 8. 13.

ET RELICTIS ILLIS ABIIT] Ex Magedan conſcenſa navi trajecit mare Galilææ, & in citeriorem ejus ripam, unde venerat, rediit, ut patet ex verſ. ſequenti. Unde Marcus c. 8. v. 13. ait: *Et dimittens eos, aſcendit iterum navim, & abiit trans fretum*. Iterum enim, iterumque hoc mare trajiciebat Chriſtus, ultro citroque meabat & remeabat, ut Galilæos tam cis mare, quam ultra mare habitantes erudiret, juxta oraculum Iſaiæ c. 9. v. 1. quod citavit Matth. cap. 4. verſ. 14.

H

VERS. 6. Mar. 8. 14.

ET CUM VENISSENT DISCIPULI EJUS TRANS FRETUM, OBLITI SUNT PANES ACCIPERE] *Cum veniſſent*, Græce ἐλθόντες, id eſt, *cum iviſſent*, puta cum navim conſcendiſſent ad transfretandum, in navi enim hæc contigiſſe patet ex circumſtantiis: in navi enim & navigatione longiore egebant pane & cibo; nam in portu eum abunde erant inventuri. Idem patet ex Marci 8. 16. & ſequenti. Eſt Hebraiſmus; Hebræa enim verba ſæpe actum non perfectum, ſed inchoatum, vel deſtinatum ſignificant, ut dixi in Canonibus: Sic hic *cum veniſſent*, id eſt, cum venire cœpiſſent, cum proficiſcerentur: *obliti ſunt*, quia eis reficiendi corporis neceſſitas, intentione Dominici comitatus, & dulcedine veri panis, qui cum eis erat, id eſt Chriſti, mente exciderat, ait Anſelmus.

TRANS FRETUM] Trans mare Galilææ, ſcilicet Bethſaidam, ut ait Marcus c. 8. v. 22.

QUI

A QUI DIXIT ILLIS: INTUEMINI (Græce ὁρᾶτε, id est *videte*, ut vertit Noster in Marco) ET CAVETE A FERMENTO PHARISÆORUM ET SADDUCÆORUM] *A fermento*, id est a doctrina, ut explicat v. 12. ab hac caveri jubet, non quatenus Pharisæi legem Mosis docebant, & explicabant: sic enim eos audiri, eisque obediri jubet c. 23. 2. Sed quatenus illam suis vanis, & legi Dei contrariis traditionibus, quasi acido fermento, inquinabant, ac per eas inficiebant, & vitiabant mentes auditorum, quam Lucas cap. 12. 1. vocat hypocrisim: *Attendite*, ait, *a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, quia Pharisæi externas tantum ceremonias, & apparentem sanctitatem spectabant, neglecta interna animi puritate, ait Beda. Audi S. Hieronymum: *Hoc est fermentum, de quo Apostolus loquitur: Modicum fermentum totam massam corrumpit. Istiusmodi fermentum (quod omni ratione vitandum est) habuit Marcion, & Valentinus, & omnes heretici. Fermentum hanc vim habet, ut si farinæ mixtum fuerit, quod parvum videbatur, crescat in majus, & ad saporem suum universam conversionem trahat: ita & doctrina hæretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus jecerit, in* B *brevi ingens flamma crescit, & totam hominis possessionem ad se trahit.*

VERS. 7. AT ILLI COGITABANT INTER SE (Marcus habet c. 8. 16. διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους, id est, disputabant, vel disceptabant ad invicem) DICENTES: QUIA PANES NON ACCEPIMUS] Hugo & Dionysius sic exponebant. q. d. Ideo Christus dixit: Cavete a fermento Pharisæorum, quia panes non accipimus, nec vult nos panes accipere a Pharisæis. Simplicius alii, q. d. Discipuli, audita mentione fermenti facta a Christo, recordati sunt se oblitos esse panes in navim inferre, ac metuentes, ne Christus in desertum locum more suo navigaret, solliciti erant quomodo panes ibidem necessarios compararent, ac inter se hac de re disceptabant, & forte unus in alterum culpam oblivionis panum conjiciebat; ubi dupliciter peccabant. Primo, quod nimis de panibus essent solliciti, nec satis fiderent Christo; cum tamen paulo ante experti essent ejus potentiam, & providentiam in multiplicandis panibus. Secundo, quod censerent Christum loqui de corporali fermento, & pane, cum ille de spiritali loqueretur: unde de utroque corripiuntur, & corriguntur a Christo, uti sequitur.

VERS. 8. SCIENS AUTEM JESUS, DIXIT: QUID COGITATIS INTRA VOS MODICÆ FIDEI, QUIA (quod) PANES NON HABETIS?] Græce ἐνιλάβεσθε, id est, *non accepistis*: sic & Syrus. *Sciens*, per vim divinitatis suæ; non enim audierat eos hac de re colloquentes *Modicæ fidei*, quasi ego de panibus corporeis locutus sim, de iisque velim vos esse sollicitos; aut quasi ego de iis vobis nequeam, aut nolim providere in mari, vel in deserto.

VERS. 9. NONDUM INTELLIGITIS (tum phrasim meam de fermento, tum meam curam de providendo vobis panes) NEQUE RECORDAMINI QUINQUE PANUM IN QUINQUE MILLIA HOMINUM (scilicet distributorum. Græce: *Neque recordamini quinque panes quinque millium*, quibus scilicet quinque millia hominum pavi) ET QUOT COPHINOS (reliquiarum) SUMPSISTIS] Utique duodecim, q. d. Ego qui tunc non tantum multiplicavi, sed & restitui panes in fragmentis, quæ feci, esse residua, idem nunc, & quovis tempore possum facere.

VERS. 10 NEQUE SEPTEM PANUM IN QUATUOR MILLIA HOMINUM (Græce τετρακισχιλίων, id est quatuor millium, quibus scilicet quatuor millia hominum alui) ET QUOT D SPORTAS SUMPSISTIS] Utique septem, tot, quot fuerant panes. Constanter tam Matthæus quam Marcus hic nominant sportas; in priori vero miraculo cophinos: unde liquet sportas aliud vasis, & mensuræ genus fuisse a cophinis.

VERS. 11 QUARE NON INTELLIGITIS, QUIA (quod) NON DE PANE DIXI VOBIS: (cum dixi id quod sequitur) CAVETE A FERMENTO PHARISÆORUM ET SADDUCÆORUM?] Ex fermento enim fit panis communis & usualis. q. d. Debueratis ex meis sermonibus & actibus cognoscere me non loqui de fermento, & pane terreno, utpote vili & exili, sed spirituali, qualis est doctrina,

VERS. 12 TUNC INTELLEXERUNT, QUIA (quod) NON DIXERIT CAVENDUM A FERMENTO PANUM, SED A DOCTRINA PHARISÆORUM, ET SADDUCÆORUM] Correptio enim Christi acuit discipulorum mentem, & vexatio dedit intellectum.

ERS. 13 VENIT (Græce ἦλθεν, id est, cum venisset) AUTEM JESUS IN PARTES (Syrus, *in loca*) CÆSAREÆ PHILIPPI: ET INTERROGABAT DISCIPULOS SUOS: DICENS: QUEM DICUNT HOMINES ESSE FILIUM HOMINIS?] Cæsarea Philippi urbs est Phœniciæ sita ad radices Libani, quæ primo dicta est *Dan*, eo quod a Danitis, id est, a tribu Dan astu sit capta. Judic. cap. 18. quodque ibi ut confluxus duorum rivulorum, scilicet *Jeor*, & *Dan*, qui juncti Jordanem efficiunt; ibi ergo origo est Jordanis. Verum, quia Gentibus notior erat *Pan* Deus pastorum, quam *Dan* Tribus Hebræa, hinc ab eis dicta est Paneas: deinde Philippus Herodis Ascalonitæ filius, ac Iturææ, & Trachonitidis tetrarcha, eamdem a se auctam suæ tetrarchiæ metropolim constituit, & in gratiam Cæsaris Tiberii Cæsaream nuncupavit, imitatus patrem suum Herodem Ascalonitam, qui urbem a se conditam in loco prius dicto *Turris Stratonis*, inter Doram, & Joppem, juxta mare mediterraneum, in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupavit, quæ uti antiquior, & nobilior erat, sic & absolute Cæsarea Palestinæ vocatur in Actis Apostolorum, & a Josepho: quare ad ejus distinctionem hæc dicta est Cæsarea Philippi, qui erat terminus terræ Chanaan Judæis a Deo promissæ F ad Septentrionem, sicut Bersabee erat ejusdem terminus ad Meridiem. Unde toties in Scriptura dicitur *a Dan* (id est, Cæsarea Pilippi) *usque ad Bersabee*. Hac de causa multi vicini Gentiles præsertim Phœnices ad hanc urbem confluebant, uti in limitibus regionum fieri solet: ideoque Christus ad illam hic secessit, tum ut Gentiles pariter ac Judæos doceret, tum ut liberius de Messia, quem Judæi quasi regem suum expectabant, loqueretur. In Judæa enim periculosum fuisset hac de re loqui, ac Scribæ Christum apud præsides Romanos affectati regni accusassent, eumque reum majestatis apud Tiberium Cæsarem peregissent, Rursum hæc Cæsarea olim *Dan* dicta, sedes fuerat idololatriæ, ut patet Judic. 18. 29. & sequent. Christus ergo ab hac labe voluit eam expurgare, & Dei cultricem, imo initium, & matricem Gentium Christianarum efficere: unde hujus urbis civis fuit hæmorrhoissa, quam Christus a fluxu sanguinis sanavit, cujus miraculi imago quotidianis miraculis illustris ab hæmorrhoissa ibidem erecta, perstitit usque ad Julianum Apostatam, qui in odium Christi illam dejecit, teste Eusebio l. 5. c. 20. postea hæc urs ab Herode Agrippa aucupante gratiam Neronis, dicta est *Neronia* sive *Neronias*, nunc a Turcis occupata *Belima* nūcupatur.

Cæsarea Philippi quæ?

QUEM DICUNT HOMINES ESSE FILIUM HOMINIS?] Ita legendum cum Roman. sine *me*, quod nonnulli ex Græco addunt; hoc enim intelligitur in τῷ *Filium hominis*, id est me, qui studio humilitatis soleo me Filium hominis nuncupare, ut dixi c. 8. & maxime hic ita me voco, ut explorem vestram, o Apostoli, de me fidem. Unde Lucas cap. 9. 18. habet: *Quem me dicunt esse turbæ*? Neque enim vis facienda est in articulo Græco τοῦ, ut vult Beza, qui vertit *illum Filium hominis*, scilicet Messiam Judæis promissum. Minus recte Syrus hæc dividit, legitque per interrogationem hoc modo: *Quid dicunt de me homines, quod sim Filius hominis*? Christus enim hic non rogat, sed asserit, vocatque se Filium hominis, sed ulterius quærit quid de se sentiant homine, id est vulgus hominum.

Luc. 9. 18. Mar. 8. 27.

AT ILLI DIXERUNT: ALII JOANNEM BAPTISTAM, ALII AUTEM ELIAM, ALII VERO JEREMIAM, AUT UNUM EX PROPHETIS] Videbat vulgus Judæorum jam ab aliquot centenis annis, puta paulo post captivitatem H Babylonicam (quando prophetarunt Zacharias & Malachias, qui fuere ultimi Prophetæ) apud Judæos defeciſſe prophetiam & Prophetas, æque ac arcam testamenti, & oraculum ex propitiatorio. Quare Christum putabant non esse novum Prophetam, sed aliquem ex veteribus: horum enim virtutes, miracula, & doctrinam videbant in Christo. Pauci vero erant illi, qui certo credebant ipsum esse Messiam: longe plures enim id non credebant, offensi Christi paupertate & humilitate; putabant enim Messiam venturum cum pompa regia quasi filium Salomonis, uti etiamnum putant & expectant Judæi: quare, quod subinde dixerunt aliqui populi visis tot Christi miraculis: *Numquid hic est Filius David*? Matth. 12. Et: *hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum*. Jo. 6. Transiens & subitanea fuit eorum vox, elicita ex præsenti miraculo, non perseverans, & constans sententia. Vulgus enim est mobile, & ad omnem auram flectitur. Ita Abulensis. Putabant ergo animam alicujus e Prophetis migrasse

VERS. 14

Luc. 9. 19. Mar. 8. 28.

Cur Jesum censebant Judæi esse Eliam aut Jeremiam, vel unum ex Prophetis?

Digitized by Google

A in Christum per μετεμψύχωσιν, id est, transanimationem Pythagoræ, qua anima defuncti censebatur migrare in aliud corpus melius vel vilius secundum merita prioris vitæ. Ita Jansenius, Cajetan. & Baronius. Vel potius putabant aliquem e Prophetis resurrexisse, ipsumque esse Jesum, quasi Jesus reipsa esset Joannes Baptista, Elias, vel Jeremias. Credebant enim Judæi, & Pharisæi mortuorum resurrectionem, ut patet 2. Machab. 7. licet eam negarent Sadducæi. Actor. 23. 8. Id ita esse liquet ex sententia Herodis de Christo: *Hic*, inquit, *est Joannes, ipse surrexit a mortuis; & ideo virtutes* (miracula) *operantur in illo*. Existimabant enim animam Prophetæ post mortem fieri sublimiorem, potentiorem & diviniorem ad patranda miracula: Credebant ergo aliquem è Prophetis in Jesu resurrexisse, ideoque potentiora quam ante operari, transanimationem vero Pythagoricam, ut Gentilium figmentum horrebant. Porro alii putarunt Jesum esse Joannem Baptistam, quia ætate, sanctitate, & prædicatione videbatur ipsi persimilis, ac Joannes paulo ante injuste occisus ab Herode, versabatur in eorum memoria, dignusque resurrectione censebatur. Alii putarunt Christum esse Eliam ob similem utriusque zelum; & quia Elias necdum est mortuus, ac rediturus ob omnibus etiam Judæis expectatur ex oraculo Malachiæ c. 4. 5. *Ecce*, inquit, *ego mittam vobis Eliam Prophetam*. Putabant ergo Eliam rediisse, ac Eliam esse Jesum. Alii opinati sunt Christum esse Jeremiam, quia Jeremias fuit vir sanctissimus, ac speculum patientiæ & charitatis: & quia nonnulli putarunt Jeremiam cum Elia rediturum ad prædicandum Judæis, moti illo: *Prophetam in Gentibus dedite*, Jetem. 1. 5. sed alius illius loci est sensus, ut ibi dixi.

B

Vers. 15 Dicit illis Jesus; Vos autem, quem me esse dicitis?] S. Hieronym. ex τῷ *vos autem*, per antitheſin ad *homines*; colligit Apostolos hic tacite deos quosdam a Christo vocari: *Illis*, inquit, *quia homines sunt humana opinantibus, vos, qui estis dii, quem me esse existimatis?* Quoad rem vero S. Chrysost. *Hac*, inquit, *secunda interrogatione monuit Dominus discipulos, ut majora de ipso cogitarent. Ipso enim interrogandi modo ostendit, illas vulgares opiniones multum a sua dignitate abesse*. Ait ergo:

C *Vos, qui mecum semper versantes plura me fecisse vidistis, qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis, quem me esse dicitis?*

Luc. 9. 20. Mar. 8. 29.

Vers. 16 Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi] *Simon Petrus*, qui in circumcisione nominatus est Simon, a Christo vocatus est Cephas, id est Petrus, Putant nonnulli Petrum quasi os Apostolorum non pro se solo, sed pro omnibus respondisse. Ita S. Hieronymus: *Petrus*, inquit, *ex persona omnium Apostolorum profitetur: Tu es Christus, filius Dei vivi*. Sic & S. Anselmus, S. Thomas, Glossa, Dionysius, Lyranus, Jansenius, & S. Augustinus de Verbis Domini serm. 13. & S. Ambrosius lib. de Incarn. cap. 4. Melius S. Hilarius, Abulensis, Maldonatus, Franc. Lucas, Barradius, & alii censent Petrum pro se & ex suo sensu locutum. Tacentibus enim Apostolis & hæsitantibus quid essent responsuri, Petrus cæteris sapientior (utpote illustratus & doctus a Deo) & fervention, ne quis indignius quippam de Christo responderet, prior responsum præripuit, ac pro omnibus respondit; non quod sciret omnium hanc esse mentem (nam cum nullo de hac re erat colloquutus) sed quod suam sententiam vellet omnibus esse communem, utque omnes ita sentire debere, uti ipse

Luc. 9. 20. Mar. 8. 29.

Petrus pro cæteris utpote sapientior & fervention respondet.

D sentiebat, ostenderet: atque hoc tantum voluit sanctus Hieronymus, & cæteri jam citati, scilicet quod Petrus quasi jam designatus, & post resurrectionem reipsa constituendus princeps Apostolorum & totius Ecclesiæ, altius præ aliis edoctus, & inspiratus a Deo cognoverit Christi divinitatem, ac de ea responderit id quod alii omnes respondere debuissent, quodque ipse responsuros putabat fervention, quam verius, ut colligitur ex Joann. 6. v. 69. & sequent. Id liquet ex eo, quod soli Petro ob meritum hujus confessionis, Christus promittat amplissimum præmium & prærogativam; ait enim ipsi nominatim præ cæteris Apostolis: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*.

Confessio Petri.

Tu es Christus Filius Dei vivi] Græce ὁ χριστὸς, id est, *ille Christus*, scilicet Messias a Deo ante tot sæcula Adæ, Abrahæ, Mosi, & Davidi promissus, quem omnes Patriarchæ & Prophetæ avidissimè expectarunt, hodieque omnes expectant. Tu, inquam, es Christus sive Messias, E id est, unctus a Deo unctione gratiæ unionis hypostaticæ cum Verbo, ac hoc ipso consecratus summus orbis Doctor, Pontifex, Propheta, & Rex: *Doctor*, ut doceas homines Dei voluntatem & legem; *Pontifex*, ut te in sacrificium Deo offerendo, mundum Deo reconcilies: *Propheta*, ut arcana Dei enunties, & futura prædicas, ac præsertim reposita in cælis piis præmia, & in gehenna impiis supplicia prædices, cunctisque inculces: *Rex*: ut dominaris cælo & terræ, omnibusque, quæ in eis sunt.

Filius Dei] Non per gratiam & adoptionem, uti sunt omnes Sancti, sed per naturam & deitatem tibi a Deo Patre per generationem æternam communicatam. Unde Græce est articulus habens emphasin ὁ υἱὸς, id est *ille filius*, scilicet unicus, naturalis, *duntaxat* patri: alioqui enim etiam Joannes Baptista, Elias, & Prophetæ erant filii Dei adoptivi, quibus tamen opponit & anteponit hic Christum, *Filium*, qui ita formaliter vivit vitam divinam, increatam & beatam, ut causaliter omnibus rebus a se creatis suam vim & vigorem, ac viventibus animam & vitam inspiret. Ab ipso enim velut a fonte & sole vitali, manat omnis lux & F vita omnium Angelorum, hominum, animalium & plantarum. Vide dicta Joann. 1. 4. ad illa: *In ipso erat*. Ita S. Leo ser. de Transfiguratione: *D. Petrus*, ait, *per revelationem summi Patris, corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, & confessus est gloriam Deitatis*. Sic & S. Chrysostomus, Hilarius, Theophyl, Euthymius, S. Augustinus ser. 33. de verbis Apostoli, & S. Athanasius serm. 3. contra Arrianos, & alii passim, qui ex hoc loco probant divinitatem Christi. Perperam ergo Erasmus censet illam ex hoc loco non posse clare probari, nimirum ipse hic & alibi jecit semina Arrianismi, quæ ejus sequaces excluserunt.

Porro S. Hilarius, S. Chrysost. & alii censent S. Petrum Primo omnium confessum esse Christi divinitatem. Alii negant, dicentes Nathanaelem ante Petrum eamdem esse confessum, dicendo: *Rabbi, tu es filius Dei rex Israel*, Joann. 1. 49. de quo ibidem dicendum. Sane Apostolos ante hanc Petri confessionem agnovisse Christum esse Deum ex ipsis ejus verbis, & tot tantisque miraculis ad hoc probandum factis, liquet ex verbis Petri, Joann. 6. 65. *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei*. Et ex verbis ipsorum Apostolorum: *Vere Filius Dei es*. Matt. 14. 33. Et ex continua Christi cum Judæis hac de re coram Apostolis disputatione, quam recenset S. Joannes cap. 5. & seq. Verum Apostoli, uti erant adhuc rudes, conceptum valde tenuem & confusum ha de re in mente sibi formabant, credebantque in genere Christum vere esse Filium Dei præ aliis Prophetis, imo esse Deum; sed qua ratione id esset, an per generationem æternam, an per alium modum vel denominationem ignorabant, & distincte concipere explicareque non poterant. Petrus autem id distinctè, clare, & sublimiter a Deo illuminatus agnovit, & primus hac de re interrogatus palam, constanter idipsum confessus, & professus est hoc loco, quod scilicet Christus proprie esset Filius Dei, id est, per generationem æternam genitus a Deo Patre, ideoque illi consubstantialis, ac verus æternusque Deus. Exegit hanc de se fidem Christus a Petro & Apostolis (Apostoli enim tacendo approbaverunt confessionem Petri, taciteque idem professi sunt) tum quia ipsa est fundamentum justificationis nostræ, tum quia instabat Christo passio & mors, in qua necesse erat Apostolos hac fide divinitatis Christi sustentari, H ne ipso mortuo putarent fidem & cætera omnia cum ipso esse mortua, ut patet v. 21. & sequent.

An Petrus primus confessus sit Christum esse Deum.

Vers. 17 Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est] q. d. Beatus, & felix es, o Petre, ob hanc novam de me fidem; hæc enim ingens est bonum & donum, non carnis, & sanguinis, id est naturæ, sed gratiæ Dei tibi id ipsum inspirantis & revelantis: fides enim hæc est initium & basis omnis gratiæ & gloriæ, ideoque hæc te, & multos per te tuumque exemplum, & prædicationem ducet ad beatitudinem æternam. Beatitudo enim viæ consistit in fide, & amore Christi; beatitudo vero patriæ in ejusdem visione, & fruitione, juxta illud Joann. 7. 2. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum*. Hinc Synodus Ephesina actione 3. *Ter beatissimus*, inquit, *& omni laude dignus Petrus Apostolus, qui est*

Beatitudo in quo sita?

Inde Papa dicitur Beatissime Pater.

A *est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Hinc & inolevit consuetudo fidelium; ut Pontifici loquentes dicant: *Beatissime Pater.* Unde S. Hieronymus ad Damasum Pontificem: *Ego*, inquit, *beatitudini tuæ, hoc est, cathedræ Petri consocior.*

Petri Pater vocabatur Joannes Crasi jonas.

SIMON BAR-JONA] id est, filius Jona. Pater enim Simonis Petri vocabatur *Johanna*, id est *Johannes*, ut patet Joannis 21. v. 15. id est, *Deus donavit*, vel *Deus misertus est*, aut *Dei donum*, gratia & misericordia, a יה *ja*, quod est contractum *Jehova*, id est Deus: & חנן *chanan*, id est, misertus est, donavit. Fuit ergo Petrus filius *Johanna*, vel *Johannis*, id est gratiæ Dei, quia Deo gratissimus, & gratia ejus plenissimus, sicut Gentiles eum, qui donis omnibus erat cumulatus, vocabant filium gratiarum. Porro per crasin pro *Johanna* dicitur *Jona*, quod proprie columbam significat. *Sic Emmanuel* contrahitur in *Manuel* & *Noel*. *Sic Jesajahu, Jirmjahu, Eliahu*, similiaque Hebraica nomina contrahuntur in *Isaias, Jeremias, Elias*. Sic pro *Johannes* Germani contracte dicunt *Hans*. Belgæ *Jan*, Hispani *Juan*, Franci *Jean*. Nisi malis *Johanan* & *Jona* esse duo nomina inter se diversa: differunt enim tam voce, quam significatione; sed ita ut Jona alludat ad Johanan, & occasione Johanan inditum sit Petro: sic ut pater Petri fuerit binomius, priusque dictus sit Johanan, deinde brevioris pronuntiationis causa, quasi alio vel alienato nomine dictus sit Jona. *Sic* enim plura nomina deflexa, & decurtata sunt, ut alia plane esse videantur. Notat S. Chrysostomus, Christum Simoni addere τὸ *Barjona*, non solum more Hebræorum, qui filiis semper addunt nomen patris, sed ob peculiarem respectum ad responsionem Petri, quasi eam confirmet Christus, dicatque: Vere dixisti, o Petre, me esse Filium Dei, quia sicut tu es *Barjona*, id est filius Jona, utpote ab eo naturaliter quoad substantiam genitus quasi homo ab homine, sic ego sum Filius Dei Patris, utpote ab æterno naturaliter ab eo generatus quasi Deus de Deo, ejusdem cum illo substantiæ, & deitatis.

Noel nomen contractum ex Emmanuel.

B

Symbol.

Symbolice *Jona*, id est *columba*, symbolum est Spiritus sancti, qui in specie columbæ in Christum devolavit. Matth. 3. 16. hic enim in Petrum quoque descendit, eique revelavit Christum esse vere & proprie Filium Dei. Ita

C S. Hieronymus: *Ex confessione*, ait, *Petrus sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus & filius appellandus sit. Si quidem Barjona in lingua nostra sonat filium columbæ. Quia caro & sanguis non revelavit tibi*, id est carnales parentes, amici, & quivis homines, qui carne & sanguine constant, non revelarunt tibi me esse Filium Dei, utpote quod omnem naturam & naturalem cognitionem omnium hominum & Angelorum longe transcendit, sed Pater meus cælestis suæ gratiæ illustratione id tibi patefecit; *Quod caro & sanguis revelare non potuit, Spiritus sancti gratia revelatum est*, ait S. Hieronymus. Sic caro sumitur pro homine carneo synecdochice Galat. 1. 16. Joann. 1. 13. & 1. Cor. 15. 50. S. Hilarius vero per carnem accipit carneos Petri oculos: hi enim nuntiabant Petro Christum esse hominem, eum vero esse Deum, non nisi revelatio Patris illi intimavit. Licet enim Petrus exterius audiret verba Christi, dicentis se esse Filium Dei, idque per miracula confirmantis, tamen ad credendum opus fuit interna Spiritus sancti illuminatione, & gratia.

VERS. 18

D ET EGO DICO TIBI: QUIA (quod) TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM] *Et ego*, Græce κἀγὼ, id est, *sed & ego*, vel *ego autem* loco mercedis tibi rependo, & vicissim dico, promittoque: Nam, aut ait S. Hieronymus, *Testimonio de se Apostoli reddit vicem. Petrus dixerat: Tu es Christus Filius Dei vivi: mercedem recipit vera confessio*, scilicet hanc: *Tu es Petrus*. Ego ergo, qui sum verus Dei Filius, uti professus es, tamquam Dei Filius tibi dico, & certo assevero, ac dicendo facio & constituo te Petrum, ut scilicet post me sis petra Ecclesiæ. Christus promiserat hoc nomen Simoni Joann. 1. 42. dicens: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, hic vero promissum præstat, ac reipsa ei nomen *Petrus* indit. Rursum S. Leo serm. 3. in Anniversar. assumptionis suæ sic explicat: *Et ego dico tibi, hoc est, sicut meus Pater tibi manifestavit divinitatem meam, ita & ego notam facio tibi excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra*, &c. *tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM] Sensus est, q. d. Tu es Petrus, id est petra Ecclesiæ: super te enim quasi super petram firmissimam ædificabo Ecclesiam meam, τὸ enim & dat causam cur sit *Petrus*, q. d. Tu es Petrus, quia super te quasi petram ædificabo Ecclesiam meam. S. Aug. tract. 27. in Joannem, & lib. 1. Retract. cap. 1. *Super hanc petram*, hoc est, inquit, super meipsum, quia *petra erat Christus*. 1. Cor. 10. 4. quod avide sequitur Calvinus lib. 4. Institut. cap. 6. §. 6. & hæretici, ut Petri & Papæ auctoritatem & primatum evertant. Verum ipsum Petrum hic dici petram, reliqui omnes Patres quasi universim conspirant, quos fusè citat hic Calvinomastix Maldonatus & Bellarminus lib. 1. de Romano Pontif. cap. 10. Sensus ergo est, q. d. Tu es Kepha sive Cephas, id est petra, sive saxum durissimum, & firmissima cautes (hanc enim significat Hebr. כֵּף *keph*, & Chaldæum, Syrumque כֵּפָא *kepha*) a me designata & destinata, ut post mortem meam, recepto in Pentecoste Spiritu sancto, plane solidata, & roborata sis fundamentum Ecclesiæ, quam super te ædificabo: nam ante adventum Spiritus sancti Petrus necdum petra erat Ecclesiæ, imo Christum in passione ex timore negavit. Vox ergo Petri & petræ notat S. Petri quasi principis Ecclesiæ & successorum ejus Pontificum soliditatem & constantiam in fide, & religione Christi, uti inter alios docet Angelus Caninius in nomin. Hebr. novi Testamenti cap. 13. 1.

E Petrus est petra & basis Ecclesiæ.

F

Porro Petrum hic vocari petram probatur Primo ex pronomine *hanc*, cum ait: *Super hanc petram*; hoc enim, cum sit demonstrativum, sic intelligi debet *hanc*, scilicet, quam jam dixi, & cui loquor. q. d. Tu es Petrus, id est petra Ecclesiæ, & super te quasi super petram ædificabo Ecclesiam meam. Nullius enim alterius petræ facta est mentio, quam demonstrare possit pronomen *hanc*, nisi Petri; secus est 1. Cor. 10. ibi enim dicitur: *Bibebant de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus*, præcessit enim vox *petra*: quam explicans ait eam fuisse, typice scilicet, id est representasse Christum; sicut si Gallice locutus fuisset Christus, dixisset: *Tu es Pierre, & sur ceste pierre je bastiray mon Eglise.*

Prob. Primo.

Dices: Christus non dicit: *Tu es Petra*, sed *tu es Petrus*. ergo pro nomen *hanc* nequit referre Petrum. Resp. Christum Syriace locutum dixisse: Tu es *kepha*, & super hanc *kepha* ædificabo, &c. *Kepha* enim dicitur petra, & inde Petrus Syriace dictus est *kepha*. Verum Græcus interpres, eumque secutus Latinus, nomen ei quasi viri dederunt masculinum, scilicet Petrus, potius quam Petra, quod est femininum: sed Πέτρος Græce æque ac πέτρα, petram sive lapidem significat. Petrus ergo idem est, quod petra, sed interpres elegantiæ causa variavit, vertitque: *Tu es Petrus & super hanc petram*, non super hunc Petrum (uti vero & proprio sensu dicere potuisset) tum quia petra usitatius lapidem vel saxum, quam Petrus significat Græcis: tum quia domus proprie ædificantur super saxa, non super homines. Fatetur id Beza hic: *Dominus*, ait, *Syriace loquens, nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit* Cepha: *quemadmodum & vernaculum nomen* Pierre, *tam de proprio, quam de appellativo dicitur; in græco quoque sermone* πέτρος *&* πέτρα, *non re, sed terminatione tantum differunt.* Hucusque recte, sed perperam quod subdit: *Sed videtur Matth.* (*aut si quis ejus fuit interpres*) *hoc terminationis discrimine voluisse Petrum* (*qui pars est ædificii*) *ab ipsa petra, cui innititur ædificium, id est a Christo ipso distinguere, ipsumque adeo Petrum a fidei promissione, quæ toti Ecclesiæ est communis, quod veteres etiam aperte testantur, ut plane sit ridiculus Antichristus* (ita vocat hæreticus Romanum Pontificem) *cum ex hoc loco tyrannidem suam stabilire conatur.* Quam hoc petulanter & falso dicat, vide & disce ex locis ipsis originalibus Patrum, quos citat Bellarm. & Maldonat. ut dixi. Rursum interpreti præferendus est ipse Scripturæ textus, nec aliud voluit interpres Græcus, quam quod ipse Syriacus textus, uti paulo ante dixi. Mitto alia plura, quæ jam ex dictis vel mox dicendis falsa esse constabit.

G

H

Secundo, idipsum patet ex eo, quod nulla sit connexio dicere: *Tu es Petrus, & super me petram ædificabo Ecclesiam meam.* Imo est imminutio sermonis, & beneficii dati eversio. Diceret enim Christo Petrus: Ego sum Petrus, id est petra Ecclesiæ: quomodo ergo non super me, sed super te ædificas Ecclesiam tuam?

Secundo.

Tertio, quia omnia antecedentia & sequentia non nisi Petrum spectant, & respiciunt: *Et ego*, inquit, *dico*

Tertio.

A *tibi*, o Petre, hoc est, tantæ fidei & confessionis præmium & prærogativam tibi do & assigno, ut post me meamque mortem & resurrectionem te facturus sim petram & fundamentum Ecclesiæ, hoc enim significat τὸ *ædificabo Ecclesiam meam*.

Quarto. Quarto, quia versiones originales & orientales in hoc conspirant, ut *Petrus* sit idem quod *petra*, & *petra* idem quod *Petrus*: unde idem nomen *Kepha* dant *Petro* & *Petræ*: Christus ergo inquit Angelus Caninius in nomin. Hebraicis novi Testamenti capite 13. Syriace sic dixit: אנת כפא וׄעל כפא הדן אבני ית צבורי *Ant kepha, Veal kepha hadden ebne jat ṣibburi*, vel ut jam habet Evangelium Syriacum: *Ant hu kipha, Veal hada kipha ebne leidti*, id est, *Tu es Cepha*, id est petra, *& super hanc Cepha*, id est petram (hoc est super te, qui es Petrus sive petra) *ædificabo Ecclesiam meam*. Quin & Evangelium Hebraicum, quod quasi autenticum & autographum Matthæi edidit Sebastianus Munsterus, simili modo habet: אתה ביפא ועל כיפא הזאת אבנה הת מקלי *Atta kepha, Veal kepha hazzot ebne eth macheli*. Sic & Evangelium Armenorum: *Is bim*; inquit, *e vera ais bim*, id est, es rupes, & super hanc rupem ædificabo, &c. Et Evangelium Arabicum: *Anal ſaura, va ala hada al-ſaçhra abni bajati*; Tu es Saxum, & super illo saxo ædificabo Ecclesiam meam. Æthiopicum Evangelium habet: *Anta quoqueh va dibazati, queqh anneſa libeita Chriſtianei*, id est, *Tu es rupes, & ſuper hanc rupem fabricabo domũ Chriſtianam*, id est Ecclesiam. Ægyptium vero Copticum: *Ego vero dico tibi, quia tu es hic Petrus, ſundabo Eccleſiam meã ſuper hanc petram*, quæ non alia est, quam hic Petrus, alioqui non est connexio: dat enim causam τῷ *quia*, cur super petram fundabit Ecclesiam, quia scilicet Petrus erit petra solida, cui secure tota Ecclesia quasi fundamento firmo fundata incumbat. Persicum autem: *Ego dico tibi, quia tu es ſanac, id eſt petra; & ſuper hanc ſanac*; id est petram, *ædificabo Eccleſiam meam*. Porro paraphrastes Persicus *ſanac*, id est petram explicat, addens: *Tu es petra, id eſt fundamentum & judex*. Vide Petrum Victorem in Annotat. ad novum Testamentum pag. 105. & 102. ubi omnes hasce versiones fuse enarrat.

Ad S. Augustinum respondetur ipsum deceptum fuisse ignoratione linguæ Hebraicæ & Syriacæ, ideoque putasse Petrum aliud esse a petra, & ab ea denominative dici quasi Petreium, cum ex Syro constet idem esse Petrus quod petra. Rursum S. Augustinus admittit ut probabilem eorum expositionem, qui dicunt Petrum esse petram Ecclesiæ, quo jugulat Calvinum, qui censet id dicere esse blasphemiam in Christum. Audi S. August. in serm. de Cathedra Petri: *Denique pro ſoliditate devotionis Eccleſiarum Petra dicitur; ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur, eo quod primus nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat. Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur; ſicut ait Apoſtolus: Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus, recte conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum ſubminiſtrat.* Idem Aug. ser. 16. de Sanctis: *Dignus*, inquit, *qui ædificandis Dei populis Petrus eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum.*

D Denique etiamsi admitteretur illa expositio S. Augustini, quæ tamen non est genuina: nimirum petram denotare Christum, tamen inde convincetur Petrum post Christum, qui est petra & lapis angularis Ecclesiæ, proximam esse petram fundamentalem Ecclesiæ. Sensus enim esset: Ego sum Petra, super quam ædificabo Ecclesiam; tu vero, o Petre, mihi es proximus & proxima Petra Ecclesiæ, super quam proxime post me ædificabo Ecclesiam meam: ideoque te solum voco Petrum, cum antea vocareris Simon. Iisdem argumentis refelluntur centuriatores Magdeburg. lib. 1. cent. c. 4. & Genevenses ministri, qui in suis Bibliis sic exponunt: *Super hanc petram*, id est super hanc confessionem vel fidem, scilicet quod ego sim filius Dei. Nusquam enim antea hæc confessio vocata est petra, sicut Petrus immediate ante vocatus est Cephas, id est petra.

An fides sit petra Ecclesiæ. Dices: Nonnulli Patres per petram accipiunt fidem, quam confessus & professus est Petrus. Ita S. Chrysost. S. Hilarius lib. 6. de Trinit. S. Cyrillus lib. 4. de Trin. S. Ambrosius lib. 6. in Lucam c. 9. Resp. Hi Patres fidem non abstracte accipiunt, sed fidem prout erat in Petro, ac consequenter ipsum Petrum faciunt petram Ecclesiæ, uti ipse mox diserte explicant. Volunt enim dicere Petrum ob meritum fidei accepisse dignitatem petræ in Ecclesia, uti expresse ait S. Hilarius, & Chrysostomus, ob illam enim meruisse, ut ipse sit fundamentum Ecclesiæ, ejusque fides deficere nequeat, ut ipse alios in fide confirmet & sustentet. Lucæ 22. v. 32. Ecclesia enim non ex fide, sed ex ipsis hominibus fidelibus quasi partibus conflatur, & integratur (Ecclesia enim non est aliud, quam cœtus fidelium) quare & ipsum Ecclesiæ caput, ut sit corpori homogenеum homo fidelis, puta Petrus & Pontifex sit oportet. Fides ergo est ratio fundandi, fundamentum vero est ipse Petrus. Ita S. Chrysostomus, Cyrill. lib. 4. de Trinit. & S. Ambros. lib. 6. in Luc. cap. 9. Bellarm. lib. 1. de Pontif. c. 10. ubi pariter refellit Erasmum, & Chytræum, qui ex Origene more suo allegorizante, per petram accipiunt omnes fideles. Sic enim tota Ecclesia esset petra: tota enim Ecclesia non aliis constat, quam fidelibus, ubi ergo erunt parietes, tabulata, & tectum Ecclesiæ? Ex quibus illa ædificabuntur? Vide & Gretserum in defensione Bellarmini l. 3. c. 5. F

Denique Christus hoc tribuit Petro, ut Pontifici futuro Ecclesiæ: quare idem tribuit cæteris Pontificibus ejus successoribus; ideoque in bonum Ecclesiæ, ut scilicet illa ab eis quasi a Petra, in fide & religione Christiana soliderur. Quocirca S. Bernardus lib. 2. de Consider. ad Eugenium Pontificem: *Quis es?* inquit, *Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel; gubernatu, Noe; patriarchatu, Abraham; ordine Melchiſedech; dignitate, Aaron; auctoritate, Moyſes; judicatu, Samuel; poteſtate, Petrus; unctione, Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt.* Tituli Pontifici.

ET SUPER HANC PETRAM] Hinc patet, quod sicut *Cephas* dicitur a *Cepha*, sic Petrum dici a petra, imo idem esse quod petra, uti jam ostendi, Quare, quod Optatus Milevit. l. 2. contra Parmen. & alii *Cephas* derivant a Græco κεφαλὴ id est *caput*, per allusionem congruam, non per veram nominis ethymologiam est factum. Simili allusione S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Pascha, Phase sive Pascha, quæ Hebræa est vox, ut omnes norunt ex Exodi c. 12. derivat a Græco πάσχειν, id est pati. In Paschate enim contigit passio Christi, ejusque quasi agni Paschalis immolatio. Porro Christus hoc nomen petræ, præ aliis nominibus columnæ, turris, anchoræ, basis, &c. Petro indidit, quia ipsius Christi nomen in Scriptura decantatum est petra, Isaiæ 28. 16. Psal. 117. 22. Matth. 21. 24. & alibi: nomen ergo suum cum dignitate, & officio Petro communicavit. Ita S. Hieronymus. Et S. Gregorius in Psal. 7. pœnit. *Chriſtus*, ait, *eſt petra, a qua Petrus nomen accepit, & ſuper quam ſe ædificaturum dixit.* Audi S. Leonem ser. 3. in Anni vers. assumpt. suæ, qui Christum ita ad Petrum loquentem inducit: *Cum ego ſim petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, tua ſint mecum participatione communia; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Super hanc, inquis, fortitudinem æternum extruam templum*, &c.

ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM] q. d. Ideo voco te Petrum, & petram, quia sicut super petram ædificatur domus, ut illi innixa sit firma & immobilis contra omnes ventorum flatus; sic ego super te, Petre, quasi super petram firmissimam ædificabo Ecclesiam meam, ut tibi innixa firma consistat contra omnes hæreticorum & impiorum insultus, utque tu eam in vera fide & cultu Dei contineas & sustentes, sicut petra quasi fundamentum sustinet, & continet totam domum in ea ædificatam. Ita S. Ambr. ser. 4. *Petra*, ait, *dicitur Petrus, eo quod tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque ſuſtineat.* H

S. Petrus fundamentum totius Ecclesiæ. Dices: Fundamentum Ecclesiæ sunt omnes Apostoli, ut patet Ephes. 2. 20. & Apoc. 21. 19. Ergo non solus Petrus est petra Ecclesiæ. Respondeo Petrum esse petram & fundamentum totius Ecclesiæ, omniumque omnino fidelium, adeoque ipsorum Apostolorum: Petri enim quasi primatis & principis erat, Apostolos in fide, religione & officio continere, dirigere, firmare, & sicubi errarent, corrigere. Unde S. Hieron. l. 1. contra Jovin. *Propterea*, ait,

A ait; *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Et S. Cyrianus tract. de Unitate Ecclesiæ: *Primatus*, ait, *Petro datur, ut una Christi Ecclesia & cathedra una monstretur.*

Nota: Christus hic duabus metaphoris promittit, ut ait S. Hieronymus, Petro Ecclesiæ principatum dandum illi post suam mortem ac resurrectionem Joann. 21. v. 16. cum illi dixit: *Pasce oves meas.* Prima metaphora est fundamenti sive petræ fundamentalis. Quod enim in ædificio est petra & fundamentum, hoc in corpore est caput, in civitate rector, in regno rex, in Ecclesia Pontifex. Secunda est clavium: claves enim non nisi regibus vel gubernatoribus dantur.

Ædificare Ecclesiam super hanc petram, quid?

Nota secundo: Ædificare Ecclesiam super hanc petram, duo significat. Primo, huic lapidi rationali, scilicet Petro quasi capiti omnium Apostolorum, & totius Ecclesiæ curam & regimen proxime post Christum incumbere. Ita S. Chrysost. hom. 55. Ambros. serm. 37. S. Gregorius lib. 4. ep. 32. Secundo Ecclesiam Petro, ut vicario est Christi, velut fundamento inniti & solidari, ut in fide errare non possit. Unde Petrus propter tam sublimem fidei confessionem meruit a Christo fieri & institui hæc petra fundamentalis. Et hoc tantum volunt SS. Hilar. Chrysostom. Cyrillus, & Nyssenus in fine libri contra Judæos, cum dicunt Ecclesiam a Christo ædificatam esse super fidem & confessionem Petri, ut superius exposui. Porro S. Chrysostomus hic urget τὸ *ædificabo*, aitque simile esse illi, *dixit Deus*. Genes. 1. quo omnia creata sunt, & subsistunt. Similiter enim ait τὸ *ædificabo*, omnia operatus est, etiam tyrannis oppugnantibus, militibus arma moventibus, populis insanientibus, obluctante consuetudine. Sermo enim Dei velut ignis validus adveniens spinas consumpsit, agros repugnavit, solum præparavit, ædificium in altum eduxit, &c. Quocirca S. Hieron. ep. 57. dum consulit Damasum Pontificem, an in S. Trinitate dicendæ sint tres hypostases, an una dumtaxat? sic ei loquitur: *Cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, hoc est cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noe non fuerit, ribit regnante diluvio.*

B

C Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam] Ecclesiam scilicet, quia hæc fundata est in Petro, ejusque successoribus: quasi in petra firmissima.

Portæ inferi quid?

Portæ inferi] id est, civitas inferorum, puta totus infernus cum omni suo dæmonum exercitu, cumque omnipotentia regis sui Luciferi: hanc enim opponit civitati suæ & Dei, scilicet Ecclesiæ. Unde S. August. scripsit libros de Civitate Dei, in quorum initio duas constituit civitates sibi oppositas; unam Dei, quæ est Ecclesia; alteram diaboli; id est dæmonum & impiorum: maxime tamen per portas inferi intelligit hæreses & hæresiarchas: hi enim fidem Petri, & Ecclesiæ ex professo oppugnant, prodeuntque ex inferno, & suscitantur a diabolo. Ita S. Epiphanius in Ancorato non longe post initium. Est synecdoche & metonimia; per portas enim intelligit totam urbem, tum quia per portam est ingressus in urbem: tum quia munimenta, & robur præcipuum civitatis solet esse in portis: unde iis murisque vicinis salvis salva est urbs, iis captis capta est urbs.

Non prævalebunt] Hebr. לא יוכלו לה *lo juchelu la*, id est, non poterunt ei (Ecclesiæ) scilicet resistere. Ita S. Hilarius, & Maldonatus. Simplicius *non prævalebunt*, id est non vincent, non superabunt, non everrent Ecclesiam. Hoc enim est Græcum κατισχύσουσιν αὐτῆς. Est miosis; parum enim dicitur, sed plus significatur, nimirum quod Ecclesia adeo non vincetur, ut ipsa vincat, sibique subjuget omnes hæreticos, tyrannos, cæterosque hostes, uti debellavit Arrianos, Nestorianos, Pellagianos, Neronem, Decium, Diocletianum, &c. Igitur hac voce Christus primo Ecclesiam animat, ne sit pusillanimis, cum videt se omnibus viribus a Satana & impiis oppugnari. Secundo, illi classicum canit, ut semper excubet armata contra tot hostes, internecionis odiis illam prosequentes. Tertio, illi æque ac capiti ejus Petro, id est, Pontifici promittit de omnibus victoriam, & triumphum. Ratio est, quia Christus ei assistit, & pro ea pugnat. Rursum Christus & Spiritus sanctus peculiari cura assistunt capiti ejus Romano Pontifici, ut in fide non erret, sed firmus sit, ut adamas, ait S. Chrysostomus; utque Ecclesiam recte administret & regat dirigatque in viam salutis, sicut direxit Noe & arcam, ne mergeretur diluvio. Quocirca S. Chrysost. hom. 4. de Verbis Isaiæ: *Facilius*, inquit, *est solem extingui, quam Ecclesiam obscurari.* Et tom. 5. in orat. de non contemnenda Ecclesia: *Quid Ecclesia Dei potentius esse potest? Mœnia Barbarâ destruunt: Ecclesiam vero ne dæmones quidem superant! Cum oppugnatur, vincit: cum appetitur insidiis, superat.* S. August. in Psal. contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *sacerdotes vel ab ipsa sede Petri. Ipsa est petra, quam non vincunt superbe inferorum portæ.* Id maxime patuit in conversione omnium gentium & præsertim Romæ, & Romanorum. Roma enim caput orbis æque ac idololatriæ, ubi omnium gentium colebantur idola, ab iis conversa est a S. Petro, ejusque successoribus, ac superbum caput subjecit cruci Christi, quod miraculum fuit miraculorum maximum.

D

Ecclesia semper invicta.

E

Et tibi dabo claves regni cælorum] *Tibi*, quatenus ex una persona, scilicet Bat-Jona, sive filius Jonæ, ut patet ex omnibus antecedentibus & sequentibus. Non ergo hic Petro in persona Ecclesiæ, hoc est ipsi Ecclesiæ primario a Christo promissæ sunt claves cæli, ut volunt hæretici, sed ipsimet Petro, tamquam capiti Ecclesiæ: & per eum Ecclesiæ, ejusque ministris, uti & eidem speciatim illæ datæ, & consignatæ sunt a Christo post resurrectionem; cum dixit: *Pasce oves meas.* Joann. ult. Ita passim Patres Græci & Latini, quorum verba recitat Bellarminus l. 1. de Pontifice cap. 12. ubi pariter fuse ostendit; non aliud voluisse S. Augustinum, cum ait Petrum gessisse figuram Ecclesiæ, quia scribit Petrus repræsentabat Ecclesiam, sicut rex regnum, sic enim se explicat ipse S. August. tract. ult. in Joannem, dum ait: *Cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum gerebat figuratam generalitatem personam.* Et in Psalm. 108. *Cujus* (Ecclesiæ) *ille agnoscitur gessisse personam propter primatum, quem in discipulis habuit*, quia propter bonum Ecclesiæ Petrus velut ejus caput claves a Christo accepit, ex quibus etiam patet Christum promittere claves Petro, ut futuro Pontifici; ac consequenter easdem promittere reliquis Romanis Pontificibus Petri successoribus. Christus enim hoc loco prospexit Ecclesiæ suæ perpetuo duraturæ de re maxime necessaria, & summi momenti, scilicet de capite perpetuo, ac optimum, & perpetuum in ea regimen instituit, scilicet monarchicum, ut ab uno Romano Pontifice una Christi regatur Ecclesia, ut docet S. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. & alii passim. Cavillationes Novatorum Calvini posterorum circa hunc locum recte diluit, & confutat noster Gretserus, & post eum Adamus Contzen, insignis hæresomastiges.

Vers. 19

Petro datæ claves, non Ecclesiæ.

F

Claves] Quæres, quidnam hic significent claves? Respondet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 6. §. 3. ejusque sequaces, significare potestatem annuntiandi tum Evangelium, tum remissionem peccatorum ei, qui dumtaxat credit Evangelio illam promittenti. Verum hoc insulsum est & ridiculum. Clavibus enim aperiuntur ostia, non ora prædicantium. Unde claves insigne sunt regum & regentium, non doctorum & docentium, vel prædicatium. Quare claves significant proprie jus regendi, ad quod pertinet non sola potestas prædicandi Evangelii, sed & absolvendi a peccatis, præcipiendi, ordinandi sacerdotes, interpretandi S. Scripturam, excommunicandi, cæteraque omnia, quæ ad bonum regimen Ecclesiæ spectant, peragendi.

Claves datæ Petro.

G

Dico ergo: Per *Claves* hic significatur summa potestas tum ordinis, tum jurisdictionis in totam Ecclesiam, Petro hic a Christo promissa & tradita. Joann. ult. v. 16. hoc enim fine traduntur claves urbium regibus, & principibus. Et ita claves explicat Christus in sequentibus, dicens: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. Qui enim claves habet domus vel civitatis, illius est & dominus, us ad libitum eam aperiat vel claudat, & quos velit, in illam admittat, quos nolit, excludat. Alludit ad Isaiæ cap. 22. ubi Deus Eliakim Pontifici veteris Testamenti principatum synagogæ promittens, ait: *Et dabo clavem domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Vide ibi dicta. Porro Eliakim typus fuit Christi Pontificis, de quo dicitur Apoc. 21. 2. *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Sensus ergo est, q. d. Christus: Ego, o Petre, dabo tibi quasi Pontifici, ac consequenter Pontificibus cæteris tibi succedentibus, claves regni cælorum, id est, summam potestatem

H

Notanter summam ejus potestatem.

Digitized by Google

A regendi universam Ecclesiam toto orbe dispersam, ut clavibus, id est potestate tua aperiendo, vel claudendo hominibus Ecclesiam, eisdem pariter aperias vel claudas cælum. Ubi nota non dixisse Christum: Dabo tibi claves regni terrarum, ne terrena & temporalis putaretur hæc potestas, sed *regni cælorum*, ut significaretur hæc potestas proprie & directe extendi ad spiritualia, quæ spectant ad regnum cælorum; ad temporalia vero non nisi indirecte, quatenus scilicet ad spiritualia, ut necessaria, vel valde utilia referuntur. Ita S. Chryrost. hic hom. 55. docet, per hasce claves Petro a Christo traditas, Petri curæ & regimini commissum esse universum mundum, ipsumque creatum esse pastorem, & caput totius Ecclesiæ. Sic & S. Greg. l. 4. ep. 32. *Cunctis*, ait, *Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est.* Ac rationem statim subjicit; *Ipsi quippe dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum.* Sic & S. Hilarius hic, & S. Leo serm. 2. in Anniversar. assumpt. & alii passim. Audi S. Aug. serm. 28. de Sanctis: *Solus Petrus inter Apostolos meruit audire; Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.* Hinc S. Ambros. lib. 2. ep. 13. ad Marcellinam sororem, narrans luctam, quam habuit cum Arrianis, qui postulabant tradi sibi claves Basilicæ Mediolani, cui præerat Ambrosius, idque jussu Imper. Valentiniani junioris, quem regebat Justina mater Arriana: *Mandatur*, inquit, *Trade basilicam. Respondeo, nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum privati nullo potes jure temerare; domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus, Scriptum est; Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari: ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicarum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.* Sic Hosius Episcopus Cordubensis, præses Concilii Nicæni Constantio Imp. Arriano, idem postulanti constanter respondit, ipsi deberi claves urbium, claves vero Ecclesiæ soli Pontifici; *Tibi*, inquit, *Deus imperium commisit; nobis, quæ Ecclesiæ sunt, credidit.*

Narrat S. Ambros. suas suam cum Arrianis luctam.

Hosii Episcopi constantia.

C Tropol.

Tropologice: Claves notant industriam, dexteritatem, & sapientiam regendi, quæ debet esse in Pontifice: nam clavis dextere seræ imponi, aptari, & circumagi debet, ut ostium aperiatur; sic *ars artium est regimen animarum*, ait S. Gregorius in Pastorali.

ET QUODCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM, ERIT LIGATUM ET IN CÆLIS; ET QUODCUMQUE SOLVERIS SUPER TERRAM, ERIT SOLUTUM ET IN CÆLIS] *Quodcumque* id est quemcumque; sed dicit *quodcumque*, quia genus neutrum amplius & universalius est genere masculino. Nam Pontifex non tantum homines ligat & solvit, sed & peccata, vota, juramenta, &c. Translit a metaphora clavium ad metaphoram vicinam ligandi, & solvendi: vicina enim sunt aperire & claudere, ligare, & solvere. Unde per eam idem significat, quod per claves, & per petram, nimirum summam potestatem Petri & Pontificum in regenda Ecclesia. Potestas ergo ligandi amplissima est, & varie exercetur a Petro & Pontifice. Primo, culpam & peccatum non absolvendo, sed retinendo, ac absolutionem sacramentalem in Pœnitentiæ Sacramento, ei, qui indignus & indispositus est, negando, æque ac Eucharistiam, aliaque Sacramenta, Joann. 20. 21. Secundo, pœnitentiam lapsis injungendo. Tertio excommunicatione, aliisque censuris Ecclesiasticis reum innodando. Quarto, legibus, & præceptis, v. g. festorum, jejuniorum, decimarum, &c. fideles constringendo. Quinto, obligando Christianos definitionibus fidei, dum Pontifex ex cathedra definit, & declarat quid credendum sit, quid ut erroneum & hæreticum respuendum: quæ religio bona sit, quæ non: quis status vitæ honestus sit & licitus, qui non, &c. Hinc a contrario liquet, quid sit solvere, scilicet ab obligationibus hisce jam dictis absolvere & liberare.

Potestas ligandi quinto-plex.

D

Explicat ergo Christus hic potestatem clavium per metaphoram non aperiendi & claudendi (quæ duo sunt propria clavium officia) sed per aliam efficaciorem, scilicet vinculorum, iis homines ligando, vel ligatos absolvendo; quam in omnes omnino homines totius orbis a Christo accepit S. Petrus, & ei succedens Romanus Pontifex, qui tamen illam derivat, prout ei libuerit, in Episcopos, pastores, aliosque ministros Ecclesiæ sibi subditos, ideoque Christus cæteris quoque Apostolis dixit Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*; quibus verbis eadem potestas datur Apostolis a Christo in totum orbem, quæ datur hic Petro; sed peculiariter eadem hic datur soli Petro, ut significetur ipsum in hac potestate esse primum & principem, ut cæteros Apostolos quasi sibi subditos, suæque curæ commissos, in ea dirigere, arctare, corrigere possit, & subinde debeat, imo eamdem, si opus foret, eis adimere & auferre. Unde Synodus Alexandrina, cui præsedit S. Athanasius, ex sententia Concilii Nicæni scribit Felici Papæ: *Romane sedi ab ipso Domino potestatem ligandi, & solvendi speciali privilegio super alios esse concessam.*

E

Potestas Pontificis in defunctos.

SUPER TERRAM] Nota: potestas Petri, & Pontificis etiam se extendit ad eos, qui sunt sub terra in inferno vel purgatorio; ut cum quem, ob scelus in vita admissum, post mortem jam vita fructum excommunicat, privatque Ecclesiæ suffragiis, uti excommunicat hæreticos: aut cum quem in vita excommunicatum, post mortem excommunicatione absolvit, uti ab ea absolvit S. Gregorius monachum cum pecunia defunctum, teste Joanne diacono in ejus vita lib. 2. c. 45. item cum dat indulgentias pro defunctis, sive eas det per modum solutionis dumtaxat, qua pœnas, quas illi debent, ex thesauro Ecclesiæ, puta ex pœnis Christi & Sanctorum Deo exsolvat; sive etiam eas det per modum juridicæ absolutionis, absolvendo eos a pœnis, quas debent, uti volunt nonnulli cum Michaele Medina.

F

S. Gregor. mortuum ab excommunicatione solvit.

Dices: Quomodo ergo hic dicitur *super terram*? nam qui sunt in purgatorio, sunt sub terra, non super terram. Resp. Primo τὸ *super terram* referendum esse ad τὸ *ligaveris & solveris*, puta ad Petrum ligantem & solventem; non vero ad res vel homines ligandos & solvendos, q. d. Quidquid tu, o Petre, existens super terram ligaveris vel solveris, hoc Deus ratum habebit, censebitque ligatum vel solutum in cælo. Opponit enim judicium Petri in terra judicio Dei in cælo; nam alioqui in cælo nulla est res liganda vel solvenda, sicut ergo τὸ *in cælo* referendum est ad Deum ligantem, vel solventem, non ad rem ligatam vel solutam; sic & τὸ *super terram*, quod illi opponitur, referendum est ad Petrum ligantem vel solventem, non ad rem ligatam vel solutam. Ne quis enim Petri judicium velut terrestre contemneret, Christus asseverat idem esse judicium cæleste Dei, quodque, ut ait S. Chrysostomus: *Quamvis Petrus homo sit mortalis, cælesti tamen polleat potestate*, ut quod ipse judicarit in terris, Deus idem judicaturus sit in cælis. Judicium enim Dei sequitur præjudicium Petri: ejus enim præjudicatam sententiam Deus non revocat, sed ut suam approbat, & confirmat. Unde exclamat S. Hilarius: *O beatus cæli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cælo.*

G

Secundo, potest tamen τὸ *super terram* referri quoque ad res, puta ad homines ligandos vel solvendos, ut verba Christi completum habeant sensum: sed tunc τὸ *super terram* comprehendit quoque eos, qui sunt in terra, vel sub terra: opponitur enim τὸ *in cælo*, quia Græcum ἐπὶ, & Latinum *super*, ac Hebræum עַל *hal* ample accipitur; unde hic potest accipi pro *in*, hinc Syrus vertit, *in terra*. Sic enim directè opponitur solutio in terra Petri solutioni Dei in cælo. Simili modo Græci dicunt, ἐπὶ ξένης εἶναι, id est, *in peregrina terra esse*. Aliter Salmeron: Mortui, inquit, quoad aliquid sui, scilicet quoad famam & corpus, sunt super terram: unde in his a Pontifice plecti possunt super terram. Verum non tantum corpus, sed & anima eorum, quæ est sub terra a Pontifice ligari vel solvi potest, uti paulo ante ostendi. Porro Gelasius Pontif. 24. q. 2. c. 2. *Igitur*; ex hisce Christi verbis probat eum, qui in excommunicatione est defunctus, non posse ab Ecclesia, id est a Pontifice absolvi. Unde videtur proprie τὸ *super terram* accipere: sed loquitur de pervicaci, qui in contumacia sua obiit; hic enim, utpote impœnitens, absolvi nequit, quia incapax est absolutionis. Talis ergo absolvi nequit, nisi vivens super terram pœnituerit, sese que converterit. Quare in tali proprie accipiendum est τὸ *super*, cum ait *super terram*. Et sic universim verum est, Pontificem non posse, quem sub terra ligare vel absolvere, nisi eum, qui dum viveret super terram,

H

Quæ sit ratio?

A terram, meruerit ligari vel absolvi, ac ligatione dignum, vel absolutionis capacem se fecerit.

Pontificum in mortuos potestas qualis.

Denique verius est Pontificem juridice dumtaxat viventes in terra ligare & solvere, non vero mortuos. Dat ergo ipse indulgentias defunctis, non per modum juridicæ absolutionis, quia defuncti illi amplius non sunt subditi, sed *per modum suffragii*, uti ipse diserte in bullis solet exprimere, solvendo scilicet pro illis tantum ex thesauro Ecclesiæ, cujus ipse est dispensator, quantum pœnarum defuncti Deo debent. Hic enim thesaurus est super terram, estque in manu & potestate Pontificis. Ita sentiunt S. Thomas, Bonaventura, Alensis, Gabiel, Major, Richardus, Cajetanus, D. Soto. Navarrus, & Bellarminus tract. de Indulgentiis, quos citat & sequitur Suarez de Pœnitentia disp. 53. sect. 2. n. 4. & seq. qui addit Pontificem proprie, & directe non excommunicare defunctos, nec eos ab excommunicatione absolvere, sed tantum indirecte, quia scilicet directe vetat viventibus, ne pro defuncto orent, aut iis permittit, ut pro eo orent; hoc ipso enim defunctos indirecte privat suffragiis Ecclesiæ, perinde ac si forent excommunicati; vel illa iis indulget, perinde ac si

B ab excommunicatione eos absolveret. Cum ergo Christus ait hic Petro: *Quæcumque solveris*, &c. per solutionem intelligitur non tantum juridica absolutio, sed etiam omnis dispensatio, favor & gratia, ex *vi* potestatis illius a Christo ipsi collatæ: at talis est hæc dispensatio thesauri Ecclesiæ, quem per modum suffragii Pontifex expendit & applicat defunctis. Hæc ergo, quæ dixi, significat τὸ *super terram*.

VERS. 20 TUNC PRÆCEPIT DISCIPULIS SUIS, UT NEMINI DICERENT, QUIA IPSE ESSET JESUS CHRISTUS] Nonnulli Græci, & Syrus omittunt τὸ *Jesus*, tuncque planius fluit oratio. Sciebant enim omnes ipsum vocari Jesum, sed nesciebant ipsum esse Messiam, sive christum, verum Dei filium. Noluit Christus Apostolos hoc aliis dicere & prædicare, tum quia ipsi hac de re necdum satis erant instructi, & in ea confirmati: nam alioqui ipse Christus palam prædicavit se esse Christum filium Dei, ut patet Joann. 5. & seq. ac pro hujus veritatis confessione occisus est, martyrque occubuit. Jo. 18. 37. tum quia Christus mox pas-

C surus erat, crucifigendus, & occidendus a Judæis: quare Judæi scandalizati fuissent, si Apostoli prædicassent ipsum esse Messiam & Deum, eisque dixissent: Abite cum Christo vestro in malam crucem, qui nos facitis Christicidas & Deicidas, uti jam Christianis dicunt Judæi; quare semel abjecta fide Christi, eam, licet postea miraculis testatam, amplius audire noluissent. Ergo expectanda fuit Christi mors, resurrectio & gloria, ut tunc prædicarent ipsum esse Messiam & Filium Dei: idque per miracula confirmarent, ac sic rem tantam populo persuaderent, ut fecerunt in Pentecoste. Actor. 2. juxta illud, *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Philip. 2. 9. Ita S. Chrysost. Theophyl. Euthymius. Sic & S. Hieronymus: *Tunc*, ait, *me prædicate, cum ista passus fuero, quia non prodest Christum publice prædicari, & ejus vulgare in populis majestatem, quem post populi flagellatum visuri sunt, & crucifixum.* Addit S. Chrysost. *Quod enim semel radicatum est, & postea evulsum, si iterum plantetur, difficile retinebitur apud multos; quod autem infixum semel est*

D *& mansit, postea immobile facile provehitur ad augmentum.* Hæc magis patebunt ex sequentibus.

VERS. 21 EXINDE COEPIT JESUS OSTENDERE DISCIPULIS SUIS, QUIA (quod) OPORTERET EUM IRE HIEROSOLYMAM, ET MULTA PATI A SENIORIBUS, ET SCRIBIS, ET PRINCIPIBUS SACERDOTUM, ET OCCIDI, ET TERTIA DIE RESURGERE] *Exinde*, Græce ἀπὸ τότε, id est ab illo tempore, quo scilicet illis divinitatem suam patefecerat, cœpit eos docere de sua passione & morte, tum ut perfecte eos in fide instrueret: duo enim sunt fidei principia, scilicet Christi divinitas, & Christi humanitas, ejusque passio & crux, per quam redemit orbem: tum ne Apostoli audientes vel videntes Christum occidi & mori, de ejus divinitate dubitarent, ait Theophylact. tum ut ostenderet hoc esse congruum; primo, Deo Patri, ut ejus voluntati & justitiæ per peccatum Adæ, & posterorum læsæ, & offensæ, per Christi mortem ex æquo satisfaceret: secundo, Christo, quem decebat per passionem intrare in gloriam suam. Lucæ 24. vers. 26. tertio, hominibus, quos Christi morte decebat redemi, & instrui ad imitandam ferandamque ejus crucem.

Luc. 9. 22. Mar. 8. 31.

A Lap. Tom. IX. in Evang.

ET ASSUMENS EUM PETRUS, COEPIT INCREPARE ILLUM] *Assumens*, seorsum scilicet (quasi familiarius & secretius cum increpiturus ex vehementi amore, quod coram aliis non audebat) Christum retrahens. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, & S. Hieronymus, quem audi: *Qui* (Petrus) *non vult destrui confessionem suam* (qua dixerat: *Tu es Christus, filius Dei vivi*) *nec putat posse fieri, ut Dei Filius occidatur, assumit eum in affectum suum, vel separatim ducit, ne præsentibus cæteris condiscipulis videatur magistrum arguere: & cœpit illum increpare amantis affectu, & optantis dicere: Absit a te Domine; vel ut melius habetur in Græco: Propitius sis tibi Domine, non erit hoc, quasi necessariam*, ait S. Thomas, *haberet propitiationem: cujus affectum suscipiens quidem Christus, ignorantiam exprobrat.* E VERS. 22 *Mar. 8. 32.*

ABSITATE DOMINE, NON ERIT TIBI HOC] Non accidet tibi mors tam indigna. Quis enim ferat Filium Dei crucifigi & mori? Græce est ἱλεώς σοι, id est, *propitius tibi*, scilicet sis, aut sit Deus. Ita solent Septuaginta vertere Hebr. חל לחלך *halilalach*, id est *prohibitio tibi* sit, quod vulgo olim dicebant: Dii prohibeant, dii meliora: Syrus: *Parce tibi*. Loquitur Petrus ex humana prudentia & affectu, non ex divina, ex qua paulo ante dixerat: *Tus es Christus filius Dei vivi*. Hic ergo sibi relictus deficit, ideoque a Christo redarguitur. F

QUI CONVERSUS DIXIT PETRO: VADE POST ME SATANA, SCANDALUM ES MIHI (Syrus, *offendiculo es mihi*) QUIA NON SAPIS EA, QUÆ DEI SUNT; SED EA, QUÆ HOMINUM] S. Hilarius τὸ *vade post me*, refert ad Petrum: τὸ vero *Satana scandalum es mihi*, refert non ad Petrum, sed ad diabolum, qui suggesserat Petro, ut diceret: *Absit a te Domine*. Audi eum: *Sciens enim Dominus diabolicæ artis instinctum, Petro ait: Vade retro post me, id est ut exemplum suæ passionis sequatur. In eum vero, per quem opinio hæc suggerebatur conversus, adjecit: Satana scandalum es mihi: non enim convenit existimare Petro, Satanæ nomen, & offensionem scandali deputari, post indulta illa beatitudinis, & potestatis tanta præconia.* Verum cæteri omnes τὸ *Satana* jungunt cum *vade post me*, totumque Petro dictum arbitrantur. Ait ergo Christus Petro: *Vade post me*, id est, recede a me, facesse hinc, abi a conspectu meo: quia hac in re non mihi es amicus, sed satan, id est adversarius (hoc enim significat Hebr. שטן *satan*, & sic vertit Noster 2. Reg. 19. 22. & 3. Reg. 5. 4.) & *scandalum*, id est offendiculum, & impedimentum es mihi. Vis enim impedire passionem meam & consequenter redemptionem, & salutem hominum, quam per passionem meriturus & procuraturus sum. Ita S. Chrisostom. Euthym. & S. Hieronymus, quem audi: *Meæ voluptatis est & Patris, ut pro hominum salute moriar: tu tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram, ut multos afferat fructus. Et ideo*, ait D. Thomas, *quia contrarius voluntati meæ, debes adversarius appellari: Satanas enim interpretatur adversarius, sive contrarius; non tamen ut plerique putant, eadem Satanas, & Petrus sententia condemnantur; Petro enim dicitur: Vade retro me Satana, id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meæ, Ille audit: Vade Satana, & non ei dicitur retro, ut subaudiatur, vade in ignem æternum.* VERS. 23 *Mar. 8. 33.*

Quo sensu S. Petrus vocatus est Satanas a Christo. G

Objicit Calvinus ejusque sequaces: Christus hic Petrum vocat satanam: ergo paulo ante non vocavit eum petram, nec constituit eum caput Ecclesiæ. Respondet S. Hieronymus Petrum vocari satanam, id est adversarium pro præsenti tempore, quo adversabatur Christo volenti pati & crucifigi: petram vero constitui pro tempore non præsenti, sed futuro, scilicet ut post mortem, & resurrectionem Christi fiat petra, & caput Ecclesiæ. Secundo, S. Augustinus serm. 13. de Verbis Domini secundum Matthæum, & Theophyl. respondent Petrum dici beatum, & petram Ecclesiæ constitui, quatenus a Deo revelante illuminatus, confessus erat Christum filium Dei vivi; ideoque ab eo petra Ecclesiæ constitutus; satanam vero hic dici, quatenus a Deo, Deique decreto (quod ipse ignorabat) recedens, humanum sequebatur affectum, quo nolebat Christum a se ita amatum mori. Porro Concilium Constant. Oecum. V. in Constitutione Vigilii Papæ, anathema dicit iis, qui illud Christi *Vade post me Satana*, dictum fuisse volunt ad Petrum, ne dissuasione ejus animus Christi perturbatus fugeret passionem, eo quod passione sua sibi proficeret, ideoque mortem ipsius nobis æternæ vitæ præmia contu- H

Digitized by Google

A lisse non credunt. Simili modo B. Petrus Damiani lib. 1. ep. 16, ad Alexand. II. Pontificem Hildebrandum Cardin. qui postea creatus fuit Pontifex Gregorius Septimus; vocat *suum sanctum Satanam*. *Satanam*, quia sibi adversabatur, ne renuntiaret Cardinalatui, ut ad suam eremum Camaldulensem rediret. *Sanctum*, quia id faciebat sancto fine, quia scilicet videbat Petri operam perutilem fore Ecclesiæ.

Petrus Damian. vocat Hildebrandum Card. suũ sanctum Satanam, & quare?

QUIA NON SAPIS (Arabicus, *non cogitas*) EA, QUÆ DEI SUNT, SED EA, QUÆ HOMINUM] Hic est fons & causa erroris Petri, & cæterorum hominum; *quia non sapis*, Græce φρονεῖς, id est, non capis, non sapis, non probas tam intellectu, quam affectu tuo ea, quæ placita sunt Deo, sed quæ hominibus humana suggerit prudentia, hoc est caro & sanguis. Vis enim consulere carni & vitæ meæ, ac exinde tuæ humanæ consolationi contra Dei decretum, quo sapientissime decrevit mihi moriendum esse pro hominum salute. Ita homines peccant, dum exile carnis judicium præponunt sublimi & sapientissimo Dei judicio. Nam: *Animalis homo non percipit ea,*

B *quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere*, 1. Cor. 2. 14.

VERS. 24 TUNC JESUS DIXIT DISCIPULIS SUIS: SI QUIS VULT VENIRE POST ME, ABNEGET SEMETIPSUM, ET TOLLAT CRUCEM SUAM, ET SEQUATUR ME] Hoc pharmacum abnegationis & crucis opponit Christus amori proprio & naturali, quem Petrus erga Christum ostenderat vers. 22. volens impedire ejus passionem; ideoque non soli Petro, sed convocatis cæteris Apostolis, imo & turbis, ait Marcus cap. 8. 24. hoc edixit, & quasi axioma Christianæ scholæ statuit, dicens: *Si quis vult venire*, &c. q. d. ait Chrysost. *Tu, o Petre, dicis mihi: Propitius esto tibi* (parce vitæ tuæ) *ego autem dico tibi, quoniam non salum prohibere me a passione nocivum tibi est, sed neque salvari poteris, nisi patiaris & moriaris, & vitæ abrenunties semper*. Vult enim Christus stabilire quod dixerat; moriendum sibi esse ex Dei decreto pro hominum salute, & insuper hanc mortem, & crucem cuique fideli imitandam esse, si ejus assecla, & discipulus haberi velit. Tria autem præcipit, ait Chrysostomus; primum est, *abneget semetipsum*; secundum, *tollat crucem*; tertium, *sequatur me*.

Luc. 9. 23. Mar. 8. 34.

C SI QUIS VULT POST ME VENIRE] Non cogit Christus, nec vim infert, ait Chrysostomus, sed volentes invitat, eoque blandius & vehementius allicit, trahitque. Quis enim non aveat, ardeatque sequi Christum Dei filium? Sed sicut Deus jubet omnibus hominibus, ut sequantur Christum: sic pariter jubet ut abnegationem, quam hic sancit, libere eligant & complectantur. Rursum allicit omnes Christus, dicendo: *Venite post me*, q. d. Non eritis primi in cruce, morte, & martyrio. Ego dux vobis præibo: quare me præeuntem sequimini dumtaxat, quia ego vobis non tantum exemplo, sed & adjutorio antecedam, ac certos vos faciam de triumpho & corona, si me duntaxat sequi, & gratiæ meæ strenue cooperari velitis. Sic Cato præiens militibus per arenas Lybicas ajebat: *Pericula vestra pretentate meo*; nihil enim jubebo, nisi quod prius ipse fecero; nihil præcipiam, nisi ejus vobis ipse dux & ductor fuero; magnus militi est stimulus prævium ducis exemplum.

Al negare se quid?

D ABNEGET SEMETIPSUM] id est, abdicet a se suum judicium, & affectum humanum: hoc enim in homine vivit, quod homini charissimum est, in quo homo oblectatur & pascitur, ut illud censeatur ipse homo. Homo est enim id quod in homine viget & vivit. Jubet ergo, ut quisque suos affectus, & amores naturales & sensuales, Dei legi & voluntati repugnantes, deponat, mortificet, & resecet, ac Dei legem, & voluntatem assumat, induat, & per omnia sequatur. Vide dicta cap. 10. 38. & 39. Dicit enim hoc Christus occasione Petri, qui per affectum naturalem erga Christum volebat ejus mortem impedire, ut eum in ipso & cæteris hominibus castiget, q. d. Si vis post me venire, meque sequi, o Petre, abnega, & abdica a te humanum hoc tuum de me judicium, & affectum, ut Dei, qui me pati, & mori vult, decretum & voluntatem sequaris & amplectaris. Idem fac in cæteris omnibus tuis judiciis, desideriis, affectibus, ac hominatim in morte crucis quam tibi Deus decrevit, ut eam amplectaris, licet natura & naturalis affectus illam fugiat & exhorreat, juxta illud: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas* (in cruce) *& alius cinget te, & ducet quo tu non vis*, Joann. 21. 18. Unde Origenes, *abneget semetipsum*, E exponit, q. d. Abneget vitam suam, capessando mortem pro me meaque fide, uti ego capessam mortem crucis pro Deo. Pari modo quivis fidelis *abneget semetipsum*, id est sua desideria, suas imaginationes, suos concupiscentiæ pruritus, suas rationes humanas, suam voluntatem, eamque per omnia invertat, & conformet voluntati Dei, v. g. suggerit tibi visus, auditus, gustus, ut videas, audias, gustes curiosa, detractoria, delicata, ut iis te oppleas, & inebries; nega eis has suas cupidines a Deo veritas, eisque dicito: Nolo ista videre, audire, sapere, quia volo Dei legem sequi, Deoque placere, non autem meis sensibus & appetitibus carnalibus satisfacere. Sic mater sapiens puero (concupiscentia enim est instar pueri, qui sensu, non ratione ducitur, ait Aristot. in Ethicis) negat petenti noxia, v. g. cultrum, quem quia manu debili regere nequit, eo se lædet.

Notat S. Gregorius hom. 32. in Evang. non dicere Christum, abneget suas opes, sed *abneget semetipsum*, ut homo abeat a se, & fiat alienus a se, imo desinat esse quod erat, & incipiat esse quod non erat, fiatque quasi novus F & alter homo: [Minus quippe, *ait S. Gregorius*, est abnegare quod habet, valde autem multum est abnegare quod est, id est, non sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus & nos. *Objicit sibi deinde Gregorius:* Quo ibimus extra nos? *ac respondet*, Aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi; aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus; & mancamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus: Ecce etenim, qui superbus fuit, si conversus ad Christum humilis factus est, semetipsum relinquit. Si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutavit, abnegavit utique quod fuit. Si avarus quisque ambire jam desiit, & largiri didicit propria, qui prius aliena rapiebat, procul dubio semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. *Declarat idipsum exemplo Pauli:* Pensemus, *inquit*, quomodo se Paulus abnegaverat, qui dicebat: Vivo autem jam non ego; extinctus quippe fuerat sævus ille persecutor, & vivere cœperat pius prædicator. Vivit ergo in me Christus. Ac si aperte dicat: Ego quidem a memetipso extinctus sum, quia carnaliter non vivo: sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritaliter vivo. Dicat ergo veritas, dicat: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: quia, nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat: nec valet apprehendere quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est.]

Sanctus sic alius a se ipso qui ut.

Similitudine idipsum illustrat S. Chrysost. hom. 56. [Si intelligis, *ait*, quid sit alium abnegare, tunc recte percipies, quid sit abnegare semetipsum. Qui alium abnegavit, si cædi eum virgis videat, si coerceri vinculis, quidquid aliud mali pati eum conspexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus ullo modo movetur, ceu ille, qui penitus ab eo alienatus est. Sic igitur nullo nos pacto corpori nostro parcere vult, ut neque si cæditur, neque si pellitur, neque si uritur, neque si quid aliud hujusmodi patitur, ei parcamus. *Addit Victor Antioch. in Marci cap.* 8. Non dixit ille, ne nimium sibi indulgeat; aut ne nimium carni suæ parcat: sed vehementius insurgens, abneget vel abjuret semetipsum, hoc est, nihil cum seipso vel sua carne commercii habeat, verum ita se gerat, ac si non ipse, sed alius quispiam crucem tolleret.] Ubi nota *ne abjuret*: sicut enim in baptismo abrenuntiamus satanæ, & quasi eum abjuramus; sic abnegare plane, & quasi abjurare debemus nosmetipsos; id est nostras cupiditates: hæ enim magis nobis nostræque saluti sunt hostes, quam sint ipsi dæmones: demonem enim per se horremus, sed cupiditates blanditie sua nos decipiunt, nosque iis quasi nostris amicis gratulamur & adulamur. Majus enim periculum est ab insidiatore occulto, quam aperto. Porro non solis Apostolis, religiosis, clericis, sacerdotibus, sed cuivis fideli dicit Christus, juberque, ut abneget semetipsum, id est, suum sensualem nimiumque amorem erga suam carnem, suum honorem, suam uxorem, suos filios, suos cognatos, &c. eumque subjiciat Dei amori, legi, & voluntati. Religiosi vero ulterius abnegare debent omnia sæcularia negotia, propriam voluntatem, dominium & proprietatem, cæteraque votis, & professioni religiosæ & perfectioni vitæ adversantia, ut non solum Christi legi, sed

A simili.

& con-

A &c consiliis ejus Evangelicis sese conforment. Hæc abnegatio debet se extendere ad ipsam vitam, & mortem etiam ignominiosissimam crucis, ait S. Chrysostomus, ut illam potius subeamus, quam a Dei voluntate vel ad punctum recedamus; unde subdit: *Et tollat crucem suam*: Quocirca S. Basilius in Regulis fusius explicatis ad interrog. 6. Abnegationis definitio. abnegationem sic definit: *Abnegatio sui nihil est aliud, nisi summa rerum omnium vitæ superioris* (in vitiis exactæ) *oblivio, atque a sui ipsius voluntatibus recessio*, & ad Dei voluntatem accessio. Idem ad interrog. 8. *Perfecta*, ait, *renuntiatio in eo sita est, si quis id assecutus fuerit, ut de vita sua, ne minimum quidem affectus sit, quamvis habeat mortis responsum*. Et inferius: *Renuntiatio nihil aliud est, quam vinculorum terrenæ hujus ac temporalis conversationis solutio, qua dum nos anxiis, & humanam vitam comitantibus negotiis subducit, promptiores & magis idoneos reddit ineunde vitæ ad Dei contemplationem*. In Vitis Patrum lib. 5. libello 1. de Profectu Patrum num. 7. Abbas Joannes hæc dat abnegationis & vitæ sanctæ documenta: *Esto injuriam patiens, & non irascens: pacificus, & non reddens malum pro malo: non attendens ad vitia aliorum, neque teipsum exaltans, sed esto subditus & humilior omni creatura: renuntiando omni materiæ corporali, & his, quæ secundum carnem sunt, in cruciatu, in ceramine, in humilitate spiritus, in jejunio, in patientia, in fletu, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus, includens te sepulchro tamquam jam mortuus, ut videantur tibi esse proxima mors omni die*. S. Ægidius, socius S. Franciscus, vir valde sanctus, & a Deo illuminatus, hæc abnegationis sensuum dabat paradoxa: Officia. B Paradoxa S. Ægidii, socii S. Francisci.

Si vis bene videre, erue oculos tuos, & esto cæcus.
Si vis bene audire, esto surdus.
Si bene loqui, esto mutus.
Si bene ambulare, abscinde tibi pedes.
Si bene operari, mutila tibi manus.
Si bene amare, habeas te odio.
Si vis bene vivere, te mortifica.
Si bene lucrari, disce perdere.
Si vis esse dives, esto pauper.
Si vis esse in deliciis, afflige te.
Si vis esse securus, semper esto in timore.
Si vis exaltari, humilia te.
C *Si vis honorari, despice te, & honora te despicientes.*
Si vis habere bonum, sustine malum.
Si vis esse in quiete, labora.
Si vis benedici, desidera maledici.

O quam magna hæc sapientia, scire hæc facere! & quia magna sunt, non omnibus data sunt. Nemo debet aliquid audire vel loqui, nisi ad utilitatem, nec ultra ullo modo procedere. Idem hanc dabat viam salutis, & perfectionis per abnegationem:

Si vis salvari, ne petas rationem ab humana creatura de his, quæ tibi accidunt.
Si vis salvari, satage te separare ab omni consolatione & honore, quæ potest tibi dare aliqua creatura.
Væ illis, qui volunt honorari de sua malitia.
Si quis tecum contendit, si vis vincere, perde; alioquin quando credideris te vicisse, perdidisti. Et mox hæc subdit antistropha.
Si amas, amaberis.
Si times, timeberis.
Si servies, servietur tibi.
Si bene te gesseris erga alios, alii se bene gerent erga te.
D *Beatus qui amat, & non desiderat inde amari.*
Beatus qui servit, & non desiderat serviri. Et quia hæc magna sunt: stulti ad hæc non pertingunt.

Tria potissimum animo tuo hærere debent. Primum est, si omnem tribulationem, quæ accidit, libenter sustineas. Secundum, si de omnibus, quæ facis, & recipis, magis humilieris. Tertium est: si fideliter diligis illa bona, quæ videri non possunt corporeis oculis. Ita habet Historia Seraphicæ religionis l. 1. p. 65. Plura vide apud Climacum, Dorotheum & Cassianum, qui inter alia lib. 5. de Instit. renunt. cap. 28. narrat Joannem Abbatem jam moriturum, hoc suis perfectæ abnegationis exemplum & documentum dedisse: *Numquam*, ait, *meam feci voluntatem, nec quemquam docui, quod prius ipse non feci*.

ET TOLLAT CRUCEM SUAM] Sicut ergo tuli meam, ut me Christum quasi primum cruciferum, & crucigerorum antesignanum ac ducem, qui crucem meam, in qua crucifigendus eram dolens, & gemens meis humeris tuli in montem Calvariæ, ipse cruciger Christianus animose, & alacriter sequatur assidue, usque ad mortem crucis, & inde ad gloriam paradisi: unde Lucas addit, *quotidie*, ut significet omni die, & sæpe omni hora aliquid molesti cuilibet occursurum, quod patienter, & fortiter tolerare oporteat, idque continue per totam vitam, ac proinde cuilibet vivendum esse in cruce, & moriendum in cruce cum Christo: *Tollit crucem suam*, ait S. Hieronymus, *qui mundo crucifigitur; cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum*. Crux hæc primo, est persecutio, & martyrium; secundo, afflictio & tribulatio quævis a Deo inflicta; tertio, tentatio a dæmone immissa, & a Deo ad nostram probationem, humilitatem, & virtutem & coronam augendam permissa; quarto, sui abnegatio, & cupiditatum mortificatio. Ita S. Hieronymus. E F

SUAM] id est, primo sibi propriam: cui sua propria est crux; uni ab uxore, filiis, cognatis; alteri a moribus; tertio ab æmulis, quarto ab infortuniis; quinto a paupertate, sexto ab exilio, carcere, vinculis, & ita deinceps. Sua cuique crux. Primo.

Secundo, *suam*, id est, suis viribus, æque ac concupiscentiis commensam. Deus enim, *Non patitur vos tentari super id, quod potestis*, ait Paulus 1. Cor. 10. 13. sed cuique pro vitio, quo laborat, crucem quasi medicinam immittit vel permittit; sic prono in superbiam, vel aliqua in re excellenti, permittit aliquod vilipendium, vel tentationem carnis, quæ eum humiliet, ut permisit in S. Paulo 2. Cor. 12. 7. avaro immittit mercium & opum jacturam; pulchro & vegeto immittit morbum; docto permittit lapsum in aliquem errorem vel in infamiam, ne infletur, & de se præsumat. Secundo.

Tertio, *suam*, id est, sibi ad suum bonum a Deo ab æterno decretam. Cum ergo sentis crucem, ac sæpe novam, cogita de Deo, illique eam resigna, ac dicito: Domine hanc crucem de paterna manu tua libens accepto: hæc enim ab æterno crux mihi fixa est, & a te decreta ad rubiginem vitiorum meorum defricandam: quare pro ea immensas tibi gratias ago. Scio enim, & credo eam mihi a te ex amore paterno constitutam, ut me filio tuo dilecto Christo crucifixo assimiles hic in patientia, & postea in gloria. Nam: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, &c. Rom. 8. 29. Tertio.

Quarto, *suam*, id est, quam quisque in se habet per passionem, vel sibi irrogat per abnegationem, aut quam suam fecit per compassionem. Nam, ut ait S. Greg. hom. 32. in Evang. [Duobus modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter utroque modo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis: audiamus nunc in compassione proximi crucem mentis; ait enim: Quis infirmatur, & ego non infirmor? qui scandalizatur, & ego non uror? Perfectus quippe prædicator, ut exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore. Et quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.] Quarto. G

ET SEQUATUR ME] Per crucem ad mortem, & per mortem ad beatam immortalitatem. Perseverandum enim nobis est in cruce cum Christo per totam vitam, usque ad mortem & coronam: *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Audi S. Chrysost. hom. 56. [Latrones, *inquit*, multa talia patiuntur. Ne igitur credas ipsius passionis naturam per se sufficere, causam ejus subjecit. Quam ipsam? quæ dicta sunt universa faciens atque patiens ipsum sequaris, ut scilicet propter ipsum omnia sustineas, atque omnem virtutum numerum habeas. Is enim Christum sequitur, qui non in periculo modo fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris Philosophiæ genus complectitur. Id enim est recte Dominum sequi, ut & propter ipsum cuncta sufferas, & alias virtutes non negligas. Multi diabolum sequentes, multa patiuntur, & vitam propter ipsum perdunt, quam nos propter Christum, imo vero propter nosipsos perdimus.] H

QUI ENIM VOLUERIT ANIMAM SUAM SALVAM FACERE, PERDET EAM: QUI AUTEM PERDIDERIT ANIMAM SUAM PROPTER ME, INVENIET EAM] Quia crux acerba est, & cruciat, hinc ad eam tollendam fideles animat Christus, ait Chrysostomus, per ingens ejus præmium & coronam gloriæ; ac si agricolæ dicatur, ait S. Greg. VERS. 25 *Luc. 9. 4. Mar. 8. 35.*

Digitized by Google

A Greg. hom. 32. *Frumentum ſi ſervas, perdis: ſi ſeminas, renovas. Quis enim neſciat, quod frumentum, cum in ſemine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? ſed unde putreſcit in pulvere, inde vireſcit in renovatione.*

Servans animam perdet dupliciter.

Origenes dupliciter exponit hanc ſententiam; primo ſic. q. d. Si quis, inquit, amator vitæ præſentis parcit animæ ſuæ timens mori, & putat animam ſuam per hanc mortem perire, ille volens hoc modo ſalvare animam ſuam, perdet eam, alienam illam faciens a vita æterna. Si quis vero contemnens vitam præſentem, uſque ad mortem pro veritate certaverit, perdet quidem animam ſuam quantum ad vitam præſentem; ſed quoniam propter Chriſtum perdet eam, magis eam ſalvam faciet in vitam æternam. Alio modo ſic: Si quis intelligit, quæ eſt vera ſalus, & acquirere vult eam ad ſalutem animæ ſuæ, iſte, abnegans ſemetipſum, perdit, quantum ad voluptates carnales, animam ſuam propter Chriſtum; & perdens animam ſuam hoc modo, ſalvat eam per opera pietatis: dicendo enim, *Qui voluerit*, præcedentem & ſequentem unum ſenſum eſſe oſtendit; ſi ergo quod ſuperius dixit, *Abneget ſemetipſum*, de morte corporali dixit: conſequenter hoc de ſola morte intelligere debemus dictum eſſe; ſi autem

B abnegare ſeipſum eſt carnalem converſationem rejicere; perdere animam eſt deponere voluptates carnales. Hucuſque Origenes. Prior expoſitio videtur magis genuina, ſed amplianda hoc modo, q. d. Qui in hac vita fugiens crucem & abnegationem ſui, vult ſervare animam ſuam, id eſt, vitam ſuam, ideoque negat me, meamque fidem in perſecutione; aut vult ſalvare animam ſuam, id eſt, deſideria animæ ſuæ, q. d. Qui ſuis concupiſcentiis vult ſatisfacere, hic in futura vita perdet animam ſuam in gehenna; qui autem perdiderit animam ſuam in hac vita propter Chriſtum, vel moriendo in perſecutione pro eo, vel ejus amore abnegando ſuas concupiſcentias, hic in futura vita animam, quam perdidit moriendo vel mortificando, ſalvam inveniet in æterna gloria, & in ſinu Chriſti, qui eam pro ſe morti expoſitam reſuſcitabit, & glorificabit. Hunc ſenſum exigit antitheſis inter perdere, & ſalvam facere; ſive invenire, ſcilicet in-

C tegram & ſalvam; item id quod ſequitur: *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur; animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*, id eſt, animam ſuam perdat in gehenna?

VERS. 26 QUID ENIM PRODEST HOMINI, SI UNIVERSUM MUNDUM LUCRETUR; ANIMÆ VERO SUÆ (id eſt, *ſui ipſius*, ut explicat Lucas c. 9. v. 25.) DETRIMENTUM PATIATUR?] Græce ζημιωθῇ, id eſt, jacturam faciat, mulctetur, q. d. Quid te juvabit (hoc enim eſt Græcum ὠφελεῖται) aquiſiviſſe omnes opes, honores, delicias totius mundi, ſi propter hoc teipſum perdas, & anima tua, quam unicam & intimam habes, mulcteris ad æterna gehennæ tormenta; juxta illud:

Luc. 9. 25. Mar. 8. 36.

Omnia ſi perdas, animam ſervare memento.

Opes enim, honores, & delicias perditas recuperare potes: animam ſemel perditam in æternum recuperare non poteris. Illa extrinſeca ſunt, & exterius tantum ſenſus titillant, hæc intrinſeca tibi eſt, & intima: unde ejus dolor vel gaudium tibi pariter intrinſecus eſt, ſummus, & intimus: illa temporalia ſunt & caduca, hæc immortalis & æterna. O ſtulti ergo filii Adæ, cur hæc caduca

D ita adamatis, ut propter ea animam perdatis, & æternis gehennæ incendiis tradatis? O inſenſati, qui gutta voluptatis vel honoris emitis ſempiternos dolores, & perenne inferorum opprobrium; utique vili & exili nimis pretio eas emitis, cujus vos ſero pœnitebit in æternum. Ego tanti pœnitere non emo.

AUT QUAM DABIT HOMO COMMUTATIONEM PRO ANIMA SUA? Græce ἀντάλλαγμα, id eſt, compenſationem, permutationem, pretium, lytrum. Unde Syrus vertit, *permutationem animæ ſuæ*, q. d. Anima tua omne pretium, omnem compenſationem ſuperat; empta enim, & redempta eſt pretioſo ſanguine Chriſti Domini Dei noſtri; quare pro unius hominis anima univerſus mundus ſufficiens pretium non eſt, ait Euthym. in Pſal. 48. Quocirca ſi ſemel eam perdideris, & gehennæ tradideris, nullo pretio eam redimere poteris, nec valebis animam tuam alia anima redimere, quia non habes niſi unam, & licet plures haberes; propter eas tamen gehenna animam tuam, quam in ſua manu jam habet, non dimitteret: hic poteſt anima ſuos lapſus redimere pœnitentia, lacrymis, & bonis operibus; at in die judicii nullus amplius pœnitentiæ & redemptioni erit locus. Vide ergo fraudem ſatanæ, & ſtultitiam hominis, quia animam peccatoris ab eo emit viliſſima, breviſſima voluptate gulæ, luxuriæ, &c. *Porrigit pomum, & ſurripit paradiſum*, ait S. Bern. tract. de Gradu humilit. cap. de Curioſitate. Lucas cap. 9. 26. addit. *Nam qui me erubuerit* (uti Chriſtum ejuſque legem velut vilem, & pauperem erubeſcunt Judæi, & Gentilium multi) *& meos ſermones; hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum ſuorum: pro quo Matthæus habet id, quod ſequitur.* E

FILIUS ENIM HOMINIS VENTURUS EST IN GLORIA PATRIS SUI CUM ANGELIS SUIS, ET TUNC REDDET UNICUIQUE SECUNDUM OPERA EJUS] Arab. *ſecundum operationem ſuam*, id eſt, juxta id quod operatus eſt, non juxta id, quod ſcivit, intellexit, credidit. VERS. 27 Luc. 9. 26. Mar. 9. 38.

VENTURUS EST (in die judicii, ut homines ex operibus dijudicet) IN GLORIA (id eſt, cum gloria & majeſtate, ut habet Lucas) PATRIS] Tum creata, quam ſcilicet ut homo ſibi a Patre infuſam in corpore, & anima accepit, vel exterius in comitatu omnium Angelorum effuſam in die judicii accipiet; tum illa, quam ut Deus cum Patre ejuſque eſſentia, & deitate communem habet, tumque toti mundo ſe habere oſtendet. Ita S. Chryſoſtomus, & Euthymius. Eſt hic acer ſtimulus ad opera heroica abnegationis, crucis, & virtutis, ad quæ omnes excitavit Chriſtus, v. 24. q. d. Agite, o Apoſtoli, o fideles mei, abnegate voſipſos, tollite crucem veſtram, meque ſequimini, quia ob hæc opera veſtra ardua, & heroica in die judicii coram toto mundo vos laudabo, vobiſque meam felicitatem, & gloriam regni cæleſtis communicabo; eos vero, qui fugerint abnegationem, crucem, meique ſequelam, ſecuti autem fuerint ſuas voluptates, & concupiſcentias, increpabo & adjudicabo gehennæ, idque in perpetuum. Eligenda vobis eſt una ex hiſce duabus ſors: alterutra enim vos infallibiliter manet. Quocirca ſanctus Hieronymus Epiſt. 1. ad Heliodorum, eum ad vitam ſolitariam, ejuſque crucem ſic invitat: [Pauperiatem times? ſed beatos Chriſti pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? ſed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa jejuniis membra collidere? ſed Dominus tecum jacet. Squalidi corporis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas te terret? ſed tu paradiſum mente deambula. *Et nonnullis interjectis:* Delicatus es frater, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Veniet, veniet illa dies, qua corruptivum hoc & mortale incorruptionem induat & immortalitatem. Beatus ſervus, quem Dominus invenerit vigilantem. Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Judicatur Domino lugubre mundus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient: potentiſſimi quondam reges nudo latere palpitabunt: exhibebitur cum prole ſua vere tunc ignitus Jupiter: adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis: Ariſtotelis argumenta non proderunt: tunc tu ruſticanus & pauper exultabis, & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus: ecce judex, qui obvolutus pannis in præſepio vagiit, *&c.* ut his cum intereſſe contingat, pro quibus nunc labor durus eſt. *Hucuſque S. Hieronymus pathetice, ſed vere.*

F

Stimulus ad heroicam virtutem.

AMEN DICO VOBIS: SUNT QUIDAM DE HIC STANTIBUS: QUI NON GUSTABUNT MORTEM, DONEC VIDEANT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN REGNO SUO] Syrus, *in regnum ſuum*. Sæpe enim hæc duo in Scriptura confunduntur, idemque ſignificant. Promiſit Chriſtus mercedem in regno cæleſti dandam pro operibus bonis abnegationis & crucis, nunc ne quis illud longe abeſſe, & in multa ſæcula differendum cauſetur, occurrit, illudque vicinum eſſe reipſa demonſtrat, dum nonnulli adhuc videntibus poſt paucos dies, illud ipſum in transfiguratione oſtendit. VERS. 28 Luc. 9. 27. Mar. 9. 1. H

NON GUSTABUNT MORTEM] id eſt, non morientur. Eſt metaphora a calice mortifero, qui damnato ad mortem datur, ut veneno moriatur: hic enim non hauritur jucunde, ſed ægre guſtatur, ut amarus & felleus.

Regnum Chriſti quod?

IN REGNO SUO] Quæres quodnam hoc Chriſti regnum, & quando illud viderint nonnulli Apoſtolorum aſtantium Chriſto? Reſpondet S. Gregorius hom. 32. in Evang. & Beda, regnum hoc Chriſti eſſe Eccleſiam, ejuſque per omnes gentes propagationem, quam utique viderunt, imo effecerunt Apoſtoli. Id dicit Chriſtus, ait S. Gregorius, ut ex propagatione regni Eccleſiæ, quam viſuri

Digitized by Google

A visuri erant, discerent quanta futura esset eorum gloria in regno cælesti, quod in hac vita est invisibile: alioqui enim homines sola visibilia æstimant, invisibilia non appetunt, quia nec esse suspicantur. Deus ergo per visibilia, quæ exhibet, firmat spem promissorum invisibilium.

Secundo. Secundo, alii id fore censent in resurrectione, & die judicii, de quo versiculo præcedenti locutus est Christus. Verum dico id factum esse in transfiguratione Christi: in illa enim regnum Christi glorioſum quasi per transennam viderunt, & præguſtarunt tres Apoſtoli, ſcilicet

Tertio. Petrus, Jacobus, & Joannes, & ita esse patet ex ſequentibus; nam omnes Evangeliſtæ, qui hujus rei meminerunt, ſcilicet Matthæus, Marcus, & Lucas poſt hoc Chriſti promiſſum, ſubjungunt ſtatim illud fuiſſe impletum, ſcilicet ſexto poſt die, Ita S. Hilarius, S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, S. Ambroſius, Theophylactus, Euthymius, & alii paſſim. Unde S. Leo ſerm. de Transfigur. *In regno*, inquit, *hoc eſt, in regia claritate*. In transfiguratione enim Chriſtus Apoſtolis dedit ſpecimen gloriæ, claritatis, magnificentiæ, gaudii, &

B felicitatis, quam obtinebunt Sancti in regno cælesti, ut per illam animarentur ad labores, & dolores Evangelicos, ad crucem & martyrium, alioſque ad eoſdem animarent, Ita per illam S. Hieronymus ad eoſdem animat Euſtochium ep. 18. de Cuſtodia virg. in fine: *Egredere*, ait, *pauliſper de carcere, & præſentis laboris ante oculos tuos tibi pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Qualis erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis, cum poſt rubrum mare ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet reſponſuris? Cantemus Domino, glorioſe enim honoratus eſt; equum & aſcenſorem projecit in mare. Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus, tunc & ipſe ſponſus occurret, & dicet: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, quia ecce hiems tranſivit, pluvia abiit tibi. Tunc Angeli mirabuntur, & dicent: Qua eſt iſta proſpiciens quaſi diluculum, ſpecioſa ut luna, electa ut ſol?* Et poſt nonnulla; *Tunc parvuli*, &c. *palmas victoriæ ſublevantes, conſono ore cantabunt: Oſanna in in excelſis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Oſanna in excelſis. Tunc centum quadraginta quatuor millia in conſpectu throni, & conſpectu ſeniorum tenebunt citharas, & cantabunt canticum novum.*

C

CAPUT XVII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prima, Chriſtus transfiguratur in monte, & Eliam partim veniſſe, partim venturum docet. Secundo, v. 14. ſanat lunaticum, aitque ad hoc opus eſſe oratione & jejunio. Tertio, verſ. 21. prædicat inſtare ſibi paſſionem & mortem. Quarto, verſ. 24. ſolvit didrachma pro ſe & Petro, etſi ad id ſe non teneri oſtendat.

1. ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & D Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum:

2. Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.

4. Reſpondens autem Petrus, dixit ad Jeſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.

6. Et audientes diſcipuli cecidерunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.

7. Et acceſſit Jeſus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

8. Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Jeſum. E

9. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Jeſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis a mortuis reſurgat.

10. Et interrogaverunt eum diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire?

11. At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.

12. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.

13. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis.

14. Et cum veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & male patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & F crebro in aquam:

15. Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

16. Reſpondens autem Jeſus, ait: O generatio incredula, & perverſa, quousque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.

17. Et increpavit illum Jeſus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.

18. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

19. Dixit illis Jeſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.

20. Hoc autem genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium.

21. Converſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jeſus: Filius hominis tradendus eſt in G manus hominum:

22. Et occident eum, & tertia die reſurget. Et contriſtati ſunt vehementer.

23. Et cum veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma?

24. Ait: Etiam. Et cum intraſſet in domum, prævenit eum Jeſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel cenſum? a filiis ſuis, an ab alienis?

25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii.

26. Ut autem non ſcandalizemus eos: vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te. H

ET POST DIES SEX ASSUMIT JESUS PETRUM, ET JACOBUM ET JOANNEM FRATREM EJUS, ET DUCIT ILLOS IN MONTEM EXCELSUM SEORSUM] Videtur hic eſſe analogia cum Luca, qui c. 28. ait: *Factum eſt autem poſt hæc verba fere dies octo.* Reſpondet Sanct. Hieron. *Facilis eſt ſolutio, quia hic medii ponuntur dies, ibi primus additur, & extremus.* Matthæus ergo & Marcus non numerant primum diem, quo Chriſtus hæc, quæ audivimus, dixit, & promiſit ſuam tranſfigurationem, quia imperfectus erat, nec ultimum, & octavum, quia illo mane ſummo transfiguratus eſt Chriſtus, ſed tantum ſex intermedios; Lucas vero omnes numerat tam plenos, quam non plenos, & imperfectos, idcirco ait *fere*. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & S. Auguſt. libr. 1. de Conſenſu Evang. c. 56. Diſtulit Chriſtus promiſſam tranſ-

VERS. 1. *Luc. 9. 28. Marc. 8. 2.*

Poſt ſex dies tranſfiguratur Chriſtus. Cur? Prima cauſa.

Digitized by Google

A transfiguationem per ſex dies: *Ut reliqui diſcipuli*, ait Chryſoſtomus, *nihil patiantur humanum, id eſt, aliquem invidiæ motum, vel ut horum dierum ſpatio vehementiori concupiſcentia repleti, qui aſſumendi erant, ſollicita mente accederent*. Secunda cauſa dilationis fuit, quod Chriſtus volebat transfigurari in monte Tabor, qui a Cæſarea Philippi diſtat 20. leucis ſive horis. Chriſtus ergo hoc ſpatium ſenſim progrediendo, & more ſuo per villas, pagos & caſtella prædicando confecit ſex diebus. Tertiam cauſam analogicam dat Rabanus, ut ſignificaretur, quod poſt ſex mundi ætates futura ſit reſurrectio, cujus typus & ſpecimen futura erat transfiguratio. Quartam ſymbolicam dat Origenes, ut ſignificetur, quod ſolus ille, qui tranſcendit omnes res mundi (hic enim per ſex dies factus eſt, Geneſ. 1.) poteſt aſcendere ſuper montem excelſum, & gloriam aſpicere Verbi Dei. Quintam chronologicam dat S. Hilarius: Poſt ſex dies, ait, gloriæ Dominicæ, ſex millium annorum temporibus evolutis, regni cæleſtis honor præfiguratur. Multorum enim Patrum & Doctorum ſententia eſt, mundum duraturum per ſex millia annorum, & tum fore judicium, uti dixi in Apocalypſi.

Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

B Cur Petrum, Jacobum & Joannem ſecum aſſumpſit Chriſtus, ut coram eis transfiguretur.

PETRUM, ET JACOBUM ET JOANNEM] *Ideſt hos tres*, ait Chryſoſtomus, *aſſumpſit, quoniam aliis potiores erant*; non enim congruebat tantum myſterium ſtatim initio propalare; & omnibus Apoſtolis oſtendere, ſed ſelectioribus duntaxat. Selegit ergo hos tres quaſi Apoſtolorum primores, iiſque oſtendit ſuam gloriam, quia iiſdem oſtendere volebat ſuam infirmitatem, & agoniam paſſionis in horto, ne illa offenderentur, ſed per illam ſcirent Chriſtum gradum facere ad gloriam ſibi oſtenſam. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Remigius, & alii in caput 26. Matthæi. Ex hac enim gloria, & ex voce Patris: *Hic eſt filius meus*, certo ſcire poterant, Chriſtum vere eſſe Deum, ſed deitatem ſuam velo carnis tegere, ac proinde licet in cruce pateretur & moreretur, deitatem tamen ejus non pati, nec mori. Quare cum mortem & crucem ſuſcipere, non ex infirmitate & neceſſitate coactum, ſed ſponte, ex dignatione, & charitate ad redimendos homines. Qui enim tantam hic gloriam corporis communicabat, poterat utique & illud a morte eximere, ſi voluiſſet. Audi Damaſcenum orat. de Transfig. *Petrum aſſumit, volens teſtimonium, quod teſtatus fuerat, ei oſtendere per Patris teſtimonium confirmari, & quaſi præſidem futurum totius Eccleſiæ, ſed Jacobum aſſumpſit tanquam moriturum pro Chriſto, Joannem vero tamquam Theologicæ puriſſimum organum, ut viſa gloria Filii Dei, quæ non ſubjacet tempori, inſonet illud: In principio erat Verbum.*

C

Symbol. Symbolice Hilarius: In tribus aſſumptis, ait, de trium origine, Sem, Cham, & Japhet, futura electio populi Dei oſtenditur. Anagog. Rabanus: *Tres*, ait, *ſolummodo diſcipulos ſecum ducit, quia multi ſunt vocati, pauci vero electi. Vel quia, qui nunc fidem ſanctæ Trinitatis incorrupta mente ſervant, tunc æterna ejus viſione lætantur.*

Quis hic Jacobus? JACOBUM, ET JOANNEM FRATREM EJUS] Fuit ergo hic Jacobus Major; qui primus Apoſtolorum martyr occubuit. Actor. 12. Lapſus ergo memoria videtur Sanctus Auguſtinus cap. 2. ad Galat. qui cenſet hunc Jacobum eſſe fratrem Domini: hic enim fuit Minor, & primus Hieroſolymorum Epiſcopus, auctorque Epiſtolæ Canonicæ.

D Myſtice. Myſtice hi tres notant triplicis ordinis eſſe eos, quos Deus præ cæteris ſua viſione & gloria dignatur. Petrus notat charitate ferventes: illa enim ipſe fervebat. Joannes virgo notat virgines, Jacobus primus ex Apoſtolis martyr notat patientes & martyres. Rurſum Petrus notat eos, qui ſunt petræ, id eſt, fortes, & conſtantes in fide, & virtute. Joannes notat caſtos. Jacobus id eſt, ſupplantator notat eos, qui vitia calcant & ſupplantant. Hi enim digni ſunt viſione Dei. Ita S. Anſelmus. Vis ergo videre Deum? eſto Petrus, id eſt, firmus in virtute; eſto Joannes per caſtitatem; eſto Jacobus per vitiorum mortificationem. Hinc rurſum nonnulli cenſent in Petro notari firmam fidem, in Jacobo ſublimem ſpem, in Joanne ardentem charitatem, hiſce enim quaſi terrenis alis ad Deum ſubvehimur.

IN MONTEM EXCELSUM SEORSUM] Syrus, *ſolos*, ut ſcilicet mons hic ſua celſitudine repræſentaret celſitudinem cæli empyrei, & gloriæ cæleſtis, utque tropologice doceret, ait Remigius: *Quia neceſſe eſt omnibus, qui Deum contemplari deſiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, ſed amore ſupernorum ſemper ad cæleſtia erigantur; & ut oſtendat diſcipulis ſuis, quatenus gloriam divinæ claritatis non in hujus ſeculi profundo quærant, ſed in cæleſtis beatitudinis regno. Ducuntur autem ſeorſum, quia ſancti viri toto animo, & fidei intentione ſeparati ſunt a malis, funditusque ſeparabuntur in futuro; vel quia multi vocati, pauci vero electi.* Nam, ut ait Beda, qui reſurrectionis fructum expectant, mente in excelſis inhabitare, & continuis precibus debent incumbere.

E

Quæres, quis fuit mons? Communiter cenſent fuiſſe montem Tabor. Refellit hoc Franc. Lucas: Quia, inquit, Tabor eſt in Galilæa: Chriſtus autem non videtur transfiguratus in Galilæa, eo quod Marcus cap. 9. 30. dicat, poſt transfigurationem Chriſtum cum Apoſtolis prætergreſſum eſſe Galilæam: quare videri Chriſtum transfiguratum in Libano monte amœniſſimo, quia Cæſarea Philippi, ubi eam promiſit Chriſtus cap. præced. verſ. 13. adjacet Libano. Verum hæc ratio non urget, nec cogit, ut a ſententia adeo communi recedamus, imo potius illi favet, illamque confirmat: vult enim dicere Marcus, Chriſtum transfiguratum fuiſſe in monte Tabor, qui eſt in Galilæa, indeque deſcendentem adjacentes Galilææ urbes & villas prædicando & ſanando, more ſuo obiiſſe & per tranſiiſſe, ut ad urbem ſuam, id eſt Capharnaum, ubi ſedem ad prædicandum fixerat, perveniret, uti mox eum perveniſſe narrat Matthæus verſ. 23. unde Marcum explicans Matthæus hic v. 21. ait: *Converſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jeſus.* Ergo jam verſabantur in Galilæa: ergo in Galilæa transfiguratus eſt Chriſtus, Galilæa enim fuit locus prædicationis, miraculorum & myſteriorum Chriſti. Et Galilæa ſignificat Hebraice tranſmigrationem, ſcilicet a peccato in gratiam, a terra in cælum, ab ærumna in gloriam. Hæc eſt ſententia Patrum, & fidelium, ut videatur Eccleſiæ traditio; ideoque mons Tabor Chriſtianis ſanctus, & peregrinatione celebris effectus eſt, teſte S. Hieronymo ep. 27. omnes enim, qui peregrinantur in terram ſanctam, viſitant Tabor, æque ac Bethleem, montem Calvariæ & Oliveti. Ita ante 1200. annos S. Paula viſitans loca ſancta, viſitavit Tabor: nam, ut diſerte ait S. Hieronym. in ejus epitaphio: *Scandebat montem Tabor, in quo transfiguratus eſt Chriſtus.* Sic in Tabor transfiguratum eſſe Chriſtum expreſſe docet S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catechеſi 12. & Damaſcenus ſerm. de Transfiguratione, Beda & Euthymius, Abulenſis, Maldonatus, Janſenius, Barradius, Toletus, Brochardus, Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ, & alii paſſim. Confirmat id Damaſcenus ex illa Pſal. 88. *Tabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Hermon enim exultavit, cum in Baptiſmo Chriſti vocem Patris de cælo audivit: Tabor vero, cum eum in ſe transfiguratum vidit, tuncque, ait Damaſcenus, Tabor certavit cum cælo empyreo: illius ſimulacrum, & quaſi gloriæ cæleſtis theatrum. Sicut enim Beati vident in cælo gloriam Dei, ſic Apoſtoli viderunt in Tabor gloriam Chriſti. Addit Beda tract. de Locis ſanctis cap. 17. in transfigurationis Chriſti coram Elia, & Moſe memoriam, in monte Tabor ædificatas eſſe tres Eccleſias juxta votum Petri dicentis: *Facimus hic tria tabernacula; tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum:* Addit Nicephorus lib. 8. c. 30. & ex eo Adrichomius S. Helenam in Tabor ob memoriam transfigurationis pulcherrimum extruxiſſe templum, illudque amplis reditibus ad miniſtros alendos dotaſſe. Hinc templo duo poſtea acceſſere monaſteria, unum Græcorum Eliæ conſecratum, alterum Moſi dedicatum.

Chriſtus transfiguratus. Non in Libano. Sed in Tabor.

F

H

Porro Tabor elegit Chriſtus, ut in eo gloriam ſuam oſtenderet. Primo, quia Tabor vicinus eſt Nazareth, in qua ipſe conceptus eſt, & Verbum caro factum: vicinus quoque eſt Capharnao, ubi habitabat & prædicabat Chriſtus; prædicationem enim ſuam confirmavit in gloria transfigurationis. Secundo, quia mons Tabor vicinus eſt Saron, de quo cecinit Iſaias c. 35. 2. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron: ibi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Tertio, quia Tabor eſt mons valde excelſus: Nam, ut ait Joſeph. lib. 4. de Bello c. 2. altitudo ejus eſt triginta ſtadiorum, hoc eſt quatuor fere milliarium Italicorum; ſtadium enim eſt octava pars milliaris; continet enim 125. paſſus, cum milliarie contineat mille. Quarto, quia, ut ait Beda loco citato, mons Tabor in medio Galilææ cam-

Cur? Prima cauſa. Secunda. Tertia. Quarta.

G

A campo a Geneſareth tribus millibus paſſuum ad Boream diſtat, ex omni parte rotundus, & æqualiter aſſurgens, herboſus, floridus, & valde amœnus; unde ſpeciem habet paradiſi & cæli. Addit Adrichomius ex Brochardo & Bredenbachio: Tabor cæli temperie eſt ſaluberrimus; vineis, olivis, variiſque arbuſtis, & fructiferis arboribus totus undique conſitus: rore perpetuo vividus, arborum frondibus, verſicoloribuſque herbis ſemper viridis, atque ſuo omnigenium florum odore fragantiſſimus. Hinc magna ferarum, maximeque avium hic eſt frequentia, quarum & grato concentu amœniſſimus eſt, & venatu celebris. Denique Tabor eſt mons extruendis ad terram ſanctam defendendam munitionibus aptiſſimus: unde Judic. 4. ex Tabor deſcendit Barac, cum ſuis, ac profligavit Siſaram. Porro in ipſo Dominicæ transfigurationis loco jam hortus eſt arboribus conſitus, & fontibus irriguus, qui muro ambitur: quo, qui pedem montis accolunt propter religionem, atque obſervantiam loci, B neminem accedere permittunt. Hucuſque Adrichomius. Unde & a S. Petro epiſt. 2. v. 18. Tabor vocatur mons ſanctus, quia Chriſti transfiguratione, Eliæ, & Moſis cum eo colloquio, ac patris de eo teſtimonio conſecratus.

Amœnitas Tabor.

Etymon Tabor.

Symbolice Tabor Hebr. idem eſt, quod thalamus puritatis, & lucis תא *ta* enim eſt thalamus, אור *or lux* ב *beth* medium ſignificat *in*. q. d. thalamus in luce, id eſt lucis: vel, ut S. Hieronymus in c. 5. Oſee *Tabor* idem eſt, quod *veniens lumen*, quia in *Tabor* Chriſtus thalamum ſuæ gloriæ & ſplendoris conſtituit. Rurſum Tabor verti poteſt תא *ta*, id eſt thalamus, בור *bor*, id eſt ciſternæ & ſepulchri, ait Pagninus in nomin. Hebraicis, quia in Tabor Moſes & Elias locuti ſunt de exceſſu, id eſt morte & ſepultura Chriſti, Luc. 9. 31. Hac enim via Chriſto eundum fuit ad gloriam, & cælum, eademque nobis eundum eſt. Addit Lucas cap. 9. 28. Chriſtum in montem conſcendiſſe, ut oraret, & inter orandum fuiſſe transfiguratum: *Aſcendit*, inquit, *in montem, ut oraret, & facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera*; C ut nos doceret fructum orationis, ſcilicet in oratione, nos luce cæleſti perfundi, & quaſi transfigurari, ut ex terrenis fiamus cæleſtes & divini: atque ex hominibus Angeli. Hujus rei typo, cum Moſes acceptaturus tabulas legis, cum Deo colloqueretur in monte Sina, apparuit ei gloria Domini, eique cornua, id eſt radios ſuæ lucis affixit, Exodi 33. & 34. Ita Hilar. Sed Moſi ab externo, puta ab alloquio Dei, Chriſto vere ab interno, hoc eſt a deitate & gloria animæ interna hic ſplendor proceſſit. Sic S. Antonius, S. Ignatius aliique Sancti ex aſſiduo cum Deo in oratione colloquio faciem accepere ſplendentem, & radios lucis evibratem.

VERS. 2. Luc. 9. 29. Mar. 9. 3. ET TRANSFIGURATUS EST ANTE EOS, ET RESPLENDUIT FACIES EJUS SICUT SOL: VESTIMENTA AUTEM EJUS FACTA SUNT ALBA SICUT NIX] Græce μετεμορφώθη, id eſt, *transformatus eſt*; ita Syrus. Unde Ovidius & Poetæ hominum in animalia transformationes vocat metamorphoſes. Arabicus; *Oſtendit gloriam ſuam coram eis*.

Modus transfigurationis Chriſti.

Quæres qua ratione & modo transfiguratus ſit Chriſtus? Suppono ut certum, non fuiſſe hic phantaſma, aut phantaſticum quid, ſive illuſionem imaginariam, quali dæmon ſagas & magos in lupos, porcos, aves, feles transfigurat; ſicque apparet ſubinde ſagis, ut ipſæ putent dicantque ſe cum Angelis colloqui, canere, jubilare. Nil tale potuit eſſe in Chriſto. D

Dico primo: Chriſtus non ita transfiguravit ſe coram tribus Apoſtolis, ut eis oſtenderet ſuam divinitatem, ſicut oſtendit Sanctis in cælo, itaque eos beat. Hæc enim oculis corporeis per omnem potentiam videri nequit: ita paſſim Patres: quare Tertull. S. Chryſoſt. S. Leo, & Damaſcenus, qui aliter loquuntur, tantum volunt dicere, Chriſtum Apoſtolis oſtendiſſe gloriam externam corporis, quæ divinitatis erat index, ut per eam quaſi per rimam, ſed corpore velatam, aliquo modo gloriam, & majeſtatem Deitatis aſpicerent.

Dico ſecundo: Chriſtus in transfiguratione non mutavit vultus ſui eſſentiam aut formam, imo nec figuram, colorem, vel alias qualitates, ſed, ut recte ait Euthymius, aſſumpſit ingentem ſplendorem quaſi divinum, ut fulgeret inſtar ſolis, imo ut ſole eſſet auguſtior & fulgidior. Unde Matthæus explicans τὸ *transfiguratus eſt*, mox ſubjicit: *Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol*; & enim ſignificat *id eſt*. Et Lucas: *Facta eſt*, inquit, *ſpecies vultus ejus altera*, ſcilicet luminoſa & fulgida. Ita Patres & Interpretes. Vide S. Thomam 3. part. quæſt. 45. Transfiguratio ergo dicitur eo quod Chriſtus in ea figuram, id eſt formam & ſpeciem externam faciei, aſſumpto ſplendore, in clariorem & auguſtiorem transformarit. Non enim hic Chriſtus aſſumpſit dotes alias corporis glorioſi, ſcilicet impaſſibilitatis, agilitatis, & ſubtilitatis, ſed claritatis dumtaxat; hæc enim ſolis Apoſtolis erat viſibilis. E

Totum Chriſti corpus reſplenduit.

Ubi nota primo, ſplendorem hunc non aeri, non etiam oculis Apoſtolorum, ſed faciei Chriſti, imo manibus & toti corpori realiter inhæſiſſe, uti diſerte docet S. Hieronymus, epiſt. 61. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſol. & alii paſſim. Licet enim Abulenſis hic 47. Salmeron, & Toletus in Lucæ 9. v. 29. putent ſolam faciem Chriſti reſplenduiſſe, hanc enim ſolam nominant Matthæus & Marcus: Melius tamen alii paſſim opinantur totum corpus Chriſti reſplenduiſſe; quia plena, & perfecta fuit Chriſti transfiguratio: unde ex corpore in veſtes emanavit: ſub facie ergo, utpote magis ſpectabili, cætera membra intelligunt Matthæus & Marcus. Ita S. Ephrem orat. de Transfigurat. *Facta ſunt*, inquit, *veſtimenta ejus alba. Etenim oſtendit Evangeliſta, quod ex toto ejus corpore ejus gloria ſcaturiit: & ex tota ejus carne reſplenduit ejus facies, & ex totis ejus membris reſplenduerunt radii*, &c. Item: *Chriſtus toto ſuo corpore tanquam ſol ſuis radiis reſplenduit gloria ſuæ divinitatis*. S. Auguſt. (vel quiſquis eſt auctor) lib. 3. de Miracul. S. Script. cap. 10. *Ut per carnem*, ait, *divinitas foris illuxit, ſic & caro illuminata de divinitate per veſtimenta radiavit*. Idem ſentiunt S. Ambr. in Symb. cap. 22. S. Hieronymus jam citatus, S. Auguſtinus 22. de Civit. c. 9. Origenes in c. 9. Levit. (qui & addit eo tempore Moſen quoque non in vultu ſolum, ſed in toto corpore clarificatum fuiſſe) D. Thomas, Barradius, Suarez, & alii, quorum aliqui cenſent ſplendorem hunc totum corpus Chriſti penetraſſe, illudque feciſſe perſpicuum, & pellucens; alii melius cum Suarez tom. 2. diſp. 42. ſect. 2. putant ſplendorem hæſiſſe in ſuperficie corporis exteriori, idque ſignificat vox *transfiguratio*, id eſt figuræ, quæ in ſuperficie exteriori eſt, immutatio. Porro ſplendor hic erat cæleſtis, imo pluſquam cæleſtis, ſcilicet divinus & beatificus, qualis eſt corporum glorioſorum: unde inſtar ſolis erat aureus, magnificus, elegans, oculoſque ſumme recreans; ac cum eſſet ſummus, nativæ effigiei Chriſti conſpectum Apoſtolis non eripiebat: ſecus eſt de luce noſtra v. gr. ſolari, quæ viſum tam recreat, quam hebetat. F G

Dotes gloriolæ repreſſæ a Chriſto.

Nota ſecundo, novum hunc ſplendorem fuiſſe dotem claritatis, quæ uti & cæteræ dotes corporis beati (puta agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas) debitæ erant corpori Chriſti & animæ ejus, utpote beatæ & Deo unitæ, idque toto tempore vitæ a primo inſtanti conceptionis ejuſdem in utero Virginis; ſed tamen, uti pati poſſet Chriſtus, & cum hominibus converſari, hæc claritas, cæteræque dotes jam dictæ, toto reliquo vitæ ejus tempore repreſſæ fuerunt in beata Chriſti anima, ne ex ea per phyſicam, vel potius moralem (nam lux animæ eſt ſpiritalis, lux vero corporis eſt longe diverſa & corporalis) emanationem in corpus ſeſe diffunderent: alioqui enim per corpus, ut lux per laternam emicaſſet. Illa ergo repreſſio miraculum fuit, hic vero ceſſatio ab hac repreſſione, ac ſplendoris interni in corpus de more emanatio, fuit ceſſatio miraculi: hominibus tamen viſa eſt miraculum, quia nova, & quia ejus cauſam ignorabant. Quocirca Chriſtus hanc corporis ſui gloriam, licet duplici titulo, ſcilicet unionis hypoſtaticæ, & beatitudinis animæ ſibi debitam tertio titulo meriti adeptus eſt: per tot enim paſſiones & labores meruit hanc corporis gloriam, eamque in reſurrectione accepit perpetuam, ut paſſim docent Theologi. Nec aliud vult Damaſcenus ſerm. de Transfiguratione, ubi ait Chriſti corpus ſemper habuiſſe gloriam, licet Apoſtolis abſconditam, in transfiguratione vero eam oſtendiſſe; nam per gloriam intelligit unionem hypoſtaticam, quæ erat fons & origo omnis gloriæ & claritatis. Idem dico de S. Epiphan. hæreſ. 69. & de S. Nazianz. orat. 49. & S. Anſelmo in Elucidario. Quare quod nonnulli opinati ſunt Chriſtum ſemper has dotes & hunc ſplendorem in corpore habuiſſe, ſed illum non fuiſſe viſum ab hominibus ob debilitatem viſus humani, ſicut nonnulli ducunt claritatem in corpore beatorum glorioſo fore inviſibilem oculis H

Digitized by Google

A lis mortalium, nisi nova eis vis videndi addatur: hoc inquam, improbabile est, cum illa lux corporis glorioſi sit corporea, & summa; ideoque summe oculo cuilibet visibilis.

Quo die & anno Christus transfiguratus.

Denique transfiguratio Christi contigit die sexta Augusti, quo Ecclesia quotannis illam celebrat. Ita VVandebertus, qui vixit anno Christi 850. in suo Martyrologio, licet Petrus Canisius in suo Martyrolog. illam factam dicat die 27. Julii. Porro Ammonius, Baronius, Jansenius, Adrichomius, Suarez, & alii consentiunt illam accidisse anno 33. ætatis Christi, qui fuit tertius & ultimus prædicationis ejusdem: sequenti enim anno vertente in Paschate sub die 25. Martii crucifixus est. Vide chronotaxim, quam commentario præposui.

Cur transfiguratus Christus? Prob. Primo.

Quæres secundo, cur transfiguratus sit Christus? Respond. primo, ut per hanc claritatem & gloriam, ac per testimonium Eliæ, & Mosis Apostolis divinitatem suam probaret, illamque sub humanitate occultatam atque velatam ostenderet. Secundo.

Secundo, ut præmuniret discipulos, ne caderent animo, cum ipsum visuri essent in monte Calvariæ cruci affixum. Tertio.

Tertio, ut se hac forma judicem venturum cum potestate magna, & majestate indicaret, & quasi repræsentaret. Ita S. Ephrem, Cyrillus, & Damascenus de Transfigur. S. Basilius in Ps. 44. & alii. Unde & Elias apparuit, qui erit præcursor Christi venientis ad judicium; idem censent nonnulli de Mose. Quarto.

Quarto, ut fidem, & spem, animumque & zelum Apostolorum, cæterorumque fidelium, ad certamen & cruces quaslibet pro Evangelio fortiter subeundas, spe similis gloriæ in resurrectione obtinendæ excitaret & acueret. Ita S. Leo ser. de Transfig. *Transfiguratus est*, inquit, *Dominus, ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleret, & ne conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas passionis, quibus revelata esset abscondita excellentiæ dignitas.* Et S. Chrysostomus hic, qui addit minimum beatum in cælo majorem habere claritatem, & gloriam, quam Christus hic: quia Christus illam hic debilibus oculis, & captui Apostolorum adhuc mortalium attemperavit. Quare quibus hæc gloriæ cælestis irradiat veritas, his omnis mundi, & pompæ mundanæ vilescit vanitas. Quocirca S. Franciscus dictitabat: *Tanta est gloria quam expecto, ut omnis me pœna delectet.*

Quater fuit Christus transfiguratus.

Symbolice: Hæc transfiguratio repræsentavit miras, & varias Verbi incarnati, quasi divini Protei transformationes. Christus enim quater transfiguratus est: Primo in incarnatione, cum Verbum caro factum, in ea quasi lux in laterna resplenduit. Secundo in cruce, in qua ita flagris, clavis, sputis, &c. deformatus fuit, ut de eo dicat Isaias, cap. 53. *Non est species ei, neque decor & vidimus eum, & non erat aspectus.* Tertio, in resurrectione, cum gloria & honore coronatus est. Quarto, in Eucharistia, ubi latens sub speciebus panis, & vini, in eos quasi transfigurari videtur, transubstantiatio enim est quasi accidentium transfiguratio.

Anagogice: Voluit hic Christus dare ideam nostræ resurrectionis & gloriæ, in qua ipse corpus nostrum reformabit configuratum corpori claritatis suæ.

Tropologice: Voluit Christus primo hic typum dare transfigurationis animæ peccatis nigræ in lucem gratiæ, per quam Christo configuramur. Transfiguratio enim nostra consistit in configuratione cum Christo, ut Christo in omni humilitate, charitate, obedientia, religione, &c. conformemur: ut simus vivæ imagines vitæ, & sanctitatis Christi, quasi nostri exemplaris: ut cogitemus, loquamur, operemur ea pietate, gravitate, zelo, qua Christus, ut quicumque nos viderit, putet se in nobis Christum cernere. Rursum Christus hic dat ideam transfigurationis, qua anima a minori sanctitate transit ad majorem: Christus enim jam sanctus transfiguratus est, atque hæc transfiguratio sæpe priore est difficilior & rarior: Sancti enim sæpe sibi de sanctitate blandiuntur, & in ea quasi securi conquiescunt, nec ad majorem aspirant, uti peccatores & pœnitentes aspirant ad justitiam. Rarius est, ait ille Pater, ut a sanctitate minori ad majorem, quam ut a peccato quis ad sanctitatem transfiguretur. Idem asserit S. Bernardus, S. Bonaventura, & alii: hoc tamen subinde fit in monte, & secessu cum Christo, puta in crebra & ferventi oratione, ac meditatione. In ea enim mens illustratur a Deo, ac per eam quasi fistulam haurit lumen cæleste, quo illustrata concipit novos ardores ad reformandos mores, imo ut transformet se in Christum, ut cum Paulo dicat: *Mihi mundus crucifixus est. Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus.* Et cum S. Ignatio epist. ad Romanos: *Amor meus crucifixus est.* Et cum S. Francisco quinque corporis Christi stigmata, si non corpori, certe animæ suæ infigat & imprimat medullitus.

Oratio; animæ transfiguratio. Primo. Secundo.

Oratio ergo est animæ transfiguratio: Primo, quia in ea anima lumen a Deo accipit, ut clarius eum, æque ac seipsam, suaque omnia cognoscat & lustret.

Secundo, in ea a Deo petit, impetratque gratiam ad maculas & vitia, quibus deformata est, eluenda & reformanda, atque ad tentationes quaslibet superandas. In ea pro desolatione accipit consolationem, ex debili fit fortis, ex pigra fervens, ex perplexa intelligens, ex tristi læta, ex pusillanimi animosa.

Tertio.

Tertio, in ea supra se levatur, & ad Deum in cælum attollitur, ubi discit, imo videt res omnes terræ esse viles, exiles & fragiles, itaque eas, ut pueriles quasi ex alto despicit & contemnit. Cernit enim non nisi in cælo esse veros honores, veras opes, veras delicias.

Quarto.

Quarto, ibi audit, videtque pariter parvas, & exiles esse omnes mundi cruces, omnem paupertatem, omnem morbum, omnem famem, omnem persecutionem. Quare ea omnia fortiter sustinere, & parvi æstimare decernit, dicitque cum Paulo: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, &c. Ergo.

Etiamsi fructus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Quinto: S. Franciscus orans elevabatur in altum.

Quinto, in ea unit se Deo: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* 1. Cor. 6. 17. Hinc S. Franciscus orans rapiebatur in altum, ac subinde usque ad altitudinem sagorum, imo usque ad nubes quasi ad Deum ascensurus, nec aliud dicebat, cogitabat, & amabat, quam: *Deus meus, & omnia. Da mihi Domine amore amoris tui mori, qui pro amore amoris mei dignatus es mori.* Hoc est quod ait Paulus: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.* 2. Corinth. 3. 18.

Denique Christum non sedentem, nec genu flexum, sed stantem fuisse transfiguratum innuit Marcus dicens: *Evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros stantes cum eo*, scilicet pariter stantes. Unde sequitur Christum non sublatum in aera, uti nonnulli pictores pingunt, sed in terra, illi pedibus insistentem fuisse transfiguratum. Ita Thyræus c. 9. de Transfig. in fine.

Fulgor vestimenti Christi in transfiguratione.

VESTIMENTA AUTEM EJUS FACTA SUNT ALBA SICUT NIX] aliqui legendum putant: *sicut lux*; nam Græca jam habent εἰς τὸ φῶς, id est, *sicut lux*; sic & Syrus & Arabicus, accedit Ægyptius, qui vertit: *Et rutilavit facies ejus sicut sol, vestimenta quoque splenduerunt sicut forma solis* Æthiopycus: *Vestimenta ejus sicut crystallus*: Verum noster cum Persico ὡς χιὼν, id est, *sicut nix*, & sic legunt hic nonnulli codices, imo omnes Marc. 9. 2. nix enim proprie dicitur alba, lux vero fulgida; quamquam nix non solum candet, sed & fulget. Candor enim ejus tantus est, ut fulgeat, fiatque fulgor. Porro hic habitus, & color symbolum est lætitiæ & gloriæ Beatorum. Apoc. 4. 4. & passim alibi. Abulensis q. 42. & seq. ac noster Salmeron opinantur vestibus Christi candorem hunc vere & realiter fuisse inditum; quare colorem vestium fuisse immutatum, ut, si illæ prius erant nigræ in se, factæ sint albæ; sin vero prius erant albæ, ut Abulensis putat, factas fuisse albiores; peracta vero transfiguratione, eas ad pristinum colorem & statum rediisse. Favet S. Marcus, dum ait: *Vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram facere candida.* Vestes ergo Christi duo habebant: scilicet candorem niveum, quasi fullonis, & splendorem a Deo immissum, utrumque supernaturalem: splendor enim hic non poterat a carne Christi per vestes, utpote opacas eminere. Ita ipsi. Alii passim censent candorem idem fuisse cum splendore: splendor enim est candidus, sed candori addit fulgorem, eumque Deo agente ex carne Christi emanasse in vestes, uti fit in corporibus glorioſis, ideoque splendorem hunc obruisse, & quasi absorpsisse nativum vestium colorem, si alius erat, ne tantisper appareret: quare splendor hic in facie & corpore Christi erat aureus & fulvus, uti est in sole; transfusus vero in vestes factus est albus, uti alba apparet luna, cum radiis solis illuminatur, & ipse sol per nubes transparens apparet albus: magnus enim splendor, si per obscurum corpus,

Digitized by Google

A corpus, quales sunt vestes percipiatur, non tam rutilans fulgor, quam albicans candor appareat; eo quod objectu intermedii corporis, radii ejus frangantur, & quasi debilitentur. Ita Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 22. S. Ephrem, & Auctor de Mirabil. Script. jam citati, Euthymius hic, Alensis 3. p. 21. Albertus in Marci & Luc. c. 9. Lyranus, Glossa, Cajet. Franc. Lucas, Suarez, Lorinus in 2. Petr. 1. vers. 16. sic & Petrus Thyræus de Appar. Christi lib. 1. de Transfig. n. 42. per *candida* intelligit splendida; uti & Evangelistæ alibi splendida vocant candida, Favet Marcus, cum ait, *Splendentia & candida nimis velut nix*. Intelligit ergo per splendorem candorem instar nivis splendentem; nam alioqui dixisset *candida & splendentia*. Plenus erit sensus & omnia adæquans, si utramque sententiam jam jungas, & utrumque factum dicas, scilicet vestes Christi & factas esse candidas ut nix, per candorem niveum quasi fulloneum illis a Deo de novo inditum, & pariter splendidas per splendorem ex facie, & carne Christi radiante in eas diffusum. Hæc enim significat Lucas, dicens: *Et vestitus ejus albus, & refulgens*. Græce ἐξαστράπτων, id est *effulgurans*, hoc est radios instar fulguris evibrans. Unde liquet non solum candorem niveum in eis fuisse, sed & splendorem fulB gureum. Candor enim est color perfectissimus, & lux sive splendor omnium qualitatum sensibilium nobilissima, ac fugur est igneum, & rerum omnium efficacissimum. Ita Barradius, & Toletus.

Candor est color perfectissimus.

Tropol. Tropologice: Vestes Christi sunt sancti: hi enim eum ornant ut vestes, suntque candidi, & frigidi ut nix, quia casti, & puritate fulgidi. Ita S. Gregorius 32. Moral. cap. 7.

VERS. 3. ET ECCE APPARUERUNT ILLIS MOYSES ET ELIAS CUM EO LOQUENTES] Quæres, cur hi duo præ aliis Prophetis *Luc. 9. 30. Marc. 9. 4.* apparuerunt? Resp. Maldonatus, quia hi duo præcedent secundum Christi adventum ad judicium, qui erit cum magna majestate, cujus proinde typum & figuram *Moses & Elias apparuerunt. Cur?* dedit Christus in hac sua transfiguratione: de Elia id verum est, sed falsum de Mose, uti ostendi Apoc. 11. v. 3. & 4. ubi probavi Enoch venturum cum Elia contra Antichristum, non Mosen.

C Dico ergo causam fuisse, quod Moses fuerit legislator legis veteris; Elias vero princeps prophetiæ & prophetarum, quare ipse repræsentavit totum Prophetarum chorum. Hi ergo duo apparuerunt, ut ostenderent Christum vere esse Messiam, Salvatorem mundi a se in lege & Prophetis promissum. Per Mosen igitur ostenditur lex, per Eliam prophetiam in Christum conspirare, ac utramque jam officio suo perfunctam terminari, & dare locum Christo novo legislatori & Prophetæ a Deo misso; atque per omnes Prophetas, ac nominatim per Mosen promisso, Deuter. 18. 18. *Prophetam*, inquit, *suscitabo eis de medio fratrum suorum similem sibi, & ponam verba mea in ore ejus*, &c. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, & Euthymius. Addit S. Hieronymus l. 2. contra Jovinian. Mosen & Eliam hanc visionem meruisse, quia æque ut Christus 40. diebus jejunarunt in monte. Hinc Tertullianus, Origenes, Nazianzenus, & alii censent hanc visionem humanitatis Christi in transfiguratione repræsentatam (æque ac repræsentata fuit Eliæ in spiritu auræ tenuis, quo se illi ostendit Deus, 3. Reg. 19. ait Abulensis) & promissam fuisse Mosi a Deo, cum ei cupienti petentique faciem Dei videre, Deus respondit, dixitD que, *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Exodi 33. 23. Quod in sensu litterali verum esse nequit, sed tantum in symbolico, uti ibidem ostendi. Nam in sensu litterali Moses vidit ibidem dorsum Dei in corpore luminoso & glorioso, ab Angelo Dei vicario assumpto: quæ visio, teste S. Hilario, fuit typus transfigurationis Christi, in qua Moses vidit gloriam humanitatis Christi.

Sex alia causæ. Prima. Sex alias causas dat S. Thom. 3. p. quæst. 45. art. 3. ad 2. quas audi: Prima est hæc, quia enim turbæ dicebant eum esse Eliam, vel Jeremiam, aut unum ex Prophetis, capita Prophetarum secum ducit, ut saltem hinc appareat differentia servorum & Domini. *Secunda.* Secunda ratio est, quia Moyses legem dedit, Elias pro gloria Domini æmulator fuit: unde per hoc, quod simul cum Christo appareat, excluditur calumnia Judæorum accusantium Christum, tamquam transgressorem legis & blasphemum, Dei sibi gloriam u*Tertia.* surpantem. Tertia ratio est, ut ostendat se habere potestatem mortis & vitæ, & esse judicem mortuorum & vivorum, per hoc quod Moysen jam mortuum, & Eliam adhuc viventem secum ducit. Quarta ratio est, quia sicut Lucas dicit: *Loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Jerusalem*, id est, de passione & morte sua; & ideo, ut super hoc discipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui se morti exposuerunt pro Deo. Nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni: Elias vero regi Achab. Quinta ratio est, quia volebat, ut discipuli *Quinta. Sexta.* sui æmularentur Moysi mansuetudinem, & zelum Eliæ. Sextam rationem addit Hilarius, ut ostenderet scilicet se per legem, quam dedit Moyses, & per Prophetas, inter quos fuit Elias præcipuus, esse prædicatum. Denique Elias æquatur Moysi affectu, non effectu: plura enim gessit Moses, quam Elias. Audi S. Amb. l. 1. de Jacobo & vita beata c. 8. *Operationes*, inquit, *bono commendantur affectu. Neque enim minus beatus Elias, quam Moyses; cum alter cibi indigus, meloride vili sine filiis, sine sumptu, sine comite: alter populi ductor, Jesus sobole, succinctus potentia, diverso genere meritum æquale fundaverint, quando cum Domino in resurrectionis gloria refulserunt. Videtur enim parem his, quasi paribus gloriæ suæ testibus dedisse mercedem.*

E

F Quæres, qua ratione & modo hic apparuerint Moses & Elias? De Elia omnes conveniunt, ipsum in proprio corpore apparuisse; Elias enim raptus est curru igneo in cælum & adhuc vivit ut veniat, certetque pro Christo contra Antichristum. Ex paradiso ergo, vel loco, in quem a Deo translatus est, Elias subito per Angelum translatus fuit in montem Tabor, ibique in transfiguratione Christi extitit collocutor & testis. De Mose variæ sunt sententiæ, quas recensui Deut. ult. v. 5. Certum est, ut ibi ostendi, Mosen esse mortuum, nec hucusque resurrexisse. Quare nonnulli putabant hic non Mosen verum apparuisse, sed Angelum in specie & forma Mosis. Verum hoc falsum est, imo erroneum, ait Suarez, quia Moses inducitur hic ut testis Christi: testis autem in propria persona debet ferre testimonium. Unde nemo interpretum est, qui dicat non fuisse Mosen, sed Angelum, nisi Glossa in Lucæ c. 9. v. 30. quam S. Thomas desumptam putat ex auctore de Mirabil. S. Script. l. 3. c. 10. & 13. sed hic auctor nihil tale habet, imo asserit omnium sententiam esse, quod fuerit verus Moses. Probabilius ergo Jansenius opinatur hanc Glossam petitam esse ex S. August. lib. de Cura pro mortuis, ubi dubitat August. an mortuorum apparitiones vere fiant per ipsos, an per Angelos, an potius, inquit, per utrosque, non tamen dubitat de Mose nostro hic; imo Calvinus licet dicat probabile esse, fuisse spectrum Mosis; tamen addit probabilius esse, fuisse veram animam Mosis. Mosis igitur anima e limbo per Angelum translata est in terram, ibique egressa, venit in Tabor ad Christum, assumpsit corpus, vel aereum formante illud Angelo, ut volunt Lyranus, Salmeron, Abulensis, & S. Thomas 3. part. q. 45. art. 3. ad 2. vel certe proprium corpus resumpsit, & resurrexit, ita ut anima Mosis a limbo per Angelum deducta sit ad ejus sepulchrum, ibique collectis ab Angelo Mosis cineribus, Deus illis animam Mosis inseruerit & univerit, ut verus vivusque fuerit Moses, quem idem Angelus ex sepulchro transtulit in Tabor. Decebat enim ut in hoc Christi testimonio omnia essent vera & solida; & sic Christus hic resuscitando Mosen, ostendit se judicem & dominum vivorum esse & mortuorum. Sic opinantur Tertullianus, Origenes, Iren. & alii, quos citat & sequitur Suarez 3. p. q. 45. disp. 22. sect. 2. ac Petrus Thyræus de Apparit. Christi, lib. de Transfigur. cap. 3. §. 36. quorum uterque multis rationibus probabilibus idipsum confirmat. *Si hoc sequaris*, H *censeasque Mosen resurrexisse, necesse est ut dicas eum rursum esse mortuum, ac rursus cum aliis post Christi resurrectionem resurrexisse: nam primus resurgentium ad vitam immortalem fuit Christus.*

Nota: Christus Mosi & Eliæ suum splendorem, & gloriam afflavit, & communicavit, æque ac vestibus suis. Unde Lucas ait cap. 9. 31. *Erant autem Moses, & Elias visi in majestate*, Græce ἐν δόξῃ, id est, *in gloria*. Ita Tertullianus, Origenes, Damascenus, D. Thomas, Abulensis, & alii passim. Oportebat enim, ut viderent Apostoli conservorum gloriam, ut fortificarentur in laboribus. Denique hac de causa, ait Beda de locis Sanctis, in Tabor *Duo monasteria in monte Tabor.* ædificata fuere duo Monasteria, unum in honorem Mosis, alterum in honorem Eliæ.

CUM EO LOQUENTES] Lucas addit: *Et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*. Pro excessum *Quemnam excessum dicebant.* Græce non est ἔκστασις, quasi significetur hic extaticus amor Christi, qui eum adegit ad passionem & crucem, ut aliqui pii hic imaginantur; sed est ἔξοδον, id est exitus, scili-

Digitized by Google

A ſcilicet ex Jeruſalem, & ex hac vita per mortem crucis in montem Calvariæ, quem Moſes & Elias hic audientibus Apoſtolis prædixerunt Chriſto, ut ſcandalum & horrorem crucis Chriſti, tam iis, quam nobis eximerent. Unde nonnulli cum Chryſoſt. pro ὄξος legunt δόξαν, id eſt gloriam: nam in cruce maxime Chriſtus ſuam poteſtatem, & gloriam oſtendit: unde tunc ſol obſcuratus eſt, petræ ſciſſæ ſunt, terra contremuit, &c. Porro ſermo ipſorum cum Chriſto familiaris fuit de rebus notis, non diſciplinalis, non doctrinalis; ſed tamen didiciſſe aliquid teſtes potuerunt; & Chriſtus aliquid cognoviſſe ab ipſis ſingulare. Quid vero? Illi tempus paſſionis: hic grati animi ſignificationem, & præterea deſiderium, quo petierunt perfici opus redemptionis humanæ. Eſt & hoc probabile, quod gratias egerint Domino, tamquam inſigni humani generis redemptori: & propoſitis eximiis fructibus, Dominum ad ſumendum paſſionis calicem animarent: quemadmodum in horto animavit Angelus. Ita Thyræus.

VERS. 4. Luc. 9. 33. Mar. 9. 5. B RESPONDENS AUTEM PETRUS, DIXIT AD JESUM DOMINE, BONUM (jucundum, ſuave, & beatum) EST NOS HIC ESSE. SI VIS, FACIAMUS HIC TRIA TABERNACULA; TIBI UNUM, MOYSI UNUM, ET ELIÆ UNUM] Petrus hic gloria exultans, & quaſi ebrius volebat in ea hærere, & permanere, ut jugiter illa frueretur, unde Arabicus vertit: *Bonum eſt ut maneamus hic*. Votum hoc Petri implevere poſteri, ædificantes in Tabor tres Eccleſias, teſte Beda. Sapienter Damaſcenus: *Non eſt*, inquit, *tibi bonum, o Petre, quod Chriſtus ibi moretur: non enim obtineres claves regni, nec mors abolita eſſet tyranni, ne quæras ante tempus felicia, ut Adam deificationem*.

Tropologice ludens in hiſce verbis more ſuo S. Bernar. ſerm. 6. de Aſcenſ. *Quomodo*, inquit, *jam bonum eſt nos hic eſſe? Imo vero moleſtum eſt, grave eſt, periculoſum eſt. Nimirum, ubi malitiæ plurimum, ſapientiæ modicum; ſi tamen vel modicum invenitur, ubi viſcoſa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obſeſſa laqueis peccatorum, ubi periclitantur animæ, ubi ſpiritus affliguntur ſub ſole, ubi tantum vanitas & afflictio ſpiritus eſt*: Rurſum Theophylactus: Ne dixeris, inquit, cum Petro: Bonum eſt nos hic eſſe: nam oportet ſemper proficere, & non permanere in uno gradu virtutis, & contemplationis, ſed ad alia tranſire.

C Unde agniti Moſes & Elias. Prob. Primo. Quæres, unde Petrus agnovit hos duos loquentes cum Jeſu eſſe Moſen & Eliam? Reſpond. primo potuiſſe eum ipſos agnoſcere ex colloquio cum Chriſto. Videtur enim Moyſes dixiſſe Chriſto: Salve Meſſia ſalvator noſter. Tues ille, cujus paſſionem ego tot ſacrificiis, ac præſertim occiſo agno, & perfecto Paſcha præfiguravi. Elias vero: Tues, cujus reſurrectionem ego in filio viduæ, quem ad vitam revocavi; ac cujus aſcenſionem ego curru igneo raptus in cælum repræſentavi, &c. Forte etiam Chriſtus eos, aut ipſi ſe invicem ſuis nominibus appellabant & nominabant.

Secundo. Secundo, potuit eos agnoſcere Petrus ex ſpecie & habitu, quo eorum imagines pingebantur, vel (ſi hæc pictura imaginum ob metum idololatriæ, non erat apud Judæos in uſu) certe deſcribebantur in S. Script. & Traditione Majorum: v. g. Elias agnoſci potuit ex zona pellicea & melote, qua veſtiri ſolebat 4. Reg. 1. Moſes ex facie cornuta, imo ſi Drutmaro hic, & Origeni id aſſerenti credimus, apparuit Moſes cum tabulis legis, Elias cum curru igneo.

Tertio. Tertio, & maxime eos agnovit Petrus ex inſpiratione divina. Ita Tertullianus, & alii ſuperius citati.

D Quæres, cur Petrus petiit fieri tria hæc tabernacula, cum Beati non egeant tabernaculis? Reſp. Petrum hoc dixiſſe ſub finem transfigurationis, cum jam Moſes, & Elias pararent abitum, ut eos retineret, ne abirent. Nam Lucas ait: *Eſt factum eſt, cum diſcederent ab illo*, ſcilicet Moſes & Elias a Jeſu, *ait Petrus ad Jeſum: Bonum eſt nos hic eſſe, facimus*, &c. q.d. O quam ſuave & delectabile eſt in hac viſione commorari! quare, o Chriſte, ne patiaris Moſen & Eliam diſcedere, ac, ut eos retineamus, faciamus eis habitaculum & tabernaculum cuique ſuum, in quo commorentur. Non meminit tabernaculi ſui, Jacobi, & Joannis, quia, ut dixi, Moſen & Eliam abeuntes volebat retinere: unde de iis, non de ſe & ſociis erat ſollicitus. Addit Abulenſis quæſt. 64. Petrum cogitaſſe, quod eodem tabernaculo, quo Chriſtus, utpote ejus diſcipuli, exciperentur; aut certe, ut Lyranus, Petrus ſibi deſtinabat tabernaculum Chriſti, Jacobo tabernaculum Moſis, Joanni tabernaculum Eliæ. Addit Marc. *Non enim ſciebat quid diceret*; & Lucas: *Neſciens quid diceret*. q.d. Petrus dulcedine hujus viſionis ebrius, ut eam continuaret, quaſi rationis impos dicebat incongrua, mente aberrabat, & quaſi delirabat. Idque primo, quia putabat Chriſtum glorioſum item Moſen, & Eliam egere tabernaculis, iiſque tribus, quaſi unum tribus non ſufficeret. Rurſum Moſen & Eliam æquabat Chriſto. Secundo, quia oportebat Chriſtum in Tabor manere, nec redire ad diſcipulos, quare Chriſtum, qui eſt bonum univerſi, concludere volebat in hoc monte. Rurſum felicitatem quærebat in terra, quæ eſt locus exilii, & ærumnarum, cum illa quærenda ſit in cælo; hoc enim nobis eſt patria & paradiſus. Tertio, quia Chriſtum a prædicatione, paſſione, & cruce; ac conſequenter a redemptione mundi avocabat, ſuam voluptatem præponens ſaluti omnium hominum, & voluntati Dei. Quarto, quia adhuc mortalis & paſſibilis, ſolus cum Jacobo & Joanne beatitudine perfrui volebat, ad quam tamen Deus per Chriſtum innumeros poſt hanc vitam perducere deſtinarat. Quinto, quia volebat gloriam ante laborem, coronam ante certamen, bravium ante meritum, gaudium ante paſſionem, & crucem; cum prius oporteret Chriſtum & Chriſtianos pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Lucæ 24. Crux enim eſt via & ſcala ad felicitatem; &

Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.

Hinc Chriſtus per ſummum crucis opprobrium ſummam adeptus eſt gloriam. Hinc & Poeta gloriam laboris filiam nuncupat, ac viciſſim S. Gregorius in Job c. 7. v. 2. labores vocat pignora gloriæ. Sexto, quia felicitatem in viſione gloriæ humanitatis Chriſti, non vero in viſione deitatis collocabat. Si ergo Petrus conſpexiſſet divinitatis gloriam, & gaudiorum bonorumque omnium abyſſum, quid dixiſſet? Hæc enim Petri viſio & voluptas erat ſenſibilis & corporea, eratque dumtaxat una mica, ſtilla, & gutta reſpectu voluptatis & gaudii, quod percipiunt Beati in videndo & fruendo Deo, cum in eo quaſi in mari deliciarum ſe immergunt, eoque abſorbentur; juxta illud Pſal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Porro viſio hæc gloriæ Chriſti, Moſis & Eliæ in diſcipulis magnam ciebat non ſolum voluptatem, ſed & admirationem & reverentiam, ac ſacrum quemdam horrorem. Unde Marcus ait: *Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti*.

E Petrus nescit præ gaudio quid petat. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. F Gloria laboris filia.

G ADHUC EO LOQUENTE, ECCE NUBES LUCIDA OBUMBRAVIT EOS] *Obumbravit*, id eſt circumdedit, & complexu ſuo cinxit eos, ſcilicet Chriſtum, Moſem, Eliam, & tres Apoſtolos, inquit Abulenſis, ita ut cerni non poſſent: quia nubes ampla erat, & valde denſa, æque ac fulgida, & coruſcans. VERS. 5. Luc. 9. vers. 34. 35. Mar. 9. 7.

Nota: Lucas c. 9. 34. ſic habet: *Hæc autem illo* (Petro) *loquente, facta eſt nubes, & obumbravit eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem*, quod Toletus ſic ex Damaſceno explicat, q.d. Dum Petrus dicit: *Faciamus hic tria tabernacula*, nubes ei contradicens ſe mediam interpoſuit inter Chriſtum, Moſen & Eliam ex una parte, & diſcipulos ex altera, itaque *obumbravit eos*, ſcilicet diſcipulos, ut fulgor Chriſti oculos diſcipulorum perſtringens, hac nubis umbra intermedia temperaretur, itaque facilius a diſcipulis conſpiceretur: *Et timuerunt intrantibus illis in nubem*, id eſt timuerunt diſcipuli, cum viderent nubem complecti Chriſtum, Moſen & Eliam, ſe vero ab illis per nubem excludi: *Timuerunt*, inquam, quia videbant ſe extra nubem illa obumbratos, ac ſolos deſerti, ne ſi quid mali eis eveniret, nullum haberent, qui eis ſuccurreret. Vel *timuerunt*, ne Chriſtus cum Moſe & Elia abiret alio, vel raperetur in cælum, uti olim raptus erat Elias curru igneo. Cum Toleto conſentit Petrus Thyræus lib. de Apparit. Chriſti, tract. de Transfig. can. 4. n. 16. Eſtque hæc ſententia probabilis. Nubes obumbrans quos & cur; Prima ſententia. H

Secundo. Secundo, Barradius cenſet, nubem veniſſe poſt diſceſſum Moſis & Eliæ; nam ante v. 33. dixerat de iis Lucas: *Et factum eſt, cum diſcederent ab illo*. Tunc ergo *nubes obumbravit eos*, ſcilicet Chriſtum cum diſcipulis, qui ſoli manſerunt reliqui; ideoque *timuerunt*, quia viderunt ſe in nubem ingredi, illaque ſe undique cingi, neſcientes quid inde eis eventum eſſet.

Tertio, optime Franc. Lucas cenſet hanc nubem obumbraſſe, id eſt, umbra ſua circumdediſſe, & cinxiſſe tam Chriſtum, Moſen & Eliam, quam tres diſcipulos, utpote Chriſto vicinos, ſed ita ut circa Moſen & Eliam ſe condenſans, eos in ſe intrantes complectens, ex oculis diſcipulorum ſubduxerit, & abduxerit, uti cenſet Euthymius, & Syrus, qui pro *intrantibus illis in nubem*, vertit: *Cum viderent Moſen*

Tertio; & optime.

Digitized by Google

A *Jsen & Eliam, qui ingrediebantur nubem*, ideoque *timuerunt*, uti explicabo v. 6. sic & nubes suscipiens Christum ascendentem in cælum, subduxit eum ab oculis Apostolorum. Actor. 1. quod ergo paulo ante dixit Lucas: *Et factum est, cum discederent ab illo*; sic intellige *cum discederent*, id est, cum discessum pararent, cum signum darent abitus, cum Jesu valedicerent, quasi mox abituri. Mox enim supervenit nubes, quæ eos complexa seorsim duxit & abstulit. Unde Arab. vertit: *Et cum vellent discedere ab eo.*

Nubis officii quale hic? Primo. Quæres, unde, & cur hæc nubes? Respondetur: Facta est a Deo per Angelum ex condensatione aeris & vaporum, ut per eam corrigeret Petri votum de tribus tabernaculis fabricandis, ostendendo Christum iis non indigere, utpote cujus thronus sit nubes lucida & gloriosa. Quocirca verisimile est Petrum, Jacobum & Joannem fuisse intra hanc nubem, non extra, tum quia vicini erant Christo, ut dixi, erantque de ejus domo & familia: tum quia nubes hæc, si solum Christum complexa fuisset, debuisset esse valde parva & demissa; jam autem magna fuit & alta, ut

B esset symbolum magnitudinis, celsitudinis, & magnificentiæ Dei: tum quia ideo a Christo hi tres Apostoli erant adducti in Tabor, ut essent testes certi apud cæteros Apostolos & fideles eorum, quæ in nube circa Christum gerebantur, ac præsertim vocis Dei Patris, *Hic est Filius meus*. Ergo hæc coram & clare, sine velo & nube spectare, & audire debebant, ut essent oculati & auriti testes omni

Nubes est velum Dei. exceptione majores. Porro nubes est symbolum, æque ac velum gloriæ Dei. Hinc olim in nube, quia ipsa cælestis est, & impervia visu, solebat Deus incomprehensibilem suam majestatem, quasi obtectam eminus, & velut per umbram Hebræis demonstrare, ut patet Exodi c. 19. v. 9. c. 24. v. 15. & c. 34. v. 5. Unde nubes vocatur ascensus, sive vehiculum Dei: Ps. 103. 3. item tabernaculum, thronus, & sedes non tantum majestatis, sed & omnipotentiæ, summæque efficaciæ Dei, nam ex nubibus in hostes jaculantur grandines, turbines, tonitrua, fulmina. Psal. 17. v. 12. & seqq. Psal. 67. v. 35. Psal. 88. v. 7. hinc & Christus cum majestate judicaturus orbem veniet in nubibus cæli, Matth. cap. 24. v. 30.

C Nubes hæc ergo voci Dei Patris fuit quasi instrumentum:

Secundo. Christo, decus & ornamentum: Mosi & Eliæ, vehiculum: Apostolis, umbraculum. Addit Abulensis quæst. 75. & ex eo Thyræus, nube hac tegi voluisse Christum, ut ea regeretur, dum deponeret splendorem transfigurationis

Tertio. suæ, ne id viderent Apostoli, sicut non viderunt ejus initium, cum primo illum assumpsit, quia dormiebant. Addit tertio S. Ambrosius in c. 9. Lucæ quod nubes hæc splendorem corporis Christi, quem alioqui fragiles Apostolorum oculi ferre non potuissent, moderata est, & tempe-

Christus an nocte, an mane transfiguratus? ravit. Porro ex nube hac opinatur Toletus in Lucæ c. 9. v. 34. Christum transfiguratum fuisse nocte, tempore somni: unde Apostolorum oculos gravatos fuisse ait Lucas, ideoque mirabiliorem apparuisse Apostolis Christi transfigurationem. Splendor enim tanus mirabilior est noctu, quam diu. Verisimiliter quoque alii putant mane in aurora Christum esse transfiguratum, tum ne viderentur esse hæ præstigiæ, & spectra nocturna; tum quia Christus venit ad opera lucis; Apostolorum autem oculi gravati erant ex fatigatione, ut inferius dicam v. 8. Denique aurora est confinium lucis & tenebrarum, estque amœna, ideoque gloriæ symbolum.

D Nubes fuit lucida. Cur? Prob. Primo. Lucida fuit primo, quia gloriæ Christi erat index: unde Cajetanus censet lucem nubi huic afflatam a luce & splendore corporis Christi; aut potius, quia per eam majestas & gloria Patris loquentis repræsentabatur. Unde Petrus epist. 2. c. 7. v. 17. nubem hanc vocat magnificam gloriam Patris ex ea loquentis, qui tamen per eamdem ornabat, & augebat gloriam transfigurationis Christi: fuit ergo nubes hæc plena majestatis & gloriæ.

Secundo. Secundo, ut significaretur differentia legis veteris & novæ. In veteri enim Deus apparebat Hebræis in nube caliginosa, quia illa lex plena erat umbris & terroribus: in nova vero apparet in nube lucida, quia lex nova veritatem affert, claritatem & amorem. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, & Damascenus de Transfiguratione.

Et ecce vox (Dei Patris ad Christum) de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite] Nota primo cum S. Chrysostomo, Ambrosio, Toleto, Jansenio, & aliis, patere ex Luca cap. 9. vers. 33. & sequ. hanc vocem ex nube altius a terra elevata (unde S. Petrus epist. 2. cap. 1. ait *de cælo*) insonuisse post discessum Eliæ & Mosis, id que hoc fine, ut Apostolis clarissimum esset & certissimum, hanc vocem ad solum Christum dirigi, non ad Mosen, vel Eliam, utpote jam absentes. Vox hæc, cum fuerit opus *ad extra*, ut loquuntur Theologi, formata est a tota S. Trinitate per Angelum (his enim quasi ministris ad exteriora opera utitur Deus, Hebr. 1. ult.) ut repræsentaret Deum Patrem: in hujus enim persona Angelus formavit hanc vocem, uti & illam: *Ego sum Dominus Deus tuus*. Exodi 20.

In tran guratio symboli S. Trini tis.

Nota secundo hic, æque ac in baptismo Christi, symbolicæ repræsentatam fuisse S. Trinitatem. Nam Spiritus sanctus apparuit in nube, Pater in voce, Filius in divino splendore & gloria, in quo pariter apparebat Verbi incarnatio. Videbatur enim Christus homo, & per splendorem vocemque Patris significabatur idem esse Deus, Deique Filius. Spiritus sanctus per nubem adumbratus est, quia ipse ut nubes fulgida hominem illuminat, tegit, obumbrat, fœcundat ad omne opus bonum. Ita S. Ambrosius, Origenes, Beda, & S. Thomas. Adde quod idem beat, & glorificat. Hinc in baptismo Christi Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ, quia in baptismo dat innocentiam: in transfiguratione vero, quæ est typus resurrectionis, apparuit in

E specie nubis, quia tunc dedit, dabitque ab omnibus malis securitatem. Paulo aliter Beda: illic, ait, Spiritus sanctus in columba, hic in nube, quia qui fidem simplici conde servat, clare postea, quod credidit, videbit.

Hic est Filius meus] *Duo grata vocabula*, inquit B. Cyprianus ser. de Baptismo, *Filius & dilectus*, ipso Deo dictante, *nostris sensibus imprimuntur, ut communio nominum nos associet collegio munerum, & tanta dulcedinis nomina nostrũ emolliant animum, accendantque devotionis affectum*. Porro, *non dixit (Deus Pater) in hoc est filius meus, ne alter ab altero seorsum per se positus, hoc est, divisus intelligatur, sed quo secundum dispensatoriam unionem unus idemque simpliciter accipiatur: hic, ait, est filius meus*, ait Concil. Ephes. ex prosphonet. Cyril. ad Imperat.

Dilectus (Syrus, *dilectissimus*: Alludit ad illud Ps. 28. 4. *Vox Domini in magnificentia*, &c. *& dilectus, quemadmodum filius unicornium*, quod de Christo per multas unicornis & Christi analogias exposui 2. Petri 1. vers. 17.) in quo mihi complacui] In quo omnem & summam habeo complacentiam, qui solus mihi infinite placet, G propter quem mihi placent quicumque placent. Vide dicta Matth. 3. 17.

Ipsum audite] Non Mosen, qui jam abiit, sed ipsum Christum, quasi novum legis novæ legislatorem. *Audite*, ipsique & ejus mandatis per omnia credite, & obedite. Alludit ad Deuter. 18. 15. ubi Moses de Christo ait: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audias*. In baptismo Christi non fuit dictum: *Ipsum audite*, quia tunc primum mundo demonstratus fuit Christus, hic vero propositus fuit ut doctor & legislator. Igitur, teste Tertulliano, S. Leone Damasceno, & aliis superius citatis, significatur hic abrogatio legis veteris & novæ institutio. Item Christi passio in excessu, quam de Christo loquebantur Moses, & Elias, ejusque resurrectio, ascensio, & gloria repræsentatur in ipsa transfiguratione, infernus vero & limbus in Mose, qui e limbo prodiit in Thabor.

Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde] Primo, quia nubes hæc videbatur eis novum quid, magnum, & divinum parturire. Secundo, quia, ut habet Syrus, videbant Mosen & Eliam abeuntes intrare in nubem, ac per eam ex oculis eorum evanescere. Timebant enim, ne Moses e nube fulmina & tonitrua jacularetur, uti olim fecerat accipiens a Deo, & dans populo legem in Sina. Exodi 19. 16. ac ne Elias e nube jacularetur ignes, uti olim fecerat 4. Reg. 1. 10. Tertio, *audientes timuerunt*, quia vox e nube, ait Abulensis, instar tonitrui fortiter, sed suaviter resonans, & reboans eos terrefecit & perculit. Ita S. Ephrem orat. de Transfigur. *Ad hanc*, ait; *vocem proni ceciderunt Apostoli in terram, erat enim tonitru terribile. Quamobrem voce ejus tremuit terra, & ii ceciderunt in terram*. Sic ille. *Humana fragilitas*, ait S. Hieronymus, *conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, ac toto animo ac corpore contremiscens, ad terram cadit*. Addit Origenes, S. Chrysostomus, & Euthymius eos timore perculsos cecidisse in faciem, ut Deum adorarent, illique supplicarent, ne scilicet fulmen, aut tonitru eos afflaret, vel aliud quodpiam malum in eos ingrueret.

Vers. 6. H Timent Apostoli. Primo. Secundo. Tertio.

Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis: surgite, et nolite timere] Apostolos tres, quos Dei intonantis vox & majestas prostraverat, Christi humani-

Vers. 7.

Digitized by Google

tas erigit, ut erectos rursum sistat Deo. Ad hoc enim venerat ipse, qui est mediator Dei & hominum.

VERS. 8. LEVANTES AUTEM OCULOS SUOS, NEMINEM VIDERUNT NISI SOLUM JESUM] Disparuerat ergo nubes cum Elia & Mose. Jesus quoque transacta jam transfiguratione, in pristinam faciei formam & figuram redierat.

Luc. 9. v. 36. Marc. 9. 8.

Symbolice: Significabatur disparuisse legem & Prophetas, umbrasque legis veteris præsente Christo, ipsique locum cessisse, ac ipsum solum superesse, qui veram Evangelicæ legis lucem hominibus afferat. Unde Origenes: *Facti*, inquit, *fuerunt unum Moses, id est lex, & Elias, id est Propheta, conversi ambo in Evangelium Christi, & non sicut prius fuerant tres, sic & manserunt, sed tres unum sunt facti*; qui transierunt in Christum, sicut lex & Prophetæ in Evangelium. Rursum cito transit hæc gloria, & delectatio transfigurationis, ut ostenderet Christus omnia in hoc mundo, etiam excelsa & divina esse brevia, sed in cælo fore æterna, ut ad illud anhelemus; in terra enim omnia mensurantur tempore (quod fluxum est & breve) in cælo vero stabili æternitate.

B Nota; Historiam transfigurationis varie narrant S. Matthæus, Marcus, & Lucas; sed hæc fuit rei gestæ series & ordo, qui Evangelistas omnes inter se conciliat. Primo, Christus oravit; interim discipulis ex labore consensi montis, & ex prolixitate orationis Christi somno gravatis, ac dormientibus transfiguratus est Christus. Secundo, accesserunt Moses & Elias, loquentes cum Christo de excessu (morte crucis) quem completurus erat in Jerusalem. Tertio, Apostoli e somno, hoc fulgore & colloquio excitati, viderunt gloriam Christi, cumeoque colloquentes Mosen & Eliam. Quarto, finito hoc colloquio, cum signum darent abitus, S. Petrus hac voluptate quasi ebrius, dolens eos parare abitum, petiit fieri tria tabernacula, unum Christo, secundum Moysi, tertium Eliæ. Quinto supervenit nubes subducens Moysen & Eliam, cum voce ad Christum: *Hic est filius meus dilectus*, &c. quibus territi S. Petrus, Jacobus & Joannes ceciderunt in terram, sed mox a Christo confortati & erecti, levantes oculos suos, solum viderunt Jesum. Interim Moyses ad limbum, Elias ad locum suum per Angelum, uti adductus, ita & reductus est.

Ordo totius transfigurationis.

C VERS. 9. ET DESCENDENTIBUS ILLIS DE MONTE, PRÆCEPIT EIS JESUS DICENS: NEMINI DIXERITIS VISIONEM, DONEC FILIUS HOMINIS A MORTUIS RESURGAT] *Nemini*, non tantum plebejo, ut vult S. Hieronymus, sed & Apostolo, ne cui ex eis tristitiæ, & invidiæ causam daret, dolenti scilicet, quod cum Petro, Jacobo & Joanne transfigurationi non interfuisset. Ita Damascenus, qui ait: *Ne proditorem invidiæ rabies in furorem ageret*. Unde Marcus cap. 9. ait ipsos ita fecisse: *Et verbum continuerunt*, inquit, *apud se*. Idem asserit Lucas. Causa cur Christus eis silentium indixerit usque ad resurrectionem fuit, quia tunc erat futurum tempus opportunum hoc mysterium revelandi, tuncque illud intellecturi & credituri erant Apostoli, quando post passionem & mortem, in qua scandalizandi erant & turbandi, jam peractam, visuri erant ipsum resurgentem in gloria, cujus hæc transfiguratio erat typus. Unde S. Hieronymus: *Non vult*, inquit, *hoc*, scilicet transfigurationem, *in populis prædicari, ne & incredibile esset prorei magnitudine, & post tantam gloriam, apud rudes animes sequens crux scandalum faceret*. Sic & S. Chrysost. Beda & alii. Ex resurrectione enim Christi certo cogniturі erant, Christum non coactum, sed sponte ex nimio amore pro nobis crucem & mortem subiisse, ac jam gloria donatum, cum eadem judicem venturum in fine mundi, eademque gloria coronaturum eos, qui ipsius exemplo & præcepto sese abnegaverint, crucem tulerint, ipsumque secuti animas suas ejus amore perdiderint.

Luc. 9. 36. Marc. 9. 9.

Cur Christus silentiū de sua transfiguratione indixit?

D Tropologice Christus crucis suæ opprobrium propalans, gloriam vero transfigurationis abscondens, docet nos celare dotes & dona Dei nobis collata usque ad mortem, uti Paulus celavit suas revelationes 2. Corinth. 12. 16. ne ob ea laudati intumescamus, & ob superbiam illis privemur. Unde Eccles. 11. 30. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*. Causas ibi dixi.

VERS. 10. ET INTERROGAVERUNT EUM DISCIPULI DICENTES: QUID ERGO SCRIBÆ DICUNT, QUOD ELIAM OPORTEAT PRIMUM VENIRE?] Occasio hujus interrogationis fuit, quod tres hi Apostoli in transfiguratione viderint Eliam, eumque abeuntem conspexerint. Mirantur enim, cur discesserit, cum manere debuisset, ut Christum Christique regnum & gloriam præcurreret, juxta vaticinium Malachiæ cap. 4. 6. quod citabant, docebantque Scribæ, sed errabant in confusione temporum: Non enim distinguebant primum Christi in carne adventum a secundo ejus adventu glorioso ad judicium. Hunc enim secundum adventum præcurret Elias, sicut Joannes Baptista præcucurrit primum. Verum Apostoli, etsi primum Christi adventum a secundo distinguerent, viderant enim primum, at necdum viderant secundum, tamen & hunc propediem fore sperabant: quia enim audierant a Christo fieri mentionem resurrectionis suæ imminentis, ejusque typum viderant in transfiguratione, putabant (sed falso) post eam statim Christum glorioſe regnaturum, ac regnum gloriæ suæ, quod fiet in secundo adventu, illico initurum, ideoque mirantur & rogant, cur Elias abierit & non manserit, ut illum præeat & præcurrat. Ita S. Hieronymus, Maldonatus, Jansenius.

Cur Christus de Eliæ ventu o Christi interrogarit discipuli?

E

AT ILLE RESPONDENS AIT EIS: ELIAS QUIDEM VENIET, ET RESTITUET OMNIA] Id est, Judæos ad Christum quasi Messiam, ipsis & patribus promissum convertet, quod Malachias c. 4. 6. ait: *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Vide ibi dicta. Nam ibi Septuag. quos more suo sequitur hic Matthæus, pro *convertet*, vertunt ἀποκαταστήσει, id est, *restituet*. Unde Arabicus vertit: *Docebit vos omnia*.

VERS. 11. Mar. 9. 12.

F

VERS. 12. DICO AUTEM VOBIS, QUIA ELIAS JAM VENIT, ET NON COGNOVERUNT EUM, SED FECERUNT IN EO QUÆCUMQUE VOLUERUNT. SIC ET FILIUS HOMINIS PASSURUS EST AB EIS] Salit Christus a litterali Elia ad mysticum, id est, Joannem Baptistam juxta Canonem 23. de Baptista enim Angelus Gabriel prædixerat patri ejus Zachariæ Lucæ 7. 17. *Ipse præcedet ante illum* (Christum) *in spiritu & virtute Elia, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam*.

Mar. 9. 13.

Perperam ergo Calvinistæ hæc omnia referunt ad primum Christi adventum, & Eliam eumdem utrobique (vers. 11. & 12.) accipiunt scilicet Joannem Baptistam. Censent enim Eliam, quem Malachias c. 4. v. 5. prædixit venturum esse Joannem Baptistam Præcursorem Christi, nec alium venturum, qui cum Enoch præcurrat secundum Christi ad judicium adventum, quos multis refutavi Malach. 45.

G

Voluit enim Christus hic dumtaxat explicare illud Scribarum Axioma ex Malachia desumptum: *Elias veniet, & vobis ostendet Christum*, quod Malachias dixerat de secundo Christi adventu, etiam mystice posse applicari primo suo adventui. Scribæ enim non distinguebant primum adventum a secundo, uti etiamnum non distinguunt Judæi, ideoque Christum venisse negant, & venturum expectant, quia nondum apparuit Elias eum ostendens: ut ergo Christus Scribis plene & plane condescendat, & satisfaciat, concedit Eliam aliquem præcursurum utrumque Christi adventum, sed in primo fore typicum, in secundo literalem & verum Eliam. Vult enim dicere, non per hoc, quod necdum venerit Elias, stare quo minus Judæi in se quasi Messiam credant, sed per hoc, quod perversi sint & obstinati in sua malitia; Elias enim ille, qui ante primum Messiæ adventum promissus fuerat, id est, Joannes Baptista, jam venerat, & Messiam Scribis digito ostenderat: sed illi Joanni credere noluerant: Unde subdit Christus: *Et non cognoverunt eum*, id est noluerunt agnoscere, ipsum esse præcursorem & indicem Christi a Deo missum, *sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt*, id est, eum sua vitia taxantem, ex ira & odio persecuti sunt, & tradiderunt Herodi, qui eum quærebat ad necem, ac tandem occidit ipsis applaudentibus. Matth. cap. 4. v. 12. & c. 14. v. 3. 9. 10. *Sic & Filius hominis passurus* (Syrus, *vim passurus*) *est ab eis*, id est pari modo me ipsorum scelera castigantem, persequuntur, & persequentur, crucifigent, & occident.

H

VERS. 13. TUNC INTELLEXERUNT DISCIPULI, QUIA DE JOANNE BAPTISTA DIXISSET EIS] Quod ipse esset Elias mysticus, & præcursor Christi.

VERS. 14. ET CUM VENISSET AD TURBAM, ACCESSIT AD EUM HOMO GENIBUS ANTE EUM PROVOLUTUS (Græce γονυπετῶν αὐτῷ, id est, *accidens ei ad genua*, velut supplex, & supplicans pro salute filii) DICENS] Lucas cap. 9. 17. addit: *Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte* (Tabor) *occurrit illi turba multa*. Unde patet postridie transfigurationis, hunc lunaticum a Christo esse sanatum.

Miraculū lunatici sanati.

DOMINE MISERERE FILIO MEO, QUIA LUNATICUS EST, ET MALE PATITUR] Misere affligitur. Græce σεληνιάζεται,

Digitized by Google

Luc. 9. v. 38. 39. Mar. 9. v. 17. 18. 22.

ἀσθενεῖ, id est, lunationibus affligitur, juxta lunæ mutationes, epilepsia corripitur, in pleniluniis, & noviluniis morbo comitiali agitatur, non a natura, sed a dæmone, qui eum obsidet. Arabicus: *Vexatur valde in principiis lunationum*. Unde Marcus c. 9. 17. ait: *Magister attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum* (causaliter, quia filium faciebat mutum) *qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit*, uti faciunt epileptici. Et Luc. 9. 40. *Respice*, ait, *in filium meum, quia unicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum*. Hinc Origenes, SS. Chrysostomus, & Hieronymus hic docent, Epilepsiam communem non tam lunæ & humorum commotioni, quam dæmoni esse tribuendam, qui ad eam lunæ mutationibus, & incrementis vel decrementis utitur. Unde Mahomet auctor Mahometismi, epilepsia laborans, fingebat se corripi, docerique a Spiritu sancto, cum ageretur a dæmone. Hinc etiamnum Turcæ epilepticos, quasi actos Spiritu sancto, & fatidicos venerantur, cum ab humoribus a luna commotis id contingat.

Lunatici qui & unde?

Epilepsia dæmoni adscribenda.

Mahomet epilepticus, inde epilepticos venerantur Turcæ.

B Luna enim in novilunio & plenilunio auget & commovet humores, præsertim melancholicos, & phlegmaticos cerebri, quibus ipsa dominatur; itaque facit ut illi cerebrum turbent, ac clamores, spumas, & totius corporis agitationes & collisiones excitent. Qui enim mania & epilepsia laborant, ex atra bile, id est, ex melancholia, maxime illa exagitantur in plenilunio, quia luna tunc plus luminis & caloris affert, sed debilioris quam sit solis: hic autem atram bilem resolvit, & commovet, nec tamen consumit: atra vero bilis commota ciet has spumas, clamores & stridores. Epileptici vero ex pituita, ac crudis, & incoctis humoribus magis exagitantur descrescente luna, & maxime in novilunio, quia tunc luna minimum habet luminis & caloris: pituita autem & pituitosi humores maxime crescunt per frigus, præsertim immoderatum. Vide Franc. Valesium sacræ Philosoph. cap. 71. Vide etiam quæ dixi cap. 4. 24. Tropologiam lunatici afferam in fine v. 21.

Mania ex melancholia in plenilunio.

Ex pituita in novilunio.

NAM SÆPE CADIT IN IGNEM ET CREBRO IN AQUAM] Dæmon enim eum agit *in ignem*, ut comburat; *in aquam*, ut mergat & suffocet.

C

VERS. 15 Luc. 9. Mar. 9. 17.

ET OBTULI EUM DISCIPULIS TUIS, ET NON POTUERUNT CURARE EUM] Culpam suam, puta fidei defectum, transcribit in Apostolos more hominum. Causam, cur non potuerunt, affert Christus v. 20. & 21.

VERS. 16 Luc. c. 41. Mar. 9. 18. Quænam hic corrigit Christus?

RESPONDENS AUTEM JESUS AIT: O GENERATIO INCREDULA (Arabicus, *infidelis*) ET PERVERSA, QUOUSQUE ERO VOBISCUM? USQUEQUO PATIAR VOS? AFFERTE HUC ILLUM AD ME] Origenes censet hæc dici ad novem Apostolos, qui, tribus cum Christo in Tabor ascendentibus, in valle cum turba, remanserant: nam hi soli lunaticum hunc curare tentaverant eo tempore, quo tres reliqui eum Christo transfigurando in montem secesserant. In hisce enim novem videtur fides Christi satis fuisse imminuta, tum quia in ejus præsentia nulla signa & miracula edebant, sed tantum cum absentes ab eo in missione versabantur, tum quia Christo in monte cum tribus commorante, reliquis novem quasi cum plebe derelictis, torpor quidam fidei obrepserat, ait S. Hilarius, tum quia a patre lunatici audiebant, imo oculis cernebant mali magnitudinem, & dæmonis in lunatico furentis vim & rabiem. Verum melius S. Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, Theophylactus censent hæc dicta patri lunatici, ac Judæis & Scribis: in hos enim magis incredulitas, & consequenter culpa non ejecti dæmonis conferenda, quam in discipulos, ut sat colligitur ex Marco c. 9. v. 22. 23. ubi patet rogatus a Christo, an in se crederet, ait: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*. Licet & Apostolos minoris, quam in re tanta opus erat, fidei privatim Christus arguat v. 20. Judæis ergo & Scribis ait Christus. *O generatio incredula & perversa*, id est, distorta, nesciens rectis incedere gressibus, ait S. Cyrillus. q. d. O duri & rebelles Judæi, durorum & rebellium ab olim patrum filii, quasi duritiem innatam, & a patribus insitam accepistis, qui cum videritis me tot, tantaque miracula patrare, tamen in me non creditis, imo illa sugillatis, quasi per Beelzebub facta, uti vobis persuadent Scribæ: quid hic ago vobiscum? quousque improbos vestros mores, sannas & calumnias tolerabo? quousque beneficia & miracula mea in vos incredulos, & ingratos profundam & perdam? Causa, cur discipuli mei non potuerint curare filium tuum, o Judæe, non est impotentia mea vel illorum. Dedi enim eis potestatem ejiciendi dæmones: sed causa est incredulitas tua & tuorum Judæorum, quæ obicem ponit gratiæ Dei; quia non credis, sed hæsitas, & dubitas, an ego & illi possimus illum curare. Ita S. Cyrillus. Sunt verba Christi indignantis ad Scribarum & Judæorum pervicaciam, duritiem & cæcitatem; sed mox motum hunc reprimit, & viscera misericordiæ sibi consueta assumit & exerit, sanatque lunaticum perinde ac medicus, ait S. Hieronymus, *si agrotum videat contra sua præcepta agere, dicat: usquequo ad domum tuam accedam? quousque artis perdam industriam, me aliud jubente, & te aliud perpetrante? In tantum autem non est iratus homini, sed vitio, & per unum hominem Judæos arguit infidelitatis, ut statim intulerit: afferte eum ad me.*

D

E

AFFERTE HUC ILLUM AD ME] Addit Marcus fusius rem gestam enarrans c. 9. 19. *Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus* (malus, puta dæmon possidens lunaticum) *conturbavit*, exagitavit, *illum, & elisus in terram volutabatur spumans*. Dæmon postquam sensit Dominum, concutit puerum, ait Titus Bostrensis in Lucæ c. 9. nam irritatus præsentia Jesu, eumque metuens, ne ab eo expelleretur, cœpit furere, & lunaticum horrende vexare & torquere. Pergit Marcus. *Et interrogavit* (Christus) *patrem ejus: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait, ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas misit, ut eum perderet; sed si quid potes* (ecce incredulitatem, quam Christus taxavit; dubitat enim de potentia Christi) *adjuva nos misertus nostri. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*. q. d. Credendo in me poteris a me impetrare sanitatem filii. Congrue Christus exegit fidem in se: non enim congruebat, ut non credentes vel dubitantes de se curaret, ac beneficia sua indignis & a se aversis obtruderet. Pergit Marcus. *Et continuo exclamans pater pueri cum lacrymis ajebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam* q. d. Credo, sed in fide sum infirmus & debilis, tu ergo eam adauge & robora, ut per eam quidquid in me est incredulitatis vel hæsitantiæ, auferatur; itaque merear obtinere a te hoc sanitatis beneficium. Non dubium est, preces tam humiles & ferventes exaudisse Christum, omnemque incredulitatem ei exemisse: nam mox filium ejus, utique jam credentis, sanavit.

F

G

ET INCREPAVIT ILLUM JESUS, ET EXIIT AB EO DÆMONIUM, ET CURATUS EST PUER EX ILLA HORA] VERS. 17 Luc. 9. 42. Mar. 9. 25. 27. Marcus addit: *Et cum videret Jesus concurrentem turbam* (ut illam per hoc miraculum induceret ad credendum in se, quasi in Messiam) *comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus* (qui hominem hunc fecisti surdum & mutum) *ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum: & exclamans, & multum discerpens, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est: Jesus autem tenens manum ejus elevavit eum, & surrexit*. Hinc patet valde potentem & malignum fuisse hunc dæmonem, qui ausus fuit Christo adeo resistere & obstrepere ut lunaticum pene ad mortem adegerit. Quocirca verisimile est, eum non fuisse ex infimo Angelorum ordine, sed ex aliquo superiori: & hi enim homines invadunt & possident: unde dæmones in obsessis per exorcismos adjurati, fatentur ex quo ordine sint, & subinde altiorem nominant. Hac de causa discipuli Christi non potuerunt eum ejicere, sed ejectio hæc servabatur Christo, qui magna vi, imperio, & molimine eum expulit. Hoc enim est Græcum, ἐπετίμησεν, id est, increpavit, & increpando ac comminando imperavit dæmoni, dicendo: *Ego præcipio tibi, exi ab eo*, quod ni feceris, ego acriter te puniam, ac invitum ex homine extrudam. Hinc & Christus Apostolis rogãtibus, cur eum non potuerint ejicere, ait: *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio*, ut habet Lucas.

Hic dæmõ non erat ex minimis.

H

TUNC ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM SECRETO, ET DIXERUNT: QUARE NOS NON POTUIMUS EJICERE ILLUM? VERS. 18 (Luc.) 28.

DIXIT ILLIS JESUS: PROPTER INCREDULITATEM VESTRAM] VERS. 19 Arabicus: *Propter parvitatem fidei vestræ*. Habebant Apostoli fidem; sed ad dæmonem tam potentem & ferum ejiciendum major requirebatur fides, quæ Apostolis deerat: unde Syrus versum sequentem sic vertit: *Si fuisset in vobis fides instar grani sinapis, diceretis monti huic, decede, & decederet.*

AMEN QUIPPE DICO VOBIS, SI HABUERITIS FIDEM SICUT GRANUM SINAPIS, DICETIS MONTI HUIC (Tabor, ex quo descendo: ita Abulensis) TRANSI HINC ILLUC, ET TRANSIBIT, ET NIHIL IMPOSSIBILE ERIT VOBIS] Hæc est fides miraculorum, quæ non est diversa a fide justificante, ut volunt hæretici, sed eadem: una enim tantum est

Luc. 17. 16. Infr. 21. 21. Mar. 11. 23.

Digitized by Google

A Fides miraculorum est fiducia unde?

fides, Ephes. 4. 50. Est tamen hæc fides conjuncta cum certa fiducia divinæ opis ad miraculum, quo tentatur patrandum; quæ fiducia oritur primo ex libertate sanctæ & familiaris Deo conscientiæ, quæ familiariter quasi Deo utitur, & ad thesauros gratiæ ejus penetrat, ut illis fruatur; juxta illud 1. Joann. 3. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petieremus, accipiemus ab eo*, Sic S. Dominicus impetrabat a Deo quidquid petebat.

Secundo: ex interno Dei instinctu quasi animantis, excitantisque homines ad hoc opus prodigiosum, ac tacite promittentis suam opem ad illud perficiendum, Vide Franc. Suarez tract. de Fide disp. 8. sect. 1. ubi docet fidem miraculorum quoad substantiam, & essentiam esse actum Catholicæ fidei, quo credimus Deum esse omnipotentem & fidelem in promissis, ita elicitum & applicatum ad hoc particulare factum, ut possit generare fiduciam illam necessariam ad patrandum miraculum: unde collige, quod

B sicut hæc fides & fiducia est in arbitrio & potestate nostra cum gratia Dei (quam ipse dare solet) sic & est quodammodo in potestate nostra facultas faciendi miracula, ac quo quis magis crescit in fide & fiducia, eo magis & crescit in hac facultate: quo quis enim Deo est familiarior, eo plura ab eo impetrat, idque significat hic Christus, & idipsum patet ex vita & praxi Sanctorum, Sic S. Bernardus docet, nos posse potiri dono prophetiæ, ut sciamus secreta Dei, si videlicet insinuemus nos in intimam Dei amicitiã, de hac enim Christus ait Joann. 15. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a patre meo, nota feci vobis*. Absolute tamen potest hæc fides esse sine charitate. Unde Paulus: *Si habuero*, ait, *omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. 1. Cor. 13. 2. Vide ibi dicta. Quomodo fidei tribuenda sit operatio miraculorum, docet D. Thomas de Potentia, q. 9. art. 9.

C FIDEM SICUT GRANUM SINAPIS] id est, fidem exiguam specie, sed insignem virtute & efficacia, scilicet fidem humilem, nec se jactantem, ideoque parvam hominum judicio, sed in se vivam, acrem, vehementem, perfectam, ardentem instar grani sinapis, non enim solum a parvitate, uti feci cap. 13. 31. sed & ab acredine fidem hanc comparat grano sinapis: hæc enim humilitati juncta, tollit omnem incredulitatis umbram, hæc est thaumaturga & transfert montes: ex adverso miraculorum patrationem impedit æque superba præsumptio, atque incredula diffi-

Fides transfert montes.

exempla.

dentia, Ita Origenes & Beda. Hæc fides eluxit in S. Greg. Neocæsareæ Episcopo, qui montem templi fabricam impedientem, hac fide orando alio transtulit, teste Nysseno in ejus vita, & Euseb lib. 7. Histor. cap. 25. pluraque alia miracul. patravit: unde *Thaumaturgi*, id est miraculorum opificis cognomen accepit. Simili fide similem montem in Tartaria fuisse translatum, cum Tyrannus id exigeret a Christianis ex hoc Christi promisso, narrant Epistolæ Asiaticæ, & Marcus Paulus Venetus in Tartaria. Simile exemplum narrat S. Hieronymus de S. Hilarione in ejus vita. Hic enim, cum mare per terræmotum exundans undarum moles & montes gurgitum littoribus inferret, itaque minaretur urbi Epidauro excidium, a civibus staturus in littore quasi obex maris, *cum tria crucis signa pinxisset in fabula, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit, ac diu fremens & quasi ad objicem indignans, paulatim in se metipsum relapsum est. Vere illud quod ad Apostolos dictum est: Si credideritis, dicetis huic monti: Transi in mare, & fiet, etiam juxta litteram impleri potest. Quid enim interest, utrum mons descendat in mare, an immensi undarum montes repente obriguerint, & ante senis tanquam pedes saxei, ex alia parte molliter fluxerint*. Hucusque S. Hieronymus.

S. Gregor. Thaumaturgi. Christianorum Tartaria S. Hilarionis.

D Mysticè: mons est gravis tentatio, præsertim ambitionis & superbiæ, uti docet S. Hieronymus, quæ maxime vincitur fide & spe, puta orando, sibi diffidendo & fidendo Deo: unde S. Franciscus magna & molesta tentatione spiritus pulsatus, intendens orationi, cum lacrymis audivit e cælo vocem: *Francisce si habueris fidem ut granum sinapis, & dixeris monti ut transeat, transibit*. Ignarus ille sensus oraculi, clamans addidit: *Domine qualis hic mons?* Cui responsum: *Mons est tentatio*. Et Franciscus magno lacrymarum impetu subjunxit: *Fiat mihi Domine sicut dixisti*: ac statim sublata omni tentatione, perfectam obtinuit spiritus tranquillitatem. Ita VVaddingus in Annalibus Minorum anno Christi 1218. n. 2.

Mons est tentatio.

S. Franciscus.

VERS. 20 Marc. 9. HOC AUTEM GENUS NON EJICITUR NISI PER ORATIONEM ET JEJUNIUM] Est secunda ratio, cur discipuli non potuerint ejicere hoc dæmonium: prima enim fuit ob incredulitatem petentium, & parvam fidem Apostolorum.

E Nota Primo, *hoc genus* non significat omne dæmonum genus, ut vult S. Chrysostomus & Euthymius, sed certum, scilicet altioris ordinis, potentissimum, perversissimum, obstinatissimum, malitiosissimum, quale erat hoc hominem obsidens, eumque faciens lunaticum & epilepticum, ac mire distorquens & exagitans, adeoque nunc in ignem, nunc in aquam eum projiciens, & perdere volens, idque ab infantia. Ita Salmeron, Jansenius, Maldonatus & alii. Addit Abulensis qu. 172. apud Judæos pessimum fuisse habitum dæmonem surdum & mutum, uti hic erat, idque colligit ex eo, quod Judæi mirati sunt a Christo ejici dæmonem surdum & mutum; dixerintque: *Numquam apparuit sic in Israel*, ut patet Matth. 9. 33. Et c. 12. v. 22. & 23. Causa est, quod nescias, quid cum surdo & muto agere debeas, quave ratione eum juvare: Cum enim sit surdus, nil eorum, quæ rogas, intelligit; cum sit mutus, nihil respondet. Ita Thyræus lib. de Dæmoniacis, part. 4. c. 51. qui & addit difficilius expelli eos, quibus a Deo data est potestas major in corpus hominis, uti huic lunatico data fuit. Sunt enim alii dæmones minus validi, minusque pertinaces, & rebelles, nec adeo maligni, uti sunt jocularis illi Lares & Lemures, qui specie parvulorum in domibus habitant, ac noctu suos jocos, vanos strepitus, & tumultus similesque ludicras terrificationes exercent. De quibus vide Delrio in Magicis, & Petrum Thyræum lib. de Terrificationibus nocturnis.

Dæmones qui difficilius expellantur?

F Sunt aliqui dæmones minus validi & minus maligni ut Lemures.

Nota Secundo, hoc genus dæmonum non nisi oratione & jejunio expelli; tum quia hæc duo hominem a carne elevant ad Deum, eumque faciunt spiritalem, imo quasi Angelum carne & dæmone superiorem; tum quia oratio postulat, & jejunium meretur hanc fugationem, & ex se dæmonem cruciando fugat, Ita S. Chrysostomus: Jejunium, ait, majoris philosophiæ singulare est opus; & hominem quasi Angelum constituit, & incorporeas potestates impugnat. Et Eusebius Emissenus homil. de initio Quadragesimæ; Homo, ait, per abstinentiam Angelicam potest expugnare naturam, uti fecere S. Antonius, S. Hilarion, S. Machatius, & alii.

Jejunii & orationis vis.

Denique oratio condita jejunio & carnis afflictione magna impetrat a Deo, Ita Abulensis, qu. 173. Legi vitas multorum Sanctorum, ac deprehendi nullos fere claruisse miraculis, nisi eos, qui erant abstinentes, & austeræ vitæ, Audi S. Chrysostomum hic: *Qui orans jejunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando pretervehitur: non enim oscitat, nec extenditur, nec torpet orando, qua multi patiuntur, sed igne ardentior & terra superior est; quare terribilis hostis dæmonibus redditur. Nihil enim est homine probo orante potentius*.

G Nota Tertio, Christus requirit orationem & jejunium non in utroque, scilicet in eo, qui patrat miraculum, & in eo, qui illius fructum percipit, ut vult S. Chrysostomus & Theophylactus; sed in eo, qui illud patrat dumtaxat, uti notavit Origenes, licet dubium non sit, quin fructum percipientis oratio quoque & jejunium multum rem adjuvet, uti advertit idem Origenes, Jansenius, Maldonatus & alii.

Dices: Christus ejiciens hunc dæmonem non legitur orasse, & jejunasse, Resp. eum paulo ante orasse & jejunasse, cum transfiguraretur in Tabor: quia in montis descensu curavit hunc lunaticum: Adde: oratio & jejunium requiruntur in puris hominibus, non in Christo, qui erat Deus, ac ut Deus solo verbo poterat dæmones omnes fugare, imo annihilare. Ita Abulensis hic q. 170. Porro jejunii semina hic jacet in discipulos Christus, ait S. Chrysostomus.

H Tropologice Glossa: Hoc genus ait dæmonii lunaticorum, id est, ista carnalium voluptatum mutabilitas non vincitur, nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per jejunium maceretur. Luna enim ob assiduas mutationes symbolum est stultitiæ & inconstantiæ, juxta illud Eccles. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur*. Vide ibi dicta. Vide & Ambrosium ser. 82. Audi Bedam: *Dæmoniacum hunc Matthæus lunaticum, Marcus surdum & mutum describit; significantur ergo hi, qui ut luna mutantur; nec fidei sermonem audiunt, nec fidem confitentur: elicitur autem puer accedens ad Dominum, plerumque enim gravius a dæmonibus pulsantur ad Dominũ conversi, ut odium virtutis incutiant, vel suæ expulsionis injuriam vindicent: increpat Dominus dæmonium, vitium enim arguendo & odiendo depellere debet, qui peccantẽ emendare desiderat; hominem vero amando fovere, donec emendatum*

Lunatici sunt carnales.

Digitized by Google

A *tum Eccleſiæ precibus reddere poſſit. Spumant autem, cum ſtultitia tabeſcunt. Stultorum namque eſt ſpumas ſalivarum ex ore dimittere. Strident dentibus, cum iracundiæ furore flammeſcunt. Areſcunt, cum otio torpente langueſcũt, & nulla virtutis induſtria confortati enerviter vivũt.*

VERS. 21 CONVERSANTIBUS AUTEM EIS IN GALILÆA, DIXIT ILLIS JESUS: FILIUS HOMINIS TRADENDUS EST IN MANUS HOMINUM] Iterat Chriſtus ſuam de paſſione & cruce prophetiam primitus a ſe editam in Cæſarea Philippi c. 16. 22. ut diſcipuli ea præſente non terrerentur, nec ſcandalizarentur, nec a fide in ipſum deſciſcerent, quaſi ipſe non eſſet Meſſias, qui tam infami morte occubuiſſet, crux enim Apoſtolis fuit ſcandalo, adeo ut omnes eo relicto diffugerent: igitur crux identidem prædicanda & inculcanda fuit eis, ut ſcirent Chriſtum non invitum nec coactum, ſed ſponte ſua, ut patris voluntati obediret, & homines redimeret, voluiſſe crucifigi & mori, ideoque illud toties prædixiſſe. Porro iteravit hanc prædicationem *in Galilea*, ſcilicet cum rediret a ſua transfiguratione facta in monte Tabor, poſtquam ſanaſſet lunaticum, ideoque magnam ei laudem & plauſum dediſſent Galilæi, ut patet ex Marco & Luca, tum ut huic laudantium calori frigidam injiceret, eumque mentione paſſionis & crucis temperaret, ne in vanam diſcipulorum gloriam erumperet; tum quia ex Galilæa pergebat in Judæam, ut patet Marci 9. 30. ubi paulo poſt crucifigendus erat.

Luc. 9. 44. Mat. 9. 31. Prædicit Chriſtus ſuam paſſionem.

B

VERS. 22 ET OCCIDENT EUM, ET TERTIA DIE RESURGET: ET CONTRISTATI SUNT VEHEMENTER] Ob mentionem occiſionis & mortis, quia nolebant Chriſtum mori, & per mortem ſe ab illo avelli, ut hanc eorum triſtitiam leniat Chriſtus, addit, *tertia die reſurget*: Sed ipſi hæc Chriſti verba & promiſſa non intellexerunt, nec capere potuerunt. Unde de ejus reſurrectione diu dubitarunt, ideoque Chriſtus per multas apparitiones & ſigna ſe vere reſurrexiſſe, probare eis debuit, ut dubium hoc ex animis eorum evelleret.

Mat. 9. 31.

VERS. 23 ET CUM VENISSENT CAPHARNAUM, ACCESSERUNT, QUI DIDRACHMA (Syrus addit, *capitatim*, id eſt, a ſingulis capitibus) ACCIPIEBANT (Arabicus *vectigales*, id eſt, publicani exactores vectigalis) AD PETRUM, ET DIXERUNT EI: MAGISTER VESTER NON SOLVIT DIDRACHMA] Arabicus, *non ſolvit debitum*? Non aſſerunt: ſed interrogant, quia hi exactores erant novi, vel certe novos habebant famulos, qui non ſciebant, vel non recordabantur Chriſtum elapſo anno, quo habitarat Capharnai, ſolviſſe didrachma more cæterorum.

C

Didrachma quod?

DIDRACHMA] Didrachma erat dimidium ſicli, id eſt, duo regales Hiſpanici, ſive duo Julii Italici. Siclus enim ponderabat quatuor didrachmas, id eſt, quatuor Julios; erat enim argenteus. Vide dicta Exodi 30. 13. Cenſent Baronius, Franc. Lucas, & alii hoc didrachma fuiſſe ſacrum, quod pendendum erat templo juxta legem a Deo latam Exodi 30. 13. Ibi enim ſancit Deus, ut ſinguli a viginti annis & ſupra, cum initur cenſus ſive numerus populi, ſolvant didrachma templo. Judæi deinde ſponte ſua ex devotione, ut huic legi plenius ſatisfacerent, ſtatuerunt, ut ſinguli ſingulis annis didrachma hoc ſolverent templo ad ſuſtentandos tot Levitas & ſacerdotes, & reparanda ſarta tecta, ad victimas aliaque ad uſum & ornatum templi opportuna comparanda. Id patet ex eo, quod Joas rex hunc morem iniquitate temporum neglectum, vel intermiſſum revocaverit, ut patet 2. Paral. 24. v. 5. 6. 7. 9. & ex Joſepho, qui id diſerte docet lib. Belli cap. 26. in fine. Idem lib. 18. Antiq. c. 12. docet Judæos extra Judæam in Babylone habitantes, ſacrum hoc didrachma collegiſſe, & Hieroſolymam ad templum miſiſſe. Verum hoc didrachma non fuiſſe ſacrum, & pendendum templo, ſed profanum & pendendum Romanis, vel Herodi Antipæ, qui a Romanis conſtitutus erat rex Galilææ, patet ex verbis Chriſti ad Petrum verſ. ſequenti: *Reges terræ a quibus accipiunt cenſum*? Ergo hic cenſus erat regius, & pro rege vel Imperatore exigebatur. Idem patet ex cap. 22. verſ. 21. ubi Herodiani, id eſt, Herodis aſſeclæ tentantes, quærunt a Chriſto, an liceat cenſum dare Cæſari an non? Cauſa & origo hujus tributi & cenſus fuit, quod paulo ante Chriſtum, cum Hircanus & Ariſtobulus, nepotes Simonis Machabæi, de Pontificatu & regno contenderent, Pompejus ab eis arbiter interpellatus Hircano cauſam adjudicavit, ſed Hieroſolymitæ, qui Ariſtobulo favebant, ei reſtiterent. Quare Pompejus Hieroſolymam vi cepit, illamque & conſequenter totam Judæam Romanis ſubjecit, illique annuum tributum indixit, ut diſerte docet Joſephus lib. 14. Antiq. c. 8. Porro, quia Judæi templo pendebant didrachma, juſſi ſunt a Romanis pariter ſibi pendere didrachma, ut ex hoc loco liquet, donec rebellante rurſum Hieroſolyma, eam obſedit cepitque Veſpaſianus, templumque evertit: tunc enim didrachma ſolitum pendi templo, ipſe juſſit pendi Romano Capitolio. Audi Joſephum l. Belli 7. cap. 26. in fine de Veſpaſiano: *Stipendium Judæis ubicumque degerent, indixit, binaſque drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium juſſit, ita, ut ante hac Hieroſolymorum templo pendebant*. Hoc tributum ægre Romanis, utpote Gentilibus pendebant Judæi, dicentes ſe eſſe populum Dei (ideoque) illique debere pendere cenſum non Cæſari: unde ſub tempus Chriſti orta eſt ſecta Galilæorum, auctore Juda Galilæo, qui omne vectigal & dominium Cæſaris abnuebant, quæ tandem in apertum bellum erupit; quo a Veſpaſiano Judæa rurſum ſubacta & exciſa eſt. In hujus ſectæ ſuſpicionem vocatus eſt Chriſtus & Apoſtoli, utpote origine Galilæi, ac novi cæleſtis regni præcones, & doctores, ideoque ut ſe ab illa alienum Chriſtus oſtenderet, ſolvit hic didrachma, illudque Cæſari ſolvendum edixit, cap. 22. 21. Vide dicta Actor. 5. 36. Ita S. Hieronymus, Beda, Janſenius, Maldonatus & alii. Exactores ergo hi tributi non auſi interpellare Chriſtum ob ſanctitatis, doctrinæ, & miraculorum famam, ſeorſim rogant Petrum, dicuntque: *Magiſter veſter non ſolvit*, id eſt non ſolet ſolvere, *didrachma*? An ex aliquo principis privilegio, ſive aliquo alio exemptionis titulo non obligatur ſolvere tributum, quod quotannis viritim ſinguli ſolvunt Romanis in eo loco, quem quiſque incolit? uti Chriſtus hic incolebat Capharnaum, ideoque ibidem hoc tributum ab eo exigunt.

D

Puit prophanum pendendũ

Ejus origo.

E

F

AIT: ETIAM] Petrus annuit, & ex conſuetudine Chriſti, quam viderat præcedentibus annis, reſpondet omnino Chriſtum ſolere ſolvere hoc tributum. VERS. 24

ET CUM INTRASSET IN DOMUM (a Chriſto Capharnai conductam, ut dixi cap. 4. 13.) PRÆVENIT EUM JESUS DICENS: QUID TIBI VIDETUR SIMON? REGES TERRÆ A QUIBUS ACCIPIUNT TRIBUTUM VEL CENSUM, A FILIIS SUIS, AN AB ALIENIS?] Id eſt, ab aliis ſubditis, qui non ſunt filii: alienos enim opponit filiis. Ita Chryſoſtomus.

G

ET ILLE DIXIT: AB ALIENIS. DIXIT ILLI JESUS: ERGO LIBERI SUNT FILII] Cum Petrus vellet domi ſeorſim referre Chriſto quæſitum exactorum de tributo, Chriſtus arcani ejus cum ipſis colloquii conſcius, utpote qui in ſpiritu jam illud viderat & audierat, *prævenit*, id eſt, prior eum hac de re interrogavit, oſtenditque ſe non obligari ad hoc tributum, aitque, *reges terræ*, &c. Eſt argumentum a minori ad majus, uti docet S. Chryſoſtomus: q. d. Regum filii cum ſua familia jure communi immunes ſunt a tributo per regem indicto: Ergo multo magis ego cum meis Apoſtolis meaque familia; ego, inquam, qui regis regum, id eſt, Dei ipſius naturalis & unigenitus ſum filius, immunis ſum ab omni omnino tributo, quod reges terræ ſuis ſubditis indicunt. Ita S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus & alii. Et ſic intellige S. Auguſt. lib. 1. quæſt. Evang. cap. 23. Quare ex hac Chriſti ratiocinatione, non recte colligunt nonnulli Canoniſtæ jure divino clericos eſſe immunes & liberos ab omni tributo. Pari enim ratione colligeretur, ab eodem immunes eſſe omnes Chriſtianos, uti volunt Anabaptiſtæ. Chriſtiani enim ſunt filii Dei adoptivi, renati in baptiſmo per gratiam, quod tamen falſum eſſe docet Apoſt. Rom. 13. 7. & tota Eccleſia; nam hæc adoptio altioris eſt hæreditatis & ordinis, ſcilicet cæleſtis, non terreni. Ita S. Hilarius, Chryſoſt. Euthymius & alii. Recte tamen & appoſite ad hoc Chriſti dictum, reges & principes a tributo exemerunt Eccleſiaſticos, qui ſunt quaſi de domo & familia Chriſti. Et hoc tantum vult hic S. Hieronymus & Canones, dum dicunt, Clericos non tantum jure humano, ſed & divino exemptos eſſe a tributo; quia ſcilicet jus divinum dictat hanc exemptionem a principibus eſſe concedendam. Vide Leſſium de Juſtitia lib. 2. cap. 33. dubio 4. ubi oſtendit exemptionem Clericorum a tributo, eſſe juris non divini, ſed humani. VERS. 25

Clerici an ſint immunes ab omni tributo?

H

UT AUTEM NON SCANDALIZEMUS EOS, VADE AD MARE, ET MITTE HAMUM, ET EUM PISCEM, QUI PRIMUS ASCENDERIT, TOLLE; ET APERTO ORE EJUS INVENIES STATEREM: ILLUM SUMENS DA EIS PRO ME, ET TE] q. d. Ne exactores offendantur, putentque nos Tiberium Cæſarem Romanum, quaſi Gentilem aſpernari, ejuſque imperium ac tributum abnuere, itaque Judæos ad illi rebellandum concitare, uti fecit Judas Galilæus, vade, piſcare, & ſtaterem, quem in ore primi piſcis invenies; tolle, VERS. 26

Chriſtus præcipit tributum.

Digitized by Google

A tolle, eumque pro me & te publicanis perfolve. *Stater* Græce idem eſt quod Hebr. *ſiclus*, ſcilicet *pondus*: olim enim pecunia non conſignata ſtatopondere appendebatur, & ſolvebatur. Porro ſiclus erat tetradrachmus, id eſt, ponderabat quatuor drachmas, id eſt, quatuor Regales Hiſpanicos, ſive quatuor Julios Italicos. Siclus ergo argenteus idem erat, quod Florenus Brabanticus,

Siclus quid?

Nota, Chriſtus hic edidit actum heroicum juſtitiæ æque ac humilitatis & obedientiæ, dum ſolvit principi tributum, a quo jure naturæ & divino erat exemptus, ut doceret, Chriſtianiſmum a ſe inſtitutum non eſſe contrarium Politiæ & regimini Politico, ſed potius illud juvare eique obſecundare.

ASCENDENTEM] Ad eſcam hami ineſcatus, q. d. quem primum hamo attraxeris. Curaverat enim Chriſtus per Angelos poni hunc ſtaterem in ore piſcis, ut in eo ipſum Petrus piſcans reperiret.

An pro ſolo Petro ſolutum tributum?

ILLUM SUMENS DA EIS PRO ME ET TE] Quæres, cur Chriſtus pro ſe ſolo & Petro ſolvit hoc tributum? Reſpond. quia illud, ut dixi, viritim, ſive ut Syrus habet, *capitatim* ſolvendum erat a ſingulis, non tranſeuntibus, ut vult Titelmannus, ſed incolis & civibus. Pro cæteris diſcipulis non ſolvit, vel quia, ut vult Lyranus, ad hoc tributum obligabantur ſolum capita familiarum, non autem ſinguli de familia, vel quia diſcipuli Chriſti pauperes erant. Unde Chriſtus eos apud exactores tacite voluit titulo inopiæ eſſe excuſatos, ut vult Franc. Lucas, vel quia ipſi aliunde erant oriundi, ac jam ante in alias urbes a Chriſto dimiſſi ad evangelizandum, non cenſebantur incolæ Capharnai, ac proinde ibi pendere tributum non tenebantur. Deinde Abulenſis q. 200. cenſet pro ſingulis Apoſtolis, qui habebant uxores, & liberos, ideoque erant capita familiarum, quales erant plerique præter Joannem & Jacobum, ſolutum fuiſſe didrachma ex communibus loculis, quos portabat Judas, vel ex eleemoſynis amicorum, idque Matthæum hic præſupponere & præterire, ut rem parvi momenti & notam; narrare vero ſolum didrachma Chriſti, quia illum per miraculum invenit in ore piſcis, ut oſtenderet, ſe ad illud non obligari, nec Cæſari eſſe ſubjectum. Pro Petro tamen Chriſtus ſolvit præter debitum, tum quia Petrus exactionis hujus, æque ac ſolutionis erat adminiſter, tum quia Petrus domum & familiam habebat Capharnai, ait Abulenſis, ut patet Matth. 8. 5. & 14. & Lucæ cap. 4. verſ. 31. & 38. tum honoris cauſa, ut innueret ipſum ſuæ familiæ & Eccleſiæ vicarium, ac cæterorum Apoſtolorum omnium caput & principem a ſe deſtinari. Ita S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, Origenes & alii.

B

C

Cur?

Moraliter, diſce hic ſtudium paupertatis in Chriſto, utpote qui non haberet domi vel unum ſiclum ad ſolvendum tributum, ſed illum per miraculum a piſce acceperit, ut doceret Deum per piſces cæteraſque creaturas pauperibus ſpiritu providere de neceſſariis, ſicut Eliæ providit de victu per corvum, quaſi per miraculum.

CAPUT XVIII.

D

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo docet majores in cælo eſſe eos, qui apud ſe ſunt parvuli & humiles. Secundo, v. 7. docet parvulos non eſſe ſcandalizandos, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Dei Patris. Tertio, v. 12. ad hoc probandum inducit parabolam ovis errantis. Quarto, v. 15. aſſignat ordinem ſervandum in correptione fraterna, ac Apoſtolis dat poteſtatem ligandi & ſolvendi. Quinto, v. 23. oſtendit injurias mutuas ex animo eſſe condonandas per parabolam ſervi debitoris, a quo debitum decem millium talentorum jam remiſſum, rurſum exactum eſt; quia ipſe conſervo ſuo debitum centum denariorum condonare noluerat.

VERS. 1. IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Quis putas, major eſt in regno cælorum?

2. Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum,

3. Et dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

4. Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum. B

5. Et qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit,

6. Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris,

7. Væ mundo a ſcandalis. Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala; verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.

8. Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te; abſcide eum, & projice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum, F

9. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10. Videte ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt.

11. Venit enim filius hominis ſalvare quod perierat.

12. Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit?

13. Et ſi contigerit ut inveniat eam; Amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis, quam ſuper nonaginta novem, quæ non erraverunt.

14. Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis. G

15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum.

17. Quod ſi non audierit eos, dic eccleſiæ. Si autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.

18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.

19. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cælis eſt. H

20. Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?

22. Dicit illi Jeſus: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.

23. Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.

24. Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet unde redderet, juſſit eum dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.

26. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

27. Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.

28. Egreſ-

Digitized by Google

A 28. Egreſſus autem ſervus ille invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

29. Et procidens conſervus ejus, rogobat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem donec redderet debitum.

31. Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & venerunt, & narraverunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus ſuus: & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me:

33. Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?

B 34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

VERS. 1. Diſcipuli Chriſti quærunt: Quis major ſit in regno cælorum? Cur?

IN illa hora (in illo tempore) accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cælorum?] *Acceſſerunt*. Videtur repugnare Marcus c. 9. 31. ubi ait diſcipulos in via de hac quæſtione diſputaſſe, deinde domi Chriſtum eos prævenisse ac interrogaſſe, quid in via tractaſſent. Reſp. S. Chryſoſtomus, & Euthymius, Apoſtolos ſæpe inter ſe hanc quæſtionem agitaſſe, ac tandem Chriſtum eos interrogatione jam dicta prævenisse: quare cum ipſi viderent ſuas cogitationes Chriſto eſſe cogitas & patefactas, ultro rem aperuerunt, & quæſtionem inter ſe agitatam Chriſto reſolvendam propoſuerunt. Occaſio quæſtionis fuit varia, ſed proxima hæc, quod pro ſolo Petro Chriſtus didrachma ſolverit: unde eum ſibi prælatum viderunt & inviderunt, ac quiſque de ſe inter primos promovendo ſollicitus eſſe cœpit: ſic enim in cœtibus, ſi unus præferatur, cæterorum ſtatim oritur æmulatio & ambitio. Ita S. Hieron. Origenes, Chryſoſt. & Euthymius. Audi S. Hieronymum: *Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant, quis major ſit in regno cælorum? Videnſque Jeſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium gloriæ humilitatis contentione ſanare*. Rurſum viderant Petrum, Jacobum & Joannem ſeorſum a Chriſto abductos in Tabor: doluere ergo, quod & ipſi non fuerant abducti. Denique audierant Chriſtum brevi moriturum, ac poſt mortem reſurrecturum, regnumque gloriæ ſuæ initurum: mature ergo præoccupant, quæruntque modum, quo in eo primi evadant. Ita Maldonatus.

C

D QUIS PUTAS MAJOR EST (Syrus, *maximus*) IN REGNO CÆLORUM?] Puta in Regno Meſſiæ, quod Apoſtoli in terris quidem, ſed cæleſte & divinum a Chriſto inſtituendum expectabant, hoc eſt in Eccleſia (in hac enim quaſi in regno ſuo regnat rex Chriſtus) ac conſequenter in ipſo regno cælorum; ad hos enim aſſurgit Chriſtus v. 3. quia Eccleſia militans in terris tendit ad Eccleſiam triumphantem in cælis, quaſi ad regnum ſibi a Chriſto promiſſum. Maldonatus per *regnum cælorum*, accipit Eccleſiam. q. d. Qui minor, id eſt, humilior eſt in Eccleſia, hic major eſt in Eccleſia, ideoque major erit in cælo. Ludit enim Chriſtus in voce *regni cælorum*. Probat id primo, quia occaſio hujus quæſtionis fuit quod Apoſtoli ex eo quod Chriſtus pro ſolo Petro ſolverit didrachma, conjecerint Petrum fore caput Eccleſiæ. Secundo, quia Chriſtus taxat hanc quæſtionem velut ambitioſam; ambitioſum autem eſt primas expetere in Eccleſia, non autem in cælo. Charitas enim ſuadet primas optare in cælo. Hæc ſententia eſt probabilis. Simplicius tamen accipias proprie ipſum *cælorum regnum*, ut patet ex eo quod ait: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Porro taxantur a Chriſto Apoſtoli de ambitione, quia putabant regnum cælorum ſimile eſſe regno terreno & pompatico, quod per ſuperbiam ſæpe ambitur, & per ſuperbam ſui exaltationem, imo per vim & arma occupatur: dum ergo primas obtenturum ſuſpicarentur Petrum, illi ex æmulatione & ambitione quadam primas haſce ambiunt, cum per humilitatem primas in eo aucupari deberent, uti eos corripiens docet hic Chriſtus. E

Regnum cælorum quid hic?

ET ADVOCANS JESUS PARVULUM (Græce παιδίον, id eſt, *puellum*, Syrus *puerulum*) STATUIT EUM IN MEDIO EORUM] Marcus c. 9. 36. addit Chriſtum eum in ulnas accepiſſe. Putatur puellus hic, ait Janſenius, fuiſſe ſanctus Martialis, qui poſtea diſcipulus S. Petri exiſtens, ab eo prædicandi Evangelii cauſa in Galliam miſſus, convertit Lemovicenſes, Burdegalenſes & Toloſanos, de quo vide Gloſſam in caput unicum *de Sacrauntione*. Sed quia alii S. Martialem conſtituunt unum e 72. Chriſti diſcipulis, ideoque jam tum non puerum, ſed natu grandem, non ſatis certa eſt hæc traditio. Alii S. Martialem putant fuiſſe puerum ſive juvenem iſtum, de quo Andreas ait ad Chriſtum: *Ecce puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſces*. Joann. 6. 9. VERS. 2. *Luc.* 9. 47. *Mar.* 9. 36.

An parvulus hic fuerit S. Martialis.

ET DIXIT: AMEN DICO VOBIS: NISI CONVERSI FUERITIS, ET EFFICIAMINI SICUT PARVULI (Syrus *ſicut pueruli*) NON INTRABITIS IN REGNUM CÆLORUM] *Converſi*, ſcilicet ab hac æmulatione & ambitione veſtra, quæ ſaltem veniale peccatum eſt; ideoque impediens ingreſſum in regnum cælorum & purgatorio prius expiandum. VERS. 3. F

SICUT PARVULI] Qui communiter non invident aliis, nec ambiunt primas, ſed ſimplices ſunt, humiles, innocentes, & candidi. Dico communiter; nam S. Auguſt. lib. 1. Confeſſ. c. 7. teſtatur ſe vidiſſe puerum ſugentem ubera matris, ex invidia expalleſcentem, quod videret collactaneum ſuum eadem matris ubera ſugere: *vidi ego*, inquit, *& expertus ſum zelantem parvulum; nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum*. Verum nullus eſt parvulus, qui ambiat regnum vel primas in regno, uti hic ambiebant Apoſtoli. Pueri communiter ſimplices, innocentes, candidi.

Jubet ergo Chriſtus nos eſſe ſicut parvulos, ait Origenes hic: *Ut ſicut pueri carent paſſionibus, ſic & nos: ſicut*, inquit, *eſt parvulus puer ad triſtitiam, qui interdum in tempore mortui patris vel matris ridet, & ludit, talis fiat vir, habitudinem puerilem, circa triſtitias repellendas, perfectioris animæ ratione commutans. Similiter dices circa extollentias, quibus irrationabiliter extolluntur homines, qui non ſunt Dei, quas pueri non patiuntur, nec qui converſi fuerint ſicut pueri. Et nulla pene paſſio cadit in pueros, antequam abſolute incipiant loqui. Si autem nulla, manifeſtum eſt, quia neque timor, niſi forte levis & tranſitorius: pueri enim malum timorem non patiuntur, ut puta, ſi quis puero comminetur, ne mammam petat, vel ne ploret, terretur quidem, ſed timor ejus ſtabilis non eſt. Si quis autem puerum terreat & dicat, niſi hoc feceris, occido te, numquid timet puer?* Cur Chriſtus jubet nos eſſe ſimplices parvulos. G

Brevius puerorum dotes fideli cuique imitandas, ita punctum perſtringit S. Hilarius: *Hi*, inquit, *patrem ſequuntur, matrem amant, proximo velle malum neſciunt, curam opum negligunt: non inſoleſcunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Revertendum eſt igitur ad ſimplicitatem puerorum: quia in ea collocati, ſpeciem humilitatis Dominicæ circumferemus*.

Via ergo in cælum eſt humilitas, aditus & oſtium cæli eſt humilitas; quia non niſi per eam patet in cælum ingreſſus. Vidit in ſpiritu ſanctus Antonius totum mundum plenum eſſe laqueis, ac animas cupientes in cælum evolare, iis capi, & illaqueatas a dæmonibus in tartara detrudi. Quare ingemiſcens exclamavit: *Domine quis tot tantoſque laqueos evitabit?* atque reſponſum audiit: *Humilitas hoſce laqueos omnes ſubterfugiet*. Ita S. Athanaſius in ejus vita. Chriſtus, ut zelum ambitionis Apoſtolorum ſanet ſtudio humilitatis, ad eam perſuadendam tribus utitur rationibus. Prima eſt hoc verſu, quod ea deſtitutus nequeat cælum ingredi. Secunda eſt verſu ſequenti, quod humilitas exaltet, ut ſi velis fieri major in cælo, debeas eſſe minor & humilior in terra. Tertia verſ. 5. quod humilitas ſit conformitas Chriſti, qui ſe humiliavit infra omnes Angelos, & homines uſque ad mortem; ideoque qui humilem ſuſcipit, Chriſtum ſuſcipit. Prima ergo ratio petitur ex pœna ſuperborum, ſecunda ex præmio humilium, tertia ex conformitate humilis cum Chriſto. H Via & aditus ad cœlſt eſt Humilitas. S. Antonius. Tres ſtimuli Chriſti ad humilitatem.

QUICUMQUE ERGO SE HUMILIAVERIT SICUT PARVULUS ISTE, HIC EST MAJOR (Syrus, *ſicut puerulus iſte, hic maximus eſt*) IN REGNO CÆLORUM] *Humiliaverit*, ut ſcilicet humilis ſit per virtutem, ſicut iſte eſt per ætatem, ſive ut ſit parvus animo, ſicut iſte eſt parvus corpore. Jubet ergo Chriſtus, nos parvulis fieri ſimiles non in inſi- VERS. 4. *Luc.* 9. 48. *Mar.* 9. 35.

Digitized by Google

A pientia & imprudentia, sed in simplicitate & innocentia, ac proprie & directe in humilitate. Sed & Apostolus 1. Cor. 14. 20. *Fratres*, inquit, *nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote*. Causam dat Origenes: *Nec enim magnum aliquid sapere cadit in puerum, neque jactantia generis vel divitiarum. Unde videmus, quod infantes usque ad tertium vel quartum annum, licet fuerint generosi, similes se præbent pueris degeneribus, nec amplius diligunt divites pueros quam pauperes*.

Si vis in cælum elevari, in ima descende.

Moraliter disce hic paradoxon sapientiæ Christianæ, nimirum viam ad excellentiam esse contrariam viæ mundi, scilicet esse hanc, tendere non ad excelsa, sed ad demissa & humilia. Si vis ergo magnus esse in cælo, ama in terra nesciri & parvus esse inter homines, ab eisque contemni, negligi & vilis reputari. Si cupis elevari ad primos thronos in empyreo, demitte te ad imos inferni, ac te colloca sub pedibus Judæ, uti faciebat S. Franciscus Borgia, quo enim minor & humilior fueris in terra, eo major & gloriosior eris in cælo, quia sola humilitas exaltat. Eterna enim Dei lege fixum sancitumque est: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*, Lucæ cap. 18. 14. B Visa est olim sedes alta & glorioſa inter Seraphinos, & vox audita: *Hæc sedes humili servatur Francisco*, Ita S. Bonaventura in ejus vita. Ratio a priori est, quod humilis profundissime se demittendo, Deum summe revereatur, honoret, & colat; quare meretur ab eo summe exaltari. Unde Ecclesiastici cap. 3. v. 21. *Magna*, ait, *potentia Dei solius, & ab hominibus* (Græce *ab omnibus*) *honoratur*. Vide ibi dicta, & Isaiæ cap. 66. v. 2. ad illa: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos*?

Ratio a priori.

Humilitas ergo grata & honorata est Deo, Angelis & hominibus. Quin & si politice agatur, humilitas ambienda est, quia illa ab omnibus colitur; superbia vero ab omnibus deprimitur. Hinc Aulici, licet ambitiosi, se tamen mire verbis & gestu humiliant; sed quia occulta in mente laborant arrogantia, difficile est animi fastum non prodere vultu, quin per signa & gestus erumpat. Quocirca S. Hieronymus, (vel potius S. Paulinus) epist. 14. ad Celantium; C *Nihil*, ait, *habeas humilitate præstantius, nihil amabilius, hæc est enim præcipua conservatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium: nihilque est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus; propter quod Scriptura dicit: Quanto magnus es, humiliate in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*. Porro S. Hieronymus epist. 45. ad Antonium: *Dominus noster*, inquit, *humilitatis magister disceptantibus de dignitate discipulis, unum apprehendit e parvulis dicens: Quicumque vestrum non fuerit conversus sicut infans, non potest introire in regnum cælorum. Quod ne tantum doceret, nec facere videretur, implevit exemplo, dum discipulorum pedes lavat, dum traditorem osculo excipit, dum loquitur cum Samaritana, dum ad pedes sibi sedente Maria de cælorum disputat regno, dum ab inferis resurgens primum mulierculis apparet. Satanas autem ex Archangelico fastigio non aliam ob causam, nisi ob contrariam humilitati superbiam ruit*. D Humilitas ergo ex homine facit Angelum, sicut superbia ex Angelo facit diabolum, imo Luciferum. Primum donum, quod ex divini luminis aspectu homini datur, est cognitio sui ipsius, ait S. Dionysius epist. 7. ad Titum, hoc est humilitas. Humilitas enim est virtus, qua quis sibi ex sui cognitione vilescit, ac se omnibus inferiorem reputat, sive quod se omnibus viliorem, fragiliorem & miseriorem æstimet; sive quod alios majori gratia, cæterisque Dei donis præ se dotatos pie opinetur. Aurea est gnome B. Nili: *Beatus, cujus est vita excelsa, spiritus autem humilis*. Et illa S. Chrysostomi: *Nihil æque Deo gratum, atque cum infimis numerare*. Et illa Climaci gradu 26. *Omnium ferarum venenatarum sensibilium interemptor est*. Et illa Cæsarii hom. 30. *Sicut de fonte terreno & de corporali fluvio non potest aliquis bibere, nisi voluerit se inclinare, ita & de vivo fonte Christo & sancti Spiritus fluvio nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est: Deus superbis resistit*. Denique humilitatis speculum S. Hieronym. dat S. Paulam, de qua ita scribit in ejus Epitaphio: *Hæc sicut inter multas gemmas pretiosissima gemma micat, & jubar solis parvos igniculos stellarum obruit & obscurat: ita sanctorum virtutes & potentias sua humilitate superavit; minimaque fuit inter omnes, ut omnium major esset; & quanto se plus dejiciebat, tanto magis a Christo sublevabatur: latebat & non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur; quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui deserens appetit contemptores*. E

Gnomæ de humilitate.

Humilitatis Elogia.

ET QUI SUSCEPERIT UNUM PARVULUM TALEM IN NOMINE MEO, ME SUSCIPIT] *Susceperit*, hospitio, mensa, patrocinio, vel quolibet auxilio aut favore: per *suscipere* enim hic significatur omne genus beneficii, charitatis & benevolentiæ, *parvulum talem*, id est, qui talis est moribus, scilicet simplicitate, innocentia, & maxime humilitate, qualis hic parvulus est ætate, & statura. Unde Syrus Lucæ 9. 48. vertit, *puerum tamquam istum*, id est, puero huic similem, scilicet humilitate & moribus. Patet ex antitheſi versus sequentis; ibi enim pusilli vocantur non tam parvi in fide, ut vult S. Hieronym. quam vere simplices & humiles, ideoque contempti & abjecti. Ita Jansen. & alii. Nota, Lucas habet *puerum istum*. F Unde liquet, Christum loqui primo, de puero vere parvulo, secundo de parvulo, mystice scilicet, de humili & abjecto; ab illo enim ad hunc assurgit, ludit enim in voce parvulus. Vide Canonem 23. Sensus ergo est, q. d. Adeo humilitas, quæ fundamentum est & mensura spiritualis perfectionis, mihi placet, ut ego etiam pueris parvulis, eo quod humilitatem præ se ferant statura, ætate, & innocentia, delectet, uti iisdem ob eamdem causam (æque ac agnis repræsentantibus Christum Agnum Dei) delectabatur S. Franciscus: atque velim omnes meos discipulos parvulos effici, parvulos imitari, itaque ab omnibus susciPi merebuntur: cogitabunt enim homines se in iis me susCipere, quia propter me eos susCipiunt. De me enim prædixit Isaias cap. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. Similis est de parvulis vox Christi capite sequenti vers. 14. ubi ait: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus* (benedicendo iis) *abiit inde*. Notat S. Hieronymus dici parvulum: *Quia*, inquit, *qui scandalizatur, parvulus est: majores enim scandala non recipiunt*. Addunt Marcus & Lucas: *Qui autem me suscipit, recipit eum, qui misit me*. Denique causam adjicit Lucas dicens: Nam *qui minor est inter vos omnes*, id est, G qui omnium vestrum est humillimus, *hic major est*. Græce hic μείζων, id est, magnus est, scilicet per excellentiam, hoc est maximus est, scilicet apud me & Patrem meum in regno cælorum. *Humilis est*, ait S. Augustinus tract. de Pœnitentia, *qui eligit abjici in domo Domini magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Hanc Christi sententiam medullitus animo impresserat S. Elisabeth, regis Hungariæ filia, quæ quotidie nongentos alebat pauperes, eisque serviebat, atque ægros, horridos, scabiosos, ulcerosos, leprosos suis manibus abluebat, saniem abstergebat, ulcera osculabatur, atque in his officiis exultabat dicebatque: *Quam bene & feliciter nobiscum agitur, quibus, Dominum lavare, detergere, reclinare, atque contegere permissum est*. Ita habet vita ejus cap. 26. Addebatque, sibi fixum esse, vilissima humilitatis & charitatis officia erga pauperes & infirmos exercere, adeoque, si quod vilius officium aut vitæ genus sciret, se illico illud amore Christi amplexuram. Par & æqualis sanctæ Elisabethæ fuit ejus matertera, S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ, de cujus studio in pauperes, miseros & abjectos, mira reperies in vita ejus apud Surium die 15. Octobris.

, Elisabethæ regis Hungariæ filiæ pietas in pauperes.

H Et S. Hedvvigis Ducissæ Poloniæ.

QUI AUTEM SCANDALIZAVERIT UNUM (Syrus, *offendiculo fuerit uni*) DE PUSILLIS ISTIS, QUI IN ME CREDUNT, EXPEDIT EI, UT SUSPENDATUR MOLA ASINARIA IN (de) COLLO EJUS, ET DEMERGATUR IN PROFUNDUM MARIS] *Scandalizaverit*, id est, ut Theophylactus, *injuria affecerit*, & ut Chrysostomus, *despexerit*. Opponitur enim τῷ *susceperit* v. 5. Ita Maldonatus. Verum præstat cum Jansenio scandalum hic proprie dictum accipere; nam ita patet accipi in sequentibus, & sic sat adhuc constat antitheſis cum τῷ *susceperit*, q.d. qui parvulum in nomine meo susceperit, id est, in mea fide, pietate, amore & cultu foverit, ac promoverit, hic me susCipit; qui vero unum ex istis pusillis scandalizaverit, id est pravo verbo, vel exemplo a me, meoque amore & cultu averterit, satius ei foret in mare demergi. VERS. 6. Luc. 17. 2. Mar. 9. 42.

EXPEDIT EI] Id est, ut habet Lucas 17. 2. *Utilius est ei, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis*. q.d. Præstat mergi in mare, quam scandalizare parvulos in terra, quia mersio est mors corporis, scandalum vero est mors animæ, tam propriæ, quam aliorum, quos scandalizat, & in peccatum inducit. Matthæus ergo relinquit antapodoton, sive redditionem vel alteram partem comparatio-

Digitized by Google

A parationis, quam exprimit Lucas dicens: *Quam ut scandalizet unum de pusillis istis*. Aliter S. Hieron. *Expedit ei*, inquit, *quia multo melius est pro culpa brevem recipere pœnam, quam æternis servari cruciatibus: non enim vindicabit Dominus bis in idipsum.*

Quæres, quomodo hic versus nectitur præced. & quid scandalum hoc pertinet ad Apostolos? Resp. S. Hieron. *quamquam generalis possit esse sententia adversus omnes, qui aliquem scandalizant; tamen juxta consequentiam sermonis, etiam contra Apostolos dictum intelligi potest, qui interrogando quis major esset in regno cœlorum, videbantur inter se de dignitate contendere: & si in hoc vitio permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugnare. Quod autem dixit: expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum ejus, secundum ritum provinciæ loquitur, quo majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur.*

Mola asinaria quæ? Mola asinaria est, quam in Palæstina, ait S. Hilarius, & Ambrosius, circa rotam gyrando vertunt, volvuntque B asini. Unde Syrus vertit: *Mola asini: Mola* vocatur lapis molaris, uti vertit Interpres in Lucam: hæc vocatur *Asinaria*, id est, gravis & grandis, utpote quæ non ab homine (uti fit in minori, ideoque trusatili) sed ab equo, vel asino circumagi debeat: aut certe intelligitur hic inferior lapis molaris, qui superiore est major, utpote circa quem immotum lapis superior rotatur. Hic enim inferior Græce vocatur ὄνος, id est asinus, eo quod instar asini omne superioris onus, ponduſque sustineat; Sic Hebræi superiorem lapidem molarem vocant רכב *recheb*, id est equitem, quod inferiori lapidi ceu equo inequitet. Hic lapis superior Latine *catillus*, inferior vero *meta* vocatur. Norent hoc clerici & religiosi illi, qui inter se de honore, & primo loco ambitiose contendunt: Hæc enim contentio scandalizat sæculares & laicos, ac clericatus & religionis ingens est dedecus & probrum: expediret ergo eis lapide molari mergi in mare, quam ita contendere cum scandalo populi, ut ait hic Christus.

Vers. 7. Væ mundo a scandalis] Arabicus *per scandala*. Luc. 17. 1. C q. d. *Væ*, id est, grandia summaque mala, tam præsentia, quam futura ex Dei ira & vindicta imminent hominibus mundi, propter scandala activa, æque ac passiva; qui enim scandalizant alios sua ambitione, & pravo vitæ exemplo, alios que ad illud sequendum tacite alliciunt, rei sunt gehennæ; qui vero scandalizantur, & aliorum prava exempla sequuntur, hi quasi reorum sequaces & socii damnantur, ac sic utrique plectuntur & pereunt. Porro mundus plenus est scandalis, quia plenus hominibus improbis, aut libertinis, impudentibus, & cupidis, qui, ut suis cupiditatibus satisfaciant, omnes scandalizant: quare major & potior pars hominum ob scandala damnatur: unde sequitur:

Multi pereunt ob scandalum. *necesse est*, &c. Porro scandala, de quibus proprie Christus hic agit, sunt persecutiones, irrisiones, & læsiones justorum: item mala exempla, doctrinæ erroneæ, imprudenter dicta aut facta, multa enim sunt in se bona & licita, sed quia importuno loco & tempore coram rudibus indiscrete fiunt, pariunt apud eos offensionem & scandalum.

Necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit] *Necesse est*, non absolute & ex se, sed ex suppositione. Nam prævisa, & supposita tam varia tot hominum indole, & corruptione, ac horum curiosa levitate, D ambitione, cupiditate; illorum pravitate & libera malitia fieri non potest, quin aliquando a nonnullis, imo crebro a multis, saltem indeterminate & in confuso fiant scandala, id est scelera, vel res tales, quæ alios præsertim pusillos scandalizent. Sic ait Paulus 1. Cor. 11. 38.

Necesse est fieri scandala, Cur? *Oportet hæreses esse*. Sic necesse est in genere, & in confuso, ut homo etiam justus aliquando peccet venialiter, licet singuli particulares ejus actus sint liberi, non necessarii, ideoque sigillatim singula peccata venialia vitare possit, sed non omnia simul; quia esto in singulis possit adhibere illam attentionem & curam, ut non peccet, tamen impossibile est, ut in omnibus simul sumptis illam adhibeat, quin aliquando illam remittat, deficiat, labatur & cespitet. Hæc enim est infirmitas mentis humanæ post lapsum. Sic necesse est, ut peritissimus sagittarius, qui certo configit scopum, quoties ei lubet, aliquando ab eo aberret, si sæpius & sæpius in illum sagittas ejaculetur. Hæc est enim fragilitas humana, ut oculi, manus & mens non possint continuare diu rigorem attentionis suæ; ut centum continuis vicibus scopum configat, sed necesse sit ut aliquando ab eo aberret. E

Verumtamen væ homini, per quem scandalum venit] Quia ipse determinate & libere in hoc illove actu particulari improbo vel indiscreto dat pusillis scandalum, itaque graviter peccat, reumque se facit gehennæ. S. Hier. & Beda hæc attribuunt Judæ, qui summum orbi dedit scandalum, dum prodidit Christum. Verum generalis est hæc Christi sententia, quia omnibus, qui dant scandalum, væ æternæ damnationis intentat. Docet hic Christus de scandalis tria, scilicet primo quantum horum sit momentum, pondus, & gravitas. Secundo, quanta sit eorumdem copia, & necessitas saltem in genere. Tertio, quanta diligentia sint cavenda, unde de tertio hoc subdit:

Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Vers. 8. *Supr.* 5. 30. *Marc.* 9. 44. & 45.

Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis] Utrumque hunc versum audivimus cap. 5. vers. 30. ubi eum explicui. Vers. 9. *Supr.* 5. 30. *Marc.* 9. 47. F

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis] Humilibus & abjectis, quos mundus quasi viles, invalidos & impotentes, miseros & inopes contemnit: quia licet ipsi sint invalidi: validos tamen habent Angelos custodes, qui vos apud Deum patrem, quem semper vident quasi ejus familiares & intimi, accusent, ac ejus jussu, scandala & injurias ipsis, utpote suæ curæ a Deo commissis, irrogara acriter castigent & vindicent. Prima hæc est ratio, qua probat pusillos, & abjectos non esse contemnendos. Vers. 10

Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est] Ex hoc loco & ex Genes. 48. 16. & Actor. 12. 15. ac ex communi Patrum traditione doctores docent, Christianos omnes, imo homines omnes habere Angelum ad sui custodiam ab ortu usque ad mortem a Deo deputatum. Audi S. Hier. *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis sue in custodiam sui Angelum delegatum.* Et inferius. *Salvandorum igitur per Christum orationes, Angeli quotidie offerunt: ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria ad æternum, & invisibilem Deum Angelorum famulatu, ac ministerio pervehuntur.* Idem docent cæteri prisci & Neoterici doctores, quos citat Suarez l. 6. de Angelis cap. 17. num. 8. & sequent. ubi contra Calvinum, & Magdeburgenses ostendit, temerarium & erroneum esse, negare, singulis hominibus a Deo dari Angelum custodem, non solum fidelibus & justis, ut videtur sentire Origenes, & auctor Imperfecti hic, sed etiam infidelibus, impiis, & reprobis. Unde & Antichristus suum habebit Angelum custodem, ut docet D. Thomas 1. par. quæst. 113. art. 4. ad 3. Idem Suarez cap. 18. n. 7. docet, Angelos singulorum hominum custodes ordinarie esse ex novo & infimo ordine, qui communi nomine Angelorum nominantur: nonnullis tamen personis eximiis vel dignitate, vel publico officio, uti Apostolis, Prophetis, Patriarchis, Pontificibus, Episcopis, regibus custodes dari ex octavo ordine, qui Archangelorum dicitur. Hinc B. Virginis custos fuit Gabriel, quem multi putant esse ex ordine Seraphinorum, uti ostendi in Daniele cap. 9. v. 21. H Igitur omnes omnino homines (etiam B. Virgo) habuerunt, vel habent Angelum custodem. Excipio Christum, quia is Angelo non eguit, cum humanitatis sufficiens custos esset ipsa ejus divinitas. Habuit tamen Christus semper ad manum plures Angelos, quibus quasi administris ad usus quoslibet uti poterat. Ita Suarez. Caute hic legendus est Origenes, qui dicit Angelos custodes subinde in custodia hac per negligentiam peccare, ideoque privari quandoque visione Dei, & sua beatitudine; Angelos autem parvulorum semper eos diligenter custodire, ideoque semper frui Dei visione, & beatitudine, & hoc velle hic Christum. Hic enim est error. Angeli enim omnes sunt beati, ideoque immutabiles & impeccabiles. Ad beatitudinis enim rationem pertinet ejus constantia, continuatio, & perennitas. *Beatitudo* enim, uti etiam definit Boetius, *est status omnium bonorum aggregatione perfectus*: ingens autem bonum est beatitudinis constantia, certitudo, & securitas; ergo illa in beatitudinis natura includitur.

Angeli custodes ex quo ordine? Porro munia & actiones Angelorum custodum sunt: Primo: pericula tam corporis, quam animæ avertere: Secundo suum clientem illuminare, instruere, & impellere

Officia Angelorum custodum. ad

Digitized by Google

A ad opera bona: Tertio, coercere dæmonem, ne ei pravas cogitationes ſuggerat, aut peccandi occaſiones offerat: Quarto, ejus orationes Deo offerre: Quinto, pro eo orare: Sexto, ſi peccat, eum corripere: Septimo, morienti aſſiſtere, eumque ad ultimam luctam confortare, & variis modis adjuvare: Octavo, poſt mortem animam in cælum deducere, vel ſi purgatione indigeat, ad purgatorium comitari, ibique ſubinde eam conſolari, donec ea peracta illam ad cælum evehat. Vide Suarez loco citato c. 19. Denique officia & beneficia omnia ab Angelis collata hominibus, quæ in ſacra Scriptura continentur, collegi & recenſui Exodi 23. 20. & ſequent. Plura vide apud Andream Victorellum l. 2. de Cuſtodia Angelorum, ubi cenſet ſummum Pontificem ſummos Angelos, ſcilicet Michaelem, & Gabrielem habere cuſtodes.

Quæres quid connotat τὸ *Angeli eorum*, ſcilicet puſillorum, qui in me credunt, uti præceſſit, æque ac cæterorum hominum omnium? Reſpondet S. Chryſoſtomus notare Angelos non quovis, ſed ſupereminentes, quaſi parvulorum cura Angelis ſupremis ſit commiſſa, quod S. B Thomas 1. p. q. 113. art. 3. ad 1. interpretatur de ſupremis, non in primo & ſummo Seraphinorum, ſed in nono & infimo ordine Angelorum, ita ut in illo ſupremi ſint cuſtodes hominum, medii ſint cuſtodes animalium, infimi vero ſint cuſtodes arborum, frugum, & plantarum. Huc accedit Maldonatus, qui cenſet majores eſſe parvulorum quam aliorum hominum: per parvulos etiam accipit non pueros, ſed humiles & juſtos, quorum Deum curam majorem, quam aliorum hominum habere, tota Scriptura teſtatur. Majores autem & honorabiliores eſſe parvulorum, quam aliorum hominum Angelos ex effectu probat, quia ſemper vident faciem Dei; non quod alii Angeli eam non videant, ſed quod ea phraſi Hebræi ſignificent, Deo aliquem eſſe propinquum & familiarem. Sumpta eſt enim ex aulæ conſuetudine metaphora, ubi quo quis honoratior eſt, eo propinquior eſt regi, eoque frequentius in ejus conſpectu verſari ſolet. Ita loquitur Regina Saba de ſervis Salomonis 3. Reg. 10. 8. *Beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.*

C Angeli mam parvulo. Secundo, τὸ *Angeli eorum*, notat Angelos parvulorum peculiarem eorum habere curam, præ aliis Angelis virorum & ſenum: parvulorum, inquam, tum eorum, qui ætate, tum qui in fide, tum qui in ſorte & conditione ſunt parvuli, id eſt, debiles, viles, humiles & abjecti. Hi enim cum minus valeant judicio & prudentia, hinc majori Angelorum indigent cura & cuſtodia. Vulgi eſt axioma: *Infantes, & amentes magis ab Angelis cuſtodiri.* Sane niſi Angeli infantium haberent curam ſingularem, ſæpius in ignem vel aquam caderent, & a porcis & beſtiis læderentur, ab equis & curribus protererentur.

Tertio, *Angeli eorum* vocantur, quaſi parvulorum proprii, familiares & peculiares amici: parvulos enim & humiles mire Angeli amant quaſi ſuos, ſibique perſimiles: ipſi enim ſunt humillimi, ac ſua humilitate vicerunt ſuperbiam Michaelis Etymol. Luciferi, dicentes cum duce ſuo S. Michaele מִי כָּמֹכָה *mi ca el*, id eſt, quis ut Deus? multis id exemplis oſtendit noſter Philippus Berlemont in paradiſo puerorum.

D Moraliter diſce hic primo, magnam eſſe dignitatem animarum, ut ait S. Hieronymus, utpote quæ Angelos habent cuſtodes: magnam viciſſim eſſe dignationem Dei, qui nobis tam nobiles aſſignat pædagogos. Ipſi enim ſunt, de quibus dicitur Pſalm. 103. *Qui facis Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem*: magnam denique eſſe humilitatem & charitatem Angelorum, qui nos pueros ita curant & dirigunt, nec id dedignantur, ſed amant & ambiunt, quia vident Deum & Dominum ſuum hominem factum, ut ait S. Bernard. Quocirca idem S. Bernard. in Pſal. *Qui habitat*, ſerm. 12. ad illa: *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* *Quantam*, inquit, *tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam propreſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. Caute ambula, ut videlicet cui adſunt Angeli (ſicut eis mandatum eſt) in omnibus viis tuis. In quovis diverſorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præſente, quod videns me non auderes.*

: Angelo cuſtodi tria debemus.

Rurſum cum Angeli ſatagant nos purgare, illuminare, & perficere, par eſt, ut eis obſequentes ad magnam ſanctitatem & perfectionem totis viribus contendamus, ut angelorum vitam & mores æmulemur, ut in carne vivamus quaſi homines cælestes & Angeli terreſtres, utpote mox ſocii & cives eorum futuri in cælo. Nam, ut ait Apoſtolus Epheſ. 2. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed cives Sanctorum & domeſtici Dei.* Et Hebr. 12. *Acceſſiſtis ad Civitatem Dei viventis, ad multorum millium Angelorum frequentiam.* Quare omnem immunditiam carnis & Spiritus, ac præſertim ſuperbiam & lites procul a nobis ablegemus. Nil ita ad indignationem provocat Angelos, atque diſſenſiones & ſcandala (uti docet hic Chriſtus:) ſunt enim ipſi Angeli pacis & ædificationis, ait S. Bernard. *Exhibent enim Angeli juſtitiam Deo, pacem inter ſe, gaudium ſibi*, ait idem ſer. 2. de Verbis Apoſtoli: *Non eſt regnum Dei eſca. Velut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: Sic Angelum vitæ noſtræ cuſtodem abigit, multa lacrymarum aſpergine dignum, ac grave olens peccatum* ait S. Baſil. in Pſal. 33. Rurſum *Angelica plane vita virginitas eſt: & qui non nubent, neque nubentur, ſimiles erunt Angelis Dei*, ait S. Bern. ſerm. de Nativit. B. Mariæ.

Denique cum Angelis noſtris crebro in ſpiritu converſemur, & colloquamur. Unde S. Bern. ſer. 12. in Pſ. *Qui habitat: Habetote*, ait, *familiares Angelos, fratres mei, & frequentate eos ſedula cogitatione, & devota adoratione, qui ſemper vobis adſunt ad cuſtodiam & conſolationem.* F

SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS] id eſt eſſentiam Dei fulgidam. Angeli vident ſemper clare ſine velo, quaſi facie ad faciem: *Angeli*, ait S. Aug. l. 9. de Civ. c. 22. *incommutabili & ineffabili pulchritudine* (Dei) *cujus ſancto amore inardeſcunt, omnia, quæ infra ſunt, ſeque ipſos inter illa contemnunt, ut ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt, perfruantur.* Facies ergo Dei eſt decor & fulgor ipſius divinitatis clare ſe manifeſtans, & videndum exhibens Angelis, itaque eos beatos efficiens: Alioqui Deus proprie, uti non habet corpus, ſic nec habet faciem.

QUI IN CÆLIS EST] Notant S. Gregor. 2. Moral. c. 2. & S. Bern. ſerm. 5. de Dedic. Eccleſ. Angelos etiam, dum cælo exeunt, ſemper videre faciem Dei; quia Deus eſt ubique; ſunt enim beati ubicumque ſunt; ideoque ubicumque ſunt, in cælis eſſe dicuntur: ubi enim eſt Dei viſio & gloria, ibi eſt cælum & paradiſus. Unde infert S. Gregor. *Et mittuntur igitur, & aſſiſtunt, quia per hoc, quod circumſcripti ſunt, exeunt; & per hoc, quod intus quoque præſentes ſunt, numquam recedunt. Et faciem ergo Patris ſemper vident, & tamen ad nos veniunt; quia & ad nos ſpiritali præſentia foras exeunt, & tamen ibi ſe per internam contemplationem ſervant.* Et paulo ante; *Quid enim de his, quæ ſcienda ſunt, neſciunt, qui ſcientem omnia ſciunt?* Non ergo revocantur a cuſtodia humilium ex deſiderio redeundi ad Deum, quia a Deo numquam diſtrahuntur, nec abeunt, ſed ubique eum præſentem habent & vident, ac propter Deum, & in Deo omnia agunt, & parvulos cuſtodiunt. Nam, ut vir doctus ait: *Sic exterius implent miniſterium, ut tamen interius numquam deſint per contemplationem: nam quolibet miſſi veniunt, intra ipſum currunt, qui ubique eſt.* Angeli ubique vident Deum.

VENIT ENIM FILIUS HOMINIS SALVARE QUOD PERIERAT] Græce ἀπολωλὸς, id eſt, ut Arabicus, *quod perditum erat*, ſcilicet totum genus humanum Adæ Patris ſui peccato perditum. Eſt hæc ſecunda Chriſti ratio, cur puſilli & humiles non ſint contemnendi, nec ſcandalizandi, prima enim petita fuit ab offenſa Angelorum, qui puſillos cuſtodiunt. Senſus ergo eſt. q. d. Ego, qui ſum Chriſtus & Filius Dei, tanti facio parvulos & humiles, ut pro eorum ſalute me ſumme humiliarim, & a cælo me inclinarim uſque ad terram, ibique carnem eorum aſſumpſerim: quare eorum ſalus mihi, æque ac Patri meo ſingulare attulit gaudium, ut patebit ex parabola ovium, quam ſubjiciam verſ. ſequenti. Cavete ergo ſtudioſe, ne parvulos, quos ergo tanto ſudoris & ſanguinis mei impendio redemi & ſalvavi, vos ſcandalo veſtro perdatis, alioqui non tantum Angelos, ſed & me, ac Patrem meum, hoſtes & vindices experiemini, quia injuriam & damnum, quod parvulis per ſcandalum irrogatis, mihi irrogatis. Ego enim parvulos amo ut meos filios, imo ut meos intimos, & ſingulariter electos & dilectos. Illi ergo ſunt quaſi meum peculium; quod ſi illud mihi per ſcandalum adimitis, & ſatanæ traditis, ego a vobis hoc damnum, ut meum reperam, & perditi gravis ultor exiſtam. H VERS. 11 Luc. 19. 10.

QUID VOBIS VIDETUR? SI FUERINT ALICUI CENTUM OVES, ET ERRAVERIT UNA EX EIS, NONNE RELINQUIT NONAGINTA NOVEM IN MONTIBUS (ubi de more paſcuntur, juxta illud Virgilii. VERS. 12 Luc. 15. 4.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ)

ET VADIT QUÆRERE EAM; QUÆ ERRAVIT?

ET SI CONTIGERIT, UT INVENIAT EAM: AMEN DICO VO- VERS. 13

Digitized by Google

A EO VOBIS, QUIA GAUDET SUPER EAM MAGIS, QUAM SUPER NONAGINTA NOVEM, QUÆ NON ERRAVERUNT; SIC NON EST VOLUNTAS ANTE PATREM VESTRUM, QUI IN CÆLIS EST, UT PEREAT UNUS DE PUSILLIS ISTIS] Parabolæ sunt tres partes, scilicet promythium, mythos, epimythium, hoc est, profabulatio, fabula, & postfabulatio, sive preparabola, parabola, & postparabola. Has tres partes est hic videre; preparabola enim, sive titulus & argumentum parabolæ est illud v. 11. *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat*. Parabola est v. 12. & 13. postparabola est v. 14. ubi ait: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis*. Vide Canon. 27.

Parabola ovis centesimæ erraticæ.

Tripliciter hæc parabola applicari & explicari potest. Primo generatim de Angelis & hominibus; secundo particulatim de solis hominibus; tertio speciatim de solis parvulis. Primo ergo multi generatim, per nonaginta novem oves pascentes in montibus, accipiunt sanctos Angelos in cælis Deo fruentes, qui nonquam peccarunt, per ovem vero centesimam, quæ erravit, accipiunt totum genus humanum, quod in Adamo peccavit, quod ut redimeret, & in viam salutis reduceret Christus, relictis quasi Angelis, de cælo descendit in terram factus homo. Ita S. Hilarius, Theophyl. Anselmus hic, & Gregor. hom. 34. in Evang. Cyrillus catech. 15. S. Ambrosius in Apolog. David c. 15. Irenæus l. 3. c. 21. Origenes hom. 2. in Genes. & alii plures. Hinc Collige quanta sit multitudo Angelorum, quæ tantum excedit numerum omnium hominum, qui fuerunt, sunt, & erunt quantum nonaginta novem excedunt unitatem.

B Dices, Oves hæ sunt oves filii hominis, Christus autem ut homo non pavit Angelos, sed homines dumtaxat; imo Christus necdum erat homo, cum ovem centesimam, id est, hominem quæsiturus in mundum & carnem nostram descendit. Respondetur; Angelos esse oves Filii hominis, Primo materialiter, quia sunt oves Filii Dei, qui idem est filius hominis. Unde in postparabola non nominatur Filius hominis, sed Deus Pater, cum ait: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum*, &c. *ut pereat unus de pusillis istis*.

C Christus meruit Angelis gratiam & gloriam. Secundo, etiam formaliter: quia Christus qua homo, est salvator quoque Angelorum; sed non redemptor, uti est hominum: nam Angelis meruit omnem gratiam & gloriam, hoc est, electionem, prædestinationem, vocationem, auxilia omnia excitantia, adjuvantia, sufficientia, & efficacia; ac denique omne meritum & augmentum gratiæ & gloriæ. Quare Christus fuit causa meritoria gratiæ & gloriæ Angelorum, ac vicissim Angeli habuere fidem vivam Christi incarnati, atque per eam justificati sunt. Ita Richardus, Albertus, Catharinus, Galatinus, & alii, quos citat & sequitur Franc. Suarez 3. p. q. 19. disp. 42. sect. 1. licet Paludanus, Durandus, Bonaventura & Alensis contrarium sentiant, scilicet Christum hominibus solis, non Angelis meruisse gratiam & gloriam. Sic ergo Christus quasi pastor pavit Angelos.

Secundo. Secundo, particulatim per oves accipi possunt soli homines, sed ita ut iis applicetur tota parabola simul, non autem singulæ ejus partes, juxta canonem 28. & 29. Scopus enim Christi, sive id, in quo ipse comparationem ponit, & parabolam applicat, dumtaxat spectandus est, scilicet; q. d. Sicut pastor ovium quærit ovem errantem etiam unicam, eaque reperta gaudet. Sic & Christus quæsivit genus humanum, eoque reducto gavisus est. Simul tamen proprie & directe intendit, ut patet ex postparabola vers. 14. significare suum optimi pastoris zelum, scilicet quod si centum dumtaxat essent homines, e quibus unus solus erasset, ipse nonaginta novem relicturus esset, ut illum unicum errantem quæreret. Qua de re pulchra extat visio S. Carpi apud Dionysium Areopag. epist. 8. ad Demophilum. Et sic hanc parabolam explicat Christus Lucæ 15. 4. Ita Jansenius, Maldon. & alii.

D Tertio. Tertio, speciatim hæc parabola applicanda est pusillis, id est pauperibus, vilibus, rudibus, simplicibus, humilibus, qui pusilli sunt in sapientia, honore & opibus, virtute & prudentia. His enim applicat Christus vers. 14. & ad pusillos spectant omnia præcedentia; quare pusillos velut oviculam errantem opponit 99. ovibus non errantibus, hoc est iis, qui magni sunt opibus, prudentia, virtute, auctoritate, aut magnos se æstimant: hi enim minus errare & peccare æstimantur: solent enim oves pusillæ, v. g. agni, utpote simplices & inexperti, facilius errare quam oves grandes, quæ pastorem & socias intueri & sequi solent. Sensus ergo est; q. d. Sicut pastor habens nonaginta novem oves, si centesima pusilla, puta agnus quis, a grege aberrarit, relinquit nonaginta novem, & agnum errantem quærit: sic Christus eos, qui per gratiam suam jam in fide & virtute magni sunt, aut magnos se æstimant; quorum ingens est numerus, sibi, suorumque curæ relinquit. At vero si parvulus quis in fide, virtute & prudentia a via salutis aberret, eum per se & per suos Angelos, doctores & prædicatores quærit, ut in viam reducat: singularis enim ipse de pusillis, utpote ab aliis desertis, & sibi derelictis est cura, amor, & providentia. Hunc genuinum esse sensum liquet ex dictis, & ex eo, quod Christus parabolam hanc iterans Lucæ 15. 4. ita eam explicet, nisi quod per nonaginta novem oves accipiat justos, per centesimam errantem accipiat peccatorem: hic vero per nonaginta novem accipiat magnos, per centesimam errantem vero pusillos, uti dixi, sed hoc eodem redit; magni enim sunt justi, pusilli vero sunt peccatores. Ita fere Franc. Lucas.

E GAUDET SUPER EAM MAGIS, QUAM SUPER NONAGINTA NOVEM, QUÆ NON ERRAVERUNT] Habitu magis gaudet pastor super 99. ovibus utpote pluribus, quam super una. Unde si rogaretur, maviſne perdere 99. oves, quam solum unam illam errantem, diceret, nequaquam; malo enim unam perdere, quam nonaginta novem: actu tamen hic & nunc magis gaudet super una, quæ erraverat reperta, & in viam salutis reducta; tum quia hæc nova reductio novum ingensque ciet gaudium, tum quia pellit tristitiam ex unius perditione conceptam: magis enim sentitur gaudium, quod repente succedit tristitiæ, cum ipsa tristitia in gaudium vertitur. Id patet quotidiana experientia. Referunt historiæ Romanæ matrem, quæ mœrebat ob necem filii, qui in Cannensi pugna dicebatur cæsus, cum repente eum redivivum conspexisset, præ gaudio fuisse exanimatam. Sic si urbs aliqua, vel provincia ab hæresi vel paganismo convertatur ad fidem, magis ob id exultamus, quam de cæteris urbibus, aut provinciis jam pridem conversis. Novitas enim rei magnæ & difficilis, præsertim inopinatæ, ingens ciet in mente pathos. Ab assuetis enim non fit passio, ut ait Philosophus. Hæc est quasi tertia ratio, qua Christus per parabolam probat parvulos non esse spernendos.

Mater Romana ad filii conspectum præ gaudio moritur.

F

G

SIC NON EST VOLUNTAS ANTE PATREM VESTRUM] id est, sic non est beneplacitum coram Deo, sic Deus non vult, nec placet ei. Est redditio comparationis sive parabolæ; q. d. Sicut pastor non vult, nec finit perire unam e suis oviculis, licet minimam, v. g. unum agnellum, eumque plus curat & quærit, quam 99. magnas & validas; sic & Deus non vult perire unum ex pusillis, sed magis eum curat, quam multos magnos.

VERS. 15 SI AUTEM PECCAVERIT (Syrus, *erraverit*, ut alludat ad ovem errantem, de qua sermo præcessit) IN TE FRATER TUUS, VADE, ET CORRIPE EUM INTER TE, ET IPSUM SOLUM; SI TE AUDIERIT, LUCRATUS ERIS FRATREM TUUM] Transit Christus apposite a pusillis ad peccatores, quia hi pusilli sunt, id est viles & adjecti: quid enim vilius peccato & peccatore? sicut ergo docuit non contemnendos esse pusillos, qui scandalizantur: sic nunc docet pariter non contemnendos esse peccatores, qui alios scandalizant & lædunt, nec ulciscendos esse ob illatam injuriam, sed ex charitate corripiendos, ut Dei gratiæ, & suæ saluti restituantur. Ita Chrysostomus, & Theophylactus. Dat ergo Christus hoc remedium, quo tollatur scandalum, scilicet correptionem ejus, qui scandalum dedit, eoque alios læsit.

H

SI AUTEM PECCAVERIT IN TE] Novatores quidam τὸ *in te* exponunt *te solo sciente*, q. d. Si quis peccavit secreto & privatim, secreto eum corripe, nam publice peccans, publice corripiendus est ad aliorum exemplum. Verum nusquam τὸ *in te* accipitur pro *te solo conscio*. Et Lucas τὸ *in te* exponit *contra te*. Ait enim cap. 17. 3. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: si autem pœnitentiam egerit, dimitte illi*; scilicet id quod in te, id est, contra te peccavit. Sic & intellexit S. Petrus, qui v. 21. ex hoc Christi dicto subinfert & quærit: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei*? Alludit Christus ad illud Levit. 29. v. 17. *Non oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum*, q. d. Noli occultum fovere odium & vindictam contra proximum, qui te læsit, sed aperte & palam significa illi, te ab illo læsum, ut se emendet, læsionem tollat, tibique & Deo pœnitendo satisfaciat. Unde Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 35. Luc. 17. 3.

Correctio fraterna a Christo præcipitur

hunc

Digitized by Google

A hunc locum Levitici accipit de correptione fraterna, quasi illa Judæis fuerit præcepta.

Ex correptionis fraternæ. Dices: Ergo solum in injuriis nobis illatis corripiendus est proximus, non autem in aliis peccatis contra Deum admissis. Respond. neg. consequentiam, qui per synecdochen Christus sub injuriis nobis illatis, cætera omnia peccata intelligit, nam eadem, imo major aliorum peccatorum est ratio. Si enim corripiendus est proximus in injuriis nobis illatis, ergo multo magis in cæteris offensis, quibus Deum, quantum in se est, læsit. Magis enim Deum, quam nos amare debemus: ac consequenter magis ejus, quam nostras injurias avertere. Christus tamen meminit solius peccati contra nos admissi, ut vindictæ frænum injiceret, illique surrogare charitatem, ex eaque fraternam correptionem, q. d. Si frater, id est, proximus tuus quippiam contra te commisit, te offendit & læsit, noli id ex spiritu iræ publicare & vindicare, sed prius amanter & secreto eum corripe, subintellige, si spes est emendationis, scilicet quod ipse privatim a te monitus,

B se emendavit & corriget: alioqui si hæc spes non subest, omissa privata correptione, eundum est ad correptionem coram testibus: quod si nec in hac sit spes, denuntiandus est Ecclesiæ, id est, pastori, vel prælato: si nec in eo sit spes emendationis, correptio hæc omnino omittenda est, & Deo relinquenda. Ratio a priori est, quod sicut charitas me obligat, ut succurram proximo in gravi necessitate corporali constituto; sic magis me obligat, ut succurram ei in spirituali necessitate, qualis est status peccati & damnationis; hic enim longe pejor est status famis, carceris, vel mortis. Porro recte Suarez 2. 2. quæst. 33. Præter spem fructus, inquit, ut obliget hoc præceptum, necesse est, ut proximus indigeat mea correctione; quia videlicet probabiliter timeo, nisi corrigam proximum, similia peccata commissurum, vel certe longo tempore, & cum gravi damno suo in eo peccato permansurum. Probatur, qui hoc est præceptum affirmativum misericordiæ, ergo non obligat, nisi juxta regulas similium præceptorum: ergo tantum in articulo necessitatis. Quare S. Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Basilius,

C Theophylactus, quos citat & sequitur hic Salmeron tom. 4. tract. 11. par. 3. qui præceptum hoc correptionis tantum accipiunt de corripiendo eo, qui nos offendit, intelligendi sunt. q. d. Id expresse dumtaxat hic a Christo nominari & præcipi; sed non negant implicite sub una peccati specie, totum reliquum peccati genus subintelligi. Causam dat S. Chrysost. *Facilius*, ait, *sustinet correptionem, qui fecit injuriam, ab eo, qui passus est, cum videt eum suam salutem quærere, & non vindictam; maxime si solus corripiat*. Ut hoc plenius intelligatur.

An sit consilii, an præcepti? Et quos obliget. Resp. Prima.

Quæritur, an hæc correptio sit præcepti, an consilii dumtaxat? Rursum an omnes fideles obliget, an sacerdotes tantum & superiores? Primo, SS. Augustinus, Chrysostomus, Hilarius, Basilius, Theophylactus, Michael Medina, Bonaventura, & ex iis Salmeron, jam citati censent correptionem, de qua Christus hic agit; tantum spectare eos, qui in nos peccarunt. q. d. Eum, qui te læsit, noli ulcisci, sed amanter corripe, & sic correptionem hanc esse

D consilii potius, quam præcepti. Multis rationibus id probat hic Salmeron, qui caute & acri oculo hic est legendus; imo totus perlegendus. Videtur enim tract. 11. hunc correptionis modum a Christo sancitum convellere, & reprobare quasi inutilem, obscurum, & sæpe pernicioſum. Verum loquitur ipse ex sententia non sua, sed aliorum citatorum, uti ipse expresse profitetur initio cap. 11. Rursum non convellit sententiam Christi, sed Interpretum & Scholasticorum, qui sententiam Christi extendunt ad omnes omnino casus, ut velint hunc ordinem corripiendi servari in omnibus omnino peccatis, & peccatoribus; cum Christus expresse tantum eum sanciat in correptione eorum, qui in nos peccarunt. Ostendit enim ipse hunc ordinem sæpe non posse servari, nisi cum pernicie reipublicæ, ut clare patet in hæresi, quæ ut cancer serpit. Idem ostendit Gregorius de Valentia 2. 2. quæst. 33. ubi sex casus recenset, in quibus ordo hic a Christo in correptione sancitus, servari nequit. Et Suarez tom. 4. de Religione lib. 10. cap. 7. ubi fere argumentis Salmeronis utitur, ex iisque docet, probabilem esse istorum sententiam, qui dicunt Christum hic tantum sancire, ut illos, qui nos læserunt, non ulciscamur, sed fraterne corripiamus. Denique Salmeron tract. 10. communem interpretum de corripiendis peccatoribus quibuslibet explicationem & doctrinam sequitur, multisque confirmat.

Secundo, Joannes Andreæ apud Panormit. in cap. *Novit*. de Judiciis, & Armacanus in quæstion. Armenorum censet correptionem præcipi sacerdotibus, & prælatis dumtaxat: laicis vero & subditis consuli, non præcipi. Favet cap. *Sed illud*, distinct. 45. & Glossa in cap. *Si quis peccaverit*. 2. quæstion. 1. ubi durum esse dicitur, omnes ad hoc præceptum teneri: quia omnes transgressores ejus constitueret, cum vix aliquis illud servet, exceptis prælatis. Favet, quod Christus mox solis Apostolis dicat: *Quæcunque alligaveritis super terram*, &c. Huc accedit Franciscus Majoris (videtur legendum Mayronis, quia Parisiensibus doctor illuminatus nuncupatur) citatus a Salmerone, qui commentans in lib. 1. S. Augustini de Civit. Dei c. 9. ait: *Numquam est peccatum mortale correptionis omissio, nisi cum eam omittens peccato alterius consentit, aut cooperatur. Si autem malum alterius dissimulet, vel in ipso citra consensum delectetur, est veniale*. Verum hoc nimis est laxum. Secundo. E

Tertio, alii censent correptionem hanc solis justis præcipi, quia non congruit, ut peccatorem corripiat is, qui eodem aut simili peccato est obnoxius. Favere videtur huic opinioni Abulensis. Verum dico correptionem hic a Christo sancitam non tantum consilii esse, sed & præcepti, ac omnes fideles obligare: nam licet Christus expresse, tantum dicat corripiendos eos, qui in nos peccarunt: tamen a pari vult illud extendi ad quoslibet peccatores. Ita passim Interpretes & Scholastici omnes cum D. Thoma 2. 2. q. 33. ac fuse Suarez tom. 4. de Religione, lib. 10. cap. 7. num. 11. patet ex. *si frater*: Frater enim significat quemvis fidelem & Christianum, ac potius æqualem, quam superiorem. Licet enim infideles quandoque quoque corrigendi sint: tamen Christus hic tantum agi de fidelibus, utpote suis, suæque Ecclesiæ subditis: nam infideles ab Ecclesia puniri vel excommunicari nequeunt, cum ei non subsint. Tertio. F

Ratio a priori. Ratio a priori est, quia hoc correptionis præceptum tam quoad substantiam, quam quoad modum & ordinem, non tam positivum est & juris divini (utpote a Christo, qui Deus est, hic sancitum) quam juris naturæ, connaturale scilicet charitati & gratiæ. Charitas enim exigit, ut

G proximum peccantem in viam salutis corripiendo reducamus, atque ut pudori (*Ne, si semel pudorem atque verecundiam amiserit, permaneat in peccato*, ait S. Hieronymus) & famæ ejus consulamus; primo secreto; deinde, si id non juvet, coram uno aut altero teste eum corrigamus. Agitur enim hic de correctione non publica & judiciali, quæ ad justam scelerum punitionem ac damni, per illa reipub. illati, reparationem & satisfactionem refertur; sed de privata, quæ ad proximi peccantis emendationem & salutem dirigitur & tendit. Hanc rationem dat, urgetque S. Aug. serm. 16. de Verbis Apostoli: *Corripe*, ait, *inter te & ipsum solum intendens correctioni, parcens pudori. Forte enim pro verecundia incipis defendere peccatum tuum, & quem vis correctionem, facis pejorem*. Et nonnullis interjectis: *Obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui, nec sinas eum tuo silentio perire. Si solus nosti, & vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor*.

H Charitas & discretio in correctione valde requisita. Quare ut hæc correptio, quæ ex se est odiosa, sit fructuosa & efficax, duo maxime requiruntur, scilicet charitas & prudentia, sive discretio. Charitas, ut is, qui peccat, sentiat correctionem proficisci non ex odio vel fastu, sed ex amore & compassione. Prudentia, ut fiat modeste, leniter, ac eo loco, tempore & modo, quo putatur is, qui peccavit, eam grato animo accepturus, & se emendaturus, juxta illud Apostoli Galat. 6. 1. *Instruite in spiritu lenitatis*, &c. Sapienter S. Gregorius Nazianz. orat. de Modestia in disputationis fervore servanda: *Hanc rationem*, inquit, *tene, ut partim illum corrigas, idque leniter & humane, non ut hostis, neque ut durus & rigidus medicus, neque ut sectionibus tantum & cauteriis adversus morbum sciens grassari; partim teipsum accuses, infirmitatisque tuæ tibi conscius sis*. Et S. Leo epist. 84. ad Anastasium Thessalon. Episcopum c. 1. *Plus*, inquit, *ergo corrigentem agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam commonitio; plus charitas, quam potestas*.

Correctionis necessitas. Porro tanta est mutuo nos corrigendi necessitas, ut quidam sanctus Pater dicere solitus sit mundum nulla alia de causa magis perire, quam ob omissionem correptionis fraternæ, & ob violatum vitandæ fornicationis præceptum. Et S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei c. 9. ob omissionem fraternæ hujus correptionis testatur, in hoc mundo bonos

cum

Digitized by Google

A cum malis gravissimis calamitatibus affligi. S. Gregorius l. 7. epist. 117. & citatus dist. 8. c. 5. *Consentire videtur erranti*, inquit, *qui corripienda, ut resecari debeant, non occurrit*. Unde Glossa: *Ita peccat*, ait, *qui videns fratrem peccare, tacet sicut qui pœnitenti non indulget:* Causas accusantes vel excusantes a correptione dat S. Augustin. l. 1. de Civit. c. 4. *Plerumque enim*, ait, *a malis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis male dissimulatur, vel cum laboris piget, vel cum eorũ inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc nostra cupiditas appetit, sive quas adhuc amittere formidat infirmitas. Si autè propterea quisque objurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piã eruendos impediant alios infirmos, aut premant, æque avertant a fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Longe autem graviorem habent causam Ecclesiarum Præpositi, qui in Ecclesiis constituti sunt, ut*

Eam docet elementa. B *non parcant ob jurgando peccata.* Hanc correptionem docet nos ipsa elementorum natura: sic enim ignis castigat, & urendo purgat aërem: aer per flabra ventorum castigat purgatque aquam; aqua pariter terram. Accedit vocis etymon; *corrigere* enim est simul *cum alio regere*; qui enim a se solo regi nequit, necesse est, ut ab alio se adjuvante & corripiente regatur. Singulares in corrigendo extitere Moyses,

Exempla. populum idololatram capite plectendo; Phinees, Helias, Joannes Baptista, & Christus Dominus, qui de templo, flagello facto ex funiculis, bis ejecit vendentes & ementes: neque charitas Christiana in aliquo esse potest, nisi fratri peccanti medicamentum correptionis adhibeat.

Obligat in peccato mortali, Denique ordinarie correptio fraterna obligat dumtaxat, cum peccatum est grave & mortale: licet enim Cajetanus, Valentia & D. Soto censeant nos obligari etiam ad corripiendum, cum peccatum est veniale: tamen id communiter non videtur verum, nec in praxi usitatum, nisi ex veniali sequatur grave damnum vel scandalum: alioqui enim ad singula venialia corripere, & corripi esset onus corripienti, æque ac correpto intolerabile, imo moraliter impossibile. Ita Abulensis, Adrianus, Paludanus, Gabriel Sylvester, quos citat & sequitur Suarez 2. 2. tract. de Charitate, disput. 8. sect. 2. de hom. Bannes 2. 2. quæst. 33. art. 2.

C

SI TE AUDIERIT, LUCRATUS ERIS FRATREM TUUM] q. d. Pereuntem salvasti, ac lucratus es Deo, & cælo eum, qui erat reus gehennæ & satanæ, imo lucratus es eum tibi, quia & tu & ille damnum passi eratis ex discordia, ait S. Chrysostomus: *Per salutem enim alterius nobis quoque acquiritur salus*, ait sanctus Hieronymus.

VERS. 16 SI AUTEM TE NON AUDIERIT, ADHIBE TECUM ADHUC UNUM VEL DUOS (vel seorsim & vicissim nunc unum, nunc alterum, ut ait S. Hieronymus, vel potius utrumque simul) UT IN ORE DUORUM VEL TRIUM TESTIUM STET (Syrus *constet*) OMNE VERBUM.] Jubet Christus, ut si correptus secretam monitionem respuat, corripiatur coram uno aut duobus, duabus de causis. Prima est, ut qui coram uno non erubuit, erubescat coram pluribus, utque plures testes eum de peccato facilius & efficacius convincant, ac emendationem persuadeant. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, & S. Augustinus ser. 16. de Verbis

D Domini. Secunda, ut si nec coram eis velit audire, seseque corrigere, illi sint testes, qui idipsum Ecclesiæ attestentur.

UT IN ORE DUORUM, &c.] Citat Deuter. c. 19. vers. 15. Vide ibi dicta. Requisivit duos testes; cum ergo hic ait *trium*, annumerat ipsum correptorem.

VERS. 17 QUOD SI NON AUDIERIT EOS, DIC ECCLESIÆ] Hic est tertius gradus in ordine correptionis servandus, ut scilicet qui nolunt audire monentem, nec testes, deferatur ad Ecclesiam, id est, ad pastorem & superiorem, sive Prælatum, tamquam ad patrem spiritualem, æque ac judicem, ut tamquam paterne, sed majori auctoritate & pondere peccatum corripiat & feriat, itaque emendet: sin ille nolit corrigi, eum a cœtu fidelium ut judex excludat & abscindat. Quinque actus, ait Suarez, notandi sunt in hoc ordine ex Matth. 18. Primus, est admonitio secreta? *Corripe eum inter te & ipsum solũ*. Secundus correptio: *Coram uno vel duobus adhibitis*. Tertius, denuntiatio: *Dic Ecclesiæ*. Quartus, correptio Prælati: *Si Ecclesiã non audierit*. Quintus, coactio per excommunicationem: *Sit tibi tamquam Ethnicus*. Qui omnes actus per se singuli cadunt sine dubio in præceptum, quia eodem tenore omnes proponuntur; & omnes fundantur in charitate & misericordia.

Porro varias ob causas hic ordo omitti vel inverti potest, ac subinde debet, ut is, qui peccavit, statim deferatur ad superiorem, uti ostendit Salmeron hic, & Gregorius de Valentia 2. 2. q. 33. Prima causa & casus est, cum peccatum est publicum, ut famæ ejus, qui peccavit, per secretam monitionem consuli nequeat, multo minus scandalo publico, quod peccans peccando dedit. Secundo, cum peccatum est noxium tertiæ personæ, vel reipublicæ, uti est hæresis, quæ ut cancer serpit, ideoque statim summa vi per pastorem & Episcopum inhibenda & recidenda est. Tertio, si constet monitionem secretam, vel coram testibus non profuturam: nam ut ait Adrianus: *Frustra niti, & nihil aliud laborando, quam odium quærere, extremæ dementiæ est*. Quarto, si correptus cedat juri suo, suæque famæ, ac contentus sit ut peccatum suum illico deferatur ad superiorem, uti in Societate Jesu qui eam ingrediuntur, expresse rogantur hac de re in examine, ac rogati respondent se contentos esse, ut id fiat. In Societate ergo & aliis religionibus similibus, recte & perfecte per omnia ordinatis, alius corrigendi ordo præscribitur, scilicet ut statim res deferatur ad superiorem, quia religiosis proponitur hæc regula in ingressu; unde ipsi cedunt juri famæ suæ, non ergo illis fit injuria. Ratio est prima, quia ad bonum publicum expedit, ne peccatum inficiat alios, ut a superiore statim ei obvietur: defectus enim noxius religioni vix potest efficaciter corrigi sine superiore, imo vix est spes emendationis perfectæ sine superiore. Secundo, quia religio est schola humilitatis, mortificationis, contemptus, honoris, & famæ. Tertio, quia religiosi sunt fratres: qui autem corripit, videtur agere superiorem alterius: eum enim docet, corrigit, instruit. Unde hæ correctiones æqualium in religione sæpe sunt odiosæ, & lædunt charitatem. Hinc regula nostra jubet, ne quis alium reprehendat. Quarto, quia in Societate nostra singuli tenentur reddere rationem conscientiæ, suosque exponere defectus superiori: ergo & pati, ut alii, si viderint illos, eidem aperiant. Quinto, quia directio religionis est spiritualis & paterna: ut ergo superior singulos & omnes dirigere possit in spiritu & pace, expedit eum omnes singulorum defectus nosse. Ita docet S. Bonaventura in c. 17. Luce, & in Regul. S. Francisci, qui fuit magister generalis ordinis Minorum; imo sub eo celebratum fuit capitulum generale, in quo jubetur incarcerari, qui aliter docuerit. Et S. Augustinus ep. 109. in regula monachorum sancit, ut si monacha alterius petulantem oculi jactum viderit, secreto moneat; si iteret petulantiam, imo ex veniali forte fiat mortalis, deferat ad superiorem. Similia habet S. Basilius in regulis fusius explic. reg. 46. Temere ergo hoc statutum religionum carpserunt nonnulli; Statuta enim hæc probata sunt a Sede Apostolica. Idem diserte decernunt statuta ordinis Prædicatorum dist. 1. cap. 18. Ita S. Thomas, Richardus, Angelus, Salmeron, Suarez, & alii. Vide Suarez tom. 4. de Relig. c. 7. ubi addit in Societate, & cæteris religionibus servari quoque hunc ordinem Christi, ut si spes certa sit secretam monitionem emendaturam proximi defectum, non deferatur ad superiorem. Porro in visitationibus Episcoporum & Abbatum alius quoque servatur ordo. Ipsi enim sub censuris jubent peccata sibi denuntiari. Verum hi procedunt non per modum correptionis fraternæ, sed judiciariæ inquisitionis, vel accusationis, de quo hic non agit Christus. Vide Lessium de Justitia & jure.

E Ordo correptionis non servandus certis casibus. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

F Ratio Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

G

H Tres canones correptionis.

Denique hic notandi sunt tres canones, qui si serventur, non peccabitur in ordine correptionis fraternæ. Primus est, bonum publicum, v. g. reipub. vel communitatis præponderat, ideoque præponendum est bono privato. Secundus, bonum animæ & salutis proximi præponderat, & præponendum est bono famæ ejusdem. Tertius, famæ proximi semper consulendum est, quantum salvo bono communi & animæ proximi fieri potest.

Dic Ecclesiæ. Cur? Resp. Primo. Secundo, vere.

DIC ECCLESIÆ] Proprie, id est, pastori proprio, qui Ecclesiæ tuæ præest: ut hoc plenius intelligatur. Quæritur, quid hic significet Ecclesia? S. Hieronymus & S. Anselmus hic, ac S. Gregorius lib. 4. epist. 38. intelligunt fidelium cœtum & multitudinem; quasi Christus hic velit, ut coram ea talis arguatur, ut pudefiat, itaque emenderur. Hoc avide Zuinglius & Novantes sequuntur, ut democraticum & populare Ecclesiæ regimen sanciant, itaque populo adulentur. Unde Castalion pro *dic Ecclesiæ*, profane vertit *dic reipub.* Alii, *dic communitati*. Verum S. Chrysost. Theophyl. Euthymius, & alii passim per Ecclesiam accipiunt Ecclesiæ pastores & Prælatos, qui Ecclesiam sive seorsim, sive in synodo & Concilio repræsentant;

Digitized by Google

A tant; ſicut magiſtratus repræſentat rempublicam, & rex regnum. Et probatur primo, quia Chriſtus jubet hic Eccleſiam audiri, id eſt, Eccleſiæ obediri a reo, alioqui hoc ipſo habendum pro excommunicato, imo pro Ethnico. Hæc autem obedientia Prælatis tantum Eccleſiæ defertur, ut patet, imo hæc ratio perſuaſit Calvino, id quod dicimus, Secundo, quia Chriſtus Eccleſiam explicans, ſubdit: *Quæcumque alligaveritis*, vos ſcilicet, o Apoſtoli Eccleſiæ principes, & qui vobis ſuccedent, Epiſcopi, & paſtores: Tertio, quia perpetua Eccleſiæ praxis ita habet, ut ad paſtores, Epiſcopos, Pontificem, aut Concilium generale Epiſcoporum talis deferatur, non autem ad populum. Quarto, quia contrarium facere, eſſet contra jus naturæ, eſſetque gravis injuria in proximum, eſſet enim eum infamare, ſi ejus crimen ſit occultum. Calviniſtæ ergo illi, qui ſuos adulteros, eorumque adulteria, aliaque crimina publice in Eccleſia promulgant & traducunt; quaſi Chriſtus idipſum hic præceperit, graviter errant peccantque contra charitatem, ac ſubide contra juſtitiam, cum ſcelus eſt occultum; quia famam fidelibus adimunt, eoſque publico probro & contumelia afficiunt. Senſus ergo eſt.

Prob. primo. Secundo. Tertio. Quarto.

B q. d. Si frater correptus noluerit corripienti ſecreto, vel etiam coram duobus teſtibus auſcultare, deferatur ad Eccleſiæ Præſulem, qui quaſi rector Eccleſiam repræſentat, ut qui privatos deſpexit, Prælatum ſaltem revereatur, eique corripienti obediat: quod ſi facere nolit, Prælatus, qui non tantum privati corripiendi, ſed & totius Eccleſiæ curam gerit, ut illi provideat, ne correpti contumacia & ſcelus in fideles Eccleſiæ proſerpat, depoſita perſona patris aſſumat perſonam judicis, eumque ab Eccleſia, velut ovem contagioſam a grege ſeparet, excommunicet, & expellat. Hinc patet contra eoſdem Novantes Eccleſiam eſſe viſibilem, utpote quæ aditi debat a corripiente, ac videri & audiri a correpto.

An Pontifex corripiendus.

Dices: Ergo ſi ipſi Prælati peccent, ac præſertim ipſe Papa, debebit pariter deferri ad Eccleſiam, id eſt, ad Concilium generale: ergo illi Papa eſt ſubjectus, ac conſequenter Eccleſiæ regimen eſt Ariſtocraticum, non monarchicum. Ita Abulenſis hic q. 108. Panormitanus, C Gerſon, Almainus, & alii, qui ex hac ſententia, in Concilio Baſileenſi de Papatu depoſuerunt Eugenium IV. Pontificem. Verum hoc temerarium eorum factum paulo poſt reprobavit & tractavit Concilium Florentinum. Reſp. ergo negando conſequentiam, quoad Papam (Epiſcopi enim, ſi peccent, deferendi ſunt ad Papam, ab eoque corripiendi) Hæc enim non pertinent ad Papam, ſed ad alios omnes, qui habent ſuperiores: nec enim Papa in terra habet ſuperiorem, ne Eccleſiam quidem, aut Concilium generale; cum ipſe totius Eccleſiæ ſit caput, cum Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11. perpetuus habet Eccleſiæ uſus & ſenſus. Unde illud olim a Concilio 180. Epiſcoporum Sinueſſæ S. Marcellino Pontifici poſt lapſum pœnitenti acclamatum eſt: *Tuo te ore, non noſtro judicio judicas, nam prima ſedes a nemine judicatur*, teſte S. Damaſc. & Platina in ejus vita, & habetur diſt. 21. can. 7. *Nunc autem*. Papa enim in Eccleſia plus eſt, quam rex in regno: hic enim a repub. ſuam accipit poteſtatem, Papa vero ſuam poteſtatem non accipit ab Eccleſia, ſed immediate a Chriſto: quare nullo caſu ab Eccleſia deponi poteſt, ſed tantum declarari excidiſſe Pontificatu, ſi v. g. incideret (quod abſit) in publicam hæreſim, ideoque ipſo facto deſineret eſſe Pontifex, imo fidelis & Chriſtianus.

S. Marcellinum Pontificem judicare non præſumit Concil. Sinueſſa.

D

QUOD SI ECCLESIAM NON AUDIERIT, SIT TIBI SICUT ETHNICUS ET PUBLICANUS] Qui enim Eccleſiæ Præſulem monentem contemnit, totam Eccleſiam, quam ille repræſentat & regit, contemnit: ac proinde hoc ipſo oſtendit ſe nolle Eccleſiæ eſſe filium & civem: quare non fidelis & Chriſtianus, ſed Ethnicus & publicanus, id eſt, publicus peccator habendus eſt. Publicani enim apud Judæos ob rapinas, perjuria, ait S. Hieron. & pauperum oppreſſiones habebantur infames & ſceleſti, ab Ethnicorum vero, velut idololatrarum conſortio plane abſtinebant Judæi.

Rurſum: *Sit tibi ſicut Ethnicus*, id eſt; ab Eccleſia per ejus Præſulem ejiciatur, excommunicetur & ſeparetur, ne ſuum ſcelus & contumaciã fidelibus contagione ſua affricet, ſed habeatur tamquam Ethnicus, id eſt infidelis & paganus, Dei fide, cognitione, religione & lege privatus, ita ut nec cibum cum eo ſumas, uti jubet Paulus 1. Cor. 5. 11. nec ei dicas ave, id eſt, nec eum ſalutes, ut jubet S. Joannes ep. 2. v. 10. ut ex hac ignominia confundatur, ſcelus agnoſcat, & ad Eccleſiam pœnitens redeat. Excommunicatio enim irrogatur peccanti, non ut pereat, ſed ut emendetur. Nam ut ait S. Aug. *Et ipſos Ethnicos in numero quidem fratrum non deputamus, ſed tamen eorum ſalutem ſemper inquirimus*. Hunc eſſe ſenſum liquet eſt eo, quod Chriſtus ſubdit: *Amen amen dico vobis, quæcumque alligaveritis*, &c. Ita S. Chryſoſtomus, Hilarius, Auguſtinus, Gloſſa, & alii paſſim.

E

AMEN DICO VOBIS, QUÆCUMQUE ALLIGAVERITIS SUPER TERRAM, ERUNT LIGATA ET IN CÆLO: ET QUÆCUMQUE SOLVERITIS SUPER TERRAM, ERUNT SOLUTA ET IN CÆLO] Hic explicat Chriſtus Eccleſiam ejuſque vim & poteſtatem, ſcilicet per Eccleſiam accipi Apoſtolos & Prælatos Eccleſiæ, quibus ipſe plenam dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi, tum a peccatis, tum ab excommunicatione, adeo ut, quem illi [illegible]ati abſolverint in terris, Deus illum abſolvat in cælo; quem illi excommunicando ejecerint e cœtu fidelium, Deus eumdem deleat de libro vitæ, & ejiciat de numero Beatorum: *Ad terrorem*, ait S. Hilarius, *metus maximi, quo in præſens omnes continentur, immobile Apoſtolicæ ſeveritatis judicium præmiſit*. Nam; *quia poterat*, ait S. Hier. *contemptoris fratris hæc eſſe reſponſio vel tacita cogitatio, ſi me deſpicis, & ego te deſpicio, poteſtatem tribuit Apoſtolis* (& Prælatis eorum ſucceſſoribus) *ut ſciant, qui ab ipſis condemnantur, hominum ſententiam divina ſententia roborari*.

VERS. 18

Poteſtas ligandi & ſolvendi Prælatis conceſſa.

F

QUÆCUMQUE ALLIGAVERITIS] Origenes, Theophylactus, & Anaſtaſius Nicænus quæſt. 74. (extat tom. 6. bibliothecæ SS. Patrum) putant hæc quoque ad correptionis præceptum, ac proinde ad omnes Chriſtianos pertinere, q. d. Quibus pœnitentibus offenſam in vos, o fideles, commiſſam remiſeritis, remittet eamdem ipſis Deus in cælis: quibus vero non remiſeritis, nec Deus remittet. Verum hanc explicationem plane abſonam, ineptam, & falſam eſſe liquet ex eo, quod Chriſtus Eccleſiam opponat privatis peccatoribus, & eos corripientibus: ergo per Eccleſiam intelligit ejus Prælatos, non fideles communes. Rurſum, quod Eccleſiæ tribuat judicium & tribunal (hoc enim ſolis competit Prælatis) cui obedire oporteat, alioquin velut Ethnicus habearis; ac deinde ad illud Eccleſiæ judicium referat generalem hanc ligandi & ſolvendi poteſtatem, tum internam in foro conſcientiæ, tum externam in foro externo per excommunicationem, quæ poſterior maxime hic Chriſti ſcopo & propoſito convenit, quamquam & prior conveniat. Ideo enim peccator defertur ad Eccleſiæ paſtorem, ut ab eo ad pœnitentiam & confeſſionem inducatur; itaque ab eo a peccato abſolvatur, ut ſic emendetur & juſtificetur: quod ſi facere nolit, impœnitens, & contumax ab eodem excommunicetur. Ita S. Chryſoſt. Hilarius, Auguſt. Gloſſa, & alii paſſim. Unde recte Theologi ex hoc loco excommunicandi poteſtatem, ac etiam Sacramentum pœnitentiæ per modum judicii & abſolutionis colligunt & evincunt. Vide Bellarminum, & Suarez tract. de Pœnitentiæ Sacramento. Hinc hoc intellexit Theodoſius Imperator, qui ob cædem Theſſalonicenſium a S. Ambroſio templo expulſus, ingemuit: *Servis*, inquit; *& mendicis ad templum patet acceſſus, mihi præcluſus eſt. Scio enim Dominum dixiſſe: Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælo*. Quare ſupplex S. Ambroſio factus petiit abſolutionem, quam & obtinuit, ac pœnitentiam ab eo injunctam explevit. Ita habet vita S. Ambroſii conſcripta a Cardinale Baronio. Jam Concilium Baſileenſe in orat. Henrici adverſus 3. art. Bohemorum, ad illud Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis*, &c. notat ex S. Thoma tres a Catholicis agnoſci ligandi & ſolvendi poteſtates: prima eſt auctoritatis, quæ ſoli Deo competit: ſecunda excellentiæ, quæ Chriſto eſt propria: tertia miniſterii, quæ ſolis ſacerdotibus a Chriſto conceſſa eſt. Porro poteſtas ligandi & ſolvendi ampliſſima eſt, multaque complectitur, uti oſtendi c. 16. 19. Ex generali enim hac poteſtate, quam Apoſtolis confert Chriſtus, colligit ſpecialem, ſcilicet excommunicandi atque a peccatis æque ac excommunicatione abſolvendi. Analogice enim ſimilis eſt utraque poteſtas, atque utraque ex una & eadem radice genetica oritur. Peccatum enim ligat animam, æque ac eam ligat excommunicatio; quæ infertur ob peccatum: utraque enim privat hominem uſu Euchariſtiæ & Sacramentorum. Quare ligare peccatum, nec abſolvere reipſa eſt idem, quod peccatorem quaſi excommunicare, id eſt communione Sacramentorum privare; ac viciſſim abſolvere a peccatis idem eſt, quod abſolvere quaſi ab excommunicatione, & peccatorem communioni Sacramentorum reſtituere. Interna ergo & ſacramentalis in Sacramento pœnitentiæ peccatorum

G

Theodoſius Imperator petit abſolutionem & pœnitentiam S. Ambroſio.

H

Tres ligandi & ſolvendi poteſtates.

Analogia peccati & excommunicationis.

alliga-

Digitized by Google

A alligatio, & ſolutio analogicè ſimilis eſt externæ excommunicationi, & ab ea abſolutioni, ideoque utramque hic ſub metaphora alligandi & ſolvendi intelligit Chriſtus. Ita Maldon.

Nota hic pulchrum ordinem diſcurſus Chriſti. Ipſe enim Apoſtolis de majoratu & primatu contendentibus initio capitis, quaſi frænum objicit humilitatem parvulorum, eoſque monet, ne ſua ambitione populum ſimplicem, & in fide Chriſti adhuc parvulum offendant, caveantque a ſcandalo, inde v. 15. remedium ſcandali dat, correptionem fraternam: atque hæc omnia dixit Apoſtolis, quatenus ipſi repræſentabant perſonam omnium fidelium. Verum quia in correptione ultimum ejus gradum ſtatuit, ut dicatur Eccleſiæ, id eſt Prælato Eccleſiæ, ſubjungit ad conciliandam ei auctoritatem: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*, &c. Ubi Apoſtolos alloquitur; quatenus ſunt Præſules Eccleſiæ, ideoque quatenus Prælatos,

B non vero fideles ſubitos repræſentabant. Prælatorum enim eſt ligare & ſolvere, non vero cæterorum fidelium.

VERS. 19 ITERUM DICO VOBIS, QUIA SI DUO EX VOBIS CONSENSERINT SUPER TERRAM, DE OMNI RE QUAMCUMQUE PETIERINT, FIET ILLIS A PATRE MEO, QUI IN CÆLIS EST] Difficilis eſt horum verborum cum præcedentibus nexus, ideoque varie a variis aſſignatur. Primo aliqui putant hæc pertinere ad duos teſtes, quos v. 16. juſſit Chriſtus adhibere ad corripiendum peccantem. Unde Gloſſa exponit. q. d. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, vel pœnitentem recipiendo, vel ſuperbum abjiciendo, vel de alia re, quam petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis eſt. Secundo, Janſen. ſic nectit. q. d. Si quidquid duo petierint a Deo, id Deus eis concederet, quanto magis idem ipſe Eccleſiæ ligantis vel ſolventis judicium ratum habebit? Rurſum Maldon. ſic. q. d. Ut in judicio ligandi & ſolvendi non erretis, præmittite orationem, quia ſi meo nomine judicetis, quidquid a Patre meo nomine petieritis, impetrabitis; juxta illud: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Joann. 14. 13. & c. 16. 23. Tertio, Franc. Lucas ſic, q. d. Vobis, o Apoſtoli, do non tantum poteſtatem ligandi & ſolvendi, ſed & aliud donum ingens, ſcilicet ut ſi duo ex vobis conſentiant, petantque

C aliquid a Deo, idipſum ſint impetraturi. Quarto, plane & genuine S. Hieronymus, Hilarius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hæc referunt ad bonum concordiæ, cujus meminit v. 15. ubi ob hoc inſtituit præceptum correptionis fraternæ. q. d. Ideo ſanxi, ut ſi quis in te peccaverit, eum non odio proſequaris, ſed benevole corripias, & eum eo in gratiam redeas, quia bonum concordiæ tantum eſt, adeoque Deo curæ & cordi, ut ſi duo (præſertim antea diſſentientes & diſcordes) conſentiant & concordent, ac concorditer aliquid petant a Deo, illud ſint impetraturi. Hier. *Omnis ſuperior ſermo ad concordiam nos provocaverat: igitur & præmium pollicetur, ut ſollicitius feſtinemus ad pacem, cum ſe dicat inter duos, vel tres medium fore*. Sic Chriſtus ſtitit ſe in medio duorum diſcipulorum euntium in Emmaus, cum de ſe loquerentur. Lucæ 24. & in medio diſcipulorum ipſa die reſurrectionis. Joann. 20. Sic Apoſtoli unanimiter perſeverantes in oratione, impetrarunt Spiritum ſanctum in Pentecoſte. Actor. 1. 14.

D Confutatio dictum hic quorum? SI DUO] S. Chryſoſtomus & Euthymius id arctant ad ſolos Apoſtolos, Anaſtaſius Nicænus q. 73. ad correptionem & correptum, Origines ad virum & uxorem. q. d. Si vir & uxor conſenſerint abſtinere uſu conjugii, ut vacent orationi, quidquid oraverint, impetrabunt. Verum dico hæc ad quoſvis fideles & Chriſtianos pertinere: horum enim perſonam ſuſtinent hic Apoſtoli, qui ſoli tunc Chriſto aderant.

CONSENSERINT IN NOMINE MEO (de quo verſ. ſequenti) SUPER TERRAM] q. d. Adeo potens grataque Deo eſt concordia, & concors concordium oratio, ut ſi quid petant ipſi degentes in terra, ubi longiſſime diſtant a cælo, Deus tamen in cælo auditurus ſit eorum poſtulata, eaque completurus. Deus enim licet ſit in cælo, tamen oculum, auremque ſuam admovet concordibus in terra orantibus.

DE OMNI RE] Honeſta, ſive ea parva ſit vel magna, ſive, facilis vel difficilis: intellige, dummodo illa fide, ſpe, humilitate, perſeverantia petant, qua par eſt: & ſi illa res eis expediat: ſi enim eis non expediat, Deus non id quod petunt, ſed quid melius & ſalubrius eis eſt daturus.

VERS. 20 UBI ENIM SUNT DUO VEL TRES CONGREGATI IN NOMINE MEO, IBI SUM IN MEDIO EORUM] *In nomine meo*, id eſt, propter me, mei reſpectu, mei intuitu, mei cauſa, mei amore, nil niſi me & meam gloriam quærentes. Ita S. Chryſoſtomus, & Euthymius. E

IBI SUM IN MEDIO EORUM] q. d. Ibi aſſiſto, cooperor, & dirigo eorum deſideria & vota, illaque adimpleo: ſum ergo in medio eorum, ſicut Spiritus ſanctus eſt in medio Patris & Filii, quaſi utriuſque amor & nexus. Cauſam dat S. Hilarius: *Ipſe enim*, inquit, *qui pax & charitas eſt, ſedem atque habitationem in bonis atque pacificis voluntatibus collocabit*. Et Origenes dicens nos ſæpe non exaudiri a Deo, quia inter nos ſumus diſcordes, cauſam ſubdit: *Sicut enim in muſicis, niſi fuerit harmonia & convenientia vocum, non delectat audientem: ſic Eccleſia, niſi conſenſum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum*. Alludit Chriſtus ad illud Eccli. 25. 1. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes*. Vide ibi dicta.

Ex hoc loco nonnulli a majori ad minus non male probant Conciliorum auctoritatem. Eſt enim hæc ſententia generalis, ac proportionaliter magis in iis, quam in aliis locum habet. Si enim eſt Chriſtus in medio duorum; ergo multo magis eſt in medio totius Eccleſiæ ſuo nomine congregatæ, quam Concilium Prælatorum & Epiſcoporum repræſentat. Concilia enim proprie congregantur in nomine Chriſti, id eſt auctoritate & virtute Chriſti, ut Chriſti nomen, fidem, & gloriam ubique augeant, propagent, illuſtrent: quare quod in nomine Chriſti petunt, ut in fide non errent, ut mores fidelium reforment, ut Spiritum ſanctum habeant aſſiſtentem, id ſane impetrant. Hoc maxime verum eſt in Conciliis Oecumenicis: derivatur tamen idipſum quoque ad concilia provincialia, cum legitime fiunt, & a Pontifice approbantur. Hinc Conciliorum auctoritas ſtabilita. F

Myſtice S. Hier. *Poſſumus*, ait, *hoc ſpiritualiter intelligere, quod ubi ſpiritus & anima, corpuſque conſenſerint, & non intra ſe bellum habuerint voluntatum, de omni re, quam petierint, impetrent a Patre: nulli enim dubium eſt, quin bonarum rerum poſtulatio ſit, ubi corpus vult habere ea, quæ ſpiritus*.

QUI IN CÆLIS EST] Gloſſa: Per hoc, inquit, Deum ſuper omnia eſſe oſtendit, & per hoc complere eum poſſe, quod petitur. Vel *in cælis eſt*, id eſt, in ſanctis: quod valet ad probandum, quod fiet illis quidquid petierint, quod dignum ſit, quia illum apud ſe habent, a quo petunt. G

VERS. 21 TUNC ACCEDENS PETRUS AD EUM, DIXIT: DOMINE, QUOTIES PECCABIT IN ME FRATER MEUS, ET DIMITTAM EI? USQUE SEPTIES?] Quærit hoc Petrus occaſione ejus, quod a Chriſto audivit v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum*, ut habet Matthæus, aut potius occaſione ejus, quod Chriſtum addidiſſe tunc exprimit Luc. c. 17. 4. dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi*; ubi *ſepties* idem eſt, quod pluries & ſemper. q. d. Toties dimitte, quoties peccans dicit: *Pœnitet me*. Petrus ergo audiens τὸ *ſepties*, non ſatis intellexit, an τὸ *ſepties* definite & præciſe, an indefinite pro toties quoties accipiendum foret. Inſtat ergo & rogat Chriſtum, ut τὸ *ſepties* explicet, dicatque quoties præciſe offenſa fratri ſit remittenda. Aut certe admirans hoc rogat, q. d. Itane Domine ſepties uno die peccanti, & ſepties pœnitenti, ſepties dimittam? Videtur enim toties peccans tam multiplici venia indignus, adeoque facilis hæc venia videtur novæ culpæ illecebra, eamque provocare; nimirum pectus Petri adhuc anguſtum, & in carne arctum & carneum, non capiebat immenſam divinæ in Chriſto naturæ clementiæ abyſſum. Unde illud dilatans, ſubjicit Chriſtus. Quoties dimittenda peccanti? H

VERS. 22 Luc. 17. 4. DIXIT ILLI JESUS: NON DICO TIBI USQUE SEPTIES, SED USQUE SEPTUAGIES SEPTIES] Id eſt innumerabiliter, & innumerabilibus vicibus offenſam fratri, qui peccavit, ſi pœniteat, dimitte. Hoc enim intellexi, cum dixi, Lucæ c. 17. 4. *Septies*, &c. *dimitte illi*, ſcilicet per *ſepties* intellexi *ſeptuagies ſepties*, id eſt ſemper & innumeris vicibus. Cum enim ſeptenarius ſit ſymbolum univerſitatis; ſeptuagenarius vero numerus ita ſeptenarium excedat, ut eum contineat decies (nam decies ſeptem faciunt ſeptuaginta) hinc ſignificat multo amplius, & quaſi infinitum & innumerabile. Ita S. Chryſoſtomus, & S. Auguſt. ſer. 15. de Verbis Domini ſecundum Matthæum, quem audi; *Audeo dicere: Et ſi ſeptuageſies octies peccaverit, ignoſcas; & ſi centies, & omnino quoties peccaverit, ignoſce. Si enim Chriſtus millia peccatorum invenit, & tamen omnia donavit, noli ſubducere miſericordiam. Ait enim Apoſtolus: Do-*

nantes

Digitized by Google

A *nantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis.*

Symbolice S. Augustinus serm. 15. de Verbis Domini secundum Matthæum, & S. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 12. docent *undecim* esse symbolum peccati, quia hic numerus unitate transgreditur denarium decalogi, sive legis divinæ. Septenarius vero est symbolum totius; quia septem primis mundi diebus Deus creavit & ornavit totum hoc universum: rursum septem diebus assidue volvitur totum & omne tempus: jam septies undecim faciunt 77. ergo 77. omnia omnino peccata esse remittenda significat. Hic ergo numerus symbolum est plenæ & totalis remissionis peccatorum omnium, toties quoties peccatorem pœnitet.

Mystica numeri 77.

Alludit Christus ad Lamech.

Alludit Christus, ait S. Hilarius, ad Lamech, qui homicidium suum confitens, ait; *Septuplum ultio debitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies*. Gen. 4. 24. Vide ibi dicta: nempe sicut in 77. generationibus (Lamech enim habuisse 77. filios, qui omnes diluvio perierunt, docet Josephus) punitus est Lamech, ita Christus salvator

B noster, per quem omne peccatum abolitum est, in 77. generatione natus est; nam in genealogia Christi, quam texit Lucas cap. 3. v. 23. a Deo & Adam usque a Christum inclusive numerantur 77. generationes. Ita S. Augustinus ser. 15. de Verbis Domini secundum Matthæum, & Julianus Pomerius lib. 3. contra Judæos post initium.

Moraliter disce hic latitudinem cordis, & abyssum charitatis Christi, qua vult nos 77. id est innumeris vicibus, adeoque toties quoties fratri peccanti & pœnitenti ignoscere. Si enim nos homulos tantæ vult esse charitatis, & liberalitatis, quantam ejusdem in ipso abyssum contineri existimabimus? Apposite S. Aug. ser. 15. jam citato; *Peccat semel, ignovi; peccat secundo & tertio, ignovi; quarto, vapulet. Corripiamus verbis & si opus est, & verberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abjiciamus, ut si per charitatem imponatur disciplina, de corde lenitas non recedat.* Porro longe major erit hic numerus, si cum Origene præcise ipsos numeros urgeamus; non enim ait Christus *septuagies & septies*, sed *septuagesies septies*, & Græce clarius ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, id est *septuagesies septem*, hoc est 490. vicibus: multiplica enim 70. per septem; fient

C 490. Toties ergo Christus vult pœnitenti offensam dimitti. Sic erit allusio ad 70. hebdomades Danielis: nam hæ faciunt annos 490. quot fluxerunt a decreto reædificandæ Jerusalem usque ad Christum, per quem fit plena peccatorum omnium remissio. Vide dicta Daniel. 9. 24.

VERS. 23. IDEO ASSIMILATUM EST REGNUM CÆLORUM HOMINI REGI, QUI VOLUIT RATIONEM PONERE CUM SERVIS SUIS] q. d. Similiter agitur in cælis, perinde ac si rex computum iniret cum suis servis sibi debitoribus. Comparatur enim tota parabola toti rei significatæ; non autem partes partibus: nam alioqui regnum non recte comparatur regi, sed rex terræ Regi cæli. Vide dicta cap. 11. v. 16. & canonem 28.

Nota: Scopus & significatio parabolæ hujus patet ex postparabola v. 35. ubi dicitur: *Sic & Pater vester cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Hoc enim refertur tota parabola: & quæ huc spectant applicanda sunt rei significatæ; cætera emblemata sunt pertinentia ad decorem & ornatum parabolæ; quæ

D proinde rei significatæ non conveniunt, nec eidem sunt applicanda juxta canonem 29. Emblemata ergo hic sunt illa, quæ dicuntur v. 25. de venditione uxoris & filiorum, & v. 31. de conservis servum crudelem accusantibus. Rursum hic scopus innuitur per τὸ *ideo*, quod respicit præcedentem versum, eumque statuit quasi proparabolam, sive titulum parabolæ. Ejus ergo hæc est vis. q. d. Ut sciatis, quam Deo gratum, & ab eo sancitum sit, ut fratri in nos peccanti toties condonemus, quoties ipsum peccati pœniter, ideo subjungo parabolam, qua assimilo regnum cælorum regi rationem ineunti cum servis suis.

VERS. 24. ET CUM COEPISSET RATIONEM PONERE, OBLATUS EST EI UNUS, QUI DEBEBAT EI DECEM MILLIA TALENTA] Talentum Atticum, teste Budæo l. de Asse, valebat sexcentos aureos, sive coronatos. Unde centum talenta valent centies sexcentos aureos, id est, sexaginta millia aureorum: mille talenta valent sexcenta millia aureorum: denique decem millia talenta faciunt summam sexagies centum millium aureorum, id est, sex milliones aureorum, ait, Jansen. Maldon. & alii: quæ summa est ingens & immanis, ac plebejo & pauperi insolubilis. Longe, imo vigesies major erit summa, si sequamur supputationem & valorem talenti Hebraici: hoc enim continebat tria millia siclorum, id

Talentum Atticum.

Talentum Hebraicum.

est, duodecim millia drachmarum auri, hoc est, duodecim millia aureorum, sive coronatorum Francicorum, uti ex Septuaginta evici, Exod. c. 38. v. 25. aureus enim Francicus est unius drachmæ, valetque 12. Julios Romanos, sive 12. Regales Hispanicos. Ergo decem millia talentorum auri sunt milliones aureorum Francicorum (sive drachmarum) centum viginti. Christus enim non loquitur Græcis, sed Hebræis: Hebraico ergo utitur talento, non Græco. Cogita ergo Deum hic a peccatore, qui vel unum peccatum mortale commisit, plus exigere, quam si a servo paupere vel mendico herus exigeret 120. milliones aureorum, quia unum peccatum mortale, utpote contra Deum admissum, Deoque injurium, imo quantum in se, Deum spolians sua divinitate, longe major est Dei injuria, quam sit omnis injuria in omnes reges commissa; ac longe majus debitum, quam sint omnia omnium hominum debita, quæ ab iis aliis hominibus debentur. Sicut enim Deus longe superat omnes, imo infinitos homines; sic injuria in Deum superat omnes injurias in homines admissas, paritque reatum & debitum pœnæ infinitum. Igitur hæc tanta debiti summa

F magis pertinet ad rem significatam, puta ad peccatum mortale, quam ad ipsam servi parabolam. Quis enim servus contrahat debitum 120. millionum, nisi vel ærarium regis furetur aut succendat, vel integrum regnum perdat, vel prodat. Porro si unum peccatum mortale est debitum 120. millionum, quot millionum debitum erit illius, qui centum & mille, imo multa millia peccatorum mortalium commisit? Jam vero hoc apte convenit cum *septuagies septies*. q. d. Si Deus vobis remittit tantam multitudinem & magnitudinem peccatorum, quæ longe superat decem millia talentorum; ergo multo magis nos, omnes proximorum contra nos offensas eis remittere debemus, quæ & pauciores sunt, & minoris longe momenti, præsertim quia Deus hac lege & conditione nobis nostras culpas maximas, & plurimas dimittit, ut & nos proximis parvas & paucas dimittamus. Matt. 6. 14. Ratio a priori est, quod sicut Deus est summum bonum, ita peccatum, quod repugnat divinæ bonitati, est summum malum. Quare sicut Deus est bonum infinitum, ita quoque peccatum, immensum quoddam est malum. Crescit enim magnitudo offensionis ex magnitudine personæ offensæ: quo enim persona offensa dignior, eo injuria est gravior. Si ergo persona

G sit infinitæ dignitatis, peccatum quoque malitiam quodammodo infinitam habebit. Hinc fit, ut nulla pura creatura pro peccato mortifero ex æquo satisfacere possit, imo nec omnia Sanctorum opera, vel unum peccatum valeant compensare; ideoque ad satisfaciendum ex æquo pro peccato, necesse fuit Filium Dei incarnari, & pati, ut docent Patres. Denique recte peccatum comparatur talento, quia instar talenti & ponderis plumbei hominem degravat, deprimitque in tartara. Vide dicta Zach. 5. 6.

Aureus Francicus.

Peccatum mortale est debiti infiniti.

Ratio a priori.

VERS. 25. CUM AUTEM NON HABERET UNDE REDDERET, JUSSIT EUM DOMINUS EJUS VENUNDARI, ET UXOREM EJUS, ET FILIOS, ET OMNIA, QUÆ HABEBAT, ET REDDI] debitum, juris & moris fuit apud nonnullas gentes, ut si debitor a solvendo non esset, creditor eum venderet cum uxore & liberis, ut ex pretio debitum reciperet. Id apud Judæos in usu fuisse patet 4. Reg. 4. 1. ubi uxor Prophetæ cujusdam mortui ait Elisæo: *Ecce creditor venit, ut tollat filios meos ad serviendum sibi.*

H

Uxor justi sapientia; uxor pessimi stultitia.

Mystice S. Hieronymus: Sicut uxor justi, inquit, dicitur sapientia, sic & uxor injusti & peccatoris appellatur stultitia, cujus filii sunt malæ cogitationes. Et Remigius. Uxor stulti, ait, est stultitia & carnis voluptas, seu cupiditas.

VERS. 26. PROCIDENS AUTEM (in genua, vel in faciem) SERVUS ILLE ORABAT (legit Interpres τροσεκύνει, uti & nunc nonnulli codices habent: plures tamen jam legunt τροσεκύνει αὐτῷ, id est, *adorabat eum*. Sic & Syrus) EUM, DICENS: PATIENTIAM HABE IN ME, ET OMNIA REDDAM TIBI] Syrus: *Longanimis esto erga me, & omnia restituam tibi*. Arabicus: *Patiens esto & ego dabo tibi, quod tuum est*. Servus hic, ut servitutem & venditionem sui, suorumque evadat, aureos pollicetur montes. Omnia, ait, quæ tibi, o here, debeo, reddam tibi. Hoc erat ei impossibile, quomodo enim pauper servus, & ad inopitas redactus solvisset 120. milliones aureorum? Sed nimirum tempus extrahit, ut moram nactus, suis officiis, & amicorum precibus flectat animum regis, quem sciebat liberalem esse, & magnanimum ad debitum ei condonandum. Nec eum fefellit sententia. Unde sequitur.

VERS. 27. MISERTUS AUTEM DOMINUS SERVI ILLIUS DIMISIT EUM, ET DEBITUM DIMISIT EI] Hæc dicuntur parabolice.

Digitized by Google

A licè, ut significetur quam grata sit Deo humilitas, humiliſque peccati confeſſio, & veniæ petitio: illico enim illam servus humilians se obtinuit. Rursum ut significetur quanta, & quam immensa sit Dei misericordia & clementia, quæ statim immane hoc peccatorum debitum servo deprecanti dimisit, ut nos doceat & stimulet ad minores offensas proximis in nos peccantibus condonandum. Hic enim est scopus parabolæ. Ratio a priori est, quod Deus per essentiam sit bonus & benignus, adeoque sit ipsa increata & immensa bonitas & benignitas, cui proprium est omnibus benefacere, indulgere, parcere; sicut ignis proprium est calefacere: & solis illuminare. Unde Ecclesia orat: *Deus, cujus proprium est misereri*, &c.

VERS. 28 EGRESSUS AUTEM SERVUS ILLE INVENIT UNUM DE CONSERVIS SUIS, QUI DEBEBAT EI CENTUM DENARIOS, ET TENENS SUFFOCABAT EUM: DICENS: REDDE QUOD DEBES] Denarius est Julius, vel Regalis Hispanicus, ita dictus, quia valebat decem asses, id est nummos minores, puta decem bajocos: hi enim faciunt Julium: centum ergo denarii faciunt decem aureos Romanos; horum enim quisque continet decem Julios; decies autem decem faciunt centum; quare decem aurei Romani faciunt, valentque centum denarios, id est Julios: sed quid sunt decem aurei ad decem millia talentorum, sive ad 120. milliones aureorum Francicorum, quos ipse suo debebat hero? Vide hic angustias & avaritiam pectoris humani, ad latitudinem & liberalitatem cordis divini; illud enim decem aureos sibi debitos rigide & crudeliter reposcit: hoc vero 120. milliones ultro condonat.

Denarius est Julius vel Regalis Hispanicus

B

VERS. 29 ET PROCIDENS CONSERVUS EJUS ROGABAT EUM DICENS: PATIENTIAM HABE IN ME, ET OMNIA REDDAM TIBI] Humiliat se servus coram conservo, iisdemque verbis postulat ab eo sibi dimitti centum denarios, quibus ipse a Domino postulaverat, & impetrarat 120. millionum condonationem, ut hujus condonationis eum submoveat, illiusque imitandæ tacite admoneat. Sed frustra tundit servile & crudele pectus conservi, utpote a quo nec unius denarii vel teruncii remissionem importavit.

VERS. 30 ILLE AUTEM NOLUIT, SED ABIIT, ET MISIT EUM IN CARCEREM, DONEC REDDERET DEBITUM] Jure suo servus hic avare & rigide utitur; ideoque abutitur, immemor misericordiæ & clementiæ sibi a Domino exhibitæ, ideoque ejusdem justitiæ rigorem & immisericordiam in se provocavit, & reipsa sustinuit.

C

VERS. 31 VIDENTES AUTEM CONSERVI EJUS QUÆ FIEBANT, CONTRISTATI SUNT VALDE, ET VENERUNT, ET NARRAVERUNT DOMINO SUO OMNIA, QUÆ FACTA FUERANT] Hoc spectat ad emblema & ornatum parabolæ. Sic enim faciunt servi in domibus herorum & aulis principum, non vero convenit rei per parabolam significatæ: nec enim Sancti & Beati apud Deum deferunt, & accusant hominum crudelitatem & scelera, sed potius ea tegunt & excusant, pro eisque supplicant.

VERS. 32 TUNC VOCAVIT ILLUM DOMINUS SUUS, ET AIT ILLI: SERVE NEQUAM, OMNE DEBITUM DIMISI TIBI, QUONIAM ROGASTI ME.

VERS. 33 NONNE ERGO OPORTUIT ET TE MISERERI CONSERVI TUI, SICUT ET EGO TUI MISERTUS SUM?] Arab. *Secundum misericordiam meam erga te*? q. d. Misericordia a me tibi exhibita debebat tibi esse stimulus, & mensura misericordiæ conservo tuo exhibendæ. Mensura, inquam, non æqualis, sed proportionalis, & mea longe inferior: quia ego 120. Milliones tibi remisi; tuum vero erat centum denarios remittere; sed hactenus æqualem exigo, ut sicut ego totum debitum tibi dimisi, sic tu totum (licet longe minus) proximo dimitteres.

D

VERS. 34 ET IRATUS (summa & implacabili ira, Syrus, *excanduit*) DOMINUS EJUS TRADIDIT EUM TORTORIBUS, QUOADUSQUE REDDERET UNIVERSUM DEBITUM] Constat ex historis, & ex jure civili apud Romanos Gentiles, quibus Judæi tempore Christi erant subjecti, solere debitores a creditoribus tradi tortoribus in carcerem trudendos, & verberibus flagellandos: nam primus Constantinus Imperator ex Christiana benignitate, a plumbatarum flagellis debitores absolvit. Porro tortores sunt dæmones, ait Remigius, qui animas peccatorum mille modis gravissime torquent & cruciant in gehenna. *Quoadusque redderet*, id est, in æternum torquendum, numquam enim tantum debitum 120. millionum exsolvere poterit. Ita S. Chrysost. Theoph. Euthymius.

An culpa ob ingratitudinem revocetur.

Quæritur hic: An ergo tota culpa & pœna a Deo peccatori pœnitenti & supplici jam remissa, ob talem immisericordiam & ingratitudinem a Deo revocetur, ac peccatori rursum imputetur. Id enim videtur in hac parabola asseri.

E

Prob. Primo.

Dico primo: Parabola hæc vera est in foro humano, in eoque juridice, uti parabolice sonat, accipienda est, præsertim quia jure civili ob ingratitudinem donatarii rescindi potest a donatore donatio, & promissio jam facta. Tanti enim servi talis nequam, & ingrati superbia, & crudelitas apud homines æstimatur, ut omnes censeant eum meneri præcedentium etiam debitorum culpam & pœnam luere, non quasi illa jam condonata reviviscant, sed quod virtute contineatur in sequenti illa crudelitate, quæ adeo est impia, & hominibus exosa. Debebat enim servus ille, si non alia de causa, certe ob misericordiam sibi præstitam, etiam aliorum pauperum misereri, eisque debita condonare. Et sic videmus principes eos, qui se offenderunt, quibusque pepercerunt, si postea ingrate & arroganter contra illos se gerant; omnium etiam præcedentium delictorum pœnas ab eis deposcere: unde censentur eis quasi conditionate condonasse dumtaxat, si videlicet se emendent, sintque grati, & modeste se gerant.

Dico secundo, id similiter non esse verum in foro divino, & in re per parabolam significata. Nec enim Deus peccatori, cui omnia peccata dimisit, si is postea alteri homini offensam in se commissam condonare nolit, peccata dimissa revocat, rursumque imputat & imponit. Ratio est, quia Deus pro infinita sua clementia non conditionate, sed omnia absolute & irrevocabiliter pœnitenti peccata dimittit, juxta illud: *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*. Rom. 11. v. 19. Quare licet peccator accepta jam venia & gratia, relabatur in eadem, vel alia scelera; ac nolit proximo injuriam condonare, itaque Deo sit ingratus: tamen hæc ingratitudinis circumstantia non adeo peccatum aggravat, ut propter eam omnia peccata jam remissa revocentur, & peccatori rursus a Deo imputentur. Deus enim: cum sit summa bonitas & sanctitas, non potest peccatum abolitum revocare & restaurare. Sic enim esset peccati auctor & opifex. Adde hanc ingratitudinem non esse speciale peccatum, sed circumstantiam tantum generalem, & indirecte dumtaxat a peccatore volitam: generalem, inquam, omnium omnino peccatorum, in omnibus enim & singulis est quædam erga Deum ingratitudo. Quare in foro Dei optimi & clementissimi hæc ingratitudo non ita aggravat peccatum, cui annectitur, sicut aggravat in foro terreno apud homines. Quamobrē in hoc nō est ponenda parabolæ similitudo & comparatio, sed in eo, in quo Christus illam collocat, & parabolam applicat v. 35. scilicet Deum iis, qui proximis suis offensas non remittunt, offensas in se etiam admissas jure talionis non remissurum: offensas, inquam, quas adhuc habent, vel aliunde contraxerunt, aut quas hoc ipso, quo fratri pœnitenti offensam nolunt condonare, sed in eum varie & atrociter sæviunt, contrahunt. Quocirca peccata semel a Deo dimissa, semper esse dimissa, nec ullo casu a Deo revocari, docent Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 88. art. 1. & 3.

F

Secundo.

Deus irrevocabiliter peccata dimittit.

G

Dico tertio: Hæc vera sunt, sed non sufficiunt, nec exhauriunt fundum, vim & nervum hujus parabolæ; in ea enim expresse dicitur: *Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum*, scilicet decem millium talentorum jam dimissum v. 25. & 27. ac subdit: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*, ut scilicet revocet omnia præterita vestra peccata jam remissa, sicut Dominus revocavit præteritum servi debitum jam remissum.

Tertio.

H

Dicitur ergo debitum hoc & culpa jam remissa revocari, & redire per immisericordiā hanc, & ingratitudinem subsequentem: Primo, quia immisericordia hæc est peccatum mortale: nolle enim remittere offensam proximo, est fovere odium, iram & vindictam contra proximum, quod liquet esse peccatum mortiferum; ac proinde per illud idē status peccati & reatus gehennæ redit, qui erat prius: nolens enim remittere, fit reus iræ Dei & gehennæ, sicut erat ante ob alia scelera. Cum enim quis damnatur, perinde est ob quod peccatum damnetur: Hoc autem peccatum est irremissibile, quia quamdiu quis non vult proximo remittere offensam, tamdiu Deus illi non remittet culpam propriam. Hoc ipso ergo, quo simile novum immisericordiæ peccatum committitur, per illud quodammodo præteritæ in Deum offensæ reviviscere & revocari videntur, quia reviviscit status peccati, & eratus gehennæ.

Modi, quibus revocatur culpa, Primo.

Secundo, quia ingratitudo hæc valde aggravat peccatum, adeoq; moraliter, si credimus D. Soto in 4. dist. 32. art. 3. qui proinde illā pœnitenti in confessione necessario esse

Secundo.

Digitized by Google

A exprimendam asseverat. Alii tamen mitius censent ingratitudinis circumstantiam tantum venialiter aggravare peccatum, cui annexa est: nec enim ingratitudo hæc tanta est, quantum est ipsum beneficium, aut quantum est peccatum, cui conjungitur. Hæc enim ingratitudo cuilibet peccato annexa est: crescit tamen ejus malitia & culpa proportionaliter, ut quo majus fuit beneficium, aut peccatum illi remissum, eo major sit sequens ingratitudo, sed intra suos limites jam dictos; ingratitudo erga acceptæ remissionis præterita peccata quodammodo revocat, hoc ipso, quo sequens peccatum aggravat. Porro Theologi docent illam maxime cerni & æstimari in quatuor peccatorum speciebus, scilicet in odio, apostasia, obstinatione, & impœnitentia: hæc quatuor enim directe repugnant principio remissionis peccatorum, scilicet fidei, aut charitati, aut pœnitentiæ:

Ingratitudo maxime in quatuor peccatis.

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri.
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Ita D. Thomas 3. p. q. 88. art. 1. & 3.

Tertio: Tertio, licet hæc ingratitudo in se subinde non sit mortale peccatum, tamen sæpe mortalium peccatorum est causa. Deus enim ob hanc ingratitudinem majora gratiæ auxilia peccatori subtrahit, ac permittit hominem gravius a carne & dæmone tentari: unde fit, ut in peccata mortalia plura & gravia prolabatur, per quæ redit illa prior culparum & pœnarum multitudo, per decem millia talenta significata. Hæc enim in illis virtute quasi continetur. Tantumdem enim ab illo repetet Deus, quantum erat prius debitum, perinde ac si illud numquam ei remissum fuisset: ipse enim hac remissione ingratum & indignum se præbuit, dignumque effecit, qui in pristina debita, licet per alia scelera relaberetur, ut in eo impleatur illud: *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam*, Jacobi 2. v. 13. Ita Franc. Suarez, & alii cum D. Thoma 3. p. q. 88. art. 1. & 3. fuse hac de re agit Eccles. c. 28. v. 1. & seq. ubi multis probat, offensas in proximum esse condonandas: sicut Deus nostras nobis condonat. Vide ibi dicta.

B

VERS. 35 SIC ET PATER MEUS CÆLESTIS FACIET VOBIS, SI NON REMISERITIS UNUSQUISQUE FRATRI SUO DE CORDIBUS VESTRIS] Scilicet offensas & peccata. Syrus, *errata ejus*. *Sic*, nimirum, sicut herus ille, qui a servo non tantum debita crudelitatem ejus sequentia, sed & antecedentia jam dimissa repoposcit, uti jam ostendi. *De cordibus vestris*. q. d. Ex imo cordis fundo, multi enim ore dimittuntur, sed non corde: felle ergo rancoris ex imo cordis ejecto, jubet substitui Christus mel amoris. Igitur hæc parabola docet quam grave sit Deoque in visum, servare iram, rancorem, & vindictam in animo adversus proximum, qui nos offendit; ac vice versa, quam pium Deoque gratum sit illa deponere, ac in amorem convertere, uti Deus peccatorem pœnitentem in gratiam, & charitatis suæ viscera recipit, omniumque præteritorum delictorum perinde ac si numquam commissa essent, obliviscitur. Porro id non semel, sed septuagies septies, id est semper, & toties quoties proximum offensæ pœnitet, faciendum est. Ad hoc enim talentorum, id est, debiti plurimi & maximi. Imitemur ergo nos, qui sumus homuli & homunciones, Deum, qui quotidianas nostras contra eum offensas, illasque graves & plurimas, quotidie, adeoque quoties nos pœnitet, ex animo condonat, ideoque quotidie, imo sæpe per diem jubet nos orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Vide dicta cap. 6. v. 12. & 14.

C

D

CAPUT XIX.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo Pharisæi quærunt a Christo, an liceat quacumque ex causa dimittere uxorem? Respondet Christus negative, ac revocat libellum repudii permissum a Moyse, atque matrimonium ad primam sui institutionem & indissolubilitatem reducit. Secundo, v. 11. commendat cælibatum, eumque præfert matrimonio. Tertio, v. 13. parvulis applaudit & benedixit, promittitque regnum cælorum. Quarto, v. 15. eidem inquirenti viam in cælum, assignat observationem mandatorum, eidemque perfectiora postulanti suggerit, ut suas opes det pauperibus. Ille hoc audiens abiit tristis: unde elicit Christus egre divites salvari. Denique, v. 27. Christus Apostolis pauperibus se pauperem sequentibus promittit thronos duodecim ad judicandum duodecim tribus Israel: cæteris vero sua, & suos amore Christi relinquentibus promissis centuplum & vitam æternam.

E

VERS. 1. ET factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem,

2. Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.

3. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa?

4. Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? & dixit:

5. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

F

7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?

8. Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.

G

14. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum.

15. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

16. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?

17. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

18. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dicit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices:

19. Honora patrem tuum, & matrem tuam, & Diliges proximum tuum sicut teipsum.

20. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?

21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

H

22. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum.

24. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.

25. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?

26. Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.

27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis.

28. Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majesta-

Digitized by Google

majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.

29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

30. Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

VERS. 1. *Mar.* 10. 1. ET FACTUM EST, CUM CONSUMMASSET JESUS SERMONES ISTOS, MIGRAVIT A GALILÆA, ET VENIT IN FINES JUDÆÆ TRANS JORDANEM] Eadem eſt hæc hiſtoria cum ea, quam narrat Marcus cap. 10. 1. & Lucas c. 9. v. 51. &, ut videtur, cum ea, quam narrat Joannes c. 7. v. 1. Ita Janſenius, Franc. Lucas & alii, licet de illa Joannis neget Maldonatus, cujus argumenta ex ipſa contextus explicatione ſolventur. Ex Joanne liquet, hæc contigiſſe ſub feſtum Scenopegiæ ſive Tabernaculorum, quod celebrabatur in Septembri; ad illud enim tendebat Chriſtus, ut ſenſim pararet ſe ad mortē; ſequenti enim Martio Hieroſolymæ fuit crucifixus. Vide Chronotaxin num. 38. Addit Lucas Chriſtum per Samariam iter feciſſe: unde ſequitur, Chriſtum ex Samaria, relicta via recta ducente Hieroſolymam, & in fines Judææ ab Aquilone, profectum Jordanem verſus, eoque trajecto, petiviſſe per Peræam fines Judææ ab ortu, ubi cum hæſiſſet minimum, turba populi ſanata ac dimiſſa, profectum Hieroſolymam ad mediam jam Scenopegiam, quod habet Joannes cap. 7. verſ. 14. Ita Franc. Lucas. Hinc intelliges quid ſit τὸ *trans Jordanem*.

TRANS JORDANEM] Tam Judæa, quam Galilæa non trans, ſed citra Jordanem erat, ſed dicta eſt *trans Jordanem* a primo ejus trajectu, quo Iſraelitæ profecti ex Ægypto tranſierunt Jordanem, veneruntque in Judæam & Galilæam, vel certe trans, id eſt, cis Jordanem. Vide dicta c. 4. 15. ita Maldon. aut potius, quia Chriſtus relicta recta Hieroſolymæ via perrexit ad Jordanem, eumque trajecit & venit in Peræam ſive tranſamnanam regionem, uti jam dixi. Τὸ enim *trans Jordanem*, referendum eſt ad τὸ *venit*: non autem ad *fines Judææ*, ut patet ex Marco. Chriſtus enim circa fines Judææ trajecit Jordanem, ut longius abeſſet ab oculis & auribus Phariſæorum, cum turbas doceret & ſanaret. Peræa enim erat trans Jordanem, unde a Guilielmo Tyrio, Adrichomio & aliis paſſim Peræa vocatur regio trans Jordanem, vel regio tranſamnana.

VERS. 2. *Mar.* 10. 1. ET SECUTÆ SUNT EUM TURBÆ MULTÆ, ET CURAVIT EOS IBI] *Secutæ ſunt*, non tam ex Galilæa, ibi voluit enim iter ſuum latere, ut ait Marcus & Joannes, quam ex aliis regionibus, quas pertranſibat, vel quæ vicinæ erant; ſecutæ ſunt autem excitæ fama Chriſti, ut cum prædicantem audirent, & ab eo a morbis ſuis ſanarentur. *Ibi*, ſcilicet in finibus Judææ, ibique eos domum remiſit: noluit enim cum tanta populi turba Hieroſolymam ingredi, ne Phariſæorum animos jam ſibi necem machinantes, magis irritaret, neve eis occaſionem daret accuſandi ſe de commotione & ſeditione populi excitata: hoc enim illi coram Pilato objecerunt.

VERS. 3. *Mat.* 19. 3. ET ACCESSERUNT AD EUM PHARISÆI TENTANTES EUM, ET DICENTES: SI LICET HOMINI DIMITTERE UXOREM SUAM QUACUMQUE EX CAUSA?] Nam aliqua gravi de cauſa id licere non dubitabant ex Deuter. 24. 1. Ita Origenes, S. Hieron. & Beda. *Acceſſerunt*, non tunc cum Jeſus ex finibus Judææ perrexit Hieroſolymam ad celebrandum feſtum Tabernaculorum, ut ait Joannes cap. 7. 1. ſed cum celebrato ibi feſto rediit ad fines Judææ, & Jordanem rurſum trajecit, uti patet Joan. 10. verſ. 40. Matthæus enim ſilet tam abitum Chriſti in Jeruſalem, quam inde reditum. Porro Joannes ſic habet: *Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum*, ſcilicet in Ænnon juxta Salim, Joan. 3. v. 23. ut nimirum ex hoc loco refricaret turbis memoriam teſtimonii, quod Joannes ibidem de Chriſto perhibuerat, ſcilicet ipſum eſſe Meſſiam, verumque Dei filium. Videtur hæc quæſtio de dimiſſione uxoris tempore Chriſti, uti & jam, valde fuiſſe controverſa, ac cornuta, & captioſa, ideoque eam Chriſto propoſuerunt Phariſæi, ut eum tentarent, caperent, & carperent, Si enim Chriſtus diceret, non licere uxorem dimittere, in multorum divitum & carnalium, qui contrarium faciebant, invidiam incurrebat: ſi vero diceret id licere, ſuggillaſſent doctrinam ejus, velut imperfectam & carnalem: ejus, inquam, qui perfectionis & ſpiritus volebat eſſe magiſter, quaſi doctor e cælo miſſus. Sic etiamnum Æthiopes ſive Abyſſini crebro dimittunt uxores, aliaſque ducunt, imo eas habent ſubinde annuas vel menſtruas dumtaxat. Vide Damianum Goes in Æthiop.

D Quæſtio de uxoris dimiſſione.

QUI RESPONDENS AIT EIS: NON LEGISTIS, QUIA QUI FECIT HOMINEM, AB INITIO MASCULUM ET FOEMINAM FECIT EOS?] Nonnulli ex hoc loco putant Adamum a Deo creatum eſſe hermaphroditum, ac utrumque habuiſſe ſexum, ut ſimul eſſet maſculus & fœmina: ſed apage has nugas. Senſus ergo eſt, q.d. Cum S. Scriptura Geneſ. 1. 27. in aliis animalibus non dicat Deum feciſſe maſculum & fœminam, ſed in ſolo homine, hoc ipſo ſignificat conjugium ſolius hominis a Deo eſſe inſtitutum, idque inter unum maſculum tantum & unam fœminam, puta inter Adamum & Evam, ut ille hanc dimittere, & aliam ducere non poſſet. Ita S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. Rurſum ex eo, quod ex uno Adamo facti ſunt duo, ſcilicet Adam & Eva, atque ex eo quod Eva ex Adamo ſit formata, oſtenditur eadem monogamia, ſcilicet uxorem non debere ſeparari a viro, cum ejus ſit quaſi pars & membrum: quia, ut ait Plato Dial. de amore: ex viro uno & muliere una quaſi ex duabus imperfectis partibus unus perfectus fit homo. Ita S. Aug. l. 14. de Civit. cap. 22. Sicut ergo membrum, v. g. caput, non poteſt ſeparari ab homine, origine & formatione, matrimonium unius viri & unius fœminæ debere eſſe perpetuum & inſolubile, ita ut ſolvi nequeat niſi per mortem, ſicut in homine anima vel caput a corpore ſolvi nequit niſi per mortem. Unde explicans ſubdit: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Addit Plato, & ex eo S. Baſilius lib. de Virg. poſt initium, hac de cauſa virum adeo appetere mulierem, tanquam partem a ſe præciſam, ut ſicut magnes ad ſe trahit ferrum, ſic fœmina attrahat virum.

VERS. 4. *Mar.* 10. 6. Quidam ex hoc loco male putant Adamum fuiſſe hermaphroditum

ET DIXIT: PROPTER HOC DIMITTET HOMO PATREM ET MATREM, ET ADHÆREBIT UXORI SUÆ, ET ERUNT DUO IN CARNE UNA] *Et dixit*, ſcilicet Deus per os Adæ, quaſi prophetæ, inſtituens matrimonium in Adamo & Eva, ejuſque ſtabilitatem ſanciens. Gen. 2. 24. Vide ibi dicta: *Propter hoc*, quod ſcilicet mulier formata ex viro, puta Eva ex Adamo, ſit caro de carne ejus, & os de oſſibus ejus, ut in Geneſi præceſſit, *dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit*, Græce κολληθήσεται, id eſt, *agglutinabitur*, id eſt intime, indivulſe adhærebit uxori ſuæ, quaſi arctiſſimo matrimonii glutino cum ea copulatur, ut relicta ſocietate, & ſæpe domo patris & matris, cohabitet uxori ſuæ. Quare impertinens, imo ineptus eſt ſenſus Hugonis, qui ſic explicat, q. d. *dimittet homo patrem & matrem*, id eſt, excepto patre & matre, cum reliquis omnibus poterit quis matrimonium inire. Talis quoque eſt aliorum, qui ſic exponunt, q. d. Plus diliget homo uxorem, quam patrem & matrem, uti dicitur 3. Eſdræ 4. v. 25. Hoc enim licet ſubinde verum ſit, huic tamen loco non convenit.

VERS. 5. *Mar.* 10. v. 7. 8.

ET ERUNT DUO IN CARNE UNA] Græce εἰς σάρκα μίαν, id eſt, *in unam carnem*, ut ſcilicet ſint una caro, ut explicat Chriſtus verſ. ſequenti: vulgo per corporum immixtionem hoc fieri cenſent: purius & ſimpliciori Hebraiſmo vir & uxor ſunt *una caro*, ut vertit Syrus, id eſt, ſunt unus homo, & una perſona civilis: caro enim per ſynecdochen notat totum hominem, q. d. Sicut ergo pars corporis, v. g. cor, vel venter non debet ſeparari a corpore, ita nec vir ab uxore. Hinc moraliter ſequitur, quod vir & uxor ſe mutuo amare debeant, ſicut cor & anima amat ſuum corpus, & corpus ſuum cor & animam. Epheſ. 5. v. 28. Rurſum hinc ſequitur una & communis utriuſque corporis poteſtas, quod ſcilicet vir habeat jus in corpus uxoris quaſi ſuum, & vice verſa, uti docet Apoſtolus 2. Corinth. 7. 4. Plura de hoc loco dixi Gen. 2. 24. Symbolice & metonymice S. Hieronymus, Beda & S. Thomas, vir & uxor, inquiunt, ſunt una caro, quia generant eumdem filium, qui una utriuſque parentis communis eſt caro.

Conjuges duo in carne una.

ITAQUE JAM NON SUNT DUO, SED UNA CARO (id eſt, unus homo, una perſona civilis, uti jam dixi) QUOD ERGO DEUS CONJUNXIT, HOMO NON SEPARET] Pro *conjunxit*, Græce eſt συνέζευξεν, id eſt, conjugavit, ſive in unum jugum conjunxit: unde ζεῦγος, dicuntur conjuges, quia ſicut duo equi ad unum jugum copulantur in curru, ut eum protrahant, ſic duo conjuges copulantur ad idem jugum matrimonii, ut illud ſuſtineant, ex eoque proles procreent & educent. Duplex eſt hic ratio, qua Chriſtus probat viro non licere dimittere uxorem. Prior, q.d. Dimiſſio uxoris, & ab ea viri divortium eſt contra naturam, ſicut contra naturam eſt ut una caro, & unus homo dividatur

VERS. 6. *Mar.* 10. v. 8. 9. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.

Digitized by Google

A jur in duos; ergo id fieri non debet. Posterior: Divortium hoc est contra Dei institutionem: ergo si fiat, impie fit: distrahitur enim id, quod Deus conjunxit. Quis audeat temerare, quod Deus sanxit? quis audeat dividere, quod Deus sociavit & conjunxit? Quis audeat opus Dei creatoris, puta unum hominem, discerpere, ut carne & membro suo truncare & mutilare? Perperam ergo Erasmus in 1. Cor. 7. Hoc, inquit, Deus conjunxit, quod recte conjungitur: hoc Deus dirimit, quod recte dirimitur: quasi possint separari conjungia male & inconsulte inita, suasore non Deo, sed diabolo. Christus enim loquitur de natura, ac naturali & primaria matrimonii institutione, secundum quam matrimonium semel initum quomodocumque, vel cujuscumque suasu initū, est indissolubile. Hoc enim exigit natura, ut proles alia post aliam continuo ex matrimonio subnascens, commode ab utroque parente educari possit: quæ educatio in homine difficilis est, & lenta, duratque ad annum ætatis vigesimum & ultra: secus est in bestiis, quæ statim intra paucos menses, imo hebdomadas plane adolescūt & perficiuntur, ut educatione patris & matris amplius non indigeant: quare tunc solvitur eorum conjugium. Ratio ergo a priori, cur matrimonii insolubilitas sit juris naturæ: & cur contra naturam sit fornicatio, pollutio, divortium & polygamia, est hæc, quod Deus, qui est Dominus naturæ ac matrimonii & corporum nostrorum, ita primitus in Genesi & prima mundi rerumque omnium productione instituit, limitavit & sanxit, ac nobis ad copulam tantum conjungalem jus & usum corporum dedit; & si aliter iis utamur, contra voluntatem Dei, qui est summus Dominus, & contra jus ab eo datum, iis abutamur. Id ita esse liquet ex eo, quod olim in lege naturæ & Mosaica, Deo in jure hoc primitus a se sancito, dispensante, & novum jus dante, licita fuerit polygamia, & libellus repudii. Sic Osee cap. 1. jussu Dei uxorem duxit fornicariam. Sic & nunc Deus posset dare alicui uxorem tantum ad unum vel alterum actum copulæ; ac consequenter facere, ut actus, qui alias esset fornicatio, jam non sit fornicatio, sed usus conjugii. Vide dicta Osee 1. Porro finis & causa, cur Deus primitus sanxerit tantam matrimonii insolubilitatem, Prima fuit, ut esset major unio, & amor conjugum inter se, Secunda, quia natura in homine ordinarie hoc C quasi exigit, ut proles commode ab utroque parente possint educari. Hæc enim educatio in homine est ardua, & longa, cum interim aliæ, & aliæ proles subnascantur, quæ similiter ab utroque educandæ sunt. Tertia causa fuit allegorica, ut scilicet matrimonium insolubile esset typus & figura insolubilis conjugii, & unionis Verbi divini cum carne nostra, & per eam cum Ecclesia, uti docet Apostolus Ephes. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est, inquit, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Vide ibi dicta.

Matrimonium insolubile.

B Ratio a priori.

VERS. 7. DICUNT ILLI: QUID ERGO MOYSES MANDAVIT DARE LIBELLUM REPUDII, ET DIMITTERE?] Pharisæi *dicunt* & objiciunt *illi*, scilicet Christo: *Quid ergo Moyses mandavit*; ut fortior sit objectio dicunt, *mandavit*; cum tamen, ut recte invertit Christus vers. sequenti, Moyses hunc libellum repudii tantum permiserit. Erat tamen hic aliquod mandatum non absolutum, sed conditionatum. Mandarat enim Moyses, ut si Judæi vellent dimittere uxores, id non facerent nisi dato libello repudii. De hoc libello, quis & qualis fuerit, ac quibus casibus & cæremoniis fuerit licitus, quisque ejus fuerit finis & effectus, fuse dixi Deuteron. 4. 1. & sequent. Supple hic ex Marco cap. 10. v. 2. D Christum Pharisæis rogantibus, an liceret uxorem dimittere, primo respondisse & dixisse. *Quid vobis hac de re præcepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere & dimittere.* Mox Christus, ut ait hic Matth. v. 14. primam matrimonii institutionem & insolubilitatē a Deo institutam explicuit. Replicarunt Pharisæi: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii & dimittere?* respondit Jesus, Moysen id permisisse ob duritiem cordis eorum; ob initio autem non fuisse sic, Sic ergo præponendo verba, quæ habet Marcus, ac subtexendo verba, quæ habet Matthæus, eumdem cum Marco concilia.

Supra 5. v. 31. Mar. 10. 4.

VERS. 8. AIT ILLIS QUONIAM MOYSES AD DURITIAM CORDIS VESTRI PERMISIT (ecce hic invertit τὸ *mandavit* in *permisit*) VOBIS DIMITTERE UXORES VESTRAS; AB INITIO AUTEM NON FUIT SIC] q. d. Moyses permisit dimittere uxores vobis exosas, ne eas occideretis, si eas non posssetis dimittere: hæc enim fuit duritia & carnalitas cordis vestri, ut malletis illas necare, quam carere voluptate novi & exoptati conjugii.

Mar. 10. 5.

AB INITIO AUTEM NON FUIT SIC] Quia Deus ab initio mundi inter Adamum & Evam instituit, sanxitque inviolabile, & insolubile conjugium. Ab initio ergo naturæ recte a Deo institutæ sic fuit; vitiata vero hominis natura per peccatum, hanc Dei institutionem mutavit, & corrupit, ac libellum repudii, & polygamiam induxit.

E

VERS. 9. DICO AUTEM VOBIS, QUIA QUICUMQUE DIMISERIT UXOREM SUAM, NISI OB FORNICATIONEM, ET ALIAM DUXERIT, MOECHATUR; ET QUI DIMISSAM DUXERIT, MOECHATUR] *Dico:* bis hoc dixit Christus: Primo, publice hoc loco Judæis, & Pharisæis: unde hic novam hanc legem promulgavit, per quam sustulit libellum repudii, ac matrimonium ad primævam suam institutionem, & insolubilitatem revocavit. Secundo, paulo post privatim idipsum dixit & repetiit coram discipulis. Marci cap. 10. 10.

Supra 5. v. 32. Luc. 16. 18. Mar. 10. 11

Dico] Ergo, id est, edico, & quasi novus novæ legis legislator, veteris que reformator sancio, ac matrimonium ad originalem suam rectitudinem & firmitatem reduco, statuoque, ut qui uxorem suam dimiserit, & aliam duxerit, habeatur, & reipsa sit adulter.

F

NISI OB FORNICATIONEM] Id est, nisi ob adulterium: quæ enim in solutis est fornicatio, in conjugatis est adulterium, quod solvit matrimonium, quoad thorum, non quoad vinculum. Adulter enim non servat fidem, quam dedit conjugi, unde a conjuge potest dimitti, juxta illud:

Adulterio solvit conjugiū quoad thorum non quoad vinculum.

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Ex hac exceptione Græci, teste Guidone Carmelita tract. de Hæresibus, ac moderni hæretici colligunt & concludunt: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo a contrario, qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur. Unde censent ipsi per adulterium solvi matrimonium, non tantum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum, ita ut aliam uxorem ducere, & aliud matrimonium contrahere liceat. Ita Lutherus, Calvinus, Erasmus, ac passim Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, atque e Catholicis Catharinus & Cajetanus; itaque in praxi faciunt hæretici & Græci. Verum hic est error damnatus a continua traditione Ecclesiæ: & a S. Paulo Rom. 7. 1. & 1. Cor. 7. vers. 10, & 11. ac diserte a Concil. Trident. sess. 24. can. 6. & 7. Ad argumentum ergo a contrario petitum, respondet Paulus Burgensis hic additione 2. ad Lyranum (quem sequitur noster Ribera in Malachiæ cap. 2. n. 36.) admittendo sequelam; sed addit Christum loqui dumtaxat de lege veteri, in qua ob fornicationem licitum erat dare libellum repudii, per quem matrimonium solvebatur, ut liceret aliam uxorem ducere, sed huic responsioni obstat, quod Christus hic æque ac Matthæi 5. diserte sua dicta, id est, legem Evangelicam opponit Moysi & legi veteri; imo libellum repudii, quem Moyses permiserat, auferet v. 8. & 9. *Moyses, inquit, ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*, &c. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ecce hic clare Christus Moysis permissioni in libello repudii opponit suum dictum, suamque sanctionem, qua libellum hunc revocat, illoque utentem damnat adulterii.

Objectio.

G Responsio Ribera.

Dico ergo, melius S. August. lib. 1. de Adult. conjug. ca. 9. τὸ *nisi* accepit negative, ut τὸ *nisi ob fornicationem* idem sit, quod extra causam fornicationis. Favent Græca & Syrus, quæ habent: *Non adulteram*; quasi Christus tantum velit affirmare, uxorem fidam & castam non posse dimitti, de infida vero, id est, incesta & adultera, nil velit dicere ad vitandam invidiam Pharisæorum, & populi, cui illo tempore licita & usitata erant adulterorum repudia, & novæ cum aliis nuptiæ.

Resp. vera Primo. H

Secundo, Secundo, τὸ *nisi* accipi potest proprie & exceptive, sed tunc non ad id, quod sequitur *& aliam duxerit*, sed tantum ad id, quod præcessit: *quicumque dimiserit uxorem suam*, referendum est, ut ab illo dumtaxat excipiat casum fornicationis, q. d. Quicumque dimiserit uxorem, quod non licet, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, hic mœchatur. Favet Æthiopic. qui vertit: *Quicumque aliam ob causam, quam ob fornicationem, dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchus est.* Et Persicus: *Omnis, qui dimisit uxorem suam, & non propter adulterium, & aliam ducit, mœchus est.*

Tertio. Optime. Tertio, planissime & aptissime cum Theophylacto & S. Augustino lib. contra Adimantum cap. 3. hanc exceptionem ad utrumque referas, tam ad id, quod sequitur, quam ad id, quod præcessit, q. d. Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; mœchatur, inquam, tum dimittendo uxorem, tum aliam

Digitized by Google

A aliam ducendo, hoc est, *bis mœchatur*: Christus enim utrumque respondet; quia utrumque quæsierant Pharisæi, & utrumque est verum. Nam etiamsi vir solum dimittat uxorem castam, & innoxiam, nec aliam ducat, mœchatur, tum quia violat jus matrimonii & uxoris suæ, quod est quoddam mœchari? mœchia enim significat vitium directe repugnans matrimonio, quale est dimissio uxoris insontis: tum quim *mœchatur*, id est, facit eam mœchari, uti explicat Christus Matthæi c. 5. 33. Verba enim Hebræa conjugationis *Cal* sæpe per *Hiphil*, id est, activa simpliciter per duplicem actionem exponenda sunt, uti norunt Hebraice periti. Unde tantum a contrario sic inferas: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Ergo qui dimittit uxorem ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur quidem dimittendo fornicariam, mœchatur tamen aliam ducendo. Simile est, si dicas: Qui jejunium violat sine dispensatione, & se inebriat, hic peccat. Ergo qui non jejunat cum dispensatione, non peccat, sed inebriando se peccat. Similis phrasis est Matthæi 5. v. 19. uti ibi dixi.

B Dico Secundo. Christus concedit hic viro divortium quoad thorum ob fornicationem uxoris, non autem matrimonii solutionem, ita ut ei liceat aliam ducere; patet id Primo, quia Marcus & Lucas generalem omnino habent sententiam (illaque vera esse debet) & hanc exceptionem omittunt: sic enim habet Lucas c. 16. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*: facit enim ei gravem injuriam, quia fidem ei datam violat. Probat. Primo.

Dices, cur ergo hanc exceptionem addit Matthæus? Resp. quia Pharisæi duas quæstiones tacite proposuerant Christo. Prima erat, an quacumque ex causa liceret uxorem dimittere? Secunda, an dimissa uxore per libellum repudii solutum esset matrimonium, & posset aliud iniri? Ideo enim dimittebant suam, ut ducerent aliam. Christus ergo utrique quæstioni respondit, idque, ut videtur, duabus propositionibus. Prima: Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, mœchatur. Secunda: Quicumque aliam duxerit, mœchatur: sustulit enim cum libello repudii etiam polygamiam, sive pluralitatem uxorum olim licitam. Itaque hic repetendum est τὸ *quicumque*, hoc modo: C quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, & quicumque aliam duxerit, mœchatur: Matthæus ergo hic, ut & alibi, brevitati studens subintelligit τὸ *quicumque*, & utramque Christi responsionem in unam sententiam conflat; voluit enim utramque presse & concise una propositione complecti; unde hic verum est illud: *Dum brevis esse laboro, obscurus fio*. Simile ostendi cap. 9. v. 18. Probatur idipsum. Secundo ex præcedentibus, ubi Christus, absolute ex natura & prima institutione matrimonii, quam non tollit fornicatio, probavit matrimonium plane esse insolubile. Tertio, quia in sequenti casu hæc exceptio intelligi nequit, ut dicatur: *Et qui dimissam nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur*. Sic enim melioris conditionis esset dimissa ob fornicationem, utpote libera & potens aliud matrimonium inire, quam dimissa citra culpam suam; cum hæc non possit alium maritum ducere. Quarto, quia ita explicat Paulus 1. Cor. 7. vers. 10. & 11. ac Patres passim. S. Hieronymus, Chrysostomus, Beda hic, S. Augustinus D libris duobus de Adulterinis conjugiis, quos hac de causa scripsit. Innocentius I. epist. ad Exuper. Conc. Milevitan. can. 17. Forojulienſe can. 10. Nannetense can. 10. Florent. in instruct. Armen. & Trident. sess. 14. can. 6. Imo Origenes hic tract. 7. acriter perstringit nonnullos sui ævi Episcopos, tamquamqua indoctos, quod cum Tertuliano l. 4. contra Marc. & ambrosiastro in 1. Cor. concedebant uxoribus secundas nutias ob virorum adulteria, dicentes conjugi insonti licere conjugem sontem & adulteratū dimittere, ac alteri copulari. Idem habetur in Concilio Elibertino, 31. q. 1. cap. *Si qua mulier*, & in Conc. Aurelian. 1. c. 10. Sed hæc Conciliorum decreta aut apocrypha sunt, aut mutile & imperfecte citantur a Gratiano. Aliter respondet Maldonatus, scilicet Concilia hæc permittere conjugi insonti secundas nuptias, post mortem uxoris adulteræ; uxori vero in pœnam adulterii non permittere secudas nuptias, post mortem viri. Verum cap. *Si qua mulier*, expresse agit de uxore adhuc vivente. Vide Thomam Sanchez lib. 10. de divortio, disp. 2. & sequenti. Reliqua huc pertinentia audivimus c. 5. vers. 32. ubi ea explicui. Secundo. Tertio. Quarto.

VERS. 10 DICUNT EI DISCIPULI, SI ITA EST CAUSA HOMINIS (VIRI) CUM UXORE, NON EXPEDIT NUBERE] *Causa*, id est *res & negotium*, ut vertit Syrus, q. d. Si ita se res habet conjugum, si tanta est conjugii insolubilitas, si tam arcte vir alligatus est uxori, ut nulla nisi fornicationis causa possit eam dimittere, sed cum ea licet odiosa, rixosa, deformi, spurca, &c. debeat vivere & assidue conversari usque ad mortem, *non expedit nubere*, id, est, uxorem ducere, ut vertit Syrus: Græcum enim γαμῆσαι, tam viris quam mulieribus competit. Forte Noster vertens *nubere* alluſit ad servitutem & subjectionem, qua vir astringitur mulieri, ac non raro, si velit habere pacem, debet ei quasi se subdere, atque patienter ferre ejus ineptias, querelas, jurgia, rixas, &c. Unde Comicus ait: E

—— *Uxori nubere nolo mea.*

Causam dat S. Chrysostomus, *levius enim est*, inquit, *contra concupiscentiam preliari, & contra seipsum, quam contra mulierem malam*. Viderunt idipsum Gentiles. Unde Cato: *Mulier*, ait, *est malum necessarium*, & vere in fidelibus malum hoc fuit necessarium: fidelibus vero est liberum & voluntarium, quia hi per Christi gratiam possunt colere virginitatem & cælibatum, qui infidelibus Christi fide & gratiam destituris, est impossibilis. Sola enim natura concupiscentiam & carnis tentationem superare nequit. Hinc illustris ille Thomas Morus, non μῶρος, sed sapiens, sub Henrico VIII. Angliæ rege martyr, rogatus cur parvam duxisset uxorem: festive respondit: *ex malis elegi minimum*. Ita Stapleton. in ejus Vita. Archidamas quoque rex Lacedæmonum, teste plutarcho in Apophr. mirantibus cur pusillam duxisset conjugem: Pariet enim (inquiebant illi) nobis regulos non reges, idem respondit: *Malorum selegi minimum*. Denique *conjugium est curarum abyssus*, ut docet S. Basilius Constit. Monast. cap. 1. Quero. Mulier malum infidelibus necessarium fidelibus liberum. F Lepidum Thomæ Mori de sua parva uxore responsum. Idem Archidamas respondet.

QUI DIXIT ILLIS: NON OMNES CAPIUNT VERBUM ISTUM, SED QUIBUS DATUM EST] Arabicus, *nisi qui donati sunt*, scilicet Deo & continentiæ. Sic in Religionibus conversi vocantur donati, scilicet Religioni. VERS. 11

NON CAPIUNT] Origenes & Nazianz. orat. 31. de tribus Eunuchorum generibus Græcum ἐ χωροῦσιν, vertunt *non sunt capaces*, sed capacitatem vocant propensionem naturalem ad cælibatum & castitatem, quam non omnes habent. Verum melius ἐ χωροῦσιν vertas cum Nostro, *non capiunt* ut vasa arctiora in se non suscipiunt, non approbant, non comprehendunt, non amplectuntur tantum; tamque arduum cœlibatus consilium, sed ii soli, *quibus datum est* magnum hoc continentiæ donum a Deo. Ubi Nota, licet non omnes fideles habeant donum continentiæ, quo actu contineant, sicut non omnes justi habent donum perseverantiæ, quo actu in justitia perseverent; tamen sicut omnes justi habent donum perseverantiæ, quo in Dei gratia perseverare possint, si velint: sic pariter omnes fideles hâbent donum continentiæ in actu primo; quo possint continere, si velint, si videlicet vires & gratiam ad continendum assidue a Deo efflagitent, ac Dei gratiæ per custodiam oculorum, fugam otii, macerationem carnis, &c. cooperentur. Ita S. Chrysostomus, Origenes, Theophylactus, Euthymius & Hieronymus hic. S. Augustinus in Psal. 137. S. Ambrosius lib. 3. de Viduis, Tertullianus lib. de Monogamia, & alii, & patet ex hoc loco: Christus enim hic æque ac Paulus 1. Cor. 7. v. 7. cuilibet fideli suadet & consulit continentiam: nihil autem suadetur & consulitur nisi quod in hominis est arbitrio & potestate cum gratia Dei, quam scilicet Deus cuilibet postulanti præparat & offert. Secus est de dono prophetiæ, linguarum, curationum, miraculorum: hoc enim Deus non omnibus præparat & offert, sed paucis dumtaxat a se electis ad commune fidelium bonum. Audi S. Hieron. *His datum est, qui potuerunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt*. Sic Euthymius: *Datum est*, inquit, *his qui petiverunt, (petite enim ait, & dabitur vobis) petentibus, inquam, non simpliciter, sed ferventer & perseveranter, & ut semel dicam, sicut oportet. Significatum est ergo virginitatem Dei donum esse datum his, qui petunt, ut oportet*. Theophyl. *Hoc loco*, ait, *Datum est, valet, quibus cooperatur Deus. Illis autem datum est, qui petunt: Petite enim, inquit*, &c. Auctor Operis imperfecti: *Quod autem dicit: Quibus datum est, non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur: sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniã autem volentibus gratia non denegatur, in Evangelio Dominus dicit: Petite*. & S. Chrysost. *Sed si electionis opus est id, inquies, quomodo incipiens statim dixit: Non omnes capiunt, sed quibus datum est? ut singulare id esse certamen perdiscas, non ut forte datam necessitatem suspiceris. His enim datum est, qui sponte id eligunt: quod ideo dixit, ut ostẽderet superiori nobis* G Donum continentiæ est in hominis potestate qua ratione. H

Digitized by Google

A *auxilio esse opus (quod quidem omnibus illud expetentibus paratum est) si volumus in hac lucta superiores evadere.* Addit S. Chrysostomus, licet aliqui a continentia excidant, non debemus in proposito castitatis fieri pigriores: sicut milites, qui in pugna cadunt, non examinant cæteros, sed potius ad fortius pugnandum acuunt & accendunt. Denique idem Chrysostomus considerationem suggerit, per quam cælibatus cuique non tantum possibilis, sed & facilis ostenditur: *Cogita tecum*, inquit, *si aut a natura eunuchus esses, aut injuria hominum effectus, quid faceres, cum & hujusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia rutilantesque coronas, si ita vives, quemadmodum sine aliquo illi præmio: imo vero multo facilius, tutius atque jucundius, tum quia spe retributionis roboraris, tum quia conscientia virtutis gaudes, & ad hæc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus jactaris. Non enim sic amputatio membri, quemadmodum rationis fenum: imo vero sola ratio hujusmodi fluctus comprimit. Non enim a cerebro, aut a lumbis illum inquietissimum æstrum proficisci dixerim, sed a lascivia mentis & cogitationis neglectu.* Porro Auctor lib. de Castitate, qui falso S. Sixto Pontifici inscribitur (fuit enim Auctor hic Pelagianus) *ut datum* refert non ad *castitatem*, sed ad *verbum*, q. d. Non omnes capiunt verba mea, sed ii, quibus datum est audire me ea explicantem; nam castitas, inquit, non est donum Dei, sed virtus proprii arbitrii & voluntatis. Si enim esset donum Dei, fatalis esset castitas iis, quibus hoc donum Deus dat, aliis vero impossibilis. Rursum quomodo castitate mererentur regnum cælorum, si esset donum Dei, & non electio liberi arbitrii? Ita hic Pelagianus, sed imperite. *Verbum* hoc non est aliud, quam consilium castitatis, ut patet intuenti. Castitatem esse donum Dei, patet 1. Cor. 7, 7, & Sapient. 8, 21. Vide S. Augustinum lib. 6. Confess. c. 11. cujus celebre est illud: *Domine, da quod jubes, & jube quod vis. Jubes continentiam, da continentiam.*

B

VERS. 12 SUNT ENIM EUNUCHI, QUI DE MATRIS UTERO SIC NATI SUNT: ET SUNT EUNUCHI, QUI FACTI SUNT AB HOMINIBUS: ET SUNT EUNUCHI, QUI SEIPSOS CASTRAVERUNT PROPTER REGNUM CÆLORUM. QUI POTEST CAPERE, CAPIAT] Qui cum possint esse viri propter Christum, fiunt eunuchi, ait S. Hieronymus. Triplices hic eunuchos, id est, castratos, & impotentes ad generandum assignat Christus; scilicet Primo, qui a natura sunt tales: Secundo, qui ab arte, qui scilicet sunt ex secti, ut custodiant reginas & matronas nobiles a stupro; Tertio, qui *seipsos castraverunt propter regnum cælorum*. Alludit Christus ad Isaiæ 56. 3. ubi eunuchos hos sub Christo futuros prædixit, eisque promittit nomen melius a filiis & filiabus, nomen, inquam, sempiternum. Vide ibi dicta.

C Triplices eunuchi.

CASTRAVERUNT] Hæc vox duo significat: Primum, nostri arbitrii esse cum Dei gratia nos castrare, id est, castos & cælibes efficere, idque perpetuo voto firmare & servare. Hoc enim significat vox *eunuchi*; & vox *castraverunt*, scilicet impotentiam moralem ad generandum; alioqui enim dixisset: Sunt qui se castrant, vel castrare nituntur; jam dicit, *castraverunt*, id est potentiam sibi abstulerunt, seque quasi exsecuerunt & inhabiles ad generandum effecerunt, scilicet per votum continentiæ. Ita S. Epiphanius hæresi 58. S. Fulgentius l. de fide ad Petrum cap. 3. S. Augustinus lib. de Sancta Virgin. c. 30. Secundo *ut castraverunt* significat, continentiam hanc in continente, non fieri sine ingenti carnis lucta & dolore, perinde ac si ei genitalia exsecarentur. Ita Nazianzenus orat. 31.

D I. Castraverunt duo notat.

Origenes se castravit, an recte.

Porro Origenes hoc ad litteram accepit. Unde reipsa castitatis amore ipse seipsum castravit & membrum excuit, sed perperam; tum quia non licet se castrando mutilare; tum quia libido castratione non restinguitur, sed acuitur. Audi Chrysostomum: *Cum autem dicit: qui se castraverunt, non membrorum dicit abscissionem, sed malarum cogitationum interemptionem; maledictioni enim obnoxius est, qui membrum abscindit*, &c. *neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior.* Eunuchi enim peccant cogitatione & desiderio libidinis, dolentque, se illam non posse experiri, & explere. Vide dicta Eccles. c. 20. 2. & c. 39. 21.

PROPTER REGNUM CÆLORUM] Per virtutem continentiæ promerendum. Ita Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Euthymius hic, & S. Augustinus de S. Virgin. c. 23. Perperam ergo hæretici sic exponunt, *propter regnum cælorum*, scilicet prædicandum, q. d. Sunt Eunuchi, qui se castrant, id est, continent ab uxore, ut expeditiores sint ad prædicandum Evangelium, aut ut careant molestiis, quas parit res uxoria: non enim solum hisce de causis laudanda, & optanda est continentia; sed etiam præcise in se, quia ipsa ingens est virtus, suique victoria, qua homo vincit libidinem; mentemque attollit ad cælestia meditanda & prosequenda; quare ipsa ex hominibus facit Angelos. Vide S. Augustinum, S. Basilium, S. Chrysost. & alios, qui de Virginitate scripserunt, ubi miris eam encomiis celebrant.

E

F

QUI POTEST CAPERE, CAPIAT] Arabicus: *Qui potest portare, portet.* Nota hic consilium Evangelicum cælitus a Christo promulgatum, & omnibus propositum, imo consultum, sed non præceptum. Hæc enim verba, *qui potest capere, capiat*, sunt hortantis & animantis ad cælibatum, ait S. Hieronymus, & Chrysostomus, ac proinde significant, illum a Christo consuli, ideoque eumdem esse in nostro arbitrio & potestate, si gratiam Dei invocare, illique strenue cooperari velimus. Nec obstat quod dicit, *qui potest*; hoc enim significat dumtaxat cælibatum esse rem arduam, q. d. qui vult sibi vim inferre, qui vult libidini generose resistere, qui vult ad arduum continentiæ culmen conscendere, ille eamdem amplectatur, *capiat*, & capessat. Sic adolescens nolens ducere quamdam sibi displicentem apud Comicum ait, *non possum, mater*, id est, nolo eam ducere: hoc enim mihi valde difficile est, ideoque quasi impossibile; omnes ergo fideles habent potentiam non proximam, sed remotam ad continendum. Ita Patres citati v. 11. Audi unum ex omnibus & pro omnibus S. Chrysost. *Ideo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt: palma proposita est; qui concupiscit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, si omnes timerent periculum.* Audi & S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. *Proponit agonotheta præmium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, & clamat: qui sitit, veniat ad me & bibat; qui potest capere, capiat.* Hinc liquet, quam carnalis & bruta sit Calvini expositio, quæ talis est, q. d. Vos, o Apostoli, censetis bonum esse sine uxore vivere, sed ego prohibeo, ne quis ita facere conetur, nisi certus sit, se id facere posse, id est, sine uxore vivere; Christus enim non prohibet, sed hortatur ad cælibatum; nec quis de eo certus esse potest, nisi aut revelationem a Deo habeat, quod est paucissimorum; vel suam constantiam continendo experiatur, & probet: prius ergo continentiam experiri quis debet, antequam de ea certus sit: quomodo ergo prius de ea certus esse debet, antequam eam experiatur? ut vult Calvinus. Pejus Lutherus docuit tam impossibile esse homini carere uxore, quam cibo & potu; nimirum ipsis & hæreticis hoc est impossibile, at non orthodoxis, Christi fide & gratia roboratis.

G

VERS. 13 TUNC OBLATI SUNT EI PARVULI, UT MANUS EIS IMPONERET, ET ORARET. DISCIPULI AUTEM INCREPABANT EOS] Quod Christum rebus majoribus puta viris docendis adeo occupatum, ad parvulos rationis usu carentes, avocarent; quasi vile & indignum Christo tanto Propheta esset, cum pueris agere. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Maldonatus, & alii. *Parvuli*, Græce παιδία, id est, *pueruli*. Lucas cap. 18. v. 15. habet βρέφη, id est, *infantes*; infantia autem durat usque ad septennium.

Luc. 18. 16. Marc. 10. 13

H

Moraliter discant hinc principes a Christo, qui est *Rex regum & Dominus dominantium*, omnibus etiam pauperibus, fœminis, pueris ad se facilem dare aditum, eorumque preces & vota benigne audire & exaudire. Hoc fecere præ aliis e Romanis Imperatoribus, licet Gentilibus, Primo Adrianus, de quo Spartianus: *In colloquiis*, inquit, *etiam humilimorum civilissimus fuit, detestans eos, qui hanc voluptatem humanitatis, quasi servantes fastigium principis, sibi invideret.* Secundo Titus Vespasian. cujus teste Sueton. hæc erat vox: *Non oportere quemquam a fermone Principis tristem discedere:* Et quo die nulli benefecerat, gemens ajebat: *Diem perdidi.* Tertio Trajanus, de quo Plin. in Panegyr. *Non tu*, inquit *civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis: hæret lateri tuo quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit.* Et paulo inferius: *Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora, audiuntur statim, dimittuntur statim.* Et de eodem Eutropius, *Culpantibus*, inquit, *amicis quod nimis circa omnes comis esset, respondit: talem debere Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.* Quarto, Alex. Severus, de quo Lampridius, *Moderationis*, inquit, *tantæ fuit, ut nemo unquam ab ejus latere submoveretur, ita se omnibus blandè affabilemque præbebat, ut amicos non solum primi & secun-*

Comitas & facilitas Imperatorum. Adriani.

Titi Vespasiani.

Trajani.

Alexandri Severi.

Digitized by Google

A *secundi loci, sed etiam inferioris ægrotantes inviseret.* Denique e Christianis Theodosius Senior Imp. *Creber egressu*, ait Pacatus in ejus Panegyr. *expectantibus populis te fateris, nec videri modo patiens, sed facilis adiri: e proximo accipis vota omnia tuorum.* Theodosii.

UT MANUS EIS IMPONERET] Ut manuum impositione eis benediceret, ac benedicendo divinam gratiam eis imprecaretur & imploraret, itaque pro eis oraret, ut in viros sapientes & sanctos adolescerent. Hanc priscam Hebræorum fuisse consuetudinem, colligitur ex Gen. c. 48. v. 14. ubi Jacob, cancellatis in formam crucis manibus, benedixit Ephraim & Manasse, parvulis Josephi filiis. Et ex Eccli. c. 3. v. 11. ubi ait: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vide ibi dicta. A Christo mos hic derivatus est ad Christianos, ut laici, maxime pueri, a senioribus & sacerdotibus petant, & obtineant benedictionem; etiam extra Ecclesiam, uti fit in Belgio, ubi pueri certatim ad sacerdotes & viros religiosos transeuntes accurrunt, ab eisque B petunt cruce se signari, & benedici: itaque facere docentur a Catechistis, æque ac a parentibus; quam consuetudinem laudat hic Auctor imperfecti. Addit Remigius, hanc consuetudinem apud Judæos fuisse ante Christum. Magnus ille Thomas Morus, Angliæ decus & martyr, existens regni Cancellarius publice a patre sene postulavit benedictionem, teste Stapletono in ejus vita. Porro hanc cæremoniam impositionis manuum, exemplo Christi usurpat Ecclesia in Baptismo, Ordine, Pœnitentia, & quandocumque hæretici in Ecclesiam recipiuntur: est enim ipsa quasi imprecatio & collatio Spiritus sancti.

Mos pueris benedicendi.

VERS. 14 JESUS VERO AIT EIS: SINITE PARVULOS, ET NOLITE EOS PROHIBERE AD ME VENIRE: TALIUM EST ENIM REGNUM CÆLORUM] Causam cur Christus adeo amet parvulos, quinque naturales eorum dotes assignat hic Victor Antiochenus, scribens in Marci cap. 10. 13. *Est enim parvuli*, ait, *anima candida & ab omnibus vitiosis affectibus libera; quandoquidem puerulus tristia passus, aut injuria aquopiam affectus, neque injuriarum reminiscitur, neque vindictam meditatur: verum, quasi nihil incommodi tulerit, ad eum qui læserat tamquam ad amicum ultro accedit. Pari modo licet graviter a matre cædatur, accurrit nihilo secius præ ceteris ad ipsam, unamque illam aliis omnibus mulieribus potiorem ducit. Et si reginam diademate redimitam ostenderis, non anteponit eam matri quantumlibet vilibus pannis induta, avetque magis illam videre panis obsitam, quam reginam splendido corporis cultu ornatam: ad hæc nihil prorsus plus exigit, quam natura necessitas deposcit. Quare ut primum mammarum succu sese explevit, statim materna ubera deserit. Præterea de earum rerum jactura, quas nos maximi facere consuevimus, ut sunt pecuniæ, gemmæ, aliaque ejusmodi, nihil prorsus movetur aut contristatur. Denique non stupet, nec rapitur ob corporum venustatem, ut ceteri mortalium solent. Propter hæc ergo Dominus dixit: Talium est regnum cælorum: nempe per hoc nos admonens, ut studio certaque voluntatis electione talia faciamus, talemque affectum induamus, qualem ipsi ex naturæ suæ qualitate induti sunt.* Sic Christus S. Edmundum Cantuar. postea Episcopum, S. Nicolaum, S. Catharinam Senensem, & alios eminentes sanctos a puero sibi elegit, & benedixit. Gelasius puer Placentinus, cum S. Opilum fraterculum suum in cubiculo orantem invenisset, Angelorum multitudinem cum eo colloquentem propriis oculis vidit, vocemque audivit: *Sinite parvulos venire ad me: talium enim est regnum cælorum.* Cum autem ætate crescere, vitæ quoque sanctitate crescebat, ac tamquam oliva fructifera in domo Domini, uberes bonorum operum fructus proferebat: sicque tenera adhuc ætate migravit ad Christum. Ita habet officium Ecclesiæ Placentinæ Romæ approbatum, & ex eo Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 4. Februarii. S. Babylas Patriarcha Antiochenus, & martyr illustris sub Numeriano Imperatore ab eo ad mortem damnatus, tres pueros, quos in fide & pietate educarat, voluit ante se capite plecti, ne a quopiam seducerentur, sed eos Christo offerens velut innocentes victimas ajebat: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum*, uti habetur in Vita sancti Artemii apud Surium. Vide dicta Isaiæ cap. 8. vers. 18. & Hebr. 2. v. 14. Plura exempla amoris, & curæ Christi, ac B. Virginis erga parvulos recensel noster Philippus Berlemontius in Paradiso puerorum.

D Sancti & insignes viri a puero electi: Gelasius & Opilius fraterculi.

Tres pueri S. Babylæ Patriarchæ Antiocheni.

Moraliter disce hic, quanta cura pueri educandi sint, docendi & catechizandi, ut pueri permaneant. Nam *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.* Quanto studio pueri alendi.

Fecit hoc studiose Joannes Gerson existens Cancellarius Parisiensis, qui & librum hac de re conscripsit, ex quo nonnulla citavi Galat. c. 6. v. 6. Vide Petrum Ribadeneiram in Vita S. Ignatii lib. 3. c. 24. ubi multas & graves affert causas, & utilitates, ob quas Societas Jesu complexa sit scholas, & institutionem puerorum.

Imo S. Basilius idipsum faciendum esse ex hisce Christi verbis probat. Nam in regulis brevior. disp. interrogat. 292. quærit: *An conveniat, ut inter fratres magister sit puerorum secularium?* ac respondet affirmative: *Servetur*, inquit, *quod præceptum est a Domino, qui dixit: Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum cælorum.* Parvuli enim in viros & cives evadunt, & quod didicerunt pueri, hoc retinent grandævi. Parvuli ergo sunt seminarium Ecclesiæ & reipublicæ.

TALIUM (Syrus, *eorum qui sunt sicut isti*) ENIM EST REGNUM CÆLORUM] *Talium*, scilicet qui parvulis humilitate, simplicitate, candore, innocentia sunt similes, F ut jam dixi ex Victor. Antiocheno. Unde Lucas addit: *Quicumque non acceperit regnum Dei ut puer, non potest intrare in illud.* Ita Origenes, S. Hieron. Theophylactus & Euthymius. Sensus est, q. d. Christus: Mea dignitate non est indignum pueris benedicere, quia per benedictionem meam apti fiunt regno cælorum, cum vos, o Judæi adulti, qui toties me docentem audistis, ob superbiam aliaque vitia, in quibus occulluistis, ad illud adhuc sitis inepti. Quare ut apti fiatis, parvulos hosce vobis imitandos statuo. Omnis enim animi volentis se præparare ad regnum cælorum Christi gratia obtinendum, exemplum & idea est puerilis simplicitas. Audi S. Ambr. lib. 8. in cap. 18. Luc. *Ætas hæc*, inquit, *infirma est viribus, invalida ingenio, immatura consilio. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur.* Et mox symbolice: *Quis ergo puer imitandus est Apostolis Christi? ille, de quo Isaias dicit: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Ipse enim tibi puer dicit: Tolle crucem tuam, & sequere me. Et ut agnoscas puerum, cum malediceretur, non maledixit: cum percuteretur, non repercussit. Hec est enim perfecta virtus: Itaque & in pueritia est quædam venerabilis morum senectus, & in senectute innocens pueritia.* Hinc pater perperam Anabaptistas arcere parvulos a baptismo, ac consequenter a Christo & regno cælorum, eo quod parvuli non utantur ratione, nec possint credere: licet enim actu non credant, habitu tamen credunt; quia in baptismo infunditur eis habitus fidei, gratiæ & charitatis: credunt quoque actu in fide Ecclesiæ, id est, parentum & fidelium Ecclesiæ, qui crebro actus fidei eliciunt pro se, & suis omnibus. G Anabaptistæ parvulos male arcens a baptismo.

ET CUM IMPOSUISSET EIS MANUS, ABIIT INDE] Manus Christi erant vivificæ & salvificæ. Unde Lucas cap. 40. v. 40. ait: *At ille singulis* (infirmis & ægris) *manus imponens, curabat eos.* Ratio est, quia manus est organum organorum, quare divinitas Christi per manus divinam suam vim & gratiam exerebat in eos, quos tangebat, salutem eis corporis animique dans, vel in circumcisione, aliasve datam adaugens, ac occulta sua virtute eos sanctificans, Deoque offerens, & quasi consecrans. Unde non est dubium, hos parvulos a Christo benedictos evasisse in viros sapientes & sanctos, qui deinde Ecclesias erexerunt, & fidem Christi propagarunt, ita Franciscus Lucas. VERS. 15 *Mar.* 10. 16. Manus est organum organorum. H

ET ECCE UNUS ACCEDENS AIT ILLI: MAGISTER BONE, QUID BONI FACIAM, UT HABEAM VITAM ÆTERNAM?] *Unus*, S. Hieronymus putat fuisse legisperitum, de quo Lucas cap. 10. 25. ideoque tentandi animo ad Christum accessisse. Melius S. Chrysostomus censet, hunc aliam esse ab illo Lucæ, qui candido corde, ut pueris se similem redderet juxta Christi præceptum, ab eo animo sincero petiit, qua ratione vitam æternam parvulis, eorumque similibus paulo ante a Christo promissam, consequi posset; unde hic est ille, cujus meminit Luc. c. 18. v. 18. Id ita esse patet utrumque conferenti. Idipsum magis patebit ex sequentibus, præsertim ex v. 22. ubi dicitur, quod audita Christi doctrina de perfectione: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, abiit tristis, eo quod esset dives; quod signum est, eum sincero salutis suæ animo & studio hæc postulasse a Christo. VERS. 16 *Luc.* 18. 16. *Mar.* 10. 18.

MAGISTER BONE] Est hæc simplex salutandi & compellandi phrasis Hebræorum, qua benevolentiam doctoris & prophetæ captant. q. d. Rabbi, scio te esse bo-

Digitized by Google

A bonum, tum virum, tum doctorem, tum prophetam, qui me & alios optime doceas ea, quæ vere bona sunt, & ad beatitudinem ducunt, Dic ergo mihi, quid boni præ cæteris faciam, ut summum bonum in cælo consequar? Ludit enim in voce *bonum*,

VERS. 17 *Luc.* 18. 19 *Mar.* 10. 18. QUI DIXIT EI: QUID ME INTERROGAS DE BONO?] Legit Interpres, τί με ἐρωτᾶς περὶ ἀγαθοῦ, sic quoque legit S. Augustinus, & S. Hieronymus in Comment. jam vero legunt, τί με λέγεις ἀγαθόν, id est, *quid me dicis*, vel vocas *bonum*? Utramque lectionem ponit Origenes, Causam subdit dicens,

UNUS EST BONUS, DEUS] Scilicet natura sua, & per essentiam. Retorquet Christus humiliter laudem & bonitatem suam in Deum, ut nos idem doceat facere; quia hic interrogans non habebat plenam de Christo fidem, nec credebat eum esse Deum. Ad hanc ergo fidem, eum quasi objurgando attollere & extimulare voluit Christus; q. d. Si me vocas bonum, crede me esse Deum, nemo enim per se bonus nisi Deus. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. Porro Deus solus per essentiam

B Solus Deus est bonus per essentiam, est bonus, quia sicut ipse solus verum, solidum & plenum habet esse, (unde ipse ait Exodi 3. *Ego sum, qui sum*, q. d. vos ergo, o angeli, & homines, non estis, si mecum comparemini, quia meum esse tantum & tam plenum est, vestrum vero tam exile & diminutum, ut mei respectu potius non esse, quam esse videamini) ita pariter solus Deus est bonus, sapiens, justus; quia ab eo omnes angeli, & homines participant guttam, vel potius umbram quamdam bonitatis, sapientiæ, potentiæ, justitiæ. Vide dicta Amos 6. vers. 13. & Exodi 3. vers. 14.

Bonum idem quod perfectum Porro bonum idem est, quod perfectum, & bonitas ejus rei est perfectio. Deum autem perfectum esse pluribus probat S. Dionys. De Div. nomin. cap. 13. In Deo enim est immensa perfectio tam naturæ quam sapientiæ, potentiæ, sanctitatis, & virtutis. Est ergo in eo summa bonitas tum

Deus fons omnis boni naturalis, tum moralis, tum supernaturalis. Quocirca ipse est fons omnis bonitatis, in qua omnia creaturarum bona sunt collecta, & infinities meliora, quam sint in creaturis. Quare in Deo eminenter est auri decor, gemmarum splendor,

C deliciarum sapor, musicæ harmonia, hortorum amœnitas, & quidquid in creaturis est pulchrum, amabile, jucundum, deliciosum. Hinc a Deo mel haurit suam dulcedinem, sol suos radios, stellæ suum lumen, cæli suum decus, angeli suam scientiam, homines suam virtutem, animalia suum sensum, plantæ suam vitam, cætera omnia quidquid habent boni, imo totum suum esse a Dei bonitate & essentia, velut guttam e pelago, emendicant. In Deo igitur est omne bonum, idque in perfectissimo & immenso gradu: in Deo est omnis amoris illicium, omnis desiderii consummatio, omnis appetitus satietas: cur ergo, o miser homo, per exilia hæc bona creata vagaris, ideoque non satiaris? quære bonum, in quo omne bonum, ama, & ambi Deum: hic solus tuam sitim & appetitum plane & plene exsatiabit, tum in hac vita per gratiam, tum magis in futura per gloriam, imo per seipsum; in cælo enim Deus seipsum quasi summum bonum Beatis videndum, gustandum & fruendum exhibet,

SI AUTEM VIS AD VITAM INGREDI, SERVA MANDATA] Calvinus stolide æque ac impie censet, Christum hic per ironiam irridere adolescentem, suis legalibus operibus confisum: nec enim viam in cælum esse observationem

D Impia Calvini expositio. mandatorum, utpote homini impossibilem, sed fidem. Quot hic sunt verba, totidem errores sunt, & hæreses, imo blasphemiæ, quæ Christi sensui & sententiæ ex diametro adversantur, eamque funditus subvertunt. Unde liquet Calvinum agi spiritu non Christi, sed Antichristi. Vide nostros Maldonatū & Adamum Contzen, qui ex professo in Evangelia commentantur, ut Calvinum & Novantes confutent: nos ad alia Orthodoxis utiliora pergamus. Docet ergo hic Christus, non solam fidem justificare, & salvare, sed & opera bona requiri, quibus legem implendo, mereamur bravium æternæ vitæ & gloriæ, legem implentibus a Deo promissum. Instat Calvinus: Saltem Christus per mandata Dei hic excludit præcepta, & traditiones Ecclesiæ, puta Pontificum & Prælatorum. Respond. ea contineri quarto Dei mandato. *Honora patrem & matrem*, scilicet tam spiritualem, uti sunt Pontifices & Prælati, quam carnalem.

VERS. 18 & 19. *Luc.* 18. 20. *Mar.* 10. 19. DICIT ILLI: QUÆ? JESUS AUTEM DIXIT: NON HOMICIDIUM FACIES: NON ADULTERABIS: NON FALSUM TESTIMONIUM DICES: HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM: ET DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM] Syrus: *sicut animam tuam*. Hæc mandata exposui Deuter. c. 5. v. 6. & seq. Porro Christus proponit hic dumtaxat præcepta secundæ tabulæ proximum spectantia, quia in illis includuntur præcepta primæ tabulæ Deum concernentia, Nam amor Dei producit amorem proximi hunc enim amamus propter Deum, quare amor proximi manat ex amore Dei. Rursum difficilius est amare proximum quam Deum. Quis enim non amet Deum præsertim religiosus, qualis erat hic juvenis? E

DICIT ILLI ADOLESCENS: OMNIA HÆC CUSTODIVI A JUVENTUTE MEA (Syrus & Arabicus, *a puericia mea*, q. d. a puero in lege Dei educatus & gratia Dei prævenius, servavi studiose omnia præcepta Dei. Ratum hoc est juventutis exemplum) QUID ADHUC MIHI DEEST? (Syrus, *in quo defectuosus sum*) boni & bonitatis? ut in ea perficiar & *habeam vitam æternam* (uti petiit vers. 16.) non quomodocumque, uti habent omnes, qui servant præcepta, sed secure & certo ac in magno, imo in primo perfectoque felicitatis & gloriæ gradu. Tu enim, o Christe, quasi cælestis virtutis magister videris illius altiorem præ nostris Scribis tradere semitam & doctrinam. Dic ergo mihi quænam illa sit; ego enim salutis & perfectionis avidus, cupio illam capessere. Porro S. Hieron. censet, hunc adolescentem hic esse mentitum: si enim, inquit, dilexisset proximum suum sicut seipsum, omnia sua vendidisset & dedisset pauperibus. Verum hæc ratio non plane convincit; quia diligere proximum sicut seipsum; est præcepti, sed dare omnia sua pauperibus, est consilii. Unde Christus, ait Marcus, intuitus eum dilexit, & consilium hoc de dando sua pauperibus, ut eum ad perfectionem subveheret, suggessit. VERS. 20 *Luc.* 18. 21. *Mar.* 10. 21. F

AIT ILLI JESUS: SI VIS PERFECTUS ESSE, VADE, VENDE QUÆ HABES, ET DA PAUPERIBUS, ET HABEBIS THESAURUM IN CÆLO, ET VENI SEQUERE ME] Est hoc Evangelicum non præceptum, sed consilium. Unde ait, *Si vis*. q. d. non jubeo, sed consulo, & ad summum perfectionis culmen te extimulo. Ita S. Hieron. August. Hilar. Chrysost. & alii passim. Unde S. August. ser. 61. de Tempore, & cap. 14. de Sancta Virg. ubi pulchre contra hæreticos consilia a præceptis distinguit. Marcus cap. 10. vers. 21. addit: *Jesus autem intuitus dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest: Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus*. Hinc Christi vocem in Missa legi audiens S. Antonius, reliquit omnia, Christumque nudus secutus est, ait S. Athanasius. Idem plane fecit S. Prosper Regiensis postea Episcopus, tempore S. Leonis, ut habet ejus vita apud Surium die 25. Junii. Sic & S. Franciscus. Audi S. Bonaventuram in vita ejus cap. 3. *Primus*, inquit, *qui se socium S. Francisci adjunxit, fuit Bernardus. Hic enim servi Christi paupertate comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, requisivit consilium. Quo audito, Dei famulus pro propriæ prolis conceptu sancti spiritus consolatione repletus: A Deo est, inquit, hoc consilium requirendum. Intraverunt proinde Ecclesiam sancti Nicolai mane jam dicte: & oratione premissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Evangeliorum librum aperuit, trino a Deo exposcens testimonio, S. Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit; Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. In secunda: Nihil tuleritis in via. In tertia vero: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc est, ait vir sanctus, vita & regula nostra, omniumque qui nostræ voluerint societati conjungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice quæ audisti.* Consilium Christi de paupertate. G Exempla S. Antonii. S. Francisci. H

Merito ergo S. Bern. in Declamat. sub initium. *Hæc sunt verba*, ait, *quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam hominibus persuasere paupertatem. Hæc sunt, quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, & optima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus & efficax convertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli. Dixit enim Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia*. Quocirca S. Hieronymus hac Christi voce quasi tuba suos passim, & nos omne ad studium paupertatis extimulat. Unde ep. 150. ad Hedibiam: *Vis*, inquit, *esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli. Vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere Salvatorem, & nudam solamque crucem virtute nuda sequaris*. Idem S. Hieron. in epist. 8. ad Demetriadem *Apostolici fastigii est*, ait, *perfectæque virtutis vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic levem atque expeditum cum Christo ad cælestia subvolare*. Luculentius idem ep. 24. ad Julian. *Et hoc hortor*, ait, *si vis esse perfectus, si*

Apo-

A *Apostolicæ dignitatis culmen cupis, si sublata cruce Christum sequi, si apprehenso aratro non respicere post tergum, si in sublimi tecto positus pristina vestimenta contemnis, & ut evadas Ægyptiam Dominam sæculi pallium derelinquis. Unde & Elias ad cælorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundo immunda vestimenta dimittit. Sed hoc ais, Apostolicæ dignitatis est, & ejus qui velit esse perfectus? Cur autem & tu nolis esse perfectus? cur qui in sæculo primus es, non in Christi familia primus sis?* Idemque paulo post: *Quod si teipsum, inquit, Domino dederis, & Apostolica virtute perfectus sequi cœperis Salvatorem, tunc intelliges, ubi fueris, & in exercitu Christi quam extremum tenueris locum,*

Nota: perfectio Christiana primo & primario consistit in charitate: in paupertate tamen & consiliis Evangelicis a Christo collocatur, tamquam in mediis & instrumentis appositis ad charitatem acquirendam. Vide S. Thomam 2. 2. q. 184. art. 3. Hanc perfectionem sectantur omnes religiosi, qui omnia bona abdicant, ut nudum Christum nudi sequantur: non tamen omnes initio statim perfectionem hanc adipiscuntur, sed sensim eo tendunt, & assidue perficiendo tandem ad eam perveniunt. Hinc sapienter Climacus Gradu 26, tres eorum gradus constituit, scilicet insipientium, proficientium & perfectorum. Incipientibus hoc Alphabetum 24. non litterarum, sed virtutum, ediscendum mentique imprimendum tradit: *Optimum*, inquit, *omnium elementorum alphabetum hoc est, obedientia, jejunium, cilicium, cinis, lacryma, confessio, silentium, humilitas, vigilia, fortitudo, frigus, labor seu fatigatio, erumna, contemptus, contritio, injuriarum oblivio, fraterna charitas, lenitas, fides simplex & incuriosa, mundi neglectus, parentum odium minime odiosum, liber ab omnibus rebus affectus, simplicitas cum innocentia conjuncta, voluntaria vilitas.* Proficientibus deinde hæc majorum virtutum dogmata assignat: *Proficientium vero sors & ratio est de inani gloria & iracundia victoria, bona spes salutis, quies animi, discretio firma & fixa, judicii extremi memoria, misericordia, hospitalitas, modesta objurgatio; oratio, omni vitioso carens affectu.* Perfectis denique hos plenæ sanctitatis apices tradit: *Cor ab omni captivitate liberum, perfecta charitas, fons humilitatis, mentis e mundi vanitate emigratio, Christi immigratio, lucis & orationis divinæ thesaurus a prædonibus securus, illustrationis divinæ copia, mortis desiderium, odium vitæ, corporis fuga.* Addit deinde virum perfectum adeo sanctum Deo gratum esse debere, ut sit *legatus seu patronus & advocatus mundi, qui Deum quodammodo cogere possit, Angelorum collega & symmysta, profundissima scientiæ altitudo, cœlestium mysteriorum domiciliũ, custos divinorum arcanorum, sive Deo ab secretis, hominum salus, dæmonũ Deus, vitiorũ Dominus, Imperator corporis.*

Paupertas via ad perfectionem.

B

Alphabetum incipientium.

Proficientium.

Perfectorum.

C

Cur? Resp. Causa Prima.

VADE, VENDE OMNIA] Quæres, cur paupertas est propria via & instrumentum perfectionis Evangelicæ? Respondet S. Bonaventura in Apol. pauperum, quia radix omnium malorum est cupiditas: hæc igitur est fundamentum civitatis Babylonicæ: ex ea enim nascitur ambitio, gula, cæteraque vitia. Hanc cupiditatem Christus succidit per paupertatem: paupertas ergo primo succidit & tollit opes, honores, delicias, quæ sunt materia & fomes omnium vitiorum. Deliciæ enim effeminant animos; & mulieres decent, non viros. Virile ergo robur abhorret a deliciis. Secundo, paupertas parit humilitatem, quæ est fundamentum sanctitatis. Unde S. Francisc. ait S. Bonavent. rogatus a suis, quænam virtus nos maxime Christo Domino commendaret, gratosque faceret: insolito quodam affectu respondit. Paupertas: ea enim est via salutis, humilitatis fons, perfectionis radix, & ab ea multiplices fructus existunt, licet occulti & paucissimis cogniti. Tertio, pauper spiritu cum non habeat alias curas, totus studet virtutibus congerendis, quasi apis melli suo. Ita S. Antonius ab opum cupiditate liber, insatiabile habebat desiderium virtutum, ideoque ab hoc discebat patientiam, ab illo silentium, ab alio abstinentiam, ab alio constantiam, orationem, &c. Hinc prisci religiosi pauperes vocabantur *Ascetæ*, id est, *exercitatores*, quia toti erant in edomanda ira, gula, aliisque passionibus, in exercitatione arduarum & heroicarum virtutum: unde aliqui biduo, alii triduo semel tantum sumere cibum assuescebant, alii vix dormire, ut illi, qui versabantur in monasterio Acœmetarum, id est, vigilantium non dormientium. Quarto, quia perfectio consistit in charitate Dei & proximi; ad hanc autem dirigit paupertas: tollit enim meum & tuum, ex quo omnes lites & bella oriuntur inter proximos, ait Chrysostomus, eadem avellit animum ob omni cura & amore rerum terrenarum, itaque eum totum in Deo defigit; quod enim ait de conjugato Apostolus 1. Cor. 7. *Qui cum uxore est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, & divisus est*, hoc congruit & diviti. Hic enim divisus est, dividit enim curas & cogitationes inter Deum, & mammonam sive opes suas. Paupertas ergo facit hominem superiorem mundo & carne, quasi Angelum versantem cum Angelis, suspirantem ad cælum, facitque illud Apostoli: *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, ut totam mentem, amorem, cogitationem, curam transferat in Deum, fiatque cum eo quasi unus spiritus. Perfectio igitur consistit in eo, ut mens plane avellatur a rebus caducis, & figatur in bono æterno, id est Deo, quod præstat paupertas.

Secunda.

D

Tertia.

Quarta.

E

Objectio. Resp.

Dices; Ad hoc sufficit, relinquere omnia affectu, non reipsa & effectu, uti fecit Abraham. Respond. cum S. Hieron. contra Vigilant. Iste unus est gradus paupertatis, sed inferior; nam summus est, relinquere etiam effectu, tum quia hic dat totum, puta affectum & effectum, tum quia non potest plane affectu relinquere, nisi & effectu. Sicut enim qui cubans in lecto vel sedens in sede, si quis secreto eum sedi alliget, nescit se ligatum, donec surgat: ita qui habent opes, occultum habent affectum, quo eis colligantur, quam non sentiunt, nisi dum illas perdunt vel relinquunt. Ita S. Greg. ep. ante l. Moral. se in sæculo deceptum esse narrat: *Aperiebatur*, ait, *mihi jam tunc de eternitatis amore quod quærerem; sed inolita consuetudo me devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deservire, cœperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo non jam specie, sed, quod est gravius, mente retinerer.* Vide S. Hieronym. l. 3. de Bono Status Relig. c. 22. Vide & ea quæ annotavi Actor. 4. 32.

F

VADE, VENDE, QUÆ HABES] Hinc Pelagiani docebant, nullum divitem posse salvari, nisi sua divenderet, daretque pauperibus, ac fieret pauper, contra quos scribit S. Augustinus epist. 89. ad Hilarium, docens, hoc esse consilium, non præceptum: unde hunc suum errorem revocare coactus est Pelagius, teste S. Augustino, epist. ad Paulinum.

G

Tres libelli sub nomine S. Sixti Pontificis editi huic falso tribuuntur.

Extant tres libelli nuper recusi nomine S. Sixti Pontificis: primus est de divitiis, quo ex hoc loco probat fidelem non posse salvari, nisi eas relinquat, & fiat pauper. Secundus de operibus fidei, in quo docet ea requiri ad salutem; sed esse opera liberi arbitrii, non gratiæ Dei. Tertius de castitate, in quo asserit, castitatem esse opus liberi arbitrii, non donum Dei. Ex quibus liquet auctorem hujus libri non fuisse S. Sixtum, sed Pelagianum aliquem, uti recte adverterunt Doctores Lovanienses, Lindanus, Baronius, Possevinus, & Parisienses in tomo 5. Biblioth. SS. Patrum, ubi hos libellos inseruerunt cum censura jam dicta. *Vende quæ habes & da pauperibus.* Marcus cap. 10. vers. 16. & Lucas cap. 18. v. 22. addunt: *omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus.* Unde hic arguitur error Vigilantii, & Calvini, qui docent melius & perfectius esse suas opes retinere, iisque moderate uti, ac pro loco & tempore dare eleemosynas, quam simul omnia relinquere, quem confutat S. Hier. l. contra Vigilant. nam ut ait S. Anselmus: *plus est dare arborem cum fructibus, quam solos fructus.* Rursum Asceta, qui partem opum suarum dat pauperibus, partem vero sibi retinet, nec piscis est, nec caro, id est, nec renuntians sæculo, nec sæcularis, sed amphibium quid. Unde S. Basilius cuidam capessenti vitam religiosam, sed quædam sibi reservanti dixit: *Senatorem perdidisti, & monachum non feciśti*, teste Cassiano & aliis. Adhæc talis non plene fidit Deo, sed partim Deo, partim opibus, quas sibi reservat. Unde non vere & plene est pauper spiritu, nec se liberat cura, distractione, & tentatione, quam ingerere solent divitiæ. Qua de causa S. Antonius cuidam sic sæculo renuntiare volenti, ut aliqua in tempus necessitatis sibi reservaret, jussit ut nudo corpori suo carnes a se emptas imponeret, quod cũ ille fecisset, certatim canes & aves ad carnem hanc rapiendam accurrentes, totum ejus corpus lacerarunt. Tunc Antonius: *Qui non renuntiant omnibus, sic*, inquit, *lacerantur a dæmonibus*, uti refert Ruffinus in vitis Patrum lib. 3. n. 68. Quocirca S. Hilarion, teste S. Hier. in ejus vita opes sibi ab Oriono, a quo legionem dæmonum expulerat, oblatas, ut eas in pauperes distribueret, respuens: *Multis*, inquit, *nomen pauperũ occasio avaritiæ est, misericordia vero artem non habet; nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat.* Nam, ut sapienter in simili re ait S. Leo ser. 12. de

Perfectus omnia relinquit. Cur?

H

Quadra-

A Quadrageſima: *Per licitos uſus ad immoderatos tranſitur exceſſus, dum per curam ſalutis irrepit delectatio voluptatis, & non ſufficit concupiſcentiæ, quod poteſt ſatis eſſe naturæ.* Rationem a priori dat S. Greg. hom. 20. in Ezechiel. longius ante finem: *Cum enim*, inquit, *quis ſuum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet, ſacrificium eſt. Cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo voverit, holocauſtum eſt. Nam ſunt quidam, qui adhuc mente in hoc ſæculo retinentur, & tamen ex poſſeſſis rebus ſubſidia egentibus miniſtrant, oppreſſos defendere feſtinant: iſti in bonis, quæ faciunt, ſacrificium offerunt: quia & aliquid de actione ſua Deo immolant, & aliquid ſibimetipſis reſervant. Et ſunt quidam, qui nihil ſibimetipſis reſervant, ſed ſenſum, vitam, linguam, atque ſubſtantiam, quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant. Quid iſti niſi holocauſtum offerunt? imo magis holocauſtum fiunt.* Idem docent S. Auguſtinus, Diadochus, Caſſianus, & alii, quos citat noſter Hier. Platus l. 3. de
B Bono Statu relig. c. 2. & S. Thomas 2. 2. q. 86. art. 3.

De pauperibus. DA PAUPERIBUS] Non dicit Chriſtus, Da cognatis, vel amicis divitibus, ait Remigius; hic enim eſt actus amoris naturalis, & parentelæ, quo a te opes non abdicas, ſed tuis quaſi aſſervandas tradis: quare ſic ſæculum non relinquis, ſed illi te magis immergis. Excipe, niſi cognati pro ſua conditione & ſtatu iis indigeant; tunc enim in ſuo gradu cenſentur pauperes. Sed *da pauperibus*, a quibus nil retributionis expectas, ſed a ſolo Deo; quare hic eſt actus purus eleemoſynæ, æque ac paupertatis, & abdicationis opum. Addit Origenes, qui pauperibus, inquit, tradidit bona ſua, ipſorum orationibus adjuvatur. Quocirca S. Hier. S. Paulino, poſtea Nolæ Epiſcopo, ſæculo renuntiare volenti ita præcipit ep. 13. *Tu conſidera, ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas, id eſt, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & ſecundum dictum prudentiſſimi viri, liberalitate pereat. Noli reſpicere ad phaleras, & nomina vana Catonum. Quid tibi cum ſplendore familiæ, qui ſæculi pompis renuntiaſti?*

C ET HABEBIS THESAURUM IN CÆLO] *In theſauro*, ait S. Chryſoſt. *copia & permanentia retributionis oſtenditur.* Et S. Hilar. *Jactura ſubſtantiæ terrenæ*, ait, *cælorum opes emuntur.* Præclare S. Aug. ſer. 28. de Verbis Apoſtoli: *Felicitas*, inquit, *magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, ut paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua: nihil ea poteſt ditius inveniri. Vis noſſe quam locuples ſit? cælum emit. Quibus theſauris conferri poſſit quod videmus paupertati indultum? ut ad regnum cælorum veniret dives poſſeſſione ſua obtinere non poteſt, nunc obtinet ut contempta perveniat.* Vende ergo cœnum, & eme cælum; da obolum, & compara theſaurum.

ET VENI SEQUERE ME] In paupertate peregrinantem, & vangelizantem regnum Dei: *Multi* enim, ait S. Hier. *etiam divitias relinquentes Dominum non ſequuntur, nec hoc ad perfectionem ſufficit, niſi poſt contemptas divitias ſalvatorem ſequantur, id eſt, relictis malis faciant bona. Facilius enim ſaculus contemnitur, quam voluntas. Et ideo ſequitur: Et veni; ſequere me.* Idem S. Hieron. ad Ruſticum, *Chriſtum nudum*, inquit, *nudus ſequere.* Rurſum *ſequere me*, ut vitam activam jungas contemplativæ. Triplex enim eſt vitæ ſanctæ genus: primum & imum eſt vita activa, ſecundum eſt vita contemplativa; tertium & perfectiſſimum eſt jungere actionem contemplationi; ut quod
D in contemplatione a Deo hauſimus, id deinde doceamus alios. Talem enim vitam egit Chriſtus & Apoſtoli. Ita S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 6. Cauſam dat S. Ambr. in explicatione tituli Pſal. 38. *Chriſtus*, inquit, *eſt finis omnium, quæ pia mente depoſcimus. Sive enim ſapientiam quæras, ſive virtuti ſtudeas, ſive veritati, ſive viæ atque juſtitiæ, ſive reſurrectioni, in omnibus tibi ſequendus eſt Chriſtus, qui eſt virtus Dei atque ſapientia, veritas, via, juſtitia, reſurrectio. Ad quem igitur contendas, niſi ad perfectionem omnium, ſummamque virtutum? Et ideo tibi dicit: Veni: ſequere me, hoc eſt, ut ad conſummationem virtutum pervenire merearis. Ergo qui ſequitur Chriſtum ipſum pro poſſibilitate ſua debet imitari, ut præcepta ejus ſecum ipſe meditetur, & divinorum exempla factorum.*

Tria cõſilia Evangelica præcipua. Nota: hoc capite Chriſtus proponit tria præcipua conſilia Evangelica, ſcilicet cælibatus & continentiæ v. 12. paupertatis v. 21. dicens: *vende quæ habes, & da pauperibus*; obedientiæ, cum ait: *ſequere me*, id eſt, mihi meoque inſtituto obedi, teque accommoda, ac meam obedientiam ad mortem uſque imitare.

VERS. 22 CUM AUDISSET AUTEM ADOLESCENS, ABIIT TRISTIS; ERAT ENIM HABENS MULTAS POSSESSIONES] Sapienter S. Aug. epiſt. 43. ad Paulinum & Teraſiam: [Neſcio, *ait*, quomodo cum ſuperflua terrena diliguntur, arctius adepta, quam concupita conſtringunt. Nam unde juvenis iſte triſtis diſceſſit, niſi quia magnas habebat divitias? Aliud eſt enim nolle incorporare quæ deſunt, aliud jam incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur: iſta velut membra præciduntur. *Porro in Evangelio S. Matthæi ſecundum Hebræos, quod citat Origenes, plura hic adduntur: ſic enim habet:* Dixit ad eum alter divitum: Magiſter quid bonum faciens vivam? dixit ei: Homo, leges & prophetas fac. Reſpondit ad eum, feci. Dixit ei: Vade, vende omnia quæ poſſides, & divide pauperibus, & veni ſequere me. Cœpit autem dives ſcalpere caput ſuum, & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis, legem feci & prophetas? quoniam ſcriptum eſt in lege: Diliges proximũ tuum ſicut teipſum, & ecce multi fratres tui filii Abrahæ amicti ſunt ſtercore, morientes præ fame, & domus tua plena eſt multis bonis, & non egreditur ex ea omnino aliquid ad eos. Et converſus dixit Simoni diſcipulo ſuo ſedenti apud ſe: Simon fili Jonæ, facilius eſt camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cælorum.

VERS. 23 JESUS AUTEM (occaſione accepta ex triſtitia adoleſcentis divitis) DIXIT DISCIPULIS SUIS: AMEN DICO VOBIS: QUIA DIVES DIFFICILE INTRABIT IN REGNUM CÆLORUM.] Luc. 18. 22. Mar. 10. 23. Tum quia cupido divitiarum facit eas coacervari per fas & nefas; tum quia eadem ita mentem auro alligat, ut nequeat cogitare de cælo; tum quia divitiæ ſunt materia & ſtimulus ad ſuperbiam, gulam, luxuriam, omniaque ſcelera, juxta illud:

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Audi S. Aug. num. ſer. 28. de Verbis Apoſtoli: *Aurum, quod arumna perquirit, quod avaritia capit, quod ſollicitudo cuſtodit; aurum materia laborum, periculoſa res poſſidẽtium; aurum enervatio virtutum, aurum malus Dominus, proditor ſervus*, &c. *aurum, quod in perniciem Domini fulget; aurum, cujus inquiſitio damnatos habet, cujus amor judam facit*, &c. Denique avaritia eſt idolorum ſervitus, Coloſſ. cap. 3. Paupertas ergo opumque contemptus pandit cælum, quod opulentia & cupiditas occludunt.

VERS. 24 ET ITERUM DICO VOBIS, FACILIUS EST CAMELUM PER FORAMEN ACUS (Arabicus; *Ingreſſio cameli in foramen acus facilior eſt*) TRANSIRE, QUAM DIVITEM INTRARE IN REGNUM CÆLORUM] Luc. 18. 25. Mar. 10. 25. *Et iterum*, Græce πάλιν δὲ, id eſt, *iterum autem*. Chriſtus enim adaugendo quaſi corrigit id, quod dixit, q.d. Dixi, difficile eſſe divitem ſalvari, nunc addo, quod amplius eſt, facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in cælum intrare. Per *divitem* Remig. accipit confidentem in divitiis, qui in iis omnem ſpem ſuam collocat, quod multi divites faciunt. Simplicius tamen quemlibet divitem accipias.

Quem camelum hic ſignificat Chriſtus? Quæres, quis ſit hic camelus, & quomodo poſſit per foramen acus tranſire? Aliqui apud Theophyl. in Græco per camelum intelligunt funem nauticum, qui Græce dicitur, κάμηλον, ideſt camelus. Alii cum Gloſſa intelligunt portam Hieroſolymitanam, quæ, quia erat valde humilis & demiſſa, dicta ſit *camelus*, eo quod ingredienti per eam opus fuerit ſeſe demittere, & curvare inſtar cameli.

Verum dico, intelligi hic animal gibboſum & altum, quod vulgo camelus dicitur. Ita Syrus, Arabicus, Origenes, S. Hilarius, Hieronymus, Chryſoſt. & alii paſſim. Ubi nota apud Judæos hoc fuiſſe proverbium, ut volentes ſignificare rem eſſe impoſſibilem, dicerent, facilius tranſibit camelus per foramen acus, quam iſta res fiat. Unde hoc proverbio utuntur etiamnum Thalmudiſtæ, teſte Caninio in nom. Hebr. novi Teſtamenti. Similia proverbia ſignificantia rem eſſe impoſſibilem, ſunt hæc: facilius teſtudo leporem præverterit: prius lupus ovem ducat uxorem: citius locuſta bovem pariet: aquilam teſtudo vincet: terra volabit: ſurſum flumina: citius Elephantum ſub ala celes: prius ſine pennis volabis: ſcarabeus citius faciet mel: ptius cælum ruat: mare facilius vitem tulerit, falſedo enim frugibus adverſa eſt, ſed vitibus inimiciſſima: citius mulieri verba deerunt: facilius ventos paſces.

Proverbia rẽ impoſſibilem ſignificantia

Porro hic eſt hyperbole; impoſſibile enim dicitur id, quod eſt valde difficile: unde divitem ſalvari, quod hic Chriſtus ait eſſe impoſſibile, v. præced. dixit eſſe difficile. Ita S. Hieronym. *Non*, inquit, *impoſſibilitas prætenditur, ſed raritas demonſtratur.* Ita quoque Janſenius, Maldon. & alii. Sic v. 12. dixit: *qui poteſt capere, capiat*, ſignificans nonnullos non poſſe capere, ideſt, difficulter capere conſilium cælibatus. Et Jerem. cap. 13. 23. ait: *Si mutare*

poteſt

Digitized by Google

A *poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis male, & tamen hoc fieri poteſt; ſed ægre & difficulter. Sic impoſſibile, id eſt,* Camelus per foramen acus tranſire poteſt. Quomodo? *difficile eſt divitem ſalvari; æque ac Camelum per foramen acus tranſire; abſolute tamen id fieri poteſt, ſi v. g. camelus in minutiſſimas partes & quaſi atomos concidatur, quorum ſinguli per foramen acus ſenſim, ſed lente & operoſe traducantur; aut ſi acus quæpiam fiat tam magna & craſſa, ut ſit inſtar turris & pyramidis: tunc enim foramen in ea tantum fieri poteſt, ut per illud tranſeat integer camelus.* Denique Emmanuel Sa foramen acus exponit, quod habet acus, aut quod facit acus; poteſt enim ipſa ſenſim facere ingens, & magnum foramen.

Rurſum *impoſſibile* hic proprie capias; nam divitem ſalvari impoſſibile eſt apud homines, Deo autem eſt poſſibile, ut ait Chriſtus verſ. 26. quia ſcilicet id viribus naturæ eſt impoſſibile, ſed viribus gratiæ a Deo datis eſt poſſibile, æque ac camelum per foramen acus tranſire: hoc enim Deo eſſe poſſibile patet ex ſimili, ſcilicet ex quantitate corporis Chriſti, quæ in Euchariſtia eſt tota in parva hoſtia, imo in quolibet ejus puncto; ſi enim Deus poteſt corpus Chriſti totum ponere in puncto hoſtiæ conſecratæ; ergo poteſt & camelum per foramen acus traducere. Illuſtratur
B id exemplo circuli; nam a quolibet circuli puncto poſſunt lineæ rectæ & diametrales duci ad centrum, ſive medium circuli punctum. Centrum igitur continet in ſe & terminando excipit omnes haſce lineas: ergo ipſum ſolum reſpondet, & quaſi æquatur omnibus circuli punctis, a quibus lineæ ducuntur ad centrum: & conſequenter reſpondet, & quaſi adæquatur ipſi toti circulo ejuſque peripheriæ: ſimili enim modo punctum hoſtiæ in Euchariſtia capit omnes lineas corporis Chriſti, omnemque ejus quantitatem & peripheriam.

Appoſite vero & eleganter, ait Franc. Lucas, dives turgens ac tumens opibus, cujus dorſo longæ latæque divitiarum ſarcinæ incumbunt, quę frequenter oneri ſunt ipſi magis quam uſui, ut quas bajulet aliis potius, quam ſibi, camelo comparatur: & anguſta porta, qua intratur ad vitam, foramini acus, ut intelligas eos, quibus divitiæ affluunt, ſuperbia faſtuque magis turgere, quam ut ſe ad anguſtias,
C in quibus Deus continet ſuos, redigi ſinant. Plures cameli & divitis analogias recenſui Eccli. c. 13. v. 11.

Ejus ſignificatio. Hac ergo cameli, & acus ſimilitudine ſignificat Chriſtus, opes diviti non tam commodo eſſe, quam oneri & impedimento ad virtutem, & ad regnum cælorum; quare ſapienter ſe adoleſcenti conſilium dediſſe, ut eas daret pauperibus, & ſe pauperem pauper ſequeretur. Hinc

Myſtice. Myſtice, camelos, id eſt, divites hoſce opibus tumidos, & ſuperbos per gratiam Chriſti depoſito ſuperbiæ gibbo, ingreſſuros in Eccleſiam quaſi per foramen acus, id eſt, per anguſtias humilitatis, & legis Evangelicæ, prædixit Iſaias cap. 60. verſ. 6. dicens: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha.* Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Procopius ibidem. Audi S. Hieronymum; *Talis fuit ſanctæ memoriæ mater tua Paula fraterque Pammachius, qui per foramen acus, id eſt, arctam anguſtamque viam, quæ ducit ad vitam, tranſierunt, latamque viam cum ſarcinis relinquentes, quæ ducit ad tartarum, quidquid habebant in Domini dona portarunt, implentes illud, Redemptio viri proprie divitiæ, quæ enim apud homines impoſſibilia, apud Deum poſſibilia ſunt.*

Allegor. Allegorice, S. Auguſtinus lib. 2. q. c. 47. & S. Gregorius lib. 35. Moral. c. 17. per camelum, accipiunt Chriſtum, per acum, paſſionem. q. d. Facilius eſt Chriſtum
D pati pro dilectoribus ſæculi, quam dilectores ſæculi ad Chriſtum poſſe converti. Audi S. Gregorium; *Camelus per foramen acus tranſit, cum Redemptor noſter uſque ad ſuſceptionem mortis per anguſtias paſſionis intravit, quæ paſſio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit, facilius autem camelus foramen acus, quam dives regnum cælorum ingreditur; quia niſi ipſe prius per paſſionem ſuam formam nobis humilitatis oſtenderet, nequaquam ſe ad humilitatem ſuperba noſtra rigiditas inclinaret.*

Symbol. Symbolice & anagogice auctor Imperfecti apud S. Chryſoſt. hom. 33. *Gentium anima*, inquit, *aſſimilata ſunt tortuoſis camelis, in quibus erat gibbus idololatriæ: quia cognitio Dei erectio eſt animarum. Acus autem eſt Filius Dei: cujus prima pars ſubtilis eſt, ſecundum divinitatem, alia vero groſſior ſecundum incarnationem ejus. Tota autem recta eſt, & nullam habet deflexionem, per cujus vulnus paſſionis, Gentes ingreſſæ ſunt in vitam æternam. Hac acu conſuta eſt immortalitatis tunica: ipſa eſt acus, quæ ſpiritui conſuis carnem. Hæc acus Judaicum populum junxit & Gentium: hæc acus amicitiam Angelorum & hominum copulavit. Facilius eſt ergo Gentiles tranſire per foramen acus, quam divites Judeos intrare in regnum cælorum.*

E AUDITIS AUTEM HIS, DISCIPULI MIRABANTUR VALDE, DICENTES: QUIS ERGO POTERIT SALVUS ESSE?] Vers. 25 Quia pauci, & vix ulli tunc erant, qui non cuperent eſſe divites: omnes enim inhiabant lucro, uti & nunc multi inhiant. Nam, ut ait S. Aug. in Quæſt. Evang. hic: *Omnes, qui divitias cupiunt, in divitum numero habentur.* Luc. 18. v. 26.

ASPICIENS AUTEM JESUS, DIXIT ILLIS: APUD HOMINES Vers. 26 HOC IMPOSSIBILE EST, APUD DEUM AUTEM OMNIA POSSIBILIA SUNT] imo facilia. Græce, ἐμβλέψας, id eſt *intuetur*: addit Syrus *eos*, ſcilicet diſcipulos, q. d. Jeſus benigno ſuo intuitu aſpiciens Apoſtolos, timidam & anxiam diſcipulorum mentem mitigavit & pacavit ita Chryſoſtomus. *Apud homines*, q. d. Humanæ naturæ viribus impoſſibile eſt diviti, opibus ſuis intricato ſalutem conſequi, eo quod ſalus hæc ſit beatitudo ſupernaturalis, quam proinde ſine ſimilibus ſupernaturalibus gratiæ viribus con- F ſequi non poſſumus. Deo autem omnia poſſibilia ſunt, quia Deus eſt auctor & fons uti naturæ, ſic gratiæ & gloriæ, facitque ut per gratiam omnes naturæ difficultates & remoras generoſe & facile ſuperemus, ac quod ad rem præſentem pertinet, facit, ut divites divitiis ſuis non afficiantur, iiſque recte utantur, imo ut non pauci iis relictis ambiant & ſequantur Evangelicam Chriſti paupertatem: hoc enim fecere primi omnes Chriſtiani, qui omnia habebant communia, ut patet Actor. 4. v. 32.

TUNC RESPONDENS PETRUS, DIXIT EI: ECCE NOS RELIQUIMUS OMNIA, ET SECUTI SUMUS TE; QUID ERGO ERIT NOBIS?] Arabicus, *quid ergo prope eſt ut ſit nobis? Quid*, ſcilicet præmii in cælo & gloriæ in vita æterna. Petrus ſequens conſilium paupertatis Chriſti, quod adoleſcens ſpreverat, animoſior factus animat Apoſtolos, quod ipſi fere ſoli ſecuti ſint conſilium paupertatis datum a Chriſto, ac ut magis eos exhilaret, rogat quæ & quanea eum, cæteroſque Apoſtolos Chriſtum pauperem ſequentes in evangelizando regno cælorum, merces & gloria in eo maneat, ut in propoſito ſancto ſe & ſocios confirmet, promoveat & accendat. G Vers. 27

RELIQUIMUS OMNIA] Quæ habebamus, ſcilicet navim & retia, quibus piſcando, victum quærebamus, quæ licet in ſe pauca & parva forent; tamen, ut ait S. Gregorius hom. 5. in Evang. & ex eo S. Bernardus tract. in hæc Chriſti verba; *Multum deſernit, qui voluntatem habendi dereliquit, a ſequentibus Chriſtum tanta relicta ſunt, quanta a non ſequentibus deſiderari potuerunt.* Pauper enim ſpiritu, licet cenſu ſit inops, tamen ſenſu eſt dives, quia amore Chriſti omnia, quæ habere, ſperare & conſequi poſſet per omnem vitam in mundo, imo totum mundum, & omnia quæ in eo ſunt, reliquit, ut totum cor tradat Deo, qui eſt actus heroicus paupertatis æque ac charitatis & religionis, qua homo ſe totum Deo in holocauſtum offert, imo ſit ipſe animatum & juge Dei holocauſtum.

Audi S. Auguſt. in Pſal. 103. conc. 3. *Petrus non ſolum dimiſit quidquid habebat, ſed etiam quidquid habere cupiebat. Quis autem pauper non turgeſcit in ſpe ſeculi hujus? qui non quotidie cupit augere quod habet? Iſta cupiditas præciſa eſt. Ibat in immenſum, accepit modum; & nihil dimiſſum eſt? Prorſus totum mundum dimiſit Petrus, & totum mundum Petrus accepit. Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes.* H

JESUS AUTEM DIXIT ILLIS: AMEN DICO VOBIS, QUOD VOS QUI SECUTI ESTIS ME, IN REGENERATIONE, CUM SEDERIT FILIUS HOMINIS IN SEDE MAJESTATIS SUÆ, SEDEBITIS ET VOS SUPER SEDES DUODECIM, JUDICANTES DUODECIM TRIBUS ISRAEL] *In regeneratione*, id Regeneratio quid? eſt, in baptiſmo: hic enim eſt regeneratio ſpiritualis, quo morientes peccatis, naſcimur vitæ ſpirituali, cæleſti & divinæ. Ita S. Hilarius. q. d. Vos, qui ſecuti eſtis me per regenerationem baptiſmi, ſedebitis mecum quaſi judices duodecim tribuum Iſrael. Verum omnes alii paſſim per *regenerationem* accipiunt reſurrectionem communem futuram in die judicii: hæc enim, quia corporis, totiuſque hominis, æque ac mundi erit renovatio, & quaſi ſecunda ad gloriam generatio, hinc recte hic & alibi *regeneratio* vocatur. Unde Syrus vertit, *in ſeculo novo*; Arabicus, *in generatione ventura*; tunc enim erit novum cælum & nova terra, Iſai. 65. v. 17. Apocal. 21. v. 1. & 2. Petri 3. v. 13. Vers. 28 & Luc. 22. v. 30.

CUM SEDERIT FILIUS HOMINIS IN SEDE MAJESTATIS SUÆ] Arabicus, *gloriæ ſuæ*. Sanctus Chryſoſtomus, Theo-

Digitized by Google

A Theophylactus & Euthymius per ſeſſionem cenſent ſignificari poteſtatem judiciariam. Judicum enim eſt ſedere, ut ſedate & tranquille, ſine perturbatione & præcipitatione judicent. Hoc verum eſt, ſed inſuper τὸ *ſederit* & *ſedebitis*, ſignificat proprie Chriſtum in judicio ſeſſurum, & cum eo Apoſtolos, eorumque ſimiles, idque in thronis nubium aereis & ſplendidiſſimis, ſed quemque juxta ſuum meritum & dignitatem. Unde ſacra Scriptura paſſim Chriſto judicaturo ſedem & ſeſſionem tribuit; ſeſſio enim eſt communis apud omnes gentes, & quaſi naturalis judicum ſitus. Ita Maldonatus, licet id neget Janſenius, & nonnulli, qui cenſent corporis glorioſi, quale habet Chriſtus, proprium ſitum eſſe ſtare potius, quam ſedere. Verum uterque hic glorioſo competit, ſcilicet ſtare ad pugnandum, & ſedere ad judicandum.

SEDEBITIS ET VOS SUPER SEDES DUODECIM] Richard. Victor. tract. de Poteſtate judiciaria, Maldonatus, & nonnulli alii putant hæc a Chriſto ſolis promitti duodecim Apoſtolis, quia illi primi fuerunt Chriſti aſſeclæ, q. d,

B Quiſque veſtrum duodecim, ſuam ſedem in judicio habebit, etiam Judas, ait Chryſoſtomus, ſi in ſua vocatione perſiſtat. Verum melius alii paſſim cenſent hæc promitti etiam Apoſtolorum ſequacibus & poſteris, puta Religioſis, qui omnia relinquentes, Chriſtum & Apoſtolos regnum Dei evangelizantes, proxime ſequuntur. Ponitur ergo hic numerus definitus pro indefinito, ſcilicet duodecim pro omnibus; Chriſtus enim loquitur duodecim Apoſtolis, ſed ita ut in eis eorum aſſeclas alloquatur: qui enim parem ſuſcipiunt cum Apoſtolis laborem, parem cum eis merentur honorem. Chriſtus ergo ſedes haſce judiciarias promittit iis, qui relinquunt omnia, & ipſum evangelizantem ſequuntur. Hoc autem faciunt Religioſi, præſertim qui animarum lucro ſe dedicant. Unde S. Bernar. ſermone de Ingratitud. *Apoſtolicam*, ait, *omnes nos vitam profeſſi ſumus.* Hinc Naziang. orat. 1. in Julianum, oſtendit monachorum eſſe, ſedere ſuper thronos. Idem diſerte docent Origenes hic tract. 8. S. Aug. 20. Civit. c. 5. Cyrillus in c. 60. Iſaiæ, S. Hier. ep. 28. S. Greg. 10. Moral. c. 17. S. Anſelmus epiſt. 10. Abulenſis hic q. 205. S. Bern. in illud. *Ecce nos reliquimus omnia.* Probat S. Aug. in Pſ. 86. [Nam ſi duo-

C decim tantum ſellæ ibi futuræ ſunt, non erit ubi ſedeat tertius decimus Paulus Apoſtolus; & non erit quomodo judicet, qui tamen judicaturum ſe dixit non homines modo, ſed & Angelos. Non ſolum ergo, *inquit*, illi duodecim, & Apoſtolus Paulus, ſed quotquot judicaturi ſunt, propter ſignificationem univerſitatis, ad ſedes duodecim pertinent. *Et S. Bern. ſerm. de S. Benedicto:* Juſta prorſus, *inquit*, retributio, ut qui hic pro Chriſto humanæ gloriam celſitudinis neglexerunt, illic a Chriſto judices glorificati ſingulariter cum eo aſſideant. Nemo autem putet duodecim tantum Apoſtolos, quia pro Juda prævaricante Matthias electus eſt, tunc eſſe judicaturos, ſicut nec duodecim ſolæ ſunt tribus Iſrael judicandæ, alioquin tribus Levi, quæ tertia decima eſt, in judicata recedet: & Paulus, qui tertius decimus eſt Apoſtolus, judicandi ſorte privabitur; cum ipſe dicat: Neſcitis, quia Angelos judicabimus? Sciendum namque eſt omnes, quid ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, judices cum eo venturos, ſicut etiam omne mortalium genus eſſe judicandum: quia

D enim duodenario ſæpe numero ſolet in Scripturis univerſitas deſignari, per duodecim ſedes Apoſtolorum, omnium univerſitas judicantium, & per duodecim tribus Iſrael univerſitas eorum, qui judicandi ſunt, oſtenditur.] Idem fuſe demonſtrat S. Thomas tract. Contra retrahentes a Religione c. 6. & 7. ubi docet hanc ſeſſionem promiſſam eſſe paupertati Evangelicæ, indeque evincit, quam ſublimis gratiaq; Deo ſit hæc paupertas, utpote quæ præ aliis virtutibus hoc judiciariæ poteſtatis culmen & thronum mereatur. Cauſam dat S. Greg. 26. Moral. 20. ubi interpretans illud Job 36. *Judicium pauperibus tribuit. Quia*, inquit, *quanto huic mundo magna humilitate deſpecti ſunt: tanto tunc acceptis ſedibus majore culmine poteſtatis excreſcit.* Dignum enim eſt Primo, ut Religioſi, qui ſuperiores mundo vixerunt, de mundo judicent. Secundo, ut qui in mundo quaſi aquilæ aſpectu cæleſtium bonorum, & deſpectu terreſtrium cæteros tranſcederunt, cæterorum ſint judices & principes. Tertio, ut qui doctores fuerunt mundi, mundum examinent & judicent, an juxta hanc ſuam doctrinam vixerit. Quarto, ut qui ſatui judicati ſunt a mundo, mundum fatuum judicent, eumque fatuitatis arguant & condemnent. Sap. 5. 4.

Quocirca merito hanc eorum excellentiam admirans exclamat S. Bern. ſer. 8. in Pſal. *Qui habitat: O familiaritatis gratiam, o honoris culmen, o fiducia privilegium, o prærogativam ſecuritatis perfectæ! Quid enim tam pavendum? quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſollicitudinis excogitari poteſt, quam judicandū adſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto judice ſententiam?* Et mox: *Felix plane quæ tam ſecuros, imo glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elemẽtorum, in illo tremẽdo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine judiciorum.*

E Porro glorioſa hæc ſeſſio judiciaria coram toto mundo, imo de toto mundo a Chriſto promittitur ſingulis illis, qui relictis omnibus Chriſtum pauperem pauperes ferventi & perfecto (ita S. Auguſtinus & Gregorius jam citati; unde ex eis S. Antonius & Franc. Suarez 3. part. q. 59. diſp. 57. ſect. 4. negant hoc præmium dandum Religioſis imperfectis, ſed tantum perfectis, idque merito) imitatione ſecuti fuerunt, ejuſque Evangelium & regnum propagarint. Cum enim, ut ait S. Bernardus in illud. *Ecce nos reliquimus omnia; in paupertate duo inſint incommoda, primum humilitas & abjectio, deinde etiam multorum laborum perpeſſio: nimirum merito hoc eſſe a Domino inſtitutum, ut pro laboribus ſeſſio, pro contemptu celſitudo tantæ poteſtatis redderetur.*

F Vox ergo *ſedebitis* ſignificat primo, pauperum Evangelicorum ſecuritatem, ſecundo, munus judicandi, tertio, dignitatem & eminentiam præ cæteris, quarto, locum Chriſto proximum, ſummamque cum eo conjunctionem, quinto, principatum gratiæ, felicitatis & glotiæ, utpote qui quaſi principes regni cælorum jus habeant judicandi cæteros, ac dignos in illud admittendi, & indignos ab eo excludendi.

Tropologice, auctor Imperfecti per hanc ſeſſionem & poteſtatem judiciariam cenſet promitti iis, qui relinquunt omnia, & ſequuntur Chriſtum, Dominum cordium, ut ſcilicet dominentur cordibus, mentibuſque hominum, in iiſque collocent thronum & regnum Chriſti, in quo ipſi ſedeant, ut quaſi reges cordibus hominum imperent, illaque per omnia faciant obſequentia Chriſto. Unde Apoſtoli, & viri Apoſtolici, relinquentes omnia, quales fuere viri religioſi & monachi amore Dei flagrantes, converterunt orbem, uti fuſe oſtendit Hieron. Platus lib. 2. de Bono ſtatus Religioſi c. 30. *Quicumque* enim, ait auctor Imperfecti, *Chriſtum credendo* (& perfecte imitando) *in ſe ſuſcipiunt, ſedes ſunt majeſtatis ejus.* Et. *Quicumque ſuſceperit verbum Petri, ſit thronus Petri, & Petrus ſedet in eo.*

JUDICANTES DUODECIM TRIBUS ISRAEL] *Judicantes*; non tantum collatione veſtri cum impiis, uti exponit S. Hieronymus, Chryſoſt. Euthymius, & eleganter auctor Imperfecti; quomodo regina Auſtri & Niniviræ dicuntur in die judicii condemnaturi Judæos, ſcilicet ſuo facto & exemplo, eo quod, prædicante Jona pœnitentiam egerunt, cum Judæi, prædicante Chriſto, pœnitere noluerint, Matth. 12. v. 40. & 41. Nec etiam approbatione ſententiæ Chriſti dumtaxat, quomodo omnes Sancti judicabunt: approbabunt enim juſtam Chriſti in pios, æque ac impios de cælo & inferno ſententiam; ſed multo honorificentius & glorioſius, quaſi regni cæleſtis primores & principes, doctores & judices, & quaſi aſſeſſores Chriſti judicis, cum eo in ſuis thronis conſidentes, ſicut Cardinales cum Papa, proprie judicabunt, & ſententiam ferent eamdem, quam Chriſtus, qua probos cælo, improbos inferno ad-

H judicabunt, arguentes & increpantes eos, qui ſuam doctrinam, vitæque ſanctæ exemplum neglexerint & probantes laudanteſque eos, qui utrumque coluerint, & imitando expreſſerint. Illos enim decet hæc judicii aureola. Ita Janſen. Maldon. Suarez, & alii.

DUODECIM TRIBUS ISRAEL] Non quaſi Apoſtoli, virique Apoſtolici in die judicii judicaturi ſint ſolos Judæos, uti exponunt Theophylactus & Euthymius; ſed quod ſub duodecim tribubus, omnes gentes intelligat.

Ubi nota, duodecim dici tribus Iſrael: licet enim tribus Joſeph biparsita eſſet, ac diviſa in Ephraim & Manaſſe, duos Joſeph filios, utpote quos ſibi in filios adoptavit, cæteriſque ſuis filiis in ſucceſſione & hereditate æquavit Jacob, communis omnium tribuum pater (ipſe enim genuit duodecim filios, quorum quiſque cum poſteris ex ſe prognatis, unam conſtituit tribum, unde omnes ſimul junctæ ſunt duodecim) Geneſ. 48. 16. ac conſequenter juxta hunc computum tribus Levi eſſet non duodecima, ſed decima tertia; tamen ad ipſam primam tribuum originem reſpiciendo, ſcilicet ad duodecim Patriarchas Jacob filios, nonniſi duodecim erant tribus; quia totidem erant Patriarchæ, ſive Jacobi filii.

Nota

Non ſolii Apoſtoli Judices erunt cum Chriſto.

Sed & Religioſi Apoſtolici.

Ob quatuor cauſas.

Gloriosa ſeſſio judiciaria promittitur omnibus, qui relictis omnibus Chriſtum pauperem pauperes ſequuntur.

Tropol.

Quomodo judicabunt Sancti cum Chriſto.

An cum eo ſententiam ferent?

An in Iſrael duodecim tribus?

A Nota Secundo, has 12. tribus dici Israel, quia ab Israele, id est, Jacobo Patriarcha, per 12. ejus filios sunt prognatæ & propagatæ. Porro hæ 12. tribus olim erant populus fidelis & electus, puta Ecclesia Dei, etiam tempore Christi, imo hoc erat regnum Israelis Messiæ promissum: unde gentes, quæ Christo crediderunt, in hanc Ecclesiam & populum Judaicum, puta in 12. tribus Israelis, quasi insertæ sunt, & quasi civitate donatæ, ut non jam Gentes, sed Judæi, id est, confitentes, credentesque, ac Israelitæ, id est dominantes Deo, appellentur, uti docet Apostolus Rom. 11. v. 17. & seq. Hinc S. Joannes Apoc. 12. v. 12. in portis cælestis Jerusalem, ait se vidisse inscripta nomina 12. tribuum Israel. Omnes ergo Christiani omnium gentium, in 12. tribus Israelis jam dictas divisi & distributi sunt, ut alii censeantur esse de tribu Juda, alii de tribu Joseph, alii de tribu Levi, &c, secundum diversitates animarum & virtutum; ad Juda enim pertinent magistratus, reges, & principes; ex Juda enim nati sunt reges, & principes Israelis, juxta oraculum Jacob Gen. 49. 10. Ad Joseph pertinent virgines, casti, & cælibes; talis enim fuit Joseph ante principatum Ægypti. Ad Levi pertinent sacerdotes, diaconi, Religiosi; tales enim erant Levitæ, & sic de cæteris,

Israel sunt omnes fideles.

B

An infideles sub nomine duodecim tribuum intelligatur.

Nota tertio. Gentes infideles proprie non pertinent ad 12. tribus Israel, utpote fideles: quare tacite hac infidelium omissione hic significatur, ipsos in die judicii non fore judicandos, quia *qui non credit, jam judicatus est*, Joann. 3. 18. quod intellige de judicio dubii examinis, hoc enim solo judicabuntur fideles; de his enim dubium esse potest, an sint damnandi, an salvandi, quod dubium resolvetur ex examine operum cujusque; nam alioqui infideles quinque in die judicii comparituros, & similiter judicandos esse, & cuique pro demeritis majorem vel minorem in gehenna pœnam decernendam esse, apud omnes in confesso est, & patet ex Joelis c. 3, 2. & Matth. 25. 32.

Vers. 29 Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit] Nota, in singulis hisce membris poni conjunctionem disjunctivam *aut*, quia loquitur Christus non de iis qui ipsum sequentes relinquunt omnia, sed de iis qui aliqua dumtaxat abdicant propter se & Evangelium, ait Marcus, ut scilicet Evangelii doctrinam, leges & sanctiones observant. Ita Origenes, S. Hieronymus, Maldonatus, & alii; licet S. Chrysostomus secus sentiat, puteque hic idem a Christo promitti cæteris fidelibus, quod paulo ante promisit duodecim Apostolis, q.d. Omnes fideles, qui idem fecerunt quod duodecim Apostoli, scilicet ut omnibus relictis me sequantur, eumdem honorem recipient, ac sedem unam e duodecim inter Apostolos nanciscentur, ac in ea judicabunt duodecim tribus Israel. Verum prius, quod dixi, verius est, idque exigit disjunctio *aut*.

Luc. 18. v. 29. 30. Mat. 10. 9. 29. 30.

C

Qui reliquerit domum] Vel quia domo spoliatur, agiturque in exilium a tyranno, vel quia sponte domum relinquit ob scandala & tentationes, quas in ea reperit, vel quia relicta domo, confugit ad monasterium vel templum, ut totum se Dei obsequio mancipet. Idem dico de fratribus, sororibus, patre, matre, uxore, filiis: nam & hi, cum sunt infideles & improbi, fidelem a fide vel probitate avocare satagunt: unde si uxor virum a fide & pietate avocet, suadet Christus, ut vir ab ea faciat divortium: satius enim est deserere uxorem, quam Christum; sponte vero eosdem relinquunt,

D

qui perfectiori vitæ studio ad religionum claustra confugiunt. Et hoc significat τὸ *propter nomen meum*, id est, propter me, mei amore, & reverentia, ut mihi melius & plenius serviat, seseque totum mancipet.

Centuplum accipiet] Græce ἑκατονταπλασίονα, id est *centuplicia*, scilicet singula, ut pro una domo, quam Christi causa relinquit, recipiat centum, pro uno fratre, sorore, filio, patre, matre, recipiat centum fratres, sorores, filios, patres, matres. Syrus, *unum in centum*, scilicet auctum, & cum centuplo fœnore multiplicatum. Sic & Ægyptius, Arabicus, Æthiopicus, Persicus, qui fere inter se consentire solent, præsertim Æthiopicus cum Persico, & Ægyptius cum Arabico, ut hic ex illo traductus videatur. Ægyptii enim primitus a S. Marco S. Petri discipulo conversi, Evangelium acceperunt. *Centuplum* ergo, id est plura, & multis partibus majora. Unde Lucas habet *multiplicia*; ponitur enim numerus definitus pro indefinito, ut magnitudo & multitudo recompensæ significetur.

Quæres, quodnam sit hoc *centuplum* iis, qui sua pro Christo relinquunt, ab ipso promissum? Primo Chiliastæ, sive Millenarii per centuplum intelligunt mille annos, quibus hi Sancti post communem resurrectionem in terra hac deliciabuntur, omnique voluptate fruentur. Verum hic est error, quem confutavi Apoc. 20. illique repugnat Marcus 10. 31. dicens: *Accipiat centies tantum nunc in tempore hoc*. Audi S. Hieronymum: *Ex occasione hujus sententiæ, quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes: Tunc nobis centuplum omnium rerum, quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendam; non intelligentes, quod si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo: ut, qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro.*

E Centuplū quid? Resp. Primo.

Secundo, S. Greg. hom. 18. in Ezech. *Centuplum*, inquit, recipiet, quia Deus faciet, ut talis multo magis gaudeat paupertate, aut rerum suarum abdicatione, utpote amore Christi facta, quam divites gaudeant omnibus suis opibus & commodis. Idque revera ita fieri experiuntur ii, qui pro Christo suis se abdicant,

Secundo.

F

Tertio, S. Hieronymus, Beda, & alii centuplum accipiunt in bonis non temporalibus, sed spiritualibus, puta in pace, gaudio, consolationibus divinis, cæterisque donis & gratiis, quibus Deus eos mulcet & cumulat, quæ longe magis superant omnia terrena bona & gaudia, quam numerus centenarius superat unitatem. Verum quia Marcus particulatim explicans τὸ *centies tantum* subdit *domos, & fratres, & sorores, & matres & filios, & agros*, hinc

Tertio.

Quarto, & magis genuine Origenes, Theophylactus, Euthymius, Cassianus, & Franc. Lucas centuplum exponunt sic, quod relinquens sua & suos propter Christum, Christo procurante, inveniat alios centum, id est, plurimos, qui illi amorem, opem & curam fratrum, uxorum & matrum longe majore charitate & suavitate impendant, ita ut non res suas amisisse, vel reliquisse, sed in Christi providentia deposuisse, ibique magno fœnore multiplicasse videatur. Suaviores enim sunt affectus spiritus, quam naturæ; & magis amat pollens amore cælesti, quem conciliavit pietas, quam imbutus amore terreno, quem adjunxit nativitas. Quare, qui unam domum pro Christo relinquit, centum & plures piorum domos inveniet ipsi paratas & apertas, quæ ipsum amanter & gaudenter excipiant. Experiuntur hoc sacerdotes, & qui e domo sua fugiunt ob persecutionem in Japone, Anglia, Scotia: hi enim omnium fidelium domos ad hospitium promptas

Quarto.

G

reperiunt, ac de domo in domum crebro commigrant. Sic religiosus, qui unam patris domum pro Christo relinquit, centum invenit non domos, sed collegia & monasteria maxima & pulcherrima, quæ ipsum ex affectu materno excipiant. Sic, qui unum agrum pro Christo reliquerit, centum Christi cultorum agros inveniet, e quibus alatur, idque sine suo labore & cultura, cum suum colere debuerit, Similiter, pro uno fratre relicto, plurimi erunt Christiani instar fratrum fraterno ipsum amore prosequentes, & spiritali glutino suavius adhærentes: pro una sorore, plurimæ adolescentulæ caste diligent, observabuntque ut fratrem; pro uno patre, senes plurimi ramquam filium fovebunt; pro una matre, matronæ plurimæ affectu materno necessitatibus illius prospicient: pro una uxore, centum aliorum uxores, casto spiritu ipsi conjunctæ, paratæ erunt per se, alioque servire valetudini, commoditatibusque

H

illius, non secus quam si forent uxores illius: denique pro filio aut filia una, innumeri reverebuntur eum ut patrem, & ab ejus doctrina sana, consiliisque pendebunt, ex quibus majorem illius animus accepturus est voluptatem, quam acciperet ex germanis liberis. Hoc est, quod ex Salomone ait August. ep. 89. qu. 4. *Fideli tatus mundus divitiarum est*. Audi Cassianum collat. ult. cap. ult. *Centuplum fratrum, patrumque parentumque recipiet quantitatē. Quisquis patris unius vel matris, seu filii pro Christi nomine charitate contempta, in omniū, qui Christo serviunt, dilectionem sinceriſſimā transit, pro uno scilicet tot patres, fratresque ferventiore, ac præstantiore sibi affectu devinctos. Multiplicata etiam domorum, atque agrorum possessione ditabitur, quisquis una domo pro Christi dilectione rejecta, innumera monasteriorum habitacula, tamquam propria possidebit in quacumq; orbis parte, velut in suæ domus jure succedens. Quomodo enim non centuplum, & si Domini nostri sententiæ superadjici aliquid fas est, plusquam centuplū recipit, qui decem vel viginti servorum ministeria infida & coactitia derelinquentes, tot ingenuorū atque nobilium spontaneo fulcitur obsequio?* Experti sunt hoc centuplum Apo-

stoli;

Digitized by Google

A stoli; & primi Christiani, in fervore primitivæ Ecclesiæ; de quibus ait Paulus *nihil habentes, & omnia possidentes*. Et Lucas Actor. 4. 32. *Nec quisquam*, inquit, *eorum, qui possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Et mox: *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat*. Id etiamnum experiuntur boni religiosi; quod si quando secus accidat, & cuiquam aliquid corpori necessarium desit, tunc Deus defectum hunc corporalium supplet, & compensat copia spiritualium donorum, & gaudiorum.

Exemplum Peregrini. Exemplum illustre est in Peregrino Philosopho, qui finxit se esse Christianum, ac ut talem in persecutione obtulit se Præsidi & carceri, ut ope & opibus Christianorum ei succurrentium frueretur: nec eum fefellit opinio, ibi enim certatim Christianis illi sua offerentibus, suffarcinatus auro impostor in patriam rediit, uti fuse narrat Lucianus in Peregrino, & ex eo Baronius anno Christi 75. c. 7.

B Centuplū est Deus. Denique S. Ambr. in Psal. 118. littera *chet*, sive octonario 8. per centuplum accipit ipsum Deum, ac consequenter totum mundum, qui est Dei peculium. Deus enim iis, qui omnes & omnia propter se relinquunt, est pater, mater, uxor, frater, soror, & omnia. Matth. 12. 49. *Quoniam*, inquit Ambrosius, *qui omnia reliqueris, Deum possidere incipit, & ipse merces utique perfectæ virtutum, qui non centupli enumeratione, sed perfectæ virtutis æstimatione censetur*. Affert etiam exemplum Leviticæ tribus, quæ quia Domini jussu nullam inter alias tribus terræ partem habuerat, ideo Dominus ipse ita promisit, & sæpius confirmavit, se ejus partem & possessionem fore. Unde hac aurea gnome concludens subjicit: *Cui portio Deus est, totius possessor est naturæ. Pro agris ipse sibi satis est, habens bonum fructū, qui non possit perire. Pro domibus satis est sibi, ut sit habitatio Dei, & templum Dei, quæ nihil potest esse pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? Ea est portio quam terrenæ partes æquare non possunt. Quid magnificentius hospite cœlesti? quid beatius possessione divina?* Et Cassianus collat. ult. *Pro lætitia*, inquit, *illa, quam in unius agri ac domus possessione quis habuit, centuplo majore divitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem transiens filiorum Dei, universa, quæ æterni sunt Patris, ut propria possidebit, & affectu atque virtute ad imitationem veri illius filii proclamabit: Omnia, quæ habet Pater, mea sunt, nec jam ulla pœnali distensionis aut sollicitudinis cura, sed securus ac lætus velut in propriis ubique succedit, audiens quotidie ab Apostolo sibi prædicari: Omnia vestra sunt, sive mundus, sive præsentia, sive futura: & a Salomone: fidelis viri totus mundus divitiarum est*. Hęc ergo est congrua & condigna merces paupertatis, ut nihil habens, nihil ei desit, sed omnia possideat. Id expertus S. Franciscus, suosque ad eam exhortans. *Filii*, inquit, *charissimi, magna & inenarrabilia sunt erga nos Dei nostri beneficia, qui adeo flectit erga humiles & inutiles servos suos corda fidelium. Ex acceptis quotidie accipienda speremus: si parva videntur concessa, adjiciet majora, dum in divinorum mandatorum observantia perstiterimus. Jactate ergo cogitatum vestrum in Domino, & ipse vos enutriet in monte hoc* (Arabiæ) *qui Eliam in deserto, Antonium & Paulum in eremo nutrivit. Illud certissime scitote, nullum nobis revelandæ necessitati securius esse refugium, quam nullum habere. Si enim viri Evangelici fuerimus & pauperes, mundus nostri miserebitur, & affluenter nos pascet. Si autem a paupertate defecerimus, mundus nos fugiet, & indigentias illicito modo repellentes majores patiemur penurias*. Ita refert VVaddingus in Annal. Minorum anno Christi 1212. n. 14. Addit Marcus c. 10. v. 30. centuplum hoc reddendum *cum persecutionibus*: quod quomodo fiat, ibidem dicam.

Aurea vox S. Francisci.

C

D

Tropologice. Tropologice, Cassianus loco jam citato, centuplo majus gaudium conversorum esse asserit de virtute, quam fuerit antea de cupiditate & vitio: *Si*, inquit, *pro ira & furoris perturbatione jugem animi lenitatem: pro sollicitudine ac distentionis angore securitatis quietem: pro infructuosa hujus sæculi pœnalique tristitia, salutaris tristitiæ fructum: pro vanitate lætitiæ temporalis, gaudii spiritualis appenderis ubertatem, retributionem in horum affectuum commutatione centuplam percipies*.

Anagogice. Anagogice, S. Antonius, teste S. Athanasio in ejus Vita, per centuplum accipit regnum cælorum, in quo centuplo majora sunt bona, quam sint in terra: *Qui totius orbis dominium reliquit*, inquit, *centuplum de melioribus præmiis in sublimi sede recipiet*. Pro caducis enim reddentur ei stabilia, pro vilibus eximia, pro parvis magna, pro terrenis cælestia, pro humanis divina, pro momentaneis sempiterna.

E

Et vitam æternam possidebit] Syrus, *hereditate possidebit*; Arabicus *hæres fiet vitæ æternæ*. q. d. Qui suam hereditatem, æque ac suos parentes, fratres, sorores, &c. Christi causa reliquerit, pro eis recipiet centuplum in hoc sæculo, & hereditatem vitæ æternæ in futuro. Hæc enim est amplissima hereditas, in qua Beati erunt heredes Dei, ac coheredes Christi: ideoque non solum cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, sed etiam Deum ipsum, & omnem honorem, omnes opes, omnem gloriam, omnem suavitatem, omnes delicias, omnia gaudia, denique omnia bona in Deo possidebunt, non quasi usufructuarii, sed quasi heredes & domini hereditate perpetua, & in æternum, quamdiu Deus erit Deus, duratura. Hæc omnia significantur & involvuntur in vita æterna. Porro hanc vitam æternam obtinebunt omnes, qui servant Dei mandata, ut dixit Christus v. 17. plenius tamen & gloriosius eam obtinebunt, qui præceptis addidere consilia: unde iis solis Christus hic illam promittit & assignat. Quæ phrasi tacite innuit, difficile esse vitam æternam consequi per observationem solorum præceptorum, sine observatione consiliorum; quia illa sine hac est difficilis: difficile est enim servare omnia Dei præcepta, nisi serventur & consilia, præsertim paupertatis: nam, ut ait Christus v. 23. difficile, & quasi impossibile est divitem salvari.

Hereditas vitæ æternæ.

F

Vers. 30

Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi] Nota apposite Christus hanc sententiam præcedentibus a se dictis subjungere: nam ipse hoc capite pene toto opposuit se, suamque gratiam, & consilia Evangelii Pharisæis, & legi veteri; unde consequenter hic opponit præmium illius præmio hujus, ut patebit cap. sequenti: proprie autem respicit illa, quæ immediate ante dixerat de sedibus duodecim judiciariis, de centuplo, de vita æterna dandis suis sequacibus: ac videtur occurrere tacitæ objectioni Apostolorum. Poterant enim ipsi intra se cogitare: Qui fieri poterit, ut nos viles, pauperes, ignorātes, ignobiles sedeamus super duodecim thronis, judicantes 12. tribus Israel? in quibus sunt viri plurimi dignitate, opibus, nobilitate, scientia, fama, auctoritate eminentes, uti sunt Scribæ & Pharisæi, & adolescens ille dives & splendidus, simul ac legis observator, de quo vers. 16. Occurrit Christus, asseritque illos quidem in hoc sæculo esse eminentes & primos, sed in cælo & vita æterna fore novissimos, id est, nullo loco habendos, sed ab ea rejiciendos & excludendos (simili phrasi dixit c. 5. 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis*, &c. *minimus*, id est nullus, *vocabitur in regno cælorum*; ac novissimos hic vocari a regno cælorum remotissimos, patet ex Luca c. 13. 30.) eo quod Christum quasi pauperem aspernati sint, Apostolos vero aliosque similes, qui relictis omnibus secuti Christum in hoc sæculo videbātur esse pauperrimi & novissimi hominum, in vita æterna fore primos, utpote Christo cælorum regi charissimos, & in vita ac moribus, præsertim in paupertate & zelo prædicandi, simillimos. Ita S. Hieronymus, Beda, S. Thomas, Franc. Lucas, & alii, ac Victor Antiochenus in c. 10. Marci. Dicit autem *multi*, non *omnes*, quia aliqui hic sunt primi, qui & in cælo erunt primi, uti sunt sancti reges, principes, doctores, Episcopi, Pontifices, qui licet opibus abundent, tamen pauperes sunt affectu & spiritu: ac vicissim aliqui hic sunt novissimi, qui & in cælo erunt novissimi, uti sunt pauperes, & mendici, qui furtis, rapinis, aliisque sceleribus incūbunt, ut suam inopiam levent, fiantque divites & opulenti.

Multi primi novissimi, novissimi primi.

G

H

Summa hac gnome significat Christus divites & eos, qui bonis terrenis inhiant, a cælo excludendos; pauperes vero, qui cælestia ambiunt, in cælo fore primos. Respicit enim ad id, quod dixit adolescenti diviti v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*. Et vice versa ad illud v. 23. *Dives difficile intrabis in regnum cælorum*. Et ad illud Petri v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Sic Christus in cælo est primus, quia in terra fuit novissimus, juxta illud Isaiæ 53. *Vidimus eum, & non erat aspectus: & desideravimus eum, despectum & novissimum virorum*. Vide ibi dicta. Proxima Christo est B. Virgo, quia post Christum inter homines fuit novissima; sequuntur Apostoli, de quibus ait Paulus: *Puto quod Deus nos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus*. Et mox: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus*,

Christus novissimus primus.

A *famus, omnium peripsema usque adhuc.* 1. Corinth. 3. v. 9. & 13. Sic de S. Martino, cujus hodie festum celebramus, canit Ecclesia: *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur. Martinus pauper & humilis cælum dives ingreditur, hymnis cælestibus honoratur.* Visa est cuidam viro sancto sedes sublimis & gloriosa in cælo, ac miranti cujusnam illa foret, audivit: *Hæc sedes humili servatur Francisco.* Ita habet ejus Vita.

Denique multi Patres & Doctores Scholastici, quos citabo cap. seq. v. 1. *ni novissimi & primi* præcise accipiunt *in ipsa vita æterna*, q.d. Divites, qui in hac vita honestam, sed commodam egere vitam, servantes dumtaxat præcepta Dei (qualis fuit adolescens ille v. 21.) in cælum erunt novissimi: pauperes vero, qui præceptis adjunxere consilia Evangelica, ac in paupertate evangelizando, secuti sunt Christum: hi in cælo erunt primi, de quo plura c. sequenti. Amplior & plenior, omniaque, quæ in sequenti parabola dicuntur, adæquans erit sensus, si *ni novissimi* utroque modo accipias, scilicet ut significet tam excludendos a cælo, quam novissimos in cælo. Nam Apostoli, qui quasi
B primi judicabunt 12. tribus Israel, quasi novissimos, multo ex iis, utpote justos, adjudicabunt cælo; plures tamen, utpote injustos, inferno. Porro hanc gnomen: *Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi*, Christus explicat per sequentem parabolam operariorum, ad vineam excolendam conductorum capite sequenti. Hæc ergo gnome est proparabola, id est, titulus & argumentum illius parabolæ, cui subnectitur ista postparabola, sive scopus & applicatio parabolæ c. 20. v. 16. *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Unde liquet postparabolam respondere ex æquo proparabolæ, imo unum idemque cum illa esse: *electi* ergo vocantur *primi*; *vocati* vero dumtaxat, nec electi, vocantur *novissimi*.

CAPUT XX.

SYNOPSIS CAPITIS.

C *Proponit Christus parabolam operariorum conductorum ad colendam vineam, e quibus novissimi vocati fiunt primi in mercede & præmio. Secundo, vers. 16. prædicit suam passionem. Tertio, vers. 20. Jacobo & Joanni ambientibus primas sedes in regno Christi proponit calicem passionis, docetque majorem esse eum, qui cupit esse minor. Quarto, vers. 30. duos cæcos illuminat.*

VERS. 1. SImile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,

4. Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis.

D 5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam: & fecit similiter.

6. Circa undecimam vero exiit, & invenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?

7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.

9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias,

12. Dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus.

13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi injuriam: nonne ex denario E convenisti mecum?

14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

16. Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

17. Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis:

18. Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte.

19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.

20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid F ab eo.

21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.

22. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

25. Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: G

27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

28. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis.

29. Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa.

30. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt, quia Jesus transiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.

31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.

32. Et stetit Jesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis?

33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri.

34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum. H

VERS. 1. SIMILE EST REGNUM CÆLORUM HOMINI PATRIFAMILIAS, QUI EXIIT PRIMO MANE CONDUCERE OPERARIOS IN VINEAM SUAM] *Simile est*, id est, similiter agitur in regno cælorum, perinde, ac si herus conduceret operarios in vineam suam: nam alioqui præcise & proprie regnum cælorum non ipsi patrisfamilias, sed ejus domui & familiæ simile est. Vide canonem 28. Ut totam hanc parabolam paucis genuine & clare explicem. Parabola patrisfamilias cõducentis operarios in vineam suam.

Notandum est, scopum illius esse, ut per eam probet Christus ultimam propositionem capitis præcedentis: *Multi erunt novissimi primi, & primi novissimi:* Christus enim hanc propositionem immediate præmittit parabolæ, quasi proparabolam, sive titulum parabolæ: ac rursum eandem ipsi subjungit, quasi postparabolam hic vers. 16. Unde & quidam codices Latini sic habent. *Simile est enim.* Scopus ergo Christi hic est ostendere ex Dei gratia, & sine ulla injustitia, vel cujuspiam injuria fore, ut qui hic primas tenere visi sunt, in die novissimo postremas teneant; & qui hic postremas, ibi primas, hoc est, ut Apostoli, & abjecti fideles sequaces Christi, in regno cælorum Scribis & Pharisæis Scopus parabolæ operariorũ.

Digitized by Google

A

ſæis præferantur; ac Gentiles credentes in Chriſtum præponantur Judæis, qui primo tempore Abrahæ, Jacob & Moſis vocati fuerunt a Domino, ut primas in regno Dei, id eſt, in Eccleſia tam militante in terris, quam triumphante in cælis, obtinerent, ſive filios novi teſtamenti, præſertim Apoſtolos, in duodecim ſedibus ſeſſuros in die judicii, anteferendos eſſe filiis veteris teſtamenti, qui ſub umbris legalium ſacrificiorum, cæremoniarum & figuratum laborioſiſſime ſerviebant, quia ſcilicet hi legi & operibus præfiſi, falſo ex illis hoc Dei regnum ſibi arrogabant, ideoque Chriſtum, Chriſtique fidem repellebant. Unde merito a regno hoc exciderunt: illi vero Chriſto, ejuſque fidei & gratiæ, quam longe Judæis uberiorem acceperunt, humillime ſe ſubdiderunt, & ſtrenue ferventerque illi cooperati ſunt, ideoque Judæis prælati, & præ illis electi ſunt ad gratiam, æque ac ad gloriam. Hunc eſſe ſcopum patet Primo; ex proparabola, & ex ipſa parabola, ejuſque clauſula, ſive poſtparabola, verſ. 16. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Secundo, idipſum patet ex Luca, qui cap. 13. verſ. 29. & 30. primos fore noviſſimos, & noviſſimos fore primos ſic explicat, quod Gentiles cælum ingredientur, Judæi vero ab eo excludentur, eo quod illi Chriſtum receperint, hi eum repulerint. Tertio, quia alioqui non poteſt explicari murmur primorum, verſ. 11. in cælis enim inter Beatos nullum eſt murmur, ſed illud eſt in inferno inter damnatos: nec etiam dura ibi Domini increpatio, verſ. 15. *an oculus tuus nequam*, id eſt invidus *eſt* & parcus, *quia ego bonus*, id eſt, beneficus & liberalis, *ſum*? Ita cenſent Janſenius, Barradius, Haſſelius, & Franc. Lucas hic, ac Ludovicus Molina, & Gabriel Vaſquez 1. part. quæſt. 12. art. 6. Igitur quæcumque in parabola hac ad ſcopum jam dictum pertinent, annotanda & explicanda ſunt; quæ vero ad eum non pertinent, in explicatione parabolæ omittenda ſunt, adduntur enim duntaxat, ut emblemata ipſius parabolæ juxta canonem 29. Per vineam ergo ſignificatur Eccleſia, per forum mundus, per primo, hora prima, tertia & ſexta vocatos ſignificantur Judæi jam in avis ſuis Abraham, Jacob & Moſe vocati ad Dei fidem & cultum, ut eum, in

B

C

Eccleſia Dei bene operando, augeant & propugnent: per noviſſime vero, hora undecima vocatos, ſignificantur Gentiles, ultimo per Chriſtum & Apoſtolos vocati ad Chriſtum & Eccleſiam; per veſperam, ſignificatur dies extremi judicii, in quo ſingulis aſſignabitur & adjudicabitur ſua merces, vel jam in hac vita eis data (uti data eſt eſt Judæis) vel tum danda, uti danda eſt Gentilibus in cælo; per denarium, ſignificatur integra merces diurna, ſive merces laboris, qua quis per totum diem in vinea laboravit. Denarius enim, teſte Plinio, Budæo & aliis appendebat drachmam Atticam, id eſt, Regalem Hiſpanicum, ſive Julium Italicum: unde denarius illo ævo erat ſtatum diurni laboris pretium. Dictus denarius, quod appenderet decem Bajocos Romanos. Porro denarius omnibus tam primo, quam ultimo vocatis datur idem in genere, ſeu in confuſo, id eſt, datur omnibus & ſingulis integra diurni laboris merces, in genere par & eadem, ſed in ſpecie & in particulari valde diſpar & diverſa. Denarius enim erat numnus communis, qui multas ſub ſe continebat nummorum ſpecies & formas. Denarius enim alius erat æreus, alius argenteus, alius aureus. Rurſum alius erat ſimplex, alius duplex, alius triplex, alius quadruplex; perinde ac jam ſunt Regales Hiſpanici. Diſparem enim hic datam fuiſſe operariis mercedem liquet ex eo, quod noviſſimi, qui hora undecima venerunt, prælati ſunt cæteris, qui hora prima, tertia & ſexta venerunt: quia licet hi diutius laborarint, illi tamen majori gratia & diligentia fervoreque laborarunt: quare uti primos in fervore potius, quam in labore, ſic & in mercede ſuperarunt.

D

Dices: Ergo hic majori labori minor datur merces. Reſp. Verum id eſt, ſed non majori merito, huic enim ſemper major debetur, daturque merces. Majus autem meritum facit major non labor, ſed gratia, & gratiæ cooperatio. Majorem autem gratiam habuere Apoſtoli, quam Scribæ, Chriſtiani, quam Judæi; ac magis, quam illi gratiæ cooperati ſunt: ideoque major denarius, id eſt, major merces eis promiſſa eſt. Nam Judæis per tot mundi ætates diu, operoſe & moleſte laborantibus in Dei cultu & Eccleſia, denarius a Deo promiſſus erat merces temporalis, ſcilicet abundantia rerum temporalium, frumenti, olei & vini: Gentilibus vero Chriſtianis unica & ultima mundi ætate laborantibus, promiſſus eſt a Chriſto denarius, id eſt, merces ſpiritualis longe nobilior, & omnem laborem ſuperans, ſcilicet vita æterna: Judæi ergo acceperunt denarium, id eſt, drachmam æris vel argenti; Chriſtiani vero auri: alioquin enim, ſi denarius eamdem omnino ſignificaret mercedem, repugnaret proparabolæ & poſtparabolæ, in quibus aſſeritur, quod *erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.* Hoc enim ſignificat Chriſtianos & Apoſtolos præferendos Judæis in præmio cæleſti: imo quod ipſi judicabunt & condemnabunt Judæos. Reſpicit enim Chriſtus ad id, quod dixit c. præced. v. 8. *Sedebitis vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Unde Judæi, qui in hac vita erant primi & ditiſſimi, in die judicii apparebunt noviſſimi: & a cælo remotiſſimi: Gentiles vero Chriſtiani in hac vita abjecti & pauperes, in die judicii erunt primi in regno cælorum, ideoque Judæi contra Gentiles Chriſtianos murmurabunt, quod eos olim viles idololatras, tunc ſibi in fide, gratia & gloria prælatos videbunt: ſicut & in hac vita Scribæ aſſidue murmurabant contra Chriſtum & Apoſtolos, quod ipſi in Evangelio, id eſt, in prædicatione, fide, gratia & promiſſione regni cæleſtis, Judæis, id eſt, populo a Deo olim electo, præferrent Gentiles, olim ob idola & ſcelera infames.

E

F

Ut ergo verbo dicam, tota parabola non ſignificatur aliud, quam Gentiles credentes in Chriſtum præferendos eſſe Judæis, Moſi & legi pertinaciter adhærentibus, ideoque Chriſtum ſpernentibus; præferendos, inquam, tam in gratia & Eccleſia militante, quam in gloria & Eccleſia triumphante, ideoque Judæos contra Chriſtum & Chriſtianos murmuraturos, quod cum vocatione, labore, ſynagoga & dignitate populi fidelis eſſent potiores, & antiquiores, jam tamen in his & cæteris Gentilibus poſtponantur. Et hoc eſt, quod docet paſſim Paulus, præſertim tota epiſtola ad Romanos, ac Chriſtus ipſe: *Publicani*, inquit, *& meretrices præcedent vos in regno Dei*, Matth. 21. 31. Et *Cum videritis Abraham & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Et: *Venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro* (ex quatuor plagis orbis & Gentium) *& recumbent in regno Dei*; ac ſtatim ſubjungit id, quo tota hæc parabola refertur: *Ecce ſunt noviſſimi* (puta Gentiles) *qui erunt primi* (in cælo) *& ſunt primi* (puta Judæi in hac vita) *qui* in die judicii *erunt noviſſimi*. Reliqua, quæ in hac parabola adduntur, emblemata ſunt addita ad elegantiam parabolæ, juxta canon. 29.

G

Juxta hunc ſenſum primi ſunt ſalvandi, noviſſimi ſunt damnandi. Alio vero ſenſu, quem nunc ſubjungam, primi futuri noviſſimi, ſunt illi, qui primi vocati ſunt, ſed ultimi ad præmium perveniunt: noviſſimi vero futuri primi, ſunt illi, qui ultimo vocati, primi fiunt in præmio. Unde, de his vulgo a Patribus Doctoribus Scholaſticis hæc parabola aliter tractatur & explicatur, quaſi Chriſtus dicere velit, tam primos, id eſt primo vocatos, quam noviſſimos, id eſt ultimo vocatos ad fidem & gratiam, puta tam Judæos, quam Chriſtianos Deo ſervientes, eamdem vitam æternam accepturos (dicuntur enim, vel potius ſubintelligitur ex anteced. & ſequ. tam noviſſimi, quam primi fore in ipſa vita æterna, ſive in cælo) nec obfore cuipiam, quod in fine mundi vel ætatis ſuæ ſit vocatus, aut venerit ad vineam Eccleſiæ vel animæ ſuæ excolendam, imo cum cæteris, qui diu ante vocati ſunt aut venerunt, fore præferendum in gloria cæleſti, ſi gratiæ majori ſibi a Deo datæ majori labore, ſtudio & fervore cooperetur. Ita explicat S. Hieronymus, Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, S. Thomas, Maldonatus, Gregorius de Valentia 1. p. quæſt. 12. art. 6. Bellarminus lib. 3. de Juſtificatione cap. 16. Suarez fuſe 1. part. lib. 3. de Attrib. Dei negat. cap. 20. Eſtque hæc applicatio valde probabilis, illique valde favet primo, quod ſic melius explicatur quomodo idem denarius detur omnibus operariis. Paſſim enim Patres per denarium accipiunt vitam æternam. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Anſelmus hic & S. Auguſtinus ſerm. 59. de Verbis Domini, Tertullianus de Monogam. cap. 13. Nazianzenus orat. 40. Greg. hom. 16. in Ezech. Valentia, Bellarminus & Suarez jam citati.

H

Dices, quomodo in denario hoc pares ſunt primi & noviſſimi, cum primi majores ſint in felicitate & gloria vitæ æternæ, quam noviſſimi? Reſpondetur, eumdem denarium notare eamdem benedictionem genericam & objectivam, ſcilicet eamdem divinam eſſentiam, quæ eſt objectum beatitudinis, & gloriæ Beatorum; hæc enim una & eadem eſt, quæ omnes Beatos ſui oſtenſione beat, ſed tamen unio & fruitio ejus eſt diſpar pro diſparitate meritorum; qui enim majori gratia & labore Deo ſerviverunt,

uti

Prob. Primo.

Secundo.

Tertio.

Applicatio partium parabolæ.

Denarius idem ſingulis datus, quid?

Majus meritum facit non labor major, ſed gratia.

Alia explicatio parabolæ.

Prob. Primo.

uti fecerunt noviſſime vocati, hi clarius, & perfectius Deum videbunt, ideoque magis ejus amore, cæteriſque dotibus fruentur, eruntque magis Beati, quam illi, qui minori gratia, & labore Deo ſerviverunt. Ita S. Gregor. 4. Moral. cap. 31. aut juxta aliam editionem 43. S. Auguſtinus de S. Virgin. 26. S. Hieronymus hic, S. Thomas 1. par. quæſt. 12. art. 6. Valentia, & alii. *Omnibus*, ait S. Auguſtinus, *datur vita æterna, ſed eorum manſiones multæ ſunt, honoratur enim alius alio clarius.* Huc accedit Bellarminus loco jam citato, nam denarius ille ſignificat, inquit, *æqualitatem æternitatis, non gloriæ & excellentiæ.* Pulchre S. Auguſtinus l. 7. in Lucam, exponens caput decimum quintum: *Æqualem*, inquit, *dignaris ſolvere mercedem vitæ, non gloriæ. Itaque datur omnibus idem denarius, quoniam Sancti omnes ſine fine regnabunt, quamvis non omnes eadem eminentia regnabunt. Quemadmodum commune ſtellis omnibus eſt perpetuo fulgere in cælo, tametſi aliæ aliis clarius micent.* Et Gloſſa Interlin. eumdem denarium interpretatur, eamdem æternitatem beatam, quæ omnibus Beatis eadem datur: omnes enim in æternum erunt beati, de eoque certi ſunt. Rurſum huic ſententiæ favent illa, quæ dixit Chriſtus cap. 19. verſ. 21. & ſeq. quorum occaſione & intuitu hanc parabolam ſubtexuit: ibi enim juveni diviti dicenti ſe præcepta Dei ſervaſſe, addit, conſulitque paupertatem Evangelicam: dicens. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo;* quam, cum juvenis triſtis abnueret, interceſſit Petrus, dicens: *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. *quid ergo erit nobis?* Cui Chriſtus: *Sedebitis vos ſuper thronos duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael.* q. d. Vos, o Apoſtoli, præferemini illi adoleſcenti, & ſimilibus, qui tantum ſervant præcepta Dei, quia vos inſuper ſervatis conſilia Evangelica, & ſecuti eſtis me in evangelizando: quare licet illi in hoc ſæculo videantur eſſe primi, tamen in cælo erunt noviſſimi: vos vero, qui in hoc ſæculo videmini noviſſimi, in cælo eritis primi. Multi enim e Judæis ante Chriſtum quavis ætate timuerunt Deum, ejuſque præcepta ſervarunt, & ideo ſalvati ſunt. Jam, ut juxta hunc ſenſum ſingula applicemus, per diem accipe mundi curſum, & tempus: per horas varias, accipe diverſas mundi ætates, ut prima hora ſit prima ætas mundi, ab Adam uſque ad Noe; ſecunda a Noe ad Abraham, tertia ab Abraham ad Moſem, ſexta a Moſe ad Chriſtum; undecima hora ſit a Chriſto uſque ad finem mundi. Ita S. Hilarius, S. Gregorius & Theophylactus. Aut dies eſt ætas vitæ cujuſque hominis, cujus hora prima eſt infantia; tertia eſt pubertas: ſexta, ætas virilis; nona, ſenilis; undecima, decrepita. Ita S. Hieronymus, S. Baſilius in Reg. brevior. inter 224. & S. Fulgentius epiſt. 7. Porro non tantum tota vita cujuſque, ſed totum hoc ſæculum præſens, quod per tot millia annorum ad finem decurrit, unus dumtaxat dies dicitur: *Magnus quidem quantum ad nos, modicus autem quantum ad Dei vitam*, ait Origenes, ejuſque æternitatem. Per murmur, cum Theophyl. Salmerone, Suarez, Vaſquez, & aliis accipe admirationem Sanctorum, cum ſcilicet illi, qui minores erunt in gloria, & tamen plus hic laborarunt, uti fuere Judæi, mirabuntur alios, qui hic minus laboraverunt, ſed majori excelluerunt gratia & ſpiritu, ſibi in gloria anteponi: ut hic Chriſtus injiciat aculeum diligentiæ, & ei, qui cito venit, ne torpore ſuo aliis poſtponatur; & ei qui tarde venit, ut fervore tarditatem compenſet, ac primos æquet vel ſuperet, ſtudendo perfectioni & conſiliis Evangelicis, uti ſuaſit Chriſtus cap. præced. v. 21. Denique plenus & adæquatus erit ſenſus, ſi ſecundum hunc ſenſum conjungas cum primo, & utrumque conflas in unum: nam, ut dixi in fine cap. præced. *noviſſimi* hic utroque modo accipi poſſunt, ſcilicet ut ſignificent noviſſimos tam extra cælum, ideoque damnandos, quam in ipſo cælo, ideoque ſalvandos; prioribus competit primus ſenſus, in iiſque plane explicat eorum murmur; poſterioribus competit ſecundus ſenſus, in iiſque plane explicat denarium, quomodo ſcilicet idem denarius, nimirum eadem vita æterna omnibus detur, tam noviſſimis, quam primis: quare ſecundus ſenſus ſupplet primum, & viciſſim primus ſupplet id, quod deeſt ſecundo: junge ergo utrumque, & omnia adæquabis.

Applicatio partium parabolæ

Tropologice vinea eſt anima cuique excolenda;

Tropologice: Vinea eſt anima cuique excolenda: moraliter ergo hinc diſce nos vocatos, ut ſimus operarii in vinea, id eſt, anima & Eccleſia Dei. S. Bernardus quotidie ſe interrogabat: *Bernarde dic quare hic?* Vocatus es non ad otium, ſed ad laborem, ut excolas vineam, id eſt, animam tuam virtutibus, & Eccleſiam ſanctis exemplis. Et S. Petrus ep. 2. 1. *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Porro cultores hujus vineæ non æſtimantur tempore, & antiquitate laboris, ſed diligentia, fervore & ſpiritu. Hi enim primis præferuntur. Quocirca S. Hieronymus epiſt. 13. ad Paulinum: *Noli*, ait, *fidem penſare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quod prior in exercitu Chriſti cœperim militare; Paulus Apoſtolus de perſecutore mutatus, noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt; quia extremus licet, plus omnibus laboravit ſubitus calor longum vincit teporem.* Idē ep. 34. ad Julianum: *Felix*, ait, *& omni dignus beatitudine, quem ſenectus Chriſto occupat ſervientem, quem extrema dies Salvatori invenerit militantem, qui non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.* Vere Sapiens c. 4. *Conſummatus*, ait, *in brevi, explevit tempora multa.* Ita S. Xaverius undecim annis quanta fecit in India? Quiſque ergo operarius eſt vineæ (id eſt animæ) ſuæ & vineæ proximi. Hinc ſponſa ait Cant. 1. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis; vineam meam non cuſtodivi.* Eſſentia animæ eſt vinea, plantata in terra hujus corporis, cujus facultates ordinatæ ſunt vites; cujus vinum ſunt opera charitatis, vites alligandæ ſunt palo crucis, cujus pedi foveam facimus, dum mortem inſtare, & foveam ſepulturæ cognoſcimus. Servanda eſt hæc vinea ab apro exterminatore de ſylva, Pſalm. 79. id eſt, de vitio obſcœnæ voluptatis, quæ omnia bona exterminat, & a ſingulari fero, id eſt, a vitio ſuperbiæ, quæ ſingularem hominem facit: a vulpe aſtutæ adulationis, a lupo voracitatis, a cane detractionis. Rogandus Dominus ut huic vineæ ſuæ mittat pluviā doctrinæ ſuæ, & calorem charitatis ſuæ, & ſtercora, id eſt memoriam mortis filii ſui, & SS. Martyrum. Revireſcit anima tamquam vinea per flores & folia, id eſt, per ſancta deſideria & ſermonem ædificantem: producit lachrymas compunctionis, emittit odorem virtutis, juxta illud Cant. 2. *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum;* edit maturas uvas bonorum operum. Ita Salmeron. Rurſus quæ facit vinitor in vinea, hæc faciat fidelis in anima. Ille putat, ſarrit, aggregat, plantat, ablaqueat, defrondat, &c. Idem faciat myſtice fidelis in anima ſua. Porro, *Sicut mercenarius*, ait S. Chryſoſt. *totum diem circa domini opus impendit: unam autem horam circa ſuum cibum, ſic & hoc omne tempus vitæ noſtræ debemus impendere circa gloriam Dei; modicam autem partem circa uſus noſtros terrenos. Et ſicut mercenarius ea die, qua opus non fecerit, erubeſcit intrare in domum & petere panem; quomodo tu non confunderis intrare in Eccleſiam, & ſtare ante conſpectum Dei, quando nihil boni in conſpectu Dei geſſiſti?* Jam ſigillatim verſus ſingulos breviter percurramus.

CONVENTIONE AUTEM FACTA CUM OPERARIIS EX DENARIO DIURNO, MISSIT EOS IN VINEAM SUAM] Denarius argenteus erat Julius Romanus, ſive regalis Hiſpanicus, qui Romæ valet decem bajocos, in Belgio quinque ſtuferos. VERS. 2.

Denarius quid?

Objiciebat olim Jovinianus, & nuper Calvinus, juſtos omnes eſſe pares in præmio, id eſt, in denario vitæ æternæ; ergo & pares eſſe in merito; ergo omnia opera bona eſſe paria. Verum jam reſpondi, omnes in vita æterna generice & abſtracte eſſe pares, quia omnes ſunt beati certique de ſua beatitudine, ejuſque æternitate, quod ſcilicet vivent in omni felicitate vitam æternam; ſed in hoc ipſo erunt gradus intenſionis, & remiſſionis, ut alii magis, alii minus videant Deum, ideoque illi magis, hi minus ſint beati, & glorioſi; quocirca illi in cælo vocantur, & revera erunt primi, hi noviſſimi.

ET EGRESSUS CIRCA HORAM TERTIAM, VIDIT ALIOS STANTES IN FORO OTIOSOS] Romani, ait Rhodignius libr. 12. cap. 9. indeque Judæi jam Romanis per Pompejum ſubjecti, dividebant uti noctem, ſic & diem; in 12. horas per quatuor partes, quas noctu in caſtris vigilias (eo quod initio earum vigiles mutarent) vocabant. Prima hora, ſive vigilia, incipiebat ab ortu ſolis, tertia tribus horis ab ortu, ſexta ſex horis ab eodem, puta in meridie, nona tribus horis poſt meridiem, duodecima in veſpera & ſolis occaſu. Porro in hieme hæ horæ erant breviores per diem, longiores per noctem, quia in hieme dies ſunt breviores, noctes vero longiores: vice verſa in æſtate, hæ horæ erant longiores per diem, breviores vero per noctem, quia tunc dies ſunt longiores, noctes vero breviores. VERS. 3

ET DIXIT ILLIS: ITE ET VOS IN VINEAM MEAM, ET QUOD JUSTUM FUERIT, DABO VOBIS: ILLI AUTEM VERS. 4. & 5.

Digitized by Google

A ABIERUNT] His promittit non denarium, ſed *quod juſtum fuerit*, q. d, Denarius erat merces diurni laboris, dabaturque laborantibus ab hora prima, id eſt, a ſolis ortu uſque ad occaſum. Hi autem hora tertia vocati tribus horis ſerius veherunt ad laborandum in vinea; quare non totum denarium, ſed tres quartas dumtaxat denarii, puta ſeptem bajocos cum medio, ſive tres ſtuferos Belgicos cum tribus quadrantibus merebantur; ſed liberalior fuit herus, qui eis veſpere integrum denarium perſolvit.

Nota τὸ *juſtum* ſignificat meritum bonorum operum, quod quaſi ex juſtitia meretur mercedem, quam Deus cuique operi ex juſtitia diſtributiva promittit, rependit, & diſtribuit.

VERS. 5. ITERUM AUTEM EXIIT CIRCA SEXTAM ET NONAM HORAM, ET FECIT SIMILITER] Notatur ſollicitudo heti quærentis operarios ad excolendam vineam, quæ notat ſollicitudinem Dei, volentis ut homines omnes, & ſinguli ſint operarii in vinea ſuæ animæ & Eccleſiæ, ut utraque omni fructuum genere reſplendeat.

VERS. 6. CIRCA UNDECIMAM VERO EXIIT, ET INVENIT ALIOS STANTES (Græca & Syrus addunt, *otioſos*) ET DICIT ILLIS; B QUID HIC STATIS TOTA DIE OTIOSI?] Nota τὸ *tota*, quia undecima hora eſt ultima hora diei, dies enim finitur hora duodecima, ut dixi v. 3. quare hac hora vocati per unam horam dumtaxat laborarunt in vinea. Porro vocati hora prima, tertia, ſexta, nona, notant Judæos & cæteros priores; vocati vero undecima, notant Chriſtianos, uti dixi. Unde Origenes hora prima, ait vocatum Adamum, hora undecima, Paulum.

VERS. 7. DICUNT EI; QUIA NEMO NOS CONDUXIT] S. Chryſoſtomus ait, hanc eſſe futilem pigrorum excuſationem, Quia, inquit, Deus omnes vocat a pueritia ad virtutem, puta ad ſui & Eccleſiæ ſuæ obſequium. Hinc v. 1. exiit primo mane, Sic & S. Gregorius, & Gloſſa Interlin. Porro conductio, ait Chryſoſtomus, & promiſſio vitæ æternæ; Gentes vero nec Deum, nec Dei promiſſa ſciebant; unde dicunt ſe non fuiſſe conductos, id eſt vocatos, per prædicatores, licet per legem & lumen naturæ eſſent vocati.

DICIT ILLIS; ITE ET VOS IN VINEAM MEAM] His ex rigore temporis, & laboris, duodecima tantum denarii pars debebatur, utpote una, id eſt, duodecima hora diei in vinea dumtaxat laborantibus: ſed Deus liberalis C integrum, imo præſtantiſſimum vitæ æternæ denarium eis retribuit.

VERS. 8. CUM SERO AUTEM FACTUM ESSET, DICIT DOMINUS VINEÆ PROCURATORI SUO; VOCA OPERARIOS, ET REDDE ILLIS MERCEDEM, INCIPIENS A NOVISSIMIS USQUE AD PRIMOS] τὸ *ſero* notat fidem mundi, & diem judicii, quo Chriſtus judex ſingulis pro merito mercedem retribuet, idque per ſe; unde τῷ *procuratori* eſt emblema parabolæ. Chriſtus enim non eget procuratore.

Procurator hic quis?

Symbolice, tamen Origines per procuratorem accepit SS. Angelos, ut S. Michaelem, per quem Chriſtum particulare judicium animarum, in morte cujuſque exercere, vel animæ intimare, nonnulli autumant, ut dixi Daniel. 12. 1. Remigius vero per procuratorem accipit Chriſtum, qui qua homo procurator eſt Dei Patris, ejuſque nomine judicabit vivos, & mortuos. S. Irenæus autem lib. 4. contra hær. c. 70. ſub finem, per procuratorem accipit Spiritum ſanctum, quia hic diſpenſat uti gratias & dona, ſic & gloriam, & præmia. Ita & Gloſſa.

MERCEDEM] Quia merces reſpondet præcisè non laD bori, ſed merito; meritum autem facit gratia, & liberum arbitrium gratia excitatum, ipſique gratiæ per gratiam cooperans: qui autem undecima hora venerunt, puta Gentes per Apoſtolos ad Chriſtum vocatæ, plus habuerunt gratiæ, & charitatis, magiſque gratiæ cooperatæ ſunt, ideoque Judæos prius vocatos, & diutius in vinea Dei laborantes in præmio anteceſſerunt, primaſque in cælo obtinent. Diſce hic praxin facilem augendi merita & gloriam, eſſe, ſi quis crebro exerceat actus charitatis, eoſque ardentes & intenſos, imo ſi omnia opera externa faciat ex charitate & amore Dei. Sic enim plus merebitur, quam ruſtici & milites, qui magnos ſubeunt labores, ac plus quam Religioſi, qui arduas ſubeunt pœnitentias, ſi ex majori charitate, quam ipſi, ſua opera, licet in ſe minus difficilia, exerceat.

INCIPIENS A NOVISSIMIS] qui minori tempore, ſed majori fervore & ſpiritu laborarunt. Vide dicta v. 1. Quibus adde S. Chryſoſtomum: *Nimia miſericordia*, ait, *ordinem non reſpicit*. Auctor lib. de Spiritu & littera apud S. Auguſt. c. 24. *Velut priores*, ait, *reperiuntur hi, qui minus dilati ſunt*. S. Gregorius; *Plerumque antevertuntur* E *qui ultima ætate vocati ſunt, prius enim de corpore exeunt ad regnum, quam qui in pueritia vocati*. Gloſſa; *A noviſſimis incœpit, dum prius latronem quam Petrum in paradiſum introduxit*.

CUM VENISSENT ERGO QUI CIRCA UNDECIMAM HORAM VENERANT, ACCEPERUNT SINGULOS DENARIOS] VERS. 9. Græce τὰ ἀνὰ δηνάριον, id eſt, *ſecundum denarium*, hoc eſt, *ſinguli denarium*, ut vertit Syrus, Arabicus, Varablus, & alii: ἀνὰ enim ſignificat æquam proportionem, ſive æqualem diſtributionem mercedis. Porro denarius hic in genere erat idem & par, ſed in ſpecie diverſus & diſpar, ut dixi v. 1. & hoc videtur ſignificare τὸ, ἀνὰ δηνάριον, id eſt, juxta denarium, ſcilicet ſibi competentem & debitum, q. d. Hora undecima venientes, id eſt, Apoſtoli & Chriſtiani, ultima mundi ætate vocati, acceperunt denarium meliorem & pretioſiorem, ſuo labori & merito congruentem, & debitum: quia enim ipſi majori gratia, fervore & ſpiritu laborarunt in Eccleſia Dei; hinc meliorem denarium, id eſt, majorem gloriam acceperunt, cæteriſque Judæis prius vocatis, & plus laborantibus prælati ſunt.

Dices: Prius vocati murmuratunt, eo quod eumdem denarium cum poſterius vocatis acciperent; unde ajunt, *Pares eos nobis feciſti*; ergo idem denarius plane fuit datus his & illis; ſi enim alius, & major fuiſſet denarius, dixiſſent; *Superiores eos nobis feciſti*; ac longe magis murmuraſſent. F

Reſp. Veſpere in tenebris ſolet diſtribui operariis poſt operas diurna merces, puta denarius; itaque tum non ſatis dignoſcere potuerunt ſequentes, quis & qualis eſſet denarius, quſ præcedentibus daretur, ſed tantum in genere audierunt a procuratore ſingulis dici: Accipite veſtrum denarium; aut ſi eum viderunt, non ſatis in tenebris diſcreverunt, quod ipſi acciperent denarium, id eſt, drachmam in cupro; priores vero eamdem acciperent in auro; cuprum enim, præſertim aurichalcum, rubore & fulgore ſimile eſt auro; uti videre eſt Romæ in medallis æreis adeo ſplendidis, ut aurea videantur; unde putarunt eumdem in ſpecie illis dari denarium qui ſibi dabatur, idque ægre tulerunt, quod ſcilicet qui pauciori tempore, imo una hora dumtaxat, laboraſſent, æquarentur ſibi in mercede, qui toto die laborarant. Quæ omnia parabolice ſignificant invidiam Judæorum erga Gentes; illi enim ægerrime tulerunt Gentes ſibi æquari in Dei cultu, Eccleſia, chriſtianiſmo, gratia & gloria ſui Meſſiæ ſive Chriſti; putabant enim hęc omnia ſibi ſolis proprie & ex aſſe deberi, reliquis vero Gentilibus, per quamdam gratuitam tantum diſpenſationem, eo quod Meſſias ipſis quaſi ſolis videretur a Deo per Prophetas promiſſus, ac conſequenter omnia ejus dona, & gratiæ. Unde illa lis & rixæ Judæorum contra S. Petrum, prædicantem Evangelium S. Cornelio Gentili, Act. 10. ac magis ardens & continua contra S. Paulum, utpote doctorem Gentium, ut patet ex Actis Apoſtolorum, & paſſim ex epiſtolis S. Pauli. G

Si ergo quæras, cur Chriſtus non dixit expreſſe, quod hora undecima venientes, majorem denarium, id eſt majorem gloriam reciperent, quam venientes hora prima, ſexta, nona, id eſt, cur majorem Apoſtoli & Chriſtiani gloriam acceperint, quam Scribæ & Judæi?

Reſpondeo, quia Chriſtus hic id non agebat, ſed tantum intendebat Judæis evellere opinionem & arrogantiã primatus in regno Dei jam dictã. Unde contra eam docet quod noviſſimi erunt primi, & primi noviſſimi, id eſt, H quod Apoſtoli erunt primi in cælo, Scribæ vero & Judæi erunt ultimi. Vult enim confirmare ſuum promiſſum Apoſtolis factũ, ſcilicet: *Sedebitis vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. Sic enim Apoſtoli erunt primi in cælo, utpote futuri judices cæterorum; Judæi vero erunt ultimi, utpote ab eis judicandi. Per hoc tamẽ implicite ſatis oſtendit, quod Apoſtoli in æterna vita plus felicitatis & gloriæ conſequentur, quam Scribæ & Phariſæi; qui enim ſunt primores & judices in cælo: hi pariter majores ſunt in felicitate & gloria. Ita Suarez & Maldonat.

Moraliter S. Chryſoſt. *Undecima hora vocantur*, aic, *qui in ſenectute vocantur. Compoſita eſt ergo hæc parabola, ut eos avidiores faceret, qui in ultima ſenectue converuntur, ne exiſtimarent ſe minus aliquid habituros*. Hæc Chryſoſt. Scopus enim hujus parabole eſt, ut per illam oſtendat Chriſtus, in præmio cæleſti non haberi rationem antiquitatis temporis, nec diuturnitatis laboris, ſed majoris gratiæ & fervoris: ideoque præponi eos, qui parvo tempore, ſed fervide laborarunt, iis, qui longo, ſed tepide.

ET

A ET ACCIPIENTES MURMURABANT ADVERSUS PATREMFAMILIAS.

VERS. 11 VERS. 12 DICENTES; HI NOVISSIMI UNA HORA FECERUNT, ET PARES ILLOS NOBIS FECISTI, QUI PORTAVIMUS PONDUS DIEI ET ÆSTUS?] Quod fuerit hoc *murmur*, explicui v. 1. Quibus adde: *Per murmur*, inquit S. Chryſoſt. *ſignificatur mercedis & gloriæ magnitudo, quæ tanta eſt in Apoſtolis, ut cæteri ex Judæis electi & beati eis inviderent & murmurarent, ſi invidia & murmur in Beatos cadere poſſet.* Aliter S. Gregorius: *Quia patres*, ait, *ante Chriſtum non ſunt ducti ad regnum hoc ipſum murmuraſſe eſt.* Denique S. Chryſoſtomus cenſet hoc murmur eſſe emblema dumtaxat parabolæ, ideoque non applicandum rei per illam ſignificatæ. Inſuper Gloſſa, *Non omnes*, inquit, *murmurabant, ſed quidam; mali ſcilicet, qui bonum, quod inceperant, ad finem non perduxerunt, ideoque præmio privati murmurant.* Et S. Hieronymus: *Judæi*, inquit, *Gentilibus invident, & in Evangelii torquentur gratia.*

PORTAVIMUS PONDUS DIEI ET ÆSTUS] Id eſt, diu ſub onere legis ſudavimus, & longiora carnis tentamenta ſuſtinuimus. Ad hæc Scribæ & Phariſæi plerique jejunabant bis in ſabbato, decimas omnium dabant Deo, populum docebant, regebant, corrigebant, circuibant mare & aridam, ut facerent unum proſelytum. Habuerunt ergo laborum pondus, ſed ſæpe inutile.

B

VERS. 13 AT ILLE RESPONDENS UNI EORUM, DIXIT: AMICE, NON FACIO TIBI INJURIAM, NONNE EX DENARIO CONVENISTI MECUM?

VERS. 14 TOLLE QUOD TUUM EST, ET VADE: VOLO AUTEM, ET HUIC NOVISSIMO DARE SICUT ET TIBI.

VERS. 15 AUT NON LICET MIHI QUOD VOLO FACERE? AN OCULUS TUUS NEQUAM EST, QUIA EGO BONUS SUM?] Præter dicta v. 1. adde; Græca & Syrus nervoſius habent: *An non licet mihi in meis facere quod volo? In meis*, ſcilicet rebus, id eſt, *de meo*, ut interpretatur S. Auguſt. ſerm. 50. de Verbis Domini. Arab. *de bonis meis. Oculus nequam*, eſt oculus lividus, & invidus. Senſus eſt, q. d. Cum hora undecima venientibus feci gratiam, dando eis denarium, tibi non feci injuriam: *Tolle* ergo *quod tuum eſt, & vade.* Poterat herus reſpondere murmuranti. Hora undecima venientes majori gratia, & fervore laborarunt, pluſque una hora effecerunt, quam tu toto die, ideoque plus meriti ſunt, ac primi meliorem denarium acceperunt, ſed non decuit herum ex æquo, & quaſi ex juſtitia cum ſervo contendere quin potius ejus murmur retundere per obtentum ſummi ſui dominii, liberalitatis & gratiæ.

C

Objicies: S. Proſper videtur hic tollere omne meritum, & totum præmium aſſignare Dei gratiæ. Sic enim ait lib. 2. de Vocat. Gentium c. 5. vel juxta aliam editionem c. 17. *Ideo in parabolis, de his qui laborant in vinea, legimus dari idem præmium, eamdemque mercedem omnibus operariis, ſive multum, ſive parum laboraverint, ut ii, qui multo labore ſudarunt, nec amplius, quam noviſſimi acceperunt, intelligant donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem.* Reſpondet Bellarm. l. 5. de Juſtific. c. 6. Conſider. S. Proſper vitam æternam, ut eſt una & eadem, ſive, ut eſt æqualis in omnibus Beatis. Neque enim alius longius, alius brevius, ſed omnes in æternum vivent. Deus autem hanc vitam æternam donum eſſe gratiæ non operum mercedem, eo ſenſu, quo dixit Auguſtinus: Dona ſua coronat Deus, non merita tua, videlicet non eſt in vita æterna merces operum, quæ ſint nobis a nobis, ſed quæ ſunt nobis a gratia Dei, atque ut hoc intelligeretur, ideo voluit Deus vitam æternam tribuere iis qui multum, & iis qui parum laboraverant: ne qui multum laborant, de ſuis viribus extollantur. Unde Gloſſa Interlinearis ſic explicat, q. d. Gratia & miſericordia eſt, quod vobis, o Judæi, coæqualis & concorporalis fiat populus Gentilis.

D

TOLLE QUOD TUUM EST (tuum denarium) ET VADE] q. d. Tolle, o Phariſæe, & Judæe, tuas opes, delicias & honores, quos tibi in hac vita dedi, & quos præ vita æterna ambiviſti, iis ergo contentus eſto, & abi. Præter dicta v. 1. Remigius ſic explicat: *Tolle quod tuum eſt, & vade*, id eſt, recipe mercedem tuam, & vade in gloriam.

VOLO AUTEM ET HUIC NOVISSIMO (id eſt, Gentili populo) DARE (ſecundum meritum) SICUT ET TIBI] Origines vero ſic: *Forſitan autem Ade dicit: amice: non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade. Tuum eſt ſalus, quod eſt denarius, volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi.* Non incredibiliter poteſt quis arbitrari hunc noviſſimum eſſe Apoſtolum Paulum, qui una hora operatus eſt, & ſimiliter omnes qui ante eum fuerunt. Alii ſic explicant: *Tolle* damnationem tibi ob murmur debitam, & vade in gehennam.

E

SIC ERUNT NOVISSIMI PRIMI, ET PRIMI NOVISSIMI: VERS. 16 MULTI ENIM SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI] Juxta primum parabolæ ſenſum, quem aſſignavi v. 1. noviſſimi futuri in cælo primi, ſunt electi: primi vero futuri in cælo noviſſimi, ſunt vocati dumtaxat, qui vocationem ſuam non ſunt ſecuti, vel eam deſerverunt, ideoque damnati. Hi multi ſunt, ſi cum electis & ſalvandis, qui pauci ſunt, conferantur, Matth. 7. 14. pauci enim gratiæ & vocationi Dei cooperantur, in eaque uſque ad mortem perſeverant. juxta ſecundum vero ſenſum, quem dedi v. 1. poſterior gnome, *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*; diverſa eſt a prima, *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*; ac difficile eſt eas inter ſe connectere. Maldonatus ſic connectit: *Ex ſpeciali ſententia*, inquit, *qua dixit primos fore noviſſimos, & noviſſimos primos, nunc generalius concluſit, non omnes, qui vocati ſunt, mercedem accepturos, quia plerique vocati venire nolunt.* Sicut capite præcedenti v. 23. ex occaſione unius adoleſcentis, qui divitiis ſuis inhærens, conſilium paupertatis ſequi noluerit, generalem intulit ſententiam, de omnibus divitibus, & non jam de conſiliorum, ſed de præceptorum obſervatione concluſit, difficile eſſe divitem in regnum cælorum intrare. Preſſius & nervoſius Suarez cenſet eſſe argumentum non ab æquivalenti, ſed a fortiori, q. d. Non miremini primos fore noviſſimos, & noviſſimos primos cum multi ſint vocati, pauci vero electi, ideoque cæteri omnes damnandi, quod magis mirandum, & horrendum eſt: nam ſi multi ſunt vocati, qui non ſalvantur, quid mirum, quod multi ſint vocati, qui non ſint præmio primi, etiamſi aliquid conſequantur.

Sup. 19. 30 *Luc.* 13. 30 *Mar.* 10. 31 *Inf.* 22. 14

F

Porro *multi*, id eſt omnes, *ſunt vocati*, ad vitam æternam; dicit tamen multi, quia omnes ſunt multi, & quia eos opponit paucis, qui erunt electi, *Vive ergo cum paucis*, ait Caſſianus, *ut cum paucis eligi & inveniri mereariſ in cælo.* Notum eſt illud: *Loquendum ut multi, ſapiendum* (imo vivendum) *ut pauci.*

Denique nonnulli ſic exponunt: *multi*, id eſt omnes, *ſunt vocati* ad gratiam, & ad obſervationem mandatorum, ſed *pauci electi* ad gratiam eximiam, & obſervationem conſiliorum Evangelicorum.

Huc accedunt Scholaſtici illi, qui ponunt duos ordines prædeſtinatorum, & electorum: unum communem eorum qui ex præviſione meritorum electi ſunt ad gloriam; alterum eorum, qui ad gloriam electi ſunt ante præviſa merita, quos proinde vocant eximie prædeſtinatos, illoſque cenſent hic notari, cum dicitur, *Pauci vero electi.* Tales enim pauci ſunt; ſcilicet B. Virgo, Apoſtoli & pauci alii, priores vero longe plures ſunt, ideoque de illis dici *multi ſunt vocati.* Ita Gabriel in 1. diſt. 41. quæſt. 1. art. 2. Ockam ibidem art. 1. Catharinus lib. 1. de Prædeſt. cap. ultimo & lib. 3. c. 1. & 2. alii nonnulli. Catharinum acriter impugnant D. Soto in c. 9. ad Roman. Antonius Cordeb. lib. 11. quæſt. 56. & Camerar. in Dial. Cathol. cap. 10. ſed æquo actius Catharinum perſtringunt, uti oſtendit Gabriel Vaſquez, 1. part. diſput. 90. cap. 3. Peccat tamen Catharinus, Primo, quod taxet S. Auguſtinum, Secundo, quod illos ſolos, qui ante merita ex mera Dei gratia eximie electi ſunt, vocet prædeſtinatos, & ad eos arctet illud Pauli ad Roman. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* Tertio, quod iiſdem eximie electis imponat neceſſitatem preſervandi in gratia, ita, ut ab ea libere excidere non poſſint. Nam S. Paulus, qui ex iis fuit, ſi quis alius, de ſe dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*, 1. Cor. 9. Poterat ergo ipſe a gratia excidere, & reprobari.

G Catharini ſententia de duplici prædeſtinatorum ordine.

H

Denique Arabicus vertit, *quam multi ſunt vocati, & pauci electi*; quæ verba ſunt Chriſti quaſi exclamantis, admirantis, & miſerentis multitudinem vocatorum, & paucitatem electorum, ac conſequenter multitudinem reproborum, & damnandorum.

Hic finiuntur acta anni tertii prædicationis Chriſti; nam paulo poſt hanc parabolam operariorum, Chriſtus a morte ſuſcitavit Lazarum, quæ ſuſcitatio facta eſt in Martio, poſtquam eodem menſe, & anno (qui fuit Chriſti 34. & ultimus) Chriſtus crucifixus eſt & mortuus. Igitur ſequentia omnia, quæ narrat Matthæus uſque ad finem Evangelii, contigerunt hoc Martio paulo ante paſſionem Chriſti, vel paulo poſt eam, uti contigit Chriſti reſurrectio, & aſcenſio in cælum. Ita

Hic finiuntur acta anni tertii prædicationis Chriſti.

Digitized by Google

A Jansenius, Franciscus Lucas, & alii, Vide Chronotaxin num. 54. & sequent.

VERS. 17 Luc. 18. 31. Mar. 10. 32. : ET ASCENDENS JESUS HIEROSOLYMAM ASSUMPSIT DUODECIM DISCIPULOS SECRETO, ET AIT ILLIS) Hic fuit ultimus Christi ascensus, id est, ultima profecto Hierosolymam, quam narrant Matth. hic, ac Lucas c. 18. 31. Marc. c. 10. 32. & Jo. c. 11. v. 54. & seq. Ex Joanne liquet, quod Christus suscitato Lazaro, fugiens invidiam & odia Pharisæorum, secesserit in civitatem Ephrem, ex qua imminente jam Paschate, quo occisus est a Judæis, juxta legem ascendit Hierosolymam. Fuit ergo hic Christi ascensus paulo ante mortem ejus, imo ascendit ut crucem & mortem sibi in Jerusalem destinatam, & paratam pro redemptione mundi ex decreto Patris capesseret, & ultro quasi invaderet. Vide Chronotaxin num. 57.

DUODECIM DISCIPULOS) Ergo etiam Judam, ait Origenes, & forte hinc Judas accepit occasionem prodendi Christum, ex eo quod Christus prædiceret sibi moriendum esse in Jerusalem. Certus enim erat Christum verum dicere; ac proinde proditionem ejus ex animo sibi successuram sperabat, nec quidquam post mortem Christi ab eo sibi timendum, avaritia excæcatus existimabat.

B VERS. 18 Luc. 18. 31. Mar. 10. 33. 34. ECCE ASCENDIMUS HIEROSOLYMAM, ET FILIUS HOMINIS TRADETUR PRINCIPIBUS SACERDOTUM, ET CONDEMNABUNT EUM MORTE.

ASCENDIMUS) id est, proficiscimur & revera ascendimus, quia Jerusalem, ac præsertim ejus arx & templum erat in monte Sion. Rursum *ascendimus* ad crucem Hierosolymæ subeundam juxta illud: *Ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum*, Joan. 12. 32. Rursum dicit: *Et ascendimus*, quia hic est sermo constantiæ. q. d. ait S. Chrysost. *Videte quia voluntarie vado ad mortem. Cum ergo videritis me in cruce pendentem, ne æstimetis me hominem esse tantum: nam etsi posse mori hominis est, velle tamen mori hominis non est.*

Denique *ascendimus*, quasi triumphaturi in Capitolio Solymæ & Calvariæ: in cruce enim Christus triumphavit de morte, peccato, diabolo & inferno, uti docet Apostolus Coloss. 2. 15.

FILIUS HOMINIS TRADETUR PRINCIPIBUS SACERDOTUM) *Tradidit enim*, ait Rabanus, *Judas Dominum Judæis, & ipsi tradiderunt eum Gentibus, id est, Pilato, & potestati Romanorum. Ideo autem Dominus in mundo voluit prosperari, sed gravia pati, ut ostenderet nobis, qui per delectationem cecidimus, cum qua amaritudine redire debeamus: Unde sequitur. Ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

C ET CONDEMNABUNT EUM MORTE) *Omnis salus hominum*, ait S. Chrysost. *in Christi morte posita est: nec est aliquid propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quam propter mortem ipsius. Ideo duodecim Apostolis in secreto, mortis suæ annuntiavit mysterium, quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur.* Et rursum: *Tribulatio enim cum supervenerit expectantibus nobis, levior invenitur quam esset futura, si repentina veniisset.*

VERS. 19 Luc. 18. 32. 33. Mar. 10. 33. 34. ET TRADENT EUM GENTIBUS AD ILLUDENDUM, ET FLAGELLANDUM, ET CRUCIFIGENDUM, ET TERTIA DIE RESURGET) Sapius jam ante Christus prædixerat Apostolis suam crucem & mortem, ne ea turbarentur, putarentque ipsum non esse Messiam orbis redemptorem: nunc vero morte instante, eamdem prædixit, ut Apostolos in fide sua suæque passionis & resurrectionis firmaret. Ita S. Hieron. Chrysost. & alii.

D AD ILLUDENDUM, ET FLAGELLANDUM, ET CRUCIFIGENDUM) Tres enim hæ fuere primariæ passionis Christi partes: passus enim est illusiones ignominiosissimas, flagella atrocissima, & crucem acerbissimam.

ET TERTIA DIE RESURGET) Hoc est mel resurrectionis, quo conditur fel passionis. Unde S. August. l. 18. de Civit. quem citat S. Thomas in Catena: *Passione*, ait, *ostendit* (Christus) *quid sustinere pro veritate; resurrectione, quid sperare in Trinitate debeamus? unde dicit: Et tertia die resurget.* Et S. Chrys. *Dictum est quidem & ad multos, ut cum tristia viderint, resurrectionem expectarent.* Unde subdit: *Et tertia die resurget.* Causam dat S. Aug. loco jam citato dicens: *Una enim mors, scilicet Salvatoris, secundum corpus, duabus mortibus nostris saluti fuit; scilicet animæ, & corporis, & una ejus resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit.* Hæc ex Chrysostomo & Augustino citat S. Thomas in Catena.

Moraliter Christus suis suam passionem sæpe refricat, ut suum amorem, quem in ea summum eis exhibuit, commendet, ut eum vicissim redament, ac amorem amori, sanguinem sanguini, mortem morti rependant. Crux enim Christi, est fornax & incendium amoris. Quocirca S. Bern. ser. de Quadruplici debito, *Primo*, inquit, *Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua, & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres.* Addit deinde multa in hanc sententiam, quæ sic ad extremum concludit omnia: *Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne iste est sicut est stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum?* Idem S. Bern. tract. de Diligendo Deo: *Si totum*, ait, *me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus quam factus: nam qui semel, & tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit; in secundo se: & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum?*

Crux est fornax amoris.

E Pro Christo ergo probra, calumnias, tormenta, cruces & ignes sustinere non recusemus, sed amemus & ambiamus, ut illusiones illusionibus, flagella flagellis, crucem cruci rependamus, imo reddamus. Ipsius enim est vita nostra, & omne quod sumus; ipse enim emit & redemit nos, non auro, sed divino sanguinis sui pretio.

Eleganter & pie, sed vere S. Leo ser. 8. de Passione: *Crux tua* (o Christe) ait, *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

VERS. 20 Mar. 10. 35. TUNC ACCESSIT AD EUM MATER FILIORUM ZEBEDÆI CUM FILIIS SUIS ADORANS ET PETENS ALIQUID AB EO) Tunc scilicet cum audissent a Christo instare ipsi mortem, & post mortem resurrectionem, post quam expectabant regnum Christi gloriosum; unde præoccupant, petuntque, ut ipsi præ cæteris Apostolis, in eo primas obtineant. Ita S. Hieron. Beda, Euthymius.

MATER FILIORUM ZEBEDÆI) Nomine Salome. Ita enim nominat Marcus c. 15. 40. illam, quam Matthæus c. 27. 56. vocat matrem filiorum Zebedæi. Hæc enim uxor Zebedæi, ex eo genuit Jacobum & Joannem, quos Christus sibi adscivit, & Apostolos creavit. *Adorans*, hoc est inclinando se reverentiam ei exhibens.

G ET PETENS] Dices, Marcus cap. 10. 35. ait non matrem, sed filios ipsos, id petiisse a Christo. Resp. Matris petitio ex filiorum petitione processit. Cum enim ipsi verecundarentur, primas petere a Christo, subornarunt matrem, ut ipsa id peteret. Quare *filii* sunt loquti per os matris, & forte ejus petitioni suam quoque adjunxerunt. Ita S. Chrysostom. Theophylactus, S. Gregorius homil. 27. in Evangel. & S. Augustinus libr. 2. de Consensu Evang. cap. 64. Aliter Maldonatus, qui censet matrem suo instinctu, & motu proprio id petiisse a Christo, dici tamen a Marco filios id ipsum postulasse, quia mater non pro se, sed pro filiis id postulabat. Favet S. Hilarius, & S. Ambrosius, de quo mox.

ALIQUID) In genere & in confuso, scilicet dicentes, ut habet Marcus: *Magister volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.* Timebant enim ne si suam primatus ambitionem exprimerent, Christus eam abnueret illico & refutaret. Volunt ergo prius universali petitione concedendi ea quæ petierint, ligare Christum, ut deinde cum particulatim illam expriment, Christus eam negare non possit. Hic est mos fœminarum, dum suos fœmineos appetitus, quos ardenter concupiscunt, hac arte impetrare satagunt. Sic Bethsabee 3. Reg. 2. 20. petitura a Salomone filio suo, Abisag dari uxorem Adoniæ, præmisit, dicens: *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam.* Annuit Salomon, sed mox ut ipsa illam expressit, abnuit, dicens: *Postula ei regnum.* Astute enim Adonias postulabat Abisag, quæ uxor fuerat Davidis, dari sibi uxorem, ut per eam quasi reginam invaderet regnum, seque regem faceret, excluso Salomone.

H

VERS. 21 Mar. 10. v. 36. 37. QUI DIXIT EI: QUID VIS?) Prudenter Christus generalem petitionem abnuit, & vult ut particulatim eam exprimat, ne ineptum vel se indignum quid petat, quod eam facturam præsciebat, ut nos idem facere doceat. Memorabile est quod de S. Pulcheria scribit Nicephorus, & ex eo Baronius anno Christi 446. sub finem; scilicet illam, ut periculosam Theodosii Imperatoris fratris sui oscitantiam, & qua passim libellis supplicibus etiam non lectis subscribebat, falso joco castigaret, porrexisse Theodosio libellum supplicem, in quo asserebat Eudoxiã,

S. Pulcheriæ prudentia.

uxo-

A uxorem Theodosii a se emptam, dummodo ipse emptionem probaret; subscripsit libello non lecto, more suo Theodosius; mox illa Eudoxiam ad se vocavit, & diutius detinuit. Revocante uxorem Theodosio, respondit Pulcheria, illam a se emptam, ipsumque emptionem probasse, ac simul ei submisit libellum, hac de re ab eo subscriptum: quem legens Theodosius erubuit, & suam nimiam subscribendi facilitatem damnavit.

AIT ILLI: Dic (præcipe, statue, ordina, decerne) UT SEDEANT HI DUO FILII MEI, UNUS AD DEXTERAM TUAM, ET UNUS AD SINISTRAM IN REGNO TUO) Occasionem hujus petitionis sagaciter hanc dat S. Chrysostom. *Volebant*, inquit, *ut ego conjicio, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt, primatū hujus consessus impetrare & præponi quidem se cæteris, præter quam Petro, sciebant. Petrum vero sibi præferri formidantes, dicere ausi sunt; Dic ut unus a dextris, alter a sinistris sedeat; ita urgebant dicentes, Dic*, ut quasi primores regni tui utrumque tuum latus, utramque tuam aurem, adeoque te totum occupent, nec quis ad te nisi per eos accedere, B aut aliquid a te petere possit, uti nonnulli hodie (& omni ævo) aures & animos regum principumque occupant, ut nil nisi per eos ab illis obtineri possit. Hi regū sunt reges, imo pædagogi. Tritū est illud Caroli Martelli, avi Caroli Magni, qui oblato sibi Franciæ regno respondit; *nolle se regem esse, sed velle regibus imperare*. Disce hic quam audax, cæca, & insatiabilis sit ambitio, & ambitiosa petitio; ad quam duos hosce Apostolos incitavit, quod ipsi se cæteris Apostolis, a Christo antepositos vidissent in transfiguratione, quæ erat quasi inchoatio regni Christi, Matth. 17. 1. æque ac in suscitatione filiæ Jairi, Luc. 8. 51.

Caroli Martelli.

Ejusdem mater filiorum Zebedæi.

Ejusdem mater filiorum Zebedæi. Sedexcusanda est mater, quod jure cognationis a Christo cognato suo id postulet pro filiis, quos ut se, imo plusquam se diligebat. Ita S. Hieron. *Postulat*, inquit, *mater errore muliebri, & pietatis affectu, nesciens quid peteret*. Et plenius S. Ambr. l. 5. de Fide c. 2. *Considerat* (Christus) inquit, [matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandævam solabatur senectam, & desideriis licet fessa maternis, charissimorum pignorum tolerabat absentiam. Considerate etiam fœminam, hoc est sexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmaverat passione. Con- C siderate inquam Evæ illius primæ mulieris hæredem, transfusa in omnes immoderatæ cupiditatis successione labentem, quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium, immodici contra fas honoris appetentiam, suo Christus cruore diluerat. Hereditario igitur mulier delinquebat errore.)

Simili ratione filios ejus excusat S. Chrysost. (Non turbetur, *ait*, quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse: nondū enim mysterium crucis erat consummatum, nondū gratia Spiritus in corde ipsorū infusa. Quare si studia virtutis ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera, & videbis omnem ab illis turbationē animi fuisse separatam. Hac enim de causa eorum modo imperfectio revelatur, ut aperte percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerint.)

VERS. 22 Mar. 10. v. 38. 39.

RESPONDENS AUTEM JESUS, DIXIT, NESCITIS QUID PETATIS) Græce αἰτεῖσθε, id est, *petitis*. Ecce hic Christus respondet non matri sed filiis, quia sciebat filios in matre, & per matrem locutos. *Nescitis quid petatis*, quia scilicet nescitis Primo, quale sit regnum meum, scilicet spirituale & cæleste, non carnale & terrenum, in quo sit pompa D regalis throni, Assessorum, principum, famulorum, &c. uti vos putatis. Secundo, quia petitis triumphum ante victoriam. *Regnum* enim *cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud*. Matth. 11. Ita auctor Imperfecti. Tertio, quia vos existimatis, regnum hoc petentibus jure sanguinis dari, cum non detur nisi merentibus, & certantibus. Hoc pariter exemplo Christi, respondeant Episcopi & principes suis amicis, servis, filiis, & fœminis importunis, dum ab eis petunt præbendas, dignitates & officia, ad quæ minus sunt apti: *Nescitis quid petatis*. Præbendæ & of-

Beneficia non cognatis, sed dignis danda.

ficia mea, non sunt mea, ut scilicet ex libidine ea dare possim cognatis, vel servis, quia sic volo; dispensator eorum sum, non dominus, Deus rigidam dispensationis a me rationem reposcet, an dignis ea contulerim. Gravis enim est injuria Christi, Ecclesiæ, reipubl. & dignorum, ac multorum malorum causa, si officia & beneficia, ob consanguinitatem vel amicitiam dentur indignis, vel minus dignis.

Agrippinæ matris Neronis ambitio.

Agrippina mater Neronis, ait Cornelius Tacitus, ambiens imperium Neroni, consuluit hac de re Chaldæos, sive astrologos, responderunt illi: *Imperabit Nero, sed matrem occidet*; tum illa: *Occidat*, ait, *dum imperet*. Quam vesana ambitio! sed luit eam mater, nam a Nerone occisa est. Sic ambitiosi indigni, ambientes beneficia, sibi ambiunt veneficia, quia illa eis causa sunt damnationis, & gehennæ. E

Et quid quæso est cognatio, nisi externa relatio, quod filii vel nepotis caro decisa sit ex tua? Quid ad me quod tunica mea ex eodem panno decisa sit, ex quo tua?

In templū Honoris non patebat aditus nisi per templum Virtutis.

Romæ, teste Livio, templum erat Honori positum, sed post templum Virtutis, ut in illud Honoris non pateret ingressus nisi per templum Virtutis, ut docerent nemini patere aditum ad honores nisi per virtutes, quas solas prisci Romani spectabant, ideoque imperium tam amplum, dives & magnificum obtinuerunt, donec per posticum ædificato ibidem profano ambitionis & largitionis fano, multi per illud ad honores evaserunt; itaque seditionibus rempubl. æque ac seipsos perdiderunt.

Nescitis quid petatis. Primo.

NESCITIS QUID PETATIS) Arab. *quid vultis, quid petitis*? q. d. Nescitis quid velitis & petatis, idque Primo, & plane ad litteram, quia putatis meum regnum esse terrenum & pomposum, quale fuit Davidis & Salomonis, cujus ego sum filius & heres, cum illud sit spirituale & cæleste. Ita S. Chrysostomus: *Hoc dicit*, ait, *ostendens quod nihil spirituale petebant*. Et Theophylact. *Non est*, inquit, *hoc quod creditis, quod sim temporaliter in Jerusalem regnaturus, sed omnia hæc, quæ ad regnum pertinent supra intellectum sunt*. Sic & Abulensis q. 71. Secundo alii, quia, inquiunt, petebant id quod eis datum jam & promissum erat, scilicet assidere Christo & cum eo judicare duodecim tribus Israel. Ita S. Hilarius, *Nesciunt*, ait, *quid petant, quia nihil de gloria Apostolorum ambigendum erat, judicaturos enim eos superior sermo exposuit*. Sed inter duodecim hosce thronos, ipsi videntur petiisse primos, & Christo vicinos, qui necdum eis speciatim a Christo promissi erant. Tertio, quia petebant id quod superabat eorum dotes & merita. *Nam sedere ad dextram tam magnum est, ut superexcedat superiores virtutes*, ait ex Chrys. & Theophyl. Beda: *Nesciunt*, ait, *quid petant, qui sedem gloriæ a Domino, quam nondum merebantur, inquirunt*. Primæ enim in cælo debentur iis, qui majoris, imo maximi sunt meriti. Quarto, quia incongruo tempore id petebant, imminente scilicet passione Christi, G quando lugendum erat. Ita Chrysost. *Vos*, inquit, *de honore loquimini: ego vero de agonibus, & sudoribus disputo, non est enim hoc præmiorum tempus, sed occisionis, præliorum & periculorum*. Quinto, quia petunt id, quod contrarium erat eorum vocationi & professioni. Vocati enim erant a Christo, ad sequendam ejus paupertatem, humilitatem & crucem, non ad ambiendos honores. Sexto, quia prius petere debebant crucis labores, per quos mererentur honores. Unde Christus id eis ostendens subdit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*? Septimo, quia petunt sedere ad sinistram, æque ac ad dexteram. Sinistra autem in malam partem accipitur. Nam ad sinistrā Christi stabunt in judicio damnati, q. d. ait Chrys. *Ego vos vocavi ad partem dexteram, & vos vestro consilio de dextera curritis ad sinistram*; sed hoc mysticum est, & symbolicum. Ex his germaniores sensus sunt primus, tertius & sextus: nesciebant enim hoc regnum spirituale esse, non carnale, nec carni & sanguini dari, sed virtuti; nec precibus, sed meritis illud obtineri.

Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

POTESTIS BIBERE CALICEM, QUEM EGO BIBITURUS SUM?) q. d. Per passionem & crucem mihi tendendum est ad regnum; ergo & vobis illud ambientibus eadem calcanda est via. Audi S. Bern. serm. 11. ex parvis. *Ipse*, inquit (Christus) *tamquam pius, & laudabilis medicus prius bibit potionem, quam parabat suis, id est, passionem & mortem sustinuit, & sic sanitatem immortalitatis accepit & impassibilitatis, docens suos ut confidenter biberent potionem, quæ generat sanitatem & vitam*. Per catachresin Christus passionem suam vocat calicem: causam hanc dat S. Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus, quod Christus tam libenter, & avide passionem subierit ac si sitiens vini calicem epotasset. Verum quia Christus ait *potestis bibere*, non autem, desideratis bibere; hinc melius hæc generatim accipias. Pro quo Nota, calicem passim in Script. æque ac apud profanos, significare cujusque hominis sortem, sive bonam, sive malam, quæ ei a Deo decernitur, & immittitur, ac quasi propinatur. Ducta est hæc meraphora a veteri convivantium ritu, quo Sympositarcha sive convivii præfectus, vinum pro suo arbitrio & prudentia temperabat, ac cuique suā portionem, H Passio est calix: cur?

Digitized by Google

A quam exhaurire deberet, ſtatuebat, uti oſtendi Eccli. 33. v. 1. forte etiam, ait Maldonatus, alludit ad calicem veneni, qui nonnullis ad mortem damnatis dabatur, uti datus eſt Socrati ab Athenienſibus, eo quod unum Deum colendum diceret, pluribus diis excluſis.

Præclare S. Cypr. l. 4. ep. 6. ad Tibarit. per calicem accipiens martyrium. *Graviar*, ait, *& ferocior pugna nunc imminet* (quia S. Cyprianus ex Dei revelatione didicerat inſtare perſecutionem Valeriani & Galieni Imper. in qua ipſe martyrii lauream obtinuit) *ad quam virtute robuſta parare ſe debent milites Chriſti, conſiderãtes idcirco ſe quotidie calicem* (quia tunc communicabant quotidie, idque ſub utraque ſpecie, panis & vini) *ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Quocirca S. Chryſoſt. ſolerter notat: *Reſpice*, inquit, *qualiter ipſo interrogationis modo, & hortatur & allicit. Non enim dixit: Poteſtis ne veſtrum effundere ſanguinem? Sed: Quomam pacto poteſtis bibere calicem? Deinde alliciens inquit: Quem ego bibiturus ſum, ut communicatione laborum cum ipſo promptiores reddantur.* Hinc S. Joannes pingi ſolet

B cum calice; & quia ipſe calicem veneni abſque damno hauſit, uti teſtatur S. Iſidorus de Patribus novi Teſtam. c. 74. & S. Auguſt. in Soliloq. c. 22. *Pro tua dulcedine guſtanda*, inquit, *veneni poculum intrepidus Joannes poravit*, Idem teſtatur Aldhelmus Occidentalium Saxonum Epiſcopus, lib. de Laudib. virg. c. 11. Unde & in feſto S. Joannis ſolebat fieri benedictio vini contra venenum, uti teſtatur Albertus Caſtellanus in Sacerdotali Romano.

Cur S. Joannes Evang. pingatur cum calice?

Nota. Græca hic & Marci c. 10. 38. addunt: *Aut baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?* Arabicus hic, *& tinctura qua tingar tingemini?* hæc tinctura fuit ſanguinis, qua purpuratus eſt Chriſtus. Ubi Chriſtus ſuam paſſionem, quam prius vocavit calicem, alia metaphora vocat baptiſmum, quia in illam totus immerſus & ſubmerſus, id eſt, mortuus eſt. Hoc enim proprie eſt baptizari. Addunt Origenes, Chryſoſtom. Theophylactus, Chriſtum paſſionem ſuam vocaſſe Baptiſmum, eo quod nos per illam abluerit, purificarit & ſanctificarit: uti fit in Baptiſmo.

C Dicunt ei: Possumus] Videntur Joannes & Jacobus intellexiſſe ſignificationem calicis; ſcilicet per illum intelligi paſſionem, & tamen uti ambitioſe petierunt primatum, ita temere reſpondent, ſe calicem hunc poſſe bibere, cum revera id necdum poſſent, ſed poſtea potuerint per gratiam Chriſti receptam a Spiritu ſancto in Pentecoſte. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Janſenius, & alii: licet Maldonatus, Poſſumus, ait, id eſt, volumus, & parati ſumus pro te mortem oppetere, idque ſatis eſt appoſitum, & probabile. Sic *poſſe* ſubinde ſumitur pro velle, præſertim ubi res eſt ardua, quæ magno voluntatis conatu & robore indiget. Unde illud cap. 19. 12. *Qui poteſt* (id eſt, qui vult) *capere capiat* conſilium cælibatus.

Vers. 23 Ait illis: Calicem quidem meum bibetis (Addunt Græca: *Et baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini*; & Arab. *& tinctura mea tingemini*) sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo] Eſt hoc oraculum Chriſti, de Jacobi & Joannis paſſione & martyrio. S. Jacobus enim ferventius cæteris Apoſtolis

S. Joannes martyr. prædicans Chriſtum, primus pro eo martyr occubuit, gladio percuſſus ab Herode; Act. 12. Joannes item hunc calicem bibit, cum Romæ ante portam Latinam a Domitiano in dolium ferventis olei immiſſus, vegetior inde exivit, & novo virtutis miraculo martyr in vita, non moriens, ſed vivens extitit, indeque ad ſuſcipiendam coronam Chriſti athleta proceſſit, ait S. Hieron. Et Tertull. lib. de Præſcript. c. 36. *Habes*, inquit, *Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Joannes poſt eaquam in oleum ignem demerſus nihilque paſſus, in inſulam relegatur.*

D Rurſum S. Joannem proprie bibiſſe calicem veneni (unde & cum calice hoc pingi ſolet) ſibi ab impiis propinatum, ſed ſine noxa, docet non tantum Prochorus ejus diſcipulus, in Joannis Vita (cujus fides merito Baronio & viris doctis de fictione eſt ſuſpecta) ſed etiam S. Iſidorus in lib. de Patribus novi Teſtamenti. Denique tota Joannis vita continua fuit paſſio, & continuum martyrium. Vixit enim ipſe diutiſſime poſt omnes Apoſtolos uſque ad annum Domini 101. ac 68. poſt mortem Chriſti anno, vita functus eſt, quæ ſane dilatio & abſentia tam longa a Chriſto dilecto ſuo, ad quem aſſidue ſuſpirabat, prolixum E illi æque ac B. Virgini, cui in filium in cruce a Chriſto datus erat, fuit martyrium.

Porro S. Joannes ſingulare martyrium obiit, dum cum B. Virgine in monte Calvariæ aſtans Chriſto Crucifixo, vidit vitam ſuam, id eſt, Chriſtum, quem plusquam vitam ſuam amabat, acerbiſſimos crucis dolores, per cruciatus continuas horas pati; ibique quaſi lento cruciatus igne aſſari. Hi enim clavi & dolores medullitus animum ejus penetrabant, magiſque cruciabant, quam ſi ferro ſectum fuiſſet ejus corpus, adeoque doloribus hiſce fuiſſet exanimatus, niſi Chriſtus quaſi per miraculum eum in vita ſervaſſet.

Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis] Arriani cenſebant, hic dici hoc dare non eſſe Chriſti, ſed paternæ poteſtatis, ac proinde Chriſtum non eſſe ὁμοούσιον Patri; ſed errant. Chriſtus enim hic ponit antitheſin, non inter ſe & F Patrem, ſed inter Jacobum & Joannem abitioſe petentes primatum in regno Chriſti, & eos, quibus primatus hic jure deberur. Vis enim argumenti eſt in τοῖς *vobis*, quod licet non legant Græci, Syrus, & Arabicus, legunt tamen Romani, & Latini. q. d. Non vobis petentibus, ſed certantibus, & merentibus hoc regnum debetur. Unde Remigius: *Non eſt meum*, ait, *dare vobis, id eſt, ſuperbis; quales vos eſtis, ſed humilibus.* Et Beda: *Non eſt meum dare vobis, id eſt, ſuperbis. Hoc enim adhuc erant; ſed aliis paratum eſt, Et vos alii eſtote, id eſt, humiles, & vobis paratum eſt.* Rurſum non eſt meum dare vobis, eo modo quos vos petitis, ſcilicet, ut detur vobis tanquam cognatis meis, qua homo ſum, cum Deus illud paraverit aliis, ſcilicet merentibus. q. d. Cælum dare non eſt poteſtatis humanæ, ſed divinæ. Ita S. Auguſt. l. 1. de Trinit. c. 1. & Abulenſ. q. 80. Datur enim illud non perſonæ, ſed vitæ, ait S. Hieronymus, non ex favore, ſed ex merito.

Nota. Chriſtus non annuit expreſſe quod hi duo petunt, ne cæteros Apoſtolos quaſi excludendo irritet; nec etiam abnuit, ne hos duos contriſtet. Ita S. Hier. *Non dixit*, ait, *Non ſedebitis, ne duos confunderet; neque etiam dixit, Sedebitis, ne cæteros irritaret*; ſed omnibus oſtendendo bravium, omnes ad certandum pro eo animavit. G Simile eſt, ait Theoph. in c. 10. Marci, ſic juſtus rex agoni a ſe inſtituto præſidens, accedentibus cognatis & amicis, dicentibuſque: Da nobis bravium, & coronam; jure meritoque reſponderet: Non eſt meum vobis dare bravium, ſed quibus illud paratum & decretum eſt, ſcilicet in agone certantibus & vincentibus. Audi S. Ambr. l. 5. de Fide c. 2. *Non dixit*, inquit, *Non eſt meum dare; ſed non eſt meum dare vobis: non ſibi poteſtatem deeſſe aſſerens, ſed meritum creaturis. Accipe aliter: Non eſt meum dare vobis, quod eſt, non eſt meum, qui veni humilitatem docere: non eſt meum, qui veni non miniſtrari, ſed miniſtrare: non eſt meum, qui juſtitiam ſervo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit: Quibus paratum eſt, ut oſtenderet Patrem quoque non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis, quia Deus perſonarum acceptor non eſt.*

Porro Chriſti quoque eſſe dare hoc regnum, patet diſerte Luc. 22. v. 29. *Et ego diſpono*, inquit, *vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper meſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael.* Chriſtus tamen hic dicit, id potius eſſe Patris, tum quia Chriſtus, ut homo, ſemper ſe Patri ſubjicit, & omnia in ipſum reſignat, ipſique accepta refert; tum ut honeſto titulo a ſe repellat hoſce ambitioſe primatum petentes, eoſque ad Patrem amandet, ut ſub eo ſe humilient, & verecundentur id petere: tum denique quia ſicut ſapientia, & opera ſapientiæ appropriantur Filio, & opera bonitatis Spiritui ſancto; ſic opera potentiæ & providentiæ, cujus pars eſt prædeſtinatio ad regnum cælorum, appropiantur Patri.

Sed quibus paratum est a Patre meo] Arab. *ſed, qui præparavit eis, Patris mei cæleſtis.* Ita habet Latinus interpres Arabici Romæ impreſſus, ſed perperam vertendum enim eſt: *Sed quibus ſplendide præparavit eis Pater meus cæleſtis.* Arcta eſt hic expoſitio Euthymii, qui τοῖς *quibus* exponens, hoc eſt, inquit, DD. Petro & Paulo. Arctior eſt S. Hilarii: *Quibus*, inquit, hoc eſt, Moyſi & Eliæ: putat enim alludi ad transfigurationem, in qua Moyſes & Elias viderunt gloriam regnantis Chriſti, ejuſque fuere participes. Arctiſſima eſt S. Chryſoſtomi, qui τοῖς *quibus* exponit *nullis*: Quia nemo, inquit, poteſt aſſurgere ad dexteram Chriſti, utpote qui ſolus ſedet ad dexteram Dei Patris. Verum hæc nimis arcta ſunt: Chriſtus enim

gene-

A generatim loquitur de omnibus ad regnum cœleste, ejusque culmen electis. *Quibus* ergo, scilicet summe certantibus, & vincentibus: his enim a Deo paratum est, & decretum ab æterno hoc regni culmen. Quare per dexteram & sinistram, non situm aut positionem ad dexteram aut sinistrā, sed præeminentiam in regno, quam Joannes & Jacobus ratione cognationis & familiaritatis cum Christo ambiebant, intelligit. q. d. Vultis primas tenere in regno meo cælesti, primas ergo hic mecum tenete in humilitate, charitate, patientia, & zelo evangelizandi: majoribus enim & heroicis virtutibus, major debetur gloria & primatus in cælo: qui enim primi sunt in meritis, hi primi erunt in præmiis. Simili modo Abbas Athanasius raptus in cælum, audivit choros laudantium Deum, cumque vellet ad eos ingredi, audivit: *Nemo huc ingreditur negligens, abite, certate & contemnite vanitates sæculi*. Ita Joannes Moscus in Prato Spirit. c. 130. & sanctus Furseus apud Bedam lib. 3. Histor. Angl. cap. 19. raptus in cælum audivit angelos & Beatos concinentes: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion*. Proficiamus ergo de virtute in virtutem, & scandemus de gloria ad gloriam; ab angelis ad Cherubim, & Seraphim, ab imo ad primum & summum regni solium.

Athanasius Abbas.

B

VERS. 24 ET AUDIENTES DECEM INDIGNATI SUNT DE DUOBUS FRATRIBUS] Arabic. *murmuraverunt contra duos fratres*. Quæres, ex quo, & unde duorum fratrum petitionem audierint cæteri Apostoli? Primo, putant aliqui ipsos fuisse præsentes, & audivisse matrem petentem primas pro filiis a Christo. Secundo, Abulensis censet aliquem, qui præiens matrem petentem audiit, ejus petitionem nunciasse Apostolis. Verum plane verisimile est matrem secreto id petiisse a Christo, ne filiis verecundiam & cæteris invidiam concitaret. Tertio, ergo verisimilius Franc. Lucas: Privatim, inquit, loquebantur Christo mater cum filiis; sed Jesus ita respondit, ut cæteri & quid diceret, audirent, & ex responso, quid duo illi peterent, intelligerēt. Cum enim sciret uno & eodem ambitionis morbo omnes ipsos laborare, voluit ipsis simul omnibus mederi, unūque responsum simul omnibus servire. Adde, ipsos, cum eadem cupiditate laborarent, odoratos fuisse cupiditatem duorum. Quod enim quisque cupit & ambit, hoc alios cupere & ambire æstimat: ex se enim suoque affectu cæteros metitur. Et est quædam occulta in his sympathia, qua, ut vulgo dicitur, fur furem, lupus lupum, ambitiosus ambitiosum, ex habitu, vultu & gestu agnoscit.

Mar. 10. 41. Unde duorum fratrū petitionē audierint cæteri Apostoli.

C INDIGNATI SUNT] Non tam vitio & ambitioni Jacobi & Joannis, quam quod per eam metuerent eis postponi: ambiebant enim & ipsi primas in regno Christi: sic indignantur, rixantur & ringunt canes alias amici, dum idem vos rodere satagunt, juxta illud:

Ambitio rempublicam Romanam perdidit.

Dum canis os rodit, socium, quem diligit, odit.

Et illud: *Figulus figulo invidet, & faber fabro*. Vivum hujus rei exemplum est in Pompejo & Julio Cæsare, qui sua imperii Romani ambitione rempublicam, & seipsos perdiderunt, de quibus Lucanus lib. 1. Pharsal.

Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem, Pompejusve parem.

Nimirum ambitio parit invidiam, invidia iram & indignationem in eum, qui eumdem honorem ambit, ne eum sibi præripiat. Hic verum est illud S. Job c. 5. 2. *Parvulum occidit invidia*: ubi S. Greg. 5. Moral. c. ult. *Cum devictum*, ait, *cor livoris putredo corrumpit, ipsa quoque exteriora indicant, quam graviter animum vesana instigat: color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt. Fit in cogitatione rabies, & in dentibus stridor*, &c. *Et quamvis per omne vitium, quod perpetratur, antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimenda malitiæ pestem vomit.* Porro efficax invidiæ remedium suggerit S. Basilius hom. de Invidia: *Quid ergo faciendum, ut hanc animi pestem invidiam ab initio minime patiamur, aut ab ea liberemur? Primum quidem, ut nihil rerum humanarum magnum, aut supra naturam æstimemus, non opes, non gloriam.* Et inferius: *Omnino autem, qui res humanas rationi subjecerit, & ad veram pulchritudinem laudemque se converterit, multum abfuerit ab eo, ut in rebus humanis quemquam putet esse felicem, vel emulandum; & qui ita fuerit animatus, ut nihil usquam humanum admiretur, huic procul dubio dominari invidia nullo modo poterit.*

Invidiæ dampa.

Remedia.

D

VERS. 25 JESUS AUTEM VOCAVIT EOS AD SE, ET AIT: SCITIS, QUIA PRINCIPES GENTIUM DOMINANTUR EORUM] Id est, earum, vel eis, scilicet gentibus. Est antiptosis.

Mar. 10. 42.

Respexit Interpres hic, ut & alias, ad Græcum ἔθνος, id est, gens, quod est generis neutri.

Nota. Christus hic non culpat, nec vetat auctoritatem & potestatem civilem vel Ecclesiasticam, quam habent Principes & Episcopi, ut volunt Anabaptistæ: hæc enim in omni republica ad regimen politicum est necessaria, ideoque sancita jure naturæ, divino & humano; sed tantum taxat ambitionem, & ex ea sequentem tyrannidem, quam in suos exercere solebant.

PRINCIPES GENTIUM] Unde Græce est, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, id est, *dominantur in eas*, vel contra eas; Syrus, *domini sunt eorum*; Arab. *dominantur eas*, id est, imperiose dominantur subditis; quasi domini mancipiis, eos calcando & proterendo. Tyrannus enim non subditorum, sed sui ipsius bono & honori in regendo consulit; adeoque subditis quasi servis abutitur: veri principes vero subditis consulunt potius, quam sibi: quare magis ministri sunt reipublicæ, quam domini, uti docet Aristot. in Polit. Hinc Antigonus rex Macedonum, conspiciens filium insolentius regentem subditos: *An ignoras*, ait, *fili, regnum nostrum esse splendidam servitutem*? Ita Plutarchus in ejus vita.

Antigoni regis Macedonum dictum.

E

F

ET QUI MAJORES SUNT, POTESTATEM EXERCENT IN EOS] In eas, scilicet gentes, græce καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν, id est, & magni imperiosa potestate utuntur in eas, vel, & magni auctoritatem licenter exercent adversus illas, atque ambitiose eis imperant.

VERS. 26 & 27. Mar. 10. 43. 44.

NON ITA ERIT INTER VOS, SED QUICUMQUE VOLUERIT INTER VOS MAJOR FIERI, SIT VESTER MINISTER: ET QUI VOLUERIT INTER VOS PRIMUS ESSE, ERIT VESTER SERVUS. Arab. *sit vobis minister & servus*. Vulgatæ consentiunt Syrus, Ægyptius, Persicus & Æthiopicus. Hæc non est pœna ambientis primatum, quasi jubeat eum dejici, & relegari ad ministerium, fierique omnium ministrum & servum; sed est sanctio, qua præcipit eum, qui quasi major in Apostolatu, Episcopatu, Prælatura aliis præfertur, modeste se gerere & humiliare, ut subditis non imperiose dominetur, sed demisse obsequatur, eorumque saluti & commodis consulat, itaque se gerat, ut eorum potius videatur esse minister & servus, quam dominus. Rursum hisce verbis docet Christus, non tam qua via, & ratione perveniendum sit ad primatum Ecclesiæ, quam quomodo primus vel primas Ecclesiæ, in ea se gerere debeat; scilicet ut omnium minimum, ac consequenter per hanc humilitatem, deterret Apostolos a contraria illi ambitione primatus. Hunc esse sensum liquet, ex eo quod hoc versu sit antithesis cum præcedentibus. Opponit enim modestum, benevolum, & salutiferum suum regimen, imperioso, & tyrannico imperio Gentilium. Vide S. Gregor. 2. part. Pastor. cap. 6. ubi pulchre docet, quomodo Prælatus auctoritatem cum modestia copulare, ac contra præfractos imperio, erga obedientes comitate uti debeat: *Sit*, inquit, *rector, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus*, &c.

G

Simul tamen his verbis ostendit Christus qua via ad cælum ejusque culmen, ut ad dexteram & sinistram Christi sedeamus (quod ambiebant Joannes & Jacobus, cæteriique Apostoli) tendere debeamus; nimirum via humilitatis: qui enim hic minimi sunt & humillimi, hi maximi, & celsissimi erunt in cælo, uti docuit Christus c. 18. 4.

H

Ex hac Christi sanctione, summus Pontifex hunc titulum præfert, *servus servorum Christi*. Hoc est quod Christi vicarius S. Petrus, verbis & factis docuit Ecclesiæ pastores, dicens epist. 1. c. 5. v. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, &c. *neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*. Ubi plura hac de re dixi. Hæc est respub. Ecclesiæ, hoc regimen Christianum a Christo hic institutum, ac Gentium tyrannidi contrapositum.

Ex hoc pariter Christi instituto, S. Franciscus, inquit S. Bonaventura cap. 6. Vitæ ejus, prælatos sui Ordinis voluit dici Ministros, & Fratres Minores, ut & verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, & ex ipso nomine discerent discipuli, quod ad discendam humilitatem, ad scholas humilis Christi venissent: Christus enim humilitatis magister, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.*

S. Franciscus Prælatos Ordinis sui voluit vocari ministros.

VERS. 28 SICUT FILIUS HOMINIS NON VENIT MINISTRARI, SED MINISTRARE, ET DARE ANIMAM SUAM REDEMPTIONEM (græce, λύτρον, id est, *lytrum*, sive pretium redem-

Mar. 10. 45.

Digitized by Google

A redemptionis) PRO MULTIS] q. d. Idcam modesti regiminis Ecclesiæ meipsum accipite, qui sum princeps & fundator Hierarchiæ Ecclesiasticæ: ego enim nil jubeo quod prior ipse non fecerim. Ego quippe veniens in mundum, ita me gessi & gero, ut nolim mihi ministrari, sed velim omnibus ministrare, quasi omnium minimus, & servus; imo non tantum opes & operas, sed vitam & sanguinem pro iis statuerim profundere, ut eos a morte, peccato, gehenna & diabolo redimam, & liberem. Hæc imitentur Pontifices, Episcopi, Pastores, &c.

S. Francisci Xaverii humilitas. Exemplum rarum hujus rei dedit; & antiquatam quasi humilitatem Christi revocavit hoc ævo S. Franciscus Xaverius, qui cum a summo Pontifice creatus esset Legatus Apostolicus per Indias, ministrum tamen nullum habere voluit, etiamsi plures ei offerret regis Lusitaniæ Procurator, urgeretque ut eos acciperet; sed ipse omnibus ministravit, tam in corporalibus ministeriis, quam in spiritualibus, iisque vilissimis & abjectissimis; ipse ægrorum confessiones audiebat, mœstos solabatur, corporum sordes extergebat, pannos abluebat, pharmaca ministrabat, rudes & pueros catechismum docebat, quin & comitum equos curabat, eisque pabulum præbebat. Cumque quidam diceret hæc indigna esse Legato Apostolico, respondit: *Nihil dignus esse humilitate & charitate Christiana, quæ omnibus omnia fit, ut omnes lucrifaciat, quam Christus assiduo verbis & exemplis tota vita sancivit.* Quare hac arte auctoritatem non amisit, sed auxit, cum omnes eum, ut virum sanctum & quasi novum hominem; imo angelum e cælo lapsum suspicerent; lege ejus Vitam. Denique Christus Rex regum, & Dominus dominantium, ne unum quidem in terris habuit servum, sed ipse se omnium fecit servum; non enim venit ministrari, sed ministrare: & tu, o Christiane, servorum greges accumulas? Præclare S. Chrysost. hom. 40. in epist. ad Cor. *Paulum*, inquit, *audi: Necessitatibus meis*, inquit, *& eorum qui mecum sunt ministraverunt manus istæ*, Act. 20. 34. *Ille orbis præceptor, & vir cælis plane dignus, servire mortalibus innumerabilibus veritus non est. Tu nisi multos post te servorum greges trahas, turpe putas: haud videns hoc esse, quod te vehementer deturpat. Huc manus contulit Deus, huc pedes, ne servis scilicet, egeremus. Examina servorum quid sibi volunt?*

B

C REDEMPTIONEM PRO MULTIS] Non quasi Christus pro solis prædestinatis mortuus sit, uti voluere hæretici, olim inde dicti Prædestinatiani, ac nuper Calvinus; Christum enim pro omnibus omnino hominibus passum, & mortuum esse, diserte docet S. Paulus 2. Cor. cap. 5. v. 14. & S. Joannes ep. 1. c. 2. v. 2. Sed *pro multis*, hoc est pro omnibus, ait Euthymius, quia omnes hi fuere non pauci, sed multi. Sic τὸ *multi*, accipitur pro omnibus, hoc cap. v. 16. & cap. 26. v. 28. & Rom. cap. 5. v. 19. & alibi. Aut certe *pro multis*, quia licet Christus pro omnibus mortuus sit, omnibusque media ad salutem sufficientia postularit, impetrarit, & dederit; tamen fructus mortis ipsius, & perfecta salus tantum ad justos, & eos, qui in justitia usque ad mortem perseverant, pervenit. Ita S. Hieronym. Jansen. Maldon & alii.

Hoc humilitatis & charitatis Christi exemplum movit S. Paulinum Nolæ Episcopum, ut animam suam daret redemptionem pro multis: ut enim filium viduæ e captivitate redimeret, seipsum pro eo in servum tradidit Vvandalis. Unde factum est, ut omnes suos Nolanos cives ex eadem

D servitute redimeret, quod proinde, ut heroicum & vere Christianum tanti Præsulis opus, miris laudibus celebrant S. Gregorius, S. Augustinus, & alii passim.

VERS. 29 & 30. Mar. 10. 46. ET EGREDIENTIBUS ILLIS AB JERICHO, SECUTA EST EUM TURBA MULTA: ET ECCE DUO CÆCI, &c.] Christus ex civitate Ephrem, per Jericho interjacentem, tendebat Hierosolymam, ad crucem & mortem.

Jericho quantum distet a Hierosolyma. Jericho a Hierosolyma distat 150. stadiis, a Jordane vero 10, ubi erat Ephrem, 60. stadiis, ait Josephus lib. 5. Belli c. 4. Porro octo stadia faciunt unum milliare Italicum, quod constat mille passibus: stadium enim continet 125. passus, quæ pro octo multiplicata faciunt mille: tria autem milliaria Italica faciunt leucam, sive iter unius horæ: quare 150. stadia faciunt circiter septem leucas: sexaginta vero stadia faciunt duas leucas cum dimidia. Iter a Jordane ad Jericho est planum & facile, a Jericho vero usque Hierosolymam, est montosum, acclive, & declive, ideoque difficile.

Jerico ethymol. Jericho Heb. dicta est, vel a ירח *jareach*, id est, luna, quod formā haberet lunæ; vel a ריח *reach*, id est odor, quod ibi dumtaxat nasceretur balsamū, cujus odor est suavissimus.

Symbolice Rabanus: Jericho, ait, quæ interpretatur luna, defectum nostræ mutabilitatis & mortalitatis significat, ideoque ibi inventi sunt hi cæci; luna enim est cæca & tenebrosa, sicut mortalitas hæc suis umbris & cupiditatibus homines excæcat. Rursum S. Gregor. hom. 12. in Evangel. *Jericho*, inquit, *luna interpretatur; luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur, quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur conditor noster appropinquat Jericho, cæcus ad lumen redit; quia dum divinitas defectum nostræ carnis suscipit, humanum genus lumen, quod amiserat, recepit. Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur.*

E

Mystice Origenes: *Per Jericho*, ait, *intelligitur mundus, in quem Christus descendit: Qui autem sunt in Jericho, exire nesciunt de sapientia mundi, nisi viderint non solum Jesum exeuntem de Jericho, sed etiam discipulos ejus. Hæc ergo videntes secuti sunt eum turbæ multæ, mundum & mundana omnia contemnentes, ut Christo duce ascendant in Jerusalem cœlestem.*

ET ECCE DUO CÆCI] Eadem est historia hæc cum illa, quam narrat Marcus cap. 10. v. 46. utraque enim contigit, egrediente Christo ex Jericho. Dices, Marcus unum dumtaxat nominat cæcum, eumque vocat Bartimæum, id est, filium Timæi. Respondet S. August. lib. 2. de Consensu Evang. cap. 65. duos hic cæcos extitisse, sed unum fuisse in illa civitate famosissimum, idque ex hoc satis apparet, quod & nomen ejus & patris ejus Marcus commemoravit; *Bartimæus enim Timæi filius*, ait S. August. *ex aliqua magna felicitate dejectus, notissima & famosissima miseriæ fuit, qui non solum cæcus, verum etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam erat illius nota calamitas.* De nomine Bartimæi dicam Marci 10. 46.

VERS. 39 Luc. 18. 35. 36. 37. 38. Mar. 10. 47.

Porro hunc cæcum a Christo illuminatum, alium esse ab eo, de quo agit Lucas cap. 18. v. 35. censent S. Augustinus, Jansenius, & alii ex eo, quod ille Lucæ in ingressu Jerichuntis, hic vero Matthæi & Marci in egressu curatus dicatur. Verum cum cætera omnia, quæ de hoc cæco narrat Lucas, consentiant cum iis quæ habent hic Matthæus & Marcus, dicendum est unum eumdemque fuisse hunc cæcum, qui prius in ingressu urbis petierit illuminari a Christo, verum cum ob turbam non audiretur, & Christus se audire dissimularet, ut ejus fidem & spem acueret, postridie stitit se ad portam urbis, ibique a Christo egrediente rursum visum postulavit, & impetravit. Ita S. Ambrosius in Lucæ c. 18. sub finem, Dionysius Carthusianus, Maldonatus, Franc. Lucas, & alii.

G

Allegorice, Origenes, & ex eo S. Ambr. in cap. 18. Luc. sub finem: *Duos cæcos*, ait, *possumus dicere, Judam, & Israel, qui ante Christi adventum cæci fuerunt, quia non videbant verbum verum, quod erat in lege & Prophetis, tamen sedentes secus viam legis & Prophetarum, & secundum carnem tantum intelligentes, clamabant tantum ad eum, qui factus est ex semine David secundum carnem.*

Rabanus vero cum S. Augustino tract. 10. de Verbis Domini secundum Matthæum per duos cæcos accipit Judæos & Gentiles: utrique enim ignorabant viam salutis. S. Chrysostomus accipit solos Gentiles, quia hi partim ex Cham, partim ex Japhet prognati sunt; sicut Judæi ex Sem: hi enim tres fuere filii Noe.

Tropologice, per duos cæcos accipe duplicem cæcitatē, affectus scilicet & intellectus; cæcus enim affectus secum rapit intellectum, eumque excæcat, ut judicet agendum ob cupiditatem, quod vetitum est per charitatem.

H Tropologia duorum.

Symbolice, S. Greg. hom. 2. in Evang. *Cæcum*, inquit, *est genus humanum, quod in parente primo a Paradisi gaudiis expulsum claritatem superne lucis ignorans, damnationis sue tenebras patitur: sed tamen per redemptoris sui presentiam illuminatur, ut interne lucis gaudia, jam per desiderium videat, atque in via vite boni operis gressus ponat.*

Idem Greg. 1. p. Pastor. c. 11. *Cæcus est*, inquit, *qui superne contemplationis lumen ignorat; qui presentis vite tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit.*

SEDENTES SECUS VIAM AUDIERUNT QUIA (quod) JESUS TRANSIRET, ET CLAMAVERUNT DICENTES: DOMINE MISERERE NOSTRI, FILI DAVID] Id est, o Messia, quem ex David nasciturum prædixerunt Prophetæ: Messiæ enim est, miserorum misereri, ac nominatim illuminare cæcos, uti de eo vaticinatus est Isaias c. 35. v. 5. *Tunc*, inquit, *aperientur oculi cæcorum.* Credimus te esse Messiam;

Digitized by Google

A Messiam; Messiæ ergo munus nobis exibe, nosque illumina, ut ex eo cæteri omnes te esse Messiam agnoscant, credant & colant,

VERS. 31. TURBA AUTEM INCREPABAT EOS UT TACERENT] Luc. 18. 39. Mar. 10. 48. Increpabat, religiose & amanter, ne Christum homines viles obturbarent, sorte jam docentem, neve ejus & tanti populi iter remorarentur. Ita Euthymius,

Mystice, S. Gregorius hom. 2. in Evang. per turbam, accipit desideriorum carnalium turbas, tumultusque vitiorum, qui prius quam Jesus ad cor nostrum veniat, tentationibus suis cogitationem nostram dissipant, & voces cordis in oratione perturbant. Turbæ hæ, clamore contentæ orationis superandæ sunt, uti subdit S. Gregorius,

AT ILLI MAGIS CLAMABANT DICENTES: DOMINE (Syrus, *moran*, id est, *Domine noster*) MISERERE NOSTRI FILI DAVID] *Magis clamabant*, tum quia turbæ vetatio non sopivit, sed magis accendit eorum desiderium recipiendi visus a Christo, ideoque eumdem a Christo sua constantia & contentione impetrarunt; tum quia majore clamore opus erat, ut turbæ vetantis strepitum & voces superarent, itaque audirentur a Christo. Unde

B S. Thomas in Catena: *Oportebat*, inquit, *ut tantum clamarent, donec resistentis sibi turbæ strepitum vincerent, id est, tam perseverando, animum intenderent orando, atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, quæ tamquam turba obstrepit cognitioni, lucem veritatis æternæ videre conanti: vel ipsam hominum carnalium turbam studia spiritualia impedientem, fortissima intentione superarent.*

Moraliter, Moraliter S. August. de Verbis Domini ser. 18. *Bonos*, inquit, *Christianos nolentes facere præcepta Dei, Christiani mali tepidi prohibent; clamant tamen illi non deficientes; cum enim quisque Christianus cœperit bene vivere, mundumque contemnere, in ipsa sui novitate patitur reprehensores frigidos Christianos: sed si perseveraverint ipsi, jam obsequentur qui ante prohibebant.* Volenti ergo servire Deo vincendus est pudor humanus, dicteria & irrisiones turbarum. Multos enim a pietate deterret hæc pudoris larva: Si hoc egero, quid de me dicent homines? ero vulgi fabula, Prima Christiani virtus est, contemnere & contemni, ait S. Hieronym. Cogita hominum voces & risus, graculorum esse garritus; & sic inane hoc judiciorum mundi idolum, quod plerosque percellit, conteres, imo velut ludicrum puerorum μορμολύκειον, & phantasticum timidorum terriculamentum instar fumi diffiabis.

C

VERS. 32. Denique S. Hilarius: *Fides*, ait, *quando vocatur, magis accenditur, & ideo in periculis secura est, & in securitate periclitatur,* Luc. 16. 40. 41. Marc. 10. 49. 51.

ET STETIT JESUS, ET VOCAVIT EOS, ET AIT: QUID VULTIS UT FACIAM VOBIS?] *Et stetit.* Causam litteralem dat S. Hieronymus; *Ideo*, ait, *stetit Jesus, quia cæci, quo pergerent ignorabant; multæ fovea erant in Jericho, multæ rupes & præruptæ in profundum vergentia, idcirco Dominus stat, ut venire possint.*

Symbolicam dat S. Greg. hom. 2. in Evang. *Transire*, ait, *humanitatis est, stare divinitatis. Cæcum igitur clamantem Dominus transiens audivit, sed stans illuminavit: quia per humanitatem suam, vocibus nostræ cæcitatis compatiendo misertus est, sed lumen nobis gratiæ per divinitatis potentiam infudit.*

Mystice Origenes: *Jesus*, ait, *non pertransit, sed stat, ut stante eo non transfluat beneficium, sed quasi de fonte stante misericordia defluat usque ad eos.*

D Anagogice, S. August. lib. 1. quæst. Evang. cap. 8. *Stetit Jesus; Fides enim*, inquit, *incarnationis temporalis, ad æterna intelligenda nos præparat, temporalia transeunt, æterna stant.* Stetit ergo tamquam æternus, & dator beatæ æternitatis, ac lucis æternæ, in qua omnia stant, & permanent in æternum.

ET VOCAVIT EOS] *Vocari jubet*, ait S. Hieron. *ne turba prohibeant, & interrogat quid velint, ut ex responsione eorum manifesta debilitas appareat, & virtus ex remedio cognoscatur.*

Addit Marcus; *Et vocant cæcũ dicentes ei: Anime quior* (bono & fidenti animo) *esto, surge, vocat te. Qui projecto vestimento suo, exiliens venit ad eum.* In quæ verba Tropologice S. Hieron. ibidem (vel quisquis est auctor; non enim videtur esse S. Hieron.) *Exilire*, ait, *nudus veteri homine dicitur, ut hinnulus saliens super colles.* Cant. 2. *Exiliens super montes, segnitiem deponens, Patriarchas, Prophetas, & Apostolos in altis considerans, ad superna se extẽdit.*

QUID VULTIS UT FACIAM VOBIS?] *Non ignorat, sed vult audire confessionem qui noverat intentionem*, ait Glossa Interlin. ut vehemens sanitatis desiderium & postulationem in eis excitet, itaque capaces & dignos tanti beneficii & miraculi efficiat. E

Nota hic liberalitatem, & liberalem oblationem Christi, qua se offert nobis ultro, ad præstandum ea quæ volumus, & ardenter petimus.

DICUNT ILLI: DOMINE UT APERIANTUR OCULI NOSTRI] Arab. *ut aperias oculos nostros*, hi enim in cæcis sunt clausi, Marcus: *Domine ut videam.* Nihil enim homini ita naturaliter est desiderabile, ac videre; ita ut videre, vita, non videre sive cæcum esse, mors esse videatur & mœror assiduus, uti testatur Tobias cap. 5. 12. Audi S. Ambros. de Noe & arca c. 7. *Quam deformes*, inquit, *sunt oculi cecorum? Et quid mirũ si vultus hominis absque oculis deformis est, quando ipsum cælum sine sole, non habet suum decorem; Tristes sine sole dies ducimus, noctes sine luna non placent. Ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina, & quædam est in cælo ipso cæcitatis deformitas.* VERS. 33. Luc. 18. 43. Mar. 10. 52.

Quocirca S. August. in hæc verba scribens ser. 18. de Verbis Domini secundum Matth. *Tota igitur vita*, inquit, *est sanare oculum cordis, unde videtur Deus. Ad hoc sacrosancta mysteria celebrantur, ad hoc sermo Dei prædicatur, ad hoc exhortationes Ecclesiæ morales; id est, pertinentes ad corrigendos mores, ad emendandas carnales concupiscentias, ad renunciandum, non voce tantum, sed mutata vita, huic sæculo, ad hoc quidquid agunt divinæ sanctæque litteræ, ut purgetur illud interius ab ea re, quæ nos impedit ab aspectu Dei.* F

Mystice S. Hieronymus loco jam citato: *Unam*, ait, *petiit a Domino, hanc requirit, ut videat voluptatem Domini, & inde videns, visitet templum ejus.* Psalm. 26.

Dicat ergo homo peccato, vel concupiscentia cæcus: Da Domine ut videam peccati turpitudinem, concupiscentiæ vilitatem, voluptatis exilitatem, gehennalis ignis atrocitatem, virtutis pulchritudinem, paradisi felicitatem, gloriæ æternitatem, ut concupiscentiam omnem despiciam, virtutem vero suscipiam & ambiam.

MISERTUS AUTEM EORUM JESUS TETIGIT OCULOS EORUM, ET CONFESTIM VIDERUNT, ET SECUTI SUNT EUM] *Considerans Jesus*, ait S. Hieronym. loco jam citato, *promptam voluntatem, completione desiderii remunerat. Unde & alias dicit: Omne quodcumque petieritis in oratione, credentes accipietis*, Joann. 15. VERS. 34. Luc. 18. 43. Mar. 10. 52. G

Hi cæci curati a Christo, ordine sunt quinti. Primi enim cæci illuminati a Christo, fuere duo illi, de quibus egit Matth. cap. 9. 27. Secundus fuit dæmoniacus, & mutus, de quo egit Matth. 12. 22. Tertius fuit cæcus a Christo curatus in Bethsaida, dicens: *Video homines sicut arbores ambulantes*, Marci 8. 24. Quartus fuit cæcus ille a nativitate, quem Christus curavit, Joann. 9. Quinti fuere duo hi, de quibus Matth. hic. Sexti fuere illi, qui paulo post a Christo sanati sunt in templo, Matth. 21. 14. Sexies cæcos curavit Christus.

ET SECUTI SUNT EUM] *Hi cæci*, ait S. Chrys. *sicut ante dationem fuere perseverantes, ita & post donationem non fuerunt ingrati.* Bonum enim munus obtulerunt Christo sanati; scilicet sequelã ipsius. Hoc est enim quod Deus a te requirit, *solicitum* te *ambulare cum Deo tuo.* Michææ 6. 8.

Tropologice, quomodo Christum sequi debeamus, per mortificationem cupiditatum & crucem, docet S. Greg. hom. 2. in Evang. sub finem.

Addit Lucas cap. 18. 43. *Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum, & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* H

CAPUT XXI.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHristus in Dominica palmarum, quasi rex Messias asina vectus, cum triumpho Jerusalem ingreditur. Secundo, vers. 12. ejicit vendentes & ementes e templo. Tertio, vers. 19. ficulneam infrugiferam maledicendo desiccat, & necat. Quarto, vers. 23. respondet Scribis expostulantibus, se hæc facere ex Dei potestate & imperio, ideoque vers. 28. dat eis parabolam duorum filiorum; unius patri obedientis, alterius inobedientis, ac vers. 33. parabolam agricolarum conducentium vineam, & occidentium heri filium, ac consequenter vineæ heredem. Utraque hæc parabola significat

Digitized by Google

A ficat Ecclesiam Dei, a Judæis Christum occisuris ad Gentes transferendam.

VERS. 1. ET cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage ad Montem Oliveti: tunc Jesus misit duos discipulos,

2. Dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi:

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet; & confestim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem:

5. Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.

6. Eutes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus.

B 7. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in vita: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via;

9. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini; hosanna in altissimis.

10. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?

11. Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.

12. Et intravit Jesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo; & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit;

C 13. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

14. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo: & sanavit eos.

15. Videntes autem principes sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt,

16. Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique numquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?

17. Et relictis illis, abiit foras extra Civitatem in Bethaniam: ibique mansit.

18. Mane autem revertens in civitatem, esuriit.

19. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.

D 20. Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit?

21. Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet.

22. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem?

24. Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos & ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.

25. Baptismus Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes:

26. Si dixerimus, e cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. E

27. Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

29. Ille autem respondens, ait. Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, & non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. F

33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est.

34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

37. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. G

38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.

40. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41. Ajunt illi: Malos male perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42. Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris:

43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.

45. Et cum audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. H

46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

VERS. 1. ET CUM APPROPINQUASSENT HIEROSOLYMIS, ET VENISSENT BETHPHAGE, AD MONTEM OLIVETI, TUNC JESUS MISIT DUOS DISCIPULOS] Marcus cap. 11. *Marc. 11.* Luc. 19. vers. 1. habet: *Et cum appropinquarent Hierosolymæ, & Bethaniæ ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis.* Lucas cap. 19. v. 29. *Cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam, &c. misit duos discipulos.* Sed Marcus & Lucas loquuntur in genere & in confuso, quia Bethphage, Jerusalem, & Bethania sibi mutuo vicina erant. Nam alioqui particulatim ex S. Joanne cap. 12. v. 1. & 12. liquet Christum præcedenti sabbatho cœnasse, & pernoctasse in Bethania, ac sequenti die (quæ erat Dominica palmarum) vicinius accessisse ad Jerusalem; scilicet ad Bethphage, & inde misisse discipulos, ad adducendam asinam

A asinam cum pullo: Bethphage enim erat vicinior Jerusalem. Unde ex Bethania, per Bethphage, montem Oliveti, & vellem Josaphat ibatur Jerusalem; nam urbi Jerusalem immediate adjacet vallis Josaphat, quam interluit torrens Cedron; post vallem sequitur mons Oliveti, post montem vicus Bethphage & inde Bethania.

Bethphage quid? BETHPHAGE] Heb. idem est quod *domus oris*, seu *in ore vallis* (*Beth* enim est domus, *pha* os, *ge* vallis) ait Franc. Lucas, & Pagnin. in Nomin. Hebr. quia vicus hic Bethphage situs est in valle, ad radices montis Oliveti in quadam montis cavitate, & quasi ore. Rursum hic vicus situs erat quasi in ore vallis Josaphat, quod os efficit via brevis, & stricta, per quam ex Bethphage per montem Oliveti ibatur in vallem Josaphat, indeque per portam auream in templum. Unde verissimile est quod ait Jansen. & Adrichom. Bethphage fuisse vicum sacerdotum, in eoque agnos, capras & boves pro sacrificiis templi ali solitos: quare ex Bethphage sacerdotes solebant educere agnos paschales, aliasque victimas in templo (cui adjacebat Bethphage) offerendas. Eaque de causa Christus ex Bethphage cum triumpho deduci voluit per portam auream in Jerusalem, & templum; ut

B ostenderet se esse agnum, qui tollit peccata mundi, quem agni paschales figurabant.

Rursum triumphans voluit transire vallem Josaphat, ut innueret in eadem valle se in die judicii peracturum illud tremendum omnium omnino hominum judicium: ac sibi fideles & obedientes cælo, infideles vero & inobedientes inferno adjudicaturum, uti ostendi Joelis cap. 3. 2. Jam ergo cum triumpho quasi Messias per hanc vallem obequitans Hierosolymam, velut ejus rex & dominus, regni sui quasi possessionem capit, quod deinde glorioſe perficiet in die judicii, q.d. Agnoscite, o Judæi, me ut vestrum Messiam, mihique credite & obedite; ut in die judicii, quod in hac valle Josaphat peragam, vos cælo adjudicem: si enim persistatis in vestra infidelitate, vos inferno tunc addicam. Hac de causa venio ex Bethania, ubi ante paucos dies a morte suscitavi Lazarum, uti omnes vidistis & obstupuistis, ut ex hoc miraculo (quod vobis per hoc iter meum tacite refrico, & in memoriam revoco) cæterisque similibus a me patratis, cognoscatis me esse vestrum Messiam, mundi salvatorem & redemptorem.

C Duo hi discipuli qui? TUNC JESUS MISIT DUOS DISCIPULOS] S. Hilarius, auctor Imperfecti, Beda & Glossa putant, hos duos fuisse Petrum & Philippum. Origenes vero & Theophyl. censent fuisse Petrum & Paulum, scilicet typice, hoc est hos duos a Christo missos significasse & repræsentasse Petrum, qui futurus erat Apostolus Judæorum, & Paulum, qui futurus erat Apostolus Gentium: necdum enim Paulus conversus erat ad Christum, sed post ascensum Christi in cælum conversus est, Actor. 9. Verisimilius Jansenius opinatur hos duos fuisse Petrum & Joannem: quia paulo post, hos præmisit Christus ad parandum agnum Paschalem, nil tamen certi hic definiri potest.

VERS. 2. Luc. 16. 30. Mar. 11. 2. DICENS EIS: ITE IN CASTELLUM, QUOD CONTRA VOS EST] Græce εἰς τὴν κώμην, τὴν ἀπέναντι ὑμῶν, id est, in vicum, qui ex opposito, vel e regione vestri est: unde patet non significari hic Jerusalem, ut vult Lyranus; sed vel Bethphage, ut vult Jansenius; vel certe vicum aliquem oppositum Bethphage, ut vult Adrichomius: nam Christus jam venerat Bethphage, ut dixi v. 1. nisi τὸ *cum venisset* ibidem exponas. q.d. Cum appropinquasset *Bethphage*.

D ET STATIM INVENIETIS ASINAM ALLIGATAM, ET PULLUM CUM EA: SOLVITE, ET ADDUCITE MIHI] Christus hic res absentes, puta asinam & pullum alligatos, intuebatur ut præsentes: quare certo eas Apostolis revelabat per donum prophetiæ, quod humanitati suæ contulerat ejusdem divinitas. Quare hic divinitatis suæ dedit argumentum, Ejusdem enim virtutis, scilicet divinæ, est prædicere futura, & revelare arcana, qualia sunt absentia. Eadem virtute Christus vidit & revelavit ea, quæ Nathanael secreto egerat sub ficu, Joann. c. 1. v. 48.

Tropol. Audi singula hæc Tropologice adaptantem conversioni peccatoris B. Petrum Damiani homilia in Dominica Palmarum: [Bethphage interpretatur domus buccæ, & est intellectus sacerdotum, per quam designatur confessio: Ad hanc Dominus venit, quia ad confitendum corda accendit. Castellum quod est contra Dominum, & ejus discipulos est animus obstinatus propriæ deditus voluntati. Duo discipuli ad illud missi, sunt spes & timor. Asina & pullus alligati humilitas & simplicitas. Hujusmodi enim animus aliquando novit quid sit humilitas, quid simplicitas, & quod simpliciter & humiliter sit vivendum; E sed quasi eas alligat & reponit, dum non vult eas opere exercere. Terret hunc timor ubi a malo resipuerit, minans ei tormenta. Confortat eum spes si pœnituerit, præmia pollicendo. Compungitur his duobus animus. Solvitur asina & pullus, cum obviam Domino eundo, Bethphage confitetur se peccasse, & promittit se deinceps humiliter & simpliciter victurum. Et sic qui erat prius castellum diaboli, efficitur urbs fortitudinis nostræ Sion. Salvator ponitur in ea murus & antemurale. Murus humilitas est, antemulare patientia. Egrediamur igitur charissimi obviam Domino Bethphage compuncti timore pœnæ, & spe cælestis vitæ firmati, confitendo peccata humiliter & simpliciter, ambulando substratis vestibus nostræ carnalitatis, ut in nobis dignetur sedere Dominus, & nos secum in cælestem Jerusalem introducere.]

VERS. 3. Luc. 19. 31. Mar. 11. 3. ET SI QUIS VOBIS ALIQUID DIXERIT, DICITE QUIA DOMINUS (scilicet ego qui sum Messias, Deus & Dominus omnium) HIS OPUS HABET, ad solemnem ingressum in Jerusalem, ut quasi rex ejusdem ibidem inauguretur. ET CONFESTIM DIMITTET (Arabicus, *mittet*) EOS] Noluit Christus invitus auferri asinam cum pullo, quod jure suo summo facere poterat, quia ejus providentia operatur uti fortiter, sic & suaviter: quare eadem virtute divinitatis F suæ, eorum inflexit animos, ut solventibus Apostolis asinam cum pullo assentirentur, imo cooperarentur.

Pompa Christi regis qualis. Voluit Christus, qui hucusque per tres annos continuo pedes incesserat, & totam Judæam circumeundo, perambularat, ostendere se regem esse Judææ, puta Messiam, Davidis filium & hæredem, ideoque regali pompa Jerusalem, quæ Judææ erat metropolis, ingreditur: at non vehitur equo phalerato, vel curru aurato cum nobilium adequitantium turba, tubis clangentibus, purpura fulgens, uti faciunt reges terræ; sed vehitur asina, ut ostendat suum regnum esse alterius ordinis: scilicet spirituale, & cæleste; ideoque mite & humile, situm in contemptu pompæ, quamquam in Judæa asini sint nostris meliores, & valentiores instar mulorum. Unde filii principum asinis inequitabant, ut patet Judic. 12. 14. ubi 70. filii & nepotes Abdon principis Israel dicuntur totidem asinis vecti. Sedet Christus, ait auctor Imperfecti, *super asinam tranquillitatis & pacis, oneris patientissimam ac laboris. Non autem vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut cetera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? ramos fondentes, testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non ut propter potentiam timeretur, sed ut propter mansuetudinem amaretur.* G

VERS. 4. Joann. 12. 14. HOC AUTEM TOTUM FACTUM EST, UT ADIMPLERETUR, QUOD DICTUM EST PER PROPHETAM (Zachariam cap. 9. 9.) DICENTEM:

VERS. 5. Joann. 12. 15. DICITE FILIÆ SION] Putant aliqui hæc verba petita esse ex Isaiæ cap. 62. 11. quasi Matthæus hoc testimonium conflet ex Isaia & Zacharia. Simplicius Franciscus Lucas & alii censent, Christum citare solum Zachariam, sed non tam ejus verba, quam sensum proferre. *Dicite* ergo *filia Sion*, idem est quod *exulta satis* (heb. מאד *meod*, id est valde) *filia Sion*, *jubila filia Jerusalem*, ut habet Zacharias cap. 9. 9. quia rex tuus Messias te ingreditur, ut te salvet, uti sequitur. Zacharias enim hortatur cives Jerusalem, ut Jesum asina vectum velut suum Messiam, & Salvatorem avide excipiant.

Nota. Jerusalem, vocatur filia Sion, vel per synecdochen, qua a Sion parte urbis excelsiore & montana urbs H tota dicitur Sion; vel per metaphoram, qua urbs Jerusalem subjecta monti Sion, ab eoque protecta, & in ejus sinu quasi filia requiescens, filia Sionis dicitur. Porro per Jerusalem, intelligit cives & incolas Jerusalem metonymice; hos enim ad exultandum, & jubilandum in Christi adventu invitat. Mystice hæc vera sunt in Ecclesia Christiana, quæ ut Jerusalem & filia Sion, est visio pacis, ideoque cum Christo suo jugiter exultat.

EECE REX (Messias) TUUS VENIT TIBI MANSUETUS SEDENS SUPER ASINAM, ET PULLUM FILIUM SUBJUGALIS] Zacharias habet *filium asinæ*: hæc enim est subjugalis, quia jugum viri, vel principis in ea sedentis & equitantis, sive asinantis sustinet.

Reliqua, quæ ad hanc prophetiam pertinent, explicui Zachariæ 9. 9. unde petita sunt.

VERS. 6. EUNTES AUTEM DISCIPULI FECERUNT SICUT PRÆCEPIT ILLIS JESUS] Prompta discipulorum obedientia notatur, quæ meruit promptum heri obsequium, ut is sineret ab eis suam asinam cum pullo abduci, ut Christus prædixerat, non dubitans eos sibi remittendos fore.

Unde

Digitized by Google

A Unde Marcus cap. 11. 4. & Lucas cap. 19. 33. idpſum ſatis exprimunt.

VERS. 7. ET ADDUXERUNT ASINAM ET PULLUM: ET IMPOSUERUNT SUPER EOS VESTIMENTA (græce ἱμάτια, id eſt, pallia, ſive extimas veſtes quaſi ſtragula, ad ornatum, & pompam) SUA, ET EUM DESUPER SEDERE FECERUNT] Legit interpres ἐκάθισαν, jam multi cum Syro legunt, κάθισεν, id eſt, *ſedit*; Syrus habet *ſedit ſuper illum*; ſcilicet pullum. Verius eſt Chriſtum tam aſinæ, quam pullo inſediſſe, non ſimul, ſed ſucceſſive, uti dixi Zachar. 9. 9. Prius aſina uſus eſt Jeſus, ait Franc. Lucas, deinde pullo: pullus forte par non fuiſſet ferendo ſeſſori in montis aſcenſu deſcenſuque, aſina minus decuiſſet ingreſſum in urbem; itaque ſortis aſina ſequente pullo, pullo in civitatem ſequente aſina vectus eſt. Præcipue vero myſterii cauſa, his duobus jumentis voluit uti, ut ſignificaret non ſolis iis, quibus promiſſus fuerat, ſcilicet Judæis, ſed toti ſe mundo, id eſt, duobus populis, quibus conſtat mundus, regnaturum, Judæis Moſaicæ legis jugo aſſuetis, quos aſina, & Gentibus, ſine Dei lege viventibus hactenus, quos pullus figuraret. Nam *ſicut peccatores equi ſunt diaboli*, ait auctor operis Imperfecti, *ita & Sancti, equi dicuntur Chriſti*; quamquam mites aſinos potius amet Chriſtus, quam feroces ac ſuperbos equos.

B

Diſcipuli hi æque ac turba populi inſtincta & acta a Spiritu ſancto, ſive ab ipſa deitate Chriſti, totam hanc regalem pompam adornavit, aſinamque ſuis palliis quaſi ſtragulis regalibus inſtravit, iiſque Chriſtum inſidere fecit, ut ipſi quaſi Meſſiæ obſequeretur, eumque velut regem Judææ, Hieroſolymæ inauguraret: tota enim hæc pompa facta agente, inſtigante & dirigente Chriſto, qui voluit hic præter morem equitare, ut regni ſui aliquod ſpecimen daret, conjunctum tamen paupertati & humilitati; ideoq; aſina vectus eſt vili & abjecta.

Chriſti pompa: cur? Cauſa Prima.

Ubi nota. Chriſtus regalem hanc ſibique inſolitam pompam & ingreſſum in Jeruſalem adornare voluit variis de cauſis. Prima fuit, ut daret regiæ ſuæ potentiæ & magnificentiæ indicium quoddam & ſpecimen, quia eum ea Meſſiam ſuum quaſi alterum Salomonem venturum Judæi putabant, & etiamnum putant. Hac ergo ſpecie, & pompa objecit ſe eis Chriſtus, ne eum ut pauperem adverſarentur & deſpicerent, uti fecerunt: ita tamen ut humilitatis & manſuetudinis miſtis argumentis oſtenderet, regnū Meſſiæ magis eſſe ſpirituale, quam temporale: ideoque a Zacharia hæc omnia voluit prædici, ne Judæi hunc Regem ſine faſtu regio venientem aſpernarentur. Ita S. Chryſoſt. & auctor Imperfecti, & Euſebius l. 8. Demonſtr.

C

Secunda, cap. 4. Secunda & comitans cauſa fuit, ut Chriſtus objiceret Phariſæis & Scribis in hoc regali ingreſſu ſeipſum, quem agnoſcere hoc facto poſſent & deberent, eſſe Meſſiam, utpote a Zacharia hoc loco promiſſum & prædictū: ſciebat tamen ipſos inde magis exacerbandos, & necem crucis ipſi machinaturos, quod ipſe permittere ſtatuit, ut ſic mortis adeo expetitæ compos fieret, per eamque nos redimeret. Ita auctor Imperfecti. Tertia fuit, ut reſponderet typo agni paſchalis. Hi enim decimo die menſis primi ſolemni pompa inducebatur in urbem, immolandus die decimo quarto. Ita Chriſtus quaſi agnus Dei, qui tollit peccata mundi, die decimo, puta in die Palmarum, ingreſſus eſt Jeruſalem immolandus die decimo quarto: ingreſſus eſt autem cum pompa & fauſtis turbæ acclamationibus, ut quia certus erat de victoria mortis, peccati, inferni & dæmonum, triumphum duello præriperet, & triumphans duellum iniret.

Tertia,

D

Quarta, Quarta fuit tropologica, ut ſcilicet hoc facto rideret, & ridendam proponeret mundi gloriam, utpote cum ſciret ſe quinto poſt die ab iiſdem, a quibus in ingreſſu ita honorabatur, crucifigendum, eoſdemque, qui jam clamabant, *Hoſanna filio David*. q. d. Vivat rex noſter Meſſias Davidis filius & hæres; poſt quatuor dies in tribunali Pilati clamaturos, *Crucifige, crucifige eum*; ideoque urbem a Tito, & Romanis funditus evertendam: qua de cauſa in hoc læto, licet ingreſſu ſuo, videns eam, ejuſque cladem prævidens flevit, ut habet Lucas c. 19. 41. Rurſum ut doceret ſuum ſuique ſequacium regnum, & gloriam in hac vita conſiſtere in paſſione & cruce, ideoque eam non averſandam, ſed ambiendam eſſe; ac læto animo, & ſolemni cum pompa adeundam. Quocirca Martyres, Chriſti aſſeclæ, ad martyria quaſi ad epulas, imo regnum, & triumphum ibant gaudentes, albati & ſtipati fidelium choro, uti ibat Sancta Aghatha, Sancta Cæcilia, Sancta Agnes, Sanctus Laurentius, Sanctus Vincentius, &c.

E

VERS. 8. PLURIMA AUTEM TURBA STRAVERUNT VESTIMENTA (pallia) SUA IN VIA (ut illæſo pede incederet) ALII AUTEM CÆDEBANT RAMOS DE ARBORIBUS (palmarum, olearum, aliiſque fructiferis, quibus mons Oliveti plenus eſt, ait S. Hieronymus) ET STERNEBANT IN VIA] uti regni inaugurando plateæ ſolent inſterni tapetibus, ramis, frondibus, ad eum honorandum; ſed turba hæc, cum non haberet tapetes, pallia ſua Chriſto ſtravit; iis ſe ſpolians & nudans, quod magnum fuit obſervantiæ & reverentiæ erga Chriſtum indicium. Contigere hæc die 20. Martii, cum in Palæſtina, utpote regione calida arbores ramis, & frondibus virent & decorantur; nam die 25. Martii paſſus, & crucifixus eſt Chriſtus, puta die Veneris, qui ſequitur Dominicam palmarum. VERS. 8. Luc. 19. 36. Mar. 11. 8. Jo. 12. 13.

Tropologice, Remigius, & ex eo S. Thomas in Catena: *Dominus*, ait, *ſuper aſellum ſedens, Hieroſolymam tendit, quia præſidens ſanctæ Eccleſiæ vel animæ fideli, & eam in hoc ſæculo regit, & poſt hanc vitam ad viſionem cæleſtis patriæ introducit. Apoſtoli autem & cæteri doctores veſtimenta poſuerunt ſuper aſinam, quia gloriam, quam acceperunt a Chriſto, Gentibus dederunt: turba autem veſtimenta ſternebat in via, quia credentes ex circumciſione, gloriam, quam habebant ex lege contemnebant, ramos autem de arboribus præcidebant, quia ex Prophetis acceperunt exempla, de Chriſto quaſi de arbore virentibus. Vel turba, quæ veſtimenta ſtravit in via, ſignificat Martyres, qui veſtimenta ſua, id eſt, corpora, quæ tegumenta ſunt animarum, pro Chriſto ad martyrium tradiderunt, vel ſignificantur illi, qui corpora ſua per abſtinentiam domant; illi autem ramos arborum præſcindunt, qui dicta & exempla ſanctorum Patrum querunt ad ſuam vel filiorum ſalutem.*

F

VERS. 9. TURBÆ AUTEM QUÆ PRÆCEDEBANT ET SEQUEBANTUR, CLAMABANT, DICENTES, HOSANNA FILIO DAVID] S. Joannes cap. 12. v. 12. ait; *In craſtinum* (id eſt, poſtridie ſabbati, quo Jeſus venerat Bethaniam, puta in Dominica palmarum) *turba multa, quæ convenerat ad diem feſtum* (Paſchæ inſtantis) *cum audiſſent, quia venit Jeſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant, Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael*, id eſt, Meſſias, quem vult Regem divinum, per tot millia annorum, hucuſque avide expectamus. Unde turba procedit ei obviam, cum ramis palmarum, tamquam victori & triumphatori; palma enim olim victores in agone donabantur. Ita explicat Eccleſia, dum in benedictione palmarum ita canit: *Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos expectant: ſurculi vero olivarum ſpiritalem unctionem adveniſſe quodammodo clamant, intellexit enim jā tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia Redemptor humanis condolens miſeriis, pro totius mundi vita cum mortis principe eſſet pugnaturus, ac moriendo triumphaturus. Et ideo talia obſequens adminiſtravit: quæ in illo & triūphos victoriæ & miſericordiæ pinguedinem declararent.* Erat enim Chriſtus poſt quatuor dies in Paraſceve, in cruce de peccato, morte, diabolo & inferno triumphaturus, quod licet turba neſciret, ſciebat tamen Chriſtus, ideoque palmis hunc ſuum triumphum a turba præſignari voluit, idque palam & ſolemni pompa, nimirum, quinto die ante feſtum Paſchæ, quo turba plurima, quæ undique Hieroſolymam, ad illud celebrandum, convenerat, magno agmine prodibat in Bethphage, ut inde agnos paſchales in Paſchate (quod illo anno in veſperam diei Jovis incidebat) immolandos, & commedendos Hieroſolymam educeret: quare inauguratio hæc Chriſti in regem Judææ magno populi comitatu, ſtudio & devotione glorioſe celebrata eſt. Inducebant enim Chriſtum quaſi agnum, qui tollit peccata mundi, die Veneris proximo in cruce immolandum pro ſalute mundi, cujus agni paſchales erant figuræ & typi, etſi ipſi myſterium hoc tunc ignorarent, ſed Deus omnium præſcius hæc dirigebat, & ordinabat ad Chriſti gloriam & noſtram ſalutem, utque Judæi mentem reflecterent ad hanc Chriſti pompam, ex eaque ipſum eſſe Meſſiam agnoſcerent; nam hac pompa Meſſiam ingreſſurum Jeruſalem prædixerat Zach. c. 9. v. 9. & David Pſalm. 117. 25. ideoque utrumque hic citat Matthæus, ut Judæi nolentes Chriſto credere, ſint inexcuſabiles. Omnia hæc facta ſunt juxta legem Exodi 12. v. 3. & 6. ubi jubetur agnus paſchalis ſeligi die decimo menſis primi, & apparari, ut die 14. immoletur. Decima enim dies Niſan, ſive menſis primi illo anno erat Dominica palmarum, quæ noſtro com- Luc. 19. 37. 38. Mar. 11. 10. Jo. 12. 13.

G

H

Digitized by Google

A

Hosanna quid? Resp. Primo,

Secundo,

Tertio,

Quarto. Secundo.

B

C

D

E

F

G

H

computus erat dies 20. Martii; nos enim utimur mensibus solaribus, Judæi vero lunaribus.

HOSANNA FILIO DAVID] sic & Ægyptius ac Arabicus; Syrus vero, *Onsoano filio David*; Æthyopicus. *Husanno filio David*; Persicus, *Husiana filio David*. Quæres, quid est *Hosanna*? Primo, S. Hilarius hic, & ex eo S. Ambrosius in cap. 19. Lucæ censent, *Hosanna* significare redemptionem domus David: sed hoc refellit S. Hieronym. epist. ad Damasum. *Hosanna* enim non significat redemptionem, ejus tamen est quoddam indicium; salus enim a Christo allata, fuit redemptio nostra: & hoc tantum videntur voluisse SS. Hilarius & Ambrosius.

Secundo, S. Augustinus tract. 51. in Joannem putat, *Hosanna* esse interjectionem gaudentis, & obsecrantis, qualis est euge, eja,

Tertio, Euthymius ait *Hosanna* significare laudem, ut derivetur ab ע *hoz*, id est, fortitudo, quod Noster & Septuaginta alibi vertunt laudem; & חנה *channa*, id est, gratia. Unde & Græci *Hosanna* efferunt per duas dictiones.

Quarto. Secundo. Verum dico cum S. Hieronymo, Theophilacto, Pagnino, Caninio, Jansenio, Franc. Luca, Barradio & aliis, *Hosanna* compositum & conflatum (quod perperam negat Abulensis q. 134.) esse ex הושע *hosea*, id est, *salva*, & נא *na*, id est *queso*, dicendum ergo esset *hoschanna*, id est, *salva queso*, vel *salva nunc*; sed pro *hoscana*, vulgo dicitur *hosanna*, quia littera ע *ain*, quæ ultima est in *hosca*, versa est in ג *gamma*, & ג *gamma* in ו *vau* (id est in litteram נ) ob sequens ו *vau* in voce *na*, uti fit apud Græcos per euphoniam. *Hosanna* ergo est acclamatio & apprecatio salutis, id est, prosperitatis & felicitatis; illius enim est nota, perinde ac apud nos in victoria est *io pæan, io triumphe*. Unde & ipsum nomen *Hosanna*, licet sit Hebræum, mansit tamen apud Græcos & Latinos.

Alludit, imo citat Ps. 117. v. 25. *O Domine salvum me* (το' *me* non habent Hebr. videtur enim esse vox non Christi, sed populi Christo salutem precantis) *fac: o Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini*. Symmach. vertit, *obsecro, Domine, salvum me fac, obsecro*; Hebr. est, אנא ה ה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא *anna Jehovah hoscia na; anna Jehovah hatslicha na*, id est, *o Domine, salva, queso: o Domine, prospera, queso*, regem nostrum Davidem, ejusque antitypum Messiam: da illi felix regni sui exordium, feliciorem progressum, & felicissimum finem. *Hosanna* ergo acclamatur Messiæ, quasi novo regi Israelis, in ejus inauguratione, uti nos acclamamus: Vivat rex, vivat princeps.

Hinc & Psalm. illo 117. vers. 24. præcedit: *Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea*. Causa præcessit v. 22. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*. Ubi Chaldæus de Davide vertit: David primo rejectus, deinde factus rex populi, quasi lapis angularis nectens sibi Judam, & Jerusalem, id est, tam duas, quam decem tribus. Melius S. Matthæus de Christo hæc explicat, q. d. Christus a Judæis in vita, & morte rejectus & crucifixus, factus est lapis angularis Ecclesiæ post resurrectionem, utpote qui totum Ecclesiæ ædificium contineat, & connectat uniendo Judæos, & Gentes in eodem Ecclesiæ suæ sinu, ideoque illi *Hosanna* decantamus & apprecamur.

Nonnulli censent *Hosanna* sumptum esse ex festo Tabernaculorum, quo Judæi exultantes cum ramis arborum crebro ingeminabant, & vociferabantur *hosanna*, ac in precibus, & Litaniis Deo plebs tota identidem respondebat, *Hosanna*, id est, salva nos; sicut Christiani in Litaniis ad singula pestis, famis, belli, &c. mala & flagella respondent, *Libera nos Domine*. Quocirca Judæi ipsos quoque ramos vocabant *Hosannas*, uti ex Chaldæo, Thalmud & Elia ostendit Angelus Caninius tract. de Nomin. Hebr. c. 4. & ex eo Jansenius, Franc. Lucas, & alii. Verum hoc *hosanna* Chaldæi & Thalmudicorum, posterius est nostro *hosanna* Christi: nam Thalmudici & Chaldæus posteriores fuere Christo, quare potius istud ex hoc, quam hoc ex illo desumptum est. Adde *hosanna* festi Tabernaculorum esse *hosanna* afflictionis, & deprecationis: *hosanna* vero Christi hic esse exultationis, & jubilationis & triumphi: hoc ergo ab illo differt tantum quantum Litania a triumpho.

Turba ergo hæc Dei instinctu in hanc acclamationem, *Hosanna*, quæ lætantium & triumphantium est, in Christi laudem erumpit, æque ac infantes vers. 15. licet occasio illius fuerit memoria magni illius miraculi, scilicet suscitationis Lazari, quæ paulo ante ibidem, puta in Bethania facta fuerat a Christo, ut patet Joan. 11. vers. 15. & cap. 12. vers. 9. 17.

FILIO DAVID] Messiæ sive Christo, Davidis regis & filio & heredi: multi veteres hæc ad turbam referunt, quasi ipsa salutem poscat a suo Messia, q. d. Hosanna filio David, id est, salus nostra sit a filio David, vel salus nobis obtingat a filio David; puta ab hoc Messia nostro. Ita Origenes, S. Hieronym. Beda, Hilarius hic, S. Ambrosius in cap. 19. Lucæ, & Irænæus lib. 4. c. 4.

Secundo, alii τῷ *filio David* referunt non ad *Hosanna*, sed ad *dicentes*, q. d. Dicebant filio David, id est, Christo, salva me, qui sum populus tuus, o fili David, id est, o Messias rex noster. Τὸ enim *me* habent Larini codices, Ps. 117. 2. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Eusebius & Genebrardus in Psal. 117.

Verum dico populum hic directe acclamare *Hosanna*, non sibi; sed Christo regi suo, illique apprecari salutem, indirecte tamen, & consequenter sibi quoque eamdem flagitare, salus enim regis est salus populi.

Hosanna ergo *filio David*; idem, est quod *salva, queso, filium Davidis*. Sic enim vertendum fuisset, juxta Latinam syntaxin; sed interpres Græcus, æque ac Latinus secutus & hebraismum. Hebræi enim vebum הושע *hosca*, id est, *salva*, construunt aliquando cum ל *lamed*, qui est articulus casus dativi, ac subinde accusativi. Petit ergo turba rogatque Deum, ut salvet & prosperet Messiam, ut sub eo salvi & felices vivant omnes, sicut novo regi populus acclamat, *Vivat rex*. Aut potius & simplicius, *Hosanna filio David*, id est solemne illud *Hosanna* Davidi cum Jesu, quem promissum, & hactenus expectatum David filium agnoscimus, sit, contingat acclametur unanimiter a nobis. Quæ est vox acclamatioque populi sancti Spiritus instinctu agnoscentis Jesum filium David, id est, Messiam, eique congratulantis; tamquam regnum Davidis patris, cujus per ipsum restauratio jam diu foret expectata, ineunti; denique salutem, prosperitatem, faustaque omnia illi a Deo precantis, eademque sibi ipsi per illum lætе promittentis. Ubi enim Christus filius David appellatur, illic respectus est ad regni Davidici restitutionem. Ita Franciscus Lucas.

Porro Caninius, loco jam citato, sic exponit, *Hosanna filio David*, id est, manibus gestamus *hosannas*, id est, ramos palmarum, *filio David*, ut scilicet eum velut regem Messiam honoremus, ipsumque quasi victorem & triumphantem ovantes comitemur. Vel *hosanna Filio David*, id est, præscindite ramos, quos quasi hosannas filio David offeratis: sicut Poeta dixit, *Manibus date lilia plenis*. Verum aliud erat *hosanna* festi tabernaculorum, scilicet instar Litaniæ cujusdam, aliud turbæ hic per *hosanna* Christo triumphum acclamantis, & gratulantis, uti paulo ante dixi.

Planius & plenius dicas, a populo hic Christo acclamari, *Hosanna filio David*, q. d. O Domine non tantum salva Messiam nostrum Davidis filium, & heredem, sed & ipsi vim salvandi fideles omnes in ipsum credentes, ipsique subditos tribue, ut salus tua divina a te in Christum tam abunde derivetur, ut ipse eamdem in nos emanet & effundat. Verba enim conjugationis Hiphil sunt summe activa, unde sæpe duplicem actionem significant; *hosca* ergo id est salva, significat salva Christum, simulque fac, ut ipse subditos suos salvet, ut scilicet ipse, uti vocatur: sic revera fit *Jesus*, id est Salvator mundi. *Jesus* enim derivatur a יָשַׁע *jasca*, id est salvavit, quod in Hiphil adaucta actione habet יָשִׁיעַ ה *hosca*. Hac de causa interpres vertit, *filio David*, in dativo, cum alias vertendum esset, *filium David*, in accusativo. Dativus enim significat, Christo a Deo datam salutem, id est, vim salvandi omnes, quasi ipsi soli propriam. Hoc nota, quia a nullo quod sciam, animadversum est.

Hic ergo Christus, quasi rex Israelis gloriosus, potens & triumphator, cui nemo resistere valeat, quasi inauguratur in Jerusalem, civitate regia, in qua olim gloriose regnarat David & Salomon patres Christi, ut ipse regnum eorum collapsum restituat, imo perficiat, & ex terreno cælestе, ex humano divium, & temporali æternum efficiat, cui proinde plebs per *hosanna* partim applaudit, partim apprecatur salutem, id est, felicitatem, omneque bonum. Hoc est quod ait Marcus, c. 11. v. 9. *Et qui præibant & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David, hosanna in excelsis*.

Porro

Digitized by Google

A Porro hoc ſuum Eccleſiæ regnum quaſi iniit Chriſtus quinto poſt die, ſcilicet in Paraſceve Paſchæ, dum in cruce de peccato, mundo, dæmone & inferno triumphavit, omneſque gentes eorum poteſtate, quantum eſt ex parte ſua, exemit, & ſubjugavit: quocirca Eccleſia in Miſſa votiva de paſſione Chriſti illi accinit, *Tibi gloria hoſanna; tibi triumphus & victoria, tibi ſumma laudis & honoris corona, alleluja.* Tunc enim *regnabit a ligno Deus.* Hinc rurſum Eccleſia in benedictione palmarum Deum orat, *ut portantes palmas & ramos olivarum, bonis actibus occurramus obviam Chriſto, & per ipſum in gaudium introeamus æternum.*

BENEDICTUS (ſupplé, ſit) QUI VENIT (græce, ὁ ἐρχόμενος, id eſt, ille veniens; qui venturus ſcilicet erat, vel expectabatur) IN NOMINE DOMINI] q.d. Deus benedicat, ſecundet, proſperet, & glorioſum efficiat regnum Meſſiæ regis noſtri, ipſe enim venit ad nos *in nomine Domini*, id eſt, auctoratus, miſſus & donatus a Domino. Sic Jerem. cap. 4. 16. dicitur, *Locutus es ad nos in nomine* B *Domini*, id eſt, juſſu, auctoritate & vice Dei. Et cap. 3. 17. *Congregabuntur ad eam* (Jeruſalem) *omnes gentes in nomine Domini.*

Alludit ad Pſal. 44. 4. ubi David de Chriſto vaticinans ait, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*, &c. *intende, proſpere procede, & regna.* Chriſtus enim eſt rex Iſrael, ait S. Auguſt. in Joan. c. 12. 23. *Eo quod mentes regat, quod in æternum conſulat, quod in regnum cælorum credentes, ſperantes amanteſque deducat.*

Tropologice Remigius: Chriſtus, ait, venit, in nomine Domini, quia in omnibus bonis operibus non ſuam, ſed Patris gloriam quæſivit.

HOSANNA IN ALTISSIMIS] Janſenius explicat, q. d. Salva Meſſiam, tu Domine, qui es & habitas in cælis altiſſimis. Melius Franc. Lucas, Maldonatus & alii præpoſitionem ב, id eſt, *in* pro ל *min*, ideſt *de*, more Hebræo accipiunt, q. d. Tu, o Domine, de cælo, imo de altiſſimo cælorum culmine, ſalva & fortuna regem Meſſiam. Apprecantur enim Meſſiæ ſalutem, non ab homine terrenam & caducam, ſed a Deo divinam, cæleſtem & æternam, ut ſcilicet Deus divinitus eum ſalvet, eique vim ſalvandi alios tribuat: ut nimirum Chriſtus per gratiam C ſuam, omnes ſuos fideles & ſanctos ad æternam ſalutem, felicitatem, regnum & gloriam perducat. Hinc Origenes *Hoſanna* explicat reſtitutionem in vitam æternam: hoc enim innuit τὸ *in altiſſimis*, vel, ut ipſe legit, in excelſis, ſcilicet ſalutem hanc quæri non in terra, ſed in cælis. Rurſus S. Hieron. *Oſtenditur*, ait, *adventus Chriſti totius mundi ſalus eſſe, terrena jungens cæleſtibus.* Addit Gloſſa *in excelſis*, quia Chriſtus etiam angelorum eſt ſalus, quorum numerum implet. Unde Emman. Sà addit, etiam Angelos, qui in excelſis ſunt, hic invitari ad triumphum, & laudem Meſſiæ. Quo circa Lucas cap. 19. 38. pro *Hoſanna* habet *pax in cælo*, id eſt, ſalus, proſperitas, omneque bonum (hoc enim Hebræis notat pax) de cælo in Meſſiam, & per eum in nos a Deo dimanet & depluat, *& gloria in excelſis*, ſupple, ſit Deo meſſiæ datori. Aut potius *gloria* ſcilicet regni, firma, magna & continua, hoc eſt glorioſum regnum: *in*, id eſt, de *excelſis*, puta de cælo divinitus detur Meſſiæ noſtro, Ita Franc. Lucas. Rurſum ſublimius; *Pax* (ſit) *in cælo*, ut ſcilicet Deus hucuſque hominibus offenſus, Chriſto, & per Chriſtum nobis ſit propitius, atque angelos hominibus, cælum terræ, Deum Synagogæ D reconciliet, *Hinc nonnulli*, ait S. Chryſoſt. *Hoſanna interpretantur gloriam, alii reſurrectionem; nam & gloria illi debetur, & redemptio illi competit, qui omnes redemit*, q. d. Gloria & laus ſit Deo univerſorum, qui eſt in excelſis. Idem cecinerunt angeli in nativitate Chriſti. Verum *Hoſanna* proprie non gloriam, ſed ſalutem ſignificat: ſed ſalus noſtra per Chriſtum fuit gloria Dei. Alio ſenſu, in Præfatione ſacrificii Miſſæ, Triſagio, Sanctus, Sanctus, Sanctus, additur: *Hoſanna in excelſis: Benedictus, qui venit in nomine Domini*; ut ſcilicet non Chriſto, ſed nobis per Chriſtum ſalutem precemur, poſtulando ut & ipſe ab omnibus benedicatur, colatur, laudetur, ac viciſſim benedictiones & gratias ſuas copioſe in nos effundat. Addit Lucas c. 19. 41. *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper eam, dicens: Quia ſi cognoviſſes & tu*, &c. quia prævidit, & prædixit horrendum eis ſupplicium, & excidium per Titum & Veſpaſianum.

VERS. 10 ET CUM INTRASSET HIEROSOLYMAM, COMMOTA EST UNIVERSA CIVITAS, DICENS. QUIS EST HIC?] Qui cum tanto honore, plauſu, congratulatione, quaſi rex Iſraelis Hieroſolymam ingreditur, idque ſpectantibus Scribis & Phariſæis, imo Romanis Tiberii Cæſaris militibus, qui non ferebant alium Judææ regem dici, quam Cæſarem. Quare Chriſtus hic ſe ut regem gerens, certum adiiſſe capitis periculum; niſi ipſe vi ſuæ divinitatis, omnes tam Judæos, quam Romanos obſtupefeciſſet, eoſque quaſi attonitos redidiſſet, ut nemo in eum manus injicere auderet, imo nec de injiciendo cogitaret. Ita Abulenſis, & alii. B

POPULI AUTEM DICEBANT: HIC EST JESUS PROPHETA A NAZARETH GALILÆÆ] Græce, ὁ προφήτης, id eſt, ille Propheta, ſcilicet per excellentiam, qui omnes Prophetas prædicatione, ſanctitate, potentia & miraculis longe ſuperat & tranſcendit, ideoque & Meſſias rex Iſraelis, *A Nazareth*: licet enim Jeſus eſſet natus in Bethleem, tamen in Nazareth erat educatus. Chriſtus hac ſua gloria dedit occaſionem ſuæ necis; Scribæ enim per illam ad ejus invidiam & odium concitati, poſt quatuor dies eum crucifixerunt. Nimirum Deus omnium præſcius, hæc omnia partim poſitive, partim permiſſive ordinabat, ut ex iis eliceret majus bonum, ſcilicet redemptionem mundi per Chriſti mortem faciendam. Malitia ergo Scribarum implevit Dei conſilium, & decretum de morte Chriſti, & redemptione mundi, uti docet ſanctus Petrus Actor. 2. VERS. 11 F

ET INTRAVIT JESUS IN TEMPLUM DEI, ET EJICIEBAT OMNES VENDENTES] Jeſus ingrediens Jeruſalem, non arcem Sionis, quaſi alter David, ſed templum adiit, ut oſtenderet ſe eſſe filium Dei Patris, qui in templo colebatur, illique honorem hic ſibi a populo attributum, omnemque gloriam ſuam acceptam referret; quem non alio fine ſuſceperat, quam hoc, ut homines ad Deum adduceret. Quocirca non eſt dubium, Chriſtum in templo Deo Patri gratias egiſſe, quod ſe velut Meſſiam toti urbi patefeciſſet, imo totius populi applauſu glorificaſſet. Rurſum prima Jeſu, utpote Pontificis & Meſſiæ, cura erat templi. Unde ingrediens urbem illud primo adiit, ut nos idem facere doceret. Hac de cauſa iter ſuum adornavit per Bethaniam (ubi ſuſcitarat Lazarum) & Bethphage; quæ erant ex oppoſito templi, ut per illa ſtatim pergeret ad templum. Nam, ut dixi, v. 1. Chriſtus ex Bethphage tranſiens montem Oliveti, inde per vallem Joſaphat directe perrexit ad portam auream (quæ tam templi erat, quam urbis) juxta quam erat aquila aurea erecta ab Herode: quare per portam hanc illico ingreſſus eſt in templum. Vide Adrichomium in deſcript. Jeruſalem, iter hoc Chriſti graphice delineantem, qui & addit tradi a nonnullis, auream hanc portam ſolere eſſe clauſam, ſed ad adventum Chriſti quaſi per miraculum fuiſſe reſeratam. VERS. 12 Luc. 19. 45 Marc. 11 Joan. 2. 14 15. Ejectio vendentium e templo. G

Nota, per templum hic intelligi non Sanctum, nec Sanctum ſanctorum (in hoc enim ſoli Pontifici, in illud ſolis ſacerdotibus fas erat ingredi) ſed atrium templi, in illud enim intrabant laici oraturi & ſpectaturi ſacrificia, quæ fiebant in atrio ſacerdotum ante Sanctum: hoc enim atrium erat quaſi populi templum. Chriſtus enim non erat ſacerdos Leviticus, quia non erat prognatus ex Levi & Aaron: quare Sanctũ ingredi non poterat, nec atrium ſacerdotum, ſed tantum atrium populi. Quare quæ de genealogia Chriſti, quaſi oriundi ex tribu Levi ejuſque ſacerdotio Levitico, confinxit Fauſtus Manichæus apud S. Auguſtinum libr. 23. contra eumdem Fauſtum, item Theodoſius Judæorum princeps tempore Juſtiniani Imperatoris, quæ recitat Suidas verbo *Jeſus Chriſtus*, a Suida & nonnullis nimis temere credita, ut ſomnia & errores fabuloſiſſimos, nemo doctus non jam ridet, imo Vilalpando tom. 2. lib. 3. cap. 9. cenſet hoc atrium fuiſſe Gentium. Quis enim credat, hos negotiatores intima penetraſſe, cum in extimis commode ſua vendere poſſent? præſertim quia Chriſtus eodem die, & loco egit cum Gentibus, ut patet Joan. 12. 20. Gentiles autem non poterant ingredi atrium Judæorum, ſed Gentium, quod erat ante atrium Judæorum. Hoc atrium ergo erat porticus Salomonis, puta pars orientalis porticus Salomonis in atrio Gentium, in quo vendebantur columbæ, oves, & agni immolandi in templo, quos Chriſtus ex eo ejecit. Atrium enim Gentium erat quaſi templum Gentilium, in quo proinde non decebat emi & vendi. Chriſtus non intrabat in Sanctum, nec a atrium ſacerdotii, quod non eſſet ſacerdos Leviticus. H

ET EJICIEBAT OMNES VENDENTES ET EMENTES IN TEMPLO] Non in ipſo die palmarum, ſed poſtero die: nam Marcus cap. 11, v. 11. qui exacte & ſigillatim hæc Chriſti a Dominica palmarum, uſque ad diem Veneris, quo paſſus & crucifixus eſt, acta per dies ſingulos conſignat, dicit

A dicit *altero die* a Dominica Palmarum, quo hic solennis Christi ingressus in urbem contigit, hoc est, feria secunda, sive die Lunæ, hæc a Christo in templo esse peracta, Christus ergo Dominica Palmarum solemni pompa ingressus est urbem & templum, in eoque oravit, & Deo gratias egit; deinde sub vesperam ex urbe egressus est Bethaniam cum duodecim Apostolis; ac postero die Lunæ in urbem & templum regressus, ex eo ejecit ementes, & vendentes, uti narrat Marcus cap. 11. vers. 11. 12. & 15.

Christus ejecit vendentes de templo, ob duas causas.

Quare hic in Matthæo est hyperbaton, sive inversus historiæ ordo; voluit enim ipse cum ingressu Christi in templum jungere ejectionem ementium e templo, brevitatis studio, ne rursum ingressum Christi in templum postridie factum narrare cogeretur. Porro eos ejecit Christus è templo, id est, atrio templi, duabus de causis. Prior est, quod non deceret res illas vendi in templo, sed in foro. Templum enim est domus orationis, non negotiationis, ut ait Christus. Posterior, erat avaritia & usura sacerdotum. Hi enim per suos vel famulos vel institores, oves, hœdos, columbas vendebant caro iis, qui illa offerre volebant in templo; præsertim peregre venientibus, & pauperibus, a quibus ob dilationem solutionis, lucrum per usuram extorquebant. Unde a Christo vocantur latrones. Ita S. Chrysost. & alii. Denique bis ejecit Christus ementes e templo. Primo initio prædicationis suæ, Joan. 2. 14. Secundo, sub finem ejusdem, quatuor diebus ante mortem suam, ut patet ex hoc loco. Ita S. Chrysostom, Augustinus, Euthymius, Theophylactus, Jansenius, Maldonatus, Toletus, & alii.

B

Bis ejecit Christus vendentes e templo.

ET MENSAS NUMULARIORUM (Syrus, *trapezitarum*) ET CATHEDRAS VENDENTIUM COLUMBAS EVERTIT) *Numulariorum*, græce κολλυβιστῶν; *Collyba* autem, ut ait S. Hieronym. dicuntur, quæ nos appellamus *tragemata*, vel *vilia muscula*; *verbi gratia*, *frixi ciceris*, *uvarumque passarum*, *& poma diversi generis*; *igitur quia usuras accipere non poterant collybistæ*, *qui pecuniam fœnerati erant pro usuris accipiebant varias species*, *ut*, *quod in numero non licebat*, *in his rebus exigerent*, *quæ nummis coemuntur*; *quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicaverit*, *dicens*: *usuram & superabundantiam non accipietis*. Ezech. 22.

Collyba & collybista quid?

C

Verisimilius Jansenius, & alii ex Helychio & Polluce censent hos collybistas non mutasse pecuniam, sed commutasse dumtaxat monetam, ut pro aurea darent argenteam, pro majore minorem, pro peregrina domesticam, idque cum auctario & lucro: collybistæ ergo erant campsores, ita dicti a κόλλυβος, id est, exigua moneta, aut nummus, quem dabant pro contrectanda pecunia.

Mystice.

Tropologice numularii sunt simoniaci, imo quivis peccatores, qui animam suam, quæ templum est Dei, suis luxuriis, & sceleribus profanant, juxta illud: *An nescitis*, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti*? 1. Cor. 6. v. 19. Et: *Si quis templum Dei violaverit*, *disperdet illum Deus*, 1. Cor. 3. 17. Ita S. Hieronymus, Origenes, & auctor Imperfecti.

ET CATHEDRAS] Id est, *sedes*, ut vertit Syrus, in quibus sedebant venditores & venditrices columbarum; hæc enim a fœminis vendi solent, quæ, quia debiles sunt, ut dius stare nequeant, hinc sedes sibi procurant, juxta illud Martialis.

Inter fœmineas tota quæ luce cathedras
Desidet.

D

Mirum est uni homini pauperi, qualis est Christus, omnia sacerdotum lucra in templo subverrenti, neminem eorum restitisse. Unde S. Hieronymus censet hoc maximum fuisse Christi miraculum, quod solus ipse potuerit *ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem*, *mensasque subvertere & cathedras confringere*, *& alia facere*, *quæ infinitus non feciſſet exercitus*. *Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus*, *& divinatis majestas lucebat in facie*. Hucusque S. Hieronymus. Christus ergo hic ingentem religionis & templi ostendit zelum, implevitque illud Psalmi 68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me*, ut ait Joannes cap. 2. 17.

Mystice.

Mystice vendunt columbas, qui pecunia vendunt gratiam Spiritus sancti, puta ordinationem, sacerdotia, & beneficia: columba enim est symbolum Spiritus sancti. Ita Origenes.

VERS. 13 Psal. 10. 7. 1946 42. 16.

ET DICIT EIS: SCRIPTUM EST (Isaiæ 56. 7.) DOMUS MEA, DOMUS ORATIONIS VOCABITUR: VOS AUTEM FECISTIS ILLAM SPELUNCAM LATRONUM] Arabicus, *spelunca latronibus*. *Latro enim est*, ait S. Hieronymus, *& templum in latronum convertit specum*, *qui lucra de religione sectatur*, *cultusque ejus non tam cultus Dei*, *quam negotiationis occasio est*; quia scilicet sacerdotes hi, tori lucro intenti honesta templi specie, quasi in spelunca latitantes cara venditione, usuris, aliisque fraudulentis modis, & artibus peregrinos, & pauperes expoliabant, imo expilabant, uti faciunt latrones. *Latro enim*, ait S. Isidor. l. 10. Etymol. litera L. *insessor est viarum a latendo dictus*: *melius autem latro est quasi latero*, *qui a latere insidiatur viæ*. Et Varro l. 6. de Lingua Latina: *Latrones*, ait, *dicti a latere*, *quod circa latera haberent ferrum*. Et Sextus Pompejus de Verb. signif. litera L. *Latrones*, ait, *eos antiqui dicebant qui conducti militabant*, *ἀπὸ τῆς λατρείας* (id est a mercede) *at nunc viarum obsessores dicuntur latrones*, *quod a latere adoriantur*, *vel quod latenter insidientur*.

Latro a latendo dictus.

Alia latronum etyma.

E

Alludit ad Jeremiæ 7. 11. ubi ait Deus: *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus mea*, *in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris*? *ego*, *ego sum*: *ego vidi*, *ait Dominus*. Putabant enim hi Semiathei se suaque scelera abscondere, ne a Deo viderentur, sicut latrones abscondunt se, latentque in speluncis.

F

Templum dicitur domus Dei. Cur?

Nota. Templum dicitur domus Dei, non quasi in eo velut in domo, Deus corporaliter inhabitet (hoc enim negat S. Paulus, Actor. 17. 24.) sed quia templum est locus deputatus ad colendum & orandum Deum, in quo Deus preces orantium exaudit: templum vero Christianorum specialiter dicitur domus Dei, quia in eo corporaliter habitat in S. Eucharistiæ Sacramento Christus Dominus, ait S. Thomas.

Tropologice, templum est domus, non confabulationis, non speculationis, non potationis, non comessationis, sed orationis. Videant ergo quam a Christo flagellandi sint, qui illud garriendo, circumspiciendo, lasciviendo, potando profanant. Nam, ut ait Beda in cap. 2. Joan. *Videbantur licite vendi in templo*, *qua ad hoc emebantur*, *ut in eodem templo offerrentur Domino*: *sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua*, *terrenæ negotiationis*, *ne ejus quidem*, *quæ honesta putaretur*, *exhiberi*, *dispulit negotiatores injustos*, *& foras omnes simul cum iis*, *quæ negotiabantur*, *ejecit*. *Quid ergo*, *fratres mei*, *quid putamus faceret Dominus*, *si rixis dissidentes*, *si fabulis vacantes*, *si risu dissolutos*, *vel alio quolibet scelere reperiret irretitos*, *qui hostias*, *quæ sibi immolarentur*, *ementes in templo vidit*, *& eliminare festinavit*? Præsertim quia hi ementes & vendentes non degebant in ipso templo proprie, sed in atrio templi dumtaxat, imo in atrio omnibus gentibus communi, & tamen inde a Christo ejecti sunt, quid ergo faciet Christianis in templo ipso coram V. Sacramento hæc ipsa, & indigniora patrantibus?

G

Hinc disce quanta reverentia debeatur templo, scilicet quæ debetur domui Dei: de eo enim dicit Christus, *Domus mea*: quare sicut herus injuriam domui suæ factam, ut sibi factam persequitur & ulciscitur: sic & Christus injuriam templo illatam, sibi illatam æstimat, ac ut talem punit & vindicat. Quare apposite monet S. Augustinus in Regula: *Nemo*, inquit, *in oratorio aliquid agat*, *nisi ad quod factum est*, *unde & nomen habet*. Vide dicta Isaiæ 56. 7. & Levit. 9. in fine capitis.

VERS. 14

ET ACCESSERUNT AD EUM CÆCI, ET CLAUDI, ET SANAVIT EOS] Ut per hæc miracula ostenderet se esse Messiam, imo Deum; ideoque merito ac populi acclamatione & pompa fuisse decoratum. Hæc enim miracula patraturum Messiam prædixit Isaias cap. 35. v. 5. atque hæc digna erant Christo, æque ac templo: quæ proinde pro avaris pecorum venditionibus, & nundinationibus Christus substituit.

H

VERS. 15

VIDENTES AUTEM PRINCIPES SACERDOTUM, ET SCRIBÆ MIRABILIA QUÆ FECIT, ET PUEROS CLAMANTES IN TEMPLO, ET DICENTES: HOSANNA FILIO DAVID, INDIGNATI SUNT] Tum quia invidebant Christo hanc gloriam, tum quia ægre ferebant suas nundinationes & lucra templo fuisse ejecta.

VERS. 16

ET DIXERUNT EI: AUDIS QUID ISTI DICUNT? JESUS AUTEM DIXIT EIS: UTIQUE. NUMQUAM LEGISTIS, QUIA EX ORE INFANTUM, ET LACTENTIUM PERFECISTI LAUDEM] Psal. 8. 3. Heb. est יסדת *tissadtaoz*, id est, *fundasti fortitudinem*; Aquila, *fundamenta ejecisti potentium*; Sexta editio, *constituisti robur*, Tertull. lib. de Anima cap. 19. *expediviſti laudem*; Syrus, *direxisti laudem*; Arabicus, *parasti laudem* hoc est probasti, confirmasti, perfecte laudabilem feciſti potentiam tuam, dum ex ore infantium elinguium & necdum fari loquique potentium, laudem & gloriam tuam exprimis. Feciſti enim ut in die palma-

Acclamant Christo pueri.

Digitized by Google

A palmarum infantes cum populo acclamarint Christo: *Hosanna filio David*. S. Hilarius & Auctor Imperfecti per infantes accipiunt pueros jam fari loquique potentes. Vetius S. Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus censent hos vere fuisse infantes fari nescios, uti hic expresse dicitur. Unde Syrus vertit, *ex ore puerulorum & infantium direxisti laudem*; ideoque addit Lucas c. 19. 40. Christum dixisse: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, quo significatur divino instinctu & miraculo actos & impulsus infantes, æque ac pueros Christo acclamasse, *Hosanna*, quod non intelligebant, imo quod infantes naturaliter effari necdum poterant. Causa fuit, quam subdit Psaltes Psalm. 8. *Ut destruas inimicum & ultorem*, ut scilicet per ora infantium confundas Scribas, & Pharisæos Christi inimicos, doceasque ipsos esse amentes & insipientiores infantibus, qui Jesum ut Christum agnoscunt, laudant, glorificant. Sed hæc ultima Psalmi verba studio subticuit Christus, ne

Prima vox infantium sit pia.

Scribas nimium exasperaret. Simul innuit hic Christus infantes præveniendos esse, ut, cum loqui incipiunt, doceantur pia proloqui, ac prima eorum vox sit, *Hosanna, Jesus, Maria*, &c. Sic S. Hieronymus scribit ad Blæsillam, ut Paulam filiolam (S. Paulæ quasi aviæ neptem) primum ut fari

Exempla.

B incipit. *Alleluja* effari & pronuntiare doceat; uti noster S. Franciscus Borgia, prima, cum infans esset, verba sonare *Jesus Maria* edoctus est, teste Ribadeneira in ejus Vita. Sic Trisagion, puta, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth*, revelatum fuit puero rapto in aerea, cum Constantinopoli grassaretur terræmotus, qui cessavit mox, ut populus a puero edoctus, Trisagion conclamavit, anno Christi 446. sub Theodosio Imperatore, teste Damasceno tract. de Trisagio. Gaudet enim Deus puris puerorum laudibus: pueri enim dicuntur a puritate, ait Varro, quod impuberes sint, & puri quasi angeli terrestres.

Deum sonat prima vox infantis.

Arias Montanus in Psalm. 2. advertit infantes in quacumque gente vocem יה *jah* sonare, quod est nomen Dei, & abbreviatum *Jehova*, sicque nominis sui admirabilis initia & fundamenta, vel ab ipso infantium ore firmiter jacta, Deum sibi vindicare. Ibidem Arnobius negat quemquam esse hominem, qui non cum Dei notione diem primæ nativitatis intraverit, imo bruta arbores & saxa, si loqui possent, clamatura, cunctorum Dominum Deum. Sic Plato l. 10. de Republ. & Cicero lib. 1. de Natura deorum, docent nos cum lacte matris sugere Dei cognitionem & laudē. Lyranus distinguit triplicem puerorum Deū laudantium ordinem. Primi sunt, qui laudant Deum morte, non ore, ut fuere innocentes pro Christo ab Herode occisi. Secundi, qui ore, non morte, uti fuere hi canentes Christo *Hosanna*. Tertii, qui ore simul, & morte laudarunt Deum, uti fuere S. Agnes 13. Annorum, S. Pancratius 12. S. Vitus, Celsus, & alii. Vide nostrum Philippum Barlaymont in Paradiso puerorum c. 13. & 14. ubi Dei elogia & oracula ore infantium edita recenset.

C Triplex puerorum laus.

Argumentum Psalmi octavi.

Nota. Psalmus octavus, licet ad litteram loqui videatur de magnificentia Dei, quam ostendit in creatione totius universi, in qua hominem fecit rerum omnium dominum, tamen magis proprie & profunde ad litteram loquitur de magnificentia Dei, quam ostendit in recreatione & redemptione mundi, in qua effecit Christum peccati, & mortis victorem, ac mundi redemptorem, & universorum dominum, qui proinde primus est homo, & hominum omnium nobilissimus. Id patet Primo, ex eo quod Christus hic ita eum explicet, æque ac Paulus Heb. 2. 7. Secundo, quia magnificentia tanta, quam ibi celebrat Psaltes,

D hominis miseriæ, qui post lapsum in peccatum jam perdidit dominatum in bestias, non ita competit ut Christo. Tertio, quia hic versiculus, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, multo clarius & verius competit Christo, quam aliis. Simile est Deuter. 18. 18. ut ibi dixit. Quod enim Maldonatus id de Davide explicat, quasi is respectu Goliat, cui caput amputavit, se infantem appellet, certum est eum tum vere infantem non fuisse, sed juvenem animosum & bellicosum. Unde Nicephorus in Ps. 8. *Magnificentia Dei*, inquit, *est incarnatio Verbi*.

VERS. 17 Mar. 11. 11. Populus inutabilis, & ingratus.

ET RELICTIS ILLIS, ABIIT FORAS EXTRA CIVITATEM IN BETHANIAM, IBIQUE MANSIT] Syrus & Arabicus, *pernoctavit in Bethania*. Vide hic ingratitudinem & mutabilitatem populi: qui enim eodem mane acclamarat Christo, *Hosanna*, jam vespere ejusdem diei ob metum Scribarum Christum deserit, ita ut nemo inventus sit, qui eum ad hospitium invitaret; ideoque Christus urbe egredi coactus est, ad Martham & Magdalenam hospites suos in Bethaniam.

MANE AUTEM REVERTENS IN CIVITATEM, ESURIIT] Contigit ergo hoc postridie Dominicæ palmarum, feria secunda, sive die Lunæ; hoc est, die 11. mensis primi Nisan, quæ nostro computo est 21. Martii; nam post tres dies, puta die Veneris in Paschate, quæ tunc incidebat in diem 25. Martii, crucifixus & immolatus est Christus.

E VERS. 18 Mar. 11. 12.

ESURIIT] Non esurie naturali, sed sponte excitata in se fame, ait S. Chrysostom. & Abulensis quæst. 103. erat enim mane, & pridie vespere Christus apud Martham cœnaverat, ut tam cito esurire non posset. Excitavit ergo hanc in se esuriem, ut per eam haberet occasionem maledicendi ficui infrugiferæ; unde & ficus in ea quæsivit, licet, sciret tum tempus ficorum non esse, ut habet Marcus c. 11. 14. erat enim die 21. Martii, ut dixi, cum nondum ficus apparent.

Nota. Hæc esuries Christi, & arefactio ficus contigit antequam ejiceret ementes, & vendentes è templo; hoc enim eodem die Lunæ, sed post ficus arefactionem effecit, ut patet ex Marco c. 11. 14. & seq. ubi particulatim per singulos dies acta Christi consignat.

ET VIDENS FICI ARBOREM UNAM SECUS VIAM, VENIT AD EAM, ET NIHIL INVENIT IN EA NISI FOLIA TANTUM, ET AIT ILLI: NUMQUAM EX TE FRUCTUS NASCATUR IN SEMPITERNUM. ET AREFACTA EST CONTINUO FICULNEA] Christus maledixit ficui, eamque arefecit, ut ostenderet potestatem suam, qua posset similiter proterere & arefacere Scribas & Judæos hostes suos, si velet: quare se ab eis mox crucem & necem passurum non invitum, sed volentem. Nota hanc Christi maledictionem non fuisse propriam, sed per catachresin abusivam: maledictio enim hæc tantum significat Christum ficui precatum fuisse malum, scilicet arefactionem, quod rebus inanimis justa de causa precari licet; præsertim Christo, cujus sunt omnes omnium hominum arbores, & prædia. Vide dicta Jerem. 20. 14. & Job 3. 1. Simili modo S. Franciscus maledixit junipero arbori plantatæ a B. Junipero, uno e primis sociis suis, in pœnam ejus inobedientiæ, quæ proinde nec latum quidem unguem crevit a die quo terræ infixa est, quæ etiamnum visitur Carinulæ, sive Caleni, Campaniæ felicis civitate, juxta Mondragonium in Monasterio Minorum; dum enim B. Juniperus plantandæ huic junipero intenderet, vocatusque a S. Francisco, quousque cœptum perfeciſſet opus, parere detrectasset; maledixit S. Franciscus arbori, quod inobedientiæ occasio & objectum extitisset, eique præcepit, ne in posterum cresceret, idque protinus factum est; ut arbor obediens Sancto, suo malo homines doceret obedientiam. Ita VVaddingus in Annal. Minorum anno Christi 1222. n. 11.

F Christus maledixit ficui.

S. Franciscus junipero.

G

Mystice esuriit Christus, ut ostenderet famem spiritualem, quam habebat salutis Judæorum, imo peccatorum: sed quia ipsi huic fami & voto Christi non satisfaciebant, idcirco ipsos subtracto gratiæ humore, siccandos fore & maledicendos a Deo. Ita S. Hieronymus, Chrysost. Hilarius, Beda & Abulensis quæst. 117.

Ficus arefacta mystice quid?

ET VIDENTES DISCIPULI, MIRATI SUNT DICENTES: QUOMODO CONTINUO ARUIT?] *hæc ficus*, uti addunt Græca & Syrus. Contigit hoc postero die. Christus enim die Lunæ, ex Bethania regrediens in Jerusalem, maledixit ficui, indeque templo ejiciens ementes, ibidem docuit; vespere ex urbe regressus est Bethaniam; postero mane diei Martis ex Bethania cum eo regredientes discipuli Hierosolymam, viderunt ficum arefactam; tumque mirantes dixerunt: *Quomodo continuo aruit?* Hæc hoc ordine contigisse patet ex Marco c. 11. v. 19. 20.

VERS. 20 Mar. 11. 20. 21. Quo die ficus hæc arefacta est.

H

Symbolice, Christus maledixit ficui, quia ficus fuit arbor a Deo vetita, ex qua Adam comedens, se suosque posteros perdidit, uti viri docti probabiliter opinantur, quos citavi Genes. 2. v. 9.

Allegorice, ficus arefacta notat Judæos, qui, veniente Christo, increduli humorem fidei, & gratiæ perdiderunt, ideoque nullos bonorum operum fructus protulerunt. Ita Origenes.

Tropologice, ficus foliata, sed carens ficubus, notat fideles, qui habent folia professionis fidei, sed carent solidis virtutum fructibus, ideoque a Christo maledicentur. Ita Origenes.

RESPONDENS AUTEM JESUS, AIT EIS: AMEN DICO VOBIS, SI HABUERITIS FIDEM (illam excellentem & efficacem instar grani sinapis, de qua cap. 17. 19.) ET NON HÆSITAVERITIS, NON SOLUM DE FICULNEA FACIETIS (quod jam a me factum videtis, patet ex Græco) SED ET SI MONTI HUIC DIXERITIS: TOLLE (scilicet te, ut sequitur:

VERS. 21 Sup. 17. 19. Luc. 17. 6. Mar. 11. 23

Digitized by Google

A tur: græce ἀρθήτω, id est, ut Syrus, *tollitur*, evellitor a terra) ET JACTA TE (græce, βλήθητι, id est, *projiciter*; Syrus *eade*) IN MARE FIET] *Et non hæsitaveritis*; græce, μὴ διακριθῆτε, id est, non disceptaveritis quasi dubii & hæsitantes; non discreveritis, an quod peritis sit factu facile, an difficile. Multi enim, quia putant id, quod petunt, esse arduum & difficile, hinc diffidunt se a Deo id impetraturos, ideoque non impetrant: qui vero non discernunt inter facile & difficile, cogitantes id quod sibi est difficile, Deo esse facile; ideoque confidunt divinæ omnipotentiæ, bonitati & promissioni, qua promisit se omnia, quæ certa fide & fiducia ab eo petimus, nos impetraturos; quare suam mentem & spem erigunt supra suam infirmitatem, eamque collocant in Deo, certo ab eo expectantes orationis suæ finem & fructum; qui impetrant quæcumque & quantumcumque ab eo postulant. *Monti huic*, Oliveti; juxta eum enim pergens in Jerusalem dixit hæc Christus. Ita Abulensis qu. 134. Franc. Lucas, & alii. Cætera, quæ huc spectant, dixi cap. 17. 19.

B Sic ob infidelitatem Turcarum, qui terræ sanctæ dominantur, angeli ex Galilea & Nazareth anno Domini 1291. transtulerunt domum B. Virginis, in qua ipsa, angelo nuntiante, concepit Filium Dei, in Dalmatiam: & inde anno Domini 1294. in Italiam (Lauretum) ubi sedet & caput est fidei ac fidelium; ideoque ob fidem illam innumera ibidem patrat miracula, quæ recenset noster Horatius Tursellinus in Historia Lauretana.

Domus B. Virginis Lauretum ad angelos translata.

VERS. 23 ET OMNIA QUÆCUMQUE PETIERITIS IN ORATIONE CREDENTES ACCIPIETIS] *Credentes*, id est si credideritis, & confisi fueritis, vos illa a Deo impetraturos, juxta illud Jacobi 1. 6. *Postulet in fide nihil hæsitans*. Vide ibi dicta.

Mat. 11. 24

Præclare S. Bernardus serm. 15. in Psalm. *Qui habitat*, tropologice explicans illud Dei ad Josue c. 1. *Quemcumque locum calcaverit pes vester, vester erit: Pes vester*, ait, ubique *spes vestra est; & quantumcumque ista processerit, obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit; & non titubet*. Ratio a priori est Dei liberalitas & munificentia, quæ non patitur se spe nostra vinci, sed eam longe superat & transcendit.

ET CUM VENISSET IN TEMPLUM, ACCESSERUNT AD VERS. 23 EUM DOCENTEM PRINCIPES SACERDOTUM, ET SENIORES C POPULI, DICENTES: IN QUA POTESTATE HÆC FACIS? ET QUIS TIBI DEDIT HANC POTESTATEM?

Luc. 20. 1. 2 Mar. 11. 27 ob.

IN QUA POTESTATE] Græce ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ, id est, auctoritate, q. d. Quis dedit tibi jus & auctoritatem docendi in templo, ex eoque ejiciendi ementes & vendentes, ac populum convocandi, ut sibi quasi doctori & Messiæ acclamet Hosanna?

RESPONDENS JESUS, DIXIT EIS: INTERROGABO VOS ET VERS. 24 EGO UNUM SERMONEM: QUEM SI DIXERITIS MIHI, ET EGO VOBIS DICAM IN QUA POTESTATE HÆC FACIO.] Vulgo dicitur.

Luc. 20. Mar. 11. 29

Non litem solvit, qui litem lite resolvit.

Sic enim malæ fidei causidici, cum causæ suæ diffidunt, aliam causam litemque intexunt, ut tergiversentur & condemnationem suffugiant. Sic & hæretici cum argumentis Catholicorum respondere nequeunt, alia argumenta eis objiciunt, ut hæresis & ignorantiæ suæ effugium quærant. At Christus non ita hic agit, sed interrogationem aliam interserit, ex qua pendebat quæstionis a Scribis propositæ solutio, q. d. Mihi non creditis, dicenti me ex Deo potestatem accepisse: credite ergo Joanni Baptistæ, qui mihi testimonium perhibuit, me a Deo ad hæc peragenda esse missum.

D

VERS. 25 BAPTISMUS JOANNIS UNDE ERAT? E CÆLO AN EX HOMINIBUS?] Christus per baptismum Joannis, ejus de se testimonium, doctrinam, omnemque prædicationem intelligit. Est synecdoche. Est hoc Christi argumentum appositum ad Scribas, & irrefragabile. q. d. Vos quæritis a quo potestatem habeam, a Deo, an ab hominibus? ego vicissim quæro a vobis, a quo prædicandi & baptizandi potestatem habuit Joannes Baptista, a Deo, an ab hominibus? Si ille istam a Deo habuit, uti omnes confitentur, ergo & ego eandem a Deo habeo; hoc enim de me testificatus est Joannes, docens se esse servum, me autem Messiam filium Dei, idque cum vos hac de re legatos ad eum ex professo misissetis, sciscitatum ab eo an ipse esset Messias? Joan. c. 1. v. 20. & 26.

Luc. 20. 4 Mar. 11. 30 ib.

Deus vocatur cælum: cur?

E CÆLO] a Deo profectus. Ubi nota. Hebræi per metonymiam, qua continens pro contento ponitur, Deum vocant שמים *Schamaim*, id est, cælum. Hoc secuti Græci Poetæ Saturni Patrem Οὐρανὸν vocarunt, uti Latini cælum. Ita Caninius de Nominib. Hebraic. c. 2. Hinc Judæi cælum & astra pro Deo coluerunt: unde Christiani a Christianismo ad judaismum olim apostatantes dicti sunt cælicolæ; contra quos extant rescripta Theodosii & Honorii Imperat. lib. 18. de Judæis & cælicolis. Vide Baronium anno Domini 408. Hinc & de Judæis canit Poeta. E

Qui puras nubes & cæli numen adorant.

Cælum enim sua vastitate, pulchritudine, motu, ornatu, influxu, omnes rapit in sui admirationem: unde cælum dicitur quasi cælatum stellis & sideribus, ait Sipontinus; licet Varro lib. 4. de Lingua Latina cælum a κοίλῳ, id est cavo, derivet, quod sua cavitate omnes res creatas complectatur. Hinc Deus est quasi Atlas cæli & mundi, de quo Virgil. lib. 6. Æneid.

—— Ubi celifer Atlas
Cælum humeris torquet, stellis ardentibus aptum

Quocirca multæ gentes cælum ut Deum coluerunt. Unde Cicero lib 2. de Divinat. *Ego*, ait, *Deum genus esse semper dixi, & dicam calitum*. Idem in Somnio Scipionis: *Et grates tibi ago summe sol, vobisque reliqui calites*. Et Plinius lib. 7. c. 43. *Divinitas*, ait, *& quædam calitum societas nobilissima ex fœminis in Sybilla fuit*. Audi & S. Aug. lib. 10. de Civit. c. 1. *Et ipsos deos non ob aliud appellant cælicolas, nisi quod cælum colant, non utique venerando; sed inhabitando tamquam cæli quosdam colonos*. Denique cælum est thronus Dei, ac sedes majestatis & gloriæ ejusdem, æque ac SS. Angelorum & hominum beatorum. F

Cælum tri Deum coluerunt multi.

Hinc disce cælum ambire, cælum suspirare, terram & terrena despicere, ac dicere cum nostro S. Ignatio: *Quomodo sordet mihi terra, cum cælum aspicio!* Qui enim cælum ambit, paradisum ambit, felicitatem ambit, beatam æternitatem ambit, Deum cælitum ambit: *O Israel, quam magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!* Baruch 3. 24. Vide ibi dicta.

AT ILLI COGITABANT INTER SE, DICENTES) Græce διελογίζοντο, id est, cogitabant & conferebant inter se, deliberantes quid Christo responderent, quare anxii & perplexi.

SI DIXERIMUS, E CÆLO DICET NOBIS. QUARE ERGO NON CREDIDISTIS ILLI? SI AUTEM DIXERIMUS, EX VERS. 26 G HOMINIBUS, TIMEMUS TURBAM; OMNES ENIM HABEBANT JOANNEM SICUT PROPHETAM.

Luc. 10. 5. 6 Mar. 11. 32.

QUARE ERGO NON CREDIDISTIS ILLI?] asserenti me esse Messiam, suadentique, ut per pœnitentiam vos præpararetis ad meam gratiam & salutem. *Timemus turbam*, scilicet, *ne lapidet nos*, ut addit Lucas c. 20. v. 5. *Sicut Prophetam*: τὸ *sicut*, est nota veritatis, non similitudinis, q. d. Omnes habebant Joannem, ut verum magnumque Prophetam, ideoque a Deo missum: Propheta enim, legatus, vates & interpres est Dei, sic Joannis 1. de Christo dicitur; *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*; ubi τὸ *quasi* veritatem notat non similitudinem, q. d. Vidimus gloriam ejus, ut vere unigeniti Filii Dei; sive ejus, qui verus & unigenitus erat Dei.

ET RESPONDENTES JESU, DIXERUNT: NESCIMUS] Mentiuntur, quia viderant vitam Joannis, æque ac prædicationem sanctissimam & divinam, morte pro castitate obita, & martirio jam obsignatam; sed improbitas mavult mentiri, quam falsitatis argui, & improbitatis convinci. VERS. 27 Luc. 20. 7. 8 Mar. 11. 33

AIT ILLIS ET IPSE: NEC EGO DICO VOBIS IN QUA POTESTATE HÆC FACIO] q. d. Non vultis ad meam quæstionem respondere, quare nec ego respondebo ad vestram: quia ex mea pendet vestra solutio. Sed vos dicitis illam vos nescire, & mentimini. Ego dico me scire, nolleque dicere, ac veritatem dico, ut vestram proterviam confundam, & contundam. Hoc enim responso Christus Scribis os obturavit, ut quasi mures silerent, nec ultra hiscere auderent. Unde S. Hieronymus, *Ostendit*, ait, *illos scire, sed respondere nolle, & se nosse, sed non dicere, quia quod sciunt, tacent*. H

QUID AUTEM VOBIS VIDETUR?] Christus per sequentem parabolam Scribas & Pharisæos dicentes se nescire, an baptismus Joannis esset e cælo, an ex hominibus? coarguit fuminæ improbitatis & pervicaciæ; quod, eum vellent haberi filii Dei, tamen Joannem a Deo missum recipere noluerint, nec prædicationi crediderint, & pœnitentiam egerint. Porro Christus hic, ait Chrysost. *reos ipsos judices facit, magna fiducia justitiæ, ubi adversario causa committitur; utitur autem parabola, ut non intelligant, quomodo contra se sententiam dicant*. VERS. 28

HOMO QUIDAM HABEBAT DUOS FILIOS, ET ACCE-

A DENS AD PRIMUM DIXIT; FILI, VADE HODIE, OPERARE IN VINEA MEA.

VERS.29 ILLE AUTEM RESPONDENS, AIT: NOLO; POSTEA AUTEM, POENITENTIA MOTUS, ABIIT.

VERS.30 ACCEDENS AUTEM AD ALTERUM, DIXIT SIMILITER. AT ILLE RESPONDENS AIT: EO DOMINE, ET NON IVIT.

VERS.31 QUIS EX DUOBUS FECIT VOLUNTATEM PATRIS? DICUNT EI: PRIMUS. DICIT ILLIS JESUS: AMEN DICO VOBIS, QUIA PUBLICANI, ET MERETRICES PRÆCEDENT VOS IN REGNUM DEI.

VERS.32 VENIT ENIM AD VOS JOANNES IN VIA JUSTITIÆ, ET NON CREDIDISTIS EI; PUBLICANI AUTEM ET MERETRICES CREDIDERUNT EI; VOS AUTEM VIDENTES, NEC POENITENTIAM HABUISTIS POSTEA, UT CREDERETIS EI.

Parabola hæc explicatione vix indiget, quia eam Christus applicat & explicat. Nimirum primus filius initio nolens obedire patri, sed mox facti pœnitens, obediens & vadens operatum in vinea, notat publicanos & meretrices, qui primo suis sceleribus voluntatem & legem Dei repulerunt, sed postea ad Joannis prædicationem resipuerunt, & pœnitentiam egerunt, ac caste justeque juxta legem Dei vixerunt. Secundus filius dicens patri se iturum in vineam, sed fallens, nec vadens, notat Scribas & Pharisæos, qui legem Dei semper in ore habebant, quasi ejus studiosissimi & religiosissimi observatores, cum tamen reipsa eam non implerent, sed contra eam libidines, rapinas, usuras, &c. committerent. Quare gravem in se Dei offensam & iram provocaverunt, tum per ipsa scelera, tum per suam hypocrisin & ementitam legis simulationem. Videri enim volebant esse zelotæ legis, cum essent ejus prævaricatores. Hæc enim hypocrisis & duplicitas animi valde Deum irritat.

B

PRÆCEDENT] Græce, προάγουσι, in præsenti, id est, *præcedunt*, q. d. Publicani & meretrices, vos, o Scribæ præcedunt, id est, ante vos eunt in via Dei & virtutis, tendunt que ad cælum per fidei, pœnitentiæ & mutationis vitæ exemplum, ideoque reipsa præcedent, & ante vos introibunt in regnum cœlorum, quod numquam vos scelerati introibitis; introire tamen posseris, si velletis pœnitere & mores mutare. Sic c. 5. 20. *Minime in regno cælorum* vocantur, impii & reprobi ab eo excludendi.

C

IN VIA JUSTITIÆ] Syrus, *in via rectitudinis incedens*, hoc est, agens vitam perfecte justam, rectam, sanctam & irreprehensibilem.

NEC POENITENTIAM HABUISTIS] id est egistis, græce, μετενοήσατε, id est, non pœnituistis, non resipuistis.

Mystice, publicani & meretrices denotant Gentes, quæ primo idolis & vitiis servierunt, deinde per Apostolorum prædicationem conversæ, Deum & virtutes coluerunt. Pharisæi & Scribæ notant Judæos, qui videbantur Deum colere; sed revera cum spreverunt, dum Christum ab eo missum aspernati sunt, & in hac perfidia mentem obstinarunt. Unde de his parabolam hanc interpretantur S. Hier. Chrysost. Origenes, S. Athanasius, Beda, Euthymius, Maldonatus, Jansenius, & alii passim.

Tropologice, ostendit Christus, ait S. Chrysostomus, meliores esse populares & plebejos, qui aliquando convertuntur, quam sacerdotes, qui numquam.

D

Tropologice, Primo filio similes sunt Christiani communes & laici, qui sanctitatis desiderio impulsi servant consilia Evangelica, etsi ex voto & professione ab ea non obligentur. Secundo filio similes sunt sacerdotes, monachi, & religiosi, qui vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ Deo nuncuparunt, sed ea deinde violant.

VERS.33 *Luc.* 20. 9. *Mar.* 12. 1. ALIAM PARABOLAM AUDITE. HOMO ERAT PATERFAMILIAS, QUI PLANTAVIT VINEAM, ET SEPEM CIRCUMDEDIT EI, ET FODIT IN EA TORCULAR, ET ÆDIFICAVIT TURRIM, ET LOCAVIT EAM AGRICOLIS, ET

VERS.34 PEREGRE PROFECTUS EST.

Luc. 20. 10. *Mar.* 12. 2. CUM AUTEM TEMPUS FRUCTUUM APPROPINQUASSET, MISIT SERVOS SUOS AD AGRICOLAS, UT ACCIPERENT FRUCTUS EJUS.

VERS.43 *Luc.* 20. 10 & 13. *Mar.* 12. 3. & 5. ET AGRICOLÆ, APPREHENSIS SERVIS EJUS, ALIUM CECIDERUNT, ALIUM OCCIDERUNT, ALIUM VERO LAPIDAVERUNT.

VERS.37 *Mar.* 12. 4. ITERUM MISIT ALIOS SERVOS PLURES PRIORIBUS, ET FECERUNT ILLIS SIMILITER.

VERS.39 *Luc.* 20. 13. *Mar.* 12. 6. NOVISSIME AUTEM MISIT AD EOS FILIUM SUUM, DICENS: VEREBUNTUR FILIUM MEUM.

VERS.36 AGRICOLÆ AUTEM VIDENTES FILIUM, DIXERUNT INTRA SE: HIC EST HERES, VENITE, OCCIDAMUS EUM, ET HABEBIMUS HEREDITATEM EJUS.

E

Luc. 20. 14. *Mar.* 12. 7. ET APPREHENSUM EUM EJECERUNT EXTRA VINEAM, ET OCCIDERUNT.

VERS.23 *Luc.* 20. 15. *Mar.* 12. 8. CUM ERGO VENERIT DOMINUS VINEÆ, QUID FACIET AGRICOLIS ILLIS?

VERS.24 *Luc.* 20. 15. *Mar.* 12. 9. AJUNT ILLI: MALOS MALE PERDET; ET VINEAM SUAM LOCABIT ALIIS AGRICOLIS, QUI REDDANT EI FRUCTUM TEMPORIBUS SUIS.

VERS.13 *Mar.* 12. 9. *Luc.* 20. 16. Christus hanc parabolam contra Scribas & Pharisæos adversarios suos intorquens, mutuatur eam ex Isaiæ c. 5. 1, ut illi pondus addat, quod ipsos premat & convincat. Isaias enim ibidem illa usus est, & eadem Christum usurum prædicit, uti hic Christus ea utitur. Sic enim c. 5. incipit Isaias: *Cantabo dilecto meo* (Christo incarnando) *canticum patruelis mei vineæ suæ: vinea facta est dilecto meo in cornu filii olei*, id est, in cornu oleato, hoc est in Judæa, quæ robusta & alta est ut cornu, ac fertilis & pinguis est instar olei. Fuse hæc explicui Isaiæ 5. quare ibi dicta hic summatim repetam, & paucis totam parabolam perstringam.

F

Primo homo plantans vineam, est Deus fundans Ecclesiam, sive Synagogam, juxta illud Ps. 79. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes* (ex Chananæa, ibique) *plantasti vineam*, id est, Synagogam, sive populum Judæorum. Primo. Parabola vineæ explicatur.

Secundo, sepes, torcular & turris erecta in vinea, significat Deum Ecclesiæ suæ abunde de omnibus rebus necessariis providisse, distincte tamen per semen grammatice morum Hierosolymæ cum S. Hieronymo: item sortes principes; uti fuere David & Machabæi, ait Interlinearis, Theologice Angelorum custodiam cum Origene, S. Ambrosio & Hieronymo; vel legem cum auctore Imperfecti, & S. Irenæo lib. 4. c. 70. accipe. Unde pro *sepem circumdedit ei*, Syrus vertit, *undequaque obvallavit eam maceria*. Secundo, Sepes.

Torcular est altare, quo victimarum sanguis exprimebatur. Ita Origen. S. Hieron. Beda, Theophyl. Euthymius. Dicitur autem fodisse torcular, quia filium exscindere aut fodere solebant lacunas: vel, ut ait Marcus c. 12. vers. 1. *lacum*, quo vinum novum ex uvis in torculari expressum excipiebant, uti patet Isaiæ cap. 5. 2. Tropologice torcular, ait S. Hieronymus, notat Martyres. Unde *psal.* 8. 80. & 83. inscribuntur in titulo, *Pro torcularibus*, S. Hilar. vero censet notari Prophetas, in quos ubertas Spiritus sancti ferventius influxit. S. Chrysostomus autem per torcular accipit verbum Dei, quod premit & cruciat hominem contradicente carne. Torcul.

G

Turris vineæ, id est, Synagogæ, erat templum Hierosolymitanum, Deique cultus in eodem, ita Origenes, Chaldæus, S. Hilarius, Beda, Theophyl. Euthymius. Mystice turris erant Prophetæ, doctores, & Pastores, æque ac reges & principes populi: hi enim quasi e turri erant speculatores populi, ita iidem. Unde S. Hilar. Turris, ait, notat eminentiam legis, quæ & in cælum proveheret, & ex qua speculari Christi adventus posset. Turris.

Tertio, coloni vineæ erant principes populi: horum enim est populum regere & excolere; operari in vinea, est justitiam facere, ait S. Chrysost. Tertio.

Quarto peregre profectus est Deus, quia, ut ait Origenes, cum legem & pacta Judæis dedisset, apparens eis in monte Sina; postea eis non apparuit quasi alio profectus. Quarto.

H

Quinto tempus fructuum, id est, observationis, legis & Dei cultus erat tempore Davidis, Salomonis, Josaphat, Ezechiæ, Josiæ, &c. cum Judæi quiete sibi & Deo vivere poterant & debebant. Aut potius hoc tempus agebatur jugiter, quia jugiter Deo servire & bonorum operum fructus producere tenebantur. Unde Maldonatus censet hoc pertinere ad emblema & ornatum parabolæ. Quinto.

Sexto, servi a Deo in vineam, id est, ad Synagogam missi, ut fructus ejus colligerent, fuere Isaias, Jeremias, Ezechiel, cæterique Prophetæ, quos Judæi ut vitiorum suorum castigatores occiderunt, ac nonnullos, ut Jeremiæ, lapidarunt. Misit autem eos secundo & plures prioribus, ut sua diligentia & charitate vinceret colonorum improbitatem. Unde S. Chrysost. *Per singulos*, ait, *gradus malitiæ, Dei misericordia addebatur, & per singulos gradus misericordiæ Dei, Judæorum malitia crescebat*. Quocirca Deus tandem misit ad eos filium suum, puta Christum jam incarnatum: quem Scribæ velut Synagogæ heredem pariter occiderunt & crucifixerunt extra civitatem, id est, extra Jerusalem in monte Calvariæ, ut ipsi Synagogæ præessent & dominarentur, ex eaque se ditarent & magnificarent. Pro Sexto.

vere-

A *verebuntur filium meum*, Syrus vertit, *erubescent propter filium meum*.

Tropologice, vinea cuique excolenda est anima, Pastori est parochia, Episcopo diœcesis, regi regnum, magistratui respublica, ut fructus bonorum operum & virtutum proferam. Sepes sunt leges & statuta, custodes sunt angeli; turris est ratio, meditatio, providentia; torcular est mortificatio, tribulatio, crux. *Servus mittitur*, ait Rabanus, *cum lex, psalmus, aut prophetia legitur; ejicitur, cum contemnitur, vel blasphematur, heredem occidit qui Filium Dei conculcat, & Spiritui gratiæ contumeliam facit; vinea alii datur, cum gratiam a superbo spretam humilis accipit.*

Porro homo plantans vineam, est Deus, qui homo dicitur, ait S. Chrysostomus, similitudine, non veritate: natura dominus est, benevolentia pater, juxta illud Isaiæ c. 5. *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est.*

VERS. 41 AJUNT ILLI (Scribæ;) MALOS MALE PERDET] Dices: Marcus & Lucas asserunt Christum id dixisse; quomodo ergo Matthæus idipsum attribuit Scribis? Respondetur cum S. Chrysostomo & Euthymio, primo Scribas id dixisse, deinde Christum idipsum repetiisse & confirmasse eo modo & gestu, ut inde ac ex antecedentibus & sequentibus (ut recte advertit Abulensis qu. 220.) satis Scribæ id de se dici intelligerent, ac tunc eos subjunxisse, *absit*, ut habet Lucas c. 19.

B MALOS MALE PERDET] malos scilicet vineæ, id est, Ecclesiæ colonos, puta Scribas cum suis asseclis, qui Prophetas & Christum occiderunt, perdet Deus per Titum & Vespasianum in hac vita, ac per dæmones in gehenna.

ET VINEAM SUAM LOCABIT ALIIS AGRICOLIS (Apostolis, eorumque successoribus) QUI REDDANT EI FRUCTUM TEMPORIBUS SUIS] Fructus hic vineæ, id est, Ecclesiæ Dei, patet in conversione totius orbis ad Christi fidem & sanctitatem, ac præsertim in constantia tot millium Martyrum & virginum; prædicitur enim hic reprobatio Judæorum, & conversio Gentium, uti docet Christus vers. 43.

Moraliter disce hic, quod, sicut vinea producit bonas uvas, etiamsi mali sint ejus coloni, ita Ecclesia, ejusque

C fideles producunt bona virtutum opera, etiamsi subinde mali sint ejus pastores & doctores, uti erant Scribæ. Plura tamen & majora proferent, si pastores sint boni, uti patuit in Apostolis, quorum virtutes Apostolicas imitati primi fideles excelluere in castitate, charitate, patientia omnique virtute. Id repræsentat emblema Zeuxis, pictoris insignis. Hic enim pinxit puerum cum canistro uvarum ita scite & belle, ut aves falleret: aves enim ad illas quasi ad veras uvas advolabant, easque mordicabant ut iis vescerentur, tum Zeuxis verecunde: Melius, ait, pinxi uvas quam puerum, quia ad uvas advolant, & puerum astantem quasi pictum non timent aves: ita pastores & custodes Ecclesiæ subinde pravi sunt praveque expicti; at uvæ, id est, opera plebis melius habent, & speciosiora sunt: custodum, id est, pastorum incuria accidit ut aliud, id est dæmonum, fiant præda, ab iisque devorentur.

Exempla Zeuxis pictoris eximii.

DICIT ILLIS JESUS: NUMQUAM LEGISTIS IN SCRIPTURIS: LAPIDEM, QUEM REPROBAVERUNT ÆDIFICANTES, HIC FACTUS EST IN CAPUT ANGULI? A DOMINO FACTUM EST ISTUD, ET EST MIRABILE IN OCULIS NOSTRIS] Citat Christus Psalm. 17. v. 22. ubi David de

VERS. 42 Christo loquitur & prophetat, idque sciebant Scribæ: unde intellexerunt se hac sententia a Christo, æque ac a Davide notari & taxari: sensus enim est, q. d. Scribæ, Sacerdotes, & Pharisæi quasi architecti Synagogæ,

Luc. 20. v. 17. Mar. 12. 10. 11

D id est, Ecclesiæ Judaicæ, Christum ut lapidem inutilem ab ea rejecerunt, imo ut illi contrarium damnarunt & occiderunt. Scribas enim, quos superius vocavit operarios & agricolas, nunc vocat ædificatores, ait S. Hieronym. Sic hic lapis a Judæis reprobatus, a Deo *factus est in caput anguli*, id est, positus est in capite anguli, factusque est lapis capitalis & omnino fundamentalis Ecclesiæ, isque angularis; ut scilicet duos parietes Gentium & Judæorum in se, velut angulo jungeret & connecteret, in eadem Ecclesiæ fabrica & domo. Ita S. August. S. Basilius, Euthymius, Cassiodorus, Abulensis, Jansenius, Maldonat. cæterique Patres & interpretes, vel hic, vel in psal. 117. 22. Imo S. Petrus epist. 1. cap. 2. vers. 6. seq. ubi fuse hunc locum explicui. Crebro enim in Scriptura fabrica Ecclesiæ comparatur ædificationi domus, quæ solido fundamento, v. g. petræ inædificatur. Sic enim Ecclesia inædificatur & incumbit Christo. Christus ergo est prima Ec-

E clesiæ petra, qui hoc nomen cum re ipsa communicavit S. Petro, ut post Christum esset petra Ecclesiæ, ac deinde cæteris Apostolis, quos pariter constituit fundamenta Ecclesiæ, ut patet Apocal. 21. 19. Ephes. 2. 20. & alibi. Porro arroganter, æque ac inepte & impie Calvinus asserit se esse hunc lapidem, utpote qui reprobatus a Papa & Ecclesia Romana, factus sit fundamentum sectæ Calvinicæ. Ita superbus ille thraso audet se æquiparare Christo, imo Christo suffurari suum oraculum & titulum. Verum det ipse signa, quibus se ad hoc a Deo missum esse doceat: det, inquam, miracula, prophetias, Scripturas, quæ dedit Christus. At numquam ea dedit, nec umquam dabit, ergo ipse Ecclesiæ non reformator est, sed deformator.

Calvinus asserit se esse lapidem probatis. ctum in caput anguli.

IDEO DICO VOBIS, QUIA AUFERETUR A VOBIS REGNUM DEI, ET DABITUR GENTI FACIENTI FRUCTUS EJUS] Regnum Dei in Evangelio passim vocatur Ecclesia, quia in ea regnat Deus in fidelibus per fidem & gratiam, eosque deducit ad regnum cæleste, ut in eis regnet per gloriam. VERS. 43

F Ecce hic est quasi παραβολή, sive postparabola & affabulatio, in qua Christus tres parabolas jam a se allatas, scilicet primam de duobus filiis, uno obediente, altero inobediente; secundam de vinea, cujus coloni occiderunt servos & filium heri; tertiam de lapide reprobato, qui factus est in caput anguli, clare explicat & applicat ipsis Scribis & Judæis eorum asseclis, q. d. Vos, o Scribæ, estis filii Deo Patri inobedientes, quia me Filium ejus unigenitum ab eo missum persequimini: vos pariter estis coloni vineæ, qui me ejus heredem occidetis. Vos denique estis ædificantes Synagogam, qui me quasi lapidem ab ea rejicitis, sed Deus me faciet basim & fundamentum Ecclesiæ suæ, quia eam a vobis auferet & transferet ad Gentes, quæ avide me recipient & colent, ideoque gratia & gloria a me donabuntur. Omnes enim hæ Christi parabolæ eo tendunt, ut significent reprobationem Judæorum & electionem Gentium, eo quod Judæi repulerint Christum, quem Gentes acceptarunt. Hisce parabolis Christus ita pupugit Scribas, ut ei crucem pararint.

G ET QUI CECIDERIT SUPER LAPIDEM ISTUM, CONFRINGETUR: SUPER QUEM VERO CECIDERIT, CONTERET EUM] Syrus, *dissipabit eum*, q. d. Qui restiterit Christo, eumque persecutus fuerit, uti facitis, vos, o Scribæ, frustra id faciet, ac sibi in animo, æque ac in corpore perniciem accerset: ita tamen, ut adhuc per pœnitentiam reparari & restaurari possit: VERS. 44 Luc. 20. v. 18.

SUPER QUEM VERO CECIDERIT] hic lapis, id est, cui Christus totus gravi sua ultione incubuerit, v. g. damnandis in die judicii (uti vos, o Scribæ, nisi pœniteatis, damnabimini) huic nulla supererit spes eum reparandi & restaurandi, sicut si lapis grandis in testam decidat, eam in minutissima frusta comminuit, ut nullo modo reparari & redintegrari queat. Minatur ergo Christus hic Scribis æternum & irreparabile excidium, puta gehennæ incendium. Ita S. Aug. lib. 1. Quæst. Evang. q. 30. Abulensis, Barradius, Jansenius, Maldonatus, & alii. Audi S. August. *Cadunt super eum, qui modo contemnunt, vel injuriis afficiunt: cadet vero super eos, cum veniet in judicium perditurus, ut sint impii tanquam pulvis, quem projicit ventus.*

H ET CUM AUDISSENT PRINCIPES SACERDOTUM ET PHARISÆI PARABOLAS EJUS, COGNOVERUNT QUOD DE IPSIS DICERET. VERS. 45

ET QUÆRENTES EUM TENERE, TIMUERUNT TURBAS: QUONIAM SICUT PROPHETAM EUM HABEBANT] Cognoverunt Scribæ partim ex ipsis Psalmi verbis, partim ex dictis & gestibus Christi hæc ab eo contra se dici, unde frementes & frendentes in eum, volebant eum capere & torquere, sed metuentes turbam, id facere non sunt ausi. Ecce ita paulatim Christus per reprehensiones Scribarum stravit sibi viam ad crucem & mortem: hanc enim post tres dies ei intulere Scribæ. Ita impletum est consilium Dei de redimendis hominibus per Christi mortem. VERS. 46

CAPUT XXII.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHRISTUS Primo, dat parabolam invitatorum ad nuptias, & non habentis in eis vestem nuptialem. Secundo, vers. 15. Pharisæis querentibus, an liceat censum dare Cæsari, respondet; Reddite quæ sunt Cæsaris,

Digitized by Google

A Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Tertio; vers.* 23 *Sadducæis negantibus resurrectionem, eamdem probat. Quarto; vers.* 34. *Legisperito roganti quod sit magnum legis mandatum, respondit esse hoc*: Diliges Deum ex toto corde tuo. *Quinto, vers.* 42. *quærens a Phariſæis quomodo David Chriſtum filium ſuum vocet Dominum, eorum ex ſilentio ignorantiam coarguit, eiſque os obturat.*

VERS. 1 ET respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis dicens:

2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo,

3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.

4. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.

B 5. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.

6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

11. Intravit autem rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali,

C 12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium,

14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

15. Tunc abeuntes Phariſæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone.

16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum:

17. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?

19. ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.

D 20. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc & superscriptio?

21. Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

22. Et audientes mirati sunt, & relicto eo, abierunt.

23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogaverunt eum,

24. dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo.

25. Erant autem apud nos septem fratres: & primus, uxore ducta, defunctus est: & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

26. Similiter secundus, & tertius usque ad septimum.

27. Novissime autem omnium & mulier defuncta est.

28. In resurrectione ergo cujus erit de septem E uxor? omnes enim habuerunt eam.

29. Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

30. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.

31. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis;

32. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.

33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.

34. Phariſæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum:

35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum:

36. Magister, quod est mandatum magnum in Lege?

37. Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. F

38. Hoc est maximum, & primum mandatum.

39. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.

40. In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ.

41. Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jesus,

42. dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David.

43. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:

44. Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? C

46. Et nemo poterat ei respondere verbum: G neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

ET RESPONDENS (pergens respondere Scribis, eorumque incredulitatem confutare) JESUS, DIXIT ITERUM IN PARABOLIS (per parabolas, parabolice) EIS; DICENS: SIMILE FACTUM EST REGNUM CÆLORUM HOMINI REGI, QUI FECIT NUPTIAS FILIO SUO) q. d. Similiter agitur in regno cœlorum, id est, in Ecclesia militante in terris & tendente in cælum, perinde ac si rex faceret nuptias filio suo, &c. nam alioqui regnum cælorum directe & præcise non est simile homini regi, sed humano regno. Vide can. 28. Fuit hanc parabolam pertractat S. Gregorius homil. 38. in Evang. VERS. 1 VERS. 2 Parabola agit ad nuptias filii sui invitantis.

Similis est hæc parabola illi, quam recenset Lucas c. 14. 16. Unde Maldonatus censet hanc esse eamdem cum illa: Matthæum enim hic non servasse ordinem historiæ. Verius S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. c. 71. S. Gregor. S. Thomas, Jansenius & alii censent aliam esse hanc parabolam ab illa Lucæ; vel certe eamdem, sed bis aliterque repetitam; conferenti enim utramque patet plura in iis esse diversa. Nam, ut alia taceam, Lucas asserit illam a Christo dictam in domo Phariſæi, Matthæus vero hic publice in templo, ut patet ex c. 21. 23. Rursum Lucas nuptias has cœnam vocat; Matthæus vero prandium: nisi respondens cum S. Greg. hom. 38. jam citata, ipsum prandium cœnam vocari, quod apud antiquos hora nona, quæ ad vesperam & cœnam vergit, prandium fieret. H

ET MISIT SERVOS SUOS VOCARE INVITATOS AD NUPTIAS, ET NOLEBANT VENIRE. VERS. 3

ITERUM MISIT ALIOS SERVOS DICENS: DICITE INVITATIS: ECCE PRANDIUM MEUM PARAVI, TAURI MEI ET ALTILIA OCCISA SUNT, ET OMNIA PARATA: VENITE AD NUPTIAS. VERS. 4

ILLI AUTEM NEGLEXERUNT: ET ABIERUNT, ALIUS IN VILLAM SUAM, ALIUS VERO AD NEGOTIATIONEM SUAM. VERS. 5

RELIQUI VERO TENUERUNT SERVOS EJUS, ET CONTUMELIIS AFFECTOS OCCIDERUNT.

REX AUTEM CUM AUDISSET, IRATUS EST, ET MISSIS EXERCITIBUS SUIS PERDIDIT HOMICIDAS ILLOS. VERS. 6

PRO *nuptias*, Syrus vertit semper, *convivium*, scilicet VERS. 7 nuptia-

A nuptiale, nimirum prandium, uti explicat v. 4. *Pro negotiationem*, Syrus vertit, *mercaturam*, pro *iratus est*, *exanduit*; pro *veste nuptiali*, vertit, *vestem convivialem*.

Parabola invitatorū explicatur. Primo.

Tota parabola sic est explicanda & applicanda.

Primo, homo rex est Deus Pater: filius regis sponsus, est Filius Deus incarnatus, puta Jesus Christus, cujus sponsa est Ecclesia: utriusque nuptiæ inchoatæ sunt in Christi incarnatione; in ea enim Christus humanam naturam sibi hypostatice, & per eam Ecclesiam, id est, cæteros homines fideles, quasi sponsam mystice sibi desponsit per gratiam, sed in cælo hæ nuptiæ consummabuntur per gloriam. Ita Origenes, S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Gregorius & alii. Unde tropologice. Origenes, Nuptias, ait; intellige conjunctionem Christi cum anima; partum vero & proles, bona opera.

Secundo. Secundo, Deus Pater Christo fecit nuptias, id est, nuptiale convivium, cum in Judæa, totoque mundo per Christum proposuit mensam Evangelicæ doctrinæ & Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ. Ita Origenes, Euthymius, auctor Imperfecti.

B Tertio. Tertio, ad has nuptias a Deo primo per Mosen & Prophetas, quasi Dei servos invitati fuere Judæi, tum ante, tum post incarnationem Christi; ut eam futuram, vel jam factam crederent: itaque in Christum sperantes pœnitentes & supplicantes ab eo gratiam, justitiam & salutem consequerentur. Ita S. Hier. Greg. Orig. Theophyl.

Quarto. Quarto, tauri & altilia in genere tantum significant convivium opipare esse apparatum, quæ dogmatum Evangelii magnitudinem significant, ait S. Hieronym. æque ac Sacramentorum, ac præsertim Eucharistiæ.

Porro *altilia* non sunt alites, id est, volucres & aves, sed tauri, vituli, cæteraque animalia, quæ saginantur, ut pinguescant, dicta sunt altilia ab alendo, quasi altilia vel alita, ait S. Gregor. Græce enim est σιτιστὰ, id est, altilia, saginata, ut vituli, oves & boves lacte & rapis saginantur, ut impinguentur: σιτίζω enim est alo, nutrio, pasco, & σιτδίω est sagino & frugibus pinguefacio. Unde Arabicus vertit, *& vituli mei saginati jam occisi sunt*; græce τεθυμμένα id est, immolati sunt. Olim enim (uti etiamnum) nuptias a sacrificio auspicabantur, ac nuptialia convivia epulis victimisque in sacrificio mactatis & immolatis agebantur. Sic & nuptiale Christi convivium, quod hic parabolice describitur, a sacrificio crucis sumpsit initium. Symbolice S. Gregorius per tauros accipit patres veteris testamenti, qui ex permissione legis, inimicos suos virtutis corporeæ cornu feriebant. q.d. Patrum mores aspicite, & remedia vitæ vestræ cogitate. Altilia vero sunt, inquit, Patres novi testamenti, a terrenis ad sublimia contemplatione sublevati. Chrysost. autem. Altilia, ait, sunt Prophetæ, tauri, qui Prophetæ fuerunt & sacerdotes: ut enim tauri gregis duces, ita sacerdotes principes populi. S. Hilarius insuper, Tauri, ait, sunt Martyres, qui tamquam hostiæ immolati; altilia, homines spirituales tamquam cælesti pane saginati. Denique Origenes, Prandium, ait, est Dei eloquiū; quæ fortia sunt, tauri; quæ suaviora, saginata vocantur.

Quinto. Quinto, ager & villa, in quem abjecte invitati, negligentes invitationem, significant bona temporalia, quæ Judæos a fide & lege Christi bonisque cælestibus ab eo promissis avocarunt, ideoque ipsi Dei servos, id est, Apostolos primosque fideles, imo ipsum Christum occiderunt. Quocirca Deus misit Titum & Vespasianum, qui Judæos quasi homicidas perdidit & occidit, ac civitatem, id est, metropolim eorum, puta Jerusalem cum templo Salomonis, quod erat orbis miraculum, succendit. Ita S. Chrisostomus, S. Hieronymus, Euthymius & alii.

D

Alludit Christus in hac convivii sui parabola ad Isaiæ cap. 25. v. 6. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ*. Et ad c. 30. 22. *Et panis frugum terræ erit uberrimus & pinguis: pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose: & tauri & pulli asinorum, qui operantur terram, commistum migma comedent*. Vide utrobique dicta. Hinc disce, Christum in Opiparum Christi in Ecclesia convivium. Ecclesia jugiter nobis apponere opiparum spirituale convivium sacræ doctrinæ & gratiæ, multipliciter conditum sacris lectionibus, concionibus, exhortationibus, ac innumeris Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum in omni virtutum genere exemplis, crebra oratione, meditatione, & Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ (quæ *frumentum est electorum, & vinum germinans virgines*, ut ait Zachar. c. 9. 17.) sumptione frequenti, S. Missæ sacrificii, cum tanto SS. ministrorum, altarium, templorum ornatu, ac musicorum & organorum cælesti quasi harmonia, celebratione & aliis plurimis, quæ mentem fidelium spiritalibus deliciis pascunt, oblectant, inebriant, ut christianismus piis non aliud sit quam juge festum & epulum; juxta illud Isaiæ 66. 23. *Et erit mensis ex mense* (festum neomeniæ continuum) *& sabbathum ex sabbatho*.

E

Denique Christus ipse jam incarnatus perenne est fidelium pabulum & gaudium: ipse enim per incarnationem non tantum omnia gratiæ suæ dona, sed & totum seipsum quantus quantus est, adeoque suam deitatem realiter illis communicat, imo gustandam, comedendam, fruendamque exhibet, juxta illud Joan. 6. 51. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Hac de causa Isaias, delicias, & felicitatem Ecclesiæ novæ ex Christo incarnato obventuram prænuntians, passim exultat & jubilat, omnesque Christianos ad jugiter exultandum & jubilandum invitat, ut patet c. 2. c. 7. c. 30. c. 35. c. 60. c. 61. c. 62. & seq. Videat ergo Christianus, præsertim sacerdos & Religiosus, ut hisce epulis & mentem pascat & satiet, ac in sanctitate & justitia serviens Christo, perpetim cum eo dissuavians vitam agat jucundam, lætam, beatam, ac felicitatem perennem hic inchoet & prælibet, quam mox perficiet & consummabit in cælo. Hinc pariter discat, quam insipientes sunt illi, qui hisce epulis cælestibus præferunt terrenos agros & villas, hoc est, porcorum siliquas, regum deliciis.

F

TUNC AIT SERVIS SUIS: NUPTIÆ QUIDEM PARATÆ SUNT, SED QUI INVITATI ERANT, NON FUERUNT DIGNI] Est hæc altera & posterior pars parabolæ invitatorum. *Tunc*, scilicet cum invitati, puta Judæi, nollent venire ad mensam nuptialem Evangelicæ doctrinæ Christi, eo quod illa *non fuerunt digni*, quia scilicet illam contemnendo, eadem fecerunt omnino indignos; *ait*, rex, scilicet Deus, *servis suis*, puta Apostolis. VERS. 8

ITE ERGO AD EXITUS VIARUM, ET QUOSCUMQUE INVENERITIS, VOCATE AD NUPTIAS] Pro *exitus viarum*; Arabicus, *strata viarum* vertit. Græce est, διεξόδους τῶν ὁδῶν, id est, decursus, digressus, transitus, exitus, permeationes viarum, q. d. Perambulate & percurrite omnes vias, omnesque viarum flexus, angulos, fines & terminos; nullus sit angulus, nullus finis viarum, quem non permeetis, host est, omnes mundi vias, o Apostoli, perambulate, totum orbem, omnesque Gentium regiones obite, ut iis evangelizetis Christi fidem & gratiam, ad eamque omnes omnino gentes & homines vocetis. Jubet enim Apostolis, ut ab invitatis, id est Judæis, Evangelium transferant ad omnes Gentes; unde subdit: VERS. 9

G

ET EGRESSI SERVI (Apostoli) EJUS IN VIAS] Idem ergo sunt *exitus viarum* quod *viæ*, sive ductus & flexus viarum. Sic Aristoteles lib. de Mundo διεξόδους πλανητῶν, vocat cursus lunæ cæterarumque stellarum errantium permeationes, errores, gyros & flexus. Jubet ergo Christus Apostolis, ut omnes gentes & regiones, adeoque ultimos terræ fines adeant, iisque Christum evangelizent: juxta illud. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Psal. 18. Mystice, servi sunt, angeli præpositi Gentium conversioni, ait Origenes. VERS. 10

Viæ quid symbolice. Symbolice, *Viæ* Primo, sunt errores varii & contrarii, sectæque Gentium, quos dispulerunt Apostoli. Ita Remigius. Secundo, S. Chrysost. Viæ, inquit, sunt variæ professiones hominum in mundo, ut Philosophiæ, militiæ, &c. Jubet ergo cujuscumque conditionis homines invitari ad fidem. Tertio, *Via*, ait S. Hilarius, *est tempus sæculi*; *jubentur ergo ire ad exitus, quia omnibus retroacta donantur*. Quarto, sanctus Gregorius, Viæ, ait, sunt actiones; exitus, defectus: plerumque enim facile conveniuntur, quibus prospere non succedit.

H

CONGREGAVERUNT OMNES QUOS INVENERUNT, BONOS ET MALOS] Hoc est emblema parabolæ, tantumque significat universim omnes homines, sine discrimine vocatos esse ad fidem Christi.

ET IMPLETÆ SUNT NUPTIÆ DISCUMBENTIUM] Impleta est Ecclesia omnium gentium & fidelium numero & copia.

INTRAVIT AUTEM REX UT VIDERET DISCUMBENTES] Eosque lustraret & examinaret. Hoc fiet, cum Deus veniet ad judicium universale in fine mundi, ut omnes examinet, judicet, præmiet vel puniat, beet vel condemnet. Ita Origenes, S. Chrysostomus, & alii. VERS. 11

Vestis nuptialis quænam. ET VIDIT IBI HOMINEM NON VESTITUM VESTE NUPTIALI] Arabicus, *veste nuptiarum*, Syrus, *veste convivali*. Vestis nuptialis, id est, munda, pretiosa & splendida;

Digitized by Google

A non eſt fides; ut volunt hæretici: omnes enim in hoc Eccleſiæ convivio habebant fidem, imo non niſi per fidem in illud ingredi poterant; ergo veſtis hæc eſt charitas morumque probitas & ſanctitas: vita enim pura & ſancta eſt inſtar veſtis mundæ, & cycladis ſplendidæ, ex virtutibus & bonis operibus contextæ, quæ mire hominem exornat. Ita S. Hieronymus, Hilarius, Chryſoſtomus, Tertullianus, & alii. Unde S. Gregorius non habentem veſtem nuptialem, explicat fidem habentem, non opera charitatis, per quam Dominus ad ſociandæ ſibi Eccleſiæ nuptias venit. S. Auguſtinus vero lib. 2. contra Fauſt. c. 19. explicat ſuam, non Domini gloriam quærentem. S. Hilarius autem, veſtis nuptialis, ait, eſt gratia Spiritus ſancti, & candor habitus cæleſtis, qui bona interrogatione confeſſionis ſuſceptus, uſque in cæleſtem cætum immaculatus eſt reſervandus. S. Hieronymus denique ait, Opera, quæ complentur ex lege & Evangelio, novi hominis efficiunt veſtimentum.

Porro plures in die judicii a Chriſto reperientur fideles, carentes hac veſte charitatis & ſanctitatis, unus tamen dumtaxat nominatur, tum quia obiter hoc tantum B quaſi παρέργως additur, Scopus enim Chriſti proprius & directus eſt, hac parabola, uti & præcedentibus tantum ſignificare, reprobatis Judæis incredulis vocandas ad Chriſtum eſſe Gentes: tum quia hic unus, omnes illi ſimiles ſignificat: hic enim unus eſt inſtar omnium, ſive exemplar & ſpeculum cunctorum impiorum: tum denique ut ſignificet, ne unum quidem impium in die judicii latere poſſe, vel impune abiturum.

Et ait illi: Amice (Syrus *ſocie mi*) quomodo Vers. 12 huc intrasti, non habens vestem nuptialem?] Vox *amice* ſignificat Deum hæc impiis dicturum, non ex odio & ſtudio condemnationis, ſed amice ex zelo juſtitiæ. Addit S. Hieronymus: Amicum vocat, quia invitatus fuit ad nuptias, ideoque eum impudentiæ arguit, quod amice invitatus ad nuptias, ruſtice venerit ſine veſte nuptiali. Unde S. Gregorius hom. 38. *Mirandum eſt*, inquit, *quod hunc & amicum vocat & reprobat, ac ſi apertius dicat: Amice, & non amice, amice per fidem, ſed non amice per operationem.*

C At ille obmutuit] Quia ibi locus negandi non eſt, ait S. Hieronym. nam Deus ibi *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*: juxta illud. *Scrutabor Jeruſalem in lucernis*. Sophon. 1. 12. Unde S. Gregorius hom. 38. in Evang. *Obmutuit*, inquit, *quia in illa diſtrictione ultimæ increpationis omne argumentum ceſſat excuſationis, quippe quia ille foris increpat, qui teſtis conſcientiæ intus animam accuſat.*

Vers. 13 Tunc dixit rex ministris] Angelis ſuis, ut patet Matth. 13. 39. unde Daniel de iis c. 7. ait: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

Ligatis manibus et pedibus ejus] Eſt emblema, ſignificans damnatos non poſſe reſiſtere Dei ſententiæ & ultioni, nec quidquam boni deinceps poſſe facere, perinde ac ſi manus & pedes, imo os & mentem, judicium & voluntatem haberent colligata. Nam, ut ait S. Aug. lib. 11. de Trinit. *prævarum voluntatum implicatio, eſt vinculum*. Et S. Greg. hom. 38. *Tunc*, ait, *ligat pœna, quos modo a bonis operibus ligavit culpa*, &c. *qui ergo nunc ſponte ligantur in vitio, tunc in ſupplicio ligantur invite.*

D Gloſſa vero, Singula, ait, membra pœnis ſubjicientur, quæ hic ſingulis ſervitiis ſervierunt.

Tenebræ interiores & exteriores. Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium] Qui (dentes) de edacitate gaviſi ſunt, ait Gloſſ. Interl. ex S. Gregorio. De his dixi cap. 8. verſ. 12. Appoſite S. Gregorius: *Interiores tenebræ*, ait *ſunt cæcitas cordis; exteriores tenebræ, æternæ damnationis vox.*

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi] Vers. 14 Quia rejecti ſunt omnes primi, qui invitati venire noluerunt, pura omnes Judæi Chriſto increduli, quo proprie ſpectat hæc parabola, uti & præcedentes c. 20. & 21. Ad hæc rejectus eſt unus ille ex iis qui vocati venerunt, ſed intravit non habens veſtem nuptialem, qui omnes fideles impios repræſentat. Quia enim Chriſtus proprie hic illos ſignificare non intendebat, hinc ſuffecit ei per unum hunc obiter indicare, non omnes qui venerunt, ſive qui Chriſto crediderunt, fore ſalvandos, ſed eos dumtaxat, qui fidem veſte nuptiali, id eſt, charitate, ſanctiſque operibus ornarint, cæteros vero rejiciendos. Ita Gloſſa, Maldon. & alii. Hæc Chriſti ſententia magnum cuique injicere debet timorem; nemo enim ſcit an electus ſit an reprobus. Satagere ergo quiſque debet, ut per bona opera certam ſuam E electionem & vocationem faciat, uti monet S. Petrus.

Exemplum S. Gregorii de tribus ſuis amitis. Exemplum dat S. Gregorius hic hom. 38. tres amitas ſuas, quarum prima, ſcilicet Tharſilla, cum in ſancta virginitate egiſſet, a S. Felice Pont. avo ſuo jam beato, in cælum evocata eſt, cum ei diceret: *Veni, quia in hac te luce manſione ſuſcipio*. Unde illa ſurſum reſpiciens, Jeſumque videns, clamanſque: *Recedite, recedite, Jeſus venit*, ſpiritum ei tradidit æterna vita beandum. Secunda vero Æmiliana, a ſorore ſua Tharſilla in cælum ad feſtum Epiphaniæ evocata, cum illa de tertia ſorore Gordiana ſollicita replicaret: *Et ſi ſola venio, Gordianam cui dimitto?* ab ea triſti vultu audivit: *Veni Gordiana enim inter laicas deputata eſt*, quæ proinde mox oblita virginalis ſuæ conſecrationis, honoris, & pudoris, villicum ſuum accepit in maritum. Addit alterum exemplum monachi, qui irreligioſe vixerat, ac moriens draconi ad devorandum traditus fuit, ſed precibus fratrum liberatus, converſus dignam egit pœnitentiam, ideoque inter electos recenſeri meruit.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt; Vers. 15 ut caperent eum in sermone] Pro *caperent*, Græce eſt, παγιδεύσωσι, id eſt, *illaquearent*; παγίδες, enim ſunt laquei; Syrus vertit, *aucuparentur*. Sicut enim aucupes capiunt aves laqueo, ſic vafri capiunt ſimplices captioſa quæſtione. q. d. Quæſierunt Phariſæi captioſas quæſtiones, quas proponerent Chriſto, ut quidquid reſponderet reprehenſionem incurreret, itaque ſua reſponſione ſe quaſi illaquearet, eaque capi, & redargui poſſet, ac reus læſæ majeſtatis vel humanæ vel divinæ peragereretur; *Bicipiti complexione inſidiantes*, ait S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. c. 17. *ut quodlibet eligens caperetur. Si licere reſponderet, tamquam reus eſſet adverſus populum Dei: ſi autem diceret, non licere, tamquam Cæſaris adverſarius perimeretur.* F Luc. 20. 20. Mar. 12. 13.

Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, Vers. 16 dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. Luc. 20. v. 21. Mar. 12. v. 15. 16.

Cum Herodianis] Syrus, *cum iis qui erant de domo Herodis*, id eſt, qui erant Herodis fautores, familiares, domeſtici. G

Herodiani. Secta hæc erat Judæorum, Romano Cæſari ejuſque tributo faventium, ita dicta a primo Herode Aſcalonita infanticida; qui totus erat Cæſarianus, utpote rex Judææ a Romano Senatu & Cæſare Auguſto creatus, quique, ut ait Joſephus, tributis Cæſaris in Judæa præerat. Ita S. Hieronymus, Origenes, & alii. Addunt S. Epiphanius lib. 1. hæreſi 20. Tertullianus lib. de Præſcript. S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, & ex iis Baronius in Apparatu Annalium, Herodianos fuiſſe ſectarios ſive hæreticos Judæorum, qui Herodem Aſcalonitam cenſebant eſſe Meſſiam, ſive Chriſtum a Prophetis promiſſum, eo quod viderent in ipſo defeciſſe ſceptrum de Juda, juxta oraculum Jacobi, Geneſ. 49. 10. Avide hos adulatores adjuvit fovitque Herodes, ideoque occidit infantes in Bethlehem ut interficeret Chriſtum, ne alius quam ipſe haberetur Chriſtus; atque ea de cauſa magnificentiſſimum Judæis exædificavit templum veteri deſtructo, quod H cum templo Salomonis certare videbatur, uti docet Joſephus lib. 15. Antiquit. cap. 14. Audi S. Hieronymum ſectas Judæorum breviter enarrantem Dialog. contra Lucifer. (Taceo de Judaiſmi hæreticis, qui ante adventum Chriſti legem traditam diſſiparunt; quod Doſithæus Samaritanorum princeps, prophetas repudiavit; quod Sadducæi ex illius radice naſcentes, etiam reſurrectionem carnis negaverunt, quod Phariſæi a Judæis diviſi propter quaſdam obſervationes ſuperfluas, nomen quoque a diſſidio ſuſceperunt; quod Herodiani Herodem regem ſuſcepere pro Chriſto.) Idem cenſent Theophylactus & Euthymius hic, ac Philaſtrius lib. de Hæreſibus; niſi quod hi pro Herode Aſcalonita ſubſtituant ejus filium Herodem Antipam, qui patri mortuo ſuccedens, jam tum regnabat, & Joannem Baptiſtam occidit, ac Chriſtum veſte alba indutum illuſit. Verum quod Antipas a Judæis habitus ſit Meſſias, nec Joſephus, nec Hegeſippus, nec quis alius veterum meminit, imo diſerte negat hic S. Hieronymus.

Herodianos ergo, hoſce Phariſæi (qui in contrariam partem, ſcilicet Herodem non eſſe Meſſiam, nec Cæſari Romano dandum eſſe tributum, quaſi vindices legis Moſaicæ & libertatis Judaicæ, propendebant, ut patet ex Joſepho

A sepho 18. Antiquitatum, cap. 1.) subornant, ut cum discipulis suis eant ad Jesum, quasi novum Judææ Prophetam & doctorem; eique quæstionem hanc de tributo Cæsari dando, illo tempore inter se controversiam proponant: ut ille litem dirimat; sed hac fraude & astuto consilio, ut, si Christus asserat dandum esse Cæsari tributum, plebis Judaicæ invidiam incurrat; si neget, in Cæsaris & Romanorum iram ac reatum incidat, qui in eum quasi seditiosum & perduellem manus injiciant, eumque vita mulctent. Erat ergo cornuta & captiosa hæc quæstio, ac dilemma biceps.

MAGISTER) Hebr. *rabbi*. Rabbi autem significat non solum legis doctorem, quales sunt Rabbini, sed etiam virum primarium auctoritate præditum, potentem & principem. Ficte adulantur Christo: nam eum vocant magistrum, cujus nolunt esse discipuli, quem magisterio, fama & vita privare moliuntur.

SCIMUS, QUIA VERAX ES, ET VIAM, id est legem, DEI IN VERITATE DOCES] Lex enim est via, qua tendimus ad Deum, ejusque gratiam & gloriam; lex enim docet quid Deo placeat, quid velit a nobis fieri, ut illi grati simus, ab eoque justificemur & beemur.

B

ET NON EST TIBI CURA DE ALIQUO] Non metuis iras Herodis, nec potentiam Cæsaris, ut hoc metu impediaris ne verum respondeas, & pro Judæis tuis sententiam feras; etiamsi per hoc scias te offensam Herodis & Cæsaris incursurum, uti Herodis adulterium castigans Baptista, ejus offensam incurrere non detrectavit. Putabant enim ipsi omnino quod Christus pro Judæis, utpote fidelibus, contra Cæsarem utpote infidelem, sententiam ferret. Ita S. Chrysost. *Adulatione*, inquit, *putant eum ita inflare & audacem reddere, ut contra institutas leges & præsentem rerum statum quidpiam dicat* &c. ut scilicet *Cæsarem offendat affectatæ rebellionis suspicione*.

NON ENIM RESPICIS PERSONAM (Syrus *faciem*) HOMINUM] Ut videas an facies vel persona sit divitis & principis, an pauperis & plebeji, ac principi adulando pro eo respondeas, plebemque condemnes; sed clausis quasi oculis sententiam pro veritate & justitia pronuncies, dicasque: *Amicus Cæsar, sed magis amica veritas*. Unde Arabicus vertit, *non respicis in faciem hominis*. Græcum enim προσωπον & personam & faciem significat, quia ex facie persona quælibet dignoscitur.

C

VERS. 17 Luc. 20. v. 22. Mar. 12. 14.

DIC ERGO NOBIS QUID TIBI VIDETUR, LICET CENSUM (Syrus, *pecuniam capitatim*: censum enim solvebant singula capita) DARE CÆSARI, AN NON?] Judæi, utpote populus fidelis Deoque devotus, abhorrebant a Gentilibus quasi idololatris, ideoque multi eorum censebant non licere Judæis Cæsarem agnoscere pro Domino, eique tributum pendere; eo quod solus Deus esset eorum Dominus, cui decimas & annuum censum solvebant: Cæsarem intellige non Augustum; utpote jam vita functum, sed Tiberium, Augusti ex Livia uxore privignum & successorem, jam tum regnantem ab annis octodecim, ut patet Luc. 3. 1.

Porro occasio hujus quæstionis proponendæ Christo, fuit, quod sub id tempus Judas quidam Galilæus docuerit, non licere Judæis subesse & dare tributum Romanis utpote Gentilibus; Christus autem & Apostoli erant Galilæi (Christus enim conceptus & educatus est in Nazareth: unde Nazarenus & Galilæus est cognominatus) ideoque dogmatis & erroris Judæ Galilæi quasi civis sui, a Judæis fuere insimulati: atque hac de causa ipsi errorem hunc sæpe a se amoliti sunt & confutarunt, ut dixi Actor. 5. 37. S. Hieronymus in cap. 3. ad Titum, vers. 1. *Hoc præceptum*, inquit, *propterea puto ab Apostolo editum, quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos sectatores; qui inter cætera hoc quasi probabile proferebat, ex lege nullum debere Dominum, nisi solum Deum vocari, & eos qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis in tantum creverat, ut etiam Pharisæorum & multam partem populi conturbaret, itaut ad Dominum quoque nostrum referretur hac quæstio. Licet Cæsari dare tributum an non? quibus Dominus prudenter cauteque respondens, ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Cui responsioni S. Paulus congruens docet, principibus & potestatibus credentes debere esse subjectos.*

D

VERS. 18 Luc. 20. v. 23. Mar. 12. 15.

COGNITA AUTEM JESUS NEQUITIA (græce, πονηρία id est, *malitia*, quia fraudulenta simulatione volebant cum Romanis necandum objicere) EORUM AIT: QUID ME TENTATIS HYPOCRITÆ?] Simulatis enim vos amicos, & religionis ac bonæ conscientiæ studiosos, ut sciatis quid recte & juste ex lege Dei in hoc casu agere debeatis, cum litis inimici mei æque ac Dei, & meum sanguinem sitiatis, eumque fraudulenter & dolose mihi extorquere satagatis, *Prima*, ait S. Hieron. *virtus respondentis est cognoscere interrogantis mentem*, illique responsionem accommodare. Hi enim Pharisæi & Herodiani quasi hypocritæ, *blandiuntur*, ait auctor Imperfecti, *ut perdant*: Christus vero eos increpat, ut salvet. *Utilior enim est Deus iratus, quam homo propitius*.

E

VERS. 19 Luc. 20. 24. Mar. 12. v. 16.

OSTENDITE MIHI NUMISMA CENSUS (q. d. Ostendit mihi nummum, quem pro censu & tributo Cæsar a singulis capitibus exigit. Unde Syrus pro censu vertit, *argenti capitis*; Arabicus, *ostendite mihi figuram denarii*) ATTULI OBTULERUNT EI DENARIUM] Dices, Exc. 17. 17. liquet Judæos pro censu solvisse didrachmum, sive dimidium sicli: denarius autem Romanus, unius duntaxat erat drachmæ, eratque id, quod nunc est Julius Romanus, vel Regalis Hispanicus; qui Romæ decem bajocos, Antuerpiæ, quinque stuferos valet: quare denarius erat dimia pars didrachmi & quarta pars sicli: siclus enim valebat quatuor Julios. Resp. didrachmum commoditatis causa fuisse divisum in duos denarios, ac singulos pro censu, solvisse duos denarios, hoc est, didrachmum. Ita Jansenius, Maldonatus & alii: nisi malis denarium hunc fuisse duplicem, ideoque fuisse didrachmum, sicut duplicem Regalem 10. stuferorum vocamus etiam Regalem. Denique videtur Tiberius, uti & cæteri Imperatores, ejus prætii denarium cudi jussisse, quem vellet sibi a Judæis in censum dari, quia, ut ex Lampridio docet Baronius, solebant Romani cudere numismata eo pretio & pondere, quo illa sibi volebant in tributum pendi, quod pro ratione temporum & necessitatum mutabatur, & aliquando erat majus, aliquando minus.

Exc. 17. 17. An denarius pro censu erat solvendus.

F

VERS. 20 Luc. 20. v. 24. Mar. 12. v. 16.

ET AIT ILLIS JESUS: CUJUS EST IMAGO HÆC, ET SUPERSCRIPTIO?] Græce ἐπιγραφὴ, quod Interpres in Marco vertit, *inscriptio*. Solent enim nummi insigniri tam nomine, quã immagine vel effigie principis, qui eos cudit. Unde Arabicus vertit: *cujus est figura hæc & inscriptio?*

DICUNT EI, CÆSARIS] Tiberii, qui tunc imperabat. Sciebat iam ante id Christus, sed interrogat, ut ex ore eorum eliciat responsum, quod in eos intorqueat, illosque convincat. Cæsaris cognomen primum datum est Julio Cæsari, a quo ad sequentes Imperatores transiit. Audi S. Isidorum lib. 9. Etymol. cap. 3. *Cæsarum nomen a Julio cœpit, qui bello civili commoto, primus Romanorum singularem obtinuit principatum. Cæsar autem dictus, quod cæso matris suæ mortuæ utero, prolatus ductuque fuerit; vel quod cum cæsarie natus sit, a quo & Imperatores sequentes Cæsares dicti, eo quod comati essent*. Servius vero, & Spartianus, & ex iis Carolus Sigonius lib. de Nomin. Rom. *Cæsar*, inquit, *dictus ab elephanto primum cæso: nam lingua punica Cæsar elephas decebatur; quare in quibusdam argenteis nummis apud me videre est, ab altera parte elephantem cum hac inscriptione*, CÆSAR, *ab altera autem instrumenta, quibus elephantes Romani perimebant*.

G

VERS. 21 Luc. 20. 24. 25. Mar. 12. v. 16. 17 Cæsaris etymol.

TUNC AIT ILLIS: REDDITE ERGO QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI, ET QUÆ SUNT DEI, DEO] q. d. Quandoquidem vos, o Judæi, jam Cæsari subjecti sitis, ideoque ejus moneta passim utamini, alioqui ea non usuri: cum a Gentium retibus & symbolis prorsus abhorreatis, cumque Cæsar non nisi temporalia, scilicet denarium sua effigie & nomine inscriptum, quasi suum a vobis sibi deposcat; non tam date, quam *reddite* ei denarium suum pro censu: spiritualia vero, scilicet cultum & pietatem date Deo: hæc enim jure suo Deus sibi exigit, ita fiet, ut nec Deum, nec Cæsarem offendatis.

H

Nota, Christum nolle hic disputare, an Judæi juste Romanis sint subditi factique vectigales, & tributarii, an vero injuste & tyrannice. Anceps enim hæc erat quæstio. Prima enim facie negativa pars, scilicet quod non juste, videtur verior, Pompejus enim qui primo Judæam Romanis subjecit, fecitque vectigalem, vocatus fuit duntaxat ab Hyrcano & Aristobulo fratribus (nepotibus Simonis pontificis, qui fuit frater Judæ Machabæi) de principatu & pontificatu Judææ inter se contendentibus, ut litem inter eos dirimeret: quo jure ergo, iis exclusis, principatum Judææ ab eis ad Romanos transtulit? Hoc enim est jus Turcicum, nam Turca vocatus in auxilium a Christianis principibus inter se dissidentibus, utrumque occupat & subjugat. Penitius tamen rem gestam inspicienti, affirmativa

An juste Judæi Romanis subjecti.

Digitized by Google

A tiva pars probabitur, ſcilicet Pompejum & Romanos jure juſti belli occupaſſe Judæam. Cum enim Pompejus litem adjudicaſſet Hyrcano, idque juſte, utpote ſeniori, ideoque Judææ principatum cum pontificatu illi aſſignaſſet; Ariſtobulus frater ejus junior, ut utrumque dolo & vi occuparet, Hieroſolymam Judææ metropolim inſedit, ſuiſque aſſeclis & militibus implevit, qui Hyrcano & Pompejo reſtiterunt. Quare Pompejus vi urbem expugnavit, eamque Hyrcano conſentiente Romanis ſubjecit. Hyrcanus enim ſolus eam tueri & retinere nequiviſſet, unde ſe ſuaque tradidit Pompejo. Acceſſit deinde conſenſus ſeniorum & potiorum Judæorum, qui malebant Romanis ſubeſſe quam Hyrcano & Ariſtobulo. Videbant enim ſine Romanis rempublicam Judæorum abituram in ſchiſmata & ſeditiones, cum & hi fratres inter ſe ſumme diſſentirent, & cives ab utroque, uti narrat Joſephus lib. 24. Antiquit. c. 5. & ſeq. Unde S. Hieronymus: *Et erat*, inquit, *in populo magna ſeditio, dicentibus illis pro ſecuritate & quiete, quia Romani pro omnibus militarunt, debere tributa perſolvi; Phariſæis vero, qui ſibi applaudebant in juſtitia, e contrario nitentibus, non debere populum Dei (cui decimas ſolveret & primitias daret, & cætera, quæ in lege ſcripta ſunt) humanis legibus ſubjacere.*

B Denique Romanis favebat præſcriptio; jam enim ipſi ab annis fere centum pacifice & bona fide, populo Judæorum tacente, taciteque conſentiente, poſſederant Judæam; quare præſcriptione hac videbantur juſte occupare dominium Judææ. Rurſum in dubio melior eſt conditio poſſidentis: unde in dubio nemo poſſeſſione ſua privandus eſt. Quare Phariſæis, ſi Romanos hac poſſeſſione privare volebant, incumbebat onus probandi & evincendi ipſos injuſte occupaſſe Judæam, eſſeque malæ fidei poſſeſſores. Quod cum facere non poſſent, Romani ſuam poſſeſſionem juſte retinebant: accuſatore enim non probante crimen, reus abſolvitur: actori enim incumbit probatio criminis, reo ſufficit, ſi crimen neget. Actores autem hi erant Phariſæi, rei vero Romani, quos Phariſæi poſſeſſione ſua depellere volebant. Chriſtus ergo hoc dominium Romanorum in Judæos, & tributum eis impoſitum hic non vult examinare, an juſtum ſit, an injuſtum; ſed præſupponit factum in ſe quaſi juſtum, utpote tot titulis jam dictis roboratum & confirmatum, quia Phariſæi in quæſtione hac cenſus Romanis dandi ſuæ immunitati ab hoc cenſu non prætendebant juſtitiam, ſed religionem & pietatem, ſcilicet non licere nec decere, ut populus Dei (qualis erant ſoli Judæi) Cæſari Gentili & idololatræ ſubſit, pendatque tributum. Unde in ſua quæſtione, quam Chriſto proponunt, non dicunt: An obligamur dare cenſum Cæſari? ſed *licet cenſum dare Cæſari an non?* q. d. Nobis videtur id non licere, quia hoc videtur cedere in Dei contemptum, Judæorum dedecus, & religionis fideique injuriam. Ita ipſi; ſed Chriſtus reſpondet contrarium, ſcilicet non eſſe Deo & fidei injurium, nec gentis fidelis vilipendium, ſi populus Dei ſubſit Gentili Cæſari, ipſoſque Judæos commode, utiliter & honeſte poſſe tam Deo, quam Gentili principi ſubeſſe & obſequi, ſi cuique reddant quod debent; idque prudenter facturos, ne vel Deum vel Cæſarem contra ſe concitent, ut Gentem totam quaſi ſibi rebellem evertant, uti paulo poſt ob eamdem cauſam fecere Titus & Veſpeſianus Romani Imper. præſtat enim nummum dare, quam vitam & omnia perdere.

C Pompejus Hieroſolymæ cepit, eamque cum Judæa Romanis ſubjecit.

An Romanorum in Judæos dominium juſtum?

D Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo] q. d. Cæſari date didrachma, quod jure ſuo pro cenſu a vobis exigit ad ſuſtinenda reipublicæ onera, ac præſertim ad alendos milites, qui vos ab incurſu hoſtium tueantur; Deo vero date didrachma, decimas, oblationes & victimas, ait S. Hieronymus, in Levitico præſcriptas, quas ipſe ſupremi dominii jure a vobis, quaſi creaturis & fidelibus ſuis ſibi depoſcit. *Nec enim ex eo quod reddidit quis Cæſari quæ Cæſaris ſunt, impeditur reddere Deo quæ Dei ſunt*, ait Origenes. Alia enim ſunt jura Cæſaris, alia Dei, ſed ſibi neutiquam adverſa vel contraria: nec enim politia adverſatur religioni, nec viciſſim religio politiæ. Quare cum Tiberius Cæſar apud vos regnet, voſque illi fidis ſubditi, ut patet ex eo, quod ipſe apud vos habeat jus cudendi monetam, imo jus cudendi numiſma cenſus, puta denarium eo pretio & pondere, quo ipſi viſum fuerit: idcirco vos, & monetam & numiſma cenſus a Tiberio Cæſare quaſi Principe veſtro recipientes, hoc ipſo profitemini vos ipſi eſſe ſubditos & vectigales; ideoque, eidem debere pendere numiſma cenſus ab eo cuſum & indictum. *Quod ore locutus eſt Chriſtus*, ait S. Bern. ep. 42. *opere implere curavit. Conditor Cæſaris non cunctatus eſt Cæſari reddere cenſum.* Matth. 17. 26. Audi Tertullianum lib. de Idololatria cap. 15. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo, id eſt imaginem Cæſaris Cæſari, quæ eſt in nummo: & imaginem Dei Deo, quæ in homine eſt, ut Cæſari quidem pecuniam reddas, Deo temetipſum.* Et S. Chryſoſtom. *Tu autem cum audis reddenda eſſe Cæſari quæ ſua ſunt, illa ſolum dici non dubita, quæ pietati & religioni nihil officiunt; nam quod fidei ac virtuti obeſt, non Cæſaris, ſed diaboli tributum & vectigal eſt.* Et S. Hilarius: *Si enim nihil quod Cæſaris eſt penes nos reſederit, conditione reddendi ei quæ ſua ſunt, non tenebimur. Porro autem ſi rebus illius incubamus, ſi jure poteſtatis ſuæ utimur, extra querelam injuriæ eſt redhiberi Cæſari quod Cæſaris eſt.* q. d. Si vultis eſſe immunes a tributo, renuntiate omnibus quæ poſſidetis, uti ego feci & Apoſtoli, ubi enim nihil eſt, ibi nihil juris habet Cæſar; ſi autem veſtra retinere vultis, ac inter ea numiſmata a Cæſare cuſa & vobis quaſi ſubditis ab eo indicta ad ſuſtinenda reipublicæ onera, tunc omni jure æquum eſt, ut illa quaſi ſua illi reddatis.

E Politice, Chriſtus hic tacite monet Cæſares & principes, ut ſuis contenti, Dei & Eccleſiæ negotiis ſeſe non ingerant. Sapienter & pie Conſtantinus Magnus Imperator, teſte Euſebio in ejus Vita lib. 4. cap. 24. ad Eccleſiæ Præſules: *Vos*, ait, *intra Eccleſiam Epiſcopi, ego extra Eccleſiam Epiſcopus conſtitutus ſum a Deo.* Et Valentinianus ſenior: *Mihi*, ait, *qui unus e numero laicorum ſum, non licet me ejuſmodi negotiis interponere.* Ejus vero filius Valentinianus junior, cum matris Juſtinæ Arianæ impulſu Eccleſiam pro Arrianis poſceret a S. Ambroſio (ut ipſe refert Epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem) ab eo audivit: *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale jus habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus: ſcriptum eſt: Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ: tibi mœnium jus conceſſum eſt, non ſacrorum.* Et Hoſius Cordubenſis ad Conſtantium Imper. Arrianum; *Ne te*, inquit, *immiſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc gevere præcipe, ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.* Theodoſius junior epiſt. ad Concil. Epheſinum: *Nefas eſt*, inquit, *qui SS. Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, eum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe immiſcere.*

F Deo & Cæſari ſua reddenda.

Moraliter docet nos hic Chriſtus, prudentiam, ut apud captioſos ita ſapienter loquamur, & ſermonem temperemus, ut neutram partem offendamus; ſed inter duas aquas natemus, ac inter Scyllam & Charybdim enatemus.

Tropologicæ, S. Hilarius: *Deo etiam ea quæ Dei ſunt, reddere nos oportet, id eſt, corpus & animam & voluntatem: numiſma autem Cæſaris in auro eſt, in quo eſt ejus imago depicta; Dei autem numiſma, homo eſt, in quo eſt Dei imago figurata; ideo divitias veſtras date Cæſari, Deo autem innocentiæ veſtræ conſcientiam ſervate.* Sic & Origenes: *Deo*, ait, *reddenda ſunt quæ virtutis ſunt, Cæſari quæ politiæ & cenſus.* Et S. Auguſt. lib. 1. contra epiſt. Parmen. cap. 7. *Deo*, ait, *reddendus eſt Chriſtianus amor, regibus humanus timor*, S. Bern. vel quiſquis eſt auctor lib. de Paſſione Domini c. 3. *Reddite*, ait, *Cæſari denarium, Cæſaris habentem imaginem, reddite Deo animam, quam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit, & juſti fueritis.* Vide S. Bernardum tract. de Quadruplici debito, quo Deo obſtringimur.

G Symbolice, auctor ſerm. ad Fratres in eremo apud S. Auguſtinum tom. 10. ſerm. 7. *Tunc*, ait, *reddimus ea quæ ſunt Cæſaris Cæſari, cum Sanctis impendimus duliam eis debitam; & quæ ſunt Dei Deo, cum Deo tribuimus latriam illi ſoli propriam.*

Denique S. Auguſt. in Sententiis, ſentent. 15. hæc recte applicat votis & voventibus: *Quiſquis*, ait, *bene cogitat quæ voveat Deo, & quæ vovendo perſolvat, ſeipſum voveat & reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæſaris reddatur Cæſari, imago Dei reddatur Deo.* Id jubet Pſaltes dicens: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera*, pſal. 75. 12.

H Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt] Mirati ſunt ſapientiam & dexteritatem Chriſti, qua e laqueo hoc, qui Phariſæis videbatur inevitabilis & inextricabilis, tam facile ſe extricavit, illumque in Phariſæorum ſibi inſidiantium collum retorſit, eoque ipſos ſe captantes conſtrinxit, juxta illud Pſ. 9. 16. *Laqueo illo,* Vers. 23 Luc. 20. 26 Marc. 12. 17

A *illo, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum*, Phariſæi enim & negabant cenſum Cæſari & cultum Deo, ut patebit cap. 23. eos ergo tacite perſtringit, taxatque Chriſtus, & utrumque eis faciendum edicit: quia *non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*, Proverb. 21. 31.

VERS. 23 Luc. 20. 27. Mar. 12. 18. IN ILLO DIE ACCESSERUNT AD EUM SADDUCÆI (de quibus dixi cap. 3. verſ. 7.) QUI DICUNT NON ESSE RESURRECTIONEM, ET INTERROGAVERUNT EUM] Hi audierant Chriſtum docere reſurrectionem: ac per eam perſuadere hominibus pœnitentiam & vitam ſanctam. Oppugnant ergo eum hac quæſtione, quæ eis pariter videbatur inextricabilis, ut Chriſtum ejuſque doctrinam confutent, intricent & evertant; per abſurditatem, quæ ex ea ipſis ſequi videbatur.

VERS. 24 Luc. 20. 28. Mar. 12. 19. Quæſtio Sadducæorum de Reſurrectione DICENTES: MAGISTER, MOYSES DIXIT: SI QUIS MORTUUS FUERIT NON HABENS FILIUM, UT DUCAT FRATER EJUS UXOREM ILLIUS, ET SUSCITET SEMEN FRATRI SUO] *Semen*, id eſt poſteritatem, filium (ita Syrus) qui ſcilicet nomine defuncti appelletur, ut ſic defunctus in eo quaſi filio ſupereſſe & æternare videatur,

B Lex hæc habetur Deuter. 25. 5. ubi eam explicui.

VERS. 25 Luc. 20. 29. Mar. 12. 20 ERANT AUTEM APUD NOS SEPTEM FRATRES, ET PRIMUS, UXORE DUCTA, DEFUNCTUS EST: ET NON HABENS SEMEN, RELIQUIT UXOREM SUAM FRATRI SUO.

VERS. 26 Luc. 20. v. 30. 31. Mar. 12. v. 21. 22. SIMILITER SECUNDUS, ET TERTIUS, USQUE AD SEPTIMUM.

NOVISSIME AUTEM OMNIUM ET MULIER DEFUNCTA EST.

VERS. 27 Luc. 20. 32. Mar. 12. 23. IN RESURRECTIONE ERGO CUJUS ERIT DE SEPTEM UXOR? OMNES ENIM HABUERUNT EAM] Sadducæi putabant hac quæſtione Chriſtum confundere. Si enim diceret mulierem hanc unius fore uxorem, cæteros fratres concitaſſet ad iram & invidiam, & ad lites perpetuas, non enim appareret ratio, cur huic potius hæc uxor detur, quam alteri. Primus enim ejus maritus, qui potius jus habere videbatur, illud per mortem perdidit: homine enim moriente, omnia ejus jura pariter cum eo moriuntur. Sin dixiſſet Chriſtus uxorem hanc ſeptem fratribus

C fore communem, eum ut doctrinæ turpiſſimæ, & publici inceſtus auctorem accuſaſſent. q. d. Hæc abſurda ex reſurrectione ſequuntur ſi ea ponatur; ergo illa non eſt ponenda, nec aſſerenda, uti tu, o Chriſte, eam ponis & aſſeris. Ita iſti homunciones putant ſe ſapere cum ſumme deſipiunt: quare hoc eorum telum velut araneæ telam verbo diffiat Chriſtus, quo eis ſuam ignorantiam oſtendit, addendo tertium membrum ab eis omiſſum; utpote hominibus craſſis & carnalibus inopinatum, ſcilicet quod vidua hæc in futuro ſæculo nullius erit uxor.

VERS. 29 Mar. 12. v. 24. RESPONDENS AUTEM JESUS AIT: ERRATIS, NESCIENTES SCRIPTURAS] Quæ crebro & clare reſurrectionem aſtruunt, ut Job. c. 19. 25. & 2. Machab. 7. 9. & ſequent. & c. 12. 44. Iſaiæ 26. 19. & c. 66. 14. Ezech. 37. 1. & 9. Daniel. 12. 12. & alibi.

NEQUE VIRTUTEM DEI [Græce δύναμιν, id eſt, vim, robur, potentiam. q. d. Neſcitis Deum eſſe omnipotentem, ideoque poſſe corpora mortua & incinerata ad vitam reſuſcitare, ſicut eadem primitus ex nihilo creavit; major enim virtus requiritur ad aliquid creandũ ex nihilo,

D quam ad reſuſcitandum ex mortuo. Ad vitam, inquam, ſpiritualem, glorioſam & æternam, ut inſtar angelorum vivant; Sadducæi enim negabant Deum Deique potentiam & providentiam, ac conſequenter animæ immortalitatem & corporum reſurrectionem, ut patet Actor. 23. 8. Tangit Chriſtus duplicem erroris Sadducæorum radicem, prima eſt ignorantia Scripturarum, quæ clare docent reſurrectionem; altera, ignorantia vel inconſideratio omnipotentiæ Dei, quæ faciebat, ut Scripturas reſurrectionem aſtruentes de myſtica a vitio ad virtutem reſurrectione interpretarentur.

VERS. 30 Luc. 20. v. 35. 36. Mar. 12. v. 25. IN RESURRECTIONE (id eſt, in futuro ſæculo, ut explicat Lucas 20. 35. puta in cælo & cæleſti beatitudine) ENIM NEQUE NUBENT, ſcilicet viri, NEQUE NUBENTUR, id eſt, non dabuntur nuptui. Græcizat Interpres: græce enim eſt, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, id eſt, *neque ducunt uxorem*, ſcilicet viri, *nec dantur nuptui*, ſcilicet fœminæ. Unde Interpres in Luca c. 20. 35. vertit, *neque traduntur ad nuptias*. Fœminæ enim, quæ probæ & verecundæ ſunt, non eligunt maritos, ſed a parentibus dantur maritis, quos ipſi elegerint. Syrus, *neque accipiunt mulieres, neque uxores ſunt viris*. Græcum enim γαμεῖν, tam viris quam mulieribus tribuitur, uti & Latinum *nubo* apud antiquos utriſque dabatur, teſte Nonio Marcello & Tertulliano lib. de Reſurrect. carnis. Proprie tamen uxori nubere dicitur, qui illi ſervit, & ab ea quaſi regitur. Hinc illud Martialis lib. 8. 10. ad Priſcum.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Queritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

SED ERUNT SICUT ANGELI (Syrus, *inſtar angelorum*) DEI IN CÆLO] q. d. Beati poſt reſurrectionem in cælo erunt ſimiles angelis, non quoad naturam; ſed Primo, quoad puritatem; Secundo, quoad vitam ſpiritualem; Tertio, quoad incorruptionem & immortalitatem; Quarto, quoad felicitatem & gloriam, in qua perennabunt in omnem æternitatem æque ac angeli: Quocirca ibi non erit opus nuptiis & generatione; utpote quæ ad perpetuandam ſpeciem & individuum non in ſe, ſed per filium a natura adinventæ & inſtitutæ ſunt. Quia enim pater moritur: hinc generat filium, ut poſt mortem in filio quaſi vivat & ſuperſtes ſit. In cælo autem nemo morietur, ſed quiſque vivet & beabitur in æternum: fruſtra ergo ibi forent nuptiæ & procreatio filiorum. Unde Lucas 20. 35. ſubdit: Neque enim ultra mori poterunt. Appoſite S. Auguſt. in Quæſt. Evang. ad hunc locum Lucæ: *Connubia*, ait, *ſunt propter filios, filii propter ſucceſſionem, ſucceſſio propter mortem, ibi ergo mors non eſt, neque connubia.* Addit Beda: *Etiam peccatores ſine nuptiis erunt in ſeculo illo, ſed Dominus ut ad reſurrectionis gloriam inquirendam animos excitaret, de electis tantum voluit facere ſermonem.* Igitur ſicut electi ſimiles erunt angelis, ſic reprobi ſimiles erunt dæmonibus, qui cum ſint ſpiritus, immortales erunt, ſed in pœna & gehenna ſicut angeli in gloria.

Subjicit Lucas: *Et ſunt filii Dei, cum ſint filii reſurrectionis*. q. d. Beati reſurgentes tam corpore quam animo ſimiles erunt Deo, puta ſpirituales, glorioſi, immortales, & æterni, ſicut eſt Deus, tanquam filii ex reſurrectione orti, & rurſum nati procreatique ad vitam beatam & perpetuam, quare procreatione filiorum nec egebunt, nec delectabuntur, de quo plura Lucæ 20. 35.

Ex hoc loco auctor Imperfecti hic docet nullam virtutem eſſe tam angelicam quam caſtitatem: de hac enim hic ait Chriſtus: *Erunt ſicut Angeli Dei*, hi enim neſciunt per experientiam quid ſit libido. Et Cyrillus Hieroſol. catecheſi 12. *Virginitatem* vocat *angelorum converſationem, & incorporeæ naturæ puritatem*. Unde S. Baſilius de Virginit. cap. 79. docet virginitatem eſſe ſemen futuræ incorruptionis, imo virgines futuram illam in cælo cum angelis ſimilitudinem hic prævenire, & inchoare; ejuſque perfectionem in cælis donandam, aſſidua hic cum carne lucta & victoria promereri. Addit S. Baſilius, caſtitatem nos tantum angelis, ſed & ipſi Deo aſſimilare, juxta id quod addit Lucas: *Et ſunt filii Dei. Magnum quid*, ait S. Baſilium, *& præclarum eſt virginitas, quæ hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit, ut ſimilitudinem Dei in ſe velut in ſpeculo mundiſſimo ab ipſo Deo cum gratiis ſuis, in morem ſuaviſſimi radii influentem ſuſcipiat.* Audi S. Baſilium ulterius: *Et hi profecto, qui continentiam ſervant, angeli ſunt, qui viventes in carne corruptibili mortalium vitam illuſtrando tuentur. Sunt autem angeli non ex infimo quovis ordine, ſed certi illuſtriſſimi & nobiliſſimi. Illi enim carnis nexibus liberi integritatem ſuam in cælis ſervant, & loco & natura inviolabiles, & apud ſummum regem omnium Deum conſtituti. At vero illi in terra carnis illecebris & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetua exercitatione vincentes, incorruptionem angelicæ puritati parem virtute præcipua ante Creatoris oculos cuſtodierunt.*

Eleganter & pie S. Bernardus epiſt. 42. *Quid*, ait, *caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, angelum denique de homine facit? Differt quidem inter ſe homo pudicus & angelus, ſed felicitate, non virtute. Sed etſi illius caſtitas felicior, hujus tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis loco & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur, præbens quodam modo in terris cæleſtis jam illius converſationis experientiam.* Idem ſerm. 2. in illud: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum: Quis*, inquit, *celibem iſtam vitam; cæleſtem & angelicam dicere vereatur? Aut quod in reſurrectione futuri ſunt omnes electi, quomodo non jam nunc eſtis ſicut angeli Dei in cælo, a nuptiis penitus abſti-*

G Caſtitas nos aſſimilat angelis.

A *abſtinuerit*) *Amplectimini fratres pretioſiſſimam margaritam, amplectimini ſanctimoniam vitæ, quæ vos efficit Sanctorum ſimiles, & domeſticos Dei, dicente Scriptura, Incorruptio facit eſſe proximum Deo*, Sapient. 6. 20. Vide ibi dicta.

Denique ex hoc loco S. Hilarius hic, & S. Athanaſius ſerm. 3. contra Arrian. S. Baſilius in pſal. 114. S. Hieronymus in cap. 4. ad Epheſ. verſ. 13. ex illo, quod ibi dicitur, *Donec occurramus omnes*, &c. *in virum perfectum*, videntur aſſerere, poſt reſurrectionem in cælo non fore ſexum fœmineum, ſicut non eſt in angelis: quare omnes fœminas commutandas fore in viros & reſurrecturas in ſexu virili. Idem ſua ætate multos ſenſiſſe teſtatur S. Auguſtin. lib. 22. de Civit. cap. 17.

An fœminæ in ſexu virili reſurgent?

Verum contrarium ibidem docet ipſe S. Auguſtinus, æque ac S. Chryſoſtomus hic, & Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis, S. Hieronymus epiſt. 61. ad Pammach. contra errores Joannis Hieroſolymitani, & paſſim Scholaſtici in 4. diſtinct. 44. Ratio a priori eſt, quia ſexus fœmininus non eſt vitium, ſed natura & naturalis conditio;

B

Sexus fœmineus, non eſt vitium ſed natura.

unde erat etiam in ſtatu innocentiæ, puta in paradiſo, Eva enim mater viventium a Deo creata eſt fœmina, ſicut Adam vir. In reſurrectione autem eadem omnino natura in quolibet homine reſurget, eadem inquam numero, ſive in individuo; ad hoc autem multum facit ſexus diverſitas & proprietas; ergo illa tunc remanebit, ne aliud individuum, & alius homo ab eo, qui in hac vita fuit, reſurgere videatur. Idem liquet ex eo, quod ait hic Chriſtus: *Non nubent neque nubentur, non nubent*, ſcilicet viri; *non nubentur*, ſcilicet fœminæ; igitur tunc erunt fœminæ æque ac viri, ſexu inter ſe diſcreti. Chriſtus ergo non negat tum fore fœminas, ſed potius eas fore præſupponit, ita tamen ut ſexu ſuo ad uſum nuptiarum & generationem non utantur, ut recte advertit Beda. *Nemo enim dicit rebus, quæ non habent membra genitalia, Non nubent, neque nubentur*, ait S. Hieron. Et hoc tantum voluere Patres initio citati, qui contrarium dicere videntur. Tantum enim ſignificare volunt, in cælo non fore ſexuum diverſitatem quoad uſum, ſed quoad ſubſtantiam eam non negant, imo fore præſupponunt. Plura hac de re dixi Epheſ. 4. 13.

C

VERS. 31 *Luc. 20. 37. Mar. 12. 26* DE RESURRECTIONE AUTEM MORTUORUM NON LEGISTIS, QUOD DICTUM EST A DEO DICENTE VOBIS] Exodi 3. v. 5. Vide ibi dicta.

VERS. 32 *Luc. 20. 37. 38. Mar. 12. 26. 27.* EGO SUM DEUS ABRAHAM, ET DEUS ISAAC, ET DEUS JACOB? NON EST DEUS MORTUORUM, SED VIVENTIUM] Chriſtus non contentus ſolviſſe Sadducæorum objectionem contra reſurrectionem, inſuper eamdem illis probat ex dicto Dei ad Moyſem: *Ego ſum Deus Abraham*, &c. Licet enim potuiſſet clariora reſurrectionis petere teſtimonia ex Job, Machabæis, Iſaia, Ezechiele, Daniele, quæ citavi v. 29. Maluit tamen hoc petere a Moyſe & Pentateucho, quia hoc ſolum recipiebant Sadducæi, Prophetas vero reſpuebant. Ita Origenes, S. Hieronymus, Beda & alii. Unde Joſephus lib. 18. c. 2. de Sadducæis ait: *Nec quidquam præter legem ſervandum exiſtimant*: licet ibi Joſephus proprie videatur legem opponere traditionibus, non vero Prophetis, ſed eos ſub lege comprehendere: alioqui enim ipſi manifeſti fuiſſent hæretici, & a Judæis omnibus exploſi, ut notat Franciſcus Lucas: quare potior cauſa citationis videtur eſſe hæc, quod apud Judæos major & antiquior eſſet auctoritas Moyſis quam Prophetarum. Summa item veneratio Abrahæ, Iſaac & Jacob Patriarcharum & patrum ſuorum, quos proinde non eſſe mortuos, ſed apud Deum vivere, curamque poſterorum ſuorum Hebræorum agere exiſtimabant: unde nemo eos ſi plane interiiſſe auſus fuiſſet dicere.

Cur Moyſé hic potius quam alios Prophetas citet Chriſtus?

D

EGO SUM DEUS ABRAHAM, &c.] Primo, q. d. Ego ſum Deus qui glorior de Abraham, Iſaac & Jacob quaſi de ſanctis Prophetis, fidelibus meis amicis & cultoribus; quique fœdus cum eis inivi de danda eis (id eſt, eorum poſteris) terra Chanaan, pro quo ipſi in limbo patrum degentes me aſſidue ſollicitant, egoque illis fidem quam dedi, reipſa mox per Moyſen & Joſue præſtabo: ita autem de eis non gloriarer niſi ipſi viverent, maxime ego qui ſum Deus vivus & vivificans. Vivunt ergo ipſi ſecundum animam, ac conſequenter ſecundum corpus in reſurrectione vivent, idque brevi & cito, ſcilicet poſt paucos dies cum ego a morte reſurgam, tunc enim & ipſos a morte ſuſcitabo, & mecum cum triumpho in cælos traducam, Matt. cap. 27. v. 53.

Ubi Nota, Sadducæos & Philoſophos Epicureos negaſſe reſurrectionem, eo quod negarent animæ immortalitatem, ſunt enim hæc duo inter ſe connexa. Si enim anima

E

eſt immortalis, cum illa naturaliter propendeat ad corpus, cujus eſt forma, utique illud reſurgat oportet: alioqui anima perpetuo exiſteret in ſtatu violento, ac dimidiatam quaſi exiſtentiam, vitam & ſubſiſtentiam dumtaxat obtineret. Hac de cauſa Chriſtus hic, æque ac S. Paulus 1. Cor. cap. 15. & Auctor lib. 2. Machab. cap. 43. ex animarum immortalitate probant corporum reſurrectionem.

Secundo, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Irenæus lib. 4. c. 11. Abraham, inquiunt, Iſaac & Jacob, non ſignificant ſolas eorum animas, ſed totos homines. Hi ergo licet hominibus ſint mortui; Deo tamen vivunt, & quaſi dormiunt, quia brevi eos Deus a morte quaſi a ſomno, excitabit ad vitam beatam & æternam. Unde Lucas c. 20. 20. explicans addit: *Omnes enim vivunt ei*, ſcilicet Deo.

VERS. 33 ET AUDIENTES TURRÆ MIRABANTUR IN DOCTRINA EJUS] Tam clara, ſancta & ſolida, qua ſummos eorum Rabbinos, Phariſæos & Sadducæos erroris convincebat, ut contra hiſcere non auderent.

F

PHARISÆI AUTEM AUDIENTES QUOD SILENTIUM IMPOSUISSET SADDUCÆIS, CONVENERUNT IN UNUM] Ut eum de victoria a Sadducæis relata tumidum & elatum (ut ipſi putabant) deprimerent, ac ignorantiam Scripturarum quam ipſe Sadducæis objecerat, in ipſummet retorquerent; ſed ſtolidi homines contra ſtimulum calcitrant, ut ſemel victi a Chriſto iterum turpius ab eo vincantur. Ipſe enim eſt veritas & ſapientia æterna, qui ſingulis ſuas inſcitiæ tenebras revelat & oſtendit.

VERS. 34

VERS. 35 *Mar. 12. 28.* ET INTERROGAVIT EUM UNUS EX EIS LEGIS DOCTOR TENTANS EUM] Hic unus obtulit ſe Phariſæis quærentibus Jeſum capere in ſermone, dicens ſe in promptu habere quæſtionem difficillimam, quam Jeſu proponeret, ut ex ejus reſponſione tentaret, quam Jeſus eſſet peritus legis & Scripturæ, non tantum in ſpeculativis, uti erat illa quæſtio Sadducæorum de reſurrectione, ſed etiam in practicis. *Tò ergo tentans*; idem eſt quod probans & experimentum capiens: hic enim licet fingeret coram Phariſæis, ſe velle Jeſum irretire & capere; tamen in animo ſuo cupiebat experiri & audire quid Jeſus ad quæſtionem hanc tam difficilem, in qua ipſe dubius hærebat, eſſet reſponſurus. Cupit ergo a Jeſu doceri. Unde audiens Jeſum reſpondere, maximum mandatum eſſe dilectionis Dei & proximi, illico reſponſum hoc probavit & laudavit dicens: *Bene Magiſter in veritate dixiſti*, &c. Unde *Jeſus videns quod ſapienter reſpondiſſet, dixit illi: Non es longe a regno Dei*, ſcilicet a vera fide & gratia, quæ fideles ducit ad regnum cæleſte, Marci 12. 34.

Mar. 12. 28 interrogat Chriſtum legis doctor de mandato magno.

VERS. 36 *Mar. 12. 28* MAGISTER, QUOD EST MANDATUM MAGNUM IN LEGE?] Erat hæc quæſtio, ait Beda in Marci c. 12. tempore Chriſti apud Judæos valde controverſa: multi enim primum mandatum legis cenſebant eſſe de ſacrificiis & victimis, Deo ex lege Levitici cap. 1. & ſequentibus offerendis: hiſce enim proprie colitur Deus ut ſummus omnium Dominus. Unde propterea jubebant Phariſæi filiis, ut parentibus dicerent *corban*, id eſt, munus quo te alere deſtinabam, vovi Deo, illi ergo ipſum dandum eſt, non tibi, Matth. cap. 15. verſ. 6. Hinc & Legis doctor hic audito Chriſti reſponſo de dilectione Dei & proximi, illum laudans ſubjecit: *Diligere* (Deum &) *proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocaustomatibus & ſacrificiis*, Marci 12. 33.

H

VERS. 37 *Luc. 10. v. 27. Mat. 22. v. 37.* AIT ILLI JESUS: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET IN TOTA ANIMA TUA, ET IN TOTA MENTE TUA] Moyſes Deuteron. cap. 6. verſ. 5. & ex eo Marcus & Lucas addunt, *& in tota fortitudine tua*; Syrus, *& in tota virtute tua*, id eſt, ex toto conatu cordis & mentis tuæ. Idem enim hic ſignificant *cor, anima, mens*. Æthiopicus, *ex tota virtute tua, & ex tota potentia quæ tibi*: Perſicus *ex tota nimietate mentis tuæ*: hoc enim reſpondet Hebræo *meodecha*, Deuter. cap. 6. verſ. 4. ut ibi dixi.

Nota contra Calvinum & hæreticos, hoc Dei præceptum cuivis homini ſervatu eſſe poſſibile: non enim præcipitur hic, totus vel ſummus amor Dei extenſive, aut intenſive, ſed tantum comparative, finaliter & appretiative. Diligies ergo Deum ex toto corde, ſive ex tota anima & mente, idem eſt, ac ſi dicat: Diligies Deum ex tota voluntate tua, ſcilicet Primo, comparative, ut nullam partem amoris tui des idolo, aut rei cuipiam Deo contrariæ. Secundo, finaliter, ut generatim velis Deum eſſe finem totum & ultimum omnium tuarum cogitationum, actio-

Diligere Deum ex toto corde triplicitet. Primo. Secundo.

Digitized by Google

A actionum & amorum, ipſumque ut ſummum bonum finemque ultimum, rebus omnibus præferas & anteponas, ac conſequenter. Tertio, appretiative, ut nihil ita æſtimes, tantoque loco & pretio habeas, quanto habes Deum, ac proinde ut totum cor, id eſt, voluntatem applices, ut tota & omnia ejus præcepta impleas, eique per omnia obedias, etiamſi propterea opes, honores, famam, amicitiam, vitamque ipſam perdere debeas. Unde quod hic dicitur, *Ex toto corde*, alibi dicitur, *Ex corde integro & perfecto*. Hinc illud toties iteratum: *Cor ejus perfectum erat cum Deo. Inceſſit in omnibus mandatis Domini: Secutus eſt Dominum in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu ejus*, &c. 3. Reg. 14. 8. Vide dicta Deuteron. cap. 6. 4. ubi fuſe hoc præceptum explicui. Hoc eſt quod ait ſanctus Bernardus tract. de diligendo Deo; *Modus diligendi Deum, eſt diligere ſine modo*. Immenſa enim Dei bonitas immenſum meretur amorem, ut ſine fine, modo & menſura quaſi immenſe diligatur. Quocirca Victor Antiochenus in Marci cap. 16. 32. *Homo*, inquit, *tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorſus in ullam animæ*

B *facultatem irrepere ſinat, quod ſuam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat; ſed in omnibus illi ſoli magis magiſque aſſidue placere ſatagat, nec alteri perſonæ aut rei creatæ niſi propter Deum.*

VERS. 38 HOC EST MAXIMUM ET PRIMUM MANDATUM] Arabicus, *hoc eſt mandatum primum maximum*. Maxima enim virtus, & virtutum omnium regina eſt charitas, 1. Corinth. 13. Quare charitas nobilior eſt religione: nobilius enim eſt diligere Deum ex toto corde, quam eidem offerre ſacrificia. Adde, charitas quaſi regina imperat ſacrificia, cæteroſque religionis aliarumque virtutum actus. Denique amor, nobiliſſimus eſt affectus & actus, qui præcellit timore, honore, cæteriſque omnibus; cujus præcellentiæ octo cauſas recenſui Deuter. 6. 4.

Mar. 12, 30

VERS. 39 SECUNDUM AUTEM SIMILE EST HUIC: DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM] Syrus; *ſicut animam ſuam*; id eſt, ſicut te ipſum. *Secundum*, ordine non legislationis: multæ enim aliæ leges & præcepta ante hoc a Deo lata & ſancita ſunt, ſed dignitatis & perfectionis, licet longe impar & inferius primo, quod eſt de diligendo

Luc. 10. 27. Mar. 12. 31

C Deo: Deus enim longe magis diligendus eſt, quam omnes angeli, homines & creaturæ univerſæ; ſed poſt Deum inter res creatas, præ omnibus diligendus eſt proximus. *Simile*, in dilectione & affectu, ejuſque officiis & actibus. Sicut enim diligimus Deum, ſic & proximum; imo ratio diligendi proximum eſt dilectio Dei; proximum enim diligimus propter Deum, quia ſcilicet Deus jubet nobis, ut diligamus proximum tanquam ſui imaginem.

Omittit hic Chriſtus dilectionem ſui ipſius, quia hæc omnibus inſita eſt, & quaſi naturalis, ut, ſi habeas erga alios charitatem, illam primo in teipſum exerceas. *Qui* enim *ſibi nequam, cui bonus?* Unde illam hic Chriſtus præſupponit, imo dilectionem ſui, ſtatuit ideam & quaſi menſuram dilectionis proximi, dicens, *Sicut teipſum* amas & diligis: Unde S. Auguſtinus lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 27. *Non eſt hic*, inquit, *tui dilectio prætermiſſa: dicitur enim ut diligas proximum ſicut teipſum.*

Primo ergo loco diligendus eſt Deus ſuper omnia ex toto corde, Secundo, propria perſona: ſcilicet propria anima & corpus; Tertio, proximus; quare cum ait:

D *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, τὸ *ſicut*, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem dilectionis ſignificat: magis enim nos ipſos quam proximum amare debemus; ſed tamen ſimilia his quæ nobis optamus, proximo optare & præſtare debemus. Citat Levit. cap. 19. verſ. 18. ubi hanc legem explicui; quibus adde Hebræum " *rea* proprie ſocium ſignificare. Noſter tamen vertit, *proximum*, ut magnum cuique ingerat dilectionis ſtimulum, quia omnis homo, qui hic intelligitur, nobis eſt proximus, & conjunctiſſimus & quaſi frater, tum creatione & natura, quia ab eodem Deo Patre creatus eſt homo; tum recreatione, quia ab eodem patre Chriſto regeneratus eſt in Baptiſmo, ejuſque corpore & ſanguine alitur in Euchariſtia, cæteriſque Sacramentis, donis & gratiis aſſidue, æque ac alii, paſcitur. Vide dicta Levit. cap. 19. v. 18.

Proximum dilige ſicut teipſum. Primo.

Jubet ergo Deum diligi ex toto corde, proximum vero non ex toto corde, ſed *ſicut teipſum*, ut ſcilicet Primo, non te ſolum diligas & proximum negligas: quod ſuadet amor proprius ex natura peccato corrupta nobis inſitus, ſed amorem, quo te diligis, ad proximum extendas. Secundo, ut, ſicut te non ficte, nec frigide, ſed ſincere & ardenter diligis, ſic pariter diligas & proximum, atque bona corporis & animæ, quæ tibi optas, optes & proximo. Hoc eſt quod dixit ſanxitque Chriſtus cap. 7. 12. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; ſive quod Tobias moriens mandavit filio cap. 4. verſ. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias: ea enim eſt regula dilectionis*; ait S. Auguſtinus de Vera relig. cap. 46. *ut quæ homo vult ſibi bona provenire, & proximo velit, & quæ ſibi accidere mala non vult, & illi nolit.* Non vis tibi eripi opes, honorem, uxorem, vitam? nec tu illa aliis eripias. Vis eadem tibi dari & conſervari? tu quoque eadem aliis dato & conſervato.

Secundo.

E

IN HIS DUOBUS MANDATIS UNIVERSA LEX PENDET, VERS. 40 ET PROPHETÆ] q. d. Omnia legis & Prophetarum præcepta his duobus dilectionis & proximi præceptis nituntur & fulciuntur; imo ex illis naſcuntur & eliciuntur, ſicut rami multi naſcuntur, penderque ex una arbore & radice; quare in his duobus ſummatim continentur, ſicut concluſiones continentur in ſuis principiis & præmiſſis: omnia enim præcepta comprehenduntur Decalogo. Decalogus autem non continet niſi præcepta de diligendo Deo & proximo: tria enim primæ tabulæ præcepta ſpectant ad Dilectionem Dei, cætera vero ſeptem ſecundæ tabulæ ſpectant ad dilectionem proximi, ait S. Auguſtinus lib. 8. de Trinit. cap. 7. Quamobrem Apoſtolus Rom. cap. 13. v. 8. *Qui*, inquit, *diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Vide ibi dicta. Quocirca omnia miſericordiæ, cæterarumque virtutum naturalium & ſupernaturalium præcepta, referuntur ad hæc duo dilectionis Dei & proximi, in iiſque continentur: nam præcepta fidei, ſpei, charitatis, religionis continentur in præcepto dilectionis Dei: præcepta vero juſtitiæ, veritatis, fidelitatis, amicitiæ, miſericordiæ, gratitudinis, &c. continentur in præcepto dilectionis proximi. Significat ergo Chriſtus, hæc duo præcepta cuique ſemper in mente & ob oculos verſari debere, ut ad ea omnes ſuas cogitationes, ſermones & actiones dirigat, totamque vitam ſuam exigat & componat.

F

CONGREGATIS AUTEM PHARISÆIS (in templo, ut patet ex Marco cap. 12. verſ. 35.) INTERROGAVIT EOS JESUS] Utitur hic Chriſtus occaſione Phariſæorum ſe tentantium ad eos inſtruendos de Meſſiæ perſona & dignitate, ut doceat nos malum retorquere in bonum, & tentationem convertere in inſtructionem, hypocriſin in doctrinam, maleficium in beneficium. Phariſæi ergo, *qui ad tentandum Jeſum fuerant congregati, & veritatem fraudulenta interrogatione carpere nitebantur, occaſionem præbuerunt confutationis ſuæ*, ait S. Hieronymus. Docuit ergo eos Meſſiam ſive Chriſtum non eſſe purum hominem, ut ipſi putabant, ſed eſſe hominem Deum, ſive ſubſiſtentem in perſona divina Verbi. Unde non mirari debere, ſi ipſe aſſerat ſe eſſe Filium Dei.

VERS. 41

G

DICENS: QUID VOBIS VIDETUR DE CHRISTO? (Meſſia vobis in lege promiſſo) CUJUS FILIUS EST? DICUNT EI, DAVID] Dicere debuiſſent, Chriſtus qua Deus, erit Dei filius juxta illud: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, Pſalm. 2. ſed qua homo, eſt filius Davidis. Verum prius vel ignorabant, vel non credebant Phariſæi: unde poſterius tantum reſpondent, ſed ex eo Chriſtus prius quoque elicit & evincit. Petrus rogatus a Chriſto quem ipſum eſſe cenſeret, inſtinctus a Deo reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, Matth. 16. Sed hoc inſtinctu divino carebant Phariſæi: unde non niſi humana ſapientes, credebant Chriſtum non niſi hominem eſſe.

VERS. 42 20. 41. Mar. 12, 35

H

Nota. Hæc paulo aliter narrant Lucas & Marcus; ſed hi cum Matthæo conciliandi ſunt, ut velint dicere Chriſtum primo interrogaſſe Phariſæos, cujus filius foret Chriſtus: illi reſponderunt, Scribas, id eſt, legis doctores, dicere Chriſtum eſſe filium Davidis: tum Chriſtus ſubjecit: Quomodo Scribæ dicunt Chriſtum eſſe filium Davidis, cum David eum vocet Dominum ſuum?

AIT ILLIS: QUOMODO ERGO DAVID IN SPIRITU (inſtinctus a Spiritu ſancto, ab eoque actus & impulſus, imo eo plenus: Spiritus ſanctus enim Pſalmos dictavit Davidi, eorumque affectus & ſenſa viva ipſi indidit, ideoque non tam David in ſpiritu, quam Spiritus in Davide locutus eſt) VOCAT EUM DOMINUM] Filius enim minor & junior eſt ſuo patre: quare non pater filium, ſed filius patrem vocare ſolet ſuum Dominum, ut fit apud Italos aliaſque gentes. Ex hoc loco confutantur Rabbini moderni, qui hunc Pſalm. 109. non de Meſſia & Chriſto, ſed

VERS. 43 in 20. 42. Mar. 12. 36

A ſed de Abraham, vel Davide, vel Ezechia interpretantur. Nam Phariſæi & Scribæ tempore Chriſti intelligebant eum de Chriſto, cenſebantque pſalmum hunc eſſe oraculum de Chriſto: alioqui enim ſtatim reſpondiſſent Chriſto, ipſum male pſalmum hunc de Meſſia citare & intelligere, cum intelligendus eſſet de Abrahamo, Davide aut Ezechia. Idem patet ex v. 4. ejuſdem pſalmi: *Tecum principium* (principatus; hoc enim eſt Hebr. נדבות *nedabot*, & Græcum ἀρχὴ) *in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex utero ante luciferum genui te*. Hæc enim nulli niſi Chriſto competit. Denique Jonathan Chald. R. Barachias, R. Levi ac veteres Rabbini, teſte R. Moyſe & Genebrardo in Pſ. 109. illum non niſi de Chriſto intelligunt.

VERS. 44. Luc. 20. v. 42. 43. Mar. 12. v. 36. DICENS: DIXIT DOMINUS DOMINO MEO, SEDE A DEXTRIS MEIS, DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM] Ex hoc verſu Pſal. 109. colligit evincitque Chriſtus, Meſſiam (qualis ipſe erat) non eſſe purum hominem, uti credebant Phariſæi, ſed eſſe Deum, ac proinde Davidis Dominum. Senſus ergo eſt. q. d. David: *Dixit Dominus* Deus *Domino meo* puta Chriſto, *Se*

B *de a dextris meis*, cum ſcilicet poſt crucem, mortem & reſurrectionem Chriſti, eum reſuſcitabit, & exaltabit ſuper omnes poteſtates & principatus, atque proximum ſibi in cælo conſtituet, ut regnet in ſumma felicitate, auctoritate, gloria & imperio in univerſas creaturas. Vide dicta Epheſ. 1. 20. & Coloſſ. 3. v. 1. ubi fuſe explicui, quid ſit ſedere Chriſtum a dextris Dei.

Porro *dixit* hebr. eſt נאם *neum*, id eſt dictum, pronuntiatum, effatum, oraculum, decretum Domini de Chriſto Domino meo, idque fixum, certum & immutabile. *Neum* enim per metatheſin idem eſt, quod *Amen*, id eſt certo, fideliter, conſtanter futurum, uti fuſius dixi 1. Tim. 1. 15. ad illa *Fidelis ſermo*. q. d. Deus pater ab æterno certo, firmiter & inviolabiliter dixit, pronunciavit, decrevit de Chriſto filio ſuo, non qua Deus eſt, ſed qua incarnatus & factus homo, hoc enim innuit Hebr. אדני *Adoni*, id eſt, *Domino meo*: (nam cum Deus ſignificatur, dicitur אדני *Adonai*) qui titulo, tum unionis hypoſtaticæ, tum redemptionis in cruce peractæ, omnium hominum, & conſequenter meus, id eſt Davidis eſt Dominus. Dixit, inquam, interius in mente ſua ab æterno;

C exterius vero *dixit*, id eſt, dicet in tempore aſcenſionis Chriſti, quando Chriſto cum triumpho ſcandenti in cælum dicet: Veni & ſede a dextris meis, id eſt, mihi proximus, & in ſumma majeſtatis meæ gloria regna & triumpha. Ita S. Hieronymus & Theodor. & alii ibidem. Pſalmus enim ille 109. celebrat Chriſti regnum ſummum & amplißimum, tam in cælo quam in terra, quo Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem & aſcenſionem, ex Sion & Jeruſalem cœpit regnare in omnes gentes, eaſque per Apoſtolos ſuæ fidei & cultui ſubjicere, donec omnes inimicos ſuos, id eſt, omnes impios & reprobos calcet & conterat in die judicii.

DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM] q. d. Regna mecum in omni gloria, uſque ad diem judicii, quando omnes inimicos, id eſt impios, tibi plane ſubjiciam, ut eis quaſi mancipiis domineris, imo eos calces quaſi ſcabellum pedum tuorum, quod ſignum eſt infimæ & viliſſimæ ſervitutis. Unde Sapor rex Perſarum, Aurelianum Imperatorem a ſe bello captum fecit ſibi

D ſcabellum: aſcenſuro enim in equum, Aurelianus dorſum ſuum, quaſi ſcabellum, per quod in equum conſcenderet, Sapori præbere debebat. Idem fecit Tamberlanus Tartarorum Imperator, Bajazeti Imperatori Turcarum, cum eum prælio viciſſet & cepiſſet.

Aurelianus Imp. ſcabellum pedum ſuo fecit Sapor Perſarum rex: & Bajazetem Tamberlanus.

Tò ergo *donec*, non ſignificat finem, ſed continuationem & amplificationem ſeſſionis & regni. q. d. Regna mecum etiam, donec inimicos tuos tuis ſupponam pedibus, etiam, tempore, quod tuo regno videtur oppoſitum & contrarium, etiam quando illi videbuntur regnare, etiam antequam hoſtes tuos tuis pedibus ſubſternam, tuoque libito ſubjiciam, diabolo, morte, impiis, peccatis funditus everſis & extirpatis. Nempe inter medias cruces, perſecutiones, impietates, motus & turbas ſatanæ ac miniſtrorum ejus regna: nam de alio tempore non eſt dubium, quin regnet Chriſtus. Ita Genebrardus. Sic ſumitur *donec* Matt. 1. v. ult. & alibi. Addit hoc Chriſtus, ut tacite perſtringat Phariſæos ſuos inimicos, q. d. Vos, o Phariſæi, me perſequimini, imo me occidetis & crucifigetis, ſed ſcitote, quod tertio die reſurgam, & quadrageſimo die aſcendam in cælum; indeque judex omnium hominum redibo, ac vos cæteroſque infideles & impios inimicos meos condemnabo, calcabo & deprimam in tartara. E

ET NEMO POTERAT EI RESPONDERE (Syrus, *rationem reddere*) VERBUM (quia, ut dixi, credebant Meſſiam merum fore hominem) NEQUE AUSUS FUIT QUISQUAM EX ILLA DIE EUM AMPLIUS INTERROGARE] *Conticuerunt igitur*, ait S. Chryſoſtom. *lethali vulnere perfoſſi. Maluerunt enim*, inquit S. Auguſtin. in Pſal. 109. verſ. 1. & 2. *inflata taciturnitate diſrumpi, quam humili confeſſique edoceri.* VERS. 46. Luc. 20. v. 40. Mar. 12. v. 34.

CAPUT XXIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHRISTUS Primo, jubet Judæis, ut Scribarum & Phariſæorum doctrinam ſequantur, ſed non vitam & mores; utpote improbos, inhumanos, jactabundos, & arrogantes. Secundo, v. 13. væ maledictionis eis intentat, ob eorum hypocriſin, avaritiam, ſuperſtitionem, aliaque ſcelera, quæ recenſet. Tertio, v. 32. prædicit ab eis occidendos ſuos fideles & Apoſtolos; ideoque Hieroſolyma & Judæa extremum per Romanos excidium intentat.

Videtur hoc eſſe ultimum & cygneum Chriſti oraculum quo crucem & mortem ſibi inſtantem præſagit, imo parat & ambit. Hac enim acri & libera vitiorum caſtigatione. adeo offendit Scribas & Phariſæos, ut non jam verba, ſed verbera ei pararent: unde poſt tres dies (hæc omnia enim acta & dicta ſunt a Chriſto die Martis poſt dominicam Palmarum, ut dixi in Chronotaxi, num. 64. & 65.) eum ceperunt & crucifixerunt. Prævidebat hoc Chriſtus, ſed eorum malitiæ parcere noluit, nec debuit, ſed eam acriter reprehendit; utpote legislator & morum cenſor a Deo in mundum miſſus, etiamſi ſciret ſe propterea ab eis occidendum: quia mortem hanc pro ſalute hominum Deo Patri offerre deſiderabat, ut hac ratione mira Dei providentia, quæ decreverat homines per Chriſti crucem G *ſalvare, in ipſo & per ipſum impleretur. Chriſti libertatem imitatus eſt ſanctus Stephanus, qui acri ſua reprehenſione viam ſibi ſtravit ad martyrium adeo expetatum, Actor. 7.*

VERS. 1. TUnc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos.

2. Dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.

3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

4. Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.

5. Omnia vero opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.

6. Amant autem primos recubitus in cœnis, H & primas cathedras in ſynagogis.

7. Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.

9. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt.

10. Neque vocemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus.

11. Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter.

12. Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.

13. Væ autem vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.

14. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.

15. V

PROVINCIAE BTI. J

Digitized by Google

A 15. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum; & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.

16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet.

17. Stulti, & cæci: Quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est; quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.

19. Cæci; Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso:

B 22. Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.

23. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem, Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis; intus autem pleni estis rapina, & immunditia.

26. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.

27. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt C ossibus mortuorum, & omni spurcitia.

28. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.

29. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quæ ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum.

30. Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt.

32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?

34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, D & persequemini de civitate in civitatem:

35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

VERS. 1. TUNC JESUS LOCUTUS EST AD TURBAS, ET AD DISCIPULOS SUOS] *Tunc*, scilicet, cum suis sapientissimis responsionibus, quæstionibus & rationibus jam sæpius confutasset Scribarum & Pharisæorum errores & ignorantiam; eisque multis probasset se esse Messiam, Dei Filium, etiam per miracula, ac cerneret Scribas iis adeo non moveri ad fidem in ipsum, ut potius irritarentur magis ad eum perdendum, *Tunc*, inquam, effrontem eorum pervicaciam hac efficaci & pathetica oratione contundit, qua externam & fictam sanctitatis eorum larvam, ne populus eam imitetur, detegit, ac latentem sub ea improbitatem ostendit, ut eam plebs devitet. E

DICENS: SUPER CATHEDRAM MOYSI SEDERUNT VERS. 2. SCRIBÆ ET PHARISÆI] Per *cathedram*, metonymice intelligit honorem, gradum, dignitatem, auctoritatem docendi & jubendi, quam apud Judæos habuit Moyses, quam Scribæ post Moysen acceperant. Est catachresis, Nam non tantum sedendo, sed stando Scribas docuisse satis colligitur ex Luca cap. 4. 16. & Actor. 13. 16. Sic cathedra S. Petri vocatur ipsa potestas & auctoritas Pontificia docendi & regendi omnes fideles totius orbis, in qua S. Petro succedunt Romani Pontifices: nam alioqui in lignea ista cathedra, in qua sedit S. Petrus, nullus Pontificum amplius sedet, sed illa religionis ergo asservatur, & populo quotannis in festo Cathedræ S. Petri in ejus basilica veneranda ostenditur. Hinc S. Hieronymus ad Damasum: *Ego*, inquit, *beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior*. Pontifex enim licet ut privatus homo errare possit, tamen eum ex cathedra, id est, ex auctoritate Pontificia, aliquid de fide definit, errare nequit ob assistentiam Spiritus sancti. Cathedra est auctoritas docendi & jubendi.

Nota, Scribæ erant legis doctores & interpretes, qui legem populo proponebant & explanabant: Pharisæi vero regebant populum, & in magistratum adlegebantur, rejectis Sadducæis, ut satis insinuat Josephus lib. 18. Antiq. cap. 2. quocirca Sadducæi hic non nominantur. Porro multi ex Scribis & Pharisæis erant sacerdotes vel Levitæ; horum enim erat docere populum. Malach. 2. 7. Sed Christus eos noluit nominare sacerdotes, ob honorem sacerdotii, ne illi derogaret.

OMNIA ERGO QUÆCUMQUE DIXERINT VOBIS (ex lege facienda) SERVATE, ET FACITE: SECUNDUM OPERA VERO EORUM NOLITE FACERE: DICUNT ENIM ET NON FACIUNT] *Omnia* scilicet Mosi & legi non contraria. Contrarium enim legi dicenti: *Honora patrem & matrem*, erat dogma Scribarum, docentium parentibus dicere *corban*: uti docuit Christus cap. 15. v. 4. Sic contrarium legi dicenti: *Non pejerabis*, erat dogma eorumdem docentium, si quis per templum vel altare juraret non obligari juramento, quod taxat hic Christus vers. 16. Contrarium pariter legi & Mosi erat docere, Jesum non esse Messiam sive Christum, quod docebant Scribæ: Jesus enim illa signa & miracula edebat, quæ a Mose & Prophetis prædicta erant, edenda fore a Messia; & quicumque illa ederet, acceptandum esse tamquam Messiam. Unde cap. 16. v. 12. jussit Christus: *Cavete*, inquit, *a fermento Pharisæorum*, puta ab eorum doctrina, propria scilicet & privata, ac Moysi legique contraria. In his ergo populus sequi non poterat doctrinam Scribarum, nec illis obedire, in cæteris vero, quæ passim Moysi & legi consona docebant; obedire eis poterat, & sæpe renebatur. Monet ergo hic eum Christus, ut omnia alia Scribarum dogmata legi non repugnantia, etiamsi vana & futilia, ac proinde non obligantia (lex enim ut obliget, debet præcipere rem honestam & utilem, non futilem, uti docent Jurisperiti & Theologi tract. de Legibus, ac D. Thomas 1. 2. quæst. 95. art. 3.) uti erant crebræ manuum corporisque ablutiones & purificationes; illa tamen servet ad obedientiæ cæcæ & simplicis meritum, ac ordinis sacerdotalis & doctoralis reverentiam. Ita Jansenius, Franc. Lucas & alii, licet Maldonatus τὸ *omnia* ad sola illa, quæ a Moyse in lege sunt præcepta, restringat; quæ certe Christus hic maxime intelligit. Unde Syrus vertit, *quæcumque dixerint vobis ut servetis, servate & peragite*. G

VERS. 3. Obedien-dum malis Prælatis justa præ-cipientibus.

DICUNT (præcipiunt) ENIM ET NON FACIUNT] q. d. Bene docent & jubent, sed male vivunt, tum quia legem violant, tum quia suo exemplo subditos scandalizant, & ad violandam pariter legem impellunt. Nam ut ait ille.

Regis (& doctoris) *ad exemplum totus componitur orbis.*

Plus enim credunt homines factis quam dictis. Hoc Christi præceptum & monitum servent Christiani, cum vident subinde aliquos Episcopos, Pastores & magistratus non vivere juxta legem Christi, ad quam ipsi subditos cogunt.

ALLIGANT (Syrus, *ligant*) ENIM ONERA GRAVIA, VERS. 4. Luc. 11. 46. H ET

A ſed de Abraham, vel Davide, vel Ezechia interpretantur. Nam Phariſæi & Scribæ tempore Chriſti intelligebant eum de Chriſto, cenſebantque pſalmum hunc eſſe oraculum de Chriſto: alioqui enim ſtatim reſpondiſſent Chriſto, ipſum male pſalmum hunc de Meſſia citare & intelligere, cum intelligendus eſſet de Abrahamo, Davide aut Ezechia. Idem patet ex v. 4. ejuſdem pſalmi: *Tecum principium* (principatus; hoc enim eſt Hebr. נדבות: *nedabot*, & Græcum ἀρχὴ) *in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex utero ante luciferum genui te*. Hæc enim nulli niſi Chriſto competit. Denique Jonathan Chald. R. Barachias, R. Levi ac veteres Rabbini, teſte R. Moyſe & Genebrardo in Pſ. 109. illum non niſi de Chriſto intelligunt.

VERS. 44 Dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum] Ex hoc verſu Pſal. 109. colligit evincitque Chriſtus, Meſſiam (qualis ipſe erat) non eſſe purum hominem, uti credebant Phariſæi, ſed eſſe Deum, ac proinde Davidis Dominum. Senſus ergo eſt. q. d. David: *Dixit Dominus* Deus *Domino meo* puta Chriſto, *Sede a dextris meis*, cum ſcilicet poſt crucem, mortem & reſurrectionem Chriſti, eum reſuſcitabit, & exaltabit ſuper omnes poteſtates & principatus, atque proximum ſibi in cælo conſtituet, ut regnet in ſumma felicitate, auctoritate, gloria & imperio in univerſas creaturas. Vide dicta Epheſ. 1. 20. & Coloſſ. 3. v. 1. ubi fuſe explicui, quid ſit ſedere Chriſtum a dextris Dei.

Luc. 20. 42. Mar. 12. 36

B Porro *dixit* hebr. eſt נאם *neum*, id eſt dictum, pronuntiatum, effatum, oraculum, decretum Domini de Chriſto Domino meo, idque fixum, certum & immutabile. *Neum* enim per metatheſin idem eſt, quod *Amen*, id eſt certo, fideliter, conſtanter futurum, uti fuſius dixi 1. Tim. 1. 15. ad illa *Fidelis ſermo*. q. d. Deus pater ab æterno certo, firmiter & inviolabiliter dixit, pronunciavit, decrevit de Chriſto filio ſuo, non qua Deus eſt, ſed qua incarnatus & factus homo, hoc enim innuit Hebr. אדני *Adoni*, id eſt, *Domino meo*: (nam cum Deus ſignificatur, dicitur אדני *Adonai*) qui titulo, tum unionis hypoſtaticæ, tum redemptionis in cruce peractæ, omnium hominum, & conſequenter meus, id eſt Davidis eſt Dominus. Dixit, inquam, interius in mente ſua ab æterno; exterius vero *dixit*, id eſt, dicet in tempore aſcenſionis Chriſti, quando Chriſto cum triumpho ſcandenti in cælum dicet: Veni & ſede a dextris meis, id eſt, mihi proximus, & in ſumma majeſtatis meæ gloria regna & triumpha. Ita S. Hieronymus & Theodor. & alii ibidem. Pſalmus enim ille 109. celebrat Chriſti regnum ſummum & ampliſſimum, tam in cælo quam in terra, quo Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem & aſcenſionem, ex Sion & Jeruſalem cœpit regnare in omnes gentes, eaſque per Apoſtolos ſuæ fidei & cultui ſubjicere, donec omnes inimicos ſuos, id eſt, omnes impios & reprobos calcet & conterat in die judicii.

C



Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum] q. d. Regna mecum in omni gloria, uſque ad diem judicii, quando omnes inimicos, id eſt impios, tibi plane ſubjiciam, ut eis quaſi mancipiis domineris, imo eos calces quaſi ſcabellum pedum tuorum, quod ſignum eſt infimæ & viliſſimæ ſervitutis. Unde Sapor rex Perſarum, Aurelianum Imperatorem a ſe bello captum fecit ſibi ſcabellum: aſcenſuro enim in equum, Aurelianus dorſum ſuum, quaſi ſcabellum, per quod in equum conſcenderet, Sapori præbere debebat. Idem fecit Tamberlanus Tartarorum Imperator, Bajazeti Imperatori Turcarum, cum eum prælio viciſſet & cepiſſet.

D Aureliani Imp. bellum pedum ſuo fecit Sapor Perſarum rex: & Bajazetem Tamberlanus.

Tò ergo *donec*, non ſignificat finem, ſed continuationem & amplificationem ſeſſionis & regni. q. d. Regna mecum etiam, donec inimicos tuos tuis ſupponam pedibus, etiam, tempore, quod tuo regno videtur oppoſitum & contrarium, etiam quando illi videbuntur regnare, etiam antequam hoſtes tuos tuis pedibus ſubſternam, tuoque libito ſubjiciam, diabolo, morte, impiis, peccatis funditus everſis & extirpatis. Nempe inter medias cruces, perſecutiones, impietates, motus & turbas ſatanæ ac miniſtrorum ejus regna: nam de alio tempore non eſt dubium, quin regnet Chriſtus. Ita Genebrardus. Sic ſumitur *donec* Matt. 1. v. ult. & alibi. Addit hoc Chriſtus, ut tacite perſtringat Phariſæos ſuos inimicos, q. d. Vos, o Phariſæi, me perſequimini, imo me occidetis & crucifigetis, ſed ſcitote, quod tertio die reſurgam, & quadrageſimo die aſcendam in cælum; indeque judex omnium hominum redibo, ac vos cæteroſque infideles & impios inimicos meos condemnabo, calcabo & deprimam in tartara. E

Et nemo poterat ei respondere (Syrus, *rationem reddere*) verbum (quia, ut dixi, credebant Meſſiam merum fore hominem) neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare] *Conticuerunt igitur*, ait S. Chryſoſtom. *lethali vulnere perfoſſi. Maluerunt enim*, inquit S. Auguſtin. in Pſal. 109. verſ. 1. & 2. *inflata taciturnitate diſrumpi, quam humili confeſſique edoceri.* VERS. 46 Luc. 20. v. 40. Matt. 22. v. 24.

CAPUT XXIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHRISTUS Primo, jubet Judeis, ut Scribarum & Phariſæorum doctrinam ſequantur, ſed non vitam & mores; utpote improbos, inhumanos, jactabundos, & arrogantes. Secundo, v. 13. ve maledictionis eis intentat, ob eorum hypocriſin, avaritiam, ſuperſtitionem, aliaque ſcelera, qua recenſet. Tertio, v. 32. prædicit ab eis occidendos ſuos fideles & Apoſtolos; ideoque Hieroſolyme & Judeæ extremum per Romanos excidium intentat. F

Videtur hoc eſſe ultimum & cygneum Chriſti oraculum quo crucem & mortem ſibi inſtantem præſagit, imo parat & ambit. Hac enim acri & libera vitiorum caſtigatione. adeo offendit Scribas & Phariſæos, ut non jam verba, ſed verbera ei pararent: unde poſt tres dies (hæc omnia enim acta & dicta ſunt a Chriſto die Martis poſt dominicam Palmarum, ut dixi in Chronotaxi, num. 64. & 65.) eum ceperunt & crucifixerunt. Prævidebat hoc Chriſtus, ſed eorum malitiæ parcere noluit, nec debuit, ſed eam acriter reprehendit; utpote legislator & morum cenſor a Deo in mundum miſſus, etiamſi ſciret ſe propterea ab eis occidendum: quia mortem hanc pro ſalute hominum Deo Patri offerre deſiderabat, ut hac ratione mira Dei providentia, quæ decreverat homines per Chriſti crucem G *ſalvare, in ipſo & per ipſum impleretur. Chriſti libertatem imitatus eſt ſanctus Stephanus, qui acri ſua reprehenſione viam ſibi ſtravit ad martyrium adeo exoptatum, Actor. 7.*

VERS. 1 TUnc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos.

2. Dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.

3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

4. Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.

5. Omnia vero opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.

6. Amant autem primos recubitus in cœnis, H & primas cathedras in ſynagogis.

7. Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.

9. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt.

10. Neque vocemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus.

11. Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter.

12. Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.

13. Væ autem vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.

14. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.

15. Væ

Digitized by Google

A 15. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum; & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.

16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro templi, debet.

17. Stulti, & cæci: Quid enim majus eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil eſt; quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet.

19. Cæci; Quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ ſuper illud ſunt.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipſo:

B 22. Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum.

23. Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem; Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis; intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia.

26. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum.

27. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.

28. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.

29. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quæ ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum,

30. Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum.

31. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui prophetas occiderunt.

32. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.

33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?

34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, D & perſequemini de civitate in civitatem:

35. Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.

37. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?

38. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.

39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

VERS. 1. TUNC JESUS LOCUTUS EST AD TURBAS, ET AD DISCIPULOS SUOS] *Tunc*, ſcilicet, cum ſuis ſapientiſſimis reſponſionibus, quæſtionibus & rationibus jam ſæpius confutaſſet Scribarum & Phariſæorum errores & ignorantiam; eiſque multis probaſſet ſe eſſe Meſſiam, Dei Filium, etiam per miracula, ac cerneret Scribas iis adeo non moveri ad fidem in ipſum, ut potius irritarentur magis ad eum perdendum. *Tunc*, inquam, effrontem eorum pervicaciam hac efficaci & pathetica oratione contundit, qua externam & fictam ſanctitatis eorum larvam, ne populus eam imitetur, detegit, ac latentem ſub ea improbitatem oſtendit, ut eam plebs deviter. E

DICENS: SUPER CATHEDRAM MOYSI SEDERUNT SCRIBÆ ET PHARISÆI] Per *cathedram*, metonymice intelligit honorem, gradum, dignitatem, auctoritatem docendi & jubendi, quam apud Judæos habuit Moyſes, quam Scribæ poſt Moyſen acceperant. Eſt catachreſis, Nam non tantum ſedendo, ſed ſtando Scribas docuiſſe ſatis colligitur ex Luca cap. 4. 16. & Actor. 13. 16. Sic cathedra S. Petri vocatur ipſa poteſtas & auctoritas Pontificia docendi & regendi omnes fideles totius orbis, in qua S. Petro ſuccedunt Romani Pontifices: nam alioqui in lignea iſta cathedra, in qua ſedit S. Petrus, nullus Pontificum amplius ſedet, ſed illa religionis ergo aſſervatur, & populo quotannis in feſto Cathedræ S. Petri in ejus baſilica veneranda oſtenditur. Hinc S. Hieronymus ad Damaſum: *Ego*, inquit, *beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior*. Pontifex enim licet ut privatus homo errare poſſit, tamen cum ex cathedra, id eſt, ex auctoritate Pontificia, aliquid de fide definit, errare nequit ob aſſiſtentiam Spiritus ſancti. Cathedra eſt auctoritas docendi & jubendi.

Nota, Scribæ erant legis doctores & interpretes, qui legem populo proponebant & explanabant: Phariſæi vero regebant populum, & in magiſtratum adlegebantur, rejectis Sadducæis, ut ſatis inſinuat Joſephus lib. 18. Antiq. cap. 2. quocirca Sadducæi hic non nominantur. Porro multi ex Scribis & Phariſæis erant ſacerdotes vel Levitæ: horum enim erat docere populum. Malach. 2. 7. Sed Chriſtus eos noluit nominare ſacerdotes, ob honorem ſacerdotii, ne illi derogaret.

OMNIA ERGO QUÆCUMQUE DIXERINT VOBIS (ex lege facienda) SERVATE, ET FACITE: SECUNDUM OPERA VERO EORUM NOLITE FACERE: DICUNT ENIM ET NON FACIUNT] *Omnia* ſcilicet Moſi & legi non contraria. Contrarium enim legi dicenti: *Honora patrem & matrem*, erat dogma Scribarum, docentium parentibus dicere *corban*: uti docuit Chriſtus cap. 15. v. 4. Sic contrarium legi dicenti: *Non pejerabis*, erat dogma eorumdem docentium, ſi quis per templum vel altare juraret non obligari juramento, quod taxat hic Chriſtus verſ. 16. Contrarium pariter legi & Moſi erat docere, Jeſum non eſſe Meſſiam ſive Chriſtum, quod docebant Scribæ: Jeſus enim illa ſigna & miracula edebat, quæ a Moſe & Prophetis prædicta erant, edenda fore a Meſſia; & quicumque illa ederet, acceptandum eſſe tamquam Meſſiam. Unde cap. 16. v. 12. juſſit Chriſtus: *Cavete*, inquit, *a fermento Phariſæorum*, puta ab eorum doctrina, propria ſcilicet & privata, ac Moyſi legique contraria. In his ergo populus ſequi non poterat doctrinam Scribarum, nec illis obedire, in cæteris vero, quæ paſſim Moyſi & legi conſona docebant; obedire eis poterat, & ſæpe tenebatur. Monet ergo hic eum Chriſtus, ut omnia alia Scribarum dogmata legi non repugnantia, etiamſi vana & futilia, ac proinde non obligantia (lex enim ut obliget, debet præcipere rem honeſtam & utilem, non futilem, uti docent Juriſperiti & Theologi tract. de Legibus, ac D. Thomas 1. 2. quæſt. 95. art. 3.) uti erant crebræ manuum corporiſque ablutiones & purificationes; illa tamen ſervet ad obedientiæ cæcæ & ſimplicis meritum, ac ordinis ſacerdotalis & doctoralis reverentiam. Ita Janſenius, Franc. Lucas & alii, licet Maldonatus *τὰ omnia* ad ſola illa, quæ a Moyſe in lege ſunt præcepta, reſtringat; quæ certe Chriſtus hic maxime intelligit. Unde Syrus vertit, *quæcumque dixerint vobis ut ſervetis, ſervate & peragite*. VERS. 3. Obediendum malis Prælatis juſta præcipientibus. G

DICUNT (præcipiunt) ENIM ET NON FACIUNT] q. d. Bene docent & jubent, ſed male vivunt, tum quia legem violant, tum quia ſuo exemplo ſubditos ſcandalizant, & ad violandam pariter legem impellunt. Nam ut ait ille.

Regis (& doctoris) *ad exemplum totus componitur orbis.*

Plus enim credunt homines factis quam dictis. Hoc Chriſti præceptum & monitum ſervent Chriſtiani, cum vident ſubinde aliquos Epiſcopos, Paſtores & magiſtratus non vivere juxta legem Chriſti, ad quam ipſi ſubditos cogunt.

ALLIGANT (Syrus, *ligant*) ENIM ONERA GRAVIA, VERS. 4. Luc. 11. 46.

ET

A ET IMPORTABILIA : ET IMPONUNT IN HUMEROS HOMINUM (Arabicus, *imponunt ea portanda ſuper colla hominum*) DIGITO AUTEM SUO NOLUNT EA MOVERE] *Alligant*, græce, *δεσμεύουσι*, id eſt, ligant, colligant, ac velut in cumulos coacervant, q. d. Tam multitudine quam magnitudine & gravitate præceptorum & tributorum populum onerant, deprimunt, & pene opprimunt.

IMPORTABILIA] Græce, *δυσβάστακτα*, id eſt, difficilia ad portandum: ſi enim fuiſſent omnino impoſſibilia ad portandum, non obligaſſent ſubditos; nemo enim tenetur ad impoſſibile, ſive ad id quod facere non poteſt. Talia erant rigidæ legis interpretationes, ac inſuper plurima alia, quæ præter legem ipſi præcipiebant populo; præſertim circa oblationes, decimas, primitias, &c. quæ ipſi rigidiſſime a populo exigebant. Conſidera vel ſolam rigidam ſabbathi obſervationem ab eis præſcriptam, ut nec Chriſtum ægros ſabbatho curare permitterent, nec diſcipulos ejus famelicos ſpicas vellere & comedere, Matth. 12. 2. & ſeqq.

DIGITO AUTEM SUO NOLUNT EA MOVERE] Syrus, *tangere*. *Dicebant enim*, ait Arias Montanus, *ſe ſcire quid ſibi facto opus ſit*. Quocirca S. Chryſoſt. *Duplicem*, inquit, *nequitiam eorum oſtendit, tum quia ſine venia exquiſitiſſime multitudinem vivere volunt, tum quia nimium ſibi ipſi indulgentes, magnam aſſumunt licentiam: quorum oppoſita in optimo principe requiruntur, ut ſcilicet adverſus ſeipſum nulla utatur venia, ſed ſeverum ſui ſe judicem exhibeat; erga ſubjectos autem mitior, & ad dandam veniam ſit*.

B

VERS. 5. OMNIA VERO OPERA SUA FACIUNT UT VIDEANTUR (græce, *θεαθῆναι*, id eſt, *ſpectentur*, ita Syrus) AB HOMINIBUS] Notat vanam eorum ſanctimoniæ oſtentationem, qua orabant in publicis plateis, quaque facturi elemoſynam canebant tuba, & jejunantes exterminabant facies ſuas, ut dixit Chriſtus c. 6. Tangit Chriſtus radicem incredulitatis Scribarum, cur non credant in Chriſtum, quia ſcilicet quærebant vanam gloriam, oſtentationem & plauſum populi. *Impoſſibile enim eſt*, ait S. Chryſoſtomus, *ut credat Chriſto cæleſtia prædicanti, qui gloriam hominum concupiſcit terrenam*.

C

Phylacteria quid & unde.

DILATANT ENIM PHYLACTERIA SUA, ET MAGNIFICANT FIMBRIAS] Syrus, *producunt fimbrias palliorum ſuorum*. Nota, Judæos nimis ad literam interpretantes verba Deut. 6. v. 8. *Ligabis ea* (præcepta Dei) *quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur ante oculos tuos*; membranas quaſdam geſtaſſe circum brachia & frontem (unde *brachialia* & *frontalia* dicebantur) ut jugiter oculos & frontem verberarent, & verberando mentem admonerent legis divinæ cogitandæ & ſervandæ, quibus inſcribebant verba illa Deuter. 6. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Has vocabant *phylacteria*, q. d. *conſervatoria* (a φυλάττω, id eſt, *cuſtodio, conſervo*) quia ad legis obſervationem eos perpetuo commonebant. Vide dicta Deut. c. 6. v. 8. & Exodi c. 13. v. 9. & 16.

Eadem de cauſa juſſit Dominus Num. 15. 38. & Deut. 22. 12. ut Judæi fimbrias ſive fila quædam ex infima ora veſtis

D dependentia geſtarent, eaſque hyacinthini, ſive cæleſtis coloris, quaſi qui cæleſtem vitam in legis cuſtodia profiterentur & agerent. Addit S. Hieron. Judæos pientiores hiſce fimbriis inſeruiſſe ſpinas acutiſſimas, ut ambulantes earum punctura legis divinæ ſemper admonerentur. Hæc omnia majora & latiora præ cæteris geſtabant Phariſæi, ut viderentur omnibus religioſiores & exactiores legis cuſtodes, cum tamen in animo ſuo eamdem parvi facerent, nec obſervarent. *Non intelligentes*, ait S. Hier. *quod hæc in corde portanda ſint, non in corpore, alioquin & armaria & arcæ habent libros, & notitiam Dei non habent*. Porro S. Chryſoſtomus per *phylacteria* accipit amuleta ſanitatis, talia enim cenſebant Scribæ eſſe membranas legis jam dictas: Sicut Chriſtiani nonnulli Evangelium S. Joannis collo appendunt, quaſi amuletum & conſervatorium ſalutis.

VERS. 6. Luc. 20. 46. & 11. 43. Mar. 12. 39. AMANT AUTEM PRIMOS RECUBITUS IN CŒNIS, ET PRIMAS CATHEDRAS IN SYNAGOGIS] q. d. Ambiunt ubique primas, ideoque dilatant phylacteria, ſuaſque orationes & eleemoſynas oſtentant, ut omnes eis quaſi viris ſanctis & ſapientibus primas deferant.

VERS. 7. Luc. 20. 46. Mar. 12. 38. ET SALUTATIONES IN FORO] Græce, ἀσπασμοὺς, id eſt, in foris & plateis, q. d. Ambiunt, ut omnes ipſos quaſi Sanctos profunda reverentia, aperto capite & flexis poplitibus ſalutent. Unde Chryſoſt. *Primas*, inquit, *ſalutationes amant, non ſolum in tempore, ut eos primum ſaluteſmus; ſed etiam in voce, ut clamantes dicamus, Ave Rabbi*; & *in corpore, ut flexis capitibus eis incurvemur; & in loco, ut in publico ſalutentur; unde dicit: Et ſalutationes in foro*. Sapienter R. Matthias in *Pirke avoth* c. 4. *Eſto primus*, inquit, *in ſalutando, ut prior quemlibet ſalutes. Eſto cauda leonum, & non caput vulpium, hoc eſt, eſto infimus inter bonos & generoſos, non inter fraudolentos, ſuperbos & impios*.

E

ET VOCARI AB HOMINIBUS RABBI] רב *Rab* (unde *rabbi*) idem eſt quod multus, id eſt, magnus, eo quod vir magnus ſit inſtar multorum, qualis eſt Rabbinus, ſive legis doctor, utpote eruditione, auctoritate & virtute ceteris antecellens: *Vocari volunt Rabbi*, ait Chryſoſt. *& non eſſe: nomen appetunt & officium negligunt*. Prudenter R. Benzoma in *Pirke avoth* c. 4. *Quis*, ait, *eſt ſapiens? qui libenter ab omnibus diſcit; juxta illud: Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi*, Pſ. 118. *Quis potens? qui dominatur iræ & animo ſuo, juxta illud: Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium*. Prov. 16. 32. *Quis dives? qui ſuis eſt contentus, juxta illud: Labores manuum tuarum manducabis; beatus es, & bene tibi erit*, Pſ. 127. *Quis honoratus? qui alios honorat, juxta illud: Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, 1. Reg. 2. 30.

F

VOS AUTEM NOLITE VOCARI RABBI: UNUS EST ENIM MAGISTER VESTER: OMNES AUTEM VOS FRATRES ESTIS] Vetat ambitionem & arrogantiam, qua Scribæ & Phariſæi captantes auram popularem cupiebant cæteris eminere, honorari & vocari Rabbi præ Chriſto, imo excluſo Chriſto; alloqui gradum doctoratus appetere licet, velut teſtimonium ſcientiæ, ut illo auctoritatem docendi prædicandique apud populum quis ſibi conciliet, itaque majorem in eo fructum docendo & prædicando efficiat. Unde Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 12. præcipit, *ut dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Eccleſiis & collegiatis inſignibus, conferantur tantum Magiſtris & doctoribus; aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico*. Quocirca Chriſtus non ait, Nolite eſſe, ſed *nolite vocari Rabbi*. VERS. 8.

Gradum doctoratus ergo non vetat Chriſtus, ſed ſuperbum nominis ambitum, faſtum & arrogantiam, qua quis nomine Doctoris ſibi placet, ſe magnifice circumſpicit præ cæteris, vane ſe extollit, imo cæteros deſpicit, quaſi ſcientiam & doctrinam habeat a ſe, non a Chriſto, uti faciebant Scribæ. Unde cauſam ſubdit: *Unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis*, q. d. Unus ſummus omnium Rabbi, id eſt Magiſter eſt Chriſtus, cujus ceteri omnes ſunt diſcipuli, inter ſe pares quaſi fratres: nemo ergo eorum ſe ſuperbe præ cæteris extollat, arroganterque velit vocari Rabbi; quaſi ex ſe ſit doctor & magiſter aliorum: hoc enim eſt injurium Chriſto, qui ſolus ex ſe habet omnem ſcientiam, ſoluſque ſummus omnium doctor, ipſos etiam doctores conſtituens & docens: ſi enim natura æque ac gratia eſtis fratres, ideoque pares; ergo non eſtis magiſtri alii in alios, ſuperbe aliis imperantes & dominantes, uti faciunt Scribæ. Alioqui enim Paulus ipſe, ait S. Hieronymus, modeſte vocat ſe doctorem Gentium, Epheſ. 2.

G

ET PATREM NOLITE VOCARE VOBIS SUPER TERRAM: UNUS ENIM EST PATER VESTER, QUI EST IN CÆLIS] Tranſit a magiſtro ad patrem, quia verſ. præced. dixit, omnes nos eſſe fratres; ſcilicet filios ejuſdem Dei Patris. Ait ergo: Nolite vocare vobis ſuper terram *Patrem*, ſcilicet quaſi præcipuum vitæ auctorem, alimentorum & hereditatis curatorem; ita ut ab eo toti pendeatis, vel certe tam ab eo quam a Deo: uti faciunt Gentiles & athei, aliique non Deo, ſed hominibus fidentes. Hunc eſſe ſenſum patet ex ratione, quam ſubjicit: *Unus eſt enim Pater veſter, qui eſt in cælis, a quo omnis paternitas nominatur in cælo & in terra*, Epheſ. 3. v. 15. Vide ibi dicta. Deus ergo ſolus vere & plene eſt pater omnium, utpote qui ſolus animam & vitam ſingulis aſpirat, creat, conſervat, auget, cujus comparatione patres terreni abuſive, ait S. Hieronymus, & umbratice dumtaxat ſunt patres, ideoque filiis inſolenter imperare non debent, ſed ſe cum filiis humiliter Deo ſummo omnium Patri ſummittere: *Non enim*, ait S. Chryſoſtomus, *initium vitæ habemus ex parentibus, ſed tranſitum vitæ per eos accipimus*. VERS. 9.

H

NEC VOCEMINI (ne ambiatis vocari) MAGISTRI græce, καθηγηταὶ, id eſt, inſtitutores, magiſtri, gubernatores, moderatores; Syrus, *rectores*; Arabicus, *gubernatores*: QUIA MAGISTER, græce, καθηγητὴς, id eſt, viæ & vitæ inſtitutor, dux & gubernator (Syrus, *rector*; Arabicus, *gubernator*) VESTER UNUS EST CHRISTUS] Ipſe enim Primo per ſe nos docet, præeit & ducit per viam virtutis ad cælum, felicitatem VERS. 10

A citatem & gloriam: cæteri vero docent prius ab ipso edocti. Secundo, cæteri docendo tantum verba & voces exterius auribus insonant, velut cymbalum tinniens; sed Christus eorum sensa interius mentibus pandit, easque lucem doctrinæ suæ illuminat; *Non enim homo intellectum homini præstat docendo*, ait S. Chrysost. *sed a Deo præstitum per admonitionem exercet.* Tertio cæteri tantum ostendunt, quid lex jubeat, quidque Deus a nobis exigat: at Christus gratiam voluntati inserit, ut illa quæ agenda sunt audiences, reipsa fortiter & constanter opere adimpleamus.

Hac de re S. August. scripsit librum de Magistro, de quo ipse l. 3, Conf. c. 2. *Sub idem tempus*, inquit, *scripsi librum de Magistro, in quo disputatur, quæritur & invenitur, Magistrum non esse qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundum illud quod in Evangelio scriptum est. Unus est magister vester Christus.* Unde c. 11, idipsum sic demonstrat: *De universis*, inquit, *quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse, ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est, incommutabilis Dei virtus, atque sempiterna sapientia: quam quidem omnis rationalis anima consulit; sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam, sive malam, sive bonam voluntatem potest.*

VERS. 11 QUI MAJOR EST VESTRUM, ERIT MINISTER VESTER] Syrus, *fiet minister in vobis. Morbum inanis gloriæ*, ait S. Chrysost. *quem fugiendum esse dixerat, docet per humilitatem esse fugiendam.* Et Origenes: *Si quis*, inquit, *ministrat verba divina, sciens quia Christus in eo fructificat, nequaquam se magistrum, sed ministrum profiteatur: unde sequitur: Qui major est vestrum, &c. quoniam & ipse Christus, cum esset vere magister, ministrum se esse professus est, dicens: Ego sum in medio vestrum quasi qui ministrat: bene autem post omnia, quibus vana gloriæ vermis concupiscentiam, addidit dicens: Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.*

Sup. 20. 26

ERIT MINISTER] Præveniat, ait Glossa, obsequendo, non superbe dominando, rectorem & matrem exhibeat pietas, & patrem disciplina: cavendumque ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa.

C VERS. 12 QUI AUTEM SE EXALTAVERIT, HUMILIABITUR: ET QUI SE HUMILIAVERIT, EXALTABITUR] Syrus, *qui cumque efferet seipsum, deprimetur; & qui seipsum depresserit, efferetur*, apud Deum, ait Remigius, & etiam apud homines; hi enim humiles extollunt, superbos humiliant. *Gloria enim sequitur fugientes, sequentes fugit, Insolentiam*, ait S. Hilarius, *Deus humilem effecturus est, & humilitatem elaturus in gloriam.* Vide dicta Jacobi c. 1. v. 9. & 1. Petri c. 5. v. 5. & 6. Praxim hujus axiomatis Christi ostendit humilis Evangelii discipulus, imo doctor S. Franciscus, per omnes vitæ suæ actiones, uti ostendit S. Bonaventura in ejus Vita.

Luc. 14. 11. & c. 18. 14 Qui se humiliaverit, exaltabitur.

Tres virtutis gradus. Porro. Sicut quælibet virtus tres habet gradus, quatum primus est Propositum, quo homo firmiter proponit virtutem capessere, & opere exequi. Secundus, fortitudo, ut omnes tentationes, adversitates, impedimenta, quæ in executione virtutis occurrunt, fortiter superet, & constanter transcendat. Tertius, alacritas, ut alacriter hæc faciat, illaque appetat, & in iis gaudeat, exultet & triumphet. Sic pariter humilitatis primus gradus est, seipsum sibique vilitatem agnoscere, ideoque se despicere: secundus, fortiter ferre sui contemptum undecumque veniat: tertius, in eo gaudere & exultare.

D

Exemplum Arroganti humiliati. Exemplum memorabile recenset B. Petrus Damianus epistola 15. (in alia editione 36.) Quidam, ait, clericus audax & bellicosus, suo fastu & armis magnus evasit, ideoque de prædiis quibusdam litem habuit cum alio viro potente, quem prælio decidere statuit; utrimque ergo cohortes in aciem deducuntur. Clericus ante prælium adiens templum, audiensque Missam, cum legeretur: *Qui se exaltaverit, humiliabitur*, &c. insolenter dixit, imo blasphemavit: *Hæc sententia falsa est in me: si enim ego me humiliassem, numquam tam magnus evasissem.* Mox inito prælio, cum equus ejus sitibundus ad aquam vicinam ipso invito procurreret, ipseque scutum in equum impingeret, ut illum in aciem revocaret, ecce ibi gladius hostilis os ejus blasphemum fulminis more transfixit, eumque occidit, ut superbum humiliaret & sterneret, veramque esse Christi sententiam ostenderet.

VERS. 13 VÆ AUTEM VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUIA CLAUDITIS REGNUM CÆLORUM ANTE HOMINES: VOS ENIM NON INTRATIS, NEC INTROEUNTES SINITIS INTRARE. E

Luc. 11. 52.

Nota. Sicut Christus octo consignavit beatitudines, quasi totidem piorum benedictiones, octies repetens *Beati*, dicensque: *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent*, &c. Matth. 5. Sic vice versa hic octo assignat impiorum Scribarum maledictiones, octiesque repetit *Væ*. Imitatur Christus legislator novus, Mosem legislatorem veterem, qui benedictiones plurimas servantibus legem promittit, ac totidem maledictiones eam non servantibus intentat, Deuter. 27. v. 12. Ita Origenes.

Octies hic Christus repetit *væ*.

Porro *væ* Christi partim est prædicentis, ut vult Origenes, grave supplicium sceleribus Scribarum imminens; partim condolentis & commiserantis. Unde Basilius citatus in Catena Luc. 11. v. 52. *Hæc vox væ*, ait, *quæ intolerabilibus profertur doloribus, eis convenit, qui paulo post detrudendi erunt in grave supplicium*, puta in mortem & excidium, tum præsens, tum futurum in gehenna. Væ ergo præsupponit culpam mortalem: illi enim intentat minas æternæ damnationis & gehennæ, uti Christus explicat v. 33.

F

QUIA CLAUDITIS REGNUM CÆLORUM ANTE HOMINES] q. d. Ego jam aperio singulis regnum cælorum prædico enim: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*; quia hoc per Adæ peccatum quatuor millibus annorum clausum, ego morte mea expians Adæ peccatum, jam aperiam, ut qui in me credit, meamque viam sequitur, illud quasi apertum ingrediatur: quare multi Judæorum prædicatione mea excitati, illud ingredi satagunt, Vos vero, o Scribæ, illos avertitis, cælumque eis clauditis, tum per vanas & perversas traditiones vestras, quibus illos imbuitis; nam, ut ait S. Chrysostomus, regnum cælorum est S. Scriptura, vel beatitudo, ad quam illa ducit: janua est intellectus S. Scripturæ, vel Christus; clavicularii sunt Scribæ & sacerdotes; clavis est verbum scientiæ; apertio est ejus interpretatio: tum quia vestris sceleribus eos scandalizatis, vestroque exemplo in eadem ipsos trahitis: tum denique quia me calumniando & persequendo, ipsos a me meaque fide, quæ via est ad cælum, adstrahitis: ego enim sum ostium, quia per me solum ingressus patet in cælum, Joan. 10. v. 9. Tropologice, Origenes: *Claudunt*, ait, *regnum cælorum, qui sine ratione, aliquem excommunicant.*

G

VOS ENIM NON INTRATIS, NEC INTROEUNTES SINITIS INTRARE] q. d. Non sufficit vobis vestra malitia & damnatio, sed in eamdem quoque alios pertrahere satagitis. Hoc grave est scelus. Si enim doctoris (quales erant Scribæ) est errantes revocare, ait S. Chrysostomus, qui ad salutem tendentes in errorem inducit, is perditus omnino atque pestifer, imo ipsa pestis est; quare doctor tot gehennas meretur sibique accersit, quot animas corrumpit & perdit; quia non est doctor & promotor salutis, sed proditor, ait sanctus Chrysostomus.

VERS. 14 VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUIA COMEDITIS DOMOS VIDUARUM; ORATIONES LONGAS ORANTES, PROPTER HOC AMPLIUS ACCIPIETIS JUDICIUM] q. d. Væ vobis Scribæ, quia comeditis, &, ut Syrus, *exeditis*, id est, exhauritis substantiam viduarum, dum ab eis emungitis pecunias, vendendo scilicet eis cum sanctitatis simulatione longas publicasque vestras orationes: hoc est enim quod explicans subdit, *Longas orationes orantes*; græce, προφάσει μακρᾶ προσευχόμενοι, id est, *pretextu longo orantes*, id est, prætextu quod prolixe oretis. Unde Marcus habet, *occasione longæ orationis*; Arabicus, *ob causam longitudinis orationum vestrarum.* Ita S. Chrysost. Jansenius, & alii.

Luc. 20. 47. Mar. 12. 40.

H

VIDUARUM] Viduæ enim, ait Chrysost. cum careant marito quasi consiliario facilius decipiuntur, & proniores sunt ad sua largiendum hypocritis sanctitatem præferentibus & promittentibus.

Viduæ ad fraudem proniores.

PROPTER HOC AMPLIUS ACCIPIETIS JUDICIUM] hoc est, majorem condemnationem. Unde Syrus vertit, *habituri estis judicium supremum*; tum quia pauperes viduas expilatis; tum quia simulatis sanctitatem, cum sitis scelerati; tum quia, ut ait Chrysost. *avaritiam religionis colore depingitis, ut ametur iniquitas: dum pietas existimatur*; tum quia viduas vestris erroribus & sceleribus imbuitis; quocirca dabitis pœnam proprii peccati, & alienæ ignorantiæ reatum, ait S. Hilar.

VERS. 15 VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUIA CIRCUITIS MARE ET ARIDAM, UT FACIATIS UNUM PROSELYTUM; ET CUM FUERIT FACTUS, FACITIS EUM FILIUM GEHENNÆ DUPLO QUAM VOS] Pro *hypocrite*; Syrus hic & in seq. semper vertit, *acceptores vultus*. *Proselytus* græce, idem est quod latine *advena*, vel *adventitius*,

Proselytus

A *ventitius*, qui ſcilicet ex gentiliſmo converſus ad judaiſmum accedit, venitque ad Judæos, eorumque Eccleſiam & religionem: hebr. vocantur גרים *gerim*. Chriſtiani tales vocant Neophytos. Scribæ enim ſatagebant multos Gentiles efficere Judæos, tum ambitionis, tum avaritiæ cauſa, ut ſuas oblationes augerent. *Mare, & aridam*, id eſt, totum orbem: *Ut faciatis unum*; quia cum eſſent inefficaces ad aliorum ſalutem, multo labore indigebant ad unius converſionem, ait S. Chryſoſtomus.

FACITIS EUM FILIUM (id eſt, reum, dignum, obnoxium) GEHENNÆ DUPLO QUAM VOS] Græce διπλότερον υἱὸν, id eſt duplicius quam vos; quia, ut ait Euthymius, ita natura comparatum eſt, ut in vitiis diſcipuli magiſtros facile ſuperent: *Quia*, ut ait Chryſoſt. *malo exemplo magiſtrorum provocati, eis pejores fiunt, præſertim cum ad ea a magiſtris verbo vel exemplo excitantur*. Rurſum, quia multi proſelyti, dum vident veſtra vitia, revertuntur ad gentiliſmum & idololatriam. Ita S. Hier. Hic enim relapſus majus & quaſi duplex eſt peccatum.

B Vere Origenes: *Sicut*, inquit, *juſtus ſecundum numerum juſtitiarum ſuarum augetur in gloria, ita peccator ſecundum numerum peccatorum in pœna.*

VERS. 16 VÆ VOBIS DUCES CÆCI, QUI DICITIS: QUICUMQUE JURAVERIT PER TEMPLUM, NIHIL EST (ad nihil obligatur:) QUI AUTEM JURAVERIT IN AURO TEMPLI, DEBET] aurum, quod juravit & vovit ſolvere. Arabicus pro *debet*, vertit, *peccavit*, videlicet ſi non præſtiterit id quod juravit. Alii vertunt, *reus eſt* ſui juramenti.

Nota, ex dictis Matthæi 5. vers. 34. Scribas ex eo quod Deus juſſerat, ut per ſe (per Deum) dumtaxat jurarent, putaſſe juramentum factum per creaturas non eſſe juramentum, nec obligare, ſed avaritia excæcati, excipiebant illa, quæ oblata Deo illorum loculos implebant, quaſi hæc ſola ſanctiſſima haberentur: unde jure a Chriſto vocantur *duces cæci*. Arguit enim eos ſtultitiæ & fraudulentiæ, ait S. Hieronymus, quia putabant magis eſſe aurum ſanctificatum, quam templū ſanctificans, ait Interlinearis.

Porro dicebant Scribæ, ſanctiora eſſe oblata ipſo templo, ut homines promptiores facerent ad oblationes, quam ad preces, ait Gloſſa. *Aurum templi* vocat aurum, quod C offertur & injicitur in gazophylacium templi, ad alendos ejus miniſtros, puta ſacerdotes, quales erant Scribæ. Ita S. Hieron. Beda, Janſenius, Maldon. & alii. Vere Gloſſa: *Qui jurat*, inquit, *per creaturam, jurat per divinitatem præſidentem creaturæ*.

VERS. 17 STULTI ET CÆCI: QUID ENIM MAJUS EST AURUM, AN TEMPLUM, QUOD SANCTIFICAT AURUM?] Ratio hæc Chriſti clara eſt; & ſtoliditatem Scribarum convincit & confutat. Propriè ſanctitas eſt interior virtus & gratia animam ſanctificans. Templum vero dicitur ſanctum metonymice, quia ad res ſanctas, puta ad preces & ſacrificia Deo in illo offerenda, dedicatum. Hæc ergo externa tantum erat ſanctitas, quam templum rebus aliis in ſe Deo oblatis communicabat, & quaſi affabat; quare ſanctius erat templum ipſa oblatione templi, ac proinde ſanctius magiſque obligans erat juramentum factum per templum, quam per aurum in templo oblatum.

VERS. 18 ET QUICUMQUE JURAVERIT IN ALTARI (per altare) NIHIL EST (nihil jurat, & ad nihil tenetur) QUICUMQUE AUTEM JURAVERIT IN DONO (per donum) QUOD EST D SUPER ILLUD, DEBET] donum quod juravit & vovit ſolvere, qui enim jurat ſe oblaturum in altari centum aureos, hoc ipſo voyet Deo, cujus eſt altare, centum aureos. Eadem eſt ratio alterius, quæ templi jam dicta.

VERS. 19 CÆCI: QUID ENIM MAJUS EST, DONUM, AN ALTARE QUOD SANCTIFICAT DONUM?] Syrus pro *ſanctificat*, hic & in ſeq. vertit, *conſecrat*. donum enim Deo oblatum proprie non ſanctificatur, ut ipſum in ſe fiat juſtum & ſanctum, ſed dicitur ſanctificari extrinſece; quia ſcilicet Deo offertur & conſecratur.

VERS. 20 QUI ERGO JURAT IN ALTARI (per altare) JURAT IN EO, ET IN OMNIBUS (per omnia) QUÆ SUPER ILLUD SUNT] & conſequenter per aurum & donum in altari oblatum, magis ergo tenetur juramento, quam is, qui per ſolum aurum templi juravit.

Myſtice, S. Auguſt. lib. 1. Quæſt. Evang. c. 34. Templum & altare eſt Chriſtus; aurum & donum, laudes & ſacrificia in eo & per eum oblata. Origenes, Altare, ait, eſt cor: dona, orare, jejunare, &c. quæ ſancta facit cor.

VERS. 21 ET QUICUMQUE JURAVERIT IN TEMPLO (per templum) JURAT IN ILLO, ET IN EO, QUI HABITAT IN IPSO] q.d. Qui jurat per templum, jurat per Deum habitantem in templo. Jurat enim per templum, quaſi per domum & ſolium Dei, hoc eſt, jurat per Deum, qui ſolium ſuum habet in templo, ut ibi adoretur & colatur: ſacra enim majeſtas & ſanctitas Dei, ab hominibus cenſetur habitare in templo. Unde B. Nilus, *Eccleſiam* (templum) inquit, *ut cælum adito*. E

ET QUI JURAT IN CÆLO (per cælum Hebræi enim ב VERS. 22 id eſt, *in*, uſurpant pro *per*, præſertim in juramentis) JURAT IN THRONO (per thronum) DEI, ET IN EO (per eum, puta Deum) QUI SEDET SUPER EUM] Ex communi enim hominum uſu & ſenſu, qui jurat, Deum, qui ſolus eſt infallibilis, ipſaque increata veritas, vocat in teſtem ſui dicti vel promiſſi: quare qui jurat per cælum, per Deum cæli regem & præſidem jurat, eumque in teſtem vocat.

VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUI VERS. 23 DECIMATIS MENTHAM, ET ANETHUM, ET CYMINUM, ET Luc. 11. 42. RELIQUISTIS QUÆ GRAVIORA SUNT LEGIS, JUDICIUM, ET MISERICORDIAM, ET FIDEM: HÆC OPORTUIT FACERE, ET ILLA NON OMITTERE.] Decimę enim ſunt in lege a Deo ſancitæ. Unde R. Achiva in *Pirke avoth* c. 3. dicit: F *Decimæ ſunt murus opum* (quia eas tuentur & conſervant) *traditio eſt murus legis, votum eſt murus abſtinentiæ, ſilentium eſt murus ſapientiæ*. Sed Phariſæi nimis minuti & exacti erant in exigendis decimis herbarum, lege non expreſſarum, idque tacite hic taxat Chriſtus.

MENTHAM] Nota, eſt herba boni odoris, calida & ſapida, qua Tramontani carnem jurulentam condiunt. Mentha.

ANETHUM] Eſt herba odorata, de qua Plinius l. 18. c. 21. *Anethum*, ait, *ructus movet, tormina ſedat, alvum ſiſtit*. Anethum.

ET RELIQUISTIS QUÆ GRAVIORA SUNT LEGIS, ſcilicet JUDICIUM, id eſt, jus & æquitatem in judicando, injuſtam ferentes ſententiam, ut amicis vel dona offerentibus faveatis, & cauſam adjudicetis. Erant enim ipſi judices, ut dixi cap. 5. v. 22. ET MISERICORDIAM, quia rigide & crudeliter a viduis & pauperibus extorquetis decimas, oblationes & victimas; ET FIDEM] id eſt, fidelitatem in dictis, pactis & conventis, vel *fidem* in Deum & Chriſtum ab eo miſſum: hunc enim negatis, ideoque eſtis infideles carentes fide, ſpe & charitate, quæ longe majoris ſunt momenti, quæque longe magis Deus a vobis requirit, juxta G illud Michææ 6. v. 8. *Jurabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te, utique facere judicium, & diligere miſericordiam & ſollicitum ambulare cum Deo tuo*. Hæc, ſcilicet graviora, judicium, miſericordiam, fidem, *oportuit facere* præ cæteris, *& illa* (decimationes herbarum) tamen *non omittere*: utpote lege præcepta vel permiſſa.

DUCES CÆCI EXCOLANTES (græce διϋλίζοντες, id eſt, liquantes, defæcantes, a fæcibus expurgantes, ſicut per colum, v. g. per linteum guttatim colatur & purgatur vinum, lac, mel, oleum a culicibus, aliiſque fæcibus inſidentibus. Unde Apulejus in Florid. de Gymnoſophiſtis: *non illi norunt*, inquit, *arvum colere, vel aurum colare*) CULICEM, CAMELUM AUTEM GLUTIENTES] Perperam Cajetanus pro *camelum*, ponit *aſilum*, quod inſecti eſt genus horriſonum ſonum edens; unde a Belgis vocatur *horſelen*. Nam omnes codices Græci, Latini, Syri & Arabici habent, *camelum*, qui recte opponitur culici, tamquam maximum minimo, q.d. Si parvus culex, in vinum vel potum veſtrum inciderit, vinum excolando, & per colum ſtillatim tranſmittendo culicem in colo retinetis & abjicitis, ne eum bibendo hauriatis; interim tamen vaſtum camelum, ingenti oris rictu fauciumque hiatu dilatato transglutitis. Eſt proverbium, q.d. Res minimas, puta decimationes herbarū, utpote vobis lucriferas, exacte curatis, ne quis vos in minimo defraudet; ſed interim injuſtitias, rapinas, aliaque ſcelera inſtar cameli grandia & gravia, ſine ſcrupulo committitis, & quaſi potando transglutitis; juxta illud Job 15. v. 16. *Qui bibit quaſi aquam iniquitatē*. *Irridet* ergo Chriſtus, ait Hilarius, Scribarum *in colandis culicibus diligentiam: quorum in glutiendis camelis eſſet incuria*. Irridet, inquam, præpoſterum Scribarum ſtudium, quod committerent maxima delicta, caventes minima, ait Origenes, quod in rebus minimis eſſent meticuloſi, in maximis ſecuri, in nugis ſcrupuloſi, in ſolidis ſceleribus liberi & audaces; in ceremoniis & lotionibus ſuis ſuperſtitioſi, ſed vera religione & charitate vacui, utpote viduas & pauperes excoriantes. Tales etiamnum ſunt inter fideles, qui ſcrupuloſe recitant roſarium, jejunant in honorem B. Virginis &c. interim ſine ſcrupulo luxuriantur, rapiunt, furantur &c. VERS. 24 Culicem colare, camelum glutire.

Similia adagia idem fere ſignificantia ſunt: Fonti aquam detrahis, ut ruare impleas; Nudum ſpolias, ut veſtitum ornes: Proverbia.

Digitized by Google

A nes: Candelæ lumen adimis, ut soli addas; Leone venaris canem, bove leporem.

Mystice, S. Gregorius per *culicem* accipit Barabbam, per *camelum* vero Christum; sic enim ait l. 1. Moral. c. 6. *Liquantes culicem, camelum autem glutientes: culex enim susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judæi culicem, quia seditiosum dimitti latronem petierunt: camelum vero glutierunt, quia eum, qui ad suscipienda nostra mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt.*

VERS. 25 VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUIA Luc. 11. 39. MUNDATIS QUOD DEFORIS EST CALICIS, ET PAROPSIDIS; INTUS AUTEM PLENI ESTIS RAPINA, ET IMMUNDITIA] *Paropsides* sunt disci & patinæ, quibus cibus in mensa apponitur. Est parabola, in qua Christus hominem vocat calicem & parosidem; corpus & bona externa vocat id *quod deforis est calicis & paropsidis*; animam & conscientiam vocat id quod intus est, sive interiorem calicis, & paropsidis partem. q. d. Vos, o Pharisæi, studiose lavatis & mundatis vestras manus, corpora, lances, scyphos, e B quibus comeditis & bibitis; at conscientiam vestram repletis rapina omniumque scelerum immunditia; cum tamen conscientiæ puritas maxime sit curanda; utpote quæ sola nos coram Deo mundos efficit, & a quo omnis operum rerumque omnium mundities dimanat; a conscientia enim profluit omnis omnium actionum bonitas vel malitia; quare conscientia mundata cætera mundantur omniaque illi munda sunt. Sic Apostolus sæpe distinguit hominem interiorem ab exteriore, uti dixi Roman. 9. 22.

Paropsis.

Posset Secundo, breviter & simpliciter sic exponi. q. d. Studiosi estis ut paropsides & calices externos, e quibus editis & bibitis, mundetis; calices vero internos conscientiæ sceleribus fœtidos & putidos eluere, & per pœnitentiam mundare negligitis; cupitis habere lances mundas, & mentem immundam. Hic sensus in idem cum priore recidit, esto calicem & paropsidem proprie accipiat. Verum illa improprie & parabolice hic accipi patet ex v. 26.

PLENI ESTIS RAPINA] *Hoc ipsum*, ait S. Chrysost. *& Prophetæ sæpius prædicaverunt, quod principes eorum rapaces C esset, socii furum, in judicando nullam justitiæ rationem, sed munera & retributiones sequerentur.* Lege Isaiam c. 1. v. 23. & 24.

ET IMMUNDITIA] Legit Interpres in Græco, ἁρπαγῆς, jam legunt ἀδικίας, id est, *injustitia*, vel ἀνομίας, id est intemperantia. q. d. Putatis vos pollui si bibatis ex calice immundo, at non censetis vos pollui intemperantia, dum vos inebriatis, cum tamen intemperantia mentem polluat, non autem calix immundus.

VERS. 26 PHARISÆE CÆCE, MUNDA PRIUS QUOD INTUS EST CALICIS ET PAROPSIDIS, UT FIAT ID, QUOD DEFORIS EST, MUNDUM] q. d. O Pharisæe, qui alios doces & in te ipso cæcutis, munda prius tuam mentem & conscientiam internam: tunc enim omnia externa tibi fient munda: ex puritate enim mentis, suam puritatem & bonitatem moralem hauriunt omnes actiones & res externæ; sed res externæ, puta calices mundi, possunt mundare internam mentem ebrietate, rapina, aliove scelere maculatam, & immundam. Vide dicta v. 25.

VERS. 27 VÆ VOBIS SCRIBÆ, ET PHARISÆI HYPOCRITÆ: Luc. 11. 44. QUIA SIMILES ESTIS SEPULCHRIS DEALBATIS, QUÆ A FORIS PARENT HOMINIBUS SPECIOSA, INTUS VERO D PLENA SUNT OSSIBUS MORTUORUM, ET OMNI SPURCITIA.

VERS. 28 SIC ET VOS A FORIS QUIDEM PARETIS HOMINIBUS JUSTI, INTUS AUTEM PLENI ESTIS HYPOCRISI ET INIQUITATE] Græce, ἀνομίᾳ, id est legis prævaricatione; q. d. Exterius simulatis legis studium, cum interius eam spernatis, & prævaricemini. Apposite auctor Imperfecti apud Chrysost. *Dicito mihi*, inquit, *o hypocrita, si bonum est esse bonum, ut quid non vis esse quod vis apparere? nam quod turpe est apparere, turpius est esse: quod autem formosum est apparere, formosum est esse.*

Porro *plurimi hodie similes sunt Pharisæis*, ait S. Chrysostomus, & ex eo Titus Bostrenus in Lucæ 11. v. 4. *qui mundities, & ornatus exterioris maximam curam gerunt, animæ vero decoris nullam, quinimo vermibus ac sanie, indicibilique graveolentia, cupiditatibus, inquam, absurdis atque improbis animam replent.*

VERS. 29 VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUI Luc. 11. 47. (græce ὅτι, id est *quia*) ÆDIFICATIS SEPULCHRA PROPHETARUM, ET ORNATIS MONUMENTA JUSTORUM] Licet enim hoc in se sanctum sit & religiosum, tamen in Scribis erat vitiosum & impium. Triplicem causam dat S. E Chrysost. Primo, non accusat, inquit, opus, sed intentionem; ad pompam enim faciebant, sed quid prodest eis ad pompam laudari ubi non sunt; & ubi sunt (in gehenna) torqueri? Secundo, quia sine causa justos honorat qui justitiam spernit: nec possunt Sancti amici esse iis, quibus Deus est inimicus. Tertio, quia non gaudent Martyres ex iis pecuniis honorari, in quibus pauperes plorant; quia scilicet Scribæ eas exigebant a pauperibus, quos affligebant, & ob inopiam plorare cogebant, ut iis magnifica sepulchra Prophetis, & magis sibi, gloriæ monumenta extruerent. Adde, Quarto & maxime, taxat hic Christus Scribas ædificantes sepulchra Prophetis, eo quod dum hoc facerent, simul alios majores Prophetas occidebant, aut occidere cogitabant, uti Christum ejusque assecias, atque hac ratione videbantur ipsi homicidia, imo sacrilegia, patrum suorum imitari, eisque tacite consentire, dum cum simili occidendi Christum affectu, sepeliebant Prophetas a patribus suis occisos, q. d. *Sepellitis* Prophetas a patribus vestris occisos, similem affectum ac occidendi, neque sepeliendi habetis; quare apposite sepelitis Prophetas, quos patres vestri occiderunt; sicut latronum filii sepeliunt homines a parentibus occisos, ut latrocinium lateat. Simili enim modo vos consentitis sceleri, & propheticidio parentum vestrorum, dum me, qui Prophetarum sum princeps, occidere & sepelire destinatis: idem enim facitis quod patres vestri fecerunt. Ita Origenes, S. Hier. Euthymius & alii, & patet ex sequentibus, præsertim v. 32. ubi explicans, ait: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*

Tria peccata in ædificandis sepulchris Prophetarum. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. F

Adde τὸ hypocritæ, innuit quod non per veram, sed per fictam pietatem, & hypocrisim ædificarint sepulchra Prophetis, scilicet ut per eam tegerent sua scelera & viderentur esse justi, & religiosi legis tutores, ideoque & zelo justitiæ Christum persequi ad necem, quasi legis violatorem, & hostem, quæ major, imo duplex erat iniquitas: scilicet prima, machinationis necis Christi: secunda, hypocrisis, quod eam se pie inferre Christo simularent, ut légem & Prophetas a Christi injuria & contemptu (ut ipsi dicebant & mentiebantur) vindicarent. Ita Toletus in Lucæ c. 11. v. 48. ubi hunc sensum innuit Lucas, dicens: *Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorũ, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra:* hoc fine, ut videamini religiosi, ideoque pie me persequi & occidere. Sic Antoninus Caracalla Imp. cum fratrem suum Getam in sinu matris occidisset, suasum est ei a domesticis, ut ad parricidium hoc velandum & honestandum, Getam inter deos referret; quibus ille: *Sit divus*, inquit, *modo non sit vivens*, teste Spartiano. Ita Scribæ nolebant Christum & Prophetas esse vivos, ne ab eis scelera eorum carperentur: maluerunt ergo eos occidere, & ad scelus tegendum occisus magnifice sepelire, & inter divos referre. Unde auctor Imperfecti: *Semper*, inquit, *Judæi præteritorum Sanctorum cultores fuerunt, & præsentium contemptores, magis autem persecutores.* Tales etiamnum sunt inter Christianos, qui Sanctos vita functos venerantur, vivos aversantur; utpote qui verbis & exemplis improbos eorum mores sugillant. Hinc illud.

G

Antoninus Caracalla fratrem suum Getam a se occisum inter deos retulit.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.

ET DICITIS: SI FUISSEMUS IN DIEBUS PATRUM NOSTRORUM, NON ESSEMUS (græce, οὐκ ἂν ἤμεθα, id est, *non fuissemus*) SOCII EORUM IN SANGUINE PROPHETARUM] id est non occidissemus Prophetas, nec consensissemus, aut cooperati fuissemus patribus nostris, eos occidentibus. Falluntur & mentiuntur: si enim Christum Prophetarum Principem occiderunt, eo quod eorum vitia taxaret, utique & Prophetas occidissent, qui eadem taxare solebant. VERS. 30 Luc. 11. 47. H

ITAQUE TESTIMONIO ESTIS VOBISMETIPSIS, QUIA (quod) FILII ESTIS EORUM, QUI PROPHETAS OCCIDERUNT] q. d. Vos ipsi de vobis & contra vos testificamini, quod sitis filii homicidarum, imo propheticidarum; ac consequenter quod eumdem cum patribus vestris habetis genium, eamdem indolem, eamdem inclinationem & propensionem occidendi scilicet Prophetas vestrorum vitiorum castigatores: nam *patrem sequitur sua proles*: pater enim in filium suas inclinationes, dotes & vitia cum: femine transfundere solet. Hinc *filii patrissant*. Adde institutionem & exemplа parentum, quibus filios ad eadem facienda provocant & impellunt. Quare solent filii actus parentum imitari, ut perficiant id quod parentes inchoarunt. Unde subdit Christus. VERS. 31

Digitized by Google

A ET VOS IMPLETE (Arab. *impletis*) MENSURAM PA-
VERS. 32 TRUM VESTRORUM] me ſcilicet & Apoſtolos occidendo, ſicut patres veſtri occiderunt Prophetas, ut menſuram ſcelerum, & cædis Propheratum ab iis cœptam impleatis. Hæc Chriſti vox non eſt imperantis, ſed permittentis, & prædicentis. q. d. Non impero, ſed permitto, certoque prædico, quod vos, o Scribæ & Judæi, me meosque occidendo implebitis menſuram ſcelerum propheticidiorum, quæ commiſerunt patres veſtri: quare menſura hac impleta, Deus omnia tam patrum, quam veſtra ſcelera, ſemel & ſimul caſtigabit per extremum excidium, quod per Titum & Veſpaſianum Hieroſolymæ & Judææ infliget. Ita S. Chryſoſtomus, *Occulte*, ait, *inſinuat malitiæ ſimilitudinem*.

Menſura peccatorii Dei quæ ſit.

Ex hoc verſu, & ex verſ. 35. & 36. Theologi docent, Deum regnis, rebuſpublicis, civitatibus, & privatis hominibus certam ſtatuiſſe & decreviſſe peccatorum menſuram, antequam ea plene, & perfecte puniat: ſed mox, ubi illa completa fuerit, tunc omnia ſimul pleniſſime punire. Sic hic Chriſtus expectavit cædem ſuam, ſuorumque B Apoſtolorum, antequam everteret Jeruſalem. Sic Gen. 15. 16. Deus ait Abrahæ: *Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum*, ſed poſt 400. annos complebuntur, tumque per Monſen & Joſue illos delebo, ac in eorum regionem Hebræos introducam; *Omnis enim gens vel civitas*, ait auctor Imperfecti, *non cum peccaverint, ſtatim punit eas Deus, ſed expectat per multas generationes & modo mandat, modo minatur, interdum ex parte caſtigat, ut quanto diutius eos expectaverit, tanto & Dei judicium juſtius ſit, & illorum dignior pœna. Quando autem placuerit Deo perdere civitatem illam aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniam quas illæ omnes generationes metebantur, hæc ſola paſſa eſt.* Sic

Ratio a priori.

Deus juſſit Sauli delere poſteros Amalec ob ſcelera parentum, & hoſtilitatem perpetuam contra Judæos. 1. Reg. c. 15. 16. Causa eſt, quod filii & poſteri æſtimatione civili cenſeantur eſſe unum quid cum parentibus; hinc merita vel demerita parentum in filios redundant, cum ſcilicet filii parentum ſcelera & mores imitantur: tunc enim impleta ſcelerum menſura a Deo præfinita, ipſi luunt tam ſua quam patrum ſuorum peccata. Ita interpretes, ac nominatim Abulenſis q. 253. & 259.

C Ubi tamen adverte, tunc filios non puniri gravius, quam propria eorum peccata mereantur: ſed quia ipſi parentum ſuorum impiorum peccata imitantur, itaque cumulum peccatorum a Deo definitum, & deſignatum implent, hinc fit ut Dei ira in eos deſæviat, quæ alioquin in eos tam graviter non ſæviiſſet, niſi parentum peccata ad hunc cumulum conficiendum, & integrandum præceſſiſſent. Atque hoc ſenſu, & hac de cauſa tunc dicuntur filii luere peccata parentum, quia Deus ad utroſque, & ad utrorumque demerita in puniendo reſpicit, juxta illud Deuter. 5. verſ. 9. *Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me, & faciens miſericordiam in multa millia diligentibus me*. Vide ibi dicta.

VERS. 33 SERPENTES, GENIMINA VIPERARUM (proles geniti a viperis) QUOMODO FUGIETIS A JUDICIO GEHENNÆ?] quo in die judicii ego vos quaſi chriſticidas & deicidas judicabo & condemnabo ad gehennam. Scribas vocat *ſerpentes & viperas*, ob ſerpentinam & viperæam eorum indolem, aſtutiam, malitiam nocendi, & ſe ſuoſque Apoſtolos occidendi ſtudium. Nam *ſicut de viperis naſcuntur viperæ, ſic de homicidis patribus vos nati eſtis homicidæ*, ait S. Hier. Vide dicta c. 3. v. 7.

D

VERS. 34 IDEO ECCE EGO MITTO AD VOS PROPHETAS, ET
Luc. 11. 49. SAPIENTES, ET SCRIBAS, ET EX ILLIS OCCIDETIS, ET CRUCIFIGETIS, ET EX IIS FLAGELLABITIS IN SYNAGOGIS VESTRIS, ET PERSEQUEMINI DE CIVITATE IN CIVITATEM] Nota *ad idem*, quod ex verſu præced. quaſi effectus ex cauſa elicitur, q. d. Quia vos quaſi ſerpentes, & viperæ me Meſſiam veſtrum occideris, ob quod ſcelus excidemini, & ad gehennam condemnabimini; ego miſertus veſtri, ut hoc excidium, & condemnationem a vobis avertam, poſt mortem meam mittam ad vos meos diſcipulos, & Apoſtolos, ut vos ad pœnitentiam, & fidem in me excitent. Sed prævideo quod & hos occideris, ac hac ratione implebitis menſuram patrum veſtrorum, ut ego prædixi verſ. 32. quo facto Deus vos exſcindet per Titum, & condemnabit ad gehennam, uti jam comminatus ſum, & futurum prædixi. Patet ex ſequent.

ECCE EGO MITTO] Lucas c. 11. 49. ait: *Sapientia Dei dixit: Mittam ad illos. Sapientia Dei*, ſcilicet ego ipſe Chriſtus, qui ſum Dei ſapientia, utpote Verbum Patris. E

PROPHETAS, ET SAPIENTES, ET SCRIBAS] Lucas: *Prophetas & Apoſtolos*, ita vocat Chriſtus ſuos diſcipulos, *Notat*, ait S. Hier. *varia dona diſcipulorum Chriſti: Prophetæ, qui ventura prædicunt: ſapientes, qui norunt quando debeant proferre ſermonem; ſcribæ, in lege docti*. Et Hilarius: *Apoſtoli*, ait, *revelatione ſacramentorum: Prophetæ, Chriſti agnitione ſapientes, legis intelligentia ſcribæ*.

Et ex illis occidetis, uti S. Stephanum lapidando, Jacobum Majorem gladio truncando, Actor. 12. Jacobum vero Minorem ex pinna templi præcipitando, teſte Euſeb. l. 2. c. 23. *Et crucifigetis*, uti S. Simeonem Hieroſolymorum Epiſcopum ſucceſſorem S. Jacobi, teſte Euſebio l. 2. Hiſt. c. 32. *Et ex eis flagellabitis*, uti Petrum & Apoſtolos, Act. 4. & 5. *Et perſequemini de civitate in civitatem*, uti Saulum & Barnabam, Act. c. 13. & 14.

Tropologice, Origenes hom. 23. in Numeros: *Et ecce*, inquit, *hodie ſi Prophetæ non audiam verba, ſi monita ejus ſpernam, lapido Prophetam, & quantum in me eſt, occido, cujus tanquam mortui verba non audio*. F

UT VENIAT SUPER VOS OMNIS SANGUIS JUSTUS, QUI EFFUSUS EST SUPER TERRAM, A SANGUINE ABEL JUSTI, VERS. 35 USQUE AD SANGUINEM ZACHARIÆ, FILII BARACHIÆ, Luc. 11. 50. QUEM OCCIDISTIS INTER TEMPLUM ET ALTARE] q. d. 51. Ita per veſtram malitiam & obſtinationem fiet, ut in veſtrum caput redundet pœna & vindicta.

OMNIS SANGUIS JUSTUS] id eſt, juſtorum, ut vertit Syrus, qui ſcilicet cæteros homines ad juſte ſancteque vivendum, tam verbis quam exemplis cohortati ſunt. Unde Lucas habet, *ſanguis Prophetarum*. *Propheta* enim ſæpe in Scriptura idem eſt quod vir juſtus & ſanctus, præſertim qui alios quoque juſtos & ſanctos efficere ſatagit, uti faciebant Prophetæ. Cauſam dat S. Aug. tract. 1. in Pſ. 118. *Nam malorum imitatio facit, ut non ſolum ſua, ſed etiam eorum, quos imitati ſunt, merita ſortiantur*. Porro S. Chryſoſtomus, Sicut, inquit, illa quæ meruerunt ſingulæ generationes præcedentes, illis donata ſunt, qui receperunt Chriſtum: ita quæ pati meruerunt præcedentes iniqui, ſuper noviſſimos Judæos venerunt.

G QUI EFFUSUS EST SUPER TERRAM, A SANGUINE ABEL JUSTI, USQUE AD SANGUINEM ZACHARIÆ] Quia licet Cain, qui fratrem Abel occidit, non fuerit Judæus gente & genere, fuit tamen Judæus malitia & malæ vitæ exemplo: occidendo enim juſtum Abel, dedit exemplum Judæis ad hoc ſequendum propenſiſſimis, ut ſimili modo occiderent juſtos Prophetas. Sic ergo Cain fratricida non naturalis, ſed moralis & ſymbolicus fuit pater Judæorum, ſuos fratres ſcilicet Chriſtum & Prophetas occidentium. Simili analogia diabolus dicitur pater omnium ſuperborum & impiorum. Quia ergo Judæi Caini fratricidium, etiam poſtquam divinam in eum ultionem e Scriptura cognoviſſent, aliorumque, qui juſtos & Prophetas occiderunt, propheticidia pleniſſime & perfectiſſime imitati ſunt, imo ea ſuperarunt, & longe tranſcenderunt, occidendo Chriſtum Dei Filium, ejuſque Apoſtolos; nec tantum ſuperarunt, ſed & omnimode ea conſummarunt & impleverunt. Hinc quaſi filii eorum ſpirituales & myſtici, dicuntur luituri ipſorum quaſi parentum myſticorum ſcelera, eo modo quo dixi v. 32. licet non tam proprie, quam filii naturales dicuntur luituri carnalium parentum peccata. Adde, quod, licet Cain non fuerit pater, fuit tamen patruus Judæorum: fuit enim frater Seth, ex quo prognatus eſt Abraham & Judæi. Imo Cain vere fuit avus Judæorum per filias. Nam poſteri Seth duxerunt filias Cain Geneſ. 6. v. 2. ex quibus prognati ſunt Judæi, ait Abulenſis q. 260. Eſt hoc probabile, at non certum. Scriptura enim ait dumtaxat ex iis prognatos eſſe gigantes, qui cauſa fuere diluvii, quo perierę, non negat tamen alios quoque ex iis fuiſſe prognatos. Judæi ergo quia non ſanctitatem Seth, ſed parricidium Cain, qui fratrem ſuum juſtum Abel ſuam impietatem redarguentem, ut dixi Gen. 4. occidit, imitati ſunt, hinc non Seth, ſed Caini vocantur filii. Unde Cain fuiſſe typum Judæorum, Abel vero Chriſtianorum docet Tertullian. lib. contra Judæos cap. 5. & fuſe S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 9.

Cain ſymbolicus Judæorum pater.

Cain typus Judæorum, Abel Chriſtianorum.

Denique fuere qui fratricidium Caini laudarunt, indeque dicti ſunt Cajani, de quibus S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 18. *Cajani*, ait, *propterea ſic appellati, quoniam Cain honorare dicentes eum fortiſſimæ eſſe virtutis: ſimul & Judam traditorem divinum aliquid putare eſſe, & ſcelus ejus beneficium deputare: aſſerentes eum*

H

A *præscisse, quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Judæis propterea tradidisse: illos etiam qui schisma facientes in primo populo Dei terra debiscente perierunt, Core, Dathan & Abiron, & Sodomitas colereperhibentur.*

ZACHARIÆ FILII BARACHIÆ, QUEM OCCIDISTIS INTER TEMPLUM ET ALTARE] Quæres, quis hic Zacharias? Triplex est hic sententia. Prima est S. Chrysost. hom. de S. Joanne Baptista, Vatabli, Ariæ Montani, Gasparis Sanchez & Francisci Riberæ præfat. in Zachariam, qui censent Zachariam hunc esse illum, qui inter duodecim Prophetas est penultimus: hic enim fuit filius Barachiæ, sed quod occisus sit inter templum & altare, nusquam legimus.

Quis hic Zacharias? Resp. Primo.

Secundo. Secunda & verior certiorque est, Zachariam hunc fuisse filium Jojadæ pontificis, qui a Joas rege ingrato occisus est immani sacrilegio in loco sanctissimo: scilicet in atrio sacerdotum, quod erat inter templum, sive Sanctum, & altare holocaustorum: hoc enim altare erat in atrio sacerdotum, 2. Paral. c. 24. v. 21. Ita Abulensis q. 215. S. Hieronymus, Beda, & passim alii cum Jansenio & Maldonato, Tertull. in Scorpiaco cap. 8. quem audi: *Zacharias inter altare & ædem trucidatur, perennes crucis sui maculas silicibus assignans.* Licet enim alii Prophetæ post hunc Zachariam a Judæis occisi sint: tamen hic ultimus est, cujus S. Scriptura meminit, sive cujus cædem commemorat. Adde: solius Abelis & Zachariæ hujus sanguinis ultionem exprimit S. Scriptura. Abelis, Gen. 4. 10. *Quid feciſti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Zachariæ, 2. Paral. 24. 22. *Qui* (Zacharias) *cum moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat. Abelis meminit*, ait Chrysost. *ut ostendat illos ex invidia Christum & Apostolos occisuros, sicut ex invidia Cain occidit Abelem: Zachariæ vero, quia Sanctus in loco sancto interfectus est.*

B

Dices. Zacharias hic fuit filius Jojadæ, non Barachiæ. Respondet S. Hieronymus, Jojadam alio nomine dictum fuisse Barachiam, forte quod Barachias, Hebr. significat benedictum Domini; talem autem fuisse Jojadam virum sanctissimum liquet. Unde S. Hieron. addit: *In Evangelio quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filius Jojadæ reperimus scriptum.*

Tertia est Zachariam hunc esse patrem Joannis Baptistæ, quem tradunt occisum esse a Judæis, eo quod Christi prædicarit adventum dicens in suo Cantico: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*; quodque Joannem filium suum ab Herode infanticida quæsitum ad necem, ob mirabilia, quæ in ejus nativitate acciderant, neci subduxerit & absconderit. Hic enim Zacharias fuit ultimus Prophetarum: nam Joannes ejus filius magis fuit index præsentis Christi, quam Propheta futuri. Rursum hunc Zachariam fuisse filium Barachiæ testatur S. Hippolytus Martyr citatus a Nicephoro l. 2. Hist. c. 3. Rejicit hanc sententiam S. Hieronymus velut apocryphan; sed tamen eamdem tradunt, asseruntque S. Cyrillus contra Anthropomorphitas, Petrus Alexan. in Regul. Eccles. can. 3. S. Epiphanius lib. de Vita, & obitu Prophet. Baronius in Apparatu Annal. S. Thomas in Catena, Dionysius Carthus. & Franc. Lucas hic, ac Chrystoph. a Castro præfat. in Zachariam. Addunt Origenes, Theophyl. Euthymius hic, & S. Basilius hom. de Humana Christi generatione, Zachariam hunc a Judæis occisum esse, eo quod B. Virginem post partum Christi, quasi virginem inter virgines in templo collocasset. Quod si verum est, Zacharias fuit victima virginitatis, quia pro virginitate B. Mariæ Martyr occubuit. Hoc tamen difficile est creditu ob rationes, quas adducit Baronius & Abulensis hic q. 255.

C

Zacharias pater Joannis Baptistæ ultimus veterum Prophetarum.

D

VERS. 36 Luc. 11. 51. AMEN DICO VOBIS, VENIENT HÆC OMNIA SUPER GENERATIONEM ISTAM] q. d. Horum scelerum vindicta, corripiet Judæos hujus ætatis, qui post paucos dies me occident, meosque Apostolos persequentur, ideoque post paucos annos a Tito & Romanis excidentur.

VERS. 37 Luc. 13. 34. JERUSALEM, JERUSALEM, QUÆ OCCIDIS PROPHETAS, ET LAPIDAS EOS, QUI AD TE MISSI SUNT, QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS, QUEMADMODUM GALLINA CONGREGAT PULLOS SUOS SUB ALAS, ET NOLUISTI?] Ingeminat *Jerusalem* ad vehemens pathos compassionis, doloris & deplorationis. Duplicatio, miserentis est, & valde diligentis. q. d. O Jerusalem civitas Dei, præ omnibus urbibus ab eo electa, & dilecta: quam ipse tot gratiis & beneficiis ornavit, lege, templo, doctrina, sacerdotio, regno, Prophetis, miraculis dotavit, tu his omnibus ingrata semper extitisti, Prophetas ejus occidisti, & mox me Dei filium, meosque Apostolos occides. Quocirca facta es civitas scelerata, perdita, exitio & incendio Romanorum a Deo destinata. Per civitatem, cives sive cœtum civium, ac præsertim magistratuum, & sacerdotum (hi enim Prophetas & Christum occiderunt) intelligit: non enim saxa, sed homines plangit, patris affectu, ait S. Hier.

Vehemens Christi pathos.

QUÆ OCCIDIS PROPHETAS] quæ scilicet eos vis occidere, ait Chrysost. quæ hoc titulo, æque ac scelere cæteras urbes & gentes antecellis, imo gloriaris, quod Prophetas a Deo missos ad castigandum tuos mores & vitia, occidas. Unde Christus Luc. c. 13. 33. ait: *Non capit Prophetas perire extra Jerusalem.* q. d. Proprium Hierosolymæ opus est occidere Prophetas.

E

Quoties volui, & olim per Prophetas, & nunc per me & Apostolos, *congregare* in sinum meum, & ad unum Deum unamque ejus fidem & cultum, reducere *filios tuos*, ideſt, cives tuos in varios errores dispersos, & in gehennæ pericula sese præcipitantes: *Nihil enim adeo dispergit ut peccatum, & nihil ita ad Deum aggregat sicut virtus*, ait Theoph. *Quemadmodum gallina congregat pullos suos*, in diversa vagantes, *sub alis*, ut eos foveat, calefaciat, & a milvis defendat.

Christus similis gallinæ. Primo. Gallinæ in pullos amor sollicitus.

F

Comparat Christus se suumque amorem, providentiam & sollicitudinem salvandi Judæos gallinæ pullos sub alis foventi: Primo, quia gallinæ præ aliis avibus ferventi amore diligunt pullos suos, & eximiam circa eos habent providentiam & protectionem, ait S. Chrysostom. hinc assidue gallina gemit & clocitat, ut etiamsi pullos non videat, matrem tamen ex voce & singultu agnoscas, cum passeres, hirundines, ciconias, cæterasque aves non agnoscas esse matres, nisi dum pullis in nido incubant. Sic Christus summo amore dilexit nos, *factus ipsemet tandem quasi terrena & domestica avis*, ait S. Hilarius, assidue per omnem vitam pro nobis sollicitus, docens, dolens & gemens, ut nos salvaret.

Secundo, nec passeres, nec turdi, nec anates, nec aliæ aves sic infirmantur cum pullis suis, sicut gallina, in qua *rauceſcit vox*, ait S. Aug. in Ps. 58. *fit hispidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur pluma, & vides circa pullos nescio quid ægrotum, & ea est materna charitas, qua invenitur infirmitas*, &c. Sic Christus *congregavit omnes gentes, tamquam gallina pullos suos, qui infirmatus est propter nos, accipiens carnem a nobis, id est, a genere humano crucifixus, contemptus, alapis cæsus, flagellatus, ligno suspensus, lancea vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis est, non amisse majestatis, ut ex eo quod nobiscum communicavit infirmitatem, solveret nostram iniquitatem.*

Secundo. Infirmatur pro pullis gallina.

G

Tertio, idem S. Aug. in Ps. 90. ad illa, *& sub alis ejus sperabis*, & ex S. Aug. fusius Aldrovandus in Gallina: *Si gallina*, inquit, *protegit pullos suos sub alis, quanto magis tu sub alis Dei tutus eris, & adversus diabolum & angelos ejus, quæ aereæ potestates, tamquam accipitres circumvolitant ut infirmum pullum auferant?* &c. *Erit enim nobis tamquam gallina protegens pullos suos, non enim injuriosum nomen gallinæ. Nulla sic avis infirmatur cum pullis suis, quomodo gallina. Attendat charitas vestra: hirundines, passeres, & ciconias videmus extra nidos suos, nec cognoscimus utrum fœtus habeant, at gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum, tota mutatur a fœtu pullorum, quia illi infirmi sunt, infirmam se se facit. Quia ergo & nos infirmi eramus, infirmam se fecit sapientia Dei, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, ut sub alis ejus speremus.*

H

Quarto, gallina voce fracta, quassa, lassa & languida: per omnia accommodat se parvulis suis. Sic & Christus: *Omne ergo nostrum, id est, spem nostram sub alis illius gallinæ ponamus.* S. Augustin. de Verbis Domini secundum Lucam ser. 29. *Vere* enim *languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit*, Isaiæ 53.

Quarto.

Quinto, græce hic est ὄρνις, quæ vox, & avem in genere, & gallinam in specie significat: aptius tamen Noster vertit, *gallina*, quam *avis*. Nam, ut ait S. Aug. *Mirus est amor omnibus fere avibus ad confovendos & protegendos pullos, sed præcipue gallinis, quæ pullos colligunt sub alas, id est, summo cum desiderio & sollicitudine eos fovent.*

Quinto.

Sexto, gallina, cum ramo rutæ sub alis, hieroglyphicum est securitatis, ait Pierius, & ex eo Aldrovandus: siquidem Afranius, in iis, quæ de re agraria Constantinus Cæsar colligi mandavit, ait gallinas a fele tutas fore, si rutæ sylvestris ramusculus sub ejus alam applicetur. Quin Democritus etiam tradit eo præsidio munitas, neque a vulpibus, neque ab infesto quopiam alio animali

Sexto. Gallina est ramo rutæ. sec ritatis symbolum.

Digitized by Google

A contingi. Hanc ſecutitatem, imo longe majorem ſais præſtat Chriſtus.

Septimo. Galina fœcunditatis hieroglyphicum, & vigilantiæ.

Septimo gallina ſymbolum eſt fœcunditatis. Ipſa enim ſæpe quotidie ovum parit, & aliquando gemina ſingulis diebus, atque ex uno ovo ſubinde duos pullos excludit. Quid fœcundius Chriſto?

Rurſum gallus & gallina ſunt ſymbolum vigilantiæ & cuſtodiæ: Quid vigilantius Chriſto? Hæc Aldrovandus in Gallina.

Tropologice, gallina eſt Eccleſia, ejuſque ſacerdotes; nam, ut ait Auctor Imperfecti: *Sicut gallina habens pullos, vocando illos non ceſſat, ut aſſidua voce vagoſitatem corrigat pullorum; ſic & ſacerdotes in doctrina ceſſare non debent, ut ſtudio & aſſiduitate doctrinarum ſuarum, negligentiam populi errantis emendent. Et quemadmodum gallina habens pullos, non ſolum ſuos calefacit, ſed etiam cujuſque volatilis filios; excluſos a ſe, diligit quaſi ſuos: ita & Eccleſia, non ſolum Chriſtianos ſuos ſtudet vocare, ſive Gentiles, ſive Judæi, ſive ſuppoſiti illi fuerint, omnes fidei ſuæ calore vivificat, & in baptiſmo regenerat & in ſermone nutrit, & materna diligit charitate.*

B Octavo. Emblema gallinæ.

Octavo, extat emblema gallinæ, cum lemmate: *Nil Chriſto triſte recepto*; eſtque hoc:

Bruma fremebat atrox, pennas gallina reliquit,
Frigus ut anatis pelleret, atque obiit.
Hinc medea ferox, hinc Progne diſcite: nempe hac
Bis vitam pullis præbuit, ac moritur.

Nono Gallinæ ova ſalubria & medica.

Nono, gallinam ejuſque ova eſſe medica, ac valere ad ſiſtenda menſtrua, ad fœtum mortuum ex utero educendum, ad ignem ſacrum, ad ſcabiem, ad fiſtulas, ad dolores oculorum, ad podagram, ab ambuſta, alioſque morbos, docet idem Aldrovandus. Sic medicus animarum & infirmitatum omnium efficaciſſimus eſt Chriſtus.

Decimo,

Decimo, gallina, cum de ſe agitur, ſibique ſoli a milvo, vel fele vel cane metuit, fugit: ſi vero pullis metuat, illos ſub alas colligens, vindicare ab injuria omni ope nititur & ſupra quam vires patiuntur, ſæpe alis, roſtro, pedibus, toroque corpore dimicat. Ita Oppianus lib. 1. de Venat. Sic Chriſtus, pro nobis contra diabolum & peccatum, uſque ad mortem & mortem crucis certavit.

C ET NOLUISTI?] Quia Prophetas, & me internecino odio ad mortem perſequeris, nec permittis cives tuos ad me & Deum ſuum converti. Maxime enim Scribas & magiſtratus alloquitur: uti dixi.

VERS. 38 Luc. 13. 35. ECCE RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA] *Domus*, id eſt templum, ait S. Hier. & Theophyl. aut potius urbs Jeruſalem, & tota regio, puta Judæa, in pœnam tantæ ingratitudinis & tot ſcelerum exſcindetur & deſolabitur a Deo per Titum & Romanos: ut ipſa fiat *deſerta*, & ut talis relinquatur deſeraturque, tum a ſuis incolis & civibus, tum a Deo, tum a me, meoque patrocinio, ait S. Chryſoſt. nam hoc ultimum innuit particula rationalis *enim*, quæ ſequitur vers. ſeq. Alludit ad illud Jerem. c. 12. 7. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam*; Jeruſalem enim derelicta a Deo, facta eſt ſynagoga ſatanæ, idcoque præda aquilæ Romanæ, puta Titi & Veſpaſiani, qui Judæos partim occiderunt, partim captivos abduxerunt, partim per totum orbem diſperſerunt.

VERS. 39 Luc. 13. 35. DICO ENIM (Lucas, *dico autem*: in Scriptura enim ſæpe *enim* & *autem* inter ſe commutantur) VOBIS: NON ME VIDEBITIS AMODO (ex hoc tempore] DONEC DICATIS: BENEDICTUS QUI VENIT IN NOMINE DOMINI] τὸ *enim* probat id quod dixit. q. d. Dixi quod *relinquetur domus veſtra deſerta* a me, & conſequenter a Deo Patre meo, quia in pœnam veſtræ incredulitatis, qua me docentem & miracula patrantem agnoſcere noluiſtis quaſi Meſſiam, ego me a vobis ſubducam in cælum, ut me amplius non ſitis viſuri in terra uſque ad diem judicii, quo ego veſtram incredulitatem condemnabo. Nonnulli hunc verſum accipiunt de ſolemni Chriſti ingreſſu in Jeruſalem, cum in die palmarum Judæi ei acclamarunt: *Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini*. Verum id dici nequit; jam enim ingreſſus ille præterierat, ut patet c. 21. 1. & ſeq. Hæc enim dicta ſunt a Chriſto poſt Dominicam palmarum, tribus diebus ante ſuam mortem & crucem, ſcilicet die Martis poſt Dominicam palmarum, uti dixi in Chronotaxi n. 64. Ita paſſim Patres & interpretes.

D Dico ergo, loqui Chriſtum de fine mundi & die judicii. q. d. inquit S. Chryſoſt. Theophyl. Euthymius, & S. Auguſtinus libr. 2. de Conſenſu Evang. cap. 75. Vos, o Scribæ, qui aſſidue mihi contradicitis & calumniamini me non eſſe Meſſiam & Dei Filium, ſed in Beelzebub ejicere dæmonia, *non me videbitis amodo*, id eſt, poſt breve hoc tempus paucoſque dies, quibus in hac carne uſque ad mortem meam vobiſcum verſabor (quia ingrati & indigni eſtis mea doctrina, gratia, ſalute) uſque ad diem judicii, quando vel inviti cogemini, me Meſſiam Dei Filium judicemque veſtrum omniumque hominum agnoſcere, ac *Hoſanna*, quod jam in pueris & turbis ſubſannaſtis c. 21. v. 16. ſi non ore, certe animo & mente inviti dicetis: tunc enim videbitis, me fuiſſe & eſſe benedictum illum, qui venit in nomine Domini, ſcilicet qui fuit miſſus a Deo Patre, ad redimendum, & ſalvandum omnes homines; tumque me ut talem colere, revereri & adorare debetis. Tunc enim, ait Gloſſa, confitebuntur Dei Filium, quem nunc crucifixerunt.

E Poteſt Secundo, hic locus accipi de Judæis, qui in fine mundi per Eliam ad Chriſtum converterentur, ideoque Chriſtum paulo poſt ad judicium venturum agnoſcent ut Meſſiam, a Domino benedictum. q. d. Vos, o Judæi, non vultis me agnoſcere ut Meſſiam, atque ut pſeudomeſſiam perſequimini uſque ad necem & cruorem; at filii & poſteri veſtri me ut talem in fine mundi agnoſcent & colent, ideoque illos mea gratia & gloria donabo, vos F vero ad gehennam condemnabo, quæ inſignis erit mea laus, decus & gloria; veſtrum vero dedecus, probrum & exitium ſempiternum. Hoc enim ſtimulo pungit dura incredula Judæorum corda. Prædictum id fuit ab Oſee cap. 3. verſ. 4. & ſeq. quo hic alludit Chriſtus, ait enim: *Quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine teraphim; & poſt hæc revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David regem ſuum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonũ ejus in noviſſimo dierũ.* Vide ibi dicta.

CAPUT XXIV.

SYNOPSIS CAPITIS.

DIſcipulis fabricam templi oſtendentibus & mirantibus, prædicit illius totiuſque urbis per Titum, quin & orbis univerſi in fine mundi excidium. Mox v. 5. ſigna prævia, ſed communia utrique excidio aſſignat, ſcilicet bella, pſeudoprophetas, famem, terræmotus, peſtem ac prædicationem Evangelii per totum orbem. Inde v. 15. proprium ſignum prævium excidio urbis Hieroſolymæ dat, abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto. Propria vero ſigna prævia excidio orbis v. 29. dat ſolis & lunæ obſcurationem, ſtellarũ de cælo caſum, virtutum cæleſtium commotionem. Denique v. 36. monet, ut omnes ſtrenue ſe parent ad illum diem univerſalis excidii & judicii extremi, eo quod dies hic plane incertus ſit, & nulli cognitus, ſed improviſus hominibus incogitantibus obveniet, eoſque ſecuros ſubito occupabit.

Dixit hæc Chriſtus jam fervens pergenſque ad mortem, die Martis poſt Dominicam palmarum, cum poſt tres dies crucifigendus foret, ut dixi in Chronotaxi, num. 64. & 65.

ET egreſſus Jeſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationes templi. VERS. 1.

2. Ipſe autem reſpondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

3. Sedente autem eo ſuper montem Oliveti, H accеſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi?

4. Et reſpondens Jeſus, dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat.

5. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus: & multos ſeducent.

6. Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis:

7. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca.

8. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.

9. Tunc trandent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

10. Et

A 10. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.

11. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.

12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.

15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat:

16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes:

17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua:

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

B 19. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato.

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.

23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere.

24. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.

C 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis.

28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur:

30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majestate.

31. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum.

32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata,

D scitis quia prope est æstas:

33. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.

34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

35. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

36. De die autem illa, & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater.

37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis.

38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam.

39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

40. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, E & unus relinquetur.

41. Duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur.

42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.

44. Ideo & vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.

45. Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

46. Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem.

47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

48. Si autem dixerit malus servus ille in corde F suo: Moram facit dominus meus venire:

49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis:

50. Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat.

51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, & stridor dentium:

ET EGRESSUS JESUS DE TEMPLO IBAT] more suo sub vesperâ in montem Olivarum ad pernoctandum, cibumque sumendum in Bethania apud Martham & Magdalenam, cum per totum diem docuisset in templo jejunus. VERS. 1. *Luc. 21. 8. Mar. 13. 5.*

ET ACCESSERUNT DISCIPULI EJUS, UT OSTENDERENT EI ÆDIFICATIONES TEMPLI] Occasio fuit, quod Christus in fine capitis præcedentis prædixerat Hierosolymæ, & consequenter templi excidium & desolationem. Discipuli ergo hanc desolationem tantæ urbis admirantes stupentesque, ut Christum excitent ad commiserationem, & ad revocandam excidii sententiam, ostendunt ei admirandam templi fabricam, pulchritudinem, magnificentiam, quæ æternitatem mereri videbantur. Erat enim templum hoc orbis miraculum: nam, ut ait Joseph. l. 6. Belli c. 6. *Exterior ejus facies nihil, quod animi & oculi mirarentur, non habebat: cruftis enim aureis gravissimis undique tecta, ultra primos ortus igneo splendore relucebat, ut, cum intuerentur contuentium oculi, quasi solis radiis averterentur.* Vide eumdem l. 15. Antiq. c. 14. & Vilalpand. de Templo. Ita S. Hilar. *Post comminationem*, ait, *deserendæ Jerusalem, tamquam commovendus ambitione templi esset, magnificentia ei extructionis ostenditur.* Sic & Origenes, S. Chrysost. Euthym. Theophyl. Jansen. Maldon. & alii. Verum nil movit Christum omnis hæc magnificentia, sed in sententia excidii perstitit. Simili enim modo Deus ob scelera omnem magnificentiam Ninives, Babylonis, Tyri, Alexandriæ, Antiochiæ & Romæ evertit; tum ob incolarum scelera, tum ut ostenderet omnem hanc magnificentiam caducam, brevem & exilem esse, ac hominum oculos & animos ad spectandam ambiendamque cæli magnificentiam longe majorem, eamque perpetuam traduceret. Cur discipuli Christo ædificationes templi ostendant? G

Vere pieque S. Aug. *Non erit magnus*, inquit, *magnum putans si cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales:* qua sententia se suosque solari solebat S. Augustinus, obsessa a VVandalis Hippone, cujus ipse erat Episcopus, quæ & post mortem ejus a VVandalis capta est, incensa & incolis destituta, ait Possidon. in ejus vita. H

IPSE AUTEM RESPONDENS DIXIT ILLIS: VIDETIS HÆC OMNIA? AMEN DICO VOBIS, NON RELINQUETUR HIC LAPIS SUPER LAPIDEM, QUI NON DESTRUATUM] *Non relinquetur lapis super lapidem.* Est hyperbole. q. d. Funditus exscindetur & diruetur. Neque enim tam curiosi, vel otiosi fuere Romani in excidio Hierosolymæ, & templi, ut lapidem non relinquerent super lapidem; fuit tamen Jerusalem a Romanis incensa & plane eversa, ac solo adæquata, imo aratrum in eam immissum, teste S. Hieronymo in cap. 8. Zachar. Josepho & aliis, & hoc est quod significat hic Christus. VERS. 2. *Luc. 21. 6. Mar. 13. 2.* Jerusalem a Romanis eversa.

Audi Josephum lib. 7. Belli cap. 18. *Jubet eos Cæsar* (Titus) *totam funditus jam eruere civitatem ac templum: relictis quidē turribus, quæ præter alias eminebant, Phasselo, &*

Digitized by Google

A *Hippico, & Mariamne; murique tantum, quantum civitatem ab Occidente cingebat. Id quidem ut esset castrum illic custodiæ causa relinquendis: turres autem ut posteris indicarent, qualem civitatem, quamque munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Alium vero eorum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent.*

VERS. 3. Luc. 21. 7. Mar. 13. 3. 4. SEDENTE AUTEM EO SUPER MONTEM OLIVETI, ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI SECRETO, DICENTES: DIC NOBIS QUANDO HÆC ERUNT? ET QUOD SIGNUM ADVENTUS TUI, ET CONSUMMATIONIS SÆCULI?] *Discipuli*, Marcus c. 1. 3. v. 3. & 4. ait fuisse quatuor, scilicet Petrum, Jacobum, Joannem, & Andream, qui Christo erant familiariores, ejusque secretorum conscii, *Secreto*, seorsim non tantum a turbis, sed & a cæteris Apostolis. Syrus, *inter se & eum*: erat enim periculosum, ob Scribas & magistratus de templi excidio vaticinari, imo loqui & interrogare: ob hoc enim S. Stephanum lapidarunt Judæi, ut patet Actor. 6. 14.

B Interrogatio discipulorum: Quando hæc erunt? *Dic nobis, quando hæc erunt*, quæ dixisti de excidio Hierosolymæ & templi? *Et quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* de quo nobis sæpius locutus es, ut c. 13. v. 40. c. 16. v. 17. c. 18. v. 28. Duo interrogant; primum, quando exscindenda sit Jerusalem; secundum, quando exscindendus sit orbis, & futurus dies judicii, quo ipse venturus sit judicare omnes homines. Putabant enim Apostoli, quod Jerusalem & templum diruenda essent in glorioso Christi adventu & regno, in fine mundi, quasi ipse in pœnam & ultionem suæ cædis & necis eam esset eversurus. Putabant ergo hæc tria eodem tempore eventura, scilicet excidium urbis, excidium orbis, & diem judicii: atque quia ex verbis Christi cognoverant imminere excidium urbis, opinabantur pariter imminere excidium orbis, & diem judicii. Id sibi videbantur colligere ex dictis Christi Matth. 22. v. 7. & 8. & cap. 23. v. ult. & penult. ubi Christus videtur hæc omnia conjunxisse, id est, conjunctim de omnibus locutus esse,

Videtur etiam Christus, nunc sedens in monte Olivarũ contra templum, ait Marcus, quippiam iterum hac de re prælocutus, ex quo Apostoli hæc interrogandi occasionem sumpserint, licet id non exprimant Evangelistæ.

C VERS. 4. Luc. 21. 8. Luc. 13. 9. ET RESPONDENS JESUS DIXIT EIS: VIDETE (providete & cavete) NE QUIS VOS SEDUCAT] a me meaque fide, Evangelio, lege,

VERS. 5. Luc. 21. Mar. 13. 6. Seductores cavendi. MULTI ENIM VENIENT IN NOMINE MEO, DICENTES: EGO SUM CHRISTUS: ET MULTOS SEDUCENT] Tales fuere Primo, Theodas ille, de quo Act. 5. v. 36. Secundo, Ægyptius ille impostor, de quo Josephus l. 2. Belli c. 12. & Lucas Act. 21. 38. Tertio, Simon Magus, de quo Act. 8. 10. qui teste S. Hier. ajebat: *Ego sum Sermo Dei, ego speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia.* Hic enim Simon, teste Irenæo lib. 1. cap. 20. ajebat, se in Judæa apparuisse ut Filium, in Samaria ut Patrem, in Gentibus, ut Spiritum sanctum descendisse, Dicebat ergo superbus hic Titan, & alter quasi Lucifer, se non solum esse Messiam, sive Christum, sed & se esse totam sanctam Trinitatem, qui & suis magicis spectris ita Neronem & Romanos dementavit, ut Romæ inter duos pontes ei posita fuerit statua hoc titulo: *Simoni Deo magno*. Quarto, tales fuere Menander, Saturninus, Carpocras, Gnostici, cæterique e familia Simonis prognati, de quibus Irenæus lib. 1. c. 21. Denique talis erit Antichristus, qui se Judæis pro Christo venditabit, juxta illud Christi Joannis 5. 43. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*, quod de Antichristo omnes intelligunt, ait S. Augustinus ser. 45. de Verbis Domini,

Signum Simoni Mago Romæ erectum.

D VERS. 6. Luc. 21. 9. Mar. 13. 7. AUDITURI ENIM ESTIS PRÆLIA ET OPINIONES (græce ἀκοὰς, id est, auditiones, id est, rumores; Arab. *novas*) PRÆLIORUM] quæ sæpe prælio ipso sunt tristiores, magisque animos metu malorum etiam non futurorum excruciant, juxta illud:

Pejor est bello timor ipse belli,

Pro *enim* græce est δὲ, id est, *autem, enim vero*: illud enim signum a pseudo prophetis v. 5. prævium excidio urbis & orbis hic assignatur a Christo, scilicet tumultus, bella, seditiones, &c. quales ante excidium Jerusalem graves in Judæa extitisse docet Josephus lib. 2. de Bello c. 11. & l. 20. Antiq. c. 4. *Duplex enim bellum*, ait Chrysost. *futurum asserit, unum a seductoribus, alterum ab hostibus.*

VIDETE, cavete, NE TURBEMINI] ut vel metu hostium a fide mea desciscatis, vel desperatione fructus a prædicatione Evangelii cessetis; sed generoso animo timori, & tumultibus omnibus obluctantes, pergatis fidem in me, meumque Evangelium prædicare. Causam cur non debeant Apostoli turbari, subjicit, dicens;

E OPORTET ENIM HÆC (græce πάντα, id est, *omnia*; Syrus *hæc omnia*, scilicet prælia & opiniones præliorum) FIERI, SED NONDUM EST (id est, erit) FINIS] Jerusalem, & templi, ac multo minus sæculi, itemque præliorum, & malorum utriusque excidio prævio rum; nam unius prælii malique finis, alterius majoris erit principium, uti Hierosolymæ contigisse narrat Joseph. l. 3. de bello c. 15. q. d. Ne turbemini ut animo cadatis, sed majores assumite animos; ut vos comparetis ad majora mala, quæ sequentur, sustinendum & superandum, ne speretis pacem in terra, sed per tolerantiam malorum in terra, tendite ad perennem beatamque quietem in cœlo.

VERS. 7. Luc. 20. 21. 11. Mar. 13. 8. CONSURGET ENIM GENS IN GENTEM, ET REGNUM IN REGNUM, ET ERUNT PESTILENTIÆ, ET FAMES, ET TERRÆMOTUS PER LOCA] ante excidium urbis, æque ac orbis: nam, ut recte advertit S. Hieron. Beda & S. August. epist. 80. ad Hesychium, Christus Apostolis confuse de urbis & orbis excidio rogantibus, confuse & mistim (unum cum alio jungendo & miscendo) respondet, usque ad v. 15. Idque facit hoc fine, ut Apostoli & fideles semper suspensi ad utrumque studiose se comparent, obarment, & præmuniant. Inde a vers. 15. distincte agit de excidio urbis Jerusalem; ejusque signa prævia assignat, usque ad v. 29. ubi deinceps usque ad finem capitis, agit de signis, quæ præibunt excidium orbis, sive finem mundi. Porro de urbis & orbis excidio mistim, hoc versu & seq. usque ad 15. agi liquet ex ipsis ejus signis, quæ utrumque excidium præibunt. Quocirca hæc de orbis excidio ejusque signis accipiunt S. Hilarius, S. Gregorius hom. 1. in Evang. & Irenæus lib. 5. cap. 25. Illud enim præibunt gravissimi tumultus, prælia, fames, pestes, terræmotus, pseudochristi. Rursum de urbis excidio hæc recte quoque intelligunt S. Chrysost. Euthymius, Theophylact. idque patet ex Luc. c. 21. v. 8. & 12. ubi ait: *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur trahentes in synagogas:* quod Apostolis contigisse ex Actis Apostolorum liquet, ante excidium Jerusalem. Ante illud ergo Primo, surrexit gens in gentem: quia postquam Hierosolymitani suum Romanorum militum præsidium ceperunt & trucidarunt, mox Ascalonitæ, Ptolemaidenses, Damasceni, Alexandrini, Syri, Romani & omnes vicinæ gentes, certatim in bella contra Judæos surrexerunt, idque continuo usque ad miserrimum Hierosolymæ per Titum excidium, de quibus Josephus fuse agit l. 2. Belli c. 11. usque ad finem l. 7. & Hegesippus l. 2. c. 11. 14. 16. 17.

Secundo, ante excidium Judæam afflictam fuisse fame, patet Act. 11. 28. & ex Josepho l. 20. Antiq. c. 2. & 3. ubi scribit reginam Adiabenorum fami huic succurrisse.

Tertio; de peste & terræmotu nil habet Josephus; sed ex hoc Christi oraculo certum est illa extitisse, quia utrumque bellum & famem comitari & sequi solet,

F Signa excidii urbis & orbis. Addit Lucas c. 21. v. 9. *Terroresque de cælo & signa magna erunt*: hæc enim præcessura excidium orbis, patet ex Apoc. c. 8. & 9. Vide ibi dicta & dicenda hic v. 29. Hæc pariter præcessisse excidium urbis Hierosolymæ certum est, Nam Primo, horribilis cometes, forma gladii Hierosolymæ integro anno ante excidium e cælo incubuit. Secundo, in Paschate, confluente populo, hora nona nocturna lux meridiana in templo per mediam horam fulsit. Tertio, bos immolandus in templo agnum peperit. Quarto, Orientalis porta templi ænea & gravissima, ut vix a viginti viris claudi posset, hora noctis sexta ultro patefacta est. Quinto, in aere visæ fuere armatæ acies, turres, & pugnantium prælia, Sexto, audita in Pentecoste vox angelorum in templo, *migremus hinc*. Septimo, plebejus quidam & rusticus nomine Jesus, Anani filius, repente exclamare cœpit; *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hierosolymam & templum, vox in maritos novos novasque nuptas, vox in omnem populum*; atque hæc interdiu noctuque clamitans omnes civitatis vicos circuibat, adeoque per septem annos, quasi attonitus horrenda voce, assidue intonabat: *Væ, væ Hierosolymis*; donec cincta a Tito urbe, in muro fortius solito clamans: *Væ Hierosolymis, templo, populo & mihi*, lapide hostili ictus interiit, de quibus omnibus vide Josephum libr. 7. Belli c. 12. & Euseb. lib. 3. Hist. cap. 8.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

G VERS. 8. Mar. 13. 8. HÆC AUTEM OMNIA INITIA SUNT DOLORUM] Græce ὠδίνων, id est, *parturitionum*, ut vertit S. Hieronymus in Comment. hoc est summorum dolorum, ac similium

Digitized by Google

A lium iis, quos patiuntur mulieres in partu, in quo non paucæ doloribus enecantur. Sicut enim in morituris, sensim & gradatim accrescunt dolores & morbi, donec adeo ingravescant ut petimant: sic pariter creverunt bella, fames, pestis, &c. sub excidium urbis, ut patet ex Josepho lib. 6. & 7. Belli. Sicque fiet pariter sub excidium orbis: *Nam quia in occasu sæculi sumus, præcedent quædam ægritudines mundi*, ait S. Ambr. in Lucæ cap. 2. v. 9. Vide dicta Apoc. c. 8. & 9. & c. 16.

VERS. 9. TUNC TRADENT VOS IN TRIBULATIONEM (Syrus, *oppressioni*,) ET OCCIDENT VOS: ET ERITIS ODIO OMNIBUS GENTIBUS PROPTER NOMEN MEUM] Syrus anteponit odium oppressioni: hanc enim parit odium. q.d. Tunc vos ita affligent & tribulabunt, ut tribulationi addicti deditique videamini: quare variis tormentis vos cruciabunt & affligent, atque ubique omnes gentes vos persequentur, utpote deos ipsorum vituperantes, & novum Deum Christum crucifixum prædicantes. Factum id est sub Nerone, qui primam persecutionem contra Christianos movit, ideoque primates Apostolorum occidit, scilicet S. Petrum crucifixit, S. Paulum gladio percussit, multosque Christianos in circo flammis tradidit, adeoque ut nonnulli sebo, adipe ac pice obliti, facium instar in usum nocturni luminis arserint, ait Tacitus Annal. l. 15. Eadem, imo atrociora faciet Antichristus in fine mundi.

Sap. 10. 12. *Luc.* 21. 16. 17. *Mar.* 13. 12. 23.

B

VERS. 10 ET TUNC SCANDALIZABUNTUR MULTI] idest, scandalum patientur, offendent, cadent. Syrus, *impingent*, ita ut metu persecutionum, & tormentorum a fide Christi deficiant, & apostatent, uti multos defeciisse ex Eusebio & aliis liquet.

ET INVICEM TRADENT] q.d. Apostatæ jam dicti, & alii Gentiles, ut gratiam Imperatorum & principum Christianos persequentium ineant, Christianos sibi amicos, cognatos vel notos *prodent*, ut vertit Syrus, uti jam fit in Anglia, Scotia, Japonia. Hi sunt falsi fratres, de quibus sibi insidiantibus queritur Paulus 2. ad Cor. c. 11. v. 26. *Vides*, ait S. Chrysost. *hic bellum triplex futurum, unum ab hostibus: alterum a seductoribus, tertium a falsis fratribus.*

VERS. 11 ET MULTI PSEUDOPROPHETÆ (falsi doctores, hæresiarchæ, ut Simon Magus, Menander, Arrius, Nestorius, Lutherus, Calvinus, omniumque caput Antichristus) SURGENT ET SEDUCENT MULTOS] non seducentium virtute, sed negligentia seductorum, ait auctor Imperfecti.

C Idem prædixit Paulus Act. 29. 30. dicens: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobismetipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.*

VERS. 12 ET QUONIAM ABUNDAVIT (græce, πλεονασθῆναι, id est, *ob multiplicatum esse*, scilicet *tunc*, hoc est quia multiplicabitur, & abundabit, uti multi hic legunt; Syrus, *propter multitudinem iniquitatis*) INIQUITAS, scilicet infidelitas, hæresis, persecutio, tyrannis, omnisque impietas, REFRIGESCET (Syrus, *elanguescet*; Arab. *diminuetur*) CHARITAS MULTORUM] imo fides quoque & spes. q. d. Qui prius fervebant charitate in Christum & Christianos, videntes tot Christianorum persecutiones, & afflictiones, deferveseent, imo frigescent, ut amorem in teporem, imo in odium & horrorem convertant. Prædicit hæc Christus, ut suos fideles contra omnia dura exacuat & magnanimitate corroboret, ac confortationibus quasi adamantinos reddat, ait Euthym.

VERS. 13 QUI AUTEM PERSEVERAVERIT (in fide & charitate Christi) USQUE IN FINEM, tum persecutionis & tribulationis, tum vitæ, tum invictæ patientiæ, ut nullis terroribus, blanditiis, tormentis cedat. Unde Syrus vertit, *qui sustinuerit usque in finem*, HIC SALVUS ERIT) q.d. Horum omnium malorum unicum remedium, & victoria, est generosa in fide & charitate constantia, & continua perseverantia: hæc enim omnia tolerando vincit & superat, uti patuit in Apostolis, in S. Laurentio, Vincentio, Sebastiano, cæterisque Martyribus. Hic ergo fideli illud usurpandum:

Sap. 10. 22. *Luc.* 21. 19. *Mar.* 13. 13.

D

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

VERS. 14 ET PRÆDICABITUR HOC EVANGELIUM REGNI (quo regnum cælorum nuntiatur appropinquare, juxta dicta cap. 3. 2.) IN UNIVERSO ORBE, IN TESTIMONIUM OMNIBUS GENTIBUS: ET TUNC VENIET CONSUMMATIO) Hoc factum esse ante excidium urbis Jerusalem, idque *in testimonium omnibus gentibus*, quo scilicet Deus omnibus gentibus testaretur & patefaceret suum in Judæos amorē, & Judæorum in Christum perfidiam, ideoque Gentium in eorum locum surrogationem, electionem & vocationem

Mar. 13. 10.

justam esse, censet S. Chrysost. & ejus secta Theophyl. E probatque ex illo Pauli Roman. 1. 8. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*; &, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Et ex illo Coloss. 1. 6. *Quod* (Evangelium) *pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit*.

Verum hoc intellige vel per hyperbolem, vel per synecdochen, quod scilicet Evangelium ante excidium Jerusalem per Titum prædicatum & divulgatū sit per plurimas & præcipuas orbis partes ac provincias, non tamen per singulas minores, minusque notas & celebres. Quocirca S. Hieron. Beda & alii veteres docent, hoc plane, & plene fore ante consummationem orbis. Hæc enim absolute dicitur *consummatio*, & ante hanc Evangelium in omnes omnino gentes divulgabitur & propagabitur, ita ut apud omnes gentes fundentur Ecclesiæ, instituantur Parochi & Episcopi, omnisque ordo hierarchicus; quod factum non esse ante excidium Hierosolymæ in confesso est, idque fiet *in testimonium omnibus gentibus*, quo scilicet Deus testetur paternam suam in omnes gentes providentiam & diligentiam, æque ac dilectionem, qua nullam gentem licet barbaram & impiam a Christi fide, salute & gratia excluśit, F sed omnes dilexit, curavit, vocavit congruis statisque temporibus, adeoque nihil omisit, quod opus erat ad salvandas omnes gentes: quo proinde pariter in die judicii condemnet omnes, qui illi credere & obedire noluerunt.

Unde ex hoc Christi oraculo S. Hieronymus, Franc. Suarez & alii passim docent, hoc fore certum signum instantis finis mundi, scilicet prædicationem Evangelii per totum orbem, talem tantamque scilicet ut ubique fundetur Ecclesia, quæ ubique habeat suos Christianos, suos Clericos, sua templa, suos sacerdotes, &c. licet id neget Maldonatus & Franc. Lucas, qui tantum hic a Christo asseri censent quod ante finē mundi omnibus gentibus prædicandum sit Evangelium; sed incertum esse an tum simul ac omnibus prædicatum fuerit Evangelium, venturus sit statim mundi finis. Et sane hoc quoque verum est: nam Ecclesia per omnes gentes fundanda, aliquanto tempore apud eas stare & stabiliri debet, antequam veniat mundi finis. Quantum autem futurum sit hoc tempus, incertum est, solique Deo notum. Vide dicta Rom. 10. 18.

Signum finis mundi instantis. quod?

Porro, quia jam a 150. annis, videmus ab Hispanis inventum novum orbem, cum scilicet Americus (a quo Americæ nomen) Vespucius & Christophorus Columbus, navigando detexerunt Indiam Occidentalem, quæ plane dimidia est pars totius orbis: atque ibi passim propagari Evangelium per omnes provincias, exceptis nonnullis regionibus Australibus adhuc incognitis, hinc colligere possumus, nos sensim appropinquare ad finem mundi. Ex reliquo enim orbe nihil supereśt, quod aliquando fidem Christi non receperit, nisi forte China, ubi tamen olim fuisse Christianos Christique Ecclesias, certis testimoniis ostendit noster Nicolaus Trigaultius lib. de Fide in China propagata, idemque probat inscriptio lapidis nuper in China inventa, quæ plane testatur Evangelium in ea prædicatum a viris Apostolicis. G

CUM ERGO VIDEBITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS (id est, desolationem abominabilem; Syrus, *portentum immundum vastationis*) QUÆ DICTA EST A DANIELE PROPHETA, STANTEM IN LOCO SANCTO: QUI LEGIT INTELLIGAT: TUNC QUI IN JUDÆA SUNT, FUGIANT AD MONTES] Quænam sit abominatio hæc desolationis, fuse disputavi Daniel. 9. 27. Per illam enim nonnulli accipiunt idolum positum in templo: alii ipsum Antichristum, qui in templo volet adorari ut Deus: alii peccata sacerdotum commissa in templo: alii melius accipiunt, castra Romanorum Jerusalem obsidentium, quæ paulo post eam captam abominande vastarunt & desolarunt; item profanationem templi per homicidia aliaque scelera in templo commissa, factam a seditiosis homicidis & sceleratis Judæis, qui se legis & libertatis Zelotas nuncupabant. Vide dicta Daniel. 9. 27.

VERS. 15 & 16. *Luc.* 21. 20. *Mar.* 13. 14.

H

Hucusque Christus Apostolis dedit signa communia, quæ futura erant prævia excidio tam urbis Hierosolymæ, quam totius orbis, nunc propric assignat signa prævia excidio urbis; scilicet obsidionem Jerusalem per Titum, & templi profanationem per Zelotas: nam post hæc duo excisa & desolata fuit Jerusalem. Quocirca monet Judæos æque ac Christianos hic Christus, ut, visis hisce signis, illico fugiant ad montes, non Judææ (hos enim occuparunt milites Romani, teste Josepho lib. 3. Belli cap. 12. & lib. 4. c. 2.) sed extra Judæam sitos, ut caldes & excidium

Signa duo prævia excidio Jerusalem.

Digitized by Google

A Hierosolymæ imminens effugiant; sicut Christianos, reipsa hujus moniti Christi memores, id ipsum effugisse, ac Dei oraculo monitos, teste Eusebio lib. 3. Histor. cap. 15. secessisse in urbem Pellam trans Jordanem sitam, docet S. Epiphanius hæresi 29. & 30. imo & supellectilem suam eo transtulisse, quin & cathedram Episcopalem S. Jacobi. Nam eam usque ad sua tempora integram servatam fuisse docet Eusebius lib. 7. Hist. 15. Si enim hæc Hierosolymis mansisset, utique cum cæteris conflagrasset, ita Baronius tom. 1. anno Christi 68. c. 45. & 51. Hic videre fuit singularem Dei erga Christianos curam, circa Judæos vero iram; nam adventante Romano exercitu, Galilæi & Judæi turmatim confugerunt Hierosolymam, quasi ad asylum, putantes ibi se fore tutos; sed Deus illos ibidem congregavit, ut mactarentur a Romanis.

VERS. 17 Luc. 17. 31. Mar. 13. 15 ET QUI IN TECTO (Marcus, *Super tectum*: Judæorum enim tecta erant plana quasi tabulata, ut in iis ambulare, cœnare, dormire solerent) NON DESCENDAT TOLLERE ALIQUID DE DOMO SUA] sed subito fugiat, ut vitam salvet, & cætera sua perdat. Tanta enim, & tam repentina erit hæc Judææ, & Hierosolymæ per Romanos vastatio, ut satius sit nudum effugere, quam volendo sua salvare, se illius periculo exponere. Est hyperbole, significans celerrime fugiendum, ob imminentem summam calamitatem, q.d. Qui est in tecto, ex eo non per solitas scalas sensim descendat, sed unico saltu desiliat, aut fune celerrime se demittat, ut cladem effugiat: nam alioqui plusculum temporis ad fugiendum habuere Judæi.

B

Historia belli Judaici.

Primo enim Cestius Gallus missus a Nerone obsedit Hierosolymam; sed is a Judæis in fugam actus est. Inde post sex menses Vespasianus ab eodem Nerone missus Galilæam sensim expugnavit, cæteraque Judææ urbes, una excepta Hierosolyma, qua in re tres annos insumpsit; cumque eam obsidere destinaret, supervenit nuntius de morte Neronis: quare Vespasianus ab exercitu acclamatus Imperator, Romam ut reipub. consuleret, rediit, obsidionem Hierosolymæ & totius belli confectionem committens filio suo Tito, qui post sesquiannum Hierosolymam obsedit in Paschate, eamque post sex menses cepit, incendit, vastavit. Hoc sesquianno intermedio, cum Romani lentius in Judæa rem agerent, Judæi ipsi inter se internecinis odiis dimicarunt. Nam Primo, Zelotæ templum occupantes, illud suorum civium cædibus & cadaveribus implevere. Hisce successit novæ conspirationis princeps Simon Gerasenus, qui a populo in Jerusalem intromissus, ut Zelotas compesceret, similiter ac illi rapinis & cædibus in cives grassatus est. Fuit ergo ab adventu militum Romanorum Judæis tempus sufficiens, ad se suaque convasandum, & fugiendum: sed Christus illico fugiendum suadet, tum ut gravissimam fore calamitatem significet, tum quia præsente jam milite Romano in Judæa, ac per eam discurrente, nusquam erat tutus fugiendi locus: fugientes enim in milites Romanos incidebant, ab iisque spoliabantur & mactabantur, ut fuse narrat Josephus libro de bello Judaico.

C

Quocirca funestissimum hoc excidium Jerusalem, expressus fuit typus, & præludium excidii orbis, æque ac fuit diluvium Noeticum, conflagratio Sodomæ, & submersio Pharaonis cum toto exercitu in mari rubro.

Mystice, Hadrianus I. Pontif. epist. ad Carolum regem Francorum Actor. 4. *In tecto est*, ait, *qui excedens carnalia, tanquam in aura libera spiritualiter vivit. Hujus ergo spiritalis viri jam vasa ista vacant in domo, quia mente corpori supereminens, per aciem intelligentiæ tanquam in tecto positus, perspicuitate sapientiæ velut cælo apertissimo fruitur.*

D

VERS. 18 Luc. 17. 31. Mar. 13. 16. ET QUI IN AGRO, NON REVERTATUR (domum) TOLLERE TUNICAM SUAM] Græce, ἱμάτιον, id est, pallium, sive extimam vestem, qua se a pluvia, frigore, aliisque aeris injuriis defendat. Solent enim agricolæ, & laborantes in agro, pallium, & tuniam deponere domi, aliove loco, ut seminudi expeditiores sint ad laborandum. q.d. Simili modo imminente excidio Judææ & Hierosolymæ, celerrime, & seminudi (si sitis) fugite, ut tantam tamque repentinam cladem evadatis. Est hyperbole, & proverbium simile priori: utroque figurate significat Christus, ocyssime fugiendum esse omnibus relictis, etiam vestibus, idque ut gravitatem instantis calamitatis insinuet: hæc enim phrasi in simili re uti solent Prophetæ, ut Jerem. cap. 46. 5. in strage Ægyptiorum facta per Chaldæos: *Vide*, inquit, *pavidos & terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexerunt, terror undique, ait Dominus, non fugiat velox, nec salvare se putet fortis.* Et cap. 48. 6. in strage Moabitarum, *Fugite*, ait. *Salvate animas vestras, & eritis quasi myrica in deserto.* Alludit ad Loth fugientem incendium Sodomæ, cui proinde angelus ait Gen. 19. 17. *Salva animam tuam, noli respicere post tergum.*

E

VÆ AUTEM PRÆGNANTIBUS, ET NUTRIENTIBUS (græce, θηλαζούσαις, id est, *mammantibus*, ut legit S. Augustinus in Psal. 39. 1. θηλὴ enim est mamma, hoc est, lactentibus, scilicet puerperis, quæ suis infantibus dant lac mammæ) IN ILLIS DIEBUS] quia scilicet prægnantes onere embryonum, quos utero gestant; nutrientes sive lactentes sarcina infantium lactentium gravatæ, fugere non poterunt: unde ab hoste Romano irato, & sæviente capientur, & cum suis parvulis trucidabuntur. Ita S. Chrysostomus hic, Hilarius & alii. Addit Theophylactus alludi hic ad graviratem famis, qua coactæ matres nonnullæ, in obsidione Jerusalem comederunt suos infantes, teste Josepho lib. 7. Belli cap. 8. Declarat Christus gravitatem vindictæ & cladis Jerusalem, quod in ea ne quidem prægnantibus & infantibus parcetur, ut in aliis urbium obsidionibus & expugnationibus fieri solet: ipse enim sexus fœmininus matrum, & ætas infantilis puerorum hostibus quantumvis iratis movent misericordiam.

VERS. 19 Luc. 21. 23. Mar. 13. 17. Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus cur?

F

ORATE AUTEM, UT NON FIAT FUGA VESTRA IN HYEME, VEL SABBATO] *Hyeme*, quia in ea ob frigus, nives, pluvias, lutum, ut ventos, aliaque aeris & viarum incommoda, fuga est difficilis, & ægris ac senibus sæpe impossibilis, aut lethalis. *Sabbato*, quia in eo Judæis non licebat ultra mille, imo ultra septingentos passus ambulare, uti ostendi Actor. 1. v. 12.

VERS. 20 Mar. 13. 18

Dices, Sabbatum, uti & cætera legalia, tempore excidii Jerusalem per Titum, jam erat abrogatum a Christo & Apostolis in Pentecoste: per promulgationem legis Evangelicæ, Actor. 2. & etiamsi non fuisset obrogatum, jure naturæ licuisset in eo per plura passuum millia fugere ad salvandam vitam.

Difficultas circa sabbatum fugæ.

Resp. Christus loquitur de Judæis & Christianis adhuc judaizantibus, qui nimia religione tam arcte sabbatum observare solebant, ut mallent mori quam fugere, & sua exportare, aut se contra hostes invadentes defendere in sabbato, ut patet 1. Machab. 2. 34. & seq. Judæi autem & judaizantes in excidio Jerusalem, suum observaturi erant sabbatum, licet a Christo abrogatum. Adde, legalia a Christo abrogata in Pentecoste, tum quidem fuisse mortua, nec ulterius obligasse, non tamen statim fuisse mortifera; sed permissum fuisse Judæis ad Christum conversis ea adhuc servare, ad reverentiam legis & Mosis per plures annos, donec plane libertatem Evangelicam edocti, in plenam unionem cum Gentibus in Ecclesiam Christi transirent, uti dixi Galat. 2. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

G

Alludit Christus ad captam, vel potius capiendam a Tito Jerusalem in die sabbati, ut testatur Dio Cassius in Nerone. Imo noster Gaspar Sanchez in Zachar. c. 14. n. 27. ad literam sic accipit, quasi Christus hic prædicat in sabbato fugiendum esse Judæis, eo quod illo die a Romanis capienda sit Jerusalem. Verum Christus hic dat signa prævia excidio Jerusalem, ut ante illud fugiant, & effugiant, uti dixi vers. 15. nam in obsidione & excidio ejus, Titus ita illam muro undique cinxit, ut ex ea fugere esset impossibile, teste Josepho.

ERIT ENIM TUNC TRIBULATIO MAGNA (in Jerusalem totaque Judæa ex ultione divina, patet Lucæ 21. v. 23.) QUALIS NON FUIT AB INITIO MUNDI USQUE MODO, NEQUE FIET] Nonnulli cum S. August. epist. 80. ad Hesychium, τὸ *qualis non fuit*, &c. *neque fiet*, arctant ad Judæos: de Judæis enim hactenus egit, q.d. Judæi nec in captivitate Ægyptiaca, nec Assyriaca, nec Babylonica, nec Syriaca sub Antiocho Epiphane, tantas clades passi sunt, quantas patientur a Tito & Romanis, imo nec deinceps tantas patientur, quia Titus extremum eis afferet excidium, & desolationem, quæ durabit usque ad finem mundi, uti prædixit Daniel c. 9. v. ult.

H VERS. 21 Luc. 21. 23. Mar. 13. 19

Plenius alii censent hoc Judæorum per Titum excidium & supplicium in atrocitate conferri, & anteferri quibuslibet excidiis & suppliciis particularibus quarumcumque gentium: nam Judæi non fuerunt ab initio mundi, sed cœperunt ab Abraham, & Jacob. Sensus ergo est, q.d. Nec conflagratio Sodomæ nec submersio Pharaonis, & Ægyptiorum in mari rubro, nec Chananæorum eversio per Josue, nec Ninives, Babylonis, Persarum, Græcorum,

A corum, aliarumque gentium vastatio; tam atrox, & horrenda fuit vel erit, quam futurum est excidium Judææ per Titum. Dixi *particularibus*: nam generale totius mundi excidium per diluvium tempore Noe, & per conflagrationem in fine mundi, communi omnium clade, ejusque atrocitate superat unius Judææ excidium. Similiter atrocior erit persecutio Antichristi, utpote adversarii omnium Christianorum, ex omnibus gentibus credentium Christo.

Judæorum clades ob Christum occisum.

Comparat ergo Christus excidium unius gentis Judaicæ, cum excidio alterius cujusque gentis, non autem omnium gentium, totiusque mundi. Id ita contigisse liquet ex Josepho lib. 7. quos de Bello Judaico exaravit, qui inter cætera disertè ait l. 6. c. 11. *Ut autem breviter dicam, neque aliam civitatem unquam talia perpessam puto, neque ullam nationem post hominum memoriam, sed iisdem malitia ferociorem fuisse.* Et l. 7. c. 17. *Superat omnem humanam & divinitus emissam pestem numerus peremptorum, quos partim fames occidere, partim carpere Romani.*

Causam tantæ atrocitatis excidii Judaici assignat S. Chrysostomus atrocitatem criminis, quo ipsi suum Messiam, puta Christum Dei filium indignissime tractarunt, B & crucifixerunt. Unde ex hoc excidio & desolatione perpetua gentis Judaicæ, convincas Judæos, doceasque Christum jam venisse, esseque illum, quem ab eis occisus est, Nam nullum aliud crimen Deus unquam tam atrociter punivit apud Judæos vel alias gentes, sicut punivit punitque assidue Judæos, propter hoc christicidium, & deicidium. Unde recte auctor Imperfecti: *Usque ad Christum*, inquit, *Judæi etsi peccatores, ut filii sunt habiti, & ut filii castigati: crucifixo Domino, desierunt esse filii, & facti sunt hostes, & ut tales eradicati absque ulla salutis spe reliqua: sicut enim illi tale facinus commiserunt quale nunquam commissum est, nec est committendum: sic & super illos talis sententia venit, qualis nunquam venit, nec veniet.* Hoc est quod ait Luc. c. 21. v. 22. *Quia dies ultionis* (christicidii) *hi sunt*, &c. *erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.* Addit Josephus lib. 7. Belli c. 16. Titum hac Dei ultionem agnovisse, illique, non suis viribus expugnationem Hierosolymæ tribuisse. Captam enim Jerusalem ingressus, videns munitionem, & turrium altitudinem, & soliditatem, exclamavit; *Deo plane adjuvante pugnavimus, & Deus erat qui detraxit abjectis munimentis Judæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machina ad istas valerent?* Idem Josephus lib. 6. Belli c. 14. & ex eo Eusebius lib. 3. Hist. c. 6. *At cum Titus*, ait, *circumiens vidisset repletos mortuorum cadaveribus vallos cum ingenti gemitu, elevatis ad cælum manibus Deum invocat testem, hoc suum opus non esse.*

Addit Luc. c. 21. v. 24. Primo, *Et cadent in ore gladii*, id est, per aciem gladii Romanorum necabuntur. Unde Josephus lib. 7. Belli c. 17. asserit, præter alios innumeros per totam Judæam cæsos: in sola Hierosolima tempore obsidionis ejusdem, mortua esse fame, peste, & gladio undecies centena hominum millia.

Secundo, *Et captivi ducentur in omnes gentes*, quia ut ait ibidem Josephus, tum 97. millia Judæorum capta fuere. Additque tum Hierosolymis ad Pascha confluentem ex toto orbe Judæorum turbam, fuisse ad vices centena & septingenta millia, id est, duos milliones & 700. millia hominum. Unde subdit: *Tunc velut in carcerem tota gens fato conclusa est, & parta hominibus civitas bello obsidebatur. Itaque superat omnem humanam & divinitus immissam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occidere, partim cepere Romani. Rimantes enim cloacas,* D *& sepulcra eruentes, quos offendissent, jugulabant. Inventi autem sunt ibi quoque plusquam duo millia, quorum alii manu sua, plures autem mutuis se vulneribus interfecerant, cum alios fames corrupisset.*

Jerusalem data Gentibus.

Tertio, *Et Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum* sive gentium, id est, usque ad finem mundi omniumque gentium: impleto enim Gentium numero a Deo decreto, finietur omnis gentium populus & numerus cum mundo, ita Euthymius, vel ut Beda; q. d. Donec plenitudo Gentium intret in Christi Ecclesiam: nam hoc facto *tunc omnis Israel salvus fiet*, ut ait Apostolus Rom. 11. quod fiet in fine mundi. Respicit enim Christus ad desolationem Jerusalem, de qua dixit v. 20. quod illa prædicta sit a Daniele c. 9. ult. ubi Daniel ait: *Usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio*, ut scilicet Jerusalem solo æquata & desolata a Tito, non sit amplius urbs regia Judæorum, sed Gentium & deinde Christianorum, ac postea Saracenorum & Turcarum, uti jam est, idque usque ad finem mundi, quando Antichristus rex & Messias Judæorum, Hierosolymæ sedem regni sui constituet, ut patet Apoc. 11. v. 8. tumque Elias & Henoch Antichristo resistentes, multos Judæorum ad Christum convertent: occiso vero Antichristo, Judæi omnes per astecias Eliæ & Henoch ad Christum traducentur, publiceque Christum Hierosolymæ colent, ut satis colligitur ex Apoc. 20. 8. Vide ibi dicta. E

Addit Eusebius lib. 4. Histor. c. 6. Adrianum Imperatorem, qui Vespasiano post Domitianum, Nervam, & Trajanum in imperio successit, gravi edicto sanxisse, ut omnes omnino Judæi procul a Judæa abirent, nec cuiquam eorum vel eminus fas esset Judæam conspicere; ac deinde subdit: *Ita factum est, ut civitas post interitum Judaicæ gentis, incolis mox in eam peregrinæ nationis confluentibus, permutatis civibus, etiam ipsa Ælia appellaretur, ex cognomento Imperatoris Ælii Adriani: & ut in Romanorum jus conversa, ritum pariter mutaret & nomen.* Ecce hoc est quod prædicit Christus: *Et Jerusalem calcabitur a Gentibus*,

Ex hisce Christi verbis, recte S. Cyrillus Hierosolym. confutavit Judæos, qui urgente Juliano Apostata, templum Hierosolymitanum reædificare moliebantur: prædixit enim omnem illorum laborem fore irritum, eo quod Christus ex Daniele edixerit, desolationem Jerusalem & templi duraturam usque ad finem mundi. Et verus fuit vates. Nam ignis cælitus delapsus, cuncta artificum instrumenta consumpsit, & terræmotus ingens lapides fundamentales evulsit, ac cunctos cum contiguis ædificiis disperfit: sequenti vero nocte signa crucis instar radii solariis splendentia, vestibus Judæorum impressa comparuerunt, quæ extergere nullo pacto potuerunt. Ita Socrates l. 3. c. 20. vel juxta aliam editionem 27. F

Judæi a Deo impediti restaurare templum.

ET NISI BREVIATI (græce, ἐκολοβώθησαν, id est, accisi, decurtati, imminuti, *a Domino*, ut addit Marcus cap. 13. 20.) FUISSENT DIES ILLI, NON FIERET SALVA OMNIS CARO, SED PROPTER ELECTOS BREVIABUNTUR DIES ILLI] Duplices sunt electi, scilicet ad gratiam, uti sunt omnes fideles & justi; & ad gloriam, uti sunt omnes salvandi. Utrique hic accipi possunt, sed maxime secundi: hi enim perfecte sunt electi, & quicumque electi sunt ad gratiam finalem, ut in ea ad finem vitæ perseverent, hi quoque electi sunt ad gloriam. Sensus est. q. d. Nisi Deus ab æterno pauciores fore decrevisset, & in tempore pauciores exhibuisset dies vastationis Judææ: pauciores, inquam, quam & Judæorum culpa, & Romanorum ira exigebat, omnes omnino Judæi periissent. Nam si tempus obsidionis Jerusalem & stragis Judææ diutius duraret, omnis caro, id est, omnes Judæi non salvarentur, sed peste, fame, & bello fuissent consumpti. Fremebant enim Romani in Judæos, quasi in gentem rebellem & obstinatam, & nisi Titi lenitas eos repressisset, ac Jerusalem Deo ita disponente cito capta fuisset, Romani omnes Judæos mactassent. Deus ergo dies hos stragis Judaicæ breviavit, id est, pauciores effecit, *propter electos*, id est, partim propter Christianos, qui e Jerusalem fugere vel non poterant, vel noluerant; partim propter Judæos, qui in obsidione tanta clade perculsi, conversi fuere ad Christum, aut postea convertendi erant: item propter nascituros ex eis, & convertendos, eosque omnes quidem, sed maxime propter perseveraturos ex eis in Christi fide & gratia, ac consequenter a Deo electos, uti ad gratiam & perseverantiam, sic & ad gloriam, q. d. Si tribulatio hæc Judæorum diutius duraret, nemo ex eis H perseveraret in vita, ideoque nec in fide & gratia hujus vitæ, ac consequenter nemo ex eis supereresset, qui foret salvus & electus, ut ergo aliqui supersint, qui a Deo Deique prædestinatione salventur, sintque electi, puta illi, quos Deus prævidet & præordinat in hac tribulatione duraturos, aut nascituros, & ad Christum convertendos; ac si tribulatio hæc remittatur, perseveraturos in fide & gratia, ideoque salvandos; hac de causa Deus breviabit & contrahet hos calamitatis dies. VERS. 22 *Mar.* 13. 20. Propter electos breviati dies: quid?

Id ita accidisse patet ex Josepho, qui lib. 7. Belli c. 15. testatur plusquam quadraginta millia Judæorum, cladi, & excidio Hierosolymæ illato per Titum superfuisse, salvaque mansisse. Ubi adverte Deum propter fideles & electos, etiam servasse in vita multos ex Judæis non electos, sed in judaismo obstinatos, & reprobos. *Igitur ne dicant Judæi*, ait S. Chrysost. *mala hæc propter prædicationem & adorationem Christi sibi accidisse: non solum non fuisse causam malorum fideles ostendit, verum etiam nisi fideles fuissent*,

Digitized by Google

A *sent, interemptione universos necandos fuisse asserit. Nam si dilatio belli permissione divina facta fuisset, nulla Judæorum extarent reliquiæ: sed, ne cum infidelibus Judæis fideles interimerentur, citius ei bello finem imposuit.* Denique maxime propter Judæos omnes, qui in fine mundi salvabuntur, Deus breviavit hos dies.

Tropologice disce hic, quantus sit amor & cura Dei erga suos fideles, & electos, propter hos enim percepit multis Judæis: propter electos enim Deus totum mundum & omnia, quæ in eo sunt creavit & conservat, imo propter eos Christum filium suum hominem effecit, ac crucifigi morique voluit. Unde Paulus 1. Cor. 3. 22. *Omnia*, ait, *vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura.*

VERS. 23 TUNC SI QUIS V BIS DIXERIT: ECCE HIC EST CHRISTUS, AUT ILLIC, NOLITE CREDERE] Nonnulli putant Christum hic transire a signis excidii urbis Hierosolymæ, ad signa prævia excidio orbis; sed melius hæc referas ad signa excidii urbis, de quibus hactenus egit: hoc enim significat *Tò nunc*.

Luc. 17. 23. Mar. 13. 21.

B ECCE HIC EST CHRISTUS] Sciebant Judæi jam tunc instare tempus adventus Messiæ, sive Christi, eo quod translatum esset sceptrum a Juda ad alienigenam Herodem & Romanos, juxta vaticinium Jacobi, Gen. 49. 10. Unde tunc multi adulantes Vespasiano, dixerunt ipsum, utpote victorem Judææ, esse Messiam, teste Sveronio in Vespasiano. Alii adulantes Herodi, dixerunt ipsum esse Messiam. Insuper tunc in Hierosolyma, teste Josepho & S. Hieron. tres fuere factiones, quæ singulæ suos habebant duces, qui se venditabant pro Messia, qui Judæos defenderet contra Romanos. Hi duces fuere Eleazarus filius Simonis, Joannes filius Leviæ, Simon filius Goriæ, inter se de principatu decertantes. Talis quoque fuit impostor ille, qui sub Adriano Imp. finxit se esse Messiam; ideoque vocari voluit Barchochabas, id est, filius stellæ, quasi in eo impleretur illud Balaam de Messia vaticinium; *Orietur stella ex Jacob*, Num. 24. 17 De quo Euseb. l. 4. Hist. c. 6. *Tempore*, inquit, *quo ista gerebantur, ducebat exercitum Judæorum Borchochabas quidam, quod nomen significat stellam, cæterum vir crudelis, & scelestus. Sed & vocabulo suo velut vilibus mancipiis persuadebat, se ob salutem eorum sidus magnum, agris mortalibus, & longa obscuritate damnatis ferre lucis auxilium.* De eodem vide & Galatium l. . de Arcanis fidei, c. 21.

Impostores & seductores varii.

C Tales nostro hoc ævo fuere David Georgius & Joannes Leydanus rex Anabaptistarum, qui occupato Monasterio, urbe Westphaliæ, ibi se Christum regem constituit, ad duodecim Apostolos creavit, quos ad omnes vicinas urbes misit, ut ad suum Christum omnes adducerent; sed a Catholicis, obsessus & captus, vivus in crate viminea ex apice turris suspensus, a muscis, avibus & vespis corrosus interiit anno Domini 1536. Historia impressa extat. Plures tales erunt sub tempora Antichristi. Tales etiam Tropolice sunt hæresiarchæ, qui alium Christum nobis venditant, hoc ipso, quo alia dogmata afferunt, quæ non sunt Christi, sed Antichristi. Ita Origenes & S. Augustin. ep. 80. ad Hesychium. Licet enim *Tò tunc* proprie notet tempus excidii urbis Hierosolymæ, tamen accipi potest indefinite, & confuse, ut extensive notet tempus quodlibet, quod erit ab excidio Hierosolymæ usque ad finem mundi, uti notat S. Chrisost. hom. 77. Causam dabo v. 29. Porro inepte hæretici per *Tò si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus*, censent notari Catholicos, qui de

D Eucharistia dicunt: *Ecce hic est Christus*. Loquitur enim Christus de hæreticis & pheudoprophetis visibilibus, qui se dicent esse Christos, ut discipulos post se abducant; non autem de Eucharistia, ubi Christus est invisibilis.

VERS. 24 SURGENT ENIM PSEUDOCHRISTI, ET PSEUDOPROPHETÆ (jam dicti:) ET DABUNT SIGNA MAGNA, ET PRODIGIA, ITA UT IN ERROREM INDUCANTUR (SI FIERI POTEST) ETIAM ELECTI] *Signa*, per artem magicam, ope diaboli, quem multi hæresiarchæ habuere paredrum, id est, assessorem & familiarem, ut ostendi 1. Tim. 4. 1. Talis fuit eorum primus & princeps Simon Magus, qui suis signis & mirabilibus dementavit Neronem & Romanos, adeo ut Romæ ei statuam posuerint; sed ipse tandem ope dæmonis volans per aera, precibus S. Petri præcipitatus in terram, genua ad saxum allidens confregit, *ut qui volare tentaverat, ambulare non posset; & qui pennas assumpserat, plantas amitteret*, ait S. Maximus hom. 5. de SS. Petro & Paulo. Vide dicta Actor. 8. 9. & Matth. 7. 22.

Act. 8. 9.

ITA UT IN ERROREM INDUCANTUR (SI FIERI POTEST) ETIAM ELECTI] Errorem finalem intellige, q. d. Ut electi a fide & gratia desciscant, ideoque reprobentur & damnentur. Nam non est certius reprobationis signum, quam si quis a fide apostatet. Perperam ergo hinc Calvinus infert, electos sive prædestinatos non posse peccare: peccant enim, sed pœnitent & resurgunt, ut in gratia decedant. E

SI FIERI POTEST] q. d. Tanta erit tribulationis, & tentationis pseudochristorum & hæreticorum vis, fraus, fucus, & species, ut, si fieri posset, ab eis seducerentur, & in eorum errorem hæresimque transirent etiam electi, ideoque a fide excciderent & damnarentur. Sed hoc fieri non potest ob fortiorem Dei protectionem, & infallibilem Dei prædestinationem, ait S. August. lib. 20. de Civit. c. 19. juxta illud Christi: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet* (oves meas) *quisquam de manu mea*, Joan. 10. 28. Fieri enim non potest, ut electi cadant & reprobentur, ex necessitate non physica & absoluta, sed morali, quæ nititur Dei præscientia, & prædestinatione, eamque componit & combinat cum rerum futurarum eventu, quæ est necessitas, in sensu composito, non diviso, ut loquuntur Theologi. Etsi enim electi liberi sint, libereque possint peccare, errare, & damnari; tamen posito quod Deus prædestinarit, & præscierit eos non peccaturos, nec erraturos & damnandos, fieri nequit ut peccent, errent & damnentur: Dei enim prædestinatio & præscientia certissima est, & falli nequit. Quocirca hæc duo simul stare nequeunt, quod homo sit prædestinatus, & tamen damnetur; quod Deus præsciat hominem in gratia Dei moriturum, salvandumque, & tamen is in peccato moriatur & pereat. Simili modo de Judæis ait Jo. c. 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum*; non quasi Isaiæ prædictio causa fuerit, cur Judæi non crederent Christo; sed quod simul stare non posset Isaiæ prædictio de Judæorum incredulitate cum eorum credulitate. Et Paulus 1. Tim. 2. 19. *Firmum fundamentum* (de electis) *Dei stat habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus*. Vide ibi dicta. F

Fieri non potest ut electi damnentur in sensu composito.

Porro Theologi illi, qui dicunt electos ad gloriam fuisse homines ante omnem prævisionem operum, ex mero Dei beneplacito, necessitatem hanc salvandi eos, constituunt in vi divini decreti: sed & hi, ut libertatem hominis non lædant, debent id accipere pariter in sensu composito: componere enim debent electorum constantiam, & perseverantiam, cum Dei, de constantia hac eis eo modo ab eo suggerenda, ut libertatem non lædat, decreto, ejusque in tempore executione, dando scilicet in tempore gratiam eis congruam & efficacem, qua efficaciter, sed libere resistant hæreticis, ac in fide & gratia Dei perseverent. Neque magis mirum est, non posse cadere eos, quos Deus non vult cadere (voluntati enim ejus quis resistit?) quam non posse cadere eos, qui a Deo præsciti sunt quod non cadent. Tam enim infallibilis est Dei præscientia, quam voluntas. G

Arctius nonnulli cum Ambrosio Catharino per *electos*, hic accipiunt eximie dilectos & electos a Deo, qui idcirco ditissima a dæmone, hæreticis, & impiis pati solent, sed fortissime & constantissime resistunt & superant, q. d. Tanta erit tunc tentatio, ut etiam viri sanctissimi, Religiosi & Apostolici, qui eximie a Deo dilecti sunt, a fide excciderent, si fieri posset, nec obstaret potentior Dei gratia, & certior electio.

H ECCE PRÆDIXI VOBIS] tum futuros seductores, ut ab eis caveatis, tum futuras Hierosolymæ clades, ut eas vel fugiendo declinetis, vel fortiter sustinendo superetis. VERS. 25 Mar. 13. 23.

SI ERGO DIXERINT VOBIS: ECCE IN DESERTO EST (Christus) NOLITE EXIRE] Notat hic Christus Simonem Gerasenum Goriæ filium, qui in desertis & montibus collegit turbam prædonum & militum, quasi Messias Judæos contra Romanos defensurus ac in urbem Jerusalem admissus, ut Zelotas tumultuantes compesceret, æque ac illi tyrannice in cives grassatus est, teste Josepho lib. 5. Belli cap. 6. VERS. 26

ECCE IN PENETRALIBUS (Syrus, *in cubiculis*, id est, in intimis abditisque templi locis, ubi Deus suam Judæis præsentiam opemque exhibere solet, ut eos nunc per suum Messiam a Romanis protegat) NOLITE CREDERE] Notat hic Christus Eleazarum, & Joannem Zelotarum duces, qui interiorem templi aditum incenderunt, prætextu ut urbem contra Romanos tuerentur, sed revera ut urbi dominarentur, eamque expilarent. Ita Josephus libr. 6. Belli

A Belli c. 1. & 4. qui & lib. 7. cap. 11. ſcribit ardente templo, multos Judæorum confugiſſe in porticum extra templum, eo quod pſeudopropheta quidam eo die prædicaſſet, ſalvos fore, tutante Deo, eos qui ad templum confugiſſent, ſed hos omnes vel flammis, vel gladio Romanorum periiſſe.

Addit Lucas c. 17. 22. *Venient dies, quando deſideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis*, id eſt, veniet tempus, quo deſideretis meam præſentiam, quam jam habetis, tum ad veſtram in tanta tribulatione conſolationem, tum ad hæreſum & errorum, qui orientur, declarationem & confutationem.

VERS. 27 *Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem: ita erit et adventus Filii hominis*] q. d. Non eſt quod credatis etronibus, dicentibus, Meſſiam ſalvatorem Judæorum contra Romanos, eſſe abditum & occultum in locis deſertis, aut in templi penetralibus; quia cum ipſe in ſecundo ſuo adventu redibit ad judicium, ut ſanctos beet, impios condemner, non occulte, ſed publice toti mundo gloriosus, ut judex omnium, velut fulgur apparebit, in ſumma majeſtate & gloria, qua omnium oculos perſtringet & in ſe convertet, ut nemo de eo quin ſit Meſſias, & Chriſtus mundi ſalvator, dubitare poſſit, q. d. Adventus, id eſt, reditus meus ad judicium, inſtar fulguris erit. Primo, ſubitus; Secundo, inexpectatus, Tertio, omnibus manifeſtus; Quarto, glorioſus; Quinto, efficax, ut nemo ei reſiſtere valeat; Sexto, non in terra, ſed in aere toti orbi in momento, non in angulo, ſed in aere, ſicut eſt fulguris, quod conſpicuum ſe exhibet. Reſpondet enim Chriſtus Apoſtolis ad eorum mentem & opinionem: ipſi enim opinabantur Chriſtum, glorioſum ſuum regnum inchoaturum in terra ſtatim poſt excidium Hieroſolymæ. Ita S. Chryſ. *Sicut*, inquit, *fulgur non indiget præcone aut nuncio, ſed in momento omnibus apparet, ſic adventus ille ubique ſemper ſplendere ſtatim videbitur*. Et auctor Imperfecti: *Sicut fulgor*, ait, *in ictu oculi univerſa pertranſit, ſic & Filius Dei non veniens adhuc, ſed etiam veniſſe videbitur. Si enim ſol, qui ad miniſterium noſtrum creatus eſt, tantam habet ſplendoris virtutem, ut in quacumque parte cœli fuerit, ubique appareat quaſi præſens, quanto magis ſol ſpiritualis Chriſtus, cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur?*

Ser malogia fulguris & Chriſti.

Addit etiam auctor, fulguris hic meminiſſe Chriſtum, eo quod fulgura præibunt eum glorioſe venientem ad judicium, juxta illud Pſ. 96. 3. *Ignis ante ipſum præcedet; & deflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota eſt terra, montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini*. Fulgur enim proprie eſt illa coruſcatio & luminis vibratio, quæ ante cernitur, quam tonitruum audiatur, cum ſimul fiant, eo quod viſus celetior ſit auditu, quia lux ſonitu eſt velocior, ait Plin. l. 2. c. 43. Additque: *Si in nube luctetur fluxus aut vapor, tonitrua edi; ſi erumpat ardens, fulmen; ſi longiori tractu latitaverit, fulgetra. His ſcindi nubem, illis perrumpi.*

VERS. 28 Luc. 17. 37. *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*] Alludit ad Job 39. 33. *Et ubicumque cadaver fuerit* (Hebr. *occiſi fuerint*) *ſtatim adeſt*. Poſt metaphoram fulguris ſubjicit parabolam aquilæ, tum quia aquila fulgure non tangitur, ſicut electi non tangentur fulmine ſententiæ & maledictionis, qua Chriſtus in die judicii impios damnabit ad tartara: tum ne Apoſtoli putarent glorioſum Chriſti adventum, inſtar fulguris tranſiturum & abiturum, dicerentque: Quid ergo ex eo nobis præmii accidet? occurrit Chriſtus, ſe quidem omnibus appariturum ut fulgur, ſed cum electis permanſurum, eoſque gloria ſua paſturum, ſicut aquila paſcitur corpore, quaſi præda & eſca ſua.

Corpus] Videtur Interpres legiſſe σῶμα, uti & nonnulli jam legunt, ſed plures legunt πτῶμα, quod proprie ſignificat ruinam & caſum, indeque cadaver: dicitur enim πτῶμα πίπτειν, ſicut cadaver a cadendo. Noſter tamen Salmeron πτῶμα accipit pro præda & venatione, ſive pro corpore avis, leporis alteriuſve animalis, quod venatur aquila: hoc dicitur πτῶμα, quia quæ capiuntur animalia ab aquila, ea in terram illa proſternente cadunt; nam aquila adeo generoſa eſt, ut non veſcarur cadavere aut morticino, niſi eo, quod ipſa vivum ceperit & necarit.

Ariſtoteles tamen lib. 9. Hiſt. anim. c. 32. recenſes ſex ſpecies aquilarum, inter eas numerat γυπάετον, id eſt, aquilam vulturinam, ſive ἀετόγυπον, id eſt ſub aquilam, quæ vulturis ſectatur cadavera, iiſque paſcitur. Unde Septuag. Job 39. 33. vertunt vulturem, a Plinio lib. 10. cap. 3. ὑπαιετόν τε, id eſt alis nigris alata dicitur, quia ſcilicet alæ ejus nigris diſtinctæ ſunt maculis. Et de hac Chriſtum hic loqui cenſet Aldrovandus in Aquila, & alii. Utraque ſignificatio, & lectio huic loco congruit, uti mox oſtendam.

Ubi fuerit corpus, congregabuntur, & aquilæ quid?

Eſt parabola ænigmatica, ſive ænigma parabolicum, ſignificans rem latere non poſſe, q. d. Chriſtus: Sicut aquilæ ſuam prædam, ſive corpus, quod prædantur, illico ex alto cernunt, in illudque involant: & ſicut aquila vulturina odoratur cadaver etiam remotiſſimum, ad illudque advolat; ſic pariter meus glorioſus in mundum ad judicium adventus & reditus, non erit occultus, ſed omnibus manifeſtus: quare tunc fideles & juſti, velut aquilæ acutiſſimi viſus, & velut ſub aquilæ ſagaciſſimi odoratus, per vim divinam me odorabuntur, id eſt, præſentient, imo oculis cernent, & ad me advolabunt, ut me meaque gloria feliciſſime reficiantur, paſcantur & beentur in æternum; ac proinde tunc non opus erit inquiſitione, ubi ſit Chriſtus; utpote cujus adventus erit glorioſus & toti mundo conſpicuus. Hoc eſt, quod ait Paulus: *Rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus*, 1. Theſſal. 4. 17.

Cadaveri ſe comparat Chriſtus, ut noret ſuam mortem, per quam nobis gloriam meruit: corpori quoque redivivo, ut noret glorioſam ſuam reſurrectionem, qua electos ſuos paſcet & beabit. Unde S. Hilarius ex hoc loco colligit judicium Chriſti univerſale futurum uno loco, ubi Chriſti cadaver pependit in cruce ac ſepulcrum eſt, puta prope Jeruſalem in valle Joſaphat, uti docet Joel c. 3. v. 2. Audi S. Hilarium: *Sanctos de volatu ſpiritualis corporis aquilas nominavit, quorum congregantibus angelis conventum futurum in loco paſſionis oſtendit: & dignevillic claritatis adventus expectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis paſſione corporeæ humilitatis operatus eſt*, &c. Sic & S. Hier. *Aquilæ*, ait, *ſunt, qui aſſumunt pennas, ut ad Chriſti veniant paſſionem*. Ratio eſt, quia congruum eſt, ut Chriſtus ibi judicet omnes, ubi pro omnibus ipſe inique judicatus eſt; ibique conſpiciatur ejus majeſtas, ubi antea viſa eſt ejus abjectio & humilitas; ut ibi deſcendat de cælo, unde ad cælum aſcendit; & ſic totum opus ſalutis noſtræ eodem loco, quo incœptum & provectum eſt, compleatur, & terminetur.

Sancti ſunt Aquilæ. Primo.

Porro Sancti recte comparantur aquilis: Primo, quia aquila eſt rex avium, ſicut leo animalium: ſic & Sancti, reges ſunt non terræ, ſed cæli. Audi Origenem: *Non dixit. Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur vultures, aut corvi; ſed aquilæ; volens oſtendere, magnificos & regales omnes, qui in paſſione Domini crediderunt.*

Audi quoque auctorem Imperfecti, qui per aquilas intelligit vultures: [De vulturibus enim dicit Scriptura in Job. Quoniam ubicumque fuerit corpus, illic inventur vulturum pulli. Hoc enim naturale eſt vulturum, ſicut dicunt quidam, ut etiam tranſmarina cadavera ſentiant. Quoniam ergo turpes aves ſunt vultures, ideo vulturinis quidem moribus aptavit nomina aquilarum, ut in moribus quidem vulturum, Sanctorum congregatio oſtendatur ad Chriſti adventum; in aquilis autem regalibus regalis dignitas oſtendatur: ideo enim Sancti aquilis aſſimilantur, quia, ſicut filii aquilarum ad ſolem probantur, ut ſi quidem recto aſpectu intendere potuerint contra radios ſolis, intelligantur eſſe legitimi, ſi autem non potuerint, cognoſcantur adulterini: ſic & filii Dei ad Chriſti juſtitiam comprobantur; ſi enim potuerint pleno corde juſtitiæ verba ſuſcipere, intelliguntur eſſe legitimi, ſi autem non potuerint, cognoſcuntur de diabolo eſſe nati.]

Secundo.

Secundo, quia, ut ait S. Ambroſius in Lucæ cap. 18. aquilæ ſe renovant, ſic & Sancti ſe renovant, hic per gratiam, in futuro per gloriam, juxta illud: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*, Pſal. 102. 5.

Tertio.

Tertio, quia aquila aliquid habet divini, unde Ariſtoteles l. 9. Hiſt. anim. c. 32. *Aquilæ*, ait, *volant ſublimes, ut perquam maxime procul aſpiciant: quapropter homines ſolam avium omnium aquilam divinam eſſe perhibent*. Hinc S. Chryſoſt. per aquilas intelligit angelorum, Martyrum, cæterorumque Sanctorum multitudinem, qui omnes, quaſi divini ſpiritus, congregabuntur ad Chriſtum Deum ſuum in die judicii, ut cum eo in cælum glorioſi conſcendant.

Quarto.

Quarto, Sancti ſunt aquilæ, quia volant ſuper terram, & in cælum conſcendunt, ut cæleſtia aſpiciant, terrena quaſi longe infra ſe, & in imo poſita deſpiciant: unde cum Paulo dicunt: *Noſtra converſatio in cœlis eſt*.

Phi-

A Philip. 3. 20. vide ibi dicta. Vide & S. Greg. lib. 31. Mor. c. 19. ubi explicans illud Job c. 39. *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum sibi?* Ubi inter alia ait, quod electi quasi aquilæ *cuncta quæ præterfluunt sub sese videant, atque omne quod in mundo eminet, amore eternitatis calcent.*

Quinto. Quinto, sicut aquilæ firmi & acuti sunt visus, adeo ut irretortis oculis fixe solem intueantur: sic Sancti acutis mentis oculis assidue Christum, qui sol est justitiæ, contemplantur,

Allegor. Allegorice, corpus Christi est Ecclesia, ubi sunt aquilæ, id est, homines spirituales, qui cælestis sunt doctrinæ & vitæ: e contrario hæretici sunt quasi corvi atri & garrulæ picæ, & sicut talpæ, qui toti terræ & terrenis incumbunt, Audi S. Ambr. in Luc. c. 17. v. ult. paucis sensus jam datos, aliosque plures perstringentem: *Nonne tibi videntur aquilæ circa corpus, quando veniet in illa die cum intelligibilibus nubibus Filius hominis, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt? Est etiam corpus, de quo dictum est: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Circa hoc corpus verè aquilæ sunt, quæ alis circumvolant spiritualibus. Sunt & circa corpus aquilæ, quæ credunt Jesum in carne venisse: quia omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse de Deo est. Ubi ergo fides, ibi sacramentum, ibi diversorium sanctitatis, & etiam corpus Ecclesia, in qua per baptismi gratiâ renovamur spiritu, & occidua senectutis in redivivas reparantur ætates.*

B

Anagog. Anagogice, Beati post resurrectionem in die judicii ad corpus, id est, ad Christum jam redivivum & glorioſum congregabuntur, quasi aquilæ, ut cum eo in cælum ad vitam beati evolent: in aquilis enim notatur dos agilitatis Beatorum, juxta illud Isaiæ 40. ult. *volabunt ut aquilæ.* Vide ibi dicta. Unde ex S. Gregor. S. Thomas in Catena sic exponit: *Ubicumque fueris corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, q. d. *Quia cælesti sedi incarnatus præsideo, electorum animas cum carne solvere, ad cælestia sublevo.* Et S. Ambr. in Ps. 48. sub finem pro *corpus*, legens *ruina* (hanc enim significat Græcum σπῶμα) *Ubi ruina*, ait, *ibi & aquilæ, id est, ubi ruina, ibi & resurrectio. Ruina vacua firmitatis est: resurrectio plenitudo vivendi est: adeoque nos Adæ illius ruina vacuavit, sed Christi replevit gratia.* Rursum aquila symbolum est æternitatis beatæ Sanctorum: ipsa enim vivit diutissime, & cum senescit, renovando se juvenescit. Unde provertium, *aquilæ senectus.*

C

Symbolice aquila symbolum veritatis, & angelorū. Symbolice, aquila, quia acuti est visus, symbolum est veritatis. Unde S. Ambr. de Fide resurrectionis: *Ubi corpus*, inquit, *illic aquilæ: ubi Christi corpus, ibi veritas.* Rursum aquila symbolum est Angelorum, ob celeritatem. Unde S. Ambr. lib. 1. de Sacram. c. 2. hæc accipit de Eucharistia. q. d. In Eucharistia, ubi corpus est Christi, assistunt aquilæ, id est angeli, item Sacerdotes & Sancti, qui sunt quasi aquilæ, & angeli cælestes. Idem l. 4. c. 2. *Forma corporis*, inquit, *altare est, & corpus Christi est in altari: aquilæ vos estis, renovata ablutione delicti.*

Vers. 29 Luc. 21. 25. 26. Mar. 13. 24. 25. STATIM AUTEM POST TRIBULATIONEM DIERUM ILLORUM, SOL OBSCURABITUR & LUNA NON DABIT LUMEN SUUM, & STELLÆ CADENT DE CÆLO, ET VIRTUTES CÆLORUM COMMOVEBUNTUR] Transit Christus ab excidio urbis ad excidium orbis, illiusque signa prævia, quibus instare cognoscatur, assignat,

Tribulatio hic quid? *Tribulationem* intellige tum persecutionem & tentationem, quam afferent pseudoprophetæ & hæresiarchæ, de qua egit vers. 23. ita S. Chrysostomus: tum potius tribulationem Judæorum in obsidione Jerusalem, obsidente eam Tito & Romanis: hanc enim solam vocavit tribulationem paulo ante vers. 21. Ubi nota cum S. Chrysost. Hieronymo, Theophyl. Euthymio & aliis, Christum ut discipulos suos eorumque posteros, expectatione adventus sui & diei judicii suspensos teneat, ad eumque assidue se comparare stimulet, videri errorem Apostolorum fovere; ac ita loqui quasi statim post excidium urbis foret excidium orbis; idque alio quam Apostoli intelligebant sensu, eoque vero: tum quia licet 1560. anni jam fluxerint ab excidio Jerusalem, ac plures fluent usque ad finem mundi; tamen omne hoc tempus, licet nobis, qui angustis brevis ævi & vitæ terminis claudimur, longissimum videatur, cum æternitate tamen Dei, qui verus temporum est mensor comparatum, valde modicum est, & instar momenti. Ita respondet S. Petrus ep. 2. c. 3. v. 8. & 9. *Unus dies*, inquit, *apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam.* Hac de causa Prophetæ & Apostoli tempus Christi & legis Evangelicæ vocant *novissimum & horam novissimam*, ut patet 1. Jo. 2. 18. 1. Cor. 10. 11. Jacobi 5. 8. Heb. 10. 37. Eadem de causa Aggæus c. 2. v. 4. ait modicum fore tempus usque ad Christum, tum tamen ab Aggæo ad Christum fluxerint 517. anni: tum quia statim post hanc urbis tribulationem succedet tribulatio orbis, cujus illa fuit typus & præludium, eo quod nulla insignis & antonomastica Judæorum tribulatio media intercesserit, vel intercedet inter tribulationem urbis & tribulationem orbis, sed hæc illi proxime succeſſura sit non tempore, sed typo, similitudine, paritate & atrocitate. Hac de causa Isaias, Jeremias, cæteriq; Prophetæ describentes excidium Babylonis, Tyri, Ægypti, Judææ per Chaldæos, illico ab illo transeunt & saliunt ad ejus antitypum, scilicet ad excidium orbis, quasi mox futurum; ac acerbitatem unius, per signa & horribilia, quæ futura sunt in altero, explanant, ut patet Isaiæ 13. 19. Jer. 15. 9. Amos 8. 9. Joelis 2 10.

D

Ex dictis liquet, minus genuine Alcazarium in Apoc. c. 6. v. 12. ex τῷ tunc, colligere hæc omnia ad litteram pertinere ad excidium non orbis, sed urbis Jerusalem; de quo hucusque egit Christus. Quocirca ipse per solis & lunæ obscurationem, ac stellarum casum ad litteram accipit Judæorum excæcationem, calamitates & clades illatas per Titum & Romanos; per virtutum cælorum commotionem, accipit Christianorum fugam e Jerusalem imminente obsidione; hi enim sua sanctitate urbem sustentabant: unde iis fuga lapsis, urbs impia cædi a Deo addicta ruit & periit. Verum nemo non videt hæc esse mystica & symbolica, non literalia.

E

Sol obscurabitur] Nota hoc signum & sequentia non fore post generalem resurrectionem, uti censent S. Hieron. & Chrysost. sed ante eam, ut patet ex Luca c. 21. 26. & Joele cap. 2. v. 31. Jam quoad sensum, S. Augustin. epist. 80. ad Hesychium: *Sol*, ait, id est Ecclesia, *obscurabitur*, quia in tanta tribulatione & tentatione, quanta erit in fine mundi, multi cadent a fide & gratia, qui videbantur esse illustres firmique ut sol & stellæ. Hic sensus allegorice probus est & appositus: nam hæc plane ad litteram, uti sonant, accipienda esse patet ex Luca, & idipsum passim docent Patres & Interpretes.

F

Solis obscuratio unde? Quæres, unde manabit hæc tanta solis sub diem judicii & finem mundi obscuratio? Respondet S. Hilar. Hieron. Chrysost. Theophyl. ex eo quod tanta erit claritas corporis Christi glorioſi, ut solem obscuret. Verum jam dixi hæc signa fore ante communem resurrectionem, & consequenter ante Christi adventum ad judicium. Resp. ergo solem obscurandum ex eo, quod Deus subducendo soli concursum suum, non quidem lumen, sed vim illuminandi, radiosque suos spargendi illi adimet, quo fiet ut in sole sit lux, in terra vero mere tenebræ, uti fecit in passione Christi, ut ejus indignitatem ostenderet; utpote cum sol, luna, terra, petræ, omniaque elementa lugere viderentur, imo indignari, & fremere in Judæos christicidas, velleque quasi in eos insilere ac exterminare. Rursum Deus inducto fumo & nube densissima solem occultabit; forte etiam ad hoc accedent extraordinariæ & miraculosæ eclypses, ut colligitur ex Lactantio lib. 7. cap. 16. Plura hac de re dixi Apoc. 6. v. 12. ad illa: *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.*

G

Hujus solis in fine mundi obscurandi typus fuere, calamitas & prodigia facta in excidio Babylonis, Tyri, Ægypti, Idumææ, Moabitarum, &c. ideoque Prophetæ cum de iis loquuntur, per catechresin dicunt, in eo solem fuisse obscuratum, lunam quoque & stellas, ut significent atrocitatem cladis, quia videlicet ita incolæ & cives illarum urbium & regnorum tunc afflicti fuere, ut iis perculsis & attonitis, sol omneque cælum obscurari & atra caligine subduci, tremere & concuti videretur; atrocitas enim calamitaris hominibus inducit vertiginem, & caliginem, at tristibus & afflictis omnia tristia, & afflicta videntur; & quia harum urbium clades, præludia erant, & typi claudium futurarum in excidio orbis, ubi revera ad litteram sol, luna, & stellæ obscurabuntur. Vide dicta locis Isaiæ, Jeremiæ, Amos, & Joelis paulo ante citatis.

H

Sole obscurato, luna necessario obscuratur. Et luna non dabit lumen suum] Sole enim obscurato, necesse est & lunam obscurari; utpote quæ a sole suum lumen haurit; unde ad solem accedens apparet plena, recedens semiplena & corniculata. S. Joannes Apoc. 6. 12. ait: *Et luna tota facta est sicut sanguis.* Vide ibi dicta.

Symbolice auctor Imperfecti. *Patre familias moriente*, ait, *tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, & conscissis tunicis suis, nigris se operiunt vestimentis: sic & humano*

A *no genere, propter quod omnia fuerunt creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa cæli ministeria lugent, & candore depositio, pro vestibus, luctuosis tenebris vestiuntur. Nam sol obscurabitur, & luna non dabit lumen.*

Stellæ cadent. Primo. ET STELLÆ CADENT DE CÆLO] Primo, quia stellæ sub finem mundi obscurabuntur (æque ac sol & luna, e quibus planetæ, &, ut nonnulli putant, cæteræ quoque stellæ, lumen suum mutuantur) ut videantur hominibus cælo excidisse. S. Scriptura enim sæpe loquitur de rebus non uti in se sunt, sed uti hominibus videntur, & apparent. Ita S. Hieron. Beda, & passim Scholastici.

Secundo. Secundo, *stellæ*, id est cometæ, & similes stellæ, quæ in aere gignuntur, tunc ex eo in terram decident, colligitur id ex Joelis 2. 30.

Tertio. Addit S. Chrysost. & Euthym. in fine mundi proprie dictas stellas & sydera e cælo casura. Quod intellige de stellis minimis, quæ proinde non apparent, nobisque sunt invisibiles; nam alioqui stellæ visibiles majores sunt tota terra, ideoque in eam cadare nequeunt, uti docet P. Clavius & alii in Sphæra. Vide dicta Apoc. 6. 13. & c. 8. v. 10. & 12.

B Virtutes cælorum movebuntur. Primo. ET VIRTUTES CÆLORUM COMMOVEBUNTUR] Origenes, S. Chrysost. Theophyl. Euthymius, per *virtutes* intelligunt septimum angelorum chorum, sive ordinem, qui dicitur *virtutes*, eo quod vi & robore polleat, q. d. Hi angeli, licet potentissimi, videntes tamen solem lunamque obscurari, & stellas de cælo cadere, pluraque horrenda prodigia in fine mundi multiplicari, quasi attoniti ad tantas mutationes, & terrores obstupescent.

Secundo. Huc accedit Franciscus Suarez 3. p. qu. 59. art. 6. disp. 56. sect. 3. Virtutes cælorum, ait, sunt angeli, qui magna vi cælos gyrant & movent: hi commovebuntur, quia ipsi quasi ministri divinæ justitiæ & vindictæ in impios, mutabunt ordinem, & modum solitum movendi cælos, qua de causa omnia inferiora miscebuntur, ac sursum deorsum ibunt.

Tertio. Verum simplicius per *virtutes cælorum*, accipias ipsa signa, eorumque influentias, sive vires influendi in hæc inferiora, q. d. In fine mundi astra cæli maxima & validissima, mutabunt suos motus, aspectus, influentias, itaque omnia in terris perturbabuntur, ut terra insolitis motibus quassetur, mare exundet; aer nubibus, cometis, fulgetris, tonitruis, aliisque meteoris & tempestatibus ita concutiatur, ut omnia everti videantur.

C Quarto. Denique pleniſſime per *virtutes cælorum* accipias polos & cardines, qui sunt quasi στρόφιγγες, Heb. גבורות *gibburoth*, id est, robora, fortitudines, & firmamenta cælorum, q. d. Cæli omnes in fine mundi concutientur, & e suis polis & cardinibus convellentur, ut deorsum ruere videantur, idque ut hominibus impiis terrorem injiciant, ac Christi irati indignationem repræsentent. Hoc enim facere Deo est facile, ac terrori illius diei, impiorumque, & mundi excidio congruum. Fusius hac de re egi Apoc. 6. v. 14. Alludit ad Job c. 26. 11. *Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*; & ad Isaiæ c. 34. 4. *Tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia* (omnia sidera) *eorum defluet, sicut defluit folium de vinea*, vide ibi dicta (Nam, ut ait Beda in Luc. c. 21. v. 5. & seq. *Quomodo impulsæ ad casum arbores fragoris motusque sui præmittere solent indicia; sic termino mundi appropinquante, quasi paventia nutabunt ac trement elementa*, & cæli, ut per ignem conflagrationis ardentia & quasi morientia, cum Sanctis resurgant, & in glorioſum felicitatis statum innoventur. Multo plura mundi perituri indicia signaque prævia assignat Joannes Apoc. toto c. 8. 9. & 16. Vide ibi dicta.

D

VERS. 30 *Luc. 21. 27. Mar. 13. 26.* ET TUNC PAREBIT SIGNUM FILII HOMINIS IN CÆLO: ET TUNC PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ: ET VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS CÆLI, CUM VIRTUTE MULTA, ET MAJESTATE] Syrus & Arabicus *gloria*. Quæres quodnam est signum Filii hominis, id est, Christi incarnati? Resp. est Crux: hæc enim est signum, quia ipsa est vexillum Christi & causa victoriæ fidelium, infidelium vero, & impiorum olim fuit scandalum; sed eorumdem in die judicii erit condemnatio, & tormentum. Ita S. Chrys. Hier. Hilar. Beda, Theoph. Euthym. Janſen. Maldon. & alii passim hic, ac S. Leo ep. 97. & fuse S. Aug. serm. 13. de Temp. imo Ecclesia, quæ in officio S. Crucis canit. *Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit*. Causæ cur crux apparebit, sunt tres: Prima, ut significetur Christū per crucem sibi hanc gloriam & potestatem judiciariam meruisse. Secunda, ut indicetur Christum pro salute omnium fuisse crucifixum, ac proinde ingratos esse, & inexcusabiles, qui tantam ejus gratiam & charitatem neglexerint. Tertia, ut ostendatur omnes Christi crucifixi cultores, jam cum ipso esse exaltandos in cælum, & omnes ejus osores dejiciendos in gehennam.

Quodnam est signum Filii hominis? Crux erit in die judicii ob tres causas. Primo. Secundo.

E Tertio.

Ex hoc ergo Christi dicto, valde probabile est ipsissimam Christi crucem, in die judicii apparituram in cælo, ad consolationem Sanctorum, qui per illam salvati fuere, ideoque Christo crucifixo se in vita per patientiam, & mortificationem conformare studuerunt; ac condemnationem & exprobrationem impiorum, qui crucem Christi aspernati, illique ingrati, voluptates suas cruci & mortificationi antetulerunt. Ita censet Chrysost. hom. de cruce & latrone, ac Thomas Vvaldens. tom. 3. de Sacramentis tit. 20. c. 198. Idem prædixit Sybilla lib. 6. carminum, dum de cruce ita canit:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit;
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

F Contrarium tamen censet S. Anselm. in Elucidario, Abulensis, & Janſen. hic; scilicet in die judicii non comparituram veram Christi crucem, sed signum sive imaginem crucis in aere ab angelis formatum, & pictum; ac favet vox *signum*.

Porro S. Chrysost. & Aug. loco jam citato, ac Cyrillus catechesi 15. docent, hoc crucis vexillum ab angelis, deferendum ante conspectum Christi judicis, descendentis ad judicium quasi trophæum victoriæ, ac insigne regale summæ potestatis & imperii.

An & corona, flagella &c. Insuper noster Salmeron: *Credunt*, ait, *Doctores Ecclesiæ cum cruce etiam columnam, flagella, spineam coronam, clavos, spongiam, lanceam & reliqua passionis instrumenta, ob causas jam dictas apparitura in die judicii. Unde D. Th. op. 2. c. 244. asserit quod veniente Domino ad judicium, signũ crucis & alia passionis indicia demonstrabuntur*. Hoc probabile est, at non certum, quia nusquam expressum.

Denique tunc signum crucis apparebit in singulis electorum frontibus, juxta illud Apoc. 7. 3. *Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*: & illud Ezech. 9. 4. in sensu allegorico: *Signa thau* (id est signum crucis) *super frontes virorum gementium & dolentium*: ut significetur illos per crucem perveniſſe ad gloriam, & merito crucis cælum possidere. Vide ibi dicta. Audi S. Augustin. serm. 130. de Tempore: *Considerasti quanta virtus sit signi, hoc est crucis: sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum: crux vero fulgebit & obscurabit luminaria cæli, delapsisque sideribus sola radiabit, ut discas quoniam crux & luna lucidior, & sole erit præclarior, quorum splendorem, divini luminis illustrata fulgure, superabit. Quemadmodum enim ingrediente rege in civitatem, exercitus antecedit, præferens humeris signa atque vexilla regalia, & ambitum præparationis armisonæ, annunciat regis introitum; ita Domino descendente e cælis, præcedet exercitus angelorum, qui sinum illud, id est, triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, divinum regis cælestis ingressum terrestrium mentibus nunciabunt*. Et inferius: *Sed quare crux apparebit tunc? ut cognoscant consilium iniquitatis*.

G Plura de hoc crucis signo vide apud Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. sect. 2.

ET TUNC PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ] id est multi ex omnibus tribubus, scilicet omnes reprobi & damnandi plangent, quod salutem suam, quæ Christo tam cara steterit, ut crucifigi debuerit, neglexerint: electi enim gaudebunt & jubilabunt, quod per crucem se salvatos, & beatos videant. Est ergo hic distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut loquuntur Logici. Causam planctus dat S. Aug. serm. 130. de Temp. dicens; [Quia tunc plangent omnes tribus terræ, videntes accusatorem suum, id est, ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscent peccatum suum, sero, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris si crucem afferens veniet, ubi & ipsa vulnera ostendit? *Et S. Chrys.* Et tunc, *ait*, plangent se omnes tribus terræ: Visa enim cruce, considerabunt quod mortuo eo nihil profecerunt, & quoniam crucifixerunt eum quem adoraris oportebat, *Et S. Hier.* Recte autem dicit tribus terræ. Hi enim plangent qui municipatum non habent in cælis, sed scripti sunt in terra. *Rursum audi Chrisost. hic hom. 77.* Crucem autem secum habet, ut peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur, veluti si quis lapide percussus ipsum lapidem, vel cruentas vestes in testimonium ostendat.]

H

Porro

Digitized by Google

A Christi exprobratio ad impios.

Porro plangent, quia, ut ait auctor Imperfecti hom. 49. tunc Christus impiis dicet, & exprobrabit: (Ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus, & delusus & cæsus, & crucifixus sum, ubi est tantarum mearum injuriarum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi ego redemptione animarum vestrarum, ubi est servitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei debetis? Ego super gloriam meam vos habui, cum essem Deus apparens homo, & viliorem me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terræ amplius dilexistis, quam justitiam meam & fidem:] *Et nonnullis interjectis:* [Merito plangent se, quia tunc, neque pecuniæ divitibus prosunt ad eleemosynam faciendam, neque parentes justi pro parentibus intercedunt, neque ipsi angeli pro hominibus, sicut solebant, faciunt verbum, quia non recipit natura judicii misericordiam, sicut nec tempus misericordiæ judicium, dicente Propheta: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Misericordia in priori adventu, judicium in secundo.)

B Planctus S. Bernardi.

Audi plangentem, imo horrescentem S. Bern. ser. 16. in Cant. (Paveo gehennam, paveo judicis vultum ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a tempestate valida, a voce Archangeli, & a verbo aspero. Contremisco a dentibus bestiæ infernalis, a ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem & sulphur & spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores. *Unde ingemiscens subjicit*: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum pedumque dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem & cibus ignis?

Denique noster Lud. Alcazar in Apoc. c. 6. sub finem, ex Forerio hæc omnia ad litteram accipit de excidio Judæorum per Titum. Tunc *enim*, inquit, *plangent omnes tribus terræ*, id est, omnes gentes ad Christum traducentur, & pœnitendo plangent peccata sua, ac *videbunt filium hominis in nubibus*; cum scilicet Christus eis per Apostolos gloriam prædicationis Evangelicæ, velo sermonis quasi obtectam ostendet. *Et mittet angelos cum tuba*, id est, suos concionatores, cum tuba prædicationis Evangelicæ; *& congregabunt electos a quatuor ventis*, scilicet eos prædicatione sua ad Christum convertent. Fatetur tamen Alcazar Christum alludere ad diem judicii, indeque sumere comparationem. Verum ad litteram hic agi de excidio orbis, non urbis, liquet ex dictis, & ex Patrum interpretumque consensu: quare illa Alcazarii explicatio symbolica & ingeniosa est accomodatio non litteralis explanatio

Nubes. Cur? Causa Prima. Secunda. Tertia.

ET VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS CÆLI] Causæ sunt, Prima, ut nubes temperet eximiam claritatem corporis Christi, quæ alioqui oculos reproborum excæcaret, Secunda, quia nubes symbolum est arcanæ divinitatis, Tertia, quia nubes sedes est, æque ac vehiculum & umbraculum gloriæ Christi. Hinc passim in veteri Testamento Deus Moysi & Prophetis apparebat in nube, ut patet Ezech. 1. 4. Exodi 19. v. 9. & 18. Alludit ad Dan. 7. 13. *Ecce in nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat*. Vide quæ hisce locis annotavi.

D

CUM VIRTUTE MULTA ET MAJESTATE] Græce, *cum magna fortitudine, & gloria*, Luc. 21. v. 27. *cum potestate magna*. Sicut enim Christus in primo suo in carnem mundumque adventu venit in magna carnis infirmitate, vilitate & contemptu: sic eodem meruit, ut in secundo veniat cum magno robore, gloria & majestate. Robur ejus & fortitudo apparebit in eo, quod ipso jubente omnes mortui, a morte resurgent in momento, quod omnes homines, angeli & dæmones, ipsum ut Deum, Dominum & judicem suum suscipient & venerabuntur; quod in omnes pro meritis feret sententiam, eamque efficacem, cui nullus resistere aut contradicere audeat. Majestas apparebit in immenso corporis splendore, in angelorum omnium ipsum stipantium multitudine, & decore, in nubis coruscantis amictu, item in præviis tubis, tonitribus, fulguribus, terræmotibus, &c. Vide Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. sect. 3.

VERS. 31 Matt. 13. 27

ET MITTET ANGELOS SUOS CUM TUBA, ET VOCE MAGNA: ET CONGREGABUNT ELECTOS EJUS A QUATUOR VENTIS, A SUMMIS CÆLORUM USQUE AD TERMINOS EORUM] Est hysteron proteron, sive inversus ordo: nam prius Christus mittet Angelos cum tuba, imo tubis multis toto orbe personantes, ut omnes mortuos, & sepultos ad vitam evocent, & ad judicium citent. Canente enim hac tuba, angeli plurimi singulorum mortuorum cineres colligent, ex iisque speciem corporis humani efformabunt, quod deinde organizabit & animabit Deus: animatos deinde, si sint sancti & electi, glorificabit & beabit: quare jam Beati ipsi per dotem agilitatis sibi inditam, illico ex quibuslibet mundi partibus transferent se comitantibus vel ducentibus angelis, in vallem Josaphat ad Judicium; reprobi vero, quia carebunt dote agilitatis, vel a dæmonibus, vel potius ab angelis rapientur. Plura de hac tuba dixi 1. Thessalon. 4. 15. Ea si lubet consule.

E

A QUATUOR VENTIS] Id est, a quatuor, sive ab omnibus mundi plagis, a quibus totidem venti spirant. Nam Eurus spirat ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster a Meridie, Aquilo a Septentrione. Unde explicans subdit:

F

A SUMMIS CÆLORUM, USQUE AD TERMINOS EORUM] Græce ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων, id est, ab extremo ad extremum, hoc est a termino uno cæli & terræ, usque ad alium eorumdem terminum, v. g. ab Oriente usque ad Occidentem: ἄκρα enim significat extrema quælibet, sive sint summa, sive infima, sive dextra, sive sinistra. Marcus c. 13. v. 27. *A summo terræ usque ad summum cæli*, quod idem est cum eo quod habet Matthæus. q. d. Ab uno extremo terræ, usque ad aliud extremum cæli & terræ. In extremitatibus enim suis, terra aspicientibus videtur jungi & cohærere cælo: in horizonte enim apparet terræ æque ac cæli finis, quasi ibi terra cælo copulerur, ac cælum in terram arcuando desinat, terræque insistat. Nil tamen obstat, quin *extrema cæli* hic proprie capiantur. q. d. Angeli congregabunt electos ubicumque sint, sive in cælo, sive in terra. Nam corpora Patriarcharum, qui cum Christo resurrexerunt, sunt in cælo: unde e cælo descendent in vallem Josaphat tempore judicii extremi.

Prius tamen videtur germanius, quia magis consentit cum verbis Matthæi, & cum quatuor ventis: Marcus enim sequi solet Matthæum.

G

AB ARBORE AUTEM FICI DISCITE PARABOLAM] q. d. A ficu discite similitudinem, discite ex fici analogia, id quod dixi de signis excidii orbis, cum illud imminebit. Fici præ aliis arboribus meminit Christus, quia ficus non nisi instante calore germinat frondes & grossos, eo quod succus ejus sit dulcissimus, ideoque concoctus; ad hoc autem opus est calore ætatis. Hinc Aristotel. lib. 9. Hist. animal. docet apum, quæ non nisi æstate volant & mellificant, cibum esse ficum, indeque conficere mel: ficus enim non aliud est, quam bursa mellis. Idem lib. 8. c. 21. asserit, porcos præcipue ali & saginari ficubus, & c. 7. ait, boves pingue scere dulcibus, ut ficu & passa. Idem lib. 3. cap. 10. docet, ficum similem esse lacti, illudque coagulare. *Cogitur lac*, inquit, *succo ficulno & coagulo. Succus lana exceptus pauxillo lacte abluitur, quod injectum lactis copiam densat atque colligat*: ejus enim succus est lacteus, ait Plinius, Rursum ficus non floret, sed ex fronde immediate fructus producit, eosque illico maturat. Unde Plin. lib. 15. cap. 19. *Admirabilis*, ait est, *pomi hujus* (fici) *festinatio, unius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ*. Adhæc, ficus præ omnibus fructibus suavis est, percocta, nil habens eruditatis, ideoq; sapidissima & suavissima. Unde idem l. 15. c. 19. *Fici*, ait, *mollis omnibus tactus: maturis frumenta intus, succus matureſcentibus lactis, percoctis mellis*. Additque, *panis simul & obsonii vicem ficus hæc implent; utpote cum Cato cibaria ruris operariis justa ceu lege sanciens minui jubeat per fici maturitatē, cum & obsonii vicem habeant recentes ficus*. Insuper est fertilissima, adeo ut in Hyrcania singulæ ficus quotannis proferant modios 270, ait Plinius ibidem cap. 18. Additque Romulum, & Remum sub ficu nutritos a lupa, adeoque ficum Romæ colli in foro.

H

Symbolice ergo per ficum innuit Christus, Sanctos & electos habere proferre dulcissimos, & plurimos honorum operum fructus, ut per eos mereantur in æstate resurrectionis gustare dulcedinem, & copiam cælestis gloriæ in omnem æternitatem.

Compertum Sanctis.

Ficus denique causa fuit excidii Carthaginis. Cato enim, ait Plinius lib. 15. c. 18. *cum clamaret omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex ea provincia ficum, Ostendensque patribus, Interrogo*

A *rogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? Cum inter omnes recens esse constaret. Æqui tertium, inquit, ante diem scitate decerptum Carthagine, tam prope a muris habemus hostem: statimque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est.*

Simili modo signa hæc, quæ Christus comparat ficui, erunt causa excidii orbis.

CUM JAM RAMUS EJUS TENER FUERIT, ET FOLIA NATA, SCITIS QUIA PROPE EST ÆSTAS] Ob causam jam dictam, quia scilicet succus fici dulcissimus in hyeme se colligens, latensque in radice, sub æstatem per calorem aeris elicitus, se dispergit in ramos, ibique in frondes, & ficus erumpit. Unde sicut arbor morus non germinat nisi post transacta frigora (ne ab eis germina lædantur) appetente jam calore & æstate, sic & ficus; indeque dicta est morus quasi μῶρος, id est fatua, eo quod minime sit fatua, sed arborum sapientissima.

VERS. 33 ITA ET VOS CUM VIDERITIS HÆC OMNIA (signa jam dicta) SCITOTE QUIA PROPE EST IN JANUIS] Imminet, imo quasi per januam, jam in terram ingreditur Christus Judex, ejusque gloriosum regnum, ac vestra *redemptio* (ut habet Lucas) hoc est resurrectio & gloria sempiterna. *Redemptio* enim significat liberationem ab omnibus
B malis, & miseriis, quæ erit messis, & post hyemem hanc æstas lætissima electis omnibus, ut innuit hæc parabola. q. d. *Sicut* frondente ficu imminet æstas, quæ suavissimos ficus, cæterosque fructus producit, sic cum videritis electos frondere tanta patientia, in hyeme tantarum tribulationum, quæ eis accident in finem mundi, scitote quod instet eis patientiæ merces, scilicet æstas resurrectionis & felicitatis, quæ omnium bonorum fructus & dotes eis cumulate afferet beante, & glorificante eos Christo judice.

VERS. 34 AMEN DICO VOBIS, QUIA NON PRÆTERIBIT GENERATIO HÆC, DONEC OMNIA HÆC FIANT] *Generatio* hæc scilicet hominum omnium, id est hoc sæculum, quod deinceps erit usque ad finem mundi. Ita Hieronymus, q. d. Ante finem mundi hæc omnia ut dixi evenient.

Secundo, Origenes, S. Hilarius, & Chrysostom. pressius accipiunt *generationem*, ut significet genus fidelium sive Christianorum recens a Christo genitum, cui Christus in Apostolis loquebatur, juxta illud: *Hæc est generatio quærentium Dominum*. Ps. 23. 6. q. d. Christianismus,
C quem induxi, non finietur, donec Christiani, qui mihi fideliter servierunt a me præmientur, beentur & coronentur in die judicii.

VERS. 35 CÆLUM ET TERRA TRANSIBUNT, VERBA AUTEM MEA NON PRÆTERIBUNT] *Transibunt*, id est mutabuntur, esse desinent, peribunt secundum præsentem conditionem & statum, ut in meliorem transeant, ac cum beatis glorificentur.

Addunt nonnulli cælos in fine mundi murandos, quo ad formam & substantiam, de qua re fuse disputavi 2. Petri 3. 13. & Isaiæ 34. 4.

Denique posset hæc gnome accipi, non assertive, sed comparative. q. d. Citius cæli transibunt & peribunt, quam mea verba transeant & pereant. Sicut ergo cæli, utpote solidissimi, qui quasi ære fusi sunt, ut ait Job, numquam peribunt, sic multo magis verba, id est oracula & decreta mea non excident, sed reipsa complebuntur, quia cælis ipsis sunt solidiora & firmiora, ita Jansen. Ego enim verbo meo cælos creavi & solidavi. Ita S. Chrys.

VERS. 36 DE DIE AUTEM ILLA (adventus mei religiosi ad judicium, ut electos beem, & ad regnum cæleste traducam) ET HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI CÆLORUM (incolæ, motores, & præsides) NISI SOLUS PATER] q. d. Nolite o Apostoli, quærere ex me quando sim rediturus judex, ac qua die futurum sit judicium universale, quia nemo id scit nisi Deus, qui alium quemvis id scire non vult. *Repressit eos*, ait S. Chrysost. *ne discere vellem quod angeli nesciunt*. Porro de tempore finiendi mundi variæ sunt sententiæ.

Quantum durabit mundus? Opinio Prima. Primo, multi opinantur, mundum finiendum postquam steterit sex millibus annorum, sicut sex diebus idem conditus est Gen. 1. juxta illud Eliæ dictum vel oraculum: *Sex millia mundus*. Hæc opinio est probabilis, ut fuse ostendi Apoc. 20. v. 4.

Secunda. Secundo, alii putant tot fore annos mundi post Christum, quot fuere ante eum. Id ab eis colligitur ex illo Abacuc c. 3. v. 2. *Dominus opus tuum, in medio annorum vivifica illud, In medio annorum notum facies*. Sed alius illius loci est sensus, ut ibidem ostendi.

Tertio, alii censent, tot jubileos annorum in Christi corpore mystico, puta in Ecclesia Christiana fore, quot annos ipse vitæ complevit, puta 34. qui multiplicati per 50. (hic est enim numerus jubilei) faciunt annos 1700. Tot annis ergo putant duraturum Christianismum, ac deinde fore militantis Ecclesiæ mundique finem, ac triumphantis initium. Ita Card. Cusanus tract. de hac re. E Tertia.

Quarto, Christianus Druthmarus, qui floruit anno Christi 800. scripsitque in Matthæum: *Majores nostri*, inquit, *scriptum reliquere, quod octavo Calendas Aprilis (die 25. Martii) mundus factus est, Dominus conceptus & passus, & similiter mundus destruendus erit, sed quo anno id futurum sit, non dicunt*. Verum hæc incerta sunt, & sine fundamento afferuntur. Quarta.

Quinto, nuper novus calculator, verius joculator, asseruit diem judicii instare, ac fore anno Domini 1666. Nasciturum enim Antichristum anno Christi 1626. regnaturum ut monarcham anno Christi 1656. moriturum anno Christi 1660. ac denique finem mundi fore anno 1666. tumque futurum judicium. Probat id Primo, ex eo, quod hic annus Christi 1666. sit annus a creato mundo 6666. qui numerus est perfectus, ac proinde illo perficietur cursus mundi. Secundo, quod veterum sit sententia, mundum duraturum per sex millia annorum. Tertio, quod prima mundi consummatio per diluvium tempore Noe facta sit anno a mundo creato 1566. Ergo secunda mundi per ignem conflagratio, pariter fiet anno a mundo per Christum recreato 1656. quia scilicet tunc regnabit Antichristus, qui paulo post finem mundo inducet anno Christi 1666. Quarto, quia S. Joannes Apoc. 13. 18. numerum bestiæ, id est Antichristi, ait fore 666. Quinta. F

Si objicias dictum Christi: *De die autem illa nemo scit*, respondet *nemo scit*, scilicet in præsentibus, q. d. nemo nunc scit diem judicii, cui non obstat, quod postea quis, sive per revelationem, sive aliunde id sciturus sit.

Verum hæc frivola & anilia sunt, uti fuse ostendit Remaclus de Vaux libro contra hunc calculatorem edito, cui titulus *Harpocrates* sive *silentium*, ubi ostendit τὸ *nemo scit* ad sequentia tempora extendi. q. d. Nemo scit, nec sciet; nam, ut ait Theophyl. *Hoc dum dicit, etiam prohibet eos anniti, ut discant postea*. Quod enim Christus nescit, quis sciet?

Porro calculator ille errat in fundamento: nam necdum exacta sunt sex millia annorum a condito mundo: quare annus Christi 1666. non erit annus mundi 6666. ut ipse ait sed 5606. Quare acquiescamus Christo dicenti, *De die illa autem & hora nemo scit; neque angeli cælorum, sed solus Pater*. G

An solus Pater sciat consummationis sæculi diem & horam, non vere Filius?

NISI SOLUS PATER] Qui ab æterno in mente sua tempus ejus diei statuit & decrevit, illudque apud se decretum servat. Porro per τὸ *solus*, non excluditur Filius, nec Spiritus sanctus: nam & ipsi sciunt diem, & horam judicii æque ac Pater, cum eadem omnibus sit essentia, majestas, voluntas, mens, potestas, intellectus & scientia: Regula enim Theologorum est, quod τὸ *solus*, si addatur attributis essentialibus Dei (quale est scientia) tribuaturque uni personæ divinæ, non excludat reliquas duas, sed tantum creaturas, quæ alterius sunt essentiæ & naturæ: at in attributis notionalibus, τὸ *solus* excludit alias personas divinas: ut cum dicitur, Solus Pater generat, solus Filius generatur, &c.

Dices, Marcus c. 13. 32. addit: *Neque filius*, sic enim habent Græcus, Latinus, Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus. Varii hic varie respondent. Optima responsio est communis illa Patrum; scilicet Filium, & ut Deum, & ut hominem, per scientiam infusam scire diem judicii, & consummationis sæculi, hoc enim scire ad ipsum qui judex mundi est constitutus pertinet. Negat tamen Christus id se scire ut homo est, & ut Dei legatus erat ad nos, quia non ita sciebat, ut revelare illum hominibus posset, sive illud revelare non habebat in mandatis a Patre. Sicut legatus si rogetur de secretis regis sui, vere respondet se ea nescire, etiamsi illa sciat, quia illa nescit ut legatus: ut legatus enim tantum refert illa, quæ illi a rege dicenda commissa sunt: secreta enim ab eo taceri jussit rex. H

Sensus ergo est, q. d. Solus Deus scit, quo anno, die & hora futurus sit finis mundi, diesque judicii, ac licet Deus me Christum, ut homo sum; idem scire fecerit; me inquam, ut homo privatus sum, quia Verbo unitus: non tamen ut sum publicus ejus ad hominem legatus, quia Pater noluit me diem illum hominibus revelare, sed voluit

Digitized by Google

A fuit me illum ſervare ſecretum, ut homines ſemper ſuſpenſos teneat, incitetque ad illum continue ſe comparare: quare nolite, o Apoſtoli, curioſe de illius tempore a me exquirere, quod vobis dicere non poſſum, & ut legatus neſcio. Simile eſt Joann. 15. 15. ita SS. Hier. Chryſoſt. Origenes, Beda, Theoph. hic, & S. Aug. lib. 83. quæſt. 61. & Franc. Suarez 3. p. q. 10. art. 2.

Huc referuntur illi, qui ſic explicant, q. d. Chriſtus, qua homo neſcivit diem judicii, ſcivit tamen eum qua homo Deus. q. d. Chriſtus homo ſcivit diem judicii vi non humanitatis, ſed divinitatis ſuæ. Ita S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arian. Nazianz. orat. 4. de Theolog. Cyrillus lib. 9. Theſauri c. 4. Ambr. l. 5. de Fide c. 8.

Aliter reſpondet Maldonatus, ſcilicet Chriſtum, etiam qua Deus eſt, non ſcire diem judicii, quaſi ex officio, quia ſolius Patris officium eſt prædeſtinare, decernere & conſtituere diem judicii, ac conſequenter illum noſſe & revelare cum voluerit: Patri enim appropriatur providentia, cujus pars eſt prædeſtinatio. Sed hæc expoſitio eſt acutior, & abſtruſior: prior vero jam data ſolidior eſt, & planior.

B Agnoetæ hæretici. Porro Agnoetæ, hæretici habiti ſunt, quod dicerent Chriſtum diem judicii ignoraſſe, teſte Damaſceno lib. de Hæreſibus. Dicti ſunt Agnoetæ, id eſt ignorantes: horum auctor fuit Theophronius (qui & Themiſtius dictus eſt) tempore Valentiniani Imper. & Liberii Pontificis ſub annum Domini 365. Ita Nicephorus lib. 18. cap. 50. Vide Gabrielem Prateolum de Hæreſibus lib. 1. cap. 19. Ad eos ex parte alludit Origenes tract. 30. in Matthæum, qui cenſet Chriſtum, cum hæc diceret, ignoraſſe diem judicii, ſciviſſe vero eum poſt ſuam reſurrectionem: tunc enim conſtitutus a Patre eſt judex vivorum, & mortuorum. Verum hic quoque eſt error: Chriſtus enim ab initio conceptionis ſuæ fuit plenus ſapientia & gratia: quare in neutra creſcere potuit.

VERS. 38 Luc. 17. 27. C

VERS. 33 Luc. 17. 26. SICUT AUTEM (fuit, contigit, vel accidit) IN DIEBUS NOE, ITA ERIT (continget & accidet) ET ADVENTUS FILII HOMINIS] q. d. Sicut inopinatum, & ſubitum fuit diluvium, quod omnes obruit, ſic inopinatus & ſubitus erit adventus meus, qui omnes comprehendet. Patet ex ſequent.

SICUT ENIM ERANT IN DIEBUS ANTE DILUVIUM COMEDENTES ET BIBENTES (epulantes & convivantes ſine cura & ſollicitudine, *& tamquam nullo venturo malo lætantes*? ait Chryſoſt.) NUBENTES ET NUPTUI TRADENTES (Græce, γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες, id eſt, *ducentes uxores, & ad nuptias dantes*, filias, ſorores vel cognatas ſuas *viris in* uxores) USQUE AD EUM DIEM, QUO INTRAVIT NOE IN ARCAM.

VERS. 39 Luc. 17. 27. 30. ET NON COGNOVERUNT, exitum & ſubmerſionem ſibi imminentem, DONEC VENIT DILUVIUM, ET TULIT OMNES: ITA ERIT ET ADVENTUS FILII HOMINIS] ſubitus, inexpectatus & occupans incautos.

Dices, Ex ſolis & lunæ obſcuratione, ſtellarum caſu, aliiſque ſignis horrendis cognoſcent homines inſtare finem mundi. Unde ait Luc. *Arefcentibus hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ ſuperveniunt universo orbi*: ergo finis mundi non erit eis inopinatus. Reſp. Poſt ſolis & lunæ obſcurationem, reliquaque ſigna prævia, dabit Deus aliquod tempus quietis & pacis; ac tum homines obliti ſignorum, dabunt ſe voluptatibus gulæ & luxuriæ ut ante: quare tunc Deus finem illis mundoque inducet, omneſque ſubito interitu obruet. Simili modo moribundi ſubinde revaleſcere videntur, ſed illico in morbum recidunt ac moriuntur; perinde ac candela deficiens, extremum conatum exerens, flammulam, quaſi ſpiritum emittit, ac illico extinguitur. Rurſum tanta tunc erit multorum impiorum duritia & improbitas, ut, etiamſi videant ſolem & lunam obſcurari, cæteraque ſigna; tamen gulæ & luxuriæ, quibus aſſueverant, inhient, ne cogitent de fine mundi & die judicii inſtante, uti fecit Baltaſſar convivans cum ſuis ea nocte, qua a Cyro obſeſſus & occiſus eſt, donec vidit manum fatalem ſibi exitium deſcribentem, per *Mane tekel, phares*, Daniel. 5. Vide ibi dicta. Unde S. Auguſt. ep. 80. docet pios in fine mundi ob hæc ſigna fore mœſtos, impios vero genio indulturos & exultaturos. Et S. Chryſoſt hic: *Pax*, ait, *& laſcivia inſenſatis erit, juſti vitam in tribulatione trahentes mœrebunt*. Quocirca ſubjicit Chriſtus:

Inter ſolis & lunæ obſcurationem & judicii diem intercedet aliquid temporis quieti ſpatium. D

VERS. 40 TUNC DUO ERUNT IN AGRO: UNUS ASSUMETUR, ET UNUS RELINQUETUR] q. d. In die judicii Chriſtus ſeparabit ſocium a ſocio, vicinum a vicino, v. g. agricolam ab agricola, ac eum qui juſte pieque vixit, aſſumet ſecum ad gloriam in cælum, alterum qui impie vixit, relinquet in ſuis ſceleribus, ac reprobabit, damnabitque ad pœnas æternas. Nam, ut ait S. Ambr. in Luc. c. 17. 35. *Qui aſſumitur, rapitur obviam Chriſto in aera, qui autem relinquitur: improbatur*. Dicit hoc Chriſtus, tum ne quis fidat bonæ ſocietati, quod inter pios vivat, tum ut oſtendat quam ſubtile & exactum ſit futurum judicium, quod patrem a filio, uxorem a marito, fratrem a fratre ſecernet & dividet. E

VERS. 41 Luc. 17. 35. DUÆ MOLENTES IN MOLA, UNA ASSUMETUR, ET UNA RELINQUETUR] Idem dicit, per aliud exemplum molentium: olim enim utebantur molis, non aqua vel vento circumactis, ſed truſatilibus, quas verſabant ſervi & ancillæ, itaque farinam conficiebant, ut patet Exod. 11. 5. *In mola*, græce, ἐν τῷ μύλωνι, ideſt, *in priſtino*: ibi enim erant molendina, ut molitam farinam mox pinſerent, & panes conficerent.

VERS. 42 Luc. 21. 36. Mar. 13. 33. VIGILATÆ ERGO, QUIA NESCITIS QUA HORA DOMINUS VESTER VENTURUS SIT] q. d. Vigilantes, aſſidue cogitate mortem eſſe certam, diem vero mortis incertum. Idem dico de die judicii tum particularis, quod in morte cujuſque peragitur; tum univerſalis, quod fiet in fine mundi; quare ad utramque vos comparate aſſidue, virtutibus & bonis operibus incumbendo. Nam, ut ait S. Hier. in c. 2. Joelis: *Quod in die Judicii futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis impletur*. Et S. Aug. epiſt. 80. *In quo quemque ſtatu*, inquit, *invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur*. Unde infert: *Ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum eum inveniat adventus Domini. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit ſuæ vitæ hujus ultimus dies*. F

Porro cauſa cur Deus voluerit hunc diem nobis eſſe incertum, eſt, ut hæc incertitudo nobis aſſidue ſit acer ſtimulus ad omne virtutis ſtudium. Nam, ut ait S. Chryſoſtomus, & ex eo Euthymius. *Si ſcirent homines, quando ſunt potiſſimum moriturî, ea prorſus hora pœnitere ſtuderent, & diligentiam circa illam horam oſtenderent. Ne igitur illo ſolummodo tempore, ſed continue diligentes ſint, perque totam vitam, magno ſtudio ſatagant ſe paratos tenere ad cõmunem omnium finem, & eum qui cuique proprius eſt, fecit Deus ut ignorarent, furiſque inſtar venturũ ſe prædixit*. G

Fraus dæmonis, qua mortis metum elidit. Remedium ſic vice quaſi hodie moriturus.

Idcireo diabolus, ut hunc incertitudinis ſtimulum nominibus eripiat; eum per partes concidit & elidit, ac ſingulis perſuadet vitam ſaltem unius anni, atque eo finito, ſequentes, & ita deinceps ſine fine: facit enim ut videantur ſibi homines adeo vegeti & valentes, ut facile adhuc annum unum vivere queant. Singulis ergo annis hoc renovat, ac menti eorum ingerit: Tu recte vales, ideoque hoc anno non morieris; quo fit, ut quaſi certi de vita, ſingulis annis pœnitentiam & bona opera negligant, differantque ad annum, quo morientur: unde cum annus ille, qui morti ſingulorum a Deo decretus eſt, advenit, illo pariter ſe non morituros ſibi perſuadent; hinc fit, ut ſemper imparatos & ſecuros, tamdem mors certa & dies ultimus invadat & obruat. Quare hoc diaboli principium, ut erroneum elidendum eſt, & contrarium menti infigendum, ut quiſque ſibi initio cujuslibet anni, imo diei dicat: Vita tibi brevis eſt, mors certa, dies mortis incerta. Ut ergo incerta te non præoccupet, certam quotidie expecta, tibique dicito: *Tu hoc anno, hoc die forte morieris: ſic ergo vive, quaſi hoc die moriturus*. Hoc documentum ſuis dabat S. Antonius, teſte S. Athanaſio; *Cum*, inquit, *excitati a ſomno, ad veſperam nos pervenire dubitemus, & quieti corpora concedentes de lucis non confidamus adventu, &c. non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate rapiabimur, nec iraſcemur quidem, nec terrenos congregare theſauros ambiemus, quin potius metu quotidiani proceſſus, omnia caduca calcabimus*. H

Barlaam idem quoque docuit ſuum Joſaphat: *Hodie*, inquit, *te vitam Religioſam inchoaſſe cogita, hodie quoque finiturum*. Ita Damaſc. in Hiſt. S. Hier. *Sic vive*, ait, *quaſi quotidie moriturus: ſic ſtude tamquam ſemper victurus*. S. Marcella, ait S. Hier. ep. 16. ad Principiam, *laudabat illud Platonicum, qui philoſophiam meditationem mortis eſſe dixit; & præceptum Satyrici. Vive memor leti, fugit hora. Sic ergo vixit, ut ſemper ſe crederet eſſe moriturum, ſic induta eſt veſtibus, ut meminiſſet ſepulchri, offerens ſe hoſtiam rationabilem, vivam, placentem Deo*. Quin & Poeta:

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

VERS. 43 ILLUD AUTEM SCITOTE, QUONIAM SI SCIRET PATER FAMILIAS, QUA HORA FUR VENTURUS ESSET, VIGILARET

A GLARET UTIQUE, ET NON SINERET PERFODI DOMUM SUAM] Supplenda est hic altera & adversa parabolæ pars, quæ subintelligitur, hoc modo. Sed quia hanc horam ignorat, nec cæteris omnibus vigilare vult aut potest, hinc fur more suo, illa hora venit, qua eum non vigilare, sed dormire putat, itaque eo dormiente domum ejus spoliat & diripit. Hunc esse sensum liquet ex Græco; hic enim in præterito sic habet: *Si sciviſſet pater familias qua hora fur venturus esset, vigilasset utique & non permisisset perfodi domum suam.* Supple q. d. Quia autem hanc horam nescivit, ideo non vigilavit, & permisit domum suam a fure perfodi & diripi. Hinc fur dicitur a furvo, id est atro, quod per obscuras & atras noctes furetur, ait ex Varrone Nonius.

Furis etymol.

Per furem S. Hilarius accipit zabulum, id est diabolum: *Furem*, inquit, *esse ostendit zabulum ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem, ut ea incuriosis nobis & somno deditis consiliorum suorum, atque illecebrarum jaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit, quia dies ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitat.* Verum melius accipias Christum: sic enim explicat ipse Christus, applicans sibi hanc furis parabolam v. sequenti, dicensque:

B Christus comparat se furi, cur.

IDEO ET VOS ESTOTE PARATI, QUIA QUA NESCITIS HORA FILIUS HOMINIS VENIET] Ad judicium, tum particulare animæ vestræ in hora mortis, tum universale omnium hominum in fine mundi. Christus ergo comparat se furi, non quoad actum furandi, sed quoad silentium & secretum, quo fur captat horam, qua putat herum abesse vel dormire, itaque incautum clam invadit, domumque ejus perfodit & spoliat. Simili enim modo Christus incautos & inopinatos vocat ad mortem & judicium. Unde Apoc. c. 16. 15. singulos prænonens ait: *Ecce venio sicut fur.* Et Paulus 1. Thessal. 5. 4. *Vos autem fratres*, inquit, *non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei*, &c. *Igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus & sobrii simus.* Vere dixit Sapiens: *Vita mortalium vigilia.*

VERS. 44 Luc. 12. v. 40.

Hujus sententiæ Christi veritas, quotidiana liquet experientia. Videmus enim plerosq; homines rapi ad mortem eo tempore, quo sibi sani esse videntur, ac magna animo moliuntur, ut mortem longe a se abesse putent, vitamque sibi multos annos promittant. Quare tum ex hac ex-

C perientia, tum ex hoc Christi monito, contrarium facere debent, ut cum sibi sanissimi videntur, mortem stare in limine domus absconditam arbitrentur, ac tum se morituros credant, cum longiores vitæ cogitationes & spes vel a diabolo, vel a concupiscentia suggeruntur. Ita fiet, ut nunquam fallat eos dies mortis incerta, nec eos ut fur comprehendat.

Exempla parantium se ad judicium. Ammon. Abb.

Ita fecere viri sapientes & sancti in Vitis Patrum, lib. 5. libello 3. de compunctione n. 2. Abbas Ammon hoc cuidam dat salutis monitum: *Cogita sicut faciunt iniqui, qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines: Ubi est judex, & quando veniet, & in ipsa expectatione pœnarum suarum pleraut. Ita & monachus debet semper suspectus esse, & animam suam objurgare dicendo: Væ mihi quomodo habeo adstare ante tribunal Christi, & quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem? Si igitur semper sic meditatus fueris, poteris salvus esse.* Et n. 3. Abbas Evagrius: *Illud divinum*, ait, *horrendum atque terribile imaginare judicium.*

Evagrius Abb.

D *Adduc ad medium repositam peccatoribus confusionẽ; quam passuri sunt in conspectu Christi & Dei, & coram Angelis & Archangelis, Potestatibus, & universis hominibus: sed supplicia omnia ignem æternum, vermem immortalem, tartarorũ tenebras, & super hæc omnia dentium stridores, & timores & tormenta. Adduc etiam & bona, quæ sunt justis reposita, fiduciam ante Deum Patrem & Christum ejus filiũ, coram Angelis & Archangelis & Potestatibus, atque omni plebe, regnũ cælorũ & dona ejus, gaudium & requiem*, &c. Et

Elias Abb. n. 4. Abbas Elias ait: *Ego tres res timeo: Unam, quando egressura est anima mea de corpore, aliam, quando occursurus sum Deo; tertiam, quando adversum me est proferenda sententia.* Sanctæ memoriæ Theophylatus Archiepiscopus cum moriturus esset, dixit: *Beatus es Abbas Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti.* Ibid. n. 22. senex alius hoc dat monitum: *In omni re increpa animam tuam, dicendo ei: Memor esto, quia te oportet Deo occurrere.* Et n. 23 *Vidit senex quemdam ridentem, & dixit: Coram cæli & terra Domina rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, & tu rides?*

VERS. 45 Luc. 12. v. 42.

QUIS PUTAS (Græce τίς ἄρα, id est quisnam, quis profecto, quis utique) EST SERVUS FIDELIS ET PRUDENS, QUEM CONSTITUIT DOMINUS SUPER FAMILIAM SUAM, UT DET ILLIS CIBUM IN TEMPORE?] Prima facie videtur hic esse hiulcum, ἀνάκολουθον, sive interrogatio carens responso, sed revera non est. Verba enim sic ordinanda sunt. Quis putas est servus, quem constituit dominus super familiam suam, ad hoc ut det illis (qui sunt in familia) cibum in tempore, fidelis & prudens? utique is est fidelis & prudens, qui idipsum ad quod constitutus est præstat, qui scilicet singulis de familia dat cibum in tempore: hoc est cuique famulo & domestico suum cibum demensum distribuit, sive ut annonam, sive ut mercedem laboris. Olim enim cum rara esset pecunia, merces famulis solvebatur per annonam. *Utraque enim*, ait S. Chrysostomus, *res opus est, scilicet que domini sunt ad proprios usus rapiamus, & ut opportuna omnia dispensemus: nam si horum alterum absit, ejus absentia, alterum omnino claudicat.*

E

Proprie hac gnome Christus tangit Episcopos & Pastores: his enim incumbit pascere Ecclesiam, quæ est familia ipsorum, imo Christi, ut singulis pabulum sacræ Doctrinæ pro captu cujusque distribuant: quare hac in re vigilantes æque ac prudentes & fideles sit oportet. Ita S. Hilarius: *Quamquam*, ait, *in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur; specialem tamen populi principibus, id est Episcopis, in exspectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem: qui si dicto audiens, & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate, & veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat*, &c.

F

Interrogatio ista, *quis putas*, innuit paucos esse tales servos, puta Episcopos & Pastores, qui per omnia in cura gregis Christo sint fideles & prudentes. Unde illud S. Hier. *Sacerdotes multi, sacerdotes pauci.* Et illud S. Bonifacii Apostoli Germaniæ & Martyris: *Olim sacerdotes aurei celebrabant in vasis ligneis: nunc sacerdotes lignei celebrant in vasis aureis.* Ita Bostrenius in Lucæ 12. v. 43. *Non ignorans*, inquit, *dixit, Quis putas est? sed ut quod rarum est, & multo honore dignum demonstraret.*

G

Unde sequitur.

BEATUS ILLE SERVUS, QUEM CUM VENERIT DOMINUS EJUS, INVENERIT SIC FACIENTEM] assidue scilicet & continuo usque ad mortem diemque judicii particularis, & consequenter universalis, ut scilicet cuique fideli Ecclesiæ suæ congruum cibum, id est doctrinam & Sacramenta, præsertim Eucharistiæ ad alendam in fide & pietate animam tempore opportuno distribuat. *Beatus* ergo est Episcopus, qui id præstat, quia non tantum ob suam sanctitatem, coronam justitiæ a Christo accipiet, sed & tot coronas nanciscetur, quot fideles in eadem aluit & promovit, juxta illud Daniel. c. 12. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates.* Unde Christus causam cur beatus sit eritque, subdit dicens:

VERS. 46 Luc. 12. v. 43.

VERS. 47 Luc. 12. 44.

AMEN (id est in veritate, vere & certo assevero, &) DICO VOBIS, QUONIAM (quod) SUPER OMNIA BONA SUA CONSTITUET EUM] Alludit ad servum, qui ob meritum, quo familiam heri fideliter & prudenter rexit, meretur ab eo exaltari, ac omnibus ejus bonis præfici, ut iis cum hero quasi consors & socius & bene æqualis fruatur, uti Joseph a Pharaone præpositus fuit Ægypto, ut reipsa (etsi non nomine) esset rex Ægypti, Genes. 41. 40. Simili enim modo Deus beabit & exaltabit prudentes & fideles Episcopos, qui fideles suos bene rexerint, & direxerint ad æternam salutem, ut eos majori gloria donet, quam fideles privatos, adeoque eos non tantum illis præficiat, sed & faciat cæli ac terræ totiusque mundi reges & dominos. Ita Remigius: *Bonos auditores*, ait, *faciet discumbere, ut Lucas dicit, bonos prædicatores super omnia bona constituet; magna enim distantia ut meritorum, ita & præmiorum.* Et Origenes: *Conregnabit*, ait, *cum Christo, cui pater omnia tradidit.* S. Hilarius: *Super omnia bona constituetur*, inquit, *id est, in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit ultra quod melius sit.* Hoc dicitur Apoc. 4. 10. *Procidebant viginti quatuor seniores* (Prælati & Episcopi) *ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum*, dicentes Agno, id est Christo, ut ait c. 4. *Fecisti vos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Vide ibi dicta. Quod de Episcopo dixi, applica cuilibet patrifamilias, hic enim domi suæ est quasi Episco-

H

Gloria sanctorum Episcoporum.

A pus, ut ait S. Augustinus, æque ac fidelis quisque sui ipsius.

Exempli S. Amandi. In Vita S. Amandi, qui tempore Dagoberti regis Francorum fuit Episcopus Trajectensis, claruitque anno Domini 870. ac Gaudenses, Sclavos, Vascones, multosque alios ad Christum convertit, narratur, quod ea ipsa hora, qua vita functus est, apparuerit S. Aldegundi in gloria circumdatus turba albatorum, cumque illa nesciret quidnam hæc significarent, audivit ab angelo: Vir Dei Amandus, gloriosus ad gaudia cælestia pertransit. Turba albatorum sunt illi, qui per instantiam prædicationis ejus adscripti sunt cælo, ac proinde super eos ipse princeps in æternum apparebit. Nam ejus discipuli illustriores fuere S. Landoaldus, S. Bavo, S. Amantius, S. Gertrudis, S. Mauronitus, S. Andreas, S. Florebertus, plurèsque alii, ita habet ejus Vita apud Surium die 6. Februarii.

SUPER OMNIA BONA SUA CONSTITUET EUM] Græce *Super omnia quæ ipsius sunt*, ut vertit Syrus. *Bona* Dei sunt duplicia, scilicet. Primo, externa & creata, ut cælum, terra, omnesque creaturæ iis contentæ, ita Origenes. B Secundo, increata & increata, ut sunt immensa ejus majestas, bonitas, suavitas, sapientia, potentia, honor, gloria, cæteraque ejus attributa, tum essentialia, tum personalia, uti sunt paternitas, filiatio & spiratio Spiritus sancti. Deus enim est oceanus, uti rerum, ita bonorum omnium; super utraque constituet Deus fidelem servum, puta Episcopum & Pastorem, quia facier eum quasi dominari, non tantum creatutis omnibus, sed & bonis omnibus immensis & infinitis, quæ Deus in se continet, ut cum Deo ipsis fruatur, beetur & glorificetur in æternum. Si enim Jacob luctans cum angelo Dei, eumque valentem vincens, dictus est Israel, idest, dominans Deo, Gen. 32. 28. multo magis beati Episcopi sua virtute vincentes quasi Deum, vocabuntur, eruntque Israeles, id est, dominantes Deo, *ut æterna hæc præmia habeant, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia*, ait Rabanus: quia enim ipsi recte præfuerunt gregi Dei, hinc meriti sunt, ut bonis Dei, ipsique quasi Deo, ab ipso Deo per iniram ejus dignationem, suo quodammodo præficerentur: Deus enim seipsum tradit in possessionem & peculium, juxta illud: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei*. Psalm. 15.

C VERS. 48 Luc. 12. 45. SI AUTEM DIXERIT MALUS SERVUS ILLE (id est hujusmodi, constitutus scilicet ab hero super familiam suam) IN CORDE SUO: MORAM FACIT DOMINUS MEUS VENIRE] q. d. Si cogitarit Episcopus: Longe a me abest dies mortis & judicii, quare utar & abutar vita, & officio meo ad omnem luxum & ambitionem. Unde explicans subdit,

VERS. 49 ET COEPERIT PERCUTERE CONSERVOS SUOS, MANDUCET AUTEM ET BIBAT CUM EBRIOSIS] id est ebrietati deditis, Græca, *cum ebriis*. *Percutere*, scilicet injuste. Nam, ut ait auctor Imperfecti: *Qui propter justam causam percutit, etiamsi percutiat, percutere tamen non videtur. Sicut enim justa ira non est ira, sed diligentia: sic justa percussio non est percussio, sed correctio*, uti patet & præceptor percurit & flagellat suos filios & discipulos, ut corrigat.

Indicat hic Christus Prælatorum duo esse capitalia vitia, ex quibus cætera omnia scaturiunt, scilicet audaciam imperiosam & tyrannicam, ac cupiditatem sive studium voluptatum, gulæ & luxuriæ. Hoc est, quod Pastores & Episcopos admonet S. Petrus ep. 1 c. 5. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*. Vide ibi dicta.

Duo capitalia Prælatorum vitia. D

VERS. 50 Luc. 12. 46. VENIET DOMINUS SERVI ILLIUS IN DIE, QUA NON SPERAT, & HORA, QUA IGNORAT] *Non sperat*, id est, non putat, non timet, græce προσδοκᾷ, non expectat: Sic Virgil. 1. Æneid.

At sperate (id est timete) *deos memores fandi atque nefandi*.

Et lib. 4.

Hunc ego si potui tantum sperare (timere) *dolorem*.

VERS. 51 Luc. 12. 46. ET DIVIDET EUM, PARTEMQUE (sortem & conditionem) EJUS PONET CUM HYPOCRITIS: ILLIC ERIT FLETUS, ET STRIDOR DENTIUM] Pro *dividet*, græce est διχοτομήσει, id est dissecabit, scilicet animam a corpore in morte & post mortem animam tradendo gehennæ & dæmonibus, corpus sepulchro & vermibus, *Dividet*, ait S. Hier. *non quod gladio eum dicesset, sed quod a Sanctorum consortio eum separet*. q. d. Christus talem Episcopum, non solum ab officio suo amovebit, sed & separabit a consortio beatorum & angelorum, cæli & Dei, ac tradet diabolo jugiter cum damnatis cruciandum in inferno. E

CUM HYPOCRITIS) Id est, cum pigris servis, qui quasi hypocritæ ad oculum domini serviunt, alias otiosi: nam extra oculos heri positi, vacant somno & poculis, ideoque mittendi sunt in ergastulum inferni, ubi est locus pigrorum. Sic passim in Proverbiis *hypocrita* significat impium, qui pigre Deo, sed ferride suis cupiditatibus servit, ut ibi dixi. Alludit ad illud Job 20. 29. *Hæc est pars hominis impii a Deo*. Et c. 8. 13. *Spes hypocritæ peribit*. Et c. 13. 16. *Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita*. Et Isaiæ 33. 14. *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Probavit Christus, cuique fideli semper esse vigilandum, ut per bona opera se paret ad certum Domini judicium eo quod dies ejus sit incerta, ne illa ipsum incautum & imparatum obruat, cum certo damnationis periculo. Probavit id Primo vers. 37. exemplo diluvii, quod sub Noe omnes inopinato submersit. Secundo, vers. 43. per parabolam heri, qui vigilat, ut furem noctu & clam irrepentem repellat. Tertio, vers. 45. per parabolam servi fidelis & alterius infidelis, quorum ille amplum a domino recepit præmium, hic acre supplicium. Quarto, c. seq. vers. 1. per parabolam virginum prudentum, quæ acceperunt oleum in lampadibus. Quinto, ibidem v. 14. per parabolam talentorum, quæ herus in servos distribuit, ac cum eis strenue negotiantes glorioſe remunerat, pigros vero & otiantes plectit. Cuique semper vigilandum. F

CAPUT XXV.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit Christus fideles monere, & stimulare ad assiduam vigilantiam, & bonorum operum studium, ut semper sint parati ad incertum ejus adventum, diemque judicii, ut patet ex v. 12. & ex cap. præced. v. 42. Quocirca Primo inducit parabolam decem virginum, quinque fatuarum & quinque prudentium, quarum ille carentes oleo exclusæ sunt a nuptiis sponsi: hæ vero admissæ, quia oleum habebant in lampadibus. Secundo v. 14. inducit parabolam talentorum, quæ herus famulis suis distribuens ad negotiationem & lucrum, rediens deinde ab eis exegit, ac negotiosos præmiis, pigros & otiosos supplicüs affecit. Denique v. 31. rem ipsam aperit, totamque judicii extremi ideam ac sententiam tam in impios, quam in pios ferendam, oculis subjicit.

Ultima hæc fuere Christi monita, ideoque pregnantia & efficacia: nam post biduum captus & occisus est, ut patet cap. 26. vers. 2. Dixit ergo hæc Christus feria tertia, sive die Martis, cum sequenti feria quinta Eucharistiam instituit, & feria sexta crucifixus est. Vide Chronotaxim num. 64. & 66.

TUnc simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ, VERS. 1 H

2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:

3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum:

4. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt.

6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas.

8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur.

9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.

10. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ

Digitized by Google

A & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.

11. Novissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos.

13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

14. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.

15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.

16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.

17. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

B 18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.

20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

21. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

22. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

C 23. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti:

25. & timens abii, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.

26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi:

27. oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.

28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.

D 29. omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

31. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ:

32. & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis:

33. & statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris.

34. Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

35. Esurivi enim, & dedisti mihi manducare: sitivi, & dedisti mihi bibere: hospes eram, & collegistis me:

36. nudus, & cooperuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: E. Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?

38. quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te?

39. aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te?

40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

42. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum:

43. hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, F aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.

TUNC SIMILE ERIT REGNUM CÆLORUM DECEM VIRGINIBUS, QUÆ ACCIPIENTES LAMPADES SUAS EXIERUNT OBVIAM SPONSO ET SPONSÆ] τὸ *sponsæ* non habent Græca, nec S. Chrisost. Theophyl. Euthymius; legendum tamen est cum Romanis, Syro, Origene, Hilario & S. Augustino epist. 120. VERS. 1

Parabola decem virginum.

TUNC] Cum scilicet inopinate redibo ad judicium, ut omnes pro meritis dijudicem, præmiem vel puniam.

REGNUM CÆLORUM] id est Ecclesia militans, quæ G tunc futura est triumphans. q.d. Tunc similiter agetur cum fidelibus Ecclesiæ, perinde ac si decem virgines pararent se ad festum nuptiale, &c. Licet enim reprobi, utpote jam damnati in gehenna, non amplius sint membra Ecclesiæ, tamen, quia in hac vita fuerunt ejus membra, ideo ut talia hic inducuntur ut judicentur, sed ita ut per sententiam judicis ab Ecclesia excludantur, & in tartarum relegentur. Infidelium hic non fit mentio: *Quia non credit, jam judicatus est*, Joann. 3. 18.

Nota. Olim uti & nunc, sponso honoris causa addebantur comites juvenes egregii, & ornati, sponsæ vero virgines eæque sæpe decem numero. Porro nuptias celebrabant noctu, quocirca sponsus vespere adibat domum sponsæ, ubi honorifice & laute a parentibus sponsæ exceptus, inde sponsam in ædes suas, aut, si illæ angustæ forent, in amplam convivii nuptialis domum deducebat, ibique nuptias celebrabat & consummabat: juvenes autem & virginibus utrique adventanti honoris causa obviam prodibant, proferentes tædas pronubas, præsertim ex spina alba, easque quinque, teste Plutarcho in Problem. Vide Alex. ab Alexandro lib. 2. Geneal. c. 5. & ibi Tiraquellum, ac Salmeronem hic tom. 7. c. 38. Judæi autem non videntur olim habuisse usum ceræ ad lumina, cerearumque tædarũ, sed olei. Unde in Scriptura crebro est mentio lampadarum & lucernarum, nulla candelarum, imo in candelabro templi erant lucernæ cum oleo, non candelæ ex cera vel sebo. Sponsis honoris causa comites dati.

Jam ut parabolam particulatim applicem & explicem, sponsus est Christus, sponsa est Ecclesia, cujus in hac vita aguntur sponsalia, sed in futura resurrectionis gloria erunt æternæ nuptiæ. Virgines sunt omnes fideles, sive Christiani, quia fide sinceri & integri, juxta illud Pauli: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Cor. 11. 2. ubi plura hac de re dixi. H

Porro S. Chrysostomus, Theoph. Euthymius, S. Aug. & S. Gregorius per virgines, accipiunt solas & omnes, quæ vere & proprie virgines sunt: sed hoc arctius est præ scopo & mente Christi, qui per virgines intelligit omnes fideles, ut dixi. Recte tamen Ecclesia in Officio divino hæc adaptat virginibus, quia illæ hic grammatice nominantur, & ad litteram præ cæteris significantur, ita Jansen. Maldon. & alii. Hinc B. Anatolia desponsa Aureliano vidit angelũ sibi inclamantem: *O virginitas, quæ morte non vinceris:*

Digitized by Google

A *O virginitas, quam non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris, &c. Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis sit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est Regis immensus. Hunc fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans custodi sollicite; quantumque te solus habere cognoscis, tanto attentius custodi, ne perdas.* Quibus verbis ipsa incitata generosum pro virginitate obiit agonem, Ita Ado in Martyrol. ad diem 29. Decembris.

Decem numerantur, quia denarius multitudinis & universitatis est symbolum, ac familiaris S. Script. ob decalogum legis divinæ, ut patet Gen. 31. 7. Levit 26. v. 26. Num. 14. 22. Ita Origen. S. Hieron. & alii.

Arithmetica & symbolica ratio liquet ex Platone lib. 5. de legibus, ubi docet solere quinque amicos & quinque amicas convocari ad convivium nuptiale, eo quod quinarius sit numerus compositus ex primo pari, puta ex binario, & ex primo impari, puta ternario (nam duo & tria faciunt quinque) ideoque apposite significat conjunctionem maris & fœminæ, quæ fit in nuptiis sponsi & sponsæ.

B *Quæ accipientes* (græce, λαβοῦσαι, id est, cum accepissent) *lampades suas* nuptiales *accensas*, inquit Origenes, *sed ad tantum iter obviam eundi sponso oleum non acceperint, ut eas perpetim accensas conservarent. Nam quæ lampades suas quærunt extingui, ostendunt eas ex parte lucere*, ait S. Hieronymus.

Lampades erant virginum, taedæ virorum. Porro in Scriptura *lappidim*, id est, lampades, vocantur faces & tædæ. Hæ enim in nuptiis nostris præcurrunt sponso & sponsæ, quia hæc resistunt aeri & ventis, cum lampades, id est lucernæ, statim iis extinguantur. Hic tamen fuere lampades proprie dictæ, quia olei fit mentio, atque hæ sunt virginum, sicut tædæ virorum. Unde Virgilius ecloga 4.

Mopse novas incide faces, tibi ducitur uxor,

Idem lib. 4. Æneid.

Si non pertæsum thalami taedæque fuisset,

Martial. lib. 12.

Præluxere faces, velatum flammeus ora,

Catullus in Epithalamio Manlii & Juliæ, ubi ait:

Pelle humum pedibus, manu spinetum quate pedum,

C *Tollite o pueri faces,*

Plinius l. 16. c. 18. sic ait: *In eosdem ritus comitatur & spina, nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas, ut auctor est Masurius: nunc facibus carpinus & corylus familiarissimæ.* Plura vide, si libet, apud Alex. ab Alexandro, Tiraquellum, Ciacconum, ac fuse doctèque apud Bristonium lib. de Ritu nuptiarum.

VERS. 2 QUINQUE AUTEM EX EIS ERANT FATUÆ, ET QUINQUE PRUDENTES] *Fatuæ*, quia imprudenter & stulte egerunt: nam cum obviam irent sponso cum accensis lampadibus, neglexerunt oleum necessarium ad fovendum lumen lampadarum: unde lampades earum extinctæ fuere; & ipsæ confusæ sine lumine in tenebris occurrerunt sponso: prudentes vero acceperunt oleum, unde accensas semper tenuere lampades, cum ejisque sponso obviavere: prudenter ergo se gesserunt. Hinc sequitur:

VERS. 3 SED QUINQUE FATUÆ ACCEPTIS LAMPADIBUS (accensis) NON SUMPSERUNT OLEUM SECUM.

VERS. 4 PRUDENTES VERO ACCEPERUNT OLEUM IN VASIS SUIS (olearis) CUM LAMPADIBUS] Primo, S. Hier. & Hilarius per *virgines*, accipiunt omnes homines; per *fatuas*, Judæos & hæreticos, per *prudentes*, Christianos.

D Virgines quæ? Resp. Primo. Secundo. Secundo, ex adverso S. Chrysost. & alii jam citati solas proprie dictas virgines accipiunt, ex quibus prudentes sunt, quæ cum virginitate habent oleum charitatis, exercendo opera misericordiæ, fatuæ, quæ hoc oleo carent.

Tertio. Tertio, Lyranus: Virgines prudentes, inquit, sunt contemplativi & Religiosi, qui habent oleum charitatis & rectæ intentionis, qua mi Deo placere student: fatuæ vero sunt, qui oleo hoc carent, ac vanam hominum laudem & gloriam aucupantur.

Quarto, & Genuine. Quarto, & genuine, *virgines*, sunt quilibet fideles; *prudentes*, illi qui habent fidem cum operibus misericordiæ, charitatis, aliarumque virtutum; *fatuæ*, qui solam fidem habent sine bonis operibus. Ita Origenes, S. Hilarius, auctor Imperfecti. Unde harum lampades extinguuntur, imo, ut Syrus vertit, *extinctæ sunt*, juxta illud Jacobi c. 2. *Fides sine operibus mortua est*. Lampas ergo est mera fidelis, sive ipsa fides, ut volunt S. Hier. Hilarius, Origenes: oleum sunt bona opera, sive quibus fides est mortua, & quasi extincta, cum iis vero viva & accensa, lux sive ardor lucernarum est charitas: hæc enim alitur studio bonorum operum, sicut flamma lampadarum alitur oleo; vas est conscientia vel anima fidelis: atque hæc de causa moribundis candelam ardentem in manu damus, significantes, vel optantes, ut habeam fidem cum operibus, ut quasi sponsæ cum lampade accensa Christo Domino quasi sponso decenter dignèque occurramus. E

Symbolice. Symbolice & physice, nuper Philosophus quidam Genuæ scripsit librum de hac Christi parabola: in quo illam sic explicat: Beatitudo, ait, consistit in hoc, quod sponsus copuletur sponsæ, id est, intellectus agens patienti, post intellectionem omnium rerum materialium, admisse quinque prudentibus virginibus, id est, quinque sensibus internis habentibus lampades, id est, sensoria organorum cerebro, & oleum, id est, objecta rerum sensibilium, exclusis quinque fatuis, id est, quinque sensibus externis non illustratis, propter objectarum rerum absentiam.

F Verum hæc sunt commenta philosophica, quæ longe absunt a mente Christi, ac ex Gnosticorum somniis manarunt, teste Tertulliano lib. de Anima c. 28. ubi sic ait: *Hinc enim arripiunt* (Gnostici ex ideis Platonis) *differentiam corporalium sensuum & intellectualium virium, quam etiam parabolæ decem virginum adtemperant, ut quinque stultæ sensus corporales figuraverint, stultos videlicet, quia deceptui faciles: sapientes autem intellectualium virium notam expresserint, sapientium scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam & supernam, & apud plerosque constitutam, hæreticarum ideorum sacramenta; hoc enim sunt & æones, & genealogiæ illorum.*

VERS. 5 MORAM AUTEM FACIENTE (græce, χρονίζοντος, id est tardante (SPONSO DORMITAVERUNT OMNES, ET DORMIERUNT] Mora Christi sponsi, est tempus pœnitentiæ & bonorum operum, quod singulis in hac vita concedit, ideoque differt mortem diemque judicii: dormire est mori, dormire est mortuum esse. q. d. Dum differt Christus diem judicii, interim fideles sensim mori cœperunt, ac tandem omnes mortui sunt. Ita S. Hilarius, *Mora sponsi*, ait, *pœnitentiæ tempus est, exspectantium somnus, credentium quies est, & in pœnitentiæ tempore mors temporaria universorum.*

G VERS. 6 MEDIA AUTEM NOCTE CLAMOR FACTUS EST (Arabicus, *mediata est nox, & exclamavit vox*, emissa a præcentibus sponsi comitibus, dum is ex domo sponsæ, deducens illam, domui suæ appropinquavit,) ECCE SPONSUS VENIT, EXITE OBVIAM EI] Clamor hic significat rubentem Archangeli suscitantis mortuos e sepulchris, de quo cap. præced. v. 31. Ita Origenes, S. Chrysost. Hieron. & alii.

S. Laurentius Justinianus. Huc alludens S. Laurentius Justinianus primus Patriarcha Venetorum, jam moriturus: *Hactenus*, inquit, *filii, per jocum res acta est, jam serio agitur. Prope est sponsus, eamdem et obviam.* Et sublatis in cælum oculis. *Venio*, ait, *ad te bone Jesu*, &c. *Hunc diem semper ante oculos habui: tu fatis Domine*; ac mox hilari mente & vultu purum Deo spiritum reddidit, obviam iturus Christo in cælum. Ita habet Bernardus Justinianus ejus nepos, testis oculatus, in Vita ejus cap. 10. & sequent. quæ apud Surium extat tom. 1.

H Porro ex eo quod clamor hic dicitur factus *media nocte*, S. Chrysost. S. Hieron. & Euthymius probabiliter opinantur, secundum Christi adventum ad judicium fore media nocte, ut homines inopinatos & dormientes obruat, ideoque cap. præced. monuisse nos, ut jugiter vigilemus, adeoque S. Hieron. asserit hanc esse traditionem Apostolicam, atque ea de causa in Paschate olim, populum ante mediam noctem ex Ecclesia dimittere non licuisse; quia Christus sicut olim tempore mediæ noctis in Ægyptum ad cædem primogenitorum, ac liberationem Hebræorum venit, Exodi 11. v. 4. & Sapient. 18. 14. ita pariter eadem ad judicium universale venturus crederetur. Verum hæc res incerta est; unde alii æque vel magis probabiliter, certum Christum mane venturum ad judicium: ipse enim est pater lucis, ac judicium palam in luce spectante toto mundo peraget, ne quis in tenebris fucæ, illusioni, fugæ, aut latibulo sit locus. Ita Franc. Suar. 3. p. tom. 2. disp. 50. sect. 10. Quod ergo ait, *media nocte*, per catachresin idem est, quod inopinate, inexspectate, hominibus non cogitantibus & quasi dormientibus, veniet Christus judex. Ita Origenes, S. Hier. S. Chrysost. Rursum nocte vel sub auroram insonabit tuba Archangeli, fietque resurrectio, ac mox Christus ipso mane descendet ad judicium.

An judicium nocte fiet?

VERS. 7 TUNC SURREXERUNT OMNES VIRGINES ILLÆ, ET ORNAVERUNT LAMPADES SUAS] q. d. ad clamorem & tubam Archangeli, omnes fideles resurgent, & solliciti erunt qua

Digitized by Google

A quia mente & conſcientia pergant ad judicem Chriſtum,
VERS. 32 ſcilicet, ut ait auctor Imperfecti. *Aſpicient & diſcutient fidem ſuam, conſiderabunt opera ſua, interrogabunt conſcientias ſuas*, quia, ut dicit S. Aug. ſerm. 23. de Verbis Domini: *Nihil aliud eſt; Cœperunt aptare lampades ſuas, quàm parare Deo operum ſuorum reddere rationem.* S. Hilarius vero cap. 27. in Matth. *Lampadum aſſumptio*, ait, *animarũ eſt reditus in corpora, earumque lux, conſcientia boni operis elucens, quaſi vaſculis corporum continetur.*

Lampades ſymbolum martyrii. Hoc lucernarum per viſionem ſymbolo martirii omen a Deo accepere S. Montanus ejuſque ſocii Martyres, diſcipuli S. Cypriani, ut habent eorum acta apud Surium ad diem 13. Februarii: quidam enim ex eis, cui nomen Reno, *in ſomno vidit produci ſingulos: quibus prodeuntibus lucernæ ſingulæ proferebantur: cujus autem lucerna non preceſſerat, nec ipſe ſequebatur. Et cum proceſſimus nos cum lucernis noſtris experge factus eſt; & ut nobis retulit, lætati ſumus fidentes nos cum Chriſto ambulare, qui eſt lucerna pedibus noſtris, & ſermo Dei: & continuo rapti ſumus ad procuratorem*, &c. Hæc ibi ad verbum.

B
VERS. 8. FATUÆ (Arabicus, *inſipientes*) AUTEM SAPIENTIBUS DIXERUNT: DATE NOBIS DE OLEO VESTRO, QUIA LAMPADES NOSTRÆ EXTINGUUNTUR] Pertinet hoc & ſequentia ad emblema parabolæ: nam quoad rem per eam ſignificatam, reprobi in die judicii non petent oleum bonorum operum ab electis, utpote ſcientes eos id ſibi tunc non daturos, nec dare poſſe: tunc enim quiſque judicabitur ab operibus, quæ geſſit in hac vita ante mortem. Inducitur ergo hoc emblemate, ut per illud noretur & culpetur ſera reproborum pœnitentia, qui poſt mortem videntes terribile ſibi Dei judicium & damnationem imminere, ſero dolebunt ſe in hac vita fuiſſe negligentes in ſtudio virtutũ, ac tũ optarent ſe fuiſſe diligentes, ſed fruſtra; quia nec opera, nec opem electorum ſibi poterunt comparare. Tunc enim nec tempus erit operandi, nec auxiliũ, aut ſubventio, vel oratio Sanctorum eis prodeſſe poterit, imo, ut ait auctor imperfecti, in tam horrendo judicio nemo erit qui ſibi ſatis confidat ſatiſque bonorum operum habere videatur.

C QUIA LAMPADES NOSTRÆ EXTINGUUNTUR] Jam revera erant extinctæ, quia mortui erant ipſi in ſtatu peccati mortalis, adeoque non cælo, ſed tartaro a Chriſto adjudicandi. Dicunt tamen, *extinguuntur*, quia in hac vita mentes eorum, hominibus exterius per communem veræ fidei profeſſionem, & communionem Sacramentorum, ſpeciemque honeſtæ vitæ ardere videbantur: ſed tunc in morte ſcilicet & judicio, iis omnibus evaneſcentibus, videbunt illas extingui, ac omnem ſpeciem & ſpem virtutis & ſalutis deperire. Ita S. Aug. ſerm. 23. de Verbis Domini: *Antequam*, inquit, *dormirent virgines illæ, non eſt dictum, quia extinguebantur lampades earum: quare tunc ardebant; quia non deerant laudes hominum: at coram ſponſo, id eſt judice Chriſto, extinguentur, quia Chriſtus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo*, 1. Cor. 4. 5. non ab hominibus; pigris vero & reprobis ſumma erit confuſio. Unde addit S. Aug. *Quorum facta aliena laude fulciuntur, eadem ſubtracta deficiunt*, hoc eſt, *extinguuntur*.

Charitatis oleum ſunt bona opera. Vox *extinguuntur*, ſignificat charitatem, quæ eſt flamma lampadarum, id eſt mentium, ali bonis operibus velut oleo, unde iis ſubductis extingui; tum quia multa opera
D virtutum ſunt a Deo præcepta, uti ſunt omnia, quæ continentur in Decalogo; ſi quis autem non impleat id quod præceptum eſt a Deo, ſed illud violet, perdit Dei gratiam & charitatem: tum quia charitas ſine exercitio bonorum operum marcet & languet, ſitque torpida, pigra & ægra: unde facile tentatione aliqua pulſante homo labitur in peccatum mortale, quo charitas deperditur. Vis ergo aſſecurare tibi Dei gratiam, imo augere Dei amicitiam & charitatem? incũbe aſſidue bonis virtutum operibus; hiſce enim continuo nutritur, roboratur, creſcit, augeſcit charitas.

VERS. 9. RESPONDERUNT PRUDENTES, DICENTES: NE FORTE NON SUFFICIAT (Arabicus, *Non eſt nobiſcum quod ſufficiat*) NOBIS ET VOBIS; ITE POTIUS AD VENDENTES, ET EMITE VOBIS] Emblema eſt, ut dixi, pertinens ad elegantiam parabolæ, ſignificans electos in die judicii non flectendos miſeria reproborum, nec eos ullo modo adjuturos, imo nec adjuvare poſſe, quin potius tacite eis exprobraturos, quod tempus præſentis vitæ datum a Deo ad bene operandum neglexerint. Unde S. Aug. ſer. 23. de Verbis Domini: *Non conſulentium*, inquit, *ſed irridentium eſt iſta reſponſio: non enim ſapientes de ſuo erant, ſed illa in illis erat ſapientia, de qua ſcriptum eſt*, Prov. 1. 24. *Quia vocavi, & renuiſtis*, &c. *ego quoque in interitu veſtro ridebo*, E
& ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit. Et S. Hier. hic: *Non poſſunt*, inquit, *in die judicii aliorum virtutes, aliorum vitia ſublevare*. Addit Gloſſa interlin. *Non avaritia hoc dicunt, ſed timore, quia in illo die teſtimonium cujuſque vix ſufficiet ſibi, nedum ſibi & proximo*. Rurſum q. d. *Modo videamus quid vos adjuvent, qui vobis humanas laudes vendere conſueverant*. Hæc interlin. ex ſancto Gregorio hom. 12. in Evang. qui addit: *Venditores quippe olei adulatores ſunt. Qui enim accepta qualibet gratia, vanis ſuis laudibus nitorem gloriæ efferunt, quaſi oleum vendunt. De quo profecto oleo Pſalmiſta dicit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*.

DUM AUTEM IRENT EMERE, VENIT SPONSUS: ET VERS. 10
QUÆ PARATÆ ERANT, INTRAVERUNT CUM EO AD NUPTIAS (Syrus, *in domum chori*: in nuptiis enim ſunt chori cantantium & tripudiantium) ET CLAUSA EST JANUA] Emblema hoc quoque eſt, ſignificans in hac vita bene agendi, pœnitendi & merendi eſſe tempus; hoc vero claudi in morte (tunc enim *in ictu oculi clauduntur omnia*) & clauſum fore in die judicii. *Non enim poſt judicium patet precum aut meritorum locus*, ait S. Aug. Et S. Hieron. *Exceſſerat*, ait, *emendi tempus, nec adveniente die judicii locus erit pœnitentiæ*. Et Origenes. *Qui*, inquit, *quando debuerant utilia diſcere, neglexerunt in exitu vitæ dum diſcere volunt, comprehenduntur a morte*. Additque, vendentes ſunt doctores, emptio eſt acceptio: pretium perſeverantia, amor diſcendi & diligentia. Porro quia apud homines nuptiale gaudium eſt ſummum, hinc illi comparatur cæleſtis electorum felicitas. Unde ſanctus Hilarius: *Nuptiæ*, ait *immortalitatis aſſumptio eſt*, ubi, ait Interlin. anima Verbo Dei copulatur quaſi Sponſo. Tempus merendi clauditur morte. F

Audi quid de S. Opportuna Abbatiſſa narret S. Adelinus Epiſc. in ejus Vita apud Surium die 22. Aprilis: *Cum S. Opportuna gravirer egrotaret, ad eam venerunt SS. Cæcilia & Lucia, ad quas illa blando ſermone: Avete ſorores Cæcilia & Lucia, quid præcipit ancillæ ſuæ omnium Regina virgo Maria? expectat, inquiunt illæ, adventũ tuum in cælo, ut filio ejus conjungaris. Itaque ornata coronaglorie, & accenſa lãpade, debes obviare ſponſo & ſponſæ*. Igitur ipſa hilaris cum videret adventantem B. Virginem, quaſi eam amplexans, in ejus manus tradidit ſpiritum æterna gloria beandum. S. Opportunæ Abbatiſſæ moſs feliciſſima, G

NOVISSIMÆ VERO VENIUNT ET RELIQUÆ VIRGINES, VERS. 11
DICENTES DOMINE, DOMINE APERI NOBIS] *Dolore repulſionis compulſæ appellationem ingeminant dominationis*, ait S. Greg. Sed *quid prodeſt*, ait S. Hieron. *voce invocare quem operibus neges?* Significat ergo reprobos tum ſumme fore anxios & perculſos, ut in omnem partem ſe verſent, nunc ſummis precibus implorando miſericordiam judicis, nunc deplorando negligentiam vitæ præteritæ, nunc deſperando ſpem ſalutis. Ita auctor Imperfecti: *Nihil eis proderit*, ait, *anxietas illa tunc incipientibus bene agere, cum tempus bene agendi concluditur. Nihil proderit ex neceſſitate repetita confeſſio ejus, qui ex voluntate nec ſemel confeſſus eſt*. Lege patheticas reproborum voces & complorationes, quas graphice depingit Sapiens c. 5. v. 1. & ſeq.

AT ILLE RESPONDENS AIT: AMEN DICO VOBIS, NE- VERS. 12
SCIO VOS] Id eſt, vos pro meis non cognoſco, reſpuo, reprobo, damno: quia vos in die veſtra noluiſtis agnoſcere me, ut veſtrum Deum & Dominum, nec ego vos in hac die H
mea agnoſco, ut meos fideles, ſervos & filios: ſerviſtis diabolo, non Deo in voluptate; nunc ſervite illi in gehenna. Ita S. Hier. *Novit*, ait, *Dominus qui ſunt ejus: & qui ignorat, ignorabitur*. Et interl. *Ideo*, ait, *vos deſero, quia per vitæ meritum non recognoſco*. Et S. Chryſoſt. *Cum dixerit, Neſcio vos, nihil aliud quam gehenna & intolerabilis cruciatus relinquitur: imo vero etiam gehenna iſtud verbum gravius eſt*: quia quem neſcit Deus, hunc neſcit cælũ, neſciunt Angeli, neſciunt Beati, ſed ſcit diabolus, ſcit mors, ſcit gehenna, ad eum jugiter cruciandum. Adde, Chriſtus adeo indignabundum & terribilem vultum in die judicii oſtendet reprobis, ut dicant *montibus, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni; quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* Apoc. 6. 16. Vide ibi dicta. Vox ergo Chriſti judicis erit quaſi tonitru & fulmen, detonans æternam maledictionem in improbos, eoſque detrudens in tartara.

VIGILATE ITAQUE, QUIA NESCITIS DIEM, NEQUE HO- VERS. 13
RAM] Arabicus & Syrus, *quia non ſcitis illam diem, neque illam horam*, ſcilicet extremam illam, & *ultimum momentum ex quo pendet æternitas veſtra, vel beatiſſima, vel miſerrima*. Hæc eſt epiparabola ſive affabulatio, oſtendens

Digitized by Google

A ſcopum, finem, & fructum parabolæ, ſcilicet illam eo induci & dirigi, ut fideles omnes ſtimulet ad vigilantiam & ſtudium bonorum operum, quibus ſe comparent ad diem mortis & judicii, utpote inſtantem, ſed incertum, q.d. ait S. Hier. *Quia ignorantis diem judicii, lumen bonorum operum præparate: Nam qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit*, ait S. Greg. hom. 12. in Evang. *Neſcitis diem, neque horam, non modo ultimi illius temporis*, ait S. Aug. ſerm. 22. de Verbis Domini, *quo venturus eſt ſponſus, ſed & ſuæ quiſque dormitionis diē & horam neſcit. Quiſquis autem paratus eſt uſque ad ſomnum, id eſt uſque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus invenietur etiam cum illa vox media nocte ſomnuerit, qua omnes evigilaturi ſumus.* Vide dicta c. 24. v. 42.

Sapienter R. Achabia in *Pirke avoth* c. 3. *Conſidera tria*, inquit, *ut non pecces. Primum, unde veniſti; Secundum, quo vadis; Tertium, cui redditurus es vitæ rationem. Unde veniſti? ex materia fœtida. Quo vadis? ad locum cineris & vermium. Cui reddes rationem? regi Regum, ſancto & benedicto.* Sapientius S. Auguſt. hom. 13. inter 50. *Promiſit*, inquit, *tibi Deus, quoniam quo die converſus fueris, oblivi ſcetur mala tua præterita, ſed numquam vitam craſtini diei promiſit tibi.* Et mox: *Deus diem mortis incertum ſalubriter conſtituit: diem ultimum ſuum quiſque ſalubriter cogitet. Miſericordia Dei eſt, quia neſcit homo quando moriatur. Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies.* Nota ultimam S. Auguſtin. gnomen.

B

VERS. 14 *Parabola a talentorū,* SICUT ENIM HOMO PEREGRE PROFICISCENS VOCAVIT SERVOS SUOS, ET TRADIDIT ILLIS BONA SUA] Scilicet opes ſuas & facultates, ut eas cuſtodirent & negotiando augerent, ſupple, ex præcedenti. Sic erit adventus filii hominis ad judicium. Tò *enim* ſignificat ſcopum parabolæ, ſcilicet Chriſtum velle per eam probare id, quod dixit v. præced. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.*

Scopus ergo parabolæ hujus eſt, oſtendere, quam exactam donorum ſuorum rationem exacturus ſit Chriſtus in die judicii ab otioſis, & quod quantumque præmium daturus ſit negotioſis, qui donis ſuis ſtrenue ad Dei gloriam uſi ſunt. Similis eſt hæc parabola illi, quam recenſet Lucas c. 19. 11. ſed in nonnullis diſcrepat; alio enim

C tempore, fine & modo dicta eſt a Chriſto. Illa enim Lucæ dicta eſt ante Dominicam palmarum, hæc vero poſt eam, ſcilicet feria tertia, quæ prævit feriam ſextam, in qua Chriſtus fuit crucifixus. Unde S. Chryſoſt. Euthym. Janſen. & alii cenſent, diverſas eſſe has Lucæ & Matthæi parabolas, vel potius unam diverſimode repetitam: nam pro talentis Lucas habet minas, additque nonnulla verſ. 14. & 27. uti mox patebit.

Applicatio parabolæ. Porro homo hic eſt Chriſtus. Chriſtus enim profectus eſt peregre, cum in cælum aſcendit, quaſi longo tempore a terra & Eccleſia abſuturus. Ita Origenes, S. Hieron. Beda. Alii Chriſtum peregre profectum interpretantur, quando a Judæis tranſtulit prædicationem Evangelii per Apoſtolos ad Gentes, ac apud eos regnum Eccleſiæ ſuæ conſtituit; Nec male, præſertim apud Lucam c. 19. ubi hæc parabola inducitur propter Zachæum publicanum & quaſi Gentilem, in cujus domum ingreſſus Chriſtus, ſalutem ei attulit, relictis Judæis. Verum tunc tota parabo-

D la hæc ſervorum & talentorum ad ſolos Judæos arctanda eſt: talenta enim ſervis ſuis herus hic diſtribuiſſe dicitur antequam peregre (ad Gentes) proficiſceretur. Quocirca prior explicatio uti amplior, ita & germanior eſt: ſervi enim hic omnes fideles intelliguntur, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus oriundi ſunt. Bona ſunt talenta, de quibus v. ſeq. ſive quod herus hic, inſtar mercatorum & campſorum omnes ſuas facultates habuerit in pecuniis, puta in talentis auri & argenti; ſive quod talenta vocentur cenſus & prædia, quæ æſtimabantur partim uno, partim duobus, partim quinque talentis: ſicut a Latinis pecunia vocatur, quidquid pecunia æſtimatur & comparatur. Unde & Græcis vocantur χρήματα, id eſt, opes, pecuniæ, quaſi χρήσιμα, id eſt utilia, Sed prius eſt aptius, nam v. 27. hæc talenta vocantur pecunia.

VERS. 15 ET UNI DEDIT QUINQUE TALENTA, ALII AUTEM DUO, ALII VERO UNUM; UNICUIQUE SECUNDUM PROPRIAM VIRTUTEM (Arabicus, *juxta poſſe virtutis ſuæ*; Syrus, *juxta facultatem ſuam*) ET PROFECTUS EST STATIM] Pro *talentis*, Lucas habet *minas*, id eſt, *minas*: *mna* autem hebraice, idem eſt quod numeratum, ſive definitum, ſcilicet pretium, vel pondus auri vel argenti: radix enim מנה *mana* idem eſt quod numeravit. Unde *Mene, tekel, pha-*

Mina ſiv mna quid: ejus etymon,

res, Daniel 5. 25. Mina Attica & Romana continebat drachmas centum, Hebræa vero drachmas 240. ſive uncias 30. hoc eſt duas libras cum media. Drachma auri eſt coronatus Francicus; drachma argenti eſt Julius Romanus, ſive Regalis Hiſpanus. Quare mina Hebræa auri continebat 240. coronatos Francicos: mina vero argenti 240. Julios ſive Regales. Talentum Atticum continebat ſex millia drachmarum, id eſt, minas Atticas 60. Talentum vero Hebræum duplo erat majus, continebat enim duo millia drachmarum, hoc eſt minas Hebræas 60. Atticas vero 120. Romanas libras 25. Libra auri continet uncias auri 12. id eſt drachmas, ſive coronatos Francicos 96. Talentum auri ergo apud Hebræos continebat duodecim millia coronatorum Francicorum; talentum vero argenti duodecim millia Juliorum, ſive Regalium. Quare quinque talenta auri continebant ſexaginta millia coronatorum Francicorum, argenti vero ſexaginta millia Juliorum, quæ faciunt ſex millia aureorum Romanorum. Aureus enim Romanus continet decem Julios: duo vero talenta auri apud Hebræos continebant 24. millia coronatorum, Francicorum, argenti vero 24. millia Juliorum, id eſt, duo millia aureorum Romanorum. Vide ea, quæ tractavi de Menſuris in fine Pentateuchi.

E

Valor unius talenti.

F

Per talenta intellige quælibet Dei dona, ſine quibus nihil operari poſſumus. Dona, inquam Primo, gratiæ tum gratum facientis, uti ſunt fides, ſpes, charitas, virginitas, ceteræque virtutes; tum gratis datæ, uti ſunt poteſtas faciendi miracula, apoſtolatus, epiſcopatus, ſacerdotium, donum linguarum, diſcretio ſpirituum, propheria, &c. Secundo, dona naturæ, uti ſunt ſubtile ingenium, acre judicium, firma ſanitas, robur, prudentia, induſtria, ſcientia, eloquentia. Tertio, dona & bona externa, uti ſunt opes, honores, ſtatus, v. g. magiſtratus, principatus regnum, &c. ita S. Chryſoſtomus. Hæc omnia enim Deus, uni quinque, alteri duo, tertio unum, id eſt, impariter & inæqualiter, pro libito diſtribuit, hoc fine, ut quiſque iis utatur ad Dei gloriam, & ſuam aliorumque ſalutem: ſic enim illa adaugebit, tum in ſe (omnis enim habitus per actuum exercitium creſcit) tum merito & præmio. Addentur enim illi coronæ & aureolæ cæleſtis, v. g. virginitatis, doctoratus, martyrii. Porro nullus eſt homo, qui non unum aliquod, imo plura ex his Dei dona acceperit, ſed alius plura, alius pauciora. Nam, ut ait S. Gregorius hom. 9. in Evang. *Nullus eſt qui veraciter dicat, Talentum minime accepi, non eſt unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipſum reputabitur, quod vel minimum accepit.* Multis enim majus Dei donum, & ad ſalutem utilius eſt paupertas quam opulentia, infirmitas quam ſanitas, humilis ſtatus quam ſublimis. Exemplum ſit in S. Paulo, S. Timotheo, & S. Oneſimo. S. Paulus enim quaſi quinque talenta, id eſt dona, a Deo accepit, ſcilicet donum linguarum, poteſtatem miraculorum, apoſtolatum, zelum animarum, efficaciam prædicandi: Timotheus vero quaſi accepit duo, ſcilicet ſcientiam Scripturarum, & Epiſcopatum Epheſinum; Oneſimus vero unum, ſcilicet ſtudium miniſtrandi S. Paulo Romæ incarcerato, per quod meruit plura alia, ſcilicet epiſcopatum Coloſſenſem, & multorum converſionem, & martyrium, uti dixi in epiſt. ad Philemonem.

Talenta Triplicia. Primo. Secundo. Tertio.

G

Quæres, quomodo hæc talenta, ſive dona ſua Deus diſtribuit *ſecundum propriam cujuſque virtutem*? Græce δύναμιν, id eſt, poteſtatem, robur & vires. Reſp. Hoc partim eſt emblema, pertinens duntaxat ad elegantiam parabulæ. Sic enim apud homines ſolent prudentes heri bona ſua dividere & credere ſuis ſervis, ut plura credant ei, qui majori polleat prudentia & induſtria, pauciora illi, qui minori. Nam certum eſt contra Pelagianos gratiam primam non dari ſecundum naturales vires & merita, imo nullam eſſe in natura diſpoſitionem ad gratiam.

H

An Deus det talenta juxta p. opias vires? Reſp. primo.

Partim vero hoc pertinet ad propoſitum: quia gratias gratis datas & ſtatus, ut magiſtratum, epiſcopatum, apoſtolatum, ſacerdotium, &c. ſæpe Deus viribus naturæ contemperat, nec aliquem ad ſtatum aliquem aut gradum eligit, niſi ei ferendo par ſit, & natura idoneus, aut quem ipſe idoneum faciat. Idem hominibus faciendum eſſe cum quem in paſtorem, Epiſcopum vel Prælatum eligunt, docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 63. art. 2. & alibi. Imo cum Deus quodvis donum permanens cuipiam clargiri decernit, prius ei donat capacitatem, ſeu diſpoſitionem proportionatam naturalem, vel ſupernaturalem, aut meritum, quo ad hoc donum fiat idoneus, vel ad illud idonee ſe comparet. Sic

Reſp. ad

Moſi

Digitized by Google

A Mosi dedit zelum suæ gentis, ut eo se disponeret ad illius præfecturam, & ex Ægypto liberationem. Sic Paulo dedit zelum legis Mosaicæ, ut eo deinde purgato & castigato uteretur ad propagationem legis Christianæ, uti docet S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 70. Sic Magdalenæ & sancto Petro ingentem indidit de peccatis contritionem, ut per illam ad ingentem sanctitatem eos disponeret. Si quos Deus eligit & destinat ad virginitatem religiosam vitam, martyrium, missionem Indicam, &c. prius vehemens illius desiderium eis ingerit, quo se ad illam aptent & præparent.

¶ Angelis data gratia juxta naturam.

Denique S. Thomas 1. p. quæst. 62. art. 6. docet Deum angelis distribuisse dona gratiæ & gloriæ secundum dona naturæ: quare eos qui sublimiores sunt natura, sublimiores quoque esse in gratia & gloria. Additque idem subinde facere in hominibus. Ait enim: *Hoc autem etiam in hominibus contingit: quia secundum intentionem conversionis in Deum, datur major gratia & gloria.* Sæpe tamen Deum facit contrarium, ut idiotis, rudibus, vilibus & abjectis, B majora det dona gratiæ, quam litteratis, ingeniosis, honoratis, opulentis, uti dedit S. Francisco, S. Catharinæ Senensi, S. Simeoni Stylitæ & pluribus similibus. Simili modo subindè Deus distribuit dona gratiæ gratis datæ, ob arcana sua consilia & judicia. Multi enim præsunt, ait Franc. Lucas, qui minime digni aut idonei sunt: multi sunt sacerdotio inepti, &c. In nullis tamen natura ejusque dotes sunt meritum, vel dispositio ad gratiam. Ergo ex hoc Christi dicto non sequitur, *singulis conferri Dei dona secundum meriti sui modum*, quod Calvinus Catholicis hic per calumniam affingit: aliud enim est natura capacem esse donorum Dei, aliud mereri dona Dei: aliud posse habere charitatem, aliud habere charitatem, quemadmodum docet Prosper lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 1. ubi illud *secundum propriam virtutem*, interpretatur, *secundum propriam & naturalem possibilitatem*: sicut & aliud est esse habilem aptumque ad accipienda Dei dona, aliud ea mereri.

ET PROFECTUS EST STATIM] q.d. Christus a Judæis C abiit ad Gentes, aut potius in cælum, ut dixi. Addit Lucas c. 19. 13. Christum antequam abiret, partitis in servos suos minis, vel talentis, dixisse: *Negotiamini dum venio*, ut scilicet talenta hæc mea strenue per totam vitam laborando adaugeatis, & eorum lucrum mihi offeratis, cum ego ad judicium redibo; ac mox subjicit: *Cives autem ejus oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* Cives Christi sunt Judæi, qui noluerunt *hunc*, scilicet Christum, agnoscere pro suo rege & Messia, cum coram Pilato clamarunt: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*, ideoque Christum ad crucem postularunt. Rursum cum post mortem & Resurrectionem Christi, ejus Apostolos & Christianos regnum Christi prædicantes & propagantes & plagis, & litteris contra eos scriptis, quas per totum orbem sparserunt, persecuti sunt. Unde de justa eorum castigatione subdit Lucas v. 27. Christum dixisse: *Verumtamen inimicos meos, qui noluerunt me regnare, adducite huc, & interficite ante me.* Fecit hoc Christus, cum Judæam vastavit, & Judæos occidit per Titum Imp magisque id faciet in die judicii cum eos in gehenna æterna morte mulctabit.

D ABIIT AUTEM QUI QUINQUE TALENTA ACCEPERAT, ET OPERATUS EST IN EIS (per ea) ET LUCRATUS EST ALIA QUINQUE] Lucrari talenta est dona Dei augere per eorumdem usum & exercitium, maxime autem est per bona opera & auxilium proximorum, gratiam Dei in se & aliis adaugere & accumulare. Innuit hæc parabola quemque gratiæ Dei ex æquo & totis viribus cooperari & collaborare debere, ut v. g. qui habet quinque gradus charitatis, eliciat actum ejusdem intensum ut quinque: sic enim lucrabitur alios quinque gradus, aceipietque a Deo habitum charitatis intensum ut decem; cui si iterum ex æquo cooperetur, eliciatque actum charitatis ut 10. lucrabitur alios decem charitatis gradus, accipietque habitum charitatis intensum ut viginti; cui rursum si ex æquo collaboret, eliciatque actum charitatis ut viginti, merebitur & accipiet habitum charitatis intensum ut 40. & ita consequenter assidue duplicando mire multiplicabit lucrum talentorum suorum, puta graduum charitatis. Esto ergo ipse paucos aut nullos sua charitate ad Christum prædicando converteret, habebit tamen idem meritum & præmium prædicationis & charitatis suæ, perinde ac si multos convertisset: conversio enim aliorum sæpe non est in nostra potestate, meritum autem semper est.

VERS. 16

Lucrari talenta quid?

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

Nota ex Luca c. 19. vers. 16. & 18. eadem mna, id E est, idem gradus gratiæ, in uno operatur & lucratur decem mnas, in alio vero quinque dumtaxat, quia scilicet ille majori fervore, studio & conatu voluntatis, gratiæ cooperatus est, quam ille.

Porro ex hoc versu & seq. colligunt Theologi Deum ex merito actionum nostrarum, habitus earum supernaturales statim augere & intendere, etiamsi actiones habitum a quo manant, non superent: nam qui quinque talenta acceperat, operando lucratus est alia quinque.

Moraliter S. Gregorius hom. 9. in Evan. *Lectio Evangelii*, inquit, *sollicite consideranda nos admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donarum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.*

SIMILITER ET QUI DUO TALENTA ACCEPERAT, LUCRATUS EST ALIA DUO] q.d. Hic quoque studiose & VERS. 17 ex æquo talento, id est, gratiæ suæ cooperando illam F duplicavit.

QUI AUTEM UNUM ACCEPERAT, ABIENS FODIT IN TERRAM, ET ABSCONDIT PECUNIAM DOMINI SUI] Arabicus, *sepelivit argentum Domini sui*. Defodere talentum, est ex negligentia & desidia, gratia sibi a Deo collata non uti, non operari, Ubi Nota, defossionem hanc talenti tribui illi, qui unum tantum accepit, non quod alii, qui plura acceperunt, sæpe idem non faciant, sed ut intelligatur ex eo, quod tam acriter a domino exceptus & castigatus est is, qui uno tantum talento abusus est, longe acriorem fore domini censuram & castigationem in eos, qui pluribus abuntur & majoribus. Quo circa Paulus. *Exhortamur*, inquit, *vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, 2. Corinth. 6. 11. Et: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi*, 1. Corinth. 15. v. 10. Et: *Ve mihi est, si non Evangelizavero*, ibid. c. 9. 16. VERS. 18

Notent hoc, qui ingenio, doctrina, prudentia, aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem, ob desidiam vel metum peccandi, aliave simili de causa: ab his enim eorum rationem exactam reposcet Christus in die judicii. Adde, eos qui pauca talenta acceperunt, sæpe per socordiam illa otiosa relinquere, & quasi defodere: nam qui plura acceperunt, iis stimulantur, ut iis tantur; quare vel iis recte utuntur ad meritum, vel abutuntur ad vanitatem, itaque puniuntur, non ob talentorum otium, sed abusum vanitatis. Ita fere videmus eos, qui pollent magno ingenio, si eo ad honesta non utantur, ad inhonesta abuti. G

POST MULTUM VERO TEMPORIS VENIT DOMINUS SERVORUM ILLORUM, ET POSUIT RATIONEM CUM EIS] VERS. 19 Hanc rationem & computum cum quolibet privatim init Christus in morte & judicio particulari cujusque animæ, publice vero inibit in die judicii universalis.

ET ACCEDENS QUI QUINQUE TALENTA ACCEPERAT, VERS. 20 OBTULIT ALIA QUINQUE TALENTA, DICENS: DOMINE, QUINQUE TALENTA TRADIDISTI MIHI, ECCE ALIA QUINQUE SUPERLUCRATUS SUM] Audi S. Gregorium hom. 17. in Evang. pathetice hæc depingentem. *In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Judea conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achajam. Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante eterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus.* H

AIT ILLI DOMINUS EJUS: EUGE SERVE BONE ET VERS. 21 FIDELIS, QUIA SUPER PAUCA FUISTI FIDELIS, SUPER MULTA TE CONSTITUAM, INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI] Lucas c. 19. 2. 19. habet: *Et tu esto super quinque civitates.* Est parabola sumpta a rege, qui solet servos fideles remunerare gubernaculis plurium civitatum. Significat autem per catachresim, Sanctos qui strenue usi

Digitized by Google

sunt gratia sibi a Deo data, fore consortes gloriæ, regni & gaudii Dei, sed majoris vel minoris pro labore & meritis cujusque.

Noster Salmeron opinatur hic innui, taciteque promitti, quod Sancti certis locis, quibus in vita laborarunt, in cælo a Deo præficiantur, ut ibi plus boni operentur, v. g. ut morbis medeantur, aliaque miracula patrent, quia hoc labore suo meruerunt. Sic S. Jacobus miracula patrat Compostellæ & in Hispania, S. Dionysius Parisiis & in Gallia, S. Ambrosius Mediolani & in Italia, S. Bonifacius in Frisia & Germania.

VERS. 22 ACCESSIT AUTEM ET QUI DUO TALENTA ACCEPERAT, ET AIT: DOMINE, DUO TALENTA TRADIDISTI MIHI; ECCE ALIA DUO LUCRATUS SUM.

VERS. 23 AIT ILLI DOMINUS EJUS. EUGE SERVE BONE ET FIDELIS, QUIA SUPER PAUCA FUISTI FIDELIS, SUPER MULTA TE CONSTITUAM, INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI] Arabicus vertit, *& hæc sunt quinque talenta, quæ lucratus sum*, quasi ea servus hero ostenderit, & obtulerit. Patent hæc ex dictis v. 20. & 21. Idem enim dicitur, B nisi quod ibi quinque sint talenta, hic duo: quia, ut ait S. Hieronymus, *Non tam considerat Dominus lucri magnitudinem, quam studii voluntatem*. Ac fieri potest, ut is qui duo accepit, strenue & continue cum iis negotiando plus mereatur & accipiat, quam is qui quinque nactus est, si tepide & raro iis utatur. Sic S. Nicolaus Tolentinas, qui sanctam in jugi oratione & austeritate egerat vitam, adeoque feria secunda, quarta, sexta, & sabbato in honorem B. Virginis jejunabat, solo pane, & aqua contentus, ac ferrea catena corpus castigabat, sex mensibus ante mortem quotidie ad vesperam melodiam audivit angelicam, qua ad nuptias Agni cælestis invitabatur. Demum sub mortem miro perfusus gaudio, & causam rogatus dixit. *Dominus meus Jesus Christus, sua matri & nostro Patri Augustino innixus, dicit mihi: Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*. Ac mox junctis sursum manibus, oculisque ad crucem sublatis: *In manus tuas Domine*, inquit, *commendo spiritum meum*. Itaque jucundo & hilari vultu animam Deo resignavit anno Dom. 1306. ut habet ejus Vita apud Surium die 10. Septemb.

S. Nicolaus Tolentinas.

C VERS. 24 ACCEDENS AUTEM ET QUI UNUM TALENTUM ACCEPERAT, AIT: DOMINE, SCIO QUIA HOMO DURUS ES, METIS UBI NON SEMINASTI, ET CONGREGAS UBI NON SPARSISTI,

VERS. 25 ET TIMENS ABII, & ABSCONDI TALENTUM TUUM IN TERRA: ECCE HABES QUOD TUUM EST.

Emblema est spectans ad ornatum parabolæ. Sic enim servi pigri suam desidiam, domini severitate excusant, ait Franc. Lucas, q. d. Tu non vis perdere, sed solum lucrari; & si lucrum non adferatur, tollis tibi res servorum tuorum pauperum quavis ratione, jure vel injuria. *Qui simpliciter inertiam debuit confiteri*, inquit S. Hieron. *& orare patrem familias veniam, e contrario calumniatur, & consideratarapacis domini avaritia, prudenti consilio se ab omni negotiatione abstinuisse præfatur*.

Notat reprobos in die judicii, cum videbunt Sanctos a Christo adeo præmiari, se vero damnari ad gehennam, idque in æternum, ex desperatione, odio & rabie in Christum judicem insurrecturos, illique severitatem nimiam impudenter exprobraturos, indeque suæ damnationis culD pam impie & blasphemie in eum conjecturos. Sic enim ipsi in gehenna ex tormentorum acerbitate & æternitate in favorem acti, assidue blasphemant Deum, Christum & Sanctos omnes, utpote a quibus torquentur, vel effective, vel objective.

VERS. 26 RESPONDENS AUTEM DOMINUS EJUS, DIXIT EI: SERVE MALE ET PIGER, SCIEBAS QUIA METO UBI NON SEMINO, ET CONGREGO UBI NON SPARSI.

Luc. 19. 22.

VERS. 27 OPORTUIT ERGO TE COMMITTERE PECUNIAM MEAM NUMMULARIIS, ET VENIENS EGO RECEPISSEM UTIQUE QUOD MEUM EST CUM USURA.

Nummularii qui?

Hoc pariter emblema est, tantum significans omni modo & opera, saltem faciliori & qui fere caret periculo, gratiam Dei cuilibet augendam esse. Ubi Nota, nummularios vocari eos, qui ex cambio vel mutuo lucrum faciunt, uti sunt campsores & usurarii. Hoc lucrum in cambio licitum est, in mutuo illicitum, & peccatum usuræ. Estque hic lucrandi modus certus, obvius & facillimus. Unde dominus hic non tam ex rei in se justitia loquitur, quam parabolice, partim ex gentium consuetudine & usu: apud multas enim gentes usuræ habitæ sunt licitæ, ac præsertim apud Judæos, qui sibi illas apud Gentes permissas a Deo putant Deuter. 23. 19. partim ex consequentia verborum servi desidis, qui duram avaritiam extorquendi lucrum per fas & nefas, tam a se quam ab aliis domino suo impingebat. Potest tamen hoc rei per parabolam significatæ adaptari sic; quod Deus gratiæ & donorum suorum lucra, quasi usuras, sed æquissimo jure debitas a nobis exigat, longe majores gloriæ usuras redditurus in cælo: unde illud, *Si vis fœnerari, fœnerare Deo*, Nam, ut dicitur Proverb. 19. 17. *Fœnerator Deo, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei*. Vide ibi dicta.

E

VERS. 28 TOLLITE ITAQUE AB EO TALENTUM, ET DATE EI QUI HABET DECEM TALENTA] Ex dono enim meo primus habuit quinque talenta, deinde ex iis lucratus est alia quinque: ergo universim habet jam decem. Emblema hoc quoque est. Retundit Dominus criminationem servi pigri, accusantis se de avaritia. q. d. Ecce ut videas, o serve piger, me hæc lucra non mihi avare, sed servis ipsis liberaliter quærere, meum talentum tibi datum ad me revocans, illud non mihi in arcam recondo, sed ergo ei, qui quinque suis bene usus, lucratus est alia quinque. Hic F enim hoc tuum, imo meum talentum quasi auctarium sui laboris & lucri meretur.

Luc. 19. 24.

Hoc quoque partim emblema est parabolæ, partim applicandum rei per parabolam significatæ. Nam in die judicii revera Deus tollet gratias suas a reprobis, qui ipsis vel non usi, vel ad malum abusi sunt. Idem sæpe facit in hac vita, imo semper gratiam gratum facientem tollit ab eo, qui peccat mortaliter, v. g. dum per desidiam negligit implere aliquod Dei præceptum obligans sub peccato mortali. Emblema vero est quod addit, *Et date ei qui habet decem talenta*. Quo tamen tacite innuit Primo, Sanctos qui diligenter gratia Dei utuntur, dignos esse majori, & illa quam indigni & otiosi habent, idque non raro fieri in hac vita, ut ipsa ex his ad illos transferantur, juxta illud Apocal. 3. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*. Vide ibi dicta. Secundo, innuit Sanctos in cælo gavisuros, & de suis talentis & de reproborum, quatenus suis se melius usos quam reprobos, aut se reproborum coronas accipere gaudebunt. Tertio, quod Deus in cælo omnia dona omnesque dotes & gratias, etiam illas, quas reprobi habuerunt in hac vita, conferet in Beatos: quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ut ait Boetius. Illas intellige easdem non numero, sed specie, id est, similes illis, quas reprobi habuerunt. Unde subjicit & concludit Christus.

G

OMNI ENIM HABENTI DABITUR, ET ABUNDABIT: QUI AUTEM QUI NON HABET, ET QUOD VIDETUR HABERE, AUFERETUR AB EO] Arabicus: *quia ei, qui habet dabitur, & addetur: & ab eo qui non habet auferetur quod est cum eo*; Syrus, *id etiam quod habet, adimetur ei*.

VERS. 29 OMNI HABENTI] scilicet lucrum talentorum & gratiæ, per strenuam cooperationem suam partæ adauctæque, plus talentorum & gratiæ ac gloriæ dabitur. Secundo, S. Chrysost. hic, & S. August. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 46. *Omni habenti*, id est, omni bene utenti talento suo. Ille enim vere habet talentum, qui eo recte utitur, otiosus enim, qui eo non utitur, videtur illud non habere; perinde enim apud illum iners ac otiosum est, ac si illud non haberet.

c. 1. 26. Sup. 13. 12.

H

VERS. 30 EI AUTEM QUI NON HABET, scilicet lucrum talentorum & gratiæ a se partum, vel *qui non habet*, id est, qui non utitur talento suo, uti jam dixi, ET QUOD VIDETUR HABERE, id est, talentum suum, quod quidem *habet*, ut dictum est cap. 13. 12. sed quia otiosum illi erat, potius non habere quam habere videbatur, AUFERETUR AB EO] juxta sensum, quem paulo ante dixi. Simili phrasi ait Comicus: *Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet*, quia eo non utitur, sed in arca recondit & sepelit, quare arca illud habet, non ipse. Avarus enim non tam habet & possidet aurum, quam ab auro habetur & possidetur: est enim auri servus & mancipium.

Hinc Theologi sumpsere sium illud axioma: *Facienti quod in se est, Deus non deest*, nec denegat gratiam, cui si strenue coopereretur, majorem addet semper & majorem, usque ad donum perseverantiæ & gloriæ, quod quomodo accipiendum sit, vide Suarez, Vasquez, Valentiam Bellarminum & alios tract. de Gratia.

Iteravit hanc gnomen Christus cap. 13. vers. 12. sed ad alium finem & scopum, ut ibi ostendi.

VERS. 31 CUM AUTEM VENERIT FILIUS HOMINIS IN MAJESTATE SUA, ET OMNES ANGELI CUM EO, TUNC SEDERIT SUPER SEDEM MAJESTATIS SUÆ] Syrus, *super thro-*

Digitized by Google

A *num gloriæ ſuæ*, quaſi judex omnium, ſedens in ſplendida & glorioſa nube, vide dicta cap. 24. 30. Hic Chriſtus graphice depingit ideam & formam judicii extremi, ut illud omnes ſuæ menti imprimant, ejuſque jugi recordatione ad vitæ puritatem & ſtudium bonorum operum ſe continuo excitent & extimulent. Porro Chriſtus ſedebit in aere juxta Jeruſalem ſupra vallem Joſaphat, quæ adjacet monti Oliveti, ubi pati cœpit in horto, & ex quo glorioſe in cælum conſcendit, ut docet Joel c. 3. 2. Vide ibi dicta.

Majeſtas Chriſti judicis. Majeſtas Chriſti judicis elucebit, Primo, in prævio horriſonæ tubæ Archangeli clangore, qui tam ſonorus erit, ut per totum orbem audiatur. Secundo, in præviis fulguribus, tonitribus, grandinibus, procellis, terræmotibus, juxta illud pſal. 96. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit & commota eſt terra.* Tertio, quod Chriſtus apparebit in corpore glorioſo ac magis radiante, quam ſol, juxta illud Iſaiæ cap. 24. *Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnaverit Dominus exercituum*, in ſenſu myſtico. Nam alius illius loci eſt ſenſus litteralis, ut ibi oſtendi. Quarto, quod veniet cum nubibus, ac ſedebit judex in nube glorioſa. Quinto, quod e cælo deſcendet ſtipatus innumeris angelorum omnium legionibus. Sexto, quod ante eum judicandi ſtabunt, omnes Imperatores, Pontifices, Reges, Prælati, principes, philoſophi, oratores, omneſque omnino homines & gentes. Septimo, quod eos judicabit, non ut alienos ſubditos, uti faciunt guberbatores regum, ſed ut proprios ſervos: omnes enim homines & angeli ſunt ſervi Chriſti, non tantum qua Deus eſt jure creationis, ſed etiam qua homo eſt jure unionis hypoſtaticæ cum Verbo, ac jure meriti: hoc enim meritus eſt Chriſtus ſua humili obedientia uſque ad mortem crucis, juxta illud Apoſtoli, Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Homines vero Chriſti ſervi ſunt proprio jure redemptionis: eos enim morte & inferno redemit, & emit Chriſtus pretioſo ſanguinis ſui pretio.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

B C

Et omnes Angeli cum eo] Ergo in die judicii ne unus quidem angelus manebit in cælo, ſed omnes omnino cum eo deſcendent, eumque quaſi Deum, Dominum & ſalvatorem ſuum honoris cauſa quaſi famuli comitabuntur, ut Chriſtum qua homo eſt, & judex, ſtipent, illique miniſtrent. Quocirca unus ex eis Chriſto præferet crucem, quaſi inſigne triumphi & regni, ut patet cap. 24. 30. Porro probabile eſt angelos tunc aſſumpturos corpora ex aere condenſato, in iiſque ſplendidis glorioſe apparituros: alioqui enim hæc Chriſti angelis ſtipati gloria & poteſtas, non poſſet videri ab impiis & reprobis, quorum tamen cauſa maxime exhibebitur, neque externam ejus majeſtatem (quam deſcribere vult hic Chriſtus) ille angelorum exercitus augeret. Ita Suarez tom. 3. diſp. 57. Cum ergo innumerabilis ſit angelorum multitudo, tunc longe lateque ſupremas aeris regiones undique per multa millia milliarium, uſque ad cælos ipſos replebunt, & immenſi exercitus ſpeciem præbebunt. Hæc erit majeſtas & gloria Chriſti ad gaudium electorum, & terrorem reproborum.

Angeli apparebunt in corporibus ſplendidis.

D

Dæmones in terris. Valde etiam credibile eſt, dæmones quoque in corporibus aſſumptis, ſed terreis, horridis & terrificis apparituros, vel quia alioqui ab impiis videri non poſſent, vel quia pertinent ad Chriſti, qua homo eſt & judex, gloriam, & impiorum confuſionem, ut videantur. Ita noſter Leon. Leſſius l. 13. de Perfect. divinis cap. 22. Hac ratione fiet, ait auctor Imperfecti, *ut etiam maliipſum confiteantur inviti, & qui contempſerunt in humilitate, agnoſcant in poteſtate.*

Vers. 32 Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis] Id faciet per angelos quaſi adminiſtros ſuos, juxta illud c. 13. 49. *Tunc exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum.*

Omnes gentes] Id eſt, omnes homines a primo Adam prognati, uſque ad ultimum, cujuſcumque familiæ & gentis ſint, quamtumvis feræ & barbaræ, etiam parvuli & infantes, licet de infantium cauſa & ſententia hic proprie non agatur; ſed tantum de adultorum, qui ſuis bonis vel malis operibus cælum vel infernum prometiti ſunt. Quocirca erunt tunc plurimi milliones hominum, quos omnes vallis Joſaphat non capiet, quare tunc Deus montem Olivarum alioſque complanabit, ut locus ſit qui capiat tot hominum myriades: reprobi enim omnes in terra conſiſtent, Sancti vero præſertim illuſtres, ut Apoſtoli, ac viri Religioſi & Apoſtolici in aere attollentur, imo Chriſto judici aſſidebunt, Matth. 19. 28.

E

Parvuli resurgent in judicio. Primo. Secundo.

Porro parvulos comparituros in die judicii, licet id neget Durandus in 2. diſp. 33. quæſt. 3. valde eſt probabile. Primo, quia Chriſtus omnium omnino hominum erit judex: ergo etiam parvulorum. Secundo, quia parvuli æque ac adulti reſurgent, idque *in virum perfectum*, ut ait Apoſtolus Epheſ. 4. verſ. 13. hoc eſt, in ætate & ſtatura virili: videbunt ergo & cognoſcent omnes homines ſecum reſurgentes ſiſti coram tribunali Chriſti, ut ab eo judicentur. Tertio, quia multi ex infantibus per baptiſmum, vel martyrium effecti ſunt Sancti & Martyres, uti fuere innocentes occiſi ab Herode. Hi ergo cum adultis audient a Chriſto; *Venite benedicti Patris mei.* Quarto, quia infantes mortui in peccato originali per tot millia annorum, ubivis gentium erunt plurimi, adeo ut Leſſius de perfect. divin. cap. 22. num. 143. putet numerum eorum fore mille milliones. Hi autem abſcondi non poterunt, ſed in terra reſurgentes comparebunt: videbuntque omnes ſecum reſurgere & judicari a Chriſto. Quare hi quoque ſegregati ab aliis, ſuam a Chriſto ſententiam accipient, mediam ſcilicet inter adultos & reprobos: nam nec damnabuntur ad ignem gehennæ, ut adulti reprobi; nec adjudicabuntur cælo ad videndum Deum, uti adulti electi.

Tertio. Quarto.

F

Separabit eos ab invicem, sicut pastor separat oves ab hoedis] Electos comparat ovibus, ob innocentiam, humilitatem, ſimplicitatem, modeſtiam, obedientiam, patientiam; reprobos hœdis, quia hoc animal fœtet, eſt aſperum, immundum, petulcum, laſcivum, per præcipitia incedens, rixoſum; quales ſunt impii. Unde & in lege veteri hœdi quaſi victimæ pro peccato offerri ſolebant.

Hujus ſeparationis typus præceſſit in ſeparatione benedictionum in eos qui ſervant legem, & maledictionum in eos, qui legem violant, facta a Moſe in monte Garizim, Deuter. cap. 27.

G

Vers. 33 Et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris] Dextra enim ſymbolum eſt felicitatis, gloriæ, regni, victoriæ & triumphi; ſiniſtra vero infelicitatis, opprobrii, ſervitutis, calamitatis & miſeriæ. Addit S. Thom. *A dextris*, inquit, id eſt honoratiori & nobiliori loco, ſcilicet in aere conſiſtent electi, inde mox in cælum cum Chriſto conſcenſuri; juxta illud: *Rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aera*, 1. Theſſal. 4. 16. Reprobi vero erunt *a ſiniſtris*, id eſt, humiliori & viliori loco in imo terræ, ut inde hiante terra abſorbeantur in tartara.

Vers. 34 Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi] *Venite* de tenebris ad lucem, de ſervitute ad libertatem filiorum Dei, de labore ad requiem perennem, de bello ad pacem, de morte ad vitam, de malorum ſocietate ad angelorum conſortium, de agone ad triumphum, de ſolo & ſalo tentationum, ad ſolem gloriæ, & juge cælum gaudiorũ æternorũ

H

Pathetice hoc verbum exaggerat S. Hippolytus Martyr tract. de Conſummat. ſæculi in fine, deſcendendo ad ſingulos Sactorum ordines. *Venite*, ait, *Prophetæ propter nomen meum expulſi: Venite Patriarchæ, qui ante adventum meum obtemperaſtis mihi, regnumque meum deſideraſtis. Venite Apoſtoli mearum afflictionum participes, dum inter homines agerem propter Evangelium: Venite Martyres, qui confeſſi me coram tyrannis, tormenta multa atque ſupplicia pertuliſtis: Venite Pontifices, qui pure mihi ſacrificium die noctuque obtuliſtis, ac preciosum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie: Venite Sancti, qui in montibus, in ſpeluncis & cavernis terræ exercuiſtis vos, qui per continentiam, preces & virginitatem ſerviſtis nomini meo: Venite adoleſcentulæ, quæ thalamum meum exaptaſtis, nec præter me ſponſum aliũ dilexiſtis, quæ per martyrium & pietatis exercitationem mihi immortali ac incorruptibili ſponſo copulatæ eſtis: Venite qui dilexiſtis pauperes & peregrinos: Venite qui charitatem meam ſervaſtis, ſicut ſum ego charitas: Venite ſocii pacis: ego enim ſum ipſa pax.*

Porro prius Chriſtus judicat præmiatque electos, quam puniat reprobos; tum quia electi digniores ſunt reprobis; tum quia Chriſti proprium eſt præmiare, alienum punire; tum ut reprobi *acrius doleant videntes*

Digitized by Google

A *dentes quid amiserint*, ait S. Bernar. ser. 8. in psal. 90.

Rex] Christus judex habens in femore suo scriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium*. Apocal. 19. 16.

Benedicti Patris mei] quos scilicet Pater meus, cui appropriatur omnipotentia, imperium & prædestinatio, *benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus*, per sanguinis mei meritum Ephes. 1. 3. scilicet quos ab æterno dilexit & prædestinavit, in tempore justificavit, nunc vero glorificabit: quibus dedit gratiam, bona opera, & in iis perseverantiam usque ad finem vitæ, ideoque eis pro meritis nunc præmium cœlestis gloriæ per me attribuit. Venite ergo benedicti, terque quaterque beati, quos Deus amavit & prædestinavit ante mundum, vocavit de mundo, mundavit & sanctificavit in mundo, nunc magnificabit post mundum, ut ait in Soliloquiis S. Augustinus.

Judicium extremum non in momento peragendum.

Nota. Judicium Christi extremum non peragetur in instanti, sive in momento temporis, uti peragetur generalis omnium resurrectio, 1. Corinth. 15. 52. sed aliquanto tempore durabit. Nam primo, fiet singulorum examen, & conscientiarum apertio, qua Christus cuique hominum sua & aliorum omnium facta, per illuminationem internam patefaciet & revelabit, ac sententiam cuique suam pro meritis dictabit, facietque ut omnes videant illam in singulis esse æquissimam & justissimam, nec ullum exceptioni vel tergiversationi dari locum, uti ostendi Apoc. 20. 12. ac fuse docet hic Abulensis quæst. 334. & seq. *Fiet enim*, ait S. Aug. l. 20. de Civit. c. 14. *virtute divina, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala in memoriam revocentur: & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam*. Hæc enim fient in tempore, sed per brevi. Deinde generalem in omnes Sanctos voce sensibili, ut videtur, proferet æternæ felicitatis sententiam, dicendo: *Venite benedicti Patris*, &c. mox in reprobos æternæ damnationis fulmen detonabit, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum*, &c.

B

Possidete] Græce, κληρονομήσατε, id est, *hereditate* (ita Arabicus) velut hereditatem vestram occupate. *Si enim filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, Rom. 8. *O quanta gloria*, ait Chrysostomus, *quanæ beatitudinis hæc verba sunt? nec dicit: Accipite, sed hereditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis a principio debebantur*.

C

Paratum vobis regnum a constitutione mundi] *Regnum*, puta cælum empyreum, omniaque ejus bona, uti sunt visio & fruitio Dei, societas angelorum & Beatorum, dotes animæ & corporis, copia bonorum omnium, non humanorum, sed divinorum.

A constitutione mundi] Arabicus, *ante constitutionem mundi*, scilicet ab æterno. Significat cælum totumque mundum creatum esse a Deo propter Beatos, ut ipsi in eo perpetim beentur, glorientur, regnent & triumphent. Porro hæc gloria Sanctis parata & prædestinata fuit. Primo, ab æterno: ideo enim Deus ab æterno statuit condere Sanctos & mundum, ut ipsos in eo beatos omniumque bonorum suorum consortes efficeret. Secundo, a creatione mundi: cælum enim empyreum mundumque creavit Deus hoc fine, ut esset sedes & regnum Beatorum. Quocirca S. Chrysostom. hom. 1. in ep. ad

D Titum: *Ostenditur*, inquit, *ex his nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim atque ab ipsis initiis dilecti sumus*. Et hom. 34. in Genesim: *Vide bonitatis Dei excellentiam, quanta erga nostrum genus misericordia usus sit, ut & ante jacta fundamenta mundi nobis regni cœlorum fruitionem præparare dignatus sit*.

O quam suavis & beata electis accidet hæc vox Christi? quantas illi agent gratias? quomodo jubilabunt? Non dubium quin profundissima reverentia se demittent, ac prostrati vel genu flexi illum adorabunt, confitentes & exultantes se ejus sanguine & meritis ad tantam felicitatem evectos, ut patet Apocal. c. 5. & 7. ubi videre est, & audire eorum jubilos, doxologias & epinicia; quæ Deo & Christo pleno ore & corde accinent.

Quocirca audita hac Christi voce, conversus, imo Martyr effectus est S. Apronianus. De eo enim sic legimus in Martyrol. Rom. die 2. Februarii: *Romæ via Salaria passio S. Aproniani Commentariensis, qui adhuc Gentilis, cum S. Sisinium e carcere educeret, ut Laodicio præfecto præsentaret, vocemque e cælo factam audiret: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi; credens baptizatur, & postea in confessione Domini finem vitæ capitali sententia accepit*. Eadem voce audita S. Mechtildis moriens evocata est ad cælum, uti habet ejus Vita.

E

Esurivi enim, et dedistis mihi manducare (*Syrus quod manducarem*:) sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me] in vestram domum, vel aliam hospitalem. Vers. 35

Nota. Christus hic unam speciem bonorum operum, quibus Sancti æternam gloriam illis a Christo in judicio decretam meruerunt, ponit pro toto genere; tantum enim affert opera misericordiæ, tum quia illa sunt quasi naturalia, & ubique sunt obvia, & ad communitatem maxime pertinent: plurimi enim ubique sunt miseri: tum quia homines plebeji & vulgares magni illa faciunt, eo quod ad orationes, jejunia & alia sublimiora minus sunt idonei: tum quia ab eis nemo facile se excusare potest: tum ut ea nobis velut utilissima ad impetrandam Dei misericordiam commendet, ait S. August. serm. 39. inter novos, Chrysostomus & alii. Audi S. Basilium conc. 4. de Eleemos. *Esurientis*, ait, *est panis ille, quem tu apud te detines: nudi, vestis illa quam in cella tibi servas: discalceati, calceus ille, qui domi tuæ putredine corrumpitur: egeni, argentum, quod humi defossum habes. Itaque tot injuria affieis, quot tuis rebus, dum licet, non juvas*. Idem asseverant S. Hier. S. August. S. Chrys. S. Ambrosius & S. Bernardus, quorum verba recitavi Eccli. cap. 4. 1. *Jucundus homo*, inquit David, *qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio*, Psalm. 111. vers. 5. seu, ut legit D. Chrysostom. *rationes suas*. q.d. Vitæ suæ rationem optimam reddet; suam causam apud supremum judicem egregie perorabit. *Neque enim*, inquit D. Chrysost. *fieri potest, ut anima dives misericordia, obruatur unquam a gravibus animi perturbationibus*. Et D. Chrysol. ser. 40. *Sine causa*, inquit, *accusant peccata, quem pauper excusat. Excusari non potest, quem fames pauperis accusavit, Videbitis diem malum, qui diem judicii sine advocatione paupertatis intrarit. Qui fœnerat pauperi, ipsum sibi judicē præstitit debitorem*. Rursum S. Chrysost. hom. 5. de Pœnitentia: Christus, inquit, hic tacet alia virtutum opera, *non quod memoria sint indigna, sed quod a clementia sint secunda*. Denique S. August. serm. 25. de Verbis Domini: *Via*, ait, *cœli est pauper, incipe erogare, si non vis errare*.

Cur misericordes præ aliis ceteris adire dicentur.

F

G

Porro non dubium est, quin multi propter alias virtutes & peccata majoris momenti sint salvandi vel damnandi: nam multi vix possunt opera misericordiæ exercere, ut pauperes, pueri, Religiosi, qui tamen majora præstant ut castitatem, obedientiam, paupertatem Evangelicam, contemplationem, conversionem animarum, &c. ob quæ majora a Christo præmia consequentur, juxta illud c. 5. 1. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, &c.

Quocirca Christus videtur hæc sensibili voce prolaturus, ut profert ipsam sententiam salutis vel damnationis, sed spiritali instinctu cuique ea revelabit & dictabit. Ita Franc. Lucas & noster Lessius loco citato n. 142. Hinc patet electos propter bona opera a Christo eligi & adjudicari cælo: ergo bona opera merentur cælum & cælestem gloriam. Igitur gloria hic datur Sanctis a Christo quasi hereditas, tamquam filiis; & simul quasi merces, tamquam meritis & dignis: Deus enim non dat filiis regnum, sive eo digni sive indigni sint, ut sæpe fit apud homines; sed dignis tantum & merentibus.

H

Sex opera misericordiæ corporalia hinc eliciuntur.

Porro sex sunt præcipua corporalia misericordiæ opera, quæ Christus hic recenset; scilicet esurientes cibare, sitientes potare, peregrinos hospitio excipere, nudos vestire, infirmos visitare, captivos solari & redimere, quibus adde septimum, scilicet sepelire mortuos in Tobia commendatum. Totidem sunt spiritualia, quæ sub corporalibus hic subintelligit Christus: illa vero tanto corporalibus præstant, quanto spiritus præstat corpore; quæ sunt peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recte consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mœstos, ferre patienter injurias, offensam remittere, de quibus vide P. Petrum Canisium in Opere catechistico. Excelluit in operibus misericordiæ S. Gregorius, qui proinde nunc angelum, nunc Christum ipsum forma pauperis & peregrini hospitio & mensa excipere meruit, ut refert Joannes Diaconus in ejus Vita l. 2. c. 22. & 23.

Nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me] Hoc est quod dixit Christus c. 9. v. 13. *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Misericordia enim tegit, & quasi redimit culpas & miserias misericordis. Audi S. Vers. 36

Augu-

Digitized by Google

A Auguſtinum ſerm. 33. de Diverſis: *Scriptum eſt: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum*, &c. *Proinde illis quos coronaturus eſt, ſolas eleemoſynas imputabit, tanquam dicens: Difficile eſt, ut, ſi examinem vos & appendam vos & ſcruter diligentiſſime facta veſtra, non inveniam unde vos damnem: ſed ite in regnum: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare. Non ergo itis in regnum: quia non peccaſtis; ſed quia peccata veſtra eleemoſynis redemiſtis*. Vide viginti fructus eleemoſynæ, quos recenſui Deut. 26. 12.

VERS. 37 TUNC RESPONDEBUNT JUSTI, DICENTES (non tam ore quam corde admirantes Chriſti erga ſe munificentiam) DOMINE (Syrus, *Domine noſter*) QUANDO TE VIDIMUS ESURIENTEM, ET PAVIMUS TE; SITIENTEM, ET DEDIMUS TIBI POTUM?

VERS. 38 QUANDO AUTEM TE VIDIMUS HOSPITEM, ET COLLEGIMUS TE? AUT NUDUM, ET COOPERUIMUS TE?

VERS. 39 AUT QUANDO TE VIDIMUS INFIRMUM, AUT IN CARCERE, ET VENIMUS AD TE?] Voce *quando*, ſignificatur profunda humilitas, admiratio & exultatio Sanctorum, eo quod audiant opera ſua exigua & exilia tanti fieri a Chriſto, ut ea ſibi facta æſtimet Chriſtus, quæ pauperibus Chriſti amore fecerunt. Unde Euthymius putat hoc eſſe emblema parabolæ, ad hoc inductum, ut ex hac eorum interrogatione cognoſcatur reſponſio Chriſti, quod verum eſt, ſi de vocali Sanctorum interrogatione hæc accipias; non vero ſi de mentali.

B

VERS. 40 ET RESPONDENS REX (Chriſtus judex) DICET ILLIS: AMEN DICO VOBIS, QUAMDIU FECISTIS UNI EX HIS FRATRIBUS MEIS MINIMIS, MIHI FECISTIS] τῶ *his* proprie denotat Apoſtolos, & eis ſimiles viros Religioſos, & Apoſtolicos, qui Chriſto judici aſſidebunt (& in hoc mundo habiti ſunt *minimi*, & abjectiſſimi, ac ſibi ex humilitate viſi ſunt omnium *minimi*) eo quod voluntariam paupertatem ſpiritus amplexi, totos ſe Chriſto Chriſtique fidei, prædicationi & cruci manciparint. Conſequenter tamen notantur omnes pauperes Chriſtiani, qui regenerati in baptiſmo per gratiam effecti ſunt filii Dei, ideoque fratres Chriſti. Ubi Nota. Infideles & reprobos, licet olim fratres Chriſti fuerint, hic Chriſtus nec nomine dignos cenſet; non tamen vetat eis fieri eleemoſynam. Præclare S. Cyprianus tract. de Eleemoſyna: *Quid*, inquit, *potuit nobis majus Chriſtus edicere? quomodo potuit magis juſtitiæ ac miſericordiæ noſtræ operam provocare, quam quod præſtari id dixit ſibi, quidquid egenti præſtatur & pauperi? ut qui reſpectu fratris in Eccleſia non movetur, vel Chriſti contemplatione moveatur: & qui non cogitat in labore & egeſtate conſervum, vel Dominum cogitet, in illo ipſo quem deſpicit, conſtitutum.*

C

S. Ludovici regis pietas in pauperes.

Hac de cauſa S. Ludovicus rex Franciæ in Feſtis & Vigiliis ſua manu cibum porrigebat ducentis pauperibus, eiſque die ſabbati pedes lavabat. Quotidie vero menſæ ſuæ adhibebat tres ſenes pauperes, ac ſubinde eorum reliquias ipſe comedebat. Cumque nonnulli objicerent, hoc dedecere majeſtatem regiam, reſpondebat: *Ego in pauperibus revereor Chriſtum, qui dixit: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Addebatque; Pauperes cælum ſibi comparant per patientiam, divites vero per eleemoſynam & reverentiam, qua pauperes ut membra Chriſti amant & venerantur. Ita habet ejus Vita apud Surium die 25. Auguſti. O regem ſapientem & ſanctum! imitentur eum reges & principes.

D

Ex hac ſententia S. Franciſcus ſuos hortabatur ad libere petendam eleemoſynam: *Ite*, ait, *charissimi filii pro eleemoſyna, quoniam hac noviſſima hora Fratres Minores commodati ſunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a ſupremo judice commendentur, illud audientes ſuaviſſimum verbum: Quamdiu feciſtis ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quocirca ipſe in Feſtis præcipuis mendicare ſolebat: dicens in ſanctis pauperibus illud Pſalmis impleri: *Panem angelorum manducavit homo*, Pſalm. 77. v. 25. Illum enim panem angelicum eſſe dicebat, quem pro Dei petitum amore, & beatis ſuggerentibus angelis, pro ipſius charitate largitum ſancta paupertas colligit oſtiatim. Ita S. Bonaventura & alii in ejus Vita.

VERS. 41 TUNC DICET ET HIS QUI A SINISTRIS ERUNT: DISCEDITE A ME MALEDICTI IN IGNEM ÆTERNUM, QUI PARATUS EST DIABOLO, ET ANGELIS EJUS] Nota antitheſin: Chriſtus enim electis dicit, Venite ad me & meam gloriam; reprobis vero, Diſcedite a me ad dæmonem & gehennam, quia in vita dæmoni adhæſiſtis, non mihi. Vox ergo *diſcedite*, ſignificat pœnam damni, quæ eſt privatio gloriæ cœleſtis in æternum. Vox vero *in ignem*, ſignificat pœnam ſenſus, ſcilicet concremationem; ignis enim gehennæ non tantum corpora, ſed & animas impiorum jugiter aduris, & tamen nunquam ea comburit & conſumit. Porro pœna hæc graviſſima eſt. Ablegari enim a Deo, Chriſto, cœlo, Sanctis omnique bono ſine ulla ſpe redeundi, ingens eſt tormentum; adeo ut S. Chryſoſt. Paræneſi 1. ad Theodorum lapſum, cenſeat privationem viſionis Dei magis torquere damnatos, quam ignem gehennæ, licet alii aliter ſentiant. Unde Iſaias cap. 26. 10. *Impius*, ait, *non videbit gloriam Domini. Maledicti*, quibus Deus quaſi hoſtibus ſuis maledicet, id eſt malefaciet, ut omnia ſuppliciorum & malorum genera in eos intorqueat. *In ignem*. Ergo in inferno verus eſt ignis, iſque longe acrior, & alterius materiæ ac conditionis, quam noſter, uti docent S. Ambroſ. in c. 14. Lucæ, S. Hier. in c. 65. & 66. Iſaiæ, Damaſc. l. 4. c. ult.

E

Ignis gehennæ qualis?

Porro hic ignis alitur ſulphure, quod idem numero Deus conſervabit in æternum, ut jugiter ardeat, & impios urat, ut dixi Iſaiæ 30. & 33. De hoc igne Moſes Judæis minans, ait Deuteron. 32. 22. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima*. vide ibi dicta. Audi S. Chryſoſt. hic hom. 44. *In ignis fluvium atque pelagus intrudentur, pelagus impertranſibile, atque magnitudine acerbiſſimum, in quo ignei fluctus inſtar montium eriguntur; ignei dico, non hujus ignis, ſed ignis certe multo quam hic horribilioris, cujus flamma maximam confiſis abyſſum, ita ut undique ignis immaniſſima ſimilis fera tranſcurrere videatur*. Et paulo poſt: *Nam ſi acervimos, quos iſte ignis & hæc flamma dolores infert, ratione aſſequi non poſſumus, quid de illo dicemus? præſertim cum hic uno temporis momento in ignem poſitus homo exſpiret, ibi autem crematur & dolet; ſed nequaquam quod crematur conſumitur*.

F

ÆTERNUM] Errat ergo Origenes, qui pœnas inferni ceſſaturas, & impios ex iis poſt annum Platonicum, id eſt, poſt aliquot annorum millia, liberandos cenſuit. Significatur enim hic æternitas pœnarum in gehenna. Ita Beda, Theophylactus & alii paſſim. Ingens hæc erit pœna, quæ damnatos adiget ad deſperationem, furorem, rabiem, ad blaſphemandum Deum, parentes, ſocios & omnes creaturas: quia quamdiu erit cælum, quamdiu erit infernus, quamdiu erit mundus, quamdiu erit Deus, reprobi ardebunt in gehenna, *& cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum*. Apocal. 20. 10. Hoc incendium cogita, dum te libido, ambitio, aut alia tentatio ſollicitat, dicaſque tibi: *Ego tanti pœnitere non emo*, nolo modica voluptate emere ignem æternum.

G

Hæc Chriſti verba pathetice exaggerat S. Hippolytus Mart. tract. de Conſumm. ſæculi ſub finem, ubi Chriſtum beneficia ſua impiis, qui iis abuſi ſunt, ita exprobrantem inducit: *Ego vos formavi, & adhæſiſtis alteri. Ego terram, mare & omnia propter vos creavi, & vos iis in mei contumeliam abuſi eſtis. Diſcedite a me operarii iniquitatis, non agnoſco vos, alterius domini operarii facti eſtis, hoc eſt diaboli. Poſſidete cum eo tenebras, atque ignem qui non extinguitur, & vermem qui non dormit, ac ſtridorem dentium*. Et nonnullis interjectis: *Aures veſtras condidi, ut audiretis Scripturas, & vos paraſtis eas ad cantica dæmonum, citharas & ridicula. Oculos veſtros creavi, ut perſpiceretis lumen præceptorum meorum, eaque exſequeremini; at vos adſtupra, impudicitias, & ad reliquam immunditiam ipſos aperuiſtis. Os veſtrum compoſui ad glorificandum & laudandum Deum, & pſalmos cantioneſque ſpirituales pronuntiandas, lectioniſque continuam meditationem; at vos aptaſtis illud ad convicia, pejerationes & blaſphemias, dum ſedentes obtrectabatis proximis veſtris. Manus veſtras feci, ut ad preces & obſecrationes extenderetis eas; at vos ad rapinas, cædes & mutuas occiſiones expandiſtis*, &c.

H

Poſt latam hanc ſententiam, illico Chriſtus eos a ſe per dæmones propellet in tartara, imo omnia elementa cum cælis in eos inſurgent. Nam, ut ait Sapiens c. 6. 18. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum*, &c. *& pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Ibunt directe emiſſiones fulgurum*, &c. *excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tanquam turbo venti dividet illos*. Vide ibi dicta.

QUI PARATUS EST DIABOLO (primo principi, cæterorumque capiti, puta Lucifero (ET ANGELIS (Arabicus, *exercitibus*) EJUS] Illi, Deo ſuperbe rebellanti, conſentientibus.

Digitized by Google

A tientibus. Hinc patet ignem inferni primo & per se paratum fuisse a Deo dæmonibus, postea vero consequenter etiam hominibus dæmonis factum & inobedientiam imitantibus. Porro paratus fuit hic ignis a Deo ab æterno, post prævisum Luciferi & dæmonum peccatum: tunc enim decrevit Deus illum condere ad ejus castigationem & supplicium: in tempore vero paratus, id est conditus, fuit a Deo primo die mundi, mox ut Lucifer cum suis peccavit, ante creationem hominis, quæ facta est die sexto, ut dixi Genes. 1. 4.

Modus, quo ignis dæmones cruciat.

Porro qua ratione ignis gehennæ corporeus urat & cruciet dæmones, qui sunt spiritus incorporei, velut instrumentum Dei ad hoc ab eo aptatum & elevatum, disputant Scholastici: varii enim varios modos assignant. Vide Scholasticos 3. part. quæst. 64. item in 2. sent. disp. 6. & in 4. dist. 50. ac nominatim Franc. Suarez lib. 8. de Angelis c. 12. num. 2. & seq. ubi docet ex S. Basilio ignem gehennæ non lucere, sed torquere, non per solam imaginationem & apprehensionem falsam, nec per solam actionem intentionalem, sed per realem & physicam efficientiam, qua dæmonibus imprimit qualitatem spiritualem doloriferam, quæ qualis sit hic concipere non possumus; nec enim potest eis imprimere calorem sensibilem; hujus enim spiritus non sunt capaces.

B Syrus pro *diabolo*, vertit *criminatori*: hunc enim significat Græcum διάβολον, & talis est Lucifer cum suis, qui homines etiam sanctos accusat, omniaque eorum opera, licet justa, criminatur & calumniatur coram Deo: unde ipse est diabolus, id est criminator, per antonomasiam. Hinc in Actis S. Montani & sociorum Martyr. apud Surium die 24. Februarii accusator & criminator Martyrum vocatur diabolus; quia ejus partes agebat in tribunali judicum infidelium, reos agendo eos, qui Christum colebant. Vere S. Cyprianus l. 4. ep. 2. ad Antonianum: *Quod*, inquit, *quædam de illo* (Cornelio Pontif.) *inhonesta & maligna jactantur, nolo mireris, cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret; & inopinatis rumoribus falsis gloriosum nomen infamet, ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.*

C Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et
Vers. 42 non visitastis me] *Tò enim* dat causam cur damnentur ad ignem paratum diabolo, quod scilicet, ut ait Euthymius, *imitati sint immisericordem inhumanumque diabolum*. Nam, ut ait Theophyl. *Compassionis expertes sunt diaboli, & hostiliter atque inimice erga nos affecti*. Damnantur hi ob omissa opera misericordiæ; tum quia ad hæc obligatur quisque, cum videt proximum in extrema vel in gravi necessitate constitutum, quod sæpe occurrit: tum quia neglexerunt alia peccata eleemosynis expiare, juxta illud Daniel. c. 4. v. 24. ab Nabuchodonosorem: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Unde S. August. asserit nonnullos sine eleemosynis non posse salvari. Vide ibi dicta. Jam, *si tanta pœna mulctabitur qui non dedisse convincitur*, ait S. Gregorius, *quanta pœna feriendus est, qui redarguetur abstulisse aliena?* Qui uxorem proximi violavit, qui famam vel vitam alteri abstulit, qui Deum & Sanctos
D blasphemavit? &c.

Porro singula verba habent emphasim, & peculiarem ingratitudinem reprobis exprobrant. *Esurivi*, ego qui sum Deus, Dominus & redemptor vester; *& non dedistis mihi*, id quod ego vobis dederam; *manducare*, non perdices & capones, quos vos manducavistis, sed panem cibarium, &c. *Singula*, ait S. Chrysost. *ad condemnationem illorum sufficiunt: petitionis scilicet facilitas, & dandi potestas; panis enim petitur: petentis miseria, quia pauper atque mendicus: retributionis expetenda magnitudo, regnum enim promittitur: terror pœnarum, gehenna enim incutitur: accipientis dignitas, Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus, quia tantum descendere dignatus est: jus tribuendi, summa enim justitia est de suis ei concedere. Verum ab his omnibus cupiditate habendi retracti sunt*. Cætera dixi v. 35.

Vers. 44 Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?] Dicent hoc impii cogitatione, non locutione: non enim permittet Christus eos sententiæ suæ obloqui, quia conscientia propria eos condemnabit. *Dicentes*, arroganter, indignanter & desperabunde, quasi accusantes Christum judicem falsitatis & iniquitatis. Unde auctor Imperfecti: *In judicio*, ait, *stant & peccare non cessant*. E

Vers. 45 Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus (Syrus, *parvulis*) his, nec mihi fecistis] Vide dicta vers. 40. Disce hic quanti faciendi sint viles & pauperes, præsertim Sancti, Religiosi & Apostolici: quos suos quasi suum peculium vocat hic Christus. Quocirca S. Franciscus quemdam e suis detrahentem cuidam mendico, dicentemque quod forte interius voluntate esset dives, & mente superbus, acriter castigavit, jussitque, ut nudus flexis genibus ab eo veniam peteret. Causam addidit: *Non tam in pauperem, inquit, fili mi, quam in Christum peccasti. Etenim in paupere tamquam in speculo Christus nobis objicitur. Quoties cumque ergo tibi pauperes aut infirmi occurrunt, inopiam & infirmitates, quas pro nobis Christus dignanter assumpsit, pie considera, & humiliter venerare*. VVaddingus in Annal. Minor. anno Christi 1215. num. 18. Vide eumdem anno 1216. num. 2. in fine. F

S. Franciscum quemdam e suis mendico detrahentem severe arguit.

Porro hunc formidabilem judicii extremi diem semper suos ob oculos obversari volebat S. Eligius Noviomensis Episcopus, qui floruit anno Domini 650. usque ad 665. qui vita functus est, teste Sigiberto in Chronico, tempore Clotharii regis Francorum, & Martini I. Pontificis Romani. Unde Christum sic illo die impios compellaturum asserebat: *Ego te homo de limo terræ formavi manibus meis, & in paradisi deliciis immensum collocavi; sed tu me & mea jussa contemnens impostorem sequi maluisti. Unde etiam juste damnatus es. Sed tamen ego misertus tui carnem assumpsi, in terris inter peccatores habitavi, contumelias & verbera propter te pertuli: ut te eriperem a pœnis, colaphos & sputa toleravi: ut tibi paradisi delicias redderem, acetum felle mixtum bibi. Propter te spinis coronatus, crucifixus, lancea vulneratus sum. Propter te mortuus & in sepulchro positus, ad inferna descendi, ut te ad paradisum reducerem. Ecquid ulterius facere debui, & non feci?* Unde Christus terribilem in eos sententiam subjungit: *Quæ ergo ultro elegistis, ea nunc accipite. Contempsistis lucem, sint ergo vobis tenebræ. Amastis mortem, abite in perditionem. Secuti estis diabolum, ite cum illo in ignem æternum. Quis tunc putamus, charissimi, mœror erit, quis luctus, quæ tristitia, quæ angustia, cum hæc fuerit prolata adversus impios sententia?* Ita Audoenus Rothomagensis Episcopus in ejus Vita lib. 2. c. 16. Extat apud Surium die 1. Decembris. S. Eligius Episcopus. Christi exprobratio.

Vers. 46 Et ibunt (græce, ἀπελεύσονται, id est, *abibunt* scilicet a Christo, Deo, Sanctis, cælo, in tartara) hi in supplicium (Syrus, *cruciatum*) æternum; justi autem in vitam æternam] *Supplicium*, ignis & concremationis. Unde S. Aug. tract. 21. in Joannem legit, *in ambustionem*, q. d. Amburentur in gehenna, sed non comburentur, nec consumentur ut annihilentur, quod optabunt damnati. Ibunt ergo in ignem gehennæ, quasi in suam domum & habitationem perennem, ut in ea jugiter ardeant. Sic vice versa, dixit Christus servo fideli ver. 21. *Intra in gradium Domini tui*.

Æternum] quia Deum æternum gravissime offenderunt. Peccatum enim mortale, quia Deo immenso est injurium, in se habet malitiam infinitam: meretur ergo supplicium infinitum. Verum, quia infinitum intensive dari nequit, nec ab homine sustineri; hinc dabitur reprobis pœna infinita extensive, quæ scilicet extendatur per omnia sæculorum sæcula. Modum dat Lactantius lib. 7. c. 21. *Idem*, ait, *divinus ignis, una eademque vi atque potentia & cremabit impios & recremabit, & quantum e corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit, quod Poeta in vulturem Titii transtulerunt, ita sine ullo reviviscentium corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet*. H

Lactantii sententia de igne gehennæ.

Hæc est sententia Lactantii. Facilius & verius alii censent, corpora damnatorum Deo conservante in igne manere incorruptibilia, ita ut nullæ partes consumantur, quæ reparari debeant, sed omnes omnino eædem in igne jugiter ardentes perseverent in æternum, sicut asbestus lapis, indeque confecta tela, in igne ardet, sed nullam sui partem deperdit. Acerbitatem hujus supplicii graphice depingit Auctor libri de Spiritu & anima apud S. Aug. tom. 3. c. 56. *Quapropter*, inquit, *miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper vivet, & finis semper incipiet & defectus deficere nescit: mors peri-*

G

Digitized by Google

A *perimet & non extinguet: dolor cruciabit, & pavorem non fugabit: flamma comburet, sed tenebras non discutiet. Erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pavor, in combustione dolor. Inopprobriis ignibus inferni traditi, in suppliciis dolorem sentient, & in doloris angustia pavore feruntur, & semper tolerabunt, & semper timebunt, quia sine fine semper cruciati vivent, sine spe veniæ & misericordiæ, quod est miseria super miseriam. Si enim post tot millia annorum quot capillos habuerunt omnes, quicunque fuerunt & erunt, pœnas suas finiri sperarent, multo levius eas sustinerent: sed quia spem non habent, nec habebunt, desperatione deficient, & ad tormenta non sufficient.*

Fuse de his differit hic Abulensis, qui & addit quæst. 778. & 779. (tot enim præcise in hoc caput quæstiones conglomeravit) animas, post mortem iturus in cœlum, vel Purgatorium, vel limbum Patrum, eo deduci per angelos; iturus vero in infernum vel limbum puerorum, eo deduci per dæmones.

Audi S. Cyprianum serm. de Ascensione Domini sub finem. *Incorruptibiles flammæ*, inquit, *nudum corpus allambent: ardebit purpuratus, dives, &c. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines & flammas miserabilia corpora crepabuntur.* Et in l. de Laudib. martyrii c. 5. *Paradisus*, inquit, *Dei testibus floret, negatores gehenna complexa, æternus ignis inardescit.* Latius vero c. 12. diem exponit, dicens: *Sevientis locus, qui gehennæ nomen est, magno plangentium murmure & gemitu, & fluctantibus flammis per horrendam spissæ caliginis molem, fumo semper incendio camini fumantis expirat: globus ignium arctatus obstruitur, & in varios pœnæ exitus erumpere laxatur. Tunc sevendi plurima genera, tum in se ipse convalvit, quidquid arderis, emissi eadem flamma cruciarat.*

Prosper l. 2. de Vita contemp. c. 12. ubi de damnatis agit. *Non vivendi*, ait, *sensum habituri sunt, sed dolendi; quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus torquent animam, non extorquent; puniunt corpora damnata, non finiunt. Quos ideo ignis inextinguibilis sibi deputatos non extinguit, ut permanente sentiendi vita, pœna permaneat.*

Ex dictis noscitari & imaginari licet, quam acerbum, C mœstum & funestum sit futurum æternum hoc damnandorum a salvandis divortium, quo hi in cœlum ad perennem felicitatem ascendent, illi in gehennam ad perenne incendium descendent, nunquam amplius Sanctos, licet amicos, fratres, parentes, visuri in æternum: *chaos enim magnum firmatum est* inter utrosque, ut ajebat Abraham ad divitem Epulonem, in inferno ardentem, Lucæ c. 16. 26. Qui ergo sapis, quotidie ascende in cœlum, & descende in tartara, ut hic tibi sit stimulus ad fugam vitiorum, & studium virtutum. Vere S. Chrysostomus hom. 2. in Epist. 2. ad Thessal. *Nemo eorum*, ait, *qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium judicium effugiet.* Et quia major hominum pars gehennam parum cogitat & quasi comminit, hinc damnatur. Nam, ut cecinit, inopinatum, S. Bruno Carthusiæ fundator:

Sic vivunt homines tamquam mors nulla sequatur,
Et vetus infernus fabula vana foret.

Crebro horrorem judicii & gehennæ suis lectoribus objicit graphiceque depingit S. Ephrem, præsertim tract. de Compunctione, de Pœnitentia, de Judicio, &c. Idem faciat doctor & prædicator. Unde idem S. Ephrem tract. de Patientia: *Simus*, ait, *tamquam incudes: & si cædamur, non tamen cedamus*, dicentes cum S. Diethelmo apud V. Bedam in Histor. Anglor. *Asperiora vitæ, deteriora in gehenna conspexi.* Sic quamlibet tentationem, persecutionem, infirmitatem, tribulationem, confusionem metu judicii & gehennæ fortiter sustinebimus & superabimus. Graphice quoque horrorem diei judicii describit Joel c. 2. 31. & Sophonias c. 1. 15. ubi plura hac de re dixi.

In vitam æternam] Nomine *vitæ æternæ* omnem sanitatem, omne robur, omnem honorem, omnem gloriam, omnem satietatem, omnem voluptatem, omne gaudium, omnem bonorum omnium affluentiam accipe. Hæc enim gustant viventes in vera vita; nam qui in fame, siti, morbo, ignominia, dolore vivunt, non tam vivunt quam moriuntur assidue.

CAPUT XXVI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit unctionem Magdalenæ, qua ipsa unxit Christum in Bethania paulo ante mortem, cujus pretium ambiens Judas vendidit Christum. Secundo, vers. 17. enarrat ultimam Christi cœnam & institutionem Eucharistiæ. Tertio, vers. 20. ejusdem passionem, scilicet orationem in horto, captivitatem, accusationem, condemnationem, colaphizationem, trinam Petri negationem, & mox pœnitentiam.

ET factum est: cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: VERS. 1.

2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; F

4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.

5. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

6. Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,

7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effundit super caput ipsius recumbentis.

8. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio hæc?

9. Potuit enim istud venumdari multo, & dari pauperibus.

10. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

11. Nam semper pauperes habetis vobiscum: G me autem non semper habetis.

12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.

14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum:

15. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

16. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.

17. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?

18. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis H meis.

19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.

20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

21. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.

22. Et contristati vade, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?

23. At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis

Digitized by Google

A ſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum.

27. Et accipiens calicem gratias egit; & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.

28. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

29. Dico autem vobis; non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei,

30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

31. Tunc dicit illis Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.

32. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam
B vos in Galilæam.

33. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ergo numquam ſcandalizabor.

34. Ait illi Jeſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.

35. Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter omnes diſcipuli dixerunt.

36. Tunc venit Jeſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic donec vadam illuc, & orem.

37. Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe.

38. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem; ſuſtinete hic, & vigilate mecum.

39. Et progreſſus puſillum, procidit in fa-
C ciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte: Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

40. Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum?

41. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

42. Iterum ſecundo abiit, & oravit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

43. Et venit iterum, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati.

44. Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio, eumdem ſermonem dicens.

45. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite jam, & requieſcite: ecce ap-
D propinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.

47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis, & fuſtibus, miſſi a principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi.

48. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.

49. Et confeſtim accedens ad Jeſum, dixit: Ave Rabbi. Et oſculatus eſt eum.

50. Dixitque illi Jeſus: Amice, ad quid veniſti? Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum.

51. Et ecce unus ex his, qui erant cum Jeſu, extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum principis ſacerdotum amputavit auriculam ejus.

52. Tunc ait illi Jeſus: Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim, qui acce-
E perint gladium, gladio peribunt.

53. An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum?

54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?

55. In illa hora dixit Jeſus turbis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me: quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis.

56. Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

57. At illi tenentes Jeſum, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum, ubi Scribæ & ſeniores convenerant.

58. Petrus autem ſequebatur eum a longe, uſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus F intro, ſedebat cum miniſtris, ut videret finem.

59. Principes autem ſacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent:

60. Et non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes,

61. Et dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.

62. Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur?

63. Jeſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei.

64. Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in G nubibus cæli.

65. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam:

66. Quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.

67. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt,

68. Dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?

69. Petrus vero ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras.

70. At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.

71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic H erat cum Jeſu Nazareno.

72. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem.

73. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant; & dixerunt Petro; Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit.

74. Tunc cœpit deteſtari, & jurare quia non noviſſet hominem. Et continuo gallus cantavit.

75. Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat: Prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, flevit amare.

ET FACTUM EST: CUM CONSUMMASSET JESUS SERMONES HOS OMNES, DIXIT DISCIPULIS SUIS] Græce, ὅτε ἐτέλεσεν, id eſt, cum finiviſſet, compleſſet *ſermones omnes*, jam recenſitos de excidio urbis Hieroſolymæ & totius orbis, de die judicii, de vigilia & ſtudio bonorum operum, tunc accinxit ſe ad inſtantem ſuam paſſionem, eamq; prædixit, ne qui longe futura prophetarat, ſibi mox eventura videretur ignorare; ac ne diſcipuli morte ejus ſcandalizaren-

Digitized by Google

A lizarentur, putarentque illam Christo nescio & invito accidere, sed scirent illam ab æterno visam, præordinatam & electam ad hominum salutem. Sensus ergo est, q.d. S. Thomas. Cum Christus officium expleret doctoris, cœpit se comparare ad officium redemptoris & salvatoris.

VERS. 2. Scitis quia post biduum Pascha fiet et Filius hominis tradetur (proderit a Juda Judæis, ab eisque tradetur Pilato) ut crucifigatur] *Post biduum*: dixit ergo hæc, uti & proxime præcedentia c. 25. Christus feria tertia, sive die Martis ad vesperam, quando more Hebræo incipiebat feria quarta, sive dies Mercurii, dies inquam legalis, puta quoad festa: nam, ut ait Peretius in Gen. I. v. 5. ad ista: *Factumque est vespere & mane dies unus: Prope certum est apud Judæos fuisse olim in usu triplex genus dierum, diem scilicet legalem a vespera in vesperam; diem naturalem ab ortu solis ad ortum; diem usualem a media nocte ad mediam noctem.* Quare vere ait Christus: *Post biduum pascha fiet*, quia post duos dies, scilicet Mercurii & Jovis, ad vesperam diei Jovis, cum jam inciperet feria sexta sive dies Veneris, factum est Pascha.

Triplex dies apud Judæos.

B

Pascha symbolum.

Pascha] Hebr. idem est quod transitus vel transultus, scilicet angeli percutientis primogenita Ægyptiorum. Hic enim angelus transiliebat domos Hebræorum, & insiliebat in domos Ægyptiorum, eorumque primogenita occidebat, qua strage coegit Pharaonem & Ægyptios, liberos ex Ægypto dimittere Moysen & Hebræos: פסח *pasach* enim est transire. Syri vero *pascha* scribunt, non per ס *samech*, ut Hebræi: sed per צ *tsade*, & tunc Pascha significat gaudium & hilaritatem: festum enim Paschæ erat, & etiamnum est, summæ hilaritatis & lætissimum. Nazianzenus vero πάσχα derivat a Græco πάσχειν, id est *pati*, quod in Paschate passus sit Christus; agnus enim paschalis, qui immolabatur in Paschate repræsentabat Christum in eodem immolandum pro redemptione hominum. Vide dicta Exodi 12. toto cap.

VERS. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas] *Tunc*, scilicet cum hæc dixisset Jesus, suamque passionem prædixisset, ut illico prædictionis ipsius veritas ac ordinationis & decreti ejus infallibilitas & efficacia, quo decreverat in Paschate pro salute hominum pati, ostenderetur. Rursum *tunc*, scilicet in Paschate, quo agnus paschalis, per quem ex Ægypto redempti fuerant Hebræi, mactabatur. Eodem enim mactatus est Christus quasi victima mundi, ut figura & typus veritati suoque antitypo congrueret.

Lucæ 22. 2. Marc. 14. 1.

C

Tunc ergo, id est, mane feriæ quartæ, sive diei Mercurii, cum pridie ad vesperam idipsum prædixisset Christus, *congregati sunt principes sacerdotum, & seniores* (Lucas cap. 22. 4. habet στρατηγοὶ, id est, duces exercitus, sed Lucas sic vocare solet magistratus, ut Noster ibidem vertit, sive præfectos & prætores, uti ostendi Actor. 4. 1.) *populi*, ut de Christo palam jam prædicante, & principum vitia acriter carpente (ut patet ex toto capit. 23. Matth.) capiendo & occidendo tractarent. Quare Judas id rescius eodem mane ipsos adiit, Christumque eis vendidit, pacto triginta denariorum pretio, uti habet communis Ecclesiæ sensus, idque ex narratione Matthæi satis colligitur. Unde ob hoc Judæorum concilium, & Judæ venditionem Christi, hoc die factam, veteres Christiani solebant eadem feria quarta, sive die Mercurii, jejunare, uti refert sanctus Augustinus epist. 86. sub finem, Theophyl. & Victor Antioch. scribentes in cap. 14. S. Marci v. 1. & 2. Quin & Græci, Poloni, Hollandi permulti eadem de causa die Mercurii etiamnum esu carnium abstinent, eo quod illa die vendita sit caro Christi.

D

Jejunium feriæ quartæ, unde?

Nota. Ex narratione Matthæi colligitur Christum hoc biduo, scilicet die Mercurii & Jovis, non venisse Hierosolymam, uti venerat die Dominica, Lunæ & Martis ad docendum in templo, sed hoc biduo mansisse in Bethania, atque sub vesperam diei Jovis inde regressum in Jerusalem ibi Pascha celebrasse; ac mox ad passionem se comparasse. Ita Jansenius, Maldonatus & alii.

VERS. 4. Et consilium fecerunt (græce συνεβουλεύσαντο, id est, simul consultarunt, inter se unanimiter consilia inierunt) ut Jesum dolo tenerent, et occiderent] *Dolo*, quia timebant ne Christus, si eum capere vellent, e manibus eorum elaberetur, uti alias fecerat. Dolum ergo quærunt quo eum capiant, ut elabi nequeat. Rursum dolum quærunt, ut sine tumultu populi eum comprehendant. Verebantur enim ne populus ab ore Christi, velut novi summique Prophetæ pendens, & tot

Lucæ 22. 2. Marc. 14. 1.

Consilium dolosum de capiendo Christo.

sanitates recipiens, pro eo pugnaret, nec sineret eum capi, sibique tripudiaret. Unde sequitur.

E

VERS. 5. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo] Non ergo ob religionem festi, sed ob metum populi noluerunt Jesum capere in die festo Paschæ instantis: hoc enim festo infinita turba Judæorum confluebat Jerusalem ad celebrandum Pascha; inter quos multi erant, qui a Christo salutem corporis vel animæ acceperant, ideoque eum pro Propheta colebant; quos pro ipso stantes & pugnaturos Judæi metuebant. Quare *Non studens devotioni, sed factioni*, ait S. Hieronymus. Dicunt ergo: *Non in die festo*: q.d. Non in Paschate, ne fiat tumultus populi, ne Paschæ festum lætissimum atroci Jesu cæde funestemus, sed post Pascha, quando festum tam sacrum transierit, & populus ad sua redierit, Jesum capiamus & occidamus. Ita S. Chrysost. Sic Herodes Agrippa non nisi transacto Paschate voluit plectere S. Petrum Actor. 12. Pascha enim Judæis erat festum libertatis & gaudii, utpote quo recolebant & celebrabant beneficium liberationis e servitute Ægyptiaca. Unde eodem solebant reos dimittere liberos, uti dimisere Barabbam, Principes ergo decreverant Christum capere & occidere post Pascha, sed ex proditione Judæ mutarunt consilium. Nam cum Judas in Paschate eum ipsis in manus daret, ipsi eodem die ipsum ceperunt & crucifixerunt. Dei enim consilium & decretum erat, ut Christus moreretur in Paschate, hoc fine ut ostenderet antitypum respondere suo typo. Immolatio enim agni, quæ fiebat in Paschate, typus erat Christi eodem festo immolandi. Hac ergo festi circumstantia significabat Deus, Christum esse verum magnum paschalem, qui pro redemptione mundi in cruce affabaris.

F

VERS. 6. Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi] Alius repetit hæc Matthæus, qui ja ante contigerant, ut enarret occasionem & modum comprehensionis & passionis Christi. Judas enim occasione hujus unguenti, motus fuit ad prodendum Christum Judæis, ut ejus proditione pretium unguenti recuperaret, & quasi fur in loculos suos reconderet. Nam hoc convivium Christi in domo Simonis contigit pridie Dominicæ Palmarum, scilicet sabbatho, cum postridie, nimirum ipsa die Dominica, cum palmis quasi ovans ingressus fuit Jerusalem, ut patet Joan. 12. 1. ubi dicitur Jesus *ante dies festo paschæ*, id est, sex diebus ante Pascha, *puta die Veneris venit Bethaniam*: Additque: *Et fecerunt*, scilicet Simon cum suis, *ei cœnam*, scilicet sequenti sabbatho, ac postridie, scilicet Dominica Palmarum Jesus vectus asello solemni pompa, quasi rex & Messias ingressus est Jerusalem.

Lucæ 22. 3. Joan. 12. 1.

G

In domo,] assidens mensæ, utpote a Simone invitatus ad convivium.

Simonis leprosi] Patres opinantur Leprosum dici, quod talis fuerit, sed a Christo curatus sit a lepra. Alii putant *ni leprosi*, esse commune agnomen familiæ Simonis, sive quod a leproso descenderit, sive ob alium cum leproso quopiam respectum. Sic enim Romæ erat familia Claudiorum, Cæcorum, Balborum, etiamsi multi ex iis non essent claudi, cæci, balbi.

Simon hic cur dictus leprosus?

VERS. 7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis] Idem hoc est convivium cum eo quod narrat Joannes cap. 12. 1. ut patet Matthæum cum Joanne consentire. Per recapitulationem ergo illud hic recenset Matthæus, ut occasionem exponat, quæ movit Judam ad Christum Judæis prodendum, ut dixi.

Marc. 14. 3. Joan. 12. 3.

H

Objicies: Joannes ait, *Fecerunt ei cœnam, & Martha ministrabat*: Ergo hoc convivium factum fuit in domo Marthæ, non Simonis. Respondeo consequentiam non esse Joannes dicit, fecerunt ei Martha & Magdalena (licet ita explicent S. Chrysost. & Euthymius) convivium in domo sua, sed simpliciter: *fecerunt ei cœnam*, scilicet cives Bethaniæ amici Jesu, inter quos primarius erat hic Simon Leprosus, quem multi cum Jansenio putant antea a lepra per Christum fuisse curatum, ideoque ei obstrictum. Martha autem in cœna hac ministrabat, sive quia vicina, sive quia cognata aut familiaris erat Simoni.

Mulier] Maria Magdalena, uti exprimit Joannes cap. 12. 3. quæ uti ante biennium cum primo pœnituit, lacrymisque lavit pedes Jesu, eosdem unxit unguento, ita hic sex diebus ante Pascha & mortem Christi diem fecit, partim ex devotione, partim ex Dei instinctu, quasi præsagiens instantem Christi necem & sepulturam, ut patebit vers. 12.

Magdalena Christum terum unxit.

Alabastrum] Vas erat unguentarium factum ex alabastrite,

Digitized by Google

A bastrite, sive onyche lapide marmorei generis, quem ad vasa unguentaria cavari docet Plinius l. 36. c. 8. quod optime unguenta incorrupta servet. Unde non mirum cavum hoc vas, tenue & subtile instar vitri, facile a Magdalena impacto clavo vel malleolo frangi potuisse, ut unguentum totum in Christi caput effunderet: nisi malis ex Suida, alabastrum vocari vas tersum & sine ansa, pharmacopolarum, qui talibus vasis apothecas suas replent, in iisque aromata, unguenta & pharmaca sua recondunt.

Aliter S. Epihanius lib. de Mensuris, *Alabastrum*, ait, *unguenti vasculum est vitreum, capiens libram olei, mensura vero est sextarii dimidii; alabastrum vero dictum propter fragilitatem*. Hæc ille.

Unguenta in usu apud Judæos & Orientales.

UNGUENTI] Unguentis odoratis usos fuisse Judæos ex amore Arabum, Persarum, Syrorum, cæterorumque Orientalium in conviviis ad lautitiam, ad refrigerium, & ad impediendam ebrietatem, ostendi Eccl. 9. v. 8. Porro unguenta hæc sæpe non erant spissa, qualibus chirurgi unguunt plagas & vulnera, sed liquida, scilicet erant liquores ex herbis odoriferis confecti & commixti, quibus cerebrum totumque corpus irrigabant, reficiebant & recreabant, deliciarum causa inventi: unguentum ergo hoc erat liquor nardi, ut patet ex Joan. cap. 12. 3. Nardus odorata est, & in Syria abundat. Unde Tibullus:

B *Jam dudum Tyrio* (vel potius *Syrio*) *madefactus tempora nardo*.

De nardi præstantia & significato dixi Cant. 4. 13. Certum est ex nardo oleo delibuta, fieri unguentum pretiosissimum, quo prisci capita ungebant, teste Plinio lib. 13. c. 1. & 2. & lib. 12. c. 12. ac Dioscor. l. 1. c. 6.

PRETIOSI] Græce βαρυτίμου, id est gravis pretii. Olim enim aurum & argentum non signabatur in pecunia, ut jam fit, sed ad certum pondus, v. g. ad drachmam, unciam, libram, appendebatur. Unde quod gravius erat & ponderosius, hoc majoris erat pretii. Syrus addit, *suavissimi*; Marcus addit, *spicati*; Joannes *pistici*: quæ duo quid significent, dicam Joan. 12. 3.

ET EFFUDIT SUPER CAPUT IPSIUS RECUMBENTIS] Dices, Joan. c. 12. 3. habet: *Unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis*. Resp. Magdalenam unxisse pedes Jesu, deinde totum vas effudisse super caput Jesu, vas enim angusti oris fregit, ut habet Marcus, ut totum unguentum magno devotionis affectu in caput Jesu effunderet. ita S. Augustinus lib. 2. de Consensu Evang. 79. Addit Joannes: *Extersit pedes ejus*, scilicet antequam eos ungeret, utpote ex pulvere sordidos (nudis enim superne pedibus incedebat Christus, ut dixi cap. 10. 10.) prius ergo pulverem pedum abstersit capillis, deinde pedes ejus nardo unxit. Ita Toletus. Si quis tamen post unctionem pedes Christi, utpote liquore madidos, abstersos velit, non repugno. Addit Joannes, ut unguenti præstantiam & fructum explicet: *Et domus impleta est ex odore unguenti*. In Magdalena ergo impletum fuit illud Cant. 1. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, ut ibi dixi; & in Christo illud: *Oleum effusum nomen tuum*, ibidem. Unde Hilarius hic c. 29. *Mulier hæc*, inquit, *omnem curam corporis sui* (quod solebat ungere) *& totum pretiosæ mentis affectum in honorem Dei laudemque transfudit*.

Unctio mystica. Primo. D

Tropologice Origenes. Oleum sive unguentum est opus virtutis, præsertim misericordiæ, quod si fiat ex naturali compassione, non propter Deum, ut fit ab infidelibus, ipsum quidem Deus acceptat, sed non ad vitam æternam, si autem ex amore Dei fiat, est oleum excellens boni odoris. Rursum si opus bonum fiat ad sublevandam inopiam pauperum, unctio est pedum Domini: sicut enim pedes in corpore sunt infirmi, sic pauperes in Ecclesia sunt imi. Si autem ad Dei gloriam fit, ut dum studetur castitati, jejuniis & orationibus, unctio est capitis Domini, & unguentum pretiosum, cujus odore tota Ecclesia repletur, & hoc proprium opus perfectorum.

Secundo.

Secundo Glossa: Mulier hæc, inquit, ungens caput & pedes Christi, significat Ecclesiæ fidem, quæ dum Christi deitatem prædicat & invocat, caput ungit, dum vero humanitatem, pedes. Caput enim, ait Alcuinus, est divinitatis sublimitas, pedes humilitas incarnationis; vel caput est ipse Christus; pedes sunt pauperes, qui sunt membra ejus.

Tertio.

Denique ungit pedes, qui in vita activa proximis servit, caput vero, qui per contemplationem Deo adhæret, unusque cum eo fit spiritus. Sic fere Origenes. Rursum caput ungit, qui alia de Christo prædicat; pedes, qui infima venerantur. Ita Glossa ex Origene.

VIDENTES AUTEM DISCIPULI, INDIGNATI SUNT DICENTES: UT QUID PERDITIO HÆC?] Scilicet, hæc inanis profusio unguenti tam pretiosi. Dices, S. Joannes c. 12. ait, solum Judam murmurasse. Respondent aliqui cum Maldonato, esse numeri enallagen & syllepsin: *discipuli*, id est, discipulus, puta Judas. Planius S. August. lib. 2. de Consensu Evang. c. 69. respondet Judam fuisse choragum & incentorem hujus murmuris, qui alios Apostolos specie miserationis pauperum, ad indignationem ex vero misericordiæ affectu manantem excitarit; cum ipse fictus ex avaritia indignaretur, quod pretium hujus unguenti non in loculos suos, sed in Christi caput fuisset effusum. E VERS. 8. Mar. 13. 5. Joan. 12. 4.

POTUIT ENIM ISTUD VENUMDARI MULTO (*plusquam trecentis denariis*, id est Juliis, sive regalibus, ut habet Marcus) ET DARI PAUPERIBUS] q. d. Unguentum hoc, non ad delicias & luxuriam, in caput Christi, sed ad necessitatem in sinum multorum pauperum effudendum fuit. Idem fuit sensus Calvini, qui ne quis exemplum Magdalenæ trahat ad probandum honorem funerum per luminà, sufflitus, aliosque ornatus, air, hoc Magdalenæ factum non esse probandum, nec imitandum, sed tantum excusari eo nomine, quod peculiari Spiritus sancti instinctu peractum sit, alioqui præstitisse hoc pretium dari pauperibus. Verum, quis non videt hic eumdem esse spiritum Judæ & Calvini, adeoque satanam loqui per Calvinum, idem quod locutus est per Judam, quem proinde hic confutat Christus. VERS. 9. Mar. 14. 5. Joan. 12. 4. Calvinus cum Juda Magdalenæ factum improbat. F

SCIENS AUTEM JESUS (vi divina & spiritu prophetico prævidens secretum eorum murmur, directe quidem contra mulierem ungentem, indirecte vero contra se ungi permittentem excitatum) AIT ILLIS: QUID MOLESTI ESTIS HUIC MULIERI? (Arabicus, *quid reprehenditis mulierem*) OPUS ENIM BONUM OPERATA EST IN ME] *Bonum*, græce καλὸν, id est pulchrum, egregium, eximium & insigni laude dignum. Quid enim pulchrius, dignius, excellentius, quam ungere pedes Dei? Christus enim tam Deus erat, quam homo: quis non beatum se diceret, si pedes Christi tangere, & osculari illi licuisset? VERS. 10. Luc. 14. 6. Joan. 12. 7.

NAM SEMPER PAUPERES HABETIS VOBISCUM: ME AUTEM NON SEMPER HABETIS] q. d. Pauperibus semper abundat mundus, iis ergo semper benefacere potestis: at ego post sex dies morior & abeo in cælum, nec umquam ullum officium mihi præstare, imo nec me videre, audire & tangere poteritis. Obsequium ergo hoc era me mulieri permittite, frustra illud post sex dies optaturi. VERS. 11. Matt. 4. 7. Joan. 12. 8. G

MITTENS ENIM HÆC UNGUENTUM HOC IN CORPUS MEUM, AD SEPELIENDUM ME FECIT] Poterat Christus excusare Magdalenam per excellentiam personæ suæ divinæ, quæ ab ea ungebatur, ob quam melius erat & majoris meriti illi impendere pretium hujus unguenti, quam illo pauperes plurimos alere, ut docet Theoph. quod etiamnum locum habet in ornatu templorum, altarium, calicum, vestium sacerdotalium, &c. Hic enim fit in honorem personæ Christi ad provocandum aliorum erga eum devotionem & reverentiam, cum singularis aliqua pauperum necessitas non occurrit. Poterat quoque tam excusare, & laudare ejus affectum Christus, quod in gratitudine, pietate, humilitate, reverentia, devotione hanc unctionem perageret. Verum modestiæ causa noluit his titulis uti, sed tantum excusat eam *quod ad sepeliendum me fecit*, ut mortem sibi instare significaret, seque non inscium & invitum, sed conscium & volentem mori, imo ad mortem suam hanc unctionem disposuisse, indeque consequentem Judæ proditionem permisisse. Valde enim mortem optabat Christus ad Dei gloriam & redemptionem hominum, simul ejus stimulo pungit Judam, q. d. ait Chrysost. in c. 12. Joan. *Molestus sum & gravis, sed ex spe tua pauliisper, & migrabo; sed tu vide ne me prodendo mortis meæ opifex existas, ne tibi ipsi mortem & gehennam adscisças*. Syrus addit, *tanquam ad sepeliendum me fecit*. Non enim intendebat Magdalena Christi ungere ad sepulturam, utpote quæ de ejus morte & sepultura nil sciebat, nec cogitabat; sed Spiritus sanctus eam præscius id intendebat, ideoq; Magdalenam ad ungendum Christum interius impellebat: hanc enim unctionem omnimode merebatur Christi Domini mors & sepultura. VERS. 12. Matt. 4. 8. Joan. 12. 7. Magdalenam excusat & defendit Christus. H

Excusat ergo eam Christus ex interno affectu charitatis, ex raritate hujus occasionis & unctionis, ac maxime ex instinctu Spiritus sancti, quo ipsa, licet nesciens, acta, ungendo quasi præsagiit & divinavit proximam Christi mortem & sepulturam. Unxit enim eum quasi jam jam sepeliendum: nec enim mortuum ungere potuit, quia præventa fuit a Josepho ab Arimathia, & ab imminente sabbatho, ac postea per accelerationem resurrectionis

Christi,

Digitized by Google

A Christi, postero mane diei Dominicæ Christum ungere non licuit. Unde Marcus clare habet. *Quod habuit*, id est, quod potuit, *hæc fecit*; *prævenit corpus meum ungere in sepulturam*. Joan. c. 12. habet, *Sine illam, ut diem sepulturæ meæ servet illud*, id est, sine servare vel servasse illam hoc unguentum in diem sepulturæ meæ. Ita Toletus & Jans. Græce enim est in præterito, *servavit illud in diem sepulturæ meæ*, ut scilicet tacite indicet illam instare, ait Vatabl. q. d. Sine, o Juda, illam suæ devotioni servire, ut me vivum, sed brevi moriturum ungat, nam mortuum ungere non poterit. Aliter Maldonatus, *ut servet illud*, inquit, q. d. Ita collocavit hoc unguentum ungendo, ut perdere non posset: sicut si pecuniam servasse dicas eum, qui illa agrum emerit: si enim in arca condidisset, perdere potuisset, expendendo ergo servat.

Aliter quoque Franc. Lucas: *ut servet illud*. Hoc est, inquit, ut illud probasse servetur, declaretur, ostendatur, vide eumdem. Sæpe enim Hebræi verba realia per vocalia exponunt; atque id fieri dicitur, cum res jam facta ostenditur, & propalatur. Aliter denique Nonnus Panopolitanus, qui pariter cum Nostro legit, *ἵνα τηρήσῃ*, id est, *ut servet*. Unde hunc versum sic paraphrastice explicat: *Missum fac donum fœminæ ab omni reprehensione alienæ, ut thesaurum corporis nostri servet, donec occisionis & sepulchralis horæ parentationis nostræ veniat.* B

Planius, ut dixi, exponas, *ut servet*, id est, servare & servasse, sive ut servet & servarit. Unctio enim hæc Christi referebatur a Spiritu sancto ad indicandam, & honestandam ejus mortem & sepulturam: quare ad illam servari & dirigi videbatur a Spiritu sancto, perinde ac si in ipsa sepultura unctus fuisset Christus.

VERS. 13 Mar. 14. 9. AMEN DICO VOBIS, UBICUMQUE PRÆDICATUM FUERIT HOC EVANGELIUM (Evangelica hæc meæ vitæ historia) IN TOTO MUNDO, DICETUR (Arabicus *memorabitur*) ET QUOD HÆC FECIT, IN MEMORIAM EJUS] scil. Magdalenæ, non Christi, ut patet ex Græco, *αὐτῆς*, quod est fœmininum, q. d. Celebrabitur hæc unctio, & hoc pietatis obsequium, ad publicam per totum orbem & perennem Magdalenæ laudem, ac Judæ eam vituperantis infamiam & contumeliam, ita Beda, q. d. ait Victor Antiochenus in c. 14. Marci v. 9. *Tantum abest, ut ego illam condemnem quasi male fecerit, aut reprehendam quasi minus recte fecerit, ut factum hoc nullo unquam tempore latere permissurus sim. Etenim quod domi & in occulto ab illa factum est, hoc universus terrarum orbis cogniturus est: quoniam mente pia & ferventi fide, atque animo contrito factum est: non enim tam propter impensas gratum fuit, quam propter fidem, quam una cum unguento obtulit. Hæc enim fragrantissimi odoramenti instar mihi fuit.* C

VERS. 14 TUNC ABIIT UNUS DE DUODECIM, QUI DICEBATUR JUDAS ISCARIOTES, AD PRINCIPES SACERDOTUM] *Tunc*, refer hoc partim ad proxime præcedentia, partim ad consilium principum de capiendo Christo v. 16. q. d. Sabbato ante Dominicam palmarum, cum Judas murmuris auctor a Christo se perstringi audiret, non resipuit, uti cæteri Apostoli a Juda in murmur adducti: sed *tunc* frontem perfricuit, impudentiam induit atque avaritia, & scelere furens destinavit Christum Judæis prodere, & vendere: quare feria quarta, sive die Mercurii, proxime sequenti, cum principes consilium agitarent de modo capiendi Christum, eos adiit, modum suggessit, ac se eum in manus illorum daturum pacto 30. argenteorum pretio spopondit. D

UNUS DE DUODECIM] Apostolis. q. d. Unus hic non erat ex 72. Christi discipulis, quod tolerabilius erat; sed erat unus ex duodecim Apostolis Christi familiarissimis, & intimis, quos Christus ad summum Apostolatus gradum evexerat: quare fuit hæc insignis Judæ ingratitudo, & impietas, quæ Christi cor pupugit, ut diceret: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique* &c. *Tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Ps. 54. 13. Quocirca S. August. 61. in Joan. & S. Hier. (vel quisquis est auctor; stylus enim plane abhorret a S. Hieronymo) in c. 14. Marci. *Unus*, inquiunt, *vocatione, non prædestinatione; numero, non merito; corpore, non animo; specie, non virtute.*

Satanam in Judam quomodo intravit? ABIIT] intrante in eum satana, ut habet Marcus, non quod satanas illapsus sit animæ Judæ, ejusque intellectum & voluntatem inclinarit ad prodendum Christum. Solus enim Deus illabi potest animæ, ut recte docet Didymus lib. 3. de Spiritu sancto. Non etiam quod satanas corporaliter Judam possederit, uti possidet energumenos, sed quod rationes ejus imaginationi congruentes objecerit, quibus illi persuasit proditionem Christi, ut explicat S. Joan. c. 13. 2. Idem tamen Joannes ibidem v. 27. post cœnam, cum Judas a Christo accepisset buccellam, in eum intrasse satanam scribit, at scilicet meditatam, animoque jam ante destinatam Christi proditionem re ipsa exequeretur, & opere perficeret: Judas enim sicut die Mercurii ad machinandum hoc scelus; sic die Jovis sequenti, noctu ad idem consummandum, suadente diabolo perrexit. Significat hæc phrasis sceleris atrocitatem & immanitatem, quasi homo ad illud patrandum non sufficerit, sed opus fuerit ope & instigatione diaboli. Tantum enim fuit hoc facinus, ut non hominis, sed Luciferi fuisse videatur. E

VERS. 15 ET AIT ILLIS: QUID VULTIS MIHI DARE, ET EGO VOBIS EUM TRADAM] Arabicus, *quid dabitis mihi, ut ego eum vobis tradam?* *Infelix Judas*, ait S. Hieron. *damnum, quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare. Nec certam tamen postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio: sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare.* Hæc S. Hieron. qui putat Judam non exegisse certum pretium, nec licitatum esse de eo cum principibus, sed eorum arbitrio illud permisisse. q. d. Date mihi quod vultis. Verius alii autumant hic licitari Judam cum principibus. q. d. Ego vobis vendam Christum, sed pro tanto viro tamque vobis exoso, condignum exigo pretium. Quantum ergo pro eo mihi vultis dare: Luc. 22. v. 4. 5. Mar. 14. v. 11. 21. F

AT ILLI CONSTITUERUNT EI TRIGINTA ARGENTEOS] pacti sunt cum eo pretio 30. argenteorum. Vide hic indignam Judæ vilitatem, tam vili æstimantem & vendentem Christum mundi salvatorem, magistrum & dominum, quæ vilitas Christum pupugit & magno dolore affecit. Unde S. Ambrosius l. 3. de Spiritu sancto c. 18. *O Juda proditor*, inquit, *unguentum passionis ejus trecentis denariis æstimas, & passionem ejus triginta denariis vendis: dives in æstimatione, vilis in scelere.* Triginta argenteis venditur Christus.

Quæres, quanti ponderis & pretii fuerint hi argentei? Primo, S. Ambrosius verbis jam citatis censet fuisse unius drachmæ: denarius enim est Regalis Hispanicus, sive Julius Romanus, qui pendit drachmam. Quare 30. argenteos fuisse 30. Julios, qui faciunt tres aureos Romanos, sive 7. florenos Brabanticos cum dimidio. Verum hoc valde exile est pretium, quo ager figuli emi non potuisset. Triginta argentei quid? Prima sententia. G

Secundo, Baronius anno Christi 34. p. 175. ex Helia in Tisbi, R. David & aliis recentioribus Rabbinis (qui proinde minoris sunt fidei, & de fabulis suspecti) opinatur argenteum apud Zachariam & Prophetas & consequenter hic apud S. Matthæum (hic enim respicit ad Zachariam, ut patebit c. 27. 9.) sumi pro argenti libra. Ergo cum una unica argenti sit unus Philippicus dalerus, qui valet 10. Regales sive Julios, si libram accipias communem, quæ 12. uncias, sive 12. Philippicos, hoc est 30. florenos Brabanticos continet, 30. argentei facient 900. florenos Brabanticos, sin libram accipias majorem 16. unciarum, facient 1200. florenos, quibus facile emi potuit ager figuli. Verum quis credat Judæos avaros, vili Judæ operam suam eis ultro offerenti, non ad venditionem, sed ad proditionem, & indicium dumtaxat hominis quotidie obvii, tantum pretium consignasse, præsertim cum Patres & Zachar. c. 11. v. 12. hoc pretium quasi parvum, vile & indignum mirentur? Secunda.

Tertio, probabilius Maldonatus, Pererius, Franc. Lucas, Salmeron, & alii per argenteos intelligunt siclos. Christus ergo a Juda venditus videtur 30. siclis, hoc est 30. florenis Brabanticis, quo pretio servi occisi vira æstimabatur, & redimenda erat ab occisore, juxta legem Exodi 21. 32. Servo ergo ejusque vitæ, Christus ejusque vita, æquiparatur hic a Juda & Judæis. H Tertia.

Verum quia Jeremias c. 32. 9. staterem, id est siclum, ut habent Hebræa, distinguit ab argenteis: ait enim: *Appende ei argentum septem stateres, & decem argenteos*: & quia Budæus l. 5. de Asse, quem sequitur Suares, Ribera & alii, asserit se Parisiis vidisse nummū, quo venditus est Christus, eumque appendisse tantum duas drachmas Atticas, sive duos Julios aut duos Regales Hispanicos; hinc verisimilius videtur argenteum fuisse dimidium sicli, & duplum denarii. Argenteus ergo sunt duo Julii, vel duo Regales, puta dimidius florenus Brabanticus. Quocirca Christus venditus 30. argenteis, venditus fuit 15. florenis Brabanticis, sive sex scutis, hoc est, sex aureis Romanis. In hac sententia magis confirmatus sum Romæ, ubi in templo S. Crucis in Jerusalem, cum parte sanctæ crucis, clavo & spinis a S. He- Quarta. Genuina.

Digitized by Google

A S. Helena eo delatis, vidi nummum unum ex hiſce 30. argenteis, quibus venditus eſt Chriſtus. Hic enim eſt inſtar duorum Regalium, imo minor Regali duplici decem aſſium, ſive ſtuferorum, ſed paulo craſſior. Hinc quoque Zacharias hoc pretium per ironiam vocat *decorum*, id eſt, indecorum & viliſſimum.

Dices, Quomodo 15. florenis Brabanticis emi potuit ager figuli? Reſp. Hebr. שדה *ſade*, & Syrum חקל *chakel*, id eſt, ager, ſignificare campum, ſive terram quamvis, licet ſabuloſam, petroſam, miricoſam & ſterilem, uti ſunt arenaria; qualis videtur hic fuiſſe, ſcilicet ad arandum & alios uſus inepta, illaque exigua: tantum enim ſerviunt ſepulturæ peregrinorum, quæ exigui ſolent eſſe pretii: uti ſunt cœmeteria Judæorum extra urbes in Germania, forte etiam reliquum pretii, quod 30. argenteis deerat, ſupplerunt & addiderunt principes ex corbona.

Nota. Typus venditionis Chriſti fuit venditio Joſeph, facta a fratribus: ſed Joſeph venditus fuit 20. argenteis, Chriſtus vero 30. quia non decebat ſervum æquari Domino! Non enim par erat, ait S. Hieronymus, tanti ſervum, quanti Dominum vænire.

B Judas decimam partē pretii unguenti Magdalenæ accipit. Nota Secundo, Judas juxta S. Ambroſium accepit decimam partem pretii unguenti, quo unctus eſt Chriſtus; hoc enim æſtimabatur trecentis denariis, Judas vero Chriſtum vendidit 30. denariis, qui ſunt decima pars trecentorum. Multiplica enim 30. denarios per decem, & habebis trecentos: ſed verius eſt Judam non decimam, ſed quintam partem accepiſſe. Nam argenteus non eſt denarius, ſed duplum denarii: quare 30. argentei faciunt 60. denarios, qui ſunt quinta pars 300. *Tam vili auctione vult æſtimari ſe Chriſtus: ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur*, ait S. Ambr. in c. 7. Lucæ ſub finem.

Chriſtus vili pretio venditus meruit fieri pretium mundi. Tertio, quia tam vili pretio venditus fuit Chriſtus, hinc meruit ipſe fieri pretium redemptionis totius mundi, æque ac peccatorum omnium. Peccatum enim & peccator rem vilem cum Deo, imo præ Deo appretiat, & æſtimat. Sic Tropol. vili vendunt Chriſtum, qui Sacramenta, beneficia, juſtitiam, caſtitatem ſuam parvo pretio vendunt. Chriſtus enim eſt ſanctitas, veritas, juſtitia, caſtitas, &c. quæ omne terræ pretium ſuperat.

C Quinto, propter hos 30. argenteos, quibus emerunt Chriſtum Judas & Judæi, triginta maledictionibus a Deo feriuntur Pſ. 108. quarum prima eſt: *Conſtitue ſuper eum peccatorem*. Secunda, *Diabolus ſtet a dextris ejus*. Tertia, *Cum judicatur, exeat condemnatus*. Quarta, *Oratio ejus fiat in peccatum*. Quinta, *Fiant dies ejus pauci*. Sexta, *Epiſcopatum ejus accipiat alter*, &c. Hinc denique ait Hegeſippus, Judæi rapti a Tito, triginta venditi ſunt uno denario, hoc eſt uno Regali, ſive Julio.

VERS. 16 Luc. 22. 6. Mar. 14. 11 ET EXINDE QUÆREBAT OPPORTUNITATEM UT EUM TRADERET] illamque invenit poſtero die Jovis, qui fuit primus azymorum, ut ſequitur. Audi Origenem: *Qualem autem opportunitatem quærebat, Lucas manifeſtius explanavit: Et quærebat opportunitatem tradendi eum eis ſine turba, id eſt quando populus non erat circa eum, ſed ſecretus erat cum diſcipulis ſuis: quod & fecit; eum tradens nocte poſt cœnam, cum ſecretus eſſet in prædio Gethſemani*.

VERS. 17 Luc. 22. 7. Mar. 14. 12 PRIMA AUTEM DIE AZYMORUM ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM, DICENTES: UBI VIS PAREMUS TIBI COMEDERE PASCHA?] Id eſt agnum paſcalem, qui pro tranſitu in feſto Paſchatis Deo immolabatur & immolatus aſſatuſque a ſingulis comedebatur: Paſcha enim proprie tranſitum, inde metonymice agnum pro tranſitu immolatum, ac rurſum diem & feſtum, quo agnus immolabatur,

D Dies azymorum quinam? ſignificat. Porro quia agnus hic comedi debebat cum panibus azymis, id eſt, puris & non fermentatis, ex lege Exod. 12. idque per ſeptem dies, qui proinde dies azymorum dicebantur, hinc prima dies azymorum eadem erat cum die feſto Paſchatis: cum Paſchate enim incidebat uſus & eſus azymorum, ut dixi Exodi 12. Paſcha autem celebrabatur die 14. menſis primi ad veſperam, puta in plenilunio menſis primi Niſan dicti, qui erat is, in quem cadebat plenilunium incidens in æquinoctium vernum, vel illud proxime ſequens: quare Niſan reſpondet partim noſtro Martio, partim Aprili.

Chronotaxis ultimorum dierum Chriſti. Hæc ergo eſt Chronotaxis ultimorum octo dierum vitæ Chriſti. Chriſtus feria ſexta, ſive die Veneris, quæ fuit octava dies menſis Niſan, ex Ephrem venit in Bethaniam. Poſtero die ſabbati cœnavit in domo Simonis Leproſi, ubi unxit eum Magdalena, murmurante Juda, quod unguenti hujus pretium non accepiſſet, ideoque de Chriſto prodendo cogitante, ſequenti die Dominica, quæ fuit dies decima menſis Niſan, Chriſtus ſolemni pompa cum ramis ingreſſus eſt Jeruſalem. Undecima die Niſan, ſive poſtera die Lunæ, ſterili ficui maledixit, & in templo docuit. Duodecima die Niſan, ſive die Martis, docens in templo, diſputavit cum Scribis, & Phariſæis, ac eis multoties *væ* interminatus eſt, Matth. 23. atque de tempore excidii orbis & urbis Hieroſolymæ vaticinatus eſt, ac utriuſque ſigna prævia prædixit, ideoque variis parabolis omnes ad vigilantiam, & ſtudium bonorum operum eſt adhortatus. Matth. 24. & 25. Decima tertia die Niſan, ſive die Mercurii, principes conſilium inierunt de Chriſto capiendo: in quo Judas illum eis vendidit triginta argenteis. Decima quarta Niſan, ſive die Jovis ad veſperam, fuit feſtum Paſchæ, in qua Chriſtus agnum paſchalem cum ſuis comedit, Euchariſtiam inſtituit, ac mox orans in Gethſemani a Juda proditus, & a Judæis comprehenſus eſt. Decimaquinta die Niſan, ſive die Veneris crucifixus & occiſus eſt. Decimaſexta die Niſan, ſive ſabbato requievit in ſepulchro. Decimaſeptima die Niſan, ſive die Dominica, e ſepulchro glorioſus reſurrexit.

E

F PRIMA AUTEM DIE AZYMORUM] Id eſt, quartadecima Luna, ſive plenilunio, ſive die 14. primi menſis Niſan, Chriſtus ante vel ſub meridiem miſit ex Bethania duos diſcipulos Jeruſalem, ad parandum, & aſſandum agnum paſchalem, ut veſpere eum cum ſuis comederet. Ubi Nota, primum diem azymorum aliquando vocari diem 14. menſis Niſan, aliquando vero diem 15. Nam veſpera illa, qua Judæi celebrant phaſe, cum quo incipiebant dies & eſus azymorum, ſecundum computum dierum naturalem, pertinebat ad diem præcedentem, puta ad diem 14. Niſan, eadem vero ſecundum computum ſacrum, qui ſervabatur in feſtis, pertinebat ad diem ſequentem, qui erat dies 15. Niſan. Feſta enim Hebræorum incipiebantur veſpera, & finiebantur in veſpera ſequenti. Ita S. Auguſt. ep. 86. ad Caſulanum.

Quo die Chriſtus inſtituit Euchariſtiam? Quæres, Qua die præciſe Chriſtus celebravit paſcha & inſtituit Euchariſtiam, an eodem die, quo Judæi celebrarunt paſcha, an alio? Suppono Chriſtum paſſum & crucifixum feria ſexta, ſive die Veneris, ut patet ex Luca, & Joanne, & ex totius Eccleſiæ ſenſu & conſenſu: pridie ergo, id eſt die Jovis ad veſperam, cœnavit agnum, & Euchariſtiam inſtituit. Jam

G

Prima ſententia. Primo, Euthymius & Græci autumant Chriſtum celebraſſe Paſcha Luna 13. ſive 13. menſis Niſan: ipſum enim præveniſſe tempus Paſchæ a legę ſtatutum, ob ſuam paſſionem, quæ poſtero die, quo Judæi celebrabant Paſchæ, futura erat. Et quia poſtero die cum Paſchate incipiebat uſus azymorum, cenſent Chriſtum ante azyma inſtituiſſe Euchariſtiam in pane non azymo, ſed fermentato, ideoque ipſi celebrant in fermentato, dicuntque hoc eſſe præceptum. Unde Latinos celebrantes in azymo damnant, vocantque hæreticos, & azymitas, & eorum altaria abluunt, quaſi pane azymo polluta, antequam in eis celebrent. Probant ex S. Joanne, qui c. 13. v. 1. & 2. ait, *Ante diem feſtum Paſche*, id eſt, ante 14. Lunam, cum incipiebatur azyma, Chriſtum feciſſe cœnam, ſcilicet agni paſchalis & Euchariſtiæ.

Secunda. Secundo, Rupertus, Joan. Lucidus, Gagnejus, Janſen. Maldonat. & fuſe Salmeron tr. 9. to. 4. cenſent Chriſtum juxta legem celebraſſe Paſcha lunatione 14. ſive die 14. Niſan, Judæos vero illud diſtuliſſe in diem 15. Niſan (quibus favere videtur S. Joannes:) Traditio enim erat, ait Burgenſis ex *Seder Olam*, ut, ſi paſcha incideret in feriam ſextam, ſive in paraſceven, transferretur in ſabbatum, ne duo feſta ſolemnia, ſcilicet Paſchæ, & ſabbati concurrerent. Verum hæc traditio & conſuetudo recentior eſt, cępitque poſt Chriſtum, ut ex Thalmud & Aben Eſra, ac ex S. Epiphanio & Aſianis probat Bellar. lib. de Euchariſtia c. 8. ac Toletus, Suarez, D. Thomas, Abulenſis & alii.

H

Tertia genuina. Cum quibus dico, Chriſtum & Judæos eadem die a lege præſcripta celebraſſe paſcha, ſcilicet die 14. menſis Niſan ad veſperam. Id ita eſſe patet ex Matthæo, Marco, & Luca, qui ajunt Chriſtum celebraſſe Paſcha primo die azymorum, quo *neceſſe erat* (ex lege) *occidi paſcha*, & quo die *immolabant paſcha*, ſcilicet Judæi. Alioqui enim Judæi Chriſtum, quaſi legis & Judaiſmi tranſgreſſorem & apoſtatam arguiſſent, & damnaſſent.

Objectio Prima. Objicies Primo, ſi Chriſtus celebravit paſcha die 14. Niſan, quomodo ergo Matthæus, Marcus & Lucas ajunt ipſum illud celebraſſe prima die azymorum, hæc enim incidebat in diem 15. Niſan? Reſp. Jam dixi, primum diem azymorum partim eſſe & dici diem 14. Niſan, partim 15. Nam

Solvitur. veſpe-

Digitized by Google

A vesperæ illa, qua Judæi celebrabant pbasc, cum quo incipiebant dies, & usus azymorum, secundum computum naturalem dierum pertinebat ad diem, quæ vesperam præcedebat, scilicet ad diem 14. Nisan: eadem vero secundum computum sacrum festorum, pertinebat ad diem sequentē, quæ erat 15. Nisan, quia Judæi festa celebrabant a vespera in vesperam. Et hoc sensu ait Joannes Christum cœnasse agnum, *ante diem festum paschæ*, hoc est die 14. Nisan ad vesperam, quæ præcedit diem Paschæ, id est diem 15. Nisan, quæ est prima azymorum, juxta computum sacrum.

Secunda: Objicies Secundo, Joan. 18. 28. dicitur, Judæos non ingressos fuisse prætorium, ne contaminarentur, sed ut puri purum comederent pascha. Resp. Pascha ibi non significat agnum paschalem, hic enim erat immolatus, & comestus vespera præcedente, sed significat alias victimas paschales, quæ per septem consequentes dies, ac præsertim primo die azymorum, id est, mane die 15. Lunæ ex lege immolari solebant.

Tertia: Objicies Tertio, Joan. c. 19. 21. diem decimum quintum Nisan, quo Christus celebravit cœnam agni, vocat parasceuen paschæ. Resp. *paschæ*, id est sabbati paschalis,
B seu sabbati, quod intra hebdomadam Paschæ occurrebat, ideoque cæteris sabbatis erat sanctius, & celebrius. Unde Joannes ibidem explicans subdit: *Erat enim magnus dies ille sabbati*. Patet id ex Marco, qui c. 15. 32. Parasceuē hanc vocat prosabbatum; *Erat*, inquit, *parasceue, quod est ante sabbatum*. In parasceue enim, puta die Veneris, parandi erant cibi & cætera necessaria pro sabbato postridie futuro. Sabbato enim, utpote sanctissimo, cessandum erat ab omni opere, ut nec cibos coquere liceret, quod tamen aliis festis licebat.

Quarta: Objicies Quarto, Principes dicunt Matt. 26. 5. *Non in die festo*, capiamus & occidamus Christum. Resp. eos postea per proditionem Judæ mutasse consilium, ac Christum ipso festo Paschæ cepisse & occidisse.

Quinta: Objicies Quinto, Pentecostes illo anno, quo mortuus est Christus, incidit in diem Dominicam: in Dominica enim descendit Spiritus Sanctus in Apostolos: ergo si ab hac Dominica retro dies 50. computes, Pascha incidit in diem sabbati. Ad hoc argumentum fuse respondi Act. 2. v. 1.

ACCESSURUNT DISCIPULI (*duo*, ait Marcus, scilicet
C *Joannes & Petrus*, ait Lucas,) AD JESUM DICENTES: UBI VIS PAREMUS TIBI COMEDERE PASCHA? *Ubi*, non quærunt de oppido vel urbe, sed de domo vel hospitio. Certi enim erant ex lege Deut. 16. v. 5. 6. & 7. Pascha non posse immolari nisi in Jerusalem, utpote urbe electa a Deo ad sui cultum & templum. Unde Titus Dei vindicta obsidens Jerusalem in Paschate, omnes Judæos, qui ex tota Judæa eo ad celebrandum Pascha confluxerant, constrinxit & cepit, vel occidit: quamquam agnus Paschalis non in templo a sacerdotibus, sed domi immolabatur a quolibet patrefamilias, qui ad hoc retinebat jus priscum sacerdotii, olim datum primogenitis familiarum. Id diserte docet Philo lib. de Decalogo sub finem: *Pascha*, inquit, *populariter singuli sacrificant non expellatis sacerdotibus, ipsi permissu legis hic fungētes sacerdotio*. Nam sacrificium agni paschalis magis in ejus comestione (unde ajunt discipuli, *comedere Pascha*) quam immolatione consistebat. Hinc & mactari, immolari, excoriari & assari poterat, non quidem a publicis & profanis lanionibus, sed vel a sacerdote, vel a quopiam e familia, quem paterfamilias designasset, uti Petrus, & Joannes hic missi a Christo agnum mactarunt, immolarunt, assarunt, pararuntque panes azymos,
D & lactucas agrestes, cum quibus comedendus erat agnus. Porro agnus solebat mactari hora nona, hoc est, tertia pomeridiana, teste Josepho l. 7. de Bello c. 17. ut juxta legem Exodi 12. vespere comedi posset.

Pascha non poterat immolari nisi in Jerusalem.

Hora tertia pomeridiana mactabatur agnus paschalis.

AT JESUS DIXIT: ITE IN CIVITATEM (Jerusalem: hinc patet Christum hæc dixisse in Bethania) AD QUEMDAM, VERS. 38 ET DICITE EI: MAGISTER DICIT: TEMPUS MEUM PROPE EST; APUD TE FACIO PASCHA, CUM DISCIPULIS MEIS] *Ad quemdam*; Syrus, *levath pelon*, id est, *ad talem*, Hebræi dicunt, *peloni almoni*, (unde Hispani suum *fulano* acceperunt,) cum aliquem designant, quem nominant. Porro quibus notis eum designarit, significat Marcus dicens: *Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum, & quocumq; introieris, dicite domino domus, Quia magister dicit: Ubi est refectio* (locus refectionis) *mea, ubi pascha cum discipulis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abjerunt discipuli, & venerunt in civitatem, & invenerunt sicut dixerat illis, & paraverunt pascha*. Idem habet Lucas c. 22. 10.

Luc. 22. v. 10. 11.

Ubi Nota, hunc lagenæ bajuli & domus indicem, alium fuisse ab hero vel domino domus, ut patet ex verbis Marci. Hic enim herus videtur fuisse vir honestus & dives habens amplas ædes, & ut videtur amicus & discipulus Christi. Traditio est hanc domum fuisse Joannis, qui cognominatus est Marcus, fuitque socius Pauli & Barnabæ in profectione & prædicatione Evangelii. Unde in hac eadem domo latuere Apostoli post necem Christi, ibique Christus post resurrectionem ipso die paschatis, vespere eis apparuit, ibi quoque orantes receperunt Spiritum sanctum in Pentecoste. Unde Petrus e carcere Herodiano liberatus ab angelo, ad fideles in hac domo congregatos se recepit, teste Luca Act. 12. 12. Quocirca hæc domus versa est in Ecclesiam. In ea enim ædificata est Sion, omnium Ecclesiarum maxima & sanctissima. Quæ omnia docet Alexander in Vita S. Barnabæ Apostoli, quem sequuntur Baronius, Jansen. Adrichom. & noster Canisius l. 5. Marialis c. 1. Pro *ubi est refectio mea*, ut vertit Interpres in Marco, græce est, *κατάλυμα*, id est, *diversorium*, ut vertit Interpres in Luca & Syrus, idque clarius. Pro *cœnaculum*, græce est, *ἀνάγεον*. q. d. Tabulatum vel solarium, supra solum sursum elevatum, qualia videmus Romæ ab honestioribus habitari. Unde hoc fuit typus Ecclesiæ, quæ a terra in cælum tendit, ac mente in cælis versatur.

Ecclesia Sion quæ?

TEMPUS MEUM PROPE ET] *Tempus* (scilicet moriendi & legationem meam consummandi, ut per mortem & resurrectionem ad Patrem, qui e cælis in carnem & terram me misit, redeam.

APUD TE FACIO PASCHA] id est, facere decrevi, facere cupio.

ET FECERUNT DISCIPULI (Petrus & Joannes) SICUT CONSTITUIT (græce *συνέταξεν*, id est, ordinaverat, præ- VERS. 19 ceperat) ILLIS JESUS, ET PARAVERUNT PASCHA] id est, agnum paschalem mactarunt, excoriarunt, assarunt. Porro agnus assandus referebat ideam Christi crucifixi. Nā, ut docet S. Justinus contra Tryphon. perfodiebatur corpus agni veru, pedes vero tam posteriores, qui pedum, quam priores, qui manuum sunt loco, distendebantur, divaricabanturque bacillis infixis in volas; tamquam si veru stipitem crucis, bacilli vero transversum lignum præsignassent, una cum clavis in divini agni manus pedesque infixis, nam ignis afflictionis hic non minor fuit, quam illic flammeus. Nescio autem quid vulnerum perpetuo gerant agni in mediis pedum volis, non absimili modo, quo Salvator noster ex cruce reservat in manibus & pedibus fixuras clavorum, ait Franc. Lucas. Quocirca Christus veniens domum videnſque agnum assari, in eo quasi in viva sui imagine intuebatur suam crucifixionem, in qua ipse simili modo distendendus, clavis affigendus, & igne tum doloris, tum magis amoris postero die assandus erat in cruce. Quare agnum hunc quasi typum, & magis seipsum magno intimi ardoris sensu Deo Patri offerebat in holocaustum, & quasi victimam pro peccatis totius mundi. Idem intellexerunt Apostoli postquam viderunt Christum crucifigi.

Luc. 22. 13. Mar. 14. 16

Christus in agno & in cruce intuebatur.

VESPERE AUTEM FACTO, DISCUMBEBAT CUM DUODECIM DISCIPULIS SUIS] Vespere enim juxta legem comedendus erat agnus, idque a stantibus, ut significarent Hebræi se paratos ad iter, ac ex Ægypto proficisci in terram promissam, scilicet in Chanaan. Vide dicta Ex. 12. Dicitur tamen Jesus cum suis hic discubuisse, quia veteres consueverunt in thoris, id est lectulis mensalibus, discumbebant, id est, prono deorsum corpore jacebant, sursum vero innixi cubitis quasi sedebant juxta mensam. Ex quo ritu etiamnum mansit phrasis, qua dicimur accumbere mensæ, id est accubare mensæ, cum illi more nostro assidemus. Marc. c. 14. v. 17. habet, *Vespere autem facto venit cum duodecim*, id est, cum toto collegio Apostolorum; ex quo tamen duos jam ante ad omnia præparandum præmiserat: ergo præcise venit cum decem reliquis dumtaxat: dicitur tamen venisse cum duodecim, quia duo illi paulo ante eo mittente jam venerant.

VERS. 39 Luc. 22. 14. Mar. 14. 17

Quæres, an Judas proditor interfuerit celebrationi paschæ & Eucharistiæ, illamque sumpserit? Negant S. Hilar. & Theoph. hic, ac Clemens Romanus l. 5. Constit. c. 16. & ibi Turrianus ac Innoc. III. Pontif. lib. 4. de Mysterio Euchar. c. 13. Rupertus l. 10. in Matth. in fine. Favere videtur S. Dionys. de Eccles. hierar. c. 3. initio, & ita eum ibidem explicant S. Maximus & Pachymerus; sed idem S. Dionysius pro contraria sententia facile explicari potest, pro qua eum citat S. Thomas, Dionys. Carthus. & alii; Theophylactum quoque pro utraque sententia exponere licet. Ratio eorum est, quia proditor indignus erat tantis mysteriis, & a sacra Synaxi arcendus.

Digitized by Google

A Verum Judam interfuisse Paschæ, & Eucharistiæ, ac cum cæteris Apostolis communicasse, communis est cæterorum Patrum & Doctorum sententia, scilicet Origenis, Cyrilli, Chrys. Ambr. S. Leonis, Cypriani, S. Aug. Rabani, Bedæ, S. Thomæ, & aliorum, quos citat & sequitur Suarez 3. p. q. 73. art. 5. disp. 41. sect. 3. ubi ostendit etiam S. Dionysium idem sentire. Ait enim sic Dionysius: *Et ipse auctor symbolorū* (Christus) *justissime separat eum, qui non sicut ipse, nec pari modo simplicitate sacra contœnaverat.* q. d. Christus separat Judam a suo Apostolorum consortio, dicens, *Quod facis fac citius*, eo quod indigne sacram Eucharistiam secum sumpsisset & cœnasset: mox enim post indignam communionem intravit in eum Satanas, eumque ad proditionem Christi perficiendam impulit, uti docet S. Chrysost. hom. 1. & 2. de proditione Judæ, S. Aug. in Ps. 10. & Cyril. catechesi 13.

Judas sumpsit S. Eucharistiam.

Prob. Primo. Prob. hæc sententia Primo, quia Matthæus hic ait, Christum discubuisse ad cœnam agni & Eucharistiæ cum 12. Apostolis; ergo etiam cum Juda: nam hic erat unus e duodecim. Unde v. 21. sequitur: *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis; quia unus vestrum me traditurus est*. Secundo, quia Marc. c. 14. 23. de calice Eucharistiæ ait, *Et biberunt ex illo omnes*, scilicet 12. Apostoli, quos ad cœnam hanc cum Christo venisse paulo ante dixerat v. 17. Tertio, quia Lucas c. 22. 21. ait Christum post consecrationem calicis Eucharistiæ illico subjecisse: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*; ergo aderat Judas. Quarto, quia Joan. c. 13. narrans Christum ante Eucharistiam lavisse pedes Apostolorum, significat v. 10. & seq. etiam lavisse pedes Judæ, dicendo: *Vos mundi estis, sed non omnes, Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum*. Si Christus Judæ lavit pedes: ergo eidem dedit Eucharistiam, quæ mox ab eo instituta est: ad hanc enim dirigebatur hæc lotio, Quinto, quia Christus post cœnam Eucharistiæ dixit, unum ex mensæ secum accumbentibus, puta Judam, esse suum proditorem, ut patet Joan. 13. v. 12. 18. & seq. cumque Joannes a Christo peteret, quisnam esset proditor? respondit Christus ibidem v. 26. *Ille est cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariota*, ac subdit v. 30. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo*, ad prodendum Judæis Christum.

Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

B

Ratio a priori. Ratio a priori est, quia, etsi Christus licite posset peccatum & proditionem Judæ Apostolis occultam detegere, ad divinitatis & charitatis suæ manifestationem, tum quia ipse erat dominus famæ Judæ; tum quod proditio Judæ alibi, puta apud principes & seniores, esset publica, ac apud Apostolos paulo post ipso facto, & proditionis executione foret evulganda, noluit tamen id facere Christus, ut perfectæ charitatis daret exemplum, utque per eam Judam ad pœnitentiam alliceret. Denique ut doceret occultos peccatores non esse prodendos, publice traducendos & infamandos, ideoque nec a sacra Synaxi arcendos. Quare cum Christus instituendo Eucharistiam, Apostolos crearit sacerdotes & Episcopos, cum dixit; *Hoc facite in meam commemorationem*; sequitur eum Judam quoque qui præsens erat, creasse sacerdotem & Episcopum. Unde de eo dicitur Psal. 108. *Et Episcopatum ejus accipiat alter*. Hoc enim de Juda interpretatur S. Petrus Act. 1. licet enim ibi pro *episcopatum* Hebr. sit פקדת *pecuddato*, id est, *præfecturam ejus*, scilicet apostolatum ejus, tamen *episcopatum* proprie dictum accipi nil vetat, uti accipit Suarez 3. part. quæst. 73. art. 5. disp. 41. sect. 3. Denique non alios quam 12. Apostolos interfuisse huic cœnæ & Eucharistiæ, hinc liquet: hic enim 12. dumtaxat nominantur & censentur, quod nota contra Euthymium, qui alios quoque interfuisse arbitratur.

C

D

VERS. 21. ET EDENTIBUS ILLIS DIXIT: AMEN DICO VOBIS, QUIA UNUS VESTRUM ME TRADITURUS EST] Græce, παραδώσει, id est *prodet*, me Judæis meis hostibus. Sic & Syrus. Matthæus id Christum dixisse narrant ante institutionem Eucharistiæ, Lucas vero c. 22. 21. post eam, idque verius est. Noluit enim Christus animos discipulorum ante Eucharistiam tam funesto nuncio turbare, sed totos ad considerationem tanti Sacramenti intentos devotosque colligere & erigere. Quare Matthæus usus est prolepsi & anticipatione, licet Euthym. & S. Aug. l. 3. de Consensu Evang. c. 1. bis id a Christo dictum putent, scilicet tam ante, quam post Eucharistiam. *Traditurus est*, proditurus post paucas horas. Prædixit id Christus, tum ut se proditionis conscium ostenderet, ac se non ignoranter, nec invitum, sed ultro pati significaret. Unde non fugit, sed proditori fese obtulit: tum ut Judæ conscientiam pungeret, & ad pœnitendum stimularet. Ita S. Hier. *Misit*, ait, *crimen in numero, ut conscius agat pœnitentiam*. Judam non nominavit Christus tribus de causis. Primo, ut ejus famæ consuleret, nosq; idem facere doceret. Secundo, ne Petrus & Apostoli in Judam insurgerent, eumq; discerperent. Tertio, ut Judam hac lenitate & charitate ad pœnitentiam provocaret. Unde S. Leo ser. 7. de Passione ait: *Notam sibi esse proditoris conscientiam demonstravit, non aspera, nec aperta impium increpatione confundens, sed leni ac tacita admonitione convincens, ut facilius corrigeret pœnitendo, quem nulla deformasset objectio*. Ex mox: *Redi in integrum, & deposito furore resipisce. Clementia invitat, fatus pulsat, ad vitam vita te revocat*.

Prodit. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Proditionem sui Apostoli detegit Christus.

E

VERS. 22. ET CONTRISTATI VALDE (*Syrus, & ægre ferre eis vehementer*) COEPERUNT SINGULI DICERE: NUMQUID EGO SUM DOMINE?] Syrus *moti*, id est, *Domine mi*, scilicet dulcissime & desideratissime. Summe enim dolebant Christum Dominum, patrem & magistrum suum, a quo toti pendebant, sibi eripi & mori, idque per proditionem, eamque faciendam per unum e suo Apostolorum collegio, quæ summa erat injuria, indignitas & collegii totius infamia. Unde hæc Christi verba instar gladii dolore transfixerunt eorum corda, ut *semimortui fierent*, ait Chrysost.

Mar. 14. 26.

F

SINGULI] Ergo & Judas, ne si solus taceret, se cæteris Apostolis silentio suo proderet, aut sceleris suspectum redderet. Nam ut ait Origenes: *Existimo quisquis primis putavit latere quasi hominem, qui postquam vidit conscientiam suam notam Christo, amplexus est occultationem positam in verbis ipsius: quorum primum infidelitatis erat, secundū autem impudentiæ*. Cæteri vero Apostoli dixerunt pariter: *Numquid ego sum Domine?* quia licet eos conscientia tanti criminis non argueret, tamen, ut ait S. Chrysost. (qui id accepit a S. Basil. in Regul. brevior. reg. 301.) magis verbis Christi, quam conscientiæ suæ fidebant, præsertim quia ut alibi ait S. Aug. *Non est peccatum quod fecit homo, quod non faciat alter homo, si desit rector a quo factus est homo*.

VERS. 23. AT IPSE RESPONDENS AIT: QUI INTINGIT MECUM MANUM IN PAROPSIDE (*in patina*, ita Syrus) HIC ME TRADET] Syrus, *proditurus est*; græce, ὁ ἐμβάψας in aoristo, *qui intinxit*, qui intingere solet. Videtur Judas, ut proditionem dissimularet, & Christo se magis amicum ostenderet sæpius cum ipso in patinam alicujus jusculi, aceti, vel salsamenti panem vel carnem intinxisse: sed quia idem faciebant subinde alii Apostoli, hinc ex hisce verbis Christi Judam proditorem ab eo designari, certo cognoscere nequiverunt. Unde aliis interrogationibus id a Christo expiscari fategerunt.

Mar. 14. 20. Luc. 22. 21.

G

Ubi Nota, ad concordiam Evangelistarum, qui diversimode designationem Judæ proditoris narrant, hunc fuisse ordine Historiæ qui omnes Evangelistas inter se conciliat. Primo, Christus ante Eucharistiam, ut patet ex Matthæo & Marco, prædixit se prodendum ab aliquo Apostolorum; sed generatim & indefinite, proditorem non nominando, nec designando. Deinde singulis Apostolorum interrogantibus: *Numquid ego sum Domine?* Christus respondit eum esse proditorem, qui intingeret secum manum in paropside; quia veteres sicut terni vel quaterni in lectulis mensæ accumbebant, uti dixi Esther 1. v. 6. ita & terni vel quaterni communem habebant paropsidem, imo & eamdem habere poterant qui accumbebant in lectulis oppositis, vel lateralibus. Igitur, quia plures Apostoli eamdem habebant paropsidem, hinc hisce verbis non definite indicavit Christus, quis esset proditor. Christus deinde instituit Eucharistiam: quo facto rursus ait proditorem secum esse in mensa, ut diserte narrat Lucas, de quo plura Joan. 13. vers. 21. Quocirca Petrus innuit Joanni recumbenti in sinu Christi ut roget eum, quis definite & nominatim sit proditor. Joanni id roganti respondet Christus, eum esse, cui daturus sit buccellam, ac mox eam dat Judæ: ille ea accepta, ex conscientia sceleris & hoc indicio Christi, sentiens se notari, impudenter & obstinate rogat; *Numquid ego sum Rabbi?* Christus respondet, *Tu dixisti*, id est, *tu es*; quare ipse omnino detectum & infamatum se videns, quasi amens & furens, egreditur ad proditionem Christi perficiendam, abitque in domum Caiphæ, ut ab eo lictores & satellites postulet, qui Christum comprehendant.

Ordo detectionis Judæ proditoris.

H

VERS. 24. FILIUS QUIDEM HOMINIS VADIT, SICUT SCRIPTUM EST DE ILLO: VÆ AUTEM HOMINI ILLI, PER QUEM FILIUS HOMINIS TRADETUR: BONUM ERAT EI, SI NATUS NON FUISSET HOMO ILLE] Quia *multo melius est non subsistere, quam male subsistere. Pœna prædicitur, ne quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia*, ait

Mar. 14. 21. Luc. 22. 21.

S. Hie-

Digitized by Google

A S. Hieron. Minatur enim ei væ damnationis & gehennæ, longe enim ſatius eſt non eſſe, quam eſſe ad hoc tantum, ut ſemper miſerrimus ſit, & perpetim ardeat in gehenna, uti oſtendi Eccl. c. 4. v. 2. & 3. Sapienter S. Hier. epiſt. ad Furiam: *Non queruntur*, ait, *in Chriſtianis initia, ſed finis. Paulus male cœpit, ſed bene finivit; Judæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.*

VADIT] *Hiſce verbis*, ait Victor Antioch. in cap. 14. Marc. v. 21. Chriſtus *mortem ſuam tranſitioni aut diſceſſui cuipiam ſimiliorem oſtendit, quam vere morti. Significat per eamdem vocem quoque ſponte ſe ad mortem abire.* Porro proditio Judæ fuit immane ſacrilegium, in ipſam Chriſti & Dei perſonam directe admiſſum, quare fuit vere chriſticidium & deicidium. Quocirca Judam profundiſſime juxta Luciferum in gehenna degere, ibique acerbiſſime torqueri, valde eſt veriſimile. Et hoc innuit τὸ *væ*, quod hic ei Chriſtus præ aliis reprobis intentat. Hinc B. Franc. Borgia in meditatione ſumme ſe humilians, collocabat ſe ad pedes Judæ, id eſt profundiſſime in inferno, dictitans ſe alibi locum ſibi congruum, ſuiſque peccatis debitum, nec in cælo, nec in terra, nec ſub terra invenire. Ita habet ejus Vita.

B RESPONDENS AUTEM JUDAS, QUI TRADIDIT EUM
VERS. 25 (Arabicus, *Judas traditor ipſius*; Syrus, *Judas proditor*) DIXIT: NUMQUID EGO SUM RABBI (o Magiſter) AIT ILLI (Chriſtus) TU DIXISTI] Franc. Lucas probabiliter putat Judam id rogaſſe, poſtquam Chriſtus buccella panis ei porrecta, eum proditorem Joanni deſignaſſet Joan. 13. 26. ut dixi v. 23.

Porro rogat id Judas ex faſtu & impudentia ut ſcelus tegeret, & *audacia bonam conſcientiam mentiretur*, ait S. Hier. putabat enim Chriſtum ex modeſtia & lenitate auctorem ſceleris non nominaturum. q. d. *Numquid ego ſum* tuus, o Chriſte, proditor, qui tibi fideliter tot annis ſervivi, familiam tuam alui, omniaque negotia procuravi? Nam, ut ait S. Leo ſerm. 7. de Paſſione, *corpore tantum cum cœnantibus recumbebat, mente autem ſacerdotum invidiam, teſtium falſitatem & furorem imperitæ plebis armabat.*

TU DIXISTI] Eſt modeſta Hebræorum reſponſio, qua confirmant id quod rogatur. q. d. Non eſt quod ego dicam, & te proditorem nominem: tu enim talem te dicis & nominas, ac verum dicis, quia vere es proditor. Unde S. Chryſoſt. extollit manſuetudinem Chriſti, qui ex juſta ira non
C ait, Tu ſceleſte, tu ſacrilege, tu ingrate proditor, necem mihi machinaris; ſed leniter: *Tu dixiſti: Ita terminos nobis ac regulas tolerantiæ ac oblivionis fixit injuriarum*, ait Chryſoſt. & ex eo Titus. Unde hac lenitate, lenique & ſubmiſſa voce ac magis interna gratia Chriſtus frænavit Joannem & Petrum, & ſi qui alii id audiverunt, ne inſurgerent in Judam, eumque laniarent, præſertim quia Chriſtus non clare dixit, *tu es*, ſed obſcure, *tu dixiſti*.

COENANTIBUS AUTEM EIS, ACCEPIT JESUS PANEM,
VERS. 26 ET BENEDIXIT, AC FREGIT, DEDITQUE DISCIPULIS SUIS, ET AIT: ACCIPITE; ET COMEDITE, HOC EST CORPUS
Luc. 22. 19. Mar. 14. 22 MEUM] Sic & Syrus, Arabicus, Perſicus; Æthiopicus vero ſignificantius vertit, *Hæc ipſa caro mea*. Ægyptius addit *enim*. *Hoc enim corpus meum*: cæteri ergo τὸ *enim* ſubaudiunt: hoc enim ſupplendum eſſe hic, ſatis liquet ex conſecratione vini verſic. 28. *Hic eſt enim ſanguis meus*. Vox *enim* dat cauſam cur manducare, & bibere audeant, quia ſcilicet corpus & ſanguis Chriſti eis, ab illo manducanda & bibenda offeruntur. Quis enim cibum & potum tam pretioſum & divinum avidiſſime non accipiat?

D COENANTIBUS] id eſt, poſt cœnam, ut habet Lucas & Paulus, agni paſchalis ſcilicet, ſed dum adhuc menſæ epulis ſtratæ accumberent, ideo Matthæus ait *cœnantibus*. Ubi
Triplex cœna Chriſti. Nota triplicem hic fuiſſe Chriſti cœnam, primam ſacram agni paſchalis, quam juxta legem Exodi 12. Chriſtus & Apoſtoli peregerunt ſtantes: ſecundam communem aliorum ciborum poſt agnum, quam cœnarunt diſcumbentes in lectulis more communi gentis ſuæ: nec enim ex ſolo agno ſaturari poterant omnes perſonæ familiæ, præſertim ſi illa ampla erat & numeroſa; quare poſt cœnam agni, addebatur cœna communis ſive uſualis aliorum ciborum. Chriſtus vero tertiam addidit ſacerrimam imo divinam, ſcilicet inſtitutionem Euchariſtiæ. Nam Chriſtus ante Euchariſtiam cœnavit agnum & cœnam uſualem, quia decebat ut typus agni præiret veritatem Euchariſtiæ, utque ultimum memoriale morituri, velut ſummum amoris pignus eſſet Euchariſtia; hoc eſt quod ajunt Lucas & Paulus, *Poſt cœnam*. Ita Janſenius, Maldonatus, Franc. Lucas & alii: licet Suarez loco mox citando cenſeat, cœnam Euchariſtiæ fuiſſe mediam inter cœnam agni & uſualem.

Jam vero ob reverentiam tanti Sacramenti, Apoſtolica E traditio habet, ait S. Auguſt. ep. 128. ut Euchariſtia non niſi a jejunis ſumatur. Quare perperam & doloſe hæretici Euchariſtiam vocant cœnam, eſto primi Chriſtiani aliquamdiu in cœna exemplo Chriſti Euchariſtiam celebrarint, ut colligitur ex Paulo 1. Cor. 11. 25. Porro in locum, & memoriam ſecundæ cœnæ uſualis & communis, quam Paulus Dominicam vocat, ſucceſſit apud Chriſtianos olim Agape, id eſt, epulum omnium commune in ſignum & fomentum charitatis, ſed poſt ſumptam Euchariſtiam. Denique Chriſtus poſt cœnam agni, & communem ſive uſualem, ante inſtitutionem Euchariſtiæ lavit pedes diſcipulorum, etiam Judæ, ut ſignificaret qua puritate ad tanta myſteria accedendum ſit, ut patet Jo. 13. v. 4. lotione peracta panem & vinum, quæ adhuc in menſa erant, conſecravit, ac in Euchariſtiam, id eſt, in ſuum corpus, & ſanguinem convertit. Unde colligitur, quod Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub horam noctis primam, vel ſecundam. Nam agnus qui veſpere comedendus erat, una hora comedi poterat, imo citius, & altera hora pedes Apoſtolorum a Chriſto facile lavari poterant, ita ut ſub horam noctis ſecundam Euchariſtiam inſtituerit. Initio enim noctis id factum patet ex iis, quæ deinde nocte illa geſta ſunt. F
Sub horam noctis ſecundam inſtituit Euchariſtiam. Nam poſt Euchariſtiæ ſumptionem Judas exiit, ut miniſtros principum accerſeret, qui Chriſtum comprehenderent. Chriſtus interim prolixum habuit ſermonem: quem Joannes recenſet cap. 14. 15. 16. & 17. Quo finito exiit in montem Olivarum, ibique prolixe oravit, ac deinde a Juda proditus, & a Judæis captus, & ex Gethſemani retractus Jeruſalem, ductus eſt ad Annam, deinde ad Caipham, demum magna parte noctis reliquæ, a miniſtris ſacerdotum alapis cæſus, conſputus & illuſus fuit, a miniſtris, inquam, qui lucem & diem exſpectabant ut Chriſtum Pilato damnandum ſiſterent. Ergo videtur Chriſtus Euchariſtiam inſtituiſſe ſub initium noctis diei Jovis. Ita Suarez 3. q. 73. art. 5. diſp. 41. ſect. 4.

Denique audi Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. *Chriſtus celebrato veteri paſchate, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitq; de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit.*

ACCEPIT JESUS PANEM] Nota hic quinque actiones I
G Chriſti. Primo, Chriſtus accepit panem; Secundo, gratias egit Patri. Tertio, panem benedixit, ut habet S. Matth. c. 26. v. 26. Quarto, panem fregit; Quinto, porrexit & inter porrigendum dixit: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*. Hæc enim verba tam porrigentis ſunt quam conſecrantis. Hinc ruit argumentum Calvini: Omnia, inquit, verba hæc, ſcilicet accepit, benedixit, fregit, dedit, reſpiciunt & referunt panem; ergo panem acceperunt & comederunt Apoſtoli, non corpus Chriſti. Reſpondeo ad antecedens: Hæc verba referunt panem, non qui manebat panis, ſed qui inter dandum vi verborum & conſecrationis Chriſti, convertebatur in corpus Chriſti. Sic dicere potuiſſet Chriſtus in Cana Galilææ: Accipite & bibite; hoc eſt enim vinum, ſi per hæc verba mutare voluiſſet aquam in vinum. Sic vulgo dicimus: Herodes S. Joannem incarceravit, occidit, ſepelivit vel ſepeliri permiſit; cum tamen non incarceravit eumdem, quem ſepelivit: quia hominem incarceravit, cadaver vero occiſi ſepelivit. Talis ergo, & conſequenter æque vulgaris eſt hæc Evangeliſtarum & Pauli de Euchariſtia locutio. Obiicit Calvinus. Reſpondetur.

Nota Secundo, ex eo quod Chriſtus ait: *Accipite, hoc* H
eſt enim, &c. hinc videri Chriſtum unum panem accepiſſe, eumque inter conſecrandum fregiſſe in duodecim partes, ſimulque ſingulis Apoſtolis unam diſtribuiſſe, quam quiſque videtur manu accepiſſe. Unde & diu in Eccleſia Chriſtianis fidelibus Euchariſtia in manus data fuit, ut patet ex Tertull. lib. de Spectaculis, ex Cyrillo Hieroſol. catecheſi 5. myſtag. ex S. Auguſt. ſer. 244. Poſtea tamen periculi, & reverentiæ cauſa, in os data eſt Euchariſtia.

Denique Apoſtoli ad tam inſolitam Chriſti actionem, tamque novum & mirum Sacramentum mirati & turbati non ſunt, duplici de cauſa; Prima, quia jam ante fuerant inſtructi & præmoniti, Jo. 6. ut Chryſoſt. docet hom. 83. in Matth. Altera, quia idem Chriſtus qui myſteria tradebat, mentem eorum fide illuſtrabat, ut ſimpliciter crederent. Nam multa alia mirabiliora ſine turbatione audierant, & crediderant; quale erat imprimis, hominem illum, quem videbant comedere, bibere, dormire, fatigari, eſſe verum

Digitized by Google

A Deum; etiam tunc esse in cælo cum loqueretur in terris dicereturque Joan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.*

Benedixit] Nota, Christum ante consecrationem Eucharistiæ Primo, gratias egisse Deo Patri, ut habent Lucas & Paulus, idque oculis de more suo in cælum elevatis, uti habetur in Canone nostro, & Liturgia S. Jacobi,

Eucharistia quid? Unde hoc Sacramentum dictum est Eucharistia, id est, gratiarum actio, quia ipsum maxima est gratia, ac consequenter cum maxima gratiarum actione sumendum.

Christus benedixit panę cur? Secundo, Christum benedixisse non Patrem, ut volunt hæretici, sed panem & vinum, ut expresse habet hic Paulus dicens: *Calix benedictionis, cui benedicimus*, &c. 1. Cor. 10. Benedixit autem Christus panem & calicem, hoc est Dei benedictionem & omnipotentiam super panem & vinum invocavit, ut præsto esset etiam & in futuris omnibus consecrationibus, ad panem convertendum in corpus, & vinum calicis in sanguinem Christi, quando legitime pronuntiantur verba consecrationis. Similis fuit benedictio panum Lucæ 9. v. 16. Non ergo benedictio hæc fuit consecratio, licet id velit D. Thom. 3. par. q. 78. art. 1. ad 1. sed prævia oratio. Ita Conc. Trid. sess. 13. c. 1. unde in Liturgia S. Jacobi, Basilii & nostra, Christi exemplo petimus, ut Deus benedicat hæc dona, ut divina virtus in

B panem & calicem descendat, ad perficiendam consecrationem: & hinc dicitur, *calix benedictionis*, id est, a Christo benedictus. Unde Paulus 1. Cor. 10. 16. *Calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?*

Denique videtur Christus signum crucis formando super panem, eum benedixisse, & benedicendo invocasse Dei opem, ad futuram consecrationem & transsubstantiationem. Nam ex usu Ecclesiæ, sacerdotes in consecratione panem & vinum signo crucis benedicunt, idque faciunt exemplo Christi,

Hoc est corpus meum] Hinc patet in Eucharistia non esse figuram corporis Christi, uti pervertunt Novantes, sed verum & proprium corpus Christi, quod ex B. Virgine natum & in monte Calvariæ crucifixum est, uti omnibus sæculis credidit Ecclesia, & in plurimis Conciliis definivit, sicuti multis ostendit 1. Cor. 11. 24. ubi Paulus iisdem verbis institutionem Eucharistiæ a Christo factam repetit, & enarrat. Quibus adde, nonnullos a fide hac evelli, eo quod comprehendere nequeant, quomodo corpus Christi tam altum & magnum, possit contineri totum sub parvula

C hostia: sed hi cogitare debent Deum esse omnipotentem, qui ut naturam instituit, ita contra eam supernaturaliter cum vult sæpe operatur, ut naturæ rerumque omnium se Dominum & Deum ostendat. Quare quidquid est in natura proprietatis, hoc a Deo inverti & everti potest, ac consequenter facere potest Deus, ut quantitas magna parvo loco, imo puncto contineatur. Hæc est ratio Theologica. Verum, ut infirmis nonnullorum mentibus plene satisfaciam, duo evidentia hujus mysterii, quod possibile sit, argumenta subjungam, quæ vim habent ex simili analogia.

Demonstratio physica, quod Christus possit esse sub parva hostia. Accipe ergo hujus rei analogicam quasi demonstrationem primo physicam, secundo mathematicam. Physica est in speculo & in oculo. Tam enim speculum, quam oculus exiguus, in se recipiunt integram quantitatem maximorum non tantum hominum, sed & domorum, templorum, arborum, montium, &c. eamque integram clare referunt & repræsentant. Quidni ergo parva hostia, Deo agente, totum exhibeat Christum? Dices, hoc in

D oculo, & speculo fieri spiritaliter per species intentionales opticas sive visivas. Resp. Pari modo Christi corpus in Eucharistia accipit spiritalem modum existendi: ut quasi spiritus spiritualiter sit in puncto hostiæ. Adde, ipsas species intentionales, non ita esse spirituales, quin revera sint entitates naturales & physicæ, imo corporeæ: inhærent enim corpori, scilicet aeri, harum tamen plurimas, & quasi infinitas videmus simul in speculo & oculo recipi, & comprehendi. Si hoc quotidie fit naturaliter in speciebus oculo receptis, multo magis idem facere potest omnipotentia Dei supernaturaliter, in corpore Christi per miraculum in Eucharistia.

Demonstratio eiusdem mathematica. Accipe nunc ejusdem rei analogicam quasi demonstrationem mathematicam, ut videas quomodo magna quantitas in parva, imo in quolibet ejus puncto, tota excipi possit. Accipe, inquam, duplicem hanc figuram, trianguli solius, & trianguli cum circulo: prius triangulum solum, deinde eum cum circulo inspiciamus: hostia enim in Eucharistia est circularis, imo circulus.



In hoc triangulo A F X in angulo X concurrunt innumeræ lineæ ductæ a latere A, F, scilicet linea A, linea B, linea C, linea, D, linea E, linea F, itaque angulus X, ejusque conus sive punctum, respondet & excipit omnes hasce lineas, eodemq; modo excipiet mille imo infinitas alias, quæ a costa A F, in quolibet ejus puncto educi possunt usque ad X: nam a quolibet puncto ad quodlibet punctum potest duci linea recta, ut habet principium Euclidis & omnium Mathematicorum. Vides ergo unum punctum X excipere omnes hasce lineas, itaque quasi commensurari & adæquari singulis lineis, & consequenter toti lineæ A, F, ac consequenter idem puncti X quasi adæquari toti superficiei, quę in triangulo hoc includitur: hæc enim superficies constat & conflatur ex lineis plurimis & continuis, quæ omnes recipiuntur in hoc puncto X. Ponamus nunc hanc longitudinem A, F esse longitudinem corporis Christi, X vero esse punctum hostiæ consecratæ, dico pari modo, tota longitudo corporis Christi est in hoc puncto hostiæ, sicut tota longitudo A, F per lineas ex illa derivatas est in puncto X. Quod si Novantes, imo Physici & Mathematici cõprehendere nequeunt, quomodo una tanta linea recipiatur in puncto indivisibili, ac consequenter quomodo tota superficies, quæ ab ejus extremitate utrimque per triangulum ad idem punctum ducitur, eidem puncto per lineas ad illud ductas commensuretur, & quasi adæquetur, quod tamen naturale est; quid mirum si non comprehendant, quomodo quantitas corporis Christi possit recipi in puncto hostiæ per supernaturalem Dei actionem, & omnipotentiam, quæ naturam & ingenium omne transcendit?



Jam circuli hic depicti formam inspiciamus, eamque cum triangulo comparemus, longitudo lateris trianguli D, E, F, G H, I.

Digitized by Google

A D, E, F, G, H, I, integra recipitur per ſuas lineas in circulo hoſtiæ ejuſque puncto A; eadem tota per alias ſuas lineas recipitur in puncto C; eadem tota pari modo per alias lineas recipietur in quolibet alio puncto circuli deſignati. Sicut ergo in hac figura tota longitudo D, I quolibet puncto circuli, ſive hoſtiæ, per ſuas lineas eo ductas, in eoque ſimul concurrentes recipi poteſt; ita tota longitudo corporis Chriſti recipi poteſt, & de facto recipitur in quolibet puncto hoſtiæ conſecratæ. Si enim in naturalibus videmus lineam D, I, commenſurari puncto C in circulo A, B, C, item puncto A, & puncto B, & cuivis alteri: cur non in ſupernaturalibus Euchariſtiæ myſteriis Deus idem facere poſſet? ut ſcilicet tota quantitas corporis Chriſti, ſit in hoc puncto hoſtiæ, & tota ſit in illo, & tota ſit in quolibet alio hoſtiæ puncto? Ut id clarius videas, concipe animo circulum hoſtię rotari & volvi per puncta A, B, C, tunc ecce ſingula puncta hujus circuli ſucceſſive tangent conum, imo ipſa erunt conus ſive punctum tam A quam B & C: ergo tunc ipſa puncta A, B, C excipient omnes lineas a coſta D, I ad ſe ductas: quod hic fieret ſucceſſive, hoc ſimul & ſemel fit in hoſtia Euchariſtiæ, omnibuſque ejus punctis reſpectu corporis Chriſti, quod totum ſingula hoſtiæ puncta excipiunt. Circulus enim hoſtiam, triangulus vero corpus Chriſti repræſentat.

B

Tertia demonſtratio ex rarefactione.

Adde hic tertiam demonſtrationem ex condenſatione, & rarefactione, quam recenſui 1. Cor. 11. v. 25. Aqua enim in olla per frigus denſata dimidium tantum ollæ occupat, per ignem vero calefacta rareſcens & ebulliens totam ollam implet, cum tamen eadem ſit aqua quoad materiam & molem & ut multi magnique philoſophi volunt, quoad quantitatem intrinſecam: nihil enim aquæ per rarefactionem, additur, niſi extenſio ad majorem locum: ſi hoc naturaliter fit, cur ſupernaturaliter idem facere nequeat Deus omnipotens in corpore Chriſti, ut illud in ſe intrinſece extenſum ad ſex pedes, extrinſece tamen commenſuretur parvæ hoſtiæ, ad ejuſque locum & quantitatem contrahatur? Sicut aqua per calorem ignis rarefacta, occupanſque totam ollam, per frigus deinde denſata contrahitur ad dimidium ollæ: nam aquæ nihil quantitatis accedere per rarefactionem, nec decedere per condenſationem, ſed eamdem quantitatem quæ prius erat, ſeſe magis dumtaxat explicare, & ad majorem locum extendere, cenſent S. Thom. Gregor. Ægidius, Capreolus, Soncinas, quos citant & ſequuntur noſtri Conimbricenſes l. 1. de Generat. c. 5. q. 17. art. 3.

C

Addit Luc. c. 22. 19. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, id eſt, mox dabitur in crucem & mortem. Paulus 1. Cor. 11. *Quod vobis traditur*, græce κλώμενον, id eſt, *quod frangitur*. Vide ibi dicta.

Addit rurſum Lucas Chriſtum dixiſſe: *facite in meam commemorationem*. His verbis Chriſtus dedit Apoſtolis, & ſacerdotibus ab eis ordinandis poteſtatem (æque ac præceptum) conſecrandi & tranſſubſtantiandi panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum. Quare his verbis Chriſtus Apoſtolos conſtituit & ordinavit ſacerdotes, uti docet Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. æque ac Epiſcopos. His enim verbis juſſit Apoſtolis, quaſi Epiſcopis, ordinare ſacerdotes, qui continuo & jugiter per omnia ſæcula celebrarent tam Sacramentum quam ſacrificium Euchariſtię, quod hic inſtituit, tum ad perennem laudem, & cultum Dei, tum ad fidelium refectionem ſpiritualem, tum ut per illud omnem a Deo gratiam poſtularent & Eccleſiæ impetrarent, ut habet dogma & fides totius Eccleſiæ. *Hoc facite* ergo, ſcilicet quod ego facio. q. d. Conſecrate, ſacrificate, panem & vinum tranſſubſtantiate, comedite, ſicut ego eadem conſecravi, ſacrificavi, tranſſubſtantiavi, comedi. Inſuper ſacerdotes ordinate & Epiſcopos, qui jugiter continua ſucceſſione idem faciant uſque ad finem mundi, ſicut ego nunc vos hac de cauſa ſacerdotes & Epiſcopos inſtituo & ordino.

Apoſtolos hic ſacerdotes conſecrat.

D

In meam commemorationem: Ut ſcilicet in conſecratione & ſumptione Euchariſtiæ commemoretis, & ut ait Paulus 1. Cor. 11. 26. annuncietis mortem meam. Vide ibi dicta. Nec enim ſacerdotes conſecrantes jubentur hic meminiſſe dumtaxat mortis Chriſti, ſed & eamdem populo Chriſtiano in memoriam revocare, ut tanti beneficii tantæque Chriſti dignationis & redemptionis jugiter ſint memores & grati, ac per eam omnem a Deo gratiam poſtulent & obtineant.

VERS. 27 Luc. 22. 20. Mat. 14. 23. ET ACCIPIENS CALICEM GRATIAS EGIT, ED DEDIT ILLIS DICENS: BIBITE EX HOC OMNES] Bellarminus l. 4. de Euchariſtia c. 27. ad 2. & Joann. Heſſels tract. de Communi. ſub utraque ſpecie opinantur, Chriſtum non ſtatim poſt conſecratum panem conſecraſſe calicem, ſed plura interceſſiſſe, plures ſcilicet actiones, & locutiones: probant id ex eo, quod de pane dicat Matthæus: *Cœnantibus autem illis*; de calice vero dicat Lucas & Paulus: *Similiter & calicem, poſtquam cœnavit*.

E

Verum longe verius eſt, Chriſtum immediate conſecrationi panis ſubjeciſſe conſecrationem calicis, tum quia ita narrant Matthæus, Marcus & Lucas: tum quia id exigebat ratio Sacramenti & ſacrificii Euchariſtiæ, ut illud non divideretur, nec interrumperetur, ſed totum ſimul perficeretur. Ad rationem enim ſacrificii pertinet conſecratio tam vini quam panis. Chriſtus enim hoc ſacrificium inſtituit per modum refectionis & convivii, ad quod requiritur tam vinum ad potum, quam panis ad cibum. Sic & in veteri teſtamento, ſacrificio *mincha*, id eſt farris & panum; æque ac victimarum animalium v. g. boum, agnorum, hœdorum, addebatur libamen, ſive effuſio vini & olei. Sacrificium enim Deo offertur, ut ſit refectio Dei, ad refectionem autem tam requiritur potus quam cibus, puta tam vinum quam panis, uti oſtendi in Levit. cap. 1. & ſeq. Idem fuit ritus Gentilium, qui a Moyſe, & Hebræis hoc & multa alia mutuati ſunt.

F

GRATIAS EGIT] Ritum Hebræorum in gratiis Deo agendis poſt refectionem, recenſui Eccli. 32. 17.

BIBITE EX HOC OMNES] Dixit hoc Chriſtus ante conſecrationem calicis. Quare in Marco c. 14. 23. eſt hyſterologia, dum ait: *Et biberunt ex illo omnes*; ac mox Chriſtum conſecraſſe narrat, dicendo: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*; cum certum ſit ex Matthæo & Luca, prius Chriſtum calicem conſecraſſe, deinde Apoſtolis bibendum dediſſe: alioqui Apoſtoli bibiſſent merum vinum, non ſanguinem Chriſti.

Nota. Chriſtus panem conſecratum in tredecim partes diviſit, quarum unam primus ipſe ſumpſit, cæteras deinde duodecim ſingulis Apoſtolis ſingulas ſumendas diviſit & dedit. In calice vero utpote liquido, id fieri non poterat. Quocirca Chriſtus prior ex eo jam conſecrato bibit, deinde eum ad bibendum dedit ſuo vicino, v. g. Joanni, vel Petro jubens, ut ille ſuo vicino eumdem reſignaret & ita conſequenter, ut calix iret in orbem, omneſque Apoſtoli ex eo biberent. Quare hinc non ſequitur, quod Huſſitæ & Lutherus volunt, laicis quoque dandum eſſe calicem, coſque communicare debere ſub utraque ſpecie, quia ſub utraque communicavit Chriſtus & Apoſtoli, idque eſſe præceptum Chriſti: hoc enim præceptum bibendi, cum ait; *Bibite ex hoc omnes* (uti omni tempore intellexit Eccleſia) tantum pertinebat ad Apoſtolos, qui ſoli tum præſentes erant, quia Chriſtus eos tunc conſecrabat ſacerdotes, eiſque juſſit conſecrare Sacramentum & ſacrificium Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & utramque ſpeciem ſumere, ut perfectum ſacrificium conficiant. Id ergo non juſſit laicis, quibus cum non ſacrificent, ſed tantum ſumant Euchariſtiam ut Sacramentum, ſufficit ut illud ſumant ſub una ſpecie, quia ſub ea integrum Sacramenti effectum fructumque percipiunt; præſertim quia in tanto numero laicorum communicantium facile calix effunderetur, & ſanguis Chriſti eo contentus in terram diffluaret, quod magnæ foret irreverentiæ. Simili modo præceptum Chriſti dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem*, qua parte conſecrationem reſpicit, ad ſolos pertinet ſacerdotes; ad laicos vero tantum ſpectat quoad panis conſecrati ſumptionem, ut patet. Præceptorum enim, cum plura miſcentur, varietas limitanda eſt & diſtribuenda, juxta conditionem perſonarum, & mentem legislatoris, qui hic eſt Chriſtus, cujus interpres eſt Eccleſia.

Laicis ſufficit una ſpecies Euchariſtiæ, cur?

G

H

Notat S. Cyprianus (vel quiſquis eſt auctor) tract. de Cœna Domini, olim ſanguinis animalium eſum potumque veritum fuiſſe Judæis, ut patet Heb. 9. 22. Lev. 4. 6. & ſeq. Chriſti vero ſanguinem a ſacerdotibus jam bibi: Primo, quia Chriſti ſanguis vivificus eſt: Secundo, quia illo redempti ſumus; Tertio, quia illo ſpirituales effecti, animalis vitæ peccata quaſi impurum ſanguinem horremus.

HIC EST ENIM SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI (Syrus, *novi fœderis*) QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM] Sic & Arabicus, Perſicus, Ægyptius: Æthiopicus vero nervoſius, *hic ipſe ſanguis meus* &c. q. d. In hoc calice, per hanc conſecrationem meam, vinum vertitur in ſanguinem meum: quare in fine hujus conſecrationis jam in eo non eſt vinum, ſed ſanguis meus, quo ſancitur, & confirmatur novum teſtamentum & fœdus, mediante me inter Deum & homines initum:

VERS. 28 Luc. 22. 20. Mat. 14. 24.

Digitized by Google

A Christus enim hoc sanguine suo in morte mox effundendo, meruit & confirmavit nobis jus & spem ad æternam hereditatem in cælis, quæ fuit summa & ultima Christi testatoris voluntas: atque hoc jus nobis applicant Sacramenta, & præsertim Eucharistia, sicut testamentum heredi in eo scripto dat jus ad testatoris bona.

Nota. Matthæus & Marcus habent: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti*: Lucas vero & Paulus 1. Cor. 11. 25. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*: sed idem utriusque phrasis est sensus. Christus tamen potius videtur dixisse eo modo ut narrant Matthæus & Marcus, quia illa phrasis clarior est. Vide dicta 1. Cor. 11. 25. Christus in ultima cœna potius quam in cruce instituendo Eucharistiam, condidit & sanxit suum testamentum & fœdus cum Ecclesia. Erant enim hic præsentes omnes Apostoli, qui Ecclesiæ personam gerebant & repræsentabant: erat Christus liber, proximus tamen morti: erat victima & sanguis, quo sanciri solent fœdera.

Notanda circa formam consecrationis calicis.

Nota Secundo. In forma consecrationis calicis, qua jam utimur in sacrificio Missæ, adduntur hæc verba, *æterni testamenti, mysterium fidei*, quæ traditione esse accepta a S. Petro, qui nostræ Liturgiæ est auctor, docet Leo IX. epist. ad Michaelem Imper. cap. 9. & S. Thomas 3. p. qu. 78. art. 3. ad 4. Licet enim non spectent ad essentiam formæ (etsi id dicere videatur S. Thomas in 1. Cor. 11.) unde in Liturgia S. Jacobi, S. Chrysostomi, S. Clementis, & S. Basilii illa omittuntur; tamen pertinent ad plenam ejus integritatem. Estque hic sensus communis totius Ecclesiæ Latinæ, quæ in Missa & forma consecrationis calicis, hæc verba quasi a Christo dicta, & ab Apostolis præcepta, eodem tenore, & modo, quo cætera, scribit & pronunciat.

B Ubi nota, τὸ *mysterium fidei*, significat Primo, sanguinem Christi sub speciebus vini latentem, esse rem arcanam quæ sola fide cognoscatur & credatur. Secundo, ipsum sanguinem Christi, quatenus in passione effusus est, esse objectum fidei, qua justificamur: credimus enim nos justificari, & a peccatis purgari per meritum sanguinis & mortis Christi.

QUI PRO MULTIS] Id est pro omnibus hominibus; hi enim omnes sunt valde multi; Lucas habet *pro vobis*.

C EFFUNDETUR] Græce tam apud Matthæum, quam apud Marcum & Lucam, est ἐκχυνόμενον in præsenti, id est, *effunditur*, id est, offertur & libatur, scilicet in sacrificio hoc Eucharistiæ sub specie vini, & paulo post in sua specie & forma naturali & sanguinis effundetur in cruce. Solebat enim sanguis victimarum in ipso sacrificio effundi, itaque Deo libari. Unde ipsa effusio vocatur libatio, vel libamen: quocirca calix hic sanguinis Christi velut libamen sacrificii Christi effusus fuit in ora Christi & Apostolorum ejus. Atque hac de causa sumptio & consumptio specierum tam panis quam vini, pertinet ad rationem & perfectionem sacrificii.

Hinc ergo liquet, Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sed & sacrificium, idque unicum novæ legis, quod veteribus omnibus successit, illa omnia eminenter in se continet, ideoque Christus dicitur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, non Aaron, quia Aaron oves & hœdos, Melchisedec vero panem & vinum obtulit, æque ac Christus transubstantiando illa in corpus & sanguinem suum, Ps. 109. 4. Hebr. 5. v. 6. & 7. Eucharistia ergo Primo, est holocaustum; Secundo, victima pro peccato; Tertio, victima pacifica; Quarto, est *mincha* sive sacrificium farreum, Lev. 1. & seq.

D

Eucharistia est holocaustum. Prob. Primo.

Id ita esse patet Primo, quia Christus non ait de sanguine suo, *qui infunditur multis*: ut Sacramentum; sed *qui effunditur pro multis*, ut libamen & sacrificium.

Secundo.

Secundo, quia græce est, ἐκχυνόμενον, in præsenti, apud omnes tres Evangelistas, id est, *effunditur*, scilicet nunc in hac cœna & consecratione Eucharistiæ: ergo loquitur de præsenti sacrificio Eucharistiæ, non tantum de futuro in cruce, & ita legit & intelligit S. Ambr. in Ps. 37. v. 1. Noster tamen vertit, *effunditur*, quia respicit ad sacrificium crucis paulo post futurum, in quo clarissime & perfectissime fusus fuit sanguis Christi pro peccatorum salute, cujus typus & figura erat hæc sacramentalis sanguinis Christi effusio in Eucharistia, adeoque hæc cum illa una & eadem fuit typice.

Tertio.

Tertio, quia Lucas, & ex eo Paulus in consecratione panis, *Hoc est corpus meum*, addunt, *Quod pro vobis datur*, id est, offertur in sacrificium: Paulus, *Quod pro vobis frangitur*, scilicet cum sub speciebus panis in Eucharistia, tum proprie in seipso mox flagris & clavis ac lancea frangetur in cruce. Unde Paulus Eucharistiam vocat *panem, quem frangimus*, scilicet in Sacramento, nimirum species panis frangentes & comedentes, ac in sacrificium Deo offerentes, sumendo illas & consumendo, quorum nihil factum est in cruce. Ergo frangere panem significat sacrificium non crucis, sed Eucharisticum. E

Quarto.

Quarto, quia Lucas differte habet: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id est, *hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine, quod*, scilicet poculum, *pro vobis effundetur*. τὸ enim ad ποτήριον, referri debet, non ad αἵματι, cum αἵματι sit dativi casus, τὸ vero nominativi. Ergo poculum, sive calix sanguinis Christi pro nobis effusus est, atqui calix sanguinis effusus est in Eucharistia, non in cruce (ibi enim nullus fuit calix:) ergo effusio sanguinis est libamen & sacrificium.

Hinc liquet hæc magis proprie spectare ad sacrificium Eucharisticum quam crucis, illudque contra Novantes evincere.

Eucharistia est triplex sacrificium. F

Sacrificium Eucharistiæ ergo est holocaustum, quia totum Christum in consecratione & manducatione offerimus Deo. Eadem est victima pacifica, quia per illam, pacem, id est omnia bona, a Deo poscimus & impetramus. Eadem est victima pro peccato, quia offertur & impetrat a Deo remissionem peccatorum venialium, & pœnarum temporalium, quæ peccatori restant luendæ pro lethalibus ejus culpis remissis: ipsarum autem culparum lethalium remissionem impetrat mediate, quia impetrat a Deo gratiam prævenientem & contritionem, qua illæ delentur. Vide Conc. Trid. sess. 22. c. 2. Vide & D. Thom. & Scholasticos tract. de Eucharistiæ sacrificio.

Denique, sanguini Christi potius, quam corpori, tribuitur remissio peccatorum, licet utrique competat: tum quia in veteri testamento sanguini tribuitur expiatio; & in victima pro peccato sanguis ejus effundebatur: tum quia sanguinis effusione significatur mors Christi, quæ fuit condignum pretium, expiatio & satisfactio pro morte præsenti & æterna peccatis nostris debita.

Causa Prima, ob quam Eucharistia instituta. G

Causa ergo Prima, quæ movit Christum ad instituendam Eucharistiam, fuit, ut præstantissimum, imo divinum in lege nova institueret Sacramentum, quo fideles cibo divino pasceret, imo quo Ecclesia Deum summe & condigne coleret, ac jugiter honoraret, & latria adoraret, condigne, inquam, id est, tantum quantum coli & honorari meretur Deus. Victima enim quæ in Eucharistiæ sacrificio Deo offertur, est immensi pretii, estque ipsi Deo commensa & æqualis. Victima enim est ipse Christus, qui tam Deus est quam homo; Deo ergo Deus ipse offertur. Quare cum omnis alius noster, utpote creaturarum, cultus sit exilis & vilis, hinc Christus seipsum victimam fecit in Eucharistia, ut per illam, utpote Deo æqualem, æqualem Deo cultum impenderemus ac tantam ei latriam & cultum exhiberemus, quanto ipse dignus est, & quantum ipse jure suo poscit. Porro sacrificium hoc maxime consistit in consecratione: per illam enim Christus mystice occiditur, dum corpus ejus & sanguis seorsim sub speciebus panis & vini collocantur, uti ex S. Gregorio, Irenæo, Nysseno & aliis docet Suarez & Lessius lib. 12. de Perfect. divinis c. 13. n. 94. & seq. *Seorsim*, intellige, quantum est ex vi consecrationis: nam per concomitantiam ubi est corpus Christi, ibi est sanguis, ac vice versa.

Secunda causa fuit, ut jugiter nobis ideam vitæ & passionis suæ testamento relinqueret, quæ singulis jugem tantæ redemptionis, & dignationis memoriam refricaret: in Eucharistia enim seorsim consecratur sanguis, & seorsim corpus Christi, ut significetur passio ejusdem, in qua sanguis Christi fuit effusus, & separatus a corpore; species ergo vini sanguinem Christi effusum, species vero panis exanime Christi corpus repræsentant. Hoc est, quod ait Christus: *Hoc facite in meam commemorationem*; & Paulus 1. Cor. 11. 26. *Quotiescumque*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*. H

Secunda. Eucharistia idea vitæ, & passionis Christi.

Tertia causa fuit, magnitudo amoris Christi erga suos fideles, qua sicut carnem nostram in incarnatione hypostatice deitati suæ univit, ita eamdem cum deitate sacramentaliter in Eucharistia cuique fideli communicanti unit, & quasi incorporat, ut ipse fiat divinus, & quasi alter quidam Christus ac Deus. Hoc est, quod de ipso Eucharistiam instituturo, ante lotionem pedum ait Jo. c. 13. 1. *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem*

Tertia. Magnitudo amoris Christi erga suos.

dilexit

Digitized by Google

A *dilexit eos. In finem*, tum vitæ, tum amoris, id est, extremo summoque amore dilexit eos, dum seipsum eis in Eucharistia reliquit, ut eum semper præsentem habeant, cum quo versentur, cum quo colloquantur, quem consulant, cui omnes suas difficultates, tentationes & tribulationes aperiant, opem poscant, & impetrent. Nam, ut ipse ait Prov. 8. 31. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; Hinc, ut canit Ecclesia ex S. Thoma,

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium;

ut summo hoc amore nos ad se vicissim ardenter redamandum alliceret, imo cogeret. *Magnes* enim *amoris est amor*, Illi ergo totos nos demus, qui prior cum esset Deus,, totum se nobis donavit, & in dies donat. Quocirca S. Cypr. l. 4. ep. 6. ad Thybar. de Exhortatione martyrii. *Gravior*, ait, *nunc & ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta & fide robusta parare se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Hic fuit stimulus acer S. Laurentio ad ignes, S. Vincentio ad eculeos, S. Sebastiano ad sagittas, S. Ignatio ad leones, cæteris-
B que Martyribus ad quælibet tormenta & dolores fortiter tolerandos & superandos, ut amorem amori, vitam vitæ, mortem morti Christi redderent: hac de causa ambiebant martyria in eisque exultabant & triumphabant. Atque hic fuit effectus Eucharistiæ. Hæc enim ipsis robur & gaudium suggerebat in omnibus tentationibus & suppliciis. Quocirca olim tempore persecutionum Christiani omnes quotidie communicabant, ut se roborarent ad martyrium, imo Eucharistiam domum deferebant, illamque mane suis manibus sumebant (uti fecit nuper Maria Stuarta Scotiæ regina, dum in Anglia captiva detineretur, nec sacerdotem secum habere posset.) Hac de causa Christus ante passionem Eucharistiam instituit, ut per eam Apostolos ad tentationes in illa obventuras armaret.

Quarta. Eucharistia exercitium virtutum.

Quarta causa fuit, ut Christus in Eucharistia daret nobis exercitium cujuslibet virtutis: in ea enim exercetur fides nostra, dum credimus totum verum Deum & hominé
C sub parva hostia invisibiliter, sed realiter & vere latere, & contineri: spes exercetur, quia dum credimus Christum seipsum nobis dare, speramus eum & cætera, quæ longe minora sunt, daturum, Charitas exercetur, quia Eucharistia est fornax amoris, quem Christus exhalat, nobisq: afflat ut eum redamemus. Religio exercetur, quia eum latria adoramus & invocamus, illique sacrificamus ipsummet Christum. Humilitas exercetur, quia oculos & sensus nostros ad judicium naturale, quæ suggerunt nobis in Eucharistia non nisi esse panem & vinum, abdicamus, ac humiliter subjicimus Christo dicenti: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Gratitudo exercetur, quia per illam summas Deo pro omnibus beneficiis gratias agimus, ideoque ipsa dicta est Eucharistia, id est gratiarum actio. Abstinentia, quia non nisi jejunis communicare fas est. Patientia & mortificatio, quia vivum utriusque speculum & calcar est Christus passus & crucifixus. Et ita de cæteris.

Tropol. Tropologica causa fuit, ut carne sua divina nos pascendo & oblectando, avocaret a carne terrena, ejusque deliciis & concupiscentiis, ut vitam non carnalem, sed spiritalem & divinam agamus, dicamusque cum Paulo: *Vivo*
D *autem jam non ego, vivit vero in me Christus*, Galat. 2. 20. Ita ergo vivere, loqui, operari debet Christianus, perinde ac si non ipse, sed in eo vivat, loquatur & operetur Christus. Vivat ergo angelice: nam *panem angelorum manducavit homo*. Ps. 77. Hinc S. Cyrillus Hierosol. catechesi 4. mystag. at in S. Synaxi nos fieri corporeos & sanguineos Christi; nam, ut Christus ait: *Qui manducat meum carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, Jon. 6.

Angeli adstant Eucharistiæ.

Porro S. Chrysost. hom. 36. in 1. ad Cor. *Ubi*, ait, *est Christus in Eucharistia, ibi etiam non deest angelorum frequentia: ubi autem est talis rex & talis princeps, ibi est cæleste palatium, imo ipsum cælum.* Quocirca in Vitis Patrum legimus de S. Ammone, quod eo celebrante angelus visus sit astare altari, & communicantes signare, eorumq; nomina in libro describere. S. Chrys. vero l. 3. & 6. de Sacerdotio narrat angelorum choros circa altare visos, qui inclinato capite profundam regi suo Christo exhiberent reverentiã, ac horrendos ederent clamores. Cum ergo communicamur, aut Missam celebramus, vel audimus, cogitemus nos Christo in ultima cœna assidere, tum eoq; cœnare, imo cogitemus Christum per os sacerdotis loqui, celebrare, transubstantiare panem & vinum in corpus suum & sanguinem, illoque nos pascere & saginare; Christus enim hic est principalis agens & thaumaturgus, uti docet Conc. Trid. sess. 22. Unde S. Ambr. l. 8. in Luc. *Est corpus*, ait, *de quo dictum est, Caro mea vere est cibus: circa hoc corpus sunt vere aquilæ, quæ aliis circumvolant spiritualibus.* Et lib. 4. de Sacram. c. 2. *Bene aquilæ sunt circa altare, ubi corpus est* Quocirca S. Franciscus ep. ad Sacerdotes, quæ extat in Biblioth. SS. Patrum: *Magna miseria*, ait, *& miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in mundo curatis.*

E

Anagog. Anagogica causa fuit, ut Christus in Eucharistia daret nobis pignus, imo prælibationem & prægustum cælestis hæreditatis, felicitatis & gloriæ. Unde Ecclesia ex S. Thoma in officio Venerabilis Sacramenti canit: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!*

F

Effectus Eucharistiæ.

Porro effectus Eucharistiæ paucis complectitur S. Cyr. Alex. l. 4. in Joan. c. 17. *Morbos*, inquit, *omnes depellit. Sedet enim, cum in nobis maneat Christus, fervientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat: & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos eripit casu.* Nam ut S. Thomas: *In Eucharistia spiritualis dulcedo in suo fonte degustatur.* Hanc sentire solebat in S. Synaxi S. Franciscus, S. Monica, S. Catharina Senensis, & Maria Oigniacensi, aliique plurimi, qui voluptate cælesti ebrii jubilabant, exultabant & in ecstasin rapiebantur, dicentes cum Psalte: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ: Jesus meus, amor meus, Deus meus & omnia.*

Rursum Eucharistia est alimentum immortalitatis, quia ejus virtute corpora nostra resurgunt ad vitam immortalem, juxta illud Christi: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Jo. 6. Imprimit ergo Eucharistia corporibus nostris vim quamdam, non physicam, sed moralem, quæ est semen immortalitatis, ut ejus vi resurgamus.

Ex quibus recte concludit S. Chrisost. hic hom. 83. dicens: *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os quod igni spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimus, & facti sumus unum Christi corpus & una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus.*

G

Et noster Thomas Theodidactos lib. 4. de Imitatione Christi c. 2. *Ita magnum*, ait, *novum & jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens homo fieret, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur & moreretur.* Unde c. 5. colligit: *Quando sacerdos devote celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit. Quid enim bonum ejus est, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zach. 9. ult. Vide ibi dicta:

H

Vers. 29 Dico autem vobis: Non bibam amodo (id est, ab hoc tempore: ita Syrus. q. d. Deinceps) de hoc genimine vitis (Arab. *de succo hujus vitis*) usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei] S. Aug. lib. 3. de Consensu Evangel. cap. 1. & ex eo Jansenius, aliique nonnulli, censent Christum id dixisse post cœnam Eucharistiæ, ut insinuat hic Matthæus.

Mar. 14 25

Objicies, genimen vitis est vinum ex vite genitum, ejusque uvis expressum; ergo in calice Eucharistiæ non est sanguis Christi, sed vinum dumtaxat ex vite geniti. Resp. Pronomen *hoc* cum ait, *de hoc genimine vitis*, non præcise ignare id quod fuerat in calice consecrato, sed in genere vinum, quod erat in mensa, ex quo calix iste repletus fuerat, tum in cœna agni, tum in consecratione Eucharistiæ, secundo, sanguis Christi potest vocari vinum, sicut corpus Christi a Paulo vocatur panis, nimirum ratione substantiæ panis & vini, quæ prius ante consecrationem fuit; & rationem specierum panis & vini, quæ post consecrationem remanent: imo ipsæ species sive accidentia vini, quia nata & orta sunt ex vite, recte *genimen vitis* nuncupantur.

Digitized by Google

A pantur. Tertio, ſicut quævis eſca in Scriptura, & a vulgo ſæpe vocatur Panis, quia hic eſt communis omnium cibus, ita & quivis potus vocatur vinum, præſertim apud Italos, Syros & ſimiles, qui zitho ſive cerevisia non utuntur, ſed communis omnium potus eſt vinum.

Verum longe probabilius eſt, Chriſtum hæc dixiſſe ante inſtitutionem Euchariſtiæ, de cœna & calice agni paſchalis, in agni enim cœna circumferebatur calix vini: quem paterfamilias primus libabat, deinde mittebat in orbem ad omnes ex agno comedentes, ut tradunt Hebræi, Id ita eſſe probatur, quia id differre aſſerit Lucas, qui utramque Chriſti cœnam, id eſt, tam agni quam Euchariſtiæ (quas Matth. hic brevitati ſtudens convolvit, & in unum redigit) diſtincte enarrat, ac ante Euchariſtiam in cœna agni, de ejus calice hæc a Chriſto dicta eſſe aſſeverat. Accedit, quod idem plane de cœna agni prius dixerit Chriſtus, ut patet ex Luc. c. 22. 15. *Deſiderio*, ait, *deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar: Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et mox immediate de calice agni ſubjungit: *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

B Denique ſtatim ſubjicit inſtitutionem Euchariſtiæ, ejuſque calicem a Chriſto conſecratum, dicens: *Et accepto pane gratias egit*, &c. *Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis tradetur.* Ubi nullam deinde geniminis vitis, nec vini novi bibendi in regno Dei facit mentionem.

S. Lucas diſtinctius hæc enarrat

Lucas ergo diſtincte hæc enarrans, diſtincte pariter indicat in qua cœna hæc dixerit Chriſtus, ſcilicet in cœna agni; Matthæus vero has duas cœnas, in unam redigit dicens: *Cœnantibus autem illis*, &c, quare ordo Lucæ hic potius ſequendus eſt quam Matthæi. Voluit ergo Chriſtus hiſce verbis ſignificare dumtaxat, ſe deinceps cum Apoſtolis more ſolito non cœnaturum, nec communem cœnam ſumpturum in hac vita, non comeſturum ad vires reficiendas & reparandas: ſed ultimam hanc ſuam eſſe cœnam, poſt quam capiendus ſit & occidendus. Quare hic Apoſtolis ultimum vale dicit, quaſi iturus ad mortem. Itaque hæc non pertinent ad calicem Euchariſtiæ: in quo non erat jam genimen vitis, id eſt vinum, ſed ſanguis Chriſti, in quem per conſecrationem Chriſti tranſmutatum erat vinum. Ita cenſent S. Hier. hic, Beda & Theoph. in c. 22. Lucæ, Franc. Lucas, Maldon. & alii.

C CUM ILLUD BIBAM VOBISCUM NOVUM IN REGNO PATRIS MEI] *Novum*, id eſt novi & alterius generis. In cœlo enim Beati bibunt vinum non terreſtre, ſed cæleſte, nimirum vinum & nectar lætitiæ, & gloriæ ſempiternæ, juxta illud: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſ. 35. 9. ita Origenes hic, Nazianz. orat. de Paſcha. Scriptura enim ſolet gaudia Beatorum ſpiritualia per corporalia, ſcilicet eſcam & potum exprimere per catachreſin: quia homines carnales, voluptates ſpirituales non capiunt, ſed corporales, ut patet Matth. 8. 11. Lucæ 14. 15. Apoc. 19. 9. & alii.

Objectio de comeſtione Chriſti poſt ſuam reſurrectionem.

Dices. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, ut eam Apoſtolis probaret, cum eis comedit, ac, ut videtur, etiam bibit vinum. Quomodo ergo hic ait, ſe amplius cum eis illum non bibiturum? Reſp. Chriſtus comedit quidem & bibit tunc cum Apoſtolis, ſed obiter ſolum, & tantum ad probandum ſe reſurrexiſſe, non autem ut naturæ & fami ſatisfaceret, ſicut fecerat ante mortem. Unde loquens humano more, illam comeſtionem poſt reſurrectionem non computat comeſtionem, ſimile eſt Lucæ 24. 44. Vult enim ſignificare dumtaxat, mortem ſuam inſtare, ac deinceps ſe cum illis communi hominum more non eſurum, non converſaturum, ut hactenus fecerat. Itaque hic illis valedicit, ſicut ſolent amici morientes, vel diſcedentes in remotas regiones, e quibus non revertentur, dicere amicis; Vale, o amice, amplius tecum non bibam, nec comedam; ultimum ergo hunc cyathum tibi propino; ut hac phraſi aculeum amoris amico infigant. Hoc eſt quod Luc. c. 22. v. 29. Chriſtum mox Apoſtolis dixiſſe aſſerit: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Vobis*, uno excepto Juda, qui non in cœlo calicem vini, ſed in tartaro calicem ſulphuris bibet.

VERS. 30 Luc. 22. 40 Mar. 14. 26. ET HYMNO DICTO (id eſt decantato: hymnus enim canitur, ait S. Auguſt. initio Pſ. 72.) EXIERUNT IN MONTEM OLIVETI) Græce ὑμνήσαντες, id eſt, cum hymnum dixiſſent, vel cecinissent, in gratiarum actionem, & laudem Dei; Arab. *& laudem dederunt, & exierunt in montem Oliveti.* Putant nonnulli ex libris Ritualibus Hebræorum uſitatum hunc Judæis in Paſchate fuiſſe hymnum in gratiarum actione poſt cœnam agni; nimirum, ut notat Paulus Burgenſis, & ex eo Franc. Lucas, Baron. & alii hymnum hunc fuiſſe ſeptem Pſalmos ex *Halleluja* conflatos, qui incipiunt a Pſ. 112. *In exitu Iſrael de Ægypto*, &c. & finiuntur Pſ. 118. *Beati immaculati in via.* Unde colligit S. Chryſoſt. neminem e Miſſa ante gratiarum actionem, quæ fit in Collectis poſt communionem, debere diſcedere. Idem colligas de communi prandio & cœna, ſcilicet ab eo non abeundum, niſi actis prius Deo gratiis. Hinc & Concil. Toletan. IV. cap. 12. aſſerit, nos ex hoc Chriſti hymno habere exemplum canendi hymnos. Hinc & uſus canendi in Miſſa eſt antiquiſſimus, ut patet ex priſcis Liturgiis. Hymnus Chriſti quis?

Hic ergo hymnizandi ritus in cœna agni, fuit priſcorum Hebræorum, quem poſtea ſecuti ſunt Chriſtiani, ut poſt Euchariſtiam, & agapem, id eſt convivium charitatis omnibus fidelibus commune, Deo in gratiarum actionem pſallerent. Colligitur id ex Paulo Epheſ. 5. 19. idque diſerte docet Tertull. Apolog. c. 39. & Cyprianus epiſt. ad Donatum. Sic & Gentiles poſt epulas libabant Baccho, aut alteri cuipiam Deo, in illorum honorem communi voce pæana, ſive hymnum aliquem canebant, deinde quiſque accepto myrti aut lauri ramo, propriam cantionem canere, atque etiam lyram, quæ per convivas circumferebatur, pulſare cogebatur, teſte Plutarcho l. 1. Sympoſ. Probl. 1. & Clemente Alexand. l. 2. Pædag. c. 4.

Denique S. Auguſtinus epiſt. 253. refert hymnum hunc Chriſti, ſuo tempore circumferri ſolitum, ſed ipſe eum impoſturæ arguit, & a Priſcillianiſtis confictum ſignificat.

Porro hic juxta rectum hiſtoriæ & rei geſtæ ordinem, ſubnectendus eſt prolixus Chriſti ſermo, iſque ardens & igneus, quem recenſet Joannes c. 13. uſque ad c. 18. Hunc enim Chriſtus habuit in cœnaculo ſtatim a cœna.

EXIERUNT IN MONTEM OLIVETI] Solebat Chriſtus, præſertim ultimis hiſce diebus vitæ, quotidie adire Jeruſalem & docere in templo, ſed ſub veſperam redire Bethaniam, ibique cœnare, mox a cœna redire in montem Oliveti, ibique in oratione pernoctare, ut indicat Luc. c. 21. 37. Nunc autem non adiit Bethaniam, utpote qui jam cœnaſſet in Jeruſalem, ſed inde ivit in montem Oliveti, quaſi ad ſtadium luctæ, ut ibi ſe Judæ & Judæis comprehendendum offerret. Ita Victor Antioch. in c. 14. Marci: *Cur*, ait, *in montem exiit? quo ſpretis latibulis incommodo loco ſe exponat, manifeſtumque faciat iis, qui illum comprehenſuri erant. Maturabat enim illum locum occupare, ubi antea orare ſolitus erat, & quem proditor optime compertum habebat*, ut ait Joann. c. 18. 2.

VERS. 31 Mar. 14. 27 TUNC DICIT ILLIS JESUS: OMNES VOS SCANDALUM PATIEMINI IN ME IN ISTA NOCTE. SCRIPTUM EST ENIM: PERCUTIAM PASTOREM, ET DISPERGENTUR OVES GRÆCIS] *Scandalum*, id eſt, offenſam & ruinam in peccatum. Primo, puſillanimitatis & timiditatis, qua timidi me, qui ſum Chriſtus magiſter & Dominus veſter, in paſſione deſeretis & fugietis. *Patiemini*; Syrus, *offendimini in me.* Ita S. Leo ſerm. 9. de paſſione: *Fuerit tunc*, inquit, *diſcipulorum excuſabilis pavor, nec diffidentiæ culpam Apoſtolicus mœror incideris.* Et inferius agens de negatione Petri, *Vidit*, inquit, *in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem averſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam.* Sic enim S. Marcellinus, multique alii in perſecutione rogati a tyrannis an eſſent Chriſtiani, metu tormentorum negantes ſe eſſe, directe peccarunt non contra fidem, ſed contra fidei profeſſionem, quia fidem, quam mente tenebant, non ſunt auſi profiteri, ne occiderentur.

S. Marcellinus.

Secundo, ſcandalum in fide paſſi videntur Apoſtoli, ut cum viderent Chriſtum a Juda & Judæis capi, vinciri, trahi, nec ſe defendere, ſed ab iis vinci & opprimi, putarent ipſum invitum vel coactum pati, ac proinde eum non poſſe ſe & ſuos cripere, ac conſequenter non eſſe Deum, nec Dei Filium, ideoque in morte periturum, nec reſurrecturum, nec quidquam opis ulterius ſibi ab eo eſſe ſperandum. Quare omnium Chriſti promiſſorum & prædictionum immemores, vel obliti, nil eorum crediderunt. Unde Eccleſia ſentire videtur fidem Chriſti tunc in ſola B. Virgine permanſiſſe, dum in Paraſceves Officio omnes candelas ſucceſſive extinguit, unica dumtaxat ardente relicta: ſed hoc verius alii arctant ad fidem reſurrectionis, quod ſcilicet ſola B. Virgo Chriſtum a morte reſurrecturum

Apoſtoli peccarunt contra fidem Chriſti.

Digitized by Google

A cum ad lumen vitæ crediderit. Idem patet ex Apostolis, qui Christo apparenti eis post resurrectionem, dicentique se resurrexisse, difficillime crediderunt. Unde Christus exprobravit incredulitatem eorum, Marci c. 16. 14. Ita S. Hilarius: *Scandalum patiemini*, inquit, id est, *metu & infidelitate turbamini*. Et Euthymius: *Excutietur*, inquit, *a vobis fides, quam in me habetis, sive fugietis*, quia credetis me vos amplius non posse juvare, vel defendere: imo Christus ipse Jo. 16. v. 31. & 32. Apostolis dicentibus: *Nunc credimus, quia a Deo existi*; resp. *Modo creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis*. q. d. Nunc in me creditis, sed paulo post, cum videritis me capi & pati, non credetis. Unde ibidem S. Aug. tract. 103. clare sic explicat: *Non enim*, inquit, *quando comprehensus est, nostrummodo carne sua ejus carnem, verum etiam mente reliquerunt fidem. Ad hoc pertinet, quod ait: Modo creditis, & tanquam diceret, Tunc ita perturbamini, ut etiam quod modo creditis relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem, & suæ pristinæ fidei, ut ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopha, qui post ejus resurrectionem, cum illo se loqui nesciens, & quid ei contigerit narrans: Nos*, inquit *sperabamus, quod ipse fuerat redempturus Israel. Ecce quomodo eum reliquerunt deserendo etiam ipsam fidem, qua in eum ante credidérant.* Hucusque Aug. Quocirca S. Aug. secuti Jans. Franc. Lucas, Emman. Sa, & alii, censent Apostolos in Christi captivitate defecisse a fide

B

An D. Petrus fidem perdiderit?

Huc accedit S. Ambros. ser. 48. dicens: Petrum fidem perdidisse, & Turrecremata lib. 1. de Ecclesia c. 30. & l. 3. c. 61. Verum Petrum non amisisse fidem, sed tantum peccasse contra fidei professionem, Theologi magni & multi jam docent. Ratio est, quia hoc tantum dicunt Evangelistæ: cur ergo majus crimen fingamus, & impingamus Petro Apostolorum Principi? Accedit S. Aug. tract. 113. ubi ait, Petrum tantum ex metu negasse se esse Christianum, hoc est Christi discipulum, sicut jam in Japone multi fideles metu mortis idipsum negant, qui tamen in corde retinent fidem. Et clarius S. Cyrillus l. 11. in Jonc. c. 41. ubi asserit Petrum non ex timore, sed ex amore Christi eum negasse, quia scilicet optabat videre Christum, & cum eo manere,

C

quod ei non licuisset, si ejus se discipulum confessus fuisset. Et S. Ambr. in Luc. 22. qui ait Petrum non negasse Deum, sed hominem. q. d. *Nescio hominem, quia nescio Deum*: quare cum idem Ambr. ser. 47. ait Petrum perdidisse fidem, per fidem intelligit fidei professionem. Idem fere ait S. Hilarius can. 32. in Matth. & S. Leo ser. 9. de passione loquens de Petro: *Vidit*, inquit, *in te Dominus non fidem filiam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, & fons charitatis lavit verba formidinis.*

Peccavit ergo Petrus mortaliter contra professionem fidei, negando se esse Christi discipulum, ideoque charitatem amisit, sed non fidem. Ita diserte docent Maldon. hic, Toletus in c. 18. S. Joan. annot. 11. ubi ait hanc sententiam ab omnibus esse receptam. Item Bellar. lib. 3. de Ecclesia c. 17. qui id probat ex illo Luc. 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Sic & Suarez tract. de Fide disp. 9. sect. 3. ubi asserit Petrum non perdidisse fidem, nec Jacobum, nec Joannem: hic enim paulo post constanter astitit Christo crucifixo, & ab eo Virgini matri quasi filius commendatus est; idemque probabiliter opinatur de cæteris Apostolis; hi enim non negarunt Christum, sed tantum metuentes comprehendi, diffugerunt.

D

Deus permisit Apostolos perdere fidem? Cur? Causa Prima,

Permisit id Deus variis de causis. Prima fuit, ut Christo plus patiendi materiam suggereret, eumque per omnia pœnarum genera exerceret, & ab omnibus affligi sineret. Magna enim Christi pœna & afflictio fuit defectio & fuga Apostolorum, tum quia dolebat de eorum defectione & peccato, tum quia videbat in eis omnem fructum prædicationis suæ intercipi & perire.

Secunda,

Secunda, ut Apostolis suam infirmitatem offenderet, itaque eos humiliaret, & ad infirmis lapsisque compatientium instrueret. Viderunt enim ipsi omnem suam animositatem & constantiam, qua Christo se se ad mortem adhæsuros spoponderant, visa ejus captivitate illico instar ceræ liquescere, & evanescere, seque non nisi de fuga cogitare. Hic verum fuit illud: *Ante prælium leones, in prælio cervi.*

Tertia,

Tertia, ut declararet quanta esset vis persecutionis æque ac pavoris. Pavor enim Apostolis fidem, memoriam & mentem eripuit, eosque ex leonibus fecit lepores, cervos & hinnulos fugacissimos. Quare pavorem hunc nec ratione, nec naturali vi posse superari, sed sola Dei gratia, ideoque hanc illis continuo esse implorandam. Pavor enim ita eos consternavit, ut plane de Christo actum putarent, nec sibi quippiam ab eo exspectandum existimarent, quare eum non nisi per Dei gratiam superare potuerunt: *Magnum profecto dogma hinc discimus*, inquit Chrysost. *quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur.* Et Victor Antioch. in Marcum: *Offertur hic nobis singulare quoddam documentum, nempe ad depellendas graviores tentationes, nullam hominis promptitudinem satis esse, si cæleste subsidium desit, sicut scriptum est*, Zachar. 13. v. 7.

E

F

PERCUTIAM] Septuag. πάταξον, id est, *percute*, & ita habent Heb. Zach. 13. Unde patet Maldon. Matthæum, qui sequi solet Septuag. scripsisse πάταξον, id est *percute*. Verum omnia exemplaria constanter habent πατάξω, id est *percutiam*. Sic & Syrus & Arabicus. Sed eodem redit sensus. Solent enim Prophetæ imperativum usurpare pro futuro, maxime per apostrophen poeticam, quæ eis est elegans. *Percute* ergo, scilicet, o framea, ut præcessit, id est, o gladie, hoc est, ego Deus percutiam, id est, percuti sinam, Christum gladiis, id est, armis, flagellis, fustibus, clavis, & tormentis Judæorum, illisque eum exponam pro hominum salute. Simile est Isaiæ 6. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude*, quod Paulus Act. 28. v. 26. vertit per futurum: *Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis.*

PASTOREM] Christum, qui est pastor pastorum & Episcopus animarum nostrarum, 1. Petri 2, 25.

ET DISPERGENTUR OVES] Scilicet Apostoli, visis Judæorum gladiis fugientes eo singuli, quo cuique sors, & occasio fugiendi dabatur. Paulo post tamen rursum eos collegit & adunavit Deus, ut in Paschate Christus resurgens eos adunatos inveniret, simulque omnibus fidem animumque restitueret. Cum enim Christus & Apostoli in Jerusalem non haberent domos & amicos, Apostoli fugientes nescierunt alium fugæ terminum, quam ut se reciperent in cœnaculum, ubi paulo ante pascha cum Christo celebraverant, eo quod herus illius domus Christi, & Apostolorum esset amicus & hospes: quare eo se receperunt, ibique post resurrectionem Christus in Paschate eis

G

apparuit, & fidem restituit. Fuit hæc peculiaris gratia Christi, quam statim maxime ostendit in Petro, cum post trinam ejus negationem ipsum respiciens, & compungens ad pœnitentiam excitavit, fecitque ut fleret amare; atque in Joanne, quem impulit ut a fuga rediens, cum matre sua cruci astaret: unde eumdem matri quasi filium commendavit & tradidit. Quare tunc utrumque in gratiam Christi rediisse & sanctificatum fuisse, non est dubium.

Prædicit hæc Apostolis Christus, ut eis se Deum esse ostendat, ideoque se non coacte, sed voluntarie pati ad redimendos homines, utque *cum hæc passi fuerint, non desperent salutem*, ait S. Hieron. *sed agentes pœnitentiam liberentur*.

POSTQUAM AUTEM RESURREXERO, PRÆCEDAM (id est, *præveniam*, ait Euthym. *ibi vos excepturus*) VOS IN GALILÆAM] *Galilæam dixit*, ait S. Chrys. *ut a timore Judæorum liberati, hæc illius verbis illius attenderent & crederent.* Ne ergo post lapsum desperent Apostoli, Christus hic se illos mox curaturum, imo in Galilæa præventurum promittit. VERS. 32 Marc. 14. 28

RESPONDENS AUTEM PETRUS AIT ILLI: ET SI OMNES SCANDALIZATI FUERINT IN TE, EGO NUNQUAM SCANDALIZABOR] Ad hæc dicendum amor vehemens Christi Petrum impulit. *Fides enim est*, ait S. Hier. *& ardens effectus erga Dominum, qui sic eum loqui cogit. Putat enim*, ut ait S. Aug. l. de Gratia & lib. arb. c. 17. *se posse quod se velle sentit.* Peccat hic tamen tripliciter: Primo, quod audacius Christo asserenti refragatur & obstrepit, ut ejus Prædicationem in se cassam fore ostendat, Secundo, quod arrogantius cæteris se præfert, Tertio quod nimium præsumit, & viribus suis confidit. Conscius enim infirmitatis humanæ debuisset orare & dicere: Credo id fieri posse, imo id futurum ex mea fragilitate; sed tu Domine eam tua gratia corrobora, meque ne in peccatum labar, fulci & sustenta. Moraliter idem experimur in nobis. Putamus enim sæpe nos fortes in fide, in castitate, in patientia; at ubi tentatio ingruerit, titubamus, trepidamus & subinde ruimus. Remedium ergo tentationis est, propriæ infirmitatis agnitio, & divinæ virtutis imploratio. VERS. 33 Marc. 14. 31 H

Triplex Petri peccatum.

AIT ILLI JESUS: AMEN DICO TIBI, QUIA IN HAC NOCTE ANTEQUAM GALLUS CANTET, TER ME NEGABIS] Græce significantius ἀπαρνήσῃ, id est *abnegabis*, imo abjurabis. q. d. Pejus facies Petre quam cæteri, idque VERS. 34 Luc. 22. 34. Marc. 14. 30 Joan. 13. 38.

tua

A tua præſumptio præ cæteris meretur. Cæteri enim fugient dumtaxat, tu vero me abjurabis. *Cantet*, ſcilicet ſub auroram, bis enim cantat gallus, Primo poſt mediam noctem; Secundo, magis & validius ſub auroram, cum ſentit ſolem & lucem adventare. Unde hoc tempus proprie vocatur gallicinium. Et ante hunc ſecundum galli cantum Petrus ter Chriſtum negavit, Hinc Marc. ait c. 14. 30. *Priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*. q.d. O Petre, qui nunc ita ferves ad me confitendum, paulo poſt hac ipſa nocte eris frequentior, & ex metu ferventior, ad me negandum, quam gallus ad cantandum: ſed gallus ſuo cantu dormientes excitat ad laudandum Deum; tu vero tua negatione excitabis alios ad me vituperandum.

Petrus, ait S. Hier. *de ardore fidei promittebat & Salvator quaſi Deus futura prædicebat*. Gallicinii ſignum Chriſtus dat Petro, ut cum gallum cantantem audierit, meminerit prædictionis Chriſti ſibi in ſignum negationis ab eo datæ, ideoque & negationis & præſumptionis ſuæ pœnitens culpam agnoſcat, & veniam petat, uti reipſa fecit. Unde Beda in c. 22. Lucæ 34. *Ut Deus*, inquit, *modum, tempus, horam ac numerum negationis prædicit*.

B VERS. 35 *Mar.* 14. 31. AIT ILLI PETRUS: ETIAMSI OPPORTUERIT ME MORI TECUM, NON TE NEGABO. SIMILITER ET OMNES DISCIPULI DIXERUNT] ut fidem, affectum, & amorem ſuum erga Chriſtum teſtarentur, ſed præſumptione peccarunt dupliciter, ut dixi v. 33.

Quomodo Apoſtoli Chriſto eorum lapſum prædicenti non crediderunt ſi eum Prophetam & Meſſiam credebant?

Dices. Apoſtoli credebant Chriſtum eſſe Prophetam, imo Dei Filium, quomodo ergo ei ſuum lapſum prædicenti non crediderunt; ſed obſtrepuerunt? Reſp. Quia non ad Chriſti prædictionem, ſed ad præſens animi ſui propoſitum prædictioni contrarium attenderunt, quod tam forte & reſolutum in ſe experiebantur, ut impoſſibile putarent quod ipſi a Chriſto ſuo deficerent. Quare Chriſti prædictionem non tam prædictionem, quam propoſiti & amoris ſui erga Chriſtum tentationem & probationem eſſe arbitrabantur, ideoque in hac probatione tam reſolute & animoſe affectum ſuum erga Chriſtum ſibi demonſtrandum eſſe cenſebant. Unde S. Hilarius: *In tantum*, ait *& affectu, & charitate Chriſti efferebatur* (Petrus) *ut & imbecillitatem carnis ſuæ, & fidem verborum Domini non contueretur*.

C Verum etiamſi Chriſti prædictioni credidiſſent, libere tamen negaſſent Chriſtum, quia nec prædictio, nec ejus credulitas adimebant eis libertatem, imo eam ejuſque uſum præſupponebant. Ideo enim Chriſtus prædixit eos a ſe defecturos, quia ipſi vere a ſe defecturi erant: non vero ideo ipſi defecerunt, quia Chriſtus eos defecturos prædixit. Objective enim prior erat eorum defectus futurus, quam ejus a Chriſto facta prævisio & prædictio (Chriſtus enim prævidit dumtaxat id, quod ab eis libere agentibus futurum erat) nullam ergo eis ſe negandi neceſſitatem impoſuit, cum negatione eorum fuerit poſterior.

Inſtabis. Si Petrus prædictioni Chriſti fidem adhibens, ſibi perſuaſiſſet ſe certo illa nocte negaturum Chriſtum, non potuiſſet eum non negare; quia hæc perſuaſio & credulitas ſemper mentem ejus determinaſſet, & quaſi ligaſſet ad negandum Chriſtum: nemo enim poteſt conari efficaciter, ut faciat contrarium ejus, quod certo ſcit eventurum, ſeque facturum: fruſtra enim conaretur; unde idipſum apprehendit, & fugit quaſi ſibi impoſſibile: ſcit enim certo illud non aliud eventurum, quidquid conetur & agat. Reſp. Perſuaſio illa inclinaſſet quidem, & aliqua ratione determinaſſet Petrum ad negandum Chriſtum, ſed in genere, ſive in confuſo, ſcilicet ut aliquo noctis tempore Chriſtum negaret, non autem eum cogebat hac hora, hoc inſtanti, hoc loco, hac occaſione, coram his vel illis negare. Quare in particulari omnes ejus actus, quibus Chriſtum negaſſet, fuiſſent liberi. Sic ſcientia, qua ſcimus nos non poſſe vitare omnia peccata venialia, ſed neceſſum eſſe, ut aliquando in aliquod veniale ex fragilitate humana labamur, facit & quaſi cogit nos, ut aliquando in aliquod tale incidamus, ſed generatim & in confuſo: nam in particulari quoties hic & nunc venialiter peccamus, libere peccamus. Sic Theologi & Suarez in tract. de Spe, docent eum, cui revelata eſſet a Deo ſua damnatio, non poſſe efficaciter ſperare ſalutem æterdam, utpote quam apprehendit jam ſibi eſſe impoſſibilem. Nemo enim poteſt conari ut faciat id, quor ſibi putat eſſe impoſſibile, cæterum eumdem poſſe & debere obſervare omnia Dei mandata, ac quotieſcúque ea tranſgrederetur, libere tranſgreſſurum, ideoque peccaturum, etiam ſciat in genere ſe in aliquod peccatum mortale lapſurum, in eoque moriturum.

D

Porro lapſus hic Petri & Apoſtolorum eos humiliores & cautiores reddidit, ait S. Chryſoſt. Unde Joann. c. 21. v. 15. 21. & 22. Chriſto roganti tertio: *Simon Joannis diligis me?* Petrus modeſte reſpondet: *Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te*. E

VERS. 36 *Luc.* 22. 40. *Mar.* 14. 32. TUNC VENIT JESUS CUM ILLIS IN VILLAM, QUÆ DICITUR GETHSEMANI, ET DIXIT DISCIPULIS SUIS, SEDETE HIC, DONEC VADAM ILLUC, ET OREM] *In villam*, græce εἰς χωρίον, id eſt, *in prædium*, S. Hilar. *in agrum*, cui tamen adjuncta de more erat domus ruſtica. Chriſtus enim domum non eſt ingreſſus, ſed ejus agrum, ſive prædium, vel pagum. *Gethſemani*, ait S. Hieronym. in Locis Hebr. & ex eo Adrichom. villa erat ad radices montis Oliveti, olearum fœcunda. Hinc *Gethſemani*, idem eſt quod *vallis olei*, vel *pinguedinis*: גיא *ghe* enim eſt vallis, שמן *ſcemen* eſt oleum vel pinguedo, aut præciſe *Gethſemani*, idem eſt quod *torcular olei*, גת *geth* enim eſt torcular. In hac enim villa videtur fuiſſe torcular, ad quod olivæ in monte Oliveti copioſe provenientes deferebantur, ut in eo premerentur ad exprimendum oleum. Diſtabat hæc villa a cœnaculo, in quo Chriſtus cœnarat, ſexcentis circiter paſſibus, id eſt, medio milliari Italico, & inſuper centum circiter paſſibus. F

Gethſemani quid?

Cur in Gethſemani ſeceſſit Chriſtus?

Porro eo receſſit Chriſtus Primo, orationis cauſa, ut doceret nos cum oramus, quærere locum ſecretum & a turbis remotum, ubi mens nulla re diſtrahatur, ſed totam ſe ad Deum colligat, & elevet: *Erudiens nos*, ait S. Chryſ. *quietem & tranquillitatẽ in orationibus diligenter appetere*.

Secundo, ut oſtenderet ſe mortem non fugere, ſed appetere, ideoque ad locum Judæ proditori notum ſe confert quaſi offerens ſe Judæ & Judæis ad prædam, & lanienam, velut agnus & victima Dei, aut ſicut luctator ambit palæſtram, curſor ſtadium, duellator duellum.

Tertio, ut demonſtraret ſe ex pura miſericordia & charitate pro hominum ſalute pati, & mori. Miſericordiæ enim ſymbolum eſt oleum: *Gethſemani* autem idem eſt, quod vallis olei: quare ſicut ibi ex olivis exprimebatur oleum, ita ibidem ex agonia expreſſus eſt ſanguis Chriſti, quo quaſi oleo reficimur, ungimur, paſcimur. Unde illud: *Oleum effuſum nomen tuum*. Cant.. Vide ibi dicta.

SEDETE HIC, DONEC VADAM ILLUC, ET OREM] *Illuc*, ſcilicet in hortum; ut ait Joann. cap. 18. v. 1. quia villa Gethſemani quaſi jactu lapidis diſtabat, ut patet ex Lucæ cap. 21. v. 41. & rupi cuidam concavæ adhærebat. Vide tabulas Adrichomii, in quibus cernes juxta hunc hortum fuiſſe tugurium S. Pelagiæ pœnitentis, & alia ex parte ſepulchrum B. Virginis, ſurſum vero locum montis Oliveti, e quo Chriſtus in cælum conſcendit. Par enim fuit & congruum, ut ubi Chriſtus ſumme doluit & humiliavit ſe ipſum patiendo, ibidem ſumme quoque gauderet & exaltaretur ſcandendo in cælum. Idem in electis cæteris ſæpe facit Deus. Ergo Chriſtus præciſe non oravit; nec triſtatus eſt in villa Gethſemani, ſed in horto villæ vicino. Ratio eſt, quia Chriſtus in horto orſus eſt paſſionem ſuam, qua expiavit peccatum Adæ, ſcilicet comeſtionem pomi vetiti in horto paradiſi commiſſam. Illo enim ſe & totam ſuam progeniem perdidit, ac peccato, morti & gehennæ ſubjecit, quæ omnia hic Chriſtus expiat in horto per agoniam, quam in eo ſubdiit, juxta illud Cant. 8. 5. *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, ſcilicet Eva, ac per Evam Adam, & per Adam omnes poſteri. In horto ergo Chriſtus, paradiſo, ex quo per Adam expulſi eramus, nos reſtituit, ibique hortum Eccleſiæ, myrrha mortificationis, croco charitatis, nardo humilitatis, liliis virginum, roſis martyrum, laureis Doctorum, &c. vernantem inſtituit, juxta illud; *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa. Hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſi*, &c. Cant. 4. 12. Vide ibi dicta. G H

VERS. 37 *Mar.* 14. 33. Triſtitia Chriſti in horto.

ET ASSUMPTO PETRO, ET DUOBUS FILIIS ZEBEDÆI (Jacobo & Joanne) COEPIT CONTRISTARI, ET MOESTUS ESSE] Relictis in Gethſemani octo Apoſtolis, tres reliquos ſecum aſſumpſit in hortum, ſcilicet Petrum, Jacobum, & Joannem, ut hi ſoli conſcii eſſent ejus triſtitiæ & agoniæ, ne cæteri eadem turbarentur, & ſcandalizarentur; tum quia his tribus quaſi familiaribus maxime Chriſtus confidebat; tum quia hi tres viderant paulo ante ejus gloriam in Transfiguratione facta in monte Thabor, quare par erat, ut hi pariter viderent ejus agoniam & dolorem in monte Oliveti; diſcerentque viam ad gloriam eſſe paſſionem & agoniam, ac per montem Calvariæ, & crucis tenendum eſſe in montem & charitatem Thabor. Ita

Ori-

Digitized by Google

A Origenes: *Cæteros*, ait, *ſedere juſſit ut infirmiores, vos ut firmiores vobis collaborare mecũ in vigiliis & orationibus.*

Coepit (ultro & ſponte ſua, voluntarie & libere, non coacte, non invite) CONTRISTARI (græce, λυπεῖσθαι, id eſt triſtari, affligi, moleſtia affici) ET MOESTUS ESSE] Syrus, *vehementer angi*; græce eſt, ἀδημονεῖν, id eſt adeo angi, ut quaſi exanimetur, præ dolore deficere, ſupra modum ægreſcere, ut extra ſe quis eſſe videatur. Unde ſubdit Chriſtus; *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Hinc Lucas angorem Chriſti vocat *agoniam*, qualem ſcilicet ſubeunt moribundi, dum agunt animam, & ſunt in agone mortis cum ea luctantes. Interpres in Marco ἀδημονεῖν vertit, *tedere*, angor enim facit, ut hominem tædeat vitæ, & mori malit quam adeo angi.

Marcus addit, *capit pavere*: græce ἐκθαμβεῖσθαι, id eſt obſtupeſcere, aut pavere, uſque ad ſtuporem. Pavor enim vehemens inducit ſtuporem, facitque ſtupidos & attonitos, ut ne loco quidem ſe movere queant; ſicut leo rugitu ſuo ita conſternat, & obſtupefacit cætera animalia, ut fugere nequeant, ſed immobilia conſiſtant; quare ipſe ea capit, laniat, & devorat, teſte Æliano & Aldrovando

B in Leone. Ratio a priori eſt, quod in metu & pavore ſpiritus vitales & animales fugiant ad cor, ut illud pavidum & ex pavore deficiens confortent, quo fit ut caput, manus, pedes ſpiritibus hiſce, qui motui, & ſenſationi ſubſerviunt, deſtituti, frigeant, rigeant, ſtupeant, fiantque immobiles. Hinc

Triſtitia vera fuit in Chriſto.

Nota hic Primo, in Chriſto fuiſſe veram triſtitiam, licet enim ipſe ab initio conceptionis ſuæ fruereturvisione Dei, hypoſtatice ſibi uniri, eſſetque beatus & in ſummo gaudio; tamen ſumme quoque triſtatus eſt, ſed reſpectu diverſorum objectorum ſaltem formalium, nimirum Deo ſupernaturaliter capacitarem animæ ejus extendente, & dilatante per concurſum ſpecialem, quo concurrebat cum anima Chriſti, ut ſimul ſummum gaudium ob viſum Deum, & ſummam triſtitiam ob inſtantem ſibi mortem ſuſcipere & elicere poſſet. Ita communiter docent Theologi, qui refellunt March. Canum dicentem lib. 12. de Locis c. 14. in Chriſto ſuſpenſum fuiſſe gaudium, quod naturaliter ex viſione Dei ſequitur, eo tempore, quo fuit viator, ut dolere & triſtari poſſet. Vide D. Thom. 3. p. q. 36. art. 8. & Suarez 3. p. q. 18. diſp. 38. ſect. 8. Chriſtus ergo ſimul fuit viator & comprehenſor: ut viator, triſtatus & paſſus eſt: ut

C comprehenſor beatus extitit, & gaudio plenus. Porro Chriſtus non tantum qua comprehenſor, ſed etiam qua viator, ſimul ſumme gaudebat & dolebat de ſua paſſione. Dolebat enim de ea ſecundum partem animæ inferiorem, quatenus paſſio hæc erat noxia naturæ, gaudebat de ea ſecundum partem ſuperiorem, quatenus illa erat a Deo volita, & ordinata ad hominum ſalutem.

Non ſolum in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in voluntate.

Nota Secundo, hanc triſtitiam non tantum in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in voluntate Chriſti fuiſſe, ſaltem ſecundum partem ejus inferiorem, quæ naturaliter reſpicit & amat bonum naturæ ſuæ, ſcilicet vitam & ſanitatem: refugit vero oditque mortem & dolorem: de iiſque triſtatur. Id ita eſſe patet ex verbis Chriſti, dum orans Patrem ait: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Voluntate ergo ſua naturaliter volebat liberari a morte. Et apud Lucam: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Cur?

Nota Tertio. Triſtitiæ Chriſti primaria cauſa, non fuit prævisa diſcipulorum fuga & ſcandalum, ut volunt S. Hier. & S. Hilar. ſed viva apprehenſio inſtantis paſſionis & mortis, ut patet ex eo quod ipſe orans ait: *Tranſeat a me calix iſte.* Prævidebat enim Chriſtus omnia & ſingula tormenta,

D flagella, opprobria, alapas, irriſiones, blaſphemias, mortem & crucem ſibi a Judæis infligenda, ac vivaciter dolorum ſingulorum magnitudinem & acerbitatem penetrabat & ponderabat, ut ſibi jam illa pati videretur, quæ apprehenſio tantam ei triſtitiam & angorem intulit, ut gemeret, tremeret, langueret, palleſceret, viribus deficeret, & pene concideret, imo ut ſudaret ſanguinem; nimirum voluit Chriſtus hac triſtitia expiare lætitiam & delectationem, quam habuit Adam in eſu pomi vetiti, & quam habent ſinguli, dum peccant in ſuis deliciis, opibus, honoribus.

Cauſa Prima. Inſtans paſſio, & mors.

Porro aliæ multæ fuerunt in Chriſto cauſæ triſtitiæ, ob quas ab initio conceptionis per omnem vitam uſque ad mortem continuo ſumme triſtatus eſt, ſcilicet Prima fuit, peccata omnia, & ſingula omnium & ſingulorum hominum, qui ab Adam fuerunt, ſunt, & erunt uſque ad finem mundi. Hæc enim ipſe omnia in ſe quaſi propria luenda & expianda ſuſcepit, ut pro iis injuriæ, & offenſæ in Deum Patrem ſatisfaceret, Anima enim Chriſti in Deo videbat omnia ſacrilegia, homicida, adulteria, libidines, furta, calumnias, blaſphemias, aliaque horrenda & immania ſcelera, ac pro illis compunctionem & dolorem ſummum elicuit, perinde ac ſi illa commiſiſſet. Videbat enim quanta ſcelerum ſingulorum eſſet gravitas, quanta Dei offenſi majeſtas, & conſequenter, quanta per illa Deo fieret injuria & offenſa: quare dolorem elicuit utrique quoad fieri poterat condignum & commenſum. Hoc eſt, quod ipſe gemens, ait Pſalm. 21. 1. *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? longe a ſalute mea verba delictorum meorum.* E

Secunda, prævisio dolorum Martyrum.

Secunda cauſa triſtitiæ fuit prævisio dolorum omnium, quos paſſuri erant Martyres in eculeis, ignibus, tormentis quibuslibet; Confeſſores in perſecutionibus, mortificationibus, morbis, calumniis; virgines intuenda caſtitate, conjuges in educatione filiorum, ſervorum, ancillarum, paupertate, laboribus, &c. Prælati & Paſtores in gubernandis fidelibus, fideles quique in tentationibus mundi, carnis & dæmonis. Atque hos omnes & ſingulos omnium, & ſingulorum dolores Chriſtus mentaliter in ſe ſuſcepit, pro eis dolés, gemens & orans, ut ſingulis ſuo dolore & gemitu gratiam & robur ad cuncta ſuſtinendum, & ſuperandum a Deo Patre impetraret: ipſe enim fideles ſuos uti filios, amat quaſi ſeipſum. Unde de illorum miſeriis & afflictionibus dolet, quaſi de ſuis, ut patet Matth. 25. v. 35. & 40. F

Tertia, ingratitudo hominum.

Tertia cauſa fuit ingratitudo hominum, præſertim; quod prævideret tam paucis hoſce ſuos dolores profuturos paucos enim ſalvandos fore, plurimos vero ob ſuam negligentiam & ingratitudinem damnandos. Unde de eo canit Poeta:

Non dolor hicce meus, dolor; eſt amor: hoc doleo unum,
Quod labor hic multis noſter inanis erit.

Quarta, afflictio matris ſuæ.

Quarta cauſa fuit, afflictio matris ſuæ, præſertim dum cruci aſtaret: dolores enim filii quaſi gladii transfixerunt animam matris, & ex ea in ipſum Chriſtum reflexi ſunt: ſumme enim ipſe dolebat matrem ſuam adeo affligi propter ſe. Verum has cæteraſque omnes triſtitias animo premebat & ſuperabat Chriſtus, ſed hanc unam in horto diſcipulis oſtendit. Unde

Hæc triſtitia voluntaria fuit in Chriſto.

Nota. Quarto hanc triſtitiam in Chriſto non fuiſſe neceſſariam, aut naturalem & involuntariam, ita ut rationis & voluntatis imperium præveniret, ut in nobis fit, dum aliquod nobis moleſtum accidit, ſed fuiſſe omnino liberã, & libere a Chriſto aſſumptam, quod Theologi dicunt in Chriſto non fuiſſe paſſiones, ſed propaſſiones: omnes enim affectus motuſque voluntatis, æque ac appetitus ſenſitivi in Chriſto oriebantur ex rationis diſpoſitione, & libera voluntatis electione. Huic enim omnes inferiores vires & potentiæ, tam in Adamo, quam in Chriſto perfecte ſubditæ erant: hoc enim exigebat juſtitia originalis, ſive plena animæ rectitudo, quæ erat in Chriſto, ſicut & in Adamo, quamdiu perſtitit in ſua innocentia, uti docent Theologi ex S. Aug. l. 14. de Civit. c. 9. Unde Damaſc. l. 3. de Fide c. 23. *Permittebat*, ait, *carnẽ pati propria, ſed nihil in Chriſto coactum: volens enim eſuriit, timuit & contriſtatus eſt.* G

Nota Quinto. Luc. 22. 42. addit Chriſtum ſudaſſe ſanguinem, & ab angelo fuiſſe confortatum, de quo in Luca dicam. Hinc Iſaias c. 52. 3. Chriſtum vocat *virum dolorum*, ob cauſas, quas ibidem recenſui.

Cauſa finalis Prima.

Porro, cauſæ finales & morales hujus juſtitiæ Chriſti, fuere variæ. Primam dat S. Chryſ. *Ut veram*, ait, carnem *ſe ſuſcepiſſe demonſtret, humana ſuſtinet.* Sic S. Hier. & Origen. & S. Leo ſer. 7. de Paſs. *In noſtra*, ait, *humilitate contemptus, in noſtra mœſtitudine contriſtatus, in noſtro eſt dolore crucifixus.* Secundam dat S. Greg. 24. Moral. c. 17. *Appropinquante morte*, ait, *in ſe mentis noſtræ certamen expreſſit, quia valde timemus morte appropinquante.* Tertiam dat S. Amb. in c. 22. Lucæ v. 44. *Nuſquam magis*, ait, *Chriſti pietatem & majeſtatem demiror, quam hic, ubi plerique horrent: minus mihi contulerat, niſi meum ſuſcepiſſet affectum, ſuſcepit triſtitiam meam, ut mihi jam lætitiam largiretur: confidenter triſtitiam nomino; quia crucem prædico; debuit dolorem ſuſcipere ut vinceret: non habet fortitudinis laudem ſtupor: non voluit erudire, ut futuræ mortis mœſtitiam vinceremus, & forte ideo triſtis eſt, quia poſt Adæ lapſum nobis eſt neceſſe mori, item quia perſecutores ſciebat immanis ſacrilegii pœnas daturos.* Et nonnullis interjectis: *Doles ergo Domine non tua, ſed mea vulnera; non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem.* H

Secunda. Tertia.

Eleganter & pie S. Athanaſ. tract. de Paſſione & cruce. *Deſcendit Chriſtus*, ait, *ut nobis aſcenſum pararet: expertus eſt nativitatem, ut nos per eum Patri innaſcibili recon-*

cilia-

Digitized by Google

A *ciliaremur: infirmatus est propter nos, ut nos erigeremur robore, utque dicamus more Pauli; Omnia possum in eo qui me corroborat Jesu Christo. Assumpsit corpus corruptibile, ut corruptibile indueret incorruptibilitatem, induit mortale ut quod erat mortale indueret immortalitatem: denique factus est homo: mortuus est, ut nos homines emorientes efficeremur dii, nec amplius haberemus mortem regnantem. Mors enim nobis non dominatur*, &c.

Quarta. Quarta causa fuit, ut horrorem mortis, qui ex peccato Adæ, in pœnam nobis inflictus est, mitigaret, imo in gaudium & spem melioris vitæ in cælo consequendæ converteret. Hinc Christus meruit, ut Martyres in tantis tormentis & mortibus tam atrocibus non exhorrescerent, nec paverent, sed ultro eas ambirent, in iisque exultarent & jubilarent, uti fecit S. Ignatius, S. Laurentius, S. Vincentius. Christus enim acerba nostra in se suscepit, ut nobis sua dulcia conferret. Suscepit tristitias nostras, ut nobis suas lætitias rependeret: *Venit Christus*, ait Chrysol. serm. 150. *nostras suscipere infirmitates, & suas nobis conferre virtutes*. Rursum hac tristitia & agonia sua meruit

B Christus, ut fideles in agonia mortis constituti eam non horrerent, sed patienter, ac subinde lætanter ob spem resurrectionis eam exciperent, diceruntque cum Osee & Paulo 1. Cor. 15. 55. quasi insultantes morti: *Absorpta est mors in victoria; ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Vide utrobique dicta.

Quinta. Quinta causa fuit, ut sua tristitia, pavore & angore curaret nostram acediam, pusillanimitatem, metus, angores, scrupulos, melancholias, diffidentias, &c. juxta illud Isaiæ 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Quare in hisce omnibus optimum remedium est, recurrere ad Christum agonizantem, ut ipse per exemplum & meritum tristitiæ & agoniæ, quam passus est in horto, nostram curet. Hac enim de causa illam sustinuit, nam ut ait S. Leo serm. 3. de passione: *Nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret*.

Rursum ut horrorem difficultatis, quæ in omni virtute occurrit (virtus enim versatur circa ardua) nobis minueret vel adimeret. Hic enim horror plurimos a virtute

C & sanctitate remoratur. Quare dum quæ difficultas vel tentatio occurrit, armemus nos meditatione agoniæ Christi: si enim ipse eam luctando & sudando sanguinem superavit, nos certe nostras generose eis resistendo vincere oportet. Unde Paulus Hebr. 12. fideles exhortans ad luctam: *Per patientiam*, inquit, *curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes*.

Docuit ergo hic Christus nos, ut ratione & mente repugnemus passionibus nostris, præsertim acediæ, tristitiæ & anxietati: itaque illas domemus & rationi subigamus. Quare impie, & imperite Calvinus & Beza hic Christum accusant, ut mollem, timidum, inconstantem, alternis votis vacillantem, & Martyribus pusillanimiorem: quia hasce passiones ipse non invitus subiit, sed sponte accersiit, ut cum illis luctando animose easdem

D vinceret, & easdem in nobis domaret. Nam, ut ait Aug. Christus, *potestate, non infirmitate turbavit seipsum*. Vide D. Thom. & Scholasticos 3. p. q. 15. art. 4.

VERS. 38 TUNC AIT ILLIS; TRISTIS EST ANIMA MEA (Syrus, *Mar. 14. 34* *ægritudo inest animæ meæ*) USQUE AD MORTEM: SUSTINETE HIC, ET VIGILATE MECUM] q. d. Ex viva apprehensione instantium mihi tormentorum & mortis, adeo tristor & angor, ac si jam morerer; sustineo agoniam & dolores mortis, quales sustinent moribundi; spiritus, & vires me deficiunt, videor mihi mœrore & pavore quasi exanimari, angor mihi pene vitam & spiritum eripit. Singula verba habent emphasim doloris. *Tristis;* id est tristissima, *est* caro, non affectus, sed *anima mea*, quia tristitia intima animæ meæ penetrat, animamque meam quasi gladius dissecat, juxta illud: *intraverunt aquæ* (amaritudinum & afflictionum) *usque ad animam meam*, Psal. 68. 1. *Usque ad mortem* ut ad mortem quasi me adigat, ut a morte vix puncto distem, ut si vel tantillum tristitia crescat, me obruat, vitamque mihi extorqueat: quia video & mente intueor atrocissima pœnarum omnium genera, mox continue usque ad mortem mihi subeunda. Cogita quo doloris & amoris sensu hæc Petro, Jacobo, & Joanni dixerit Christus: quod ejus fuerit pathos, qui vultus, quæ vox, quæ facies.

Tristatur Christus usque ad mortem.

SUSTINETE] Græce μείνατε, id est, manete, expectate, & intuemini me hic in mortis agonia summe dolentem & orantem: tum ut doloris mei sitis testes, tum a me discatis in omni tribulatione confugere ad orationem, ut notat Theoph. tum ut mecum vigilando, compatiendo, orando aliquod tantæ afflictionis lenimen & solatium mihi afferatis; sed frustra; nam tristitia vos obruit, & in somnum adigit. Unde quæritur Christus Ps 68. 21. *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni*. Voluit Christus ex vehementia amoris puram & miram subire passionem, sine ulla consolatione vel consolatore. Voluit merum ebibere calicem fellis & amaritudinis, sine ullo melle suavitatis, tum ut copiosa esset redemptio, tum ad exemplum heroicæ virtutis, ut fortitudinis apicem in hoc suo actu exprimeret, Christus enim in

F sua passione actus omnium virtutum heroicos, & perfectissimos elicuit. Quare in ea ipse fuit portentum humilitatis, quia *cum in forma Dei esset, exinanivit se*, &c: *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Philip. 2. 8. Ipse in ea fuit portentum patientiæ, constantiæ, fortitudinis: uti jam ostendi. Ipse fuit portentum charitatis: quia *majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: Christus autem eam posuit pro inimicis suis, uti exaggerat Apostolus Rom. 5. 8. & ita de cæteris.

VERS. 39 ET PROGRESSUS PUSILLUM PROCIDIT IN FACIEM SUAM, ORANS ET DICENS: PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE. VERUMTAMEN NON SICUT EGO VOLO, SED SICUT TU.

Luc. 22. 41. 42. Mar. 14. 35. & 36.

PROGRESSUS PUSILLUM] Scilicet ad paucos passus, discedens a Petro, Jacobo, & Joanne, ut secreto oraret; sed ita ut ab iis notari, videri, & audiri posset: *Procidit*, græce ἔπεσεν, id est *cecidit in faciem suam*, scilicet prono & prostrato in terram corpore, faciem terræ affigens, ut hoc gestu Primo, summam suam afflictionem ostenderet: Secundo, ut insigne humilitatis exemplum daret: Terlio, ut summam Deo Patri reverentiam exhiberet. Quarto, ut onus

G immane peccatorum nostrorum, quod ipse in se susceperat, repræsentaret: hoc enim ipsum suo pondere degravavit & afflixit in terram: Quinto, ut ipse quasi reus & pœnitens pro nobis se sisteret Patri, eique totum se ad castigationem offerret. q. d. En ego pro hominibus reum me tibi dedo, o Pater, en totum me & pœnam eis debitam offero. En dorsum sterno ad flagella, caput ad coronam spineam, manus & pedes ad clavos, totum corpus ad crucem; me unum ergo flagella, corona, punge & crucifige, ut hominibus parcas, eosque in gratiam recipias.

Christus procidit quinque de causis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

ORANS] Christus enim qua homo, vere & proprie orabat Deum Patrem, imo seipsum qua Deus est. Locus ille horti ad radices montis Oliveti situs, in quo oravit Christus: postea a Christianis illustratus est ecclesia ibidem extructa, teste S. Hier. in Locis Hebr. Addit Beda tract. de Locis sanctis c. 6. in fine & ex eo Baronius anno Christi 34. petram ipsam, in qua Christus orans flegit genua, quasi mollem ceram iis cessisse, ac in se genuum Christi vestigia impressa excepisse, ipsumque lapidem in ecclesia asservari. Adjungit Baronius, aitque: Accepimus etiam ab his qui loca sancta lustrarunt etiam in imo vallis Josaphat, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipsis ejus-

H dem Christi Domini nostri vestigia pedum impressa remansisse, hactenusque servata esse.

PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE] Absolute hoc erat possibile, sed impossibile erat posito Dei decreto, de redimendo homine ex rigida justitia per mortem Christi. Et sciebat id Christus: quare absolute hic non vult, nec orat contrarium voluntati Patris æque ac suæ, sed tantum exponit naturale desiderium, sive voluntatem suam inefficacem & conditionatam, quæ naturaliter horrebat mortem, optabatque ab ea liberari: libere tamen & secundum rationem, se Deo contrarium volenti, scilicet ut moreretur, plane subdebat.

Calvini de Christo blasphemia.

TRANSEAT A ME CALIX ISTE] Primo, Calvinus sic explicat: *Non fuit*, inquit, *hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementia præsentem celestis decreti memoriam illi abstulit, ut non reputaret in ipso momento, se hac lege missum esse humani generis redemptorem:*

Digitized by Google

A rem: *ſicut gravis anxietas ſæpe caliginem oculis abducit, ne ſimul in mentem veniant omnia.* Verum impius hic blaſphemat, dum Chriſto violentiam, oblivionem, ignorantiam, caliginem, inconſtantiam, divinæ voluntatis repugnantiam, ideoque peccatum reipſa adſcribit. Nam ut ſuperius dixi, Chriſtus non coacte, ſed libera voluntate triſtitiam & dolorem, indeque orationem hanc, qua illam patefaceret, ſuſcepit; ſed ita, ut illam per rationem, & ſpiritum regeret, & Dei voluntati ſubjiceret. Quocirca prior actus poſteriori fuit ſubſtratus, & ſubordinatus, ideoque ſecundum rectam intentionem directus & ordinatus: nil enim in Chriſto potuit eſſe inordinatum, & incompoſitum. Ratio enim & pars ſuperior recte juſteque nolebat, ut pars inferior ſuam triſtitiam, & mortis horrorem oſtenderet, ob cauſas ſuperius recenſitas.

Secundo, S. Hier. per *calicem* accipit peccatum Judæorum, quod ſcilicet ipſi Chriſtum ſuum occiderent. q. d. Cupio, o Pater, pati & mori, ſed opto & oro, ut non patiar, nec occidar a Judeis, ne illi qui ſunt gens mea & filii Abrahæ, tam immane ſcelus committant, & ob illud graviſſime damnentur & crucientur in gehenna. *Unde & ſignanter*, ait Hier. *non dixit, Tranſeat a me calix, ſed calix iſte, hoc eſt populi Judæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, habens legem & prophetas; qui me quotidie vaticinantur.* Verum hic ſenſus arctior eſt.

B Tertio, ergo plene & adæquate: *Tranſeat*, id eſt, *prætereat*, ut vertit Syrus, & avertatur *à me calix iſte*, inſtantis mihi tam horrendæ paſſionis & mortis, ut illam non guſtem, cum tamen decreveris, ut eum uſque ad fundum, & fæces exhauriam. Cur paſſio vocetur *calix*, dixi c. 20. v. 22. Porro Origen. decretum Dei erat, ait ut Chriſtus biberet hanc paſſionem, ſicque ille ab eo tranſiret, & pariter ab univerſo hominum genere tranſiret, & abiret.

Quarto, S. Catharina Senenſis, teſte Ambr. Catharino in ejus Vita Italica l. 2. c. 28. & 29. duas alias offerebat expoſitiones, eaſque dicebat ſibi a Chriſto revelatas. Prior

Duæ novæ expoſitiones. Prima. eſt, quod Chriſtus ſitiebat calicem paſſionis avidiſſime, ut amorem erga Patrem oſtenderet, noſque redimeret, ideoque optabat, accelerari & abſolvere hoc opus; ait ergo: Illico fac, o Pater, ut patiar moriarque: ardor enim meus patiendi non patitur moras, ne horæ quidem vel inſtantis unius: itaque per me tranſeat: ac deinde a me tranſeat

C calix iſte, ut abolita morte illico revertar ad te. Hoc enim Chriſtus optabat ſecundum ſpiritum, licet ſecundum carnem horreret mortem & optaret tranſire, id eſt, averti a ſe. Et ſic hi duo ſenſus ſe compatiuntur: poterat enim Chriſtus unum orare ſecundum carnem, alterum ſecundum ſpiritum. Si poterat, cur non fecit? nam conſtat eum ſitiiſſe hanc paſſionem, cum diceret: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?* paulo ante paſſionem: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum.* Voluit ergo dare exemplum S. Ignatio & aliis generoſis Martyribus, deſiderandi cruces.

Poſterior: Videbat Chriſtus multos ingratos fore ſuæ paſſioni, manſuros in peccatis, ac damnandos; hic erat ei ſummus dolor, huncque vocat hic calicem. q. d. Tranſeat a me calix iſte, id eſt, amove a me hunc dolorem & numerum damnandorum, fac ut omnes ſalventur. Et ſi hoc Chriſtus efficaciter oraſſet, impetraſſet, quia Pater nil negat Filio: ſed maluit Chriſtus ſe conformare Patris voluntati, & juſtitiæ, ideoque dixit; *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Hæc S. Catharina, non tam ad litteram, quam ad

D exprimendos pios & ardentes Chriſti ſenſus & affectus.

Symbolice S. Hilarius: *Paſſuris diſcipulis*, ait, *Chriſtus omnem in ſe corporis noſtri infirmitatem aſſumpſit, crucique ſecum univerſa, quibus infirmamur, affixit, & ideo tranſire ab eo calix non poteſt, niſi illum bibat, quia pati niſi ex ejus paſſione non poſſumus.* q. d. Chriſtus: Tranſeat, o Pater, calix iſte paſſionis & patientiæ meæ in meos fideles, ut, cum meas paſſiones ſubibunt, meam quoque potentiam, meumque robur ad tolerandum te dante experiantur.

Pie & ſapienter S. Bern. ſerm. 10. in Cant. *Super omnia*, inquit, *reddis amabilem te mihi, Jeſu bone, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrum facile vendicat totum ſibi. Hoc, inquam, eſt quod noſtram devotionem, & blandius allicit, & juſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor aſſumpſit. Ille denique dixit, & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt. At vero hic & in dictis ſuſtinuit contradictores, & in factis obſervatores, in tormentis illuſores, & in morte expuobratores. Ecce quomodo dilexit.* Et nonnullis interjectis: *Dilexit autem fortiter, dulciter, ſapienter. Dulce nempe dixerim, quod carnem induit; carnem quod culpam cavit; forte, quod mortem ſuſtinuit.* Unde concludit: *Diſce, Chriſtiane, a Chriſto quemadmodum diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppreſſi ab amore Domini avertamur. Nec mundi gloria ſeu voluptatibus abduearis; dulceſcat tibi præ his ſapientia Chriſtus: Ne ſedneearis ſpiritu mendacii, & erroris, luceſcat tibi veritas Chriſtus. Ne adverſitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Chriſtus. Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit fervidus, ſit circumſpectus, ſit invictus.*

E Chriſtus quomodo amandus.

VERUMTAMEN NON SICUT EGO VOLO, SED SICUT TU] Arab. *verumtamen non ſecundum voluntatem meam, ſed ſecundum voluntatem tuam*, ſupple, fiat. Lucas, *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Hinc patet contra Monothelitas non unam, ſed duas in Chriſto fuiſſe voluntates, ſc. Unam humanam, alteram divinam: hic enim humanam ſubjicit divinæ; ergo non fuit in Chriſto ſolum divina, quæ ſuppleret humanam, ut voluere Monothelitæ: hanc enim habuit ſolum ut Deus: ſed & humana: hanc enim habuit ut homo, & per hanc meritus eſt noſtram redemptionem. Hinc Synodus VI. Act. 4. & 10. probat duas in Chriſto fuiſſe voluntates, humanam & divinam, & humanam divinæ per obedientiã fuiſſe ſubjectam, atque aſſerit hanc eſſe expoſitionem S. Athanaſii, S. Auguſt. S. Ambroſii, S. Leonis, recitatis eorum verbis. Imo humana Chriſti voluntas licet in ſe una, virtute tamen & operatione fuit quaſi duplex, ſcilicet una naturalis, qua fugiebat mortem: altera rationalis & libera, qua ſubdens ſe voluntati Dei, mortem appetebat, ac juxta hanc dicebat: *Verumtamen non ſicut ego volo*, voluntate naturali, *ſed ſicut tu vis.* q. d. Voluntate rationali ſubjicio voluntatem meam naturalem tuæ voluntati, o Pater, nec aliud volo quam quod tu vis. Quare voluntas Chriſti naturalis erat conditionata & inefficax, quia ſub conditione tantum, ſi ſcilicet placeret Deo, cupiebat evadere mortem. Verum, quia hæc conditio non ponebatur, hinc voluntas hæc erat caſſa & inefficax. Rationalis vero ejus voluntas erat abſoluta & efficax, quia per eam abſolute & efficaciter ſubjiciebat ſe voluntati divinæ, in objecto tam materiali quam formali, quia amplectebatur mortem ob eamdem rationem, ob quam eam volebat Deus, ſcilicet ob redemptionem hominum. Naturalis vero Chriſti voluntas, in objecto materiali videbatur contraria voluntati divinæ, quia nolebat mortem, quam illa volebat, ſed in regula & ſubordinatione eidem erat conformis, quia ſinebat ſe regi & corrigi a voluntate rationali, per eamque ſubjici voluntati divinæ; ac viciſſim Dei, æque ac Chriſti hominis rationalis voluntas ex deliberata juſtaque ratione volebat, ut naturalis ejus voluntas, hunc actum horroris fugæ mortis inefficacem exprimeret, ob cauſas jam dictas, omni ergo modo Chriſti voluntas volebat, id quod Deus volebat eam optare & velle, itaque per omnia voluntati divinæ erat conformis. Volebat enim Deus, ut Chriſtus fieret mundi piaculum, ideoque ſcelerum omnium piaculum ſe fecit Chriſtus, uti docet Euſeb. l. 1. de Demonſtr. Evang. c. 10.

F Humana Chriſti voluntas duplex.

Moraliter docet hic Chriſtus, unicum afflictionis remedium, eſſe orationem & reſignationem in voluntatem divinam. Quare in omni tentatione & tribulatione confugiendum eſſe ad auxilium non hominum, ſed Dei, qui ſolus nos ab ea liberare, vel in ea corroborare ad vincendum poteſt, imo cupit, ſi invocetur, & ſi ejus voluntati nos humiliter, reverenter & amanter, uti filios decet, ſubjiciamus. Unde S. Leo ſer. 7. de Paſs. ſic ait: *Hec vox* (fiat voluntas tua) *capitis, ſalus eſt totius corporis, hec vox omnes fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis poſſet perſecutorum ſuperare terrores, niſi Chriſtus in omnibus, & pro omnibus patiens Patri diceret: Fiat voluntas tua?*

Moraliter. G H

ET VENIT AD DISCIPULOS SUOS, ET INVENIT EOS DORMIENTES, ET DICIT PETRO: Sic (ſiccine, itane) NON POTUISTIS UNA HORA VIGILARE MECUM] *Venit ad diſcipulos*, tum ut aliquod mœroris ſui ſolatium, ex eorum affectu & alloquio captaret, etſi ſciret exiguum & quaſi nullum illud fore; tum ut ſuorum curam gereret, doceretque Paſtores & Epiſcopos etiam in afflictione graviſſima ſuorum curam gerere; imo interrupta quoque oratione viſitare. *Dormientes*, ex mœrore & triſtitia, ut habet Lucas, præſertim quia jam erat nox, quæ ſomnum conciliat. *Petro*, quia

VERS. 40 *Marc. 14. 37*

Dormientes diſcipulos excitat Chriſtus.

hic

Digitized by Google

A hic cæterorum caput, cæteris audacius fidelitatem suam operamque Christo, usque ad mortem spoponderat.

SIC NON POTUISTIS?] Advertе hic quam leniter, & modestе Christus suos corripiat, & ad vigiliam excitet. Non exprobrat, nec ait: Vos infidi, vos torpidi, vos inertes quid dormitis in extremo hoc meo discrimine? Ubi sunt splendida vestra promissa? ubi fides? ubi constantia? Sed, *sic non potuistis*. q.d. Voluistis quidem vigilare, sed somnus ex mœrore obortus vos oppressit; quare non voluntati, sed impotentiæ, & infirmitati vestræ somnum hunc ascribo: sed agite, animos suscitate, infirmitatem superate, somnum excutite.

Mystice, S. Irenæus l. 4. c. 39. *Veniens*, inquit, *Christus excitavit eos, & erexit, significans quoniam passio ejus expergefactio est dormientium*. Quis enim licet sceleratus non excitetur ad dolorem, videns Christum dolentem pro se tam acerba pati?

VERS. 41 VIGILATE ET ORATE, UT NON INTRETIS IN TENTATIONEM] qua injecto a Judæis metu me negetis, deseratis & fugiatis. q.d. Si mea pericula vos non movent, vestra vos moveant. Ecce enim ingruit vobis gravissima mei negandi tentatio. Vigilate ergo & orate, ut eam superetis, *quia*, ut ait Origen. *qui spiritualiter est, solicitior debet esse, ne magnum bonum ipsius gravem habeat lapsum*. Ecce hoc est remedium omnis tentationis, quod Christus hic assigna; scil. vigilia ad prævidendas & discutiendas diaboli, & hominum nos tentantium artes & fraudes: atque ad eas superandas oratio & divinæ opis imploratio. *Ut non intretis in tentationem*, id est, ut tentatione instante non illaqueemini & capiamini, sicut aves capiuntur laqueo & pisces hamo, quem propter escam intrant & subeunt. Non ait, Ut non tentemini: hoc enim sæpe nec est in nostra potestate, nec in Dei voluntate: Deus enim vult nos tentari, ut probet nostram fidem, & virtutem luctando augeat, meritaq; & coronas nobis accersat, sed, *ut non intretis in tentationem*, ita scilicet ut illa vos occupet, possideat, dominetur. Intrat in tentationem, ait Theoph. *qui absorbetur a tentatione, & in ejus potestate fit*. Et S. Hier. *Ut non intretis in tentationem*, hoc est, inquit, *ne tentatio vos superet, & vincat & peccato irretitos intra casses suos teneat*.

Luc. 20. 40. Mar. 14. 38.

R

C SPIRITUS QUIDEM PROMPTUS EST, CARO AUTEM INFIRMA] Loquitur de Spiritu & carne non sua, sed Petri & Apostolorum. Ita S. Hilarius. q.d. Scio quidem vos spiritu & mente esse promptos & paratos ad mihi adhærendum, etiamsi Judæi vobis mortem minentur, sed scitote carnem vestram esse infirmam. *Carnem* vocat, tum carnem proprie dictam: unde Syrus vertit, *corpus vero infirmum*, tum appetitum sensitivum & naturalem carnis affectum, qui fugit persecutionem, passionem & mortem, ad illaq; superandum infirma & imbecillis, cum ad suas opes, honores, delicias, quas appetit, sit valde robusta & valida. Orate ergo ne caro infirma vestrum infirmet spiritum, & ad me negandum compellat, sed ut Deus sua gratia, tam spiritum, quam carnem vestram ita confortet, ut non tantum prompti, sed & validi sint ad omnia adversa superandum, ut mei causa etiam mortem alacres opretis, & fortiter obeatis: *Itaque*, ait S. Hier. *quantum de ardore mentis confidimus; tantum de fragilitate carnis timeamus*. Quare, alienius quidam, per *spiritum* accipit dæmonem, per *carnem* hominem, q.d. Tentator diabolus fortis est ad tentandum, homo vero debilis ad tentationi ejus resistendum. Porro Origen. *Omnium*, ait, *caro infirma est, non autem & omnium hominum spiritus promptus est, sed tantum Sanctorum, qui spiritu prompto opera carnis mortificant*. Addit Marc. Et *ignorabant* (Apostoli) *quid responderent ei*: quia perplexi & perculsi hinc mœrore, inde somno premebantur, erantque inopes mentis & consilii.

Spiritus promptus, caro infirma.

D

VERS. 43 ITERUM SECUNDO ABIIT, ET ORAVIT, DICENS: PATER MI, SI NON POTEST HIC CALIX TRANSIRE NISI BIBAM ILLUM, FIAT VOLUNTAS TUA] Christus in hac secunda oratione idem oravit, quod in prima, ut patet ex Marco. Dixit ergo: *Pater mi, si fieri potest, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Verum Matthæus priorem orationis partem, utpote inefficacem & cassam, omisit, ut posteriorem in qua tota orationis Christi vis & efficacia consistit, stabiliret, eamque nobis imitandam proponeret. Absolute enim Christus optabat & orabat bibere calicem passionis, Dei voluntate sibi decretum & destinatum. Plane enim & omnino petiit, ut Dei voluntas in se in omnibus, & per omnia implereretur.

Mar. 14. 39.

Oratio Christi in horto.

VERS. 43 ET VENIT ITERUM, ET INVENIT EOS DORMIENTES: ERANT ENIM OCULI EORUM GRAVATI] mœrore æque ac vigilia & fatigatione, inde somno: *Erat enim nox, & ea intempestæ*, ait Chrysost. qui & addit, Christum eos hic non redarguisse, *magnam eorum infirmitatem esse significantem*.

Mar. 14. 40.

E

VERS. 44 ET RELICTIS ILLIS, ITERUM ABIIT, ET ORAVIT TERTIO EUNDEM SERMONEM DICENS] *Tertio*, Primo, ut ostenderet vehementiam suæ tristitiæ, qua, imminente jam Juda ad eum tradendum, angebatur, adeo ut agoniam mortis subiens ex ea sudarit sanguinem, ideoque angelus confortarit eum, ut docet Luc. c. 22. v. 41. & 42. de quo ibidem plura; hæc enim omnia contigerunt in tertia Christi oratione dumtaxat, non autem in prima quoque & secunda, ut vult Jansenius.

Secundo, ut doceret in afflictione subinde Deum in prima oratione nos non exaudire, ut sæpius, & ferventius oremus, quare orationem tunc esse duplicandam & triplicandam, donec a Deo exaudiamur, & impetremus, quod poscimus. Perseverantia ergo coronat opus, præsertim orationis. Si Christus Dominus, in prima & secunda oratione non est exauditus a Patre, quid mirum si nos homuli in oratione statim non exhaudiamur? Perseveremus ergo in oratione, & sic fructum orationis, quem sensit Christus, experiemur; nimirum confortationem Dei per angelos, tristitiæ sedationem, magnanimitatem ad adversa ultro aggrediendum & superandum. Modum ergo, perseverantiam & fructum orationis, nos docet hic Christus.

F

Symbolice Primo, Remigius: *Ter*, inquit, *orat Christus pro Apostolis, & maxime pro Petro, qui ter eum erat negaturus*. Secundo, Rabanus: *Ideo*, ait, *tribus vicibus Dominus oravit, ut nos a peccatis præteritis veniam, & præsentibus malis tutelam, & futuris periculis cautelam oremus, & ut omnem orationem ad Patrem, & ad Filium, & ad Spiritum Sanctum dirigamus: & ut integer spiritus vester & anima & corpus servetur*.

Tertio S. Aug. in Quæst. Evang. in hunc locum: *Non absurde intelligitur*, inquit, *propter trinam tentationem passionis, ter Dominum orasse. Sicut enim tentatio cupiditatis trina est, ita & tentatio timoris trina est. Cupiditati, quæ in curiositate est, opponitur timor mortis: sicut enim in illa cognoscendarum rerum est aviditas, ita & in ista metus amittendæ talis notitiæ. Cupiditati vero honoris vel laudis, opponitur timor ignominiæ & contumeliarum. Cupiditati autem voluptatis, opponitur timor doloris*.

G

VERS. 45 TUNC VENIT AD DISCIPULOS SUOS, ET DICIT ILLIS: DORMITE JAM, ET REQUIESCITE, ECCE APPROPINQUAVIT HORA, ET FILIUS HOMINIS TRADETUR IN MANUS PECCATORUM.

Mar. 14. 41.

TUNC VENIT] Christus in tertia oratione confortatus ab angelo, dimisit tristitiam, agonem & sudorem sanguineum, quem sponte assumpserat, animumque ac spiritum pristinum resumpsit, atque generose totum se ad passionem composui, ultroque Judæ & Judæis obviam prodiens se tradidit, ut dicam Lucæ 22. v. 41. & 42.

DORMITE JAM ET REQUIESCITE] S. Chrys. ejusque asseclæ Theoph. & Euthym. putant hoc ironice dictum a Christo. q.d. in hoc extremo periculo & agone tam vestro, quam meo, non est dormiendi tempus, sed vigilandi, si unquam: quare somnum excutite, evigilate, en adest Judas cum satellitibus, ad me comprehendendum: videtur enim Christus hæc dixisse accedente, & fere præsente Juda, unde sequitur: *Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur*.

Dormite an a Christo dictum ironice.

H

Ex adverso simplicius ex Marco S. Aug. l. 3. de Consensu Evang. c. 4. & ex eodem Beda, id serio dictum putant a Christo, quod scilicet compatiens infirmitati Apostolorum aliquantulum somni eis indulserit, donec appropinquante Juda dixit, *sufficit*, ut addit Marcus; &, ut subdit Matthæus: *Surgite, eamus*. Unde græce est, καθεύδετε τὸ λοιπὸν, id est *dormite quod reliquum est*, id est, dormite modico tempore quod restat, usque ad adventum Judæ, Syrus, *dormite adhuc*, id est, pergite dormire, quasi Christus hæc dixerit Juda adhuc longius a se distante, & tempus somni Apostolis concedente.

ECCE APPROPINQUAVIT HORA, (ab æterno a Deo Patre fixa, & meæ passioni martyrioque decreta,) ET (id est qua) FILIUS HOMINIS TRADETUR (græce παραδίδοται, id est *traditur*, id est, jam jam tradetur) IN MANUS PECCATORUM] κατ' ἐξοχὴν, & antonomastice, qui scilicet sunt summi peccatores, homineque scelestissimi, quales erant Judas, & Judæi furentes in Christum Deum & Dominú, ut eum torquerent & necarent. Numquam enim fuit scelestior gens quam illa Judaica, tempore Christi; ideoque illo tempore nasci

Digitized by Google

A nasci & mori decreverat Christus, ut plura & atrociora a tam scelestis pateretur. Summa enim ejus bonitas voluit certare, & quasi duellum inire cum summa Judæorum malitia, ut in ea quasi in capite malitiam omnem debellaret, sibique subjiceret, imo curaret, & in bonitatem converteret. Quare in eo mire resplenduit divina Christi clemétia, æque ac potentia, quod mox Judæos hosce tam scelestos sibique infestos, per S. Petrum & Apostolos ad se convertit, & Sanctos eosque eximios effecerit. Act. 2. 41. & seq.

VERS. 46 *Mar.* 14. 42

SURGITE EAMUS; ECCE APPROPINQUAVIT QUI ME TRADET] Sedebant Apostoli, ut innixi cubitis commodius dormirent. Jubet ergo eos surgere Christus, ut secum non fugiant, sed obvient Judæ. Hinc patet Christum in tertia oratione exauditum, & confortatum a Deo per angelum tristitiam & agoniam excussisse, ac magno generosoque animo obviam iisse Judæ, morti & cruci. Nam, ut ait Origenes: *Vidit in spiritu appropinquantem Judam traditorem, qui nondum videbatur a discipulis ejus. Ita undique discipulos erudit* (inquit Chrysost.) *non necessitatis, nec infirmitatis hanc rem fuisse sed dispensationis* B *cujusdam inæstimabilis: præsciebat enim eos venturos, nec solum non fugit, sed etiam ivit.*

Tria notanda in passione Christi:

Igitur Christus hic eundo obviam hostibus suis, æque ac in tota reliqua passione sua, tria nobis maxime notanda & adverrenda reliquit; scilicet Primo, innocentiam suã: innocens enim non fugit criminis inquisitores; utpote bene sibi conscius, ideoque animosus & audax iis obviam prodit; nocens vero fugit, quia conscientia eum arguit pavidumque efficit. Secundo, majestatem, providentiam & potestatem suam, qua quasi Dominus ordinat & prædicit hostium adventum; sed ita ut eorum furorem moderetur & dirigat; ut non amplius, nec aliud efficere possint, quam ab ipso permissum, prædictum & præordinatum fuit. Tertio, voluntatem qua ultro se Judæ offert, ne putaretur ex infirmitate, aut invitus, sed summa dignatione, humiliatione & amore liberali pro nobis pati & mori: *Surgite* ergo, non ut fugiamus, sed ut *eamus* obviam Judæ, & ut ait S. Hier. *ultro pergamus ad mortem.*

Tribulationi fortis in obviam.

Moraliter docet hic Christus in persecutione & tribulatione excitandos esse animos, ac animose illi obviam procedendum. Hic enim est heroicus fortitudinis actus, qui mali imminentis atrocitatem sua animositate valde C infringit, illamque ultro amplexando domat & subigit, ac ad magna hominem disponit & præparat: longe enim facilius, majoreque merito gravia tolerantur & superantur a Magno animo, quam levia a parvo; sicut gigas aut vir magnis viribus pollens facilius portat pondus 40. librarum, quam puer parvarum virium portet onus trium librarum. Unde Poeta:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito;

uti leo clausis oculis invadit hostes, strictosque eorum gladios. Unde Plinius l. 8. c. 16. *Cum pro catulis fœta* (lœna inquit,) *dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expaveſcat.* Crux ergo fugientem sequitur, sequentem fugit, quod vulgo de honore dicitur, sed alio respectu.

VERS. 47 *Luc.* 22. 47. *Mar.* 14. 43. *Joan.* 18. 3.

ADHUC EO LOQUENTE, ECCE JUDAS UNUS DE DUODECIM VENIT, ET CUM EO TURBA MULTA CUM GLADIIS ET FUSTIBUS, MISSI A PRINCIPIBUS SACERDOTUM, ET SENIORIBUS POPULI] Clarius id explicat S. Joann. c. 18. 2. dicens: *Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo cum accepisset cohortem, & a pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum lucernis, & facibus, & armis.* D

ADHUC EO LOQUENTE] Ut veritas prædicationis & prædestinationis ipsius, de sua proditione & passione impleretur. Ipse enim hæc omnia ita contexuit, ut malitiam Judæ & Judæorum ita apte telæ suæ passionis intertexeret, ut ab eo ipsa tota partim permissive, partim positive, contexta & pertexta videatur.

Ecce rei novæ notã.

ECCE JUDAS UNUS DE DUODECIM] *Ecce* nota est rei novæ admirandæ & inauditæ. q. d. Ecce portentum omnibus sæculis inauditum. Ecce flagitium Judæ stupendum. Judas enim unus Apostolorum, factus est non tantum fur & latro, sed Christi quoque proditor, & princeps latronum, qui Christum occiderunt. Unde Lucas addit: *Antecedebat eos*, quasi dux & antesignanus scelestorum.

TURBA MULTA] Puta cohors militum Romanorum cum famulis pontificum & Pharisæorum, ut patet ex Joanne, cujus verba recitavi.

ET FUSTIBUS] Græce ξύλων, id est, lignis, tam ferratis, uti sunt hastæ, lanceæ, tela; quam non ferratis, uti E sunt fustes, talia enim erant priscorum arma.

Vide hic stultitiam & vesaniam Judæ & Judæorum. Sciebat Judas Christum esse summum Prophetam, imo Filium Dei, qui nullis armis vinci posset, idque principes Judæorum sæpe experti erant; tamen avaritia & furore cæci, adducunt milites armatos, ut Christo Deo vim inferant, eumque violenter capiant & ligent. Vis o Juda Deum ipsum vincere & vincire? Visne Omnipotentem ligare, capere & rapere? Vultis o homuli, contra creatorem vestrum dimicare, eumque armis cogere, ut se vobis in manus dedat? *Avaritia enim*, inquit S. Chrysost. *illi* (Judæ) *furorem immisit: avaritia omnes qui ipsi serviunt crudeles efficit, atque atroces. Nam, si propriam avarus salutem negligit, quid faciet de aliena?*

QUI AUTEM TRADIDIT EUM, DEDIT ILLIS SIGNUM, DICENS: QUEMCUMQUE OSCULATUS FUERO, IPSE EST (Jesus, quem quæritis, ut capiatis, quem me vobis traditurum spopondi) TENETE EUM] Syrus, *ipsum prehendite*; græce, κρατήσατε, id est, apprehendite, occupate, capite, retinete, ne e manibus vestris, uti alias fecit, elabatur. Unde addit Marcus, *& ducite caute*. Verebatur enim Judas, ne Christus se transformando, ait ex Origene S. Hier. occultaret vel effugeret, itaque triginta argenteis a principibus sibi addictis privaretur: illi enim ab eis Judæ necdum erant traditi, sed tantum promissi, ut satis colligitur ex v. 15. ubi dicitur, *Constituerunt*, id est, addixerunt & promiserunt *ei triginta argenteos.* VERS. 48 *Mar.* 14. 44 F

DEDIT ILLIS SIGNUM] Ut milites Romani, qui nunquam viderant, vel certe non noverant Christum, eum ex hoc signo agnoscerent, ait Theophyl. erat enim nox, forte etiam ob vultus Christi similitudinem cum vultu alicujus Apostoli, scilicet Jacobi Minoris, qui dictus est frater Domini. Ita nonnulli recentiores, qui tamen antiquum aliquem hujus similitudinis non proferunt testem, vel auctorem.

OSCULATUS FUERO] Origenes, ait traditionem esse, quod Christus duas habuerit facies, unam naturalem & usitatam, alteram propriam & secretam, quam pro libito assumebat, qualis fuit illa, quam exhibuit in sua transfiguratione. Quare censet Judam hoc signo osculi designasse Christum: quia verebatur ne Christus faciem suam transformaret, ut a Judæis agnosci non posset. Verum hoc G gratis dicitur & impertinens est: tum quia Judas non interfuit transfigurationi Christi, unde alteram illam Christi faciem non vidit: tum quia etiamsi illi interfuisset, merito timere potuisset, ne Christus mutando faciem se quoque falleret, ut eum agnoscere non posset, aut certe se occultaret, & faceret invisibilem, ut sciebat cum alias fecisse. Causæ ergo osculi fuere illæ quas anterius dedi.

VERS. 49 *Luc.* 22. 47. *Mar.* 14. 45

ET CONFESTIM ACCEDENS AD JESUM, DIXIT: AVE (græce, χαῖρε, id est *salve*) RABBI (ARABICUS, *aut magister*) ET OSCULATUS EST EUM] Sciebat Judas ex verbis Christi in cœna, se suamque proditionem notam esse Christo, ut tamen exterius illam coram Apostolis cæteris tegat quoad potest, fingit se Christo solitum amicitiæ & reverentiæ dare osculum. Osculum enim fuit olim salutatio, sive mos salutandi, apud Hebræos, Romanos, sive alias gentes, ut patet ex Script. Unde verisimile est, hoc osculi symbolo Apostolos salutasse Christum, cum aliunde ad ipsũ rediret. Quocirca exemplo Christi primi Christiani salutabant se invicem osculo casto & sancto, uti docet Tertull. lib. de Oratione, imo Paulus 1. Cor. 16. 20. vide ibi dicta. Sed Judas hoc symbolo amicitiæ ad perfidiam & proditionem suam scelestissime abusus est, persuasus ex lenitate Christi, ait Chrysost. se ab ejus osculo non repellendum; quod si repelleretur, nihilominus hoc signo osculi oblati & a Christo repulsi, eum Judæis indicaret, & ut incivilem ac inhumanum capiendum traderet. Unde Victor Antioch. in Marci c. 14. v. 45. *Cui lethales*, ait, *insidias struebas, illi infelix salutem cum osculo offerebat.* Et S. Hier. (vel quisquis est auctor: non enim est Hieronymus Stridonensis) ibidem: *Dans*, ait, *signum osculi cum veneno doli.* H

Osculum erat olim salutandi ritus.

Christus osculum dedit Judæ tribus de causis.

Porro Christus licet vehementer sentiret, doleretque se a Juda discipulo suo tradi, prodique ficto benevolentiæ osculo; tamen ille osculantem non respuit, nec osculum renuit, sed fraudulentum hosti leque offerenti, sincerum amicumque reddidit. Primo, *ne refugere proditionem videretur*, ait S. Amb. in Lucæ c. 21. v. 45. sed ultro ex desiderio plura & indigniora pro nobis patiendi, illam amplecti. Secundo, ut cor Judæ lenitet & compungeret: *ut plus afficeret proditorẽ, cui amoris officia non negaret*, ait ibid. Ambr.

Digitized by Google

A Tertio, *ut doceremur inimicos omnes, eosque quos ſcimus deſeviturос in nos eſſe, diligere, oſculum ejus Dominus non reſpuit*, ait S. Hilarius, Chriſtus enim Judam licet proditrem non habuit odio, ſed dilexit, magiſque doluit de ejus ſcelere & proditione, quam de ſua proditione, ideoque ſategit eum hiſce verbis ad pœnitentiam inflectere. Sicut enim ex chalybe, ſi cum ſilice ferias, latens elicitur ignis: ſic ex Chriſto percuſſo & patiente latens emicat amor, & mirus erga inimicos charitatis affectus. Unde in tota ejus paſſione, præ omnibus virtutibus divinis reſplenduit amor, cujus ſignum fuit immenſus dolor. Unde illud:

Cernis ut in toto corpore ſculptus amor?

DIXITQUE ILLI JESUS: AMICE AD QUID VENISTI?] VERS. 67 q. d. Si veniſti ad me Judęis prodendum, uti te veniſſe ſcio, quorſum mihi adeo inimicus tam amicum das oſculum? Si vero veniſti ad me amice de more ſalutandum, quorſum amicus tot contra me adducis inimicos? Unde S. Aug. ſer. 1. de Paſſione: *Oſcularis, ait, & inſidiaris, amicum fingis cum proditor ſis*. Hinc Lucas addit Chriſtum ſubdidiſſe: *Judæ oſculo filium hominis tradis?* Quæ verba majeſtatis æque ac charitatis plena, findere debuiſſent cor ſaxeum Judæ, niſi ille ipſum inſtar adamantis ſcelere obſtinaſſet & induraſſet. Porro Syrus vertit, *ob id veniſti ſocie mi?* ſcilicet ut me magiſtrum, Dominum & Deum tuum Judæis tradas & prodas? Arab. *heus ad quid veniſti?*

Luc. 22. 48. Mat. 14. 46 Jo. 18. 12.

B Mirum fuit hoc Chriſti manſuetudinis & patientiæ exemplum, quo Judam furem & proditorem tribus annis toleravit, nec apoſtolatu aut procuratione privavit, nec ulli ejus ſcelus utpote occultum patefecit. Hoc facto docuit nos idem facere, ut injuriam nobis illatam non vindicemus, ſed amore vincamus.

Mira Chriſti in Judã manſuetudo.

Imitatus eum S. Martinus.

Chriſtum imitati ſunt Sancti, ac nominatim S. Martinus, qui mira manſuetudine omnes ſibi injurios tolerabat & ſuperabat. Unde cum Britius ejus Clericus, ipſum aſſidue calumniaretur & perſequeretur, tanta lenitate ipſum ſuſtinuit, ut cæteri ejus famuli mirarentur, Clericum tam impium ab Epiſcopo ſuo non caſtigari, nec officio privari. Quibus ille; *Chriſtus Dominus*, ait, *ſuſtinuit Judam proditorem, ego non ſuſtinebo Britium calumniatorem?* Hac ſua lenitate Britium convertit, & apud Deum meruit, ut Britius mores corrigens fieret vir ſanctus, ſibique in epiſcopatu ſuccederet, uti idem ipſe prædixit. Ita Sulpitius in Vita S. Martini.

C Hic recto hiſtoriæ ordine intexenda ſunt, quæ ſupplet Joannes de Judæis a Chriſto proſtratis in terram. Sic enim ait c. 18. v. 4. *Jeſus itaque ſciens omnia quæ venitura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus: Ego ſum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipſis. Ut ergo dixit eis, Ego ſum; abierunt retrorſum & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jeſum Nazarenum. Reſpondit Jeſus: Dixi vobis quia ego ſum: Si ergo me quæritis, ſinite hos abire: ut impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Ut ergo Joannem cum Matthæo cæteriſque concilies, hic fuit rei geſtæ ordo: Judas ne videretur eſſe proditor Chriſti, aliquot paſſibus turbas, quæ ſecum venerant ad capiendum Chriſtum, anteceſſit, ut ipſe videretur non eſſe ex eis, ſed quaſi aliunde redire, & fortuito cum adventu turbarum concurrere: unde quaſi peregre rediens oſculatus eſt Chriſtum. Chriſtus oſculum præbuit, ſed ut eum compungeret, ait: *Amice ad quid veniſti?* Utique in meam necem, ſed magis ad tuam perditionem: jugemque gehennam, atque ut eum confunderet, addidit: *Judæ oſculo filium hominis tradis?* Deique Judas poſt oſculum retroceſſit ad turbas a ſe adductas, ita ut Jeſu animoſe obviam turbis hoſtilibus prodeunte, Judas jam cum illis ſtaret, ut ait Joannes. Mox Jeſus libere & intrepide illos interrogat quem quærant, Reſpondent illi: *Jeſum Nazarenum*, Jeſus ait: *Ego ſum*: quo dicto quaſi fulmine icti, tam Judas quam omnes turbæ & aſſeclæ ejus proſtrati ſunt in terram, idque averſe & retrorſum, ut ſcilicet caderent non in faciem, ſed in dorſum reſupini, ut clare omnibus pateret eos quaſi hoſtes Chriſti, vi & potentia ejus repulſos in terram fuiſſe ſtratos & afflictos: Permiſit deinde Chriſtus illos recipere vires & ſurgere, rogavitque denuo quem quærerent: illis iterantibus ſe Jeſum quærere; ſubjecit ipſe: *Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*, ut magis ſe ſuorum quam ſui ipſius curam gerere oſtenderet. Quo dicto milites & famuli acceſſerunt ad Jeſum, in eumque manus & vincula injecerunt. Id videns

Ordo comprehenſionis Chriſti.

Petrus ſtringit gladium, Malchoque aurem amputat; ſed coripit eum Chriſtus, Malchoque aurem reſtituit, uti mox fuſius dicam v. 51. E

Ubi Nota cum S. Chryſoſt. & Cyrillo in cap. 18. Joannis (licet ſecus ſentiat S. Aug. & Ammonius) cohortis & miniſtrorum oculos divinitus ita *obſæpta* fuiſſe detentos, ut Chriſtum jam oſculo a Juda indicatum & obviam prodeuntem, ac a multis antea ſæpe viſu cognitumque, agnoſcere non poſſent, multo minus comprehendere. Id colligitur ex eo, quod ipſi interrogati a Jeſu: *Quem quæritis?* non reſpondent, Te quærimus, ſed *Jeſum Nazarenum*, quaſi non cognitum & non viſum: imo nec Judam ipſum tunc Chriſtum agnoviſſe cenſent S. Chryſoſt. Cyrillus, Theophyl. in c. 18. Joann. item Leontius & Theodoretus in Catenis Græcorum, qui id colligunt ex eo quod ait Joann. c. 18. 5. *Stabat autem & Judas, qui tradebat eum cum ipſis*, Judas enim oſculo dato Jeſu retroceſſit ad cohortem, ut ei tardanti, & imposæ ex aoraſia conſiſtenti innueret accedere, & involare in Jeſum jam a ſe oſculo oſtenſum, ut frigenta denarios ſibi in pretium proditionis Chriſti promiſſos acciperet, qua in re ſuam impudentiam & proditionem aperte demonſtravit. Magis autem retroceſſit ex pavore & horrore illi a Chriſto, æque ac ſceleris conſcientia incuſſo. Repulit enim Chriſtus illum a ſe & ſuo Apoſtolorum cœtu, ut illum confunderet. q. d. Vade, o proditor, ad tuos ſatellites, indignus enim es me, meorumque conſortio: unde & mox Judam cum cohorte in terram proſtravit. Hoc ergo fuit primum Chriſti miraculum, quo ipſe in comprehenſione ſua majeſtatem ſuam & omnipotentiam divinam oſtendit, ut ſcirent Judas & Judæi ſe fruſtra veniſſe cum cohorte & armis, dum Chriſtus vi capi non poſſet, niſi ipſe ultro & dignanter ſe in manus eorum daret. Simili aoraſia Deus percuſſit Sodomitas, Gen. 19. 11. *Vides vim inſuperabilem*, inquit Chryſ. *quomodo in medio eorum exiſtens eos cæcavit*: Et Cyrillus: *Poteſtas ergo divina Chriſti emicuit, qui quãvis ſe quærentibus offerret, minime tamen cognoſcebatur.* F

Miracula Chriſti capiendi. Primum.

Symbolice S. Aug. in c. 18. Joann. *Sempiternus dies*, ait, *ita tenebris occultabatur humanis, ut cum laternis & facibus quæreretur, occidendus a tenebris.*

Secundum Chriſti miraculum, ait S. Chryſoſt. fuit, quod ſolo verbo, *Ego ſum*, Judam cum omnibus ſatellitibus proſtraverit in terram reſupinos in dorſum, eoſque ut innuit S. Leo ſerm. 1. de Paſſione, privarit virtute ſentiente & movente, ut ſe erigere, ſuſtinere & regere non valerent, uti fit in paraliticis. Audi S. Leonem ſerm. 1. *Ego ſum*, inquit, *quod verbum illam manum ita ex ferociſſimis congregatam, quaſi quodam fulmineo ictu ſtravit itaque perculit, ut omnes illi atroces, minaces atque terribiles retrorſi corruerent. Ubi fuit ſæviæ conſpiratio? ubi ardor irarum? ubi inſtructus armorum? Dominus dixit: Ego ſum, & ad vocem ejus turba proſternitur impiorum. Quid jam poterit majeſtas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda?* G Secundum.

Unde licet τὸ *Ego ſum*, ſignificet, q. d. Ego ſum Jeſus, quem vos quæritis, tamen Rupertus ſic exponit; *Ego ſum qui ſum*, ſcilicet ſemper ab æterno, ideoque Deus omnipotens, Exodi 3. Porro S. Hier. ep. 140. ad Principiam, cenſet Chriſtum cæleſti quodam vultus ſplendore, hos ſatellites perculiſſe, & proſtraſſe: *Niſi*, ait, *habuiſſet in vultu oculiſque quidquam ſiderum, numquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent.* H

Allegorice: hæc Judæ cum ſuis proſtratio ſignificabat irreparabilem caſum Judæorum, quod ex odio Chriſti in perfidia ſua forent obſtinati, & ſalutis pene incapaces. Unde Cyrillus in c. 18. Joann. *Imago*, ait, *caſus illæ fuit omnium qui Chriſto adverſantur, quibus omnino terribilis caſus imminet.* Et S. Aug. ibid. *Ubi*, ait, *nunc militum cohors, ubi terror & munimen armorum? una vox turbam odiis ferocem, armis terribilem ſine telo ullo percuſſit, repulit, ſtravit: Deus enim latebat in carne: quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit?*

Proſtratio Judæorum ſignificat caſum eorum.

Tropologice, repræſentatur hic caſus reproborum: hi enim in dorſum cadunt, ut reſurgere non valeant; electi vero ſi peccant, labuntur in faciem, quia mox tacti a Deo pœnitentes reſurgunt. Ita S. Greg. hom. 8. in Ezech. *In faciem noſtram cadimus*, ait, *quia ex malis erubeſcimus, quæ nos meminimus perpetraſſe. Ibi enim cadit homo ubi confunditur.* Idem l. 13. Mor. c. 10. *In faciem, cadere*, ait, *eſt in hac vita ſuas unumquemque culpas agnoſcere, eaſque pœnitendo deflere. Retro vero, quo non videtur cadere, eſt ex hac vita repente decedere, & ad quæ ſupplicia ducatur ignorare.* & reproborum.

Rurſum

Digitized by Google

A Rursum in faciem corruunt justi, qui ea quæ ante sunt, puta futura & novissima, respiciunt; retrorsum vero peccatores, qui ea quæ retro sunt & præterierunt, statimque fiunt præterita, puta bona caduca, ambiant. Ita S. Greg. 33. Moral. c. 23. *Retro est*, ait, *omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet.*

Tertium. Tertium Christi miraculum fuit, ut notat S. Chrysost. & S. Aug. tract. 112. in Joann. quod ipse potenti sua providentia, verbique efficacia, *finite hos abire*, effecerit, ut Judæi neminem discipulorum, ne Petrum quidem, gladium vibrantem auremque secantem comprehenderent. Ipse enim solum se morti offerens, liberos voluit esse discipulos, tamquam bonus pastor animam suam solus daturus pro ovibus. Unde Chrysost. *Quis*, ait, *continuit Judæos ne discipulos comprehenderent? Nemo alius, quam qui eos retrorsum projecerat potentia.*

Quartum. Quartum fuit, subita auris Malchi restitutio & sanatio, de qua mox. Ubi adverte quanta fuerit cæcitas & malitia Judæorum, quæ visis tot miraculis Christi, ausa fuit illico in eum manus injicere.

B TUNC ACCESSERUNT, ET MANUS INJECERUNT IN JESUM, ET TENUERUNT EUM] Est hysteron proteron, vel certe hæc verba in actu non perfecto, sed inchoato accipienda sunt. q. d. Tunc accesserunt ad Jesum, cœperuntque se parare, ut ei manus injecerent, eumque tenerent & caperent. Nam antequam eum reipsa caperent, Petrus ut ejus captivitatem impediret, aurem Malcho amputavit; sed repressit eum Jesus & Malcho aurem restituit, ac tunc demum se Judæis capiendum ligandumque obtulit, cum eis exprobrando dixisset: *Tamquam ad latronem existis*, uti ostendam v. 55. & patet ex Luca c. 22. v. 53. & 54.

VERS. 51 ET ECCE UNUS EX HIS QUI ERANT CUM JESU, EXTENDENS MANUM, EXEMIT GLADIUM SUUM, ET PERCUTIENS SERVUM PRINCIPIS SACERDOTUM, AMPUTAVIT AURICULAM EIUS.

Luc. 22. 50. Marc. 14. 47 Jo. 18. 10.

UNUS] Scilicet Petrus cæteris ferventior & animosior, ut patet ex Joanne cap. 18. Ita S. Hieron. Chrysost. & alii. Lucas addit Petrum prius licentiam petiisse a Christo, dicendo: *Domine si percutimus in gladio?* id est, si placeat, gladio te defendemus; sed non exspectato Christi responso ob imminens Christo captivitatis periculum, ex ardore gladium strinxisse.

C EXEMIT] Syrus, *distrinxit gladium.*

Quæres, quis & qualis fuit hic gladius?

Petri gladii fuisse cultrum censeat aliqui. Hunc S. Petri gladium fuisse cultrum, quo in mactatione vel comestione agni usi fuerunt Apostoli, censet Toletus in Joann. c. 18. v. 10. Favent S. Chrysost. Theophyl. Joannes Major, Janst n. in Matth. 26. cultro enim secantur carnes, & amputantur auriculæ. Dubitat Dionys. Carthusianus: & Venetiis ostenditur hic gladius, habens speciem magni cultri: Senis quoque similis asservatur.

Fuisse ensem censent Patres. Verum gladium hunc ensem fuisse diserte asserit Franc. Lucas in Matth. 26. Favet S. Cyrillus, S. August. Tertull. Hilarius, Hier. Beda, Baron. S. Ambrosius: & ita ostenditur hic gladius S. Petri Parisiis habens speciem ensis.

Tertull. l. de Idololatria c. 19. verba sunt: *Quomodo bellabit, imo quomodo etiam in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit? &c. omnem militem Dominus in Petro exarmando discinxit.* Petri ergo gladius erat militaris & bellicus, ergo ensis; hoc enim bellant milites, non cultro. S. Aug. lib. 22. contra Faustum verba sunt: *Jusseras, ut discipuli ejus ferrum ferrent; sed non jusseras ut ferirent. Ferrum*, scilicet ensem: hic enim ferit hostem in conflictu: nam culter potius scindit, vel pungit, quam ferit. S. Hier. verba sunt: *illo gladius* (usus est Petrus) *qui igneus vertitur ante paradisum, & gladio spiritus qui in Dei describitur armatura.* Ephes. 6. 17. Uterque autem est militaris & ensis, ut patet. Eadem ex S. Hier. verba habet Zacharias Episcopus Chrysopol. in Concord. Evangel. S. Hilarii verba sunt: *Recondi gladium præcipit, quia eos non humano, sed oris sui gladio esset perempturus:* gladius autem oris Christi est ensis, ut patet Apoc. 1. 16. & cap. 19. 15. S. Ambr. dum mystice hos duos gladios explicat, verba sunt; *Unum novi, alterum veteris intelligamus testamenti, quibus adversus diaboli armamur insidias:* armamur autem contra hostem ense, non cultro, & utrumque Testamentum non parvo cultro, sed ingenti gladio comparatur.

Allegor. Allegorice passim Interpretes per duos gladios accipiunt duplicem Ecclesiæ potestatem, spiritalem & temporalem. Idem habetur Extravag. *Unam sanctam*, de Majoritate & obedientia. Idem tradit Joann. Suarez in Matth. 26. Unde & S. Paulus magistratui obediendum docens; *Non enim*, inquit, *sine causa gladium portat: vindex est enim Dei in iram*, Rom. 13. portat autem ensem, non cultrum. E

Rursum hoc gladio denotatur excommunicatio, quæ hominem ab Ecclesia detruncat: hoc autem fit ense, non cultro.

Multi censent Petrum fervidum voluisse Malcho caput amputare, vel findere, sed Dei ductu ictum in aurem ecciditisse; finditur autem caput ense, non cultro. Ita censet Paulus a Palatio, Jansenius & Joann. Major in Matth. 26. Did. Stella in Luc. c. 22. & alii. Hinc etiam Malcho declinanti ictum, Petrus dexteram ejus auriculam amputavit, cum alioqui sinistram ejus, utpote dexteræ adversam & obversam, amputare debuisset.

Tropol. Tropolog. S. Ambr. per hunc gladium accipit martyrium: *Est*, inquit, *etiam gladius passionis, ut exuas corpus, & immolatæ carnis exuviis ematur tibi sacra corona martyrii.* Atqui Martyres ense truncantur capite, non cultro.

Ratio Prima. Accedunt rationes. Prima: gladius hic græce vocatur ab omnibus Evangelistis ubique *μάχαιρα*: hæc autem ensem notat. F

Secunda. Secunda. Jubet Christus vendi tunicam, ut ematur gladius: ad cultrum autem emendum, non opus est vendere tunicam, sed ad ensem: hujus enim pretium tunicæ æquiparatur.

Tertia. Tertia, *qui acceperit gladium, gladio peribit*, ait Christus: solent autem homicidæ capite plecti ense carnificis, non cultro.

Quarta. Quarta: jusserat Christus duos gladios afferri ad defensionem publicam contra totam Judæorum & militum Romanorum turbam, ergo enses erant: quid enim duo cultri profuissent contra tantam turbam ensibus armatam? quomodo Petrus solo cultro armatus eâ invadere ausus fuisset?

Quinta. Quinta: gladius apud Latinos ensem significat, non cultrum: diciturque a clade, quam turbæ infert, uti ajunt Etymologici.

Denique gladius S. Petri, ait S. Chrys. in Encomio vinculorum S. Petri apud Surium die 1. Augusti, cum cæteris ejus in regali palatio, ubi Apostolo Petro templum erectum est, velut sacratus quidam & cælestis thesaurus, in intimo loco repositus servatur, qui Imperatoribus, & fidelium virorum multitudini ad sanctitatem proponi solet. G Cælestem enim gratiam confert, curationum copiam suppeditat, animas ipsorum clevans.

SERVUM] Cui nomen Malchus, ait Joann. c. 18. In eum potius quam in alios insiliit Petrus, quia eum audaciorem & insolentiorem proximius in Christum insurgere vidit, quare *aurem viri ferocius instantis abscidit*, ait S. Leo serm. 1. de Passione.

AMPUTAVIT AURICULAM EJUS] Dexteram, ut habet Joann. & Lucas: ut significaret, ait Origenes, Judæos in legendo & audiendo S. Script. perdidisse dexteram aurem, id est, veram intelligentiam cælestium, & retinuisse sinistram, ut sinistre ad carnales sensus eam detorqueant.

Porro S. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 70. Moyses, ait, post percussum Ægyptium, factus est princeps Synagogæ, Petrus post mutilatum Malchum factus est Pastor Ecclesiæ: excessit uterque regulam, non detestabili immanitate, sed emendabili animositate. Peccavit enim Petrus temeritate, quia inscio, imo invito Christo strinxit gladium, quo solus non poterat Christum defendere contra tot armatos milites & ministros: quare amputando aurem Malcho, magis irritavit eos ad sæviendum in Christum, & in ipsum Petrum nisi Christus impediviſſet. Verum ostendit ipse suum pro Christo ardorem & zelum licet vitiosum, sed castigato hoc excessus vitio in Pentecoste, per eum meruit fieri Pastor & Princeps Ecclesiæ. H

An Malchi Christus converterit. Denique Christus reprehendens inhibensque Petrum, vel ulterius pugnando progrederetur, aurem restituit Malcho, ut habet Lucas, ubi mirum dedit tam potentiæ quam clementiæ suæ exemplum: præsertim quia, ut addit hic Paulus a Palatio: *Theologicum dogma est, quem Dominus sanat, perfecte sanat. Si Christus Malchum & aure & mente sanavit, quod potuit majoris esse charitatis indicium? quod magis imperturbati animi argumentum?* Sane plures alios ex hisce Christi persecutoribus prædicantes Petro pœnituisse, & ad Christi fidem conversos esse, liquet Act. 2. 37. Quid mirum si & Malchus, qui ex aure sibi a Christo reddita ejus in se bonitatem, æque ac potentiam tam evidenter expertus erat? fecit hoc Christus, tum ne criminationi foret locus, ipsum restitisse publicis lictoribus & justitiæ ministris; tum ad heroicum patientiæ & mansuetudinis exemplum, quale pariter dedit cum ex Saulo fecit Paulum.

Digitized by Google

A Myſtice Gloſſa, Auris Malchi amputata & ſanata, ait, eſt auditus ablata vetuſtate innovatus, quod eſt regnaturorum cum Chriſto: unde & Malchus (Heb. מלך *melech*) idem eſt quod *rex*: ſervitus enim eſt vetuſtas, ſanitas eſt libertas.

VERS. 52 *Jac. 18. 11. Petrus non bene hic gladium ſtringebat.*

TUNC AIT ILLI JESUS; CONVERTE GLADIUM IN LOCUM SUUM] Caſtigat hic Chriſtus Petri temeritatem, quod præter, imo contra voluntatem ſuam gladium ſtringeret. Erat ergo hic geminum Petri peccatum: Primum, quod percuteret contra voluntatem Chriſti: Secundum, quod percuſſio hæc non tam erat defenſio quam vindicta, qua Chriſtum tantæ turbæ militum eripere non poterat, ſed potius jam actius in Chriſtum concitabat, ſeque evidenti mortis periculo temere exponebat: licet Petrus zelo & fervore Chriſti tuendi abreptus, ait S. Chryſoſt. hæc vel horum aliqua non conſideraſſet, ſed potius memor fuerit quod Chriſtus paulo ante duos gladios ſumijuſſerat: unde inferebat, id eum juſſiſſe ad ſe defendendum. Quare percutiendo ſervum Chriſtum invadentem, ex mente Chriſti agere ſe putavit. *Ceſſet vindicta*, ait Interlinearis, *exhibeatur patientia, ut patientiam noſtros doceamus, non vindictam.*

B *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

OMNES ENIM QUI ACCEPERINT (temere & propria auctoritate, uti faciebat hic Petrus] GLADIUM, GLADIO PERIBUNT] *Acceperint*, in actu perfecto, ſcilicet ita ut alios feriant, vulnerent, occidant: nam alioqui accipere gladium dumtaxat non eſt malum, quia nulli injuriâ. Rurſum accipere gladiũ publica auctoritate ad puniendũ ſontes, uti faciunt magiſtratus in tribunali, & principes militeſque in bello juſto, licitum eſt & honeſtum. Per *gladium* quælibet arma & cædis inſtrumenta accipe. Ita Euthym.

Prima ratio cur Chriſtus ſe defendi vetet.

GLADIO PERIBUNT] Id eſt, digni ſunt, qui gladio pereant, rei ſunt mortis, lege talionis gladio plectendi ſunt, quæ lex eſt communis omnibus gentibus, & quaſi lex naturæ lata a Deo ſtatim a diluvio, Gen. 9. 6. *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*, ita Theophyl. hic, & S. Aug. in quæſt. veteris & novi teſtamenti c. 104. Chriſtus ergo legem antiquiſſimam de homicida morte plectendo hic renovat, & de novo ſancit; lequitur enim quaſi novus novæ legis legislator.

C Rurſum *gladio peribunt*, quia ſæpe gladiatores & homicidæ reipſa juſto Dei judicio & vindicta, gladio Dei judicis vel hoſtium in bello aut duello, vel ictibus ſerpentum aut ferarum, &c. pereunt, uti quotidiana docet experientia, multiſque exemplis id confirmat Plutarch. de Sera numinis vindicta. Fuit enim hic communis gentium etiam barbarum ſenſus, unde Melitenſes videntes Paulum a vipera invadi, dicebant: *Utique homicida eſt homo hic*, quia cum evaſerit de mari, *ultio non ſinit eum vivere*, Act. 28. 4.

Porro Chriſtus hic *inſinuat*, ait Theoph. *quod Judæi contra ſe gladium accipientes, Romanorum gladio eſſent perituri*. Properibunt noſter Interpres in Græco legit, ἀπολοῦνται: jam legunt ἀπολοῦνται, id eſt, morientur; ſed idem eſt ſenſus.

Addit Lucas c. 22. Chriſtum dixiſſe: *Sinite uſque hic*, id eſt, deſinite ulterius ſtringere gladios: ſatis, o Apoſtoli, percuſſum, ſatis dimicarum eſt, ſic enim ſolemus duobus duellantibus aut pluribus rixantibus, & dimicantibus inclamare: ſinite, ſatis eſt; ne ad ulteriores rixas aut pugnas procedant.

D Aliter Cajetanus. q. d. *Sinite*, id eſt, permittite, o Apoſtoli, Judam & Judæos ſervire in me *uſque huc*, id eſt, uſque ad hanc horam eorum, hoc eſt, quamdiu durat hæc eorum hora & poteſtas tenebrarum. Hinc Maldonatus & alii colligunt, cæteros Apoſtolos videntes Petrum tam animoſe depugnantem pro Chriſto, ipſos quoque pro eodem voluiſſe certare, ſed prohibitos a Chriſto cum dixit, *Sinite uſque huc*. *Noluit enim*, ait S. Ambr. in c. 22. Luc. *perfectorum vulnere defendi, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare*. Unde emblema, *Ex vulnere ſalus*: quod proprie Chriſto competit, *cujus livore ſanati ſumus*, ut ait Petrus.

Ex vulnere ſalus.

VERS. 53 AN PUTAS QUIA [quod] NON POSSUM ROGARE PATREM MEUM, ET EXHIBEBIT MIHI MODO PLUSQUAM DUODECIM LEGIONES ANGELORUM?] Eſt ſecunda ratio, qua Chriſtus inhibet prætenſam a Petro defenſionem. q. d. Non egeo re defenſore, qui ad manum habeo omnes angelorum exercitus, quorum unus omnes illos ſternere ſufficit, ſicut unus ex eis cecidit 185. millia Aſſiriorum, 4. Reg. 19. 35. *Etenim*, ait Chryſoſt. *ſi unus angelus centum octoginta quinque armatorum millia interfecit, quia facerent duodecim legiones angelorum in mille viros? Ita ad imbecillitatem atq; timorem eorũ, qui metu jam ſemimortui erant, ſermonem accomodavit*. Nam ipſe Chriſtus, utpote Deus, angelorum ope non egebat, quia, ut recte advertit Origen, *magis angeli opus habent auxilio unigeniti Filii Dei, quam ipſa eorum*. Unde illud Daniel. 7. 10. *Millium millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*. E

Secunda.

Porro, *legio* nomen eſt militiæ Romanorum, qui tempore Chriſti dominabantur Judææ & Judæis; continebat autem ſex millia militum, ait S. Hieron. hic, & Vegetius l. 2. de Re milit. cap. 2. ſic duodecim legiones facerent 72. millia angelorum. Alii cenſent legionem continuiſſe 12. millia & quingentos. Legio enim, inquiunt, continebat decem cohortes, cohors 50. manipulos, manipulus 25. milites; hoc computu 12. legiones facerent centum & quinquaginta millia angelorum. *Legio quid.*

Parce & modeſte loquitur Chriſtus. Vere enim dicere poterat: Si velim, Pater meus illico dabit mihi centum vel mille milliones, imo centum millia millionum angelorum: nam decies millies centena millia aſſiſtunt ei, ut ait Daniel. Angeli enim ſunt innumeri, adeoque ſuperant numerum omnium creaturarum, etiam hominũ, qui unquam fuerunt, ſunt & erunt, ut docent S. Dionyſius de Cæleſt. hierarch. c. 9. D. Thom. & Scholaſtici 1. p. q. 50. art. 3. F

Angeli in auxilium invocandi.

Docet nos hic Chriſtus in omni periculo, tentatione & afflictione invocare ſanctos angelos, præſertim cuſtodes noſtros: hi enim ſapientiſſimi ſunt, potentiſſimi, & noſtri amantiſſimi, quia ſciunt hoc Deo gratum eſſe, imo ſibi imperatum, juxta illud Pſ. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, Et Pſal. 33. *Immittet* (Heb. חנה *chano*, id eſt, *caſtra metabitur*) *angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, uti angelorum caſtra eripere Jacob e manu Eſau Gen. c. 32. 1. & c. 28. & 32. & Eliſeum e manu Syrorum, 4. Reg. 6. 17.

VERS. 54 QUOMODO ERGO IMPLEBUNTUR SCRIPTURÆ (quæ quaſi oracula Dei dicunt & prædicunt) QUIA SIC OPORTET FIERI) Ut ſcilicet ergo Chriſtus capiat, patiar, & moriar ad redimendos homines: *Nam ſi Scripturæ quoque ita vocabuntur*, ait Chryſoſt. *quid vos repugnatis?* Eſt tertia ratio, qua Chriſtus ſe armis defendi vetat, quod Scripturas de paſſione ſua prophetantes oporteat impleri, qualis eſt pulcherrima illa Haiæ toto cap. 53. & Davidis Pſ. 21. & Daniel. c. 9. v. 26. & ſeq. *Cum ergo*, ait Origenes, *poſſet accipere legiones, nolebat accipere, ut per patientiam ejus implerentur Scripturæ prophetantes de ipſo, quoniam ita eum pati conveniebat*. Hanc enim reverentiam debemus S. Scripturæ quaſi verbo Dei, ut illi non repugnemus, ſed conſentiamus, illamque in nobis adimplcamus. Dices, Ergo Judæi non peccarunt occidendo Chriſtum, quia adimpleverunt Scripturas prædicentes ejus cædem. Reſp. Athanaſius tract. de Paſſione & cruce, negando conſeq. *Neque enim*, inquit, *inſervientes prophetiis verbis iſta contra Chriſtum auſi ſunt, ſed ſuo ipſimet ſtudio ſponte, volenteque illa perpetraverunt, ut non Prophetarum rerum auctor ſis aut cauſa, ſed ipſorum voluntas; quin potius ipſi cauſa fuerunt, ut talia de ipſis Prophetæ prædivinarent*. Judæi ergo hoc ſacrilegium, christicidium & deicidium ex ſuo ſcelere, malitia & odio in Chriſtum perpetrarunt, idque futurum prævidentes Prophetæ prædixerunt dumtaxat, non autem probarunt, aut Judæis ut id facerent imperarunt. Deus autem juſſit Chriſto, ut hoc Judæorum odium & cædem patiendo in ſe exciperet, itaque pro hominum peccatis ſatisfaceret. Unde illud: G

Cum Judæi implevorint Scripturas de occidendo Chriſto, an peccarint?

Actio diſplicuit, paſſio grata fuit.

H

Actio (Judæorum) *diſplicuit*; *paſſio* (Chriſti) *grata fuit*. Hinc S. Leo ſer. 1. de Paſſ. *Nihil*, ait, *vobis gratia, o Judæi, nihil tibi, Juda, debemus. Salvationis quidem noſtræ, non hoc vobis volentibus, impietas veſtra ſervivit, & per vos factum eſt, quidquid manus Dei & conſilium decrevorum fieri: mors igitur nos liberat, vos accuſat; meritò ſoli non habetis, quod omnibus perire voluiſtis*. Vide dicta Actor. 2. v. 23.

Quarta.

Quartam Chriſti rationem addit S. Joan. c. 18. 11. dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* q. d. Deus hunc paſſionis calicem ab æterno decrevit, & nunc hoc tempore mihi propinat, cur ergo non avide illum de manu Dei mei excipiam, lætuſque exhauriam? Nota. Paſſionem & mortem ſuam, quam paulo ante v. 40. ut calicem fellicum & amariſſimum, deprecatus eſt Chriſtus; hic cognita Patris voluntate amplectitur ut calicem melleum & ſuaviſſimum. Quid enim ſuavius quam Deo parere, Deo ſe in holocauſtum offerre, Deo ſe victimam pro ſalute hominum efficere? *Quam dulciter*, ait S. Bern. ſer. 2. in Pentecoſte, *Domine Jeſu cum hominibus converſatus es, quam abundanter multa & magna bona hominibus largitus es, quam fortiter tam indigna, quã aſpera pro hominibus paſſus es, ſitant liceat fugere mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo?*

Paſſionem ſuam ut calicem melleum ipſe dixit ut Chriſtus.

Duro

Digitized by Google

A *Duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda; quia in omnibus his sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.*

VERS. 45 IN ILLA HORA DIXIT JESUS TURBIS: TAMQUAM AD LATRONEM EXISTIS CUM GLADIIS ET FUSTIBUS COMPREHENDERE ME: QUOTIDIE APUD VOS SEDEBAM, DOCENS IN TEMPLO, ET NON ME TENUISTIS.

Luc. 22. c. 52. 53 Marc. 14. v. 48. 49.

Postquam Christus castigavit Petrum & Apostolos gladios stringentes, nunc pariter & magis castigat Judam & Judæos, volentes se comprehendere. Ubi miram animi celsitudinem, libertatem & tranquillitatem ostendit. Dixit enim hæc cum adhuc esset liber, antequam caperetur, atque his verbis iis se vinciendum liberrime obtulit.

Ordo erga Christi.

Hic enim fuit rei gestæ ordo: Christus prostratis in terram Juda & Judæis, cum ab eis jam surgere permissis iterato rogasset, quem quærerent? illique dicerent *Jesum*, ipse ait, *Ego sum*, ac se eis capiendum obtulit. Accesserunt illi ut eum caperent. Id videns Petrus gladium strinxit, Malchoque aurem amputavit. Mox Christus eum repressit & pugnam dirimit, statimque Malcho aurem restituit. Deinde conversus ad Judæos ait, *Tamquam ad latronem*, &c. q. d. Pudere vos deberet, quod ad me ut latronem capiendū noctu cum facibus & lictoribus veniatis: ego enim non sum furtivus latro, sed publicus Judæorum doctor, qui publice in templo quotidie docui: cur ibi me non cepistis? Scio enim quod ob doctrinam meam, qua pontificum & Pharisæorum vitam vitiaque redargui, ipsi vos miserunt ad me capiendum. Sed nimirum scio pariter ipsos non ausos fuisse me capere in templo meto populi, qui ab ore meo quasi magni Prophetæ pendebat. Agite ergo quandoquidem ita vobis lubet, me ut latronem furtivum furtim hic comprehendite, en me vobis ultro offero, & libere me in manus vestras dedo, corpus meum vobis in prædam do, illud vincite, trahite, rapite, verberate, lacerate, ut lubet, qua potestate a Christo accepta, accesserunt satellites, Christumque ligarunt & comprehenderunt, ut subdit Lucas: qui & addit Christum dixisse: *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, id est, dæmonum & impiorum, quales vos estis. q. d. Congrue noctu in tenebris venitis ad me capiendum, quia ego sum lux mundi, & lucem veritatis in luce diei publice docui: vos vero, o Judæi impii, quia estis tenebriones, & lucem hanc fugitis, tenebrasque errorum & vitiorum amatis, idcirco in tenebris me capitis. *Ideo*, ait Beda, *in tenebris adversus me congregamini, quia, potestas vestra, qua contra lucem mundi armamini, in tenebris est*, Et Theophyl. *Revera*, ait, *noctis attentatis opera, & potestas vestra tenebrarum est: atque idcirco hanc horam observatis, quæ convenit vobis & operi, quo me invaditis*. Nam, ut ait Christus Joan. 3. v. 19. *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. Quocirca S. Leo ser. 8. de Passione: *Irruerunt, ait, in lumen verum, filii tenebrarum, & utentes faculis atque lanternis, non evaserunt infidelitatis suæ nocte, quia non intellexerunt lucis auctorem. Occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi: qui si vellet obniti, nihil quidem in injuriam ejus impiæ manus possent; sed mundi redemptio differretur, & nullu salvaret illæsus, qui pro omniu salute erat moriturus.*

B

D Porro non ante, sed post hæc verba Christi, Judæos manum injecisse in Christum, eumque cepisse & tenuisse, patet ex Luca, qui post hæc verba statim subjicit: *Comprehendentes autem eum*, &c. Quod ergo Matthæus v. 50. ante Petri percussionem & amputationem auris Malchi, statim post osculum Judæ ait: *Tunc accesserunt, & manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum*, ordine partim recto, partim inverso & convoluto dictum est. Recto dicitur *τὸ tunc accesserunt*: involuto, *τὸ manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum*. Hoc enim posterius contigit, scilicet post amputationem & sanationem auris Malchi; si enim tunc manibus ligatis fuisset Christus, non potuisset iisdem aurem capiti Malchi applicare & restituere. Nimirum Matthæus more suo voluit una sententia narrare comprehensionem Christi, ne secundo cogeretur eam recensere: quare simul narrat id, quod prius contigit, scilicet, quod accesserunt ad capiendum Jesum, & id quod posterius accidit, scilicet quod in eum reipsa manus injecerint, eumque tenuerint.

Atrox comprehensio Christi. Primo.

Denique quam atrox, indigna & acerba Christo fuerit hæc ejus comprehensio, æstimari potest ex multis. Primo, quod captus sit tamquam latro ipse qui erat innocentissimus, & summe in omnes beneficus, imo Sanctus Sanctorum, adeoque qua Deus, ipsa immensa & increata puritas & sanctitas. Secundo, quod captus sit ab hominibus vilissimis, pessimis, sibique inimicissimis, quales erant Scribæ & Judæi. Unde conjici potest quam atrociter instar jumenti, imo latronis, ab iis fuerit ligatus, protrusus, protractus, illusus, cæsus, blasphematus. Tertio, quod Apostoli, cæterique omnes eum deseruerint, ut solus quasi agnus innocens, Judæis se in prædam daret. Quarto, quod hisce suis vinculis ex æquo voluerit expiare, & dissolvere vincula peccatorum nostrorum, quæ gravissima & durissima sunt. Unde Jeremias eum miserans gemendo & suspirando ait: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus*. Thren. 4. 20. Quinto, quod hisce suis catenis voluerit animare, roburque impetrare Christianis, præsertim Martyribus, ut carceres & catenas animose sustinerent, in iisque exultarent & gloriarentur, ut gloriatur Paulus Ephes. 3. 1. Ubi vide S. Chrysost. Multorum autem Martyrum atroces fuere catenæ, sed longe atrociores Christi, ut atrociratem Martyrum superando leniret.

Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

E

F Porro turbam hanc fuisse mille militum, & insuper plurium satellitum & ministrorum pontificum, liquet ex Joan. c. 18. 12. ubi ait, *Cohors & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum*. Cohors enim continebat mille milites. Unde pro *tribunus*, græce est χιλίαρχος id est, præfectus mille militum.

VERS. 40 HOC AUTEM TOTUM FACTUM EST, UT ADIMPLERENTUR SCRIPTURÆ PROPHETARUM] Hæc verba non sunt Christi, ut vult Chrysost. sed Matthæi verba Christi v. 54. repetentis, & confirmantis ad historiæ illustrationem, & Christi commendationem. q. d. Hæc indigna Christi comprehensio, cæteraque, quæ passus est Christus, non violentia militum, non etiam casu & fortuito illi acciderunt; sed ex destinata præordinatione, consilio & decreto Dei, qui prævisa Judæorum malitia ab æterno decrevit singula Christi tormenta, voluitque ut Christus ea in se susciperet, & pateretur pro salute hominum, ideoque voluit, ut Prophetæ ex ore Dei illa prædicerent & prophetarēt.

Luc. 22. 53. Marc. 14. v. 49. 50.

TUNC DISCIPULI OMNES, RELICTO EO, FUGERUNT] Ecce hic adimpletur Christi de fuga hac vaticinium editū v. 31. *Fugerunt*, quia viderunt jam Christum quasi superatum, captum & oppressum a Judæis, ut nulla jam evadendi, aut eum juvandi superesset spes; quare timentes ne & ipsi caperentur, maleque mulctarentur a Judæis, Christo Domino suo tam infensis & infestis, fugam inierunt. Ex fuga hac tamen paulo post animum resumentes rediere Joannes, & Petrus sequens Jesum a longe. Unde Beda in Marci c. 14. v. 49. *Promptiores fuere*, ait, *ad fugæ præsidium, quam ad fiduciam patiendi cum Christo*. Nam, ut ait Orig. *Nondum erat eis Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*, Jo. 7. 39.

G

An fuga Apostolorum licita? Affirmant aliqui.

Quæres, an fuga hæc Apostolorum fuerit licita? Resp. Nonnulli putant, nullam aut parvam in fuga hac fuisse culpam, eo quod Apostoli fide & mente interius adhæserint Christo, exterius vero fugerint, quia Christo prodesse non poterant, sed obesse. Sapienter ergo fugisse, ne se in discrimen, vel Christum negandi vel dura patiendi conjicerent: necdum enim receperant robur Spiritus sancti: hoc enim postea receperunt in Pentecoste, quo recepto intrepide se Judæis, carceribus, vinculis, flagellis, crucibus, gladiis, leonibus, ignibus objecerunt. Fuit ergo hic fugę actus ex timore imperfectus, & a perfectione constantię deficiens: at non illicitus & sceleratus.

H

Melius negant alii.

Alii vero censent eum fuisse illicitum, quia pueant eum processisse ex diffidentia Christi, quod videntes eum capi & obrui a Judæis, pristinam in eum fidem & spem amiserint, desperantes se ab eo posse juvari, & defendi. Unde eo inconsulto fugerunt; quare ipso facto & fuga sua ejus potestatem, ipsumque esse Christum tacite negarunt. Vide dicta v. 31. ubi dixi prius videri verius. Apostoli ergo fugientes a Christo peccarunt venialiter, quia subito & nimio pavore (qui pavido rationem & memoriam eripere solet) consternati, ex pusillanimitate & diffidentia, sine ejus jussu vel nutu diffugerunt. Experti enim toties Christi opem in periculis, eamdem hic sibi affore confidere debebant, præsertim cum videret Christum solo verbo: *ego sum*, prostraviſſe omnes satellites, eisque jussisse: *Sinite hos abire*. Debebant ergo ab eo consilium & auxilium petere, ac dicere: Domine adjuva nos. Et quid vis, ut faciamus? Et Christus utique eos adjuvisset, & dixisset quid eis faciendum esset. Quare probabile est eos charitatem non perdidisse, multo minus fidem. Vide dicta v. 31.

Addit Marcus c. 14. 51. adolescentem quemdam sequen-

Digitized by Google

A teto, relicta Judæis sindone sua nudum aufugisse: quis hic fuerit, & quare id fecerit, dicam Marco.

VERS. 57 Luc. 22. 54 Mar. 14. 53

AT ILLI TENENTES (græce, κρατήσαντες, id est, postquam eum comprehendissent, & in suam potestatem redigissent, illi quasi reo victoque dominantes) JESUM, DUXERUNT AD CAIPHAM PRINCIPEM SACERDOTUM, UBI SCRIBÆ ET SENIORES CONVENERANT] Addit Joannes c. 18. 13. Jesum prius ductum fuisse ad Annam, qui erat socer Caiphæ, sed obiter & quasi in transitu. Fecerunt id vel honoris causa, ut seniorem Annam venerarentur, vel quod Annas præ cæteris optaret & laboraret ut Christus caperetur. Unde S. Cyrillus & Franc. Lucas putant in domo Annæ persolutum esse Judæ proditionis Christi pretium; vel, ut opinatur S. Aug. quod domus Annæ quasi in via esset euntibus ad Caipham, qui illius anni erat pontifex, de quo plura Joann. 18. 13. nam in domo, non Annæ, ut nonnulli opinantur ex verbis Joannis, sed Caiphæ, contigisse primum Christi examen, alapamque ei incussam, ac Petri primam Christi negationem æque ac duas sequentes, liquet ex Matthæo, Marco, & Luca, idemque

Ad quem ductus fuerit primum Christus?

B insinuat Joannes c. 18. 19. dicens: *Pontifex ergo interrogavit Jesum.* Pontifex enim anni illius erat Caiphas, non Annas ut ipse dixit v. 13. qua quod subdit Joann. v. 24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*, intellige per epanalepsin, *& misit*, hoc est, jam enim miserat Annas Christum ad Caipham pontificem, qui eum, ut paulo ante dixi, examinavit, & interrogavit de doctrina & discipulis. Revocat enim Joannes id, quod omiserat, ne quis ex præcedenti ejus narratione putaret Christū ab Anna, non a Caipha pontifice examinatum. Unde nonnulli verba Joann. v. 24. jam citata transferunt & anteponunt, statimque post v. 13. ubi narravit Jesum ductum fuisse ad Annam, subjiciunt, uti subjicit S. Cyrillus. Ita Origenes, S. Aug. de Consensu Evang. c. 6. Jansenius & alii passim.

CONVENERANT] Non dicit convocabantur, quia jam convocati erant, cum Judas a Caipha satellites ad Christum comprehendendum petiisset: tunc enim Caiphas convocavit Scribas, & seniores, ut, adducto a Juda Jesu, statim eum judicarent & damnarent: immane enim in Christum reprehensorem suum odium conceperant, ideoque sitiebant ejus necem, & ad horam necis anhelabant:

C qua de causa in domo Caiphæ *pernoctabant vigilantes*, ait Chrysost.

VERS. 58 Luc. 22. v. 54. 55. Mar. 14. 54 Joan. 18. v. 15. 16.

PETRUS AUTEM SEQUEBATUR EUM A LONGE, USQUE IN ATRIUM PRINCIPIS SACERDOTUM. ET INGRESSUS INTRO, SEDEBAT CUM MINISTRIS, UT VIDERET FINEM] Cæteris Apostolis in fuga alio dilapsis, solus Petrus ex fuga colligens animum, restitit, & partim ex curiositate, partim & magis ex amore Jesu magistri sui, secutus est eum jam a satellitibus captum, cum ab eis duceretur ad Annam & Caipham, sed *a longe*, ne a satellitibus comprehenderetur, tum quia discipulus erat Jesu, tum quia Malcho aurem amputarat. Quod ergo fugit, timoris fuit; quod rediit, amoris timorem superantis. Unde S. Ambr. Luc. c. 22. *Petrus*, ait, *in hoc nobis maxima est admiratione reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. Metus natura est, cura pietatis: alienum, quod timet; suum, quod non fugit: quod sequitur, devotionis; quod negat, obreptionis.* In Petro ergo luctabantur timor

Petrus a longe Christum captū sequitur.

D & amor: hic amor vicit timorē: sed mox in tentatione gravi timor vicit amorē, cum timens ministros negavit Christū.

USQUE IN ATRIUM PRINCIPIS SACERDOTUM] puta Caiphæ pontificis. Modum & rei gestæ seriem distinctius narrat Joann. cap. 18. 15. dicens: *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.*

An discipulus sequens Christum cum Petro fuerit S. Joannes?

Discipulum hunc fuisse S. Joannem Apostolum censet S. Chrys. Theoph. Euthym. S. Hier. in Epitaph. Marcellæ ad Principiam, ac Lyranus, qui ait, Joannem notum pontifici, quod ei soleret vendere pisces, aut quod aliquis ex cognatis ejus famulus esset pontificis. Niceph. lib. 1. c. 28. aliam dat causam; scilicet quod Joannes hereditatem suam vendidisset pontifici. Verius est non fuisse Joannem, nec alium Apostolorum, tum quia Apostoli erant noti & familiares Christi, non vero pontificis. Assidue enim versabantur cum Christo, tum quia sicut Christus, sic & discipuli ejus, exosi, exosi erant pontifici: unde a ministris pontificis in ejus domum non fuissent admissi, imo fuissent comprehensi & capti. Quocirca Syrus vertit, *unus ex discipuli aliis*. q. d. Unus non ex Apostolis, qui publici erant Christi discipuli, sed ex aliis secretis Christi discipulis, qui ejus fidem occulte audierant & sectabantur.

A

ET INGRESSUS INTRO (non in domum, ubi Jesus examinandus erat a pontifice & concilio, sed in atrium domus Caiphæ, SEDEBAT CUM MINISTRIS] *Non appropinquabat loco, ubi erat Jesus*, ait S. Hieron. *ne ministris aliqua suspicio nasceretur, sed sedebat cum eis ad ignem calefaciens se, quia frigus erat*, ut habent Joannes, Lucas & Marcus. Erat enim frigus acre, quale solet esse postu die 25. Martii. Peccavit imprudentia & temeritate Petrus, quod se ministris inseruerit, & exposuerit periculo, vel cum ministris lacerandi famam Christi, vel, si id non faceret, subeundi vinculo & verbera, uti eventus docuit. Nam mox rogatus de Christo, cum negavit. Vere Eccl. c. 3. 27. *Qui amat periculum*, ait, *in illo peribit*. Quare in tentatione & persecutione debiles & timidi fugiant oportet, ut periculo lapsus se subducant.

UT VIDERET FINEM] An scilicet Jesus a pontifice & concilio damnaretur ad mortem, an absolveretur, vel ipse Jesus se periculo liberaret. Si damnaretur, sibi fuga consuluisset: sin absolveretur, ad eum quasi discipulus officiose rediisset,

F

VERS. 59 Mar. 14. 55

PRINCIPES AUTEM SACERDOTUM, ET OMNE CONCILIUM, QUÆREBANT FALSUM TESTIMONIUM CONTRA JESUM, UT EUM MORTI TRADERENT] Præmittenda hic sunt quæ narrat Joannes cap. 18. 19. dicens: *Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus sim ipsis, ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?*

Interrogatur Christus a Pontifice.

Hæc interrogavit Caiphas, ait Euthymius, *volens Christum arguere tanquam novæ rei inventorem, ac seditiosum, quasi conciliabula facientem, novaque dogmata inferentem.* Pontificis enim erat investigare de hæreticis & hæresibus, ac novis sectis & errotibus. Porro Jesus fretus conscientia & æquitate causæ, licet inter medios hostes positus, posito omni eorum metu, animose æque ac prudenter & confidenter respondet pontifici, se publice docuisse, & publicos extare, imo præsentes esse, doctrinæ suæ auditores & testes, licet sibi inimicos & in mortem suam conspirantes: ab illis ergo peteret, quid ipse docuisset. Nullum enim certius innocentiæ & sanæ doctrinæ testimonium, quam quod petitur ab auditoribus, iisque inimicis. Si enim ipse Christus doctrinam suam edixisset, dixissent ipsum metu damnationis & mortis alia dicere in concilio, quam publice docuisset. Unde Chrysost. *Non arroganter respondet*, inquit, *sed fretus veritate. Id enim veritatis maximum est argumentū, cum quis inimicos in eorum quæ dicit testimonium adducit.* Unde ait. *Quid me interrogas* &c.? q. d. Cur, o larvate pontifex, me insidiose & captiose interrogas, ut ex ore meo verbum aliquod elicias, ob quod me calumnieris & condemnes? jam per triennium publice docui in templo: scis, vel facile scire potes ex communi populi me audientis sensu, quid ego docuerim. Si id nescis, vanus es pontifex, qui doctrinæ & doctorum publicorum per triennium curam nullam habuisti. Si tamen nunc id scire vis, interroga astantes hic inimicos meos, qui sæpe me audierunt, Proferant illi, si possunt, verbum aliquod minus vere, vel sane a me dictum. Scio enim eos in veritate id facere non posse.

G

H

Porro quod ait Joann. *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu*; S. Cyrillus putat hunc sensisse se tangi verbis Christi eo quod missus a Scribis ad Jesum audiendum & capiendum, ejus doctrinam admiratus rogatusque cur eum non cepisset, responderit: *Numquam locutus est homo sicut hic homo*, Joann. 7. 46. voluit ergo hanc notam delere, dando alapam Jesu. *Ipsos enim astantes monstravit*, ait Cyrillus l. 11. in Joann. c. 45. *qui & pulchritudinem doctrinæ suæ fuerant admirati, & Judæorū impietatis erant ministri.*

Dedit alapam Jesu; Syrus, *percussit maxillam*, ut adularetur pontifici, quasi honoris ejus vindex. Alapam hanc armata, ut videtur, manu incussam valde atrocem, æque ac ignominiosam fuisse liquet ex vultu sancto, quem Christus impressit velo Veronicæ, quod Romæ in basilica S. Petri reli-

Christo colaphus impingitur.

Digitized by Google

religiose servatur, & in hebdomada passionis populo ostenditur. Quare merito stupet & exclamat S. Chrysost. *Quid hoc impudentius? exhorrescat cælum, contremiscat terra de Christi patientia, & servorum impudentia.* Et S. Cyrill. *Universam*, ait, *creaturam perhorruisse puto, si sensum hujus rei habuerit. Dominus enim gloriæ impia manu hominis cædebatur.* Mirum est manum hanc illico non exaruisse, ignique contabuisse, imo quod terra dehiscens vivum hunc hominem non absorbuerit, miseritque in tartara. Impedivit hoc lenitas & charitas Christi, expectans vocansque eum cum sociis ad pœnitentiam & salutem ac reipsa multos ex eis sanctificans & salvans, ut patet Actor. 2. 37. Hoc est quod de Christo gemens, vel magis admirans prædixit Jeremias Thren. 3. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

Hisce a Joanne narratis, jam sunt subtexenda sunt, quæ hic narrat Matthæus; scilicet cum Jesus pontificem de doctrina rogantem, remisisset ad suos auditores, pontificem ex præsentibus, qui Jesum audierant, quæsisse, numquid pravi vel erronei eum docentem audissent. *Quærebant* ergo *falsum testimonium*, quin verum se inventuros desperabant, ob summam Christi sapientiam, veritatem, & sanctitatem toti populo notissimam.

UT EUM MORTI TRADERENT] Hic enim erat eorum scopus, & finis, ad quem falsos testes quasi medium necessarium inquirunt, cum finis & forma tribunalis & judicii sit nullum damnare, nisi qui veris testibus de crimine convictus sit, falsos vero testes pœna talionis punire. Volebant enim ut famæ suæ consulerent, non videri latrones, sed æqui judices Christi: quare litem judicialem illi intentant, sed ita ut judices sint ipsi ejus accusatores, & quasi jurati in necem ejus hostes, quod est contra omnem judicii formam & æquitatem. Ita Chrys. *Habitum judicii*, ait, *& figuram insidiis prætexunt*; scilicet, ut ait Victor Antioch. in c. 14. Marci, *insidias suas tribunalis schemate pallientes.* Rursum volebant eum per Pilatum, præsidem Romanum damnari ad mortem. Sciebant autem Pilatum more Romano id non facturum, nisi Christo crimen aliquod dignum morte impingeretur, idque per testes probaretur. Quærunt ergo principes falsos testes contra Jesum, ut vitæ auctorem & salvatorem mundi morti tradant, nimirum quia ipsis insciis & invitis Deus decreverat, per mortem Christi dare nobis vitam præsentem & æternam.

ET NON INVENERUNT, CUM MULTI FALSI TESTES ACCESSISSENT. NOVISSIME AUTEM VENERUNT DUO FALSI TESTES] *Nullam*, ait Origenes, *verisimilitudinem reprehensionis invenerunt in eo mali, licet essent & multi, astuti & ingenioso*, &c. *Adeo munda fuit vita Jesu, & omnino irreprehensibilis*: quia quæcumque hi testes proferebant, vel falsa erant, vel sibi invicem contraria, vel impertinentia, ut propter ea Christus reus mortis peragi non posset. *Duo falsi testes*: cur dicantur falsi, dicam v. seq.

ET DIXERUNT: HIC DIXIT, POSSUM DESTRUERE TEMPLUM DEI, ET POST TRIDUUM REÆDIFICARE ILLUD] Dixerat id Christus Joann. 2. vers. 19. sed hoc modo & hisce verbis; quærebant ex eo Judæi: *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* q.d. Quod signum das tuæ potestatis, quodque sis missus a Deo? Respondit Jesus, eisque hoc dat signum. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Dicuntur tamen hi *falsi testes*, quia licet ex parte verum dicerent, ipsam Christi sententiam citando, tamen ex parte dicebant falsum, quia tam verba, quam sensum Christi depravabant. Verba Primo, quia Christus non dixerat: *Possum destruere*, sed *solvite*, id est, si solveritis, vos scilicet, non ego. Secundo, quia Marcus ait eos addidisse *τὸ manufactum*, dicendo: *Ego dissolvam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo.* Hoc erat falsum, quia nil tale habet Joannes. Tertio quia Christus non dixerat, *Post triduum reædificabo*, sed *excitabo illud*, hoc est suscitabo a mortuis.

Sensum pariter depravabant, quia Christus non de templo Salomonis, sed de corpore suo loquebatur, in quo quasi in templo, plenitudo divinitatis inhabitabat, Colos. 2. 9. Unde subdit Joannes: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Judæis enim ibidem signum petentibus, Christus dat signum resurrectionis. q.d. Cum solveritis templum corporis mei, ego tertio die illud a morte suscitabo, atque ex hoc signo cognoscetis me cœlestem & divinum esse hominem, e cœlis a Deo missum. Ita Origenes, S. Hier. Chrysost. & alii. Poterat Christus clare dicere: Ego a mortuis resurgam, sed noluit; voluitque uti ænigmate templi, tum quia apud cavillatores, quales erant Judæi, non clare, sed tecte & symbolice loqui oportet; tum ut hoc obscuro sermone daret occasionem passioni suæ: sciebat enim Judæos ob hoc ænigma male intellectum eum accusaturos, & reum mortis peracturos. Hinc subdit Marcus: *Et non erat conveniens testimonium illorum*; vel, ut clarius habent Græca, *neque sic erat conveniens testimonium illorum*: tum ob rationes jam dictas, tum quia hæc verba Christi etiamsi prima fronte videri possent inanis esse jactantiæ, quod se tam potentem diceret, ut in tribus diebus posset templum diruere & reædificare, nemini tamen erant noxia vel injuria, ut ob ea Christus reus mortis peragi posset.

ET SURGENS PRINCEPS SACERDOTUM AIT ILLI: NIHIL RESPONDES AD EA, QUÆ ISTI ADVERSUM TE TESTIFICANTUR? JESUS AUTEM TACEBAT] *Surgens*, ex indignatione, quod Jesus taceret, & accusationem hanc quasi futilem contemneret, & silentio confutaret. Rursum *surgens*, ut indignitatem & gravitatem criminis Christo objecti ostenderet, quasi Christus hoc suo dicto, templi magnificentiam, religionem & sanctitatem elevasset, & violasset.

JESUS AUTEM TACEBAT] Cur? Prima causa erat, quia, ut dixi, accusatio nullum crimen morte dignum continebat, sed tantum inanem jactantiam; quare refutatione non egebat.

Secunda: *tacebat*, quod, *sciret*, ait S. Hieron. *quidquid tandem respondisset, torquendum ad calumniam.* Nam ut ait S. Chrysost. *Figura ibi damnatæ judicii erat, res autem ipsa latronum impetus.*

Tertia: *tacebat*, quia totum se ad damnationem & mortem a Patre sibi decretam componebat; quare nolebat se excusando mortem evadere, sed tacendo damnari & opprimi.

Quarta: auctor Comment. in Marcum cap. 14. apud S. Hier. *Taciturnitas Christi*, ait, *apologiam Adæ absolvit.* q. d. Tacuit Christus, ut silentio suo satisfaceret prostultiloquio Adæ, quo peccatum suum, de quo arguebatur, a Deo, excusavit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; & mulieris se excusantis dicentisque: *Serpens decipit me.* Genes. 3. 12.

ET PRINCEPS SACERDOTUM AIT ILLI: ADJURO TE PER DEUM VIVUM, UT DICAS NOBIS SI TU ES CHRISTUS FILIUS DEI] Videns pontifex sibi a Jesu non responderi, & ob id indignans, eum per Deum adjurat, ut per adjurationem & nominis divini reverentiam eum respondere compellat, *Adjuro.* q.d. Ego pontifex in terris Dei sum vicarius, quare ex Dei auctoritate mihi commissa invocato in testem Deo, tibi mando, teque conjuro, ut respondeas: An tu sis Christus, qualem te esse dixisti & docuisti. Vide dicta c. 5. 7. Hic tangit Caiphas punctum litis & causæ totius. Jesus enim dicebat se esse Messiam, sive Christum a Deo ad salutem hominum cum summa potestate missum: pontifex vero & seniores a Christo sæpe taxati, id pertinaciter negabant. Caiphas ergo id rogat non ut id cognoscat, sed ut eum condemnet. Si enim diceret Jesus se esse Christum, eum ut blasphemum reum mortis peragebat: sin diceret, se non esse Christum, replicasset. Cur ergo apud populum te pro Christo Dei Filio venditasti? itaque eum, ut pseudoprophetam condemnasset, quod æqualem se Deo fecisset, ut ei objecere Judæi, Joan. 5. 19. Tota enim odii & invidiæ pontificum & Scribarum in Christum causa erant, quod ipse vilis & plebejus, ut videbatur, homo diceret se esse Christum, Deique Filium, ideoque sine eorum licentia prædicaret, ac frivolas eorum traditiones contemneret, atque prava eorum vitia sceleraque publice & acriter castigaret.

DICIT ILLI JESUS: TU DIXISTI] id est *ego sum*, ut habet Marcus 14. 62. Christus adjuratus a pontifice licet perversio & insidioso, ut calumniam & necem sibi strueret, respondit tamen candide & clare se esse Christum, tum ut reverentiam nomini divino, per quod adjurabatur, ac simul ipsi dignitati pontificiæ, a qua adjurabatur, honorem & obedientiam alias debitam deferret. Secundo, ut hoc responso *omnem eorum tolleret excusationem*, ait Chrys. ne scilicet ipsi apud homines, & apud Deum in die judicii se excusare possent, cur in Jesum non credidissent, imo eum occidissent, eique dicerent: Interrogavimus Jesum num ipse esset Christus juridice in concilio, ipse vero tacuit vel ambigue respondit, quare non obligabamur eum ut Christum recipere, & in eum credere.

VERUMTAMEN DICO VOBIS: AMODO VIDEBITIS FILIUM HOMINIS SEDENTEM A DESTRIS VIRTUTIS DEI, ET VENIENTEM IN NUBIBUS CÆLI] *Amodo*, hoc est, ex

Digitized by Google

A hoc tempore, post mortem meam, scilicet in die judicii; nec enim alias Christum erant visuri. *Sedentem a dextris virtutis*, græce est δυνάμεως, id est, potentiæ *Dei*. q. d. Videbitis me, qui vobis dumtaxat filius hominis esse videor, etiam esse vere Filium Dei proprium & naturalem, cum in die Judicii videbitis me considere ad dextram Dei Patris omnipotentis, id est, æqualis cum eo esse dignitatis, majestatis & gloriæ. Alludit ad psal. 109. 1. q. d. Ego sum ille, de quo David præcinuit: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*. Porro Christus non tantum qua Deus, sed etiam qua homo sedet a dextris Dei, eo modo, quo explicui Colos. 3. 1.

Nota. Hoc proprie & directe in die judicii non videbunt pontifices & Judæi, utpote reprobandi, ideoque non visione Dei beandi, sed aspectu diaboli damnandi: verum indirecte & quasi in effectu idipsum videbunt. Visuri enim sunt tantam Christi judicis majestatem, gloriam, splendorem & pompam angelorum omnium eum stipantium, ut non dubitent eum esse proximum Deo, imo Deum, & Dei filium, ut ipse hic asserit & prædicit: quia tunc experientur ejus virtutem & omnipotentiam impiorum glorificatione, & impiorum condemnatione, qui hic eum velut abjectum, infirmum & invalidum contempserunt.

B

Et venientem in nubibus cæli] Alludit ad Daniel. c. 7. 13. *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat*, ut ex eo pontifex cognoscat Jesum esse illum ipsum, quem Daniel signavit, & prædixit judicem universi esse venturum.

Christi coram judicibus suis magnanimitas.

Vide hic & mirare magnanimitatem Jesu, qui inter medios judices, pontifices & hostes damnandus ad mortem, minatur tamen eis suum reditum ad judicium. q. d. Tu, o Caipha, & vos o Principes sacerdotum, injuste me nunc judicatis & damnatis, quasi pseudoprophetam & pseudochristum: at veniet dies ille, in quo ego, qui nunc reus vestro tribunali asto, sedebo judex. Tunc vice versa vos quasi rei tribunali meo astabitis: tunc videbitis me vere fuisse & esse Christum, Vos me nunc damnatis ad mortem crucis, sed ego tunc in eodem hoc loco (Christus enim judex sedebit super vallem Josaphat, quæ adjacet Hierosolymæ, Joel. 3. 2.) vos damnabo ad gehennam

C ignis flammantis & cruciantis in æternum, quia in me hoc immane sacrilegium commisistis, quia christicidæ & deicidæ fuistis, & sane ita revera fiet.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta

Vers. 65 sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blaspemiam] *Scidit*, id est, *diffibulavit*, ait Cajetan. in Marci c. 14. sive fibulas solvit, vestemque aperuit. Verum hoc frigidum videtur: græce est διέρρηξε, id est disrupit, distraxit, dilaceravit, quia vestes Judæorum sub mento erant apertæ, ut facile possent per caput humeris injici, itaque indui & exui: cum ergo eas scindere, id est, disrumpere vellent sub mento, utramque fissuræ oram manibus arripiebant, ac magna vi reliquum vestis lacerabant usque ad cingulum, in signum doloris & indignitatis. Inferne vero eam non lacerabant, ne nudarent partes verendas: carebant enim femoralibus. Fuit hic mos usitatus apud Gentiles, ut patet ex Homero & Virgilio, sed maxime apud Judæos, ut in luctu vel audita blasphemia, quasi præ zelo honoris

Mar. 14. v. 63. Scisso vestium quare?

D Dei, vestem scinderent, id est lacerent, ut fecit Ezechias audita blasphemia Sennacherib 4. Regum 19. 1.

Porro illicite hic Caiphas vestem scidit, quia ipse erat pontifex. Pontifici autem id vetitum erat, juxta illud Levit. 21. 10. *Caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet*. Causas ibidem recensui. Scidit ergo vestem Caiphas, ut invidiam Jesu conflaret, eumque quasi blasphemum omnibus execrandum damnandumque objiceret. Sed symbolice ipsa scissione significabat, scindi jam per mortem Christi veterem legem cum suo sacerdotio, quare se quoque pontificatu ab eo privari. Ita S. Leo serm. 6. de passione. Fecit hoc, inquit, *ad exaggerandam auditi sermonis invidiam: nesciens vero quid hæc significet insania sacerdotali se honore privavit, oblitus illius præcepti: De capite cidaris non deponet, & vestimenta sua non dirumpet*. Et Orig. *Conscidit*, ait, *vestimenta sua ostendens turpitudinem suam, & nuditatem animæ suæ & mysterium manifestans, conscindendum esse sacerdotium vetus, & scholam sacerdotii ejus, & cultum, qua secundum litteram fuerat*. Et Hier. *Scidit vestimenta sua, ut ostendat Judæos sacerdotii gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere pontifices*. Sic & S. Chrys. Theophyl. Euthym. Jansenius, Baradius & cæteri.

Blasphemavit] dicens se esse Messiam & Dei filium. Pontifex, ne quis verbis Christi commoveretur, eisque fidem haberet, præoccupat, ac crimen blasphemiæ ei impingit, quod Judæi mire horrebant, ut nemo pro Christo loqui, eumque defendere audeat, sed omnes eum ut blasphemum condemnare compellat. E

Quid adhuc egemus testibus?] Syrus, *quid amplius exquirimus nobis testes?* Ecce hic impius Caiphas prodit suam impietatem, quod non agat ut judex, sed ut actor & accusator Christi. Actoris enim est quærere testes contra eum, quem accusat. Ita S. Chrysost.

Quid vobis videtur?] Ecce hic rursus iniquus pontifex contra ordinem juris agit personam non judicis, sed actoris, ipsosque Christi hostes & accusatores facit judices, eosque ad Christum quasi blasphemum condemnandum, pontificia sua auctoritate & præjudicata a se sententia, quasi adigit & cogit. Unde Chrysostomus. *Ipsi*, ait, *accusant, ipsi discutiunt, ipsi sententiam proferunt*. Vers. 66 Mar. 14. 64

At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis] blasphemus ex lege Levit. 24. 16. lapidari debebat, uti lapidarunt Stephanum quasi blasphemum: sed hi Christum non lapidationis, sed mortis reum clamant, quia jam apud se destinarant eum non lapidare, sed in crucem agere. Indignitatem iniquissime hujus sententiæ pathetice ostendit Origenes. *Quantum putas*, ait, *fuit erroris ipsam principalem vitam ream mortis pronunciare, & tantorum resurgentium testimonio non adspicere fontem vitæ, de quo in omnes viventes vita fluebat? Quoniam sicut Pater vitam habet in se, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso*. Quid indignius quam Filium Dei, qui est fons omnis vitæ angelorum, hominum & animalium, eo quod a pontifice rogatus & adjuratus, verum confessus erat, scilicet se Christum Dei Filium, ut mortis reum a toto sacerdotum concilio damnari? Ille multis cæcis visum, surdis auditum, mortuis vitam restituerat, ideoque a sacerdotibus æmulis & invidis morti adjudicatur. Veruntamen nescientes dicunt, sed alio respectu; quia licet Christus in se esset innocentissimus & sanctissimus, tamen nostra peccata in se luenda susceperat. Unde propter ea reus erat mortis: Christus enim in se suscepit sententiam illam a Deo contra Adam ejusque posteros latam: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, Gen. 2. 17. Voluit enim ipse mortem nostram luere, ut sua morte nos revocaret ad vitam gratiæ & gloriæ sempiternam. Quocirca ipse summa modestia, æquitate, patientia indignissimam hanc sententiam suscepit, Deoque Patri se quasi reum mortis in victimam pro peccatis nostris obtulit, ut docet Isai. c. 53. ut nos doceret iniqua hominum judicia, opprobria, calumnias, censuras, &c. æquo animo tolerare, idque suo exemplo suique amore, ut scilicet ei vicem, quam possumus reddamus, dum pro ejus obsequio rei mortis, exilii, carceris, infamiæ, &c. agimur & traducimur, sicut ipso pro nobis reus mortis a toto concilio judicatus & proclamatus est.

F Christus tamquam blasphemus a concilio Judaico reus mortis judicatur.

Tropologice, Christianus, qui peccat, iterum quasi Christum redemptorem suum facit reum mortis, imo quasi eum occidit, & crucifigit, juxta illud Hebr. 6. v. 6. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*. Vide ibi dicta. Unde S. Brigida lib. 1. de Revelat. c. 37. narrat B. Virginem sibi dixisse: *Conqueror quod filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in mundo, amarius crucifigatur, quam tunc Judæi crucifixerunt eum*. Causam subdit: *Quia eorum vitia, quibus spiritualiter crucifigunt filium meum, abominabiliora & graviora sunt ei, quam illorum, qui crucifixerunt illum in corpore*. H

Quæritur hic, quando hoc concilium, examen & damnatio Christi contigerit? Nonnulli putant contigisse post negationem Petri, transacta nocte, mane sequentis diei. Id enim videtur dicere Lucas c. 22. 66. Idem enim hoc esse examen Matthæi cum illo Lucæ apparet, si quis utrumque conferat. Quare censent hic in Matthæo esse hysterologiam: omnia enim a v. 59. hucusque dicta esse per anticipationem, ac ponenda cap. seq. v. 1. ita S. Aug. lib. 3. de Consensu Evangel. c. 7. Maldon. & aliqui alii.

Duplex examen Christi.

Melius sentiunt alii cum Jansenio, hæc omnia a Matthæo recto ordine poni, ac statim post captivitatem Christi paulo post mediam noctem, statim ut Christus captivus adductus est ad Caipham, contigisse. Duplex enim fuit concilium principum contra Christum, ac bis in concilio Christus rogatus & examinatus fuit, an ipse esset Christus; scilicet primo, nocte, de quo hic: secundo postero mane, de quo Lucas c. 22. 66. Nocte enim post Christi

examen

Digitized by Google

A examen & confessionem, facta est illusio & colaphizatio Christi, de qua v. seq. ut patet ex aliis Evangelistis. Verum quia nocte non omnes senatores aderant: hinc rursum mane Caiphas coegit concilium generale, ad quos omnes convocavit, ut ab eo Christus damnaretur. Unde in eo Christus quasi pertinax, blasphemus & reus majestatis, tam divinæ quod se filium Dei dixisset, quam humanæ, quod se Christum regem asseruisset, omnium voce damnatus, ac Pilato præsidi traditus est, ut is reipsa eum damnaret & in crucem ageret, de quo cap. sequ. v. 1. & Lucæ 22. 66. Mane ergo fuit concilium magnum, ut ait Marcus, id est, summum, quod *Sanedrim* dicebatur.

VERS. 67 & 68. *Luc.* 22. 22. v. 62. 64. *Mar.* 14. 65

TUNC EXPUERUNT IN FACIEM EJUS, ET COLAPHIS EUM CECIDERUNT, ALII AUTEM PALMAS IN FACIEM EJUS DEDERUNT, DICENTES: PROPHETIZA NOBIS CHRISTE, QUIS EST QUI TE PERCUSSIT?] Magna fuit & ferina barbaries ministrorum, Christo reo jam ad mortem damnato, non compatientium, sed insultantium, æque ac pontificis & senatorum id permittentium, imo nonnullorum etiam in eum expuentium, eumque cædentium, ut innuit Marcus. Putarunt se id jure facere ex zelo, quasi vindices suæ legis & honoris Dei, eo quod Christus quasi blasphemus in Deum, Deique hostis, a concilio jam ad mortem damnatus esset.

Barbara ministrorum in Christi savitia.

B

Conspuerunt Christum.

TUNC EXPUERUNT] Græce ἐνέπτυσαν, id est, inspuerunt, sua sputa & phlegmata ex hesterna crapula fœda, virulenta, putida, horrida intorserunt, tum *qui eum tenebant*, ut ait Lucas, tum cæteri ministri & astantes, quin & aliqui e concilio, ut insinuat Marcus.

Atrox injuria.

IN FACIEM EJUS] divinam & ab omni creatura reverendam & adorandam, in quam desiderant angeli prospicere. Fuit hæc atrox scurrarum & vilissimorum hominum ignominia, & contumelia in Christum Dei Filium, qui stupendam hic ostendit lenitatem, humilitatem & patientiam, implens illud ab Isaia cap. 50. 6. de se prædictum: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus*. Ubi Forerius ex Hebræo vertit, *tergum meum dedi percussoribus, & genas meas depilantibus: faciem meam non averti ab ignominiis & sputo*. Addit Forer. *Habet vellicatio barbæ dolorem & insignem contumeliam, sicut & in faciem spuere: sunt enim pili barbales alte carni impressi*. Unde Clemens Alex. 3. Pædag. c. 3. *Nefas est barbam vellere*, ait, *qua est pulchritudo ingenita, pulchritudo generosa & ingenua*. S. Hieron. in Comment. Isaiæ 50. 6. vertit, *dedi maxillam meam alapis, & faciem meam non averti a confusione sputorum*. Vide ibi dicta.

C

Unde exclamat Euthymius: *Horrete cælum & terra, universaque creatura, in quam faciem, quam intulerunt injuriam?* Et S. Chrysost. eumque sequens Titus Bostrensis in Lucæ c. 22. *In faciem illam*, inquit, *quam fluctus maris reveriti sunt, quam sol in cruce videns radios occuluit, spuebant, cædebant, abunde animos suos explentes, & vulnera contumeliosissima inferentes, colaphis cædentes, & palmas in faciem ejus dantes, &c. Sed quamobrem id faciebant cum occisuri eum essent? quid enim hujusmodi illusione opus erat? crudeles eorum mores in omnibus ostenduntur, qui quasi venatores inventa tandem multo venatu fera, rabiem suam in eam exserunt, ingentem id sibi voluptatem solemnitatemque existimantes, & quam ipsorum mores in eadem propensi essent ostendentes*.

D

Potro S. Anselmus de Pass. Domini paulo ante medium, B. Virginem sic inducit loquentem: *Et modico delapso tempore filius meus adeo consputus apparuit, quod quasi leprosus apparebat*. Et infra de flagellatione loquens dicit: *Filius meus ita in stuporem & deformitatem transmutatus fuit, ut omnibus appareret quasi lepra percussus*.

Colaphizatio Christi.

ET COLAPHIS EUM CECIDERUNT] Græci, *colaphizarunt eum*. Colaphus est verber, quod pugno seu manu contracta, in collum, caput vel dorsum infligitur; alapa, quod manu explicata in maxilla impingitur: unde alapa plus affert ignominiæ, roboris & verecundiæ, colaphus plus afflictionis, rumoris & doloris, juxta illud Comici: *Colaphis tuber est totum caput*.

ALII AUTEM PALMAS IN FACIEM EJUS DEDERUNT] Sic quoque Græcum ἐῤῥάπισαν, verterunt Theophyl. Vatabl. & alii: quin & Erasmus, aliique Novantes. Alii vertunt, *crepidis* vel *fustibus ceciderunt*. ῥαπὶς enim & fustem & crepidam significat. Verum per catachresin hic alapam denotat: hæc enim proprie in faciem datur: nam Lucas vertit, *& percutiebant faciem ejus*. Ergo Christus hic accusatur ut impius, depalmatur ut impudens, loquitur ut Dominus, tacet ut innocens, damnatur ut sacrilegus, conspuitur divina facies, munditia paradisi: conscinditur pugnis, *qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit*, Isaiæ 40. Alapis dehonestatur vultus, *paternæ gloriæ splendor*, Heb. 1. Velatur oculis, quia nimorum consilia retegit, & omnes introspicit cogitatus: illuditur, vellicatur in pilis, cæditur, scommatis mordetur.

E

DICENTES; PROPHETIZA NOBIS CHRISTE, QUIS EST QUI TE PERCUSSIT?] Irrident Christum, illique petulanter insultant, quod se Prophetam dixerat, quasi pseudopropheram, imo quasi ludionem & scurram. q. d. *Si* tu es Propheta, propheriza nobis; quis ex nobis primus, quis secundus, quis tertius, & sic ex ordine, vicissim tibi alapam impegerit, quis colaphum, quis sputum? Videntur enim plane hæc rogasse, postquam Christi faciem velarunt, & velatam percusserunt (ut habet Lucas, nam & ante eam velatam Christum percusserunt; sed hic eam velant ut illudant Christo, dicantque, *prophetiza*) ad ludibrium, dicentes & interrogantes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* q. d. *Si* tu es Christus, ignorare non potes occulta. Edicito ergo nobis, quis est qui te percussit? En ut scurræ Filium Dei quasi personatum hariolum illudunt.

VERS. 68. *Luc.* 22. 64. *Mar.* 14. 65 Illuditur Christus quasi ludio

F

Graviter Theophyl. *Prophetarum Dominus*, ait, *quasi pseudopropheta irridetur*. Judæi ergo in passione velarunt faciem Christi ad ludibrium, ut riderent eum quod se vocasset Propheram: unde percutientes rogabant eum, *prophetiza*, id est, divina quis te percusserit. Secundo, ut liberius eum verberarent & vexarent, ne divino vultu ejus & oculis absterrerentur & coercerentur, ait Jansen. Majestas enim Christi radiabat in vultu, ait S. Hieronymus.

Velant faciem Christi duabus de causis.

Mystice.

Mystice, significabat Christus velatus se abscondere faciem a Judæis, illosque fide & cognitione Dei privandos & excæcandos. Unde ad idem significandum Moses, qui erat typus Christi, descendens de monte velavit oculos suos, uti explicat Paulus 2. Corinth. 3. Huc spectat illud Mosis: *abscondam faciem meam ab eis*. Deuter. 32.

Tropologice; significabat se luere peccatum Adæ. Adam enim & Eva primo peccarunt oculis & ore, aspiciendo & comedendo pomum vetitum; Christus ergo ut hoc expiaret, passus est velari sibi os & oculos. Nam ut ait S. Aug. Christus passus est in omnibus membris, quibus peccavit & peccat homo, ut omnia expiaret.

Tropologic.

G

Porro Christus constanti patientia hæc omnia sustinuit & superavit. Unde S. Chrysost. *Sicut ipse*, ait *nihil lenitatis prætermisit, sic illi nihil contumeliæ, nihil impietatis; sed tam verbis quam factis furorem suum explere conati sunt*. Hisce probris Christum a Judæis afficiendum prædixit Sibylla Delphica, cujus carmina extant lib. 1. Sibyllinorum Oracul. ubi sic canit:

Sibylla de Christo consputo.

—— Tunc impius illi
Impinget colaphos, viroſaque ſputa ſceleſtis
Iſrael labiis, neque non & fellis amari
Apponens eſcam, potumque immitis aceti.

Et lib. 8.

Contundent alapis palmæ (proh crimina) Divum,
Felle fames ejus, ſitis illuditur aceto,
Scindetur templi velum, mediumque diei
Nox tenebroſa tribus premet admirabilis horis.

Et Sibylla Erythræa apud Lactant l. 4. c. 18. *Dabit*, inquit, *in verbera innocens dorsum*. Et infra: *Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat quod verbum & unde venit, ut mortuis loquatur*. Et rursus, *In manus iniquas & infidelium veniet, & dabunt Deo alapas manibus incestis, & oribus immundis exspuent in eum salivas venenosas*.

H

Causa illusionis Christi.

Causa harum illusionum fuit; Prima, ut Christus his injuriis satisfaceret pro infinitis peccatis, quibus homines summam Deo injuriam & indignitatem, quantum est ex se, inferunt. Peccator enim, quantum est ex se, Deum conspuit colaphis alapisque cædit, quia eum contemnit, & creaturæ quam amat postponit; itaque Deum suo honore, & quasi sua divinitate spoliat, aliumque sibi Deum fingit & constituit; scilicet avarus Mammonam, luxuriosus Venerem, ebriosus Bacchum, &c. Ita Orig. *Ut nos*, inquit, *qui digni fueramus omnes has infamias pati, erueret, ipse pro nobis passus est eas*, & ut ait auctor Comment. in Marc. apud S. Hier. *Opprobria ejus nostrum abstulere opprobrium*, imo æternum nobis honorem conciliarunt. Et S. Athanasius, *Non Christus*, ait, *sed nos in Christo patiebamur*. Voluit ergo Christus tot & tam dira pati, ut magis Deum honoraret, ejusque offensæ & injuriæ magis satisfaceret, sicut is qui occidit regem, miris tormentis excrucia-

Digitized by Google

A

exercuciatur, ut honori regis & offensæ reip. satisfiat: ideoque Christus desiderabat majora pati, idque per plures annos. Quare hæc ejus passio magis honoravit Deum, quam culpa Adæ Deum offenderat, ejusque honorem læserat. Adde: homines scelerati illudunt Deo, novosque modos peccandi, eique illudendi adinveniunt: voluit ergo Christus illudi, & adinventiones scelerum adinventionibus illusionum luere & expiare.

Secunda.

Secunda, ut apicem patientiæ & virtutis exprimeret. Unde Victor Antioch. in Marci 14. *Patientiam*, ait, *constanter retinet, summæ per hæc omnia tolerantiæ & patientiæ formam seipsum nobis proponens*. Voluit enim Christus in sua passione & cruce depingere quasi ideam perfectissimæ patientiæ, & virtutis cujuslibet. Si quis ergo specimen summæ humilitatis, mansuetudinis, obedientiæ, patientiæ, constantiæ, charitatis, &c. desiderat, Christum patientem & crucifixum intueatur, & quoad potest, imitetur, & moribus exprimat, juxta illud: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte* (Sina, & mystice Calvariæ) *monstratum est*. Exodi 25. 40. Præclare S. Bern.

B

serm. in feria IV. hebdom. pœnosæ: *Mirabilis*, ait, *Passio tua, Domine Jesu, quæ passiones omnium nostrorum propulsavit: propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam petitioni nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte salvetur? In hac igitur passione, fratres, tria specialiter convenit intueri: opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur*.

Tertia.

Tertia, ut animaret Martyres ad ferendum omnia tyrannorum probra, verbera, tormenta, ac fideles ad tolerandum quælibet vilipendia, & quaslibet injurias a quocumque & quolibet sibi illatas: Unde Euthymius; *Universa*, ait, *magno animo sustinebat, docens nos injurias tolerare*: ut quasi adamantes ex adamante Christo hauriamus adamantinam in omnibus constantiam & patientiam, juxta illud Isaiæ 50. 7. *Posui faciem meam, ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar: juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi?* Adamas, quo magis malleo percutitur, eo magis duratur & resistit, adeoque malleis non frangitur, sed ipse resistendo frangit malleos; ita quo magis affligimur, magis animi robur ostendamus, ut nostra patientia vincamus & rumpamus adversariorum odium & impatientiam. Hoc est quod Deus ait Ezech. 3. 9. *Ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum*. Rursum adamas frangit adamantem, sic patientes quasi adamantes rumpant obstinatam impiorum malitiam, de quibus ait Zahar. cap. 7. 12. *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. Nihil enim est tam durum, quod non duriore vincatur*, ait S. Bernardus. Porro S. Athanas. serm. de cruce; *Perinde*, inquit, *ac si quis saxum manu percutere velit, petram quidem non scindit, sed manum vulnerat; sic & qui adversus Dominum moliebantur, velut audentes adversus id quod erat incorruptibile, corrupti sunt; & tamquam adversus immortalem machinantes, ipsi potius mortui sunt*.

Christus adamas patientiæ.

C

Unde Judæi ob hæc opprobria Christo illata a Deo reprobati, omnium probris expositi fuere. *Propterea*, inquit Orig. *receperunt alapam æternam, & omni deinde prophetæ privati sunt; Jesum autem, quia humiliavit semetipsum factus obediens usque ad palmas, usque ad confusionem sputamentorum & flagellorum, & mortis, exaltavit Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*.

D

Nota. Postquam Caiphas cum concilio noctu Christum reum mortis proclamavit, illi quasi blasphemo & damnato insultarunt per totam reliquam noctem, teste S. Aug. lib. 3. de Cons. Evangel. c. 6. scilicet per tres horas pontifices & principum ministri, nonnulli etiam ex principibus, cæteri vero soluto concilio quieti & somno se dederunt mane ad concilium redituri, ut causam mortemque Christi peragerent.

Quinque illusiones Christi per tres horas.

Quocirca Christus tota reliqua nocte variis & atrocibus injuriis doloribusque ex odio Judæorum & petulantia famulorum, affectus afflictusque fuit; scilicet, Primo, alapis & colaphis. Secundo, sputis in faciem ejus angelicam excretis; Tertio, convitiis tum aliis, tum illo, quo velata facie illuserunt ei: *Prophetiza nobis Christe*. Unde addit Lucas: *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum*. Quarto, quod ei vulserint genas, barbam expilarint, aliisque indignis modis tractarint, ut prædixit Isaias 50. 6. Quinto, passus est acrem injuriam & dolorem ex negatione Petri, qui erat caput Apostolorum: atque hæc omnia mira animi suavitate, æque ac fortitudine sustinuit.

Sapienter & pie S. Bernardus serm. 43. in Cant. ad illa c. 1 *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, fasciculum hunc contexit & componit ex petulantium famulorum sputis, colaphis, convitiis, exprobrationibus, &c. additque: *Mihi hic salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum a me, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis; in his copiam meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursus suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, & inter lætatristiaque vitæ præsentis, via regia incedenti tutum præbent utrobiq; ducatum: hinc inde mala imminentia propulsando*.

E

PETRUS VERO SEDEBAT FORIS IN ATRIO: ET ACCESSIT AD EUM UNA ANCILLA, DICENS: ET TU CUM JESU GALILÆO ERAS] Pertexta historia examinis, condemnationis & illusionis Christi in domo Caiphæ, redit Matthæus ad Petrum, quem v. 58. Christum secutum usque in atrium narrarat: quare pari modo hic trinam ejus Christi negationem simul pertexit: etiamsi illæ horis diversis & interdictis contigerint.

VERS. 69 Luc. 22. v. 56. Mar. 14. 67 Joan. 18. v. 17.

F

SEDEBAT] ad ignem cum ministris se calefaciens. Dices: Joannes ait Petrum stetisse. Resp. Stare apud Hebræos sæpe significat esse præsentem, sive adesse, non vero certum standi situm, ut patet Joan. 1. 26. Rursum Petrus nunc stabat, nunc sedebat, uti solent facere famuli in aulis principum, & apud ignem.

FORIS IN ATRIO] Dices. Si erat Petrus foris, quomodo ergo vers. 58. dixit illum ingressum intro in domum in atrium? Resp. Erat foris non respectu ostii domus Caiphæ, sed respectu aulæ interioris, in qua erat Christus examinatus a concilio. Erat ergo intra domum, quia erat in atrio exteriori, erat tamen foris respectu aulæ interioris, in qua agebatur concilium. Unde S. Ambros. in cap. 22. Lucæ: *Ubi vero*, ait, *negavit Jesum Petrus? in prætorio Judæorum, in societate impiorum*. Et Beda in Marci c. 14. *Quam nociva*, ait, *impiorum colloquia! Petrus ipse inter ministros pontificum vel hominem se nosse negavit, quem inter condiscipulos Dei filium fuerat confessus*.

G

ANCILLA] Græce παιδίσκη, id est, ancillula, scilicet vilis & infimi ordinis, puta ostiaria, ut habet Joannes, quæ ostium domus pulsantibus aperiebat, & excuntibus claudebat. Ex hoc magis liquet infirmitas & pavor Petri, qui vilis ancillulæ, ait Chrysost. interrogatione perculsus & prostratus negavit Christum, qui postea recepto Spiritu sancto, nec Caipham, nec totum concilium extimuit, dicens: *Oportet magis Deo obedire, quam hominibus*, Actor. 4. Hinc disce, quam fragilis sit homo præfidens sibi, ideoque derelictus a Deo; ac vicissim quam idem sit fortis, si sibi diffidat, ac fidat Deo. *Petrus sine Spiritu voci ancillæ cessit, cum Spiritu nec principibus, nec regibus cedit*, ait Auctor Comment. in Marcum apud Hieron.

Ancilla agnovit Petrum ex pavore.

Quæres, unde hæc ancilla præ viris & ministris, qui Petrum in horto cum Christo viderant, eum esse Jesu discipulum agnovit? Resp. Quia erat ostiaria, ideoque accurate observabat qui & quales erant ingredientes & egredientes. Observavit ergo Petrum, viditque eum non esse e ministris, sed peregrinum, pavidum, vultuque mœsto & consternato: inde conjecit eum esse asseclam Jesu, qui secutus Jesum scrutaretur quid de eo a concilio fieret. Hoc enim sagaces ostiarii statim odorari solent, quia difficile est celare animum, nec prodere vultu. Forte etiam alias viderat Petrum cum Jesu & Apostolis per urbem progredientem, vel in templo Jesu astantem, ac curiose ejus physiognomiam, staturam, habitumque notarat.

H

GALILÆO] Quia Jesus erat Nazarenus: Nazareth autem erat in Galilæa. Vocat Galilæum, tum quasi vilem & despectum a Judæis, qui censebant Prophetas nullos prodire e Galilæa, sed tantum e Judæa, unde ajunt Joan. 7. 62. *A Galilæa Propheta non surgit*; tum quasi novatorem & seditiosum, quasi qui assecla sit Judæ Galilæi, qui concitans Judæos ad negandum Romanis censum, cum suis sequacibus interemptus est, Actor. 5. 37.

AT ILLE NEGAVIT CORAM OMNIBUS, DICENS: NESCIO QUID DICIS] Petrus videns ancillam coram omnibus non tam interrogando, quam asserendo ipsum esse e comitatu Jesu, se prodere timens ne caperetur, constanter coram omnibus negat, ac ut negationi fidem faciat, dicit adeo sibi novam & peregrinam esse hanc ejus interrogationem, ut nesciat quid illa dicat & roget. q. d. Adeo nescio quis sit Jesus, ut nesciam quid de eo dicas & roges: nescio

VERS. 70 Luc. 22. Mar. 14. 68 Joan. 18. v. 17. Prima negatio Petri.

Digitized by Google

A nescio enim quis & qualis ille sit, an habeat discipulos, qui & quales illi sint. Fuit hoc mendacium, idque in re fidei, perinde ac qui nunc a Paganis rogatus, an sit Christianus, negat se esse, quod est peccatum contra fidei professionem, de quo Petrus audierat Christum monentem & minantem: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Matth. 10. 33. Sed Petrus, ut ait Victor Antioch. in cap. 14. Marci, *subita illa consternatione, animique perturbatione obcecatus, Dominicæ illius comminationis penitus oblitus fuerat.* Unde ejus lapsum miserans S. Aug. in Joan. c. 18. exclamat: *Ecce columna firmissima ad unius aurei impulsum contremuit, ubi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? ubi sunt verbailla, quando ait: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo? Sed quid mirum, si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit?*

Dionysius Carth. ait Petrum sexies Christum negasse.

NEGAVIT] Quæres, quoties Petrus negavit Christum? Respondet Dionys. Carthus. sexies; scilicet ter in domo Annæ, ut innuit Joannes, & ter in domo Caiphæ, ut expresse habent Matthæus, Marcus & Lucas. Idem videtur colligi ex S. August. lib. 3. de Consensu Evang. c. 6.

B Addit Cajet. in cap. 18. Joan. Petrum septies negasse Christum; scilicet ter interpellatum a fœminis, & quater a viris.

Verum communis S. Cyrilli in Joan. c. 18. S. Ambrosii in Lucæ c. 22. S. Hieron. Euthymii & aliorum hic sententia est, Petrum ter dumtaxat negasse Christum, idque expresse prædixit Christus v. 34. *Ter*, inquit, *me negabis.* Idem patet hic ex narratione Matthæi, qui succincte, sed optimo ordine historiam Christi & negationem Petri in sequentibus recenset.

Ordo negationum Petri.

Ad argumentum jam respondi v. 57. ubi ostendi hæc omnia contigisse in domo non Annæ, sed Caiphæ.

Porro diversimode trinam hanc Petri negationem narrant Evangelistæ. Unde ut eos inter se concilies, Nota Petrum Primo, negasse simpliciter Jesum in atrio, cum rogaretur a prima ancilla, ut ait hic Matthæus. Secundo, vero cum negasse cum juramento, dum rogaretur a secunda ancilla, ut narrat Matthæus v. sequenti: Tertio demum, cum magis urgeretur, eumque negasse cum execratione devovendo se diris, uti refert Matth. v. 74.

C Nota. S. Hilarius hic, & S. Ambrosius in Lucæ c. 22. videntur dicere Petrum in hac Christi negatione non fuisse mentitum, sed ambigue locutum: nec enim mentiebatur, inquiunt, qui eum hominem se nosse negabat, quem Deum cognoscebat. q. d. *Cum illo, quem hominem nuncupatis, non fui, sed a Dei filio non recessi*, ait S. Ambr. *nescio quid dicas, hoc est, sacrilegia vestra nescio.* Illos tacito nomine refellit hic S. Hier. imo Christus, dicens & prædicens Petro v. 34. *Ter me negabis.* Sed excusari possunt S. Hilarius & Ambrosius, quod tantum dicere voluerint, ita Petri verba fuisse temperata, ut verum piumque sensum ex eis quis elicere posset, ac Petrum corde & animo non negasse Christum: at ore ambigue locutum, ita ut verba negationis ejus in bonum trahi queant sensum.

An Petrus fidem perdidit?

Certum est ergo Petrum ore negasse Christum, ideoque peccasse mortaliter. Ita S. Chrysost. hic, & S. August. tract. 113. in Joan. Quare Petrus hic Dei gratiam & charitatem negando perdidit: an fidem perdiderit, dubium est. Negant S. Ambrosius, Hilarius & eorum sequaces. Asserunt alii. Sane si

D is Apostolorum fidem Christi retinuit (de quo dixi v. 31.) Petrus retinuit, præsertim quia mox respiciente eum Christo resipuit, & flevit amare conscientiam & culpam negationis Christi: ergo ejus fidem mente retinebat: hæc enim fides eum excitabat ad pœnitendum & flendum.

Nota Secundo. Permissus est adeo graviter labi Petrus tribus de causis. Prima est originalis, quod nimis sibi arrogarit, suæque constantiæ præfisus sit. Ita S. Basil. hom. de humilitate. Secunda est comitans, quod temere sciens se fragilem & pavidum, societati impiorum ministrorum qui Jesum ceperant, se miscuerit. Tertia, finalis, ut futurus ipse Pastor Ecclesiæ, suo lapsu disceret lapsis compati, & omnium peccatorum misereri, atque suo exemplo omnibus peccatoribus verum Pœnitentiæ daret exemplum. Ita S. Chrysost. hic, S. Leo serm. 9. de Pass. S. Gregorius hom. 21. & alii, juxta illud.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Error Petri, ait S. Ambrosius, *doctrina justorum est, & titubatio Petri, omnium petra est, & nostra firmitudo.*

Denique hæc fuit prima Petri negatio Christi, quæ contigit paulo post mediam noctem, cum primum galli canere solent. Nam Marcus post negationem hanc statim subdit; *Et exiit* (Petrus) *foras ante atrium*, in vestibulum, E quod erat atrio contiguum sub dio. Urgebat Petrum ad exitum timor, ne ancilla rursum instaret, urgeretque illum esse Jesu discipulum, sed Petrus timori huic præterexit aliam causam, v. g. studium captandi novi liberique aeris.

ET GALLUS CANTAVIT] Primus hic galli cantus Petrum a lapsu ad pœnitentiam non excitavit, nec eum quin iterum laberetur, & Christum negaret, retinuit, ait S. Chrysost. sed ad hoc opus fuit, ut Christus eum respiceret, & lapsus sui admoneret, de quo mox.

EXEUNTE AUTEM ILLO JANUAM, VIDIT (id est, animadvertit, ait S. August.) EUM ALIA ANCILLA, ET AIT HIS, QUI ERANT IBI: ET HIC ERAT CUM JESU NAZARENO] Hæc est secunda tentatio & negatio Petri: quæ contigit postquam ille e vestibulo, ad quod egressus erat, uti jam dixi, regressus in atrium cum ministris, rursum assedit igni, ut hac libertate se ab accusatione ancillæ purgaret, seque non esse discipulum Christi probaret, sed hic in novum incidit tentationis laqueum: nam ab alia ancilla agnitus, rursumque interrogatus, secundo negavit Christum, qui tunc vocabatur per contemptum *Nazarenus*, quasi novæ sectæ auctor, ac velut illius ævi hereticus. Ita S. Aug. l. 3. de consensu Evang. 3. 6. qui & addit: *Liquido colligitur collatis de hac re omnibus Evangelistarum testimoniis, non ante januam secundo Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem: Matthæum autem & Marcum commemorasse exisse eum foras, sed regressum ejus brevitatis causa tacuisse.* F

Vers. 71 Luc. 22. 58. Mar. 14. v. 68. 69. Joan. 18. v. 25. Secunda negatio Petri.

ET ITERUM NEGAVIT CUM JURAMENTO: QUIA NON NOVI HOMINEM] Cum ancilla interrogante Petrum concurrerunt alii ab ancilla excitati, ut patet ex Luca & Joanne, idem interrogantes, & contra illum instantes: quare Petrus validiore responso sibi opus esse advertens, negationi addidit juramentum, id est, perjurium: quia, ut ait S. Greg. *Peccatum, quod pœnitentia non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit*: tum quia conscientiam gravat, deprimit & debilitat: tum quia peccator videns se peccasse, jam cogitat se lapsum esse, ac parvi referre, si rursum in idem peccatum labatur, sicut qui lapsus est in lutum, parum curat si secundo labatur. Sic Christiani nonnulli cum lapsi sunt in fornicationem, vel crapulam, illico eam iterant & frequentant, cogitantes: Jam lapsi sumus, labamur iterum, & voluptate eadem fruamur, quia eadem confessione & pœnitentia simul omnia abolebimus. Sed errant, tum quia secundum peccatum nova est Dei offensa, novumque vulnus priore nocentius animæ infligit: tum quia difficilior est pœnitentia post iteratum & frequentatum peccatum, quam sit post primum lapsum: *perseverantia quippe in peccato dat incrementum scelerum*, ait Rabanus. Huc adegit Petrum societas impiorum, quam ne quidem post primum lapsum deseruit; cum id omnino facere debuisset, utpote jam expertus ejus noxam, & suam coram ea infirmitatem. G

Vers. 72 Luc. 22. v. 58. Mar. 14. vers. 70. Joan. 18. v. 25.

ET POST PUSILLUM ACCESSERUNT QUI STABANT, ET DIXERUNT PETRO: VERE ET TU EX ILLIS ES: NAM ET LOQUELA TUA MANIFESTUM TE FACIT:

Vers. 73 Luc. v. 59. 60. Mar. 14. v. 70. 71. 72.

TUNC COEPIT DETESTARI, ET JURARE QUIA NON NOVISSET HOMINEM.

POST PUSILLUM] scilicet *intervallo facto quasi horæ unius*, ait Lucas. Ministri enim intenti in Jesum ejusque examini ad ostium auscultantes minus intendebant Petro, sed mox reversi ad ignem, intendentes in Petrum, eum tertio tentarunt, & ad tertiam negationem compulerunt. Causam attulerunt: *Nam & loquela tua manifestum te facit*, scilicet te esse Galilæum Jesu Galilæi discipulum, quia eo accentu, dialecto & proprietate verborum loqueris, quo loquuntur Galilæi, sicut in Italia alia dialecto loquuntur Romani, alia Neapolitani, alia Veneti, etsi omnes loquantur Italice. Accessit & alia accusatio Petri: nam cognatus Malchi, cujus Petrus abscidit auriculam dixit: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* ut refert Joan. c. 18. Quare Petrus videns se undique premi ad extrema quasi adactus, *cœpit detestari & jurare, quia non novisset hominem*, dicendo more Hebræo: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si novi Jesum: terra mihi dehiscat, fulmen me affliet, cælites me perdant, si Jesu sim discipulus. Pro *detestari* græce est κατανθεματίζειν, quod compositum est ex ἀνάθεμα τίζειν, id est anathematizare, sive anathema, id est execrationem sibi imprecare & diris se devovere ac præpositione κατὰ, quæ vim verbi, cui additur, auget & intendit. *Et quo alii magis urgent & affirmant, eo Petrus vehementius jurat, & obstinatius agit,* ait

Vers. 74 Joan. 18. v. 26. 27. Tertia Petri negatio. H

Digitized by Google

A ain Victor in Marci c. 14. *Considera hic*, inquit Cyrillus lib. 12. in Joan. c. 1. *quales ante Spiritus sancti adventum Apostoli fuerint, & quales postquam ex alto virtute induti fuerint, effecti sint:* qui enim hic ad vocem ancillæ & servi trepidat, ille postea pontificibus audacter usque ad verbera sese opposuit.

ET CONTINUO (*Syrus, in illa ipsa hora*, vel *momento*) GALLUS CANTAVIT] ut Petrum prædictionis Christi memorem redderet, & a lapsu ad pœnitentiam provocaret. Addit Lucas: *Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quam cantet gallus, ter me negabis.* Respectus Christi ergo, quo respexit Petrum, ut docet S. Ambrosius, fuit causa, ut Petrus, qui priorem galli cantum non adverterat, hunc posteriorem adverteret, eoque prædictionis Christi recordaretur, & pœnitere ac flere inciperet. Respexit ergo & respiciendo erexit Christus Petrum, ait S. Leo. Porro respexit Christus Petrum tum oculis mentis, objiciendo menti Petri fœditatem negationis, ac stimulando eum ad pœnitentiam. Ita S. August. Beda, Ambros. & alii. Tum B oculis corporis; quia Christus post examen proclamatus reus mortis ex atrio interiore, sive superiore, videtur reductus ad atrium exterius, quod erat deorsum, ut habet Marcus, in quo erat Petrus, ibique vertens se ad Petrum, benigno oculorum suorum nutu verberans eum, sui lapsus admonuit, & ad se revocavit. Reductus videtur ad hoc atrium Christus, ut pontificibus ad lectum & somnum exiguum concedentibus, Christus interim eorum ministris custodiendus & illudendus traderetur. Aut certe Christus ex atrio interiore, per apertum ostium respexit Petrum existentem in atrio exteriore. Summa Christi providentia ita omnia disposuit, ut occasio commoda daretur respiciendi Petrum.

Respexit Petrum Christus & ad pœnitentiam adduxit.

Qua in re mirare celsitudinem æque ac charitatem Christi, qui jam reus mortis proclamatus, inter tot illusiones & verbera sui quasi oblitus curam egit Petri, ut eum quasi ovem perditam in viam salutis revocaret, docens nos ut idem faciamus. Ita fecit S. Chrysost. qui in exilium actus, & fatigatione, febri, fame, siti milleque malis cruciatus, ac ad mortem adactus, quasi sui oblitus, curam C egit suorum, imo & aliorum, ut patet ex ejus epistolis, quas tum ardentissimas scripsit ad Olympiadem, ad Cyriacum, ad Innocentium Pontificem, & ad Constantium presbyterum suum, in qua eum monet, ut in hac sua persecutione animos non deprimat, sed erigat, zelumque animarum induat, ac viros Apostolicos in Phœnitiam mittat, qui eam convertant, utque de missis, & ab eis conversis, rationes incat, & ad se perscribat: in tempestate enim nauclerii industriam virtutemque agnosci æque ac militis in duello, ducis in prælio, medici in morbi paroxismo.

Audi S. Leonem serm. 3. de Pass. *Respexit Dominus Petrum & inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cedentium & confluentium injurias constitutus, illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum previderat esse turbandum, & in illum conversa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio, quasi quædam illi vox Domini insonaret, ac diceret: Quid habes Petre? quid in tuam conscientiam recedis? adhuc convertere, in me confide, me sequere, mea passionis hoc tempus est, nondum tui venit hora supplicii. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus.* Quocirca, ut ait S. Hieron. *fieri non poterat, ut in negationis tenebris permaneres, quem lux respexerat mundi.*

D

VERS. 75 Luc. 22. 61. Mar. 14. 72. ET RECORDATUS EST PETRUS VERBI JESU, QUOD DIXERAT, PRIUSQUAM GALLUS CANTET (*bis*, ut addit Marcus) TER ME NEGABIS. ET EGRESSUS FORAS FLEVIT AMARE] Præclare Origen. *postquam*, inquit, *angelus diei* (id est, gallus, suo cantu prænuncians instare ortum solis & diei) *clamavit ei, tunc recordatus est.* Et Victor Antioch. in c. 14. Marci. *Galli cantu*, ait, *admonitus, quasique a gravi somno excitatus, ad se reversus, comperit se in illud ipsum malum ac probrum decidisse, in quod Dominus ipsum prolapsurum paulo ante denunciaverat.*

Gallus cuique est conscientia.

Symbol. Gallus cuique a Deo datus est sua conscientia, quæ quoties quis peccat, ei occlamat, dicitque, Cur tantum scelus committis? cur Deum offendis, te lædis & periculo ghennæ exponis? Hic clamor conscientiam remordet & stimulat ad pœnitentiam, quem qui audit & exaudit, vere cum Petro compungitur, & pœnitendo peccatum abolet. Ita Laurent. Justin. l. de Christi agone c. 9. Rursum gallus est concionator, qui sua voce peccatum peccatori aperit, E eumq; ad Pœnitentiam stimulat. Ita S. Greg. 30. Moral. c. 4. explicans illud Job. c. 38. *Quis dedit gallo intelligentiam?*

ET EGRESSUS FORAS] Tum quia in conspectu Judæorum eum flere non congruebat, ne se proderet; tum quia hic conspectus eorum fuerat ei causa metus & negationis Christi. Jam ergo pœnitenti, hæc occasio recidivæ illi tollenda & amovenda fuit. Abit ergo foras, ibique liberas lacrymis habenas laxat: *Non enim*, ut ait S. Hier. *poterat in atrio Caipha sedens agere pœnitentiam. Egreditur foras de impiorum concilio, ut pavidæ negationis sordes amoris fletibus lavet.*

Calvini somnia in S. Petrum.

Objicit Calvinus claudicasse pœnitentiam Petri, eo quod culpam suam non fit confessus coram Judæis, apud quos Christum negarat, nec scandalum, quod eis dederat, abstulerit. Resp. Petrum Judæis, utpote perversissimis & in odio Christi obstinatissimis, nullum dedisse scandalum, quo eos in odio Christi confirmaret: quare si coram eis negationem Christi retractasset, sine fructu id feciffet, imo cum damno, tam suo, quam illorum: exposuisset enim se periculo recidivæ, & illos majoris indignationis & odii in Christum, qui proinde Petrum, & magis Christum pejus mulctassent. F

Fletus Petri.

FLEVIT AMARE] Arabicus *flevit amaro fletu*, quia magnus dolor, & acris compunctio, quod Christum Dominum suum negasset, amaricavit cor ipsius, ut amaras funderet lacrymas, quibus pro culpa sua Deo satisfaceret. *Nam*, ut ait S. Bernardus, *Lacryma pœnitentium vinum sunt angelorum*, imo vinum sunt Dei & Christi. Audi S. Ambr. in 22. Lucæ: *Quare flevit? quia culpa obrepsit ei. Petrus doluit & flevit, quia erravit, ut homo: commune, quod labitur; fidei, quod pœnitet.* Sed quare non oravit potius quam flevit? Respondet. *Lacryma lavant delictum, quod voce pudor est confiteri: Lacryma veniam non postulant, sed merentur. Invenio cur tacuit Petrus, ne tam cito venia petitio plus offenderet; ante flendum est; sic precandum.* Et nonnullis interjectis: *Dece nos Petre*, ait, *quid tibi profuerint lacryma tua? Sed docuisti illico; nam qui lapsus es, antequam fleres; postquam flevisti, erectus es, ut alios regeres, qui teipsum ante non rexeras.*

G

Dices. S. Ambrosius ibidem ait: *Lacrymas ejus* (Petri) *lego, satisfactionem non lego.* Hæc verba torquent Calvinistæ, ut opera satisfactoria enervent, eisque vim satisfaciendi adimant; sed imperite & inepte. Nam S. Ambr. Per *satisfactionem* intelligit excusationem peccati, uti patet ex iis, quæ subdit; q. d. Lego quod Petrus fleverit peccatum suum, non quod illud excusarit, uti solent facere rei apud homines: at non ita fecit Petrus, qui peccatum suum confessus est cum amoris lacrymis; quæ proinde satisfactoria fuisse opera, apud Orthodoxos non est dubium.

Auctor Petri Pœnitentia per totam vitam.

Notat S. Clemens S. Petri discipulus & successor, adeo pœnituisse Petrum, ut per totam deinceps vitam singulis noctibus audiens galli cantum in genua procideret, amaras funderet lacrymas, & peccati licet jam remissi iterum veniam a Deo & Christo flagitaret. Hinc etiam oculi ejus ex assiduo ploratu apparebant, quasi sanguine respersi, teste Nicephoro lib. 2. c. 37. Denique lapsum hunc compensavit Petrus austere usque ad mortem vivens, lupinos (ipsa sunt amara) comedens, teste S. Gregorio Nazianzeno orat. de amore pauperum; item assiduis laboribus, Apostolicis persecutionibus, ærumnis, ac denique morte crucis, quam H pro Christo constantissime & lætissime sustinuit.

Lege lib. 3. Revelat. c. 5. S. Brigidæ, ubi S. Petrus apparens S. Brigidæ, narrat sui lapsus causam fuisse oblivionem sui propositi & promissionis Christo factæ. Unde ei suadet hoc tentationis remedium: *Surge*, inquit, *per humilitatem ad magistrum memoria, & pete ab eo memoriam.*

CAPUT XXVII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pontifices Christum in concilio damnant & tradunt Pilato, ut ab eo pariter damnetur & occidatur. Id videns Judas, triginta argenteos refert, desperat & se suspendit. Secundo, v. 11. Pilatus Christum examinat, & innocentem deprehendens, liberare conatur, componens eum cum Barabba sicario: sed Judæi insanis vocibus Barabbam liberari postulant, Christum vero crucifigi. Tertio, v. 26. his vocibus victus Pilatus, Chri-

Digitized by Google

A *Christum flagellatum tradit eis, ut crucifigatur: quare milites ei ut regi Judæorum, sed ficto, coronam spineam pro aurea & regali imponunt, pro sceptro dant arundinem, pro purpura chlamydem coccineam. Quarto, v. 32. educentes eum in Golgotha, crucem ejus imponunt Simoni Cyrenæo; Christoque ibidem inter duos latrones crucifixo, cum titulo: Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum, vestes ejus sorte dividunt, illique illudunt variis probris & blasphemiis. Quinto, v. 45. tenebræ occupant totam terram ab hora sexta ad nonam, qua Jesus resignans Patri spiritum expirat: mox templi velum scissum est, petræ scissæ, monumenta aperta, corpora mortua surrexerunt, terra contremuit; quibus visis, Centurio ait, Vere filius Dei erat iste. Sexto, v. 57. Joseph ab Arimathia a Pilato petit corpus Christi, illudque sepelit. Judæi sepulchro custodes adhibent.*

VERS. 1. B Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.

2. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus,

4. Dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.

5. Et projectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit.

6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est.

7. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, C hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel:

10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

11. Jesus autem stetit ante præsidem, & interrogavit eum præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis.

12. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit.

13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?

14. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.

15. Per diem autem solemnem consueverat D præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?

18. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.

19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & justo illi: Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

20. Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.

21. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.

22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus.

23. Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis E præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur.

24. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis.

25. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.

26. Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

27. Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem:

28. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei:

29. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera F ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum.

30. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.

31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.

32. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.

33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.

34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.

35. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. G

36. Et sedentes servabant eum.

37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsum scriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.

38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, & unus a sinistris.

39. Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua.

40. Et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva temetipsum; si filius Dei es, descende de cruce.

41. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dicebant:

42. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce & credimus ei:

43. Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum: dixit enim: Quia filius Dei sum.

44. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi H erant cum eo, improperabant ei.

45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.

46. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

47. Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.

48. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

49. Ceteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.

50. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt.

52. Et monumenta aperta sunt: & multa corpora

Digitized by Google

A pora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.

53. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

54. Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræmotu & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iſte.

55. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ ſecutæ erant Jeſum a Galilæa, miniſtrantes ei,

56. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.

57. Cum autem ſero factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu.

58. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus
B Jeſu. Tunc Pilatus juſſit reddi corpus.

59. Et accepto corpore, Joſeph involvit illud in ſindone munda.

60. Et poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit.

61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum.

62. Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceven, convenerunt principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum.

63. Dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam.

64. Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium: ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore.

65. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite,
C cuſtodite ſicut ſcitis.

66. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.

VERS. 1. Luc. 23. 66. Marc. 15. 1. MANE AUTEM FACTO (Sytus, *cum autem eſſet diluculum*) CONSILIUM INIERUNT OMNES PRINCIPES SACERDOTUM, ET SENIORES POPULI ADVERSUS JESUM, UT EUM MORTI TRADERENT.

MANE] *Cerne*, ait Hier. *ſollicitudinem ſacerdotum in malum*, juxta illud pſal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*. Urgebat ab hoc eos immane in Chriſtum odium, & inſtigatio diaboli. Fuit hoc mane feriæ ſextæ, ſive diei Veneris, qua poſt paucas horas ab eis crucifixus eſt Chriſtus. Itaque Caiphas, qui noctu cum paucis Chriſtum examinarat & damnarat, mane convocavit magnum plenumque concilium, quod *Sanedrim* vocatur, & 70. viris, ſive ſenatoribus, conſtabat, ut ab eo toto Chriſtus damnaretur, ac damnatus Pilato traderetur, ne Pilato eum, utpote a toto concilio prædamnatum, abſolvere poſſet. Geſta in hoc concilio tacet Matthæus: quia in eo repetita fuit Chriſti examinatio, & damnatio, quam ipſe recenſuit c. præced. v. 59. & ſeq. Lucas vero rem in eo geſtam ſic ſupplet & enarrat c. 22. 66. *Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis quia ego ſum. At illi dixerunt. Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus de ore ejus.* Hæc explicui cap. præced. v. 59.

Caiphas convocat Concilium ad damnandū Chriſtum.

D

Præclare S. Leo ſer. 3. de Paſſione: *Hoc mane*, inquit, *vobis* (o Judæi) *templum & altaria diruit, legem & prophetas ademit, regnum & ſacerdotium ſuſtulit, in luctum æternum omnia feſta convertit.*

UT (græce ὅπως, id eſt, *quomodo*) EUM MORTI TRADERENT] ſcilicet qua ratione ſine obſtaculo & tumultu eum occiderent: item quo genere mortis eum afficerent, nimirum crudis, quod erat ſummi doloris æque ac infamiæ. Veriſimile eſt aliquos in hoc concilio fuiſſe Chriſti ſectatores, vel amicos; qui vel a concilio hoc ſe abſentarunt, vel a Caipha non vocati, aut alio miſſi fuere, ne Chriſtum in concilio defenderent: quod ſi aliqui ex eis concilio interfuerunt, vel pro Chriſto ſententiam dixerunt, vel victi clamore cæterorum tacuerunt: tales fuere Nicodemus & Joſeph ab Arimathæa, Lucæ c. 23. v. 51. E

Nota. Concilium hoc impium, erravit non tantum in facto, ſed & in fide, quia declaravit, imo ſententiam tulit, Jeſum non eſſe Chriſtum, nec Dei Filium; ſed utrumque titulum ſibi falſo arrogare, ideoque reum eſſe mortis; quæ omnia ſunt erronea & hæretica: ſed concilium hoc particulare & exiguum fuit, ſcilicet ex ſolis Judæis, imo ex ſolis Hieroſolymæ incolis conſtans. Secus eſt de Conciliis Oecumenicis Chriſtianorum, ad quæ convocantur Epiſcopi omnium provinciarum, qui totam Eccleſiam repræſentant, ideoque ex promiſſione Chriſti aſſiſtentem habent Spiritum ſanctum ut in fide non errent. Dices, ergo tunc tota Eccleſia Judaica erravit, & a fide defecit. Reſp. nego conſequentiam: tum quia inter Chriſti diſcipulos, qui a Chriſto converſi erant, ſparſique per totam Judæam, multi in ejus fide perſtiterunt; tum quia inter Judæos per totam Judæam diffuſos multi erant veri fideles & religioſi, qui fidem patrum ſectabantur, e quibus multi in pentecoſte ad Chriſtum converſi ſunt, ut patet Actor. 2. F

VERS. 2. Luc. 23. 1. Mar. 15. 1. & Joan. 18. v. 28. ET VINCTUM ADDUXERUNT EUM, ET TRADIDERUNT PONTIO PILATO PRÆSIDI] *Nam*, ut ait S. Hieron. *Judæi habebant hunc morem, ut quem adjudicaſſent morti, ligatum judici traderent. Hic eſt Samſon vinctus a Dalila, Chriſtus a Sinagoga.* Vere Origenes: *Alligaverunt Jeſum*, ait, *ſolventem a vinculis, & dicentem eis, qui ſunt in vinculis, Exite, & compedes ſolventem atque dicentem, Dirumpamus vincula eorum.* Ideo enim vinctus eſt Jeſus, quia vincula culparum & pœnarum culpis noſtris debitarum in ſe luenda ſuſcepit, ut nos ab iis abſolveret.

ADDUXERUNT] ſcilicet Caiphas cum cæteris omnibus concilii ſenatoribus, ut auctoritate ſua opprimerent non ſolum Jeſum, ſed & Pilatum, cogerentque eum, Jeſum jam a ſe examinatum & damnatum patiter damnare & occidere. Quod ſi nollet, omnes eum quaſi affectati regni Judaici reum, ideoque Cæſaris inimicum & rebellem G accuſarent, atque hac criminatione Pilatum etiam invitum compellerent ad eum morti adjudicandum, uti reipſa contigit.

TRADIDERUNT PONTIO PILATO] Cur? Putant nonnulli ex iis, quæ dicuntur in Thalmud, Judæis non licuiſſe quemquam crucifigere, ſed aut ſtrangulare, aut lapidare, aut comburere, aut capite plectere; Judæos ergo tradidiſſe Chriſtum Pilato, ut is eum crucifigeret. Sed hoc falſum eſſe liquet ex Deuter. 21. 23. *Quando*, inquit, *peccaverit homo quod morte plectendum eſt, & adjudicatus appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Sic Moſes colentes Beelphegor ſuſpendit in patibulis, Num. 25. 4. Joſue 8. 29. ſuſpendit regem Hai, David filios Saul, 2. Reg. 21. v. 6. & 9. Pilato traditur Chriſtus.

Vera ergo cauſa cur Judæi non occiderint Chriſtum, ſed Pilato occidendum tradiderint, eſt, quod Romani; Judæis devictis ſubactiſque, jus necis & poteſtatem occidendi ademerint, ſibique vendicarint, ut patet Joan. 18. 31. *Nobis*, inquiunt Judæi Pilato, *non licet interficere quemquam.* Unde Joſephus lib. 20. Antiq. c. 8. ſcribit Ananum pontificem, eo quod cum concilio Jacobum fratrem Domini, alioſque nonnullos ſine conſenſu præſidis Romani occidiſſet, pontificatu fuiſſe privatum. Quod ergo Judæi Stephanum lapidarint, & Chriſtum ſæpe lapidare voluerint, id non jure, ſed injuria & impetu furentis populi factum eſt. Ita Toletus, Maldonatus, Franc. Lucas & alii. Romani Judæis ejus necis ademerunt. H

Adde, principes Chriſtum Pilato tradidiſſe occidendum aliis quoque de cauſis. Prima erat, ut a ſe infamiam occiſi Chriſti, quod ſcilicet eum ex invidia occidiſſent, amolirentur. Pilato ergo quaſi Romano & Gentili, ideoque viro æquo, & quem Chriſti cauſa non tangebat, eum tradunt, ut is damnet, quem populus ex mera ratione, non ex invidia eum damnaſſe crediturus ſit. Cur Chriſtus traditus Pilato. Cauſa Prima.

Secunda, quia principes volebant Chriſti honorem & gloriam plane obterere & delere, ac oſtendere ipſum non eſſe Chriſtum, ſed pſeudochriſtum. Tradunt ergo eum Pilato, ut is eum quaſi latronem & rebellem Cæſaris ad infamem mortem condemnet, & inter latrones crucifigat, ut patebit Joan. 18. v. 32. Judæi enim Chriſtum ut blaſphemum damnarant: blaſphemi autem pœna ex lege Levit 24. 16. erat lapidatio, non crux, ut ergo Chriſtum Secunda.

cruci-

Digitized by Google

A crucifigant, tradunt eum Pilato, ut is ex lege Roman. quæ rebelles & seditiosos cruci addicit, Christum quasi Cæsaris rebellem crucifigat.

Tertia. Tertia, quia dies, in quo hæc acta sunt, erat festum paschæ sanctissimum, quo pontificibus sacra & sacrificia tractanda erant in templo, ideoque a sanguine & cæde plane abstinendum. Tradunt ergo eum Pilato Gentili, ut is eum in Paschate quasi in die sibi profano occidat, cogitantes sic se majorem infamiam Christo irrogaturos, si in die Paschæ solemni, quo omnes Judæi Hierosolymam confluebant, ipse in omnium conspectu quasi profanus a profano Pilato, diem Paschæ profanante occideretur. Ita S. Chrysost. hic hom. 86. & S. Aug. tract. 114. in Joan. & Cyrill. lib. 12. in Joan. c. 6.

Porro, Deus Judæis irrogavit pœnam talionis: nam sicut ipsi tradiderunt Christum cædendum Pilato præsidi Romano, sic vicissim ipsi a Deo Romanis Imperatoribus Tito & Vespasiano traditi sunt, ut vastarentur & exscinderentur, ut notat S. Cyrill. in Joan. c. 18. Theophyl. & Victorin. Marc. c. 14.

B TUNC VIDENS JUDAS, QUI EUM TRADIDIT, QUOD
VERS. 3 DAMNATUS ESSET: POENITENTIA DUCTUS, RETULIT TRIGINTA ARGENTEOS PRINCIPIBUS SACERDOTUM ET SENIORIBUS.

VERS. 4 DICENS: PECCAVI TRADENS SANGUINEM JUSTUM. AT ILLI DIXERUNT: QUID AD NOS? TU VIDERIS] Judas vendens Christum Judæis, non cogitabat quod Christus ab eis occideretur, sed caperetur dumtaxat, & captus vel eis satisfaceret, vel virtute sua e manibus eorum elaberetur, uti alias elapsus fuerat: at ubi vidit eum damnatum ad mortem, advertit gravitatem culpæ suæ, quod scilicet ipse esset causa necis Christi: quare sero facti pœnitens, seipsum damnavit & suspendit, *Talis nempe diabolus est*, inquit Chrysost. *ut non dimittat hominem, nisi vigilet, ante ultimum effectum magnitudinem peccati prævidere, ne pœnitentia ductus a peccato resiliat, postquam autem peccatum omnibus numeris est expletum, tunc videre permittit, ut mœrore afficiat, & in desperationem præcipitet. Tam multis enim admonitionibus Christi nihil flexus est Judas: cum vero in ultimum jam effectum res venit, tunc pœnitentia ducitur neque tunc utiliter, & ut oportebat.*

Judas male pœnitens refert triginta largenteos.

C QUOD DAMNATUS ESSET] a Caipha pont. totoque concilio, ideoque eorum auctoritate, odio & importunitate, mox damnandus foret a Pilato, ob obstinationem principum eum accusantium, & ad necem perurgentium.

POENITENTIA DUCTUS] Non vera & genuina: hæc enim spem veniæ, qua caruit Judas, includit, sed coacta, cruciante & desperabunda, qualem parit mala conscientia torquens & remordens damnatos, qui torquentur igne gehennæ. Hoc enim est Græcum μεταμεληθεὶς.

RETULIT TRIGINTA ARGENTEOS PRINCIPIBUS] ut rescinderet contractum cum eis initum, q. d. Ergo revoco contractum vobiscum initum, ideoque restituo vobis pretium mihi datum, ut vos vicissim Jesum, quem hoc pretio vobis vendidi, libertati suæ restituatis. Nam ut ait S. Ambros. in Lucæ c. 22. *In pecuniariis causis refuso pretio jus solvi consuevit*. Porro *Judas*, ait Hilarius, *agens*
D *pœnitentiam pretium sanguinis Christi reddidit sacerdotibus, ut licet ipse venditi sanguinis auctor esset, tamen eorum infidelitatem ipsa vendentis professio argueret*. Et S. Ambros. *& si*, inquit, *cassa est pœnitentia proditoris, est tamen ullus in scelere pudor, culpam agnoscere: & quamquam illa non absolvitur, Judæorum tamen impudentia confutatur, quos cum professio redarguat venditoris, scelerate tamen sibi vindicant jura contractus.*

PECCAVI TRADENS SANGUINEM JUSTUM] Græce ἀθῶον, id est, innocentem: quid enim innocentius agno immaculato? quid purius puritate Jesu Christi?

AT ILLI DIXERUNT: QUID AD NOS? TU VIDERIS] Tu quod intriviſti exede, tu culpæ tuæ quam agnoscis pœnam sustine: nos in nobis nullam culpam agnoscimus, sed Jesum ut pseudochristum æstimamus reum mortis, ideoque eum ad mortem persequimur & perurgemus. Noluerunt principes denarios a Juda oblatos recipere, ne contractum rescindere & Jesum dimittere cogerentur. Quare Judas eos projecit in templum, ut sequitur, ac desperans de Jesu vita & consequenter de salute sua, se suspendit: si enim reddito pretio principes Jesum liberassent, utique Judas non desperasset, nec se suspendisset. Hucusque ergo proba fuit pœnitentia Judæ, sed eadem improba fuit, dum, illis remittentibus Jesum dimittere, ille desperavit & desperans se suspendit. *Vide eos nolle*, inquit Chrysost. *quantum rem anderent, aspicere, quæ res culpam eorum majorem reddit. Aperte namque audacissima iniquitatis testantur passione se ferri, & nolle a perperam cœptis desistere ficto ignorantiæ velamine stulte se adoperientes.* E

ET PROJECTIS ARGENTEIS IN TEMPLO, RECESSIT; ET VERS. 5 ABIENS LAQUEO SE SUSPENDIT] Nota. Judas retulit argenteos ad domum Caiphæ, vel certe Pilati, ad principes Christum apud eum accusantes, cumque illi nollent eos recipere, abiit in templum, ibique eos projecit, ut a sacerdotibus colligerentur, & principibus sacerdotum redderentur. Forte etiam aliqui principes jam a Caipha & Pilato in templum abierant, sacra & sacrificia Paschalia celebraturi, ad eorum ergo pedes denarios hosce projecit Judas, ut quantum in se est, contractum rescinderet, proditionem suam damnaret, ac Jesu innocentiæ famam, vitamque si posset, restitueret: si enim eos projecisset in domo Caiphæ, vel Pilati, statim eos principum ministri & satellites collegissent, sibique sine ullo Judæ fructu vendicassent, in templum ergo eos projecit, quasi sacrum sacerrimi Christi pretium, ideoque si principes illud recipere nollent, in sacros pioſque usus expendendum. F

ET ABIENS LAQUEO SE SUSPENDIT] Sytus *se strangulavit*, Æthiopicus *laqueo se suspendit, & mortuus est*. Erat ergo Theophyl. & Græci, qui censent Judam suspendio non esse mortuum, sed postea curru fuisse obtritum. Vide dicta Actor. 1. 18. Peccato proditionis gravissimo Judas addidit aliud non gravius, sed nocentius, desperationis. Hoc enim illum adegit in ima tartara, ad sedem Luciferi. Si enim pœnitens veniam a Christo etiam jam damnato petiisset, utique eam ab illo obtinuisset; sed proditionis immanitas tantum ei horrorem agente diabolo injecit, ut de venia instar Caini desperaret, ideoque statim ante necem Christi, illo ipso die ipse se suspendit, non ferens tantum conscientiæ occlamantis remorsum & probrum, uti docet S. Leo ser. 3. de Pass. S. Augustinus, vel quisquis est actor, Quæst. novi & veteris testam. quæst. 94. & alii. Hoc de Juda prophetarat David psal. 34. 8. dicens: *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum*. Audi S. Leonem ser. 3. G *Unde scelestior omnibus Juda & infelicior extitisti, quem non pœnitentia revocavit ad dominum, sed desperatio traxit ad laqueum*. Et post pauca: *Cur de ejus bonitate diffidis, qui te a corporis & sanguinis sui communione non repulit? qui tibi ad comprehendendum se, cum turbis & armatorum cohorte venienti, pacis osculum non negavit; sed homo inconvertibilis, spiritus vadens, & non revertens, cordis tui secutus es rabiem, & stante diabolo a dextris tuis, iniquitatem, quam Sanctorum omnium armaverat caput, in tuum verticem retorsisti, ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet impietas tua judicem, te puniret tua pœna carnificem.*

Desperabundus Judas se suspendit.

Tradunt nonnulli Judam ex ficu se suspendisse, sicut Hebræi tradunt arborem vetitam, ex qua Adam & Eva comederunt fuisse ficum: ficus ergo homini fuit infelix arbor. Unde Juvencus canit:

Judas in ficu se suspendit.

Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas,
Infernem rapuit ficus de vertice mortem.

Huc Judam adegit avaritia. Audi S. Chrysost. *Audite ista, audite, inquam, avari, versate animo quid ille passus fuit, nam & pecuniam amisit, & scelus admisit, & animam perdidit, quod atrox avaritiæ tyrannis facere solet. Non est argento, nec hac usus vita, non fruetur futura, universa simul amisit: pravaque apud eos, quibus tradidit, æstimatione de se suscitata, laqueo demum gulam fregit.* H

Avaritia Judam perdidit.

Denique hæc confessio Judæ non verbalis, sed realis, puta ipsum ejus desperabundi suspendium, clarum fuit testimonium innocentiæ Christi, quod Judæos ab ejus cæde abstrahere debuisset, si vel micam pudoris aut conscientiæ habuissent: sed tanta fuit eorum obstinatio & malitia, ut ab ea portento tam novo revocari non potuerint.

Symbolice, Beda in c. 1. Actor. *Dignam*, inquit, *sibi pœnam invenit, ut guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret, & qui hominum angelorumque Dominum morti tradiderat, cæli terræque pervisus aeris in medio periret? & viscera, quæ dolum proditionis conceperant, rupta cadarent*. D. Bernard. ser. 8. in psal. 90. *Judas*, inquit, *in aere erepuit medius, aeriarum collega potestatem, utpote quem veri Dei & hominis qui de cælo venisset operaturus salutem in medio terræ, hujus inquam proditorem nec cælum recipere, nec terra sustinere*. Rursum S. Aug. lib. hom. 50. hom. 27.

Digitized by Google

A hom. 27. *Quod*, inquit, *in corpore suo fecit, hoc factum est in anima ipsius. Quomodo qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aeris hujus, sic illi qui desperant de indulgentia Dei ipsa desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritus sanctus visitare non possit.*

VERS. 6 PRINCIPES AUTEM SACERDOTUM, ACCEPTIS ARGENTEIS, DIXERUNT: NON LICET EOS MITTERE IN CORBONAM: QUIA PRETIUM SANGUINIS EST] *Corban*, sive *Corbona*, hebr. idem est quod *oblatio*. Unde metonymice hic significat ærarium, sive gazophylatium, in quod oblationes injiciebantur. Hinc Arabicus vertit, *domum* (techam) *oblationum*. Vide Josephum lib. 1. Belli cap. 8.

Corban, sive Corbona, quid?

QUIA PRETIUM SANGUINIS EST] Vide hic hypocrisin sacerdotum, qui simulant studium religionis & honestatis, ut non sinant in sacrum ærarium infetri pretium sanguinis Christi, quasi impurum & pollutum, cum tamen iidem purissimum sanguinem Christi, eodem emerint fuderintque; imo, ut videtur, pretium hoc ex ipso corbona acceperint, Judæque dederint, quasi pretium pietatis ad

B capiendum plectendumque Christum quasi sceleratum & suæ religionis hostem.

VERS. 7 CONSILIO AUTEM INITO, EMERUNT EX ILLIS AGRUM FIGULI IN SEPULTURAM PEREGRINORUM.

VERS. 8 PROPTER HOC VOCATUS EST AGER ILLE HACELDAMA, HOC EST AGER SANGUINIS, USQUE IN HODIERNUM DIEM] *Videbant enim*, inquit Origenes, *quoniam circa mortuos magis eam pecuniam conveniebat expendi, & circa locum mortuorum de sepultura, quoniam pretium sanguinis erat.*

PEREGRINORUM] Pro peregrinis, vel hospitibus, qui scilicet ex Judæa vel aliunde Hierosolymam venientes ibi moriebantur; nam ipsi Hierosolymitæ sua jam sibi destinarant sepulchra, Dei concilio hoc actum est ut ager hic jugiter extans, jugis esset testis pœnitentiæ Judæ, ac consequenter innocentiæ Christi & Christicidii Judæorum. *Nomen loco inditum*, inquit Chrysost. *omni clarius tuba, sceleratam eorum prædicat cædem.* Et paucis interjectis: *Si enim in corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset; nunc vero prædio empto, etiam posteris rem universam prodiderunt.*

C Symbolice, hoc facto significabatur pretium sanguinis Christi non Judæis indigenis, sed peregrinis, id est gentibus in eum credituris, profuturum. Ita Hilarius: *Nihil*, inquit; *hinc pertinet ad Israel, & totus hic sæculi* (sanguinis Christi pretio) *empti usus alienis est.*

Haceldama, quid?

HACELDAMA] Proprie & præcise dicendum esset *Chakaldema*. Hebræi enim agrum vocant חלק *chelec*, Chaldæi vero per metathesin dicunt *chakel*. Est ergo hæc vox Chaldæa. Syrus habet, *agurescа*, quæ vox derivata est a Græco ἀγρὸς, & Latino *ager*. Ita Pagnin. & alii. Porro *chakel* pro agro usurpant non solum Chaldæi, sed & Syri ac Arabes. Unde Arabicus hic habet, *Hacaldama*, nec illud interpretatur, uti facit Latinus, dicens: *Hoc est ager sanguinis*, porro Æthiopicus vertit, *& vocatus est locus ille meduradam* (æthiopice) *hoc est terra sanguinis*; Persicus, *& nomen campi ejus in hunc diem Haceldami, hoc est ager sanguinis.*

Audi quid de hoc agro sanguinis, sive de *Haceldama*, scribant Brocardus, Nicephorus, Bredenbachius, Saligniacus, & ex iis Adrichomius in Descriptione Jerusalem,

D num. 216. p. 173. *Haceldama, sive ager figuli ad Australem partem montis Sion situs est, cujus medium S. Helena quatuor muris longitudine septuaginta duorum, latitudine vero quinquaginta pedum, fecit includi, ac superius testudine* (*quæ septem foraminibus, per quæ defuncta Christianorum corpora demittuntur, patet*) *concamerari. Est vero hujus terræ virtus mirabilis, & fidem pene superans quod defunctorum corpora, viginti quatuor horarum spatio in pulverem redigat: quam virtutem etiam in alias regiones devecta minime perdit. Nam cum jussu imperatricis Helenæ de hoc agro, quantum terræ plures naves capere poterant, Romam avectum, ac juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolæ* CAMPUM SANCTUM *vocitant, licet celum mutarit, eamdem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hic omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantum residuis.* Hucusque Adrichomius. Sæpius Romæ vidi & visi Campum sanctum, ac ita se rem habere ab ipso loci Parocho, ejusque assectis & Romanis cæteris audivi.

Campus sanctus.

Tropologice. Tropologice, *Haceldama*, id est ager pretio sanguinis Christi pro peregrinis comparatus, est Ecclesia, ait E S. Chrysost. & Augustin. serm. 114. de Temp. ac præsertim status religiosorum, qui se peregrinos æstimant in terra, ac cives cæli & domesticos Dei, ideoque Christi sanguinis fructum, id est gratiam & gloriam, participant: de quibus ait S. Petrus epist. 1. c. 2. *Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis.* Ubi S. Chrysost. *Nihil*, ait, *beatius hac sepultura, super quam gaudent omnes, & angeli, & homines, & angelorum Dominus. Si hæc vita non est vita, sed abscondita est vita nostra, tanquam mortui vita ista vivere debemus.* Et S. Paulus Colos. 3. *Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hac forte de causa, & hoc symbolo carnes sepultorum in campo sancto intra 24. horas consummuntur, uti paulo ante dixi. Vide dicta Actor. 1. v. 18. & 19.

VERS. 9 TUNC IMPLETUM EST QUOD DICTUM EST PER JEREMIAM PROPHETAM, DICENTEM: ET ACCEPERUNT TRIGINTA ARGENTEOS PRETIUM APPRETIATI, QUEM APPRETIAVERUNT A FILIIS ISRAEL:

ET DEDERUNT EOS IN AGRUM FIGULI, SICUT CONSTITUIT MIHI DOMINUS] Hunc locum explicui Zachar. 22. v. 12. 13. quare ibi dicta hic non repetam. F

VERS. 10 PRETIUM APPRETIATI] Græce τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, id est, *pretium illius pretio æstimati*, scilicet Messiæ sive Christi, qui inestimabilis est, ait Theophyl. *Quem appretiaverunt*, id est pretio hoc triginta denariorum æstimarunt, & emerunt principes *a filiis Israel*, id est a Juda, qui unus erat ex filiis Israel, ait Titelmanus & Barradius. Addit hoc, quia auget indignitatem venditionis Christi, quod venditus sit non a Gentili, sed ab uno Israelita, qui filius erat Israelis, sive Jacobi patriarchæ fidelis & sancti, adeoque sortitus erat nomen Judæ, qui primarius fuit inter filios Jacobi. Est syllepsis, vel enallage numeri: ponitur enim pluralis pro singulari. Aliter Theophyl. qui τὸ *a filiis Israel*, refert ad τὸ *appretiati*. q. d. Christus a filiis Israel, id est a principibus, appretiatus est, id est emptus pretio 30. denariorum. Aliter quoque, sed difficilius Euthym. & alii, qui subaudiunt τὸ *qui erant*. q. d. Qui erant ex filiis Israel, id est Israelitæ, appretiarunt Christum 30. denariis.

Porro Syrus vertit in prima persona, *& accepi triginta argenteos pretium illius honorandi* (Arabicus, *pretium innocentis*) *de quo pacti sunt a filiis Israel, & dedi eos pro agro figuli*, scilicet ἔλαβον tam verti potest *accepi*; quam *acceperunt*: ac pro ἔδωκαν, id est *dederunt*, Syrus legit, ἔδωκα, id est *dedi*: quæ lectio valde consentit cum verbis Zachar. 1. v. 12. & 13. *Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum ad figulum.*

SICUT CONSTITUIT MIHI DOMINUS] Hæc verba dupliciter accipi possunt. Primo, ut sint verba Christi, qui per Prophetam loqui pergat. q. d. Pretio 30. denariorum, quibus ego Christus venditus sum, emptus est hic ager, *sicut constituit mihi*, id est *de me, Dominus*. q. d. Deus mihi eorum, quæ ex me, vel mea erant, finere voluit deperire, sed ut omnia & singula mea in utilitatem hominum expenderentur: quare etiam agrum pretio sanguinis mei emptum voluit non esse otiosum, sed servire sepulturæ peregrinorum.

Secundo, ut sint verba Prophetæ de seipso. q. d. Ego Propheta prædico agrum emendum pretio sanguinis Christi, quia sic constituit & ordinavit mihi Dominus: ut scilicet idipsum prædicerem & prophetarem, tam verbo quam facto; nimis enim vile & indignum Christo fuit hoc ejus pretium. Unde Zacharias c. 11. v. 12. & 13. hoc pretium per ironiam vocat, *decorum: Decorum*, inquit, *pretium, quo appretiatus sum ab eis.* H

VERS. 11 JESUS AUTEM STETIT ANTE PRÆSIDEM (Pilatum, qui erat præses Judææ nomine Tiberii Imperat. Romani) ET INTERROGAVIT EUM PRÆSES, DICENS: TU ES REX JUDÆORUM? DICIT ILLI JESUS: TU DICIS] Finita historia & tragico casu Judæ, redit Matthæus ad Jesum, quem v. 1. dixit a pontificibus traditum Pilato, ut is eum damnaret & occideret. Nota. Matthæus hic multa silet, quæ ex Joann. 18. v. 19. & seq. sunt ante hunc Matthæi versum ponenda, scilicet primo, Pilatum interrogasse pontifices: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Responderunt pontifices superbe; *Si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Hoc responso iritatus Pilatus ait. *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate*: lex autem jubebat blasphemos (qualem esse Jesum censebant pontifices) lapidari. Mox pontifices

Luc. 23. 3. Mar. 15. 2. Joan. 18. v. 33. 37. **Jesus sistitur coram Pilato.**

Digitized by Google

A tifices, quia volebant Christum, ad majorem infamiam crucifigi, contra obtenderunt: *Nobis non licet interficere quemquam*, scilicet quia hoc jus eis ademptum erat a Romanis, idque factum est hoc consilio, ait Joannes, *ut sermo Jesu*, quem audivimus Matth. 20. 18. *impleretur, significans qua morte esset moriturus*; scilicet infami & durissima, nimirum, a Pilato & Romanis agendus in crucem. Crux enim apud Romanos erat supplicium proprium seditionis & affectati regni (uti ostendit Lipsius l. 1. de Cruce c. 14.) quod hic pontifices Christo impingunt, ac proinde illud hoc loco, utpote contra Cæsarem commissum, erat a Pilato Cæsaris præside cruce puniendum: unde ipse cruci hunc titulum causam necis Christi inscripsit: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*.

Tria crimina Christo objectantur.

Porro Pontifices videntes sua auctoritate, & damnationis Christi præjudicio non moveri Pilatum, sed causam poscere & crimina, de quibus eum accusent, ut ex iis videat & judicet, an Jesus reus sit mortis, necne: hac de causa ipsi tria crimina depromunt, de iisque Jesum apud Pilatum quasi reum mortis accusant, quæ recenset Lucas 23. 2. scilicet dicentes. Primum, *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram*. Secundum, *Et prohibentem tributa dare Cæsari*. Tertium, *Et dicentem se Christum regem esse*. Quartum addit Pilatus, in epistola, quam scripsit de causa Jesu ad Tiberium Imper. quæ extat apud Hegesippum lib. 5. scilicet Judæos Christo etiam magiam objecisse, quod nimirum mira, & miracula faceret ope dæmonis, quasi magus, eo quod Judæi de Christo dixissent: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicis dæmonia*, Matth. 12. 24. Omnia hæc falsissima erant, ac nominatim de tributis contrarium, scilicet illa danda esse Cæsari, diserte dixerat Christus Matth. 22. v. 17. imo de facto ipse pro se & pro Porro solverat tributum cap. 17. v. 27. Quocirca Pilatus, qui ex fama publica multa præclara audierat de vitæ integritate, doctrina, & miraculis Jesu, hæc ut ex odio, & invidia principum in Christum conficta, neglexit & despexit; ac solum interrogavit Jesum, an ipse esset rex Judæorum, sive quod ortus ex sanguine regum, ad ipsum jus regni Judææ pertineret, sive quod Messiæ titulo, aut aliquo alio simili, illud ad Jesum spectaret. Jesus Pilato respondit, rogavitque, uti supplet Joan. cap. 18. v. 34. *A te ipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Sciebat Jesus pontifices id dixisse Pilato, seque apud eum de affectato Judææ regno accusasse, sed voluit interrogando pungere Pilatum, ut meminerit Judæorum, id est hostium suorum, hæc esse verba, & calumniam, cum ipse Pilatus Præses, cujus erat Cæsaris nomen plenumque imperium tueri, ac proinde curare ne quis regem Judææ se diceret, hucusque officio suo invigilans, nil tale de Jesu umquam audisset. Pilatus hac Jesu interrogatione irritatus, respondit: *Numquid Judæus ego sum?* ut tuum, qui es Judæus, genus, prosapiam, cæteraque tua norim vel curem? q. d. Minime: sum enim Gentilis, & Romanorum præfectus: *Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti?* Hoc est, quod ex ore Pilati elicere & audire cupiebat Jesus: unde ad primam ejus petitionem; num ipse rex esset; clare & directe respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent utique, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego: in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam*.

Dixit Christus Pilato, regnum suum non esse de hoc mundo, id est, non esse mundanum & terrenum, humanum, & temporale, constans humanis pompis, legibus, armis, præsidiis, ut Tiberius Cæsar ab eo sibi metuere deberet, ne dominio Judææ ab eo privaretur, sed esse cæleste, spirituale & transcendens, quo in fidelium mentibus regnet per fidem, & gratiam, ut ad regnum suum cæleste perducat. Matthæus hoc ultimum dumtaxat brevitatis studio quasi veram necis Christi causam cæteris omissis assignat, dicens: *interrogavit eum Præses dicens: Tu es rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis*: q. d. Ego sum rex Judæorum, uti tu dicis, id est, ego sum Messias rex. Potuisset Christus vera dicere. Non sum rex Judæorum, scilicet temporalis, uti est Herodes, nec affectavi vel ambivi regnum Judææ, sed quia Judæi per regem Judæorum intelligebant Messiam, hinc Christus, ne se negaret esse Messiam, hoc est Christum, confessus est se esse regem Judæorum, id est se esse Messiam regem Judæis a Prophetis promissum.

Regnum Christi Primo spirituale.

Quæres, quale & quotuplex est regnum Christi? Respond. Christus qua homo, duplex habuit regnum, etiam dum viveret in terris. Primum spirituale, scilicet Ecclesiam. Hanc enim quasi rempubl. fidelium in Judæa instituit, ac certis legibus, ordinibus, Sacramentis, &c. odinavit, ac per S. Petrum ejusque successores quasi vicarios suos regit, & per omnes gentes propagat. Hoc est regnum, quod Messiæ, id est Christo, dandum prædixerunt David & Prophetæ: Ita S. August. 115. in Joan. Secundum Christi regnum, ut recte docet Divus Thomas lib. 1. de Regimine Principum c. 12. & alii contra Abulensem in cap. 21. Matth. quæst. 30. est physicum, & κοσμικὸν, sive mundanum. Christus enim a primo instanti conceptionis suæ, proprie & directe habuit regnum & dominium totius mundi, saltem quoad jus & potestatem, ut posset reges quoslibet a regno deponere, & alios creare, licet hac potestate in terris non sit usus.

Secundo physicum.

Pro quo Nota triplex esse dominium & regnum. Primum est summum & divinum, quod Deus in omnes creaturas, quasi res suas obtinet. Hoc soli Deo est proprium. Secundum, est infimum, & humanum, quale habent reges, Imperatores & principes terræ. Tertium, & inter hæc duo medium, est regnum, & imperium Christi, qua homo est, quia hoc longe excedit & superat omnia regna humana, omniaque regum sceptra & jura: Primo, origine, quia a Deo manat, non ab homine: Deus enim hoc Christo dedit, non respubl. hominum. Secundo, firmitate, quia insuperabile est, perpetuum & æternum. Tertio, objecto, quia ad omnia creata, etiam ad angelos, se extendit. Id ita esse patet, quia Christus dicitur in femore, id est in humanitate, habere scriptum, *Rex regnum, & Dominus Dominantium*, Apoc. 19. 16. item dicitur esse *Princeps regum terræ*, Apoc. 1. 5. ac rursum ipse de se ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Matth. 28. Hoc enim imperium, Christo homini debitum erat ratione unionis hypostaticæ cum Verbo, sive Dei filio, ut scilicet ipse, qui per eam assciscitur erat in filium Dei, hæres esset & Dominus universorum. Quare hoc regnum Christo homini est proprium, quod ipse nulli, ne S. Petro quidem, ejusque successoribus Pontificibus comunicavit.

Christi regnum superat cætera.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Christo debitum regnum Judææ.

Quæres rursum, an Christus qua homo, habuerit jus humanum ad regnum Judæorum? Resp. habuisse: erat enim ipse filius David, cæterorumque regum Judææ, ut patet Matth. 1. ideoque eorum successor & hæres. Regnum tamen hoc actu non adiit, nec in eo rex inauguratus est: ejus tamen specimen quoddam dedit, cum in Dominica Palmarum solemni pompa, quasi rex Messias asino vectus ingressus est Hierosolymam, ac turba ei acclamavit: *Hosanna filio David*, Matth. 21. sed, ut dixi, reipsa hoc regnum non adiit, nec administravit Christus, præsertim, quia ante eum jam diu regnum familiæ Davidis cessarat in Jechonia, & Sedecia, qui fuere ultimi reges Judæorum e stirpe David, ac postea hoc regnum communi consensu populi translatum fuit ad Assamonæos, scilicet ad Judam, Jonatham & Simonem Machabæos, eorumque posteros.

ET CUM ACCUSARETUR A PRINCIPIBUS SACERDOTUM ET SENIORIBUS, NIHIL RESPONDIT] Causa fuit prima, quia omnia, quæ ei objiciebantur, manifeste erant falsa, & responso indigna. Ita S. Aug. ser. 118. de Temp. *Accusationem*, inquit, *suam Dominus tacendo non firmat, sed despicit non repellendo: melior est causa, quæ non defenditur, & probatur: plenior justitia, quæ non verbis astruitur, sed veritate fulcitur. Scivit Salvator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret*. Secundo, quia Jesus sciebat frustra se responsurum; & responso suo magis irritaturum Judæos furentes in necem suam. Tertio, ne diluens crimen a præside dimitteretur, & crucis utilitas differretur, ait S. Hier. quia volebat tacendo condemnari & mori pro salute hominum. Ita S. Ambr. in c. 23. Lucæ: *Bene tacet*, inquit, *qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Quid timeret, qui non ambiret salutem? Solus omnium suam prodit, ut acquirat omnium*. Quarto, ut silentio suo lueret & expiaret omnia mendacia, perjuria, blasphemias, maledicta, calumnias

VERS. 12 *Luc.* 23. v. 2. 3. *Mar.* 15. 3.

Silet Christus quatuor de causis. Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Digitized by Google

A &c. quæ homines loquendo committunt, eosque docere linguam fænare, ac in malis, otiosis & vanis silentium ori indicere.

VERS. 13 Mar. 15. 4. TUNC DICIT ILLI PILATUS: NON AUDIS QUANTA ADVERSUM TE DICUNT TESTIMONIA?] Pilatus enim eduxerat Jesum a domo sua foras, ut audiret accusationes principum nolentium ingredi prætorium, ne contaminarentur Gentilis præsidis domo, & tribunali, sed ut puri manducarent pascha, id est, victimas in paschate oblatas, vel mox offerendas, ut ait Joannes c. 18. v. 28.

VERS. 14 Mar. 15. 5. Miratur Pilatus. ET NON RESPONDIT EI AD ULLUM VERBUM, ITA UT MIRARETUR PRÆSES VEHEMENTER] Mirabatur Pilatus, Jesum innocentem, sapientem, & eloquentem in extremo vitæ discrimine constitutum, cum a potentissimis principibus furiose accusaretur & urgeretur ad necem, silere. Mirabatur ergo ejus animi modestiam, æquanimitatem, celsitudinem, mortis contemptum, indeque magis ejus innocentiam, & sanctitatem agnovit, omnibusque modis eum e manibus Judæorum liberare satagit. Audi S. Athanasium serm. de Pass. & Cruce: *Magnum id certe & mirificum in Servatore, qui tacendo, & non respondendo tam efficax erat in persuadendo, ut judex ultro factiones, conspirationesque adversus eum initas, & agnosceret & confiteretur.* Ita sæpe Sancti calumnias in se jactas silendo magis, quam respondendo confutant. Innocentis enim vitæ silentium vocalius est omni apologia, quamvis verbosa,

B

VERS. 15 Luc. 23. 17. Mar. 15. 6. Jo: 18. v. 39. PER DIEM AUTEM SOLEMNEM CONSUEVERAT PRÆSES POPULO DIMITTERE UNUM VINCTUM, QUEM VOLUISSENT] Ante hunc versum supplendum & præponendum est ex Lucæ cap. 23. v. 5. & seq. Pilatum cum audiret Jesum esse Galilæum, ut ab ejus condemnatione se extricaret, misisse eum ad Herodem Galilææ regem, qui eum silentem, velut fatuum illudens, veste alba indutum remisit ad Pilatum, quem antea ob exortum de terminis jurisdictionis litigium, inimicum sibi, hoc facto reconciliavit. Pro *veste alba* græce est λαμπρᾷ, id est illustri, candida, splendida: candor enim splendet, & vicissim fulgor candet. Alba ergo veste Herodes induit Christum, quia hæc vestis Primo erat ambientium magistratum, qui inde Candidati dicebantur; Secundo, eadem erat principum, Tertio eadem erat morionum & stultorum.

Christus candidæ indutus: Cur?

C Sugillavit ergo hac veste Herodes Christi stultam ambitionem, quod scilicet stolide, & ex fatuitate Judææ regnum affectasset, & ambivisset.

Symbolice, vestis candida repræsentabat Christi innocentiam, puritatem, virginitatem, victoriam, immortalitatem, gloriam, &c. quam per passionem & illusionem hanc meruit & acquisivit. Horum enim symbolum erat vestis candida, ut ostendi Eccles. 9. 8. ad illa: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Unde S. Ambr. in c. 22. Lucæ: *Alba induitur*, ait, *immaculata tribuens indicia passionis, quod Agnus Dei sine macula peccata mundi susciperet.*

Moraliter.

Porro Pilatus videns Jesum sibi ab Herode remissum, ut eum liberaret, dixit principibus: ut habet Lucas cap. 23. v. 14. *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis; sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Emendatum*, id est, castigatum & flagellatum, ut scilicet hac castigatione non culpam, quam nullam commisit, sed vestra in eum odia exsatiem.

D Mox Pilatus alium modum liberandi Jesum adinvenit, & populo proposuit, quem hoc v. 15. recenset Matthæus; scilicet ut in Paschate de more aliquem reum liberum dimissurus, componeret Jesum cum Barabba latrone, sperans & vix dubitans quin Judæi Jesum, qui tot infirmos eorum curarat, tantaque beneficia eis contulerat, poscerent liberari, Barabbam vero damnari. Unde ait: *Per diem solemnem*, scilicet præsentem Paschæ, ut habet Joan. 18. 39. *consueverat præses populo dimittere unum vinctum quem voluisset.* Hic mos olim apud Judæos inductus fuit, in memoriam liberati ex Ægyptia captivitate Israelis, per Mosen, Exodi 14.

Quæres, an vere Pilatus voluerit dimittere Christum? Negat Rupertus, putatque Pilatum instar vulpis simulasse se velle liberare Jesum, sed secreto collusisse cum Judæis, ut eum perderet; *Quia*, inquit, *posuit ipse Jesum in Judæorum invidentium arbitrio.* Verum longe melius S. Augustin. ceterique omnes censent, Pilatum sincere, & serio voluisse dimittere Jesum. *Id enim diserte habet Lucas cap. 23. vers. 20. & Sanct. Petrus Actor. cap. 13. Jesum*, ait, *negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.* Idem liquet ex tot modis, & instantiis, quibus Pilatus satagit salvare vitam Christi.

E

Instantiæ Pilati ad liberandū; Prima.

Prima instantia fuit, quod principibus, suam auctoritatem & judicium, quo cum Caipha pontifice Jesum damnarant, Pilato obtendentibus, poscentibusque eum ad necem, ipse non acquievit, sed causam ejus cognoscere, & crimina, de quibus eum accusabant, audire, & judicare voluit Joan. 18. 31.

Secunda,

Secunda instantia fuit, quod principibus Jesu, multa crimina, ac præsertim affectationem regni Judaici, objicientibus non credidit, maxime cum a Jesu audisset regnum ejus non esse de hoc mundo, unde palam edixit se nullam mortis causam in Jesu invenire.

Tertia,

Tertia fuit, quod miserit Jesum ad Herodem, ac remissum ad se, tam suo quam Herodis testimonio innocentem pronunciarit.

F

Quarta.

Quarta fuit, quod composuerit eum cum Barabba, sperans Judæos potius liberaturos Jesum, quam Barabbam. Unde subdit Matthæus,

VERS. 16 Luc. 23. 18. 19. Mar. 15. 7. Jo: 18. v. 40. Barabbas latro. HABEBAT AUTEM TUNC VINCTUM INSIGNEM, QUI DICEBATUR BARABBAS] *Insignem*, scilicet scelere, & infamia; græce, ἐπίσημον, id est, famosum, scilicet nominatum pro malitiis, ait Euthymius. Joannes eum *latronem* vocat, Marcus, *qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium:* Lucæ *erat propter seditionem quandam factam in civitate, & homicidium missus in carcerem.* Unde Chrysostomus eum vocat *famosum in protervitate, & multis homicidiis inquinatum.* Magna fuit hæc infamia & cruciatus Jesu, quod se innocentem & sanctum, imo Sanctum Sanctorum, qui tot ægris & mortuis vitam dederat, eratque electis auctor vitæ æternæ, cerneret componi & postponi Barabbæ, qui erat sceleratus, homicida & auctor mortis. Disce, o Christiane, cum componeris, & postponeris minus dignis, imo indignis & sceleratis, imitari patientiam Jesu, qui passus est se postponi Barabbæ.

G

BARABBAS] Hebr. idem est quod *barabba*, id est filius patris, scilicet primi Adæ, qui omnium hominum peccatorum fuit pater, cui postpositus fuit Christus, cum ejus obedientiam, & culpam in se lucndam suscepit, ideoque damnatus fuit ad mortem, ut Adamum, ejusque posteros a morte liberaret. Minus apte S. Hierony. *Barabbas*, inquit, *dicitur quasi bar rabba*, id est, filius magistri. Sic enim *Barrabbas* dicendum esset per duplex *r*, jam autem dicitur *Barabbas* per simplex *r*.

VERS. 17 Mar. 15. 9. Jo: 18. v. 39. CONGREGATIS ERGO ILLIS, DIXIT PILATUS: QUEM VULTIS DIMITTAM VOBIS? BARABBAM AN JESUM, QUI DICITUR CHRISTUS? *Ut*, *si principes*, inquit Druthmarus, *propter invidiam volebant eum perdere, populus, qui expertus fuerat ejus multiplicia beneficia, peteret eum vivere*; vel certe si nolent, quod ait Chrysost, *tamquam innocentem absolvere, saltem tamquam condemnatum solemnitati largirentur.*

QUI DICITUR CHRISTUS] Id est, qui vulgo habetur vocaturque Messias. Serio hoc dixit Pilatus, ut pungeret Judæos ad postulandum Jesum liberari. q. d. Jesus est Messias vester patribus vestris vobisque promissus; cavete ergo ne eum morte mulctetis.

H

VERS. 18 M. v. 15. 10. SCIEBAT ENIM QUOD PER INVIDIAM TRADIDISSENT EUM] tum quia principes clamore, vultu, gestu non nisi odia & iras spirabant in Christum: tum quia multa audierat de Jesu sanctitate, doctrina, & libertate, qua principum vitia taxaverat.

VERS. 19 Uxor Pilati mittit ad maritū pro liberando Christo. SEDENTE AUTEM ILLO PRO TRIBUNALI, MISIT AD EUM UXOR EJUS, DICENS: NIHIL TIBI, ET JUSTO ILLI: MULTA ENIM PASSA SUM HODIE (hac nocte) PER VISUM (græce κατ' ὄναρ, id est, *in somnis*) PROPTER EUM:] Nova est hæc instantia uxoris Pilati, ad liberandum Christum. Uxor ergo Pilati sub auroram quiescens in lecto, cum maritus ejus Pilatus jam surrexisset, ut negotiis publicis vacaret, habuit terrifica somnia, minitantia sibi & marito, si is Jesum innocentem & sanctum condemnaret. Somnia hæc illi immissa fuisse a dæmone jam agnoscente Jesum esse Christum, ideoque ejus necem impedire volen-

Digitized by Google

A volente, ne per eam homines salvarentur, censent S. Cyprianus (vel quisquis est auctor) serm. de Passione. S. Bern. serm. 1. de Paschate, Lyranus, Carthus. & Cajetanus. Unde Rabanus, *intelligens diabolus*, inquit, *se per Christum spolia amissurum, vult per mulierem liberare*. Citant Baronius & Barradius pro eadem sententia S. Ignatium ep. 8. ad Polycarpum & 5. ad Philippenses, sed nil tale in Ignatio reperire potui. Verum si dæmon Jesum liberare voluisset, potius Judæos & principes in gratiam & commiserationem Jesu flexisset, quam mulierem.

Uxoris Pilati somnium a quo immissum.

Quare verius Origenes, S. Hilarius, Hieron. Chrys. Euthym. Theophyl. Jansen. Maldonat. hic, & S. August. serm. 121. de Tempore, & S. Ambros. lib. 10. in Lucam, censent hoc somnium uxori Pilati a Deo per angelum sanctum fuisse inditum, idque Primo, ut Christus ab utroque sexu, scilicet tam a Pilato, quam ab ejus uxore, innocentiæ suæ ferret testimonium, sicut ejusdem innocentiæ testimonium luculentum dederunt omnia elementa, quæ in ejus morte commota, & concussa fuerunt. Secundo, quia si Pilato hoc somnium immissum fuisset, is illud apud se in mente retinuisset, ait Chrysostomus. Immittitur ergo uxori, ut illa marito Pilato in tribunali, coram principibus & Judæis illud revelet, & enunciet, ut ipsi audiant Jesum esse innocentem.

B

An fabula sit.

Tertio, quia videtur hæc uxor fuisse mulier honesta, misericors, & pia: unde eam per hoc somnium agnovisse Jesum esse Messiam, salvatorem mundi, in eumque credidisse, esseque salvatam opinantur Origenes, Chrysost. Theophyl. & alii. Audi S. Hilarium canone 33. hic: *Species in ea Gentium plebis est, quæ jam fidelis cum, cum quo conversabatur, incredulum populum ad Christi fidem advocat. Quia ipsa multum sit passa pro Christo, in eamdem gloriam futura spei illum invitat*. Sic etiam Ambr. lib. 10. in Luc. c. 23. *Monebat uxor*, inquit, sed a quo mota? *Lucebat in nocte gratia, divinitas eminebat, nec sic a sacrilega sententia temperavit*. Nec dissentit S. August. relatus a D. Thoma in Catena aurea, dum docet utrumque conjugem agente Deo, testimonium publice pro Christo tulisse: ille siquidem clamavit; *Nihil mali fecit*: ipsa vero, *Nihil tibi & justo illi*: quod S. Hieronymo etiam teste, fidei Gentilis populi præsagium fuit. Idem S. August. serm. 121. de Temp. *In nativitate mundi*, ait, *uxor ducit virum ad mortem*, scilicet Eva Adamum: *in passione Christi uxor provocat ad salutem*; scilicet Claudia Pilatum.

C

Quocirca Lucius Dexter in Chronico, anno Christi 34. n. 2. sic habet: *anno Christi 34. Christus salvator mundi, reus apud Pilatum agitur, Claudia Procula uxor Pilati admonita per somnium, in Christum credit, & salutem consequitur*. Simili modo inter alias mulieres, quæ de suis facultatibus prædicanti Jesu ministrabant, fuit Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, qui Christum sprevit, & veste alba indutum illusit.

Favet Evangelium Nicodemi, quod licet apocryphum, multa tamen vera probaque continet. In eo enim sic legimus: *Cogitante vero Pilato quid ageret de Jesu, misit ad eum uxor ejus, nomine Procula, dicens: Nihil tibi, & justo illi, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Respondentes Judæi, dixerunt Pilato: Numquid non diximus, quia maleficus est? ecce somnium immisit ad uxorem tuam*. Denique Menologium Græcorum Proculam Pilati uxorem catalogo Sanctorum ascribit.

D

Uxori Pilati nomen Procula.

Citat hæc Vincentius Beluacensis l. 7. Speculi hist. cap. 41. Proculam quoque uxorem Pilati nominat Niceph. lib. 1. cap. 30. Forsan Claudia hæc Procula Pilati uxor, est illa Claudia, cujus meminit Paulus 2. Timoth. 4. *Salutant te Ebulus, & Pudens, & Linus, & Claudia*. Conveniunt si quidem in ea nomen, & tempus, & religio, & locus: nam in Urbe hæc epistola scripta est, ubi uxorem Pilati, quando ipse in exilium Lugdunum actus est, verisimile est permansisse, eumque ob disparitatem cultus non fuisse comitatum.

Pilatus an Christianus?

Denique Pilatum quoque per uxorem ad fidem Christi fuisse conversum innuit S. August. serm. 3. de Epiphan. his verbis: *Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat. Unde illi orienti, hoc est, nascenti; ille autem occidenti; hoc est morienti, astestabantur Regi Judæorum, ut cum Abraham, Isaac, & Jacob recumberent in regno cælorum, non ex eis propagati per carnem, sed eis inserti per fidem*, &c. Tertull. Apolog. c. 21. *Ea*, inquit, *omnia super Christo Pilatus & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nunciavit*, &c.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

Verum hæc valde ambigua sunt, symbolica, obscura, & incerta, ac discrepant ab iis, quæ alii de infelici morte Pilati narrant. Josephus enim lib. 18. Antiq. cap. 5. scribit Pilatum post aliquot annos a Vitellio Syriæ præside, Romam missum ad Cæsarem, ut coram eo ad crimina sibi a Judæis objecta responderet. Quod cum facere non posset, omni honore privatus, Viennam in Gallias relegatus, sua se transverberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæsivit, ait Ado in Chron. qui ejusdem Viennæ Episcopus fuit, idque sumpsit ex Paulo Oroso lib. 7. cap. 5. Idem habent Eusebius, & Cassiodorus in Chronico. Sic & alii passim.

E

Pilatus i exilium Viennam missus se ipsum occidit.

Quod ergo S. August. & Tertullian. Pilatum vocant Christianum, intellige Christianum; id est Christi fautorem & defensorem, quia ejus innocentiam protexit, donec victus nominatione & comminatione Cæsaris eum condemnavit; quare in eum non credidit, sed potius eum ut pseudochristum morti addixit, quod ingens fuit scelus, & christicidium. Quocirca justo Dei judicio talione punitus est Pilatus, ut, sicut ipse Christum innocentem propter falsas Judæorum criminationes damnavit, sic vicissim & ipse propter falsas eorumdem Judæorum criminationes a Cajo Cæsare damnaretur & pelleretur in exilium.

F

PRINCIPES AUTEM SACERDOTUM, ET SENIORES PERSUASERUNT POPULIS, UT PETERENT BARABBAM, JESUM VERO PERDERENT] Pilatum dedit populo spatium deliberandi, utrum vellet dimitti Jesum, an Barabbam: interim uxor misit ad Pilatum, qui ei diceret, *Nihil tibi, & justo illi*. In hoc temporis spatio Principes per se & suos asseclas ac ministros persuaserunt populis, ut potius peterent Barabbam quam Jesum, quasi Jesus magis seditiosus esset & noxius reipubl. ob affectatum Judææ regnum, quam Barabbas. VERS. 20 *Mar.* 15. 11

Vide hic quid faciat ira & livor, quamque falsa, & perversa sint mundi judicia, quæ Jesum salutis auctorem censent esse mortis auctorem, ideoque morte mulctandum, Barabbam vero cædis auctorem censent esse Jesu meliorem, ideoque vita donandum. Nimirum Dei nutu hæc agebantur, ut Christus innocens patereturr, itaque nocentes & peccatores, quos repræsentabat Barabbas, a morte liberaret.

RESPONDENS AUTEM PRÆSES, AIT ILLIS: QUEM VULTIS VOBIS DE DUOBUS DIMITTI? AT ILLI DIXERUNT: BARABBAM] *Respondens*, id est, post datum Judæis sufficiens deliberandi spatium, rursum interrogans, & responsum ab eis exigens. G VERS. 21 *Mar.* 23. v. 18. *Mar.* 15. 9. *Joan.* 18. v. 40.

Barabbas Christo præfertur.

Præclare Ven. Beda in Marci cap. 15. 9. *Haret Judæis*, inquit, *usque hodie sua petitio, quam tanto labore imperarunt: quod enim data sibi optione pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro datore vitæ elegerunt ademptorem; merito salutem perdiderunt & vitam & latrociniis sese ac seditionibus in tantum subdiderunt, & ut Patriam regnumque suum, quod plus Christo amavere, perdiderint, & hactenus eam quam vendidere sive corporis sive animæ libertatem, recipere non meminerint*.

Allegorice hæc electio Barabbæ, & repudium Christi, ait S. Hieron. adumbrabat Antichristum latronem, in fine mundi a Judæis eligendum repudiato Christo. Et S. Ambros. in c. 22. Lucæ: *Barabbas*, ait, *patris filius Latine dicitur. Illi ergo quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis; vere Dei Filio patris sui filium Antichristum prælaturi esse produntur*. H

DICIT ILLIS PILATUS: QUID IGITUR FACIAM DE JESU, QUI DICITUR CHRISTUS? DICUNT OMNES: CRUCIFIGATUR] Pilatus, ait S. Chrysost. *ponit rem in illorum potestate, ut clementiæ ipsorum totum attribuatur, ita obsequio illos captans, ac mitigans*, sed frustra. Jam enim principes in suo concilio decreverant urgere ut crucifigeretur, tum quia crux erat atrocissima, & summi doloris, tum quia crux erat ignominiosissima, utpote latronum, seditiosorum, & tyrannorum, regnum invadentium supplicium, ut hac ignominia omnem præteritam Christi famam & gloriam obtererent, & pessundarent. Ita S. Chrysost. *Quare*, inquit, *tantopere hanc ejus mortem affectabant? quia ignominiosa erat: veriti ergo ne ejus postea memoria servaretur, hanc probrosam mortem elegerunt, nescii, quod cum impeditur, magis appareat veritas*. VERS. 22 *Luc.* 23. v. 20. 21. *Mar.* 15. v. 12. 13.

AIT ILLIS PRÆSES: QUID ENIM MALI FECIT? AT ILLI MAGIS (græce, περισσῶς, id est, vehementius, ait Euthym.) VERS. 23 *Luc.* 22. v. 22. 23.

Digitized by Google

CLAMABANT DICENTES; CRUCIFIGATUR] Iterum iterumque instante Pilato, Jesuque innocentiam urgente ut eum liberaret, validius clamando instant Judæi ut crucifigatur *non deponentes, sed augentes iram, animositatem, blasphemiam*, ait Origenes. Judæi hic contra Christum impleverunt illud Jerem. cap. 12. *Facta est mihi hæreditas mea*, scilicet Synagoga, *quasi leo in sylva, dederunt contra me vocem suam*; & illud Davidis de Christo Psalm. 21. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Et illud Isaiæ 5. 7. *Expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor*; ita S. Hier.

VERS. 24 VIDENS AUTEM PILATUS QUIA NIHIL PROFICERET, SED MAGIS TUMULTUS FIERET; ACCEPTA AQUA, LAVIT MANUS CORAM POPULO, DICENS: INNOCENS EGO SUM A SANGUINE JUSTI HUJUS: VOS VIDERITIS] *Lavit*, græce ἀπενίψατο, id est, *ablnit. Judaico*, ait Origenes, *usus est more, volens eos de Christi innocentia non solum verbis, sed etiam ipso facto placare.* Lavit Pilatus manus, at non conscientiam suam. Porro hæc lotio Pilati contigit posterius; scilicet post flagellationem & coronationem Christi, ut patet ex Joanne. Est ergo hic histerologia,

E INNOCENS EGO SUM] q.d. Ego invitus & coactus a vobis, o Judæi, Christum condemno: innocens ergo ego sum, vos vero nocentes & rei mortis ipsius. Sed stolide hoc dicit timidus, excors, leporinus, & ignavus præses. Cur enim, o Pilate, populo iniquo non resistis? *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*, ait Eccles. cap. 7, 6. Alias populum tumultuantem immissis militibus cum fustibus compescuisti, teste Josepho l. 18. c. 4. v. 5. cur idem nunc non agis? Si Jesum ob furentem populum liberum dimittere nequis, saltem sententiam differ, procrastina, moras necte, dum furor ille subsidat.

Quocirca S. Chrysost. & ex eo Titus Bostrenus in Lucæ cap. 23. 22. *Tametsi*, ait, *lavit manus, seque innocentem esse dicebat, mollis tamen parumque virilis animi fuit illa permissio, ignavissimeque id admodum gessit, oportebat enim nullatenus illum eis tradere, quin potius eripere, sicut postea tribunus Paulum*, Actor. 21. 33. Nervosius S. August. serm. 118. de Temp. *Laverit licet manus Pilatus, tamen sua facta non diluit: quamvis abstergere se putaverit justi sanguinem de suis membris, eodem tamen sanguine mens ejus tenetur infecta: ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Judex enim bonus & constans, ne sanguinem innocentis addiceret, nec invidiæ cedere debuit, nec timori.* Et S. Leo ser. 8. de Pass. *Pilatus*, ait, *non evasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum.*

VERS. 25 ET RESPONDENS UNIVERSUS POPULUS, DIXIT: SANGUIS EJUS SUPER NOS ET SUPER FILIOS NOSTROS] q.d. Culpa æque ac vindicta sanguinis Jesu, a te, o Pilate, effundendi, quam tu veteris, Deo vindice a te transferatur in nos & filios nostros, ut, si quæ hic sit culpa, illam nos cum posteris luamus: nullam enim agnoscimus, ac proinde nullam timemus vindictam, quare illam in nos audacter accersimus. Ita illi cæci & furentes, non tantum se, sed & filios suos Dei vindictæ subjecerunt, quam proinde per 1600. annos usque in hodiernum diem gravem atrocemque sentiunt, ut post excidium gentis & Hierosolymæ, sine urbe, sine templo, sine sacrificio, sine pontifice, sine principe, toto orbe vagentur, omnique gentium principibus serviant. Quocirca in pœnam Christi crucifixi Titus obsidens Jerusalem, cum Judæi ob famem turmatim egrederentur, ut alimenta quærerent, ipse quotidie quingentos, & plures crucifigi jussit, ut *tandem locus crucibus deesset, & corporibus cruces*, ait Joseph. 6. Belli c. 12. *Perseverat*, ait S. Hier. *usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos, & sanguis Domini non aufertur ab eis*: quia, ut prædixit Daniel c. 9. 27. *usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Sanguinis fluxus in Judæis. Nota. Hugo Card. scribens in Psal. 77. 66. ad illa: *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*; ex quibusdam auctoribus refert, hoc opprobrium usque hodie Judæos sustinere, ut in vindictam Dominicæ passionis patiantur hæmorrhoides, sive fluxum sanguinis, ideoque sint pallidi. Addit S. Vincent. fer. in die Parasceues, in signum illius imprecationis, *Sanguis ejus super nos*, quando masculi eorum nascuntur, habere manum dexteram plenam sanguine, capiti inniti. Id aliqui confirmant exemplo Zaræ, qui natus est filo rubro alligato ad digitum. Addunt alii: solere pari ipso die Parasceues fluxum sanguinis, totosque tunc pallescere. Nonnulli, quod in omni plenilunio idem patiantur, eaque de causa malo ut plurimum colore præditi sint. De his meminit Salmeron, recte admonens non videri solidis firmata testimoniis historiarum. Abulen. ait, existimare se hoc esse falsum, quamvis viri alicujus auctoritatis hoc asserant; occasionem autem erroris esse, quod Hebræi sint magis obnoxii morbo hæmorrhoidum, qui est quando capita venarum ad os ani terminatarum intumescunt, ac replentur humore crasso sanguineo, qui existit ex indigestione carnium insulsarum, & male digestibilium, quibus videlicet Hebræi præ cæteris vescuntur sæpius, ut Romæ bubalorum. Hæc Abulensis in lib. 1. Reg. cap. 5. q. 15. & 16. in fine, & ex eo Lorinus in Psalm. 77.

F TUNC (cum Judæi noxam sanguinis Christi a Pilato in se recepissent) DIMISIT ILLIS BARABBAM: JESUM AUTEM FLAGELLATUM TRADIDIT EIS, UT CRUCIFIGERETUR] *Flagellatum*, græce φραγελλώσας, id est, cum flagellasset. Flagellationem Christi per compendium unico verbo more suo perstringit Matthæus, Fusius rei gestæ seriem enarrant Lucas & Joannes, ex quibus liquet Pilatum, cum videret quartam suam instantiam ad liberandum Jesum, per collationem ejus cum Barabba, non successisse; quintam actiorem addidisse, scilicet Christi flagellationem, ut ejus acerbitate odio Christi furentes Judæorum animos ad commiserationem flecteret, ut Jesu vitam condonarent. Dixit ergo Judæis: *Nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam*, ut habet Lucas c. 23. 22. Moxque illum flagellari curavit. VERS. 26 *Luc. 23. v. 24. 25. Matth. 27. Joan. 19. 16*

Nota Primo, flagellationem apud Romanos fuisse vile supplicium servorum, sicut liberorum erat fustigatio, ut patet ff. de pœnis, l. *servorum*. Idem patet ex l. *Porcia & Sempronia*; Hinc Martyres ad ignominiam flagellabantur. Unde Paulus flagellatus Actor 16. graviter expostulat dicens: *Cæsos nos publice damnatos homines Romanos miserunt in carcerem*, &c. Hinc & in actis nonnullorum Martyrum legimus; *Martyr catomo cædatur, aut virgis flagelletur*, id est, puerorum more tamquam fatuus puer (sicut a ludimagistris infantes verberari solent) vapulet. Unde Prudentius hymno in S. Romanum,

G *Sublime*, inquit, *tollant, & manu pulsent nates,*
Mox & remota veste virgis verberent.

Sic S. Thomas Episcopus ad ignominiam virgis cæsus fuit, teste Victore Uticensi libr. 1. VVandal. & S. Acta uti habent ejus acta, quæ Velserus edidit, cæsa fuit catomis, id est, flagellis ad humeros (ὦμοι enim sunt humeri, sive scapulæ) quod vulgo dicimus *dare ad scapulas*, græce κατώμους, unde *catomus*. Sic Homerus Iliade ↓ ait Tydidem equos verberasse κατωμαδὸν, id est, secundum humeros vel armos. Aut potius *catomari*, idem est quod in humeros alterius levari, ut more puerorum in natibus vapulet: κατωμίζω enim idem est quod in humeros tollo: & κατωμάδιος dicitur, qui ex humeris fertur, vel ex humeris pendet. Ita Baronius in Notis ad Martyrol. die 15. Junii, idque probat ex Suida, Hippocrate, & Josepho. Sic de S. Vito puero, & de S. Eulalia puella 13. annorum, & de S. Barida, aliisque legimus eos fuisse catomatos, id est, more puerorum flagellatos. Catomati quid?

H Secundo, eos qui damnati erant ad mortem, etiam liberos, quasi per damnationem jam viles, & servos effectos, flagellabant. Qua de causa lictores consulibus, & præsidibus Romanis præferebant fasces virgarum alligatas secuti, ut ab iis damnatos virgis flagellarent, & deinde eis caput securi amputarent. Flagellantur damnati ad mortem

Tertio, Christus fuit a Pilato flagellatus, non postquam ab eo fuit fuit damnatus ad mortem, crucifixionis & mortis causa, sed ante, ut scilicet Pilatus flagellationis atrocitate, leniret feroces Judæorum animos, & emendatum dimitteret. Hæc tamen flagellatio effecit, ne denuo Christus post condemnationem more Romano flagellaretur. Nam non bis, ut aliqui volunt, sed semel tantum flagellatum fuisse Christum, patet si quis conferat Matthæum & Marcum cum Joanne. Omnes enim de una, & eadem Christi flagellatione loquuntur.

Quæ-

Digitized by Google

A Christus ad columnam flagellatus.

Quarto, S. Hieronym. in Epitaphio Paulæ, S. Paulin. epist. 34. Prudentius & alii veteres, quos citat noster Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce, testantur Christum ut flagellaretur, astrictum fuisse columnæ (perperam ergo id ridet Calvinus) quam Beda vocat marmoream, quæ deinde Romam translata, in templo S. Praxedis visitur. Est ea humilis, altitudine trium palmarum, ne, si altior foret, flagellatores impediviſſet ut Christum utrinque, id est, tam ante quam retro, tam in pectore quam in dorso, flagellare possent. Graphice modum, quo Christus per brachia & manus astrictus fuit columnæ, & flagellatus, in imagine intuendum exhibet Jac. Bosius lib. 1. de Cruce triumphante cap. 13. & Daniel. Mallonius de Stigmat. S. Sindonis pag. 65. Audi S. Hieron. hic: *Traditus est Jesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax flagella fecerunt. Hoc autem factum est, ut, quia scriptum erat; Multa flagella peccatorum, illo flagellato nos a verberibus liberaremur, dicente Scriptura ad virum justum, Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Columna flagellationis Christi.

B Porro Romana columna exigua est: unde nonnulli cum Pancirollo censent illam non esse integram, sed partem dumtaxat, scilicet basin vel capitellum. Columna enim hæc videtur fuisse ingens; nam, ut ait S. Hieron. in Epitaph. S. Paulæ, porticum Ecclesiæ sustinebat: *Ostendebatur illi*, inquit, *columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus*. Bosius tamen lib. de Cruce, vult columnam S. Praxedis non esse partem, sed integram; S. Hieronymum vero loqui de alia columna, ad quam prius flagellatus fuerit Christus, bis enim eum fuisse flagellatum indicat S. Chrysostom. Aliam quoque fuisse, asserit inscriptio columnæ S. Praxedis Romæ, Baronius hic tacet, & dissimulat. Porro S. Hieronymo consentit Prudentius in Hymn. Sic & columnæ, ad quas alligati SS. Petrus, & Paulus, flagellati fuere de more ante necem, altæ sunt, & altitudinem hominis æquant vel superant. Extant illæ Romæ apud Carmelitas in Ecclesia S. Mariæ Transpontina. Quare dicendum videtur, columnam hanc minorem in Ecclesia S. Praxedis, partem vel appendicem esse majoris, quam nominant S. Hieron. & Prudentius; aut certe unam earum esse illam, ad quam noctu in domo Caiphæ alligatus Christus, a famulis pontificum petulanter fuit illusus, atque alapis, colaphis, forte etiam virgis, bacillis, vel loris flagellatus: alteram vero esse illam, ad quam in prætorio Pilati per diem idem fuit flagellatus, uti multi contemplativi opinantur, testa Joan. Severo lib. de septem Romæ Basilicis, in Ecclesia S. Praxedis.

C

Flagellationis Christi atrocitas. Resp. Primo.

Quæres, quam dira & atrox fuerit hæc Christi flagellatio? Resp. id Primo æstimari posse ex eo, quod Christus, ut jam dixi, astrictus fuerit humili columnæ, ut toto corpore super eam eminens omnino esset ad libitum flagellantium, Adde, vel solam virginei, & castissimi corporis Christi coram obscœnis scurris, illusoribus & sannionibus hisce denudationem, ingentem illi fuisse afflictionem. Bis vero, vel, ut alii, ter nudatus fuit Christus; scilicet Primo, ad flagellationem: Secundo, ut aliqui dicunt, ad coronationem, idque cum maximo dolore: vestis enim vulneribus flagellorum adhærens, & quasi agglutinata, ab iis vi cum vulnerum renovatione abstrahi debuit. Tertio, ad crucifixionem.

D Quocirca hac Christi nudati confiscatione & exemplo animati Quadraginta Martyres ad gelidum stagnum damnati, alacres se vestibus nudarunt & in stagnum insilierunt. Voces enim eorum hæ erant, ait S. Basilius hom. de XL. Martyribus: *Quas Domino qui pro nobis est spoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnum servo, si ea quæ passus est Dominus jubeat? Nos causa fuimus, ut illi vestis detraheretur, longe magis quam militum audacia, qui eam deripuere ac sortiti sunt. Durum profecto frigus, sed dulcis paradisus! affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes sinus Abrahamnes perpetuo fovebit. Incendatur frigore pes, ut cum angelis continuo saltet. Una noctem cum evo sempiterno commutabimus. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi.*

Secundo.

Secundo, ex eo quod Pilatus per hanc flagellationem omnibus criminibus Christo objectis, & odio insatiabili Judæorum in Christum satisfacere, ac eos ad Christi commiserationem flectere voluerit, dicens: *Ecce homo*. q. d. Jam non habet speciem hominis, sed ovis vel bovis jugulati, totoque corpore cruentati & deformati.

Tertio, ex militum, & quidem plurium petulantia, quæ tanta fuit, ut injussu Pilati, ipsi sua sponte & protervia Christum spinis coronarint. Forte etiam Judæi eos pecunia corruperunt, ut acrius in Christum verberando sævirent. Beata Magdalena de Pazzi Sanctimonialis Florentina, sanctitate & revelationibus celebris, in ecstasi cognovit Christum a triginta paribus hominum, id est a sexaginta ministris fuisse flagellatum, cum alii aliis, novi recentesque succederent. Ita habet ejus Vita parte 6. pag. 532. quæ si simpliciter ut sonant, accipiantur, mira & horrenda sunt. Nonnulli tradunt. Christo inflicta fuisse hac flagellatione, quinque millia verberum: nam S. Brigittæ revelatum dicitur, Christo tota passione inflicta fuisse vulnera 5475. vulnerum autem longe maxima pars illi inflicta fuit ex flagellatione. Naturaliter ex tot verberibus mori sæpius debuisset Christus, sed deitas carnem sustentabat, ut plura pati & tandem crucifigi posset. Verum numerus hic incertus est, & a variis varie assignatur. E Tertio.

Quarto, ex complexione Christi, quæ fuit optima, delicatissima, & acutissimi sensus tactusque, utpote formata a spiritu sancto: quare Christus longe magis sensit verberum ictus quam nos sentiamus. Quarto. F

Quinto, quia Prophetæ, æque ac Christus, flagellationem hanc velut gravem & acrem prædixerunt, ut patet Matth. 20. 19. Job 16. 15. *Concidit me*, inquit, *vulnere super vulnus*. q. d. Plagas plagis, vulnera vulneribus addiderunt, ut totum corpus concisum unum continuum videretur esse vulnus. Psal. 72. 14. *Et fui flagellatus tota die*. Et Psal. 128. 3. *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores*, id est, quasi fabri dorsum meum, quasi incudem contuderunt. Hebr. est חרשו *chareschu*, quod verti potest, *araverunt aratores dorsum meum*, id est, flagellis sulcos in dorso duxerunt, sicut aratro sulci ducuntur in agro. Unde Aquila & Theodotion vertunt, *produxerunt*, sive *in longum protraxerunt sulcum suum*. Idem indicat illud Jacobi, Gen. 46. 11. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, per stolam, & pallium carnem demonstrans, & per vinum sanguinem, ait Tertull. lib. 4. contra Marcion. Quinto.

Sexto, quia Christus, flagellis, id est, funiculis, vel loris, more servorum cæsus est. Addit Paulus a Palatio hic, penes quem sit fides, traditum a gravissimis auctoribus, Christum flagellatum fuisse primo, virgis spineis; secundo, chordis cum stimulis ferreis; tertio, catenis aduncis. Flagella ejus olim multiplicia erant; scilicet lora, sive corrigiæ ex corio exectæ, flagra, fustes, virgæ ex betula, ulmo, salice, quercu, vite; nervi, plumbatæ & scorpiones, uti ostendit Antonius Gallonius de Cruciatu Martyrum c. 4. Porro quid sint scorpiones explicat S. Isidorus Etymol. l. 6. c. ult. inquiens: *Virgæ sunt extremitates frondium arborumque: si levis, virga est, si autem nodosa, vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur*. Sexto. G

Modus flagellationis Christi S. Brigittæ revelatus.

Denique S. Brigitta tradit B. Virginem interfuisse flagellationi Christi, cujus dolor & mœror mirum in modum auxit dolorem Christi. Porro modum & atrocitatem flagellationis Christi, ita ex revelatione B. Virginis describit S. Brigitta lib. 1. Revel. c. 10. *Deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit. Personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici ejus, qui, fugientibus amicis suis, undique astabant & flagellabant corpus ejus, ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum, ego quæ astabam propinquius cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Et quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsi flagellis sulcabantur. Cumque filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur, &c* Et l. 4. c. 70. *Deinde jubente lictore, seipsum vestibus exuit, columnam sponte amplectens, reste ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis & retractis non evellendo, sed sulcando totum corpus ejus laceratur. Ad primum igitur ictum ego quasi corde percussa, sensibus abducor, & post tempus evigilans, corpus ejus laceratum video, toto enim corpore nudus erat cum flagellaretur*. H

Ratio a priori

Ratio a priori fuit, quod Christus nostras voluptates, concupiscentias, sceleraque omnia, quæ plurima

A & gravia erant, hac flagellatione luere & expiare voluerit: quia in re *non ſolum attendit*, ait S. Thom. 3. p. q. 46. art. 6. ad 6. *quantam virtutem dolor ejus haberet ex divinitate unita, ſed etiam quantum dolor ejus ſufficeret, ſecundum humanam naturam ad tantam ſatisfactionem*. Inſuper mereri voluit Martyribus omnibus robur & vires ad flagellationes quaslibet fortiter tolerandas. Unde Iſaias de eo c. 53. 5. ait: *Non eſt ſpecies ei, neque decor*. Et: *Vidimus eum, & non erat aſpectus*, &c. *virum dolorum, & ſcientem infirmitatem*, &c. *& nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo & humiliatum*.

Jam vero in his omnibus Chriſtus ſtupendam, & divinam animi patientiam, fortitudinem, & conſtantiam oſtendit, ut nec gemitum ederet, nec ſignum aliquod doloris daret, ſed velut petra immobilis conſiſteret: imo omnia verbera omneſque dolores, quaſi rex dolorum ſibi ſubjiceret, iiſque dominaretur, animoque celſo imperaret. Unde Gentilis quidam ſcriptor id admiratus exclamavit: *O virum infractum animo, qui nec precem nec lacrymam fudit!* Hinc S. Laurent. Juſtinian. libr. de Triumphali agone, c. 14. *Tamquam gigas*, inquit, B *imperterritus ſtetit, & coronationis pœnam immutata mente ſuſtinuit*. Unde S. Cyprianus lib. de Bono patientiæ: *Inter cætera*, inquit, *admirabilia virtutum, quibus indicia divinæ majeſtatis expreſſit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſervavit*. Et Tertull. lib. de Patientia c. 3. *Qui*, inquit, *in hominis figura propoſuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus eſt. Hinc vel maxime, Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret*. Et S. Ambr. ſer. 17. in Pſ. 118. *Chriſtus*, ait, *calumniis appetitus ſilentium detulit triumphale*. Quare ex patientia hac pluſquam humana & divina, Judæi colligere debebant Chriſtum eſſe hominem divinum, imo Deum, uti collegit Centurio dicens: *Vere Filius Dei erat iſte*.

Faciebat id amor Dei & hominum. Amor enim ſuperabat dolorem, & præ amore exiguus erat illi omnis dolor. Hinc & Chriſtus in omnibus rebus, & in omnibus membris, & ſenſibus pati voluit. Nam, ut ait D. Tho. par. 3. q. 46. art. 5. in corpore; *Paſſus eſt Chriſtus in ſuis amicis eum deſerentibus: in honore & gloria, per irriſiones & contumelias ei illatas: in rebus, per hoc quod etiam veſtibus ſpoliatus eſt: in anima, per triſtitiam, tædium, & timorem: in corpore, per vulnera & flagella. Tertio, poteſt conſiderari quantum ad corporis membra. Paſſus eſt enim Chriſtus in capite, pungentium ſpinarum coronam, in manibus & pedibus fictionem clavorum, in facie alapas & ſputa, & in toto corpore flagella. Fuit etiam paſſus ſecundum omnem ſenſum corporeum; ſecundum tactum quidem, flagellatus & clavis confixus, ſecundum guſtum, felle & aceto potatus: ſecundum olfactum, in loca fœtida cadaverum mortuorum (qui dicitur Calvaria) appenſus patibulo; ſecundum auditum, laceſſitus vocibus blaſphemantium & irridentium: ſecundum viſum, videns matrem & diſcipulum, quem diligebat, flentes*. Longe majores fuere in Chriſto dolores animi, præſertim compuncti ob peccata omnia ſingulorum hominum, item dolor de multitudine damnandorum; ad hæc compaſſio Martyrum, & aliorum fidelium, qui dura erant paſſuri, ut dixi c. 26. 38. Ad hos omnes dolores ſubeundos Chriſtum adegit amor immenſus. Menſura enim doloris eſt amor, quia ſine dolore non vivitur in amore. Unde illud de Chriſto patiente:

D *Cernis ut in toto corpore ſculptus amor?*

TRADIDIT EIS UT CRUCIFIGERETUR] ſcilicet poſt flagellationem & coronationem, quæ ſequitur, uti dixi. Eſt ergo hic hyſterologia. Multa enim hic per compendium perſtringit Matthæus, quæ fuſe enarrat Joan. c. 19. a v. 1. uſque ad v. 16.

Porro Pilatus *tradidit* Judæis Jeſum, quaſi judex per ſententiam eum condemnando ad mortem crucis. Sententia vero Pilati ex vetuſtis Annalibus accepta, uti refert Adrichomius in Deſcript. Jeruſalem pag. 163. fuit hæc: *Jeſum Nazarenum ſubverſorem genis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam, ut majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite ad communis ſupplicii locum, & cum ludibrio regiæ majeſtatis in medio duorum latronum cruci affigite. Lictor, expedi cruces.* Ubi nota τὸ *ut majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt*: hoc enim ſuæ damnationi Chriſti, apud Cæſarem & Romanos quaſi velum ignaviæ ſuæ & injuſtitiæ obtendit Pilatus, quod ſcilicet pontifices teſtati eſſent Jeſum eſſe pſeudochriſtum, cum ipſe contrarium ſciret. Perperam ergo dicit *probatum* E *eſt*: nec enim pontifices id probarunt; ſed tantum aſſeruerunt, idque falſo & per calumniam.

Quocirca Pilatus rationem ſuæ gubernationis de more Cæſari Tiberio per literas reddens, inter alia ſcribit ſe Jeſum crucifixiſſe ob importunitatem Judæorum, cæteroqui eum fuiſſe virum ſanctum & divinum. Audi Paulum Oroſium lib. 7. Hiſtor. cap. 4. *Pilatus ad Tiberium Imp. retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibuſque virtutibus, quæ vel per ipſum palam facta fuerant, vel per diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant, & de eo quod certatim creſcente plurimorum fide Deus crederetur*. Audi & Euſebium in Chronico anno Chriſti 38. *Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera ſacra reciperetur. Verum cum ex conſulto patrum Chriſtianos eliminari urbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem*. Ita Tertull. ſcribit in Apologet. c. 5. & 21. Euſebius etiam lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 2. Nicephorus lib. 2. cap. 8. Oroſius lib. 7. cap. 4. Gregorius Turonenſis hiſt. lib. 1. c. 24. Regin. & Hermannus Contractus in Chronicis, & Chronicorum compilator F in ſuo, Ado Viennenſis & alii.

Pilatus de Chriſto ſcribit Romam.

Igitur ex ipſius judicis Pilati teſtificatione, condemnatus fuit ab eo in hoc ſuo iniquiſſimo judicio Chriſtus Deus noſter, in quo palam accuſabat invidia, teſtificabatur odium, crimen erat innocentia, corrumpebat timor, condemnabat ambitio, plectebat crudelitas.

TUNC MILITES PRÆSIDIS SUSCIPIENTES JESUM IN PRÆTORIUM (Marcus, *in atrium prætorii*) CONGREGAVERUNT AD EUM UNIVERSAM COHORTEM] *Tunc* refer non ad τὸ *tradidit ut crucifigeretur*, nam ante damnationem & traditionem Chriſti hæc contigere, ut dixi, ſed ad τὸ *flagellatum*, græce, φλαγελλώσας, id eſt, *cum flagellaſſet*. q. d. Milites flagellantes Jeſum, mox ſimul eum ſpinis coronarunt. VERS. 27 Marc. 15. 16.

CONGREGAVERUNT] ut eum quaſi fictum pictumque regem Judæorum per ludibrium regiis inſignibus ornarent, & ſalutarent. Eſt enim militum genus crudele, voluptatem capiens ex contumeliis, ait Chryſoſtomus.

Chriſtus paſſus pro omnia. C

COHORTEM] Cohors erat decima pars legionis, continens milites 1250. vel, ut alii, 500. dumtaxat. Vide dicta cap. 26. 53. Cohors hæc erat Prætoria, quæ ſcilicet prætorem Pilatum ſtipabat, & contra furorem populi & hoſtium inſidias muniebat. Quare cohors hæc erat in arce Antonia, quæ media erat inter prætorium, & templum, ut, ſi alterutro in loco tumultus oriretur, illico accurreret, eumque compeſceret. Cohors quid? G

ET EXUENTES EUM, CHLAMYDEM COCCINEAM CIRCUMDEDERUNT EI] *Luſum ſibi Jeſum facientes*, Origenes. VERS. 28. Marc. 15. 17. Joan. 19. 2.

EXEUNTES] Græce ἐκδύσαντες, id eſt, cum exuiſſent: quod referri poteſt tam ad Chriſti flagellationem, quam ad coronationem. q. d. Cum exuiſſent Jeſum flagellaturi, mox peracta flagellatione chlamydem coccineam circumdederunt ei. Incertum ergo hic eſt, an Chriſtus poſt flagellationem reſumpſerit veſtimenta; quibus deinde rurſum fuerit ſpoliatus, ut chlamys coccinea ei injiceretur: an vero poſt flagellationem ipſi adhuc nudo ſtatim chlamydem hanc impoſuerint. Hinc conſequenter incertum eſt, an Chriſtus ter, an bis dumtaxat, fuerit ſpoliatus veſtibus, ut dixi.

Symbolice, S. Hieron. *In chlamyde coccinea*, inquit, *Dominus opera Gentium cruenta ſuſtentat*. Et S. Athanaſius: *Geſtabat*, inquit, *in coccinea chlamyde, ſpeciem ſanguinis, quo terra per diabolum funeſtata, & multis cruoris undis imbuta fuerat*. Et Orig. *Suſcipiens*, ait, *Dominus coccineam chlamydem, in ſe ſanguinem mundi ſuſcepit*, hoc eſt, peccata, quæ ſanguinea & rubra ſunt ſicut coccinum: etenim Deus *poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum*. H

Anagogicè, S. Gregorius: *Quid enim purpura, niſi cruor & tolerantia paſſionum, amore regni exhibita?* Et rurſus: *Rex noſter aſcenſum purpureum fecit in ferculo, quia ad regnum, quod intus aſpicitur, per tribulationem ſanguinis pervenitur*.

CHLAMYDEM COCCINEAM] Dices, Marcus & Joannes vocant eam purpuram. Reſpondet S. Ambroſ. in Lucæ cap. 23. fuiſſe has veſtes diverſas, ac utraque veſtitum fuiſſe Chriſtum. Melius S. Athan. ſerm. de Cruce, & Paſs. S. Aug. Euthymius, Toletus, Barrad. Gretſerus lib. 1. de Cruce & alii cenſent, fuiſſe eamdem, quia color coccineus ſimillimus eſt purpureo, unde ſubinde Chlamydē coccineam nduitur hriſtus. Quamnam?

pur-

A purpureus vocatur, uti docet Lazarus Baifius de Re veſtiaria: aut veſtis hæc erat *dibapha*, id eſt, bis tincta, ſcilicet ſemel purpura, id eſt murice, & iterum cocco infecta: hinc & *purpura & coccinea* appellari poterat, hæc enim ſic bis tincta acrius coloratur, quam Lentulus Spinter in ædilitate primus induiſſe fertur, ait Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. cap. 18. Ita noſter Salazar in Prov. cap. 21. v. 22. num. 119. Erat hæc veſtis regum, qualem hic ironice & per ludibrium creant Chriſtum, quaſi illum ſubſannantes & illudentes: q. d. En tu dixiſti te regem Judæorum, accipe ergo palliaſtrum, hocque paludamentum regum. Olim enim tale paludamentum fuit chlamys ex purpura: chlamys autem erat veſtis ſtrictior & brevior pallio, quam milites ſuper arma induebant. Videtur autem hæc chlamys fuiſſe vilis, & detrita militis alicujus Romani, quæ quia purpurea, ſignum erat, & habitus Imperatoris. Chlamyde primus uſus eſt Numa Pompilius, qui Romulo in regno Romæ ſucceſſit, teſte Suida verbo *Chlamys*: & apud Macedones nulla veſtis chlamyde fuit regalior, ait Plutarchus in vita Eumenis. Hinc Claudianus lib. 2. de Rapt. Proſerpinæ, loquens de morte ait:

B

Sub tua purpurei venient veſtigia reges.

Purpura notat regnum Chriſti.

Et Caſſiodorus lib. 2. Variar. ep. 2. *Purpura*, ait, *color regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, ne de aſpectu principis poſſit errari*. Et Trebellius Pollio in Saturnino 21. Tyran. *purpuram* vocat, *imperatorium peplum*. Et Silius de Scipione:

At contra ardenti radiabat Scipio cocco.

Hinc ſymbolice S. Cyrillus lib. 12. in Joan. c. 15. *Per purpuream veſtem*, ait, *regnum totius mundi, quod per fidem Chriſtus accepturus erat, ſignificatum fuiſſe volunt*. Idem cenſent Origen. S. Ambr. Auguſt. Theophyl. Euthym. & cæteri hic. Hoc autem regnum ſibi Chriſtus pugnando, & ſanguinem fundendo comparavit. Nam olim Afri aliique milites in prælio ruſſatas veſtes geſtabant. Cauſam dat Alex. ab Alexandro lib. 1. cap. 10. *Ut eo*, inquit, *argumento vulnera, & ſanguis effuſus haud innoteſcerent, confidentiuſque, & ſine pavore dimicarent. Id quod etiam apud Perſas in uſu fuit; namque Artaxerxes ducturus contra Cyrum, milites ornavit rubro ſagulo. Ageſilaus quoque ita copias inſtruxit armis, ut omniaærea punicea viderentur*. De Chaldæis etiam habes apud Nahum cap. 2. verſ. 3. *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis*.

C

Vers. 29 Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus, et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum] Chriſtus quaſi fictus rex Judæorum, ad ludibrium & tormentum coronatus fuit ſpinis, ex militum petulantia, Pilato non jubente, ſed permittente, ut facilius Chriſtum omnino deformatum Judæorum commiſerationi objiciens, e morte liberaret. Spinas has fuiſſe ex junco marino, cujus acumina ſunt quaſi ſpinæ longiſſimæ & acutiſſimæ, cenſet Toletus, Pererius & alii, licet id neget Baronius. Ex rhamno vero illas fuiſſe contendit Bellonius, & ex eo Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 12. Forte in ea ſpinæ junci, ſpinis rhamni intertextæ fuere. Vidi duas ſpineæ hujus Chriſti coronæ ſpinas Romæ, quas S. Helena ex Jeruſalem Romam in baſilicam S. Crucis tranſtulit: ſunt illæ longæ & acutæ inſtar craſſarum acicularum. S. Brigida lib. 1. Revel. cap. 10. ſcribit ſibi revelatum, hanc coronam ſpineam rurſum Chriſto in cruce fuiſſe impoſitam, eamque pertigiſſe ad mediam frontem, ac tantum ſanguinis ex punctura ſpinarum harum effluxiſſe, ut oculos & aures Chriſti impleret, nec potuerit matrem intueri, niſi prius compreſſis ciliis ſanguinem ex oculis exprimeret. Sic pariter cum corona ſpinea fuiſſe Chriſtum crucifixum, indicant omnes ejus picturæ, idemque diſerte docent Origenes, & Tertullianus lib. Contra Judæos cap. 13. & innuit Matth. hoc cap.

D

Corona Chriſti ſpinea.

Corona ſpinea qualis?

Corona ſpinea acutiſſimus dolor.

Atrox fuit hæc Chriſti ignominia: quaſi ipſi quaſi regi ficto corona ſpinea illudunt, æquæ ac ingens cruciatus, tum quia ſpinæ erant acutiſſimæ, tum quia infixæ capiti & cerebro, in quo eſt omnium nervorum, muſculorum, ſenſuum, ac ſenſationum fons & origo: ibi ergo viget ſenſus tactus, ac intime ſentit dolores & punctiones, etiam leviſſimas & minimas. Ex cerebro enim oriuntur ſeptenæ nervorũ *συζυγίαι*, id eſt, conjugia ſive paria, quæ per totum corpus diſtribuuntur, ut ſentire & movere ſe poſſit, uti ex Galeno docet Andr. Veſalius Anatomicorum princeps l. 4. de Humani corporis fabrica c. 1. & ſeq. ubi & docet inſtrumentum tactus eſſe nervos; quare cerebrum eſſe ſenſus & motus arbitrarii principium, rationis ſedem, membrorum viſcerumque regem, ideoque in altiſſima corporis arce locarum. Vide eumdem l. 7. c. 4.

E

Sed audi coronationis Chriſti acerbitatem paucis deſcribentem ex revelatione B. Virg. S. Brigidam l. 1. Revel. c. 10. *Quo facto*, ait, *aptaverunt coronam de ſpinis capiti ejus, quæ tam vehementer reverendum caput Filii mei pupugit, ut ex ſanguine fluente replerentur oculi ejus, obſtruerentur aures, & barba tota decurrente ſanguine deturparetur*. Et l. 4. c. 70. *Et tunc corona ſpinea capiti ejus arctiſſime impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciẽ ejus, & crines & oculos & barbam replentibus, ut quaſi mihi nil niſi ſanguis totum videretur, nec ipſe me aſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem*

F

Cauſa hujus coronæ ſpineæ literalis fuit, ut milites Chriſtum quaſi falſum Judæorum regem illuderent, & cruciarent. Hæc enim corona Chriſti tempora lancinavit & fœdavit, ait Tertull. l. 4. contra Marc. & ut ait S. Bern. tract. de Paſs. Dom. *Mille punctiuris ſpecioſum ejus caput divulneravit*. Moralem & myſticam dat Origen. *In hac*, ait, *ſpinea corona ſuſcepit Dominus ſpinas peccatorum noſtrorum, intextas, in capite ſuo. Peccatorum eſt enim*, ait S. Hilar. *aculeus in ſpinis, ex quibus Chriſto victoriæ corona contexitur*. Sed audi Tertull. lib. de Corona militis ſub finem: *Chriſtus Jeſus quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certe præter figuram, contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt*. Hæc ille: in capite enim viget tactus reliquique ſenſus. Unde Varro: *caput*, ait, dicitur, *quod ab eo nervi initium capiant*, per quos in totum corpus omnes vitæ ſenſus, & motus diſtribuuntur. Spinæ ergo pungentes caput Chriſti, acri dolore eum cruciarunt.

Cur Chriſtus ſpinis coronatus Cauſa 1. literalis.

Moralis.

G

Tropologicæ, ſpinæ hæ nos docent carnem pungere & domare jejuniis, ciliciis, diſciplinis: *Non enim decet ſub capite ſpinis coronato membra eſſe delicata*, ait S. Bern. Hinc Tertullianus libro jam citato cap. 14. docet Chriſtianos olim ob reverentiam coronæ ſpineæ Chriſti, coronis ex floribus contextis, quibus Gentiles utebantur, abſtinuiſſe. S. Catharinæ Senenſi Chriſtus obtulit duas coronas, unam ſpineam, alteram gemmeam, dans ei optionem eligendi utram mallet, ſed hac lege ut ſi unam eligeret in hac vita, alteram ejus vice reciperet in futura. Mox illa arripiens ſpineam de manu Chriſti coronam, capiti ſuo infixit adeo valide, ut per plures dies capitis dolores ſenſerit, ideoque jam pro ſpinea gemmeam in cælis recepit. S. Agapitus Martyr cum 15. tantum eſſet annorum, & Capiti ejus prunæ ardentes imponerentur, memor ſpineæ coronæ Chriſti, exultans ajebat: *Parum eſt in terra caput aduri, coronandum in cælo. Quam decore corona gloriæ ornabit caput afflictum pro Chriſto!* Idem cogita quiſquis capitis dolores, angores, gravedines, moleſtias, tentationes, tribulationes pateris: cogita Chriſtum unam e ſpinis coronæ ſpineæ ſuæ tibi communicare.

Coronam ſpineam elegit S. Catharina Seneñſis.

S. Agapitus Martyr.

H

Anagogicæ, S. Amb. in c. 22. Lucæ. *Corona*, ait, *de ſpinis, quæ capiti Chriſti imponitur, oſtendit, quod de peccatoribus mundi tamquam de ſeculi ſpinis, triumphalis Deo gloria quæreretur*.

Symbolice, S. Bern. de Paſs. Domini c. 19. *Licet*, inquit, *in irriſione coronent, tamen ignorantes & irridentes coronatum regem fatentur. Ergo rex eorum, vel ab ipſis neſcientibus demonſtratur*. Et S. Aug. tr. 116. in Joan. *Sic*, inquit, *regnum, quod de hoc mundo non erat, ſuperbumque mundum non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat, porsans, ſpineam coronam & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio*. Rurſum *Purpureus color* (ait Elias Cretenſis ad orationem 3. Nazianz. in Julianum,) *veros Imperatores admonet, ut promptis animis ſanguinem ſuum pro ſubditorum ſalute fundant*, uti fudit Chriſtus. Hinc Cardinalibus data eſt a Pontifice purpura, ut illos moneat pro Chriſto & Eccleſia ſanguinem fundere, cum opus eſt, ut alibi dixi. Quo circa S. Germanus Patriarcha Conſtant. orat. in ſepult. Chriſti: *Purpura illa*, ait, & te-

Symbol.

Digitized by Google

A *& corona ex ſpinis plexa ante crucem, confirmabat victoriam dicentis: Confidite, ego vici mundum mundique principem.*

Præclare S. Athanaſ. ſer. de Cruce & Paſſione: *Cum exueretur*, ait, *Dominus, & indueretur purpura, eo ipſi inviſibiliter trophæum de diabolo erigebatur. Miraculum novum & incredibile & magnæ ſine dubio victoriæ inſigne: quem per ludibrium ſubſannationemque pulſabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem & coronam ſpineam. Ea de cauſa hoc genere veſtimenti indutus ad mortem proceſſit, ut oſtenderet victoriam de morte non temere, ſed pro noſtra ſalute portatam eſſe.* Ibidem S. Athanaſius docet Chriſtum ſpinis coronatum, ut nobis lignum vitæ reſtitueret, ac ut noſtras ſpinas, id eſt, ſollicitudines in ſe ſuſcipiens curaret.

Godefridus Bullonius. Hac de cauſa Godefridus Bullonius, capta a Chriſtianis Hieroſolyma, cum ipſe primus ejus rex Chriſtianus crearetur, noluit coronari corona regia dicens: *Non decere regem Chriſtianum, corona aurea inſigniri in illa urbe, in qua Chriſtus geſtaſſet ſpineam*, uti Vilhelmus Tyrius, & alii referunt.

B Tonſura ſacerdotii refert coronam Chriſti. Denique hanc ſpineam Chriſti coronam, velut humilitatis mundique contemptus inſigne, repræſentant ſacerdotes, & monachi tonſura ſua, quam inſtar coronæ geſtant in capite. Ita Beda l. 5. Hiſtor. Angl. c. 22. & Germanus Patriarcha Conſtantinop. in Theoria rerum Eccleſiaſticarum.

Anagoge. Anagogice, Tertull. de Corona mil. c. 14, Induc ſpineam Chriſti coronam, *ut & illam*, inquit, *Chriſti coronam æmuleris, quæ poſt eam ei obvenit, quia & favos poſt fel laguſtavit, nec ante rex gloriæ a cœleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Judæorum proſcriptus in crucem, minoratus a Patre modicum quid citra angelos, & ita gloria & honore coronatus.* Et S. Hier. *Spinis*, ait, *coronatus eſt Chriſtus, ut nobis regni diadema compararet.*

Et arundinem in dextera ejus] Ut arundo eſſet quaſi ſceptrum Chriſti Regis Judæorum, ſed arundineum, id eſt, fragile, inane, vile & ridiculum. Qualis fuerit hæc arundo, deſcribit Lævinus Lemnius de Herbis Bibliciis cap. 27. *Arundinis*, ait, *plures ſunt differentiæ: una ſpecies eſt lævore perpolita, nulliſque diſtincta geniculis aut internodiis, quæ typha paluſtris vocatur, qualis Chriſto pro ſceptro regali in manum tradita in affectati regni ludibrium. Eſt huic ſtirpi ſceptri regalis aut Imperatorii forma, cujus cacumen duarum fere palmarum altitudine, & craſſitudine pollicari, denſa compactaque lanugine ſtipatur, quam ſi manu aut digitis demulceas, holoſericum aut villoſam quandam congeriem contrectare te credas: quæ tamen poſt dies aliquot diſſolvitur in pappos, atque in diffuſam lanuginem evaneſcit.* Tertull. lib. de Corona militis cap. 14. *Abſtulit*, ait, *virtus Chriſti omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens.*

Arundo Chriſti qualis? C

Symbol. Symbolice, S. Hieron. & S. Athanaſ. ſerm. de Cruce: Arundo, inquiunt, fugat necatque ſerpentes, ſic Chriſtus venenatas concupiſcentias. Audi S. Hieronymum. *Quomodo Caiphas dixit oportere unum hominem mori pro omnibus, neſciens quid diceret: ſic & iſti quæcumque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis qui credimus, ſacramenta tribuerunt. In chlamyde coccinea, opera Gentium cruenta ſuſtentat: in corona ſpinea, maledictum ſolvit antiquum; in calamo, venenata occidit animalia: ſive calamum tenebat in manu, ut ſacrilegium ſcriberet Judæorum.* Porro S. Amb. in c. 22. Lucæ: *Arundo*, ait, *comprehenditur manu Chriſti, ut humana fragilitas jam non ſicut arundo moveatur a vento, ſed operibus Chriſti corroborata firmetur: vel ſecundum Marcum caput ejus percutis, ut ſolidata divinitatis attactu noſtra conditio nutare non poſſit.*

D Denique arundinem hanc cum columna, & ſpinea corona ac ſpongia, qua Chriſtus aceto potatus fuit, magna diligentia a Chriſtianis fuiſſe aſſervata tradit Beda de Locis ſanctis c. 20. & Greg. Turon. de Gloria Martyr. c. 7.

Inſignia regalia Chriſti. Et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave (græce, χαῖρε, id eſt, gaude, ſalve: Syrus, *pax tibi*) Rex Judæorum] Nota hic Chriſtum per ludibrium, a militibus quaſi inaugurari regem, cum omnibus regum inſignibus. Nam primo, totam cohortem, quaſi totum exercitum eum ſtipantem, cingentem, adducunt. Secundo, thronus fuit lapis aut ſcamnum, idque in modum tribunalis altum, ut docet Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. c. 8. & alii. Tertio, corona regalis fuit ſpinea, Quarto, paludamentum fuit chlamys coccinea. Quinto, ſceptrum fuit arundo. Sexto, fauſtæ acclamationes & reverentia populi, fuere militum genuflexiones, & ſalutationes ludricæ, item ſputa, alapæ, verbera: quæ omnia Chriſtus divina humilitate & patientia ſuſtinuit, ideoque meruit, *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris.* Philipp. 2. 9. E

Tropol. Tropologice, Chriſtus volut hic Primo, exhibere nobis ideam vanitatis, æque ac afflictionis regnorum, & bonorum mundi, omniumque regum & principum. Secundo, hæc ludibria vertere in arma victoriæ ſuæ ac præſertim humilitate ſua vincere ſuperbiſſimum Luciferum. Tertio, docere regnum mundi ſitum eſſe in honoribus, pompis, deliciis; ſuum vero conſiſtere in contemptu honorum, voluptatum, & ſui ipſius. Plura vide apud S. Athanaſ ſerm. de Cruce & Paſs. Theoph. & Janſen. hic, & Tertull. de Corona militis c. 14.

Agrippa ut Chriſtus illuſus. Denique juſta Dei vindicta factum eſt ut paulo poſt ſimili prorſus illuſione, qua Chriſtus per ludibrium Rex Judæorum, coronatus eſt, Agrippa Rex Judæorum, licet abſens, Alexandriæ per comœdum, qui ejus perſonam ſuſtinebat, illuderetur. Rem geſtam multis enarrat Philo in Flaccum, quæ ego in pauca contraham: *Flaccus*, ait, *Ægypti præſes Alexandrinam multitudinem convitiis paſſus eſt regi maledicere. Erat inſanus quidam nomine Karrabas, puerorum, & adoleſcentium ludibrium. Hunc miſerum propulſum ad gymnaſium, in ſuperiori loco ſtatuunt, ut ſpectari poſſet ab omnibus, moxque capiti diadema impoſuerunt papyraceum, pro paludamento corpori ſtoream induunt, pro ſceptro fruſtrum arundinis humo ſublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis inſignibus, & in regem transformatum, more hiſtrionico adoleſcentes perticas in humeris geſtantes ſtipabant pro ſatellitio: tum alii ſalutatum accedebant*, &c. Ecce Karrabas hic ſuſtinens perſonam Agrippæ, repræſentat Barabbam, quem Judæi prætulerunt Chriſto. F

Et expuentes in eum, acceperunt arundinem; et percutiebant caput ejus] tamquam ſtulti, ait S. Thomas, qui ſtulte ad regnum Judææ aſpiraſſet; ſimul coronam ſpineam altius fixiuſque capiti ejus infigerent, quæ omnia ſummæ erant contumeliæ, & atrociſſimi doloris, non tam ab hominibus, quam a dæmonibus inventæ & ſuggeſtæ, ait Origenes. *Non unum membrum*, inquit Chryſoſt. *ſed univerſum corpus atroces has injurias patiebatur. Caput afflictum corona: calamo, pugni; facies, ſputis; maxillæ, alapis; reliquum corpus flagellis, nuditate, amictu chlamydis, adoratione ſimulata, manus, calamo, quem pro ſceptro tenere dederunt; os quoque ipſum & lingua aceti potione ac fellis.* Vers. 30 Marc. 15. 19 G

Hic ſubnectenda ſunt & ordine hiſtorico intexenda, quæ tacente Matthæo ſupplet Joannes cap. 19. a verſ. 1. ad v. 16. ſcilicet Chriſtum ſic flagellatum, ſpinis coronatum & chlamydatum, a Pilato fuiſſe productum, oſtenſumque Judæis, dicendo, *Ecce homo*, ut eos ad miſericordiam flecteret; Judæos vero magis in eum efferatos obſtinate exclamaſſe; *Crucifige, crucifige eum*, quia filium Dei ſe fecit. Id audiens Pilatus, timenſque ne Jeſus Jovis, Herculis, aut alterius Dei eſſet filius, qui ejus necem ulciſceretur, ſeorſim rogavit Jeſum: *Unde es tu?* Jeſu tacente, Pilatus ſubjecit ſe habere poteſtatem necandi ipſum. Chriſtus reſpondit: *Non haberes poteſtatem adverſum me, niſi tibi data eſſet deſuper.* Poteſtatem, id eſt facultatem, promiſſionem, & vires occidendi me: Pilato enim erat a Deo data poteſtas, id eſt auctoritas & juriſdictio in cæteros Judæos; in Chriſtum vero dumtaxat permiſſa erat a Deo. Chriſtus enim ut homo, cum Dei eſſet Filius, liber erat, nullique poteſtati humanæ ſubjectus, imo omnium rex & dominus, uti dixi v. 11. Unde Pilatus hic judicando & damnando Chriſtum, peccavit contra juſtitiam tripliciter: Primo, uſurpatione poteſtatis & juriſdictionis in Chriſtum; utpote quam nullam habebat. Secundo pervertendo ordinem judiciorum, quia tumultui Judæorum ceſſit, nec Chriſtum ob crimen, ſed ob tumultum damnavit. Tertio, pervertendo juſtitiam, quia Chriſtum innocentem damnavit, ne haberetur inimicus Cæſaris, ut ſubdit Joannes. Hiſce ex Joanne ordine intertextis uſque ad Chriſti condemnationem factam a Pilato, jam proxime ſubnectenda ſunt, quæ hic ſubjicit Matthæus dicens. H Tria peccata Pilati.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis suis, et Vers. 31 Marc. 15. 20 Joh. 18. 10.

A DUXERUNT EUM UT CRUCIFIGERENT] *Ubi milites*, ait Victor in Marci c. 15. *ad satietatem usque Christum redemptorem nostrum ludibrio habuerunt, abduxerunt eum ut crucifigerent*,

EXUERUNT EUM CLAMYDE] relicta illi *corona spinea semel imposita, & nunquam detracta*, ait Origenes, *Exuitur*, ait S. Athan. serm. de Cruce, *a carnificibus, quas nos in Adam indueramus pelliceas tunicas, ut pro his passimus induere Christum*.

INDUERUNT EUM VESTIMENTIS EJUS] tum ut illa sibi vindicarent crucifixores, tum ut ex illis Jesus agnosceretur a populo, & subsannaretur ad majorem ejus infamiam.

ET DUXERUNT EUM UT CRUCIFIGERENT] præeunte, ut videtur, tubicine, qui tubam inflans, ad supplicium hoc spectandum populum convocabat. Hoc enim fuisse moris apud Romanos docet Grethserus lib. 1. de Cruce cap. 16.

B Quam longi itineribus fatigatus Christus in die mortis suæ.

Fatigatus erat Christus crebris longisque itineribus hac nocte & hoc mane peractis: nam a cœnaculo iverat in montem Oliveti, distantem gressibus sive passibus minoribus 1500. (minor passus continet duos pedes cum dimidio, major vero sive geometricus, est duplus, continetque quinque pedes: mille passus majores faciunt milliare Italicum, mille vero minores faciunt dimidium milliare Ital.) In eodem fere spatio reductus est ad domum Annæ, inde ad domum Caiphæ distantem gressibus 330. inde ad domum Pilati distantem mille passibus; inde ad domum Herodis distantem passibus 350. inde reductus ad Pilatum, a Pilato denique ad montem Calvariæ per gressus sive passus minores 1321. Vide Adrichom. in Descriptione Jerusalem n. 118. graphice ex Geographis scribentem viam crucis Christi, variasque in ea Christi stationes, occursus, & casus.

VERS. 32 Luc. 23. 26. Mar. 15. 21. EXEUNTES AUTEM (sive domum Pilati, ut vult S. Hieronym. Adrichom. & Geographi viæ crucis; sive urbem Jerusalem, ut vult Franc. Lucas & alii) INVENERUNT HOMINEM CYRENÆUM, NOMINE SIMONEM: HUNC ANGARIAVERUNT UT TOLLERET CRUCEM EJUS] *Cyrenæum*, oriundum ex Cyrene, sive ea quæ est in Lybia, a qua quasi metropoli tota regio Cyrenaica dicitur, quam ad fidem Christi convertit S. Marcus, ut vult Origen. Franc. Lucas, & Gagnejus in cap. 2. Act. Sive ex ea, quæ est in Syria, ut vult Maldonat. sive ea quæ est in Cypro, quæ a Cyro ædificata dicta est Cyrene, ut volunt alii. Inde ergo commigravit in Judæam. Quare Simon hic origine fuit Gentilis, uti censent S. Hilarius, Ambr. Beda, S. Leo serm. 8. de Pass. & alii, licet Maldonat. & Franc. Lucas putent fuisse Judæum, forte quod in Judæam veniens factus sit proselytus, & in Judæorum religionem transierit, idque ad mysterium, ut significaretur non Judæos incredulos, sed Gentes in Christum credentes, fidem, & crucem Christi amplexuras, ac per illas Judæos quoque in fine mundi idem facturos.

Simon Cyrenæus quis?

C

SIMONEM] Traditio est, ait Pererius, Simonem hunc postea ad fidem Christi cum filiis esse conversum. Unde Marcus addit eum fuisse patrem Alexandri & Rufi; qui eo tempore, quo hæc Marcus scribebat, videntur fuisse Christianis noti & celebres discipuli Christi: nam Rufus hic primo Thebarum, deinde Dertosæ (Tortosæ) in Hispania fuit Episcopus, ac proinde Ecclesia ejus festum celebrat 12. Novemb. De eodem sic scribit S. Polycarpus ad Philipp. *Rogo omnes vos insistere verbo justitiæ & patientiæ, quam oculate vidistis non solum in beatissimis illis, Ignatio scilicet, Zosimo, & Rufo, sed & in aliis, qui ex vobis sunt, & in Paulo & in cæteris Apostolis*. Alexander vero frater Rufi, & alter filius Simonis, Martyr ponitur in Martyrol. ab Adone, & Beda die 11. Martii. Unde L. Dexter in Chronico ad ann. Christi 112. n. 10. sic habet: *Carthagine Spartaria* (civitas est Hispaniæ) *S. Alexander frater Rufi, primi Dertosanorum Episcopi in Hispania Tarraconensi, filius Simonis Cyrenensis, qui post Christum ejus crucem bajulavit; patitur cum Candido, & Zosimo, & sociis martyrum. In religione sequitur Simon filios, ne fraudetur debita mercede portatæ post Christum crucis: nam post multa bona opera Hierosolymis placide quiescit.* Et Braulio sive Helecas in Addit. ad Chronicon Maximi hæc habet: *Sanctorum Rufi & Alexandri memoria, Simonis Cyrenæi* (*quibusdam Niger est filiorum, celebris est. Venit cum filiis Simon in Hispaniam, comitatus S. Paulum, ubi prædicavit; quam prius adjerat comitatus D. Jacobum, & ibi prædicavit tunc: quam dicitur conse-*

Converstus fuit ad Christum.

Rufus filius Simonis.

D

& Alexander.

crasse cum aliis S. Petrus in Episcopum, obiisseque Hierosolymis, colitur prima Decemb. Rursum L. Dexter ad annum Christi 109. n. 4. *Rufus*, inquit, *Thebis reversus ad Hispanias, Dertosæ Pontifex sedet*. Vide utrobique annotationes Biviarii, qui censet Simonem hunc esse illum, qui Niger dicitur, sociusque fuit Pauli, & Barnabæ, Actor. 13. 1.

HUNC ANGARIAVERUNT] Id est, compulerunt. Vide dicta de etymo angariæ c. 5. v. 41. Magna fuit hæc militum injuria, & ignominia in peregrinum Simonem, quod eum publice infamem Christi crucem ad locum supplicii portare coegerint. Patienter tamen utramque tulit Simon, ideoque meruit a Christo illuminari, ac Christianus sanctusque fieri, ut dixi. Sicut enim socius fuit crucis, sic & gloriæ ejusdem particeps extitit.

Symbol. Symbolice, S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 26. *Crucem Jesu*, inquit, *in angaria portare, est afflictionem abstinentiæ pro alia, quam necesse est intentione tolerare. An non Jesu crucem portat in angaria: qui quasi ad præceptum Domini carnem domat, sed tamen spiritalem patriam non amat? Unde & Simon idem crucem portat, sed nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo vivit*.

F

Quomodo Christus crucem tulerit.

UT TOLLERET CRUCEM EJUS] Christus primo portavit crucem suam longam (ut ferunt) 15. pedes, latam octo, idque jam toto corpore & humeris ex flagellatione cruentus, fessus, fractusque; ita autem portavit, ut partem unam extremam humero bajularet, alteram per terram protraheret, quam protrahens, ad saxa & scrobes, ubi fit, allidens, concutiebatur continuo, adeo ut flagellorum vulnera hac concussione assidue renovarentur; quæ continua, & gravis ei fuit afflictio. Christum portasse suam crucem diserte ait Joannes cap. 19. 17. *Et bajulans*, inquit, *sibi crucem exiit*. Ita Euthymius hic, & S. Athanasius serm. de Cruce. Moris enim erat, ut crucifigendi crucem suam ferrent, uti docet Plutarchus de sera numinis vindicta, Lipsius & Grevserus de Cruce. Deinde cum Judæi, & milites viderent Christum sub cruce deficere, imposuerunt eam Simoni, ut Jesum vivum servarent majoribus tormentis, ludibriis, & crucifixioni, utque citius pervenirent ad montem Calvariæ, citiusque Christum crucifigerent, ac deinde domum ad prandium redirent. Erat enim jam meridies, quæ est hora prandii.

G

Simon gestavit crucem Jesu. Cur? Causa Prima.

Ubi Nota, non videri Simonem crucem gestasse cum Christo, hac ratione, ut Christus priorem crucis partem, Simon posteriorem portaret, uti pingunt pictores; sed ipsum solum totam Christi præeuntis crucem gestasse. Nam Lucas cap. 23. 26. ait: *Et imposuerunt illi crucem*: & Matthæus & Marcus: *Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus*. Ita S. Aug. Ambros. Athanas. & passim alii Patres, quia varia hic mysteria agnoscunt. Primo Athanasius ser. de Cruce: *Nam & sibi ipsi*, inquit, *Dominus crucem gestavit, & rursum Simon homo portavit illam. Primum igitur portavit veluti tropheum adversus diabolum Jesus, volens autem crucem sibi ipsi ferebat: neque enim necessitate compulsus accessit ad mortem: Rursus autem gestavit eam Simon homo, ut omnibus notum fieret, quod non suam ipsius, sed hominum morte moreretur Dominus*:

Secunda. H

Secundo: S. Ambr. in cap. 23. Luc. *Id factum est, ut prius ipse*, inquit, *crucis sue tropheum erigeret; deinde Martyribus traderet erigendum. Convenit enim ut tropheum suum prius ipse victor attollat*; ac deinde illud idem *Christus in homine, & homo portet in Christo*.

Tertia.

Tertio, Origen. *Non solum*, inquit, *eum conveniebat accipere crucem suam, sed & nos conveniebat portare eam, salutarem nobis angariam adimplentes*. Sic enim ipse sanxit: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Matth. 10. 38.

Hæreses Basilidis Marcionis de Christo cruci subducto.

Denique Tertullianus lib. de Præscript. cap. 46. & lib. 5. contra Marcionem, S. Augustin. lib. de Hæres. & Eusebius lib. 4. histor. cap. 8. tradunt hæresim fuisse Basilidis, & Marcionis, quod Christus ita perstrinxerit oculos Judæorum, ut relicto Simone ipse Christus se subduxerit eorum oculis, & evanuerit; unde factum, ut Judæi occidentes & crucifigentes Simonem, putarent se Christum crucifigere. Ita errant & hodie Mahometani.

Mulierum Christum ad mortem euntem sequentium lamenta.

Hic ordine hystoriæ intexenda sunt, quæ Christo eunti in montem Calvariæ in itinere contigerunt, quæ tacet Matthæus, & supplet Lucas cap. 23. v. 31. scilicet Chri-

Digitized by Google

A Christum, mulieribus piis se sequentibus, & lamentantibus dixisse, ut flerent non super se, sed super filios suos, qui a Tito, & Vaspasiano ob cædem Christi in tantas angustias redigendi erant, ut in speluncas se abderent, dicerentque *montibus*, *Cadite super nos*; & *collibus*, *Operite nos*. Vide dicta Osee 10. 8. Ita S. Hieron. Causam subdit: *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Christus enim quasi viridis arbor erat, gratiæ frondibus & fructibus semper vernans, ac proinde indigna & inepta igni, id est, Dei vindictæ, & excidio: Judæi vero erant quasi arbor arida, quia gratia vacui, ac steriles bonorum operum; ideo dignissimi & aptissimi foco & vindictæ Dei. Nota τὸ *faciunt*, scilicet milites Romani; vel impersonaliter pel hebraismum *faciunt*, id est, fiunt, facientibus Judæis sive factione Judæorum.

Veronica sudarium Christo exhibet.

Inter has fœminas una fuit Berenice, sive Veronice, vulgo *Veronica*, quæ sudarium Christo exhibens, ut faciem sudore & sanguine madentem abstergeret, ab eo illud recepit, cum impressa in illo ejusdem Christi effigie, ut habet Christiana traditio, ac Methodius Episcopus

B apud Marianum Scotum in Chron. anno Domini 39. & ex eo Baronius anno Christi 34. c. 116. Sudarium hoc Christi effigie insignitum, Romam translatum in Basilica S. Petri asservatur, & quotannis in Parasceve populo religiose ostenditur, uti ipse sæpius vidi. De eo ejusque miraculis extat liber vetustus in Archivio Biblioth. Vaticanæ. De Veronica sic scribit L. Dexter ad annum Domini 48. n. 2. *Veronice sancta mulier a Gallia Romam venit, ibique divino relicto vultu miraculis clara migrat ad Dominum, anno septuagesimo, quam dicunt a Christo sanatam a sanguinis fluxu. De eadem sic habent acta S. Martialis privi Lemonicensium Episcopi: Venit autem cum B. Petro Apostolo Romam, & per eum missus fuit in Galliam, habens in comitatu suo Amatorem, & conjugem ejus Veronicam, quæ familiaris, & precordialis amica fuit Virg. Mariæ. Sanctus vero Amator in rupe, quæ modo Amatoris dicitur, solitariam vitam egit, ibique obiit: Veronica autem S. Martialem prædicantem secuta est in territorio Burdegalensi, ibique consenuit.* De eadem vide Bredenbachium, Saligniacum, Pasch. & Adrichom. in Descript. Jerusalem n. 44. & 118.

Veronica in territorio Burdegalensi consenuit.

C Vers. 33 Luc. 23. 33. Mar. 15. 22 Joa. 19. 17.

ET VENERUNT IN LOCUM, QUI DICITUR GOLGOTHA, QUOD EST CALVARIÆ LOCUS] Calvaria est cranium hominis carne nudum, quod & calva dicitur. Unde Syrus vertit, *Hogoltho*, *cujus interpretatio est cranium*, sic & Æthiopicus. *Golgotha* ergo idem est quod caput sive cranium hominis; quod ita dictum a volubilitate, & rotunditate, a rad. *gal.* vel *galal*, id est, volvit, revolvit, convolvit. Unde *galgal* est circulus & cælum. Hebr. dicunt גלגולת *gulgoleth*; Chaldæi & Syri addito *aleph* dicunt *gulgotha*; quod vulgus more suo corrupte effert *Golgotha*.

Calvaria quid?

Golgotha quænam vox?

QUOD EST, scilicet si interpreteris, idem quod CALVARIÆ LOCUS] pura locus, ubi calvariæ hominum apparent. Hinc putant nonnulli Matthæum græce scripsisse, sed non obstat quin hebraice scripserit: potuit enim vocem Hebræam *Golgotha* alia pariter Hebræa, sed clariore, interpretari. Alii putant hanc interpretationem nominis *Golgotha*, additam ab Interprete Græco S. Matthæi. Unde hæc interpretatio non extat in Evangelio Hebraico S. Matthæi, quod jam circumfertur.

D Calvaria dicta a cranio Adæ ibi sepulto.

Quæres, unde hic locus ubi crucifixus est Christus, dictus sit *Golgotha*, sive *Calvaria*? Resp. Communis Origenis, Tertull. S. Athanasii, Epiphan. S. Augustini, Cyrilli cæterorumque Patrum, uno excepto S. Hieron. hic sententia est, ita dictum esse ex eo, quod traditio sit in *Golgotha* sepultum esse Adamum, quem Christus ibidem sanguine suo e cruce distillante redemerit, & ad vitam gratiæ revocarit, juxta illud Ephes. 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Ubi Patres jam dictos citavi.

Huc facit quod scribit Jacobus Otrobaita sive Edessenus, magister S. Ephræm, teste Andrea Masio in Josue cap. ult. v. 32. scilicet Noe ossa Adami in arcam religiose susceperisse, ac post diluvium illa inter filios distribuisse, ipsique Sem, quem anteferebat ceteris, Adami calvariam dedisse, & cum ea Judæam. Tanta apud priscos erat cura honorque sepulchri, ob animarum immortalitatem. Forte præsagiebat Christum in Calvaria apud Judæos, Adamum a morte suscitaturum. Unde S. Ambr. in c. 23. Lucæ docet Christum in Golgotha crucifixum, quia *congruebat*, inquit, *ut ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia.* E

Aliam causam magis literalem & obviam dat hic S. Hieron. Beda, Jansenius, Franc. Lucas & alii; scilicet Calvarium dici hunc montem, eo quod in eo locus esset supplicii, in quo rei plectebantur & decollabantur; unde ibi multa decollatorum erant crania. Negant hoc Baronius, Lorinus, & Gretserus lib. 1. de Cruce: Quia, inquiunt, apud Judæos gladii, & decollationis non erat usus, sed tantum lapidationis, crucifixionis, & combustionis: harum enim trium pœnarum tantum meminit Scriptura. Ita Sigonius lib. 6. de Republ. Heb. cap. ult. Verum gladio in suppliciis usos fuisse Judæos, docet Auctor libri Sanedrim, & Petrus Gregorius lib. 31. Syntagm. c. 16. Certum est post subactam a Romanis Judæam, reos in ea capite fuisse plexos: nam Herodes Antipas decollavit Joannem Baptistam, & ejus nepos Herodes Agrippa decollavit S. Jacobum fratrem S. Joannis Apostoli, Act. 12. Adde, in Golgotha F multa sparsim jacebant crania non solum decollatorum, sed & lapidatorum, combustorum & crucifixorum. & reorum;

Mystice Gretserus: *Prophetice*, ait, *hic locus dictus est. Golgotha, eo quod in eo verum caput nostrum, scilicet Christus Dominus, occubuit.*

Voluit Christus in loco supplicii publico, & infami, qualis erat *Golgotha*, crucifigi, ut infamia & execrabilia nostra scelera lueret, & expiaret. Quocirca ipse locum hunc supplicii in locum honoris, & adorationis convertit: Christiani enim in Calvaria Christum crucifixum reverentur & adorant: Christus enim, ut canit Sedulius.

— *Pœnam vestivit honore;*
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.

Sic de Socrate ait Seneca in Consol. ad Helvidiam: *Socrates carcerem intravit; ignominiam ipsi loco detracturus.*

Calvaria idem quasi cum monte Moria.

Notat ex S. Hieronymo, & S. August. serm. 71. de Temp. Beda de Locis sanctis cap. 2. & alii, in hoc monte Abraham a Deo jussum immolare filium suum. Mons enim Moria, in quo id contigit, vicinus est monti Calvariæ, adeoque uterque unus idemque videntur esse mons, in duo juga sive duos colles, scilicet Moria, & Calvariam, dissectus. G

Cur Christus extra Jerusalem crucifixus sit in Calvaria, causam quadruplicem, scilicet Literalem, Allegoricam, Anagogicam & Tropologicam, assignat Apostolus Heb 13. v. 11. & seq. Unde concludit: *Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Vide ibi dicta. Primaria causa fuit, ut significaret virtutem crucis Christi, scilicet fidem, gratiam, & Ecclesiam a Judæis transferendam ad omnes totius mundi gentes, *ut crux Christi non templi esset ara, sed mundi*, ait S. Leo serm. 9. de Pass.

Vers. 34 Vinum Christo ante mortem oblatum.

ET DEDERUNT EI VINUM BIBERE CUM FELLE MIXTUM (Arabicus, *acetum cum myrrha* mixtum) ET CUM GUSTASSET, NOLUIT BIBERE] Interim dum terebaratur & apparatur crux, ejusque fossa, Christo nonnihil quiescenti propinatum est hoc vinum: quod de more reis damnatis, ad sitim, qua in tanto angore laborant levandam, & ad confortationem, ut robur habeant ad ferenda tormenta, dari solebat, juxta illud Proverb. 31. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt corde.* Verum Judæi inaudita barbarie, partim ad ludibrium, partim ad tormentum, vinum hoc H Christi felle amaricarunt, & corruperunt. Id factum est, partim insolentia militum, partim malitia Judæorum. Unde queritur Christus dicens: *Dederunt in escam* (Tertull. lib. contra Jud. c. 10. legit, *in potum*) *meam fel*, quia fel fuit quasi panis & esca; vinum vero potus Christi. Unde Euthym. *Arbitror*, inquit, *fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse, ut acetum quidem loco vini esset, illa vero fragmenta pro buccella panis: & præcipue sane potum dederunt, consecutive vero etiam cibum: his enim qui animo destituuntur, vinum præbere solemus, injecto pane, ut primum bibentes postmodum etiam possint edere.*

Potus Christo in monte Calvariæ bis oblatus.

Nota Primo, hanc Christi potationem aliam & diversam esse ab illa, de qua v. 48. & de qua agunt Lucas & Joannes; quam scilicet Christo jam crucifixo clamanti, *sitio* porrexerunt. Hæc enim ante crucifixionem data est Christo, & hæc fuit vini, illa vero aceti. *Vinum* enim hic legunt constanter omnes codices Latini, ac

Ori-

A Origenes, S. Ambros. S. Hieronym. S. Hilarius, S. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu cap. 11. Licet Græca ac S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Titus, Euthym. & Syrus pro οἶνον, id eſt, vinum, corrupte ut videtur, legant ὄξος id eſt, acetum, niſi dicas vinum hoc vocari ὄξος, id eſt, acetum, quia erat acerbum & acetoſum. De hac ergo potatione ait Chriſtus: *Dederunt in eſcam meam fel*, de poſteriore vero v. 48. *Et in ſiti mea potaverunt me aceto*. Dicitur *fel* non potus, ſed *eſca*, quia fel hoc videtur integrum injectum in vinum; nec cum eo commiſtum, uti jam dixi.

Vinũ myrrhatum quid? Nota Secundo. Vinum hoc cum felle Marcus vocat *vinum myrrhatum*: quia ſcilicet vino huic impoſita fuit myrrha cum felle, vel certe myrrha ſola ſine felle, ut myrrha ipſa *fel* dicatur ob amaritudinem: ita paſſim omnes Patres & interpretes, uno dempto Baronio, qui anno Chriſti 34. c. 48. cenſent vinum myrrhatum fuiſſe aromaticum, tam ſapore quam odore ſuaviſſimum; ita dictum, quod in vaſis myrrhinis, admixtis variis aromatibus conderetur, quod licet ipſe acute & erudite probet, aliis tamen non perſuadet: nec enim vinum

B myrrhatum poteſt dici fel, vel felleum, uti hic illud vocat Matthæus, nec Judæi Chriſto infenſiſſimi permiſiſſent id dari Chriſto. Unde v. 48. illi ſitienti propinarunt acetum. Denique Baronius ſuam ſententiam revocat in fine tomi 10. ac cæteris Interpretibus aſſentitur, qui cenſent vinum myrrhatum fuiſſe acerbum & amarum.

ET CUM GUSTASSET, NOLUIT BIBERE] ſive quod averſaretur malitiam Judæorum, qui vinum felle corruperant, ſive quia volebat majorem pati ſitim in cruce, ut nobis mortificationis gulæ, & ſenſuum vivum daret exemplum.

Palamonis mira auſteritas. Quocirca Palamon miræ ſanctitatis vir, cum in die Paſchatis juſſiſſet S. Pachomio diſcipulo ſuo apparare cibum feſto tanto congruentem; illeque agreſtia olera, quibus veſci ſolebat, apparaſſet, illiſque oleum cum ſale præter morem condimenti vice injeciſſet: Palamon frontem pulſans; cum lacrymis dixit: Dominus meus fuit crucifixus, contumeliis affectus, colaphis appetitus, felle & aceto potatus; & ego oleum comedam? Quare illud guſtare noluit, ſolitumque olerum cibum ſibi apponi juſſit. Ita habet Vita S. Pachomii.

C VERS. 35 Luc. 23. v. 33. 34. Marc. 15. 24 Jo. 19. v. 18. 23. POSTQUAM AUTEM CRUCIFIXERUNT EUM, DIVISERUNT VESTIMENTA EJUS, SORTEM MITTENTES, UT IMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER PROPHETAM DICENTEM: DIVISERUNT SIBI VESTIMENTA MEA, ET SUPER VESTEM MEAM MISERUNT SORTEM) Matthæus partim more ſuo brevitati ſtudens, & geſta Chriſti contrahens, partim horreſcens indignitatem & atrocitatem crucifixionis Chriſti, eam non quaſi præſentem, ſed quaſi præteritam enarrat, ac velut oculis clauſis perſtringit, dicens: *Poſtquam autem crucifixerunt eum*.

Nota Primo, Dogma fidei eſt, Chriſtum non funibus, ſed clavis cruci fuiſſe affixum, quibus perforatæ fuere manus Chriſti, ut in ea manus ſuas immittere poſſet Thomas, ut patet Joann. 20. verſ. 25. & ſeq. Unde Pſal. 21. dicitur: *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Fieri tamen poteſt, ut funes quoque adhibiti ſint ad colligandum cruci corpus Chriſti: alioqui enim tota moles corporis a manibus vix pendere, & ſuſtentari potuiſſet. Imo S. Hilarius lib. 16. de Trinit. ait Chriſtum cruci clavis affixum, & funibus alligatum fuiſſe. Funes oſtenduntur Romæ in templo S. Crucis in Jeruſalem, ædificato a S. Helena. Addit Nonnus Panopolitanus paraphraſtes Evangelii S. Joannis cap. 19. v. 18. manus Chriſti præter clavos, ferreo vinculo fuiſſe cruci aſtrictas. Sic enim ait: *Illic interfectores ad lignum quadrilaterum ſublime ſupra terram erectum, extenderunt Chriſtum, adſtringentes vi explicatas utrimque manus ferreo vinculo, & immenſo ac ſingulari clavo pedis utriuſque pectuſculum uno impetu perforatum transfixere pedibus ſibi mutuo impoſitis ac complicatis, inflexibile exitii vinculum*.

D Funes crucis Chriſti Romæ.

Addunt S. Irenæus, Juſtin. & Gregorius Turonenſ. apud Gretſerum libr. 1. de Cruce cap. 29. in cruce fuiſſe ſuppedaneum, ſive aſſerculum, in quo innixi, & fixi fuerint Chriſti pedes. Verum in cruce delicatior hæc fabrica videtur, ait Lipſius de Cruce; nec Chriſtus in cruce ſtetit, ſed ſuſpenſus pependit, ut patet Act. 5. 30. Galat. 3. 13. Minus incommode Franc. Lucas, & alii cenſent crucem ad pedes Chriſti fuiſſe excavatam, ut calcibus pedum ejus in cavo hoc receptis pedes non incurvi, ſed erecti & extenſi penderent in cruce. E

Quot clavi in Cruce. Porro clavos hos alii tres, alii quatuor fuiſſe autumant, ut ſicut ſingulæ manus, ſic & ſinguli pedes ſuum habuerint clavum. S. Brigida lib. 1. Revelat. cap. 10. aſſerit unum pedem alteri ſuperpoſitum, cruci fuiſſe affixum duobus clavis, idque ſibi revelaſſe Beatam Virginem. S. Franciſci ſtigmata quatuor clavos repræſentant, ait Lucas Tudenſis lib. 2. contra Albigenſes cap. 11. & ex eo Lucas Waddingus in Annal. Minorum anno Chriſti 1224. num. 19. Minus probabiliter S. Bernardus ſerm. de triplici cuſtodia, manus, linguæ & cordis, autumat ſex fuiſſe clavos in manibus & pedibus Chriſti. Vidi ego Romæ magno animi ſenſu clavum Chriſti integrum, in templo S. Crucis in Jeruſalem, longum, modice craſſum, quadratum, habentem tuber ingens rotundum, ſed cavum in capite, & ſenſim tendentem in acumen. Latrones quoque cum Chriſto Crucifixi clavis cruci affixi ſunt: alioqui enim ex clavis S. Helena dignoſcere potuiſſet crucem Chriſti a ſe inventam a crucibus latronum: quod tamen non niſi per miraculum fieri potuit. Chriſtus ergo clavis ferreis malleo adactis, fuit cruci affixus, clavis, inquam, per volam manus (ubi viget tactus, ideoque acris eſt dolor) adactis ut habet communis fidelium ſenſus; itaque paſſim pictores Chriſtum per volam manus crucifixum pingunt. Favet illuh Zachariæ cap. 13. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum*?

Clavus Chriſti in templo S. Crucis in Jeruſalem Romæ. F

Nonnulli tamen cenſent Chriſtum crucifixum clavis, non per volam manus, ſed per carpum adactis. Carpus vocatur brachii extremitas, ubi eſt pulſus, & ubi brachium jungitur manui. Adactis, inquam, per carpum non directe, ſed tranſverſim, ita ut per carpum adigerentur in manum & clavi extremitas in extremam manus ſuperficiem deſineret, illamque cruci affigeret. Clavi enim valde fuere longi, ut patet ex illo, quem Romæ conſpicimus. Id ita eſſe liquet clare, inquit Mallonius, ex ſacra Sindone, cui involutum fuit corpus Chriſti e cruce depoſitum, in quo hæc ſacra Chriſti ſtigmata manifeſte viſuntur, quod religioſe ſervatur & colitur Taurini apud Allobroges. Favet illud Pſal. 21. *Foderunt manus meas*, &c. Idem exhibent antiquæ picturæ Chriſti crucifixi. Ita crucifixerunt, inquiunt, Chriſtum, tum ut firmius eum cruci affigerent, tum ut majori eum dolore afficerent: etenim major fuit dolor, quo longior clavorum fuit per carpum manumque ductus ideoque longior plaga & vulnus: & quia in carpo viget tactus, ut patet ex pulſu; & quia hoc vulnus tranſverſum & longum, ex gravitate corporis, & brachiorum carpum manumque degravantium, jugiter efficiebatur majus & productius. G

Acerbitas crucis Chriſti: Primo. Secundo. Tertio. Secundo, acerbitas crucifixionis Chriſti patet; Primo, ex eo quod in ea clavis perfoſſæ ſunt manus, & pedes; ubi ſenſus tactus eſt acutiſſimus. Secundo, quod in cruce totum corporis pondus ex manibus transfixis pependerit. Tertio quod dolor hic diuturnus ſit, adeo ut Chriſtus per tres horas vivus in hoc crucis cruciatu vixerit: hinc crux a cruciando dicta eſt. Unde myſtice applicatur Chriſto illud de Jeruſalem ad litteram dictum Thren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Quarto, in cruce diſtenſa fuerunt brachia & membra Chriſti, adeo ut ſingula ejus oſſa numerari poſſent, juxta illud: *Foderunt* (q.d. Fodendo foſſas fecerunt) *manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea*, Pſal. 21. unde S. Catharina Senenſis dictitabat maximum dolorem, quem Chriſtus ſenſit in cruce, fuiſſe in pectore; ſcilicet in extenſione, indeque conſequente disjunctione oſſium pectoris, idque ſe experientia didiciſſe, cum a Chriſto omnium ejus dolorum particeps facta fuit. Et ratio favet: illa enim oſſa pectoris data ſunt ad defenſionem cordis, & inde fit immanis dolor. Ita habet ejus Vita lib. 2. cap. 29. ſcripta per Ambroſium Catharinum. Oret quis extenſis brachiis per duo vel tria *Miſerere*, & ſentiet quantus ſit hic dolor. Notat Genebrardus in Pſal. 21. 20. pro *dinumeraverunt*, Hebr. eſſe אספרו *aſſaper*, id eſt, *dinumerabo*, id eſt, dinumerare poſſim ego; æque ac quivis alius me inſpiciens, ideoque Noſtrum vertere, *dinumeraverunt*, id eſt, dinumerare potuerunt: quia Chriſtus, inquit, hac diſtenſione & diſtractione artuum tantum cruciatum ſentiebat, ut ipſi non vacaret oſſa ſua dinumerare. Quarto. H Quis ſummus dolor Chriſti.

Tertio,

Digitized by Google

A Crucifixionis Christi circumstantiæ.

Tertio, Christus cum spinea corona fuit crucifixus, uti jam dixi. Rursum inter duos latrones, quasi eorum princeps. Item nudus more Roman. Imo multi Doctores cum Ambrosio & S. Bonaventura docent, ne verenda quidem habuisse tecta & velata; licet id putet Abulensis, Dionys. Carthus. & Barradius, quod id inhonestum sit coram viris & fœminis, sed magis indecora passus est Christus. Ita Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 22. & Suarez 3. part. quæst. 46. art. 8. sect. 4. & Franc. Lucas hic: qui sane Christo summe pudico & verecundo, summus fuit pudor & dolor, Audi S. Ambros. lib. 10. in cap. 23. Lucæ: *Nudus*, ait, *crucem ascendit, nudum ecce video. Talis ergo ascendat qui sæculum vincere parat, ut sæculi adjumenta non quærat. Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit: vicit ille, qui vestimenta deposuit, & talis ascendit quales nos auctore Deo natura formavit. Sed Adam*, inquit D. Taulerus c. 33. Exerc. vitæ Christi, *ob amissam innocentiam tegere se, & vestibus operire festinavit: Christus vero nudatus est, eo quod integram & illæsam servare innocentiæ puritatem, nec ullo ei alio tegmine opus erat*. Hinc Christi exemplum sequi volens S. Franciscus in morte nudum se in terra prostravit, ut dixi Matth. 5. ad illa: *Beati pauperes spiritu*.

B

S. Flavia virgo & martyr nuda suspensa

Hæc cogitans S. Flavia virgo nobilissima, & Martyr, sororque S. Placidi Martyris, cum jussu Manuchę tyranni nuda suspenderetur, ut Christum negaret: *Ego*, inquit, *non tantum nuditatem corporis sustinere parata sum, sed etiam gladium & ignem propter eum, qui pro me denudari, flagellari & crucifigi voluit*. Ita habent acta S. Placidi apud Surium ad diem 5. Octobris.

Quarto, passim censent Christum in cruce humi strata fuisse crucifixum: ita enim fiebat in illis, qui crucem suam ferebant, secus est de illis, qui in cruce prius fixa, v.g. in patibulo jam erecto suspendebantur. Humi ergo Christum fuisse cruci affixum censent S. Anselm. Laur. Justinianus Abulensis, Gretserus & alii. Alioqui enim, inquiunt, difficilior fuisset Christi crucifixio in cruce alta & erecta, Contrarium tamen, scilicet Christum in cruce erecta fuisse cruci affixum, nimirum ita ut stans in suppedaneo altiore extenderet manus, ut facile fuerit illas clavis ad crucem jam in terra firmatam configere,

C

docet Nonnus, cujus verba jam citavi, & S. Bonaventura, Lipsius tract. de Cruce, Joann. Molanus tract. de Imag. & picturis, Tolet. & Ribera in cap. 19. Joann. v. 18. ac S. Bigitta lib. 1. Revelat. cap. 15. ac ibidem Consalvus Durantus, item Daniel Malonius commentans in Alphonsi Pallcotti librum de Stigmat. S. Sindonis cap. 16. Favet illud Cant. 7. 8. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*. Vide ibi dicta. Nihil in hac quæstione definiunt Salmeron, Suarez & Lorinus in Psal. 21. v. 17. nec ego definio.

Cur Christus crucifixus? Causa literalis.

Quæres, cur Christus sit crucifixus potius quam contusus, lapidatus, capite plexus? Resp. Causa litteralis fuit, quod Judæi ex odio in Christum, ut ejus nomen & sectam infamarent & plane abolerent, voluerunt eum morte summe infami plectere. Talis autem est mors crucis. Hac de causa crimen ei imposuerunt, quod affectasset regnum Judææ, & Cæsari rebellasset; rebelles autem, seditiosi & regnum ambientes jure Romano crucifigebantur, ut qui voluerant ceteris eminere in regno, ceteris eminerent in patibulo. Adde, videri Judæos crucis supplicium Barabbæ, quasi seditioso, & latroni famoso debitum, voluisse in Christum transferre. Unde electo ab eis Barabba præ Christo, illico contra Christum

D

Causa Dei.

clamare cœperunt, *Crucifige eum*. Causa ex parte Dei fuit, quia placuit Deo per stultitiam crucis, salvos facere credentes. Crux enim *Judæis est scandalum, Gentilibus stultitia, ipsis autem vocatis & electis Dei virtus & sapientia*; uti fuse docet Paulus 1. Cor. 2. Accedit quod victimæ olim elevabantur, ut significaretur eas offerri Deo, deinde igne cremabantur. Sic Christus, qui totum se expansis brachiis Deo Patri in holocaustum & victimam pro peccatis nostris obtulit, elevatus fuit in cruce, ibique dolore, & magis amore hominum, assus, & tostus: sicut ejus typus agnus paschalis, distentus in veru per modum crucis assabatur.

Causa moralis. Prima.

Causæ morales ex parte Christi, & hominum fuere variæ. Prima, ut, sicut Adam & Eva peccarunt extendendo manus ad lignum veritum, sic Christus peccatum hoc lueret extendendo manus ad lignum crucis. Ita S. August. in Append. de Diversis serm. 4. Unde canit Ecclesia. *Per lignum servi facti sumus, & per sanctam crucem liberati sumus*: Et: *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Et S. Gregor. Nazianz. in orat. de seipso ad Arrianos: *Ad vitæ lignum unde excideramus, per ignominiæ lignum revocati sumus*. Et S. Amb. in Lucæ c. 4. *Mors per arborem, vita per crucem*. Imo ipse Cristus Cant. 8. *Sub arbore mala suscitavi te. Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*. Rursum crux est expiatio, & remedium concupiscentiæ ex peccato Adæ contractæ, quæ fons, & origo est omnium peccatorum: quare exemplo crucis suæ docet nos Christus, concupiscentiam nostram assidue crucifigere & mortificare, si peccata cavere & animam salvare velimus. Ita S. Athan. de Incarn. Verbi.

E

Secunda.

Secunda, ut pendens in aere, inter cælum & terram, cælites terrenis reconciliaret. Ita S. Amb. in Luc. cap. 23. *Ut non sibi soli*, inquit, *sed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, quo omnia ad se traheret; ut nodo mortis exuta, jugo fidei suspensa, cœlestibus ea, quæ prius erant terrena, sociaret*. S. Cypr. vel quisquis est auctor tract. de Pass. ait: *Considero opera tua, & admiror te cruci inter damnatos affixum jam nec tristem, nec pavidum, sed suppliciorum victorem elevatis manibus triumphantem de Amalec, & quasi sanctificantem de excelso plebem, & elevatum in sublimi, & quasi cælo proximum, superioribus inferentem consummati agonis vexillum, & inferioribus erexisse scalam in Patris occursum*.

F

Hinc S. Hier. hic docet, Christum in cruce per quatuor ejus cornua, quasi amplecti totum mundum, ejusque quatuor plagas. *Ipsa species crucis*, inquit, *quid est nisi forma quadrata mundi? Orions de vertice fulgens, Arcton dextra tenet, Auster in læva consistit, Occidens sub plantis firmatur. Unde Apostolus dicit: Ut sciamus qua sit altitudo, & latitudo & longitudo & profundum. Aves quando volant, ad æthera, formam crucis assumunt: homo natans per aquas, vel orans, forma crucis visitur: navis per maria, antenna cruci similata afflatur*. Et S. Gregor. Nazianz. in carm. de Virg.

Quin etiam expandens sacrati corporis artus
In fines orbis, mortale ex finibus orbis
Collegit genus, atque hominem contraxit in unum,
Et mediis magne posuit deitatis in ulnis.

G

Hoc est quod ait Christus: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, Joann. 12. 32.

Tertia.

Tertiam dat S. Athanas. de Incarn. Verbi: *Nam si ideo venerat, ut nostra piacula execrationesque portaret, quomodo alia ratione execratio aut piaculum fuisset, nisi execrabilem mortem in se recepisset? Est autem hoc ipsum crux, quemadmodum scriptum est: Execrabilis quicumque in ligno pendet*, Deut. 21. v. 25. Galat. 3. v. 13.

Martyrum omnium tormenta in cruce sensit Christus.

Accedit, quod in cruce omnia pœnarum genera concurrunt: quare ilia Christus in sua cruce complexus est, ut Martyribus daret exemplum quælibet supplicia perferendi. Crux enim manus pedesque secat ut gladius, corpus distendit ut eculeus, lacerat ut ungula, laniat ut bestiæ, urit cruciatque ut focus, adeoque lento quasi igne hominem assat & necat, &c. Quare Christus omnium Martyrum tormenta sensit, illaque sibi repræsentavit & pro iis afflictus fuit, ut omnibus virtutem illa superandi impetraret: nimirum ut ait B. Laur. Just. lib. de Triumphali Christi agone c. 19. *in Stephano lapidabatur, in Laurentio assabatur, sicque in singulis singula Martyrum ceterorumque justorum sustinebat tormenta*.

H

Quarta.

Quartam dat S. August. Append. de Diversis serm. 59. *Noluit*, ait, *lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. Elegit vero crucem, quæ levi motu manus exprimitur, qua & contra inimici versutias munimur*. Hoc est, quod ait Paulus Galat. 3. *Christus redemit nos de maledicto legis factus pro nobis maledictus. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui pendet in ligno, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu*

Quinta.

Quintam assignat S. Anselm. in epist. ad Philipp. cap. 4. *Tum pessimam*, inquit, *mortem Salvator elegit, ut omnem mortem occideret*. Et ut ait S. August. Psalm. 140. *Ut discipuli ejus mortem non modo non timerent, sed nec genus mortis horrescerent*. Idem S. August. lib. de Agone Christiano cap. 11. *Nolite*, ait, *timere contumelias & cruces & mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem susceperit Filius Dei*. Sic S. Thom. 3. p. q. 48. art. 4.

Sexta.

Sextam dat S. Athanasius de Incarn. Verbi. *Dominus venit*, inquit, *ut diabolum præcipitaret, aeremque purifica-*

Digitized by Google

A *ficaret, & viam ad cælum nobis inveniret.* Ergo debuit in aere crucifigi. Eamdem rationem dat S. Chryſoſtom, homil. de cruce & latrone, Plures alias cauſas congerit S. Thomas 3. part. qu. 40. art. 4. Jac. Boſius lib. 1. de Cruce triumphante c. 10. & Greteſerus lib. 1. de Cruce cap. 41. & 42. Denique D. Baſilius hom. de humilit. *Diabolus*, inquit, *in eo crucifixus eſt, quem ſe crucifixurum, & in eo mortuus, quem morte ſe extincturum ſperaverat.* Accedit D. Leo ſerm. 10. de Paſſione. *Clavi*, inquit, *Chriſti perpetuis diabolum fixere vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio poteſtatum.*

Porro in cruce verum fuit illud Pſal. 95. juxta Septuag. olim lectum: *Regnavit a ligno Deus*, quia, ut ait Ambr. in cap. 23. Luc. *Licet in cruce erat Dominus Jeſus, ſupra crucem tamen regis majeſtate radiabat.* Et, ut ait S. Aug. *Chriſtus domuit orbem non ferro, ſed ligno.* Crux ergo fuit currus triumphalis Chriſti, in quo ipſe de diabolo, peccato, morte & inferno triumphavit. Hinc S. Ambr. lib. 10. an. Lucæ cap. 23. crucem vocat *currum triumphatoris, & triumphale patibulum.*

Crux Chriſti ex quo ligno.

Hinc & crux dicitur compacta fuiſſe ex cupreſſo, cedro, palma, olea. Unde carmen:

B *Ligna crucis palma, cedrus, cupreſſus, oliva.*

Quod citat Gloſſa in Clement. 1. de ſumma Trinitate. Et, *Corpus tenet alta cupreſſus.* Et: *Pars eſt oliva ſuprema.* Vide noſtrum Greteſerum lib. 1. de Cruce cap. 5. ex S. Chryſoſt. In cruce enim Chriſtus quaſi cedrus exaltatus fuit, quaſi cupreſſus comata pulchruit, quaſi oliva gratiæ oleum fudit, quaſi palma victrix de morte triumphavit. Quocirca S. Cyprianus, vel quiſquis eſt auctor. tract. de Paſſione ait: *Aſcendiſti Domine palmam: quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus & poteſtatibus & nequitiis ſpiritualibus victoriam, erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erat fortitudo tua abſcondita & imperium tuum ſuper humerum tuum: tu ipſe quaſi rex bajulus, harebas ligno quod tuleras, ea ſuſtinens paſſionis anxietates ſuſtinens & labores. Conſ[illegible] opprimus & expavi.*

Denique Deus voluit crucem Chriſti eſſe Primo, pretium redemptionis noſtræ; Secundo, librum ſapientiæ divinæ; Tertio, ſpeculum omnis virtutis, & perfectionis. Librum ſapientiæ Dei dico, quia in crucis atrocitate Chriſtus Primo oſtendit ſummum in homines amorem, utpote pro quibus tam atrociter, & ignominioſe crucifixus ſit; Secundo, gravitatem peccati mortalis; utpote quod non niſi morte crucis ex juſto Dei decreto expiari potuerit: Tertio, acerbitatem pœnarum gehennæ. Si enim Deus caſtigavit adeo peccatum alienum in Chriſto filio ſuo, quomodo caſtigabit peccata propria in ipſis viliſſimis peccatoribus in igne gehennæ? *Nam ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quarto quanti facienda ſit anima hominis cujuslibet, utpote cujus pretium fuit vita Chriſti, quo ipſe eam appretiavit, & redemit; quantoque ſtudio animarum ſalus procuranda ſit, ne ſanguis Chriſti pro illis inaniter ſit effuſus, & quaſi perditus. Quinto, quanta ſit futura felicitas Beatorum in cælo, utpote quæ empta ſit tot tormentis a Chriſto in cruce. Jure ergo S. Auguſt. tract. 119. in Joannem: *Lignum*, inquit, *in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magiſtri docentis.*

Crux eſt liber ſapientiæ. C Secundo, Tertio, Quarto, Quinto,

& ſpeculum virtutis omnium, D

Crux quoque eſt ſpeculum omnis virtutis & perfectionis, quia Chriſtus in crucem oſtendit apicem & culmen ſummæ humilitatis, paupertatis, patientiæ, fortitudinis, conſtantiæ, mortificationis, obedientiæ, charitatis, cæteratumque virtutum omnium. *Inſpice*, ergo o Chriſtiane, *& fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte* Calvariæ *monſtratum eſt*, Exodi 25. v. 40. Hoc eſt, quod ait Apoſtolus Epheſ. 2. *in charitate radicati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatē Chriſti.* Vide ibi dicta. Quocirca Martyres meditatione crucis Chriſti animabant ſe ad cruces quaslibet. Ita S. Felicula virgo, & martyr S. Petronillæ collactanea, cum in eculeo torqueretur, exultans dicebat: *En Chriſtum ſponſum video, qui pro me tanta ſuſtinuit.* S. Ignatius ep. ad Romanos: *Amor meus crucifixus eſt.* SS. Marcus & Marcellinus fratres & Martyres crucifixi: *Numquam*, inquiebant, *tam jucunde epulati ſumus, quam libenter hæc Chriſti cauſa perferimus, in cujus amore nunc fixi eſſe cœpimus. Utinam nos tam diu pati ſinat, quamdiu corruptibili hoc corpore veſtiti erimus.* Ita crux Chriſti quaſi mel dulcorat cruces Sanctorum. SS. Savinus, & Cyprianus Martyres Brixiani ſuper rotas extenſi & dilacerati, gratias agentes Deo canebant: *Quam dulcis eſt dilectio tua Domine?* S. Heſteria Bergomas virgo & Martyr: *En*, inquit, *cervix mea præſto eſt, in hanc ſævite: hanc pro Chriſti Domini mei fide libenti animo trado*, SS. Euſebius, Pontianus, Vincentius, & Peregrinus Martyres ſub Commodo Imper. cum in eculeo quaſi in crure diſtenti, neryis & fuſtibus cæderentur, inſultabant tortoribus: *Nolite remittere: ante enim vobis tempus, quam nobis animus pro Chriſto patiendi deficiet.* Cumque Vitellius præſes tantam in tormentis lætitiam magiæ tribueret; S. Vincentius reſpondit: *Non gaudemus niſi in Domino Jeſu Chriſto.* Hæc omnia recenſet Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Sic hoc ſeculo Chriſtiani pro fide Chriſti in Japone crucifixi exultabant, quod ſimiles eſſent Chriſto crucifixo, & crucem cruci rependerent. S. Franciſcus beatum ſe æſtimabat, quod per impreſſa cælitus ſibi quinque vulnerum Chriſti ſtigmata, conformis eſſet Chriſto crucifixo. Gaudeant & Religioſi, quod per tria vota, quaſi per tres clavos Chriſti amore ſuſceptos; cum eo crucifigantur, qua de re vide elegantem, & piam orationem Abbatis Pinuſii apud Caſſian. lib. 4. de inſtitut. renunc. cap. 34. & ſeq. ac Hier. Platum l. 2. de Bono ſtatus Religioſi cap. 11. Denique pie, vere & pathetice Franc. de Sales nuper Epiſc. Genevenſis:

E SS. Savini, & Cypriani. S. Heſteriæ. SS. Euſeb. Pontiani, Vincent. & Peregrini. Martyrum Japonenſium. S. Franciſci.

F *Aut amor, aut furor eſt, qui te bone Chriſte peremit? Eſt amor, & furor eſt; hic meus; ille tuus.*

Quæres Secundo, quo tempore Chriſtus ſit crucifixus? Reſp. Chriſtus die 25. Martii in utero Virginis conceptus eſt, & poſt 34. annos eodem die crucifixus eſt in æquinoctio verno, natus vero eſt die 25. Decemb. in ſolſtitio hyberno. Unde & Eccleſia in Martyrologio die 25. Martii recolit memoriam S. Diſmæ latronis, qui cum Chriſto crucifixus ab eo converſus audivit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Idem docet S. Auguſt. lib. 18. Civit. cap. ult. Chryſoſt. Tertull. D. Thomas, S. Antoninus, Platina, & Uſuardus, quos citat & ſequitur Suarez 3. p. diſput. 40. ſect. 5. in fine. Hi omnes docent Chriſtum paſſum die 25. Martii, ita ut illo die præciſe expleverit 34. annos a conceptione, & incarnatione ſua. Hinc L. Dexter in Chronico ad annum Chriſti 34. *Chriſtus Dominus*, inquit, *in crucem actus VIII. kalend. April.* hoc eſt die 25. Martii) *invidia Judæorum crucifixus, pro ſalute totius generis humani libenter mortem oppetiit.* Hinc rurſum in appendice ad Adonis Martyrolog. quam edidit noſter Heribertus Roſvveydus, ad diem 25. Martii ſic legimus: *Hieroſolymæ Dominus noſter Jeſu Chriſtus crucifixus eſt, & in eadem civitate paſſio S. Jacobi Apoſtoli, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur. Eodem die immolatio Iſaac, & tranſitus filiorum Iſrael per mare rubrum:* quorum utrorumque fuit typus Chriſti in cruce pro nobis immolati. *Et victoria Michaelis Archangeli contra draconem:* Unde inferas, eodem die creatum eſſe a Deo mundum: nam ſimul cum eo creati ſunt Angeli, qui mox a creatione cœperunt duellare.

G Chriſtus crucifixus die 25. Mart.

Reſp. Secundo, Chriſtus die 25. Martii crucifixus eſt in meridie. S. Joannes enim ait cap. 19. v. 14. *Erat hora quaſi ſexta*, ſcilicet ab ortu ſolis, quæ eſt in meridie. Dices, Marcus cap. 15. v. 25. ait: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Reſp. Erat hora tertia non incipiens, ſed finiens; finis autem horæ tertiæ erat initium ſextæ; hæ enim horæ olim apud Judæos, & Romanos ternas modernas continebant. Non aliud velle Marcum patet cap. 15. v. 33. dum ait: *Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram.* Hæ enim tenebræ cœperunt cum crucifixione Chriſti, ut patebit verſ. 45. Cauſam ſive congruentiam dat Theophylactus: *Sexta die*, inquit, *homo eſt conditus, qui & ſexta hora de ligno comedit: qua igitur hora Dominus hominem condidit, eadem & lapſum curavit. Sexta die & ſexta hora cruci affixus eſt.* Similiter inter Latinos Beda Marcum enarrans: *Rationis*, ait, *imo divinæ pietatis ordo poſcebat, ut qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo invexerat, eadem hora ſecundus Adam moriendo deſtrueret.* Meridie enim Adam cibum vetitum guſtarat, Geneſ. 3. verſ. 8.

In meridie. H Cur?

Porro eadem die creatum eſſe Adam, ſcilicet in æquinoctio verno, & eadem hora comediſſe pomum vetitum, qua Chriſtus in cruce moriens culpam expiavit, & eum quaſi recreavit, multi cenſent, inter quos Tertull. lib. 1. carmin. contra Marcion. ita canit:

Eadem die qua creatus eſt Adam.

Qua

Exempla S. Feliculæ. S. Ignatii Martyris, SS. Marci, & Marcelliani.

Digitized by Google

A *Qua die, quoque loco cecidit clarissimus Adam,*
Huc eadem redeunte die volventibus annis,
In stadio ligni fortis congressus athleta,
Extenditque manus pœnam pro laude secutus,
Devicit mortem, &c.

Quod vero attinet ad horam, ita docuit Procopius in c. 3. Gen. *Christus*, inquit, *amarem passionem passus est in ipsis horis, quibus Adam edit; scilicet ab hora sexta ad horam nonam. Adamus enim hora sexta comedit; est enim ea hora quasi certa regula hominibus constituta, ut cibum capiant.*

Facie ejus ad Occidentem cur? Nota, Christum ita fuisse crucifixum, ut facie ab Hierosolymis aversa (quasi qui ejus hostis, indignus esset eam intueri, sed revera quasi impios Judæos reprobaturus, & gentes electuruş) Occidentem, puta Italiam, & Romam spectaret. Inde Christiani ex Apostolorum institutione orant ad Orientem, quasi Christi crucifixi faciem intuentes: hinc & templa eorum respiciunt Orientem, in quibus imago Christi crucifixi Occidentem prospicit, quam qui adspiciunt & adorant, necessario Orientem spectant. Ita Damascenus lib. 4. de Fide cap. 13. S. Hieronymus, Beda, Germanus, Sedulius, Adrichom. & alii, quos citat & sequitur Alfonsus Paleottus de Christi Stigmatibus cap. 20. p. 278. num. 27. Hoc est quod Judæis prædixit Jerem. cap. 18. 17. *Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Et David Ps. 65. 7. *Oculi ejus super gentes respiciunt.*

Hinc Christiani oramus ad Orientem.

B

Modus crucifixionis Christi S. Brigittæ revelatus. Porro modum crucifixionis, sibi in monte Calvariæ oranti a Christo revelatum, scribit S. Birgitta lib. 7. Revel. c. 15. ubi sic ait: *Non coactus, sed statim voluntarie extendit brachium suum, & aperta sua dextera manu, posuit eam in cruce, quam illi sævi tortores immaniter crucifixerunt, perforabant eam clave per illam partem, qua os solidius erat; tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum ejus sinistram, cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore ultra modum, junctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis, & in tantum extenderunt illa gloriosa membra in cruce vehementer, quod quasi omnes vene & nervi ejus rumpebantur.* Eadem lib. 1. Revel. c. 10. Christi in cruce figuram & livores ex revelatione B. Virginis ita describit; *Tunc oculi ejus apparuerunt semimortui, maxilla ejus submersa, & vultus lugubris, os ejus apertum, & lingua sanguinolenta, venter dorso inhærens consumpto humore, quasi non haberet viscera. Omne corpus pallidum & languidum, ex fluxu & egressione sanguinis. Manus & pedes ejus rigidissime extenti erant, & juxta formam crucis cruci astracti & conformati. Barba & crines ex toto respersi sanguine. Itaque cum filius meus sic laceratus & lividus staret, solum cor recens erat, quia optime & fortissime nature erat.* lib. 4. c. 70. *Tunc color mortis in partibus, quibus, præ sanguine aspici potuit, accessit, dentibus maxille inhæserunt. Coste vero attenuate dinumerari poterant. Venter autem consumptis humoribus dorso applicatur, & jam naribus attenuatis, cum cor prope scissionem esset, totum corpus ejus contremuit, & tunc barba ejus super pectus ejus cecidit.*

C

Denique Lactant. lib. 4. c. 26. *Quoniam*, inquit, *qui in patibula suspenditur, & conspicuus est omnibus: & ceteris altior, crux potius electa est; que significaret illum tam conspicuum, tamque sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter & colendum cuncte nationes ex omni orbe concurrerent*, &c. *Extendit ergo in passione manus suas, orbemque dimensus est; ut jam tunc ostenderet ab ortu solis usque ad occasum magnum populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumque illud maximum atque sublime frontibus suis susceptorum.* Jam cætera, quæ ad crucem spectant, scilicet crucis figuras, oracula, usum, gloriam, adorationem, virtutem, miracula, & imitationem vide apud Gretserum lib. 1. de Cruce c. 29. & seq. ac S. Thomam 3. p. q. 66. & ibi Suarez. De cruce morali, id est de tribulationum omnium tolerantia, cuique Christiano in omni afflictione patienter, hilariter & fortiter exhibenda, vide Gretserum lib. 4. de Cruce, qui totus est de hac re.

D

Crucis elogia. Tropolog. fructus & elogia crucis ita recenset S. Chrysost. hom. de Cruce sub finem tomi 3. *Crux spes Christianorum: crux resurrectio mortuorum: crux cæcorum dux: crux desperatorum via: crux claudorum baculus: crux consolatio pauperum: crux refrenatio divitum: crux destructio superborum: crux male viventium pœna: crux adversus dæmones triumphus: crux devictio diaboli: crux adolescentum pedagogus: crux sustentatio inopum: crux spes desperatorum: crux navigantium gubernator: crux perissimenti portus: crux obsessorum murus: crux pater orphanorum: crux defensor viduarum: crux justorum consiliarius: crux tribulatorum requies: crux parvulorum custos: crux virorum caput: crux senum finis.* Plura deinde conglomerans, sic prosequitur. *Crux lumen in tenebris sedentium: crux regum magnificentia: crux fortium perpetuum: crux insipientium sapientia: crux libertas servorum: crux Imperatorum philosophia: crux lex impiorum: crux Prophetarum præconium: crux annuntiatio Apostolorum: crux Martyrum gloriatio: crux monachorum abstinentia: crux virginum castitas: crux gaudium sacerdotum: crux Ecclesiæ fundamentum: crux orbis terræ cautela, crux templorum destructio: crux idolorum repulsio: crux scandalum Judæorum: crux perditio impiorum: crux invalidorum virtus: crux ægrotantium medicus: crux emundatio leprosorum: crux paralyticorum requies: crux furientium pudor: crux sitientium fons: crux naufragorum protectio.* Similia habet S. Ephrem ser. de S. Cruce; & Damasc. l. 4. de Fide c. 12.

E

Ex dictis collige, varios pios affectus; sed maxime septem, fideli in lectione, inspectione, & meditatione Christi crucifixi, excitandos esse. Primus est, compassio: secundus, compunctio: tertius gratiarum actio: quartus, imitatio: quintus, spes: sextus, admiratio; septimus, amor & charitas.

F

Adiuta septem a Christo crucifixo!

Intexendum hic ex Luca cap. 23. 34. Jesum illico ut fuit crucifixus, orasse Patrem pro Judæis & militibus eum crucifigentibus, dicendo: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*; hoc enim ante divisionem vestium ejus contigisse patet ex Luca. Hoc primum est verbum inter septem memorabilia, quæ Christus in cruce edidit, quo post tot tantosque dolores, injurias, illusiones, quasi eorum oblitus, & de salute torquemnium solicitus, ex pectore, ceu ex fornace ardore charitatis æstuante, vocem hanc igneam in cælum ejaculatur, postulans iis ignosci. Atque exauditus est pro sua reverentia. Nam multi ex iis in Pentecoste ad prædicationem Petri pœnitentes, ad Christum conversi sunt, ut patet Actor. 2. Docuit nos Christus pro persecutoribus orare, malefacientibus benefacere, itaque vincere in bono malum. Christum imitatus S. Stephanus, cum lapidaretur, flexis genibus orabat; *Domine ne statuas illis hoc peccatum, & cum hoc dixisset*, quasi cygnus cygnæa voce emissa, *obdormivit in Domino.*

Primum Christi verbum in Cruce.

G

Non enim sciunt quid faciunt, quia nesciunt me esse Christum filium Dei: quod si scirent, utique non me crucifigerent, nec auderent committere hoc immane sacrilegium, & deicidium. Nesciunt me esse salvatorem mundi & suum, nesciunt me mori pro ipsorum salute. Ita *de impietate, & malitia Judæorum suavitas pietasque Christi triumphat*, ait S. Cyprianus tractat. de Passione Christi.

Hieroglyphicum dilectionis inimicorum est silex, hoc lemmate: *Silex, ex quo ignis excutitur, non sine ictu.* Silex enim lapis durus est, ex quo ignis excuti solet: & sic nuncupatur, vel quod ignis ex eo saliat, vel quod silentem intra se ignem habeat, qui attritu excitatur; quare a vulgo lapis vivus, ad illorum lapidum differentiam, qui mortui dicuntur, nuncupari solet. Silex hic est Christus, qui est lapis angularis. Christus enim latentem in se divinitatis ignem, & charitatem immensam effudit in cruce, at non sine ictu, dum ictus a crucifixoribus pro iis ardenter oravit. Ipse enim olim dixerat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Lucæ 12. Christum imitetur Christianus, ac se faciat silicem ignitum, & alios ignientem, & dum injuria alicujus, ceu ferri, & chalybis ictu feritur, scintillas amoris divini in ferientes ejaculetur; uti fecit Christus.

Hieroglyphicum dilectionis inimicorum.

H

DIVISERUNT VESTIMENTA EJUS, SORTEM MITTENTES] Fusius hoc enarrat Joannes c. 19. v. 23. dicens: *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit.* Ubi S. Cyrill. *Vestes damnatorum*, ait, *quasi hereditatis lege ad se pertinentes sibi vendicant*, quasi mercedem suæ operæ in crucifigendo. Porro S. Chrysost. *Vestes*, ait, *inter se patiuntur, quod in condemnatis vilibus & abjectis fieri solet, ac omnino destitutis.* Et mox: *Partiuntur ea vestimenta, per quamiracula facta sunt; sed tunc nihil efficiebant, Christo ineffabilem*

Divisio vestimentorum Christi.

Digitized by Google

A *lem eorum virtutem cohibente*. Fuit hæc insignis Christo ignominia & afflictio, quod coram se videret insolenter vestes suas a militibus lacerari, & alea jacta sorte dividi. Sed nimirum voluit in extrema paupertate, nuditate, & opprobrio mori, patique pro nobis, ac non tantum vestes, sed & corpus vitamque exuere, ut ignominiam nuditatis Adæ, & nostræ regeret, vestiretque sua ignominia, eaque restitueret nobis vestes immortalitatis, *ut nos indueret vitam & immortalitatem*, ait S. Athan. serm. de Cruce.

Tropologice, voluit nos docere, ut nudemur rebus supervacuis hujus mundi,

Tunica inconsutilis qualis? Nota Primo, Christus habuit tunicam inconsutilem, quæ, ut ait Joannes, *desuper*; græce, ἄνωθεν; id est ex summo, contexta erat per totum; hoc est tota textilis erat, sine futura, quam idcirco, ait Euthymius, verisimile est fuisse quasi subuculam loco camisiæ proxime corpori adhærentem. Addit que veterum opinionem (quam ipse approbat) esse eamdem a matre B. Virgine Christo puero factam textamque fuisse. Unde consequens videtur, tunicam hanc cum Christo crescente crevisse, uti crevere vestes Hæbræorum per 40. annos peregrinantium in deserto. Tunica hæc inconsutilis hodie Trèviris religiose

Treviris servatur. B asservatur, & visitur.

Symbolice, S. Athanas. serm. de Cruce: fuit hæc tunica inconsutilis; *quo vel hinc*, inquit, *credere possent Judæi, quis esset, & unde esset, qui hoc induit, quod Verbum erat, non a terra, sed e cælis veniens; quodque non divisibile, sed invisibile Verbum est Patris, quodque factus homo non habuit corpus ex viro fœminaque contextum, sed ex virgine sola, contextum spiritus gratia*. Et mox: *Neque enim hoc illorum, sed Servatoris in cruce pendentis factum erat. Suspensus enim ut homo principatus persequebatur, ipsum diabolum comprehendit, ac milites terruit ne scinderent tunicam, ut hac manente, maneret & quæ paulo post facta est adversus Judæos redargutio; quoniam velum quidem scissum est, tunica vero Servatoris ne a militibus quidem scissa est, sed mansit integra. Manet enim Evangelium semper integrum, cum interim dissipentur umbræ*.

Nota Secundo. Milites sciderunt alias Christi vestes, easque diviserunt in quatuor partes pro quatuor militibus Christum crucifigentibus, rursumque sortiti sunt *quis quid tolleret*; ut ait Marcus. Quæ & quo fuerint hæ Christi vestes, incertum est. Probabile est, quod ait Euthymius, tres fuisse; scilicet primam tunicam inconsutilem, quæ intima fuit instar indusii; secundam tunicam illi injectam similem illi Ecclesiasticorum, quam Itali aliique *sottanam* vocant; tertiam tunicam extimam, quæ exterius corpus tegebat & ornabat instar pallii. Nam thoracis, femoralium, tibialium, non erat usus apud Judæos, uti nec hodie est apud multos Orientales.

Tres Christi vestes quales? C

Symbolice S. Athan. serm. de Cruce: *Milites*, inquit, *vestes Christi dividunt in quatuor partes, eo quod pro peccatis mundi quadrifariam divisi, ad exortum, occasum, Septentrionem ac Meridiem, gestabat illa: quibus indutum cum videret eum Joannes ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*.

VERS. 36 ET SEDENTES SERVABANT EUM] Græca addunt ἐκεῖ id est *illic*, scilicet in cruce pendentem in monte Calvariæ. q. d. Milites cum Judæis servabant Jesum, ne quis e discipulis vel fautoribus eum cruce deponeret, vel ne ipse per miraculum e cruce descenderet. Verum Dei consilio id alio fine fiebat, quem ipsi ignorabant. Nam, ut ait D S. Hier. *diligentia militum, & sacerdotum nobis profuit, ut major & apertior resurgentis virtus appareat*. Milites enim & Judæi viderunt eum in cruce morientem: quare cum postea redivivus multis apparuerit, necesse est ut fateantur, eum vi divina morte resurrexisse.

VERS. 37 ET IMPOSUERUNT SUPER CAPUT EJUS CAUSAM (Syrus *occasionem mortis ipsius*) IPSIUS SCRIPTAM: HIC EST REX JUDÆORUM] *imposuerunt tabellam*, ut vertit Arabicus, in qua inscripta erat causa, & culpa crucifixionis ipsius; scilicet quod esset rex Judæorum, id est quod affectasset regnum Judææ, ideoque rebellasset Tiberio Cæsari. Unde pontifices suggesserunt Pilato, ut ait Joann. cap. 19. *Noli scribere, Rex Judæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: quod scripsi, scripsi*, id est, quod scripsi, recte & conformiter scripsi, nolo id mutare vel revocare. Intendebat Pilatus idem significare quod suggerebant pontifices, sed Deo manum ejus dirigente, aliter alioque sensu, eoque vero scripsit: *Hic est Rex Judæorum*, id est, hic est Messias sive Christus. Unde Syrus vertit *hic est rex ille Judæorum: ille*, scilicet per antonomasiam, puta rex Messias; Arabicus, *hic est Jesus rex Judæorum*. q. d. Hic Jesu crucifigitur, quia ipse est Messias, mundi salvator qui ex Dei decreto crucifigi, & mori debet, ut humani generis peccata luat & expiet, hominesque Deo reconciliet, & salvet. Quare hic titulus fuit Christo summi honoris elogium: ostendit enim ejus non tantum innocentiam, sed & dignitatem, quod scilicet ipse esset Christus mundi redemptor, quare Judæos quasi christicidas confundit, & confundet ac condemnabit in æternum, quod ipsi Pilatum coegerint, ut crucifigeret Christum, qui erat ipsorum Messias ad hoc a Deo missus, ut ipsos salvaret. Hoc ergo eis Pilatus titulo ipso exprobrat, itaque de eorum pervicacia, & importunitate se vindicat traducens, & infamans illos quasi christicidas per totum orbem; sat enim sciebat Pilatus Jesum esse Messiam, hic enim vocabatur ab omnibus illo ævo, *rex Judæorum*, ab omnibus desideratus, & exspectatus. Unde Origenes: Hic titulus *caput Jesu*, inquit, *instar coronæ exornat*. Et Beda urgens τὸ *super caput ejus*. *Apte*, inquit, *quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super crucem tamen regis majestate fulgebat*. Hoc enim titulo significabatur Jesum esse Messiam, & jam incipere regnare a ligno super Judæos, id est confitentes, puta Christum per fidem. Unde Pilatus cum ad petitionem Judæorum mutare noluit. Quo mystice significabatur, quod Judæis incredulis in sua contra Christum perfidia obstinate permanentibus, Gentiles (qualis erat Pilatus) Christum quasi regem & salvatorem suum agnoscerent, & colerent.

Titulus fuit elogium Christi.

Nota Primo. Solebat titulus damnatis ad mortem more Romano præfigi, qui crimen & causam mortis indicaret. Sic S. Attalo Martyri hunc titulum præfixerunt: *Hic est Attalus Christianus*, teste Euseb. lib. 5. sub initium. Sic hic Christo præfixerunt; *Hic est rex Judæorum*, hoc est, hic est Messias, sive Christus. Unde rursus colligitur, crucem Christi non fuisse commissam, quæ habet formam litteræ Græce T, qualis est Crux S. Antonii, sed immissam sive quadrangulam, ita ut sursum una quarta que crucis pars emineret, in qua titulus affigi posset.

Damnatis ad mortem dabatur affigi titulus.

Nota Secundo. Nemo Evangelistarum titulum crucis Christi integre pleneque exprimit, sed ex omnibus inter se collatis colligitur fuisse hunc: *Jesus Nazarenus rex Judæorum*. Franc. Lucas ait, Syra lingua, G sed characterе hæbræo ita scriptum fuisse: כלכא ריד״ריא ש״ע נצ״ריא *Jescua Nazaraja malca dihoudaje*, ubi habet Syrus Joann. 19. v. 19. Maldonat. vero & alii censent hunc fuisse: *Hic est Jesus Nazarenus* (ut habet Matthæus, & Marcus) *rex Judæorum*. Communiter tamen Gretserus, Bosius, Pagnin. & alii omittunt τὸ *hic est*, quia satis significatur inscriptione crucifixo affixa.

Titulus crucis Romæ in Basilica S. Crucis in Jerusalem.

Extat titulus hic Romæ in basilica S. Crucis in Jerusalem, ubi sæpius eum vidi & veneratus sum, sed imperfectus, & dimidiatus. In eo enim nil extat nisi τὸ *Nazarenus*, scriptum litteris Crucis, & Latinis scriptum inquam retrogado ordine, incipiendo a latere dextro, & pergendo ad sinistrum, uti scribunt Hebræi. Titulus enim hic, ut ait Joannes, scriptus fuit Hebraice, græce, & latine, sed ita ut Hebræa scriptura, utpote in Judæa apud Hebræos scripta primum & summum in titulo locum obtineret, secundum Græca, tertium Latina: qua de causa, cum in titulo hoc Hebræa scripta H fuerit more illius linguæ retrograde, hinc pariter simili modo scriptæ fuerunt Græca & Latina. Porro Hebrææ litteræ in titulo, ita vetustate exesæ sunt, ut apices duntaxat nonnulli appareant, nulla vero littera integra plenaque cernatur, quæ dignosci possit, uti patet in effigie qua titulum hunc exacte expingit Jac. Bolius l. 1. de Cruce triumphante, cap. 11.

Luc. 23. 38. Mar. 15. 26 Jo. 19. v. 19.

Titulus crucis Christi.

VERS. 48 TUNC CRUCIFIXI SUNT (*aculeis & clavis similibus*, ait Nonnus in Joann. 19. v. 19.) CUM EO DUO LATRONES; UNUS A DEXTRIS, ET UNUS A SINISTRIS] Latronum enim supplicium erat crux; ut Christus inter eos medius videretur esse latronum choragus, & princeps. Hoc significare volebant Judæi, itaque Christum infamare; sed Deus eorum technas evertit, & invertit. Nam ut ait S. Chrysost. *Voluit demon rem ipsam tegere, non tamen valuit. Crucifixi sunt tres, claruit unus Jesus, ut intelligas ejus virtute omnia provenisse, atque tribus crucifixis miracula patuerunt; nemo tamen ullum alteri la-*

Luc. 23. 33. Mar. 15. 27 Jo. 19. 19.

Crucifixi cum Christo duo latrones.

tronum

Digitized by Google

A *tronum attribuit, sed soli Jesu. Ita diaboli insidiæ irritæ factæ sunt, & in ejus caput omni modo irruerunt; nam ex duobus unus salvus factus est. Non solum igitur crucifixi gloriam non offendit, sed non parum auxit: neque enim minus fuit in cruce latronem converti, & paradisum intrare, quam petras collidi.*

Symbolice, Christus in medio latronum, quorum unus pœnitens salvatus est a Christo, alter damnatus, repræsentat formam extremi judicii, in quo Christus judex electos, qui a dextris erunt, glorificabit, improbos vero, qui a sinistris erunt, damnabit ad tartara. Ita S. Ambr. in c. 23. Lucæ, & S. August. tract. 31. in Joann. quem audi: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim judice constituto, unus qui credidit, liberatus: alius qui insultavit, damnatus est: jam significabat, quod facturus est de vivis & mortuis, alios posituras ad dextram, alios vero ad sinistram.*

VERS. 39 PRÆTEREUNTES AUTEM BLASPHEMABANT EUM MOVENTES CAPITA SUA] Hoc est, maledicebant, convitiabantur & exprobrabant Christi crucis culpam & pœnã, ac movendo caput insultabant & subsannabant. Hæc autem maledicta, convicia, & probra hoc loco proprie dictæ erant blasphemiæ, quia jaciebantur in Filium Dei, & Sanctum sanctorum, juxta illud Isaiæ 1. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel.* Et illud Davidis Ps. 21. 8. *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Ingens fuit tormentum Christo crucifigi, sed majus tormentum fuit crucifixo illudi & subsannari. Unde Eccli. c. 7. 12. monet: *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ.* Unde & queritur Christus Ps. 68. 23. *Quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et Ps. 21. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Magna ergo fuit hæc Judæorum in Christum sevitia & barbaries.

Mar. 15. 29. Prætereuntes blasphemant Christum in cruce.

B

VERS. 40 ET DICENTES: VAH QUI DESTRUIS TEMPLUM DEI (Syrus, *destructor templi*; Arab. *o destruens templum, & ædificans illud*) ET IN TRIDUO ILLUD REÆDIFICAS: SALVA TEMETIPSUM: SI FILIUS DEI ES, DESCENDE DE CRUCE] *Vah* jam non est in Græco, quod alias græce dicitur, οὐαί; Heb. הֵאָח *heach* (ut habet Evangelium Hebraic. S. Matthæi, quod jam circumfertur) sed subintelligitur. *Vah* est interjectio irridentis, objurgantis, insultantis, exprobrantis & detestantis; qualis apud Flandros est *phi*, q. d. Phi, phi pudeat te Jesu crucifixe, quod arroganter, & irreligiose jactaveris te templum Dei destructurum, & tertio die illud reædificaturum, ostende nunc te id facere posse, liberando te a cruce. Si enim hoc tam modicum facere non potes, quomodo illud in templo, quod tam magnum est & vastum, efficere poteris?

Mar. 15. v. 29.

C

VERS. 41 SIMILITER ET PRINCIPES SACERDOTUM ILLUDENTES CUM SCRIBIS, ET SENIORIBUS DICEBANT: ALIOS SALVOS FECIT, SEIPSUM NON POTEST SALVUM FACERE: SI REX ISRAEL (Messias) EST, DESCENDAT NUNC DE CRUCE, ET CREDIMUS EI] Virulentiores in Christum sunt pontifices, & Scribæ, quam populus: nam subsannant ejus miracula, quibus alios sanos fecit. q. d. Miracula ista non fuere facta ope Dei, sed Beelzebub, sive diaboli; aut certe non realia, sed phantastica fuere, ait Euthym. & Theophyl. quia si Dei ope facta essent, Deus utique illum ipsum jam in summa afflictione constitutum salvaret, & a cruce liberaret; quod cum non faciat, signum est eum non esse ex Deo, sed esse impostorem, & pseudoprophetam. *Volebant enim, ut tamquam seductor arrogans & jactabundus, & in conspectu omnium vituperatus decederet*, ait Chysost. ut ita plane ejus nomen & sectam obtererent, ne quis discipulorum ejus doctrinam deinceps sequeretur, eumque ut Messiam coleret ac prædicaret, hoc est, volebant Christianorum gentem, religionem & Ecclesiam cum Christo abolere.

Luc. 23. 35. *Mar.* 15. v. 31. 32.

VERS. 42

D

REX ISRAEL] Jacobus patriarca cum Angelo, Dei vicario, luctans & prævalens, dictus est *Israel*, id est, *dominans Deo*, Gen. 32. 28. hinc ejus filii & posteri, puta Judæi, dicti sunt Israel, id est filii Israel. Quare *rex Israel*, idem est quod rex Judæorum, hoc est Messias: Israeli enim, sive Judæis promissus erat Messias, quasi cælestis eorum rex futurus.

Audi S. Bern. ser. 1. in die Paschæ: *Quid*, inquit, *consequentiæ videtur habere, ut descendat de cruce, si rex Israel est, & non magis ascendat? Sic tibi Judæe excidit quod audisti, quia Dominus regnavit a ligno: ut regem abneges, quia manet in ligno? Imo quia rex Israel est, titulum regni non deserat; virgam imperii non deponat; cujus imperium super humerum ejus. Si Pilatus quod scripsit, scripsit, Christus non perficiet quod incœpit?* Subdit S. Bern. *Hæc plane*, inquit, *serpentis astutia, hæc adinventio nequitiæ spiritualis. Noverat impius quantum pro salute illius populi zelum gerere videretur, propterea malitiose nimis, linguas erudiens blasphemorum, suggerebat ut dicerent: Descendat, & credimus; quasi jam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum credulitatem tantopere desideraret. Sed non movetur vana pollicitatione, qui novit omnium corda. Eo quippe tendebat malitiosa suasio, ut non ipsi crederent, sed nostra quoque fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim, Dei perfecta sunt opera*, Deut. 32. 14. *quando fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum?* Tertiam causam adjicit S. Bern. dicens: *Ne daret occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. Et ne faceret obmutescere prædicatorum linguas consolantium pusillanimes, & dicentium singulis: Tu locum tuum ne deseras. Quod sine dubio sequeretur, si respondere possent: Quia Christus suũ deseruit.*

DESCENDAT DE CRUCE] Noluit Christus descendere (licet id facere potuisset) irritatus tot pontificum sannis, quia ex Patris præcepto in cruce mori debebat, ut nos a morte redimeret. Contempsit ergo impiorum improperia, ut nos idem facere doceret. Ita Theophylact. in Marci c. 15. *Si voluisset*, inquit, *descendere, neque principio ascendisset: sciens enim per hoc salvandos homines, sustinuit ut crucifigeretur. Non curabat*, ait Origen. *indignum aliquid agere propter derisionis injuriam, & facere; quod dicebatur ab eis, extra rationem & ordinem.* Et August. in tract. 37. in Joann. *Quia patientiam docebat, ideo potentiam differebat: si enim commotus ad eorũ verba descenderet, victus conviciorum dolore putaretur.* Et rursum: *Distulit potentiam, quia de cruce noluit descendere qui potuit de sepulchro resurgere: sed publicavit misericordiam, quia pendens in cruce dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

F Cur Christus de Cruce non descendit.

Denique S. Greg. hom. 21. in Evang. *Si*, inquit, *tunc de cruce descenderet, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret; sed expectavit paululum, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulit admirationem: & qui de cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plus igitur fuit de sepulchro surgere quam de cruce descendere: plus fuit mortem resurgendo destruere, quam vitam descendendo servare.*

G

ET CREDIMUS EI] id est, credimus eum esse regem Israel, id est Messiam nostrum. Mentiuntur: nam qui non crediderunt Christo, Lazarum aliosque mortuos suscitanti, utique nec credidissent Christo seipsum a morte liberanti; sed dixissent eum oculos populi suis præstigiis perstrinxisse, ac phantastice, non revera de cruce descendisse, ideoque esse præstigiatorem, & magum, uti alias dixerunt Matth. 12. Unde S. Hieronym. *Fraudulenta promissio*, ait, *quid est plus, cruce adhuc descendere viventem, an de sepulcho mortuum resurgere? Resurrexit, & non credidistis, ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non credideretis.* Sic hodie hæretici dicunt: Crederemus Sanctis, si facerent miracula: at cum eorum miracula afferuntur, illa calumniantur ut ficta, vel magica & phantastica.

CONFIDIT IN DEO, LIBERET NUNC, SI VULT EUM (Arabic. *si diligebat eum*) DIXIT ENIM, QUIA FILIUS DEI SUM] Utuntur hic pontifices & Scribæ iisdem plane verbis, quibus hostes Christi usuros, illique illusuros prædixit David, & per Davidem Christus Ps. 21. 8. *Omnes*, inquit, *videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis & moverunt caput. Speravit in Domino; eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Quare ipso facto testantur se esse hos Christi illusores a Davide præsignatos, ac Jesum esse verum Messiam, sive Christum. De Christo enim, ejusque passione, & illusione totus hic Psalmus a Spiritu Sancto Davidi dictatus est. Porro homini in cruce & agone mortis constituto, nulla superest humana spes, sed tantum confidentia in Deum hanc quasi ultimam salutis anchoram Christo, Pontifices hic eripere conantur, q. d. Vane speraști, & speras in Deum; jam enim actum est de te, jam in cruce moriendum tibi est: non est ergo quod speres in Deum. Vane, & falsæ dixisti te esse filium Dei dilectum: *Si enim Deus vult*, id est amat & diligit te, te *liberet nunc*

VERS. 43 H

e tan-

A ē tantis crucis doloribus. Hoc autem non faciet, ergo signum est te non esse filium Dei, sed impostorem Deo exosum. Ita ipsi Christum conviciantur & blasphemant, sed ad desperationem adigere conantur, uti facit diabolus dum tentat homines in agone mortis. Sed errant & paralogizant: Deus enim summe diligebat Christum, ideoque volebat eum mori in cruce, ut deinde summe glorificaret in resurrectione, ac per eum plurimos salvaret. Quare hoc sciens Christus, nil eorum probris commotus est; sed omnem spem suam in Deum defigere perrexit; ideoque reipsa utrumque a Deo consecutus est. Unde post illusiones has, novos validosque confidentiæ in Deum elicuit actus, ut nos idem facere doceret, quos statim subjicit Psalm. 21. 10. dicens: *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ: Deus meus es tu, ne discesseris a me.* Idem dixere Martyres præsidibus, dum ab eis ad cruces, leones, ignes, bestias damnarentur: Deum scilicet nolle eos liberare: ut meliorem per martyrium eis daret vitam & coronam.

B Hæc omnia de pontificibus & Scribis Christum illusuris, prædixit Sapiens Sapient. 2. 16. dum ex persona eorum ait: *Filium Dei se nominat, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sunt, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius: si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius;* hoc est respiciet & eruet eum Deus, sicut ipse sermone suo professus est, sed subdit Sapiens: *Hæc cogitaverunt & erraverunt: Excæcavit enim illos malitia eorum & nescierunt sacramenta Dei, neque speraverunt mercedem justitiæ)* justæ sanctæque passionis & crucis) *nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Vide ibi dicta.

Tropologice. Christo exprobrant peccatores, qui suis peccatis eum dehonestant & blasphemant, ad quos pathetice Christum loquentem ita inducit S. Bernardus Rhythmo de Passione Christi:

C *Ad te clamo, qui pro te morior.*
Te exhorter, qui in cruce patior:
Vide latus quo aperior,
Et cum tantus sit dolor intus & exterior;
Plus tamen crucior, quod te ingratum experior.

Quin & Zacharias c. 13. 6. rogans Christum, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Audit. *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Vide ibi dicta.

VERS. 44 IDIPSUM AUTEM ET LATRONES, QUI CRUCIFIXI ERANT
Luc. 23. 39. CUM EO, IMPROPERABANT EI] Græci, ut Origenes, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, ac ex Latinis S. Hilar. probabiliter putant, utrumque latronem initio Christum blasphemasse: sed alterum postea visa Christi patientia tenebris, aliisque signis & miraculis, resipuisse ac in Christum credidisse. Melius cæteri Latini, scilicet S. Hieronymus hic, S. Ambros. lib. 10. in Lucam. S. August. lib. 3. de Consensu Evangel. cap. 16. S. Leo ser. de Passione, S. Cyprian. serm. de Passione Domini, S. Gregor. 27. Moral. cap. 16. Maldon. Franc. Lucas & alii censent, per synecdochen numerum pluralem poni pro singulari: *Latrones*, id est unus latronum. Sic Lucæ 23. vers. 36. dicuntur *milites obtulisse Jesu acetum: milites*, id est unus militum. Voluit enim Matthæus per *latrones*, non tam personas latronum, quam conditionem significare, ut ostenderet Christum in cruce ab omni hominum genere & conditione, etiam latronum, convicia atrocia pertulisse, q. d. Adeo sæve & insolenter certatim omnes Christo conviciati sunt, ut etiam collateralis ejus latro jam cum eo crucifixus, & animam agens, impudenter in illum probra conjecerit. Addit Lucas, alterum latronem ipsum reprehendisse, ac Christo dixisse: *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum*, ideoque ab eo audisse: *Hodie mecum eris in paradiso*, de quo plura dicenda sunt, Lucæ 23. 40.

Latronum in Christū convitium.

D Hic ordine historico intexenda sunt dicta Christi, ad matrem & ad Joannem, quæ fuere tertium Christi in cruce verbum, quæ sic enarrat Joann. 19. 25. *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* De quibus suo loco in Joanne dicendum.

E A SEXTA AUTEM HORA TENEBRÆ FACTÆ SUNT SUPER UNIVERSAM TERRAM USQUE AD HORAM NONAM.) VERS. 45 Luc. 23. 44. Mar. 15. 34 Tenebræ per universam terram in morte Christi. Tenebræ ergo hæ cœperunt in meridie, quando crucifixus est Christus, & durarunt per tres horas, scilicet usque ad horam nonam, id est usque ad tertiam pomeridianam, qua expiravit Christus, quo tempore solet esse clarissima & summa diei lux: ut manifeste appareret has tenebras esse insolitas, prodigiosas, & supernaturales, nimirum sol, cælum, omniaque astra atrata luxerunt tam indignam necem Christi Dei & creatoris ac domini sui, ideoque lucem & radios suos a terra & terrigenis Deum suum occidentibus subtraxere. Ita S. Dionys. mox citandus, ac S. Hieron. hic, qui ait: *Videtur mihi*, inquit, *clarissimum mundi lumen, hoc est luminare majus, retraxisse radios suos.* Et S. Cyprianus serm. de Bono patientiæ: *Cum sol ne Judæorum facinus aspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahat.* Item Chrysost. in Catena ex serm. de Passion. Domini: *Non poterat ferre creatura injuriam creatoris: unde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora.*

F Quæres, unde ortæ sunt hæ tenebræ? Respondent aliqui ortas esse ex interpositione densarum nubium inter solem & terram. Ita S. Chrisostomus, Theophylactus & Euthymius. Verum S. Dionysius Areopag. harum tenebrarum testis oculatus epist. 7. ad Polycarp. docet illas ortas ex eclypsi solis; scilicet ex interpositione miraculosa lunæ inter terram & solem. Sic enim ait agens de se & Apollophane: *Eramus una ambo, & stabamus ad Heliopolin ac cernebamus, nec opinato, cum luna se soli objiciebat (neque enim conjunctionis tempus erat) rursusque cum eadem ab hora nona ad vesperam se mediæ solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat: Redige autem etiam aliquid aliud ei (Apollophani) in memoriam: scit enim etiam objectum ipsum a nobis visum esse oriri ab ortu solis, & ad solis extremum pervenire, deinde repedare. Rursumque non ab eadem parte solis & objectum & necessum evenire, sed ab ea quæ, ut ita dicam, ex diametro erat contraria.*

G Miracula in eclypsi Christi; Primum. Ex quibus S. Dionysii verbis liquet, in hac eclypsi solari multa concurrisse miracula & prodigia. Primum est, quod ipsa contigerit in Paschate, hoc est, in plenilunio primi mensis Nisan: in plenilunio autem non potest fieri eclypsis solis, quia tunc luna a sole longissime distat, imo est in opposito solis: quare eclypsis solis non fit nisi in conjunctione solis cum luna, quæ fit in novilunio: tunc enim luna soli vicina facile se illi supponit, ipsumque eclypsat.

Secundum, quod durarit ad tres horas, cum alias eclypsis solis parum duret, eo quod luna solem tegens celerrime moveatur, & solem pertranseat. Hic ergo luna sub sole constitit per tres horas: quod ingens fuit miraculum. Secundum.

Tertium, luna solet moveri ab Occidente in Orientem, ideoque in eclypsi solari ab Occidente solem subingreditur; hic autem subingressa est solem ab Oriente, teste S. Dionysio. Tertium.

Quartum, luna ultra solem non perrexit versus Occidentem, sed resiliit, statimque rediit ad locum suum, puta ad Orientem unde venerat, ita ut vespere soli Occidenti ex diametro opposita, in Oriente eo loco consisteret, ad quem perveniisset, si motu naturali progressa fuisset, nec ad solem eclypsandum accessisset. Quartum.

Quintum, quod luna cum sit minor sole, non possit totum solem tegere & obscurare, unde in eclypsi solis sol multum apparet, ac multum lucis diffundit in terram: hic autem sol plane fuit obscuratus, ita ut densæ tenebræ essent in terra, quales fuere tenebræ Ægyptiæ inductæ a Mose, Exodi cap. 10. vers. 23. & Sapient. cap. 17. vers. 3. & sequ. ideoque Matth. hic eas vocat *tenebras*, non eclypsin. Id autem factum est hac ratione, quod sol ea parte, qua luna non tegebatur, Deo agente subtraxerit radios suos a terra christicida, ut paulo ante audivimus ex Hieronymo, Cypriano & Chrysost. Sic & luna non luxit terræ, eo quod supposita soli superius tantum ab eo diluminaretur, inferius vero versus terram remaneret obscura; quare cum nec sol nec luna terræ lumen præberent, necesse fuit in terra summas esse tenebras. Quintum. H

Sextum, quod stellæ in cælo visæ sint, & terræ motus acciderint, de quibus ita scribit Phlegon Gentilis Sextum.

Digitized by Google

A Olympiadum ſcriptor, libertus Adriani Imperat. Sic enim de eo narrat Euſebius in Chron. ad annum Chriſti 33. *Scripſit vere ſuper his & Phlegon, qui Olympiadum egregius ſupputator eſt, in 14. libro ita dicens: Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis eſt facta. Dies hora ſexta in tenebroſam noctem verſus ut ſtellæ cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia, Nicenæ urbis multas ædes ſubverterit.*

Septimũ. Septimum, quod hæc eclipſis, & hæ tenebræ occuparint univerſam terram. Unde ſequitur.

SUPER UNIVERSAM TERRAM] Judææ, inquit Origenes & Maldonatus, qui hanc eclipſin arctant ad ſolam Judæam. Melius alii cenſent hanc eclipſin fuiſſe univerſalem, ac tenebras induxiſſe toti orbi. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. & alii. Hoc enim plane ſignificat τὸ *ſuper univerſam terram*. Unde & S. Dionyſius ait ſe eclipſin hanc vidiſſe Heliopoli in Ægypto, ideoque fertur exclamaſſe: *Aut Deus naturæ auctor mundi patitur, aut mundi machina diſſolvitur*; licet Michael Syngelus in Encomio S. Dionyſii aſſerat eum dixiſſe: *Deus ignotus in carne patitur, ideoque univerſum hiſce tenebris obſcuratur* & concutitur. Idem aſſerit Suidas. Unde poſtea prædicante Paulo Athenis, ac aſſerente Deum ignotum eſſe Chriſtum, in cujus morte obſcuratus ſit ſol, S. Dionyſius ad Chriſtum fuit converſus, Actor. c. 28. Vide ibi dicta.

S. Dionyſ. Areopag. eclipſin Paſſionis Chriſti vidit.

B

Hinc & Phlegon jam citatus, aſſerit numquam antea talem tantamque viſam eſſe eclipſin: Hæc ergo eclipſis fuit index divinitatis Chriſti: ſol enim, qui oculus eſt mundi, obſcuratus & quaſi emoriens, ſignificabat Chriſtum Deum ac Dominum ſuum, qui ſol eſt juſtitiæ, in cruce emori, ideoque eum morientem, tam ſol & luna, quæ cælum & terra omniaque elementa atrata luxerunt: quare toto tempore, quo Chriſtus in cruce patiebatur & agonizabat, obſcurata & concuſſa ſunt; quocirca ſubito nox atra terris obducta eſt.

Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem,

ait Paulus Oroſius lib. 7. Hiſtor. c. 4.

Symbolice, hæ tenebræ ſignificabant excæcationem Judæorum. Ita S. Chryſoſt. hom. de cruce & latrone: *Hodie*, inquit, *apud Judæos tenebræ ſunt, apud nos autem nox in diem converſa eſt. Etenim pietati hoc proprium eſt, ut in tenebris fulgeat; impietas autem etſi in lumine fuerit, tenebreſcit. Fidelibus nox in diem mutatur, infidelibus autem etiam ipſa lux tenebreſcit. Et fidelibus quidem Scriptura dixit: Quia tenebræ non obſcurabuntur, & nox ſicut dies illuminabitur. Infideli autem & dies in noctem mutatur, dicente Scriptura: palpabunt ſicut cæci parietem, & ambulabunt in meridie ſicut in medio noctis*, Job 5.

C

ET CIRCA HORAM NONAM CLAMAVIT JESUS VOCE MAGNA DICENS. ELI, ELI, LAMMA SABACHTANI? (male quidam legunt, *Sabatani*) HOC EST: DEUS MEUS, DEUS MEUS, UT QUID DERELIQUISTI ME?] Citat Chriſtus Pſal. 21. 1. in quo Hebr. habetur עזבתני *azabtani*; ſed quia Judæi Babylone redeuntes, corruperunt ſuam linguam Hebræam, & induxerunt Syriacam, hinc Chriſtus pro Hebræo *azabtani*, Syriace more gentis ſuæ dixit, *ſabachtani*. Syra moderna habent, *elmono ſhactom*. Unde liquet temporum ſucceſſu nonnihil variatam eſſe linguam Syriacam, uti variata eſt lingua Latina, Italica, Gallica, Germanica, & cæteræ.

VERS. 46. *Mar. 15. v. 34.*

D

Porro Chriſtus in cruce continue orans, ſeſeque totum Deo in victimam offerens pro ſalute hominum, ſub finem vitæ jam moriturus recitavit pſalm. 21. jam citatum, qui totus eſt de Paſſione Chriſti, ut oſtenderet ſe eſſe illum ipſum, de quo pſalmus ille agit, ſcilicet Meſſiam, ut Scribæ & Judæi ſcrutentur & cognoſcant cauſam, cur e cruce nolit deſcendere, vel liberari, eſſe hanc, quod ex Patris decreto moriendum illi erat in cruce, pro ſalute hominum. Hoc enim David pſalmo illo fore prædixit.

Chriſtus in cruce recitavit pſal. 21. Cur?

Impie ergo Calvinus (ex quo ſimilia hic in Comment. Joann. Feri tranſcripta ſunt) ait hæc eſſe Chriſti deſperantis verba, debuiſſe enim Chriſtum omnem Dei iram peccatis noſtris debitam experiri, ac per conſequens damnatorum pœnas ſentire, inter quas una eſt deſperatio. Verum hæc blaſphemia ſeipſam elidit. Si enim Chriſtus in cruce deſperavit: ergo peccavit peccato grandi: ergo iræ Dei non ſatisfecit, ſed magis eam accendit. Et quomodo dici poteſt deſperaſſe Chriſtum, qui paulo poſt moriens clamavit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, ut habet Lucas cap. 23. 46.

Calvinus ait Chriſtũ deſperaſſe.

E

Igitur clamat Chriſtus ſe deſertum, non a divinitate & unione hypoſtatica Verbi, non etiam a gratia & amicitia Dei; ſed eo quod Pater eum a morte jam inſtante non eripiebat, nec conſolatione ulla tam diram paſſionem, in carne & parte animæ inferiore mulcebat & mitigabat, ſed eum doloribus & tormentis meris cruciari permittebat; ut oſtendat quam amara & acerba ſit illi in cruce mors, & animæ a corpore per tantos dolores extorſio, ac tam violenta partium adeo amicarum ſeparatio, ſicut in horto agonizans ſudanſque ſanguinem oravit: *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte*. Ita S. Hieron. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. & paſſim cæteri, nec aliud volunt S. Hylarius, & S. Ambroſius, dum ait: *Clamavit homo divinitatis ſeparatione moriturus*; Separationem enim intelligunt non eſſentiæ & unionis hypoſtaticæ, ſed opis, auxilii & conſolationis: fides enim docet in morte Chriſti animam quidem ſeparatam fuiſſe a corpore; deitatem tamen tam animæ quam corpori hypoſtatice manſiſſe unitam, uti erat prius. Adde, Chriſtum queri hic ſe deſertum a deitate, quia deitas ad aliud ei non ſuccurrebat, quam ut eum ſuſtentaret in tormentis, eique ad plura & diriora patienda vitam prorogaret, imo dolores Chriſti augeret, quod ſe deitati unitum videret tam indigna & atrocia pati. Ita Laurent. Juſtin. tract. de Triumph. Agone Chriſti cap. 8.

Chriſtus quomodo a Patre derelictus?

F

Symbolice Primo, rogat hic Chriſtus cauſam, cur a Patre in cruce ſit derelictus. q. d. Quæ eſt cauſa, Pater mi, ut mori debeam in hac cruce, quid culpæ, quid mali commiſi? ſum enim innocentiſſimus, imo Sanctus Sanctorum. Unde reſponſio ſubditur pſal. 21. 2. Sibi enim reſpondet Chriſtus: *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum*. q. d. Delicta hominum, quæ mihi Pater meus luenda & expianda impoſuit, hæc mihi ſalutem & vitam adimunt, ac ad crucem mortemque adigunt.

G

Secundo, nonnulli apud Theophyl. cenſent Chriſtum hic loqui non de ſua, ſed de populi ſui Judaici derelictione & reprobatione. q. d. Cur, o Pater, me, id eſt meam gentem, meum populum, id eſt, Judæos, qui ſecundum carnem mihi cognati ſunt, deſeris, & a te abdicas?

Tertio, Origenes cenſet Chriſtum queri de paucitate ſalvandorum, & multitudine damnandorum, in quibus perit fructus paſſionis & mortis Chriſti. q. d. Ut quid, o Domine, me, id eſt, homines mihi ſecundum carnem cognatos, pro quibus morior, deſeris, ut paucos ex eis ſalves, plurimos reprobes? Sic enim meipſum quaſi deſeris: facis enim ut fructus meæ paſſionis exiguus, derelictus & quaſi perditus ſit.

Tropologice, S. Cyprianus tract. de Paſſione, cenſet Chriſtum hoc dixiſſe ut nos inquiramus cauſas, ob quas Pater eum dereliquerit: *Tu*, inquit, *Domine de morte non agis, de opprobriis non contendis, ſed hoc vis intelligi, qua ſit cauſa mortis, quis queſtus, ut utraque cognita peccatum appareat & gratia: & quanti ponderis ſit utrumque, rerum probes effectus, cum originali morti nullum niſi in Chriſti morte potuerit eſſe remedium, nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos quelibet oblatio, niſi ſanguinis hujus ſingulare ſacrificium*. Et nonnullis interjectis; *Derelictus eſt Dominus, ne nos derelinqueremur; derelictus eſt, ut a peccatis æternaque morte liberaremur; derelictus eſt, ut amorem ſuum erga nos oſtenderet, ut juſtitiam miſericordiamque ſuam nobis paceſaceret, ut amorem noſtrum ad ſe raperet; denique ut exemplum nobis patiendi exhiberet: patet in cælum via, ſed ardua & difficilis, præire voluit exemplo admirabili, ne via terreret, ſed ſtupendum Dei patientis exemplum nos concitaret*, ut ſcilicet nos cum Paulo Rom. 8. in quavis tribulatione fidenter & exultanter diceremus: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* Et mox: *In his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.*

H

Hoc ergo fuit quartum Chriſti in cruce verbum & dictum, quo ſolatur omnes deſolatos, afflictos & mœſtos, ſicut eodem ſolatus eſt S. Petrum Martyrem ex Ordine S. Dominici. Cum enim ipſe viſitatus a S. Cæcilia, S. Agnete & S. Catharina, cum eiſque in cubiculo colloquens, a tranſeuntibus auditus & accuſatus foret, quod fœminas in cubiculum admiſiſſet, ideoque infamatus, & ad duram longamque pœnitentiam damnatus, quere-

S. Petrus Martyr Chriſto crucifixo queritur.

Digitized by Google

A quererentur coram Christo crucifixo, dicerentque: *Domine tu scis innocentiam meam, cur ergo me silente tu taces? Cur me non defendis, sed in hac infamia tamdiu derelinquis?* Respondit ei Christus: *Et ego, o Petre, quid commerui, ut pro te in hac cruce confixus sim? disce ex me patientiam exercere in quibuslibet afflictionibus tuis, quia omnes tua meis aequiparari nequeunt.* Qua voce Petrus ita roboratus & exhilaratus est, ut plura pati optaret, imo nollet suas ignominias cum regum sceptris & coronis commutare. Quare Christus ejus innocentiam tandem patefecit, ac infamiam omnem in gloriam convertit. Ita habet ejus Vita apud Surium ad diem 29. Aprilis.

QUIDAM AUTEM ILLIC STANTES, ET AUDIENTES, DICEBAT: ELIAM VOCAT ISTE] S. Hier. & alii censent hoc fuisse milites Romanos; nam illi acetum porrexerunt Christo, ut docet Lucas c. 23. 36. Hi ergo cum Hebræam linguam non callerent, audirentque Christum clamantem, *Eli, Eli*, putabant Eliam vocari & invocari a Christo. *Eliam* enim rediturum in adventu Messiæ, a Judæis inaudierant.

Vers. 65

Luc. 23. 36. Mar. 15. v. 36. Jo. 19. 29.

ET CONTINUO CURRENS UNUS EX IIS ACCEPTAM SPONGIAM IMPLEVIT ACETO, ET IMPOSUIT ARUNDINI, ET DABAT EI BIBERE] Spongiam enim, acetum, & arundinem de more jam paraverant: solebant enim iis potare crucifixos.

Treviris servatur.

B

ET CONTINUO] scilicet postquam Jesus clamasset: *Sitio*, ut explicat & supplet Joannes cap. 19. 28. Hoc enim fuit quintum Christi in cruce verbum, quod mox post quartum, scilicet, *Eli, Eli, lamma sabbacthani*, subjunxit. Audi Joannem: *Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: consummatum est.* Quod fuit sextum, & penultimum Christi in cruce verbum.

SPONGIAM] ut scilicet Christus e spongia exugeret acetum. Spongia enim cum sit porosa, copiosum humorem, cui immergitur, imbibit, quem pressa refundit: nam poculum Christo ita in cruce elevato porrigere non poterant. Spongia hæc religiose servatur Romæ, & populo ostenditur in basilica Lateranensi.

C

ACETO] Nota. CRUCIFIXUS, cæterisque reis in supplicio solebat vinum, tum ad levandam sitim, qua tanto dolore & angore cruciari solent; tum ad confortationem, ut animosius ferant tormenta & mortem. Sed Judæi & milites, ut gratificarentur Judæis Christo infensis, pro vino dederunt ei acetum. Unde queritur Christus, ps. 68. v. 22. *Et in siti mea potaverunt me aceto:* Addit Lyran. quia Salomon dixerat Prov. 31. *Date siceram mœrentibus.* &c. *Ideo ex occasione hujus verbi seniores Judæorum statuerunt, ut condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, ut facilius tolerarent passionem. In Jerusalem autem erant matronæ devotæ, quæ hoc vinum ex devotione procurabant; sed Judæi tale vinum datum pro Christo, & aliis duobus acceperunt sibi, & loco ejus posuerunt acetum cum felle mixtum.*

Damnatis ad mortem dari solebat vinum.

D

Igitur Primo, acetum ei dederunt ad illusionem, quia ei *illudebant*, ut ait Lucas c. 23. 36. Secundo, ad tormentum, ut in siti non dulci & suavi, sed acri & acetoso potu eum cruciarent. Tertio, ut sitim ejus non tam extinguerent, quam augerent. Nam acetum licet initio sitim levare videatur; mox tamen eam auget, & quia siccum est, desiccat valde. Quarto, Baronius censet acetum Christo datum, ut sanguinem stringendo & assistendo, ac stomacum cæteraque membra cum hyssopo roborando, Christum diutius in vita conservaret ad hoc ut cruciatus ejus esset productior & vehementior. E contrario Theophyl. Cajet. Jansen. Tolet. Franc. Lucas, Barrad. Emman. Sa, & alii censent acetum Christo datum, ut mortem ei acceleraret, idque a custodibus, qui famentes cupiebant domum ad prandium redire. Erat enim jam hora tertia pomeridiana, scilicet ut citius eum conficeret aceti amaritudo, ait Theop. acetum enim vim habet penetrandi, suamque amaritiem & malignitatem omnibus membris, vulneribus & plagis instillandi. Ita S. Hilarius, Chrysost. & Nonus in cap. 19. Joannis, qui acetum hoc vocat, *acerrimum potum, & siticulosam muriam*, item *acetum exitii permixtum hyssopo.*

Acetum datum Christum quatuor de Causis.

Symbolice acetum significat malignitatem, quam peccatores exhibent Christo, uti fecere Judæi. Unde S. Augustin. in Joann. cap. 11. 29. *Date*, ait, *quod estis Judæi: quippe erant acetum degenerantes a vino Patriarcharum & Prophetarum, & tamquam vas plenum aceto habentes, scilicet cor plenum iniquitate & velut spongiam cavernosis & tortuosis latibulis fraudulentum.*

E

Rursum Christus bibendo acetum, illud nobis in vinum convertit, dum per hoc meruit vitia nostra vertere in virtutes, infirmitates in gloriam. Unde S. Hilarius: *Vinum*, ait, *quod in Adam coacuit, immortalitatis est honor, aut virtus: potavit ergo, ad se in communionem immortalitatis ea, quæ in nobis erant vitiata, transfundens.* Et Remigius: *Acetum, Judæi a patribus degenerantes; spongia, fraudulenta; corda, arundo, Scriptura sacra, quæ hoc facto implebatur.*

ET IMPOSUIT ARUNDINI] Græce, καλάμῳ, id est calamo: calamus autem non tantum arundinem, sed & culmum, sive surculum cujusvis seminis & herbæ significat. Unde vocatur calamus sive culmus tritici, avenæ, hordei, hyssopi. Hinc S. Joannes cap. 19. 29. hunc calamum fuisse hyssopi asserit, dicens: *Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes:* ubi idem est verbum Græcum περιθέντες, quod hic Interpres vertit, *imposuit*. Unde Syrus Joannis cap. 19. vertit, *impleverunt aceto, & posuerunt super hyssopum*; & Arabicus, *& impleverunt spongiam aceto, & imposuerunt per arundinem.* Ergo arundo sive calamus, quo porrexerunt Christo spongiam aceti, fuit ipsa hyssopus. Crux enim non erat alta, hinc calamo exiguo poterat ab homine, brachiis extensis spongia admoveri ori Christi. Et in Palæstina hyssopus hortensis altius quam in Europa excrescit. Hortensis dico, nam in parietibus, utpote siccis, humilis est, ut patet 3. Reg. 4. 33. Quin & de vulgari ac nostrati hyssopo sic scribit Dodonæus lib. 4. de Stirpibus, cap. 19. in pemptade 1. *Hyssopus caules erigit dodrantales, aut altiores, duros ac lignosos, in virgulas aliquot divisos, ab imo ad fastigium usque foliis circumvestitos oblongis, veluti polygoni aut lavendula.* Addit Clusius, hyssopos reperiri sesquipedales: harum summitas in brachiis hominis extensis, attingere potest os crucifixi. Unde calamum, cui imposita fuit spongia aceti, ut ori Christi admoveretur, uti ajunt Matthæus & Marcus, non fuisse alium quam hyssopum, uti explicat Joannes, censent Euthymius, Chrysost. Theophyl. Lyranus, S. Thomas, Titelmannus, Dionysius Carthus. Barradius, & alii.

Calamus quid?

F

Hy

Nonnulli suspicantur in Joanne pro ὑσσῳ legendum ὑσσῷ, id est, pilo vel hasta instar calami, quo utpote longo, facile erat contingere os Christi crucifixi, sed omnia exemplaria habent ὑσσώπῳ, non ὑσσῳ. Alii cum S. Augustino putant spongiam aceti impositam hyssopo, deinde utrumque impositum fuisse arundini. Alii censent succum hyssopo expressum, mixtum cum aceto, & spongia exceptum, impositum fuisse arundini. Ut ut est, certum est spongiam fuisse impositam hyssopo, sive hyssopus fuerit ipse calamus, sive ab eo diversa, & calamo imposita.

G

Hyssopum adhibuere Primo, quia hyssopus solet ad vinum & acetum adhiberi. Unde Columella lib. 12. cap. 35. & Plinius lib. 14. 16. asserunt fieri vinum ex hyssopo tusa, & in vinum injecta, quod hyssopites dicitur. Secundo, quia hyssopus naribus adhibita roborat, & animam fugientem revocat. Tertio, quia hyssopus sanguinem sistit. Quarto, quia hyssopus purgat pectus & fauces, aliisque morbis & plagis medetur. Nam Galenus docet hyssopum aceto mixtam, exanimatis animum & vires reddere. Milites ergo hic spongiæ circumligarunt hyssopum, ne acetum ex spongia dilaberetur, sed ex ea diffluens vel distillans hyssopi fasciculo exciperetur, ut Christus tam hyssopi, quam aceti succum ex spongia sugeret, itaque animum viresque reciperet. Passim enim medici hyssopo tribuunt vim internam purgandi, præsertim pulmones, & animi deliquium passos ad se revocandi, ac pectoris dolores mitigandi. Vide Discorid. lib. 3. cap. 26. Joann. Ruellium lib. 3. de Stirpibus cap. 24. Dodonæum Pemptade 1. lib. 4. c. 19.

H

Hyssopus ad quid?

Hac de causa olim in lege veteri, per hyssopum fiebat expiatio in mundatione leprosi, Levitic. 14. 49. Item in sacrificio pro peccato, & aspersione lustralis aquæ per cinerem vitulæ rufæ percolatæ Numer. 19. 6.

Digitized by Google

A *Hyssopus ergo fuit typus sanguinis Christi, qui omnes fideles mire purgat, reficit & recreat. Unde S. Augustin. in Joan. cap. 19. 29. Hyssopus, ait, herba humilis pectus purgans, Christi humilitatem significat: Christi enim humilitate mundamur: hanc Judæi circumdederunt, & se circumvenisse putaverunt.*

VERS. 55 Mar. 15. 36 CÆTERI VERO DICEBANT: SINE: VIDEAMUS AN VENIAT ELIAS, LIBERANS EUM] *Sine*, id est *finite*, ut habet Marcus c. 15. ac Syrus, Arabicus & nonnulli, codices Latini hic. q. d. *Sinite*, hoc est, tacete, quiescite, exspectate: finite res alias, ut toti attendatis ad Jesum, ac videatis an veniat Elias ab eo invocatus, ut liberet eum. Hærent & dubitant an Elias venturus sit, quia ex tenebris aliisque miraculis, quæ videbant in passione Christi, dubitabant an Christus esset Medicus, cujus præcursor erat Elias, uti non solum Christiani, sed & Judæi credunt, a quibus idipsum intellexerant bi milites Romani.

Dices, Marcus c. 15. 36. ait non milites, sed eum qui Christo offerebat acetum, dixisse, *Sinite*. Si enim habet: *Potum dabat ei dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum*. Respond. Nonnulli codices
B Latini & Græci, æque ac Syrus in Marco, pro λέγων, id est, *dicens*, habent εἶπον, id est *dixerunt*: *Sine*, ut habet Matthæus, quem Marcus imitari solet. Idem ergo dixit Marcus quod Matthæus, scilicet milites dixisse offerenti acetum, *sine*, juxta sensum mox dandum.

Verum quia passim codices Latini & Græci in Marco habent *dicens*: *Sinite*; verius cum Euthym. S. August. lib. 3. de Consensu cap. 17. & aliis dicemus, utrumque contigisse, scilicet tam milites, quam offerentem acetum Christo dixisse, *sine*, vel *finite*: cum enim milites acclamarent offerenti acetum Christo, *Sine*, ille respondit, *Sinite* & vos, quod Primo, explicari potest generatim & plane juxta sensum initio datum. q. d. Sinite alia, & relinquite omnia, ut attendatis & videatis, an veniat Elias liberans Jesum.

Secundo magis particulatim milites dixere offerenti acetum Christo, *sine*, id est cessa, noli dare acetum Jesu, ne ex eo citius moriatur, quia acetum mortem reis accelerat, sed sine eum vivere, ut videamus an veniat
C Elias ad deponendum, itaque satisfaciamus nostræ curiositati: offerens vicissim respondet militibus, *Sinite* & vos, me Jesu sitienti porrigere acetum, ne ex siti moriatur; sed illud bibens vivere pergat, ut sic videamus an veniat Elias ad eum liberandum. Ita Jansenius.

Tertio, milites dicunt ei, qui offerebat acetum Christo, *Sine*, id est quiesce, noli accedere ad Jesum, illumque vexare, ut videamus si veniat Elias liberans eum. Putabant enim Eliam venturum ad Jesum, si is solus esset; nolle enim Eliam se cæteris hominibus miscere & patefacere. Vicissim respondet offerens acetum Christo, *Sinite* & vos, id est desinite clamare, ne vestro clamore arceatis Eliam ne veniat ad Jesum; vel *finite eum*, ut vertit Arabicus, id est finite Christum, nolite eum turbare & vexare ne moriatur, ut videamus an Elias venturus sit ad eum liberandum. Ita Barradius. Aut q. d. Sinite adhuc me hoc modo illudere Jesu, acetum sitienti propinando: ita facilius videbimus an veniat Elias, quo enim magis Jesus vexatur, eo citius accurret Elias, si quidem velit ei auxiliari. q. d. Nihil obstat id quod facio,
D quin veniat Elias, imo potius hoc accelerabit ejus adventum. Ita Franc. Lucas.

Quarto, alii sic exponunt: Cum cæteri dicerent offerenti acetum, *Sine*, id est, cessa, noli ei propinare acetum, itaque mortem accelerare, ut videamus an veniat Elias liberans eum, offerens respondit, *Sinite*, id est, permittite me Jesu præbere acetum, ego hac ratione mortem illi accelerabo, & videbimus num Elias liberaturus sit eum. q. d. Efficaciam ne Elias liberet eum, quia eum aceto conficiam. Illusorie enim hæc egisse & dixisse milites, ut Christo illuderent, significat Lucas cap. 23. 36.

VERS. 46 Luc. 23. v. 46. Mar. 15. 37 Jo. 19. 30. Septem in cruce Christi verba. JESUS AUTEM ITERUM CLAMANS VOCE MAGNA, EMISIT SPIRITUM] *Iterum*, quia Jesus septies clamavit in cruce, septemque verba cygnæa edidit, scilicet Primo, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: Secundo ad latronem, *Hodie mecum eris in Paradiso*: Tertio, ad matrem, *Mulier ecce filius tuus*; Et ad Joannem, *ecce mater tua*: Quarto, *Eli, Eli, lamma sabbachtani*: Quinto, *Sitio*: Sexto, *Consummatum est*. q. d. Omnia sacrificia vetera, omnes prophetiæ, omnes typi de me & mea passione jam ipsa in me expleti sunt, supereſt ergo ut moriar. Septimo, *In manus tuas commendo spiritum meum*. E

CLAMANS] Græce, κράξας, id est, *cum clamasset*; nec enim simul clamavit, & expiravit, sed prius clamavit, deinde expiravit. Clamavit autem dicens, ut habet Lucas: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, id est, animam meam cum halitu meo, o Pater, depono, vel, ut Græca habent, παραθήσομαι, id est, jam jam deponam, & velut depositam consignabo in manus tuas, ut illam, velut depositum, a me tertio die resuscitandus recipiam. Hinc fideles morientes hunc versum usurpant, quem primitus David in sua tribulatione psal. 30. ac deinde Christus hic morte sua usurpavit.

Nota, Christum voce magna clamasse per miraculum: moribundos enim deficit vox, ut vix loqui queant. Licet enim D. Thomas 3. p. q. 47. art. 1. ad 2. dicat quod Christus conservarit naturæ suæ corporeæ vigorem & robur usque ad extremum; tamen verius alii censent vires Christi per tot labores & dolores defecisse, ut naturaliter clamare non posset: sed tantum per miraculum: alioqui enim mortuus fuisset non vi dolorum & tormentorum, sed ex mera voluntate sua separando animam a corpore, ac consequenter non fuisset occisus, nec morte hac violenta satisfecisset Patri pro nostris peccatis & morte. Clamor Christi in cruce fuit miraculi. F Cur? Causa prima.

Clamavit ergo per vires supernaturales, quas deitas ei suggerebat, idque Primo, ut significaret se, utpote Deum, non coactum ex infirmitate & necessitate, sed libere ex voluntate mori. Et hoc est, quod ait Christus Joann. 13. *Nemo tollit (animam) a me, sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Idque ad hoc, ut plane libera & voluntaria esset hæc Christi oblatio & sacrificium pro salute totius mundi oblatum. Unde, Victor Antioch. in Marci cap. 15. *Per hoc factum*, ait, *Dominus Jesus demonstrabat, se eorum vitam mortemque suam in libera sua potestate positum habuisse*. Sic & S. Chrysost. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus. G Secunda.

Secundo, clamavit ut se supra hominem, Deumque esse ostenderet. Unde centurio videns quia *sic clamans expirasset*, ut ait Marcus, dixit: *Vere filius Dei erat iste*; quia scilicet clamando ostenderat se esse vitæ mortisque suæ dominum, ideoque Deum.

Tertio, ut clamore hoc vehementem suum in Deum amorem, religionem, obedientiam, ac desiderium salutis humanæ declararet. Unde Paulus Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis suæ*, inquit, *preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, clamore valido & lacrymis*, (Unde patet Christum cum clamore nunc lacrymas quoque fudisse) *offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Vide ibi dicta. Tertia.

Quarto, ut significaret se confidenter & secure mori, cum certa spe resurrectionis & gloriæ tertio die a Patre sibi dandæ, ac suis fidelibus, in eum crediturus. Ita Origen. Quarta.

EMISIT (Arab. *tradidit*) SPIRITUM] voluntarie, *quod enim emittitur, voluntarium est, quod amittitur, necessarium*: ait S. Ambros. in c. 23. Lucæ. Et S. Aug. lib. 4. de Trinit. c. 13. *Spiritus mediatoris carnem non deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit; quippe Dei verbo ad unitatem commixtus est homo. Hinc* H *ait: Potestatem habeo iterum sumendi eam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me, & iterum sumo eam*.

Sic & S. Hieronymus, Beda & alii. Unde etiam *inclinato capite emisit spiritum*, ait Joann. cap. 19. ergo inclinavit caput, quasi dominus mortis, ait Theophyl. Nam cæteri homines, dum moriuntur, prius expirant, ac deinde caput inclinant. Caput enim, præsertim ejus qui ex alto pendet, vita & vigore suo destitutum, pondere suo deorsum inclinat. Ita S. Cyrillus lib. 12. in Joann. c. 76.

Audi S. Chrysost. hom. 84. *inclinato capite tradidit spiritum, ut non necessitate, sed voluntarie se mori ostenderet. Quoad voluit, vixit, quando voluit, tradidit spiritum. Inclinato capite*, inquit S. Athanas. qu. 6. ad Antioch. *quia mors Christum metuens, ad ipsum non audebat accedere. Christus autem inclinato capite eam vocavit, antequam enim inclinasset caput, propius accedere verebatur*. Licet enim Christi humanitas vi dolorum deficeret, deberetque mori; tamen ejus deitas poterat humanitati robur addere, & prorogare vitam, adeoque nisi permittente deitate

rate Christi non potuit mori humanitas ejus. *Libere* ergo mortuus est Christus qua Deus, & etiam qua homo, quia poterat humanitas hoc robur petere a deitate sua, & petens impetrasset.

Moritur Christus feria sexta circa horã nonam.

Nota. Christus expiravit feria sexta, circa horam nonam, qua Adam peccavit, ut ejus peccatum expiaret. Item qua occidi solebat agnus paschalis, & qua juge sacrificium Judæi quotidie in templo immolabant, ut ostenderet se has figuras sua morte eodem tempore adimplere. Inde Christiani hora nona orare solent. Unde dicta est hora orationis nona, Actor. 3.

Christus inclinato capite expirat. Causa Prima.

Symbolice & moraliter Christus *inclinato capite emisit spiritum*. Primo, quia omnium peccata cum portaret, eorum onere gravabatur, ideoque caput hoc onus sustinens sese inclinabat, uti solent bajuli onerum, sub iis caput incurvare. Hoc enim onus peccati est gravissimum.

Secunda.

Secundo, ut significaret se mori ex obedientia: docuit ergo Religiosos & subditos suis Prælatis inclinare caput, & obedire, juxta illud: *Humiliavit se*, &c. *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2. 8.

B

Tertia.

Tertio, uti Patri se humiliaret, illique reverentiam exhiberet, ac in ejus voluntate caput, id est, mentem & voluntatem suam in omnibus usque ad mortem, & mortem crucis resignaret.

Quarta.

Quarto, ut ultimum vale diceret mundo, ac præsertim Occidenti, *id est*, Europæ & Italiæ. q. d. En populeus, en pro te morior, ad quem caput inclino & spiritum emitto. Christus enim, ut superius dixi, crucifixus est facie aversa a Jerusalem, conversa ad Occidentem & Italiam, quam sua fide, pontificatu ac martyrio SS. Petri & Pauli illustrare volebat. Relictis enim Judæis convertit se ad Gentes.

Quinta.

Quinto, ut annueret & valediceret matri ad crucem adstanti.

Sexta.

Sexto, ut locum lanceæ, qua transfigendum erat latus dextrum, & cor, inclinatione capitis designaret.

Septima.

C

Septimo, ut ostenderet se, & patrem suum hac passione sua hominibus esse reconciliatum, eosque quasi amicos amplecteretur & oscularetur. Ita S. Aug. tract. de Virgin. *Inspice*, ait, *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate, hoc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus est in cruce.*

Octava.

Octavo, ut ostenderet spiritum suum post mortem descensurum sub terram ad limbum Patrum, ut eos inde liberaret.

Nona.

Nono, ut viscera misericordiæ suæ nobis ostenderet. Ita Laur. Justinian. lib. de Triumphali Christi agone cap. 20. *Caput hoc*, ait, *dum passionem, ludibria & mortis supplicia pro hominibus pertulit mediator, liquefecit ad misericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam.*

D

Decima.

Decimo, ut S. Joannem, Magdalenam & similes cruci suæ astantes complecteretur; ad faciem averteret ab iis, qui fugiunt crucem.

Undecima.

Undecimo, ut caput a titulo crucis, in quo scriptum erat: *Jesus Nazarenus rex Judæorum*, deorsum inclinans, ostenderet se declinare regnum, omnesque mundi honores & pompas, nobisque idem faciendum esse innueret.

Duodecima.

Duodecimo, ut ostenderet suam mortem potius esse somnum quam mortem, ob futuram tertio die resurrectionem. Sic enim dormientes caput lecto inclinant & reclinant, juxta illud: *In pace in idipsum dormiam & requiescam*, psal. 4.

Denique Christus peracto legationis suæ officio inclinando caput Patri, quasi petit ab eo benedictionem, & missionem ac facultatem discedendi e terra, & redeundi ad Patrem. q. d. Ecce, o Pater, officium legationis tuæ in terram mihi commissum cum fide peregi, opus, quod mihi imposuisti perfeci, cursum mecum consummavi, feci & passus sum pro salute hominum quæcumque jussisti: supplex ergo postulo, ut mihi des licentiam moriendi, ac per mortem abeundi e terra, & redeundi in cælum, simulque peto promissum mihi a te præmium conversionis & salutis omnium gentium, ut illæ per meam passionem & mortem salventur, tuaque gratia & gloria donentur, juxta illud: *Postula a me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, psal. 2. feci quod jussisti, da quod promisisti. Hoc imitantur Religiosi & sacerdotes, qui peracto missionis officio ad Prælatos suos redeunt, flexaque cervice ab eis benedictionem, & gradum, statumque pristinum postulant. Moraliter, sed nervose S. Bernard. epist. ad Guarinum: *Quid prodest*, ait, *Christum sequi, si non contingat consequi? ideo Paulus ajebat: Sic currite ut comprehendatis. Ibi Christiane fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendes.*

E

ET ECCE VELUM TEMPLI SCISSUM EST IN DUAS PARTES A SUMMO USQUE DEORSUM, ET TERRA MOTA EST, ET PETRÆ SCISSÆ SUNT] Moriente Christo creatore turbantur, indignantur & concutiuntur omnes creaturæ. *Et ecce.* Hinc notat S. August. lib. 3. de Consensu Evang. c. 19. velum templi scissum esse mox ut Christus expiravit, ut indicaretur velum scindi propter necem Christi. Lucas ergo, qui hoc factum tenebris, Christo adhuc vivente inductis, jungit, anticipatione utitur. Duplex erat templi velum, unum ante Sanctum sanctorum, alterum ante Sanctum; uti diserte docet Josephus lib. 6. Belli c. 6. Sanctum erat quasi navis templi, in quod sacerdotes quotidie ingrediebantur: Sanctum Sanctorum erat quasi chorus, & sanctissima pars templi; ideoque semper erat clausum, nec ullus illud ingredi poterat nisi pontifex; idque semel dumtaxat in anno, puta in festo expiationis, Levit. 16. Putant nonnulli Christo moriente velum ante Sanctum fuisse scissum, quia illud erat extimum, & populo forte conspicuum. Ita S. Hieronym. epist. 150. ad Hedibiam, quæst. 8. Verum dico velum ante Sanctum sanctorum fuisse scissum: hoc enim sanctissimum erat, ideoque absolute dicebatur velum; quia semper velabat Sanctum sanctorum: hoc enim semper erat clausum, excepto die expiationis, quo pontifex illud expiaturus intrabat. Ita S. Leo serm. 10. de Passione, Cyrill. in cap. 19. Joan. Euthymius, Cajet. Barrad. & alii hic.

VERS. 51 Luc. 23. 45. Matt. 15. 38

F

Duplex velum templi.

G

Quæres, cur scissum fuit hoc velum? Resp. Varias causas dant veteres. Litteralem causam dat S. Cyrillus, Theophyl. & Euthym. scilicet id factum esse quasi templum lugens mortem Christi, qui erat Dominus & Deus ejus, vestem suam more Judæorum sciderit ob rei indignitatem, quod scilicet sacerdotes & pontifices, qui quotidie Deum colebant in templo, ideoque primi debebant Christum ab eo missum agnoscere, & aliis indicare, eumdem negassent & occidissent, ideoque eos privandos sacerdotio, vita & salute portenderit, & quasi comminatum sit. Ita S. Leo serm. 10. de Pass.

Velũ templi scissum. Cur? Causa literalis.

Mystice.

Mysticam dat Theophyl. scilicet ut significaretur templum hoc deinceps fore profanandum, ac cum suis sacrificiis, cæremoniis, ritibus legalibus dissolvendum & abrogandum, imo & desolandum, ait Chrysost. *Scissum est velum*, ait Theophyl. in Marci cap. 15. *per hoc manifestante Deo, quod gratia Spiritus e templo evolet, & quod Sancta Sanctorum* (antea omnibus inaccessa & numquam visa) *omnibus conspicua & manifesta fiant. Tunc enim*, ait Cyrill. lib. 12. Joan. c. 37. *a gratia Dei penitus Israel decidit resiliitque longe ab ea, cum tanto furore Salvatorem suum impie occidit.* Et S. Hilar. *Veli honor*, ait, *cum custodia angeli protegentis aufertur.* Hinc S. Ephrem ser. de Pass. Domini tradit, tunc cum velum scissum esset, columbam e templo evolasse. Columba enim index est Spiritus sancti.

H

Allegor.

Allegorica causa fuit, ut significaretur velamentum cæremoniarum legalium veteris legis & templi per Christum patefactum esse, & impletum, ut jam deinceps non soli Judæi, sed & Gentiles infideles clare cognoscerent Deum & Christum, ejusque mysteria, quæ Judæi per tot figuras adumbrabant, imo quod Dei cultus & Ecclesia e Jerusalem & templo ad Gentes Romamque transiret. Ita Origenes, Hieronymus, Ambrosius & alii passim. Audi S. Leonem serm. 17. de Pass. *Adeo*, inquit, *tunc a lege ad Evangelium, a Synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam, quæ Deus est, evidens est facta translatio, ut emittente Domino Spiritum, velum vi subita ascinderetur.* Audi & S. Hier. *Velum templi scissum est, & omnia legis Sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt, atque ad Gentium populum transierũt.*

Digitized by Google

A *Josephus quoque refert virtutes angelicas, præsides quasdam templi, tunc pariter conclamasse: Transeamus ex his sedibus.* Respicit locum Josephi lib. 7. de Bello c. 12. Verum Josephus dicit, id contigisse non in morte Christi, sed post 38. annos in excidio Jerusalem & templi per Titum,

Anagog. Anagogicam causam dat Apostolus Hebr. 38. scilicet jam per Christi mortem apertam esse viam in cælum, quod prius erat clausum: quia Sanctum sanctorum erat typus cæli, velum vero significat illud esse velatum & clausum, donec Christus morte sua velum hoc rupit, & viam patefecit.

Notat S. Hier. epist. 150. ad Hedibiam, q. 8. in Evangelio Nazaræorum addi, quod tunc superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum sit atque divisum, citatque Josephum. Verum Josephus hoc factum dicit in excidio urbis & templi per Titum, quod tamen excidium post paucos annos factum est in ultionem sanguinis Christi. Et hoc tantum videtur velle S. Hieronymus.

Tota terra tremuit in morte Christi. B

ET TERRA MOTA EST] *Terra*, scilicet tota: fuit ergo hic terræ motus universalis, maximus & vehementissimus, ita ut totus terræ globus e centro suo convulsus contremuerit & concussus sit, sicut eclipsis solis fuit pariter universalis per totum orbem, ut dixi v. 45. uti inter alios docet Paulus Orosius lib. 7. cap. 4. Didymus in Catena Græca in Job cap. 9. ait hoc terræ motu terram e centro suo fuisse conquassatam, idque propheratum fuisse a Job, cum ait cap. 9. 6. *Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur*. Unde & Phlegon libertus Adriani Imper. quem citat Origenes hic, & Eusebius in Chron. ad annum Christi 33. scribit hoc terræ motu, extra Judæam multas domos Nicææ in Bithynia fuisse eversas. Quin & Plinius lib. 2. cap. 84. testatur sub Tiberio (sub quo passus est Christus) ingenti terræ motu dirutas esse duodecim civitates in Asia. Idem asserit Sueton. in Tiberio cap. 84. Causa hujus terræ motus literalis fuit, ut per eum significaretur divinitas Christi, qui est dominus cæli & terræ, hic enim terram concutiebat. Unde passim concussio terræ tribuitur Deo, & index est divinitatis, juxta illud Dei ad Eliam: *Et ecce Dominus transit & spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum*. Sic olim mons Sina, cum in eo Deus daret legem Mosi & Hebræis, totus contremuit, Exodi 19. Similia sunt psal. 17. 8. & Nahum 3. 6. & alibi. In passione ergo Christi impletum est illud Aggæi cap. 2. 7. *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram*.

Causa literalis? C

Secundo. Rursum significabatur naturalis quasi terræ sensus, ad tantum scelus in Dominum suum commissum, quasi indignantis, & in Judæos deicidas insilire volentis, ut eos absorberet in tartara.

Mistice. Mystice, significabatur nova terra & novus mundus fidelium per Christum instituendus, juxta illud Isaiæ 65. 17. *Ecce ego creo cælos novos, & terram novam*. Vetus enim terra hoc motu videbatur abiturire.

Tropol. Tropolog. significabatur per mortem Christi commovenda fore terrea & saxea hominum corda ad pœnitentiam. Porro si totus terræ globus e centro suo convulsus, concussus fuit, ergo & mare ac flumina: mare enim cum terra unum globum efficit. Quare moriente Christo mare fluctibus horrendis insonuit, æstuavit, exundavit, ut suo fremitu indignitatem necis sui creatoris loqueretur, sicut eamdem loquebatur sol & cælum subducendo radios, aer suis tenebris, terra suo terræ motu, petræ sua scissione. D

Vide hic ut Christus in summa sui abjectione, summam suam majestatem & omnipotentiam more suo ostenderit, ne videretur coactus mori, ac ut homines dicerent quis & quantus esset, qui pro illis tam vilia & indigna tanta dignatione patiebatur, idque obstupescerent & venerarentur. Nam, ut ait S. Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 2. *Fatigatur ex itinere Jesus, ut reficiat fatigatos: petit bibere, sitientibus potum spiritalem daturus: esurit, cibum salutis esurientibus traditurus: moritur, vivificaturus: sepelitur, resurrecturus: tremulo pendet in ligno, confirmaturus trementes: cælum caligine obducit, ut illuminet: terras tremefacit, ut solidet: maria conturbat, ut mitiget: reserat tumulos mortuorum, ut ostendat domicilia esse vivorum: creatur ex virgine, ut ex Deo natus esse credatur: nescire se simulat: ut scire faciat nescientes: adorare quasi Judæus dicitur, ut quasi verus Dei Filius adoretur.*

ET PETRÆ SCISSÆ SUNT] Primo in Golgotha, ubi crucifixus est Christus. Unde Cyrillus Hierosolymit. catechesi 13. *Hactenus*, ait, *Golgotha monstrat, ubi propter Christum petræ scissæ sunt*. Et S. Lucianus presbyter & Martyr, fidei suæ rationem præsidi reddens: *Adstipulatur*, ait, *his ipse in Hierosolymis locus, & Golgathana rupes sub patibuli onere disrupta*. Rem plenius narrat Adrichomius in Descriptione Jerusalem num. 252. dicens: *Cujus rei etiam hoc præclarum in petroso Calvariæ monte adhuc extat argumentum: ibi enim conspici etiamnum potest illa, quæ sub manu Christi lævæ, & a sinistris pendentis latronis in cruce, in morte Domini facta est scissura, in qua Dominici sanguinis colorem adhuc deprehendere licet*. Et post panca: *Cujus quidem scissura ea est latitudo; quod humani corporis crassitiem facile capere possit; profunditas vero tanta, quod ab hujus rei curiosis demissa bolide nequaquam poteris investigari, ut verisimile sit in infernum usque patere: & quemadmodum latroni dextero via per Christi mortem in cælum reserata est; ita per petræ hujus scissuram latroni sinistro (ut olim rebelli Core) viam in infernum apertam esse. Ex quo patet, quam verum sit quod de ipsis ait Hieronym. Christus*, inquiens, *unum relinquis sinistrum, alterum assumis dexterum, sicut in die judicii facies: ex simili crimine, dissimiles sortiuntur fines, alter antecedit Petrum in paradisum, alter Judam in infernum. Confessio brevis, vitam acquisivit longam: & blasphemia finita, pœna plectitur æterna*. Hucusque Hieron. in Marci cap. 15. vel quisquis est auctor, non enim videtur esse S. Hieron. Stridonensis. Porro non tantum Hierosolymis, ait Baronius anno Christi 34. num. 107. sed & in plerisque aliis orbis partibus scissos montes eodem terræ motu, incolæ firma traditione testantur, nempe in Hetruria montem Alverniæ dictum, & prope littus Campanum Cajetæ promontorium, inde horrenda illa utriusque montis petrarum præcipitia. Nam scissas tunc esse petras montis Alverniæ, revelavit Angelus S. Francisco ibidem oranti. Unde mira fuit S. Francisci erga hunc montem devotio, ideoque in eodem quinque sacra Christi crucifixi stigmata accepit. Sensit ergo Christi mortem lapidum scissura, ut eam, quæ inter Christi animam & corpus adeo crudeliter & inhumane facta est scissio, repræsentaret. Neque aliquando ad has montis scissiones respiciebat S. Franciscus, quin statim veniret in mentem Christi passio, seque scindi, vulnerari & cruciari optaret, ut particeps fieret dolorum crucifixi, quos sibi objici videbat in lapide de inanimato. Ita VVadingus in Annalibus Minorum anno Christi 1215. n. 15.

Petræ scissæ in Golgotha. E

Et in monte Alverniæ. F

In quo S. Franciscus stigmata Christi recepit. G

Quare merito exclamat S. Ambros. lib. 10. in Luc. *O duriora saxis pectora Judæorum! finduntur petræ, sed horum corda durantur, horum immobilis duritia maret orbe concusso*.

Allegorice S. Hieronymus ad Hedibiam quæst. 8. *Petræ scissæ sunt, id est dura Gentilium corda sicut petræ, universa vaticinia Prophetarum, qui & ipsi a petra Christo cum Apostolis petra vocabulum acceperunt, ut quidquid in eis duro legis velamine claudebatur, scissum pateret Gentibus. Monumenta quoque, de quibus scriptum est; Vos estis sepulchra exterinsecus dealbata, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum, ideo sunt aperta, ut egrederentur de iis, qui prius in infidelitate mortui erant, & cum resurgente Christo atque vivente viverent, & ingrederentur cælestem Jerusalem, & haberent municipatum nequaquam in terra, sed in cælo, morientesque cum terreno Adam, resurgerent cum Adam supercælesti*. Addit Eusebius lib. 5. Præparat. Evang. c. 9. ex Plutarcho, sub Tiberio, apud Paxas insulam auditam vocem: *Magnus Pan mortuus est*, ideoque magnum multorum fuisse ululatum: quod Eusebius interpretatur de Lucifero, quasi ille sit Pan, qui moriente Christo quasi mortuus sit, eo quod Christus ei vires & quasi vitam ademerit. Alii tamen, ut Barradius, Pan, inquiunt, est Christus. Pan (πᾶν) enim græce idem est quod omne: Christus autem quia Deus, est omne bonum & omnia, juxta illud: *Deus meus & omnia*, hujus mortem deplorarunt dæmones, eo quod per illam dominio suo in terram spoliati sint.

H

Pan mortuus, est Christus.

ET MONUMENTA APERTA SUNT, ET MULTA CORPORA SANCTORUM, QUI DORMIERANT, SURREXERUNT; ET EXEUNTES DE MONUMENTIS POST RESURRECTIONEM EJUS, VERS. 52. & 53.

Digitized by Google

A EJUS, VENERUNT IN SANCTAM CIVITATEM, ET APPARUERUNT MULTIS.

ET MONUMENTA APERTA SUNT] statim a morte Christi; hoc enim insinuat hic Matthæus, idque decebat, ut significaretur id fieri vi passionis Christi, ac consequenter eadem vi mortem esse superatam, & vitam humano generi restitutam. Ita Beda, Theophil. & S. Hier. qui ait: *Monumenta aperta sunt in signum futuræ resurrectionis.* Et S. Ambros. lib. 10. in Lucam: *Monumentorum*, inquit, *reseratio quid aliud, nisi clausuris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum?*

Sancti post Christum resurrexerunt.

Sic & Hilarius: *Illuminans*, ait, *mortis tenebras, & infernorum obscura collustrans, in sanctorum ad præsens consopiterum resurrectionem, mortis ipsius spolia detrahebat.* Sed tamen ex monumentis non prodierunt Sancti hi: nec resurrexerunt, nisi post resurrectionem Christi, ut innuit Matth. v. 53. & Paulus Coloss. 1. 18. ubi Christum vocat primogenitum mortuorum, & primitias resurgentium: Christus enim sua morte tam sibi, quam nobis meruit resurrectionem. Par erat ut ipse devicta morte, primus quasi mortis victor & triumphator resurgeret, ac post eum & per eum cæteri. Ita Origenes, S. Hieron. Beda.

B

Causa Prima.

SURREXERUNT] a morte & sepulchro ad vitam. Causa Prima fuit, ut Christus fidem resurrectionis suæ per hos socios suos, quasi præcones firmaret. Testabantur enim hi Sancti, dicebantque: Christus a morte resurrexit, ac nos ab eadem resurgere fecit; credite ergo eum resurrexisse, sicut nos videtis per eum a morte surrexisse, esseque redivivos. Secunda, ut in eis, & per eas Christus virtutem passionis suæ ostenderet: scilicet quod per eam animæ patrum ex inferno & lymbo essent liberatæ: ac quod simili modo mystice animas hominum, quæ per peccata erant mortuæ, jam per Christi gratiam essent vivificandæ, & aliquando per gloriam tam in corpore quam in anima resurrecturæ ad vitam beatam & æternam, itaque beandæ & glorificandæ in æternum.

Secunda.

An rursum sint mortui

C

Quæres: an hi Sancti post resurrectionem rursum sint mortui, & ad sua monumenta redierint, an vero manserint vivi & glorioſi perpetim? Nonnulli censent eos rursum esse mortuos, ac resurrecturos cum aliis, ad vitam beatam in die judicii; id enim videtur innuere Paulus Heb. 11. ult. dicens: *Ut non sine nobis consummarentur.* Ita Theoph. Euthym. Barradius, Franc. Lucas hic, & S. August. ep. 99. ad Evodium, & S. Thom. 3. part. q. 53. art. 3. ac S. Brigitta lib. 6. Revelat. cap. 94. & lib. 7. cap. 26. *Scias*, inquit, B. Virgo, *quod nullum corpus humanum in cælo est, nisi corpus glorioſum filii mei, & corpus meum.* Verius alii censent Sanctos hos non amplius esse mortuos, sed resurrexisse ad vitam immortalem: tum quia hoc decebat Christum, ut fructum mortis & resurrectionis suæ statim ostenderet in beata hac Sanctorum resurrectione: tum quia animæ horum jam erant beatæ, ac proinde par erat eas non uniri corporibus nisi glorioſis & immortalibus: tum quia exigua fuisset earum felicitas, ac longe major fuisset eorum miseria, quod mox rursum deberent mori, maluissent enim non resurgere, quam tam cito rursum mori, tum quia congruebat, ut hi Sancti Christum resurgentem & scandentem in cælum, ejusque triumphum sua resurrectione decorarent, quasi captivi a Christo redempti, & a morte liberati, ac quasi spolia, quæ Christus morti & inferno eripuerat: tum denique, quia convenit ut Christus in cælo habeat Beatos, quorum aspectu & collocutione externa se pascat ejus humanitas, ne alioqui solitaria sit expersque humanæ consolationis. Ita Origenes, S. Hieronymus, S. Thomas, Beda, Anselmus hic, Clemens Alexand. lib. 6. Strom. Euseb. lib. 4. Demonstr. Evangel. cap. 12. Epiphan. hæresi 75. & passim recentiores. Nec obstat locus Hebr. 11. ult. quia τὸ *sine nobis*, non significat ante diem judicii, sed ante Christum & Christianos, sive ante filios novi testamenti, priscos patres non resurrexisse, ut ibi fusius ostendi.

Resp. negative.

D

Quinam resurrexerint?

Porro quinam fuerint hi Sancti, qui cum Christo resurrexerunt, non plane liquet. Verisimile est inprimis eos fuisse, qui peculiarem ad Christum relationem, vel parentelæ, vel promissionis sibi factæ, vel typi & figuræ, vel fidei & spei, vel castitatis & sanctitatis habuere, uti fuere Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedech, David, qui non nisi in terra promissionis sepeliri voluerunt, ut resurrectionis Christi forent participes. Item Job & Jonas, qui resurrectionem Christi in se adumbrarunt. Adhæc Moses, Josue, Samuel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, aliique Prophetæ. Unde Pineda in Job cap. 19. v. 25. censet tunc pariter resurrexisse Danielem, & tres ejus socios Ananiam, Azariam & Misaelem: sed his obstat, quod horum corpora & reliquiæ ostendantur Romæ in templo S. Adriani, uti observavit noster Lorinus in Actor. cap. 2. v. 29. qui & addit nec Evam, nec aliam fœminam tunc resurrexisse; quia decebat, inquit ipse, Deiparam esse primogenitam resurgentium inter fœminas, sicut Christum inter viros. Verum Evam cum Adamo, quasi matrem omnium resurrexisse opinatur cum aliis Franc. Lucas hic, qui & adjicit cum S. Epiphanio in Ancorato, videri potius tunc resurrexisse eos, qui nuper abierant, erantque testes magis noti Apostolis cæterisque Judæis, unde iis magis persuadere poterant Christum resurrexisse, & suæ resurrectionis esse auctorem, uti fuere Zacharias, Simeon, Joann. Baptista. Verum Baptistæ obstat, quod ejus caput Romæ & Ambiani, digitus Florentiæ, reliqui corporis cineres Genuæ ostendantur. Noster Theophylus Raynaudus opinatur tunc resurrexisse bonum latronem lib. de eo c. 13. unde & nullæ ejus reliquiæ reperiuntur. Augustin. tamen lib. contra Felicianum c. 15. ait de eo, *Cujus corpus ad futuram resurrectionem mors communi concluſit*; sed obiter & aliud agens id dicit S. August. Præter jam dictos, plures alii, præsertim ii, quos celebrat Apostolus Hebr. cap. 11, etiam extra Judæam mortui & sepulti, resurrexerunt: nam Matthæus ait, *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Hoc enim decebat liberalitatem & magnificentiam Christi, ut suam resurrectionem & ascensionem in cælum, magna Sanctorum simul resurgentium copia & pompa adornaret.

E

F

Tropologice S. Hieronymus: *Hec*, ait, *videntur typum ferre credentium, quod priſtinis errorum vitiis derelictis, & cordis emollita duritia, qui prius erant similes tumulus mortuorum, poſtea agnoverint creatorem, & ad vitam gratiæ per pœnitentiam surrexerint.*

G

VENERUNT IN SANCTAM CIVITATEM] id est, in Jerusalem, quæ *sancta* dicitur, quod in eadem Deus sanctus sancte coleretur in templo sancto, quodque in ea multi fuissent Sancti, præsertim Prophetæ, ac tandem Sanctus Sanctorum, scilicet Christus in eadem sanctam suam Ecclesiam instituisset, ac morte sua sanxisset.

ET APPARUERUNT MULTIS] puta Apostolis, & discipulis Christi, aliisque Judæis necdum ad Christum conversis, ut eis fidem & resurrectionem Christi persuaderent, quasi ejus testes & præcones. *Ut ex eorum resurrectione*, ait Euthymius, *alii certiores redderentur, & de resurrectione illius* (Christi) *cogitantes, quod qui hos resuscitavit, multo magis seipsum resuscitavit.*

VERS. 54 *Luc. 23. 47. Mar. 15. 39.*

CENTURIO AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT, CUSTODIENTES JESUM, VISO TERRÆ MOTU, ET HIS, QUÆ FIEBANT, TIMUERUNT VALDE, DICENTES: VERE FILIUS DEI ERAT ISTE] Multi cum Baronio censent centurionem hunc fuisse Longinum, cui Christi custodia a Pilato sit commissa, quique ex miraculis, quæ in morte Christi contigerunt, agnoverit Christum esse Filium Dei, ejusque resurrectionis testis & præco extiterit, ideoque relicta militia secedens in Cappadociam, ibique Deo vacans, a Judæis occisus Martyr occubuerit, cujus vitam scripsit Metaphrastes, & ex eo Surius ad diem 15. Martii. Unde Chrysost. *Quidam*, ait, *dicens centurionem hunc poſtea in fide roboratum adeo fuisse, ut etiam martyrio sit coronatus.* Lucius Dexter vero in Chronico ad annum Christi 34. censet hunc centurionem fuisse C. Oppium Hispanum, de quo ita scribit: *Floruit per id tempus in Hiſpania C. Oppius centurio F. Corn. pariter centurionis, qui morientem Christum prædicat Hieroſolymis esse Filium Dei inter fragores saxorum mutuo seſe collidentium obducto tenebris die: Gentilibusque a Christi morte primus hic Christianus, centurio credidit: qui fuit civis Romanus, baptizatusque a S. Barnaba factus est tertius Mediolanenſis Epiſcopus, vir quidem apoſtolicus, qui Christi mortem & eclipſim admirabilem, primus omnium Hiſpanis, genti suæ, cum audientium stupore refert.* Penes Dextrum sit horum fides, quæ qualis & quanta sit, dixi proœmio in Acta Apost.

Centurio, qui? An Longinus?

An C. Oppius Hispanus?

VISO TERRÆ MOTU, ET HIS QUÆ FIEBANT] scilicet solem obscurari, petras findi, monumenta aperiri, ac

Digitized by Google

A præſertim quod Jeſus *clamans expiraſſet*, ut ait Marcus: inde enim Deo mentem illuminante, agnovit Jeſum eſſe pluſquam hominem, eſſeque Deum, qui quaſi vitæ & mortis dominus clamans exſpiraſſet, & expirando omnia elementa totumque orbem concuſſiſſet. Jam audierat centurio Chriſtum a Judæis & Pilato damnatum, quod ſe regem Judæorum, id eſt, Meſſiam Filium Dei, eſſe dixiſſet; nunc videns Deum tot miraculis Jeſu atteſtari, agnovit eum vera dixiſſe, vereque eſſe filium Dei. Voluit hoc Deus, ut Centurio hic Judæos confunderet, ac irrefragabile Chriſto teſtimonium perhiberet. *Ut ergo infidelitatis facinus Iſraeli accumularetur*, ait Hilarius, *centurio & cuſtodes hanc totius naturæ perturbationem contuentes, Dei filium confitentur*. Cenſet S. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Evangel. centurionem hunc confiteri Jeſum eſſe Filium Dei, non naturalem, ſed ſpiritualem, quod videlicet eſſet valde juſtus, ut ait Lucas, ſanctus, Deoque gratus. Melius alii cenſent eum confiteri Jeſum eſſe Filium Dei naturalem, uti jam dixi. Ita S. Hieron. *Ex hoc conſiderandum*, ait, *quod centurio in ipſo ſcandalo paſſionis vere Dei Filium confiteatur, & Arius in Eccleſia prædicat creaturam*. Additque: *Noviſſimi autem nunc primi efficiuntur: Gentilis confitetur populus: Judæa excæcata negat, ut fiat ultimus error pejor priore*. Et Theophyl. *Sic ordo convertitur, dum Judæi occidunt, diſcipuli fugiunt, & Gentilis confitetur*. Et rurſus: *Nunc videtur effectum ſortiri quod Dominus dixerat: Cum exaltatus fuero a terra, omnia trahan ad meipſum. Exaltatus namque in cruce attraxit latronem & centurionem*. Beda autem: *Gentiles Deum timentes aperta confeſſionis voce glorificant, Judæi percutientes ſolum pectora, ſilentes domum redeunt. Unde merito per centurionem fides Eccleſiæ deſignatur, quæ Dei Filium tacente Synagoga confirmat*. Denique S. Bernard. ſer. 2. de Epiphan. *Videte*, *inquit*, *quam oculata ſit fides, cognoſcit Dei filium lactantem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt: centurio vero agnovit vitam in morte, Latro regem, centurio Dei filium ſimul & hominem pronunciat*.

C Non ſolus centurio & milites; ſed, ut addit Lucas, *Omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum illud, & videbant quæ fiebant: percutientes pectora ſua* (in ſignum doloris & pœnitentiæ) *revertebantur*. Jam incipiunt producere flores pœnitentiæ, ut prædicantibus Petro & Apoſtolis fructum pariant, Actor. 2.

Hic ordine ſuo intexe quæ habet Joann. c. 19. v. 31. de crurifragio latronum, & lancea latus Chriſti perforante, ac ſanguine & aqua ex eo manantibus, ſic enim ait; *Judæi ergo (quoniam Paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cum veniſſent; ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ei crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit & continuo exivit ſanguis & aqua*. De quibus ſuo loco in Joanne dicendum.

D VERS. 55 & 56. *Luc. 23. v. 49. Mar. 15. v. 40. 41.* ERANT AUTEM IBI MULIERES MULTÆ A LONGE, QUÆ SECUTÆ ERANT JESUM A GALILÆA, MINISTRANTES EI: INTER QUAS ERAT MARIA MAGDALENE, ET MARIA JACOBI, ET JOSEPH MATER, ET MATER FILIORUM ZEBEDÆI] Dicit hoc Matthæus, tum ut mulierum harum præ viris fidem, conſtantiam & pietatem in Jeſu celebret, quod ſpectantibus Judæis Chriſti hoſtibus auſæ fuerint cruci ejus aſtare, & compaſſionem ſuam in eum teſtari. Unde Euthymius. *Vide*, ait, *converſum ordinem: diſcipuli ſiquidem fugerant, diſcipulæ vero aſſiſtentes permanebant*. Solent enim fœminæ viris eſſe pientiores: unde Eccleſia orat pro devoto fœmineo ſexu. Tum ut ſignificet illas, utpote matronas graves & pias, teſtes fuiſſe fide dignas eorum, quæ Chriſtus in cruce egit & dixit: tum ut indicet illas officia ſepulturæ, ac præſertim unguenta ad Chriſtum ungendum, ſedulo curaſſe; tum denique, ut Jeſu Chriſti in cruce patientiam & ſanctitatem indicet, quæ tanta fuit; ut fœminæ hæ ab eo intuendo, meditando, & admirando, Judæorum metu & minis avelli non poterint.

MULIERES MULTÆ] Inter quas præcipua erat B. Maria Jeſu: hujus enim comites & aſſeclæ erant cæteræ, ait Euthym. de qua ait Joann. c. 19. 25. *Stabat autem juxta Jeſu mater ejus*. *Stabat*, ſuſtinens omnes dolores compatiendo, quos Jeſus ſuſtinebat patiendo, idque ſimili conſtantia & fortitudine. Unde S. Antoninus p. 4. Theolog. tit. 15. c. 41. §. 1. *Stabat*, ait, *Virgo ita divinæ voluntati conformis, quod* (Anſelmus ait) *ſi oportuiſſet ad implendam ſecundum rationem voluntatem Dei, ipſa filium in cruce poſuiſſet, ac obtuliſſet; neque enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham*, &c. *Denique gladius illius animam pertranſivit; illa tamen modeſtiæ metas non tranſivit*.

Porro quam ingens fuerit ejus dolor, indicat Damaſcenus l. 4. de Fide cap. 15. dicens: *Virgo partus dolores quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit*. Et S. Anſel. de Excellent. Virg. c. 3. *Quidquid crudelitatis*, ait, *inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit comparatione tuæ paſſionis, o Virgo*. Et S. Laur. Juſt. de Agone Chriſti c. 2. *Clariſſimum*, ait, *paſſionis Chriſti ſpeculum effectum erat cor Virginis*. Et c. 17. *In corpore filius, in mente erat genitrix crucifixa*. Et S. Bern. ſer. in illud Apoc. 12. *Signum magnum*: *Tuam*, ait, *o Virgo, animam pertranſivit vis doloris, ut pluſquam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus*. Dolor B. Virginis quantus?

De conſtantia vero B. Virginis ita ex antiquis monumentis ſcribit Metaphraſtes ad diem 15. Auguſti, & ex eo Baronius anno Chriſti 34. c. 11. *Dicunt hi, qui de his rebus tractarunt, eam ab initio uſque ad finem ſe fortiter atque conſtanter geſſiſſe, honeſte quidem & non indecore utentem motu animi, factis etiam oſtendens ſe eſſe matrem; ſed matrem omnino illius, qui motum animi certis finibus continuit: mortuumque videns filium, eo motu animi uſa eſt ut oportuit: quiaetiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inſervivit, & clavos qui extrahebantur, in ſinu ſuo accepit, & membra illius amplexa eſt, partim quidem ſinis aſtringens, partim quidem ſuis lacrymis plagas emundans, deinde tota tati corpori circumfuſa: Ecce tibi ab omni ſeculo præfinitum myſterium ad finem uſque venit, o Domine; placida voce dicit: Et Joſepho in manus tradens Judæum, ait: Tibi autem deinceps cura erit, ut ſepultura tradens, hoc eum honeſte componas, myrrha condias, & ei juſta facias*.

A LONGE] Dices, Joannes ait, *Juxta crucem* eas ſtetiſſe. Reſp. *juxta*, id eſt, ex adverſo crucis, ſed ita ut non omnino prope, ſed paulo remotius ſtarent: Militum enim Chriſtum cuſtodientium excubiæ, item populi affluentis denſitas, non permittebant eas proxime ad crucem accedere; accedebant ergo tam prope quam poterant, ita ut Jeſum commode videre & audire poſſent. Vide Adrichom. in Deſcript. Jeruſalem num. 252. ubi locum ſtationis earum aſſignat a cruce Chriſti diſtantem 15. ulnis, quas nunc octodecim gradibus metiuntur. Alii reſpondent eas aliquando prope acceſſiſſe, aliquando longius receſſiſſe, prout ferebat neceſſitas vel occaſio. Addunt græca θεωροῦσαι, id eſt, *ſpectantes & ſpeculantes*, tum miram Jeſus patientiam, tum prodigia, quæ circa eum contingebant, hæcque omnia pia mente & meditatione revolventes.

MINISTRANTES EI] Suis facultatibus eum cum diſcipulis ſuis ſuſtentantes. Ita Euthym. *Chorus*, ait, *diſcipularum apud Dei matrem conjunctarum & expenſas de facultatibus ſuppeditantium*. Nam ut ait S. Hieronym. *Conſuetudinis Judaicæ fuit (nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo) ut mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent*.

INTER QUAS (primaria, præcipua, & quaſi choraga cæterarum) ERAT MARIA MAGDALENE] quæ liberata per Chriſtum a ſeptem dæmonibus, ac tam corporis quam animi ſanitati reſtituta, tanti beneficii memor & grata, indivulſe ei adhærebat.

ET MARIA JACOBI ET JOSEPH MATER] pura Maria Cleophæ, ſive Alphæi, nimirum uxor. Unde Salmeron: *Maria hoc*, inquit, *dicta eſt Cleophe a patre; a filiis dicta eſt Maria Jacobi & Joſeph, a cognatione dicta eſt Maria ſoror matris Jeſu; a viro dici poterat Maria Alphæi, licet ita eam nuſquam vocet Evangelium*. Alii cenſent Cleophan non fuiſſe patrem, ſed maritum hujus Mariæ, qui alio nomine dictus ſit Alphæus, de quo dixi capite 13. v. 55.

ET MATER FILIORUM ZEBEDÆI] Scilicet Jacobi & Joannis

Digitized by Google

A Joannis Apostolorum, nomine *Salome*, ut habet Marcus c. 15. 40. ita Orig. S. Chrysost. Theophy. Euthymius, & passim ceteri.

VERS. 57 CUM AUTEM SERO FACTUM ESSET, VENIT QUIDAM HOMO DIVES AB ARIMATHÆA, NOMINE JOSEPH, QUI ET DISCIPULUS ERAT JESU] Narrat sepulturam Christi gloriosam a fidelibus, Dei providentia procuratam.

Luc. 23. v. 50. 51. Mar. 15. v. 42. 43. Joan. 19. v. 38.

SERO] Durante adhuc die, sed inclinante in vesperam; nam ante vesperam, in qua incipiebat sabbatum, quo quiescendum erat, sepeliri debuit Christus.

DIVES] Quia pauper non fuisset ausus ad Pilatum præsidem Romanum accedere, & crucifixi corpus impetrare, ait S. Hieronymus.

Arimathæa quænam urbs?

AB ARIMATHÆA] Hæc urbs est, ait S. Hier. in Locis Hebr. quæ 1. Reg. 1. vocatur *Ramathaim Sophim*, ubi habitarunt Elcana & Anna, ibique genuerunt Samuelem.

Ubi sita?

Sita est in regione Tamnitica juxta Diospolin: postea dicta est Rama, Aarima, & Memphis. *Sita* erat in loco alto, unde dicta est Rama, id est excelsa. Oriundus ergo erat Joseph e Rama, sed civis & senator erat Hierosolymæ. Hinc S. Hieronymus in Nomin. Hebr. *Arimathæa*, inquit, idem est quod altitudo ejus, vel exaltatus est ipse, ut fuit hic Joseph.

R

NOMINE JOSEPH] Notandum est, Christum introisse in mundum per Joseph sponsum virginis: nam non nisi ex virgine desponsata Joseph nasci voluit: ac rursum exisse e mundo ac sepultum esse per Joseph ad Arimathæa, Joseph enim idem est quod auctus, scilicet gratia Dei: sicut enim Joseph patriarcha auctus fuit castitate & pietate in patrem, sic Joseph sponsus Deiparæ excelluit castitate; sic vero Joseph eminuit pietate in Christum, quasi patrem suum spiritualem jam vita functum.

Hunc Josephum Marcus vocat nobilem decurionem, ubi græce est βουλευτὴς, id est, consiliarius, senator: qui enim Romæ dicebatur senator, in municipiis dicebatur decurio. Hunc autem Josephum fuisse senatorem Hierosolymitanum conjicitur ex eo, quod ibi habitabat: ibi enim exciderat sibi sepulchrum. Rursum colligit Maldonatus eum interfuisse concilio Judæorum de capiendo & crucifigendo Christo Matth. 26. 4. sed non voluisse aliis subscribere & assentiri. Unde *quidam*, ait S. Hieron. *putant de ipso primum psalmum esse compositum: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, &c.

C

QUI ET DISCIPULUS ERAT JESU] Hæc ergo ratio movit Josephum ad sepeliendum Christum, ut quasi discipulus magistro suo ex pietate funeris justa persolveret, & parentaret.

VERS. 58 HIC ACCESSIT AD PILATUM, ET PETIIT CORPUS JESU.

Luc. 23. 52. Mar. 15. v. 43. 45. Joan. 19. v. 38.

TUNC PILATUS JUSSIT REDDI CORPUS] *Accessit audacter*, ait Marcus: licet enim ipse occultus esset discipulus Jesu ob metum Judæorum, tamen animante eum Christo, ac hortante B. Virgine, ut dixi v. 55. opus tam arduum sine formidine audacter aggressus est. *Ex hoc facto*, ait Victor Antioch. in c. 15. Marci, *summam Josephi constantiam & fortitudinem spectare licet, parum enim aberat, quin vitam ipsam Christi causa impenderet: quippe qui Judæorum omnium inimicitiam propter illum in se susciperet.* Et S. Chrysost. *Fortitudo*, inquit, *Joseph maxime admiranda est, cum propter amorem Christi periculum mortis susceperit, & universorum se odio tradiderit.* Causam constantiæ dat Lucas & Marcus dicendo: *Qui & ipse erat exspectans Regnum Dei*. q. d. Credebat in Christum & per ejus gratiam sperabat salutem & gloriam cælestem, ideoque hac spe exposuit se periculo pro Christo, ejusque corpus petiit.

Joseph ab Arimathia petiit a Pilato corpus Jesu.

D

PETIIT CORPUS JESU] S. Anselmus dial. de Pass. ait sibi a Deipara revelatum, quod cum Joseph ab Arimathia peteret a Pilato corpus Jesu, hanc in cæteris rationem assignasset, quia mater ejus præ dolore moriebatur. Quasi dixisset: Mater ejus sancta est & innocens, casus gravis & repentinus, crucifixus autem erat unicus ei filius; rationi autem non est consentaneum, ut simul cum filio mater innocens moriatur, erit autem ei aliqua consolatio eum sepelire. Concede ergo matri afflictissimæ, ut eum sepeliat. Insuper verisimile est, Josephum Pilato allegasse innocentiam & sanctitatem Jesu, sat Pilato cognitam, ideoque non videri cum cæteris sontibus ejus corpus in vallem cadaverum, quæ erat juxta Golgotha, abjiciendum, sed honesta sepultura dignum. Daret ergo illud sibi, se funus ejus digne curaturum.

Mira de Josepho historia.

Porro audi quid de hoc Josepho Christum sepelente scribat Gregorius Turon. lib. 1. Histor. c. 21. idque ex actis Pilati, ut ipse ait, ad Tiberium Romam transmissis: *Apprensus*, inquit, *& Joseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipsis sacerdotum principibus custoditur, majorem in eum habentibus sævitiam. (ut gesta Pilati ad Tiberium missa referunt) quam in ipsum Dominum, cum ille a militibus, hic a sacerdotibus custodiretur. Sed resurgente Domino custodibus visione angelica territis, cum non invenirentur in sumulo, nocte parietes de cellula, in qua Joseph tenebatur, suspendunturin sublimi, ipse vero de custodia absolvente angelo liberatur, parietibus restitutis in locum suum: eumque pontifices militibus exprobrarent, & sanctum corpus ab iisdem instanter requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Joseph, & nos reddimus Christum: sed ut verum cognovimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos Filium Dei reddere nunc valemus. Tum illis confutatis milites ab hac accusatione liberantur.* Verum hæc ex Evangelio Nicodemi accepta sunt, quod apocryphum est, quare incertæ & dubiæ sunt fidei. E

Denique hic Joseph fertur a Judæis navi sine velis & remis cum Magdalena, Martha, Lazaro & Maximino impositus, Deo remige Massiliam appulisse, indeque in Angliam navigasse, ibique Christum prædicasse ac defunctum esse: unde ab Anglis quasi Angliæ Apostolus colitur. Ita Baron. anno Christi 35. c. 4. & Lucius Dexter in Chronico anno Christi 48. itemque vetera Hispaniæ Breviaria, præsertim Asturicense & Palentinum, quæ ibidem citat Franc. *Bivarius*. F

Pilatus jubet reddi corpus Jesu.

TUNC (auditis & probatis rationibus Josephi jam recensitis) PILATUS JUSSIT REDDI CORPUS] ut hac ratione aliquo modo satisfaceret Christo, quem injuste ob instantiam principum ad mortem damnarat, ac suum factum honestando Christi sepultura regeret, vel excusaret, quod scilicet coactus eum damnasset, utpote quem honorifica sepultura dignum judicabat.

REDDI] dato a Josepho pretio & auro, ait Theophyl. sed hoc parum est verisimile, ob rationes jam datas, & quia Marcus ait: *Donavit corpus Joseph*: ergo Joseph illud gratis dono accepit, non pretio comparavit: nimis enim sordidæ avaritiæ Pilato præfidi fuisset, illud vendere. *Reddi* ergo, id est *dari*, ut vertit Syrus; sed dicit *reddi*, quia corpus Jesu a Pilato jam traditum erat militibus ad crucifigendum; jubet ergo, ut ipsi illud reddant Josepho. Addit Marcus c. 15. *Pilatus autem mirabatur si jam obiisset*: tum quia considerabat solos dolores flagellationis & crucis Christi, qui latrones Christi socios necdum occiderant: tum quia, ut ait Euthym. sperabat Pilatus Jesum tarde moriturum, tamquam hominem divinum, qui cæteros excederet. Pergit Marcus: *Et accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione* (eum mortuum) *donavit corpus Joseph*. G

ET ACCEPTO CORPORE, JOSEPH INVOLVIT ILLUD IN SINDONE MUNDA] Syrus *in linteo lini mundi*. Mundissimum enim corpus decebat munda sindon. *Sindon* est pannus ex lino subtiliore & delicatiore textus: hoc ergo quasi subtilissimo velo & linteo corpus Christi involvit. Dicta *sindon* a Sindone urbe Phœniciæ, in qua primo texi cœpit. Unde Martialis:

VERS. 59 Luc. 23. 53. M. v. 15. 46 Jo. 19. 30.

Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Erat enim Tyrus vicina Sidoni. Solebant Judæi defunctos sepeliendos sindone involvere, manus & pedes ligare institis, id est fasciis, faciem velare sudario, uti fecere Lazaro Joan. 11. 44. Idem Joseph fecit Christo, ut patet Joan. 19. 40. *Acceperunt*, inquit, *corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire*. Audi S. Hieron. *Ex simplici sepultura Domini ambitio divitum condemnatur, qui nec in tumulis quidem possunt carere divitiis. Possumus autem juxta intelligentiam spiritualem & hoc sentire, quod corpus Domini non auro, gemmis & serico, sed linteamine puro obvolendum sit, quamquam & hoc significet, quod ille in sindone munda involvit Jesum, qui pura mente eum susceperit.* H

Mos sepeliendi Hebræorum Primo.

Hac de causa & corpus Christi in Missa non nisi in sindone collocatur mundissima, quod vulgo *corporale* vocant a corpore Christi, quod ad instar sepulchri in se continet, ait Paschasius Ratbertus scribens in hunc Matthæi locum.

Corporale in Missa sindonem mundissimam repræsentat.

Addit Joannes cap. 19. 39. Nicodemum unguenta attulisse. *Venit*, ait, *& Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum*, ut eo totum corpus Jesu perfunderet, & quasi balsamaret. Myrrha enim & aloe sua amaritie corpora

Digitized by Google

A pora a putrefactione conservant. Mystice, his nos unguentis fragrare vult Euthymius, cum pectore nostro veluti sepulchro novo Christi corpus excipimus. *Et nos* (inquit ille) *Domini corpus in altari accipientes, odoramentis illud unguamus suavibus, videlicet virtutum operibus, ac opere & completatione*, &c.

Secundo. Modum pollincturæ corporum describit Baronius ex R. Jacob & R. Mose. *Solebant*, ait, *viri virorum, femina feminarum corpora curare, hoc modo: Oculos imprimis & ora claudebant defunctorum, stringebant fascia, tondebant capillos, lavabant corpus, unguentis ungebant, linteis involvebant, sicque curatum in sepulchro locabant.*

VERS. 60 Luc. 23. 53. Mar. 19 46 Joan. 19. v. 41. 42. ET POSUIT ILLUD IN MONUMENTO SUO NOVO, QUOD EXCIDERAT IN PETRA, ET ADVOLVIT SAXUM MAGNUM AD OSTIUM MONUMENTI, ET ABIIT] Joan. 19. 41. addit: *Erat autem in loco ubi crucifixus est hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quispiam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.*

B Cur in monumento novo positus Christus? Novo] ne, Christo resurgente, quis alius prius in eo sepultus, resurrexisse, ait S. Chrysostomus, putaretur; vel fingeretur, ait Hieronym. Mystice S. Augustin. *Sicut*, ait, *in Maria virginis utero, nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita in hoc monumento novo, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.*

IN PETRA] *Ne, si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur*, ait S. Hier. Formam sepulchri Christi fuse describit Beda in Marci cap. 15. dicens: *De monumento Domini ferunt, qui nostra ætate de Hierosolymis Britanniam venere, quod domus fuerit rotunda, de subjacente rupe excisa, tanta altitudinis, ut intro consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere. Quæ habet introitum ab Oriente cui lapis ille magnus advolutus est. In cujus monumenti parte Aquilonari, sepulchrum ipsum, hoc est Dominici corporis locus, de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmorum mensura cætero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est: unde corpus inferebatur.* Forma sepulchri Christi.

C Breviter Adrichomius in descriptione Jerusalem num. 239. *Sepulchrum Domini glorioſum*, ait, *monumentum erat novum octa pedes longum, quod a monte Calvariæ centum & octo pedibus, a monte autem Sion passibus mille distabat in horto monti Calvariæ propinquo, quod in petra sibi Joseph excideraat. Joseph ergo suum sepulchrum cessit Christo, & Christus in alieno, scilicet Joseph, sepulchro conditus est.* Causam dat Theoph. dicens: *Qui non habuit domum in vita, neque sepulchrum habet, sed in alieno deponitur, & cum sit nudus, a Joseph vestitur.* S. August. ser. 133. de Temp. *Ideo*, inquit, *in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Ut quid illi propria sepultura, qui in se propriam mortem non habebat?* Addit; *Ut quid ei tumultus in terris, cujus sedes manebat in cælis? Ut quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio non tam in sepulchro mortuus jacuit, quam velut in lecto quievit?*

Anagogice, significavit Christus, se & Christianos esse peregrinos in terra, ac tendere in cælum, quasi patriam, velut cives Sanctorum & domesticos Dei. Hac de causa S. Antonius, S. Ephrem, S. Franciscus, & alii

D proprium noluere habere sepulchrum, sed in alieno sepeliri voluerunt, exemplo Christi.

Sepulchri Christi forma. Hic ergo impletum est illud Isaiæ c. 11. 10. de Christo oraculum. *Et erit sepulchrum ejus glorioſum.* Vide ibi dicta. Hinc per tot sæcula huc usque frequens & religiosa est fidelium ex toto orbe peregrinatio in Jerusalem, ad visendum & venerandum S. Sepulchrum Domini. Quam ergo ignominiosa fuit passio & mors Christi, tam glorioſa fuit ejus sepultura; hanc enim illa meruit. Unde a S. Helena matre Constantini Magni, hoc in loco condita est basilica, quæ reliquas totius orbis amplitudine atque pulchritudine longe excellit: nam auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus marmoreis septuaginta tribus columnis fulcitur: & tam resurrectionis quam crucifixionis locum, sub uno eodemque tecto comprehendit, quod in sui medio rotundo patet foramine apertum, sub quo in inferiori ecclesiæ parte Dominicum consistit sub dio sepulchrum: cui passionis Christi theatrum, mons Calvariæ, tunc viginti octo pedes altus, chori loco adhæret; qui octodecim gradibus, quorum singuli pedem & semissem in altitudine continent, sui accessum præbet. Quocirca in hac basilica sepeliri voluit Godfridus Dux Bullonii, e Christianis primus Hierosolymæ rex, ceterique reges omnes post eum. Hic quoque viri insignes nobilitantur, & equites aurati creantur: ita Adrichom. in Descript. Jerusalem numer. 252. Gloriæ. E

Denique sepulchrum Christi fuit in horto, quia in horto paradisi peccarat Adam, ac mortis sententiam incurrerat. Hinc in horto passionem orsus est Christus, in horto consummavit & sepultus est, ut sententiam hanc lueret & expiaret; utque hortum amœnissimum floribus & fructibus omnium vernantem, puta Ecclesiam, institueret, & plantaret. Porro Christi corpus in sepulchro, sicut & in cruce, ita collocatum fuit, teste Beda & Adrichom. ut capite & facie ab Oriente & Judæa aversa Occidentem, id est Italiam & Romam, respiceret. In horto sepelitur Christus. Cur?

Nota. Christus mox ut exspiravit, quoad animam descendit in limbum patrum, illisque se, suamque deitatem ostendit; itaque eos beavit. Animas quoque in Purgatorio detentas liberavit, eisque primum & universale jubilæum dedit. Unde eis pariter suam deitatem ostendit, easque beatas effecit, uti dixi 1. Petr. 3. 19. dæmones vero & homines impios in inferno, rursum ad gehennam perpetuam damnavit, tamquam eorum dominus, judex, victor & triumphator. Manfit anima Christi in limbo usque ad tertiam diem, qua e limbo cum patribus, aliisque Sanctis egrediens, corpus suum, quod triduo jacuerat in sepulchro, resumens glorioſe resurrexit, ac patres deinde corpora sua resumere, secumque resurgere effecit. Quo ordine, modo & tempore hæc omnia sint peracta, dicam initio cap. 28. Porro Christi divinitas, puta divina Verbi persona, in Christi morte mansit semper tam corpori in sepulchro, quam animæ in limbo hypostatice unita: quod enim ipse semel assumpsit, hoc numquam dimisit, nec dimittet in æternum, uti docent Theologi. Animæ Christi descendit in limbum. F

ET ADVOLVIT (adjutus a Nicodemo & famulis. Unde Syrus vertit in plurali *advolverunt*) SAXUM MAGNUM AD OSTIUM (ingressum) MONUMENTI] ne quis corpus Christi auferret, vel surriperet. Magis autem consilio Dei id factum est, ne Christo resurgente & vi divina saxum penetrante ac exeunte, Judæi dicerent Christum non resurrexisse, sed Apostolos corpus ejus e sepulchro clam furatos, palam fingere eum resurrexisse. Hæc enim de causa voluit Deus Christi corpus a viris fide dignis, scilicet Josepho & Nicodemo, sepeliri, ac triduo in sepulcho manere, ibique lapide magno claudi, ac a Judæis obsignari & custodiri, ut manifesta esset omnibus ejus mors, & consequenter e morte resurrectio tertio die facta. Atque hujus resurrectionis & gloriæ speciem & præludium dedit Christi corpus in ipso sepulchro, dum in eo per triduum non computruit, sed integrum illæsumque permansit, utpote virgineum & sanctum, ac formatum a Spiritu sancto, taleque in æternum perdurat. G

VERS. 61 Luc. 23. 55. Mar. 15. 47 ERAT AUTEM IBI MARIA MAGDALENE, ET ALTERA MARIA, SEDENTES CONTRA SEPULCHRUM] *Altera Maria*, scilicet Jacobi & Joseph mater: has enim duas tantum nominavit v. 58. Videtur ergo quod mater filiorum Zebedæi, scilicet Salome, quam pariter ibidem nominavit, videns Jesum a viris sepeliri, quasi non habens quod ultra Jesu impenderet, mœsta domum redierit, aut B. Virginem domum reduxerit; licet Metaphrastes ad diem 15. Augusti, asserat B. Virginem perpetim mansisse apud Christi sepulchrum, usque ad ipsius resurrectionem, quam ipsa die tertio futuram, uti Christus prædixerat, certo credebat. Mariæ sedent contra sepulchrum. H

SEDENTES CONTRA SEPULCHRUM] Quia, ut dixi, decebat Jesum, utpote virum, non a feminis, sed a viris lavari, & linteis involvi & sepeliri. Quare ipsæ, dum viri eum in sepulchro condunt, ex honestate & verecundia non ausæ sunt sepulchrum ingredi, sed expectant dum viri abeant, itaque ipsæ sepulcrum intrent, ac videant modum, quo conditus sit Christus; ut instante jam sabbato, quo Judæis quiescendum erat, transacto, summo mane diei Dominicæ redeant, Christumque ungant, uti eas fecisse patebit cap. sequ. v. 1.

VERS. 62 ALTERA AUTEM DIE, QUÆ EST POST PARASCEVEN, CONVENERUNT PRINCIPES SACERDOTUM ET PHARISÆI AD PILATUM] *Parasceve* vocabatur feria sexta, sive dies Veneris, qui proxime sabbatum præcedit, eo quod illo die Judæi pararent cibos, & reliqua necessaria pro sabbato, quo ab opere quiescendum erat. Parasceve quid? Ejus etymon.

Para-

Digitized by Google

A *Parasceve* enim græce παρασκευὴ, idem est quod præparatio.

Petunt a Pilato Judæi, ut Christi sepulchrum jubeat custodiri.

—ALTERA ergo DIE POST PARASCEUEN] est postridie feriæ sextæ, puta in sabbato, simul venerunt, principes hi ad Pilatum. *Non nominat sabbatum*, ait Theophyl. *eo quod non erat sabbatum quoad Judæorum insaniam*. Furebant enim instar rabidorum contra Jesum, ut ejus nomen & memoriam plane abolerent. Et rabiem acuebat, quod vidissent Jesum a Joseph & Nicodemo tam honorifice sepeliri quasi id ipsum præludium esset futuræ resurrectionis, vel revera futuræ, vel a Jesu discipulis fingendæ.

VERS. 63 DICENTES: DOMINE, RECORDATI SUMUS QUIA SEDUCTOR ILLE DIXIT ADHUC VIVENS: POST TRES DIES RESURGAM] *Seductor*, græce, πλάνος, id est, ut legit S. August. hom. 36. inter 50. *ille Planus*, id est, *ille impostor*. *Hoc nomine*, ait idem August. in Ps. 63. v. 7. *vocabatur Dominus Jesus Christus, ad solatium servorum suorum, quando vocantur seductores.*

B POST TRES DIES] non finitos, sed inchoatos, id est intra tres dies, vel tertio post die. Ita ipsimet se explicant, dum subdunt; *Jube ergo custodiri sepulchrum usque in tertium diem.*

VERS. 64 JUBE ERGO CUSTODIRI SEPULCHRUM USQUE IN DIEM TERTIUM: NE FORTE VENIANT DISCIPULI EJUS, ET FURENTUR EUM, ET DICANT PLEBI: SURREXIT A MORTUIS; ET ERIT NOVISSIMUS ERROR PEJOR PRIORE] *Cupientes*, ait S. Chrysost. *ostendere, etiam antea impostoreum fuisse, ad sepulchrum usque malitiam extendunt & producunt.* Videntur hi principes vehementer timuisse, ne Jesus resurgeret, ideoque custodes milites poscunt, qui resurrectionem impediant, aut resurgentem comprehendant, iterumque occidant. Nam quod de discipulis eum furaturis subjiciunt, pretextus erat timoris, sciebant enim discipulos plane pavidos & consternatos fugisse, nec tale quid cogitaturos vel ausuros.

ET ERIT NOVISSIMUS ERROR PEJOR PRIORE] *Errorem* vocant doctrinam Evangelicam, quæ docet Jesum esse Christum Dei Filium, & Salvatorem mundi: quod prius vivens docuerat Jesus. Hic ergo erat error prior; posterior, sive novissimus, quod ipse a mortuis resurrexisset: hunc dicunt fore pejorem priore: tum quia confundet priorem: si enim Jesus resurrexit, ergo fuit Filius Dei, ut ipse prædicavit: si enim falsum prædicasset, Deus eum non resuscitasset: tum quia multos habebit sequaces & assecias, si credatur eum resurrexisse, ac semel infixa hæc opinio mentibus hominum, deinceps evelli non poterit: tum denique quia creabit odium & invidiam pontificibus & Romanis, quod eum injuste occiderint; quare causa erit, ut multi eos aversentur, ac forte ut bello vel rebellione necem Jesu ulciscantur. Quocirca satius fuisset eum non occidere, quam permittere, ut occisus resurrexisse putetur. Diabolus enim prævidens futuram Ecclesiam Christi, puta multitudinem, fidem & sanctitatem fidelium Christi sequacium, eam jam nascentem per Judæos hic quasi in semine elidere & suffocare conabatur. Verum *non est consilium contra Dominum*, Proverb. 21. v. 30.

VERS. 65 AIT ILLIS PILATUS: HABETIS CUSTODIAM, ITE, CUSTODITE SICUT SCITIS] *Custodiam*, scilicet militum, id est custodes milites. q. d. Habetis milites a me heri deputatos, vobisque datos ad Jesum crucifigendum, eumque in cruce usque ad mortem custodiendum; nunc concedo ut iisdem utamini ad custodiendum eum jam sepultum. *Custodite* ergo *eum sicut scitis*, id est optima ratione & modo, quem noltis. q. d. Modum custodiendi vestræ scientiæ & prudentiæ permitto, ego amplius huic causæ immiscere me nolo: *Tamquam rebus ipsius edoctus*, ait S. Chrysost. *amplius ipsis cooperarari non vult.*

D Pro *habetis* græce est ἔχετε, quod alii vertunt quasi imperativum, *habete*, id est accersite custodes. Nervosius Noster vertit in præsenti, *habetis*: jam enim habuerant milites custodes Christi in cruce, quos Pilatus eis dederat. Unde Arabicus vertit, *apud vos sunt custodes, ite & claudite sepulchrum sicut scitis.*

VERS. 66 ILLI AUTEM ABEUNTES, MUNIERUNT (Arabicus, *clausemunt*) SEPULCHRUM, SIGNANTES LAPIDEM CUM CUSTODIBUS.] Munierunt ergo Christi sepulchrum duplici monumento, scilicet custodia militum, quos assidue vigilare & sepulchrum circumdare jusserunt, & obsignatione lapidis.

Sepulchrū Christi munitur.

SIGNANTES] Græce σφραγίσαντες, id est, obsignantes, sigillantes, scilicet annulo, non Pilati, utinam Chrysost. sed suo; scilicet annulo urbis Hierosolymæ, vel annulo summi concilii ipsorum, quod *Sanhedrim* vocabatur, ne a quo lapis a sepulchro amoveri, & corpus Christi extrahi posset, quin idipsum ex sigilli violatione deprehenderetur. Simile fecit Darius rex Danieli in lacu leonum; scilicet *obsignaverat os laci annulo suo, & annulo optimatum suorum*, Daniel. 6. 17. Addit Niceph. lib. 1. cap. 32. & Beda de Locis sanctis Judæos utrumque sepulchri lapidem perforasse, & vinculo ferreo constrinxisse. Ita ipsi dum Christo resurrecturo omni modo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum & fidem resurrectionis ejus, testimonium Deo ab hominibus ipsis extorquente. Ita S. Chrysost. *Certa*, ait, *resurrectionis demonstratio per ea, quæ vos ipsi procurastis, reddita est. Si enim obsignatum fuit sepulchrum, fraudi & dolo nullus locus relinquebatur: quod si nulla fraus admissa fuerit, sepulchrum vero repertum est vacuum, perspicuum est, quod procul dubio & citra controversiam resurrexit. Vides quomodo vel inviti veritatis adjuvent demonstrationem.* Et S. Hieron. *Non sufficerat*, inquit, *principibus sacerdotum & Scribis ac Pharisæis crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent, signarent lapidem, & quantum in illis est, manum opponerent resurgenti, ut diligentia eorum nostræ fidei proficeret. Quanto enim magis reservatur, tanto magis resurrectionis virtus ostenditur.*

Tropologice, noster Barradius: *Ex hoc facto impiorum*, inquit, *discamus pietatem: postquam Christi corpus ex altari in pectus velut novum sepulchrum excipimus, diligentem adhibeamus custodiam, ut in eo semper per gratiam permaneat, neque unquam nos deserat. Vigilantes apponamus milites, hoc est vigilantes virtutes, quæ somnum, id est, ignaviam a nobis repellant, plusquam ferreo instrumento nos astringamus, hoc est adamantino non peccandi decreto pectus muniamus.* Tropol.

CAPUT XXVIII. G

SYNOPSIS CAPITIS.

Magdalena cum sociabus visit Christi sepulchrum. Angelus ab eo lapidem amovet, ac custodes percellit, mulieribus vero Christum resurrexisse asserit. Redeunt illæ idipsum nunciaturæ Apostolis. In itinere occurrit illis Christus, jubetque, ut illud iisdem annuncient. Judæi data pecunia persuadent custodibus, ut dicant ipsis dormientibus, Apostolos furatos esse corpus Christi. Denique, v. 16. Christus apparet discipulis in monte Galilææ, eosque mittit ad baptizandum & docendum omnes gentes.

VEspere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum. VERS. 1

2. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum: H

3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: & vestimentum ejus sicut nix.

4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis:

6. Non est hic: surrexit enim, sicut dixit: venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus.

7. Et cito euntes, dicite discipulis ejus quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis.

8. Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.

9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

10. Tunc

Digitized by Google

A 10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

11. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

12. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus.

13. Dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus:

14. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.

15. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.

B 16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus.

17. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.

18. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.

19. Euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

VERS. 1. *Luc. 24. 1. Mar. 16. 2. Jo. 20. 1.*

C VESPERE AUTEM SABBATI, QUÆ LUCESCIT IN PRIMA SABBATI, VENIT MARIA MAGDALENE, ET ALTERA MARIA (Jacobi, de qua cap. 27. vers. 56. & 61.) VIDERE SEPULCRUM) Syrus, *vespere in sabbato, cum exoritura esset prima hebdomadis*; Arabicus, *in vespere una sabbatorum, lucente prima sabbatorum, venit Maria Magdalene*, &c.

Antilogia hic dissolvitur

Difficilis est hic antilogia: quomodo enim erat vesper, vel vespera, si lucescebat, imo, ut Marcus ait, *orto jam sole*? Respondet Primo, S. Hieronymus, has mulieres sæpius exisse ad sepulchrum, scilicet vespere & mane, quare Evangelistas narrare alias & alias earum exeundi vices. Secundo,

Secundo.

S. Ambrosius putat alias fuisse mulieres, quæ vespere, alias quæ mane exierint, ac consequenter alios earum egressus; aliasque historias ab Evangelistis narrari. Sic Nyssenus orat. 2. de resurrect. censet mulieres quater adiisse sepulchrum: *Matthæus*, inquit, *de iis feminis loquitur, quæ vespere sabbatorum venerunt, Joannes Magdalenam venisse ait in tenebris, Lucas alias circa diluculum; Marcus aliam oriente sole adjunctis nonnullis, quæ jam antea ad monumentum fuissent*. Verum Evangelistas inter se conse-

D rentiliquet, illos loqui de eodem earumdem egressu ad visendum Christi sepulchrum.

Tertio. Vesperæ, quid?

Tertio Baronius per *vesperam* intelligit stellam Veneris, quæ dicitur Lucifer, græce ἑωσφόρος, latine *Vesperus*, & a Varrone *Vesperugo*, q. d. Cum lucifer mane ante solem oriretur, venit Maria Magdalena ad Christi sepulchrum. Hæc enim stella æmula solis & lunæ, vespere sequitur solem occidentem, ac præ aliis stellis prima lucet, unde vocatur Hesperus; mane vero præcedit solem orientem, unde vocatur Lucifer, quia auroram & lucem diei affert. Verum hanc stellam non significat Græcum ὀψὲ, nec Latinum *Vespere*.

Quarto. Genuine.

Dico ergo, *vespere*, sive vesperam, *sabbati* esse noctem, quæ sequebatur sabbatum, quæ nox lucescit, id est terminatur & desinit in lucem, in prima sabbati, id est mane diei Dominicæ, quæ prima dies est post sabbatum. Ita Nyssen. orat. 2. de Resurrect. S. August. l. 3. de Consensu Evang. c. 24. Theophyl. Euthym. S. Thomas, & alii. Id ita esse patet Primo, ex Marco, qui clare ita explicat dicens: *Et cum transisset sabbatum*. Secundo, quia solet Matth. multa breviter & paucis perstringere. Sic hic perstringit tempus, quo convenerunt mulieres hæ amore Christi ferventes, seseque comparaturunt emendo aromata ad visendum & ungendum Christum jam sepultum, quod erat vespera, sive statim transacto sabbato, quo ab hoc opere aliisque juxta legem debuerant quiescere. Voluit quoque indicare tempus, quo ad sepulchrum venerunt, quod fuit illucescente die Dominica. Unde Rabanus: *Vespere*, ait, *venire cœperunt, paraverunt enim aromata, sed lucescente mane pervenerunt*. Nam & ante sabbatum in fine Paraseues, sive feriæ sextæ, statim post mortem & sepulturam Christi se ad eum ungendum comparare incipiebant. Hoc enim est quod ait Lucas 23. 56. *Et revertentes* (a Christo jam sepulto) *paraverunt aromata & unguenta; & sabbato quidem quieverunt secundum mandatum, una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata*. Et Marcus 16. 1. *Cum transisset sabbatum*, ait, *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, & valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole*. Marcus enim solet esse interpres Matthæi. Tertio, idipsum patet ex Græco ὀψὲ σαββάτων, quod dupliciter vertas: Primo, *sero sabbatorum*, seu transacto jam sab- F bato, cum jam profunda esset nox, ita ut inciperet desinere & lucescere in mane diei Dominicæ: ὀψὲ enim significat, sero, tarde, ad extremum, longe post, diu post transactum sabbatum. Hebræi enim sabbatum aliaque festa inchoabant a vespera præcedente, & terminabant in vespera sequente, Levit. 23. vers. 32. quare hæc nox sequens non erat nox finiens sabbatum, sed inchoans diem Dominicam. Rursum ὀψὲ, idem est quod vespere, vel vespera, ut vertit Noster & alii passim. Sic ὀψὲ ἡμέρας, idem est quod vespere diei, teste Budæo & aliis. Jam *Vespere*, id est nocte. *Vesper enim est nox quam lux terminat*, ait S. August. Unde S. Prosper in Sentent. sententt. 203. ex S. August. *Vespere*, ait, *Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione*. Hebræi enim vesperam vocant noctem, quia noctis initium est vespera. Unde Habacuc 1. lupi vespertini vocantur lupi nocturni, qui noctu grassantur. Hinc Hebr. ערב *ereb*, id est vespera, dicitur ab ערב *arab*, id est obtenebrescere, obscurare, quod facit nox.

Juxta prius ergo ὀψὲ significatum sensus est, q. d. G Sero, sive diu post transactum sabbatum, sive profunda jam nocte, cum illucesceret dies Dominica, venit Maria videre sepulchrum. Juxta posterius vero idem fere sensus est, q. d. Vespere sabbati, id est nocte, quæ sequitur sabbatum, jam valde procedente ad auroram, cum scilicet illucesceret dies Dominica, venit Maria, &c. *appetente scilicet jam die, prospectante & oriente*, ait Euthymius, hoc est in aurora & diluculo Dominicæ. Audi S. August. loco jam citato: *Sic itaque dictum est Vespere sabbati ac si diceretur Nocte sabbati, id est nocte quæ sequitur diem sabbati, quod ipsa verba ejus satis indicant. Sic enim ait, Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati, quod fieri non potest, si tantummodo primam noctis particulam, id est solum initium noctis intellexerimus dicto vespere significatam. Neque enim ipsum initium lucescit in prima sabbati, sed ipsa nox, quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, secundæ partis initium est; lux autem terminus totius noctis est. Unde non potest dici vesper lucescens in prima sabbati, nisi nomine vesperi nox ipsa intelligatur, quam lux terminat*.

H

Indicat ergo Matthæus, quod mulieres hæ nocte paraverint unguenta, sed oriente diluculo venerint ad sepulchrum, ut habent Lucas, Joannes & Marcus. Dices: Joannes addit eas venisse *mane cum adhuc tenebræ essent*. Resp. Id quoque verum est, quia erat aurora sive diluculum quando necdum sole, sed radiis ejus ad montes vel nubes reflexis apparentibus, adhuc aliquæ in aere restant tenebræ. Aurora enim est confinium lucis & tenebrarum; aut certe tenebræ erant dum domo egressæ sunt, lux autem & sol ortus, ut habet Marcus, cum venerunt ad monumentum. Ita Dionys. Alexandr. epist. ad Basilidem.

Sol ortus oriens Christo resurgente.

Aliam causam, sed symbolicam dat B. Petrus Chrysol. serm. de Resurrect. *Erant*, ait, *juxta naturam tenebræ, & tamen dicitur orto sole, quia eo die* (quo Christum resurrexit) *sol quasi Christo resurgenti congratulans, antelucanus fuit, & prius solito exortus est*. Ita ipse, penes quem hujus rei fides sit. Favet Chrysologo Remigius dicens: *Prædicatur noctis illius dignitas: alioqui enim vespera non lucescit, sed obtenebrescit in noctem: sed Domi-*

A *Dominus noctem illam totam hanc suæ resurrectionis festivam & consecram reddidit.*

Sabbata id est sabbatum.

SABBATI] Græce est, σαββάτων, id est sabbatorum, hoc est sabbati, ut vertit Noster, Syrus, Vatabl. & alii, imo sic habet Evangelium Hebræum Matthæi, quod circumfertur, scilicet שבת *sabbat*, id est sabbati. Nam *sabbatum* in Scriptura sæpe vocatur *sabbata* in plurali, tum quia sabbatum, crebro & pluries per singulos annos & menses recurrebat, erantque plura sabbata, scilicet quolibet mense quatuor, quolibet anno 52. quæque enim hebdomada suum habebat sabbatum: tum quia in sabbato multa erant sabbata, id est quietes multæ; quiescendum enim erat ab omni omnino opere. Sanctissimum enim erat festum sabbati. Sic Lucas Actor. 19. vers. 14. ait: *ingressi synagogam die sabbatorum* (id est die sabbati. Et cap. 16. 13. *Die autem sabbatorum* (id est die sabbati) *egressi sumus*. Hinc & omnes quatuor Evangelistæ hoc loco in Græco vers. 1. vel 2. sabbatum vocant *sabbata* in plurali, quod
B alias vocatur σάββατον, in singulari, per ο, non per ω; uti nonnulli putarunt. Adde tertiam rationem huic loco propriam, nimirum sabbatum hoc vocari *sabbata* in plurali, quia magnus hic erat dies sabbati, ut ait Joannes cap. 19. v. 31. tum quia erat hoc sabbatum paschale, sive incidens in hebdomadam Paschæ, quæ tota erat festa: tum quia hoc sabbato Christus Dominus requievit in sepulchro, ac eo exacto resurrexit.

QUÆ LUCESCIT] Dices, Cur dicit *quæ*? dicendum enim erat *qui*, scilicet vesper, ut præcessit. Resp. Dicit *quæ*, quia respicit non ad nomen significans, sed ad rem nomine significatam. Græcum enim ἑσπέρα, id est vespere, sero, tarde, significat vesperam sive noctem, quæ terminatur & lucescit in aurora sequentis diei Dominicæ: alioqui præcise loquendo τὸ ἑσπέρα, sicut & τὸ *vespere*, non est nomen, sed adverbium; quod tamen in se includit & significat nomen, scilicet vesperam & noctem, ad quam refertur pronomen *quæ*. Rursum τὸ *vespere* potest accipi ut nomen, quod non tantum masculini est generis, sed & feminini, ut patet ex illo Virgilii 1. Georg.

Illic sera rubens accendit lumina vesper.

C Ita Ambros. Calepinus; licet alii τὸ *sera* referant ad *lumina*. Ergo τὸ *quæ* refert vesperam, id est vesperam sive noctem, quæ lucescit, id est, desinit in lucem sequentis diei.

Hinc liquet has mulieres venisse ad sepulchrum in aurora & diluculo: ad hoc enim urgebat eas tum amor Christi, ut ad eum festinarent & diem prævenirent; tum timor Judæorum, ne, si clara luce venissent, a Judæis Christo infensis visæ, male ab eis fuissent acceptæ. Porro directe Matthæus hic narrat tantum tempus adventus mulierum ad sepulchrum: indirecte tamen innuit quoque tempus, quo Christus resurrexit; scilicet in aurora paulo ante adventum mulierum, uti habet communis Doctorum & Ecclesiæ sensus, quem S. Hieron. & Aug. probant ex illo psalm. 56. 9. *Exurgam diluculo*, & Euseb. lib. 10. de Demonstr. Evang. c. ult. titulum psalm. 21. *pro susceptione matutina*: interpretatur de resurrectione Christi, quæ mane est peracta.

Christus resurrexit in aurora.

Communis ergo sententia est, Christum post mediam
D noctem ante solis ortum die Dominica resurrexisse: alioqui enim a mulieribus inventus fuisset mortuus: idque ad hoc, ut, sicut ante 33. annos eodem tempore erat natus ex B. Virgine, ita & jam renatus per resurrectionem, novus justitiæ Sol orbi illuceseeret. Unde & olim Christiani post mediam noctem in die Paschæ, solvebant jejunium & vigiliarum cœtum, ac magna lætitiæ signa edebant. Ita Euthym.

Porro non videtur Christus statim a media nocte resurrexisse. Nam Marcus c. 16. 9. pressius ait Christum mane resurrexisse, idque plerique Patres docent, quos citat Suarez 3. p. disp. 46. sect. 2. imo Ecclesia in hymno Paschali dum ita orditur: *Aurora lucis rutilat*, &c. *Cum rex ille fortissimus, mede conculcans tartara*, &c. *Victor surgit de funere.*

IN PRIMA SABBATI] Id est, die prima post sabbatum, id est, die Dominica. Hebræi enim a sabbato, utpote sanctissimo, denominabant omnes hebdomadæ dies. Sic secunda sabbati, id est post sabbatum, erat feria secunda; tertia sabbati, erat feria tertia, sive dies Martis, & ita de cæteris. Hinc tota hebdomada vocabatur quoque sabbatum, ut *jejuno bis in sabbato*, id est in hebdomada, Lucæ 18. Sic hic *prima sabbati* accipi potest prima dies hebdomadæ, puta Dominica, de cujus veneratione & cultu ita scribit S. Augustin. serm. 251. de Temp. *Dominicum diem Apostoli & Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit. Qui ideo Dominicus appellatur, ut in eo a terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus, dantes scilicet huic diei honorem & reverentiam, propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illo. Nam sicut Dominus resurrexit a mortuis, ita & nos resurrecturos speramus*, &c. Item: *Dominicus*, inquit, *dies est primus dies sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt angeli*. Plura vide apud eumdem serm. 254. E

MARIA MAGDALENE, ET ALTERA MARIA] Scilicet uxor Cleophæ, & mater Jacobi. Hæ fuere duces & antesignanæ cæterarum, quæ Christum comitari solebant: plures enim alias fuisse patet ex Luca 23. 55. & seq. ubi inter alias nominat Joannam uxorem Chusæ procuratoris Herodis, & Marcus addit Salomen. Porro hisce non aderat B. Virgo Deipara, quia certo sciebat & exspectabat Christum eodem die resurrecturum: unde sciebat unctionem hanc fore frustraneam. F

Moral. disce hic Christum se, suamque gratiam & gloriam revelare animabus illis, quæ ipsum bonis operibus orationis, pœnitentiæ, charitatis ungere satagunt, ut in iis illas animet & roboret. Unde S. Gregorius hom. 21. *Illæ mulieres*, ait, *angelos vident, quæ cum aromatibus venerunt, quia videlicet illæ mentes supernos cives aspiciunt, quæ cum virtutum odoribus ad Dominum per sancta desideria proficiscuntur.*

VIDERE (græce θεωρῆσαι, id est spectare, contemplari) SEPULCHRUM] ut scilicet Christum ungerent, uti ait Marcus 16. 2. ad hoc enim cum Christus a Josepho sepeliretur, spectarant & considerarant formam & modum, quo Christus collocatus erat in sepulchro, scilicet ut post sabbatum redeuntes, possent commode & decore eum ungere. Quare verisimile est, eas nescivisse de custodia militum a Judæis adhibita sepulchro, deque ejus obsignatione, sed antequam hæc duo fierent, illas a sepulchro domum rediisse. Nam si hæc duo G scivissent, non ausæ fuissent venire ad sepulchrum, ne in custodes incidirent, multo minus sigillum effringere. Sed Deus ipsis insciis ante earum adventum, utrumque hoc impedimentum amovit, ut patebit ex sequent. Hinc disce heroica opera ambire ad Dei gloriam, ac certo confidere, quod Deus obices omnes obstantes vel tollet, vel superare non faciet.

Mystice, Beda in cap. 24. Lucæ: *Per hoc*, inquit, *quod mulieres valde diluculo veniant ad monumentum, datur nobis exemplum discussis vitiorum tenebris, ad Domini corpus accedere. Nam & sepulchrum hoc figuram Dominici habebat altaris, in quo corporis Christi mysteria non in serico, non in panno tincto, sed instar sindonis, quo eum Joseph involvit, in linteo puro debent consecrari: ut sicut ipse veram terrenæ naturæ substantiam pro nobis morti obtulit, ita & nos in commemoratione ipsius, parum de terræ germine, candidumque, & multitudo quasi mortificationis genere castigatum, altari linum imponamus. Aromata autem, quæ mulieres deferunt, significant odorem virtutum & orationum suavitatem, quibus altari appropinquare debemus.* H

Nota. Hæc fuit series resurrectionis Christi, Primo, Christus in passione fuit per 18. circiter horas. Nam fe- Series passionis & resurrectionis Christi.
ria quinta ad vesperam comedit agnum, lavit pedes, instituit Eucharistiam, & prolixum habuit sermonem de charitate, Joan. 13. & seq. ac tandem ivit in Gethsemani: quæ omnia facile exigunt tres horas. Quare sub horam mortis tertiam in Gethsemani cæpit contristari & orare, ut calix transiret a se. Inde si computes horas omnes usque ad horam tertiam pomeridianam feriæ sextæ, quâ mortuus est Christus, inveniens horas 18. ubi moraliter disce quam tempus passionis Christi & Christianorum sit breve, tempus vero resurrectionis & gloriæ longum, quia æternum. Tam liberalis est Deus, tam modica est passio, tam longa merces & gloria: *Momentum est quod cruciat, æternum quod delectat.* Christus per 18. horas passus est, sed in æternum erit gloriosus.

Secundo, Christus moriens hora tertia pomeridiana, illico quoad animam descendit in infernum, corpus vero e cruce depositum fuit totum & sindone involutum, ita ut ante noctem (erat enim nox sabbati, in qua quiescendum

Digitized by Google

A ſcendum erat Judæis ob omni opere) ſepultus ſit. Quare fuit in inferno per 36. circiter horas (in ſepulchro vero 33.) tot enim ſunt, ſi numeres tres horas reſiduas a tertia pomeridiana, uſque ad noctem feriæ ſextæ, & horas 24. ſabbati, ac novem noctis Dominicæ. Videtur enim Chriſtus reſurrexiſſe poſt mediam noctem ante auroram: puta ſub horam nonam noctis: nox enim erat tunc qualis diei, puta 12. horarum, quia erat circa æquinoctium. Quare mirum eſt S. Auguſt. lib. 3. de Trinit. c. 6. a morte Chriſti uſque ad ejus reſurrectionem numerare 40. horas, a ſepultura vero uſque ad reſurrectionem 36.

Tertio, Chriſtus illico ut comparuit in inferno, puta in limbo, Adæ, Abrahæ cæteriſque patribus & Prophetis, oſtendit non tantum animam ſuam, ſed & deitatem ei conjunctam: quare eos viſione divinitatis ſuæ beavit: tunc ergo infernus erat quaſi cælum. Unde Chriſtus ait latroni ituro ad Chriſtum in limbo: *Hodie mecum eris in paradiſo*.

B Quarto, ſub horam nonam noctis Dominicæ Chriſtus cum patribus egreſſus ex inferno, venit ad ſepulchrum, ibique eis oſtendit corpus ſuum totum defiguratum, lividum, cruentum, diſciſſum, &c. pro ipſis, ac mox purgans hoc corpus ab omni livore, ſanguine, unguento, &c, rurſumque mittens angelos (licet nonnulli opinentur hæc omnia facta eſſe, non per angelos, ſed per ipſam animam Chriſti, quæ hanc vim habuit ex unione hypoſtatica cum Verbo: ita Suarez 3. part. 1. diſp. 45. ſect. 2.) qui ſanguinem ſuum in flagellatione, & per iter ſparſum, item pilos vulſos, &c. colligerent; eum collectum rurſum indidit venis corporis, ac illud anima Chriſti glorioſa introiens ſibique uniens animavit, vivificavit & glorificavit, Gloriam enim ſuam quaſi ſol per radios in illud transfudit, præſertim in quinque plagas, quæ clarius cæteris membris reſplenduerunt.

Quinto, multis e Patribus, ut Abrahæ, Iſaac, Jacob, Moſi, Davidi, &c. ſuum corpus reſtituit, ut eos participes faceret ſuæ reſurrectionis & gloriæ, ejuſque teſtes apud Judæos, ut patet Matth. 27. 53.

C Sexto, Chriſtus reſurrexit penetrans lapidem tegentem ſepulchrum. Mox deſcendit angelus terræ motum excitans, lapidemque a ſepulchro removens, ut cuſtodes excitaret, & mulieribus aditum ad ſepulchrum pateſaceret.

Septimo, mox apparuit glorioſus B. Virgini matri ſuæ, eique oſtendit Patriarchas, qui jam reſurrexerant, qui omnes eam honorifice ſalutantes miro repleverunt gaudio. Deinde apparuit S. Magdalenæ perſeveranti apud ſepulchrum, &c.

Tropologice, diſce hic, quam religioſe ſepulchra & reliquias Chriſti, Martyrum, aliorumque Sanctorum venerari, ornare & colore debeamus. Cauſas quatuor punctim aſſignat S. Ambroſius ſerm. de SS. Nazario & Celſo: *Honora*, inquit, *in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices. Honore viventis memoriam perennitate virtus. Honora per confeſſionem Domini ſacratos cineres. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Non ſunt contemnenda*, ait S. Auguſt. *corpora juſtorum, quibus tamquam organis & vaſis ad omnia opera bona ſanctus uſus eſt Spiritus.* Vide S. Chryſoſt. hom. ult. in epiſt. ad Romanos in Morali.

D VERS. 2 Terræ motus. 1. Cauſa Prima. ET ECCE TERRÆMOTUS FACTUS EST MAGNUS. ANGELUS ENIM DOMINI DESCENDIT DE CÆLO: ET ACCEDENS REVOLVIT LAPIDEM, ET SEDEBAT SUPER EUM] *Terræ motus*. Cur? Reſp. Primo, ut eo ſignificaretur potentia, gloria & magnificentia Chriſti reſurgentis, quaſi Dei, qui nutu concutit orbem, dominantis inferis, cælo & terræ. Terræ motu enim Deus in Sina & alibi ſuam præſentiam & potentiam oſtendit; juxta illud: *A facie Domini mota eſt terra*; pſal. 113. 7. Et: *Deus cum egrederis in conſpectu populi, cum pertranſires in deſerto, terra mota eſt*, pſal. 67. 8.

Secunda. Secundo, ut mulieres angelum non tantum ex ſua auguſta luce & ſpecie, ſed ex hoc terræ motu agnoſcerent, faciliuſque reſurrectionem Chriſti ab angelo nunciatam crederent: præſertim quia hoc terræ motu angelus revolvit lapidem ab oſtio ſepulchri, ut mulieres illud ingrederentur, ac vacuum ſepulchrum cernentes Chriſtum reſurrexiſſe ſcirent. Ita S. Chryſoſt. Auguſt. Theophyl. & alii.

Tertia. Tertio, ut milites ſepulchri cuſtodes nocturno frigore torpentes, vel dormientes excitarentur, ac teſtes eſſent Chriſtum divina virtute reſurrexiſſe, *ut timore terræ motus erecti*, ait Euthymius, *& horrore ejus, qui lapidem revolverat, conſternati ſugerent, & hæc Judæis nunciarent, ac teſtes ipſi fierent veritatis*. E

Symbol. Symbolice, terra, quæ in Chriſti morte præ horrore contremuit; in ejus reſurrectione præ gaudio quaſi ſubſiliit, ac reſurgenti congratulata applauſit. Sic in S. Paulini Nolani Epiſcopi & aliorum Sanctorum felici morte & tranſitu in cælum, legimus terram concuſſam exiliiſſe. *Magnus* adeo, *ut cuncta concuteret, & everſionem terræ funditus minaretur*, ait S. Hieron. Sic in morte Chriſti tota terra contremuit, ut dixi cap. 27. verſ. 51.

ANGELUS ENIM DOMINI] *nam enim* ſignificat terræ motum, qui præceſſit, factum per angelum, ac cum eo revolutum fuiſſe lapidem. Franciſcus Lucas & alii cenſent hunc angelum fuiſſe Gabrielem, qui juxta nomen ſuum adminiſter eſt fortitudinis Dei, ac ejus opera exequitur. *Gabriel* enim idem eſt, quod fortitudo Dei. Non dubium eſt plures illi angelos adfuiſſe, & per triduum cuſtodiſſe ſepulchrum, ac in eo adoraſſe ſacrum Chriſti corpus, utpote deitati hypoſtatice unitum. Sic naſcente Chriſto, cum angelo nunciante paſtoribus Chriſti ortum, *facta eſt multitudo militia cæleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelſis Deo*, Lucæ 2. 13. Sicut enim ibi Chriſtus ex virgine natus, ita hic e ſepulchro reſurgens vi Spiritus ſancti renatus eſt, & quaſi regeneratus. F

Angelus ut juvenis apparuit. Cur? Cauſa, Prima. Porro angelus hic apparuit ſpecie juvenis, ut ait Marcus. Primo, quia juventus ſignificat angelorum vigorem, decorem & robur juge & perennans: quo fit ut numquam laſſeſcant, vel deficiant, aut ſeneſcant, ſed ſemper vegeti, vivaces, celeres & agiles perdurent. Hinc pinguntur quaſi juvenes alati. Ita S. Dionyſ. de Cæleſt. hier.

Secunda. Secundo, quia angelus hic repræſentabat Chriſtum, qui erat juvenis: mortuus enim eſt & reſurrexit anno ætatis 34.

Tertia. Tertio, juventus ſignificat eum eſſe validum & bellicoſum, ut contra cuſtodes dimicet. Juvenes enim ſunt optimi, audaciſſimi, expeditiſſimi & robuſtiſſimi milites. Unde poeta. G

Ἔργα νέων, πολεμήϊα νεικέων, ἡλικίη γερόντων,
id eſt, *Opera ſunt virorum, bella juvenum, conſilia vero ſenum*.

Denique juventus repræſentat pulchritudinem, vivacitatem, immortalitatem, agilitatem, gloriam corporis glorioſi, quod Chriſtus in reſurrectione aſſumpſit.

ET ACCEDENS REVOLVIT LAPIDEM] ſepulchri Chriſti, non ut Chriſtus ex eo reſurgeret: Chriſtus enim jam ante clauſo ſepulchro illud vi divina per dotem ſubtilitatis penetrando, reſurrexerat: ſed ut Chriſtum Deum ac Dominum ſuum jam reſurrexiſſe mulieribus oſtenderet, dum eis pandens aditum ad ſepulchrum, illud corpore Chriſti vacuum monſtravit: Chriſtus enim ſicut ex clauſo Virginis utero natus eſt, ſic & e clauſo ſepulchro reſurrexit.

Audi S. Aug. ſer. 138. de temp. *Judæi perfidi*, ait, *monumenti lapidem ſignaverunt, ut non haberet Chriſtus egreſſum: ſed quomodo de ſepulchro exire non poſſet, qui ex incorruptis matris viſceribus ſalva virginitate proceſſit? Fefellit cuſtodes, exilivit de ſepulchro, apparuit diſcipulis januis non apertis: inde clauſus exiit, huc excluſus intravit*. Sic & Euthym. Chryſoſt. Theophyl. hic, ac S. Hieron. ad Hedibiam q. 6. Nyſſen. orat. 2. de Reſurr. Juſtin. quæſt. 117. ad Orthodoxos, S. Epiphanius orat. de ſepultura Chriſti, Chryſologus ſerm. 75. Nazianz. tragœdia de Chriſto patiente, & alii paſſim. Quare quod S. Leo epiſt. 83. ad Monachos Palæſtinos ait Chriſtum *revoluto lapide* die tertio ſurrexiſſe, τὸ *revoluto lapide* non cauſam, ſed ſignum, effectum & argumentum non phantaſticæ, ſed veræ reſurrectionis Chriſti ſignificat. Agit anim contra eos, qui Chriſtum phantaſma, ac omnia opera ejus phantaſtica fuiſſe dicebant, ut ipſe ſe in ſequenti explicat. H

Hinc contra Calvinum Chriſtum ſub parva hoſtia contineri evincitur. Hinc collige contra Calvinum noſtroſque Novantes, ſimili Dei omnipotentia poſſe totum Chriſtum in Euchariſtia contineri ſub parva hoſtia. Si enim Chriſtus penetrando lapidem ſepulchri potuit eſſe in eodem loco cum lapide: ergo in eadem hoſtia poſſunt ſimul eſſe magna & plura membra Chriſti. Calviniſtæ, ut hoc telum effugiant, reſpondent lapidem ſepulchri inſtar ceræ mollefactum defluxiſſe, itaque Chriſto reſurgenti locum aperuiſſe & ceſſiſſe. Verum ridiculum hoc eſt eorum

Digitized by Google

rum figmentum, ac communi Patrum, Doctorum & Ecclesiæ sensui, quod Christus e clauso sepulcho resurrexerit, ex diametro repugnans. Adde, si Deus potest lapidem durum in mollem ceram vertere, cur non potest & corpori spiritualem existendi, & lapidem penetrandi modum tribuere?

Unus sepulchri lapis, non duo.

LAPIDEM] Putant aliqui duplicem fuisse sepulchri lapidem, primum exteriorem, qui exterius sepulchri ostium claudere; alterum interiorem, qui proprie ipsum sepulchrum obturaret. Sepulchrum enim Christi erat in crypta quasi in camera sive cubiculo, ita ut camera suum haberet ostium, & sepulchrum quoque suum. Ita S. August. lib. 3. de Consensu Evang. c. 24. Beda, Borchardus, & Maldonatus. Verum Evangelistæ non nisi unius lapidis meminerunt, scilicet ejus, qui exterius cryptæ ostium claudebat; interius enim sepulchrum a parte Australi patens erat, ideoque ostio & lapide carebat, uti liquet ex ejus idea, licet Borchard. in Descript. terræ sanctæ contrarium censeat; scilicet lapidem hunc claussisse ipsum sepulchrum interius, non cameram exteriorem. Vere Chrysolog. ser. 74. *Lapis*, inquit, *advolutus probavit mortem, revolutus extitit resurrectionis assertor*. Et Severianus in Catena: *Non dicit, Volvit, sed, Revolvit lapidem, quia lapis advolutus probavit mortem, & revolutus extitit resurrectionis assertor. Mutatur hic ordo rerum. Sepulchrum mortem, non mortuum devorat; domus mortis mansio fit vitalis, uteri nova forma mortuum recipit, reddidit vivum.*

Hujus rei typus fuit Samson, qui ingressus Gazam, obsessus a Philistæis custodientibus portam, media nocte surrexit, portasque abstulit in montis verticem: quia, ut explicat S. Gregorius hom. 21. *Redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed & ipsa inferni claustra destruxit: portas tulit, & montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo celorum regna penetravit.*

Sedit angelus quatuor de causis.

ET SEDEBAT SUPER EUM] non quasi fessus ex labore amovendi lapidem a sepulchro, sed ut ostenderet, Primo, se esse qui lapidem revolvisset: Secundo, ut mulieres adventantes placide exciperet, & contra custodes tueretur: Tertio, *ut esset custos sepulchri Dominici*, ait S. Hieron. ne quis videns illud vacuum, aliud cadaver in illud inferret itaque diceret Christum non resurrexisse. Quarto, ut milites custodes terreret. q. d. Vos armati ad sepulchrum vigilatis, ut illud, & Christum in eo quasi clausum, ne resurgere queat, custodiatis: en ego cælitus missus illud reseravi, ac Christum ex eo clauso vobis invitis resurrexisse ostendi. Accedite ad me, si audetis, & in me insurgite, ego sedens & securus vos exspecto, vosque omnes, si accedatis, levi attactu prosternam, & quasi pulices conficiam.

Symbolicas sessionis angeli causas dat hic S. Thom. *Sedebat*, ait, *cui nulla inerat lassitudo, ut fidei doctor, ut resurrectionis magister: sedebat super petram, ut soliditas sedentis daret credentibus firmitatem; ponebat angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus. Vel per lapidem monumenti potest designari mors, qua omnes premebantur: per hoc ergo quod angelus super lapidem sedit, significatur, quod Christus mortem sua virtute subjecit*. Audi & Bedam: *Sedebat, ut sedendo significaret eum superato mortis auctore sedem regni jam conscendisse perpetui: sedebat autem super lapidem revolutum, quo ostium monumenti claudebatur, & claustra inferorum ipsum sua virtute dejecisse doceret.*

Tautologia prima.

Dices, Quomodo Matthæus & Marcus ajunt angelum sedisse, cum Lucas dicat eum stetisse? Resp. Stare, per hebraismum competit cuilibet situi; tantum enim significat rem esse præsentem, sive recta consistat, sive sedeat, sive jaceat. Sic de Magdalena jacente ad pedes Christi, eosque lavante & ungente, ait Lucas 7. 37. *Stans retro secus pedes ejus lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat; stans*, id est, jacens. Adde, aliam esse narrationem Matthæi & Marci a narratione Lucæ, uti mox dicam.

Dices Secundo, Quomodo Matthæus ait angelum sedisse super lapidem revolutum, id est, extra sepulchrum, ibique visum a custodibus, cum Marcus dicat mulieres non extra, sed introeuntes in monumentum, id est, intra sepulchrum vidisse angelum? Resp. Angelum primo removisse lapidem, qui ostium cryptæ, in qua erat sepulchrum, claudebat exterius, & tum intuitum custodes, qui erant exterius, eos exterruisse, & in fugam compulisse, ne ipsi arcerent feminas ab aditu sepulchri; deinde ingressum esse ipsum sepulchrum, ibique visum a mulieribus, ut eis ostenderet sepulchrum vacuum, ideoque Christum resurrexisse. Unde ait: *Surrexit sicut dixit; Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus*. Ita Theophyl. Aut potius alius fuit angelus, de quo Matthæus, ab angelo, de quo Marcus. Angelus enim Matthæi sedebat super lapidem extra sepulchrum, ac mulieres jussit ingredi sepulchrum. Ingressæ ergo illæ sepulchrum, viderunt ibidem alium angelum, de quo Marcus, qui idem prorsus dixit & confirmavit, quod prior angelus Matthæi dixerat extra sepulchrum. Ita Barradius.

Verum dico, idem prorsus dici a Marco cum eo, quod dicit Matth. Solet enim Marcus Matthæi esse assecla & interpres. Quare quod Marcus ait, *Introeuntes in monumentum*, sic accipe, q. d. Cum pararent vel inciperent ingredi monumentum: necdum enim illud ingressæ erant, sed adhuc extra illud erant, ibique viderunt & audierunt angelum, ut habet Matthæus. *Introire* enim hic, ut & alibi significat actum inchoatum, non perfectum. Si velis significare actum perfectum, dicito cum S. Augustino lib. 3. de Consensu Evangel. cap. 24. & Franc. Luca, mulieres introisse in monumentum, id est, in vestibulum vel septum, quod erat ante monumentum, quodque illud dividebat & separabat a reliquo horto; ab eo enim decebat sepulchrum sepe vel septo quopiam sejungi. Porro quod Lucas c. 23. ait, mulieres in monumento vidisse & audisse duos angelos, alia & diversa est narratio ab hac narratione Matthæi & Marci, de qua inferius suo loco & ordine dicam.

VERS. 3 Angelus ut fulgur, Cur? Causa Prima.

ERAT AUTEM ASPECTUS EJUS SICUT FULGUR, ET VESTIMENTUM EJUS SICUT NIX] *Sicut fulgur*. Cur? Resp. Primo, quia fulgur affine est, & optime repræsentat naturam & dotes angelorum. Fulgur enim est splendidissimum, celerrimum, efficacissimum, & pluspquam igneum omnia pervadit & sternit. Hac de causa de Cherubinis Dei currum triumphalem stipantibus dicitur Ezech. 1. 14. *Ibant & revertebatur in similitudinem fulguris coruscantis*. Et psalm. 102. quem citat Paulus Hebr. 1. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*.

Secunda.

Secundo, fulgur significat gloriam angelorum, quæ divinæ cognitionis fulgure coruscat; fulguri enim natura quasi est spiritualis & cælestis origo, æque ac angelis, tam quoad naturam, quam quoad gratiam & gloriam. Rursum fulgur significat gloriam Christi resurgentis; corpus enim Christi glorioſum radiabat ut fulgur. Angeli enim cum apparent, ea specie apparent, quæ convenit rei, propter quam apparent. Cum ergo hic angelus appareat ut repræsentet resurrectionem glorioſam Christi, hinc facies ei fulgurabat. Fulgur enim est fulgidissimum, fortissimum, subtilissimum & agillimum. Unde optime repræsentat quatuor dotes corporis glorioſi tam Christi quam Beatorum; scilicet claritatem, impassibilitatem, subtilitatem & agilitatem. Per resurrectionem enim Christi *infirmitas*, ait S. Leo serm. de Ascens. *in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam*.

Fulgur repræsentat quatuor dotes corporis glorioſi.

Tertia, item zeli, terrorem & iram angeli.

Tertio, & magis apposite, fulgur repræsentat zelum, terrorem & iram angeli, contra impios Judæos & milites custodes sepulchri, volentes impedire Christi resurrectionem: fulgur enim est symbolum belli acris & celeris, ac bellatorum acrium & ardentium. Fulgur enim jungitur cum tonitru, ex eoque quasi flamma erumpit. Unde fulgur dicitur filius tonitrui. Gabriel ergo hic inducitur ut Mars quidam fulgurans & fulminans, ac suo robore quasi fulmine omnia penetrans, dejiciens, afflans, incinerans, ut custodes percellat. Unde iis solis apparuit ita effulgurans, ut in eos videretur velle insilire: mulieribus vero fulgur hoc attemperavit, ac vultum glorioſum quidem, sed blandum & jucundum ostendit. Beati enim apparent singulis ea specie & forma, qua ipsi volunt: quare mulieribus apparuit duntaxat candidatus, scilicet indutus stola candida, ut habet Marcus cap. 16. 3. Sic idem Gabriel Danieli cap. 10. 5. repræsentans robur & victorias Machabæorum contra Antiochum Epiphanem, apparuit fulgurans: *Facies ejus*, inquit, *velut species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens*. Audi S. Gregor. hom. 21. in Evangel. *In fulgure*

Digitized by Google

A *gure etenim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris: quia vero omnipotens Deus est terribilis peccatoribus, & blandus est justis, recte testis resurrectionis ejus angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie terreret reprobos & mulceret pios. Unde recte quoque populum per deserta gradientem, columna ignis in nocte & columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube autem visionis lene blandimentum; dies vero vita justi, & nox accipitur vita peccatoris.*

Prædicatores sint sicut fulgura & tonitrua.

Tropologice, sancti & angelici prædicatores sint sicut tonitrua & fulgura, quæ peccatorum vitia tonando & fulminando conterant, affient & perdant. Sic de Basilio ait S. Gregor. Nazianz. in ejus funere: *Tonitruus, o Basili, erat sermo, at vita fulgur.* Sic Joannes & Jacobus a Christo vocantur Boanerges Marci 3. 17. id est, filii tonitrui, hoc est tonantes & fulminantes contra impietatem & impios. Plura hac de re dixi Apoc. 4. v. 5.

B Anagogice, fulgur repræsentat ignem gehennæ, paratum impiis Judæis & custodibus Christi hostibus: quia fulgura sunt sulphurea, olentque ignem & sulphur; gehenna autem ardet igne & sulphure, Apocal. 20. 9. Isaiæ 30. 33. Hinc & Sibylla prædixit Antichristum ab angelo occidendum & afflandum fulmine, uti dixi Apoc. 19. v. 11.

Candoris symbola.

ET VESTIMENTUM EJUS SICUT NIX] Purum & candidum. Unde Marcus illud vocat *stolam candidam*, Lucas, *vestem fulgentem*. Candor hic & fulgor significat Primo, puritatem, innocentiam & castitatem angelorum: Secundo, gaudium & gloriam resurrectionis Christi, ac præsertim dotem claritatis. Audi S. Greg. hom. 21. in Evang. *Qui stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit. Candor etenim vestis splendorem nostræ denunciat solemnitatis. Nostræ dicamus, an suæ? sed ut fateamur verius, & suæ dicamus & nostræ. Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio & nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: & angelorum festivitas exstitit, quia nos revocando ad cælestia eorum numerum implevit. In sua ergo ac nostra festivitate angelus in albis vestibus apparuit, quia dum nos per resurrectionem Dominicam ad superna reducimur, cælestis patriæ damna reparantur.* Vide dicta Eccles. 9. 8. ad illa: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

C

VERS. 4 PRÆ TIMORE AUTEM EJUS EXTERRITI SUNT CUSTODES, ET FACTI SUNT VELUT MORTUI] id est, attoniti & *stupefacti instar mortuorum*, ait S. Hier. quia fulminantem angelum sibi necis fulmen minitantem, & quasi evibrantem cernebant. Timebant enim ne ab eo quasi a fulmine afflarentur, necarentur & in cineres redigerentur. Si angelus solo vultu fulgureo intuendo custodes, adeo eos perculit & stupefecit, quid fecisset si manus in eos injecisset, suumque robur exeruisset? Nam unus angelus hac ratione occidit una nocte 185. millia militum in castris Sennacherib, Isaiæ 37. v. 36.

Custodes sepulchri ab angelis exterriti.

VERS. 5 RESPONDENS AUTEM ANGELUS DIXIT MULIERIBUS: *Mar. 16. 6.* NOLITE TIMERE VOS] Dices, quomodo Matthæus & Marcus unum dumtaxat angelum a fœminis visum dicunt, cum Lucas duos visos asserat, qui mulieres consternatas aliis verbis, quam iis, quæ habet Matthæus & Marcus, consolati sint? Resp. aliam esse historiam & narrationem Lucæ ab hac Matthæi, ac posterius contigisse, uti inferius ostendam.

D

MULIERIBUS] Scilicet Magdalenæ, Mariæ Jacobi, Joannæ, & cæteris, ut habet Lucas 24. 10. Falluntur igitur qui putant, Magdalenam, viso sepulchro vacuo, illico recurrisse ad Apostolos, ut eis hoc nunciaret, nec vidisse angelos, sed eos dumtaxat visos fuisse a Maria Jacobi & cæteris. Joannes ergo c. 20. 1. dum solam Magdalenam nominat, eamque ad Apostolos recurrisse narrat, sub ea ceteras omnes socias intelligit. Magdalena enim erat dux & choraga omnium, Eva cum diabolo colloquens incurrit mortem, hæ vero cum angelo colloquentes invenerunt vitam. Audi Severianum in catena: *Surgente Domino terrenis redditur cæleste consortium, & mulieri, cui fuerat cum diabolo lethale consilium, fit cum angelo vitale colloquium.* Eyam imitantur magæ & sagæ, quæ cum diabolo colloquentes hauriunt mortem: Magdalenam vero imitantur pœnitentes, quæ angelos invocantes vitam nanciscuntur.

NOLITE TIMERE VOS] τὸ *vos* habet emphasin: *Cum ait: Vos*, inquit S. Chrysost. *multum id præ se fert honoris, & simul declarat eos, qui summa audacia facinus illud ausi fuerant patrare, nisi resipuerint, extrema passuros esse. Non enim vestrum est, inquit, metuere, sed illorum qui crucifixerunt.* Et S. Greg. hom. 21. in Eveng. *Paveant illi*, inquit, *qui non amant adventum supernorum civium: pertimescant qui carnalibus desideriis pressi, ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, qua vestros concives videtis?*

E

SCIO ENIM QUOD JESUM, QUI CRUCIFIXUS EST, QUÆRITIS] τὸ *enim* dat causam, cur angelo viso non debebant timere, sed exhilari, & gaudere, quia scilicet utrique amant & colunt Jesum crucifixum, eique famulantur & serviunt, q. d. angelus: *Ad illius obsequium venit, ad cujus vos venitis, & unum Dominum habemus, & unam voluntatem*, ait Christianus Druthmarus, qui ante septingentos annos scripsit in Matthæum, sub annum Domini 850. ac Rabano, Angelomo, Simeoni Metaphrasti & Haymoni fuit coævus.

Nominat *crucifixum*: tum ut ostendat se non erubescere, sed palam profiteri crucem & crucifixum, seque ejus esse servum, eo quod crux Christo ejusque asseclis summo sit honori & gloriæ, tum ut significet fructum crucis Christi, scilicet quod ipsa *caput & summa sit bonorum*, ait S. Chrysostomus, quodque per crucem Christus non solas feminas, cæterosque homines redemerit, sed & angelos exhilararit, imo eis gratiam & gloriam contulerit, uti censent graviores Theologi cum Francisco Suarez, sicut ostendi cap. 18. v. 12. & 13. Denique quod per crucem angelos hominibus, & cælum terræ reconciliarit, *pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*, ait Paulus Coloss. cap. 1. v. 20.

F

NON EST HIC: SURREXIT ENIM, SICUT DIXIT, VENITE, ET VIDETE LOCUM, UBI POSITUS ERAT DOMINUS] Syrus, *Dominus noster. Non est hic per præsentiam carnis*, ait S. Greg. *qui tamen nusquam derat per præsentiam majestatis.* Vers. 6 *Mar. 16. 6.*

SURREXIT ENIM] Græce ἠγέρθη, id est, evigilavit, excitatus, expergefactus est a morte, quasi e brevi levique somno, ad vigiliam lucis & vitæ: ἐγείρω enim est excito, expergefacio, suscito, erigo. Christo enim mors fuit instar somni, in sepulchro enim per 36. horas quasi dormivit, mox mane diei Dominicæ quasi expergefactus surrexit. Sic fiet & nobis. Quare sicut somnus est brevis quædam mors, sic & mors est longior quidam somnus. Unde Poeta:

G

Stulte quid est somnus, gelida nisi mortis imago?

Hinc Paulus 1. Corinth. 5. vita functos non vocat mortuos, sed *dormientes*, quia scilicet ex somno mortis omnes suscitabimur, & resurgemus ad vitam in die judicii.

Rursum ἠγέρθη, id est, evigilavit, sicut arbores in hieme quasi nudatæ & dormientes, evigilant in vere, cum frondere, florere & fructus producere incipiunt. Ita S. Hier. vel quisquis est auctor, in Marci c. 16. *Radix*, ait, *amara crucis evanuit: flos enim vitæ cum fructibus, erupit, id est, qui jacuit in morte, surrexit in gloria*; ac in eadem fideles suos resurgere faciet. Quare, ut ait S. Leo serm. 1. de Ascens. *Quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis.* Ipse enim *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, Phil. 3. 21. *Seminatur enim corpus in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, 1. Cor. 25. v. 42. Hoc sibi jugiter proposuerunt omnes Martyres & Sancti, ideoque hac spe roborati quoslibet labores, ærumnas, cruces generose superarunt, quorum primitiæ fuere Machabæi; lege eorum gesta & dicta 2. Machab. 7. nimirum *spes Christianorum est resurrectio mortuorum*, ait Tertull. l. de Resurrect. Et S. Aug. ser. de Ascens. *Nos*, ait, *mors Christi vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit.*

H

SICUT DIXIT] Urget angelus oraculum & promissum Christi. q. d. Christus, quem omnes habuistis ut sanctum & divinum Prophetam, prædixit & promisit se a morte die tertia surrecturum. Ergo credite eum surrexisse: nec enim tantus Propheta mentiri potuit aut voluit, præsertim cum jam videatis corpus e sepulchro abiisse & surrexisse, uti ego, qui sum angelus Dei vivi & veri,

annun-

A annuntio, & certissime assevero. Idem prædixit ipse per Davidem Psal. 15. dicens: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: quia, ut ait S. Petrus Actor. 2. 24. *Impossibile erat teneri illum ab eo* (inferno.)

Porro Christus prius resurrexit quam ungeretur a mulieribus, ut ostenderet se ea unctione non egere, utpote qui propria virtute resurgeret. Aliam causam moralem dat S. Bern. serm. 12. in Cant. quod mallet hujus unctionis pretium pauperibus quam sibi attribuere. *Proinde*, inquit, *Dominus Jesus paratam sibi confectionem expendi noluit in suo corpore mortuo, ut servaret vivo, id est, Ecclesiæ: ipsa est charius corpus Christi: quod ne mortem gustaret, morti illud alterum traditum fuisse, nullus Christianus ignorat, ipsum ungi, ipsum foveri desiderat, ipsius infirma membra cupit fomentis ac curationibus relevari: ipsi ergo pretiosa unguenta restinxit, cum anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum devotionem non elusit, sed instruxit*. Exemplum simile recensct S. Hier. epist. ad Rustic. *Exuperius*, inquit, B *Tolosæ Episcopus, vidue Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

VENITE, ingredimini mecum in sepulchrum; nam propter vos ingressuras ego lapidem grandem ab eo removi: ET VIDETE LOCUM UBI POSITUS ERAT DOMINUS] ut per ocularem inspectionem, ait Chrysost. videatis corpus ejus hic non esse, sed ex eo resurrexisse, *ut si meis verbis non creditis, vacuo credatis sepulchro*, ait S. Hieron. Angelus ergo præivit viam, & quasi dux introduxit mulieres in sepulchrum, eisque illud vacuum ostendit, ut ex eo Christum surrexisse non dubitent.

VERS. 7 Mar. 16. 7. ET CITO EUNTES DICITE DISCIPULIS EJUS, QUIA SURREXIT: ET ECCE PRÆCEDIT VOS IN GALILÆAM: IBI EUM VIDEBITIS, ECCE PRÆDIXI VOBIS] *Cito*, ut cito levetis & abstergatis discipulorum mœrorem conceptum ex morte Christi magistri sui, ac animos eorum mœstos erigatis, & gaudio repleatis per nuntium resurrectionis Christi lætissimum. Hoc enim accipere præ aliis meruere hæ mulieres, quia præ aliis Christi studiosæ ejus sepulchrum adierunt. Causam symbolicam dat S. Greg. hom. 25. dicens: *Quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulchro mulier viris annunciat vitam: & dicta sui vivificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narraverat. Ac si humano generi non verbis Dominus, sed rebus dicat: De qua manu vobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitæ.*

DICITE DISCIPULIS] Addit Marcus, *& Petro*, q. d. Et maxime Petro, & inprimis Petro; tum quia Petrus, absente Christo, erat primus, & princeps Apostolorum; tum quia Petrus, uti præ cæteris Christum diligebat, ita & præ cæteris in morte ejus mœrebat. Addit tertiam causam S. Greg. hom. 21. in Evang. *Quia*, inquit, *si hunc nominatim non exprimeret, qui magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet: vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Qua in re considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cuncta Ecclesia præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere & seipsum negare permisit. Quod nimirum magna actum esse pietatis dispensatione cognoscimus: ut is qui futurus erat pastor Ec-* D *clesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, ut ex sua infirmitate cognosceret quam misericorditer aliena infirma toleraret.*

PRÆCEDIT] Id est, præcedere decrevit, destinatque & de facto præcedet per dotem agilitatis, qua omnes anteverter. Unde Euthym. *præcedet*, ait, id est, *præveniet vos*, prius ibi erit quam vos.

Præcedet vos in Galilæam: Cur?

IN GALILÆAM] Cur? Resp. Primo, quia Galilæa erat Apostolorum patria, in quam ipsi post mortem Jesu redire cogitabant, ut apud suos commodius, & tutius agerent. Secundo, quia in Galilæa volebat se Christus omnibus discipulis convocatis, & congregatis palam ostendere: hos enim Judæi in Judæa congregati non permisissent: nam ipsi perpetuo Christum ejusque Apostolos fuerant persecuti, ut patet Joan. 11. 8. & seq. Unde Apostoli aversabantur Judæos, & Judæam, cupiebantque redire in Galilæam, ne in Judæa Judæorum metus perturbaret, ait S. Chrysost. Tertio, quia in Galilæa plerumque prædicaverat & miracula plurima patrarat Christus. Jubet ergo Apostolos eo redire, ut ex locis ipsis, in quibus prædicaverat, suorum dogmatum & miraculorum recordentur. E

Symbol. audi S. Greg. hom. 21. *Galilæa namque notat transmigrationem a morte ad vitam. Jam quippe Redemptor noster a passione ad resurrectionem, a morte ad vitam, a pœna ad gloriam, a corruptione ad incorruptionem transmigraverat. Et prius post resurrectionem in Galilæa a discipulis videtur: quia resurrectionis ejus gloriam post læti videbimus, si modo a vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulchro nunciatur, in transmigratione ostenditur: quia is, qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur.* Sed de Galilæa rursum dicendum v. 17.

Apparuit tamen Christus Apostolis quoque in Judæa, sed clam & obiter, uti mox videbimus: in Galilæa vero publice & diu. Audi S. Hier. epist. 150. ad Hedibiam qu. 7. *In altero* (in Jerusalem) *pro consolatione timentium videbatur, & videbatur breviter, rursumque ex oculis tollebatur; in altero* (in Galilæa) *autem tanta familiaritas erat, & perseverantia, ut cum ipsis pariter vesceretur. Unde & Paulus Apostolus refert eum quingentis simul apparuisse discipulis.* 1. Cor. 15. 6.

Hic jam ordine historico intexenda sunt quæ habet Lucas 24. 3. nimirum Magdalenam cum sociabus, dum invitante angelo ingressæ Christi sepulchrum, viderent illud vacuum, corpusque Christi abesse, partim ex ejus absentia, partim ex aspectu duorum angelorum ibi apparentium, vultum dejecisse, & consternatas fuisse: quare angelos earum timorem & consternationem erexisse, & simul earum diffidentiam, quod angelo priori dicenti Christum resurrexisse non plane credidissent, dutiuscula increpatione castigasse. Illam enim Lucæ narrationem non eandem esse cum hac Matthæi & Marci, ut nonnulli putant, sed diversam, liquet ex ipsis verbis, quæ plane diversa sunt. Item ex eo, quod in Luca duo angeli apparuisse dicuntur, hic vero in Matthæo, & Marco unus dumtaxat. Audi Lucam: *Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid queritis viventem cum mortuis? non est his; sed surrexit: recordamini qua-* G *liter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.* Græce est, ἐν ἱματίοις ἀστραπτούσαις, id est, in vestibus fulgurantibus, & instar fulguris coruscantibus, ut ex iis agnoscerentur non esse homines, sed cælites, ac simul Christi resurgentis & de morte triumphantis gloriam repræsentarent. Vide dicta v. 3.

ET EXIERUNT CITO DE MONUMENTO CUM TIMORE ET GAUDIO MAGNO, CURRENTES NUNCIARE DISCIPULIS EJUS] *Cum timore*, id est, cum sacro horrore, quem spirabat tum Christi sepulchrum, tum angeli fulgurantes, tum resurrectio Christi eis ab angelis nunciata, quæ eis utpote de Christi morte mœstis, deque eo ungendo cogitantibus, ut inopinata, ita pene incredibilis accidit: quare novus accessit timor, ne forte hæc angelorum visio phantasticum esset spectrum, quod illas deluderet, ac Jesu corpus furto sublatum foret. VERS. 8 Luc. 24. 9. Mar. 16. 8. Jo. 20. 2.

ET GAUDIO MAGNO] Quod angelos vidissent, & tam lætum ab eis resurrectionis nuncium accepissent. Habebant ergo alternantes animi motus timoris, & gaudii, H inter se confligentes & dimicantes, ut patebit ex seq. Ita S. Hier. *Duplex*, ait, *mentes mulierum tenebat affectus timoris & gaudii: alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis.* Et Euthym. *Cum timore*, ait, *ob admiranda quæ viderant: cum gaudio vero, ob lætum nuncium, quod audierant.*

CURRENTES NUNCIARE DISCIPULIS EJUS] Quomodo & quid nunciarint, tacet Matth. sed explicant Joan. & Lucas; verum diversimode. Joannes enim ait, Magdalenam tantum dixisse Petro: *Tulerunt Dominum meum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.* Lucas vero ait, illas omnia visa & audita, ac per consequens etiam visionem angelorum, narrasse Apostolis.

Dices, Unde hæc diversitas? Resp. Ex eo, quod hæ mulieres erant pavidæ, & dubiæ, ut jam dixi, ideoque nemini in via quidquam dixerunt, ut habet Marcus. Itaque quia ipsæ non certo, & firmiter credebant Christum resurrexisse, quod tamen ab angelis audierant; hinc

Digitized by Google

A alternantes earum cogitationes, similes & alternantes emittunt voces : modo enim visionem angelorum referunt, modo suam sententiam eloquuntur, qua putabant corpus Domini e sepulchro a quopiam esse sublatum. Hoc posterius, quia ab aliis Evangelistis prætermissum erat, idcirco solus idipsum narrat Joannes.

Ordo rei gestæ. Hic ergo ordine historico inferendum est, quod recenset Joan. 20. a vers. 2. usque ad 19. Verba ejus in pauca contraham, ut ordinem rei gestæ assignem, per quem inter se conciliantur Evangelistæ, qui alioqui videntur implexi & inter se diversi, imo contrarii: Ordo hic fuit: Magdalena cum sociabus visis auditisque angelis, e sepulchro cucurrit & rediit in Jerusalem, ut visa & audita nunciaret Apostolis. Iis auditis mox Petrus, & Joannes cucurrerunt ad sepulchrum: secuta est currentes Magdalena cum sociabus: Petrus & Joannes ingressi sepulchrum Christi, visis dumtaxat ejus linteis, mirantes domum redierunt. Redeuntes secutæ sunt sociæ Magdalenæ; sed Magdalena ipsa mansit apud sepulchrum, plorans ex metu, & desiderio inveniendi corporis Christi. Quare subinde respectans in monumentum, vidit duos angelos reverentiam exhibentes Christo, qui erat a tergo Magdalenæ. Magdalena ergo vertens se ut videret quis esset a tergo, cui reverentiam exhibebant angeli, vidit Jesum specie hortulani, ac audita ejus solita compellatione, *Maria*, eum agnovit, pedesque ejus tenuit, &c. quæ in Joanne explicanda sunt.

B Prima ergo sola Magdalena, ut est in Marco, vidit Christum resurgentem, utpote quæ amore Christi præ cæteris ardebat, ideoque ejus sepulchro indivulsa adhærebat. Mox Christo jubente Magdalena cæteras mulieres abeuntes festino gradu subsecuta, & assecuta, ibi cum eis rursum Christum vidit, & audivit salutantem. Ita S. Chrysost. Hieron. Theoph. Euthym. & alii. Unde sequitur.

VERS. 9. ET ECCE JESUS OCCURRIT ILLIS DICENS: AVETE. ILLÆ AUTEM ACCESSERUNT, ET TENUERUNT PEDES EJUS, ET ADORAVERUNT EUM] Sicut post aulicos sequitur rex, post sacerdotes, Pontifex: sic hic post angelos sequitur Christus, ac resurrectionem suam, quam angeli verbis asseruerant, ipso facto, ostendens se redivivum piis fœminis, confirmat. Volebat enim angelos ad hoc sternere sibi viam, tum ut facilius illæ crederent ipsum resurrexisse, tum ne, si sine præmonitione, ex inopinato se glorioſum eis spectandum exhiberet, eas percelleret & exanimaret.

C OCCURRIT] Quia ipsæ præ viris ipsum quærebant magno pietatis affectu & desiderio. Qui enim Jesum ardenter quærit, Jesum sibi amanter occurrentem invenit, juxta illud: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis*, Matth. 7. 7. ita S. Hier. *Quæ sic*, inquit, *quærebant, quæ ita currebant, merebantur obvium habere resurgentem Dominum, & primum audire, Avete, ut maledictum Evæ mulieris in mulieribus subverteretur.* In quam sententiam & Hilar. *Quod primum mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus advolvuntur, nunciare Apostolis jubentur, ordo in contrarium causæ principalis est redditus, ut quia a sexu isto capta mora esset, ipsi primum resurrectionis gloriæ & visus, & fructus, & nuntius redderetur.*

Tropolog. Rabanus: *Iter virtutum inchoantibus*, ait, *Christus adjuvando occurrit.* Porro Eva nobis perditionis & ploratus est mater. Unde notat quidam, infantes masculos, qui ex Adam nascuntur, plorando ingeminare *A*, quæ est prima littera Adæ: femellas vero vagiendo ingeminare *E*, quæ est prima littera Evæ, quasi suorum parentum lapsum, indeque suam ruinam deplorent. Hæ mulieres pro *Eva* audiunt *Ave*, quia resurrectionis, salutis & gaudii sunt administræ. Hinc B. Virgini Christiparæ, harum reginæ & principi accinimus: *Ave maris stella, Dei mater alma*, &c.

D A, prima vox nati masculi, E, vero femellæ.

AVETE] Græce χαίρετε, id est, gaudete, salvete; Syrus, *pax vobis*. Hæc enim est Hebræorum propria salutatio, quia nomine pacis omne bonum, omnemque felicitatem apprecantur: Arabicus, *lætamini*, quia me magistrum vestrum, quem morientem vidistis, jam redivivum videtis, ut eamdem, quam prius, vestri curam geram, ac ad similem resurrectionem gloriamque vos perducam. Ita exemplo Christi animæ beatæ & angeli, dum apparent hominibus, ingerunt ei lætitiam, fiduciam & gaudium, dæmones vero, & animæ damnatæ ingerunt E tristitiam, pavorem, & desperationem, faciuntque mœstos, anxios, perplexos, & desperabundos.

ILLÆ AUTEM ACCESSERUNT, tam amica salutatione Jesu allectæ: ET TENUERUNT, (Vatabl. *prehenderunt*) PEDES EJUS] id est, ex reverentia, & amore tantæ majestatis, ac ex gaudio tam novæ & glorioſæ resurrectionis Christi Domini dilectique sui complexæ sunt, constrinxerunt, & osculatæ sunt pedes illius. Docuit hoc illas facere suo exemplo Magdalena, quæ primo pœnitens pedes Jesu lavit & tersit, deinde post resurrectionem prima eosdem voluit tenere & osculari, Joan. 20. 17. Sic Sunamitis apprehendit pedes Elisæi, orans ut filium mortuum resuscitaret, 4. Reg. 4. 27. Sic fideles amplectuntur, & osculantur pedes Pontificis, æque ac virorum sanctitate illustrium. Christus hic se a feminis tangi permisit, ut eis se vere resurrexisse demonstraret, easque resurrectionis suæ testes & præcones efficeret. Unde Chrysost. *Postquam*, ait, *immensa cum lætitia ad eum accurrissent, per tactum resurrectionis documentum, & certitudinem acceperunt.* Et Euthym. *Illæ quidem ex desiderio & reverentia pedes tenuerunt: ipse vero non prohibuit, præstans ut per tactum certiores efficerentur, quod phantasma non esset.* F

ET ADORAVERUNT EUM] latria, quasi verum Messiam, sive Christum Dei Filium, qui vi deitatis suæ humanitatem suam e morte suscitasset, uti ipse vivens eis prædixerat. Visio ergo resurrectionis Christi illustravit, confirmavit, auxitque fidem divinitatis ejusdem, ac cæterorum mysteriorum, quæ a Christo dum viveret docente audierant, sed non pleno intellexerant. Quare cum Thoma, si non ore, certe corde dixerunt: *Dominus meus, & Deus meus.*

TUNC AIT ILLIS JESUS: NOLITE TIMERE; ITE, NUNCIATE FRATRIBUS MEIS, UT EANT IN GALILÆAM, IBI ME VIDEBUNT] *Nolite timere:* visio enim rerum supernaturalium & cælestium, uti erat resurrectio Christi, naturam ipsa intuentium, eorumque oculos, & animos concutit, eisque timorem, & horrorem sacrum injicit. Unde S. Hier. *Et in veteri*, ait, *& in novo testamento hoc semper observandum est, quod, quando augustior aliqua apparet visio, primum timor pellitur, ut sic mente pacata possint quæ dicuntur audiri.* VERS. 10

ITE, NUNCIATE FRATRIBUS MEIS] Christus jam glorioſus mira benignitate, ad dandum nobis humilitatis exemplum dignatur discipulos suos vocare *fratres*, ad eorum consolationem, ut eos mœstos & dejectos in spem animumque erigat. q. d. Dicite Apostolis, qui filii sunt unius ejusdem mecum Dei Patris, sed adoptivi per gratiam, cum ego sim filius naturalis per deitatem, quam ab eo accepi qua Deus, & per unionem hypostaticam cum deitate, quam ab eo accepi qua homo. Causam dat S. Chrysost. & ex eo Euthym. *Mulieribus autem*, inquit, *pro Apostolis usus est ad Apostolos, honorans genus, quod ex serpentis seductione infame factum fuerat. Et quia mulier viro facta est causa mœroris, nunc mulieres fiunt viris ministræ gaudii.* Perperam ex hoc dicto Christi collegit Lutherus, fœminis quoque licere concionari: aliud enim est nunciare, aliud concionari. Quod si Christus Magdalenæ dixisset: Concionate, ipsa concionari potuisset & debuisset. G

IBI ME VIDEBUNT] q. d. In Galilæa familiariter, crebro, diu, palam, & libere mea visione fruentur, mecum ore ad os colloquentur & agent, in Judæa non ita, etsi ibidem etiam quandoque eis apparaturus sim. Nam in Judæa Christus ipso die resurrectionis, sive Paschatis, sexies, hoc ordine apparuit. Primo, apparuit matri suæ Virgini Deiparæ, ut docet S. Ambros. lib. de Virgin. post principium, S. Anselm. libr. 6. de Excellentia Virginis, Rupert. lib. 7. Divin. Offic. c. 25. S. Bonavent. in Vita Christi cap. 87. Estque hic communis Doctorum & fidelium sensus, quem evincit tum Virginis præcedens dolor de passione & morte sui unigeniti; item merita & dignitas tantæ matris; tum amor, & pietas tanti filii erga talem matrem. Secundo, apparuit Magdalenæ apud sepulchrum, Marci 16. 9. & Joan. 20. 16. Tertio, apparuit eidem cum cæteris mulieribus redeuntibus Jerusalem in via, Matth. 28. 9. Quarto, apparuit Petro, Lucæ 24. 34. Quinto, duobus discipulis euntibus in Emaus, ibidem, Sexto, omnibus, puta decem Apostolis: Thomas enim aberat, Judas vero se suspenderat: ergo ex duodecim soli restabant decem, Lucæ 24. 36. H Christus sexies die Paschatis apparuit.

Post

Digitized by Google

A Post diem Paschatis vero, Primo, apparuit undecim Apostolis præsente jam Thoma ipsa octava Paschatis, quæ jam vocatur Dominica in Albis, Joan. 20. 26. Secundo, apparuit septem discipulis, inter quos erant Petrus, & Joannes, piscantibus in mari Galilææ, Joan. 21. 1. Tertio, apparuit in monte Galilææ multis, imo pluſquam quingentis fratribus, id est fidelibus, Matth. 28. 10. & 1. Cor. 15. 6. Quarto, apparuit Jacobo fratri Domini, ibidem. Quinto, apparuit omnibus Apostolis aliisque fidelibus in monte Oliveti, ascensurus in cælum, Act. 1. 9. Sexto, apparuit Saulo cum eum fecit Paulum, Act. 1. 9. Alias sæpius apparuit Christus, sed illas ejus apparitiones subticuerunt Evangelistæ.

VERS. 11 QUÆ CUM ABIISSENT, ECCE QUIDAM DE CUSTODIBUS VENERUNT IN CIVITATEM, ET NUNCIAVERUNT PRINCIPIBUS SACERDOTUM OMNIA QUÆ FACTA FUERANT] Hinc colligite milites sepulchri custodes, viso angelo fulgureo amovente lapidem, perculsos diffugisse, seque post sepes abdidisse, ibique stupefactos & pene exanimatos quasi immobiles hæsisse, ut se loco movere non possent, nec auderent, idque Dei consilio, ut ipsi ex latebris hisce viderent & audirent omnia, quæ de Jesu resurrectione angeli dicebant mulieribus, ut ipsi eadem pontificibus referrent, itaque fierent nuncii resurrectionis Christi. Quocirca custodes hosce, utpote in sepibus absconditos, nec viderunt mulieres, nec Petrus & Joannes a mulieribus adducti ad sepulchrum. Sed postquam omnis illa angelorum visio disparuit, cum jam mulieres a sepulchro in Jerusalem abiissent, ut ait hic Matthæus; milites hi huc usque timore, & stupore quasi colligati, sibi redditi sunt, ad se redeuntes adierunt sepulchrum, illudque vacuum videntes, consilio inter se inito, aliquos e suis miserunt ad pontifices, qui hæc omnia a se visa & audita iis narrarent: tum ut custodiæ suæ rationem ipsis redderent, ostenderentque sua incuria & culpa non accidisse, quod Christi corpus e sepulchro abierit, eo quod ipsi contra homines pugnare soleant; at contra cælites dimicare nequiverint: tum ut dispicerent pontifices, quid in futuro hac in re facto sit opus.

VERS. 12 ET CONGREGATI CUM SENIORIBUS, CONSILIO ACCEPTO PECUNIAM COPIOSAM DEDERUNT MILITIBUS] Vide hic perversitatem pontificum, & seniorum, qui non contenti Christum vivum occidisse, eum post mortem

C persequuntur, ac resurrectionem ejus abolere conantur; ut scilicet regant suum scelus & christicidium, neve aliquis in eos quasi christicidas insurgat, Christique necem ulciscatur. Fuit hoc diaboli consilium, qui eonabatur Christi scholam, & Ecclesiam, quam fore prævidebat, id est, Christianos omnes in Christo, soffocare. Quare *qui viventis sanguinem emerant*, ait Chrys. *eum qui de resurrectione erat crucifixi, & redivivi, rursus per pecunias, sermonem suffocant.* Corrumpunt enim pecunia custodes, qui erant testes veritatis, ait Euthym. ut fiant testes mendacii. Addit S. Hieron. eos hanc pecuniam ex templi ærario accepisse, ideoque illos sacrilege ipsa sacra abusos ad pretium mendacii, & perfidiæ. *Pecuniam*, inquit, *quæ ad usum templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut antea triginta argenteos dederant Judæ proditori.* Vide hic gradus peccatorum, quibus peccatores profundius descendunt assidue, donec in infernum ruant: unum enim peccatum, nisi pœnitentia deleatur, trahit ad aliud, & aliud, donec hominem trahat ad tartara, juxta illud Isaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri*

D *peccatum.* Vide ibi dicta de funibus, quibus peccata peccatis colligata sunt.

VERS. 13 DICENTES: DICITE QUIA DISCIPULI EJUS NOCTE VENERUNT, ET FURATI SUNT EUM, NOBIS DORMIENTIBUS] Intuere hic quam cæca sit pontificum perversitas: nam per eam auxerunt resurrectionis Christi famam, & fidem, quam conabantur extinguere, ait S. Chrysost. Dicunt enim ἀδύνατα, & incredibilia. Nam Primo, ait Remigius: *Si custodes dormierunt, quomodo furtum viderunt?* Et S. Augustinus in Psal. 63. *Dormientes*, ait, *testes adhibes. Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia fecisti.*

Secundo, discipuli Christi pavidi fugerant, & de sua salute solliciti in latebras se abdiderant, quomodo ergo ausi fuissent Christi corpus rapere, quod sciebant a tot militibus custoditi? Magna ergo cæcaque fuit malignitas seniorum, qui, ut ait Severianus in catena, *non consenti interfecisse magistrum, discipulos etiam perdere molliuntur*, ut scilicet in eos quasi Jesu, rei a se damnati, furtes Pilatus pœna capitis animadvertat.

Tertio, incredibile est milites Romanos adeo fideles & vigiles, ad unum omnes apud Christi sepulchrum obdormisse, præsertim, cum scirent de capite suo agi. Et esto omnes obdormissent, sane excitati fuissent strepitu lapidis grandis, qui e sepulchro ab Apostolis raptoribus corporis Christi amovendus erat, ac corporis Christi adeo magni compositione, involutione & exportatione. Ita S. Chrys. *Quomodo*, inquit, *furarentur qui nec apparere audebant? & si vivum adhuc videntes fugerunt, quomodo eo mortuo, milites non timuissent? & quare non prima potius nocte furati essent, quando nemo aderat? & si essent furati, an sudarium reliquissent? an in exeundo morarentur? Certe confirmant isti resurrectionem: confitentur enim corpus non esse in sepulchro: non esse autem sublatum, ostendit custodia militum, & pavor discipulorum.* Ergo *mentita est* hic *iniquitas sibi.* Quocirca vere & acute Severianus: *Discipulorum crimen esse faciunt*, ait, *virtutem magistri. Plane amiserunt milites, perdiderunt Judæi: sed discipuli magistrum suum non furto, sed fide; virtute, non fraude; sanctitate, non crimine; vivum, non mortuum sustulerunt.* Porro Severianus hic fuit Episc. Gabalensis, vir eloquentissimus, de quo Gennad. lib. de Vitis illustr. Fuit coævus & familiaris S. Chrysost. cujus invitatu subinde Constantinopoli concionatus est. Extat ejus concio tom. 5. operum S. Chrysost.

Dices, Quomodo custodes non timuerunt Christi resurgentis & angeli fulgurei, quem viderant, vindictam tanti sui mendacii, imo manifestam ejus confusionem, quod scilicet Christus se redivivum publice ostenderet? Resp. Jansen. Pontifices eis persuasisse, Christum non resurrexisse ad vitam communem, & corpoream, ut hominibus visibilis appareret, sed ad spiritualem, ut cum angelis ageret: aut certe non in Judæa, sed in Galilæa suis Galilæis dumtaxat appariturum. Verum planius dicas, milites excæcatos fuisse auctoritate pontificum, & sua avaritia, sitique pecuniæ, æque ac Judas qui erat Apostolus Christi. Quare in auro præsenti habentes defixos oculos & mentem, non cogitabant, nec metuebant vindictam, præsertim cum nullam talem vim angeli ad sepulchrum excubantis experti fuissent.

ET SI HOC AUDITUM FUERIT A PRÆSIDE, SUADEBIMUS EI, ET SECUROS VOS FACIEMUS] *Suadebimus*, id VERS. 14 est, persuadebimus Pilato, somnum & negligentiam vestram in corpore Christi custodiendo esse levem, & venia dignam, nec ex ea quippiam mali accidere posse: scit enim ipse nostram, non ipsius causam hic agi, adeoque ipse in nostri gratiam, contra suam conscientiam Jesum damnavit ad crucem: si tam mollis fuit in Jesu ad nostram instantiam injuste damnando, multo molliorem se exhibebit in vobis ad nostram instantiam absolvendis. Verum milites hosce Pilato secreto hunc fucum, & rem totam detexisse, ac Christi resurrectionem confirmasse, idque Pilatum ad Tiberium Cæsarem scripsisse, qui proinde Christum inter deos referre voluerit: ita ex ipsius Pilati actis narrat Hegesippus in Anacephalæosi: *Judæorum principes*, inquit, *mihi mentientes asserebant Jesum magnum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulchro custodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis custodientibus die tertio resurrexit; in tantum enim exarsit nequitia Judæorum, ut darent pecuniam custodibus, & dicerent: Dicite, quia discipuli ejus corpus ipsius rapuerunt: sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt; nam & illum surrexisse testati sunt se vidisse, & se a Judæis pecuniam accepisse. Hac ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur, & existimet credendum esse mendaciis Judæorum.*

Pilatum autem hæc retulisse ad Tiberium Cæsarem, docent quoque Tertull. in Apolog. c. 5. & Euseb. in Hist. l. 2. c. 2. in Chronico anno Christi 38. quem audi: *Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad senatum, ut inter cætera sacra reciperetur. Verum cum ex consulto patrum Christianos eliminari urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem.* Et Orosius l. 7. c. 4. *Pilatus*, ait, *ad Tiberium Imp. retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam facta fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, & de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur.*

ATILLI, ACCEPTA PECUNIA, FECERUNT SICUT ERANT VERS. 15
DOC-

Digitized by Google

A EDOCTI, ET DIVULGATUM EST VERBUM ISTUD APUD JUDÆOS, USQUE IN HODIERNUM DIEM] scilicet apud plebejos & eos qui parvi erant cerebri; nam prudentiores facile fucum hunc deprehenderunt, & a militibus rem totam secreto indagarunt: quin Longinus centurio palam militibus restitit, & Christum resurrexisse asseruit, ideoque pro eo Martyr occubuit, uti habet ejus Vita die 15. Martii. Maxime vero fucus hic confutatus est ab Apostolis, affirmantibus Christum redivivum iis apparuisse, idque per miracula multa confirmantibus, adeo ut fides resurrectionis Christi a toto quasi mundo recepta & credita sit. *Quod enim in Judæa Judæus obscurabat auro*, inquit Severian. *fide toto claruit in mundo*. Idem diserte confutatus est a Josepho, licet genre & secta Judæo. Audiant eum Judæi, suoque Hebræo credant, qui nolunt credere Christo. Sic enim scribit l. 18. Antiq. c. 4. *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator & doctor eorum qui libenter vera suspiciunt; plurimosque tam de Judæis quam de Græcis sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum a nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerant: & usque in hodiernum diem Christianorum genus ad hoc denominatum non deficit.*

B

VERS. 10 UNDECIM AUTEM DISCIPULI (Judas enim duodecimus jam se suspenderat) ABIERUNT IN GALILÆAM, IN MONTEM, UBI CONSTITUERAT ILLIS JESUS] Matthæus, omissis cæteris Christi apparitionibus, illam dumtaxat recenset, quæ facta est in Galilæa, tum quia illam promiserat angelus vers. 7. ac Christus vers. 10. tum quia illa celebris & publica fuit coram 500. fratribus, ut ait Paulus 1. Cor. 15. 6. Nam ad eam ex Christi præcepto convocati sunt omnes discipuli, quos plurimos habebat in Galilæa, quia ibi tutiores erant ab odiis, & persecutione Judæorum, quam in Judæa, ait Chrysostomus & Euthymius.

IN MONTEM] Certum est hunc montem non fuisse Oliveti, ex quo Christus *in cælum* coram discipulis ascendit, ac proinde de illa apparitione hic non agi. Nam mons Oliveti in Judæa est, non in Galilæa. Lyran. Dionys. Carthus. S. Bonavent. Jansen. & alii verisimiliter suspicantur montem hunc fuisse Tabor, ubi primitus Christus transfiguratus gloriam suam ostenderat Petro, Jacobo, & Joanni, Matth. 17.

C

Mystice, S. Hieron. Galilæa, inquit, erat omnium vitiorum volutabrum, ubi ante error & lubricum: ideoque oportuit eam Christi præsentia, & gloria illustrari, juxta oraculum Isaiæ cap. 9. 1. & 2. Rursum Beda in hom. *Jam*, ait, *Dominus de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem transierat: Galilæa enim idem est quod transmigratio*. Unde Glossa: *Nos*, ait, *si a vitiis ad virtutes migremus, resurrectionis gloriam videbimus*.

Allegor. S. Aug. lib. 3. de Consensu Evang. sub finem: Galilæa, inquit, idem est quod transmigratio, a rad. גלה *gala*, id est migravit, quia Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad Gentes. Unde de ea ait: *Præcedam vos in Galilæam:* quia Apostolis prædicantibus Evangelium non crederetur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet. *Ibi eum videbitis*, id est, ibi ejus membra invenietis: ibi vivum corpus ejus in iis, qui vos susceperint, agnoscetis. Hæc ad verbum S. Aug. sed nonnullis brevitatis studio omissis.

D

Anagog. S. August. ibidem: Galilæa, ait, Hebraice quoque significat revelationem, a rad. גלה *gala*, id est, *revelavit*: unde repræsentat cælum, & visionem beatificam. *Illa erit revelatio*, ait August. *tamquam vera Galilæa. Consimiles ei erimus, ibi eum videbimus sicuti est, Ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si ejus præcepta sic amplectamur, ut ad ejus dexteram segregari mereamur: tunc enim ibunt sinistri in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Hinc illud, Transmigrabunt, & ibi eum videbunt.*

VERS. 17 ET VIDENTES EUM ADORAVERUNT: QUIDAM AUTEM DUBITAVERUNT.] Non ex undecim Apostolis, sed ex aliis discipulis. Apostoli enim omnes jam tot visionibus & argumentis Christi erant confirmati, ut non dubitarent eum resurrexisse. Aut certe si τὸ *dubitaverunt*, malis referre ad Apostolos, de quibus in præced. & seq. omnis est sermo, intellige *dubitaverunt*, id est jam ante dubitaverant, nunc autem non dubitabant: ponitur enim præteritum perfectum pro plusquam perfecto: hoc enim significat aoristus, qui est in Græco ἐδίστασαν, Voluit enim Matthæus, summatim perstringere dubitationem Thomæ, & aliorum Apostolorum de resurrectione Christi, antequam sufficienter a Christo apparente, essent de ea instructi, quam fusius narrant Lucas, Marcus & Joannes. Ita Theoph. *Debes*, inquit, *sic intelligere, quod, cum venissent in Galilæam, adoraverunt eum. Illi autem, qui adorarunt in Galilæa, primum dubitaverunt in Jerusalem*, Sic & Barradius, Franc. Lucas & alii. Verum *dubitatio illorum nostram auxit fidem*, ait S. Hieron.

E

Porro Christus apparens, eadem forma & figura apparuit, quam habuit dum viveret, ut ex iis ab Apostolis agnosceretur esse idem, non alius. Ita S. Cyrill. lib. 12. in Joan. c. 35. Quocirca decorem claritatis suæ abscondit: hanc enim ferre non potuissent debiles mortalium oculi, Audi S. Aug. 22. de Civitate Dei c. 19. *Claritas in Christi corpore cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci.*

F

ET ACCEDENS (vicinius & familiarius ostendens se discipulis, majestatem Christi reverentibus) JESUS LOCUTUS EST EIS, DICENS: DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CÆLO ET IN TERRA] Arabic. *donatus sum omni potestate in cælo & super terram*. Maldon. & alii probabiliter opinantur hæc non esse facta & dicta a Christo nunc, hoc est cum appareret suis in Galilæa, sed in ultima apparitione, quæ facta est in monte Oliveti, cum ex eo gloriosus in cælum ascendit. Videtur enim hic Christus Apostolis ultimum Vale dicere, ultimaque monita & jussa dare, ac eos quasi legatos suos mittere ad evangelizandum per orbem, quod fecit in die Ascensionis. VERS. 18

DATA EST MIHI] Scilicet soli, idque tum qua Filius Dei, & Deus sum: sic enim ab æterno data est mihi a Patre cum essentia divina *omnis* ejus *potestas* & majestas, tum proprie qua homo sum, ait S. Cyrill. Nyssen. Athanasius & alii. Data est, inquam, mihi inchoative in incarnatione mea, ob dignitatem unionis hypostaticæ cum Verbo: complete vero omnis potestas mihi tunc data est a Deo post resurrectionem, ob merita passionis meæ, quando devicta morte, peccato, inferno, & diabolo quasi triumphator & redemptor hominum, plenum & proximum mei sanguinis pretio, in eos jus & dominium acquisivi, ut eos propediem, & proxime mihi per fidem & gratiam subditos in Ecclesiam, quæ meum est spirituale regnum, per me & Apostolos congregem, regamque in terra, & coronem beemque in cælo. Hoc Christi universale dominium, & regnum fusedescribit Daniel c. 7. 14. & Apostolus Ephes. 1. 20. Philip. 2. 10. & seq. & S. Petrus Actor. 10. 36. & S. Joan. Apoc. 17. 14. Vide dicta cap. 27. 11. G

Meminit Christus suæ potestatis, ut significet se ex hac potestate mittere Apostolos ad omnes gentes fidei suæ subjugandas. Unde subdit: *Euntes ergo*, &c. Porro Suarez 3. part. agens de Christi dominio, hunc locum explicat de potestate excellentiæ, Christo qua homo erat, ratione unionis hypostaticæ, in primo conceptionis instanti a Verbo communicata, quam ipse pro temporum commoditate demonstravit, & post resurrectionem perfecte pleneque exercuit.

H

EUNTES ERGO DOCETE OMNES GENTES (meam fidem & doctrinam Evangelicam. Hic ergo Apostoli a Christo acceperunt tubam Evangelii, ait S. Leo epist. 81. & prædicandi officium) BAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI] Hinc ex Ecclesiæ traditione constat hanc esse formam Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: in qua fidem S. Trinitatis, & unius deitatis, dicendo *in nomine*, non, in nominibus, clare profitemur. *In nomine* enim idem est quod appellato & invocato nomine, & per consequens persona, divinitate & virtute trium personarum, quæ sunt in una eademque deitate: scilicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Hoc significat Græcum εἰς ὄνομα, id est *in nomen*, hoc est, invocando nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut per baptismum corporis, animam a peccatis abluat, & sanctificet per gratiam. Ita S. Hier. *Nomen Trinitatis*, ait, *unus Deus est, ut, quorum una est divinitas, una sit largitio*. Et Euthym. *Unum nomen trium*, inquit, *denotat unam S. Trinitatis naturam*. Hinc S. Isidor. lib. 7. VERS. 19 *Luc.* 16. 5.

Etymol.

Digitized by Google

A Etymol. c. 4. *Trinitas appellatur*, inquit, *quod fiat totum unum ex quibusdam tribus quasi triunitas, ut memoria, intelligentia & voluntas, in quibus mens habet in se quamdam imaginem divinæ Trinitatis: nam cum tria sint, unum sunt.* Et S. Bonavent. in 1. dist. 24. *Trinitas dicitur*, inquit, *quasi ter unitas vel trium unitas.* Unde contra Arrianos, Macedonianos, Nestorianos, aliosque hæreticos liquet, Filium esse verum Deum, & ὁμοούσιον Patri, æque ac Spiritum sanctum, uti passim docent S. Athan. Hilar. August. Ambrosius & cæteri. Hic ergo clarissime exprimit Christus mysterium S. Trinitatis, quod Moses in veteri testamento obscure adumbravit, ne Judæi rudes, tres personas crederent tres esse deos, itaque plures deos more suo colerent.

Moraliter disce hic discipuli & Apostoli Christi, imo ipsius Christi, opus divinum esse docere & convertere omnes gentes, etiam rudes, rusticas & barbaras. Unde S. Greg. hom. 12. in Ezech. *Nullum*, ait, *omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum.* Et Richard. de S. Vict. *Nescio*, ait, *an majus beneficium possit a Deo conferri, quam ut per ejus obsequium alii salutem consequantur.* Celebre est illud magni Dionysii Areopag. B *Omnium divinorum divinissimum est, cooperari Deo in conversione errantium, & reductione peccatorum ad ipsum; & qui visceribus charitatis affluentes, ac communicationem bonitatis Dei imitantes, puro amore pro universorum salute laborant recte deiformes, & divini, imo divinissimi nuncupantur.*

VERS. 20 DOCENTES EOS SERVARE OMNIA QUÆCUMQUE MANDAVI VOBIS] Puta omnia præcepta, quæ in Evangelio mandavi: non enim sola fides sufficit ad salutem, sed requiritur observatio mandatorum, & assidua virtutum operatio. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Rom. 2. & 3.

ET ECCE EGO VOBISCUM SUM OMNIBUS DIEBUS, USQUE AD CONSUMMATIONEM SÆCULI] q. d. Etsi ascendam in cælum, vos tamen, quos mitto, ut peragretis totum mundum, non deseram. Esto ergo ubique ex meo hoc præcepto evangelizetis cum magnis laboribus, penuriis, adversitatibus, periculis, persecutionibus nolite cadere animo, nolite cogitare vos desolatos & a me desertos, ecce enim ego spondeo me vobiscum semper fore.

C *Vobiscum sum*, tum qua Deus, tum qua homo per præsentem opem, gratiam, robur, consolationem, directionem, liberationem, quam vobis & vestris successoribus semper afferam, per quæ vobis omnia difficilia reddam facilia, ait S. Chrysost. ut ex omnibus gentibus Ecclesiam, id est fideles & sanctos mihi congregetis. Idque *usque ad consummationem sæculi.* Prius mundus hic desinet, quam mea in Ecclesia desinat præsentia. Magno ergo animo opus hoc, munusque Apostolicum, quod vobis injungo, capessite: quia vos visibiliter Ecclesiam regetis, ego vero invisibiliter eamdem regam, & protegam. *Qui usque ad consummationem sæculi se cum discipulis futurum esse promittit*, ait S. Hier. *& illos ostendit semper esse victuros* (in suis posteris & successoribus) *& se numquam a credentibus recessurum.*

Nolite, ait Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 1. *de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos in hoc opere non derelinquam, non ad hoc ut nihil patiamini, sed, quod multo majus est, præstiturus ut nulla sævientium crudelitate superemini.*

Hoc est, quod Christus iturus ad mortem Apostolis promisit Jo. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletũ* D *dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Eadem enim sunt dona Spiritus sancti, & Christi, cum utriusque eadem sit deitas, & consequenter eadem operatio. Opera enim S. Trinitatis ad extra sunt indivisa: & quod una persona operatur, hoc & ceteræ duæ operantur. Spiritui sancto tamen, qui procedit ut amor, per attributionem congruam appropriantur opera gratiæ, & sanctitatis. Græce & Syriace additur, *amen*. q. d. Ita certo fiet ut dixi & promisi. Sic Christus etiam visibiliter adfuit Paulo, Act. 22. 17. & S. Stephano in martyrio, Act. 7. Sic adfuit S. Petro ceterisque Apostolis, Martyribus, & Doctoribus. Hac de causa Christus vocatur *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus, Isaiæ 7. Et Ecclesia vocatur civitas Dei. Unde Ezech. c. 48. ult. *Nomen civitatis ex illo die*, E inquit, *Dominus ibidem*. Unde Deus per Zach. c. 2. Ecclesiæ promittit dicens: *Ego ero murus ignens in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.* Vide ibi dicta.

Hac pariter de causa Christus voluit in V. Eucharistiæ Sacramento jugiter manere in Ecclesia, imo in Ecclesiis omnibus & singulis usque ad finem mundi. Sicut enim Christi humanitas, & deitas gloriosa est in cælo, adoraturque visibiliter ab Angelis & Sanctis, sic eadem est in Eucharistia, sed occultata sub speciebus panis, & vini, ideoque invisibilis, ibique adoratur, imo manducatur a fidelibus, ut earum animabus omne id præster, quod panis, & vinum præstat corporibus, puta omne nutrimentum; omnem vigorem, omne robur, omnem suavitatem, omnes delicias, omne gaudium. Quocirca Christus est, qui per singulos sacerdotes dum celebrant, facit quotidie miraculum miraculorum; nimirum admirabilem illam conversionem panis & vini in corpus, & sanguinem suum, quam Theologi vocant Transsubstantiationem: hanc enim nec homo, nec angelus, nec vis creata efficere posset. Ipse ergo etiamnum actu est sacerdos, dum per sacerdotes singulares Eucharistiam conficit, seque in ea F Deo Patri quasi incruentam victimam in holocaustum offert, uti dixi cap. 26. 26. ex Conc. Trid.

Tropol. Christus est anima & cum anima fideli, & sancta, usque ad finem vitæ, donans ei magnum illud perseverantiæ donum, quod electos in cælum perducit; ipse enim justum non deserit: nisi prius a justo deseratur, ut ait ex S. Aug. Conc. Trid. sess. 6. Itaque Christus in anima sancta, Primo, politice est quasi rex in regno suo, quod secundum leges justitiæ recte dirigit & moderatur, & quasi dux in exercitu eum roborans, ut hostes omnes, puta mundum, carnem & dæmonem superet & debellet. Christus est in anima quasi rex.

Secundo, œconomice ipse est in anima, quasi pater in domo, & familia, quam sapienter ille regit, protegit & ditat. Rursum ipse in ea quasi navarchus in navi, eam per undas, & fluctus hujus maris procellosi, id est, per tentationes hujus vitę periculosę secure dirigit ad portum salutis æternæ. Ipse est in ea id quod auriga est in curru, ut nos quasi dormientes vehat in urbem & patriam cælestem. Unde ei jugiter acclamare debemus, quod Elisæus succlamabat Eliæ, dum curru igneo raperetur in cælum: *Pater mi, currus Israel, & auriga ejus.* 4. Reg. 2. quasi auriga.

Tertio, ethice Christus in anima est quasi ratio & prudentia, quæ omnes actiones prudenter dirigit, juxta normam rationis divinæ, & legis æternæ, quæ est in mente Dei, ut anima non errores suæ concupiscentiæ, sed dictamina veritatis divinæ, ac rationes æternas, quæ sunt in mente Dei, ejusque sanctam voluntatem in omnibus, & ubique sequatur. G quasi ratio.

Quarto, physice ipse est in anima, id quod anima est in corpore: ipse enim est quasi animæ anima, ipsam vita gratiæ vivificans, ut anima vivat vitam, non animalem & carnalem, sed spiritalem & divinam, utque omnes ejus actus ipsius in operatione sint non naturales, sed supernaturales, & divini, ideoque meritorii vitæ, & gloriæ æternæ. quasi anima.

Denique ipse est quasi ignis divinus animam flamma charitatis igniens, & inflammans. Ipse est in anima id quod sol est in mundo; scilicet ipse est sol cælestis, totum animæ nostræ orbem luce gratiæ suæ illustrans, vivificans, & bonis virtutum omnium operibus fœcundans: juxta illud, *Operatur in nobis velle & perficere*, Philip. 2. Et, *Qui operatur omnia in omnibus secundum propositum voluntatis suæ*, Ephes. 1. Ipse est qui verbis nostris vim, vigorem & efficaciam inspirat, ut auditores, & proximos nostros a peccatis ad pœnitentiam & sanctitatem convertamus, juxta illud Pauli: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* 1. Cor. 3. 6. Ergo o anima sapiens & sancta, vicario amore, & desiderio occurre Deo tuo: Jesus tuus cupit esse tecum, tu vicissim non nisi cum Jesu esse cupias. Deliciæ ejus sunt esse tecum, deliciæ tuæ sint esse cum illo. Ab illo ergo sine te regi, flecti & dirigi, uti regnum sinit se regi a rege, exercitus a duce, domus ab hero, navis a nauclero, currus ab auriga, voluntas a ratione, corpus ab anima, mundus a sole. *Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus tuus*, ait S. August. quasi sol & H

Digitized by Google

COMMENTARIUS IN EVANGELIUM SANCTI MARCI.

ARGUMENTUM.

A

MARCUS, inquit S. Hier. in Catal. Script. Eccl. *discipulus, & interpres S. Petri juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit.* Et mox: *Assumpto itaque Evangelio, quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo dissertissimus Judæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit. Et quo modo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia: sic & ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octavo Neronis anno, & sepultus*

B *Alexandriæ, succedente sibi Aniano,*

Idem testantur Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. & Papias Episcopus Hierapoleos, & ex iis Eusebius lib. 2. hist. cap. 15. qui & addit, S. Petrum Evangelium Marci confirmasse, & in perpetuum Ecclesiis legendum tradidisse. Idem docent S. Athanasius in Synopsi sub finem, S. Epiphanius hæresi 51. & Euthymius hic. Quocirca Tertull. lib. 4. contra Marcion. Evangelium S. Marci S. Petro attribuit, quia, ut ait S. Hier. epist. 150. ad Hedibiam quæst. 11. *Petro narrante, & Marco scribente compositum est.* Idem S. Hier. vel quisquis est auctor, præfat. Comment. in S. Marc. *Marcus*, ait, *seminat post Matthæum, qui fremit ut leo, qui volat ut aquila, qui discit ut homo, qui immolat ut sacerdos, qui irrigat ut flumen, qui florescit ut ager, qui fervet ut vinum. Christus etenim, de quo loquitur, homo nascendo, vitulus moriendo, leo surgendo, aquila est ascendendo.*

Hac de causa Ezech. 1. & Apoc. Cherubini quatuor faciebus instructi significant quatuor Evangelistas, ita

C scilicet ut facies hominis significet Matthæum, qui humanitatis Christi opera describit: facies aquilæ Joannem, qui canit divinitatem Christi, dicens: *In principio erat Verbum*, &c. facies bovis notet Lucam, qui incipit a sacerdotio & victimis Zachariæ, facies vero leonis designet Marcum, quia ipse a terribili & forti rugitu Joan. Baptistæ, quasi leonis, inchoat suum Evangelium, ut in cap. 1. Ezech. docet S. Hier. S. Gregor. & alii passim. Hi enim quatuor currum gloriæ Dei, puta quadrigam Evangelii per totum orbem circumegerunt, omnesque gentes illi quasi triumphanti subegerunt.

Marcus Hebr. et politus.

Huic symbolo apposite congruit nomen Marci juxta etymon tam Hebræum, quam Latinum. Marcus enim Hebraice, inquit Pagnin. in Interpret. nom. Hebr. idem est, quod *limatus, fricatus, expolitus*, id est, *a rubigine absterſus*, a rad. מרק *marac* id est, *tergere, fricare, polire:* Unde Jerem. cap. 46. 4. *State*, ait, *in galeis, polite lanceas, induite vos loricis*, ut vos, o Ægyptii, præ-

D paretis ad instans prælium contra Nabuchodonosor; ubi pro *polite* Heb. est מרקו *mircu*. Sic S. Marcus polivit lanceam sui Evangelii & prædicationis, ut ea instar leonis Ægyptios, aliasque gentes Christo subigeret. S. Isidorus vero lib. 7. Origin. cap. 9. *Marcus*, ait, *idem est quod excluſus mandato* (nescio a qua radice) *utique propter Evangelium Altissimi quod prædicavit.* Rursum Marcus Hebr. dicitur quasi מר כוס *marcom*, id est Dominus calicis, puta passionis, & martyrii: ipse enim dira passus, nobili martyrio triumphavit de morte, æque ac de infidelitate.

Latine vero Carolus Sigonius de Nomin. Roman. ex Valerio: *Marcus*, inquit, *dictus, qui mense Martio natus est.* Isidorus autem lib. 19. Origin. cap. 7. *Marcus*, ait, vocatur malleus, & dictus *Marcus*, quod major sit ad tundendum & fortior: *marcellus*, mediocris: *marculus*, malleus pusillus. Sic S. Marcus malleus fuit magnus, & fortis conterens petras, id est saxea Gentilium corda compungens, & ad pœnitentiam vitamque Christianam commovens. Marcus ergo & Marcellus idem est quod Martellus, id est malleus. Unde Carolus avus Caroli Magni, ob fortitudinem bellicam, qua quasi malleus trecenta millia Saracenorum contudit, cognominatus est Martellus. Aut Marcus quasi Martius, & Mars quidam cælestis. Unde Marcia familia Romana prisca patricia, dicta est ab Anco Marcio quarta Roman. rege fortissimo. *Ab anco Marcio sunt Marcii Reges*, ait Cæsar Orat. in funere Juliæ amitæ apud Suetonium. Et Ovidius libr. 6. Fastor.

E Latine Marcus et malleus.

Marcus quasi Martius.

Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco.

Ancus rex vocatur *sacrificus*, quia, ut Livius lib. 2. religiones neglectas aut prave cultas restituit. Religio enim est pars fortitudinis. Hinc Marciæ gentis stemma erat Victoria columnæ imposita. Ita Anton. August. in Familiis Romanis. Porro Marci dicti sunt a Marco, vel Mamerco, ait Plutarch. in Numa. Osci enim Martem appellabant Mamercum, ait Festus. Primus autem Pythagoras, filium suum vocavit Mamercum, quem secutus Numa, secundus rex Romanorum filium suum nominavit Mamercum, teste Plutarcho, & ex eo Sigonius. Marcus ergo per crasin idem est quod Mamercus, sive Mamer, id est Mars, ait Sigonius: *Quid enim fortius*, ait Scholiastes Marci apud S. Hieron. *quas animas salvare, quæ errorum vitiis poterant interire?* juxta illud Psal. 67. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.*

F

Quam religiosus fortisque fuerit S. Marcus, liquet ex institutione Essæorum, qui primi fuere Religiosi, & Religiosorum omnium prototypi, de quorum mira sanctitate paulo post plura. Joannes Major, & nonnulli alii censent, Marcum hunc esse mancum illum, qui ex religiosa humilitate pollicem sibi amputavit, ne fieret sacerdos. Sed hic fuit Marcus Eremita, non Marcus Evangelista, ut patet ex Vitis Patrum.

G

Denique Romani prænomen *Marcus* dabant iis, qui erant primogeniti. Unde Marcus Tullius Cicero vocatur, quia ipse erat primogenitus, ut notat Aldus Manutius initio Commentariorum in lib. Cicer. ad Herennium. Sic S. Marcus fuit primogenitus uniceq; dilectus a S. Petro: unde ipse de eo solo dixit: *Salutat vos Ecclesia*, &c. *& Marcus filius meus*, epist. 1. cap. 5. in fine. Quare ipse ut filius a S. Petro hausit tantum spiritum, ardorem, & zelum, ac expressa sapientiæ, & sanctitatis S. Petri fuit imago: hanc enim ei Sanctus Petrus ceu pater impressit.

Quæres, cujas, quis & qualis fuerit S. Marcus? Resp. Primo, eum natione fuisse Hebræum ex tribu Levi. Addit Beda & auctor Comment. in Marcum apud S. Hieron. eum fuisse sacerdotem Aaronicum.

Cujas, quis & qualis fuerit S. Marcus.

H

Secundo, Theophylact. Victor Antiochen. & Euthym. hic atque ex eis Sixtus Senensis in Biblioth. Sacra in Marco, putant Marcum hunc eumdem esse cum Joanne Marco, qui fuit consobrinus Barnabæ, cum eoque & Paulo profectus est ad prædicandum Gentibus, Actor. 12. & 13. quem proinde Marcum intelligit Paulus epist. ad Philem. & Coloss. 4. & 2. Timoth. 4. Verum dico Marcum hunc alium esse a Joanne Marco: nam eodem tempore, quo Joan. Marcus adhæsit Paulo, & Barnabæ in Græcia, noster hic Marcus adhæsit S. Petro Romæ, & ab eo missus est prædicatum, primo Aquilejam, deinde Alexandriam, uti recte ex Eusebio, & aliis ostendit Baronius.

Tertio, Origen. lib. de Recta in Deum fide, S. Epiphan. hæresi 51. & Dorotheus in Synopsi censent, Marcum

Digitized by Google

A eum fuisse unum ex 72. Christi discipulis. Sed verius est contrarium; scilicet eum post mortem Christi a S. Petro conversum & baptizatum esse: nam ipse eum vocat filium suum (spiritualem) ep. 1. cap. 5. 13. dicens, *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone* (Romæ) *coelecta, & Marcus filius meus*. Ita S. Hieron. Euseb. lib. 7. hist. c. 14. S. Epiphan. hæresi 51. Theodor. præf. in Hist. S. Patrum, Iren. l. 3. c. 1. Baron. & alii passim, qui tradunt S. Marcum discipulum & comitem fuisse S. Petri.

Quarto, S. August. lib. 1. de Consensu Evang. cap. 2. Marcum vocat breviatorem Matthæi, non quod eum in compendium redegerit, ut volunt nonnulli, sed quod brevius, secundum quæ acceperat a S. Petro, narrat ea, quæ Matthæus sæpius fusius prosequitur. Dixit sæpius: Nam subinde Marcus uberius quam Matthæus, historiam rei a Christo gestæ enarrat, uti liquet in narratione negationis, qua Petrus ter Christum negavit, quædam etiam clarius quam Matthæus explicat. Quare in historiis Christi enarrandis Marcus fusior est, quam Matthæus, sed in doctrinis parcior. Fuit ergo Marcus verus Evangelista, eque ac Patriarcha, & Apostolus. Unde

B Arabicus Evangelio Marci hunc titulum præfigit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Dei unius, Evangelium Patris, Patriarchæ, Apostoli, S. Mar.* (id est Domini) *Marci Evangelistæ*.

Quinto, Marcus Romæ rogatus a Christianis conversis a S. Petro, ut summam eorum conscriberet, quæ a Petro prædicante audierant, scripsit hæc Evangelium anno Christi 45. Claudii Imper. 3. ait Euseb. in Chron. paulo antequam pergeret Alexandriam, ubi Ecclesiam Christianam fundavit, & sanctissime per novemdecim annos gubernavit, ac in ea discipulos adeo eximios habuit ut Essæi, id est sancti & pii cognominati sint. Hi enim quasi primi Religiosi in tanta puritate, pietate, & sanctitate vixerunt, ut toti orbi essent admirationi, cæterisque Ecclesiis essent perfectionis exemplar, & speculum, adeo ut eos mirifice laudet Josephus, & Philo lib. de Therapeutis. Unde S. Hieron. & Cassian. Marcum, vocant principem, & institutorem Cœnobitarum. Vide quæ de Essæis dixi Act. 5. 2. Atque hac de causa Essæi, se ex Alexandria per totam Ægyptum & Thebaidem propagarunt. Unde factum, ut ibi essent plurima Monachorum & Anachoretarum examina, qui angelicam in terris vitam agebant, idque duravit per plura sæcula, ut

C patet ex S. Hieron. Vitis Patrum, Evagrio, Palladio, Cassiano & aliis.

Porro S. Marcus Alexandriæ primam Christianorum scholam erexit, ex qua tot sancti Doctores, Episcopi, & Martyres prodiere. Nam schola Alexandrina mire floruit sub Commodo Imp. anno Domini 180. cum ei præfodit Pantænus, cui successit Clemens Alexand. Clementi Origenes, cujus discipuli fuere S. Gregor. Thaumaturgus, Athenagoras, & postea S. Athanasius, S. Basilius, Nazianzenus, &c. Hi omnes ergo S. Marci fuere sequaces, & discipuli.

Denique S. Marcus apostolatus, doctoratus & Evangelistæ lauream martyrii corona decoravit. Unde de eo in Martyrologio Romano die 25. April. sic legimus: *Alexandriæ Natalis B. Marci Evangelistæ*, &c. *qui pro fide Christi tentus, & funibus vinctus, & per saxa raptatus graviter afflictus est. Deinde reclusus in carcere primo angelica visione confortatus, & demum ipso Domino sibi apparente, ad cœlestia regna vocatus est octavo Neronis anno*. Et

D Gelasius Pontifex in Conc. Rom. de l. authen. & apocr. *Marcus Evang.* inquit, *a B. Petro in Ægyptum directus fidem veritatis prædicavit, & gloriose consummavit martyrium*. Sic & Nicephor. Metaphrastes, Procopius & alii. Corpus S. Marci Alexandria a mercatoribus translatum est Venetias anno Domini 827. ubi summa religione colitur, adeoque senatus insignia S. Marci, puta leonem, pro stemmate usurpat, atque cum quippiam imperat vel mandat, asserit S. Marcum id mandare.

Quæres Secundo, qua lingua Evangelium conscripsit Marcus, Latina an Græca? Multi censent eum Latina scripsisse. Et ratio videtur clara: Marcus enim scripsit Romæ Romanis, ex S. Petri ibidem prædicantis ore; ergo pariter scripsit lingua Romana, puta Latina. Græcam enim Romani non intellexissent, uti multis probat Baronius anno Christi 45. Licet enim Sanct. Chrysost. in Marcum, asserat Marcum Evangelistam scripsisse in Ægypto: tamen Romæ eum scripsisse asserunt S. Hieron. Euseb. Clemens, S. Epiphan. & alii

Ouo anno scripsit Evangelium sui.

An Latine scripsit Marcus?

passim; atque auctor comment. in Marcum non fuit S. Chrysost. ut inferius ostendam. Ita Syrus, qui in fine Evangelii S. Marci hæc disertè addit: *Finis Evangelium sanctum, Evangelium Marci, quod locutus est & evangelizavit Romæ Romanis*. Idem docet S. Damasus Pontifex (vel quisquis est auctor) initio l. de Romanis Pontif. in Vita S. Petri, quæ ponitur ad initium tomi primi Conciliorum. Idem satis insinuat S. Greg. Nazianz. in Carm. quo recenset catalogum S. Scripturæ, dum Evangelistas per linguas & nationes ita partitur.

Matthæus Christi Hebræis miracula scripsit.
Ausonibus Marcus, Lucas at doctus Achivis,
Cunctis Joannes, penetrans cœlestia mente.

Ex adverso Marcum græce scripsisse disertè asserit S. Hier. præfat. in Evang. *De novo*, ait, *loquor testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit*. Additque se hac de causa jussu Damasi veterem Vulgatam versionem Latinam novi testamenti, ac consequenter & Evangelii S. Marci, correxisse, secundum Græcum autographum. Idem expresse docet S. Aug. lib. 1. de Consensu Evang. c. 2. *Matthæus*, ait, *Hebræo scripsisse perhibetur elaquio, veteri Græco*. Idem fuit communis veterum & recentiorum sensus, ut Christiani Druthmari, qui floruit anno Christi 800. Jacobi Chrysopolitani; Maldonati præfat. in Matth. Franc. Luc. hic, Genebrardi in Chronolog. ad annum Christi 44. quem audi: *Marcus Evangelista Aquileja* (*quæ secunda Roma quondam dicebatur*) *regnantibus Romanis suum Evangelium conscripsit græce, sive etiam latine, ut volunt Rodulphus, & Armacanus*.

Videtur græce.

Idem suadet ratio: nam S. Marcus scripsit Evangelium iturus Alexandriam, ut illud ibi prædicaret: Alexandrini autem tunc loquebantur græce. Alexandria enim condita & dicta est ab Alexandro Magno, qui fuit Macedo & Græcus. Quocirca S. Athanasius, S. Cyrillus, Theophylus, Clemens Alexandr. cæterique Alexandrini sua græce scripserunt. Ergo Marcus Græca lingua scripsit. Rursum Marcus peritior erat linguæ Græcæ quam Latinæ. Unde & Græcus textus in ejus Evangelio politior, & elegantior est quam Latinus: nam Judæi vicini Græciæ, ac subjecti Alexandro Magno, & Græcis, Græcam linguam perdiscebant, non ita Latinam; utpote a Roma & Latinis remoti. Adde: Græca lingua tunc latissime patebat, ut ait Cicero: adeo ut Romani, præsertim patricii, & honestiores, Græcam callerent, imo filios suos Athenas mitterent, ut Græcam sapientiam & eloquentiam perdiscerent; Marcus autem Evangelium hoc scripsit Romanis, non plebejis, sed patriciis & nobilibus, uti erant S. Clemens, S. Pudens, S. Torpes. Audi Clementem Alexand. in epist. 1. S. Petri extat tom. 6. Biblioth. S. Patrum in edit. Parisiensi) *Marcus*, inquit, *Petri sectator, prædicante Petro Evangelium palam Romæ, eorum quibusdam Cæsarianis equitibus, multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, ut possent quæ dicebantur, memoriæ commendare, scripsit ex iis quæ a Petro dicta sunt, Evangelium, quod secundum Marcum vocatur*, &c. Simili modo S. Paulus epistolam ad Romanos scripsit græce, uti ostendi proœmio in illam epistolam.

Denique S. Marcus cum S. Petro versatus fuit Antiochiæ, ubi primum discipuli Christi dicti sunt Christiani: Antiochiæ autem loquebantur græce. Unde S. Chrysostomus qui fuit Antiochenus, prædicavit, & scripsit græce. Quare græca lingua S. Marco usitatior fuit quam Latina, ac forte græca ei fuit vernacula. Licet enim Apostoli, & primi fideles acceperint donum linguarum infusum a Spiritu sancto, tamen illud acceperunt ad sufficientiam, non ad elegantiam; quare lingua sibi propria vel vernacula melius & elegantius loquebantur, v. g. Hebræa vel græca, quam extera, vel aliena, v. g. Latina, Illyrica, Germanica.

Utramque sententiam conciliabis, si dicas S. Marcum utraque lingua, scilicet Græca & Latina scripsisse Evangelium, uti censet Genebrar. anno Domini 44. & noster Barradius tom. 1. lib. 1. c. 19. ac Possevinus in Biblioth. in Marco. Audi Petrum de Natal. Aquilinum Episc. in Catalogo Sanctorum lib. 4. c. 86. *Petrus*, ait, *Marcum Aquilejam Protoepiscopū destinavit, ibi Evangelium suum, quod alias Romæ Latinis litteris conscripserat, iterum Græco eloquio exaravit, quod usque hodie in Aquilejensi Ecclesia, cum sede eburnea, in qua sedens illud scripserat, demonstratur.*

& græce & latine.

A *ſtratur*. Idem cenſet Hadrian. Finus l. 6. Flagelli Jud. c. 80. & Bellarm. lib. de Verb. Dei c. 7.

Porro cenſent nonnulli autographum Marci Latinum, injuria temporum periiſſe, ſicut periit Evangelium Heb. S. Matthæi. Verum hoc difficile eſt creditu. Quomodo enim Eccleſia Romana tam fida fidei, & ſacrorum codicum cuſtos, ac primis illis Marci temporibus uſque ad Conſtantinum, zelo religionis ardentiſſima & conſtantiſſima, permiſiſſet tantum theſaurum ſibi dicatum intercidere? utique quæ aliena tam accurate ſervavit, ſua non perdidit, nec prodidit. Itane tot codices Evangelii S. Marci, quos nobiles Romani, cæterique Itali a Petro & Paulo ad Chriſtum converſi, certatim ſibi deſcribi curabant, ad unum omnes interiere, ut ne unus quidem ſuperſit? Quare veriſimilius dicemus, Marcum primitus græce ſcripſiſſe, ob cauſas jam dictas, ſed illico vel per ſe, vel per aliquem ſuum interpretem, Græcum in Latinum convertiſſe, & utrumque Romanis tradidiſſe, uti S. Paulus ſcripſit epiſtolam ad Romanos græce, ſed eamdem a Tertio ſcriba & interprete ſuo converſam in Latinam, miſit ad Romanos, uti dixi procem. in illam epiſtolam. Ratio eſt. Prima, quia S. Hieron. & S. Auguſt. affirmant Marcum græce ſcripſiſſe, non latine. Unde Latinam verſionem juxta Græcam juſſu Damaſi correxit S. Hier. Secunda, quia, ut recte advertit Bellarm. lib. de Script. Eccleſ. in Marco ex collatione textus Græci & Latini conſtat, Latinam veterem, & Vulgatam editionem, tam Matthæi quam Marci ex Græca editione translatam. Idem pluribus exemplis probat Franc. Lucas hic; quibus adde, Latinum Marci interpretem græcizare, ut cum c. 2. 2. ait: *Et convenerunt multi, itaut non caperet neque ad januam*: quod obſcure latine ex Græco translatum eſt, qui clare & ornate ſic habet ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, id eſt, *ut non caperent* (turbam affluentem) *neque illa quæ ad januam erant loca*. Et c. 4. 10. *Et cum eſſet ſingularis*, græce clare κατὰμόνας, id eſt ſolus. Et c. 7. v. 17. 18. 20. *Quæ de homine exeunt, illa communicant hominem*, græce clare κοινοῖ, id eſt communem faciunt, hoc eſt, immundum reddunt hominem: Hebræi enim immunda vocant *communia*, quibus ſcilicet communiter, & promiſcue omnes etiam immundi utuntur. Sic c. 1. 47. διαφημίζειν ad verbum vertit, *diffamare*, pro divulgare, Sic c. 15. 47. προσάββατον, ad verbum vertit, *ante ſabbatum*, id eſt profeſtum ſabbati, vel vigilia, puta Paraſceue, aut pridie ſabbati.

Venetiis religioſe ſervatur Evangelii S. Marci autographum, ſed ob vetuſtatem in eo litteræ ita corroſæ & exeſæ ſunt, ut legi nequeant. Id mihi Romæ inquirenti, Venetiis perſcripſere nonnulli viri graves, qui id ipſum ſtudioſe inveſtigarunt, hancque apud Venetos eſſe traditionem aſſeruerunt. Ferunt Evangelium hoc Aquilejæ a S. Marco conſcriptum, & relictum, indeque Venetias translatum: cum enim Attila rex Hunnorum Aquilejam per triennium obſeſſam cepit, veſtavitque, tunc multi Aquilejenſes Attilam fugientes, conceſſerunt ad vicinas Adriatici maris plaudes, ibique Venetias admirabili opere condiderunt, ſub annum Domini 452. ait Baronius. Porro vir gravis, Canonicus S. Marci Venetiis, qui ejus reliquias in manu habet, ideoque oculatus teſtis, meo rogatu, hac de re ſtudioſe inquirens, hiſce diebus reſcripſit, authographum hoc S. Marci Græca lingua eſſe conſcriptum, ac Aquileja Venetias delatum fuiſſe anno Chriſti 1472. Quare græce videtur primitus a S. Marco editum.

Scripſit hac de re diſſertationem ad Magnum Hetruriæ Ducem Pagninus Gaudentius, Profeſſor Piſanus, in quo contendit S. Marcum primitus latine Evangelium ſcripſiſſe Romæ, deinde græce Aquilejæ, ſed Latinum evanuiſſe: quod enim modo extat Latinum S. Marci Evangelium, ex Græco eſt translatum. Addit Romæ olim magnum fuiſſe uſum linguæ Græcæ, tum quod multi ſenatores aliique eam diſcerent, tum quod multi Græci Romam confluerent. Id liquet ex graviſſima querela Satyræ 3. Juvenalis, qui propterea ait ſe odiſſe Romam, quod Græca eſſet urbs.

Non poſſum, inquit, *ferre Quirites*
Græcam urbem, quamvis quota portio facis Achæa.
Jam pridem Syrus in Tiberim confluxit Orontes.

q. d. Multi Syri confluebant Romam. Citat Damaſum lib. de Vitis Pontificum in Vita S. Petri, ubi Evangeliſtas ait ſcripſiſſe Latine (notans Marcum) græce, & Hebraice. Verum notum eſt hunc librum non eſſe Damaſi, ſed Anaſtaſii Bibliothecarii, ait Bellarm. lib. de Script. Eccleſ. in Damaſo. Quod vero addit Pagninus, S. Petrum Romanis prædicaſſe græce, S. Marcum vero ejus interpretem ea verriſſe latine, paradoxum videtur, ac fidem excedere, uti annotavit Baronius. Porro alia erant interpretis officia; uti dixi 1. Cor. 12. v. 12.

Porro Syri, ut teſtatur Guido Fabricius in præfatione novi Teſtamenti Syriaci, aſſerunt Marcum ſcripſiſſe latine, Latinumque Evangelium Venetiis aſſervari ajunt, præterea eumdem ipſum Marcum lingua patria id eſt Galilæa, ſive Syra, tranſtuliſſe, non modo Evangelium ſuum, ſed etiam cæteros omnes novi Teſtamenti libros.

Verum hoc difficile eſt creditu: nam hujus editionis nulla extat mentio apud Clem. Alexandrinum, Origen. Euſeb. Athan. Epiphan. Cyrillum, Theodor. S. Hieron. alioſque Patres, qui vel Syri fuerunt, vel in Syria & Ægypto vixerunt, ac de variis S. Script. editionibus exacte diſſeruerunt, aut eas accurate pertractarunt. Quæ editio Syriaca novi teſtamenti S. Marco videtur poſterior. Ita Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 4.

Denique S. Marci Evangelium ſemper habitum fuit Canonica Script. excepto ult. cap. de quo nonnulli olim dubitarunt, teſte S. Hier. epiſt. 150. ad Hedibiam q. 3. eo quod in eo inſerta forent quædam manichæiſmum redolentia, quæ recitat S. Hier. lib. 2. contra Pelag. ante medium. Erantque hæc; *Et illi ſatisfaciebant dicentes: Seculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revoca juſtitiam tuam.* Verum hæc jam ſublata ſunt. Unde de ejus fide ex Conc. Trid. ſeſs. 4. dubitare non licet. Vide Bellar. l. 1. de Verbo Dei c. 16.

Nota. Marcus totus rei narrandæ intendit: unde non curat rei geſtæ ordinem, ſed prius facta poſterius enarrat, & vice verſa. Audi S. Hier. Præfat. in Matth. *Secundus*, ait, *Marcus interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus, qui Dominum quidem Salvatorem ipſe non vidit, ſed qui magiſtrum audierat prædicantem, juxta fidem magis geſtorum narravit quam ordinem.*

Extat tom. 2. S. Chryſoſtomi Comment. in S. Marcum, qui licet ingenio, eruditione ac pietate non careat, genio tamen, ſtylo, ſubtilitate & judicio S. Chryſoſtomi carere videtur. Unde Bellarminus de Script. Eccleſ. in Chryſoſt. Commentaria, ait, in Marcum ſine dubio Chryſoſtomi non ſunt, ſed alicujus ſimplicis monachi, qui fratribus ſuis Evangelium explicabat, ut conſtat ex hom. 37. 89. & alii.

Scripſit peculiariter in S. Marcum ex veterum Commentariis Victor Antiochenus, priſcus auctor, quem ex Græco in Latinum convertit noſter Thodorus Peltanus.

Auctor Comment. ſive Scholiaſtes in S. Marcum apud S. Hieronymum, multa eleganter & pie concinnat, ſed non eſt S. Hier. nec enim ejus ſtylum, doctrinam, gravitatem aſſequitur & adæquat: oſtendit enim ſe neque Græcæ linguæ, neque Hebraicæ fuiſſe peritum, & in explicatione c. 14. & 15. multa ſcribit inepta & falſa, uti obſervavit Bellarminus.

Pauca hic notanda occurrunt, quia pleraque jam dicta ſunt in Matth. ibi inveniet ea Lector locis ubique ad marginem annotatis. Hic ergo brevis ero.

Primo, græce.

Evangelii S. Marci autographum Venetiis ſervatur.

Multus olim Græcæ linguæ uſus.

S. Marcus rei geſtæ ordinem non curat.

SAN-

Digitized by Google

SANCTUM
JESU CHRISTI
EVANGELIUM
SECUNDUM MARCUM.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, describitur Joannis Baptiſtæ prædicatio, & vitæ austeritas. Secundo, vers. 9. Christi baptismus, jejunium & tentationes. Tertio v. 14. Christi prædicatio ac vocatio Petri, Andreæ, Jacobi & Joannis. Quarto, v. 23. dæmoniaci curatio, ac v. 30. socrus Petri febricitantis, ac aliorum plurium sanatio. Quinto, v. 40. leprosi mundatio.

Vers. 1 INITIUM Evangelii Jesu Christi, Filii Dei.

2. Sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

3. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

4. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

5. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.

6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas, & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens:

C 7. Venit fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.

8. Ego Baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

9. Et factum est: in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilææ: & baptizatus est a Joanne in Jordane.

10. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso.

11. Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.

12. Et statim Spiritus expulit eum in desertum.

13. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur a satana: eratque cum bestiis, & angeli ministrabant illi:

D 14. Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei,

15. & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Evangelio.

16. Et præteriens secus Mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, (erant enim piscatores)

17. & dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

18. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.

19. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi:

20. & statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.

21. Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos.

22. Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.

23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamavit, F

24. dicens: Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene: venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.

25. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.

26. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.

27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

29. Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis, & Andreæ cum Jacobo, & Joanne.

30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis. G

32. Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes:

33. & erat omnis civitas congregata ad januam.

34. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

35 Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

36. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant.

37. Et cum invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.

38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni. H

39. Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.

40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare.

41. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi: Volo: Mundare:

42. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.

43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum:

44. & dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.

45. At ille egressus cœpit prædicare & diffama-

Digitized by Google

A famare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique.

VERS. 1. & 2. INITIUM EVANGELII JESU CHRISTI, FILII DEI, SICUT SCRIPTUM EST IN ISAIA, &c.] Multi ante *sicut* ponunt punctum, censentes τὸ *initium Evangelii*, &c. esse titulum libri, verum hæc verba non esse titulum, sed initium, & proœmium libri, patet ex nomine *initium*; & quia hæc verba pendent a τὸ *sicut scriptum est*, &c. quare *ante sicut* ponendum est comma, non punctum. Vox ergo *Evangelii* hic non significat scripturam Evangelii, quam scripsit Marcus, uti significat cum dicimus, *Evangelium Marci*; sed significat prædicationem Evangelicam *Jesu Christi*, ut sequitur. Sensus igitur est, q. d. Evangelica Christi prædicatio initium habuit tale, quale prædixit Isaias & Malachias; scilicet prædicationem Joannis Baptistæ, ejusque testimonium de Christo. Joannes enim cœpit prædicare regnum cœlorum, Christi prædicatione, & more referandum. Unde ipse suos ad pœnitentiam induxit, ut per eam capaces fierent gratiæ Christi & regni cœlorum, dicens: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum*: Hæc ergo ejus prædicatio fuit *initium Evangelii*, id est, prædicationis Evangelicæ inchoatæ a Joanne, & perficiendæ per Christum. Moses enim & Lex vetus prædicabant & promittebant terram promissam, lacte & melle manantem, si Judæi Dei mandatis paterentur: Christus vero, & Lex Evangelica prædicat, promittitque regnum cœlorum, si homines de peccatis pœniteant, & Christi mandata observent. Prædicatio ergo pœnitentiæ, quam fecit Joannes, fuit præparatio & initium prædicationis Evangelicæ, quam fecit Christus evangelizans regnum cœlorum.

B

Nota. Matthæus & Joannes Evangelium ordiuntur a Christo ipso, sed Joannes a divina, Matthæus ab humana Christi generatione. Marcus vero & Lucas illud auspicantur a Joanne Baptista; sed Lucas a Joannis nativitate, Marcus autem a Joannis prædicatione.

VERS. 2 Mal. 3. v. 1. SICUT SCRIPTUM EST IN ISAIA PROPHETA: ECCE EGO MITTO ANGELUM MEUM ANTE FACIEM TUAM, QUI PRÆPARABIT VIAM TUAM ANTE TE.

C

VERS. 3 Mat. 3. v. Luc. 3. v. Jo. 1. 23. VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI.

Prior sententia v. 2. est Malachiæ cap. 3. v. 1. posterior est Isaiæ c. 40. 3. Unde Græca habent v. 2. *Sicut scriptum est in Prophetis*, scilicet Malachia & Isaia; sed Latina Vulgata, ac Græca nonnulla, item Syrus & Arabicus habent, *Sicut scriptum est in Isaia Propheta*, & ita Græcos olim legisse docet S. Hieron. lib. de optimo genere interpret. Script.

Dices, Cur Marcus solum Isaiam citat, non Malachiam? Resp. Quia potior hic est Isaias: nam vox Joannis in deserto clamantis: *Pœnitentiam agite*, erat *initium Evangelii*, id est, Evangelicæ prædicationis Christi: sed quia Malachias indicat hanc Joannis vocem, non ab homine, sed a Deo missam, propterea Marcus præmisit verba Malachiæ, ut per illa excitet attentionem lectoris, ad venerandam, & capessendam vocem Joannis ab Isaia prænunciatam: adde, idem in re dicere Malachiam cum eo, quod dicit Isaias: nam angelus missus a Deo ad præparandam viam Christo non alius fuit quam

D

Joannes voce sua clamans, prædicansque pœnitentiam, quæ corda hominum præparet ad Christi prædicationem, & gratiam. Est ergo hoc unum quasi duorum Prophetarum idemque oraculum, uno eodemque sensu de uno eodemque Joanne prolatum, licet aliis, & aliis verbis, quæ se mutuo confirmant, & explicant. In Isaiæ ergo oraculo reipsa continetur oraculum Malachiæ: quod enim prædixit Malachias, idem clarius & pressius aliis verbis prædixit Isaias. Hæc ergo est causa cur Marcus hic, cæterique Evangelistæ, & Apostoli, cum duos Prophetas, vel duas plurésque sententias ejusdem libri, vel diversi e veteri testamento citant, quasi unum idemque testimonium citent, ut patet 1. Petri 1. vers. 7. collato cum Psal. 117. 22. & Isaiæ 8. 14. Item 1. Corinth. 15. 54. collato cum Isaiæ cap. 25. v. v. 8. & Osee cap. 13. v. 14. Causa, inquam, est, quod una sententia alteram confirmet, & explicet; adeoque reipsa idem dicat quod altera: quare utraque non tam duæ, quam una eademque in re sententia esse videtur.

Reliqua, quæ hic de Joanne dicuntur, explicui Matth. 3. 3. & cap. 11. v. 10. ac Malach. 3. 1. & Isaiæ cap. 40. 3. quare illa hic non repetam, ne audiam illud vulgo jactatum, *Crambe recocta*.

VERS. 4 FUIT JOANNES IN DESERTO BAPTIZANS, ET PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ, (id est, excitando homines ad pœnitentiam, ut per eam disponerentur) IN (ad) REMISSIONEM PECCATORUM] accipiendam a Christo, ejusque baptismo, qui erat perfectio & consummatio baptismi Joannis. Christus enim quasi rex cælorum, prædicabat regnum sua gratia accipiendum, cujus prima pars est remissio peccatorum, quam præstat Christi baptismus; utpote Christi spiritu, & gratia instructus, & quasi animatus, juxta illud Joannis, *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est*, &c. *ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne*, Matth. 3. Quod repetit hic Marcus v. 8.

VERS. 12 E

ET STATIM SPIRITUS EXPULIT (græce, ἐκβάλλει: id est, emittit, educit, expellit) EUM IN DESERTUM] *Spiritus*, scilicet sanctus, qui paulo ante in baptismo specie columbæ in eum erat delapsus. *Expulit*, id est, magna vi spiritus & ardoris impulit Christum, ut ultro & sponte iret *in desertum*, ut ibi quasi in palæstra solus cum diabolo congrederetur: ibi ergo duellum iniere Christus & Antichristus, puta diabolus, sive Lucifer.

F

VERS. 13 Mat. 4. 1. Luc. 4. 1. ET ERAT IN DESERTO QUADRAGINTA DIEBUS, ET QUADRAGINTA NOCTIBUS, ET TENTABATUR (græce πειραζόμενος, id est, tentationem patiens) A SATANA.] Unde multi putant Christum per 40. dies crebro tentatum fuisse a satana, per varia spectra, & horribilia monstra, qualia demon objecit S. Antonio, ut eum terreret, ac ab oratione & solitudine avocaret. Ita Franc. Lucas. Verum videtur Marcus unico verbo πειραζόμενος, id est, *tentationem patiens*, tres solemnes Christi tentationes quas recenset Matth. c. 4. v. 2. & seq. per compendium perstringere & complecti voluisse. Unde Lucas cap. 4. 2. post τὸ πειραζόμενος, statim tres hasce tentationes enarrat. Vide dicta Matth. 4. 2. Verum enim hic est illud: *Dum brevis esse laboro, obscurus fio.*

G

ERATQUE CUM BESTIIS] Græce, θηρίων, id est, *feris*. Innuitur summa loci solitudo, æque ac Christi innocentia, quod scilicet in loco desertissimo agens cum leonibus, lupis, pardis, serpentibus, eos non timeret, nec ab eis læderetur, sicut Adam quamdiu fuit innocens, cum iisdem, in paradiso innoxie egit: omnia enim ipsum, ut dominum suum intuebantur & reverebantur.

ET ANGELI MINISTRABANT EI] Non ante tentationem & victoriam, ut vult Beda: sic enim Jesus a diabolo fuisset agnitus esse Filius Dei, ex angelorum famulatu, reverentia & adoratione: neque eum diabolus aggredi & tentare fuisset ausus; sed post tentationem parta jam victoria, ut patet Matth. 4. 11. Idque ad hoc, ut Jesus solus cum solo duellans diabolo, eumque vincens, & superans, in se ostenderet, tentamenta vincentibus a Deo paratam esse consolationem, & comitatum obsequiumque angelorum.

VERS. 14 Mat. 4. 12. Luc. 4. 14. Jo. 4. 3. POSTQUAM AUTEM TRADITUS EST (carceri ab Herode) JOANNES, VENIT JESUS IN GALILÆAM, PRÆDICANS EVANGELIUM REGNI DEI] Secundus hic fuit Christi adventus e Judæa in Galilæam, ut fugeret Herodem, ne se quoque incarceraret: Jam enim Christus prædicarat & baptizarat in Judæa; quare ibi inclarescens incurrit invidiam Scribarum, & Pharisæorum, qui eum quasi novatorem ad Herodem detulerunt & accusarunt. Quare

H

idem hic est Christi adventus cum eo, quem recenset Matth. cap. 4. 12. & Lucas cap. 4. 14. & Joannes cap. 4. v. 3. & 43. Licet nonnulli illum Joannis ab hoc diversum, & tertium Christi in Galilæa adventum esse autument, eo quod in eo Christus fugerit Pharisæos, ut ait Joannes: in secundo vero fugerit Herodem, ut ait Matth. & Marcus; sed ut dixi, Pharisæos fugit, quia Herodem fugit: apud hunc enim eum accusarunt Pharisæi: quare eadem hæc fuit Christi fuga, idemque in Galilæam adventus.

Nota. Christus in Judæa baptizatus a Joanne, ibique familiaritatem contrahens cum Joannis discipulis, Andrea, & Petro, inde abiit in Galilæam; ac vocavit Philippum, & in nuptiis Canæ Galilææ aquas convertit in vinum. Hic fuit primus Christi e Judæa adventus in Galilæam, quem enarrat Joannes c. 1. 43. & seq. Verum instante Paschate Christus e Galilæa rediit in Judæam, ut juxta legem sisteret se templo, Joann. 2. 13. tumque ejecit

emen-

ementes è templo, & cum Nicodemo collocutus palam cœpit baptizare & prædicare, Jo. 3.26. quare inclarescens incurrit invidiam Scribarum. Unde metuens ne ipsi se accusarent apud Herodem, uti accusarant Joannem Baptistam, audiens eum occisum, secessit iterum a Judæa in Galilæam, Jo. 4. 3. & 43. atque hic est secessus, de quo agit hic Marcus, & Matth. cap. 4.. 12. ut ibidem dixi. Unde in Galilæa tunc Christus ad se vocavit quatuor piscatores, scilicet Petrum & Andream, Jacobum & Joannem, uti narrat Marcus v. 16. & seq. ac Matth. c. 4.

ET DICENS: QUONIAM (græce, ὅτι, id est, *quod*)
VERS. 15 IMPLETUM EST TEMPUS] adventus Messiæ & regni cælorum; ut scilicet illud tot millibus annorum clausum, Christus sua prædicatione, morte & gratia referet & aperiat.

POENITEMINI] Pœnitentiam agite, ut peccata commissa detestemini, & proponatis vitam in melius commutare. Pulchre Scholiastes apud S. Hieron. *Amaritudinem radicis*, ait, *dulcedo pomi compensat; periculum maris spes lucri delectat; dolorem medicinæ, spes salutis mitigat; qui desiderat nucleũ frangit nucem: sic qui cupit gaudiũ conscientiæ sanctæ, amaritiem pœnitentiæ, ceu pilulam, forbeat.*

B JACOBUM ZEBEDÆI ET JOANNEM] Pulchre, Scholiastes apud S. Hieron. *Hæc*, ait, *piscatorum quadriga vehimur ad æthera, sicut Elias: his quatuor angulis construitur prima Ecclesia. Quatuor virtutibus in imaginem Dei convertimur, obedientes prudentiæ, viriliter agentes justitiæ, serpentem calcantes temperantiæ, & Dei gratiam merentes fortitudine.* Theoph. *Prius*, ait, *vocatur Petrus, id est actio: deinde Joannes, id est, contemplatio.*
VERS. 19 Mar. 4. 21. Luc. 5. 9.

ET ERAT IN SYNAGOGA EORUM HOMO IN SPIRITU IMMUNDO] Id est, homo spiritus immundi, hoc est, habens spiritum immundum, puta possessus a dæmone. Talis enim a dæmone ita agitur, & raptatur, ut in dæmone esse & habitare videatur. Est hebraismus: Hebræi enim ב, *beth* id est *in*, usurpant loco regiminis, quo unum nomen substantivum regit aliud in genitivo.

ET EXCLAMAVIT] Spiritus, puta dæmon, per os homi-
VERS. 23 nis a se possessi, *quasi tormenta sustinens*, ait Scholiastes apud Chrysost, *quasi in dolore positus, quasi flagella ferre non valens*. Nam, ut ait Beda: *Præsentia Salvatoris tormenta sunt dæmonum*. Voluit id Christus, ut per hoc publicum dæmonis de se testimonium, perque ejus expulsionem Judæi in synagoga Capharnaensi (ibi enim hæc contigerunt, ut patet v. 21.) congregati agnoscerent ipsum esse Messiam. De hoc dæmoniaco nil habet Matth. sed Lucas cap. 33.

C DICENS] Græca subdunt. ἔα, quod interpres Lucæ
VERS. 24 Luc. 4. 34. 4. 34. vertit, *sine*, ut sit impetrativus verbi ἐάω, id est, sino, permitto, q. d. ait Euthym. *dimitte nos*, noli nos vexare & ejicere. Alii ἔα accipiunt quasi adverbium dolentis, stupentis, & obsecrantis; q. d. Ah, hem, eja Domine, quid tibi nocui? ne me a possessione mea expellas.

QUID NOBIS ET TIBI JESU NAZARENE? VENISTI PERDERE NOS? SCIO QUI SIS, SANCTUS DEI] q. d. Quid tibi, o Jesu, nobiscum est negotii, quando te ego, aliique dæmones læsimus, ut nos pellere & lædere velis? q. d. Nos non te, o Christe, qui sanctus es, sed peccatores velut nostri juris invadimus. Nil ergo nobis tecum est litis; tu igitur vicissim noli nobiscum litigare, & nos perdere.

VENISTI PERDERE NOS] Quidam codices addunt, *ante tempus*; sed id delent Græca, Rom. Syrus, & Arabicus: videtur enim id ex Matth. cap. 9. 29. huc translatum. Jam
D quoad sensum. Primo, Beda, Dominum, ait, in terra cernentes dæmones, se continuo judicandos credebant. q. d. Noli tuo adventu, o Jesu, tam cito inducere diem judicii, ut nos in tartara ableges sine ulla spe exeundi. Secundo, Scholiastes apud Chrysostom. exponit. q. d. Nobis non das locum in hominibus, dum divina doces, sed hoc mysticum est. Tertio, & genuine, *Venisti nos perdere*, id est, *torquere*, ut habet Matth. 8. 29. ex hominibus ejicere & in infernum mittere. Unde Theophyl. *Exire ab homine*, inquit, *suam perditionem dicit*. Summa enim dæmonum voluptas est, homines possidere, vexare, tentare. Hoc est quod ait Lucas c. 8. 31. *Et rogabant illum ne imperaret illis, ut in abyssum* (infernum) *irent*.

SCIO QUI (quis) SIS, nimirum SANCTUS DEI] Arabicus, *scio quis sis sancte Dei*; græce ἅγιος, id est, *ille sanctus*, scilicet singularis, & per eminentiam, qui adeo es sanctus, ut tuam sanctitatem aliis communicet, sisque quasi fons, & sol sanctitatis, qui omnes Sanctos sanctificas, puta Messias & Dei Filius, quem a tot millenis annis omnes avidissime exspectant, uti exponunt alii dæmones c. 3. v. 12. ita Theophyl. Euthym. & alii. Alludit ad illud Daniel. 9. 24. *Ungatur sanctus sanctorum*, id est Messias, vide ibi dicta. Porro adulatur hic dæmon Christo, ne cum affligat & ejiciat, atque ut in vanam gloriam eum inducat. Porro Glossa, *Non est*, inquit, *hæc voluntatis confessio, sed necessitatis extorsio*.

Scio] Hoc est, suspicor, conjecto, opinor: nam, ut ait Scholiastes apud Chrisost. dæmon non habebat firmam & certam adventus Dei notitiam, quia, ut inquit S. Aug. lib. 9. de Civit. c. 21. tantum eis innotuit, quantum voluit: tantum voluit, quantum oportuit: innotuit vero per quædam suæ virtutis effecta, de quo plura c. 3. 12.

ET COMMINATUS EST EI] Græce ἐπετίμησεν αὐτῷ, id VERS. 25
est increpavit eum, objurgavit eum minis scilicet minando, quod eum affligeret ni taceret. Luc. 4. 35.

DICENS: OBMUTESCE] Arabic. *claude os tuum*. Cur? Christus dæmone silere jubet. Cur. Causa Prima. Secunda.
Resp. Primo, quia non decebat Christum, id est, Deum, a dæmone laudari, sicut non decet virginem a meretrice commendari. Ita Tertull. lib. 4. contra Marcion.

Secundo, ne videretur esse amicus dæmonis, & cum eo commercium habere; nam postea Christo id objecerunt; scilicet quod ope Beelzebub ejiceret dæmonia, Matthæi 12. Quo facto Christus nos docuit vitare omne cum dæmone commercium, eo quod ipse juratus sit Dei hostis, & totus ad nos lædendum & perdendum, etiam cum aliquam corpori opem promittit, vel affert, intentus. Unde Scholiastes apud Chrysost. *Obmutesce*, ait, *laus mea sit silentium tuum: non me laudet vox tua, sed tormenta tua: pœna tua laus mea est. Non quia laudas gratulor, sed quia exis gratulor*.

Tertio, ut doceret adulationi esse resistendum, ne illa Tertia.
aliquod vanæ gloriæ desiderium in pectore nostro excitet. Ita Bostrensis in Lucæ c. 8.

Quarto, Euthymius, *Docuit nos*, ait, *ne dæmonibus* Quarta.
umquam credamus, etiam vera dicentibus: cum enim ament mendacium, sintque nobis inimicissimi, numquam vera loquuntur, nisi ut ad fallendum, veritate quasi esca quadam utantur. Mendaces enim, ut sua mendacia colore veritatis celent & persuadeant, hac arte uti solent, ut initio vera quædam narrent, ac iis deinde falsa attexant, ut G
qui prima crediderint, credant & postrema. Hac de causa Paulus Actor. 16. 18. pythoni se laudanti os occlusit, imo eum expulit.

Quinto, quia dæmon hic intempestive, & nimis cito Quinta.
prodebat eum esse Messiam, quare hoc nocuisset Christo, & populum ab eo avertisset: tam grande enim arcanum sensim aperiendum, & per miracula multa populo erat persuadendum, qui alioqui illud initio capere & credere non poterat: quia necdum ad hoc erat dispositus & præparatus, qua de causa c. 8. 30. Christus vetat Apostolis quoque, ne ipsum dicant esse Christum. Ita Maldonatus, Franc. Lucas & alii.

Symbolice Beda: *Dæmon*, ait, *quia Evam linguæ sua fefellerat, linguæ punitus est, ne loqueretur*.

ET DISCERPENS EUM SPIRITUS IMMUNDUS, ET EXCLA- VERS. 26
MANS VOCE MAGNA, EXIIT AB EO] *Discerpens*, non ho- Luc. 4. 35
minem a se possessum lacerando, discindendo, mutilando: nam Luc. c. 4. 35. nihil illi nocuisse ait; sed ejus membra contorquendo, collidendo, huc illucque jactando, convellendo, perinde ac si eum dilaniare, & vellicare voluisset. Græcum enim σπαράττω significat laniare, dilaniare & discerpere; unde σπαραγμὸς est convulsio. Hinc H
S. Aug. l. 4. de Consensu Evang. c. 2. & Beda pro *discerpens* legunt *convexans*, id est, contorquens, & Marci interpres c. 9. 19. vertit, *conturbans*. *Spiritus*, inquit, *conturbavit illum, & elisus in terram volutabatur spumans*. Fecit id dæmon ex ira & rabie, ut coactus a Christo egredi homini noceret, quantum posset: nimirum quo vicinior, & potentior est gratia Christi, eo impotentius furit demon, ut declaret quam invite a se possessos dimittat, & concedat Christo. Sed nota, dæmonem tumultuari tantum ac tumultus horrendos ciere, sed vanos & cassos: nec enim lædere potest prohibente Christo. Permisit id Christus tribus de causis. Primo, ut pateret hunc hominem vere fuisse possessum a dæmone. Secundo, ut dæmonis malitia, & indignatio cerneretur. Tertio, ut liqueret dæmonem non sponte, sed coactum, victumque a Christo egredi. Ita Theoph. & alii. Hinc

Tropologice, S. Gregor. hom. 12. in Ezech. docet dæmonem peccatores, dum convertuntur, mire vexare, ter-

A tentare, & cruciare: *Mox*, inquit, *ut animus amare cœlestia cœperit, mox ut ad visionem pacis intimæ tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius, qui de cœlo lapsus est, invidet, & insidiari amplius incipit, & acriores quam consueverat tentationes admovet, ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante numquam tentaverat, quando possidebat, unde scriptum est: Fili accedens ad servitium Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, Et paulo post: *Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis, quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quod plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat quando hoc quietus possidebat?*

Et exclamans] Cum horrendo ejulatu, incondito stridore, & fremitu, ut ostenderet quam invite exiret, quantaque sibi vis fieret a Christo: nihil enim articulatum dixit, aut prolocutus est, Nam Christus ei loqui vetuerat; dicens: *Obmutesce*. Ita Euthym. *Clamavit*, ait, *voce magna flagellatus imperio Dominico; non dixit tamen quid clamaverit, eo quod voces nihil significantes ediderit*. Addit Titus in Lucæ 4. 35. *Etenim animo restitutus homo, mentisque compos effectus, sobrii modestique viri oratione utebatur*.

B

Vers. 27 Luc. 4. 36. Quænam doctrina hæc nova? quia (quod) in potestate etiam spiritibus immundis imperat. q. d. Quænam est hæc doctrina cælestis & divina, utpote quam Deus e cælo tot tamque potentibus miraculis confirmat? Christus enim ejus doctor non per preces, sed mera potestate, soloque jussu dæmonibus imperat ut exeant, et obediunt ei] Quare necessum est ut ipse sit Messias Dei filius, verusque Deus, hic enim solus pro potestate sua imperat dæmonibus.

Vers. 32 Matt. 8. 15 Luc. 4. 40. Sol occúbens mari mergi videtur. Cum occidisset sol] Græce, ὅτε δὲ ἔδυ ὁ ἥλιος, id est, cum sol quasi mari absorptus, & mersus esset, δύομαι, enim est absorberi, mergi, submergi, diciturque de insulis, quæ a mari sorbentur & merguntur. Hæc phrasis ergo petita est a sensu vulgi, qui putat solem dum occumbit, mergi oceano. Unde Virgil. 7. Æneid. sic canit;

— Sol utrumque recurrens,
Respicit oceanum,

Et Titulus lib. 2.

Solis anhelantes abluit amnis equos.

C Et Boetius lib. 2. de Consol.

Quos videt condens radios sub undas,
Phœbus extremo veniens ab ortu.

Et lib. 3.

Cadit Hesperias Phœbus in undas.

Vers. 33 Et erat omnis civitas (Capharnaum, ut patet ex v. 21.) congregata ad januam] domus Petri & Andreæ, ubi hospitabatur Jesus, ut patet v. 29.

Vers. 34 Mar. 1. 16. Luc. 4. v. 40. 41. Et curavit multos] Scilicet omnes, qui ipsi offerebantur, ut habet Matt. c. 8. 26. hi enim erant multi. Ita Theophyl. & Euthym.

Et non sinebat ea loqui, quoniam (quod) sciebant eum] q. d. Non sinebat dæmones loqui, quod ipsi nossent Jesum esse Messiam, ob causas, quam recensui v. 25. Qualis & quanta fuerit hæc dæmonum notitia, dicam c. 3. 12. Arabic. *& non sinebat dæmonia loqui, quoniam sciebant quod ipse esset ipse*, id est, quod ipse erat is, qui reipsa erat, scilicet Messias & Salvator mundi.

Vers. 35 Luc. 2. 7. Et diluculo valde] Græce, καὶ πρωὶ ἔννυχον, id est, *& mane, cum multa adhuc esset nox*. Erat enim diluculum profundum, primum, & summum, cum adhuc sunt tenebræ. Unde nox vocari potuit a Marco, licet a Luca c. 4. 42. vocetur *dies*, quia scilicet erat *aurora diei*, sive diluculum, quo oriri incipit dies.

D

Abiit in desertum] Tum ut ibi quietius & attentius oraret: unde sequitur, *Ibique orabat*: tum ut post tot miracula fugeret hominum laudem & plausum, ut nos idem facere doceret. Simile fecit Matth. 14. 21. Ita Theophyl. & Euthym. Disce hic a Christo auroram dare orationi, ac diluculo surgere ut meditationi vaces, & primitias diei Deo tribuas, aurora enim musis amica, sed amicior Deo & angelis. Vide dicta Deut. 6. v. 7.

Vers. 43 Et comminatus est ei, statimque ejecit illum] Græce, *& comminatus ei statim ejecit illum*. q. d. Graviter & minans jussit ei miraculum sanitatis a se patratum celare, ideoque *statim ejecit illum*, id est, illum a se ablegavit, emisit, abire jussit, ne sciretur quod ipse illum a lepra curasset, idque ut daret nobis exemplum fugiendæ vanæ gloriæ & plausus hominum. Unde explicans subdit; *Vide nemini dixeris*,

Ostende te principi sacerdotum] Græce, ἱερεῖ, id est sacerdoti. Non enim solus summus Pontifex, sed & quivis sacerdos judicare poterat de lepra, num illa esset curata, nec ne, ut patet Levit. 12. 2. Verisimile tamen est, quod quia causa lepræ erat gravis & difficilis, judicium illius ex pontificum interpretatione & decreto reservatum fuerit *principi sacerdotum*, ut hic dicitur, hoc est, uni e 24. primoribus sacerdotum, qui vicissim per hebdomadas singulas præerant cæteris sacerdotibus ac sacrificiis, cæterisque templi officiis & ritibus ex ordinatione Davidis, ut patet 1. Paral. 24. v. 3. & seq. E

Vers. 44 Matt. 8. v. 4. Luc. 5. 14.

At illb egressus coepit prædicare et diffamare (divulgare; Arab. *promulgare*) sermonem] id est rem & factum, puta miraculum sanatæ lepræ in se a Christo patratum: quia sentiebat hoc esse ad Dei & Christi gloriam, etsi Christus humilitatis & modestiæ studio imperasset ei silentium; sed ipse hoc imperium censebat non esse præceptum.

Vers. 45 Luc. 5. v. 15. 16.

Ita ut iam non posset manifeste introire in civitatem] sine verecundia ob honorem, & plausum populi, Christo ob tantum miraculum applaudentis: vel *non posset*, id est, non vellet. Sic enim accipi subinde *posse* pro *velle*, multis exemplis docet Nazianz. orat. 4. de Theolog. F

CAPUT II.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, paralytico sanitatem tam animæ, quam corporis restituit. Secundo, vers. 14. e telonio vocat Matthæum ad sui sequelam: Scribis obmurmurantibus respondet: Non veni vocare justos, sed peccatores. *Tertio, Pharisæis dat causam, cur discipuli sui non jejunent, eosdemque spicas in sabbato ad famem levandam vellentes, excusat.*

Vers. 1 Et iterum intravit Capharnaum post dies, 2. & auditum est quod in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum. G

3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur.

4. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabbatum, in quo paralyticus jacebat.

5. Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

6. Erant autem illic quidam de scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis:

7. Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

9. Quid est facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula? H

10. Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico)

11. tibi dico: Surge, tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam.

12. Et statim surrexit ille: &, sublato grabbato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam sic vidimus.

13. Et egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos.

14. Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere. Et surgens secutus est eum.

15. Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani, & peccatores simul discum

Digitized by Google

A cumbebant cum Jesu, & discipulis ejus: erant enim multi, qui & sequebantur eum.

16. Et Scribæ, & Pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat & bibit Magister vester?

17. Hoc audito Jesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores.

18. Et erant discipuli Joannis, & Pharisæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Joannis, & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?

19. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum B novum a veteri, & major scissura fit.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt: sed vinum novum in utres novos mitti debet.

23. Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli ejus cœperunt progredi, & vellere spicas.

24. Pharisæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet?

25. Et ait illis: Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant?

26. quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, & dedit eis, qui cum eo C erant?

27. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum.

28. Itaque Dominus est filius hominis, etiam sabbati.

VERS. 1 ET ITERUM INTRAVIT CAPHARNAUM POST DIES] Aliqui codices addunt, *octo*: sed τὸ *octo* delent Græca, Romana, Arabicus & alii. *Post dies* ergo, id est, post aliquot dies: non enim definit numerum, ut nesciamus an pauci fuerint, an multi. *Mat. 9. vers. 1.*

VERS. 2 ET CONVENERUNT MULTI, ITA UT NON CAPERET NEQUE AD JANUAM] Græce clarius ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, id est ut non caperent eos loca etiam quæ ad januam erant, scilicet vestibulum domus, aut cubicula, forte etiam platea ostio vicina. Arabicus, *& confestim convenerunt multi, ita ut non caperet eos locus ad januam.*

D FILI, DIMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA] Audi Bedam; Curaturus prius dimittit peccata, ut ostenderet VERS. 5 cum ob culpam pati. Affliguntur vero homines corporis molestiis, aut ad augmentum meriti, ut Job & Martyres; aut ad humilitatis conservationem, ut Paulus: aut ad correctionem peccati, ut soror Moysi, & hic paralyticus: aut ad Dei gloriam, ut cæcus natus aut ad initium damnationis, ut Herodes. *Mat. 9. 2. Luc. 5. 20.*

Addit Beda, portari hunc paralyticum a quatuor portitoribus, ut significetur quod quatuor virtutibus ad promerendam sospitatem homo fiducia mentis erigitur, scilicet prudentia, fortitudine, justitia & temperantia.

SURGE, TOLLE GRABBATUM TUUM] Genus est lecti, VERS. 11 de quo, uti & de cæteris, dixi Matth. 9. 6. *Mat. 9. 6. Luc. 5. 24.*

VIDIT LEVI ALPHÆI] Id est, vidit Matthæum, qui alio nomine dictus est Levi, antequam a Christo vocaretur, nam post vocationem nominatur semper Matthæus, VERS. 14 *Alphæi*, scilicet filius, ut habet Syrus. Alius est hic Al- *Mat. 9. 9. Luc. 5. v. 27. 28.* phæus ab Alphæo, qui fuit maritus Mariæ Cleophæ, ex eaque genuit Jacobum Minorem & Judam, Matth. 10. 3.

Lucas & Marcus vocant eum *Levi*, ut ejus honori consulant, quia hoc nomen paucis erat notum. Matthæus vero se *Matthæum* nominat, ut sese humiliet, ac peccatorem & publicanum fuisse palam profiteatur. E

ET SURGENS SECUTUS EST EUM] illico relictis omnibus. Unde Beda: *Reliquit propria*, ait, *qui rapere solebat aliena: Reliquit etiam imperfectas, & incomposi-tas rationes vectigalium, quia Dominus eum ita ascenderat, ut vocantem statim sequeretur.*

SUB ABIATHAR] Dices, 1. Reg. 21. 6. dicitur id factum sub Achimelech, qui erat pater Abiathar. Resp. VERS. 26 *Mat. 12. Luc. 6. 4.* Primo, Abiathar jam tum erat pontifex cum patre Achimelech, quia patre absente, ægrotante, vel occupato, ipse pontificis munia obibat, eratque patri seni brevi morituro propediem in pontificatu successurus. Hinc sub Abiathar dicitur contigisse, quod proprie sub patre ejus Achimelech contigit. Audi Bedam. Quod Dominus Abiathar principem sacerdotum pro Achimelech appellat, nihil habet dissonantiæ: ambo enim fuerunt illic, cum veniens David panes petiit, & accepit. Occiso autem Achimelech a Saule, fugit Abiathar ad David, & comes factus est totius exilii ejus. Postea eo regnante summi sacerdotii gradum accepit, ac toto tempore regni illius F in pontificatu perseverans, multo majoris excellentiæ quam pater effectus est, ideoque dignus fuit, cujus memoriam, etiam vivente patre, quasi summi faceret sacerdotis.

Secundo, & certius, liquet ex Scriptura tam patrem, quam filium fuisse binomium, & utrumque nunc vocari Abiathar, nunc Achimelech, ut patet 2. Reg. 8. 17. 1. Paral. 18. 16. & c. 24. 6. Jansen. Toletus, Salmeron, Franc. Lucas, & alii.

SABBATUM PROPTER HOMINEM FACTUM (Syrus, VERS. 27 *creatum*) EST, ET NON HOMO PROPTER SABBATUM] q. d. Sabbatum ad hominis bonum & commodum institutum est, ut scilicet homo corpus suum labore continuo sex hebdomadæ dierum fatigatum, quiete sabbati reficeret & restauraret: mentem vero applicaret ad ea, quæ salutis sunt æternæ, scilicet ad audiendam, considerandam & meditandam Dei legem, voluntatem, beneficia, majestatem, quibus se excitaret ad pœnitentiam, gratiarum actionem & amorem Dei, itaque se justificaret, & G sanctificaret. Vis argumenti est hæc: Sabbatum propter homines institutum est, non homo propter sabbatum. Ergo si quies sabbati valde homini sit noxia, relinquenda est, & labor capessendus, ut homini consulatur; ideoque recte ego hic permitto meis discipulis modicum laborem vellendi spicas in sabbato, ut fami suæ consulant; præstat enim sabbati quietem perire, quam hominem perire.

ITAQUE DOMINUS EST FILIUS HOMINIS ETIAM SAB- VERS. 28 BATI] Nonnulli τὸ *itaque* proprie accipiunt, ut illa- *Mat. 2. 5. Luc. 6. 5.* tivum ex dictis v. præced. q. d. Quia sabbatum factum est propter hominem: Filius autem hominis, id est Christus, est dominus omnium hominum, & rerum omnium, quæ ad hominum salutem pertinent (illius enim causa in mundum & carnem venit) ergo ipse quoque dominus est sabbati, ut in eo dispensare possit. Verum planius & simplicius τὸ *itaque* accipias non ut illativum, sed ut completivum pro *denique*. Unde Arabicus vertit, &, q. d. Denique Filius hominis, id est ego Christus, quia Messias, & Deus, sum dominus sabbati; qui sicut illud primitus institui, sic pro hominum salute illud ad libitum H temperare, laxare & abolere possum. Est nova & ultima ratio, qua Christus Scribis probat, discipulis suis licere vellere spicas in sabbato, ut fami suæ succurrant.

Cætera hujus capitis explicui Matth. 9. & c. 12.

Mystice, Christus sabbato sanans, significat eos, qui in passionibus habent requiem, ait Theophyl. posse peccatores passionibus agitatos curare, & ad virtutem ducere. Plenius Beda: Discipuli, ait, sunt doctores: sata, institui in fide, quos dum illi visitant, eorum salutem esurientes, a terrenis eruunt, & manibus, id est exemplis, a carnis concupiscentia quasi a folliculis exuunt: manducant autem, id est Ecclesiæ membris incorporant: in sabbato vero, quia pro spe futura quietis hoc fit.

CA-

Digitized by Google

A

CAPUT III.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, manco manum aridam Christus restituit sabbato, inde eum turbis secedit ad mare, ubi multos ægros, & dæmoniacos sanat. Secundo, v. 53. in monte e discipulis seligit duodecim Apostolos, eosque evangelizatum mittit, cum potestate infirmos curandi, & dæmones ejiciendi. Tertio, v. 22. Scribas calumniantes, quod in Beelzebub dæmones expelleret, confutat, aitque hanc esse blasphemiam in Spiritum sanctum, quæ numquam remittitur. Denique v. 31. docet matrem & fratres suos esse eos, qui faciunt voluntatem Dei Patris sui.

VERS. 1 ET introivit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam.

B 2. Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum.

3. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.

4. Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant.

5. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.

6. Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum: quomodo eum perderent.

7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba a Galilæa, & Judæa secuta est eum,

8. & ab Jerosolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum, & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

C

9. Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.

10. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas.

11. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes:

12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.

13. Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum.

14. Et fecit ut essent duodecim cum illo: & ut mitteret eos prædicare.

15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.

16. Et imposuit Simoni nomen Petrus:

17. Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui:

D

18. & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum.

19. & Judam Iscariotem, qui & tradidit illum.

20. Et veniunt ad domum: & convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.

21. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.

22. Et Scribæ, qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

23. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam ejicere?

E

24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.

25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.

26. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finem habet.

27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.

28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemaverint:

29. qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

F

30. Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.

31. Et veniunt mater ejus & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum,

32. & sedebat circa eum turba: & dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te.

33. Et respondens eis, ait: Quæ est mater mea, & fratres mei?

34. Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

ET DICIT EIS: LICET SABBATIS BENEFACERE, AN MALE? ANIMAM SALVAM FACERE, AN PERDERE?] Legit interpres ἀπολέσαι, id est perdere: jam legunt ἀποκτεῖναι, id est occidere; sed *perdere* hoc loco est aptius. Agitur enim de manco, qui manum habebat aridam, non de mortuo vel occiso aut occidendo. De manco hoc curando Scribæ moverant Christo scrupulum, & dubium: *Si licet sabbatis curare?* Christus hoc dubium alia interrogatione non dubia, sed clara resolvit, dicens: *Licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere an perdere? Animam*, id est, hominem, ait S. August. est synecdoche: a parte enim significatur totum. Sensus est, q. d. Si quis ægro vel graviter afflicto, qualis est hic mancus, habens manum aridam, die sabbati non succurrat & benefaciat, si id facere possit (ut ego Christus possum) hic ei malefacit: negat enim ei opem lege charitatis debitam. Similiter si quis hominem in gravi necessitate constitutum, die sabbati non salvet, cum salvare possit, hic censetur eum perdere; ergo licet mihi sabbato mancum hunc curare: nisi enim hoc beneficium ei præstitero, censebor ei nocuisse, & malefeciisse, ac nisi eum salvum fecere, censebor eum perdidisse, utpote qui beneficentiam, & opem illi afflicto quasi debitam, ademerim, ac durus & immisericors in eum extiterim, relinquens eum in sua afflictione, quam facile tollere poteram. Simili sensu ait S. August. *si famentem non pavisti, occidisti*, quia permisisti eum fame emori. Sic si a latrone perimendum non liberasti, cum posses, eum occidisti: ejus enim mors & cædes tibi ad culpam & pœnam a Deo imputabitur, perinde ac si eum occidisses. Significat ergo Christus, sabbato non benefacere ægro cum possis, esse eidem malefacere: atqui numquam licet malefacere: ergo semper licet tali benefacere, adeoque in sabbato, hoc enim Deo, & operibus bonis dicatum est. Unde gravius peccatum est, in sabbato malefacere quam aliis diebus: sic enim violatur sanctitas sabbati, sicut benefaciendo illa magis celebratur & sanctificatur. VERS. 4 *Matth. 12. v. 12. Luc. 6. 9.*

G

ET CIRCUMSPICIENS EOS CUM IRA] Incredulitati eorum irascens, ait Interlin. nimirum vultu torvo & irato ostendens se indignari Scribarum menti cæcæ, perversæ, & obstinatæ, qua Christi miracula & beneficia in sabbato patrata, quasi male & contra legem sabbati colendi facta accusabant. Hinc patet, quod in Christo fuerit vera ira, tristitia, cæteræque passiones & affectus, qui sunt in aliis hominibus, sed domitæ & rationi subjectæ: quare ira erat ei eos virtutis. *Ira*, ait Franc. Lucas, *nobis est passio, Christo tamquam actio erat: nobis sponte oritur, a Christo in se excitatur; orta in nobis reliquas corporis animique vires turbat,* VERS. 5 *Matth. 12. v. 13. Luc. 6. 10.*

H

A *turbat, nec pro arbitrio potest reprimi: a Christo excitata, movet quod ipse moveri velit, turbat nihil, denique quiescit pro voluntate ipsius.* Hoc est, quod ait S. Leo ep. 11. *Sensus corporeis vigebant* (in Christo) *sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine deitatis & mentis.*

Porro *ira*, ait Aristot. lib. 1. de Anima c. 1. text. 16. est *appetitio doloris vicissim adversario inferendi.* Unde Nissenus (vel potius Nemesius Christianus Philos. hujus enim nomine extat hic liber tom. 9. Biblioth. SS. Patrum) lib. 4. Philos. c. 13. *Ira*, ait, *est recruciationis appetitus.* Et Lactantius lib. de Ira Dei ex Possidonio: *Ira*, ait, *est cupiditas puniendi ejus, a quo te inique lasum putas.* Unde ira in aliis hominibus nascitur ex amore sui; in Christo vero nascebatur ex amore Dei: quia enim ipse summe amabat Deum, hinc de ejus offensa, per peccata, & peccatores facta, summe tristabatur & irascebatur, volens illam offensam compensare vel puniendo, vel corrigendo peccatores & infideles. Quare ira Christi erat zelus, vel zelo condita, uti in Angelis & Beati non est ira, sed zelus. Unde D. Thom. & Scholast. 3. part. q. 15. art. 9. An in Deo sit proprius iræ affectus, variant Doctorum sententiæ. Alii enim cum Suarez opusc. de Divina justitia sect. 5. n. 2. affirmant: Alii cum Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 84. c. 4. negant.

B CONTRISTATUS SUPER CÆCITATE (Syrus, *duritie*, vel *callo*) CORDIS EORUM] Græce, συλλυπούμενος, id est condolens & commiserans, quod odio & invidia excæcati & obdurati, nollent agnoscere ipsum esse Messiam, sed ipsius beneficia sabbato in ægros collata perverterent, & ut maleficia calumniarentur. Significat ergo Jesu iram non processisse ex appetitu vindictæ, sed mixtam fuisse commiseratione, Jesumque peccatis iratum fuisse, sed peccatoribus condoluisse; utpote quos amabat, & salvare satagebat. Denique omnis ira mixta est tristitia: iratus enim dolet & tristatur ob malum, cui irascitur, adeoque tristitia de malo causat, acuitque iram, ut ipsa animose malum hoc contristans amoveat. Ita D. Thom. & Scholastes l. cit.

VERS. 2 C UT NAVICULA SIBI DESERVIRET] Græce προσκαρτερῇ, id est, ut esset præsto ad manum, & ut Budæus vertit, ut assidua esset comes, ut irruente turba illico in navim se reciperet, ne ab illa comprimeretur.

VERS.66 PLAGAS] Græce μάστιγας, id est flagella, puta plagæ & morbi, quibus Deus homines ob peccata castigat, & flagellat. Significat ergo sæpe morbos esse flagella, ac a Deo ob peccata immitti, ut illa castiget. *Mat. 12 v. 15.*

VERS.26 ET SPIRITUS IMMUNDI, CUM ILLUM VIDEBANT, PROCIDEBANT EI] id est, accedebant ei ad pedes genuflexi, non ex religione & amore, sed ex metu & timore supplicium suum deprecaturi; ne scilicet eos ex hominibus ejiceret & in tartara relegaret.

ET CLAMABANT] ut ab eis honoratus & laudatus parceret eis.

VERS.24 DICENTES; TU ES FILIUS DEI] Quæres, an dæmones vere cognoverint Jesum esse Messiam, sive Christum Dei Filium? Resp. Ex hoc loco, & ex Matth. 8. 20. & ex Lucæ c. 4. 41. ac ex Patribus & interpretibus communiter in ea loca commentantibus, liquet, dæmones, licet in baptismo Christi, & ante baptismum non plane eum cognoverint: nam post baptismum tentarunt eum, ut quis esset ipse, agnoscerent; ipsos tamen postea id cognovisse ex tot tantisque miraculis, quæ evidenter videbant esse vera miracula, ac suam & angelorum omnemque naturalem vim transcendere, & a solo Deo supernaturali vi patrari, quæque Christus faciebat hoc fine, & scopo, ut probaret Primo, se esse Messiam Patribus promissam: Secundo, se esse Deum Deique Filium; hinc, inquam, dæmones cognovisse Jesum, & esse Messiam, & esse Dei Filium, maxime dum cum miraculis Christi conferebant Scripturas & prophetias veteres de Christo, quæ ipsum talem fore, qualis erat Jesus, taliaque miracula patraturum prædixerant. *An dæmon agnoverit Christum.*

D Ubi tamen adverte, dæmone non ita clare, & firmiter idipsum cognovisse, quin alia ex parte cogitantes magnitudinem mysterii tantæ dignationis, & humiliationis Christi incarnati quod videtur naturaliter, incredibile, præsertim superbissimo diabolo; subinde hæsitarent, & dubitarent an Jesus vere esset Messias, & Dei Filius. Magis hæsitarunt, imo ignorarunt finem & fructum hujus mysterii, quod scilicet per Christi incarnationem, crucem, & mortem redimendi essent homines, itaque suum in eis regnum esset evertendum, & regnum Dei erigendum; maxime quia excecabat eos odium Jesu, quem quia videbant virum esse sanctissimum, & plurimas sibi animas eripere, hinc eum omnino sibi oppugnandum evertendumque, & necandum sumpserunt. Unde factum est, ut ipsi odio Jesu excæcati, & S. Scripturas alioqui claras de Christi cruce, & morte, ac nostra per eam redemptione, vel non considerarent, vel non intelligerent: quocirca ipsi Jesum velut hostem juratum, per Judæos crucifixerunt, & occiderunt, itaque nescienter suum regnum everterunt. Ita S. Leo serm. 9. de Passione: *Nec ipse*, inquit, *diabolus intellexit, quod saviendo in Christum, suum destrueret principatum; qui antiquæ fraudis jura non perderet, si se a Domini Jesu sanguine contineret. Sed malitia nocendi avidus, dum irruit, ruit: dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in Salvatorem.* E

VERS.14 ET FECIT UT ESSENT DUODECIM CUM ILLO] quasi ejus Apostoli, contubernales & legati ex latere. Unde subdit: *Et ut mitteret eos prædicare.* *Luc. 6. 13.*

VERS.25 ET DEDIT ILLIS POTESTATEM CURANDI INFIRMITATES] *Dedit*, non jam cum eos designavit dumtaxat, & Apostolos creavit, sed postea cum eos misit prædicatum c. 6. 7. tunc enim prædicationem confirmare debebant miraculis. Est ergo hic prolepsis, sive anticipatio. *al. 3. 13. Luc. 9. 1. inf. 6. 7.*

VERS.64 ET IMPOSUIT SIMONI NOMEN PETRUS] Ante hæc verba Græci codices nonnulli habent, πρῶτον Σίμωνα, id est *primum Simonem*, scilicet constituit inter Apostolos; F sed hæc verba omittunt cæteri: idipsum tamen satis intelligitur ex eo, quod Petrus hic primus a Christo nominetur, nomenque ei muletur, ut qui prius vocabatur Simon, deinde vocetur syriace *Cephas*, græce, & latine *Petrus*, id est petra: quia ipse a Christo constituendus erat petra & basis Ecclesiæ. Quare hoc nomen Cephæ, sive Petri, Simoni a Christo promissum fuit Joann. 1. 42. sed reipsa inditum, Matth. 16. 18.

VERS.20 ET JACOBUM ZEBEDÆI, ET JOANNEM FRATREM JACOBI (Jacobus prius nominatur, quia erat senior Joanne, qui omnium Apostolorum fuit junior, & ætate minimus) ET IMPOSUIT EIS NOMINA BOANERGES, QUOD EST (significat) FILII TONITRUI] *Nomina*, non dicit, nomen, sed *nomina*, quia plures erant, scilicet G duo, unde plura requirebant nomina, scilicet Boanerges, quod est plurale, & significat non filium, se *filios tonitrui*, in plurali, id est tonantes, scilicet Christi Evangelium & dogmata. *Mat. 10. v. 2. Luc. 6. 14*

BOANERGES] Sic & Arabibus, Ægyptius, Persicus, Æthiopicus vero, *Baanerges*. Hoc nomen est corruptum, nam hebraice, vel potius syriace dicendum esset *Banerges*, aut *Bonerges*, quomodo habent quædam exemplaria, teste Franc. Luca in Notation. hic notat. 460. Syri enim, uti & Bavari ac Vestphali, vocalem *a* pronunciant ut *o*, ac *e* pronunciant ut *a*: unde pro *Semuel* dicunt *Samuel*, pro *Selomon Salomon*, pro *bene* dicunt *bane*, id est filii. Forte *Banerges* corruptum versumque est in *Boanerges* ab imperitis, putantibus *boa* significare boatum tonitrui. Ita Franc. Lucas. *Boanerges quid?*

Porro *Banerges*, ut recte notat Jansen. & Angelus Caninius in nomin. Hebr. cap. 11. compositum, & conflatum est ex בנו *bane*, id est filii, & רגש *geresc*, id est fremitus, hoc est tonitru. Sic enim Jupiter a Græcis vocatur ὑψιβρεμέτης, id est altifremens, id est altitonans, unde & Syrus hic vertit, *bane reges*, id est filii tonitrui, pro quo Hebræi dicunt בני רעם *bene raam*; sed Christus syriace more illius ævi locutus est. Est ergo hic metathesis: transponitur enim littera *r*, & præponitur littera *e*: nam pro *bane reges* dicitur *banerges*. Similes metatheses in eadem littera *r* sunt apud alias nationes, uti multis exemplis ostendit Angelus Caninius in Hellenismo pag. 64. Sic Græci Poetæ pro καρδία, id est cor, dicunt κραδίη, pro κρατερὸς καρτερὸς pro τέταρτος τέτρατος: Latini pro νεῦρον dicunt *nervus*, pro ἅρπαξ *rapax*, pro ἁρπάζω *rapio*, pro μορφὴ *forma*, pro κάρκινος *cancer*, pro κρέας *caro* pro κρίνω *cerno*; nam qui judicat, cernere debet. Punice *geras*, ἄκρα, arx; etrusce *rocca*, *bigr*, virgo, *darag* gradus, *mecar* marcor, *elmara* mulier, *carmes* cramesy. Hebr. *erets* (Belgice *aerde*) terra, *sippor* passer, *kebara* cribrum, *cabbirim* Cherubim, *keraim* crura, *kerem* cornu. H

Sensus ergo est. q. d. Christus Jacobum & Joannem nomine novo vocavit *banerges*, id est filios tonitrui, quia eos præ cæteris Apostolis deputavit ad illustrem prædicationem & propagationem sui Evangelii, ut vitæ sanctitate

Digitized by Google

A late, & miraculis essent quasi fulmina, & vocis efficacia esset quasi tonitrua, quæ homines etiam infideles, & barbaros concuterent, & ad pœnitentiam vitamque sanctam traducerent. Id patet in Jacobo: quia ipse ob hanc libertatem & zelum prædicandi, primus inter Apostolos Judæorum & Herodis iram incurrit, ab eisque capite plexus Martyr occubuit. Actor. c. 12. Idem Hispanos & per eos Indos tam Orientales quam Occidentales convertit, aliasque gentes in fide Christi vel erudir vel conservat. Joannes vero diutissime, & efficacissime prædicavit, ultimusque Apostolorum vita functus est, cum Asiam aliasque provincias prædicando Christo subegisset. Hinc & Evangelium a tonitru divino orditur, quasi Dei tonantis aquila clangens & fulminans, dum ita intonat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, Ita S. Epiphan. hæresi 73. Quocirca dum ipse Evangelium scriberet, e cælo emicuere fulgura & tonitrua, perinde ac emicuere e monte Sina, cum Deus in eo daret legem Mosi & Hebræis, uti ex Prochoro Joannis discipulo, & ex Metaphraste docet Baronius anno Christi 99. in fine.

B Vide dicta Ezech. 1. v. 14. ad illa, *Ibant in similitudinem fulguris coruscantis*: ubi *filii tonitrui*, sic tripliciter explicui. Sic Pericles orator non tam loqui, & perorare, quam fulgurare & tonare videbatur, ait Quintil. lib. 2. c. 6. Unde Olympius, id est, cælestis, a Poetis cognominatus est.

VERS. 21 ET CUM AUDISSENT SUI, aliqui e cognatis Christi, *fratueles ipsius*. Ita Euthym. Theoph. Beda, EXIERUNT TENERE (ligare) EUM, DICEBANT ENIM: QUONIAM (quod) IN FUROREM VERSUS EST] Græce ἐξέστη, id est, extra se est, mente alienatus est ex nimia pietate & zelo factus mentis impos, delirus & insanus. Vide dicta Matth. 12. 46. Arabicus, *dicentes, quoniam ipso vecors esset*; Syrus ad verbum, *dicebant eum extra mentem suam exiisse*; aliter alii, *dicentes: Quod in deliquium incidit*, ex inedia, eo quod præ turba non haberet otium manducandi, v. 20.

C

CAPUT IV.

SYNOPSIS CAPITIS.

VERS. 1 *CHristus Primo, proponi parabolas: primo seminantis; secundo, v. 21. lucerna exposite in candelabro: tertio, v. 26. seminis, quarto, v. 31. sinapis. Secundo, v. 37. dormiente ipso oritur tempestas in mari, quam a discipulis excitatus, imperans ventis, & mari sedat.*

ET iterum cœpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat:

2. & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua:

3. Audite: ecce exiit seminans ad seminandum.

D

4. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud.

5. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ.

6. & quando exortus est sol, exæstuavit: & eo quod non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ, & suffocaverunt illud, & fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum ascendentem, & crescentem, & afferebat unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.

9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim parabolam.

11. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: E

12. ut videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant: nequando convertantur, & dimittantur eis peccata.

13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?

14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.

16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud:

17. & non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione, & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18. Et alii sunt, qui in spinis seminantur: hi sunt, qui verbum audiunt, E

19. & ærumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.

21. Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?

22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.

23. Si quis habet aures audiendi, audiat.

24. Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In G qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.

25. Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

26. Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram.

27. Et dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.

28. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

29. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30. Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? D

31. Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra: H

32. & cum seminatum fuerit, ascendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cæli habitare.

33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire:

34. sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

35. Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra.

36. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi: & aliæ naves erant cum illo.

37. Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.

48. Et

Digitized by Google

A 38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?

39. Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus: & facta est tranquilitas magna.

40. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?

VERS. 10 Luc. 8. 9 Singularis, id est solus: cur? ET CUM ESSET SINGULARIS] Græce, κατὰμόνας, id est *solitarie*, hoc est *solus*, ut vertit Arabicus, semotus a turba populi, Syrus; *cum esset solus*. Sic solus & separatus ab aliis latine dicitur singulus, quasi sine angulo, eo quod illa quæ unica & sola sunt, nequeant constituere angulum: a singulo dicitur singularis, id est unicus & solus. Unde Cicero, Academ. quæst. l. 4. *Omitto*, ait, *Aristotelem in philosophia prope singularem*. Et Cæsar, lib. 4. de bello Gallico: *Ubi aliquos singulares* (solos) *ex navi egredi conspexerunt, incitatis equis impeditos adorlebantur*. Hic & illud: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*, Psalm. 4. 10.

B INTERROGAVERUNT EUM (Jesum) HI QUI CUM EO ERANT DUODECIM] Græcus, Syrus, & Arabicus habent, *cum duodecim*. q.d. Septuaginta discipuli, qui cum duodecim Apostolis erant assecłæ Jesu, interrogabant eum; quis esset sensus parabolæ seminis & seminantis. Ita Euthym.

VERS. 21 Luc. 8. 16. NUMQUID VENIT (id est adducitur, vel infertur in domum vel cubiculum) LUCERNA, UT SUB MODIO PONATUR] ut abscondatur sub vase? q. d. Non; sed ut publice exponatur, omnibusque luceat. Hac parabola significat Christus nolle se mysteria hujus parabolæ, cæteraque Evangelii dogmata celari & abscondi, sed velle, ut discipuli eadem suo tempore explicent & communicent aliis, qui hoc tempore necdum illa capere poterant: quare illa non servent occulta, sed vulgent & palam prædicent. Ita S. Hieron. Beda & alii, & patet ex

C vers. sequenti, cum subdit.

VERS. 22 Luc. 8. 16. NON EST ENIM ALIQUID ABSCONDITUM, QUOD NON MANIFESTETUR (quod non sit manifestandum) NEC FACTUM EST OCCULTUM, SED UT IN PALAM VENIAT] Ita lege cum Græcis & Roman. q. d. Licet doctrina Evangelica, & gesta dictaque mea adhuc arcana sint & occulta, non volo tamen ea semper manere occulta; sed opportuno tempore manifeste a vobis, o discipuli, omnibus proponi & prædicari. Ita S. Hieron. & Beda. Hoc est quod ait Christus Matth. 10. ver. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta*.

VERS. 24 ET DICEBAT ILLIS: VIDETE QUID AUDIATIS] q. d. ait Euthym. Attendite ad ea, quæ a me auditis, ut illa intelligatis & memoriæ mandetis, ac suo tempore opere exequamini, nimirum ut ea aliis communicetis. Causam subdit: *Nullum ex dictis meis vos effugiat*, ait Theophyl. Audi Bedam: *Instanter nos docet verba auscultare, quatenus & nostro illud pectore continue ruminare, & alieno ructare sufficiamus auditui*.

D IN QUA MENSURA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS, ET ADJICIETUR VOBIS] q. d. Si large & copiose doctrinam meam aliis communicaveritis & prædicaveritis, ego quoque large & copiose longe majorem ejus intelligentiam, sapientiam, gratiam & gloriam quasi antidoron & præmium vobis impertiar. Sit fontes quo plus aquæ deorsum effundunt, eo plus sursum recipiunt, Discant ergo doctores, catechistæ, prædicatores, &c. ex hac Christi sententia & promisso, quo plura in alios docendo contulerint, eo plus sapientiæ & gratiæ a Christo sese recepturos, juxta illud; *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus* (beneficiis, hoc est benefice, large, copiose) *de benedictionibus & metet*, 2. Corinth. 9. 6. Vide ibi dicta.

VERS. 25 Luc. 8. 18. QUI ENIM HABET, DABITUR ILLI: ET QUI NON HABET, ETIAM QUOD HABET AUFERETUR AB EO] *Habet* ist est, utitur & utendo ostendit se habere: hic enim habet in actu, cum ille, qui non utitur gratia & dono, illam habeat in habitu, & otio dumtaxat: hoc est quod Theologi dicunt, utentem gratia sua, habere illam in actu secundo; non utentem vero habere eam dumtaxat in actu primo, hoc est, in potentia & habitu. Vide dicta Matth. 13. 2. & Matth. 25. 29. Sensus ergo est q. d. Qui doctrina sibi a Deo, sive per studium, sive per infusionem impertita utitur, huic dabitur augmentum E doctrinæ: ab illo autem qui doctrina sua non utitur, Deus illam auferet ab eo, utpote otiosam & inutilem: Christus enim hic stimulat Apostolos ad diligentem & ferventem prædicationem Evangelii, pollicendo eis, si id fecerint, majorem sapientiæ suæ & gratiæ affluxum.

ET DICEBAT: SIC EST REGNUM DEI QUEMADMODUM VERS. 26 SI HOMO JACIAT SEMENTEM IN TERRAM] Hæc parabola alia & diversa est ab illa seminantis, quæ præcessit v. 3. licet utraque ab eodem semine sit petita, sed diversimode applicata & explicata. Porro per semen, ut recte docet S. Chrysost. Beda & Scholiast. apud Hieron. hic, æque ac apud S. Matth. cap. 13. significatur doctrina Evangelica; per agrum auditores; per messem consummatio mundi, aut etiam mors cujusque hominis.

ET DORMIAT (scilicet homo qui seminavit) ET VERS. 27 EXURGAT NOCTE ET DIE, ET SEMEN GERMINET, ET INCRESCAT, DUM NESCIT ILLE] Nonnulli, τὸ *exurgat nocte & die*, referunt ad semen, ut explicans Christus subdat, & (τὸ & accipiunt ut διηγητικὸν, & explicativum F ejus quod præcessit, ac sumi putant pro *id est*) *semen germinet & increscat dum nescit ille*, scilicet homo dormiens. q.d. Semen jactum in terram ab agricola, germinat & crescit continue nocte & die, ac etiam dum agricola de eo non cogitat, sed quiescit & dormit. Ita Beda, Scholiastes apud S. Hieron. & Glossa.

Planius, S. Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldon. Franc. Lucas, & alii τὸ *exurgat die & nocte*, referunt ad hominem seminantem, non ad semen, ita ut τὸ *nocte* pertinçat ad τὸ *dormiat*: τὸ vero *die*, ad *exurgat*. q. d. Sicut agricola, qui seminavit, otiose per noctem dormiente, & per diem surgente, aliisque negotiis vacante, nec de semine & agro cogitante, ipsum tamen semen vi sua germinat & crescit agricola nesciente; ita ut primo germinet herbam sive germen; deinde spicam, ac deinde frumentum in spica: sic pariter se habet Evangelii prædicatio & doctrina: hæc enim a Christo & Apostolis seminata id est, prædicata a parvis initiis non continuo, sed sensim, sine sensu crescit in magnas & maturas fidelium fruges, ipso Christo quasi dormiente in cælis, & velut ne- G sciente, eo quod permittat Judæos & Gentes infideles ac tyranos contra Apostolos & Evangelium insurgere, eosque persequi & occidere; crescit, inquam, donec sensim se propagans totum orbem occupet, quando matura jam messe frumentum, id est, electi colligentur in horreum cæli, quod fiet in fine mundi & die judicii.

Hac ergo parabola significatur vis Evangelii, quod sensim totum orbem pervasit, eumque ad se & christum convertit. Tacite quoque per illam significatur, non esse gloriandum Apostolis præconibus Evangelii in sua prædicatione, quasi ipsi per eam orbem converterint: quia, ut ait Apostolus, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor. 3. 7. Ex alia parte innuit, nec eos debere cadere animo, si videant parvum & lentum esse prædicationis suæ fructum, quia Deus per paucos ab eis conversos multos alios sensim convertet; uti S. Jacobus septem, vel, ut alii, novem a se conversos in Hispania, totam Hispaniam convertit.

ULTRO ENIM TERRA FRUCTIFICAT, PRIMUM HERBAM, DEINDE SPICAM, DEINDE PLENUM FRUMENTUM IN SPICA] Arabicus, *quia terra sola profert fructum; primo herbam, & post illam spicam; deinde impletur spica, ut quando perfectus sit fructus, tunc ponatur falx, quoniam adest messis*. Sic pariter sensim per prædicationem Evangelii crevit Christi fides, & Ecclesia per varios incrementorum gradus: crevit, inquam, tum in virtutibus, tum propagatione per omnes provincias. VERS. 28 H

Moraliter hæc tria, herbam, spicam, fumentum triplici virtutum & meritorũ cujusque incremento adaptant interpretes. Terra enim cordis nostri germinant, Primo, herbam, cum bona desideria & opera in se concipit & inchoat; secundo, spicam, cum ea operando strenue prosequitur; Tertio, frumentum, cum opera, virtutes, & merita ad plenam maturitatem & perfectionem perducit. Ita Theophyl. *Herba*, ait, *est in principio boni, spica cum resistimus tentationibus, fructus perfecta operatio*. Moraliter herba, spica, frumentum, quid significent?

Audi S. Greg. hom. 15. in Ezech. & l. 22. Moral. c. 14. *Herbam producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem tenere. Ad spicam herba pervenit, cum virtus animo concepta ad profectum boni operis perducit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti & perfecti operis possit*, Quare *non*

Digitized by Google

A *ſatis eſt ad ſalutem*, inquit Victor Antioch. *ut inſtar viridis fœni per obedientiam floreamus: ſed quadam præterea maſcula animi fortitudine, qua ventorum flatibus hoc eſt, tentationibus circumacti, erecti culmi inſtar conſiſtamus opus eſt. Tum etiam ut veluti uberes ariſtæ fructus, hoc eſt, virtutum granis turgeamus, metentiſque manum impleamus.*

Innuit ergo hic Chriſtus; Apoſtolos, & eos qui animas convertunt, debere longanimiter exſpectare laboris ſui fructum & meſſem, uti exſpectant agricolæ; ac teneros fideles ſenſim docendo, monendo, exercendo fovere & promovere ad apicem virtutis. *Nullus itaque*, inquit Beda, *qui ad bonum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur, deſpicatur, quia frumentum ab herba incipit, ut granum fiat.* Symb. Schoaſtes apud S. Chryſoſt. *Herba*, ait, *fuit in lege naturæ, ſpica in lege Moyſis, frumentum in Evangelio.*

VERS. 29 ET CUM PRODUXERIT FRUCTUS, STATIM MITTIT FALCEM] Græce, ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς, id eſt, cum vero prodiderit ſe, vel cum productus fuerit fru-

B ctus: fructus ergo hic eſt nominativi caſus; unde alii vertunt, *cum provenerit fructus*; Euthym. *cum maturuerit*; Syrus, *cum pinguis evaſerit*, Arabic. *cum perfectus fuerit*. Eſt hebraiſmus. Apud Hebræos enim verba in conjugatione *hitpael* ſunt paſſivæ ſignificationis, aut actionis reflexæ, qua agens actionem in ſe ſuſcipit, ut idem ſit patiens, qui eſt agens. Unde quidam codices legunt: *Cum ſe produxerit fructus*; aliter Maldonatus, *Cum ſe produxerit fructus*: *Cum fructus*, inquit, *id eſt ipſum ſemen, quod erat fructus prioris ſeminis, produxerit, ſcilicet alium ex ſe fructum.*

VERS. 33 ET TALIBUS MULTIS PARABOLIS LOQUEBATUR EIS VERBUM, PROUT POTERANT AUDIRE] id eſt, prout
Matth. 13. 34. digni erant audire, ait Maldon. ex Beda, Euthym. & Clemente Alex. lib. 1. Strom. q. d. Chriſtus volentibus Apoſtolis intelligere & credere, ſine parabolis perſpicue loquebatur, ut magis & magis intelligerent: Scribis autem & Judæis nolentibus credere & intelligere, adeo obſcure & parabolice loquebatur, ut etiamſi vellent, intelligere tamen non poſſent. Simplicius & planius Theophyl. & Franc. Lucas hic, ac S. Chryſoſt. in

C Matth. hom. 45. q. d. Chriſtus *talibus*, puta vulgaribus & facilibus, *parabolis*, quas vulgo omnes noſſent, non vero abſtruſis & turbæ incognitis loquebatur, ut earum corticem intelligeret, ac ſub eis aliquid cœleſte & divinum latere cognoſceret; quod licet in particulari ipſa non comprehenderet, tamen per parabolam notam ad rem ignotam ſub ea latente veſtigandam, & perquirendam, a Chriſto incitabatur & ſtimulabatur.

VERS. 36 ITA UT ERAT IN NAVI] q. d. Diſcipuli aſſumpſerunt Chriſtum in altum mare, ut illuc cum eo trajicerent; Chriſtum, inquam, ita ut erat in navi, ſedens ſcilicet, & docens populum in littore ſtantem, ut patet v. 1. nam poſtea v. 38. ſitum hunc mutavit dormiens in navi. Notat celerem diſcipulorum obedientiam, ac viciſſim Chriſti facilitatem eorum promptitudini ſe accommodantem, ut turbæ affluentis tumultum vitaret. Paulo aliter Franc. Lucas: *Ita ut erat in navi*, hoc eſt, inquit, citra ullum e navi, in qua erat, egreſſum. Unde Syrus vertit, *cum eſſet in navi*; Arabicus, *aſ-*

D *ſumpſerunt eum in navi.*

ET ALIÆ NAVES ERANT CUM ILLO] Conſilio Dei factum eſt, ut plurimi, qui navibus iſtis vehebantur, ſpectatores & teſtes forent miraculi proxime a Chriſto patrandi, ſcilicet ſedandæ tempeſtatis.

CAPUT V.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Chriſtus ab energumeno ejicit legionem dæmonum, quæ, Chriſto permittente, ingreſſa in porcos, in mare præcipitat. Secundo, v. 25. hæmorrhoiſſam a profluvio ſanguinis ſanat. Tertio, v. 35. Jairi filiam a morte revocat ad vitam.

VERS. 1. ET venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum.

2. Et exeunti ei de navi, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo,

3. Qui domicilium habebat in monumentis; E & neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare;

4. Quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare:

5. Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens ſe lapidibus,

6. Videns autem Jeſum a longe, cucurrit, & adoravit eum:

7. Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Jeſu fili Dei altiſſimi? adjuro te per Deum ne me torqueas.

8. Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.

9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt, quia F multi ſumus.

10. Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extra regionem.

11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, paſcens.

12. Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introeamus.

13. Et conceſſit eis ſtatim Jeſus. Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

14. Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros. Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum:

15. Et veniunt ad Jeſum: & vident illum, qui a dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt.

16. Et narraverunt illis, qui viderant, qua- G liter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus eorum.

18. Cumque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo.

19. Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.

20. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus; & omnes mirabantur.

21. Et cum tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

22. Et venit quidam de archiſynagogis nomine Jairus; & videns eum, procidit ad pe- H des ejus,

23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt. Veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat.

24. Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

25. Et mulier quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim,

26. Et fuerat multa perpeſſa a compluribus medicis; & erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat:

27. Cum audiſſet de Jeſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum ejus:

28. Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.

29. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus; & ſenſit corpore quia ſanata eſſet a plaga.

30. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, ajebat: Quis tetigit veſtimenta mea?

31. Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Qui me tetigit?

32. Et

Digitized by Google

A 32. Et circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

33. Mulier vero timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana a plaga tua.

35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archiſynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua eſt: quid ultra vexas Magiſtrum?

36. Jeſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere: tantummodo crede.

37. Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi:

B 38. Et veniunt in domum archiſynagogi, & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multum.

39. Et ingreſſus, ait illis: quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipſe vero ejectis omnibus aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.

42. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obſtupuerunt ſtupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.

VERS. 2. *Mat. 8. 28. Luc. 8. 27.* HOMO IN SPIRITU IMMUNDO] Id eſt, homo ſpiritus immundi, ſive habens ſpiritum immundum, puta poſſeſſus a dæmone, Vide dicta c. 1. v. 23.

C ADJURO TE PER DEUM, NE ME TORQUEAS] quia VERS. 7. *Mat. 8. 29. Luc. 8. 28.* ſciebat dæmon ſibi ſuiſq; meritis & precibus nihil tribuendum a Chriſto; hinc interponit nomen Dei, quod ſciebat Chriſtum ſumme revereri. q. d. Interpoſita & invocata nominis divini (quod tibi ſacrum, ſanctumque eſſe ſcio) auctoritate te rogo, obteſtor, & quoad poſſum conſtringo, ne me ex hoc corpore ejicias, & in infernum ableges: hoc enim ſummum dæmoni eſt tormentum.

VERS. 9. *Luc. 8. 30.* LEGIO MIHI NOMEN EST (Syrus, *Legio nomen noſtrum*, q. d. Sumus legio dæmonum, unde explicans ſubdit:) QUIA MULTI SUMUS] Legio proprie continebat milites 6666. Vide dicta Matth. c. 26. 53. ſed hic ponitur numerus certus pro incerto. Nota: Dæmon eſt ſimia Dei, hinc imitatur Deum, qui eſt Dominus exercituum, ſcilicet angelicorum. Simili enim modo dæmon ſe vocat *legionem*, quia plurimos e grege ſuo ſocios in aciem educit, ut Deum Deique fideles oppugnet: quocirca merito eam formidare debent homines, ſcientes ſibi certamen eſſe, non cum hominibus, ſed cum dæmonibus, iiſque plurimis, in perniciem ſuam conjurantibus, ideoque Dei & ſanctorum angelorum opem implorare & obtinere debere, uti obtinuit Eliſæus 4. Regum 6. 17. Cætera dixi Matth. 8. 28.

Dæmon ſimia Dei.

D

VERS. 21. *Matth. 9. 1. Luc. 8. v. 37. 40.* ET CUM TRANSCENDISSET JESUS IN NAVI] Græce, διαπεράσαντος, id eſt, cum trajeciſſet navi in ulteriorem & adverſam maris Galilææ ripam.

VERS. 25. *Mat. 9. 20. Luc. 8. 43.* ET MULIER, QUÆ ERAT IN PROFLUVIO SANGUINIS ANNIS DUODECIM] *Mulier* ex Cæſarea Philippi, quæ prius Dan, deinde Paneas, denique Cæſarea eſt dicta. Hæc eſt hæmorrhoiſſa illa celebris, quæ a fluxu ſanguinis curata a Chriſto, in memoriam tanti beneficii, ſtatuam illius indicem, Cæſareæ Chriſto erexit, e cujus baſi naſcens herba cum Chriſti fimbriam tetigiſſet, morbis quibuslibet medebatur, teſte Euſebio lib. 7. Hiſtor. cap. 14. Sozomen. lib. 5. cap. 21. & Theophylact. hic Julianus apoſtata hoſtis Chriſti, ſtatuam hanc dejecit, & ſui effigiem ejus loco collocavit: ſed hæc fulmine icta diſſiliit, teſte Sozomeno, Hiſtor. tripart. lib. 6. cap. 19. Julianum imitantur noſtri Novantes, qui Sanctorum reliquias abjiciunt, mergunt & comburunt, cum ſuorum reliquias ſervent & veneruntur. Nam cor Zuinglii combuſti inter cineres repertum, magno cultu ſervant ejus aſſeclæ Zuingliani, ait Capito in Vita Zuinglii.

Imaginis vis.

Quare non eſt veriſimile hæmorrhoiſſam hanc fuiſſe Martham ſororem Magdalenæ, ut opinatur S. Ambroſ. lib. de Salomone cap. 5. Martha enim Bethaniæ habitabat juxta Jeruſalem, non Cæſareæ in Phœnicia. Evangelium Nicodemi hæmorrhoiſſam hanc vocat Veronicam, quæ Chriſto eunti ad crucem velum ad ſudorem torgendum præbuit, in quo Chriſtus vultus ſui effigiem expreſſit. Sed hoc Evangelium eſt apocryphum & incertæ fidei. E

DETERIUS HABEBAT] Arabicus, *addiderat dolorem*. VERS. 26. *Luc. 8. 43.*

VENIT IN TURBA RETRO] quia non audebat coram in manifeſto accedere, tum ex reverentia Chriſti, tum quia erat immunda ex fluxu ſanguinis, ait Scholiaſtes apud S. Chryſoſt. immundam, inquam, tum legaliter: lex Moſi enim immundos a templo arcendos decernebat eos, qui ſanguinis fluxu laborabant: tum phyſice: eſt enim fœdus hic profluvii morbus & tangentes polluit. VERS. 27. *Mat. 9. 20. Luc. 8. 44.*

ET TETIGIT VESTIMENTUM EJUS. F

DICEBAT ENIM QUIA SI VEL VESTIMENTUM EJUS TETIGERO, SALVA ERO] Matthæus cap. 9. 20. pro *veſtimentum*, habet *fimbriam veſtimenti ejus*. *Fimbria* vocatur fila extimæ veſti attexta vel aſſuta, hyacinthini ſive violacei coloris, quæ juſſit Deus Judæos geſtare, ut per ea jugiter refricaretur eis memoria præceptorum Dei, & cæli ipſius; quæ Chriſtus ex lege geſtavit, quaſi inſigne gentis & religionis Judaicæ. Vide dicta num. 15. 38. VERS. 28. *Mat. 9. 21. Luc. 8. 44.* Fimbria quid.

Eſt hic exemplum & argumentum ad probandum vim & uſum SS. reliquiarum: talis enim fuit fimbria Chriſti, quæ hæmorrhoiſſam ſanavit. Reſpondet Calvinus, mulierem hanc fuiſſe ſuperſtitioſam, & ſuperſtitionem aliquam ſuo facto miſcuiſſe. Verum hoc refellit hic Chriſtus & Marcus, qui non ſuperſtitioni, ſed fidei ipſius ſanitatem hanc tribuunt, eamque commendant & confirmant. Nam v. 30. dicitur: *Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo*, id eſt, fimbria illius. Et verſ. 34. *Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace*. Recte S. Hilar. *Sicut*, inquit, *auctor natura dat magneti vim attrahendi ferrum, ita Chriſtus dabat veſti ſuæ vim ſanandi ex fide tangentem*. Si veſti, ergo multo magis Euchariſtiæ. Unde S. Gorgonia tactu Euchariſtiæ a morbo gravi ſanata eſt, teſte Nazianz. orat. 11. æque ac S. Catharina Senenſis, aliique permulti. Vide noſtrum Salmeronem tom. 6. tract. 15. in fine. G

ET CONFESTIM SICCATUS EST FONS SANGUINIS EJUS] id eſt, ſteterit profluvium ſanguinis, quod e corpore ejus, quaſi e fonte per eum jugiter ſcaturiebat. Unde Arabicus vertit, *& confeſtim ceſſavit curſus ſanguinis ejus*. VERS. 29. *Luc. 8. 44.*

Tropol. fluxus ſanguinis ſunt carnis & ſanguinis delectationes, ait Beda, uti gulæ, luxuriæ, &c. has ſanat caro Chriſti puriſſima in pia Euchariſtiæ ſumptione.

ET STATIM JESUS IN SEMETIPSO COGNOSCENS VIRTUTEM, QUÆ EXIERAT DE ILLO] & ſanaverat hæmorrhoiſſam, non quaſi qualitas aliqua a Chriſti fimbria exierit, aut virtus hæc de loco in locum, putam de fimbria Chriſti, in hæmorrhoiſſam migrarit, ſed ratione effectus, quem in muliere cauſabat. Virtus enim manens in Chriſto, operabatur effectum ſanitatis in muliere. *Sicut*, inquit Theoph. *doctrina doctorum dicitur communicari diſcipulis, & in eos transfundi*, cum tamen doctrina ipſa in doctoribus maneat, & in ſui effectum dumtaxat, puta cognitionem ſimilem in diſcipulos traducat. VERS. 30. *Luc. 8. 45. 46.* H

Nota. Hæc virtus ſanandi & faciendi miracula quælibet indita a Verbo humanitati Chriſti, non erat qualitas phyſica; hæc enim debuiſſet eſſe infinita, utpote divinæ & infinitæ efficaciæ, cujus humanitas Chriſti creata non erat capax; ſed erat qualitas moralis, puta virtus inſtrumentaria: agebat enim hæc humanitas Chriſti, quaſi inſtrumentum divinitatis. Ita Abulenſ. q. 202. in cap. 9. Matthæi, & Salmeron loco citato.

QUIS TETIGIT VESTIMENTA MEA?] *Chriſtus id interrogat*, ait Beda, *ut ſalus, quam mulieri dederat, declarata & agnita, fidei virtute multis proficiat; eoſque alliciat ad credendum in Chriſtum*. Addit Scholiaſtes apud Chryſoſtom. ut mulieris fidem prædicet & celebret; Theophyl. vero tertiam cauſam adjicit, ut mulierem a timore ſolveret.

MULIER VERO TIMENS ET TREMENS, SCIENS QUOD FACTUM ESSET IN SE, VENIT, ET PROCIDIT ANTE EUM, ET DIXIT EI OMNEM VERITATEM] *Timens & tremens*, non quod ſuperſtitutionem commiſiſſet, ut vult Clavinus; ſed quod clanculum acceſſiſſet, immunda Chriſtum mundum tetigiſſet, VERS. 33. *Luc. 8. 47.*

Digitized by Google

A gisset, ut beneficium sanitatis Christo inscio quasi furtivum fuisset: ideo timebat, ne a Christo increparetur, aut ne Christus beneficium suum repeteret & revocaret, vel graviori malo eam plecteret. Hinc patet eam necdum perfectam in Christum fidem & spem habuisse: non enim putasset, Christum latere se posse, nec adeo eum timuisset. Quare Christus eam animans dixit: *Confide filia*, ut habet Matth. cap. 9. ita Chrysost. ibidem.

VERS. 34 Mat. 9. 22 Luc. 8. 48. ILLE AUTEM DIXIT EI: FILIA, FIDES TUA TE SALVAM FECIT] Christus hic mulieri timenti, ne Christus ipsam ut furtim sanatam, morbi recidiva, aliove malo puniret, sanitatem acceptam confirmat, stabilemque esse jubet, q.d. Non nuda fimbria mea, quam magna fide & certa spe sanitatis obtinendæ retigisti, o mulier, te sanavit, sed principaliter omnipotentia mea, secundario vero fides tua: hæc enim vel ut dispositio, vel ut meritum, sive causa meritoria, te a fluxu sanguinis liberavit: quam liberationem ego tutam habeo, imo confirmo & roboro.

B VADE IN PACE] *Mittit eam in finem bonorum*, inquit Scoliast. Chrysost. *In pace enim Deus habitat, ut cognoscat se etiam a peccatis mundatam*. Nam quos corpore Christus sanavit, hos etiam in anima sanctificavit.

VERS. 39 Mat. 9. 24. Luc. 8. 52. PUELLA NON EST MORTUA, SED DORMIT] Licet enim vere sit mortua, tamen illico per me a morte quasi a somno excitabitur; quare non tam mortua, quæ semper manet mortua, quam dormiens esse videtur. Vel, ut Scholiastes apud S. Hieron. q. d. *Vobis mortua est, mihi dormit*.

VERS. 41 Mat. 9. 25. Luc. 8. 54. TALITHA CUMI] Hebræi טלה *jeled*, vocant puerum, pro quo Syri & Chaldæi dicunt *tali*, unde feminine *talitha*, id est puella: *cumi*, id est, surge, ut e lecto, ubi jaces mortua, surgas & stes viva. Porro ut ἐμφατικώτερον (id est, majorem emphasin) *faceret Marcus, & sensum vocantis atque imperantis exprimeret, addidit, Tibi dico*, ait S. Hieron. lib. de Optimo genere interpretandi.

VERS. 42 C ET CONFESTIM SURREXIT PUELLA, ET AMBULABAT] ut motu se vivam ostenderet, Mystice: *quia*, ut ait Beda, *anima a peccatis resuscitata, non solum a sordibus scelerum exurgere, sed & bonis proficere debet operibus*.

VERS. 43 Luc. 8. 55. ET DIXIT DARI ILLI MANDUCARE] Arabic. *& dixit Cibate eam*, ut ostenderet eam non tantum vere resurrexisse, sed & valere & famere. Solent enim pueri & puellæ, cum a somno evigilant, famere & cibum petere: somno enim omnem cibum hesternum digesserunt, si sanæ sunt & valentes: tunc enim pollent magno stomachi calore. Mors enim illi fuit loco somni, ut ait Christus v. 39.

CAPUT VI.

SYNOPSIS CAPITIS.

D *Primo, Nazareni Jesum prædicantem spernunt quasi civem suum & fabri filium. Secundo, v. 7. Jesus Apostolos mittit binos prædicatum, addita eis potestate curandi morbos & dæmones ejiciendi. Tertio, v. 14. Herodes auditis miraculis Jesu, suspicatur Joannem Baptistam a se occisum in Jesu resurrexisse; qua de causa cædes Joannis recensetur. Quarto, v. 30. redeunt ad Christum Apostoli, narrantes quæ egerint. Christus mox quinque panibus saziat quinque hominum millia. Quinto, vers. 47. venit ad discipulos ambulans super mare, ac tempestatem sedat, multosque contactu fimbriæ sanat.*

VERS. 1. ET egressus inde abiit in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui:

2. Et facto sabbato cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi: & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?

3. Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis? nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua, E

5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit;

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat castella in circuitu docens.

7. Et vocavit duodecim; & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum.

8. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona æs,

9. Sed calceatos sandaliis, & ne indueretur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis; Quocumque introieritis in domum; illic manete donec exeatis inde; F

11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis.

12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent:

13. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.

14. Et audivit rex Herodes, (manifestum enim factum est nomen ejus) & dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis; & propterea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias est. Alii vero dicebant: quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

16. Quo audito Herodes ait; Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.

17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. G

18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem insidiabatur illi; & volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.

22. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus; rex ait puellæ: Pete a me quod vis, & dabo tibi;

23. Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. H

24. Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ.

25. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

26. Et contristatus est rex propter jusjurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare;

27. Sed misso speculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere,

28. Et attulit caput ejus in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus; & posuerunt illud in monumento.

30. Et convenientes Apostoli ad Jesum, renun-

Digitized by Google

renuntiavenunt ei omnia, quæ egerant & docuerant.

31. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant.

32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedestes de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos.

34. Et exiens vidit turbam multam Jesus: & misertus est super eos quia erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa.

35. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præteriit:

36. Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, & vicos, emant sibi cibos, quos manducent.

37. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducendis denariis panes, & dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? Ite, & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces.

39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum.

40. Et discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: & duos pisce divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.

43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

46. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.

47. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra.

48. Et videns eos laborantes in remigando, (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, & volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, & exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere.

51. Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant:

52. Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

53. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt.

54. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum.

55. Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse.

56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

ET EGRESUS INDE (ex urbe Capharnao, ubi filiam Jairi suscitarat) ABIIT IN PATRIAM SUAM] in Nazareth, ubi Christus non natus quidem, sed educatus fuerat, & ubi ejus fratres & sorores, id est, cognati & cognatæ habitabant, ut patet vers. 3. ita Beda. VERS. 1. Matth. 13. 53. 54. Luc. 4. 16.

ADMIRABANTUR IN DOCTRINA EJUS] Id est, admirabantur doctrinam ejus tam sanctam, sublimem & divinam, tamque efficacem; utpote quam Christus per tot virtutes, id est miracula confirmabat. Est hebraismus. Hebræi enim usurpant ב *beth* contactus, sive corporalis sive mentalis, loco accusativi, ut dicant, Tango in manu, id est, tango manum; credo in Deo, id est, credo Deum, admiror in sapientia, id est admiror sapientiam. VERS. 2. M. 13. 54 L. 4. v. 16. 22.

ET NON POTERAT IBI VIRTUTEM (miraculum) ULLAM FACERE] *Non poterat*, id est, non volebat, quia censebat non decere, ut sanctum daretur canibus, ac incredulis & ingratis civibus suis obtruderet miracula sua. Sic *non posse* pro *non velle* sumitur Gen. 37. 4. & Joann. 7. 7. Sic vulgo dicimus: Non possum mihi imperare, ut illi indigno hanc gratiam præstem: non possum, id est difficulter possum, quia nolo & voluntas reluctatur. *Quia enim*, ait hic Victor Antioch. *ad impetrandam sanitatem utrumque coire debes, nimirum eorum, qui cura egent, fides, & illius rursum qui curaturus est, virtus: si alterum horum defuerit, non temere sanitatis beneficium obveniet.* Ut ergo miraculum convenienter fiat, duo requiruntur, scilicet potentia in patrante, & fides in patiente; cum alterutrum deest, dicitur illud fieri non posse. Ita Theophyl. Euthym. VERS. 5. M. 13. 58

ET MIRABATUR PROPTER INCREDULITATEM EORUM] Videtur huic dicto repugnare Lucas cap. 4. 22. dicens: *Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Resp. Nazarenos quidem miratos fuisse, quod Jesus, cum esset filius fabri sibi noti & vicini, foret tam sapiens, & disertus & efficax in prædicando; sed eosdem tamen incredulos fuisse ejus doctrinæ & personæ, quod scilicet ipse esset Messias sive Christus. Id ita esset patet ex iis, quæ subjicit Lucas. VERS. 6. M. 13. 58

ET UNGEBANT OLEO MULTOS ÆGROS, ET SANABANT] Opinantur nonnulli hanc unctionem esse eamdem cum illa, de qua S. Jacobus in epist. sua c. 5. 14. scilicet Sacramentum Extremæ unctionis. Ita Beda, Theophyl. Lyranus, Dionys. Carthus. Franc. Lucas & alii, qui censent jam a Christo institutum fuisse Sacramentum Extremæ unctionis, illudque hic infirmis contulisse Apostolos jussu Christi, esto necdum ab ea ordinati essent sacerdotes. VERS. 13. Apostoli ungebant, ægros. An sacramentaliter.

Verum contrarium videtur verius, Primo, quia solus sacerdos est minister Sacramenti Extremæ unctionis: Apostoli autem necdum erant sacerdotes, nam in ultima cœna eos Christus creavit sacerdotes, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Secundo, quia Apostoli hic quoslibet infirmos unxerunt; ergo etiam non baptizatos, non moribundos: atqui Extrema unctio confertur tantum baptizatis & moribundis.

Tertio, omnes uncti hic ab Apostolis sanabantur; hoc autem non fit in Extrema unctione, quæ primario ad sanitatem & robus mentis dirigitur.

Quarto, quia Concil. Trident. sess. 14. ait Sacramentum Extremæ unctionis apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum fuisse. Fuit ergo hæc unctio typus, & quasi præludium instituendi Sacramentum Extremæ unctionis, non ipsum Sacramentum. Erat igitur hæc unctio miraculosa, seu donum miraculorum datum Apostolis ad tempus, ut eo suam de Christo prædicationem confirmarent; non sacramentum semper duraturum: sicut S. Genovefa, & multi sancti Anachoretæ oleo a se benedicto, & ad infirmos misso, eos sanabant, ut patet ex Viris Patrum. Causam cur oleo potius quam vino uterentur, dat victor Antioch. dicens: *Oleum inter alia & laborum molestiam mitigat, & lumen fovet, & hilaritatem conciliat.* Oleum ergo, quod in sacra unctione adhibetur, & Dei misericordiam & mor-

Digitized by Google

A bi ſanationem, & cordis illuminationem denotat. Idem aſſerunt Theophyl. & Euthym. Simili modo baptiſmus Joannis non fuit Sacramentum, ſed typus & præludium Sacramenti Baptiſmi a Chriſto mox inſtituendi. Ita paſſim interpretes.

VERS. 16 Quo audito Herodes ait; Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit] In Jeſu patrante tot miracula, q. d. Anima Joannis tranſiit in Jeſum, ideoque ibi quaſi reſurgendo divinior facta, tanta & tot ſtupenda in eo operatur. Lucas cap. 9. 7. ait Herodem initio hæſitaſſe, poſtea tamen ob communem celebremque tot miraculorum Jeſu famam credidiſſe Joannem in Jeſu reſurrexiſſe; ut ait Marcus hic & Matt. c. 14. Ita S. Chryſ. Theoph. Euthym. S. Auguſt. & alii, vigebat enim tunc Pythagoræ ſententia de μετεμψυχώσει, id eſt, tranſanimatione, ſive de animarum ex uno corpore in aliud tranſmigratione. Unde ipſe Pythagoras de ſeipſo ajebat;

Matt. 14. 1.

Metempſychoſis Pythagoræ.

Ipſe ego memini, Trojani tempore belli
Pantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Heſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ,

B puta Menelai, qui fuit frater Agamemnonis regis, & filius Atrei. Portentoſum plane & inauditum eſt, quod tradit S. Athanaſius primus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, creatus a S. Jacobo Apoſtolo, de S. Petro primo Bracanenſi Epiſcopo, condiſcipulo ſuo, ſcilicet Petrum hunc eſſe eumdem cum Samuele filio Uriæ. Urias enim Propheta occiſus a Joachim rege Juda ſub tempus captivitatis Babyloniçæ, teſte Jeremia c. 26. v. 20. reliquit filium Samuelem, qui cum aliis Judæis veniens in Hiſpaniam, ibi mortuus & ſepultus eſt, quem poſt ſexcentos ſepulturæ annos S. Jacobus veniens in Hiſpaniam e ſepulchro ſuſcitavit, nominavitque Petrum, ac primum Bracaræ Epiſcopum creavit, qui deinde pro Chriſti fide martyrii lauream obtinuit. Ita refert B. Caledonius Braçaræ Epiſcopus, qui obiit anno Chriſti 260. Vide Franciſcum Bivarium commentantem in Chronicon L. Dextri ad annum Chriſti 37. num. 2. comment. 1. Quid mirum ergo ſi Herodes putavit Joannem recens a ſe occiſum reſurrexiſſe in Chriſto? Vide

C hic quam ſanctus fuerit Joannes Baptiſta, & quanta de ſanctitate ejus fuerit opinio, utpote quem Herodes ex communi fama cenſuerit reſurrexiſſe in Chriſto, adeoque Joannem eſſe Meſſiam ſive Chriſtum, ideoque eum jam a ſe occiſum timuit, ne reſurgens necem ſuam vindicaret. Unde S. Chryſoſt. in Matth. cap. 14. *Magnum quid*, inquit, *eſt virtus; nam & defunctum Herodes timet*. Nam, ut ait ibidem Rabanus: *Omnium ſententia eſt majorem fore potentiam Sanctorum, ubi reſurrexerint*. Sic & Beda.

VERS. 17 Ipse enim Herodes misit (ſatellites) ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam] Hic Herodes non fuit primus, ſive magnus, patria & cognomento Aſcalonita, ſub quo natus eſt Chriſtus, qui infantes in Bethlehem occidit; ſed fuit ejus filius cognomento Antipas, qui Chriſtum veſte alba indutum illuſumque ad Pilatum remiſit. Hic

Mar. 6. Luc. 3. 19. 20.

D enim incarceravit & occidit Joannem Baptiſtam.

Dices, Herodes Antipas fuit tetrarcha dumtaxat; ſic enim vocat eum Matth. c. 14. 1. Quomodo ergo marcus hic v. 14. vocat eum regem? Reſp. Vocat eum regem, quia ipſe in ſua tetrarchia ſummus erat princeps, qualis eſt rex in regno; unde regis nomen aſſumpſit, illudque ei ab aliis tributum fuit, etiam ab ipſo S. Matthæo cap. 14. v. 9.

Hiſtoria S. Joannis Baptiſtæ ab Herode decollati.

In carcere] Addit Joſephus Joannem fuiſſe incarceratum in arce Macheruntina, ſita in finibus Galilææ & Arabiæ, ibique fuiſſe decollatum. Carcerem ergo hunc nobilitavit S. Joannes. Jam locus, inquit Philo lib. de Joſeph, non tam carcer erat, quam diſciplinæ meditatorium. Seneca in Conſolatione ad Albinam: *Carcerem*, inquit, *intravit Socrates, ignominiam ipſi loco detracturus; neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat*. Unde D. Cyprian. l. 4. ep. 1. ad Martyres, ex veteri editione: *O beatum*, inquit, *carcerem, quem illuſtravit veſtra præſentia! O tenebras ſole ipſo lucidiores, ubi conſtituta ſunt Dei templa!* Idem l. 3. ep. 25. de Martyrum vinculis: *Ornamenta ſunt iſta, non vincula: nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam*. Quocirca S. Ambroſ. l. de Joſeph. c. 5. *Non turbentur*, inquit, *innocentes, cum appetuntur: viſitat Deus & in carcere ſuos, & ideo ibi eſt plus auxilii, ubi plus eſt periculi. Sed quid mirum ſi viſitat Deus* E *in carcere poſitos, qui ſeipſum in ſuis in carcere incluſum memoravit: In carcere, inquit eram, & non veniſtis ad me*. Matth. cap. 25. 44.

Propter Herodiadem] Herodias hæc fuit filia Ariſtobuli, fratris Herodis Antipæ: ipſe igitur eam duxit, quæ erat ſibi ex fratre neptis. Ita Joſephus. Fuit ergo Herodias ſoror Herodis Agrippæ, qui Jacobum occidit, & ab angelo viciſſim cæſus occubuit, Actor. 12. Quare errant Ruffinus, & ex eo S. Hieron. Euſeb. & Beda, dicentes illam fuiſſe filiam Aretæ regis Arabum: confundunt enim primam uxorem Herodis, quæ fuit filia Aretæ cum ſecunda, quæ fuit Herodias. Nam Herodes filiam Aretæ repudiavit, ut duceret Herodiadem, ideoque Aretas ei bellum intulit, ejuſque exercitum ad internicionem delevit, teſte Joſepho lib. 18. Antiq. cap. 7. qui & addit: Apud Judæos fuit opinio, juſta ultione Numinis deletum fuiſſe Herodis exercitum, propter Joannem Baptiſtam virum ſanctum ab eo occiſum,

Uxorem fratris sui] Dices, Joſeph. lib. 18. Antiq. F c. 6. 7. & 9. ait eam fuiſſe uxorem alterius Herodis, qui fuit frater Philippi & Herodis Antipæ. Reſp. Errat Joſephus in hoc, uti & in multis aliis: niſi dicas Herodiadem primo nupſiſſe Herodi Antipæ. Sic pariter errat ibidem Joſephus, quod dicat Jonnem occiſum non ob Herodiadem, ſed quia Herodes timebat, ne per populi ad eum concurſum, ſeditio quæpiam oriretur.

An vivo marito Philippo Herodias nupſerit Herodi an vero eo mortuo, diſſentiunt interpretes. Certum eſt enim utrumque fuiſſe illicitum & peccatum inceſtus, inſuper & adulterii, ſi Philippus adhuc vivebat. Nam Deut. 18. verſ. 16. vetatur ne frater ducat uxorem fratris, ſi is ex ea reliquerit prolem, uti Philippus reliquerat filiam hanc ſaltatricem, quam Joſephus vocat Salomen. Verum dico, Herodem vivo Philippo & invito duxiſſe Herodiadem; ideoque peccaſſe tripliciter. Primo, adulterio; ſecundo, inceſtu; Tertio, raptu. Probatur Primo, quia id diſerte aſſerit Joſephus lib. 18. Antiq. cap. 7. Secundo, quia eam duxit ſub annum 15. Tiberii Cæſaris: tunc enim prædicare cœpit Joannes, ut patet Luc. 3. 1. Philippus autem mortuus eſt anno 20. Tiberii, uti affirmat Joſeph. lib. 18. c. 6. ubi eumdem a modeſtia & juſtitia commendat. Tertio, quia paſſim Patres Herodem accuſant adulterii, quod fratri vivo ſed manſuero, uxorem abſtulit, nimirum ejus lenitate abuſus eſt Herodes.

Herodes triplici ter peccavit.

G

VERS. 20 Herodes enim metuebat Joannem sciens eum virum justum et sanctum] Initio ergo ſola Herodias voluit occidere Joannem, utpote ſui adulterii & inceſtus reprehenſorem diſſentiente Herode, ut ſignificat hic Marcus & Lucas cap. 9. Poſtea tamen Herodias idem perſuaſit Herodi marito, idque facile, quia Herodes, teſte Joſepho lib. 19. Antiq. c. 7. malignæ erat indolis, malitioſus & proclivis ad ſævitiam, ac infenſus Joanni ob crebras ejus reprehenſiones. Ipſe enim erat *vox clamantis in deſerto*, Iſaiæ c. 40. 3. Matth. 3. 3. *Timebat enim Herodias*, ait Beda, *ne Herodes ad increpationem Joannis aliquando reſipiſceret, & nuptias ſolveret, ac Herodiadem fratri Philippo ablatam reſtitueret*. H

VERS. 22 Cumque introisset filia ipsius Herodiadis (ex Philippo priore marito) et saltasset, et placuisset Herodi] Saltatrices olim conviviis adhibitas apud Judæos ad luxum, patet ex Joſepho lib. 12. Antiq. c. 4. Idem de Græcis liquet ex Xenophonte in Sympoſio, & Luciano Dialogo de ſaltatricibus, ubi multis exemplis æque ac philoſophorum ſententiis docet, quod animum etiam virilem & durum emolliat, & ad libitum inflectat ſcita ad modos muſicos ſaltatio. Vere Eccleſ. cap. 9. *Cum ſaltatrice*, ait, *ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius*. Vere Remig. in c. 14. Matth. *Impudica mulier*, ait, *impudicam filiam nutrivit, non pudorem docens, ſed ſaltationem. Nec minus reprehendendus Herodes, qui paſſus ſit regiam aulam fieri a muliere theatrum*.

Matth. 14. v. 6. 7. Saltatrices vis molliendi animos.

VERS. 25 Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ] Dices, Ergo Joanne Baptiſta non eſt Martyr, quia Herodes occidit eum non ob fidem, nec ob reprehenſionem ſui adulterii, ſed ut placeret puellæ ſaltatrici, & promiſſo ſuo illi facto ſatisfaceret. Reſp. Nego conſequentiam: Nam Primo, puella hæc petiit caput Joannis ex inſtinctu matris Herodiadis, quæ Joannem

Mar. 14. 8. Joann. Baptiſta vere Martyr. Prob. Primo.

Digitized by Google

A nem ſui adulterii caſtigatorem ſic e medio tollere volebat. Herodias ergo quaſi cauſa moralis per ſe occidit Joannem, impellendo Herodem ut eum decollaret, itaque eum Martyrem fecit. Secundo, Herodes illi aſſenſit: ſciens enim malignum ſuæ uxoris animum, illi obſecutus eſt, & Joannem peremit. Tertio, Herodes quoque volebat Joannem occidere, ut diſerte ait Matth. cap. 14. verſ. 5. ſed propter metum populi Joanni quaſi viro ſancto applaudentis, id facere non audebat. Denique, multi probabiliter putant, hæc omnia ex colluſione & ex compoſito eſſe facta, ſcilicet Herodem ſuggeſſiſſe Herodiadi, ut filiam ſaltatricem in cœnam immitteret, illaque peteret caput Joannis: ſic enim ſeſe honeſtam ex promiſſo ſuo occaſionem, vel excuſationem occidendi Joannem habituram, atque hac de cauſa Herodes a Chriſto vocatur *vulpes*, Lucæ 13. 32. Fuit ergo S. Joannes victima caſtitatis, quia pro ea Martyr occubuit, æque ac S. Paulus, S. Matthæus, S. Clemens, S. Lambertus, aliique plures.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

B Porro cauſam ſublimiorem præpoperæ mortis S. Joannis ex parte Dei, & arcano ejus conſilio aſſignat S. Gregor. Nazianz. orat. 20. *Quis*, inquit, *præcurſor Jeſu? Joannes, ut vox ſermonis, & lucerna luminis, ante quem & in virtute exiliit, & ad inferos per Herodis furorem tranſmiſſus eſt, ut illic quoque mox venturus prædiceret.* Idem Nazianz. orat. 39. docet S. Joannem ſpiritu prophetico præcognoviſſe ſuum hoc martyrium. Ait enim: *Ego a te (o Chriſte) baptizari debeo. Adde & pro te, exploratum enim habebat fore, ut martyrio baptizaretur. Futurum enim norat, ut, ſicut poſt Herodem Pilatus fureret, ita eum quoque prius vita functum Chriſtus ſequeretur.*

Præſcivit ſuam necem.

VERS. 26 ET CONTRISTATUS EST REX] Id eſt, contriſtari ſe finxit, inquit S. Hilar. & S. Hieron. in c. 14. Matth. quia revera volebat Joannem occidere, ut ait Matth. Unde Gloſ. in c. 14. Matth. *Talis*, ait: *Herodis triſtitia fuit, qualis Pœnitentia Pharaonis.* Et Interlin. *Simulator triſtitiam præferebat in facie, cum lætaretur in mente:*

C Simplicius S. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. cenſent, Herodem vere contriſtatum fuiſſe, ut habent Matth. & Marcus: licet enim vellet Joannē occidere, tamen de tam crudeli & ſibi propoſita ejus nece doluit, quod ſcilicet Prophetam tantum occideret in gratiam puellæ ſaltantis.

PROPTER JUSJURANDUM] Neci Joannis Herodes prætendit ſuum juramentum filiæ datum, quia licet ſciret illud hoc caſu, ſcilicet in petitione filiæ tam indigna, iniqua & ſacrilega, non obligare; tamen regale eſſe cenſebat id coram primoribus non retractare, juxta illud: *Verbum regis eſt rex.* Ita iſte mundanus. Unde S. Aug. ferm. 116. in novis: *Puella ſaltat*, ait, *& mater ſævit, & inter delicias & laſcivias convivantium temere juratur, & impie quod juratur impletur.* Nam, ut ait S. Iſidorus. *In malis promiſſis reſcindenda fides: impia promiſſio eſt quæ ſcelere adimpletur.* Et S. Hieron. *Sub occaſione pietatis impius fuit, dum juramento ſcelus excuſat.*

VERS. 27 SED MISSO SPICULATORE] id eſt, carnifice, quia carnifices erant milites, & ſtipatores prætorum geſtantes ſpicula. Unde dicti ſunt *ſpiculatores*, ait Calepinus. Verum noſter Jacobus Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 25. ex Suida,

D & Julio Firmico; carnifices vult dici *ſpeculatores* (græce enim eſt σπεκυλάτορα, quod nomen utique eſt Latinum, idemque quod *ſpeculator*) græce ὀπτῆρας, eo quod eorum munus eſſe hoſtium conſilia & facta ſpeculari, cuſtodiæ cauſa principes ſtipare inſtar fatellitum, ac damnatos ab eis plectere. Sic & Franc. Lucas hic, ac Lipſius in Tacitum, Briſſonius & aliqui alii, qui aſſerunt Suetonium & Tacitum *ſpeculatorem* vocare carnificem: ſed nullum ex eis locum citant, nec ego ullum invenire potui, in quo vox *ſpeculator* a Latinis, vel Græcis uſurpetur pro carnifice, niſi hunc Marci in Græco. Hic ergo idem eſt *ſpiculator* latine, qui σπεκυλάτωρ græce: Græci enim mutantes vocalem *i* in *e* (uti faciunt ſæpe Itali) pro *ſpeculator* dixerunt *ſpiculator*, uti cenſet Lexicographus.

PRÆCEPIT AFFERRI CAPUT EJUS IN DISCO] ut epulas crudelitate & horrendo hoc ſpectaculo barbarus condiret. Addit Beda: Vult omnes convivas ſceletis ſui eſſe conſortes, ut in luxurioſo convivio cruentæ epulæ deferrentur. Porro S. Greg. lib. 3. Moral. cap. 4. *Premit*, inquit, *Deus ſuos in infirmis, quia videt quomodo remuneret in ſummis: quid illi paſſuri ſunt quos Deus reprobat, ſi hic cruciat quos amat?*

ET DECOLLAVIT EUM IN CARCERE] ſcilicet ſpiculator ad hoc miſſus ab Herode. Unde Græca & Syrus habent, *qui eum abiiſſet, decapitavit eum.* E

Habet ergo S. Joannes laureas multas. Primo doctoris; Secundo, virginis; Tertio, Martyris; Quarto, Prophetæ; Quinto, Eremitæ; Sexto, Apoſtoli; Septimo, præcurſoris, indicis & baptiſtæ Chriſti. Vere S. Auguſt. ſerm. 36. de Sanctis. *Joannes*, ait, *propter juſtitiam perdit vitam, ſed lucratus eſt gloriam, quia plena & perfecta libertate maluit injuſta ſuſtinere, quam juſta non dicere.*

Septem laureæ Baptiſtæ.

Quæres quo tempore occiſus ſit S. Joannes? Primo, Abulenſ. ait id definiri non poſſe. Ita ipſe in c. 14. Matt. 4. Secundo Beda & ex eo Baron. anno Chriſti 33. num. 8. Maldon. Barradius (ac favere videtur S. Aug. lib. 2. de Conſenſu Evang. cap. 45.) cenſent Joannem occiſum circa Paſcha, currente anno 33. ætatis Chriſti. Probant ex eo quod Matthæus cap. 14. 13. ait Chriſtum audita morte Joannis ſeceſſiſſe in deſertum, ubi pavit quinque millia hominum: id autem contigit circa Paſcha, Joann. 6. 4.

Quando occiſus Joannes? Reſp. Primo. Secundo.

F Tertio d

Tertio, valde probabiliter noſter Salianus in Annal. to. 6. in fine ad annum Chriſti 32. n. 20. cenſet Joannem occiſum in fine anni 32. ætatis Chriſti, puta in Decembri. Probat, quia Nicephorus l. 1. c. 19. in fine ait, Joannem occiſum cum ageret annum ætatis 32. cum dimidio, id eſt, cum Chriſtus expleret annum ætatis 32. Natus eſt enim Joann. 24. Junii, & dimidio anno, ſive ſex menſibus ſenior fuit Chriſto: hic enim natus eſt 25. Decemb. ejuſdem anni. Secundo, quia, licet ſeceſſio Chriſti in deſertum de qua Matth. c. 14. contigerit circa Paſcha, tamen mors Joannis diutius præceſſit hunc ſeceſſum: ſeceſſit enim Chriſtus, non tam ob mortem Joannis, quam quod jam increbreſceret fama miraculorum ſuorum, ut multi putarent Joannem in eo reſurrexiſſe, ut diſerte dicit Theophyl. & Janſen. hoc autem factum eſt longiuſcule poſt mortem Joannis, ita ut Decembri videatur occiſus Joannes; ſeceſſio vero Chriſti facta ſit in Martio, ſub Paſcha ſequens: tempus enim intermedium depoſcunt ſibi miracula, quæ Chriſtus poſt mortem Joannis patravit, item fama eorumdem ubique ſparſa, ita ut ex ea Herodes ſuſpicatus ſit Joannem in Jeſu revixiſſe; quod ubi audivit Jeſus, metuens ne Herodes ſe quoque interficeret, ceſſit in deſertum.

G

Denique nonnulli congrue opinantur Joannem occiſum 29. Auguſti: hoc enim die Eccleſia celebrat feſtum decollationis Baptiſtæ: quamquam illo die celebrari potius ab Eccleſia memoriam inventionis capitis S. Joannis Baptiſtæ, ex Beda cenſeat Baron. in Martyrol.

ET ATTULIT CAPUT EJUS IN DISCO, ET DEDIT ILLUD PUELLÆ, ET PUELLA DEDIT MATRI SUÆ] Indignitatem hujus homicidii, imo ſacrilegii, multis oſtendunt S. Chryſoſt. in Matth. hom. 49. S. Aug. ſerm. 36. de Sanctis & ſerm. 116. in novis, S. Ambroſ. l. 3. de Virg. ſub initium, ubi inter alia ait: *Præmium ſaltatricis mors eſt Prophetæ, &c. Hoc crudelitati ferculum debeatur, quo inſaniata epulis feritas veſceretur.* Et mox: *Cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes, averſantes conſpectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis neceſſitate, quam horrore luxuriæ. Os aureum illud exſangue, cujus ſententiam ferre non poteras, conticeſcit, & adhuc timetur.*

VERS. 28 Matth. 14. v. 10. 11.

H Herodias linguam Joannis perforasse vit.

Inſultaſſe Herodiadem præciſo capiti, atque acu diſcriminali ſanctiſſimam illam linguam perforaſſe, Hier. in Ruffinum agens tradit, ſic dicens: *Ne magnopere glorieris, ſi feceris quod faciunt ſcorpiones, atque chantarides fecerunt: hec & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Joannem, quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt.* Hæc S. Heron. in fine Apologiæ contra Ruffin.

Ultio Dei in ſæpti-ficidas.

Quocirca juſta Dei ultio in omnes deſæviit. Nam Herodes victus fuit ab Areta, deinde in exilium cum Herodiade pulſus Lugdunum, tetrarchia & bonis omnibus ſpoliatus eſt a Cajo Caligula Imp. idque agente & accuſante eum Agrippa fratre Herodiadis, uti narrat Joſephus lib. 18. 10. Porro filiæ ſaltatrici caput per glaciem amputatum, in ipſa glacie ſaltitavit. Audi Nicephorum l. 1. c. 20. *Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus, qui cum glacie conſtrictus coagmentatuſque eſſet, pedes eum tranſibat: glacie autem rupta, idque non ſine Dei numine, demergitur illa ſtatim capite tenus, & inferioribus corporis partibus laſciviès molliuſque ſe motiès ſaltat, non in terra, ſed in undis: caput vero ſceleſtum frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & a reliquo corpore non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum in*

Digitized by Google

A *glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, spectaculoque ejus omnibus prabito, in memoriam ea que fecerat spectantibus revocat*, Audi & L. Dextrum in Chron. anno Christi 34. *Herodes Antipas cum Herodiade pellice incesta, tota Judea pulsus primum ad Gallias, deinde Ilerda in Hispania exulat, ibique infeliciter moritur. Herodias vero, saltans super Sicoris flumen Ilerda concretum, submersa miserabiliter periit.*

VERS. 29 Mar. 14. 12 POSUERUNT ILLUD IN MONUMENTO] S. Hieron. loco jam citato tradit, corpus S. Joannis sepultum in Sebaste, quæ prius Samaria fuit dicta, ubi pariter Eliseus & Abdias Prophetæ sepulti sunt. Porro tanta miracula faciebat S. Joannes in Sebaste, ut Julianus Apostata jusserit ejus corpus comburi; sed reliquias ejus clam suffurati sunt Christiani. De revelatione capitis S. Joannis vide historiam Ecclesiasticam lib. 11. cap. 28. Baron. & alios. Est & inter opera S. Cypriani tract. de Revelatione capitis sancti Joannis. Denique Sozomenus lib. 7. cap. 24. narrat Theodosium Imper. proficiscentem in bellum contra Eugenium tyrannum, adiisse templum S. Joannis,

B eique pro victoria supplicasse; quare dæmonem e templo exiisse vociferantem: *Tu me vinces, tu meum exercitum prosternes*, itaque factum est.

CAPUT VII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus Pharisæorum criminationes, quod Apostoli illotis manibus manducarent, in ipsos eorumque scelera retorquet. Secundo, v. 25. Syrophœnissæ filiam a dæmone liberat. Tertio, v. 32. surdo & muto auditum & loquelam restituit.

VERS. 1. ET conveniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jerosolymis.

C 2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus, communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3. Pharisæi enim & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum;

4. Et a foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum;

5. Et interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

6. At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum.

D 8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, & calicum: & alia similia his facitis multa.

9. Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

10. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban, (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:

12. Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri,

13. Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis; & similia hujusmodi multa facitis.

14. Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. E

16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

17. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.

18. Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare:

19. Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas?

20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.

21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, F stultitia,

23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.

24. Et inde surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis; & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.

25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus.

26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.

27. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

28. At illa respondit, & dixit illi: Utique Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua. G

30. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & expuens tetigit linguam ejus:

34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod est adaperire.

35. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.

36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant: H

37. Et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

COMMUNIBUS MANIBUS, ID EST, NON LOTIS MANDUCARE] *Manus communes* vocantur non lotæ, id est immundæ, quia scilicet res immundæ, profanæ & pollutæ erant cummunes Judæis & Gentibus, mundis & immundis. VERS. 2.

Nota, Apostolos non fuisse tam rusticos, ut prandituri vel cœnaturi manus non lavarent, cum & agricolæ & opifices ante cibum eas lavent; sed abstinuisse a lotione religiosa vel potius superstitiosa Pharisæorum, quam ipsi ex majorum suorum ritu & traditione acceptam scrupulose servabant. Ritus autem eorum, inquit Theophyl. erat hic, ut ad cubitum usque lavarentur.

CREBRO] Syrus, *berilaith*, id est, diligenter vel curiose, græce πυγμῇ, id est *certatim*, Hebr. כפאלכף *caph el caph*, id est, manum ad manum, scilicet sæpe confricando, uti faciunt qui manus fœdatas depurare volunt. VERS. 3.

Digitized by Google

A fubat. Phariſæi enim cum vel minimum quid impuri attigiſſent, aut ſe attigiſſe ſcrupuloſe metuerent, illico lavabant manus, idque toties quoties hic eis metus vel ſcrupulus occurrebat.

VERS. 4. ET A FORO] ſcilicet venientes, & domum redeuntes lavant manus, quia ſcilicet in foro eſt omne genus, uti rerum, ſic & hominum mundorum & immundorum, quorum attactu ſe pollutos verebantur, ideoque immunditiem hac lotione non manuum, ſed totius corporis abſtergere ſeſe debere putabant: unde ſequitur:

NISI BAPTIZENTUR] Hoc eſt, niſi totum corpus aquis immergant & abluant, uti etiamnum ſæpe faciunt Judæi. Plus enim eſt *baptizari* quam manus abluere: quia ergo in foro Gentiles attingere & alloqui, quædam etiam immunda attrectare cogebantur, hinc redeuntes domum toros ſe abluebant, ait Vatablus.

CALICUM] Græcum, ποτηρίων, id eſt, *poculorum*.

URCEORUM] Græce, ξεστῶν, id eſt, ſextariorum: ξέστης enim eſt ſextarius, vel cyathus; Syrus, *œnophororum*, id eſt vaſorum, quibus vina afferuntur vel effunduntur. Vatab. intelligit vaſa lignea, quæ ξεστὰ dicuntur, B eo quod torno poliantur, aut ſculpturis ornata ſint, ξέω, enim eſt frico, polio, rado, ſculpo: unde ξεστὸς, id eſt politus, raſilis, excultus. Urceus proprie eſt vas, quo aqua in urnam vel ahenum infunditur, ait Paulus Juriſconſultus; inde ad vaſa quælibet ſimilia transfertur.

ÆRAMENTORUM] vaſorum æreorum, quibus cibi vel coquebantur, vel in menſam inferebantur.

ET LECTORUM] quibus ad menſam accumbebant. Vatab. vertit, *ſpondarum*. Cætera expoſui Matth. 15. & ſeq.

VERS. 15. COMMUNICANT] Id eſt, *coinquinant*, ut legunt alii codices. Idem eſt v. 18. & 20.

Mat. 15. 11.

QUIA NON INTRAT IN COR EJUS, id eſt, in animam ejus, ac proinde eam coinquinare nequit; SED IN VENVERS. 19. TREM, ſcilicet ſtomachum; vadit, ubi facta ſecretione purioris cibi, ad jecur & cor pergit: reliquum vero, quod impurum & fæculentum eſt, IN SECESSUM EXIT, PURGANS exitu ſuo, id eſt, puras relinquens, OMNES C ESCAS] quia ſcilicet ipſum eſt cibi fæx & purgamentum, quare eo ipſo quo exit, alimentum reliquum depurat & expurat.

Mat. 15. 17.

VERS. 26. GENTILIS] Græce, ἑλληνὶς, id eſt, *Græca*, ut vertit Arabicus: Græcis enim dominantibus, omnes Gentiles vocabantur Græci; hinc illud Rom. 1. *Judæo primum & Græco*, id eſt Gentili.

Mar. 15. 22.

SYROPHOENISSA] Græce, *Syra Phœniciſſa*, Syrus, *ex Punicia Syria*, id eſt, ex illa Phœniciæ parte, quæ ad Syriam ſpectat. Matthæus Chananæam vocat.

VERS. 32. ET MUTUM] Græce μογιλάλον, id eſt, ægre loquentem, impeditæ linguæ, balbutientem: nam ſanatus a Chriſto *loquebatur recte*, id eſt, expedite, ut dicitur v. 35. Non ergo erat omnino mutus, uti ſunt ii, qui a nativitate ſunt ſurdi, qui græce ἄλαλοι dicuntur. Sic enim duo fuiſſent hic Chriſti miracula, ſcilicet ſolutionis linguæ & inditæ ſcientiæ vocum. Contrarium tamen quoque eſt probabile.

ET EXPUENS, TETIGIT LINGUAM EJUS] Congrue fecit id Chriſtus; quaſi ſaliva ſua ſalvifica, os ſiccitate mutum & ligatum humectaturus & ſoluturus: ſaliva enim eſt *in lingua*, & illi ſe aſſimilat, ait Galenus aphor. 39.

VERS. 33. Expuit autem non in os muti, ſed in ſuum ipſius digitum, ac digito ſalivam ori muti admovit, ut colligitur ex Græco; hoc enim honeſtas & decor exigebant. Porro D Chriſtus aperiendo aures & linguam corporis, aperuit pariter aures & linguam mentis, ut inſpirationes ipſius audiret, ac crederet ipſum eſſe Meſſiam, ab eoque peccatorum ſuorum veniam poſceret & impetraret. Quos enim Chriſtus corpore, hos & mente ſanavit.

Tropolog. idem cuique poſcendum, ac dicendum cum Pſalte: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, Pſalm. 50. 17. Idem de auribus, ut poſſimus cum Iſaia cap. 50. 4. jubilare: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt, verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum, Dominus Deus aperuit mihi aurem*; hoc autem fit cum ipſe digito ſuo, id eſt, Spiritu ſancto (hic enim eſt digitus Dei, Exod. 8. 19.) & ſaliva cæleſtis ſapientiæ, quæ eſt ipſemet ex ore Altiſſimi prodiens, linguam mentis tangit.

VERS. 34. ET SUSPICIENS IN CÆLUM (quia inde verba mutis, auditus ſurdis, medela cunctis infirmis, ait Beda) INGEMUIT] tum condolens miſeriæ muti & ſurdi; tum cum gemitu orans, & impetrans illi ſanitatem a Deo. E *Expendebat enim*, ait Victor, *in quantam calamitatem & miſeriam, omnis bonæ, honeſtæque actionis hoſtis diabolus, primorumque parentum incuria & lapſus ipſum dejeciſſet.*

EPHPHETHA, QUOD EST (quod ſignificat) ADAPERIRE] id eſt, aperiantur tibi aures & os: ubi *utraque*, ait Beda, *unius ejuſdemque mediatoris Dei & hominum natura manifeſte deſtinata eſt. Suſpiciens enim in cælum quaſi homo, Deum precaturus ingemuit; ſed mox uno ſermone, quaſi divina potens majeſtate curavit.* Omnes enim habemus oculos, ſed cæci clauſos & obſtructos, qui Syriaca phraſi eleganter dicuntur aperiri, cum regnina illa recluduntur, ait Angelus Caninius in Nomin. Hebræis cap. 10. Porro Hebr. פתח *patach*, eſt aperire: unde in imperativo paſſivo *niphal* הפתח *hipateach*, & craſi *hippatach*, pro quo Syri dicunt *Ephphetha*, idem eſt quod aperire, hoc eſt aperitor, vel eſto apertus.

ET PRÆCEPIT ILLIS NE CUI DICERENT] Præceptum VERS. 36. hoc fuit, non proprie dictum, quod ad culpam obligaret, ſed urbanitas dumtaxat, & modeſtiæ indicium, ut ſcilicet ſignificaret ſe nolle ſua miracula oſtentare, & ex iis aucupari vanam hominum gloriam. Quare non peccabant, qui eo non obſtante illa divulgabant. Unde ſequitur, *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. Docemur hoc loco*, ait Theophyl. *quod quando benefacturi ſumus, ne plauſus vel celebritates ex beneficiis quæramus: cum autem beneficia acceperimus, ut benefactores licet ipſi recuſent, laudemus & prædicemus.* Ut enim illud eſt hominis benefici, ita hoc grati, ait Franc. Lucas. Et S. Auguſt. de Conſenſ. Evang. Voluit Dominus, ait, prohibendo docere, quanto ferventius cum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi, qui prohibebantur, tacere non poterant.

BENE OMNIA FECIT] Græce, καλῶς, id eſt, belle, VERS. 37. decore, concinne, congrue, irreprehenſibiliter. q. d: Nil fecit Chriſtus, quod Phariſæi, vel ſimiles momi jure culpare queant. Rurſum *bene* Hebr. היטיב *heteb*, id eſt, benefice, quia ſurdo auditum, muto loquelam reddidit. Tota enim vita Chriſti, fuit aſſidua beneficentia, Actor. 10. 38. G

CAPUT VIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Chriſtus ſeptem panibus paſcit quatuor hominum millia. Secundo, v. 15. docet cavendum a fermento Phariſæorum. Tertio, v. 22. curat cæcum, qui homines vidit ſicut arbores ambulantes. Quarto, v. 31. prædicit ſuam paſſionem & mortem, Petrumque illi renitentem quaſi ſatanam rejicit. Denique v. 34. jubet cuique tollere ſuam crucem, & animam ſuam ſalvare.

IN diebus illis iterum cum turba multa eſſet, VERS. 1. nec haberent quod manducarent, convocatis diſcipulis, ait illis: H

2. Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent:

3. Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.

4. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Unde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?

5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.

6. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis ut apponerent, & apoſuerunt turbæ.

7. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & juſſit apponi.

8. Et manducaverunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperaverat de fragmentis ſeptem ſportas.

9. Erant

Digitized by Google

A 9. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia: & dimisit eos.

10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

11. Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum.

12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.

13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, & abiit trans fretum.

14. Et obliti sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi.

15. Et præcipiebat eis, dicens: Videte & cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.

B 16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.

17. Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

18. Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini,

19. Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustuliſtis? Dicunt ei: Duodecim,

20. Quando & septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei: Septem.

21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

22. Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.

23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum C extra vicum: & expuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.

24. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.

25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: & cœpit videre, & restitutus est, ita ut clare videret omnia.

26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris.

27. Et egressus est Jesus, & discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?

28. Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis.

29. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus.

D 30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari a senioribus, & a summis sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere.

32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

33. Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, si lucretur E mundum totum: & detrimentum animæ suæ faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

38. Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

DALMANUTHA] Matth. c. 15. 39. habet *Magedan*, quia scilicet hæc duo loca sibi erant vicina, ut ibi dixi. VERS. 10 Mar. 15. 39.

CAVETE A FERMENTO PHARISÆORUM, ET FERMENTO HERODIS] *Fermentum* est doctrina, qua Pharisæi docebant filios dicere parentibus *corban*, aliaque legi Dei contraria. *Fermentum Herodis*, est doctrina Sadducæorum: cum his enim proxime fuerat Christo lis & disputatio, ut patet ex Matthæo cap. 16. v. 1. & 12. Herodes enim, uti & multi primores tunc erant Sadducæi, teste *Josepho* 18. *Antiqu.* cap. 2. qui negabant animæ immortalitatem, vivebantque quasi athei, uti Herodes vivebat in adulterio, Joannem occidit, aliaque scelera commisit vivens sine numinis metu. Licet enim ipse cap. 6. 16. opinatus sit Joannem resurrexisse in Christo; tamen ista opinio non tam ipsius fuit quam vulgi, nec tam a fide, quam a pavore ejus expressa fuit & extorta. Denique Joanni, utpote viro sanctissimo, resurrectionem concessit, sibi vero & sibi similibus eamdem negavit, ut libere carnis voluntatibus indulgeret. Alii ex Origene & S. Hieronymo, per *fermentum* accipiunt sectam Herodianorum, qui adulantes Herodi, ajebant eum esse Messiam. Verum hæc secta fuit Herodis Ascalonitæ, non Antipæ, de quo hic, uti dixi Matth. 22. 16. VERS. 15 Mar. 16. 14. F

ADDUCUNT EI CÆCUM, ET ROGABANT EUM, UT ILLUM TANGERET] *Scientes*, ait Beda, *quia tactus Domini sicut leprosum mundare, ita etiam cæcos illuminare valeret.* VERS. 22 G

ET APPREHENSA MANU CÆCI, EDUXIT EUM EXTRA VICUM] extra Bethsaidam, ut patet v. 22. extra quam eum eduxit eadem de causa, qua cap. 7. 33. mutum surdumque curaturus, eum a turba *semovit*; scilicet Primo, orationis causa, ut scilicet solus animum colligens, totum se Deo uniret, & intentius attentiusque oraret. Secundo, ut fugeret vanam gloriam & plausum hominum; eumque nos vitare doceret. Tertio, quia cives Bethsaidæ indigni erant hoc Christi miraculo: visis enim tot ejus signis in eum credere noluerant, ita Theophyl. & Euthymius. Vide Matth. c. 11. v. 21. VERS. 23

Mystice, Scholiastes apud S. Hieron. educit Christus peccatorem extra vicum, id est, inquit, extra societatem malorum. Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava,

ET EXPUENS IN OCULOS EIUS] saliva matutina oculos lippientes purgat, at cæcos non illuminat. Christi ergo saliva medicina fuit cæco non naturalis, sed supernaturalis, quia erat instrumentum deitatis Christi. H

Hoc Christi cæcum illuminandi miraculum imitatus est S. Hilarion, teste S. Hieron. in ejus Vita, quem audi: *Cæca mulier adducta est ad B. Hilarionem, quæ omnem se substantiam expendisse ait in medicos. Cui respondit: Si quæ in medicis perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus Jesus. Clamante autem illa, & misericordiam deprecante, expuit in oculos ejus; statimque Salvatoris exemplum virtus eadem prosecuta est.* S. Hilarion cæcum visui restituit.

Tropologice, saliva est gratia Spiritus sancti, ait Beda: hæc homines illuminat, ut videant voluntatem Domini per flatum Spiritus sancti, ait Scholiastes apud S. Hieron.

IMPOSITIS MANIBUS SUIS] Id est, cum imposuisset manus suas super oculos cæci, ac deinde illas ab oculis removisset. Nam improbabile est, quod ait Scholiastes apud S. Chrysost. hunc cæcum per manus Christi oculis suis superpositas, vidisse homines v. 24. hoc enim novum & impertinens fuisset miraculum.

Tropologice, Scholiastes apud Chrysost. Christus, ait, expuit & manus imponit, volens ostendere divinum

A num verbum operationi adjunctum mirabiliter perficere.

VERS. 24 ET ASPICIENS, AIT; VIDEO HOMINES VELUT ARBORES AMBULANTES] q.d. Video aliquid obscure & confuse, non clare & distincte: video enim homines ambulantes, ita ut non possim distinguere an homines sint an arbores: uti nobis solet fieri eminus homines cernentibus, dum non facile distinguere possumus, an homines sint an arbores, (ait Beda) nisi ex motu, eo quod homines ambulent, arbores non: τὸ *ambulantes* enim ad homines referendum est, non ad arbores, ut patet ex Græco. Posset tamen in Latino textu ad arbores quoque referri, hoc sensu, q.d. Video homines quasi arbores bifidas, & quasi bipedes, ideoque ambulantes. Videbat ergo hic cæcus adhuc cæcutiens homines quasi per caliginem & nebulam, in qua species densatæ repræsentabant homines majores, quam in se erant, scilicet crassos & altos instar arborum, uti per conspicilia litteræ majores apparent, quam revera sint.

B Porro homo similis est arbori, Primo proceritate & altitudine; Secundo, rectitudine; Tertio, rotunditate; Quarto, cortice & coma: quod enim in arbore est cortex & folia, hoc in homine est pellis & pili crinesque; Quinto, ramis: homo enim expansis brachiis est quasi arbor expansis ramis; Sexto, vita & venis, sicut enim homo vivit aliturque cibo, chilo & sanguine per venas in totum corpus distributis: sic arbor vivit aliturque succo per fibras in omnes partes dispartito; Septimo, arbor e parva frutice sensim crescit in altum, sic & homo *crescit occulto velut arbor ævo*: adeoque sicut homini sua est pueritia, adolescentia, virilis ætas, senium & mors; sic est & arbori; Octavo, arbor bona producit bonos fructus, mala malos: sic homo bonus bona opera profert, malus mala: quare sicut ex fructibus cognoscitur arbor, sic ex operibus homo, uti docet Christus Matth. 7. 17. Denique arboribus, sicut animalibus, sua est cutis, sanguis, caro, nervi, venæ, ossa, medullæ, ait Plinius *lib. 16. cap. 38.* Unde & ex arboribus nasci animalia, ac præsertim anates, in insulis Scotiæ vicinis, experientia constat.

Analogiæ hominis & arboris notem.

C Porro arbores videntur ambulare in insulis & sylvis, quæ in flumine vel mari moventur & fluitant, quales videre est Audomaropoli in Belgio. Idem fit cum ventis agitantur. Jam Aquilone gaudent arbores, illoque firmantur & optime germinant, Austro vero blandiente fatiscunt, ait Plinius *lib. 17. cap. 2.* sic homines per adversa in virtute roborantur & proficiunt, per prospera solvuntur & deficiunt.

In arboribus quibusdã mares & fœminæ.

Addit Plinius *lib. 13. cap. 4.* arboribus, præsertim palmis, sexum inesse sicut hominibus, ut aliæ sint mares, aliæ feminæ: *Mas*, ait, *in palmite floret, femina citra florem germinat tantum spinæ modo*. Idem *lib. 17. cap. 24.* asserit arbores sicut homines laborare fame, eruditate, peste, cæterisque morbis ægrotare. Idem *lib. 17. cap. 25.* docet arbores subinde instar hominum esse locutas; sed hoc vel fictitium est, vel per angelos aut dæmones factum. Idem *lib. 23. cap. 1.* docet primum hominis cibum, eumque paratum & ellaboratum fuisse ex arboribus, & sic indutos homines cælum spectare: quare arborem sic inducit loquentem: *Plurimum homini voluptatis ex me est, ego succum vini, liquorem olei gigno, ego palmas & poma, totque varietates, neque ut tellus per labores aranda tauris*, &c. *at ex me pæcata omnia, & sese porrigentia ultro, & si pigeat attingere, etiam cadentia*. Merito ergo cæcus hic videre incipiens, dixit: *Video homines velut arbores ambulantes*.

D

S. Gregorius visus ut arbor.

Simili modo S. Gregorius Thaumaturgus fugiens persecutionem Decii, decessit cum Diacono in collem, cumque proditor quidam id persecutoribus renunciasset, illique totum collem perscrutarentur, ut Gregorium comprehenderent, ipse magna in Deum fide, immotis oculis & passis manibus in oratione constitit: quare Deus persecutores aorasia, sive cæcitate percussit. Redeuntes enim dixerunt, se in colle nil nisi duas arbores paululum inter se distantes vidisse: quibus digressis proditor in collem conscendens, non duas arbores, sed duos homines, puta Gregorium cum Diacono conspexit. Unde vi divina id factum agnoscens, ut illi persequentibus arbores esse viderentur, procumbit ei ad pedes, & ex proditore fit fidei confessor. Ita S. Gregorius Nyssenus in ejus Vita.

Homo est arbor inversa.

Denique tritum est illud Philosophi: *Quid est homo? est arbor inversa*, quia pedes quasi ramos deorsum, caput vero & cerebrum quasi radicem sursum mittit, eo quod homo ex cælo cælestem vitam ducere, ac cælestes virtutum fructus proferre debeat. E

Mystice. Scholiastes apud S. Hieron. Cæcus, ait, id est peccator pœnitens, videt homines sicut arbores ambulantes, quia omnes existimat superiores sibi, indignum se judicans, ut David, vocari hominem, æstimans se canem mortuum & pulicem unum. 2. Reg. 16. Hinc talis per humiliratem suam meretur illuminari & exaltari.

VERS. 25 DEINDE ITERUM IMPOSUIT MANUS SUPER OCULOS EJUS, ET COEPIT VIDERE, ET RESTITUTUS EST ITA UT CLARE VIDERET OMNIA] Voluit Christus non subito, sed sensim hunc cæcum perfecte illuminare. Primo ut omnis generis miracula ederet: Secundo, ut pluris miraculum hoc fieret: Tertio, & maxime, ut imperfectæ cæci eumque offerentium fidei, sensim cum miraculo crescenti sese attemperaret, ejusque perficiendi fidem, & desiderium in eis magis accenderet. *Primo, cæcum hunc imperfecte curavit*, inquit Euthymius, *utpote imperfecte credentem, ut qui parum adhuc respiciebat, per modicum aspectum crederet perfectius, ac sanaretur perfectius: sapiens enim erat medicus*. Et mox: *Augmentum fidei augmentum promeruit sanitatis*. Et Victor: *Ipsum visionis incrementum*, inquit, *& accessio, fidei incrementum & accessionem confirmat*. F

Tropologice voluit Christus nos docere, sensim infidelem & peccatorem a Deo illuminari, ac proinde eum sensim in Dei cognitione & cultu proficere debere: *Ut magnitudinem*, ait Beda, *humanæ cæcitatis ostenderet, quæ quasi pedetentim, & per quosdam profectuum gradus ad lucem divinæ visionis* (cognitionis) *solet pervenire*. Nam, ut ait Scholiastes apud Chrysost. *Scientiæ profectus sunt, nec potest aliquis una hora perfectam sapere sapientiam, non nisi multo tempore ad perfectam scientiam potest quis pervenire*.

Experimur hoc in pueris & scholasticis, qui pedetentim erudiendi & edocendi sunt; alioqui si magister moræ & laboris impatiens omnia eis simul tradere velit, mentem & memoriam eorum obruet, ut nihil capiant, sicut vinum cum in vas angusti oris infunditur, si totum simul effundatur, nil fere infunditur, sed totum quasi effunditur. Notum est illud Italorum: *Piano piano si valontano*. Et illud Philosophi: *Successive fit motus*. G

Symbolice, Scholiastes apud S. Hieron. *Manus*, ait, *Christus imposuit super oculos ejus, ut videret clare omnia, id est, per opera visibilia invisibilia intelligeret, & quæ oculus non vidit; & clare animæ suæ statum post rubiginem peccati, mundi cordis oculo contueretur: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

VERS. 26 ET SI IN VICUM] Id est, in Bethsaidam civitatem, quæ parva erat instar vici vel pagi, ex qua v. 23. eum eduxerat, nisi malis per *vicum* accipere suburbium, vel vicum Bethsaidæ annexum, vel adjacentem.

VERS. 34 DENEGET] id est, *abneget semetipsum*, ut vertit Interpres Matth. 16. 24.

Mat. 16. 27. Luc. 9. 23. QUI ENIM ME CONFESUS FUERIT] Græce, ἐπαισχυνθῇ id est, *erubuerit*, scilicet me, meamque doctrinam, vitam & professionem paupertatis, humilitatis & crucis.

VERS. 38 Mat. 12. 39. Luc. 9. 26. IN GENERATIONE ISTA ADULTERA] Judæorum pravorum, qui sunt fideles & filii Dei; at non genuini: sed spurii & adulterini, quia a fide patrum & Patriarcharum suorum degenerant, dum me Messiam eis promissum, recipere nolunt: ideoque non tam Dei quam diaboli sunt filii: Hebr. vocantur בְּנֵי נֵבֶר *bene nechar*, id est, filii alieni scilicet patris, hoc est ab alieno & adultero geniti, ideoque a vero patre, scilicet a Deo, degeneres, illique moribus dissimiles. Vide dicta Matth. 10. 33. H

VERS. 39 REGNUM DEI] Id est, gloriam regni Dei, in mea transfiguratione mox futura.

VENIENS, id est apparens, sese que ostendens Petro, Jacobo & Joanni, IN VIRTUTE] id est, cum magna potentia, efficacia, claritate, splendore & majestate.

CAPUT IX.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo Christus transfiguratur coram Elia & Mose, unde Eliam rediturum prædicit, ut adventum suum ad judicium præcurrat. Secundo, v. 16. energumenum surdum & mutum sanat. Tertio, v. 32. contentionem discipulorum de primatu, studio humilitatis, ut fiamus sicut

Digitized by Google

A *ſicut puerl, curat. Quarto, verſ. 37. vetat prohiberi eum, qui in nomine Jeſu ejiciebat dæmonia, licet ejus non foret aſſecla. Quinto, v. 41. docet, quod grande malum ſit ſcandalum, quod v. 48. igne mortificationis & ſale diſcretionis tollendum docet.*

VERS. 1. ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem; & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis.

2. Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.

3. Et apparuit illis Elias cum Moyſe: & erant loquentes cum Jeſu.

4. Et reſpondens Petrus, ait Jeſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, Tibi unum, & Moyſi unum, &

B Eliæ unum.

5. Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti:

6. Et facta eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus chariſſimus: audite illum.

7. Et ſtatim circumſpicientes: neminem amplius viderunt, niſi Jeſum tantum ſecum.

8. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent: niſi cum Filius hominis a mortuis reſurrexerit.

9. Et verbum continuerunt apud ſe, conquirentes quid eſſet: Cum a mortuis reſurrexerit.

10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?

11. Qui reſpondens, ait illis: Elias cum venerit, primo reſtituet omnia: & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur

C & contemnatur.

12. Sed dico vobis quia & Elias venit (& fecerunt illi quæcumque voluerunt) ſicut ſcriptum eſt de eo.

13. Et veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

14. Et confeſtim omnis populus videns Jeſum, ſtupefactus eſt, & expaverunt, & accurrentes ſalutabant eum.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

16. Et reſpondens unus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum:

17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.

18. Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos

D patiar? afferte illum ad me.

19. Et attulerunt eum. Et cum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbavit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans.

20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia:

21. Et frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum perderet. Sed ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri.

22. Jeſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.

23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.

24. Et cum videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in

E eum.

25. Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt.

26. Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit.

27. Et cum introiſſet in domum, diſcipuli ejus ſecreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio.

29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam ſcire.

30. Docebat autem diſcipulos ſuos, & dice- F bat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget.

31. At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum:

32. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi eſſent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

33. At illi tacebant: ſiquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet.

34. Et reſidens vocavit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.

35. Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum, quem cum complexus eſſet, ait illis:

36. Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicum- G que me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.

37. Reſpondit illi Joannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.

38. Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum: Nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me.

39. Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.

40. Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

41. Et quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in H mare mitteretur.

42. Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:

43. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

44. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis:

45. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

46. Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:

47. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

48. Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.

49. Bonum eſt ſal: quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habere inter vos.

ET CONTEMNATUR] Græce, ἐξουδενωθῇ, id eſt, exinaniatur, nihil fiat, ſubaudi, ſimili modo continget Eliæ, VERS. 12 Matt. 17.

Digitized by Google

A Eliæ, ut cum magnis laboribus fidem collapsam restaurarit, pro tantis meritis & beneficiis ab ingratis & impiis maledicta & maleficia recipiat, ac tandem ab eis occidatur, Apoc. 11. v. 7. & 8.

VERS. 13 SCRIBAS CONQUIRENTES; Græce, συζητοῦντας, id est disputantes, altercantes, CUM ILLIS] scilicet discipulis Jesu, an videlicet ipse esset Propheta & Messias, veraque ejus dogmata.

VERS. 14 ET CONFESTIM OMNIS POPULUS VIDENS JESUM STUPEFACTUS EST, ET EXPAVERUNT] Quod scilicet videret Jesum absentem tam inopinato & opportune adesse, ut discipulos suos contra Scribas tueretur & defenderet. Rursum quod viderent in vultu Jesu paulo ante transfiguratо, reliquos adhuc aliquos splendoris radios; sicut Mosi post Dei colloquium in vultu adhæserunt radii, & quasi cornua lucis, Exodi 34. 29. sequitur: *Et accurrentes salutabant eum*. Ita Franc. Lucas.

VERS. 15 B QUID INTER VOS CONQUIRITIS?] Græce, συζητεῖτε, id est disputatis, altercamini.

VERS. 19 Luc. 9. 42. CONTURBAVIT (Græce, συνάραξεν, id est collisit, laceravit, discerpsit) ILLUM, id est totum ejus corpus convulsit & distorsit; unde explicans subdit: ET ELISUS IN TERRAM, VOLUTABATUR SPUMANS] quia scilicet dæmon hic sentiebat vim Christi, ac mox ab eo se ejiciendum præsentiebat, hinc indignans & frendens energumenum gravissime affligebat & contorquebat.

VERS. 29 PRÆTERGREDIEBANTUR GALILÆAM, NEC VOLEBAT QUEMQUAM SCIRE] ne scilicet a Galilæis eum ejusque beneficia amantibus detineretur, quia festinabat Hierosolymam ad crucem & mortem, de qua etiam secreto loquebatur cum discipulis, ut Patris voluntati satisfaceret, ac genus humanum sua morte redimeret. Ita Maldon. Franc. Lucas & alii.

VERS. 31 Luc. 9. 45. AT ILLI IGNORABANT VERBUM] quo modo scilicet, & qua de causa Christus esset moriturus, ac quomodo hæc ejus de morte sibi instante verba consentirent cum iis, quibus sæpe eis dixerat regnum suum appropinquare; nam alioqui Apostolos intellexisse & credidisse Christum moriturum patet Matth. 17. 23. ubi dicuntur ex hoc Christi de morte sua verbo & oraculo fuisse contristati. Nisi malis eos dici mortem Christi ignorasse, quia de ea hæsitabant & fluctuabant, ob diversa Christi dicta in speciem contraria, ac proinde eos inclinasse potius in partem mitiorem, sibique gratiorem, scilicet, Christum non moriturum: hoc enim ipsi optabant, & verum esse cupiebant: quia *amantes sibi somnia fingunt*: persuadere ergo sibi conabantur verba Christi de morte sua alium habere sensum occultum, esseque mystice accipienda, non ad litteram, uti sonabant.

C

VERS. 37 Luc. 9. 49. RESPONDIT ILLI JOANNES, DICENS: MAGISTER, VIDIMUS QUEMDAM IN NOMINE TUO EJICIENTEM DÆMONIA, QUI NON SEQUITUR NOS, ET PROHIBUIMUS EUM] q. d. Fecimusne bene an male? Quærit hoc Joannes, non ex invidia, ut vult Calvinus; sed ex amore & studio honoris Christi; idque occasione ejus, quod v. 36. dixerat Christus. *Quisquis unum*, &c. *receperit in nomine meo*, q. d. Si te & patrem suscipit, qui parvulum in

D nomine tuo suscipit, quid ergo sentiendum de eo, qui in nomine tuo virtutes, id est miracula, facit, & tamen non sequitur nos, hoc est, non est tui assecla & discipulus, uti nos sumus? *Quia tradiderat*, inquit Cyrill. in Catena Lucæ 9. v. 49. *Salvator potestatem Apostolis, ut spiritus immundos ejicerent, putaverunt nulli alteri, quam sibi solis licere concessam gerere dignitatem*. Sic & Theophyl. Victor, & Titus in c. 9. Lucæ.

Quinam erant ii, qui dæmonia ejiciebant in nomine Christi.

Ubi Nota, hosce qui dæmonia hic ejiciebant in nomine Christi, nec tamen eum sequebantur fuisse fideles, sed imperfectos, utpote abhorrentes ab aspera paupertate & rerum suarum abdicatione (quam fecerant Apostoli) ac sequela Christi ad Evangelicos labores, persecutiones & cruces; habuisse tamen aliquam fidem in Christum, cujus virtute pellebant dæmones, ita S. Ambros. in c. 9. Lucæ vers. 49. idque agente & cooperante eis Christo, ut eo major ostenderetur virtus & gloria Christi, quæ per tam imperfectos & quasi alienos tanta operabatur, ita Theophyl.

Nota Secundo, Apostoli prohibuerunt ipsos non ex odio, sed ex zelo Christi, quasi qui gloriæ Christi ejusque institutioni cap. 3. 15. (ubi Christus solis Apostolis dat potestatem pellendi dæmones) officerent; sed zelus hic fuit indiscretus, præsertim quia temere inconsulto Christo ipsos prohibuerant; idque eis ostendit Christus duplici ratione, Prior est, quam affert v. sequ. Simili modo Josue videns Eldad & Medad prophetantes, voluit eos prohibere, quasi gloriæ Mosis officerent, eo, quod a Mose spiritum prophetiæ non accepissent, sed restituit ei Moses dicens: *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Num. 11. 29. Hic est Spiritus Christi, spiritus Charitatis & Spiritus sancti, qui cor dilatat & nulli invidet, sed bonis omnibus, per quoscumque & quomodocumque fiant congaudet. 1. Cor. 13.

E

VERS. 38 Luc. 9. 50. JESUS AUTEM AIT: NOLITE PROHIBERE EUM: NEMO EST ENIM QUI FACIAT VIRTUTEM IN NOMINE MEO ET POSSIT CITO (græce ταχὺ, id est, ῥᾳδίως, id est facile) MALE LOQUI DE ME] q. d. Nolite eum ab opere bono mihique honorifico impedire, quia etiamsi ipse me non sequatur, tamen idem agit quod vos, scilicet celebrate nomen, illudque per ejectionem dæmonum hominibus prædicare: quare ipse nomini meo non officit, sed potius illud propagat & illustrat.

VERS. 39 Luc. 9. 50. QUI ENIM NON EST ADVERSUM VOS, PRO VOBIS EST] q. d. Hic ideo vobis non adversatur, ut idem agat quod vos: pro vobis ergo stat, vosque adjuvat, non oppugnat. Vide dicta Matth. 12. 30.

F

VERS. 40 Matt. 10. 42. QUISQUIS ENIM POTUM DEDERIT VOBIS CALICEM AQUÆ IN NOMINE MEO, QUIA CHRISTI ESTIS (discipuli assecłæ, & Apostoli) AMEN DICO VOBIS, NON PERDET MERCEDEM SUAM] Est hæc posterior Christi ratio, probans eum non esse prohibendum ab expulsione dæmonum, q. d. Si is, qui vobis dat potum aquæ meo nomine & respectu, bene facit, & mercedem a Deo recipiet: ergo etiam is, qui in nomine meo dæmones pellit. Tam enim hic quam ille mei intuitu & respectu bonum opus operatur, & in proximos beneficus est, sed hic tanto magis, quanto nocentior est dæmon, quem pellit, quam sitis, quæ potu aquæ levatur ab illo. Ita Theophyl. Jansen. & alii.

VERS. 41 Matt. 18. 6. Luc. 17. 2. ET QUISQUIS SCANDALIZAVERIT UNUM EX HIS PUSILLIS CREDENTIBUS IN ME, BONUM EST EI MAGIS SI CIRCUMDARETUR MOLA ASINARIA COLLO EJUS, ET IN MARE MITTERETUR] Est antithesis oppositа versui 36. eo enim redit Christus post quæstionem a Joanne interpositam de eo, qui in nomine Christi dæmones ejiciebat, qua ipse sermonem Christi abruperat, ubi ait Christus: *Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit*, &c. q. d. Sicut qui parvulos in me credentes recipit, fovet & promovet, me recipit, ideoque a me gloria æterna in cælo præmiabitur: sic ex adverso quisquis unum scandalizaverit ex hisce parvulis, me offendit, ideoque a me ad gehennam damnabitur: quare præstaret eum in mare mergi quam parvulum scandalizari, quia præstat mari quam gehenna sorberi.

G

VERS. 42 Matt. c. 5. v. 31. c. 18. v. 8. ET SI SCANDALIZAVERIT TE MANUS TUA, ABSCIDE ILLAM] q. d. Scandalum adeo est pernicioſum, ut non tantum agenti noceat, sed & patienti: quare si a manu tua scandalum pateris, abscide eam. q. d. Si aliquis tibi cognatus vel amicus, qui tibi utilis vel charus est, sicut manus, pes, vel oculus tuus, te scandalizat, & ad peccatum pertrahit, abscinde eum a te tuoque consortio, ne te secum petrahat in gehennam. Vide dicta Matth. 18. v. 6. & seq.

VERS. 43 H UBI VERMIS EORUM NON MORITUR, ET IGNIS NON EXTINGUITUR] Citat Isaiæ cap. 66. v. 24. ubi hæc verba explicui. Damnati enim in gehenna cruciantur horrendis vermibus & ignibus perpetuis. Quocirca tertio Christus hanc sententiam repetit, ut terribiles hosce vermes & ignes nobis inculcet, ut eorum horrore scandalum & peccatum omne fugiamus.

VERS. 48 Igne saliri quid? Resp. Primo. OMNIS ENIM IGNE SALIETUR, ET OMNIS VICTIMA SALE SALIETUR] Primo, Maldonatus & Franc. Lucas ignem gehennæ accipiunt, ut Christus det causam ejus quod proxime dixit: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Causa est, *omnis enim*, scilicet talis qui gehennæ adjudicandus est, *igne* ejusdem *salietur*, id est igne uretur & cruciabitur; sed ita ut eodem igne quasi sale, servetur incorruptus, ad perpetua tormenta; ignis enim erit ei tamquam sal, velut si sale perfrictus sit, ut incorruptus perpetim in ignis cruciatibus perduret: sal enim & urendi & conservandi vim habet: urit & cruciat adustione, acredine sua servat a corruptione, idem facit ignis gehennæ, quare apposite comparatur sali.

ET OMNIS VICTIMA SALE SALIETUR] *Et*, id est, sicut, q. d. Sicut omnis victima Dei solet sale saliri ex lege Levit.

Digitized by Google

A Levit. cap. 2. 13. sic quilibet gehennæ adjudicandus, erit quasi victima justitiæ & vindictæ Dei in perpetuum, ideoque igne inextinguibili velut sale salietur: id est uretur & eruciabitur, ac simul incorruptus in igne perdurabit. Sic impios in tormentis esse victimas vindictæ Dei, docet Isaias c. 34. 6. Ezechiel c. 39. 2. 17. & 19. Jerem. c. 46. 10. impii enim mactantur quasi hostiæ ad Dei justitiam honorandam & celebrandam. Hic sensus valde planus, connexus, & appositus est.

Secunda. Secundo, alii hæc referunt remotius ad ea, quæ Christus v. 42. & seq. dixit de cavendo scandalo, ac propter illud abscindenda manu, pede & oculo. q. d. Ideo abscinde abs te hominem tibi charum & necessarium instar manus, pedis & oculi, si te scandalizet, quia omnis, qui cupit placere Deo, illique se offerre, ac fieri victima spiritualis, necesse est ut igne mortificationis, qua a se hominem charum, sed scandalosum abscindat, & tribulationis idcirco subeundæ, *saliatur*, id est crucietur & purgetur, atque ut quasi Dei victima mystico sale prudentiæ, discretionis & sapientiæ Evangelicæ (quæ docet satius esse abscindere a se manum quam ire in gehennam) *saliatur*, id est condiatur. Alludit, imo citat in sensu mystico Levit. 2. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii sale condies.* Vide ibi dicta. Ita Theoph. hic, ac Theodor. Procopius, Beda, Radulpus, Rupertus in Levit. c. 2. ac Cyrillus l. 15. de Adoratione. Unde sequitur, *Bonum est sal*. Audi Glossam: igne saliri est ob Christi amorem proximos nobis, & dilectos instar manus vel oculi, abnegare. Audi & Bedam: Altare, est electorum cor; hostiæ, bona opera; sed, sapientia. Opponit Christus ignem mortificationis igni gehennæ, sal vero vermi non morienti, q. d. Ut evadatis ignem & vermem gehennæ, quem generat concupiscentia, studete igni mortificationis & sali sapientiæ: hic enim tollet omnem putredinem concupiscentiæ, ex qua vermes nascuntur perennes, igne gehennæ urendi.

Tertio. Tertio, Beda per *ignem* accipit charitatem, vel Spiritum sanctum, ejusque gratiam & donum discretionis, qua nos ad omne bonum dirigit. *Sal*, inquit, *vermis putredinem arcet, quod vero igne salitur, id est ignibus sale aspersis reconditur, non solum vermes abjicit, sed & carnem consumit. Condiendum ergo corpus continentia, & mens sapientia: sal enim est sapientia, ignis Spiritus sancti gratia.*

Quarto. Denique Scholiastes apud S. Hieronymum per salem accipit quoque ignem purgatorium. Audi eum: *Victima Domini est genus humanum, quod hic ratione sapientia salitur, dum corruptio sanguinis custodia putredinis, id est mater vermium consumitur, & illic purgatorio igne examinatur.*

Bonum est sal] q. d. Utile est sal, id est utiles orbi estis vos, o Apostoli a me electi, ut sitis sal terræ, Matth. 5. 13. ut vestra sapientia & doctrina Evangelica quasi sale condiatis omnes gentes. Audi Scholiasten apud S. Hieron. *Bonum est verbum Dei audire, sale sapientiæ cor condire, imo cum Apostolis sal esse, id est aliis sapientiam ministrare.* Et Theophyl. *Conservat sal carnes, sic sermo doctoris non sinit in hominibus carnalibus extinguibilem ignem generari.*

Quod si sal insulsum [græce est elegans paranomasia ἂν δὲ ἅλας, id est sal insalsum, vel sal sine sale)
D fuerit, in quo (quo alio sale) illud condietis?] q. d. Si vos, o Apostoli, qui estis sal terræ, vim hanc salis perdatis, ac fiatis insulsi & insipientes, ut ob amorem vel timorem hominum, ob cupiditatem vel ambitionem, a doctrina mea vitaque Evangelica desciscatis, quis vos pristinæ sapientiæ, vigori & sanctitati restituet? Ludit Christus in voce sal: nam sal Levit. 2. 13. proprie accipitur, hic vero mystice pro sapientia, & metonymice pro Apostolis, qui in se habebant mysticum hoc sal. Audi Scholiasten apud S. Hieron. *Sal insulsum est, qui amat principatum, & qui increpare non audet nec confiteri, diligens gloriam homini magis quam Dei.* Et Theoph. *Sal insulsum est, si virtutem desiccativam & conservativam non habet.* Notat Christus Judam, qui philargyria corruptus, factusque insulsus, & apostolatum perdidit, & Dominum tradere non dubitavit, ait Glossa.

Habete (ergo) in vobis sal sapientiæ, scilicet & vitæ Christianæ, v. g. humilitatem, charitatem, mundi contemptum ac præsertim pacem, ut subdit Christus, dicens: Et pacem habete inter vos] ne ambitiose de primatu inter vos contendatis, uti contenditis v. 33. eo enim respicit Christus: hæc enim contentio futura est scandalosa toti mundo, eaque de causa de scandalo vitando sermonem subjunxit Christus v. 36. & 41. Si vero pacem & mutuam concordiam servetis, ædificationi eritis toti mundo, ac juncti invicem charitatis vinculo eritis insuperabiles, omnesque ad vos & ad Christum trahetis. Unde Interlin. per *pacem* accipit dilectionem. Magnes enim amoris est amor. Hinc Scholiastes apud S. Hier. sic exponit: *Habete in vobis sal*. q. d. Sal correctionis amor proximi temperet, & dilectionem sal justitiæ conservet.

Et pacem habete inter vos] q. d. Qui sapienter loquitur magnopere metuat, ne eloquio ejus unitas rumpatur: nam, ut ait Beda, *habere sal sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum: quo enim melius quisque sapit, eo deterius delinquit*, sunt enim multi, ait Glossa, *quos dum major scientia erigit, ab aliorum societate disjungit; & quo plus sapiunt, eo plus a concordiæ virtute desipiunt.* Et S. Greg. lib. 1. ep. 24. *Per sal*, inquit, *sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas confundatur.*

Denique Glossa sic exponit: *Habete in vobis sal*, id est, discretionem: *Et pacem habete inter vos*. q. d. Per sapientiam & discretionem pax inter homines acquiritur, & pariter conservatur: prudens enim & discretus nil facit, quod alios offendat, & pacem turbet. Idem aliorum infirmitates dissimulat & tolerat, ob quas alii impatientes irascuntur, rixantur & pugnant: quia nihil in mundo amat nisi Deum, unde ad cætera videtur *ἀνάδικος*, & quasi insensibilis.

Audi Climacum gradu 30. *Firmamentum quidem pro ornatu habet stellas; animi vero tranquillitas virtutes. Ego enim ἀνάδειαν, sive tranquillitatem animi, nihil aliud esse existimo, quam mentis in corde cælum, quod omnes improbas dæmonum artes deinceps pro ludo & ludibrio habet.* Addit deinde eamdem esse *palatium supremi regis, ac corporis quasi mortalem quamdam immortalitatem.*

CAPUT X.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus tollit libellum repudii, sancitque primævam matrimonii insolubilis firmitatem. Secundo, v. 13. parvulos ad se advocat & benedicit. Tertio, v. 17. adolescenti diviti salutis avido suadet divitiis abdicatis se pauperem sequi; abnuit ille tristis; unde Christus docet divites difficile salvari. Petrus autem asserens se cum sociis opes abdicasse ut Christum sequeretur, ac præmium poscens; accipit a Christo promissionem centupli & vitæ æternæ. Quarto, v. 32. ait se ascendere Hierosolymam ad crucem & mortem, ac Jacobo & Joanni primas in regno ejus petentibus calicem passionis præpinat, ipsosque & cæteros fugere ambitionem, & sectari humilitatem docet. Denique v. 46. Bartimæo cæco visum restituit.

Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Vers. 1.
Jordanem: & conveniunt iterum turbæ ad eum: & sicut consueverat, iterum docebat illos.

2. Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: si licet viro uxorem dimittere: tentantes eum.

3. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses?

4. Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere.

5. Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.

6. Ab initio autem creaturæ masculum, & fœminam fecit eos Deus.

7. Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit ad uxorem suam:

8. Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem

Digitized by Google

A rem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.

12. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.

13. Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus.

14. Quos cum videret Jeſus, indigne tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnum Dei.

15. Amen dico vobis: Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.

17. Et cum egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magiſter bone, quid faciam ut vitam æternam per-
B cipiam?

18. Jeſus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus Deus.

19. Præcepta noſti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem?

20. At ille reſpondens, ait illi: Magiſter, hæc omnia obſervavi a juventute mea.

21. Jeſus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deeſt: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.

22. Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas poſſeſſiones.

23. Et circumſpiciens Jeſus, ait diſcipulis ſuis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!

24. Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis
C ejus. At Jeſus rurſus reſpondens ait illis: Filioli, quam difficile eſt, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!

25. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſalvus fieri?

27. Et intuens illos Jeſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.

28. Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.

29. Reſpondens Jeſus, ait: Amen dico vobis: nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter evangelium,

30. Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.

D 31. Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

32. Erant autem in via aſcendentes Jeroſolymam; & præcedebat illos Jeſus, & ſtupebant: & ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ eſſent ei eventura.

33. Quia ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & ſenioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus:

34. Et illudent ei, & conſpuent eum & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia die reſurget.

35. Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magiſter, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

36. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?

37. Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus E in gloria tua:

38. Jeſus autem ait eis: Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?

39. At illi dixerunt ei: Poſſumus. Jeſus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini:

40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.

41. Et audientes decem cœperunt indignari de Jacobo & Joanne.

42. Jeſus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum poteſtatem ha- F bent ipſorum.

43. Non ita eſt autem in vobis; ſed quicumque voluerit fieri major, erit veſter miniſter:

44. Et quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.

45. Nam & Filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.

46. Et veniunt Jericho, & proficiſcente eo de Jericho, & diſcipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat juxta viam mendicans.

47. Qui cum audiſſet quia Jeſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere: Jeſu Fili David, miſerere mei.

48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David miſereri mei.

49. Et ſtans Jeſus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Anima æquior eſto: G ſurge, vocat te.

50. Qui projecto veſtimento ſuo exiliens, venit ad eum.

51. Et reſpondens Jeſus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam.

52. Jeſus autem ait illi: Vade, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.

JESUS AUTEM INTUITUS EUM, (vultu ſuavi, benigno & blando,) DILEXIT EUM] puta ſigna dilectionis illi oſtendit v. 18. manum ejus apprehendens, illi innuens & arridens, illum amplexans & exoſculans. VERS. 21 *Mar.* 19. 21. *Luc.* 18. 22.

ET DIXIT EI: UNUM TIBI DEEST] Arabicus interſerit: *Et dixit ei: Viſne fieri perfectus? unum deeſt tibi*, &c. ſcilicet ad perfectionem vitæ ſanctæ & Evangelicæ.

SEQUERE ME] Græca addunt. *Tollens crucem tuam.* Unde Syrus, *& accipe crucem tuam, & veni poſt me*; Arabicus, *veni ſequere me, & porta crucem.* H

FILIOLI] Syrus *filii mei*. Blanda compellatione mollit rei difficultatem, velut qui eos ut filios chariſſimos amet, ac ut talibus veritatem ſincere dicat, & divitias velut ſalutis obices abdicare ſuadeat. VERS. 24

CONFIDENTES IN PECUNIIS] Divites enim confidunt in ſuis divitiis potius quam in Deo: juxta illud: *Subſtantia divitis urbs fortitudinis ejus*; Proverb. 10. 15. ideoque difficile ſalvantur, quia ſalus non niſi a Deo obvenit: quare ſalvari volentes in Deum ſperent, ab eoque ſalutem poſtulent & expectent oportet, uti faciunt pauperes, qui cum non habeant divitias in quibus confidant, omnem ſpem ſuam in Deo collocare coguntur, juxta illud Pſ. 13. 6. *Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes ejus eſt*. Divites ergo ſi ſalvari volunt, ſpem, cor & amorem ſuum avocent a divitiis, illumque in Deum transferant.

QUI NON ACCIPIAT CENTIES TANTUM, NUNC IN TEMPORE HOC, DOMOS, ET FRATRES, &C. CUM PERSECUTIONIBUS] Centuplum hoc expoſui Matth. cap. 19. v. 29. Addit Marcus illud reddendum *cum perſecutionibus*; Arabicus, *in tribulationibus*, q. d. Eſto fidelis; qui amo- VERS. 30 *Mar.* 19. 29. *Luc.* 18. 30.

Digitized by Google

A amore Christi sui & suos reliquit, in mediis versetur persecutionibus, & undequaque eis valletur, tamen non deerunt ei certum, id est plurimi, qui ei succurrant, eumque foveant ut fratres, & patres & matres. Ita S. Hier. Beda, Franc. Lucas, Emman. Sa, Vatabl.

Addit hoc, tum quia in persecutionibus maxime fidelis eget ope & auxilio aliorum, tum quia hoc mirum est & rarum, ut in persecutione, quando homo solet destitui auxiliis & amicis, cumque omnes metuentes periculum, ab eo se subducunt; sequaces tamen Christi contrarium plane experiantur, & centum, id est plurimos, inveniunt qui illis opitulentur.

Rursum potest *cum persecutionibus*, sic accipi, quasi persecutiones & tribulationes obitæ vel obeundæ pro Christo, sint pars mercedis dandæ sequentibus Christum una cum centuplo. Magnum enim Dei donum est pati pro Christo, uti docet Apostolus Philip. 2. v. 19. Ita Jansen. Emman. Sa, & alii.

VERS. 32 ERANT AUTEM IN VIA (ex Jericho) ASCENDENTES HIEROSOLYMAM ad instantem Christo crucem & mortem, uti prædixerat Christus, ET PRÆCEDEBAT ILLOS] alacer, præbens se viæ ducem Apostolis timidis, qui abhorrebant ab Hierosolyma eo quod scirent Jesum ibidem a primoribus quæri ad necem, imo illam ipsi decretam esse a magno concilio Sanedrim, Joann. 11. 53. Unde sequitur.

Matth. 20. 17. Luc. 18. 31.

B

ET STUPEBANT, ET SEQUENTES TIMEBANT] id est timide sequebantur Jesum. Arabic. *& ipsi attoniti sequebantur eum timentes*, græce, ἐθαμβοῦντο, id est, ex ingenti metu & pavore stupebant. Causa pavoris, indeque stuporis erat, ait Beda, instans mortis periculum: stupebant enim quod Christus animo tam alacri & resoluto, se suosque in apertum necis discrimen conjiceret, timebant enim ne ipsi cum Christo paterentur & occiderentur.

VERS. 38 AUT BAPTISMO, QUO EGO BAPTIZOR, BAPTIZARI] *Baptismum* Christus vocat passionem suam, quia in illam plane erat immergendus & demergendus, juxta illud Davidis de se, multo magis de Christo. Ps. 68. v. 1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ* (tribulationum) *usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia* (locus in quo substem) *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* Vide dicta Matth. 20. 22.

Matt. 20. v. 22. 23.

C

VERS. 42 SCITIS QUIA HI QUI VIDENTUR PRINCIPARI GENTIBUS, DOMINANTUR EIS] Græce, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, id est dominantur in eas, vel contra eas. Pro *qui videntur*, græce est, οἱ δοκοῦντες, id est, qui sibi placent, gaudentque imperare & dominari. Nulli enim imperiosius & durius regunt, quam illi, qui regimine & imperio delectantur. Unde Arabicus vertit, *qui putant se esse principes populorum, sunt domini eorum*, id est, dominationem quasi tyrannicam in eos exercent.

Matt. 20. 25.

VERS. 46 FILIUS TIMÆI BARTIMÆUS] Syrus, *Timæus filius Timei*, Arabicus, *Bartimæus filius Timei*. Cæcus ergo hic vocatur quasi nomine proprio *Bartimæus*, id est, filius Timæi, sicut Bartholomæus idem est quod filius Tholomæi, Matth. 10. v. 3. Idem a parte dictus est *Timæus*. Sic *Timæus* dictus est Philosophus ille Pythagoricus qui vitam Pythagoræ scripsit, cujus nomine Plato scripsit dialogum, quem Timæum indigitavit, quia in eo tractat de natura & rerum universitate, ejusque partibus, præsertim de homine, in qua materia Timæus ille Pythagoricus erat versatissimus. Unde eum in dialogo hoc interloquentem inducit Plato.

Matth. 20. v. 29. 30. Luc. 18. 35.

D

Bartimæi triplex etymon.

Porro *Bartimæus*, Pagnin. in Nomin. Hebraicis tripliciter interpretatur. Primo, ex S. Hieronymo, *ut Bartimæus* sit idem quod filius cæcus, aut cæcitatis, ut sit nomen Syrum, sed corruptum, quod proprie dici deberet *Barsemia*, aut *Barsameus*: *bar* enim est filius, *Semaia* cæcitas.

Secundo, ut idem sit quod filius honoris, ut sit compositum constatumque ex Syro *bar*, id est filius, & Græco τιμὴ, id est honor; inde philosophus ille Pythagoricus dictus est Timæus, id est honorandus, ob scientiam. Sic cæcus hic sequens Christum, ipsi fuit honori & laudi.

Tertio, ut sit idem quod filius admirantis, aut frumentum admirabile, vel puritas admirabilis; hanc enim hic cæcus adeptus est a Christo: quia illuminatus in corpore, magis illuminatus est in mente: *bar* enim est filius, vel far & frumentum, vel puritas: *tamah* est admirari.

VERS. 52 ET SEQUEBATUR EUM IN VIA] Moral. Glossa: Consideremus, ait, qua via graditur, & sequamur per humiliatem & labores. *Via*, quæ dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Hæc est via angusta, quæ ducit ad ardua Hierosolymæ & Bethaniæ, ad montem Olivarum, qui est mons luminis & consolationis, imo ad Sion & Jerusalem cælestem. Cæcus ergo videt & sequitur, quia qui Christi vitam probe intelligit, eam opere sequi & imitari debet.

Matt. 20. 34. Luc. 18. v. 42. 43.

E

CAPUT XI.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus asina vectus cum palmis Jerusalem, quasi Messias rex & triumphator ingreditur. Secundo, v. 13. ficui ficubus carenti maledicit: unde ipsa exaruit. Tertio, v. 15. ementes & vendentes e templo exturbat. Quarto, v. 22. hortatur ad magnam in Deum fidem, quod illa ab eo omnia impetret. Quinto, vers. 27. Scribis rogantibus in qua potestate hæc faciat, os claudit, vicissim interrogando eos, in qua potestate Joannes Baptista baptizarit & prædicaris.

ET cum appropinquarent Jerosolymæ & Bethaniæ ad montem Olivarum, mittit duos VERS. 1 ex discipulis suis,

F

2. Et ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite.

3. Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc.

4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio: & solvunt eum.

5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum?

6. Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis.

7. Et duxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.

8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via.

G

9. Et qui præibant, & qui sequabantur, clamabant, dicentes: Hosanna:

10. Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis.

11. Et introivit Jerosolymam in templum: & circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

12. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit.

13. Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.

H

14. Et respondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.

15. Et veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in templo: & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.

16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum:

17. Et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18. Quo audito principes sacerdotum, & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.

19. Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate.

20. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus.

21. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.

22. Et

Digitized by Google

22. Et respondens Jesus ait illis: Habete fidem Dei.

23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare; & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.

25. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem: ut & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.

26. Quod si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.

27. Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & scribæ, & seniores:

28. & dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem, ut hæc facias?

29. Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis in qua potestate hæc faciam.

30. Baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi.

31. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus, de cælo, dicet: Quare ergo non credidistis ei?

32. Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum. Omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset.

33. Et respondentes dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

VERS. 10 BENEDICTUM QUOD VENIT REGNUM PATRIS NOSTRI DAVID] q. d. Ex Dei benedictione, & beneficentia *benedictum*, id est, felix, faustum, florens, firmum, auctum, bonisque omnibus cumulatum sit, *regnum Patris nostri David*, id est regnum Israel, quod sub Davide & Salomone ejus filio fuit amplissimum, florentissimum & fælicissimum, *quod* in captivitate Babylonica, & deinceps collapsum jam *venit*, id est redit, & restauratur a nostro hoc Messia Davidis filio, qui illud pristino flori, decori & robori restituet, imo longe florentius, pulchrius & robustius efficiet. *Matt. 29. 9*

ET NON SINEBAT UT QUISQUAM TRANSFERRET VAS VERS. 16 PER TEMPLUM] *Vas*, scilicet utensile instrumentum, vel suppellectilem ad usus profanos, v. g. sportam, cacabum, lagenam, sarcinam, &c. *Transferret per templum*, id est, per extimum templi atrium, quod erat Gentium, in quo scilicet Gentiles degere, & orare poterant, & solebant. Nam illis, quibus ex foro pecuario, dicto *Bethesda*, corrupte *Bethsaida*, transeundum erat in superiorem urbem, vel in regiam Salomonis, compendiosissima erat via per hoc atrium & porticum Salomonis: alioqui enim totum hoc atrium exterius circuire debebant. Quare mirum non est si ancillæ, servi, pueri, re aliqua onusti, compendiariam hanc viam per atrium ingressi, longiorem extra atrium fugerent. Christus vero eos inhibuit, & voce jubendo, ac manu eos sistendo, & redire cogendo. Quid ergo de sancto ipso, quid de templo nostro feciisset? Vide Vilalpand. tom. 2. in Ezech. l. 3. c. 9.

VERS. 22 HABETE FIDEM DEI] id est, fidem in Deum, plenam, perfectam, ardentem & efficacem, similem grano sinapis. Vide dicta Matth. c. 21. v. 21. *Matt. 21. 21.*

CAPUT XII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus objicit Scribis parabolam vinitorum, filium sui heri, qui erat dominus vineæ, occidentium vineamque sibi arrogantium. Secundo, v. 13. Herodianis quærentibus, an liceat Judæis tributum dare Cæsari? respondet: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Tertio, v. 18. Sadducæis probat resurrectionem. Quarto, v. 28. docet maximum mandatum esse de diligendo Deo ex toto corde. Quinto, v. 35. rogat quomodo David Christum filium suum vocet Dominum? Sexto, v. 38. monet, ut vitent fastum & avaritiam Scribarum. Denique, v. 41. docet viduam dantem templo duo minuta, plus ceteris dedisse.

ET cœpit illis in parabolis loqui: Vineam pastinavit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est. VERS. 41

2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

3. Qui apprehensum eum cæciderunt, & dimiserunt vacuum.

4. Et iterum misit ad illos alium servum: & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.

5. Et rursum alium misit, & illum occiderunt: & plures alios: quosdam cædentes, alios vero occidentes.

6. Adhuc ergo unum habens filium charissimum: & illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum.

7. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est hæres: venite, occidamus eum: & nostra erit hæreditas.

8. Et apprehendentes eum, occiderunt, & ejecerunt extra vineam.

9. Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam aliis.

10. Nec scripturam hanc legistis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:

11. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?

12. Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam. Cognoverant enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abjerunt.

13. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut eum caperent in verbo.

14. Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces: licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?

15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.

16. At illi attulerunt. Et ait illis: Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris:

17. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

18. Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, & interrogabant eum, dicentes:

19. Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater moruus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & suscitet semen fratri suo.

20. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est non relicto semine.

21. Et secundus accepit eam, & mortuus est: & nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

22. Et acceperunt eam similiter septem: & non

Digitized by Google

non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est & mulier.

23. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem.

24. Et respondens Jesus, ait illis; Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?

25. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælis.

26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob?

27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

28. Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.

29. Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est:

30. & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.

31. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est.

32. Et ait illi Scriba: Bene Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum.

33. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis.

34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David?

36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit.

38. Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro,

39. & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis:

40. qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium.

41. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa.

42. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.

43. Et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.

44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum.

VERS. 1 *Mat. 21. 33 Luc. 20. 9.* VINEAM PASTINAVIT] Græce ἐφύτευσεν, id est, *plantavit*, ut vertit interpres Matth. 21. 33. *Pastinare* proprie tribuitur vitibus, idemque est quod agrum vineæ fodere, ut vites inserantur. Unde *repastinare* vineæ fodere, ut vites inserantur. Unde *repastinare* vites idem est, quod illas cum steriluerunt refodere. Modum pastinandi tradit Columella lib. 3. c. 13.

ET FODIT LACUM] Lacunam, in quam mustum ex uvis in torculari expressum defluit. Unde græce est ὑπολήνιον, id est, *subtorculare*: ληνὸς enim est *torcular*. Hinc Arabicus, vertit, *& fodit in ea torcular*; & sic habet Matth. c. 21. 33. ubi per *torcular* non solum prælum, quo uvæ premuntur ut liquor exprimatur, sed etiam ipsum vas, sive lacuna prælo subjecta, qua liquor pressus excipitur, significatur: hæc enim proprie fodi, vel, ut habet Isaias c. 5. 1. exscindi dicitur.

VERS. 14 *Matt. 22. v. 16. 17. Luc. 20. 21. 22.* LICET DARI TRIBUTUM CÆSARI AN NON DABIMUS? DABIMUS?] Hoc est, an suades nobis ut non demus? Rogant hoc modo: ut cum gravius accusent, quod non tantum negati Cæsari vectigalis fuerit concessor sive permissor, sed & suasor. Græca & Syrus habent, *licet censum Cæsari dare, an non? demus, an nos demus?* id est, dare debemus, an non dare? Arab. *doce nos an liceat nobis tributum dare Cæsari, an non dabimus?*

VERS. 33 F ET DILIGERE PROXIMUM TAMQUAM SEIPSUM, MAJUS EST OMNIBUS HOLOCAUTOMATIBUS] id est holocaustis, in quibus tota victima Deo cremabatur, & per ignem sacrificabatur. Hoc est, quod ait Deus; *Misericordiam volo, & non sacrificium, & scientia Dei, plusquam holocausta*, Osee 6. 6. Vide ibi dicta. Tacite hic adolescens assentiens sententiæ Christi taxat Scribas, qui sacrificia in suum lucrum cedentia præferebant misericordiæ & dilectioni proximorum, ideoque filiis jubebant ut parentibus egentibus dicerent, *corban*, id est, oblatio. q. d. Rem tibi dandam o pater, novi & obtuli Deo, quare illi danda est, non tibi, Matth. 15. 6.

VERS. 34 *Mat. 22. 46 Luc. 20. 40.* NON ES LONGE A REGNO DEI] non longe abes a via salutis: per dilectionem enim Dei, & proximi itur in cælum. Rursum non longe es ab Ecclesia mea, per quam hic militantem itur ad triumphantem in cælis. Sed adhuc tibi deest fides, ut credas in me quasi Messiam mundi salvatorem, meisque præceptis obedias, ut scilicet fias Christianus: ac si vis esse perfectus, relictis omnibus, sequaris me, uti fecerunt Apostoli. Dicens ergo, *Non es longe, distantem adhuc ostendit*, ut ad anteriora contenderet, *& qua adhuc ipsi deerant studiose inquireret*, inquit Victor. Antioch.

G

VERS. 38 *Mat. 23. 7. Luc. 11. v. 43. & 20. v. 46.* IN STOLIS AMBULARE] Stola orat vestis elegans, polita, & ad talos demissa: unde Scribæ illa ad pompam utebantur. *Nolite*, ait Victor. Antioch. *eos æmulari, neque oculis in externam illorum speciem conjectis, felices fortunatosque illos prædicetis. Sunt hæc omnia idonea superbæ cujusdam ostentationis instrumenta, humanæque laudis aucupia, quæ inutilis honoris præmium apud homines ferant.*

VERS. 40 *Luc. 20. 47.* QUI DEVORANT (græce, οἱ κατεσθίοντες, id est, qui plane, & omnino absumunt, & abliguriunt) DOMOS VIDUARUM] tum per lauta convivia, quæ ab illis postulant, tum potius per dona, & opes, quas ab eis per avaritiam extorquent prætextu orationis pro ipsis faciendæ. *Cum itaque*, ait Beda, *porrecta manus pauperi, precem juvare soleat; hi ut nummum tollant pauperi, in prece pernoctant.*

H HI ACCIPIENT PROLIXIUS JUDICIUM] q. d. Scribis hisce incumbet severior Dei in die judicii sententia, & gravior condemnatio, tum quia simulatione probitatis ad improbitatem tendunt, ac Dei vestibus amicti diabolo militant: *Simulata enim sanctitas duplex est iniquitas*, ait S. Chrysost. hom. 74. in Matthæum; tum quia Scribæ avaritiam suam pro pietate venditabant, eamque religionis colore depinxerunt, ait Auctor imperfecti in Matth. cap. 23. 6.

VERS. 41 *Luc. 21. 1.* QUOMODO TURBA JACTARET ÆS] id est, pecuniam quamlibet sive æream, sive auream, sive argenteam: quia enim prima pecunia fuit ærea, hinc hominis illa deinceps vocata est æs, etiamsi sit ex auro vel argento.

Gazophylacium quid? IN GOZOPHYLACIUM] Erat arca, in quam donaria a populo conjiciebantur, & custodiebantur ad usus templi, & ad alendos sacerdotes, & pauperes: *gaza* enim Persice significat divitias: γαζοφυλάκιον significat custodire. Hinc etiam porticus, in qua illa servabantur, eodem nomine vocatur: Unde dicitur Joan. 8. 20. *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo*, ita Beda.

VERS. 43 *Luc. 21. 2.* VIDUA UNA PAUPER MISIT DUO MINUTA, QUOD EST QUADRANS] Non quasi unum minutum sit quadrans, ut

A ut vult Euthymius nixus Matt. 5. 26. sed quod duo minuta essent unus quadrans, ut clare hic dicitur. Quadrans erat quarta pars parvi assis, id est, bajoci: decem enim asses parvi, puta decem bajoci, faciebant denarium, id est regalem Hispanicum, sive Julium Italicum; quadrans ergo erat unus quattrinus cum $\frac{2}{4}$ nam 5. quattrini faciunt bajocum, ac consequenter minutum erat dimidius quattrinus cum $\frac{1}{5}$ quattrini. Belgice quadrans erat quod vulgus ibidem vocat *een negemanneken*, cujus proinde dimidium erat unum minutum, vulgo *een myte* cum $\frac{1}{2}$ quod minimum & vilissimum est oboli pretium. Vide ibi dicta Matth. 5. 26.

Minuta duo quid?

Quadrans quid?

Minus recte Beda per quadrantem accipit quartam partem sicli, id est, unum Julium vel Regalem: siclus enim appendebat 4. Julios.

VERS. 43 VIDUA HÆC PAUPER PLUS OMNIBUS MISIT] Licet enim per se, & cæteris paribus, eleemosyna vel oblatio major & melior sit illa, quæ plus dat & offert; tamen per accidens si cætera non sint paria: major eleemosyna, & oblatio est, quæ majori affectu charitatis & religionis sive pietatis, datur vel offertur; Deus enim non tam pensat donum, quam donantis affectum. Rursum major est ea, non quæ in se majoris est valoris & pretii, sed quæ major, & difficilior est respectu dantis: vidua ergo hæc dans quadrantem, plus omnibus dedit, quia totum quod habebat dedit, licet sibi ad vitam necessarium; plus datura si plus habuisset, confisa in Domino, quod ipse vicissim in se liberalem esset liberalior, ac necessitati suæ deinceps provideret, juxta illud: *Da Deo ovum, ut recipias ovem*: cæteri vero dabant superflua, quibus abundabant, ut ait hic Christus: nam ut ait Titus Bostrensis in Lucæ 21. v. 3. *Ea magnanimitate & devotione duos obolos, hoc est omnia quæ habebat obtulit, ac si vitam propriam pro nihilo duceret*. Causam a priori dat Paulus 2. Cor. 8. 12. dicens: *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet*. Et Vict. Antioch. hic: *Neque enim Deus*, ait, *tam munerum magnitudinem considerat, quam animi alacritatem & magnitudinem ponderat*. Et Beda: *Non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat; nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur*.

Luc. 21. 3.

B

Nam, ut inquit D. Thomas 2. 2. qu. 32. art. 4. ad 3. quia vidua plus dedit secundum suam proportionem, inde pensatur in ipsa major charitatis affectus. Idemque sensit Ambr. lib. 2. Offic. c. 30. dicens: *Duo erat viduæ illius divitum muneribus prætulit, quia totum illa quod habebat contulit; illi autem ex abundanti partem exiguam contulerunt*. Unde infert: *Affectus igitur divitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit*. Idem sensit libro de Viduis, ante med. dicens: *Uberior est nummus e parvo, quam thesaurus e maximo, quia non quantum datur, sed quantum resideat expenditur*. Unde inferius colligit: *Non ergo quod fastidio expuas, sed quantum devotione conferas æstimandum est*.

C

CAPUT XIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

D *CHristus dat signa prævia excidio urbis (Hierosolymæ) & orbis: urbis, abominationem desolationis, vers. 14. orbis, prædicationem Evangelii per totum orbem, vers. 10. ac solis & lunæ obscurationem, ac casum stellarum de cælo, vers. 24. Denique v. 32. docet diem hunc esse omnibus incognitum, ideoque singulos vigilare, & ad illum assidue se comparare debere.*

VERS. 1 ET cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister: aspice quales lapides, & quales structuræ.

2. Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum seorsum Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas:

4. Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari?

E

5. Et respondens Jesus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos seducat:

6. multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & multos seducent.

7. Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: sed nondum finis.

8. Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.

9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, & synagogis vapulabitis, & ante præsides, & reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10. Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium.

11. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. Non enim vos

F

estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit:

14. Cum autem videritis abominationem desolationis stantem, ubi non debet, qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes:

15. & qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua:

16. & qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

17. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

18. Orate vero ut hyeme non fiant.

19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc, neque

G

fient.

20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

21. Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis.

22. Exurgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa, & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.

24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum:

25. & stellæ cæli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cælis sunt, movebuntur.

26. Et tunc videbunt Filium hominis venientes in nubibus cum virtute multa, & gloria.

H

27. Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cæli.

28. A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia cognoscitis quia in proximo sit æstas:

29. sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.

30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.

31. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

32. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.

Digitized by Google

A 33. Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.

34. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, & janitori præcepit ut vigilet.

35. Vigilate ergo, (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane)

36. ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.

37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

VERS. 1 Luc. 21. 5. QUALES STRUCTURÆ] quam magnifica fuerit templi & columnarum ejus structura, vide apud Josephum, lib. 15. Antiq. c. 14. & Bedam, Riberam ac Vialpandum de Templo.

B DICENTES, QUIA (quod) EGO SUM] scilicet Messias sive Christus, ut habet Matth. c. 24. 5.

VERS. 6 Matt. 24. 5. Luc. 21. 8. NOLITE PRÆCOGITARE QUID LOQUAMINI] Græce μὴ προμεριμνᾶτε, id est, ne præanxiemini, ne ante solliciti, & anxii sitis, ne anxie præcogitetis. Græca, &

VERS. 11 Matth. 10. v. 19. 20. Luc. 12. v. 11. 12. Syrus addunt: *Neque meditemini*, qua arte, modo, concinnitate, ratione loquamini, & respondeatis præsidibus, & tyrannis, *sed quod datum* (suggestum a Spiritu sancto) *vobis fuerit in illa hora, id loquamini*; Arabic. *quoniam vos donabimini in illa hora eo quod loquemini*; Spiritus sanctus enim vobis suggeret, & animos, & libertatem, & rationes & modos dicendi, quibus nemo resistere, aut contradicere valeat.

VERS. 32 Matth. 24. 36. DE DIE AUTEM ILLO VEL HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI IN CÆLO, NEQUE FILIUS NISI PATER] Quomodo hoc intelligendum sit, explicui Matthæi 24. 36.

CAPUT XIV.

C SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Magdalena unguentum pretiosum effundit in caput Christi, unde murmurans Judas, de Christo vendendo cum Judæis pontificibus pacisci tur. Secundum vers. 12. Christus celebrat convivium agni paschalis, in eoque Eucharistiam instituit, ac Apostolos eadem nocte scandalizandos, & fugituros, Petrum vero ter se negaturum prædicit. Tertio, vers. 32. in horto ter orat, capitur, fugientibus Apostolis, solus ligatur, & ducitur ad Caipham, ibique falso accusatur, reus mortis judicatur, conspuitur, colaphizatur, & a Petro ter negatur.

VERS. 1 ERat autem Pascha & Azyma post biduum: & quærebant summi sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.

2. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

3. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ejus.

D 4. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est?

5. Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam quam trecentis denariis, & dari pauperibus, & fremebant in eam.

6. Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me:

7. semper enim pauperes habetis vobiscum: & cum volueritis, potestis illis benefacere; me autem non semper habetis.

8. Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam. E

9. Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

10. Et Judas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.

11. Qui audientes gavisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune, traderet.

12. Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha?

13. Et mittit duos es discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum:

14. & quocumque introjerit, dicite domino domus quia magister dicit: ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? F

15. Et ipse vobis demonstrabit cenaculum grande stratum: & illic parate nobis.

16. Et abierunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt sicut dixerat illis, & paraverunt Pascha.

17. Vespere autem facto, venit cum duodecim.

18. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait JESUS: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

19. At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: Numquid ego?

20. Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

21. Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem Filius hominiis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille. G

22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum.

23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes.

24. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur,

25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.

26. Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum.

27. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergerunt oves.

28. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

29. Petrus autem ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.

30. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. H

31. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

32. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem.

33. Et assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum: & cœpit pavere, & tædere.

34. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate.

35. Et cum processisset paululum, procidit super terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora:

36. & dixit: Abba pater, omnia tibi possi-

bilia

Digitized by Google

A bilia ſunt, transfer calicem hunc a me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu.

37. Et venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuiſti una hora vigilare?

38. Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro vero infirma.

39. Et iterum abiens oravit, eumdem ſermonem, dicens.

40. Et reverſus, denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant quid reſponderent ei.

41. Et venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requieſcite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus ecce qui me tradet, prope eſt.

B 43. Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes, unus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladiis, & lignis, a ſummis ſacerdotibus, & Scribis & ſenioribus.

44. Dederat autem traditor ejus ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum, & ducite caute.

45. Et cum veniſſet, ſtatim accedens ad eum ait: Ave Rabbi: & oſculatus eſt eum.

46. At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum.

47. Unus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, percuſſit ſervum ſummi ſacerdotis: & amputavit illi auriculam.

48. Et reſpondens Jeſus: ait illis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & lignis comprehendere me?

49. quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis. Sed ut impleantur Scripturæ.

C 50. Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

51. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum.

52. At ille rejecta ſindone, nudus profugit ab eis.

53. Et adduxerunt Jeſum ad ſummum ſacerdotem: & convenerunt omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores.

54. Petrus autem a longe ſecutus eſt eum uſque intro in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.

55. Summi vero ſacerdotes, & omne concilium quærebant adverſus Jeſum teſtimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant.

56. Multi enim teſtimonium falſum dicebant adverſus eum: & convenientia teſtimonium non erant.

57. Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium
D ferebant adverſus eum, dicentes:

58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.

59. Et non erat conveniens teſtimonium illorum.

60. Et exurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?

61. Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummum ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?

62. Jeſus autem dixit illi: Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. E

63. Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes?

64. Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis.

65. Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & miniſtri alapis eum cædebant.

66. Et cum eſſet Petrus in atrio deorſum, venit una ex ancillis ſummi ſacerdotis:

67. & cum vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Jeſu Nazareno eras.

68. At ille negavit, dicens: Neque ſcio; neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit.

69. Rurſus autem cum vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt. F

70. At ille iterum negavit. Et poſt puſillum rurſus qui aſtabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es.

71. Ille autem cœpit anathematizare, & jurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis.

72. Et ſtatim gallus iterum cantavit: Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Jeſus: Priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

MULIER HABENS ALABASTRUM UNGUENTI NARDI SPICATI] *Nardus*, ait Plinius, lib. 12. cap. 12. frutex eſt gravi, & craſſa radice, ſed brevi & nigra, fragilique, quamvis pingui, ficum redolente, ut cyperi, aſpero ſapore, folio parvo denſoque: cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina dote nardi ſpicas ac folia celebrant. Unde ex nardi foliis fit unguentum, quod foliatum dicitur, & ex ſpicis quod ſpicatum nuncupatur; ſed ſpicatum foliato eſt præſtantius, quia plus habet ſubſtantiæ, & medullæ, quod Galenus, & ex eo pharmacopœi nardiſpicam nuncupant. Hinc Beda: *Nardus*, ait, *eſt frutex aromaticus, redolet ut cupreſſus*, &c. VERS. 3 *Matt.* 26 *v.* 6. 7. *Joan.* 12 *v.* 1. 2. 3 G

Pro *ſpicati* Syrus habet, *capitalis*, id eſt primarii, præſtantis, principalis: ſpicatum enim præſtat foliato, ut dixi; Græce eſt νάρδου πιστικῆς, quod Interpres Joannes, cap. 12. verſ. 3. vertit, *piſtici*: *piſtici* ergo idem eſt quod *ſpicati*, ut ibi oſtendam. Unde Arabicus ibidem vertit, *optimi*.

TRECENTIS DENARIIS] Denarius eſt Julius Romanus, vel Regalis Hiſpanicus. Trecenti ergo denarii faciunt 30. aureos Romanos, qui 75. florenis Belgicis æquivalent. Unde miſer, & impius Judas Chriſtum vendidit 30. argenteis, ut pro 30. aureis, quos in hoc unguento effuſo in Chriſtum perdiderat, 30. argenteos, id eſt ſeptem cum dimidio florenos Brabanticos, ſive Belgicos, Chriſtum vendendo reciperet. Liberator ergo fuit Magdalena in Chriſto ungendo, quam Judas in prodendo. Vide hic quam vilis, & ſordida ſit avaritia. Quocirca Victor Anthioc. *Cum diſcipuli*, inquit, *unguentum illud plus trecentis denariis divendi potuiſſe afferunt, quantum mulier illa in unguentum illud inſumpſerat, quantumque ex conſequenti animi alacritatem & pietatem erga Chriſtum declararit, nobis divinandum relinquunt*. VERS. 5 *Matt.* 20 *v.* 8. *Joan.* 12. 4 H

IN SEPULTURAM] Syrus, *tamquam in ſepulturam*: Arab. *ad ſepeliendum me*. VERS. 8 *Matth.* 26 *Joan.* 12 7.

GAVISI SUNT] *Non ſolum quia ipſum ſine tumultu comprehenſuri erant opportune a Juda traditum, ſed etiam quia a ſuis diſcipulis odio haberi inciperet*, ait Euthymius. VERS. 11 *Matt.* 26. *v.* 15. 16. *Luc.* 22. 6.

OCCURRET VOBIS] *Majeſtatem divinitatis adverte*, ait S. Ambroſ. in Lucæ cap. 22. v. 8. *cum diſcipulis loquitur, & jam novit, quid alibi ſit futurum*. VERS. 13 *Matt.* 26. *v.* 18. *Luc.* 22, *v.* 8. 10.

UBI EST REFECTIO MEA?] Id eſt locus refectionis meæ, ſive refectorium meum, in quod cum diſcipulis reficiar? & agno paſcar. Græce κατάλυμα, id eſt *diverſorium*, VERS. 14 *Matt.* 26. *v.* 18. *Luc.* 22. *v.* 10. 11.

Digitized by Google

A Syrus, *domus habitationis*; Arabicus *locus, in quo manducem pascha*.

STRATUM] Instructum mensis, lectulis, sive toris, VERS. 15 & tapetibus, frondibus insuper, & floribus decoratum, Luc. 22. v. 12. omnique suppellectile & ornatu ad celebrandum pascha apparatum, ut nil desit nisi agni assatio, & comestio. Græca, Syrus & Arabicus addunt ἕτοιμον, id est *paratum*. Deus enim hanc mentem sternendi cœnaculum hero domus indiderat in gratiam Christi, ut ipse locum ad pascha celebrandum plane adornatum inveniret, ne moras pateretur instante vespera, qua assandus, & comedendus erat agnus, cæteraque a Christo peragenda.

VERS. 18 UNUS EX VOBIS TRADET ME] Syrus, *unus ex vobis* Mat. 26. v. 21. *comedens mecum, ipse prodet me*.

GRATIAS AGENS] Syrus, *gratias egit & benedixit*. Luc. 22. 20. Jo. 13. 21. ET BIBERUNT EX ILLO OMNES] scilicet postquam VERS. 23 Christus calicem consecravit, dicens: *Hic est sanguis meus* ut sequitur. Est ergo hic prolepsis, sive anticipatio, qua utitur Marcus, ut ostendat discipulos implesse præceptum Christi, quod jusserat, dicens: *Bibite ex* Mat. 26. v. 27. *eo omnes*, ut habet Matth. c. 26. 28. Luc. 22. v. 20.

B COEPIT PAVERE ET TÆDERE] Græce, ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, id est, *expavescere & angi*; Arabicus, VERS. 33 *contristari & pavere*. Mat. 26. v. 37.

ABBA PATER] Græce, ἀββᾶ ὁ πατὴρ, ubi πατὴρ est VERS. 36 nominativus, ut Marcus interpretetur nomen *Abba* Syriacum per Græcum πατὴρ. q. d. Abba, quod græce dicitur πατὴρ: aut potius nominativus ὁ πατὴρ accipitur pro Mat. 26. v. 39. vocativo ὦ πάτερ. Blandientis enim affectu ex intimo Luc. 22. v. 24. cordis sensu Christus geminavit vocem *Abba*, id est pater. Unde Syrus habet, *abba, abi*, id est, *pater, pater mi*; Arabicus, *o pater*. Imo S. Aug. lib. 3. de Consensu Evang. c. 4. censet Christum hic syriace simul & græce locutum, ac præcise dixisse ἀββᾶ ὁ πατὴρ, ut habet Marcus. Sic enim Apostolus ait: *In quo clamamus, Abba pater*, Rom. 8. 15. Galat. 4. 6. *Credendum est*, ait Aug. *Dominum dixisse, Abba pater, ad insinuandum sacramentum Ecclesiæ suæ, ex Judæis & Gentibus congregandæ*. Et Scholiastes apud S. Hier. *Hebraice*, inquit, *& græce loquitur, quia non est distinctio Judæi & Græci*.

SPIRITUS QUIDEM PROMPTUS EST] Syrus, *voluntarius* VERS. 38 *& promptus*. Matt. 26. v. 41.

VENIT HORA] Syrus, *advenit finis* (vitæ meæ) *venitque hora*; Arabicus, *præsens est finis, & venit hora*.

C VERS. 41 CAUTE] Græce ἀσφαλῶς, id est secure, tute, certo, Arabicus, *timete de illo*, ne scilicet e manibus Mat. 26. v. 45. vestris elabatur, uti alias elapsus est.

VERS. 44 UNUS AUTEM] scilicet Petrus: *Tacet nomen Petri Marcus*, ait Theophyl. *ne videatur laudare præceptorem suum, Petrum, majoris pro Christo zeli*. Matt. v. 48.

VERS. 47 ADOLESCENS AUTEM QUIDAM SEQUEBATUR EUM, AMICTUS SINDONE SUPER NUDO, ET TENUERUNT EUM] Mat. 26. 51. id est, amictus linea vel lintea veste super nudo cor- Luc. 22. v. 50. pore: fuisse enim sindonem genus vestis lineæ corpo- Jo. 18. v. 10. ri aptatæ, sed ita ut facile dorso injici, & ejici posset instar tunicæ, patet ex voce *amictus*, & ex Polluce, qui sindonem vocat περιβόλαιον, id est, operimentum, amiculum, stragulum, velamen, pallium, operculum.

Adolescens sindonites quis. Quæres, quis fuit hic adolescens? S. Epiphan. hæresi 78. & Hier. (vel quisquis est auctor) in Psal. 37. putant fuisse Jacobum fratrem Domini.

Resp. Primo. Secundo. Secundo, Beda & Glossa hic, & S. Chrysost. in Psal. 13. & S. Ambr. in Ps. 36. & S. Gregor. 14. Moral. cap. 23. ac Baronius opinantur fuisse S. Joannem: hic enim inter Apostolos erat adolescens, & natu minimus. Verum non fuisse Joannem, nec Jacobum, nec aliquem ex Apostolis liquet ex eo, quod immediate præmisit Marcus v. 50. dicens: *Tunc discipuli* (Apostoli) *ejus relinquentes eum, omnes fugerunt*.

D Tertio. Tertio, Theophylactus, Euthymius & Victor censent, adolescentem hunc fuisse aliquem e domo Joannis Marci, in qua Christus comederat pascha.

Quarto optime. Quarto, verisimilius Cajetan. in Jentaculis, & alii conjectant adolescentem hunc fuisse filium vel servum villæ, horto, in quo orans captus est Christus, adjacentis, qui rumore & strepitu transeuntium satellitum Christum capientium excitatus, e lecto surgens accurrit, ut videret quid ageretur. Fuisse Christi fautorem vel discipulum liquet ex eo quod ait Marcus, *Sequebatur eum*: unde & satellites *tenuerunt eum*, id est apprehensa veste tenere voluerunt. Verba enim Hebræorum activa sæ- E pe inchoationem & conatum significant, non actum perfectum. Nam sequitur.

AT ILLE RELICTA SINDONE, NUDUS PROFUGIT AB VERS. 52 EIS] Sicut Joseph, ait Scholiastes apud S. Hier. *relicto pallio nudus de manibus impudicæ dominæ effugit*, Genes. 39. 12.

Addit hoc Marcus, ut ex præpropera, & violenta fuga hujus adolescentis liqueat, quanta fuerit circa Christum trepidatio, & quam nemo ausus fuerit apud Christus consistere, quamque grave fuerit Judæorum odium in Christum, & furor, qui etiam tentarint adolescentem hunc alienum, Christum sequentem invadere. Unde liquet, eos multo magis comprehensuros fuisse Apostolos, nisi ipsi illico aufugissent.

ET GALLUS CANTAVIT] Audi S. Chrysostomum in VERS. 68 Matth. 26. 70. *Significat Marcus, quia nec voce quidem galli in memoriam adductus est, nec se a negatione retinuit*. Addit Chrysost. *Hoc solus Marcus scripsit, ita exquisite explicans & piam magistri ad discipulum curam, & imbecillitatem Petri. Unde maxime ipsum admirari debemus, quia non solum magistri relictum non occultavit, sed exquisitius etiam quam cæteri hoc ipso quia discipulus erat, conscripsit*. Mat. 26. v. 70. 71. Luc. 22. v. 57. Jo. 18. v. 17. F

NAM ET GALILÆUS ES] Id est, Galilæorum idio- VERS. 70 tismo loquens ostendis te esse Galilæum. Unde Græca, & Syrus addunt, *Et loquela tua congruit* Galilæorum locutioni; Arabicus, *Et loquela tua similis est loquelæ eorum*. Mat. 26. v. 73. Luc. 22. v. 59. Joan. 18. v. 25. 26.

ET COEPIT FLERE] Græce, ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, hoc est VERS. 72 ad verbum *adjiciens flebat*; quod Primo, verum, *cœpit flere*, Secundo, *adjecit flere*, id est magna vehemen- Matt. 26. v. 74. 75. tia cœpit flere, ait Theoph. Arabicus, *& conversis se* Luc. 22. v. *ad lacrymas*, non in atrio coram Judæis, ne iis se 60. 61. proderet, sed ex eo egressus dum solus esset, ut pater Joan. 18. Matth. 26. 75. v. 27.

CAPUT XV.

SYNOPSIS CAPITIS. G

PRimo, Christus a Pontificibus traditur Pilato, accusatur, Barabbæ postponitur, flagellatur, spinis coronatur, illuditur. Secundo, vers. 21. in Golgotha crucifigitur inter duos latrones: vestes ejus sorte dividuntur: a prætereuntibus blasphematur, quin & a latronibus. Tertio, v. 33. tenebræ totam terram operiunt, Jesus a Patre se derelictum queritur, ac clamans expirat; unde Centurio ait, Vere hic homo Filius Dei erat. *Quarto, vers. 42. a Joseph sepelitur*.

ET confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus, & Scribis, VERS. 1 & universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.

2. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis.

3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.

4. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant.

5. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut H miraretur Pilatus.

6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petiissent.

7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

8. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

9. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Judæorum?

10. Scie-

Digitized by Google

10. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.

12. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judæorum?

13. At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum.

14. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum.

15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem.

17. & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam.

18. Et cœperunt salutare eum: Ave rex Judæorum.

19. Et percutiebant caput ejus arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.

20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum ut crucifigerent eum.

21. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus.

22. Et perdueunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus.

23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit.

24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

25. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum.

26. Et erat titulus causæ ejus inscriptus: REX JUDÆORUM.

27. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, & alium a sinistris ejus.

28. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.

29. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas:

30. salvum fac temetipsum descendens de cruce.

31. Similiter, & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

32. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Ex qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

33. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.

34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.

36. Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

37. Jesus autem emissa voce magna expiravit.

38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.

39. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.

40. Erant autem & mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome:

41. & cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam.

42. Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum)

43. venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.

44. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. & accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

45. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph.

46. Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47. Maria autem Magdalene, & Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

ERAT AUTEM HORA TERTIA: & CRUCIFIXERUNT EUM] *Tertia*, non inchoans, sed finiens, ac desinens in sextam, Sexta enim hora crucifixum esse Christum, puta in meridie, patet ex v. 33. Aliqui suspicantur esse mendum, & pro *tertia* ponendum esse *sexta*. Hebræi enim diem æque ac noctem in quatuor partes, sive horas, diviserant, scilicet primam, tertiam, sextam & nonam, quarum quælibet ternas nostrates horas complectebatur. Prima enim *incipiebat* ab ortu solis, durabatque tres horas, quibus finitis *incipiebat* tertia, ac totidem horis durabat, scilicet usque ad meridiem, quando inchoabat sexta, & finiebatur tribus post meridiem horis, cum incipiebat nona durabatque usque ad vesperam: incipiente ergo hora sexta crucifixus est Christus, inchoante vero nona mortuus. Hac de re plura dicam Joannis 19. 14. VERS. 25

ET CUM INIQUIS REPUTATUS EST] Hebr. וְעִם פֹּשְׁעִים נִמְנָה *nimena*, id est, numeratus, recensitus est. Vide dicta Isaiæ 53. 12. Causa fuit, quia Christus nostrum locum, numerum & censum in se recepit; nos autem eramus iniqui: ipse ergo cum iniquis accensitus est, ut nos ex iniquis faceret justos & sanctos. VERS. 28 Luc. 22. v. 37.

QUIA ERAT PARASCEVE, QUOD EST ANTE SABBATUM] Græce, *quod est prosabbatum*. *Parasceve* idem est, quod præparatio: unde sic vocatur feria sexta, quia in ea preparabantur cibi & necessaria pro sabbato, quo operari non licebat; hinc vocatur ipsa *prosabbatum*, sive pridie sabbati, aut vigilia. *Antesabbatum* ergo unica est dictio respondens Græco προσάββατον. VERS. 42 Matt. 27. v. 57.

CAPUT XVI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus, Primo apparet Magdalenæ ceteris quæ piis fœminis. Secundo, v. 12. duobus discipulis euntibus in Emaus. Tertio, vers. 14. undecim Apostolis, quos mittit per totum orbem evangelizatum addixque signa, & miracula credentibus concedenda. Denique vers. 19. in cælum ascendens sedet ad dexteram Dei.

ET cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. VERS. 1

2. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole.

3. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

5. Et introeuntes in monumentum vide-

Digitized by Google

A sunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt.

6. Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum.

7. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

8. At illæ exeuntes fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor & pavor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.

9. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.

10. Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus,

11. Et illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt.

12. Post hæc autem duobus ex his ambulan-
B tibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam:

13. & illi euntes nuntiaverunt cæteris: nec illis crediderunt.

14. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit: & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

15. Et dixit eis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.

16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:

18. serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus
C imponent, & bene habebunt.

19. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei.

20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

VERS. 1. ET CUM TRANSISSET SABBATUM] pura inchoante nocte diei Dominicæ: *Post tristia sabbata felix irradiat dies*, ait Scholiastes apud S. Hieronymum.

Matt. 28. v. 1. Luc. 23. v. 56.

MARIA JACOBI] scilicet Minoris & Judæ mater, ut habet Arabicus, uxorque Cleophæ.

ET SALOME] uxor Zebedæi, mater Jacobi Majoris & Joannis Apostolorum.

UT VENIENTES UNGERENT JESUM] secundum consuetudinem Judæorum, ait Theoph. ut odoriferum maneret corpus, & conservaretur; aromata enim desiccant: non sapiebant enim dignitatem divinitatis Christi, nec resurrectionis ejusdem, sed amabant tenerrime Jesum, ut hominem & Prophetam, licet jam mortuum.

Tropologice, ungunt Jesum qui ejus amore exer-
D cent opera pietatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ ac præsertim misericordiæ & charitatis erga proximos, qui sunt membra Jesu mystica: quare hi merentur primi videre Jesum resurgentem, ut scilicet in ejus cognitione, gratia, meritis & gloria novo fervore quasi resurgendo roborentur, proficiant & perficiantur. Ita S. Greg. & alii. Vide dicta Matth. 26. 7.

UNA SABBATORUM] id est, prima sabbati, uti explicat v. 9. puta die Dominica. Vide dicta Matth. 28. v. 1.

VERS. 2. Matth. 28. v. 1. Luc. 14. 1. Joan. 20. 1

CRUCIFIXUM: SURREXIT, NON ET HIC] *Non erubescit angelus crucem*, ait Theoph. *in hac enim salus hominum*. Addit Interlin. *Radix amara crucis evanuit, flos vitæ cum fructibus, qui jacuit in morte, surrexit in gloria.*

VERS. 6.

ITE, DICITE DISCIPULIS] *Mulieribus*, ait Interlin. *dicitur ut nuncient Apostolis, quia per mulierem* (Evam) *mors nunciata est, per mulierem vita resurgens.*

VERS. 7. Matth. 28. 17.

ET PETRO] *ut quem femina fecerat negare, femina faceret confiteri*, ait Druthmarus. Addit Scholiastes apud S. Hier. Petrum præ cæteris nominari, *qui se indignum judicavit discipulatu, quod ter Dominum negasset magistrum; sed peccata præterita non nocent, quando non placent*, Et S. Greg. hom. 21. in Evang. *Si angelus Petrum non nominasset, venire inter discipulos non auderet: vocatur ergo ex nomine, ne desperet ex negatione.* Cætera expositi Matth. 28. 1. & seq. E

VERS. 8. INVASERAT ENIM EAS TREMOR, (corporis;) ET PAVOR] animi; græce ἔκστασις, id est, *stupor*, ait Theoph. *in spectaculo angeli, & in horrore resurrectionis.* Vere hic stupor mixtus erat ingenti gaudio: stupebant enim & gaudebant se tam mira, & jucunda audire, scilicet Jesum dilectum suum a morte resurrexisse. Id patet ex Matth. c. 28. v. 8.

TIMEBANT ENIM] non solum ob visionem angelorum, sed etiam *propter Judæos*, ait Euthym. *ne conspecte viderentur ipsæ furari Jesum: ne ipsas occiderent, audito quod Christi prædicarent resurrectionem*, ut paulo post Magdalenam, Martham & Lazarum cum sociis nave sine velo, & remis imposuerunt, ad certum omnium exitium, nisi Deus eos salvos Massiliam perduxisset.

VERS. 9. PRIMA SABBATI] id est prima die post sabbatum, puta Dominica.

Joan. 20. v. 14. F

MAGDALENÆ, DE QUA EJECERAT SEPTEM DÆMONIA] Lucæ 8. 2. Addit hoc Marcus, ut ostendat vim pœnitentiæ, & amoris, per quem Magdalena peccatrix ita exarsit, ut prima meruerit videre Christum resurgentem: ut ex ea discant peccatores, non desperare, sed vehementer amare: sic enim Sanctos innocentes in gratia & gloria superabunt. Ita Beda: *Quia ubi superabundavit peccatum, superabundavit & gratia*, Rom. 5. Addit Beda: *Mulier* (Eva) *culpæ inductrix: quæ primo mortem gustavit, primo resurrectionem vidit* (in Magdalena) *ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret.* Porro *septem dæmonia*, sunt septem vitia capitalia septem virtutibus primariis contraria, quibus præsident dæmones. Ita S. Greg. Theoph. & alii. Hanc Christi apparitionem Magdalenæ factam fuse enarrat Joann. c. 20. 11. Vide dicta Lucæ 8. 2.

VERS. 12. POST HÆC AUTEM DUOBUS EX IIS (discipulis) AMBULANTIBUS OSTENSUS EST IN ALIA EFFIGIE (Arabic. *veste*, scilicet peregrini) EUNTIBUS IN VILLAM] Arab. *in castellum*; græce *in agrum*, id est, in domum rusticam sitam in Emaus: nam, ut ait S. Aug. de Consensu Evang. *Agri nomine non castella tantum, verum etiam municipia & coloniæ solent vocari extra civitatem, quæ caput, & quasi mater est cæterarum.* Hi ergo discipuli ex urbe Hierosolyma ibant rus, puta in pagum vicinum Emaus, qui postea a Romanis in monumentum victoriæ de subacta Hierosolyma, factus est civitas insignis, dicta Nicopolis. Ita Adrichom. & alii. Hæc Christi apparitio est eadem cum illa, quam narrat Lucas 24. 13. ut patet ex circumstantiis, quæ utrobique sunt eædem. Ita communiter interpretes. Solus fere Euthym. putat esse diversam ab illa Lucæ, eo quod Marcus subdat, Apostolos eis nunciantibus Christum resurrexisse, non credidisse; cum Lucas contrarium, scilicet credidisse insinuet. Verum facilis est responsio, aliquos credidisse, alios non credidisse: vel, ut Theophyl. Apostolos credidisse, sed alios discipulos non credidisse.

Luc. 24. v. 13. 15. 16. G

VERS. 13. NEC ILLIS CREDIDERUNT] Dei permissione & providentia id factum. Hæc enim eorum incredulitas *non tam eorum infirmitas, quam nostra futura firmitas fuit*, ait S. Greg. hom. 29. in Evang. *Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est: quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur?* H

VERS. 14. NOVISSIME RECUMBENTIBUS (ad mensam) ILLIS UNDECIM APPARUIT] *Novissime*, grece ὕστερον, id est postea, deinde postremo: fuit enim hæc ultima Christi apparitio facta ipso die Paschatis, sive resurrectionis, cum vespere apparuit undecim Apostolis: has enim solas illo die factas commemorat hic Marcus, reliquas vero posterius factas omittit. Dices, Tunc non apparuit undecim Apostolis, sed decem dumtaxat: aberat enim Thomas. Quocirca Maldon. hanc apparitionem censet esse illam, quæ octavo post die facta est, præsente jam Thoma. Verum dico undecim hic vocari, licet absens esset Thomas, qui erat undecimus, quia collegium Apostolorum post Judæ proditionem & suspendium, redactum erat ad undecim, quare *undecim* vocantur, licet unus Thomas desit. Sic decem viri dicuntur congregati, etiamsi unus vel alter absit. Simile est in Luca c. 24. 33. ita Beda & S. Aug. lib. 3. de Consensu Evang. c. 25.

Luc. 24. v. 36. Joan. 20. 19.

RECUMBENTIBUS] Hinc colligit S. Bern. ser. de Ascen-

sione

A sione Domini, observans: *Multam*, inquit, *fiduciam præstat quod libentius adsit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adesse.*

NON CREDIDERUNT] S. Hier. lib. 2. contra Pelag. scribit post hæc verba, in quibusdam Græcis codicibus ista addi: *Et illi satisfaciebant dicentes: Seculum istud iniquitatis substantia est, quæ non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revela justitiam tuam.* Verum Ecclesia hæc omnia resecuit; olent enim hæresim Manichæi aut Montani.

VERS. 15 EXPROBRAVIT INCREDULITATEM] Syrus, *exiguam fidem*; Arabicus *exprobravit eos propter parvitatem fidei eorum.* Matt. 28. 19

ET DIXIT EIS: EUNTES IN MUNDUM UNIVERSUM, PRÆDICATE EVANGELIUM OMNI CREATURÆ] *Et dixit*, non ipso die Paschatis, cum recumbentibus undecim apparuit, sed postea cum in monte Galilææ se iis aliisque videndum exhibuit, ut habet Matth. c. 28. 16. & seq. Vel certe hoc maximum evangelizandi munus propriumque

B Apostolis eis sæpius Christus injunxit, ut ipso die Paschatis illud eis primo insinuarit, ut innuit Lucas c. 24. 47. deinde in monte Galilææ iterarit, ac ultimo die ascendens in cælum confirmarit.

IN MUNDUM UNIVERSUM] q. d. Non in sola Judæa, uti hactenus fecistis, & uti olim vobis jussi Matth. c. 10. 5. sed passim per totum mundum evangelizate. Nam non videtur verisimile, quod pauci Apostoli per se totum orbem lustrarint & converterint, præsertim quia in America nuper inventa, nulla fidei Christianæ reperta sunt vestigia.

OMNI CREATURÆ] Id est, omnibus gentibus, ut habet Matth. c. 28. 19. Est synecdoche: nam genus appropriatur nobilissimæ speciei, puta creatura homini. Homo enim est nobilissima creatura, ad ipsius Dei creatoris imaginem creata.

VERS. 16 QUI CREDIDERIT, ET BAPTIZATUS FUERIT, SALVUS ERIT: QUI VERO NON CREDIDERIT, CONDEMNABITUR] Hac Christi sententia ad suam hæresim abutuntur Primo, Lutherani, ut probent fidem solam sufficere ad salutem,

C nec requiri bona opera. Verum respondeo, sensus Christi est, ut recte annotarunt Euthym. Theoph. & alii, *Qui crediderit*, &c. q. d. Qui credendo in Christum, ejusque baptismum suscipiendo, a peccatis ablutus, & gratia Dei imbutus, sanctificatus fuerit, hic salvus erit, subaudi, si ita moriatur, si in isto statu gratiæ & sanctitatis decedat, si gratiam Dei usque ad mortem retineat, nec per peccatum aliquod deperdat. Retinere autem gratiam hanc baptizatus nequit, si bona opera non faciat, quæ lex Christi præcipit. Adde, nomine credulitatis, sive fidei & baptismi, velut principiorum maxime necessariorum, & quæ initio Ecclesiæ maxime Gentilibus inculcari debebant, subintelligi reliqua omnia inde consequentia, ac in eis velut in radice latentia, uti sunt spes, charitas, bona opera, &c. uti fuse ostendi prooemio in S. Paulum. Vide S. Aug. lib. de Fide & operibus.

Secundo, Anabaptistæ ex hac Christi gnome inferunt non esse baptizandos parvulos eo quod credere nequeant.

D Sed respondeo Christum loqui de adultis: hi enim soli credere possunt; & adultos solos omnia præcedentia Christi verba denotant. Parvulos enim esse baptizandos liquet ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, ac ex illo Joan. 3. 5. *Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Addit S. August. idque variis locis iterat, hæc verba Christi ad parvulos quoque suo modo pertinere, eo quod illi sicut aliena voluntate Adæ peccaverunt, & peccatum originale contraxerunt, sic pariter aliena fide Ecclesiæ, & parentum vel offerentium credant.

Tertio, Calvinistæ ex hisce Christi verbis colligunt, baptismum non esse ad salutem necessarium, sed sufficere E solam fidem; quia de ea sola, inquiunt, Christus subjicit, *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Resp. sub τῷ *crediderit*, id est sub fide intelligi baptismum, qui est Sacramentum fidei, & cætera omnia, quæ ex fide nascuntur, & sequuntur, uti paulo ante dixi. Marcus enim brevitati studens, ex iis quæ immediate ante dixerat, lectori relinquit subintelligendum τὸ *aut non fuerit baptizatus*: alioqui enim non constat antithesis, estque mutila & imperfecta: ut enim perfecta sit, sic dicendum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, aut non fuerit baptizatus, condemnabitur.* Nam baptismum requiri ad salutem, patet ex verbis Christi Joan. 3. 5. jam citatis.

SERPENTES TOLLENT] ex locis, quæ illi infestabant, VERS. 18 & ut ait Euthym. *delebunt, occident, aut etiam in manibus absque periculo tenebunt*, uti Paulus tenuit viperam, Act. cap. 28. v. 3. & seq. Unde Arabicus vertit, *tollent manibus suis serpentes.*

ET SI MORTIFERUM QUID BIBERINT, NON EIS NOCEBIT] ut bibant venenum illæsi, uti Apostoli & Sancti plures fecerunt. F

SUPER ÆGROS MANUS IMPONENT, ET BENE HABEBUNT] Nota hæc signa fuisse necessaria in primitiva Ecclesia, ad probandam & firmandam Christi fidem, unde tunc omnes fere Christiani faciebant miracula, saltem aliqua, v. g. ut dæmones ab energumenis depellerent, ut patet ex Justino Dialog. contra Tryphon. Tertull. in Apolog. Lactantio, & aliis: plerique etiam in Baptismo tunc accipiebant donum linguarum, ut patet Actor. cap. 10. v. 49. & c. 19. v. 6.

Mystice, S. Bern. serm. 1. de Ascens. *Primum*, inquit, *opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua sine dubio ejiciuntur dæmonia, cum eradicantur e corde peccata. Exinde qui in Christum credunt, linguis loquuntur novis, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta protoparentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis: ubi vero compunctione cordis, & oris confessione priora sunt*

G *deleta peccata, ne recidivum patiantur, & jam sint posteriora pejora prioribus, serpentes tollant necesse est, id est ut venenatas suggestiones extinguant*; &c. *Si mortiferum quid biberint, non ei nocebit*, id est cum senserint stimulos concupiscentiæ, nolent consentire. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, id est, ægras affectiones bonis operibus *operient, & hoc remedio curabuntur.*

Paulo aliter S. Gregor. hom. 29. in Evang. *Fideles quinque*, ait, *qui jam vitæ veteris sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes, & potentiam quantum prævalent, narrant, quid aliud faciunt, nisi novis linguis loquuntur? qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt; & dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum est quidem quod bibunt, sed non eis nocebit.* Qui H *quoties proximos suos bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, & exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant; quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponunt, ut bene habeant?* Quæ nimirum miracula tanto majora sunt, quanto Spiritalia: tanto majora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur.

ASSUMPTUS EST IN CÆLUM] a sua divinitate, mediante dote agilitatis, ab ea corpori indita, quadrage- VERS. 19 sima die a resurrectione, puta in festo Ascensionis. De Ascensione Christi fuse egi, Actor. 1. v. 9.

SEDET A DEXTRIS DEI] Qua ratione sedeat, multis explicui Coloss. 3. v. 1.

O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi juventus numquam senescit, ubi decor numquam pallescit, ubi amor numquam tepescit, ubi sanitas numquam marcescit, ubi gaudium numquam decrescit, ubi vita terminum nescit! S. August. in Soliloq. cap. 35.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS IN EVANGELIUM SANCTI LUCÆ.

ARGUMENTUM.

A

HOc est, sancta Historia Evangelica de dictis & factis Jesu, a Luca descripta. Arabicus, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Dei unius, Evangelium Patris excellentis, Lucæ Evangelistæ. Apertio Evangelii glorioſi*; Syrus, *in nomine Domini Deique noſtri Jeſchua, Meſcicho, ſigillamus Evangelium, ſacroſanctum nuncium Lucæ Evangeliſtæ, quod locutus eſt, & annunciavit jonice* (græce) *in Alexandria magna*. Ex hac diversitate liquet, quod hic titulus, sive hæc inscriptio huic Evangelio præfixa sit non a Luca, sed ab Ecclesia, quæ ita pariter inscripsit aliud Evangelium secundum Matthæum, aliud secundum Joannem, aliud secundum Marcum; imo quoad fidem frustra addita fuisset ab ipso Luca, nisi Ecclesia illam illius genuinam esse, non supposititiam declarasset & tradidisset, quod Nota pro Traditionibus contra hæreticos. Cur enim Evangelium Lucæ inscriptum, habendum sit verum ipsius Lucæ; Evangelium autem Matthiæ, & Thomæ inscriptum, non sit habendum ipsius Matthiæ & Thomæ; rursum cur Evangelium Lucæ potius sit canonicum, quam Apellis aut Basilidis Evangelium; alia ratio reddi non potest, quam probatio, declaratio & traditio Ecclesiæ; non enim hoc ideo, quod in sacris literis scriptum sit, sed quia ab Ecclesia ita traditum est, credimus: v. g. non credimus hoc esse Evangelium Lucæ, effeque canonicum, quia in ipsum scripsit Lucas; sed quia id tradit, & docet Ecclesia: licet enim isti Evangelio, uti & aliis, sua constet auctoritas, tamen illa nobis non liquet, nisi ex declaratione Ecclesiæ. Idem a pari dicendum est de sensu Scripturæ. Sensus enim Scripturæ genuinus non est is, qui mihi, aut tibi videtur esse talis (sic enim incertus, & dubius esset; alium enim sensum affert Calvinus, alium Lutherus, alium alii) sed is, quem docet, & tradit Ecclesia, cujus sicut est tradere quæ sit vera sacra Scriptura, ita est & tradere quis illius germanus sit sensus. S. Scriptura enim non in cortice litterarum, aut verborum, sed in genuino eorum sensu consistit. Ita Triden. sess. 4. & passim Patres, ac nominatim Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 5. Vide dicta Matth. 1. v. 1.

Inscriptio ab Ecclesia.

B

Nota Primo. Matthæus primus in Judæa Hebræis scripsit Evangelium hæbraice: secundus Marcus in Italia Romanis græce & latine: tertius Lucas Græcis in Græcia græce: quartus Joannes græce: sed Lucas elegantius: utpote græce apprime peritus. Audi S. Hieronym. epist. 103. ad Paulinum: *Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes quadriga Domini & verum Cherubim; quod interpretatur ſcientiæ multitudo, per totum corpus oculati ſunt, ſcintillæ emicant, diſcurrunt fulgura, pedes habent rectos & in ſublime tendentes, terga pennata & ubique volitantia, Tenent ſe mutuo ſibique perplexi ſunt, & quaſi rotæ in rota volvuntur, & pergunt quocumque eos flatus ſancti Spiritus perduxerit.*

S. Lucas scripsit græce.

C

D

Porro inter quatuor Cherubinorum facies, sive effigies, tertia bovis tribuitur Lucæ; tum quia ipse incipit a sacerdotio Zachariæ, cujus præcipua victima erat bos, tum quia ipse bovis labores in Evangelio subiit, ac crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portavit, uti de eo canit Ecclesia. Vide dicta Apoc. 4. 7. & Ezechiel. 1. 10.

Cur?

Nota Secundo, Lucam scripsisse Evangelium contra quosdam oscitantes, imperitos, forte etiam falsos Evangelistas, qui in Syria vel Græcia Evangelium imperfecte, forte etiam mendaciter conscripserant, ut ipse Lucas initio Procemii sui insinuat. Ita Origenes, S. Ambr. Theophyl. hic & S. Epiph. hæresi 51. qui tamen cum addit, Lucam scripsisse contra Cerinthum, & Merintum, non videtur dicere verum: nam hi duo, æque ac Basilides, posteriores & juniores fuere Luca, ut satis colligitur ex Eusebio, lib. 3. Hist. cap. 32. Verisimilius Theophyl. & Beda censent, Lucam scripsisse suum Evangelium contra apocrypha aliorum Evangelia, qualia fuere quæ nomine Thomæ, Matthiæ & Apostolorum duodecim circumferebantur.

Nota Tertio, Lucam non fuisse ex septuaginta duobus Christi discipulis, uti ex Origine opinantur Euthymius, & S. Gregor. præfat. in Job cap. 1. nec enim Lucas vidit Christum in carne, sed quæ a Paulo, & Apostolis audivit de Christo conscripsit, ut ipse ait cap. 1. v. 2. Unde passim Patres Lucam vocant discupulum Apostolorum: ac nominatim Pauli comes assiduus fuit Lucas. Ita S. Hieron. in cap. 65. Isaiæ & Præfat. in Matth. ubi sic ait: *Tertius* (Evangelista) *Lucas medicus, natione Syrus, Antiochenſis, cujus laus in Evangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli, in Achaja Bœotiaque partibus volumen condidit, quedam altius repetens, & ut ipſe in proœmio confitetur, audita magis quam viſa deſcribens.* Idem tradit Irenæus lib. 1. 20. & Theodor. Præfat. in Vitas S. Petrum, Baronius, & alii. Imo Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 5. Evangelium hoc non tam Lucæ, quam Pauli esse censet, quod ex Pauli ore illud scripserit Lucas, sicut Marcus ex ore Petri, sic enim ait: *Licet & Marcus quod edidit, Petri affirmetur: cujus interpres Marcus. Nam & Lucæ Digeſtum* (Evangelium) *Paulo aſcribere ſolent: cepit magiſtrorum videri, quæ diſcipuli promulgarint.*

Non fuit e septuaginta duobus discipulis.

E

Scripsit ex ore Pauli.

Porro S. Hieron. docet Lucam in Evangeliis, & Actis agere medicum animarum, sicut prius egerat corporum: sic enim ait epist. 103. ad Paulinum: *Si noverimus ſcriptorem eſſe eorum Lucam medicum, cujus laus eſt in Evangelio; animadvertemus pariter omnia verba illius anima languentis eſſe medicinam.* Idem in epist. ad Philom. *Lucas medicus Evangelium, & Actus Apoſtolorum Eccleſiis derelinquens, quomodo Apoſtoli de piſcatoribus piſcium piſcatores hominum facti ſunt; ita de medico corporum, in medicum eſt verſus animarum. Cujus liber quotieſcumque legitur in Eccleſiis, toties ejus medicina non ceſſat.*

Medicus animarum.

G

Nota Quarto. Baronius censet Lucam scripsisse in comitatu Pauli, anno Christi 58. ex eo quod S. Hieron. dicat Lucam scripsisse in Achaja, & Bœotia, ubi illo anno erat Paulus. Alii tamen citius a Luca scriptum Evangelium autumant, idque omnino dicendum est, si assentiamur S. Hieronym. libr. de Script. Eccles. in Luca. Tertulliano, lib. 4. contra Marcion. cap. 5. Primasio, Anselmo & aliis in 2. Corinth. 8. v. 8. Paulum ibidem per fratrem, *cujus laus eſt in Evangelio*, intelligere Lucam, quod & diserte asserit S. Ignatius, S. Lucæ concivis & quasi coætaneus, qui sic scribit ad Ephæsios: *Ut teſtatur Lucas, cujus laus eſt in Evangelio.* Nam epist. 2. ad Corinth. a Paulo scripta est anno Christi 58. quare si tum laus Lucæ erat in Evangelio, necessum est dicere illud jam ante fuisse evulgatum. Quocirca Euthymius, & Theophyl. procemio in Lucam, ajunt Lucam scripsisse 15. annis post Ascensionem Christi, puta anno Christi 49. Sed tunc Lucas necdum adhæserat Paulo: ei enim adhæsit Troade, anno Christi 51. uti ex Actis Apostolorum cap. 16. 10. recte colligit Baronius. Videtur ergo Lucas scripsisse Evangelium post annum Christi 51. sed aliquot annis ante annum Christi 58. illo enim jam vulgatum erat & celebre, ut ait Paulus,

Quo tempore scripserit S. Lucas.

H

Nota Quinto. Lucas postquam adhæsit S. Paulo, aliquot annis abfuit ab eo, alio amandatus (uti ostendi Actor. 16. vers. 10.) usque dum Paulus perambulando varias regiones rediit in Græciam, navigaturus in Syriam, indeque Romam, Actor. 20. 3. tunc enim Paulus inter alios socios hujus itineris, qui illo versu nominantur,

Digitized by Google

A tur, assumpsit & Lucam, uti ibi significat Lucas, vers. 5. & 15. inde ergo Lucas assiduus fuit comes S. Pauli, usque ad prima vincula, quæ Paulus Romæ subiit anno Neronis secundo: quare ibi Lucas finit Acta Apostolorum; præsertim Pauli. Inde reste S. Epiphanio Lucas discedens a Paulo adhuc vincto profectus in Dalmatiam, Galliam, Italiam, Macedoniam, ubique prædicavit Evangelium, ac tandem apud Pataras urbem Achajæ anno ætatis 84. illustri martyrio coronatus in cœlos abiit, anno Christi 61. Neronis 5. S. Petri Romæ sedentis anno 17. uti ex S. Nazianzeno, Paulino, Gaudentio, Glyca, Nicephoro & aliis docet Baronius anno Christi jam dicto.

Lucas est Martyr.

Denique quis, qualis, quantus fuerit Lucas, fuse declaravi proœmio in Acta Apostolorum in eorum argumento, ubi dixi Lucam eumdem videri cum Lucio, quem Paulus suum cognatum vocat Rom. 16. v. 21. Idem tamen diversus videtur a Lucio Cyrenensi, de quo Act. 13. Nam Lucas fuit Antiochensis, non Cyrenensis.

B Rursus Martyrologium Romanum die 22. Aprilis ait Lucium hunc fuisse e primis Christi discipulis, quod Lucæ non convenit.

Cur scrip. sit?

Nota Sexto. Causa cur post Matthæum, & Marcum Lucas scripserit Evangelium fuit duplex. Prior, ut confutaret pseudo-evangelistas in Syria & Græcia jam suborientes, uti dixi notat. 2. Posterior, quod ipse destinasset prosequi & scribere dicta & facta Christi ab aliis Evangelistis prætermissa, ac præsertim ejus infantiam & pueritiam, ejusque præcursoris Joannis Baptistæ annunciationem, conceptionem, nativitatem, præsepe, fascias, pastores, circumcisionem, præsentationem in templo, inventionem inter doctores; S. Magdalenæ, Zachæi, & unius e duobus in cruce latronibus conversionem; apparitionem Christi factam duobus discipulis in Emmaus, parabolas Pharisæi & Publicani, Samaritani, ovis erraticæ, drachmæ perditæ, filii prodigi, Lazari, & divitis epulonis, & similium, quæ Christi misericordiam & pietatem in peccatores miseros commendant. Vide S. Irenæum, lib. 3. cap. 14. singula recensentem. Ad hæc Lucas E plenius quam cæteri enarrat passionem, resurrectionem & ascensionem Christi.

Denique B. Petrus Damiani serm. de S. Matthæo: *Lucas*, inquit, *proprium modum & ordinem tenet, dum sacerdotalem Domini stirpem describit atque personam, & sic per totam styli sui seriem in hac intentione perdurat, ut diversa circa templum & sacerdotes usque ad finem Evangelii non omittat*, &c. *Mediator quippe Dei & hominum secundum humanam naturam, unus idemque rex esse voluit, & sacerdos: ut per virgas non regalis apicis regeret, & per sacerdotis officium expiaret. Ita siquidem duæ personæ in figura Christi specialiter suns a Patribus commendata; cui principaliter ac singulari prærogativa dedit Deus sedem David patris ejus, ut regni ejus non esset finis, & ut Sacerdos esset secundum ordinem Melchisedech.*

Lucas Christi misericordiam commendat. Cur?

Rursus S. Ansel. in cap. 4. ad Colos. duas habet rationes cur Lucas plusquam alii de Christi misericordia loquatur. Una est: *Lucas*, inquit, *primo fuit medicus corporum; deinde conversus ad Christum factus est medicus animarum. Inde est quod plus quam alii Evangelistæ loquatur de misericordiis Redemptoris, per quas languores peccatorum ab animabus pelluntur.* Secundam rationem his verbis declarat: *Et sacerdotis personam in Christo describit, intervenientis pro peccatis totius mundi.* F

Demum vigintiquinque privilegia S. Lucæ concessa recenset noster Joan. de la Haye in apparatu Evang. cap. 68. ubi inter alia ex S. Hier. Beda & Adone tradit S. Lucam peccatum mortale numquam commisisse, & tamen austeram in mortificatione continua egisse vitam: item S. Lucam perpetuo virginitatem conservasse, ideoque Beatæ Virgini fuisse dilectum præ cæteris.

S. Lucæ privilegia.

Commentati sunt in Lucam peculiariter S. Ambrosius, & Titus Bostrensis, Tertullianus etiam toto libro contra Marcionem, qui Evangelium Lucæ, sed adulteratum, suum esse dictitabat, multa ex eo pertractat, & explicat. Scripsit quoque fuse & exacte in prima duodecim Lucæ capita Cardinalis Toletus. G

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

D *PRimo, Lucas hic describit conceptum Joannis Baptistæ, nunciante Archangelo Gabriele; deinde Christi ex Spiritu sancto v. 26. Secundo, B. Mariæ visitationem & salutationem Elisabethæ, per quam Joannes in utero matris gaudio exiliit, Elisabeth prophetavit, B. Maria cecinit:* Magnificat. *Tertio, v. 57. nativitatem S. Joannis, in qua Zacharias pater mutus loquelam recepit, ac cecinit:* Benedictus Dominus Deus Israel, &c. *in quo multa & magna de Christo & Joanne prophetavit.*

VERS. 1 QUONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, rerum:

2. sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

3. Visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile,

4. ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

5. Fuit in diebus Herodis regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.

6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela, H

7. & non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum,

9. secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini:

10. & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.

11. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi.

12. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

14. &

Digitized by Google

A 14. & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt:

15. erit enim magnus coram Domino: & vinum, & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ:

16. & multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum:

17. & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam.

18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis.

19. Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod
B non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.

21. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipſe in templo.

22. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quod viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.

23. Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam:

24. poſt hos autem dies concepit Eliſabeth uxor ejus, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens:

25. Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

26. In menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,

27. ad virginem deſponſatam viro, cui no-
C men erat Joſeph, de domo David, & nomen virginis Maria.

28. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

29. Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum:

31. ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.

32. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illis Dominus Deus ſedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum,

33. & regni ejus non erit finis.

34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non co-
D gnoſco?

35. Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

36. Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis:

37. quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

38. Dixi autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione, in civitatem Juda:

40. Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.

41. Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Ma- E
riæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth:

42. & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?

44. Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

45. Et beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino.

46. Et ait Maria:

Magnificat anima mea Dominum:

47. & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

48. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes ge- F
nerationes.

49. Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus.

50. Et miſericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

51. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

52. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

53. Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.

54. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

55. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

56. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus: & reverſa eſt in domum ſuam.

57. Eliſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. C

58. Et audierunt vicini, & cognati ejus quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. G

59. Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.

60. Et reſpondens mater ejus, dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Joannes.

61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine:

62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

63. Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Joannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt univerſi.

64. Apertum eſt autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.

65. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum: & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:

66. & poſuerunt omnes, qui audierant in H D
corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

67. Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto: & prophetavit, dicens:

68. Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ:

69. Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo David pueri ſui.

70. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt, prophetarum ejus:

71. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos:

72. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

73. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis:

74. Ut

Digitized by Google

A 74. Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi.

75. In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

76. Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum:

78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos, oriens ex alto:

79. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

80. Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

VERS. 1 QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT ORDINARE NARRATIONEM, QUÆ IN NOBIS (Chriſtianis) COMPLETÆ SUNT, RERUM] de Chriſto, Chriſtique Eccleſia, & Chriſtianorum origine ac progreſſu. *Multi*. Maldonatus cenſet hic denotari Matthæum, & Marcum Evangeliſtas. Verum hi ſunt pauci, non multi, tantumque duo. Quare Lucas videtur hic ſugillare Evangelia apocrypha, quæ nomine Matthiæ, Thomæ, & aliorum Apoſtolorum, item Nicodemi, Nazaræorum, Ægyptiorum, Hebræorum circumferebantur, uti dixi in Proœmio.

B COMPLETÆ SUNT] Græce πεπληροφορημένων, quæ vox duo ſignificat: Primo, *impletæ* vel *completæ ſunt*. Secundo: *certo compertæ ſunt*, uti vertit S. Ambr. Theoph. Euthym. & recentiores hic. Unde Syrus vertit, *in quibus nos contenti acquievimus*; Vatabl. *de certo compertis*, Audi S. Ambr. *Fundatus in petra, & qui omnium fidei ſumpſerit plenitudinem, firmamentumque conſtantiæ, recte dicit, Quæ in nobis ſunt verum*.

VERS. 2 C SICUT TRADIDERUNT NOBIS, QUI AB INITIO IPSI VIDERUNT, ET MINISTRI FUERUNT SERMONIS] Græce eleganter, & nervoſe, αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, id eſt, *qui fuerunt oculares ſpectatores & miniſtri verbi*, vel ſermonis: quod Primo de Chriſto accipias, ipſe enim eſt Verbum Patris æterni, q.d. Sicut tradiderunt nobis Apoſtoli, qui Chriſtum ipſum viderunt, illique miniſtrarunt. Secundo, de communi ſermone, & prædicatione. q.d. Sicut tradiderunt qui viderunt geſta Chriſti, & ab eo miſſi miniſtrarunt ipſi in ſermone, & prædicatione Evangelii, atque, ut ait Titus, *qui doctrinæ, quam Salvator proſeminaverat, ſubſervierunt*. Hoc eſt, quod ait Joannes, epiſt. 1. cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, quod*, inquam, *vidimus & audivimus, annunciamus vobis*. Priorem ſenſum affert S. Hieronymus præfatione in Matthæum poſteriorem cæteris, qui & priore planior ac ſimplicior eſt, etſi eodem uterque tandem redeat.

VERS. 3 VISUM EST ET MIHI ASSECUTO (græce, παρηκολουθηκότι, id eſt, aſſectato & ſtudioſe inveſtiganti, ideoque aſſecuto. Aliter Syrus, *qui fuerim impenſe proximus illis*) OMNIA A PRINCIPIO DILIGENTER, EX ORDINE, græce D καθεξῆς, id eſt Primo, *deinceps*; Secundo, *diſtincte ex ordine*, ſcilicet ut primo deſcribam Chriſti conceptum, deinde nativitatem, mox vitam, demum mortem, & reſurrectionem, TIBI SCRIBERE, OPTIME (Syrus, *victoriosiſſime*) THEOPHYLE] Theophylus hic, ad quem Lucas ſcripſit Evangelium, deinde Acta Apoſtolorum, fuit vir nobilis, & primarius Antiochiæ, qui a S. Petro ad Chriſtum converſus, domum ſuam in Eccleſiam conſecrari voluit, in qua S. Petrus conventus Chriſtianorum agens, primariam ſuam cathedram poſuit, uti narrat S. Clemens Roman. lib. 10. Recogn. cap. ult. ita conjectat Baronius, ſcilicet Lucam Antiochenum medicum & pictorem, ad Theophylum quaſi civem, & familiarem ſuum hæc ſcripſiſſe. Addit Theophyl. Theophylum hunc Lucæ fuiſſe diſcipulum, vel cathecumenum. S. Petrus enim cum ſolus non ſufficeret turbæ ad Chriſti fidem confluenti, multorum opera utebatur ad eam catechizandam, & erudiendum fideles. Vide dicta Actor. 1. verſ. 1.

Porro Theophylus vocatur *Optimus*, id eſt, Optimas, græce κράτιστος, id eſt, præſtantiſſimus, excellentiſſimus, quod erat epithetum præſidum, & magiſtratuum, ut Feſti, Filicis, &c. Vide dicta Actorum 23. verſ. 26. Theophylus ergo hic videtur fuiſſe ſenator, vel Præſes Antiochiæ. Sic Trajanus Imperator gaudebat titulo *optimi* præ cæteris, licet magis honorificis elogiis. E

UT COGNOSCAS EORUM VERBORUM, DE QUIBUS ERUDITUS ES, VERITATEM] Græce ἀσφάλειαν, id eſt certitudinem, ſecuritatem, firmitatem, ſoliditatem. q. d. Ut cognoſcas ea, quæ de Chriſto edoctus es, eſſe certiſſima, firmiſſima, & ſolidiſſima. VERS. 4

FUIT IN DIEBUS HERODIS, REGIS JUDÆÆ, SACERDOS QUIDAM, NOMINE ZACHARIAS, DE VICE ABIA: ET UXOR EJUS DE FILIABUS AARON, ET NOMEN EJUS ELISABETH] Præmittit Lucas nomen Herodis, tum ut deſignet tempus, quo natus eſt Joannes æque ac Chriſtus: ſic enim in Faſtis, nomine Conſulum & Imperatorum, res geſtæ & natales virorum illuſtrium conſignantur: tum ut indicet jam defeciſſe ſceptrum a Juda, ac tranſlatum eſſe ad Herodem alienigenam, ideoque inſtare tempus adventus Meſſiæ, ſive Chriſti Judæis promiſſi, juxta F oraculum Jacob, Gen. 49. 10. VERS. 5

Fuit hic Herodes ejus nominis primus, cæterorum pater & avus, cognomento Magnus, gente Idumæus, patria Aſcalonita, indole tyrannus, ſævitia infanticida. Occupavit ipſe favore Cæſaris, & Romanorum regnum Judææ, ſed Chriſtus ipſum ejuſque poſteros hoc regno dejecit, omnemque ejus progeniem, licet numeroſiſſimam, intra centum annos, teſte Joſepho, lib. 18. cap. 7. totam, paucis exceptis, abolevit, ac ſibi omni jure debitum Iſraelis regnum, ſed ſpirituale, & ſanctum vendicavit.

Hinc appoſite vocatus eſt Herodes. *Herodes* enim ſyriace idem eſt, quod *draco ignitus*, græce vero idem quod *heros Plutonis*, vel principis inferni: ἥρως enim eſt heros, ἅδης eſt *Pluto* vel *infernus*. Hebraice denique *Herodes* idem eſt quod *pelliceus* vel *glorioſus*, ait S. Iſidorus, lib. 7. Etymol. cap. 10. Herodes enim idem eſt, ait Pagninus in Nomin. Hebr. quod pellis gloriæ, aut pellibus glorians, vel mons gloriæ, ſive arrogantiæ. עור *or* enim pellis, הר *hor* mons. הוד *hod* gloria. Rurſum G Herodes, ait Pagninus, idem eſt quod conceptus triturationis: הרת *hara* enim eſt concipere, דוש *dus*, triturare: quia Herodes trituravit, & occidit infantes conceptos, & natos in Bethlehem: quocirca & ipſe cum tota ſua progenie intra centum annos trituratus, & ex orbe excuſſus eſt. Herodis etymon.

SACERDOS] legalis, & Aaronicus.

ZACHARIAS] Fuit hic ſacerdos, patiter & Propheta ac plenus Spiritu ſancto, ut patebit verſ. 64. & 67. Unde & Sanctis adſcriptus legitur in Martyrol. Romano ad diem 5. Novembris, ubi Baronius ſecutus Origen. Nyſſenum, Cyrillum & Petrum Alexand. cenſet hunc Zachariam eſſe Martyrem, occiſum ab Herode inter templum & altare, ideoque eſſe illum, de quo agit Chriſtus Matt. 23. v. 35. caput ejus Romæ in Baſilica Lateranenſi ſervatur, & oſtenditur, ex quo per dies aliquot olim ſanguinem manaſſe tradunt. Ibi illud vidi, & veneratus ſum. Porro *Zacharias* hebr. idem eſt quod *memoriale Domini*, quia canit memoriale teſtamenti ſui ſancti, ait Iſidor. lib. 7. Etymol. cap. 8.

DE VICE ABIA] Syrus; *ex miniſterio domus Abiæ*; H Arabicus, *de miniſterio familiæ Abiæ*. q.d. De claſſe illa ſacerdotum, cujus tempore Davidis princeps erat Abia. David enim videns poſteros Aaron ſacerdotes excreſcere in ingentem multitudinem, ita ut omnes ſimul ſacrificare, & miniſtrare in templo non poſſent, eos diſtribuit in 24. familias ſive claſſes, ita ut ordinare quælibet claſſis per hebdomadam unam ſucceſſive deſerviret templo. Ne autem lis eſſet inter eos de ordine quæ eſſet prima, quæ ſecunda, quæ tertia, &c. litem hanc ſorte diremit; jecerunt enim hæ familiæ ſortem, & cui ſors prima exiit, primum obtinuit locum; cui ſecunda, ſecundum, & ita deinceps. In hac autem ſortitione octavus locus, & octava claſſis obtigit Abiæ, & poſteris ejus, qualis erat Zacharias. Hæc omnia patent 1. Paral. 24. cap. 1. & 4. Reg. 11. verſ. 6. 7. 9. Unde Joſeph. 7. Antiq. cap. 11. ſic ait de Davide: *Sacerdotum viginti quatuor cognationes invenit, inſtituitque ut quæque cognatio miniſtraret Deo per dies octo a ſabbato uſque ad ſabbatum*.

Digitized by Google

A *batum*, ad evitandam confusionem, æmulationem, lites & jurgia sacerdotum.

ET UXOR ILLIUS DE FILIABUS AARON] Poterant sadotes ex alia tribu ducere uxorem, quia nullam habebant hæreditatem in terra Israel (uti habebant cæteræ tribus) quæ per conjugium uxoris (si illa, deficiente prole mascula, esset hæres sui patris) nubentis viro alterius tribus ad illam tribum transiret, itaque hæreditatum & tribuum fieret confusio, quod lege erat vetitum. Zacharias tamen religiosior duxit uxorem suæ tribus sacerdotalis, puta de filiabus, non tantum Levi, sed & Aaron, quia scilicet esset filia non Levitæ, sed sacerdotis: omnes enim posteri Aaron fuere sacerdotes; cæteri vero posteri Levi, (qui fuit abavus Aaronis) fuere Levitæ. Causam dat Euthymius: *Demonstravit*, inquit, *quod precursor a sacerdotali descendit tribu non secundum patrem tantum, sed etiam secundum matrem, & utrimque sacerdotalis erat*. Quare infert S. Ambr. *Non solum a parentibus, sed etiam a majoribus sancti Joannis nobilitas propagatur, non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis*. Vocata est Elisabeth, ab uxore primi pontificis Aaron, quæ fuit soror Nahasson principis in tribu Juda: hæc enim dicta sunt Elisabeth. Exodi 6. 23. Porro hæc Elisabeth fuit sancta, imo prophetissa, & plena Spiritu sancto, ut patebit v. 41. Unde ejus memoria recolitur in Martyrologio Romano, die 5. Novembris: hinc ejus nomen cum sanctitate assumpserunt, S. Elisabeth filia Andreæ regis Hungarorum, cognomento Mater pauperum, ejusque neptis S. Elisabeth regina Portugalliæ, mater omnium deinceps regum Hispaniæ æque ac Lusitaniæ.

B

Etymon Zachariæ & Elisabethæ.

ET NOMEN EJUS ELISABETH] Zacharias hebraice idem est quod *recordatus est Deus*, vel *memoria Dei:* Elisabeth idem est, quod *Dei juramentum* vel *sceptrum, & dominium* vel *quies* vel *saturitas*, q. d. Deus memor juramenti sui hos conjugio inter se copulavit, ut sceptrum domus David erigeret, & quietem, ac copiam, & saturitatem suis largiretur, *ut sine timore de manu inimicorum suorum liberati, servirent illi in sanctitate & justitia coram ipso*. Lucæ cap. 1. 69. Ita S. Isidor. lib. 7. Etymol. cap. 10. *Elisabeth*, ait, *interpretatur Dei mei saturitas, vel Domini mei juramentum*.

C

VERS. 6

ERANT AUTEM JUSTI AMBO ANTE DEUM] Multi apparent justi coram hominibus, sed pauci ante Deum; quia homines faciem intuentur, Deus vero & cor & conscientiam. Ita S. Ambr. & Titus. Vere dicebat S. Franciscus: *Tantus est quisque quantus est apud Deum, & non amplius*. Dei enim judicium est verissimum, & certissimum, hominum vero sæpe fallit & fallitur.

INCEDENTES IN OMNIBUS MANDATIS, ET JUSTIFICATIONIBUS DOMINI SINE QUERELA] id est, observantes omnia Dei *mandata*, hoc est præcepta decalogi moralia, & *justificationes*, id est, præcepta cæremonialia, scilicet sacrificia, lustrationes, cæterosque sacros ritus lege Dei præscriptos.

Triplicia Legis Mosaicæ præcepta.

Nota. Deus Hebræis per Mosen triplicia dedit præcepta. Prima hebr. vocantur מצות *mitsvoth*, id est præcepta moralia, quæ continentur duobus decalogi tabulis, continentque jura naturæ, quæ Deo, & quæ proximis præstare debemus.

Secunda vocantur משפטים *mispatim*, id est, judicia aut judicialia: quæ spectant justitiam & politiam humanam, ac maxime concernunt principes ut justitiam administrent, quales apud Christianos sunt leges civiles.

D

Tertia vocantur חקים *chuckim*, id est, statuta, decreta sancita a Dio, puta cæremonialia; scilicet sacrificia & sacri ritus ad Deum rite colendum: hæc hic & alibi vocantur *justificationes*, ait Euthymius, & alii: idque Primo, quia qui illa observant & implent, faciunt quod maxime æquum, & justum est, scilicet Deo exhibere latriam, & cultum illi omni jure debitum & proprium. Sic enim religio, est maxima & transcendens justitia. Secundo, quia per hæc horumque observationem olim in lege veteri justificabantur legaliter: qui enim illa implebant, a Synagoga censebantur justi, verique Israelitæ, & fideles, idque non tantum ab hominibus, sed & a Deo, si ex vero pietatis, & amoris Dei affectu illa obirent: *Factores enim legis justificantur*, Rom. 2. 13. *Scito*, ait Theophyl. *quod mandatum justificatio nominari potest, utpote justum faciens hominem*.

SINE QUERELA] Græce ἄμεμπτοι, id est inculpabiles, irreprehensibile; Syrus, *inculpate*; Arabicus, *sine macula:* Nota hic fideles posse, imo debere observare omnia Dei mandata, quare illa servatu esse possibilia, non impossibilia, uti blasphemat Calvinus, qui hic mire se torquet, ac tantum non dicit Lucam Evangelistam mentiri. E

Porro *sine querela*, id est sine crimine & peccato mortali. Venialia enim omnia justus in hac vita evitare nequit. Ita S. August. epist. 95. & tract. 42. in Joannem post medium.

NON ERAT ILLIS FILIUS, EO QUOD ESSET ELISABETH STERILIS (natura & complexione sua) ET AMBO PROCESSISSENT IN DIEBUS SUIS] puta essent grandævi & senes, quando homines deficiente calore desinunt generare. Dicit hoc, ut ostendat Joannem ex iis non naturaliter, sed per Dei donum & miraculum fuisse prognatum, æque ac fuere alii Sancti eximii, ut Isaac, Joseph, Samuel. Audi S. August. serm. 3. de S. Joanne Baptista: *Erat quidem S. Elisabeth sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus: partus ejus non ablatus, sed dilatus, donec pertransiret tempus carnis, passio corporis, conjugii necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum, quod humanam confundit, gravat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificii domus, sanctitatis hospitium metatum metatoris Christi, angeli domicilium, aula Spiritus sancti, Dei templum*. Et paucis interjectis: *Denique ubi tota corporis sedata est querela, & in toto facti sunt sine querela, vox sterilitatis fugit, revivisit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur major homine, par angelis, tuba celi, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuncius, signifer superni regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio Gentium, & ut proprie dicam, legis & gratiæ fibula, qui diploidem summi sacerdotis sancto patri jungebat in corpore* F VERS. 7

FACTUM EST AUTEM, CUM SACERDOTIO FUNGERETUR IN ORDINE VICIS SUÆ, quæ erat octava, & a primo ejus parente dicebatur Abia, uti jam dixi. Unde Arabicus vertit, *in diebus ordinis ministerii sui*) ANTE DEUM. VERS. 8

SECUNDUM CONSUETUDINEM SACERDOTII, SORTE EXIIT, UT INCENSUM PONERET (ut thymiama Deo adoleret, & offerret in altari thymiamatis, quod quotidie bis, scilicet mane & vespere ex lege Deo adolendum erat) INGRESSUS IN TEMPLUM DOMINI. VERS. 9

SORTE] id est, vice sua, ait Beda, quæ suæ familiæ, scilicet Abiæ, primitus sorte obtigerat, ut scilicet ordine esset octava: tunc enim suæ vices eum ad ministrandum in templo vocabant. Verum v. 8. hujus vicis facta est mentio; quare sors, de qua vers. 9. alia est a vice; vicemque magis particulatim limitat & determinat, q. d. Cum Zacharias ordine vicis suæ ut sacerdos ministraret in templo, inter varia sacerdotum officia sorte, id est sortitione, ei obtigit officium adolendi incensum. Sacerdotes enim, vicis sive classis Abia, quia erant multi, hinc sortiebantur, quid quisque in templo ageret, & quod munus obiret. Quatuor enim præcipua erant sacerdotum munia, ut patet Exodi 30. primum erat sacrificare, victimasque mactare & immolare: secundum, accendere lucernas in candelabro septicipiti: tertium, die sabbati ponere novos panes duodecim in mensa panum propositionis, subductis veteribus: quartum, adolere incensum in altare thymiamatis. Hoc quartum ergo hic per sortitionem obtigit Zachariæ, tria cætera vero aliis sacerdotibus ejusdem classis Abia. Aliis enim per sortem erat sacrificandum, aliis accendendæ lucernæ, aliis panes propositionis conficiendi & proponendi in mensa Dei; Zachariæ vero sorte obtigit suffumigare thymiama, sive illud per suffitum Deo offerre. Id clare patet ex Græco ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι, id est, *sortitus est*: sive *sorte consecutus adolere incensum*; Syrus, *obvenit ei ut componeret suaves odores*, Arabic. *cum eo temporis suum esset ponere incensum*, puta thymiama, quod ex quatuor rebus odoriferis, scilicet stacte, onycha, galbano & thure commistum & compositum erat, Exodi 30. 34. Vide ibi dicta.

Quatuor munera sacerdotii.

H

Opinantur nonnulli, ut S. Ambrosius, Beda, Theophyl. & S. Augustinus in Joannem, tract. 49. Zachariam fuisse summum pontificem, ducti hac ratione; quod ipse adoleverit incensum in altari thymiamatis; hoc enim ipsi censent fuisse in Sancto sanctorum, quod nulli ingredi licebat, nisi summo pontifici. Verum altare hoc non fuisse in Sancto sanctorum, sed in Sancto, quod quotidie communes Sacerdotes ingrediebantur, ostendi Exodi 40. v. 24. Idipsum confirmat hic τὸ *sorte exiit*. Summus pontifex enim erat extra, imo supra omnem sortem, ac quan-

An Zacharias fuerit summus pontifex.

Digitized by Google

quandocumque volebat, ministrabat in templo. Adde, hoc tempore non Zachariam, sed Joazarum fuisse pontificem, ut docet Joseph. l. 17. Antiq. c. 8. Quare Zacharias non fuit pontifex (hoc enim non tacuisset hic Luc.) sed communis sacerdos, uti docent Lyranus, Toletus, Maldonatus, Baronius, Salmeron, Abulensis, Jansenius, Carthusianus, ac Suarez 3. p. tom. 2. disp. 23. sect. 1.

Angeli assistentes sacrificanti.

Moraliter hic disce, angelos apparere dum versamur in locis rebusque sacris, ac Deum vel per se vel per angelos animæ loqui, cum versamur in oratione, sacrificio, similive Dei cultu, uti hic Angelus apparuit Zachariæ adolenti thymiama, eique lætissimum de nascituro Joanne & Christo nuncium attulit.

VERS. 10 ET OMNIS MULTITUDO POPULI ERAT ORANS FORIS HORA INCENSI] Scilicet in atrio extra Sanctum sive templum, hoc enim solis sacerdotibus ingredi licebat. Ante Sanctum ergo erat atrium duplex: prius interius sacerdotum continens altare holocaustorum, in quo victimæ sub dio cremabantur; posterius exterius laicorum, qui ex suo hoc atrio eminus spectabant sacrificia a sacerdotibus immolata in altari holocaustorum; thymiama vero, & altare thymiamatis, quod erat in Sancto undique obtecto, videre non poterant.

Atrium in templo duplex.

HORA INCENSI] Græce *thymiamatis*, cum scilicet, sacerdos thymiama in altari subjecto igne cremabat, & suffumigabat in honorem cultumque Dei; Omnium enim gentium ritu thura Deo adolentur.

VERS. 11 APPARUIT AUTEM ILLI ANGELUS (Gabriel, ut patet v. 19.) DOMINI, STANS A DEXTRIS ALTARIS INCENSI] *A dextris*, Primo, *quia prospera & bona nuncians advenerat*, ait Euthym. Secundo, *quia divina insigne misericordiæ deferebat*, ait S. Ambr. *Dominus enim a dextris est mihi, ne commovear.*

Disce hic, angelos altaribus, sacerdotibus & sacrificiis assistere, eisque cooperari, ut iis Deum colant, honorent, & adorent, qua de re in Vitis Sanctorum plura extant exempla, quorum nonnulla recensui Exodi 29. v. 38. Lev. 9. v. ult. n. 4. in fine capitis.

VERS. 12 ET ZACHARIAS TURBATUS EST, VIDENS] tum ob novam & insolitam visionem, tum ob decorem & majestatem angeli apparentis: apparuit enim specie augusta, & cælesti, quam infirmitas humana vix oculis intueri poterat: *quia homo earum virium non est*, ait Titus, *ut ejusmodi peregrinum inusitatumque visum citra commotionem ferre valeat. Perturbamur*, inquit S. Ambr. *& a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicujus superioris potestatis occursu.*

Sic Daniel c. 10. 8. apparente sibi eodem Gabriele Archangelo, ait: *Et non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* Hinc indicium boni angeli est, si primo terreat, deinde exhilaret: mali vero, si initio exhilaret, deinde mœstum efficiat. Unde S. Antonius, teste Athanasio in ejus Vita. *Si post timorem*, inquit, *succedit gaudium, a Domino est visio: securitas enim animæ præsentis majestatis indicium est: si vero incussa formido permansit, hostis est qui videtur.*

Bonus Angelus apparens initio terret: deinde exhilarat: contra malus.

VERS. 13 AIT AUTEM AD ILLUM ANGELUS: NE TIMEAS ZACHARIA, QUONIAM EXAUDITA EST DEPRECATIO TUA] qua Deum precatus es non pro habenda prole: de ea enim usque adeo desperabat, ait S. Augustinus, ut nec angelo promittenti crederet vers. 20. sed qua ut sacerdos orasti pro peccatis populi, & adventu Messiæ: nam de ejus adventu Zacharias inferius vers. 69. cum jam natus esset Joannes, gratias agit, cum Dei instinctu cognosceret Joannem fore paranymphum Messiæ, id est, præcursorem Christi, uti mox hic illi promittit angelus. Sensus ergo est: Exaudita est, o Zacharia, deprecatio tua, qua quasi sacerdos precatus es pro salute populi, & ejus Salvatore Messia, is enim propediem nascetur. Insuper Deus, qui merita supplicum excedit & vota, dabit tibi filium, qui ejus sit Propheta, & præcursor. Ita Beda, Euthymius, Theoph. hic & S. August. lib. 1. de Consensu Evang. c. 1. & S. Chrysost. hom. de Nativitate S. Joannis tomo 2.

Secundo, tamen; non male nonnulli censent hanc Zachariæ deprecationem fuisse pro habenda prole, si intelligas illam a Zacharia non hoc tempore, sed olim, cum junior spem prolis haberet, fuisse fusam: nam omnia sequentia prolem hanc explicant.

ET UXOR TUA ELISABETH PARIET TIBI FILIUM, ET VOCABIS NOMEN EJUS JOANNEM] Cur *Joannem*? Resp. quia *Joannes*, ait Maldonatus, hebr. idem est quod *gratiosus*, vel, ut Pagnin. *Domini donum* vel *misericordia*. Isidor. l. 7. Etymol. c. 8. *Joannes*, inquit, *interpretatur Domini gratia, eo quod sit limes prophetiæ, præcursor gratiæ, sive initium baptismatis, per quod gratia ministratur.* Recte, sed non præcise: sic enim potius vocandus fuisset Hanania, quam Johannes: חנינה *hanina* enim sive *chanina*, significat gratiam. Proprie ergo & præcise *Joannes*, hebr. *Jehochanam*, & crasi *Johannam* (unde Syrus vertit, *Jouchanon*) idem est quod *Deus misertus est*. *Jehova* enim, & crasi *Ja*, nomen proprium est Dei: יחן *chanan* vero vel *hanan* (unde patet Johannes scribendum fore per aspirationem *h*, non Joannes) id est quod *misertus est, gratiam exhibuit*, idque fecit Deus primo, & proxime, cum, uti præcessit, exaudivit Zachariæ deprecationem, quæ Hebr. dicitur תחנה *techinna*, ab eadem radice *chanan*.

Joannis etymon.

Secundo, eo quod jam Deus misertus esset populi destinando Messiæ præcursorem, scilicet Joannem, & propediem mittendo ipsum Messiam. Per Christum enim, non per Mosem, & legem, gratia & veritas facta est, Joan. 1. 17. Sic filius Annæ dictus est *Samuel*, id est, *postulatus*, & impetratus matris lacrymis a Deo ad salutem totius populi, 1. Reg. 1. 20.

Tertio, Deus etiam Joannis misertus est, implendo eum sua gratia copiosa & multiplici, ait Beda, Jansen. & Maldon. qua eum effecit Israelis doctorem, Prophetam, Virginem, Anachoretam, Martyrem, ac Christi indicem, & præcursorem. Fuit ergo Joannes quasi filius Charitum, filius inquam gratiarum, in quo scilicet expoliendo, ornando & condecorando omnes Charites, omnes gratiæ Dei conspirasse videantur.

Nota hic trium nominum triplex mysterium: nam *Elisabeth*, id est, juramentum Dei promittentis, & *Zacharias*, id est, memoria Dei, memoris sui promissi, pariunt nobis *Joannem*, id est, Dei misericordiam & gratiam.

VERS. 14 ET ERIT GAUDIUM TIBI, ET EXULTATIO] ob filium Joannem, tanto miraculo ad tanta natum. q. d. Iste filius erit tibi multisque aliis causa summi gaudii & exultationis. Causam subdit:

VERS. 15 ERIT ENIM MAGNUS CORAM DOMINO] cujus solius, utpote optimi, & maximi, est æstimare & judicare quid magnum sit, quid mediocre, quid parvum. Ipse ergo solus vere & absolute magnus, novit illa, quæ vere sunt magna. Multi, ait Theophyl. magni dicuntur, sed coram hominibus, qui parvi parva magni æstimant, at Joannes magnus fuit coram Domino, qui magnus magna ponderat.

Joannes magnus cur?

ERIT MAGNUS] Primo, sanctificatione in utero matris; Secundo, profundissima humilitate; Tertio, castitate eximia; Quarto, pœnitentia exemplari; Quinto, zelo Seraphico; Sexto, vita tota, quæ non tam humana fuit, quam angelica, adeo ut Joannes a Judæis & Scribis putaretur esse Messias; Septimo, prophetia sublimi; Octavo, vita eremitica; Nono, officio prædicatoris & præcursoris Christi; Decimo, martyrio nobilissimo. Vide 28. privilegia Joanni concessa, quæ hic enumerat noster Barradius. In omnibus hisce dotibus Joannes fuit magnus, quia eas habuit non in communi & quali quali, sed magno, singulari, & eminenti gradu. Unde illi merito accinit Ecclesia:

O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens Martyr, nemorumque cultor,
Maxime vatum.

ET VINUM ET SICERAM NON BIBET] Sicera significat omne id, quod inebriare potest, uti vertit S. Hier. Lev. 10. 9. & alibi: שכר *Schar* enim est inebriari; שכור *siccor*, ebrius; שבר *Sechar*, id quod inebriat, sicera. Vino & sicera abstinere proprium erat Nazaræorum, qualis ex hoc loco per omnem vitam videtur fuisse Joannes, q. d. Joannes per omnem vitam erit Nazaræus & consecratus Deo. Vide Num. 6. Joannes, ait S. Ambrosius, delicias hominum corporisque lasciviam magna animi virtute depressit.

ET SPIRITU SANCTO (Syrus, *Spiritu sanctitatis*) REPLEBITUR ADHUC EX UTERO MATRIS SUÆ] quando, ut, ait Glossa, intrante Virgine, exultavit in utero genitricis, & præcursoris officium quoad potuit implevit, ut patebit v. 41. & 44. Fuit ergo Joannes prius Spiritu Dei renatus, quam ex matre natus.

EX UTERO] Arab. *in utero*. q. d. Joannes incipiet esse

Digitized by Google

A esse sanctus ab ipso matris utero, talisque durabit semper ad finem vitæ suæ.

An Joannes in utero sanctificatus.

Quæres, An Joannes vere & realiter in utero a peccato originali sit purgatus & justificatus? Negat S. Aug. ep. 57. ad Dardanum, & S. Hieronym. in cap. 1. Jeremiæ: ajunt enim ipsi Joannem æque ac Jeremiam dici in utero sanctificatos, non reipsa, sed secundum Dei prædestinationem dumtaxat; quia scilicet ad sanctitatem futuram a Deo erant destinati, ut idem hic dicatur de Joanne, quod Apostolus de se ait Galat. 1. *Qui me segregavit ab utero matris meæ*, &c. Ratio S. Augustini est, quia renasci præsupponit nasci: atqui Joannes in utero existens necdum erat natus; ergo non potuit tum renasci reipsa, sed tantum secundum Dei prædestinationem.

Verum contraria est communis sententia Patrum, S. Athanasii, Cypriani, Cyrilli, Ambrosii, Gregorii, Bernardi, quos citat & sequitur Toletus, Barradius, Jansenius, Franc. Lucas, & alii passim. Prob. Primo, quia id clarissime hic promittit Joanni angelus: dicens: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* q.d. B Ab utero erit sanctus, imo plenus Spiritu sancto. Secundo, quia Joannes ad salutationem B. Virginis in utero credidit in Christum, eum adoravit, dilexit, & præ gaudio exiliit, ut dicam v. 44. Tunc enim quando visitatus, & salutatus est a B. Virgine, sexto mense a conceptione, sua, hæc mira sanctificatio ei contigit. Idem privilegium S. Athanasius, S. Bernardus, & alii tribuunt Jeremiæ, ut patet Jeremiæ 1. vers. 5. Vide ibi dicta. Ad rationem S. Augustini. Resp. hominem, ut per gratiam renasci possit, censeri natum quando conceptus in utero, a Deo animam & vitam accepit: tum enim uti nascitur cum peccato originali, ita & per gratiam ab eo expiari & renasci potest, imo & baptizari, ut patet, si infans in utero matris existens baptizetur, sive mortua, & discissa matre, sive ea vivente, v. g. si infans manum vel pedem foras emittat, qui aqua ablui possit, ut habet praxis Ecclesiæ.

VERS. 16 ET MULTOS FILIORUM ISRAEL CONVERTET AD DOMINUM DEUM IPSORUM] Scilicet ad Messiam, sive Christum. Unde contra Arrianos patet Christum esse Deum. Hinc Beda, Patet, inquit, Christum Deum esse Israel: C in ejus enim fide Joannes baptizat.

VERS. 17 ET IPSE PRÆCEDET ANTE ILLUM IN SPIRITU, ET VIRTUTE ELIÆ] Non dicit, In anima Eliæ, ait Origen. sed in spiritu & virtute, quia, ut ait S. Ambros. numquam sine virtute spiritus, nec sine spiritu virtus: omnis enim vis, & virtus est a Spiritu sancto, juxta illud: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Lucæ 1. 35. *Præcedet ante illum*, scilicet Dominum Deum, puta Christum Dei filium. Joannes enim præcessit Christum, Primo, nascendo; sex mensibus enim ante Christum uti conceptus, sic & natus est. Secundo, baptizando, quia prius baptizavit, quam Christus; imo Christum baptizaturum prior ipse baptizavit: Tertio & maxime: prædicando pœnitentiam, ut viam sterneret Christo: Quarto, digito demonstrando Jesum, ipsumque esse Messiam & Agnum Dei, qui tolleret peccata mundi, asserendo: Quinto, moriendo per martyrium ante Christum: Sexto descendendo ad patres in limbum, eisque Christum propediem affore, eosque liberaturum, annunciando. In hisce enim omnibus Joannem præeuntem secutus est Christus.

Joannes præcessit Christum sextuplicter.

D IN SPIRITU ET VIRTUTE] Id est, in spiritu virtutis, id est, roboris & efficacitatis. Græce enim est, δυνάμει, non ἀρετῇ. Est hendiadys, q. d. Sicut Elias excelluit, & in fine mundi excellet spiritu robusto & efficaci ad certandum contra Antichristum, ut Judæos, cæterosque ab eo convertat ad Christum: sic prorsus excellet eodem spiritu potenti Joannes, ut per suam prædicationem, & vitæ sanctissimæ exemplum Judæos duros moveat ad pœnitentiam, itaque eos ad Christi baptismum, & gratiam præparet.

Joannes similis Eliæ. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Nota. Spiritus virtutis Joannis fuit similis Eliæ. Primo, in vitæ austeritate: Joannes enim locustis vescebatur, & pilis camelorum quasi cilicio, ac zona pellicea vestiebatur, æque ac Elias. Secundo, uterque degebat in solitudine, eratque eremita. Tertio: in paupertate, & mundi contemptu. Quarto & aptius, in zelo, libertate & ardore prædicandi, quo uterque multos Israelitas ad pœnitentiam, & Deum Christumque convertit, & Elias rursum in fine mundi convertet, juxta illud Eccli. 48. 1. *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Simili enim modo de Joanne ait Christus: *Ille erat lucerna ardens & lucens*, Jo. 5. v. 35. Ecce hic est spiritus virtutis Eliæ. Quinto in fortitudine & passione. Sicut enim Elias fortissime certavit contra sacerdotes Baal, eorumque fautores Achab & Jezabel reges, 3. Reg. c. 18. & 19. & rursum in fine mundi certabit contra Antichristum ejusque asseclas, ac multa ab iis passus est, & patietur, atque tandem occidetur, eritque Martyr. Sic pariter Joannes certavit contra Herodem, & Herodiadem, ab eisque capite truncatus martyrii lauream obtinuit. E

Spiritus ergo virtutis duo significat, scilicet potestatem & efficacitatem bene operandi, ideoque adversa quævis fortiter perferendi, quæ utraque similis fuit in Joanne & Elia. Magis autem comparatur hic Joannes Eliæ venturo quam præterito, quia scilicet sicut Elias magno spiritu, & efficacitate præibit secundum Christi adventum, ut infideles debellet, & convertat ad fidem: sic pariter Joannes eodem spiritu, & efficacitate præibit primum Christi adventum, *ut convertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam justorum*, uti explicans hic subjicit Gabriel, & Christus Matth. 11. 14. idque solerter advertunt & annotant hic S. Ambr. Beda, Theoph. Titus, & S. Greg. hom. 7. in Evang. qui sic explicat τὸ *in spiritu & virtute Eliæ*. q.d. *Sicut ille præco venturus est judicis, ita & iste præcursor est factus redemptoris.* Audi S. Ambrosium: *In spiritu & virtute Eliæ: quia scilicet Elias, & virtutem magnam habuit & gratiam, ut ad fidem animos populorum a perfidia retorqueret; virtutem abstinentiæ atque patientiæ, & spiritum prophetandi. In deserto Elias; in deserto Joannes. Ille corvis pascebatur: hic dumis, & calcata omni voluptatis illecebra, parsimoniam prætulit, luxumque contempsit. Ille Achab regis gratiam non quæsivit; hic sprevit Herodis. Ille Jordanem divisit; hic ad lavacrum salutare convertit. Hic cum Domino versatur in terra; ille cum Domino apparet in gloria. Hic prioris; ille sequentis Dominici præcursor adventus. Ille post triennium pluvia terram rigavit, & hic post triennium arescentem nostri corporis humum fidei imbre perfudit*, &c. F

Denique apte ad hunc spiritum virtutis, id est, fortitudinis, Joanni deferendum missus est Angelus Gabriel, qui hebr. idem significat quod *fortitudo Dei*, ut scilicet ipse suam, quam ex Deo hausit fortitudinem, hoc oraculo Joanni aspiret. G

UT CONVERTAT CORDA PATRUM IN FILIOS] ut scilicet Abraham, Isaac, Jacob, cæterique Patriarchæ bene afficiantur posteris suis Judæis, viventibus tempore Joannis & Christi. Fecit id Joannes, eos verbo & exemplo incitando, ut fidem & pietatem patrum suorum imitentur: sic enim patres agnoverunt filios suos, legitimos sui imitatores, Deique veri cultores, dum *in ea, quæ senserunt patres, consentient & filii*, ait S. Augustin. S. Hieron. & Beda. Vide dicta Malach. 4. v. 6. Ex Malachia enim hæc verba petita sunt, qui ad literam loquitur de Elia, typice de Joanne, ubi de utroque fuse hæc explicui, quare ea hic non repetam.

ET INCREDULOS (græce, ἀπειθεῖς, id est, ut Syrus, *inobedientes*, scilicet legi, & præceptis majorum ac Christi) pura Judæos convertet Joannes AD PRUDENTIAM (Syrus & Arabicus, *scientiam*) JUSTORUM] id est, ad fidem, sapientiam & intelligentiam, ait Euthymius, quam justi habuerunt & habent de Christo, quæ consistit in hoc, ut timeamus & amemus Deum & cælestia, non caduca, juxta Christi doctrinam & vitam. Ita Maldon. Secundo, proprie Toletus, q.d, Facier Joannes, ut Judæi increduli diligenter considerent signa adventus Messiæ patribus a Deo data, ex iis cognoscant, credantque Christum jam venisse, ipsumque esse hunc Jesum, quem Joannes Judæis ut talem digito ostendit. Hoc enim prudentiæ est opus & actus; nam hæc erat vox & prædicatio Joannis: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Matth. 3. 2. Hæc est scientia sanctorum, Sap. 10. v. 10. Vide dicta Malach. 4. 6. H

PARARE, ut sic sua prædicatione & vitæ exemplo paret DOMINO PLEBEM PERFECTAM] Legit interpres κατηρτισμένον, id est, perfectam; jam legunt κατευθυσμένον, id est, bene & perfecte præparatam & instructam, scilicet ad suscipiendam fidem & doctrinam Christi, ac perfectionem gratiæ, justitiæ & vitæ Christianæ, a Christo e cælo allatam & prædicatam. Unde Theoph. vertit, *capacem*; alii, *dispositam* ad fidem Christi; Arabicus, *parabit Domino plebem justam*.

ET

A ET DIXIT ZACHARIAS AD ANGELUM: UNDE HOC
VERS. 18 SCIAM? EGO ENIM SUM SENEX, ET UXOR MEA PROCESSIT IN DIEBUS SUIS] q. d. Ede signum vel miraculum, quo mihi probes tam magna quæ promittis reipsa eventura. Tanta enim polliceris, ut nudis tuis verbis credere nequeam. Hæsitat Zacharias & diffidit promissis angeli, partim ob rerum ab eo promissarum magnitudinem, earumque desiderium: quia eas adeo magnas, ut naturæ vires longe superarent, ipse non comparabat cum omnipotentia Dei, solo humano spiritu rem metiens: partim quia non omnino certo credebat esse angelum bonum, qui hæc promittebat, etsi sufficientia sibi signa ipsi dedisset angelus, ut patet ex sequent. Videtur tamen hæc hæsitatio ejus & diffidentia ex animi indeliberatione & inconsideratione processisse, ideoque veniale dumtaxat fuisse peccatum, ob quod punitus est & privatus facultate loquendi. Secus fecit Abraham, qui angelo promittenti sibi ex Sara sterili filium Isaac, illico credidit: quia *confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere*, Rom. 4. 17.

Zachariæ hæsitatio fuit tantū venialis.

B VERS. 19 ET RESPONDENS ANGELUS DIXIT EI: EGO SUM GABRIEL, QUI ASTO ANTE DEUM: ET MISSUS SUM (a Deo) LOQUI AD TE; ET HÆC TIBI EVANGELIZARE] hæc bona nuncia tibi afferre. Evangelium enim græce idem est quod bonum nuncium. Unde Pagninus vertit, *& bona annunciem tibi hæc*.

QUI ASTO] id est, astare soleo, velut Deo ad omnem ejus nutum ministraturus, sicut famuli astant regi. Græce παρεστηκὼς, id est, *qui astiti*, scilicet in cælo; jam enim ibi ei non asto, sed inde ad te in terram missus sum: licet in terra angeli quoque astent Deo, ejusque faciem videant: Deus enim est ubique, Matth. 18. 10. Hinc colligas eosdem esse angelos Deo ministrantes & assistentes, licet id negent S. Dionysius Areop. & S. Gregorius: Gabriel enim hic simul astat & ministrat Deo, mittiturque ad Zachariam.

Gabriel ex quo ordine?

Porro *ἵ στο* significat Gabrielem proxime astare Deo, esseque unum e septem primariis angelis, qui sunt principes aulæ cælestis, sicut est & Michael, ac Raphael, qui

C Tobiæ c. 12. v. 15. ait: *Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui astamus ante Deum*. De his septem angelis multa dixi Apocal. 1. 4. Quare licet aliqui, ut Toletus, hic censeant Gabrielem esse ex ordine penultimo, qui est Archangelorum, eo quod alibi vocetur Archangelus; verius tamen videtur eum esse primo ex ordine, qui est Seraphim, adeoque esse unum e primis aulæ cælestis principibus, ideoque a multis vocari Archangelum, id est, angelum primarium & principem, imo non desunt, qui censeant eum inter Seraphinos esse omnium primum. Ita censet Marcus Viguerius Cardinalis in Decachordo Christiano corda 1. cap. 2. idque probat octo rationibus vel potius congruentiis, quas recensui Daniel. 9. 21. quæ omnes ad hanc unam reducuntur. Ad opus summum, inquit, decebat mitti summum angelum: atqui summum Dei opus est Incarnatio Verbi: ergo Gabriel hic vers. 26. ad illud nunciandum missus, est summus angelus: Sed hæc ratio non concludit, ut ibi ostendi. Nam communis Theologorum sententia est, Michaelem esse supremum angelorum omnium, & antagonistam Luciferi, Apocal. 12. v. 7.

D Porro *Gabriel*, ait S. Hieron. in Nomin. Hebr. in Luca, hebr. idem est quod *confortavit me Deus*, aut *fortitudo Dei*, vel *virtus mea Deus*. Apte ergo ipse missus est, ut nunciando conceptionem Joannis afflaret ei spiritum virtutis, id est, fortitudinis Eliæ. Idem nunciavit conceptionem, & incarnationem Verbi æterni, v. 26. quia hoc opus fuit summæ virtutis, potentiæ & fortitudinis Dei.

Gabrielis etymon.

VERS. 20 ET ECCE ERIS TACENS, ET NON POTERIS LOQUI, USQUE IN DIEM, QUO HÆC FIANT, PRO EO QUOD NON CREDIDISTI VERBIS MEIS, QUÆ IMPLEBUNTUR IN TEMPORE SUO] Theophyl. Titus, & S. Ambros. vertunt, *& ecce eris surdus*, & sic clare distinguitur ab eo, quod sequitur, *Et non poteris loqui*; alioqui enim erit tautologia. Licet enim Græcum κωφὸν, proprie tacentem & mutum significet, tamen & surdus eadem voce intelligi potest: sunt enim hæc duo naturaliter inter se connexa, ut qui muti nascuntur, sint & surdi, ac vice versa: quocirca Græci surdum æque ac mutum vocant κωφὸν, Hebr. חרש *cheres*, Syri, *hares*: Zacharias ergo hic effectus est surdus æque ac mutus. Unde v. 22. vocatur κωφὸς. Hinc & v. 62. Zachariæ quasi surdo non loquuntur, sed nutibus & signis innuunt cognati & vicini, ut scribat quo nomine velit vocari filium recens sibi natum. Ipse ergo quia inobediens fuerat, punitur surditate; quia contradictor verbis angeli, mulctatur facultate loquendi, & taciturnitate plectitur. *Incredulitas*, ait S. Ambrosius, *Zachariæ affatum eripuerat & auditum. Merito autem hæc duo passus est*, inquit Theoph. *quod & non audiret, & non loqueretur: quia enim non obedierat, condemnatur ut surdus sit, & quia contradixerat, ut sileat*.

E USQUE IN DIEM, QUO HÆC FIANT] quo nascatur tibi Joannes. q. d. ait Titus: *Quia vocem edidisti plane incredulam, propterea voce tanti sper orbaberis, donec re jam expleta & tuam in credendo tarditatem, & Dei rursus agnoscas potentiam*. Petierat Zacharias diffidens promissis angeli v. 18. ab angelo sibi dari signum Joannis nascituri; angelus ergo ipsi obsecundans dat signum, quod simul sit pœna, & castiget ejus incredulitatem & contradictionem, scilicet percutiens eum surditate & taciturnitate.

VERS. 21 ET ERAT PLEBS EXPECTANS ZACHARIAM] ut ex Sancto, ubi adoleverat incensum, eo peracto rediret ad se in atrium, quod erat ante Sanctum.

F ET MIRABANTUR: QUOD TARDARET IPSE IN TEMPLO] *Tardaret*, partim colloquens cum angelo, partim secum ruminans magnifica ejus dicta & promissa.

VERS. 22 EGRESSUS AUTEM NON POTERAT LOQUI AD ILLOS (quia erat mutus) ET COGNOVERUNT QUOD VISIONEM VIDISSENT IN TEMPLO (ex eo quod viderunt eum mutum, stupentem & attonitum,) ET (id est, *quia*) IPSE ERAT INNUENS ILLIS (gestibus & signis, quod esset mutus, ac visionem vidisset) ET PERMANSIT MUTUS] græce κωφὸς, syriace *hares*, id est surdus æque ac mutus, ut dixi v. 20.

VERS. 23 ET FACTUM EST UT IMPLETI SUNT DIES OFFICII (græce λειτουργίας, id est liturgiæ, hoc est ministerii sacri in templo) EJUS, ABIIT IN DOMUM SUAM] quæ sita erat in montanis Judææ, ut patet v. 39. ubi erat uxor sua Elisabeth.

VERS. 24 POST HOS AUTEM DIES CONCEPIT ELISABETH UXOR EJUS] *Congressus est cum uxore*, ait Euthym. *propter promissum fœtum, silentii flagello edoctus, ut angelicis verbis crederet*. Porro concepit Elisabeth Joannem sub diem 24. Septembris, quo die multæ Christianorum Ecclesiæ

G celebrant conceptionem S. Joannis. Unde eamdem hoc die in Martyrolog. consignat Usuardus & Molanus: nam nono post mense natus est Joannes die 24. Junii, ac sexto post mense missus est Gabriel ad annuntiandum B. Virgini conceptionem Christi, quæ facta est die 25. Martii, ut patet v. 26. & 36. nam a die 24. Septembris usque ad diem 25. Martii sunt sex menses: quare incensum hoc oblatum a Zacharia, ejusque visio & promissio angelica de Joanne nascituro, paulo ante in festo Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, contigisse videtur. Hoc enim festum celebrabatur die 15. mensis *Tisri*, durabatque per octo dies, ut patet Levit. 23. 34. & Num. 29. *Tisri* autem respondebat nostro partim Septembri, partim Octobri. Apposite, scilicet ut significaretur Joannem nascitutum, qui futurus præco Christi, & per eum reserandi cæli, causa foret communis lætitiæ toti orbi: ipse enim docturus erat homines, ipsos esse peregrinos in terra, in eaque degere quasi in temporario tabernaculo, & a Deo conscriptos esse cives cæli, ubi domum æternam & felicissimam obtinebunt. Hæc enim omnia

H significabat lætissimum Tabernaculorum festum, quo cum ramis palmarum gaudentes Hebræi saltabant & tripudiabant, eo quod ex deserto, ubi per 40. annos in tabernaculis vixerant, a Deo inducti essent in terram promissam Chanaan, in eaque bonis terræ locupletati forent, uti dixi Levit. 23. 24. Hinc sequitur, Joannem conceptum sub æquinoctium autumnale, natum vero sub solstitium æstivum, post quod decrescunt dies; Christum ex adverso conceptum sub æquinoctium vernum, natum vero sub solstitium hybernum, post quod dies accrescunt; quia, ut ajebat Joannes: *Illum oportet crescere, me autem minui*, uti solerter advertit S. August. tract. 14. in Joannem.

Joannes conceptus 24. Septembris.

ET OCCULTABAT SE MENSIBUS QUINQUE, DICENS] Occultatio hæc signum erat pudoris & verecundiæ: *partus enim sui erubescebat ætatem*, ait S. Ambrosius, quod scilicet sterilis & anus rei uxoriæ & conjugio vacasset, donec mense sexto, ut sequitur, B. Virginem cognatam suam stante virginitate (quod longe magis erat novum, rarum & mirum) concepisse audivit & vidit; tunc enim in publicum prodiens pudorem deposuit: prius ergo per

Digitized by Google

A menſes quinquè pudoris cauſa publico abſtinuit, licet in ſecreto cordis & cubiculi ſui gauderet, ſibique congratularetur de divino hoc S. Joannis conceptu. Sic Sara ſterilis accepto nuncio naſcituri ex ſe Iſaac, Geneſ. 18. 12. *riſit occulte, dicens: Poſtquam conſenui, & dominus meus* (Abraham maritus) *vetulus eſt; voluptati operam dabo?* Nam, ut ait S. Ambroſius: *Senes ab ipſa concluduntur ætate, & juſto intemperantiæ pudore revocantur facere opera nuptiarum.* Unde illud:

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

VERS. 25 · QUIA SIC FECIT MIHI DOMINUS IN DIEBUS, QUIBUS RESPEXIT AUFERRE OPPROBRIUM (ſterilitatis, quod illo ævo apud Judæos ingens erat probrum, & quaſi ſignum maledictionis Dei) MEUM INTER HOMINES] *Sic*, ſcilicet adeo magnifice, ſtupende & miraculoſe egit mecum Deus, ut me anum & ſterilem tanta prole fœcundaret. Admiratur enim Eliſabeth Dei in ſe beneficentiam, eique toto cordis ſinu gratias agit, æque ac fecit B. Virgo mater Chriſti effecta, concinens v. 47. *Magnificat anima mea Dominum.*

B IN MENSE AUTEM SEXTO MISSUS EST ANGELUS GA-
VERS. 26 BRIEL A DEO IN CIVITATEM GALILÆÆ, CUI NOMEN NAZARETH] *In menſe ſexto*, ſcilicet a conceptione Joannis Baptiſtæ, poſtquam mater ejus Eliſabeth occultavit ſe menſibus quinque, ut dixi verſ. præced. Sex menſibus ergo junior fuit Chriſtus Joanne Baptiſta: hic enim, utpote præcurſor Chriſti, illo debebat eſſe prior & ſenior. Menſis hic ſextus non inchoans, ſed finiens, aut potius finitus accipi debet. Nam a die 24. Septembris, qua conceptus eſt Joannes, uſque ad diem 25. Martii, qua, miſſo angelo ad B. Virginem, conceptus eſt Chriſtus, intercedunt ſex menſes integri. *In menſe ſexto* ergo, hoc eſt in fine menſis ſexti, vel finito menſe ſexto,

Chriſtus incarnatus 25. Martii, eodem die crucifixus eſt, quo etiam mundus creatus.

Annunciatio igitur hæc Gabrielis, & conſequenter incarnatio Verbi contigit die 25. Martii, quo pariter die Chriſtus poſt 34. vitæ annos completos, pro ſalute hominum crucifixus & mortuus eſt, uti dixi Matth. 27. 37. Eodem die multi cenſent mundum a Deo primitus fuiſſe conditum & creatum, Geneſ. 1. ut eodem die creatus
C ſit a Deo, quo poſtea recreatus & reſtauratus fuit a Chriſto in incarnatione & cruce. Unde ab hoc die & hoc menſe annos Chriſti inchoant & numerant Angli, Veneti, Piſani, pluresque aliæ nationes (& nuper Franci) teſte Covarruvia lib. 1. Variar. reſol. c. 12. nu. 2. & Henriquez lib. 8. de Euchariſtia c. 11. §. 10. litera I. & Joanne Lucido tract. de Paſſione Chriſti. Conceptio enim eſt quaſi prima hominis nativitas, juxta illud: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, Matth. 1. v. 21.

ANGELUS GABRIEL] Notat S. Hier. in c. 8. Danielis, tres angelos in S. Scriptura nominari ac celebrari, ſcilicet, Michaelem, Raphaelem & Grabrielem, e quibus Michaelem, ait præeſſe precibus & oblationibus fidelium,

Angelorum munia. atque idcirco dicitur *Michael*, id eſt, *quis ut Deus?* q. d. Solius Dei eſt exaudire preces pœnitentium, eoſque peccatis propitiari, eoſque juſtificare & ſalvare. Secundo, Raphaelem præeſſe ſanitati corporum, ideoque Tobiæ cæco viſum reſtituiſſe: hinc dicitur *Raphael*, id eſt *medicus*, vel *medicina Dei*. Tertio, *Gabriel*, id eſt, *fortis*,
D aut *fortitudo Dei*, præeſt præliis ac bellis fidelium, ut patet Daniel. c. 12. v. 13. & ſeq. Unde ipſe mittitur nunciaturus Chriſtum, qui bellum acerrimum erat geſturus contra Luciferum, cæteroſque dæmones & homines impios. Rurſum *Gabriel* dicitur quaſi גבר אל *geber el*, id eſt, *vir Deus*, q. d. Deus incarnabitur, eritque homo puer quantum ad naturam ac ætatis & corporis progreſſum, idem tamen erit vir, quia a primo conceptionis inſtanti anima ejus erit plena omni ſcientia, gratia, fortitudine, juxta illud Jerem. 31. 22. *Femina circumdabit virum*. Porro Toletus ex S. Dionyſio, Baſilio, Gregorio & Damaſceno cenſet Michaelem eſſe ex Principatibus, qui a S. Dionyſio ponitur primus ordo tertiæ Hierarchiæ Angelorum; Gabrielem vero eſſe ex ordine Archangelorum. Verum verius eſt Michaelem eſſe primum inter Seraphinos, Gabrielem vero ei eſſe proximum & vicinum, uti dixi v. 19. *Ad hoc quippe miniſterium*, ait S. Gregor. hom. 34. in Evang. *ſummum* (unum e ſummis) *angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nunciabat.*

NAZARETH] Unde Chriſtus ab ea quaſi a patria, in qua conceptus fuit (nam in Bethlehem natus eſt) cognominatus eſt Nazarenus, Matth. 2. 23. In Nazareth ergo habitabat B. Virgo cum Joſepho ſponſo ſuo. Porro domus vel cubiculum ejus, in quo angelo nunciante Chriſtum concepit, a S. Jacobo, aliiſque Apoſtolis conſecrata fuit in Eccleſiam, uti refert L. Dexter in Chronico anno Chriſti 42. & alii. Ibidem poſt trecentos annos S. Helena templum ædificavit, teſte Nicephoro lib. 8. c. 30. Eamdem viſitavit S. Paula, S. Ludovicus, cæterique peregrinantes. Vide Turſel. in Hiſtoria Lauret. c. 1. & ſeq. Eadem poſt mille annos e Galilæa & Nazareth ab angelis tranſlata eſt in Dalmatiam, inde in Italiam, puta Lauretum, ubi etiamnum conſiſtit, & totius orbis concurſu pie viſitur, adeo ut ipſe Eraſmus (quem Novantes ut anteſignanum ſequuntur) in orat. ad Virginem, ita Lauretanam Virginem ſalutet: *Salve inclyta regum progenies, ſacerdotum decus, patriarcharum gloria, cælitum triumphus, inferorum formido, Chriſtianorum ſpes & ſolatium, divinitati proximæ es, ne illic nobis deeſſes. Certa eſt fiducia tua, pronus tuis advolvor pedibus, ſerva animulam hanc, quæ ſe tibi quanta eſt, nuncupat.*

Cubiculum Deiparæ Lauretum tranſlatum.

VERS. 27 AD VIRGINEM DESPONSATAM VIRO, CUI NOMEN ERAT JOSEPH DE DOMO (id eſt tribu & familia) DAVID (cui promiſſus erat Chriſtus quaſi filius) ET NOMEN VIRGINIS MARIA] *Deſponſata*: non per ſolam deſponſationem, ſed & per verum matrimonium jam contractum, licet uſu non conſummatum. Vide dicta Matth. 1. 18. *Miſſus eſt*, ait S. Greg. Thaumaturgus ſerm. 3. de Annunciat. *Gabriel, ut dignum puriſſimo ſponſo thalamum pararet. Miſſus eſt Gabriel, ut inter creaturam & creatorem ſponſalia contraheret. Miſſus eſt Gabriel ad animatum regis palatium, Miſſus eſt Gabriel ad virginem deſponſatam quidem Joſeph, ſed Jeſu filio Dei ſervaturam. Miſſus eſt lychnus, qui ſolem juſtitiæ indicaret.*

AD VIRGINEM] Præclare S. Bern. ſerm. de Aſſumpt. *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cælis regali ſolio, in quo Mariam filius ejus ſublimavit.* Et ſerm. 4. *Quæ vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus ſancti ſacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei?* Hoc eſt quod canit Eccleſia:

Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei:
Intacta neſciens virum,
Verbo concepit filium.

MARIA] Nota, *Maria*, vel, ut hebr. dicitur, *Mirjam*, græce Μαριάμ, hebr. idem eſt, q. d. *morjam*, id eſt, myrrha vel amaritudo maris. Hebræi enim tradunt ſororem Moſis dictam eſſe *Mariam*, eo quod, cum ipſa naſceretur, cœpit amara Pharaonis tyrannis mergendi infantes Hebræorum, Exodi 1. Verum in meliore omine & nutu divino mutatum eſt in aliam ſignificationem: nam tranſito mari rubro & merſo Pharaone, dicta eſt *Maria*, quaſi *mara jam*, id eſt, magiſtra vel domina maris: ſicut enim Moſes virorum, ita Maria feminarum dux fuit in tranſitu maris rubri: unde & eis carmen epinicium præcinuit, Exodi 15. Porro hæc Maria typus fuit, ait S. Ambroſius Exhort. ad virgines, B. Virginis, quæ dicta eſt *Maria*, id eſt, magiſtra & domina maris hujus ſæculi, ut per illud nos ſalvos ducat in terram promiſſam, id eſt, in cælum. Unde R. Haccados apud Galatin. l. 7. 13. Meſſiæ matrem, dominam nuncupandam prædixit, & *Mariam* idem eſſe quod *Dominam* docet Philo, S. Hieron. Epiphanius & alii: imo Liturgiæ veterum. Chriſtiani omnes omni lingua B. Virginem, quaſi proprio nomine Dominam noſtram vocant & compellant. Unde S. Iſidor. l. 7. Etymol. c. 10. *Maria*, ait, *interpretatur illuminatrix aut ſtella maris: Genuit enim lumen mundi. Sermone autem Syro Maria Domina nuncupatur: pulchre quia Dominum genuit.* S. Hieron. vero in nomin. Hebr. in Exodo: *Maria*, ait, *idem eſt quod illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut ſmyrna maris*, vel *ſtella maris*. Sic & S. Greg. Thaumaturgus ſerm. de Annunc. *Maria*, ait, *interpretatur illuminatio*. Plura de nomine Mariæ dixi Exodi cap. 15. 20. ac in Proverb. & Canticis.

Mariæ etymon.

Hac de cauſa Maria fuit plena gratia, ideoque mare gratiarum: quare ſicut *omnia flumina intrant in mare*, Eccl. 1. ſic omnes omnino gratiæ, quas habuerunt Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, confluxere in Mariam, ait S. Bonaventura in Specul. c. 2. Denique quam nomen Mariæ angelis ſit delectabile, & dæmonibus terribile, docet S. Brigida lib. 1. Revel. c. 9.

Addit Pagnin. in Nomin. Heb. *Maria*, inquit, interpretari poteſt *pluvia temperanea* (hæc enim Hebr. vocatur

Digitized by Google

A tut *more*) *maris*, juxta illud: *Pluviam voluntariam segregabis hereditati tuæ*, Psal. 67. v. 10. Hinc & de Christo præcinuit Psaltes: *Descendet sicut pluvia in vellus*. Psal. 71. 6. Hoc secreto suo illapsu innuit hic Gabriel.

ET INGRESSUS AD EAM ANGELUS, DIXIT] *Ingressus*, id est illapsus in clausum Virginis, pro adventu Messiæ & salute hominum secreto orantis cubiculum, per fenestram vel per ostium. Angeli enim cum sint purissimi spiritus, sua subtilitate & efficacitate omnes parietes, & omnia corpora penetrant & pervadunt. Ita S. Bern. serm. 3. super *Missus est*. Licet Andreas Episc. Hierosol. serm. de Annunc. putet angelum clam ostium aperuisse, & modeste Virginem compellasse ac salutasse.

Ave, quid & unde?

AVE] Id est salve, gaude, lætare. Verisimile est angelum usum fuisse communi Hebræorum salutatione שלום לך *scalom lach*, id est *pax tibi*, ut habet Syrus, Æthiopicus & Persicus, illa enim Hebr. uti solent, cum timorem auferre volunt, & lætum se afferre nuncium significant. Nisi malis cum nostro Serrario in Ruth c. 2. qu. 20. *Ave*, vel, ut August. epist. 43. scribit, *have*, esse Heb.

B חוה *chauve*, vel *have*, id est, *vive*, scilicet sana æque ac sancta, læta & hilaris, felix & beata in Dei gratia & gloria summa, ad quam ipse te elegit, ut alludat ad nomen Evæ, quæ Heb. dicitur חוה *chauva*, id est, vitalis & vivificans, sive mater omnium viventium, Gen. 3. 20. q. d. *Eva*, non fuit *chauva*, id est, mater vitæ, sed mortis, quia omnes suos filios per peccatum morti addixit: tu vero, o Maria, vere es *Eva* sive *chauva*; quia mater vitæ, gratiæ, & gloriæ. Hinc apposite Latinum *Ave*, est inversum *Eva*, quia Maria Evæ maledictiones Gen. 3. in benedictiones convertit. Unde ei accinit Ecclesia:

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Eva nomen.

Ave, ait S. Gregorius Thaumat. serm. 2. & 3. de annunc. *animatum Dei templum, quia summum toti mundo gaudium paries: eris virginum gloriatio, & matrum jubilatio*. Hinc rursum olim matutina salutatio erat: *Ave*, id est, vive hodie sanus & lætus, vespertina vero *Vale*. Unde Martial. epigr. 56. lib. 1.

C *Et matutinum portat ineptus Ave.*

Et lib. 4. epigr. 79.

Cui non mane feras irrequietus Ave.

Causam dat Andr. Cret. orat. de Annunciat. *Decuit*, ait, *Latis ut præconiis Gabriel reginam salutaret, quæ & lætitiæ organum, & immensi gaudii est genitrix*.

Gratia plena quid?

GRATIA PLENA] Græce κεχαριτωμένη, quod frigide Tigurina & Novantes vertunt *gratiosa*, Beza *gratis dilecta*: putat enim ipse justos non habere inhærentem & intrinsecam justitiam, sed tantú extrinsecam, quæ consistat in hoc, quod Deus eos, licet in se sint peccatores, ex sua tamen benevolentia habeat reputetque justos, quæ est hæresis.

Verum κεχαριτωμένη, respondet Hebræo חננה *nechena*, vel מחנה *muchana*, quod proprie idem est quod gratificata, gratia repleta, gratiosa facta: χαριτόω enim idem est quod *gratiosum facio*, gratum, charum reddo, gratia impleo. Deus enim nil gratum judicat; nisi

D quod in se revera gratum est; quare cum quem justum sibique gratum facit, eum revera justitia & gratia inhærente donat & condecorat: quare κεχαριτωμένη, idem est quod gratia plena, uti vertit Noster, Syrus, Arabic. Ægyptius, Æthiopicus, Persicus; Item S. Ambrosius, Beda, S. August. Enchir. c. 36. S. Hier. ep. ad Principiam, S. Bern. & alii passim. Significat ergo hæc vox duo. Primo, B. Virginem fuisse a Deo gratia donatam, idque plene & per excellentiam super alios justos & sanctos, nam hoc epitheton appropriatur hic soli B. Virgini; ut scilicet per gratiam hanc eminentem aptaretur, dignaque efficeretur, ut mox fieret mater Dei. Secundo, per gratiam hanc mire placuisse Deo, ejusque angelis omnibus, ac in eorum oculis plane amabilem, speciosam & gratiosam fuisse, adeo ut eam Christus præ cæteris omnibus in matrem suam eligeret. Ita passim Patres: quod alibi dicit Scriptura: *Invenit gratiam in oculis Domini*.

B. Virgo quo sensu gratia plena fuerit?

Dices, Christus fuit plenior gratia, quam B. Virgo. Alii quoque Sancti dicuntur pleni fuisse Spiritu sancto, ut S. Stephanus.

Resp. eos plenos gratia dici, sed diversimode: nam, ut recte ait Maldonatus: Aqua plenus est fons, plenus fluvius, pleni rivuli, etsi plus & purius in fonte, quam in fluvio, in fluvio, quam in rivulis est. Plenus Christus gratia tamquam fons, in quo & scaturit & stagnat gratia, E & in omnes homines sicut ex capite in membra derivatur. Plena Christi mater, tamquam fonti proximus fluvius, qui etsi minus quam fons aquæ habet, pleno tamen fluit alveo. Plenus Stephanus, sed tamquam rivulus.

Eleganter & pie solideque D. Petr. Chrysol. serm. 143. in hæc verba: *Hec*, inquit, *est gratia, que dedit celis gloriam, terris Deum, fidem Gentibus, finem vitiis, vite ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo, salutem seculis redditura*. Idem serm. 146. *Una*, inquit, *puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, celis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum celestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat, & impleat illud propheticum; Ecce hereditas Domini, filii merces fructus ventris*.

Audi S. Aug. serm. 18. de Sanctis: *Impleta est* (Maria) *gratia, & Eva vacuata est culpa. Maledictio Eve in benedictionem mutatur Marie*. Vide Toletum hic annotat. 67. ubi ostendit B. Virginem plenam fuisse omni gratia, tum F gratum faciente, tum gratis data, idque tam in corpore, quam in anima. Carebat enim fomite concupiscentiæ: quare caro ejus plane subdita erat rationi & spiritui, uti erat in Adamo in paradiso per justitiam originalem. Quocirca addit, in ea naturam conspirasse cum gratia, illique per omnia esse cooperatam. Rursum B. Virginem in singulis & in universis virtutibus emicuisse: sic enim decebat ornari & præparari eam, quæ erat futura mater Dei. Vide etiam, quæ de ea dixi passim in Canticis, præsertim c. 4. v. 7. ad illa: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*. Et Eccli. cap. 24. v. 5. & 16. in fine.

Quocirca S. Athanasius, (vel quisquis est Auctor: videtur enim S. Athanasio fuisse posterior, uti solerter advertit Baron. & Bellar. de Scriptor. Eccles.) hom. de Deipara: *Ita*, ait, *Spiritus S. descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, que illi per rationem principatus divini adsunt, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus S. omnibus gratiis abundaret*. Accedit Hier. serm. de Assumpt. B. Virginis: *Bene*, inquit, *plena, quia ceteris per partes præstatur; Marie vero se tota infudit plenitudo gratie*. Et paulo inferius: *In Mariam totius gratie plenitudo, que in Christo est, venit, quamvis aliter, quia etiamsi in sanctis patribus & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena*. G

Porro ita B. Virgo plena fuit gratia, uti ei cooperando strenue & assidue ea augeri, pleniorque fieri mereretur: licet enim esset plena quoad presentem capacitatem, ut haberet tantum gratiæ, quantum capere poterat; tamen huic gratiæ assidue & strenue per actus ferventes cooperans, novum sibi parabat meritum, ac proinde novam capacitatem & dispositionem ad novam gratiam consequendam, idque assidue, ut dixi. Vide Franc. Suarez 3. p. disp. 18. sect. 4. ubi ostendit gratiam B. Virginis in primo conceptionis ejus instanti fuisse majorem gratia, quam habuit supremus angelus, qui uno actu vel duobus omnia sua merita consummavit, eoque plus meruit quam mille & mille homines mereantur per totam vitam: quare B. Virgo primo hoc instanti amans laudansque Deum intensissime superavit amorem, & consequenter meritum supremi angeli. Secundo vero operationis & amoris sui instanti, ex gratiæ augmento, quod primo instanti merita erat, & reipsa acceperat, gradus amoris & consequenter meriti duplicavit. Tertio vero instanti eosdem duplicando, meritum cum gratia quadruplicavit. Quarto instanti pari quadruplicationis duplicatione & progressu idem octuplicavit, & ita consequenter per singula amoris & operationis instantia gratiam acceptam continue duplicando usque ad annum ætatis 72. quo mortua est, adeo gradus gratiæ & meriti adauxit, ut in iis omnes omnino homines & angelos simul sumptos superarit. Quare illa unica gratior est Deo, quam cæteri omnes. Deus ergo plus amat solam B. Virginem, quam totam Ecclesiam, id est, quam omnes homines & angelos simul sumptos. Hæc Suarez. Vide S. Brigidæ Revelationes l. 1. c. 10. ubi B. Virgo ei narrat suos in virtute & amore Dei progressus, ac annunciationem per angelum sibi factam, asseritque se in eadem ineffabili lætitia fuisse perfusam, eaque continua; sed semper lætitiam habuisse dolore permixtam. Audi eamdem l. 4. Revel. c. 108. *Tres Sancti sunt, qui mihi præ ceteris placuerūt, scilicet Maria mater mea, Joannes Baptista*,

Gratia B. Virginis in primo conceptionis ejus instanti superavit gratiam supremi angeli.

H

Progressio geometrica meritorum Deiparæ quanta?

Deus plus amat Mariam, quam totam Ecclesiam.

Digitized by Google

A *ptista, & Maria Magdalena, Mater igitur mea quando & postquam nata fuit, sic erat pulchra, quod nulla erat in ea macula; quod bene cognoscentes dæmones sic agere tulerunt per similitudinem loquendo, quasi quod quadam vox dæmonum tunc sonuisset de inferno dicens: Una virgo tam virtuose & mirabiliter procedit, quod omnes superat in terra & in cælo, & perveniet usque ad sedem Dei.*

Dominus tecum, qua ratione singulari? Denique vide novem plenitudines gratiæ B. Virgini proprias, quas recenset Rutilius Benzonius lib. 2. super *Magnificat* cap. 26. dubio.

DOMINUS TECUM] Subaudi *est*, potius quam *sit*. Dat causam, cur gratia sit plena; quia scilicet Dominus cum ea est, eique assistit & præsto est singulari modo, ut in ea singulare Incarnationis Verbi opus operetur. Unde S. August. ser. 18. de Sanctis, *Tecum Dominus*, ait, *in monte, tecum in auxilio, tecum in ventre.* Et B. Bernard. serm. 3. super *Missus est*: *Quid mirum*, inquit, *si gratia plena erat, cum qua Dominus erat? Sed potius hoc mirandum, quomodo qui angelum miserat ad Virginem, ab angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior angelo fuit Deus, ut festinantem nuncium celerior ipse perveniret ad terras? Nec mirum. Nam cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatum, & invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Et inferius docet Deum esse in omnibus creaturis per efficaciam, in rationalibus per cognitionem, in bonis per amorem, ideoque cum iis esse per voluntatis concordiam: per hanc enim ipsi Deum sibi jungunt. Subdit deinde: *Sed cum ita sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque filius.* Deinde docet cum B. Virgine fuisse Dominum, id est totam S. Trinit. Unde ait: *Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed* C *& Dominus Spiritus S. de qua concipis, & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater inquam tecum, qui Filium suum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat virginale signaculum. Spiritus S. tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum.*

Denique S. Brigida l. 1. Revel. c. 8. audivit B. Virginem sibi dicentem: *Omnis laus filii laus mea est, & qui inhonorat eum, inhonorat me: quia sic ferventer dilexi eum, & ipse me, quod quasi unum cor ambo fuimus.* Quocirca ipsam quasi reginam dominari in cælo, mundo, Purgatorio & inferno, docet eadem S. Brigida in Sermone Angelico cap. 29. Eadem l. 3. c. 29. alloquens B. Virginem: *Tu*, inquit, *assimilaris templo Salomonis, in quo verus Salomon spatiabatur, & sedit qui fecit inter Deum & homines pacem. Benedicta igitur sis Beata Virgo, in qua Deus magnus factus est puer parvus, antiquissimus Dominus factus est pusillus filius; sempiternus Deus & creator invisibilis, factus est visibilis creatura.* Resp. B. Virgo: *Cur me comparas Salomoni, ejusque templo, cum sim mater illius, qui non habet principium, nec finem? Nam Filius Dei, qui est filius meus, est sacerdos & Rex regum. Denique in templo meo induit se vestibus sacerdotalibus spiritualiter, in quibus obtulit sacrificium pro mundo.*

Simili modo Deus, ait Josue c. 1. 5. *Sicut fui cum Mose, ita ego tecum.* Et angelus ad Gedeonem: *Dominus tecum virorum fortissime.* Judic. 6. 12. Rursum Deus ad Jerem. c. 18. *Ego*, inquit, *tecum sum.* Et ad Paulum: *Ego sum tecum.* Actor. 18. 10. sed tanto excellentius fuit cum B. Virgine, quanto sublimius, potentius & divinius in ea mysterium operatus est.

Porro S. Thomas 3. p. q. 3. art. 4. ὁ *Dominus tecum*, exponit per conceptionem & incarnationem Verbi, intellige mox faciendam, non autem jam factam, uti ostendam v. 38. Simili modo, quo loquuntur S. Thomas, S. Petrus Alexandr. citatus in Conc. Chalcedon. action. 1. S. Aug. serm. 2. Beatus Damian. serm. 1. de Nativ. Virg. S. Hier. ep. 149. ad Principiam, sed hi pariter exponendi sunt per futurum, non per præsens, vel præteritum.

BENEDICTA TU IN MULIERIBUS] Idem dictum fuit Jahel, quæ occidit Sisaram Judic. 5. 24. & Judith c. 16. 11. Sed longe excellentius idipsum hic dicitur B. Virg. quæ Jahelem, Judith cæteraque virgines & matronas milles benedictionibus, donis & gratiis superavit: q. d. Tu, o Maria, sola omnium mulierum es benedicta singulariter, quia uti virgo E es, sic eris & mater; ac sicut sine libidine concipies, sic & sine dolore paries unigenitum Dei filium, cum cæteræ mulieres posteræ Evæ cum libidine concipient, & cum dolore pariant miselios infantes, aut certe steriles sint.

Audi S. Aug. serm. 18. de Sanctis: *Benedicta tu in mulieribus, quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia continuatur, fides pro perfidia compensatur.* Re ipsa ergo hic angelus B. Virginem salutat, laudatque iisdem elogiis, quibus Joachim pontifex cum toto populo salutavit Judith redeuntem a cæde Holofernis c. 15. 10. *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia feciisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaris*, &c. *ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Audi & B. Petrum Chrysologum serm. 145. in hæc verba. *Vere benedicta, quæ fuit major cælo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutrit omnium viventium nutritorem. Fuit olim Patriarcharum benedictio in pinguedine terræ. Ecce terra nostra dedit fructum suum.* Et Andreas Hierosol. in hæc eadem verba: *Vere*, inquit, *benedicta tu, quam Ezechiel verum solis ortum proclamavit. Sola vere benedicta es, quam montem magnum vir ille desiderabilis Daniel vidit, ac montem obumbrantem Habacuc ille admirabilis; montem præterea Dei, montem pinguem, montem, quem Deo inhabitare placuit. Benedicta tu, quam Zacharias vir divinissimus, aureum candelabrum septem vidit lychnis ornatum, nimirum illis septem Spiritus sancti donis clarum ac lucidum. Vere benedicta tu: vividi nostri ligni paradisus, quæ ipsum horti Eden colonum, Christum inquam Dominum intra te habes, figuris adumbratum, qui ineffabili quadam potentia fluminis instar vivi parvum uterum tuum egressus, quatuor velut initiis per Evangelium suum orbis faciem irrigavit.*

IN MULIERIBUS] ut significet B. Virgini inesse quidquid est optimum in triplici mulierum statu. Hæ enim virgines sunt, viduæ aut matrimonio conjunctæ. In virginitate integritas laudatur, sterilitas non item. In viduis libertas animi commendatur, non solitudo, cum scriptum sit, Eccl. 4. *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se*, &c. In conjugio prolis educatio in bonis censetur, virginitatis jactura non item. Sola B. Virgo præ cunctis mulieribus virginitatem habuit sine sterilitate; animi libertatem sine defectu consortii, cum vere fuerit Josephi desponsata; & quod his majus est, absque violatione virginei pudoris prolis fœcunditatem. Itaque e triplici statu feminarum, quidquid boni est, adscivit, quidquid mali, repulit. Unde merito angelus præ cunctis mulieribus eam prædicat benedictam.

QUÆ CUM AUDISSET, TURBATA EST IN SERMONE EJUS, ET COGITABAT QUALIS ESSET ISTA SALUTATIO] Græce διὰ τοῦτο, id est, *cum vidisset*; & ita legunt S. Ambrosius (qui & pro *in sermone* ejus, legit, *in introitu ejus*:) Theoph. Euthym. unde colligitur B. Virginem turbatam esse. Primo, ex insolita specie, fulgore & majestate angeli: Secundo ex insolita ejus salutatione, unde *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Andi S. Ambrosium l. 1. Offic. c. 8. *Ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis.* Similiter S. Hieron. epist. 7. quæ est ad Lætam: *Imitetur*, ait, *Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, & ideo forsitan timore perterrita est, quia virum quem non solebat aspexit.* VERS. 29. Virgo turbata. Cur? H

Licet enim B. Virgo assueta esset visionibus & colloquiis angelorum, numquam tamen viderat angelum cum tanta majestate, nec audierat tam magnifice se salutantem. Porro S. Brigida in Sermone Angelico cap. 16. insinuat eam expaviisse, quod metueret ne tam gloriose salutans, non angelus esset, sed diabolus volens sibi illudere. Porro S. Bern. serm. 3. super *Missus est*: *Turbata est*, ait, *sed non perturbata: quod turbata est, verecundiæ fuit, quod non perturbata, fortitudinis, quod tacuit & cogitavit, prudentiæ.*

TURBATA EST] Id est, timuit & sacro quodam horrore perfusa est, cum quadam corporis commotione, quæ solet magnum animi timorem & horrorem comitari. Porro hæc timoris turbatio non passio fuit, sed propassio, scilicet voluntaria a B. Virg. permissa & assumpta. Nullæ enim passiones in B. Virgine dominari, imo nec insurgere poterant, aut

ejus

A ejus rationem & libertatem prævenire. Pollebat enim justitia originali magis quam Adam. Ita Toletus. Simili modo Christus instante passione orans in horto cœpit pavere & tædere, scilicet libere; non invite, vel coacte.

QUALIS] in se, id est, quam magnifica, augusta, superans omnium hominum vires & merita, ac proinde & sua. Ipsa enim, utpote humillima, longe diversa, imo contraria de se opinabatur. Cogitabat enim intra se: Ego mihi videor indigens omnis gratiæ, quomodo ergo angelus me vocat *gratia plenam*? ego paupercula cum pauperibus virginibus dego & conversor; quomodo ergo angelus mihi insonat, *Dominus tecum*? Ego æstimo me feminarum omnium minimam & vilissimam; quomodo ergo angelus mihi ait: *Benedicta tu inter mulieres*.

Rursum *qualis*, scilicet in suo fine, q. d. Cogitabat B. Virgo quo fine, & quorsum tam honorifice salutaretur ab angelo. Tam magnifica enim angelica salutatio dirigebatur ad magnificum Incarnationis in ipsa peragendæ mysterium, ne scilicet ipsa æstimans se illo indignam sese excusaret & abnueret, sed sciens Deum se sufficientibus ad

B illud gratiis donisque adornasse, in illud consentiret & annueret, itaque illa annuente, Verbum ex ejus purissimis sanguinibus carnem sibi assumeret. Cum ergo ipsa nesciret hunc finem, cogitabat & mirabatur cur tam splendide salutaretur ab angelo. Nil tamen respondit, quia, ut ait S. Ambros. lib. 1. offic. *pra verecundia non resalutavit, nec ullum responsum retulit*, quia pudor & stupor mentem absorbebant, linguamque ligabant, & quia prudenter cogitabat quid esset responsura.

Audi S. Ambr. *Disce virginem a verecundia; quia pavebat: nam sequitur. Quæ cum audisset*, &c. *Trepidare virginum est & ad omnes ingressus viri pavere, omnes viri affatus vereri. Disce virgo verborum vitare lasciviam. Maria etiam salutationem angeli verebatur.* Et Græcum Scholiasten in Catena S. Thomæ: *Cum assueta foret his visionibus*, inquit, *Evangelista non visioni, sed relatibus turbationem attribuit, dicens: Turbata est in sermonibus ejus. Attende autem Virginis & pudicam & prudentem & animam simul & vocem. Audita lætitia dictum examinavit, &*

C *neque manifeste obstitit per incredulitatem, nec statim paret ex levitate, Evæ levitatem evitans simul & duritiam Zachariæ. Malens nimirum*, ait S. Bernard. hom. 4. super *Missus est*; *humiliter non respondere, quā temere loqui quod nesciret.*

VERS. 30 ET AIT ANGELUS EI: NE TIMEAS MARIA, INVENISTI ENIM GRATIAM APUD DEUM] Pavorem, indeque nascentem pudorem Virginis abstergit angelus per gratiam, id est, favorem & benevolentiam, quam ait eam invenisse in oculis Dei præ omnibus mulieribus; Primo, quod eam ab æterno Deus præ cæteris omnibus, sine merito, ex gratuita dilectione elegerit in matrem suam, ex qua carnem assumeret. Secundo, quod in tempore mox ut concepta & nata fuit, illam omni virtute & gratia ita exornarit, ut in conspectu ejus plane grata dignaque appareat, quæ ab eo ametur, & super omnes evehatur. q. d. Noli, o Maria, mirari, pavere, & stupere tam insolitos honoris titulos, quibus te salutavi: quia licet in oculis tuis parva & humilis, te ex teipsa illos non mereri agnoscas; Deus tamen, qui humiles exaltat, iisdem gratiis te ornavit & exaltavit. S. Brigida in Serm. Angelico c. 5. scribit, Deo, cum crearet magnum hunc mundum altitisse minorem mundum,

D scilicet B. Virginem, *a quo major gloria Deo, & angelis major lætitia, atque omni homini ejus bonitate frui volenti major utilitas, quam de hoc majori mundo provenire debebat.* Et serm. c. 13. asserit B. Virginem quasi sponsam mire placuisse Deo Patri per angelicam virginitatem; Filio per profundissimam humilitatem, qua eum ad sua viscera attraxit; Spiritui sancto per promptissimam obedientiam, ob quam ab eo omnium gratiarum donis repleta fuit.

B. Virgo meruit fieri mater Dei humilitate.

Invenisti (Arabic. *lucrata es*) ergo apud Deum gratiam, ob virtutes in eximio gradu, tibi a Deo infusas, easque omnes quidem, sed præsertim tres, Prima est profundissima tua humilitas. Unde S. Bern. hom. 3. super *Missus est*: *O si sciret*, ait, *quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat, angelico te indignam nec alloquio judicares nec obsequio.* Hinc disce quanta fuerit humilitas Virginis, quæ ab Altissimo adeo meruit exaltari.

Virginitate.

Secunda fuit angelica virginitas: hæc enim Deum, qui purissimus est spiritus, & virgo increatus, velut rhinocerotem in sinum suum rapuit. Unde Venantius Fortunatus de ea sic canit:

Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Et Basilius hom. de humana Christi generatione: *Virginitas*, ait, *ut apta proximaque sanctitati electa est.* Audi S. Bern. serm. in Nativitate B. Mariæ: *Ne timeas Maria, ne mireris angelum venientem, & major angelo venit. Ne mireris angelum Domini; & Dominus angeli secum. Postremo quidni videas angelum, cum jam angelice vivas? Quidni visitet angelus vitæ sociam? Quidni salutet civem Sanctorum, & domesticam Dei? Angelica plane vita virginitas, & qui non nubent neque nubentur, erunt sicut angeli Dei.* E

Tertia fuit ardentissima charitas, qua B. Virgo sollicita pro redemptione hominum & adventu Messiæ, assidua & ardenti charitate. & ferventes pro utroque preces fundebat, ac utrumque ideo impetravit, adeoque ipsa mater Messiæ fieri meruit, non ex condigno, sed ex congruo. Ita S. Bern. hom. 3. super *Missus est*: *Invenisti*, ait, *quod quærebas. Invenisti quod nemo ante te potuit invenire. Invenisti gratiam apud Deum: quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem.* Sic Scholastici passim docent B. Virginem meruisse maternitatem Dei. Vide Suarez & Vasquez 3. p. q. 2. disp. 2. num. 2. & sunt qui docent B. Virginem de congruo, non de condigno meruisse, ut fieret mater Dei, non tamen meruisse ipsam Verbi incarnationem: hæc enim omne meritum antecedit, ejusque est causa, principium & origo. F

ECCE CONCIPIES IN UTERO (Arabicus, *recipies gravidationem*) ET PARIES FILIUM, ET VOCABIS NOMEN EJUS JESUM] Syrus, *ecce enim*. Probat enim angelus Mariam invenisse gratiam apud Deum ex eo, quod conceptura & paritura sit Jesum, id est, Deum & hominem. Alludit, imo citat oraculum Isaiæ c. 7. v. 14. q. d. Tu es illa hominum felicissima, de qua ante 700. ann. Isaias stupens & exultans vaticinatus est: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Vide ibi dicta, & Matth. 1. 23. ubi & de nomine Jesu, id est Salvatoris, multa dixi. VERS. 31

Hinc refellitur Primo Manichæus dicens Christum non veram assumpsisse ex Virgine carnem, sed phantasticam: filius enim qui concipitur in utero & paritur, verus est, non phantasticus. Secundum, Valentinus, docens Christum e cælo attulisse carnem, ac per B. Virginem transisse dumtaxat, sicut aqua transit per canalem. Tertio, Nestorius, asserens B. V. non esse matrem Dei, eo quod non sit mater divinitatis: cui recte respondet S. Cyrillus, jam esse vere matrem Dei, etsi ejus divinitatem non genuerit, sed humanitatem dumtaxat, quia genuit hunc hominem, scilicet Jesum, qui vere est Deus, sicut pater vere dicitur pater filii sui, etsi non generet ejus animam, sed tantum carnem: quia generat hunc hominem, qui anima æque ac carne constat. G

HIC ERIT MAGNUS, ET FILIUS ALTISSIMI VOCABITUR] *Magnus* tum qua Deus, tum qua homo, quia *qui magnus Deus erat, magnus homo futurus est, magnus doctor, magnus Propheta, imo Messias mundi salvator*, &c. *qui Filius Altissimi merebitur appellari, plane magnus, qui tam magnus quā altissimus, quia & ipse Altissimus*, ait S. Bern. serm. 3. super *Missus est*: Joannes Baptista fuit magnus homo dumtaxat: Jesus fuit magnus Deus & homo: nam, ut ait S. Greg. *Neque carnis assumptio, Deitatis derogat celsitudini; imo potius humanitatis humilitas sublimatur. Unde sequitur, Et filius Altissimi vocabitur*, id est revera erit per unionem hypostaticam, ut jure filius Dei vocari possit & debeat. Est metonymia, qua res dicitur talis vocanda, quia talis erit. VERS. 32 H

Addit S. Bern. hom. 3. jam citata: *Eris enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu regum; adeo ut adorent eum omnes reges, & omnes gentes serviant ei.*

ET DABIT ILLI DOMINUS DEUS SEDEM DAVID PATRIS EJUS.

ET REGNABIT IN DOMO JACOB IN ÆTERNUM, ET REGNI EJUS NON ERIT FINIS] Alludit, imo citat Isaiam c. 6. v. 7. q. d. In filio ex te nasciturо, o Maria, puta in Jesu, adimplebitur Isaiæ cæterorumque Prophetarum prophetia, de regno Davidis patris ejus illi in perpetuum consignando. Isaias enim sic de eo prophetavit. *Factus est principatus super humerum ejus*, &c. *multiplicabitur ejus imperium, & pacis* (regni ejus pacifici) *non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit.* Vide ibi dicta. VERS. 33

ET REGNABIT IN DOMO JACOB] id est, in Ecclesia, ait Beda, Titus & alii passim, sive in populo fideli, qui olim nascente Christo erat populus Israel, seu filii & posteri Jacob, puta Ecclesia. Hoc regnum in Davide temporale fuit, sed in Christo spirituale & æternum: nam eo Christus in fidelibus & sanctis regnat hic per gratiam, & in cælo regnabit per gloriam, ait S. Bern. serm. 4. super *Missus est*. Porro hoc regnum Deus Christo dedit quasi in actu primo in ipsa Christi

Digitized by Google

A incarnatione, in actu secundo vero hoc regnum cepit Christo prædicante, deinde promotum fuit per prædicationem Apostolorum, perfectum vero extirit post Christi resurrectionem & ascensionem, consummatum omnino & gloriosum erit post judicium generale in cælo. Vide quæ de hoc Christi regno dixi Matth. 27. v. 11.

Tropologice S. Bern. hom. 4. super *Missus est*: *Veni, ait, Domine Jesu, nafer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu, qui debeas, in ea. Venit enim avaritia & vendicat in me sibi sedem, factantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex, luxuria dicit, Ego regnabo: ambitio, detractio, invidia & iracundia certant in meipso, cujus potissimam esse videar*, &c. *Et dico: Non habeo regem nisi Dominum Jesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.*

VERS. 34 DIXIT AUTEM MARIA AD ANGELUM: QUOMODO FIET ISTUD; QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO?] *Quomodo?* Virgo ergo non dubitat de veritate prophetiæ & promissi angelici, uti blasphemat Calvinus, qui eam incredulam fingit; sed de modo sollicita, ne hic filii conceptus B & partus fieret cum aliqua virginitatis, & voti sui de ea emissi jactura. Ita S. Ambros. Theophyl. Beda, S. Bern. & passim alii hic, ac S. Aug. de S. Virginit. c. 4.

Disce hic quantum virginitatis studium & amor fuerit in B. Virgine, quia ipsa castitatem prætulit angelico nuncio, ait Nyssenus, ac virgo esse maluit, quam mater Dei præcise, ait S. Ansel. Virginitas enim in se est virtus Deo gratissima, maternitas præcise non est. Ita S. Greg. Nyssen. orat. de Nativit. Christi: *Audi, inquit, pudicum Virginis vocem. Angelus partum nunciat: ut illa virginitati inhæret, & integritatem angelicæ demonstrationi (Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum) anteponendam judicat.* Et post nonnulla: *Verum quia carnem Deo consecratam tamquam sanctum aliquod oblatum manus oportebat intactam integramque præstare, idcirco licet, inquit, angelus sis, licet e cælo venias, licet id quod ostenditur, naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater ero? Joseph enim sponsum novi: sed virum non cognosco.* Dixi præcise: nam alioqui maternitas Dei est dignitas incomprehensibilis (sicut & Deus ipse est incomprehensibilis) & abyssus gratiarum omnium. Ob hanc enim B. Virgo dotata fuit plusquam angelica virginitate, humilitate, charitate, cæteriscque virtutibus ut scilicet digna foret quæ fieret Dei mater. Ita S. August, S. Thomas & passim Theologi superius citati.

Quocirca Beda hom. de Annunc. Virginis, ait, *divino munere collatum est, ut prima inter feminas Deo virginitatis munus offeret.* Et Albert. Magnus super *Missus est* c. 82. B. Virgo, ait, est mater omnium in virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. Ergo B. Virgo virginitatis voti; de ea facti studiosissima, hoc proponit & quasi opponit angelo. Certabat enim in ea desiderium concipiendi Filii Dei cum timore amittendi virginitatem, ideoque obtinuit utrumque, ait Toletus, qui & annot. 96. sex affert causas, cur B. Virgo semper, etiam post partum, virgo permanserit. Sensus ergo D est, q.d. Ego plane credo promissus tuis, o Gabriel, quæ mihi annuncias ex ore Dei. Certo ergo credo quod concipiam & pariam Jesum Filium Dei, sed dubito de modo. *Virum non cognosco*: quia feci votum virginitatis. Dubito ergo an salvo voto, an soluto id fiet: si Deus velit in voto hoc dispensare, velitque me operi conjugali operam dare, etsi mihi hoc durum sit, volenti tamen Deo obediam: verum si Deus meum desiderium requirat, candide profiteor, me summe optare servare meam virginitatem ipsi voto oblatam; hanc enim mentem ipse mihi inspiravit, ipse, inquam, qui est purissimus spiritus, ideoque primus virgo, ut ait Nazianz. in carm. de Virg. & hoc erit honorificum Jesu filio meo, si ex virgine nascatur. Scio enim Isaiam prædixisse: *Ecce virgo concipiet & pariet* Emmanuelem; ac forte Deus vult me esse hanc virginem. Si ita est, fiat, fiat. Unde ipsa mox audiens a Gabriele se concepturam non ex viro, sed ex Spiritu S. illico magno cordis jubilo applausit, aitque: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et hoc audire volebat Deus scilicet ut ipsa per professionem virginitatis mereretur fieri mater Dei.

QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO] q. d. Josephum virum habeo, sed non cognosco, id est cognoscere non soleo, cognoscere nequeo, ob votum virginitatis, quod Deo nuncupavi. Sic abstemii dicunt, Vinum non bibo, id est bibere nequeo, vinum abhorreo. Non enim justa excusationis, vel hæsitationis in Virgine causa alia hic asseri, aut fingi potest, quam moralis impotentia ex voto, quod B. Virginem emisisse ante annuntiationem Angelicam docent S. Aug. Nyssen. Beda, Bern. Anselm. Rupertus, quos citat noster Canisius lib. 2. Marialis 2. 14. Unde Nyssen. *Josephum*, ait, *sponsum quidem novi, virum autem non cognosco. Quod profecto*, ait S. Aug. *non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset: sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat*, hucusque Aug. Nam, ut ait Nyssenus, *Deo dicatam & consecratam carnem, velut sanctum quoddam donarium, intactam conservari oportebat.*

Ex citatis S. August. verbis liquet, B. Virginem non tantum ante annuntiationem angeli, sed ante desponsationem quoq; puta antequam ipsa desponderetur Josepho, emisisse votum virginitatis. Hoc enim decebat illam, quæ futura erat mater Dei. Ipsa ergo Josepho votum suum declaravit, ac Josephus in voti observationem consensit, eamque prædmisit antequam ei nuberet. Unde B. Virgo jam certa de custodia virginitatis votique sui, Josepho nupsit. Essentia enim matrimonii consistit in potestate mutua corporum viri & uxoris, non autem in ejus usu, ut vult Calvinus. Vide dicta Matth. 1. 18. Porro Rupert. Cantic. 3. censet B. Virginem primam omnium virginitatis votum Deo vovisse. Sic & Abulensis in Exod. c. 35. in fine c. Viros alioquos, inquit, ut Eliam, Jeremiam, Elisæum & Essenos virginitatem coluisse concedimus, &c. primam autem virginitatis votum fecisse Deiparam certissime novimus. Ipsa ergo admirandæ virginitatis vexillum extulit, ut reliquarum omnium virginum exemplar illustrissimum, mater, princeps atque dux appelletur.

E B. Virgo ante cōnubium emiserat votum virginitatis.

F B. Virgo prima omnium voti virginitatis emisit.

ET RESPONDENS ANGELUS DIXIT EI: SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE; ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TIBI: IDEOQUE ET QUOD NASCETUR EX TE SANCTUM, VOCABITUR FILIUS DEI. VERS. 35

SPIRITUS SANCTUS] Nota Primo, Incarnatio terminata est ad solam Verbi, sive Filii Dei, personam: hic enim solus incarnatus est, & homo factus, non Pater, non Spiritus S. hanc tamen incarnationem efficienter operata est tota S. Trinitas, non solus Filius; quia opera ad extra toti Trinitati sunt communia, ut ajunt Theol. Audi Concil. Toler. 16. *Cum Spiritum S. superventurum in ea dicit, & virtutem Altissimi, qui est Dei Patris Filius, obumbraturum eam præmonuit, ejusdem filii eum totam Trinitatem cooperatricem esse monstravit.* Appropriatur tamen hic opus incarnationis Spiritui sancto: Primo, quia hoc opus fuit sanctissimum; Secundo, quia opera nostræ redemptionis & summæ bonitatis Dei, appropriantur Spiritui sancto, eo quod ipse procedat ut amor notionalis Patris & Filii, sicut sapientia appropriatur Filio quasi Verbo, omnipotentia Patri quasi principio & fonti. Ita S. Aug. c. 40. Enchir. Porro Spiritus S. fuit opifex humanitatis Christi, quia eam efformavit, organizavit, disposuit & animavit; at ejus pater dici nequit, quia ex sua substantia nihil ei contulit, aut communicavit, uti docet S. Aug. Enchir. c. 28. G Cur opus incarnationis Spiritui S. tribuatur?

Porro virginem Dei virtute posse concipere & parere, demonstrat S. Cyrill. catechesi 12. ac primo Gentiles his rationibus revincit; *Qui*, inquit, *dicit projectos lapides in homines mutari, quomodo virginem parere posse negatis? Qui ex Jovis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex utero virginali nasci aliquem impossibile dicitis esse? Qui de femore vestri Jovis prognatum falso esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem rejicitis?* Judæos vero his rationibus constringit: *Sterilis erat Sara, & deficientibus jam mulieribus præter naturam peperit, aut utrumque nega, aut utrumque concede. Idem enim Deus utrumque operatus est.* Addit, Deus qui virgam aridam Mosis in vivum animal, puta in serpentem, convertit, cur non possit ex viva virgine vivum hominem producere? Deus ex viro, scilicet Adamo virgine, formavit virginem feminam, scilicet Evam: cur pariter non possit ex femina virgine formare virum virginem? Eva ex solo viro genita est, *Reddidit igitur Maria gratiæ hujus mutuum officium, & non ex viro, sed ex ipsa sola, impellente ex Spiritu sancto, virtuteque Dei peperit.* Denique Deus Adamum vivum ex sicco pulvere formavit, cur non possit ex viva virgine virum efformare? plus enim est virgo quam pulvis. H Virgo virtute divina parere potest.

SUPERVENIET (Arabic. *descendet*) IN TE] ad hoc, ut Christi conceptio & Christus ipse sanctus sit, non tantum ex vi unionis hypostaticæ cum Verbo: sed etiam ex vi talis & tam

A & tam divinæ conceptionis, quod scilicet conceptus sit nō ex homine vel angelo, sed ex Spiritu sancto. Quare Christus ex vi hujus conceptionis non erat filius Adæ, ut ex eo peccatum originale contraheret, & nasceretur peccator, uti nos omnes nascimur, sed erat purissimus & sanctissimus.

Cur ex Spiritu sancto conceptus Christus.

Sed alias causas cur Christus conceptus sit ex Spiritu sancto, affert Tolet. annot. 95. inter quas præcipua est Origenis & Maximi hom. 3. de Nativit. quod scilicet doceret Deum novo modo concipi, nimirum ex virgine inoperante Spiritu sancto. Cum enim Christus, qui concipiebatur, Deus esset & homo, conveniens erat, ut utrumque in conceptione innotesceret: conceptio enim ipsa homine esse declarabat: non enim conciperetur nisi homo esset: ac conceptionis modus ostendit esse etiam Deum; concipi enim de virgine sine viro, indicabat qui concipiebatur plus esse quam hominem.

Hinc Tertullianus lib. de Carne Christi, ait decuisse prorsus, ut Dei Filius novæ nativitatis dedicator nova de Virgine nasceretur. Sophronius vero serm. de Assumpt.

B asserit Christum sponsum virginum idcirco matrem virginem elegisse, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis in qua velut in speculo refulget forma virtutis.

Mystice S. Cyrill. Hierosol. catechesi 12. Dominus, ait, de virgine nasci voluit, ut significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura.

Aliam causam dat Lactantius, scilicet ut Christus, qui in cœlo est ἀμήτωρ, id est, carens matre, in terra sit ἀπάτωρ, id est, carens patre. Sed prima causa est præcipua, ut scilicet Christus sine peccato originali purus sanctusque nasceretur, utpote filius Virginis, non Adæ, quam dat S. Aug. lib. 1. de Nuptiis & concup. 2. 12. Unde docte colligit S. Anselmus lib. de Concept. Virgin. c. 11. quod si quis homo ex sola femina, sine opera viri per miraculum nasceretur, non contraheret peccatum originale, ex eo quod non sit filius Adæ, nec ab eo per vim seminalem procedat. Denique S. Bern. ser. 2. super *Missus est*: *Deum*, inquit, *hujusmodi decebat nativitas quæ nonnisi de virgine nasceretur. Talis congruebat virgini partus, ut non pareret nisi Deum.*

C Quocirca Proclus Patriarcha Constantinop. S. Cyrill. coævus in hom. de Nativ. Christi: *Maria*, inquit, *est spiritalis Adam paradisus, Maria unitarum inter se naturarum officina, Maria salutaris reconciliationis panegyris, Maria thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsavit, Maria animatus natura rubus, quem divini partus ignis non combussit.* Et post nonnulla. *Mariæ ancilla & mater, Virgo & cælum. Hæc sola pons est, per quem Deus ad hominem descendit. Hæc admiranda illius œconomiæ tela, ex qua & in qua, ineffabili quodam modo, admirabilis illius unionis tunica confecta, cujus quidem textor extitit Spiritus sanctus; netrix, virtus ex alto obumbrans; lana, vetusta piloſaque Adami pellis; trama, impolluta Virginis caro; radius textoris, immensa gestantis gratia; artifex, verbum per auditum illapsum.*

Et virtus Altissimi obumbravit tibi] *Virtus*, id est, fortitudo, robur & omnipotentia Dei, ad opus Incarnationis Verbi tam difficile & arduum perficiendum, quod nulla potentia, aut vi naturæ, vel angeli potentissimi effici potest. Rursum non incongrue Euthymius & Maldonatus; *Virtus altissimi*, inquiunt, est Spiritus sanctus, qui potenter

D opera sancta Dei perficit, ut angelus explicet id quod dixit: *Spiritus S. superveniet in te*, per hoc quod subdit: *Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Sic inferius c. 24. v. 49. Christus ait Apostolis: *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto*, id est, Spiritu sancto. Hoc est quod canit Ecclesia: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ virginis matris Mariæ corpus & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti.*

Obumbrabit Spiritus sanctus. Primo.

Obumbrabit] Græce ἐπισκιάσει, Obumbrationis hujus metaphoram variè & appositè explicant Patres. Primo S. Greg. l. 33. Moral. c. 2. *Obumbrabit*, id est, umbram efficiet, vel producet in te. q. d. Verbum Dei in te assumet corpus, quod erit quasi umbra deitatis: quia eam quasi umbra velabit & celabit. Unde idem l. 18. Mor. 12. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, inquit, incorporeum lumen divinitatis corpus in te humanitatis accipiet. Addit Orig. ho. 3. in Josue, corpus Christi vocari umbram, quia in passione instar umbræ humiliatum, offuscatum & obscuratum fuit.

Secundo. Secundo S. Ambr. in Ps. 118. ser. 5. per umbram accipit vitam præsentem & mortalem, quam Christo dedit Spiritus: hæc enim est quasi umbra veræ vitæ & æternitatis.

Tertio. Tertio, idem S. Ambr. lib. de iis qui initiantur myster. cap. 3. Beda, S. Greg. 3. Moral. c. 3. & S. Aug. 57. ad Dardanum, & l. 50. hom. 44. τὸ *obumbrabit* sic explicant, q. d. Gratia Spiritus sancti velut umbra refrigerans carnalis concupiscentiæ calorem, te, o Virgo, in conceptione Christi proteget, ut sine concupiscentia ex purissima charitate concipias Christum.

E Quarto, S. August. lib. Quæst. veteris & novi testamenti cap. 15. *Virtus altissimi obumbrabit*, id est, inquit, attemperabit se tibi, uti umbra aptat se corpori: nam totam ejus vim & efficacitatem infirmitas tua humana capere non posset. Quarto.

Quinto, S. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, inquit, proteget & roborabit te, ut activitatem Spiritus sancti in tanto opere, & Filio Dei concipiendo sustinere valeas. Quinto.

Sexto, Theophy. Græcum ἐπισκιάζειν, id est, obumbrare, accipit pro σκιαγραφεῖν, id est, *extrema picturæ lineamenta ducere*, q. d. Virtus Dei in te o Virgo, corporis Christi lineamenta describet & perficiet, sicut facit pictor in homine quem depingit. Pictores enim ab umbra, quasi naturali corporis effigie, didicerunt idipsum pingere. Si- F cut ergo ex umbra velut pictura agnoscitur corpus, sic ex humanitate Christi velut umbra agnoscimus ejus divinitatem, ait Nyssenus orat. de Christi nativitate. Sexto.

Septimo, Jans. & Toletus, q. d. Virtus Altissimi te amplexabitur, & sua virtute fœcundam efficiet, sicut vir feminam obumbrat & fœcundat in opere generationis. Verum hoc nimis crassum, & castis auribus parum pudicum videtur. Septimo.

Octavo, simplicius & castius *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est obvelabit te, hoc est, arcane arcanum maximum in te operabitur: erit enim tale & tantum, ut nullus homo vel angelus id ipsum penetrare & comprehendere possit: solet enim in veteri testamento potentia Dei invisibilis & incomprehensibilis, in umbra sive nube & nebula se repræsentare, vel potius regere & velare: hanc enim umbram spiritualem Spiritus sancti angelus caste opponit complexui carnali mariti. q. d. Virtus Dei velut umbra occultissime & castissime in te operabitur, id quod solet carnaliter facere maritus; scilicet faciet te fœcundam gravidamque & matrem Dei; nimirum Primo, formabit in te G perfectissimam humanitatem Christi: Secundo, eamdem personæ Verbi modo quodam ineffabili uniet. Octavo.

Simili tropo Virgil. 1. Æneid. de Ænea ejusque sociis a matre dea pura Venere, per umbram protectis & deductis sic canit:

At Venus obscuro gradientes aere sepsit.
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu,
Cerneret ne quis eos, nec quis contingere posset.

Hinc rursum appositè ἐπισκιάζειν, id est, obumbrare, accipi posset cum Maldonato quasi respondens Heb. עָנָן, *innen*, id est obnubilare, hoc est pro impluere: nubes enim gignit pluviam, hinc per umbram & nubem significatur pluvia. q. d. Sicut nubes per pluviam, quam effundit, terram obumbrans fœcundat, ita virtus Altissimi te, o Virgo obumbrando, fœcundam efficiet. Videtur enim alludere ad illud de Christo Ps. 71. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus*, Simili schemate Poetæ fingunt Jovem conversum in aureum imbrem, illapsum Danaæ, ex ea genuisse Perseum.

Audi S. Bernard. serm. 4. super *Missus est*: *Obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* H Et mox: *Ac si angelus respondeat ad Virginem: Quid a me requiris quod in te mox experieris? Sciens scies: & feliciter scies, sed illo doctore quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum.* Sic & Eusebius l. 14. de Demonstrat. c. 8. *Obumbrasti*, ait, *ut principes hujus sæculi, ipsa de Spiritu sancto & sancta Virgine conceptio lateret.*

Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur (id est revera erit, ut jure vocari possit & debeat) Filius Dei] q. d. Quia Spiritus sanctus superveniet in te, facietque te concipere filium: hinc filius, qui ex te nascetur, id est, ex te formabitur, concipietur, & post novem menses prodibit in lucem, ex ipsa sua conceptione erit sanctus, imo Sanctus sanctorum, quia vocabitur, & revera per unionem hypostaticam cum Verbo, erit Filius Dei naturalis & unigenitus, talisque a Deo, angelis & hominibus vocabitur: Nam τὸ *sanctum*, referendum est ad *nascetur*, q. d. Jesus filius tuus ex ipsa nativitate, id est, ex ipsa conceptione sua, ejusque vi erit sanctus & Filius Dei: qui enim de spiritu sancto concipitur, sanctissimus sit oportet, ideoque

Digitized by Google

A *Filius Dei.* Ita Beda, Janſenius, & alii hic, ac S. Gregor. lib. 18. Moral. c. 27.

Paulo aliter Maldonatus: *Jeſus ait, vocabitur Filius Dei, quia non a viro uti cæteri homines, ſed a Deo virtute Spiritus ſancti generabitur, ideoque erit ſanctus, & Filius Dei. Sic Adam vocatur filius Dei, quia non ab homine, ſed a Deo creatus eſt, Lucæ 3. 38.*

NASCETUR] Græce γεώμενον, in preſenti, *id eſt quod naſcitur*, id eſt, quod mox naſcetur, ut jam naſci videatur. Porro γεώμενον, proprie vertas *quod gignitur*, vel generatur, *id eſt*, mox gignetur. Agitur enim hic potius de conceptione quam nativitate Chriſti. Simile eſt Matth. 1. 20.

Sanctum in neutro cur dicatur Chriſtus?

SANCTUM] Id eſt ſanctus. Unde Arabic. vertit, *quoniam ex te natus ſanctus eſt*; Syrus, *propterea is qui ex te naſcitur ſanctus ipſe* (id eſt erit) *& Filius Dei vocabitur.* Dicit tamen *ſanctum*, non *ſanctus*, tum ut ſignificet filium hunc non futurum merum hominem & maſculum, ſed ſuper hominem futurum quoque Deum, ita S. Greg. 18. Moral. cap. 27. Leo ſerm. 4. de Nativit. S. Aug. l. 13. de Trinit. c. 18. tum ut indicet Jeſum fore ſanctum ſanctitate omnino perfecta & connaturali, ob unionem hypoſtaticam, ait Suarez 3. p. diſp. 18. ſect. 1. hoc eſt, fore Sanctum ſanctorum, id eſt, ſanctiſſimum, imo ipſam ſanctitatem per excellentiam, q. d. Jeſus qui ex te naſcetur, erit ſanctiſſimus, *imo ipſa ſanctitas*.

B Porro humanitas Chriſti ſanctiſſima pariter eſt, non tantum per gratiam habitualem eximiam illi infuſam, ſed & per ipſam deitatem illi hypoſtatice unitam, uti docent Suarez, Vaſquez & alii 3. p. q. 7. & 157.

Audi S. Bern. ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*: *Ut quid*, inquit, *ita ſimpliciter ſanctum & abſque additamento? Credo quia non habuit quid proprie digneve nominaret. Illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de puriſſima videlicet Virginis carne, cum ſua anima, unico Patri erat uniendum; ſi diceret ſancta caro, vel ſanctus homo, vel ſanctus infans quidquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinite ſanctum, quia quidquid illud ſit quod Virgo genuit, ſanctum procul dubio ac ſingulariter ſanctum fuit, & per Spiritus ſanctificationem & per*

C *Verbi aſſumptionem.*

FILIUS DEI] per naturam, qui & fideles ſanctoſque omnes facturus eſt filios Dei per gratiam. Unde S. Bern. ſerm. 1. in vigilia Nativit. *Quare*, inquit, *Filius Dei factus eſt homo, niſi ut homines faceret filios Dei?* Sic & S. Anſelm, tract. *cur Deus homo.*

VERS. 36 ET ECCE ELISABETH COGNATA TUA, ET IPSA CONCEPIT FILIUM (Joannem) IN SENECTUTE SUA: ET HIC MENSIS SEXTUS EST ILLI (ex quo concepit, ſeu eſt prægnans) QUÆ VOCATUR (antea vocabatur & revera erat) STERILIS] Confirmat angelus miraculum naſcituri Jeſu ex Virgine & Spiritu ſancto, ſimili miraculo Joannis concepti ab Eliſabetha ſterili: ſimul tacite B. Virginem admonet, ut Joannem & Eliſabetham viſitet, eaſque ſalutando repleat Spiritu ſancto. *Ut audiens*, ait S. Bern. ſerm. 4. *cognatam vetulam & gravidam, cogitet juvencula de obſequio, ſicque illa properante ad viſitandum; parvulo Prophetæ locus & occaſio detur, quo minori adhuc Domino (Jeſu) ſui officii valeat exhibere primitias.*

D Meminit menſis ſexti, ut indicet conceptionem Eliſabethæ eſſe certam & firmam: fœtus enim ſexto menſe a conceptu ſuo eſt communiter vitalis, vegetus & firmus, nec ei timendum de abortu. Senſus eſt, q. d. Quæſiviſti, o Virgo, modum, quo manens virgo concipies filium. Reſpondi modum hunc fore ſupernaturalem; ſcilicet fore hoc opus & miraculum Spiritus ſancti: hic enim eo modo quo in Eliſabetha per miraculum vi ſua divina formavit Joannem, ſic idem eadem vi faciet in te concipi Jeſum, idque ut *dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur*, ait S. Bern. ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*: gaviſa enim eſt B. Virgo de miraculoſo conceptu Eliſabethæ, æque ac de ſuo.

VERS. 37 QUIA NON ERIT IMPOSSIBILE (Syrus, *difficile*), APUD DEUM OMNE VERBUM] Eſt hebraiſmus, *non omne verbum*, id eſt, nullum verbum, hoc eſt, nulla res, quantumvis gravis, difficilis & homini incredibilis, vel, ut alii, *nullum verbum*, id eſt, nullum promiſſum. q. d. Deus poteſt facere omnia quæ promiſit, quia omnipotens eſt; ac proinde illa reipſa præſtabit, quia fidelis eſt. Dicit *verbum*, quia Deo tam facile eſt facere, quam nobis loqui verbum, & quia ſolo verbo dixit & facta ſunt omnia. *Si quidem apud Deum*, ait S. Bern. ſerm. 4. *nec verbum diſſidet ab intentione, quia veritas eſt; nec factum a verbo, quia virtus eſt, nec modus a facto, quia ſapientia eſt.* Deus ergo, ait S. Auguſt. lib. 5. de Civit. c. 10. & lib. 26. contra Fauſtum, cap. 5. omnia poteſt præter ea quæ poſſe non potentiæ, ſed impotentiæ eſt, quæque ſi poſſet, non eſſet omnipotens, qualia ſunt mori, fallere, errare, peccare.

Stetit, tacuitque hic angelus, avide expectans reſponſum & conſenſum Virginis. Unde S. Bern. ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*, ait conſenſum hunc expectare Adamum, Abrahamum, Davidem, omneſque Patriarchas & Prophetas, ſolicitos de adventu Meſſiæ & ſalute hominum. Additque *Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, ſalus denique univerſorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo reſponſum feſtinanter. O domina reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium rex & dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum. In qua nimirum propoſuit ſalvare mundum.* E F

VERS. 38 DIXIT AUTEM MARIA: ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM] Æthiopicus & Perſicus, *ſit mihi juxta verbum tuum.* Nota humilitatem, obedientiam, modeſtiam, charitatem, reſignationem Virginis: nam ab angelo ſalutata Mater Dei, ejus ſe ancillam non matrem nuncupat; ejuſque voluntati ſe totam reſignat, ut in ea, & cum ea, & per eam faciat quidquid ipſi libuerit. *Ancilla per naturam, mater per gratiam*, ait B. Petrus Damiani, ſerm. 3. de Nativit. Virg. *Tabula ſum pictoria*, ait Theophylactus, *pingat pictor quod voluerit faciatque Deus quod voluerit.*

Hinc S. Guilielmus Dux Aquitaniæ converſus a S. Bernardo, factuſque Eremita & Eremitarum parens, ex hoc B. Virginis dicto colligebat, quod quanto quis altius contemplando in Deum attollitur, eique fit vicinior & familiarior, tanto magis ſuam parvitatem perſpicit & deſpicit. Et hoc ex inductione Sanctorum probabat: *Unde Abraham*, inquiens, *poſt divinæ familiaritatis faſtigium ſe pulverem fatebatur. Moyſes poſt rubi miraculum impeditioris linguæ ſe proteſtabatur. Iſaias poſt concentus Seraphici auditum tripudium pollutum ſe labiis aſſerebat. Job etiam poſt auditum divinum, in favilla & cinere ſeſe rehendit. Ad extremum Virgo Maria poſt electionis in matrem Dei privilegium, ſe ancillam humilem profitebatur.* Denique S. Bern. ſerm. in illud Apoc. 12. *Signum magnum: Merito*, ait, *facta eſt omnium domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam.* Gen. 18. Exod. 4. Iſaiæ. 6. Job. 42. Luc. 1. G

FIAT] Hæc vox tum conſentientis, & aſſenſum angelo ad Verbi conceptionem præbentis eſt. Ita Beda & Maldonatus & S. Irenæus, l. 3. c. 33. & Damaſcenus, l. 3. c. 2. tum optantis, deſiderantis, orantis & obſecrantis ut Meſſias incarnetur, itaque homines redimat & ſalvet. Hoc enim ardentiſſime deſiderabat & obſecrabat B. Virgo. Ita S. Ambroſius, Euthymius, Beda: *Fiat* (ait ex S. Aug. S. Ber. ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*) *deſiderii eſt ſignum, non dubitationis indicium.*

SECUNDUM VERBUM TUUM] ut concipiam & pariam Verbum Dei Patris in carne humana; puta Jeſum Altiſſimi filium. Audi S. Bern. ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*: *Fiat mihi de Verbo, ſecundum verbum tuum: Verbum quod erat in principio apud Deum: fiat caro de carne mea, ſecundum verbum tuum: fiat, obſecro, mihi verbum, non prolatum, quod tranſeat; ſed conceptum, ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, ſed viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris.* Et mox: *Fiat, non imaginatorie ſomniatum, ſed ſilenter inſpiratum, perſonaliter incarnatum, corporaliter inviſceratum.* H

Nota hic prudentiam & caſtitatem B. Virginis: non enim ſimpliciter dicit, Fiam mater Dei, ſed: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*; ſcilicet quo mihi promiſiſti me ſine copula viri ex Spiritu ſancto concepturam, ac proinde manſuram virginem, q. d. Fiam mater Dei, ſed hac lege ut maneam virgo. Plane enim ſuæ virginitati, quam unice adamabat, cautum volebat.

Quando Verbum incarnatū? Reſponſio Prima.

Quæres, quo temporis puncto præciſe Filius Dei ſit incarnatus in B. Virgine? Primo, Elias Cretenſis orat. de Annunciat. cenſet eum incarnatum antequam angelus veniret ad B. Virginem: illum enim annunciaſſe ipſi incarnationem non futuram, ſed jam factam, & in ea non ſentiente peractam. Probat id ex verbis angeli, dicens;

Hoc

A Hoc enim quod ait; *Dominus tecum*, ipsum adesse Regem clare significat.

Secunda. Secundo Nicephorus, lib. 1. c. 8. ait Christum incarnatum, cum angelus eam salutavit dixitque, *Ave gratia plena*. Nam *simul cum ea voce*, ait ipse, *Verbum Dei descendit, & naturam nostram subiit*. Favere videtur S. Hieron. epist. 140. ad Principiam. *S. Maria*, inquit, *quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur*. Sic & S. Gregorius Thaumaturgus homil. de Annunciat.

Tertia. Tertio, alii sentire videntur Christum incarnatum, cum angelus dixit, *Dominus tecum*. Hoc enim sic explicat S. Aug. serm. 2. de Annunc. *Tecum Domine in corde, tecum in ventre* (per incarnationem) *tecum in auxilio*. Et S. Petrus Alexand. Episcopus & Martyr. lib. de Deitate, qui citatur in Concil. Ephes. cap. 7. *Dominus tecum*, ait, id est, *Dei verbum nunc tecum est*. Nam illa Gabrielis salutatio, Deum verum in utero Virginis natum, carnem factum significat. Idem asserit S. Thomas 3. p. q. 33. art. 4. & B. Petrus Damiani, ser. 1. & 3. de Nativ. Virginis. *Dominus tecum: Audisne*: inquit, *in hoc verbo incarnationem Dei, redemptionem hominum, renovationem mundi?*

B

Verum hæc vera esse nequeunt: Primo: quia angelus post hæc verba, *Ave gratia plena Dominus tecum*, &c. subdit: *Ecce concipies in utero, & paries filium*, in futuro. Ergo necdum cum conceperat. Rursum. B. Virgo tandem angelo assensum præbens, ait: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: ergo necdum id factum erat.

Quarta, vera. Dico ergo. Verbum incarnatum, mox ut B. Virgo angelo illud nuncianti assensum præbuit: ad hoc enim ille mittebatur, non enim decebat Christum concipi, invita vel nesciente Virgine matre, sed sciente & consentiente, mox ergo ut illa dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, atque hæc verba finiit; Spiritus sanctus ex purissimis Virginis sanguinibus, corpus Christi formavit, & eodem instanti illud perfecte organizavit, animavit, & Verbo, sive personæ Filii Dei hypostatice univit: sicut, mox ut sacerdos consecrans dixit, *Hoc est corpus meum*, vi horum verborum panis transsubstantiatur in corpus Christi. Id rursum patet ex eo, quod Angelus habito Virginis consensu, quasi peracta legatione sua, ab ea discessit: legationis enim ejus potissima pars & finis erat incarnatio Verbi, præsertim quia opus hoc erat Spiritus sancti perfectissimum & divinissimum. Unde non sensim, sed simul in eodem instanti a Spiritu sancto, Primo, formatum est corpus Christi: Secundo, perfecte organizatum. Tertio, animatum, Quarto omni gratia & gloria in anima repletum: Quinto, hypostatice assumptum a persona Verbi: Sexto, Christus incarnatus immensas egit gratias Deo, pro tot in humanitatem suam collatis beneficiis & donis, eique pro salute hominum se obtulit in victimam ad mortem & crucem juxta illud: *Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam*, Heb. 10. 7. Ita S. Ambros. Jansenius, Maldonatus, & alii hic, ac S. Gregorius l. 9. Registri epist. 61. S. Basilius, hom. 27. de humana Christi generatione, Venerab. Beda, serm. 3. de

C

D B. Virgine, S. Athanasius, orat. de Deipara, Rupertus, lib. 6. in Cant. Damascenus, lib. 3. de Fide, cap. 2. & alii passim. Vide D. Thomam & Scholasticos 3. p. q. 33. art. 3. Confirmatur ex eo, quod paulo post quam dixit B. Virgo, *Fiat mihi secundum verbum tuum*; ipsa salutans Elisabeth, ab ea resalutata, vocata fuit mater Domini, id est Christi Dei. Virgo ergo dicens: *Fiat mihi*, &c. facta tunc est quasi conjux Dei, & caro nostra facta est quasi conjux Verbi. Nam, ut ait S. Gregor. Thaumaturgus, serm. 1. de Annunc. sic ipsa Verbum suscepit, & pretiosam margaritam produxit, puta Christum. Sicut enim margarita ex duabus naturis, scilicet ex fulgure & aqua conflatur: sic Christus ex deitate & humanitate. Hæc Greg. *Hoc est quod natura miratur, reveretur angelus, veretur homo, stupescit cælum, extremit terra, exhorret infernus*, ait, B. Petrus Damiani, serm. de Annunc. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 1. in vigilia Nativit. *Angelus nunciat, virtus obumbrat, supervenit Spiritus, Virgo credit, fide concipit: virgo parturit* (hominem Deum) *virgo permanet*. Ad auctores contrariæ sententiæ respondetur Primo, Andream Cretensem videri fuisse in adversa sententia, sed illum esse solum: nam cæteri ei contradicunt.

Secundo, Nicephorum per *Ave Maria gratia plena* quasi per initium, intelligere totam salutationem, & annunciationem angelicam, in cujus fine Verbum caro factum; cum scilicet B. Virgo consentiens dixit: *Fiat mihi secundum verbum*. Sic & S. Greg. Thaumaturgus, S. Hier. vero videtur uti enallage temporis, ut dicat *conceperit* pro *mox conceptura erat*.

E

Tertio, S. August. S. Thomas, & Damianus dicentes, *Dominus tecum* est, scilicet per incarnationem, intelligendi sunt non quod jam ita foret, sed quod mox ita futurum esset.

Porro B. Virgo in hac conceptione Filii, eximium accepit gratiæ augmentum, & perfectam sanctificationem: nec de hoc sine temeritate dubitari potest, ait Suar. 3. p. disp. 18. sect. 4. Unde Beda, hom. de Visitat. *Quis*, inquit, *dicere, quis estimare sufficiat, quæ tunc gratia spiritum Dei genitricis replevit, cum tanta in matre præcursoris lux doni cœlesti emicuit?* Causam dat S. Bern. tom. 1. concl. 61. art. 1. c. 12. *quod Deus*, inquit, *generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cui ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale, sed quod fœmina conciperet & pareret Deum, est & fuit miraculum: oportuit enim, ut sic dicam, fœminam elevari ad quamdam æqualitatem divinam per quamdam quasi infirmitatem perfectionum & gratiarum, quam æqualitatem creatura numquam experta est. Unde, ut credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus S. quæ in B. Virginem descenderunt in hora divinæ conceptionis, intellectus humanus vel angelicus numquam potuerunt attingere.*

F

Quot & quanta meruit Virgo suo consensu.

Subdit aliam deinde causam; quod scilicet esse matrem Dei sit dignitas quædam infinita, quæ sibi proportionatam gratiam requirit, *Ex his*, inquit, *colligi potest, Virginem beatam in conceptionis Filii Dei consensu plus meruisse, quam omnes creaturas, tam angelos quam homines in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis; nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status & gradus gloriam sempiternam: hac autem Virgo in illo admirando consensu, meruit totalem fomitis extinctionem, dominium gratiarum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus prophetiæ, discretiones spirituum, operationes virtutum. Meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem Filii Dei: meruit quod sit stella maris, porta cæli, & super omnia, quod regina misericordiæ nuncupetur, ac talis nominis consequatur effectum. Unde merito Proverb. ult. de ipsa B. Virgine Salomon ait: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

G

An vidit Dei essentiam?

Imo S. Antonius 3. p. tit. 25. c. 17. §. 1. suspicatur B. Virginem in conceptione Filii Dei vidisse Dei essentiam, utpote quam in se recipiebat, uti S. Aug. S. Thomas, & alii dicunt eamdem vidisse S. Paulum in raptu. Et certe si Paulus eam vidit, multo magis eam vidit B. Virgo. Idem opinantur Rupertus, Cant. 4. ad illa: *Oculi tui Columbarum*; Dionys. Carthus. in 1. dist. 16. q. 2. Gerson alphabeto 15. tit. 8. & B. Bernardus, serm. de B. Virg. tom. 2. & hodie multi magnique Theologi idem sentiunt.

Denique Damascenus de Dormit. Deiparæ, & Anselmus de Excellentia Virginis, c. 3. & 4. seq. tradunt B. Virginem in conceptione Verbi accepisse claram revelationem suæ prædestinationis, & exaltationis futuræ super omnes angelorum choros.

H

Et discessit ab illa angelus] peracto jam suæ legationis officio, scilicet impetrato Virginis assensu, ideoque Incarnatione Verbi in ea jam peracta. Porro B. Virgo revelavit nonnullis, angelum Gabrielem non statim discessisse, sed secum mansisse per novem horas, obstupefactum Verbi in Virgine Incarnatione, ac Verbum incarnatum adorasse, illique omne obsequium obtulisse & reipsa exhibuisse. Nam tradunt monumenta Congregationis S. Georgii in Alga in Lusitania, eos qui ejus auctores fuere, a B. Virgine Maria accepisse, Gabrielem cum Incarnationem nunciaret, integras novem horas apud eamdem fuisse, ac si ob incredibilem Virginis modestiam & majestatem humana majorem, & ob divini Verbi carne induti præsentiam, in admirationem raptus discedere nequiret. Quod indicavit sacer scriptor his verbis: *Et discessit angelus ab ea*. Videtur enim velle indicare, eum rerum novitate & magnitudine obstupefactum sic hæsisse, ut avelli nequiret, donec tandem re exigente quodammodo, tamen invitus a loco discesserit.

Quamdiu Gabriel Archang. manserit cum B. Virgine.

Digitized by Google

A fecisse. Verum hæc uti pie dicuntur, ita certam non habent fidem.

Denique creditur Gabriel flexis genibus salutasse Virginem, atque hoc situ totolegationis suæ tempore permansisse, tum ut Virginem Deiparam veneraretur tum ut Verbum in ea incarnatum adoraret. Quocirca ejus exemplo S. Margarita Hungariæ regis filia, & S. Maria Oigniacensis, quoties Salutationē Angelicam recitabant, toties ante imaginem Virginis Deiparæ genua flectebant.

VERS. 39 EXURGENS AUTEM MARIA IN DIEBUS ILLIS ABIIT IN MONTANA CUM FESTINATIONE, IN CIVITATEM JUDA] *In diebus illis*. Non ergo eodem die, ut insinuat, Theophyl. Beda & S. Ambros. quo salutata ab angelo Filium Dei concepit & corporavit, abiit, sed post duos vel tres dies: hos enim insumpsit contemplando, gratias agendo, orando, & dissuaviando cum Filio Dei in se jam incarnato. Ita Franc. Lucas, Barradius & alii.

Virgo abiit ad Elisabeth. Cur? Causa Prima. ABIIT] Cur? Resp. Primo, ut Verbum in se conceptum aliis annunciaret ejusque gratiam eis aspiraret. Volebat enim Christus in ea incarnatus illico inchoare officium Salvatoris, ad quod a Patre missus erat. Unde S. Ambros. *Abiit*, inquit, *non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo*, (ut exploraret an revera Elisabeth concepisset, uti ei nunciarat angelus) *sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio*.

B

Secunda. Secundo, ut Joannem a peccato originali expiaret, eumque cum Elisabetha matre Spiritu sancto impleret; sicque Christi honor, omniumque devotio crescceret. Ita Origen. hic hom. 7. *Jesus*, ait, *qui in utero Virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat*.

Tertia. Tertio, ut Elisabethæ cognatæ suæ de concepto per miraculum Joanne congratularetur, eique gravidæ & seni serviret, ideoque mansit cum ea toto reliquo tempore, quo gravida fuit, puta mensibus tribus, usque dum pareret Joannem. Ita Beda & alii.

Quarta. Quarto, ut daret omnibus futuris sæculis insigne humilitatis, & charitatis exemplum, qua ipsa jam mater Dei, & regina mundi effecta, dignatur visitare Elisabetham, quæ ipsi potius ancillare & servire debebat; ut & nos similiter ejus exemplo viles, pauperes, aliosque novis inferiores libenter visitare, salutare, eisque servire & opitulari in animum inducamus.

C

Quocirca exemplo & titulo Visitationis B. Virginis, multæ Congregationes ad visitandos pauperes, hospites, infirmos, incarceratos, &c. institutæ sunt, ac nuper hoc titulo Congregationem Religiosarum insignium per totam Galliam, quæ ægris serviant, instituit S. Franciscus de Sales Episcopus Genevensis, vir magnæ pietatis & zeli.

An S. Joseph B. Virginem ad Elisabeth euntem comitatus fuerit? Opinatur Jansen. & alii, cum B. Virgine iisse Josephum, utpote ejus sponsum & maritum. Verius alii id negant: quia, si Joseph iisset cum ea, audisset utique illam ab Elisabetha salutari matrem Dei, ac proinde post reditum videns eam intumescente utero gravidam, non voluisset eam dimittere: quod tamen facere voluit, ut patet Matth. 1. vers. 19. Joseph ergo domi cura rei familiaris detentus, B. Virgini sponsæ suæ eunti in montana associavit ancillam, vel matronam quampiam gravem, quæ ei fidelis esset itineris comes, adjutrix, testis actionum omnium.

IN MONTANA] vel Hebron, ut volunt Baronius, Toletus, & alii; vel Judææ, ut volunt Geographi Terræ sanctæ, de quo mox plura.

D

Tropologice anima Deo plena, uti erat anima B. Virginis, in montana conscendit, id est, ad ardua virtutum enititur. Ita S. Ambros. *Quo jam Deo plena*, ait, *nisi ad superiora cum festinatione conscenderet?* Et Beda: Concepto mente Dei Verbo, ait, ascendendum ad virtutum cacumina, amoris gressu, & civitas Judæ, id est confessionis & laudis, penetranda: & in perfectione fidei, spei & charitatis quasi tribus mensibus commorandum. Hinc Lot fugienti incendium Sodomiæ dicitur, *In monte salvum te fac*, Gen. 19. 11. Et Habacuc cap. 3. 19. *Deus Dominus*, ait, *fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum; & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem*. Vide ibi dicta.

Festinat Virgo: Cur? Primo, CUM FESTINATIONE] Syrus, *sedulo*, vel diligenter: græce μετ' σπουδῆς, id est cum studio, diligentia, sedulitate, festinatione, agilitate. Agilem enim facit *actio*, strenuum *motus*, fortem *animus* robustum *corpus*, ait Corn. Fronto. Causam primam festinationis dat S. Ambros. *Festinavit Virgo*, inquit, *ne extra domum diu in publico moraretur*, &c. *Discite virgines non demorari in platea, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo fera, festinat in publico*. Secundam causam idem Ambros. addit, quia plena erat gaudio & Spiritu sancto: *Nescit*, inquit, *tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Gaudium enim & devotio, ac charitas stimulabant B. Virginem ad festinandum.

E

Secundo.

Tertio. Tertiam dat Origen. quia Christus in utero Virginis Joannem a peccato purgare & sanctificare festinabat. *Mariam ergo*, ait S. Ambros. *quæ antea sola in intimis penetralibus versatur, non a publico virginitatis pudor, non a studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit*.

IN CIVITATEM JUDA] Id est, in Jerusalem, ajunt Albertus Magnus, & S. Bonaventura, sed Jerusalem cum de ea agitur alibi passim, solet nominari. Adde: Jerusalem erat in tribu Beniamin, non Juda. Melius ergo Tolet. & Baronius accipiunt Hebron: hæc enim erat in tribu Juda sita in monte, eratque prima ex civitatibus iis, quæ in tribu Juda assignatæ erant sacerdotibus ad habitandum, Josue 21. 9. & seq. sicut aliæ eisdem assignatæ erant in tribu Simeon & Benjamin. Porro Hebron a Jerusalem distat octo horis. Denique Brocardus, Bredenbachius, Adrichomius, &c. in Descriptione Terræ sanctæ, civitatem hanc ajunt fuisse Emmaus, ubi incipiunt montana Judææ, quæ a Jerusalem distat hora cum media, de quo mox plura. Juxta Hebron ergo sunt montana Hebron, juxta Emmaus montana Judææ, ut patet ex tabulis Geographicis.

F

Verisimile est B. Virginem prius iisse Hierosolymam, utpote instante festo Paschæ, ibique in templo Deo gratias egisse, eique se suumque Jesum jam conceptum obtulisse. Ita Clictovæus, Franc. Lucas, Barradius, & alii, præsertim quia ex Nazareth in montana, per Jerusalem directum erat iter. Fuit ergo hoc Virginis iter facile quatridui: nam a Nazareth in Jerusalem est iter tridui, puta iter 26. horarum: quarto deinde die B. Virgo e Jerusalem ivit domum Zachariæ, de quo jam plura.

ET INTRAVIT IN DOMUM ZACHARIÆ] Domum hanc ex Brochardo, Bredenbachio & Nicephoro ita describit Adrichom. in Descript. Terræ sanctæ p. 55. n. 243. *Domus Zachariæ sacerdotis uno milliario distabat ab Emmaus, juxta montana. Domus illa adhuc habitabatur in pago, tempore Saligniaci, quam reverenter salutare consueverant peregrinantes: ibique natus est Joan. Baptista, circumcisus, & in spelunca absconditus, ne cum pueris Bethleemicis ab Herode occideretur. Juxta hanc fons est B. Virgin. ex qua illa ipsa aquam haurire consueverat, cum maneret apud Elisabeth, qui inde fluit ad mare magnum. In superiore ejusdem domus loco quondam fuit ecclesia, hodie penitus destructa: fuerat autem fundata eo loco, quo Zacharias repletus Spiritu sancto prophetavit: Benedictus Dominus Deus Israel*, &c.

G

VERS. 40

Domus Zachariæ in Emmaus.

ET SALUTAVIT ELISABETH] dicendo, *Pax tecum*, quia hęc erat Hebræis usitata salutatio. Unde Syrus vertit, *precata est pacem*, sive salutem. Fecit hoc B. Virgo instinctu Dei, qui per angelum ei suggesserat conceptionem Elisabethæ, ad hoc, ut tacite eam submoneret gratum fore Deo, si illa visitaret & salutaret. Intendebat enim Deus per Elisabetham, utpote matronam grandævam, prudentem & sanctam, orbi pandere conceptionem B. Virginis, arcanam Verbi incarnationem in ea factam, quasi thesaurum latentem in visceribus Virginis, omnibus illo indigentibus patefacere. Hoc enim fecit Elisabeth cum dixit; *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

H

ELISABETH] non Zachariam: tum quia mutus erat & surdus, tum quia non decebat virum a Virgine salutari, nec pudor virgineus id permittebat. Porro B. Virgo *prior salutavit*, ait S. Ambos. *decet enim ut, quanto castior virgo, tanto humilior sit, noverit deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis*, &c. Vide S. Chrysost. hom. 38. in Matth. sub finem, ubi docet ridiculos esse superbos, qui nolunt prius salutare, nec nisi salutati resalutant: sapientes vero & humiles esse eos, qui prius salutant; idque Primo, quia virtutis & humilitatis officium anticipant, alterique præripiunt: Secundo, quia superbiam domant tam suam, quam alienam: Tertio, quia simultates, lites & odia tollunt & dissipant.

ET

A VERS. 43 ET FACTUM EST UT AUDIVIT SALUTATIONEM (Syrus, *vocem*) MARIÆ ELISABETH, EXULTAVIT INFANS (Joannes) IN UTERO EJUS, ET REPLETA EST SPIRITU SANCTO ELISABETH] Nota, cum S. Ambrosio, Salutationem & vocem Mariæ prior audivit Elisabeth, sed vim, spiritum & efficaciam salutationi prior sensit Joannes; utpote matre sua dignior, & nobilior; ad hunc enim velut futurum Christi præcursorem, maxime dirigebatur hæc salutatio Virginis, imo Christi; nam, ut solerter advertit Origenes, Christus in ventre matris latens hanc ei salutationem suggessit. Et Theophilactus: *Vox Virginis*, ait, *vox erat incarnati in illa Dei*. Et Euthymius: *Christus*, inquit, *locutus est per os matris suæ; Joannes autem audivit per aures matris suæ & agnito supernaturaliter Domino, sua exultatione illum prædicavit*. Porro Joannes exultans in utero matris, fecit eam pariter exultare. Nam ex exultatione Joannis, suggerente Spiritu sancto, agnovit Elisabetha B. Virginem concepisse Christum, ideoque illam ut matrem Dei resaluravit & venerata est.

B Pro *exultavit* græce est σκίρτησεν, quod proprie non significat lætari, sed salire, exilire, subsilire præ luxu, uti subsultant agni & vituli bene pasti.

Saltus Joannis an rationalis. Quæritur ergo hic, an hæc Joannis infantis exultatio fuerit motus naturalis, an animalis, an rationalis; sive an Joannes exilierit cum sensu usuque rationis, & proprie dicta lætitia, an vero motu corporis dumtaxat, quomodo asina Balaam locuta est, non intelligens id quod loquebatur, Num. 23. ac in utero Rebeccæ movebantur & collidebantur Jacob & Esau, non intelligentes quid hoc sibi vellet, Gen. 25. 22. Calvinus censet naturalem dumtaxat fuisse hunc motum & saltum Joannis, Naturale enim est, inquit, ut dum mater præ gaudio gestit, infans quoque in utero moveatur & quasi exiliat.

Verum contrarium sentiunt omnes Patres & Doctores Orthodoxi. Unde S. August. ep. 57. ad Dardanum, & Eucherius q. 3. in Lucam, ac Jansen. hic opinantur supernaturalem fuisse hunc saltum Joannis, sed sine usu rationis. Alii vero omnes passim saltui Joannis addunt usum rationis. Ita Origen. S. Ambr. Theophyl. Euthym. C hic, ac S. Chrysost. Maximus. S. Bern. Chrysolog. serm. de Nativ. S. Joannis. Unde S. Ambr. *Habebat*, inquit, *intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum*. Origen. *Sancta erat anima B. Joannis, & adhuc in matris utero clausa, venturaque in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat, quæ Israel ignorabat. Unde exilivit, & non simpliciter exilivit, sed in gaudio: senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, antequam de matris utero procederet*. Et paulo ante; *Tunc primum præcursorem suum Prophetam fecit Jesus*. Similiter Euthym. *Infans, qui in utero ferebatur virginis, prophetica statim gratia donavit infantem, qui in utero gestabatur sterilis*. Posttemo Theoph. *Præcursorem*, ait, *in utero gratia profecutus est; & Prophetam fecit*. Insuper S. Irenæus lib. 3. c. 18. *Cognovit*, ait *Dominum in utero, & salutavit exultans*. S. Leo serm. de Epiph. *Nondum natus*, inquit, *Joannes prophetica exultatione commotus est, quasi etiam intra matris viscera clamaret, Ecce Agnus Dei*, S. Greg. lib. 3. Moral. c. 5. *Intra matris uterum*, inquit, *spiritu prophetiæ repletus est*. Sic & S. Cyrill. Hierosolym. D catechesi 3. & Cyrillus Alexand. lib. de Fide ad Reginas, cap. de Evang. secundum Lucam, S. Ambrosius quoque serm. 63. & S. Chrysost. hom. 2. c. in Joannem tom. 3. asserunt Joannem in utero prophetasse; quia scilicet suo saltu & gaudio indicavit Christum jam conceptum in utero Virginis, & quia matrem Elisabetham ad idem prophetandum excitavit. Denique id docet Ecclesia, cum in festo S. Joannis de eo canit:

Veniris obstruso recubans cubili,
Senseras Regem thalamo manentem:
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pandit.

Merita enim præsupponunt usum rationis, libertatis & virtutis. Hi omnes igitur asserunt, hunc saltum Joannis non tantum fuisse supernaturalem, sed & usu rationis pollentem, ac ex vero animi gaudio procedentem. Idque patet ex v. 44. ubi ait Elisabetha: *Exultavit in gaudio infans in utero meo*; Syrus, *in gaudio magno*, Arabicus, *motus est infans cum exultatione in utero meo*.

Secundo, idem patet ex eo, quod Joannes hoc suum gaudium communicavit & afflavit matri suæ, cum ei similе gaudium cum prophetia indidit, ut patet ex sequent.

Tertio, quia simili modo vers. 47. exultavit B. Virgo canens *Magnificat*, utique pollens usu rationis & rationali gaudio, ergo & Joannes, qui primus erat finis & scopus Visitationis B. Virginis, & horum omnium mirabilium. E

Rationis usu in matris utero donatus Joannes Bptista.

Acceleratus ergo fuit Joanni semestri in utero matris usus rationis, ut, Deo revelante, Christum in utero Virginis incarnatum agnosceret, adoraret, diligeret, eique corporis gestu & saltu reverentiam exhiberet, eodemque Virginem salutantem resaluraret. Secundo, Joannes tum accepit donum prophetiæ de Christo, uti Patres jam citati docent; imo S. Ambros. & Theophyl. opinantur Joannem compellatum a Zacharia patre, intellexisse illud ejusdem de se oraculum: *Et tu puer propheta altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Tertio, Joannes eodem instanti purgatus est a peccato originali. Quarto, accepit gratiam non qualem qualem, sed eximiam, quæ præcursorem Christi mox futurum decebat, gratiam, inquam, cum omnibus virtutibus infusis. Hoc enim prædixit angelus vers. 15. dicens: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*: In Joanne ergo verum est illud S. Chrysostomi hom. 30. F *Saltatio indicium est perfectæ sanitatis*; adde & sanctitatis.

Hinc aliqui putant Joannem caruisse fomite concupiscentiæ, nec umquam peccasse venialiter; sed hoc privilegium B. Virgini proprium videtur, qua Joannes fuit inferior. Habuit ergo ipse fomitem concupiscentiæ, & peccavit venialiter; scilicet per subreptionem; sed deliberate forte numquam. Ita Barradius: est enim regula S. Aug. & Theologorum: Quia qui habet, vel habuit peccatum originale, habet & concupiscentiæ fomitem, peccatque subinde venialiter, atqui Joannes habuit peccatum originale: ergo &c.

Joanni manſit usus rationis.

Quæres, an hic usus rationis continuo durarit & perseverarit in Joanne? Negant nonnulli recentiores, sed asserit S. Ambros. & Origenes hic hom. 3. Ratio eorum est hæc: Si Joannes ad præsentiam Christi & B. Virginis usum rationis accepit, ergo quamdiu duravit eorum præsentia, tamdiu duravit in Joanne usus rationis: atqui eorum præsentia duravit per tres menses, scilicet usque ad nativitatem Joannis: ergo eousque duravit in eo usus rationis. Porro non est verisimile Joannem extra uterum fuisse privatum dono, quod habuit in utero: ergo usum hunc rationis habuit deinceps continuo & semper. Ita Toletus & Suarez 3. p. q. 27. disp. 4. sect. 7. qui idem longe potiori ratione de B. Virgine asserendum docet. G

Quam efficax Sanctorum intercessio.

Moraliter discе hic, quam utilis & efficax sit salutatio & precatio Sanctorum, & præsertim B. Virginis, utpote quæ unico salutationis verbo tam Joannem, quam Elisabetham Spiritu sancto replevit, omnibusque ejus donis cumulavit. *Sanctorum non tantum verba, sed & ipsi aspectus spirituali gratia pleni sunt*, ait S. Chrysost. homil. 3. ad Popul. Idem in 2. ad Timoth. c. 1. v. 1. *Sufficit*, ait, *sola Pauli salutatio gratia implere eum qui ita salutatur*. Sancti enim, ac super omnes B. Virgo, pleni sunt spiritu igneo charitatis; quare eum ore, oculis, vultu expirant & adstantibus inspirant, perinde ac qui plenus musto, illius calorem & efficaciam vicinis inhalat, uti fecere Apostoli in Pentecoste, Actor. 2. Quare qui alios spiritales efficere sagit, ipse prius spiritu divino se repleat: sic loquendo eumdem audientibus inhalabit & afflabit: ex abundantia enim cordis os loquitur, & stomachus illud, quo plenus est, eructat. Adde, quod Deus talibus, ut instrumentis sibi unitis & congruis, utatur: ipse enim purissimus & efficacissimus est spiritus; quare per viros spirituales & zelosos, quasi sibi similes, spiritualia, & magna potenter operatur. H

ET REPLETA EST SPIRITU SANCTO ELISABETH] *Spiritu sancto*, scilicet gratia Spiritus Sancti, tum gratum faciente, tum gratis data: nam quæ prius erat justa & sancta, ut patet vers. 6. jam facta est longe justior & sanctior, ac insuper accepit donum prophetiæ, ex Spiritu sancto cœpit prophetare, id est revelare arcanam Verbi incarnationem factam in Virgine, eique futura prædicere.

Porro Joannes, ut dixi, prius fuit repletus Spiritu, deinde eodem replevit & matrem; tum quia saltu suo excitavit eam ad indagandum mysterium incarnationis latens in Virgine, tum quia sua sanctitate, meritis, & precibus meruit, ut & mater repleretur Spiritu sancto, quo ipse plenus erat. Ita S. Ambrosius: *Vocem*, inquit, *prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Exultavit infans, repleta est mater: non prius mater repleta*

quam

Digitized by Google

A *quam filius; sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit & matrem.* Sic quoque Origenes, Euthymius & Theophyl.

VERS. 42 ET EXCLAMAVIT VOCE MAGNA, ET DIXIT: BENEDICTA TU INTER MULIERES, ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI] *Exclamavit*, tum ex vehementia spiritus & ardoris sibi a Spiritu sancto aspirati, tum ex novitate & admiratione mysteriorum sibi a Spiritu sancto revelatorum, puta incarnationis Verbi, conceptionis B. Virginis, saltus & sanctificationis Joannis in utero suo, &c. Hæc enim admirans, nec continere se valens, quasi parturiens divina, in ingentem erupit clamorem:

BENEDICTA TU INTER MULIERES] id est, præ omnibus mulieribus, q. d. Tu omnium mulierum es fortunatissima & benedictissima; quia electa in Dei matrem, *quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Eadem fuit salutatio angeli v. 28.

ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI] τὸ & est causale, idemque valet quod *quia*, q. d. Quia benedictus est fructus ventris tui, id est, filius Dei, quem repente concepisti, & carne tua vestisti, idcirco tu quoque es benedicta. Fons enim omnium benedictionum & gratiarum B. Virgini collaturum a Deo, est maternitas Dei,
B quod scilicet ipsa Deum conceperit & in se incarnarit: Deus enim matrem suam omni gratia adornavit ad hoc, ut dignum se fieret habitaculum, imo ut digna esset quæ fieret mater Dei. Cur enim magis quam matri benedicat filius, & filius talis, qui simul sit Deus & homo? Elisabeth ergo, inspirante Spiritu, hic cognovit jam B. Virginem concepisse, & in ea incarnatum esse Filium Dei, quod nullo alio indicio vel signo scire poterat. *Benedictus*, non tantum inter mulieres ut tu, sed absolute præ angelis, hominibus, & creaturis omnibus, utpote omnium creator & dominus. Porro cæteri Evæ filii omnes sunt maledicti, quia ex ea & Adamo contrahunt peccatum originale; solus Christus est benedictus, quia non est filius naturalis Adæ: sed supernaturaliter in Virgine conceptus est ex Spiritu sancto.

FRUCTUS VENTRIS TUI] Alludit ad illud Dei ora-
Psal. 131. culum & promissum factum Davidi: *De fructu ventris tui*
v. 11. *ponam super sedem tuam*, Psalm. 131. 11. q. d. Bene-
C dictus sit filius Davidis, puta Messias Davidi quasi filius promissus, qui est fructus ventris tui; utpote in ventre tuo ex purissimis tuis sanguinibus formatus & incarnatus. Audi S. Bernard. serm. 3. de Annunc. *Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area, sed in nulla parte area totus, sicut in vellere fuit. In te sola rex ille dives & prædives exinanitus, excelsus humiliatus, immensus abbreviatus, & ab angelis minoratus est; verus denique Deus & Dei Filius incarnatus, sed quo fructu? nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo incipiamus unus esse spiritus cum eo.*

ET UNDE HOC MIHI, UT VENIAT MATER DOMINI
VERS. 43 MEI AD ME?] Verba sunt summæ humilitatis & reverentiæ, quibus *non hoc sui meriti, sed muneris fatetur esse divini*, ait S. Ambros. & ex eo Beda. Matrem imitatus Joannes filius, Christo venienti ad se ut baptizaretur: *Ego*, inquit, *a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Cui Christus: *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem Justitiam*, Matth. 3. 14.

D DOMINI] Id est Dei, qui absolute vocatur Dominus, quia Rex regum, & Dominus dominantium. Hinc ergo Primo, liquet, jam Christi humanitatem in Christo fuisse animatam & unitam Verbo, sive Dei Filio, ut dixi vers. 38. Secundo, B. Virginem recte vocari Θεοτόκον, id est Deiparam, non tantum χριστοτόκον, id est Christiparam, uti volebat Nestorius, sicut contra eum definivit Concilium Ephesinum & tota Ecclesia. Tertio, in Christo esse duas naturas; scilicet humanam; hanc enim solam ei dare potuit virgo mater; & divinam, quam ei solus communicavit Pater: sed unicam personam, scilicet non humanam, sed divinam, puta hypostasin Verbi. Si enim in Christo essent duæ personæ sicut sunt duæ naturæ, non recte diceretur Deus ex virgine natus, passus, crucifixus, sed alius scilicet homo, sive persona hominis. Jam autem id recte dicitur, quia una est persona in Christo, utramque naturam divinam & humanam sustentans: quæ proinde facit, ut attributa unius naturæ tribuantur alteri in concreto, ut scilicet hic homo, puta Jesus recte dica-

B. Virgo vere dicitur Deipara.

tur esse Deus, æternus, omnipotens, ac vicissim Deus E
in eo dicatur esse homo, passibilis, mortalis, imo passus & mortuus: quia scilicet eadem est persona, quæ ob duas naturas, quas habet, simul est Deus & homo, ac proinde tam Dei quam hominis actiones & attributa in se suscipit. Actiones enim sunt suppositorum, sive personarum, atque hanc unicam in Christo personam significat tam vox hic homo, sive Jesus, quam vox Deus, vel Dei Filius: quare quod de uno vere dicitur, etiam de altero vere dicitur.

ECCE ENIM UT FACTA EST VOX SALUTATIONIS TUÆ VERS. 44
IN AURIBUS MEIS, EXULTAVIT IN GAUDIO INFANS IN UTERO MEO] Græce ἐσκίρτησεν ὁ βρέφος, id est, *exiliit in exultatione*: licet enim ἀγαλλίασις significet gesticulationem, significat tamen gaudium quoque & exultationem, qua gestiendo & exiliendo ostenditur. Unde Syrus vertit, *in* (præ) *gaudio magno*. Vide dicta v. 41. & dicenda v. 47.

Simbol. Joannes exiliens in utero, fuit quasi præsultor sui martyrii: suo enim saltu adumbravit saltum filiæ Herodiadis, quæ cum idcirco placuisset Herodi, petiit ab eo caput Joannis & impetravit: sed saltus hic Joanni fuit summo honori, gaudio, & decori, filiæ vero summo F
dolori, & dedecori. Unde Poeta de eo canit:

Jam video puer: ad saltum meditaris acerbum,
Quo caput expescat sæva puella tuum.
Usque adeo tibi dulce mori est, ut luminis expers
Argumenta tua ludere cædis ames?

ET BEATA, QUÆ CREDIDISTI, QUONIAM PERFICIEN- VERS. 45
TUR EA, QUÆ DICTA SUNT TIBI A DOMINO,] per angelum vers. 31. scilicet, *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Cognovit ergo Elisabeth per Spiritum sanctum B. Virginem credidisse angelo nuncianti Christi conceptionem & nativitatem. Beata, tum per rem, quia Christum jam utero gestas; tum per spem, quia eum paries, qui te, omnesque in eum credentes beatos in cælo efficiet. Beata ergo es apud Deum & homines. Beata es, & eris per omnem sæculorum æternitatem. Beata, inquam, antonomastice, id est omnium angelorum & G
hominum beatissima & felicissima. Tacite perstringit Elisabeth Zachariæ mariti sui incredulitatem de nascituro Joanne, v. 20. eique opponit fidem Virginis. Unde Beda: *Vere beata*, ait, *quæ sacerdote præstantior, cum enim sacerdos negasset, Virgo correxit errorem.*

TIBI] Legit Interpres in Græco σοὶ τῇ vel αὐτῇ aspirate, jam minus recte legunt αὐτῇ cum spiritu leni, id est *illi* in tertia persona: nam τὸ *credidisti* est secundæ personæ: ergo subjungendum est *tibi* potius quam *illi*, ne subito sine causa secunda persona mutetur in tertiam.

Fateor, Græcum πιστεύσασα verti posse in tertia persona, *Beata quæ credidit, quia perficientur ea quæ dicta sunt illi*, uti vertit Syrus, Vatabl. & alii; tamen quia præcedentia omnia diriguntur ad B. Virginem in secunda persona per modum salutationis & colloquii, hinc potius, suavius & efficacius hic quoque in secunda persona vertendum est *credidisti*, uti & vertit Arabicus.

ET AIT MARIA, MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMI- VERS. 46
NUM] Sic quoque Syrus, Arabicus, Ægyptius, Persicus & Æthiopicus. Apposite ad laudes suas ab Elisabeth celebratas respondet B. Virgo, retorquendo illas ad suum fontem, puta ad Deum. Audi S. Bernard. serm. in illud Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cælo*: sic enim H
ait, *Magna quidem præconia, sed & devota humilitas, nil sibi passa retinere in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Et ipse quoque tamquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicit, quæ credidisset, sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est superna pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.*

Pergit deinde S. Bernardus ostendere B. Virginem, licet esset humillima, in fide tamen promissionis sibi ab angelo factæ summe fuisse magnanimam, ut ad tantum mysterium non dubitaret se electam, sed veram Dei & hominis genetricem crederet mox futuram. Facit enim hoc in electis gratia *Dei, ut eos nec humilitas faciat pusillanimes, nec magnanimitas arrogantes.*

MAGNI-

Digitized by Google

A MAGNIFICAT] aliter magnificat hominem Deus, aliter homo Deum: Deus magnificat hominem, quia eum magnum facit, dum magnis opibus, honoribus, gratiis & donis eum cumulat, & præ cæteris extollit. Homo vero sic nequit magnificare Deum, quia nil parvi vel magni ei addere potest. Magnificare ergo Deum dicitur, cum ejus magnitudinem, id est majestatem, magnificentiam, omnipotentiam, sanctitatem, sapientiam, beneficentiam, &c. laudat & prædicat. Sensus ergo est, q. d. Tu, o Elisabeth, magnificas me, dum me magnifico titulo matris Dei exornas, & magnalia Dei mihi collata celebras; at ego magnifico & celebro Deum, qui me magnam fecit, dum tam magnum mihi dedit filium, scilicet Deum ipsum, ac tam magnum incarnationis Verbi mysterium in me operari dignatus est. Unde Beda sic paraphraſtice explicat: *Tanto me Dominus, tanque inaudito munere sublimavit, quod non ullo officio linguæ explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi: & ideo totas animæ meæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine ejus, cui non est finis, quidquid vivo,* B *sentio, discerno, gratulanter impendo.*

Hoc incarnationis Verbi opus omnium operum Dei, fuit maximum: fuit enim opus Primo, summæ potentiæ, unire Deum homini, cælum terræ, spiritum carni, hæc enim sunt duo extrema in infinitum a se distantia; Secundo, summæ bonitatis, qua Deus se totum omniaque sua bona homini communicavit: Tertio, summæ sapientiæ, qua hanc unionem fecit in persona divina, ut utrique naturæ humanæ scilicet & divinæ, sua servaretur integritas. Vide D. Thom. 3. p. qu. 1. art. 4. Quocirca Psal. 8. canit Psaltes: *Elevata est magnificentia tua super cælos.* Ubi Euthym. ait: *Magnificentiam hoc in loco Dei humanationem appellat, quæ est magna & omnem exuperans intellectum: elevata enim est & transcendit illas etiam potestates, quæ super cælos sunt, eo quod etiam ab eis comprehendi non potest. Unde maxime eis est admirationi, neque enim homines tantum, sed ipsi etiam ad hoc stupent mysterium.*

C *Magnificat canticorū omnium præstantissimum.*

Hic ergo incipit canticum B. Virginis, omnium sacræ Scripturæ canticorum, scilicet Mosis, Deboræ, Annæ, Ezechiæ, Trium puerorum, &c. præstantissimum; utpote divino spiritu & exultatione plenissimum, ut a Verbo in utero Virginis jam concepto, & exultante compositum dictatumque videatur, quod proinde Ecclesia quotidie in officio Vesperarum usurpat, & solemni ritu decantat, ut eodem Deum summe celebret & glorificet, eique pro Verbo incarnato cæterisque donis maximas agat gratias, utque affectus devotionis, pietatis, amoris, exultationis, quos in eo dictando cælitus hausit B. Virgo, hauriat, & imbibat.

Tres ejus partes. Porro tres cantici hujus sunt partes: Prima, ab hoc vers. 46. usque ad vers. 50. Virgo laudat Deum ex beneficiis propriis, sibique uni a Deo præstitis, præsertim conceptionis Verbi. Secunda a vers. 50. usque ad 54. laudat Deum ob beneficia communia toti populo ante Christi adventum præstita, maxime autem alludit ad victorias contra Pharaonem & Chananæos Israeli collatas. Tertia, a v. 54. usque ad finem cantici redit ad beneficium hoc D maximum incarnationis Verbi patribus promissum, sibique exhibitum.

Tropol. Tropologice, Origenes, Deus ait, magnificatur, quando ejus imago grandis efficitur; cum scilicet anima ad Dei imaginem facta, magnis humilitatis, charitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum operibus, incrementis & meritis augetur. Glossa vero, Deus, ait, magnificatur in nobis, dum Christo per justitiam conformamur. Nam, ut ait hic S. Ambr. *Imago Dei Christus est, & idea si quid justum religiosumque fecerit anima, illam imaginem Dei, ad cujus similitudinem creata est, magnificat. Et ideo dum magnificat eam, magnitudinis ejus quadam participatione sublimior fit, ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, etiam quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere.* Theophyl. animam Deum magnificare dicit, cum homo heroica atque cælestia opera exequitur. *Magnificat*, inquit, *Deum, qui digne juxta Deum ambulans, vocatus Christianus, non attenuans nomen & dignitatem Christi, faciendo quod non opertet, sed magnificans operando magna cælestiaque opera.* S. Basil. in Psal. 29. v. 1. ad illa, *Exaltabo te Domine: Qui*, inquit, *ad beatitudinem cum scientia properat, Deum exaltat; qui ingreditur huic oppositam, quantum* E *hic Deum in se humiliat.* Idem in Psal. 33. ad illa: *Magnificat Dominum mecum: Magnificat*, ait, *Dominum is, qui magno mentis proposito, celsoque animo & erecto pro pietate tentationes tolerat: deinde vero is etiam, qui nec mediocri intellectu & sublimiore animi speculatione, rerum conditarum multimodam magnitudinem considerat, ut ex earum magnitudine juxta ac pulchritudine tantarum rerum opificem contempletur.* S. Augustinus serm. 2. de Assumpt. *Quæcunque*, inquit, *anima sancta, Verbum concipere potest credendo, parere prædicando, magnificare amando, ut dicat, Magnificat anima mea Dominum.*

ANIMA MEA) q. d. Non solum lingua mea, nec sola manus mea, sed ipsa anima mea, tota quanta est magnificat Deum, hoc est, ego ex intimis animæ meæ penetralibus, sinibus & sensibus, totis mentis meæ facultatibus laudo & glorifico Deum: omnes animæ meæ vires in ejus laudem expromo & exhaurio, ut intellectus meus nonnisi ipsum consideret, voluntas nullum nisi ipsum amet & celebret; memoria nil nisi ipsum cogitet: os meum nil nisi ipsum loquatur & prædicet, manus mea non nisi ea quæ ad cultum ejus spectant F operetur; pedes mei non nisi ad ea quæ ad gloriam ejus spectant, progrediantur & procedant.

Symbolice, Tolectus: Recte, inquit, B. Virgo ait, *Primo.* *anima mea*, Primo, quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat hera & domina, quia illam possidebat per patientiam, & affectum passionumque omnium dominium: at nos non possidemus animam nostram, quia possidemur ab ira, superbia, concupiscentia, similive passione. Secundo, quia ipsa to- *Secundo.* tam animam tradiderat filio: quæ autem filii erant, ipsius quoque erant. Unde anima ejus filio tradita, in ejus potestatem integra revertebatur, perfecteque dicit *anima mea*: tota enim ipsius erat, quæ tota a filio quantum ad omnes ejus partes, possidebatur. Tertio, *Tertio.* propter affectum dilectionis: quo enim Deum aliquis magis diligit, eo magis diligit animam suam. Cum igitur B. Virgo Deum maxime super omnes homines dilexerit, nullumque peccatum commiserit, suam profecto animam maxime diligebat. Quod autem diligimus, præ dilectione nostrum appellamus: quæ igitur animam G suam sic dilexit, eam vere suam vocavit.

DOMINUM) q. d. Tu, o Elisabeth, magnificas me ut matrem Domini, quod Dominus, id est, Deus, sit filius meus: ego vero Dominum ipsum magnifico, id est, Primo Deum Patrem, qui me dignatus est evehere ad suæ generationis consortium, ut ejusdem filii sim mater, cujus ipse est Pater: quem enim ipse genuit Deum, ego eumdem generavi hominem. Secundo; magnifico Deum Filium, quia ipse ex meo sanguine carnem assumere, meusque filius fieri dignatus est. Tertio, magnifico Spiritum sanctum, qui me sua sanctitate replere, ac tantum incarnationis Verbis opus in me sola operari elegit.

ET EXULTAVIT SPIRITUS MEUS IN DEO SALUTARI MEO) *Exultavit*, scilicet ab initio conceptionis & incarnationis Verbi in me, & continuo exultat. Græce est, ἠγαλλίασε, ideſt vehementer lætatus est, gestiit, exultavit, jubilavit: ἀγαλλίαμα enim, ait Eustachius: dicitur quasi ἄνω ζῶ, id est, admiror vehementer. B. Virgo ergo admirans spiritus Dei in se incarnati divinam potestatem, sanctitatem, justitiam, benignitatem, beneficentiam, exultat, & præ gaudio gestit & jubilat. Hinc Euthymius in illud Psal. 9. *Lætabor & exultabo in te; Exultatio*, ait, *major quædam est lætitiæ intensio, quæ pre nimia gandio subsilire valde, atque elevari cor facit.* H

Audi Albertum Magnum: *Exultatio*, inquit, *est quædam exaltatio in jubilo, cum cordis gaudium saltat in corporis jucunditatem, & tunc patet exultare spiritum, esse jucundari spiritum etiam in tripudio corporis, juxta illud Zachar. 9. Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Addit Albert. *In utero Deipara echo quædam divina efficitur, repercussioque soni, ac vocis Christi existentis in utero, in os Mariæ; qua deinde ad eumdem Christum reflectitur, dum dicitur: Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Accedit Cajetanus: *Exultatio*, ait, est exundans lætitia, quæ scilicet in signa externa gesticulationis, cantus, jubilationis, &c. modeste tamen & graviter erumpit.

Alludit ad illud Isaiæ c. 61. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo*; & magis ad illud

Annæ

A Annæ 1. Reg. 2. *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Sicut enim exultavit Anna ſterilis, Dei ope & miraculo concipiens Samuelem: ſic exultavit B. Virgo ex Spiritu ſancto concipiens Emmanuelem hujus enim typus fuit Samuel. Sicut enim *Emmanuel* hebr. idem eſt quod עמנו אל *immanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. Sic Samuel idem eſt quod שאול מאל *ſaul meel*, id eſt, *poſtulatus* & datus *a Deo*, vel, ut R. Abraham & Pagninus, *Samuel*, idem eſt quod שמו אל *ſcemo el*, id eſt *illic Deus*, ſcilicet in utero, non tam Annæ, quam B. Virginis. Samuel enim fuit ſanctiſſimus Prophera, princeps & ſalvator Iſraelis, uti Chriſtus eſt omnium fidelium. Quocirca canticum hoc B. Virginis plane reſpondet cantico Annæ 1. Regum 2. Eadem enim eſt utriuſque materia, idem exultans ſpiritus humilitatis, gratitudinis & devotionis in Deum, juxta illa Pſalmi: *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.* Pſal. 34. 9.

Samuelis etymon.

Porro S. Auguſtinus ſcribens ſuper *Magnificat*, Virginem duo hic facere docet: Primo, Dei bonitatem & miſericordiam prædicare, ſicut in præced. verſ. ejus potentiam & majeſtatem. Secundo, ſuaviratem & dulcedinem, quam ipſa in conceptione ſui filii hauſerat, foras effundere; atque in hac re dicit Deiparam imitatam fuiſſe angelos, qui hæc duo in cælis præſtant, nimirum Dei majeſtatem incomprehenſibilem meditantur, & ejus ineffabili bonitate atque dulcedine perfruuntur; & ſic admirantur, ut diligant & exultent. Ejus verba ſunt hæc; *Vidiſti majeſtatem, guſtati ſuavitatem, ideo quod intus hauſeras, foras propinaſti, & in juſtitia ejus exultaſti; quia exultavit ſpiritus meus: anima magnificat, ſpiritus exultat. Et iterum. In Deo ſalutari meo; Deus potentiam, Salutari miſericordiam notat. Duo quippe ſunt quæ angelorum & hominum beatorum ſpiritus, in illo fonte boni æterna contemplatione hauriant, incomprehenſibilis ſcilicet majeſtas Dei, & ineffabilis bonitas; quorum alterum caſtum timorem gerit, alterum dilectionem parit: pro majeſtate venerantur Deum, & pro bonitate amant; ne vel dilectio ſine reverentia diſſoluta ſit, vel reverentia ſine dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, & diligentes admirantur, ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & ſuaviter in dilectione ferveat admiratio.*

B

C

Denique ſicut ſummum beneficium hic conceptionis Verbi B. Virgini fuit collatum, ita ſumma ipſius de eo fuit exultatio, ut præ gaudio ſpiritus ejus e corpore exilire & in Deum tranſilire videretur, ac forte reipſa exiliiſſet, ni Deus illam in corpore ſua vi conſervaſſet. Sic enim ipſa poſt aliquot annos moriens, non morbo, ſed amore, gaudio & deſiderio videndi filium ſuum, eoque fruendi mortua eſt, uti ſentiunt Suarez, Caniſius, a Caſtro, aliique graves Theologi.

Quorundam mor ex nimia lætitia.

Narrat Livius duas feminas Romanas præ gaudio expiraſſe, cum filios, quos in clade ad Thraſymenum lacum accepta cecidiſſe putarant, ex inopinato ſoſpites & quaſi redivivos viderunt. Polveratam quoque, cum omnes ejus virtutibus applauderent, lætitia exanimatam ſcribit Plutarchus. Chilon filium in Olympico certamine victorem & coronatum amplexans, exultantem animam efflavit. Idem fecere Sophocles & Dionyſius Siciliæ tyrannus, uterque accepto tragicæ victoriæ nuncio, uti referunt Plinius, Valer. Maximus, Volaterr. & alii. Diagoras Rhodius cum duos (vel, ut Gellius, tres) filios athletas eodem die vincere & victores coronari vidiſſet, populuſque gratulabundus flores in eum certatim jaceret, in manibus filiorum præ exultatione hâlitum cum vita ultimum emiſit, teſte Cicerone in Quæſt. Tuſcul. & Gellio in Noctibus Atticis. Philiſtion Nicæus poeta Comicus, Socrati coævus, nimio riſu, vitam finiit. Unde illud, *Riſu emori*. Quanto potius B. Virgo longe majori gaudio perfuſa, & quaſi ebria exultantem, imo exilientem ſpiritum efflaſſet, ni Deus ſua potenti manu eum corpore continuiſſet: ita enim exultavit, ut ſpiritus ejus totus raperetur & abſorberetur in Deum in ſe incarnatum, in eumque quaſi transformaretur. Porro hæc exultatio non fuit tranſiens, ſed inſtar habitus perduravit in Virgine per totam vitam, ait Albertus; præſertim quia ipſa aſſidue verſabatur, & diſſuaviabatur cum ſuo Jeſu. Adjicit Albertus, propter hanc continuam poſſeſſionem exultationis in Deum, Deiparam fuiſſe mundo & huic mortali vitæ funditus ſupra omnes viatores mortuam, ita ut vita ejus cum Chriſto in Deo abſcondita ſemper fuerit, & cutiæ angelicæ præſens intra ſanctuarium Dei habitaverit, atque adeo, & excellentiori quidem modo quam Paulus, & quam ulla alia creatura, potuerit dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, Gal. 6.

D

E

Spiritus tria notat.

Spiritus meus] id eſt anima mea, ait Euthym. Titus & Franc. Lucas; quaſi idem ſit *exultavit Spiritus meus in Deo*, quod *Magnificat anima mea Dominum*. Melius Toletus, Benzonius & alii *ſpiritum* plus eſſe cenſent quam *animam*: quare ipſi per *animam* intelligunt intellectum, per *ſpiritum* vero voluntatem. q. d. Totis tam intellectus quam voluntatis meæ viribus magnifico Deum, in eoque exulto. Simplicius per *animam* accipias inferiorem partem animæ, quæ naturalia reſpicit; per *ſpiritum*, ſuperiorem, quæ ſpiritalia & divina ſpectat. Anima enim naturam animæ notat; ſpiritus vero mentem gratia imbutam, & impulſum mentis a Spiritu ſancto inditum. Anima ergo naturalis eſt & naturalia conſiderat, ſpiritus vero ſupernaturalia & cæleſtia. Igitur ſpiritus Primo, ſignificat mentē: Secundo vehementem mentis impulſum & fervorem ad gaudium & jubilum: Tertio, hunc impulſum aſpiratum eſſe a Spiritu ſancto. Porro ſpiritus, utpote ſuperior, trahit ſecum animam & corpus, ut & ipſa exultent, juxta illud: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, Pſalm. 84. Cor enim ſuum gaudium in carnem totumque corpus diffundit; ſed primitus ſpiritus, ſive mens ſuum gaudium animæ communicat, anima cordi, cor corpori.

F

In Deo ſalutari meo] Græce σωτῆρί μου, id eſt, *ſalvatore meo*. Porro σωτὴρ reſpondet Heb. ישוע *Jeſcua*, id eſt Jeſus, id eſt ſalvator, ipſaque ſalus formalis & cauſalis. Unde hic vertas, *in Deo Jeſu meo*. Alludit enim ad Habac. 3. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo*, Vide ibi dicta. Syrus vertit, *in Deo vivificatore meo* qui ſcilicet mihi omnibuſque fidelibus viram, id eſt, libertatem, gratiam & gloriam conferet: hæc eſt enim ſalus noſtra, quam Chriſtus nobis attulit.

Meo proprie, primo, quia Jeſus meus eſt filius: Secundo: quia idem meus eſt ſalvator, tum quia me præ cæteris ab omni peccato præſervavit, omnique gratia cumulavit; tum quia fecit me ſalutis omnium hominum mediatricem, ut ego omnium ſalvandorum ſalutis quaſi cauſa ſim & mater.

Hac de cauſa S. Cyril. hom. 6. habita in Concilio Epheſino in ipſo Deiparæ templo, ipſam nuncupat *mundigaudium*. S. Fulgentius ſerm. de laudibus Mariæ *Ex partu*, ait, *Salvatoris facta eſt Maria feneſtra cæli, quia per ipſam Deus verum fudit ſæculi lumen, Facta eſt Maria ſcala cæleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, ut per ipſam homines aſcendere mereantur ad cælos. Facta eſt Maria reſtauratio feminarum, quæ per ipſam a ruina primæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ.*

G

Elogia B. Virginis.

Vide S. Ephrem orat. ad Virginem, ubi inter cætera auguſta & plurima, hæc elogia ei dat: *Regina omnium, ſpes patrum, gloria Prophetarum, Apoſtolorum præconium, honor Martyrum, lætitia Patriarcharum, cætus omnium Sanctorum, Virginum corona.* Et inferius: *Ave Dei ſplendidiſſimum vas. Ave ſtella fulgentiſſima, ex qua Chriſtus prodiit. Ave canticum Cherubim, & hymnus Angelorum: Ave pax, gaudium & ſalus mundi. Ave generis humani lætitia. Ave patrum præconium, & Prophetarum decus. Ave Martyrum pulchritudo, & corona Sanctorum. Ave piorum gloria. Ave præſtantiſſimum orbis terræ miraculum. Ave paradiſe deliciarum & immortalitatis. Ave lignum vitæ, gaudium & voluptas. Ave vallum fidelium, & mundi ſalus. Ave progenitoris Adæ reſurrectio. Ave omnium parens. Ave fons gratiæ & conſolationis. Ave refugium peccatorum & hoſpitium. Ave propitiatorium laborantium.* An non ergo meritiſſimo exultet B. Virgo in Deo Jeſu ſuo?

H

Denique B. Joan. Damaſcenus manum, quæ apologiam pro cultu SS. imaginum ſcripſerat, ſibi fraude Leonis Iſaurici Imp. Iconoclaſtæ amputatam, ac per B. Virginem miraculoſe reſtitutam advertens, cecinit: *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, & in matre ejus, quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Uti ex Joanne Patriarcha Hieroſolym. narrat noſter Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 19. & alii.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes] Dat cauſam cur exultet in Deo Jeſu ſuo, quia ſcilicet ipſe reſpexit, id eſt benignis oculis aſpexit, approbavit, amavit, amplexus eſt humilitatem Virginis, in eaque ſibi complacuit. Unde Theoph. *Reſpexit*, ait, *in me humilem, non ego ad illum reſpexi: ille me proſecutus eſt miſericordia, ego illum non quæ-*

Vers. 48

ſivi.

A *sivi*. Et S. August. supet Magnificat: *Hæc*, ait, *est gratia exultationis suæ, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ac fiducat; Quia de ejus gratia exulto, ideo ab ipso est quod exulto, & quia ejus dona propter ipsum diligo, ideo in ipso exulto.*

Respexit] Audi S. Aug. hic; *Respicere per gratiam, est prius abjectos & derelictos visitare, cum bona placatus per misericordiam, subtracta restituit. Rursum per respectum gratiæ ad eum se convertit. Bene ergo Maria solam in humilitatem Dominum respexisse testatur, quia divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit.* S. Bernardus serm. 57. in Cantica: *Deus*, inquit, *respicit terram, & facit eam tremere, è regione respicit Mariam; & infudit gratiam. Respexit*, ait, *humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, non sunt hæc verba gloriantis aut trepidantis, sed gaudentis.* Hinc ait illi: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Cant. 2. & seqq.

B Humilitatem] Græcè ταπείνωσιν, id est, *vilitatem, exiguitatem, abjectionem:* hanc enim opponit magnitudini Dei: *Excelsus* enim *Dominus humilia respicit, & alta a longe cognoscit*, Psal. 117. q. d. Magnifico Deum, & in ipso exulto, quia ipse, cum sit maximus summusque omnium Dominus, me feminarum, imo creaturarum omnium minimam, id est vilissimam, pauperrimam & abjectissimam, oculis benignitatis suæ respicere, & in matrem eligere dignatus est. *Humilitas* ergo hic proprie vilitatem significat, non virtutem humilitatis superbiæ oppositam; hæc enim dicitur ταπεινοφροσύνη: sola enim inter virtutes humilitas seipsam ignorat & qui se humilem esse jactat superbus est, non humilis. Ita Theophyl. Euthym. Tolet. Franc. Lucas, Cajetan. Mald. & alii. Sic Lia ait Gen. 29. 32. *Vidit Dominus humilitatem*, id est abjectionem, *meam*, qua ego a marito Jacob præ Rachele neglecta & quasi despecta fui. Et Mardochæus ad Esther c. 15. 2. *Memorare dierum humilitatis tuæ*, quia olim plebeja & pauper fuisti, non regina, uti jam es. Sic Judith c. 6. 15. orat Deum: *Respice ad nostram humilitatem*, id est, afflictionem & abjectionem. Sic Christus *reformabit corpus humilitatis nostræ*, id est corpus nostrum vilissimum & miserrimum, per gloriam resurrectionis. Philip. 3. 21. Hinc ταπεινὸς dicitur quasi ἐδαφεινὸς, ab ἔδαφος, id est *pavimentum*, sicut humilis ab humo: aut, ut Eustathius ταπεινὸς per metathesin, quasi πατεινὸς, id est, *conculcatus, depressus*, a πατέομαι, id est *pessumdor, calcor, proteror*. Hinc τάπης est *tapes*, sive *stragulum*, quod calcatur & proteritur.

Humilitas primo est vilitas.

C Secundo, virtus.

Secundo, tamen per *humilitatem* accipi potest virtus ipsa humilitatis: propter hanc enim B. Virginem Deus respexit, & in matrem elegit. Humilis enim agnoscit in se suas virtutes ut dona Dei, quare inter eas videt quoque suam humilitatem, sed illam non suis viribus, verum Dei gratiæ acceptam refert, hinc ταπείνωσις a Septuag. subinde sumitur pro ταπεινοφροσύνη, ut notat S. Hieron. ep. 151. ad Algasiam qu. 10. ita Origen. S. Aug. Beda, Albertus, & fuse Barradius hic, ac S. Bernardus hom. 1. super *Missus est*, S. Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. Rupert. lib. 1. in Cantic. Ansbertus lib. 2. in Apoc. Emissenus in Evangel. feriæ 6. in Adventu, Ribera in Sophon. c. 2. n. 4.

D Sicut ergo B. Virgo hic agnoscit se electam in Dei matrem, quod longe majus erat: ita pariter agnoscit se per humilitatem, virginitatem, cæteraque virtutes sibi a Deo inditas, ad tantam dignitatem fuisse dispositam, & congrue ornatam. Humilis enim suam vilitatem, miseriam, paupertatem, imo suum nihilum agnoscit, ac totum quod est & habet, adscribit Deo, cujus est, dicitque cum Psalte: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Psalm. 113. & cum Paulo: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, 2. Corinth. 11.

Audi S. Augustinum serm. 2. de Assumpt. *O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & hominum animas liberavit; facta est Mariæ humilitas scala cælestis, per quam Deus descendit ad terras. Quid enim est dicere, respexit, nisi approbavit? Multi enim videntur in conspectu hominum humiles esse, sed eorum humilitas a Domino non respicitur. Si enim veraciter humiles essent, deinde ab hominibus non se laudari vellent; non in hoc mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret.* Nam, ut ait S. Basilius in Constit. Monast. c. 17. *Humilitas est tutissimus virtutum omnium thesaurus, radix & fundamentum.* Et S. Chrysost. hom. 2. in Psal. 53. *Sacrificium maximum est humilitas, qui enim peccando se Deo subduxit, idem se per humilitatem subjicit, cum convertitur ad pœnitentiam.* Denique S. Bernardus: *Est humilitas*, ait, *quam nobis veritas parit, & non habet calorem, & est humilitas, quam charitas formas, & inflammat. Hæc in affectu, illa in cognitione consistit: priore cognoscimus, quam nihil sumus, & hanc discimus a nobis ipsis, & ab infirmitate propria: posteriorem calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum*, &c. *quique quæsitus ad regnum fugit; quæsitus ad opprobria*, &c. *ad crucem non fugit, sed sponte se obtulit.* Utramque in heroico & eminenti gradu habuit B. Virgo.

E

F

Ecce enim ex hoc beatam me dicent (Arabicus, *dabunt mihi beatitudinem*) omnes generationes] Probat B. Virgo Deum respexisse suam humilitatem, carnem in ea assumendo ex effectu, quia scilicet ob hanc Verbi in ea incarnationem, omnes omnium sæculorum generationes eam, ut matrem Dei admirabuntur, venerabuntur & beatam prædicabunt, q. d. ait S. Aug. *Tu o Elisabeth, de me dicis, Beata quæ credidisti, sed ego dico: Ex hoc nunc* (quo concepi Dei Filium) *beatam me dicent omnes generationes.* Et nonnullis interjectis: *Maria*, inquit, *quæ apud Dominum humilis erat, & apud homines propter Deum abjecta, in utroque esse respectam testatur: quia & ejus humilitas apud Deum acceptabilis fuit, & ejus humiliatio apud homines in gloriam commutata. Quare sequitur: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

'Ecce quid notet?

Alludit ad verba Liæ, quæ, cum ejus ancilla Zelpha peperisset filium, vocavit eum *Aser*, id est, *Beatus*, dicens: *Hoc pro beatitudine mea: beatam me dicent omnes mulieres.* Hoc est quod Christo acclamavit mulier illa sapiens: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti*, Luc. 11.

Ecce] Hoc adverbium Primo, est nota admirationis. q. d. Ecce rem novam, miram & omnibus sæculis inauditam, ut femina una sit benedicta & beata, imo beatissima præ omnibus angelis & hominibus, cum hucusque omnes feminæ in Eva a Deo fuerint maledictæ, & tribus pœnis, scilicet servitutis, doloris & laboris addictæ & afflictæ, Gen. 3.

G

Secundo, est nota inchoationis & principii. q. d. Ecce, ex nunc incipiam beatificari, & deinceps continuo beata prædicabor ab omnibus sæculis.

Tertio, est nota indicii & monitionis. q. d. Ecce advertite, o mortales miseri, qui cupitis esse beati, discite a me beatitudinem sitam esse in humilitate, obedientia, gratia & favore Dei, quam per me impetrabitis. Ego enim sum prima beata, per quam Deus cæteros omnes beare destinat. Ad me ergo recurrite, meamque opem implorate, ut beati evadatis.

B. Virgo beata, septuplicite.

Beatam] multis nominibus & titulis, quos recenset Joan. Gerson Cancellar. Paris. in tract. 4. notula 1. super *Magnificat: Dignare*, inquit, *nos laudare te, Virgo sancta, o ter quaterque beata. Beata primo, quæ credidisti, clamat Elisabeth, Beata secundo, quia gratia plena secundum Gabrielis salutationem. Beata tertio, & benedicta, quia benedictus fructus ventris tui. Beata quarto, quia fecit tibi magna qui potens est. Beata quinto, quia mater Domini. Beata sexto, quia fœcundata cum virginitatis honore. Beata septimo, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Inter hos omnes titulos præcipuus & fons cæterorum est, quod B. Virgo a Deo electa & facta sit mater Verbi incarnati.

H

Omnes generationes] omnes ætates, omnia sæcula, omnes fideles futuri. Audi Hugonem Cardin. *Omnes generationes*, inquit, *id est omnes gentes, scilicet Judeorum & Gentilium, virorum & mulierum, divitum & pauperum, angelorum, & hominum, quia omnes per ipsam salutare beneficium acceperunt, homines reconciliationem, angeli reparationem. Christus enim Dei Filius operatus est salutem in medio terræ, id est in utero Mariæ, quæ quadam mirabili proprietate terræ medium appellatur: Ad illum enim respiciunt, ut Bernardus inquit, & qui habitant in cælo, & qui habitant in inferno, id est in purgatorio, & qui habitant in mundo. Primi, ut reparentur: secundi, ut eripiantur: tertii, ut reconcilientur.* Causam deinde assignans subjicit: *Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, o beata Viro! quia omnibus generationibus vitam, gratiam, & gloriam genuisti: mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miseris gloriam: ideo dicitur Judith*

Digitized by Google

A 15. 10. *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia feciſti viriliter: primum eſt*
VERS. 43 *vox angelorum, quorum ruina per ipſam reparata eſt: ſecundum eſt vox hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt: tertium eſt vox mulierum, quarum infamia per ipſam deleta eſt: quartum eſt vox mortuorum, quorum captivitas per eam reducta eſt.* Sic & Albertus Magnus hic.

Prophetat hic Virgo ſe ab omnibus ſæculis beatam prædicandam, celebrandam & invocandam. Prophetiæ hujus veritas ex eventu clara eſt. Vidimus enim B. Virginem ab omnibus nationibus & ſæculis tot ſacellis, templis, feſtis, congregationibus, Religionibus, votis, ſupplicationibus, litaniis, &c. coli & celebrari, quod cæteri Sancti ſimul juncti non obtinent, imo ſoli B. Virgini tribui cultum hyperduliæ, ſicut Deo cultum latriæ, cæteris vero Sancti cultum duliæ. Te ergo, o Deipara Virgo, beatam prædicabunt omnes generationes. Tuam ſanctitatem, tuam virginitatem, tuam humilitatem, tuam maternitatem celebrarunt, celebrant & celebrabunt omnes omnium temporum Chriſtiani; vivet tuum decus,
B tua laus, tua gloria, quamdiu vivent angeli, quamdiu vivent homines, quamdiu vivet Chriſtus, quamdiu Deus erit Deus, in omnia ſæculorum ſæcula.

VERS. 49 QUIA FECIT MIHI MAGNA (græce μεγαλεῖα, id eſt magnalia) QUI POTENS EST] Syrus, *quia egit apud me magnifica ille qui potens eſt.* Incarnatio enim Verbi majus eſt opus, quam creatio totius mundi. Quocirca B. Virgo, utpote mater Dei, major eſt omnibus angelis, omnibus hominibus, omnibuſque creaturis ſimul ſumptis.

Audi S. Auguſt. hic: *Magnum fuit, ut virgo ſine virili ſemine filium conciperet. Magnum fuit, ut Dei Patris Verbum carne ſua indutum utero geſtaret. Magnum fuit dum ſe ancillam confeſſa eſſet, ut mater fieret ſui plaſmatoris.* Idem ferm. de Sanctis, qui eſt ſecundus de Aſſumptione Mariæ, ait: *Quæ tibi magna fecit, Domina, quæ gloriosa Virgo, ut dici beata merearis? Puto, imo veracitèr credo, ut creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares. Admirabilia*, ait Titus, *per me operatus eſt potens ille: nam cum virgo ſim, præpotenti illius voluntate naturæ fines ſupergreſſa concepi, nulliuſque viri com-*
C *mercio uſa, digna effecta ſum, quæ non cujuſvis promiſcue, ſed unigeniti Filii Dei mater fierem.*

Duodecim magnalia Virginis. Audi & Hugonem Cardin. duodecim magnalia Virginis enarrantem: *Primum*, inquit, *fuit in utero matris ſanctificatio; Secundo, angeli ſalutatio; Tertium, gratiæ plenitudo; Quartum, filii conceptio; Quintum, fœcunda virginitas; Sextum, virginalis fœcunditas; Septimum, honorata humilitas; Octavum, obedientiæ promptitudo; Nonum, fidei devotio; Decimum eſt prudens verecundia: Undecimum, verecunda prudentia: Duodecimum cæli.* Vide D. Thomam 1. p. q. 25. art. 6. ubi docet Deum meliora opera poſſe facere quam fecerit, exceptis tribus; ſcilicet incarnatione Verbi, maternitate Dei, & beatitudine hominis, quæ in Dei viſione conſiſtit, his enim nil melius, nec majus Deus facere poteſt, quia Deo ipſo nil poteſt eſſe majus vel melius.

Denique vide ſeptem privilegia magna, imo maxima a Deo data B. Virgini, quæ recenſet S. Bonaventura in Speculo cap. 6. & ſequ. hac de cauſa B. Virgo a S. Cyrillo hom. contra Neſtor. vocatur *Forma Dei* (utique formoſiſſima,) *Margarita orbis terrarum*. A Damaſceno orat. 1. de Nativit. Virgin. *Animatum Dei ſimulacrum*. A S. Bernardo ſerm. 2. de Pentecoſt. *Negotium ſæculorum, ad quod reſpiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & nati natorum, & qui naſcuntur ab illis*. A S. Ignatio epiſt. 1. ad Joann. Apoſt. *Celeſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum*. A S. Petro Chryſologo ſerm. 146. *Collegium ſanctitatis*, in quo Deus omnes gratias in alios Sanctos diſperditas quaſi corrivatas collegit. Ab Heſychio Epiſcopo Hieroſol. hom. 2. de S. Maria. *Univerſum Trinitatis complementum: quia & Spiritus ſanctus adveniebat atque hoſpitabatur, & Pater adumbrabat, & Filius utero geſtatus inhabitabat.*

QUI POTENS EST] Græce ὁ δυνατός. Eſt hoc unum e decem nominibus Dei; ſic enim Sept. vertere ſolent Hebr. גבר *ghibbor*, id eſt, potens, validus, gigas, unde *Gabriel*, id eſt, fortitudo Dei, ac Noſter Hebr. שדי *ſaddai* vertere ſolet, *omnipotens*: de quo nomine multa dixi Gen. 17. 1. ubi inter alia oſtendi, quod *Saddai* idem ſit, quod *mammeus*, vel *ſufficiens & abundans bonis omnibus*, ut ea inſtar mammæ largiter in omnes effundat; hoc enim Deus nuſquam magis fecit, quam in incarnatione Verbi. E

Hoc addit B. Virgo, ait, Titius, Primo, *ne quis tanto huic myſterio fidem detrahat: quæ enim dicit huc ſpectant: Nemo ſi virgo concepit, miretur; nam qui id operatus eſt, omnipotens Deus eſt.* In hoc ergo myſterio *tota ratio facti*, ut ait S. Aug. ep. 3. *eſt potentia facientis, qui facit mirabilia magna ſolus*, Pſal. 135. 4. & ut ait Job 5. 9. *qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero*. Secundo, ut oſtendat Virgo in ſe completum eſſe quod promiſerat angelus v. 35. *Virtus* (græce *δύναμις, δυνατὸς*) *Altiſſimi obumbrabit tibi.*

Alludit ad Iſaiæ 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id eſt, nobiſcum fortis, ſcilicet Deus, & cap. 9. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, &c. *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis*. Hebr. אל גבר *el ghibbor*, id eſt, validus, fortis ut gigas. Unde ejus ortum annunciavit Gabriel, quod nomen potentiam & fortitudinem Dei ſignificat.

ET SANCTUM NOMEN EJUS] Oſtendit Virgo in ſe adimpletum eſſe illud promiſſum angeli v. 35. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*; ideoque dicit, *Et ſanctum nomen ejus*; ſcilicet Spiritus ſanctus, q. d. Quia virtus Altiſſimi mihi obumbrabit, & Spiritus ſanctus ſuperveniet in me, beatam me dicent omnes generationes; illa enim duo me bearunt & beatam effecerunt. F

Jam quoad ſenſum Primo, Toletus & Franc. Lucas cenſent virginem hic duo magna a Deo ſibi facta celebrare; ſcilicet Primo, incarnationem Verbi, per quam facta eſt mater Dei, ideoque domina & Regina omnium angelorum & hominum, & propter hoc dicere: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt*: hoc enim fuit opus ſummæ Dei potentiæ. Secundo, ſuam ad hanc incarnationem in ſe peragendam diſpoſitionem & ſanctificationem, & propter hoc dicere: *Et ſanctum nomen ejus*. Ut enim fuit opus potentiæ Deum fieri hominem ex virgine, ita opus ſanctitatis fuit Virginem præparare, ab omni ſorde & labe præſervare, corpore & anima ſanctificare, atque omnino talem reddere, quæ idonea eſſet ad concipiendum in ſuo utero G Dei Verbum ſanctum & immaculatum. Cum ergo Virgo ab utroque hoc ſciret ſe prædicandam eſſe beatâ inter Chriſtianos, utrumque Deo adſcribit, volens omnia in Deum referri, qui nominatiſſimam ſuam, tum potentiam, tum ſanctitatem, pietatem, bonitatem ac miſericordiam ita in eam exeruerit, ut non tam ipſa, quam ipſe ab omnibus ſæculis laudari ac prædicari mereatur. Nam B. Virgo a Spiritu ſancto ita ſanctificata eſt, ut nullum omnino peccatum contraxerit, utque in gratia & ſanctitate longe omnes angelos etiam Seraphinos ſuperarit.

Secundo, planius & plenius utrumque Virginis elogium referas ad utrumque, ſcilicet, tam ad incarnationem Verbi, quam ad ſuam ad hoc præparationem & ſanctificationem: utraque enim fuit opus eximiæ, tam potentiæ, quam ſanctitatis Dei, quia utraque peracta eſt ex ſuperveniente in Virginem Spiritu ſancto, ad ſanctificandum tam Chriſtum, quam B. Virginem, juxta illud angeli oraculum: *Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*, v. 35. Chriſtus enim fuit Sanctus Sanctorum, id eſt, fons ſanctitatis totum mundum ſanctificans.

Senſus ergo eſt, *Et ſanctum nomen ejus*. q. d. Nomen Dei eſt *ſanctus*, hoc eſt, Deus ipſe ſuo nomine ſignificatus, eſt *ſanctus*, hebr. קדש *cados*, eſt, omnem habens puritatem, ſanctimoniam, virtutem, perfectionem, ideoque ipſe omnibus modis eſt venerandus, adorandus & celebrandus: ἅγιος enim, id eſt ſanctus, dicitur ab ἄζω, id eſt *color*, *veneror*: Unde ἅγιος dicitur is, qui ob virtutem & ſanctitatem omnibus eſt reverendus. Sanctus ergo eſt Deus tum in omnibus operibus ſuis, tum maxime in ſanctiſſimo hoc incarnationis Verbi myſterio, quo Chriſtum, B. Virginem & fideles omnes ſanctificavit.

Nota. Copula & hic notat cum cauſam, tum effectum, Cauſam, q. d. &, id eſt *quia*, Deus eſt ſanctus, imo ipſa increata & immenſa ſanctitas, idcirco fecit in me hæc magnalia ſanctiſſima incarnationis Verbi, ut ex me virgine, inoperante Spiritu ſancto, naſceretur ſanctum id eſt, Sanctus Sanctorum; uti prædixit & promiſit angelus: ad eum enim alludit Virgo, illique applaudit; idque fecit ob finem ſanctiſſimum, ut ſcilicet per Chriſtum ſanctū peccata aboleret, & peccatores ſanctificaret, itaq; eos ad ſalutem æternam deduceret. Alludit ad illud Daniel. 9. 24. *Ut conſummetur prævaricatio, & finē accipiat peccatū, & deleatur iniquitas*,

Digitized by Google

A *tas, & adducatur justitia sempiterna, &c. & ungatur Sanctus Sanctorũ.* Effectum, q.d. Ex hoc magno Dei opere, scil. ex miro hoc incarnationis Verbi in me mysterio, hic sequetur effectus, ut fideles omnes summe sanctificent, & glorificent Deum tanti sacramenti opificem. Ita S. Aug. Jans. & alii. Magis proprie tamen & primario τὸ & videtur notare causam, secundario & consecutive effectum.

Sanctum quid?

Denique Deus incarnatus dicitur sanctus, quia assumpsit carnem & sanguinem immolandum Deo, tum in vita, tum in cruce, & morte pro salute hominum. Nam, ut ait S. Isidor. l. 15. Origin. c. 14. *Nihil sanctum apud veteres dicebatur, nisi quod hostiæ sanguine esset consecratum, aut conspersum. Item sanctum quod extat sanguine sanctum: sancire autem est confirmare.* Vide Apostolum Hebr. 9. v. 12. & seq. S. Aug. vero l. 2. de Serm. Domini in monte cap. 31. *Sanctum*, inquit, *est quod violare atque corrumpere nefas est, cujus utique sceleris conatus & voluntas tenetur rea, quamvis illud sanctum, natura inviolabile atque incorruptibile maneat.* S. Bern. autem ser. 5. in Vigilia Nativit. sanctitatem in clementia & mansuetudine collocat, juxta illud de Mose; B *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum*, Eccli. 45. Unde subjungit: *Sane ut perfecta sit sanctificatio, etiam mansuetudinem & gratiam socialis vitæ a Sancto Sanctorum discamus oportet, sicut ipse ait: Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Quid enim hujusmodi hominem discere prohibet deliciis affluentem, qui suavis & mitis, & multæ misericordiæ, omnibus omnia factus est, & universos perfundit oleo quodam mansuetudinis, & lenitatis, quo sic infusus est, sic perfusus etiam & superfusus, ut stillare videatur undique?*

Hinc aliqui recentiores τῷ *& sanctum nomen ejus*, referunt ad v. seq. *Et misericordia ejus*, &c. quasi hæc sit Dei sanctitas. Verum ad litteram referendum est ad id quod præcessit, ut dixi. Porro divinæ sanctitatis ideam nobis imitandam graphice depingit S. Bernardus in Humberto monacho serm. de obitu ejus: *Erat*, ait, *humilis corde, dulcis sermone, strenuus opere, fervens charitate, in commisso fidelis, in consilio circumspectus, & prudens. Compositus erat super omnes homines, quos viderim in diebus istis, unus & idem perseverans omni tempore, & omni hora. Plane in semitis Domini Jesu posuit vestigia, nec retraxit pedem, donec cursum itineris consummaret. Ille fuit pauper, etiam iste fuit. Vixit ille in laboribus, & hic in laboribus multis. Crucifixus est ille, & iste multis & magnis crucibus affixus, stigmata Jesu tulit in corpore suo, adimplens ea, quæ deerant passionum Christi etiam in carne sua: resurrexit ille, iste resurgit; ille ascendit in cælum, iste creditur ascensurus.*

Hinc Euthym. in Ps. 11. *Ille*, ait, *proprie ὅσιος dicitur, qui pietatem, & religionem colit, quæ ad Deum pertinet, ἅγιος vero ille, qui per semitam virtutum divinitatis efficitur particeps.* Porro *sanctus* hebr. dicitur קדוש *cadosch*, id est, ab omni vitio, labe, imo & vulgi consuetudine semotus & separatus, qualis imprimis est Deus, cujus sanctitas & majestas adeo semota est, alta & eminens, ut omnes deos, angelos & homines in infinitum transcendat. Unde S. Dion. de Div. nom. c. 12. *Cum sanctitas*, ait, *sit ab omni labe immunis, & omnino perfecta & immaculata munditia; hinc Deus a munditiæ & virtutũ omnium, quibus plenissimus est exuberantia Sanctus Sanctorum nuncupatur.* Verba S. Dion. quia fusa sunt, in pauca contraxi. Et Beda: *Sanctum*, inquit, *nomen ejus vocatur, quia singularis culmine potentiæ transcendit omnem creaturam, atque ab universis, quæ fecit, longe segregatur. Quod Græca locutione melius intelligitur, in quo ipsum verbum, quod dicitur ἅγιον, quasi extra terram esse significat: cujus etiam nos imitatione, pro modulo nostro segregari præcipimur ab omnibus, qui non sunt sancti, nec Deo dedicati, dicente Domino: Sancti estote, quia & ego sanctus sum: quicumque enim se Deo consecravit, merito extra terram, & extra mundum videbitur. Potest enim & ipse dicere: Super terram ambulantes conversationem in cælis habemus.*

Sanctum nomen Dei.

D

Symbolice, Deus suum nomen שדי *Saddai*, id est *mammeus liberalis*, revelavit Abrahæ Gen. c. 17. v. 1. Mosi vero nomen suum proprium יהוה *Jehova* (quem Varro, ait S. August. lib. 1. de Consensu Evang. c. 22. Ex similitudine nominis, censuit esse *Jovem*, deum Romanorum, sed falso) id est, *ens*, sive *qui est, & omnibus dat esse*. Exod. 6. 3. B. Virgini vero hoc loco revelat nomen suum *sanctus*: quia sanctitatem suam in eam effudit per Sanctum Sanctorum, id est, Christum, qui in omnes fideles suam sanctitatem velut sol diffusurus erat. Hinc nonnulli per *sanctum* Dei nomen accipiunt nomen Jesu: hoc enim sanctius & venerabilius est nomine *Jehova*, uti ostendi Num. 13. v. 17. E Christiani ergo a Christo vocati ad plenam sanctitatẽ, sancti esse debent; unde a Paulo passim vocantur sancti, imo sanctiores omnibus fidelibus, qui fuerunt sub Mose, Abraham, Noe, Adam, &c. Christianismus enim nil aliud est, nisi vita Christi, sive professio sanctitatis Christi. Christianus ergo ita vivat, uti decet discipulum Christi, ut vita ejus viva sanctitatis Christi sit imago, ut quisquis eum videt & audit, in eo Christum sibi videre & audire videatur.

ET MISERICORDIA EJUS A PROGENIE IN PROGENIES (Syrus, *etates*; Arab. *in generationem generationum*) TIMENTIBUS EUM] *Misericordia*, græce ἔλεος, quæ vox respondet Heb. חסד *chesed*, id est, pietas, bonitas, beneficentia, liberalitas, q.d. Deus uti summe potens est & sanctus, sicut jam dixi, ita pariter summe misericors est, idque continuo & semper in omnes, qui quavis ætate eum amant, ideoque timent eum offendere; quapropter mandatis ejus studiose obtemperant, uti ego semper eum amavi, timui, eique per omnia obedire sategi. Hæc est enim secunda hujus cantici pars, qua B. Virgo a propriis sibi beneficiis a Deo collatis, transit ad communia toti Israeli, id est, F omnibus fidelibus præstita, ut dixi v. 46. VERS. 50

FECIT POTENTIAM (Syrus, *victoriam*, Arab. *virtutem*) IN BRACHIO SUO: DISPERSIT (Syrus, *dissipavit*) SUPERBOS MENTE CORDIS SUI] Laudavit Virgo Dei clementiam & misericordiam in pios se timentes, nunc ex adverso laudat ejusdem severitatem & justitiam in impios ipsum contemnentes. VERS. 51

Brachium roboris & potentiæ symbolum.

IN BRACHIO SUO] Anthropopathẽs Dei robur & potentia significatur per manum, digitum, dextram: sed maxime per brachium: virorum enim vires residen, seseque exerunt in brachiis & lacertis. Sensus ergo est, q.d. Deus potenti sua fortitudine ceu brachio suo, multa potenter operatus est ab omni ævo, uti cum Pharaonem per Mosen; Chananæos per Josue & Judices; Philistinos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos per Davidem contrivit, vicit, subjugavit: multo magis jam idem Deus in me potenter incarnari fecit Christum, per quem potenter debellabit Luciferum, infernum, mortem, peccatum, omnesque impios. Unde Beda & Theophyl. mystice per *brachium* hic intelligunt Filium Dei in Virgine incarnatum. Hic enim est Dei virtus, 1. Cor. 1. 24. Alludit ad Isaiæ 53. 1. *Brachium Domini cui revelatum est?* Vide ibi dicta. G

Brachium filius Dei.

DISPERSIT SUPERBOS MENTE CORDIS SUI] uti dispersit, disjecit & evertit Pharaonem, Nabuchodonosor, Arphaxat, Salmanasar, Baltasar, Antiochum, &c.

Nota τὸ *sui* nonnulli ad cor Dei referunt: q.d. Deus suo corde: id est, voluntate & decreto dispersit superbos. Ita S. Aug. hic: *Et hoc*, inquit, *mente cordis sui, id est, in profundo consilio suo dispersit eos. Profundum consilium fuit, ut pro me Deus fieret homo, & innocens pateretur, ut redimeretur nocens: & in his erat consilium, nec poterat illud diabolus prævidere, sed captus homo Leviathan.* Hanc expositionem sequitur Carthusianus. *Mente*, inquit, *id est, intentione & libito cordis, id est, intellectus sui, quo cuncta discernit, judicat & disponit.* Verum ex Græco liquet *Τὸ sui* referendum esse, non ad cor Dei, sed ad cor superborum. Græce enim est αὐτῶν, id est ipsorum, uti vertit Syrus, & Arabicus. Unde Euthymius: Deus, inquit, dispersit eos, qui corde suo erant superbi.

Alii significantius *Τὸ sui*, referunt ad dispersit; q.d. Deus superbos dispersit mente, id est, per mentem, aut, ut græce est, διανοίᾳ, id est, per cogitationem cordis ipsorum, quia H scil. superba eorum consilia & machinationes in ipsorum met exitium retorquet, ut eos dispergat, juxta illud Job 5. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum*, uti fecit Pharaoni insequenti Hebræos per mare rubrum, illum in eodem mari cum omnibus suis submergendo; & fratribus Josephi, qui eum vendiderunt ut perderent, sed Deus per hoc Josephum sublimavit, fratresque ipsum adorare coegit.

Lepidum est quod S. Antoninus p. 2. tit. 3. c. 2. narrat de quodam tyranno, qui radi de libris imperavit ex Mariæ cantico: *Dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*, quod se de sua sede posse deponi negaret. Cum semel post balneum, inquit, vestes illius angelus ipsum referens induisset, ac domum cum aulicis venisset, ille vero laceras vilesque sumere coactus, illuc reversus in aulicos diras & minas jactaret, pro stolido habitus ad angelum deductus est, qui verus princeps habebatur: a quo, postquam eum aulici effuse risissent, in penetrale admissus, deque modestia monitus, proprias vestes induit, ac deinceps in honore tamquam legitimus

Lepidum de tyranno superbo exemplum.

Digitized by Google

A herus habitus est. Aliud exemplum huic simile de clerico ridente sententiam Christi: *Qui se humiliat, exaltabitur*, ex B. Petro Damiani recensui Matth. 23. 12.

SUPERBOS] Nonnulli nomen *superbus* derivant a Græco ὑπέρβιος, id est, *superviolentus*, id est, valde violentus: quia qui sunt superbi, sunt & violenti, ac in alios contumelioſi & injurii, uti fuere Imperatores & tyranni jam citati, sed horum vim majori vi consilii sui disperſit Deus. Alii *superbio*, derivant a *super* & *eo*: superbus enim vult alios supergredi. Sic *mens* dicitur quasi *eminens*: est enim altior animi pars, qua superbi alta sua consilia destruunt. Albertus vero hic notat *mentem* a metiendo dici, quoniam ea, quæ corde revolvimus & tractamus mente mensurantur. Superborum vero mens est eorum mensura; quatenus fastum & altitudinem, quam corde tractant, ad effectum perducant: a mente autem cordis disperguntur, quando inique conceptum, & tractatum perficere non possunt, juxta illud Isaiæ 8. *Inite consilium, & dissipabitur; loquimini verbum, & non fiet.*

VERS. 52 B DEPOSUIT (Syrus *deturbavit*) POTENTES DE SEDE, ET EXALTAVIT HUMILES] uti deposuit de solio regali superbum Saulem, subrogando ei humilem Davidem: sic superbo Aman subrogavit humilem Mardochæum & Vasthi Essherem. Sic Josue cap. 12. 7. percussit 31. reges Chananæos, eorumque regna sibi & Israeli subdidit. Idem fecit, facit & faciet Deus omni sæculo. Quare hæc præterita *fecit*, *disperſit*, *deposuit*, *exaltavit*, &c. amplissime accipienda sunt, ut quodlibet tempus significent, tam futurum quam præsens & præteritum more Hebræo. Deposuit ergo, deponit & deponet.

POTENTES] Græce δυνάστας, id est, dynastes, principes: nam a δυνάμις, id est a potentia, dicti sunt dynastæ, id est, potentes.

Alludit Virgo ad Davidem, qui Psal. 112. 6. ita de Deo canit: *Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem: ut sedeat cum principibus, cum principibus populi sui.* Et ad Annam, quæ 1. Reg. 2. 7. ita jubilat: *Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & sublevat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat.*

C Max. me, sub te tempus nativitatis Christi deposuit Deus potentes de sede.

Porro, tum alias sæpe, tum sub tempus nativitatis Christi Deus deposuit potentes de sede, toto pene orbe, quem sublato Julio Cæsare, Pompejo, Lepido, Antonio cæterisque regibus, principibus & tyrannis, uni subjecit Augusto Cæsari, qui typus fuit Christi, æque ac fuerat Cyrus, Isaiæ 45. 1. Unde nato Christo nomen Domini sibi oblatum recusavit, ita ex Philone, & aliis Baronius initio Annalium. Tunc quoque Deus deposuit de sede Hyrcanum & Aristobulum de principatu Judææ inter se contendentes; in quibus desiit stirps & successio Assamonæorum, puta Judæ, Jonathæ, & Simonis Machabæorum. Herodes quoque infanticida regno & vita privatus est, ac paulo post tota ejus progenies regia interiit, æque ac Augusti Cæsaris, scilicet ut significaretur Christum jam esse natum, illique regnum omne deberi, & præparari, uti prædixit Daniel c. 7. v. 13.

VERS. 53 ESURIENTES (πεινῶντας, id est, famelicos) IMPLEVIT (Syrus, *saturavit*) BONIS, ET DIVITES DIMISIT INANES] Sic esurientes Hebræos (qui erant ad tricies centena hominum millia) manna de cœlo pluente aluit in deserto per 40. annos. Sic eosdem induxit in terram promissam lacte &

D melle manantem, expulsis Chanaanæis & fame tabescentibus. Sic Eliam esurientem Deus pavit per angelum, Danielem in lacu leonum per Abacuc, Paulum primum eremitam per corvum. Sic & B. Virginem esurientem & sitientem justitiam pavit Verbo incarnato, ac eodem fideles omnes pascit in Eucharistia, magisque pascet in cælo. Hoc enim hic intendit significare Spiritus sanctus, & hoc ad præsens incarnationis negotium pertinet.

Alludit ad illud Annæ 1. Reg. 2. v. 5. *Impleti prius pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.* Et ad illud Davidis: *Divites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, Ps. 33. 11. Per *esurientes* ergo intelliguntur pauperes; his enim opponit divites.

VERS. 54 SUSCEPIT ISRAEL PUERUM SUUM, RECORDATUS MISERICORDIÆ SUÆ] *Suscipere* in Scriptura, præsertim Psalmis, est amplissimæ significationis. Significat enim assumere, manum porrigere, adjuvare, amplecti, erigere, defendere, promovere, &c. Sensus ergo est, q. d. Deus populum Israeliticum, quem quasi puerum, id est, filium vel servum suum tenere diligebat, jam quasi collapsum manu apprehendit, erexit, adjuvit, restituit, & omni benevolentiæ & beneficentiæ genere prosecutus est. Fecit id Deus olim sæpius per Mosem, Josue, Samuelem, Davidem, Ezechiam; Josiam, Esdram, Zorobabel, Machabæos, &c. sed nunc maxime id fecit, mittendo Israeli Messiam ipsi promissum: hic enim in utero meo, ex me, quæ sum Israelita, carnem susceptt. Tunc enim plane collapsa erat respubl. & Ecclesia Israelis, id est, populi Judaici, cum & sceptrum ab eis ablatum esset, & translatum ad Herodem & Romanos; atque pontifices & sacerdotes suis lucris commodisque intenti populi salutem negligerent; quare populus tunc graviter afflictus, variis tum animæ, tum corporis miseriis laborabat. Deus ergo misit opportune tunc Christum, ut ex iis omnibus suum Israelem, id est, omnes fideles, tam ex Judæis, quam ex Gentibus ad se conversos, eriperet. Unde S. Augustinus: *Suscepit*, inquit, *Israel, non quem invenit Israel, sed ut faceret Israel, suscepit: sicut medicus ægrotum, ut sanaret infirmum, & redimeret captivum, ut justificaret impium, & salvaret justum.* Israel enim hebraice idem est quod *vir videns Deum*, aut potius *dominans Deo*, Genes. 32. 28. Est enim hæc tertia pars hujus cantici, qua B. Virgo a communibus beneficiis olim Israeli a Deo præstitis, redit ad proprium hoc, & peculiare Messiæ jam in se incarnati, quod omnium fuit maximum & præstantissimum.

RECORDATUS MISERICORDIÆ SUÆ] Causa enim cur Deus miserit Christum, fuit communis Israelis & totius generis humani, morti & gehennæ ob peccata addicti, miseria; cujus miserens Deus misit Christum, ut ab illa nos eriperet, & Deo cæloque restitueret. Unde S. Leo serm. 1. de jejunio 10. Mensis: *Causa*, ait, *reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei.*

Hujus Deus dicitur quasi postliminio *recordatus*, quia post quatuor annorum millia, quibus homines in sua miseria relinquens, misericordiæ suæ patribus promissæ videbatur oblitus, nunc ejus quasi recordatus, illam per Christum reipsa exhibuit. Hæc enim misericordia non est alia, quam salus per Christum allata.

(SICUT LOCUTUS EST AD PATRES NOSTROS) ABRAHAM, ET SEMINI EJUS IN SÆCULA] τὸ *sicut* & cætera usque ad *Abraham* parenthesi intercipienda sunt, ut patet ex Græco, & ex eo quod subdit *semini*: alioqui enim dicendum fuisset *ad semen*, sicut dixerat *ad patres*. VERS. 55 G

Significat ergo Virgo misericordiam hanc, id est, salutem allatam per Christum, a Deo ab olim fuisse promissam patribus, ut Adæ, Gen. 3. 15. Abrahæ, Gen. 22. 18. Davidi, 2. Reg. 7. 12. & cæteris, q. d. Hæc Christi incarnatio non est res fortuita, sed ab æterno a Deo ad salutem Israelis totiusque mundi, magno consilio provisa, & decreta, ac in tempore ab origine mundi Patriarchis omnibus promissa; quare ipsi eamdem avidissime desiderarunt, & ardentissimis suspiriis a Deo postularunt, sed non obtinuerunt; quia Deus huic tempori, & ætati tantum donum reservare, & exhibere decrevit.

ABRAHAM, ET SEMINI EJUS IN SÆCULA] *Abraham*, est dativi casus, ut patet ex Græco, & ex τῷ *semini*. Hæc verba enim referenda sunt, non ad *patres nostros*, utpote parenthesi intercepta, sed ad τὸ *recordatus misericordiæ suæ*, quod præcessit, q. d. Deus incarnando Christum recordatus est misericordiæ suæ, olim ab eo Abrahæ & semini, id est, posteris ejus Israelitis promissæ. Christus enim proprie Israelitis fuit promissus; ab eis tamen, utpote Christum repellentibus, illam derivavit Deus ad Gentes, quæ avide Christum susceperunt. Abrahæ meminit, tum quia hic fuit primus Patriarcha Israelis: tum quia hic fide excelluit, ideoque a Deo nuncupatus est Pater credentium, ac promissionem de Christo ex semine ejus nascituro, per quem omnes gentes benedicendæ, id est, salvandæ forent, accepit, Gen. 22. 18. H

Quocirca hoc semen, id est, filii & posteri Abrahæ, intelligendi sunt non carnales, puta Judæi secundum carnem ex Abraham prognati, sed spirituales; puta fideles tam ex Gentibus, quam ex Judæis in Christum credentes: hi enim fidem Abrahæ quasi patris credentium imitantur, ut dixi vers. 32. ac diserte docet Apostolus Rom. 9. v. 8.

IN SÆCULA] Hæc vox referri potest tum ad τῷ *semini*, q. d. Semini Abrahæ duraturo *in sæcula*, id est in perpetuum: tum ad τὸ *misericordiæ*, v. 54. q. d. Recordatus est Deus misericordiæ suæ, id est, salutis dandæ per Christum, eamque voluit durare non centum vel mille annos, sed

Suscipere in Scriptura, quid?

A sed in sæcula sæculorum id est, in æternum. Eodem redit utrerque sensus. Ita Jansenius, Maldonatus, Franc. Lucas & alii.

VERS. 56 MANSIT AUTEM MARIA CUM ILLA QUASI MENSIBUS TRIBUS, ET REVERSA EST IN DOMUM SUAM.] *Mansit*, serviens Elisabethæ cognatæ suæ jam partui vicinæ, eamque suis sanctis obsequiis & alloquiis recreans, & magis sanctificans, æque ac Joannem ventre ejus contentum. Ita S. Ambr. *Non sola*, inquit, *familiaritatis est causa quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, impleretur Spiritu sancto mater infantis: quantum putamus, usu tanti temporis, sancta Mariæ addidisse præsentia?* Sic & Origen. hic hom. 9. docet per hos tres menses, tam Joannem quam Elisabetham, ex præsentia Virginis mire in sanctitate profeciisse: *Exercebatur ergo*, inquit, *& quasi in athletico sancta mater* (ut mater Joanni esset quasi agon & locus certaminis athletici) *per tres menses ungebatur Joannes, & præparabatur in matris utero, ut mirabiliter natus mirabilius nutriretur*: B non enim hic lactationis, aut nutricum & gerularum ejus ulla fit mentio, sed tantum dicitur: *Et erat in deserto usque ad diem ostensionis suæ ad Israel*. Hæc Origenes.

An B. Virgo adfuerit nativitati S. Joannis? Negant nonnulli.

QUASI MENSIBUS TRIBUS] Id est, usque ad nativitatem Joannis. Venit enim sexto mense a concepto Joanne, ut patet v. 26. Joannes autem natus est tertio post mense, puta mense nono a conceptione sua.

Quæritur hic, an B. Virgo manserit usque ad partum & nativitatem Joannis, illique interfuerit? Negant Theoph. Euthym. Jansenius.

Probant Primo, quia B. Virgo venit mense sexto, & mansit quasi mensibus tribus, ergo discessit ante nonum mensem finitum, ac proinde ante partum Elisabethæ. Secundo, quia post discessum Virginis narrat Lucas partum Elisabethæ, atque in eo nullam Virginis facit mentionem. Tertio & maxime, quia castissimam Virginem partui interesse non decebat. Quarto, quia conveniebat ut turbam in partu affluxuram effugeret.

Verius asserunt alii. Contrarium tamen æque est probabile, imo probabilius, idque plures sentiunt: scilicet Origen. S. Ambr. Beda, Maldon. Toletus, Franc. Lucas. Probatur Primo, quia incivile fuisset usque ad partum manere, & immediate ante C partum discedere. Secundo, quia in partu maxime, Virginis præsentia, ope & consolatione egebat Elisabetha. Tertio, quia Virgo ad hoc mansit per tres menses; ut Joannem orbis miraculum & Christi sui præcursorem cerneret, amplecteretur & benediceret, ac vicissim ut Joannes jam natus matrem Domini, & in ea Christum Dominum cerneret, salutaret, & veneraretur. Unde Beda: *Tamdiu*, ait, *mansit Maria, donec Elisabeth partus tempore completo, præcursoris Domini sui, propter quem maxime venerat, nativitatem videret.*

Ad primum Resp. τὸ *quasi* significat, hic non diminutionem, sed augmentum, q. d. Mansit circiter per tres menses, & paulo amplius. Adde potuisse nasci Joannem in fine trium mensium: multæ enim proles nascuntur nono mense necdum expleto.

Ad secundum. Lucas prius voluit pertexere totam historiam visitationis B. Virginis, deinde nativitatem Joannis ex ordine recensere, ne unam rem cum alia confunderet.

Ad tertium. B. Virgo ipsa hora partus se subduxit in cubiculum, orans pro felici partu: partus autem curam permisit obstetricibus, ad quas illa pertinebat: hoc enim, vel simile decorum eam servasse par est credere. D

Ad quartum. Turba affluentium parva fuit, & si magna fuisset, majorem fecisset Virgo fructum, pluribus annuntiando præcursorem Christi jam esse natum, aliisque suis piis sermonibus.

ET REVERSA EST IN DOMUM SUAM] in Nazareth. Domus hæc virginis ab angelis translata Lauretum, religiose ibidem visitur & colitur, uti dixi.

VERS. 57 ELISABETH AUTEM IMPLETUM EST TEMPUS PARIENDI, ET PEPERIT FILIUM] Visitationi B. Virginis subjungit Lucas partum Elisabethæ, velut effectum causæ. B. Virgo enim suis meritis, & precibus impetravit felicem ejus partum, ac Joannis tum nativitatem, tum sanctitatem: ad hoc enim venerat ex Nazareth, & manserat cum ea per tres menses.

Symbolice, Origenes hic hom. 9. *In Scriptura*, ait, *nusquam dicitur in ortu peccatoris, Completum est tempus ut pareret; sed ubicumque justus nascitur, ibi complentur dies. Ortus justi plenitudinem habet, peccatoris nativitas vacuitatem & inanitatem.* E

ET PEPERIT FILIUM] Joannem Baptistam die 24. Junii: tunc enim quotannis Ecclesia, ejus unius natalem communi omnium gaudio celebrat pariter & Christi. In cæteris enim Sanctis celebrat diem non natalem, sed fatalem, quo ex misera vita ad beatam migrarunt.

ET AUDIERUNT VICINI ET COGNATI EJUS, QUIA MAGNIFICAVIT DOMINUS MISERICORDIAM SUAM CUM ILLA, ET CONGRATULABANTUR EI] Græce συνέχαιρον, id est, *congaudebant ei*. Ita impletum illud angeli promissum v. 14. *Et multi in nativitate ejus gaudebunt. Misericordiam*, qua liberavit eam Deus opprobrio sterilitatis, & talem ei dedit prolem. Nimirum, ut ait S. Ambr. *habet Sanctorum edito lætitiam plurimorum, quia commune est bonum: justitia enim communis est virtus.* Justi enim suo exemplo omnibus prosunt, multi etiam sua prædicatione, uti profuit S. Joannes. Zachariæ hic non fit mentio, quia ipse erat surdus & mutus. VERS. 58

ET FACTUM EST IN DIE OCTAVO, VENERUNT CIRCUMCIDERE PUERUM, ET VOCABANT EUM NOMINE PATRIS SUI ZACHARIAM] *Venerunt*, scilicet sacerdotes, & cognati, quorum erat circumcidere, vel cohonestare circumcisionem. VERS. 59 F

CIRCUMCIDERE] Adverte hic Judæos non semper in synagoga fuisse circumcisos. Nam Joannem domi fuisse circumcisum colligitur ex vers. seq. ubi significatur mater circumcisioni interfuisse, quæ, quia puerpera, domo egredi non poterat, juxta legem Lev. 12. 4.

Nomen imponebatur infanti in circumcisione.

Porro per circumcisionem infans purgabatur a peccato originali, & aggregabatur Ecclesiæ, sive populo fideli. Unde tunc nomen alicujus fidelis, præsertim patris, avi, vel cognati ei imponebatur, uti nunc fit in baptismo, quia tunc infans nomen dabat Deo & populo Dei, puta synagogæ, sive Ecclesiæ. Vide de circumcisione dicta Gen. 17. 10.

ET RESPONDENS MATER EJUS, DIXIT: NEQUAQUAM, SED VOCABITUR JOANNES;] Arab. *vocate eum Joannem*. Nota, Elisabeth non tam a Zacharia, utpote surdo & muto, quam a Spiritu sancto (quo salutante eam Virgine, repleta, mysterium Incarnationis Verbi in Virgine, aliaque maxima cognoverat;) cognovisse quoque filii sui nomen illi a Deo per angelum v. 13. inditum, ac Zachariæ revelatum, cæteraque omnia, quæ Zachariæ in templo thurificanti contigerant. Ita S. Ambros. Origen. Beda, Euthym. & Theoph. Nam, ut ait S. Ambr. *Neque ignorare poterat Domini prænuncium, quæ prophetaverat Christum*, vocando B. Virginem matrem Domini, id est Dei. VERS. 60 G

ET DIXERUNT AD ILLAM: QUIA (τὶ *quia* respondet Hebr. כִּי *ki*, & per pleonasmum redundat) NEMO EST IN COGNATIONE TUA QUI VOCETUR HOC NOMINE] Solebant enim Judæi, uti etiamnum Christiani, infantibus nomina patrum, vel cognatorum illustrium imponere, tum ut eorum heroica facta imitarentur, tum ut illorum memoria & gloria in filiis, & posteris maneret superstes. Hic est mos terræ, sed Joannes erat civis cæli, non terræ, unde cæleste e cælo nomen accepit. *Adverte hoc nomen non esse generis, sed vatis*, ait S. Ambr. & Beda. VERS. 61

INNUEBANT AUTEM PATRI EJUS, QUEM (Syrus, *quomodo*) VELLET VOCARI EUM?] Arab. *quem vis vocari eum?* ne forte mater erraret in nomine infantis assignando, consulunt patrem, ad quem, uti infans, sic & infantis nomen spectabat. *Innuebant: quia incredulitas affatum ei eripuit & auditum, nutu interrogatur*, ait S. Amb. VERS. 62

ET POSTULANS PUGILLAREM SCRIPSIT, DICENS, JOANNES EST NOMEN EJUS] *Pugillarem*, græce πινακίδιον, id est tabellam, in qua stylo scribitur, quales apud nos sunt ex pergameno aut tegulis (olim vero erant ex cera) quas mercatores circumferunt memoriæ causa, ut scribant ea, quorum recordari velint. VERS. 63 H

DICENS] non ore, sed manu & litteris, ait S. Ambr.

Nomina ab eventibus indita.

JOANNES EST NOMEN EJUS] Notat S. Ambr. dici *est*, non *erit*, q. d. *Hoc* nomen nos ei non imponimus, quia jam a Deo accepit, v. 13. *habet suum nomen quod agnovimus, non quod elegimus*. Sic & Beda. De nomine Joannis dixi, v. 13. Quibus adde priscis indita fuisse nomina ab eventu, vel præsenti, vel futuro. Sic *Isaac* nomen accepit a risu matris; *Jacob* a supplantatione fratris sui; *Esau*, quia natus est pilosus: *Cain*, quia ipse fuit possessio matris Evæ, *Noe*, quia ipse consolator mundi, diluvio mergendi, futurus erat, *Phares*, quia divisit maceriam; *Moses*, quia ex aquis fuit extractus; *Gersam*, quia peregrinus; *Joseph*, quia matri additus, &c. Sic & *Joannes* dictus a gra-

Digitized by Google

A gratia & misericordia, quam accepit in sui, non conceptione, sed visitatione B. Virginis.

ET MIRATI SUNT UNIVERSI] tum concordiam patris cum matre, tum nomen Joannis in illa familia insolitum & inauditum: nesciebant enim illud cælitus fuisse revelatum Zachariæ v. 13.

VERS.64 APERTUM EST AUTEM ILLICO OS EJUS, ET LINGUA EJUS, ET LOQUEBATUR BENEDICENS (laudans) DEUM] *Apertum est os*, id est, cœpit loqui. Est catachresis. Mutis enim videtur os esse clausum ne loqui possint. Causam dat S. Ambr. *Merito*, ait, *continuo resoluta est lingua ejus, quia quam vinxerat incredulitas, fides solvit.* Videns Joannem sibi reipsa natum, credidit promissis de eo ab angelo sibi factis, de quibus antea dubitaverat. Joannes ergo, sicut in ventre matrem replevit Spiritu sancto, sic & jam natus eumdem patri aspiravit. Unde S. Gregor. Nazianz. *Editus*, ait, *Joannes Zachariæ solvit silentium: absurdum enim erat voce Verbi progressa, patrem manere elinguem.*

Porro *fiebant hæc omnia dispensative*, ait Theophyl. *ut Joannes dignus fide testis Christi haberetur.* Et Beda: *Futurus Propheta*, ait, *præmissis commendatur auspiciis.* Cum

B ore, & lingua pariter aures Zachariæ fuisse solutas, ut ex surdo fieret audiens, non est dubium: *Manifestum est*, ait Euthym. *quod & auditus pariter solutus est: sicut enim pariter ablatus fuerat, ita quoque pariter solutus est.*

Symbolice S. Ambr. in Lucæ c. 3. v. 4. *Quia*, ait, *Joannes vox erat* (juxta illud: *Ego vox clamantis in deserto*, Jo. 1. 23.) *idcirco in ejus nativitate pater mutus vocem recuperavit.*

VERS.65 ET FACTUS EST TIMOR (Syrus, *pavor*) SUPER OMNES VICINOS EORUM: ET SUPER OMNIA MONTANA (Syrus, *in universo monte*) JUDÆÆ DIVULGABANTUR OMNIA VERBA HÆC] *Timor*, id est, religio, reverentia erga Deum, tam potenter tot mirabilia circa Joannem in matre & patre operantem. Patet ex sequent. Ubi enim Deus suam potentiam ostendit, ibi oritur hominum erga eum, ejusque majestatem sacer timor & reverentia. Sic passim hic timor accipitur pro religione, & reverentia erga Deum vel homines sanctos, ut patet c. 7. 16. Marci 4. 40.

VERS.66 ET POSUERUNT OMNES, QUI AUDIERANT IN CORDE SUO, DICENTES: QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT? ET ENIM MANUS DOMINI ERAT CUM ILLO] *Posuerunt in corde*, id est, cordi, sive menti impresserunt, pressius de his mitis & miraculis cogitarunt, studiose ea considerarunt, perpendentes quid ea sibi vellent, quidve futurum

C circa Joannem portenderent.

QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT?] Arab. *quid putas futurum esse de puero?* Fecit hoc Deus, ut per hæc signa excitaret omnium animos ad considerationem, & venerationem Joannis, utpote futuri præcursoris & indicis Christi, ut Joanni auctoritatem conciliaret; itaque testimonium ejus de Christo omni exceptione foret majus, *ut iter præcursori veritatis præcurrentia signa præbeant*, ait Beda. Christus revelavit S. Brigidæ lib. Revel. cap. 108. tres Sanctos præ cæteris sibi placuisse, scilicet B. Virginem, Mariam Magdalenam, & Joannem Baptistam, adeoque in ejus nativitate consternatos dæmones planxisse, cum angeli, & pii Israelitæ exultarent.

ETENIM MANUS DOMINI ERAT CUM ILLO] *Manus*, id est, potentia, providentia, cura, gratia & favor (horum enim omnium symbolum est manus) mirabilis Dei

Manus Dei cum Joanne. ostendebat se in puero hoc, scilicet Joanne, ut eum singulariter ad magna produxisse, elegisse & destinasse, ideoque

D singulatem ejus curam gerere, & cum illo esse, illique per omnia assistere videretur; idque Primo, ostendebat annunciando ejus nativitatem patri Zachariæ per angelum.

Primo.

Secundo. Secundo, Zachariæ muti linguam, & surdi aures in nativitate Joannis solvendo in laudes Dei.

Tertio. Tertio, cum illuminando, & impellendo ad prophetandum de puero.

Quarto. Quarto, dando prolem hanc Elisabethæ sterili & seni per

Quinto. miraculum. Quinto dando puero nomen novum & insolitum; scilicet *Joannes*, id est, Deus misertus est, vel Deus gratum habet. Quæ omnia partim miracula, velut præludia portendebant Joannem fore magnum virum, & Prophetam, Deumque per illum eximia operaturum, atque omnes illa videntes vel audientes ingenti timore, gaudio & spe perfundebant.

Addit S. Ambr. Origenes, & Euthym. ipsummet Joannem sensisse in se hanc Dei manum, cum in dies sentiret se per Dei operationem in usu rationis, in sanctis inspirationibus, & desideriis, in Christi amore & cultu, in gratia, & meritis cum ætate supra naturam crescere & proficere.

VERS.67 ET ZACHARIAS PATER EJUS REPLETUS EST SPIRITU SANCTO, ET PROPHETAVIT, DICENS] Zacharias jam habebat Spiritum sanctum: erat enim justus, ut audivimus v. 6. hic tamen per ortum Joannis, tantam Spiritus sancti gratiæ tum gratis facientis & sanctificantis, tum gratis datæ, scil. prophetiæ, copiam accepit, tantoque Christi jam in Virgine incarnati amore, gaudio & jubilo perfusus est, ut exultans in canticum hoc propheticum prorumperet, fidei, reverentiæ & devotionis plenissimum; quod proinde Ecclesia quotidie in Officio divino ad Laudes solemniter decantat.

BENEDICTUS (sit, id est, benedicatur, laudetur, celebretur) DOMINUS DEUS ISRAEL, QUIA VISITAVIT ET FECIT REDEMPTIONEM PLEBIS SUÆ] Syrus, *visitavit populum suum, & fecit ei redemptionem*, id est, visitando eum redemit. Est hendiadys. Zacharias hoc cantico duo facit. Primo, laudat Deum ob incarnatum in Virgine Messiam, cujus opus redemptionis mundi, & vim gratiæ decantat. Secundo, a v. 76. usque ad finem, laudat Deum compellando Joannem filium suum, ejusque, quasi præcursoris Christi, officium & munus præcinit.

DEUS ISRAEL] Græce ὁ Θεὸς Ἰσραήλ, id est, Israelis; licet enim Deus sit omnium hominum, tamen peculiariter est Deus, id est, curator, provisor, salvator Israelis, id est, populi fidelis, quales olim erant Judæi sive Israelitæ, nunc sunt Christiani.

FECIT REDEMPTIONEM PLEBIS SUÆ] q.d. Deus per Christum jam incarnatum fecit inchoative, id est, facere incæpit redemptionem & liberationem totius mundi a jugo & servitute dæmonis, peccati, mortis & gehennæ, sub qua ab Adamo per quatuor annorum millia hucusque detentus, & oppressus fuit; sed præsertim Israelis, id est, populi Judaici, cui primo & proprie promissus erat Messias, sive Christus: Zacharias ergo per spiritum propheticum agnovit Messiæ incarnationem in utero Virginis, ac proinde redemptionem mundi jam esse inchoatam, utpote concepto Redemptore, qui completive post paucos annos per mortem suam in cruce redempturus erat mundum. Unde Euthymius: *Beatus Zacharias*, inquit, *quod proxime faciendum* (adde, quod jam inchoatum) *cognoverat, prophetico more quasi jam factum narrat.*

ET EREXIT CORNU SALUTIS NOBIS IN DOMO DAVID PUERI SUI] Nota. *Cornu* per catachresin in Scriptura significat robur, potentiam, victoriam, gloriam, & consequenter regnum: omnis enim gloria & robur animalium cornutorum, ait ex Chrysost. Theoph consistit in cornibus. Hinc S. Cornelius Pontifex & Martyr pingitur cum

G cornu, & ab eo nomen accepit, quia cornea fortitudine restitit Decio Imper. acerrimo persecutori, totamque Ecclesiam Roman. ad resistendum induxit, itaque de eo per martyrium gloriose triumphavit, quare corneum ejus robur mire dilaudat S. Cyprian. ep. 1. ad Cornelium. Vide dicta Habac. 3. v. 4. ad illa. *Cornua in manibus ejus*, ubi egi de cornibus Christi, quibus subegit mortem, & gehennam. Et Dan. 8. v. 4. ad illa: *Hircus habebat cornu insigne.* Et Deut. 33. v. 17. ad illa: *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.*

S. Cornelius pingitur cum cornu, a quo nomen accepit.

Cornu salutis est robur Christi salutiferum.

Sensus ergo est, q.d. Deus cornu salutis, id est, salutiferam potentiam & gloriam regni Israelitici, quæ olim subigendo hostes Chananæos, Philistæos, Moabitas, &c. tempore Josue, Davidis & Salomonis floruerat, jam vero conciderat, rursum, per Christum Davidis filium erexit; cornu, inquam, non temporale, sed spirituale, uti dixi v. 32. Alludit ad Ezech. 29. 21. *In illa die pullulabit cornu domus Israel.* Ita Theoph. Beda, Euthym. Jans. Maldon. & alii. H Hinc patet cornu salutis esse ipsum Jesum Christum Salvatorem, ejusque potentiam, victoriam & regnum: hic enim salutem robustam devictis dæmonibus cæterisque hostibus attulit Israeli, totique mundo: Christus enim e domo, id est, e familia & stirpe David prognatus est: juxta illud Annæ, *Dominus dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.* 1. Reg. 2. 10. Et illud Davidis: *Illuc producam cornu David*, Ps. 131. 17. Unde Tropologice Beda: Cornu, inquit, excedit carnem, & regno Christi mundus & carnis gaudia superantur, in cujus figuram David & Salomon, cornu olei reges sunt consecrati. Et Orig. illud Is. 5. v. *Vinea facta est in cornu*, id est, inquit, Ecclesia plantata in Christo.

SICUT LOCUTUS EST PER OS SANCTORUM, QUI A SÆCULO SUNT (id est, qui olim priscis temporibus fuerunt. Est enallage temporis) PROPHETARUM EJUS] Omnes enim sancti Prophetæ vaticinati sunt de Christo, ejusque robore, victoria & regno. Ita Beda. Exempla sunt Jer. 19. v. 20. *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* Is. 30. 10. *Ecce ego*

salva-

A *Salvabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captivitatis eorum.* Ez. 13. 21. *Et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandũ.*

VERS. 71 SALUTEM (Syrus, *quod liberabit nos*) EX INIMICIS NOSTRIS, ET DE MANU OMNIUM QUI ODERUNT NOS] id est, omnium dæmonum & hominum impiorum, ait Glossa, puta Satanæ & ministrorum ejus. *Salutem* refert ad *locutus est*, v. 70. q.d. Sicut Deus locutus est per Prophetas, & promisit salutem, id est liberationem & salvationem Israelis, totiusque mundi a captivitate diaboli, peccati, mortis, & gehennæ: ita & eamdem nunc præstitit, dando cornu salutis, id est, robustum Salvatorem, scilicet Jesum Christum. Nota, Zachariam hic interpretari prophetias veteres de regno & salute Christi, non temporali, ut crasse intelligunt Judæi, sed spirituali, ut patet v. 73. & seq. ubi ait: *Ut serviamus illi in sanctitate, & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Et v. 77. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.*

VERS. 72 AD FACIENDAM MISERICORDIAM CUM PATRIBUS NOSTRIS] quo uti patribus Christum promisit, ita jam promissis stetit, Christumque posteris eorum exhibuit, per
B quem ipsos etiam patres e limbo liberabit, & beabit, ac in cælum secum deducet. Unde Theoph. Christi gratia, inquit, etiam ad illos qui mortui erant extenditur: omnes enim per eum resurgent: implevit etiam patrum spem, & desiderium; nam, ut ait idem Theoph. *Cum patres vident filios suos talibus frui bonis, gaudent & participes sunt lætitiæ, perinde ac si in se collata essent.*

ET MEMORARI (græce μνησθῆναι, id est, *meminisse, recordari, esse memorem*) TESTAMENTI SUI SANCTI] Est græcismus, q. d. Ut memoraretur, seque memorem ostenderet testamenti, id est, pacti cum patribus de Messia nascituro initi. Pactum hoc cum Abraham, Isaac & Jacob a Deo sancitum extat Gen. 12. 3. & c. 20. 4. & c. 28. 14. Estque hoc: *Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ.* Benedictionem hanc explicat Jerem. cap. 31. v. 31. dicens: *Et feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum*, &c. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*, &c. *quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.*

VERS. 73 JUSJURANDUM QUOD JURAVIT (Arab. *promisit*) AD ABRAHAM PATREM NOSTRUM, DATURUM SE NOBIS] *Jusjurandum* hoc Primo, referri potest ad τὸ *memorari*, q.d. Ut memoraretur, jusjurandum, ejusque se memorem indicaret. Græcum enim μνησθῆναι, construitur cum accusativo æque ac genitivo, sicut Latinum *memorari*. Ita Euthym.

C Jusjurandum hic ad quid referatur?

Secundo, *jusjurandum* referri potest ad τὸ *misericordiam*, q. d. Misericordia hæc est juramento a Deo promissa, ideoque ipsa est jusjurandum illud magnum a Deo editum, & patribus juratum.

Tertio aptius referri potest ad τὸ *pacti*, q.d. Deus misit Christum, ut memor esset sui pacti, quo illum patribus promisit, quod pactum est *jusjurandum* illud ingens, *quod juravit ad Abraham*, &c. Sic enim loquuntur Græci, ut dicant ὅρκον ὄν pro ὁρκωθὲν ὄν. Ita Mald. & Franc. Luc. Unde Origen. legit, *juramenti*, in genitivo: & clarius Syrus, *ut memor esset testamenti sui sancti, & jurisjurandi.*

Quarto, planissime & facillime *jusjurandum* referas ad τὸ *ad faciendam* v. 72. ut hic significentur tres causæ, ob quas Deus hoc cornu salutis erexerit, id est, Christum incarnarit; scilicet Primo, ad *faciendam misericordiam*: Secundo, ut memoraretur & recordaretur sui pacti: Tertio,
D ut faceret & impleret suum jusjurandum, quo juravit Abrahæ se semen ejus spirituale potius quam carnale multiplicaturum sicut stellas cæli, ac in semine ejus (Christo) benedicturum omnes Gentes. Gen. 22. 16. *Per memetipsum juravi*, ait, *dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*, &c. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Et Apostolus Heb. 6. 17. *Abundantius enim volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad propositam spem.* Ita Theophyl. Hebræi enim sæpe subticent verba, eaque ex præcedentibus vel sequentibus intelligenda relinquunt. Sic hic ait, *jusjurandum*, scilicet ut faceret & impleret: sunt enim hæc verba Zachariæ exultantis, & gaudio quasi absorpti, qualis non verba, sed res spectat & eructat: unde in verbis solœcismos aliosque defectus sæpe committit.

DATURUM SE NOBIS] ut daret nobis, liberatis ab hostibus, servire illi sine timore, ut sequitur: ita enim hæc jungenda esse patet ex Græco, & Arabico, qui sic vertit, *jusjurandum, quod promisit ad Abraham patrem nostrum, se daturum nobis salutem sine timore de manibus inimicorum, ut serviamus illis*, &c. Explicat enim jusjurandum Dei, id est, benedictionem, quam Deus Abrahæ promisit, & juramento confirmavit, docetque eam sitam esse in salute, quam attulit Christus, ut per ejus gratiam liberati ab inimicis nostris, scilicet a peccato, dæmone & inferno, quibus prius quasi mancipia servieramus, nunc Deo in sanctitate serviamus. Unde sequitur.

E

UT SINE TIMORE DE MANU INIMICORUM NOSTRORUM (dæmonum & hominum improborum, item peccatorum, mortis & inferni) LIBERATI SERVIAMUS ILLI] latria, qui est cultus soli Deo debitus; græce enim est. λατρεύειν. VERS. 74

IN SANCTITATE ET JUSTITIA CORAM IPSO OMNIBUS DIEBUS NOSTRIS] Hoc est jusjurandum, sive, hæc est benedictio Dei Abrahæ jurata, scilicet salus & gratia Christi, ejusque Evangelii, cujus excellentiam & perfectionem præ Mose, & lege veteri, pulchre hisce epithetis describit. Prima enim ejus pars, est libertas; quod scilicet liberet nos a servitute peccati & diaboli. Secunda, est servitus, id est, cultus veri summique Dei. Tertia est, amor, non timor servilis: Judæi enim serviebant Deo timore pœnarum, Christiani vero serviunt amore liberali, quasi filii. Unde Apostolus Rom. 8. 15. *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Quarta, est interna veraque sanctitas & justitia, non externa sita in lotionibus, sacrificiis, cæterisque cæremoniis, qualem habebant Judæi. Quinta, *coram Deo*, ut cogitantes nos in Dei, qui corda singulorum intuetur, oculis versari, studeamus ei purum sanctumque cor exhibere, omniaque opera ex puro sanctoque corde peragere, scientes nos inspectorem habere Deum, qui fundum cordis pervidet, & ex illo opera nostra est dijudicaturus. Sexta, ut hæc faciamus non uno die, mense, vel anno, sed omnibus diebus nostris, scilicet perseverando in his usque ad mortem, & successive usque ad finem mundi. Ita Theoph. Beda, & alii. VERS. 75

Sex differentiæ legis & Evangelii.

F

IN SANCTITATE ET JUSTITIA] *Sanctitas* Deum respicit, consistitque in sancto Dei cultu; *justitia* proximum spectat, & consequenter se ipsum. Sanctitas ergo tribuit jus suum Deo, justitia hominibus, ut scilicet quisque tribuat cuique id quod ei debet, vel ex justitia, vel ex charitate, ac consequenter sibi ipsi tribuat temperantiam, modestiam, humilitatem, quibus seipsum recte ad normam legis & virtutis componat, hoc enim sibi ipsi præstare debet. *Sanctitate* ergo & *justitia* significatur omne officium virtutis, decalogo præscriptum: sanctitas enim præcepta primæ tabulæ respicit, quæ Deum spectant; justitia secundæ, quæ proximum & seipsum concernunt.

G

Hæc ergo sunt officia & munia vitæ Evangelicę, ad quę Christus nos vocat. Hæc igitur est vocatio fidelium: huc omnes vocamur, scilicet *ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie, juste & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventũ gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Tit. 6. 12. ut scil. sanctitatem Dei et Christi imitemur, eamq; moribus repræsentemus, ut ejus vita, virtus et sanctitas in nostris actibus, quasi in viva sui imagine resplendeat, ac Christus ipse in nobis vivere, agere et loqui videatur, *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorũ operum.* Tit. 2. 14. juxta illud Pauli, *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*, Gal. 2. Et illud Petri ep. 1. c. 1. v. 15 *Secundũ eum qui vocavit vos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Vide ibi dicta. et Nyssenum tractat. *quid sibi velit nomen & professio Christiani*, ubi inter alia sic ait: *Christianismus est imitatio divinæ naturæ: Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam & antiquã felicitatẽ: christianismus est participatio Christi. Cum ergo Christus sit justitia, puritas & veritas, Christianus esse nequit, qui illorũ communionẽ, & societatẽ in se non ostendit.* Unde colligit, Christiani actiones similes esse debere actionibus Christi et Dei, id est, cælestes, angelicas, divinas, quales in Evangelio legimus. Quisque ergo Christi vitam et mores inspiciat, in iisque quasi in speculo suos mores intueatur, et videbit an verus sit Christianus, et an fictus, et pictus dumtaxat.

H

Christianismus est imitatio divinæ naturæ.

ET TU PUER (græce, παιδίον, id est, ut Syrus, *puerule*, PROPHETA ALTISSIMI VOCABERIS] q.d. Tu, o Joannes, licet jam puerulus sis, octo dumtaxat dierum, tamen post 29. VERS. 76

Digitized by Google

A annos vir factus, eris Propheta annuncians, & indicans Christum. Hæc est altera cantici hujus pars, qua Zacharias patet a Christo transit ad Joannem filium suum recens natum, eumque fore Prophetam & Christi præcursorem vaticinatur, ut hæc nunc audientes, & suo tempore Joannem prædicantem audituri, hujus oraculi memores, Joannem ut Prophetam & Christi indicem, ac consequenter Christum ipsum ab eo indicatum, ea qua par est devotione, & reverentia suspiciant. Addunt S. Ambr. Origen. Theoph. & Titus, hic Joannem infantem, utpote usu rationis a Deo donatum in utero matris, hæc patris se compellantis verba audientem intellexisse, *Potuit*, inquit Ambr. *vocem patris audire, qui Mariæ salutationem, antequam nascerentur, audivit, Sciebat profecto alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporum etate reserantur*. Addit Beda: *Nisi forte putandus est Zacharias propter eos potius qui aderant instituendos, futura filii sui munera, quæ dudum per angelum didicerat, mox ut loqui potuit, prædicare voluisse*.

PRÆIBIS ENIM ANTE FACIEM DOMINI (Christi, qui licet sit homo, est tamen quoque Dominus, id est Deus) PARARE VIAS EJUS] q.d. Sicut regibus venturis solent viæ

B præparari, adæquari & ornari, auferendo ligna, saxa, sordes, aliaque impedimenta vel dedecora, ita tu, o Joannes fili mi, præparabis Christo regi viam, auferendo quidquid illi posset esse offendiculo in animis Judeorũ, exhortando scil. eos verbo & exemplo ad pœnitentiam, ac ut Jesum velut verum Messiam a Deo missum excipiant, illique credant, & obediant, itaque ab eo salutem & veniam peccatorum, Deique gratiam consequantur. Unde explicans subdit.

VERS. 77 AD DANDAM SCIENTIAM SALUTIS (Syrus, *vitæ*, id est vivificam) PLEBI EJUS, IN REMISSIONEM PECCATORUM EORUM] q.d. Ut tu, o Joannes, des Judæis scientiam salutis; ut scilicet sciant se salutem debere sperare et flagitare a Christo salvatore, *in*, id est *ad remissionem peccatorum*, ut scilicet eam assequantur a Christo per ejus fidem et baptismum; in hac enim consistit salus Christi: peccata enim non remittuntur nisi per salutem et gratiam Christi. Unde Beda: *Quasi nomen Jesu*, ait, *exponere, ac diligentius commendare desiderans, salutis mentionem frequentat*. Et nonnullis interjectis: *Ne temporalem carnalemque promisit salutem putares, In remissionem, inquit, peccatorum eorum*.

VERS. 78 PER VISCERA MISERICORDIÆ DEI NOSTRI, IN QUIBUS (id est, quibus impellentibus, vel propter quæ) VISITAVIT NOS ORIENS EX ALTO] Causam tantorum operum, scilicet Messiæ incarnati, ejusque præcursoris

C Joannis jam nati aperit, assignatque *viscera misericordiæ*, id est, visceralem, intimamque, & ex imo cordis sinu fundoque manantem misericordiam Dei nostri, qui summæ miseriæ nostræ misertus, ut illi succurreret, sua viscera, id est, Filium suum unigenitum, in ejus incarnatione dedit, & quasi in nos effudit. Antropopathõs ergo *viscera* significant intimam, & summam Dei misericordiam, tum quia in magna commiseratione solent viscera commoveri, tum quia viscera Patris sunt Filius, quem e suis quasi visceribus genitum Deus Pater nobis donavit.

Oriens est nomen proprium Christi.

ORIENS EX ALTO] Quæritur quis sit hic *oriens*, & cur ita dictus?

Nota. Primo. Pro *oriens* græce est ἀνατολὴ, id est, *ortus*, sicut dicitur solis, vel ortus germinis. *Oriens* ergo hic est nomen substantivum, & proprium Christi. Unde Chaldæus Zach. c. 3. & 6. pro *oriens*, vertit Messias, id est, *Christus*.

Nota Secundo, ex S. Hier. in Zachar. c. 3. & 6. Zachariam hic alludere Primo, ad illud Malach. c. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*. Et ad illud Sap. 5. 6. *Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Et Isaiæ v. 1. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*. Et Num. 24. 17. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*; Christ. scilic. qui ut stella & sol nos illuminabit, inflammabit, omnique gratia lætificabit, & viam nobis in cælum quasi dux & sol præibit. Secundo & proprie Zacharias hic alludit ad Zach. c. 3. v. 8. *Ecce ego adducam servum meum Orientem*. Et c. 6. v. 12. *Ecce vir, Oriens nomen ejus*. Et Is. 4. v. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria*. Ubi Septuag. vertunt, *in die illa illucescet Deus in consilio cum gloria*. Et Jerem. 23. v. 5. *Suscitabo David* (Davidi) *germen justum*. Nam Zach. 3. & 6. Septuag. pro *oriens*, vertunt ἀνατολὴ, quod ex iis huc transtulit Lucas: nec enim alibi reperitur.

Nota Tertio. In Zach. c. 3. & 6. pro *Oriens*, & Græco ἀνατολὴ hebr. est צמח *tsemach*, quod proprie significat germen, ut cum S. Hier. docent omnes Hebr. Unde Septuag. E illud alibi vertunt βλάστημα, id est *germen*: sed nomen צמח *tsemach* per metaphoram, quæ apud Hebræos aliquando est longe petita, transfertur ad alia multa. Hebræi enim dicunt germinare justitiam, voluntatem, salutem, lucernam, lucem, pro producere justitiam, voluntatem, salutem, lucernam, lucem; sicut Latini dicunt pullulare non tantum herbas, sed & radios solis, lucem, lætitiam, salutem, &c. Patet hoc ex 2. Reg. 23. 5. Ezech. 29. 21. & alibi sæpe. Item ex Lexicis, atque ex Septuag. qui Isaiæ 4. v. 2. pro *erit germen* sive *germinabit*, vertunt, *illucescet*, uti jam dixi, atque in Zachar. pro צמח *tsemach*, id est *germen*, vertunt, ἀνατολὴ, id est, *ortus*, quod licet in genere de quovis ortu, etiam herbarum, dici possit, teste Suida, tamen proprie dicitur de ortu solis, lunæ & stellarum.

Dico ergo Christum vocari צמח *tsemach*, id est germen, *Christus est germen cælestε.* sed germen solare, id est, cæleste & divinum. Id patet Primo; quia hoc proprie significat ἀνατολὴ. Secundo, quia sequitur, *Oriens ex alto*, scilicet e Deo & cælo: &, *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent*, quæ omnia ortum non germinis terreni, sed solis aut stellæ aperte indicant. Ita Theoph. Euthym. Beda hic, & Hier. Cyrillus, F & Theodor. in c. 3. Zachar. & alii passim.

Ubi nota, Christum vocari *germen*, tum cæleste, tum terrestre: utrumque enim aliquo modo significat ἀνατολὴ, & *oriens*; habet enim Christus duas generationes, divinam scilicet, & ita germen est Patris æterni; ac humanam, & ita germen est matris & Davidis. Sic ergo ab Isaia, Zacharia, & aliis Christus dicitur *germen*. Primo quia ex radice Jesse, *Resp. Primo.* sive Davidis, quæ videbatur exaruisse, nullo jam rege aut duce ex ea prodeunte, iterum germinabit Christus, & pullulabit ut germen ad regnandum, ac ad proferendum fructum omnis gratiæ, salutis & boni: germen, inquam, primitus natum in cælo, deinde transplantatum in terra; hoc enim significat *oriens ex alto*, sive prodiens ex cælo, quasi germinans sol ad illuminandum eos, qui in terra in umbra mortis sedent, ut sequitur. Secundo, voce germinis & *Secundo.* solis germinantis, id est nascentis significatur parvitas & humilitas Christi nascentis, quæ deinde crevit in tantum corpus, ut umbra & luce sua totum orbem complexa sit, juxta parabolam grani sinapis, Matth. 13. Tertio significa- *Tertio.* tur Christus quasi alter Melchisedec, ἀπάτωρ, ut homo, scil. ut germen ex sola terra, id est, virgine matre castissime natus, sed ut Deus ἀμήτωρ, id est carens matre, scilicet ut G radius a sole, id est Patre, generatus. Rursum ut sol purissimis radiis per vitrum penetrat, & prodit, ita Christus uterum matris clausum nascendo penetravit.

Ubi nota, Christo recte attribui proprietates, tam solis quam germinis, & utrumque significat vox ἀνατολὴ, sive *oriens*, quæ respondet Hebr. צמח *tsemach*, q.d. Germen solare & oriens, aut sol germinans oriens, sive germen; quod primo, in cælo cum summa claritate & gloria, deinde ex cælo in terra germinans, ortum est: Christus enim est arbor vitæ, ex cælesti paradiso transplantata in terram per incarnationem: inde rursum ascendens in cælum, & paradisum suum, visione sua, & fruitione dat Sanctis vitam immortalem cum summa gloria, suisque foliis & fructibus omnis voluptatis. Beatos in æternum continue mulcet, & satiat, ut dixi Apoc. 22. 2. Hinc S. Hier. in Zachar. c. 6. τὸ *oriens* ex Heb. צמח *tsemach* interpretatur *germen*, per quod Christum intelligit. *Qui idcirco*, inquit, *oriens*, id est ἀνατολὴ, vel ἀνατολὴ, sive βλάστημα, *nuncupatur, id est, germen, quia ex se repente succrescet, & ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit*. Et deinde mystice idipsum explicans: *Ipse*, ait, *qui Jesus appellatur, ea quod salvaverit mundum; & oriens dicitur, quia in diebus ejus orta est justitia; & canitur in Psalmo: Veritas de terra orta est, eo quod de utero virginali in seculorum consummatione generatus, dixerit: Ego sum veritas*. Et post pauca: *Iste igitur, qui nostris virtutibus coronatus est, orietur & appellabitur Oriens: ad quem locutus est Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te:* juxta illud Isaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*.

At vero alii Patres recte quoque τὸ *oriens*, interpretantur solem ex alto, scilicet cælo, orientem, per quem intelligunt Christum, qui est lux mundi, ideoque in terra natus est, ut per carnem sit quasi sol transparens, & illuminans omnem hominem ad eum venientem. Ita Beda, Theoph. Euthym. Titus hic, & S. Gregor. lib. 20. in Job c. 18. cujus verba sunt hæc: *Nam quia ab oriente lux surgit, recte oriens dicitur, cujus justitiæ lumine nostræ injustitiæ nox illustratur*. Beda: *Qui ideo recte oriens vocatur, quia nobis ortum*

Digitized by Google

A *tum vere lucis aperiens, filios noctis, & tenebrarum lucis efficit filios, juxta id quod consequenter exponit, illuminare,* &c. Sic & S. Chrysost. hom. in illud Zachar. *Ecce vir, Oriens nomen ejus*, Euseb. l. 7. de Demonstr. in nona, S. Athan. tract. in illud, *Omnia mihi tradita sunt*, Origenes hom. 13. in Lev. Quare perperam priorem *tsemach* significationem secutus Beza, hoc loco vertit, *quibus invisit nos germen ex alto*. Hoc enim plane novum est, & Græcum ἀνατολὴ proprie significat *ortum*, non *germen*. Syrus quoque vertit, *dancho*, quod de ortu solis dicitur; & Arabicus *ortus est ab alto*.

Utroque ergo modo τὸ *oriens* hic accipi debet; ut alludat ad ortum tum germinis, tum solis: Christus enim est germen solare & cæleste, idem vicissim est sol germinans & nascens ex Virgine in terra, ut dixi.

VERS. 79 ILLUMINARE HIS, QUI IN TENEBRIS, ET IN UMBRA MORTIS SEDENT: AD DIRIGENDOS PEDES NOSTROS IN VIAM PACIS] Græcum ἐπιφᾶναι, vel, si alio accentu legas, ἐπίφαναι, est modi tam imperativi quam infinitivi. Unde Primo ἐπίφαναι, *illuminare*, id est, illucesce, exorire, ut novus quidam mundi sol, tu, o Joannes fili mi!

B (ut ad eum loqui pergat Zacharias pater) ut peccatores in tenebris errorum & peccatorum sedentes, per fidem in Christum illumines, eosque luci veritatis, justitiæ & salutis restituas, itaque eos a tyrannide dæmonis liberes. Simili schemate ait Dido 4. Æneid.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos.

Hannibalem intelligit, qui Romanos Æneæ posteros multis cladibus afflixit.

Secundo & potius, ἐπιφᾶναι, id est, *illuminare* in infinitivo, id est, ut illuminet (Syrus, *ut luceat*) scil. Christus oriens ex alto. Unde Arabicus vertit, *ortus est ab alto ad illuminandum* (illucescendum) *sedentibus in tenebris, & umbra mortis*. q. d. Visitavit nos Christus quasi sol oriens ex alto, ut lucem veræ doctrinæ, gratiæ, justitiæ & lætitiæ afferret, tum patribus vita functis, tum peccatoribus viventibus, qui utrique sedebant in tenebris & umbra mortis. Nam patres proprie sedebant in tenebroso limbo inferni, quasi in umbra mortis. Mystice autem peccatores sedebant in tenebris, id est, in tenebrosis erroribus, ignorantiis, vitiis, & peccatis. Porro S. Chrys. Theoph. Euthym. & Titus per *tenebras* intelligunt errores, per

C *umbram mortis* peccata; melius utraque per utrumque accipias; tenebræ ergo sunt communes errores, & crimina, umbra mortis vero sunt gravissimi errores & scelera.

ET IN UMBRA MORTIS SEDENT] Alludit ad Isaiæ 9. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*.

Umbra mortis quid? Primo. Nota Primo. Proprie umbra mortis sunt tenebræ, & locus horridus, sive horror mortis & inferni: hæc enim mortem & infernum comitantur, sicut umbra suum corpus. Unde hic dicitur Baptistæ Christi præcursori: *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent*, ut scilicet illumines peccatores sedentes in tenebris peccati, & justos sedentes in tenebroso limbo patrum. Quin & Virgil. lib. 10. Æneid. de eodem ita canit:

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Quid significet. Secundo. Nota Secundo. Per hanc umbram mortis, sive per has tenebras, significatur tristissima rerum facies & miseria extrema, tempusque captiviratis, carceris, infirmitatis, mortis & damnationis: nihil enim tristius est umbrosis mortuorum sepulchris, sicut è contrario lux, quia gratissima est, symbolum est felicitatis. Rursum *umbra mortis*,

D significat proxima pericula, indeque angores mortis, sicut umbra proxima est corpori. Ita capitur Psal. 22. 4.

Tertio. Tertio significat longam oblivionem. Unde S. Greg. 4. Moral. *In umbra mortis sedere*, ait, *est a Divini amoris notitia in oblivione latescere*. Deus enim est vita & lux, quia

Quarto. longissime abest ab umbra mortis. Quarto umbra mortis est Dei & salutis ignorantia. Hinc peccatum mortale est umbra mortis, ob analogias, quas recensui Is. 9. 2.

AD DIRIGENDOS PEDES NOSTROS IN VIAM PACIS] ut scilicet Christus suæ fidei & gratiæ luce dirigat nos in viâ justitiæ: hæc enim est via pacis: justitia enim est via, & medium ad consequendam pacem & tranquillitatem animæ; item pacem cum Deo & hominibus in hac vita, ac pacem beatificam in cælo, juxta illud Isaiæ 32. 17. *Erit opus justitiæ pax*, &c. *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta*. Pacis enim nomine Heb. significant omne bonum, ipsamque felicitatem & beatitudinem æternam. Hinc Christus E ab Isaia c. 9. 6. vocatur *Princeps pacis, & pater futuri sæculi*, subditque. *Et pacis non erit finis*. Nam, ut canit David Ps. 71. 7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*, id est, in æternum.

PUER (Syrus, *puerulus*) AUTEM CRESCEBAT (Arabic. *adolescebat*) ET CONFORTABATUR SPIRITU] q. d. Joannes sicut crescebat corpore, sic & spiritu ejusque robore, quia Spiritus sanctus eum in dies majori sapientia, gratia, fortitudine imbuebat. Hinc colligitur usum rationis, quem Joannes accepit in utero v. 41. post nativitatem in eo permansisse & crevisse. Ita Theoph. *Quanto magis*, inquit, *crescebat puer: tanto magis & efficacia spiritus in illo se ostendebat, organo illarum capace existente*. q. d. Quo magis organa corporis pueritis in Joanne crescentia, erant capacia rationis, sapientiæ & spiritus, eo plura illorum ipsi infundebat Spiritus sanctus. Et Titus: *Juxta ætatis*, ait, *analogiam & incrementum, gratia & spiritu proficiebat*. Idem dicitur de puero Jesu c. 2. 52. sed alio modo & sensu. VERS. 80

ET ERAT (puer) IN DESERTIS USQUE IN DIEM OSTENSIONIS SUÆ AD ISRAEL] Hinc colligitur Joannem a puero concessisse in desertum, ibique continuo mansisse usque ad annum trigesimum, quo cœpit se ostendere populo, illique prædicare pœnitentiam & fidem in Christum. F

Baronius in Apparatu Annalium, ex Petro Alexan. in Regulis Eccles. can. 3. quas probavit VI. Synodus, & ex Niceph. lib. 1. Hist. c. 14. ac Cedreno in Compendio hist. censent hunc Joannis secessum & fugam in desertum contigisse causa & timore infanticidii Herodis, de quo dixi Matt. 2. 16. licet enim Joannes finibus Bethlehem (ubi infantes occisi sunt) non contineretur, tamen ad illum ob famam miræ ejus nativitatis, cum in omnium ore esset illud: *Quis putas puer iste erit?* metum quoque & iram suam extendit Herodes: metuens enim ne ipse esset rex Judeorum a Magis quæsitus, puta Messias, jussit eum occidi. Quare Joannes ut cædem Herodis effugeret, bimulus a matre abductus est in desertum, ibique in spelunca delituit. Addit Cedrenus, matrem Joannis post 40. dies in eadem spelunca diem obiisse, ac angelum Joannis educandi curam suscepisse. Sic & Nicephorus. *Atque inde*, inquit, *in solis locis libenter versari solitus, angeloque usus in remotiores sylvarum recessus secessit*. Imo Petrus Alexand. addit, Zachariam patrem jussum ab Herode occidi inter templum & altare, eo quod Joannem filium neci, & infanticidio ejus subduxisset. G

Causa ergo secessus Joannis in desertum fuit metus infanticidii Herodis, cui plures & potiores causæ ex parte Dei & Joannis accesserunt. Prima fuit, ut in deserto fu- Causa Prima. geret occasiones peccandi, quas suggerit conversatio cum hominibus. Unde Ecclesia de eo canit.

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

Secunda causa fuit, ut libere Judæorum vitia reprehenderet, neminem reveritus, utpote neminem cognoscens, sed Secunda. quasi angelus e cælo lapsus cœlestia prædicans. Nam, ut ait S. Chrys. *Neminem vidit unquam conservorũ, nec ab aliquo horum visus fuit*. Et Theoph. *Secessit*, inquit, *ut extra multorum malitiam nutriretur, & neminem vereretur arguere*.

Tertia, ut prædicator pœnitentiæ futurus, illius prius Tertia. ipse daret exemplum rigide vivens in eremo, ut liberius auditores a mundi illecebris, utpote quas ipse sprevisset, H sustolleret, ait Beda. Vitæ enim austeritas magnum prædicatori dat auctoritatis pondus.

Quarta, ut cum Deo & angelis assidue conversans, an- Quarta. gelice viveret, juxta illud: *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, Malach. 4. 1. Joannes enim in deserto a mundo semotus vacabat jejunio, orationi, contemplationi: *Semper in hymnis, semper in orationibus fuit*, ait S. Chrys. *nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper colloquia offerens*. Et Origen. *Ut vacaret*, inquit, *orationibus & cum angelis conversaretur, appellaretque Dominum; & illum audiret respondentem atque dicentem: Ecce adsum*, &c.

Quinta, ut Joannes Christi foret testis & index omni Quinta. exceptione major. In deserto enim a nullo hominum doceri potuit, sed a solo Deo & angelis; quare ipse fuit θεοδίδακτος, atque sacras Scripturas, reliquaque, quæ prædicavit, a Deo infusa accepit. Unde Euthymius? *Oportebat eum*, inquit, *a teneris, quod ajunt, unguibus ad virtutem exerceri, ut & libere argueret, & Christi qui a se*

Digitized by Google

A *annunciaretur, testis fide dignus esset.* Et Titus: *Ut Christo testimonium perhibiturus, nec non hominum nequitiam imperterrite redarguturus, testis doctorque omni exceptione major haberetur.* Joannes ergo in deserto fuit cælicola, tum quia pro domo et tecto habuit cælum, tum quia assidue cælum contemplans, mente in cælis versabatur, et cælitum vitam æmulabatur. Audi Nazianzenum in Præceptis ad Virgines de Joanne in deserto canentem.

Melle famem agresti repulit, vilique locusta
Zacharia genitore satus, texitque cameli
Membra pilis, habuitque domum versatile cælum:
Atque in humo dura corpus dabat ipse sopori.

Idem orat. 20. in laudem S. Basilii, Joannem vocat summum Philosophum: Basilius, inquit, *nobiscum hinc in Pontum profugit, ac pietatis gymnasia, quæ illic erant, moderatur: atque cum Elia & Joanne summis Philosophis* Sexta. *solitudinem amplectitur.* Aliam causam solitudinis S. Joannis dat Elias Cretensis commentans in orat. 1. S. Gregorii Nazian. *Quoniam,* ait, *Christus & Joannes cognati erant, idcirco ne Joannes propinquitatis causa Christo testimonium præbere videretur, hoc a Spiritus sancti gratia procuratum est, ut ipse per totum primæ ætatis cursum in solitudine degeret, ne amicitia ductus, aut artificio quodam hoc testimonium edere videretur, verum tanquam a Deo id cognitum habuisset, sic ipsum annunciaret, eaque de causa ajebat: Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in spiritu sancto.* Joan. 1.

B Quocirca idem Nazianz. orat. 39. sic Joannem compellat: *Tu solitudinis alumne, ac nullius cibi homo, tu nove Elia, plusquam Propheta, utpote qui eum etiam, qui prædicebatur, vidisti; tu inter vetus, & novum testamentum interjecte,*

Symbolice Nicetas in orat. 38. Nazianzeni, *Joannes,* ait, *eorum figuram gerit, qui a puero sanctificati sunt, & usque ad extremum proficiendo solidissimum constantissimumque virtutis habitum conservant. Nam cum adhuc in materno alvo esset, Dominum suum agnovit, & cum summa lætitia exiliit.*

Denique idem Nazianz. S. Joannis exemplo in solitudinem cum S. Basilio eccessit, cujus spiritales delicias et C fructus, ita ipse describit orat. 1. *Nihil enim mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quã ut occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, & in seipsum collectus; nec nisi quantum necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse & cum Deo colloquens superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, divinasque species puras semper, nec terrenis ullis & errantibus formis admixtas in seipso circumfert; Deique rerum ac divinarum purum omnino speculum est, in dieque efficitur, ac lucem per lucem assumit, clariorem videlicet per obscuriorem, jamque futuri ævi bonum spe percipit, & cum angelis versatur, ac licet adhuc in terris sit, terram deserit, atque a spiritu sursum collocatur.* Quocirca Patres passim Joannem vocant principem vitæ monasticæ. Ejusdem dux fuit Christus, uti ostendi Matth. 4. v. 1.

CAPUT II.

SYNOPSIS CAPITIS.

D *PRimo, describit nativitatem Christi: Secundo, v. 8. Angelum nunciantem Christi ortum pastoribus, eorumque ad Christum adventum: Tertio, vers. 21. Christi circumcisionem: Quarto, vers. 22. Christi præsentationem in templo, & Virginis purificationem e partu, ac Simeonis, & Annæ encomia, & oracula de Christo: vers. 41. Christi duodennis inventionem in templo.*

VERS. 1 FActum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis.

2. Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cyrino:

3. & ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem.

4. Ascendit autem & Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, E quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo, & familia David,

5. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

7. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.

8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

9. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

11. quia natus est vobis hodie Salvator, qui I est Christus Dominus in civitate David.

12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio,

13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium:

14. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

15. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum: pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit, nobis.

16. Et venerunt festinantes: & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in præsepio.

17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. G

19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

20. Et reversi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos.

21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur.

22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino,

23. sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.

24. Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. H

25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.

26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo:

28. & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit:

29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace:

30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum,

31. Quod parasti ante faciem omnium populorum,

32. Lu-

Digitized by Google

A 32. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

33. Et erat pater ejus & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.

34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael: & in ſignum, cui contradicetur:

35. & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et erat Anna prophetiſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua.

37. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte, ac die.

38. Et hæc, ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui
B expectabant redemptionem Iſrael.

39. Et ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth.

40. Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in illo.

41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni Paſchæ.

42. Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti,

43. conſummatiſque diebus, cum redirent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus.

44. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter
C cognatos & notos.

45. Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum.

46. Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis ejus.

48. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

49. Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?

50. Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.

51. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth:
D & erat ſubditus illis. Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.

52. Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

VERS. 1 FACTUM EST AUTEM IN DIEBUS ILLIS (quibus natus eſt Joannes Baptiſta) EXIIT (Vatabl. *ut exiret*) EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO UT DESCRIBERETUR UNIVERSUS ORBIS] Syrus, *univerſus populus poſſeſſionis*, ſeu *dominii ejus*; ſcilicet Auguſto, & Romanis ſubjectus. Nam, teſte Svetonio, Auguſtus Gothis, Armeniis & Judis non imperabat. Facta eſt hæc deſcriptio, tum ut conſtaret numerus hominum Auguſto ſubjectus, tum ad vectigal colligendum, quod in ærarium Romanum tot bellis exhauſtum inferretur; ſinguli enim capitis ſui cenſum dabant. Veriſimile eſt Judæos dediſſe quod alias ex lege in cenſu dabant; ſcilicet ſingulos dimidium, id eſt duos Regales, ſive duos Julios, Exodi 30. 13. Matth. 22. v. 19.

Cur Auguſtus orbem deſcribi edixit.

Qui hic Cæſar?

CÆSARE] Cæſar hic proprio nomine vocatus fuit Octavius, ſive Octavianus, Julii Cæſaris ex ſorore nepos, qui primus Romæ monarcha, ejus imperium mire auxit & illuſtravit. Unde Auguſti cognomen adeptus eſt, teſte Plinio lib. 3. c. 20. anno 18. imperii ſui (a quo proinde Cenſorinus annos Auguſti enumerat, eoſque vocat Auguſtæos, vel Auguſtianos) quaſi numen aliquod e cælo delapſum, regnavit enim in ſumma pace, amplitudine, majeſtate, felicitate per 57. annos, unde illud: *Auguſto felicior, Trajano melior.* E

Porro hæc deſcriptio ab Auguſto facta eſt, cum plenam haberet in toto orbe pacem, ideoque Januam tertio clauſiſſet; quod factum eſt anno 40. Imperii ipſius, quæ omnia facta ſunt dirigente Deo, ut ſignificaret jam Chriſtum naſci, qui pacem toti orbi afferebat. Ita Beda: *Pacatiſſimo*, ait, *tempore naſci voluit pacis amator: nullum majus pacis indicium, quam totum orbem deſcribi, cujus moderator Auguſtus, qui maxima duodecim annis circa nativitatem Chriſti pace regnavit, bellis toto orbe ſopitis.* Nam poſt 12. annos rebellantibus Parthis, Dacis, Athenienſibus, renovata fuere bella.

Hac de cauſa Auguſto Cæſari Virgo Deipara, infantem ulnus geſtans apparuit in Capitolio, cum jam ante ipſe oraculo Apollinis edoctus natum eſſe puerum Hebræum, qui idolorum oraculis ſilentium indixiſſet, eidem in Capitolio aram erexiſſet hoc titulo; *Ara primogeniti Dei.* Quocirca Conſtantinus Magnus ibidem templum erexit in memoriam Dei genitricis Mariæ, quod etiamnum extat, & vulgo *Araceli* nuncupatur, ubi & locus viſionis Auguſti oſtenditur. Ita ex Suida, Nicephoro, & aliis Baronius in Apparatu Annalium. Rurſum Romæ tempore Auguſti, ſub quo natus eſt Chriſtus, e taberna meritoria per totum diem fons olei largiſſimus e terra profluxit: locus etiamnum Romæ oſtenditur in Eccleſia S. Mariæ Tranſtibertina. *Quo ſigno*, ait Oſorius lib. 6. c. 20. *quid evidentius quam in diebus Cæſaris Auguſti futura Chriſti nativitas declarata eſt? Chriſtus enim unctus interpretatur*, quia nos unxit ungitque oleo gratiæ & lætitiæ, per totum diem vitæ & mortalitatis noſtræ. F

B. Virgo viſa Auguſto.

Ara cæli

Quæres, quoto anno imperii Auguſti natus eſt Chriſtus? Reſpondeo, variæ ſunt hac de re Chronologorum & Doctorum ſententiæ. Prima cenſet Chriſtum natum anno 41. Juliano, qui fuit annus 40. regni Auguſti, Herodis 36. Romæ conditæ 479. Olympiadis 193. annus quartus. Anni Juliani incipiunt ab anno, quo Julius Cæſar reformavit calendarium, qui fuit vitæ, & regni ejus penultimus; anno enim ſequente occiſus, ſucceſſorem reliquit Auguſtum Cæſarem: hinc fit ut anni Juliani ſemper uno anno antecedant annos Auguſti. Ita Chronicon VVeingartenſe, & nonnulli recentiores inſignes Chronologi. Hæc ſententia valde convenit cum hiſtoriis ſacris & profanis. Tantum illi obſtat, quod Lucæ 3. v. 1. & 23. de Chriſto cum baptizaretur anno 15. Tiberii Cæſaris, dicatur: *Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, cum juxta hanc ſententiam fuerit 32. annorum, ſaltem inchoatorum. Nam Auguſtus regnavit 57. annos. Ergo Chriſtus naſcens anno 40. Auguſti cum eo vixit 17. annos. Adde 15. Tiberii, habebis 32. Reſpondent ipſi, Chriſtum dici quaſi vel circiter 30. annorum, quia erat 32. Sicut S. Aug. in Breviariis antiquis dicitur baptizatus anno ætatis 30. cum præciſe fuerit 33. annorum, uti habent Breviaria nuper correcta.

Quo anno Auguſti natus eſt Chriſtus. Prima opinio. G

Secunda cenſet Chriſtum natum anno 42. Juliano, qui fuit 41. Auguſti Cæſaris, ab Actiaca victoria 29. regni Herodis 37. Urbis conditæ 750. Olympiadis 194. annus primus. Ita ſentit Severus Sulpitius. Favent S. Hier. Iræneus, Tertull. H

Secunda.

Tertia cenſet Chriſtum natum anno 43. Juliano, qui fuit 42. Auguſti, Herodis 38. Urbis conditæ 751. Olympiadis 195. annus 2. Ita Clemens Alexand. Caſſiod. Zonaras, Marianus, Scotus, Baronius, Salianus, Tolet. Genebrardus, Salmeron, Serrarius, Scaliger: & ſic habet Martyrologium Romanum die 25. Decembris. Unde id ſecutus ſum in Chronotaxi, quam præfixi Pentateucho.

Tertia.

Quarta cenſet Chriſtum natum anno 44. Juliano, qui fuit 43. Auguſti, Herodis 39. Urbis 752. ita S. Epiphan. Euſebius, Oroſius, Nicephor. Hermannus Contractus, Copernicus, Onuphrius, Gerardus Mercator. In eamdem inclinant Franc. Suarez, Sigonius, Pererius, Ribera, Maldon. Mariana.

Quarta.

Quinta cenſet Chriſtum natum anno 45. Juliano, qui fuit 44. Auguſti. Ita Joannes Lucidus & Dionyſius Exiguus cum ſuis aſſeclis.

Quinta.

Sexta cenſet Chriſtum natum an. 46. Juliano, qui fuit 45. Au-

Sexta.

Digitized by Google

A 45. Auguſti. Herodis 41. Urbis 754. &c. ita Paulus Middelburgenſis Epiſcopus Sempronienſis, Petrus de Alliaco, Bellarm. & Beda, ac noviſſime, ſed exactiſſime, noſter Dionyſ. Petavius in Rationario Temporum.

Hæ ſententiæ ſingulæ ſuas habent conjecturas, ſuas quoque difficultates. Quare in re tam ancipiti nil certo definiri poteſt.

Lector ex his eligat quam volet. Probabiliores ſententiæ ſunt, prima, ſecunda, & tertia. Secunda & tertia magis ſunt communes & plures habent auctores, eiſque favet quod ait Lucas c. 3. 23. *Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, in baptiſmo. Nam juxta ſecundam ſententiam finiebat tunc annum trigeſimum, juxta tertiam vero eumdem inchoabat.

Sententia prima. Primæ ſententiæ expreſſe adſtipulantur priſci Annales apud Epiphanium, & vetus Chronicon apud Euſebium, inſuper anonymus Chronologus, qui ante 1400. annos ſcripſit. Eidem favet Primo, quod illo anno clauſo Jano ſumma fuerit in orbe pax, ut dixi.

Prob. Primo. Secundo. Secundo quod Herodes anno regni ſui 37. & ultimo paulo ante mortem, juſſit occidi infantes a bimatu, Matt. 2. Ergo Chriſtus tunc erat bimulus, agebatque annum ætatis ſecundum. Ergo natus erat anno præcedenti, qui fuit Herodis 36. Auguſti 40. mortuus eſt enim Herodes anno Juliano 43. Auguſti 42. ut omnes veteres Hiſtorici teſtantur, ait Sigonius. Hoc argumentum eſt validum, & vix ab aliis ſolvitur, niſi torquendo τὸ *a bimatu*.

B

Tertio. Tertio, quia Chriſtus natus eſt anno biſſextili, in fine anni, id eſt in Decembri, ut patet, ſi a noſtro biſſexto annos retro computes aſcendendo uſque ad Chriſtum: omnes enim anni centeſimi ſunt biſſexti. Annus autem 40. Auguſti fuit Biſſextus, non 41. aut 42. Nam annus primus Julianus fuit biſſextus, ut docent Macrobius, Cenſorinus & alii. Ergo decimus biſſextus fuit Julianus 41. ſive Auguſti 40. Adde, quod ex Joſepho, Dione, Hegeſippo, & aliis paſſim liqueat, Herodem univerſim tantum regnaſſe annis 37. mortuumque eſſe anno 43. Juliano ante paſcha. Ergo eodem anno vel aliquo ſequenti (ut vult ſententia tertia, quarta, quinta & ſexta) ſub eo naſci non potuit Chriſtus in fine anni, ſcilicet in Decembri.

Quarto. Denique hic annus eſt, quo Auguſtus Cajum Cæſarem, ex Julia filia ſua & M. Agrippa genero ſuo (qui Pantheon Romæ ædificavit, orbis Miraculum) neporem, quem principem juventutis crearat, ac in filium adoptarat, & totius imperii hæredem conſtituerat, agentem annum ætatis decimum ſextum, prætexta de more exutum tum toga virili induit, & cum ſolemni pompa in forum deduxit. Natus eſt enim Cajus anno ab Urbe condita 734. M. Apulejo & P. Silio Conſulibus: anno vero 738. agens annum ætatis 15. ab Auguſto deſignatus eſt Conſul, quæ omnia ex Dione lib. 54. & 55. ac ex lapide Ancyrano, & aliis docte docet Lipſius in lib. 1. Annal. Taciti n. 18. & ſeq. Quare Cajus annum ætatis 16. & conſequenter annum prætextæ, explebat anno Urbis 749. qui fuit imperii Auguſti 40. ſcilicet eodem anno Deus Pater longe verius Jeſum Chriſtum, cæli & terræ Dominum in orbem induxit, ut per eum fideles omnes in Chriſtum credentes ſibi adoptaret in filios, & regni cæleſtis hæredes conſtitueret. Unde & mox Cajus Cæſar ab Auguſto miſſus in Judæam, & Orientem, ibidem diem obiit, ut Chriſto novo regi jam nato locum cederet, & orbis imperium reſignaret,

C

D quaſi ei omni jure debitum & proprium.

Ex hac pariter ſententia facile intelligitur, cur Chriſtus ante annum ætatis duodecimum non venerit in Jeruſalem ad templum, quia ſcilicet uſque ad illum annum ibidem regnabat Archelaus Herodis filius, a quo, æque ac ab Herode Chriſto erat timendum: Archelaus enim regnavit 10. annis; quibus adde duos ultimos Herodis, habebis annos 12. poſt quos Archelaus ab Auguſto regno fuit pulſus in exilium, tumque Chriſtus libere & ſine metu adiit Jeruſalem & templum.

Hæc descriptio prima facta est a Præside Syvers. 2 riæ Cyrino] *Prima*, ſcilicet generalis, quæ contigit in toto orbe jam pacato ſub Auguſto & Romanis; nam aliæ in certis provinciis particulares, vel minus univerſales hac generali fuere priores. Ita Paulus Oroſius, Beda, Maldon. Janſen. Tolet. Franc. Lucas, & alii. Rurſum *prima*, quia ſecunda deſcriptio facta eſt poſt 10. annos, ſcilicet anno 10. Archelai, cum idem Cyrinus miſſus eſt in Syriam ad illam peragendam, & ad bona Archelai, jam ab Auguſto damnati, & in exilium pulſi in fiſcum redigenda, teſte Joſepho l. 18. Antiq. c. 1. Porro Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 7. 19. & 36. & ait primam hanc deſcriptionem factam E
eſſe ſub Sentio Saturnino, qui ſcilicet ad eam peragendam proprie legatus & miſſus erat ab Auguſto eo tempore, quo Syriæ Cyrinus in omnibus & conſequenter in cenſu præſidebat. Aut, ut alii, Cyrinus inchoatum a ſe cenſum perficiendum reliquit Saturnino, eo quod ipſe ad bellum cum Homonadenſibus gerendum avocaretur, de quibus, & paulo poſt publice triumphavit.

Hinc ſequitur, deſcriptionem & cenſum hunc non fuiſſe luſtralem & quinquennalem, ſed novum & univerſalem; ſcilicet inter tres Auguſti, medium & celeberrimum, quem Auguſtus ſine collega fecit, Cenſorino & Aſinio Conſulibus, ut habet inſcriptio lapidis Ancyrani, & Sueton. in Auguſto c. 27. & Joſeph. 17. Antiq. c. 3. Primum enim peregerat ante 20. annos in ſexto ſuo conſulatu, cum collega M. Agrippa genero ſuo, anno imperii ſui 17. Tertium vero poſt 20. circiter annos, ultimo imperii & vitæ ſuæ anno inſtituit cum Tiberio genero ſuo: hic enim mortuo M. Agrippa, Juliam ejus conjugem, Auguſti filiam uxorem duxerat, uti Livia Tiberii mater nupſerat Auguſto, qua de cauſa Tiberius Auguſto in imperium ſucceſſit.
Porro deſcriptionibus hiſce & cenſibus, utpote tantis, & F
tam variis, quinquennium impendebatur.

Cyrino] Fuit hic P. Sulpitius Quirinus, ſive Cyrinus, vel Cyrinius, quem Auguſtus Cæſar Cajo Cæſari, ſuo ex Julia filia Nepoti in Syriam eunti rectorem dederat, ac Cajo ibidem defuncto Syriæ præſidem remanere juſſit, uti Vellejus, Caji comes, ac Sueton. Florus, Dio & alii teſtantur. Quis hic Cyrinus præſes.

Hujus deſcriptionis generalis factæ ſub Cyrino hiſtorici profani, qui jam extant, vix meminerunt; olim tamen in tabulis publicis fuiſſe conſignatam, liquet ex S. Juſtino orat. ad Antoninum Pium, & ex S. Cyrill. lib. 6. contra Julian. Oroſio, Tertull. & aliis.

Et ibant omnes ut profiterentur (ſe ſubditos Auguſto & Romanis, eiſque nomen ſuum hac de cauſa darent) singuli in civitatem suam] quæ familiæ ipſorum erat caput, uti Bethlehem erat caput familiæ Davidis, ex qua natus eſt Joſeph & Chriſtus, quia in Bethlehem natus, & educatus fuerat David. Patet ex ſequenti. Judæi enim ſuam gentem & rempubl. in 12. tribus, has deinde in ſingulas familias, quæ ſuum habebant caput, diviſerant, ideoque hanc eorum diviſionem apud eos in cenſu hoc ſecuti ſunt Romani. Nimirum omnia hæc fiebant Deo dirigente, ut ex hac deſcriptione toti orbi liqueret Chriſtum recens natum in Bethlehem, eſſe prognatum ex tribu Juda & ſtirpe Davidis, ipſumque eſſe Meſſiam, uti Prophetæ prædixerant, etſi hoc non intenderet, imo neſciret Auguſtus, ejuſque præſes Cyrinus. Vers. 3 G

Descriptio prima quæ?

Ut profiterentur] Græcum ἀπογράφεσθαι, ſignificat & deſcribi & profiteri. Utrumque enim hic fiebat: ſinguli enim deſcribebantur, & profitebantur ſubjectionem ei qui deſcribebat, ſcilicet Cyrino præſidi, quaſi vicario Auguſti Cæſaris: Romæ enim ſinguli deſcribebantur, quaſi cives & ſubditi, de quorum fide in Auguſtum & ſenatum non dubitabatur. Alibi vero dicebantur profiteri, ſcilicet ſubjectionem Cæſari, quaſi exteri & armis Romanorum ſubacti. Porro Oroſius l. 6. cap. ult. ex hac deſcriptione colligit Chriſtum fuiſſe civem Romanum, ut quaſi tacite innueret Chriſtianos omnes Romanos Pontifici & Eccleſiæ ſubdi debere, *Chriſtus*, inquit, *dicendus civis Romanus, cenſus profeſſione Romani*. Chriſtus fuit civis Romanus. H

Symbolice, deſcriptione hac, qua omnes ſe Auguſti & Romanorum ſervos, profitebantur, ſignificabatur Chriſtum jam natum veniſſe, ut nos a ſervitute diaboli liberaret, & univerſum orbem ſibi ſubderet, ſuæque fidei et cultui ſervire, non vi armorum, ſed efficacia gratiæ ſuæ compelleret, qua de cauſa Auguſtus tum nomen Domini recuſavit, teſte Oroſio & aliis. Rurſum S. Greg. hom. 8. in Evang. *Quid eſt*, ait, *quod naſcituro Domino mundus deſcribitur, niſi quod hoc aperte monſtratur, quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate? Quod contra de reprobis per Prophetam dicitur: Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*. Sic et Origen. *Diligentius intuenti*, ait, *ſacramentum quoddam ſignificare videtur, quod in totius orbis profeſſione deſcribi oportuerit, & Chriſtum, ut cum omnibus ſcriptus ſanctificaret omnes, & cum orbe relatus in cenſum, communionem ſui præberet orbi liberans eum*, ait Euthym. *a ſervitute diaboli, qui princeps eſt mundi*.

Hinc patet, Chriſtum deſcriptum fuiſſe non ſtatim a nativitate, ſed octavo die poſtquam circumciſus eſt; in

circum-

Digitized by Google

A circumcisione enim more cõmuni inditum est illi nomen Jesus, quod astantibus Bethlehemitis, qui erant ex stirpe David, in tabulas publicas, quas Cyrinus ad Augustum transmisit, relatum est; scilicet Jesum Mariæ filium natum in Bethlehem prognatum esse ex David. Ita Justinus Apol. 2. ad Antoninum Pium, Origenes, Theoph. & Euthym.

VERS. 4 ASCENDIT AUTEM ET JOSEPH A GALILÆA, DE CIVITATE NAZARETH, IN JUDÆAM IN CIVITATEM DAVID, QUÆ VOCATUR BETHLEHEM, EO QUOD ESSET DE DOMO ET FAMILIA DAVID.

FACTUM EST AUTEM, CUM ESSENT IBI, IMPLETI SUNT DIES UT PARERET] Hic impleta fuit prophetia Michææ cap. 5. 2. de Christo in Bethlehem nascituro. Vide ibi dicta.

ASCENDIT] Id est, profectus est ex Nazareth urbe Galilææ, ubi angelo nunciante B. Virgo Christum concepetat. Unde Christus a Judæis dictus est Galilæus & Nazarenus.

IN BETHLEHEM] quæ ultra Jerusalem sita erat, ab eaque distabat itinere duarum horarum: quare a Nazareth in Bethlehem iter erat tridui, & amplius, quod B. Virgo prægnans, & partui proxima, confecit pedes, ut multi pie sentiunt. *Ascendit*, (ait S. Bern. serm. in illud Apoc. B *Signum magnum apparuit in cælo,*) *in Bethlehem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur*. Et paulo post: *Sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit*.

Audi S. Gregorium hom. 8. in Evang. *Qui bene etiam in Bethlehem nascitur. Bethlehem quippe domus panis interpretatur, Ipse namque est qui ait: Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. Locus ergo, in quo Dominus nascitur, panis antea vocatus est: quia futurum profecto erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna sacietate reficeret. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur; ut profecto ostenderet quia per humanitatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur*: ut doceret nos in terra esse peregrinos, cives vero cæli, ut ab hoc exilio magnis virtutum passibus tendamus in cælum, ceu patriam & civitatem nostram.

VERS. 6 FACTUM EST AUTEM, CUM ESSET IBI, IMPLETI SUNT DIES UT PARERET] scilicet novem menses a conceptu. Peperit enim non ex lassitudine itineris, sed naturaliter, C peracta naturali conceptionis temporisque ad pariendum usitati periodo. Quare cum Christus conceptus sit die 25. Martii, sequitur eum natum esse die 25. Decembris; inter utrumque enim intercedunt novem menses.

Christus post solstitium hyemale natus Cur? Nota Christus natus est paulo post solstitium hyemale, cum crescere incipiunt dies: Joannes Baptista vero natus est paulo post solstitium æstivum, cum dies incipiunt decrescere: quia, ut ipse ait: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Ita S. August. Rursum in solstitio hyemali halcyones (aves sunt paulo majores hirundinibus) circa mare Siculum ponunt ova, eaque quatuordecim diebus excludunt, ac per totidem dies pacatum est mare: unde nautæ id observant, captantque id tempus, ut secure navigent teste Plinio lib. 10. 3. & S. Ambr. lib. 5. Hexam. 13. Quare dies halcyonii vocantur dies placidi, sereni, hilares. Ita Christus, noster halcyon, iisdem diebus natus est quasi rex placidus & pacificus. Unde angeli ei accinuerunt: *Gloria in altissimis Dei, & in terra pax hominibus*. Rursum Plinius docet pluviam in solstitio æstivo, & calorem in hyberno portendere uberem frugum messem. Ita D pluviam Baptismi, lacrimarum, & pœnitentiæ adduxit Joannes Baptista, Christus vero calorem gratiæ & charitatis, quibus copiosa fidelium, Doctorum, Martyrum, Virginum, omniumque Sanctorum messis prognata surrexit.

VERS. 7 ET PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM, ET PANNIS EUM INVOLVIT, ET RECLINAVIT EUM IN PRÆSEPIO, QUIA NON ERAT ET LOCUS IN DIVERSORIO] *Peperit*, naturaliter uti aliæ matres: fuit ergo ipsa vere & naturaliter mater Christi, & consequenter Dei: Christus enim est Deus. Porro B. Virgo magis fuit parens Christi, quam sint aliæ matres suorum filiorum: nam ipsa in solidũ fuit parens & mater Christi: quia ab ea Christus accepit omnem suam substantiam, quam alii non a sola matre, sed etiam a patre accipiunt; ac consequenter amor inter Christum & matrem longe major fuit, quam sit inter alias matres & filios; adeoque amor, qui inter matrem & patrem dividitur, in Virgine unitus & collectus fuit, quia ipsa tam matris, quam patris vicem subivit. Secundo, sicut ipsa concepit, ita & peperit manens virgo, ac consequenter

B. Virgo magis fuit mater Christi suam sint matres filiorum suorum.

Peperit virg.

Christus natus est clauso matris utero, eumque nascens penetravit, sicuti radii solis penetrant vitrum. Hinc Tertio, B. Virgo uti concepit sine concupiscentia, ita peperit sine dolore, sine lassitudine, sine secundinarum fluxu & illuvie, aliisque sordibus partus, sine obstetrice. Ita Patres passim. Fuit ergo Virgo tota alacris & vegeta, atque in filii amorem & contemplationem absorpta: utpote quæ in singula momenta eum nascentem expectaret, videre & amplecti gestiret. Ita Patres & Doctores. Vide Suarez. Audi S. Greg. hom. 26. in Evang. *Illud corpus Dominicum intravit ad discipulos januis clausis, quod ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis*. E sine dolore & sorde.

Porro Christum natum esse die Dominica, quæ prima fuit dies mundi, ac consequenter feria sexta, sive die Veneris fuisse conceptum, sicut passum, ex VI. Synodo, Sophronio, Ruperto & aliis docet Suarez 3. p. q. 35. disp. 12. Barradius & alii: licet noster Salianus Christum natum velit feria sexta, conceptum feria quarta. Audi Rupertum lib. 3. de Divin. offic. c. 16. *Nocte Dominica natus est Christus consonante mirabilium suorum ordine, ut quo die dixit: Fiat lux, & facta est lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde*, puta sol justitiæ Christus Dominus. die Dominica. F

Hinc sicut sol per clausum penetrat vitrum, sic Christus in lucem prodiit clauso Virginis utero, ait S. Basilius orat. in S. Nativitatem Christi. Hinc & B. Virgo ipsa festi nativitatis Christi nocte revelavit S. Brigidæ, ut ipsa refert lib. 6. Revel. c. 88. dicens: *Non nasceretur ex me indicibili exultatione, & mirabili festinantia, clauso virginali utero meo prodibat*, atque hujus suæ exultationis sensum tunc B. Virgo re ipsa communicavit S. Brigidæ. Et l. 7. Revel. c. 22. *Peperi*, ait, *sicut nunc vidisti flexis genibus orando sola in stabulo. Peperi enim eum cum tanta exultatione & lætitia animæ, quod non sensi aliquod gravamen, quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem, sed statim involvi eum panniculis mundis, quos diu ante preparaveram*. Quæ quando vidit Joseph, miratus est cum magno gaudio & lætitia, ex eo quod sine adjutorio peperam. Et in serm. Angel. c. 15. *Ipse Deus suam majestatem inclinavit, de cælo descendens in uterum Virgis, non in una tantum ipsius corporis parte introiens, sed per totum ipsius corpus Virgineis visceribus se infundens, formando sibi honestissime ex solius Virginis carne, & sanguine corpus humanum. Et ideo electissima illa mater flammanti ruba, sed læsionis inexperto, quem vidit Moyses, congrue similatur*. Et nonnullis interjectis. *Quemadmodum etiam per totum Virginis corpus, quando idem Dei filius concipiebatur, cum sua divinitate introivit; sic & quando nascebatur, cum humanitate & deitate, velut ex rosa integra odoris suavitas, ita & ipse per totum ipsius corpus Virginis fusus est, virginali gloria in matre integra, permanente*. G

Denique omnes virginei partus figuras, e veteri testamento coacervat hic Geometra in Catena Græcorum, quam edidit noster Corderius.

An Christus, natus humi, an in brachiis matris. Quarto, quærunt aliqui, quis primus Christum nascentem locus exceperit? Barradius censet fuisse terram sive humum, idque ad hoc, ut Christus nos doceret humilitatem, quæ ab humo dicta est, sicut & homo: sic enim cæteri infantes nascuntur. Unde Salomon, *Et in similiter factam decidi terram*, ait Sap. 7. 3.

Alii censent Christũ primo exceptum brachiis & ulnis matris, idque cum summo ejus gaudio & reverentia: hoc enim talem matrem & talem filium decere videbatur, idque physice erat proclive & obvium, idemque colligunt ex eo, quod statim subdit Lucas, *& pannis eum involvit*. H Quare ipsa, ait Franc. Lucas, suis manibus excepit prodeuntem e suo utero, tamquam pomum maturum ex arbore delabens, nervo umbilicari sponte ac sine violentia se dissolvente, quemadmodum solvitur maturi pomi caudex, quo arbori adhæret: exceptum manibus provoluta in genua adoravit, adoratum suavissime est osculata, ac deinde involvit pannis ac fasciis. Unde & S. Cyprianus de Nativ. Christi: *Ultro*, ait, *maturus ab arbore fructus delapsus est, nec oportuit vellicari quod sponte prodibat*.

Pientius & sublimius Franc. Suarez opinatur, Christum mox ut natus est, ab angelis in brachia matris sanctissimæ & amantissimæ fuisse depositum, idem insinuat Nissenus & Geometra in Catena: hic enim locus erat illi decentissimus, & tam matri quam filio optatissimus; inde ipsa filium reclinavit in præsepio.

Denique S. Brigida l. 8. Revel. c. 47. insinuat Christum nascentem, sponte sua venisse in manus virginis matris dul-

Digitized by Google

A dulciſſimæ, & hoc valde probabiliter & pie credi poteſt.

Porro noſter P. Ribadeneira in feſto Nativit. Traditur, inquit, B. Virginem, mox ut vidit Chriſtum in lucem editum, admirantem Deum humanatum, ac ad carnem infantilem humiliatum, coram eo in terram ſe proſtraviſſe, atque hiſce verbis cum profundiſſima reverentia ac cordis jubilo eum ſalutaſſe: *Exoptatus ades, Deus meus, Dominus meus & filius meus*; non dubitans ſe ab eo, licet infante, intelligi; ſicque eum adoraſſe, oſculando pedes illi quaſi Deo; manus quaſi Domino, & faciem quaſi filio, mox arctiſſime eum pectori ſuo admoviſſe, ulniſque ſtrinxiſſe.

Chriſti prima vox fuit vagire.

Quinto, Chriſtus naſcens more aliorum infantium, ait S. Bern. ſerm. 4. de Nativ. vagiit & lacrymatus eſt, tum ut inciperet peccata noſtra deflere & luere, tum ut aliis infantibus ſe conformaret. Nam, ut ait Salomon, qui fuit typus Chriſti: *Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram & primam vocem ſimilem omnibus emiſi, plorans, &c. nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium*. Sap. 7. 3. Vide ibi dicta. Rurſum Chriſtus jam natus haſce lacrymas, ac ſeipſum totamque vitam, mortem & crucem Deo in holocauſtum pro ſalute

B hominum obtulit, ut docet Apoſtolus Hebr. 10. v. 7. & c. 5. 7. *Qui*, inquit, *in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque, &c. offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*.

Angeli omnes eum adorarunt.

Sexto, angeli omnes Chriſtum Deum ac Dominum ſuum, in terram naſcentem comitati ſunt, ſicut aulici omnes comitantur regem peregre proficiſcentem, ac natum infantem, Deumque immenſum ad ſpithamæ quantitatem quaſi coarctatum, obſtupuerunt, venerati ſunt & adorarunt. Hoc enim ſignificat Apoſtolus dicens: *Et cum iterum introduceit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*, Hebr. 1. 6. uti ibidem explicat S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Ambroſiaſter, & alii. Quare tunc ſtabulum & præſepium fuit quaſi verſum in cælum empireum; utpote plenum angelis, adeoque Cherubinis & Seraphinis omnibus, qui relicto cælo ad ſtabulum deſcenderunt, Deum ſuum hominem factum veneraturi: fuit enim hoc opus incarnationis & nativitatis Verbi, angelis prius inopinabile, & quaſi incredibile, utpote opus ſummum propriumque divinæ potentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ & clementiæ, ſuperans omnem hominum, & angelorum intellectum, uti oſtendi Matth. 1. 20. & hic c. 1. 35.

C Hoc eſt quod ait Apoſtolus 1. Tim. 3. v. 16. *Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum* (quod eſt Deus homo, ſive Verbum caro factum) *quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*. Et David Pſ. 17. *Inclinavit*, ait, *cælos & deſcendit*, imo Deus ipſe deſcendit, eumque factum infantem Deipara reclinavit in præſepio: *Factus eſt Deus homo*, ait S. Aug. ſer. 9. de Nativ. *ut homo fieret Deus; ut panem angelorum mandu caret homo, Dominus angelorum factus eſt homo*. Hoc eſt *Verbum abbreviatum, quod fecit Dominus*, Iſaiæ 10. 23. Rom. 9. 28.

Cur Deus homo? Cauſa Prima.

Moral. Cauſæ cur Chriſtus homo fieri, naſcique voluerit in terra, fuere multæ. Prima: ut nos in carne patiens & moriens, a peccatis & gehenna redimeret. Rurſum ut nos doceret, exemplo magis quam verbo viam ſalutis, daretque perfectum ſanctitatis omniumque virtutum exemplar, ac in primis ſummæ, & profundiſſimæ humilitatis. Ipſe enim, *cum in forma Dei eſſet*, &c. *ſemetipſum exinanivit* (id eſt, ex omni inanem, & quaſi nihilum efficit) *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, Philip. 2. v. 6. Nimirum voluit Chriſtus exemplo ſuo docere, quod S. Auguſt. docuit verbo: *Fode*, inquit, *in te fundamentum humilitatis, & ſic ad faſtigium pervenies charitatis*. Dedit ergo hic ideam ſummæ humilitatis: deſcendit enim

D quaſi e ſummo majeſtatis ſuæ throno in imam abjectionis vallem, exuit quaſi paludamentum gloriæ ſuæ, & induit ſaccum carnis noſtræ.

Secunda.

Secunda: quia Chriſtus nobis conſanguineus & frater, imo caro & ſanguis noſter fieri voluit, ut quaſi carneus cum carneis, homo cum homine, par cum pari ageret. Unde S. Bern. ſerm. 3. ſuper *Miſſus eſt*: *Studeamus effici*, inquit, *ſicut parvulus iſte, diſcamus ab ipſo, quia mitis eſt, & humilis corde, ne magnus Deus ſine cauſa factus ſit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus, communicemus paſſionibus, & ipſum offeramus propitiationem pro peccatis noſtris, quoniam ad hoc ipſe natus eſt*.

Tertia.

Tertia: Chriſtus carnis noſtræ parvitatem, vilitatem, ærumnas, famem, ſitim, frigus, æſtum, verbera, clavos, crucem ſuſcepit, non propter ſe, ſed propter nos, ut hoc efficaciſſimo amoris ſui ſtimulo corda hominum algida E pungeret & compungeret, coſque ad ſe redamandum ſtimularet, imo cogeret: ſemper enim quaſi occlamat nobis Chriſtus incarnatus; Ego me totum tibi dedi, tu te totum modo redde mihi: ideo incarnatus ſum, ut vivam in te & in carne tua, ut dicas cum Paulo: *Vivo jam non ego,* Galat. 2. *vivit vero in me Chriſtus*. Audi S. Ambr. *Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir poſſis eſſe perfectus. Ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis ſis abſolutus. Ille in præſepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris, ut tu in cælis. Ille locum in diverſorio non habebat, ut tu plures haberes in cæleſtibus manſiones. Qui cum dives eſſet, propter vos pauper factus eſt; ut illius inopia vos ditaremini*. Ex quibus appoſite pieque concludit, *Meum ergo paupertas illius patrimonium eſt, & infirmitas Domini mea eſt virtus. Maluit ſibi egere; ut omnibus abundaret. Me illius infantia vagientis abluunt fletus, mea lacryma illæ delicta lavarunt. Plus igitur, Domine Jeſu injuriis tuis debeo, quod redemptus ſum, quam operibus, quod creatus ſum.*

Quarta. Quarta: depreſſit ſe in terram & carnem, ut nos evehe- F ret in cælum. *Ideo*, ait S. Anſelm. *Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus*. Non poteramus Deum, qui eſt puriſſimus & increatus ſpiritus, mente concipere & colere; veſtivit ergo Deus ſe carne noſtra, ut eum concipere, imo oculis cernere, auribus loquentem audire, & eo perfrui poſſemus ait Cyrillus Catech. 12. Atque hæc inter primas fuit incarnationis Chriſti cauſa, quam Eccleſia in Præfatione Miſſæ Nativitatis Chriſti ita decantat: *Quia per incarnati Verbi myſterium, nova mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis infulſit, ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur*. Chriſtus enim incarnatus eſt objectu latriæ, charitatis, gratitudinis, omniumque virtutum. Quocirca jugis noſtra cogitatio, ſermo & converſatio debet eſſe cum Verbo incarnato; præſertim quia illud quotidie recolimus, imo renovamus in ſacrificio Miſſæ. Ita cum eo ſemper verſati ſunt B. Virgo, & Joſeph. Ita S. Magdalena Chriſtum ubique comitabatur, ac poſt ejus mortem ſeceſſit in eremum, ut jugiter hoc magnum pietatis ſacramentum, quod oculis conſpexerat, ruminaret & obſtupeſceret. Ita Apoſtoli, ita S. Paulus. Hac de cauſa S. Paula, S. Euſtochius, & plurimæ matronæ & principes cum S. Hieronymo migrarunt in Bethlehem, ut ibi jugiter quaſi Chriſtum naſcentem, & reclinatum in G præſepio intuerentur. Ita jugiter verſabatur cum Verbo incarnato S. Bernardus, qui cum de eo agit, (agit autem frequentiſſime) totus melleus amore liqueſcit, ſeque ſuperat, nec tam ut homo, quam ut angelus loquitur. Ita S. Franciſcus cum nato Chriſto diſſuaviabatur, ac dulciſſime eum compellabat parvulum de Bethlehem & concionans non aliud ingeminabat quam hoc, *Amemus parvulum de Bethlehem*. Denique tot milia Anachoretarum, Monachorum, Religioſorum hominibus & ſæculi turbis, in ſolitudines, in monaſteria, in clauſtra ſe abdiderunt, ut jugiter hoc incarnationis & œconomiæ Chriſti, ac redemptionis noſtræ myſterium meditarentur, admirarentur, laudibus, omnique gratiarum actione & vitæ imitatione celebrarent. Poſtula ergo, o Religioſe, o ſacerdos, o fidelis, a Chriſto, ut ipſe tuam carnem & animam ſibi unlat ac tegat, ſicut univit texitque ſuam, quam pro te ad hoc aſſumpſit.

PRIMOGENITUM] & unigenitum. Primogenitus enim eſt qui primo gignitur, etiamſi nemo alius poſt eum gignatur. Talis enim gaudet juribus, & privilegiis primogenituræ.

ET PANNIS EUM INVOLVIT] vilibus & pauperibus, ſed honeſtis & mundis. Nota τὸ *involvit*, ſcil. ipſa Virgo Deipara, utpote alacris & vegeta, per partum non debilitata, nec in lecto decumbens, ſed potius roborata, & pedibus conſiſtens, parvuloque ſua omnia non matris dumtaxat, H ſed & obſtetricis ac ancillæ obſequia ſtudioſiſſime impendens. Audi S. Hier. l. 1. contra Helvidium c. 4. *Nulla ibi obſtetrix, nulla mulierculanum ſedulitas interceſſit, ipſa pannis involvit infantem, ipſa & mater & obſtetrix fuit*. Similiter Ciprianus, aut quiſquis eſt auctor, libro de Cardin. operib. Chriſti ſerm. 1. *Panniculi propurpura, probyſſo in ornatu regio lacinia congeruntur; genitrix eſt & obſtetrix, & devotam dilectæ ſoboli exhibet clintelam*, &c. *Nullus dolor, nulla natura contumelia in puerperio*.

Græce eſt, ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, id eſt *infaſciavit eum*. In honorem harum faſciarum Chriſti, nobilis erecta eſt baſilica, & anniverſaria feſta dies indicta, ut patet ex S. Germano Patriarcha Conſtant. & Euthym. orat. de faſciis Domini apud Lipom. tom. 6. ad diem 31. Auguſti.

Tro-

A Tropologicam causam dat Nyssen. de Nativ. Christi: *Pannis*, inquit, *constringitur, qui peccatorum nostrorum vincula* (& pelliceas Adæ tunicas, ait S. Bern. serm. 28. in Cant.) *in se suscepit*. Et S. Aug. serm. 3. de Nativit. *O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata! o gratissimi, delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium æternosque ploratus evasimus! o felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! præsepe splendidum, in quo non solum jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est.*

Porro Æthiopicus pro *fasciis eum involvit*, vertit, *& ligavit pollices ejus*, quasi hoc esset signum infanti nato proprium, ex quo agnosceretur a pastoribus: nam pannis involvi illi commune erat cum cæteris infantibus. Unde tradunt Æthiopes filium nomine Menelich, quem regina Saba ex Salomone conceperat, & rediens in Æthiopiam ibi peperetat, eumdem remisisse in Jerusalem, eique annulum, quem a Salomone acceperat in pollicem inseruisse, ut ex hoc signo quasi legitimus filius a Salomone agnosceretur. Hæc illi, penes quos sit fides.

ET RECLINAVIT EUM IN PRÆSEPIO] Omissis variis variorum opinionibus, quas recensent Barradius, Azor. Baronius, Tolet. & alii. Nota, locum nativitatis Christi, proprie non fuisse stabulum domus rusticanæ, ut S. Cyprian. (vel quisquis est auctor) tract. de Operib. cardinal. & alii imaginantur, sed fuisse speluncam excisam in rupe ad extremam & Orientalem partem urbis Bethlehem, uti docent oculati testes S. Hier. ep. 19. ad Marcellam, Brochardus, Adrichom. & alii, ac Beda de Locis sanctis c. 8. An spelunca hæc sita fuerit in urbe, an foris ad muros urbis, variant Auctores. Audi S. Hier. *Ecce in hoc parvo terræ foramine cælorum conditor natus est; hic involutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis*. Addit Beda, e petra hujus speluncæ per miraculum, ob Christum in ea natum, perennem scaturire fontem, illumque usque ad sua tempora perdurare: atque totam speluncam a Christianis marmore incrustatã esse, ac grandi Ecclesia desuper ædificata ornatã.

Porro in hac spelunca fuisse præsepe ligneum, commune, & notum omnibus pastoribus, liquet ex hoc, quod ex eo sibi ab angelo indicato, pastores mox locum nativitatis Christi agnoverint, & ad illum se contulerint. Præsepe hoc Romam deinde translatum est, ac in basilica S. Mariæ Majoris conditum, ibidem religiose visitur, & colitur,

Denique Christus collocatus fuit in præsepio, duabus de causis. Prior, quod in tota spelunca non esset commodior, nec decentior Christo locus, quam præsepium, ut in ejus fœno quasi in lecto recumberet tener Christus. Posterior, ut in rigore hiemis (erat enim finis Decembris) Christus halitu bovis & asini calesceret. Ad præsepe enim hoc alligatum fuisse bovem & asinum traditio est, hicque est communis fidelium sensus. Et de iis Ecclesia intelligit illud Habacuc 3. 2. juxta Septuag. *In medio duorum animalium cognosceris*, ac iisdem appropriat illud Is. 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*, uti explicant ibidem S. Hier. Nazianz. Cyrillus, Paulinus, Prudentius & alii apud Baronium.

Tropologicã causam dat Nyssenus do Nativitate Christi: *Præsepe*, ait, *bestiarum est domus, in qua Verbum nascitur, ut cognoscat bos possessorem, & asinus præsepe Domini sui. Bos autem est Judæus legi subjugatus; asinus vero animal oneribus ferendis aptum. Gentilis sub gravissimo idololatriæ jugo gemens. Ordinarius autem brutorum animalium cibus est fœnum. Producens enim, inquit Propheta, fœnum jumentis. Animal vero rationale pane vescitur: idcirco ergo in præsepi, ubi pabulum brutorũ poni solet, panis vitæ, qui de cælo descendit, proponitur, ut animalia quoque rationis expertia rationalem cibum participarent.*

Sic & S. Cyrillus in Catena, Symbolice præsepe est altare, in quo Christus in Missa per consecrationem quasi nascitur & immolatur. Unde S. Chrysostom. in Catena, *Quod in præsepio videntes atque tugurio Magi, cum multa veneratione ac timore accesserunt & adorarunt: tu id ipsum non in præsepio, sed in altari cernens, majorem istis barbaris exhibe pietatem.*

Exemplo Christi in spelunca nati, multæ matres Sanctorum eos in stabulo peperterunt. Mater S. Eranciſci cum ex eo gravida parere non posset, a paupere peregrino monita ut in stabulum se conferret, fore ut statim pareret, dicto obediens, felici partu in stabulo S. Franciſcum, paupertatis Christi imitatorem, enixa est. Ita habet ejus Vita apud Ribadeneiram. Hodie quoque nonnullæ piæ matres parituræ ex pia devotione, & humilitate stabulum adeunt, ut Christo & B. Virgini se suosque infantes assimilent.

Porro S. Epiphan. orat. de Deipara: *Stabulum*, inquit, *visus est esse cælum in terra*: ubi enim est Deus, ibi est cælum, sicut ubi est Pontifex, ibi est Roma. Subdit Epiph. *Virgo*, ait, *in spelunca citra laborem prægnans, cæli & terræ Dominum disposuit in præsepio, tunc etiam ordines angelorum circumstabant Virginem, cum clamore dicentes, Gloria in altissimis Deo*, &c. Et Chrysippus: *In præsepio choreæ circumsteterunt angelorum. Regum omnium palatiis ipsique templo, pauperrimum illud stabulum angeli anteponebãt, eo in admirationem summam rapti confluebant, recensque regem natum adorabant.*

Moraliter, Christiani omnes crebro considerent & intueantur Christum in præsepio, ut advertant quis & quantus ille sit; quid faciat, pro quibus & cur faciat? Christus enim in præsepio, hoc est Deus homo, Verbum infans, est amor, æque ac stupor omnium angelorum ac fidelium, quod omnes stupent, & stupebunt per omnem æternitatem. Quis enim non attonitus stupeat, si profunde hunc puerum inspiciat, eumque roget? Quis es tu, o parvule Bethlehemitice? eumque audiat respondentem: Disce id ex Is. c. 9. 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*. Dicat tibi idipsum David Psaltes & Propheta regius Psal. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, factus est puer parvulus & amabilis nimis. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula*. Dicat Dan. c. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Dicat Salomon Regũ sapientissimus Prov. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarũ suarũ, antequã quidquam faceret a principio. Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Dicat Siracides Eccli. 24. 6. *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis*, &c. *Et dixit mihi: in Jacob inhabita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices*. Dicat Job 11. 8. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari*. Et c. 9. 3. *Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, & non oritur. Qui extendit cælos, & graditur super fluctus maris: qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus*, Dicat Gentilium Sibylla: dicat ex ea Virgil. princeps Poetarum & vatum ecloga 4.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Jam nova progenies cælo demittitur alto,
Chara Deum soboles, magnum patris incrementum.
Incipe parve puer risu cognoscere matrem.
Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Addit hanc auream esse ætatem Christi,

—— quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Merito ergo exclamat S. Aug. ser. 9. de Nativ. *O miracula! o prodigia! o mysteria! fratres, naturæ jura mutantur, in homine Deus nascitur, virgo sine viro gravidatur: viri nesciam sermo Dei maritat: simul facta est mater & virgo; mater facta, sed incorrupta. O mira & inexquisita compago! O nova & inaudita commixtio! Deus qui est, & qui erat creator, fit creatura, qui immensus est capitur, divites constituens pauper efficitur, incorporeus carne vestitur, videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis, quem cælum & terra benedicit, in præsepio augusto collocatur.*

Quid fecit tantus Deus, in tantilla carne, jacens in præsepio? Audiamus ipsummet in præsepii cathedra, non verbo sed facto docentem & prædicantem: Ego, qui tribus digitis appendo molem terræ, qui ex nihilo creavi cælum & terram, Rex gloriæ, & Dominus majestatis, sub quo columnæ cæli contremiscunt, & curvantur qui portant

ob duas causas.

Tropol.

Symbol.

S. Franciscus in stabulo nascitur.

Positus in præsepio.

Christus e præsepio concionatur.

Christus est amor & stupor angelorũ.

Digitized by Google

A tant orbem, tui unius, o homo, amore, ut te peccato & æternæ gehennæ incendiis addictum liberarem, & in cælum beandum deducerem, veni *saliens in montibus, transiliens colles*: salii e cælo in terram, ex sinu Patris in uterum Virginis, ex utero in terram, e terra in crucem, e cruce in infernum; ex inferno resilii in terram, e terra in cælum, ut te inferno erutum in cælum deveherem. Per viscera misericordiæ meæ, visitavi te oriens ex alto, ac cælum terræ, Verbum carni, spiritum luto, Deum homini hypostatice junxi, & arctissime devinxi. Parvulus factus sum, os tuum & caro tua, factus sum homo, ut te Deus efficerem. In præsepio jaceo inter jumenta quasi cibus bovis, & asini, quia tu ut jumentum animaliter vivebas, volutans te in carne & sanguine. Factus eras *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Homo* enim *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*, Psal. 48. Carnem ego assumpsi, ut carnem meam comedas, at carnem non jumenti, sed Dei, ut illam jungens carni tuæ, os ori, manum manui, pedem pedi, ventrem ventri, illi instar Elisæi 4. Reg. 4. 34. inspirem halitum vitæ cælestis & divinæ.

B Halitus Christi quis?

Quis & quorsum hic halitus? Halitus est altissimæ humilitatis, ditissimæ paupertatis, ecstaticæ charitatis, sapientissimæ stultitiæ & mundi contemptus, ut doceam te reipsa quod verbo per Salomonem docui: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire. Ego sum via, veritas & vita*. Me ergo ut viam in cælum, si errare non vis, sequere, mihi, ut veritati auscultа, me ut veram vitam complectere. Vanæ sunt opes, vanæ deliciæ, vani honores terreni, quos stulti mortales, & instar puerorum fatui avidissime sectantur, & ambiunt. Veræ opes, veræ deliciæ, veri honores sunt in cælis: quibus fruuntur Deus, angeli & Beati, ad illos anhela. Ego Christus, qui sum Rex regum: pauper & omnium indigus nascor, & tu o Christiane, commoda & divitias ambis? Ego, qué cæli non capiunt, corpore & præsepio exili concludor: & te, o Christiane, pudet esse parvulum, humilem, abjici, contemni? Ego, qui sum increata & immensa Sapientia, dura & molesta carni & spiritui elegi: tu voluptatibus utriusque indulges? Ego non in Herodis, non in Augusti palatio, sed in spelunca & præsepio nasci volui; elegi humiles habitare casas, & aulæ prætuli caulam: tu aulam

C & aulica sectaris. *Filii hominum*, filii Enos, miselli, insipientes, oblivione & furore perciti, *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* discite ex me ubi sit vera sapientia, vera gloria, vera virtus, vera vita: nimirum in profunda humilitate, in ardenti charitate, in contemptu rerū omnium terrenarum, & desiderio cælestium. *Clamat stabulum*, ait S. Bern. ser. 5. de Nativ. *clamat præsepe; clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulum, curando sese homini, qui in latrones inciderat, præparari. Clamat præsepe eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Clamant lacrymæ, clamant panni ejusdem ipsis cruenta jam vulnera ablui & detergi.*

Clamant omnia austerit tem, pœnitentiam, paupertatem, humilitatem, sed maxime incensam charitatem: quod enim cœpit hic Christus, hoc tota deinceps vita prosecutus perfecit. Hoc est, quod ipse ait Matth. 8. 10. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Nimirum natus in stabulo, vixit in hospitio, mortuus est in patibulo. Utique non propter se, sed *propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus*.

Denique Christus natus est carne, ut nos renasceremur

D spiritu, imo ut ipse per spiritum nascatur in nobis. Audi Innoc. III. serm. 3. *Sicut tres in Christo substantias fides Catholica confitetur, divinitatem, carnem, spiritum, ita tres in ipso nativitates Scriptura sacra testatur, divinam ex Patre, carnalem ex matre, spiritualem in mente. Ex Patre nascitur semper, de matre natus est semel, in mente nascitur sæpe.*

Porro hoc fit per ardentia, efficacia & crebra ad Christum desideria & suspiria. Unde subdit Innocentius: *Christus concipitur per affectum, nascitur per effectum, nutritur per profectum*.

Quia non erat eis locus in diversorio] *Eis*, scil. Mariæ & Joseph, unde Arab. *quia non erat eis locus, in quo diversarentur*. Perperam ergo aliqui legentes *ei*, scilicet Christo, sic cum Barradio explicant, q. d. Christus reclinatus fuit in præsepio, quia non erat ei locus commodior in illo diversorio, id est, in stabulo: nam Græca, Latina, Syrus & Arabicus habent *eis*, non *ei*. Causam dat, cur B. Virgo pepererit in spelunca, & Christū non in lecto, sed in præsepio reclinarit, quia scilicet omnia loca in hospitio jam præoccupata erant, affluente turba ditiorū ad communem censum. Verisimile est enim in urbe parva Bethlehē, unum tantum fuisse diversorium (ut hic innuit Lucas: idemq; in Germania fieri vidi) ad quod hospites omnes & advenæ diverterent, quod proinde affluente turba facile impleretur, ut plures non caperet: sed Christi prævisione & providentia id factū est, ut summæ humilitatis & paupertatis nobis daret exemplū. Porro Christus ex humilitate se abscondens, manifestatus & glorificatus fuit a Deo, per stellā vocantem Magos, per angelos missos ad pastores, per idola eversa, per circulos solis & parelios, perque alia miracula, quę recenset Oros. l. 6. c. 20. & fusius Baron. tom. 1. Annal.

E Unum tantum in Bethlehem diversorii.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum] *In regione eadem*, puta in agris, & campis vicinis Bethlehem, S. Hier. ep. 27. Brochardus, Adrichom. & alii in Descript. Terræ sanctæ, asserunt fuisse locum eumdem, in quo Jacob pavit greges suos, Gen. 34. v. 21. qui inde dictus est *Turris Eder*, id est, gregis, eo quod pascuis pro gregibus alendis abundet. Hic ergo angeli Christo nato cecinerunt, *Gloria in Excelsis Deo*. Qua de causa S. Helena ibid. templum ædificavit in honorem SS. Angelorum, adeoque medio in in agro sacellum erectū in tantę rei memoriam. Distat a Bethlehē fere mille passibus. Sic & Haymo: Distat, ait, turris gregis a Bethlehem uno milliario, in quo etiam hodie trium pastorum corpora requiescunt.

Vers. 8

F

Vigilantes] Græce ἀγραυλοῦντες, id est, *in agro stabulantes*, aut *pernoctantes*, ἀγρὸς enim est ager, αὐλὴ est caula, stabulum, septum, ovile. Theoph. vero ἀγραυλοῦντες, interpretatur *in agro canentes*; nam ἐν ἀγρῷ αὐλοῦν, id est in agro canere tibia vel fistula, ut pastores facere solent, tum ut fallant tempus, tum ut se recreent, tum ut oves demulceant, & ad strenue pascendum hoc suo cantu incitent.

Ex hac voce, Joseph Scaliger de Emendat. temp. contendit probare Christum natum esse in Septembri. Quia tunc, inquit, non autem in Decembri, cum media est hiems, omniaque rigent gelu aut nive, in agris stabulantur & pascuntur oves. Verum Christum natum esse die 25. Decembris, communis est Ecclesiæ, & omnium sæculorum traditio. Ad argumentum Scaligeri respondeo, in regionibus calidis, qualis est Palæstina, etiam in hieme greges degere, &

G pasci in agris, & campis compascuis, sive sub dio, sive in mapalibus ad hoc comparatis, qualia in turre Eder ob vicina pascua erecta fuisse non est dubium, ut scil. oves ad ea tempore congruo statim exirent. Sic in Italia & agro Romano videmus pecudes & pecora tota hieme in campis degere & pasci.

Scaliger contendit Christum mense Septembri natum.

Et custodientes vigilias noctis super gregem suum] Græce φυλάσσοντες τὰς φυλακὰς, id est, *custodientes custodias*, scilicet per quatuor noctis vigilias excubantes, ut greges suos custodirent, ne a lupis vel furibus raperentur. Hinc colligitur Christum natum esse nocte, puta post mediam noctem, cum jam inciperet dies 25. Decembris, idque mystice (nam alius literalis ejus loci est sensus) significatur Sap. 18. 14. *Cum quietum*, inquit, *silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit*, idque ad hoc, ut significaretur, quod Christus quasi sol veritatis & justitiæ illucesceret his qui in tenebris & umbra mortis sedebant, ait S. Aug. q. 53. inter Quæst. veteris & novi Testamenti. Hac de causa Ecclesia in festa Nativitatis Christi, post mediam noctem Missas celebrat.

In hujus rei memoriam, eodem loco postea ædificata fuit H Ecclesia trium pastorum (tot enim fuisse pastores, quot & Magos, docet etiam S. Bern. ferm. 6. de Nativit. Domini) divinæ nativitatis consociorum monumenta continens, ait Beda de Locis sanctis c. 8. Hi enim pastores per angelū vocati ad Christum, eo viso & adorato, per ejus gratiam eximii evasere Sancti. Unde Lucius Dexter in Chronico, quod dedicat S. Hieronymo: *Anno*, inquit, *Urbis, Romæ 752. Lentulo & Messala Consulibus, uno anno ante Augusti & Sylvani consulatum, Christus nascitur: tribus pastoribus (qui fuerunt sancti) primum ostenditur*. Vide Baronium anno 1. Chtisti, & Suar. 3. p. q. 36. disp. 14. sect. 2.

Porro congruum rationi erat, ut tres dumtaxat pastores Verbum Patris, Spiritus sancti ope caro factum, primi hominum adorarent, ut ipsi adoratores existerent S. Trinitatis illiusque mysterium suo numero repræsentarent, uti postea fecere tres Magi.

Et

A ET ECCE ANGELUS DOMINI STETIT JUXTA ILLOS, ET CLARITAS DEI CIRCUMFULSIT ILLOS, ET TIMUERUNT VERS. 9 TIMORE MAGNO] *Angelus* in corpore assumpto, ut significaret Deum corpus assumpsisse, & per carnem assumptam hominibus conspicuum se reddidisse, ait Titus.

Porro S. Cyprianus (vel quisquis est auctor) de Nativ. Domini, Tolet. Franc. Luc. & alii censent angelum hunc fuisse Gabrielem: hinc enim & B. Virgini, & Zachariæ apparuit, fuitque totius hujus negotii incarnationis Verbi administer. Innuit idipsum Beda dicens: *Angelus Mariam, angelus Joseph, angelus pastores instruit, & concipiendum & conceptum, & natum cœli cives Dominum testantur, ut & mortales sufficienter imbuant, & suum auctori servitium incessanter impendant.*

STETIT JUXTA ILLOS] Græce ἐπέστη αὐτοῖς quod alii vertunt, *stetit super illos*, quasi angelus e cælo lapsus; Vatabl. *astitit illis*; Syrus, *venit apud eos*. Pastores hi, quia erant B Judæi & fideles, vocantur per Angelum (Judæis enim sæpe apparebant angeli) Magi vero, quia Gentiles, & astrologi, vocantur per stellam. Vide S. Greg. hom. 10. in Evang.

Cur Pastores plurimi vocati ad Christum? Causa Prima.

Quæres, cur angelus primo pastoribus, non Scribis, non civibus, vel opificibus apparuerit? Resp. Euthym. quatuor dat causas. Prima est, quod omnia hic in Christi præsepio spirent paupertatem, & humilitatem, quodque pastores simplices, pauperes & humiles magis placeant Deo quam superbi divites, & increduli Scribæ ac Pharisæi, juxta illud Christi: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis, quia sic placitum fuit ante te*, Matth. 11. 25. Unde Theoph. hic, Doctos, ait, per indoctos vicit, divites per pauperes, per piscatores piscatus est orbem.

Secunda, Secunda, quia hi pastores veterem Patriarcharum vitam sectabantur, scilicet innocentissimam arctium agriculturam, vel potius pastoritiam. Nam Abel, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses fuere pastores ovium, quibus proinde velut innocentibus & sanctis, sæpe Deus per angelos apparuit. Ita S. Ambr. serm. 9. *Nec mirum*, inquit; *si Christi gratiam ante scire meruit innocentia quam potestas, & prius cognoscere veritatem simplex rusticitas, quam superba dominatio*,

Tertia, Tertia, quia Christus futurus erat pastor populi, juxta illud: *Ego sum pastor bonus*. Joan. 10. Hinc Christus olim C pingebatur ut pastor cinctus ovibus, uti videre est Romæ in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, aliisque priscis.

Quarta, Quarta, ut significaretur, pastoribus rationalium ovium, puta hominum & fidelium, primum divina mysteria a Deo revelari, ut ipsi deinde eadem suas oves, id est, plebem sibi commissam doceant.

Quinta, Quintam addit auctor de Mirabilib. S. Scripturæ, qui extat tom. 3. S. Aug. lib. 3. c. 2. quia Christus erat agnus pro salute mundi offerendus. Congrue ergo ipse primo pastoribus agnorum apparet.

Tropologice, Christus se revelat & communicat iis, qui suis actionibus & cogitationibus quasi pastoribus invigilant, ac consolatur eos, qui suam non habent consolationem. Ita S. Bern. serm. de Nativ. *Non consolatur*, inquit, *Christi infantia garrulos; non consolantur Christi lacrymæ cachinantes; non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur præsepe, & stabulum amantes primas cathedras in synagogis; sed æquanimiter forte universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominū lugentibus, pannosis pauperibus cedere videbuntur. Cæterū audiant, quod & ipsi quoque angeli non alios consolantur.*

D ET CLARITAS DEI (lux, splendor mirus, non tam humanus quam divinus) CIRCUMFULSIT ILLOS] Arabic. *gloria Domini orta est super illos*. Ubique enim in Scriptura Deus gloriam suam manifestavit per cælestem lucem & fulgorem. *Claritatem Domini*, ait Euthym. *intellige divinum lumen*. Titus: *Divina claritate cœlestique gloria circumfulsi sunt*. Itaque fulgor hic non fuit fidereus, sed augustior, qui esset index majestatis Domini, cujus angelus erat legatus.

Sol clarior nascente Christo. Porro S. Ambr. ser. 10. de Nativ. Christi die solem putat novo quodam fulsisse splendore, & ad ortum festinasse: *Oriente*, inquit, *Salvatore non solum humani generis salus, sed etiam solis ipsius claritas innovatur: sicut ait Apostolus ad Ephes. 1. Ut per ipsum restauraret omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt. Si enim sol obscuratur cum Christus patitur, necesse est illum splendidius solito lucere cum nascitur*. Et post nonnulla: *Ex eo denique factum puto, ut nox decresceret, dum sol festinus ob Dominicæ nativitatis obsequium ante lucem mundo protulit, quam nox cursum fui temporis consummaret. Quin potius ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in quo pastores vigilant, & exultant angeli, astra deserviunt. Si sol ad Jesu Nave orationem defixus stetit in die, cur non ad Christi nativitatem festinus promoveret in nocte?* E

Tropol. S. Greg. hom. 8. *Quid*, inquit, *est, quod vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget? nisi quod illi pra ceteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt: dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat*. Idem lib. 7. epist. 32. *Lux gregis, flamma est pastoris, Decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus & vita clare scere, quatenus in eo tanquam in speculo vitæ plebs commissa, & eligere quod sequatur & videre possit quod corrigat.* F

ET TIMUERUNT TIMORE MAGNO] sacro horrore, & reverentia perfusi sunt, tum propter visionis & splendoris novitatem, ait Euthymius, tum ob angeli cælestis majestatem, quæ homines ita percellit, ut pene exanimentur: unde olim opinio erat moriturum eum, qui vidisset angelum, juxta illud Manue patris Sampsonis: *Morte moriemur, quia vidimus Deum*, Jud. 13. v. 22. Hinc discе signum angeli boni esse; primo terrere, deinde consolari, unde subdit; *Nolite timere*, &c.

ET DIXIT ILLIS ANGELUS: NOLITE TIMERE: ECCE VERS. 10 ENIM EVANGELIZO VOBIS GAUDIUM (nuncium, quod pariet gaudium) MAGNUM QUOD ERIT OMNI POPULO] sed in primis vobis, quos primos ad Messiam jam natum visendum adorandumque voco. Evangelium ergo primo ante omnes nunciatum est pastoribus, idque per angelos. Causam dat S. Bern. serm. 5. de Nativ. dicens: *Vigilantibus enim pastoribus; & custodientibus vigilias noctis evangelizatur gaudium novæ lucis & eis natus dicitur esse Salvator: pauperibus atque laborantibus; non vobis divitibus, vestram habetis consolationem & væ divinum*.

QUIA NATUS EST VOBIS HODIE (hac nocte) SALVA- VERS. 11 TOR, QUI EST CHRISTUS (Messias tot sæculis expectatus) DOMINUS IN CIVITATE DAVID] in Bethlehem, ex semine & stirpe David. Singula verba habent pondus, & novam gaudii materiam suggerunt, ut patet ea ruminanti & penitius expendenti, uti ea minutim & fuse expendit Toletus. Nomen Christi sacerdotium notat & regnum, ait Eusebius in Catena: tam enim sacerdotes quam reges G ungebantur, ideoque Christi, id est uncti, & unctione consecrati, dicebantur. De nomine Christi vide dicta Matth. 1. 1. & Dan. 9. v. 24. in fine.

ET HOC VOBIS SIGNUM (quo hunc puerum ab aliis re- VERS. 12 cens natis secernatis & dignoscatis:) INVENIETIS INFANTEM PANNIS INVOLUTUM, ET POSITUM IN PRÆSEPIO] Cæteri enim infantes tunc nati erant in domo, & lecto. Christus vero solus in stabulo & præsepio. Hinc patet præsepe hoc fuisse commune & notum omnibus; nisi dicas angelum digito ostendisse, aut interna inspiratione, ut vult Toletus, pastoribus indicasse speluncam, in qua erat hoc præsepe. Hoc signum dat angelus, ne pastores putent Messiam suum quasi regem Judæorum, requirendum in regia Herodis similive palatio; uti Judæi putant: hic enim primus Christi adventus fuit humilitatis; sicut secundus ad judicium erit majestatis. Signum ergo Verbi incarnati & abbreviati est fasciarum, & præsepii humilitas; hanc enim efficaciter nascendo, vivendo, & moriendo in summa abjectione, docere nos voluit Christus. Nam, ut ait S. Bern. ser. 1. de Nat. *Quid magis indignum, quid detestandū amplius, quid gravius puniendum, quā ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra opponat homo magnificare se super terram? intollerabilis impudentiæ est, ut ubi sese exinanivit majestas, vermiculus insletur, & intumescat.* H

ET SUBITO FACTA EST CUM ANGELO MULTITUDO VERS. 13 MILITIÆ CÆLESTIS, LAUDANTIUM DEUM ET DICENTIUM.] Quia, ut dixi v. 7. omnes angeli Christum in terra nascentem comitati, & venerati sunt: hi autem sunt acies & militia, hoc est exercitus cælestis, quia potentissime pro Deo contra dæmones & impios pugnant, unde vocatur Deus *Sabaoth*, ideest exercituum, scilicet cælestium & angelicorum. Sic Jacob, qui fuit typus Christi, fugiens Esau fratrem suum, vidit copiam angelorum sibi auxiliantium, unde dixit: *Castra Dei sunt hæc*, ideoque locum vocavit *Mahanaim*, id est, castra in duali, ob duas acies sive turmas angelorum sibi in tutelam venientium, Genes. 32. Rursum, si ob creationem mundi laudarunt Deum astra matutina, & jubilarunt omnes filii Dei, id est, omnes angeli, ut ait Job cap. 38. quanto magis

idem

Digitized by Google

A idem fecerunt ob incarnationem & nativitatem Verbi?

VERS. 14 GLORIA IN ALTISSIMIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS] Sic & Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus, excepto τῶ *bonæ voluntatis*, de quo mox. *Τὸ in altissimis*, vel ut passim alii legunt, *in excelsis*, referri potest tum ad *Deo*, q. d. Gloria est Deo, qui habitat in cælis altissimis, ibique gloriam suam angelis & beatis ostendit, tum potius ad *gloria*, q. d. In cælis altissimis angeli dant gloriã Deo, sicut in terra homines fruuntur pace per Christum jam natum. Rursum hæc verba accipi possunt tum assertive subaudiendo *est*, tum optative subaudiendo *sit*. Assertive, q. d. Gloria jam in cælo est Deo, & in terra est pax, quia omnes cælites in cælo glorificant Dei misericordiam, sapientiam, fidelitatem, quod Christũ a se patribus promissum, jam mundo fideliter exhibuerit: hinc in terra est pax, quia Christus natus est, ut ipse quasi rex pacificus, homines qui nascuntur filii iræ, Deo reconciliet, ita Tolet. & Mald. Optative, q. d. Gloria sit in altissimis Deo, id est laudetur & glorificetur Deus, in cælo omnes cælites benedicant & glorificent Deum, quod dignatus sit Christum mittere in terram, ut in ea incarnatus hominibus pacem,

B id est, reconciliationem, gratiam, salutem, omniaque bona afferat. Laudent ergo Deum cælum & terra, jubilent illi cælites omnes & terrigenæ, quia natus est Christus, qui est gloria Dei, gaudium angelorum, pax hominum. Ita Jansen. Barrad. & alii. Sunt enim hæ voces angelorum laudantium, partim congratulantium Deo & hominibus, partim optantium gloriam hanc & pacem in nativitate Christi inchoatam, in ejus vita, & morte perfici.

Græca hunc hymnum faciunt trimembrem: Sic enim habent: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas*. Sic & Syrus, & Arabicus, qui pro *bona voluntas* vertit, *hilaritas*. Sic quoque legunt Patres Græci passim, scilicet S. Athanasius, Basilius, Nyssenus, Epiphan. Eusebius, Theoph. Euthym. ut videre est in Catena Græcorum.

Verum melius Latini omnes, & ex Græcis Origen. S. Chrys. & Cyrillus pro εὐδοκία, id est *bona voluntas*, legit εὐδοκίας, id est, *bonæ voluntatis*, ac consequenter hymnum hunc faciunt bimembrem. Sicut enim gloria datur Deo, quasi personæ, quæ glorificatur: sic & pax datur hominibus bonæ voluntatis, quasi personis, quibus pax Christi competit & congruit: atque sic melius cohæret nexus totius sententiæ; nam pax in terra alia intelligi nequit, quam hominum bonæ voluntatis. Apposite S. Bern. ser. 3. de Circumc.

C *Quæ*, ait, *major Deo gloria, quam tanta dignatio & tanta benignitas?* Idem ep. 126. ad Episc. Aquit. *Displicet*, ait, *mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nunciatur, & dum gloriam usurpant, turbant pacem. Solus gloriam meretur, qui facit mirabilia solus, sicut dicit Apostolus: Soli Deo honor & gloria*. Et paulo post: *Quonam ergo modo stabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, si Deo non potest apud homines esse tuta sua gloria? O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt & gloriam*.

ET IN TERRA PAX] hominum cum Deo, cui nos Christus reconciliavit: imo carnem nostram sibi hypostatice univit, ac consequenter *pax*, id est, tranquillitas mentis & conscientiæ: ac Tertio, *pax* & concordia cum aliis hominibus. Porro *pax* Hebræis omne bonum, omnem prosperitatem & felicitatem significat. Hinc aliqui, *Pax*, inquiunt, est Christus jam natus: *Ipse enim est pax nostra,*

D *qui fecit utraque unum*, Ephes. 2. 14. nam *Deo placuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*: Coloss. 1. 19.

Audi S. Aug. orat. contra Judæos, Pagan. & Arrianos c. 19. *In utero*, inquit, *virginali spiritales nuptiæ celebratæ sunt. Deus conjunctus est carni, & caro adhæsit Deo, hinc procedens ut sponsus de thalamo, ad cujus nuptias commota universa exultare visa est creatura. Namque Angelorum chorus ex his nuptiis pacem designat hominibus bonæ voluntatis, quia qui erat Dei Filius, factus est hominis filius*.

BONÆ VOLUNTATIS] Tripliciter id exponi potest. Primo, referendo illud ad τὸ *hominibus*, ut eos determinet, q. d. Pax sit hominibus: at non omnibus, sed iis, qui sunt bonæ voluntatis. Ita S. Ambros. hoc est, qui suscipiunt Christum, ait Beda.

Secundo, S. Leo serm. de Nativ. Pax, ait, sit hominibus, quæ scilicet faciat eos esse bonæ voluntatis, ut nimirum suam voluntatem Dei legi, & voluntati per omnia subjiciant & conforment.

Verum, quia græce est εὐδοκία, quæ vox respondet E Heb. רצון *ratson*, ac in sacra Scriptura fere non hominibus, sed Deo ipsi tribuitur, & significat Dei gratiam, benevolentiam, beneplacitum, amorem & dilectionem erga homines; hinc melius Nyssen. Theoph. Euthym. hunc dant sensum, q. d. Pax sit hominibus, hominibus inquam, quos Deus hac gratia, & bona voluntate, id est benevolentia & amore suo gratis sine hominum merito dignatur & prosequitur, ut scilicet det eis salvatorem talem & reconciliatorem, qui pacem inter se & homines, ac inter cælum & terram, puta inter cælites terrigenas, constituet. Sic Ps. 5. dicitur *Scuto bonæ voluntatis* (græce εὐδοκίας) *tuæ coronasti nos*, id est, scuto quod est bona voluntas, id est, benevolentia tua, velut corona cinxisti nos. Sic Matth. 17. dicitur: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*, græce εὐδόκησα. Et Ps. 149. *Beneplacitum est Domino in populo suo*. Sic homines bonæ voluntatis alibi vocantur *filii dilectionis*, id est filii voliti & dilecti a Deo. Vide dicta Ephes. 1. 9.

Porro Jansen. τὸ *bonæ voluntatis* refert ad *pax*, q. d. Pax sit hominibus, pax inquam proveniens non ex eorum meritis, sed ex bona voluntate, id est, benevolentia & gratia Dei: sed hoc intricatius & obscurius est. Aliter quoque S. Ambros. *Bonæ voluntatis*, inquit, *ut intelligas pacem Christi non debiti esse, sed meriti*.

Moraliter disce hic, quam Deus humilitate delectetur, & humiles exaltet. Christus ecce nocte nascens abscondit se in præsepio, aut Deus eum glorificat per angelos. Audi S. Aug. l. 2. de Symbolo c. 5. *Sic voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet majestatem*. Et serm. 213. de Temp. *In summo*, ait, *honore summa sit humilitas: honoris laus, & humilitatis virtus*. Et S. Ambr. *Ex utero*, inquit, *Christus funditur, sed coruscat e cælo; terreno in diversorio jacet, sed cæleſti lumine fulget; nupta peperit, sed virgo concepit; nupta concepit, sed virgo generavit. Quod si ætas carnis, ignara operi fuit, profecto Deus erat, qui divinitatis operibus exercebat carnis ætatem*. Et S. Bern. ser. 1. de Circumcis. *Christus ab ipso nativitatis exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sit accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur: absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cælo: sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis*. G

Honoris laus est humilitas.

Hac ergo de causa Christus ubique ita humilitatem cum majestate in se ipso combinavit & contemperavit, ut doceret majestatis decus esse humilitatem, uti est gemmula in annulo aureo, ac vicissim humilitatis præmium esse solium majestatis.

ET FACTUM EST, UT DISCESSERUNT AB EIS ANGELI VERS. 15 IN CÆLUM, PASTORES LOQUEBANTUR AD INVICEM: TRANSEAMUS USQUE BETHLEHEM, ET VIDEAMUS HOC VERBUM, QUOD FACTUM EST, QUOD DOMINUS OSTENDIT NOBIS.

HOC VERBUM] id est hanc rem tam novam & miram, puta Verbum incarnatum, & Messiam natum. Unde Beda Symbolice de Verbo divino hoc exponens ait: *Verbum quod semper erat videamus, quomodo pro nobis factum est: quod enim videre non poteramus, dum erat Verbum, videamus factum quia caro est*.

Sic & S. Ambr. ac Haymo. Est metonymia familiaris S. Scripturæ, qua verbum ponitur pro re significata H per verbum, ut cap. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, omnis res, 2. Regum 1. 4. *Quod est Verbum* (id est res) *quod factum est?*

QUOD DOMINUS (Beda addit, *fecit* &) OSTENDIT NOBIS] Græce ἐγνώρισε, id est, notum fecit, revelavit, indicavit imo signum, quo Messiam natum inveniemus, suggessit *nobis*, præ Scribis, & cæteris omnibus: quare nisi eum nobis natum, & nobis primis revelatum, ab eo per angelum invitati, & vocati visamus, & adoremus, erimus Deo, angelis & Christo ingrati, ac nobis ipsis inimici; utpote qui tantam Christi gratiam, & salutem neglexerimus. Certum est angelum exterius loquentem pastoribus, multo magis interius illuminasse mentem eorum, ut cognoscerent Christum esse Deum ac redemptorem mundi: ideoque eos excitasse, ut eumdem adirent, colerent, amarent, adorarent. Hac enim de causa pastores reipsa præsepe adierunt, ac in eo Christum summa humilitate, et reverentia adorarunt. Quare non est dubium eos hic fuisse justificatos,

aut

A aut si jam justi erant, magnum justitiæ & sanctitatis incrementum accepisse. Ita S. Cyprianus (vel quisquis est auctor) de Nativ. Christi: *Pastores illi*, inquit, *amplius mente quam oculis carnalibus illuminati, ad conspiciendum Emmanuel festinant, & edocti intus invisibili magisterio Spiritus S. quem parvulum vident, confitentur immensum, & pia ei devotionis affectum præsentant.*

VERS. 16 ET VENERUNT FESTINANTES; ET INVENERUNT MARIAM ET JOSEPH, ET INFANTEM POSITUM IN PRÆSEPIO] *Festinantes*, ex desiderio & ardore videndi Christum natum. Unde S. Ambr. *Vides*, ait, *festinare pastores: nemo enim cum desidia Christum requirit.* Et Beda. *Festinant*, ait, pastores; *neque enim cum desidia Christi est quarenda præsentia, & ideo forte nonnulli quærentes invenire non merentur, quia desidiose Christum quærunt.*

VERS. 17 VIDENTES AUTEM COGNOVERUNT DE VERBO (scilicet verum esse illud, id est, veram esse rem, vere scilicet natum esse Christum) QUOD DICTUM ERAT ILLIS DE PUERO HOC] ab angelo.

COGNOVERUNT] Græce διεγνώρισαν, id est pernoverunt, clare certoque cognoverunt. Secundo, verti potest cum Pagnino, *notificarunt*. Theophyl. *divulgarunt*. Sic & Syrus: unde sequitur.

B

VERS. 18 ET OMNES, QUI AUDIERUNT, MIRATI SUNT ET DE HIS QUÆ DICTA ERANT A PASTORIBUS AD IPSOS] Τὸ & non est in Græco, Syro & Arabico, sicque planior fluit sensus: Romani tamen legunt &, q. d. Mirati sunt natum esse Messiam, & cætera, quæ de eo dicta erant a pastoribus ad ipsos; scilicet mirati sunt angelum apparuisse, angelos cecinisse *Gloria in excelsis*, Christum jacere in præsepio, &c. ita Glossa, Franc. Lucas & alii: licet Lyranus τὸ & exponat *id est*. Hinc patet pastores multis narrasse ea, quæ de Christo nato ab angelo audierant & viderant: quare multos præsepe adiisse, Christumque vidisse; sed eos solos in Christum credidisse, quorum Deus corda efficaciter tangebat, cæteros offensos pauperrate Christi eum spreviisse. Causam dat S. Ambr. *Non vilis*, ait, *persona pastorum, certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientium, sed plebem Dominus requisivit simplicem, quæ phalerare audita & fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur.*

C

VERS. 19 MARIA AUDEM CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC CONFERENS IN CORDE SUO] scilicet conferens & comparans, non oracula Prophetarum de Christo, ut vult Beda, sed dicta & visa Pastorum de angelis concinentibus, *Gloria in excelsis Deo*, &c. cum iis, quæ ipsa in se experta erat, puta cum annunciatione Gabrielis, oraculo Elisabethæ & Zachariæ, cæterisque, quæ ipsa de Christo nato viderat & in se senserat, idque Primo ut videns utrimque miram concordiam, omnia scilicet inter se optime consentire, magis firmaretur in fide, scilicet unigenitum Filium Dei ex se esse natum. Ita S. Ambros. Secundo, ut jucunda contemplatione harum rerum, inter se adeo consentientium, animum pasceret, & certa spe reliqua expectaret: Deum scilicet hoc opus ad finem perducturum, & per Christum homines redempturum. Tertio, ut ea deinde suo tempore Apostolis, ac præsertim Lucæ hæc scripta panderet, & ex ordine narraret. Vide hic in Virgine rarum exemplum virgineæ taciturnitatis ac modestiæ, item cælestis prudentiæ, ac firmissimæ fidei &

D spei, admirantis præsentia & futura præstolantis. Conferebat enim ea quæ cernebat summæ humilitatis, cum iis quæ noverat summæ majestatis, stabulum cum cælo, pannos cum illis Prophetiæ verbis Psal. 103. *Amictus lumine sicut vestimento*: præsepe cum throno Dei, animalia cum Seraphinis.

VERS. 20 ET REVERSI SUNT (*ad gregem suum*, ait Euthymius; Deus enim vult fideles, licet a se exaratos in sua vocatione, officio & arte permanere) PASTORES, GLORIFICANTES, ET LAUDANTES DEUM, IN OMNIBUS QUÆ AUDIERANT ET VIDERANT, SICUT DICTUM EST AD ILLOS] τὸ *actum*, refer ad *audierant*, non ad *viderant*: audita enim sunt dicta, non visa. Hinc patet pastores in fide & Evangelio Christi fuisse constantes, imo gaudio Spiritus sancti ob visum Christum assidue exultantes & jubilantes.

VERS. 21 ET POSTQUAM CONSUMMATI SUNT DIES OCTO UT CIRCUMCIDERETUR PUER, VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS, QUOD VOCATUM EST AB ANGELO PRIUSQUAM IN UTERO CONCIPERETUR.

CONSUMMATI SUNT DIES OCTO) Id est, cum advenisset dies octavus a nativitate Christi, quo ipse juxta E
legem circumcidendus erat. Est hebraismus: Hebræorum enim verba sæpe significant actum inchoatum, non perfectum. *Consummari* ergo hic idem est, quod *cepit consummari*, ut expletis septem diebus ageretur dies octava, destinata circumcisioni, etsi illa necdum esset expleta & consummata.

UT CIRCUMCIDERETUR PUER] Tacite significat eum circumcisum, non expresse, ut innuat eum libere & sponte, non ex obligatione fuisse circumcisum, tum quia ipse erat Deus auctorque legis: qui lege circumcisionis a se lata non obligabatur; tum quia non communi hominum generatione, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus concipiuntur, ait Beda, sed ex Spiritu sancto erat conceptus & natus, ideoque carnes peccato originali, ob quod abolendum instituta erat circumcisio, imo Sanctus Sanctorum, uti docet S. August. tract. 30. in Joannem, S. Athanasius, S. Gregorius, & alii passim. Circumsio enim erat signum peccati, ejusque quasi stigma & cauterium: nullum autem peccatum, nulla libido erat in Christo. Quare F
Christus in circumcisione magis & profundius se humiliavit, quam in nativitate: in hac enim accepit formam hominis, in illa vero formam peccatoris.

Voluit tamen sponte circumcidi septem de causis, quas ex Cypriano, Augustino, Beda & aliis recenset S. Thomas 3. p. qu. 37. art. 1. Primo, inquit, ut ostenderet veritatem carnis humanæ contra Manichæum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum; & contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale; & contra Valentinum, qui dixit Christum de cælo corpus attulisse. Secundo, ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. Tertio, ut comprobaret se esse de genere Abrahæ, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quarto, ut Judæis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus. Quinto, ut obediendi virtutem nobis commendaret exemplo. Unde & octava die circumcisus est, sicut in lege erat præceptum. Sexto, ut quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati consueverat mundari, non respueret. Septimo, ut legis onus in se sustinens, alios a legis onere libraret, secundum illud Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Hucusque S. Thomas.

Christus circumcisus novem de causis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. G Septima.

Octavam causam addit S. Leo serm. 2. de Nativ. ut per eam diabolo occultaretur. *Cum*, inquit, *misericors, omnipotensque Salvator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, ut virtutem inseparabilis a suo homine deitatis, per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, quæ nativitatem pueri in salutem generis humani procreati, non aliter sibi, quam omnium nascentium putavit obnoxium.* Octava.

Nonam dat S. Augustinus serm. 9. de Nativit. ut carnali circumcisione sublata spiritualem substitueret, quæ consistit in vitiorum & concupiscentiarum mortificatione & refectione: *Christus*, ait S. August. *suscepit circumcisionem, ablaturus circumcisionem ipsam: suscepit umbram, daturus lucem: suscepit figuram, impleturus veritatem.* Denique Christus sua circumcisionem inchoavit passionem H
suam, per quam factus est orbis redemptor & salvator. Unde in ea impositum est illi nomen Jesus: quia Christus infirmitates nostras sanavit, non per pharmaca, ut faciunt medici, sed eas in se suscipiendo, & pro iis Deo satisfaciendo, itaque merendo, ut omnes animi corporisque ægritudines, omnes passiones, tentationes, tristitias, afflictiones sanare possit, ac revera sanet vel in hac vita, vel in futura. Laboras ergo timore, scrupolo, ira, acedia, vana gloria, dolore, paupertate? &c. Jesum invoca, & eum senties consolatorem ac salvatorem. Nona.

De institutione, ritu, causa, fine & fructu circumcisionis vide ea, quæ dixi Genes. 17. vers. 9. & seq. Porro Christus circumcisus fuit in ipsa spelunca, in qua natus est, a quopiam sacerdote vel Levita, majoremque dolorem sensit, quam cæteri infantes, quia ipse utebatur ratione, qua carent cæteri, & delicatioris & vivacioris erat tactus, quam alii.

ET VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS] De hoc divino & mellifluo nomine vide ea, quæ dixi Numer. 13. v. 17. & Barradium ac Vincent. Regium hic, ac S. Bernard. ser. 15. in Cantic. Porro *Jesus* est Salvator in actu perfecto, quia non tantum ipse salvavit homines, sed & Apostolis similibusque vim salvandi alios attribuit. Et hoc innuit nomen

A *Josue*, vel ut Hebræi dicunt, *Jehosua*, quod idem est cum nomine Jesus, estque conjugationis hiphil, quæ actionem, puta salvationem perfectam, significat. Meminerint ergo fideles se esse filios Jesu, ac proinde eum in salute animarum procuranda imitari debere.

QUOD VOCATUM EST AB ANGELO (Gabriele, annunciante B. Virgini conceptionem Jesu c. 1. v. 31.) PRIUSQUAM IN UTERO CONCIPERETUR] Christus enim conceptus fuit in fine annunciationis, cum B. Virgo respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Paulo ante ergo revelatum ei fuit ab angelo nomen Jesu puero indendum. Hac gnome significat Lucas, nomen Jesu jam ante a Deo huic puero fuisse ab æterno decretum & prædestinatum, ut significaret eum fore salvatorem mundi, Jesus enim hebraice idem est quod græce, σωτὴρ, id est salvator.

Nota hic, ut Deus in Christo humile sublimi, humanum divino, venenum antidoto jungat & copulet, ut in eo humanam naturam divinæ majestati copulatam ostendat. Nam voluit Christum circumcidi, itaque speciem peccatoris assumere; sed mox ut eam abstergat, indit ei
B nomen *Jesus*, id est *Salvator*, qui peccatis omnibus medeatur. Sic voluit Christum nasci in stabulo, ponique in præsepio, quasi pauperem & abjectum; sed mox per stellam tres Reges, & per angelum pastores ad eum adorandum accersivit. Sic voluit eum pati, crucifigi, mori; sed simul tunc solem & lunam obscuravit, petras scidit, terram concussit, ut omnia elementa indignam Creatoris sui necem ostenderent & lugerent. Quo ergo magis Christus se humiliavit, eo magis Deus Pater eum exaltavit. Idem faciet tibi, o Christiane: quare ne verearis humiliari, certo sciens te per hoc sublimandum. Via enim ad gloriam est humiliatio, juxta illud Christi oraculum,
VERS. 22 imo promissum: *Omnis qui se humiliat exaltabitur*.

ET POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURGATIONIS EJUS (Mariæ, non pueri, ut patet ex Græco αὐτῆς, & ex Levit. c. 12. v. 7. 8. Male ergo legunt nonnulli αὐτὸ masculine, id est, *illius*, scilicet pueri, aut, ut Origen. Theoph. & Euthym. αὐτῶν, id est, illorum, pueri scilicet & Mariæ matris (SECUNDUM LEGEM MOYSI, TULERUNT ILLUM (puerum Jesum) IN JERUSALEM, UT
C SISTERENT EUM DOMINO.

Nota tres leges disparatas hic convolvi & conjungi.
Tres leges purificationis. Prima est Lev. 12. v. 2. & seq. ut mulier, si peperisset masculum, maneat immunda per quadraginta dies: inde legaliter, id est, ritu victimarum a lege præscripto, purificetur in templo.

Secunda, ut mater pro purificatione non prolis, ut vult S. August. sed sua dumtaxat, uti jam dixi, offerat Deo in holocaustum agnum, ac pullum turturis, vel columbæ in victimam pro peccato, si dives sit: si sit pauper offerat par turturum dumtaxat, aut duos pullos columbarum, Levit. 12. ver. 6. 7.

Tertia lex, ut, si proles sit masculina & primogenita, sistatur & offeratur Deo tanquam ipsi debita & sancta, id est, consecrata ob liberationem primogenitorum Hebræorum factam a Deo, quando cæsa sunt primogenita Pharaonis & Ægyptiorum ab angelo tempore Moses. Exodi 13. 1. ita tamen, ut proles oblata Deo, a parentibus redimi possit quinque siclis, id est, quinque florenis Brabanticis, qui faciunt duos aureos Romanos, quorum quisque continet decem Julios sive Regales, Num. 3. 47. Symbolice hi quinque sicli repræsentabant quinque vulnera Christi,
D quorum pretio Christus redemit genus humanum.

Impuritas puerpere duplex. DIES PURGATIONIS] Nota. In lege veteri puerpera immunda erat, ob immunditiem tum naturalem, tum legalem & moralem, præsertim quia pariebat fœtum, quem imbuebat & concipiebat in peccato originali. Naturale, quia puerperæ patiuntur fluxum sanguinis & menstruorum, item secundinarum, aliarumque sordiū per multos dies. Causa est, quod infans in utero matris involvatur membrana, quæ secundæ a Plinio, vulgò secundinæ vocantur, uti docet Aristot. lib. 3. de Gener. anim. c. 4. & Galenus lib. de Formatione fœtus. Membrana enim hæc triplicem habet usum. Primo, tegit, conservat, & tuetur semen virile in utero matris ne diffluat, sed coaguletur in corpus infantis, quod deinde eadem membrana continet & fovet.

Secundo, membrana hæc plena est venulis plenis sanguine, quo nutrit infantem sibi per umbilicum cohærentem, qui nexus naturaliter sponte sua solvitur in partu, quo primum infans emittitur: deinde membrana, quæ fuerat involucrum & tegmen infantis, sive secundæ ipsæ, E per partes eadem via ejiciuntur.

Tertio, membrana hæc recipit excrementa, quæ puer ex cibo, quo alitur in utero matris, naturaliter emittit. Hæc est naturalis impuritas puerperæ, ex qua sequitur legalis: lex vetus enim ob hasce sordes jubebat eam quasi impuram arceri templo, esseque quasi irregularem per quadraginta dies, donec quadragesimo die per ritum a lege præscriptum lustraretur & purificaretur, itaque pura templum ingrederetur.

Quæres, an hæc impuritas fuerit in B. Virgine patiente Christum, ut ab ea juxta legem purificari debuerit die quadragesimo. Affirmat S. Hier. ep. 22. ad Eustochium, ubi loquens de Christo: *Novem mensibus*, ait, *in utero ut nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur*, uti cæteri infantes ex fluxu materni sanguinis cruenti egrediuntur, ideoque abluuntur. Idem asserit Abulensis in Levit. c. 12. qu. 2. & seq. ac Erasmus hic,

Verum cæteri omnes constanter id negant; partus enim Virginis fuit purissimus, quia uti concepit virgo sine viro ex inoperatione Spiritus S. sic & peperit virgo, clauso scilicet utero, ita ut Christus nascens eum non aperuerit, sed F penetrarit: quare nullus in hoc partu esse potuit fluxus sanguinis aut secundinarum. Adde, in ea nullus fuit sanguis superfluus, sed tantum is, qui necessarius erat ad Christi conceptionem & nutritionem. Quare sanguis, quo Christus alitus fuerat in utero, post partum non effluxit, sed ad ubera transiens ibidem in lac conversus, aluit & lactavit Christum jam natum. Unde S. Aug. lib. de Quinque hæresibus c. 5. *Stulte*, ait, *unde sordes in virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem?* S. Epiph. lib. 3. contra hæreses in fine: *Natus est*, ait, *per genitales meatus extra pudefactionem impolluta, absque inquinamentis*. S. Cyprian. serm. de Nativ. *Maria*, ait, *genitrix & obstetrix: nullus dolor, nulla naturæ contumelia*. Addit-
G que Christum prodisse ex Virgine, sicut fructus prodit ex arbore; aut sicut radius ex sole, juxta illud illud Is. c. 35. *Germinans germinabit sicut lilium*. Sophronius in VI. Synodo Actor. 11. partum Virginis appellat *incorruptibilem*, quia, inquit, *sine fluxu sanguinis, aut simili passione perfectus est*. Id docent hic unanimiter Interp. & Scholiast. Vide Suar. 3. p. q. 35. disp. 13. sect. 2.

B. Virgo non habuit menstrua. Unde valde probabiliter colligit Toletus, hic, B. Virginem numquam passam fuisse menstrua. Ratio est, quia menstrua sunt pœna peccati, & comites concupiscentiæ. Unde in statu innocentiæ nulla fuissent menstrua. B. Virgo autem immunis fuit ab omni peccato & concupiscentia: ergo a menstruis: menstrua enim sunt sanguis fœtidus & noxius, adeoque venenatus, uti fuse docet Plinius; Virginis autem sanguis erat purissimus.

An secundinas? De secundinis major est difficultas: An scilicet Christus in utero fuerit inclusus suis secundinis, sive membrana, uti includuntur cæteri infantes. Multi id negant, tum quia membrana hæc primitus sit ad consumendum semen virile; Christus autem conceptus fuit sine semine ex Spiritu sancto; tum quia Christus in primo conceptionis suæ instanti perfecte fuit formatus, organizatus & animatus, cum cæteri infantes sensim formentur, organizentur & animentur, ideoque membrana sua contineri & foveri debeant, tum quia decentius erat, ut ipse uterus Virginis locum membranæ suppleret, ipsumque Christum proxime tangeret, foveret, & per venas, quas habet, san-
H guine suo aleret: tum denique, quia Christus in utero nulla emisit cibi excrementa, sed tantum id sumpsit, quod corpus aleret & augeret: quare non egerit membrana, quæ excrementa hæc exciperet. Favet Synodus habita in Trullo can. 79. dicens: *Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes*. Licet Loverius legat *absq; dolore ex Virgine* &c. Græce enim est ἀλόχευτος, quod si ἀλοχεύω, id est, pario, parturio, fœtum cum dolore & nisu magno enitor, derives, significat *sine dolore, sine usu pariendi*, qualis est in puerperis & puerperio, hic enim non fuit in B. Virgine: Verum si ἀλόχευτος derives a λόχια, vel λοχεία, id est, purgamenta, quæ in utero post partum remanent, qualet sunt fæcundæ sive secundinæ, uti ex Dioscoride & Aristotele docet Henr. Stephanus in Lexico, tunc ἀλόχευτον, idem est quod *sine purgamentis, sive secundinis*. Et sic hanc vocem accipere Concilium, patet ex iis, quæ subdit: causam enim subjicit dicens: *Ut qui sine semine constitutus sit*. q.d. Partus cæterarum fit ex semine, sed partus Virginis fuit sine semine, ergo & sine

secun-

A secundinis. Secundinæ enim primitus a natura formantur ad fervandum semen, ne diffluat. Cum ergo B. Virgo non conceperit ex semine, hinc secundinis non eguit. Addit deinde Concil. *Quare quoniã aliqui post sanctæ Christi Dei nostri nativitatis diem similem coquere ostenduntur, & eam sibi invicem impertiri, honoris scilicet prætextu secundinarum* (Græce λοχείων, quæ vox, ut dixi, proprie secundinas, quæ post partum emittuntur, significat) *impolluta Virginis matris; statuimus, ut nihil tale deinceps fiat a fidelibus. Neque enim hoc honor est Virginis*, &c. *ex communibus, & iis quæ in nobis fiunt inenarrabilem ejus partũ definire, metiri & describere*. Alii tamen, qui per λοχεῖα, intelligunt non secundinas, sed alias fordes, nisus & dolores partus, censent Christum in utero suam quoque habuisse membranam, sive secundinas, quia hoc naturale est omnibus infantibus in utero, ut ea contineantur, muniantur, & foveantur: sed ita, ut illam statim post partum Virginis, Deus ex utero ejus clauso per penetrationem, dimensionem, aut alium modum eduxerit, & in aliam rem convertit. Ita Suarez loco citato. Quare in B Virgine nulla fuit impuritas, ob quam deberet purificari, ideoque lege purificationis non obligabatur, præsertim quia lex ait: *Mulier si suscepto semine*. B. Virgo autem nullum suscepit semen, sed ex Spiritu S. concepit, de quo plura dixi Levit. 12. v. 2. Denique partus Virginis fuit sanctissimus, quia peperit Sanctum Sanctorum.

Voluit tamen B. Virgo humilitatis studio, & ut cæteris puerperis se conformaret, ac ne eas scandalizaret, & videretur esse singularis, atque ut virginitatem suam conceptumque ex Spiritu S. celaret, purificari, sicut & Christus iisdem de causis voluit circumcidi, uti dixi v. 21. Unde S. Bern. serm. 3. de Purific. *Nihil*, ait, *in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Vere, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione; sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? esto inter mulieres tanquam una earum: nam & filius tuus sic est in numero puerorum*.

C Tropologice purificatio animæ est pœnitentia, quam B. Virgo subivit non pro peccatis suis, utpote quæ nulla habebat, sed pro alienis, æque ac Christus. Sacramentum tamen pœnitentiæ non suscepit, quia propria peccata, quæ confitenda sunt, non habuit. Vide S. Chrysostomum, Tertullianum, S. August. S. Ambros. lib. de Pœnitentia.

UT SISTERENT EUM (tamquam masculum primogenitum, juxta legem Exodi 13. 12.) DOMINO] Syrus, *coram Domino*. Quare B. Virgo Christum manibus tenens, flectens genua, eum summa reverentia & devotione obtulit Deo, dicens: En Pater æterne hic est Filius tuus, quem pro salute hominum ex me carnem sumere voluisti: ego tibi eum reddo, & in solidum offero, ut de eo æque ac de me facias quod placuerit, ac per eum redimas mundum. Hæc dicens obtulit eum sacerdoti, quasi vicario Dei, a quo deinde quinque siclis eumdem redemit, uti præscribebat lex.

VERS. 23 SICUT SCRIPTUM EST IN LEGE DOMINI (Exodi 13. 12.) QUIA OMNE MASCULINUM ADAPERIENS VULVAM, SANCTUM DOMINO VOCABITUR] id est, Deo, quasi res D dicata & sancta offeretur & consecrabitur. Nonnulli Patres, uti Tertull. de Carne Christi c. 23. Orig. Amb. Euthym. (qui ait: *Solus Christus nondum apertam matris vulvam supernaturaliter aperuit*) id est, *pertransiit* (*& clausam naturaliter servavit*) dicunt hanc legem soli Christo convenire: solum enim Christum aperuisse matricem matris, non quod velint B. Virginem proprie matricem in partu aperuisse, ac per consequens virginem non mansisse, uti eos interpretatur impurus Calvinus, sed quod Christus solus uterum clausum penetrarit, ac penetrando quasi aperuerit, id est, ita egressus sit, perinde ac si eum aperuisset (est enim in hac phrasi metalepsis) cum aliæ matres tam in conceptione, quam in partu proprie uterum aperiant.

Adaperiens vulvam quid? Verum omnes cæteri Patres clare dicunt, Christum clauso matris utero conceptum & natum esse. Quare τὸ *adaperiens vulvam*, sic explicant, q. d. Omnis masculus, qui naturali more nascendo vulvam matris aperiendo in lucem egreditur, quique principium est generationis maternæ, hic *sanctus Domino vocetur*, id est, Domino dicetur & consecretur. Hinc sequitur, quod Christus hac lege non continebatur, tum quia ipse sub-

stebat in persona Verbi, quæ nullis ligatur legibus; E tum quia ipse non aperuit matri, sed ea clausa exivit. Ita Cyrillus hom. de occursu Domini, & Hormisdas Papa epist. 1. c. 3. Beda, & alii.

Minus ergo recte Rupertus, Abulensis, Jansenius & Maldonatus, per τὸ *adaperiens vulvam*, non aliud putant significari, quam *primogenitum*, ideoque Christum hisce verbis legis fuisse comprehensum, sed a lege exceptũ alio titulo, scilicet quod esset Deus & Dei filius. Vide dicta Exodi 13. 12. ubi fuse hanc legem & literaliter & tropologice exposui, atque inter alia dixi, primogenitum cujusque esse cor, ejusque amorem ac primas cogitationes & intentiones: hoc ego, & hasce a quolibet devote & integre offerendas esse Deo. Denique audi S. Bern. serm. de purificatione: *Oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, & illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio; quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum: istud quidem jucundius, sed illud plenius*. F

VERS. 24 ET UT DARENT HOSTIAM (pro purgatione matris, non pueri, ut dixi vers. 22.) SECUNDUM QUOD DICTUM EST IN LEGE DOMINI, PAR TURTURUM, AUT DUOS (unum in holocaustum, alterum pro peccato) PULLOS COLUMBARUM] eo quod pauperes essent. Nam divites insuper dare debebant agnum in holocaustum. Licet enim tres reges magnam vim auri Christo obtulissent, tamen B. Virgo paupertatis studiosa, ut ostenderet se spernere omnia terrena, ex illis pauca dumtaxat quasi libando accepit, quæ brevi consumpsit, ait Abulens. in c. 2. Matth. q. 47. aut, si plura accepit, ea in pauperes distribuit, ait S. Bonavent. & Dionys. Denique quia statu & conditione erat pauper, inter pauperes censeri voluit, & pauperum munus offerre. Vide dicta tam quoad literam, quam quoad mores, Levit. 12. v. 6.

Ordo Purificationis. Nota. Purificationis B. Virginis (cujus memoriam quotannis celebrat Ecclesia die 2. Februarii, idque ad abolenda Lupercalia, per eodem die Romæ turpiter celebrabantur; ait Baronius) hic fuit ordo & ritus: Primo, puerpera veniebat in atrium immundorum; ibique consistebat: nec enim atrium mundorum ingredi poterat, utpote immunda ante purificationem. G

Secundo, offerebat turturem, vel pullum columbæ pro peccato: verisimile est eam quoque aspersam fuisse aqua cinerea vitulæ rufæ; illa enim erat quasi aqua lustralis in omni purificatione.

Tertio, offerebat infantem Deo, eumque redimebat.

Quarto, peractis omnibus, in gratiarum actionem offerebat Deo agnum, vel turturem, aut pullum columbæ in holocaustum. Hæc duo ultima fiebant a puerpera (utpote jam purificata) existente in atrio mundorum. Ibi enim offerebat infantem ad ostium tabernaculi, ibique eminus spectabat holocaustum suum, quod offerebatur in atrio sacerdotum. Nam inter atrium sacerdotum & laicorum intererat murus, sive septum altum tres pedes, ita ut laici ex suo atrio spectare possent victimas, & alia quæ fiebant in atrio sacerdotum.

Tropologice, turtures & columbæ, quas puerpera pro peccato, id est, immunditia sive irregularitate legali, offerebat; significabant gemitum & compunctionem pœnitentis, quo expiantur peccata, præsertim accedente Sacramento. Porro B. Virgo, sicut nullum omnino habuit peccatum, sic nullo Sacramento ad illud expiandum indiguit: suscepit tamen Sacramentum Baptismi, ut profiteretur religionem Christianam, item Confirmationem, Eucharistiam, forte etiam Extremam unctionem. Ordinis non erat capax, quia femina Matrimonium iniit cum Joseph, sed illud in lege veteri non erat Sacramentum. Peccata sua nunquam est confessa, nec absolutionem a sacerdote suscepit, quia nulla habuit. H

Tropol. Quæ Sacramenta suscepit B. Virgo.

Confiteri B. Virgo non potuit. Dices, Poterat B. Virgo metuere ne forte in oratione distractionem aliquam, aut in opere vel cogitatione negligentiam aliquem venialem commisisset; ergo poterat illam confiteri: quia, ut ait S. Greg. *Bonarum mentium est agnoscere culpam, ubi non est culpa*. Resp. Hoc verum est in peccatoribus & statu lapsæ, non integro, & innocentibus, qualis fuit B. Virgo. Quare sicut angeli clare vident omnes suos actus, eorumque defectus etiam minimos experspicacitate sui intellectus; ac similiter suos actus vidit Adam in statu innocentiæ (hoc enim pertinet ad integritatẽ illiu status,

Digitized by Google

A & ad justitiam originalem:) sic pariter suos actus omnes vidit & prædivit B. Virgo, quod scilicet essent purissimi & sanctissimi, sine omni defectu, etiam veniali, ideoque eos quasi peccata confiteri non poterat. Nec tamen idcirco se extollebat, sed magis humiliabat, sciens hoc esse donum Dei, non suum meritum. Quare quod Sylvester in Rosa aurea tit. 3. cas. 53. de q. impertin. censet B. Virginem Sacramentum pœnitentiæ recepisse, solitamque venialia sub conditione confiteri S. Joanni, plane est rejiciendum: præsertim quia absolutio impendi nequit super materiam incertam, sed ut ejus capax sit pœnitens, debet aliquod peccatum determinate confiteri, ait Vasquez 3. p. disp. 119. c. 7.

VERS. 25 ET ECCE HOMO ERAT IN JERUSALEM, CUI NOMEN SIMEON, ET HOMO ISTE JUSTUS ET TIMORATUS, EXPECTANS CONSOLATIONEM ISRAEL, ET SPIRITUS SANCTUS ERAT IN EO.

Simeon an sacerdos? SIMEON] Calvinus vult Simeonem fuisse plebejum & obscuræ famæ. Verum cum sanctitate & senio fuisse venerabilem, docent sequentia apud Lucam. Multi censent eum fuisse sacerdotem, ideoque benedixisse Mariæ & Joseph. Ita Lyranus, Dionys. Cajet. Franc. Lucas, Toletus hic, ac S. Athanasius lib. de Communi essentia Patris & Filii. S. Cyrillus Hierosol. orat. de occursu Domini, S. Epiphanius tract. de Patribus veteris testamenti, & Canisius lib. 4. de Deipara c. 10. licet eum fuisse laicum, non sacerdotem, opinetur Theoph. Euthym. Jansenius, & Barradius, ac benedixisse Mariæ non ut sacerdotem, sed ut senem,

R ET HOMO ISTE JUSTUS] Hinc Galatin. l. 1. de Arcanis fidei c. 3. censet Simeonem hunc fuisse discipulum & filium Hillelis, qui paulo ante nativitatem Christi Scribarum & Pharisæorum fuit auctor, teste S. Hier. in c. 8. Isaiæ. Sed audi Galat. *Simeon Hillelis filius, quem ob ejus præcipuam sanctitatem Talmudistæ Saddic, id est, justum cognominant. In quo (ut in Pirk avoth, id est, in capitulis patrum dicitur) Academiæ magnæ Synagogæ sceptrum defecit: multa de Messia dixit: & tandem cum in ultima senectute Spiritu S. responsum accepisset, non visurum se mortem, nisi Messiam videret, Christum ipsum ulnis suscipiens, quæ de eo a Spiritu S. edoctus docuerat ipso præsente confirmavit; cujus egregia dicta Talmudicis libris sparsim reperiuntur.* Idem censet Genebrardus l. 2. Chronologiæ, qui addit: *In Simeone spiritum Synagogæ magnæ, qui erat prophetico minor, communi major, defecisse, auctores sunt Talmudici in tract. Pirke Avoth. R. Moses Ægyptius non tantum discipulum sed & Hillelis filium fuisse scribit, Gamalielisque ad cujus pedes legem Paulus didicit, præceptorem, imo vero & patrem.* Hæc Genebrardus. Verum hæc uti verisimilia apparent, ita incerta sunt. Multi enim fuere *Simeones* sive *Simones* (utrumq; enim idem est nomen) justi, uti fuit Simon Pontifex filius Oniæ cognomento Justus, quem fuse laudat Eccli. c. 50. v. 1. Adde, Hillelis posteros & discipulos, puta Scribas & Pharisæos, fuisse summe contrarios Christo.

Simeon & Simon, idem nomen.

TIMORATUS] Græce εὐλαβὴς, id est, religiosus, qui timet & reveretur Deum, cavetque studiose ne eum offendat.

EXPECTANS CONSOLATIONEM ISRAEL] Id est, expectans adventum Messiæ sive Christi, qui consolaturus & liberaturus erat Israel, id est, populum fidelem a satana, Herode, Romanis, Scribis, & Pharisæis oppressum: quia communis boni avidus *populi magis gratiam quam suam requirebat*, ait S. Ambr. Sciebat enim Simeon ex translato a Juda sceptro ad Herodem, juxta oraculum Jacob Gen. 49. 10. & ex completis 70. Daniel. c. 9. hebdomadis, aliisque prophetiis Christi adventum instare, ut Israelem, id est fideles

D ab omnibus malis eriperet, puta tam a peccatis, quam a miseriis omnibus, partim in hac vita, partim in futura. Christus ergo est fidelium consolatio, quia extra Christum nulla salutis est spes, sed mera desperatio & desolatio. Hinc Isaias Christi adventum promittens c. 40. v. 1. *Consolamini*, ait, *consolamini populo meus, dicit Deus vester: loquimini ad cor Jerusalem.* Et c. 51. 3. *Consolabitur Dominus Sion.* Et c. 61. 1. *Spiritus Domini super me*, &c. *ut consolarer omnes lugentes:* Et Paulus 2. Cor. 1. 5. *Sicut*, ait, *abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Tempore Christi enim erat afflictissimus tam reipubl. quam Ecclesiæ Israelis status. Respubl. enim eorum sui carens principibus, erat sub jugo Herodis & Romanorum infidelium: Ecclesia vero sub jugo impiorum Pontificum, Scribarum & Pharisæorum, qui quales fuerint quantumque populum oppresserint, & in quantos errores & vitia abduxerint, docet Christus toto c. 23. 5. Matth. Ad utriusque ergo liberationem, vel consolationem per Messiam faciendam expectabat Simeon, cæterique pii Israelitæ, E

ET SPIRITUS SANCTUS ERAT IN EO] *Spiritus sanctus*, tum sanctificans, tum prophetiæ, ut patet ex sequent. Ubi Nota. In Scriptura dicitur Spiritus sanctus advenire, vel esse in aliquo, non tantum per gratiam gratum facientem, sed etiam per gratiam gratis datam, v. gr. per prophetiam, uti hic dicitur fuisse in Simeone, Sic. c. 1, v. 35. dicitur Spiritus sanctus superventurus in B. Virginem, ut concipiat filium, fiatque mater Dei, quæ est gratia gratis data. Et v. 41. Elisabeth dicitur repleta Spiritu sancto, cum cœpit prophetare.

IN EO] Græce ἐπ' αὐτὸν, id est, *super eum*, q. d. Spiritus sanctus in eum delapsus ejus animum occupabat, ut homo non tam terrenus quam cælestis & divinus esse videretur, ideoque ad hoc, ut ejus testimonium de Christo fores irrefragabile, & omni exceptione majus.

Cæcum fuisse Simeonem, & ad Christi contactum visum recuperasse, tradit Celsus de Incredulitate Judæorum apud Vigilium, qui inter opera Cypriani circumfertur. Verum tantum miraculum, & tam huic loco opportunum, non siluisset Lucas.

F ET RESPONSUM (oraculum & promissum divinum: hoc enim est Græcum χρηματίζειν: unde Arabicus, *& revelatum ei fuerat*) ACCEPERAT A SPIRITU SANCTO (per internam inspirationem) NON VISURUM (experturum) SE MORTEM, NISI PRIUS VIDERET CHRISTUM DOMINI] id est Messiam; unctum unctione Spiritus sancti & gratiæ plenitudine, Isaiæ 11. 2. Quare Simeoni hic privilegium eximium & rarum a Deo concessum est; scilicet ut ante mortem videret Christum natum. Qua in re Abrahamum, Isaac, Jacob, Mosem, omnesque Patriarchas & Prophetas superavit, *qui*, ut ait Apostolus, *juxta fidem defuncti sunt, non acceptis promissionibus* (de Christo Christique gratiis & beneficiis) *sed a longe eas aspicientes ac salutantes*, Hebr. 11. 13. Hinc liquet Simeonem singularis fuisse sanctitatis, sanctique desiderii & zeli, quo assidue suspirabat, orabatque pro adventu Messiæ; ideoque eum videre meruit. VERS. 26

G ET VENIT IN SPISITU (instinctu Spiritus sancti, motus & incitatus Spiritu S. ait Euthym. & Theoph.) IN TEMPLUM] Idem autem spiritus, qui eum incitavit, eidem signum dedit, quo Christum inter tot pueros, qui offerebantur in templo, agnosceret; aut potius illum eidem ostendit, interius illi suggerens dicensque: Ecce hic est Christus, quem tibi ante mortem videndum promisi. Timotheus presbiter, Hierosol. orat. de Simeone, putat vidisse illum Deiparā divino circumdatam lumine inter feminas reliquas, atque ex hoc indicio Messiæ matrem esse intellexisse. Carthusianus pariter: *Forsitan*, inquit, *vidit divinum quemdam splendorem in vultu puerī.* VERS. 27

Iter dirigit Deus. Hinc disce, Deum Sanctorum mentem & gressum dirigere, ut occurrat eis res bona, a Deo eis prædestinata, uti hic Simeoni occurrit Christus. Quare assidue nobis præsertim ingressuris iter, pro hac directione orandum est, ut per eam a malis occursibus præservemur, & bonis perfruamur, ac dicendum cum Psalte: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Et: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.* Ps. 118.

H In Vita S. Ephrem legimus, eum, cum civitatem ingrederetur, orasse Deum, ut aliquid bonæ ædificationis sibi occurreret: & ecce occurrit ei meretrix, quæ cum sixe eum intueretur, ideoque ab eo severe rogaretur, cur id faceret, verecundum responsum ab ea accepit: *Femina virum quasi sui originem* (Eva enim formata est ex costa Adæ) *intueatur: vir vero terram, ex qua plasmatus est, inspiciat.* Sensit vi Dei se jure tangi, ac compunctus Deo gratias egit, quod a meretrice tam pium salutis monitum accepisset. S. Ephrem docetur a meretrice.

ET CUM INDUCERENT (in templum) PUERUM JESUM PARENTES EJUS (Maria & Joseph) UT FACERENT SECUNDUM CONSUETUDINEM LEGIS PRO EO] Græce, κατὰ τὸ εἰωθὸς τοῦ νόμου, id est, *& cum induxissent*: pendet enim hæc sententia a v. sequ. Unde Vatabl. vertit, *Cum autem inferrent parentes puerum Jesum*, &c. *Ipse quoque accepit eum in ulnas suas.* VERS. 27

ET IPSE ACCEPIT EUM IN ULNAS SUAS (inter brachia sua amplexans, & ad sinum pectusque suum ardentissime & fortissime applicans) ET BENEDIXIT (laudavit & glorificavit) DEUM, ET DIXIT] Olor, sive cygnus candidus, jam jam moriturus suavissime canit: ita Simeon canitie sancta candi- VERS. 28

Simeon cygnus.

Digitized by Google

A candidus, jam moriturus cygneum & suavissimum edit hic canticum. Audi Martialem:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Sic sapientum postrema dicta & scripta maxime mellita sunt; scilicet per ætatem matureſcente eloquentia. Addit Cicero Tusc. 1. *Cygni*, ait, *non sine causa Apollini dicati sunt, quod ab eo divinationem habere videantur, qua prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.* Ita prorsus Simeon divinat hic felicitatem, sibi post instantem mortem per Christum obventuram.

VERS. 29 NUNC DIMITTIS SERVUM TUUM DOMINE SECUNDUM VERBUM TUUM (promissum tuum, ait Theophyl. quo mihi promisisti producere vitam usque dum viderem Christum: jam eum vidi, ergo abeam & moriar) IN PACE] *Dimittis*, græce ἀπολύεις, id est *dissolvis*, ut e corpore hoc, velut e carcere & vinculis, quibus alligatus sum, abeam in libertatem, pacem & quietem, qua gaudent patres in limbo, q. d. O Domine jam animus meus omni re, quam videre cupiebat, satiatus est. Vidi enim Christum, quem unice amplecti desiderabam. Nihil am-
B plius in hoc mundo exopto; quare libens lætusque moriar, vel potius dissolvar vinculis corporis, ut ad pacem & quietem in limbum patrum pergam. Sic in pace mori optabat Tobias c. 3. 6. & Abraham Gen. 15. 15. *Pax* enim Hebræis non solum tranquillitatem & quietem, sed omne bonum & felicitatem significat.

Pax quinquplex Simeonis. Quocirca Euthymius per *pacem* hic accipit, Primo, pacem cogitationum, inter spem & metum de videndo Christo fluctuantium: Secundo, pacem intrepidi animi, nec mortem expaveſcentis. Tertio, gaudii: Quarto, alii, per *pacem* accipiunt spei consecutionem, q. d. Hactenus speravi & sollicitus fui ut viderem Christum, jam eo viso pacem consecutus, & sollicitudine liberatus, mori exopto. Ita Theoph. *prius quam vidissem Dominum*, inquit, *non pacata gramente, expectans eam, & semper sollicitus quando veniat; nunc autem ipso viso, & pacem consecutus, & sollicitudine liberatus (ut sic dicam) absolvar.* Quinto, *pacem*, id est, securitatem a mundi periculis, quam præstat mors. Ita S. Cyprianus tract. de Mortalit. c. 1. *Lætus de morte proxima, jam de vicina accessione securus*, inquit, *accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamavit, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quoniâ viderunt oculi mei salutare tuum. Probans scilicet atque contestans, tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem,*
C *quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.* Hinc videtur, quod, Simeon voti sui factus sit compos, ac paulo post mortuus, quare pergens ad limbum, primus Adæ, Abrahæ, Moysi, Davidi, Isaiæ, cæterisque patribus ad Christum suspirantibus, lætissimum de eo nato videque nuntium attulit, itaque omnes gaudio cumulavit.

Tropologice, Origenes, Simeon, ait, optat mori in pace, id est, in gratia & amicitia cum Deo; in qua justus moritur.

Symbolice, S. Aug. serm. 20. de Temp. Nunc, ait, Domine, dimitte me in pace, quia video pacem, puta Christum, qui pacificabit cælum cum terra, Deum & angelos cum hominibus, & homines cum seipsis.

Porro Simeon sui voti a Deo factus est compos; nam
D paulo post in pace conquievit. Hinc S. Epiphanius lib. de Prophetarum vita & interitu c. 24. S. Simeonem inter Prophetas reponit, aitque: *Vita functus est Simeon iste quidem pluribus annis obsitus, penè confectus: nec tamen a sacerdotibus postremum honorem consecutus, humatus est.* Simeon Propheta. Cur autem id acciderit, nullam affert causam; sed eâ putatur, quod palam Christi adventum annuntians, in se sacerdotum cæterorum invidiam & odium concitarit.

Tropologice, Ecclesia quotidie in Completorio subvesperam, hunc Simeonis hymnum decantat duabus de causis. Prior est, ut fideles, ac præsertim sacerdotes Ecclesiasticos, moneat cogitare de morte, itaque vivere ac si vespere essent morituri. Posterior, ut moneat eosdem induere desiderium Simeonis, scilicet transeundi ex hac vanitate & vitæ hujus ærumnis, ad veram beatamque vitam in cælis, ut quotidie hunc hymnum recitantes, postulemus a Deo dimitti, dicamusque cum Paulo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, Philip. 1. *Vide justum*, ait S. Ambros. *velut corpoream carcere molis inclusum, velle dis-*
solvi, ut incipiat esse cum Christo. Sed qui vult dimitti, E *veniat in templum, veniat in Jerusalem, expectet Christum Domini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur operibus velut quibusdam fidei suæ brachiis. Tunc dimittitur, ut non videat mortem, quia viderit vitam.*

Ita S. Maria Ægyptiaca sub mortem, a S. Zosima Eucharistiam (quam per 40. annos, quibus vixerat in deserto, non susceperat) percipiens, præ devotione lacrymans & jubilans cecinit: *Nunc dimittis Domine, servum tuum secundum verbum tuum in pace*, ac illico animam Creatori reddidit, ut habet ejus Vita. Idem fecit S. Magdalena, multique alii. Quare quoties communicamus, cum eis dicamus: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei*, imo fauces meæ gustarunt, ac stomachus meus suscepit, *salutare tuum*.

QUIA VIDERUNT OCULI MEI (*quia diu desideratum* VERS. 30 *nunc & carnis & cordis oculis contemplor*, ait Beda) SALUTARE TUUM] Græce σωτήριον, quod Septuag. reddere solent pro Hebr. ישועה *ieschua*, id est *salus*: salus autem metonymice Salvatorem significat. Per *salutare* ergo intelligit Salvatorem Christum, quem prisci patres desiderarunt videre, at solus Simeon vidit, contrectavit & amplexus est. Audi eorum desideria, Jacobi: *Salutare tuum* (id est Salvatorem Christum, ex Juda & posteris meis nasciturum) *exspectabo Domine*, Gen. 49. 18. Davidis: *Defecit in salutare tuum anima mea: Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Exspectabam salutare tuum Domine. Concupivi salutare tuum Domine* (psal. 118. v. 81. 123. 166. 174.) *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, psal. 50. 14. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, psal. 84. 8. Ita S. Basil. in psal. 61. S. August. lib. 1. Contra adverſ. legis & Prop. cap. 11. Beda, Thophyl. & alii.

QUOD PARASTI ANTE FACIEM (ante oculos, in VERS. 31 conspectu) OMNIUM POPULORUM] ut omnes omnium gentium populi ex Salvatore Christo salutem hauriant, q. d. Deus non abscondit Christum in angulo Judææ, sed eum omnibus proposuit, & mox per Apostolos toto orbe deprædicabit, ut quicumque ejus fidem & legem amplecti voluerint, ab eo salventur.

LUMEN AD REVELATIONEM GENTIUM, ET GLORIAM PLEBIS TUÆ ISRAEL] Est appositio, q. d. *Salutare tuum*, id est, Salvatorem Christum dedisti & parasti hoc fine, ut ipse sit lumen ad revelationem, id est illuminationem gentium, quod scilicet Gentes verum Deum ignorantes ejus cognitione, fide & cultu illuminet, idemque ipse sit gloria, honor & decus Israelis, id est populi Judaici. Arabicus, *lumen quod apparuit gentibus*; Theophyl. *lumen ad illustrationem gentium obtenebratarum*; Euthym. *lumen, quod gentibus errore cæcis visum restituat: revelationem enim vocat visus restitutionem.* Sic dicitur psal. 118. v. 18. *Revela*, id est illumina, *oculos meos*. Qui enim cæcus est, vel sedet in tenebris, habet quasi velum ante oculos, quod per lumen revelatur & aufertur, ut videre possit. Sic velum idololatriæ, errorum & vitiorum, quod Gentes excæcabat, revelavit & abstulit Christus, docens eas veram veri Dei fidem & cultum, per quem salventur. Ipse ergo est lux mundi, Joan. 8. 12. Alludit ad oraculum Isaiæ, qui ante 700. annos idipsum vaticinatus erat c. 42. 26. dicens: *Dedite* (o Christe) *in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris*, &c. Rursum c. 49. v. 6. *Ecce dedi in te lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, &c. Denique c. 60. 3. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo*. Hac de causa in Missa, præsertim in festo Purificationis candelas benedicimus, accendimus & gestamus. Primo, ut profiteamur Christum esse lumen ad revelationem gentium. Secundo, precamur, ut ipse nobis suam lucem gratiæ in hac vita & lætitiæ & gloriæ in altera vita communicet; quæ de causa moribundis hæ candelæ accensæ in manus dantur. Vide Amalarium, Durandum & cæteros, qui de Officiis Ecclesiasticis scripsere.

Candelæ accensæ usus quid significet.

ET GLORIAM PLEBIS TUÆ ISRAEL] q. d. Christus sicut est lux Gentium cæcarum, sic est & gloria Israelis, id est Judæorum. Vice versa fuit Christus gloria quoque Gentium, & lux Israelis, quia Gentibus magnum decus, Israelitis magnam rerum divinarum cognitionem attulit, tamen Gentibus dicitur potius lucem attulisse, quia hi erant in tenebris infidelitatis; gloriam vero Israelitis fidelibus. Idque Primo, quia ex eorum gente

Digitized by Google

A utpote patribus eorum a Deo promissus, carnem assumpsit; hic enim est magnus honor, de quo gloriari possunt Judæi: quod scilicet Christus sit eorum contribulis, consanguineus, adeoque Judæus. Secundo, quia Christus in Judæa vixit & mortuus est; vixit autem cum magna doctrinæ, sanctitatis & miraculorum gloria. Tertio, quia in Judæa primo Ecclesiam suam fundavit; primi enim credentes fuere Judæi, qui deinde Gentes sibi aggregarunt. Quarto, quia in Judæa a morte resurrexit, & gloriose in cælum ascendit, indeque misit Spiritum sanctum cum dono omnium linguarum. Quinto, quia Apostolos omnes elegit ex Judæis, qui omnes Gentes ad Christum converterunt. Sexto, quia Judæos, in se credentes magnis virtutibus, donis & gratiis cumulavit; eosque eximios Sanctos, Doctores & Martyres effecit. Alludit, imo citat oraculum Isaiæ, qui prædixit c. 46. 13. dicens: *Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam*. Et c. 60. 1. *Gloria Domini super te orta est*. Et v. 2. *Gloria ejus in te videbitur*. Cap. 62. 2. *Videbunt gentes justum tuum, & cuncti reges inclytum*

B *tuum*, Hebr. & Septu. *gloriam tuam*.

Christus fuit signum Israelitis ob sex causas.

Vers. 33 ET ERAT PATER EJUS ET MATER MIRANTES SUPER HIS, QUÆ DICEBANTUR DE ILLO] *Pater*, scilicet Joseph, qui dicitur pater Christi, non tantum quia ejus nutritius, & quia a vulgo putabatur ejus pater, sed etiam quia ipsi in conjugio & conjuge sua Maria legitime natus erat Christus, atque ob hanc prolem matrimonium hoc Josephi cum B. Virgine conciliatum & ordinatum erat a Deo. Ita S. Aug. lib. 2. de Consensu Evang. c. 1. Beda, Jansenius, & alii. Vide dicta Matth. 1. 16.

MIRANTES] Joseph & Maria, quæ licet sciret Christum fore salvatorem Israelis, non tamen sciebat omnia, quæ hic Spiritus S. per Simeonem & Annam de eo vaticinabatur, scilicet quod ipse foret lumen illuminans omnes gentes, quod foret in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, quod gladius animam Virginis esset pertransiturus, &c. & etiamsi hæc sciviſſet, mirabatur tamen eadem a Simeone & Anna per Spiritum sanctum, tanto ardore & spiritu prædicari & celebrari. Denique rerum & mysteriorum, quæ videbat & audiebat, magnitudo, ei

C consideranti admirationem ciebat. Nam, ut ait anonymus in Catena Græcor. *Transcendentium rerum notitia quoties in memoriam venerit, toties renovat in mente miraculum*.

Vers. 34 ET BENEDIXIT ILLIS SIMEON, ET DIXIT AD MARIAM MATREM EJUS: ECCE POSITUS EST HIC IN RUINAM, ET IN RESURRECTIONEM MULTORUM IN ISRAEL; ET IN SIGNUM, CUI CONTRADICETUR.

BENEDIXIT] bene precatus est, Benedictionis sacerdotalis forma præscribitur Num. 6. 24. eratque hæc, *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te*, &c.

EIS] scilicet parentibus, Josepho & Mariæ, uti præcessit, non puero Christo (licet & hoc velit Jansenius) inquit Maldonatus, Franc. Lucas & alii: puerum enim, utpote Messiam, Salvatorem & Deum suum venerabatur & adorabat, ac ab eo benedici optabat; non vero eum benedicere audebat, vel præsumebat, quia summe, ut par erat, eum reverebatur.

ET DIXIT AD MARIAM MATREM EJUS] potius quam ad Joseph, tum quia ipsa sola vera & naturalis erat mater Jesu: Joseph autem ejus erat pater tantum per denominationem: tum quia Joseph videtur mortuus ante annum 30. Christi, quo hæc contigerunt: quare illa in se experta est, sensitque sola B. Maria. Illi ergo soli hic Simeon pro-

D phetico spiritu prædicit tam prospera, quam adversa, ipsi & Christo obventura, ut in prosperis non extollatur, nec in adversis cadat animo; sed contra illa per modestiam, contra hæc per patientiam & fortitudinem pectus suum præveniat & obarmet.

ECCE POSITUS EST HIC IN RUINAM) græce πτῶσιν, id est, *casum*, ita Arabicus) ET IN RESURRECTIONEM MULTORUM IN ISRAEL] Alludit ad illud Isaiæ c. 8. 14. *Erit vobis* (Dominus puta Christus) *in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel*, hoc est, *in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem*. Ex c. 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum*, &c. quem locum citat, urgetque contra Judæos Christo incredulos Paulus Rom. 9. 33. Petrus 1. Petri 2. v. 6. & Actor. 4. v. 11. & Christus ipse Matt. 21. 42. ubi hæc omnia explicui. Christus enim a Deo positus & collocatus est in Ecclesia nova, sive Christiana, quasi fundamentum & lapis angularis, ut illi superædificaret omnes, qui in eum crederent, ex eisque domum Ecclesiæ spiritualem exædificarent: quia hoc ipsum olim promiserat Adæ, Abrahæ, Mosi, cæterisque Patriarchis & Prophetis. Fecit hoc Deus directe hac mente & intentione, ut omnes Israelitas, id est Judæos, ad Christi fidem alliceret, itaque in Ecclesiam ejus coopta-

E ret & salvaret, sed prævidebat majorem partem eorum ob vitia sua Christo venienti contradicturos, & in eum quasi in lapidem offensionis & scandali impacturos, itaque ab eo collidendos & ruituros in exitium, tam præsens, quam futurum & æternum; noluit tamen idcirco mutare prius suum propositum de Christo mittendo & collocando, sed permittere hanc Judæorum contra illum rebellionem & contradictionem, ut propter illam Paulus & Apostoli præcones Evangelii a Judeis rebelliantibus Evangelium transferrent ad Gentes, itaque pro paucis Judeis innumeræ gentes in Christum crederent, illique in Ecclesia inædificarentur & salvarentur, uti fuse docet Paulus Rom. 11. Ecce hoc

F fuit Dei consilium, quo posuit Christum in lapidem angularem Ecclesiæ, qui indirecte esset *in ruinam*, directe *in resurrectionem multorum in Israel*. Per *ruinam* enim significatur exitium Judæorum Christo rebellium, per *resurrectionem* salus in eum credentium, quia rebelles corruerunt a fide in perfidiam, ab obedientia in rebellionem, a cognitione Dei & S. Scripturæ in cæcitatem & obdurationem, a spe salutis in desperationem & damnationem, a cælo in gehennam: credentes vero in Christum a peccatis, in quibus jacebant; a Christi gratia erecti, resurrexerunt in novam vitam virtutis & gratiæ, exspectantes spem gloriæ. Ita S. Aug. Beda Theoph. Euthym. Tolerus, & alii passim, imo ipse Christus, Petrus & Paulus locis jam citatis.

Addit Nyssenus per *ruinam* accipi excidium Judææ & Jerusalem per Titum: hoc enim ei illatum est, quia sprevit Christum, eumque crucifixit.

Tropologice, vel potius symbolice, Theophyl. Christus, ait, positus est in ruinam, & resurrectionem Israelis, id est, animæ pœnitentis, seseque per Christi gratiam sanctificantis: quia facit ut in ea moriatur superbia, crapula, libido, ac resurgat in ea humilitas, abstinentia, castitas. Anagogice idem Theoph. per *ruinam* accepit mortem, q. d. Christus erit causa, ut multi, id est, omnes Israelitæ a morte ad immortalitatem resurgant. Verum hi sensus mystici non ex æquo respondent sensui literali; in quo alii ruunt in vitia, alii ab eis resurgunt; unde minus appositi & genuini sunt.

G

ET IN SIGNUM, CUI CONTRADICETUR] Græce εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, id est, *in signum contradictionis*, vel *contentionis*, ut vertunt Syrus & Arabicus; Tertull. de Carne Christi c. 33. vertit, *in signum contradicibile*.

Quæres, quodnam hoc signum? Primo Maldonatus & Franc. Lucas; Christus, inquiunt, positus est in signum, id est, in scopum sagittariorum, in quem Judæi & Scribæ increduli, non tantum lingua verba maledica, sed & manu tela malefica conjecerunt. Fuit hic scopus contradictionis, quia de eo feriendo configendoque certarunt, & sibi invicem contradixerunt Scribæ; ut Simeon alludat ad illud Thren. c. 3. v. 12. *Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ*.

Signum cui contradicetur quod? Resp. Primo.

Secundo, S. Basilius, Beda, & Theophylactus intelligunt signum crucis, ut alludat ad Isaiæ 11. v. 10. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum*, (Hebr. נֵס, id est, vexillum, ubi Septuaginta vertunt σημεῖον, quod hic habet Lucas) *populorum*: quia Christus in cruce exaltatus

H erit vexillifer, sustolletque vexillum crucis, ad quod trahet omnes fideles quasi milites suos, ut dimicent contra Judæos, Mahometanos, Paganos, cæterosque impios diaboli milites, qui cruci Christi contradicunt, illamque acerrime oppugnant. Ita Toletus.

Secundo.

Tertio & planissime, alludit Simeon ad illud Isaiæ 8. v. 18. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel*. Vide ibi dicta. *Signum* ergo sive *portentum* vocatur hic mira, nova, & a sæculo inaudita Christi ex Virgine generatio, ejusque cælestis & divina doctrina, vita, mors, resurrectio, miracula, quibus clare significabat & ostendebat se esse Messiam Salvatorem mundi, ac Deum per se exhibuisse mundo redemptionem & salutem a Prophetis promissam. Huic signo Christi non tantum Judæi & Gentes lingua, sed & mali Christiani vita impia contradicunt. Ita Orig. Jans. Favet S. Basil. in Isaiæ c. 7. ad illa: *Ecce virgo concipiet*, dicens: *Signum est demonstratio rei cujuspiam prodigiosæ, demutatæ, & a communi consuetudine hominum omnino alienæ*. Talis autem fuit vita

Tertio.

Emma-

A Emmanuelis, id est Verbi incarnati, prodigiosa scilicet, & portentosa. Græcum enim σημεῖον significat signum, ostentum, prodigium, quod est præter communem hominum consuetudinem. Favet & Tertul. l. de Carne Christi c. 23. qui censet hic alludi ad illud Isaiæ 7. *Propterea dabit Dominus vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium. Agnoscimus ergo signum contradicibile*, inquit, *conceptum & partum Virginis Mariæ, de quo Academici isti, peperit & non peperit; virgo, & non virgo*, quibus contradictoribus ipse respondet: *Peperit, quæ ex sua carne; & non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo quantum a viro, non virgo quantum a partu:* quia peperit quod non solet esse virginum, sed mulierum corruptarum, licet ipsa per miraculum incorrupta conceperit, & manens virgo peperit.

Symbolice, Cajetanus, Christus. ait, fuit signum reconciliationis humani generis cum Deo. Et Dionysius: Christus, ait, fuit signum fœderis inter homines & Deum, de non inducendo amplius in orbem diluvio. Alii *signum* accipiunt, quo oves Dei signantur, q. d. Christi fide, baptismo & charactere quasi signo signantur Christiani, ut illo ab infidelibus distinguantur.

B Denique Barradius putat alludi ad serpentem æneum, quem in signum posuit Moses, ut morsi a serpentibus, in eum aspicientes, sanarentur, Num. c. 21: q.d. Christus positus est, sive ponetur, in signum, quemadmodum serpens æneus in signum positus est in deserto. Multi illum aspicient viva fide, salutemque recipient ac resurrectionem; plurimi contradicent ac corruent. Signum erit omnibus propositum, quibusdam ruina, alii resurrectio.

VERS. 25 ET TUAM IPSIUS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS (Arabicus, *lancea*. Græcum enim ῥομφαία, & gladium & jaculum, sive lanceam significat, UT REVELENTUR EX MULTIS CORDIBUS COGITATIONES] Quæres, quisnam hic gladius. Primo, nonnulli per gladium accipiunt dubitationem in fide. Censent enim B. Virginem cum videret Christum tam atrocia a Judæis violenter pati, & mori in cruce, dubitasse de ejus resurrectione, ac ipse esset resurrecturus, uti prædixerat: hæc enim dubitatio instar gladii, dissecabat animam Virginis: eamque dividebat a Christo, Christique fide. Ita Origenes hic hom. 17. Titus, & Theophyl. Amphyloch. homil. de occursu Domini, Auctor; Quæst. novi & veteris Testamenti apud S. August. qu. 73. Verum hic est error: hoc enim sentire indignum est Deipara, estque contra communem Ecclesiæ sensum. Hic enim B. Virgo peccasset incredulitate. Unde nonnulli excusant auctores jam citatos, quod per dubitationem intellexerint admirationem, & variarum cogitationum fluctuationem, considerationem & examinationem.

Gladius B. virginis quis? Prima sententia.

C Secunda. Secundo, S. Eucher. Lugdunensis hom. in Dominicam post Octavam Nativit. per gladium accipit gladium spiritus, qui est Verbum Dei; puta spiritum prophetiæ, q. d. Gladius spiritus prophetici transibit animam tuam, o Maria, ut tibi revelet secreta S. Scriptura, & occultas hominum cogitationes, uti tibi revelavit in Cana Galilææ cogitationes Christi, cum ministris dixisti: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Nisi enim sciviſſes Christum eis imperaturum, ut aquam hauriren, quam ipse in vinum converteret, numquam idipsum dixisses. Sic Apostolus de eodem spiritu, ut Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis*. Unde S. Ambr. per gladium hic accipit prudentiam Virginis, non ignaram mysterii cælestis.

D Verum hic gladius symbolicus est & misticus, non literalis, æque ac ille S. Hilarii in psal. 118. littera *gimel*, qui per gladium accipit terrorem judicii extremi, quod omnes subituri sunt, etiam B. Virgo.

Tertia. Tertio, nonnulli olim, teste Amphilochio loco citato, ex hisce verbis opinati sunt B. Virginem vere per gladium martitio coronatam obiisse, sed hoc est contra omnem historiarum fidem.

Quarta. Genuina. Quarto ergo & genuine, *gladius*, hic est tormentorum Christo illatorum, aut potius contradictionis, cujus paulo ante meminit: nam contradictio linguarum in Scriptura vocatur *gladius*, ut psal. 56. 5. *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Et psal. 63. v. 4. *Exacuerunt ut gladium linguas suas*. Et psal. 104. 18. *Ferrum pertransiit animam ejus*.

Duplex ergo hic est gladius; Primus linguæ & contradictionis, audiens enim B. Virgo probra, calumnias & blasphemias, a Judæis & Scribis jaci in Christum etiam crucifixum, mire iis cruciabatur, perinde ac si gladius animam ejus trasverberasset. E

Secundus gladius fuit ferri, puta clavorum cæterorumque tormentorum, qui non tantum Christi corpus & animam, sed & Virginis animam pertransiit, græce διελεύσεται, id est, penetrabit. Sicut cum quis uno gladio duos sibi vicinos confodit uno ictu, ita ut primum occidat, secundum penetret & vulneret. Ita & hic gladius Judæorum occidit Christum, Virginem autem matrem intime penetravit, vulneravit & cruciavit. Ita S. August. ep. 59. ad Paulinum, Sophronius hom. de Assumpt. Franc. Lucas, Jansenius, Toletus, Barradius & alii.

Mensura doloris in virgine. Prim.

Quantus fuerit gladii hujus cruciatus & dolor, æstimare licet cum Toleto, primo, ex filio patiente, puta ex Christo crucifixo, quem summe & plusquam seipsam amabat Deipara, ita ut longe maluisset ipsa pati, & crucifigi, quam videre Christum filium suum pati & crucifigi; quare magis doluit de ejus passione & cruce, quam de sua propria doluisset. Mensura enim doloris est amor: quantus enim est dilecti amor, tantus est & amantis & patienter compatientis dolor. Secundo, ex tormentorũ Christi atrocitate & generalitate: passus est enim atrocissima, in omnibus sensibus & membris, eademque omnia passa est B. Virgo per compassionem. Tertio, ex personæ dignitate; quod scilicet Christus qui patiebatur, erat verus Deus, Deique Filius, Messias & salvator mundi; quare indignum, imo horrendum & execrabile erat, illum flagellare & crucifigere. Hanc dignitatem profunde considerabat B. Virgo, ideoque profunde & ejus tormentis cruciabatur. Quarto, ex diuturnitate, quia Christus tota vita passus est, usque dum spiritum exhalavit in cruce. Quinto, ex solitudine: solus enim Christus patiebatur, derelictus ab Apostolis & amicis omnibus, imo ab angelis & Deo ipso. Unde clamabat: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Licet enim B. Virgo ei astaret & compateretur, tamen dolor matris novum magnumque dolorem addebat filio: dolebat enim mirifice, quod mater propter se adeo doleret & cruciaretur, atque hic dolor vicissim a Christo in matrem reflectebatur, ipsa enim dolebat Christum de suo dolore dolere & affligi. Sexto, ex horrendis calumniis & blasphemiis, quas assidue audiebat vibrari in Christum. Septimo, ex continua filii crucifixi præsentia & intuitu. Hinc Damascenus lib. 4. de Fide c. 15. *Quos in partu*, inquit, *dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, ut quæ pra materno affectu viscera sibi lacerari senserit*.

F Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. G Sexto. Septimo.

Quocirca Doctores docent B. Virginem esse Martyrem, imo plusquam martyrem, quia glaudius aliorum Martyrum, corpora, gladius vero Christi & Virginis animam pertransivit: quare sicut Christus patiendo magis cruciatus est, quam omnes Martyres: sic & B. Virgo Christo compatiendo, adeoque hoc cruciatu & dolore exanimata & mortua fuisset, nisi Deus per singularem concursum eam in vita conservasset. Sicut ergo S. Joannes Evangelista in ferventis olei dolium immissus, est Martyr, quia hic cruciatus naturaliter ei mortem attulisset, nisi Deus per miraculum eum in vita conservasset: ita & B. Virgo.

B. Virgo Martyr. Cur?

Dices Judæi non voluerunt cruciare & occidere Virginem, sed Christum duntaxat. Resp. Cruciando Christum cruciarunt Virginem matrem; sicut qui cruciat corpus, cruciat & animam: magis enim Virgo affectu conjuncta erat Christo, quam corpus animæ. Adde: Judæi omnes Christi propinquos, ut Apostolos & discipulos ex odio Christi persecuti sunt: ergo & ejus matrem: unde videntes eam cruci astare & intime cruciari, insultarunt Christo, & consequenter matri ei astanti. Ita S. Hier. serm. de Assumpt. B. Mariæ, qui extat tom. 9. operum S. Hieron. *Beata Dei genitrix*, ait, *& martyr & virgo fuit, quamvis in pace vita finierit. Hinc quoque quod vere passa fuerit, testatur Simeon Propheta loquens ad eam: Et tuam, inquit ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo constat, quod supra Martyre fueris. Alii namq; Sancti etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima (quia immortalis est) pati non potuerunt. Beata vero Dei genetrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo (ut ita fatear) quia spiritualiter & atrocius passa est gladio passionis Christi, plusquam Martyr fuit. Unde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit; in tantum ut animam ejus totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimoniũ eximiæ dilectionis: quæ quia mente passa est, plusquã Martyr fuit. Nimirum & ejus dilectio amplius fortis quã mors fuit: quia mortẽ Christi suam fecit.* Verum adverte sermonẽ hunc nec esse S.

H Hier.

Digitized by Google

A Hier. nec Sophronii (ut vult Marius Victorinus) qui vixit tempore S. Hier. Unde ejus meminit S. Hier. l. de Script. Eccles. tum quia totus hic sermo impugnat Nestorium, qui S. Hieronymo & Sophronio fuit posterior; tum quia dubitat auctor, an B. Virgo in anima duntaxat, an vero etiam in corpore sit assumpta in cælum, cum Ecclesia sentiat eam tam in corpore, quam in anima assumptam. Vide Baronium anno Christi 48. n. 9.

Sic & S. Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. *B. Virgo*, ait, *plusquam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mœroris est intus gladio vulnerata*. Additque: *Candidior inter Martyres, quia in anima passa*. Sic & S. Bern. serm. in illud Apocal. 12. *Signum magnum apparuit: Tuam*, inquit, *animam pertransibit vis doloris, ut plusquam Martyrem prædicemus, in qua nimirum corporea passionis sensum excesserit compassionis affectus*. S. Bern. Senensis tom. 2. serm. 61. art. 3. c. 2. *Tantus*, ait, *fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas divideretur, omnes subito interirent*. Denique vim hujus gladii & doloris in Virgine, fuse & pathetice enarrat S. Brigida in Serm. Angelico c. 17. & 18.

Quidam hinc gladium moraliter

B Tropologice vel potius symbolice S. Bernard. serm. 29. in Cant. per gladium sive sagittam, & ut Arabicus vertit, lanceam, accipit charitatem, quia ubi est dolor, ibi est & amor, sine dolore enim non vivitur in amore, nec sine amore vivitur in dolore. Sic enim ait: *Est etiam sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam non solum confixit, sed etiam pertransiit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, si toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratia plena. Aut certe penetravit eam, ut veniret usque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater charitatis, cujus pater est charitas Deus*. Et post nonnulla: *Et illa quidem in tota se grande & suave amoris vulnus accepit: ego vero me felicem putaverim, si summa saltem quasi cuspide hujus gladii pungi interdum me senserem, ut vel modico accepto amoris vulnere, dicat etiam anima mea: Vulnerata charitate ego sum. Quis mihi tribuat in hunc modum non vulnerari, sed & expugnari omnino*

C *usque ad exterminationem caloris & æloris illius, qui militat adversus animam?*

In Christo revelantur cogitationes. Primo. Ut REVELENTUR EX MULTIS CORDIBUS COGITATIONES] Hæc sententia est obscura & difficilis. Primo, S. Hilarius, qui per *gladium* accipit diem judicii, eam facile expedit, q. d. Ideo gladius, id est, dies judicii, erit quasi dissecans & aperiens corda hominum, etiam B. Virginis, ut iis revelet omnes secretas cogitationes, intentiones & volitiones, easque dijudicet & præmiet vel puniat. Hoc est quod de Christo dicitur Apoc. 1. 16. *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat*.

Secundo. Secundo. Eucherius, qui per *gladium* accipit spiritum prophetiæ, sic explicat, ut dicat eum datum fuisse B. Virgini, ad hoc ut secretas hominum cogitationes cognosceret.

Tertio. Tertio, Euthymius, q. d. Multi videntes miracula & sapientiam Jesu, cogitabant eum cælo lapsum, nec esse filium B. Mariæ, at dum in cruce Christi viderunt eam ita dolentem & mœrentem, priores cogitationes damnarunt, cogitaruntque illam vere esse matrem Jesu, utpote quæ tantopere ejus quasi filii sui tormenta sentiret &

D lugeret. Verum hæc omnia aliena & violenta sunt.

Quarto. Quarto, S. Aug. epist. 59. sub finem sic exponit. q. d. *Per Domini passionem, & insidiæ Judæorum, & discipulorum infirmitas patuit*. Christo enim relicto fugerunt. Prius de Judæis appositum est, posterius de discipulis minus congruum: nec enim discipuli ante fugam de ea cogitarant.

Quinto. Quinto, Toletus pressius exponit. q. d. Hic gladius, qui tuam, o Virgo, animam transfiget, occasio erit ut cogitationes multorum cordium, quæ prius occultæ erant, revelentur, quod revera evenit: nam multo tempore antequam Christus occideretur, illi principes & primi Judæorum in animo habebant eum interficere: timore tamen plebis nihil in eum tentare ausi sunt.

Gladius ergo, id est, tormenta, quibus interficietur Christus, & tuam pertransibit animam, & simul perversas Judæorum contra Christum cogitationes, quæ occultæ erant, manifestabit. Verum jam ante passionem Christi sæpius eas manifestarant Judæi & Scribæ, ubique ejus dicta & facta cavillantes, ut patet ex Joanne: esto, desiderium occidendi eum celarent & dissimularent.

Sexto. Sexto ergo, planissime & plenissime, τὸ *ut* tam finem intentum, quam consecutionem & eventum significat, E ac non tantum ad *Tὸ gladius*, sed ad cætera, quæ præcedunt, referendum est, nimirum ad *Tὸ positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur*, ut scilicet Scribæ & Pharisæi (ut jam hæretici,) qui videbantur justitiæ & veritatis patroni, ac Messiæ avidi, declarent quam alieni sint a vero Messia, & justitia, quamque contra eum pravum cor & cogitationes foveant. Hi enim ante Christi adventum eum desiderabant, sperantes eum venturum cum pompa & thesauris instar Salomonis, ut ab eo honoribus & opibus augerentur. At ubi viderunt Christum humilem & pauperem, suæ ambitioni & avaritiæ adversari, illamque publice carpere & taxare, eum spreverunt, illique se opposuerunt, & necem ei occulte machinari cœperunt, eamque tandem opere perpetrarunt. Maxime enim Simeon hic significat, Scribas diu ante occulte cogitasse mortem Christo inferre, eamque tandem ei ex insidiis & dolose irrogasse, quæ in morte Christi eruperunt. Tunc ergo revelatum est & patuit, qui in Israele fuerint probi, Christum sincere & constanter amantes, qui improbi, eum aspernantes, persequentes & occidentes. Ita S. Aug. ep. 59. Beda, Jansenius, Maldonatus, Franc. Lucas & alii. Imo & Toleti F expositio cum hac ex parte coincidit.

ET ERAT ANNA PROPHETISSA, FILIA PHANUEL, DE TRIBU ASER, HÆC PROCESSERAT IN DIEBUS MULTIS Vers. 36 (erat grandæva & senex, ut non juvenili fervore moveretur, sed senile et maturum testimonium perhiberet Christo) ET VIXERAT CUM VIRO SUO ANNIS SEPTEM A VIRGINITATE SUA] *Anna* hebr. idem est quod *gratia*, qua Anna hæc erat plena. Hinc et hodie nonnullis fœminis inditur nomen proprium *Gratia*. Talis fuit Gratia, quæ nuper Firandi in Japonia anno Domini 1624. generose cum quatuor prolibus totaque familia pro fide Christi gloriosam oppetiit mortem, uti fuse narrant Litteræ Annuæ Japoniæ anno jam dicto.

Gratia Japonensis martyr.

PROPHETISSA] id est doctrix, ait Franc. Lucas, quæ scilicet juvenculas doceret Dei legem et pietatem, quia hoc tempore Judæi caruerunt Prophetis, qui futura prædicerent. Verum Annam hanc proprie fuisse prophetissam, quæ occulta et futura prædiceret, patet ex v. 38. ubi prophetavit de Christo. Licet enim usque ad tempora Christi Judæi caruerint Prophetis; tamen Deus tempore Christi rursum Prophetas excitavit, ut Joannem, Zachariam, Elisabetham, Simonem, qui prophetarent de Christo. Unde S. Ambr. *Non solum ab angelis*, inquit, *& a Prophetis, & a pastoribus, & a parentibus, sed etiam a senioribus & justis generatio Domini accepit testimonium, omnis ætas & uterque sexus, eventorumque miraculis fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus exspectat*.

Porro Origenes, Anna, ait, meruit donum prophetiæ longa castitate et jejuniis. Addit Toletus, Annam dono prophetiæ apud Judæos fuisse celebrem, ut passim ab omnibus Anna vocaretur prophetissa: idque insinuat hic Lucas.

FILIA PHANUEL] Phanuel ergo erat pater Annæ, illo ævo notus et celebris. *Phanuel* hebr. idem est quod *facies Dei*; hujus filia est *Anna*, id est *gratia*, hæc enim a facie et ore Dei procedit, et fidelibus aspiratur. Hinc locus, in quo Jacob vidit Deum facie ad faciem, ab eo vocatus est *Phanuel*, Gen. 32. 30. H

DE TRIBU ASER] Erat hæc tribus quieta, placida, robusta, dives, annosa, ut patet Gen. 49. 20. & Deuter. 33. v. 24. & 25. *Aser* hebr. idem est quod *beatus*. Beata fuit Anna. Omnia hæc epitheta novas dotes & laudes addunt Annæ, ut ejus de Christo testimonium majoris sit momenti & ponderis.

HÆC PROCESSERAT IN DIEBUS MULTIS, ET VIXERAT CUM VIRO SUO ANNIS SEPTEM A VIRGINITATE SUA] Id est, a pubertate sua, post pubertatem suam, postquam cœpit esse habilis viro & conjugio: nec enim proprie est virgo, quæ non est puber, nubilis, & capax corruptionis: unde infantes proprie non sunt virgines. Rursum *a virginitate sua*, id est, a tempore nuptiarum, quas virgo inierat: nupta enim desinit esse virgo: nubebant autem paulo post pubertatem anno ætatis 15. quo anno Josepho nupsit B. Virgo.

Tria ergo hac voce significantur. Primo, quod Anna semel nupserit, idque in prima pubertate, quæ in fœminis est anno ætatis duodecimo, sed differri solebant nuptiæ, ut ma-

Digitized by Google

A ut magis pubescerent, ad annum 15. Secundo, quod ante matrimonium honeste & caste vixerit, eratque virgo. Tertio, quod moriente post septem annos marito, vidua facta sit juvencula anno ætatis 22. indeque insigni continentia in flore ætatis vidua permanserit ad annos 84. vitæ suæ, vel, ut S. Ambr. viduitatis suæ; censet enim ipse Annam, mortuo marito, mansisse viduam per 84. annos. Quod si verum est, sequitur ipsam hoc tempore, cum Christo occurrit, fuisse annorum centum & sex: nupsit enim anno 15. nupta fuit per septem annos, vidua facta est anno 22. inde vidua vixit annos 84. juxta S. Ambros. junge hos omnes annos, habebis 106. Anna igitur hic commendatur ab insigni castitate, eaque triplici, scilicet virginali, conjugali, & viduali. Videtur Deus studio Annæ ad tantum senium prorogasse vitam, ut Christum videret & prædicaret, æque ac fecit Simeoni.

VERS. 37 ET HÆC VIDUA USQUE (Interpres legit, ἕως, id est, *usque*, jam legunt ὡς, id est, *quasi*) AD ANNOS OCTOGINTA QUATUOR (vitæ, vel, ut Ambros. viduitatis suæ, uti jam dixi: unde Arabicus vertit, *& vidua facta est quatuor & octoginta annos*)

B QUÆ NON DISCEDEBAT DE TEMPLO] non quòd in templo habitaret, sed quòd illud frequentaret, in eoque perduraret, uti etiamnum faciunt nonnullæ devotæ, ut sit hyperbole. Ita Toletus, Jansenius, Maldon. Alii tamen censent eam habitasse in templo; erant enim habitacula feminarum religiosarum juxta templum, nocte & die, ut hic dicitur, Deo servientium (qualia in Ecclesia Christiana postea fuerunt Diaconissarum, & etiamnum sunt Monialium) ut patet Exodi 38. 8. 2. Machab. 3. 20. 1. Reg. 2. 21. Feminarum, inquam, tum virginum, inter quas fuit B. Virgo præsentata in templo, tum viduarum, e quibus videtur fuisse hæc Anna, uti pluribus probat noster Canisius lib. 1. Marialis c. 12.

JEJUNIIS ET OBSECRATIONIBUS SERVIENS DIE AC NOCTE] scilicet Deo, ut habet Arabicus. Græce enim est λατρείαις, id est, latria colens: latria enim soli Deo defertur. Unde patet, falso docere hæreticos, jejunium tantum esse mortificationem corporis, non autem cultum Dei, nisi quatenus ad orationem refertur. Lucas enim hic ait, Annam æque jejuniis & obsecrationibus

C servivisse Deo. Ita Origenes. Voces ergo *jejuniis & obsecrationibus*, sunt ablativa instrumenti, quibus respondet dativus in Græco, q. d. Per jejunia & obsecrationes serviebat Deo *nocte & die*.

Pulchre S. Chrysost. hom. 1. 42. ad Populum, orationem nocturnam commendat: *Vide*, ait, *stellarum choream, altum silentium, multam quietem, Dominique tui dispensationem admirare. Anima tunc est purior, levior & subtilior, magis sublimis & agilis. Ipsa tenebræ multumque silentium ad compunctionem inducere possunt. Si vero cælum respexeris, sideribus tamquam innumeris quibusdam oculis distinctum*, &c. post nonnulla: *Flecte genua, geme, Dominum tuum ora tibi fieri propitium. Plus nocturnis placatur orationibus, cum quietis tempus tu luctuum tempus facis. Regis memento qualia verba dicebat: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Quantumcumque sis delicatus, non es illa delicatior: quantumcumque sis dives, non es ditior Davide; qui rursum dicebat: Media nocte*

D *surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.* Sic Christus diem dabat prædicationi, noctem orationi. *Erat* enim *pernoctans in oratione Dei*. Lucæ 6. 12. Sic & Paulus, ut patet Act. 16. 15. & 2. Timoth. 1. 3. sic & S. Antonius, S. Hilarion, cæterique Anachoretæ, quin & Ecclesia, ut patet ex Nocturnis, quæ etiamnum monachi noctu decantant. Vide dicta Deuter. 6. v. 7.

ET HÆC, IPSA HORA SUPERVENIENS, CONFITEBATUR VERS. 38 DOMINO] Græce, ἀνθωμολογεῖτο, id est, vicissim, quasi ex altero choro & sexu succedebat Simeoni, & *confitebatur Domino*, id est, Dominum laudabat, eique gratias agebat, ob datum natumque Christum, quasi alternis respondendo confirmans dicta Simeonis.

ET LOQUEBATUR DE ILLO] Domino Christo, quem præsentem habebat, q. d. Anna non tantum Deum laudabat, sed & aliis concionabatur ac deprædicabat Jesum, asserens eum esse Christum, hortansque omnes, ut in eum crederent. Hinc patet Christum esse Dominum, id est Deum.

OMNIBUS, QUI EXPECTABANT REDEMPTIONEM ISRAEL] faciendam per Messiam, hoc est, qui expectabant redemptorem Christum, qui Israelem, id est, populum fidelem in se credentem redimit a peccato, morte, satana, gehenna, omnique malo. Vide dicta v. 25. E

Allegorice, Christus natus tribus tripliciter apparuit. Primo pastoribus indice angelo. Secundo, magis indice & duce stella: Tertio, Simeoni & Annæ indice Spiritu S. Simili modo Deus homines quosdam docet per angelos, alios per miracula, accedente prædicatione, tertios per illuminationem internam Spiritus sancti. Rursum pastores viderunt Christum natum, sed Magi adorarunt: Simeon vero & Anna senes eum amplexi sunt. Sic & nos Christum primo agnoscimus, secundo, adoramus, tertio, ubi in virtute non pueri, sed senes fuerimus, binis amoris brachiis amplectemur. Ita Jansenius. Christus natus tribus tripliciter apparet.

ET UT PERFECERUNT OMNIA SECUNDUM LEGEM DOMINI, REVERSI SUNT IN GALILÆAM, IN CIVITATEM SUAM NAZARETH] Statim ergo reversi sunt Nazareth, indeque metu Herodis infanticidæ cum puero Jesu fugerunt in Ægyptum. Hoc enim infanticidium paulo post purificationem Virginis contigit circa Pascha, ait Euthymius, Toletus & alii; licet S. August. lib. 3. de Consensu Evangel. cap. 5. Jansenius, & Franc. Lucas censeant F eos ex Jerusalem immediate fugisse in Ægyptum, indeque post novem annos redeuntes reversos esse in urbem suam Nazareth, ut ait hic Lucas. Vide dicta Matth. 2. 13. Porro ante fugam redierunt in Nazareth, tum quia ibi habitabant, ut de domo sua disponerent; tum ut ex bonis, quæ ibi possidebant, viaticum, & reliqua necessaria ad iter longum in Ægyptum pararent. Tempus vero ad fugam abunde supperebat, quia a die secunda Februarii, quo facta est Purificatio, usque ad Pascha, quo factum dicitur infanticidium, intercedunt circiter duo menses. VERS. 39

PUER AUTEM CRESCEBAT (corporis magnitudine cum ætate) ET CONFORTABATUR] membrorum robore & viribus. Græca, Syrus & Arabicus addunt πνεύματι, id est, *spiritu*; quod Euthym. & Theophyl. explicant, non quasi Christus internum spiritus robur indies majus acceperit, cum a primo instanti conceptionis suæ plenus fuerit gratia & Spiritu sancto, sed quod exterius per sermonem & opera majora, magis illud exeruerit & ostenderit. Verum τῷ *spiritu*, delent Latina & Latini Patres, ac Interpretes: item ex Græcis Origenes & Titus. VERS. 40 G

PLENUS SAPIENTIA] Græcum πλησούμενον, & impleri, & plenum esse significat, ut sit idem quod πλήρης. Noster ergo recte vertit, *plenus*: quia revera interna sapientia ab origine sua plenus fuit Christus, ita ut ei nihil addi potuerit. Arabicus tamen vertit, *reimplebatur sapientia*: Syrus, *implebatur sapientia*. Sic & Origenes, Theophyl. Euthym. & Titus hic, ac S. Ambr. lib. de Incarn. Domini sacramento c. 7. quod Theoph. sic explicat. *Non assumes*, ait, *sapientiam* (*quid enim perfectius eo, qui ab initio fuit perfectus?*) *sed paulatim illam denudans. Si enim quamdiu brevis fuisset statura, ostendisset omnem sapientiam, visus fuisset prodigiosus, & esse phantasma pueri, non verus puer.*

Utraque expositio vera & apposita est, ac proinde utraque hic significatur, scilicet puerum Jesum & interius plenum fuisse sapientia, & exterius idipsum ostendisse, ut quicumque ejus mores gestusque videret, ac sermones audiret, illico cognosceret eum plenum esse sapientia: quia nihil in eo apparebat puerilis levitatis, petulantiæ, insipientiæ, sed vultu, ore, habitu spirabat gravitatem, modestiam, providentiam, sapientiam illi ætati congruentem, quæ scilicet puerum talem decebat. H

ET GRATIA DEI ERAT IN ILLO] Græce ἐπ' αὐτόν, id est, *super illum*, q. d. Gratia, id est favor, benevolentia, directio, cura Dei Patris in puerum Jesum, utpote filium suum, illi quasi tota e cælis incubabat, ut eum suis donis & gratiis ornaret, eumque in omnibus actibus moderaretur & componeret, ut omnes viderent eum a Deo regi, & per omnia dirigi, actionesque ejus non tam esse humanas, quam divinas. Ita Euthymius. Simili modo de Joanne Baptista dixit cap. 1. 66. *Et manus Domini erat cum illo.*

ET IBANT PARENTES EJUS PER OMNES ANNOS IN JERUSALEM IN DIE SOLEMNI PASCHÆ] Jusserat Deus Exodi 23. 14. & Deuter. 16. 16. ut omnes viri ter in anno adirent tabernaculum vel templum, ad Deum ibidem publice adorandum, eique offerendas oblationes. B. Virgo postquam rediit ex Ægypto, licet lege non teneretur, tamen ex devotione junxit se marito, secumque duxit filium ad templum, ut doceret matres VERS. 41

filios

A filios a teneris ducere ad templum, Deumque colere. Ita Beda, Maldonatus, Jansenius, Franc. Lucas & alii. Nec timuit Archelaum Herodis infanticidæ filium, tum quia prudenter existimabat in tanto Judæorum omnium concursu posse latere ad paucos dies, donec rediret in Nazareth, tum, quia sciebat se Deo, pro cujus honore periculum hoc subibat, esse cordi & curæ. Ita S. August. lib. 2. de Consensu Evang. cap. 10. idque insinuat Lucas v. 42. & 43. Nonnulli tamen probabiliter putant, Jesum non ascendisse Hierosolymam, nisi anno ætatis duodecimo; illo enim anno Archelaus actus est in exilium ab Augusto Cæsare: unde nil ab eo Jesu timere poterat, ut dixi vers. 1.

VERS. 42 ET CUM FACTUS ESSET (puer Jesus) ANNORUM DUODECIM, ASCENDENTIBUS ILLIS HIEROSOLYMAM SECUNDUM CONSUETUDINEM DIEI FESTI] Syrus, *sicut consueverant in festo*, scilicet, facere in Paschate.

VERS. 43 CONSUMMATISQUE DIEBUS (græce, *postquam perfecissent* vel *peregissent dies*; scilicet illius festi, sive Paschatis: hoc enim per septem dies celebrabatur, quos omnes Hierosolymæ celebrasse Mariam & Joseph innuit hic
B Lucas: etsi lege ad tot dies manere non cogerentur) CUM REDIRENT e Jerusalem in Nazareth; REMANSIT PUER JESUS IN JERUSALEM: (ut ubi radiolum aliquem suæ sapientiæ & divinitatis spargeret, quasi gestiens jam officium doctoris & Salvatoris, ad quod a Patre missus erat, inchoare: anno enim duodecimo finitur pueritia, & incipit adolescentia, ac judicium perfectum. Ita Beda.) ET NON COGNOVERUNT PARENTES EJUS] quia Jesus a parentibus in Jerusalem devotionis, vel negotiorum causa nonnihil tardantibus, petiit licentiam adeundi cognatos, quasi cum iis præcessurus: qua accepta eos adiit, sed mox ab iis clam se subduxit, adiitque templum, Deo id diligente, ut parentes, licet alias de Jesu semper solliciti, id non advertent, sed, ut sequitur, putarent eum esse in comitatu cognatorum.

VERS. 44 EXISTIMANTES AUTEM ILLUM ESSE IN COMITATU (cognatorum & vicinorum, qui præcesserant, cum quibus Maria & Joseph paulo post secuturi vespere in eodem hospitio erant pernoctaturi & cœnaturi, ibique Jesum.
C ut putabant, inventuri) VENERUNT ITER DIEI, scilicet vesperę ad idem commune hospitium: ET REQUIREBANT EUM INTER COGNATOS ET NOTOS.

VERS. 45 ET NON INVENIENTES REGRESSI SUNT IN JERUSALEM, REQUIRENTES EUM] quia Jesus a nullo cognatorum visus erat in itinere, hinc collegerunt parentes eum mansisse in Jerusalem: quare ibi eum requisiverunt magna sollicitudine & anxietate, Causam dat Origenes, & ex eo Theophyl. & Titus dicentes: *Sed quare anxie adeo quærebant? num suspicabantur perditum; aut quod aberrasset a via aut puer?* ablit. *Neque enim hoc sapientissimæ Mariæ fuerit* (sciebat enim Jesum plenum esse sapientia, imo esse Deum) *numquam fieri poterat ut perditum putarent infantem, quem divinum esse cognoverant: verum quærebant eum, ne quo pacto ab iis abiisset, ne forte reliquisset eos*, ne forte vellet manere non cum eis Nazareth, sed cum aliis in Jerusalem, ut ibidem officium suum docendi, ad quod a Deo missus erat, inchoare festinaret. Addit Origenes. *Quærebant*, ait, *ne forte recessisset ab eis, ne relinquens eos*
D *ad alia transmigrasset, &, quod magis puto, ne revertisset ad cœlos, cum illi placuisset, iterum descensurus, &c. sed dolebat, quia mater erat, & filii mater immenso amore digni, quia ea insciа & nihil tale opinante discesserat.*

Quid fuit Puero Jesu amisso me tuebat pia Mater?

S. Antoninus addit metuisse matrem, ne Jesus in manus Archelai Herodis infanticidæ filii incidisset, qui eum occideret. Euthymius & Franc. Lucas opinantur matrem timuisse, ne Christus ab itinere aberrasset: non enim sciebat nec callebat omnes vias, nec diverticula in biviis & triviis: licet enim per scientiam divinam & infusam illa sciret, tamen per scientiam experimentalem, quam hic puer sequebatur, illa ignorabat. Quod an recte dicatur, viderint Theologi.

VERS. 46 ET FACTUM EST, POST TRIDUUM INVENERUNT ILLUM IN TEMPLO SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM, AUDIENTEM ILLOS, ET INTERROGANTEM EOS] *Post triduum*, non absolutum, sed inchoatum, hoc est tertio die, scilicet ab ejus amissione. Primus enim dies fuit, quo e Jerusalem profecti sunt, & vespere in hospitio eum non invenerunt inter cognatos: secundus, quo ex hospitio redierunt in Jerusalem: tertius, quo quæsiverunt & invenerunt puerum sanctum in sancto templo. Ita S. Ambros. Euthym. & alii. Sic dicitur v. 21. *Post quam consummati sunt dies octo*, id est, octavo die circumcisus E est Jesus. Et Marci 8. 38. *Oportet filium hominis, & post tres dies* (id est tertio die) *resurgere*.

IN TEMPLO] Dei enim incarnati locus & sedes est in templo. Ibi quærendus est, ibi invenierut, non in foro, non in taberna, non in theatro. Christum imitati sunt S. Basilius, & S. Gregorius Nazianzenus, qui teste Ruffino, cum Athenis studerent, duas dumtaxat urbis plateas noverant, scilicet unam, quæ ducebat ad templum, alteram, quæ ad scholam.

Totum hoc triduum ergo Jesus egit partim orando, partim audiendo doctores, eisque respondendo in templo: cibum a doctoribus aut astantibus, sapientiam ejus mirantibus invitatus accepit, licet alii minus verisimiliter putent eum ostiatim mendicando victitasse, uti putat S. Bernardus hom. infra Octavam Epiphan. Bonavent. Alensis, & alii, & favet S. Thom. 2. 2. q. 187. art. 5. qui Christum aliquando mendicasse probat ex illo: *Ego autem mendicus sum & pauper*, psal. 39. Ex adverso Lyranus, Dionys. Joan. Major hic, & Abulens. in Matth. cap. 17. q. 194. censent Christum numquam mendicasse, F quod mendicare Judæis esset vetitum, Deuter. 15. *Mendicus non erit inter vos*. Verum hæc verba non præceptum, sed promissionem opum significant, si legem Dei observent, scilicet eos adeo fore divites, ut nemo eorum mendicet.

Quis cibum Christo amisso ministrarit?

SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM] Est hebraismus, id est inter doctores, sed humiliori loco quasi discipulum, idque ad hoc, ut suis interrogationibus de instanti adventu Messiæ, doctores ad eum cogitandum & inquirendum excitaret; utpote translato jam sceptro a Juda ad Herodem alienigenam, ac expletis jam 70. hebdomadibus Danielis, cæterisque Propherarum de Christo oraculis. De Messiæ enim adventu Christum doctores interrogasse omnino est verisimile, idque ad hoc, ne inopinata doctoribus esset ejus manifestatio, sed ut ex hisce indiciis quasi scintillis postea prædicans & miracula patrans, facilius ab eis velut Messias reciperetur. Ita Euthymius.

INTERROGANTEM EOS] Primo, quia puerum decebat interrogare doctores, non autem eos docere, sed tamen Christus interrogando eos docebat, ait Origenes: G
nam sapienter interrogare, tam docti, & docentis est, quam sapienter respondere. Sic magistri docti, docte discipulos interrogando docent. *Ex uno quippe doctrinæ fonte*, ait Origenes, *manat & interrogare & respondere sapienter, & ejusdem scientiæ est, scire quid interroges, quidve respondeas.*

Sapienter interrogare tam docti est, quam sapienter respondere.

Secundo, ut doceret adolescentes modestiam ac studium audiendi, interrogandi & discendi, *ne, si nolint esse veritatis discipuli, fiant erroris magistri*, ait Beda.

Tertio, ut interrogans doctores, vicissim ab eis interrogaretur, sicque respondendo eos doceret. Unde sequitur,

STUPEBANT AUTEM OMNES, QUI EUM AUDIEBANT, SUPER PRUDENTIA ET RESPONSIS EJUS] quod scilicet puer duodennis, fabri filius, qui scholas numquam frequentarat, tam versatus esset in S. Scriptura, tam sapienter quæreret, tam acute responderet, ut & doctores ipsos superaret, ut dicerent: *Qui putas puer iste erit?* eritne Propheta? eritne Messias, quem doctorem or- H
bis nunc omnes in dies singulos avide expectamus? VERS. 47

ET VIDENTES (Græca addunt αὐτὸν, id est *eum*, scilicet Jesum) ADMIRATI SUNT] scilicet parentes Jesum quærentes, ut patet vers. 46. mirati & gavisi sunt, quod eum præter morem viderent & invenirent solum cum doctoribus disputantem, tantam sapientiam depromentem, ac doctores cæterosque astantes super eo stupentes, &c. VERS. 48

ET DIXIT MATER EJUS AD ILLUM: FILI, QUID FECISTI NOBIS SIC? ECCE PATER TUUS ET EGO DOLENTES QUÆREBAMUS (*cum labore*, ut addit Arabicus) TE] Verba hæc matris sunt non Christum objurgantis, sed mirantis & dolentis, doloremque suum dolenter explicantis. Nec enim suadet veneratio matris erga talem filium, scilicet hominem Deum: ac proinde verisimile est matrem hæc ei dixisse, non publice in consessu Doctorum, sed secreto evocando eum, vel consessu jam dimisso. Ita Jansen. Maldonat. & alii.

SIC] ut te a nobis subduceres, ac nobis insciis, & sollicitis solus in urbe remaneres.

PATER TUUS ET EGO] Notat S. Aug. serm. 63. de Diversis c. 11. humilitatem Virginis, quæ cum sciret se in solidum esse matrem Christi, ideoque matrem Dei, ita ut

Jo-

Digitized by Google

A Joseph in ejus generatione nullam haberet partem, ipsa tamen demisse Josepho quasi marito se postponit. *Omnia*, ait Anonymus in Catena Græca, *sicut mater & fiducialiter & humiliter & affectuose exprimit.*

Tropologo quomodo quærendus Jesus.

Tropologice, anima, quæ perdidit Jesu gratiam per peccatum mortale, vel solitam familiaritatem per negligentiam venialem; requirat eum, Primo, cum dolore & lacrymis cordis compuncti, quia, ut ait Nazianz. orat. 3. *Proborum* (adde, & improborum si pœniteant) *virorum lacryma sunt peccati diluvium, & mundi piamentum*, quale fuit diluvium Noe.

Secundo, requirat eum magna sollicitudine & studio, ut fecit B. Virgo, idque in templo, nimirum vacando orationi, lectioni & meditationi rerum spiritualium. Sic sponsum se subducentem requisivit sponsa & invenit, Cantic. 3. 2. *Surgam*, inquit, *& circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*. Ita anima dum Christum invenit, caute retineat, ne rursum elabatur.

B Tertio, requirat eum inter doctores, id est, inter viros doctos & pios, qui eam in scientia æque ac pietate instruant. Unde sponsa Cantic. 1. 7. rogans sponsum: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* audit: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.* Vide ibi dicta.

Vers. 49 Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?] S. Ambrosius censet hæc

An Christus hic parentes reprehenderit. esse verba reprehendentis. Et poterat Christus ut Messias & legislator jure suo reprehendere matrem, si peccasset. Verum nulla in matre fuit peccati culpa: ergo nec in Christo ulla ejus fuit reprehensio; habent tamen verba hæc ejus interrogationem quamdam acriorem, reprehensioni similem, ut per eam parentes doceat, & ad res suas discendum acrius incitet, uti solent parentes filios, & magistri discipulos acrioribus verbis ad studium & diligentiam exstimulare.

Hæc ergo verba Christi sunt instruentis, consolantis C & se excusantis, suumque factum defendentis. q. d. Non opus erat ut me quæreretis, quia cogitare poteratis me negotia salutis mundi, ad quæ a Patre cælesti missus sum, inchoando tractare. Hec enim cogitare debetis me semper vobiscum mansurum, sed aliquando ad illa vobis relictis abiturum, uti jam abire cœpi. Porro quod vobis insciis abierim, studio id feci, ut vos doceam in illis me non pendere a vobis, sed a Patre cælesti, & ex illius voluntate & consilio, non ex vestro eadem tractare debere. Ego ergo vobis non dedi causam doloris, sed illam vobis partim amor vester erga me, partim ignorantia mysterii jam dicti vobis ministravit: ignorabatis enim me in Patris mei negotiis occupari, esto enim vobis merito in mentem id venire debuisset; tamen tener vester in me amor fecit ne veniret & cogitationem hanc divertit. Unde Beda: *Non*, inquit, *quod eum quasi filium quærant vituperat, sed quod ei potius, cui æternus est filius, debeat, cogit oculos mentis attollere.*

Ut hoc e radice & fundamento intelligas, Nota Christum præter actiones divinas, quas habebat ut Deus, D Deique Filius, quale sunt creare, conservare & gubernare omnia, ac spirare Spiritum sanctum, habuisse actiones humanas, easque duplices; priores, quas habebat ut homo, communes aliis hominibus, uti sunt comedere, ambulare, laborare, fabricare, &c. posteriores, quas habebat ut homo Deus, sive ut redemptor, sibi quasi Christo proprias, quæ proinde a S. Dionysio l. de Divin. nomin. *Theandrice*, id est *Deiviriles*, nuncupantur, quia partim Dei, partim hominis sunt opera. Tales erant docere, facere miracula, discipulos convocare, Apostolos creare, &c. *In prioribus voluit Christus sponte sua parentibus, a quibus eas cum natura quasi acceperat, obedire, & ab eis sinebat se in illis regi: in posterioribus vero nequaquam, sed soli Deo Patri voluit subjici & obedire: quia hæ, utpote altioris ordinis, a solo Deo erant acceptæ & directæ. Unde Christus parentibus eas petentibus quasi ex materno quodam imperio, respondit, illas non ad parentum, sed ad Dei voluntatem & nutum esse faciendas, ut patet hic, & in conversione aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galilææ, Joan. 2. 4. & aliis similibus, ut patet Matth. 12. 48.*

Theandricæ actiones quæ?

Porro. Christus actiones suas theandricas, quas patrabat ut Deus homo, vocat actiones Dei Patris, Patri- que eas attribuit non sibi, Primo, quia propter has a Patre missus erat in mundum. Secundo, quia Christus a Patre habebat suam divinitatem: hæc autem opera præcipue erant divinitatis. Tertio, quia eas faciebat ex præcepto patris. Quarto, quia in his nemini suberat, nisi soli Patri æterno, ut doceret amori matris etiam tenerrimo præponendum esse Dei præceptum, vel consilium, ut, cum Deus aliquem vocat ad Religionem, ad sacerdotium, ad martyrium, ad apostolatum, cui parentes repugnant. Sic in humanis filius, qua filius, subest parentibus quoad paterna jura; qua vero idem magistratum gerit, v. g. rex est aut princeps, paarentibus non subest, sed præest, quoad jura regalia: rex enim omnium, qui in regno sunt, ac consequenter parentum suorum, est Superior & dominus; quare eos jure communi reipublicæ regere, dirigere & corrigere tenetur. E

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos] Nonnulli ignorantiam hanc referunt ad auditores, qui stupebant super prudentia & responsis Jesu, v. 47. Alii ad solum Joseph per synecdochen. Verum plane tam ad B. Virginem, quam ad Joseph hæc referenda sunt: licet enim ipsi nossent Jesum suum, esse Christum Dei filium, & salvatorem mundi, tamen ignorabant qua ratione illud munus obiturus esset, seu quæ illa essent negotia Patris in particulari, in quibus ipse dixerat oportere se versari v. 49. nimirum an, quando, quomodo docturus, victurus, moriturus, crucifigendus esset pro salute mundi; hæc enim eis a Deo necdum revelata erant; sed ea ipsa progressu temporis, vel per experientiam, vel per revelationem Jesu didicerunt. Quare ex reverentia Jesu, eum hoc loco curiose, quænam essent illa mysteria interrogare non sunt ausi, sed tempus opportunum ea noscendi prudenter expectarunt. Vers. 50 F

Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis] *Venit Nazareth* ultro & sponte sua, licet S. Bernardus opinetur eum urgentibus parentibus venisse. Sic enim ait serm. 19. in Cant. *Cum remansisset in Jerusalem, & dixisset, in his quæ Patris sui erant oportere se esse; non acquiescentibus parentibus ejus, sequi eos in Nazareth non despexit, magister discipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia fabrum & feminam.* Vers. 51 G

Subditus] Græce, ὑποτασσόμενος, id est, *subjectus*, obediens, scilicet quoad humanam naturam, quam a matre hauserat, non quoad divinam, quam a solo Patre æterno acceperat, ita plene & perfecte, ut per omnia ei esset æqualis, & in nullo subditus, uti contra Arrianos docet S. August. l. 3. contra Maximinum c. 18. Minus ergo congrue S. Cyrillus l. 10. Thesauri c. 8. ex illo 1. Cor. 15. *Tunc & Filius subjicietur Patri*, concedit Filium ratione originis subjici Patri etiam quoad naturam divinam, quam a Patre accepit; quia quoad eam facit, inquit, quæ placita sunt Patri: nam & Pater fecit, quæ placita sunt Filio, nec tamen idcirco subjectus est Filio. Loquitur ergo Paulus de Filio quoad humanam naturam, secundum quam Christus se plane cum omnibus suis electis subjiciet Deo Patri in die judicii. Unde cæteri Patres constanter asserunt Filium quoad divinam naturam Patri non esse subjectum, sed æqualem.

Nota. Humana natura in Christo, licet, in se præcise sumpta, subdita esset matri, tamen quia ipsa elevata erat a Deo ad hypostasim Verbi, ideoque unum erat cum Deo, puta una persona divina; hinc exempta fuit ab obedientia matris: æque ac a legibus Augusti, Herodis, pontificum, cæterorumque principum: erat enim jam matre & illis omnibus longe dignior, melior, sapientior, imo Dominus & Deus omnium. Sicut Religiosus vel monachus, si creetur Pontifex, eximitur ab obedientia sui Ordinis, imo totius Ordinis fit Superior. Christus tamen ut nobis daret summæ humilitatis & obedientiæ exemplum, ultro & sponte sua se subdidit matri, imo & Josepho: iisque per omnia, quæ domi agenda, verrenda, fabricanda, &c. erant, obedivit. H

Christus exemptus a obedientia matris.

Discant, inquit S. August. serm. 65. de Diversis, pueri subdi parentibus, quia Christo mundus subditur & Christus tamen parentibus subditus fuit. Et S. Bern. ser. 1. super *Missus est*, exclamat: *Erat subditus eis, Quis? quibus? Deus hominibus, nec tantum Mariæ, sed & Josephi utrimque stupor, utrimque miraculum: & quod femine Deus obtemperat, humilitas sine exemplo: & quod femina principatur Deo, sublimitas sine socio.* Et mox: *Erubesce, superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se homi-*

Digitized by Google

A *hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo.*

Obedientiæ præstantia.

Voluit ergo Christus primo & continua sua vita per annos triginta suo facto nos docere perfectionem virtutis & Religionis maxime sitam esse in obedientia. Nam, ut docet Joannes XXII. Pontif. Extrav. *Quorumdam*, de verb. signif. paupertas magnum bonum est: majus, integritas, (castitas;) sed maximum obedientia: quia prima rebus, secunda carni, tertia menti dominatur & animo. Idem docet S. August. & ex eo S. Thomas 3. p. quæst. 40. art. 1. ubi docet austeritatem tantum esse adjumentum perfectionis.

Audi S. Basil. in Constit. monast. cap. 4. *In prima ætate* (Christus) *subditus parentibus, omnem laborem corporalem mansuete & obedienter sustinuit. Cum enim homines illi essent justi quidem ac pii, verum pauperes, & rebus necessariis non abundantes, &c. merito laboribus corporis assiduis dediti erant, per hoc necessarias res sibi ipsis acquirentes. Jesus autem his subditus, velut ait Scriptura, omnino etiam simul perferendo labores obedientiam declarabat. Itaque discamus filii subjecti esse parentibus.* Et Orig. hom. 20. in Luc. *Nam quia majorem Joseph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tribuens*, ut subjiciantur parentibus. *Quid enim magister virtutis*, ait S. Ambros. *nisi officium pietatis impleret?* Et Beda. *Quid inter nos aliud, quam quod a nobis agi vellet, ageret?*

B

Multa egit, multa dixit Christus per 30. annos, sed hæc omnia hac gnome concluſit Lucas: *Et erat subditus illis.* Præclarum elogium Religiosi est, Tota vita fuit Superioribus suis obediens & subditus.

Ratio a priori. Prima.

Ratio a priori est, Prima, quia qui obedit Superiori, obedit Deo; Superior enim est vicarius Dei, juxta illud Christi: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 10. Unde S. Basilius in Constit. monast. c. 22. *Antistes*, ait, *nihil aliud est, quam is, qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum & homines, eorum qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo.* Et S. Benedictus in Regula: *Obedientia*, ait, *quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur.* Et S. Bernardus de præcepto & dispens. *Quem*, inquit, *pro Deo habemus, tamquam Deum, in iis quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus.* Obediens ergo, dum quid præcipit Superior, putet id Deum sibi præcipere, ac tamquam Deo alacriter obediat.

C

Secunda.

Secunda, quod obedientia nobilissimas hominis potentias, scilicet voluntatem & judicium, Deo in holocaustum offerat & mactet, dum eas abnegat, & Superiori suo, loco Dei resignat. Unde S. Gregor. 35. Moral. c. 10. explicans illud 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam victimæ*, rationem hanc dat: *Quia*, inquit, *per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur.*

Tertia. S. Francisci obedientia.

Tertia, quod obedientia omnia opera, quæ ex ea fiunt, faciat aurea, & valde meritoria. Quocirca *S. Franciscus*, ait Bonavent. in Vita ejus c. 6. *Generalis cedens officio Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipsius colla submitterent, nihil temporis sine lucro transiret. Unde & Fratri, cum quo solitus erat ire, semper obedientiam promittere consueverat, & servare.*

D

Quarta. Obedientia mater virtutum.

Quarta, quod obedientia sit mater virtutum omnium. Unde S. Gregorius loco jam citato; *Sola*, inquit, *virtus est obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.*

Quinta.

Quinta, quod Deus per Superiores subditum obedientem certo & secure regat, rectaque dirigat ad portum salutis æternæ. Unde Climacus gradu 4. *Obedientia*, inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ & proprii corporis mors voluntaria, vita sine solicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, vita humilitatis, & quasi si quis dormiendo iter faciat.* Idemque addit: *Vivere in obedientia nihil aliud esse, quam suum onus aliorum humeris imponere, natare super aliorum ulnas, & sustentari in aquis, ne mergamur, sed sine periculo hoc grande pelagus hujus vitæ transeamus & quidem brevissima navigatione.*

Quocirca Christus maluit vitam perdere, quam obedientiam: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Sed audi tantæ obedientiæ præmium: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, Philip. 2. 8. An non ergo *vir obediens loquetur victorias?* Proverb. 21. 28. Vide ibi dicta. E

Nota Secundo. Veterum sententia est, Christum Josepho subjectum fuisse in exercenda arte fabrili lignaria, uti dixi Matth. 13. in fine. Congruum enim erat, ut fabrilem cum patre putativo exerceret, qui mundi est cum naturali patre fabricator. Per fabrum conditum est genus humanum, per fabrum decuit & restitui. Christus faber lignarius.

Hæc pauca dumtaxat recensent Lucas de adolescentia & juventute Christi usque ad annum ejus trigesimum, quo toto tempore vixit privatus & latuit incognitus, quæ sane stupenda fuit Dei filii humilitas.

Cætera, quæ ex libro apocrypho, qui inscribitur *Infantia Salvatoris*, aliisque similibus, a nonnullis afferuntur, rejicit Ecclesia. Unde de Valentinianis hæreticis ita scribit S. Irenæus lib. 1. c. 17. *Assumunt*, ait, *in hoc & illam falsationem, quasi Dominus, cum puer esset, & disceret literas, cum dixisset Magister ejus, quemadmodum in consuetudine est, dic A, respondit A. Rursum cum Magister jussisset dicere eum B, respondisse Dominum. Tu prior dic mihi quid est A, tunc ego dicam tibi quid est B.* Similia quædam circumferuntur in cantionibus natalitiis nonnullis, a quibus, ut ridiculis & plane indignis Christo commentis, abstinendum est: Christus enim, utpote plenus sapientia, scholas non adiit. Unde Judæi de eo dicebant: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit eas?* Joan. 7. 15. F

Rursum miracula pueri Jesu, quæ vulgo a nonnullis narrantur, refutat S. Chrysost. hom. 20. in Joan. Primum enim ejus miraculum fuit conversio aquæ in vinum in Cana Galilææ, ut ait Joan. c. 2. Voluit enim usque ad annum 30. latere & fabrilem exercere. Unde S. Justinus Dial. contra Tryphonem: *Faciebat*, ait, *aratra, juga*, &c. ideoque sæpe ab eis in Evangelio petit similitudines & metaphoras, ut cum ait: *Tollite jugum meum super vos.* Et. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Idem censent Lyranus, Jansen. Maldon. Dion. Carthus. & Abulens. in Matth. c. 13. q. 81. ac Cajetanus & Franc. Lucas in Marci c. 6. 3. Esto Christum fabrilem exercuisse neget Paulus Burgensis in Marci c. 6. ac noster Barradius hic, & Simon de Cassia lib. 4. c. 2. qui censent Christum usque ad annum 30. instar Religiosi abstractum vixisse, ac orationi & contemplationi æque ac jejunio vacasse. Si objicias, Nazarenos vicinos Jesu, ei docenti objecisse: *Nonne hic est faber?* respondent ex S. August. lib. 2. de Cons. Evang. c. 42. *Eo fabrum credebant quo fabri filium*, ut habet Matth. c. 13. 55. Verum cum Nazareni quotidie viderent Jesum & opera ejus studiose observarent, videntur ab opere fabrili eum vocasse fabrum, alioqui enim si eum otiosum vidissent, ejus otium & inertiam taxassent, quod paupertati parentum laborando non succurreret, nec patrem suum Joseph fabricantem adjuvaret, eique laborando collaboraret. Adde: Voluit Christus fabricando dare exemplum vitæ mechanicis, ut fabricando & laborando victum sibi parent: hoc enim honestum est: porro a societate fabrorum, qui scurrilia loquebantur, abstinebat Joseph, multo magis Christus. Sic faber tabernaculorum fuit S. Paulus, etiam cum prædicaret, ut patet Actor. 18. v. 3. G

ET MATER EJUS CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC IN CORDE SUO] quasi *ruminanda & diligentius scrutanda*, ait Beda, ut successu temporis per omnia, quæ acturus & dicturus erat Christus, plenius intelligeret, simul ut eadem deinde S. Lucæ & aliis Apostolis scribenda vel posteris tradenda revelaret. Unde Titus, *Nam etsi*, inquit, *quæ ab illo depromebantur, plene non assequebatur, intelligebat nihilominus divina, humanoque sensu esse sublimiora: neque enim audiebat Jesum tamquam duodecim annorum puerum, sed excipiebat & observabat verba illius, tamquam verba viri modis omnibus perfecti*; sive, ut Euthymius ait, *tamquam verba non simpliciter pueri, sed etiam Filii Dei.* H

ET JESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA, ET ÆTATE, ET GRATIA APUD DEUM ET HOMINES] *Ætate*, græce ἡλικία, quod Syrus, Arabicus, & alii vertunt, *statura*, sive *proceritate*, & sic vertit Noster c. 12. v. 25. utrumque verum, utrumque huic loco appositum. Vers. 52

Quæres an vere Jesus uti ætate & statura, sic & sapientia & gratia profecerit? Omissis Photino, Nestorio & Theodoro, qui docuere Christum esse purum hominem, ideoque in dies in gratia & meritis apud Deum profeciſſe, quibus quasi hæreticis anathema dicit S. Gregorius Nazianz. ep. ad Cledonium; idem affirmare videntur S. Athanasius

A nasius serm. 4. contra Arrianos, & Cyrillus lib. 10. Thesauri c. 7. videntur enim dicere, humanitatem Christi a Verbo sensim majorem hausisse sapientiam, sicut hausit B. Virgo cæterique homines. *Humanitas Christi*, ait S. Athanasius, *in sapientia profecit transscendens paulatim humanam naturam, deificata nimirum, & organum sapientiæ effecta.* Eadem habet S. Cyrill. S. Athanasium in doctrina æque ac Episcopatu Alexandrino secutus: quænam utriusque fuerit mens, mox explicabo.

Verum contrarium docent cæteri Patres. Erat enim Jesus a primo instanti conceptionis suæ plenus sapientia & gratia, ut dictum est v. 40. hoc enim debebatur illi humanitati ob unionem hypostaticam cum Verbo. Unde S. Gregorius Nazianz. orat. 20. in laudem S. Basilii: *Sapientia*, ait, *apud Deum & homines proficiebat, non ut augmentum aliquod acciperet, cum ab initio gratia sapientiaque absolutus esset, sed quod hæc hominibus ignaris paulatim apparerent.* Nam, ut ait Theophyl. *Emicatio sapientiæ ejus, profectus ipse est.* Sicut sol licet eadem semper luce polleat, tamen crescere in ea dicitur, cum eam B sensim magis explicat a mane usque ad meridiem. Unde Beda: *Proficiebat Christus*, ait, *non per accessum temporis accipiendo quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ quod habebat.*

Triplex Christi scientia.

Nota igitur in anima Christi triplicem fuisse scientiam; scilicet beatificam, qua Deum videbat & omnia in Deo, itaque beabatur; Secundo, infusam a Deo; Tertio, experimentalem, vel usu quotidiano acquisitam. Duæ priores Christo inditæ fuere a primo instanti conceptionis suæ ita perfecte, ut eas augere non posset. Idem dico de Christi habituali gratia & gloria. Ita S. August. lib. 3. de Peccat. mor. & rem. c. 19. S. Hieron. in illud Jerem. 31. *Femina circumdabit virum.* S. Athanas. Cyrillus, Nazian. Beda, Damasc. Euthymius, Bernardus, S. Thomas, quos citat & sequitur Suarez 3. p. q. 7. art. 12. & passim Scholastici: hoc enim exigebat unio hypostatica,

C Dicitur ergo Christus profeciss̃e cum ætate in sapientia, & gratia. Primo, in opinione hominum, ac in specie & ostensione externa. Loquitur enim subinde Scriptura secundum id quod exterius cernitur, & secundum id quod vulgo judicant homines, hic autem ex operibus majoribus, quæ edebat Christus, judicabant homines eum crescere in sapientia & gratia, uti crescunt cæteri pueri. Ita Origenes & Theophyl. hic, ac Nazianz. S. Athanas. & Cyrillus jam citati, & mox plenius citandi.

Quos sensu Christus proficiebat ætate, sapientia & gratia.

Secundo, proprie crevit Christus sapientia experimentali: ipso enim usu multa expertus majorem acquisivit experientiam. Hinc *didicit ex iis quæ passus est obedientiam.* Hebr. 5. 8.

Tertio, & proprie, esto Christus non creverit sapientia & gratia habituali, crevit tamen actuali & practica: nam robur spiritus & sapientiam cælestem in anima latentem, indies magis & magis exerebat etiam existens puer, ita ut in vultu, incessu, sermone, factis semper majores ederet actus modestiæ, maturitatis, prudentiæ, castitatis, suavitatis, pietatis, aliarumque virtutum. Posset quoD que *gratia* hic accipi pro gratiositate, quod scilicet Christus in dies magis gratiosum se faceret Deo & hominibus. Verum hæc major gratiositas includit incrementum gratiæ: nam sine eo nemo fit magis gratus Deo.

Dices: Christus dicitur crevisse gratia, sicut crevit ætate, idque coram Deo: ergo vere in seipso crevit gratia, sicut in se crevit ætate. Respondet S. Thomas 3. p. q. 7. art. 12. & ex eo Suarez, Christum vere in se crevisse gratia: non quoad habitum, sed quoad actus & effectus ex habitu productas, nimirum faciendo opera excellentiora, per quæ licet ipse non fieret sanctior, nec plus aliquid mereretur propter infinitam dignitatem personæ suæ, & quia a principio habuit gratiam consummatam, nihilominus illa opera de se erant sufficientia ad augendam gratiam, quatenus novum meritum continebant.

Idipsum, non aliud velle S. Athanasium loco jam citato, liquet ex eo quod subdit: *Ut per eum suam energiam exerceret, sapientiaque inde eluceret, omnibusque innotesceret.* Et paulo ante: *Ita enim augescente magnitudine corporis, una crescebat in eo divinitatis manifestatio, innotescebatque apud omnes ipsum esse templum Dei, Deumque in ejus corpore existere.* Nec aliud velle Cyrillum patet ex iis, quæ subdit: *Non ergo ipse, sed humana proficiebat natura. Nam dum in dies in ipso deitas manifestaretur, mirabilior & sapientior videbatur. Proficiebat autem in ipso natura humana, hoc modo: Assumpsit sapientia Dei, hoc est Filius Dei, nostram naturam, paulatimque tum verbis, tum factis deificationem assumpti hominis revelans proficere ipsum revelando faciebat,* ut scilicet suam deitatem revelaret, exercendo in dies majores sapientiæ & gratiæ operationes, quas ei suggerebat ipsa ei assistens divinitas, unde ex ipsis illa ab hominibus agnoscebatur, sicut anima latens in corpore agnoscitur per vitales & animales operationes, quas in dies majores per corpus exercet. Et paulo ante: *Cum igitur audis eum profeciss̃e in sapientia & gratia, noli putare quidquam ipsi additum fuisse, qui nullius umquam vel egere potest: sed quia videntibus atque audientibus eum sapientiorem gratioremque in dies se præbebat, idcirco dicitur profeciss̃e. Ita detegendo seipsum in dies, non ipse, sed qui mirabantur ipsum atque amabant, proficiebant.*

E

Opponunt Orientales Cyrillo, eum hæc verba ita interpretatum esse, ut de toto Christo, non de Verbo aut humanitate dumtaxat dicantur, cum ipsi de sola humanitate intelligant, ut habet Concilium Ephes. oppos. anathemat. 4. Concil. Ipse vero Cyrillus in Responsione ait, ita quidem se sentire, ne Christus in duos dividatur: docet autem Filium Dei, etsi sit Patris Sapientia, dici tamen in sapientia proficere, dum humanitatis proprietates per summam unionem in se convenienter suscepit. q. d. Filius Dei dicitur profeciss̃e, quia humanitas, quam assumpsit, profecit. F

Huc accedit expositio Toleti: nomine sapientiæ, & gratiæ, inquit, non intelligitur ipse habitus gratiæ & sapientiæ, sed opera ipsa & verba sapientia & gratiosa, quæ ab interna sapientia & gratia procedunt. Sic dicitur Eccl. 10. *Verba oris sapientis, gratia*, id est gratiosa. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Psal. 44. 3. *Propter gratiam labiorum suorum amicum habebit regem*, Prov. 21. 11. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*, Luc. 4. 22. *Hæc est religio, visitare pupillos*, Jacobi 1. hoc est, hæc sunt opera religiosa. Porro posset Deus per absolutam potentiam gratiam Christo datam, utpote finitam augere, ac facere, ut Christus in ea quoad habitum crescG ceret & proficeret, ut contra Cajetanum & alios docet Vasquez 3. p. q. 7. art. 12. disp. 47. c. 3. sed aliter facere Deo placuit, idque magis dignitati Christi Verbo uniti, erat consentaneum.

Ex dictis collige quadruplex præter alia discrimen gratiæ Christi, & nostræ. Primum: Christus gratiam habuit quasi naturaliter, tum ex vi unionis hypostaticæ, huic enim connaturalis est gratia: tum ex vi conceptionis suæ de Spiritu sancto: nobis vero omnis gratia indebita est & gratuita, adventitia & supernaturalis. Christi gratia disparitas nostræ quadruplex. Primo.

Secundum: Gratia in nobis Primo, delet peccatum originale, & actualia si quæ sint, sicque quasi Secundo facit nos Deo gratos: in Christo vero gratia fuit ante, imo sine omni peccato, per se primo sanctificans Christum: nam ex gratia unionis cum Verbo emanavit gratia habitualis, ut radius a sole, statim & naturaliter. Quocirca nos adoptivi sumus & dicimur Dei filii: Christus vero est naturalis Dei Filius, uti docet S. Hilarius lib. 12. de Trinit. & Cyrillus l. 2. in Joannem c. 12. Secundo.

H

Tertium: Gratia nostra est privata & propria cujusque, ac suum tantum hominem, in quo est, justificat: at Christi gratia est communis: est enim gratia capitis, quæ in omnia membra, id est, in omnes fideles, se diffundit, eisque se communicat, itaque eos sanctificat. Hinc disce quanta fuerit gratia Christi, utpote quæ instar solis & fontis in omnes fideles derivatur: nam *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, Joan. 1. 16. Tertio.

Quartum: Gratia in nobis (quin & in B. Virgine) per bona opera crescit; in Christo vero non crevit: quia cum ab unione cum Verbo procederet: quæ ab initio conceptionis suæ plena fuit & perfecta, hinc & eodem instanti hæc gratiæ plenitudo, quæ augeri non posset, ipsi data est. Quarto.

Tropologice, Damasc. l. 3. de Fide c. 22. Christus, inquit, proficit sapientia & gratia, non in se, sed in suis membris, scilicet Christianis. Sic & Cyrillus jam citatus. Ideo enim profecit ipse, majores virtutum actus in dies edendo, ut nos idem facere doceret. Tota enim vita nostra continuus vel est profectus, vel defectus. Cum enim non proficit, tum deficit, ut ergo non deficiat, semper proficiat oportet, uti fuse docet S. Bern. ep. 253. ubi inter alia ait: *Numquam justus arbitratur se comprehendisse, numquam dicit, Satis est, sed semper esurit, sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se* Tropol.

Digitized by Google

A *in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus, instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipavit famulatui, &c.*

APUD DEUM ET HOMINES] *Primum enim oportet Deo placere, & deinde hominibus*, ait Theophyl. & Beda. Si enim Deo placuerimus, faciet ipse ut & hominibus placeamus, ac nos eis gratos efficiet. Non sufficit placere hominibus, quia hoc sæpe fictum & simulatum est, nec soli Deo, quia hoc privatum & secretum est: sed *Deo & hominibus*, ut gratiam, qua Deo placemus, etiam hominibus ostendamus, itaque eos ad eamdem alliciamus. *Deo* enim *debemus conscientiam, proximis famam*, ait S. Bernardus. Moralia plura vide apud S. Ambrosium, Barradium, Didacum Stellam, & Vincentium Regium hic.

B

CAPUT III.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, describit prædicationem & baptismum Joannis Baptistæ, quo homines disposuit ad gratiam Christi, illamque eis indicavit. Secundo, v. 21. narrat Christum a Joanne baptizatum, cum Spiritus sanctus in eum specie columbæ descendit; & vox Patris audita, Tu es Filius meus dilectus. *Tertio, v. 24. genealogiam Jesu a Joseph, usque ad Adamum pertexit. Primum & secundum, majori ex parte explicui Matthei* 1. *Supereſt ergo tertium.*

VERS. 1 ANno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Judææ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha,

2. sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

C

3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,

4. sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus:

5. omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas:

6. & videbit omnis caro salutare Dei.

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

D

9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

12. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?

13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.

14. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.

15. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus:

16. respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni:

E

17. cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Multa quidem, & alia exhortans evangelizabat populo.

19. Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes,

20. adjecit & hoc super omnia, & inclusit Joannem in carcere,

21. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum:

22. & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,

24. qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph,

25. qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,

26. qui fuit Mahath, qui fuit Mathatiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,

27. qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28. qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,

29. qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi:

G

30. qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,

31. qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,

32. qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,

33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,

34. qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

35. qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36. qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech,

37. qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan:

38. qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

H

ANNO AUTEM QUINTODECIMO IMPERII TIBERII CÆSARIS, PROCURANTE PONTIO PILATO JUDÆAM, TETRARCHA AUTEM GALILÆÆ HERODE, PHILIPPO AUTEM FRATRE EJUS TETRARCHA ITURÆÆ, ET TRACHONITIDIS REGIONIS, ET LYSANIA ABILINÆ TETRARCHA. VERS. 1

SUB PRINCIPIBUS SACERDOTUM ANNA ET CAIPHA, FACTUM EST VERBUM DOMINI SUPER JOANNEM ZACHARIÆ FILIUM, IN DESERTO. VERS. 2

Ab anno duodecimo Christi transit Lucas ad annum ejus trigesimum, quo more Hebræorum cœpit officium doctoris & redemptoris exercere, ac publice prædicare,

IMPERII TIBERII] Tiberius hic, ut patet ex Suetonio in ejus Vita, erat filius Liviæ, quæ postquam peperit Tiberium, nupsit Augusto Cæsari, qui proinde mortuis Cajo & Lucio, suis ex Julia filia nepotibus, Tiberium quasi privignum in filium adoptavit, ac imperii heredem & successorem constituit. Regnavit Augustus a nece Julii Cæsaris annos 57. mortuusque est die 19. Augusti, cum successit ei Tiberius: quare ultimus Augusti annus non fuit integer, sed dimidiatus, talis consequenter fuit primus Tiberius quis?

Digitized by Google

A mus Tiberii, scilicet quinque mensium, puta ab Augusto mense usque ad Januarium, a quo Romani annum inchoare & numerare solebant. Tiberius hic ex Actis Pilati, audiens mira de sanctitate & miraculis Christi, voluit eum inter deos referre, sed obstitit ei Senatus Romanus, eo quod ipso inconsulto id tentasset, ut dixi Matth. 27. vers. 24.

Tiberius voluit Christum inter deos referre.

PROCURANTE PONTIO PILATO JUDÆAM] Nota. Archelaus Herodis Magni, puta infanticidæ filius, ob suam tyrannidem ab Augusto Cæsare ejectus fuit e sua Tetrarchia, actusque in exilium anno 10. tetrarchiæ suæ, qui fuit, ut nonnulli exacti Chronologi volunt, annus Augusti 52. vitæ Christi 12. Quare Augustus Judæam (id est duas tribus, Judam scilicet & Benjamin) tunc Archelao ademptam adjecit ad Syriæ provinciam, ejusque præsidem, qui tum erat Quirinus, vel, ut Lucas vocat, Cyrinus, qui administrationem Judææ commisit Coponio, ac per eum confiscavit facultates Archelai; qua de causa præsides Judææ vocati sunt procuratores, sive administratores, cum revera essent ejus præsides. Unde Pilatus hic a Luca græce vocatur ἡγεμονεύων, id est, *rector*, *dux*, *præses*, *princeps*, & Arabicus vertit, *in dominio Pilati Pontii super Judæam*.

Archelaus in exilium ab Augusto pulsus.

B

Porro Coponio primo Judææ procuratori sive præsidi, ab Augusto suffectus fuit secundus, M. Ambivius; deinde tertius, Annius Rufus, sub quo mortuus est Augustus: cui succedens Tiberius quartum Judææ præsidem creavit Valerium Gratum, deinde quintum Pontium Pilatum, anno Imperii sui 13. Porro Pilatus Judææ præfuit 9. annis, ac secundo ejus anno Christus baptizatus est, quinto vero ab eo crucifixus & mortuus. Quocirca vindice Deo Pilatus a Tiberio anno imperii ejus 23. sive ultimo, relegatus fuit in exilium, Pilato successit sextus Marcellus, septimus Cumanus, octavus Claudius Felix, nonus Porcius Festus (coram his duobus S. Paulus vinctus causam dixit Actor. 23. 24. & c. 24. toto) decimus Albinus, undecimus Florus, cujus anno secundo, qui fuit Neronis imperii 12. Judæi cœperunt rebellare Romanis, ac quinto post anno a Tito expugnata est Jerusalem, & tota Judæa subacta. Hæc omnia fuse narrat Josephus lib. 18. Antiq. c. 1. & seq.

Præsides Judææ.

C

TETRARCHA AUTEM GALILÆÆ HERODE] Arabicus, *in dominio Herodis principis super quartam Galilææ, & Philippi fratris sui principis super quartam Iturææ*. Tetrarcha enim est, qui quartæ (τετρὰ enim in compositione significat *quatuor*, ἀρχὴ est principatus) parti provinciæ, vel regni alicujus præsidet. Unde a Theodoreto vocatur *quadruplaris*.

Tetrarcha quid?

Ut historiam hanc ab ovo intelligas. Nota. Herodes infanticida moriens quinto die post infanticidium, anno secundo Christi, tres filios superstites reliquit (nam cæteros vivens occidit, & Antipatrum quidem in ipso infanticidio) scilicet Archelaum, Herodem Antipam, & Philippum. His de successione in regnum Herodis patris sui inter se contendentibus, Augustus regnum in quatuor partes sive tetrarchias divisit, quibus totidem Tetrarchas, sive principes, vel dynastas præfecit; nimirum Judæam attribuit Archelao, & eo expulso, Coponio; Galilæam Herodi Antipæ; Philippo Ituræam & Trachonitidem; Lysaniæ extero Abilinam. Tetrarchiæ autem hæ erant magnæ & instar regni, ut docet Plinius lib. 5. 18. Unde Herodes Antipas, esto a Matthæo cap. 14. vers. 1. vocetur Tetrarcha, a Marco tamen cap. 6. vers. 14. vocatur rex, uti dixi Matth. 14. Sic & Herodes Agrippa uterque, id est, pater & filius, qui Herodis Antipæ erant nepotes, utpote ex fratre ejus Aristobulo prognati, regis nomen obtinuere a C. Caligula & Claudio Imp. ut patet Actor. 12. 1. & cap. 25. 23.

Quatuor Tetrarchæ ab Augusto Palæstinæ præfecti.

D

PHILIPPO AUTEM FRATRE EJUS TETRARCHA ITURÆÆ ET TRACONITIDIS REGIONIS] Ituræa, ait Adrichomius in Descript. terræ sanctæ pag. 110. num. 60. a *Jethur* sive *Ithur* filio Ismaelis sic appellata; montosa ac nemorosa est *regio, ad radices montis Libani in longum porrecta. Nam a fluvio Jordane sumens initium, juxta eumdem Libanum versus Occidentem ad montes usque Sidoniorum & Tyriorum extenditur, aliquoties etiam saltus Libani nuncupatur.*

Ituræa quæ?

Trachonitis quæ?

Trachon, sive Trachonitis regni instar, ait Plinius lib. 5. cap. 18. regio est trans Jordanem inter Palæstinam & Cœlesyriam sita, Arabiæ desertæ contermina ab Oriente; Damasco a Septentrione, quam occupavit dimidia tribus Manasse.

E

Trachonitis autem regio hæc appellatur, quod saxosa & aspera sit, atque subterraneis meatibus ac cavernis abundet; τραχὺν enim Græcis locum saxosum significat, & *trachones* etiam dicuntur occulti sub terra meatus ac specus. Fontibus & rivis hæc regio penitus caret, ideoque pluviales aquas incolæ per *trachones*, hoc est *meatus subterraneos*, in lacunis tam naturalibus, quam artificiose factis diligenter colligunt, ac eorum plerique in *trachonibus*, id est *speluncis* & cuniculis, commorantur, & ferarum more delitescunt. Rapto libenter vivunt. Ita ex Josepho, VVilhelmo Tyrio & aliis Adrichomius.

ET LYSANIA ABILINÆ TETRARCHA] Beda & Adrichomius censent Lysaniam hunc fuisse quartum Herodis infanticidæ filium, ideoque fratrem Archelai, Herodis Antipæ & Philippi, trium cæterorum Tetrarcharum. Verum contrarium docet Josephus illis pene coævus, scilicet Lysaniam hunc fuisse filium Lysaniæ senioris, qui senior filius fuit Ptolomæi Minnæi, in Chalcide juxta montem Libanum imperantis, eique vita functo quasi filius successit in regnum, antequam Herodes infanticida rex Judææ a Romanis designatus esset. Ita Josephus lib. 14. Antiq. cap. 21. Senior hic occisus est ab Antonio Triumviro, & collega Augusti Cæsaris & Lepidi, impulsu Cleopatræ amasiæ Antonii, quæ regno Lysaniæ inhians, illud avito Ægypti regno adjungere satagebat; occisus inquam est 30. annis ante Christi nativitatem, teste Josepho lib. 15. Antiq. cap. 4. Hic ergo senior Lysanias filium reliquit hunc sibi cognomine Lysaniam juniorem, qui Antigonum in regnum Judææ restituere conatus est, & ejicere Hyrcanum, cui favebat Herodes infanticida, qua de causa Herodes a senatu Romano, urgente Antonio & Augusto Cæsare, rex Judææ, excluso tam Antigono, quam Hyrcano creatus est, uti narrat Josephus lib. 1. Belli cap. 11. qui & lib. 19. Antiq. cap. 4. asserit a Lysania totam ejus regionem dictam fuisse Lysaniam.

Lysanias quis?

F

G

ABILINÆ] Abila, alias Abyla & Abela, egregia Cœlesyriæ urbs est, ad montem Libanum sita, a qua Abilene, sive Abilina regio nomen accepit, quæ ab Oriente adjacet Damasco, ab Occidente Chalcidi, a Septentrione Libano. Huic ergo a Romani præfectus fuit Lysanias. Ita ex Josepho Adrichom.

Abilina quid?

Porro, tam operose Lucas hic principes, tam sæculares quam Ecclesiasticos, puta pontifices Annam & Caipham enumerat. Primo, ut distincte & solide tempus & annum, quo prædicare cœpit Joannes, indeque Christus, assignet. Secundo, ut significet jam defecisse sceptrum a Juda per Herodem alienigenam, ejusque filios Tetrarchas, ac Tiberium & Romanos Judææ imperantes, ac proinde venisse jam Messiam sive Christum, cujus prædicationis exordium ipse hoc capite recenset, juxta oraculum Jacobi Gen. 49. 10. Tertio, ut innuat Israelem inter tot principes partim infideles, partim impios dissectum, eguisse adventu Messiæ, qui eum redintegraret & salvaret. Quarto, quia principes hi in gestis Joannis & Christi, quæ deinceps narrabit Lucas, magnam habuere partem: Nam Tiberius, ut dixi, voluit Christum inter deos referre. Pilatus enim crucifixit, sed coactus a Judæis, cum prius eum esse innocentem sæpius esset protestatus. Herodes Antipas Philippo fratri suo uxorem Herodiadem eripuit, ideoque reprehensus a Joanne eum occidit, ac Christum veste alba indutum illusit. Annas & Caiphas Christum usque ad crucem persecuti sunt, æque ac Apostolos post Christi mortem.

Cur tam studiosus Lucas in enumerandis his principibus?

H

SUB PRINCIPIBUS SACERDOTUM ANNA ET CAIPHA] Sæcularibus principibus adjungit Ecclesiasticos, scilicet pontifices. Dices, Unus dumtaxat erat summus Judæorum pontifex, ut patet ex Josepho & aliis, quomodo ergo hic duo nominantur? Respondet Eusebius lib. 1. Hist. cap. 10. Joannem Baptistam cœpisse prædicare sub Anna, & continuasse usque ad pontificatum Caiphæ. Alii Respondent Annam & Caipham alternis annis vicissim pontificatum gessisse. Verum hæc omnia refellit Josephus lib. 18. cap. 1. & 5. qui multos ponit pontifices medios inter Annam & Caipham, asseritque Caipham creatum pontificem a Va-

Cur duo sacerdotum principes nominati, cum solus munus præscellet.

A Valerio Grato, qui Pilatum proxime antecessit ac perseveravit toto tempore Pilati usque ad finem imperii Cæsaris.

Respondeo igitur unum dumtaxat fuisse summum Judæorum pontificem, scilicet Caipham, sed principes, id est, primores sacerdotum, fuisse plures, ut patet Matth. 26. 3. & passim in passione Christi nominantur principes sacerdotum, sive pontifices, qui Christum apud Pilatum accusarunt, damnarunt, illuserunt, &c. Inter hos ergo principes summi fuere Caiphas & Annas: Caiphas, quia pontifex; Annas, quia socer Caiphæ, & quia ipse pontifex fuerat, ac apud Judæos summæ erat auctoritatis. Unde & post se quinque filios pontifices habuit, teste Josepho lib. 20. Antiq. cap. 8. Hac de causa Christus a Judæis in horto captus, primo ductus est ad Annam, deinde ad Caipham, Matth. 26.

FACTUM EST VERBUM, id est jussio, imperium, mandatum, DOMINI SUPER, id est ad JOANNEM ZACHARIÆ FILIUM] q. d. Jussit Deus anno 15. Tiberii
B Joanni Baptistæ, ut prædicaret, & baptizaret. Jussit, inquam, per inspirationem internam, forte etiam per vocem externam angeli, hoc ei ex parte Dei ore suo denunciantis.

VERS. 3 ET VENIT IN OMNEM REGIONEM JORDANIS, PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ, id est, incitantem ad agendam pœnitentiam, IN REMISSIONEM PECCATORUM] scilicet percipiendam in baptismo Christi: q. d. Joannes prædicabat pœnitentiam, ut per eam se disponerent ad veniam & gratiam accipiendam a Christo. Vide dicta Matth. 3.

VERS. 4 SICUT SCRIPTUM EST IN LIBRO SERMONUM ISAIÆ PROPHETÆ: VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI, RECTAS FACITE SEMITAS EJUS.

VERS. 5 & 6. OMNIS VALLIS IMPLEBITUR, ET OMNIS MONS, ET COLLIS HUMILIABITUR: ET ERUNT PRAVA IN DIRECTA, ET ASPERA IN VIAS PLANAS: ET VIDEBIT OMNIS CARO SALUTARE DEI] Hæc omnia explicui Isaiæ 40.
C v. 2. Porro S. Gregorius hom. 20. in Evang. S. Augustinus, S. Chrysostomus, Beda & alii hæc sic exponunt. q. d. Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur, ut ait Christus. Verum hic sensus huic loco non est genuinus, tum quia valles hic non vocantur humiles, sed potius pusillanimes; tum quia hæc est concio Joannis non prædicentis futura, sed adhortantis ad mutationem vitæ & morum. q. d. Parate, o Judæi, viam Christo quasi Messiæ vestro jam ad vos venturo: quare *omnis vallis implebitur*, id est impleatur: *& omnis mons & collis humiliabitur*, id est humilietur: *& erunt*, id est fiant, vel sint *prava*, id est, viæ obliquæ & anfractuosæ, *in directa: & aspera in vias planas*, hoc est, complanate vias omnes Christo quasi regi jam venturo, ut fieri solet regibus inaugurandis, ut viæ asperæ fiant planæ & æquales. q. d. Tollite e mentibus vestris omne quod pravum, distortum, inæquale, altum nimis vel depressum est, v. g. qui superbiæ montem in corde gerit, tumorem hunc deprimat; qui vallem pusillanimitatis & acediæ in se continet, eam impleat, clevet
D & adæquet per magnanimitatem & fiduciam in Deum, qui asperus est moribus, ad suavitatem & modestiam se componat.

ET VIDEBIT, id est, ita fiet, UT OMNIS CARO, id est omnis homo videat, id est, videre possit, oculis tum corporis, tum potius mentis, SALUTARE DEI] id est Salvatorem Christum: videat, inquam, id est, in se sentiat & experiatur salutem & vim gratiæ a Christo allatæ.

Audi S. Gregor. hom. 20. in Evang. *Omnis vallis implebitur: Quia*, inquit, *donum humiles accipiunt, quo a se corda superbientium repellunt. Prava, directa fiunt, cum malorum corda per injustitiam detorta, ad justitiæ regulam diriguntur, & aspera in vias planas immutantur, cum immites atque iracunda mentes, per infusionem superne gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt.*

Cætera a vers. 7. usque ad vers. 10. audivimus Matth. 3. vers. 7. ubi ea explicui.

VERS. 10 ET INTERROGABANT EUM TURBÆ: QUID ERGO FACIEMUS?] ut dignos pœnitentiæ fructus faciamus, itaque excidium a te comminatum evadamus, & salutem æternam consequamur, ne scilicet excidamur &
E in ignem æternum mittamur, ait Interlin. Joannes arguerat Pharisæos & turbas, sed Pharisæi *spreverunt consilium Dei* c. 7. 30. ideoque concionem Joannis; turba vero & plebs, ejus vi permota & compuncta, quærit modum pœnitentiæ ad capessenda Joannis jussa, ac promptam paratamque se ei offert. Ita & hodie plebeji facilius capessunt monita concionatorum, quam potentes, ideoque præ illis salvantur.

RESPONDENS AUTEM DICEBAT ILLIS: QUI HABET DUAS TUNICAS, DET NON HABENTI, ET QUI HABET ESCAS, SIMILITER FACIAT] Est synecdoche: nam ex una specie magis communi & necessaria, uti est vestire & cibare pauperem, intelligit omne genus eleemosynæ. *Duas*, ita scilicet ut una sufficiat ad corpus vestiendum & calefaciendum, ideoque altera sit superflua, hic illam *det non habenti*, id est, nullam habenti, sed nudo & indigenti: nam si utraque sit necessaria habenti, ipse non tenetur alteram erogare pauperi. Ita S. Hieronymus quæst. 1. ad Hedibiam, & S. Ambrosius hic, quem audi: *Misericordiæ*, inquit, *pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quæ habet cum paupere partiatur.* Additque: *Facies ergo fructum qui potest, gratiæ: qui habet, pœnitentiæ. Misericordiæ communis est usus, ideo commune præceptum, misericordia plenitudo virtutum est.* Et S. Gregorius: *Idcirco de dividendis tunicis datur præceptum, quia si una dividitur, nemo vestitur*, si vero duæ dividantur, duo vestiuntur. Et S. Basil. *Docemur*, ait, *ex omni, quod affluit, debere nos erogare ei, qui non habet.* Hic ergo est unus e dignis pœnitentiæ fructibus, nimirum actus misericordiæ & eleemosynæ, juxta consilium Danielis cap. 4. 24. ad Nabuchodonosor: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Vide ibi dicta. Adde, eleemosyna recte componit vitam ad omnem virtutem. Nam omnis virtus aut est debita, aut indebita & gratuita: debita, est justitia; indebita, misericordia: quare misericordia & pro se & pro justitia satisfacit; tum quia qui dat sua, non rapiet, sed restituet aliena: tum quia qui dat indebita & gratuita, multo magis solvet debita, ad quæ ex
G justitia aliave virtute obligatur: tum quia misericordia fit ex amore, & charitate: charitas autem est plenitudo legis. Nam *qui diligit, legem implevit.* Rom. 13. Quocirca apte Euthymius. *Turbis*, inquit, *ut mutua benevolentia se complectantur, mutuis operibus se mutuo sublevent, injungit.* Turbæ enim facile capiunt actus misericordiæ & in eos propendunt, cum ad orationem, jejunia, operaque pœnitentiæ sint difficiles, & subinde inhabiles.

VERS. 11 VENERUNT AUTEM ET PUBLICANI UT BAPTIZARENTUR, ET DIXERUNT AD ILLUM: MAGISTER QUID FACIEMUS?] ut animas nostras salvemus. Hic impletur illud Christi: *Publicani & meretrices precedent vos* (o Scribæ) *in regno Dei*, Matth. 21. 31. Peccatores enim magno spiritu a Joanne correpti compungebantur, culpam agnoscebant & quærebant pœnitentiam: Scribæ vero superbi putantes se esse justos & sapientes, eam aspernabantur.

VERS. 13 AT ILLE DIXIT AD EOS: NIHIL AMPLIUS QUAM QUOD CONSTITUTUM EST VOBIS, FACIATIS] in exactione vectigalium, græce enim est πράσσετε, quod & *faciatis* & *exigatis* verti potest, sed hic clarius *exigatis*, uti interpretantur Syrus & Græci. Ita Jansen. Maldon. Franc. Lucas & alii. Solent enim publicani ex avaritia augere vectigal, plusque exigere, quam a principe constitutum sit, quod est furtum vel rapina: quare illud hic taxat Joan. *Moderate præcepit*, ait Aug. serm. 3. de Diversis, *ut & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeat vectigal effectum: ita singulis generationibus hominum conveniens Baptista tribuit responsum*, ait S. Ambrosius. Idem faciat concionator, ut in particulari uxoribus, maritis, filiis, ancillis, servis, mercatoribus, agricolis, advocatis, &c. præscribat quid facere debeant, ac propria cuique vitæ præcepta tradat.

VERS. 14 INTERROGABANT AUTEM EUM ET MILITES, DICENTES: QUID FACIEMUS ET NOS? ET AIT ILLIS: NEMINEM CONCUTIATIS, NEQUE CALUMNIAM FACIATIS, ET CONTENTI ESTOTE STIPENDIIS VESTRIS.

MILITES] Militantes partim sub Herode Antipa contra Aretam regem Arabum; partim sub præfecto templi,

A templi, partim sub Pilato præside Romano, hi audientes Joannem detonantem in vitia, eisque gehennam minantem conscii sibi rapinarum aliorumque scelerum, quæ milites committere solent, voce Joannis compuncti, æque ac publicani, ab eo poscunt remedium pœnitentiæ, vitæ honestæ & salutis: quibus tria assignat Joannes tribus militum vitiis opposita, quorum primum est, violentia; secundum, calumnia; tertium, rapina. Violentiam excludit Joannes dicens: *Neminem concutiatis*, id est, nemini vim inferatis. Calumniam excludit dicens: *Neque calumniam faciatis, μηδὲ συκοφαντήσητε*, id est, ne sitis sycophantæ, ut innoxiis impingatis crimen aliquod, accusando eos quod sint fautores hostium, inimici, insidiatores, ut eos expolietis, vel eorum bona invadatis. Vetat ergo *ne ab eis calumniando predam requirant*, quibus, *militando prodesse debuerant*, ait Beda. Rapinam excludit dicens: *Contenti estote stipendiis vestris*. Simili modo Aurelianus Imper. æqui amantissimus, ait Vopiscus in ejus Vita, scribens ad vicarium suum: *Si vis*, inquit, *tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat. Uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. Depreda hostis, non de lacrymis provincialium habeat: armaterfa sint, ferramenta famiata, calceamenta fortia. Vestis nova vestem veterem excludat: stipendium in balteo non in popina habeat: torquem brachialem & annulum apponat: equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi servus obsequatur: a medicis gratis curentur; Aruspicibus nihil dent: in hospitiis caste se agant: qui litem fecerit vapulet.*

Trià militum vitia.

B

Tacite ergo insinuat Joannes, positis hisce tribus conditionibus licere militare, & bellum esse licitum, uti docet S. Ambr. serm. 7. & S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 74.

Extat insignis libellus Ferrandi Diaconi Carthag. qui floruit anno Christi 500. ac S. Fulgentio Ruspensi Episcopo fuit amicus & familiaris, ad Reginum Comitem, in quo militi, imo duci militum, qualis erat Reginus, hæc septem innocentiæ dat præcepta.

C

Septem militibus præcepta. Primum.

Prima, inquit, *innocentiæ regula est, quam tenere inter actus debeas militares, ut nihil viribus tuis superbus adsignes, sed omnia quæ sapienter aut fortiter aut feliciter geris, ad laudem referas potentissimi creatoris.* Secunda.

Secunda regula est innocentiæ, militaribus actibus occupato, ut quasi in speculo, sic in illo milites videant quid agere debeant, & magis eos imitatio ad bonum provocet, quam potestas. Dux enim sapiens illuc debet ire, quo cupit ducere subditos: ideo enim dicitur dux, quia ducit. Tu ergo esto signifer disciplinæ sanctissimæ, tu erige tropheum veritatis intuendum jugiter cæteris, tu imitandus appare, præsertim in hisce tribus, quæ hic Baptista sancit, & Ferrandus ibidem fuse explicat & exaggerat. Tertium.

Tertia innocentiæ regula est si præsis, ut prosis: prodesse autem videberis, si tempus & locum tuæ administrationis intelligas, quæ deinde ipse particulatim declarat. Quartum.

Quarta regula est, ut diligas rempubl. sicut reipsum charitate libera, uti dilexit Moses orans pro populo deleri de libro vitæ, Exodi 32. & David in peste dicens angelo percutienti: *Convertatur manus tua in me, & in domum patris mei. Isti qui oves sunt, quid fecerunt?* 2. Reg. 24. Quintum.

D

Quinta regula est: Deficiat temporibus administrationis tuæ peccantium synagoga, crescat electorum numerus. Gaude ad lucra Christi, dole in dispendiis. Sextum.

Sexta regula est: Quidquid dixeris, gesseris, disposueris, ut Deo & hominibus placeas, & fervore charitatis mirabiliter iniquitatis frigus excludas. Noli esse multum justus, neque sapiens plusquam necesse est! Explicat idipsum: *Esto justus ut corripias inquietos; noli esse multum justus ut consoleris pusillanimes, ut suscipias infirmos, & patiens sis ad omnes. Considera ergo quibus imperes, & quam dura flectere cupias, ut modo minando, modo feriendo, modo veniam largiendo nullatenus quidem remanere impunita militum peccata dimittas: neque tamen semper excessibus eorum supplicia condigna retribuas, dicens tibi ipsi: Noli esse multum justus.* Septimum.

Septima regula est; Pietas ad omnia utilis est, gubernationi, reipublicæ, securitati, saluti, concordiæ plus prospicitur, quando dux optimus amari eligit, non timeri. Dux amabilis, murus est patriæ. Et inferius: *Plus esto bonus quam severus: quia hæc est ducis optimi sola perfecta laus, oblivisci semper injurias.*

VERS. 15 EXISTIMANTE AUT POPULO (græce; προσδοκῶντος, id est, suspicante, existimante, expectante, ut vertit Vatabl. sperante, seu spe, desiderio & expectatione suspenso populo,) ET COGITANTIBUS OMNIBUS IN CORDIBUS SUIS DE JOANNE, NE FORTE IPSE ESSET CHRISTUS] scilicet Messias patribus promissus, & tam avide certoque hoc tempore, quo sceptrum a Juda erat translatum, & 70. hebdomades Danielis Christi prænunciæ erat impletæ, a Judæis omnibus expectatus. Unde populo hanc de Joanne famam spargente, tandem ipsi primores Judæorum ad eum legatos miserunt, qui rogarent an ipse esset Christus? Joann. 1. v. 19. Adeo sanctus erat Joannes. Ita S. Ambros. Beda & alii. E

VERS. 16 RESPONDIT JOANNES, DICENS OMNIBUS: EGO QUIDEM AQUA BAPTIZO VOS, VENIET AUTEM FORTIOR ME] scilicet Messias. Cætera quæ subdit hic Lucas, explicui Matth. 3. v. 11.

Moraliter Origenes, monentur hic, ait, concionatores, ne patiantur se a populo nimis laudari, vel honorari, sed laudes & honores hos supprimant, & ad Christum referant, ne ob superbiam iis a Christo priventur.

VERS. 23 ET IPSE JESUS ERAT INCIPIENS QUASI ANNORUM TRIGINTA] *τὸ incipiens* non referas ad *τὸ annorum triginta*; sic enim redundaret vox *quasi*, sed ad prædicationem publicam Jesu, ad quam missus erat a Patre. q. d. Jesus cum in baptismo per columbam & vocem Patris declaratus est Messias orbis doctor, legislator, & salvator, ideoque hoc suum munus & officium exercere, ac publice legem Evangelicam docere, & prædicare inciperet, *erat quasi annorum triginta*. Patet ex Græco, qui habet: *Et Jesus erat quasi annorum triginta incipiens*, id est, cum inciperet officio fungi, & prædicare. Ita Jansenius, Baronius, & alii. F

Quo anno Christus cœperit prædicare.

Nota *τὸ quasi*, id est circiter: non enim definit an Jesus præcise fuerit annorum 30. Nam si Jesum natum dicamus anno Augusti 42. Jesus hoc anno sui baptismi, qui fuit Tiberii Imp. decimus quintus, explebat annum ætatis 29. & inchoabat trigesimum. Sin dicamus eum natum anno 41. Augusti, explebat annum trigesimum: sin vero dicamus eum natum anno 40. Augusti, explebat annum 31. & inchoabat 32. per 13. dies. Nam Augustus regnavit 57. annos, sed ultimus ejus annus fuit dimidius dumtaxat, quia mortuus est in Augusto, tumque successit ei Tiberius: quare primus pariter Tiberii annus non fuit integer, sed dimidius, scilicet a mense Augusti usque ad Januarium, quo novus annus more Romano, ideoque secundus Tiberii annus numerari incipiebat. Christus vero natus est anno 40. Augusti finiente, puta die 25. Decembris. Adde sedecim reliquos Augusti annos, & quindecim Tiberii, habebis annos vitæ Christi 31. ideoque Lucas addit *τὸ quasi*, id est circiter plus minus. Vide dicta c. 2. vers. 1. G

ANNORUM TRIGINTA] q. d. Joannes, & paulo post Christus, cœpit prædicare non præpropere, sed justa ætate. Tradunt enim Hebræi, ante annum trigesimum nemini fuisse licitum publice docere, tum enim virilis & stata est ætas, ac judicium plane maturum & perfectum est, idque satis colligitur ex 1. Paral. 23. 3.

UT PUTABATUR FILIUS JOSEPH, QUI FUIT (*filius*, ait Arabicus hic & in sequent. omnibus) HELI, QUI FUIT MATHAT] Ex hoc loco Porphyrius & Julianus Apostata Lucam falsitatis arguebant, eo quod Joseph non fuerit filius Heli, sed Jacob, ut ait Mart. c. 1. quodque Lucas cæteros Joseph, & Heli progenitores plene alios nominet ab iis, quos nominat Matthæus. Adde, quod hæc faciunt ad genealogiam Jesu, qui non fuit filius Joseph, sed natus est ex Maria Virgine. H

Conciliatio genealogiæ Christi. Primo.

Primo, respondet S. Aug. lib. 2. de Consensu Evang. c. 13. Joseph fuisse filium naturalem Jacob, sed adoptivum Heli. Sed id retractat. l. 1. Retract. c. 7. & merito. Nam hic naturales quæruntur filii, non adoptivi: alioqui enim Jesus Davidis & Abrahæ non esset naturalis filius, sed tantum adoptatus.

Secundo.

Secundo, S. Hilarius in Matth. c. 1. & S. Ambr. hic respondent, Matthæum enarrare Christi generationem regiam, sive ex regibus; Lucam vero sacerdotalem sive ex sacerdotibus, sed hoc æque obscurum est, difficile & insufficiens.

Tertio. Quomodo Joseph potuerit esse filius Jacob & Heli.

Tertio, alii respondent Joseph fuisse filium naturalem Jacob, sed legalem Heli: nam ex lege veteri Deuter. 25. vers. 5. fratri sine liberis mortuo (uti videtur fuisse Heli) frater superstes (uti hic videtur fuisse Jacob) debebat suscitare semen, id est filios, quorum frater mor-

A mortuus illiberis; cenſebatur eſſe pater legalis. Nimirum Jeſca, ait Euthymius, nupſit Mathat, ex eoque genuit Heli: deinde eadem nupſit Mathan, ex eoque genuit Jacob. Porro Heli mortuus eſt ſine filiis: quare uxorem ejus juxta legem accepit frater ejus Jacob, ex eaque genuit Joſeph, qui proinde fuit filius naturalis Jacob, ſed legalis Heli: ſic ergo Heli hic vocatur pater legalis Joſeph. Ita veteres paſſim, ut Juſtinus, Julius Africanus, S. Hieronymus, Euſebius, Nazianzenus, S. Auguſtinus, lib. 2. Retract. cap. 7. S. Ambroſius, S. Thomas, Anſelmus, Beda, Damaſcenus, Salmeron, quos fuſe citat hic Maldonatus & Suarez 3. p. qu. 27. art. 1. Sed hi coguntur aſſerere, quod Heli & Jacob fuerint fratres uterini dumtaxat, quia ſcilicet habuere eamdem matrem, nam patres habuere diverſos: pater enim Heli fuit Mathat, ut ait Lucas: pater vero Jacob fuit Mathan, ut ait Matthæus: ac reliqui omnes horum duorum avi &

B avabi, plane alii & diverſi ſunt apud Lucam ab iis, quos aſſignat Matthæus. Lex autem jubens fratri defuncto ſine liberis ſuſcitari ſemen, loquitur de fratribus non uterinis, ſed germanis ex eodem patre prognatis. Hi enim ſoli retinebant nomen, & hæreditatem patris. Adde Jeſcam hic impertinenter induci. Eſto enim in ea velut matre coeant uterini fratres Jacob, & Heli, tamen coire nequeunt in Mathat & Mathan, cæteriſque eorum anteceſſoribus uſque ad Davidem. Nihil ergo illi hic faciunt ad propoſitum, ſcilicet ad genealogiam B. Mariæ & Chriſti, ita ut ex illis oſtendatur Jeſus ex ſemine Davidis ſecundum carnem eſſe prognatus. Si enim Jeſus natus eſt ex Jeſca & Mathat, idem non potuit gigni ex Jeſca, & Mathan: quomodo ergo Jeſus ponitur filius tam Mathan quam Mathat?

Quarto. Quarto, alii reſpondent Lucam, quia Gentibus ſcribit, genus proprium Jeſu texere per virginem matrem, cujus maritus erat Joſeph: Joſeph ergo, inquiunt, dicitur filius, id eſt gener, Heli; Heli enim idem eſt cum Joachim, qui fuit pater B. Virginis: Matthæum vero, quia ſcribit Judæis, eorum more texere genus

C Chriſti per Joſeph, qui fuit pater putativus Chriſti.

Verum, nec hoc ſatisfacit: nam ſic genealogia, quam texit Matthæus, vere non pertinebit ad Chriſtum; cum ipſe vere non fuerit filius Joſeph, ſed ſolius Virginis: ac conſequenter Chriſtus vere non deſcendit per Salomonem (quod licet concedat vir doctus, tamen contrarium innuit Scriptura 2. Reg. 7. 12. & Pſal. 88. 37.) ut habet Matthæus, ſed per Nathan, uti habet Lucas.

Quinto. Genuinæ Mathan communis avus Joſephi & B. Virginis. Dico ergo, valde veriſimile eſt, quod tempore Chriſti notiſſimum erat, Mathan fuiſſe communem avum Joſephi, & B. Virginis: Jacob vero, qui fuit pater Joſephi, ac Heli ſive Joachim (qui fuit pater B. Virginis) fuiſſe fratres germanos, ut vult Franc. Lucas, aut potius Jacob fuiſſe fratrem S. Annæ, quæ fuit uxor Heli, ſive Joachim, ex quibus genita eſt B. Virgo: quare dum unius genealogia deſcribitur, alterius quoque deſcribitur. Nam B. Virgo per matrem Annam naturaliter deſcendebat ex Jacob, Mathan & Salomone; per patrem vero Heli, ſive Joachim, deſcendebat ex Mathat & Nathan. Matthæus ergo texit genealogiam B. Virginis, ejuſque filii Chriſti per matrem, ſcilicet S. Annam, quæ fuit ſoror Jacob, & filia Mathan, nupſitque Heli ſive Joachim, ex eoque genuit B. Mariam; Lucas vero texit per patrem, puta per Heli, id eſt Joachim, ut oſtendatur Chriſtum tam per patrem, quam per matrem deſcendere ex ſemine Davidis.

Prob. Primo. Hæc ſententia probatur Primo, ex cæterarum refutatione.

Secundo. Secundo, quia non eſt alius modus aptior conciliandi genealogias Matthæi & Lucæ, niſi hic: quare ad eum nos cogit Matthæus & Lucas: nam alioqui alterutra genealogia, ſcilicet vel Matthæi, vel Lucæ, nil pertinebit ad B. Virginem, & Chriſtum, ſed tantum ad Joſeph, qui vere non fuit pater Chriſti. Cum ergo utraque genealogia hæc aſſeratur a Luca & Matthæo, ut per utramque oſtendatur Chriſtum vere & naturaliter ex ſemine Davidis eſſe prognatum, uti aſſerit Scriptura; neceſſario dicendum eſt ex utraque non legaliter, ſed naturaliter ſecundum carnem prognatam eſſe B. Virginem & Chriſtum. B

Tertio. Tertio, quia Lucam texere genealogiam Chriſti per avum ejus Heli, ſive Joachim maritum S. Annæ, & patrem B. Virginis communis eſt Doctorum ſententia, S. Auguſtini, Dionyſii Carthuſ. Cajetani, Janſenii, Palacii, Gagneji, Galatini, Driedonis, Caniſii, Melchioris Cani, Dominici Soto, quos citat & ſequitur Suarez 3. part. quæſt. 27. art. 1. diſp. 3. ſect. 2. Ergo neceſſario dicendum eſt genealogiam Matthæi texi per S. Annam, eamque fuiſſe filiam Mathan: alioqui omnes ejus avi & abavi, quos recenſet Matthæus, ad Joſeph tantum pertinebunt, non vero ad B. Virginem & Chriſtum.

Quarto. Quarto, huic ſententiæ favet, quod Num. cap. 6, verſ. 7. fœminæ, quæ deficiente prole maſcula parentum ſuorum ſunt hæredes, jubentur nubere non ſolum in eadem tribu, ſed etiam in eadem cognatione & familia proxima; ne ſcilicet hæreditas illa ad remotos abeat, ſed ad proximos, qui viciniſſimum ad eam jus habent, tranſeat. Ergo Maria (quæ unica erat Joachimi, & Annæ filia, adeoque eorum hæres) & Joſeph fuerunt ejuſdem familiæ ſcilicet filii, id eſt nepotes Mathan avi ſui. Cum ergo Matthæus genealogiam Chriſti texiſſet per aviam Annam uſque ad Salomonem, & Davidem, Lucas eamdem texere voluit per Nathan, & Davidem, ut oſtenderet duplici titulo Jeſum fuiſſe Davidis filium, & duplici jure in regnum Davidis ſucceſſiſſe. Nathan enim a Salomone proximus regno fuerat. Communis enim Patrum & Doctorum, ut S. Ambroſii libr. 3. in Lucam, S. Hieronymi & Theodoreti in cap. 22. Jerem. S. Bernardi in illud, *Signum magnum*, Suarez, & aliorum ſententia eſt, B. Virginem & Chriſtum ex regibus, ſcilicet Salomone, & Davide genus traxiſſe. Ergo B. Virgo per matrem Annam deſcendit a Natan, & Salomone, ut habet Matthæus. Nam Lucas non nominat Salomonem, ſed pro eo ponit Nathan. Imo idipſum innuit Scriptura Pſ. 131. *De fructu ventris tui* (o David) *ponam ſuper ſedem tuam*, id eſt, Chriſtum filium tuum, o David, tibi in regno tuo ſubſtituam. Et Lucæ 1. *Erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui*: Domus enim David eſt ſtirps regia Davidis. F G

Igitur Matthæus texit genealogiam Chriſti per Joſeph patrem, Lucas per B. Mariam matrem, utraque coit in Davide; ſed ab eo dividitur per duos ejus filios Salomonem & Nathan, in duos ordines utrimque deſcendentium continue uſque ad Joſeph, & Mariam. Per Salomonem deducit Matthæus, per Nathan Lucas. Heli ergo dicitur pater Joſeph; pater, id eſt ſocer, Heli enim per apocopen idem eſt qui Eliachim, ſive Joachim, maritus B. Annæ, & pater B. Virginis, cujus maritus erat Joſeph, ideoque gener Joachim & Annæ. Sic Joachim rex Juda vocatur Eliachim 4. Reg. 23. 34. & 2. Paral. 36. v. 4. ac Eliachim pontifex vocatur Joachim Judith 4. v. 11. Sicut enim *Jehova* vel *Jo* in *Joachim* eſt nomen Dei, ſic & *El* eſt nomen Dei in nomine *Eliacim*, ita Rabbini & Hilarius. H

Porro duæ hæ genealogiæ Chriſti ſeries, quas Lucas texit per Nathan, & Matthæus per Salomonem, coeunt in S. Anna, quæ fuit filia Mathan & ſoror Jacob patris Joſephi. Anna enim nupſit Heli ſive Joachim, qui deſcendit ex Nathan. Anna autem fuit mater B. Virginis, quæ nupſit Joſepho, qui fuit filius Jacob, Mathan, Eleazar, &c. uſque ad Salomonem.

Accipe tabulam in qua genealogiæ totius Chriſti, & cognatorum ejus ſeriem gradumque ad oculum perſpicies, ex Patribus & neotericis, ac præſertim ex Chriſtophoro a Caſtro cap. 1. de Deipara probabiliter, ſed accurate concinnatam.

Tabu-

Digitized by Google

A

Tabula genealogiæ Christi ex SS. Matthæo & Luca.

DAVID,

ex quo geniti

Genealogia Christi ex S. Matthæo.			*Genealogia Christi ex S. Luca.*
	Salomon	Nathan	
	Roboam	Mathatha	
	Abia	Menna	
	Josaphat	Melea	
	Joram, &c.	Eliakim, &c.	
	Eliud		
	Eleazer		
B	Mathan	Levi	
	ex quo geniti	Mathat	

Sobe, *quæ genuit* Elisabetham *uxorem Zachariæ, & matrem Joannis Baptistæ, ex quo geniti* — Jacob — Anna, *quæ nupsit* Heli, *id est* Joachimo, *ex quibus genita* F

Cleophas *vel* Alphæus, *cujus uxor* Maria, *ex quibus geniti* — Joseph, *cujus uxor* Maria *mater* Jesu Christi

| Salome *uxor Zebedæi, ex quibus geniti* | Maria *Matth.* 28. *vers.* 1. | Jacobus Minor, *Apostolus, frater Domini, dictus* Alphæi, *primus Episcopus Hierosolymæ, Actor.* 1. 13. *Mar.* 15. 40. *Galat.* 1. | Joses *seu* Joseph *Matth.* 27. *vers.* 56. *Marc.* 15. *vers.* 40. | Judas *Apostolus, cognomento* Thaddæus *&* Lebbæus, *frater Jacobi Minoris, auctor Epistolæ Canonicæ, Actor.* 1. 13. *Luc.* 6. 16. *Matth.* 10. 3. | Simeon, *sive* Simon, *Marc.* 6. 3. *qui successit Jacobo fratri suo in Episcopatu Hierosolymæ, Martyrque occubuit anno* 10. *Trajani cum annum ageret* 120. |

Jacobus Major, Joannes Evangelista.

G

C Ex hac tabula liquet, B. Virginem per matrem S. Annam descendere per Mathan ex Salomone, æque ac descendit Joseph, per patrem vero Eli, sive Joachim, descendere ex Nathan, qui fuit frater Salomonis, & filius David. Rursum ex ea liquet, S. Annam fuisse sororem Jacob, & amitam Joseph, ideoque S. Mariam per matrem Annam, & Josephum per patrem Jacob, eumdem habere avum Mathan, eosdemque cæteros proavos usque ad Salomonem & Davidem, quare Matthæum, dum texit genealogiam Josephi per Jacob, & Mathan, texere quoque genealogiam Mariæ & Christi, qui per matrem, & aviam Annam recta descendit ex Mathan, & cæteris usque ad Nathan.

Porro Mathan quasi patri filios jam dictos assignat Menæum, id est, Officium Ecclesiasticum Græcorum, die 8. Septembris, ubi ipsi hymnis & laudibus B. Virginis natales parentes & avos celebrant. Cajetanus & Lyranus hic; item Joannes Annius in Comment. Philonis, Joannes Lucidus, Petrus Galatinus de Arcanis fidei, & alii, quin & S. Hippolytus Episcop. Portuensis & Martyr apud Nicephorum lib. 2. c. 3. Mathan dat duas filias, scilicet *Sobe* matrem S. Elisabethæ, ex qua natus est Joannes Baptista, & *Annam* matrem B. Virginis, ex qua natus est Jesus. Cleopham fratrem fuisse S. Joseph sponsi B. Virginis, diserte docet Hegesippus, qui sub tempore Apostolorum vixit, apud Eusebium lib. 3. cap. 10. & 16. Cleophæ vero quasi patri filios jam recensitos attribuunt S. Epiphanius, S. Chrysost. Hegesippus, Eusebius, Theodoretus, Beda, Nicephorus, & alii, quos citat noster Christoph. a Castro in Histor. B. Virginis cap. 1. Quare licet Baronius putet aliam esse Mariam Cleophæ, quæ S. Simeonis Hierosolymorum Episcopi fuit mater, a Maria Jacobi & Joseph, scilicet matre; tamen unam eamdemque fuisse docent auctores jam citati, & S. Hieronymus contra Helvidium, Isidorus, Beda & Anselm. quos citat Christoph. a Castro cap. 3. p. 126. Salomen autem fuisse uxorem Zebedæi ex eoque genuisse Jacobum & Joannem, docent S. Epiphanius, Origenes, Theodoretus, auctor Imperfecti, Theophl. Euthym. & alii, quos citat a Castro de Deipara cap. 1. imo S. Marcus cap. 15. 40. *Salomen* vocat illam, quam S. Matthæus cap. 27. 56. nuncupat *matrem filiorum Zebedæi.*

D

Ex dictis liquet, S. Elisabetham fuisse consobrinam B. Virginis, ac neptem S. Annæ, ex ejus sorore dicta Sobe; quam Sigebertus & alii vocant Esmeriam. Rursum S. Jacobum Minorem & S. Judam Apostolos, ac Simonem Episcopum Hierosolymitanum fuisse consobrinos Christi in primo gradu, quia fuerint filii Cleophæ, fratris Josephi sponsi B. Virginis, quæ fuit Mater Christi. Jacobum vero Majorem, & Joannem Evangelistam fuisse consobrinos Christi in secundo gradu, quia Salome eorum mater fuit soror S. Jacobi Minoris, S. Judæ; & S. Simeonis. Omnium vero amita fuit S. Anna mater B. Virginis: S. Anna enim fuit soror Jacobi senioris, filii Mathan; hic autem Jacob fuit pater Joseph, & Cleophæ, Cleophas autem genuit S. Jacobum, S. Judam, S. Simeonem, & Salomen, cujus Salomes filii fuere S. Jacobus Major, & S. Joannes Evangelista; ac proinde S. Anna horum duorum fuit proamita. Jacobus ergo Minor fuit avunculus Jacobi Majoris, illoque senior; hic tamen dictus est Major, non ætate, sed electione & vocatione Christi.

S. Elisabetha consobrina B. Virginis, neptis S. Annæ.

Jacobus Minor avunculus Jacobi Majoris.

Denique Simeon frater SS. Jacobi & Judæ, diversus est a Simone Chananæo Apostolo, licet contrarium aliquando senserit Beda, sed postea idipsum retractavit. Nam ille oriundus fuit ex Nazareth, hic ex Cana Galilææ: ille fuit Episcopus Jerusalem post S. Jacobum fratrem suum, hic Apostolus; ille Martyr obiit sub Trajano die 18. Februarii, hic longe anterius die 28. Octobris, quando Ecclesia eorum festa celebrat.

H

Jam sorores Jacobi, Joseph, Judæ, Simeonis, ex eodem Cleopha patre, & Maria ejus conjuge, quarum meminit Matthæus cap. 13. 55. & Marcus cap. 6. 3. duas fuisse refert Hippolytus apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. uni nomen Esther, alteri Tamar. Sanctus Epiphanius vero hæresi 78. & Theophylact. in 13. Matthæi vocant eas Mariam & Salomen, quæ nomina ex Evangelio non obscure colligi possunt, ait a Castro cap. 1. de Deipara pag. 49.

QUI FUIT HELI] *τὸ qui* potest referri ad Joseph, q.d. Joseph fuit filius, id est gener, Heli, id est Joachim, quia duxit ejus filiam, scilicet B. Mariam Virginem in uxorem, ideoque Lucas non utitur verbo *genuit*, uti Matthæus, sed verbo *fuit*; scil. vel gener vel filius naturalis, vel etiam opus

A & plasma, ut cùm dicitur de Adam vers. ult. *qui fuit Dei*, scilicet plasma; Adam enim non fuit filius Dei, sed plasmatus & formatus a Deo.

Rursum pronomen *qui* ex Græco plane refer as ad *Jesus*, q.d. Jesus fuit filius, id est nepos Heli sive Joachim, quia ex eo quasi avo per B. Virginem quasi matrem progenitus est. Cum enim Lucas præmisisset, Joseph non esse verum patrem Christi, sed tantum putativum, non erat ratio, cur Josephi genealogiam statim subjungeret, sed potius prosapiam B. Virginis & Christi, secundum carnem: hanc enim describere intendit Lucas æque ac Matthæus; atque hic est finis & scopus genealogiæ utriusque. Ita S. August. (vel quisquis est Auctor, non enim videtur esse S. Augustini) lib. 1. Quæst. veteris & novi testamenti quæst. 56. & lib. 2. quæst. 6.

VERS. 24 QUI FUIT JANNE] Hic est Jannæus, secundus Hyrcanus, si Annio ejusque Philoni credimus, postremus Judæorum dux ex prosapia Davidis, & stirpe Asamonæorum, sive Machabæorum, de quo Joseph. l. 12. c. 4. & 5. & Eu-
B sebius in Chronico. Christus enim tam a Pontificibus, quales fuere Judas, Jonathas, Simon, Machabæi, quam a regibus descendit, quasi rex & pontifex, uti docet D. Thomas, & Bonaventura, ac ex Patribus S. Nazianz. & August. quos citat & sequitur Suarez loco citato. Reges enim Juda uxores ducebant filias Pontificum.

VERS. 27 QUI FUIT ZOROBABEL, QUI FUIT SALATHIEL] Hi duo, alii & diversi sunt a Zorobabel, & Salathiel, quos recensct Matth. cap. 1. aitque eos a Davide per Salomonem esse prognatos, cum hi Lucæ a Davide per Nathan descendant, ac proinde omnes avos, & abavos habeant diversos ab illis Matthæi. Ita Toletus, Pererius, Franc. Lucas & alii. Forte hi Lucæ ex Nathan descendentes, ad principatum assumpti, mutuati sunt nomina eorum, qui a Salomonis familia in principatu illustres evaserunt.

VERS. 31 QUI FUIT NATHAN, QUI FUIT DAVID] Nonnulli putant Nathan hunc esse Prophetam illum, qui Davidem de adulterio cum Bethsabee perpetrato reprehendit,
Quis hic Nathan? 2. Reg. 12. 1. Ita Origenes, Lyranus, Burg. Albertus Magnus, quin & S. Aug. lib. 83. quæst. 61. Verum idem S. August. merito id retractat lib. 1. Retract. cap. 26. quia hic Nathan natus est ex Davide & Bethsabee, post adulterium jam legitimo matrimonio copulatis, ut patet 2. Reg. 5. 14. & 1. Paral. 3. 5.

VERS. 36 QUI FUIT CAINAN] Hunc Cainan omittunt & exhibent Hebræus & Chaldæus Gen. 11. vers. 12. & 1. Paralip. 1. vers. 18, & 24. Addunt vero eumdem ibidem Septuag. & ex iis Lucas hic. Problema ergo chronologicum est, an Cainan hic Christi genealogiæ & chronologiæ inserendus sit cum Septuaginta, & Luca, an vero omittendus cum Mose? In Genesi cum Mose steti pro Mose, & rationes attuli cur omittendus videatur Cainan. Nunc in Luca stabo pro Luca, & rationes cur inserendus sit, afferam. Lector judicet & eligat quod sibi probabilius apparet.

Cainan tollendum qui censeant?. Omittendum esse Cainan censent Berosus, Philo, Josephus, Theophylus Antioch. Africanus, Orosius, Procopius, S. Hieron. Gregor. Turon. Isidorus, Ado, Beda, Abulensis, Eugubinus, Genebrard. in Chronol. Gen. 11. v. 22. ac Jansen. & Cajetan. hic. Si eis objicias, Lucam hic non omittere, sed inserere Cainan, respondent Lucam more suo, quia Gentibus scribebat, quibus nota erat dumtaxat versio Græca Septuag. non vero ipsa Hebræa Mosis, ex Septuag. inferere Cainan, idque ne a Gentibus falsitatis vel ignorantiæ insimularetur, quod contra fi-
D dem Bibliorum Græcorum, quæ sola ipsi notant, omitteret Cainan. Ita respondet S. Hieron. in quæst. in Genesin, dans causam cur Lucas Act. 7. dicat ex Septuag. 75. animas cum Jacob ingressas in Ægyptum, cum Moses (Gen. 46. v. 27.) tantum assignet 70. *Facilis*, inquit Hier. *excusatio est: non enim debuit S. Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in Gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat Gentibus divulgata: & utique majoris opinionis illo dumtaxat tempore Septuaginta Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod ubicumque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis abuntur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata: licet plerique tradant Lucam Evangelistam, ut proselytum, Hebræas litteras ignorasse.* Huc usque S. Hieronymus.

Quo circa, inquiunt Auctores isti, in Luca nihil est falsi, nullum mendacium, cum ex Septuag. interserit Cainan, sive verum, sive fictum & falsum, quia id facit non ex se, sed ex Septuag. quos more communi sequitur. q.d. Ego Lucas recito vobis, o Gentes, genealogiam Christi juxta catalogum generationum, quam texunt Septuag. qui a vobis toto orbe receptus est, in quo Cainan inseritur, esto juxta Hebraicam veritatem sit omittendus. Hæc enim sententia est vera & irreprehensibilis, etiamsi a Septuag. erratum vel evariatum esset. Qui enim in chronologia, aliave re affert communem Auctorum gravium sententiam, non errat, cum illa probabilis sit, esto a parte rei minus sit vera & falsa. Sic Ecclesia consignans in Martyrologio die 25. Decembris annum Nativitatis Christi, dicensque, Christum natum esse anno a mundi creatione 5199. non errat, quia id facit ex mente Septuaginta, qui totidem annos assignant, quos olim totus orbis sequebatur; esto in annis hisce revera juxta veritatem Hebraicam videatur esse error, uti ex S. August. ostendi Gen. 5. Auctoritas enim Septuag. Interpretum in chronologia facit sententiam probabilem, quam quisque tuto sequi & citare potest ut probabilem, imo illo ævo communem. Loquendum enim ut multi, sapiendum ut pauci. Sæpe enim Scriptura & auctores Canonici loquuntur ex communi aliorum sensu & vulgi opinione, non ex rei veritate. Ne longe abeamus, exemplum est in Luca, qui hic & c. 2. Joseph vocat patrem Christi, cum revera non esset pater, sed tantum a vulgo putaretur esse ejus pater. Hæc auctores illi, pura Eugubinus, Cajetanus, Genebrardus, Jansen. liberius & audacius.

Chronologia LXX. Interpretum probabilis. E F

Alii initius, & reverentius errorem hunc (si tamen est error) in inserendo Cainan tribuunt non ipsis Septuag. sed eorum descriptoribus; qui per oculorum lapsum, videntes Cainan paulo ante positum in genealogia Adæ ante diluvium, eumdem hic post diluvium repetierunt. Quam enim eorum incuria vitiosi fuerint olim codices Septuag. præsertim in genealogiis & nominibus propriis, locuples testis est S. Hier. epist. ad Dominionem & Rogatianum.

Qui inserendum censent. Ex adversa parte inserendum esse Cainan censent Eusebius, S. Aug. Nazianz. Sulpitius, Hugo, Dionys. Lypomanus, Melch. Canus, Delrio, Tolet. Barradius, & alii moderni passim. Ratio est, quod omnia exemplaria eum hic interserant, Latina, Syra, Persica, Ægyptia, Æthiopica, Arabica, Græca (unico excepto,) Romæ consului codices manu scriptos antiquissimos in Bibliotheca Vaticana in basilica S. Pauli, in Oratorio Card. Baronii: ubi G vidi Biblia ante 800. annos manuscripta, Alcuini & Magni, in quibus omnibus hoc loco reperi insertum Cainan. Quare religio mihi est, a sacro S. Lucæ textu adeo constanti, & certo recedere: hanc enim reverentiam S. Lucæ & sacris libris debere me existimo, præsertim cum minus incommodi sit dicere, Cainan a Mose prætermissum ob causas nobis incognitas, quam in Lucam irrepsisse, aut falso poni in sacro S. Lucæ textu, itaque in eo suspectam facere fidem omnium exemplarium. Imo Albertus Magnus, Glossa & Toletus suspicantur Cainan olim fuisse Genes. 11. 12. in textu Hebr. indeque Septuag. cum in Græcum transtulisse. Alii censent Septuag. eum addidisse ad mysterium, quod nos latet. Lyranus censet Cainan fuisse filium non naturalem, sed adoptivum Arphaxat. Alii Cainan censent esse eundem cum Sale. Unde Lipomanus in Gen. 11. Joann. Nauclerus & Joann. Lucidus legunt hic, *Qui fuit Sale, qui & Cainan*, sed contra o- H mnium codicum fidem. Quare omnino retinendum hic censeo Cainan, uti & censui Gen. 11. 12. An chronologiæ sit inexendus, eique addendi anni 30. ut cæteris, an non, variant Chronologorum sententiæ, aliis annos hos 30. addentibus, aliis eos omittentibus. Forte enim alia de causa inseruere cum Septuag. & ex eis S. Lucas. Est enim hoc, ut dixi, problema chronologiæ. Unde Lucas non ait, *qui genuit*, sed *qui fuit Cainan*, quod varie explicari potest, ac multo magis Græcum, τ ναιὰν.

Simili modo Septuag. alibi multa supplent & addunt, quæ non sunt in Hebræo, & ab eo sæpe evariant. Fuere enim ipsi non tantum interpretes, sed & vates spiritu prophetico pollentes, teste S. Hieronymo & S. August. lib. 2. de Consensu Evang. cap. 66. & fusius in Quæst. super Genesin quæst. 169.

VERS. 38 QUI FUIT DEI] scilicet plasma, non filius, q.d. Deus ex terra, quasi figulus formavit & plasmavit primum hominem Adam. Unde Arabicus vertit, *qui fuit a Deo*; cum in cæteris τ *qui fuit*, vertat *filius*. Lucas ergo Christi

A genealogiam usque ad Adam deducit, Matthæus vero usque ad Abraham dumtaxat, qui fuit pater credentium & auctor Synagogæ; hinc plures generationes sunt in Luca, quam in Matthæo. Cur hoc addit Lucas? Primam causam dant nonnulli, ut integram plenamque Christi genealogiam a Jesu ad primum Adam, ac usque ad Deum Adæ plastem pertexat.

Qui fuit Dei.

Primo.

Secundo. Secundam dat S. Athan. orat. in illud: *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo. Lucas*, inquit, *a Filio Dei exorsus usque ad Adam recurrit, ut ostenderet corpus, quod Jesus assumpsit, ab Adam originem trahere, qui a Deo formatus fuit.*

Tertio. Tertiam dat S. Irenæus lib. 3. c. 33. *Sic*, inquit, *Christus initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est; propter hoc & Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans quoniam non ille hunc, sed hic illos in Evangelium vitæ regeneravit.*

Quarto. Quartam dat S. Leo serm. 10. de Nativit. Domini: *Lucas Evangelista ab ipso Domini ortu seriem generis sursum versus retexuit, ut etiam illa sæcula, quæ diluvium præveneruntt, huic sacramento doceret esse connexa, omnesque ab initio successionum gradus ad eum, in quo uno erat salus omnium, retendisse.*

B

Quinto. Quintam dat Franc. Lucas, ut significaret Lucas per Jesum sursum homines reduci ad Deum, qui per Adam deorsum abducti fuerant a Deo.

Symbol. Symbolice, Euthymius: Lucas, ait, a Christi inchoans humanitate sermonem reducit ad ejus divinitatem, demonstrans Christum, quidem ut hominem incœpisse, ut Deum vero carere principio.

Aliam causam dat S. Ambr. *Jam*, inquit, *de ipso Adam qui juxta Apostolum figuram accepit Christi, quid pulchrius potuit convenire, quam ut sacrosancta generatio a Dei Filio inciperet, & usque ad Dei filium deduceretur? creatusque præcederet in figura, ut natus in veritate sequeretur; ad imaginem Dei factus præiret, propter quem Dei imago descenderet?*

Porro S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. c. 4. numerat hic 77. generationes, quo significatur, inquit, omnium prorsus remissio, & abolitio peccatorum facienda per Jesum salvatorem, juxta illud Christi: *Non dico tibi usque*

C *septies, sed usque septuagies septies*, Matth. 18. 22.

Denique vide hic nobile Christi stemma, quod Lucas, & Matthæus ab ipso Jesu per tot reges, Prophetas, & Patriarchas ad ipsum Adam protoplastum, imo ad ipsum Deum, per quatuor annorum millia, continua generationum serie producunt. Nemo enim est principum vel regum totius mundi, qui continua serie suam prosapiam ad mille annos pertexere & producere possit. Cur Christus tamdiu distulerit adventum & incarnationem suam, decem morales rationes affert noster Berradius tom. 1. lib. 5. cap. 31.

Ad extremum genealogia hæc Christi præfigurata fuit per scalam Jacob. Ita Ruper. in cap. 1. S. Matth. *Scala Jacob*, inquit, *generatio ista est; & latera scalæ patres vel principes sunt hujus generationis, Abraham atque David, ad quos promissio facta est. Supremus gradus, cui Dominus innixus est, beatus est Joseph, innixus, inquam, tamquam tutori pupillus.* Quocirca S. Bern. serm. 1. de Adventu hos Patriarchas montibus similes esse dicit, in quibus saliens Christus ad nos venit: *Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles*; montes & colles, Patriarchas & Prophetas accipe, & quemadmodum veniret saliens, & transiliens, in libro generationis lege, *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob*, &c. Ex his montibus prodiit radix Jesse.

D

Vanitas generationum. Tropologice τὸ *qui fuit*, significat vanitatem hujus sæculi; scilicet hominum vitam, & generationes singulas præterire, & illico ex præsenti verti in præteritum, scil. ex *est* in *fuit*, juxta illud:

——Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

Unde impii queruntur cap. 5. *Nos nati continuo desinimus esse*. Hinc Nazianz. in carm. de hominis externi vilitate, sic canit.

Ipsum quod vivo est veluti rapidissimus amnis,
Qui sursum exoriens, semper ad ima fluit.

Et nonnullis interjectis: *A tumulo tumulum peto*, id est, ex utero matris nascens, tendo ad mortem & sepulchrum, juxta illud Job 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc, ut omnino nihil sit aliud tempus vitæ hujus, quam cursus ad mortem*, ait S. Aug. l. 13. de Civit.

c. 10. *Quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua* E
pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit: hunc quem agimus diem, cum morte dividimus, &c. *Ergo cum primum vitam intramus, in mortem statim tendere & a vita egredi incipimus.* Vive ergo æternitati, in qua est perpetuum esse, perpetua stabilitas & constantia rerum omnium.

CAPUT IV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur Primo, quadragenarium Jesu jejunium & post illud tentatio trina diaboli. Secundo, v. 16. Jesus in Nazaret ex Isaia demonstrat se esse Messiam: Cumque v. 24. ostenderet, quod nullus Propheta acceptus est in patria sua, Nazareni voluerunt eum lapidare, sed ipse per eos transiens vi divina evasit. Tertio, v. 31. prædicat Capharnaï, ibique curat dæmoniacum. Quarto, v. 38. curat socrum Petri a febribus, aliosque infirmos sanat. Primam partem explicuit Matt. 4. v. 1. & seq. tertiam Marci 1. 23. quartam Matt. 8. 14. Sola ergo secunda superest hic explicanda.

JEsus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane: & agebatur a Spiritu in desertum,

2. Diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: & consummatis illis esuriit.

Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.

4. Et respondit ad illum Jesus: Scriptum est: Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.

5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, G

6. Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt; & cui volo, do illa.

7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.

8. Et respondens Jesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

9. Et duxit illum in Jerusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.

10. Scriptum est enim, quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te:

11. Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,

12. Et respondens Jesus, ait illi: Dictum est: H
Non tentabis Dominum Deum tuum.

13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per universam regionem de illo.

15. Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere.

17. Et traditis est illi Liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat:

18. Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde,

19. Prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.

20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro

A ſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.

21. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.

22. Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt filius Joſeph?

23. Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex: cum facta eſſet fames magna in omni terra.

26. Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

B 27. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo propheta: & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.

28. Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes.

29. Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30. Ipſe autem tranſiens per medium illorum, ibat.

31. Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis.

32. Et ſtupebant in doctrina ejus, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.

33. Et in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna,

C 34. Dicens: Sine, quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te quis ſis, Sanctus Dei.

35. Et increpavit illum Jeſus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

36. Et factus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?

37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

38. Surgens autem Jeſus de ſynagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea.

39. Et ſtans ſuper illam, imperavit febri: & dimiſit illam. Et continuo ſurgens, miniſtrabat illis.

D 40. Cum autem ſol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

41. Exibant autem dæmonia a multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

42. Facta autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis.

43. Quibus ille ait: quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo miſſus ſum.

44. Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ.

VERS. 1. JESUS AUTEM PLENUS SPIRITU SANCTO REGRESSUS EST A JORDANE] ubi paulo ante a Joanne baptizatus erat, & Spiritum ſanctum viſibiliter receperat, cujus plenitudinem jam ante adeptus erat inviſibiliter in primo inſtanti conceptionis ſuæ. E

ET TENTABATUR A DIABOLO] Græce, πειραζόμενος, id eſt, tentationem patiens, vel ſuſtinens a diabolo: ſcilicet per 40. dies ſui jejunii, de quo præceſſit. Vide dicta Matth. 4. v. 5. VERS. 2

IN MOMENTO TEMPORIS] Cur? Audi S. Ambr. *Non tam conſpectus celeritas indicatur, quam caduca fragilitas poteſtatis exprimitur. In momento enim cuncta illa pretereunt. Et ſæpe honor ſæculi abiit, antequam venerit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum cum ipſa diuturna non ſint ſæcula?* VERS. 5.

ET REGRESSUS EST JESUS IN VIRTUTE SPIRITUS IN GALILÆAM] Græce ἐν δυνάμει, id eſt, in potentia, robore, vi Spiritus, q. d. Jeſus a baptiſmo potenti impulſu Spiritus ſancti reverſus eſt in Galilæam. Spiritus ſanctus enim eum excitabat, valideque impellebat, ut robur ſpiritus, quod ab initio conceptionis acceperat, ſed huc uſque intra ſe concluſerat & abſconderat, jam exereret, ac ſuum prædicandi officium ingenti ardore & ſpiritu ordiretur in Galilæa, illudque ſanctitate vitæ admirabili ac miraculis ſtupendis confirmaret. Unde Theoph. vertit, ἐνθουσιασμῷ, id eſt, enthuſiaſmo, & divino Spiritus ſancti afflatu actus & impulſus. F VERS. 14

ET VENIT NAZARETH] Nota, Chriſtum, cum hic v. 14. dicitur iviſſe in Galilæam, non intraſſe Nazareth ibidem ſitam, ut habet Matth. c. 4. 13. ſed Capharnaum, ibique & locis illi vicinis prædicaſſe, eaque geſſiſſe, quæ narrat Matth. a c. 4. uſque ad c. 13. quæ omnia hic tranſilit Lucas, ac deinde multo poſt veniſſe Nazareth, ut habet hic Lucas & Matth. c. 13. 54. nimirum voluit Lucas ſtatim initio præmittere cauſam cur Chriſtus in Nazareth patria ſua voluerit docere, quod ſcilicet a Nazarenis civibus ſuis, quaſi fabri filius ſpretus fuerit: quæ cauſa licet poſterius contigerit, Chriſtus tamen eam fore prævidebat, ideoque ab initio declinavit Nazareth, & ivit Capharnaum, ibidemque ſedem prædicationis ſuæ fixit, ut habet Matth. cap. 4. v. 13. VERS. 16

ET SURREXIT LEGERE] Moris erat (& etiamnum eſt) apud Judæos, ut die ſabbati in ſynagoga quiſque legeret libros Hebraicos S. Scripturæ, tum ut ex ea legem Dei diſceret, tum ut per eam ad Dei cultum, amorem & obſequium excitaretur. Rabbinis autem & doctoribus, qualis erat Jeſus, proprium erat legere publice S. Scripturam, eamque interpretari, explicare, docere, & concionari, Jeſus ergo *ſurrexit legere*, id eſt erexit ſe, ut legeret aliquem S. Scripturæ librum, eumque explicando doceret & concionaretur. G

Vide ſabbathi S. S. ſcripturam in ſynagoga legebant Hebræi.

ET TRADITUS EST (a miniſtro) ILLI LIBER ISAIÆ PROPHETÆ] Dei conſilio & directione, id factum eſt, ut Jeſus ex Iſaia oſtenderet ſe eſſe Meſſiam ab Iſaia depictum. VERS. 17

ET UT REVOLVIT LIBRUM, INVENIT LOCUM UBI SCRIPTUM ERAT] Iſaiæ 61. v. 1. Syrus & Arabic. *cum aperuiſſet librum*. Videtur enim Chriſtus ita aperuiſſe librum, ut non quærendo & volvendo folia libri (ne res eſſet Judæis ſuſpecta) ſed aperiendo librum illico in hunc locum Iſaiæ Dei nutu ductuque incideret.

Melius noſter vertit, *ut revolvit librum*; & Vatabl. *cum explicuiſſet*; alii *cum expandiſſet librum*: hoc enim eſt Græcum ἀναπτύξας, nam Hebræorum libri non erant ſicut noſtri, per folia diviſi, & colligati, ſed liber unus erat una membrana longa, & continua, quæ circa cylindrum ab initio ad finem convolvebatur (uti convolvuntur noſtræ mappæ geographicæ) quam revolvere oportebat, itaque explicare & expandere, ut legi poſſet. Unde v. 20. dicitur, *Et cum plicuiſſet librum*. Chriſtus ergo modice revolvendo librum ſive membranam Iſaiæ, ſtatim incidit in hunc locum de ſe prophetantem. Hic enim locus eſt in fine Iſaiæ, puta cap. 61. Eum ergo ut primo obvium arripuit Chriſtus, & explicuit. H

SPIRITUS DOMINI SUPER ME; PROPTER QUOD UNXIT ME, q. d. Spiritus ſanctus qui ab exordio in me fuit, hic in baptiſmo, quem jam recenter a Joanne Baptiſta ſuſcepi, viſibiliter in ſpecie columbæ in me deſcendens, intonante voce Dei Patris: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite*; hoc ſymbolo quaſi unctione viſibili me publice declaravit, auctoravit, & quaſi conſecravit, orbis, ac præſertim Judæorum, quibus promiſſus ſum, doctorem, Prophetam, ſalvatorem & legislatorem, ideoque EVANGELIZARE PAUPERIBUS MISIT ME] Nam divites Scribæ & Phariſæi meam humilitatem & paupertatem aſpernantur. VERS. 18

Nota

A Nota *unxit me*. Hebr. enim Messias & Græcũ χριστὸς, idem est quod unctus. Hęc unctio Christi secreto facta est in Incarnatione. Primo, per gratiam unionis hypostaticæ, quæ summe eum efficiebat sanctum & divinum, imo Deũ; Secundo, per gratiarum plenitudinem ex unione hac manantem. Alii enim Sancti dicuntur ungi gratia, & donis Spiritus sancti, sed Christus unctus fuit ipso Spiritu sancto, quasi fonte & plenitudine omnium gratiarum, ut Christus homo fieret fons uberrimus suam gratiam effundens in omnes Apostolos, Martyres, Virgines, Confessores. Ita Basilius lib. de Spiritu sancto c. 26. Publice vero unctus fuit Christus in baptismo, cum per spiritum sanctum declaratus est orbis doctor & redemptor, ut dixi.

Christus quando & qua ratione unctus?

Reliqua hujus loci fuse explicui Isaiæ 61. 1. quare ea hic obiter perstringam.

SANARE CONTRITOS CORDE] ut scilicet sanem & consoler eos, qui ob peccata sua & legis Mosaicæ onus ac rerum divinarum ignorantiam afflicto sunt animo, atque ad Dei cognitionem, veniam, gratiam, & salutem anhelant, ideoque Messiam expectant. Unde Symmachus, & Theodor. vertunt, *ad alliganda vulnera peccatorum*,

B teste S. Hier. in Isaiæ c. 61.

VERS. 19 PRÆDICARE CAPTIVIS REMISSIONEM] ut scilicet peccatoribus, qui a peccato & dæmone captivi detinentur, prædicem, annunciem, & afferam liberationem per pœnitentiam & gratiam meam.

ET CÆCIS VISUM] Heb. & Chald. Isaiæ 61. 1. habent, *& vinctis apertionem*; scilicet carceris, id est, ut Symmachus, *& vinctis solutionem*. Verum Septuag. indeque Lucas hic vertunt, *& cæcis visum*; Græce ἀνάβλεψιν, id est, *revidentiam*, ut rursum videant. Hebræi enim vinctos sive clausos vocant cæcos, juxta illud, *Talpæ oculis capti*, ac consequenter *aperitionem*, vocant illuminationem, qua cæcis aperiuntur oculi: alioqui enim hæc particula non distingueretur a præcedenti, quæ habet, *captivis redemptionem*. Sensus ergo est, q.d. Christus & cæcis corporaliter visum reddet, & cæcos spiritualiter, id est, ignorantes Deum & viam salutis, illuminabit, ac Dei cognitionem modumque salvandi animam docebit. Hoc est, quod clare Messiam facturum prædixit Isaias c. 42. v. 7. *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum*.

C Hinc patet Isaiam c. 61. 1. ad literam non loqui de solutione captivitatis Babylonicæ facta per Cyrum, ut vult Toletus, sed de solutione captivitatis peccati, & diaboli facta per Christum, quia Cyrus nulli visum restituit, sed Christus multis. Fateor tamen alludi ad Cyrum: nam Cyrus typus fuit Christi. Unde ipsis Hebræis in Babylone *vinctis*, dedit *apertionem, & solutionem*, ut habent Hebræa, cum eos e captivitate liberavit & in Judæam remisit.

Hic locus Isaiæ de Christo intelligendus literaliter, non de Cyro, ad quem tamen al. Judit.

DIMITTERE CONFRACTOS IN REMISSIONEM] id est, in libertatem & sanitatem. Arabicus, *& mitterem vinctos in remissionem*; Pagnin. *ut emittam confractos per remissionem*. Sic & Vatabl. Hæc verba non sunt in Isaia cap. 6. 1. Hebræo, Græco vel Latino, quare paraphrastice a S. Luca, aut ejus Interprete addita sunt, adeoque hæc videtur esse altera explicatio ejus, quod dixit, *ut sanarem contritos corde*: iidem enim sunt contriti & confracti. Ita Forerius in c. 61. Isaiæ & Franc. Lucas hic. Unde Origenes omittit hic τὸ *ut sanarem contritos corde*, ac pro eo legit, *emittere confractos in libertatem*. Additque: *Quid ita fractum atque collisum fuit ut homo, qui a Jesu dimissus, est sanatus*? Sic & τὸ *ut sanarem contritos corde*, omittunt Eusebius l. 9. Demonstr. c. 10. S. Augustl. 2. de Consensu Evang. c.

Variæ lectiones hic.

D 42. Beda, & manuscripti nonnulli, quos in Notis citat Franc. Lucas. Ex adverso Theoph. legit τὸ *ut sanarem contritos corde*, & omittit τὸ *dimittere confractos in remissionem*. Porro S. Hier. in Comment. Isaiæ c. 61. citans hunc Lucæ locum, legit utrumque, nimirum *sanare contritos corde, & dimittere confractos in libertatem*.

Pro *confractos* græce est τεθραυσμένους, quod Vatabl. & alii vertunt, *vulneratos*. *Confractos* ergo vocat eos, qui carcere & servitute diaboli ac peccati obstricti, vulnerati, conquassati & quasi obtriti erant, quos Christus missos & liberos fecit, suæque integritati restituit; idque fecit tum spiritualiter, tum corporaliter, cum nimirum infirmos, & dæmoniacos a variis morbis, & dæmonibus curavit, & liberavit. Ita Maldon. Jansen. Toletus, Barradius, Franc. Lucas & alii. *Dimittere* ergo hic & alibi est liberare & sanare: ac dimissio vel remissio est libertas & sanitas: sicut enim quis e vinculis dimittitur liber, sic ex morbis, & vulneribus dimittitur sanus. Hinc hebr. רָפָה *rapha* significat remittere, mollire, lenire, sana-

Dimittere, & Dimissio in Scriptura quid?

re; qui enim morbum remittit & mitigat, hic eum curat & sanat: unde מַרְפֵּא *marpe* est lenitas, curatio, medicina, sanitas: hinc & *Raphael* idem est, quod medicus Dei. Hac de causa dimittere vel remittere in Script. subinde idem est, quod curare & sanare, ut Lucæ 13. 12. *Mulier dimissa es ab infirmitate*. Ps. 38. 14. *Remitte mihi ut refrigerer*, & alibi.

E

PRÆDICARE ANNUM DOMINI ACCEPTUM] id est, gratum, placentem & jucundum; hebr. שְׁנַת רָצוֹן *scenat ratson*; Septuag. ἐνιαυτὸν δεκτόν, id est, ut S. Hier. *annum placabilem*, vel, ut alii proprie vertunt, *annum beneplaciti*, puta benevolentiæ & liberalitatis divinæ, qualis erat annus jubilæi, ad quem hic alludit. Annus enim jubilæi, typus erat & figura anni hujus Evangelici, quem attulit Christus. Totum ergo tempus prædicationis Christi, & deinceps, puta totum tempus legis novæ, sive christianismi, Christo obedientibus & ejus liberalitatem acceptantibus est annus Jubilæi, id est, annus gratiæ, misericordiæ, pacis, remissionis, libertatis, salutis, in quo post longam Dei in nos iram restituimur in ejus gratiam, acceptationem, benevolentiam, hæreditatem, gloriam, omniaque bona pristina, quæ habuimus in paradiso in statu innocentiæ. Hoc est, quod ait Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. 2. Cor. 6. 2.

F

ET DIEM RETRIBUTIONIS] Heb. יוֹם נָקָם *jom nakam*, id est, diem ultionis, q.d. Annus jubilæi, id est, tempus christianismi, sive legis gratiæ, hostibus Christi erit dies, id est, tempus ultionis, quo scilicet Deus ulciscetur genus humanum de suis inimicis & tyrannis, puta dæmonibus eum opprimentibus, quia Christus homines a dæmonibus liberabit, illosque sua tyrannide depellet & dejiciet, juxta illud Isaiæ c. 35. 4. *Dicite pusillanimis: Confortamini & nolite timere: Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis. Deus ipse veniet & salvabit vos*. Unde Christus Jo. 12. 31. *Nunc*, ait, *judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Et Paulus Coloss. 1. 15. *Expolians*, ait, *principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*.

ET CUM PLICUISSET (in cylindrum convolvisset, ut dixi v. 17.) LIBRUM, REDDIDIT MINISTRO, ET SEDIT. Et OMNIUM IN SYNAGOGA OCULI ERANT INTENDENTES IN EUM] *ut audirent quomodo interpretaretur ea quæ legerat*, ait Euthym. Jam enim ex ejus dictis & factis Capharnai fama ipsius ubique percrebruerat, ut multi opinarentur eum esse Messiam; & hoc maxime a Christo audire cupiebant. Sciebant enim locum Isaiæ ab eo lectum, esse oraculum de Messia; hinc ei illum explicanti arrectis auribus auscultabant.

VERS. 21

G

COEPIT AUTEM DICERE AD ILLOS, QUIA (quod) HODIE IMPLETA EST HÆC SCRIPTURA, (quæ sonuit, ait Euthym. & Syrus) IN AURIBUS VESTRIS] q. d. Hodie vobis audientibus impleta est hæc Isaiæ prophetia, dum me auditis vobis cæterisque Galilæis pauperibus evangelizantem annum plenæ remissionis, & paratum facere (imo in Capharnao jam fecisse) omnia, quæ hic prædixit Isaias: Ego enim sum Messias, de quo ibidem prophetat Isaias, quem vos ex oraculo Jacobi & Danielis velut jam instantem avide expectatis. Esto enim clare Jesus non exprimat se esse Messiam, tamen tacite idipsum significat.

VERS. 22

Verba gratiæ quadruplicia.

H

ET OMNES TESTIMONIUM ILLI DABANT, ET MIRABANTUR IN VERBIS GRATIÆ, QUÆ PROCEDEBANT DE ORE IPSIUS, ET DICEBANT: NONNE HIC EST FILIUS JOSEPH?] *Verba gratiæ*. Primo, vocat verba gratiosa, venusta, suavia, jucunda: Secundo, verba gratia & spiritu plena: Tertio, efficacia ad movendum, & persuadendum: Quarto, plena sapientia & eloquentia, ita ut auditores convincerent. Loquebatur enim Christus lingua plusquam humana, imo angelica quasi angelus, aut potius divina, quasi homo Deus, juxta illud: *Erat enim docens eos sicut potestatem habens; & non sicut Scribæ*, Matt. 7. 29. vide ibi dicta. Cætera fusius narrat Matt. c. 13. v. 55. ubi ea explicui.

TESTIMONIUM ILLI DABANT] quod bene pulchreque & gratiose diceret, non autem quod ipse esset Messias. Unde cum vocant *filium Joseph*: nam paulo post, cum ab eo taxarentur, cum spreverunt & præcipitare voluerunt, ut sequitur. Sic hodie multi laudant concionatorem, quamdiu dicit eis placentia & elegantia; at cum eorum vitia insectatur, ipsum vituperant, & persequuntur. Hic est vulgi variabilis, & se suasque cupiditates amantis, mos & consuetudo.

Beda tamen hoc testimonium accipit de Messia; quod scilicet testarentur ipsum esse Messiam, de quo Isaia ista

Digitized by Google

A cecinerat. Unde subjicit Beda: *Magna cæcitas, cum quem verbis, & factis Christum esse cognoscunt, ob solam generis notitiam contemnunt, quia apud se nutritum, & per ætatum tempora profecisse viderant.*

VERS. 23 ET AIT (*Jesus*, ut addit Syrus) ILLIS: UTIQUE DICETIS MIHI HANC SIMILITUDINEM (græce παραβολὴν, id est, parabolam, hoc est proverbium, sive adagium vulgo jactatum:) MEDICE CURA TEIPSUM] id est, cura tuos & patriam tuam, quæ tibi chara esse debet, ut tu tibi ipsi: cura tuos cives Nazarenos, uti curasti, vel diceris curasse exteros Capharnaitas. Sic enim mox explicat Christus, qui spiritu divino videbat Nazarenorum occultas cogitationes; scilicet illos hoc mente volvere, quod ipse hic enunciat. Unde occultæ eorum cogitationi, & objectioni præveniendo occurrit, & respondet. Porro *protritum*, ait Titus, *usitatumque apud Judæos erat, ut medicos in morbum prolapsos, facto hoc urbanoque dicto excipierent: Medice cura teipsum.* Sic enim habet communis hominum sensus, cui favet ipsa ratio, ut qui seipsum curare nequit vel negligit, alios pariter curare nequeat vel

B negligat. Esto a parte rei experientia non raro ostendat, medicos, qui alios curant, sæpe non posse curare seipsos, sed aliis medicis se curandos committere, quia appetitus sæpe excæcat rationem, & morbus scientiam obnubilat. Unde melius & sincerius judicamus de aliorum morbis; quam de nostris. Amor proprius enim sæpe judicium pervertit, Unde monet Salomon, dicitque; *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, Prov. 13. 5.

Tropologice hoc adagium, *Medice cura teipsum*, S. Antonius sic exponebat, q. d. Qui vult aliorum vitia curare, prius curet sua: qui enim alios volunt juvare, antequam sanent seipsos, in sua vitia relabuntur. Sed audi ipsummet S. Antonium in Vitis SS. Patrum l. 7. c. 3. *Patres antiqui egressi sunt in desertum, & ipsi sani effecti facti sunt medici, & reversi alios sanaverunt: ex nobis autem si quem egredi contigerit in desertum, antequam ipsi sanemur, curam aliis adhibemus, & revertitur ad nos infirmitas nostra, & fiunt ultima nostra pejora prioribus, propter quod dicitur nobis: O medice prius tibi curam impende.* Sane experientia docet, eos qui aliquod vitium in seipsis sanant, idem

C facile in aliis sanare. Huic proverbio simile est illud Plutarchi lib. de Dignoscendo adulatore ab amico: *Aliis medetur, ipse ulceribus scatens*, quod jacitur in eos, qui aliis sapiunt, non sibi; aliis oculati sunt & cauti, non sibi; alios consolari & animare norunt, cum ipsi sua mala iniquo ferant animo. Nam, ut idem Plutarch. ad Apollonium scribit: *Ægroto animo medicus est oratio* suavis & blanda, non vita, non virtus. Facile ergo est afflictos alios solari, difficile seipsum,

QUANTA AUDIVIMUS FACTA IN CAPHARNAUM, FAC ET HIC IN PATRIA TUA] Hinc patet hæc contigisse in Nazareth, postquam Jesus prædicasset, & miracula multa patrasset in urbe Capharnao, ut dixi v. 19. & advertit S. August. lib. 2. de Consensu Evang. c. 42. q. d. ait Glossa: *Non credimus quod incerta fama vulgavit, cum apud nos nihil tale feceris, quibus convenientius talia impendenda erant beneficia.* Habes enim hic in Nazareth patria tua quæ te concepit, nutrivit, & in virum provexit, fratres, sorores, cognatos, vicinos, alios pauperes, alios ægros, alios aliter affectos: cur ergo tuis hisce per miraculum non succurris, quibus te cognatio, amor patriæ, ipsaque naturæ charitas magis obstringit?

VERS. 24 D AIT AUTEM: AMEN (id est vere, vel in veritate) DICO VOBIS, QUIA (quod) NEMO PROPHETA ACCEPTUS EST IN PATRIA SUA] ob causas, quas recensui Matth. 13. v. 57. q. d. Vos, o Nazareni, me quasi civem vestrum & filium fabri spernitis, hinc indigni estis, quibus ego beneficia mea conferam, Ideo, ait Interlinearis, non operor inter vos, quia incredduli estis, non quia patriam odi rim, Addit S. Cyrillus, quia civis semper suis civibus præsto est, hinc debita reverentia privatur a notis. Tertio, S. Chrysost. Christus, ait, apud suos Nazarenos abstinuerat a miraculis, ne eos provocaret ad invidiam: nam, ut ait S. Ambr. aspernator est Deus invidorum: quia, ut ait Glossa, prope naturale est cives civibus invidere, nec virtutem considerant, sed fragilem recordantur infantiam,

Vere Chrysologus serm. 41. in fine: *Inter suos posse*, ait, *morsus est, adustio est; inter cives eminere proximos, proximorum urit gloriam: propinquo propinqui si honorem debeant, computant servitutem.* Festivus hac de re extat

Apologus Psittaci. psittaci apologus. Psittacus ex Oriente in Occidentem delatus, ubi hujusmodi aves nasci non consueverunt, E admiratur se se in majori pretio & honore haberi, quam in natali consuevisset loco; nam caveam eburneam argenteis contextam virginis incolebat, suaviſſimisque alebatur cibis, quod cæteris avibus Occidentalibus, quæ neque in forma, neque exprimendis humanis vocibus erant inferiores, non contingebat. Tunc turtur in eadem cavea conclusus; Hoc, inquit, nulla est admiratione dignum, nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet.

Tropologice, docet hic Christus fideles, præsertim viros Religiosos & Apostolicos, affectum nimium erga patriam & parentes moderari vel exuere debere, ut toti orbi prosint; juxta illud; Fideli orbis est patria. Gnome.

Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor,

Hinc Socrates a suis Athenienſibus damnatus ad mortem, dicebat se esse *Cosmopolitem*, id est *civem mundi*. Et Comicus: Homines optimi, ait, quærendi velut equi extra patriam. Communis omnium patria est Roma. Sic Herculi omnis turris fuit patria, ait Plutarchus tract. de Exilio. Homines optimi, quærendi extra patriam velut equi.

Præclare S. Gregor. Nazianz. orat. 18. *Una*, inquit, F *magnis, & excelsis viris patria est, nempe Jerusalem illa, quæ mente percipitur, non ea, quas hic angustis finibus circumscriptas esse, atque ab aliis aliisque hominibus subinde incoli videmus.* Idem orat. 25. *Terrena*, inquit, *hæ patriæ, atque hæc generum discrimina brevis hujus & caducæ vitæ nostræ, ac scenæ ludi sunt. Quam enim quisque terram, sive per tyrannidem, sive per calamitatem, ante occupaverit, ea patria dicitur, cujus omnes æque hospites & advenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.* Talis erat S. Basilius, de quo ita scribit in ejus Vita S. Gregorius Nyssenus: *Ab exilii metu liber erat Basilius Magnus, quod unam patriam hominum censeret esse paradisum, atque omnem terram quasi communem naturæ exilium spectaret.*

Talis quoque fuit Paulus Orosius familiaris S. Augustino, qui lib. 5. contra Paganos ita de se scribit; *Inter Romanos Romanus, inter Christianos Christianus, inter homines homo, legibus imploro rempublicam, religione conscientiam, communione naturam. Utor temporarie omni terra quasi patria; quia quæ vera est, & illa, quam amo patriam, in terra penitus non est. Nihil perdidi ubi nihil amavi: totumque habeo, quando quem diligo, mecum est: maxime quia & apud omnes idem est, qui me non modo notum omnibus, verum & proximum facit; neque egentem deserit, quia ipsius est terra & plenitudo ejus, ex qua omnibus omnia jussit esse communia.* G

VERS. 25 IN VERITATE DICO VOBIS, MULTÆ VIDUÆ ERANT IN DIEBUS ELIÆ IN ISRAEL, QUANDO CLAUSUM EST CÆLUM ANNIS TRIBUS, ET MENSIBUS SEX: CUM FACTA ESSET FAMES MAGNA IN OMNI TERRA:

VERS. 26 ET AD NULLAM ILLARUM MISSUS EST ELIAS, NISI IN SAREPTA SIDONIÆ, AD MULIEREM VIDUAM.

QUANDO CLAUSUM EST CÆLUM] Id est, quando cælum non pluit super terram: pluvia enim cælum, id est aerem quasi clausum aperit, & suis guttis dividit.

ANNIS TRIBUS ET MENSIBUS SEX] Id non extat in Scriptura veteri, sed Jesus id scivit, quia Deus illi, ac idipsum revelavit S. Jacobo c. 5. epist. v. 18. nam quod 3. Reg. 18. v. 1. dicitur: *Factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens: Vade & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ*; annus ille tertius accipiendus est non ab exordio siccitatis, sed a commoratione Eliæ in Sarepta.

IN OMNI TERRA] Israel, eique vicina regione, uti erat Sidon & Sarepta, in qua erat hæc vidua. H

Sensus est, q. d. Sicut Elias tempore famis nulli Israelitæ procuravit panem & victum, sed soli viduæ Sareptanæ; quæ erat Sidonia, id est, Gentilis & alienigena, eo quod ipsa magni fecerit Eliam, ejusque prophetiæ, quod Deus fami ipsius provideret, crediderit, ideoque parum olei, & farinæ quod habebat in cibum, Eliæ dederit, præponens illum sibi suorumque filiorum necessitati, quæ insignis fuit viduæ fides, æque ac charitas, ob quam meruit præponi Israelitis, Sic & ego Capharnaitas præfero vobis, o Nazareni cives mei, quia illi me ut doctorem e cælis missum audiunt, honorant, obsequuntur; vos autem me ut civem vestrum, & fabrum aspernamini; illis ergo panem spiritualem cælestis doctrinæ, & miraculorum impertior, vos autem in fame spirituali, id est, in egestate doctrinæ salutiferæ relinquo. Elias enim erat typus, & præcursor Christi, vidua Sareptana erat typus, & primitiæ Comparat se Christus Eliæ.

A

mitiæ Gentilium, quos Christus prætulit Judæis civibus suis. Nam, ut ait Beda, *Sidon*, hebr. idem est quod *venatio inutilis*, *Sarepta*, *incendium* vel *angustia*, panis scilicet, pura gentilitas negotiis sæculi serviens, & carnalium cupiditatum incendium, panisque spiritualis angustias patiens. Elias est propheticus sermo, qui receptus pascit corda credentium.

Tropologice, S. Basilius in Catena: Vidua est anima viduata virtute, & notitia divina, quam Elias, id est verbum divinum mente receptum, nutrit virtutum panibus.

VERS. 27 ET MULTI LEPROSI ERANT IN ISRAEL SUB ELISEO PROPHETA: ET NEMO EORUM MUNDATUS EST, NISI NAAMAN SYRUS] ideoque alienigena & Gentilis, non Judæus. Idem probat alio Elisei exemplo & typo, q. d, Sicut Eliseus magistrum suum Eliam secutus, non prophetavit suis Judæis, sed exteris, ideoque non leprosos, qui erant in Judæa, sed Naaman Syrum, & Gentilem a lepra mundavit, idque ob hujus fidem & illorum incredulitatem. Naaman enim ex Syria longo itinere, magnoque sumptu venit in Judæam ad Elisæum, credens

Pungit Christus Judæos exemplo Naaman Syri.

B

quod ab eo a lepra curaretur, eumque honoravit, ac magna ei munera obtulit, atque in omnibus ei ut Prophetæ cælesti obedivit, ut cum humiliter ei non per se, sed per internuncium jubenti, ut septies lavaretur in Jordane, paruit, ideoque a lepra mundatus est: quæ omnia utique non fecissent Eliseo leprosi qui erant in Israel. Sic & ego Christus prædico, & miracula patro apud exteros Capharnaitas, ob eorum erga me fidem, reverentiam, & benevolentiam; vos vero, o Nazareni, ob infidelitatem, irreverentiam, meique contemptum desero. Eliseus enim, æque ac Elias, erat typus & præcursor Christi: Naaman Gentilis typus erat gentilium, ad quos Christus relictis Judæis per Apostolos translaturus erat suam fidem, Ecclesiam & gratiam. Ita Beda, Titus, Theophyl. Euthym. Jansen, Toletus, & alii.

VERS. 28 ET REPLETI SUNT OMNES IN SYNAGOGA IRA, HÆC AUDIENTES] tum quia sciebant se his duobus exemplis viduæ & Naaman pungi quasi incredulos, & contumelia affici quasi indignos miraculis Jesu; tum quia indignabantur Jesum, qui erat civis & æqualis ipsorum, ipsis se anteferre, & conferre cum Elia, & Eliseo, imo ex

C

Isaiæ oraculo facere se Messiam; tum quod Christus tacite significaret se sua dona a Judæis ad gentes translaturum. Ita S. Thomas, Toletus, Franc, Lucas & alii.

VERS. 29 ET SURREXERUNT, ET EJECERUNT ILLUM EXTRA CIVITATEM, ET DUXERUNT ILLUM USQUE AD SUPERCILIUM MONTIS, SUPER QUEM CIVITAS ILLORUM ERAT ÆDIFICATA, UT PRÆCIPITARENT EUM]. *Duxerunt*, imo vi traxerunt invitum, ut illis videbatur, sed revera Christus sponte se trahi ducique sinebat, *Ad supercilium*, ad culmen, ad verticem *montis*, *super quem civitas illorum* (Nazareth) *erat ædificata*. Solent enim civitates monti adjacentes, non in imo, nec in summo, sed in medio montis (uti Florentiam videmus in medio Apennini) ædificari; tum quia in imo aer est crassus & terreus, in summo nimis acer & subtilis, sed in medio aer est temperatus & medius, nec nimis crassus, nec nimis subtilis; tum quia in summo grassantur venti, fulmina & procellæ, juxta illud:

Urbes in medio montium commodius ædificantur, quam in summo, vel in imo.

Perflant altissima venti,

& illud:

——feriuntque summos
Fulmina montes.

D

UT PRÆCIPITARENT EUM] ex summo in imum, itaque eum occiderent, tamquam qui patriam suam infamasset, ac magna injuria & dedecore affecisset, ideoque eum extra civitatem quasi illa indignum, in culmen montis duxerunt, ut velut impium in patriam, ex eo in saxa præcipitatum colliderent, & toto corpore conquassarent. Ingens fuit hæc injuria & violentia Nazarenorum in Christum civem suum, itaque reipsa confirmarunt id quod Christus eis dixerat, ait Euthymius, scilicet Prophetam non esse in honore in patria sua, sed in eo dehonorari, imo occidi; ideoque Nazarenos prædicatione, & miraculis Christi esse indignos.

Addit S. Bonaventura Toletus & alii duxisse eos Jesum extra civitatem in verticem montis, ut eum quasi blasphemum, quod se Messiam fecisset, occiderent. Esto enim blasphemus ex lege lapidandus erat, tamen voluerunt Christum præcipitaret in saxa, & lapides, quia hoc perinde est ac si eum lapidassent. Perinde enim est, sive

Christum quasi blasphemum præcipitare voluerunt Nazareni,

saxa in hominem, sive hominem in saxa jacias & præcipites, imo hoc illo sævius, & terribilius est. Sic S. Stephanum quasi blasphemum extra Hierosolymam ejecerunt, & lapidarunt, Sic pariter, S. Jacobum primum Hierosolymorum Episcopum, quod Jesum doceret esse Messiam, quasi blasphemum e pinnaculo templi præcipitarunt. E

Porro S. Ambrosius ostendit eos deteriores fuisse diabolo; hic enim Christo in pinna templi a se constituto, tantum dixit: *Mitte te deorsum*: hic vero cum vi deorsum præcipitare fategerunt. Audi S. Ambrosium: *Est pejor magistro discipulorum hæreditas: ille verbo Dominum tentat, hi facto; ille dicit, Mitte te deorsum, illi adoriuntur ut mittant.*

IPSE AUTEM TRANSIENS PER MEDIUM ILLORUM IBAT] Maldonatus censet Christum hic se se fecisse invisibilem; S. Ambr. & Beda putant Christum mutasse voluntatem Nazarenorum, ut vellent eum dimittere. Melius alii censent Christum eorum phantasiam vel oculos divertisse, vel eos stupefecisse, ac continuisse pedes, & manus eorum, ut quasi stupidi Christum videntes eum apprehendere non possent, vel non auderent. Quare Christus hic ostendit suam divinitatem, seque esse Deum, Unde S. Ambr. *Ecce*, ait, *per medium illorum, mutata subito vel obstupefacta furentium mente, descendit*. Causam subdit: *Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur, quando vult occiditur: quia nondum venerat hora ejus*. Joann. 7. 30. Debebat enim adhuc prædicare, tandem ex Patris decreto crucifigi Hierosolymæ, non vero præcipitari in Nazareth. Ita Beda, S. Chrysost. Euthym. & alii. VERS. 30

Quomodo Christus e manibus Nazarenorum evaserit?

F

Tradit Brocardus in Descriptione terræ sanctæ, Christum elapsum e manibus Judæorum, subito in latere montis oppositi apparuisse, ideoque locum illum vocari *saltum Domini*. Addit Lyranus, saxum cui institit Christus cessisse, & instar ceræ vestigia Christi impressa in se suscepisse, sicut Christus ascendens in cælum e monte Oliveti, in eodem vestigia pedum suorum impressa reliquit. Audi & Adricomium in Descript. Terræ sanctæ, ad vocem *saltus Domini*: Tradunt Christum fugisse in montem altum, qui inde Saltus Domini dicitur, & subito ad tactum vestis ipsius saxum subterfugisse, ac instar ceræ liquatum, & resolutum quemdam effecisse sinum, quo

Saltus Domini.

G

corpus Dominicum muniretur & reciperetur, tantæ utique capacitatis, quantæ ipsum corpus Domini exitit quantitatis. In quo hodieque universa lineamenta & rugæ vestis, quæ a tergo Domini erant, pedumque ejus vestigia veluti manu sculptoris expressa servantur. Verum hæc certam non habent fidem.

ET STUPEBANT IN DOCTRINA EJUS, QUIA IN POTESTATE ERAT SERMO IPSIUS] Græce ἐν ἐξουσίᾳ, id est, in libertate, auctoritate, potentia, uti & efficacia, docebat enim *quasi potestatem habens*, Matth. 13. 52. Vide ibi dicta. VERS. 32

ET IN SYNAGOGA ERAT HOMO HABENS DÆMONIUM IMMUNDUM] Hanc historiam audivimus Marci 2. 23. ubi eam explicui. VERS. 33

SOCRUS AUTEM SIMONIS TENEBATUR MAGNIS FEBRIBUS] Hujus curationem audivimus Matth. 8. v. 14. Vide ibi dicta. VERS. 38

CAPUT V.

H

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Jesus ad sui sequelam vocat Petrum, Jacobum & Joannem per ingentem piscium capturam. Secundo, v. 12. sanat leprosum. Tertio, vers. 18. curat paraliticum. Quarto, v. 27. e telonio ad se vocat Matthæum publicanum, ac murmurantibus Scribis respondet se venisse ad vocandum non justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quinto, v. 33. iisdem interrogantibus dat causam, cur discipuli Joannis crebro jejunent, sui non. Primam partem explicui Matth. 4. 18. Secundam Matthæi 8. 2. Tertiam Matth. 9. 2. Quartam Matth. 9. 14. quare paucis additis hoc caput expediam.

FActum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth, VERS. 1.

2. Et

Digitized by Google

A 2. Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia.

3. Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas.

4. Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

5. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jeſu, dicens: Exi a me, quia homo
B peccator ſum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam ceperant:

10. Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis. Et ait ad Simonem Jeſus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

11. Et ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

12. Et factum eſt, cum eſſet in una civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Jeſum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.

13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo.

14. Et ipſe præcepit illi ut nemini diceret: ſed Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer pro
C emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

15. Perambulabat autem magis ſermo de illo: & conveniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis.

16. Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.

17. Et factum eſt in una dierum, & ipſe ſedebat docens. Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos.

18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

19. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſuper tectum, & per regulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Jeſum.

D 20. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.

21. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?

22. Ut cognovit autem Jeſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris?

23. Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, & ambula?

24. Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans Deum.

26. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. E

27. Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me.

28. Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.

30. Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

31. Et reſpondens Jeſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medicos, ſed qui male habent.

32. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

33. At illi dixerunt ad eam: Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt? F

34. Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare?

35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc jejunabunt in illis diebus.

36. Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Quia nemo commiſſuram a novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura a novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur. G

39. Et nemo bibens vetus, ſtatim vult novum, dicit enim: Vetus melius eſt.

CONCLUSERUNT PISCIUM MULTITUDINEM COPIOSAM] Quia dixerat Petrus; *In verbo tuo laxabo rete*. Ecce hic eſt fructus, hæc merces obedientiæ. Fecit hoc Jeſus, Primo, ut dando eis alimoniam, pararet eos ad vocationem & ſui ſequelam. q. d. Deſtino vos a piſcatione evocare ad mei ſequelam, atque ne vos excuſetis dicendo, quod piſcatione victum comparare debeatis, ecce ego vobis ultro ingentem piſcium copiam ſuggero, ut diſcatis in me fidere, quod ego ſine piſcatione victui veſtro, & ceteris vitæ neceſſariis ultro providebo, idque facilius & copioſius, quam vos veſtra piſcandi induſtria & labore vobis providere poſſitis. Secundo, ut ex piſcatione copioſa piſcium diſcerent, ſe copioſam piſcationem hominum mox facturos, cum ad eam vocandi eſſent a Chriſto. VERS. 6. Apoſtoli piſcatores.

ET ANNUERUNT SOCIIS] Quia præ admiratione, lætitia & ſtupore tantæ capturæ clamare, aut loqui non poterant. VERS. 7.

H

NOLI TIMERE, q. d. Noli ſtupore, timore & ſacro horrore, ob miraculum hoc capturæ piſcium corripi. Cauſam ſubdit, promittendo majorem & altiorem piſcationem, dicens: EX HOC JAM HOMINES ERIS CAPIENS] Græce ζωγρῶν, a ζωγρέω, quod Primo, a ζώω, & ἀγρέω, vel ἀγρεύω, id eſt, *animal venor*, vertas cum Noſtro, *capiens*, venans, piſcans, unde Arabicus vertit, ex *nunc eris piſcator, qui piſcaberis homines*, q. d. Tu, o Petre, deinceps capies homines, non ut feras retibus & vulneribus, ſed ut piſces, qui illæſi capiuntur reti: ſimili modo tu capies & piſcaberis homines non armis, ſed virtute & efficacia ſpiritus. VERS. 10

Secundo, ζωγρέω, derives a ζώω, id eſt, vivens, vivum, & ὄγρημαι, vel ἐγείρω, id eſt vivum excito, ad vitam revoco, vivifico. Unde S. Ambr. lib. 5. Hexam. c. 6. vertit, *eris vivificans homines*; Syrus, *poſthac piſcaturus es homines ad vitam*. q. d. Piſcatores piſcantur piſces reti, eoſque ex aqua extrabunt ad mortem, ut ſcilicet eos jugulent,

Digitized by Google

A lent, coquant & comedant: Tu vero, o Petre, homines piſcaberis non ad mortem, ſed ad vitam, imo peccato mortuos ſuſcitabis ad vitam gratiæ; ita ſcilicet ut quaſi piſces a te capti moriantur peccato, concupiſcentiæ & vitæ priori; ſed vivant vitæ, vita gratiæ, & divina, ac Deo per gratiam & charitatem quaſi incorporentur, ſicut piſces comeſti ab hominibus iiſdem incorporantur, ac in iis vivunt vita nobiliori, quia anima humana informantur. Ita Origenes hom. 16. in Jerem. & S. Juſtinus in quæſt. Gentil. q. 40.

Allegorice, Petri navis eſt Eccleſia, cujus patronus & quaſi princeps eſt Petrus, ejuſque ſucceſſores Romani Pontifices. Pontifex ergo eſt primus & ſummus piſcator, cui a Chriſto dicitur: *Eris homines capiens*. Pontifici ergo incumbit per ſe & ſuos legatos ac ſacerdotes, & Religioſos a ſe miſſos convertere infideles, Saracenos, hæreticos, &c. uti primi Pontifices SS. Clemens, Linus, Cletus, Cornelius, Fabianus, Urbanus, &c. Romanos converterunt, ac viros Apoſtolicos in
B Hiſpaniam, Africam, Indiam, &c. miſerunt, qui indigenas ad Chriſtum converterunt. Ita S. Gregorius miſit S. Auguſtinum in Angliam, qui eam convertit.

Notat S. Ambroſius, alios piſces, puta homines, hamo trahi ut Martyres; alios reti, ut fideles communes. Additque Apoſtolica inſtrumenta, retia ſunt, non enim captos perimunt, ſed reſervant, & fluctuantes de infimis ad ſuperna traducunt. Retia enim dicuntur quaſi retinentia id quod ceperunt, ait Gloſſa.

VERS. 32 NON VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES, AD POENITENTIAM] & per pœnitentiam ad gratiam, & gloriam. Unde acute S. Ambr. *Si gratia eſt ex pœnitentia*, inquit, *qui faſtidit pœnitentiam, abdicat gratiam*.

CAPUT VI.

SYNOPSIS CAPITIS.

C *PRimo, Chriſtus contra Phariſeos defendit diſcipulos, qui in ſabbato famentes vellebant ſpicas. Secundo, verſ. 8. ſubbato curat habentem manum aridam. Tertio, verſ. 13. eligit, creatque duodecim Apoſtolos. Quarto, verſ. 20. proponit beatitudines Evangelicas. Quinto, verſ. 30. uſque ad finem pergit concionari de dilectione inimicorum, de miſericordia, de non judicando, de ſtudio bonorum operum. Primam partem explicui Matt. 12. 1. Secundam ibidem v. 10. Tertiam Matth. 10. 1. Quartam Matth. 5. 1. Quintam Matth. c. 5. v. 44. & c. 7. v. 3. & cap. 19. v. 24. cæteriſque locis in Bibliis hoc capite ad marginem annotatis.*

VERS. 1. FActum eſt autem in ſabbato ſecundo primo, cum tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus.

2. Quidam autem Phariſæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in ſabbatis?

3. Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cum eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant?

D 4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant: quos non licet manducare niſi tantum ſacerdotibus?

5. Et dicebat illis: Quia Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbati.

6. Factum eſt autem & in alio ſabbato, ut intraret in ſynagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.

7. Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum.

8. Ipſe vero ſciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.

9. Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos, ſ[illegible]licet ſabbatis benefacere, an male? animam ſalvam facere, an perdere?

10. Et circumſpectis omnibus dixit homini: E Extende manum tuam. Et extendit: & reſtituta eſt manus ejus.

11. Ipſi autem repleti ſunt inſipientia, & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jeſu.

12. Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & pernoctans in oratione Dei.

13. Et cum dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit)

14. Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum,

15. Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes,

16. Et Judam Jacobi, & Judam Iſcariotem, qui fuit proditor. E

17. Et deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis.

18. Qui venerant ut audirent eum, & ſanarentur a languoribus ſuis. Et qui vexabantur a ſpiritibus immundis, curabantur.

19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

20. Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei.

21. Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

22. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparaverint vos, & exprobaverint, & ejecerint nomen veſtrum tamquam malum, propter Filium hominis.

23. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo: ſecundum hæc enim faciebant Prophetis partes eorum. G

24. Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.

25. Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.

26. Væ cum benedixerint vobis homines: ſecundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.

27. Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

28. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

29. Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30. Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. H

31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

32. Et ſi diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

33. Et ſi beneferitis his, qui vobis benefaciunt: quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.

34. Et ſi mutuum dederitis his, a quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia:

35. Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.

36. Eſto-

Digitized by Google

A 36. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est,

37. Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.

38. Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem illis, & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

B 42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.

44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?

47. Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos: ostendam vobis cui similis sit:

C 48. Simili est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit, & non facit: similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illius est fluvius, & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

VERS. 1. FACTUM EST AUTEM IN SABBATO SECUNDO PRIMO] Arabicus *in sabbato secundo*: Syrus sabbati non meminit. Quæres, quodnam hoc sabbatum? S. Hieron. hanc quæstionem proposuit S. Gregorio Nazianzeno magistro suo. Ille eamdem in ipsum ludendo retorsit, cum, ut scribit S. Hier. ad Nepotianum, diceret *Docebo te super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni popolo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis, aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis.*

Sabbatum secundo primum, quod?

D Primo S. Epiphanius hæresi 51. Vatabl. & alii opinantur *sabbato secundo primum* fuisse octavem diem azymorum, sive ultimum diem Paschæ. Pascha enim per octo dies celebrabatur, quibus pane azymo dumtaxat vesci licebat: octavus autem dies erat cæteris septem solenior, eodemque ritu celebrandus, quo ipsum Paschæ festum. Primus ergo dies Paschæ dicebatur *sabbatum primo primum*, id est festum summum, & solemnissimum: octavus vero dies dicebatur *sabbato secundo primum*, quia post primum diem Paschæ; solemnitate erat secundum: omnis enim dies festus ab Hebræis vocabatur sabbatum.

Prima sententia.

Secunda.

Secundo, Isidor. Pelusiota lib. epist. 110. & ex eo Titus Bostrenus & Euthym hic per *sabbatum secundo primum* accipiunt primum diem azymorum, qui erat dies secundus Paschæ. Pascha enim incipiebat decima quarta die primi mensis *Nisan* ad vesperam, & decima quinta erat prima azymorum: secundum ergo sabbatum est primus dies azymorum, *quia* hic secundus est post primum Paschæ, idem quoque primus est, quia est primus dies festi azymorum. E

Tertio, Maldonatus censet *sabbatum secundo primum* esse Pentecosten. Pascha enim esse sabbatum primo primo primum, id est festum primum & summum: Pentecosten vero huic proximum, ideoque post primum Paschæ ordine secundum, Tertia.

Verum, dico sabbatum hic non quodvis festum, sed sabbatum proprie dictum, sive diem septimum hebdomadæ significare. Nam illa tantum die quasi sacratissimo, Judæis lege vetitum erat spicas vellere & cibum parare, Exodi 35. 3. quod cæteris festis licebat, ut patet Exodi 12. vers. 16. Secundo, idipsum liquet ex eo, quod Matthæus, Marcus, & Lucas constanter hoc festum vocant sabbatum. Quarta genuina, fuit sabbatum proprie dictum.

Sed quodnam fuit hoc sabbatum, & cur dictum *secundo primum*? At quod dubitandum?

Primo, Theophylact. censet fuisse sabbatum, quod præcedebat alius dies festus, v. g. si in Paraseeve, sive feria sexta, fuisset festum Paschæ, Neomeniæ, Pentecostes, &c. sabbatum proxime sequentes dicebatur *secundo primum* quasi secundum a festo præcedente, & post illud primum. Alii vice versa, *sabbatum secundo primum* intelligunt illud, post quod proxime sequebatur aliud festum; hujus enim respectu sabbatum erat primum, ac ejus quasi secundi respectu vocabatur secundo primum, quasi primum ante secundum, quod proxime sequebatur. Prima sententia. F

Secundo, Joseph Scaliger lib. 6. de Emend. temp. c. 6. asserit hoc fuisse sabbatum primum post festum Paschæ, dicique secundo primum, quia primum erat post diem secundum azymorum, a quo numerabantur septem hebdomades usque ad Pentecosten; ita ut prima hebdomas, & primum sabbatum vocaretur secundo prima, vel primum, secunda hebdomas cum suo sabbato vocaretur secundo secunda, tertia hebdomas secundo tertia, quarta secundo quarta, & ita deinceps usque ad septimam. Secunda.

Huc accedit Gabriel Vasquez tract. de Eucharistia disp. 173. cap. 2. n. 10. qui opinatur sabbatum secundo primum, fuisse sabbatum proxime sequens diem secundum azymorum. Additque τὸ *secundo primo* esse duas dictiones, uti duas efficiunt Biblia Romæ correcta, non unum compositum, ac proinde in Græco pariter scribendum esse disjunctim δευτέρῳ πρώτῳ, non conjunctim δευτεροπρώτῳ: quia inquit, τὸ δεύτερον, non est additamentum diminuens, q. d. Secundario primum, sed augens dignitatem hujus sabbati: sabbatum ergo hoc censet dici secundum primum, non ratione ordinis, & numeri, sed respectu diversorum; secundo enim erat respectu primæ diei azymorum, quæ primum erat sabbatum, id est festum, primum vero erat, qua sabbatum sive dies septima, quæ primo sequebatur festum secundæ diei azymorum. Huic sententiæ obstat, quod initio ostendi, nec secundam diem azymorum, nec aliud festum hic vocari sabbatum, sed solum diem septimam hebdomadæ. G

Tertio, verisimilius S. Chrysost. hom. 40. in Matth. Jansenius, Toletus, Franc. Lucas & Emmanuel Sa arbitrantur, *sabbatum secundo primum* idem esse, quod sabbatum duplex, sive sabbatum bis primum & bis solemne, ac tale dici sabbatum, in quo aliud festum, v. g. Pentecostes, vel Neomeniæ, aut aliud simile incidebat: tunc enim sabbatum hoc videbatur duplex esse festum, sive bis festum. Verum sic brevius, clarius & aptius dixisset Lucas: Et erat sabbatum duplex, sive bis festum: sicut Ecclesia festa magis solemnia vocat *duplicia*, quia in eis duplicantur antiphonæ, illæ enim integræ tam ante quam post singulos psalmos recitantur. Rursum sabbatum *secundo primum* dicit ordinem ad sabbatum primo primum: ergo non cum illo potest esse unum, & idem, ut vult Jansenius, sed ab eo debet esse diversum; illoque dignitate minus & inferius: secundum enim dicit ordinem & sequelam ad primum. Tertia. H

Objicit Jansenius: Matth. in cap. 12. 1. in Græco, & Marcus cap. 2. 23. in Latino hoc sabbatum vocat *sabbata* in plurali, ergo plura in eo concurrebant festa. Resp. Vocant sabbata, id est sabbatum in singulari. Causam dedi Matth. 28. 1.

Quarto ergo, verisimillimum est *sabbatum secundo primum* vocari sabbatum, quod incidebat in festum Quarta genuina.

Pen-

A Pentecostes, aut infra hebdomadem Pentecostes, dicique *secundo primum*, id est secundo loco primum, vel primum post sabbatum, quod incidebat infra hebdomadem Paschæ: hoc enim erat primo primum, sive absolute primum omnium sabbatorum totius anni. Unde de eo ait Joannes c. 19. 31. *Erat enim magnus dies ille sabbati*, id est nobilissimum & solemnissimum hoc Paschæ sabbatum. Sicut enim festum Paschæ erat cæterorum festorum primum & celeberrimum; sic & sabbatum in festa Paschæ incidens, cæterorum sabbatorum erat primum & celeberrimum. Porro proximum a Paschate, sive secundum festum erat Pentecoste: unde & sabbatum proximum post Pentecosten, secundum inter sabbata locum obtinebat. Sabbatum ergo Paschæ erat primo primum, sabbatum vero Pentecostes erat huic proximum, sed dignitate inferius, ideoque dicebatur secundo primum, id est secundum a sabbato paschali, ac post illud cæterorum primum.

Probat hæc sententia Primo, quia ea, quæ hic narrantur de Christi discipulis sabbato hoc spicas vellentibus, contigerunt circa Pentecosten, ut patet ex eo, quod tunc segetes sint maturæ in Judæa, utpote regione valida. Unde Judæi jubebantur tunc primos panes novæ frugis Deo offerre, Levit. 23. 16. 17.

Secundo, quia sabbatum hoc, ut ostendi initio, erat sabbatum proprie dictum, ac proinde secundum dici debet respectu alicujus sabbati primi etiam proprie dicti, non autem respectu Paschæ aut alterius festi. Ergo cum sabbatum Paschæ fuerit omnium primum, ut probavi, consequens est, ut sabbatum Pentecostes dicatur & sit secundum, sive secundo primum, id est secundo loco & gradu primarium, & principale, idque exigunt Biblia Romæ correcta, quæ τὸ *secundo* commate dividunt a τῷ *primo*, Sic enim habent: *Factum est autem in sabbato secundo, primo cum transiret per sata*; & Arabicus, *in sabbato secundo*.

Tertio, quia ex dictis liquet nullam cæterarum opinionum esse verosimilem. Denique cognata, & vicina festa sunt Pascha & Pentecoste, ut unum primum, alterum a primo secundum esse videatur. Unde Itali Pentecosten vocant Pascha Spiritus sancti. Simili modo consequenter cognata & vicina erant duo sabbata, Paschæ & Pentecostes. Hinc & Ecclesia omnes Dominicas, quæ in locum sabbatorum succedere, ordine suo numerat a Pentecoste usque ad Adventum, ac primam Dominicam post Pentecosten nuncupat illam, quæ incidit in octavam Pentecostes, secundam, quæ proxime sequitur, tertiam, quæ tertio loco, &c.

Dices, Tota hebdomada Pentecostes non erat festa, uti erat hebdomas Paschæ; ergo sabbatum in illam incidens non erat dignius cæteris. Resp. Hebdomas Pentecostes non erat festa ex præscripto legis, sed tamen ex religione & devotione Hebræorum, ad imitationem Paschæ celebrior erat cæteris hebdomadibus. Unde magna celebritate diem octavam Pentecostes celebrabant die 13. tertii mensis Sivan, sive Maji (Pentecosten enim celebrabant sexta die ejusdem mensis) sicut octavam Paschæ celebrabant die 22. primi mensis Nisan, sive Martii, hæc enim est octava a die 14. qua celebrabant Pascha: quæ omnia patent ex Calendario Hebræorum, quod edidit Genebrardus, & Commentario suo in Psalmos præfixit.

Allegice. D Allegorice S. Ambr. hic, Sabbatum secundo primum, inquit, est tempus Evangelii, hoc enim tempore est secundum, quia sequitur sabbatum legale, dignitate vero est primum.

Symbol. Symbolice in Psalm. 47. sub initium; sabbatum secundo primum, inquit, est sabbatum Judæorum; hoc enim dignitate est secundum a nostro Paschate, quia post resurrectionem Christi prælatus est illi dies Dominicus: dicitur & primum, quia ante Christum erat primum, & solemnissimum.

Tropol. Tropologice Beda: Christus, inquit, sabbatis maxime curat & docet, non solum propter insinuandum spirituale sabbatum, quo mens a vitiis & operibus corporalibus abstinens uni vacat Deo; sed etiam propter celebriorem populi conventum, uti jam die Dominico ad confluentem populum habetur concio. Accessit & alia ratio, quam dedi in Matthæo; scilicet ut Christus Judæos, & Scribas doceret verum sabbati cultum, nec ei repugnare ægrorum curationem, & miracula, quæ ipse in sabbato patrabat, uti censebant Scribæ, qui proinde eum ut legis violatorem persecuti sunt usque ad necem & crucem, idque permittere decreverat Deus, ut sic decretum suum de redimendis per Christi crucem hominibus adimpleret. E

Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati] ob causas, quas dedi Matth. 12. Hic exemplar Græcum Parisiense, quod citat Franc. Lucas in notis, hæc addit: *Eodem die cum quemdam conspexisset operantem sabbato, dixit ei: Homo si quidem nosti quid agas, beatus es, sin autem non nosti, execrabilis es & transgressor legis*. Verum hæc Ecclesia non agnoscit. Vers. 5.

Ipsi autem repleti sunt insipientia] q. d. Nil Christo respondere potuerunt Judæi more insipientis, qui non habet quod dicat & loquatur. Græce pro *insipientia* est ἄνοια, id est, *amentia*, q. d. In rabiem & furorem acti sunt, quod rationibus Christi tam evidentibus confunderentur. Syrus vertit, *repleti sunt invidia*, hæc enim eos excæcabat, ne veritatem de modo colendi sabbatum agnoscerent, ac eos in necem Christi incitabat. Unde subdit Lucas: *Et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu*, ut eum e medio tollerent. Est metalepsis: ponitur enim effectus pro causa, scilicet *insipientia* pro invidia, a qua causatur & nascitur. Vers. 11. F

Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei] orans Deum, colloquens cum Deo. Propria orationis hujus nocturnæ causa fuit, ut Christus per eam Patrem rogaret, ut postero mane e discipulis duodecim Apostolos designaret, eosque deligeret, qui tanto gradu digni forent, atque ut eis orando gratiam & spiritum ingentem ad Apostolatum hoc rite perfungendum, multosque converrendum impetraret, utque nos idem facere doceret. Quocirca Ecclesia Christi exemplo, in Quatuor temporibus dum ordinat Sacerdotes, Diaconos, Episcopos, &c. orationem & jejunium fidelibus omnibus indicit, ut digni eligantur, utque electis gratia ad tantum munus idonea impetretur. A Clero enim totus pendet populus. Episcopus si bonus & zelosus est, omnes fideles sui Episcopatus ædificat & sanctificat; sin vitiosus sit vel deses, omnes scandalizat & perdit. Sic & Parochus totam parochiam, si bonus est, bonam efficit; si malus, malam. Vers. 12.

Tropologice docet hic Christus noctu orare, Primo, quia nox ob quietem, silentium & solitudinem mentem colligit, ut in Deum facile elevetur, eique uniatur. Secundo, ad arcendum nocturnas illusiones, tentationes, & terrores, quos dæmon excitare solet. Tertio, ut noctu orando hauriamus a Deo spiritum & gratias, quas per diem in proximos effundamus. Hac de causa Christus noctu orabat, per diem concionabatur. Idem fecit S. Paul. Actor. 16. 15. 1. Tim. 5. 5. S. Antonius, S. Simeon Stylites, S. Dominicus, S. Franciscus & alii. Hinc David toties nocturnam orationem commendat, ut Psalm. 133. 1. *In noctibus extollite manus vestras in sancta*. Psal. 118. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Psal. 76. 7. *Meditatus sum nocte cum corde meo*. Psalm. 41. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus*? Plura de hac re dixi superius, & Deut. 6. 7. ad illa, *Dormiens atque consurgens*. Noctu orat. Primo. G Secundo. Tertio.

Beati pauperes] spiritu. *Humilitas enim spiritus divitiæ virtutum sunt*, ait S. Ambr. Porro Matthæus c. 5. octo beatitudines Evangelicas recensет, quas Lucas hic per compendium ad quatuor redigit. Vide ibi dicta. Vers. 20

Hinc recte concludit S. Ambrosius lib. 2. Offic. c. 4. *Itaque*, inquit, *paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur esse mala, non solum impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adjumento evidentissime pronunciatum est a Christo*; qui est prima veritas, ideoque falli aut fallere nequit. H

Porro, S. Ambrosius hic causam dat, cur Lucas quatuor tantum assignet beatitudines: quia contentus fuit, inquit, quatuor virtutes amplecti cardinales, scilicet justitiam, quæ alienas opes non appetens sancta gaudet paupertate: temperantiam, quæ esurire & sitire mavult, quam saturari & comessari: prudentiam, quæ hic lugere & flere appetit, ut in cælo ridere & exultare mereatur: fortitudinem, quæ pro Christo & virtute omnia probra & maledicta, & adversa quæliber generose sustinet & superat. Aut potius censet temperantiam notari in prima beatitudine, cum ait, *Beati pauperes*; justitiam in secunda, cum ait, *Beati, qui nunc esuritis*, scilicet justitiam, ut addit Matth. cap. 5. prudentiam in tertia, cum ait, *Beati qui nunc fletis. Habes*, ait Ambr. *prudentiam, cujus est flere occidua, & ea quæ æterna sunt quærere*: fortitudinem in

quæ-

C Itali Pentecosten vocant Pascha Spiritus sancti.

A quarta, cum ait, *Beati eritis cum vos oderint homines; Habes*, ait, *fortitudinem, ſed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, ſed perſecutionem patiatur ex fide. Sic enim ad paſſionis pervenitur coronam, ſi gratiam hominum negligas, divinam ſequaris:*

VERS. 24 VÆ VOBIS DIVITIBUS, QUIA (ita legendum cum Roman. non *qui:* græce enim eſt ὅτι, quod dat cauſam, cur divitibus ſit væ) HABETIS CONSOLATIONEM VESTRAM] Chriſtus hic quatuor recenſitis jam beatitudinibus ſive felicitatibus, per antitheſin totidem opponit miſerias, & infelicitates; ſcilicet Primo, ſtudio paupertatis ejuſque præmio, ſcilicet regno cælorum, opponit ſtudium divitiarum & avaritiam, ejuſque pœnam, ſcilicet væ æternæ damnationis, deſolationis & gehennæ. Secundo, abſtinentiæ & eſuriei, ejuſque præmio, ſcilicet ſaturitati cæleſti opponit gulam, ejuſque congruam pœnam; ſcilicet væ æternæ famis & penuriæ. Tertio, pio luctui, ejuſque præmio, ſcilicet gaudio perenni, opponit modicum præſentis vitæ gaudium & riſum, ejuſque pœnam; ſcilicet luctum & planctum æternum. B Quarto, perſecutioni, ejuſque præmio, ſcilicet amplæ mercedi in cælis, opponit plauſum hominum, ejuſque pœnam, ſcil. perennem Dei offenſam, iram & vindictam. *Væ* enim in Scriptura ſæpe notat Dei iram, & damnationem ad gehennam æternam, ut notat S. Gregor. hom. 9. in Ezech. Porro τὸ *væ* eſt interjectio Chriſti partim deplorantis æternam divitum miſeriam, ut vult S. Chryſ. hom. 44. ad Popul. partim eam prædicentis, ut vult Titus, partim eam comminantis & decernentis, ut vult Tertull. lib. 4. contra Marcionem.

Væ in Scriptura quid ſignificet?

DIVITIBUS] Sicut per pauperes v. 20. intellexit pauperes ſpiritu, id eſt, amore, affectu & ſtudio, qui ſcilicet amant paupertatem, ut magis placeant Deo; ſic per *divites* hic intelligit avaros & cupidos, qui ſtudent congerere opes per fas & nefas, ac in iis ſuam felicitatem, & quaſi ultimum finem collocant: hoc enim eſt peccatum mortale, quod ad rapinas, uſuras, injuſtos contractus, aliaque peccata impellit, ideoque ei Chriſtus hic *væ* gehennæ incentat. Nam alioqui divites, qui ex hæreditate, vel honeſto labore & lucro abundant opibus, ſi illis non afficiantur, ſed eas in pauperes operaque pia expendant, ſunt pauperes ſpiritu, uti fuere Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moſes, David, &c. *nec ſenſus igitur, ſed affectus in crimine eſt*, ait S. Ambr. hic. Hoc eſt quod ait Apoſtolus 1. Tim. 6. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum eſt cupiditas:* græce φιλαργυρία, id eſt cupido argenti. Vide ibi dicta.

C

QUIA HABETIS CONSOLATIONEM VESTRAM] quia divitiis veſtris quaſi ſummo bono fruimini, in iiſque magis quam in Deo confiditis, quieſcitis, gaudetis, ſuperbitis, atque iis ad gulam, luxuriam, aliaque ſcelera abutimini: hac de cauſa Deus divitias præſentes vobis indulget, ut conſolationem, & felicitatem veſtram habeatis in hac vita, ſed in altera careatis felicitate cæleſti & æterna: *Nam qui conſolationem vitæ præſentis habuerunt, remunerationem perpetuam perdiderunt*, ait S. Ambr. Chriſtus enim hic æterna lege ſanxit, ut qui in hac vita ſua habent commoda: in futura ſua habeant incommoda, & vice verſa. Unde S. Hier. epiſt. 34. Julianum nobilem & opulentum hominem, quem ad ſæculi contemptum, vitæque religioſæ amorem inducere nititur, hoc potiſſimum argumento aggreditur, *Difficile*, inquit, *imo impoſſibile eſt, ut præſentibus quis & futuris fruatur bonis, & hic ventrem & ibi mentem expleat, ut de deliciis tranſeat ad delicias, ut in utroque ſæculo primus ſit, ut in cælo & terra appareat gloriosus.* Hinc Abraham diviti epuloni nullam aliam damnationis & tormentorum in igne gehennæ cauſam obiicit, quam hanc: *Recordare fili, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris*, Luc. 16. Hinc & Chriſtus S. Catharinæ Senenſi duas obtulit coronas, unam gemmeam, alteram ſpineam, ſed ea lege, ut ſi gemmeam eligeret in hac vita, ſpineam acciperet in altera, & vice verſa. Quocirca illa ſpineam de manu Chriſti accepit, eamque adeo valide capiti ſuo infixit, ut plures dies acres ſpinarum punctiuras & dolores ſentiret.

D *Difficile eſt præſentibus frui bonis, & futuris.*

S. Catharina Senenſis ſpineam coronam elegit.

VERS. 25 VÆ VOBIS, QUI SATURATI ESTIS, QUIA ESURIETIS] in gehenna. q. d. Væ vobis, qui gulæ & crapulæ indulgetis, qui deliciis vos exſaturatis, qui ventrem vinis ſapidis ſaburratis, imo mergitis & obruitis, quia famebitis in æternum: eſto enim impii in inferno graviores ignis ſubituri ſint pœnas, tamen guloſi hanc quoque famem & ſitim in ignium ardore ſenſuri ſunt, quaſi proprium gulæ ſuæ ſupplicium & tormentum. Unde dives Epulo optabat a Lazaro ſibi dari guttam aquæ; qua refrigeraret linguam igne æſtuantem, eo quod illam cibis viniſque delicatis ſaturaſſet, ita Euthymius. Cauſam dat S. Baſilius in Regulis fuſius diſp. c. 19. Quia voluptatibus ſervire, inquit, nihil aliud eſt, quam ventrem ſuum Deum efficere. Et S. Gregor. lib. 5. in lib. Reg. c. 1. *Ex uno*, ait, *gula vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur: Et cum idem gulæ vitium reciditur, alia nobis multa ſubjugamus. Unum quidem gulæ vitium eſt ſed aculei libidinis innumeri ſunt, qui precedentem illum quaſi regem ſequuntur, qui læta quidem ſuggerunt, ſed ad æterni fletus lamenta perducunt.* Et S. Bern. ep. 1. 52. *Mens*, inquit, *aſſueta deliciis, nec exculta diſciplinæ ferculo, multas contrahit ſordes.* Idem ſer. 48. in Cant. *Vita*, ait, *in deliciis agens, & mors eſt, & umbra mortis: quantum enim umbra prope eſt corpori, cujus eſt umbra; tantum pro certo vita illa inferno appropinquat.*

E

Ex adverſo S. Leo ſer. 2. de jejunio decimi menſis: *De abſtinentia*, inquit, *prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia, ac per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus innovatur.*

F

Hac de cauſa Chriſtus S. Catharinæ Senenſi hoc dogma dedit, *Amara ut dulcia amplectere, dulcia ut amara refuge.* Vide multa deliciarum damna, quæ ex Salomone recenſui Eccleſ. 2. 1.

VÆ VOBIS QUI RIDETIS NUNC, QUIA LUGEBITIS ET FLEBITIS] tum in hac vita, tum magis in gehenna. S. Baſilius in Regulis brevior. reſponſ. 31. videtur in fidelibus damnare omnem riſum, eo quod hæc vita ſit pœnitentiæ & luctus, futura vero gaudii & riſus. Unde & Chriſtus ſæpius legitur fleviſſe, ac riſiſſe numquam, ut advertit S. Auguſt. ſer. 35. de Sanctis.

Riſus moderatus Sanctis permittitur.

Verum Sapiens Eccli. cap. 21. v. 23. moderatum riſum Sanctis permittit: *Fatuus*, ait, *in riſu exaltat vocem ſuam, vir autem ſapiens vix tacite ridebit.* Vide ibi dicta, & Eccl. c. 2. 2. ad illa, *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis?* ubi oſtendi nimium riſum & cachinnos vetari, non moderatum: hic enim ſignum eſt animi tranquilli, læti, innocentis, benevoli. *Væ* ergo *vobis, qui ridetis*, id eſt, qui in comeſſationibus, ebrietatibus, luxuriis, cæteriſque vetitis hujus mundi voluptatibus ridetis, id eſt, exultatis, & vos in ineptam ſceleratamque lætitiam effunditis, quia in inferno lugebitis & plorabitis in æternum.

G

VERS. 26 VÆ CUM BENEDIXERINT VOBIS HOMINES: SECUNDUM HÆC ENIM FACIEBANT PSEUDOPROPHETIS PATRES EORUM] q. d. Væ cum vobis plauſibilia & carni grata prædicantibus applauſerint homines, quorum longe major pars ſenſu & concupiſcentia ducitur, eſtque animalis, & carnalis, ideoque veram doctrinam & doctorem, carnis & concupiſcentiæ vitia taxantem & reſecantem odit, & perſequitur: illa autem excuſantem & palpantem amat, laudat & benedicit, qui proinde maledicitur a Deo vitiorum oſore & vindice: quia ſic applaudebant pſeudo prophetis plauſibilia & erronea docentibus patres eorum: quare ſicut utrique ad inferna deſcenderunt, ſic & ego idem *væ* damnationis vobis eadem facientibus intento. Opponitur enim hoc *væ* quartæ beatitudini verorum Prophetarum, id eſt, prædicatorum, qui perſecutionem patiuntur propter Chriſtum, ſcilicet propter fidem, pietatem, & veritatem, quam prædicant verſ. 22. Hoc eſt quod ait Paulus Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Vide ibi dicta. Qui enim errores & ea quæ carni ſunt ſuavia, docet, cauſa eſt ut populus carnaliter vivat, multaque ſcelera committat: quorum proinde omnium ipſe, utpote cauſa & incentor, pœnas maximas, & plurimas luet in inferno. Rurſum prædicator, qui ex concione ſibi plauſum quærit, non converſionem populi, atque hanc vanam gloriam ſuæ concioni, velut fructum & mercedem, præſtituit, & captat, hic damnabitur, tum quia prædicationis officio ad laudem non Dei, ſed ſuam abuſus eſt; tum quia vanam gloriam ſibi finem ultimum & bonum ſummum præfixit; tum quia ſalutem tot animarum ſibi creditam, ut eas viam virtutis & ſalutis doceret, impedivit & evertit. Tales pſeudoprophetæ, id eſt falſi prædicatores, erant illi, quos ſæpe redarguit Jeremias (aliique Prophetæ) ut c. 7. dicens: *Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia.*

H

SED

A SED VOBIS DICO QUI AUDITIS: DILIGITE INIMICOS
VERS. 27 VESTROS] τὸ *ſed* ſignificat antitheſin, ſcilicet, Chriſtum ab impiis & miſeris voluptatum ſectatoribus, quibus quater *væ* intentavit, ſermonem ad ſuos auditores, verbi Dei & pietatis ſtudioſos convertere. q. d. Ego *væ* hucuſque impiis intentavi, ſed vobis piis mei ſtudioſis auditoribus, nunc pia ſalutis præcepta edo, ac imprimis, ut diligatis inimicos. Præcepta hæc Chriſti expoſui Matth. 5. v. 44. & ſeqq.

VERS. 29 OMNI PETENTI TE TRIBUE] q. d. Non tantum indigenti pane, ſed egenti auxilio, doctrina vel conſilio tuo, illud ipſi libens impende: ſic enim exercebis actum miſericordiæ & eleemoſynæ, vel corporali, vel ſpirituali. Vide dicta Matth. 5. 42. Quibus adde Lucam addere Matthæo τῷ *omni*, quod explicans S. Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 40. *Omni petenti*, inquit, *non omnia petenti, ut id des quod dare honeſte & juſte potes, Quid ſi enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere? quid ſi poſtremo ſtuprum petat? ſed ne multa perſequar, quæ ſunt innumerabilia, id profecto dandum eſt, quod nec tibi,*
B *nec alteri noceat, quantum ſciri aut credi ab homine poteſt: & cui juſte negaveris quod petit, judicanda eſt ipſa juſtitia, ut non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamvis non ſemper id quod petit dabis, ſed aliquando melius aliquid dabis, cum petentem injuſte correxeris.*

ET QUI AUFERT QUÆ TUA SUNT, NE REPETAS] ſive in judicio, ut explicat S. Aug. ſive extra illud. Eſt hoc præceptum, ſi is qui abſtulit, valde eo indigeat, alias conſilium. Huc facit illud Iſaiæ 58. 3. *Omnes debitores veſtros repetitis.* Et parabola illa ſervi, qui a conſervo repoſcens debitum, eumque ſuffocans, ab hero damnatus eſt ad carcerem, donec omne debitum jam ante ſibi dimiſſum redderet, Matth. 18. Hoc fecit S. Spiridion, qui furibus oves, quas ei furati erant, condonavit. Idem fecere Anachoretæ plures, ut ex vitis Patrum patet.

VERS. 34 ET SI MUTUUM DEDERITIS HIS, A QUIBUS SPERATIS RECIPERE, ſimile beneficium, QUÆ GRATIA EST VOBIS? q. d. Hoc non tam gratia eſt, quam mercatura, & beneficii cum beneficio commutatio. Unde Interl. *Ex hoc ſolo*, ait, *quod ſperatis recipere, non pro Deo datis.* Spes ergo mutui beneficii aufert ipſi beneficentiæ gratiam Dei.

VERS. 35 ET MUTUUM DATE, NIHIL INDE SPERANTES] *ab hominibus*, ut addit Syrus, ut Deus vobis aliunde retribuat:
C *nihil*, id eſt nullum pretium, nullum fœnus, nullam uſuram, item nullam recompenſationem. Vult ergo nos gratis dare mutuum, non tantum ut pro mutuo uſuram non accipiamus, quod eſt præcepti; ſed inſuper ita, ut non intendamus ſimile beneficium ab eo, cui mutuum damus, nobis præſtari, quod eſt conſilii, v. g. cogitando: Ego Petro mutuum dabo, ut ille viciſſim in tali re officium ſuum mihi præſtet. Hoc enim animi eſt minus liberalis, ſed quærentis & avari. Chriſtus vero hic nos inſtruit ad plenam ſinceramque liberalitatem, qua ex mutuo nihil lucri expectamus, ſed tantum, ut ipſum mutuum ſuo tempore nobis reſtituatur. Aliqui nec hanc quidem reſtitutionem expectandam putant. Verum de eo non agit hic Chriſtus: nam hoc eſt donare, non mutuare; nec mutuum, ſed donum. Ita Toletus, Leſſius, Valentia & cæteri, qui de uſura & mutuo ſcripſere.

Mutuum date nihil inde ſperantes.

Metui etymon.

D Porro ex mutuo ſperare lucrum vel commodum, eſt contra etymon & naturam mutui. *Mutuum* enim dicitur, quod *mutuo ſint animo*, qui officii dant cauſa, ait Varro l. 5. de lingua Latina: aut potius, ut Nonius Marcellus, *mutuum* dicitur quaſi *meum tuum*; *Mutuum*, inquit, *vocatur, quod ſub amico effectu fiat meum tuum, uſu temporis neceſſarii.* Unde S. Gregor. Nyſſen. orat. contra uſurarios: *In eo*, inquit, *qui dat mutuo ſub conditione uſuræ, cauponarius quæſtus condemnatus eſt.* Nam *mutuum in amicitia eſt, cum par voluntas accipitur & redditur*, ait Cicero lib. 5. epiſt. 2. ad Metellum.

Denique vir cordatus egenti dabit mutuum, etiamſi putet illud ita perditum, nec umquam ſibi reſtituendum. Multi enim ſunt pauperes, qui mutuum reſtituere non poſſunt, alii ingrati, qui nolunt. Unde Comicus:

Si amico, inquit, *des mutuum, illud dum repetes, Vel illud quod credideris perdes, vel illum amicum amittes.* Idem alibi:

Mutuo talento, ait, *mihi inimicum emi, amicum perdidi.* Quocirca qui dat mutuum, illud datum æſtimet, datum, inquam, amore Dei, & a Deo magno cum fœnore ſibi reſtituendum, juxta illud: *Fœneratur Deo, qui miſeretur pauperis.* Pro verſ. 19. v. 17. Vide ibi dicta.

Unde S. Chryſoſt. *Pauper recipit*, ait, *ſed Deus obligat ſe.* Et S. Baſilius conc. 4. de Eleemoſyna: *Cum enim*, ait, *pauperi propter Dominum aliquid es daturus, illud idem & donum eſt & mutuum; donum quidem, propter nullam præmii expectationem; mutuum vero, propter ſplendidam Domini munificentiam, ejus vice rependentis, qui cum pauca in pauperis perſona acceperit, maxima eorum nomine reponit.* E

Quocirca Chriſtiane Eccleſiaſticus cap. 29. 4. *Perde*, inquit, *pecuniam propter fratrem & amicum tuum*, ubi per plures verſus multa de mutuo dixi, varioſque ad facile mutandum ſtimulos ſuggeſſi. Vidi in quadam urbe primaria communem abuſum mutui, quod illud recipientes accipiebant non ut mutuum, ſed ut donatum, quare de eo reſtituendo non cogitabant; imo ſi mutuum repeteretur, indignabantur. Verum hoc abuſu id conſecuti ſunt, ut nemo ibidem alteri ulterius mutuum dare velit, cogitantes tantumdem eſſe mutuatum, quantum eſt donatum vel perditum.

DATE, ET DABITUR VOBIS] Multi ſunt liberales in promittendo, pauci in dando. Unde Antigonus rex Macedonum, teſte Plutarcho in Æmilio, a vulgo vocabatur *Doſon*, eo quod ſemper in hore haberet δώσω, id eſt *dabo*, ſed reipſa daret nihil. Idcirco Chriſtus ait: in præſenti, non *dabitis*, in futuro. VERS. 38 F

Antigonus multum promittebat nihil dabat.

ET DABITUR VOBIS] Hæc eſt enim vicaria merces dantis, quam Deus quaſi talionem ei aſſignat, ſuſcitando ſcilicet multos, qui ipſi vicem rependant, ac multa danti plura donent, uti contigit S. Joanni Eleemoſynario. Lege Leontium in ejus Vita. Fertur monaſterium quoddam largis eleemoſynis, quas dabat, evaſiſſe locuples, iis deinde negatis ad pauperiem redactum. Cumque hac de re procurator quereretur apud peregrinum quemdam ibidem hoſpitem, ab eo audivit: *Date & dabitur* ſunt ſorores. Vos ejeciſtis priorem, cui nomen *Date*, mox ejectam ſororem ſecuta eſt ejus comes individua, cui nomen *Dabitur*. Si ergo vultis ut illa redeat, revocate priorem, ac largas, ut prius, date eleemoſynas. Vide dicta verſ. 27. Matth. 5. 42. & alibi. Eleemoſyna ergo non depauperat, ſed ditat, uti eleganter probat S. Chryſ. hom. cui titulus. *Quod eleemoſyna ſit ars omnium quæſtuoſiſſima.* Nam, ut ait ſancitque Chriſtus: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. 7. ubi plura hac de re dixi. G

Lepidum exemplum. *Date & Dabitur* ſunt ſorores.

CAPUT VII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Chriſtus ſanat ſervum Centurionis moribundum. Secundo, v. 11. filium viduæ in Naim a morte ſuſcitat. Tertio, v. 19. diſcipulis Joannis Baptiſtæ rogantibus: Tu quis es? *non verbis, ſed factis & miraculis reſpondet, ſe eſſe Meſſiam ſive Chriſtum. Quarto, v. 24. Laudat Joannem quaſi ſuum & Dei angelum. Quinto, v. 36. Magdalenæ pœnitenti peccata remittit.*

Primam partem explicui Matth. cap. 8. v. 5. Tertiam & quartam Matth. 11. verſibus ad marginem annotatis. Supereſt ergo ſecunda & quinta hic explicanda. H

CUm autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capharnaum. VERS. 1.

2. Centurionis autem cujuſdam ſervus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretioſus.

3. Et cum audiſſet de Jeſu, miſit ad eum ſeniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus.

4. At illi cum veniſſent ad Jeſum, rogabant eum ſolicite, dicentes ei: Quia dignus eſt ut hoc illi præſtes.

5. Diligit enim gentem noſtram: & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.

6. Jeſus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe eſſet a domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: non enim ſum dignus ut ſub tectum meum intres.

7. Propter quod & meipſum non ſum dignum arbi-

Digitized by Google

A arbitratus ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

8. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, & vadit: & alii, Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, & facit.

9. Quo audito Jesus miratus est: & conversus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

10. Et reversi, qui missi fuerant domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

11. Et factum est: deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa.

12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.

13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam: dixit illi: Noli flere.

B 14. Et accessit & tetigit loculum, (Hi autem, qui portabant, steterunt.) Et ait: adolescens, tibi dico, surge.

15. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.

16. Accepit autem omnes timor: & magnificibant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitavit plebem suam.

17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.

18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.

19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes: & misit ad Jesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

C 21. (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum.)

22. Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24. Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus regum sunt.

26. Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis, & plusquam Prophetam:

27. Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

D 28. Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei, major est illo.

29. Et omnis populus audiens, & publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.

30. Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? & cui similes sunt?

32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad invicem: & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentavimus, & non ploraſtis.

33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. E

34. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum,

35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

37. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti:

38. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, F sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.

40. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic.

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

44. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

43. Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: recte judicasti.

44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti: hæc autem G ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit; vade in pace.

CUM AUTEM IMPLESSET, supple loqui; Syrus; *cum absolvisset*; alii, *com complesset*, OMNIA VERBA SUA. VERS. 1.

ERAT MORITURUS] erat moribundus, agebat animam, agonizabat; Syrus, *proximus erat ad moriendum*. VERS. 2.

MISIT AD EUM SENIORES JUDÆORUM, ROGANS EUM, UT VENIRET, ET SALVARET SERVUM EJUS] Judæorum petitionem Lucas tribuit Centurioni, quia illam ipsi ejus nomine instituebant, alioqui Centurio non petebat ut Christus ad se veniret, sed tantum uti ei dicerent: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur*, ut habet Matth. Ita Franc. Lucas. Sciebant enim Judæi Centurionem hoc desiderare, sed ex humilitate non audere petere: petunt ergo nomine ejus, quod ipsum sciebant in corde desiderare, sed non audere postulare. *Adde, ut veniret*, id est, applicaret se, semotis alii occupationibus, ad puerum sanandum: hoc enim est hebr. בוא *ba*, id est, *venit*. Sic Deus venit ad Abimelech Gen. 20. ad Balaam Num. 22. ad Hebræos, Deut. 33. cum eis apparuit, & legem dedit. Sic de Joanne Baptista dicitur: *Venit Joannes non manducans, neque bibens: venit*, id est ostendit se, exhibuit, apparuit, extitit: non ergo facienda est vis in verbo *veniret*, sed in *sanaret*, hæc enim erat summa petitionis, ut sanaret sive veniendo, sive manendo. VERS. 3. H Deum venire quid?

NOLI

A NOLI VEXARI] nē te vexes, id est affligas & fatiges, VERS. 6. ut molestiam tanti itineris ad servum meum visendum & curandum suscipias, sed hic manens & quiescens solo verbo & jussu tuo servum meum absentem cura, Syrus, *ne labores, ne fatigeris*.

VERS. 11 ET FACTUM EST: DEINCEPS (græce, ἐν τῷ ἑξῆς, id est in sequenti, scilicet ἡμέρᾳ, id est die, hoc est postridie; ita Syrus) IBAT (Jesus) IN CIVITATEM, QUÆ VOCATUR NAIM] Civitas erat Galilææ, duobus milliaribus distans a monte Thabor, ait S. Hieronymus in Locis Hebr. quam torrens Cison alluit, dicta a pulchritudine Naim. *Naim* enim hebr. idem est quod pulchra, decora, jucunda, delectabilis. Unde Noemi socrus Ruth, mortuis filiis lugens ait: *Ne me vocetis Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*, Ruth 1. 20. Idem dicere poterat vidua hæc in Naim, amissum defiens filium unicum. Et psalm. 132. *Ecce quam bonum & quam jucundum* (hebr. *naim*) *habitare fratres in unum*. Ex adverso quam triste & funestum morte separari filium a matre fratrem a fratre!

Naim ubi sita, & unde sic dicta?

B Nominat *Naim*, tum ad plenitudinem historiæ & miraculi, ut quo loco contigerit, sciatur; tum quia Christus *circuibat omnes civitates & castella prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem*, ut ait Matth. c. 9. 35. tum ad ostendendam acerbitatem funeris & luctus materni. Acerbior enim accidebat mors filio, æque ac matri in Naim in civitate amœna & speciosa, quam in pago vel villa rusticana: sicut acerbius est mori juveni in florenti ætate, quam seni in effœta senecta; valenti, quam ægro; diviti, quam paupери; felici, quam misero, in Majo vernante, quam in Decembri horrido, juxta illud Eccli. 41. 1. *O mors quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis, viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est!*

VERS. 12 CUM AUTEM APPROPINQUARET PORTÆ CIVITATIS, ECCE DEFUNCTUS EFFEREBATUR FILIUS UNICUS MATRIS

C SUÆ, ET HÆC VIDUA ERAT, ET TURBA CIVITATIS MULTA CUM ILLA] *Ecce* q. d. Ecce tibi casu & fortuito, si causas secundas & humanas spectes, occurrit Christo funus; sed Christo hic occursus erat prævisus, provisus & destinatus, ut mortuum suscitaret. Voluit Christus ut hominibus hic occursus videretur fortuitus, ne si ipse eum captasset, miraculum ejus & beneficium videretur a Christo captatum & obtrusum, ideoque minus gratum, minusque æstimatum. Nam ut vulgo dicitur, *merx ultronea putet*.

Sepulchra Judæorum extra urbem. DEFUNCTUS EFFEREBATUR] extra urbem. Hinc collige Judæos sepulchra sua habuisse non in urbe, sed extra urbem, idque tum ob nitorem, tum ob sanitatem, ne cadavera sub fœtore & putredine aerem inficerent. Sic etiam Joseph ab Arimathia sepulchrum habebat extra Jerusalem in monte Calvariæ, in quo Christum sepeliit. Unde Andrichom. in Descript. Jerusalem n. 204. collocat in valle Josaphat (in qua fiet universale judicium, & communis resurrectio) sepulchra omnium

D civium Hierosolymæ, ac commune cœmeterium. Excipe reges: his enim David sepulchrum extruxit in Sion, 3. Reg. 2. 11.

ut & Romanorum. Sic & Romani Gentiles suos sepeliebant extra urbem in Campo Martio, teste Livio, imo lege XII. tabularum intra urbem mortuos sepeliri vetitum erat. Quam legem antiquam revocavit Theodoricus rex Italiæ: extat illa apud Cassiodorum c. 3. Christiani quoque urgente persecutione, extra Romam in cryptis a se effossis defunctos suos humabant, uti etiamnum est videre in cœmeterio S. Priscillæ, S. Sebastiani, S. Laurentii, &c.

Sepulchra in urbe, cur? Primo. postea vero data pace Ecclesiæ cœmeteria in urbe, juxta templa fuere constituta & consecrata; idque Primo, ut mortis memoriam quasi sanctæ vitæ stimulum, fidelibus jugiter objicerent. Sic Spartani suos in urbe sepeliebant ex instituto Lycurgi, qui hoc ratione juventutem ad mortem honorandam, non autem timendam volebat assuefacere, teste Plutarcho in Laconicis.

Secundo. Secundo, certis precibus & ritibus cœmeteria consecrabant contra illusiones dæmonum, qui in sepulchris habitare, & corpora mortuorum assumere solent, ut patebit Lucæ 8. v. 27.

Tertio. Tertio, idipsum faciebant hoc fine, ut fideles ingressuri in templum pro ibidem sepultis oratent, ut ipsi e Purgatorio liberati in cælum euntes, cum Sanctis ad gloriam resurgere in die judicii mererentur. Item ut sacrificii Missæ, quod in templo fit, participes forent, ac Sanctorum, qui in templo quiescunt, vel coluntur, meritis & precibus adjuvarentur: qua de causa Constantinus Magnus Constantinopoli in porticu SS. Apostolorum sepeliri voluit, Theodosius vero Romæ in templo S. Petri.

E

Denique heroum sepulchra erant in urbe, quasi templa, in quibus colerentur. Audi Prudentium lib. 1. contra Symmach.

Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe sepulchra
Heroum numerare licet: quos fabula Manes
Nobilitat, noster populus veneratur, adorat.

Sic & Christiani altaria & templa erigebant super Martyrum sepulcra, ut patet Romæ in basilica S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Cæciliæ, S. Agnetis, S. Balbinæ, S. Bibianæ, &c. cujus rei causam & originem assignavi Apocal. 6. 9. ad illa: *Vidi sub altare animas interfectorum*.

F UNICUS] Græce μονογενὴς, id est, *unigenitus*, quod plus est quam *unicus*; scilicet quod mater eum solum genuerit, nec plures habuerit filios, sit ut totus amor maternus in eo collectus fixusque videretur. Eum enim mater amabat ut unigenitum, ut spem posteritatis, ut baculum senectutis, ut lumen oculorum suorum. Quocirca luctus matris super unigenito defuncto, est summus & acerbissimus, juxta illud Zachar. 12. 10. *Et plangent eum planctu super unigenitum*. Et illud Jerem. 6. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*.

ET TURBA CIVITATIS MULTA CUM ILLA] Videtur ergo vidua hæc fuisse matrona civitatis primaria, *cui gravitatis meritum exequiarum turba conciliat*, ait S. Ambrosius. Adde, in porta esse solere turbam magnam hominum intrantium & exeuntium, præsertim quia olim in portis erat forum rerum venalium, æque ac tribunal, in quo lites & causæ per judices decidebantur. Dei nutu id factum est, *ut viso tanto miraculo multi testes, multi fierent Dei laudatores*, ait Beda.

QUAM CUM VIDISSET DOMINUS, MISERICORDIA MOTUS SUPER EAM, DIXIT: NOLI FLERE] sed incipe gaudere, quia jam filium tuum resuscitabo. q. d. ait Beda: *Desiste quasi mortuum flere, quem mox vivum resurgere videbis*. Et S. Ambrosius: *Flere enim prohibet eum, cui resurrectio debebatur*. VERS. 13 G

ET ACCESSIT, ET TETIGIT LOCULUM. (HI AUTEM QUI PORTABANT, STETERUNT) ET AIT: ADOLESCENS; TIBI DICO, SURGE] *Surge*. Elias, Eliseus & alii suscitarunt mortuos orando Deum, ut animam in corpus reduceret. At Christus id facit non orando, sed imperando, quasi dominus vitæ & mortis, ideoque Deus. Unde Cyrillus: *Tangit*, ait, *ut ostendat efficax esse suum corpus ad humanam salutem. Sicut enim ferrum igni adjunctum facit opus ignis, & paleas ignis, sic caro Verbo unita vivificat*. VERS. 14

Christus mortuos suscitat imperando.

ET RESEDIT QUI ERAT MORTUUS, ET CÆPIT LOQUI, ET DEDIT ILLUM MATRI SUÆ] *Resedit*, id est erexit se ut sederet, ideoque revixit: *nam sedere & loqui, vere exsuscitationis argumenta sunt*; ait Titus: *Corpus enim exanime neque sedere, neque loqui potest*. VERS. 15

DEDIT ILLUM MATRI SUÆ] q. d. Dextera sua eum in pedes erexit, ac e loculo sive feretro descendentem duxit ad matrem, illumque ei redivivum assignavit, dicens: En filium tuum, o mater, accipe eum ac reduc domum, ut eo fruaris, illeque tibi quasi filius matri obsequatur & serviat. H

ACCEPIT AUTEM OMNES TIMOR; ET MAGNIFICABANT DEUM, DICENTES: QUIA PROPHETA MAGNUS SURREXIT IN NOBIS: ET QUIA DEUS VISITAVIT PLEBEM SUAM. VERS. 16

ET EXIIT HIC SERMO IN UNIVERSAM JUDÆAM DE EO, ET IN OMNEM CIRCA REGIONEM. VERS. 17

TIMOR] Id est reverentia, ac sacer quidam horror, mixtus admiratione & gaudio.

MAGNIFICABANT (græce, ἐδόξαζον, id est, glorificabant) DEUM.

PROPHETA MAGNUS] Messias, hujus enim adventum tunc omnes avide expectabant.

Allegoria viduæ lugentis unigeniti mortem. Allegorice, vidua est Ecclesia: hæc filios, id est, Christianos per peccatum mortale Dei gratia, quæ est vita & quasi anima animæ, privatos & mortuos luget, eisque suis lacrymis veniam & vitam gratiæ impetrat. Unde Christus Primo, sistit funus, id est cupiditates, quæ adolescentibus dominantur, cohibet & refrænat, ut eas amplius

Digitized by Google

A peccator non sequatur. Secundo, tangit loculum, id est, lignum crucis, illaque ipsum a morte excitat. Crucis enim Christi merito, peccatoribus inspiratur a Deo pœnitentia & gratia. Hinc Tertio, mortuus surgit & loquitur, id est, incipit bene operari, Deumque laudare, ideoque omnes intuentes tantam, tamque divinam mutationem capit admiratio, & ipsi unanimi voce Deum glorificant. Ita S. Ambr. Euthymius, Theoph. Beda hic, & S. Aug. ser. 44. de Verbis Domini. Vivum exemplum est in S. Monica, quæ vidua filium Augustinū hæresi & luxuria mortuum assidue lugens, eum suis precibus, & lacrymis ad vitam sanctam revocavit, imo primarium Ecclesiæ doctorem effecit, uti ipse refert in libris Confession. Rursum magis particulatim vidua est Ecclesia, filius est populus Gentium, ligno vetito concupiscentiæ, quæ mortem invexit, cuique assuevit, quasi loculo inclusus, & ad inferni velut sepulchrum delatus; contactus loculi, est crucis patibulum, quo Christus eum resuscitavit.

Tropol. Tropol. in vidua hac exprimitur, quid quotidie facere debeat anima Pastoris, Rectoris, Confessoris, cum aliquem adolescentium suorum debilium in lethale peccatum contigerit incidere, & deduci ad sepulchrum æternæ desperationis; scilicet, debet prosequi hoc funus cum suis civibus, lacrymis, gemitu, lamentis, sic fiet ut Dominus eam consoletur, & primo, tangens loculum stare faciat funeris bajulos, id est finem imponat cupiditatibus; secundo, eum ad vitam suscitabit: tertio, eum eriget ad virtutum opera, ut loquatur confiteaturque peccata sua, & Dei gratiam deprædicet. Sic demum redditur matri, unde majus sequitur gaudium, quam fuerat prior luctus; sequitur admiratio & prædicatio divinæ bonitatis in multis.

Rursum vidua est anima, filia est mens mortua: hæc ergo anima si funus suum defleverit, maxime si aliorū lacrymas adjunxerit, Christus eam suscitabit. Loculus est male secura conscientia; qui sepeliendum portant, sunt immunda desideria vel blandimenta sociorum, quæ Domino tangente stant, id est coercentur, ait Beda. Insuper Theophyl. Vidua, inquit, est anima amittens virum, id est divinum sermonem: filius est intellectus: loculus est corpus.

Symbola trium mortuorum a Christo suscitatorum. Denique Christus legitur tres mortuos suscitasse, scilicet Primo, filiam Archisynagogi in domo, id est, peccatorem qui peccatum suum continet in mente & cogitatione. Secundo, adolescentem hunc viduæ in porta, idest, peccatorem, qui peccatum suum opere patefacit, & aliis affricat. Tertio, Lazarū in monumento, id est, peccatorem, qui peccatum opere consummavit, illudque iterando ejus habitū contraxit, ut in eo quasi in monumento jaceat sine spe salutis & resurrectionis. Primum suscitat Christus seorsim & secreto orando, secundum imperando, tertiū voce magna clamando, *Lazare veni foras*; quia facile curatur mentale dumtaxat peccatum, difficilius vocale, difficillime reale sæpius iteratum, in quo quis jacet quasi dormiens, imo quasi mortuus & sepultus. Unde Christus illi in corde alta & potenti voce inclamet oportet, ut resipiscat. Ita Glossa.

VERS. 29 ET PUBLICANI JUSTIFICAVERUNT DEUM] id est justum, rectum, benignum, providum confessi & professi sunt Deum, quod eis Joannem Baptistam miserit, ac per illius prædicationem & baptismum illorum saluti tam benigne proviserit, ut eos ad pœnitentiam, veniam & gratiam perduceret. Sic accipitur, *in justificare* infra v. 35. & 1. Timo. 3. 16. Cætera exposui Matth. 11. 20.

D Nota, hæc verba videri potius Lucæ quam Christi. Nam paulo post sequitur; *Ait autem Dominus*. Ita Jansenius & alii, licet Maldonatus censeat esse verba Christi.

VERS. 30 PHARISÆI AUTEM, &c. CONSILIUM DEI SPREVERUNT IN SEMETIPSOS] idest in semetipsis, hoc est, intra se, in corde suo, quia publice illud carpere non audebant. Aut *in*, id est contra, *semetipsos*, id est in suam perniciem, & damnationem. Ita Beda.

VERS. 36 ROGABAT AUTEM ILLUM QUIDAM DE PHARISÆIS, UT MANDUCARET CUM ILLO. ET INGRESSUS DOMUM PHARISÆI, DISCUBUIT.

VERS. 37 ET ECCE MULIER, QUÆ ERAT IN CIVITATE PECCATRIX, UT COGNOVIT QUOD ACCUBUISSET IN DOMO PHARISÆI, ATTULIT ALABASTRUM UNGUENTI.

Ad una Magdalena, an plures. ET ECCE (rem miram, & mirum pœnitentiæ exemplum) MULIER] nomine Maria Magdalena, uti eam vocat Lucas cap. seq. v. 2. Quæritur hic, an eadem sit mulier, quæ hic, & quæ Matt. c. 26. 7. & Joan. 12. 3. Christū unxit? sive an una fuerit Magdalena, an duæ, an tres? S. Chrysost. hom. 81. in Matth. opinatur fuisse duas: Origen. Theophyl. & Euthym. in c. 26. Matth. opinantur fuisse tres; scilicet, primam hic, secundam, quæ biduo ante passionem Christum unxit, Matth. 26. 7. tertiam, quæ sex diebus, ante pascha & passionem, super Christi caput alabastrum nardi effudit, Joan. 12. B Hos secuti Judocus Clictoveus, & Jac. Faber, libellos scripsere tribus Magdalenis; sed eorum errorem docte refellit Joannes Roffensis lib. de hac re edito.

Dico ergo unam eamdemque fuisse mulierem; scilicet Mariam Magdalenam sororem Marthæ & Lazari, quæ Christum non tribus, sed duabus vicibus unxit, uti narrant Lucas, Joannes & Matthæus. Resp. sui sen.

Probatur Primo, quia hic est communis fidelium & Ecclesiæ sensus; nam ipsa in Ecclesiastico Officio omnia uni Magdalenæ tribuit, quæ hic narrat Lucas. Prob. Primo.

Secundo, quia Joannes c. 11. v. 12. de ea ait; *Maria* (soror Marthæ & Lazari, ut dixit v. 1.) *autem erat quæ unxit Dominum unguento, & exterfit pedes ejus capillis suis*; ubi plane alludit ad hanc Lucæ unctionem, ac unam dumtaxat mulierem Christum ungentem significat. Si enim plures fuissent, non satis ex unctione eam designasset, dicens; *Maria autem erat quæ unxit Dominum*, &c. Sensus enim est, q. d. Cum Mariam nomino, illam intelligo celebrem, quæ pœnitens unxit pedes Jesu, Lucæ cap. 7. quam proinde F omnes sciunt non aliam esse quam Magdalenam. Secundo.

Tertio de eadem agens Joan. 12. 2. *Fecerunt*, inquit, *ei* (Jesu) *cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo, Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & exterfit pedes ejus capillis suis.* Ubi plane significat eamdem esse Magdalenam, scilicet sororem Marthæ & Lazari, quæ unxit Christum hic, & rursum sex diebus ante pascha in Bethania. Jam unctio, cujus meminit Matth. 26. 6. est eadem cum illa, quam describit Joan. c. 12. 1. & seq. ut patet conferenti Matthæum cum Joanne, Utraque enim contigit in Bethania in domo Simonis Leprosi: utraque facta est per effusionem alabastri super caput Jesu. Ergo una eademque fuit Magdalena, quæ non ter, ut vult Origenes; sed bis dumtaxat unxit Jesum, scilicet sex diebus ante mortem, Joan. 12. 3. & Matth. 26. 7. Tertio.

Quarto, idem liquet ex historia Ecclesiastica & traditione Massilienſium & Provincialium, apud quos hæc constans est fama & traditio. Item ex monumenti S. Magdalenæ inscriptione, quod ei S. Maximum unum e 70. Christi discipulis erexisse ferunt, in quo omnia jam dicta uni eidemque Magdalenæ huic tribuuntur. G Quarto.

Quinto, hæc est sententia S. Augustini l. 2. de Consensu Evang. c. 79. S. Cypriani tract. de duplici martyrio, S. Gregorii hom. 33. in Evang. Toleti, Jansenii, Franc. Luca & passim cæterorum interpretum. Quinto.

Dices, Magdalena hæc secuta est Jesum a Galilæa, ut patet Matth. 27. 55. ergo videtur fuisse Galilæa; ergo diversa a Maria sorore Marthæ; hæc enim videtur fuisse Judæa, quia habitabat in Bethania, quæ erat vicina Hierosolymæ. Resp. illam fuisse Judæam ratione prosapiæ, sed videri habitasse in Galilæa, puta in castello *Magdalum* dicto, forte quod ejus loci domino nupserat, aut quod in divisione hæreditatis paternæ hoc ei castellum forte obtigerat: atque a Magdalo hoc dicta videtur *Magdalena*. Ita Jansen. Adrichomius, Franc. Lucas & alii. Objicitur.

In qua Civitate erat Magdalena peccatrix. QUÆ ERAT IN CIVITATE] Aliqui putant fuisse Jerusalem. Verum Jerusalem erat in Judæa: hæc autem omnia Christi acta non in Judæa, sed in Galilæa, ubi Christus prædicabat, contigisse videntur, uti liquet ex chronotaxi, quam Evangeliis præfixi. H

Quare verisimilius Toletus, Franc. Lucas & alii opinantur civitatem hanc fuisse Naim, in qua paulo ante Christus v. 12. filium viduæ a morte suscitarat. Alii putant civitatem hanc fuisse Magdalum, in qua habitabat Magdalena. Favet Adricomius in voce *Magdalum*.

Peccatrix, id est meretrix. PECCATRIX] Nonnulli recentiores, ut Magdalenam honestent, censent eam non fuisse impudicam, sed vanam, comptam & pomposam, quæ proinde esset scandalum & illecebra luxuriæ, ideoque vocari peccatricem. Verum quantum consulunt honori Magdalenæ, tantum detrahunt gratiæ Christi ac pœnitentiæ Magdalenæ, quæ illam ex peccatrice adeo sanctam effecit. *Peccatrix* enim dicitur antonomastice, quod & ipsa graviter peccare soleret, & alios ad secum peccandum allicere. Peccatrix ergo idem est, quod meretrix, non publice omnibus plebejis exposita, sed quæ plures privatos nobiles haberet amasios & assecias. Unde meretricem eam vocat S. Aug. serm. 58. de Temp. S. Hier. in c. 26. Matth. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 142. S. Ambros. Gregor. Beda ac S. Chrysost. hom. 62. ad Popul. ubi propter eam a Christo dictum esse ait illud;

Mere-

A *Meretrices, & publicani precedent vos in regno Dei*. Hinc Ecclesia de ea cecinit:

Que tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari,
Redit ad vitæ limina.
Post fluxa carnis scandala,
Fit ex lebete phiala,
Ex vase contumeliæ
In vas translata gloriæ.

Nimirum permisit eam Christus volutari in sordibus luxuriæ, ut in ea depuranda vim gratiæ suæ ostenderet, dum ex meretrice facit angelicam, sicut quo major est morbus, eo major virtus medici eum curantis ostenditur, nec hoc quidquam de honore Magdalenæ decerpit, sed potius addit: quo majora enim magisque assidua fuere crimina, eo major ejus pœnitentia, magisque heroicus ejus animus, qui ex iis illico se extricavit, declaratur. Voluit enim Deus Magdalenam statuere peccatoribus omnibus vivum pœnitentiæ exemplar, ne quis ob enormitatem scelerum de venia desperet, sed magis in immensa Dei misericordia confidat, & veniam speret, memor sancti Pauli dicentis: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam*. 1. Timoth. 1. 15.

B

Vere S. Greg. *Plerumque*, ait, *gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia*. Hinc magnum quidem Dei beneficium est innocentia, qua quem præservat a peccato, sed major Dei gratia est pœnitentia & remissio peccatorum, eoque major, quo peccata majora sunt, quia hæc remissio datur magis indigno, ideoque major ei fit gratia, uti docet S. Thomas. Quocirca peccatores dum serio pœnitent, heroica patrant, quibus innocentes justos superant, & in humilitate, austeritate & sanctitate transcendunt, uti videre est in S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia pœnitente, S. Paulo, S. Matthæo, S. Mose, qui ex latrone pœnitens factus est speculum monachorum, &c. Acres enim ad omnem virtutem stimulos pœnitenti adhibet prioris vitæ turpitudo, peccatorum fœditas, offensæ vindicta, amor Dei tam sibi indulgentis.

C

Margarita pœnitentiæ Symbolum.

Hinc pœnitentiæ symbolum est margarita. Sicut enim sol suis radiis ostream (quæ aqueus & fœtidus est humor, latens in concha) in pretiosam margaritam convertit: sic Christus illustratione gratiæ Magdalenam peccatricem convertendo ad pœnitentiam, effecit margaritam.

VERS. 37 UT COGNOVIT QUOD ACCUBUISSET IN DOMO PHARISÆI] Non decebat Magdalenam luxuria infamem in domo sua, vel Christi, vel alicujus incogniti hæc agere, sed in domo Pharisæi sibi noti, ut omnis mali suscipio ab hominibus, qui in materia luxuriæ suspicacissimi sunt, tolleretur, utque honestati & decoro per omnia consuleretur. Porro hæc agere non erubuit in domo Pharisæi sibi amici: nam, aut ait S. Gregorius hom. 33. *Quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit quod erubesceretur foris*. Et S. August. hom. 58. de Temp. *Meretrix*, inquit, *illa, quæ pedes Domini lacrymis lavit & capillis suis exterst, ubi cælestem medicũ venisse cognovit, ultro se ingessit in domum, ubi rogata non fuerat; & quæ prius frontosa erat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem, & ideo audire meruit, quod ei omnia fuerint peccata dimissa*, idem hom. 23. inter 50. *Vidisti*, ait, *mulierem famosam, malæ utique famæ, quæ erat peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus medicus recumbebat, & quæsisse pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio. Noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum esse idoneum, ad quem venerat; sciebat*. Atque hac de causa Christus invitatus ad convivium Pharisæi venit, ut ibi convivium spirituale pœnitentiæ Magdalenæ convivis exhiberet. Unde Chrysost. serm. 93. *Accubuit*, ait, *Christus, non pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus, sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentiũ lacrymas esurit, sitit lacrymas peccatorum*. Nam, ut ait S. Bernardus, *laryma pœnitentium, vinum sunt angelorum*, quod scilicet omnes angelorum sensus oblectat. Subdit enim Bernardus serm. 20. in Cant. *quod in illis* (lacrymis) *vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenata suavitas conscientiæ*. Lacrymæ ergo angelis sunt vinum, *cos*, id est coloratum, odoratum, sapidum.

D

Magdalena pia impudentia.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

ATTULIT ALABASTRUM (vasculum alabastrinum, pyxidem ex lapide alabastrite) UNGUENTI] Quale hoc fuerit, dixi Matth. 26. 7. E

VERS. 38 ET STANS RETRO SECUS PEDES EJUS, LACRYMIS COEPIT RIGARE PEDES EJUS, ET CAPILLIS CAPITIS SUI TERGEBAT, ET OSCULABATUR PEDES EJUS, ET UNGUENTO UNGEBAT] *Stans retro secus pedes ejus*. Veteres enim in toris, id est lectulis mensalibus, jacendo, & cubito caput fulciendo, mensæ accumbebant; ita ut caput versus mensam, pedes vero versus exteriorem partem porrigerent, ut aliis in eodem lectulo discumbentibus commodus foret locus. Potuit ergo pedes Christi exterius tangere, lavare & tergere Magdalena. Porro non videtur torus hic fuisse tam altus, ut ipsa stans (ut vult Toletus) attingeret pedes Christi, præsertim quia ipsa fuit alta & procera, ut patet ex capite ejus ingenti, quod Massiliæ ostenditur, & ex pede ejus prægrandi, qui Romæ in templo S. Celsi juxta Pontem asservatur, ubi eumdem conspexi. *Stans* ergo, hic dumtaxat præsentiam significat in quolibet situ. q. d. *Stans*, id est præsens, & genibus innixa, ad pedes Christi. Hic enim est situs pœnitentis. F *Accessit*, ait S. Augustinus hom. 23. inter 50. *non ad caput Domini, sed ad pedes. Et quæ diu male ambulaverat, vestigia recta quærebat. Prius fudit lacrymas cordis, & lavit Domini pedes obsequio confessionis. Capillis sui terst, osculabatur, unxit, tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat.*

Magdalenæ verecundia.

Hic ergo in Magdalena impletum est illud Cant. 1. 7. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Et illud v. 12. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Et illud Cant. 2. 2. *Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*. Vide ibi dicta.

Nota hic verecundiam Magdalenæ, quæ est decus adolescentiæ & pœnitentiæ. Accessit enim ad Christum non ante (utpote æstimans se ob crimina fœda, ejus aspectu divino & purissimo indignam) sed retro: non ad caput, sed ad pedes. *Verecundia* enim, ut ait S. Bernardus serm. 86. in Cant. *est gemma morum, virga disciplinæ, soror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expunctrix malorum, & propagatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet!* G

Telo amoris fuit saucia.

Nota Secundo, S. Magdalena, ait S. Chrysostomus hom. 11. in Matth. prima fuit, de qua legimus, quod veniæ & gratiæ causa iverit ad Christum. Alii enim sanitatis causa eum adjerunt. Fuit igitur ipsa quasi cerva sagittata a Christo telo amoris: unde cucurrit ad eum quasi saucia. Ostendit ei Christus in mente turpitudinem suam, & statum miserabilem: unde ipsa confusa & dolore transfixa se ferre non potuit nec ad momentum, sed illico cucurrit ad Christum, ut a tam misero statu se liberaret. Hinc irruit importuna convivio, alioqui potuisset per horam expectare Christum redeuntem e convivio in aliquo loco civitatis secreto, & a turba remoto. Peccatum enim mortale vel unicum adeo fœdum & horrendum est, Peccati turpitudo. ut asserat S. Anselmus lib. de Similit. c. 190. *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem*. Additque: *Mallem purus a peccato gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cælorum regna tenere*. H

Nota Tertio. Videtur Magdalena audisse hanc vocem Joannis Baptistæ de Christo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Joan. c. 1. Aut illud Christi: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Matth. 11. Rursum ipsa a septem dæmonibus per Christum liberata, uti audiemus c. 8. 2. ex divino Spiritus sancti instinctu & impulsu sibi persuadebat, se pariter a septem, id est, omnibus peccatis per Christum liberandam. Quare pœnitens, totaque compuncta adiit Christum, quasi Prophetam sanctissimum & divinum, qui a Deo haberet potestatem remittendi peccata, certo confidens se ab eo peccatorum veniam impetraturam: nam Christus per gratiam traxit intus, quam per misericordiam suscepit foris, ait S. Gregorius.

LACRYMIS COEPIT RIGARE PEDES EJUS] Nota hic ingentem lacrymarum in Magdalena pœnitente copiã, quæ tanta fuit, ut pedes Christi ex itinere pulverulentos (incedebat enim Christus nudis superne pedibus, inferne

Digitized by Google

A tantum sandaliis sive soleis calceatus, ut ostendi Matth. 10. 10.) ablueret & purificaret. De quarum vi & efficacia vide inter alios S. Chrysost. serm. de Pœnitentia tom. 5. Audi & S. Ambrosium hic: *Ideo non lavit pedes suos Christus, ut eos lacrymis non lavemus. Bonæ lacrymæ, quæ non solum nostrum possunt lavare delictum, sed etiam Verbi cœlestis rigare vestigium, ut gressus in nobis ejus exuberent. Bonæ lacrymæ, in quibus non solum redemptio peccatorum, sed etiam refectio est justorum. Justi enim vox est: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Et S. Greg. hom. 33. *Cogitanti mihi*, inquit, *de Mariæ pœnitentia, flere magis libet quam aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus, illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Consideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingressa est, non jussa venit, inter epulantes lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit.*

Arma peccati sint arma virtutis.

B Et capillis capitis sui tergebat] Non deerant Magdalenæ linea ad tergendum, sed pœnitentiæ studio capillos, quos olim compserat & fucarat, ad alliciendum amasios, nunc dedicat pietati & Christo. Unde S. Cyprianus tract. de Ablutione pedum: *Usa est*, inquit, *capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo; cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit: caput pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit & tersit: nihil sibi de se retinens, tota se tibi devovit. Et tu affectum potius quam factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem.* Causam dat S. Euthymius dicens: *Instrumenta peccati facit instrumenta virtutis.* Et particularibus S. Greg. hom. 33. *Quod*, inquit, *sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat; sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numeram criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.*

C Audi & S. Chrysostomum hom. 6. in Matth. *Sic & ista in Evangelio meretrix, virgines quoque ipsas honestate superavit, & incredibilis in Christum amoris igne succensa, & a maximis sordibus peccatorum largissimo lacrymarum fonte purgata. Quia enim perfectæ incaluerat pœnitendo, bacchari (ut ita dixerim) cœpit desiderio exagitata Christi. Siquidem continuo & crines resolvit, & sanctos pedes omnibus diluens lacrymis, ac propriis extergens capillis, pretioso rigavit unguento. Et hæc quidem extrinsecus cuncta faciebat, ea vero quæ in secreto mentis agitabat, multo his erat ignitiora, multoq; majora, quæ tantummodo Deus ipse cernebat.*

Et osculabatur pedes ejus] Iotos tersosque. Oscula impudica amasiorum convertit in oscula casta, & supplicia pedum Christi, hoc gestu petens peccatorum veniam & reconciliationem, hujus enim symbolum est osculum, æque ac amoris & charitatis, ait S. Ambrosius.

Mystice, *Pedes duo Christo*, ait B. Petrus Damiani serm. de Magdalena, *sunt misericordia & judicium, quorum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.* Publice, in publico convivio, coram omnibus convivis hos actus pœnitentiæ edebat Magdalena, ut publico scandalo quod sua luxuria dederat, publica pœnitentia satisfaceret, illudque aboleret.

D

Unguenta olim in conviviis.

Et unguento ungebat] Veteres olim in conviviis utebantur unguentis, hoc est, aquis vel liquoribus odoriferis, tum ad lautitiam, tum ad fragantiam, uti ostendi Eccles. 9. v. 10. fieri autem id solebat per mulieres, ut patet 1. Reg. 8. 13. Eo audentior in convivium irruit Magdalena, idipsum factura in domo Simonis amici sui, ut intensum suum erga Christum monstraret amorem, ait Titus. Nam, ut inquit S. Paulinus epist. 4. ad Severum pag. 92. de Magdalena: *Non unguentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit, qua prudenter impudens, & pie improba sine opprobrii & repulsæ metu extraneam sibi domum Pharisæi, non invitata, illa vi petulans penetravit, qua rapitur regnum cœlorum, & tantum verbis cœlestis esuriens, non ad opes illius, sed ad pedes Christi currit, seque in illis abluit & cibavit, atque ipsos sibi pedes sacrarium (ut ita dixerim) & altare constituit. In quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. Quem illa immolans Deo non solum remissionem delictorum, sed & gloriam prædicandi cum Evangelio nominis meruit.* Et inferius: *Illum diligens se dilexit.* Et concludens p. 105. *Ergo*, ait, *illum amemus, quem amare debitum est; illum osculemur, quem osculari castitas est; illi copulemur, cui nupsisse virginitas est; illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est; propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est, in quo & mortui vivimus, qui vicissim nobis hoc esse dignatur, quid illi fuerimus servuli sui &c.*

E

Mystice, B. Damianus serm. de S. Magdalena, ait hoc unguentum fieri e peccatis nostris. *Ipsa*, inquit, *in mortariolo pœnitentiæ macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ concocta, unguentum exhibet pretiosum & acceptum pedibus Salvatoris.* Et subdit hoc unguentum esse quadruplex. Primo, devotionis: Secundo, virtutum inter se commistarum; Tertio, pietatis; Quarto, misericordiæ.

Heroicæ virtutes Magdalenæ. Fides.

F Nota hic in Magdalena eximium & heroicum pœnitentiæ, cæterarumque virtutum speculum. Primo eximiam fidem, qua credidit Christum habere potestatem dimittendi peccata, etsi id pertinaciter negarent Scribæ & Pharisæi, nec ulli Prophetarum huc usque potestas hæc a Deo fuisset concessa, imo si fidem habemus S. Aug. hom. 23. inter 50. Christum plusquam hominem esse credidit, scilicet hominem Deum: credebat enim hominem merum non posse dimittere peccata per se & auctoritative, ut faciebat Christus, sed hoc esse solius Dei: quare Christum esse Deum. Hanc fidem concepit partim ex miraculis Christi, & communi fama, quod ipse esset Messias, partim & potissime ex illuminatione & instinctu Dei. Ita Euthym. & Franc. Lucas hic, ac S. Aug. loco jam citato; *Illa*, ait, *quæ sibi peccata a Christo remitti credidit, Christum non hominem tantum, sed & Deum credidit.* Unde addit Aug. *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit ægra, ut rediret sana; accessit confessa, ut rediret professa.*

Devotio.

Secundo, admirandam religionem & devotionem, qua pedes Christi amplexa eos lacrymis rigare, tergere, osculari non cessavit, donec audiret a Christo: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*

Sapientia.

G Tertio, insignem sapientiam, qua non voce, sed corde & intimis desideriis ac suspiriis, veniam criminum flagitabat a Christo.

Pœnitentia.

Quarto, magnitudinem pœnitentiæ, qua quasi effrons & impudens publico irruit convivio, humi se abjecit, rivos lachrymarum profundit, capillis olim crispantibus sordes Christi tersit, osculis lambere, & unguento ungere perstitit, ac deinde omnem vitam suam, omnesque annos usque ad mortem Christo & pœnitentiæ dicavit, ac triginta annos in deserto austeram in jugibus lacrymis, jejuniis & orationibus egit vitam. Lege eam apud Surium die 22. Julii: unde de ea canit Petrarcha:

Namque famem, frigus, durum quoque saxa cubile,
Dulcia fecit amor, spesque alto pectore fixa.

Præmium angelicum subdit:

Hic hominum non visa oculis, stipata catervis
Angelicis septemque die subvecta per horas,
Cœlestes audire choros alterna canentes
Carmina corporeo de carcere digna fuisti.

Tres sancti præ cæteris Christo placuere B. Virgo, Joannes Baptista, & Magdalena.

H Denique Christus revelavit S. Brigidæ l. 1. Revel. c. 108. tres Sanctos sibi præ cæteris placuisse, scilicet B. Virginem, Joannem Baptistam & Mariam Magdalenam, de qua sic loquitur; *Quando Maria Magdalena conversa est, dixerunt dæmones: Quomodo reducemus eam? (pinguem enim prædam perdidimus) ipsa quippe in tantum se aquis lacrymarum lavat, quod non audemus aspectum nostrum in eam infigere: sic tegit se bonis operibus, quod nihil accedit ad eam de macula: sic fervens & calida est in Dei servitio & sanctitate, quod non audemus ei appropinquare:*

Tropologice, S. Ambros. lib. de Tobia cap. 12. *Misit oleum*, inquit, *in pedes ejus, misericordiam & ipsa in pauperes conferendo. Isti sunt pedes Christi: in his innocentius ambulat Christus.*

Vers. 39

Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum; ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est] ac proinde non decet, ut ipsa immunda tangat Prophetam mundum, quare Jesus non videtur esse Propheta, utpote qui sinat se tangi a tam immunda & infami meretrice: erat enim hic Pharisæus, ait S. August. serm. 23. inter 50. ex illo genere hominum superborum, de quibus Isaias c. 52. dixit: *Recede longe a me, noli me tangere, quoniam mundus sum.* Hic fuit paralogismus Simonis erroneus & falsus. Nã decebat immundos

Male murmurat Pharisæus.

tange-

A tangere Christum, ut ab eo mundarentur. Ad hoc enim venerat in mundum, ut esset medicus tangens & sanans omnes morbos tam animi, quam corporis. *Offendiculum passus hac dicebat*, ait Euthym. *ignorans quod, cum Deus esset, propter peccatores homo factus erat*. Rursum Magdalena jam non erat immunda, sed mundata & sanctificata per contritionem, uti docet in sequentibus Christus. Deceptus est Simon judicans ex præteritis, non ex præsenti, quæ & qualis nunc esset Magdalena. Erat enim eadem, sed altera: altera, sed ipsa, ait Chrysol. serm. 74. & 75. Quare mundior & sanctior erat humilis & pœnitens Magdalena, impuro & superbo Pharisæo, qui similia & forte graviora quam Magdalena commiserat, aut ob superbiam facile cõmittere poterat, ut docet S. Augustinus loco jam citato. Quare in multis hic Pharisæus deliquit. Octo ejus errores & delicta recensет Toletus hic annotatione 66.

Hinc Tropologice colligit S. Gregor. hom. 33. dicens: *Unde necesse est, ut cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus: quia fortasse in similibus aut lapsi fuimus, aut labi possumus, si lapsi non fuimus: etsi censura magisterii debet semper virtute disciplina vitia persequi, oportet tamen ut solliʒe discernamus, quia districtionem debemus vitiis, compassionem naturæ. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus.*

B

VERS. 40 ET RESPONDENS JESUS (qui acie mentis & spiritus sui divini prævidebat arcanas cordis cogitationes, & murmura Pharisæi) DIXIT AD illum: SIMON, HABEO TIBI ALIQUID DICERE; AT ILLE AIT: MAGISTER, DIC] *Simon.* Multi putant hunc Simonem alium esse a Simone Leproso, qui intravit Christum sex diebus ante passionem in Bethania; ubi & Magdalena Christum iterum unxit, Joan. 12. 2. Matt. 26. 6. quia hic Simon habitabat in Galilæa, ille vero Leprosus in Judæa, puta in Bethania. Ita censet S. August. l. 2. de Consensu Euang. c. 79. Theoph. Beda & alii unum & eumdem Simonem esse volunt, idque conjicitur ex eodem nomine Simonis, ex eadem familiaritate cum Jesu & Magdalena, ex simili invitatione & unctione. Videtur enim hic Simon a Christo conversus, cum eo migrante e Galilæa in Judæam Matth. 19. v. 1. eodem pariter migrasse, ac domum delegisse in Bethania juxta notam sibi Magdalenam, ut cum ea Christi præsentia & doctrina frueretur.

Quis hic Simon Pharisæus?

C

HABEO TIBI ALIQUID DICERE] Ecce quam prudenter & leniter Simonem corrigit Christus suavibus hisce verbis, sed prægnantibus, prius captans Simonis benevolentiam ejusque attentionem excitans: *Nam & ipsum sanare cupiebat, ne gratis apud eum comederet*, ait S. Aug. loco citato; ac revera eum sanasse videtur, ut tacite innuit hic Lucas. Unde Simon modeste & placide respondit Christo: *Magister dic*, q. d. Ego tua quasi magistri mei dicta, ut discipulus grate & libenter excipiam.

VERS. 41 DUO DEBITORES ERANT CUIDAM FOENERATORI: UNUS DEBEBAT DENARIOS QUINGENTOS, ET ALIUS QUINQUAGINTA] *Debitores*, qui, ut ait S. Ambr. *fœneratori cœlesti* (Deo) *erant obnoxii, cui non materialem pecuniam debemus, sed meritorum examina, æra virtutum*: debita ergo sunt peccata, quibus injuriam irrogamus Deo gravissimam, pro qua ei satisfacere debemus, sed non valemus, ideoque gehennæ & ignis æterni rei sumus. *Fœneratori*, id est, *creditori*, ut vertit Syrus: Græcum enim δανειστὴς respondet Hebr. נשה *nosche*, ac significat eum qui dat mutuum sive gratis, sive ad usuram. Quare melius per *fœneratorem* hic accipias *mutuatorem* sive *creditorem*: sic enim hæc vox accipitur Deut. c. 15. 6. & c. 28. 12. Eccli. 22. v. 1. & 2.

D

Denarius quid?

UNUS DEBEBAT DENARIOS QUINGENTOS, ET ALIOS QUINQUAGINTA] Denarius est Julius, sive regalis Hispanicus, ita dictus, quod 10. contineat parvos asses, hoc est decem Bajocos Romanos, sive decem dimidios stuferos Belgicos, quare denarius valebat quinque stuferos. Ergo 50. denarii faciunt quinque aureos Romanos; 500. vero denarii faciunt 50. aureos Romanos. In hac parabola Christus per duos debitores, denotat Simonem suum hospitem & Magdalenam, idque facit eleganter & paradigmatice civilitatis causa, ne si Simonem statim nominasset, eum offenderet & percelleret. Id patet ex sequentibus, ubi per tres antitheses Magdalenam cum Simone comparat, illamque Simoni anteponit & absolvit, Magdalena ergo debebat 500. denarios, quia magnam peccatricem se æstimabat, ac multo plus Deo ob sua peccata debere æstimabat, quam deberet Simon, ideoque plus dilexit, ac majora dilectionis signa ostendit, ut remissionem majorum criminum ab eo mereretur accipere. Simon debebat denarios 50. id est, parum & venialiter dumtaxat se peccasse, parumque Deo debere æstimabat, quia putabat se justum, ideoque parva vel nulla contritione se egere credebat. E

Verum, ut recte notat S. Augustinus loco citato, hac de causa æque vel magis se Deo (qui illum ne majora scelera committeret conservabat) debitorem confiteri debebat. Audi S. Augustinum: *Adulter non fuisti* (o Simon, uti fuit Magdalena) *in illa vita tua præterita plena ignorantiis. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor defuit: & ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit: & ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factus est, & dimissum vidisti: mihi debes & tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non posset facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.*

VERS. 42 NON HABENTIBUS ILLIS, UNDE REDDERENT, DONAVIT (debitum condonavit) UTRISQUE. QUIS ERGO EUM (fœneratorem, id est creditorem, puta Deum: huic enim quasi creditori peccator est debitor) PLUS DILIGIT?] id est, plus diligere judicabitur, vel plus diligere solet, pluribus officiis eum demereri satagit. Similis hebraismus est alibi frequens, ut Amos 5. 18. *Ideo prudens in tempore illo tacebis*, id est tacebat, aut tacere eum oportuit. Sensus est q. d. Sicut is qui cum plura deberet suo creditori; plurium ab eo accepit remissionem, passim a prudentibus judicabitur, ideo majorem hanc remissionem a creditore accepisse, quod magis eum dilexerit, ac plura ei officia & signa benevolentiæ exhibuerit: ob quæ plura vicissim illi remisit & condonavit creditor. Sic enim debitores, qui multa debent creditoribus, majora eis officia & obsequia deferre solent, ut tantorum debitorum remissionem, vel diminutionem, vel temporis ad solvendum præstituti prorogationem ab eo emereantur, & quasi emendicent. Simili ergo modo tu o Simon, prudenter judicare debes, Magdalenam magis dilexisse me Prophetam & Messiam Dei Filium, quam tu dilexeris: majora enim, ut vidisti, dilectionis, omnisque officii & obsequii signa mihi exhibuit, quam tu exhibueris: quare iisdem me provocavit, ut plura & majora ipsi quam tibi peccata condonem. Major enim dilectio debitoris est causa majoris condonationis creditoris: illam enim provocat & elicit. Unde congrue ad parolam propositam infero & dico: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Quare Magdalena jam amplius non est peccatrix, nec indigna contactu pedum meorum, ut tu æstimas, o Simon, sed sanctior te est, digniorque meo attactu. Hunc sensum exigit acoluthia & apodosis, sive redditio & applicatio æqua parabolæ, scilicet ut significetur dilectionẽ majorem esse causam majoris remissionis majorum debitorum, id est, delictorum. Ita S. Aug. hom. 23. inter 50. Ergo τὸ *diligit* significat præsens & præteritum. q. d. Plus me dilexit & diligit, ideoque plus ei remitto. Unde Arabicus vertit, *quis ergo horum duorum debitorum plus amator est illius?* Ita Maldonatus, qui dicere ait, præsens hic ex vulgari phrasi poni pro præterito; scilicet *diligit* pro *dilexit*, imo Christum sic interpretatur v. 47. dicens: *Quoniam dilexit multum*. Secundo, tamen, si τὸ *diligit*, vel, ut græce est, *dyarioon*, id est, *diligit*, malis simpliciter accipere pro futuro, q. d. Quis eorum deinceps creditorum plus diliget? dico esse argumentũ inversum adductum ab effectu ad causam naturaliter connexam, q. d. Sicut ille debitor multum dilexit creditorem, eo quod hic multa ei debita jam ante remiserit; remissio enim plurium majorem in debitore exigit gratitudinem & dilectionem erga creditorem. debitor enim cui multa dimisit creditor, ex gratitudine cogitur magis redamare creditorẽ, quam ille, cui iste pauca dimisit: sic e cõverso, ego, o Simon, Magdalenę multa delicta quasi debita dimitto, quia ipsa multum me dilexit. q. d. Remissio debiti, & vicissim dilectio debitoris erga creditorem debitum remittentem, inter se connexa sunt; & sicut remissio creditoris parit dilectionem debitoris, ita vicissim dilectio debitoris parit remissionẽ creditoris. Provocat enim amor creditoris in remittendo; amorem debitoris in obsequendo, & vice versa amor debitoris provocat amorem & remissionem creditoris: atque utrumque cernere est in Magdalena diligente, & Christo delicta ei remittente. Ita Lyranus, Franc. Lucas & alii. Alioqui enim ex parabola hac debitorum plane e converso inferendum fuisset, hoc modo: Sicut creditor plura dimittens debitori efficit, ut ille deinceps ipsum plus

F

G

H

Aptatio parabolæ Christi.

Digitized by Google

A diligat, ſic ego Chriſtus majora dimittens Magdalenæ, efficio, ut ipſa deinceps magis me dilectura ſit. Verum voluit Chriſtus convertere parabolam modo jam dicto, ut oſtenderet Magdalenæ non tantum remiſſa eſſe peccata, ſed & modum ac viam, quo remiſſa ſunt, nimirum per dilectionem, ut illam imitemur, ac per ferventem dilectionem empreamur a Deo peccatorum indulgentiam.

Simili modo Chriſtus convertit parabolam Samaritani c. 10. v. 36. Rogatus enim quis eſſet proximus, oſtendit Samaritanum qui vulnerati miſertus eſt, dicens: *Quis horum trium tibi videtur proximus?* Cum directe ad parabolam dicere debuiſſet: Vulneratus ille eſt proximus, cui præſtanda eſt miſericordia, ſed maluit nominare Samaritanum, ut in eo miſerente oſtenderet, quam miſericordiam proximis exhibere debeamus. Ex uno enim intelligitur alterum, ſcilicet ex proximo miſerente intelligitur proximus miſer: proximus enim eſt relativum; proximus enim proximi eſt proximus. Senſus ergo eſt. q. d. Samaritanus ſe vere geſſit ut proximum vulnerati. Samaritanum ergo imitare, ut proximi tui miſeri miſereris, ſic vere te illius proximum oſtendes. Unde concludens parabolam ſubjicit B Chriſtus: *Vade & tu fac ſimiliter*. Simili modo hic concludit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit*.

Aliter hæc explicat S. Ambr. l. de Tobia c. 22. Chriſtum ſcilicet prius remiſiſſe peccata Magdalenæ, ipſam deinde Chriſto gratam amplius eum dilexiſſe, ideoque Chriſtum prævidentem hanc ejus gratitudinem & dilectionem, primitus peccata ejus remiſiſſe. Aliter quoque S. Greg. lib. 6. ep. 22. & ex eo Toletus, q. d. Debitor cui plus debiti a creditore dimittitur, debet & ſolet gratus eſſe creditori, eumque magis diligere. Cum ergo tu, o Simon, videris in Magdalena majora dilectionis mei ſigna in lavando, tergendo, oſculando & ungendo meos pedes, inde debes colligere me multa ei peccata remiſiſſiſſe. Ex effectu enim colligitur cauſa; ſcilicet ex dilectione remiſſio debitorum. Vide ergo quam temere judicaveris hanc mulierem eſſe peccatricem, & tactu meo indignam; cum ex mira ejus gratitudine & dilectione debuiſſes inferre multa, id eſt omnia, ei a C me peccata eſſe remiſſa. Verum hic ſenſus torquet illud v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Vox enim *quoniam* ſignificat dilectionem fuiſſe cauſam re- VERS. 43 miſſionis peccatorum, non effectum: de quo plura v. 47.

RESPONDENS SIMON DIXIT: ÆSTIMO QUIA (quod) IS CUI PLUS DONAVIT, id eſt, plus debiti condonavit, ſcilicet diligat ſuum creditorem eo modo, quo jam explicatum eſt. Hoc reſponſum extorquet Chriſtus ex ore Simonis, ut illo ipſum irretiat & capiat. Unde ſequitur: AT ILLE DIXIT ILI: RECTE JUDICASTI] Laudat Chriſtus reſponſum Simonis, ut eo facilius ipſe admittat ſequentem inde Chriſti reprehenſionem & correctionem.

VERS. 44 ET CONVERSUS AD MULIEREM, DIXIT SIMONI, VIDES HANC MULIEREM?] *Converſus*. Magdalena enim erat a tergo Chriſti, nec audebat ex criminum confuſione coram facie ejus comparere. Unde Chriſtus ad eam ita pœnitentem faciem ſuam convertit, eamque benignis gratiæ oculis reſpexit, ac Simoni hoſpiti ſuo prætulit.

VIDES HANC MULIEREM?] jam non peccatricem, ut tu, o Simon, æſtimas, ſed pœnitentem, juſtificatam & ſanctam.

INGRAVI IN DOMUM TUAM, AQUAM PEDIBUS MEIS NON DEDISTI: HÆC AUTEM LACRYMIS RIGAVIT PEDES D MEOS, ET CAPILLIS SUIS TERSIT] Solebant hoſpitibus, & convivis ante menſam lavari pedes; quia olim nudis pedibus incedebant: lavabant eos ergo, ut ſordes ſimul & fatigationem abſtergerent, ne iis lectulos menſales, in quibus diſcubituri erant, ſordidarent. Sic Abraham lavit pedes Angelis, quos peregrinos exiſtimabat, Geneſ. 18. 4. & Loth Geneſ. 19. 2. & alii Judic. 19. Unde & Paulus vi- Lavabant antiqui pedes ante convivium. Cur? duam Diaconiſſam eligendam cenſet, quæ *pedes ſanctorum lavit*. 1. Timoth. 5. 10. Chriſtus autem hic foris venicbat, & erat conviva, quare Simon ei pedes lavari curare debebat. Taxat ergo Chriſtus ejus incuriam parvumque amorem, ut dilectionem Magdalenæ illi præferat, utpote quæ non aqua, ſed lacrymis pedes Chriſti abluit; nec linteo, ſed capillis ſuis terſit, eoſque ſordidare non eſt vetita. Nam, ut ait Titus: *Aqua facili negotio parari poteſt, ſed tanta lacrymarum profuſio, paratu minime facilis eſt*.

OSCULUM MIHI NON DEDISTI; HÆC AUTEM EX QUO VERS. 45 INTRAVIT, NON CESSAVIT OSCULARI PEDES MEOS] idque *cum omni timore & reverentia*, ait Titus. Solebant hoſpites & convivas oſculo excipere in ſignum amoris & benevolentiæ, ut eos ſibi gratos eſſe ſignificarent. Unde id etiamnum faciunt Belgæ, aliæque gentes. At Simon patrum ergo Chriſtum civilis, oſculum omiſit. Senſus eſt, q. d. Tuum erat, o Simon, me hoſpitem oſculo facie de more excipere; tuam ergo ruſticitatem ſupplevit & ſuperavit civilis amantiſque Magdalena, quæ non faciem, ſed pedes meos oſculata eſt, idque non ſemel, nec uno oſculo, ſed crebris & continuatis ab initio ingreſſus ejus in domum hucuſque. E

OLEO CAPUT MEUM NON UNXISTI: HÆC AUTEM UNGUENTO UNXIT PEDES MEOS] Solebant liquoribus odoratis perfundere manus & capita convivarum, ac quo illi erant here chariores & majori in pretio, eo pretioſiores illis adhibebat liquores. Senſus ergo eſt, q. d. Tu, o Simon, me vili quidem, communique oleo faciem meam unxiſti; at Magdalena unguento pretioſo unxit pedes meos. Vide ergo quam te in officio & charitate ſuperet; *Non enim unguentum Dominus*, ait Ambroſ. *ſed charitatem dilexit, fidem ſuſcepit, humilitatem probavit*. Unde concludit Chriſtus, VERS. 46

PROPTER QUOD DICO TIBI: REMITTUNTUR EI PECCATA MULTA, QUONIAM DILEXIT MULTUM] Græce eſt VERS. 47 ἀφέωνται, id eſt, *remiſſa ſunt*, in præterito, ſic & Syrus & F Arabicus. Quæritur: quando Magdalenæ fuerint remiſſa peccata? Franc. Lucas cenſet remiſſa eſſe v. ſeq. cum paulo poſt Chriſtus ei dixit: *Remittuntur tibi peccata*. Quod ergo hic dicit *remittuntur*, ſic explicat, q. d. Jam jam remittenda ſunt. Secundo, alii cenſent hoc verſu præſenti remiſſa fuiſſe illi peccata, illud enim ſignificat τὸ *remittuntur*: quia decebat, ut nemo niſi Chriſtus eam abſolveret; ac ſententiam abſolutionis viva voce coram Simone in eam proferret. Tertio, verisimilius videtur paulo ante remiſſa illi fuiſſe peccata, cum ſcilicet perfectum de peccatis dolorem concepit, ex cujus vi deinde hæc ſigna lotionis, terſionis, oſculationis & unctionis pedum Chriſti edidit, hoc enim ſignificat Græcum ἀφέωνται, id eſt, *remiſſa ſunt* in præterito. Ratio eſt, quia Magdalena, quæ a Deo facta eſt exemplar pœnitentiæ, eo per validam gratiam illuminante *ipſam* & impellente, perfectum concepit dolorem ex amore Dei ſuper omnia manantem. Deus enim mentem ejus illuminabat, ut clare videret peccatorum ſuorum gravitatem, quamque per illam Dei majeſtatem & bonitatem offendiſſet, ac voluntatem impellebat, ut Deum ſuper omnia diligeret; ideoque peccata omnia ſumme deteſtaretur, ut Deum placaret, ſibique reconciliaret. Hic Dei amor & de peccatis dolor eā excitavit ad edenda publica hæc pœnitentiæ ſigna, ſine ullo rubore & verecundia in publico Simonis convivio. Itaque antequam Chriſtus ei diceret, *Remittuntur ei peccata*; jam vi contritionis perfectæ & charitate formatæ remiſſa erant ei peccata. Noſter tamen Interpres vertit, *remittuntur*, in præſenti, eodē ſenſu, quo ſacerdos in Sacramento pœnitentiæ, peccatorum pœnitentem etiam perfecte contritum, ideoque jam juſtificatum, a peccatis abſolvit, dicitq; *Ego te abſolvo*. Quia ſcilicet, quantum eſt ex parte ſua, eum abſolvit; eſto vi contritionis jam ſit abſolutus; abſolutio enim hæc tam efficax eſt, ut ſi quod inveniret in confitente peccatum, illud plane tolleret & abſolveret. Adde, idem peccatum poſſet ſæpius condonari, maxime ſi pœnitens ex humilitate & dolore illud ſæpius confiteatur, ac clavibus Eccleſiæ ſubjiciat, & remiſſionem flagitet. Unde Chriſtus hic tertio Magdalenæ peccata remittit. Quare non tantum omnem culpam, ſed & omnem pœnam culpæ debitā ei remiſit, illique plenam omnium indulgentiam, ac quaſi primum jubileum indulſit. Hoc eſt, quod ait angelus cuidam Epiſcopo in Vitis Patrum l. 6. n. 16. *Pœnitentia & confeſſio pœnitentes in divinum numerum referunt*. Et Barlaam ad Joſaphat apud Damaſc. in hiſt. c. 11. *Lacryme pœnitentis nomen baptiſmi obtinent*. Et Palladius in Lauſiaca c. 140. narrat virginem quamdam lapſam *magis placuiſſe Deo in pœnitentia, quam in virginitate*. Vide S. Hier. de pœnitentia Fabiolæ, & Climacum gradu 5. de pœnitentia.

Quando Magdalenæ remiſſa fuere peccata?

QUONIAM DILEXIT MULTUM] Toletus & nonnulli alii cenſent τὸ *quoniam* ſignificare cauſam nō remiſſionis peccatorum, ſed probationis, quod illa jam remiſſa ſint. q. d. Inde, o Simon, adverte & cognoſce Magdalenæ jā remiſſa eſſe peccata, quia ipſa hæc ſummæ dilectionis & gratitudinis ſigna mihi oſtendit, ut ſcilicet ipſa ſe mihi gratam exhiberet, quod jam ante peccata ei condonarim. Verum hæc explicatio torquet τὸ *quoniam*: tum quia Magdalena licet pœnitens & contrita, neſciebat tamen ſibi remiſſa eſſe peccata, donec a Chriſto audivit, *Remittuntur ei peccata*: quare hæc ſigna directionis nō potuit edere ex gratitudine, ut ſcilicet ſe gratam Chriſto, qui illa remiſerat, exhiberet, quia, ut dixi, adhuc neſciebat Chriſtum illa remiſiſſe; tum quia

Quis ſenſus formæ abſolutionis cum abſolvitur pœnitens jam juſtificatus per contritionem?

Chri-

Digitized by Google

A Christus non dicit: Cognosce, o Simon, remissa esse Magdalenæ peccata ex hoc, quod ipsa me diligat, id est, tanta dilectionis signa ostendat, sed vice versa ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, id est, remittuntur ei peccata hac de causa quod ipsa me summe diligat, ideoque summe de peccatis, quibus me offendit, doleat. Hoc enim plane verba significant.

Dico ergo τὸ *quoniam* significare causam remissionis peccatum, q. d. Hac de causa Magdalenæ multa, id est omnia peccata remissa sunt, quia ipsa summe Deum dilexit, & ex summa hac dilectione summe de peccatis suis doluit, illaque plene detestata est. *Charitas enim est mors criminum, vita virtutum*, ait S. Aug. tract. de Laudibus charitatis. Unde recte Theologi fere omnes cum S. Aug. hom. 23. inter 50. ex hoc loco docent actum contritionis perfectæ, qui includit dilectionem Dei super omnia, natura quidem præcedere remissionem peccatorum, & justificationem: sed eodem instanti temporis tamquam ultimam ad illam dispositionem, eamdem adducere; sicut calor ut octo, in ligno quasi ultima dispositio, inducit in lignum formam ignis. Ita Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. distinguens attritionem, quæ ex metu gehennæ & pœnarum concipitur, a contritione, quæ charitate perficitur, docet hanc cum Sacramento in voto peccatorem Deo reconciliare, illam vero neutiquam, juxta illud: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, psal. 50. Hinc S. Greg. hom. 33. ita exponit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, q. d. *Incendit plane peccati rubiginem qui ardet valide per amoris ignē. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur*. Vide Suarez 3. p. qu. 85. art. 1. disp. 4. sect. 7. Vere S. Bernardus epist. 107. *Libenter*, ait, *Dei amor nostrum, quem prævenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigeat, quos amavit necdum amantes?*

Contritio perfecta quomodo justificationem adducat.

B

CUI AUTEM MINUS DIMITTITUR, MINUS DILIGIT] Hæc pars ad Simonem spectat, cui, utpote con pœnitenti de peccatis, nec diligenti Deum, nihil remissum est. Unde Arabicus vertit, *cui autem dimittitur parum, diligit parum*, q. d. Sicut Magdalenæ multum diligenti me Deū, multa, id est, omnia peccata a me dimissa sunt, ita tibi, o Simon, parum, vel nihil ex vera charitate me Deum diligenti, parum vel nihil a me remissum est. Modestiæ & civilitatis causa dicit *parum* vel *minus*, cum absolute dicere potuisset *nihil*. Porro minus diligenti minus remittitur, intellige secundum rationem & ordinem remissionis a Deo statutum, qui habet ut unum peccatum mortale etiam minimum sine aliis remitti nequeat, sed quandocumque unum remittitur, cætera omnia remittantur quoad culpam, sed secundum gradus dilectionis plus pœnæ minusve, magis vel minus diligenti remittatur. Secundo, qui nullo modo, vel amore tantum naturali diligit Deum, minus diligit Deum, quam qui eumdē amat ex charitate vera & supernaturali: ac proinde huic multa, id est omnia; illi minus, quia nihil dimittitur, puta Magdalenæ omnia, Simoni nihil: quia Simon non cogitabat de peccatis suis, nec de iis conterebatur, nec prandium hoc ordinabat ad remissionem a Christo impetrandā: Magdalena vero & vehementissime conterebatur, omnesque hos suos pœnitentiæ actus ad impetrandam veniam destinabat. Voluit enim Christus hoc paradigma, & hanc parabolam duorum debitorum & creditoris aliquo modo accommodare remissioni peccatorum Magdalenæ & Simonis. Illa autem huic non per omnia similis est, sed in eo tantum quod dixi. Et maxime spectat hic Christus, cur Magdalenæ multa, id est omia dimiserit quoad culpam & pœnam, non autem alterum, cur scilicet Simoni minus dimiserit. Quare hoc ut emblema & complementum parabolæ addidit, non autem rei per parabolam significatæ ex æquo adaptari voluit. Adde, dilectio Simonis erat prandium, quod exhibebat Christo, ob quod merebatur si erat in Dei gratia, ut aliqua peccata venialia sibi remitterentur: sed minor fuit hæc Dei dilectio, major vero fuit Magdalenæ, lachrymis lavantis, osculantis, & unguentis pedes Christi, ideoque ipsa omnium peccatorum mortalium veniam a Christo impetravit. Addit S. August. ibi dictum per concessionem ex mente Pharisæi, qui se justum æstimabat, ideoque parum vel nihil Deo debere. *Dictum est hoc*, inquit, *propter Pharisæum illum, qui vel nulla, vel pauca se putabat habere peccata: non enim Dominum invitaret, nisi aliquantulum diligeret*. Et postea: *O Pharisæe ideo parum diligis, quia parum tibi dimitti suspicaris: non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittatur*.

C

D

Addit Toletus minus dimissum fuisse Simoni, non quod aliquod peccatum ei remissum sit, sed quod ab aliquo peccato committendo fuerit præservatus per Christi gratiam: nam qui Christum invitaverat, non prosequebatur Christum odio, ut cæteri Pharisæi. Unde verisimile est Simonem hunc tandem plene ad Christum fuisse conversum. Fuse & exacte hæc Christi verba expendit Suarez p. 3. de Gratia lib. 8. c. 10.

E

DIXIT AUTEM AD ILLAM: REMITTUNTUR TIBI PECCATA] Vers. 48

Franc. Lucas putat hic primum Magdalenæ a Christo peccata fuisse condonata. Verum jam ante per contritionem illa ipsi fuisse remissa ostendi vers. præced. Quod ergo ibi Christus Simoni dixit Magdalenæ esse remissa peccata, hoc jam conversus ad Magdalenam ipsi dicit, tum ut eam lacrymantem consoletur, & de remissione certiorem reddat; tum ut remissionem jam datam coram Simone & Pharisæis confirmet ac tueatur, ostendatque se habere potestatem auctoritative remittendi peccata, ideoque esse Messiam ac Deum; hic enim solus primarius est auctor remissionis. Ita Euthym.

ET COEPERUNT QUI SIMUL ACCUMBEBANT, DICERE INTRA SE (in corde & mente cogitare, non enim audebant coram Jesu hanc cogitationem suam prodere, ne ab eo æque ac Simon redarguerentur) QUIS EST HIC, QUI ETIAM PECCATA DIMITTIT?] Vers. 49

F

q. d. Estne hic Messias? est ne Deus? hic enim solus per se peccata remittit. Hinc Christus eos in sua admiratione & dubitatione relinquit, ut pergant scrutari ejus doctrinam, vitam & miracula, indeque cognoscant ipsum esse Messiam Dei filium.

DIXIT AUTEM AD MULIEREM: FIDES TUA TE SALVAM FECIT; VADE IN PACE] Vers. 50

Fides non sola, ut volunt Novantes, sed bonis pœnitentiæ operibus (qualia hic circa Christum exercuit Magdalena) ac charitate formata. Nam paulo ante Christus dilectioni ejus remissionem attribuit dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Fides ergo hic intelligitur non nuda, sed per charitatem & contritionis actus, qui hic præcesserunt, operans.

SALVAM, a peccatis liberam, sanctam ac salvandam, FECIT] q. d. Fides tua charitate formata constituit te in via salutis, ut, si in ea usque ad mortem perseveres, certo ad salutem & gloriam æternam sis perventura. Gratia enim est via ad gloriam.

G

VADE IN PACE] q. d. Vade secura, tranquilla, læta, & felix, quæ hactenus ob conscientiam scelerum fuisti dolens, mœsta, anxia, sollicita, infelix: peccata enim præterita tibi amplius non nocebunt, ait Euthymius, nec conscientiam tuam amplius remordebunt aut lancinabunt. Hic est fructus pœnitentiæ, remissionis peccatorum, conscientiæ a peccatis purgatæ, justæ, & sanctæ, scilicet pax, serenitas, hilaritas & gaudium Spiritus sancti, quod omnia mundi gaudia longe superat & transcendit, juxta illud: *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum*. Rom. 5. 1. Et illud: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Jesu*. Philip. 4. 7. Et illud: *Secura mens quasi juge convivium*. Proverb. 15. 15. Vide illis locis dicta. Præclare S. Bern. serm. de S. Magdalena: *Est gaudium*, ait, *continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab hujus mundi aspergine pure presseque detersa, & in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas asperna-*

Fructus pœnitentiæ, pax, serenitas, gaudium, &c.

H

tur, nescit timorem, spem falsam eludit, & omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum, dormiens requiescit.

Porro Christus Magdalenæ hic perfectam uti salutem, sic pacem dedit: Dei enim perfecta sunt opera, Deut. 32. Hinc quos Christus sanavit, perfecte sanavit. Ipse ergo e Magdalenæ mente abolevit omnes habitus vitiorum, memoriam præteritarū turpium voluptatum, propensiones ad superbiā, luxuriam & gulam, tentationes carnis, plenamq; menti pacem reddidit. Secundo, indidit ei perfectam castitatem, humilitatem, pœnitentiam; Tertio, plenum contemptum omnium rerum mundanarum, & desiderium cælestium; Quarto, ardentissimum Christi amorem, ut se & sua omnia Christi obsequio dedicaret. Quocirca ipsa illico Christum assidue obeuntem castella & prædicantem magno labore & alacritate pedibus incedens ubique secuta est, eumque cum Apostolis suis opibus aluit: prædicationi ejus tota intenta, curā familię sorori suæ Marthæ resignavit. Unde a Christo audiit: *Optimā partē elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in eternū*, Luc. 11. Hinc & cruci Christi constanter astitit, viditq; Christū sanguine suo lavantem crimina, sua, quę ipsa jam lacrymis suis laverat. Quocirca magis in ejus amo-

Gratiæ a Christo Magdalenę hic concessæ. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Digitized by Google

A rem exarſit, ideoque in deſertum ſecedens totam ſe ejus vitæ, paſſioni, reſurrectioni contemplandæ dedit, ac tota in Chriſtum abſorta vitam magis cælestem egit, quam terreſtrem. Sic plena fuit converſio S. Pauli, ut illico virtutes omnes, non tantum Chriſtianas, ſed & Apoſtolicas, idque in gradu heroico, illi Chriſtus infunderet, uti dixi Actor. 9. Similem mutationem animi ſe expertum in baptiſmo ſcribit S. Cyprianus lib. 2. ep. 2. ad Donat. & S. Auguſtinus in converſione ſua lib. 9. Confeſſ. cap. 1. lib. 8. cap. 11.

Quapropter tropologice Origenes hom. inſigni de Maria Magdalena: *Sequamur*, ait, *hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum: ploret unuſquiſque ad Jeſum, & quærat fideliter Jeſum, qui non celavit ſe quærenti peccatrici. Diſce, peccator homo, a peccatrice muliere, cui tamen dimiſſa ſunt peccata ſua. Diſce plorare Dei abſentiam, & conſiderare ejus præſentiam. Diſce a Maria Jeſum amare, & in Jeſum ſperare, & quærendo Jeſum inveſtigare, nulla adverſa formidare, nullam extra Jeſum conſolationem accipere, omnia propter Jeſum contemnere.* Vide hic quam potens ſit gratia, æque ac amor Chriſti. Quam

B Emblema amoris. potens ſit amor, docet emblema, in quo Cupido pingitur inſidere leoni; eumque domare & regere.

Vidi ego qui durum poſſit frenare leonem:
Vidi qui ſolus corda domaret Amor.

Omnia vincit amor, Vide dicta Cant. 8. ad illa, *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.*

CAPUT VIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo Chriſtus prædicans per caſtella proponit parabolam ſeminis & ſeminantis. Secundo, v. 20. cuidam nuncianti matrem ejus adeſſe, reſpondet ſuos fratres & matrem eſſe eos, qui verba Dei audiunt & faciunt. Tertio, v. 23. ſedat maris tempeſtatem.

C *Quarto, v. 26. dæmonem, cui nomen erat* Legio, *ab homine ejicit, ſinitque abire in porcos. Quinto, v. 41. mulierem fluxu ſanguinis liberat, & filiam Jairi a morte ſuſcitat.*

Primam partem explicui Matth. 13. 3. Secundam Matth. 22. 46. Tertiam Matth. 8. 23. Quintam Matth. 9. 17. & Marci 5. 25. Supereſt ergo & hic quarta explicanda.

VERS. 1. ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates & caſtella, prædicans & Evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo,

2. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant,

3. Et Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

D 4. Cum autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem:

5. Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

9. Interrogabant autem eum diſcipuli ejus, quæ eſſet hæc parabola.

10. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabilis: ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

11. Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei. E

12. Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.

13. Nam qui ſupra petram: qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & a ſolicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram: hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit; ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

17. Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur; nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palam veniat. F

18. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo.

19. Venerunt autem ad illum mater, & fratres ejus, & non poterant audire eum præ turba.

20. Et nuntiatum eſt illi; Mater tua, & fratres tui ſtant foris, volentes te videre.

21. Qui reſpondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

22. Factum eſt autem in una dierum: & ipſe aſcendit in naviculam, & diſcipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum. Et aſcenderunt.

23. Et navigantibus illis, obdormivit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur. G

24. Accedentes autem ſuſcitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille ſurgens, increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſavit, & facta eſt tranquillitas.

25. Dixit autem illis: Ubi eſt fides veſtra? Qui timentes, mirati ſunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic eſt, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

26. Et navigaverunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.

27. Et cum egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.

28. Is, ut vidit Jeſum, procidit ante illum: H & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi eſt Jeſu Fili Dei Altiſſimi? obſecro te, ne me torqueas.

29. Præciplebat enim ſpiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, & ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deſerta.

30. Interrogavit autem illum Jeſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio: quia intraverunt dæmonia multa in eum.

31. Et rogabant illum ne imperaret illis, ut in abyſſum irent.

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte: & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permiſit illis.

33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.

34. Quod ut viderunt factum, qui paſce-

bant,

Digitized by Google

A bant, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in villas.

35. Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Jesum: & invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes ejus, & timuerunt.

36. Nuntiaverunt autem illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione:

37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.

38. Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens:

39. Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus.

B 40. Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum.

41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus,

42. Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur.

43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari:

44. Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: & confestim stetit fluxus sanguinis ejus.

45. Et ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te com-
C primunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

46. Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiisse.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.

48. At ipse dixit ei: Filia, fides tua salvam te fecit: vade in pace.

49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.

50. Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & salva erit.

51. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, &
D Jacobum, & Joannem, & patrem, & matrem puellæ.

52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.

53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset.

54. Ipse autem tenens manum ejus, clamavit, dicens: Puella, surge.

55. Et reversus est spiritus ejus, & surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare.

56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

VERS. 1. ET DUODECIM (*Apostoli*) CUM ILLO] Scilicet comitabantur Jesum castella obeuntem & prædicantem.

VERS. 2. ET MULIERES ALIQUÆ, QUÆ ERANT CURATÆ A SPIRITIBUS MALIGNIS, ET INFIRMITATIBUS, id est, MARIA, QUÆ VOCATUR MAGDALENE, DE QUA SEPTEM DÆMONIA EXIERANT] Mulieres hæ sequebantur Christum, Primo, gratitudinis ergo, quod ab eo a dæmonibus & morbis curatæ essent; Secundo, securitatis ergo, ne, si a Christo medico suo abirent, rursum a dæmonibus invaderentur; Tertio, pietatis studio, ut ejus conversatione & prædicatione in sanctitate proficerent. E

Mulieres hæ cur loquebantur Christum?

MARIA (Hebr. *Maria* significat amarum mare, scilicet pœnitentiæ, ait Beda) QUÆ VOCATUR MAGDALENE] a castello Galilææ dicto *Magdalum*, quod situm erat juxta Bethsaidam & Capharnaum, ubi Christus habitabat & docebat, ac dæmoniacos sanabat. Videtur Magdalena Magdali fuisse domina, vel jure hæreditario, vel quod Magdali domino nupsisset: nuptam enim eam fuisse insinuat S. August. hom. 23. inter 50. ubi eam non tantum meretricem, sed & adulteram vocat. Adultera autem non est, nisi quæ habet maritum, eoque relicto, alii adhæret. Rursum Auctor comment. in S. Marc. apud S. Hieron. c. 15. v. 40. Magdalenam vocat viduam; ergo censet eam fuisse conjugatam; sic & Jansenius, Franc. Lucas & alii. Alioqui Magdalenam prosapia fuisse Judæam, oriundam e Bethania, æque ac Lazarum & Martham, satis significat Joann. c. 12. 1. Audi Adrichomium in Descript. Terræ sanctæ. p. 141. num. 66. *Magdalum Mariæ Magdalenæ castrum, ubi & nata ac sanata est, cujus domum etiamnum ibi videri ait Bredenb. situm est in labore maris Galilææ, & ab Aquilone atque Occidente magnam habet planitiem. Vocatum autem Magdalum a turribus & munitionibus, quibus magnifice erat munitum. Unde Hieronymus* ep. 16. *ob Mariæ Magdalenæ sedulitatem, ac fidei ardorem eam* Magdalenen, *hoc est* turritam, *recte vocatam asserit. Meminit hujus castri Josephus scribens Agrippam regem copias misisse, quæ id caperent; ceterum eas obsidere illud non fuisse ausas.* Magdalum Magdalenæ castrum. F

Magdalena unde dicta.

Magdalena ergo Hebr. Primo idem est quod *turrita*, vel turrigera a radice מגדל *migdal*, id est *turris*: fuit enim ipsa procera & excelso corpore, & magis animo, juxta illud Cant. 4. *Sicut turris David collum tuum*. Vide ibi dicta. Secundo, Magdalena idem est quod *magnifica*, ait Origen. tract. 35. in Matth. aut *magnificata*, ait Pagnin. in Nom. Hebr. Quia, inquit Orig. *secuta fuerat Jesum, & ministraverat ei, & spectaverat mysterium passionis ipsius*, Radix enim גדל *gadal* significat *esse magnum & magnificum*: Magdalena enim mire ad culmen gratiæ exaltata est a Christo. Tertio, Magdalena, ait Pagn. idem est quod *vexillo insignita*, aut *vexillum ducens*, vel *elevans*, a rad. דגל *degbel*, id est, *vexillum* per metathesin, sive transpositionem litterarum ג *ghimel* & ד *dalet*. Magdalena enim erexit vexillum summæ pœnitentiæ, fervoris & dilectionis Christi, æque ac vitæ contemplativæ, juxta illud Cant. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem*, Hebr. דגלו *diglo*, id est, *vexillum ejus super me est charitas*, id est, vexillum charitatis super me erexit, vide dicta ibi. Quarto, Magdalena, ait Pagnin. idem est quod *educata, nutrita*, scilicet verbis Christi tam externis, quam internis ad omnem virtutem & sanctimoniam. Rad. enim גדל *gadal* etiam nutrire & educare significat. Magdalenæ etyma quatuor. G

DE QUA SEPTEM DÆMONIA EXIERANT] hoc est septem vitia capitalia Christus expulerat, scilicet superbiam, avaritiam, gulam, luxuriam, iram, invidiam & acediam, ait Beda & Theoph. hic, ac S. Gregor. hom. 33. Hoc recte, sed mystice. Nam ad litteram hic veri dæmones intelliguntur, hi enim sunt spiritus maligni, ut paulo ante dixit; atque hi proprie dicuntur exire, &, ut Marcus ait, ejici. Ita S. Ambros. lib. de Salomone cap. 5. Euthym. Jansenius & alii hic. Videtur ergo Magdalena ob sua scelera a septem dæmonibus fuisse possessa, ac a Christo inter alios dæmoniacos ab iis liberata, de peccatis suis pœnituisse, ac venia ab eo impetrata indivulse ei adhæsisse, non jam a dæmone, sed a Deo possessa, factaque templum Spiritus sancti. Ita Roffensis lib. de una Magdalena, Jansen. & alii *Septem*, præcise, vel *septem*, id est multa, septenarius enim est symbolum multitudinis & universitatis, uti sæpius annotavi. Septem dæmonia quænam? H

ET JOANNA UXOR CHUSÆ PROCURATORIS (*Syrus, œconomi*, Arabic. *thesaurarii*) HERODIS, ET SUSANNA, ET ALIÆ MULTÆ, QUÆ MINISTRABANT EI DE FACULTATIBUS SUIS] Erant enim divites, & gratæ Christo liberatori suo, eique devotæ ejus prædicationem & fidem promovere ac propagare satagebant. Sic olim Romæ S. Plautilla, S. Flavia Domitilla, S. Lucina, Priscilla, S. Pudentiana, S. Praxedes, aliæque nobiles & opulentæ matronæ aluerunt S. Petrum, S. Paulum, S. Clementem, S. Pium, S. Cajum, S. Marcellum, aliosque Romanos Pontifices cum suis Presbyteris & Diaconis. VERS. 3.

ET SUSANNA] Illustris fuit hæc matrona a Christo cura Susanna, id est lilium.

Digitized by Google

A eiusdem, adeoque Christi discipula & nutricia. Hebr. *Susanna* significat *lilium* propter odoriferum cælestis vitæ candorem, ait Interlinearis, & propter aureum internæ dilectionis ardorem, ait Beda.

VERS. 15 QUI IN CORDE BONO ET OPTIMO, AUDIENTES VERBUM DEI RETINENT] Notat hic Conc. Basileense, ut recte audiatur verbum Dei, requiri Primo, locum aptum, cum ait, *In corde bono & optimo:* Secundo, modum debitum, cum ait, *Audientes verbum retinent:* Tertio fructum optimum, cum ait, *Fructum afferunt in patientia*. Item *in corde bono*, per fidem illuminantem: & *optimo*, per gratiam operantem, ut ait Lyranus; vel, ut alii, *bono*, per disciplinæ & virtutis exercitium, *& optimo*, per internæ contemplationis & consolationis solatium: vel, ex Alberto, *bono*, id est, mundo a peccato; *& optimo*, id est, conformato divinæ voluntati. Vel, ut Bonaventura: *bono*, ut in intellectu sit veritas: *& optimo*, ut in affectu sit rectitudo. Vel, ut S. Aug. in Ps. 7. *bono*, per dilectionem proximi & sui ipsius, *& optimo*; per dilectionem Dei super omnia.

Quod est cor bonum & optimum?

B Porro pro *bono & optimo*, græce est καλῇ καὶ ἀγαθῇ; id est, *honesto & bono*, scilicet per excellentiam, hoc est, optimo & honestissimo: nam copula *&* continet gradationem & auxesim. q. d. Qui verbum Dei retinent in corde honesto & bono, imo honestissimo & optimo, hi fructum referent pro quantitate honestatis & bonitatis, ut, si cor bonum sit, bonum referant fructum, si melius, majorem & meliorem; si optimum, maximum & optimum, scilicet trigesimum, sexagesimum & centesimum, ut habet Matth. c. 13. Quare non necessario τὸ *bono & optimo* ad diversas personas referendum est, ut vult Toletus, quasi alii sint corde bono, alii optimo: quilibet enim fidelis crescens in virtute, potest & debet primum bono, deinde meliore, ac demum optimo corde verbum Dei excipere, itaque optimum fructum producere, idque innuit τὸ *bono & optimo*. Græca enim *bono & optimo* nectunt, ut dixi; ac Syrus, qui vertit, *in corde humili & bono*, alii *in corde pulchro & bono*.

IN PATIENTIA] Græce ὑπομονῇ, id est, *in sustinentia & tolerantia*, scilicet laborum, afflictionum & C dolorum in arando, seminando, occando, sarriendo, &c. ac ipsam messem longanimi patientia expectando.

VERS. 26 ET NAVIGAVERUNT (navigando pervenerunt. Ita Syrus. Unde manuscripti codices legunt, *enavigaverunt*) AD REGIONEM GERASENORUM, QUÆ EST CONTRA GALILÆAM] *Gerasenorum*, græce est, *Gadarenorum*; Græcus in Matth. habet *Gergesenorum*. Unde putant nonnulli hunc unum eumdemque esse locum, ita varie appellatum, adeoque trinomium. Verum ex S. Hieronymo in Locis Hebr. Josepho, & aliis ostendit Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ, *Gadaram* aliam esse a *Gerasa*, vel *Gergesa*. Erant enim hæ duæ urbes distinctæ, sed ab utralibet tota regio dicta est *Gadarenorum*, aut *Gerasenorum* sive *Gergesenorum*. Noster Interpres ubique vertit, *Gerasenorum*, quia hoc nomen erat notius.

VERS. 27 ET CUM EGRESSUS ESSET AD TERRAM, OCCURRIT ILLI VIR QUIDAM, QUI HABEBAT DÆMONIUM JAM TEMPORIBUS MULTIS, ET VESTIMENTO NON INDUEBATUR, NEQUE IN DOMO MANEBAT, SED IN MONUMENTIS] Matth. ait fuisse duos, sed hic unus erat nobilior D & truculentior; possidebatur enim a legione dæmonum. Unde eum solum nominant Luc. & Marc.

SED IN MONUMENTIS] Nota Primo. Judæos sua sepulchra non habuisse in civitate, ne ex eorum contactu contaminarentur & irregularitatem legalem, qua templo arcebantur, contraherent, sed extra civitatem in agris & montibus, uti ante dixi. Erant autem sepulchra eorum alta & lata quasi cameræ, ut multi simul in iis sepeliri, quin & vivi illud ingredi, & defunctorum suorum corpora inferre possent, ut patet ex sepulchro Christi, Saræ, Abrahæ, & aliorum. Sic ergo dæmoniacus hic habitabat in sepulchris, quia eo a dæmonibus agebatur. Quæres, cur? Respondeo Primo, ut dæmones ibidem in ipsum majorem sævitiam exercerent, & horrorem transeuntibus incuterent, uti faciunt in lycanthropis, id est in hominibus, quos in lupos transformant. Franci *loups garous* vocant. Et forte hic dæmoniacus fuit *lycanthropos*, vel illi similis: ille enim est sævissimus & instar lupi noctu domo egreditur, grassatur in pecudes & homines, omnesque necat & vorat, ac solitudines & mortuorum sepulchra horridasque speluncas sectatur, in iisque se abscondit, ac sæpe ritu luporum ululat, uti docet Fernelius, Paul. Ægi-

Cur dæmoniacus hic habitabat in sepulchris.

nera, & alii, quos citat & sequitur Guilielmus Edet. l. de Ægrotis Evang. c. v. & 11. ubi ostendit dæmoniacum hunc fuisse lycanthropum, ac laborasse melancholia & mania lupina, quæ a medicis lycanthropia dicitur, qua correpti imaginantur se esse lupos, ac ut lupi ululant & sæviunt in obvios pugnis, dentibus & calcibus, *ita ut nemo posset transire per viam illam*, ait Matth. quin protinus ab eis invaderetur & laniaretur. Ubi adverte, dæmonem maxime invadere melancholicos, eorumque melancholia abuti, ut eos agat in mœstitiam & desperationem, vel in iram, rabiem & furorem.

Dæmones maxime invadunt melancholicos.

E Secundo, quia dæmon spurcissimus & fœtidissimus spurcissima & fœtidissima assumit corpora, ac similia incolit loca, puta sepulchra plena ossibus & cadaveribus. Unde & sagæ sub patibulis suos cum dæmone conventus & choreas agere solent. Vide Delrium in Magicis. Tertio, ut significetur dæmones delectari hominum morte, ac inter mortuos, puta damnatos in gehenna, versari. Addunt Quarto, Chrys. Euthym. & Theophyl. eum id fecisse, ut hominibus persuaderet, hominum mortuorum F animas in dæmones commutari, qui proinde corporibus sepultis in sepulchro assideant. Unde dæmoniaci, ait Chrysostomus, subinde clamant, Anima Petri, vel Pauli, vel Joannis ego sum.

Is, UT VIDIT JESUM, PROCIDIT ANTE ILLUM: ET VERS. 28 EXCLAMANS VOCE MAGNA, DIXIT, QUID MIHI ET TIBI EST JESU FILI DEI ALTISSIMI? OBSECRO TE NE ME TORQUEAS] Addit Marcus c. 5. 6. *Videns autem Jesum a longe, cucurrit, & oravit eum*, scilicet flexo genu eum adorans. Quæres, cur id fecit dæmon? Respondeo, quia sentiebat præsentiæ Christi efficaciam, adeoque a Christo compulsus est ad eum accurrere, eumque adorare, metuebat enim quod, si non occurreret Christo, eumque adoraret, gravius ab eo puniretur. Compulit ergo eum Christus id facere, ut hac ratione miraculo a se patrando, puta curationi dæmoniaci, daretur occasio: hac enim de causa Christus illuc iter suum dirigebat, & juxta hæc sepulchra transibat, ut dæmoniacum adeo ferocem sanaret.

FILI DEI ALTISSIMI] Hinc videtur, quod dæmon, G qui in trina tentatione Christi, eum non agnoverat, nunc post tot tantaque miracula, ex iis agnoverit eum esse Messiam Dei Filium, sed ita, ut excæcante eum superbia & odio Christi hæsitaret, & ægre crederet Filium Dei ad carnem humanam se humiliasse, multo minus crederet per ejus crucem & mortem redimendum genus humanum, quia, ut ait D. Thom. multis modis a Deo impediebatur, ne id resciscceret. Vide dicta Marci 4. v. 11. *Ne torqueas*, ne me ab homine hoc expellas, & in infernum releges, ibique religes. Vide dicta Matth. 8. 31.

PRÆCIPIEBAT ENIM SPIRITUI IMMUNDO, UT EXIRET VERS. 29 AB HOMINE. MULTIS ENIM TEMPORIBUS ARRIPIEBAT ILLUM, ET VINCIEBATUR CATENIS ET COMPEDIBUS CUSTODITUS, ET RUPTIS VINCULIS AGEBATUR A DÆMONIO IN DESERTO] Ecce hæc omnia suadent eum fuisse lycanthropum, ut dixi v. 27. Ex hoc & similibus locis liquet, multos dæmones non esse in inferno, sed versari in hoc aere, terra, aqua, montibus, cavernis, silvis, desertis (ubi olim ipsi se Faunos & Satyros vocabant; Isaias cap. 13. 21. & c. 34. 14. *pilosos* vocat) idque usque ad H diem judicii, permittente Deo, ut homines tentent. Ita S. Athanasius in Vita S. Antonii, & S. August. lib. 11. de Civit. 33. Unde pia est Ecclesiæ consuetudo, ut fideles in cœmeteriis & locis sacris ab Episcopo benedictis sepeliantur, ut scilicet per benedictionem hanc ab *illis* locis arceantur dæmones, utque ibidem fideles Deum pro ibidem sepultis orent. Hac ratione abiguntur dæmonum larvæ & spectra, uti mihi narrarunt Attrebati in Belgio viri graves & experti. Cum enim vespere obirem cœmeterium, vidi in eo multas incensas ardere candelas, ac perplures ibidem orantes. Causam sciscitatus audivi, solere ibi noctu terras apparere larvas, sed post usum luminum ac precum pro defunctis, illas evanuisse.

Non omnes dæmones sunt in inferno.

Dæmones e cœmeteriis quomodo arceantur.

INTERROGAVIT AUTEM ILLUM JESUS DICENS: QUOD VERS. 30 TIBI NOMEN EST?] *Illum* scilicet unum dæmonem primarium, qui in energumeno nomine cæterorum loquebatur. Voluit Christus ut is nomen suum proderet, ut ex eo nomine multitudo dæmonum, indeque vis & potestas Christi eos ejicientis, patesceret.

AT ILLE DIXIT: LEGIO] Legio sex millia continet, ac tot præcise fuisse in hoc homine dæmones censet S. Ambros. *Non uno demonio*, inquit, *sed totius legionis laborabat*

A *rabas incurſu*. Simplicius Euthymius, Victor & Toletus cenſent eum vocaſſe ſe *Legionem* non præciſe, ſed in confuſo, quod eſſent multi, unde ſubdit: *Quia intraverant dæmonia multa in eum*. Addit Gregorius Nyſſenus, Dæmones, inquit, imitantes legiones angelicas dicunt ſe Legionem, imo imitantes & æmulantes Deum ipſum, qui vocatur Dominus ſabaoth, id eſt, exercituum & legionum angelicarum. Lucifer enim eſt ſimia Dei.

Dæmonum multitudo, & malignitas.

Diſce hic quanta ſit multitudo & malignitas dæmonum, ut unum hominem obſideat eorum legio. Sic in Vita S. Dominici noviſſime aucta legimus, hominem quemdam impium contradicentem Rosario, ejuſque quindecim myſteriis, quæ ubique prædicabat S. Dominicus, correptum & poſſeſſum fuiſſe a quindecim millibus dæmonum; quos omnes ſuis precibus & exorciſmis multum diuque laborans expulit S. Dominicus. Quocirca cum innumeris undique dæmonibus cingamur, ſtandum nobis eſt jugiter in acie, ut vigilemus, oremus, pugnemus, & de iis triumphemus, uti fecit S. Antonius; qui dicebat facile vinci omnes dæmonum inſultus per Chriſti crucem, invocationem, lætitiam ſpiritualem. Quare

B qui Deo perfecte ſervire deſtinat, cogitet ſe legionem dæmonum non unam, ſed plures, imo Luciferum cum toto inferno, omnibuſque ejus incolis ad duellum & ſingulare certamen provocaſſe, juxta illud Apoſtoli Epheſ. 6. 12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ* (contra ſpirituales nebulones) *in cœleſtibus*.

Chriſtum imitatus S. Hilarion, Otionum virum primarium a legione dæmonum obſeſſum liberavit: cum enim obſeſſus furens S. Hilarionem invaderet, & in ſublime levaret, omnibus trepidantibus, *Sanctus arridens: Sinite*, inquit, *& mihi meum paleſtritem dimittite. Ac ſic reflexa ſuper humeros manu caput ejus tetigit, apprehenſoque crine ante pedes adduxit, ſtringens e regione ambas manus ejus; & plantas utroque calcans pede, ſimulque ingeminans: Torquere, ait, dæmonum turba, torquere. Cumque ille ejularet, & reflexa cervice terram vertice tangeret:*

S. Hilarion dæmoniacum curat.

C *Domine, inquit, Jeſu ſolve miſerum, ſolve captivum: ex uno hominis ore diverſæ voces, & quaſi confuſus populi clamor audiebatur: Curatus itaque & hic, non poſt multum temporis cum uxore & liberis venit ad monaſterium, plurima, quaſi gratiam redditurus, dona afferens.*

VERS. 31 ET ROGABANT ILLUM, NE IMPERARET ILLIS UT IN ABYSSUM (in infernum, qui dicitur abyſſus, quia profundiſſimus eſt, utpote in centro terræ) IRENT] licet enim dæmones etiam dum in terra vagantur, urantur igne inferni, tamen aliqua eis recreatio eſt, quod non ſint recluſi in carcere inferni; ſed per terram vagari, ac homines tentare ſinantur, ut eos ſecum ad infernum trahant: ardent enim odio Dei & invidia hominum, ne ſedes ſuas in cœlis, ex quibus ipſi per ſuperbiam exciderunt, occupent. Apposite ex Max. Emmanuel Sa, Unicuique peccato, ait, Deus conſonam pœnam ſtatuit; gehennam, ob carnis incendium; ſtridorem dentium, ob riſum laſcivum; ſitim, ob voraciratem, & crapulam; vermem, ob malignum cor; caliginem, ob ignorantiam & fallaciam; abyſſum, ob ſuperbiam: itaque dæmonibus ut

D ſuperbis, abyſſus deputatur.

VERS. 32 ERAT AUTEM IBI G EX PORCORUM MULTORUM (ad duo millia, ut habet Marcus) PASCENTIUM IN MONTE] & circa montem, ut ait Marcus. Quæres, unde hi porcei? nam Judæi porcis veſci non poterant, utpote ex lege immundis. Reſp. Gadara, ubi hæc egit Chriſtus, erat quædam Judæorum, vel potius Galilæorum civitas, ſed tamen a Cæſare data fuerat ad habitandum Syris & Gentilibus, qui porcos alere poterant. Ita Joſephus 17. Antiq. 13. & l. 2. Belli c. 4. Adde, Judæos non quidem comedere, ſed alere potuiſſe porcos ad alios uſus, v. g. ut eos Gentilibus venderent, ut iis Romanos milites paſcerent, ut lardo ad unguendos currus uterentur.

Quare grex porcorum apud Judæos, quibus porci veſci negatus?

ET ROGABANT EUM, UT PERMITTERET EIS IN ILLOS INGREDI] Petierunt hoc dæmones a Chriſto, Primo, ut cum hominibus nocere non poſſent in ſeipſis, utpote ex quibus eos ejiciebat Chriſtus, eiſdem ſaltem nocerent in ſuis animalibus, puta porcis. Secundo, ut hac ratione Chriſto odium vel diſplicentiam incolarum crearent, quod & evenit. ita Euthymius. Tertio, quia immundi ſpiritus amant immunda, ut ſunt hirci & porci. Ita Cyrillus. Unde diabolus ſagis apparet, & ab eis adoratur in forma hirci. Ex hac deprecatione dæmonum eo-

E ſum infirmitatem colligit S. Antonius apud S. Athanaſ. *Nam quomodo*, inquit, *qui porcorum expetunt merces; imaginem Dei hominem, & tam charum conditori animal ſub valebunt jure pervertere? Magna, dilectiſſimi, adverſum dæmones arma ſunt, vita ſincera & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimeſcit ſatanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, manſuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, miſericordiam, iræ dominatum, & præcipue purum cor erga Chriſti amorem. Novit teterrimus coluber ex præcepto Domini ſub juſtorum ſe jacere veſtigiis, qui ait: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.*

ET PERMISIT ILLIS] Quæres, cur Chriſtus permiſit dæmonibus? Reſp. Primo, ut oſtenderet ſe dæmonibus dominari, eoſque ſine ſua licentia nihil poſſe, ne quidem in porcos, multo minus in homines. Unde eos contemnendos eſſe velut invalidos, dicebat S. Antonius. Secundo, ut patefieret quanta eſſet dæmonum copia, vis, & malitia, & conſequenter quanta eſſet Chriſti eos expellentis vis & gloria. Ita S. Chryſoſt. Theoph. Euth. Tertio, ut Sadducæorum, qui negabant dæmones eſſe, Act. 23 8. errorem hoc facto convinceret & confutaret. Ita Hilarius in Matth. 8. Addit Rupertus, Gadarenos fuiſſe Judæos, ac contra legem aluiſſe porcos, ac idcirco a Chriſto hic eorum ſuffocatione & perditione fuiſſe punitos. Sed hoc paulo ante reſeci.

Cur Chriſtus permiſit dæmonibus, ut irent in porcos.

F

Myſtice, id fecit Chriſtus, ut daret typum, in quo viderent homines, qui porcorum more in cœno voluptatum carnalium volutantur, ſe ſimili modo in abyſſum gehennæ fore præcipitandos. Rurſum, ut doceret parvi faciendam eſſe porcorum & opum jacturam, præ hominis & animæ jactura. Ut enim hominem a dæmonibus liberaret, permiſit eos ire in porcos. Denique ut indicaret quales eſſent Geraſenorum animæ, ſcilicet immundæ & fœdæ, ideoque congrua dæmonum habitacula, utque innueret eos facile a dæmonibus occupari, qui porcorum more vivunt.

EXIERUNT ERGO DÆMONIA AB HOMINE, ET INTRAVERUNT IN PORCOS, ET IMPETU (dæmonum impellentium) ABIIT GREX PER PRÆCEPS IN STAGNUM (Genezareth, quod alio nomine mare Tiberiadis vel Galilææ dicitur) ET SUFFOCATUS EST] Dæmones ergo præcipitarunt porcos in mare, ibique eos ſuffocarunt: locum, in quo id contigit, ſuo tempore oſtendi ſolitum ſcribit S. Hier. in locis Hebraicis. Modum explicat Syrus, dum Matth. 8. vertit, *& totus grex ille recta contendit ſurſum in rupem, & corruerunt in mare*. Dæmones ergo porcos impulerunt in cacumen rupis, ſive montis, juxta quem paſcebantur, indeque magno impetu eos in ſubjectum mare præcipitarunt, ut ait hic Lucas. VERS. 33 G

Huic ſimile eſt quod narrat S. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 21. Sanctimonialem quamdam, cum dæmonem ejiceret ex energumeno, permiſiſſe ei intrare in porcum. Dicebat enim dæmon, ait Gregorius; *Si de iſto exeo, in quem intrabo? caſu autem juxta portus parvulus paſcebatur. Tunc ſanctimonialis femina præcepit dicens: Exi ab eo, & in hunc porcum ingredere. Qui ſtatim de homine exivit, porcum, quem juſſus fuerat, invaſit, occidit & receſſit.* PETRUS. *Velim noſſe ſi ſaltem porcum concedere ſpiritui immundo debuit?* GREGORIUS. *Propoſitæ regulæ noſtræ actioni ſunt facta veritatis. Ipſi enim redemptori noſtro a Legione quæ hominem tenebat, dictum eſt: Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui hunc & ab homine expulit, & in porcos ire, eoſque in abyſſum mittere conceſſit. Ex quare etiam hoc colligitur, quod abſque conceſſione omnipotentis Dei nullam malignus ſpiritus contra hominem poteſtatem habeat, qui in porcos intrare non potuit niſi permiſſus.* H

QUOD UT VIDERUNT FACTUM QUI PASCEBANT, FUGERUNT (ne cum porcis perirent, ait Titus) ET NUNTIAVERUNT IN CIVITATEM, ET IN VILLAS] heris, ad quos ſpectabant porci in mari merſi, ne heri eos ab ipſis paſtoribus exigerent, quaſi eorum culpa periiſſent, ſed ut a Chriſto, qui eos dæmonibus tradiderat, eos repoſcerent. VERS. 34

EXIERUNT AUTEM (incolæ civitatis & villarum, quibus porcorum merſionem nunciarant paſtores) VIDERE QUOD FACTUM EST, ET VENERUNT AD JESUM] Prius ergo ipſum damnum porcorum cognoſcere voluerunt, ac viderunt in mari fluitantia porcorum examina & cadavera: quo viſo *venerunt ad Jeſum*, ut viderent auctorem merſionis porcorum, item hominem, a quo dæmones VERS. 35

Digitized by Google

A ...mones exierant in porcos. Damni enim magnitudo, modum quo contigerat, curiose eos scrutari cogebat, ut aspicerent num qua ratione damno aliqua ex parte mederi possent.

ET INVENERUNT HOMINEM SEDENTEM, A QUO DÆMONIA EXIERANT, VESTITUM, AC SANA MENTE AD PEDES EJUS) Verisimile est hominem, mox ut liberatus fuit a Legione, ad Christi pedes genibus flexis accidisse, eique ingentes egisse gratias, sed a Christo jussum sedere, locum sessionis ad pedes Christi ex humilitate & reverentia Christi sibi delegisse.

ET TIMUERUNT) ne Christus eos ob porcorum jacturam male in eum affectos & murmurantes, pejus mulctaret, ac forte eosdem dæmones in ipsos immitteret.

VERS. 36 NUNCIAVERUNT AUTEM ILLIS, ET QUI VIDERANT, QUOMODO SANUS FACTUS ESSET A LEGIONE.

VERS. 37 ET ROGAVERUNT ILLUM OMNIS MULTITUDO (Matt. *tota civitas*) REGIONIS GERASENORUM, UT DISCEDERET AB IPSIS, QUIA MAGNO TIMORE TENEBANTUR] ne Christus eis majores clades inferret. Non ergo ex humi-
B litate id fecerunt, quod se præsentia Christi indignos æstimarent, uti opinatur S. Hieron. in Matth. 8. sed ex diffidentia & timore, ne Christi præsentia majora eis damna infligeret: videbant enim Jesum Gente Judæum, virum esse sanctum, potentem & divinum: se vero esse Gentiles a Judæis alienos, quare metuebant ne eos ob diversam religionem, & ob peccata præterita gravius castigaret; uti metuebat vidua Sareptana, quæ mortuo filio dicebat Eliæ, quem hospitio susceperat: *Quid mihi & tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* 3. Reg. 17. 18. Quare non ex odio, sed ex religione & religioso timore rogarunt Jesum, ut ab eorum regione discederet: opinantur enim peccatores, viros sanctos sibi esse damno & vindictæ, quod putent improbitatem non posse cum probitate & sanctitate commorari, sed ab ea castigari & petimi ob Sanctorum zelum, quo peccata & peccatores persequuntur.

JESUS AUTEM ASCENDENS NAVIM, REVERSUS EST] ex Gadara, ubi dæmoniacum curarat, in Galilæam, un-
C de venerat, transfretando & trajiciendo rursus mare Galilææ, ac rediit Capharnaum, ut patet Matth. 9. 1. noluit enim Gadarenis invitis se suamque doctrinam exhibere & obtrudere.

VERS. 38 ET ROGABAT ILLUM VIR, A QUO DÆMONIA EXIERANT, UT CUM EO ESSET] jucundum enim erat ei cum Christo versari, utpote a quo tantum beneficium receperat, & plura sperabat.

DIMISIT (græce ἀπέλυσε, *ablegavit*,) AUTEM EUM JESUS DICENS:

VERS. 39 REDI IN DOMUM TUAM, ET NARRA QUANTA TIBI FECIT DEUS] per me, ut inde agnoscant me esse Messiam, ac in me credant & salventur, ideoque deponant amaritudinem, quam erga me conceperunt ob submersionem porcorum.

ET ABIIT PER UNIVERSAM CIVITATEM (imo per totam Decapolim, ut ait Marcus cap. 5. 20.) PRÆDICANS QUANTA ILLI FECISSET JESUS] Civitas hæc vicina erat Gadaræ: juxta illam enim dæmoniacus hic degebat in monumentis, ibique a Jesu curatus erat, & a legione dæ-
D monum liberatus. Quare verisimile est in ea præter Judæos fuisse multos Gentiles & infideles: eis ergo fidem in Christum prædicavit, ut in eum quasi Deum Deique Filium crederent. Ita S. Ambros. hic, & S. Chrys. hom. 29. in Matth.

Mysticam causam dat S. Gregor. l. 6. Moral. c. 17. in fine, scilicet Christum hic velle docere, activam vitam præmittendam esse contemplativæ. *Cum enim*, inquit, *quamlibet parum de divina cogitatione percipimus, redire ad humana jam nolumus, & proximorum necessitatibus onerari recusamus: quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud nisi hoc, quod sine labore reficit animum, amamus. Sed sanatos nos Veritas ad domum mittit, narrare quæ nobiscum acta sunt præcipit, ut videlicet mens prius desudet in opere, & postmodum refici debeat per contemplationem.*

CAPUT IX.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus mittit Apostolos ad prædicandum regnum Dei. Secundo, v. 10. secedit in desertum Bethsaidæ, ibique quinque panibus pascit quinque millia virorum. Tertio, v. 18. rogat Apostolos quid de se dicant homines, & quid dicant ipsi. Respondet Petrus Tu es Christus. *Quarto, v. 22. prædicit suam mortem & crucem, omnesque ad crucem tollendam hortatur. Quinto, v. 27. in monte transfiguratur, & cum Elia ac Mose colloquitur. Sexto, v. 38. sanat dæmoniacum spumantem & stridentem. Septimo, v. 47. discipulis inter se contendentibus, quis eorum esset major? respondet majorem esse, qui se facit minorem. Octavo, v. 52. in Jacob & Joanne spiritum vindictæ in Samaritanos, Christum non recipientes, castigat. Nono, v. 57. tres se sequi volentes rejicit.*

Hæc omnia audivimus in Matthæo locis ad marginem Bibliorum annotatis, ubi ea explicavi, excepta octava parte de spiritu vindictæ, quam v. 55. explicabo, ac exceptis, v. 49. & 50. quos explicui Marci 19. 38. & seqq.

CONvocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.

2. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

5. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

6. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, & curantes ubique.

7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæsitabat eo quod diceretur.

8. A quibusdam: Quia Joannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit.

9. Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

10. Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ.

11. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat.

12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus.

13. Vir autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.

14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

15. Et ita fecerunt, & discumbere fecerunt omnes.

16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cœlum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.

17. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.

Digitized by Google

A sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

18. Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ?

19. At illi respondentes, & dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam: alii vero quia unus propheta de prioribus surrexit.

20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.

21. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc,

22. Dicens, Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari a senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere.

23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult B post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.

25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?

26. Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.

27. Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

28. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ascendit in montem ut oraret.

29. Et facta est, dum oraret, species vultus C ejus altera: & vestitus ejus albus & refulgens.

30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias,

31. Visi in majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.

32. Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo.

33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, unum Tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.

35. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.

D 36. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.

37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi:

39. Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum:

40. Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt.

41. Respondens autem Jesus, dixit: O generatio infidelis, & perversa, usquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum.

42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipavit.

43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.

44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei; omnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos; Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

45. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.

47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se,

48. Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.

49. Respondens autem Joannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum.

50. Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

51. Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem.

52. Et misit nuntios ante conspectum suum; & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi.

53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.

54. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus, & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?

55. Et conversus increpavit illos, dicens: Ne- G scitis cujus spiritus estis.

56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum.

57. Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris.

58. Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

59. Ait autem ad alterum: Sequere me, ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.

60. Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

61. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt. H

62. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

QUIA (quod) PROPHETA UNUS DE ANTIQUIS (unus antiquorum) SURREXIT] Uti surget Henoch & Elias sub finem mundi, ut resistant Antichristo. Quin & S. Petrum primum Episcopum Bracarensem & Martyrem, fuisse filium Uriæ Prophetæ, qui occisus est a Joakim rege Judæ tempore Jeremiæ Prophetæ, ut ipse ait c. 26. 20. filium enim hunc ante sexcentos annos vita functum, suscitatum fuisse a S. Jacobo Apostolo, ac Bracaræ ordinatum Episcopum, docet S. Athanasius Cæsaraugust. Episcopus, & alii, quos citat Burcarius in L. Dextri Chronicon ad annum Christi 37. num. 2. VERS. 8.

DISCUMBERE PER CONVIVIA] Græce κλισίας, id est per discubitus, per contubernia, per cœtus & ordines, ut vertit Syrus. VERS. 14

NAM QUI ME ERUBUERIT, ET MEOS SERMONES: HUNC FILIUS HOMINIS ERUBESCET, CUM VENERIT IN MAJESTATE (græce, δόξῃ, id est in gloria) SUA, ET VERS. 26

PA-

Digitized by Google

A PATRIS, ET SANCTORUM ANGELORUM] scilicet in die judicii, cum in valle Josaphat sedebit judex, & coram omnibus angelis & hominibus omnes judicabit, ac quemque pro meritis cælo vel gehennæ addicet,

QUI ME ERUBUERIT] ut pudore aut metu regum, principum, tyrannorum, vel parentum & amicorum meam fidem neget, vel me confiteri non audeat, aut meis legibus obedire vereatur, quasi eum pudeat humilitatis, crucis & crucifixi Christi; hunc vicissim Christus erubescet, id est quasi vilem negliget & despiciet (est metalepsis: qui enim aliquem erubescit, ipsum negligit) Christus, cum venerit in majestate & gloria sua, quam per humilitatem crucis promeruit. Crux enim Christi multis visa fuit contemptibilis & probrosa, atque adeo Gentilibus visa est esse stultitia, Judæis vero scandalum, ut ait Paulus 1. Cor. 1, 2. Unde multi vel pudore, vel timore non ausi sunt eam profiteri, multo minus prædicare, quibus se opponens Paulus Rom. 1. v. 16. audacter, *Non erubesco Evangelium*, inquit, *virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum & Græco*.

B Martyrius Monachus Christum in specie leprosi humeris gestat.

Sic Martyrius monachus Christum specie peregrini leprosi de via lassi sibi apparentem, in humeros sustulit, & usque ad monasterium portavit, sed ita, ut pondus non sentiret, quia portantem se portabat. Ibi ergo se illi Christus in sua specie ostendens, & ascendens in cælum, dixit: *Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cælos*. Ita refert S. Gregor. hom. 39. in Evang. Idem S. Gregor. homil. 32. explicans hunc Lucæ locum: *Est*, inquit, *ubi se quisque interroget, ut in confessione Christi se veraciter probet, si non jam nomen ejus erubescit, si plena virtute mentis humanum pudorem subdidit. Certe enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles, substantiis nudari, e dignitatibus dejici, verberibus affligi: Pacis autem tempore, quia hæc a nostris persecutionibus desunt, est aliud, ubi ostendamur nobis. Veremur sæpe a proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare: si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale, dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit*. Et inferius remedium huic pudori assignans: *Erubescat*, inquit, *humana superbia. Confundatur quisque, si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus, & ipse qui offensus est, legatis intervenientibus obsecrat Deus*.

C

VERS. 29 REFULGENS] Græce, ἐξαστράπτων, id est *effulgurans*, id est instar fulguris coruscans, & fulgureos splendoris radios evibrans: facies enim Christi fulgurea vestem faciebat effulgurantem.

VERS. 31 Quis hic excessus, de quo loquebantur?

ET DICEBANT EXCESSUM EJUS, QUEM COMPLETURUS ERAT IN JERUSALEM] Pro *excessum* græce est ἔξοδον, quæ vox Primo, significat exitum e vita, id est mortem (unde Syrus vertit, *exitum*; Æthiopicus, transitum; sic & Persicus) q. d. Loquebantur de morte, hoc est, quo genere mortis Christus esset moriturus, puta de morte crucis, ita Vatabl. Secundo, significat expeditionem belliçam, qua Christus in cruce decertavit cum morte, peccato & diabolo, eosque divicit. Alludit ad gloriosum & victoriosum ἔξοδον, id est exitum Hebræorum ex Ægypto, devicto & demerso Pharaone in mari rubro, qui typus fuit & figura hujus exitus & expeditionis belliçæ Christi, ita Franç. Lucas, Favet Cyrillus, qui ἔξοδον interpretatus salutiferam passionem: & Arabicus, qui ἔξοδον vertit, *eventum*: *loquebatur*, ait, *de eventu* (agonis & triumphi) *quem impleturus erat in Jerusalem*.

D

Tertio, nonnulli intelligunt de excessu amoris & virtutum. In cruce enim fuit excessus charitatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, &c. quia Christus in ea egressus est & transcendit communes limites charitatis, omnisque virtutis cæterorum hominum. Fuit ergo excessus hic, re ipsa ecstasis charitatis, qua Christus quasi exiit extra se, & transiit in summum Dei hominumque amorem. Excessus ergo hic, revera fuit ecstatica Christi charitas.

VERS. 32 PETRUS VERO, ET QUI CUM ILLO ERANT, GRAVATI ERANT SOMNO] S. Chrysostom. in Matth. cap. 17. per *somnum* accipit stuporem nimium: lucis enim excellentia, inquit, gravabat oculorum debilitatem. Simplicius accipias verum & naturalem somnum, in quem inciderant Apostoli ex fatigatione itineris, & conscensi montis, ac vigiliæ nocturnæ, dum Christus orabat, & oratione finiente transfigurabatur; quo facto lux & fulgor Christi perstringens oculos eorum, ipsos a somno excitavit, ut eum transfiguratum viderent, ut dixi Matth. 17. v. 1. & seqq. Cætera ad transfigurationem Christi spectantia explicui Matth. 17. 1. & seqq. E

RESPONDENS AUTEM JOANNES, DIXIT: PRÆCEPTOR, VIDIMUS QUEMDAM IN NOMINE TUO EJICIENTEM DÆMONIA, ET PROHIBUIMUS EUM: QUIA NON SEQUITUR NOBISCUM] quia non est unus, o Christe, assecla & discipulus. Putabat enim solis Apostolis, quibus data erat hæc potestas, id licere, ait S. Cyrillus, &, ut ait S. Ambros. *Exeludendum putat beneficio, qui non utitur obsequio*. Joannes, uti Christi præceptoris amantior, ita pro Christi honore magis zelans & sollicitus, id interrogat. VERS. 49

ET AIT AD ILLUM JESUS; NOLITE PROHIBERE; QUI NON EST ADVERSUM VOS, PRO VOBIS EST] Docemur, ait Glossa, neminem a bono; quod ex parte habet, esse arcendum, sed potius ad id, quod non habet provocandum. Et S. Ambros. Remunerat, ait, Dominus fortiores, non excludit infirmos. Et Theoph. Christi gratia, inquit, etiam per indignos, & non discipulos, operatur, sic per sacerdotes non sanctos sanctificantur homines. VERS. 50

Tropolog. Beda: In hæreticis, ait, malis non Sacramenta, in quibus nobiscum sunt, sed divisio paci & veritati contraria, detestanda est & prohibenda. Vide dicta Marci 9. vers. 37. F

FACTUM EST AUTEM, DUM COMPLERENTUR (id est impleri inciperent: significatur enim actus inchoatus, non perfectus) DIES ASSUMPTIONIS EJUS] quibus scilicet Christus expleto officio prædicationis suæ per mortem, crucem, & resurrectionem suam assumeretur in cælum ad regnum Patris, a quo in mundum missus erat. Ascensionem in cælum ergo vocat *Assumptionem*: ita Theophl. *Cum instabat*, ait, *tempus, quo post quam sustinuisset salutarem passionem pro nobis, oportebat eum assumi in cælum, & considere Deo & Patri*. Et Euthym. *Dies assumptionis ipsius dicit*, inquit, *præfinitum tempus, dum a terra assumeretur in cælum*. Hactenus per duos annos cum dimidio Christus prædicaverat obiens urbes & castella, Galilææ præsertim: superarant illi adhuc sex menses vitæ, quos apud Judæos constanter prædicando expendere destinabat, itaque se comparare ad mortem & crucem, indeque ad resurrectionem & ascensionem in cælum. Innuit ergo Lucas se huc usque scripsisse gesta Christi in Galilæa, sed deinceps se scripturum gesta ejus fere in Judæa. VERS. 51 G

ET IPSE FACIEM SUAM FIRMAVIT, UT IRET IN JERUSALEM] id est firmo, resoluto & constanti animo, vultuque, &, ut Beda ait, *obstinata atque imperterrita mente*. Christus non ad loca vicina divertit, uti solent facere pavidi & dubii, sed recta perrexit Hierosolymam, ubi sciebat se crucifigendum, quasi optans mortis duellum, ac arenam locumque certaminis præoccupans, ita Titus, Theophyl. & alii. *Obfirmatione enim & fortitudine opus est ad passionem sponte properanti*, ait S. Hier. ep. 154. ad Algasiam quæst. 5. Sic ad opera dura & heroica aggrediendum, oportet obfirmare animum, ut Martyres eum obfirmarunt ad omnia tormenta, instar leonum, de quibus ita scribit Plinius lib. 8. c. 16. *Cum pro catulis fera dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat*. Addit Marcus c. 10. 32. *Et præcedebat eos Jesus, & stupebant*, scilicet discipuli, quod Jesus tam fortiter & alacriter præiret ad crucem & mortem: & sequentes timebant, ne sibi cum Jesu moriendum foret.

Nota, ut dixi in Chronotaxi n. 38. ex antecedentibus & sequentibus videri, hanc Christi e Galilæa profectionem in Judæam esse eamdem cum illa, quam commemorant Matth. c. 19. 1. Marc. c. 10. 32. Joannes c. 7. 2. & 14. Ubi ex Joanne liquet eam contigisse in festo Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, quod incidebat in Septembrem, ac proinde cum Christus mortuus sit in Martio proxime sequenti, sequitur hæc contigisse sex circiter mensibus ante mortem: quibus Christus sæpius ivit Jerusalem, indeque rediit prædicans per Judæam, ibique faciens miracula, ut in Galilæa fecerat, sicut patet ex iis, quæ apud Lucam sequuntur usque ad c. 19. Ubi tamen adverte quædam hisce sequentibus capitibus usque ad c. 19. a Luca interseri per recapitulationem: nam quædam hic narrat, quæ non in Judæa, sed ante in Galilæa contigerunt. Ita Jansenius, Franc. Lucas & alii. Aliter Maldonatus, qui censet hunc Christi e Galilæa in Judæam transitum contigisse integro anno ante ejus mortem, imo post eum Christum rursum e Judæa rediisse in Galilæam, ac vicissim e Galilæa in Judæam, cum scilicet eo tandem rediit ad hoc dumtaxat, ut ibi crucifigeretur & H

more-

A moretetur. Verum hoc non satis consentit cum eo, quod ait Lucas, *Cum complerentur dies assumptionis ejus*: integro enim anno aberant hi dies,

VERS. 52 ET MISIT NUNCIOS ANTE CONSPECTUM SUUM, ET EUNTES INTRAVERUNT IN CIVITATEM SAMARITANORUM, UT PARARENT (scilicet hospitum & cibum, puta panem cum levi obsonio si inveniebatur) ILLI] & comitibus, scilicet duodecim Apostolis & mulieribus, quæ secutæ a Galiæa eum opibus suis alebant, c. 8. v. 2. & c. 23. 49. simul misit eos Christus, ut assuefacerent se prædicationi & contemptui hominum, ait Theophyl. Nam a Samaritanis contemptui fuere, ut sequitur. Euthym. & Maldonat. ex v. 54. opinantur nuncios, &, ut græce, ἀγγέλους, hos fuisse Jacobum & Joannem. *In civitatem*, græce κώμην, id est vicum, castellum, oppidum, quod erat in via euntibus recta Jerusalem, ita Jansen, Franc. Lucas & alii. Licet Maldonatus κώμην putet poni pro πόλεις, id est urbes, fuisseque ipsam Samariæ urbem, quæ erat Samaritanorum metropolis,

VERS. 53 B ET NON RECEPERUNT EUM (Samaritani incolæ illius oppidi) QUIA FACIES EJUS ERAT EUNTIS IN JERUSALEM] Syrus, *quod pre se ferret speciem proficiscentis ad Jerusalem*, quia scilicet tam nuntii, quam Jesus ipse habitu, gestu & voce indicabant se pergere Jerusalem adorationis causa: erat enim festum Scenopegiæ, ut ait Joannes c. 7. 2. Samaritani autem volebant non in templo Hierosolymæ, sed in suo contra legem erecto in monte Garizim Deum adorari: qua de re perpetua fuit lis & contentio inter Judæos & Samaritanos, ut patet Joan. 4. 20. & ex Josepho lib. 11. Antiq. cap. 7. & 8. Quare spreverunt Jesum quasi spernentem sacra sua, & Judæorum hostium suorum religioni faventem,

VERS. 54 CUM VIDISSENT AUTEM (hanc inhumanitatem Samaritanorum) DISCIPULI EJUS JACOBUS ET JOANNES; DIXERUNT, DOMINE, VIS DICIMUS UT IGNIS DESCENDAT DE CÆLO, ET CONSUMAT ILLOS?] Græca, Arabica, & Syra addunt, *quemadmodum & Elias fecit*. Ecce hic ipsi ostendunt se esse *Boanerges*, id est filios tonitrui: ex nimio enim zelo cupiunt Samaritas fulgure afflari & sideravi, eo quod tam inhumani essent erga Christum, ut ne nocte quidem imminente ei hospitium ad pernoctandum concedere vellent. Memores enim erant Eliæ, qui duos quinquagenarios ad se capiendum ab Ochozia rege Samariæ missos, igne cælesti cum suis esseclis consumpsit. 4. Reg. 1. 10. sciebant enim Jesum longe majorem esse Elia, ac proinde majorem esse injuriam, quæ illi hic a Samaritanis fiebat. Unde S. Hier. ad Algasiam ep. 151. q. 5. *Si*, inquit, *ad servi Eliæ injuriam ignis descendit de cælo, & non Samaritas, sed Judeos consumpsit incendium, quanto magis ad contemptum Filii Dei in impios Samaritas debet flamma sævire?*

C VIS DICIMUS] Nam, ut ait S. Hier. loco jam citato, *ut Apostolicus sermo efficientiam habeat, voluntatis est Domini; nisi enim ille jusserit, frustra dicunt Apostoli, ut ignis descendat*. Petunt ergo a Christo quasi judice justitiam justamque in impios vindictam.

VERS. 55 ET CONVERSUS INCREPAVIT ILLOS, DICENS: NESCITIS CUJUS SPIRITUS ESTIS] τὸ *spiritus* non est nominativi, sed genitivi casus, ut patet ex Græco: πνεύματος: spiritus autem hic internum animi motum & impulsum, sive ad virtutes, sive ad vitia, significat. Rursum pro *cujus*, græce est οἵου, id est qualis. q. d. Nescitis quo spiritu ducamini, nescitis quis spiritus vos impellat, putatis enim vos a spiritu Dei agi, cum agamini spiritu humano impatientiæ & vindictæ, aut q. d. Nescitis ad quem spiritum a me vocati & electi estis; nescitis vos debere esse mansueti animi & spiritus, uti ego sum magister & dominus vester: vultis imitari zelum Eliæ, & spiritum vindictæ, qui duos pentacontarchos igne cælesti cremavit; sed nescitis hunc spiritum esse veteris legis, quæ talionem vindictæ præcipit, vel permittit, Exod. 22. dicens: *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. non autem esse hunc spiritum legis novæ & Evangelii: ac maxime non esse meæ personæ; meus enim spiritus est mansuetudinis, tolerantiæ, charitatis, beneficentiæ, salvare, non perdere, ut scilicet maleficia beneficiis retaliem, ac maledicentibus benedicã, Matth. 5. 44. dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*, &c nonne hoc a me audistis, & didicistis? Itane tam cito hujus meæ doctrinæ & disciplinæ oblivi estis? Ita S. Hier. ad Algasiam: *Dominos*, ait, *qui non ad judicandum venerat, sed ad salvandum: non in potestate, sed in humilitate: non in Patris gloria, sed in hominis vilitate, increpat illos, quod non meminerint doctrinæ suæ & bonitatis Evangelicæ.*

FILIUS HOMINIS NON VENIT ANIMAS PERDERE, SED SALVARE] *Et vos ergo*, ait Beda, *cujus spiritu signati estis, ejus & acta sectemini*. Et Titus. *Insistentes*, ait, *vestigiis Domini, equanimiter, ut sanctos decet, perduravit.* E VERS. 56

ET ABIERUNT IN ALIUD CASTELLUM] ubi benignius ab incolis exciperentur. Hoc facto instruit Apostolos, quid agere debeant in peregrinatione orbis ad evangelizandum, scilicet, ut uno loco repulsã passi silentes, modesti & tranquilli alium adeant: atque hac de causa prius oppidum, in quo sciebat se repellendum, tentare voluit, ut repulsam hanc patienter ferens, & vindictæ studium in Apostolis reprimens, eos idipsum per omnem deinceps vitam facere doceret. Nam, ut ait S. Ambros. *amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, lapso ad correptionem. Denique Samaritani, a quibus ignis arcetur, citius crediderunt.* Joan. 4. & Act. 8. Et Titus: *Non habet ultionis studium*, inquit, *perfecta virtus; nec ulla iracundia, ubi plenitudo est charitatis: non excludenda infirmitas, sed juvanda.*

VERS. 61 ET AIT ALTER; SEQUAR TE DOMINE, SED PERMITTE MIHI PRIMUM RENUNCIARE HIS, QUÆ (ita legendum cum Romanis, non *qui*, uti legunt nonnulli) DOMI SUNT] Græca & Syrus addunt, *domi meæ*. Ex græco pro *quæ* verti potest, *qui*: uti vertunt S. Basilius, S. Aug. Titus, Toletus & alii, sed diversimode explicant. Primo, Titus. q. d. Permitte mihi renuntiare meis parentibus, ut ab eis consilium capiam, an te sequi debeam nec ne: erat enim animo ancipiti & diverso. Unde noluit id Christus permittere, quia fere parentes perfectioris vitæ studium non probant, imo suos ab eo avocant. Secundo, S. Aug. serm. 7. de Verbis Domini: *Permitte*, inquit, *ut nuncient meis, ne forte (quod fieri solet) quærant me*; sed sciant quid de me actũ sit, scilicet me sequi te, ac proinde de me non sint solliciti, sed securi; sic & Toletus. Tertio, S. Basilius in Constit. monast. c. 21. censet hunc, uti & præcedentem, fuisse unum e Christi discipulis, ac petiisse tantum facultatem a Christo suos salutandi, eisque valedicendi, tamquam ad eos amplius non reversurum. Favet Syrus; qui vertit, *ut proficiscar salutem precaturus, seu valedicturus filiis domus meæ, & veniam*. Quarto & optime, legendo *quæ* cum Romanis, q. d. Permitte, idest, da mihi tempus ut renuncient, *id est*, nuncium remittam meis bonis, quæ domi sunt, de iisque disponam, eaque inter fratres vel cognatos distribuam. Hoc enim significat Græcum διατάξασθαι, scilicet renunciare datis, mandatis ordinare, disponere. Unde Arabicus vertit, *permitte mihi primum, ut disponam familiaribus domus meæ*. Ita S. Augustl. 2. de Consensu Evang. c. 23. Maldonat. Franc. Lucas & alii. F G

AIT AD ILLUM JESUS: NEMO MITTENS MANUM SUAM AD ARATRUM, ET RESPICIENS RETRO, APTUS EST REGNO DEI] tamquam agro Dei colendo. Sic enim expleri debet metaphora arantis & aratri. q. d. Sicut is, qui vult arare, si retro respiciat, & opus arandi bene cœptum abrumpat, ineptus est ad arandum & agrum colendum: debet enim recte ante se, ut arando rectos sulcos ducat, non curvos, respicere: ita qui destinat, vel incipit se totum consecrare regno Dei, quod ego prædico, ac piis operibus justitiæ & perfectionis, abdicationisque rerum omnium promitto: hic si ad bona caduca, terrena & temporalia (uti est disponere de suis facultatibus) quæ dimisit, respiciat, ineptus est & indignus sequela mei & regno Dei, ita Euthymius: Oportet enim, inquit, eum qui sequitur Christum, confestim omnia despicere & sequi, ne oculos quidem ab eo divertendo, ne forte habitu & specie eorum quæ a tergo sunt retineatur. Sic & Titus, Jansenius, Toletus, & alii. VERS. 62 H

Nota. Christus hoc apophthegmate perfectionis viam ostendit, voluitque homini nimis sollicito affectum, quem erga sua & suos habebat nimium, eximere, eumque totum in suum obsequium transferre, præsertim quia periculum erat, ne in hac divisione & distributione bonorum suorum, longas traheret moras, ac bonis hisce illectus captusque, mentem mutaret, & vocationem Christi perderet, uti multi in simili re perdiderunt. Adde, potuisse fratres & cognatos per se bona ejus inter se dividere, ut ejus ad hoc opera non foret opus. Sic Jacobus & Joannes vocati a Christo, relictis retibus & patre, illico secuti sunt Christum, Matth. 4. Alioqui hanc renuntiationem pietatis causa Eliseo permisit Elias, 3. Reg. 19. 20. quia illam paucis, & sine periculo perdendæ vocationis facturus erat. Hinc S. Basilius serm. 1. de Baptism. Respicit retro, inquit, qui vel brevem moram interponit obedientiæ, quæ sine prætextu vel excusatione velociter, & sine suspensione Domino præstanda

A da est. Hinc de Cherubinis Domino famulantibus dicitur Ezech. 1. *Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Ubi S. Greg. hom. 3. *Pennata*, ait, *animalia, videlicet prædicatores sancti, cum incedunt, minime revertuntur, quia sæ a terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, ut ad ea, quæ reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora.* Hinc Paulus Philip. 3. 14. *Quæ retro sunt obliviscens*, inquit, *ad ea vero, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Et sponsæ dicitur: *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.* Ps. 44. 13. Unde S. August. serm. 7. de Verbis Domini: *Vocat te Oriens*, inquit, *& tu attendis Occidentem.*

Tropologice Beda: Manum, inquit, ad aratrum mittit, qui quasi compunctionis instrumento, ligno & ferro Dominicæ passionis duritiam cordis atterit, & ad operum fructus aperit; sed non est cum uxore Loth ad ea quæ reliqueris respiciendum: & si secuturus Dominum, quia vel domi renuntiare vult, arguitur, quid fiet illis, qui sæpe nulla utilitatis gratia eorum, quos in mundo reliquerunt, domos visitant? Et Græcus anonymus in Catena: Crebri, ait, intuitus eorum quæ deseruimus, propter consuetudinem trahunt: violentum enim quiddam usus est, ex quo habitus, ex habitu autem natura nascitur, quam amovere vel alterare difficile; redit enim ad se ipsum velociter. Denique fuse hæc Christi verba explicat Suarez tom. 3. de Relig. tractat. de voto lib. 1. c. 2. 18. & seq.

CAPUT X.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus prater duodecim Apostolos eligit septuaginta duos discipulos, quibus mandata dat, modumque evangelizandi prescribit: illis revertentibus, C *& mira quæ gesserunt narrantibus, v. 17. Christus exultat in spiritu. Secundo, v. 25. Legisperito viam ad vitam æternam poscenti dat legem dilectionis Dei & proximi, ac per parabolam Samaritani docet quis sit proximus. Tertio, v. 38. sortem Mariæ prefert sorti Marthæ.*

VERS. 1. POst hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus.

2. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis.

D 5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui:

6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.

7. In eadem autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis:

9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite:

11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. E

13. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.

14. Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis.

15. Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris.

16. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

18. Et ait illis; Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. F

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

21. In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi, pater, Domine cæli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam pater: quoniam sic placuit ante te.

22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: et quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

23. Et conversus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. G

25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?

26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est: quomodo legis?

27. Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum.

28. Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac, & vives.

29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; & plagis impositis abierunt semivivo relicto. H

31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præterivit.

32. Similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est.

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit.

35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in

Digitized by Google

A in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac similiter.

38. Factum est autem, dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam:

39. & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.

41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.

42. Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

VERS. 1 B POST HÆC AUTEM DESIGNAVIT DOMINUS ET ALIOS SEPTUAGINTA DUOS] Ita legendum cum Romanis; tot enim præcise fuerunt: licet alii legant, numerentque 70. uti habent hic Græca, & S. Ambr. ac S. Hier. lib. de 40. mansionibus, atque hos 70. nominatim recenset Dorotheus in Synopsi Sanct. Patr. sed Græca, ut videtur, fide: incerta enim esse ejus nomina patet ex eo, quod alii alia eis dent nomina. Volaterranus lib. 10. Urbanorum Comment. plures quam 72. nominatim recenset, sed ejus nomina fere collecta sunt ex Actis Apostol. & Epistol. S. Pauli: imo inter eos numerat quosdam, qui post ascensionem Christi fuere conversi, uti Eunuchum Candacis reginæ, qui conversus fuit a Philippo, Act. 8. & Philemonem, qui conversus fuit a Paulo. VVicelius in Hagiologio recenset 70. ex libro, cui nomen *Cultura vineæ Dominicæ*: ubi inter alios nominat eumdem Philemonem, & Lucam, quem ex initio Evangelii ejus, cum Christo non fuisse conversatum liquet. Denique Eusebius lib. 1. Hist. c. 14. testatur se 72. discipulorum nomina nusquam inveniisse scripta; nonnullorum tamen nomina ex Actis Apost. colligi possunt, ut Mathiæ & Barsabæ Act. 1. Stephani & cæterorum sex diaconorum, Act. 6. Ananiæ & Barnabæ, Act. 9. Mnason. Act. 21. v. 16.

Septuaginta duorum discipulorum nomina non nota.

C Nota Primo. Sicut Moses initio sui principatus delegit duodecim velut principes, & patres duodecim tribuum Israel; deinde increscente populo & principatu ex singulis tribubus elegit sex, hoc est universim 72. velut populi senatores: ita & Christus voluit cuique quasi tribui Israel suum Apostolum, & sex presbyteros dare: tales enim erant hi 72. discipuli, quorum officium erat propinquum Dei & Christi regnum prædicare & miraculis confirmare, obeundo omnia Judææ oppida: ad quod non sufficiebant duodecim Apostoli.

Figura septuaginta duorum discipulorum.

Nota secundo, hunc numerum mystice fuisse præsignatum in 72. Interpretibus, qui sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum rogatu Ptolomæi Philadelphi regis Ægypti, converterunt ducentis annis ante Christum: item in 72. consiliariis Mosis, Num. 11. 24. & Concilio summo *Sanedrim*, quod 72. capitibus constabat: atque in 72. palmis sitis juxta 12. fontes in Elim, Exodi 15. 27. Rursum 72. discipuli respondent 72. gentibus totius mundi, ait Beda, quasi cuique genti Christus suum attribuerit discipulum, ut curatorem: nam 72. gentes & linguas, in quas divisi fuere homines in dispersione Babel, numerant S. Aug. S. Hier. Prosper & alii, ut dixi Gen. 11. v. 32.

D Nota Tertio. Hinc pater sacerdotum discrimen in gradu & officio. Nam hi 72. discipuli non erant pares Apostoli, imo ex his 72. fuit Mathias, teste Clemente Alex. apud Euseb. lib. 1. hist. cap. 14. indeque electus est ad Apostolatum, Act. 1. Unde Episcopi successerunt 12. Apostolis, sacerdotes vero 72. discipulis, uti docent Anacletus Pontif. epist. 2. S. Hier. ad Marcellam, Beda in Luc. 15. imo S. Petrus apud Clementem epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini. Tametsi in principio Ecclesiæ, ait Beda, utrique & Presbyteri & Episcopi vocabantur, quorum altero sapientiæ maturitas, altero vero pastoralis industria significatur. Symbolice, S. August. in Quæst. Evang. Vigintiquatuor horis, ait, totus orbis a sole gyrante lustratur & illustratur: sic illustratur orbis a Christo, qui est sol justitiæ per Evangelium S. Trinitatis, cujus prædicatio ab eo commissa est 72. discipulis, nam ter 24. faciunt 72.

Episcopi duodecim Apostolis successere, Sacerdotes vero septuaginta duobus discipulis.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

ET MISIT ILLOS BINOS ANTE FACIEM SUAM (ante se) IN OMNEM CIVITATEM ET LOCUM, QUO ERAT IPSE VENTURUS] in Judæa, uti prius fecerat in Galilæa per 12. Apostolos: quia enim Jesus quasi Messias volebat prædicare in singulis oppidis Judææ, ut omnibus Judæis innotesceret, eosque ad suam fidem & salutem invitaret, neo id per se solum facere poterat, præsertim quia sex tantum menses vitæ ipsi superaverant, unde in singulis castellis diu hærere non poterat, hinc elegit 72. discipulos, qui ejus adventum evangelizando, & infirmos sanando præirent; ac hominum animos ad illum velut Messiam suscipiendum præpararent, ut ab ipso mox subsequente plenam fidem, pœnitentiam, ac peccatorum remissionem, Deique gratiam reciperent. Duodecim Apostolos apud se retinuit, tum ut vitæ suæ essent testes, tum ut plurimis confluentibus ad Christum eum adjuvarent, in iis docendis, sanandis, juvandis, tum ut a Christo discerent modum prædicandi, & totum orbem obeundi, eumque ad Christum convertendi.

E Cur septuaginta duo discipuli electi?

BINOS] Cur? Resp. Primo, ut alter alteri auxilio esset, solatio, stimulo, & excitamento, ait Origen. Theoph. & S. Gregor. utque uno lasso, ægro, vel impedito alter succederet, juxta illud Eccl. *Melius est duos esse simul quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli.* Quocirca S. Pachomius in Regula ab angelo accepta c. 30. & 34. ita sancit: *Permittente eo* (Præposito) *accipiet comitem egressionis suæ, cujus fides probata est, & sic mittetur ad fratrem videndum, vel proximum.* Et post: *Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero.* S. Aug. *Quando proceditis, simul ambulate, cum veneritis quo itis, simul state.* Ita S. Aug. in Regula c. 10. & 20. Idem sancit S. Benedictus, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Bernardus, & cæteri Ordinum Fundatores. Audi Smaragdum in c. 67. Regulæ S. Benedicti: *Sed ne frater in via dirigatur solus, sententia Patrum nos docet, quia dicit: Ad necessaria quærenda bini egrediantur, vel terni fratres, & tales, quibus creditur, non qui verbositatem aut gulam sectantur.* Audi & S. Greg. l. 10. ep. 22. de Constantino Monacho: *Cognovi quia ad monasterium, quod in Picena provincia situm est, solus pergere sine aliquo fratrum suorum præsumpsit: ex qua ejus actione cognoscimus, quod qui sine teste ambulat, recte non vivat.* Carmelitæ S. Eliæ p. 1. constit. c. 13. §. 11. ita sanciunt: *Nullus sine socio, nisi ex justa admodum causa, iter agere sinatur: binos enim Dominus Apostolos misit. Bini ergo exeuntes individui procedant.*

Cur binos misit Christus?

F Apostoli sunt bini. Cur?

G Secundo, ut alter alterum haberet perpetuum vitæ testem, æque ac tutorem. Experientia constat Religiosos & prædicatores Evangelicos, qui bini incedunt, numquam vel rarissime in periculum castitatis incidisse: eos vero, qui soli incedunt, non raro tentationi luxuriæ succubuisse, aut ejus calumniam sustinuisse. Quocirca S. Thomas dicere solebat: *Monachus solus incedens est dæmon solitarius.* S. Aug. in Regul. c. 12. ita statuit: *Quando ergo simul estis in ecclesia, & ubicumque ubi femina sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam ipso modo custodiet vos ex vobis.* B. Theod. Studita in testamento suo §. 15. ita decernit: *Nec solus colloquere cum monacha, vel sæculari, nisi necessitas trahat, idque cum duabus ab utraque parte personis astantibus.* S. Hier. Nepotiano non monacho, sed clerico ita præscribit ep. 2. *Si propter officium clericatus aut viduæ visitatur, aut virgo, numquam domum solus introeas.* Et inferius: *Solus cum sola, secreto & absque arbitrio vel teste non sedeas.* S. Basilius in Regula quam vertit Ruffinus, c. 83. & habetur in Jure Canon. c. *In omnibus*, dist. 81. *Sed certe*, ait, *solum ad solam accedere nulla religionis ratio permittit.* Rursum S. Hier. contra Vigilantium: *Quid*, inquit, *facit monachus in cellulis feminarum? Quid sibi volunt sola & privata colloquia, & arbitros fugientes oculi?* De S. August. ita scribit Possidonius in ejus Vita cap. 26. *Et si forte ab aliquibus feminis, ut videretur, vel salutaretur, rogabatur, numquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis numquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.*

H S. Augustinum nostro ævo secutus est S. Carolus Borromæus, qui cum femina etiam consanguinea numquam locutus est, nisi ex gravioribus domesticis aliqui adessent, ut habet ejus Vita l. 7. c. 6. Quin & Seneca ep. 25. *Omnia nobis mala*, inquit, *solitudo persuadet.* Remedium subdit dicens: *Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis judices.* Addit ab Epicuro esse hanc vocem: *Sic fac omnia, tamquam*

Digitized by Google

A *ſpectet aliquis*, qua voce cuſtodem nobis & pædagogum dedit. Idem ep. 11. *Magna*, ait, *pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat*. Imo Juſtinianus Imp. in Novella de monachis, vult monachos ire aſſociatos, *ac invicem teſtes eſſe mutuæ honeſtatis*. Lucius Papa ep. 1. ad Epiſcop. Eccleſiæ ita ſancit: *Propter tales* (calumniatores) *hortamur vos, ſicut & in hac ſancta Eccleſia conſtitutum habemus, ut ſemper teſtes vobiſcum ſacerdotes & Diaconos habeatis; & licet conſcientia ſufficere poſſit propria; tamen propter malevolos, juxta Apoſtolum, etiam teſtimonium vos oportet habere bonum ab iis, qui foris ſunt; quoniam & in hac ſancta Sede conſtitutum habemus, ut duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Epiſcopum non deſerant, propter teſtimonium Eccleſiaſticum*.

Denique audi Thomam Cantipratenſem magnæ ſapientiæ, experientiæ & religionis virum l. 2. Apum cap. 11. §. 1. *Quam vera ſit hæc ſententia, Væ ſoli, ego novi, qui triginta annis & eo amplius vices Epiſcopi in diverſis provinciis & diœceſibus habui, qui in hoc articulo, quo Religioſi vel ſoli vadunt in viis, vel ſoli manent in curiis, horrenda mala, horrenda ſcandala, horrendaque pericula frequenter audivi, quæ numquam ſuſtinuiſſent adjuncto ſocio, vel feciſſent*.

B Tertio, ut majorem auctoritatem & fidem prædicationi ſuæ conciliarent, juxta illud: *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, Deut. 17. Quocirca Chriſtus & Apoſtoli id conſtanter ſuo exemplo firmavere: Chriſtus enim duos ex diſcipulis ſuis mittit ad ſolvendum aſinum, & ad parandum paſcha, Petrum & Joannem. Poſt reſurrectionem Cleophas cum ſocio eunt Emmaus. Iidem Petrus & Joannes ſæpe ſociati inveniuntur; ſimul currunt ad monumentum, aſcendunt ad templum ad horam orationis nonam, mittuntur ab Apoſtolis Samariam. Spiritus ſanctus ſibi ſegregari jubet Saulum, & Barnabam in opus, ad quod eos aſſumpſit. Judas item & Silas deſtinantur Antiochiam, & Paulus cum Sila luſtrat Syriam. Duo teſtes venturi ſunt tempore Antichriſti, ut prædixit B. Joannes, quos Henoch & Eliam fore intelligit communis opinio Doctorum & Eccleſiæ traditio.

Tropol. Tropologice, S. Greg. hom. 17. in Evang. *Dominus*, ait, *binos in prædicationem diſcipulos mittit, quia duo ſunt*

C *præcepta charitatis, Dei videlicet amor & proximi, & minus quam inter duos charitas haberi non poteſt*. Et mox: *Quatenus hoc nobis tacite innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium ſuſcipere nullatenus debet*.

Symbolice, Origenes: Binos, ait, famulari Dei verbo antiquum eſt. Eduxit Iſrael de Ægypto per manum Moſis & Aaron; Joſue & Caleb concordat; frater a fratre adjutus ut civitas vallata. Et Gloſſa: Sic, ait, bina animalia a Noe inducta ſunt in arcam, immunda prius in carnali generatione, ſed mundata Eccleſiæ Sacramento, per ſpiritualem gratiam in diſcipulorum prædicatione.

IN OMNEM LOCUM, QUO ERAT IPSE VENTURUS] Quo, ut ait S. Greg. hom. 17. myſtice ſignificatur, *quod prædicatores ſuos Dominus ſequitur: quia prædicatio præ-*

D *dicatores ſuos Dominus ſequitur: quia prædicatio prævenit, & tunc ad mentis noſtræ habitaculum Dominus venit, quando verba prædicationis præcurrunt, atque per hæc veritas in mente ſuſcipitur. Hinc namque eiſdem prædicatoribus Iſaias dicit: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Hinc illis Pſalmiſta ait: Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum*. Et mox: *Ei ergo, qui aſcendit ſuper occaſum, iter facimus, cum nos ejus gloriam veſtris mentibus prædicamus, ut eas & ipſe poſt veniens per amoris ſui præſentiam illuſtret*.

VERS. 2 MESSIS QUIDEM MULTA, OPERARII AUTEM PAUCI] Hæc audivimus Matth. 9. 37. ubi ea expoſui.

VERS. 3 ITE: ECCE EGO MITTO VOS SICUT AGNOS INTER LUPOS] ut quaſi agni inermes, innocentes, manſueti, ſimplices, veſtro candore & ſanctitate lupos vertatis in agnos, puta ut homines lupinos, id eſt voraces & rapaces, faciatis temperantes, innoxios & mites, idque non veſtra virtute, ſed gratiæ meæ efficacia. Quare non eſt quod metuatis, illi enim vobis me protegente nocere non poterunt. Nam, ut ait S. Ambr. *ſolicitudo boni Paſtoris efficit, ut lupi in agnos audere non audeant*.

VERS. 4 NOLITE PORTARE SACCULUM (græce, βαλλάντιον, id eſt, *marſupium*, ſive *crumenam*, ad pecuniam recondendam. q.d. Nolite portare pecuniam, ut habet Matth. c. 10. 9.) NEQUE PERAM] ad panem & cibos in ea geſtandos: quia hoc non eſt ovium, ſed paſtoris. *Hoc interdicto*, ait Euthym. *jubet ut de neceſſariis corporis ſpem in illum habeant, qui ipſos emittit*. Nam, ut ait S. Gregor. in Catena, *Tanta prædicatoris debet eſſe in Deum fiducia, ut*

E *præſentis vitæ ſumptibus quamvis non provideat, tamen ſibi hos non deeſſe certiſſime ſciat: ne dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus provideat æterna*. Reliqua expli. cui Matth. 10. Chriſtus enim hic eadem præcepta dat 72. diſcipulis, quæ ibi dedit 12. Apoſtolis: utroſque enim pari lege miſit ad evangelizandum.

ET NEMINEM PER VIAM SALUTAVERITIS] Eſt hyperbole, q.d. Ne divertatis ad privatas ſalutationes & familiares prolixaſque collocutiones, ſed omnem vanam confabulationem & diſtractionem ac moram præſcindite, ut tota mente collecti, ſeduli & celeres ſitis in opere, ad quod vos mitto, totique intendatis prædicationi Evangelii. Ita S. Auguſt. Ambr. Gregor. & alii. Nam alioqui, ut ait Euthym. non vult Chriſtus diſcipulos ſuos eſſe inciviles, & ruſticos, ut etiam ſalutati ab aliquo eumdem verbo non reſalutent. Salutationem ergo vetat prolixam, *impedientem miniſterium, quæ per moram ſæpe trahit offenſam*, ait S. Ambr. Alludit ad id quod Eliſeus mittens Giezi ad ſuſcitandum puerum mortuum eidem præcepit dicens: *Si occurrerit tibi homo, non ſalutaveris eum; & ſi ſalutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi*, quod hoc fine ei dedit, ait Ambr. *ne confabulatione alicujus obvii, mandato reflecteretur a munere*.

DIGNUS EST ENIM OPERARIUS MERCEDE SUA] Mercedem intellige non pretii & æquivalentem, ſed alimenti & ſuſtentationis, Quia prædicatio regni cæleſtis omne pretium terrenum ſuperat & tranſcendit. Nam, ut ait S. Aug. in Pſ. 103. *Quid accipiunt? dant ſpiritualia, accipiunt carnalia: dant aurum, accipiunt fœnum*. Hinc patet poſſe Apoſtolos vivere ex Evangelio, ac auditores jure naturali, & divino obligari ad eos alendos. Chriſtus hic cauſam dat, cur diſcipulis vetuerit peram, & ſaculum, quia ſcilicet Deus eis providebit per auditores de annona & victu. *Qui peram & ſaculum portari prohibuit* (inquit Gregor. hom. 17.) *ſumptus & alimenta ex prædicatione concedit. Dignum eſt enim, ut ab eis terrena ſtipendia conſequamur, quibus patriæ cæleſtis præmia afferimus*. Et poſtea, *Unde ſatis oſtendit*, inquit S. Aug. l. 2. de Conſenſu Evang. c. 30. *cur eos hæc poſſidere ac ferre noluerit, non quod neceſſaria non ſint ſuſtentationi hujus vitæ: ſed*

G *quia ſic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonſtraret abillis ipſis, quibus Evangelium credentibus annunciarent*.

QUI VOS AUDIT, ME AUDIT; ET QUI VOS SPERNIT, ME SPERNIT] Vos enim eſtis mei Apoſtoli & legati: qui autem legatum audit vel ſpernit, audit vel ſpernit regem vel principem, qui eum legavit & miſit. Legatus enim loquitur in perſona regis legantis, eumque repræſentat; ſicut vicerex repræſentat regem. Quocirca ſubditi in ſuis Superioribus debent intueri Chriſtum, itaque eorum dicta juſſaque excipere, ac ſi ex ipſo ore Chriſti prodirent. Audi S. Bern. tract. de Præcepto & diſpenſ. *Sive Deus, ſive homo, vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo*. Et ſtatim citans Regulam ſui Ordinis continentem eamdem doctrinam. *Quidquid*, inquit, *vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo; haud ſecus omnino accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus*. Et paulo poſt: *Ipſum proinde*, inquit, *quem pro Deo habemus, tamquã Deus in his, quæ aperte non ſunt contra Deum, audire debemus*.

Reliqua expoſui Matth. c. 10. & 11.

H REVERSI SUNT AUTEM SEPTUAGINTA DUO CUM GAUDIO (*magno*, ut addit Syrus) DICENTES, DOMINE, ETIAM DÆMONIA SUBJICIUNTUR NOBIS IN NOMINE TUO] quaſi dicant: Non tantum morbos, uti promiſeras v. 9. ſed etiam dæmones expellimus per vim & invocationem nominis tui, dicentes: In nomine Jeſu Chriſti exi, o dæmon, ab homine iſto. *Vide*, ait Theoph. *quoniam non ſuperbiunt, dicunt enim: In nomine tuo, tua gratia, non noſtra virtute*? videtur tamen aliquid vanæ laudis & oſtentationis eis obrepſiſſe, quod per ſe, non per alios Chriſtus tanta patraret; ſed venialis fuit hæc culpa & vanitatis pulvis, quem Chriſtus mox abſtergit.

ET AIT ILLIS: VIDEBAM SATANAM SICUT FULGUR DE CÆLO CADENTEM] *Sicut fulgur*, id eſt, Primo, ſicut fulgur, magna vi, colliſione, & fragore cum tonitru per nubes frigidas, ſibique contrarias, excluditur: ſic dæmones primo, ſubito & inexpectato cælo deturbati ſunt; nec enim dæmones exſpectabant hunc lapſum. Secundo, violenter, quia ſumma vi inviti cælo dejecti ſunt per S. Michaelem ejuſque aſſeclas, Apoc. 12. 1. & ſeq. Tertio, velo-

An civilem ſalutationem Apoſtolis vetuerit Chriſtus?

'Obedientia Superiori quaſi Deo exhibenda.

Digitized by Google

A velociter, quia celerrime & quasi in momento. Quarto, manifeste, quia spectantibus omnibus angelis. Unde Euthym. *Usus est*, ait, *fulguris exemplo, ostendens vehementiam & velocitatem casus illius*. Multi putant ad literam Christum hic loqui de casu satanæ, id est Luciferi, quo e cælo, id est aere, aut gloria & potestate sua, quam ante Christum in mundo obtinebat, per Christum privatus & spoliatus est: q. d. Non novam mihi rem narratis, nam cum vos, o discipuli, nuper mitterem ad evangelizandum, videbam dæmonem sua potestate a me privatum, quasi de cælo cadere, ac per vos magis casurum, quasi hoc asserat Christus ad magnificandam potestatem a se datam discipulis. q. d. Videte quantus & quam formidabilis hostis, scil. Lucifer cum omnibus suis dæmonibus, vobis per me sit subjectus. Ita ex Nazian. orat. 4. de Teolog. S. Basil. hom. *quod Deus non sit auctor malorum*, ac Cyrill. Thoph. Euthym. Titus, Maldonat. Toletus, Jansen. Franc. Lucas & alii. Audi Theoph. *Quidam sic intelligunt. De cælo, id est de gloria sua, & de honore, quem habebat. Ante Christum enim ut Deus colebatur, nunc autem de cælo decidit, id est, de gloria sua, ne colatur ut Deus, neque habeatur perinde ac si in cælo habitet*. Euthym. *Ante incarnationem Salvatoris*, inquit, *in sublime ferebatur, & tyrannum agebat ac potens erat; cum autem Deus in terra per carnem diversaretur, cecidit, non e cælo (olim enim inde ceciderat, nec amplius eo ascendit) sed a dicta celsitudine, tyrannide ac potentia*. Sic & Vatabl. Cum vos, ait, missi ad prædicandum, videbam ruituras vires satanæ. Cecidit ergo nunc satanas e suprema potentia in extremam fragilitatem, ait S. Cyrill. ante Christi enim adventum ab omnibus colebatur, post eum a fidelibus conculcatur. Unde sequitur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes*. Verum hic satanæ e cælo lapsus mysticus potius, & symbolicus est, quam litteralis.

De quo Satanæ ipsu loquitur hic Christus?

B

Ad literam ergo loquitur hic Christus de primo casu Luciferi, dum cum suis asseclis ob superbiam, qua Deo rebellavit, e cælo præcipitatus est in abyssum inferni, idque a Christo, eo quod Lucifer dignitatem, puta divinitatem Christi, & æqualitatem Dei, superbe appeteret, imo, ut nonnulli censent, Christi unionem hypostaticam ambiret, dicens decentius esse ut Christus suam naturam, puta angelicam, & inter angelos nobilissimam, assumeret, & Verbo uniret, potius quam humanam, utpote carneam & miseram. Invidens ergo Jesu deitatem, ab eo quasi antagonista prostratus & dejectus est: unde pro *cadentem*, græce πεσόντα, id est lapsum, in præterito; Arab. *quod cecidit*. Sensus est. q. d. Nolite mirari, o discipuli, quod in nomine meo dæmonia ejiciatis, nam ego jam olim Luciferum meam deitatem superbe appetentem, cum suis asseclis e cælo præcipitavi in gehennam: simul & vos cavete, ne in superbiam elati, eo quod dæmones vobis subdiderim, cadatis in abyssum, uti cecidit Lucifer. Ita S. Hier. l. 2. contra Jovin. S. Ambr. lib. de Fuga sæculi c. 7. Cyprianus tract. de Jejunio Christi, S. Gregor. l. 23. Moral. c. 7. Chrys. hom. 10, de pœnitentia, Beda, Theoph. Euthym. Bernard. & alii.

C

Appositе Lucifer comparatur fulguri, Primo, quia fulgore fulguris ad vivum repræsentatur præstantissima, &, ut ita dicam, ignea natura, majestas ac principatus Luciferi. Secundo, ejusdem potestas maxima ad nocendum: talis enim est fulguris, quod omnia etiam durissima & robustissima pervadit, sternit, frangit, incinerat: quare summe terret & nocet. Idem facit Lucifer. Tertio, ejusdem brevitas, quia transit ut fulgur: tantum enim nocet in hoc sæculo & in hac vita, quæ respectu æternitatis est quasi instans & momentum. Hinc Tropologice, fulgur est symbolum superbiæ & vanæ mundi gloriæ: hæc enim instar flammæ fulgureæ corruscat, & illico evanescit, juxta illud: *Sic transit gloria mundi*: (fulgur enim, ait Nonius Marcellus, est ignis qui coruscat, sive ipsa coruscatio prætervolans: fulmen est telum ipsum quod jacitur: fulguritum est fulmine ictum percussumque.) Rursum hæc ex cælo dejicitur & vibratur in terram, imo in tartara: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & igni gehennæ perreni cruciabitur. Insuper sicut fulgur in cælo splendidissimum, in terra desinit in lapidem, quem instar teli ejaculatur: sic superbia Luciferum fulgidissimum angelum convertit in terrorrimum cacodæmonem: pari modo superbia ex hominibus angelicis facit dæmones, humilitas ex humanis dæmonibus facit angelos, juxta illud Isaiæ 14. 11. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Quarto,

Lucifer quasi fulgur. Primo. Secundo.

D

Tertio. Fulgur est symbolum superbiæ & vanæ gloriæ.

Quarto

E

ejusdem apparentia, fucus & ostentatio: quia dejectus adhuc transformat se in angelum lucis, ait Beda.

Plenus erit sensus, si primum sensum cum secundo conjungas, q.d. Ego Christus, qua Deus, videbam satanam ante me e cælo cadentem in abyssum, quia ego eum velut æmulum meum præcipitavi: pari modo ego Christus jam incarnatus, qua homo, videbam satanam ante me e templis, in quibus quasi Deus in cælo a Gentibus adorabatur, deturbari, quia per me & vos, o discipuli, doceo, & docebo omnes gentes conterere idola, in quibus ipse adorabatur, & adorare Deum verum. Quocirca ego, sicut olim satanam e cælo, sic nunc eumdem e templo præcipitavi, sicut fulgur in præceps ruit: sic enim posterior sensus priori quasi littera allegoriæ substernitur, hæcque illi congrue inædificatur & superstruitur. Alludit Christus ad illud Is. 14. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* ut cum esses Lucifer, factus sis Hesperus, & noctifer. Vide ibi dicta.

Moraliter S. Bernard. serm. de Ligno, fœno & stipula: *Numquam*, inquit, *est securitas, Fratres, neque in cælo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In cælo enim cecidit angelus sub præsentia divinitatis. Adam de paradiso, de loco voluptatis: Judas in mundo de schola Salvatoris. Hoc idcirco dixerim, ne quis sibi de loco illico blandiatur, quia dicitur: Locus iste sanctus est. Quia non locus homines, sed homines locum sanctificant*.

F

Mystice S. Hier. in illa verba Ps. 133. *Qui fecit cælum & terram. Multi*, inquit, *de terra cæli fiunt, & multi de cælo terra. Infelix Judas cælum fuit, & factus est terra: Paulus Apostolus eo tempore, quo persequebatur Ecclesiam, terra erat; confessus est, & cælum factus est. Nec qui cælum est debet esse securus; nec qui terra est, debet desperare de vita*.

VERS. 19

ECCE DEDI (græce δίδωμι in præsenti, id est, *do*,) VOBIS POTESTATEM (græce, ἐξουσίαν, id est, auctoritatem, imperium, jus & dominium) CALCANDI SUPRA SERPENTES ET SCORPIONES, ET SUPER OMNEM VIRTUTEM INIMICI: ET NIHIL VOBIS NOCEBIT] Literaliter hic serpentes, & scorpiones uti sonant, accipe: hos enim etiam calcasset, imo rexisset Adam, quasi eorum rex & dominus in paradiso. Facit ergo hic Christus suos discipulos non tantum dæmonibus, sed & bestiis omnibus superiores, juxta illud Marci 16. 17. *Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Exemplum est in S. Paulo, qui correptus a vipera eam illæsus excussit. Act. 28, v. 3. Ita Jansen. Maldonatus, & alii.

G

ET SUPER OMNEM VIRTUTEM (græce δυνάμιν, id est, robur, vim, potentiam, exercitum) INIMICI] cujuscumque, sive animalis efferi, ut lupi, leonis, tigridis; sive veneni & rei venenatæ, sive etiam diaboli, qui omnibus feris & rebus noxiis præest, iisque abutitur, ut hominem lædat & perimat. *Omnis* ergo *virtus inimici*, est omnis potentia homini inimica. Mystice tamen, & potius, per hæc omnia significat dæmones; de his enim est omnis hic sermo: unde dæmones hic ad literam significati per serpentes & scorpiones, illosque vocari *virtutem inimici*, id est exercitum Luciferi, censent S. Athanas. in Ps. 28. ac Theoph. Euthym. Beda, Titus, Toletus, Franc. Lucas hic. Quocirca Euthym. *serpentes & scorpiones*, accipit *intelligibiles*, id est, *omne genus immundorum Spirituum*, ait Beda. Quia & addit: *Hoc autem inter serpentes, qui dente, & inter scorpiones, qui cauda nocent, distare arbitror, quod serpentes aperte sævientes, scorpiones clanculum insidiantes significent*. Gen. 3. serpens, qui decepit Evam, tam verus serpens, quam diabolus per serpentē loquens intelligitur, ut ibi dixi.

H

VERS. 20

VERUMTAMEN IN HOC NOLITE GAUDERE, QUIA (quod) SPIRITUS (dæmones) VOBIS SUBJICIUNTUR: GAUDETE AUTEM, QUOD NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN CÆLIS] Non vetat omne gaudium, ut scilicet nullo modo gaudeant, quod dæmones eis subjiciantur (hoc enim licitum & honestum est, ideoque Deo gratum & gloriosum,) sed ut non tantum gaudeant de dominio in dæmones, quantum gaudere debent de sua prædestinatione, gratia & gloria, tum quia dominium in dæmones est gratia gratis data Ecclesiæ, unde subinde & reprobis datur, uti data fuit Judæ Matth. 7. 22. prædestinatio vero includit gratiam gratum facientem, ac prædestinatum nondum ad beatitudinem; tum quia, ut ait Euthymius, illud gaudium tumorem, & superbiam generare solet, hoc vero gratiarum actionem, & omnis boni operis solicitudinem, de hoc ergo longe magis gaudendum, quam de illo. Tertio, ejicere dæmones, & facere miracula, non est vestri meriti, ait Beda, sed divinæ virtu-

Digitized by Google

A tis: at nullius nomina scribuntur in cælo, nisi ejus, qui illud meretur vel merebitur. Quarto, virtus ejiciendi dæmones datur vobis a Deo, non ad vestram, sed ad aliorum utilitatem: ac scribi in cælis vobis utilissimum est, quia vos beabit in æternum. ita Theophyl.

SCRIPTA SUNT IN CÆLIS] Quod alibi dicitur, *Scripta sunt in libro vitæ*, *liber* autem *vitæ* significat distinctam Dei præscientiam, memoriam, prædestinationem, in qua quasi in libro Dei scripti sunt omnes & singuli destinati, & electi ad vitam æternam: *scripta sunt* autem non per calamum & atramentum, ait Titus, sed per Dei opt. max. memoriam, ejusdemque Dei gratiam & gloriam. Et Euthymius. Cives conscripti estis in æterna civitate, inquit, non atramento, sed memoria; neque ut homines scribunt, sed ut Deus; idque non in remedium oblivionis, ait Beda, sed ad firmitatem & certitudinem prædestinationis.

Duplex prædestinatio.

Porro sicut duplex est hæc Dei præscientia & prædestinatio, ita & duplex est liber vitæ: prior perfectus & completus, quo absolute, & determinate ab æterno a Deo descripti sunt omnes electi ad gloriam, qui reipsa ad vitam

B æternam perventuri sunt: hic est ineffabilis & immutabilis. Posterior, in quo omnes justi & sancti describuntur, non absolute, sed conditionate, & secundum præsentem justitiam, si nimirum in ea usque ad mortem perseverent: hic non est certus & infallibilis; nam ex illis multi a justitia excidunt, male moriuntur, reprobantur & damnantur. Sic Apostolus Philipp. 4. salutat Clementem, suosque fideles, *quorum nomina sunt in libro vitæ*. Nihil enim aliud vult dicere, quam quod dixit de omnibus Ephesiis fidelibus, Ephes. c. 1. nimirum eos esse a Deo electos & prædestinatos per Christum, scilic. absolute per fidem & gratiam, sed conditionate ad gloriam, si nimirum in Christi fide & gratia perseverent. Et Eph. 2. *Vos*, ait, *estis cives sanctorum, & domestici Dei*, scilicet per gratiam, ac tales futuri per gloriam, si in gratia decedatis: sic etiam orat Ecclesia in Collecta secreta Missæ tempore Quadragesimæ, *ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat*: hi ergo possunt a sua prædestinatione excidere, ac proinde non sunt absolute prædestinati, sed conditionate, si videlicet in fide, & sanctitate usque ad finem vitæ perseverent. Sic etiam hoc loco videtur accipi, ait, Jansenius, Franciscus Lucas, & alii, licet de eo dubitet Maldonatus, ac neget Toletus. Nam non velle Christum hic omnes septuaginta discipulos certos facere de sua absoluta & efficaci electione ad gloriam, patet ex v. 18. ubi minas & metum damnationis eis injicit dicens: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. q. d. Videte ergo, & vos ne similiter cælo, id est gratia & gloria vobis in cælo præparata, excidatis. Sic omnes Apostoli fuere a Christo electi, scilicet ad Apostolatum, & tamen unus ex eis Judas fuit reprobatus & damnatus, juxta illud Christi: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Jo. 6. 70. Pari modo ex 70. discipulis Christi fuere septem primi Diaconi, e quibus unus fuit Nicolaus nomine, *qui immunditiarum omnium, & Nicolaitarum hæreseos auctor extitisse refertur*, ait S. Hier. ep. 48. c. 2. Quod ergo duodecim Apostolis & eorum sequacibus promittit Christus Matt. 19. v. 28. dicens: *Vos, qui secuti estis me*, &c. *sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*, intellige non absolute, sed sub hac conditione, Si in mei sequela usque ad mortem perstiteritis.

C

VERS. 21 D IN IPSA HORA EXULTAVIT SPIRITU SANCTO] id est, per Spiritum sanctum, quo plenus erat Christus, puta per gratiam, lætitiam & jubilum suæ humanitati & menti a Spiritu sancto infusum, eo quod Spiritus sanctus efficacia fecisset sua promissa, ac per suos discipulos tam rudes, & imbecilles tanta prodigia, dæmones expellendo, & morbos quoslibet sanando, patrasset, quibus ipse Christi fidem & Dei gloriam promovebat.

ET REVELASTI EA PARVULIS] scilicet abjectis & rudibus meis discipulis. *Ea*, ut nimirum ipsi cognoscant te esse Deum verum, ac me a te missum, ac consequenter agnoscant viam ad justitiam & salutem, quæ est credere in me, meisque jussis obedire, itaque sint prædestinati, atque per eos alii multi, quos a dæmonibus & morbis liberant, veri Dei cognitione illuminentur & salventur.

VERS. 22 OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE MEO] ut sicut a Patre meo creata sunt, ita jam vitio ipsorum perdita per me recreentur, & redimantur; ut scilicet homines in peccata prolapsos sublevem, sanctificem & beem, & cum homine cæteras creaturas vitio hominis corruptas renovem, & restaurem. Ita S. Athanas. serm. 4. contra Arianos: *Postquam*, inquit, *peccasset & lapsus esset homo, ejusque lapsu perturbatis omnibus, morbus invaluisset ab Adam usque ad Christum, terraque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cælum infensum, & tandem corrupto, & interempto homine insiluisset diabolus contra nos; tunc dedit illi hominem, ut ipsum Verbum caro fieret, carnemque assumptam in omnibus instauraret. Tradita enim sunt illi ut medico, qui sanaret morsum serpentis; & ut vitæ, quæ excitaret mortuum; & luci, quo illuminaret tenebras; & ut rationi, quo redintegraret vim rationalem*. Particulatim deinde ipsum explicat, dum subdit: *Postquam igitur tradita sunt illi omnia, & factus est homo, correcta sunt omnia, & perfecta; terra pro maledictione benedictionem obtinuit, paradisus reseratus est, infernus se metu contraxit, monumenta aperta sunt resurgentibus mortuis: porta recluse sunt, ut intraret ille ex Eden*.

E

Non igitur loquitur hic Christus de essentia & attributis divinis, sibi a Patre traditis, & per generationem divinam communicatis, uti explicuit S. Chrysostom. hom. 39. in Matth. 5. Hilarius libr. 6. de Trinitate, S. Ambrosius F lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. sed de plena omnium potestate, quæ sibi ut homini, ad hominum salutem a Patre tradita fuit.

VERS. 25 ET ECCE QUIDAM LEGISPERITUS SURREXIT TENTANS ILLUM, ET DICENS: MAGISTER, QUID FACIENDO VITAM ÆTERNAM POSSIDEBO?] q.d. Quid me facere oportet, ut vitam æternam obtineam & possideam? Alius est hic Legisperitus ab eo, qui idem quæsivit a Domino, Matth. 22. v. 36. ut patet ex circumstantiis utriusque.

TENTANS EUM] Hinc patet ipsum quæsivisse hæc animo non sincero discendi, sed ficto & doloso tentandi Christum, an Christus scilicet aliquid de se, suaque doctrina contra legem responderet, ac illam huic præferret, unde eum calumniandi vel accusandi occasionem haberet. Christus enim ab illis censebatur legis prævaricator, & contemptor. Ita Toletus. Quo animo ad Christum accesserit legisperitus.

Cætera, quæ sequuntur usque ad vers. 29. exposui Matth. cap. 22. v. 36. & seq.

VERS. 29 ILLE AUTEM VOLENS JUSTIFICARE SEIPSUM, DIXIT AD JESUM: ET QUIS EST MEUS PROXIMUS?] *Justificare*, id est, justum præ cæteris ostendere; q. d. Demonstra mihi aliquem proximum in justitia, qui scilicet tam justus sit quam ego, & vix invenies. Ita Titus, Euthym. & G Isidorus Pelus. lib. 4. epist. 173. qui censent Legisperitum hæc dixisse ex superbia & fastu Pharisaico. *Proximum*, ait Isidorus, censuit *esse justum justo, sublimem sublimi*; q.d. *Ostende mihi aliquem, qui tam magnus sit ut possit mecum comparari*.

Verum Christi responsio contrarium significat, ut patet intuenti. Quare videtur hic Legisperitus, qui initio tentandi animo accesserat: dicto Christi, quo suum responsum de primo dilectionis Dei & proximi mandato laudarat, mentem mutasse, ac aversionem suam in amorem & reverentiam Christi convertisse, atque sincere & serio quæsisse quis esset proximus, ut eum diligeret, & legem implere posset. Ergo *volens justificare seipsum*, id est, volens se ostendere justitiæ amatorem, & timoratæ conscientiæ, quasi sollicitum intelligere legem Domini, & quasi assidue in ea studentem, & meditantem, ut eam opere adimpleret. Ita Tolet, Jansen. & alii.

ET QUIS EST MEUS PROXIMUS?] Magna enim inter Scribas hac de re erat quæstio, imo error: Scribæ enim H ex Levit. 19. 18. *diliges* רֵעֲךָ *rea*, i. e. *amicum*, a contrario inferebant; Ergo odio prosequeris inimicum tuum, puta Gentilem, qui non est Judæus: unde hunc eorum errorem correxit Christus Matth. 5. 43. Quare Scribæ amicum vel proximum censebant esse solum Judæum, utpote veri Dei cultorem, ejusdemque secum gentis, & religionis, imo inter Judæos eos qui legem prævaricabantur, & impie vivebant, censebant non esse proximos, nec diligendos, sed solos fideles & justos. Merito ergo Legisperitus hic rogat Christum quis sit proximus. q.d. Ego omnes Judæos probos quasi proximos diligo, suntne alii adhuc proximi a me diligendi? Respondet Christus alios esse, nimirum proximos nostros esse omnes omnino homines: hi enim proximi nobis sunt ob communionem ejusdem vitæ humanæ, ejusdem gratiæ, ejusdem redemptionis per Christum, ejusdem Ecclesiæ, & Sacramentorum, ejusdem vocationis ad fidem & gratiam, ejusdem destinationis, cursusque ad eamdem felicitatem, & vitam æternam. Omnis ergo homo est Heb. *rea*, i. e. amicus, socius Quis proximus?

græce

Digitized by Google

A græce πλησίον, i. e. propinquus, a πλάω, i. e. accedo, appropinquo, quod in futuro habet πλήσω, unde πλησίον, latine nervosius vocatur proximus, quia proxime, i. e. nullo mediante ad nos accedit, nosque contingit per eamdem vitam, gratiam, Ecclesiam, gloriam, &c. Proximus enim Ciceroni & Latinis dicitur viciniſſimus, unde Isidorus l. 9. Ethim. c. 6. *Proximus*, ait, dicitur *ob proximitatem sanguinis*. Et Cicero l. 2. de Legibus. *Id*, ait, *habendum est Deo proximum* (i. e. viciniſſimum) *quod est optimum*. Jam autem omnis homo nobis viciniſſimus est per eamdem Dei creationem, & eamdem Christi redemptionem, & vocationem ad eamdem gratiam & gloriam: ergo omnis homo nobis est proximus. Vide dicta Lev. 19. v. 18.

Tropologice, vox *proximus*, exigit viſceralem affectum & amorem; proximus enim a proximo diligendus est quasi frater a fratre, vel filius a patre: in his enim nullum est medium, sed alter alteri est proximus, ita tamen, ut servetur ordo charitatis quo magis diligendus est pater, quam frater, & frater quam nepos, &c. inter proximos enim alius alio nobis est proximior, ideoque magis diligendus.

VERS. 30 B SUSCIPIENS AUTEM JESUS DIXIT] Euthymius, *excipiens sermonem*, id est, respondens, ac fuse, & exacte quæstionem, quis sit proximus, enucleans & resolvens. Sic ait Virgilius: *Excipit Ascanius*, id est, vices respondendi suscipit.

HOMO QUIDAM DESCENDEBAT AB JERUSALEM, (ideoque Israelita, ait Aug. ser. 37. de Verbis Dom. & Hieroſolymita, ait Beda) IN JERICHO, ET INCIDIT IN LATRONES] Est parabola sumpta a re, quæ sæpe tunc temporis contingebat, ideoque vera historia, & res gesta. Nam, ut notat S. Hier. in cap. 20. Matth. & in Epitaphio Paulæ epist. 77. inter Jerusalem & Jericho erat locus periculosus & latrociniis infestus, ideoque Heb. dictus *Adommim*, vel potius *Adammim*, id est, *rubens*, & cruentus: *quia multus in eo sanguis crebris latronũ fundebatur incursibus*. Audi Adrichom. locum hunc ex S. Hier. Saligniaco, Brochardo & aliis plene describentem in Descriptione tribus Benjamin pag. 14. n. 6. *Adommim*, ait, *locus sanguinarius, frequentibus homicidiis & latrociniis infamis, etiã posterioribus temporibus, & rem, & nomen retinuit; aspectu terribilis, & valde periculosus, quemque sine conductu nemo temere transeat. Eo loci homo ille, qui de Jerusalem in* C *Jericho tenebat, curatus est a Samaritano, cum incidisset in latrones, abiisque vulneratus esset, quod etiamnũ multis contingit. Distat a Jericho contra Occidentẽ quatuor leucis. Quondam villula, nunc castrum, ut Breid. ex Brocardo, ut Hier. ruinæ in sorte tribus Judæ: Græce vocatur ἀνάβασις πύρρων, id est, ascensus rubentium, propter sanguinem, qui ibi a latronibus funditur; Hebr. Maledomim: est confinium tribus Judæ & Benjamin, ubi & castellum militum situm ob auxilia viatorum. Videtur hic caverna prorunda super quam olim erectum fuit ædificium.* Denique locus hic erat situs in monte vel colle, ex quo latrones eminus viatores adventantes prospicere poterant, ut eos ex improviso invaderent: unde Josue 15. v. 7. locus hic vocatur *Ascensio Adommim*.

Adommim quid?

QUI ETIAM DEPOLIAVERUNT EUM (pecuniis, vestibus, rebus omnibus, quas habebat) ET PLAGIS IMPOSITIS ABIERUNT SEMIVIVO (græce ἡμιθανῆ, id est, semimortuo) RELICTO] in via illi certo ex vulneribus moriendum erat ibi, nisi quis ei succurreret & mederetur. Solent enim latrones eos, quos spoliarunt, vulnerare, vel occidere, ne spoliati illico advocent obvios, & vicinos, qui latrones persequantur, & spolia eis extorqueant, imo eos trucident. Syrus clare, *& irruerunt in eum latrones, & spoliaverunt eum, & vulneraverunt eum, & reliquerunt eum, cum vix subsisteret in eo anima, & abierunt*. D

VERS. 31 ACCIDIT (casu, si homines spectes; sed certo consilio, si Dei providentiam, cui nihil est fortuitum, sed omnia prævisa & provisa, consideres) AUTEM UT SACERDOS QUIDAM DESCENDERET EADEM VIA: ET VISO ILLO PRÆTERIVIT] Græce, ἀντιπαρῆλθεν, id est ex adverso prætervit, q. d. Sacerdos horrore plagarum vulnerati illius & moribundi perculsus, non tantum ad eum non accessit, sed & retrorsum abiit, & in contrariam partem iter suum reflexit, ait Titus & Theoph. Notat hic Christus præpositeram religionem ac inhumanitatem sacerdotum illius ævi, qui externas tantum cæremonias, victimas & oblationes, quibus ipsi ditabantur, curantes, internam pietatem & misericordiam & charitatem negligebant, imo pessumdabant. Hic enim sacerdos videns proximum suum gente Judæum, vulneribus confectum, semineccm & animam agentem, in hac extrema necessitate eum deseruit, imo nec eum adire vel alloqui dignatus est. E

SIMILITER ET LEVITA, CUM ESSET SECUS LOCUM ET VIDERET EUM PERTRANSIIT] Levita olim apud Judæos erat id quod apud Christianos est Diaconus, qui sacerdoti in sacris ministrat. Hic ergo ejusdem farinæ & inhumanitatis erat, cujus fuerat sacerdos: qualis enim sacerdos, talis Levita: qualis Prælatus, talis Diaconus: qualis princeps, talis famulus: qualis magister, talis discipulus. Unde simili modo pertransiit. Græce est eadem vox, quæ v. 31. ἀντιπαρῆλθεν, id est, in contrariam viam abiit. VERS. 32 Levita quinam?

SAMARITANUS AUTEM QUIDAM ITER FACIENS, VENIT SECUS EUM, ET VIDENS EUM MISERICORDIA MOTUS EST] *Samaritanus*, qui scilicet genere & gente & religione a Judæis erat alieniſſimus, ideoque magis exosus quam Gentilis; utpote Judæorum schismaticus & hæreticus, quem proinde Judæi non proximum, sed juratum hostem censebant, passimque oderant: hic, inquam, Judæi vulnerati, a Judæis derelicti, & a sacerdote ac Levita neglecti, commiseratione motus, ei ut proximo succurrit, medicatus est, vitamque restituit. Profert Christus exemplum Samaritani, ut ostendat non solos amicos, sed & F inimicos (talis enim Judæis erat Samaritanus) esse proximos nostros. Rursum Samaritanum hunc in charitate & beneficentia præfert Judæis, utpote qui in Judæum semineccm, a Judæis neglectum & Samaritanis invisum, adeo beneficum se præstiterit. VERS. 33

ET APPROPIANS (descendens ex equo vel asino, quo vehebatur) ALLIGAVIT VULNERA EJUS, INFUNDENS OLEUM ET VINUM] quæ secum ferebat in via quasi viaticum; scilicet vinum pro potu, oleum pro obsonio cum pane, hoc est pro cibo. Est histerologia: prius enim lavit vulnera vino: vinum enim Primo, saniem abstergit: Secundo, pituitosos biliososque humores ad vulnus confluentes arrodit: Tertio, vulnera constringit, ne saniem, & sanguinem ulterius emittant: Quarto, nervos calefacit & roborat, ut plagam excutiant. Deinde vulnus linivit oleo. Primo, ut vini acredinem & mordacitatem olei pinguedine & lenitate temperaret: Secundo, ut dolores leniret: Tertio, ut partes vulneri vicinas foveret & roboraret: nam alioqui oleum recentibus vulneribus obesse, illaque putrefacere, docet Galenus l. 3. Math. & Hippocrates lib. de Ulceribus. Vide Valesium S. Philosophiæ c. 87. G VERS. 34 Vini usus in vulnere & olei.

Hinc Tropologice, S. Greg. 20. Moral. c. 8. in vino, ait, morsus districtionis, in oleo mollicies pietatis: miscenda ergo lenitas est cum acritate, ut vulnera animæ sanentur, & vitiá a peccatoribus expellantur. S. Chrysost. vero Vinum, ait, est sanguis passionis, oleum chrismatis unctio; vel, ut Interlinearis, Chrisma Spiritus sanctus.

ET IMPONENS ILLUM IN JUMENTUM SUUM] quo ipse equitare vel asinare solebat. Syrus, *supra asinum suum*. Descendit ergo ipse ex equo vel asino, cui insidebat, illumque cessit vulnerato, imo eum illi imposuit. Allegorice, S. August. in Quæst. Evangel. Jumentum, ait, est Christi caro. Imponi jumento, est in ipsam incarnationem credere. S. Ambr. Jumento imponit, inquit, dum peccata nostra portat. Theophyl. Membra sua nos fecit, ait, & participes corporis sui.

DUXIT, ipse pedes incedens, frænumque prehendens, illoque minans equum & equitem, INSTABULUM] Græce, εἰς πανδοχεῖον, id est, in diversorium, sive hospitium, ita dictum, quod omnes promiscue recipiat, hospitium ergo dicitur *stabulum* a stando, quod in eo viatores ex via lassi stent, id est, quiescant. Sic *stabulum* pro hospitio H sumit S. Cyprian. lib. 3. epist. 13. hinc Syrus & Arabicus pro *stabulo* vertunt *hospitium*.

ET CURAM EJUS EGIT] prospiciens illi de cibo, igne, lecto, medico, medicinis, cæterisque rebus ad curam necessariis, vel opportunis.

ET ALTERA DIE PROTULIT DUOS DENARIOS] Denarius simplex erat drachma argenti, puta unus Julius, vel Regalis Hispanicus. Verum hic denarius non simplex, sed duplex, uti modo est dimidius *Philippicus Dalerus*: dedit enim tantum, quantum sufficere putabat vulnerato alendo & medicando usque ad suum reditum: ad hoc enim non sufficiebant duo Julii. Tropologice S. August. in Quæst. Evang. Duo denarii, ait, sunt duo præcepta charitatis, quam Apostoli acceperunt ad evangelizandum, aut promissio vitæ præsentis & æternæ. VERS. 35

ET DEDIT STABULARIO (id est, hospiti, qui stabulo & hospitio præerat) ET AIT: CURAM ILLIUS HABE, ET QUODCUMQUE SUPEREROGAVERIS, (ulterius impenderis)

A deris) EGO CUM REDIERO, REDDAM TIBI] Vide hic & disce a Samaritano plenam dilectionem, qua nihil omisit, quod ad vulnerati curationem requiritur; sed omnia charitatis officia hic requisita copiose præstitit.

Allegor. Adam est homo ille, qui incidit in latrones.

Allegorice: homo est Adam lapsus in peccatum, ideoque in anima vulneratus, & pene occisus; Adam enim ex Jerusalem, id est, ex visione pacis, puta ex paradiso & statu innocentiæ, ubi summa fruebatur pace cum Deo, secum, cum Eva, & cum omnibus animalibus, descendit in Jericho, id est, in mutabilitatem & statum peccati: hujus enim symbolum est Jericho, id est luna, quæ quotidie mutatur & deficit. Latrones sunt dæmones, qui Adamum, & Evam per serpentem deceperunt, & ad peccatum induxerunt, itaque eum Dei gratia & virtutibus spoliarunt, & vulnera cuncupiscentiæ omnibus animæ potentiis, & appetitibus infixerunt. Sacerdos & Levita sunt lex vetus, quæ lapsum Adæ sanare neglexit, quia non potuit. Samaritanus, id est custos, est Christus, qui fideliter homines omnes curat & custodit, ut sanentur & salventur; equus est hujus humanitas, cui ipsa deitas insidet, & quasi inequitat. Stabulum, id est hospitium, est Ecclesia, quæ omnes
B fideles recipit. Vinum est sanguis Christi, quo vulnera nostra abluuntur, & sanies peccatorum abstergitur. Oleum est misericordia, clementia & lenitas Christi. Stabularius sive hospes, qui stabulo, id est Ecclesiæ præest, est S. Petrus, sive Pontifex. Ita S. Ambr. & Origenes hic hom. 34. S. Hier. in c. 10. Matth. S. Aug. ser. 17. de Verbis Dom. & alii passim. Audi Origenem: *Ajebat quidam de presbyteris, volens parabolam interpretari, hominem qui descendit esse Adam: Jerusalem, paradisum: Jericho, mundum: latrones, contrarias fortitudines; sacerdotem, legem; Levitam, Prophetas; Samaritem, Christum; vulnera vero, inobedientiam; animal, corpus Domini; pandochium, id est, stabulum, quod universos volentes introire suscipiat, Ecclesiam interpretari. Porro duos denarios Patrem & Filium intelligi; stabularium Ecclesiæ præsidem, cui dispensatio credita est. De eo vero, quod Samarites reversurum se esse promittit, secundum Salvatoris figurabat adventum. Hæc cum rationabiliter pulchreque dicuntur*, &c.

Hinc rursum ex hac parabola docent Patres & Theologi, Adamum per peccatum spoliatum esse bonis & donis gratuitis, uti sunt gratia & virtutes; vulneratum vero fuisse in naturalibus, id est, in natura non pura & mera: hæc
C enim eadem est post peccatum, quæ fuit ante; sed in natura per gratiam erecta, sanata & integra per justitiam originalem illi a Deo inditam; hæc enim omnes appetitus, & passiones, ac concupiscentiæ motus voluntati & rationi subjiciebat, ut nil velle aut concupiscere possent, nisi quod recta ratio judicabat, ac voluntas recta amabat & appetebat: jam autem per peccatum privati hac justitia originali, experimur in nobis, insciа ratione, & invita voluntate, pravos hosce motus exoriri; hoc est vulnus naturæ.

VERS. 36 QUIS HORUM TRIUM VIDETUR TIBI PROXIMUS FUISSE ILLI, QUI INCIDIT IN LATRONES?] Videtur Christus apposite ad interrogationem legisperiti, *Quis est proximus meus*? dicere debuisse: Quis in hac parabola tribus hisce, puta sacerdoti, Levitæ, ac præsertim Samaritano fuit proximus? utique ille, qui incidit in latrones, ab eisque spoliatus, vulneratus, & semimortuus relictus, omni proximorum ope indigebat: nam alioqui ex hac interrogatione Christi quis inferre poterit: Ergo proximus est is, qui benefacit egenti, puta Samaritanus, non autem ipse egens, puta spoliatus ille & vulneratus: ac consequenter sacerdos & Levita non erant proximi, qui egenti non benefecerunt.
D Unde pariter inferas eos, qui nos oderunt & persequuntur, non esse nostros proximos.

Verum dico sensum esse: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones*? q.d. Quis horum trium tibi videtur in hoc casu se gessisse ut proximum capti, spoliati & vulnerati a latronibus? sic enim hanc interrogationem Christi intellexit ipse Legisperitus, dum v. seq. respondet: *Qui fecit misericordiam*. Ergo ex eo Christus quærit: Quis ex hisce tribus tibi videtur vere functus officio proximi erga vulneratum tam miserum, ita ut cum licet tam afflictum, & ex inimica sibi gente, puta ex Judæis, oriundum, æstimarit suum esse proximum? Proximus enim est nomen correlativum, proximus enim est proximi proximus, sicut misericors est miseri misericors: quare Christus recte ex uno designat alterum, puta ex relativo designat ejus correlativum, quod quærebat Legisperitus. Maluit vero Christus sic responsionem suam invertere, ut Legisperito nobisque omnibus statueret exemplum reale, & perfectum dilectionis proximi, quod ipse I imitaretur non speculando in lege, sed opere ipsum præstando, quod præstitit Samaritanus: unde concludit v. 37. dicens: *Vade, & tu fac similiter*. Maxime autem voluit Christus Legisperitum docere, non Judæum, non amicum, uti volebant Scribæ, sed omnes omnino homines, maxime miseros, etiam nobis inimicos, habendos esse proximos, & omni officii genere esse diligendos. Simili modo ob similem causam Christus invertit quæstionem majoris dilectionis duorum debitorum, Magdalenæ scilicet & Simonis, *Quis eum plus diligit*? Luc. cap. 7. vers. 47. ut ibi ostendi, Ita S. Augustinum quem mox citabo, Beda, Theoph. Euthym. Titus, Toletus, Jans. & alii passim.

AT ILLE DIXIT: QUI FECIT MISERICORDIAM IN ILLUM, VERS. 37
ET AIT ILLI JESUS: VADE ET TU FAC SIMILITER] *Ut videlicet*, inquit S. Aug. l. 5. de Doct. Christ. c. 30. *eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget; vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est jam consequens, ut etiam ille, a quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster; proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam est proximus nisi proximo prodest. Nullum autem excipiunt esse, cui misericordia denegetur officium, quis non videat; quando usque ad inimicos etiam porrectum est*? *Quales erant inprimis Samaritani Judæis*. Addit apposite S. Augustin. *Quid tam remotum, quam Deus ab hominibus*? *cum haberet Deus in se duo bona, justitiam & immortalitatem; nos duo mala, iniquitatem & mortalitatem; factus est mortalis, & ita prope nos, non id quod nos, id est peccator, suscipiendoque pœnam, & non culpam, culpam delevit & pœnam*.

Causam a priori dat Isidor. Pelusiota lib. 4. epist. 123. dicens: *Proximitas enim natura æstimatur, non virtute, substantia, non dignitate, compassione, non loco; curationis modo, & non loci propinquitate: illum namque arbitrare proximum, qui tui maxime indigeat, & sponte tua ad auxilium ei ferendum accede*.

FACTUM EST AUTEM, DUM IRENT (dum proficiscerentur Jesus & discipuli ejus evangelizantes per vicos & castella, ut dixit v. 1.) ET IPSE (Jesus) INTRAVIT IN QUODDAM CASTELLUM (græce κώμην, id est, vicum, pagum, oppidum, puta Bethaniam, ubi Martha videtur habuisse domum) ET MULIER QUÆDAM MARTHA NOMINE, EXCEPIT ILLUM IN DOMUM SUAM] quasi hospitem, & G peregrinum, qui ut Deus erat omnium dominus. Unde S. Aug. serm. 26. de Verbis Domini: *Suscepit*, ait, *famula Dominum, ægra salvatorem, creatura creatorem, spiritu pascenda, in carne pascendum, dignatione, non conditione*. Laudatur in Martha virtus hospitalitatis, quod Jesum scribis & Pontificibus exosum hospitio exceperit, sed hominem excipiendo recepit pariter Deum, qui illam totamque ejus domum benedixit, & donis cælestibus cumulavit, tandemque in cælum ipsam suscepit, & æterna gloria beavit. Sic Abraham suscipiens hospites, angelos specie humana indutos hospitio excepit, quibus promissionem nascituri ex se Isaac, indeque Christi, qui benedicturus esset omnes gentes, accepit. Vide dicta Hebr. 13. Quocirca Christus Marthæ morienti apparuit, eique præmium hospitalitatis rependit, atque eam ad cæleste non hospitium, sed regnum invitavit dicens: *Veni hospita mea dilectissima, quia sicut tu me in domum tuam recepisti, sic ego te in cælum meum recipiam*, ita habet ejus Vita, quæ & ex S. Antonino addit, Christum sua præsentia sepulturam S. Marthæ honorasse. Ita Christus honorantes se honorat. Christus Marthæ morienti apparet.

ET HUIC ERAT SOROR NOMINE MARIA] cognomento Magdalena: hæ duæ sorores *non solum carne*, ait S. Aug. loco jam citato, *sed & religione germana, ambæ Domino cohæserunt, ambæ Domino in carne præsenti servierunt*, tanto hospite beatæ. H VERS. 39

QUÆ ETIAM SEDENS SECUS PEDES DOMINI, AUDIEBAT VERBUM ILLIUS] Vox *etiam* notat Magdalenam non obiter, non alio tempore, quando ei erat otium, sed illo temporis articulo, quo maxime cum Martha erat laborandum in apparanda Christo mensa, quasi otiosam sedisse, cum Jesu, *Sedens secus pedes*, quasi discipula humillima summe amans & reverens Christum, ut eum docentem quietissime, modestissime, avidissime, & attentissime audiret: *Quanto hic melius*, ait S. Aug. ser. 27. de Verbis Dom. *ad pedes sedebat, tanto amplius rapiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis*.

AUDIEBAT VERBUM ILLIUS] Docet hic Christus sua exem-

A exemplo, quid discipuli, ac viri Apostolici & Religiosi facere debeant in hospitiis, scilicet *ut non resupini quiescant*, ait S. Chrys. in Catena, *sed potius repleant suspicientes sanctis & divinis doctrinis*, ut nullum tempus sine fructu transire sinant, sed ubique semina pietatis jaciant, omnesque ad virtutem, & Dei amorem excitent. Faciebat id inter alios R. P. Petrus Faber, primus S. Ignatii Loyolæ socius, qui in perpetuis peregrinationibus, & missionibus vitam omnem in Societate exegit, ac proinde hoc salutare monitum nostris testamento reliquit, ut hospitium ingressi illico, vel recitandis Horis, vel piis sermonibus miscendis intendant, seque pietatis professores ostendant: sic enim impedituros omnes lascivos sermones, & castitatis tentatores, ac fructum non exiguum facturos, uti ipse non semel latrones in hospitio degentes suis sermonibus commovit ad pœnitentiam, eorumque ibidem confessiones excepit. Plura vide in Vita ejus. Idem faciebat S. Franciscus Xaverius in navibus, per totum Orientem navigans, & ubique evangelizans tam verbo, quam charitatis, & sanctæ vitæ exemplo.

B. Petri Fabri salutare Religiosis monitum.

S. Franciscus Xaverius.

VERS. 40 B MARTHA AUTEM SATAGEBAT CIRCA FREQUENS MINISTERIUM] Græce περισπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, id est, *distendebatur* vel *distrahebatur circa multam ministrationem*, sollicita & officiosa charitate curans, ut cibi tanto hospite digni rite coquerentur, mensa, lectulique mensales congrue sternerentur, pedes hospitum lavarentur, cæteraque omnia hospitalitatis officia exacte præstarentur. Unde Arabicus vertit, *Martha autem diligenter ministrabat plurimum.*

QUÆ STETIT, ET AIT (græce, *astans autem dixit*, Syrus, *venit & dixit*) DOMINE, NON EST TIBI CURÆ (Arab. *Domine non gravat te res mea?*) QUOD SOROR MEA RELIQUIT ME SOLAM MINISTRARE? DIC ERGO ILLI, UT ME ADJUVET.] Ita loquitur Martha, partim ex turbatione sollicitudinis omnia Christo congrue apparandi, partim ex confidentia in benignitate Christi. q. d. Domine ego tui amore & obsequio opprimor laboribus, soror mea id videt, & interim desidet & otiatur. Tuæ ergo humanitatis est curare, illique jubere, ut me sublevet, & in partem pii laboris veniat, tibique æque ac ego ministret: illa enim tota ex te pendet, me negligit. Verbo ergo illi innue, ut me juvet, & illud faciet: scio enim me illam rogantem nihil apud ipsam effecturam, quia tibi, tuisque C verbis tota est affixa.

ET RESPONDENS DIXIT ILLI DOMINUS: MARTHA, VERS. 41 MARTHA, SOLLICITA ES, ET TURBARIS ERGA (circa) PLURIMA] Arab. *tu sollicita, turbata es erga res plurimas. Repetitio nominis, Martha, est indicium dilectionis*, ait S. Aug. ser. 26. jam citato, *aut forte movendæ intentionis, ut audiret attentius*: tota enim intendebat suis ministeriis, ut minus verbis Jesu intenderet, nisi iterata nominis sui compellatione excitata. Addit S. Aug. *Maria causam suam maluit Judici* (Christo) *committere, nec in respondendo voluit laborare*, sciebat enim Christum a se stare, suique patronum agere solitum. Unde hic Christus *factus est Mariæ advocatus, qui judex fuerat interpellatus*, ait Interlin. ex S. Aug. ser. 27. *Turbaris erga plurima.* q. d. Nimis es sollicita Martha, ideoque turbaris. Vis enim plurima mihi apparare, cum paucis mihi sit opus: uno enim cibi genere contentus sum, imo delector, tum frugalitatis, tum sanitatis studio; docet enim Galenus & medici varietatem ciborum onerare stomachum, ac difficulter tardeque ab eo digeri. Audivi nonnullos, qui uno cibo perpetim vescentes, ad longævam & plane decrepitam ætatem vixere. Emman. Sa & alii Græcum τυρβάζεις, vertunt, *tumultuaris: Sed tumultus hoc loco distractio est & turbatio*, ait Euthym. D qui enim circa multa distrahuntur, suntque solliciti, multas cogitationum & curarum anxietates & tumultus, qui in mente confligunt, eamque affligunt, experiuntur, quocirca nimia sollicitudo & anxietas signum est, & effectus alicujus passionis & turbationis internæ; scilicet nimii timoris & amoris: quia si quis nimis amat honorem, opes, commoditates, amicum vel rem aliam, illamque perdere timet, hic est sollicitus, turbatur, anxiatur.

VERS. 42 PORRO UNUM EST NECESSARIUM] Arab. *quod autem necessarium est, facile est*; græce ὀλίγων δέ ἐστι χρεία, id est, *uno autem est opus*, hoc unum Christus opponit multis, circa quæ turbata erat Martha. Syrus, *at unum est quod requiritur.* Consentit Ægyptius, Æthiopicus & Persicus.

Unum necessarium quid?

Quæres quodnam sit hoc unum, idque necessarium? Respondent Lutherus, Bullingerus, Melanchthon, cæterique ejusdem farinæ Novatores, hoc unum esse fidem, sive audire Evangelium, illique credere: hoc enim tantum dicitur hic fecisse Magdalena v. 39. *Sedens*, inquit, *secus pedes Domini audiebat verbum illius*: censent enim ipsi fidem solam necessariam esse ad salutem. Crede, inquiunt, te per merita Christi salvandum, & infallibiter salvaberis. Verum hæc fides est temeraria, fallax & falsa; nam illam possunt habere blasphemi, fures & latrones: præter fidem enim ad salutem necessaria est spes, charitas & bona opera; ut patet Matth. 19. 17. 1. Cor. 13. & alibi passim, idque patet in ipsa Magdalena, quæ ita verbum Domini audiebat, ut auditis obediret, illaque exequeretur per opera charitatis, humilitatis & pœnitentiæ, ut patet cap. 7. 43. & ex tota deinceps ejus vita. E

Verius ergo Orthodoxi plures per *unum* intelligunt unum cibi genus. q. d. Tu, o Martha, sollicita es & turbaris ut multa mihi fercula apponas, sed frustra: nam uno dumtaxat opus est, unum mihi sufficit: non requiro mensam opiparam, escam communem & facile parabilem opto: hoc enim dictat mihi mea temperantia & paupertatis studium: interim non damno, imo laudo tuam erga me devotionem, reverentiam & studium; qua dignitati meæ personæ tanta F & tam multa apparas, ut ostendas quanti me æstimes, quantumque affectum erga me geras; sed tamen moneo, ne nimis sis sollicita, neve in ministerio tuo turberis & Magdalenam a meis sermonibus avoces. Ita S. Basil. in Regulis fusius disp. inter 20. Theoph. & S. Greg. apud D. Thom. in Catena, S. Hier. in epist. ad Eustochium, Toler. Emman. Sa & Franc. Lucas hic. Audi S. Basilium: *Paucis vel uno est opus: paucis quidem ad apparatum videlicet, uno vero scopo ut necessitas expleatur.* Sic & Titus: *Non ea de causa huc venimus, ut supervacaneis escis ventrem impleamus: natura enim paucis contenta est.* Accedit Theoph. *Uno nobis opus est, nempe ut comedamus qualitercumque, non variis.* Hinc Arabicus vertit, *quod autem necessarium est, facile est.*

Resp. Primo.

Secundo, sublimius & magis apposite ad sequentia: *unum* hoc *necessarium* est, unius Dei ac salutis æternæ cognitio, studium & amor, cui quasi optimæ parti & sorti totam affixit se Maria. Unde hoc *unum* explicans subdit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sensus est. q. d. Tu, o Martha, circa multa distraheris & turbaris; remedium tibi suggere, ut te colligas in unum, ut scilic. uni Deo per omnia placere satagas, ac unius Dei amore omnes actiones tuas obeas, sic illæ te non distrahent, sed fixa G in Deo omnia ex ejus voluntate sine turbatione, quiete & suaviter perages; quia superflua rescindes, nec plura capesses, quam opus sit, & quam facere possis. Ita Beda, Euthy. Jans. & alii: unde S. Aug. ser. 26. de Verb. Dom. & S. Greg. l. 1. in 1. Reg. c. 4. & alii: *Unum* hoc, inquiunt, est ultimus finis, & summum hominis bonum, ad quod nostra mens est dirigenda, & a quo non est distrahenda. Et Cassian. collat. 1. c. 8. *Unum*, ait, *est unius Dei intuitus & contemplatio, ut scilicet etiam Sanctorum actus ac ministeria mirifica supergressus solius Dei jam pulchritudine scientiaque pascatur*, licet enim contemplatio non sit necessaria ad salutem, est tamen necessaria ad plenam sanctitatem & perfectionem, quæ animam omni sollicitudine & turbatione liberet, faciatque omnino tranquillam, utpote Deo plane unitam, & in eo quiescentem. Hoc faciebat Psaltes dicens *unam* (Heb. *unum*) *petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, Ps. 26. 4. Et Paulus: *Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ priora sunt, extendens meipsum, ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Phil. 3. 14. Et Esther c. 14. 18. *Tu scis, Domine, quod numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus.* Nam ut ait Christus Jo. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* H

Unum est unio cum Deo, aut

Quo circa S. Ægidius unus e primis S. Francisci sociis, vir valde a Domino illuminatus, interrogatus, quæ esset via ad sanctitatem & perfectionem? verbo respondit: *Una uni: una*, scilicet anima, *uni* Deo uniatur: dualitas enim separat & dividit, unitas vero colligit & unit. Deus enim est unus: quare qui Deum quærit, ad unitatem se redigat, eumque in unitate, & voluntatis conformitate, ac mentis amorisque unione quærat oportet, uti docet S. Bernardus serm. 7. in Cant. Hinc S. Augustl. lib. 2. de Ordine cap. 18. tom. 1. per inductionem ostendit omnia tendere ad unum: quia, ut idem ostendit de Vera religione cap. 32. unitas, sive simplicitas, est vestigium Dei, qui est prima, essentialis, & increata unitas, omnium unitatum fons, & origo. Et cap. 42. declarat quanta sit

A unitatis pulchritudo. Denique unum neceſſarium eſt Deus; cætera enim omnia ſunt contingentia, & libera, & mero Dei beneplacito creata ex nihilo. Vulgo dicitur: *Qui duos lepores ſectatur, neutrum capit*: ſic qui Deo, & mundo placere ſatagit, neutri placet.

Tropol. Tropologice, unum hoc adipiſceris per orationem, meditationem & contemplationem, hæc enim nos uni Deo jungit & unit, *Religioſi eſt unum ipſum ambire, & ad ſacram monadem cogi*, ait S. Dionyſ. Eccl. Hierarch. c. 6. & Climacus c. 1. *Monachus eſt, qui ſemper habet ſpiritum elevatum in Deum, & orat in omni loco, tempore & negotio.* Et S. Chryſ. l. 1. de Orando Deum, *Oratio*, ait, *eſt anima & ſpiritus vitæ religioſæ & perfectæ.* Et S. Bonavent. opuſc. de Perfectione vitæ cap. 5. ait, Religioſum non frequentantem orationem geſtare animam mortuam in corpore vivente; aut eſſe ſicut corpus ſine anima, habentem id quod externum eſt in Religione, abſque eo quod internum eſt. Idem. Religio, ait, languida, & infirma eſt, quæ non plurimum habet orationis. Quid ergo, o infelix anima, per multa vagaris? ait S. Aug.

B in fine Meditat. requiem quæris, & non invenis; ama unum, in quo ſunt omnia, & in eo læta ſaturaque conquieſces: ipſe enim te ſatiabit bonis omnibus, ſe torrente voluptatis potabit, imo inebriabit. Audi Epictetum ad Arrianum: *Oportet*, ait, *ut omnia principia quaſi converſo orbe, redeant ad unum principium, omnia pulchra ad unum pulchrum, omnia vera ad unum verum, omnia bona ad unum bonum, omnia divina ad unum Deum, omnia una ad unum ter unum.* Nam unitas, principium, bonum, verum, Deus, eadem ſunt, unum ſunt. Quo circa ſponſa Cant. 2. *Dilectus meus mihi*, ait, *& ego illi.* Una enim ſponſa uni ſponſo tota intendat oportet. Hinc Sancti optant e carne ſeparari, & mori, ut mentem totam uniant Deo. *Cupio diſſolvi*, ait Paulus, *& eſſe cum Chriſto.* Et S. Simeon. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace.* Et Pſaltes: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* Cauſam dat S. Baſilius in Regulis fuſius diſp. interrog. 2. *Vehementer enim*, inquit, *vitam hanc veluti tetrum quemdam carcerem abhorrebant, uſque adeo difficiles ad cohibendum animos* (græce ὁρμὰς id eſt, vehementes impetus & impulſus, evolandi ſcilicet ex hoc carcere) *erant hi, quorum mentes Dei amor perſtrinxerat: cum enim inexplebili intuendæ divinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, ut æquata infinito ſempiternæ vitæ curriculo, ſibi jucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur.* Adeo beatum ocium ſapientibus negotio abundat, & fœcundum eſt, quique ſemel in divinitatem ſe merſit animus, ea & paſci ubique poteſt & paſcere. Quocirca David Pſ. 41. *Sitivit*, inquit, *anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

C

Symbolice. Unitas numerorum omnium principium eſt, utpote a qua fluit omnis numerus, eaque omnium finis, ut in quam omnis numerus reſolvatur; nec ab aliquo ſuam trahit originem, aut in aliquem ſecatur numerum. Ita Deus optimus maximus omnium rerum initium & finis eſt, juxta illud Apoc. 21. 6. *Ego ſum alpha & omega*, omnia aperiens & claudens omnia, ante quem & poſt quem nihil, & tantum abeſt, ut a creaturis ſuam ſumpſerit originem, ut illas æterno præceſſerit intervallo, ſine illis exiſtens, cum illæ ſine ipſo nec conſiſtere queant. Unde philoſophus ille Platonicus: *Ab unitate divina*, ait, omnia prodeunt, prodeuntiaque unitatem quamdam ipſis impreſſam retinent, divinæ unitatis imaginem, qua & revocantur in illam, & revocata perficiuntur. Et Plato in Parmenide: Per unum intelligit eſſe divinum, in quo omnia vitam habent, tamquam rami in radice. Hinc illud Pythagoræ. *Oportet hominem fieri unum*: nam *qui adhæret Deo, unus cum eo ſpiritus efficitur*, ait Apoſtolus, & Macrob. l. 1. in Somnium Scipionis: *Unitas*, ait, *principium & finis omnium, neque ipſa principii aut finis patiens, ad ſummum nos duxit Deum.* Triſmegiſt. in Phimandros, *Unitas*, ait, *omnium principium, radix & origo omnem continet numerum, a nullo comprehenſa, omnemque gignit numerum ex nullo genita numero: hæc eſt imago Dei.*

Unitas rerum principium & finis.

D

Rurſum ubi peccatum eſt, ibi eſt multitudo; ubi autem virtus, ibi ſingularitas, ibi charitas, ibi unitas. Virtutis ergo ſtudioſus unum amet, & unitatis ſit ſtudioſus oportet. Unitatis enim magiſter Chriſtus voluit nos in una Eccleſia adunare; ſibique unire. Unitas enim dat cælo temperiem, animo ſanctitatem, corporibus ſanita-

Ubi virtus ibi unitas.

tem, domibus & civitatibus pacem, & animorum concordiam, omniſque populi virtus & fortitudo eſt ex unanimitate. Dualitas enim omnis diſcordiæ, ſchiſmatis, belli, tempeſtatis, morbi, & turbationis eſt cauſa & mater. Unde Plato lib. 5. de Republica, Nullum, ait, pernicioſius civitati malum, quam qui eam dividit, & ex una plures facit; nec melius quidquam eo, quod ipſam vincit ſimul & unam efficit. Ariſtoteles lib. 1. Euthic. cap. 6. citat Speuſippum dicentem, rem proprie dici bonam, & perfectam, quando ſit una; cum res quælibet in ſe habeat bonitatem ſuam per unitatem, qua ſuum ſuſcipit eſſe; tamdiu enim eſt quidquid eſt, quamdiu unum eſt; cum autem deſinit eſſe unum, deſinit eſſe id quod eſt: materia quippe non habet eſſe, niſi per unionem ſui cum forma: tolle hanc unionem, divides materiam a forma, & compoſitum interibit. Uno ergo eſt vita, diviſio vero mors. Unde de cæleſti vita S. Aug. loquens, *Non erit ibi*, inquit, *aliqua invidia diſparis charitatis, ubi in omnibus regnat unitas charitatis.* Et S. Gregor. *Et tanta vis charitatis ibi omnes aſſociat, ut bonum, quod quiſque in ſe non accepit, in alio ſe gaudeat accepiſſe.* Regnum ergo vitæ eſt in charitate, quæ eſt unio; regnum mortis in odio, quod eſt diviſio. Quocirca Pythagoras unitatem dicebat eſſe Deum, dualitatem vero dæmonem: quem ſecutus Homerus, unius naturam in boni ratione conſtituit, in mali vero ratione dualitatem: unde Iliade β ita canit:

Nec multos regnare bonum, rex unicus eſto.

Rex unus eſto.

Rex unus eſt apibus, dux unus in gregibus, gues unum ſequuntur, in navi unus eſt gubernator, in civitate unus prætor, in corpore unum caput, in exercitu unus dux, in Eccleſia unus Pontifex, in mundo unus ſol. Denique unitas eſt virginitas, quæ nos ſimiles facit angelis: dualitas eſt conjugium, quod nos aſſimilat animalibus.

E

F

MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT] *Sibi*, ut addunt Syrus, & Arabic. græce ἀγαθὴν, id eſt, *bonam* antonomaſtice, ſive per excellentiam, id eſt, optimam. Confert enim, & præfert hic Chriſtus Mariam Marthæ, ut patet ex contextu, & ex omnium Patrum interpretatione. q. d. Tu, o Martha, bonam partem elegiſti, ſed Maria meliorem. *Non tu malam, ſed illa meliorem*, ait S. Aug. *Ecce pars Marthæ non reprehenditur*, ait Beda, *ſed Mariæ laudatur.* Audi rurſum S. Auguſt. ſerm. 27. de Verb. Dom. *Putamus reprehenſum eſſe miniſterium Marthæ, quam cura hoſpitalitatis occupaverat, quæ ipſum Dominum hoſpitio receperat? quomodo recte reprehendebatur, quæ tanto hoſpite lætabatur?* Sic & Ambr. *Nec Martha*, inquit, *in bono miniſterio reprehenditur, ſed Maria, quod meliorem partem ſibi elegerit, antefertur.* Et Caſſian. Collat. 1. c. 8. *Cum laboraret Martha pia ſollicitudine ac diſpenſatione diſtenta, ſolam ſe videns ad tantum miniſterium non poſſe ſufficere, adjutorium ſororis a Domino poſtulabat, dicens: Non eſt tibi cura, &c. utique non ad vile opus, ſed ad laudabile eam miniſterium provocabat, & tamen quid audit?* Rationem dat Theoph. *Per alterum enim corpus paſcitur, per alterum anima vivificatur.* Et Euthymus: *Bonum eſt hoſpitalem eſſe, verum melius Deo aſſidere, illud enim corporale eſt, hoc autem ſpirituale.* Aliam rationem ſymbolicam dat S. Aug. ſerm. 27. de Verbis Domini dicens: *Sed unde meliorem? quia tu circa multa, illa circa unum: præponitur unum multis; non enim a multis unum, ſed multa ab uno.* Et inferius. *Multa ſunt, quæ facta ſunt, unus eſt, qui fecit, &c. bona valde, quæ fecit, quanto melior ille, qui fecit?* Tres perſonæ divinæ inter ſe realiter diſtinctæ, ſunt unum in eadem numero deitate, quæ eſt ſimpliciſſima & perfectiſſima unitas: ſic quo magis ad unitatem & ſimplicitatem accedis, eo magis ad Deum accedis, ait S. Auguſtinus. Imo Chriſtus Joan. 17. verſ. 21. orans Patrem pro ſuis fidelibus, & dilectis: *Ut omnes*, ait, *unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Et mox: *Et ego charitatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus; ergo in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.*

G

H

Porro pars Mariæ, quam Chriſtus optimam vocat, eſt relictis omnibus terrenis curis Chriſto aſſidere. Verbum ejus audire, ſoli Deo & rebus divinis vacare, orationi & contemplationi jugiter intendere. Audi Richar. de S. Vict. in Cant. 8. *Optimam partem elegit Magdalena, quæ gratiam exercet contemplationis, & tamen occupatur in parte ſororis, ut etiam activæ vitæ præmio coronetur: in qua pari charitate par præmium meretur.* Ad-

Sors Mariæ præſtat Marthæ. Quæ illa?

A *tha in uno loco corpore laborat circa aliqua, Maria in multis locis charitate circa multa: in Dei enim contemplatione & amore videt omnia, dilatatur ad omnia, comprehendit & complectitur omnia, ita ut in ejus comparatione Martha sollicita dici possit circa pauca. Valde ergo hoc unum est necessarium, & merito præferendum, in quo & Deo per amorem anima inhæret, & omnibus charitatem & sollicitudinem exhibet.* Hinc noster Suarez tract. de Oratione mentali, Optimam, inquit, partem elegit Maria, quia oratio mentalis est quasi hujus vitæ beatitudo. Ipsa enim est quasi inchoatio visionis beatificæ, qua Sancti in cælo beantur,

Hinc pariter S. Magdalena erat in jugi solidoque gaudio. Audi S. Bern. serm. de Magdalena: *Absit, ut in terra suaviter viventium, gaudiorum inveniatur materia; cum tantis alternationibus tota mundi facies immutetur: sed est gaudium continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab hujus mundi aspergine pure detersa, & in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, &* B *omnium scandalorum immunis in pace in idipsum dormiens requiescit.* Hujus beatæ tranquillitatis causam reddens Hugo Victorinus lib. 3. de Anima c. 9. *Recta*, inquit, *conscientia tranquilla est, quia omnibus est dulcis, & nulli gravis; utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, & quibus potest ad beneficientiam.*

PARTEM] Videtur, ait Maldon. alludere ad ritum veterum, qui divisuri hæreditatem, jubebant ut majos filius vel hæres illam in partes maxime æquales divideret, deinde minor quam vellet prior eligeret, ne major inæqualiter dividendo minori fraudem facere posset, teste Senec. l. 6. Declamat. 3. Sic hæreditas erat Christus, Martha senior duas ejus quasi partes fecit v. 40. scilicet Christum audire, & Christo servire; Maria minor meliorem partem elegit, scilicet Christum audire: nam Heb. חלק *chelek*, id est *pars*, in Scriptura significat sortem hæreditariam, juxta illud: *Pars mea Dominus*, Thren. 3. 24. Et *Dominus pars hæreditatis meæ*, Ps. 15. Porro hic recte sortem vocat Christus *partem*, quia pars bona perfectæ vitæ & sors Marthæ, sive vita activa; sed melior est pars, id est sors Mariæ, sive vita contemplativa. At vero vita mixta, comprehendens simul actionem, & contemplationem, non est pars, sed totum, sive tota perfectio; atque hu- C jus totius respectu Christus unamquamque vocavit par- VERS. 28 tem; mixtam ergo vitam egit Christus pernoctans in ora- Mixta vita perfectissima: cur? tione, ac per diem prædicans, Joannes Baptista & Apostoli. Hæc enim est ipsum totum sive perfectum, quia in ea contemplatio dirigit acuitque actionem.

QUÆ NON AUFERETUR AB EA] quia scilic. contemplatio, & occupatio, studiumque Mariæ ad verbum audiendum & meditandum, est spirituale, & æternus mentis cibus; unde perficitur in cælo per jugem Dei visionem, durabitque in æternum; cum sors Marthæ sit temporalis, utpote quæ cibum corpori præstat in hac vita dumtaxat: in cælo enim videre, amare & laudare Deum, est otiosum Beatorum negotium, negotiosum otium. Ita S. Aug. Beda, Theoph. & alii. Unde S. Greg. l. 6. Moral. c. 18. *Nec auferri umquam*, ait, *sors Mariæ dicitur; quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt.* Audi S. Aug. serm. 27. de Verbis Dom. *A te* (o Martha) *quod elegisti auferetur, ut quod melius est detur. Auferetur enim a te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa in portu est.* Et anterius: *Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum: intenta* D *Maria, quomodo pasceretur a Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam jucundabatur.* Et rursum: *Transit labor multitudinis, & remanet charitas unitatis.* Laurent. Justinianus libro de Ligno vitæ tract. de orat. c. 8. *Activa vita*, ait, *habet sollicitum cursum, contemplativa gaudium sempiternum: in hac acquiritur regnum, in illa percipitur; hæc facit pulsare bonorum, velut quibusdam manibus januam, ista vocat consummando in patriam; in hac contemnitur mundus, in ista videbitur Deus. Sedebit* (inquit Propheta de contemplativis) *populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducie, & requie opulenta.* S. Gregor. in Ezech. lib. 2. hom. 34. *Activa vita*, ait, *cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esuriet? potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur? cum præsenti ergo sæculo vita auferetur activa, contemplativa autem hic incipitur, ut in* E *cœlesti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit.*

Vide & Cassianum collet. 1. 10. ubi inter cætera ait: *In futuro sæculo cuncti ab hac multiplici, id est actuali operatione ad charitatem Dei, & divinarum contemplationem perpetua cordis puritate transibunt.* Tali ergo recte dicas illud Poetæ:

Nulla te cælo rapiet vetustas,
Tu comes Phœbo, comes ibis astris,
Jure perenni.

Nota contra Calvinum, Martham gerere typum vitæ activæ, Mariam vitæ contemplativæ, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet, quæ denique intus rapta, foris insensibilis redditur, ait S. Bern. serm. 3. & 5. de Assumpt. B. Virginis. Ita S. Aug. Basil. Hieron. Greg. Cassian. Beda & alii, quos fuse hic citat Maldonat. VERS. 27 Quid vero est contemplatio? respondet S. Augustin. (vel (Contemplatio quid? quisquis est auctor) lib. de Spiritu & anima c. 32. *Est perspicuæ veritatis jucunda admiratio*, S. Bern. vero: *Contemplatio est mentis in Deum suspense elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.* Et alibi: *Est verus certusque intuitus animæ de quacumque re, sive apprehensio veri non dubia.* Richardus de S. Victore. *Est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa.* Joann. Gerson. Cancel. Paris. lib. de Medit. consider. 12. ex Hugone & Richardo Victor. *Contemplatio*, ait, *est liber, & expeditus mentis intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus, & est sublevatæ mentis jubilum, mors quædam carnalium desideriorum, hoc est gustare quam suavis est Dominus.* Uti gustabat David jubilans Ps. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et Ps. 72. 26. *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* F

Jam actus & officia vitæ activæ, & contemplativæ ita describit S. Greg. l. 2. in Ezech. hom. 14. *Activa vita est* Actus vitæ activæ. *panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, & commissis nobis qualiter subsistere valeant, providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei & proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditionis inhærere, ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.* G Contemplativæ.

Porro S. Thom. 2. 2. q. 180. art. 7. *Vita contemplativa*, ait, *præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas.* Et postea: *Vita contemplativa licet principaliter consistit in intellectu, principium tamen habet in affectu: in quantum videlicet aliquis ex charitate Dei ad contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est, quod etiam terminus, & finis contemplativæ vitæ habet esse in affectu: dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, & ista delectatio rei visæ amplius excitat amorem.*

Vita ergo contemplativa, quæ est jugiter Deo inhærere, facit hominem toto mundo altiorem, ut conversetur in cælis, ibique mente fixus terrena omnia tam prospera quam adversa, velut exilia sub se posita despiciat, nec magnum quid æstimet nisi Deum & divina. Hæc proinde est charissima Dei sponsa, quæ pacatissime & jucundissime in sola divinarum rerum meditatione conquiescit, dicitque: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Causam dat S. Bern. serm. 20. in Cant. *Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aspicere quiescere est.* Vita contemplativa acquiritur per vitam activam, puta per mortificationem, contemptum rerum omnium quæ in mundo sunt, silentium, custodiam cellæ, officia charitatis, cæterarumque virtutum. *Sicut enim flos præcedit fructum; sic vita cœnobitica eremiticam* (id est activa contemplativam) ait S. Sabas, ut habetur in Vita S. Joannis Silentiarii. Quocirca S. Basil. Cassianus, Dorotheus & alii Ascetæ docent, inchoandum esse studium virtutis in vita activa, & cœnobitica, inde pergendum ad vitam contemplativam & solitariam. Vide inter alios nostrum Jac. Alvarez de Paz tom. 3. ubi fuse tractat de vita contemplativa, ac quindecim ejus gradus assignat. H

Deni-

Digitized by Google

A Denique Nota, Eccleſiam recte & appoſite hæc legere in feſto Aſſumptionis B. Virginis, tum quia B. Virgo officioſiſſima fuit Chriſti hoſpita, tum quia ipſa utrumque officium, Marthæ ſcilicet, & Magdalenæ perfecte obivit, tum quia ipſa optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vide noſtrum P. Caniſium l. 5. c. Marialis c. 7. Audi S. Ildephonſ. ſerm. 5. de Aſſumpt. *De iſta dicitur*, inquit, *Optimam partem elegit, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, & idcirco promeruit, ut Dei Filius ex ea corpus noſtræ redemptionis ſuſciperet.*

Cur hæc Evangelia in feſto Aſſumptionis Deiparæ legitur?

CAPUT XI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Chriſtus tradit orationem Dominicam, & modum orandi. Secundo, v. 14. ejicit dæmonium, probatque ſe id facere non in Beelzebub, uti calumniabantur Scribæ, ſed in digito Dei. Tertio, v. 27. mulier e turbae acclamat: Beatus venter, qui te portavit; *at ipſe ait*, Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Quarto, verſ. 29. Judæis ſignum petentibus dat ſignum Jonæ, additque Judæos a regina Saba & Ninivitis condemnandos in die judicii. Quinto, verſ. 33. docet lucernam corporis eſſe oculum; illum ergo purum & clarum eſſe ſervandum. Sexto, verſ. 38. invitatus a Phariſæo, notatuſque, quod illotus ad menſam accederet, acriter vitia Phariſæorum caſtigat, eiſque væ intentat.*

Primam partem audivimus Matth. 6. 9. & Matth. 7. v. 7. & 9. Secundam Matth. 12. 24. Quartam Matth. 12. 39. Quintam Matth. 6. 22. Sextam Matth. 23. ſupereſt ergo Tertia, & Particula Prima hic explicanda.

VERS. 1. ET factum eſt cum eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit, dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut C docuit & Joannes diſcipulos ſuos.

2. Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.

3. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

4. Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

5. Et ait ad illos: Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

6. quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum,

7. & ille deintus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.

8. Et ſi ille perſeveraverit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.

9. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.

10. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.

11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem; numquid pro piſce ſerpentem dabit illi?

12. Aut ſi petierit ovum: numquid porriget illi ſcorpionem?

13. Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

14. Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. E

15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16. Et alii tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo.

17. Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

18. Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt.

20. Porro ſi in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.

22. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit I eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.

23. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

24. Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cum venerit, invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam.

26. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.

27. Factum eſt autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.

28. At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbi Dei, & cuſtodiunt illud. G

29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt: ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei; niſi ſignum Jonæ Prophetæ.

30. Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi iſti.

31. Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic.

32. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plus quam Jonas hic.

33. Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

34. Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, etiam H corpus tuum tenebroſum erit.

35. Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.

36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.

37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus ut prandaret apud ſe. Et ingreſſus recubuit.

38. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium.

39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi quod deforis eſt calicis, & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina, & iniquitate.

40. Stul-

Digitized by Google

A 40. Stulti nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit?

41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.

42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.

44. Væ vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt.

45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait: Et vobis Legisperitis: væ quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

B 47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos,

48. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.

49. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur:

50. ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista,

51. a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis requiretur ab hac generatione.

52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.

C 53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & Legisperiti graviter insistere, & os ejus opprimere de multis,

54. insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

VERS. 2 CUM ORATIS DICITE: PATER, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM] Matth. c. 6. 6. addit *Pater noster qui es in cælis*. Porro Matth. hanc orationem adjungit sermoni Domini in monte, quem initio prædicationis habuit Christus, ut in eo compendium & summam Evangelicæ suæ doctrinæ discipulis proponeret; Lucas vero hic posterius eandem assignat: vel ergo bis orationem Dominicam docuit Christus, vel potius illam, uti & alia Matthæus eo loco posuit per prolepsin, vel anticipationem, ut simul quasi sinopsin totius doctrinæ Christianæ proponeret. Ita Jansenius.

Nota, Matthæus orationi Dominicæ septem dat petitiones, Lucas vero hic quinque: duas ergo omisit, quæ in aliis quinque virtute continentur, nimirum tertiam, D *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*, quæ virtute continetur in prima, *Sanctificetur nomen tuum*. Hoc enim fit cum voluntatem Dei facimus. Et septimam, *Sed libera nos a malo*, quæ virtute continetur in sexta; *Et ne nos inducas in tentationem*. Arguuntur hic Pelagiani inimici gratiæ Christi, qui dicebant neque necessarium esse dicere, *Dimitte nobis*, neque ita illud, *Ne nos inferas*, &c. Intelligendum esse, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem. Ita Conc. Milevit. 2. epist. ad Innoc. Papam.

VERS. 5 ET AIT AD ILLOS (discipulos suos) QUIS VESTRUM HABEBIT AMICUM, ET IBIT AD ILLUM MEDIA NOCTE, tempore maxime incommodo & importuno, ET DICET ILLI: AMICE COMMODA MIHI TRES PANES.] *Commoda*, id est mutuo da: nam commodantur proprie libri, vasa, tapetes, qui iidem numero restituuntur, mutuantur vero panes, frumenta, cibi, qui usu consumuntur, ac proinde iidem non numero, sed specie reddúntur. Proponit hanc parabolam Christus, ut discipulos doceat non cadere animo, nec desistere, si statim in oratione non exaudiantur, verum in ea perseverare, & contentius orare: sic enim fore, ut a Deo exaudiantur, & impetrent ea, quæ postulant. Ita S. Chrysost. in Catena, Titus, Euthymius, Jansenius & alii. E

Commodare & mutuare in quo differant.

QUONIAM AMICUS MEUS VENIT DE VIA AD ME, ET NON HABEO QUOD PONAM ANTE ILLUM] q. d. Amicus meus ex itinere fessus, & esuriens venit ad me hospitaturus, & non habeo quod apponam illi. Ita Græca & Arabicus, VERS. 6

ET ILLE DE INTUS RESPONDENS DICAT: NOLI MIHI MOLESTUS ESSE, JAM OSTIUM CLAUSUM EST, ET PUERI MEI MECUM SUNT IN CUBILI, NON POSSUM SURGERE ET DARE TIBI] *In cubili*, id est in cubiculo; Syrus, *in lecto*. Excusat ergo se non posse surgere & dare panes, *ne filios expergefaciat*, ait Euthymius, toramque familiam turbet. VERS. 7

ET SI ILLE PERSEVERAVERIT PULSANS; DICO VOBIS, ET SI NON DABIT ILLI SURGENS EO QUOD AMICUS EJUS SIT, PROPTER IMPROBITATEM TAMEN EJUS SURGET, ET DABIT ILLI QUOTQUOT HABET NECESSARIOS] *Propter improbitatem*, græce διὰ τὴν, id est *impudentiam*, inverecundiam, *importunitatem*, ut vertit Arabicus, sic dicimus: *Labor improbus omnia vincit*; *improbus*, id est assiduus, indefessus. Audi S. Aug. serm. 5. de Verb. Dom. c. 5. *Quid est, propter improbitatem? quia pulsare non destitit: quia & cum esset negatum, se non avertit. Ille qui nolebat dare, quod petebatur, fecit, quia ille in petendo non defecit. Quanto magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur ut petamus: cui displicet si non petamus?* Vult enim Deus nos in oratione esse perseverantes usque ad importunitatem, eaque delectatur, vultque nos magno affectu instare, pulsare, urgere & quasi cogere Deum ad dandum. *Hæc vis grata Deo*, ait Tertull. lib. de Orat. F VERS. 8

ET EGO DICO VOBIS: PETITE, ET DABITUR VOBIS] Arab. *petite, & donabimini*. Vide dicta Matth. 7. v. 7. VERS. 9

AUT SI PETIERIT OVUM] Lucas hoc addit Matthæo. Porro ova petunt pueri, ut cito crescant, & adolescant: ova enim valde nutriunt, statimque vertuntur in sanguinem. Unde *ovum est pullus liquidus*, ait ille, aves enim includunt pullum. Hinc Isidor. l. 12. Orig. c. 7. *Ova*, ait, *dicta ab eo, quod sint uvida: unde & uva, eo quod intrinsecus humore sit plena. Nam humidum est quod exterius humorem habet, uvidum quod interius*. VERS. 12

Ova multum nutriunt.

G Unde dicta.

FACTUM EST AUTEM, CUM HÆC DICERET, EXTOLLENS (præ amore & admiratione doctrinæ & virtutis Christi) VOCEM QUÆDAM MULIER DE TURBA, DIXIT ILLI, BEATUS VENTER QUI TE PORTAVIT, & UBERA QUÆ SUXISTI] q. d. Adeo magnus, divinus & beatus es, o Jesu, ut propter te beata quoque sit mater, quæ te genuit & lacte aluit. Hinc beatam dicit matrem, non patrem, quia sexui suo favens, similis filii se matrem fieri exoptat. Adde, a Spiritu sancto illam excitatam fuisse, ut in hæc verba, quæ Christum ex matre virgine sine patre conceptum & natum significant, etiamsi id ipsa nesciret, nec intelligeret, prorumperet. Suspicantur nonnulli mulierem hanc fuisse S. Martham, aut potius S. Marcellam, S. Marthæ ancillam, quæ S. Martham Massiliam comitata est, ejusque vitam conscripsit; nam paulo ante in fine c. præced. Christus agebat Bethaniæ in domo Marthæ. Si enim fuisset Martha, utique nominasset eam Lucas, uti toties eam nominavit c. præced. Marcella autem amore Christi fervens, ob hanc liberam Christi laudem Scribarum iras incurrit; ut ab eis paulo post Christi mortem, cum Martha, Magdalena & Lazaro navi sine velis & remis ad certum exitium sit imposita, sed Deo nauclero eam dirigente salva cum omnibus Massiliam appulit. Dixi *suspicantur*: quia de hac re nulla extat certa scriptura vel traditio. VERS. 27

Quænam hæc mulier laudans uterum Deiparæ? S. Marcella.

H

BEATUS VENTER, QUI TE PORTAVIT] Fuit enim hic venter templum, thalamus, cælum, thronus gloriæ Filii Dei. Cogita ergo quantis gratiæ donis fuerit exornatus, ut dignus fieret Deo. Rursum, quam sanctus esse debuit hic venter quem ipsa Dei sanctitas per novem menses non solum inhabitando, sed & carnem alimenta ex eo sumendo sanctificavit, sibique consecravit. Quocirca huc alludens Ecclesia Beatæ Virgini crebro accinit: *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: & beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum*. Unde Methodius in orat. Hypapantem: *Tu*, ait, *cuncta continentis & comprehendentis comprehensio*.

Encomia B. Virginis.

Digitized by Google

A *filio. Tu illa gestatrix ejus, qui verbo suo portat universa.* Ipsa est ergo ferculum veri Salomonis, de quo dicitur Cant. 3. 9. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Vide ibi dicta.

Quocirca Gregor. Nicomed. orat. de præsent. Virgin. illam nuncupat, *thronum gloriosum & regium vehiculum, quo vectum Verbum cum carne advenit.* Et S. Bern. ser. 7. in Psal. *Qui habitat*, *Magnus*, inquit, *ille Ignatius in pluribus, quas ad eam conscripsit, epistolis, Christiferam consalutat, egregius sane titulus, & commendatio honoris immensi; nempe cui servire regnare est, gustare hunc non onerari est, sed ornari.* Idem in illud Apoc. 12. *Signum magnum: Quam familiaris*, ait, *ei facta es Domina, quam proxima, imo quam intima fieri meruisti; quantam invenisti gratiam apud Deum? in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria suæ majestatis; vestis solem nubo, & sole ipsa vestiris.*

B. Virgini igitur magis accinas, quam Judith, cæso Holopherne, illud c. 15. *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia feciste viriliter*, &c. *ideo manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Audi Patres hisce elogiis illam salutantes. Nazianz. in tragœdia, cui titulus, *Christus patiens;*

Regina, domina, generis humani bonum,
Amica semper esto tu mortalibus,
Maximaque quovis in loco mihi salus.

S. Cyrillus orat. contra Nestorium: *Sit*, ita, *tibi sancta mater Dei, laus: tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei.* S. Chrysost. serm. de Deipara: *Ave mater, cælum, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria, firmamentum.* S. Ephrem serm. de laudib. Virg. eamdem salutat *unicam spem patrum, gloriam Prophetarum; præconium Apostolorum, honorem Martyrum: lætitiam Sanctorum & lumen probatissimorum, Abraham, Isaac & Jacob, decus Aaron, splendorem Moysis, Gedeonis vellus, & cœtus Hierarcharum, omniumque Sanctorum, ac Virginum coronam, ob immensum fulgorem, atque splendorem inaccessum.*

Vers. 28 C AT ILLE DIXIT; QUINIMO BEATI QUI AUDIUNT VERBUM DEI, ET CUSTODIUNT ILLUD] *Quinimo*, græce μενοῦνγε, id est, *imo potius*; S. Aug. lib. de Virg. c. 3. & tract. 10. in Joannem vertit, *imo*; Euthym, *vere*, Jans. *certe*. Non igitur negat Christus matrem suam esse beatam, ut vult Calvinus; sed tantum ait, beatiores esse qui verbum Dei audiunt, & custodiunt, id est, opere adimplent: quia, ait Euthym. *custodia sermonis Dei est ejus adimpletio*, assidua, continua, perseverans.

Ratio a priori est, quia esse matrem Dei est præcise gratia gratis data, & externa dumtaxat, non gratum faciens; sed audire & custodire verbum Dei, est gratia interna gratum faciens. Rursum esse matrem Dei præcise non facit matrem beatam, ut fruatur Dei visione & gloria æterna: at custodire verbum Dei perseveranter usque ad finem vitæ, perducit hominem ad Dei visionem, & æternam Gloriam. Insuper, quia esse matrem Dei, singulare est privilegium unius Virginis: at audire, & custodire verbum Dei est commune omnibus fidelibus, & sanctis. Vult D enim Christus solari mulierem, quæ dixerat, *Beatus venter, qui te portavit*. q. d. Tu beatam dicis matrem meam, quod me talem filium genuerit, atque tacite similem beatitudinem optas, doleque forte, quod talis filius tibi non obtigerit: & ego solidiorem at meliorem beatitudinem tibi fero, quæ omnibus eam volentibus competit, nimirum asserto te beatam, imo beatiorem fore, si Verbum Dei audias & custodias: nam & mater mea beatior fuit, quod me mente, quam quod ventre conceperit, adeoque nisi me mente concepisset, misera fuisset, ac gratiæ & gloriæ expers, imo nisi me prius mente concepisset, indigna fuisset, quæ me ventre conciperet: decebat enim matrem Dei futuram, esse purissimam & sanctissimam. Audi S. Aug. locis jam citatis: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset. Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Vide dicta Matth. 12. 50.

Vers. 34 LUCERNA CORPORIS TUI, EST OCULUS TUUS] *Oculus* symbolice, est ratio, mens, ac præsertim intentio bona: quod enim oculus est corpori, hoc ratio & intentio est animo. Vide dicta Matth. 6. 21.

SI OCULUS TUUS FUERIT SIMPLEX (purus, limpidus, clarus) TOTUM CORPUS TUUM LUCIDUM ERIT] utpote ab oculo claro clare illustratum. E

Vers. 36 SI ERGO CORPUS TUUM TOTUM LUCIDUM FUERIT, &c. ERIT LUCIDUM TOTUM] non corpus ne sit tautologia & futilis rei dictæ repetitio: sed totum absolute, hoc est quidquid homo habet in corpore, vel circa corpus: id est, totus homo lucidus erit, omnesque ejus potentiæ cum actibus inde prodeuntibus. Ita Maldonatus. Aliter Toletus: Si oculus, id est, prima & nobilissima pars corporis, puta oculus tuus, inquit, lucidus fuerit, fiet ut per eum totum corpus illustretur, fiatque lucidum. Hic enim sensus est planus, ac forte pro σῶμα, id est corpus, legendum est ὄμμα, id est oculus.

Vers. 37 ET CUM LOQUERETUR, ROGAVIT ILLUM QUIDAM PHARISÆUS, UT PRANDERET APUD SE, ET INGRESSUS RECUBUIT] *Cum loqueretur*, id est, cum loquendo quadam vice doceret populum. Ita S. August. lib. 2. de Consensu Evang. c. 39. Beda, Jansen. & alii; licet Maldonatus ad proxime præcedentia referat. q. d. Cum hæc, quæ paulo ante dicta sunt, loqueretur, *Rogavit*, non animo sincero, sed ut Christum observaret, notaret & carperet, ut patet ex sequent. v. 53. & 54. *Recubuit*, non lavans manus iis cæremoniis, quibus Pharisei id faciebant. I

Vers. 38 PHARISÆUS AUTEM COEPIT INTRA SE REPUTANS DICERE, QUARE NON BAPTIZATUS ESSET ANTE PRANDIUM] *Cœpit dicere*, græce ἤρξατο ἐνθυμεῖσθαι, id est, *videns admiratus est*, quod scilicet Jesus traditionem seniorum in lavando non servaret: sic & Syrus, *Baptizatus esset*; id est, lotus, præsertim manibus, non solis, sed brachiis usque ad cubitum, juxta ritum Pharisaicum. Vide dicta Matt. 15. 1. Pharisæi enim suam sanctitatem ponebant in hisce cæremoniis, ac præsertim crebris magnisq; lotionibus: lavabant ergo manus, sed illo tam fœdamq; gerebant mente.

Vers. 39 ET AIT DOMINUS AD ILLUM: NUNC VOS PHARISÆI, QUOD DE FORIS EST CALICIS ET CATINI, MUNDATIS: QUOD AUTEM INTUS EST VESTRUM, PLENUM EST RAPINA ET INIQUITATE] q. d. Corpus lavatis, at conscientiam a sceleribus non abluitis, τὸ *nunc*, sonat contemptū & & acrimoniā reprehensionis. Vide dicta Matt. 23. 25.

Vers. 41 VERUMTAMEN QUOD SUPEREST, DATE ELEEMOSYNAM: ET ECCE OMNIA MUNDA SUNT VOBIS] τὸ *quod superest*, non legunt S. Ambr. S. Aug. ser. 30. de Verb. Domini, S. Cypr. l. 3. ad Quirin. c. 1. Orig. hom. 2. in Levit. & Chrys. hom. 51. in Matth. quasi illud sufficienter contineatur in τῷ, *date eleemosynam*: hæc enim datur ex eo quod nobis superest, quia ex superfluo: at vero Romana Biblia & cætera Latina illud legunt, æque ac Theoph. Euthym. Beda hic, & S. Basil. in Regulis brevior. resp. 271. ac Cyrill. l. 2. in Levit. & S. Aug. Enchir. c. 76. G

Quod superest, quid? Resp. Primo. Pro *quod superest* græce est: τὰ ἐνόντα, id est, *inexistentia*, sive ea quæ insunt: quod Primo simpliciter & plane exponas, q. d. Ea quæ adsunt, & supersunt vobis, date in eleemosynam, unde Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 27. legit, *date quæ habetis in eleemosynam, & omnia munda erunt vobis*, q. d. Quidquid habetis superfluum, convertite in eleemosynam, & sic mundabimini ab omnibus peccatis. Hinc sanctus Basilius loco jam citato, & Euthym. τὰ ἐνόντα, exponunt. q. d. Ea, quæ habetis reposita & condita, Vatablus, ea, quæ suppetunt, quæ necdum consumpta sunt; Beda, *quod superest*; id est, *quod necessario victui & vestimento*, inquit, *superest*, alii *quod supereſt* id est, quod habetis præter rapinam: quod scilicet non rapuistis: raptum enim restituendum est, nec dari potest in eleemosynam. Alii efficacius τὰ ἐνόντα, exponunt, quidquid vobis facultatum est, & adest; q. d. Quidquid habetis & potestis date pro virili parte, largas facite eleemosynas: multa rapuistis, & multa peccastis, multis ergo eleemosynis culpas, & rapinas vestras redimite, uti Daniel c. 4. consuluit Nabuchodonosori. H

Secundo. Secundo, Toletus τὰ ἐνόντα, id est, *inexistentia*, censet opponi externis, quæ deforis sunt: dixerat enim Christus v. 36. Pharisæos quod deforis est catini mundare, interiora vero eorum plena esse iniquitate, q. d. Vos, o Pharisæi, sat mundatis catinos, & calices exterius, sed interius pleni estis rapina; quia escam & potum, qui est in catinis, & calicibus, rapuistis: illud ergo interius mundate, & expurgate, post rapti restitutionem, per eleemosynam: rapinæ enim expiandæ sunt contrario, puta liberali eleemosyna, quæ scilicet detur non ex alieno, & rapto, sed ex suo, & proprio. Unde Zachæus, *Si* ait, *aliquem defraudavi, reddo quadruplum*: deinde pro satisfactione rapti, vel injuste accepti, red-

dit,

A dit, *Dimittetur bonorum meorum do pauperibus*, Lucæ 19. 8.

Tertio. Tertio, Theophyl. τὰ ἐνόντα, exponit ea, quæ insunt cordi vestro, quæ in corde sedent, id est, quibus affixum est cor vestrum, scil. opes & divitias, ob quas congerendas committitis rapinas: quasi Christus hic radicem morbi evellere conetur, scilicet nimium amorem opum.

Quarto. Quarto & nervosius τὰ ἐνόντα, id est *inexistentia*, sive ea quæ insunt rei, sic accipias, q.d. Si vultis ut dicam quod res est, si rerum summam intimamq; veritatem audire vultis. Unde Syrus vertit, *id quod est*, id est, rei caput & conclusio, Arab. vertit, *ante omnia*, Noster, *quod superest*, q.d. Unicum vobis tantorum malorum remedium supereſt, scilicet eleemosyna: *quod tam multo scelere præoccupatis solum remedium restat*, ait Beda, sic & Franc. Lucas.

Quinto. Denique nonnulli τὰ ἐνόντα vertunt, *licita* τὸ ἐὸν, enim est id quod licet. q.d. Date ea quæ licet; date scilicet propria, non aliena; libera, non obligata filiis, & familiæ alendæ, vel aliis alio quovis titulo.

Et ecce omnia munda sunt vobis] Nonnulli censent hoc a Christo ironice dici. q.d. Vos, o Pharisæi, putatis omnes vestras rapinas, & crimina expiare eleemosyna, sed erratis. Quid enim prodest una manu dare, altera rapere? Verum passim Patres & Interpretes asserunt, hoc serio a Christo dictum; sed quo sensu? Primo, nonnulli hinc putarunt rapinas & furta a Deo remitti per eleemosynam, sine prævia restitutione. Ita Græci, si credimus Guidoni Carmelitæ; & S. Aug. Enchir. c. 75. asserit hac Christi voce nonnullos abusos ut flagitiose viverent, putantes se fore puros, & salvos, si facerent eleemosynas. Verum hic manifestus est error; nam, ut ait S. Augustus. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Restitutio enim alieni debita est omni jure, naturæ, divino, & humano.

Eleemosyna, quid? Secundo, S. Aug. serm. 30. de Verb. Dom. per eleemosynam accipit omne opus bonum, etiam pœnitentiæ, quo omne peccatum tollitur. *Quomodo enim*, inquit, *misericors es alteri, si crudelis es tibi? Miserere*, inquit, *animæ tuæ placens Deo.* Qui ergo de peccatis suis pœnitet, insignem animæ suæ facit eleemosynam. Et Beda: Eleemosyna est, ait, quidquid utili misericordia fit, ut pascendo, orando, corripiendo, &c. sic sensus erit, q.d. Date eleemosynam, studete bonis operibus, præsertim charitati & pœnitentiæ: hæc enim vos mundos efficient.

Eleemosyna mundat, quomodo? Tertio, & genuine, *omnia munda sunt vobis*. q.d. *Omnia*, scilicet interna & externa, anima & corpus, quæ vos aqua abluere & mundare putatis, longe melius & verius mundantur, & lavantur per eleemosynam debito modo factam, scilicet ex propriis (hæc enim sunt τὰ ἐνόντα, ut dixi) lavantur, inquam, quia eleemosyna remittit peccata venialia, ac pœnam mortalibus debitam, ad hæc disponit ad remissionem mortalium: impetrat enim a Deo gratiam excitantem ad pœnitentiam, qua peccata abolentur. Denique reipsa eleemosyna remittit mortalia, si fiat ex vera contritione: hæc enim includit amorem Dei super omnia, qui peccatum omne excludit.

Sensus ergo est. q.d. Eleemosyna omnia mundat; subaudi, si cætera, quæ alibi ad peccati remissionem Scriptura requirit, adsint, puta fides, spes & contritio, ac injuste ablatorum restitutio. Rursum omnia mundat, nisi te aliunde rursum inquines, & rapina aliove scelere immundum efficias: sic Christus & Paulus salutem tribuunt fidei, at non soli, sed pœnitentia, & charitate formatæ, uti sæpius monui.

Nota. Eleemosyna omne quidem peccatum tollit, uti explicant Origenes, Cyprian. Ambr. sed maxime sibi oppositum rapinæ & iniquitatis (ait S. Basilius loco citato) de qua v. 39. huic enim illam sic subjungit, & quasi remedium opponit Christus. Eleemosyna enim, & liberalitas sanat ipsam mali radicem, scilicet Pharisæorum avaritiam: ex hac enim oriuntur rapinæ, invidiæ & aliæ iniquitates. qui autem liberalis est & misericors, nemini invidet, nullius bona rapit, nemini facit injuriam. Quocirca *eleemosyna est filia deificantis charitatis*, ait Theophyl. & S. Cyrill. in Catena: Eleemosyna, ait, facit omnia munda, & jejunio est præstantior, non parvum eleemosynæ cataplasma, cum valeat omnibus apponi vulneribus. Vide dicta Daniel. cap. 4. 24.

Cætera, quæ hic subdit Lucas, audivimus Matth. 23.

Vers. 45 Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis] Græce ὑβρίζεις, id est, probro & injuria nos afficis, nos inhonoras, vilipendis, dedecoras, honorem nostrum adimis: nobis enim multa graviaq; scelera objicis, idque non clanculum, sed palam, & in os; hoc enim proprie est contumelia, quæ in hoc differt a detractione, quod hæc clanculum & secreto fiat, illa vero palam in os, unde illa famam proximi, hæc proprie ejus honorem lædit, vel aufert. Verum Christus taxabat hic Scribarum scelera non illo animo, ut eos dedecoraret, sed ut illa tolleret, ipsosque ad vitæ mutationem permoveret; aut certe si ipsi id facere nollent, eis auctoritatem adimeret, ne populus eis fidem haberet, eorumque pravam vitam, & doctrinam sequeretur. Ita Cyrillus in Catena, *Redargutio*, ait, *quæ mansuetos transfert in melius, superbis intolerabilis esse solet.* Et Beda: *Quam misera*, ait, *conscientia, quæ audito Dei verbo contumeliam sibi fieri putat?* Ita etiamnum improbi, dum concionatores vitia, quorum ipsi sibi conscii sunt, castigant, censent sibi ab eis contumeliam fieri, ideoque eos persequuntur & infectantur.

Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Vers. 47

Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra] Christus non reprehendit hic Scribas, eo quod ædificarent Prophetis sepulchra splendida, illorumque virtute & sanctitate digna: hoc enim laudabile est & pium; sed quod hæc eis ædificando, simul alios Prophetas, scilicet Christum & Apostolos, persequerentur, vellentque occidere, ut patet ex seqq. hic & Matth. 23. q.d. Recte, congrue & appositе, facitis, o Scribæ, ut, cum patres vestri Prophetas occiderint, vos quasi homicidarum filii, & parvuli eosdem sepeliatis, sicut Latrones solent viatores quos occiderunt, per se vel filios suos sepelire; licet enim videamini eos sepelire ex reverentia & zelo pio, tamen quia parentes vestros imitamini, dum mihi meisque mortem machinamini, estisque homicidæ homicidarum filii, recte & appositе ita accidit, ut ipsi Prophetas occiderint, vos eos sepeliatis, quasi implentes mensuram patrum vestrorum: pejus enim & sceleratius est me occidere, quod vos destinatis, quam si quis eum quem occidit, sepeliat. Quia ergo me vultis occidere, ostenditis quod patrum vestrorum Prophetarum-cidarum vestigia sequamini, ac proinde quod eorum sepulchra ædificetis, id non faciatis ex studio pietatis, sed vanitatis & hypocrisis, ut scilicet hoc pietatis fuco cædem, quam mihi paratis, contegatis & honestetis. Sic fere Euthymius, & patet ex Matth. 23. 29. vide ibi dicta. Hinc & noster Suarez sic explicat: Quia majores vestros imitamini in persecutione Christi, & Apostolorum, videmini magis sepulchra ædificare in memoriam egregii operis ab interfectore patrati, quam ob misericordiam & honorem Prophetæ ab eo interfecti.

An Christus Scribas de sepulchris Prophetarum sepulchris arguat?

Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis] q.d. Vos, o Scribæ, a populo abstuliſtis, vobis vendicastis, &, ut S. Ambrosius ait, usurpastis, (hoc enim est Græcum ἁρπατε,) clavem scientiæ, id est, potestatem, auctoritatem & officium docendi, & interpretandi legem & sacras Scripturas, ac per eas indicandi verum Messiam (qui non est alius, quam ego) veramque viam ad salutem, ut nemo eam scire possit, vel audeat, nisi vobis eam doctrina vestra aperientibus. Usurpastis, inquam, & depravastis illam, itaque populum a me Christo, ac salute, quam ego affero, avertistis, atque hac ratione quasi abstuliſtis clavem cæli, ut nemo illud, utpote clausum, ingredi valeat. Unde Matth. id explicans dicit c. 23. 13. *Clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Vide ibi dicta. Ita S. Ambros. Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 27. Accedit S. Cyrillus in Catena, qui per *clavem scientiæ* accipit legem, quæ erat signum justitiæ Christi. Additque: Est etiam fides clavis scientiæ, per eam enim fit veritatis cognitio, juxta illud: *Nisi crediderit is, non intelligetis:* isti ergo nec legem ad Christum ducentem, ut oportebat, interpretabantur, nec homines Christum credere permittebant, itaque viam salutis, & cælum eis occludebant.

Quænam hic clavis scientiæ?

Tropol. Tropolog. S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. Clavis scientiæ, inquit, est humilitas, quam nec ipsi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant. Alludit ad illud Isaiæ 22. v. 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Vide ibi dicta, æque ac Apoc. 3. v. 7. ad illa: *Hæc dicit sanctus & verus:*

A *verus: qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Hic est Christus.

VERS. 53 CUM AUTEM HÆC AD ILLOS DICERET, COEPERUNT PHARISÆI ET LEGISPERITI GRAVITER INSISTERE (græce δεινῶς ἐνέχειν) id est graviter urgere, premere, constringere; Noster videtur legisse ἐπέχειν, id est, instare, insistere, ita ut vix manus a vi & verbere continerent, sed eosdem redit sensus: ET OS EJUS OPPRIMERE DE MULTIS] Græce, ἀποστοματίζειν, id est, ab ore ejus elicere: notantes si quid illi excideret, quod aurguere possent, uti explicatur vers. seq. quod Belgæ vulgo dicunt, *Vermes ex naribus extrahere*: unde alii vertunt: *captiose interrogare*; Euthym. *extemporales responsiones dolosarum quæstionum expetere*; Theoph. *frequentes interrogare, & perplexum facere*. Noster Maldonatus censet nostrum Interpretem legisse ἐπιστομίζειν, id est, os obstruere. Verum Scribæ non volebant Christo os obstruere, sed variis querelis & quæstionibus eum premere, stimulare, stringere, ut cogerent eum aliquid contra legem vel Cæsarem dicere, quo eum accusarent. Dicebant ergo, v. g. Tu, o Jesu, v. 20. rifisti nostras cæremonias, & ritus lotionum; ergo tu damnas traditiones patrum nostrorum. Tu vers. 42. culpasti nos, quod decimemus mentham, &c. ergo tu carpis legem, quæ decimas sanxit. Tu v. 43. taxasti nos, quod amemus primas cathedras, ergo redarguis Mosen, qui illas nobis assignavit. Tu v. 47. carpsisti nos, quod ædificemus monumenta Prophetarum; ergo Prophetas honorari & coli vetas. Tu v. 52. eripuisti nobis clavem scientiæ: atqui hanc Synagoga tota nobis attribuit. Vis ergo evertere ordinem hierarchicum Doctorum & sacerdotum, a Deo & Ecclesia sancitum? vis plus sapere quam sapuit Moses? vis legem corrigere, & novam inducere.

VERS. 54 INSIDIANTES EI, ET QUÆRENTES ALIQUID CAPERE (græce, θηρεῦσαι, id est, *venari*) DE ORE EJUS, UT ACCUSARENT EUM] apud Caipham pontificem, vel apud Pilatum Cæsaris præsidem. Nam, ut ait Euthymius, *putabant repente & de improviso in errorem omnino illum inducere: verum sapientissime dissolvebat omnia, facileque respondebat*: quia nil nisi bene præmeditatum respondebat, & quia animo sedato sine ira aliave passione loquebatur: Scribæ enim variis interrogationibus eum pungebant ut irascceretur, vel certe ex furore animi aliquid diceret liberius vel audacius, quod cavillari possent, uti multi fervore disputandi ultra metas veritatis vel discretionis abripiuntur, dicuntque ea, quæ antea non cogitarant, & quorum postea eos pœnitet, imo quæ subinde retractare vel luere coguntur. At Christus fervorem animi summa moderatione, prudentia, & pace temperabat, ut nil nisi verum, solidum, tranquillum, & sanctum loqueretur.

CAPUT XII.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHristus docet Primo, fugiendam esse hypocrisin, nec timendos esse homines, qui corpus possunt occidere, sed Deum, qui animam potest perdere.

D *Secundo, v. 13. docet cavendam esse avaritiam, ac nimiam solicitudinem victus, vestitus, &c. studendum vero eleemosynæ.*

Tertio, v. 35. monet nos semper paratos esse debere ad diem mortis & judicii, utpote incertam, & inopinatam.

Quarto, v. 49. asserit se venisse ut ignem, crucem & separationem ab amicis mitta in terram.

Primam partem audivimus Matth. c. 16. 6. & c. 10. v. 26. & seq. & c. 12. 32. Secundam magna ex parte Matth. 6. 20. & seq. Tertiam Matth. 24. 43. & seq. Quartam ex parte Matth. 10. 34. & seq. Quare pars secunda & quarta hic explicanda supersunt.

MUltis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur.

3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. E

4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.

5. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.

6. Nonne quinque passeres væneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo?

7. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos.

8. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis F
Dei:

9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

10. Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

11. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite soliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis.

12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

13. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.

14. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?

15. Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. G

16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit:

17. Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?

18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea.

19. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?

21. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. H

22. Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

23. Anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum.

24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?

25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

26. Si ergo neque quod minimum est, potestis, quid de cæteris soliciti estis?

27. Considerate lilia, quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis: nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.

28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei?

29. Et

Digitized by Google

A 29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli:

30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis,

32. Nolite timere pusillus rex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

33. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.

B 36. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secunda, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam; an & ad omnes?

42. Dixit autem Dominus: Quis, putas, est C fidelis dispensator, & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

43. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, inveniet ita facientem.

44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

45. Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari;

46. Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis:

48. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui D multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?

50. Baptismo autem debeo baptizari: & quomodo coarctor usque dum perficiatur?

51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem:

52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, & duo in tres.

53. Dividentur pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

54. Dicebat autem, & ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.

55. Et cum austrum flantem, dicitis: Quia E æstus erit: & fit.

56. Hypocritæ, faciem cæli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?

57. Quid autem & a vobis ipsis non judicatis quod justum est?

58. Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

MULTIS AUTEM TURBIS (græce μυριάδων τ ὄχλου, id est, *myriadibus turbæ*: myrias præcise continet decem millia, sed inde consequenter sumitur pro innumera multitudine, ut sic hic) *concurrentibus*; corrige cum Roman. CIRCUMSTANTIBUS] Græce ἐπισυναχθεισῶν, id est, simul aggregatis, collectis & adunatis. F VERS. 1

ATTENDITE A FERMENTO PHARISÆORUM, QUOD EST HYPOCRISIS. NIHIL AUTEM OPERTUM EST, QUOD NON REVELETUR] q.d. ait Beda: *Attendite ne æmulemini simulatores, quia veniet profecto tempus, in quo & vestra virtus omnibus, & eorum reveletur hypocrisis.* VERS. 2

Cætera explicui Matt. 10. 26.

NONNE QUINQUE PASSERES VÆNEUNT (venduntur) DIPONDIO] Græce, *duobus assariis*. As vel assarion genus est nummi ærei, quod & libella dictum est, eo quod libræ pondus haberet, quales decem valebat denarius, numinus argenteus: cum ergo denarius valeat quinque stuferos Belgicos, ac decem bajocos Romanos, sequitur quod assarion erat idem quod bajocus: porro assarii duplum dicebatur dipondius, vel dupondius, a duobus ponderibus, quia scilicet duos asses ponderabat. Ita Varro. Porro Matthæus cap. 19. v. 29. ait: *Nonne duo passeres vaneunt asse?* Unde recte, & conformiter Lucas hic ait: *Nonne quinque passeres vaneunt dipondio?* id est duobus assibus. Recte autem Jansenius notat hæc intelligi de assibus non libralibus, sed sextantariis, vel unciariis, ideoque græce diminutive vocari *assaria*. Assarion enim, ut ait Euthym. non significat assem, cum sit ejus diminutivum, sed genus minimi nummi, & oboli. Vide dicta Matt. 10. 26. VERS. 6 Dipondius quid?

AIT AUTEM EI QUIDAM DE TURBA: MAGISTER, DIC FRATRI MEO UT DIVIDAT MECUM HÆREDITATEM] q.d. Frater meus mihi injurius, solus vult occupare hæreditatem paternam, nec eam mecum partiri: jube ergo illi, ut id faciat. Tu enim tua auctoritate id verbo perficies, quod ego per judices multis litibus perficere non potero: tuum enim est justitiam rueri, & oppressos sublevare: tu enim es justitiæ patronus. VERS. 13

AT ILLE DIXIT: HOMO, QUIS ME CONSTITUIT JUDICEM AUT DIVISOREM SUPER VOS?] *Homo:* sic more Hebræo vocat ignotum, uti & Petrus, c. 21. v. 58. *O homo, non sum:* & v. 60. *Homo, nescio quid dicis.* Sensus est. q.d. Hoc judicium est forensium, qui terrenam; non meum, qui celestem hæreditatem doceo, & dispectior. Non ergo negat hic Christus se habere potestatem judiciariam: ipse enim erat Rex regum, & Dominus dominantium: sed ea hic uti noluit apud hominem cupidum, ut illi cupiditatem eximeret, ac terrena præ cælestibus contemnere, iisque ultro cedere doceret, juxta illud cap. 6. 29. *Abeo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Bene terrena declinat*, ait S. Ambrosius, *qui propter divina descenderat*, &c. *Unde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cælestium gestiebat corruptibilibus occupare*; simul ut doceret Ecclesiasticos, & spirituales viros sæcularia non debere tractare, sed divina, juxta illud Pauli 2. Timoth. 2. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Ita S. Ambros. Euthym. Beda, & Lyran. ex S. Augustino serm. 196. Id intellige, nisi fidelium pax, charitas & pietas aliud exigat, qua de causa olim Episcopi sæculares fidelium lites dijudicabant, uti se fecisse testatur S. Augustinus lib. de Opere Monachor. c. 29. G VERS. 14

DIXITQUE AD ILLOS (tum discipulos suos, ut habet Syrus, tum ad turbam præsentem; præsertim ad illum, qui cum fratre de hæreditate dividenda contendebat) VIDETE, in hac contentione fratrum quanta damna VERS. 15

H

infe-

Digitized by Google

A inferat avaritia; dum enim unus avare non vult hæreditatem cum fratre dividere, alter nimis cupide, & intempestive divisionem urget, oriuntur lites & dissidia fratrum, aut *videte*, ET CAVETE, id est attente cavete (ut sit hendiadys) AB OMNI AVARITIA; græce, πλεονεξία, id est, *cupiditas*, q. d. Non solum cavete a cupiditate rapiendi aliena, sed etiam a nimia aviditate conquirendi vestra: qui enim nimis inhiant opibus terrenis, negligunt cælestes. Ita August. serm. 28. de diversis, explicat τὸ *ab omni*. *Non solum*, inquit, *avarus est qui rapit aliena, sed etiam ille avarus est, qui cupide servat sua*. Porro Arabicus vertit, *videte & cavete ab omni malo*, quia omnis mali causa est avaritia, juxta illud 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas;* QUIA NON IN ABUNDANTIA (græce, οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν, id est, *in abundare*) CUJUSQUAM VITA EJUS EST EX HIS QUÆ POSSIDET] q. d. Non quia abundat quis opibus, idcirco etiam vita ejus est abundans, ut scilicet sit longior & beatior ob multa quæ possidet; quin potius brevior est & miserior, ob sollicitudinem & luxū, quæ duo multas divitias sequi, & comitari solent. Unde Syrus vertit, *non in abundantia divitiarum est vita*; Arabicus, *quia non est abundantia homini in multis bonis suis*.

B q. d. Abundantia vitam non prolongat, sed potius abbreviat. Audi Theophyl. *Non continetur vitæ mensura abundantia: neque enim qui multa possidet, diutius vivit, neque comitatur divitiarum multitudinem vita longævitas.* Et Euthymius: *Non quia homo quispiam divitiis abundat, vitæ ejus abundat ex tali abundantia: non secundum hanc accedit vitæ mensura.*

Sensus est, q. d. Tu, o homo, qui avide petis tuam partem hereditatis a fratre, illam petis ut diutius & commodius vivas. At erras, quia divites, ob curas & epulas, quibus indulgent, sæpe brevis & miseræ sunt vitæ; vis ergo diu & commode vivere? sperne opes, esto pauper spiritu, spes opesque tuas in uno Deo repone. Deus enim solus longævitatis & felicitatis est dator; ut hoc ostendat Christus, adhiber sequentem parabolam. Audi S. Ambr. de Abel & Cain l. 1. c. 5. in fin. *Si quæris thesauros, accipe invisibiles & occultos, quos in cælis altissimis, non quos in terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu, & eris dives, qualicumque censu, quia non in abundantia divitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. Iste* C *te divitiæ verum divitem facient, si sis in Deum dives.*

VERS. 16 DIXIT AUTEM SIMILITUDINEM (græce, *parabolam*) AD ILLOS, DICENS: HOMINIS CUJUSDAM DIVITIS UBERES FRUCTUS AGER ATTULIT] *Ager*; græce; χώρα, id est regio, agrorum multitudo.

VERS. 17 ET COGITABAT INTRA SE DICENS: QUID FACIAM, QUIA NON HABEO QUO CONGREGEM FRUCTUS MEOS?] En tibi curæ, en pauperias divitis; eget loco qui abundat opibus & loculis. *Hæret*, ait Euthym. *& angitur tamquam admodum pauper, quia nimium locuples*, indiget loco, in quo fruges recondat. Et S. Basilius homil. in hæc Christi verba: *Non redditus fert ipsa terra*, ait, *sed gemitus producit. Peræque enim ac egestate pressi, miser afflictatur & ejulat* (dicens: Quid faciam?) *an non talem edit vocem, cui propter paupertatem angustæ res sunt, quique mendicat? Ex omnibus, quibus domi affluit, nihil percipit gaudii, sed illa animum ejus pungunt & lancinant.*

FRUCTUS MEOS] *Nondum*, ait S. Basilius, *collegit fructus, & jam avaritiæ judicium incurrit*, dum suos BUNCUPAT: *quot enim pericula imminent ante fructuum collectionem? nam & grando sæpe confringit, & æstus ex mediis manibus rapit, & pluvia intempestive e montibus erumpens inutiles facit.*

D Et DIXIT: HOC FACIAM; DESTRUAM HORREA MEA, ET MAJORA FACIAM (græce, *majora ædificabo*) ET ILLUC CONGREGABO OMNIA, QUÆ NATA SUNT MIHI VERS. 18 hoc anno, ET BONA MEA] cætera, quæ prioribus annis collegi. Consilium capit a cupiditate, quæ ei non a charitate dixisset: Eroga ea in pauperes. Quæris horrea? *habes horrea, scilicet ventres pauperum*; ait S. Basil. & S. Ambr. l. de Naboth c. 7. *Habes*, ait, *apothecas, inopum sinus, viduarum domos, orphanorum & infantium ora: ista sint tibi apothecæ, quæ manent tecum in æternum.* Rursum S. Basilius hom. jam dicta, *Spoliator*, ait, *est qui cum dispensanda receperis, propria reputat; panis est famelici, quem tenes: nudi tunica, quam servas: indigentis argentum, quod terræ infossum possides: quare tot indigentibus injuriam facis, quot alere posses*. Additque: *Et cum impleveris horrea, quia tum facies anni insequentis messe? Rursus horrea destrues, & majora novaque semper ædificabis: fruges ergo opesque tuas semper in vetera destruendo, & nova ædificando, insumes, & absumes, ut in terram suam redeant fruges, quæ a terra natæ sunt, quia tu in pauperes eas erogare non vis, quia illarum usum hominibus invides, ut omnibus ad te retractis, omnes earum prives utilitate, imo te ipsum: sicut enim frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit, sic panis in esurientem projectus multam tibi in posterum reddet utilitatem.* E

ET DICAM ANIMÆ MEÆ: ANIMA, HABES MULTA BONA POSITA IN ANNOS PLURIMOS: REQUIESCE, COMEDE, BIBE, EPULARE] Rursum errat & peccat hic dives. Primo, promittendo sibi annos plurimos, cum sequenti nocte sit moriturus. Qui sibi longa tempora promittebat, diem sequentem non vidit, ait S. Greg. 22. Moral. c. 6. Unde S. Cyrillus in Catena: Habes quidem, ait, o dives, in horreis fructus, sed annos plurimos unde habes? Secundo, dando se gulæ & luxuriæ, dicens: *Comede, bibe, epulare*, quasi Epicureus, *quia post mortem nulla voluptas.* VERS. 19

REQUIESCE] Cum peste avaritiæ jungitur pestis desidiæ, ait glossa. Unde S. Basil. *Si porcinam*, ait, *habuisses animam, quid aliud ipsi enunciare potuisses? Itane pecuinus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam ut exceptes carnalibus epulis, & quecumque alvi secessus recipit anima destines?* &c. *Jam quando terrena sapis, & Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus vitiosis affectibus obsequeris, audi te dignam appellationem. Stulte, hac nocte animam ab te repetent.* Hæc Basilius. F

Sapienter monet S. Ambr. lib. 2. de Interpell. in Job c. 5. *Magna*, inquit, *illecebra delinquendi est, rerum affluentia secundarum: supinas, extollit, oblivionem auctoris infundit*, &c.

DIXIT AUTEM ILLI DEUS: STULTE HAC NOCTE ANIMAM TUAM REPETUNT A TE: QUÆ AUTEM PARASTI, CUJUS ERUNT?] *Dixit*, non verbo, sed facto, immittens illi febrim, aliumve morbum lethalem, quo effecit, ut diviti conscientia sua hæc dictaret. Unde Euthym. *Hæc ei dixit*, ait, *per conscientiam: tunc enim conscientia mortem sentiens talia disserit.* VERS. 20

STULTE] quia in consilio tuo, in quo tibi sapiens videbaris, nunc stultum te fuisse vides,

HAC NOCTE] In nocte ablata est anima, quæ lucem considerationis habere noluit, ait S. Greg. lib. 15. Moral. quæque tendebat ad tenebras gehennæ, ut idem Gregor. notat lib. 2. Moral. c. 2. G

REPETUNT, scilicet Deus, ejusque angeli quasi exactores Dei, non casu, sed justo Dei judicio *repetunt*; quasi ab invito, ANIMAM A TE] ut omnium frugum opumque, quas tibi Deus dedit, omniumque rerum tuarum rationem ei reddas. Ita Toletus. Rursum *repetunt*; quia anima tua non moritur cum corpore, sed est immortalis. Ad hæc anima tua non est tua, sed Dei, qui tibi illam inspiravit, illamque tibi ut depositum credidit: jure ergo per instantem mortem illam nunc a te repetit.

Audi de morte cuilibet imminente S. Hier. epist. 3. ad Heliodorum: *Xerxes ille rex potentissimus, qui subvertis montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus! jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa: & non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio desituros.*

QUÆ AUTEM PARASTI, CUJUS ERUNT?] *Non solum tibi non cedent*, ait Euthym. *non solum tua non erunt, sed nec manifestum tibi est, cujus erunt, utrum hæredis an peregrini? amici an inimici? quod ipsum etiam mœrorem adauget.* Addit S. Jac. c. 5. 3. *Manducabunt carnes tuas sicut ignis*. Vide ibi dicta. Vere S. Ambr. *Non nostra sunt*, inquit, *quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ tabernacula defunctis acquirit æterna.* Vide S. Aug. hom. 48. inter 50. ubi inter cætera ait: *Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus*. Vere Sapiens: *quod*, inquit, *commodavit fortuna, tollet: quod mutavit natura, repetet: quod paraverit virtus, retinebit.* Vide quæ de vanitate & pernicie divitiarum ex Patribus congessi Isaiæ 5. 9. H

SIC EST QUI SIBI THESAURIZAT, ET NON EST IN DEUM DIVES] q. d. Talem finem, talem exitum sortietur dives avarus, qui sibi, non Deo thesaurizat. Quæres VERS. 21

quis

Digitized by Google

A quis sit *dives in Deum*? Resp. Primo, *in Deum*, id est apud Deum dives, vel, ut ex Græco πλουτῶν vertas, *ditescens*, est qui per eleemosynam aliaque bona opera, multa merita & præsidia apud Deum quasi reconditas divitias habet, & in dies majores recondit, uti fuse docet Apost. 1. Timoth. 6. 17. & seq. Vide ibi dicta.

In Deum dives quid? Resp. Primo.

Secundo.

Secundo, *in Deum*, id est *in Deo*, ut vertit Arabicus, dives est, qui soli Deo studet placere, qui in Deo omnem spem & amorem defigit, qui in Deo totus conquiescit, ut ab eo beetur, eoque perfruatur in æternum. Unde Glossa: In Deum dives est, inquit, cujus expectatio est Dominus, cujusque substantia est apud Deum. *Deo dives*, ait S. Aug. ser. 28. de Verbis Apostoli, *est inops auri*, puta pauper spiritu, qualis erat Petrus dicens claudo; *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi surge & ambula*, Actor. 3. Idem in Ps. 39. Christus ait. *cum dives esset, pauper factus est, ut ipsius paupertate vos ditaremini*. Veros pauperes ditat, falsos divites pauperat, juxta illud: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Matth. c. 5. *Conemur*, itaque ait Theolat. *divites fieri in Deum, hoc est, ut in illum fiduciam habeamus, & ut ille habeat nostras divitias & divitiarum cellam, ne dicamus bona nostra, sed bona Dei: Si autem Dei sunt bona, ne privemus Deum bonis suis. Hoc est ditari in Deo, credere quod si omnia dedero, & evacuavero me totum, non me aliquid rerum necessariarum defecturum est. Promptuarium enim meum Deus est: aperiam & tollam necessaria, & ea, quibus mihi opus fuerit.*

B

Tertio.

Tertio, *dives*, id est largus, *in Deum*, est qui est liberalis in pauperes, quod enim eis fit, Deus sibi factum æstimat, & præmiat. Unde Beda, *Qui vult*, inquit, *in Deum esse dives, non sibi thesaurizet, sed pauperibus possessa distribuat*. Hic sensus bonus est, sed partialis. Nam non agit hic Christus præcise de eleemosyna, sed de veris divitiis, quas docet esse, non fruges & opes terræ, sed virtutes & bona opera: has enim parere vitam longævam & beatam, tum in hoc sæculo, tum potius in futuro.

Quarto.

Quarto, S. Aug. ser. 44. de Temp. divitem Deo esse docet eum, qui plenus est charitate, ideoque Deo: *Deus enim est charitas, & qui habet charitatem, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joann. 4. Audi S. Aug. *Si charitatem habes, Deum habes. Quid habet dives, si charitatem non habet? pauper si charitatem habeat, quid non habet? tu forte putas, quod ille sit dives, cujus arca plena est auro, & ille non sit dives, cujus conscientia plena est Deo? Ille vere dives esse videtur, in quo Deus habitare dignatur.*

C

Denique dives apud Deum, est abundas omni virtute, uti pulchre & fuse explicat S. Ambros. lib. 4. epist. 27. ad Simplicianum, cujus verba recitavi 1. Petri 3. v. 4. ad illa: *In incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

Anagog.

Anagogice, divites Deo sunt beati, qui Deo, omnibusque Dei opibus perfruuntur. Unde S. Aug. serm. 74. de Temp. concludit solos beatos esse divites, tum quia Deum possident, tum quia nullius indigent. *Ille*, inquit, *vere dives est, qui nullius eget: atqui soli Beati nullo egent: ergo soli Beati sunt divites*. Hinc idem Augustinus præfat. in Psalm. 40. Christus, ait, *dives erat apud Patrem; & pauper apud nos; dives in cælo, pauper in terra: dives Deus, pauper homo.*

Quocirca sapienter S. Ambros. ep. 33. ad Demetriadem: *Quo*, inquit, *pretio quies hujus temporis aptius comparatur, quam ut ipsi mundo omnes divitiæ, omnes dignitates & universarum cupiditatum materia refundantur, & sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas, fiantque filii Dei paupertate divites, de patientia fortes, de humilitate sublimes?* Et nonnullis interjectis: *Unde si vere intelligatur contemptus iste rerum præsentium, ad quæ tendat & qualia concupiscat, nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil invenietur electius, quæ sacratissimis desideriis universa transcendunt, neque ad ullam creaturam quamvis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium & invisibilium ambiunt creatorem, cui appropinquare, clarescere est; quem timere, gaudere est; cui servire, regnare est.*

D

In sublime tolli quid? Primo.

Secundo.

Et NOLITE IN SUBLIME TOLLI] Græce μὴ μετεωρίζεσθε, quod varii varie explicant. Primo, Clemens Alexand. l. 2. Pædog. c. 10. explicat. q. d. Nolite a veritate abduci, ut altiora sapere velitis, quam fides & veritas docent.

Secundo, S. Augustin. lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 29. explicat. q. d. Nolite superbire ex eo, quod abundetis victu & vestitu. Nam tale est superbire, cum quis abundat alimentis, ut si vulneratus se jactet quod multa domi habeat emplastra, cui bonum esset ne uno quidem indigere, ait S. Augustinus.

E

Tertio.

Tertio, Euthymius. q. d. Nolite a sublimibus & cælestibus ad terrena detrahi, ut non cælestia, sed terrestria sapiatis & ambiatis.

Quarto.

Quarto, Theophyl. q. d. **Nolite esse animo instabili**, semper sublimius aliquid imaginantes, ut faciunt qui præsentibus non contenti, semper ad majora respiciunt.

Quinto.

Quinto, & optime, μὴ μετεωρίζεσθε, id est, ne meteora quæ supra vos sunt, v. g. siderum constellationes & concursus, nubium discursus, ventorum flatus, &c. anxie contemplemini, ut ex iis de futura annonæ copia vel inopia judicetis, & prospiciatis, juxta illud Jer. 10. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes*. Et illud Eccles. 11. 14. *Qui observat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, numquam metet*: Ita Toletus, Vatablus & alii. Unde Vatablus vertit, *nolite esse anxii, quasi præ sollicitudine vultu ad cælum obverso*. Aut q. d. Ne animo pendeatis, velut in aere penduli, ad varia humana & creata præsidia varie respectantes, nec in Dei providentiam defixi. Unde Arabicus vertit, *ne sollicitis sitis*. Omnia enim hæc spectant eo, ut Christus nobis eximat nimiam sollicitudinem de victu ac vestitu, ac imprimat nobis firmam confidentiam in Deum, ut ab ejus paterna providentia secure hæc omnia expectemus. Græce enim μετέωρος vocatur, qui est animi dubius, suspensus, necdum mente fixus, sed ex eventu consulturus, &, ut Gaza vertit, *pensilis*.

F

Hinc alii vertunt, *nolite ex alto speculari*, quod vulgo dicimus, nolite longos facere discursus, quasi nullum divinæ providentiæ locum relinquentes, vel de ea dubitantes. Et Franc. Lucas: Ne, inquit, in sublime tollamini, ut scilicet procul ventura sollicite prospiciatis, ut in longum tempus futuris necessitatibus corporis consulatis & provideatis, ut in longe futurum tempus distendatis sollicitudinem de victu & vestitu, quod clare explicat Matth. 6. 34. dicens: *Nolite solliciti esse in crastinum*. Hæc omnia eodem redeunt, vetantque nimiam futuri sollicitudinem, ac jubent futura resignare divinæ providentiæ, in eaque confidere & secure conquiescere. Hoc Christi præceptum secutus S. Francisc. voluit, sanxitq; suos in diem vivere, nihilq; in crastinum reservare, sed quod diurno victui superest erogari in pauperes, certo confidentes Deum crastino victui provisurum; uti Deus Eliæ & Paulo primo Eremitæ quotidie panem per corvũ transmisit, ac filiis Israel (facile erant tres hominum milliones) in deserto quotidie manna sufficiens ad diurnam sustentationẽ, de cælo depluit per 40. annos, quin & vestes eorum illæsas integrasque conservavit, imo cum pueris crescentibus illas pariter crescere effecit.

G

VERS. 32 NOLITE TIMERE, ne victus & vestitus vobis desit, si sollicitudine deposita possessiones vendatis & detis pauperibus, neve hæc non adjiciantur vobis, si primum quæratis regnum Dei, PUSILLUS GREX,] id est parvus, Primo, quia tum pauci erant fideles, iique pauperes, vel conditione & censu, vel electione & sensu, sive spiritu; spernebant enim divitias terræ, ut anhelarent ad cælestes, ideoque coram mundo erant pusilli, id est viles & despecti: jam vero fide & religione Christi per totum orbem dilatata, ut reges quoque & principes ei se subdant, non est pusillus grex, sed amplissima & potentissima Ecclesia. Secundo, grex hominũ fidelium est pusillus, si conferatur cum angelis, qui sunt innumeri, ait Euthym. juxta illud: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, Daniel. 7. Tertio, pusillus est grex fidelium, si comparetur cum maxima multitudine infidelium & impiorum.

Pusillus grex, cur?

H

Addit Beda: dicitur *pusillus grex ob humilitatem, vel ad comparationem majoris numeri reproborum*. Tunc enim fideles omnes exemplo Christi ad Christianam humilitatẽ & paupertatem sponte sese demittebant, præsertim Apostoli & discipuli Christi; unde iis ait Christus: *Vendite quæ possidetis*. Græce est, μὴ φοβοῦ τὸ μικρὸν ποίμνιον, id est, *ne time parvus grex*, vel pusillus: unde liquet τὸ *pusillus* esse nominativi casus, sed nominativus ponitur hic, ut & alibi sæpe pro vocativo. Apostolos enim vocat & compellat continuo hic Christus. Sic Livius ait l. 1. *Audi populus Albanus*, & Virg. *Projice tela manu sanguis meus*, id est sanguis mi. Et: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, id est Agne Dei, nervosior enim & significantior hic est nominativus, quam si ponerentur ipse in se vocativus. Quare licet exponi posset supplendo nonnulla. q. d. Nolite timere vos, qui estis pusillus grex, ut maneat nominativus; tamen brevius & nervosius nil supplendo, nominativus ponitur pro vocativo. Nolite ergo timere, o fideles, quia licet sitis pusillus grex;

Digitized by Google

A tamen Deus vos magni æstimat, magnamque & singularem vestri gerit curam, ac Christus Dominus est pastor vester, qui vos abunde pascet, juxta illud: *Ego sum pastor bonus*. Joann. 10. 11. & illud; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*, Psalm. 21. Audi B. Petrum Chrysolog. serm. 22. *Grex pusillus mundo, magnus est Deo*; & serm. 33. *Acquisivit humilitas, superbia quod amisit, & grex pusillus ac mitis, totas, & varias edomuit propria mansuetudine feritates: pusillus grex vicit ac fregit tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit jugo Christi nationum*; idque fecit non feriendo, sed patiendo; non pugnando, sed moriendo pro Christo.

QUIA COMPLACUIT PATRI VESTRO DARE VOBIS REGNUM] *Vobis*, non pigris, non otiantibus, non in sola Dei misericordia præsumentibus, sed verba jussaque mea audientibus, & reipsa exequentibus, ideoque crucem post me portantibus, passiones vestras mortificationibus, bonis operibus assidue incumbentibus. *Dare* non absolute, sed conditionate, si videlicet in mea fide, amore & obedientia usque ad mortem perseveretis: nec enim Judæa Christo postea desciscenti datum fuit hoc regnum. Rationem dat Christus, cur discipuli licet pusilli & pauperes, non B debeant timere, ne necessaria eis desint. q. d. Cum Deus vos ita amat, ut destinet ad opes cælestes, ipsumque Dei cælique regnum, utique non negabit opes hasce viles terræ, in quantum illæ necessariæ sunt, ut tendatis ad regnum cæleste; illudque verbo & vita evangelizeris. Ita S. Cyrill. in Catena; qui *tam pretiosa largitur*, ait, *quomodo non erit clemens erga vos ut alat, sed sinat vos fame mori?*

VENDITE QUÆ POSSIDETIS, ET DATE ELEEMOSYNAM] VERS. 33 Consilium est, non præceptum, ut volebat Pelagius, dicens omnes Christianos debere esse pauperes ex præcepto Christi. Nam hoc esse consilium, patet ex verbis Christi Matth. 19. 17. & 21. *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia*, &c. Sensus ergo est, q. d. Ut studeatis perfectioni Evangelicæ, vendite quæ possidetis, & pretium date pauperibus, ut me pauperem spiritu in simili paupertate sequamini, ac mecum contemnatis opes terrestres, ut obtineatis cælestes. Insuper id facite hoc fine, ut ostendatis vos non esse solicitos de victu & vestitu, sed totos pendere a Dei providentia, ab eoque expectare vitæ necessaria quæ regnum suum quærentibus ipse promisit. Hac de causa hoc Christi consilium secuti primi Christiani, omnia sua C vendebant, & pretium ponebant ad pedes Apostolorum, ut ipsi illud inter pauperes fideles distribuerent. Act. 2. 3. & 4. Ita Beda: Nolite, ait, timere defutura vobis necessaria vitæ, quin etiam possessa vendite ob eleemosynam; quod tunc digne fit, quando omnibus spretis ex labore manuum quis vivit, & eleemosynam dat.

FACITE VOBIS SACCULOS (græce, βαλλάντια, id est, marsupia, crumenas, bursas) QUI NON VETERASCUNT, ac proinde ex quibus excidere & perdi nequeat pecunia spiritualis eleemosynæ, uti sæpe excidit & perditur pecunia temporalis ex sacculis & crumenis divitum, vetustate attritis & lacertis. Sacculi hi non veterascentes, sunt sinus pauperum, ac magis mens & memoria Dei, in qua quasi in sacculo servat Deus vestras eleemosynas & bona opera, ut amplissimam eorum mercedem vobis in die judicii retribuat. Id explicat subdens, THESAURUM NON DEFICIENTEM IN CÆLIS, repete *facite*, & parate vobis per opera pietatis & charitatis: QUO FUR NON APPROPIAT, NEQUE TINEA CORRUMPIT] Hinc recte infert Chrysolog. D serm. 25. *Quid ergo cum terra illi, qui possidet cælum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata a malabonis sunt gratiora collatis.*

UBI ENIM THESAURUS VESTER EST, IBI ET COR VESTRUM ERIT] VERS. 34 Hæc est ratio a priori, cur dixerit, *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*; ut scilicet ostendatis vos habere cor non in ære, sed in æthere: quia ubi thesaurus est, ibi est & cor; si ergo thesaurum vestrum, per eleemosynam collocetis in cælo, ostendetis pariter cor vestrum fixum esse in cælo, non in terra; in Deo, non in auro. Thesaurus enim hominis est id, quod ipse amat, charum habet, magni æstimat, in quo spem suam reponit, &c. Cætera require Matth. 6. 20.

SINT LUMBI VESTRI PRÆCINCTI, ET LUCERNÆ ARDENTES IN MANIBUS VESTRIS, ET VOS SIMILES HOMINIBUS EXPECTANTIBUS DOMINUM SUUM, QUANDO REVERTATUR A NUPTIIS] VERS. 35 & 36. Syrus, *sint præcincti vestri lumbi, & accensæ lucernæ vestræ*. Sic & Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus & Persicus. Hæc sic cum præcedentibus conE nodat, Dicerat Christus complacuisse Patri dare illis regnum; vendite ergo quæ possidetis & date eleemosynam, ut per eam hoc regnum ematis: nunc urget ut ad hoc regnum, velut instans, studiose se comparent, ac præcincti lumbis, viam ad illud omni alia cura abjecta ineant, & capessant. q. d. Estote parati, & omnibus virtutibus, bonisque operibus & meritis, præsertim eleemosynæ & contemptus opum, instructi, ut Christo Domino e cælo & cælestibus nuptiis gaudiisque ad vos in morte ad judicium animæ vestræ revertenti, digne occurratis, ac ab eo cælo adjudicari, & in cælum deduci mereamini.

Alludit ad ritum Orientalium, quales erant Hebræi & Syri, apud quos mos erat longioribus vestibus & tunicis indui, quas iter facturi, vel laboraturi, aut ministraturi præcingebant, ut essent expediti ad iter & ministerium, ne ab eo ex vestibus ad genua & tibias assidue allisis impedirentur, ut patet Tobiæ 5. 5. & 3. Reg. 18. 46. infra v. 37.

Mystice, lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam (cujus, uti & seminis, origo est in lumbis) per continentiã coarctamus, ait S. Greg. hom. 13. & S. Aug. ser. 39. de Ver. Dom. S. Basil. Isai. c. 15. Beda & alii. Audi Chrys. ser. 24. *Lumbos nostros astringi jubet baltheo castitatis, & totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis, ut carne succincta ad Domini occursũ liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus.* F

Porro hæ duæ sententiæ v. 35. & 36. possunt simul conjungi cum Maldonat. ut unam eamdemque contineant parabolam: possunt etiam disjungi cum Jansenio, ut duas contineant, unam lumborum præcinctorum, & lucernarum ardentium, alteram servorum expectantium dominum a nuptiis revertentem.

Quocirca hæc gnome a variis varie exponitur: varii enim sunt cingentes se, nimirum operarii, ministri, viatores, nuncii, milites, bajuli, continentes, ac varia sunt eorũ cingula; scilic, operarii cinguntur cingulo laboris, ministri ministerii, viatores & nuncii viæ, milites militiæ, quod est cingulũ strenuitatis; bajuli cingulo constantiæ & patientiæ, continentes continentiæ, mortificationis & pœnitentiæ. Lumbi præcincti;

Primo, ergo de operariis lũbos ad opus præcingentibus, sic exponit Theoph. *Sint lumbi vestri præcincti*, hoc est omnibus modis parati estote ad opera Domini vestri, & *lucernæ ardentes in manibus vestris*, hoc est, ne in tenebris & absq; judicio versemini, sed sit vobis lumen verbi, quod monstrabit vobis quæ facienda, & quæ non facienda sint. Est igitur G hic mundus nox. Sic quoq; exponit Euthym. & Titus, q. d. Parati & prompti estote ad omne bonum aggrediendum. Primo:

Secundo, de ministrantibus Christo & pauperibus per eleemosynam (de hac enim sermo proxime præcessit) exponunt alii. q. d: Præcingite lumbos, ut sitis expediti & agiles ad ministrandum Christo & pauperibus: qua de re extat pulchra visio in vita S. Joannis Eleemosynarii, qui promptissimus semper erat ad dandum cuique petenti eleemosynam, cap. 29. ubi dux ad mutuum præstandum tardior, visione centuplæ remunerationis docetur esse celerior. Secundo,

Tertio, de viatoribus lumbos ad iter præcingentibus explicant alii. q. d. Præcingite lumbos, ut sitis expediti ad iter in cælũ, de quo sermo præcessit: ad illud enim grandis vobis restat via. Nam cælum empyreum plusquam ducentis millionibus milliariũ distat a terra, uti ex P. Clavio ostendi Gen. 1. Quare etiamsi quotidie per centum milliaria recta sursum ascenderes, necdũ post ducentos annos ad empyreum pervenires. Qua de causa, cum hoc tibi sit impossibile, Deus statuit, ut non gressibus corporis, sed affectibus animi magnis passibus eo contenderes. Quocirca Anachoreta ille apud Joannem Moschum in Prato spir. per visionẽ hac de re est admonitus. Cum enim videretur sibi cælo appropinquare, velletque illud ingredi, audivit ab angelo: *Nemo piger huc ingreditur: ite, certate contemnite vanitates sæculi.* Et Barlaam ad Josaphat apud Damascen. in hist. c. 45. *Longum iter*, ait, *vobis ineundum est, quodque multo hujus vitæ viatico opus habeat, ut ad sempiternum locum, in quo mansiones multæ sunt, perveniatis.* Huc facit illud S. Petri ep. 1. c. 1. *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, in revelationẽ Jesu Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, secundum eum qui vocavit vos, sanctum, ut & ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Tertio,

Alludit ad exitum & transitum (unde Hebr. dictus est *pascha*) Hebræorum ex Ægypto in terram promissam, qui erat figura Sanctorum ex terra transeuntiũ & contendentium in cælum: Hebræis enim ita jussit, sanxitque Deus in esu agni paschalis, pro felici transitu immolandi: *Renes* H

ve-

Digitized by Google

A *vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus*, quasi accincti & expediti ad iter inchoandum, *& comedetis festinanter: est enim phase, id est transitus Domini*. Idem faciendum est mystice Christianis. Vide ibi dicta.

Quarto. Quarto, nuncii & legati accingunt lũbos, ut sint celeres ad legationem obeundã. Hinc angeli, qui Dei nuncii sunt, pinguntur lumbis accinctis, quasi veloces & agiles ad exequendũ jussa Dei, juxta illud: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, Heb. 1. Ait ergo Christus: Vos, o Apostoli & discipuli, accingite lumbos, ut sitis mei legati per totum orbem, ut scilicet annuncietis fidem Evangelicam Græcis, Romanis, Italis, Gallis, Hispanis, Indis, Brasiliis, Japonibus, Sinis, &c. Ecce ego mitto vos: ite ergo animose, velociter & ardenter instar angelorum, juxta illud Is. 17. 2. *Ite angeli veloces ad gentem convulsa & dilaceratam*. Et c. 57. 7. quod citat Paulus Rom. 10. 15. *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!*

Quinto. Quinto, milites & athletæ accingunt lũbos, ut accincti sint fortiores, fortiusq; pugnent, lumbi enim cum toti sint carnei & infirmi, cingulo stringuntur, ut stricti sint firmi & robusti. Sic & vos, o Christiani, accingite lumbos cingulo stremitatis & fortitudinis, ut quasi milites Christi fortiter contra diabolum, carnem & mundum dimicetis, vincatis

B & triumphetis, juxta illud Pauli Ephes. 6. 14. *State succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ*, &c. Ubi multa hac de re dixi. Sic David ait Ps. 117. *Præcinxisti me virtute ad bellum*. Et Job c. 38. *Accinge sicut vir lumbos tuos*. Et Exodi 12. *Renes vestros accingetis*: ibant enim armati armis expugnaturi terram promissam. Unde Origenes hom. 9. in lib. Judic. censet hic alludi ad milites Gedeonis, qui præcincti ibant contra Madianitas, ac tenentes lampades, id est faces accensas in lagenis eas inter se complodentes, emicante flamma percelluere Madianitas, ut eos in fugam, imo in mutuam necem adigerent.

Sexto. Sexto, bajuli, ut fortes sint ad portanda onera, nec iis rumpantur & herniam contrahant, lumbos succingunt: sic & vos, o fideles, accingite lumbos vestros cingulo patientiæ, ut generose omnia adversa toleretis. Ita Cyrillus in Catena, *Prompti sitis*, inquit, *ad sustinenda mala*.

Septimo. Septimo, continentes ut carnem doment, & quibuslibet pravis concupiscentiæ motibus generose resistant, cingunt se cingulo continentię, id est abnegationis & mortificationis, quo omnia prava desideria, quæ ex concupiscentia assi-

C due oboriuntur, abnegant, refutant, mortificant, resecant. Ita Simeon Stylites lumbos nudos succinxit aspero funesitulæ, qui secabat eum usque ad ossa: ingressus enim est in carnem, ita ut vix appareret, quocirca caro ipsa cõputruit, & ægre curari sanarique potuit, uti narrat Antonius ejus discipulus in ipsius Vitæ cap. 3. Theodoretus vero in Vita Simeonis asserit, funem hunc contextum fuisse ex palmis, ideoq; asperrimum, quem Simeon tam arcte carni appressit, ut tota illa pars, cui fuerat impositus, circumcirca exulceraretur, guttasque sanguinis emitteret. Mox præfectus monasterii, inquit, id rescions vix illi solvit vinculum: sed nec sic persuasit, ut illi ulceri ullam adhiberet medicinam. Quare illum a monasterio dimisit, ne imbecillioribus ea quę essent supra vires ęmulari conantibus, damni causa fieret. Sic multi Sancti olim gestarunt, & etiamnum gestant cingula cilicina, ut carnem doment. Hinc Judith c. 4. *Ut ferrent*, inquit, *Deo sacrificia præcincti ciliciis*. Hujus me-

D minit S. Hier. Jerem. 1. & Ezech. 6. & appellat cingulum mortificationis, affirmatque cingula Eliæ & Joannis Baptistæ alia fuisse. Denique Paulus Colos. 3. *Mortificate*, ait, *membra vestra, quæ sunt super terram, immunditiam, libidinem, concupiscentiam pravam, avaritiam*. Unde S. Augustin. serm. 39. de Verbis Dom. & lib. 2. de Consensu Evang. c. 25. *Præcingite lumbos*, inquit, *hoc est omnes appetitus & affectus circa res sæculi contrahite & mortificate*.

ET LUCERNÆ ARDENTES IN MANIBUS VESTRIS] Jussit Christus nos lumbis præcinctis esse expeditos ad bona opera, & ad iter in cælum, nunc appositę requirit lucernas ardentes; hæ enim nocte requiruntur ad operandum, æque ac ad iter ineundum: hæc autem vita nostra, est mystica nox, plena ignorantiæ, errorum & concupiscentiarum tenebris. Igitur ut in ea nocte incedamus & operemus, lumine & lucernis accensis est opus: proprie autem alludit ad nuptiale convivium, quod noctu peragi solet cum luminibus. q. d. Sicut noctu famuli dominum e nuptiis redeunte accensis facibus expectant, & præeunt: sic & vos me e cælo ad vos nocte redeuntem vigiles expectate, & cum facibus spiritualibus mihi occurrite, quia nescitis diem & horam

mortis vestræ, & adventus Christi ad vestrum judicium; illud ergo si sapitis, singulis horis parate, expectate. Sic enim virgines lampadibus accensis sponsũ præstolantur, Matth. 25. eadem enim fere est parabola hæc Lucæ cum illa Matthæi. E

Quæres quidnam significent lucernæ ardentes? Resp. Primo, Theoph. significare hoc. q. d. *Adsit vobis lux rationis & discretionis, ut dignoscatis quid & quomodo agendum sit. Rursum adsit vobis lucerna, id est fides, sed ardens charitate, & fervore spiritus: hæc enim quid agendum, quid cavendum sit ostendet: hæc quoque ad actus virtutum heroicos vos impellet: hæc pariter vos incitabit, ut alios fidé & viam salutis docere, & amore Dei accendere satagatis, nec patiamini aliquos in tenebris ignorantiæ, inquit Cyr. & peccatorũ vivere. Ita S. Aug. ser. 39. de Verb. Dom. Accedit S. Hier. (vel quisquis est auctor) in c. 1. Jer. qui lucernã tenere in manibus, ait idem esse quod prædicare Evangeliũ.* Lucernæ ardentes quæ? Resp.

Mystice, *Habent sanum ista mysterium: nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis indicatur*. Cælestin. ep. 2. ad Episc. Gall. Sic & S. Greg. hom. 13. per lucernas ardentes accipit bona exempla. *Lucernas*, inquit, *ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. Duo sunt quæ jubentur, & lumbos restringere & lucernas tenere, ut & munditia sit castitatis in corpore, & lumẽ veritatis in operatione; nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonũ opus aliquid est sine castitate* Mystice. F

Rursum S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. Lumbi præcincti, ait, sunt continentia rerum sæculatium; lucernæ ardentes, sunt idipsum vero fine & recta intentione facere. Insuper S. Maximus: *Lucernæ accensæ*, inquit, *sunt oratio, contemplatio & spiritualis dilectio*. Denique Origen. hom. 9. in lib. Judic. censet hic alludi ad lampadas, id est tædas militum Gedeonis; sicut enim ipsi complosis lagenis, & tædis inde emicantibus ac effulgurantibus perterruerunt Madianitas: sic Apostoli & Martyres corporibus per martyrium complosis & fractis, cœperunt coruscare miraculis, quibus in fugam versi sunt persecutores, itaque eorum doctrina, æque ac sanctitas toto orbe inclaruit, ut pulchre explicat Beda in Quæst. super lib. Judic. & fuse S. Gregor. 30. Mor. cap. 32. & seq. Vide historiam Judicum cap. 7.

IN MANIBUS VESTRIS] Hæc verba noc sunt Græca, Syrus & Arabicus, nec Græci Patres, ut Origenes, Clemens, Cyrus Chrysost. Basilius, Titus; nec ex Latinis S. Ambr. S. Cyprianus, Hilarius & August. serm. 39. illa tamen legit S. Gregor. hom. 13. Irenęus l. 4. cap. 72. & S. Hier. in Ephes. 16. & Jerem. 1. ac Bibliorum codices Romę correcti. *In manibus* ergo, id est prę manibus, ad manus, scilicet juxta vos, coram vobis, ut vobis operantibus lucem prębeant ad opus: nec enim operantes solent lucernas in manibus tenere, sed juxta se. Rursum proprie *in manibus*, ut cum iis quasi famuli Christo Domino venienti occurratis. Ex hac Christi sententia ortus est mos, fidelibus in agone dandi in manus cereos benedictos accensos, ut testentur se fide & charitate ardenti occurrere Christo, itaque ad id excitentur. Vide Amalarium, Rabanum, & alios, qui de Officiis Ecclesiast. scripserunt. G

Addit S. Cyrillus l. 4. de Adorat. in spiritu & veritate: *Et calceati pedibus vestris*. Verum cęteri omnes id non habent: quare videtur S. Cyrill. illud ex Paulo Eph. 6. 15. per inadvertentiam huc transcripsisse.

ET VOS SIMILES HOMINIBUS EXPECTANTIBUS DOMINUM SUUM] Tertium est hoc Christi pręceptum, vel potius tertia ejusdem prępcepti pars: prima enim est, lumbos H. præcingere: secunda, lucernas tenere: tertia, dominium expectare. Huc enim duo priora referuntur. Sensus est. q. d. Et vos ita plane parati & compositi sitis, sicut solent esse famuli noctu expectantes dominum; scilicet vigiles, prępcincti lumbis, tenentes lucernas ardentes. Unde Maldon. putat unam eamdemque esse hanc parabolam, sed trimembrem; Jansenius censet esse diversam: sed eodem res redit: quia, ut dixi, hęc est alia & tertia pars parabolę, ad quam duę priores tendunt & diriguntur. Expectant dominum, ait Toletus, qui se hic peregrinos æstimantes desiderio Christi flagrant, crebro & quasi jugiter de eo cogitant, intentum in eum habent animum, ejus amore & spe patienter ferunt adversa & quęlibet incommoda, timent eum offendere, quem jam venientem ante oculos habent: facile contemnunt ea omnia, quę ad adventum ejus non faciunt: iis delectantur, quę illi grata esse cognoscunt: vilipendunt temporalia ob spem ęternorum.

Symbolice τὸ *sint lumbi vestri præcincti*, docet nos hic quasi peregrinos tendere ad patriam cęlestem, juxta illud Symbol.

Digitized by Google

A 1. Petr. 2. *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Secundo, τὸ *& lucernæ ardentes in manibus vestris*, notat nos debere per virtutes omnibus prælucere, juxta id, quod subdit Petrus, *Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam.* Tertio, τὸ *& vos similes hominibus expectantibus dominum*, monet nos spe in cælo defixe esse defixos, juxta id quod addit Petrus, *Perfecte sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam.*

Rursum S. Aug. serm. 39. de Verbis Domini, asserit hæc tria de illa, de quibus Felicem Præsidem admonuit Paulus, Actor. 24. Docebat, ait, Paulus eos de continentia, de justitia, & de spe vitæ æternæ: his namque summa vitæ Evangelicæ comprehenditur. Secundo, hisce tribus denotantur tria munia vitæ Apostolicæ. Primo enim lumbi præcincti, notant Apostolos mitti a Christo ad evangelizandum per totum orbem, & simul ad pugnandum contra omnes dæmones, tyrannos, infideles, vitia, juxta illud: *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici*, Lucæ 14. idcirco enim præcinguntur hi cingulo militiæ Christianæ & Apostolicæ, B quasi in prælium acerrimum contendant. Secundo, lucernæ ardentes notant eos sua prædicatione & doctrina orbem illuminare debere, juxta illud: *Vos estis lux mundi.* Matth. 5. Tertio, τὸ *Et vos similes hominibus expectantibus dominum*, significat eos vitam præsentem, & omnia, quæ in mundo sunt, debere spernere & calcare, ac vitam agere cælestem & divinam, ut mente & corde in cælo sint fixi, juxta illud Philip. 3. *Nostra conversatio in cœlis est.* Subdit Paulus finem, fructum & præmium: *Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* q. d. Ideo spernimus terrena, ambimus cælestia, quia certa spe expectamus Christum, qui nos beabit & glorificabit in æternum, Ita Toletus.

Hæc tria semper in mente fixa habuere primi Christiani, qui quasi peregrini terræ, & cives cæli, opes, honores, delicias, ipsamque vitam præsentem pro Christo ultro profundebant, quia certo expectabant post brevem hanc vitam instantem Domini adventum, scilicet vitam beatam & æternam a Christo sibi dandam: quæ sane vera est sapientia & prudentia. Id videre est in Pontificibus, Virginibus, Martyribus Romanis per trecentos annos a S. Petro usque ad S. Silvestrum, qui in continuis persecutionibus gaudebant spoliari bonis, incarcerari, flagellari, occidi, comburi, ut Christo fruerentur in cælo. Emicuit inter alios S. Cæcilia, quæ ætate, pulchritudine, opibus, nobilitate florens, ultro lætissime omnia prodegit pro Christo, ac ejus animum tam excelsum mirantibus, miserantibus ac cõplorantibus amicis, hilaris & exultans procedens ad locum martyrii, causam dedit: *Hoc*, ait, *non est juventutem perdere, sed mutare: hoc est dare lutum, & accipere aurum: dare habitaculum vile & parvum, & accipere palatium magnum & amplissimũ ex lapidibus pretiosis & auro constructum: dare rem peritutam, & accipere rem, quæ finem nescit, & mortem ignorat.* Et paulo post: *Deus noster Jesus Christus non dat pondus ad pondus, sed quod simplum acceperit, centuplum reddit, insuper & vitam æternam.* Ita habent ejus acta.

Vita Christiani est expectatio Christi.

Quocirca Christiani vita non debet esse aliud, quam expectatio Christi, ut eum liberet ab hac vita misera, vili & exili, tot timoribus & periculis obnoxia, eumque conducat ad suum in cælis regnum, & gloriam æternam. D Hinc Prophetæ & Paulus passim docent, fideles ita pie & sancte debere vivere, ac mundana omnia contemnere, ut avide & assidue expectent adventum Christi. Ita Jacob patriarcha moriens, anhelans ad adventum Christi: *Salutare tuum*, ait (id est salvatorem tuum) *expectabo Domine*, Gen. 49. Job 1. 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito*, inquit, *expecto donec veniat immutatio mea*, Psaltes: *Expectans*, ait, *expectavi Dominum*, Psal. 39. 1. &, *Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominũ*, Ps. 26. 14, Is. 8. 17. *Expectabo*, ait, *Dominũ*. Et c. 15. 9. *Expectabimus eum, & salvabit nos iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari ejus.* Jer. Thren. 3. 24. *Pars mea Dominus*, ait, *propterea expectabo eum.* Michæas 7. v. 7. *Ego autem ad Dominum aspiciam, & expectabo Deum salvatorem meũ.* Sic Joseph ab Arimathia spreto Judæorum metu Christum sepelivit, quia *expectabat regnum Dei.* Luc. 23. 51. Paulus Rom. 8. 19. *Expectatio creaturæ*, ait, *revelationem filiorum Dei expectat.* Et v. 23. *Nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri*, Gal. 5. 5. *Spem justitiæ expectantes.* Philip. 3. 20. *Unde etiam Salvatorem expectamus.* Ad Titum 2. 13. *Sobrie, juste & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei*, S. Petrus ep. 2. c. 3. 11. *Cum igitur*, inquit, *hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini.* Et v. 13. *Novos vero cælos & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.* Quocirca Climacus gradu de morte: Justus, inquit, est, qui mortem non timet: sanctus vero & perfectus, qui illam quotidie expectat, Ita Dominum expectabat S. Franciscus, unde moriens recitansque Ps. 141. 8. *Me expectant justi, donec retribuas mihi*, immortuus est. Et S. Bern. jubilabat,

Desidero te millies;
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?

Purgatorium desiderij. I Memorabile & terribile est, quod scribit S. Brigida l. 4. Revelat. cap. 7. in Purgatorio tertium & superiorem esse locum, ubi nulla alia est pœna, nisi desiderium perveniendi ad Deum, ejusque visionem beatificam: Atque ibi hoc desiderio torqueri eos, qui in hac vita non habuerunt perfectum desiderium perveniendi ad Dei præsentiam, ejusque visione fruendi. Similis loci in Purgatorio meminit Beda l. 4. hist. c. 13. & S. Greg. l. 4. Dial. c. 36, ac Dionys. Carthus. in Dial. de Judicio partic. art. 31. Bellarm. l. 2. de Purg. c. 6. Est enim quædam indignitas, & quasi vilipensio tantæ visionis & gloriæ Dei, quod non ardenter a fidelibus & Sanctis desideretur; ac signum quod ejus opes & gaudia non satis considerent, ponderent & penetrent, uti par erat.

Vive ergo, o Christiane, tuo Christo, non mundo; vive spiritui, non carni; vive cælo, non gehennæ; vive, non tempori, sed æternitati.

QUANDO REVERTATUR A NUPTIIS] Videtur hoc esse emblema parabolæ, ac proinde non necessario applicandum rei per illam significatæ. Potest tamen illi applicari hoc modo, quod Christus in incarnatione celebrarit sponsalia cum Ecclesia & fidelibus omnibus, ascendens vero in cælum ibi cum eadem consummarit nuptias, quia per gloriam visionis G beatificæ intime & individue Beatis omnibus unitur per omnem æternitatem. Cum ergo e cælis ad judicium animæ cujusque redit, videtur a nuptiis cælestibus redire, ut ad eas dem novã sponsam inducat; nuptiæ ergo sunt summa unio, summum gaudium, quod Christus habet cum Beatis in cælo. Ita S. Gregorius, Beda, Theophyl. Euthym. Toletus & alii.

UT, CUM VENERIT ET PULSAVERIT, CONFESTIM APERIANT EI] Significat Christus nos in vita parare debere virtutes & merita, quibus in morte ornati, hilares & gaudentes occurramus Christo: nec enim tunc locus erit, aut tempus operandi, ac vix pœnitendi; tunc enim sensus sunt hebetati, & animus morbis oppressus, vix poterit de peccatis & de salute sua cogitare. Quare imprudentissime faciunt, qui in vita sua voluptatibus indulgent, dicuntque se in morte acturos pœnitentiam: in morte enim pœnitentia est sera & coacta, ideoque raro vera, seria & sincera. Audi S. Greg. hom. 13. *Venit Dominus, cum ad judiciũ properat: pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat; cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum, quem contempsisse se meminit, judicem formidat. Qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicem sustinet; & cum tempus propinqua mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.* H

BEATI SUNT SERVI ILLI, QUOS CUM VENERIT DOMINUS, INVENERIT VIGILANTES] Vers. 37 scilicet lumbis præcinctos, tenentes lucernas, & expectantes dominum, uti præcessit: bis enim meritum dabit, præmium, scilicet beatitudinem æternam, ut visione Dei potiantur & fruantur omnia gloria & gaudio per omnia sæculorum sæcula. Unde explicans subdit,

AMEN DICO VOBIS, QUOD PRÆCINGET SE, ET FACIET ILLOS DISCUMBERE, ET TRANSIENS MINISTRABIT ILLIS]: Christus par pari reddit suis in cælo, præcinctis, præcinget se, servis suis serviet; eos qui laboraverunt in suo obsequio, faciet quiescere, discumbere, cœnare, ac ministrantibus sibi famulis ipse Rex regum, & Dominus dominantium mira dignatione ministrabit.

TRANSIENS] Solent enim ministri & sponsi mensam obire, ut videant si cui quid desit, illudque ei porrigant. Nota,

Hæc

Digitized by Google

A Hæc parabolice accipienda sunt, non proprie, ut patet: in cælo enim non sunt cingula, nec præcincti, nec mensæ, nec discubitus, nec transeuntes, nec ministrantes. Tantum ergo dicere vult Christus; Primo, se inusitatum præ omnibus bonis dominis, ac infinities majorem, fidelibus suis servis in cælo honorem exhibiturum; ut scilicet ibi eos ex servis faciat quasi dominos, quibus communicet & administret communionem sui epuli nuptialis, id est felicitatis & gloriæ cælestis. Idque Secundo, se facturum cum multiplicibus & indesinentibus ferculis, id est voluptatibus & deliciis tam animæ quam corporis; ac Tertio, provisurum ne quid cui desit, non tantum necessarium, sed & jucundum, aut optatum & desideratum: faciet enim ne quis quid desideret, quia omnia desideria, imo quæ desiderari possunt, superabundanter largietur, juxta illud: *Satiabimur, cum apparuerit gloria tua.* Et *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quarto, se pro meritis cuique alias & alias delicias appositurum: τὸ enim *transiens*, significat cœnam fore pro meritis cujusque variam & lautissimam: τὸ vero *ministrabit*, fore honorificentissimam: denique τὸ *faciet illos discumbere*, fore æternam, ait Toletus.

B

Præcinget se] *Præcingetur itaque Deus*, ait Theoph. *quatenus non omnium bonorum effusionem nobis suppeditat, sed illam restringit. Quis enim potest capere quantus sit Deus? Et manifestum est ex Seraphim, qui se obtegunt, propter excellentiam divini luminis.*

Et faciet illos discumbere Audi S. Dionysium Areop. ep. ad Titum; *Accubationem*, inquit, *requiem esse censemus multorum laborum, vitam tuam, divinumque vivendi genus in lumine ac regione vivorum, plenum omnis sanctæ voluptatis: largamque omnis generis & beatorum bonorum suppeditationem; per quam omni gaudio complentur: atque id Jesu eos & exhilarante, & in mensa collocante, eisque & ministrante, & æternam quietem largiente, & perfecte bona tribuente & infundente.*

Symbol. Symbolice, S. Greg. hom. 13. *Præcinget se*, inquit, *id est ad retributionem præparabit: & faciet illos discumbere, id est æterna quiete refoveri. Discumbere quippe nostrum, in regno quiescere est. Unde rursum Dominus dicit; Venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob. Transiens autem Dominus ministrat: quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transire vero dictum est, cum de judicio ad regnum redit: vel certe Dominus nobis post judicium transit, quia ab humanitatis forma, in divinitatis suæ contemplationem nos elevat. Et transire ejus est, in claritatis suæ speculationem nos ducere, cum eum, quem in humanitate in judicio cernimus, etiam in divinitate post judicium videmus.*

C

Vers. 38 Et si venerit im secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi] Prima vigilia incipit vespere, sive initio noctis, duratque tres horas: quibus exactis incipit secunda vigilia, quæ finitur in media nocte: a qua incipit tertia vigilia, duratque per tres horas: post quas incipit quarta vigilia, duratque usque ad auroram vel solis ortum. Significat hisce vigiliis Christus, qualibet ætate & quolibet tempore nos vigilare, & paratos esse debere ad Domini adventum: quia dies mortis incerta est, nec vel unum habemus certum vitæ diem vel horam. Prima ergo vigilia, est pueritia; secunda, est juventus; tertia, est virilis ætas; quarta, est senectus. Ita Titus, & S. Gregoris. Non meminit Christus, ait Franc. Lucas, quartæ Vigiliæ, uti nec primæ, quia nec tam cito, nec tam sero rediti a nuptiis solet, quæ circa medium noctis ut plurimum solvuntur, sponsa in thalamum inducta. Interim significat omni tempore vigilandum nobis esse, etiam ætate provecta & decrepita; nec satis esse, aliquando aut ad tempus vigilare in ætate juvenili & virili, sed perseverandum quamdiu hæc vita durat, quod incerta sit hora mortis, & adventus Domini longanimiter sit expectandus. Ita S. Basil. hom. de non adhærendo rebus sæcularibus: *Oportet*, ait, *nos quotidie ad emigrandum ex hac vita paratos esse, & nutum Domini fixis oculis expectare*, &c. ut singuli Domino venienti & pulsanti confestim aperiant.

Divisio vigiliarum noctis.

D

Adde: Christus meminit dumtaxat secundæ & tertiæ vigiliæ, quia in illis somnus solet esse certior & profundior, ut innuat se venturum cum homines minime putant, cumque aliis cogitationibus curisque immersi profunde quasi dormiunt: quare tunc prudentes servos maxime vigilare, & paratos esse debere, ut, cum sibi sanctissimi & prosperrimi videntur, mortem sibi ex insidiis astantem expectent.

Aliam causam dat Toletus: Non meminit; ait, quartæ vigiliæ, quia rarissimi sunt, qui ad extremum vitæ differentes bene operari, inveniuntur id facientes; ne etiam pigros faceret, si ejus meminisset. E

Ex his concludit S. Greg. hom. 13. atque omnes ad studium virtutis exhortatur, dicens: *Horam ultimam Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta: ut, dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Quia igitur momentis suis horæ fugiunt, agite, fratres charissimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite quid sapiens Salomon dicat: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest, ut ante mortem tempora adulta rapiamus: sic enim mors ipsa cum venerit, vincetur, si prius quam veniat, semper timeatur.*

Vers. 41 Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam (vigiliarum) an et ad omnes?] homines, præsertim fideles, tam nunc viventes, quam postea futuros? De eo dubitabat Petrus, quia solebat Christus quædam documenta dare solis Apostolis, alia omnibus fidelibus, atque hic quædam dixerat, quæ ad solos Apostolos & viros perfectos spectare videbantur, ut v. 32. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum: vendite quæ possidetis.* Et v. 37. *Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Cætera vero de vigilando & expectando adventum Domini, videbantur ad omnes fideles pertinere. F

Vers. 42 Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?] Petro respondet Christus, se quidem ad omnes fideles loqui, sed maxime ad Petrum & Apostolos. His enim major incumbit vigilia & cura, ut non tantum se, sed & alios fideles salvent: Atque Petrus erat dispensator, græce, *œconomus*, quem Christus constituit super familiam, id est Ecclesiam, suam; sic & cæteri Apostoli, juxta illud Pauli: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. 1.

Ut det illis in tempore tritici mensuram] G Alludit ad morem veterum, apud quos communis erat arctaque servitus: abundabant enim mancipiis, quibus Christiani jam carent. Illi ergo unum ex servis præficiebant mancipiis, qui quolibet mense mensuram (unde dictum est *demensum*) annonæ & victus, puta tritici, vel hordei, si viles essent personæ, ut dixi Osee 3. 2. eis distribuebat.

Potest Secundo, *Τὸ tritici* referri ad τὸ *tempore*. Boni enim œconomi est, instar Josephi, cum tempus est messis tritici, frugaliter illud dispensare per mensuras in singula familiæ capita, ne vendatur, vel in pauperes erogetur, itaque domesticis non sufficiat.

Cætera usque ad 46. explicui Matth. 24.

Nota τὸ *dispensator* & *mensuram*. Nam æquus patrisfamilias dispensator non eamdem omnibus dat mensuram, sed cuique propriam, ac pro ætate, dignitate vel meritis pro portionatam & adæquatam: hoc enim est rectum dispensatoris officium, ut cuique congrua dispenset & distribuat. Alia enim cibi ratio & mensura congruit infanti, alia adolescenti, alia viro, alia seni, alia fœminæ, alia uxori, alia filiabus, alia ancillis, alia servis.

Qua ex re moraliter Christus docet Episcopos, Pastores, Confessarios, Concionatores, ut non eumdem omnibus fidelibus doctrinæ cibum exhibeant, nec in genere dumtaxat ad omnes de virtutibus verba faciant, sed in particulari cuique eas virtutes instillent, quæ ætati, statui & gradui sunt congruæ & propriæ. Unde praxim hujus Christi parabolæ & sententiæ suo exemplo docuit S. Paulus, qui Ephes. 6. 1. & seq. alia filiis, alia patribus, alia servis dat monita & præcepta, ac Timotheum Episcopum Ephesi instruens ep. 1. c. 5. v. 1. *Seniorem*, ait: *ne increpaveris, sed obsecra, ut patrem: juvenes, ut fratres: anus, ut matres: juvenculas, ut sorores, in omni castitate: viduas honora, quæ vere viduæ sunt, si quæ autem viduæ filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere*, &c. Similia præscribit Tito c. 2. 2. & seq. H

Prælatus singulos doceat propria; sic fecit Paulus.

Christum & Paulum secutus est S. Gregorius Thaumaturgus Neocæsarææ Episc. de quo ita scribit Nyssenus in ejus Vita: *Qui lugebat, audiebat ab eo, quod eum consolaretur: juvenis castigabatur, & docebatur temperantiam: seni porrigebatur medicina convenientibus: servi docebantur, ut bene afficerentur in dominos, qui dominatu obtinebant, ut essent benigni & clementes in eos, qui subjiciebantur eorum imperio*

S. Gregor. Thaumaturgus.

Digitized by Google

A *pauper, ut ſolas divitias exiſtimaret virtutem, cujus poſſeſſio in cujuslibet poteſtate poſita: is, qui de ſuis ſe jactabat divitiis, convenienter admonebatur, ut eorum quæ habebat, eſſet œconomus, non dominus: Mulieribus conducibilia, pueris convenientia, & patribus ea quæ decebat diſtribuens.* Et & Cyprianus, S. Cyprianus, qui, ut ſcribit Pontius Diaconus in ejus Vita, virgines hortabatur ad congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimonia dignum: docebat pœnitentiam, veritatem hæreticos, ſchiſmaticos unitatem, filios Dei pacem, & Evangelicæ precis legem: Chriſtianos mollioris affectus circa amiſſionem ſuorum, ſolabatur ſpe futurorum: livorem invidiæ dulcedine ſalutaris remedii inhibebat: Martyres exhortatione divini ſermonis erigebat: Confeſſores frontium inſcriptione ſignatos, incentivo tubæ cæleſtis animabat. Id denique præ cæteris exacte præ- & Gregorius Magnos. ſtitit S. Greg. Pontifex, qui omnium pauperum Romæ, & in locis vicinis degentium nomina in ſcripto habebat, ac cuique ea, quæ erant neceſſaria, diſtribuebat. Inſuper alebat tria millia Monialium Romæ exiſtentium, extra Romam vero longe plura. Quare de illo vere dicas: *Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Eccli. c. 31. v. 11. Quantam vero animarum curam haberet, ac

B ſingulis opportuna ſalutis juxta ſtatum cujuſque præcepta ſuggereret, patet ex ejus homiliis, & ex epiſtolis, in quibus Mauritium Imp. monet, ne milites a vita Religioſa avocet: Joannem Patriarcham Conſtant. ne univerſalis Epiſcopi nomen in ſuperbum ſibi arroget; Venantium Cancellarium Italiæ, ut habitum monaſticum dimiſſum reſumat; Joannem Ravennæ Epiſcopum, ut pallium temere uſurpatum deponat: Auguſtino Apoſtolo in Angliam deſtinato rationes & modos præſcribit, quibus Angliam ad fidem Chriſti convertat: Epiſcopos Hiberniæ docet, ne in nomine Trinitatis baptizatos ab hæreticis rebaptizent, & plurima talia. Pervolve tomum quartum Epiſtolarum ejus, & miraberis unum virum tot negotiis occupatum, tot infirmitatibus obrutum, tot tantaque particularia & congrua virtutum monita ſingulis præſcribere. Prudentia enim non in univerſali, ſed in particulari quolibet opere prudenter dirigendo conſiſtit: actiones enim virtutum ſingulares ſunt & ſingularem exigunt directionem & doctrinam.

ET DIVIDET EUM] Id eſt ſeparabit eum a ſe ſuaque fa-

C milia, puta ab Eccleſia triumphante, a ſocietate Beato-

VERS. 46 rum, ipſaque beatitudine ſervis fidelibus promiſſa. Unde

Dividet cum quid? S. Hieron. in c. 24. Matth. *Dividet eum*, inquit, hoc eſt ſeparabit a conſortio Sanctorum: S. Hilarius dividet eum a bonis promiſſis, Origenes, dividet eum a dono Spiritus ſancti, atque a conſortio & cuſtodia angelorum: privabit enim eum Chriſtus omni gratia, omni virtute, omni auxilio, omni ſpe ſalutis.

PARTEMQUE EJUS CUM INFIDELIBUS PONET] Id eſt, puniet cum cæteris ſervis, qui ſibi infideles fuerunt, etſi fideles ſe ſimularent. Unde Matth. c. 24. v. 50. habet, *cum hypocritis*. Poſſunt quoque hic *infideles* accipi increduli, qui in Chriſtum credere nolunt, de quibus dicitur: *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Joan. 3. 18.

VERS. 47 ILLE AUTEM SERVUS, QUI COGNOVIT VOLUNTATEM DOMINI SUI, ET NON PRÆPARAVIT ad adventum domini, præparando & diſtribuendo famulis ſibi commiſſis in tempore tritici menſuram, ſed eos percutiendo, ac edendo, bibendo & inebriando, bona domini ſui diſperdidit, ET NON FECIT SECUNDUM VOLUNTATEM EJUS

D (jam dictam) VAPULABIT MULTIS] flagellis, & plagis multis cædetur.

VERS. 48 QUI AUTEM NON COGNOVIT (voluntatem domini,) ET FECIT DIGNA PLAGIS, VAPULABIT PAUCIS] id eſt, paucioribus, quam is qui cognovit voluntatem domini: intellige juxta menſuram tam ignorantiæ, quam facti & culpæ. Sunt enim quatuor gradus ignorantiæ; ſcilicet, pri-

Ignorantiæ quatuor gradus. ma invincibilis, quæ eſt inculpata; ſecunda vincibilis, ſed difficulter, quæ parum habet culpæ & reatus pœnæ; tertia craſſa, quæ plus habet; quarta affectata, quæ plurimum habet culpæ & pœnæ, de qua dicitur Pſ. 35. 5. *Noluit intelligere ut bene ageret. Hic omnia deſpexit*, ait Euthym. *Ille vero ſegnis fuit: gravior eſt autẽ ſegnitie, contemptus.* Segnis enim *cum ſcire potuiſſet, non ſcivit*, &, ut ait Titus, diſcere neglexit; contemnens vero deſpexit & irriſit. Hinc patet contra Jovinianum & modernos hæreticos, eſſe gradus peccatorũ etiam mortalium, aliaque aliis eſſe graviora: ideoque graviori pœna æterna puniri in inferno. *Nam*, ut ait Baſilius in Regulis brevior. interrogat. 267. *multas & pauças plagas accipere, non finem ſupplicii, ſed differentiam ſignificat; nec in temporis extenſione aut complemento, ſed in ſupplicii differentia contingit, nempe, ut igne inextinguibili uterque damnus ſit, ſed unus mitius, alter acrius ardente.*

OMNI AUTEM, CUI MULTUM DATUM EST (v. g. cui major ſcientia, & major voluntatis domini cognitio) MULTUM QUÆRETUR AB EO, a Chriſto judice in judicio tam particulari, quam univerſali; quia, ut ait S. Greg. hom. 9. *Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum:* ET CUI COMMENDAVERUNT MULTUM (v. g. animarum multarum curam & præfecturam) PLUS PETENT AB EO] Audi Bedam: *Multum commendatur ei, cui cum ſua ſalute Dominici quoque gregis paſcendi cura committitur.* Ab hoc ergo plus petent Chriſtus, ejuſque aſſeſſores Apoſtoli, cæterique judices; ſcilicet non tantum ſuam, ſed & fidelium ſibi commiſſorum curam & ſalutem, quantum eſt ex parte ſua. In paſtore enim *cura requiritur*, ait S. Bernard. *non curatio.* Hæc enim ſubinde eſt impoſſibilis ob morbi, vel ægri vitium, vel pertinaciam. *Hæc*, ait Titus, *clare indicant doctorum paſtorumque judicium cæterorum non parũ gravius & periculoſum fore.* Quare de gradu & officio ſuo non ſuperbiant, ſed majori humilitate, ſtudio & diligentia munus ſuum obeant; ſuumque gregem paſcant. *Tanto ergo*, ait S. Greg. loco citato, *eſſe humilior, atque ad ſerviendum Deo promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.*

Porro quæ & quanta a Pontificibus, Epiſcopis & Prælatis requirat Deus, punctim, ſed nervoſe ob oculos ponit Eugenio III. Pontifici S. Bernard. l. 4. de Conſider. *Te ipſum*, inquit, *conſidera, formam juſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem virtutis, fidei defenſorem, doctorem Gentium, Chriſti amorum ducem, amicum ſponſi, Cleri ordinatorem, paſtorem plebium, magiſtrum inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum advocatum, ſpem miſerorum, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, ultorem ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, Canonum diſpenſatorem, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdotem Altiſſimi, vicarium Chriſti. Quis non timeat & tremat hæc audiens, quæ ab hac Sede omnia exiguntur?*

Quocirca S. Paulus Heb. 13. 16. *Obedite*, ait, *Prepoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Ubi S. Chryſoſt. hom. 34. *Miror*, ait, *ſi poteſt aliquis Rectorum ſalvari.* Idem nuper de Pontificibus dictitabat Card. Bellarm. Hac de cauſa viri ſapientes & ſancti prælaturas fugerunt, nec niſi coacti eas ſuſceperunt. Audi quid de S. Cornelio Pontifice ſcribat S. Cyprianus l. 4. ep. 2. *Qui*, inquit, *epiſcopatum ipſum non poſtulavit, nec voluit, nec vi, ut cæteri, quos arrogantia & ſuperbia ſue tumor inflat, invaſit; ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, vim paſſus eſt, ut epiſcopatum coactus exciperet.* Ita pariter Pontificatum fugere, quoad potuere, S. Gregor. S. Chryſoſt. S. Ambroſ. S. Baſilius, S. Nazianzenus, S. Nicolaus, S. Athanaſius, ac noſtro ſæculo Pius V. electus in Pontificem expalluit, & pene in deliquium incidit. Ro- Pii V. verba notanda. gatus cauſam, ingenue dixit: Cum eſſem Religioſus Ordinis S. Dominici, optime ſperabam de mea ſalute, creatus vero Epiſcopus, cœpi de ea formidare; nunc vero electus in Pontificem, pene de ea deſpero: quomodo enim ego Deo rationem tot millionum animarum, quot ſunt in toto orbe, H reddam, qui vix unius animæ meæ rationem reddere valeo? ita habet ejus Vita. Denique Concil. Trident. aſſerit Epiſcopatum eſſe angelicis humeris onus formidabile.

IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM, ET QUID VOLO, VERS. 49 NISI UT ACCENDATUR?] Arabicus, *quid vola, niſi accenſionem ejus?* Sic & Ægyptius, Ethiopicus & Perſicus. Incertum eſt an Chriſtus hoc dixerit eodem tempore, quo præcedentia. Lucas enim Chriſti dicta conglomerat, etiamſi alio & alio tempore ſint prolata, poſſunt tamen hæc præcedentibus & ſequentibus recte connecti hoc modo, ut poſt varia documenta data Apoſtolis & fidelibus, Chriſtus tandem primarium ſuum officium, ad quod Patre miſſus erat in mundum, exprimat, ſcilicet ut ignem divinum e cælo in terram mitteret in Apoſtolos, ut illi eo accenſi, eodem deinde cæteros fideles accenderent: per hunc enim ignem Apoſtoli officium evangelizandi, & totum orbem convertendi, ſibi a Chriſto commendatum plene & efficaciter erant adimpleturi, ac fideles Chriſti documenta ab Apoſtolis prædicata exacte perfecturi.

Symbolice, S. Ambr. in Pſ. 118. ſer. 8. docet Deum eſſe Deus eſt lux & ignis. lucem ad lucendum, & ignem ad paleas vitiorum comburendum: *Lux*, inquit, *ut in tenebris ambulanti luceat; quaſi lu-*

Digitized by Google

A *lumen, ne diutius possit errare, qui quærit luminis claritatem. Ignis, ut operis nostri fœnum stipulamque consumat, atque utili nos salvos faciat detrimento: sicut aurũ, quod dum excoquitur, plus probatur.* Huc facit illud Clementis Alex. in Exhortatoria ad Gentes: *Multiplices*, inquit, *habet Servator voces & modos ad salutem hominum. Minans admonet, maledicens convertit, deflens miseretur, psallens per nubem loquitur. Igne terret homines, ex columna flammam accendens, quod est simul gratiæ & terroris indicium: si obedieris, lucem; si non obedieris, ignem.*

Ignis Christi quis? Primo.

Quæres, quisnam est hic ignis? Primo, Tertul. l. 4. contra Marc. c. 29. Maldon. & Franc. Lucas respondent esse odia, dissensiones, tribulationes & persecutiones infidelium, fidem & Apostolos, fidelesque Christi persequentium; hasce enim suscitarunt indirecte & occasionaliter Christus & Apostoli prædicando Evangelium, novamque Christi crucifixi religionem. Audi Tertull. *Ipse* (Christus) *melius interpretabitur istius ignis qualitatem, adjiciens* (v. 51.) *Putatis veniſſe me pacem mittere in terram? non, dico vobis, ſed ſeparationem. Igitur ignem eversionis intendit, qui pacem negavit: quale prælium, tale & incendiũ*, quo Christus idololatriam, scelera & idola erat eversurus, & in cineres redacturus: quocirca Gentes omnes idolis suis addictas erat concitaturus contra se & Apostolos, ut ipsi totis viribus hoc religionis suæ pristinæ incendium restinguerent. Huc enim spectant omnia, quæ deinceps v. 50. 51. 52. 53. explicans ignem hunc, subjungit Christus.

B

Secundo.

Secundo, aptius S. Cyrillus in Catena & Jansenius censent hunc ignem esse prædicationem Evangelii: hanc enim directe optabat Christus, ut per eam corda hominum igne divino succenderet, juxta illud Psal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.*

Tertio.

Tertio, & Optime, S. Ambr. & Origenes hic & S. Athanas. lib. de Communi essentia Patris & Filii. S. Cyrill. lib. 5. in Levit. S. Hieron. lib. 2. Apol. contra Ruffinum, S. Aug. serm. 108. de Tempore, S. Greg. hom. 30. in Evang. per *ignem* accipiunt Spiritum sanctum, ejusque dona præsertim charitatis, devotionis, fervoris, zeli, quæ ipse in fidelium animis suscitat, inquit Euthymius & Theophy. Hic ignis pariter lucernas fidelium facit ardentes, juxta illud: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Cant. 8. v. 6. Vide ibi dicta. Sic ignem hunc explicat Ecclesia, cum in sabbatho Pentecostes in Missa sic orat: *Illo nos igne, quæsumus Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi.* Hoc igne, ait S. Ambr. ardebat Cleophas, cum dixit: *Nonne cor nostrum ardens erat, cum aperiret Scripturas, & loqueretur in via?* Lucæ 24. & sic ignis amoris & ardoris complectitur ignem tribulationum, primo loco assignatum. Apostoli enim amore Christi accensi omnia adversa, omnemque tribulationũ & persecutionũ ignem superarunt, & superant, adeoque provocant: ille enim eis instabat, ut in sequent. prædicit Christus. Talis erat Paulus dicens: *Quis nos separabit a charitate Christi? certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Rom. 8. Hoc quoque igne ignitus S. Ignatius ep. ad Rom. *Utinam*, inquit, *fruar bestiis, quæ mihi parata sunt, quas & oro veloces esse mihi ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me. Frumentũ Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Hoc desiderium suũ implevit Christus, cum in Apostolos & fideles misit Spiritum sanctum per speciem linguarum ignearum in Pentecoste, Actor. 2. Ubi S. Chrysost. hom. 4. *Hic ignis*, ait, *mundi peccata quasi ignem exussit.* Et post nonnulla: *Sicut enim igneus homo si in medias incidat stipulas, nihil lædetur, sed magis vim exeret suam; sic & hic evenit*, ut Apostoli quasi homines ignei a persecutoribus non læderentur, sed eos pariter ad fidem Christi converterent, & ignirent.

C

Vide dores ignis 17. quas recensui, & Dei charitati applicavi Levit. 9. v. 23. & Actor. 2. 3. & Dionysium de Cælesti hier. c. 15. ubi ostendit per multas analogias ignem aptissimum esse symbolum & hieroglyphicum Dei & angelorũ, eorumq; in eo imitando similitudinem apprime repræsentare, juxta illud Deuter. 4. v. 24. *Dominus Deus tuus ignis consummens est.* Et Hebr. 1. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Hoc igne ardebat Elias, de quo Eccl. c. 48. 1. *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat*, ideoque curru igneo raptus est in cælum, succlamante Eliseo: *Pater mi* (tu es) *currus Israel & auriga ejus.* 4. Reg. 2. Et sponsa Cant. 2. 5. dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore*

Exempla ignis divini.

langueo. Hoc igne succensi Martyres, ignes corporeos præverunt, imo ambierunt, quia vel eos non senserunt, ut tres pueri in fornace Babylonica; vel heroica virtute vicerunt, ut vicit S. Laurentius, de quo canitur illud: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*, Ps. 3. Durum sane fuit & acre examen hoc igneum; sed dolorem rei vicit amor Dei; cruciatum ignis superavit cruciatus Agni; memoriam, inquam, Christi pro nobis acerbiora passi. *Flammis tuis*, o tyranne, ait S. Leo serm. de S. Laurentio, *superari charitatis flamma non potuit; segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit. Savisti persecutor in Martyrem, savisti & auxisti palmam, dum aggeras pœnam.* Et S. Aug. serm. de S. Laurentio: *Hoc igne B. Laurentius accensus, flammarum non sentit incendium, & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit:* Ita S. Ignatius scribens ad Rom. *Ignis*, ait, *crux, bestiæ, confractio ostium, membrorum divisio, totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantũ in Christo fruar.* Similes fuere Christiani ævo Tertulliani, qui proinde in Apol. c. 50. ad Gentiles ita scribit: *Licet nunc Sarmenticios & Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidio axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hac palmata vestis, tali curru triumphamus.* An non hi sunt Seraphini terrestres, Seraphinis cælestibus andentiores & fortiores? hi enim ardent igne amoris dumtaxat, illi ardent igne amoris, & doloris ac martyrii, dum viva Dei sunt holocausta. Nostro hoc sæculo eodem igne arserunt, ardentque Japones, qui pro fide Christi lento igne ad plures horas torrentur, in iisque quasi adamantes, hoc est indomabiles & invicti, usq; ad mortem persistunt. Fuere inter eos plures e Societate nostra, quasi religionis signiferi: ac inter alios R. P. Camillus Const. Italus, qui per tres horas in igne immotus, imo hilaris & exultans constitit, perpetuo clara voce vel Deo jubilans, vel socios ad constantiam animans, vel ad populũ concionans (quod hactenus in Vitis Martyrum non legimus) donec incendium in intima corporis viscera grassans, vocé ei cum vita eripuit, ut caderet glorioſa Deo holocausti victima.

D

E

F

Martyres Japonenſes.

Macte animo inclyti heroes, pugiles fidei, athletæ Christi spectaculum facti estis Deo, angelis & hominibus, qui igne divino ardentes, pro fide Christi corpus flammis, animam Deo resignantes, & inter incendia cygnæa voce jubilantes, vos ipsos meritis, tyrannos stupore, Japonem Christianis, Societatem heroicis virtutum exemplis, orbem fama, Ecclesiam gloria, cælum novis novorum athletarum laureis implestis, & decorastis. Vivet vestrum decus, vivet invicta fortitudo, vivet vestra gloria, vivent vestri ignes animique ardores, quibus Japonem illuminastis & inflammastis, quamdiu sæculorum omnium vivet æternitas.

G

S. Eulalia.

Hoc cogitans S. Eulalia, ardens desiderio martyrii, clam insciis parentibus ad agonem procurrit, cumq; flagris dilaceraretur, canebat, teste Prudentio Hymno 3. περὶ στεφάνων:

Ergo age tortor adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem, facile est:
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.

Quare decimotertio ætatis anno flamma circumdata.

H

Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, & bibit ore rogum.

martyr in forma columbæ in cælum evolavit.

ET QUID VOLO NISI UT ACCENDATUR?] Arabicus, *& quid volo nisi accensionem ejus?* S. Hieron. ad Nepotian. *quam volo ut ardeat?* Orig. hom. 5. in Ezech. *utinam accendatur*, vel, *o quantum cupio accendi jam!* Philastrius lib. de Hæres. c. ult. *quam volo accendatur ocyus.* Græca verum habent εἰ ἤδη ἀνήφθη, id est, *si jam accensus est*, uti legit Syr. S. Hilarius in Psal. 119. Theoph. Euthym. & Cyrillus in Catena. q. d. Nil opto, nisi ignem hunc jam accensum esse: quare si jam accensus sit, nil est, quod amplius desiderem: nihil enim aliud desidero, quam ignem hunc accendi: unicum hoc meum votum est, ut ignis hic ardeat. Eodem ergo redit utraque lectio. *Urget enim*, ait Theophyl. *ut ignis ille accendatur.* Forte Noster legit ἀνήφθαι, id est, *accensum esse.* Idem a Christo discat dicatque vir Apostolicus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Ut ubique terrea, tepida, frigida, imo saxea, gelida & rigida hominum corda verbo & exemplo igne fervoris divini accendat, & in ignem amoris convertat, uti fecit noster S. Ignatius fundator Societatis Jesu: adhuc enim igne, & magno igne

Digitized by Google

A zeloque opus est. Quare hunc ignem prius in se valde accendat oportet; qui eum aliis afflare cupit:

Ardeat orator, qui vult accendere plebem.

VERS. 50 BAPTISMO AUTEM HABEO BAPTIZARI (est græcismus, id est baptizandus sum) Arabicus, *Et est mihi baptismus, baptizabor eo*. q. d. Ex Dei decreto, & ex mea voluntate ac voto debeo eo baptizari. ET QUOMODO COARCTOR USQUE DUM PERFICIATUR?] q. d. Ignis hic charitatis & zeli Spiritus sancti exilire nequit, nisi prius in cruce percutiatur silex corporis mei, vel potius nisi baptizer fonte sanguinis mei: hic enim similis est fontibus nonnullis, in quibus faces extinctas si immerseris, mira naturæ vi & antiperistasi accenduntur, qualis est fons Dodonensis, ait Plinius lib. 2. c. 103. Addunt nostri Conimbricenses in Meteora tract. 9. c. 7. talem quoque esse in Epiro, alium in Indiæ terris, cujus aqua lucernæ ardeant, Item alium olim Jovis Ammonis dictum, qui sub lucem tepentibus aquis manat, meridie frigidus est, vespere calet, media nocte æstuat. Sic pariter æstuant jugiter aquæ fontium, sive thermarum & balneorum Aquisgranensium. Similes thermæ sunt juxta Neapolim, in Gallia, & pluribus aliis locis. Hisce ergo suam passionem comparat Christus. Hæc enim est quasi balneum æstuans, quod ignem & incendium charitatis in mentibus fidelibus suscitavit, & suscitat. Crucis enim & passionis Christi merito, æque ac exemplo, hic ignis exilit. *Baptismum* vocat suam mortem & passionem, quia in eam plane immersus & demersus fuit, juxta illud Psal. 68. 2. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me,*

Fontes calidi,

B

ET QUOMODO COARCTOR USQUEDUM PERFICIATUR?] id est angor, crucior ex desiderio moriendi pro salute hominum, & per hoc ignem istum accendi. Ita Euthym. *Velut anxius sum*, inquit, *propter tarditatem*; & Theophyl. *Et quomodo constringor, id est quam solicitus & anxius sum, ac premor, donec perficiatur*. Sitio enim mortem pro omnium salute. Sic & S. Ambr. Beda & alii; Arab. *& ego coarctor ad perficiendum*. S. Irenæus l. 1. c. 18. legit, *& valde propero ad illud*. Solent enim desiderio contrahi & quasi comprimi corda anxiorum, gaudio vero corda exultantium diffundi & dilatari. Perperam ergo Lyranus contrarie exponit: *coarctor*, id est, perhorresco illum, juxta illud: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Verum hic fuit sensus naturalis animæ Christi, quem spiritu & zelo superans, corrigensque dixit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*.

C

Moral. de zelo Christi.

Moraliter hic. Nota quantus fuerit in Christo zelus, quanta charitas, & quanta sitis salutis nostræ: utpote quæ tantam in eo sitim passionis, mortis & crucis, licet tam atrocis excitavit, ut cor ejus inter eam, & inter moram passionis, quasi inter duos lapides morales in molendino positum arctaretur, & in summas angustias redigeretur, aut velut in torculari situm angore comprimeretur, & pene opprimeretur. Ubi enim est amor, ibi est pariter dolor & angor, ne res amata negetur vel differatur. Summo igitur desiderio urgebatur, & quasi torrebatur Christus offerendi se Deo in holocaustum, & in victimam pro peccatis omnium hominum in altari crucis, ut quantum erat ex parte sua, omnes sanctificaret, salvaret & bearet.

Hunc zelum suum, hanc sitim impressit Apostolis virisque Apostolicis, qui sitiunt cruces, labores, dolores, tormenta & martyria pro gloria Dei, ut Evangelium Christi toto orbe propagent, & quotquot possunt, salvent.

D

Hæc est sanctitas Evangelica, hæc perfectio virtutis, hoc culmen Apostolatus. Notæ sunt S. Andreæ crucis salutationes, & anhela ad eam suspiria: *Salve crux pretiosa diu desiderata, & tandem concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me, ac per te me recipiat, qui per te moriens me redemit*. S. Laurentius ad Valerianum Imp. ostendentem & minantem ignes, rotas, scorpiones, bestias: *Hanc mensam*, inquit, *appeto, hanc sitio. Non est famelicus qui escam, nec sitiens qui potum desideret tam avide; quam ego hæc omnia tormenta ambio & sitio, ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Christo meo*. S. Vincentius ad Dacianum: *Nemo*, ait, *mortalium majus beneficium mihi contulit, quam tu, qui me torques & crucias; quia quot me tormentis afficis, tot coronis martyrii me exornas*. Et ad carnifices: *Quam estis desides! quam imbecilles! putabam vos longe esse fortiores. En ego plura pati desidero, & vestros ictus longe exsupero*. S. Agatha ad Quintianum: *Quid tardas? Quid expectas? flagella, lacera, ure, seca, merge, lania, occide meum hoc corpus; quia quo plus me cruciaveris, eo plus boni mihi conferis, tantoque plus favoris & gratiæ a sponso meo Jesu Christo recipiam*. Similia fuere vota, similesque voces S. Agnetis, S. Luciæ, S. Dorotheæ, S. Cæciliæ, aliorumque Martyrum.

Exempla S. Andreæ.

S. Laurentii,

S. Vincentii.

S. Agathæ.

E

PUTATIS QUIA PACEM VENI DARE IN TERRAM? NON, DICO VOBIS, SED SEPARATIONEM] Vide dicta Matth. 10. 34. VERS. 51

ERUNT ENIM EX HOC tempore, id est, deinceps, QUINQUE IN DOMO UNA DIVISI, TRES IN DUOS, ET DUO IN TRES] *Quinque*, scilicet pater, filius, mater, filia, & nurus: nam socrus eadem est quæ mater. Ita S. Ambr. ut patet ex seq. q. d. In eadem domo tres infideles insurgent in duos fideles, vel duo infideles in tres fideles, v. g. pater & filius non credentes in Christum, insurgent in matrem & filiam ac nurum credentes in Christum, aut vice versa. VERS. 52

DIVIDENTUR (græce, διαμερισθήσεται dividetur, dissidebit, separabit & opponet se) PATER IN FILIUM] id est, contra filium; & ita de cæteris. VERS. 53

DICEBAT AUTEM ET AD TURBAS: CUM VIDERITIS NUBEM ORIENTEM AB OCCASU, STATIM DICITIS ex crebra & continua experientia: NIMBUS VENIT, græce, ὄμβρος, id est imber, pluvia; ET ITA FIT] q. d. Cum videtis nubem ab occasu, dicitis, Pluet. Ita Eliam tempore siccitatis triennalis, cum a puero intellexisset nubem ortam ab occasu, pluviam instare prædixit; illaque mox secuta est, 3. Reg. 18. 44. Causa hujus rei physica est? quod Judæa ab Occasu habeat mare Mediterraneum, ex quo vi solis multi vapores in altum elevantur, qui in nubem densati, per solis calorem in aquam resolvuntur, & pluviam pariunt, præsertim cum sol pariter tendit in occasum: tunc enim debilior est, quam ut vapores hosce dissipet, ne in nubem concrescant, & in pluviam resolvantur. Quibus vero mare æque ad Occasum & Meridiem & Septemtrionem est, æque ex his partibus ascendunt nubes nimborum nunciæ; Anglis ascendunt undique, ut qui mari undique cinguntur, ait Valesius Sacr. Philos. c. 76. Vide dicta Matth. 16. 4. VERS. 54

F

Cur ab occasu imbrem nuncient?

Porro necessariæ, ait S. Basilius in Catena, sunt vitæ humanæ siderum conjecturæ, modo ne ultra mensuram eorum indicia perquirantur: interest autem prævidere procellarum pericula, viatori, mutationem aeris, colono; lunæ, solisque situm ad sementem, ut messem faciat copiosam: nam Deus posuit illa *in signa & tempora*, Gen. 1. vers. 14.

G

CAPUT XIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus occasione Galilæorum cæsorum a Pilato, & aliorum oppressorum ruina turris Siloe, suadet pœnitentiam, & ad hoc adhibet sici infrugiferæ, ideoque succidendæ parabolam. Secundo, v. 11. sanat mulierem per 18. annos incurvatam, sabbato, ideoque Judæos obmurmurantes ratione clara confutat. Tertio, v. 18. comparat regnum cælorum grano sinapis, & fermento exiguo, quod totam farinæ massam fermentat. Quarto, v. 23. docet paucos salvari. Quinto, v. 31. Pharisæis suadentibus secessum Christo, eo quod Herodes mortem ei machinetur, sponte se non ab Herode, sed ab Hierosolymitis & Pharisæis ipsis occidendum esse, ideoque Jerusalem & Judæam a Tito evertendam prædicit.

Porro tertiam partem explicui Matth. 13. v. 31. & seq. Quartam Matth. 7. 13. Quintam ex parte explicui Matth. 23. v. 36. & seq. Supersunt ergo hic explicandæ pars prima & secunda, & particula quinta.

H

ADerant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. VERS. 1

2. Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

4. Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit

Digitized by Google

A cidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?

5. Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

6. Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?

8. At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam & mittam stercora:

9. & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

B 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis,

11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

12. Quam cùm videret Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua.

13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati.

15. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, & ducit adaquare?

C 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?

17. Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.

18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud?

19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.

20. Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei?

21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat per civitates & castella docens, &
D iter faciens in Jerusalem.

23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos:

24. Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

25. Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis, & respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis:

26. tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.

27. Et dicet vobis: Nescio vos unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis.

28. Ibi erit fletus & stridor dentium: cùm videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.

30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, & E
sunt primi qui erunt novissimi.

31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.

33. Verumtamen oportet me hodie & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.

34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti?

35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis; Benedictus, qui venit in nomine Domini. F

ADERANT AUTEM QUIDAM IPSO IN TEMPORE, NUNCIANTES ILLI DE GALILÆIS, QUORUM SANGUINEM PILATUS MISCUIT CUM SACRIFICIIS EORUM] id est, quos in monte Garizim, qui situs est in Samaria, dum ibidem sacrificarent, Pilatus occidit, ita ut sanguis eorum cum sanguine victimarum, quas offerebant, misceretur. Rem gestam fusius narrat Joseph. l. 18. Antiqu. c. 7. & Hegesippus l. 2. de Excidio Hierosolymæ. Audi Josephum: *Concitavit eos* (Samaritanos) *impostor quidam, jubens, ut convenirent in montem Garizim, apud eam gentem, sanctissimum, asseverans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moyses deposuisset: illi creduli sumptis armis Tirathabam vicum insederunt, expectantes ibi confluentes cæteros, ut magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior clivum montis occupat equitibus suis & peditibus, qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis alios fuderunt, alios in fugam compulerunt; multos etiam vivos captos abduxerunt, quorum præcipuos & potentiores Pilatus mulctavit capite.* VERS. 1

Quinam illi Galilæi, Pilato cæsi & qua de causa?

Dices, Josephus asserit fuisse Samaritanos, quomodo hic Christus eos vocat Galilæos? Respondeo, Samaritanos vocari origine & patria, Galilæos vero secta & hæresi. Ita Baronius. Hoc ut intelligas, Nota, Judam Galilæum, teste Luca Act. 5. v. 37. auctorem fuisse sectæ Galilæorum, qui rebelles erant Cæsari Romano, dicentes non licere Judæis, utpote populo fideli divino cultui addicto, subesse Cæsari Gentili & idololatræ, eique dare tributum; nec alium dominum, quam Deum agnoscere & colere debere. Ita Cyrill. in Catena, Theoph. Euthym. & Titus. Quocirca Pilatus præses Judææ, eos per immissos milites trucidavit. Secta hæc exorta est sub tempora Christi: unde & Christus ac Apostoli, utpote natione Galilæi, ejus insimulati sunt, ideoque studiose contra eam docuerunt, solvenda esse tributa regibus & Cæsari, licet Gentili. Porro Franc. Lucas censet hos Galilæos a Pilato occisos in Jerusalem, cum sacrificarent in templo, eo quod Pilatus præesset Judææ, non Samariæ. Verum Josephus diserte ait, eos occisos in monte Garizim, qui est in Samaria. Adde, Samaritanos feciſſe schisma a Judæis, ideoque noluisse adire templum Hierosolymitanum, sed aliud erexisse templum in sua ditione, scilicet in monte Garizim, ibique sacrificasse, ut patet Joan. 4. 20. Pilatus ergo hos Samaritanos rebelles persequens comprehendit, & occidit in Samaria Judææ vicina, tamquam publicos Cæsaris hostes, a quolibet Cæsaris Præfecto mactandos. G

Cum ergo horum cædes increbuisset, multi de ea vulgo fuere sermones, dictitantibus plerisque illos sceleratos & Deo invisos fuisse, utpote quorum sacrificia non solum a Deo rejecta fuerunt, sed & sanguine eorum condita. Hæc ergo astantes narrarunt Christo, ut ejus sententiam de horum cæde exquirerent: Christus vero hac cladis occasione sapienter usus, ex ea sumpsit argumentum exstimulandi illos ad pœnitentiam, ne alioquin similis in eos vindicta Dei desæviret. Christi exemplum sequatur concionator, ut, cum publicæ clades pestis, famis, belli ingruunt, populum cohortetur ad pœnitentiam, ut eas, & simul tormenta gehennæ evadant.

ET RESPONDENS DIXIT ILLIS: PUTATIS QUOD HI GALILÆI PRÆ OMNIBUS GALILÆIS PECCATORES (sceleratiores) FUERINT, QUIA TALIA PASSI SUNT?] Hoc enim VERS. 2

Digitized by Google

A enim ipſi putabant, idque ex clade eorum colligebant; ſed perperam: nam ſæpe Deus paucos minus peccantes caſtigat, ut eos cæteris ſtatuat in exemplum & terrorem, quo ad pœnitentiam incitentur. Ita Beda, Titus & alii.

VERS. 3 NON, DICO VOBIS: SED NISI POENITENTIAM HABUERITIS (græce μετανοῆτε, id eſt, pœnitentiam egeritis) OMNES SIMILITER PERIBITIS] *Similiter*, id eſt, pariter, nemine excepto, ait Maldonatus. Sic Sapient. 6. 8. dicitur: *Æqualiter cura eſt illi de omnibus*, quia pariter omnes, nemine excepto, curat, etiamſi alterum magis, alterum minus. Secundo, & ſimplicius, *ſimiliter*, id eſt, æque peribitis, etiamſi alia mortis ſpecie, æterna ſcilicet, aut etiam temporali. Tertio, & proprie, Janſen. *ſimiliter*, inquit, id eſt, ſimili morte, clade & vindicta Dei. Nam Judæi obſeſſi & oppreſſi ſunt a Tito in feſto Paſchæ, quando ſacrificabant. Tunc ergo capta a Tito urbe multi cæſi ſunt in templo, ubi ſacrificabant & ſacrificare ſolebant. Sic etiam Euthym. S. Thomas, Hugo, Lyranus, Cyrillus in Catena.

Nota, Chriſtum hic docere, nos ex hujumodi eventis calamitoſis debere mentem reflectere ad peccata noſtra, ut de iis pœniteamus, ne in ſimiles clades Deo puniente incidamus. Ita Beda.

B

Symbolice, Beda: Pilatus, inquit, hebr. idem eſt, quod os malleatoris, puta diabolus, ſemper cædere paratus: ſanguis, eſt peccatum & concupiſcentia: ſacrificia, ſunt bonæ actiones, quas diabolus vel carnis delectatione, vel humanæ laudis ambitione, vel alia peſte commaculat.

VERS. 4 SICUT ILLI DECEM ET OCTO, SUPRA QUOS CECIDIT TURRIS IN SILOE, ET OCCIDIT EOS] Erat fons, ſive piſcina Siloe juxta Jeruſalem, de qua *Iſaias* c. 8. v. 6. ait: *Abjecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio*: juxta hunc fontem erat turris, ab ea pariter dicta Siloe, quæ tempore Chriſti vi ventorum aut fulminis, aut terræmotus, ſimilive caſu corruit, & octodecim homines in ea, vel juxta eam conſiſtentes, ruina ſua oppreſſit, quod licet caſu fortuito factum ſit, ſi cauſas ſecundas ſpectes; tamen ſi cauſam primam, ſcilicet Deum, attendas, certa providentia Dei volentis homines punire, & cæteros terrere, id factum eſt: Deo enim nihil eſt fortuitum, ſed omnia certo prævisa & proviſa ſunt, ut nihil in regno providentiæ ejus liceat fortunæ aut temeritati, ait Boetius. Deus ergo hos caſus ordinat ad hominum punitionem & correptionem, ut cæteri videntes ſibi vicinos ruina turris, aliove modo, ſubito & improviſo occidi, metuant ne ſimile quid ſibi contingat, ideoque de peccatis pœniteant, & ſeſe Deo reconcilient, ne in peccatis ſuis caſu aliquo opprimantur, & damnentur ad gehennam. Hoc eſt, quod Deus aſſerit per Amos Prophetam c. 3. 6. dicens: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*. Et per Iſaiam c. 45. 7. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum*. Idem per umbram viderunt Poetæ & Philoſophi. Unde Virgilius Deum ita celebrat 1. Æneidos:

Octodecim homines ruina turris Siloe oppreſſi.

C

— *O qui res hominumque deumque*
Æternis regis imperiis & fulmine terres!

Et Plutarchus in Moral. *Veluti*, inquit, *ſi quis cæcus in quempiam incidit, illum cæcum appellat, qui non vitaverit: ſic nos fortunam facimus cæcam, in quam noſtrapte incidimus cæcitate*. Nam ipſa fortuna fortunans, quæ non eſt alia, quam ipſe Deus Deique providentia, oculatiſſima eſt, & longe plures, quam Argus, habet oculos. Porro idem Plutarchus ibidem: *Sicut*, inquit, *iſchiaci medici pollicem inurunt, cum alibi doleant, alibi adhibeant remedium: ſic Deus nonnumquam, ut patres ſanet, ſævit in filios*, & vice verſa. Idem rurſum: *Sicut omnes quidam repente ſe condunt ſub terram, nihilominus eo perferuntur, quo tendunt: ita Numinum iræ licet occultæ, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes*.

D

Symbolice Beda: *Turris*, ait, *eſt Chriſtus: Siloe id eſt miſſus a Patre in mundum, qui omnes impios, ſuper quos per ſententiam condemnationis ceciderit, conteret*, Matth. 21. 44.

PUTATIS QUIA (quod) ET IPSI DEBITORES (id eſt, peccatores; Arabicus *culpabiles*: hi enim chaldaice vocantur *charebim*, id eſt, debitores: peccator enim Deo debet animam, ſcilicet decem millia talenta, Mar. 18. 24.) FUERINT PRÆTER OMNES HOMINES HABITANTES IN JERUSALEM?] Hic aperte indicat Chriſtus illos 18. turri Siloe oppreſſos fuiſſe peccatores, etſi non ſummos & maximos, qui errant in Jeruſalem. Ita Interlin.

NON, DICO VOBIS: SED, SI POENITENTIAM NON EGERITIS, OMNES SIMILITER PERIBITIS] Oſtendit, ait S. Chryſ. *Hoſce octodecim ſtatutos cæteris in exemplum & terrorem: punitur quidem quiſque ob propria crimina, ſed fit hoc aliis ſalutis materia, ſcilicet ut flagellato peſtilente ſtultus ſapientior fiat. Deus enim non omnes hic punit, ſed dat inducias pœnitendi, non tamen cunctos futuræ punitioni reſervat, ne multi ejus providentiam negent*. Hæc Chryſ. E VERS. 5

DICEBAT AUTEM ET HANC SIMILITUDINEM: ARBOREM FICI HABEBAT QUIDAM PLANTATAM IN VINEA SUA, ET VENIT QUÆRENS FRUCTUM IN ILLA: ET NON INVENIT. VERS. 6

DIXIT AUTEM AD CULTOREM VINEÆ: ECCE ANNI TRES SUNT, EX QUO VENIO QUÆRENS FRUCTUM IN FICULNEA HAC, ET NON INVENIO: SUCCIDE ERGO ILLAM, UT QUID ETIAM TERRAM OCCUPAT?] Græce ſignificantius eſt καταργεῖ, id eſt, onerat inutili onere, imo terram inertem & ſterilem reddit; tum umbra ſua, tum radicibus ſuis, quibus ſuccum terræ vicinis vitibus eripit & præripit, Syrus, *otioſum detinet*: ἀργὸν enim eſt ignavum, iners, & viribus deſtitutum. VERS. 7 F

Ad literam ficus hæc repræſentat Synag. Judæorum, quam Deus plantavit per Moſem, ad quam venit Chriſtus per Incarnationem, ut eam per prædicationem ſuam excoleret. Chriſtus ergo eſt cultor vineæ, id eſt Synagogæ, cui dixit Deus: Succide eam, quia jam per tres annos quibus in ea prædicaſti, ex ea fructus fidei & bonorum operum requiro, ſed nullos invenio, ob Judæorum infidelitatem, pervicaciam & malitiam: intercedit pro eo Chriſtus, ut adhuc uno anno, ſaltem dimidiato, ſinat eam a ſe prædicando excoli; ſi deinde fructum non ferat, excidatur. Ita factum eſt, quia Judæi quarto anno prædicationis Chriſti in Paſchate, peccata peccatis addentes, & pervicaciores facti, Chriſtum occiderunt & crucifixerunt: unde poſt paucos annos Titus ultor a Deo immiſſus, Hieroſolymam excidit, totamque Judæam evertit. Cætera ſunt emblemata pertinentia ad elegantiam parabolæ, ideoque non eſt neceſſe ea applicare rei per parabolam ſignificatæ.

Notat S. Ambroſius ficum aptum eſſe ſymbolum Synagogæ Judæorum. *Primo, quia fuit arbor iſta foliis redundans fluentibus ſpem poſſeſſoris ſui caſſa ſperatorum proventuum expectatione deſtituit: ita etiam in Synagoga dum doctores ejus operibus infecundi, verbis tantum velut foliis redundantibus gloriantur, inanis umbra legis exuberat, ſpes autè falſi exſpectata proventus, populi vota credentis illudit*. G Ficus eſt Synagoga Primo.

Secundo, ſicut ficus pro flore groſſum, id eſt, ficum immaturam emittit, quæ mox decidit, ac deinde ficum ſapidam & ſolidam progenerat: ſic Synagoga primo Judæos quaſi groſſos immaturas & evanidas protulit, deinde Chriſtianos quaſi ficus maturas ſapidaſque per Chriſtum produxit. Hoc eſt, quod ait Plinius lib. 7. cap. 27. *Fici ſerotinæ fiunt, ſi primo groſſi cum fabæ magnitudinem exceſſere, detrahantur: ſubnaſcuntur enim quæ ſerius matureſcunt*. Secundo.

Tropologice, ficus eſt quilibet homo, præſertim fidelis: cultor eſt Chriſtus, Apoſtoli & ſimiles; dominus eſt Deus Pater vel S. Trinitas. Cur fidelis & juſtus comparetur ficui, varias cauſas & analogias dat noſter Salmeron tom. 7. tract. 21. Prima eſt: ficus profert dulces fructus, qui videntur eſſe burſæ mellis vel ſacchari: ſimiles profert juſtus. Secunda, ſicut ficus parum creſcit in altitudine, eſtque arbor pene depreſſa: ſic & juſtus abjicit ſe, eſtque humilis. Tertia, ficus pro floribus dat fructus, idque bis, ſcilicet in æſtate præcoquas, & in autumno ſerotinas: ſunt ergo ficus biferæ: ſic pariter juſtus totus eſt in fructu bonorum operum copioſe producendo. Quarta, ficus amplis foliis umbram facit: ita juſtus ſua charitate alios munit & protegit. Quinta, ficus alteri arbori inſeri nequit ob nimiam ſuam dulcedinem, quam deſerere nequit: ita juſtus in nullo homine, ſed in Deo ſolo & conſcientia ſua recumbit. Sexta, ficus decorticata areſcit & fructum non reddit: ſic juſtus niſi tegatur cortice converſationis honeſtæ, ac modeſtiæ & compoſitionis externæ, fructum cum proximis non faciet. Septima, ficus eſt medica & morbis medetur, uti Iſaias Ezechiam per ficus ſanavit c. 38. v. 21. Audi Plinium lib. 16. 27. *Ficus ſola ex omnium arborum fructu maturitatis cauſa medicatur*. Sic juſtus, quia virtute maturus & præcoctus, infirmitatibus aliorum qua docendo, qua conſulendo, qua ſancte vivendo medetur. Rurſum Plinius lib. 23. c. 7. fici ſuccum lacteum aſſerit alvum ſolvere, vulnera aperire, curare H Ficus eſt juſtus Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo. Ficus variis morbis medetur.

men-

A menſtrua, ac valete contra venena, præſertim ſcorpiorum, contra ſcabiem, ſtrumas, lichenas, ſporas, alopecias, canis rabioſi morſus, alioſque morbos, quos ipſe recenſet: ſic juſtus lacteo ſuo candore, comitate & benevolentia diſſipat aliorum rancores & amaritudines, odia, lites, rixas, ſuſpiciones, invidias, &c. Octava, Plinius l. 17. c. 27. *Eadem* (ficus) inquit, *cum frondere incipiunt, cum cacumina rami cujuſque detrahuntur, firmiores fertilioreſque fiunt.* Additque etiam: *Radices circumcidiſſe prodeſt vitium luxuriantium, ficorumque, & circumciſis cinerem addidiſſe*; ſic juſtus circumcidendo & reſecando ſuperne appetitum honoris, ac inferne appetitum gulæ & veneris per meditationem cinerum, id eſt, mortis & ſepulturæ, fertilis fit virtutibus & bonis operibus, quibus proximos multos ad Deum convertit. Nona, Plinius ait l. 23. c. 7. *Fici materia urinam ciet, alvum ſolvunt, ſudorem movent, juvenum vires augent, ſenibus meliorem valetudinem faciunt minuſque rugarum, ſitim ſedant, calorem refrigerant.* Hæc eadem in ſpiritu myſtice facit juſtus. Decima, Plinius l. 15. c. 18. ait ficum parvam in Mœſia fimo contectam, & poſt hiemem mitiore cælo reſoſſam, præcocem fieri: ſic juſtus per humilitatem & exercitia ſpiritualia renovatus, quaſi juventutem induit, ut fiat alacer & velox ad omne bonum. Undecima, Plinius lib. 15. c. 18. *Admirabilis*, ait, *eſt pomi hujuſce* (fici) *feſtinatio, unius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ*: ſic juſtus fervore ſpiritus cito in omni virtute matureſcit, & alios ad ſimilem maturitatem perducit.

Octavo. Nono. Decimo. Undecimo.

B

ANNI TRES SUNT, EX QUO VENIO QUÆRENS FRUCTUM.] Alludit ad naturam ficus, quæ aliquando tertio demum anno a plantatione ſua fert fructus, Sed ſi tertio anno nondum proferat, numquam eos proferre ſolet.

Symbolice, tres anni ſunt tres Judæorum politiæ, ſive ſtatus, ſcilicet ſub Judicibus, ſub Regibus, & ſub Pontificibus, puta Machabæis, ait Euthymius. Audi S. Ambroſ. *Venit ad Abraham, venit ad Moyſem, venit ad Mariam, hoc eſt, venit in ſignaculo, venit in lege, venit in corpore; adventum ejus ex beneficiis recognoſcimus, alibi purificatio, alibi ſanctificatio, alibi juſtificatio eſt, Circumciſio purificavit, ſanctificavit lex, juſtificavit gratia. Unus in omnibus, & in uno omnia. Nemo enim mundari poteſt, niſi qui metuit Dominum; nemo legem meretur accipere, niſi purificatus a culpa; nemo accedit ad gratiam, niſi noverit legem.* Sic fere & S. Cyrillus: *Naturam humani generis*, inquit, *Dominus ante legem, ſub lege, ſub gratia expectando, admonendo, viſitando requiſivit; ſed quidam nec naturali lege corriguntur, nec præceptis erudiuntur, nec miraculis converteuntur.*

C

Tropologice tres anni ſunt tres hominis ætates, ait Theophyl. ſcilicet pueritia, virilis ætas & ſenectus: quiſque enim quolibet tempore fructus virtutum Deo proferre debet, cuique ætati congruos & proportionatos. Hos enim Deus a quolibet requirit, qui nullam hominis ætatem vult eſſe otioſam & infrugiferam.

VERS. 8 AT ILLE (vineæ cultor, puta Chriſtus & Apoſtoli) RESPONDENS DIXIT ILLI: DOMINE DIMITTE ILLAM ET HOC ANNO, USQUE DUM FODIAM CIRCA ILLAM, ET MITTAM STERCORA] Intelligentes Chriſtus & Apoſtoli, ait Interlinearis, aliquos ex Judæis poſſe ſalvari, orant Deum ut differat ultionem Dominicæ crucis: ſcilicet

D

everſionem Hieroſolymæ per Titum.

VERS. 9 ET SI QUIDEM FECERIT FRUCTUM, ſubaudi, Bene erit, ſalva erit & ſalvabitur. Eſt apoſiopeſis. Addit Arabicus, *ipſa namque attulit fructum*; ſcilicet Synagoga olim dedit fructum virtutum ſub Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moſe, David, &c. SIN AUTEM non fecerit fructum, IN FUTURUM SUCCIDES EAM] uti Deus Judæam ſuccidit per Romanos.

Myſtice, S. Aug. de Verb. Dom. Colonus, ait, qui intercedit, eſt omnis Sanctus, qui intra Eccleſiam orat pro his, qui ſunt extra: circumfodere conſcientiam, eſt eam humilitatem & patientiam docere; item cæli & cæleſtium conſiderationem menti ingerere, ne, ut ait S. Ambroſius, radicem ſapientiæ terrarum (& terrenarum cupiditatum) acervus obruat & abſcondat.

ET MITTAM STERCORA] Hoc eſt, ut ait S. Ambr. humilitatis affectum, & S. Aug. de Verb. Domini: Stercus, ait, ſordes ſunt, ſed fructum dant: Sordes cultoris, dolor eſt peccatoris: & S. Gregorius, Stercora, ait ſunt peccata carnis, ex quorum conſideratione, ſuſcitatur animus ad bona opera. Denique Gloſſa: *Mittam ſtercora*. Hoc eſt, inquit, malorum, quæ fecit, abominationem, ad animam reducam.

E

VERS. 10 ERAT AUTEM DOCENS IN SYNAGOGA (græce, *in una ſynagogarum*) EORUM SABBATO] Sabbatum enim erat feſtum, quo Judæi conveniebant ad ſynagogam, ut audirent legem, ejuſque interpretationem, uti Chriſtiani diebus Dominicis conveniunt ad audiendam Miſſam & concionem. Hoc tempus & hunc locum elegit Chriſtus ad ſequens miraculum, ut illud eſſet publicum, utque Phariſæos ob ſabbatum illud calumniantes, confutaret & inſtrueret.

VERS. 11 ET ECCE MULIER, QUÆ HABEBAT SPIRITUM INFIRMITATIS ANNIS DECEM ET OCTO; ET ERAT INCLINATA, NEC OMNINO POTERAT SURSUM RESPICERE] *Spiritum infirmitatis*, id eſt, infirmitatem immiſſam a ſpiritu malo, ait Lyranus & Euthymius: *Dæmonium imbecillitatis*, inquit, *non ſinens eam vivere.* Unde Arabicus vertit, *cum quæ erat ſpiritus infirmitatis per octodecim annos, & erat incurvata, & non poterat erecte ſtare ullo modo.* Infirmitas hæc erat totius corporis inflexio & curvatio, ut mulier cogeretur ſemper curva & inclinata incedere, ut ſequitur. Nota hic, morbos hominibus ſæpe a dæmonibus immitti, permittente Deo ob peccata, vel aliis de cauſis. Unde v. 16. cauſam hujus infirmitatis prodens, ait, *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit ſatanas.* Sic dæmon S. Job variis morbis afflixit, Job c. 2. Idem patet ex pſal. 77. v. 49. & ex Matth. c. 9. v. 25. Vide Delrio in magicis. Dæmon ergo hanc mulierem curvabat & inclinabat, ut compelleretur terram ſemper aſpicere.

F

DECEM ET OCTO ANNIS] Erat ergo inveteratum hoc malum, ideoque a medicis incurabile.

ET ERAT INCLINATA] Cernua, curva, dorſo & capite verſus terram reflexa & depreſſa, ut inſtar beſtiæ, imo plus quam beſtia, ſurſum reſpicere, ac ſolem & cælum intueri non poſſet; ſed deorſum ſemper ſaxa terramq; intueri; nam Deus in rerum creatione Geneſ. 1.

Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus;

ut ſolem cælumque aſpiciat, & ad Deum in cælis per cæleſtem vitam contendat; ut in cælum recipi, ibique viſione Dei beari mereatur: *convenit enim quærere ſuperna, tranſcendere terrena intuitu*, ait S. Baſilius in Catena. Dæmon ergo, ut hominem a cælo avertat, eum deorſum inclinat, ut non niſi terrena aſpiciat, amet, ambiat.

G

Myſtice, S. Greg. in hom. 31. Hoc, ait, ſignificat mulier iſta quod ficulnea infructuoſa: quia enim humana natura fructum obedientiæ ferre noluit, ſtatum rectitudinis amiſit: decem & octo anni ſignificant hominis, qui ſexto mundi die creatus eſt, infirmitatem ante legem, ſub lege, & in exordio gratiæ: nam ter ſex faciunt 18. Et S. Ambr. Mulier iſta, inquit, eſt Eccleſiæ figura, quæ curari non potuit, niſi legem implens, & gratiam: in decem verbis, legis perfectio eſt; in octavo numero, reſurrectionis plenitudo. Myſtice

Tropologice, mulier hæc gerit typum animæ bonis terræ inhiantis: hoc enim facere ſuadet diabolus. Audi S. Gregor. hom. 31. *Hinc alius Propheta de immundis ſpiritibus dicit: Qui dixerunt animæ tuæ, Incurvare, ut tranſeamus. Recta quippe ſtat anima, cum ſuperna deſiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni ſpiritus, cum hanc in ſua rectitudine ſtare conſpiciunt, per eam tranſire non poſſunt. Tranſire namque eorum, eſt immunda illi deſideria ſpargere. Dicunt ergo, Incurvare ut tranſeamus: quia ſi ipſa ſe ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum perverſitas nullatenus convaleſcit, & tranſire per eam nequeunt, quam contra ſe rigidam in ſuperna intentione pertimeſcunt.*

H

VERS. 12 QUAM CUM VIDERET JESUS (Arabicus, *reſpexit autem eam Jeſus*, oculis tam corporis quam animi, oculis, inquam, gratiæ, miſerationis & clementiæ) VOCAVIT EAM AD SE, ET AIT ILLI: MULIER DIMISSA ES AB INFIRMITATE TUA] id eſt, dimitteris, curaris, ſcilicet a me per impoſitionem manus meæ, ut ſequitur. Simul enim utrumque feciſſe videtur Chriſtus, ſcilicet & manus ei impoſuiſſe, itaque eam curaſſe, ac dixiſſe: *Dimiſſa es*, &c. Dicit potius *dimiſſa es*, quam, Ego dimitto, ut acuat fidem mulieris. Fidei enim alibi ſæpe ſolet tribuere Chriſtus curationem & ſalutem. Rurſum ut ſignificet efficaciam vocis ſuæ, ſuique contactus, quod ſcilicet eodem inſtanti, quo eam tetigit, eamdem ſanarit. Erat enim in carne Chriſti virtus divina, ait S. Cyrillus in Catena, quæ in inſtanti mira & miracula operatur, ſicut dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, panem in corpus ſuum tranſmu-

Digitized by Google

A transmutat, & transsubstantiat quotidie in missa. q.d. Meum dixisse, fecisse est, juxta illud: *Dixit & facta sunt.* Unde Titus: *Voce verte divinissima*, ait, *celestique potestate plenissima feminæ hujus infirmitatem e medio profligavit.* Denique τὸ *dimissa es*, id est absoluta es, significat mulierem hanc quasi vinculis quibusdam a satana fuisse ligatam, constrictam & depressam, ut videretur caput per funem ad genua & tibias alligatum habere. Hoc vinculum solvit Christus, itaque eam erexit. Venit enim Christus ut dissolvat opera diaboli, 1. Joan. 3. v. 8.

VERS. 13 ET IMPOSUIT ILLI MANUS, ET CONFESTIM ERECTA EST, ET GLORIFICABAT DEUM] Manus significant Christi potestatem, auctoritatem, imperium in morbos & dæmones, æque ac ejus benignitatem & beneficentiam, qua sanitatis beneficium mulieri, benigne eam tangens, conferebat.

VERS. 14 RESPONDENS AUTEM ARCHISYNAGOGUS (id est synagogæ princeps & præfectus) INDIGNANS, QUIA SABBATO CURASSET JESUS, DICEBAT TURBÆ: SEX DIES SUNT, IN QUIBUS OPORTET OPERARI: IN HIS ERGO VENITE, ET CURAMINI, ET NON IN DIE SABBATI] *indignans*, quia invidens Jesu hanc miraculi & sanitatis gloriam, per quam se majorem & digniorem esse archisynagogo, in synagoga palam coram toto populo ostendebat: prætexit tamen huic suæ invidiæ zelum religionis & observationis sabbati, ideoque a Christo vocatur *hypocrita*. Ita S. Cyrillus in Catena: *Ingrata*, ait, *synagogæ præsul, postquam vidit feminam hanc repente solo tactu erectam, & divina referentem magnalia, ardens Domini gloria iritatur invidia arguitque miraculum, quasi videretur sollicitari pro sabbato.* Ubi nota τὸ *ingratæ*: debebat enim ipse gratus esse Christo, eique gratias agere, quod se suamque synagogam honorasset, & hoc miraculo beneficioque afficisset; sed invidia eum excæcavit, ut decus Christi suum existimaret esse probrum & dedecus, eo quod ipse talia & tanta patrare non posset. Sic Saul debuisset gratias agere Davidi, eo quod ipse Goliat sibi & toti Israeli formidabilem occidisset; sed invidia eum transversum egit, ut gloriam Davidis suam æstimaret ingnominiam. Putabat enim Davidem sibi præponi, seque cum esset rex, illi postponi.

B

C Hic ergo est viva imago invidiæ, larva religionis velatæ & celatæ.

VERS. 15 RESPONDENS AUTEM AD ILLUM DOMINUS, DIXIT: HYPOCRITÆ, UNUSQUISQUE VESTRUM SABBATO NON SOLVIT BOVEM SUUM AUT ASINUM A PRÆSEPIO, ET DUCIT ADAQUARE?] *Hypocritæ*, quia simulatis sanctitatem foris, cum intus pleni sitis invidia & malitia. Audi Chrysost. in Catena. *Benedixit hypocrita, quia faciem habebat legis cultoris, mens vero ejus erat versuti & invidi: non enim turbatur propter sabbatum, quia violatur, sed propter Christum, quia glorificatur.* Hypocrysis larvam fuse descripsi Eccli. c. 1. v. 32. ad illa: *Ne fueris hypocrita:* & cap. 2. ad illa: *Væ duplici corde.*

ET DUCIT ADAQUARE?] Unde Glossa: *Isti*, ait, *eum magistri plebium videri appeterent, sanationem hominis non verebantur postponere curæ pecoris.*

VERS. 16 HANC AUTEM FILIAM ABRAHÆ, QUAM ALLIGAVIT (quasi capite per funem ad pedes alligato, ut dixi v. 12.) SATANAS, ECCE DECEM ET OCTO ANNIS, NON OPORTUIT SOLVI A VINCULO ISTO DIE SABBATI?] Est appositissimum & efficacissimum Christi argumentum; ostendens hanc mulieris sanationem non esse opus servile, sed liberale & divinum, ideoque non indignum, sed dignissimum sabbato; utpote quo sabbatum, imo Deus ipse sabbati conditor mire sanctificabatur & glorificabatur, uti ostendit Irenæus lib. 4. c. 19. ubi docet Christum sanando ægros in sabbato non contra, sed secundum legem fecisse. Componit ergo, opponit, & anteponit Christus vinculum & solutionem mulieris, vinculo & solutioni bovis vel asini.

D

Porro singula verba continent antithesin prægnantem: opponit enim & præponit, Primo, mulierem, quasi *filiam Abrahæ*, bovi & asino. Secundo, vinculum & solutionem spiritualem mulieris, vinculo & solutioni bovis. Tertio, quod mulier hoc vinculum sit passa per 18. annos, bos vero vinculum, indeque sitim passus sit per unam alteramve horam dumtaxat. Quarto, quod operosa & longa sit solutio bovis, sua vero solutio mulieris, ejusque a morbo absolutio, facta sit subito & in instanti, quo sabbatum operando violari non poterat. Quinto, quod per hanc solutionem mulier reddita sit integræ sanitati & sanctitati: bos vero tantum aquæ pusillum hauserit. Denique arguit archisynagogum & Pharisæos inhumanitatis, *quod hominis sanationem pecoris curæ postponant*, ait Beda.

E

VERS. 17 ET CUM HÆC DICERET, ERUBESCEBANT OMNES ADVERSARII EJUS; ET OMNIS POPULUS GAUDEBAT IN UNIVERSIS, QUÆ GLORIOSE FIEBANT AB EO] Syrus, *in omnibus miraculis, quæ fiebant per manum ejus.*

OMNIS POPULUS] Græce; *omnis turba, tamquam ab invidia libera & beneficiis ab ipso affecta*, ita Euthym. Unde Cyrill. *Claritas*, ait, *operum Christi omnem quæstionem solvebat apud eos, qui non erant mentibus perversis.*

VERS. 18 DICEBAT ERGO: CUI SIMILE EST REGNUM DEI?] τί *ergo* cum sit illativum, significat hæc inferri & colligi ex præcedentibus, q.d. Videbat Christus se Pharisæis hostibus suis sua sapientia imposuisse silentium, atque populum idcirco gaudere, sibique & suis dictis applaudere: cum ergo videret eum ita rite dispositum, proposuit ei parabolam regni cælorum: animadvertebat enim jam sibi paratam esse viam ad regnum hoc suum proponendum & prædicandum, ut omnes incitaret ad illud ambiendum, ideoque ad capessendum Evangelicam suam doctrinam & vitam. Porro parabolam ipsam exposui Matth. 13. 31.

F

VERS. 23 AIT AUTEM ILLI QUIDAM: DOMINE SI PAUCI SUNT QUI SALVANTUR?] Respondit Christus affirmative, paucos salvari, ut insinuat Lucas, & clare exprimit Matth. c. 7, v. 14. Idem asserit Isaias c. 10. 22. & c. 24. 13. Paucos intellige, comparatione omnium hominum totius mundi, sive comparatione tam fidelium quam infidelium: omnes enim infideles damnantur ob infidelitatem, æque ac multi fideles ob impiam vitam. Soli ergo fideles salvantur, sed non omnes. An vero ex fidelibus solis plures salventur, an vero plures damnentur, problema est. Alii enim censent plures salvari ob sancta Sacramenta, quæ in fine vitæ plerique recipiunt. Alii censent plures damnari, quia plures male vivunt in statu peccati mortalis. Regula autem S. Augustini est, homines sic mori sicut vixerunt. Utrum verius sit, dixi Jacobi 2. v. 13. ad illa *Superexaltat autem misericordia judicium.* Formidabilis est sententia S. Chrysost. hom. 40. ad Populum Antiochenum, qui facile erat centum millium hominum, & amplius: *In civitate nostra*, inquit, *in tot millibus vix centum inveniri possunt, qui salvantur: quid in juvenibus magna est malitia, in senibus torpor*, &c. Et S. August. l. 4. contra Cresconium cap. 53. Ecclesiam comparat areæ tritici, in qua plures sunt paleæ, quam grana, id est, plures reprobi, quam electi.

G

VERS. 31 IN IPSA DIE ACCESSERUNT QUIDAM PHARISÆORUM, DICENTES ILLI: EXI, ET VADE HINC, QUIA HERODES VULT TE OCCIDERE] sicut occidit Joannem Baptistam præcursorem tuum. Videtur Christus hoc tempore prædicasse non in Galilæa; utpote ex qua jam pridem abierat, ut patet Matth. 19. v. 1. sed in Peræa Judææ vicina: Peræa enim, æque ac Galilææ, præerat Herodes. Ita Franc. Lucas. Maldonat. tamen & alii censent hæc gesta esse in Galilæa, ut per recapitulationem Lucas hic interserat ea, quæ jam pridem gesta erant in Galilæa: tale quoque est, quod audivimus vers. 24. & c. 9. v. 51.

Porro Pharisæi per mendacium hic fingunt Herodem Christo infensum, ut Christum a se ablegent, vel certe ejus libertatem & constantiam explorent & deprimant, injicientes ei metum Herodis, tum ut per hunc metum eum e sua regione expellant: *ne præsens & miracula edens glorificetur & attrahat turbam*, ait Euthym. tum ut Christus ex Peræa in Judæam egrediens, incidat in manus pontificum & principum, quos sciebant ei mortem machinari, ut patet Joan. 7. v. 20. & 25. Alioqui Herodem non fuisse Christo offensum, liquet ex eo, quod cupiebat eum, ejusque signa videre; ut patet cap. 9. 9. imo Christum a Pilato ad se missum condemnare noluit, sed alba indutum, quasi risu, non morte dignum, ad Pilatum remisit, ut patet c. 23. 8. Ita Jansen. Maldon. Franc. Lucas & alii.

H

VERS. 32 ET AIT ILLIS: ITE, ET DICITE VULPI ILLI: ECCE EJICIO DÆMONIA, ET SANITATES PERFICIO HODIE ET CRAS, ET TERTIA DIE CONSUMMOR] Christus Pharisæis metum Herodis objicientibus magnanime & libere respondet, sed nec illum, nec Pharisæos aut principes timere, sed omnibus invitis perrecturum prædicare, donec dies mortis ejus a Patre assignata advenerit. *Vulpem* vocat Herodem, quia astutus erat, versipellis & fictus: sicut per fraudem & fictionem occidit Joannem Baptistam, uti ex S. Chrysostomo & Græcis ostendi Marci 6. v. 26. Audi Bedam. Vulpes est animal fraudulentum, in fovea propter insidias latens, odore fœtens, numquam rectis itineribus incidens. Tales sunt hære-

Digitized by Google

A hæretici, quorum figura est Herodes, qui Christum in credentibus conantur occidere.

Verum Christus magis hic sermonem dirigit ad ipsos Pharisæos, omnesque vocat *vulpes*, quod per fraudem injicerent ei metum Herodis, ut eum fugiens in Judæam, ibi a principibus caperetur & occideretur. Idipsum significat pronomen τούτῳ, id est, huic vulpi, ut vertit Arabicus, quod Pharisæum ostendit prope manentem, ait Cyrillus & Theophyl. Audi Titum: Videri poterat totam orationis vim in unam Herodis personam convertere, & ita arbitrati sunt nonnulli: & tamen contra Pharisæorum pravitatem dirigit illam verius, quam contra Herodem: neq; enim ajebat, *Dicite vulpi illi*, sed *vulpi huic*. Enim vero, quo improbæ fraudis commemoratione Pharisæos vulpibus similes clare ostenderet, summa industria media quadam voce utitur: idque scite, ait Theophyl. non singulari numero dicendo *vulpem*, Herodem illos suspicari fecit: dicendo autem *huic*, quod est pronomen demonstrativum, insinuavit istos ipsos esse dolosos illos.

B Unde Emmanuel Sa: *dicite vulpi illi*, scilicet, inquit, vel Herodi, vel *illi*, qui mendacium illud finxerat, nimirum quod Herodes vellet occidere Christum, qui utique erat unus ex Pharisæis Christi hostibus. Sensus ergo est. q. d. Vos, o Pharisæi, quasi vulpes astutæ & dolosæ, objicientes mihi terrorem Herodis: vultis me abigere, ut apud vos non prædicem; sed ego constanter affevero me nec vos, nec Herodem metuere, neque ullius causa a prædicatione cessaturum; quia certus sum Patrem meum non permissurum ut capiar & occidar, antequam dies ab ipso decreta advenerit.

ECCE EJICIO DÆMONIA, ET SANITATES PERFICIO, id est ejicere & perficere pergam, invitis, non tam Herode, quam vobis ipsis: HODIE ET CRAS, id est, aliquanto adhuc tempore: ET TERTIA DIE, id est, paulo post finita & peracta mea legatione & prædicatione, CONSUMMOR] id est, consummabor, quia gloriosa in cruce morte pro hominum salute sponte & fortiter perfungar, uti fuse docet Ap. Hebr. 9. 11.

Nota hebraismum, quo ponitur tempus definitum pro indefinito hic, æque ac Oseæ 6. 3. Ita Cyrillus, Theophyl. C Euthym. *hodie & cras*, ergo, id est, aliquo adhuc tempore, sed brevi & modico, scilicet per tres menses: videtur enim Christus hæc dixisse paulo ante festum Encæniorum, quod 25. die mensis *Caslev*, qui nostro partim Novembri, partim Decembri respondet, celebrabatur, cum proxime sequenti Martio occisus & crucifixus fuit.

Igitur hæc animose dixit Christus Primo, ut significaret se mortem non metuere, sed ambire. Secundo, ut suam potentiam divinam ostenderet, per quam tamdiu hominibus invitis victurus & docturus erat, quamdiu ipse & Pater voluerit ac statuerit. Tertio, ut perversis Pharisæis dolorem augeret: illi enim voluissent eum jam esse sublatum.

Porro Christus mortem suam vocat consummationem, quia in ea & per eam consummavit totam œconomiam incarnationis, totumque officium legationis suæ, ad quod a Patre missus erat; scilicet expiationem omnium peccatorum, redemptionem generis humani, electorum salutem, &c. juxta illud: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, Hebr. 10. 14.

D VERUMTAMEN OPORTET ME HODIE ET CRAS, ET
VERS. 3 SEQUENTI (Arabicus, *tertia*, Vatabl. *perendie*) DIE AMBULARE: QUIA NON CAPIT PROPHETAM PERIRE EXTRA JERUSALEM] *Oportet*, non ex compulsione, sed ex superna dispositione, ait S. Bonaventura. Sic S. Cyr. & Titus. Christus inculcat id, quod dixit versu præced. ut ostendat se in sententia perstare, nec timere aut Herodem aut Pharisæos: sed illis invitis prædicaturum modico adhuc tempore, usque ad diem a se & a Patre constitutum. Sensus ergo est: *Hodie in cras & sequenti die oportet nos ambulare*; græce πορεύεσθαι, id est proficisci. q. d. Modico adhuc tempore oportet me vicos & castella ambulando & prædicando obire, & sequenti die tertia, id est, paulo post, consummari per mortem in cruce, uti dixi vers. præcedenti, nunc in eo, quod dixi, persto, addoque me quoque tertia die debere idem facere: licet enim die tertia consummandus sim; tamen illa ipsa die oportet me adhuc ambulare. q. d. Toto tempore vitæ meæ usque ad mortem oportet me regiones obambulando prædicare, & operari sanitates, & dæmones ejicere, quia totam vitam sanctæ actioni, mortem generosæ passioni consecravi, Deoque in holocaustum obtuli. Sic Hebr. *halach*, id est ambulare, sumitur pro operari, Joan. 8. 12. & c. 12. 33. E Psal. 1. 1. & alibi. Porro Syrus vertit, *verumtamen oportet me hodie & cras operari, & altero die iter faciam*; hoc est, proficiscar Jerusalem ad mortem, indeque in cælum, unde veni.

Moraliter discant hic fideles, ac præsertim viri Apostolici, strenue laborare in vinea Domini usque ad mortem & martyrium, uti fecit S. Petrus, S. Paulus, S. Chrysostomus, S. Athanasius, &c. Ita noster Petrus Canisius, licet laboribus multis magnisque confectus, tamen laborare non destitit usque ad annum ætatis 77. quo labore æque ac vita defunctus est. Hæc enim erant ejus dictamina: *Christi militibus stipendia non finiuntur ante vitam; cum consummaverint, tunc incipiunt: Sola mors missionem dat eis: Unica sedes emeritorum est cælum*. Ita noster Sacchinus in ejus Vita lib. 3. Laboremus ergo usque ad mortem, ut post mortem in æternum in beata felicitate quiescamus: terra enim est stadium modici laboris, cælum est sedes quietis æternæ.

QUIA NON CAPIT PROPHETAM PERIRE EXTRA JERUSALEM] Græce, οὐκ ἐνδέχεται, id est, non convenit, non contingit, fieri non contingit, fieri non potest, F ut vertit Syrus. Est hyperbole. q. d. Tanta est Hierosolymæ impietas & feritas, ut illi propria videatur, nec patiatur ab aliis, quam a se Prophetas occidi, atque ægre ferat, si ab aliis id fiat. Ac proinde ego quoque idcirco Herodem non timeo, quia ab eo in Galilæa nunc occidendus non sum, sed post aliquot demum annos in Jerusalem Prophetarum interfectrice, ubi non ab Herode, quem mihi objectatis, sed a vobis ipsis, o Pharisæi, crucifigar & occidar. *Assueti enim effundere fervorum sanguinem, etiam Dominum ipsum occident*, ait Theoph. sic & Titus, Jansenius, Maldonatus, & Franc. Lucas, quem audi: Non capit Prophetam occidi extra Jerusalem, id est, oportet Prophetam occidi in Jerusalem, non quod nulli extra Jerusalem occisi sint (Jezabel enim in Samaria multos occidit, 3. Reg. 18. v. 13. & c. 19. v. 10.) sed quod in Jerusalem plerique omnes occidi soleant, quod usitatissimum esset Prophetas in Jerusalem occidi: cum enim illic sedem figerent reges, sacerdotes, principes, potentes sæculi, Scribæ, sapientes, Pharisæi sancti in oculis suis, G qui, vulgo suffragante, ferre nollent Prophetarum increpationes, admonitionesque: facta est ea civitas, ex domo Dei macellum Prophetarum, quæ Prophetarum quasi carnificinam profiteretur. Legimus 4. Reg. 21. 16. de Manasse, quod *sanguinem innoxium fuderit multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os*.

Simili modo Romæ variis in locis, ac præsertim ad Ursum Pileatum (ubi nunc est Ecclesia S. Bibianæ) plurimi Christiani ab Imperatoribus in fidelibus occidebantur, adeo ut locus ille vulgo vocaretur *macellum Martyrum*. Hinc recte tunc dici poterat: Non capit Pontificem perire extra Romam, quia omnes penes Pontifices a S. Petro usque ad Sylvestrum per trecentos annos, ab Imperatoribus Romæ residentibus ob fidem Christi occisi sunt.

CAPUT XIV.

SYNOPSIS CAPITIS. H

PRimo, Christus invitatus a Pharisæo hydropicum sanat in sabbatho, illudque licere evidenti exemplo Pharisæis demonstrat. Secundo, v. 7. parabolam dat invitatorum, ut ultimum locum captandum esse ostendat: mox & pauperes docet esse invitandos, non divites. Tertio, v. 16. proponit parabolam invitatorum sese varie excusantium a cœna, ideoque ab ea exclusorum. Quarto, v. 26. docet sui sequaces debere parentes odisse, & crucem ferre. Quinto, v. 28. idipsum probat per parabolam volentis ædificare, & volentis bellum gerere, quorum uterque prius computat sumptus ad fabricam & bellum necessarios.

Tertiam partem fere audivimus, Matth. 22. v. 2. Quartam, Matth. 10. 37. Supersunt ergo prima, secunda & quinta partes hic explicandæ.

ET factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. VERS. 1

2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

3. Et

Digitized by Google

A 3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare?

4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5. Et respondens ad illos dixit: Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?

6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

7. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo;

9. & veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in
B novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus:

11. quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

12. Dicebat autem & ei, qui se invitaverat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio.

13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:

14. & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.

16. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœ-
C nam magnam, & vocavit multos.

17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum.

19. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.

20. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire.

21. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas, & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

22. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.

23. Et ait dominus servo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

D 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

25. Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conversus dixit ad illos:

26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

27. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum:

29. ne, postea quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,

30. dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui I cum viginti millibus venit ad se?

32. alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.

33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit; in quo condietur?

35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

ET FACTUM EST CUM INTRARET JESUS IN DOMUM VERS. 1
CUJUSDAM PRINCIPIS PHARISÆORUM SABBATO & 2.
MANCUCARE PANEM, ET IPSI OBSERVABANT EUM. ET ECCE HOMO QUIDAM HYDROPICUS ERAT ANTE ILLUM] *Principis*, qui inter sui ordinis homines principem locum obtinebat, ait Titus, eratque inter suos primus, vel Pharisæorum primarius. *Ut aliquam utilitatem eis adferat*, I *familiarem & quasi domesticum se illis exhibet*, ait Titus. Et S. Cyrill. in Catena: Cognoscebat quidem malitiam Pharisæorum, inquit, sed fiebat eorum conviva, ut prodesset præsentibus per verba & miracula, scilicet ut doceret eos licere sabbato sanitatem conferre ægris, ac quid invitatos & invitantes agere deceat. Hoc enim facit Christus in sequentibus.

PANEM] *Panis* Hebræis omnem escam significat per synecdochen.

HYDROPICUS] Syrus, *qui congregaverat aquas sub cute*, hydrops enim est ægritudo, quæ Latinis aqua interdum dicitur, quod ὑδωρ, id est aqua, inter cutem colligatur, qua venter turgescit, ideoque semper sitit, & quo plus bibit, eo plus sitit, intumescit & agrescit, de quo Horat. lib. 2. Carminum ode 2. Hydrops qualis morbus?

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor. G

Ratio est, quod hydropici omne quod bibunt convertunt in humorem putridum & salsum: quo ergo plus bibunt, eo plus salsedinis acquirunt: salsedo autem excitat sitim.

Videtur hic hydropicus amicus vel notus fuisse principi Jesum invitanti, ac forte idcirco Jesum invitarat princeps, ut eum sanaret. Certe ipse hydropicus avidus sanitatis sponte se obtulit Jesu, tacite ab eo sanitatem flagitans, aut Cyril. & Euthym. Esto Pharisæi alia mente eum Christo offerri procurarint, vel optarint, scilicet ut explorarent an eum curaret in sabbato, putantes hac ratione eum violaturum sabbatum, ac proinde non esse verum Prophetam emissum a Deo, qui rigidum sabbati cultum sanxerat.

ET RESPONDENS JESUS DIXIT AD LEGISPERITOS, ET VERS. 3
PHARISÆOS DICENS: SI LICET SABBATO CURARE? AT & 4
ILLI TACUERUNT. IPSE VERO APPREHENSUM SANAVIT EUM, AC DIMISIT] *Respondens*, non loquelæ & interrogationi, utpote quæ nulla hic præcessit, sed cogitationi, qua cogitabant non licere sanare hydropicum in sabbato, ac proinde Christum si eum sanaret, male facturum. H

SI LICET] Id est, an licet.

APPREHENSUM] Græce ἐπιλαβόμενος, id est, *cum apprehendisset*, cum attigisset. q. d. Sanavit eum tangendo, sive contactu manus suæ arefecit hydropem, hoc est aquarum copiam, qua hydropicus turgebat. Porro hydropicus ipse, ait Cyril. metu Pharisæorum remedium non petebat propter sabbatum, sed stabat, ut Christus misertus sanaret.

Mystice S. Gregor. 14. Moral. Sanatur, inquit, hydropicus ante Pharisæum, per ægritudinem enim corporis illius, hujus cordis ægritudo exprimitur; laborabat enim hydrope avaritiæ & cupiditatis.

Unde Tropologice Beda: Hydropicus est, inquit, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat: est enim morbus ab aquoso humore nominatus. Proprie vero hydropicus est dives avarus, qui quo magis abundat, eo magis sitit, ait S. Aug. l. 1. Quæst. Evang. q. 29.

Avaritia ergo & cupiditas quælibet est hydrops mysticus. Primo, quia ipsa aquea est & fluxa. Secundo, quia sitim accendit, juxta illud: Avarus est hydropicus. Primo. Secundo.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Cupi-

Digitized by Google

A Cupiditas enim & avaritia indulgendo accenditur, reſiſtendo extinguitur. *Ita* S. Auguſt. loco jam citato. Tertio, hydrops inducit tumorem, ſed aqueum; ita opulentia divitem facit tumidum & ſuperbum, ſed ob opes fluidas & evanidas. Quarto hydropici ſunt anhelitu fœtido, ait Gloſſa, ob putidas & fœtidas aquas, quibus turgent: ſic & cupidi nonniſi fœditatem ſuæ cupiditatis, ore, vultu, toroque corpore exhalant. Quinto, Hydrops, ait Paulus Ægineta lib. 3. cap. 48. inde contrahitur, quod ſpiritus copia cum humidi momento intra membranam (quæ peritonæus appellatur) & inteſtina colligitur, ut abdomen percuſſum tympani modo crepitum edat; qua ratione etiam tympanias nuncupatur, qui ſtomachi, alvi & coli inflationibus febribuſque longis ſupervenit, nonnumquam vero ex duritie peritonæi, aut vulvæ in mulieribus, aut ex ſcirrho generatur: hinc venter quidem intumeſcit, reliquum autem corpus, quod alimentum non ſentiat, conſumitur. Hinc & corpus albido & pituitæ colorem, mortui inſtar apparet. Sic cupiditas oritur partim ex guſtu & ſenſu voluptatum carnalium, quæ ſitim earumdem excitant, & habitus malos quaſi pravos humores in ventre, id eſt in appetitu, generant: partim ex variis fluidiſque voluptatum imaginationibus, quæ earumdem concupiſcentiam in voluntate ſuſcitant: inde appetitus concupiſcibiles intumeſcunt, ſed vis mentis & ſpiritus marceſcit, contabeſcit & conſumitur, ut palleſcere, albicare & mortuo ſimilis videatur. Sexto, hydropis remedium, ait Galenus, eſt Primo, theriaca; Secundo, ſtercus bubulum & caprinum; Tertio, agreſtis cucumis, ebuli radix, chamædrys, carycæ, euphorbium, flos ſalis aquæ marinæ miſtus, raphanus, magnes lapis, ſcylla, ſulphur, ac ſimilia, quæ aquam inter cutem deſiccant, vel expellunt; præſertim per urinam. Efficax quoque remedium eſt abſtinentia ab humidis & a potu. Fertur hydropicus quidam pauper a medico morbi remedium flagitaſſe; ille cum pauperem cerneret, joco dixit: Per annum abſtine a potu, & ſanaberis. Pauper id quaſi ſerio dictum accepit, & magna cum ſiti perfecit; ac anno vertente ſanus effectus ad medicum rediit, eique pro conſilio gratias egit. Ita cupiditatis remedium eſt mortificatio, abſtinentia, continentia, quæ omnes vitioſos mores deſiccat, vel abigit, & expellit.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

B

Sexto. Remedia Hydropis.

C

VERS. 5 ET RESPONDENS AD ILLOS, DIXIT: CUJUS VESTRUM ASINUS AUT BOS IN PUTEUM CADET: ET NON CONTINUO EXTRAHET ILLUM DIE SABBATI?] q.d. ait Beda: *Et vos in ſabbato aſinum aut bovem, aut quodlibet animal in puteum decidens eripere feſtinatis, non animali, ſed veſtræ avaritiæ conſulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior eſt pecore, debeo liberare? illud cupiditatis, hoc charitatis eſt opus.* Addit Beda: *Violabant illi ſabbatum in opere cupiditatis, qui Chriſtum violare arguebant in opere charitatis.*

Myſtice Beda: Per bovem & aſinum, ait, ſignificantur ſapientes & hebetes: vel Judæi jugo legis preſſi, & gentes nulla ratione domitæ: Omnes enim a puteo concupiſcentiæ demerſos Dominus extrahit. Porro S. Aug. l. 2. Quæſt. Evang. congruenter hydropicum, inquit, animali cadenti in puteum comparavit; humore enim laborabat; ſicut mulierem, quam ſolvit, comparavit jumento, quod ſolvitur, ut ad aquam ducatur.

VERS. 6 ET NON POTERANT AD HÆC RESPONDERE ILLI] Utpote manifeſta veritate convicti, ait Euthymius; ſed ſeorſim inter ſe Chriſto obmurmurarunt & poſtea apud populum palam occlamarunt: *Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*, Joan. 9. 16. Sciebat hoc Jeſus, ſed nihilominus hominem ſanavit, quia eorum obſtinationem & malitiam augeri permiſit hoc fine, ut per eam crux ſibi a Deo decreta, ad hominum ſalutem pararetur. Non curans, ait Theophylactus, ſcandalum Phariſæorum: ubi enim magna reſultat utilitas, non eſt curandum, ſi ſtulti ſcandalizentur.

D

VERS. 7 DICEBAT AUTEM ET AD INVITATOS PARABOLAM, INTENDENS QUOMODO PRIMOS ACCUBITUS ELIGERENT, DICENS AD ILLOS] *Parabolam* vocat doctrinam gravem de cavenda ambitione in re qualibet, petitam ex ſimilitudine ambitus primi loci in convivio. Nam ex eo, quod Chriſtus oſtendit, quam dedeceat ambitio primi conſeſſus in menſa, tacite a ſimili vel pari oſtendit, quam eadem dedeceat in alia re qualibet. Idem enim eſt vitium, etſi in alia & alia ſit materia.

INTENDENS] Græce ἐπέχων, id eſt attendens, contemplatus; hoc eſt, poſtquam attendiſſet & conſideraſſet, quod Phariſæi in iſto convivio, uti & in cæteris, more ſuo prima accumbendi loca in menſa aucuparentur, invaderent & occuparent. Superbi enim erant, ac ſibi quaſi doctoribus primas ubique debere cenſebant, & de iis inter ſe certabant & contendebant, uti etiamnum ſubinde fit in conviviis, præſertim a feminis nobilibus, & viris parvi cerebri.

E

Hæc eſt quaſi proparabola, ſive prologus & titulus parabolæ, qui indicat qua occaſione, & contra quos dicta ſit parabola; ſcilicet contra Phariſæos, quorum ambitionem cum vidiſſet Chriſtus, eamdem hac parabola ſanare & reſecare voluit.

VERS. 8 CUM INVITATUS FUERIS AD NUPTIAS, NON DISCUMBAS IN PRIMO LOCO, NE FORTE HONORATIOR TE SIT INVITATUS AB ILLO.

VERS. 9 ET VENIENS IS, QUI TE ET ILLUM VOCAVIT, DICAT TIBI: DA HUIC LOCUM: ET TUNC INCIPIAS CUM RUBORE NOVISSIMUM LOCUM TENERE] Dum enim herus tibi primum locum eripuit, ut daret honoratiori, tunc convivæ ſecundus & tertius, cæterique ſequentes ſuum locum ſtudioſe retinere volentes, eumdem tibi præſertim ambitioſo, cedere nolent, ideoque a primo in imum cum rubore deſcendes. q.d. Noli te ipſum ſuperbe exaltare, ne alius offenſus tuo faſtu, eum ſternat & deprimat.

F

VERS. 10 SED CUM VOCATUS FUERIS, VADE, RECUMBE IN NOVISSIMO LOCO: UT CUM VENERIT QUI TE INVITAVIT, DICAT TIBI: AMICE, ASCENDE SUPERIUS. TUNC ERIT TIBI GLORIA CORAM SIMUL DISCUMBENTIBUS] Solent enim heri, quaſi domini in domo ſua, cuique invitato aſſignare locum illi congruum in menſa, quod olim faciebat modimperator, ſive præfectus convivii, habita dignitatis, vel ætatis cujuſque ratione. Unde fratres Joſeph ab eo invitati, *ſederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita ſua, & minimus juxta etatem ſuam.* Geneſ. 43. v. 33. Alludit ad Prover. 25. v. 6. *Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſteteris. Melius eſt enim ut dicatur tibi, Aſcende huc, quam ut humilieris coram principe.* Vide ibi dicta.

Sapienter ergo Titus: *Ille*, ait, *cordatus eſt, qui cum primæ ſedis honorem jure mereatur, adeo illum non affectat, ut ultro quoque aliis deferat. Quare magnum præclarumque donum eſt, animus modeſtus ſuaque ſorte contentus.*

G

TUNC ERIT TIBI GLORIA] Docet Chriſtus viam ad gloriam & ſublimitatem, eſſe ejus fugam, ſuique humiliationem; tum quia homines oderunt ambitioſos, eoſque deprimunt, modeſtos vero & humiles extollunt: tum quia vera gloria eſt, quæ datur, non quæ ambitur: tum quia Deus ita æterna ſua lege ſanxit, ut humiles exaltentur, ſuperbi dejiciantur. Quocirca ſuperbi ſi ſapiunt, ſuperbiam ſuam obtegunt, & ſpecie externa ſe ſe humiliant, ac infimum locum occupant, ut audiant humiles; ideoq; laudentur ab aſtantibus, & exaltentur: ſi enim primum locum ambiant & invadant, æmulos concitabunt, ut eos ſive jure, ſive injuria, ex eo dejiciant & ſternant. Audi Sapientem Eccl. 3. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Ubi multa hac de re congeſſi.

Modeſtiæ præcepta. Philoſophorum.

Hoc Chriſti præceptum, vel potius conſilium, & ſapientiæ dogma, ex naturali rationis lumine tradiderunt Gentium Philoſophi. Plutarchus in convivio ſeptem ſapientium Talerem inducit faſtum Alexidemi, qui quia filius Thraſybuli tyranni ex cœnaculo proripuerat, quod in eo alios ſibi in diſcubitu præferri vidiſſet, acribus hiſce verbis caſtigantem. *Itane vero metuis, ne, quemadmodum Ægyptii ſtellas ajunt viribus, pro loci in quem attolluntur, aut devehuntur, conditione, augeri minuive; ita tibi quoque locus claritatem obſcuritatemve adferat? certe Latone illo es deterior, qui cum ei in choro quodam ultimum locum præfectus aſſignaſſet: Bene*, inquit, *abs te factum eſt, qui hujus quoque loci cohoneſtandi rationem reperis, cum non hominem loco, ſed locum potius homine ornari atq; cohoneſtari exiſtimaret.* Non ergo curandum eſt, quo loco, aut poſt quos collocemur, ſed potius ut cum iis, quibus accumbimus, bene nobis conveniat, ſtatimque in vobis ipſis principium anſamque amicitiæ ineſſe oſtendamus, dum non ſuccenſemus locanti, ſed laudamus quod talibus nos adjunxerit. Etenim qui loci cauſa iraſcitur, is magis ei juxta quem poſitus eſt, quam vocatori ſeu collocanti iraſcitur, & utrique fit infenſus. Similis eſt Senecæ lib. 1. de Ira oratio: *Minus honorato loco poſitus iraſci cœpiſti convivatori, vocatoque ipſi, qui tibi præferebatur. Demens, quid intereſt, quam lecti premas partem? Honeſtiorem te aut turpiorem poteſt facere pulvinum?* Aſſuefcant ergo convivæ ſine faſtu, atque fraterne ſeu amice, ſtatim a janua, hoc eſt a principio cœnæ una verſari atque accumbere.

H

Laudabilis fuit ille juvenum Romanorum mos, qui, teſte

Vale,

Digitized by Google

A Valerio Maximo lib. 2. c. 1. invitati ad cœnam, diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi, ne senioris adventum discubitu præcurrerent. Hoc quoque facit illud conviviale præceptum: *Sedis*, inquit, *honorem alteri libenter cede, & ad honoratiorem locum invitatus, comiter excusa: si tamen crebro serioque jubeat aliquis auctoritate præditus, verecunde obtempera; ne videare pro civili, præfractus.* Honor enim sequitur fugientem, sequentem fugit, ceu umbra corpus.

Symbol. Symbolice: Religiosi in Religione implent *Tὸ* Christi, *Recumbe in novissimo loco.* Hic enim est novissimus locus, abjicere se sub omnium pedibus, seque omni facultate atque etiam voluntate expoliare: quoniam qui nihil retinuit, nullum jam inferiorem locum reliquit, quo descendat. Recumbitur autem in hoc loco, & in eo quiescitur; quoniam humilitas ista non unius tantum aut alterius actionis est, quod interdum faciunt etiam aliqui sæculares, sed totius vitæ, quoniam in ipso statu inclusa est, qui totam vitam complectitur.

B Hinc S. Hier. epist. 26. in Paula & Eustochio nobilissimis feminis adeo commendat concinnare lucernas, succendere focum, pavimenta verrere, purgare legumina, olerum fasciculos in ferventem ollam dejicere, apponere mensas, calices porrigere, effundere cibos, huc illucque discurrere, quæ omnia opera ita ab humilitate veniunt, ut & illam humilitatem indicent, quam status affert, & eamdem quotidie magis ac magis augeant.

Vers. 11 QUIA OMNIS, QUI SE EXALTAT, HUMILIABITUR, ET QUI SE HUMILIAT, EXALTABITUR] tum ab hominibus, tum a Deo, idque sæpe in hac vita, semper in futura. Hæc est postparabola, sive conclusio parabolæ, ejus mentem, scopum & fructum explicans. Sententiam hanc explanavi Matth. 23. v. 12.

Vers. 12 DICEBAT AUTEM ET EI, QUI SE INVITAVERAT: CUM FACIS PRANDIUM, AUT COENAM, NOLI VOCARE AMICOS TUOS, NEQUE FRATRES TUOS, NEQUE COGNATOS, NEQUE VICINOS DIVITES: NE FORTE TE ET IPSI REINVITENT, ET FIAT TIBI RETRIBUTIO.

EI, QUI SE INVITAVERAT] Principi Pharisæorum v. 1. cui Christus pro convivio corporali spirituale consilium,

C quasi convivium rependit. Videtur enim princeps hic convivas invitasse, ut vicissim ab eis invitaretur, ait Glossa.

NOLI VOCARE AMICOS] Consulit hoc Christus quasi perfectio, non præcipit quasi necessarium. Licitum enim est invitare amicos, imo meritorium, si ex amicitia & charitate fiat. Unde Beda: *Fratres*, inquit, *amicos, & divites alterutrum convivia celebrare, non quasi scelus interdicit, sed sicut cætera necessitatis humanæ commercia, ad promerenda vitæ cælestis præmia, nil valere ostendit*; scilicet ex se, nisi, ut dixi, ad altiorem finem, v. g. ad charitatem referantur.

REINVITENT] vicissim invitent, uti facere solent homines divites & potentes, ut convivium convivio exsolvant, qui est affectus humanus & terrenus, vel gratitudinis, vel avaritiæ. Nam, ut ait S. Ambr. *Hospitalem esse remuneraturis, affectus avaritiæ est.*

ET FIAT TIBI RETRIBUTIO] ab homine, eaque brevis, exilis & vilis, quam si solam intendis, retributionem Dei spiritualem, cælestem & æternam excludis, illaque te privas: sin utramque intendis, utramque recipies, sed minorem: una enim alteram imminuit & quasi infringit,

D sin solam divinam intendis, humanam vero, quia offertur, admittis, vel potius permittis duntaxat, divinam integram recipies.

Vers. 13 SED CUM FACIS CONVIVIUM, VOCA PAUPERES (nimirum) DEBILES, CLAUDOS ET CÆCOS] qui ob defectum corporis laborare & victum sibi parare nequeunt: cæteri enim, qui id facere queunt, non tam pauperes quam divites censendi sunt.

DEBILES] Græce ἀναπήρους, id est mancos, mutilos, læsos, vel corpore, vel mente. Causam dat S. Chrysost. in Catena: *Si pauperem vocaveris*, inquit, *Deum habebis debitorem: & quanto minor est frater, tanto magis per eum Christus accedit & visitat; qui magnum suscipit, sæpe ob gloriam aut utilitatem facit. Sed dicis: Immundus est pauper & sordidus, lava eum, & fac in mensa tecum sedere; si vestes immundas habet, mundum vestimentum ei exhibe; sed si non vis sursum recipere in solario, vel ubi famuli sunt, suscipe, si non vis tecum sedeat, mitte de mensa fercula.*

S. Gregorii Pontificis, & S. Ludovici, reg pietas in pauperes. Hoc Christi consilium secutus S. Gregorius Pontifex, sæpe duodecim pauperes mensæ suæ adhibebat, ideoque inter eos Christum specie pauperis se insinuantem mensa excipere meruit. Idem fecit S. Ludovicus Rex Franciæ, qui quotidie 120. pauperes, in festis vero ducentos ad E mensam adhibebat, eisque sæpe ministrabat, quin & pedes abluebat. S. Ludovicum quasi patruum secutus est ejus nepos S. Ludovicus Minorita & Episcopus Tolosanus: item S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ, ejusque neptis S. Elisabetha filia Andreæ regis Hungarorum, quæ quotidie nongentos pauperes mensæ adhibebat, magno gratiæ & remunerationis divinæ præmio. Item S. Ludovici Epis. S. Hedvvigis, S. Elisabetha.

Mystice, Origenes, *Qui*, inquit, *vanam gloriam vitat, vocat ad spirituale convivium pauperes, id est imperitos, ut ditet; debiles, id est laesam conscientiam habentes, ut sanet; claudos, id est declinantes a ratione, ut recte incedant, cæcos, ut videant veritatem.*

ET BEATUS ERIS, QUIA NON HABENT RETRIBUERE TIBI: RETRIBUETUR ENIM TIBI IN RESURRECTIONE JUSTORUM] Ubi beatificandi sunt pauperum susceptores, ait Interlin. Inopia ergo invitatorum deprat invitantis intentionem, ut non nisi ob amorem Dei pauperes invitet, eo quod a pauperibus nil speret. Quare Deus, qui quod pauperibus suis fit, sibi factum æstimat, illi copiosam mercedem, & cælestis convivii delicias perennes retribuat, juxta illud: *Et ego dispono vobis*, &c. *ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Lucæ 22. 29. Unde concludit S. Chrysost. in Catena: *Igitur non turbemur, cum non recipimus beneficii compensationem, sed cum receperimus. Quia si recipiamus, non amplius recipiemus illic: sed si homo non retribuat, tunc tibi retribuet Deus*, cujus intuitu & amore beneficium contuliſti. Vers. 14 F

HÆC CUM AUDISSET QUIDAM DE SIMUL DISCUMBENTIBUS, DIXIT ILLI: BEATUS, QUI MANDUCABIT PANEM IN REGNO DEI] Scilicet *in resurrectione justorum*, ut dixit Christus vers. præced. hanc enim audiens & optans, in vocem istam erupit, illectus dulcedine auditæ resurrectionis, ait Glossa. Porro S. Cyrillus in Catena: Erat iste, inquit, animalis, putans corporeas esse remunerationes Sanctorũ. Fuit ergo hic unus e Pharisæis: hi enim credebant resurrectionẽ, quam Sadducæi negabant, Actor. 23. v. 8. Deus enim Beatos in cœlo omnibus delicijs pascit, satiat, inebriat, juxta illud, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ, potabis eos*, psal. 35. 9. Qualis & quanta sit hæc voluptas fuse describit S. Aug. in Soliloquiis & in Meditationibus. Vers. 15 G

Mystice, audi S. Aug. de Verb. Dom. secundum Lucam ser. 33. *Quasi in longinquum* (in cælum) *suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi?* Joan. 6.

AT IPSE DIXIT EI: HOMO QUIDAM FECIT COENAM MAGNAM] Nota. Hæc parabola est quasi eadem cum illa Matth. 22. vers. 2. sed alio loco, tempore & modo a Christo repetita, ut ibi ostendi. Vers. 16

Quæres, quænam hæc cœna? Primo, nonnulli per cœnam accipiunt Verbi incarnationem, prædicationem & redemptionem: hæc enim est cœna magna, quia Christus carnem assumens, nos in fine temporum visitans invitavit ad se, scilicet ad suum Evangelium, gratiam & gloriam. Sic enim accipitur cœna hæc in parabola eadem, vel simili apud Matth. cap. 22. vers. 1. Sed ibi vocatur prandium, hic vero vocatur cœna: Prandium est in Ecclesia militante, cœna in triumphante, juxta illud Leonidæ ad milites præliaturos: *Prandete commilitones, apud inferos* (imo superos) *cœnaturi.* Ecclesia enim terrestris & militans contendit ad cælestem & triumphantem. Secundo, S. Cyrillus in Catena, per cœnam accipit Eucharistiam. Homo iste, inquit, est Deus Pater, qui magnam nobis in Christo cœnam paravit, qui nobis dedit proprium corpus comedere. Unde Ecclesia parabolam hanc legit, & adaptat festo Venerab. Sacramenti. Tertio, & generose ad literam, cœna hæc est beatitudo & gloria cælestis: hæc enim fruemur in regno Dei & resurrectione justorum, uti præcessit: hæc vocatur cœna, quia dabitur vespere, id est in fine vitæ, & in fine nulla alia dabitur refectio: quia ipsa erit æterna. Cœna magna, ait S. Greg. hom. 36. est satietas dulcedinis æternæ. Nam, ut ait Glossa, Post prandium cœna restat, post cœnam nullum convivium restat: de prandio multi ejiciuntur, de cœna nullus. Coena magna, quæ H

MAGNA] Quia ea nil majus vel melius cogitari potest; ipse enim Deus erit nostrum ferculum, noster cibus & epulum. Unde Euthymius: *Significatur*, ait, *ineffabilis Dei fruitio*, qui non solum nos, sed omnes omnino Beatos recreabit, sanabit, inebriabit, beabit, glorificabit: ut nil amplius optare vel desiderare possint, juxta illud: *Oculus non vidit, nec*

Digitized by Google

A *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*, 1. Cor. 2. 9.

ET VOCAVIT MULTOS] pura omnes Judæos, qui erant Ecclesia & populus Dei, vocavit Christus per se, & Apostolos, ac per Joannem Baptistam, ad Evangelicam doctrinam & gratiam, indeque ad gloriam regni cælestis, ubi celebratur hæc cœna. Hos enim primo vocavit Christus, ac præsertim Judæorum primores, quales erant Scribæ, Pharisæi, sacerdotes & pontifices, eis prædicando: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. 3. & 4.

ET MISIT SERVUM HORA COENÆ DICERE INVITATIS, UT VENIRENT, QUIA JAM PARATA SUNT OMNIA] ad epulum cæleste, ad felicitatem æternam, ad fruitionem Dei. S. August. serm. 34. de Verb. Dom. *Parata jam cœna*, ait, *immolato Christo, post resurrectionem Christi missi sunt Apostoli*, &c.

VERS. 18 ET COEPERUNT SIMUL OMNES EXCUSARE. PRIMUS DIXIT EI: VILLAM (græce ἀγρὸν, id est *agrum*, cui solet conjungi villa, sive domus rustica na) EMI, ET NECESSE HABEO EXIRE ET VIDERE ILLAM: ROGO TE HABE ME

B EXCUSATUM] Notantur hic ad litteram Scribæ & Pharisæi, sacerdotes, & pontifices, qui vocati a Christo ad Evangelium, indeque ad epulum cælestis gloriæ, illud neglexerunt, quia tori inhiabant villis, id est possessionibus & bonis temporalibus congregandis; illi ergo occupati, nec animum, nec otium habebant cogitandi de animæ salute, & felicitate æterna, *Offert Deus*, ait S. Greg. hom. 36. in Evang. (illas enim semper hic intelligo, non autem ejus homilias in Ezech. Evangelica enim tracto) *quod rogari debuerat; non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat, paratas delicias æternæ refectionis denunciat, & tamen simul omnes recusant*. Et rursum: *Dum dicit, Rogo te, & tamen venire contemnit: humilitas sonat in voce, superbia in actione*. Et iterum: *Quid per villam, nisi terrena substantia designatur? Exiit ergo videre villam, quia sola exteriora cogitat propter substantiam*.

Excusationes invitatorum ad cœnam.

Appositè S. Bern. in Declamat. homines opibus, deliciis, honoribus, ambitioni inhiantes vocat phreneticos: *Vidi ego*, inquit, *aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam mastic abat arenam. Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem. Porro tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, levioris aura spiritu aperto attrahebat ore, & si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus seorsum positus ridebat cæteros; ipse quoq; ridendus, & maxime. Proprias enim carnes incredibili quodam studio fugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori*. Quibus emblematibus D. Bernardus varia peccatorum genera significavit. Nam primus ille cupidos, secundus voluptuarios, tertius iracundos, quartus ambitiosos, quintus tandem homines de suis rebus maxime gloriantes, sibique placentes repræsentat, qui semper esuriunt terrena bona, & numquam satiantur.

Vanitas mundanorum.

C

VERS. 19 ET ALTER DIXIT: JUGA BOUM EMI QUINQUE, ET EO PROBARE ILLA: ROGO TE, HABE ME EXCUSATUM] Notat alteram Pharisæorum avaritiæ speciem, qua propter villas & fundos, etiam boves, & animalia ad villas excolendas, ac ad esum vel alium quemlibet usum (veterum enim opes fitæ erant in pecoribus, ut patet in Abraham,

D Isaac, Jacob, Job, &c.) avare conquirebant; itaque illis occupati negligebant Christi doctrinam, ejusque ductum ad regnum cæleste. Ita Theoph. & Titus. Verum Gregor. hom. 36. *Quid*, inquit, *in quinque jugis boum, nisi quinque corporis sensus accipiamus? qui recte quoque juga vocati sunt; quia in utroque sexu geminantur. Qui videlicet corporales sensus, quia interna comprehendere nesciunt, sed sola exteriora cognoscunt, & deserentes intima, ea quæ extra sunt tangunt, recte per eos curiositas designatur. Quæ dum alienam quærit vitam discutere, semper sua intima nesciens, studet exteriora cogitare*.

VERS. 20 ET ALIUS DIXIT: UXOREM DUXI, ET IDEO NON POSSUM VENIRE] *Quid per uxorem*, ait S. Greg. hom. 36. *nisi voluptas carnis accipitur?* Duplex ergo impedimentum Pharisæis fuit, & nunc multis est, scilicet avaritia, & voluptas, sive luxuria; hæ sunt spinæ, quæ verbum Dei suffocant, juxta illud Christi, cap. 8. 14. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & a sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum*. Sed hi audiant Paulum monentem 1. Cor. E 7. 29. *Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint, &c. & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Res temporalis in usu, æterna in desiderio sit*, inquit Gregor. hom. 36. in hoc Evang.

Porro conjugium hic non reprehenditur (nisi quatenus animus illi nimis intentus avocatur a salute) sed integritas ad majorem honorem vocatur, ait S. Amb. *Amor ergo rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum*, ait Glossa ex S. Gregorio, & causam dat S. Gregor. *Corporales delicie*, inquit, *cum non habentur, desiderium accendunt; cum vero habite eduntur, fastidium pariunt: spirituales vero cum non habentur in fastidio sunt; cum habentur in desiderio*. Rationem a priori subjicit: *In illis* (corporalibus) *appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales delicie desiderium in mente, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur. Et idcirco non habite amari non possunt, quia earum sapor ignoratur*.

Paulo aliter tres hasce trium excusationes partite explicat, & applicat S. Aug. de Verb. Dom. secundum Lucam, F serm. 33. *In villa empta*, ait, *dominatio notatur: ergo superbia castigatur, quia inventa superbia venire noluit*. Et paulo post: *Quinque juga boum sensus hujus carnis quinque numerantur. Quare boum dicuntur juga? quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. Boves enim terram versant: sunt autem omnes remoti a fide, terrenisediti, carnalibus occupati*. Et inferius: *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt: quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis sunt, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ* (pro quo August. legit *ambitio sæculi*) 1. Joan. 2. *Ambitio sæculi, villam emi*. Et inferius. *Tollamus ergo de medio excusationes vanas & malas, & veniamus ad cœnam, qua intrinsecus saginemur. Non nos impediat extollentia superbiæ, non nos exiollat, vel non nos terreat curiositas illicita, & avertat a Deo, non nos impediat voluptas carnis a voluptate cordis, veniamus & saginemur*.

VERS. 21 ET REVERSUS SERVUS NUNCIAVIT HÆC DOMINO SUO. TUNC IRATUS PATERFAMILIAS, DIXIT SERVO SUO: EXI CITO IN PLATEAS, ET VICOS CIVITATIS, ET PAUPERES, AC DEBILES, ET CÆCOS, ET CLAUDOS INTRODUC HUC] Hæc pars parabolæ significat, Christum, Pharisæis & pontificibus spernentibus Evangelium & prædicationem regni cælorum surrogasse eis plebejos, pauperes, & afflictos, juxta illud: *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*. Matth. 21. 31. & c. 19. 30. *Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi*. Esto enim Christus ab initio simul utrisque prædicarit, scilicet Pharisæis, & turbis; tamen Pharisæi hic primi vocati dicuntur, tum quia hoc spectat ad elegantiam parabolæ: ad convivia enim primo vocari solent viri honorati, deinde plebeii: tum quia Christus volebat, ut Scribæ ex officio suo primi se agnoscerent, & agnitum populo rudi commendarent. Verum contrarium accidit ex Scribarum fastu, & avaritia. *Qui recusarunt*, ait Euthymius, *erant Pontifices, Scribæ, & Pharisæi, & quique honoratiores populi: hi vero, qui loco illorum introducti sunt, communes, & abjecti, ac plebii*. Sic & Titus, S. Gregor. Theoph. & alii. Nimirum *infirma mundi*, ut ait Paulus, *elegit Deus, ut confundat fortia*. 1. Cor. 1. 27. G

Symbolice, S. Aug. serm. 34. de Verb. Dom. secundum Lucam: *Et qui venerant*, ait, *nisi mendici, debiles, claudi & cæci? illi autem non venerunt, divites, sani, quasi bene ambulantes, & acute cernentes, multum de se præsumentes, & eo desperatiores, quanto superbiores. Veniant mendici, quia ille invitat, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate mendici ditaremur. Veniant debiles, quia non est opus sanis medico, sed male habentibus. Veniant claudi, qui ei dicant: Compone gressus meos in semitis tuis. Veniant cæci, qui dicant: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*. Hisce pauperibus & miseris ergo significatur Primo, neminem esse spernendum, sed omnes esse vocandos ad Christum & salutem: Secundo, pauperes facilius obedire Evangelio & salvari, quam divites. Tertio, de nullius, quantumvis miseri, cæci & perversi salute esse desperandum. Symbol. H

VERS. 22 ET AIT SERVUS: DOMINE, FACTUM EST UT IMPERASTI, ET ADHUC LOCUS EST] q. d. Necdum impletum est cælum salvandis, nec dum completus est electorum numerus. Nota & imitare zelum hujus servi, qui

Digitized by Google

A neminem licet cæcum, mutilum, deformem respuit, ac plures & plures vocare & salvare satagit.

VERS. 23 ET AIT DOMINUS SERVO: EXI IN VIAS, ET SEPES; ET COMPELLE INTRARE, UT IMPLEATUR DOMUS MEA] *Exi*, extra urbem, extra Jerusalem & Judæam, ac voca Gentes ad Christum. Unde ait, *in vias*, vel, ut habet Matthæus, *in exitus viarum*, hoc est, in vias quæ ducunt ad quaslibet gentes, & ad fines terræ. *Sepes* vocat villas, & pagos, qui non muris, sed sepibus rusticanis cinguntur. Quid per sepes hic intelligatur. Notat ergo rusticanos, barbaros, Indos rure, in silvis, & sepibus habitantes more belluarum, vocandos esse ad salutem, ut Apostoli & viri Apostolici eant, illisque prædicent Evangelium: quod factum est, & indies magis magisque fit per viros Religiosos & zelosos. Unde servus non addit, *factum est*, uti de Judæis addidit v. 22. Quia in Gentibus necdum plene factum est, sed in dies plenius fit & perficitur, nec nisi in fine mundi plane perficietur. Ita Titus, quem audi: *Significatur post Israelitas per fidem introductos, Gentium quoque populum fuisse vocandum, mente agrestem animoque efferatum quasi extra urbes, absque ulla prorsus civilitate natum & educatum. Neque enim ullis omnino bonis legibus aut moribus utebantur, verum pecudum more, in magna quadam rationis caligine & amentia versabantur.* Israelitæ fuerunt intra civitatem, ait Theoph. ut qui legem susceperant, & civiliorem vitam sortiti; Gentiles autem, a testamentis & a lege Dei alieni erant, & non facti cives Sanctorum. Sic enim alloquitur eos Apostolus: *Eratis illo in tempore sine Christo alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo*, Ephes. 2. v. 12.

B

COMPELLE INTRARE] quia enim Gentes multæ erant idololatræ, barbaræ & belluinæ, hinc majori & validiori vi prædicationis vocandæ, & quasi compellendæ fuere ad salutem, nimirum per miracula, per spiritum ardentem, per plagas etiam & vindictas a Deo subinde immissas, *in ostensione spiritus & virtutis*, ait Paulus 1. Cor. 2. v. 4. & 1. Thessal. 1. v. 5. *Evangelium nostrum*, ait, *non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa*. Hinc & noster Suarez: Compelle intrare, ait, vel laboribus & doloribus affligendo, vel vehementi vocatione & impulsu quasi miraculose convertendo.

VERS. 24 DICO AUTEM VOBIS, QUOD NEMO VIRORUM ILLORUM QUI VOCATI SUNT (& frigide ingrateque se excusarunt) GUSTABIT COENAM MEAM] Notat Pharisæos & primores Judæorum, terrenis opibus & deliciis addictos, cælo & cælesti convivio excludendos, & ad inferni tormenta relegandos, eo quod vocati a Christo ad Evangelicam doctrinam & vitam, quæ recta via ducit ad cælum, illam amplecti noluerint, juxta illud: *Quia vocavi, & renuistis*, &c. *Ego quoque in interitu vestro ridebo*. Prov. 1. 24. Tunc sero pœnitebit eos suæ ingratitudinis & insipientiæ, dicentque: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam umbra*. Sap. 5. Ecce hæc omnia a v. 1. huc usque Christus egit dixitque in convivio Pharisæi, ideoque invitatus ad illud accessit, ut eum cum suis hisce omnibus parabolis instrueret & emendaret. Idem imitentur viri Religiosi & Apostoli, ut non eant ad convivia, nisi spiritualis fructus causa.

C

VERS. 26 SI QUIS VENIT AD ME, ET NON ODIT PATREM SUUM, ET MATREM, ET UXOREM, ET FILIOS, ET FRATRES, ET SORORES, ADHUC AUTEM ET ANIMAM SUAM, NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS] ut scilicet me perfectionis, magistrum, nudum nudus sequatur cum Apostolis & 72. discipulis: hi enim soli renuntiant omnibus quæ possident, ut dicit v. 33. Hæc omnia ergo spectant ad consilia Evangelica, non ad præcepta: licet etiam ad illa, & consequenter ad omnes Christianos, extendi possint: hi enim suo modo, & ordine sunt quoque Christi discipuli: quare cum præceptum Christi urget, odisse, & repellere debent amorem parentum, fratrum, uxorum, &c. imo & animæ propriæ, si Christo Christique legi adversetur. Unde Maldonatus censet hæc esse præcepti: Jansenius vero consilii. Vide dicta Matt. 10. 37. Porro Suarez in opusc. lib. 2. de Concursu Dei cap. 5. *Qui non odit*, inquit, hoc est, qui non minus diligit patrem, quam diligat me. Odisse, id est minus diligere. Odisse enim subinde idem est quod minus diligere, ut *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, id est minus dilexi, Rom. 9.

D

VERS. 28 QUIS ENIM EX VOBIS VOLENS TURRIM ÆDIFICARE, NON PRIUS SEDENS COMPUTAT SUMPTUS, QUI NECESSARII SUNT, SI HABEAT AD PERFICIENDUM] Græce, τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν, id est, *ea quæ ad perfectionem*, seu *consummationem*, scilicet turris, requiruntur: nam ἀπαρτίζειν, significat ita rem perficere ut nihil omnino desit.

E

Hac parabola turris fabricandæ, & sequenti belli capessendi, Christus dumtaxat vult docere, quanta prudentia quis prætentare debeat robur, tum corporis, tum maxime spiritus; item impulsum Spiritus sancti promittentis vires gratiæ sufficientes, antequam arduam Evangelicæ vitæ, & perfectionis turrim fabricet, & conscendat, ac bellum amicis, sibi, passionibus, totique mundo indicat; ne, si postea tantis officiis impar, onereque succumbens resiliat, sibi damnum perditorum sumptuum, & ignominiam inchoatæ imprudenter fabricæ, & belli, quam perficere nequit, asciscat. Reliqua emblemata sunt. Quare non est hic anxie quærendum, quis sit hic rex, quid decem vel viginti millia, quid sit legationem mittere, & rogare ea quæ pacis sunt. Ita Jansenius, Maldonatus, Barradius, Franc. Lucas & alii. Unde Glossa: Ille, ait, computat sumptus, qui discernit esse erogandam pecuniam, cor avertendum a cupiditatibus, præparandam animam contra adversa. Et Interlin. Terrenum ædificium congregando expensas, construitur, cæleste autem expensas dispergendo, quæ verba sumpta sunt ex S. Gregorio hom. 37. Parabola turris ædificandæ.

F

Symbolice, Salmeron noster tom. 7. tract. 34. num. 8. Christus, inquit, ut doceat Prælatos in actione & contemplatione exercitatos esse debere, duas parabolas producit, alteram de turri ædificanda, quæ vitæ contemplativæ est symbolum, nam turris longe speculatur: alteram, vero de ineundo bello contra adversarium regem, quæ activæ vitæ typum gerit. Certare enim cum adversariis, & pugnare contra proprias cupiditates & vitia, eorum est qui tirones sunt in via Dei; & vitæ perfectæ quasi prima elementa versant.

Turris ergo, est status Religionis; & vita contemplativa, Primo, quia utraque est alta, & excelsa; & sicut turris supereminet cæteris ædificiis, sic Religio cæteris officiis, & statibus. Secundo, sicut turris est ornamentum urbis, sic Religio ornamentum est Ecclesiæ. Tertio, *turres* dictæ a *torulis; quod hæ prospicient ante alios*, ait Varro l. 4. de Lingua Latina. Sic in Religione, & contemplatione prospicimus cum hostium insidias, tum futura & æterna bona ac mala. Unde Burgundiones dicti a *burgis* (græce πύργοις,) id est turribus & arcibus, in quibus degebant ad prospiciendos & cavendos incursus VVandalorum, Gothorum, Alanorum, &c. Quarto, S. Isidorus lib. 15. Origenes c. 2: *Turris* vocatur, inquit, quod *terretes* sint & longæ. Teres enim est aliquid rotundum cum proceritate, ut columna; nam quamvis quadratæ aut latæ construantur, procul tamen videntibus rotundæ existimantur, ideo, quia omne cujusque anguli simulacrum per longum aeris spatium evanescit atque consumitur, & rotundum videtur. Sic Religio facit homines rotundos, id est candidos, faciles, versatiles, agiles ad obedientiam, & omne bonum. Quinto, & verius, *Turres* dicuntur a *tuendo*, quod ad illas confugerent homines ut se tuerentur, ibique turi essent ab incursu hostium: sic Religio tuetur nos a dæmone, carne, & mundo, tentationibus, & peccandi occasionibus, ac fructus bonorum operum conservat, juxa illud Cantic. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, uti sunt tria vota paupertatis, castitatis, obedientiæ, exempla fratrum, vigilantia Rectorum, regulæ, horarii frequens, crebra communio, confessio, lectio, &c. Vide ibi dicta. Sicut ergo turres terrent homines, sic Religio terret dæmones. Unde Etymologicum: *Turris*, ait, dicta est a *terrendis* hostibus, vel quod aspectu torva sit, id est terribilis. Sexto, ante hujus turris fabricam explorare debet quisque vires suas, hinc ad hoc datur annus novitiatus, in quo ingrediens probat Religionem, & vicissim probatur ab ea, an ad eam sit idoneus. Denique Religiosus corde in cælo fixus, quasi ex altissima turri omnia sub se, quasi exilia, respicit, & perspicit. Audi S. Chrysost. hom. 15. ad Popul. *Sicut e summo montis vertice prospectantibus omnia pusilla, ac non solum homines & arbores, sed etiam urbes integræ, & magni exercitus formicarum instar super terram ire videntur: sic qui animo erecto in cælestia quasi in sublimi commorantur, omnia humana, potentia, gloria, opes, ita minuta, & exigua apparent ut ne digna quidem judicent, quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicent.*

Turris est vita Religiosa. Primo. Secundo. Tertio. Turris etyma tria. G Burgundiones unde dicti. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

Audi

A

Ge luge S. Gregorius a Religioso Pontificem.

Audi & S. Gregor. lugentem, quod e Religioso factus sit Pontifex: *Nihil*, inquit, *in hoc mundo appetens, nil pertimescens videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod, pollicente Domino ex Propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ. Super enim altitudinem terræ sustollitur, qui & ipsa, quæ alta & gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat; sed repente arerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores pavoresque corrui, quia etsi mihi nil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, multum formido.* Ita S. Greg. lib. 1. epist. 5. & 6.

VERS. 31 AUT QUIS REX ITURUS COMMITTERE BELLUM ADVERSUS ALIUM REGEM, NON SEDENS PRIUS COGITAT, SI POSSIT CUM DECEM MILLIBUS OCCURRERE ei, QUI CUM VIGINTI MILLIBUS VENIT AD SE?] Idem significat hæc parabola belli, quod illa turris v. 28. ut dixi. *Per hoc significatur*, ait Titus, *certamen nobis esse cum adversis potestatibus* (dæmonibus) *tum rursus cum lege illa quæ in membris nostris grassatur, plurimasque animi perturbationes, & intestina prælia quotidie isthic excitat.* Sic & S. Cyrillus. Parabola regis belli meditantis.

Porro quod decem millia opponat viginti millibus, id est simplum duplo, per hoc symbolice significatur simplicitas hominis Christiani dimicaturi cum duplicitate diabuli. Et Theoph. Rex, ait, est peccatum, dæmones satellites, qui nobis comparati majorem fortitudinem habere censentur. Aliter S. Gregor. hom. 37. Rex, ait, contra nos venturus est Christus judex, qui cum duplici exercitu veniet contra simplum: quia nos vix in solo opere præparatos, simul de opere & cogitatione discutiet: mittamus ergo ad eum legationem, scilicet lacrymas, eleemosynas, sacrificia. B

VERS. 32 ALIOQUIN ADHUC ILLO LONGE AGENTE, LEGATIONEM MITTENS, ROGAT EA QUÆ PACIS SUNT] Spectat hoc ad emblema parabolæ, quare rei significatæ non est adaptandum: nec enim *nobis* cum dæmonibus aut vitiis paciscilicet, sed ἀσπονδον πόλεμον, id est irreconciliabile bellum, cum eis gerere debemus. Potest tamen scopo Christi accomodari hoc modo, q. d. Qui me perfecte in paupertate & prædicatione Evangelica sequi cupit, necesse est ut renunciet parentibus, opibus, amicis, suæ voluntati & libertati, ac proinde eos sibi inimicos hostesque faciat: quod si advertat se ad hoc vires sufficientes non habere, cum eis pacem ineat, ut scilicet cum eis manens liber præcepta dumtaxat Evangelica capessat; consilia vero paupertatis, obedientiæ & prædicationis Evangelicæ dimittat. Hoc enim intendit significare, & probare Christus, ut patet ex conclusione, quam vers. seq. subjicit. Indicat ergo hic duas belli acies, duos duces, duo vexilla, unum Christi, alterum Luciferi. Quare Apostolos & viros Apostolicos debere cogitare, se in prædicatione Evangelii bellum suscipere cum Lucifero & omnibus ejus asseclis, ut eos debellent, & ex hominum mentibus ejiciant. Ita Cyrillus. C

VERS. 33 SIC ERGO OMNIS EX VOBIS, QUI NON RENUNCIAT OMNIBUS QUÆ POSSIDET, NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS] Græce πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσι, id est, *omnibus quæ sunt ejus*, uti legit S. August. epist. 38. ad Lætum. *In quibus*, inquit, *etiam continetur illud, ut oderit patrem suum, & matrem, & uxorem*, &c.

Hæc est postparabola, significans scopum, mentem & usum parabolæ, q. d. Sic qui non renunciat opibus, & parentibus, ac voluptati, ac libertati suæ, non potest meus esse discipulus, ut scilicet sequatur vitam & perfectionem Evangelicam paupertatis & prædicationis, quam ego profiteor: hoc est, non potest sequi consilia Evangelica, ut sit meus discipulus, uti sunt Apostoli. Rursum, qui non vult renunciare omnibus, cum persecutio vel necessitas id exigit, ut v. g. nolit pro fide in me, pati jacturam bonorum, parentum & vitæ, hic non capessat fidem meam: quia satius est non incipere vitam Christianam, quam ab incæpta deficere, & apostatare. Hic enim præter crimen infidelitatis, accedit etiam apostasiæ, juxta illud 2. Petri 2. v. 21. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

Indicat Christus christianismum non esse ludum puerorum, sed opus arduum virorum, ac proinde ad illum opus esse magna Dei gratia, magnoque animi robore & spiritu, qualem habuere Christiani, præsertim Romani, primis trecentis post Christum annis, qui fortunas, libertatem, & vitam constanter, & alacriter pro fide Christi in continuis Imperatorum persecutionibus profundebant. Paucorum, ait Beda, est relinquere omnia, id est curas mundi postponere; cunctorum autem fidelium est renunciare omnibus, id est sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen non teneantur in mundo. Audi S. Gregor. hic hom. 36. *Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res possideatur, non possideat, ut sub mentis vestræ sit dominio quod habetis, ne, si mens vestra terrenarum rerum amore vincitur, a rebus suis magis ipsa possideatur. Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio; sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione, quasi ex latere respiciatur quidquid in hoc mundo agitur; ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt, ad quæ pervenimus.* D

VERS. 34 BONUM EST SAL. SI AUTEM SAL EVANUERIT, IN QUO CONDIETUR?] *Bonum*, id est utile, & efficax est sal ad cibos condiendos, & conservandos, scilicet quandiu sal est, & salis acrem saporem vigoremque retinet: sic & vos, o Apostoli, quamdiu vigorem spiritus retinueritis, utiles eritis mundo, ut eum sale fidei & sapientiæ Evangelicæ condiatis: sin autem hunc spiritum perdatis, fiatisque insulsi, ad nihil aliud valebitis, quam ut ab hominibus contemnamini & conculcemini: nullus enim est Apostolus vel doctor, qui vos condiat vel corrigat. Ita Beda: vide dicta Matth. 5. 13. *Vos estis sal terræ*, &c. Et Marci 9. 49. *Habete in vobis sal.* E

Tertia est hæc parabola salis (prima enim fuit fabricæ turris, secunda belli capessendi) ex qua liquet duas præcedentes proprie spectare ad Apostolos & viros Apostolicos: hi enim sale doctrinæ & sanctitatis suæ saliunt mundum, ideoque non tantum præcepta, sed & consilia Evangelica sequuntur. Secundario, tamen hæc aptari possunt omnibus Christianis: hi enim infideles quasi insulsos sale suæ innocentis vitæ, bonique exempli condire debent. F

VERS. 35 QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT] *Aures*, tum corporis, tum potius mentis. *Audiendi*, id est ad audiendum & intelligendum accommodas, faciles, propensas: *audiat*, & expendat ea, quæ dico & doceo. Excitat enim attentionem, ex gravitate & difficultate rei, quam proponit. Vide dicta Matth. 13. v. 9. & 13.

G

CAPUT XV.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHristus Pharisæis murmurantibus quod peccatores reciperet, tribus parabolis ostendit quam laudabile, jucundum, gratumque Deo & angelis sit peccatores convertere; Prima est ovis perditæ & inventæ, v. 4. Secunda est dragmæ amissæ, & inventæ, v. 8. Tertia est filii prodigi, vers. 12. quem pœnitentem pater in pristinam gratiam cum osculo, & publico gaudio recipit.

Primam parabolam audivimus Matth. 18. 12. ubi eam explicui.

VERS. 1 ERant autem appropinquantes ei publicani & peccatores ut audirent illum.

2. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

H

3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens:

4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanovem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?

5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:

6. & veniens domum convocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat?

7. Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonagintanovem justis, qui non indigent pœnitentia.

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachamam unam, nonne accendit

Digitized by Google

A lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?

9. Et cum invenerit, convocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram:

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios:

12. & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.

13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.

14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.

15. Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret

B ret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te:

19. jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta

C in pedes ejus:

23. & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:

24. quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari.

25. Erat autem filius ejus senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam, & chorum:

26. & vocavit unum de servis, & interrogavit quid hæc essent.

27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & numquam mandatum

D tuum præterivi, & numquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer:

30. sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt:

32. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est.

VERS. 1. ERANT AUTEM APPROPINQUANTES EI PUBLICANI, ET PECCATORES, UT AUDIRENT ILLUM: ET MURMURABANT PHARISÆI, ET SCRIBÆ, DICENTES; QUIA HIC PECCATORES RECIPIT, ET MANDUCAT CUM ILLIS] *Publicani*, Græca addunt πάντες; id est omnes, hoc est multi, plerique omnes ad Christum confluebant, allecti scilicet ejus sanctitate, & benignitate, qua peccatores ad se vocabat, & pœnitentibus veniam & salutem promitte-

VERS. 2.

bat: Hæc enim erat ejus concio: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*. Matth. 3. & 4. E

ET MURMURABANT PHARISÆI] qui sicut vitabant contactum immundorum corporum, sic & animarum, puta peccatorum; quare cum peccatoribus nec loqui dignabantur, multo minus comedere. Erat ergo hic spiritus & fastus Pharisaicus, qui se juxta legem puros & sanctos arbitrabantur, ideoque impuros cavebant, ne ab eis contaminarentur. His contrarius plane erat spiritus Christi, quia ad hoc in mundum venerat, ut peccatores a peccatis purificaret & sanctificaret, unde eorum colloquia captabat, eorumque mensas invitatus adibat, quia nil gratius Deo, quam peccatores convertere, *Ex quare colligite*, ait S. Greg. hom. 34. *quia vera justitia* (Christi) *compassionem habet, falsa justitia* (Pharisæorum) *detestationem: nimirum character vitæ Apostolicæ est, sitire salutem animarum*, ait S. Chrysost.

ET AIT AD ILLOS PARABOLAM ISTAM, DICENS: QUIS EX VOBIS HOMO, QUI HABET CENTUM OVES: ET SI PERDIDERIT UNAM EX ILLIS, NONNE DIMITTIT NONAGINTA NOVEM IN DESERTO, ET VADIT AD ILLAM, QUÆ PERIERAT, DONEC INVENIAT EAM?] *Vadit ad illam*. Ovis enim est animal simplex & stolidum, quod proinde pabulum sequens facile a via & grege abertat, ac ubi semel erravit, in viam redire nescit: quare pastore opus habet qui eam requirat & ad eam vadat. Ita nos per peccata & concupiscentias eramus quasi oves errantes, euntesque in ruinam & gehennam, nec de Deo vel salute & cælo cogitabamus; quare Christus descendit de cælo, ut nos requireret, & a via inferni in viam cæli reduceret. Unde Isaias c. 53. 6. *Omnes nos*, ait, *quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum*. Et S. Petrus epist. 1. c. 2. v. 25. *Eratis*, ait, *sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*. VERS. 3. F Parabola ovis perditæ.

ET CUM INVENERIT EAM, IMPONIT IN HUMEROS SUOS GAUDENS] Arabicus *portat eam super humeros suos hilariter*, ut cito eam ad reliquum gregem reducat: hoc enim facere nequit ovis gradiendo, cum sit tardigrada. Idem fecit Christus, cum, ut ait Isaias, peccata nostra in humeros suos luenda suscepit. Hinc Nyssenus in Catena: *Cum*, ait, *pastor invenisset ovem, non punivit, non duxit ad gregem urgendo, sed superponens humero, & portans clementer, annumeravit gregi*. O miram Christi Domini demissionem, clementiam, charitatem! quam ut olim fidelibus Pontifices repræsentarent, solebant in templo Christum pingere cum ove perdita humeris imposita, eam reportantem ad gregem. Ita Carlomannus filius Caroli Martelli, Austrasiæ & Sveviæ rex, anno Domini 750. spreto utriusque regno, monasticen amplexus in monte Cassinate, cum humilitatis, & obedientiæ studio, Petronacis Abbatis jussu oves pasceret, ovem claudicantem in humeros impositam ad gregem reduxit, ejusque foetidibus perfusus exultavit. Christiana enim humilitas, Christique imitatio, est vera Christianorum regumque gloria. Ita habent Annales Cassinates, & ex iis Hier. Platus lib. 2. de bono statu Religiosi c. 26. VERS. 5. G Carlomanni Austrasiæ & Sveviæ regis, monachi Cassinatis humilitas.

ET VENIENS DOMUM CONVOCAT AMICOS ET VICINOS DICENS ILLIS; CONGRATULAMINI MIHI] Græce, συγχάρητέ μοι; id est, *congaudete mihi*, gaudere mecum. Ingens gaudium significat, quod animo continere nequit, quin illud in amicos effundat. Rursum indicat rem esse adeo lætam, ut de ea non tantum sibi, sed & omnibus vicinis gaudendum sit. *Mihi* non dicit, Ovi, sed *mihi*: ejus enim gaudium est vita nostra, ait sanctus Gregorius. VERS. 6. H

QUIA INVENI OVEM MEAM, QUÆ PERIERAT] Græce τὸ ἀπολωλὸς, id est *perditam*. Innuit Christum ita gaudere de conversione unius peccatoris, ut gaudium in se continere nequeat, sed illud cum angelis & Sanctis communicet. Idem facit Christi assecla vir Apostolicus, qui animam convertit.

DICO VOBIS, QUOD ITA GAUDIUM ERIT IN CÆLO SUPER UNO PECCATORE POENITENTIAM AGENTE, QUAM SUPER NONAGINTA NOVEM JUSTIS, QUI NON INDIGENT POENITENTIA] *Gaudium*, scil. majus: hoc enim exigit particula comparativa *quam*, quæ sequitur. Mire ergo gaudent angeli & Beati in cælo de cujuslibet peccatoris conversione: hanc ergo revelante Deo cognoscunt: utpote ad se pertinentem. Peccator enim per pœnitentiam ad Sanctorum sortem in cælis transit: quia hoc ingens est bonum, Primo peccatori; Secundo, angelis; Tertio VERS. 7. Conversio peccatoris omnium est bonum.

Digitized by Google

A Tertio & maxime, ipsi Deo. Peccator enim a peccato transit ad justitiam, a gehenna ad cælum. Angeli ergo gaudent de hoc hominis bono, quia ipsi erga homines benigni sunt, ait Euthym. & quia homo per pœnitentiam iis similis, scilicet purus & sanctus, efficitur. *Angelis*, quia per homines justificatos, & sanctos reparatur eorum ruina, ac sedes in cælis, e quibus Lucifer cum suis cecidit, restauruntur & implentur. *Deo*, quia Deus est φιλόψυχος, id est animarum amator, earumque salutem sitit, ait Euthymius. Angeli enim gaudent, Dei, quem summe amant, desiderium impleri, eumque hoc gaudio, æque ac honore pœnitentis affici. Qua de re extat insignis visio Carpi, cui Christus ostendit se ita desiderare peccatoris conversionem, ut pro ea paratus sit rursum crucifigi & mori. Vide eam apud S. Dionys. epist. 8. ad Demophilum. Hinc S. Paulus Simplex, discipulus S. Antonii, per visum vidit peccatorem quemdam, dum ingrederetur ecclesiam, esse nigrum & nebulosum, ac dæmones hinc inde trahentes eum ad se, immisso in naribus ejus fræno, atque angelum sanctum ejus de longe sequentem, tristem. Eumdem vero peracta pœnitentia egredientem vidit clara facie, & candido corpore, ac dæmones de longe sequentes eum; sanctum autem angelum ejus prope illum hilarem, gaudentem super eum nimis. Unde Paulus præ gaudio exclamavit: O quanta misericordia & benignitas Dei est! quanta ejus miseratio! Ita habetur in Vitis Patrum lib. 7. cap. 23. Palladius in Lausiaca cap. 46. narrat Anachoretam quemdam in peccatum prolapsum pœnituisse in sacco, cinere, & lacrymis assiduis. Quocirca angelum ei apparuisse, ac dixisse: *Accepit Dominus tuam pœnitentiam, & tui est misertus, deinceps autem vide ne decipiaris.*

Visio S. Pauli Simplicis de peccatore converso.

B

Hoc argumento Christus convincit Pharisæos perperam murmurare; dum vident Christum cum peccatoribus versari, ut eos convertat: quia hoc opus est Deo & angelis gratissimum: quare Pharisæos cum illis de illo gaudere, illique coopetari debere, ac similem animarum zelum induere. Hic enim est omnis incarnationis, passionis, & mortis Christi *fructus, ut auferatur peccatum*, Is. 27. 9. *& adducatur justitia sempiterna*, Daniel 9. 24. ac honor, cultus, & regnum Dei quam maxime dilatetur & propagetur, Matt. 6. 9. Hic cuique Religioso, sacerdoti & fideli ingens esse debet stimulus ad excitandum in se animarum zelum. Hinc S. Gregorius audiens Anglos per Augustinum a se missum ad Christum conversos, exultavit in spiritu, unde ita ad eum scribit lib. 9. epist. 58. *Et si de uno pœnitente grande sit gaudium in cælo, quale gaudium credimus factum de tanto populo a suo errore converso; qui ad fidem veniens, mala, quæ egit, pœnitendo damnavit? in hoc itaque cæli & angelorum gaudio, repetamus ipsas, quas prædiximus, voces angelorum: dicamus igitur, dicamus omnes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

C

An Deus de uno pœnitente magis gaudeat, quam de nonaginta novem justis?

Quam super nonaginta novem justis] Magis ergo gaudent Deus & angeli de uno pœnitente, quam de uno innocente, imo quam de nonaginta novem justis & sanctis: quia scilicet novum actu eis supervenit gaudium, quod sensibile magis videtur, magisque reipsa sentitur, quam vetus illud continuum de nonaginta novem justis, quod hominibus sua duratione videtur quasi sui sensum minuere, licet is revera in se major sit. Rei enim desideratæ novitas ingens novumque ciet gaudium, quod ob sui novitatem magis sentitur, uti experimur cum novi victoriarum & conversionum nuntii afferuntur. Tunc enim exultamus, & quasi exilimus novo mentis jubilo. Nam Christus sæpe loquitur secundum humanum morem, hominumque consuetudinem & sensum, præsertim in parabolis. Huc facit illud S. Bernardi: *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum.* Majus ergo est hoc gaudium actualiter & sensibiliter, ait Emmanuel Sa. Nam alioqui magis gaudere hominem de nonaginta novem ovibus quam de una, ac Deum de nonaginta novem justis quam de uno pœnitente, dubitare non licet.

D

Addit S. Gregorius; Magis gaudere Deum & angelos, eo quod pœnitentes soleant esse ferventiores innocentibus. *Plerumque*, inquit ipse alibi, *gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia.* Hic vero hom. 34. id probat per similia: *Quia & dux*, inquit, *in prelio, plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum, qui numquam terga præbuit, & numquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas uberes fruges profert, quam eam, quæ numquam spinas habuit, & numquam fertilem messem produxit.* Affert in fine exemplum Victorini, qui in peccatum carnis lapsus, ingressus monasterium miram in eo egit pœnitentiam. *Studuit namque*, inquit, *toto mentis adnisu cruciare carnem; voluntates propriis frangere, furtivas orationes quærere, quotidianis se lacrymis lavare, despectum sui appetere, oblatam a Fratribus venerationem timere. Hic itaque nocturnas Fratrum vigilias prævenire consueverat.* Et mox: *Ut se quotidie in fletu pœnitentiæ quanto secretius, tanto liberius macraret, contemplabatur namque districtionem venturi judicis sui, & jam eidem judici concordans, puniebat in lacrymis reatum facinoris sui.* Hinc meruit cælesti luce perfundi, vocemque Dei audire, *Dimissum est peccatum tuum.* Ex hoc loco infert S. Greg. si tantæ efficaciæ est pœnitentia in peccatore, quanta erit in justo? *Nam multi*, inquit, *& nullorum sibi malorum sunt conscii, & tamen in tanti ardoris afflictione se exercent, ac si peccatis omnibus coangustentur: cuncta etiam licita respuunt, ad despectum mundi sublimiter accinguntur, dicere sibi nolunt omne quod libet, bona sibi amputant etiam concessa, contemnunt visibilia, invisibilibus accenduntur, lamentis gaudent, in cunctis semetipsos humiliant; & sicut nonnulli peccata operum, sic ipsi cogitationum peccata deplorant.*

E

F

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram? Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Vers. 8. Parabola drachmæ edita. Vers. 9. Vers. 10

Everrit] Ita lege cum Roman. & Græcis, & Arabico, qui vertit, *mundat*; non *evertit*, uti legunt nonnulli cum S. Gregorio.

Drachmam] Drachma erat genus monetæ argenteæ habens pondus drachmæ (quæ est octava pars unciæ) ideoque valens Julium Romanum, sive Regalem Hispanicum. Unde mystice Cyrill. *Superiori parabola ovium*, inquit, *docebamur esse creaturæ Dei, qui fecit nos, & cujus oves pascuæ sumus: nunc ostendimur ad imaginem, & similitudinem Dei facti: drachmæ enim insculpta est imago regis.* Drachma quid?

Plenius S. Greg. hom. 34. totam parabolam sic applicat & explicat: *Qui* (Christus) *significatur per pastorem, ipse & per mulierem. Ipse etenim Deus, ipse Dei sapientia. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando a similitudine sui conditoris recessit, sed accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate, lucerna quippe lumen in testa est, lumen vero in testa est divinitas in carne. Accensa autem lucerna evertit domum; quia mox ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit. Domus namque evertitur, cum consideratione reatus sui humana conscientia perturbatur. Qui eversionis sermo non discrepat ab eo, quod in aliis codicibus legitur, emundat, quia nimirum prava mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur. Eversa ergo domo invenitur drachma: quia dum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris.* Et nonnullis interjectis: *Quæ amicæ vel vicinæ, nisi illæ potestates cælestes sunt jam superius dictæ? Quæ tanto supernæ sapientiæ juxta sunt, quanto ei per gratiam continuæ visionis appropinquant.* Unde concludit: *Decem ergo drachmas habuit mulier: quia novem sunt ordines angelorum; sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus; qui a conditore suo nec post culpam periit, quia hunc æterna sapientia per carnem miraculis coruscans, ex lumine testæ reparavit.*

G

H

Porro Theoph. Amici, inquit, sunt angeli omnes; vicini vero Throni, Cherubim, & Seraphim: hi enim Deo sunt propinquissimi. Denique S. Greg. Nyss. in Catena inquit: Decem drachmæ, sunt totidem virtutes, quarum nullam oportet nobis deesse, ideoque sunt decem instar decalogi: lucerna, est verbum divinum, vel pœnitentiæ lampas: vicinæ, sunt appetitus, concupiscibilis, irascibilis & rationalis.

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios] Syrus, *& dicebat ei rursum Jesus: Homo quidam*, &c. Hæc est tertia parabola filii prodigi: prima enim fuit de ove perdita, & reperta: secunda de drachma amissa & inventa: Scopus hujus parabolæ, æque ac duarum præcedentium est, ut per illam ostendat Christus, quantum bonum gaudium sit in cælo ob peccatorum conversionem, ac consequenter perperam murmurare Pharisæos, quod Vers. 11 Parabola filii prodigi.

Mortal item-

Digitized by Google

A Christus cum peccatoribus versaretur, ut eos converteret: hunc esse scopum patet ex v. 2. & 3.

Porro tres sunt præcipuæ parabolæ hujus personæ, scil. pater & duo filii, nimirum senior bonæ frugis, & junior prodigus. Pater est Deus, qui omnes creavit: aut Christus homo, qui omnes suo sanguine redemit & regeneravit, indiosque regenerat in baptismo. Duo filii, a S. Greg. Hier. Augusti. & aliis veteribus passim intelliguntur Judæi, & Gentiles. *Senior*, qui semper cum patre mansit, notat Judæos, qui semper Deo ejusque fidei, & cultui adhæserunt. Junior notat Gentiles, qui a Deo, quem tempore Adæ & Noe coluerant, defeiverunt ad idola & vitia carnis. Nec inepte: nam Judæis proprie convenit murmur de Gentilibus ad fidem & gratiam per Christum receptis, v. 25. Aptius tamen ad scopum Christi, duo filii significant justos & peccatores, sive illi Judæi sint, sive Gentiles: nam peccatores, cum quibus Christus in Judæa versabatur cum murmure Pharisæorum, erant Judæi, non Gentiles, ut patet. Senior filius notat justos, hoc est tam eos, qui revera erant justi, quam eos, qui se justos æstimabant, B & verditabant, quales erant Scribæ & Pharisæi, Junior filius prodigus notat peccatores manifestos, & publicos, puta publicanos, & meretrices, cum quibus Christus comedebat, ut eos lucrifaceret. Ita S. Hieron. epist. 146. ad Damasum tom. 3. ubi fuse & docte totam hanc parabolam pertractat, & passim interpretes, idque patebit ex discursu parabolæ,

VERS. 12 ET DIXIT ADOLESCENTIOR EX ILLIS PATRI: PATER DA MIHI PORTIONEM SUBSTANTIÆ (Syrus, *possessionis*) QUÆ ME CONTINGIT, ET DIVISIT ILLIS SUBSTANTIAM] *Adolescentior*, notat peccatores & meretrices. Adolescentia enim liberior, stultior, inconstantior, & in gulam ac luxuriam pronior esse solet. Substantia, secundum S. Hier. epist. 146. & S. Augusti. l. 2. Quæst. Evang. q. 33. Bedam & Euthymium est liberum arbitrium, quod græce vocatur βίος, id est *vita*: quia per illud quisque libere vivit ut libet, ait S. Hier. Theoph. *Substantia hominis*, ait, *est rationalitas, quam comitatur libertas arbitrii*: Aptius S. Ambr. & alii per *substantiam* accipiunt Dei gratiam & virtutes, moresque probos: hæc enim proprie perduntur & prodiguntur a peccatore, cum liberum arbitrium perdi nequeat, C ut patet ex hac ipsa parabola; plenissime accipias omnia dona Dei, tum corporis, tum animi, tum naturæ, tum gratiæ; hæc enim sibi dari, id est suæ potestati, & libertati tradi, postulat filius junior, nolens amplius a patre regi, & dirigi, sed sui juris esse, ac se regere, donisque Dei uti vel abuti ad libitum. Et sic omnes sententiæ fere in diem conspirant.

Audi S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. q. 33. Vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, omnia ista divina sunt munera, quæ in potestatem accipit homo per liberum arbitrium, &c. Sic & S. Hier. ep. 146. ad Damasum: *Substantia Dei est, omne quod vivimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus: hæc Deus æqualiter universis, in commune largitus est*, &c. Et paulo post: *Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem*, &c. Titus: *Tradidit illi pater universam creaturam, possessionem*. Denique Euthymius: Substantia, ait, sive divitiæ Dei sunt charismata, id est dona, quæ dividit fidelibus.

ET DIVISIT ILLIS SUBSTANTIAM] cum dona jam dicta utriusque libertati, & arbitrio consignavit: posuit enim hominem in manu consilii sui, Eccli. 15. 14.

D

VERS. 13 ET NON POST MULTOS DIES, CONGREGATIS OMNIBUS, ADOLESCENTIOR FILIUS PEREGRE PROFECTUS EST IN REGIONEM LONGINQUAM, ET IBI DISSIPAVIT SUBSTANTIAM SUAM VIVENDO LUXURIOSE] Addit Arab. *in vita luxuriosa*.

CONGREGATIS OMNIBUS] Id est consarcinata omni substantia sua, quam a patre acceperat; Syrus, *collegit quæcumque ad se pervenerant*; Arab. *& post paucos dies congregavit filius minor omnia, & peregrinatus est in regionem longinquam: Non loci segregatione, sed virtutis*, ait Euthymius. Hic est status concupiscentiæ & peccati, peccator enim peccando longe abit a Deo & cælo, quia a sanctitate & regno Dei transiit in regnum diaboli, peccati & gehennæ: quæ magna est stultitia. Unde *senior filius apud patrem remansit tamquam prudens*, ait Euthym. Hinc S. Augusti. lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 33. *Regio longinqua*, inquit, *est oblivio Dei*, reciproca, quia scilicet peccator obliviscitur Dei, & vicissim Deus quasi obliviscitur peccatoris, ut eum sua luce, gratia, inspiratione visitare negligat. Et S. Hier. ep. 146. *Sciendum*, ait, *non locorum spatiis sed affectu nos esse cum Deo, aut ab eo discedere. Porro quare* E *de egreditur homo a Deo*, ait Theophyl. *& se a timore Dei elongat, omnia divina dona expendit, prodigit, & dissipat.*

ET IBI DISSIPAVIT SUBSTANTIAM SUAM] puta omnia dona naturæ & gratiæ. Peccator enim voluptati & libertati indulgendo prodigit Dei gratiam, charitatem & virtutes, hebetat intellectum, ut nec Deum, nec virtutis bonum agnoscat, aufert sibi memoriam legis & beneficiorum Dei, voluntatem depravat, ut vitium virtuti, voluptatem rationi, terram cælo, diabolum Deo anteponat, ac pro habitibus virtutum induat habitus vitiorum, & propensionem ad omne malum. Hinc fit inops consilii, rationis, mentis, omnisque boni: Denique vires omnes animæ & corporis, quæ servire debuerant Creatori, cogit servire creaturæ, v. g. ventri, & veneri, quæ est fornicatio spiritualis, de qua Psaltes: *Omnes*, ait, *qui se elongant a te, peribunt; perdidisti omnes, qui fornicantur abs te* Ps. 72. 27. Prodigus ergo filius Primo, *consumpsit omnia ornamenta naturæ*, ait Euthym. *male utendo naturalibus*, ait S. Aug. Secundo, *insumpsit substantiam, hoc est instar animi lucem*, inquit Titus, *temperantiam, veritatis notitiam, Dei memoriam*. Tertio, *corrupit donum*, inquit F Euthym. *quod in baptismo acceperat, puta animæ nobilitatem, & ad virtutes aptitudinem: hæc enim & similia erant ejus substantia ac divitiæ.*

VIVENDO LUXURIOSE] Græce, ἀσώτως, id est prodigaliter, intemperanter, libidinose, lascive. *Luxuria* ergo hic non solam libidinem, sed & quemlibet luxum, qui fit in conviviis, compotationibus, lusibus, cantionibus, largitionibus, &c. significat. Prodiga vita, ait Glossa, fundere amat, & spatiari in pompis exterioribus Deum relinquens, qui sibi est interior.

VERS. 14 ET POSTQUAM OMNIA CONSUMMASSET, (græce δαπανήσαντος, id est consumpsisset, prodegisset) FACTA EST FAMES VALIDA IN REGIONE ILLA, ET IPSE COEPIT EGERE] pecunia, cibo & pane, Arabicus, *& factus est pauper*, uti faciunt adolescentes liberi, & prodigi, qui uno anno omnes facultates sibi a parentibus relictas, epulando, potando, ludendo, scortando consumunt, ut deinceps per omnem vitam misere & pane mendicato vivere debeant, nec tantum facultates, sed & vires & sanitatem, æque ac famam prodigunt, & putredine, scabie, lue venerea, aliisque morbis ex crapula & luxuria contractis, luridi & fœtidi, omnibus, æque ac sibi ipsis, sint oneri ac horrori. Ad litteram, luxuria & luxus consumunt opes etiam maximas, hominemque rediguntur ad extremam inopiam, & famem. G

Mystice, peccator laborat inopia omnium rerum naturalium & supernaturalium, quia nulla re, nullo sensu, nulla animi vi, nec memoria, nec intellectu, nec voluntate recte uti novit ad sui commodum, ut ex iis fructum fructumque homine dignum percipiat; sed omnia velut insipiens in sui noxam & augmentum gehennæ expendit: quod perinde est, ac si ea non haberet, imo longe pejus. Denique peccator carens Deo, rebus omnibus caret; has enim omnes intime pendent a Deo, imo in Deo sunt & vivunt. Unde Interlin. *Omnis locus*, inquit, *absente patre, penuria est*. Qui enim Deum non habet, nihil habet, etiamsi sit rex totius mundi: qui vero Deum habet, omnia habet, etiamsi obolum non habeat, juxta illud S. Francisci: *Deus meus, & omnia*: Deus enim est ipsum ens entisque oceanus, ut ipse solus dicatur esse, cætera vero cum eo collata, non esse, esseque nihil, juxta illud: *Ego sum qui sum*, Exodi 3. Vide ibi dicta. Denique Glossa: *voluptas*, inquit, *semper habet famem sui*: quo enim magis voluptati indulgetur, eo magis voluptas accenditur: sicut hydropicus quo plus bibit, eo amplius sitit; nulla enim res ejus sitim explere potest. Hinc ait Cicero lib. 6. de Repub. *Graves domine cogitationum libidines infinitas quasdam cogunt atque imperant, quæ expleri atque saturari nullo modo possunt*. S. Hier. in Oseam: *Vires*, inquit, *in fornicatione deficiunt, & fornicandi desiderium non quiescit, & ut pulchre quidam has voluptatis cupiditates describens dixit:*

Quæritur in lude ludus, deest hortus in horto.

VERS. 15 ET ABIIT, ET ADHÆSIT (quasi servus) UNI CIVIUM REGIONIS ILLIUS, ET MISIT ILLUM IN VILLAM SUAM UT PASCERET PORCOS] Civis hic regionis a Deo longinquæ, est aliquis e numero dæmonum. Ita S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. quæ 33. Adhæsit, inquit, alicui aereo principi ad militia diaboli pertinenti; cujus villa est modus potestatis ipsius; porci sunt immundi spiritus, qui sub ipso sunt, quos pascere est eo quibus immundi spiritus gaudent, operari. Sic

fere

A fere & S. Ambr. Civis iſte, inquit, eſt princeps hujus mundi. Et Gloſſa: Civis iſte, ait, eſt concupiſcentiis terrenis præpoſitus princeps hujus mundi.

Audi S. Petrum Chryſol. ſerm. 2. *Ecce*, inquit, *quid faciat cupiditas ad ſenſum præceps: civem in peregrinum, filium in mercenarium, locupletem in egenum, liberum mutavit in ſervum: junxit porcis a patre piiſſimo quem ſejunxit, ut ſerviret cænoſo pecori, qui pietati ſanctæ parere contempſit.* Porro S. Ambr. recte expendit verbum *adhæſit*, & ex eo non modo laborioſam, ſed etiam periculoſam colligit ſervitutem: *Qui hæret*, inquit, *in laqueo eſt*, ut enim paſſer, ubi pabulum quærit, ibi laqueum invenit: ita infelix peccator, ubi jucundam ſperat libertatem, ibi periculoſam incurrit ſervitutem.

ET MISIT ILLUM IN VILLAM] In villam mitti, ait Beda, eſt ſubſtantiæ mundialis cupiditate ſubjugari.

UT PASCERET PORCOS] Hoc eſt, ait S. Chryſoſt. in Catena, ut ſordidas & immundas cogitationes in animo nutriret. Vide hic miram peccatoris ſtamſque ejus metamorphoſin; ſed juſtam ſtultæ libertatis caſtigationem,
B & vindictam. Qui noluit ut filius liberaliter haberi a patre, cogitur eſſe ſervus & mancipium civis exteri: qui noluit regi a Deo, compellitur ſervire diabolo: qui noluit morari in regali patris palatio, mittitur in villam ruſticorum: qui noluit verſari inter fratres, & principes, adigitur ſervus & ſocius eſſe porcorum: qui noluit veſci pane angelorum, præ fame poſtulat ſiliquas porcorum.

VERS. 16 ET CUPIEBAT IMPLERE VENTREM SUUM DE SILIQUIS, QUAS PORCI MANDUCABANT; ET NEMO ILLI DABAT] Hæc congrua juſtaque eſt pœna prodigi, ut qui ſua ſtulte in alios profudit, nullum deinde inveniat, qui illi vel ſiliquas det. Audi S. Chryſol. ſerm. 1. *Luxuria fames tortor apponitur, ut ibi ultrix pœna ſeviat, ubi pœnalis reatus exarſerat.* Et paulo poſt: *Quam crudele*, inquit, *miniſterium! quia neque convivit porcis, qui vivit porcis. Miſer, qui porcorum deficit & eſurit in ſaginam. Miſer, qui ſqualentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem.* Quaſi diceret: Porcinam quidem egit vitam, & tamen ne porcino quidem victu ſaturatur.

Notat S. Hier. ep. 146. diabolum, cum hominem deceC pit & ad peccatum impulit, ut jam eum quaſi ſervum & mancipium ſibi ſubjugarit, variis cupiditatibus animam ejus accendere, ſed cupitis objectis, & voluptatibus eum defraudare, ut optando eas peccet ad augmentum culpæ, ſed earum guſtu & delectatione fruſtretur ad pœnam, & tormentum. Hæc eſt fraus & tyrannis dæmonis.

Siliquæ quid? Siliqua arbor. SILIQUIS] Siliquæ ſunt inanes fabarum, piſorum, aliorumque leguminum folliculi, & involucra, quibus illorum farina & medulla involvitur & includitur: quare ſiliquæ intus vacuæ ſunt, foris molles, quibus corpus non reficitur, ſed impletur, ut ſtomachum magis onerent quam paſcant: quare pecorum potius ſunt pabula, quam hominum, teſte Plinio lib. 17. c. 12. Vide Horat. lib. 2. epiſt. 1.

Vivit, inquit, *ſiliquis & pane ſecundo.* Ruſtici enim ſiliquas farinæ ſive pollini admiſcent, indeque conficiunt panem ſecundarium, & atrum, quo veſcuntur. Nobiles vero ſecretis per cribrum ſiliquis, iiſque ad ruſticos amandatis, ex puro polline panem primarium candidumque fieri curant, eoque paſcuntur.

Janſenius per *ſiliquam* hic accipit ſiliquam Græcam, quę
D eſt arbor fructum producens lignoſum, ſiliqua inſtar fabæ obtectum, colore ſubnigro, falcatum, digitali longitudine, latitudine pollicari, quatuor grana continens, quæ ceraria a cornu (κέρας, enim eſt cornu) ſimilitudine appellantur; optimum porcorum pabulum: veſcuntur eo etiam homines. Hiſpani Algarenam vocant: provenit magna copia in regno Valentiæ, ait Emm. Sa. Unde in Græco hic eſt κεράτιον, id eſt, corniculum. Audi Columellam l. 3. c. 10. *Siliquam Græcam, quam quidam cerarium vocant & Perſicum; ante brumam per autumnum feritur.* Plinius lib. 15. 24. ſiliquas has dulces vocat, eo quod dum eduntur, dulces ſentiantur, & ſuccum caſſiæ referant.

Quid per ſiliquas ſignificetur? Per *ſiliquas* S. Aug. S. Hier. S. Ambr. & Beda accipiunt ſæculares & inanes ſcientias, vanitatem præferentes, ut odas & carmina poetarum, rhetoricorum pompas verborum: Ubi iſte, ait S. Auguſt. aliquid ſolidum & rectum, ad vitam beatam pertinens invenire volebat, at non poterat. Plenius & planius per *ſiliquas* accipias res & voluptates carnales, quæ inſtar ſiliquarum appetitum hominis non ſatiant, ſed inflant, diſtendunt & cruciant, ut animæ ſint tormina & tormenta. Ita S. Chryſoſt. in Catena. Si ergo vina falerna adamas, ſiliquas amas: ſi aurum appetis, E ſiliquas appetis; ſi veneres ſectaris, ſiliquas porcorum quaſi porcus ambis. Vere Satyricus.

Ubi voluptas regnat, ibi virtus exulat.
Brevis voluptas, longa pœnitentia eſt. Voluptatis damna.
Viciſſe voluptatem, voluptas eſt maxima.
Voluptas bellnarum, pernicies eſt hominum,
Vix voluptas eſt, quæ abit veniſque more fulminis.
Qui voluptati ſervit, durum ſervitium ſervit.
Voluptas cauſa dolorum & malorum omnium.

Ergo, ut ait alter,

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas:
Sperne ſiliquas terræ, & dabit tibi Deus manna cœli.

Extat emblema Cupidinis, cupidos trahentis in ſuam ſervitutem & dolorem, cum hoc lemmate. Emblema Cupidinis ab ape puncti.

Cum puer alveolo furatur mella Cupido,
Furanti digitum cuſpide fixit apis.
Sic etiam nobis brevis eſt peritura voluptas,
Quam petimus, triſti miſta dolore nocet.

IN SE AUTEM REVERSUS, DIXIT: QUANTI MERCENARII IN DOMO PATRIS MEI ABUNDANT PANIBUS, EGO AUTEM HIC FAME PEREO!] *In ſe*, Syrus, *ad animam ſuam*, id eſt, ad cor, ad mentem rediens, & ſapere incipiens; Arabicus, *cogitabat autem in ſemetipſo*; Euthym. *ſui compos effectus, hoc eſt, velut expergiſcens ab ebrietate, gravique ſomno:* Theoph. *a ſua exteriore divagatione rediens:* Interlinaris, *bene in ſe revertitur, qui a ſe receſſit.* Fuerat enim quaſi extra ſe, & mente captus, delirus, & inſanus, ſed vexatio dedit ei intellectum, & fames docuit eum ſapere. Ita Nyſſenus tract. de Oratione: *Non prius*, ait, *rediit ad priſtinam felicitatem, quam in ſe rediens ſentiret opprimentis aruminæ præſentiam.* S. Aug. l. 2. Quæſt. Evang. *Ab eis*, ait, *quæ forinſecus illiciunt & ſeducunt, in conſcientiæ ſuæ interiora intentionem reduxit.* Nam, ut ait S. Ambr. *qui ad illam regreditur, ſe ſibi reddit; qui recedit a Chriſto, ſe ſibi abdicat.* VERS. 17 F

QUANTI] Græce, πόσοι, id eſt, quot, quam multi. Multitudo enim eſt quantitas diſcreta, ſicut magnitudo eſt quantitas continua.

MERCENARII, operarii & ſervi, qui pro mercede divina laborant in domo patris mei, ABUNDANT PANIBUS, G imo carnibus & obſoniis: EGO AUTEM, qui ſum filius, HIC FAME PEREO,] vix ſiliquis ventrem ſatio. Sic Deus ſolet voluptuariis voluptates adimere; famem, morbos & ærumnas immittere, ut ad cor redeant, videantque ex quanta felicitate ad quantam miſeriam, quaſi ex cælo in tartara ceciderint, qui eſt primus pœnitentiæ gradus. Unde Titus: *In ſe reverſus*, *Hoc eſt*, inquit, *priorem felicitatem cum poſteriori miſeria conferens, qualiſque & quantus erat, quando cum patre adhuc degebat, animo pertractans, quam teter & miſerabilis tandem poſt quam Deo deſerto cœpit dæmonibus eſſe obnoxius, evaſerit, iterum iterumque expendens.* Hujus filii prodigi exemplo diſce illud: *Præcipitis conſilii aſſecla pœnitentia. Mali principii malus finis:* Et illud: *Ne a pudendo vincaris hoſte, voluptates ſpecta abeuntes. Voluptas eſca malorum.* In voluptatem gnomæ.

Myſtice, mercenarii ſunt, qui ſpe bonorum temporalium Deo & virtuti ſerviunt; ſervi ſunt, qui timore pœnarum, filii, qui ex filiali amore Deo obſequuntur, q.d. ait Interl. Quam multi ſunt Judæi, qui ob præſentia bona tantum legem obſervant, ideoque illa a Deo obtinent; ego autem qui legem Dei negligo, bonis tam temporalibus, quam ſpiritualibus deſtituor. S. Aug. vero l. 2. Quæſt. Evang. Ita H recogitatio, ait, reſipiſcentis eſt, & advertentis eſſe inter prædicatores, qui non amore veritatis ducti, ſed cupiditate ſæcularium commodorum veritatem annunciant. Sublimius Gloſſa: Mercenarii, ait, ſunt, qui futuræ mercedis intuitu digne operari ſatagunt: hi abundant panibus, id eſt, quotidianis ſupernæ gratiæ reficiuntur alimentis. Servus ergo eſt, qui timore pœnæ temperat a vitiis; mercenarius, qui ſpe & deſiderio regni cælorum: filii, qui amore boni. Audi Theophyl. Tres ſunt ordines eorum, qui ſalvantur: alii enim ut ſervi faciunt bonum, timentes judicium; quod & David inſinuat, dicens: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Mercenarii vero eſſe videntur, qui deſiderio bonorum bene placere Deo cupiunt, ſicut & ipſe David dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* At filii ſunt, qui propter amorem in Deum mandata perficiunt, ſicut iterum David teſtatur: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt.*

Digitized by Google

A Et iterum: *Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi*; non quæ timui. Idem prorsus docet Nazianzenus orat. in S. Baptisma, Porro Interlinearis & alii, qui per filium seniorem accipiunt Judæos, per juniorem Gentiles, sic explicant: Judæi, qui quasi mercenarii spe bonorum temporalium Deo serviunt, illis abundant: ego autem, qui sum populus Gentilis, cum idololatris omni veritate destituor.

VERS. 18 SURGAM, ET IBO AD PATREM MEUM] *Surgam*, ait Interlinearis, quia me jacere cognovi: prolapsus enim sum ad vitia & idola: *ibo*, qui longe recessi; *ad patrem*, qui sub principe porcorum miserabili egestate tabesco. Surgam ab hac infelici vita: vitia relinquam, consuetudinem peccandi abdicabo, mores mutabo, pœnitebo, & supplex delictorum veniam poscam a Deo. Pulchre ait, *Surgam*, inquit S. Hier. epist. 146. *Patre quippe absente non steterat: peccatorum jacere, justorum stare est*. Nam, ut ait B. Petrus Chrysologus serm. 1. *Est penes patrem dulcis conditio, libera servitus: absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio*. Et paulo post: *Hoc petit, quia qui penes extraneum, servam*
B *senserat libertatem, penes patrem, credit sibi futuram liberam servitutem*.

ET DICAM EI: PATER PECCAVI IN CÆLUM, ET CORAM TE] *Pauca hæc verba*, ait Titus, *mihi ad salutem sat fuerint, novi patris mei suavitatem, novi facilitatem, miserebitur mei pœnitentis, & ad sanam mentem revertentis, quem in peccati sordibus se volutantem non perdidit*.

PATER PECCAVI] *Hæc est prima confessio*, inquit Amb. *apud auctorem naturæ, præsidem misericordiæ, arbitrum culpæ, sed etsi Deus novit omnia, vocem jam tuæ confessionis, expectat; quia allevat pondus erroris quisquis ipse se onerat: & accusatione excludit invidiam, qui accusatorem prævenit confitendo. Frustra autem velis occultare, quem nihil fallas; & sine periculo prodas, quod scias esse tam cognitum*.

Confessio necessaria Primo. Porro, Deus juste & congrue a peccatore exigit peccati confessionem. Primo, quia reus se humiliare, & reatum suum fateri debet, si ab eo velit absolvi. Secundo, quia sicut stomachus crudis cibis, vel humoribus plenus vomitione purgandus est; sic & animus vitiosis noxis plenus
C confessione expiandus est; per illam enim delicta evomit, & omnem morbi causam digerit, ait Origenes hom. 2. in Secundo. Ps. 37. Tertio, quia Dei majestas a peccatore læsa, pœnitentiam, quasi satisfactionem, & honoris sui reparationem exigit. Pœnitentia enim Deo honorem per peccatum ablatum restituit, Deumque glorificat. Denique pœnitens Deum sanctissimum, se vero peccatorem esse profitetur. Confessio ergo peccatoris, ingens est laus & gloria Dei creatoris, æque ac Christi salvatoris. Causam dat S. Cyprianus, (vel quisquis est auctor) tract. de Passione: *Quia cum judicis & tortoris vices peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat, holocausti hujus incensio in conspectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipsum judicat Deus*.

Peccavi in cælum, Primo. Secundo PECCAVI IN CÆLUM] Id est, peccavi gravissime, ita ut peccata mea clament quasi vindictam in cælum. Aut per hebraismum: *in cælum*, id est, in Deum, qui in cælis habitat, quem quasi cæli regem & præsidem Hebræi nomine *cæli* significant, uti ostendi Matth. 21. 25. Tertio, proprie *in cælum*, quia a Deo vocatus in cælum, cæloque destinatus, terram prætuli cælo, carnem spiritui, terrena cælestibus. Quæ magna est injuria cæli, & vilipendium cælestium, ita ut si cælum ratione & voce præditum
D esset, contra me clamaret, meque apud Deum accusaret, Quarto. quod cælo & soli præposuerim idola & vitia terræ. Quarto, *peccavi in cælum*, quia cælum mihi est patria, terra vero hospitium & locus peregrinationis; cælum ergo quasi patriam meam perdidi, prodegi & prodidi. Ita Nyssenus tract. de Oratione: *Non adjiceret*, ait, *confessioni peccatum in cælum, nisi persuasus sibi patriam esse cælum, quo relicto peccaverit*. Et S. Hier. *Peccaverat in cælum, qui Jerusalem cælestem reliquerat*. Quinto, *in cælum*, id est, Quinto. in angelos, cæterosque cælites, & cæli incolas, in quibus quasi in cælo Deus residet, ait Interlin. Sic & S. August. Sexto. lib. 2. Quæst. Evang. Sexto, S. Ambros. *in cælum*, quia cælestia dona dissipavi. *Peccato*, ait Ambros. *animæ dona spiritus cælestia imminuta significantur, & deviatio agremio matris Jerusalem, quæ est in cælo*.

Symbolice S. Chrysost. in Catena: *In cælum*, inquit, *peccat, qui in Christi humanitatem, quæ ut cælum superna est & visibilis, peccat. Peccator enim prodigit & conculcat sanguinem Christi, eumque quasi rursus crucifigit*, uti docet Apost. Hebr. 6. 6. E

ET CORAM TE] *qui solus es conspector omnium*, ait S. Chrysost. *a quo nec in corde meditata abscondi possunt*. Rursum *coram te*, id est, te videnté & spectante. Magna enim est inverecundia peccatoris, quod audeat peccare in conspectu Dei viventis, & videntis, quem scit summe peccato offendi, & idipsum posse vendicare, & fulminare, uti faciet in die judicii, & subinde facit in hac vita ad aliorum terrorem. Tertio, S. Hier. epist. 146. *Peccaverat coram Patre*, inquit, *qui conditore deserto, ligna* (idola) *fuerat veneratus*.

Symbolice, S. August. lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 33. *Coram te*, inquit, id est, in ipso conscientiæ penetrali. Deberet enim peccator etiam in secreto peccans, erubescere se, & suam conscientiam, quam polluit, vulnerat, necat, diabolo & gehennæ mancipat.

JAM NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS] *qui* VERS. 19 *servus esse malui idolorum*, ait S. Hier. & vitiorum. Hinc ad filii affectum aspirare non præsumit, ait Beda; *quia tali patre indigne conversatus sum*, ait Euthym.

FAC ME SICUT UNUM DE MERCENARIIS TUIS] q. d. F *Ex quo primo ordine* (filiorum) *excidi dignare me vel secundo, tantum me penitus ne abjicias*, ait Euthy. q. d. Fac me unum de infimis fidelibus, v. g. pœnitentibus publicis: olim enim qui pœnitentiam publicam agebant, non miscebantur cæteris fidelibus in ecclesia, sed ad ejus fores jacebant genuflexi & supplices, omnium orationes & veniam flagitantes, qualem egit S. Fabiola; teste S. Hieron. in ejus Epitaphio epist. 30. *Quis hoc crederet*, inquit, *ut post mortem secundi mariti saccum indueret, & errorem publice fateretur, & tota urbe spectante Romana ante diem Paschæ, in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? quæ peccata fletus iste non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant?* Et inferius; *O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem sententiam Dei* (contra impium Achab) *confesso errore mutavit*. S. Fabiolæ pœnitentia.

Porro *hæc verba*, ait S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 33. *sunt pœnitentiam meditantis, nondum agentis. Non* G *enim jam dicit Patri, sed dicturum se esse promisit, cum venerit*. Denique sicut fumus præcedit incendium, sic flammam fidei & charitatis præcedit peccatorum confessio, ait Primasius in cap. 4. Apoc. Quare sicut fumus vi ignis illico flammescit, & in flammam vertitur: sic confessio vi contritionis exardescit, & in charitatis flammam transit.

ET SURGENS VENIT AD PATREM SUUM. CUM AUTEM ADHUC LONGE ESSET, VIDIT ILLUM PATER IPSIUS, ET MISERICORDIA MOTUS EST, ET ACCURRENS CECIDIT SUPER COLLUM EJUS, ET OSCULATUS EST EUM] *Cum adhuc longe esset* a patre, antequam pœnitentiam animo conceptam verbis exprimeret, & opere expleret, prævenit eum pater. Ubi Nota miram Dei in peccatores pœnitentes clementiam, & condonandi celeritatem, *Quia Deus hominum pœnitentiam sua misericordia & benignitate solet antevertere*, ait Titus: & Nyssenus, *Confessionis meditatio*, ait, *placavit ei patrem*. VERS. 20

VIDIT ILLUM] lacerum, squalidum, fame confectum, plorantem & ejulantem.

ET MISERICORDIA MOTUS EST] Græce significantius ἐσπλαγχνίσθη id est, intimis visceribus commotus est, H ac de filii miseria quasi de sua summe indoluit.

ACCURRENS] *præ nimio gaudio*, ait Euthym. *Non expectavit ut ille adesset, sed prior occurrit: neque id utcumque, sed & accurrit, ut appareat amoris vehementia*.

CECIDIT SUPER COLLUM EJUS, ET OSCULATUS EST EUM] Cadere super collum, est humiliari in amplexum, ait S. August. loco citato. Brachium Dei, scilicet Christum, osculum dare, est ad spem indulgentiæ peccatorum verbum gratiæ consolari. S. Chrysost. vero: Osculatur os, inquit, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat. Amplexus & oscula signa sunt tum veniæ, & reconciliationis, tum singularis amoris & benevolentiæ, tum gaudii & exultationis, quo Deus & angeli mirifice gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente. Hoc enim demonstrare hic vult Christus, ut jam sæpius monui.

DIXITQUE EI FILIUS: PATER PECCAVI IN CÆLUM, ET CORAM TE: JAM NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS] Cupit per gratiam fieri, quo fatetur se indignum VERS. 21

esse

Digitized by Google

esse per meritum, ait interlin. Vide dicta v. 18. Porro omittit hic τὸ *fac me unum de mercenariis tuis*, sive quia pater ex amore & gaudio verba ejus interrupit & præscidit, dicens servis: *Cito proferte stolam primam*: sive quia amplexus & osculum patris ei hoc desiderium excusserunt, ac filiationis spem dederunt. Unde S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. q. 33. *Non addit*, inquit, *quod dixerat: Fac me unum de mercenariis tuis, id enim post patris osculum jam generosissime dedignatur*. Titus tamen censet eum hoc dixisse, sed a Luca omissum esse, quasi ex dictis satcognitum.

VERS. 22 DIXIT AUTEM PATER AD SERVOS SUOS: CITO PROFERTE STOLAM PRIMAM, ET INDUITE ILLUM, ET DATE ANNULUM IN MANUM EJUS, & CALCEAMENTA IN PEDES EJUS: VERS. 23 ET ADDUCITE VITULUM SAGINATUM, ET OCCIDITE, ET MANDUCEMUS, ET EPULEMUR] *Servi*, sunt angeli vel sacerdotes, ait Theoph. vel prædicatores, ut vult S. Aug. loco citato: hi enim sunt servi & administri reconciliationis peccatoris cum Deo.

Stola prima quæ?

STOLAM PRIMAM] id est, pristinam, qua ante abitum ut solebat in domo patris, quæ erat vestis pretiosa usque ad talos demissa: certam enim & pristinam stolam, illamque eximiam, hic notari patet ex duplici articulo Græco, τὴν στολὴν τὴν πρώτην: erat ergo hæc stola pristina toga talaris, quæ nobilium erat filiorum, quam abiens in domo patris reliquerat, viatoris habitum assumens. Hinc in Vitis Patrum lib. 6. libello 1. n. 16. Episcopus quidam in spiritu vidit duas mulieres peccatrices, sed pœnitens, post confessionem in sancta Communione alba stola vestiri, splendidas habere facies, totumque corpus magno lumine coruscare. Causam petiit ab angelo sibi apparente, ab eoque audivit *illas per confessionem, & lacrymas divinum meruisse numerum*. Confessio ergo pœnitentes in divinum cælitum numerum transcribit.

B

Exemplum duarum mulierum pœnitentium.

Annulus aureus index hominis liberi, ut & calceus.

ANNULUM] aureum, qui index est hominis liberi & divitis, vel nobilis, æque ac calceamentum: servi enim incedebant sine calceis nudipedes: liberi vero calceati.

VITULUM SAGINATUM] Græce, *vitulum illum*, scilicet singularem, quem saginari jussi in festum & epulum aliquod solemne, quale nunc occurrit.

C

Porro hæc omnia, stola prima, annulus, calcei & vitulus saginatus, significant. Primo, gaudium patris, id est Dei, & angelorum exultationem de peccatore pœnitente & converso: Secundo, peccatorem in eumdem, aut etiam meliorem quam ante peccatum habuerat, statum a Deo clementissimo restitui.

Possunt tamen sigillatim singula ita adaptari cum S. Augustino Hier. Beda, ut per *stolam primam* accipiamus non innocentiam: hæc enim, æque ac virginitas semel amissa, nulla Dei potentia reparabilis est; sed pristinam gratiam & charitatem. Unde Interlin. stolam primam interpretatur vestem Spiritus sancti, quæ nos certificat de hæreditate immortalitatis habenda. S. Ambrosius, amictum sapientiæ; S. Augustinus, dignitatem, quam perdidit Adam.

Per *annulum* accipe imaginem Dei expressam; quam varii in variis virtutibus collocant. *Annulus*, ait Beda, *sinceræ fidei signaculum est*. *Annulus*, ait S. Chrysost. in Catena, *est signaculi salutaris symbolum, & desponsationis insigne, & nuptiarum pignus*. *Annulus*, ait Glossa, *est signaculum fidei, quo signantur promissa in cordibus credentium*. Et Interlin. *Annulus est signaculum similitudinis Christi, & expressio veritatis*. *Annulus*, ait S. Aug. *est Spiritus sancti pignus: gratia enim participatio significatur per digitum*. Vide quæ de symbolis annuli dixi Gen. 41. 42. Jer. 22. 24. & Aggæi 2. 24. *In manum*, id est, in operibus, ait Interlin. ut per opera fides clarescat, & per fidem opera confirmentur: manibus enim fiunt opera.

D

Calceamenta quid significent?

Per *calceamenta in pedibus*, significatur promptitudo, & cursus ad actus virtutum, præsertim ad prædicationem Evangelii. Pœnitentes enim maxime sitiunt aliorum pœnitentiam & salutem. Ita S. Hier. Ambr. Beda & S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. Calceus, ait, est properatio evangelizandi, ad non tangenda terrena, ut per lubricum mundi, ait S. Chrysost. fixus incedat; vitæ cursus, in Scriptura pes appellatur. Rursum *calceamenta* sunt exempla piorum, quæ dum quasi pedis gressum monstrant, muniunt, & roborant ad eadem imitandum.

Vitulus saginatus est Christus.

Vitulus saginatus est Christus, tum in Eucharistia justos æque ac peccatores post pœnitentiã carne sua pascens, & saginans; tum suis sanctis inspirationibus, aliisque mille modis pœnitentes, & recens conversos miris consolationibus oblectans & mulcens. Ita Interlin. *Christus*, inquit, *est vitulus saginatus, omni spirituali virtute opimus, ut pro totius mundi salute sufficiat*. Et Chrys. *Christus vitulus dicitur, ob immolati corporis hostiam saginatus, quæ pro totius mundi salute sufficit*. Aug. 2. Quæst. Evang. Christus, ait, vitulus saginatus, id est, opprobrio satiatus: præcipit pater eum adduci, id est, prædicari; & occidi, id est, ejus mortem insinuari: tunc enim cuique occiditur, cum creditur occisum. E

ET MANDUCEMUS ET EPULEMUR] Deus, inquit Euthym. *edere dicitur, ad lætitiæ communicationem. Nulla enim* ait S. Hier. ep. 146. *potest esse jucunditas, nisi Patre nobiscum celebrante convivium. Patris autem cibus*, ait Beda, *est salus nostra*. Audi S. Ambr. *Paternus est cibus salus nostra, & patris gaudium nostrorum redemptio peccatorum*. Et Glossam: *Refectio Dei & Sanctorum est salus peccatorum: & nota, quod post datam stolam, annulum & calceamenta, vitulus immolatur; nisi enim quis spem primæ immortalitatis induerit, & annulo fidei opera munierit, & fidem confitendo prædicaverit, cælestibus non potest Sacramentis interesse*.

VERS. 24 QUIA HIC FILIUS MEUS MORTUUS ERAT, ET REVIXIT: PERIERAT, ET INVENTUS EST. ET COEPERUNT EPULARI] *Mortuus*, per culpam prodigalitatis & luxuriæ; *revixit*, per gratiam pœnitentiæ. Epulum hoc, ut dixi, non aliud significat, quam ingens gaudium Dei & angelorum de peccatore converso. Homines enim carnales sua guadia ponunt in epulis; cælestes enim delicias ignorant, quia eas numquam gustarunt. F

VERS. 25 ERAT AUTEM FILIUS EJUS SENIOR IN AGRO: ET CUM VENIRET ET APPROPINQUARET DOMUI, AUDIVIT SYMPHONIAM, ET CHORUM: VERS. 26 ET VOCAVIT UNUM DE SERVIS, ET INTERROGAVIT, QUID HÆC ESSENT? VERS. 27 ISQUE DIXIT ILLI: FRATER TUUS VENIT, ET OCCIDIT PATER TUUS VITULUM SAGINATUM: QUIA SALVUM ILLUM RECEPIT. VERS. 28 INDIGNATUS EST AUTEM, ET NOLEBAT INTROIRE, PATER ERGO ILLIUS EGRESSUS COEPIT ROGARE ILLUM] Indignatio hæc & murmur senioris filii, id est, justorum, emblema est parabolæ, ut ostendatur æquitas hujus gaudii Dei, & Angelorum de peccatore converso: sive, quid murmurantibus de tanta pœnitentium gratia & gloria, juste respondere possit Deus; *Ostendit siquidem hujusmodi indignatio* ait Euthym. *quod tantam demonstrat circa eos, qui respiscunt gratiam & gaudium, ut ceteris invidiam movere possit*. Sic quoque Theoph. ac Titus, & S. Chrysost. in Catena: nam alioqui certum est, justos non invidere peccatoribus pœnitentibus gratiam & gloriam; sed potius mire de ea gaudere & exultare. Simile ostendit Matth. 20. 11. in murmure operariorum primo venientium ad vineam. Aut potius indignatio hæc & murmur senioris significat invidiam & murmur Pharisæorum, qui se putabant justos, & Christo obmurmurabant, quod peccatores reciperet & foveret. Hæc enim tota parabolæ hujus fuit occasio, æque ac scopus, ut patet ex initio capitis. Ita S. Hieronym. Jansenius, & alii. G

Pari modo significatur hic Judæorum invidia & murmur contra Apostolos, qui Evangelium a Judæis incredulis transtulere ad Gentiles. Ita S. Ambros. Judæi, ait, Gentibus beneficium paternæ benedictionis inviderunt. Et S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. q. 33. & seq. Indignatur, ait, & nunc, & non vult intrare. Cum vero plenitudo Gentium introierit, egredietur pater, ut etiam omnis Israel salvus fiat. Ita & S. Hieron. *Senior*, ait Ambr. *dicitur, eo quod cito aliquis per invidiam consenescat*. Invidebat enim senio fratri juniori, ut patet ex seq. Porro invidia exedit, & corrodit hominem, itaque facit ut cito senescat. Idem facit amor, sed altero ex capite, quia scilicet spiritus vitales dissipat, & effundit. Unde proverbium: *Amantes repente senescunt*, ut ait Theodoretus, *Amantes in die senescunt*. H

Amantes cito senescunt.

AUDIVIT SYMPHONIAM] Arabic. *concentum musicum*, hoc est, ut explicat S. Aug. loco jam sæpe citato, audivit Apostolos Spiritu sancto plenos, consonis vocibus Evangelium prædicantes: legit aliquem Prophetarum & in eo quærens quodammodo interrogat. Unde ista festa in Ecclesia celebrentur, in qua re esse non videt? S. Ambr. vero, Audivit, inquit, plebis Christianę concordiam concinentis, & de peccatore salvato lętitię suavitatem resonantis: foris stat, eo quod malevolentia eum excludit. Et Glossa: Symphonia Ecclesię, ait, est diversarum ętatum & virtutum concordia, indeque chorus, id est exultatio & quasi spirituale tripudium.

Tro-

Digitized by Google

A Tropologice, Vide Salmeron tom. 7. tract. 27. & 28. *Hoc convivium*, ait S. Hier. ep. 146. *quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit, semper Christus credentibus immolatur.*

PATER ERGO ILLIUS EGRESSUS, COEPIT ROGARE ILLUM] Symbolice notat Deum per Christum & Apostolos invitasse & rogasse Phariſæos & Judæos Christo incredulos, ut in Christi Ecclesiam ingrederentur, ibique communi fidelium epulo & gaudio fruerentur; sed illud facere noluerunt ex odio & invidia, tum Christi a se crucifixi, tum Gentilium in Christo credentium, idipsum autem facient in fine mundi convertendi ab Elia. Ita S. Aug. Mirare hic Dei bonitatem erga Judæos, *Quam benignus*, ait S. Hier. ep. 146. *& clemens pater! rogat filium ut lætitiæ domus particeps fiat.*

VERS. 29 AT ILLE RESPONDENS, DIXIT PATRI SUO; ECCE TOT ANNIS SERVIO TIBI, ET NUMQUAM MANDATUM TUUM PRÆTERIVI, ET NUMQUAM DEDISTI MIHI HOEDUM, UT CUM AMICIS MEIS EPULARER] *Servio tibi*, Syrus addit, *servitutem*, nimirum serviebant Judæi in oneribus legis, in tot lustrationibus, oblationibus, victimis, ceremoniis, &c. B

ET NUMQUAM MANDATUM TUUM PRÆTERIVI] Responsum hoc notat mendacem arrogantiam & ingratitudinem Judæorum, qui sua opera legis jactabant, & Dei beneficia plurima in se collata oblivisebantur: mentiuntur enim se numquam Dei mandatum præteriisse, cum plurima prætereant, ac *quasi non sit præterire mandatum, salutifratris invidere*, ait S. Hier. epist. 146. Simili arrogantia Phariſæus justificat seipsum, ac despicit Publicanum, Lucæ 18. 11. Ita S. Ambr. Verum tamen est Judæos non præteriisse mandatum de uno Deo colendo, quia idola non coluerunt, sicuti Gentiles, uti explicat S. Aug. loco citato, & Interlinearis.

Hœdus quadruplex. ET NUMQUAM DEDISTI MIHI HOEDUM] Hœdum hunc symbolice varie explicant Patres. Primo, S. Hier. epist. 146. q. d. Nullus sanguis Prophetæ vel sacerdotis, a Romanorum imperio & jugo nos liberavit: & pro luxurioso filio, id est, pro Gentibus, pro peccatoribus totius creaturæ glorioſus sanguis effusus est. Secundo, Theophyl. Hœdum, ait, id est, persequentem me peccatorem numquam decrevisti mei causa mactandum esse. Tertio, S. Auguſt. q. d. Numquam te, o Christe, mihi ad refectionem dedisti; eo quod te hœdum, id est, peccatorem, & legis Mosaicæ prævaricatorem æstimavi. Quarto, S. Ambr. Judæus, ait, hœdum requirit, Christianus agnum: ideo illis Barabbas solvitur, nobis agnus (Christus) immolatur. C

VERS. 30 SED POSTQUAM FILIUS TUUS HIC, QUI DEVORAVIT SUBSTANTIAM SUAM (græce, id est, *tuam*; sic & Syrus, quam tu scilicet illi dedisti) CUM MERETRICIBUS, VENIT, OCCIDISTI ILLI VITULUM SAGINATUM] Accusant Phariſæi Deum & Christum de vitio acceptionis personarum, quod indignos dignis, puta Gentiles & peccatores Judæis & Phariſæis præferat: sed falso: nam Gentiles & peccatores per fidem in Christum & pœnitentiam, faciebant se dignos Evangelio & gratia Christi; Phariſæi vero per infidelitatem, superbiam, & invidiam illa se faciebant indignos; unde illi a Christo electi, hi reprobati sunt, D Matth. 20. 16.

VERS. 31 AT IPSE DIXIT: FILI TU SEMPER MECUM ES, ET OMNIA MEA TUA SUNT] Arab. *Omnia quæ sunt mihi, sunt tibi*, in tua potestate sunt, tibi mecum communia. *Omnia*, intellige legem, prophetas, eloquia divina, ait S. Hier. Adde, veram unius Dei fidem & cultum, veram Ecclesiam, omnia ejus bona, &c. hæc enim possidebat Israel. Sensus est, q. d. Tu in domo mea quasi filius, omnibus meis bonis mecum ad libitum uteris & frueris: non ergo invidere debes fratri tuo, nec ægre ferre, quod ego ex omnibus bonis mihi & tibi communibus, unum vitulum in gratiam fratris tui ex longinqua regione reversi occiderem, præsertim cum ad eumdem te quoque invitaverim. Unde addit S. Ambr. & Interlin. Omnia mea tua sunt, scilicet, si fratri tuo desinas invidere. Nam, ut ait S. Aug. loco citato: *Cupiditas nihil sine angustia, nihil cum angustia charitas tenet: cum beatitudinem istam obtinuerimus: nostra erunt ad vivendum superiora, nostra erunt ad convivendum æqualia, nostra erunt ad dominandum inferiora.* Causam dedit superius dicens: *Sic enim a perfectis, & purgatis, ac jam immortalibus filiis habentur omnia, ut sint & omnium singula, & omnia singulorum.* Hanc enim bonorum & gaudiorum omnium communicationem Beatis in cælo præstabit, tum perfectissimus amor mutuus & charitas, tum plena beatitudo & gloria. E

EPULARI AUTEM ET GAUDERE OPORTEBAT: QUIA VERS. 32 FRATER TUUS HIC MORTUUS ERAT, ET REVIXIT: PERIERAT, ET INVENTUS EST] Justissima est ratio, q. d. Hic mihi filius tibi frater est: nuper vitiis diffluens, ideoque morti & gehennæ adductus. Jam pœnitens Deo, gratiæ, saluti & cælo restituitur: quare illi non invidere, & obmurmurare, sed me æque ac te cum tota familia epulari, & congratulari, & congaudere oportet. Jam Christus Phariſæis parabolam hanc sibi applicandam relinquit. *Hic*, enim, ait Theoph. *scopus parabolæ est propter Phariſæos obmurmurantes, quod peccatores susciperet, docere quod etiamsi justissimus, non repellendi sint peccatores, neque obmurmurandum, recipiente illos Deo.* Et paulo superius: *Dicit igitur per præsentem parabolam Dominus Phariſæis, quasi in hunc modum: Esto, vos justi sitis, sicut filius ille beneplacens patri: obsecro vos justos & mundos, ne obmurmuretis in salute filiorum; est enim & ille filius. Itaque Phariſæorum mentem instruit, ut, etiamsi justi ipsi essent, & omnia mandata Dei perfeciſſent, gravatim ferre non deberent, suscipi peccatores.* F

CAPUT XVI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus discipulos hortatur ad studium beneficentiæ & bonorum operum per duas parabolas. Prima est vilici iniqui, v. 1. Secunda est divitis epulonis, v. 19.

VERS. 1 DIcebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

2. Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. G

3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede cito, scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

8. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filii hujus sæculi prudentiores filii lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiat vos in æterna tabernacula. H

10. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?

12. Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis?

13. Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire & mammonæ.

14. Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant avari: & deridebant illum.

15. Et ait illis: Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

16. Lex, & prophetæ, usque ad Joannem: ex eo

Digitized by Google

A ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.

17. Facilius est autem cœlum, & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere.

18. Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & byssо: & epulabatur quotidie splendide,

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.

B 23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus:

24. & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma,

25. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

26. Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

27. Et ait: Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei.

28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormen-
C torum.

29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & prophetas: audiant illos.

30. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis jerit ad eos, pœnitentiam agent.

31. At autem illi: Si Moysen, & prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

VERS. 1 DICEBAT AUTEM ET AD DISCIPULOS SUOS: HOMO QUIDAM ERAT DIVES, QUI HABEBAT VILLICUM: ET HIC DIFFAMATUS EST APUD ILLUM, QUASI DISSIPASSET BONA IPSIUS] *Dicebat autem*, postquam Pharisæos murmurantes de pœnitentium receptione, ait Beda, tribus parabolis redarguit, quartam & quintam de eleemosyna danda, & parsimonia sequenda, subjungit. Nam, ut ait Glossa: Pharisæi superbi & avari, uti pœnitentibus

Parabola villici apud herum diffamati.

D veniam, ita egentibus pecuniam negabant.

AD DISCIPULOS SUOS] ac suos auditores, qui se ejus disciplinæ subdebant, etiamsi sua omnia non relinquerent, uti fecerant Apostoli. Ita Titus.

VILLICUM] Græce, *œconomum*, id est, magistrum vel præfectum domus; Arab. *administratorem*. Villicus ergo hic non erat villæ colonus, aut agricola, vel vinitor, sed totius substantiæ domus, dominique sui, ac consequenter villæ, vel villarum ejus administrator & dispensator. Unde S. Hier. ad Algas. qu. 6. pro *villicus*; vel, ut in Græco οἰκόνομος, vertit, *dispensator*; pro *villicare*, vertit, *dispensare*; & pro *villicatione*, *dispensatione*. Villicus ergo hic erat omnium heri sui bonorum, villarum & frugum administrator; adeoque villas & agros heri sui colonis & agricolis elocabat, uti patet ex seq. Audi Varronem lib. 1. de Re rustica c. 1. *Villicus agri colendi causa constitutus, atque appellatur a villa. Villa, quod ab eo in eam conferebantur fructus & evehuntur, cum veniunt. A quo rustici, etiam nunc quoque viam, Veham appellant propter vecturas: & Vellam, non Villam, quo vehunt, & unde vehunt.*

Veha, & Vella quid?

Quocirca S. Ambr. moraliter notat, dicitque: *In quo ipsi discimus, non ipsi esse domini, sed potius alienarum villici faciendarum.* Et Theoph. *Primum hoc discimus, quod non sumus domini divitiarum, sed dispensatores alienarum rerum, ut illas bene dispensemus, sicut ipse imperat.* Licet enim apud homines simus domini opum nostrarum, tamen respectu Dei, qui summus est dominus, earum sumus dispensatores; quia ipse eas nobis frugaliter & utiliter in nostros, & deinde in pauperum usus dispensandas tradidit, atque dispensationis earum exactam a nobis in morte & judicio rationem exiget. Hinc Apostolus 1. Cor. 4. 1. *Sic nos*, ait, *existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis qui inveniatur.* Omnes enim dotes, omniaque bona quæ habemus, non nostra, sed Dei sunt, quia ea nobis dedit: quare illorum non sumus domini absolute, sed dispensatores; quia ea non ad libitum, sed ex voluntate & præscripto Domini Dei erogare & dispensare debemus. Habes ergo insigne ingenium, acre judicium, firmam memoriam, sapientiam, eloquentiam, &c. illorum es villicus, non dominus; quia illa non tua sunt, sed Dei dona. Vide ut illis recte utare ad Dei voluntatem & honorem, ut ipsi de iis exactam, quam ipse a te reposcet, rationem reddere valeas. Audi S. Chrys. in Catena: *Erronea opinio est, possideri a nobis, ut dominis, res hujus vitæ, & ut bona propria. Sumus enim velut hospites, & advenæ, quibus nunc discedendum est, & dispensatores alienorum: quare nobis villici humilitas & modestia assumenda est: nil enim est nostrum, sed omnia sunt datoris Dei.*

E

F

DIFFAMATUS EST] Græce διεβλήθη, id est, *accusatus est*, Arab. *delatus est*: unde *diabolus*, idem est quod *accusator*, quia nos apud Deum accusat, sive vere, sive falso & per calumniam: ipse ergo est calumniator omnium operum nostrorum, Apoc. 12. 10. Hæc accusatio fit, ait Interlin. quando quis non exercet opera pietatis erga illos, quibus debuit; non ergo de male factis dumtaxat accusamur apud Deum, sed & de bonis quæ facere debuimus, omissis. Villicus enim nihil omittere debet, quod ad officium sibi commissum, & heri utilitatem pertineat.

DISSIPASSET] epulando, potando, ludendo, donando, similibusque modis illicitis, sibique vetitis.

ET VOCAVIT (dominus ejus, uti exponit Syrus) IPSUM, ET AIT ILLI: QUID HOC AUDIO DE TE? te dissipare, vel potius dissipasse bona mea) REDDE RATIONEM VILLICATIONIS TUÆ] Græce, *tuæ œconomiæ*; Arab. *tuæ administrationis*; scilicet quantum receperis, & quomodo illud expenderis. VERS. 2

G

JAM ENIM NON POTERIS VILLICARE] Id est, ut S. Hier. amplius enim dissipare, & administrare meas opes & facultates non poteris, quia, pro *jam*, græce est, ἔτι, id est amplius. Unde Arab. *quia tu non eris mihi amplius administrator*. *Jam* ergo idem est quod *amplius*, tam hic, quam c. 15. 19. & c. 5. 14. ac Marci 12. 34.

Idem dicit Christus cuique in morte, scilicet: *Redde rationem villicationis tuæ*, id est, tuæ vitæ, tui status, officii tibi commissi, tui temporis, tui ingenii, cæterarumque dotum, quas Deus tibi dedit, ut iis utaris ad ejus gloriam, & tuam, aliorumque salutem.

Visio Joannis Abbatis.

Climacus gradu 4. narrat Joannem (postea Abbatem) cum ingrederetur monasterium, prima nocte vidisse quosdam per somnum, terribilem a se rationem exigere; nimirum debitum librarum auri centum, quare per triennium dedit se obedientiæ, patientiæ, & injuriarum tolerantiæ: quo facto revelatum est ei, decem libras ex debito esse sublatas: quare majori fervore austeritati, obedientiæ, cæterisque virtutibus incumbens per tredecim annos, iis exactis, vidit quosdam sibi apparentes, qui a Deo missi nunciabant, debitum omne illi esse remissum. Idem gradu 7. de luctu, narrat mirum quid & terrible de Stephano Abbate, qui in solitudine per 40. annos magna sanctitate vixerat in jejuniis, lacrymis, orationibus, adeo ut leopardum manu sua nutriret. Hic enim pridie quam moreretur, repente, inquit Climacus, animo obstupuit, apertisque oculis ad dexteram atque ad sinistram partem lectuli circumspiciebat: & quasi rationem quidam a se exigerent, cunctis qui adstabant audientibus, ajebat aliquando quidem; *Ita sane, sic revera est, sed pro hoc tot annis jejunavi.* Aliquando vero: *Non certe, sed mentimini; hoc non feci.* Deinde rursus: *Vere me accusatis.* In quibusdam etiam aliquando ajebat: *Ita sane, & quidem ad hoc quid dicam non habeo, ideo misericordia est.* Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illum sævissimumque judicium.

H

Stephano Abbati moriturodo peccata objecta.

AIT AUTEM VILLICUS INTRA SE. QUID FACIAM, QUIA VERS. 3

Digitized by Google

A QUIA DOMINUS MEUS AUFERT A ME VILLICATIONEM? FODERE NON VALEO, MENDICARE ERUBESCO] Crimen dissipationis bonorum heri sui, villicus male sibi conscius tacite agnoscit, æque ac suam imprudentiam, quod illa abligurierit, nec in futuros usus recondiderit. Unde nil ei superest, nisi ut vel labore manuum, vel mendicando sibi victum paret; mendicare erubescit, laborare ob debilitatem vel desuetudinem nequit. Hæret ergo anxius, ac quo se vertat nescit. Vere S. Chrysost. *Impotentem esse in opere*, ait, *est vitæ inertis*.

Symbolice Glossa: *Post hanc vitam*, ait, *non est locus audiendi compunctione terram animæ nostræ, ad ferendum fructum; tunc etiam confusibile mendicare, ut fecerunt fatuæ virgines, imo inutile & impossibile*.

VERS. 4 SCIO QUID FACIAM, UT, CUM AMOTUS FUERO A VILLICATIONE, RECIPIANT (debitores heri mei) ME IN DOMOS SUAS] scilicet remittendo eis partem debitorum, ac eorum quantitatem imminuendo, eaque de re dando eis syngraphum, ut ipsi propter hanc meam in eos beneficentiam, licet fraudulentam, & hero iniquam, vicissim me villicatione privatum beneficè excipiant & alant.

VERS. 5 B CONVOCATIS ITAQUE SINGULIS DEBITORIBUS DOMINI SUI, DICEBAT PRIMO: QUANTUM DEBES DOMINO MEO? AT ILLE DIXIT: CENTUM CADOS OLEI. DIXITQUE ILLI;

VERS. 6 ACCIPE CAUTIONEM TUAM: ET SEDE CITO, SCRIBE QUINQUAGINTA.

Cadus & batus, Quid? CENTUM CADOS OLEI] *Cadus*, vel, ut græce est, batus, erat mensura liquidorum, sicut corus aridorum: licet autem batus major esset cado, sive metreta, ut vertit hic Syrus: cadus enim 60. batus vero 72. continebat sextarios: tamen subinde unum pro alio accipitur. Unde S. Hier. in c. 45. Ezech. Decima pars cori, ait, in liquidis vocatur batus, sive cadus. Corus autem, sive homer, continebat triginta modios: ita enim Noster vertit Levit. cap. 27. v. 16. idemque colligitur ex Septuag. Ezech. 45. 11. Vide quæ de mensuris, & ponderibus congessi in fine Pentateuchi.

Corus quæ mensura.

ACCIPE CAUTIONEM TUAM: ET SEDE CITO, SCRIBE QUINQUAGINTA] *Cautionem*; græce γράμμα, id est, scriptum, literas, uti vertit Interpres v. 7. scilic. syngraphum, manu tua olim scriptam vel subscriptam, qua testatus es te debere hero meo centum cados. Vulgus *obligationem* vocat, id est literas obligatorias, hæ vocantur cautio, quia per has cavetur creditori, ne debitor ei debitum negare possit. Sensus est q. d. Syngraphum obligatoriam, qua olim mihi tradita testaris te hero meo debere centum cados olei, ecce, tibi reddo; accipe ergo eam & lacera ac pro ea scribe aliam, qua tantum fatearis te debere quinquaginta: ita herus doli nescius, a te tantum repetet 50. & alios 50. tibi servabis, eosque mecum divides.

Cautio, Quid hic?

C

VERS. 7 DEINDE ALII DIXIT: TU VERO QUANTUM DEBES? QUI AIT: CENTUM COROS TRITICI. AIT ILLI: ACCIPE LITERAS TUAS (cautionem, sive syngraphum tuam, de qua v. 5.) ET SCRIBE OCTOGINTA] Corus, sive homer, continet decem ephi, ephi autem continet tria sata, id est, tres modios, Ezech. 45. 11. Coros ergo continebat 30. modios.

Symbolice, S. August. lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 34. *Quod autem*, inquit, *de centum cadis olei quinquaginta scribi fecit a debitore, & de centum coris tritici octoginta, ad nihil aliud valere arbitror, nisi ut ea quæ similiter in sacerdotes atque in Levitas Judæi, quisque operatur in Ecclesia, abundet justitia ejus super Scribarum & Pharisæorum, ut cum illi decimas darent, isti dimidias dent: sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zacheus. Aut certe duplicet decimam, aut duas decimas dando superet impendia Judæorum*.

D

VERS. 8 ET LAUDAVIT DOMINUS VILLICUM INIQUITATIS, QUIA PRUDENTER FECISSET. QUIA FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES FILIIS LUCIS IN GENERATIONE SUA SUNT] *Dominus*, id est, herus villici, fraudem ejus ex servis, vel aliunde rescions; non Christus Dominus, ut vult Erasmus. q. d. Herus villici laudavit villicum iniquum, quod prudenter sibi consuluisset, licet per fraudem & damnum heri. Laudavit autem non factum, utpote justum, sed prudentiam, vel solertiam, industriam & ingenium subtile villici; sicuti cum ingeniosum audimus facinus, damnamus scelus, laudamus ingenium.

QUIA FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES FILIIS LUCIS, id est, fidei, puta fidelibus, & sanctis (hi enim opponuntur filiis tenebrarum sive sæculi) IN GENERATIONE SUA, hoc est in genere suo, SUNT] scilic. in temporalibus, & maxime in malis, v. g. dolis, fraudibus, & malis artibus. Est hebraismus. Vere dixit vir sapiens. *In rebus temporalibus fumus Solones, in spiritualibus mariones; in terrenis lynces, in cælestibus talpæ. Prudentiores sunt filii sæculi*, ait S. Aug. lib. 11. de Genesi ad literam cap. 2. ad consulendum sibimet in posterum, quamvis fraude, non jure. Ratio a priori est, quia in hominibus viget sensus & cupiditas rerum terrenarum: mens vero & spiritus languet, deprimitur & hebetatur, partim a corpore, partim a sensu & cupiditate; quo fit, ut mundani sequentes ductum sensus & cupiditatis, vivaciores & solertiores sint in temporalibus bonis sibi providendis, quam spirituales & sancti, qui ductum mentis & spiritus sequuntur, sint in spiritualibus sibi procurandis: spiritualia enim, cum sint recondita, nec oculis cernantur, vix mentem humanam feriunt.

E

Applicatio parabolæ villici.

Jam quod ad applicationem parabolæ attinet, nota scopum ejus in genere esse, ut dicatur contra avaros Pharisæos, ut docet Christus versu nono & decimoquarto, eisque, vel aliis avaritiam extundat, ac doceat affectum ab amore divitiarum abstrahere, illasque in pauperes erogare. Monet enim hic Christus divites, cæterosque omnes, ut meminerint se non esse pleno jure dominos, sed tantum dispensatores bonorum Dei. Ideoque prudenter & sedulo illa expendant per eleemosynas, ut per eas peccata expient, ac Deo rationem villicationis suæ, id est, universi Christiani officii, & vitæ, æque ac opum & facultatum exactam reddere possint; itaque ab eo laudari, præmiari & beari mereantur. Neque alia ratione villicus hic nobis imitandus proponitur: nam in fraude, & justitia, quam hero suo intulit, neminem licite eum imitari posse clarum est.

F

Quocirca S. Augustin. lib. 2. Quæst. Evang. q. 34. censet Christum hic argumentari a minori ad majus. q. d. Si villicus hic tam solerter in terra sibi provident de annona, multo magis pro vita æterna nos decet esse solertes, ut de meritis, quibus in ea vivamus, simus solliciti. Rursum si hic villicus, licet fraudulentus & injustus, laudatus fuit ab hero ob hanc solertiam & providentiam, multo magis nos a Deo laudabimur, si per eleemosynam justam nulli damnum, sed commodum multis afferamus. Cætera sunt emblemata. Ita S. Augustin. Euthym. Maldon. Jansen. & alii. Audi S. Augustin. *Si laudari potuit ille a domino, qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino Deo, qui secundum ejus præceptum illa opera faciunt? sicut etiam de judice iniquitatis, qui interpellabatur a vidua, comparationem duxit ad judicem Deum, cui nulla ex parte judex iniquus conferendus est*.

Docet ergo hæc parabola Prima, divites tantum esse administratores opum suarum, atque a simili vel pari quemlibet hominem bonorum suorum, scilicet virium, ingenii, facundiæ, aliarumque dotum non esse dominium, sed tantum esse dispensatorem. Secundo, quemque suis donis, & dotibus a Deo acceptis uti, illaque expendere debere juxta Dei domini nostri voluntatem, ad ipsius honorem & gloriam. Tertio, quemque in die judicii non tantum malorum commissorum, sed & bonorum per negligentiam omissorum Christo judici exactam rationem redditurum esse; quare quisque videat ne quid mali admittat, vel boni omittat. Hic generalis est parabolæ scopus; particularis vero est is, quem subjicit Christus vers. seq. uti ibidem explicabo.

G

ET (id est, *sic*, vel *simili parive modo*: τὸ enim &, nectit simile simili, puta parabolam rei per eam significatæ;

VERS. 9 EGO VOBIS DICO: FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQUITATIS, UT, CUM DEFECERITIS, RECIPIANT VOS IN ÆTERNA TABERNACULA] Est hæc postparabola sive applicatio parabolæ, significans particularem & præcisum ejus scopum, finem & fructum. q. d. Sicut audistis villicum, qui bona heri sui dissipaverat, ideoque amovendus erat a domo hero a villicatione sua, per opes iniquitatis, id est, inique & injuste a se usurpatas, & hero suo surreptas, eleemosynam fecisse debitoribus heri sui, ut amotus ab officio, ab iis in domum reciperetur & alteretur: sic & vos, qui opes dotesque vobis a Deo datas male iis utendo dissipastis, per *mammonam*, id est, opes *iniquitatis*, id est, iniquas; non ob rapinam & furtum, ex iis fuere illæ istius villici, sed alio titulo & respectu (quem mox explicabo) facite eleemosynam pauperibus, ut, cum per mortem defeceritis & amoti fueritis ab hac vita, ejusque officiis, ipsi vos recipiant in æterna cæli tabernacula.

H

Ubi Nota, Ludit Christus in voce *iniquitatis*, alio enim modo

A modo villicus habebat opes iniquitatis: villici enim iniquitas erat fraus, injuſtitia, furtum & rapina: nobis vero hæc opum iniquitas non eſt injuſtitia actualis, ſed plane aliud, uti jam dicam.

Opes iniquæ ſunt; primo. FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQUITATIS] Id eſt, de opibus, quæ iniquæ ſunt, idque quadruplici ſenſu & cauſa. Primo, quia opes ſæpe per iniquitatem, id eſt, fraudes, uſuras, injuſtos contractus, rapinas parentum, avorum, vel etiam proprias corrogatæ ſunt, juxta illud: *Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui heres*, quod citat S. Hier. ep. 150. ad Hedibiam quæſtione prima. Jam ſæpe ignorat filius, vel nepos, hanc iniquitatem parentum, vel avorum, aut certe neſcit cui facienda ſit reſtitutio: tunc ergo pauperibus illa reſtituere & erogare debet. Hinc S. Hier. in Matth. c. 6. *Divitiæ*, inquit, *vocantur mammona quia de iniquitate collectæ ſunt*, quaſi mammona deriveturex מן *min*, id eſt, *a*, & מונה *mona*, id eſt, *violentia*, a radice ינה *jana*, id eſt, *vim intulit*: licet verius derivetur a טמן *tamon*, id eſt, abſcondit: inde etiam addito *mem* beemantico hebraice vocatur מטמון *matmon*, & chaldaice eliſa litera ט *tet* euphoniæ cauſa *mammon*, & *mammona*: q. d. Theſaurus abſconditus; ſolent enim opes & nummi abſcondi. Secundo, divitiæ vocantur *iniquitatis*, ſive iniquæ, id eſt, infidæ, & fallaces per hebraiſmum, quia vanæ ſunt & mendaces, non veræ, non fideles, & ſtabiles, ſed illico poſſeſſorem deſerunt, & ad alium herum tranſeunt. Tertio *iniquitatis*: quia divitiæ ſunt materia & illecebræ fraudum, furtorum, omniſque peccati, præſertim iniquitatis & injuſtitiæ. Quarto, *iniquitatis*, quia iniqui & impii putant, eas ſolas eſſe divitias, non enim norunt divinas & cæleſtes. Ita S. Aug. ſerm. 25. de Verbis Dom. Haſce omnes cauſas ſpectat hic Chriſtus.

Mammonæ etymon.

B Secundo.

Tertio.

Quarto.

Porro Chriſtus opes vocat *mammonam iniquitatis*, id eſt, *Plutum*, qui a Gentilibus colebatur quaſi deus divitiarum. q. d. Aurum vobis eſt quaſi idolum, quod vos, o divites avari amatis, & quaſi adoratis; ſed ſcitote illud idolum eſſe *iniquitatis*, id eſt, vanum, mendax & falſum: illud ergo confringite & in pauperes erogate, ut illi Deum æternarum opum largitorem vobis concilient. Vide dicta Matth. c. 6. v. 24.

UT CUM DEFECERITIS vita, & officio diſpenſandi veſtrum mammona, id eſt, veſtras opes. Ita Theoph. Titus, Euthym. Unde Syrus vertit; *cum defecerit*, ſcilicet mammona, a vobis, quod fiet in morte veſtra, RECIPIANT VOS] ſcilicet amici, quos vobis feciſtis per mammonam iniquitatis eis erogatum, puta pauperes; hi enim, ſi ſancti ſunt & recepti in cælum, eodem vos ſuis precibus & meritorum communicatione recipient: ſin autem pauperes ſint impii, in cælum vos propter eleemoſynæ meritum recipient, non ipſi, ſed ii, quorum eſt recipere, puta Chriſtus, B. Virgo, & ſanctiſſimi Angeli. Sic enim Hebræi ſæpe ſuppoſitum verbi ſubticent, quaſi ex circumſtantiis ſat cognitum & manifeſtum.

C

Porro Chriſtus proprie de pauperibus probis & ſanctis loqui videtur; quia ſcilicet, ſæpe tales ſunt pauperes: nimirum *pauperes cenſu*, *ſed divites ſenſu*, gratia & ſpiritu, idque ne putent divites ſe beneficium dare, ſed potius accipere a paupetibus: dant enim eis nummum, ſed recipiunt cælum. Unde S. Greg. l. 21. Moral. c. 14. *Debemus cogitare*, ait, *quod patronis potius nos recepturis in*

D *æterna tabernacula munera offerimus, quam egenis dona largimur.*

Pauperes ſunt cæli janitores.

Rurſum hinc diſce pauperum eſſe cælum, non tantum quod ipſi eo potiuntur, ſed quod & ipſi alios, ſcilicet benefactores ſuos eodem introducant. Pauperes ergo ſunt janitores cæli, juxta illud Chriſti: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Matth. 6. vide ibi dicta, idque habent non tam ex merito ſuo, quam ex dono ſingulari Dei. Ita S. Auguſt. l. 2. Quæſt. Evang. q. 38. *Non propria poteſtate quaſi gratificando recipiunt, ſed promiſſione atque permiſſione illius, qui eos conſilio premonuit, ut ſibi amicos facerent, & qui ſeipſum paſci, veſtiri, hoſpitio recipi, viſitari in unoquoque minimorum ſuorum liberatoris bonitate dignatus eſt.*

Æterna tabernacula, inquit Theoph. *pauperibus in Chriſto conſtituta ſunt, in qua poſſunt recipere eos, qui hic ipſis amice de bonis, quæ ſunt Dominica, largiuntur. Felix permutatio, cum temporaria permutantur æternis.* Quare Chryſoſt. in Catena: *Ars artium*, inquit, *peritiſſima; eſt eleemoſyna; non enim nobis domos fabricas ineas, ſed vitam æternam impendit.*

VERS. 10 QUI FIDELIS EST IN MINIMO, ET IN MAJORI FIDELIS EST: ET QUI IN MODICO INIQUUS EST, ET IN MAJORE INIQUUS EST) Nota. Hæ & ſimiles ſententiæ proverbiales practicæ prudentiæ (uti dixi in Proverb.) non ſemper, ſed ſæpe & communiter veræ ſunt; ac ſignificant vulgo homines ita judicare ſolere, & ſuorum ſervorum, vel amicorum fidelitatem in magnis, primo in parvis prætentare.

E

Modicum, & nimirum ſunt bona temporalia magnum & majus ſpiritualia.

Jam per *modica* & *minima* Chriſtus intelligit bona temporalia, per *magna* vero vel *majora* intelligit bona ſpiritualia, tum gratum facientia, tum gratis data, uti eſt munus evangelizandi. q. d. Ut non removeamini a villicatione ſpirituali, ut villicus ille iniquus a villicatione temporali amotus eſt, v. 2. Aut etiam, ut ad eam admoveamini, ſi necdum admoti eſtis, curate, ut vos primo probetis in recta adminiſtratione temporalium, ut ſcilicet ea per eleemoſynas, juxta mentem Dei Domini veſtri diſtribuatis in pauperes; ſic enim explicat Chriſtus verſu ſeq. Hactenus enim egit, ac deinceps aget de laude eleemoſynæ, & avaritiæ fuga. Hoc eſt, quod ait Paulus 1. Tim. 3. 5. *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Porro Chriſtus videtur hic taxare Phariſæos infidelitatis, tam in opum diſpenſatione, quam in doctrina legis divinæ populo tradenda, quodque ipſi ob avaritiam indigni ſint ſuo gradu, quia infideliter eo funguntur, praveque docent populum, uti vidimus Matthæi cap. 5. & 23. imo eum a vero Meſſia avertunt. Nam contra Phariſæos hæc dici, patet ex v. 14.

F

SI ERGO IN INIQUO MAMMONA FIDELES NON FUISTIS: QUOD VERUM EST, QUIS CREDET VOBIS?] Arabicus contrarie & affirmative habet, *ſi ergo fideles fuiſtis in bonis iniquitatis, quis credet vobis in veritate dicenda & docenda?* Sed videtur eſſe mendum typographi, ac pro *fuiſtis* legendum negative, *non fuiſtis*, uti legunt Noſter, Græcus & Syrus. Senſus eſt q. d. Si avere & perperam opes caducas, & fallaces erogatis in pauperes, *verum*, id eſt, opes veras, ſcilicet ſpirituales & cæleſtes, puta doctrinam legis, populi inſtructionem, fidei & cultus Dei curam ac propagationem quis credet vobis? Mammonam enim vocat *iniquum*, id eſt, fallacem, caducum & falſum, quia ſpecie & fuco verarum opum homines fallit: nec enim mentem explet, & cito perit, ac facile a furibus aliove caſu eripitur, illumque opponit mammonæ vero, id eſt, divitiis ſpiritualibus, quæ ſunt veræ & ſtabiles, pretioſæ, & æternæ, quæ a nemine homini invito eripi poſſunt, uti docet Apoſtolus 1. Tim. 6. 7. Ita Theoph. Euthym. Beda hic, ac S. Irenæus, Cyprian, Caſſian. Gaudent. quos citat & ſequitur Maldonatus.

VERS. 11

G

ET SI IN ALIENO FIDELES NON FUISTIS, QUOD VESTUM EST, quis DABIT VOBIS?] Idem fere dicit, ſed alia parabola vel phraſi: mammonam, quem verſu præcedenti vocavit *iniquum*, hic vocat *alienum*. Porro opes temporales vocat alienas. Primo, quia alienæ ſunt a natura rationali & ſpirituali, qualis eſt homo, cum ſint inanimes & corporales, puta æneæ, aureæ, argenteæ, quare non tam hominis, quam mundi ſunt opes, quas homo a mundo, uti accepit in vita, ſic & in morte eidem reddet. Secundo, reſpectu Dei, quia a Deo illarum non tam domini & proprietarii, quam adminiſtratores, & rerum alienarum diſpenſatores conſtituti ſumus, ut eas aliis gentibus juxta Dei voluntatem partiamur. Ita Titus: *Opum copiam*, inquit, *alieni nomine deſignat, quandoquidem opibus affluere, ſi hominis naturam ſpectemus, ab homine alienum eſt. Si cui autem adſunt, extrinſecus & quaſi per accidens advenerunt. Sunt*, ait Ambroſ. *aliene ab hominum natura, quia non ſunt homini perpetuæ, neque nobiſcum naſcuntur, neque nobiſcum tranſeunt.* Et S. Aug. lib. 2. Quæſt. Evang. q. 35. *Alienas*, inquit, *appellat terrenas facultates, quia nemo eas ſecum moriens aufert. Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid poſſumus*, (1. Tim. 6. v. 7.) Denique Euth. *Alienum nominat terrenas divitias, quippe quæ apud illum non permaneant, qui eſt eas aſſecutus.* Jam S. Hier. ep. 151. ad Algaſ. q. 5. ſic exponit. q. d. *Si carnales divitias, quæ labuntur, non bene diſpenſatis, veras æternaſque divitias doctrinæ Dei quis credet vobis? Et ſi in iis, quæ aliena ſunt (alienum autem eſt a nobis omne quod ſeculi eſt) infideles fuiſtis; ea, quæ veſtra ſunt, & proprie deputata homini, quis vobis credere poterit? Unde corripit avaritiam, & dicit eum, qui amat pecuniam, Deum amare non poſſe: igitur & Apoſtolis, ſi velint amare Deum, pecunias eſſe contemnendas.* Alium ſenſum magis genuinum, mox in fine hujus verſus ſubjungam.

H

Opes vocantur alienæ. Primo.

QUOD VESTRUM EST] Ita vocat opes ſpirituales & bona cæleſtia, quia hæc propria ſunt homini, eumque ſanctificant,

Digitized by Google

A ficant, perficiunt, beant, & in cælum ducunt, ac in æternum cum eo permanent. *Noſtrum vocat cæleſtes divitias*, ait Euthym. ſimiliter Theoph. *Noſtræ ſunt divitiæ cæleſtes & divinæ, illic noſter municipatus eſt, eo quod homo ad imaginem Dei eſt conditus: pecuniæ autem & poſſeſſiones alienæ ſunt; nihil enim ſimile illi ex his. Divinorum autem bonorum fruitio & participatio Dei, noſtra ſunt.*

Dices: Homines magis amant propria, ideoque magis & fidelius ea cuſtodiunt, quam aliena, quomodo ergo contrarium ſic ſignificat Chriſtus? Reſpondeo, Vis argumenti Chriſti patet Primo, in ſenſu parabolæ, qui eſt. q.d. Si in bonis temporalibus non fuiſtis fideles diſpenſatores, quomodo eritis in ſpiritualibus, & cæleſtibus? quis ergo cæleſtia & divina vobis dare audebit? Secundo, eadem vis patet in ipſa parabola, quia in alienis rebus adminiſtrandis homines diligentiores, & cautiores eſſe ſolent, quam in propriis, tum quia in res alienas minus juris, & libertatis habent, quam in ſuas; tum quia ex juſtitia ad id tenentur, cum ſcil. res alienæ ipſorum curæ commiſſæ ſunt: tunc enim ſi pereant, ipſi damnum domino illarum præſtare & reſarcire debent: res vero proprias cuſtodire
B non tenentur ex juſtitia; ſed tantum ex prudentia vel charitate: quare ſi per eorum imprudentiam, vel negligentiam pereant, ipſi pereunt, nec ulli alteri rem perditam reſtituere tenentur: tum denique, quia majori ingamiæ ſe exponunt in alieno, quam in ſuo: ſi enim alienum eis creditum pereat, vocabuntur in ſuſpicionem, non ſolum infidelitatis, ſed & furti. Recte ergo argumentatur Chriſtus, dicitque: Si in alieno fuiſtis infideles, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? q. d. Si infideles fuiſtis in opibus temporaneis, quæ a vobis quaſi alienæ ſunt, erogandis in pauperes, Deus non dabit vobis opes cæleſtes, quæ veſtræ, id eſt vobis deſtinatæ, congruæ & propriæ ſunt: qui enim aliena rapit aut perdit, ſua perdere meretur. Nam, ut ſolerter advertit Dionyſius Carthuſianus, de bonis vitæ dixit Chriſtus verſu ſuperiore: *Quis credet*, ſeu committet, quia illis utendum eſt, ita ut reddenda ſit de uſu ratio; de bonis autem patriæ ſeu gloriæ, hic dicit, *Quis dabit* quia his non eſt utendum, non ſunt hæc ulterius referenda, nec proinde de eis reddenda ratio, ſed ſemel datis intentiſſime, & quietiſſime fruendum, atque inhærendum. Verſum ſequentem de ſerviendo Deo & mammonæ
C expoſui Matth. 6. 24.

VERS. 14 AUDIEBANT AUTEM OMNIA HÆC PHARISÆI, QUI ERANT AVARI (græce, φιλάργυροι, id eſt amantes argenti) ET DERIDEBANT ILLUM] Græce, ἐξεμυκτήριζον, id eſt, ſubſannabant quaſi contracto naſo: μυκτὴρ, enim eſt naſus: atq; hic eſt geſtus faſtidientis, ſpernentis, vafre & callide irridentis, juxta illud Horatii lib. 1. Serm. ſatyr. 6.

Ignotos naſo ſuſpendit adunco.

Tales ſunt naſones, naſuti & naſicæ: unde Scipio a naſi magnitudine cognominatus eſt Naſica;

Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Syrus, *Phariſæi autem cum hæc omnia audiſſent, propterea quod eſſent amantes argenti, irridebant eum.* Sic & Arab.

VERS. 15 ET AIT ILLIS: VOS ESTIS QUI JUSTIFICATIS VOS CORAM HOMINIBUS: DEUS AUTEM NOVIT CORDA VESTRA: QUIA QUOD HOMINIBUS ALTUM EST, ABOMI-
D NATIO EST ANTE DEUM] *Juſtificatis*, id eſt juſtitiam præ vobis fertis, ſimulatis, oſtenditis, jactatis, captatis; in externis cæremoniis religioſi & ſcrupuloſi, in internis vero cupiditatibus effrenes, & irreligioſi. Deus autem novit corda veſtra plena eſſe hypocriſi, avaritia, ſuperbia, gula, luxuria.

QUIA QUOD HOMINIBUS ALTUM EST, id eſt ſplendidum, magnum, mirabile, qualis eſt exterior ſpecies, ficta modeſtia, ſimulata pietas & ſanctitas, quam præ vobis fertis, o Phariſæi, ABOMINATIO EST ANTE DEUM] q.d. Simulata veſtra religio, o Phariſæi, plebi ſimplici eſt admirabilis, ſed abominabilis Deo, qui internam veſtram hypocriſin, ſuperbiam, avaritiam, luxuriam, &c. clare introſpicit, deteſtatur, abominatur & execratur.

Cætera, quæ apud Lucam ſequuntur uſque ad verſ. 19. hoc loco, & tempore non ſunt dicta a Chriſto, ſed eo, quem aſſignat Matthæus, illaque in diverſa tempora diſtribuit, uti videre eſt Matth. 11. 12. & c. 5. 12. & c. 10. v. 11. ubi ea explicui.

VERS. 19 HOMO QUIDAM ERAT DIVES, QUI INDUEBATUR PURPURA ET BYSSO, ET EPULABATUR QUOTIDIE SPLENDIDE] Notat S. Chryſ. hom. de divite & Lazaro, hæc pertinere ad v. 13. de laude eleemoſynæ; quare poſt illa ſtatim hæc Chriſtus ſubjunxiſſe videtur; cætera vero intermedia eo loco pronunciaſſe, quo extant apud Matth. ut dixi, E
Scripſit S. Chryſ. hac de re quatuor inſignes homilias de Lazaro, quæ extant in fine tom. 2.

Divitis Epulonis & Lazari vera hiſtoria.

HOMO QUIDAM) Quæres, an hæc ſit parabola, an vera hiſtoria: Reſp. eſſe veram hiſtoriam. Primo, quia Chriſtus eam non vocat parabolam, uti facere ſolet in parabolis, ſed narrat quaſi veram hiſtoriam. Secundo, quia mendicus hic nominatur Lazarus, dives vero epulo vocatur *Nicenſis*, ut habet Hebræorum traditio, ait Euthym. Tertio, quia damnatio & tormenta divitis ita plane hic narrantur, ut omnino videatur eſſe hiſtoria. Quarto, quia in honorem hujus Lazari quaſi Sancti, & leproſorum ulceroſorumque patroni, plures vetuſtæ variis in locis extant eccleſiæ, ac inprimis Romæ extra urbem & portam Angelicam extat eccleſia, & hoſpitale S. Lazari pro cura leproſorum. Quinto, quia ita cenſent Tertull. Irenæus, S. Chryſ. S. Greg. Clemens Alex. Origenes, Ambr. Euthym. quos citant & ſequuntur Franc. Lucas, Maldonat. Barradius, Vinc. Regius & alii: licet S. Juſtinus, Theop. Eucherius contrarium opinentur, ſcilicet hanc eſſe parabolam, non hiſtoriam; F
quia ſcilicet in hac hiſtoria quædam paraboliea, & ſymbolica ex hominum uſu inferuntur, ut de lingua divitis, de gutta aquæ, de digito Lazari, &c.

Dives Epulo fuit Judæus.

Porro dives hic videtur fuiſſe Judæus, uti ex v. 24. & 31. ubi Moſen nominat, & Abraham invocat, colligit Euthym. qui & addit Hebræos tradere, illum vixiſſe tempore Chriſti, ideoque de eo Chriſtum recentem hanc narrare hiſtoriam, ut magis percellat auditores, doceatque contemnere opes & delicias exiles & breves hujus vitæ.

INDUEBATUR PURPURA ET BYSSO) Purpura pretioſa eſt & auguſta: unde veſtis erat regum & principum. *Purpura* ergo notat divitis in veſtitu luxum æque ac faſtum, quod veſtiretur ut rex vel princeps: *Byſſus* notat ejus delicias & mollitiem: byſſus enim eſt genus lini candidiſſimi & molliſſimi; Audi S. Greg. ho. 40. in Evang. *Et ſunt nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum. Quod ſi videlicet culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, byſſo & purpura in luxus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta pretioſa, niſi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris eſſe videatur.* G

ET EPULABATUR QUOTIDIE SPLENDIDE] Græcum εὐφραινόμενος, duo ſignificat. Primo *gaudebat & hilaris erat*; Secundo, *epulabatur*. Unde Arabic. vertit, *& jucunde vitam ducebat quotidie, & ſplendide vivebat*. Utrumq; faciebat dives, nimirum ad epulas lautas adhibebat muſicos, paraſitos, odores, tibias, citharas, tripudia, & quidquid gaudium augere poterat, in eo collocans ſuam felicitatem, nec cogitans de altera futura, ac forte eam non credens; vivebat enim ut atheus & Epicureus, juxta illud: *Ede, bibe, lude: poſt mortem nulla voluptas.* Quales depingit Job c. 21. v. 12. dicens: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt ad inferna.* Porro S. Greg. l. 1. Moral. c. 4. docet convivia ſine culpa celebrari non poſſe. *Pene enim ſemper*, inquit, *epulas comitatur voluptas. Nam cum corpus refectionis delectatione reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Unde ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Pene ſemper epulas loquacitas ſequitur: cumque venter reficitur, lingua non refrænatur. Unde recte dives apud inferos aquam appetere deſcribitur.* In conviviis ergo peccatur gula, laſcivia, detractione, ſuperbia, invidia, &c. H

VERS. 20 ET ERAT QUIDAM MENDICUS, NOMINE LAZARUS, QUI JACEBAT AD JANUAM EJUS, ULCERIBUS PLENUS] Arab. *& pauper erat, cujus nomen Lazarus: erat projectus ad portam illius; percuſſus ulceribus.*

Lazari etymon.

LAZARUS] *Narratio*, ait S. Ambr. *magis videtur, quam parabola, quando etiam nomen exprimitur.* Et Cyril. in Catena: *Refert*, ait, *traditio Judæorum, fuiſſe tum temporis Lazarum quemdam Hieroſolymis, extrema preſſum inopia & infirmitate, ideoque vocatus videtur Lazarus, quaſi omnium ope & adjutorio indigens, & ad illam flagitandam expoſitus, uti exponuntur ulceroſi mendici. Mendicus, ſubſtantia pauperrimus, ſed patientia & virtute ditiſſimus.* Ita Chryſ. hom. 2. ad Populum. Lazarus enim hebraice dicitur לעזר *laazar*, id eſt, *ad adjuvandum*, hoc eſt ad adjutorium poſtulandum palam expoſitus. Unde S. Chryſ. & Aug. *Lazarus*, inquiunt, *idem eſt quod adjutus*, vel potius adjuvandus. Lazarus enim omnibus objiciens ſua ulcera, reipſa clamabat: Fideles videtis meam miſeriam, adjuvate me.

JACE-

Digitized by Google

A JACEBAT] Græce ἐβέβλητο, id est profectus erat & porrectus, extensusque quasi spirans cadaver, quod se movere nequit; unde a bajulis movetur & proficitur ante fores divitum, vel templorum. Jacebat abjectus, ait Titus, neglectus, prostratus, pro nihilo habitus, omni cura omniq; humano præsidio prorsus destitutus, idque assidue & quotidie per singulos dies, *ut videret eum dives*, ait S. Chrisost. *ejusque miseriam observare posset & exiens & revertens. Quain re*, ait S. Greg. hom. 40. *Dominus duo judicia explicuit; nimirum majorem divitis immisericordis damnationem, & majorem Lazari miseri probationem & remunerationem. Quantas namque*, inquit, *hunc egenum, & vulneribus obsessum, tentationes creditis in sua cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, & non haberet etiam sanitatem, atque ante se divitem cerneret salutem, & delicias habere cum voluptate; se dolere & frigore affici, illum gaudere conspiceret, bysso & purpura vestiri; se deprimi vulneribus, illum usquefluere acceptis rebus; se egere, illum nolle largiri? Quantus, putamus, fratres mei, tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certe ad pœnam sufficisset paupertas, etiamsi sanus fuisset: & rursum sufficisset ægritudo, etiamsi subsidium adesset? Sed ut probaretur amplius pauper, simul hunc & paupertas & ægritudo tabefecit: atque insuper videbat procedentē divitem subsequentibus cuneis circumfulciri, & se in infirmitate & inopia a nullo visitari.*

B ULCERIBUS PLENUS] non solum pauper, sed etiam æger, ait S. Greg. Græce, ἑλκωμένος, id est, ulceratus, ulceribus plenus & refertus, instar leprosi. Unde multi censent Lazarum vere fuisse leprosum: qua de causa leprosi, & leprosoria hunc S. Lazarum, quasi patronum colunt, & invocant, ab eoque Lazari & Lazaretta nuncupantur. Opponit summæ prosperitati divitis summam afflictionem Lazari: ille enim Epulo erat ditissimus, hic mendicus egentissimus: ille purpura & byssо vestiebatur, hic sanie, & ulceribus purpurabatur: ille quotidie epulabatur, hic fame conficiebatur.

VERS. 21 CUPIENS SATURARI DE MICIS, QUÆ (casu & temere) CADEBANT DE MENSA DIVITIS, ET NEMO ILLI (non sub mensa divitis, ut aliqui pingunt, sed ante fores ejus jacenti) DABAT; SED ET CANES VENIEBANT, ET LINGEBANT ULCERA EJUS] ut pute ejus fruerentur, ait Franc. Lucas, itaque dolore non modico afficiebant nudum & imbellem. Non solent canes nisi invitati, hominis viventis ac vigentis corpus lambere: verum ad hunc jacentem accurrebant, tamquam ad projectum nudumque cadaver, ut saniem, vel sanguinem lingerent, quo libenter vescuntur. Nec vero ipse eos valebat abigere, adeo erat fractus viribus, ait S. Chrysost. Lazarus ergo miserior erat cane; eum quia ut canis jacebat ad fores divitis, nec tamen gaudebat micis mensæ, quas colligunt canes; tum quia canes eum lingendo cruciabant, ac ipse suo sanguine pascens canes, ab eis quasi devorabatur. Alioqui canes lambendo ulcera, si moderate id faciant, illa emundant, & sanant. Unde S. Chrys. *Fera mites* (canes) *lambunt ulcera*, inquit, *quæ nullus dignabatur lavare, & contrectare*, multo minus dives Epulo. Nam, ut ait S. Ambr. sunt divites conditionis humanæ immemores, rident inopes, & egentibus insultant, & quorum misereri decet, hi auferunt.

C

Cruces Lazari novē. Prima.

D S. Chrysost. homil. 1. de Lazaro, novem atroces Lazari afflictiones & cruciatus enumerat. Prima, inquit, fuit extrema ejus paupertas, ut nec micas divitis obtinere posset. Secunda, gravis ægritudo: totus enim erat ulcerosus, totus exhaustus & tabidus, *ut ne canes quidem posset abigere; sed vivum cadaver jacebat, videns quidem eos accurrentes, nequaquam tamen valens depellere, usque adeo illi membra erant soluta, usque adeo erant arefacta morbo, usque adeo consumpta erant afflictione*, ait Chrysost.

Secunda.

Tertia. Tertia, quod ab omnibus, etiam illis, qui ei assistere debebant, erat desertus.

Quarta. Quarta, quod jaceret ante fores divitis quotidie splendide epulantis: aspectus enim continuus felicitatis divitis angebat sensum & dolorem infelicitatis Lazari, *quod in medio tam multorum jacens ebrietati indulgentium, suaviter viventium, a nemine vel vulgarem curam nanciscetur, id reddebat sensum dolorum duriorem, magisque incedebat animæ ægritudinem*, ait Chrysost.

Quinta. Quinta, erat crudelitas divitis, qui abundans rerum copia, Lazarum tamen tam miserum cernens præteribat, quasi lapidem, nec eum aspectu, vel colloquio dignabatur.

Sexta. Sexta, quod nullum haberet ærumnæ socium: hæc enim societas solet levare ærumnæ gravitatem, juxta illud: *Jucundum est in pœna habere socium.* E

Septima. Septima, quod illo ævo obscura erat resurrectionis fides & spes, quæ jam post Christum clara, mire fideles in doloribus sustentat & roborat.

Octava. Octava, quod hæc non semel, nec uno die, sed continuo per plures dies & septimanas pateretur.

Nona. Nona, quod jacturam famæ toleraret: multi enim censebant illum tanta pati ob ingentia scelera sua, quasi percussum a Deo, & tamen Lazarus velut alter Job, hæc omnia forti & invicto animo, quasi adamas sustinebat. Hæc & plura Chrysostomus.

Lazaro similis in doloribus & ulceribus, æque ac in patientia fuit S. Lydvvina Schiedamensis in Hollandia, quæ anno ætatis 14. in glaciem lapsa costam fregit, indeque ægra triginta & amplius annos decubuit, variis & continuis doloribus a Deo immissis afflicta usque ad mortem, ut ei integram patientiæ coronam pertexeret. Lege Vitam ejus apud Surium. Nimirum voluit Deus Lazarum, Job, Tobiam, Lydvvinam omnibus sæculis statuere ægrotis & afflictis in speculum & exemplar patientiæ.

FACTUM EST AUTEM UT MORERETUR MENDICUS, ET PORTARETUR AB ANGELIS IN SINUM ABRAHÆ: MORTUUS EST AUTEM ET DIVES, ET SEPULTUS EST IN INFERNO] *Ut moreretur*, ex morbis & doloribus, ac rerum omnium inopia. VERS. 22 F

ET PORTARETUR] scilicet quoad animam separatam a corpore ulceroso, honorifice duceretur: nec enim anima est gravis, ut portari debeat, ipsaque separata a corpore se loco movere, sursumque ascendere potest.

Ministeria Angelorū animas in cælum ducere. Nota hic Angelorum ministerium esse, animas sanctas a corpore separatas ducere in cælum. Idem patet ex Vitis Sanctorum, nam, ut ait Chrysost. conc. 2. de Lazaro. *Si civitatem civitate vertentes, egemus deductoribus, multo magis anima a corpore divulsa, & ad futuram transiens vitam, opus habebit viæ ducibus?* Subjungit: *Vidistis illum in vestibulo divitis, videte eumdem hodie in sinu Abrahæ: vidistis illum, cum a canibus circumlingeretur, videte eumdem ab angelis stipatum: vidistis illum tum in paupertate, videte nunc eumdem in deliciis: vidistis illum in fame, videte in multa rerum affluentia: vidistis illum certantem, videte coronatum: vidistis labores, videte præmium, quot quot estis vel divites, vel pauperes.*

IN SINUM ABRAHÆ] ut hospitem Lazarum, apud hospitalem Abraham inturitus dives, osor hospitum haberet hoc ad confusionem suæ inhospitalitatis, ait Euthymius, Nam, ut ait S. Chrysost. homil. 3. de Lazaro: *Hospitalis erat Abraham, ut igitur redarguatur divitis inhospitalitas, propterea Lazarum cum illo videt. Ille etiam prætereuntes venabatur, & in domum pertrahebat suam; hic vero etiam intra domum jacentem despexit, cumque talem thesaurum haberet, salutis paranda materiam præteribat quotidie, nec in quod oportebat usus est pauperis propinquitate.* G

Sinus Abrahæ quid? Quæres quis est sinus Abrahæ, & ubi situs? Resp. S. August. l. 4. de Anima & ejus origine c. 16. *Sinus Abrahæ est locus quietis, in quo post mortem recipiebantur, & etiamnum recipiuntur imitatores fidei, & pietatis Abrahæ: quē ante Christum limbus patrum, post Christum est cælum quod est paradisus Beatorum.* Unde Ecclesia S. Martino accinit: *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur. Martinus hic pauper & mendicus, cælum dives ingreditur, hymnis cælestibus honoratur.* Et S. Aug. l. 9. Conf. 3. agens de morte Nebridii: *Ille*, ait, *vivit in sinu Abraham. Quidquid illud est, quod illo significatur sinu; ibi Nebridius meus vivit.* Et Ecclesia pro defunctis orat Deum, ut eos transferat in sinum Abrahæ, ac det illis requiem sempiternam, *quam olim*, inquit, *Abrahæ promisisti & semini ejus.* H

Cur sic dictus. Primo. Dicitur sinus Abrahæ Primo, quia filii suavissime in sinu parentum quiescunt: omnes autem fideles & Sancti, dicuntur & sunt filii Abrahæ, qui primus in fide & sanctitate præ omnibus excelluit; unde & in limbo patrum cæterorum videtur fuisse primus & princeps. Hinc S. Ambros. *In Abrahæ gremio*, ait, *quasi in quodam sinu quietis & sanctitatis recessu.* Et S. Aug. serm. 110. de Temp. *In sinu Abrahæ*, inquit, *id est in secretum ubi erat, Abraham sinus erat quia secretum erat.*

Secundo. Secundo, quia Abrahæ promissa fuit benedictio & beatitudo hæc, & fidelibus omnibus in ipso, ut patet Gen. 22. 18.

Tertio. Tertio, quia Abrahā hospitalitate excelluit, hinc ab eo quasi in sinum recipi meruit peregrinus & inops Lazarus, quem in hospitalis ille dives respuit. Rationem hanc reddit D. Petrus Chrys. serm. 42. *Abrahæ*, inquit, *cælestis con-*

Digitized by Google

A *convivii principem humanitas Deo impensa perfecit. Nam quia duos cum Deo terrenam suscepit ad mensa*. Gen. 18. 8. *Orientis & Occidentis populū mensā suscipiet ad cœlestem*. Unde S. Chrysost. *Non juxta Abraham*, inquit, *sed in sinu Abrahæ, ut illum palparet, ut illum refocillaret, ut illum quasi clementissimus teneret in sinu suo, & recrearet*.

Quia ergo Lazarus in terra fuit pauperrimus & contemptissimus; hinc in cælo evasit ditissimus, & honoratissimus. Ita S. Chrysost. hom. 2. ad Popul. Idem epist. 7. ad Olympiadem: *Lazarus*, inquit, *propter solam infirmitatem, similem Patriarchæ* (Abrahæ) *adeptus est finem*: Et superius: *Non quod pauperibus sit misertus, non quod oppressis affuerit, non quod boni forte aliquid fecerit, sed quod januæ divitis pertulit exclusionem, & debilitatem, & canum linguas, & despectum contra se divitis*.

Ubi situs. Porro Theologi passim docent, limbum patrum fuisse supra Purgatorium & infernum. Franc. Suarez probabiliter opinatur, limbum hunc non ambire circumcirca totum infernum, sed per medium semicirculi, vel circuli imperfecti; ut scilicet relinquatur quasi os aliquod inferni liberum & apertum, per quod animæ e terra immediate descendant in infernum, alioqui enim limbum Patrum transire deberent. Vide Abulensem in Paradoxis.

B SEPULTUS EST IN INFERNO] *Qui prius habuerat animam crapula sepultam & defossam in corpore*, ait S. Chrys. conc. 2. de Lazaro: *Non secus enim ille*, inquit, *quam si catena quadam temulentia ac ventris ingluvie victus esset, sic otiosam illam ac mortuam reddiderat*. Pergit Chrysost. pathetice ad vivum metamorphosin divitis depingere, & oculis subjicere: *Hic mihi*, inquit, *considera mensas argento circumtectas, lectos, tapetia, ornamenta, quæ tota in domo sunt, omnia unguenta, aromata, vini meri copiam, eduliorum varietates, ciborum delicias, coquos, adulatores, stipatores, famulos, ac reliquam universam pompam, strepitumque extinctum, marcidumque factum: ubique cinis, ubique favilla & pulvis, lamenta & luctus, nemine succurrente, neque semel egressam animam revocante. Tunc declaratur quid possit aurum, quid possint copiosæ divitiæ: siquidem ex tam frequenti famulitio nudus abductus est, & solus, nihil ex tanta beneficentia secum ferre valens, sed desertus, indefensus, ac neglectus: nullus eorum qui prius auxiliabantur, aderat erepturus a pœna ac supplicio; sed ab illis*

C *omnibus divulsus, solus in se recepit ut illa non ferenda supplicia sustineret*. Denique Theoph. *Dicendo*, inquit, *quod sepultus sit, insinuat obiter Dominus, quod & anima ejus locum infimum & caliginosum sortita fuerit*.

Quid hic Infernus. IN INFERNO] Id est in Purgatorio, ait Jacobus Faber Stapulensis (censet ergo ipse Epulonem salvatum esse, post purgationem gulæ in igne Purgatorii.) Verum hoc est paradoxum, unde alii passim infernum damnatorum hic accipiunt, asseruntque divitem hunc esse damnatum, idque satis colligitur ex versu vigesimo tertio & vigesimo quarto, & maxime v. 26. ubi dicitur chaos magnum inter Abraham & Epulonem firmatum esse, *Ut hi*, inquit, *qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Et hoc significat proprie *Infernus*, & Græcum ἄδης, quod significat locum imum & summe tenebrosum: videtur enim ἄδης dici quasi ἀΐδης, ab α privativo, & ἴδειν id est videre, quod omni visu sit privatus, omnisque lucis expers. *Infernus dicit locum supplicii* ait Euthym. Denique omnia sequentia evincunt Epulonem sepultum in inferno damnatorum.

Dices, nullum hic legitur peccatum divitis, nisi quod quotidie sit epulatus. Atqui epulari est peccatum veniale

D dumtaxat, ideoque non inferno, sed Purgatorio expiandum.

Resp. Epulari per se tantum est peccatum veniale, sed ex adjunctis sæpe est mortale; quia sæpe conjungitur cum ebrietate, crapula, libidine, detractione, fastu, ac præsertim in misericordia, & contemptu pauperum. In hæc incidere necesse est eum, qui totus servit ventri: nec enim simul potest quis servire ventri & Deo; uti dixi versu decimo octavo. Quod ipsum exemplo Epulonis confirmat hic Christus. Epulo ergo ob hæc peccata, sed maxime ob neglectum Lazari, damnatus est: Lazaro enim in tam gravi famis & ulcerum necessitate, sub peccato mortali succurrere tenebatur, per cibum & medicinas, quod cum non fecerit, gehennæ se reum effecit; *si quidem & hoc rapina est, non impertiri de tuis facultatibus*, ait S. Chrysost. concione secunda de Lazaro: *nam spoliatio quædam dicitur, cum accepta detinemus*. Idem rursus: *Non quia dives fuerat, torquetur*, inquit, *sed quia misertus non fuit*. Sic & Nyssenus. Audi S. Hieronym. E ep. 34. ad Julianum: *Divitem purpuratum gehennæ flamma suscepit. Lazarus pauper & ulceribus plenus, cujus carnes putridas lambebant canes, & vix de micis mensæ locupletis miserabilem sustentabat animam, in sinu Abrahæ recipitur, & tanto Patriarchæ parente lætatus. Difficile, imo impossibile est, ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut & hinc ventrem & ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut & in cælo & in terra appareat gloriosus*.

Hinc S. Basilius, serm. 1. de Jejunio. *Time*, inquit, *delicias; Epulo enim ille non ob injustitiam, sed ob mollem vitam ardet in inferno: quia molles sibi, aliis sunt duri & crudeles: adimunt enim pauperi necessaria, ut mollia & superflua dent ventri*; sicut hic Epulo fecit, non tantum Lazaro, sed & cæteris pauperibus, *Etenim*, inquit S. Chrysostomus concione tertia hic de Lazaro, *Si illum perpetuo in vestibulo prostratum, quem quotidie semel atque iterum & sæpius videre cogebatur, foras prodiens ac domum rediens, non est commiseratus, erga quem casu obviorum flexus est unquam misericordia*? Permisit ergo eos fame, frigore, morbis emori. Sic hodie vide- F re est nonnullos divites in conviviis profusos, & in pauperes contractos, ut in unum convivium insumant trecentos aureos, in pauperes vix Regalem distribuant. Qui enim tori sibi student, alios negligunt; omnia enim conferunt in suas voluptates: gula enim est avarissima, dicitque: Mihi totum, & tibi nihil.

VERS. 23 ELEVANS AUTEM OCULOS SUOS, CUM ESSET IN TORMENTIS, VIDIT ABRAHAM A LONGE, ET LAZARUM IN SINU EJUS] Græce additur, ἐν τῷ ἅδῃ, id est, *in inferno*. *Elevans oculos* vidit oculis, non corporis, sed mentis, revelante, & ostendente Deo, *Abraham, & Lazarum in sinu ejus*, jucunde quiescentem, honoratum & gaudentem. Ostendit ergo Deus Epuloni sinum Abrahæ, in eoque Lazarum, *Ut non tantum*, ait S. Chrysost. concione 1. *naturæ supplicium, sed etiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet cruciatum*. Causam dat Euthym. *Sicut enim Lazaro tum in tot malis posito esset calamitatum erat augmentum divitem intueri in tot bonis: ita nunc diviti degenti in tot miseriis additio supplicium est, videre Lazarum in tantis bonis*.

Porro S. Greg. hom. 40. & ex eo Glossa: *Credendum est*, G ait, *ante judicium conspici ab injustis justos quosdam in requie, ut de illorum bono crucientur; justi vero semper in tormentis injustos intuentur, ut eorum gaudium crescat, dum malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt*.

VERS. 24 ET IPSE CLAMANS DIXIT: PATER ABRAHAM, MISERERE MEI, ET MITTE LAZARUM, UT INTINGAT EXTREMUM DIGITI SUI IN AQUAM, UT REFRIGERET LINGUAM MEAM, QUIA CRUCIOR IN HAC FLAMMA] *Clamans: Quia magna pœna magnam vocem reddebat*, ait S. Chrysostomus.

PATER ABRAHAM] Abraham invocat quasi patrem. Erat enim Judæus, ideoque prognatus ex Abraham. Sermonem non direxit ad Lazarum, ait Theoph. quia erubescebat, & putabat eum reminisci malorum.

MITTE LAZARUM] *Erat miser*, ait Chrys. *Abraham mittere non potest, sed suscipere: ecce dives indiget paupere: adveniente morte, & soluto spectaculo hujus vitæ, omnes larvis egestatis & divitiarum depositis ex solis operibus dijudicantur, quinam vere sint divites, qui pauperes*. Rursum S. Chrys. *Jam itaque*, ait, *supplex dives factus est pauperi, rebus brevi commutatis, & qui Lazarum cum praximus esset præteribat, nunc procul absentem invocat*. Commuta- H tionem hanc graphice depingit Isaias c. 65. v. 13. *Ecce servi mei comedent & vos esurietis*, &c. Vide ibi dicta.

UT INTINGAT EXTREMUM DIGITI SUI IN AQUAM, ad aliquod licet exiguum dolorum levamen & solamen: ET REFRIGERET LINGUAM MEAM] quæ quia olim arsit concupiscentia gulæ & jactantiæ, inquit Chrysostomus, & loquacitatis, ait Interlin. idcirco nunc ardet incendio gehennæ, quia *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*. Sap. 11. 17.

QUIA CRUCIOR IN HAC FLAMMA] summis & ineffabilibus tormentis, tum ardoribus incendii, tum sitis ardentissimæ. Audi Chrysologum serm. 124. *Site*, inquit, *jam possidet totus ignis inferni, si te flamma gehenna complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri? Quia magis*, inquit, *lingua uritur & ardet, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam denegavit*. Addit Salvianus lib. 3. ad Eccles. divitem optasse omnibus opibus suis

redi-

Digitized by Google

A redimere vel unam horam cruciatus sui. *Et quid dicam*, inquit, *voluisse, ut interminabile illud malum redimeret facultatibus suis? Plus dico aliquid: Voluerat omnem substantiam suam tradere, ut posset in flammis unius saltem horæ requiem comparare. Quomodo non quantolibet pretio mercari requiem præoptaret, qui parvam refrigerii guttam tam magno ambitu postulabat?*

Apte, S. Augustinus sermone 110. de Tempore, *desideravit guttam a quo ille micam, & quantum dilexit opulentiam, non invenit misericordiam; voluit subvenire fratribus suis semper vecors, sero misericors: nihil omnino quod postulavit accepit.* Idem sermone 227. *Divitis purpurati fuge, frater, exemplum, cujus canes pauper Lazarus suis vulneribus pavit, & micas cadentes de mensa divitis non accepit. Sed post non longum temporis intervallum mutatæ sunt vices. Pauper beatitudinem emit mendicitate, & dives supplicium facultate: Ille in Abrahæ gremio ab angelis elevatur, dives vero ad infernì profunda perducitur. Totum divitis corpus flammis gehennæ consumitur, & sola lingua amplius cruciatur. Ideo sine dubio in linguam majorẽ sentit ardorem; quia per eam superbe loquendo contempserat pauperẽ.* B *Ipsa enim lingua, qua noluerat dicere, ut eleemosyna pauperi donaretur, gravius gehennæ flammis exuritur. O dives qua fronte quaris guttam, qui noluisti porrigere micam? juste nunc exigeres si dedisses.* Et inferius: *Justo judicio vicem tibi reddo: quia judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.* Et S. Gregorius hom. 40. *Qui vulnerato pauperi mensæ suæ vel minima dare noluit, in inferno positus usque ad minima quærenda pervenit: nam & guttam aquæ petivit, qui micas panis negavit.* Et S. Basilius in Catena: *Condignum*, ait, *præmium redditur diviti, vice lyræ sonantis, gemitus: vice potus, desiderium stillæ.*

Lingua Epulonis animæ quæ.

Quæres quomodo hic anima Epulonis separata a corpore dicitur habere linguam, æque ac anima Lazari digitum, atque sitit ardetque, ac sitim digito Lazari per aquam relevari postulat?

Resp. Primo.

Primo, Tertullianus libr. de Anima cap. 2. censet animam hominis esse corpoream: quare habere suam linguam, digitos & oculos. Verum hic est error: C constat enim animam hominis esse spiritalem, ac purum merumque spiritum.

Secundo.

Secundo, Hugo Ætherianus l. 2. de Regressu animarum ex inferis cap. 12. putat animas separatas habere quædam simulacra corporum & membrorum, sicut speculum habet simulacra objectorum; & hæc a Christo hic vocari membra. Sic & Joannes Huartus medicus in Examine ingeniorum, censet animas pati ignem, quia habent simulacra membrorum, indeque sensationem.

Tertio.

Verum dico Christum loqui parabolice de Epulone, quasi corpus & membra haberet: cum tamen sola anima mersus sit in infernum: voluit enim Christus integra supplicia & præmia hominum, quæ post diem judicii habituri sunt, ob oculos ponere, præsertim quia animæ supplicia non ita cognoscimus, nisi per supplicia corporis. Adde, voluit Christus congruam significare pœnam Epulonis, scilicet eum qui lingua delicata peccarat, lingua pariter puniri. Denique ignis gehennæ virtute divina sicut adurit dæmones, sic & animas hominum, uti fuse docet S. Greg. l. 4. Dial. c. 28. & sequent. Addunt nonnulli, ignem gehennæ D in anima damnati producere sensationem & cruciatum similem illi, quem haberet in corpore, verbi gratia, in lingua, si illi esset unita, idque animæ in Purgatorio, dum vivis sua tormenta quasi corporea repræsentarent, ab iis rogatæ, subinde confessæ sunt. Cur enim Deus non posset facere, ut sentiat anima sine corpore idem, vel simile, quod sentiebat in corpore, vel quod sentiret in corpore si illud haberet? Omnis enim sensatio animæ, etiam dum est in corpore, non est in corpore, sed in ipsa anima: anima enim sentit, videt, audit, non corpus. Vide dicta 2. Cor. 4. v. 16. Unde Franc. Lucas: Hoc intelligendum est, inquit, tali pœna affectam fuisse Epulonis animam, qualem sensisset, si corpori mortali igni tradito, lingua sitim passa fuisset: affligitur enim anima imaginibus rerum a corpore tractis.

Deniq; hæc omnia parabolice tantum significant extremam divitis miseriam & cruciatum; nam alioqui nec Beati damnatos juvare possunt, aut volunt, cum sciant id esse contra æternum Dei decretum; nec damnati id rogare aut petere queunt, vel audent: sciunt enim chaos magnum & impermeabile inter se & Beatos firmatum esse, ut ait Abraham v. 26. licet contrarium sentire videatur Julius Firmicus lib. de Erroribus profanarum religionum.

Porro Abraham nulla miseri divitis movetur compassione, quia voluntati & justitiæ vindictæque divinæ plane E se conformat. *Justorum beatitudinem*, ait Glossa, *non offuscat aspecta pœna reproborum; quia cum jam compassio miseriæ non erit, minuere bonorum lætitiam non valebit.* Et S. Greg. hom. 40. *Justorum anima*, inquit, *quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, jam tunc auctoris sui justitiæ conjunctæ tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur.*

ET DIXIT ILLI ABRAHAM: FILI, RECORDARE QUIA RECEPISTI BONA IN VITA TUA, ET LAZARUS SIMILITER MALA: NUNC AUTEM HIC CONSOLATUR, TU VERO CRUCIARIS. Vers. 25

FILI,] *Vide*, ait S. Chrysost. *Patriarchæ bonitatem, Filium vocat; non tamen præbet auxilium ei, qui se remedio privaret. Nam*, ut ait Nyssenus, *quia non fuit misertus, idcirco non exauditur, nec ejus vocibus misertus est Abraham, imo nec Deus.*

RECORDARE QUIA RECEPISTI] Græci addunt σύ, *tu*, ad majorem emphasin. q. d. Tu cum epulareris, noluisti recordari Lazari, nec Dei, nec cæli, nec gehennæ; at nunc recordare epularum tuarum, quæ te ad tartara duxerunt. F *Nam*, ut ait S. Greg. hic hom. 40. *ad pœnam suam ei & cognitio servatur, & memoria. Cognoscit enim Lazarum, quẽ despexit, fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit; ut de visa despecti gloria*, ait Glossa: *& de pœna inutiliter amatorum amplius torquetur.* Abraham vero cognovit epulationes divitis, vel Lazaro *id ei indicante, aut angelis, vel spiritu Dei revelante*, ait S. Augustinus lib. de Cura pro mort. c. 14. Hoc enim ad statum Abrahæ, utpote patris & patriarchæ Judæorum pertinebat.

RECEPISTI BONA] Græca addunt σὺ, id est *tua*: sic & Arabicus; scilicet terrena, quæ scilicet tu vera bona æstimabas; & quasi tua ambiebas, negligens cælestia quasi remota & a te aliena. Ita S. Greg. hom. 40. *Mali*, inquit, *in hac vita bona recipiunt. Omne enim suum gaudium, felicitatem transitoriã putant.* Secundo, *tua*, id est tuis paucis & parvis bonis operibus, quasi mercedem debita. *Significatur enim*, ait Chrysost. *divitem, si quid boni fecit, recepisse in hoc mundo.* Lazarum vero, si quid peccavit, dedisse pœnas. q. d. Tu pro paucis bonis recepisti modica hujus vitæ bona; Lazarus pro paucis peccatis recepit mala. Superest ergo, ut Lazarus pro reliquis patientiæ virtutumque bonis, deinceps consolationem æternam, tu vero pro reliquis epulationum tuarum scelebris tormenta æterna recipias. Ita S. Gregor. hom. 40. *Mala Lazari*, ait, *purgavit ignis inopia, & bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ.* G

Tertio, *tua*, q. d. Tu accepisti portionem bonorum tuorum in hac vita, ergo nil amplius expectes in futura: Lazarus vero non accepit portionem bonorum hujus vitæ, ergo ei debetur portio bonorum futuræ vitæ. Sic enim Deus sortes electorum & reproborum juste per justitiam distributivam distribuit, ut electis cœlestia & eterna bona, improbis & reprobis terrena & temporalia distribuat. Quare, qui abundat opibus, deliciis, honoribus in terra, metuat se iis privandum in cælo: qui vero in terra iis caret, eadem expectet in cælo. Id visione pulchra revelavit Christus S. Catharinæ Senensi: Obtulit ei enim duas coronas, unam auream & gemmeam, alteram spineam, jussitque alterutrã quam vellet eligere; sed hac lege, ut, si eligeret in hac vita spinecã, in futura gemmeam acciperet: sin in hac vita gemmeam, in futura spineam expectaret: mox illa spineam accepit, capitique impressit: unde jam nacta est gemmeam in cælo. Eligit Catharina Senensis spineam coronam. H

Inspice imaginem æternitatis, ubi ad palmam ducit crux, ad gladium voluptas. Imago æternitatis.

Ad hæc Abrahæ verba exclamat S. Bernardus in Declamat. *Expergiscimini ebrii, & flete: terribilis enim Deus in judiciis super filios hominum. Heccine cruciatuum causa tota, quod in hoc sæculo bona recipis? ipsa plane. Neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animadversio divina ejecisse videtur, ut alterum sibi hic paradisum adinventio humana pararet. Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quod venit in mundũ. Quid respondebit ei qui misit eum, qui instituit ut laboraret?* Perurget idipsum, & causam assignat, dum subdit: *Quid dicemus ad hæc? si talis finis, & tale judicium, ut extrema gaudii luctus occupet, numquid non præferenda sunt in hoc sæculo mala bonis? quippe, nec illa vera bona, nec illa vera mala est manifestum. Vera potius sententia Salomonis: Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.*

ET LAZARUS SIMILITER MALA] scilicet ulcera, dolores, morbos, paupertatem, famem, sitim, &c. quæ epulo & similes mundani æstimant mala, cum Lazarus & Sancti ea

Digitized by Google

A æstiment bona, quia sunt materia virtutis, felicitatis & gloriæ. Ita S. Thomas in Catena, Chrysost. & alii: unde Arabicus vertit, *Lazarus fuit in afflictionibus suis.*

NUNC AUTEM HIC CONSOLATUR (non active, sed passive, id est, consolationem & gaudium accipit) TU VERO CRUCIARIS] siti, verme, igne, aliisque tormentis inexplicabilibus & æternis, quæ in vita non cogitasti, sed cogitare & timere debuisti: quia pro palatio splendido habes tartarum, pro epulis bufones & dracones, pro odoribus fœtores, pro amicis & parasitis dæmones torrores & irrisores, pro muficis planctum horribilem, pro luce & sole tenebras cymmerias, pro purpura flammam, pro byſſo picem & sulphur, pro sociis damnatos, qui instar canum ringentes se mutuo mordent & lacerant. Denique omnes tui sensus, omnia membra, omnes animæ vires & potentiæ, quas voluptate oppleſti, jam cruciatibus sibi propriis, iisque horrendis torquentur, sine fine per omnia sæculorum sæcula.

VERS. 26 B ET IN HIS OMNIBUS (id est præter hæc omnia; Græce, *super hæc omnia*) INTER NOS ET VOS CHAOS MAGNUM FIRMATUM EST, UT HI, QUI VOLUNT HINC TRANSIRE AD VOS, NON POSSINT, NEQUE INDE HUC TRANSMEARE] *Chaos*, idem est quod confusio, miscella, incondita rerum congeries; græce est χάσμα, id est hiatus, vorago, barathrum, quod Noster apte vocat chaos: quia, ut ait Hesiodus, chaos est confusa quædam ab initio unitas, hians patensque in profundum. Ex eo & χαίνω Græco, nos hiare dicimus. Tale chaos erat initio mundi, ut ostendi Gen. 1. v. 1. Hinc patet sinum Abrahæ, id est limbum patrum, longe distare ab inferno damnatorum, qui est in centro terræ. Unde nonnulli censent utrimque interjacere Purgatorium & limbum puerorum morientium in peccato originali.

Chaos quid?

Forte etiam diviti Epuloni a Deo ad majorem ejus cruciatum per visionem imaginariam ostensus fuit sinus Abrahæ, id est locus Beatorum in cælo, ad quem paulo post mortem Christi Abraham & Lazarus cum Christo ascensuri erant. Inter cælum enim stellatum & terram est spatium octoginta millionum milliarium, uti ex Clavio ostendi Gen. 1. jam concava cæli stellati superficies a convexa ejusdem superficie, distat aliis octoginta millionibus milliarium: hæc vero convexa a cælo empyreo longe amplius distat. Inter infernum ergo situm in centro terræ, & cælum empyreum, chaos, & quasi spatium immensum & homini impermeabile interjacet. Simile & immensum interjacet chaos cruciantis semper æternitatis.

Quantum distat cælum stellatum a terra.

C

Audi S. Cyprianum, serm. de Ascens. Dom. ad finem: *Immortales*, inquit, *miseri vivent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives: nec erit qui extenuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur: & omni tormento atrocius desperatio condemnatos afflliget. Non miserebitur ultra Deus, neque tunc audiet pœnitentes: sera erit illa confessio, & cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos, ulterius non descendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris sigillari. Irregressibilis erit illa sententia, & immutabile judicium, & stabit damnationis hujus immobile constitutum.* Unde recte admonet S. Bernardus, serm. 75. in Cantica: *Ergo tu & in medio gehennæ expectato salutem, quæ jam facta est in medio terræ. Quam tibi fommias proventuram inter ardores sempiternos facultatem veniam promerendi, cum jam transiit tempus miserendi? non relinquitur tibi hostia pro peccatis, mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterum filius Dei. Mortuus est semel, non jam moritur. Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram: biberunt omnes peccatores terræ: non est quod sibi ex eo vendicent dæmones ad restinguendos focos suos, sed neque homines socii dæmoniorum.*

D

Mystice; Mystice, S. Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, per chaos hoc a Deo firmatum accipiunt immutabilem firmitatem conditionis, & separationis Beatorum a damnatis a Deo decretam & sancitam. Ex Dei enim immobili decreto fit, ut damnati in inferno quasi in carcere ferreo & obserato compacti & concluſi sint; & in æternum a Deo, cælo, angelis, Beatis, totoque mundo separati, & quasi excommunicati sint, ut nihil ab ullo consolationis accipere queant: quæ ingens est eorum pœna & extrema desolatio, & desperatio, Apocal. 20. v. 1. Matth. 5. 25. Nam alioqui animæ separatæ, cum sint puri spiritus, æque ac angeli, omne chaos, omnia sua, omnia corpora sua subtilitate penetrare & pervadere queunt. Unde S. Gregorius, hom. 4. Et ex eo interlin. *Inter divitem*, ait, *& pauperem chaos est, quia post mortem nequeunt merita mutari, ut damnati ex pœnis ad sortem Beatorum, aut vice versa.* Euthymius: *Hiatum*, inquit, *magnum dicit firmissimum Dei præceptum: tamquam ad nos domum hiatus prohibens horum & illorum commixtionem.* Titus: *Indicat discrimen, quod inter justos & peccatores intercedit: ut enim oppositæ sunt illorum voluntates & studia, ita impermutabilis quoque eorumdem est status.* S. Augustin. lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 38. *Significat receptis in carcere per incommutabilitatem divinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi a justis, etiam si velint illud præbere.*

E

Allegorice: Lazarus jacens ad januam divitis repræsentat Christum, *qui se ad aures superbissimas Judæorum* ait S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 38. *Incarnatione, humilitate dejecit, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis. Et quærens ab eis vel minima opera justitiæ, quæ suæ mensæ, hoc est suæ potestatis, per superbiam non usurparent: quæ opera misericordiæ atque humilitatis quamvis minima, etsi non disciplina, & perseverantia vitæ bona, saltem interdum vel casu facerent, sicut micæ de mensa, cadere solent. Ulcera passiones sunt Domini ex infirmitate carnis, quam pro nobis susceperе dignatus est. Canes ergo, qui ea lingebant, Gentes sunt, quos homines peccatores, & immundos dicebant Judæi: & tamen passiones Domini in Sacramentis corporis & sanguinis ejus per totum jam orbem suæ vitæ lambunt devotissima. Sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens assumptus est Dominus: quo eum portatum ab angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem, qua in secretum Patris abscessit, angeli annunciaverunt discipulis intuentibus; dicendo enim: Quid statis aspicientes in cælum? quid aliud dixerunt, nisi nullomodo posse oculos hominum usque in illud penetrare secretum, quo ibat Dominus, cum in conspectu discipulorum ferretur in cælum?*

F

Allegor.

Symbolicæ, idem S. Augustinus ibidem; *Dives epulo*, inquit, *sunt superbi Judæi, purpura & byssus est dignitas regni, epulatio est splendida jactantia legis; Lazarus, id est adjutus, Gentilis, vel publicanus, qui tanto magis adjuvantur, quanto minus de suis viribus præsumunt; canes, homines nequissimi, qui laudant opera mala, quæ in se alius gemens detestatur: quinque fratres, Judæi sub lege, quæ quinque libris scripta.*

Symbol.

G

Huc accedit S. Greg. hom. 40. *Lazarus*, ait, *est Gentilis populus; vulnerum ruptio, est peccatorum confessio, non dantur ei micæ divitis; Gentiles enim ad cognitionem legis superbi Judæi non admittebant: canes, prædicatores & doctores, qui dum instruunt, quasi vulnus manus per linguam tangunt; Abrahæ sinus, secreta requies: videt sibi Lazarum dives: infideles enim super se in requie fideles attendunt; idque a longe, quia per meritum eo non attingunt; ardent in lingua, quia verba legis in ore tenuerunt, sed non servaverunt.*

Tropol. Tropolog. S. Ambr. *Lazarus pauper*, ait, *est vir Apostolicus, pauper in verbo, locuples in fide: mica sunt dogmata fidei: dives Epulo est hæreticus, qui divitiis abundat sermonibus, linguam enim habet loquacem, sed mentem insipientem & aridam.*

VERS. 27 & 28, H ET AIT: ROGO ERGO TE PATER, UT MITTAS EUM IN DOMUM PATRIS MEI: HABEO ENIM QUINQUE FRATRES, UT TESTETUR ILLIS, NE ET IPSI VENIANT IN HUNC LOCUM TORMENTORUM.

Verisimile est hæc parabolice dici, uti de lingua, digito & oculis, quibus carent animæ separatæ, dixi v. 24. Porro parabola hæc sumpta est ex communi hominum in hac vita usu, quo fratres miseri fratribus suis cautum cupiunt, ne in eamdem vel similem miseriam incidant. Ad hoc autem hic inducitur, ut perarguat homines mundanos, qui vulgo rident, aut parvi æstimant & imminuunt pœnas inferni, eo quod inde nemo eas narraturus ad nos redierit.

MITTAS EUM] Lazarum resumpto corpore, ut, is, utpote fratribus notus, atque oculatus omnium testis, imo occasio & causa, efficacius fratres moveat ad credendum & pœnitendum. Simul significatur divitem post mortem egusse auxilio Lazari, quem in vita contempserat.

Porro quomodo animæ defunctorum viventibus appareant, vide S. Augustin. lib. de Cura pro mortuis, Delrium in Magicis sub finem, tomo 1. Petrum Thyræum de Apparit. spirituum.

UT TESTETUR ILLIS] quam graviter hic crucier ob meam epulationem. Rursum *testetur*, id est, *contestetur illos*, id est graviter moneat & quasi adjuret eos, ut ab epula-

Digitized by Google

A epulationē desistant & pœniteant, *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Quomodo potest hic dives damnatus optare salutē fratrum.

Dices, Damnati in extrema sunt desperatione, odio Dei & hominum, atque omnes, & omnia, etiam parentes & socios execrantur, nec cuipiam etiam amico, vel fratri bene volunt, quomodo ergo dives hic optat fratres suos evadere pœnas inferni? Resp. Damnati nullum bonum, puta nullum virtutis naturalis, vel supernaturalis actum, elicere volunt, aut valent ex summo odio Dei, omnisque boni, & ex desperatione; possunt tamen velle aliquod bonum naturale, v.g. ut parentibus & fratribus suis bene sit. Unde S. Chrysost. Ambros. & Theophyl. putant divitem hunc vere & sincero animo voluisse consulere fratribus; hunc enim inclinat naturalis cognatio & fratrum amor: natura enim eadem manet in damnatis, actus ergo hic est actus naturæ, non virtutis, quia in actu hoc non spectant honestatem virtutis, sive bonum honestum, sed bonum naturę dumtaxat, ut faciunt animalia suos fœtus nutriendo.

B Respondeo Secundo & melius, Epulonem non tam fratribus, quam sibi voluisse consulere; malum enim fratrum æstimabat suum: nam damnatio fratrum ejus damnationem & tormenta auxisset; utpote qui eis epulationis fuerat occasio & causa. Ita S. Greg. Lyranus, & alii. Addit Cajetanus, Epulonem ex superbia, qua tument damnati, hoc postulasse, ut ipse si non in se, certe in fratribus suis esset excelsus & beatus.

Porro *dives iste*, ait S. Ambros. *servus magister esse incipit, cum nec jam discendi tempus habeat, nec docendi.*

VERS. 29 ET AIT ILLI ABRAHAM: HABENT MOYSEN ET PROPHETAS, AUDIANT ILLOS] q. d. Habent scripta Mosis & Propheturum, quæ eis in synagoga legunt & explicant Scribæ & Pharisæi. Jam pridem enim Moses & Prophetæ erant mortui.

VERS. 30 AT ILLE DIXIT: Non (scilicet, satis est, ad eos in epulatione inveteratos convertendum: vel *non* audient Mosen & Prophetas, utpote jam mortuos) PATER ABRAHAM: SED SI QUIS EX MORTUIS (resurgens) IERIT AD EOS, POENITENTIAM AGENT.] Loquitur de suo sensu, suoque affectu & effectu: *Sicut ipse fuerat affectus*, inquit Chrysost. *sic opinionem habet & de fratribus suis.* Id quod clarius Titus declarans, scribit: *Cur dives isthæc dicit? quia ipse Prophetas nullo prorsus fructu audiverat: quæ enim ab illis prodita extabant, ea propalam contempserat, fabularumque loco habuerat. Ex quare conjecturam faciebat, suos quoque fratres ita comparatos esse. Volebat enim ita dicere: Illi nunc ratiocinantur, ut quondam ego: nempe quis inde aliquando rediit? quis ea, quæ apud inferos sunt, enarravit? Ea propter si quis ex mortuorum grege ad illos accederet, non denegarent illi fidem, verum dictis illius studiose intenderent.*

VERS. 31 AIT AUTEM (Abraham) ILLI: SI MOYSEN ET PROPHETAS NON AUDIUNT, NEQUE SI QUIS EX MORTUIS RESURREXERIT, CREDENT] Dicent enim Lazarum resuscitatum esse phantasma; vel illusionem dæmonum. S. Scriptura autem Mosis & Propheturum est divina, & sanctam habet authoritatem, summæque apud fideles (quales erant Judæi) est fidei & ponderis, juxta illud S. Petri, ep. 2. c. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucerna lucenti in caliginoso loco.* Verissimum id esse patet ex resuscitatione alterius Lazari, & Christi ipsius: utramque enim calumniati sunt Judæi, nec ob eam in Christum credere voluerunt, Lucæ 17. Simili modo Petrus, triennalis mortuus, a S. Stanislao Episcopo Cracoviensi suscitatus, ut testimonium coram Boleslao rege perhiberet, sibi ab eo venditum fuisse agrum; eo perhibito, cum multi eum interrogarent de rebus alterius sæculi, nihil respondit, nisi hoc: *Habetis Moysen & Prophetas; non ad evangelizandum, sed testificandum missus sum.* Ita habet Breviarium Polonicum die 13. Maji. Dives ergo omnium, quæ petiit, tulit repulsam, quia scriptum est: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Proverb. 21. 13.

D

Mortuus triennalis resuscitatus.

Moraliter, ex hac parabola, vel potius historia discimus. Primo, Deum distribuisse sortes hominum, ac fecisse, ut hi sint divites, illi pauperes: quisque ergo sua sorte, in qua a Deo positus est, contentus vivat, ac pauperes per fortem inopiæ tolerantiam, divites vero per largam beneficentiam succurrendo pauperibus cælum promereantur. Hac enim historia Christus vult probare id, quod dixit v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ideo enim dives ab Abraham & Lazaro non est receptus, quia non fecit eleemosynam. E

Secundo, pauperes, mendicos, ulcerosos despici non debere, sed suscipi & juvari; quia, ut ait S. Gregor. hom. 40. *Quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat*, ac sæpe *latet margarita in sterquilinio*, id est, virtus & sanctitas, latet in corruptibilitate corporis, & abjectione paupertatis. Exemplum addit S. Greg. S. Romulæ, quæ in paupertate & paralysi moriens, cum angelorum choro & concentu evecta est in cælum, additque: *Quotidie Lazarum si quærimus, invenimus quotidie Lazarum: & si non quærimus, cernimus. Ecce importune se pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certe nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogamur. Videte si negare debemus, quod petimur, quando patroni sunt qui petunt.*

S. Romula paralytica in cælum evecta.

Tertio, divites in suis divitiis non debere confidere, superbire, epulari & lascivire; utpote quæ caducæ & breves sunt, ac in morte relinquendæ: quare eis cor non apponant, sed in Deo illud figant, Deique amore in pauperes illas expendant. Plura vide apud S. Chrysost. homiliis quatuor de Lazaro in fine tomi 2. S. Gregorium hom. 40. in Evang. S. August. serm. 110. & 127. de Tempore. F

CAPUT XVII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, docet Christus cavendum esse scandalum pusillorum, dandam veniam peccanti, fidem acuendam, ut possit transferre montes. Secundo, v. 7. per parabolam, vel potius exemplum familiare, docet, us licet bona faciemus, tamen æstimemus nos servos inutiles, quia quod debuimus facere, fecimus. *Tertio, v. 11. curat decem leprosos, jubetque ut ostendant se sacerdotibus. Quarto v. 20. quærenti quando veniet regnum Dei? describit suum adventum ad judicium; aitque eum fore inopinatum, uti fuit diluvium tempore Noe, & incendium Sodomæ tempore Lot. Quare ad eum omnes sancte vivendo se comparare debere, quia ex eodem loco unus tunc assumetur, alter relinquetur.*

Primam partem audivimus, Matth. 18. v. 7. 21. & Matth. 17. 19. Quartam Matth. 24. v. 25. & seq. Superest ergo hic secunda & tertia explicando.

ET ait ad discipulos suos: Impossibile est ut non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt. VERS. 1

2. Utilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.

3. Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi. H

5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

6. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis.

7. Quis autem vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe:

8. & non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes?

9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?

10. Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.

11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam.

12. Et cum ingrederetur quoddam castel- G

Digitized by Google

A lum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe:

13. & levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri.

14. Quos ut vidit, dixit: Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.

15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, egressus est, cum magna voce magnificans Deum,

16. & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: & hic erat Samaritanus,

17. Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?

18. Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena,

19. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te salvum fecit.

B 20. Interrogatus autem a Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum observatione,

21. neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

22. Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis.

23. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini,

24. Nam, sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt, fulget: ita erit Filius hominis in die sua.

25. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac.

26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis.

27. Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes.

C

28. Similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant:

29. qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cælo, & omnes perdidit:

30. secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.

31. In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro.

32. Memores estote uxoris Lot.

33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

34. Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur:

D 35. duæ erunt molentes in unum: una assumetur, & altera relinquetur: duo in agro: unus assumetur, & alter relinquetur.

36. Respondentes dicunt illi: Ubi Domine?

37. Qui dixit illis: Unicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

VERS. 5. ET DIXERUNT APOSTOLI DOMINO: ADAUGE NOBIS FIDEM] Dixerunt hoc Apostoli, postquam non potuissent ejicere dæmonium lunaticum, idque ob parvam eorum fidem, ut ait Christus: tunc ergo majorem petiverunt, dicentes: *Adauge nobis fidem*, ut patet ex hoc loco collato cum iis, quæ dixit Matth. cap. 17. v. 19. utrobique enim Christus idem respondet, vim fidei ut grani sinapis tantam esse, ut transferat montes.

VERS. 6. DIXIT AUTEM DOMINUS: SI HABUERITIS FIDEM, SICUT GRANUM SINAPIS (quod parvum quantitate, potestate est magnum, ait Chrysostomus; insinuat ergo minimum fidei magna posse, & Beda: Fides perfecta, ait, est granum sinapis: in facie est humilis, in pectore fervens) DICETIS HUIC ARBORI (vicinæ, quam ostendebat Christus) MORO: ERADICARE, ET TRANSPLANTARE IN MARE, ET OBEDIET VOBIS] Pro *moro*, Matth. c. 17. 19. habet *monti*: utrumque ergo dixit Christus. Allegorice morus dicitur quasi μῶρος, id est stulta arbor per antiphrasin, quia arborum est sapientissima; nam non emittit flores, nisi transacto frigore, ne ab illo decutiantur. Morus ergo significat Evangelium crucis Christi, quod Gentilibus videtur stultitia, fidelibus autem est Dei virtus & sapientia, 1. Cor. 2. Unde S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. q. 39. *Dicant ergo*, inquit, *illi servi per sinapis granum huic arbori moro, hoc est ipsi Evangelio crucis Dominicæ, per poma sanguinea, tanquã vulnera in ligno pendentia, victum populis præbituræ. Dicant ergo illi ut eradicetur de perfidia Judæorũ, & in mare Gentium transferatur, atque plantetur; hæc enim domestica servitute esurienti & sitienti Domino ministrabunt.*

Morus arborum sapientissima. Unde dicta?

Sic & Beda: Morus, ait, cujus colore sanguineo fructus & virgulta rubent, est Evangelium crucis, quæ per fidem Apostolorum, de Judæis, ubi velut in stirpe generis timebatur, verbis prædicationis eradicata, & in mari Gentium plantata est. Addit Glossa: Folia mori subjecta serpenti, illi necem inferunt: sicut verbum crucis cuncta animæ noxia & venenata perimit. Ex adverso S. Ambr, Chrys. & Glossa per morum accipiunt diabolum, quem fides Christi expellit & in abyssum præcipiat. Audi S. Ambr. *Fructus ejus* (mori) *primum albet in flore, deinde jam formatus irrutilat, maturitate nigrescit. Diabolus quoque ex albenti angelicæ flore naturæ & potestate, rutilante prævaricatione dejectus, tetro inhorruit odore peccati. En tibi illum arbori moro dicentem: Eradicare, & jactare in mare; cum legionem ejicit ex homine, in porcos transire permittit; qui exagitati diabolico spiritu, se in maria demerserunt.*

Audi & S. Chrysostomum in Catena: Ut mori frondibus vermes (bombyces, ex frondibus mori nentes sericum) aluntur, sic diabolus per cogitationes ab eis exortas, alit in nobis vermen perpetuum: sed hanc morum potest fides ab animabus evellere, & in abyssum demergere.

Denique Arabic. pro *moro* vertit *sycamino*, id est sycomoro, de qua c. 19. 4. Porro Christus vim fidei extollit, ut Apostolis ejus acuendæ, & augmentum postulandi majus desiderium injiciat: volebat enim postulantibus augere fidem, qui postulandi mentem & desiderium eis injecerat. Unde & postea eis fidem adauxit, præsertim cum Spiritum sanctum in eos misit in Pentecoste. Hinc & vi excellentis fidei tam mira & tot miracula patrarunt, totumque orbem converterunt. Quare ne in tantis operibus superbiant, & vane glorientur, Christus sequenti parabola docet eos humilitatem ut dicant: Servi inutiles sumus.

VERS. 7. Parabola servi de agro colendo regressi.

QUIS AUTEM VESTRUM HABENS SERVUM ARANTEM AUT PASCENTEM (oves vel boves, uti legit S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. q. 39.) QUI REGRESSO DE AGRO DICAT ILLI, STATIM TRANSI (intra in triclinium; Arabicus, *ascende*) & RECUMBE] & accumbe mensæ, comede, vires restaura. Retundit hic Christus vanam gloriam Apostolorum, ut fide excelsa, mira & stupenda patrantes, in iis non glorientur, sed Deo, cujus est propria, omnem operum gloriam ascribant. *Jactationis affectum evellit*, ait Euthym. *qui boni operationem consequitur*. Servum, non mancipium, ut volunt hæretici, sed mercenarium, qui ultra operas pactas, vel ab hero præceptas: potest aliud servitium, ad quod non obligatur, hero impendere.

Ubi Nota, hæreticos hoc loco abuti contra bonorum operum merita; sed immerito. Nam hic servus vere mercedem diurnam ei ex pacto debitam merebatur, ut patet, sed non merebatur, ut herus ei gratias ageret; quia non solent heri servis, quibus mercedem laboris persolvunt, agere gratias: hæ enim aguntur operi gratuito & gratis præstito: agimus enim gratias pro beneficio, quod gratis nobis confertur, ergo & nos, qui servi Dei sumus, per opera a Deo præcepta, si ea præstemus, meremur vitam æternam: sicut servus mercenarius laborans per diem meretur mercedem diurnam, ut patet Marc. 9. 41. Matt. 10. 41. Apoc. 11. 18. & alibi: Licet enim opera nostra, quatenus nostra sunt, sint parvi & quasi nullius pretii; tamen quatenus manant ex gratia Christi, ideoque Christi capitis nostri sunt opera; hinc magni sunt valoris & meriti, adeoque æternam gloriam merentur, gratia enim est semen gloriæ, præsertim, quia Deus ex bonitate sua immensa operibus nostris ex gratia Christi factis, gloriam sempiternam promittere dignatus est.

VERS. 8. ET NON DICAT EI: PARA QUOD COENEM, ET PRÆCINGE TE, ET MINISTRA MIHI, DONEC MANDUCEM ET BIBAM, ET POST HÆC TU MANDUCABIS, ET BIBES.

VERS. 9. NUNQUID GRATIAM HABET SERVO ILLI, QUIA FECIT QUÆ EI IMPERAVERAT?] id est, puto quod non gratias aget servo: *Quia servo incũbit necessitas, ut faciat domini mandata*, ait Theoph.

Sic

A Sic nobis incumbit necessitas faciendi omnia, quæ præcepit Deus, & novis semper studiis augendi priora, ait Beda. Sensus ergo est, q. d. ait S. Ambr. *Sicut tu non solum dicis servo tuo: Recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis, ita nec in te patitur Dominus unius usum esse operis aut laboris, quia dum vivimus, debemus semper operari. Ergo agnosce te esse servum plurimis obsequiis deformatum. Non te præferas, quia filius Dei dixeris: agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura; neque te jactes, si bene servisti, quod facere debuisti. Obsequitur sol, obtemperat luna, serviunt angeli.*

VERS. 10 SIC ET VOS, CUM FECERITIS OMNIA, QUÆ PRÆCEPTA SUNT VOBIS, DICITE: SERVI INUTILES SUMUS, QUOD DEBUIMUS FACERE FECIMUS] *Væ enim nobis, si non fecissemus*, ait S. Bern. ser. 4. in Psal. *Qui habitat*: Sic Apostolus 1. Cor. 9. 16. ait: *Væ mihi est, si non evangelizavero*, quia Deus præcipit mihi ut evangelizem.

Cur servi inutilem se dicat is, qui aliquid meruerit?

Objiciunt hæretici: Christus hic suos fideles vocat servos inutiles, ergo ipsi suis meritis nil merentur, imo nil boni faciunt, quia nil utilitatis afferunt. Resp. antecedens esse falsum. Christus enim suos famulos non vocat inutiles, imo Matth. 25. 23. ait. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*: sed monet ut quisque fidelis se ipsum vocet servum inutilem, ad vitandam vanam gloriam, & ad majus humilitatis incrementum; æque ac meritum, ut docent S. Ambr. & S. Chrys. Theoph. Beda, & passim alii: idque hoc sensu, non ficto & simulato, sed vero & sincero; quod scilicet implendo Dei præcepta dumtaxat, nihil peculiare, nihil insigne, illustre, & eximium fecerit, sed tantum, id quod ex lege Dei facere debebat, & ad quod sub pœna peccati obligabatur. Ideo ergo inutilis est & dicitur, quia sola præcepta complevit, consilia vero & opera supererogationis omisit, ut explicat ipse Christus, dicens, *Omnia, quæ præcepta sunt, facite*; &, *Quod debuimus facere, fecimus*: ac proinde talis communem tantum observationis præceptorum mercedem, non vero eximiam illam observationis consiliorum Evangelicorum gloriam, coronam & aureolam assequitur, ut ait Paulus, cujus verba mox citabo.

B

Porro cum nos humiliter dicemus: *Servi inutiles sumus*; tunc dicet Christus; *Euge serve bone & fidelis*, &c. ait Chrys.

C

Unde S. Bern. tract. de Præcepto & dispens. longiuscule ante finem, sic explicat: *Servi inutiles sumus, quæ facere debueramus, fecimus. Ac si dicat: Si solis contenti estis præceptis, & traditionibus impositæ legis, & non sponte etiam perfectionis vos consiliis & suasionibus mancipatis, liberi quidem estis a debito, non tamen pro merito glorioso evasistis pœnam, sed non acquisistis coronam.*

Hoc est, quod Apostolus gratis evangelizans, cum posset alimenta a fidelibus exigere, 1. Cor. 9. 15. vocat gloriam suam: nam ipse subdit: *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit*, &c. *Qua ergo merces mea* (insignis & illustris) *ut Evangelium prædicans, sine sumptu* (gratis) *ponam evangelium?*

Multa Deo debemus.

Secundo, etiam Paulus, cæterique Apostoli, & Religiosi observantes, non tantum præcepta, sed & consilia Christi, vere dicere possunt: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*. Primo, quia Deo debemus animam, corpus, vitam, & quidquid habemus: quod numquam exsolvere possumus, quidquid boni agimus. Hoc enim debitum est infinitum, estque multiplex, sed maxime quadruplex. Primum est debitum creationis, ex nihilo enim a Deo creati, totum quod sumus, debemus Deo creatori. Unde Plato in Phædone ait, hominem esse unam e possessionibus Dei. Audi S. Bernardum serm. de Quadruplici debito. *Ecce*, inquit, *in januis est, qui fecit cœlum & terram, & creator tuus est, tu creatura; tu servus, ille dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus, serviendum, ne forte indignationis oculo te respiciat & despiciat, & conterat in æternum.*

D

Primo.

Secundo. Secundum est debitum emptionis & redemptionis: Christus enim nos a morte, peccato & gehenna emit & redemit pretio sanguinis sui: sumus ergo servi emptitii, imo mancipia Christi. Unde Apost. *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*, 1. Cor. 6. 20. Audi S. Bern. serm. jam citato: *Primo*, inquit, *Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua; & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres.* Addit deinde multa in hanc sententiam, quæ sic ad extremum concludit omnia: *Cum ergo ei donavero quidquid possum, nonne istud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum?* Idem Bern. tract. de Dilig. Deo, *Si totum me debeo*, ait, *pro me facto, quid addam jam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus. Nam qui me semel, & tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantum dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit; in secundo se: & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo; & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?*

E

Tertio.

Tertium est, quia in baptismo abrenunciantes sanatæ nos totos mancipavimus obsequio Christi, in eoque ipse nos regenerans, fecit homines novos & divinos, qui essent templum Dei & Spiritus sancti.

Quarto.

Quartum, quia ipse est principium & finis noster ultimus, ad quem omnes actiones dirigere debemus. Ipse enim promisit nobis cælestem felicitatem & gloriam sempiternam, quæ non est alia, quam visio & fruitio Dei. Vide Hier. Platum lib. 1. de Bono status Relig. c. 3. & 4. ubi septem titulos servitutis nostræ recenset: ob quos nos non sumus nostri juris, sed Dei & Christi.

F

Quinto.

His adde *inutiles servos* nos esse respectu Dei: Deo enim, utpote immenso, ditissimo & felicissimo, nil utilitatis afferre possumus. Unde S. Aug. in Ps. 34. *Possideat te*, inquit, *ut possideas illum. Eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet ut prosit, possidetur ut prosis. Numquid ut aliquid ei tu prosis? Nam dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Sexto.

Rursum *inutiles*, quia in multis peccamus, ac sic multa opera nostra vel negligentia vel vana gloria, vel alio vitio infecta sunt. Ad hæc actiones nostræ, si in se præcise, uti ab homine manant, spectentur, inutiles sunt ad promerendam Dei gratiam & gloriam, juxta illud Apost. 2. Cor. 4. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Ita S. Aug cujus verba mox citabo. Denique actiones nostræ omnes valoris & meriti dignitatem habent a gratia & promissione Dei, atque nobis, non Deo utiles sunt. Unde Arabicus vertit: *equidem nos servi inutiles sumus: fecimus enim quod nostra intererat.*

G

Hinc rursum pro *inutiles* græce est ἀχρεῖοι, id est inutiles, irriti, infirmi, defatigati, inepti, inhabiles, vani, nullius bonæ frugis, hebetes, nequam. *Cum bonus sit Deus*, inquit Euthymius, *servis tanquam mercenariis utitur, & servitutem eorum mercede rependit, ac debitum obsequium tanquam facinus egregium suscipit; & præmium tribuit, quod labores etiam excedat.* Similiter Cyrill. in Catena: *Sic & Deus petit quidem a nobis famulatum jure servitii, verum quia clemens & bonus est, honores laborantibus pollicetur, & supereminet subditorum subjectorum benevolentiæ magnitudo. Vincit namque bonitas ejus id quod justum & æquum est.* Hæc Cyrillus.

Id faciebant monachi Alpenses, ad quos ita scribit S. Bern. ep. 152. *Inutiles vos reputatis & humiles inventi estis. Recta facere, & inutilem se reputare, apud paucos invenitur, & ideo multi admirantur. Hoc, inquam, hoc prorsus vos de illustribus reddit illustriores, sanctiores de sanctis, & ubicumque divulgatus est sermo iste, replevit omnia odore suavitatis*, nam, ut idem ait serm. in Cant. *Humilitas tamquam nardus spargit odorem suum, amore calens, devotione vigens, opinione, redolens.*

H

Porro S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. q. 39. aliter explicat; pro *inutiles* enim vertit, *supervacui*, id est, qui expleto omni opere jam quasi vacui expectant mercedem & gloriam sempiternam, quæ omnem laborem, operumque valorem & dignitatem longe superat & transcendit. *Servi*, inquit, *supervacui sumus, quod debuimus facere, fecimus, nihil in nobis operis restat, cur sum consummavimus, agone perfecimus, superest nobis corona justitiæ: omnia enim dici possunt de illa ineffabili perfruitione virtutis: & tanto magis omnia dici possunt, quanto minus aliquid digne dici potest: nam & lux est illuminatorum, & requies exercitatorum, & patria redeuntium, & esca indigentium, & corona vincentium, & quæcumque bona temporaliter transeuntia, per creaturarum partes error appetit infidelium, veriora, & in æternum manentia, in creatore omnium simul inventura est pietas filiorum.*

Hinc infert Theoph. *Si*, inquit, *cum omnia mandata fecerimus, neque tunc debemus magnum quid sentire; quantum peccamus, cum maximam partem mandatorum non perficiamus, & nihilo minus extollimur.*

VERS. 11 ET FACTUM EST, CUM IRET (e finibus Cæsareæ Philippi aut

Digitized by Google

A aut Paneadis, ut patet Matt. 17.21.) IN JERUSALEM (ad festum Tabernaculorum, ut liquet Joan. 7.2.) TRANSIBAT PER MEDIAM SAMARIAM ET GALILÆAM] Hæ enim erant in recto itinere eunti a Cæsarea in Jerusalem, Samariæ meminit, ut suggerat rationem, quare inter decem leprosos a Christo, ut sequitur, curatos, unus fuerit Samaritanus: quia scilicet Christus transibat per Samariam, ac licet male a Samaritanis exceptus, imo hospitio exclusus in uno eorum vico, c. 9. v. 33. Samaritanum tamen curare voluit, ut pro malefitio rependeret beneficium. Vide Chronotaxin, quam Commentario huic præposui n. 38.

VERS. 12 Decem leprosi sanati. ET CUM INGREDERETUR QUODDAM CASTELLUM, OCCURRERUNT EI DECEM VIRI LEPROSI, QUI STETERUNT A LONGE] *Cum ingrederetur*, id est cum jam esset ingressurus. Leprosi enim tamquam immundi, non poterant ingredi urbes, oppida & castella, ne oppidanis suam lepram, æque ac immunditiem legalem (quæ in lege veteri contrahebatur ex contactu leprosi & immundi) afflarent, ut patet Num. 5. 2. quare ante castellum occurrerunt Christo, Ita Theoph. Simili modo videmus jam leprosos non degere in urbibus, sed ante urbes erigi eis domum in via publica, in qua habitent, & eleemosynam a transeuntibus petant. *Decem viri leprosi, quos morbi communicatio adunaverat*, ait Euthym. nam alioqui *Judæi non coutuntur Samaritanis*. Joan. 4. 9. Videntur hi decem leprosi conspirasse, ut simul Jesu occurrerent, ac communi voce sanitatem flagitarent, itaque quasi manu facta Jesu clementiam expugnarent. Porro in Judæa, æque ac in Ægypto abundant leprosi, ob ingentes regionis calores, ait Galenus.

B STETERUNT A LONGE] quasi immundi, & extra cœtum mundorum, ne eum suo halitu inficerent, ablegati.

Tropologice, lepra est concupiscentia, hæresis, & peccatum quodlibet, uti ostendi Levit. cap. 13. & 14. & Matth. 8. vers. 2.

Lepra quid? Vide Guilielmum Ader medicum lib. de Ægrotis Evangelicis parte 3. quæ est de elephantiasi, sive de lepra, ubi eam ex materia & causa efficiente sic definit: Lepra est morbus contagiosus totius corporis, sed maxime externarum partium, scilicet musculorum & cutis, ex humoris melancholici assatione, exustione, & mala qualitate proveniens. Signa ejus æquivoca & generalia, ideoque minus certa dat sexdecim. Primum, inquit, est durities & carnium tubercula. Secundum, est color tenebrosus, quem medici vocant morpheatum. Tertium, pilorum casus & decidentia. Quartum, musculorum, manus, maxime pollicis, consumptio & tabes, pollici enim tota manus innititur, nec inepte, inquit, pollice excisos indeque animosa vi cordis carentes, timidosque vocant *poletruncos*, italice *poltroni*, gallice *poltrons*. Quintum est, stupor & abolitus sensus partium extremarum. Sextum, scabies & impetigines. Septimum grandines & tubercula sub lingua, a retorrido calore humido ex humore crasso congesta, ut & illic varicosæ venæ: unde lingua intumescit. Octavum, ardor, & cutis punctura ac prurigo. Nonum, cutis crispa, qualis est anserum. Decimum, unctuosa cutis, quæ aspersam aquam cito respuit. Undecimum, infebricitatio, sive quod febre careant. Duodecimum, si sint astuti, dolosi, mendaces & furiosi. Decimum tertium, insomnia cum pavore formidolosa. Decimum quartum, pulsus exilis & creber tardusque. Decimum quintum, sanguis arenosus, luridus, plumbeus & niger. Decimum sextum, urina alba & livida, quia cruda.

Lepræ sex alia sig a univoca & propria. Sex deinde univoca & propria, ideoque certa lepræ signa affirmat. Primum, est oculorum & aurium rotunditas: corrumpitur enim pyramidalis nativa in oculo figura: carne scilicet in osse lacrymali, ad radicem nasi jacente siccitate marcida & oculorum musculis contabescentibus, quorum deformitate in orbem fastigiatur oculi figura, eademque de causa rotundantur aures, absumpta nempe pinnula. Secundum signum est in superciliis, quorum depilatione & tuberibus simiarum faciem repræsentant leprosi. Tertium, est indilatatione narium: quia nempe narium partes (quæ Rufo Ephesio alæ & pinnulæ dicuntur) exterius amplificantur & dilatantur, interius comprimuntur & subsidunt. Illud ab humorum influxu, hoc autem a carie, & interstitii narium putredine dependet. Quartum, in voce rauca, clangosa, & tubarum more sonora contingit, juxta illud:

Classica rauci sonos disclangit buccina bombos.

Quintum, est fœtor anhelitus, totiusque corporis male sapida olidaque aura. Sextum, est aspectus satyricus, horribilis, & visus ingratus. Quo signo, cum figuræ depravatione, labrorum crassitie, nasique firmitate judicarunt antiqui medici Græci confirmatos leprosos. Deinque in leproso membrorum extrema, putredine & carie exesa decidunt, omnis perit corporis nitor, protsusque humana facies transit in satyricam, ut de leproso facile dicas, quod de Satyro capto ad Apolloniam Plutarchus refert, qui ὑὸν ϛωπὸν loquebatur.

Lepra inveterata & perfecta incurabilis & exitialis. Subdit deinde lepram inveteratam & perfectam esse incurabilem & exitialem, ac hominem ad mortem deducere; moriuntur enim fatiscenti incendio, & depeculato vitæ genio, calore nempe vivifico. Ad hæc humor melancholicus, serinus & acer corpus erodit: lepræ vero recentis & inchoantis hęc sunt remedia, inquit, nitrũ, sal, helleborus, cedria, thus, iris, argentum vivum, & vinum viperinum, maxime a Galeno commendatum. Insuper melancholiæ expurgatio, diæta, id est victus ratio humori morbi contraria.

Hæc omnia & singula faciliter concionator accommodabit lepræ mysticæ, id est concupiscentiæ, peccato & hæresi, magna enim utrinq; & clara est analogia & similitudo.

ET LEVAVERUNT (extulerunt clamantes, quia longe VERS. 13 stabant, & quia valde desiderabant a lepra curari) VOCEM (unam & unanimem ex omnium ore prodeuntem) DICENTES: JESU PRÆCEPTOR MISERERE NOSTRI] ut nos morbo tam gravi & incurabili liberes, *Præceptor* hic non tam doctorem significat, quam dominum, qui servi suis præcipit & jubet ea, quæ vult: græce enim est ἐπιϛάτα, id est præfecte, præses, cujus est regere & imperare: petunt enim non ut Christus eos doceat, deque præcepta virtutis, sed ut præcipiat lepræ, jubeatque eam facessere: sic & Heb. *Rabbi* non tantum magistrum, sed & dominum virumque potentem, & primarium denotat: unde Theoph. interpretatur dominum curatorem. *Id quod est*, inquit, *putare illum prope esse Deum*. Sic Cicero l. 3. de Oratore ait, *Neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi præceptores atque dicendi*. Et Philip. 2. *Hunc tu authorem præceptorem omnium consiliorum totiusque vitæ debuisses habere*.

Porro Lucas passim Christũ vocat ἐπιϛάτα, ut patet c. 5. 5. c. 8. 24. & 45. c. 9. 33. & 49. Pro quo Matth. c. 8. 25. c. 17. 4. & alibi habet κύριε, id est domine: unde patet hæc duo idem significare, scilicet Dominum. Sic Galli, Germani, Belgæ dominos suos vocant magistros: *mon maistre, me in meister*.

QUOS UT VIDIT (& se invocantes audivit: unde Theoph. VERS. 14 loco quidem, inquit, procul stant, orationem autem propinquant; *prope est* enim *Dominus omnibus invocantibus se in veritate*, Psal. 144.) DIXIT: ITE: OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. q. d. Si ad eos eatis, mihique obediatis, certo a lepra, mea virtute & providentia curabimini. ET FACTUM EST, DUM IRENT, MUNDATI SUNT] Jussit Christus leprosos adire sacerdotes, non ut ab eis sanarentur, hoc enim erat impossibile: sed Primo, ad honorem & observantiam ordinis sacerdotalis. Secundo, quia lex jubebat leprosos si sanarentur, ostendere se sacerdotibus, ut per eos restituerentur urbi & templo, ac convictui hominum, Levit. 24. Porro habebant sacerdotes sua signa, ex quibus cognoscerent lepram esse vel non esse, qualia paulo ante recensui. Tertio, ut probaret leprosorum fidem & obedientiam: sciebant enim ipsi se esse leprosos, nec a sacerdotibus posse curari, sed tantum declarari lepram: vadunt tamen ad eos jussu Christi, certo sibi persuadentes, se hac ratione a Christo curandos esse, antequam ad sacerdotes pervenirent. Nisi enim hoc sibi persuasissent, utique ad sacerdotes non iviſſent; ibant enim, ut ab eis declararentur a lepra esse mundati. Quarto, ut Christus sacerdotes faceret testes miraculi sanationis a se facti, ut ipsi ex eo illum esse Christum agnoscerent.

Cur leprosos ad sacerdotes misit Christus?

Allegorice, voluit significare Christus mysticos leprosos, id est peccatores, in lege nova, debere adire sacerdotes, ut in sacramento Pœnitentiæ, a lepra peccati curentur & absolvantur. Sacerdotibus enim legis novæ non est probare lepram, uti fuit in lege veteri, sed probatam purgare & expiare, ait S. Chrys. l. 3. de Sacerdotio.

ET DUM IRENT] certa fide & cæca obedientia, non dijudicantes de præcepto, ait Euthymius; græce, *inter eundum*. Verisimile est, statim ut cœperunt ire, fuisse curatos, ut scirent se a Jesu curatos, unde & Samaritanus videns se curatum, illico regressus est, Jesuque gratias egit. Sic solet Deus statim remunerari promptam fidem & obedientiam.

MUNDATI SUNT] a lepra, quæ apud Judæos summa erat immunditia tam naturalis, quam legalis; præsertim quia lepra est contagiosa, ac vicinos facit leprosos & immundos.

UNUS AUTEM EX ILLIS, UT VIDIT QUIA MUNDATUS VERS. 15 EST (græce, ἰάθη, id est sanatus est,) REGRESSUS EST EX media via, reflectens iter ad Jesum suæ sanitatis auctorem,

CUM

A CUM MAGNA VOCE exaltante & jubilante, MAGNIFICANS DEUM,] qui per Jesum eum curarat.

VERS. 16 ET CECIDIT IN FACIEM ANTE PEDES EJUS. (ut profunde se humiliando summam ei reverentiam exhiberet] GRATIAS AGENS [*ei*, ut habent Græca & Syrus) ET HIC ERAT SAMARITANUS] ideoque alienus & abhorrens a Judæis, ac schismaticus, ut mirum fuerit eum solum Jesu Judæo tam impense gratias egisse; cum cæteri leprosi gente & religione Judæi Judæum Jesum, a quo curati fuerant, negligerent, nec ei gratias pro tanto beneficio agerent.

VERS. 17 RESPONDENS AUTEM JESUS DIXIT: NONNE DECEM MUNDATI SUNT? ET NOVEM UBI SUNT?] cur novem, æque ac decimus Samaritanus, ad me non redeunt, nec beneficium agnoscunt, nec mihi benefactori gratias agunt? nimirum novem hi læti de sua sanitate, pergebant a sacerdote, ut ab eis declarentur mundi, itaque convictui hominum restituerentur, toti de se, parum de Jesu gloria solliciti: sic & hodie in aulis principium multi officia & beneficia captant, illasque assidue frequentant, sese humiliant, instant, obsecrant, donec obtineant; at

B ubi obtinuerunt, ad suos quasi cum præda avolant, nec amplius comparent; quos proinde Alphonsus Aragonum rex *vultures aulæ* nuncupabat, teste Panorm. in ejus Vita.

Aulæ vultures.

VERS. 18 NON EST INVENTUS QUI REDIRET, ET DARET GLORIAM DEO (confitendo, prædicando se a Deo per Jesum curatum a lepra; quæ erat ingens gloria Dei) NISI HIC ALIENIGENA] id est, nisi hic Samaritanus, alienus agente & religione Judaica. Erant enim Samaritani gente Babylonii, Assyri, Medi, &c. a Salmanasar translati in Samariam, 4. Reg. 17. 24. Syrus, *quare separati sunt, quin redierint daturi gloriam Deo, nisi iste qui est ex populo extraneo?* Hic repræsentat Gentiles, qui credituri erant in Christum, illique gratias acturi, cum increduli Judæi eum essent spreturi. Ita videmus exteros sæpe esse gratiores indigenis, quia exteri magis admirantur exteros benefactores, ideoque eo magis colunt, quam indigenæ, qui familiares & concives suo benefactori, beneficium ab eo jure patriæ sibi debere putant. Adde, pudet eos coram cive suo se humiliare, ac suam miseriam, a qua ab illo liberati sunt, agnoscere. Jure ergo eorum ingratitudinem hic incusat Christus, ac jure

C potuisset eis beneficium sanitatis præstitum adimere, ut in suam lepram relaberentur; sed noluit, quia tanta est ejus beneficentia, ut etiam ad ingratos se extendat. Malitiam ingratitudinis acriter perstringit S. Bern. serm. 51. in Cant. *Ingratitudo*, ait, *inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorũ perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Idem serm. de septemmisericordiis: *Peremptoria res*, inquit, *est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo sapere nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodũ ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratiæ accessũ non invenit, locum non habet.*

Ingratitudinis vitium.

VERS. 19 ET AIT ILLI: SURGE, VADE: QUIA FIDES TUA TE SALVUM FECIT] *Fides*, qua credidisti me posse te sanare imo reipsa sanaturum, si mihi obediendo pergeres ad sacerdotes. Hæc enim fides cooperata est sanitati tuæ, licet ego primarius sim sanitatis tuæ auctor, tamen volui, ut ad eam quoque concurreret fides tua, quasi congrua dis-

D positio; nisi enim credidisses, non fuisses a me sanatus.

SALVUM FECIT] a lepra, tum corporis, tum animæ, id est a peccatis: quare verisimile est leprosum hunc excitatum a Deo, elicuisse actum contritionis de peccatis, ac per eum fuisse justificatum. Insuper eum reliquisse schisma & sectam Samaritanorum, ac adhæsisse veræ religioni Judæorum. Denique factum esse discipulum Jesu, ejusque baptismum recepisse; & Christianum effectum, Christi virtutem & miraculum ubique prædicasse; multosque ad eum convertisse. Ad hoc enim instigabat eum gratitudo, quæ a Christo celebratur.

VERS. 20 INTERROGATUS AUTEM A PHARISÆIS: QUANDO VENIT REGNUM DEI? (regnum Israel jam collapsum, sed a Messia erigendum) RESPONDENS EIS, DIXIT: NON VENIT REGNUM DEI CUM OBSERVATIONE] *Venit*, id est veniet, vel venire oportet. Est hebraismus; quia præsens ponitur pro futuro. Nota, quia Christus prædicabat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum;* idcirco Pharisæus hic vel discendi avidus, vel potius irridendi causa, rogat. q. d. Tu, o Jesu, prædicas tuum regnum cælorum, at quando illud veniet? quando te in eo regnantem videbimus? quando Israelem a Romanis subjugatus, per te respirantem, ac libertati redditum, felicem sub te rege vitam agere conspiciemus? Interrogant eum quando regnaturus esset, Euthymius, irridentes eum, ut qui vilis appareret: Christus tamen huic mansuete respondit, Primo breviter hoc versu & seq. Secundo fuse v. 22. usque ad finem capitis, de regno gloriæ in cælis, cui prius regnum gratiæ in terris subordinatur: per gratiam enim imus ad gloriam. Ait ergo:

E

NON VENIT REGNUM DEI CUM OBSERVATIONE] q. d. Regnum Dei & Messiæ non veniet cum prævio apparatu, nec cum pompa externa militum, equorum, curruum, ut ex illa ipsum observare, & certo præscire possitis, sicut regem certo adesse scitis, dum vitetis prævium ejus comitatum, cum quali vos regnum Messiæ venturum putatis, & jam quasi proximum observatis. Non poterit observari, ait Glossa, quia non est corporale, ut putatis; sed spirituale, quod jam incæpit. Quocirca Christus venit sine pompa, pauper & humilis, ut ostenderet regnum suum esse spirituale & divinum, non corporale & mundanum.

VERS. 21 NEQUE DICENT: ECCE HIC, AUT ECCE ILLIC, ECCE ENIM REGNUM DEI INTRA VOS EST) q. d. Non dicent: Ecce in Jerusalem est thronus regalis Christi, ecce ibi regnat in magnificentia, quasi alter Salomon; quia Christus non regnat in throno corporali, sed in anima spirituali, dum illam per gratiam suam regit & flectit ad omne bonum, sicque eam dirigit ad regnum cæleste. *Regnum enim Dei non est esca, aut potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Rom. 14. 17. malo enim hæc omnia accipere de eodem, scilicet de primo Christi adventu, quo quasi rex regnat in animis fidelium per gratiam suam; sic enim omnia melius cohærent, licet aliqui accipiant de regno gloriæ, quod erit in secundo adventu, quod hoc sensu verum est, quia scilicet regnum gratiæ Christi dirigitur, tendit & perducit ad regnum gloriæ, quod etiam corpora justorum suo fulgore, aliisque dotibus decorabit, ut ab omnibus notari & observari possit.

F

Secundo; hoc *regnum Dei intra vos est*, id est, in vestra potestate est; si videlicet Christi fidem & gratiam amplecti, illique cooperari velitis, quia, ut ait Titus, *In voluntatis arbitrio positum est accipere regnum Dei.*

G

Tertio, *regnum Dei contra vos est*, quia Christus Deus & rex, hoc regnum prædicans & largiens, inter vos versatur. Ita Theophyl. quem audi: *Omnino regnum Dei est more angelorum vivere, quando nihil mundanum in animabus nostris versatur: non enim longo tempore, neque longa peregrinatione opus est, sed prope nos est & fides, & post fidem divina vita. Istud ipsum etiam Apostolus dicebat: Prope te verbum est in ore tuo, & in corde, hoc est verbum fidei*, Rom. 10. v. 8. *credere enim, & secundum fidem ambulare, sicut dignum est vocatione, intra nos est. Itaque Pharisæi irridebant Dominum; at ipse illos in risum convertit, ostendens quod ignorent rem, quæ intra se fit, & quæ valde facilis, si qui capere velint. Nunc enim cum sim medius inter vos, potestis omnino regnum Dei capere, si creditis in me, & vultis juxta mandata mea vivere.*

VERS. 22 ET AIT AD DISCIPULOS SUOS: VENIENT DIES QUANDO DESIDERETIS (legit Interpres, ἐπιθυμήσετε, jam legunt, ἐπιθυμήσητε, id est, desiderabitis) VIDERE UNUM DIEM FILII HOMINIS, ET NON VIDEBITIS] q. d. Veniet tempus, illudque instat, quo ob fidem meam & Evangelii prædicationem, multa adversa, persecutiones, contradictiones, H quin & Novatorum errores & hæreses patiamini, quoque angustiis corporis & animi pressi, nesciatis quid solatii, vel consilii capere debeatis: quare tunc vel semel me videre, me consulere, a me doceri & consolari in tantis afflictionibus desiderabitis, sed frustra: nam postquam in cælum ascendero, non amplius comparebo in terris. Quare tunc ex iis, quæ nunc a me auditis, vos docere, solari, dirigere debetis, donec in secundo meo ad judicium adventu, ad vos, id est vestros successores redeam, eosque ab hæreticis, persecutoribus, tribulationibus omnibus liberem, & in regnum gloriæ meæ inducam. Dicit hoc Christus, tum ut prænunciet persecutiones & difficultates eis obventuras, ut contra eas se obarment, ne ex inopinato earum incursu percellantur, & animo cadant, vel a fide excidant: tum ut doceat ad regnum gloriæ non nisi per tribulationes iri: tum denique, ut moneat eos studiose audire, & notare omnia sua dicta & facta, dum præsentia ipsius fruuntur; utpote quam brevi non sint habituri, & frustra desideraturi. Ita Theophyl. Euthymius, Titus, Beda & alii.

VERS. 23 ET DICENT VOBIS: ECCE HIC, ET ECCE ILLIC (est Christus; venient enim pseudoprophetæ, mentientes se esse Christos, vel a Christo missos) NOLITE IRE,

Digitized by Google

A NEQUE SECTEMINI] illos impostores, eorumque rumores; Arabicus, *ne videatis, neque festinetis.*

VERS. 24 NAM SICUT FULGUR CORUSCANS DE SUB CÆLO; IN EA, QUÆ SUB CÆLO SUNT, FULGET; ITA ERIT FILIUS HOMINIS IN DIE SUA) Syrus, *sicut enim fulgur fulgurat è cælo, & omnia, quæ sub cælo sunt, illuminat:* q.d. Sicut fulgur subito, celerrime, publicè & manifestè ex cælo in terram delabitur & effulgurat; sic & ego subitò ac inopinatè redibo ad judicium in vallem Josaphat, cum magno splendore ac gloria, ita ut omnes me videant, & judicantem audiant. Quare tunc nulla mei observatione, vel signo aut judicio erit opus, quia omnibus in toto orbe, conspicuus & gloriosus apparebo. Hæc & sequentia audivimus Matth. 24. v. 27. & seq. ubi ea explicui.

VERS. 25 PRIMUM AUTEM OPORTET ILLUM MULTA PATI, ET REPROBARI A GENERATIONE HAC) Arabicus, *ante hoc enim recipiet passionem multam, & reprobabitur a generatione hac*; scilicet a natione hac pravorum Judæorum, ait Euthym. Dicit hoc Primo, ne Apostoli videntes eum pati & crucifigi, scandalizentur, dubitentque an ipse
B sit Christus. Secundò, ut, cum morientem discipuli cernerent, ait Beda, quem glorificandum audierant, dolorem passionis, spe promissæ clarificationis mitigarent. Tertio, ut eos prædicatione hac contrà futura adversa obarmet, q. d. ait Theophyl. Non admiremini, si evenerint vobis tam molesta, quæ vobis desiderium auferent dierum, quibus ego vobiscum sum. Nam & ego ipse, qui venturus sum, sicut fulgur, prius passurus multa, reprobandusque ero, & ita in gloriam istam veniam: atque ita hoc vobis sit extimulatio ad patientiæ virtutem; quia & vobis obveniet gloria ex periculis.

VERS. 30 SECUNDUM HÆC ERIT, QUA DIE FILIUS HOMINIS REVELABITUR] q.d. Subitus erit & inopinatus adventus meus ad judicium, uti fuit incendium Sodomæ, & diluvium Noe. *Pulchrè*, ait Beda, dicit: *Revelabitur, quia qui interim non apparens omnia videt; tunc apparens omnia judicabit*; sicut magister per cancellos videt omnia discipulorum facta in schola, nec tamen ab eis videtur, sed scholam ingrediens ab omnibus videtur, & singulorum facta castigat, vel laudat.

VERS. 32 MEMORES ESTOTE UXORIS LOT] quæ periit, quia
C retrospexit, ait S. Ambrosius, ne sciliçet, sicut ipsa contra præceptum angeli, respiciens retro ad Sodomam conflagrantem, versa est in statuam salis, sic & vos contra hæc mea monita, redeatis ad vitam sæcularem hujus mundi, itaque cum eo pereunte & conflagrante, pereatis & conflagretis. Vide dicta Gen. 19. 17. & Sapient. 10. 7. Audi S. August. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 43. *Quid significavit uxor Lot? eos, qui in tribulatione retrospiciunt, & se à spe divinæ promissionis avertunt; & ideo statua salis facta est, ut admonendo homines ne hoc faciant, tamquam condiant cor eorum, ne sint fatui.*

VERS. 34 IN ILLA NOCTE ERUNT DUO IN LECTO UNO: UNUS ASSUMETUR, ET ALTER RELINQUETUR) Ex voce *nocte* quis colligat judicium universale a Christo peragendum noctu, ad majorem hominum terrorem: sed respondeo quam v. 31. vocavit diem, hic vocat noctem. Primo, quia dies judicii plurimis, puta omnibus reprobis, erit fatalis & calamitosissima; nox autem & caligo symbolum sunt calamitatis. Secundo, quia sicut nox claudit diem
D & tempus operandi, sic & dies illa claudet tempus bene agendi & merendi, juxta illud: *Venit nox, in qua nemo operari potest.* Joan. 9. 4. Apte ergo dies judicii vocatur *nox.*

CAPUT XVIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, per parabolam viduæ, sua importunitate extorquentis ab iniquo judice justitiam, docet semper esse orandum. Secundo, v. 9. per parabolam publicani pœnitentis, ideoque justificati pro superbo Pharisæo, docet humiles exaltari, & superbos humiliari. Tertio, v. 15. benedicit infantibus. Quarto, v. 18. principii servanti præcepta Dei suadet consilia, ut, si velit esse perfectus, nudus nudum Christum sequatur. Petro deinde, qui id fecerat, poscenti mercedem, promittit plura in hoc sæculo, & in futuro vitam æternam: Quinto, v. 31. prædicit sibi instantem passionem, mortem & resurrectionem. Sexto, v. 35. juxta Jericho cæcum illuminat.

Tertiam partem audivimus Matth. 19. 13. Quartam ibid. 16. Quintam Matth. 20. 22. Sextam ibidem, v. 29. Superfunt ergo prima & secunda hic explicandæ. E

DIcebat autem & parabolam ad illos, quoniam VERS. 1.
oportet semper orare & non deficere,

2. dicens; Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.

3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo.

4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se; Et si Deum non timeo; nec hominem revereor:

5. tamen quia molesta est mihi hæc vidua; vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggilleț me.

6. Ait autem Dominus; Audite quid judex F
iniquitatis dicit:

7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis?

8. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?

9. Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, & aspernabantur ceteros, parabolam istam:

10. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisæus, & alter Publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum: raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato: decimas do omnium, quæ possideo.

13. Et Publicanus a longe stans, nolebat G
nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

15. Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos.

16. Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos; talium est regnum Dei.

17. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. H

18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?

19. Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

20. Mandata nosti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem.

21. Qui ait: Hæc omnia custodivi a juventute mea.

22. Quo audito, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

23. His ille auditis, contristatus est: quia dives erat valde.

24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt!

25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei,

26. Et

A 26. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri?

27. Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei,

30. & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

31. Assumpsit autem Jesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur:

33. & postquam flagellaverint, occident eum, B & tertia die resurget.

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans,

36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret.

38. Et clamavit, dicens: Jesu fili David miserere mei.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David miserere mei.

40. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum,

41. dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine ut videam. C

42. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit.

43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

VERS. 1. DICEBAT AUTEM ET PARABOLAM AD ILLOS (ut per illam ostendat) QUONIAM (quod) OPORTET SEMPER ORARE (*Syrus*, *ut omni tempore orarent*, sic & Arabicus) ET NON DEFICERE] Cap. præcedenti, in fine, dixerat Christus instare Apostolis & fidelibus persecutiones, & tribulationes, in quibus desideraturi essent videre Christum, ut ab eo auxilium & consilium peterent & acciperent. Nunc remedium contra omnia adversa eis suggerit, ac modum adeundi se, scilicet orationem: ipse enim orantes audit & exaudit, erudit, dirigit, roborat, &c.

D OPORTET SEMPER ORARE] Hinc hæretici, dicti Euchitæ, volebant semper orare, nec umquam manibus laborare, sed stulte. Scriptum est enim: *Si quis non vult operari, nec manducet*. 2. Thess. 3. 10. Dico ergo *Τὸ semper* hic idem esse, quod sedulo, perseveranter, diligenter, assidue, quantum per alia negotia licet, congruis temporibus, præsertim dum instat tentatio, persecutio & afflictio. Impossibile enim est, ut homo omni omnino tempore oret, nam aliquo tempore debet comedere, dormire, laborare, &c. Itaque *Τὸ semper* hic significat orationis non continuationem, sed perseverantiam: scilicet, ut opportunis temporibus vacemus orationi, nec ab ea desistamus, donec obtineamus id, quo indigemus, quodque postulamus. Unde explicans subdit: *Et non deficere*; græce, *μὴ ἐκκακεῖν*, id est, *non defatigari*. Ratio est, quia tot incurrunt quotidie difficultates & ærumnæ, ut tota vita hominis videatur esse tentatio & militia. Quare cum homo sit infirmus & impotens ad eas superandum, debet auxilium & robur per orationem assiduam poscere a Deo, ne succumbat. Quare tota quasi vita Christiani debet esse oratio.

Euchitæ volebant semper orare, nec unquam manibus laborare.

Rursum *semper*; id est, frequenter, crebro, statis Ecclesiæ horis, atque ut nil facias, nisi præmissa oratione, quodque ad Dei gloriam non referas, sic vulgo dicimus de valde studioso: Hic juvenis semper studet, id est, frequenter & diligenter studet. Ita Beda, qui & mystice addit: *Semper orat, qui semper secundum Deum operatur*. Et Glossa: *Semper orat, qui semper bene agit*. E

Porro *vult Dominus*, ait S. Chrys. *te rogando accipere quod impertiri desiderat: quanta tibi felicitas concessa est, orationibus fabulari cum Deo, quod desideras postulare? Aula & aures principum paucis patent, Dei vero omnibus volentibus*. Alludit ad Eccl. 18. 22. *Non impediaris orare semper*. Hinc & Apostolus Ephes. 6. 18. *Orantes*, inquit, *omni tempore*, & 1. Thessal. 5. 17. *Sine intermissione orate*. Vide, quæ his tribus locis annotavi. Tanta enim est orationis vis & efficacia, tanti effectus ac fructus, ut nihil sit, quod non impetret & evincat; Audi Climacum gradu 28. initio. *Oratio, si ipsius naturam seu qualitatem spectes, est familiaris conversatio & conjunctio hominis cum Deo; si autem vim seu efficaciam, mundi conservatio, Dei reconciliatio, mater lacrymarum & iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, propugnaculum adversus impetum afflictionum, bellorum oppressio & extinctio, officium angelorum, omnium spirituum alimentum, futura lætitia, actio sempiterna, virtutum scaturigo, gratiarum divinarum conciliatrix*. Nec his contentus, longe plura & majora subjicit: *Profectus spiritualis, nutrimentum animæ, mentis illustratio, securis desperationis, spei demonstratio, tristitiæ solutio, divitiæ monachorum, thesaurus solitariorum, iræ diminutio, speculum Religiosi profectus, dimensionum index, status declaratio, futurorum significatio, gloriæ futuræ indicium*. Sic de S. Cæcilia (ejus hodie Romæ festum solemne celebramus) canit Ecclesia: *Evangelium Christi semper gerebat in pectore suo, & non diebus, neque noctibus a colloquiis divinis & oratione cessabat. Cantantibus organis Cæcilia Domino decantabat dicens: Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar. Valerianus* (ejus sponsus) *in cubiculo Ceciliam cum angelo orantem invenit*. Hac jugi oratione meruit ipsa angelo dari in tutelam virginitatis, conversionem Valeriani sponsi, Tiburtii ac aliorum quadringentorum, denique glorioſum cum omnibus martyrium. Orationis elogia. F S. Cæcilia oratione quanta meruit.

DICENS: JUDEX QUIDAM ERAT IN QUADAM CIVITATE, QUI DEUM NON TIMEBAT, ET HOMINEM NON REVEREBATUR,] scilicet impius, injustus, crudelis & atheus, qui nec Dei vindictam, nec hominum obloquia metuebat, cui nec conscientia curæ erat, nec fama. Solent enim impii, qui Deum non timent, moveri pudore hominum, ne palam impia admittant, ob quæ publice vilipendantur, & scelerati ac infames habeantur. At hic nec timore Dei, nec pudore hominum movebatur, quare ad omnis malitiæ verticem pervenerat, ait Theophyl. G VERS. 2. Parabola judicis & viduæ importunæ.

VIDUA AUTEM QUÆDAM ERAT IN CIVITATE ILLA, ET VENIEBAT AD EUM, DICENS, VINDICA ME DE ADVERSARIO MEO] in lite & causa forensi. Græce, *ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου*, id est, ab eo, qui contra me litigat. *Vindica*, id est, defende jus meum, & libera meam innocentiam, justitiam, substantiam & famam, quæ injuste ab adversario meo, utpote potente, in lite opprimitur. Non enim petit vindictam, sed justitiam, ut scilicet liberetur ab injusta violentia adversarii, sibique id quod jure debetur, reddatur. VERS. 3.

ET NOLEBAT PER MULTUM TEMPUS, partim ob sævitiam & perversitatem suam, partim quia sperabat ab adversario magna munera & opes. POST HÆC AUTEM DIXIT INTRA SE: ETSI DEUM NON TIMEO, NEC HOMINEM REVEREOR: q. d. Licet iniquus sim, impudens & perfrictæ frontis; TAMEN QUIA MOLESTA EST MIHI HÆC VIDUA, VINDICABO ILLAM (illius jus ab oppressione adversarii, illudque viduæ restituam) NE IN NOVISSIMO VENIENS SUGILLET ME] Pro *in novissimo* græce est, *εἰς τέλος*, id est, *in fine*, tandem in novissimo tempore. Verum Euthymius, S. Augustinus & Beda vertunt, *in finem*, id est, continuo, assidue. *Syrus*, *omni tempore*; Arabicus, *semper*. q. d. Ne assidue veniens mihi semper sit molesta. H VERS. 4. VERS. 5.

SUGGILLET ME] Suggillo vel sugillo (utrumque enim dicitur) proprie idem est quod faciem contundo, & lividam reddo: dicitur a sugendo, quasi dicas, percutiendo succum, id est, sanguinem, humorem, & livorem & frontem, oculos & genas velut sugendo deduco. Ita Ambros. Calepinus. Hoc enim proprie significat Græcum *ὑπωπιάζω*, de quo dixi 1. Cor. 9. vers. ult. S. Isidorus vero: Sugillare, inquit, dicitur, quasi *subgulare*, id est, de gula alicujus sanguinem Sugillare quid?

Digitized by Google

A fugere, uti faciunt viperæ & vulpes, quæ gallinarum gulam & guttur demordent, ut sanguinem earum exugant.

Sugillare ergo proprie idem est, quod caput verberibus obtundere, livore faciem dehonestare, & sanguinis notis commaculare. Hinc metaphorice Primo, idem significat, quod clamoribus caput & aures obtundere, & sic multi hic accipiunt. Unde Syrus vertit, *ne mihi molestiam omni tempore exhibeat*; Arabicus, *ne semper ad molestandum me veniat*, q. d. Vindicabo jus viduæ, ne ipsa in finem sugillet me, id est, suis lamentis mihi caput obtundat, ac suis ejulatibus, quasi verberibus, assidue frontem aureſque meas feriat, flagellet, & quasi lividas reddat. Unde S. Augustin. vertit, *ne me tædio afficiat*. Audi eum l. 2. Quæst. Evang. q. 45. *Vidua assiduis interpellationibus cessit, ut eam vindicaret, ne sibi ab illa tædium fieret, nam hoc est, quod ait, Ne veniens sugillet me*. Idem ep. 121. ad Probam. c. 8. *Judicem iniquum*, ait, *sæpe interpellando flexit ad audiendum, non justitia, nec misericordia permotum, sed tædio superatum*. Sic & Beda, Euthym. Franc. Lucas & alii ex Græco: sicut ergo vidua hæc sua assiduitate & importunitate supplicandi, vicit judicem, sic eadem nos vincimus Deum. Audi S. Chrysost. l. 2. de Orando Deum, ubi hanc parabolam pulchre exaggerat: *Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio: ac minæ quidem & ultionis expectatio non commoverunt hominem ad justitiam; cæterum ubi prodiit vidua supplex, judicem ex feroci mansuetum reddidit. Quid igitur conjectandum est de benigno Deo, si judicem crudelem adeo mansuetum reddidit vidua supplicans?* Addit Chrys. Christum hic velle ostendere, summam esse orationis vim ex eo, quod etiam iniquos & immites judices flectat ad pietatem & misericordiam.

B

Secundo, *sugillare* metaphorice a corpore ad animum transfertur, & significat notam inurere, pudorem injicere, existimationem lædere, accusare; q. d. Bonam famam exuere, infamare, crimen impingere: unde Ulp. *Si famosa actio non sit*, inquit, *vel pudorem non sugillet*. Sic vulgo dicimus. Ille me sugillat, id est, accusat & infamat: unde Vat. vertit, *ne me vituperet*. Et hoc sensu videtur vertisse Noster. *Ne in novissimo veniens sugillet me*, q. d. Ne improbitate mea victa, tandem me infamet, & apud principem me accuset, itaque mihi negotium facessere non cessat, donec puniar, & potestate mea a principe priver. Licet ergo impudens hic judex nec Deum, nec homines revereretur, timebat tamen sibi, & suo magistratui, ne ab officio judicandi a principe deponeretur, ac honore & lucro suo privaretur, ideoque viduæ jus suum reddidit.

C

Trojanus Imp. an sit precium S. Gregorii salvatos?

Sic Trajanus Imp. ad bellum proficiscens, a vidua interpellatus, ut injustam cædem filii sui vindicaret, cum se id facturum respondisset, ubi e bello revertisset, a vidua audiit; *Aut jus dicito, aut Imperator esse desinito*. Quare equo descendit Trajanus, nec ante discessit, quam judicium viduæ per se ipsum perageret. Ita habet ejus vita, & ex ea Joann. Damasc. oratione pro defunctis, & Joann. Diaconus in Vita S. Greg. l. 2. c. 44. Ubi & addit, S. Gregorium hac pietate Trajani commotum, pro eo

D

oravisse, eumque pœnis inferni liberasse, quod tamen Baronius, Bellarminus & alii fabulosum putant.

Allegorice, S. Aug. l. 2. Quæst. Evangel. q. 45. Vidua, ait, est Ecclesia, quæ desolata videtur, donec Christus ejus sponsus e cælo redeat ad judicium, qui nunc in secreto curam ejus gerit: illa vero cupit vindictam, ut omnes scilicet mali pereant, aut conversione ad justitiam, aut amissa potestate, ne piis noceant.

Tropologice, Vidua est anima, ait Theophyl. quæ virum pristinum, id est, diabolum, excluſit, ob hoc ei adversantem, quod ad Deum accedat. Judex est Deus, qui neminem timet, nec hominis personam accipit. Vidua ergo est omnis anima desolata & afflicta, quæ judicem, id est Deum, orat, ut ab adversario, id est ab hostibus suis, liberetur. Verum quia incongruum, imo indignum est, ut Deus comparetur judici iniquo & impio, ut recte ex Chrysost. docet Euthym. hinc potius dicendum est Christum hic argumentari, non a comparatione & similitudine, sed a minori ad majus: q. d. Si impius judex diuturnitate precum viduæ victus est, ut injustitiam verteret in justitiam, ac viduæ jus suum tribueret, quanto magis id faciet Deus; qui justissimus est, imo ipsa justitia, vindicans omnem injustitiam? Ita S. Augustin. loco citato, Chrys. Theoph. idque mox patebit clare v. 7.

VERS. 6. AIT AUTEM DOMINUS: AUDITE QUID JUDEX INIQUITATIS DICIT;

DEUS AUTEM NON FACIET VINDICTAM ELECTORUM SUORUM, CLAMANTIUM AD SE DIE AC NOCTE, ET PATIENTIAM HABEBIT IN ILLIS?] *Deus autem* omnis justitiæ dux, ait Theop. judex & vindex. Unde David Ps. 33. 18. *Clamaverunt justi*, inquit, *& Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Hic iniquus judex*, ait S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. p. 45. *non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Dominus, quanto certiores esse debeant, qui Deum perseveranter rogant fontem justitiæ atque misericordiæ, cum apud iniquissimum judicem, usque ad effectum implendi desiderii, valuerit perseverantia deprecantis*. Unde Arabic. vertit, *audite quod dixit judex iniquitatis: Nonne ergo convenientius Deus vindicabit electos suos, qui vocant eum die ac nocte?*

E

VERS. 7

PATIENTIAM HABEBIT IN ILLIS] Græce μακροθυμῶν, id est, *longanimis* erit: puta lentus & tardus *in illis*, scilicet electis audiendis & vindicandis, q. d. Feretne Deus patienter & diu, electos suos ab impiis assidue affligi, nec eos liberabit, vel impios puniet? Minime: hoc enim alienum est a Dei paterna in suos providentia, charitate & justitia. Syrus, *& protrahet Spiritum suum in illos*. Alludit ad illud Eccli. 35. v. 21. & 22. *Oratio humiliantis se penetrat nubes*, &c. Et: *Dominus non elongabit, sed judicabit justos, & faciet judicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam*. Huic perfimilis est locus Apoc. 6. v. 18. ubi animæ occisorum pro Christo clamant ad Deum, poscentes vindictam, audiuntque ab eo, ut requiescant adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum. Vide quæ illis locis annotavi.

F

Moraliter, vide hic quanta sit dignitas, necessitas & vis orationis. *Necessitas*, ut per eam ab omnibus tentationibus & tribulationibus, quibus ubique & semper circumdamur, liberemur: quare sicut corpus indiget anima, ut vivat naturaliter; sic anima indiget oratione, ut vivat spiritualiter; & sicut homo vivere non potest sine respiratione, sic nec sine oratione; orando enim emittit spiritum desiderii ad Deum, & ab eo vicissim recipit spiritum virtutis desideratæ, perinde ac homo respirando emittit veterem halitum, & novum attrahit ac immittit. *Dignitas*, quia per orationem colloquimur cum Deo, uti faciunt angeli. *Virtus*, quia per eam omnia adversa & dura superamus.

Moraliter: Dignitas, necessitas & vis orationis.

G

Audi S. Chrys. l. 2. de Orando Deum: Oratio, ait, est caput omnis boni & vitæ æternæ conciliatrix: *Quanta dignitatis est miscere cum Deo sermonem! Oratio nos sociat angelis: Semper enim orare angelorum est opus, qui toti in Deum intenti, docent nos, dum oramus, ut humanæ naturæ obliviscamur, sed occupati mentis alacritate simul & tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in angelorum medio consistere, idemque sacrificium cum illis peragere.* Unde mox subjicit: *Quanta sapientia, quanta virtute, quantæ prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio & obsecratio? Proinde nequaquam aberravit a vero, si quis affirmet deprecationem esse causam omnis virtutis & justitiæ, neque quidquam eorum, quæ conferunt ad pietatem, venire posse ad animum, cui non adsit deprecatio & obsecratio.* Subjungit deinde: *Sicut civitas, quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium; propterea quod prorsus absit id, quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & anima non munitam precibus, diabolus facile redigit in suam ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primum quidem ad animam precibus communitam non audet proprius accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministravit, magis vegetans animum, quam cibus vegetet corpora*, & paulo post. *Uti piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio, Oratio nos constituit templa Christi.* Idem l. 1. *Sicut sol*, ait, *lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio. Proinde si cæco damnosum est non intueri solem, quanto gravius damnum est homini Christiano, si non assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat? Per quod etiam illud assequimur, ut & mortales & temporarii esse desinamus, natura quidem mortales, sed colloquio, convictuque, quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes. Necesse est enim, ut qui cum Deo familiaritatem habet, superior evadat & morte, & omnibus, quæ corruptioni sunt obnoxia.* Auct. imperfecti hom. 13. in Matth. *Sicut thymiama*, ait, *bene confectum, delectat hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum.* S. Laurentius Justinian. lib. de Ligno vitæ c. 4. de oratione: *Sicut*, ait, *certaminis bravium non*

H

VERS.

assequi-

Digitized by Google

A *assequitur, qui antequam ad metas attingat, deficit; sic orationis fructu privatur, quisquis in illa non extiteris importunus.*

VERS. 8. VERUMTAMEN FILIUS HOMINIS VENIENS, PUTAS, INVENIET FIDEM IN TERRA?] *Veniens*, ad judicium universale, quando vel maxime liberaturus est electos suos, quos omnes omni ætate & sæculo jussit esse paratos & suspensos, ac patienter expectare illum diem, ad eumque separare orando & bene vivendo. Erit enim hic dies subitus & inopinatus, instar fulguris, ut dixit cap. 17. v. 24. Dat enim causam, cur semper sit orandum, & in oratione perseverandum; quia scilicet per longam Christi absentiam, in multis fidelibus fides est defectura, ut non credant, vel certe tenuiter credant & vix cogitent eum rediturum ad judicium. Quare, ne & in vobis, o dilecti & electi mei, fides deficiat, continuo orate, ut Deus fidem in vobis conservet & adaugeat, ut orando & bene operando, vos digne ad meum secundum adventum compareris. Secundo, Christus hic dat causam, cur multi in oratione non exaudiantur, scilicet, quia fides eorum labascit, nec

B patienter in oratione perstitunt, nec longanimitate adventum Domini, ut eos deceret, præstolantur.

Fidei defectus in terra.

Tertio, Theophyl. Meriro, ait, sermoni de oratione sermonem de fide connexuit: quia omnis orationis basis ac fundamentum est fides, &c. declarans interim paucorum fore tunc orare, quoniam fides in paucis invenietur. Sic & S. August. serm. 36. de Verbis Domini secundum Lucam,

Quarto, dicit hoc Christus, ut novum det eis stimulum ad semper orandum, q. d. Sensim magis magisque fides deficit, ideo increscunt scandala & persecutiones: quare contra eas oratione assidua vos obarmate, ne iis superemini. Ita S. August. tract. 36. de Verbis Domini secundum Lucam, qui cum dixisset fidem esse fontem orationis, subdit: *Ergo ut oremus, credamus, & ut ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus: fides fundit orationem, fassa oratio fidei impetrat infirmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quid est, in tentationem intrare, nisi a fide exire? In tantum enim tentatio proficit,* C *in quantum fides deficit. Et in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.*

INVENIET FIDEM] perfectam, puta certa fiducia & charitate formatam. Hæc enim, ait S. August. loco citato, vix invenitur in terra, cum alioqui fide imperfecta, & quasi semimortua plena sit fidelium Ecclesia. Sola enim fides perfecta roborat hominem ad jugiter orandum, & fortiter omnes tribulationes superandum. Et sic explicat se Christus Matth. 24. 12. dicens: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum; qui autem perseveraverit in finem, hic salvus erit.*

Porro id maxime fiet sub finem mundi, ante adventum Christi ad judicium, cum edent & bibent homines, dabuntque se voluptatibus, non cogitantes de judicio, ut dixit Christus c. 17. 25. & seq. Ita Beda: Cum Christus, inquit, apparuerit, magna erit raritas electorum, imo tunc fides orthodoxa in multis deficiet. *Surgent* enim *pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, itant in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Matth. 24. D 24. Et ut ait S. Petrus ep. 2. c. 3. v. 3. *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes; Ubi est promissio, aut adventus ejus?* q. d. Negabunt Christum rediturum ad judicium, cum jam ejus reditus instabit; causam subdunt: *Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ:* quasi dicant; Natura mundum constituit, eadem mundi cursum eodem tenore continet, & semper perpetuabit: non ergo est Deus, qui illum incidet, non est numen, quod facta nostra judicabit & puniet.

VERS. 9. DIXIT AUTEM ET AD QUOSDAM, QUI IN SE CONFIDEBANT TAMQUAM JUSTI, ET ASPERNABANTUR CETEROS, PARABOLAM ISTAM] quæ tamen vere potuit accidere: imo sæpe accidit ut parabola hæc simul sit historia. Est hic titulus parabolæ, significans quo scopo & fine parabola indicatur; scilicet ut retundat Pharisæorum præfidentiam, jactantiam & contemptum cæterorum.

CONFIDEBANT TAMQUAM JUSTI] Græce πεποιθότες ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, id est, persuasi, & persuadentes sibi quod sunt justi.

Priori parabola Christus docuit unam orationis conditionem, scilicet perseverantiam; hic docet alteram, scilicet humilitatem: humilis enim oratio a Deo exauditur, superba respuitur, juxta illud: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur & non discedet, donec Altissimus aspiciat,* Eccli. 35. 21. Vide ibi dicta. Porro Patres hæc cum versu præcedenti, puta cum fide, ita connectunt. S. Aug. serm. 36. de Verb. Dom. Quia fides non est superborum, sed humilium, de humilitate contra superbiam parabolam subjicit. Theoph. Quia superbia, plusquam aliæ passiones vexat hominum mentes, crebrius de hac monet Glossa: Ne quis ob proximo dicta, sibi de fidei cognitione vel confessione blandiatur, ostendit a Deo non fidei verba, sed opera examinanda, inter quæ maxime regnat humilitas.

E

DUO HOMINES ASCENDERUNT IN TEMPLUM, UT ORARENT; UNUS PHARISÆUS (Pharisaica superba tumidus & turgidus) ET ALTER PUBLICANUS] humili confessione publicanum, id est peccatorem, se agnoscens, veniamque deprecans. Vide dicta Matth. 5. 46. Hinc publicani apud Judæos erant infames, ideoque a magistratibus publicis arcebantur, imo vocabantur *Parisim*, id est, latrones publici: nam, ut ait Suidas ex Jamblicho, *vita publicanorum aperta est violentia* (ob exactiones & tributa injusta) *impunita rapina, negotiatio nulla ratione constans, inverecunda mercatura.* F

VERS. 10. Parabola Pharisæi & publicani.

PHARISÆUS STANS HÆC APUD SE ORABAT: DEUS GRATIAS AGO TIBI, QUIA NON SUM SICUT CÆTERI HOMINUM, RAPTORES, INJUSTI, ADULTERI: VELUT ETIAM HIC PUBLICANUS] *Stans*. Judæi partim genuflexi orabant, partim stantes, cum longior esset oratio, sacrificium vel psalmodia: nec enim in templo sedes erant ad sedendum, nisi soli pontifici & regi, uti ostendi Ezech. 46. 2. 10 tamen *stans* additur hic, ut noret fastum Pharisæi, quod vultum erigeret in cælum, quasi cum Deo disputaturus, vel rationem meritorum suorum inituras & exacturus: nam humilis viri, ait Theoph. est & aspectu humiliari: hic autem & habitu & gestu superbus agnoscitur. Unde græce est σταθείς, id est, *consistens, erectus*, Arabicus, *Pharisæus autem stabat orando*. Stabat ergo Pharisæus superbus. Primo, quasi securus & confidens in suis meritis, quasi Deum ad judicium provocans. Secundo, stabat primus, vel inter primos, prope altare. Tertio, stabat cervice & vultu in cælum erecto & fixo, quasi illud sibi esset debitum. Publicanus vero stabat Primo, tremens & pavidus, confitens peccata sua. Secundo, stabat a longe, scilicet procul ab altari ultimus, vel inter ultimos. Tertio, vultu in terram dejecto, non audens cælum aspicere, timorem & pœnitentiam ipso situ & habitu præferens.

Nulla sedes olim in templo nisi pro pontifice & rege.

G

Hinc Allegorice Beda, Pharisæus, ait, est Judæorum populus, ex justificationibus legis extollens merita sua: publicanus est Gentilis, confitens peccata sua apud se. Hoc nonnulli cum Syro referunt ad *stans*. q. d. Stans apud se, id est, sibi innixus, sibi confisus, suis meritis insistens & incumbens. Syrus vertit, *secreto*. Melius noster *Το apud* se jungit cum *orabat*. q. d. Secum in animo & mente orabat: tumor enim in mente illum ita inflabat, ut nonnisi secum orare & loqui destinaret, coram aliis vero orare & loqui vix dignaretur. Orabat tamen more Pharisaico, voce externa, sed gravi, tumida, inflata. Unde S. Basilius in c. 2. Isaiæ, Orabat *apud se*, inquit, non apud Deum: *rediit enim ad se, cum in superbiæ crimen inciderit*. Addo *apud se*, quia Deus superbos tumide apud se orantes, seque jactantes non audit. H

ORABAT] more suo; quia revera non orabat Deum, sed seipsum laudabat. Audi S. Aug. serm. 36. de Verbis Domini secundum Lucam: *Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies; ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est non Deum rogare, sed se laudare, insuper & roganti* (Publicano) *insultare.*

GRATIAS AGO TIBI] *Non reprehenditur*, ait S. Aug. serm. 36. citato, *quod Deo gratias agebat, sed quia nihil sibi addi cupiebat. Qui dicit: ego me justum facio, pejor est Pharisæo, qui superbe se justum dicebat; sed inde Deo gratias agebat.*

Audi S. Bern. tract. de Grad. humil. *Gratias agit, non quia bonus, sed quia solus; non tam de bonis, quæ habet, quam de malis, quæ in aliis vidit. Nondum de suo trabem ejecerat, & festucas in oculis fratrum enumerat. Nam subdit: Injusti, raptores*, &c. Vide eumdem serm. 13. in Cant. ubi docet gratiarum actionem superbam & fictam displicere Deo.

QUIA NON SUM SICUT CÆTERI HOMINUM] *Diceret saltem*, ait S. Aug. *Non sum sicut multi homines. Quid est,*

Digitized by Google

A *est, Sicut cæteri homines, nisi omnes homines, præter ipsum? Ego*, inquit, *justus sum, cæteri peccatores*. q.d. Ego solus sum justus, cæteri omnes sunt scelerati. Superbus enim, ut se summe extollat, summe alios contemnit & deprimit. Hæc est ejus φιλαυτία, qua ita sibi placuit, ut alii omnes displiceant.

Quatuor species superbiæ. S. Greg. l. 23. Mor. c. 7. in hoc Pharisæo notat quatuor species superbiæ. Prima est, cum quis bonum, v. g. virtutem, a se habere putat: Secunda, cum suis meritis illud tribuit: Tertia, cum putat se habere id quod non habet: Quarta, cum quis vult esse singularis, ideoque alios despicit & vituperat: harum tres ultimæ in hac superba & ficta Pharisæi justitia clare elucent. Prima quoque in eo fuit, quia virtutem suam non Deo, sed suo labori adscribebat, dicebatque cum Ethnico illo de Deo.

Det vires, det opes, animum mihi ego ipse parabo. Omnino enim, ait Theophyl. *si credidisset, quod per gratiam* (Dei) *haberet aliena bona, non contempsisset alios, considerans quod etiam ipse nudus esset, quantum ad suam virtutem attinebat.*

B VELUT ETIAM HIC PUBLICANUS] Ecce ex vicino publicano major est Pharisæo tumoris occasio, ait ex Aug. Interlin. Syrus, *neque sicut hic publicanus*; supple, Sum publicus peccator. Ex superbia temere & falso judicat publicanum esse sceleratum, cum tamen ille jam esset pœnitens & justificatus. Peccat ergo Primo, judicio temerario. Secundo, contemptu publicani: Tertio, convicio & contumelia: exprobrat enim publicano sua peccata. Audi S. Chrysost. in Catena: Non satiaverat ejus contemptum tota humana natura, sed & publicanum aggressus est: Multa autem mala facit, qui aliis conviciatur: Primo, audientem reddit pejorem; si enim peccator est, lætatur invento criminis collega: si justus, extollitur, de se magna putans. Secundo, Ecclesiæ communitatem lædit: hanc enim vituperant qui eum audiunt. Tertio, Deum blasphemari facit. Quarto, illum cui conviciatur, impudentiorem facit, & sibi adversarium. Quinto, se statuit pœnæ obnoxium.

Peccata Pharisæi.

Multa mala facit qui aliis conviciatur.

Audi S. Bernard. tract. de Gradib. humil. *Pharisæus dum*
C *in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat. David autem aliter; ait enim: Omnis homo mendax. Neminem excipit ne quem decipiat, sciens quia omnes peccaverunt, & omnes egent gloria Dei: Pharisæus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat. Propheta se non excipit a communi miseria, ne excipiatur a misericordia: Pharisæus exsufflat misericordiam, dum dissimulat miseriam. Propheta affirmat tam de omnibus, quam de se, Omnis homo mendax: Pharisæus confirmat de omnibus præter se: Non sum, inquiens, sicut cæteri hominum.*

VERS. 12 JEJUNO BIS IN SABBATHO] id est, in hebdomade. Est synecdoche: a potiori enim die tota hebdomas vocatur *sabbatum*. Unde Arabicus, *jejuno duobus diebus in omni hebdomade*. Theoph. asserit Pharisæos jejunare solitos feria secunda & quinta, sed nullum hujus rei citat authorem.

Sabbatum pro hebdomade.

DECIMAS DO OMNIUM QUÆ POSSIDEO] q. d. Non solum do decimas fructuum terræ, quas lex præscribit, sed & majoris & spontaneæ religionis studio, do decimas omnium omnino rerum, ut carnium, ovorum, piscium, &c. ad quas lege non teneor: Taxaverat hic Pharisæus exteros homines, quasi adulteros & injustos, quasi ipse solus esset castus & justus: castum esse se probat per jejunium, quod est mater castitatis; justum, per decimas omnium.
D *Contra adulterium*, ait Theophyl. *gloriatur de jejunio: e deliciis enim petulantia. Contra rapinam vero & injustitiam, profert dationem decimarum omnium, quæ possidebat: Tantum, inquiens, contrarius sum rapinæ & injustitiæ, ut etiam quæ mea sunt expendam.* Sic & S. Ephrem in Catena.

Moraliter observat hic S. Greg. hom. 7. in Ezech. *Pharisæus*, ait, *qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi pene per circuitum suæ civitatis custodia vigilavit: sed quia unum in se foramen superbiæ non attendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit.* Idem Greg. in ps. 2. pœnitent. *In Pharisæi*, ait, *spiritu dolus fuit, qui magis videri, quam esse justus optavit. Dum ergo ea, quæ clamare debuerat, tacuit; miser, quod sibi tacendum esset, clamavit. Et per superbiam, si qua in eo fuerant, minuit merita, qui humiliari contemnens, adauxit peccata.*

VERS. 13 ET PUBLICANUS A LONGE STANS, NOLEBAT NEC OCULOS AD CÆLUM LEVARE: SED PERCUTIEBAT PECTUS SUUM DICENS; DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI] Publicanus contumeliam sibi a Pharisæo illatam dissimulat, imo agnoscit, confitetur, & pœnitens veniam postulat, ideoque præ Pharisæo justificatur. Audi S. Chrysost. hom. de David & Saule tom. 5. *At publicanus procul stans, non regessit contumeliam, neque vicissim dicit convicium, non protulit ista vulgaria: Tune audes mea facta reprehendere? an non sum te melior? referam tua peccata, faxoque ne umquam in hac sacra conscendas atria.* Et post nonnulla: *Accepit probrum, & abluit probrum; agnovit peccata, & deposuit peccata; & criminum accusatio facta est illi criminum remissio, & hostis insciens factus est beneficus: quot labores erant publicano subeundi, jejunando, humi dormiendo, & vigilando, bona sua egenis impertiendo, longo tempore in sacco & cinere sedendo, ut illa tam multa peccata posset deponere? At nunc cum nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem, ac probra conviciaque Pharisæi, qui videbatur illum contumelia afficere, pepererunt justitiæ coronam; idque sine sudoribus, sine laboribus, & absque longi temporis mora.*

A LONGE STANS] longe ab altari & Sancto, quia se eo ob peccata indignum censebat: non ita tamen longe, quin Pharisæus illum ostendere, & ille Pharisæum audire posset. *Cordis conscientia eum removebat*, ait S. Aug. *pietas applicabat.*

NOLEBAT (non audebat ex verecundia, humilitate & reverentia) NEC (vel) OCULOS AD CÆLUM LEVARE] quasi se indignum æstimans, qui cælum, ubi Deus gloriosus (quem peccatis suis offenderat) residet, aspiceret; quare demissis in terram oculis, sese humiliabat. Ita S. Cyrillus in Catena. Rursum *ad cœlum*, id est, sursum, puta ad Sanctum sanctorum, ubi Deus super propitiatorium & Cherubim sedebat: hoc enim situm erat in altiore loco montis Sion, atria vero, in quibus orabant laici, sita erant in loco montis decliviore. Ita Franc. Lucas.

Causam dat Theophyl. quod se indignum censeret superna visione, qui se in terram dejecerat, & maluerat terrena bona aspectare & quærere. Finalem causam dat S. Augustinus, *Ut aspiceretur* (a Deo) inquit, *non aspiciebat, respicere sursum non audebat: premebat conscientia, spes sublevabat.* Rursum hoc gestu significat se in familiam G cælestem peccasse, hoc est, in angelos, quorum inspirationibus restitit: in Sanctos, quorum preces defraudavit; in Deum ipsum, cujus præcepta violavit.

SED PERCUTIEBAT PECTUS SUUM] in quo erat cor, id est, voluntas, quæ omnium peccatorum sibi fuerat origo & causa: hanc ergo percutit & verberat, quasi ream, ut ab eo pœnas exigat, utque se propter eam plagis dignum ostendat, ait Euthymius; cor quodammodo pungens & excitans, ait Theophyl. Tunsio ergo pectoris signum est pœnitentiæ & cordis contriti. Unde hic fuit gestus olim confitentis & pœnitentis, ac etiamnum est. Hæc etiam Christianorum vetus & moderna est consuetudo, ut pectus noxium tundant. Audi S. Aug. serm. 8. de Verbis Domini secundum Matthæum: *In hoc ipso quod sonuit: Confiteor, pectora vestra tundistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis? nisi quia audistis, Confiteor tibi Pater?* Et inferius: *Ergo in confessione sui accusatio, Dei est laudatio.* Confitemur H enim nos reos, Deum vero esse innocentem, justum & pium, ideoque ab eo veniam poscimus. Tundit ergo pœnitens pectus, ut peccatum extundat & expellat.

Tunsio pectoris signum est pœnitentiæ.

Tunsio pectoris igitur Primo, est symbolum confessionis peccati, quo scilicet confitens fereatur peccati sui causam non esse aliam, quam cor, appetitum & voluntatem suam in pectore latentem. Secundo, eadem symbolum est contritionis, indicat enim cor esse contusum & contritum. Tertio, eadem symbolum est satisfactionis & vindictæ: percutit enim pectus, ut illud reum affligat & puniat. *Pœnas a seipso exigebat*, ait S. Aug. serm. 36. de Verbis Domini secundum Lucam, *& ideo Dominus confitenti parcebat.* Quocirca Isidorus Pelusiota in Catena: *Omnis*, ait, *qui propter peccata pectus percutit, Deum in tympano & choro laudare dicitur. Qui enim pectus & viscera sua compunctione percutit, & flebilium sermonum chorum adjungens, Pœnitentiæ calamum in pyxidem mœroris lacrymarum nocturnarum intingit, merte Christi pro peccatoribus suscepta, non frustrabitur.*

Brevis publicani oratio, sed succulenta & efficax.

DICENS: DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI] Brevis oratio, sed succulenta, sincera & efficax; q. d. Fateor, o Domine, me magnum esse peccatorem, & ideoque

Digitized by Google

A leoque ex intimo corde, quod peccatis meis graviſſime quam majeſtatem offenderim; ideo non aliud cogito, niſi peccata mea, quæ ſumme deteſtor; nec aliud a te peto, niſi ut ea mihi condones, gratiamque me emendandi, & pœnitentiam ſeriam jugemque agendi largiaris. Ego enim me ſolum peccatorem ſummum eſſe æſtimo & confiteor: unde mihi ſoli ignoſci peto, nec de aliis, utpote me melioribus, cogito aut precor. Unde Arabicus vertit, *parce mihi, quia peccator ſum*; non dicit, Peccans, ſed, Peccator, quia non ſemel, ſed ſæpius peccaverat, quaſi ex arte & habitu peccandi, atque a conceptione & nativitate, peccatum primorum parentum contraxerat. *Mihi*, q. d. Non fortunæ, non ſociis, non aſtris, non dæmoni, ſed mihi omne peccatum, omnem culpam aſcribo.

VERS. 14 DICO VOBIS: DESCENDIT HIC JUSTIFICATUS IN DOMUM SUAM AB ILLO] id eſt, præ illo. Græce, παρ' ἐκεῖνον, id eſt, *ab illo*, alii legunt, παρ' ἐκεῖνον, id eſt, *ad illum*, ſcilicet collatus & comparatus. Jam plerique codices legunt, ἢ γὰρ ἐκεῖνος, id eſt, *quam enim ille*. Syrus, *magis*, vel *potius quam ille*, ſic quoque legit S. Auguſt. ep. 86. ad

B Caſulanum, & alibi; quia ſcilicet publicanus per veram humilitatem & pœnitentiam fuit juſtificatus, Phariſæus vero per ſuam fictam & ſuperbam orationem magis peccatis fuit inquinatus. Unde Euthym. *ab illo* interpretatur, *non ille*; eſt hebraiſmus; Hebræi enim מן *min*, id eſt *ab*, uſurpant pro gradu comparativo, quem ſæpe adhibent, cum unum alteri præponunt, ſive per gradum boni melioris, ſive per illius in uno affirmationem, & in altero negationem. Senſus ergo eſt, q. d. Publicanus juſtior Phariſæo domum rediit, qui eo injuſtior venerat in templum: juſtior, inquam, comparatione, non directa & ſimplici, ſed indirecta & negativa, quia ſcilicet ipſe juſtus, Phariſæus vero injuſtus, imo injuſtior quam venerat, domum rediit, *Nam*, ut ait Euth. *Qui ſeſe adeo juſtificaverat, a Deo condemnatus eſt; & qui ſe adeo condemnaverat, juſtificatus eſt*. Et S. Paul. ep. 58. *Quod juſtitia edificabat*, inquit, *ſuperbia deſtruebat*, &c. *Ille in corde contrito, ſui*

C *accuſator accipitur, & obtinet veniam de confeſſis peccatis, propter gradum humilitatis, ſancto illo Phariſeo (quales Judæi ſancti ſunt) reportante ſarcinam peccatorum dejectantia ſanctitatis*. Et S. Bern. ſerm. 3. de Annunc. *Phariſæus vacuus rediit, quia plenitudinem ſimulavit. Nam publicanus, qui exinanivit ſeipſum, qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem*. Audi S. Auguſt. ſerm. 36. de Verbis Domini ſecundum Lucam: *Quid miraris, ſi Deus ignoſcit, quando ipſe agnoſcit? a longe ſtabat, ſed eum Dominus de prope attendebat: excelſus enim Dominus humilia reſpicit: tremebat conſcientia, ſpes ſublevabat, percutiens pectus pœnas de ſe exigebat; ideo Dominus confitenti parcebat*. Et Chryſoſt. *Conjunctam cum ſuperbia juſtitiam ſuperat humilitas cum peccato; ſuperbia enim facile juſtitiam deprimit, at humilitas peccati pondus ſuperat*.

n illitatis ia. QUIA OMNIS QUI SE EXALTAT, HUMILIABITUR; (uti a Deo humiliatus & rejectus fuit ſuperbus Phariſæus) ET OMNIS QUI SE HUMILIAT, EXALTABITUR] uti ad Dei gratiam, ac adoptionem regni cælorum exaltatus fuit humilis publicanus. Ita Theophyl. *Omnis*, inquit, *qui ſe exaltat, humiliabitur, Deo illum condemnante, qui autem ſe condemnando humiliat, exaltabitur a Deo juſtificante*. Hic ergo impletur illud Salomonis: *Ante ruinam exaltabitur cor, & ante gloriam humiliabitur*, ait Interlin. Vere S. Chryſoſt. *Humilitas*, ait, *latronem ante Apoſtolos in paradiſum duxit: quod ſi humilitas juxta delicta tantum poteſt, quid poterit juſtitiæ conjuncta? & ſi faſtus conjunctus juſtitiæ poteſt deprimere, quid faciet conjunctus peccato?* Et Optatus Milevitanus lib. 2. Contra Donat. *Melioribus*, ait, *ſunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum ſuperbia*. S. Baſil. hom. de humilit. *Phariſæus*, ait, *juſtificationem amiſit per ſuperbiam, mercedem perdidit per confidentiam, temerarius infra humilem & peccatorem factus eſt, ſeipſum ſuper ipſum extollens, & non Dei judicium expectans, ſed ſuum ipſius proferens*.

Iterum S. Chryſoſt. hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura, in Phariſæo & publicano duplicem nos jubet considerare bigam, *quarum ſub altera*, inquit, *virtus juncta ſuperbiæ, ſub altera peccatum cum humilitate: videbigam illam peccati virtute facile anteire, palmam victoriæ celerioris obtinere, non peccati pernicitate, ſed data humilitatis facultate. Contra bigam alteram retardari & vinci, non imbecillitate virtutis, ſed nolle ac pondere. Ut enim humilitas præ ſumma ſua excellentia peccati ſuperat pondus, atque in cælum pervenit: ſic ſuperbia præ nimio ſuo pondere, ac intolerabili onere ſuæ molis prævalet, adeo ut etiam leviſſimam illam, & ſupernam virtutem vincat, deorſumque verſus facile detrahat*. Idem hom. 15. & 45. in Matth. *Sive orationem, ſive jejunium, ſive miſericordiam, ſive pudicitiam, ſive aliud quid bonorum abſque humilitate congreges, ſtatim cuncta diffluunt, cunctaque depereunt. Quod etiam Phariſæo accidit, qui cum ad ipſum virtutis cacumen aſcendiſſet, amittens ſimul univerſa deſcendit: quia ſcilicet non habuit matrem bonorum: ſicut enim ſuperbia omnium malorum fons eſt, ita humilitas cunctarum origo virtutum*. Hucuſque Chryſoſt. S. Bernardus ſerm. 13. in Cant. *Magna*, inquit, *& rara virtus profecto eſt, ut magna licet operantem, magnum te noſcias, & manifeſtam omnibus tuam te ſolum latere ſanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera famulus es, ſi te multa gloria domini tui, etſi non exeunte extra, tamen tranſeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat*. Idem S. Bernardus ſcripſit ſermonem integrum in F hæc Chriſti verba; *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur*. Denique præclare S. Leo ad Dioſcorum: *Tota*, ait, *Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit, quam Dominus Jeſus ab utero matris uſque ad ſuppliciū crucis omni foeditudine elegit & docuit*. Plura hac de re dixi Eccl. c. 10. in fin. VERS. 15

AFFERABANT AUTEM AD ILLUM ET INFANTES, UT EOS TANGERET] & tangendo benediceret. Doctrinam humilitatis Chriſtus ſuo confirmat exemplo. Unde Gloſſa: *Humili*, inquit, *magiſtro offeruntur infantes, ut oſtendatur innocens & ſimplex ætas ad gratiam pertinere*.

SINITE PUEROS VENIRE AD ME, &c. TALIUM EST ENIM REGNUM DEI] Arabicus, *quia regnum Dei eſt eorum, qui ſimiles ſunt eis*, non in infantia, ſed in innocentia, ſimplicitate, humilitate, &c. Unde Beda: *Non dicit, illorum, ſed talium, mores deſignans, non ætatem*. Et S. Amb. *Non puerilia, ſed æmula puerilis ſimplicitatis bonitas deſignatur: non enim eſt virtus non poſſe peccare, ſed* G *nolle*. Cætera explicui Matth. 19. 13. & ſeq. VERS. 16

FACTUM EST AUTEM, CUM APPROPINQUARET JERICHO, CÆCUS QUIDAM SEDEBAT] De hoc cæco a Chriſto illuminato dixi Matth. 20. 19. VERS. 35

CAPUT XIX.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Chriſtus ingrediens domum Zachæi, illi affert ſalutem. Secundo, v. 12. dat parabolam viri nobilis, qui ſuas mnas inter ſervos diſtribuit, ab eiſque earum lucrum repoſcit. Tertio, v. 29. in die palmarum Jeruſalem cum triumpho & acclamatione Hoſanna, *quaſi Meſſias rex ingreditur, ejuſque excidium per Titum prævidens deflet*.

ET ingreſſus perambulabat Jericho. VERS. 1.

2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipſe dives: H

3. & quærebat videre Jeſum, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat.

4. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum ut videret eum: quia inde erat tranſiturus.

5. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

6. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.

7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertiſſet.

8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9. Ait Jeſus ad eum: Quia hodie ſalus domui

Digitized by Google

mui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ.

10. Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.

11. Hæc illis audientibus adjiciens, dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem: & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur.

12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.

13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.

14. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.

15. Et factum est ut rediret accepto regno: & B jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit.

17. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates.

20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario:

21. timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.

22. Dicit ei: De ore tuo te judico serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, C tollens quod non posui, & metens quod non seminavi:

23. & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?

24. Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.

26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc: & interficite ante me.

28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam.

29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam ad montem qui vo- D catur Oliveti, misit duos discipulos suos,

30. dicens: Ite in castellum, quod contra est: in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit: solvite illum, & adducite.

31. Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat.

32. Abierunt autem qui missi erant: & invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvitis pullum?

34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.

35. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.

36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

37. Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, E

38. dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.

39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.

40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens:

42. Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te undique:

44. & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. F

45. Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes,

46. dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere,

48. & non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

ET INGRESSUS PERAMBULABAT JERICHO] Alludit, VERS. 1 pergitque in narratione itineris Jesu: de eo enim dixit cap. præced. v. 35. *Factum est autem, cum appropinquaret Jericho*, &c. Christus enim juxta Jericho illuminavit cæcum, mox in ipsa Jericho Zachæum convertit: nullus enim locus, nullum iter, nullum temporis momentum Christi fuit otiosum; sed omnia heroicis signata virtutibus, beneficiis & miraculis, ut nos idem facere doceret. G

ET ECCE VIR NOMINE ZACHÆUS] Hoc nomen fuit VERS. 2 quasi omen futuræ justificationis & purificationis. *Zachæus* enim hebr. idem est quod *purus*, limpidus, justus. Zacheus, id est, purus.

PRINCEPS PUBLICANORUM] qui scilicet sub se habebat plures publicanos, id est, exactores vectigalium, quæ Romani & Tiberius Cæsar Judæis invitis imposuerant. Unde publicani Judæis erant invisi & infames, ac בריונים *parisim*, id est latrones, vocabantur. Hebr. hic princeps vocabatur *Gabba* (unde nomen *Gabella*) & publicani vocabantur *Gabbaim*, teste Angelo Caninio in Nomin. Hebraicis novi Testamenti. Publicani vocabantur latrones. Gabella unde dicta?

ET IPSE DIVES] Solent enim principes publicanorum eligi non nisi divites, ut magnas pecuniæ summas principi dum indiget, prænumerare possint, ac defectus publicanorum sibi subditorum, in multis supplere. Addit hoc Lucas, ut magis Christi gratiam, & Zachæi virtutem illustret; quod scilicet opes amplas quas habebat, vocatione & amore Christi reliquerit, & in pauperes distribuerit.

ET QUÆREBAT VIDERE (Arabicus, *intelligere*) JESUM, QUIS ESSET] q. d. Laborabat & satagebat, ut Jesu personam de facie nosset, quem ex fama virtutum & miraculorum, tam celebrem audiverat. Cupimus enim viros fama celebres videre, & ex facie nosse. Sed Zachæus præter naturale desiderium, agebatur etiam supernaturali, ex impulsu Spiritus sancti, desiderans videlicet videre Jesum, ut ab eo a peccatis absolveretur, justificaretur & sanctificaretur. *Cupit*, ait S. Chrysost. hom. de Zachæo, *nosse aspectu, quem intuitus fuerat sensu; videre facie quem viderat mente; contemplari præsentem, quem numquam viderat operantem: ut amor Christi Zachæi corde conceptus, etiam oculorum usibus saginaretur.* H VERS. 3

ET NON POTERAT PRÆ TURBA, QUIA STATURA PUSILLUS ERAT:] sed animo celsus. Parvi enim, teste Aristotele in Physiognom. solent esse magnanimi, quia virtus animi in parvo corpore contracta stringitur & acuitur, quæ in magno dispergitur. Unde illud: Parvi sunt et magnanimi.

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Unde multi heroum & Sanctorũ fuerunt statura parvi; uti ostendi Zach. 4. v. 10. & Eccl. 11. v. 2. ad illa: *Brevis in volatilibus apis; & initiũ dulcoris habet fructus ipsius.* In minimis enim maxime elucet sũma Dei majestas, vis & magnitudo.

PRÆ

A PRÆ TURBA] Turba, inquit S. Cyrillus, est imperitiæ multitudinis confusio, quam transcendere oportet, si velis Christum aspicere,

VERS. 4. ET PRÆCURRENS ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORUM ; UT VIDERET EUM ; QUIA INDE (illac) ERAT TRANSITURUS] Quæres, quæ & qualis est arbor sycomorus ; vel, ut Græci nonnulli inverunt *morosycus* : hebr. vocatur *sicina*, indeque a Septuag. & Theodor. Amos 7. v. 14. vocatur *sycaminus*. Respond. illam frequentem esse in Judæa, ut patet 3. Reg. 10. 27. & Amos c. 7. atque esse illam quæ a Plinio l. 13. c. 7. dicitur ficus Ægyptia, ac ab Aquila & Symmacho Amos c. 7. ac Dioscoride lib. de Materia medicinali, c. 144. græce appellatur *sycomorus*, id est, ficus fatua, seu insipida, sed a Theophrasto lib. 4. de Plantis, c. 2. & aliis, dicitur sycomorus, quasi ficus morus, quia scilicet fructus habet similes ficui, folia vero similia moro. Unde Lucas hic in Græco eam vocat *συκομωραία* : *μωραία* autem proprie est morus arbor,

Sycomorus quænam arbor?

Hinc patet Primo, sycomorum aliam esse arborem a caprifico (id liquet ex Dioscoride loco jam citato ;) est tamen illa huic similis. Unde Theophy. & Euth. hic pro *sycomorum* legunt *caprificum*. Patet Secundo, sycomorum græce scribi in penultima tam per *omicron*, quam per *omega*, adeoque illam habere communem, id est, tam brevem, quam longam ; tum quia *μῶρος*, id est, fatuus, scribitur per *ω*, tum quia morus arbor græce scribitur tam per *ω*, quam per *o*, ut patet ex Lexico Hesychii & cæterorum, atque ex Luca hic. Unde Poeta :

B *Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,*

ubi *o* in *moro* quasi *ω* longum facit, Idque liquet ex etymo. Dicta est enim arbor *morus*, non a Latino *mora*, ut aliqui volunt (*mora* enim non potest esse etymon Græci *μωραία*,) sed a Græco *μῶρος*, id est fatuus, per antiphrasim, quasi minime fatua ; sicut Thomas Morus Angliæ Cancellarius, Anglorum fuit sapientissimus. Est enim morus arborum prudentissima, ut ait Plinius l. 16. 25. quia lædi se a frigore non sinit, nec nisi plane eo peracto germen emittit ; sed dum incipit, in tantum germinatio erumpit, ut una nocte eam peragat, etiam cum strepitu ; licet alii morum nuncupatam putent, eo quod fructus nigros producat : *μῶρον* enim est nigrum, unde Mauri vocantur nigri. Hinc etiam Horatius, lib. 2. Serm. 3. satyra 4.

Mori etymon.

Thomas Morus Angliæ Cancellarius.

Morus arborum prudentissima.

C — *Ille salubres*
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet.

Mystice. Mystice, sycomorus est crux Christi, ejusque doctrina, quæ Gentibus & terrenis hominibus visa est fatua, meraque stultitia, sed Zachæo & fidelibus visa fuit sapientia & virtus Dei, 1. Cor. 2. Hinc & arbor vetita, e qua Adam comedens, se & posteros perdidit, a multis putatur fuisse ficus, uti dixi Genes. 2. 9. Fuit utique ficus, ac fatua, quia sub modico melle & dulcedine, continuit fel & amaritiem peccati, mortis & gehennæ, quam proinde Christus expiare debuit felle & amaritie crucis & passionis suæ. Hinc *μόρος* Græcis non tantum arborem morum, sed & cruciatum, mortem & cædem significat.

Tropol. Tropologice, sycomorus docet nos amplecti illa quæ stulta sunt mundo, ut sapiamus Deo. Audi S. Greg. l. 27. Moral. in fine : *Relinquamus noxiam sapientiam, ut discamus laudabilem fatuitatem*, &c. *Pusillus Zacheus sycomorum subjit, & Dominum vidit ; quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba prepedit, quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum secularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si providearn, quæ divinitus præcipitur, stultitiam mente tenemus.* Particulatim deinde idipsum explicat : *Quid enim in hoc mundo stultius, quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere ; imo & adjunctis aliis patientiam præbere ? Quasi enim sycomorum nos ascendere Dominus præcipit, cum dicit : Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et rursum ; Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Per sycomorum Dominum transiens cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam, etsi nocdum ut est solide, jam men per contemplationis lumen Dei sapientia, quasi in visitu videtur.*

D *Theophyl.* autem sic : *Super sycomorum, id est supervoluptatis dulcedinem, quæ significatur per ficum, ndimus inquit, per pœnitentiam ; descendimus per humilitatem.*

E ET CUM VENISSET AD LOCUM (sycomori) SUSPICIENS JESUS ; VIDIT ILLUM ; ET DIXIT AD EUM : ZACHÆE, FESTINANS DESCENDE : QUIA HODIE IN DOMO TUA OPORTET ME MANERE) Ardorem sui videndi in Zachæo compensat Christus plena exhibitione & præsentia. Ideo enim ardorem istum Zachæo inspiraverat, ut illum domum ejus ingrediendo expleret, imo ideo illac transibat Christus, ut ardorem hunc excitaret, ac propter eum apud Zachæum hospitaretur, totamque ejus domum benediceret ac salvaret. Ipse enim quasi salvator mundi venerat ad hoc, ut peccatores sanctificaret. *Nam etsi vocem invitantis Jesu non audierat*, ait S. Ambros. *viderat tamen affectum.* VERS. 5.

Quærenti ergo Zachæo Christum videre, Christus ei se non tantum videndum, sed & fruendum obtulit, adeoque domi ejus, præ cæteris omnibus, commorari voluit.

Moraliter, disce hic desiderare Christum, Christique alloquium internum & gratiam : mox enim Christus se tibi offeret, & desiderium tuum explebit ; quoque majus fuerit desiderium, eo majus erit ejus alloquium, F nam, ut ait Eccles. c. 15. Sapientia (Christus) Deum timenti & desideranti *obviabit, quasi mater honorificata, cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Etc. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini ; spiritus enim meus super mel dulcis.* Et Christus ipse : *Si quis sitit*, inquit, *veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ ;* Joan. 7.

Vidit ergo *illum* oculis luminibusque corporis, & magis mentis, quibus animum Zachæi illustravit, ut cognosceret ipsum esse Salvatorem, qui peccata pœnitentibus remitteret, eisque salutem, id est, justitiam, gratiam & gloriam conferret. Aspectus ergo Jesu non est sterilis & otiosus, sed efficax & operosus : solo enim aspectu homines ad sui amorem pellicit (multo magis quam lynx vis) convertit, immutat & salvat. Hinc, ut ait S. Cyrillus, vidit Jesus animam Zachæi, promptissime annitentem ad sancte vivendum.

QUIA HODIE IN DOMO TUA OPORTET (ex meo decreto, liberalitate & charitate, qua te & tuos domesticos prosequor, voloque salvare) ME MANERE] Zachæus, G ait Titus, solam Jesu visionem desiderabat, sed qui novit plus facere, quam quærimus, dedit ei super id quod exspectabat : Christus enim sua munificentia supplicum preces excedit & vota. *Promittit Christus*, ait Chrysost. hom. de Zachæo, *se ad ejus domum venturum, cujus desiderantis jam possederat animum.*

ET FESTINANS DESCENDIT (en promptam Zachæi obedientiam, quæ meruit salutem) ET EXCEPIT ILLUM GAUDENS] quia hospitio excepit Salvatorem, ab eoque salutem recepit : ubi enim hospitatur Salvator, ibi & salus, *Gaudens*, ait Euthymius, *quod non solum eum vidisset, uti optaverat, sed quod etiam ab ipso vocatus fuisset, quodque ipsum suscepisset ; quod numquam speraverat.* VERS. 6.

ET CUM VIDERENT OMNES (Pharisæi, & Judæi eorum asseclæ, qui publicanos quasi scelestos oderant) MURMURABANT, DICENTES, QUOD AD HOMINEM PECCATOREM DIVERTISSET] Publicani enim a Judæis habebantur impii, injusti, scelerati, & sæpe tales reipsa erant. H Nonnulli *peccatorem* interpretantur Gentilem & idololatram, Talem enim fuisse Zachæum censent Tertull. Cyprian. Chrysost. Ambrosius, Beda, & ex iis Maldonatus. Unde & Zachæus restitutionem tantum injuste exactorum, quæ juris est naturæ, commemorat, de nullis vero legis Mosaicæ præceptis loquitur. Audi S. Chrysost. serm. de Zachæo. *Filius Abrahæ Zacheus fide, non genere ; merito, non sobole ; devotione, non stirpe.* Verum contrarium æque probabile est, & forte probabilius ; scilicet Zachæum fuisse Judæum, non Gentilem, Primo, quia vers. 9. vocatur *filius Abrahæ*. Secundo, quia Christus tantum cum Judæis versatus est ; missus enim erat ad oves Israel quæ perierant. Unde a Paulo Rom. 15. vocatur *minister circumcisionis*, id est circumcisorum, puta Judæorum. Tertio, quia Zachæus est nomen Hebræum. Quarto, quia Pharisæi hoc non tacuissent, sed in faciem Christo objecissent : Quomodo tu te venditas pro Messia, qui cum impiis Gentibus versaris, cum Messias solis Judæis sit promissus ? Ita Jansenius & alii. VERS. 7.

An Zachæus fuerit Gentilis ?

STANS AUTEM ZACHÆUS, DIXIT AD DOMINUM : ECCE DIMIDIUM BONORUM MEORUM, DOMINE, DO PAU- VERS. 8.

Digitized by Google

A PAUPERIBUS: ET SI QUID ALIQUEM DEFRAUDAVI, REDDO QUADRUPLUM] Non dubium eſt Chriſtum more ſuo, mox ut ingreſſus eſt domum Zachæi, cœpiſſe docere & hortari tam Zachæum, quam domeſticos ejus ad fidem & pœnitentiam, ac, ſi de peccatis pœniterent, promiſiſſe eis gratiam, juſtitiam & ſalutem: inſuper eos adhortatum eſſe ad opum mundique contemptum, ut paupertatem & perfectionem Evangelicam ſe ſequendo amplecterentur, ac ſua in pauperes diſtribuerent, ut theſaurum in cælis, & centuplum in hac vita reciperent. Subjicet quidem hæc Lucas brevitatis ſtudio, & ex ſequentibus, atque ex iis quæ ſæpius, ac præſertim paulo ante cap. 18. 22. de Chriſti conſuetudine docendi & prædicandi narravit, ea intelligenda relinquit, Nam hiſce Chriſti ſermonibus, per internam Chriſti gratiam, Zachæus plane ad fidem, pœnitentiam, paupertatem, ac opum mundique contemptum converſus, dixit Chriſto.

ECCE DIMIDIUM BONORUM MEORUM, DOMINE, DO PAUPERIBUS] alterum ergo dimidium reſervat non ſibi, ſed ut injuſte fraudata aliis reſtituat: Subdit enim: *Et ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Do, reddo*, B id eſt date, reddere juxta tuam doctrinam & exhortationē, ex nunc firmiter, decerno, conſtituo & addico. Unde ob hoc pœnitentis Zachæi efficax propoſitum, Chriſtus quaſi præmium ſubjecit: *Hodie ſalus domui huic facta eſt*. Ita S. Ambroſius, Beda, Euthym. hic, Tertullian. lib. 4. contra Marcion. Fulgentius ep. ad Gallam, Eſt hebraiſmus ſimilis illi Pharaonis Exodi 5. 10. *Non do vobis paleas*, id eſt decerno jubeoque, ut amplius vobis non dentur paleæ. Matth. 26. 18. *Apud te facio* (id eſt facere volo, deſtino) *paſcha*. S. Cyprianus tamen tract. de Opere & eleemoſyna, *Τὸ δο & reddo* per præteritum exponit, ſcilicet per *dedi, reddidi*, quaſi jam ante, ex aliis Chriſti prædicationibus, quas Zachæus audierat, converſus fuerit,

Octavam tantum bonorum ſuorum partem fraude acquiſierat Zachæus. ſi igitur. C ET SI QUID ALIQUEM DEFRAUDAVI] Græce, ἐσυκοφάντησα, id eſt, per ſycophantiam, fraudem, calumniam, ſimilemve malam artem extorſi. Fatetur fraudationis culpam Zachæus, ſed modicæ; nam cum pro ſimplo fraudato reddat quadruplum ex altero bonorum ſuorum dimidio, ſequitur eum octavam tantum partem bonorum ſuorum fraude acquiſiviſſe; ut, ſi habeat octo millia aureorum, mille dumtaxat eſſent fraude parta: reliqua ergo ſeptem millia vel hæreditate, vel juſta ratione erant ab eo comparata.

Vide hic ſubitam miramque converſionem Zachæi, per potentem Chriſti gratiam, qua ipſe illico non tantum pœnituit, ſed & bonis omnibus quibus ante addictus erat, ſe abdicare decrevit; dimidium enim pauperibus, dimidium reſtitutioni addixit. Quare ſubito amplexus eſt conſilium paupertatis Evangelicæ, ut omnibus relictis, pauperem Chriſtum pauper ſequeretur, ac vel mendicato, vel labore manuum victum ſibi pararet. Unde S. Chryſoſt. homil. de Zachæo: *Audi mirabile*, inquit, *nondum didicit, & obedit: nempe Salvator juſtitiæ radiis nequitiæ caliginem fugavit*. Et Beda: *Ecce*, inquit: *camelus depoſita ſarcina per foramen acus tranſit, id eſt relicto divitiarum amore, benedictionem Dominicæ ſuſceptionis accipit. Hæc eſt enim ſapiens illa ſtultitia, quam de ſycomoro publicanus, quaſi fructum vitæ legerat, rapta reddere, propria relinquere, viſibilia contemnere*. Et Theoph. *Vides*, ait, *alacritatem, non parce ſeminare cœpit, neque pauca quædam dedit, ſed totam vitam*. Unde S. Bern. ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum, ſuos Religioſos alloquens: *Zachæus*, inquit, *cujus laus eſt in Evangelio, dimidium bonorū ſuorum dedit pauperibus: ſed ego multos Zachæos hic video, qui nihil ſibi ex omnibus reliquere. Quis mihi ſcribet hoc Evangelium de Zachæis iſtis? imo de Patris iſtis? quis fiducialiter loquatur? Domine ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: ſed ſcriptum eſt jam in Evangelio æterno, in libro vitæ ſcriptū eſt & ſignatum; Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*.

REDDO] Id eſt decerno, & firmiter propono reddere, nec dubium quin ipſe efficax hoc propoſitum ſtatim re ipſa executus ſit, & in opus contulerit. *Alterum enim*, ait S. Ambroſius, *non ſat eſt, nec habet gratiam liberalitas, ſi injuria perſeverat; quia non ſpolia, ſed dona quæruntur*. Nam ut inquit, S. Aug. epiſt. 54. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*.

QUADRUPLUM] Non quaſi lege naturæ, vel Moſaica teneat reddere quadruplum, cum ad ſimplū dumtaxat utraque me obliget, ſed ex ferventi charitate & pœnitentia hunc heroicum, magnumq; & ſuperabundantem reſtitutionis & juſtitiæ actum edere conſtituo: quia hoc quadruplum conforme eſt legi, quæ Exodi 22. 1. furem ovis a judice condemnari jubet ad reſtitutionem quatuor ovium. Dicit hoc Zachæus, non ex jactantia & oſtentatione, ſed partim ex fervore a Chriſto & Spiritu ſancto ſibi indito; partim ut retundat calumniam Scribarum Chriſto objicientium, quod ad peccatorem divertiſſet: oſtendit enim ſe jam non eſſe peccatorem, ſed pœnitentem, juſtum, imo juſtis juſtiorem & ſanctum. E

Tropologice, S. Chryſoſt. hom. 78. in Matth. docet domum animæ ornandam eſſe eleemoſyna & juſtitia, uti ornavit Zachæus, ſi Chriſtum in ea hoſpitio excipere velimus. Tropol.

AIT JESUS AD EUM] ad ejus verba reſpondens, ita tamen ut non tam ad eum, quam ad diſcipulos, turbamque circumſtantem vultum vocemque dirigeret. Similis enallage perſonæ eſt Rom. 10. 2. Pſal. 33. & alibi. Vers. 9

QUIA (quod) HODIE SALUS DOMUI HUIC FACTA EST] *Ejecta perditione*, ait Euthym. *quæ in ea morabatur, propter avaritiam & injuſtitiam*; Arabicus *hodie convenit ſalus habitatoribus hujus domus*, q. d. Quia Zachæus tantum pœnitentiæ, emendationis, eleemoſynæ, reſtitutionis fervorem & ſpiritum, illi a me exterius docente, & interius mentem commovente inditum, oſtendit; hinc ſalutem, id eſt gratiam & juſtitiam eximiam, adipiſcitur; ut, ſi in ea perſeverarit, ſalutem & gloriam æternam conſequatur, quam ex nunc hodie illi addico & promitto. F

DOMUI HUIC] Hinc liquet quod Zachæo credente & converſo ad Chriſtum, omnes ejus domeſtici, heri ſui exemplo & imitatione, in Chriſtum crediderint, pœnituerint, juſtificati & ſanctificati ſint.

Porro Zachæus a Chriſto converſus, poſt ejus mortem & aſcenſionem, aſſecla fuit S. Petri, & ab eo ordinatus fuit Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, uti narrat S. Clemens, lib. 1. & Recogn.

EO QUOD ET IPSE SIT FILIUS ABRAHÆ] quia ſcilicet imitatus eſt fidem, juſtitiam & ſanctitatem Abrahæ: bona enim ſua partiendo, ait Beda, pauperibus reliquit, ut ille terram & domum paternam. Ait vero, *Et ipſe*, ſignificans non ſolum juſtos, ſed & eos qui ab injuſtitia reſipiſcunt, ad promiſſionis filios pertinere. Sic & Tertullianus lib. 4. contra Marc. Cyprianus & alii ſuperius citati. G Audi S. Chryſoſt. hom. de Zachæo, quæ eſt ultima tomi 2. *Zachæus totum quod habuit obtulit, qui patrimonii partem reddendis fraudibus reſervavit: ſed Abraham Domino filium, Zachæus ſubſtantiam obtulit. Ille heredem, hic hereditatem donavit; ille immolandum ſolum quod habuit pignus exhibuit, hic patrimonii ſubſtantiam Domino immolavit. Unde recte Abrahæ filius Zachæus nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ exequitur*.

Rurſum Zachæus fuit *filius Abrahæ*, quia Judæus & ex Abraham prognatus, quaſi Chriſtus Phariſæis murmurantibus, quod ad Zachæum publicanum divertiſſet, reſpondeat, dicatque: Non eſt quod idcirco murmuretis, quia Zachæus eſt Iſraelita, & in Abraham patriarcha & patre ſuo jus proximum habet ad Meſſiam & ſalutem. Quare a me Meſſia, quia publicanus, negligi non debuit, ſed quia pœnitens, ſuſcipi & benedici.

Allegorice & tropologice, ſingulas hujus hiſtoriæ partes cuilibet fideli & ſancto ita adaptat Beda: Zachæus, id eſt purus & juſtificatus, ſignificat credentem ex Gentibus populum, qui temporalium occupatione depreſſus erat & minimus; voluit videre Chriſtum intrantem Jericho, id eſt fidē quam Chriſtus mundo attulit, participare: turba eſt vitiorum conſuetudo, quam obſtantem tranſcendit, terrena relinquendo, & crucis arborem aſcendendo. Sycomorus alta arbor, unde & celſa nuncupatur, & ficus fatua dicitur: irridetur ſcilicet ab incredulis crux ut fatua, ſed alit credentes ut ficus. Aſcendit puſillus, cum quilibet humilis clamat: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Venit eo Dominus, per prædicatores ſcilicet ad populū nationum: *vidit*, id eſt per gratiam elegit: manet in domo puſilli Zachæi, id eſt in humilium nationum corde quieſcit: deſcendit iſte de ſycomoro: etſi enim cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed jam non novimus: etſi enim mortuus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei. Allegor. & Tropo. H

Porro Eccleſia hoc de Zachæo Evangelium appoſite legit in dedicatione eccleſiarum. Primo, quia Chriſtus in eo ait: *Hodie ſalus domui huic facta eſt*, quod recte competit eccleſiis, cum dedicantur: dedicatio eſt enim quaſi ſalus eccleſiæ; per illam enim eccleſia dedicatur ad multorū, qui in ea per prædicationem, orationem, contritionem, confeſſionem & abſolutionem juſtificandi ſunt, ſalutem. Rurſum ait Chriſtus: Cur Evangelium Zachæi legit Eccleſia in templorum dedicatione?

Digitized by Google

A stus: *Hodie in domo tua oportet me manere.* Simili enim modo Christus manet in Ecclesia dedicata, per venerabile Eucharistiæ sacrificium & Sacramentum. Per dedicationem enim ecclesia fit Domus Dei, & habitaculum Christi. Tertio, quia materialis ecclesia typus est spiritualis ecclesiæ, scilicet animæ fidelis, in qua magis habitare desiderat Christus, perinde atque hic ipse magis in anima, quam in domo Zachæi commorari optabat: juxta illud: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui est in vobis*, 1.Cor.6.19. Et mox: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

VERS.10 VENIT ENIM FILIUS HOMINIS QUÆRERE, ET SALVUM FACERE QUOD PERIERAT] q. d. Non mirum quod Christus Zachæum, publicanos & peccatores adierit, converterit, salvarit, quia ad hoc missus erat a Patre, & ad hoc ipse venerat in mundum. Sicut ergo peritia & virtus excellentis medici in eo ostenditur, si morbos inveteratos, incurabiles & desperatos curet: ita virtus summa Christi archiatri enituit in curandis animi morbis, per naturam insanabilibus, qualis est avaritia in publicanis. Hinc Zachæum publicanum non tantum ad avaritiæ, sed & opum omnium contemptum, ac ad amplexandam paupertatem

B Evangelicam traduxit. Hinc & Matthæum publicanum vocavit & creavit Apostolum. Similis fuit conversio & mutatio Petri publicani, sive Telonarii, uti narrat Leontius in Vita S. Joan. Eleemosynarii. Hic enim Petrus avarissimus erat, ut pauperes inter se certarent, quis ab eo extorquere posset eleemosynam. Obtulit se unus, qui ostendendo Petro suam inopiam panem illi extorsit. Indignans enim Petrus eum sibi offerri, panem illi ad caput projecit: sequenti nocte, Petrus per visum vidit se rapi a nigris Æthiopibus ad tribunal Christi, ac in bilance merita sua, & demerita appendi. Cumque sinistræ lancis demerita præponderarent, vidit in dextra lance panem, quem pauperi projecerat, positum, fere æquiponderare lanci sinistræ, sibique dici: *Vade, operare, & huic pani lancique plura adjice.* Mox evigilans, vimque eleemosynæ agnoscens, omnia sua in pauperes distribuit, ac tandem se ipsum a famulo jussit vendi Hierosolymæ triginta nummis, & pretium dari pauperibus, ut instar Christi se summe humiliaret, ac per charitatem totum in pauperes expenderet. Quare Christus semel

C & iterum illi apparens, se omne hoc pretium recepisse testatus est. Tandem vir tantus a peregrinis Hierosolymam proficiscentibus, in convivio de more hero suo & convivis serviens agnitus, illico fugit, ac ostiario surdo & muto usum aurium, & linguæ restituit, dum ab eo referari ostium ad fugam postulavit & impetravit.

Petri publicani avarissimi mira conversio.

VERS.11 HÆC ILLIS AUDIENTIBUS, ADJICIENS DIXIT PARABOLAM, EO QUOD ESSET PROPE JERUSALEM: ET QUIA EXISTIMARENT, QUOD CONFESTIM REGNUM DEI MANIFESTARETUR] Christus enim sæpe regni sui mentionem fecerat, illudque suis promiserat; unde Apostoli sperabant, id nunc futurum, eo quod pergeret Hierosolymam, quæ erat metropolis Judææ, fueratque regia Davidis, Salomonis, cæterorumque regum. Putabant ergo Christum pari modo in Hierosolyma regnum suum inchoaturum, ac se velut Christi familiares, ejus fore participes, atque inter

E primos cum eo regnaturos. Augebat spem celebritas, & gloria Christi, tot recentibus miraculis ac nominatim stupenda Zachæi conversione, inclarescens & effulgurans. Ex hac spe & suspicione, paulo post Jesu ingrediente Jerusalem, Apostoli eum asino imposuerunt, ac turbæ eidem quasi Messiæ regi in Jerusalem jam inaugurando acclamarunt: *Benedictum quod venit regnum patris nostri David: benedictus qui venit rex in nomine Domini*, infra vers. 38. Christus ergo ut hanc opinionem eis eximat, parabolam sequentem inducit, qua significat se prius a Judæis occidendum, ac deinde resurrecturum, & gloriose per

D fidem in toto orbe regnaturum.

VERS.12 HOMO QUIDAM NOBILIS (Syrus, *filius magni stemmatis*) ABIIT IN REGIONEM LONGINQUAM, ACCIPERE SIBI REGNUM, ET REVERTI] Hic *nobilis* est Christus qua homo. Nam, ut ait S. Basil. in Catena. *Christus nobilis est, non solum secundum deitatem, sed etiam secundum genus humanum, ex semine David secundum carnem exortus*, juxta illud, quod de filio hominis vidit audiitque Dan. c.7. 14. *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum.* Addit ibidem Eusebius: *Nondum se Regem appellat, quia in prima apparitione nondum regia fungebatur potestate.* Licet enim Christo, ab initio incarnationis suæ, debitum esset hoc regnum, ob unionem hypostaticam cum Verbo, tamen de illud passione & morte in cruce mereri voluit: nec nisi per resurrectionem illius possessionem adire, juxta illud

c. 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Christus ergo abiit *in regionem longinquam*, dum quadragesimo die a morte, & resurrectione abiit in cælum, ubi adiit possessionem regni sui, ut scilicet sit rex totius mundi, regnetque in terra, æque ac in cælo. Ita Theoph. Titus, Euthym. & alii. E cælo vero revertetur Christus in terram ad diem judicii; tum ut regnum hoc visibiliter omnibus hominibus ostendat, tum ut quasi rex omnium tam electorum, quam reproborum, sibi infidelium & inobedientium, judicium extremum peragat: tum ut electos suos in regnum cæleste inducat, eosque gloriæ suæ participes efficiat, juxta illud, quod in Ascensione Christi Apostolis indicarunt angeli, Act. 1. v. 11. *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Tunc ergo redibit Christus, ut regnum terræ regno cæli conjungat, ostendatque se terræ & cælo dominari, utque fideles suos e terra in regnum cæleste transferat.

VERS.13 VOCATIS AUTEM SERVIS SUIS, DEDIT ILLIS DECEM MNAS, ET AIT AD ILLOS: NEGOTIAMINI DUM VENIO] ut lucrum meum, æque ac vestrum augeatis. *Decem*, id est F omnibus servis suis: unicuique enim unam dedit mnam, ut patet ex seq. decem mnas ergo totidem servis dedit. Denarius enim, ait Euthymius, symbolum est multitudinis, & universitatis, post denarium enim redit ad unitatem, cæterosque numeros, ex quibus denario adjunctis, sequentium omnium fit compositio, ordo & numerus.

Mna sive mina quid?

MNAS] Hebr. & græce *mna*, idem est quod *mina*; a rad. מָנָה *mana*, id est numeravit, unde *mane*, *tecel*, *phares*, Dan. 5. Mina autem erat duplex: Attica, quæ continebat drachmas centum: drachma est Julius Romanus, sive Regalis Hispanicus, drachma est enim octava pars unciæ: duodecim faciunt libram communem, sedecim majorem, quare mina Attica argenti continet centum Julios, id est decem aureos Romanos; mina vero auri continet centum coronatos aureos, teste Budæo lib. de Asse. Hebræa vero mina erat duplo major: Attica enim continebat unam libram, Hebræa vero libras duas cum dimidia. Ezechiel cap. 45. 12. ait minam continere 60. siclos, id est 240. drachmas: siclus enim erat tetradrachmus: continebat enim quatuor drachmas. Mina ergo auri Hebræa continebat 240. aureos, argenti vero 240. Julios, sive Regales. S. Matthæus cap. 25. eamdem narrans parabolam, pro *mina*: habet talentum, quod apud Hebræos continebat minas Hebræas sexaginta. Potuit Christus utrumque nominare, præsertim si parabolam variando nonnihil (ut fieri solet) repetierit.

G

NEGOTIAMINI DUM VENIO] Christus vult nos continuo minis suis, id est talentis, donis, gratiis suis, quas ipse nobis dedit, negotiari; ut nobis operum, & meritorum lucrum assidue augeamus. Vetat ergo nos otiari: quare tota vita nostra debet esse non otium, sed negotium lucri spiritualis continuum. *Quod profecto negotium*, ait S. Greg. lib. 1. epist. 39. ad Dominicum, *tum vere nos agimus, si vivendo & loquendo proximorum animas lucramur; si infirmos quosque celestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus; si protervos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus, si nullis contra veritatem parcimus: si supernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus.* Paulo post vero addit: *Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expavesco, & quod accepto regno pater familias redeat, rationem nobiscum positurus, aspicio, sed qua eum mente sustineo, cui de suscepto negotio,* H *animarum lucrum aut nullum, aut pene nullum reporto?* Hæc ille, quo humilior, eo major.

VERS.14 CIVES AUTEM EJUS ODERANT EUM (*cives; Syrus, filii civitatis ejus*, puta Scribæ & Judæi oderant Jesum, quod vitia eorum taxaret) ET MISERUNT LEGATIONEM (legatos) POST ILLUM DICENTES, (legatis suis) NOLUMUS HUNC (Jesum pauperem, vilem & fabri filium) REGNARE SUPER NOS] Id impletum est post mortem, resurrectionem & ascensionem Christi in cælum; cum miserunt Saulum Damascum, ut omnes in Christum credentes caperet, fidemque, nomen & regnum Christi exterminaret. Item cum iidem S. Petrum & Apostolos incarcerarunt, & flagellarunt, S. Stephanum lapidarunt, S. Jacobum occiderunt, cæterosque Christianos persecuti sunt, ut patet ex Actis Apost. & etiamnum persequuntur.

VERS.15 ET FACTUM EST UT REDIRET ACCEPTO REGNO] Syrus & Arab. *cumque accepisses regnum, & reversus fuisset. De secundo adventu est hic sermo*, ait Euthymius, *quando revertetur cum potestate magna & gloria, sedebitque*

Digitized by Google

A *ſuper ſedem gloriæ ſuæ: nam tunc rationem ponens, reddet unicuique juxta opera ſua.* Sic & S. Auguſt, Theoph. Beda & reliqui. Cætera expoſui Matth. 25. 19.

VERS. 16 MNA TUA DECEM MNAS ACQUISIVIT] Græce, προσηργάσατο, id eſt operata eſt, ſicut ſemen unum tritici ſeminatum in agro, virtute ſua ſugens ſuccum e terra, eumque in ſe convertens, in meſſe producit decem, imo 30. & 60. ſemina granaque tritici. Unde Arab. vertit *mna tua facta eſt in decem*. Non dicit: Ego acquiſivi, ſed *mna tua acquiſivit*; quia eſto ad bonam opus concurrat libertas, & cooperatio arbitrii noſtri, tamen tota vis & virtus operandi divina eſt a gratia, non a libero arbitrio; ad hoc enim opus habet dumtaxat, quod ſit liberum; a gratia vero habet, quod ſit ſupernaturale, Deo gratum & meritorium. Unde Paulus, *Gratia Dei ſum*, inquit, *quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, 1. Cor. 15. 10.

VERS. 17 ET AIT ILLI: EUGE SERVE BONE, QUIA IN MODICO (in una mina expendenda) FUISTI FIDELIS, ERIS POTESTATEM HABENS SUPER DECEM CIVITATES] id eſt pro

B una mina centum, adeoque mille, & mille, imo regimen unius provinciæ, ſive decapoleos, puta decem civitatum & plurium recipies, q.d. Pro parvo labore & cura in terra, magna, imo maxima, & ineffabilia, in cælo præmia referes, ac præſertim præeris iis, in quos tua Dei dona in terra expenderis, quoſque ad Chriſtum converteris, vel in fide & virtute promoveris. Cauſam dat S. Amb. *Nam ſicut angeli præſunt, ita & hi qui vitam meruerunt angelorum*. Ac preſſidus Beda: *Eſto*, inquit, *poteſtatem habens ſuper decem civitates, hoc eſt abundantiorem felicitatem atque honorem ſortieris in cælis, & pro omnibus, ac ab omnibus, quibus fuiſti cooperator ſalutationis, glorificaberis in ſupernis. Nam & poſt judicium manebit in Beatis ordo dignitatis, ac congrua ad invicem honorationis. Unde dicit Apoſtolus: Quæ eſt ſpes noſtra ac gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus?* 1. Theſſ. 2. v. 19.

VERS. 18 ET ALTER VENIT DICENS, DOMINE MNA TUA FECIT QUINQUE MNAS] Hic patet uſus liberi arbitrii, & quantum faciat ejus ſtrenua cum gratia cooperatio. Nam prior cum una mina ſtrenue negotians & cooperans, lucratus fuit decem minas, v. 16. hic vero lentius & remiſſius cooperans,

C ex una mina lucratus eſt quinque minas dumtaxat.

VERS. 19 ET HUIC AIT: ET TU ESTO SUPER QUINQUE CIVITATES] *Conformiter ad menſuram ſtudii cujuſque*, ait Euthym. *menſuratur & honor & beneficium*.

VERS. 20 ET ALTER VENIT DICENS: DOMINE, ECCE MNA TUA, QUAM HABUI REPOSITAM IN SUDARIO] tibi integram, ſed ſine lucro, & non auctam vel multiplicatam, reſtituo. Pecuniam in ſudario ligare, eſt percepta dona ſub otio lenti torporis abſcondere, ait Beda.

VERS. 27 VERUMTAMEN INIMICOS MEOS ILLOS, Judæos (cives meos) QUI NOLUERUNT ME REGNARE SUPER SE, ADDUCITE HUC (ad tribunal meum ſuper vallem Joſaphat & Jeruſalem) ET INTERFICITE ANTE ME] Græce, *jugulate in conſpectu meo*. Alludit ad reges victores, qui rebelles ſuos debellatos mactant, & jugulant: per jugulationem hanc ſignificat Judæorum, cæterorumque Chriſti hoſtium extremum judicium, & condemnationem ad æternam in gehenna mortem, ſed vivam & vitalem, ut ſcilicet mortiferis pœnis, & incendiis jugiter torqueantur, & numquam moriantur. Alludit ad Titum, qui devictos Judæos jugulavit. Sed per hoc ad literam præciſe intelligit

D Judæorum condemnationem, & gehennam; hanc enim eis irrogabit, cum e cælo redierit ad judicium, ut Judæos reproboſque judicet & damnet.

VERS. 28 ET HIS DICTIS PRÆCEDEBAT (ex Jericho & domo Zachæi) ASCENDENS HIEROSOLYMAM] ut ibi dicta ſua de paſſione, cruce, morte, indeque reſurrectione, regno, gloria, & judicio, ipſo facto & reipſa implere inciperet. Præibat autem Apoſtolis ab hoc itinere abhorrentibus, quaſi dux & anteſignanus, ut oſtenderet ſe hilariter, & fortiter ire ad mortem, imo quaſi mortem ad duellum provocare: per mortem enim iturus erat in regionem longinquam, puta in cælum, ad capeſſendum regnum cæleſte & æternum.

VERS. 37 LAUDARE DEUM, &c. dicentes: *Hoſanna filio David* (vide dicta Matth. 21. 9.) SUPER OMNIBUS QUAS VIDERAT VIRTUTIBUS] Græce δυνάμεων, id eſt factis potentibus, maxime ob recentem Lazari a morte reſuſcitationem, ob hanc enim venit ei turba obviam, ut ait Joan. 12. 18. Ita Beda.

VERS. 38 DICENTES: BENEDICTUS QUI VENIT REX IN NOMINE DOMINI] puta rex noſter Meſſias, ſive Chriſtus, a E Deo miſſus ad nos ſalvandos & beandos.

PAX IN CÆLO, ſupple, ſit, ut ſcilicet per Chriſtum pax fiat, inter nos ac Deum, & angelos nobis ob peccata offenſos, ideoque GLORIA SIT DEO IN EXCELSIS] cælis habitanti. Audi Bedam: *Rex dicitur, non ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hoſteſque viſibiliter debellandos; ſed quia mentes regat, & in regnum cælorum credentes perducat*. Cauſam ſubdit Beda. *Quia Chriſtus in carne totius mundi propitiatio illuxit, pulchre ſibi invicem in laudes ejus concinunt cæleſtia, id eſt angeli, qui eo naſcente cantarunt, & terrena, id eſt homines, qui laudant, cum ſe cælo redditurus eſſet*. Et Theoph. *Significatur*, ait, *evanuiſſe bellum antiquum, quo Deo adverſabamur, & laudari ab angelis Deum in tali reconciliatione; & quidem hoc ipſum quod Deus ambulat in territorio noſtro, ſignificat ipſum nobiſcum habere concordiam*.

ET UT APPROPINQUAVIT, VIDENS CIVITATEM (Jeruſalem) FLEVIT SUPER ILLAM] ut viſcera charitatis VERS. 41 erga eam oſtenderet, quam ſcilicet ſibi cordi & curæ eſſet Judæorum ſalus, ad hanc enim a Patre miſſus erat ad Judæos, quaſi Meſſias & ſalvator. *Flevit* ergo inter gaudia F triumphi, & inter fauſtas gratulantium, & *Hoſanna* vociferantium, acclamationes, ut hæc gaudia injecto quaſi felle temperaret. Deflevit autem Hieroſolymitanorum tum cæcitatem, obdurationem & ingratitudinem, quod ſe Meſſiam Salvatorem recipere nollent; tum Dei in eos vindictam, & gentis ſuæ excidium per Titum; tum quod videret labores, & dolores ſuo pro iis ſuſceptos, fruſtrari & irritos cadere. Hæc tria enim Chriſto lacrymas excuſſerunt ex doloris vehementia, ita S. Cyrillus, Beda Theoph. & alii.

Cur Chriſtus videns Jeruſalem flevit ſuper illa?

Tropol. Origen. Chriſtus, inquit, beatitudines omnes ſuo firmavit exemplo: dixerat: Beati flentes; itaque flet.

DICENS: QUIA (quod) SI COGNOVISSES (cognoſceres) ET TU (ſicut ego cognoſco, ait S. Greg. ho. 39. Beda & alii) ET QUIDEM IN HAC DIE TUA, qua ingredior ad te, quaſi Meſſias rex tuus ad tuam ſalutem, ut te ſalvem & beem in æternum, juxta oraculum Zachariæ c. 9. QUÆ AD PACEM TIBI] refer ad *cognoviſſes*, q.d. Si cognoviſſes ea (græce enim eſt Τὸ) quæ ad tuam pacem, id eſt ad tuum bonum, ſalutem & felicitatem faciunt, ſcilicet pœni- G tentiam & fidem in me, quam tibi per triennium prædicavi, ſubaudi, Utique fleres, ſicut ego fleo, tua ſcelera, & tuam præteritam cæcitatem & obſtinationem, Euthym. ſupplet: *nequaquam perires*; alii, *aliter te gereres, me audires, & in me crederes*. Hinc Syrus vertit, *nempe ſi tu noſſes ea, quæ ſunt ad pacem tuam vel ſalutem iſto die tuo*, Arab. *ſi cognoviſſes & tu & in hac die, quantum eſt tibi in eapacis*. Pax Hebræis proſperitatem, ſalutem, felicitatem, omnemque bonum tam corporis, quam animi ſignificat.

VERS. 42

Eſt apoſiopeſis, ſignificans vehemens Chriſti *pathos* doloris, æque ac indignationis: exprobrat enim Chriſtus in- Vehemens Chriſti Pathos gratæ urbi ſuam infidelitatem, obſtinationem, ingratitudinem. Hoc pathos in Chriſto tantum fuit, ut ei vocem intercluſerit, ideoque per apoſiopeſim, eum ſilere id quod dixi, coegerit. *Conſueverunt enim*, ait Euthym. *flentes verba præ affectus vehementia abrumpere*. Rurſum magnum eſt pathos in voce *& tu*, tu o filia Sion, a me adeo amata, honorata, locupletata, edocta, quomodo me non agnoſcis, imo me ut falſum Meſſiam rejicis, perſequeris, damnas, occidis, crucifigis? Ego enim propter te cælo in terram deſcendi, propter te in Bethlehem juxta Jeruſalem natus ſum, propter te triginta quatuor annos in continuo labore, dolore, paupertate vixi. Triennium totum H tuos vicos & caſtella obeundo, prædicavi & docui; tuos leproſos, ægros, dæmoniacos ſanavi, tuos mortuos vitæ reſtitui. Tu ergo filia Jeruſalem, filia adeo a me dilecta, cur me tui tam amantem non redamas, ſed velut hoſtem ſpernis, & perimis? veniet, & brevi veniet, dies illa magna Dei, qua ſero perfidiam tuam agnoſcens, ac tuam cæcitatem fruſtra deplorabis. Hæc eſt dies tua, in qua opibus, deliciis, pompis tuis vane exultas. Veniet mox dies mea, imo dies Dei, qua te acerrime caſtigabit, & funditus exſcindet, in qua inconſolabiles, & perennes fundes acerbiſſimi doloris lacrymas.

Simile eſt pathos in illo Chriſti ad Judam proditorem: Καὶ σὺ τέκνον. *Tu vero unanimis, dux meus, & notus meus*, &c. Sic & Julius Cæſar cum a 23. ſenatoribus in curia necaretur, inter eos videns, & Brutum ſuum: *Tu etiam fili mi*, inquit, *in necem meam ruis*, meam, inquit, qui tibi quaſi pater extiti? Ita Sueton. in ejus vita c. 82.

Mal-

Digitized by Google

A Maldonatus pro τὲ, id est *quæ*, legit τῆ, id est *hac*, scil. ἡμέρᾳ, id est die, q. d. Si cognosceres in hac die, in qua omni frueris pace, prosperitate, & rerum abundantia, quod inimici obsidione te cingent, capient & exscindent; subaudi, Utique amarissime mecum fleres.

Tropologice, S. Greg. hom. 39. *Suam hic diem*, inquit, *habet anima perversa, quæ transitorio gaudet in tempore. Cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt: quia dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla pœnæ venturæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ grave damnationis scandalum in die habebit aliena: ibi enim affligenda est, ubi justi lætabuntur, & cuncta quæ modo ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem rixæ vertentur; quia rixari secum incipiet, cur damnationem, quam patitur, non expavit, cur a prospiciendis malis sequentibus oculos mentis clausit.*

NUNC AUTEM ABSCONDITA SUNT AB OCULIS TUIS] *quod de industria scire noluerit*, ait Titus, & Euseb. in Catena, Notat, ait, suum adventum ad pacem totius mundi factum, quam isti quia recipere noluerunt, dicuntur eis fuisse abscondita. Abscondita ergo Judæis fuit Christi in- B carnatio, prædicatio, passio, resurrectio, æque ac sua perfidia, cæcitas, ingratitudo, ideoque sua vindicta & excidium per Titum; q. d. ait S. Greg. hom. 39. *Si mala imminentia videres, lætam præsentibus prosperis non esses.*

Tropol. Tropologice, ibidem S. Greg. *Anima perversa*, inquit, *dum in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignem vadit? unde bene scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum. Et inde per Paulum dicitur: Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint: quia & si quæ est præsentis temporis, ita est agenda lætitia, ut numquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria, quatenus dum mens pavida extrema ultionis timore transfigitur, quantum nunc presens lætitia, tantum post ira subsequens temperetur.*

VERS. 43 QUIA VENIENT DIES IN TE (tibi) ET CIRCUMDABUNT TE INIMICI TUI VALLO, ET CIRCUMDABUNT TE] Græce, *circumdabunt inimici tui vallum tibi, & cingent te circumcirca*, ut nullus tibi sit locus effugii; Arab. *profecto venient dies (in quibus) inimici tui projicient vexilla tua, & circumdabunt te.* Vallum est munimentum castrorum, quod ex vallis, id est palis, fit, aggesta simul C terræ, cespitis & lapidum copia; unde & agger dicitur. Quam vere id prædixerit Christus, testatur Josephus, qui lib. 6. cap. 7. & 13. Belli, narrat Titum, & Romanos circa Jerusalem tres aggeres erexisse, deinde solius tridui spatio totam urbem muro cinxisse: per circuitum enim urbis murum 39. stadiorum extruxisse, ut nulli pateret exitus, vel transitus.

Alludit Christus ad illud Isaiæ c. 29. 1. & seq. *Væ Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David*, &c. *Et circumvallabo Ariel, & erit tristis, & mœrens, & erit mihi quasi Ariel.* Vide ibi dicta, Jerusalem enim, quæ prius fortis erat & invicta, erat quasi Ariel, id est leo Dei, nunc a me deserta, & excidio Romanis tradita, erit quasi aries justitiæ & vindictæ divinæ immolatus. Ita Eusebius, Cyrillus, & Theodor. in Isaiæ cap. 29. 1.

ET COANGUSTABUNT TE] ad tantas famis & ærumnarum angustias redigent, ut & matres filios suos vorent: vide Joseph. lib. 6. Belli c. 14. & seq.

VERS. 44 ET AD TERRAM PROSTERNENT TE (græce, ἐδαφιοῦσι, id est solo æquabunt, ET FILIOS TUOS, QUI IN TE SUNT, ET NON RELINQUENT IN TE LAPIDEM SUPER LAPIDEM] id est funditus destruent te. Est hyperbole: D nequeenim Romani fuere tam curiosi, vel otiosi, ut nullum lapidem super alium relinquerent. *Hoc quoque*, ait S. Gregor. homil. 39. *ipsa jam ejusdem civitatis transmigratio testatur, quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat Dominus crucifixus, prior illa Jerusalem funditus est eversa*: mons enim Calvariæ modo situs est in medio novæ Jerusalem.

EO QUOD NON COGNOVERIS TEMPUS VISITATIONIS TUÆ] *Tempus visitationis*, ait Titus, *illud vocat, quo ipse e cælo delapsus eam visitavit, multaq; inter visitandū divina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in ea patravit.* Et Theoph. *Visitationis tuæ, hoc est, mei adventus, quando veni, ut invviserem te & salvarem.* Et Euthym. *Quia non agnovisti tempus curæ tuæ, tempus namque peregrinationis meæ, erat tempus curæ salutis tuæ.*

Tropologice: Hæc omnia, ait S. Gregor. homil. 39. *in morte contingunt animæ, quæ voluptatibus carnis servivit. Tunc enim dæmones undique eam cingunt, terrent, coangustant, & ad tartara rapiunt. Tunc omnis* E. *illa lapidum, id est, cogitationum suarum, constructio dissipatur eo, quod non cognoverit tempus visitationis suæ, quo Deus eam per prædicatores, confessarios, magistros, & per internas inspirationes monuit, ut vitam emendaret, & saluti suæ consuleret.* Exempla horrenda Chrysaorii, Theodori, Theodorici regis, & aliorum recenset S. Greg. l. 4. Dial. c. 30. c. 46. c. 52. & seqq.

CAPUT XX.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus Scribis querentibus qua authoritate prædicaret, opponit testimonium Joannis Baptistæ de se testificantis, quod a Deo ad prædicandum missus esset. Secundo, v. 9. eis proponit parabolam vineæ, & colonorum ejus iniquorum. Tertio, v. 22. iisdem se tentantibus an liceat tributum dare Cæsari, respondet: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, F Deo. *Quarto, v. 27. Sadducæos negantes resurrectionem redarguit, illamque eis e Scriptura probat. Quinto, v. 42. eis demonstrat Messiam esse Deum, eo quod David Ps. 109. eum vocet Dominum. Denique eorum vitia taxat, populumque monet ne illa imitentur.*

Hæc omnia audivimus Matth. 21. & 22. ubi ea explicui.

ET factum est in una dierum, docente illo VERS. 1. populum in templo, & evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, & Scribæ cum senioribus,

2. & ajunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut: Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?

3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. Respondete mihi:

4. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex ho- G minibus?

5. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia, si dixerimus, De cœlo, dicet, Quare ergo non credidistis illi?

6. Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim, Joannem prophetam esse.

7. Et responderunt se nescire unde esset.

8. Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis: & ipse peregre fuit multis temporibus.

10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.

11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.

12. Et addidit tertium mittere: qui & illum H vulnerantes ejecerunt.

13. Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.

14. Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.

15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

16. veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit.

17. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

Digitized by Google

A 18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

19. Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui, & potestati præsidis.

21. Et interrogaverunt eum, dicentes, Magister, scimus quia recte dicis, & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces:

22. licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

23. Considerans autem dolum illorum, dixit B ad eos: Quid me tentatis?

24. Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem, & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris.

25. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris: Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in responso ejus, tacuerunt.

27. Accesserunt autem quidam Sadducæorum qui negant esse resurrectionem, & interrogaverunt eum,

28. dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & suscitet semen fratri suo.

29. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis.

30. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus C est sine filio.

31. Et tertius accepit illam. Similiter, & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.

32. Novissime omnium mortua est & mulier.

33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

34. Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias;

35. Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:

36. neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.

37. Quia vero resurgant mortui; & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob.

D 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei.

39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti.

40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse David?

42. & ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis,

43. donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum:

44. David ego Dominum illum vocat; & quomodo filius ejus est?

45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis:

46. Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & E primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conviviis;

47. qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

ÆQUALES ENIM ANGELIS SUNT] (Arabicus, *sunt velut angeli Dei*; Syrus, *sunt instar angelorum*; sic fere & Ægyptius, Persicus, & Æthiopicus) in cælibatu, in immortalitate, in gloria: sicut ergo angeli non nubunt, non generant, sic nec Beati, quia ipsi per se immortales & glorioli, in omne ævum perennabunt: generatio enim in hac vita quæritur ob mortem, ut pater moriens, in filio quem vivum relinquit, quasi superstes vivat & perennet. Unde S. Cyrill. *Sicut angeli*, inquit, *non sunt per generationem propagati, ita his qui resurgunt, non est opus nuptiis*. Et S. Chrysostom. in Matthæi cap. 22. *Hic ducuntur uxores*, inquit, *ut nascendo suppleatur, quod moriendo minuitur; illic autem mors non erit, & consequenter nec nuptiæ*, nec uxores, nec generatio. F

ET FILII SUNT DEI, CUM SINT FILII RESURRECTIONIS] *Filii Dei* dicuntur, ait Theoph. qui per resurrectionem regenerantur, non tantum per gratiam, sed etiam per gloriam, ut Deo sint simillimi, juxta illud 1. Joan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*: unde tunc quasi filii adibunt hæreditatem Dei Patris.

Hinc & dicuntur *filii resurrectionis*, quia ex resurrectione, quasi rursum nasci ad novam, divinam & beatam vitam videbuntur, ita Theoph. Filii resurrectionis, quid?

Secundo, erunt *filii resurrectionis*, id est digni resurrectione: nam vox *filius*, cum additur genitivo præmii vel pœnæ, apud Hebræos significat reum, dignum, vel destinatum ad talem pœnam, vel præmium: sic dicuntur *filii mortis & gehennæ*, id est rei mortis & gehennæ: *Filii regni & resurrectionis*, id est digni regno cælesti & resurrectione Beatorum.

ET AMPLIUS NON AUDEBANT EUM QUIDQUAM INTERROGARE] scilicet Sadducæi: nam Pharisæi rursum eum interrogarunt quodnam esset maximum mandatum, ut patet ex Matt. cap. 22. v. 35. G

CAPUT XXI.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHristus asserit viduam dantem duo minuta plus cæteris dedisse. Mox vers. 7. dat signa prævia excidio, tam urbis (Hierosolymæ) quam orbis. Eadem signa narravit Matthæus cap. 24. ubi ea explicui. Quocirca v. 34. omnes adhortatur, ut vigilent in orationibus, ac sobrie, pie justeque vivant, & ad diem judicii se comparent.

RESPICIENS autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. VERS. 1

2. Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. H

3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes misit.

4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.

5. Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit:

6. Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

7. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cum fieri incipient?

8. Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia

ego

Digitized by Google

A ego sum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos.

9. Cum autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri; oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum.

11. Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt.

12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides, propter nomen meum;

13. continget autem vobis in testimonium.

14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.

15. Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.

B 16. Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis:

17. & eritis odio omnibus propter nomen meum:

18. & capillus de capite vestro non peribit.

19. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus;

21. tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, discendat: & qui in regionibus, non intrent in eam.

22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quæ scripta sunt.

23. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.

24. Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jerusalem calcabitur a Gentibus: donec impleantur tempora nationum.

25. Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum:

26. arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi: nam virtutes cœlorum movebuntur:

27. & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate.

28. His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.

29. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores:

30. cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.

D 31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

33. Cœlum, & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa:

35. tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

37. Erat autem diebus docens in templo:

C noctibus vero exiens, morabatur in monte, E qui vocatur Oliveti.

38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

ET CAPILLUS DE CAPITE VESTRO NON PERIBIT] VERS. 18 *Quia dura sunt*, ait Greg. hom. 35. *quæ prædicuntur de afflictione mortis, protinus consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cum dicitur: Capillus de capite vestro non peribit. Scimus, fratres, quia caro incisa dolet, capillus incisus non dolet. Ait ergo Martyribus suis; Capillus de capite vestro non peribit; videlicet aperte dicens: Cur timetis, ne pereat quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet?*

Ex hisce Christi verbis collige, nos resurrecturos non tantum cum quatuor humoribus, pura sanguine, pituita, bile atra & flava, quod quidam viri docti negarunt: sed etiam cum capillis, barba, unguibus. Ita docet S. Aug. l. 22. de Civitate Dei, c. 19. & 20. S. Bonavent. in 4. dist. 44. p. 1. art. 1. qu. 2. ad 3. D. Thom. in Supplem. q. 80. art. 2. Richardus in 4. dist. 44. art. 1. q. 3. Magister in 4. dist. 44. Dom. Soto in 4. dist. 44. art. 2. Probant ex illo Matt. 10. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*; & ex hoc loco Lucæ: *Capillus de capite vestro non peribit: Non longitudine, sed numero*, ait August. Resurgemus cum quatuor humoribus, cum capillis, barba, unguibus. F

Secundo, ratione, quia resurgent corpora sine deformitate, cum suo ornatu & decore; ornatus autem capitis est coma, oris barba, digitorum ungues; & si quis eis careret, deformis esset.

Dices, Illa sunt excrementa membrorum: hæc autem tollentur, ut patet de urina, sudore, &c. Resp. urina & sudor sunt mere excrementa: capilli autem & ungues, licet excrementa eatenus dici possint quatenus excernuntur a membris, quia tamen ab iis excernuntur ad sui tutelam & decorem, hinc potius ornamenta dicenda sunt, quam excrementa. Simili modo excernuntur pori & pellis, a carne; pituita & cholera, a sanguine, quæ tamen excrementa dici nequeunt.

IN PATIENTIA VESTRA POSSIDEBITIS ANIMAS VESTRAS] VERS. 19 Patientia ergo est possessio animæ. Primo, quia patiens dominatur animo, eumque in pace moderatur, flectit & regit quocumque ei libet. Secundo, quia nemo potest custodire spem futuræ vitæ, ait S. Aug. nisi qui patientiam habuerit in laboribus hujus vitæ. Tertio, S. Greg. hom. 35. in Evang. *Idcirco*, inquit, *possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium custosque virtutum patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras, quia dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipso incipimus possidere quod sumus. Patientia vero est aliena mala æquanimiter perpeti: contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit.* Et inferius: *Prov. 16. ait Salomon, Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Minor est ergo victoria urbes expugnare: quia extra sunt, quæ vincuntur. Majus autem est, quod per patientiam vincitur: quia ipse a se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.* Subdit Gregorius exemplum Stephani Abbatis, *qui reddebat contumeliis gratias, damnum putabat lucrum, adversarios æstimabat adjutores.* Unde in morte ejus visi sunt angeli, qui animam ejus in cœlum duxerunt. Stephani Abbatis patientia.

Impatiens animam non possidet, sed possidetur a vitio iræ & vindictæ, ac consequenter a satana. Porro non alii nisi vehementer amantes veram possunt obtinere patientiã, uti obtinuere ferventes Martyres, S. Ignatius, S. Laurentius, S. Sebastianus, S. Vincentius, &c. Quocirca Trajanus Imp. qui sua sententia causam dedit martyrio S. Ignatii, dixit: *Nulla gens pro Deo suo tanta toleravit, atq; Christiana.* Audi S. Greg. l. 5. Moral. c. 13. *Quid est enim animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctisq; mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiã tenet, animã possidet, quia inde contra adversa omnis fortis efficitur; unde sibi & seipsum vincendo dominatur. Et quo se laudabiliter frãgit, infractũ se fortiter exerit; quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria invictũ parat.* Idem l. 9. ep. 39. ad Theotist. *In patientia vestra*, inquit, *possidebitis animas vestras. Pensate, queso, ubi erit patientia, si deest quod toleretur. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecte esse boni nõ possũt, quia minime purgãtur; ipsa antẽ malorũ societas bonorũ purgatio est.* H

A Quocirca Theodorus Studita serm. catech. 19. *Tolerantia*, inquit, *summa virtutum perfectio est*. Hinc ut ait Lucanus lib. 9.

—— *Serpens, sitis, ardor, arena*
Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.

Denique in patientiam omnis virtutum chorus influit, ut ipsa videatur virtutum omnium esse complexio. Audi Senecam ep. 67. & seq. *Cæterum illic fortitudo est, cujus patientia & tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium, quæ suadet quod effugere non possis fortissime ferre. Illic est constantia, quæ dejici loco non potest, & propositum nulla vi extorquente dimittit. Illic est individuus ille comitatus virtutum.* Vide dicta Jacobi 1. 4. ad illa: *Patientia opus perfectum habet.*

VERS. 34 ATTENDITE AUTEM VOBIS, NE FORTE GRAVENTUR CORDA VESTRA IN CRAPULA, ET EBRIETATE, ET CURIS HUJUS VITÆ; ET SUPERVENIAT IN VOS REPENTINA DIES ILLA] *Crapula* est, quando ex violentia, vel ebrietate caput tremit, vertigine agitatur, gravatur, luctatur, fluctuat, dolet, ructat, vomit, &c. Omnia enim vini potusque damna significat *crapula*. Unde Galenus in Aphorismis scribit omnem noxam a vino factam, a Græcis vocari κραιπάλην, id est crapulam, παρὰ τὸ κάρηνον, id est caput, πάλλεσθαι, id est concuti. Proprie autem crapula dicitur de gravedine, & noxis jam dictis ex hesterna ebrietate: unde Plato in Sympos. Crapulam sentiens, inquit, ex potatione hesterna. Hinc Arabicus pro *crapula*, vertit, *satietate*, & S. Basil. in Catena. Ebrietatis, ait, est nimius vini usus; crapula vero anxietas & nausea, quæ est in ebrietate.

Crapula quid?

B

ET EBRIETATE] Ebrietas est intemperantia potus, præsertim cum tanta est, ut homini usum rationis adimat: tunc enim proprie & perfecte quis dicitur ebrius, cum bibendo sibi usum rationis aufert, ideoque peccat mortaliter, ut docent S. Thomas, Angelus, Sylvester, Navarrus, Toletus, Lessius, Bonacina, cæterique Doctores casuum.

Ebrietas quid?

Vetat ergo intemperantiam potus hic Christus, quia illa animum in potu submergit, ut nonnisi vina cogitet, somnolentum efficit, stupidum & insensibilem, ut ebrius ea quæ salutis sunt perpendere nequeat, adeoque non tam homo rationalis, quam rationale pecus & brutum esse videatur.

C ET CURIS HUJUS VITÆ] quæ animum absorbent mentemque demergunt, ait Euthym. nec sinunt hominem de salute animæ cogitare. *Vitæ hujus curæ*, ait Titus, *crapula item, & ebrietas homini intellectum adimunt, fidem obscurant, & earum rerum quæ sunt utiles ac necessariæ, oblivionem inducunt:* plane enim mentem distrahunt, occupant, & ad terrena curanda rapiunt, unde Arabicus vertit, *& sollicitudine rerum mundi.*

VERS. 35 TAMQUAM LAQUEUS ENIM SUPERVENIET (illaqueabit) IN OMNES QUI SEDENT (habitant, commorantur) SUPER FACIEM OMNIS TERRÆ] Sicut enim laqueo quasi ex insidiis, capiuntur aves incautæ, sic & in die judicii capientur homines voluptuarii. Secundo, sicut laqueus aves strangulat, sic & dies judicii peccatores suffocabit. Tertio, sicut laqueus semper retinet id quod semel cœpit, ait Interlinearis: sic & sententia data a Christo judice, erit perpetua, semperque hominem judicatum vel in cælo glorificabit, vel in gehenna cremabit.

Laqueo comparatur dies judicii.

VERS. 36 VIGILATE ITAQUE; OMNI TEMPORE (opportuno, id est diligenter, frequenter, perseveranter) ORANTES UT DIGNI HABEAMINI (Arab. *ut corroboremini in fuga*) FUGERE (græce ἐκφυγεῖν, id est effugere) ISTA OMNIA, QUÆ FUTURA SUNT, ET STARE (securi, confidentes, læti) ANTE FILIUM HOMINIS] juxta illud Sap. 5. *Stabunt justi in magna constantia.* Qui ergo vigiliis, orationibus, & bonis operibus assidue vacant, hisce non erit dies illa laqueus, sed festivus, inquit Theophylactus.

D

VERS. 37 ERAT AUTEM DIEBUS DOCENS IN TEMPLO, NOCTIBUS VERO EXIENS, MORABATUR (Arabic. *habitabat*) IN MONTE QUI VOCATUR OLIVETI] eo quod oleis & olivis abundaret. Diem ergo Christus dabat prædicationi, & proximo; noctem vero orationi, sibi & Deo: quare parum dabat quieti & somno. Idem faciebat S. Paulus, S. Dominicus, S. Franciscus noster Xaverius, aliique similes. *Noctu*, ait Theoph. *secedebat in montem, monstrans nobis, quod oporteat nocte quidem per quietem colloqui cum Deo, die autem morem gerere, & prodesse hominibus.* Unde Beda: *Quod verbis præcipit*, inquit, *confirmat exemplis: nam impendente sua tempore passionis, doctrinæ, vigiliæ & precibus instat, eos pro quibus passurus erat vel verbo ad fidem provocans vel patriæ exemplo commendans.*

E

ET OMNIS POPULUS MANICABAT AD EUM IN TEMPLO AUDIRE EUM] *Manicabat* (græce ὀρθρίζει, id est mane veniebat, mane itabat; unde Emman. Sa censet legendum *manitabat:* sed Roman. hic & alibi legunt, *manicabat*. Sicut enim a Græco ὄρθρον, dicitur ὀρθρίζειν, sic a Latino *mane* dicitur *manicare: mane* enim *clarum veteres dicebant*; ait Nonius. Servius vero, *Manum*, inquit, *antiqui bonum dicebant; unde & mane dicitur; quid enim melius?* Mane enim vigent sensus: ideoque mane, quasi optima & prima pars diei, Deo est danda. VERS. 38

CAPUT XXII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit Judæ proditionem, mox ultimam Christi cœnam, in eaque Eucharistiæ institutionem, ac contentionem Apostolorum de primatu a Christo repressam, atque negationem Petri a Christo prædictã. Inde v. 39. inchoat passionem Christi: narrat enim ejus orationem, & sudorem sanguineum in horto. Tertio defensionem, & mox negationem, Christi alapas, illusiones, ac denique condemnationẽ ejusdem.

F

APpropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: VERS. 1

2. & quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jesum interficerent: timebant vero plebem.

3. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim,

4. & abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.

5. Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare.

6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.

7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. G

8. Et misit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.

9. At illi dixerunt: Ubi vis paremus?

10. Et dixit ad eos: Ecce, introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat,

11. & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem?

12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.

13. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt pascha.

14. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

15. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. H

16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

17. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos:

18. dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.

20. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.

22. Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.

23. Et

Digitized by Google

A 23. Et ipsi coeperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

24. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.

25. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

26. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.

27. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.

28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis:

29. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,

30. ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

B 31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum:

32. ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.

34. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis:

35. Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & amat gladium.

37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.

C 38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.

39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum & discipuli.

40. Et cum perveniisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.

41. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis: & positis genibus orabat,

42. dicens: Pater si vis, transfer calicem istum a me: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

43. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat.

44. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

45. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes D præ tristitia.

46. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

47. Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Filium hominis tradis?

49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio?

50. Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.

51. Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. E

52. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis, & fustibus?

53. cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur a longe.

55. Accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum,

56. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat.

57. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum,

58. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo non sum. F

59. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus est.

60. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus.

61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis:

62. Et egressus foras Petrus flevit amare.

63. Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

64. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit:

65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. G

67. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi.

68. Si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.

70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.

71. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.

ET QUÆREBAT OPPORTUNITATEM UT TRADERET ILLUM SINE TURBIS] Judas vendidit Christum Judæis feria quarta, sive die Mercurii: mox die sequenti, puta feria quinta, sive die Jovis, illum eis tradidit. Unde sequitur: *Venit autem dies azymorum*. Vide quam festina fuerit Judæ improbitas, æque ac astuta, & callida: sciebat enim Christum de more celebraturum Pascha die sequenti Hierosolymæ; quare tunc commodissimum fore eum tradere Hierosolymorum principibus. VERS. 6. Christum vendidit Judas feria quarta. H

HIC EST CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN SANGUINE MEO] Hoc est, hic calix est instrumentum authenticorum, & quasi charta tabulaque testamentaria, in qua scriptum & consignatum est novum meum testamentum, de danda vobis mea hereditate cælesti: scriptum, inquam, non atramento, sed sanguine meo. Vide dicta 1. Cor. 11. 25. VERS. 20

ET QUI POTESTATEM HABENT SUPER EOS, BENEFICI VOCANTUR] Græce, *evergetæ*, id est, *benefici*. Est enim hic titulus honoris & laudis, qui principibus defertur; quod benefici esse soleant, vel debeant. VERS. 25

Hinc olim proprium regis epithetum erat *bonus*. Virgil. 1. Æneid. de Aceste rege Siciliæ; Bonus olim proprium regis epitheton.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

Martialis de suo Domitiano:

Digitized by Google

A *Et bonus æthereo lactatur nectare Cæsar.*
Et iterum, l. 12. epigr. ex emendatis de Nerva Trajano;
Temporibusque malis ausus es esse bonus.
Horat. 4. Carm. ode 5.
Divis orte bonis optime Romule.
Homerus nihil aliud in rege desiderabat, nisi ut esset fortis in hostes, & bonus in cives. Inde etiam Deus Rex regum, proprio epithero dicitur Optimus, Maximus. Sic apud Plut. de Iside & Osiride dicitur Bacchus πολυαγαθὸς, id est, valde bonus. Imo præsidum epitherum erat *optimus*. Unde Paulus Felicem præsidem cognominat *optimum*, Act. 23. Vide ibi dicta.

VERS. 26 VOS AUTEM NON SIC: SED QUI MAJOR EST IN VOBIS, FIAT SICUT MINOR] Arabic. *major ex vobis fiat sicut minimus*. q.d. Qui vult inter vos esse maximus, fiat minimus, hac ratione fiet maximus.

Moraliter discе hic paradoxum Christi mundo incredibile, sed in se verissimum: & experientia certissimum, nimirum viam ad celsitudinem esse sui abjectionem. Vis esse major? fias minor. Hinc enim viam æterna lege sanxit,
B fixitque Deus, ideoque primus eam Christus inivit, ut nos per eamdem eum sequeremur. Ipse enim semetipsum *exinanivit & humiliavit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*, Philip. 2.

S. Francisci humilitas in cælo præmiata. Quocirca S. Franciscus magnus Christi admirator, & imitator, sese ad infima abjecit, omniumque voluit esse pauperrimus & vilissimus. Hinc cuidam Sancto visa est in cælo sedes altissima & splendidissima, ac roganti cujusnam illa foret, responsum est: *Hæc sedes magni unius eruentibus angelis fuit, & nunc humili servatur Francisco*, ut refert S. Bonavent. in ejus Vita c. 6. Idem fratres suos voluit vocari Minores. Ne, inquit, majores fieri præsumant. Ejus assecla S. Franciscus de Paula, sui Ordinis socios non Minores, sed Minimos nuncupari jussit. Quocirca B. Magdalena de Pazzis, nuper inter Beatas relata a S. D. N. Urbano Octavo, hoc a Deo dogma accepit: *Este Ordinis Minimorum, & Minimorum minima*, ut tantum contendas esse minima, quantum mundani contendunt esse maximi. S. Elisabeth filia Andreæ regis Hungariæ & uxor Lantgravii Hassiæ, ad ima se demittebat, ut leprosis, ulcerosis, saniosis, quos ancillæ ejus horrebant, ipsa jucundissime serviret, saniem & ulcera suis manibus extergeret, vermes eximeret, cibum in os ingereret, cumque amici ei objicerent hæc, persona & statu ejus indigna esse, ideoque illam principatu pulsam, in magna egestate vivere, respondebat se, si quod genus vitæ vilius sciret, & abjectius, illud electuram, ut Christo Domino, qui ex primo se fecit imum, & novissimum virorum, ut ait Isaias, cap. 53. ad nostrum exemplum, ut illud imitemur, magis se assimilaret & conformaret: in hoc enim consistit apex virtutis & perfectionis Christianæ. Idem dictitabat & factitabat S. Hedvvigis Duciſſa Poloniæ, materterа S. Elisabethæ, ejusque neptis S. Elisabetha regina Portugalliæ. Quocirca S. Paulinus Nolæ Episcopus vendidit se in servum pro filio viduæ, ut Christum imitaretur, & virorum novissimum se efficeret. Idem fecit Petrus Telonarius, uti narratur in Vita S. Joannis Eleemosynarii. Hoc est, quod docet Sapiens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino invenies gratiam*, Eccl. 3. 20. Vide ibi dicta.

S. Hedvvigis.

S. Paulinus.

D VERS. 29 ET EGO DISPONO VOBIS, SICUT DISPOSUIT MIHI PATER MEUS REGNUM] q.d. Sicut Pater meus cælestis per humilitatem & crucem, perque tot labores & dolores mihi decrevit & paravit regnum cæleste & æternum: ita & ego vobis idem *disſono*, id est, decerno, præparo, & vadens ad mortem nunc quasi testamento lego (hoc enim est Græcum διατίθεμαι, unde διαθήκη, id est testamentum) ut per similem humilitatem, crucem, labores & dolores, simile, imo idem, regnum mecum in cælo ineatis, ac proinde jam non disputetis quis inter vos sit major, sed quis sit minor, ut quisque studeat alium superare sui abjectione & humilitate: qui enim hoc fecerit, primus, & maximus erit in regno meo cælesti.

VERS. 30 UT EDATIS ET BIBATIS SUPER MENSAM MEAM IN REGNO MEO] q.d. Sicut rex principibus sibi familiarissimis concedit mensæ suæ communionem, eosque mensæ suæ, suarumque dapum convivas facit, aliis vero minoribus nobilibus aliam mensam minorem assignat: sic ego in cælo vos, o Apostoli, principes & primores regni mei mihi proxime adsciscam, & quasi mensæ meæ, lanciſque regalis convivas intimos adhibebo. Simili enim modo ostendit primos celeberrimosque Apostolos primis honoribus apud immortalem regem porituros, ait Euthym. Titus, & Theophylactus. Est catachresis, qua cælestis gloriæ, deliciæ & honores sæpe in Scriptura comparantur conviviis, epulisque cibi & potus, ac primis in mensa cum rege consessibus, quia homines carnei hæc maxime sapiunt, & cupiunt, spiritalia vero æstimare nesciunt: & quia cibus & potus nobis incorporantur fiuntque nostra, uti in cælo per visionem beatificam, aliasque dotes gloriosas Deus nobis quasi incorporabitur, fierque noster. K

AIT AUTEM DOMINUS: SIMON, SIMON (Petre) ECCE SATANAS EXPETIVIT VOS, UT CRIBRARET SICUT TRITICUM] *Cribraret*, id est, vexaret, affligeret, agitaret, disjiceret, sicut in cribro triticum agitatur, ut illud a paleis & pulvere emundetur. Sic satan petiit a Deo ut cribraret & affligeret Job c. 1. ac impetravit. Idem fecit hic Petro & Apostolis, ac ex parte obtinuit, dum Judæos commovit, F ut comprehenderent Christum: tunc enim Apostoli metuentes & ipsi comprehendi, fugerunt & dispersi sunt. Apposite tentatio comparatur cribro & cribrationi: quia sicut in hoc grana tritici secernuntur a paleis; grana enim remanent in cribro, paleæ vero leves cribro agitatæ avolant, & disperguntur in ventum: sic prorsus fideles, & Sancti in tentatione manent constantes, impii vero desciunt & avolant.

EGO AUTEM ROGAVI (Deum Patrem) PRO TE (quia te destino caput principemque Apostolorum & Ecclesiæ meæ) UT NON DEFICIAT FIDES TUA] qua credis me esse Christum, redemptorem & salvatorem mundi.

Nota, Christum hac oratione Petro præ cæteris Apostolis, duo insignia privilegia postulasse & impetrasse. Primum fuit personale; ut scilicet ipse Petrus numquam fidem in Christum amitteret. Respicit enim Christus ad cribrationem versus præcedentis, id est, tentationem comprehensionis suæ, in qua cæteri Apostoli, velut paleæ, a Christo avolarunt, fidem amiserunt, & huc illuc dispersi fugerunt. Petrus vero, etsi Christum ad horam ore negarit, & charitatem amiserit, ejus tamen fidem corde retinuit. Ita S. Chryſ. hom. 38. in Matt. S. Aug. lib. de Corrept. & gratia c. 8. Theoph. & alii hic. Hoc probabile est, at non certum; nam Franc. Lucas & alii censent Petrum tunc tam fidem, quam charitatem perdidisse, idque ex vehementi turbatione & pavore, sed ad modicum tempus dumtaxat, adeo ut mox renata fides vividius in eo revixerit: hinc censetur non defecisse, id est, non esse evulsa funditus, aut radicitus exstirpata, imo turbata potius quam ad tempus mortua tunc fides Petri. Duo Petri privilegia.

Alterum, & certum privilegium fuit commune Petro, cum omnibus ejus successoribus, ut scilicet ipse & cæteri Pontifices Romani (Romæ enim Petrus, Christo in volente, cathedram Pontificiam statuit & stabilivit) numquam publice a fide deficerent, sic ut Ecclesiam docerent hæresim, vel errorem aliquem, qui sit contra fidem. Ita S. Leo, serm. 2. de natali SS. Petri & Pauli, S. Cypr. l. 1. ep. 3. ad Cornelium, Lucius I. Felix I. Agatho, Nicolaus I. Leo IX. Innoc. III. Bernardus & alii, quos citat & sequitur Bellar. l. 1. de Romano Pontifice.

Opus enim fuit, ut Christus sapientissima sua providentia Ecclesiæ suæ, quæ semper a diabolo cribratur & tentatur, non tantum tempore Petri, sed omni deinceps futuro H usque ad finem mundi, prospiceret de oraculo veræ fidei, quod ipsa in omni fidei dubio consulere, & a quo in fide instrui & confirmari posset: alioqui enim Ecclesia in fide posset errare: quod absit. Est enim ipsa, ut ait Paulus 1. Tim. 3. v. 15. *columna & firmamentum veritatis*. Hoc ergo Ecclesiæ oraculum est Petrus, omnesque succedentes Romani Pontifices. Quare hæc Christi promissio facta Petro, ejusque successoribus, maxime spectat ad tempus, quo Petrus Christo superstes cœpit esse caput Ecclesiæ, scilicet illico post mortem Christi.

ET TU (q. d. Tu ergo) ALIQUANDO CONVERSUS] a cribratione satanæ, id est ab ejus tentatione, & a peccato, quo me paulo post negabis: per hoc enim eris aversus a me, meaque gratia & charitate, ita Euthym. Theoph. Jansen. Franc. Lucas & alii.

Nonnulli τὸ *conversus* accipiunt pro *iterum*, ita Beda; q.d. Tu, o Petre, iterum confirma in fide fratres tuos Apostolos post mortem meam, quos ego jam vivens voce

mea

A mea confirmo. Sic enim Hebræi sæpe verba sumunt pro verborum adverbiis. Sic Ps. 84. 7. dicitur: *Deus tu conversus vivificabis nos*: *conversus*, id est, rursum, denuo ita Genebrard.

CONFIRMA, in fide de qua præcessit, FRATRES TUOS] & consequenter meos. Mira hic Christi dignatio, qua Apostolos non vocat filios, etsi eos Deo spiritualiter genuisset, sed *fratres*: tum quia Christus, qua homo, omnium hominum erat frater, utpote consors ejusdem naturæ humanæ: tum quia Apostoli in apostolatu & prædicatione Evangelii, erant quasi fratres, & collegæ Christi. Idem enim agebant, quod Christus. Hinc colligunt Patres citati & Doctores, Petrum a Christo fuisse præpositum cæteris Apostolis, ac consequenter totius Ecclesiæ factum esse principem & caput, ut eamdem in fide & religione Christi instrueret, perficeret & confirmaret.

VERS. 36 SED NUNC QUI HABET SACCULUM (marsupium pecunia plenum) TOLLAT SIMILITER ET PERAM] cibo plenam, ut se in instante persecutione alat, quia illam nusquam inveniet, eo quod homines a me quasi victo, & reo consequenter a vobis mei discipulis, fugient, quasi a sceleratis & damnatis.

B ET QUI NON HABET (gladium, ut sequitur) VENDAT TUNICAM SUAM, ET EMAT GLADIUM] Verba hæc Christi sunt non imperantis tolli sacculum & peram, ac vendi tunicam ut ematur gladius; nam paulo post Petrum stringentem gladium inhibuit, sed prænuntiantis instantem sibi & Apostoli persecutionem acerrimam: quæ tanta erit, ut cibus & gladius ad tutelam vitæ ipsorum, comparanda esse videantur homini, rem, reique difficultatem humana prudentia æstimanti. Sensus ergo est, q. d. Hactenus vobis, o Apostoli mei, omnia fuere secunda & prospera. Cum enim misi vos evangelizatum sine sacculo, pera & gladio, plurimi benigne vos exceperunt, aluerunt, defenderunt, ut vobis sacculo, pera & gladio non foret opus. At jam mihi & vobis tanta instat persecutio, tantum vitæ periculum, ut secundum humanam prudentiam videatur necessarium sibi & suæ vitæ consulere, ac per sacculum & peram de annona, per gladium de tuenda vita cuique prospicere, ideoque vendere tunicam, ut gladium comparet, quo vitam tueatur. Mihi tamen divina prudentia, ac

C Dei Patris consilio & decreto rem metienti, nullo horum est opus: quia, ut Dei Patris voluntati me conformem, ultro ad crucem & mortem, ac persecutoribus me crucifixuris sponte offero. Ita S. Chrysost. hom. 85. in Matth. & ex eo Theoph. hic, Jansen. Maldon. & alii, ut patet ex seq. Pulchre S. Ambr. *O Domine* inquit, *cur me jubes emere gladium, qui ferire prohibes, nisi forte ut parata sit defensio, & videaris potuisse vindicare, sed noluisse.*

VERS. 38 AT ILLI DIXERUNT: DOMINE, ECCE DUO GLADII HIC] Non satis intellexerunt Apostoli Christi mentem, phrasim & catachresin. Christus enim non emendos gladios, sed instans periculum significare voluit. Christus vero noluit Apostolis mentem suam explicare, sed dissimulavit, dicens, *satis est*: idque hoc fine, ut permitteret hos gladios a Petro & Apostolis ferri, unoque eorum Malcho aurem præscindi, quam ipse mox restitueret, & sanaret: itaque ostenderet se non vi coactum sed charitate adactum libere & libenter pati ac mori. Censent aliqui hos gladios non fuisse militares, sed rusticos, vel potius magnos lanionum cultros, quibus Apostoli usi fuerant ad jugulationem, immolationem & divisionem agni paschalis, ita S. Chrysost. de quo pluta Matth. 27.

VERS. 39 D ET EGRESSUS (e cœnaculo montis Sion) IBAT SECUNDUM CONSUETUDINEM IN MONTEM OLIVARUM] Causam dat Beda; Tradendus, inquit, a discipulo Dominus, consueti secessus locum, quo facillime reperiri possit, adit. Ubi sunt ergo, qui eum mortem timuisse, invitumque contendunt esse crucifixum? Solebat enim Christus hisce ultimis vitæ suæ diebus per diem prædicare in templo, noctu vero secedere in Montem oliveti orationis causa, idque sciebat Judas utpote Apostolus & comes Christi, quare in montem hunc venit cum satellitibus, ibique eis Christum prodidit, & tradidit.

VERS. 43 Angelus solatur Christum in horto. APPARUIT AUTEM ILLI ANGELUS DE CÆLO, CONFORTANS EUM] *Apparuit*, in corpore assumpto visibiliter, ut sua specie & voce oculos aureasque Christi pavidas confortaret. Putat Jansenius angelum hunc in singulis, puta in ternis Christi orationibus apparuisse, ideoque ter eum confortasse, ut doceret Deum orantes semper exaudire, eisque jugiter aliquam gratiam & robur impertiri. Probabilius Franc. Lucas, & aliis censent angelum in tertia & ultima Christi oratione dumtaxat apparuisse, eumque confortasse; cum scilicet, ut subdit Luc. Christus in agonia factus prolixius & intentius orans, sudavit sanguinem; ut doceret esse perseverandum in oratione, ac fructum perseverantiæ esse consolationem Dei, & visionem angelorum: nam post hanc consolationem Patris factam ab angelo, videtur agonia Christi transisse, nec Christus amplius orasse, sed fortiter ad mortem se comparasse.

E Angelus hic fuit Gabriel, ait Gabr. Vasquez 1. p. to. 2. disp. 244. n. 3. Gabriel enim nomen habet a fortitudine; Gabriel enim dicitur, quasi *geber el*, id est, *vir Dei*, vel quasi *gebura el*, id est, *fortitudo Dei*; quia ipse habet officium confortandi homines infirmos, afflictos & pusillanimes; confortavit autem Christum, non corroborando ejus infirmitatem, sed eximiam ejus fortitudinem collaudando. Idem censet Lud. de Ponte in medit. de Agonia Christi in horto; quia Gabriel, inquit, fuit legatus & internuncius œconomiæ Christi, ut incarnationis, Lucæ 1. 26. ac hebdomadum Danielis, quæ designant tempus nativitatis Christi, Dan. 9. 21. Quis hic Angelus? Gabrielis etymon.



Alii tamen, ut Franc. Lucas, putant angelum hunc fuisse Michaelem: hic enim est summus angelus, quem decebat summo Deo, puta Christo, hoc officium præstare.

CONFORTANS EUM] præmissa Christi laude, & adoratione debita, ait Titus. Confortabat autem Christum exterius loquendo, & proponendo ei Patris voluntatem & gloriam, item fructum uberem, tum Christo, tum hominibus, tum angelis ex passione sua proventurum. Nam non poterat angelus interius in anima Christi operari, nec immutare immediate interiores Christi potentias. Unde sicut exterius tantum a diabolo tentari potuit Christus, sic ab angelo exterius tantum confortari, non tamen doceri, vel illuminari: ipse enim præ angelis, a primo instanti conceptionis suæ plenus erat sapientia & scientia. Ita Scholast. cum D. Thoma 3. p. q. 12. art. 4. Dixit ergo angelus hic Christo hæc vel similia: O Christe, Domine mi, virorum fortissime, tua oratio gratissima accidit Patri tuo, quia non obstante naturali mortis horrore, & mœrore, te per omnia resignas Patris voluntati, ut mortem ab eo tibi decretam fortiter subeas; Depone ergo horrorem hunc, & mœrorem, quem sponte tibi acerbisti, pristinum ergo animum roburque sume, ac viriliter aggredere opus redemptionis humanæ, quo summe Dei gloriam celebrabis, angelos lætificabis, homines ex inferno redimes, eosque ad gloriam cælestem reduces. Proposito tibi gaudio crucem sustine, futurus auctor & consummator fidei plurimorum, Hebr. 12. v. 2. Sic efficies, ut SS. Petrus, Paulus, Laurentius, Vincentius, Agnes, Cæcilia, plurimique alii Martyres & virgines, quasi viri, viragines, & heroes generosi, fortiter pro Deo subeant martyria, utque fideles Sanctique cæteri de carne, mundo & dæmone gloriose triumphent. Scio quidem te id facturum etiam non monente me, neque opus tibi esse Domino meo confirmatione mea, qui a teipso confirmor, ut sim, & vivam, sed ut gratum tibi sit hoc ministerium meum, quod Deo Patre suo jubente, dispensatore exhibeo, etiam atque etiam oro.

G

Hinc Theoph. angelum ita Christo locutum opinatur: *Domine, tua est virtus: tu enim potes contra mortem & infernum, genus humanum liberare.*

VERS. 44 ET FACTUS IN AGONIA, PROLIXIUS ORABAT: ET FACTUS EST SUDOR EJUS SICUT GUTTÆ SANGUINIS DECURRENTIS IN TERRAM] τὸ & Hebræo more est causale, ideinq; valet quod *quia*, q. d. Ideo confortavit eum angelus, quia Christus in agonia factus oransque prolixius sudabat sanguinem: tunc enim videbatur egere confortatione, eamque mereri: itaq; hic fuit rei gestæ ordo. Christus primo & secundo jam oraverat, sed nullam senserat Dei opem, quare instante jam sui comprehensione, permittens agoniam, id est vehementiorem passionis horrorem & angorem in se oriri, sudavit sanguinem, unde ad eum vincendum tertio vehementius oravit, ut doceret, crescente tentatione, nos pariter intendere debere orationem, Quocirca tunc illico apparuit ei angelus confortans eum, quo facto desiit orare æque ac pavere & mœrere, ac suppressa, & superata agonia animose sese ad passionem composuit, ultroq; Judæ proditori obviam prodiit.

H

PROLIXIUS] Græce, ἐκτενέστερον, id est *extensius & intensius*. Extensius, quia fuit hæc tertia Christi oratio, ut patet ex Matthæo & Marco, in qua pariter videtur Christus diutius hæsisse. Intensius, quia intendente se angore, ad eum superandum intendit Christus pariter mentis in oran-

do

A do contentionem, ac intensiore affectu & ardore oravit. Lucas enim trinam Christi orationem, quam narrant Matthæus & Marcus, per compendium una complexus est; quare quædam de illa narrat, quæ in prima & secunda, quædam quæ in tertia oratione illi acciderunt.

Sudor Christi sanguineus. ET FACTUS EST SUDOR EJUS SICUT GUTTÆ SANGUINIS DECURRENTES (græce καταβαίνοντες, id est, descendentes, decurrentes, scilicet guttæ, sed eodem redit sensus) IN TERRAM] *Guttæ*, græce, θρόμβοι, id est, grumi, ut vertit Syrus, sive crassæ guttæ, & ut legit Irenæus, globi sanguinis, Arabicus, *& factus est sudor ejus velut sanguis distillans, descendens in terram.*

Nota Primo. Quidam codices olim nil habuerunt de hoc Christi sudore sanguineo, teste S. Hilario l. 10. de Trinitate, & Hier. lib. 3. contra Pelag. scilicet ne Christo animi infirmitatem & dolorem tribuant; sed jam communiter omnes codices Græci, Latini, Syri, Arabici idipsum habent; quare verum id est esse legendum, juxta definitionem Concilii Trid. sess. 4.

Nota Secundo, Christum dici sudasse sanguinem, non improprie, proverbialiter & hyperbolice, sicut de eo, qui vehementer angitur & affligitur, dicimus eum sudare sanguinem, uti explicant Euthym. & Theophyl. sed vere & proprie: quare τὸ *quasi* hic non similitudinem, sed veritatem denotat, ita SS. Hilarius, Hier. Aug. & passim alii: unde Æthiopicus clare vertit, *& factus est sudor ejus sicut sudor sanguinis defluens in terrā.* Consentit Persicus. Hinc S. Athan. l. 6. ad Theophylum, qui est de beatitudine Filii Dei, anathema dicit eis, qui Christum negant sudasse verum sanguinem. Porro in vehementi angore naturaliter hominem posse sudare sanguinem, docet Aristoteles lib. 3. de Histor. animal. c. 19. præsertim in eo, qui delicato, poroso & raro est corpore, ac subtiliorem habet sanguinem, qualis fuit Christi. Sudor enim nihil aliud est nisi serum, sive pars aquosa sanguinis; cum sero autem etiam subtilior sanguis ex ingenti anxietate in porosis facile excernitur. Angor enim inflammat, & extenuat sanguinem, & poros aperit, itaque per eos illum excernit; maxime si jam exsudarit omnem, vel quasi omnem, propriam sudoris materiam, sicut ubera, deficiente lacte, si emungas, dant sanguinem. Unde Cajetanus censet Christum sudasse sanguinem, eo quod jam exsudasset humorem, qui solet verti in sudorem. Porro C vox *sicut gutta* significat, non purum fuisse sanguinem, sed mistum, quo scilicet sudor cum sanguine misceretur, ita Suarez 3. par. q. 46. art. 8. disp. 34. sect. 2.

Unde. Nota Tertio, hunc sudorem in sanguinem in Christo manasse, non tam ex tristitia & angore, quam ex actu fortitudinis & audaciæ, quo deliberata & efficaci voluntate, æque ac actu appetitus sensitivi a voluntate imperato, generose mortem & omnes dolores, qui vivacissime imaginationi ejus repræsentabantur, amplectebatur, & naturalem mortis dolorumque horrorem superabat: & hæc agonia Christi proveniebat, scilicet ex vehementia resistentiæ & orationis, uti innuit hic Lucas. Quocirca ex angore quidem, sed magis ex actu fortitudinis, heroice angori resistentis, naturaliter secutum fuit hoc sanguinis in Christo profluvium. Dices, Nemo naturaliter sudat grumos sanguinis. Respondeo, Christum sudasse tantū subtilem sanguinem, sed copiose, ita ut is veniens ad extremas corporis partes, & per se, & propter aerem frigidum in grumos condensatus sit. Ita Suarez loco jam citato.

D Nota Quarto, causas finales & morales hujus sudoris fuisse plures. Prima fuit, ut acerbitatem doloris & magis vehementiam amoris sui erga nos ostenderet, atque in nobis excitaret spem, amorem, & sui imitationem. Sicut enim vehementia ignis facit, ut in distillatione aqua e rosis emanet, sic vehementia amoris fecit, ut ex corpore Christi sanguis stillaret. Secundo, Christus hunc sanguinem, ac seipsum cum sanguine in holocaustum & victimam pro peccatis nostris Deo Patri obtulit. Sanguinem enim ex oculis, facie, pectore, manibus, pedibusque sudabat, illudque lacrymis cum suspiriis & precibus intensis miscebat. Unde S. Bern. serm. 3. in Dominica Palmarum, agens de hac oratione Christi in horto: *Ubi quidem*, inquit, *non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, potius lacrymis corporis purgaretur*, nimirum Christi amor non contentus aqueis oculorum lacrymis, voluit sanguineis totius corporis lacrymis peccata nostra deflere & abluere; & hæ Christi lacrymæ apud Deum Patrem fuere efficacissimæ. Vocalis est enim sanguis Christi, teste Irenæo lib. 5. c. 1. magisque loquitur & clamat, quam sanguis Abel; E Hebr. 12. vers. 24. Sanguis enim Abel clamat vindictam, sanguis vero Christi misericordiam.

Symbolica causa fuit, ut significaret Christus de toto corpore suo, quod est Ecclesia, emanaturas Martyrum passiones, ait S. Augustin. in Sentent. sent. 68. Rursum Christi sanguis defluxit in terram, ut significaretur terrenos homines sanguine Christi irrigandos, ait Beda.

ET CUM SURREXISSET AB ORATIONE, ET VENISSET AD DISCIPULOS SUOS, INVENIT EOS DORMIENTES PRÆ TRISTITIA] Tristitia enim cor contrahit, impeditque, de illud spiritus vitales subtiles ad caput emittat, quare vapores acri & crassi cerebrum invadunt, qui somni sunt causa. Porro hic est hysteron proteron. Hæc enim contigerunt ante sudorem sanguineum: hic enim accidit in tertia Christi oratione, illa vero facta sunt in prima, ut patet ex Matth. & Marco. Causa est, quia Lucas trinam Christi orationem conflat in unam; quare commiscet ea, quæ diverso tempore in tribus Christi orationibus facta sunt, perinde ac si in una eademque peracta fuissent. Post primam ergo orationem Christi visitans Apostolos, invenientsque eos dormientes, dixit id, quod sequitur: Vers. 45

ET AIT ILLIS: QUID DORMITIS? SURGITE, ORATE, NE INTRETIS IN TENTATIONEM] Vide dicta Matthæi 26. v. 27. F Vers. 46

CAPUT XXIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur Christi passionem, narratque Judæorum contra eum accusationem, Herodis illusionem, Pilati flagellationem, condemnationem, crucifixionem, Josephi sepulturam: quæ fere omnia audivimus Matt. 27.

ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Vers. 1

2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. G

3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait: Tu dicis.

4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine.

5. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.

6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.

7. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus,

8. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. H

9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

10. Stabant autem principes sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum.

11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

12. Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem.

13. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, & magistratibus; & plebe,

14. dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.

15. Sed

Digitized by Google

A 15. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.

16. Emendatum ergo illum dimittam.

17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.

18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.

19. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, & homicidium, missus in carcerem.

20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesu.

21. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

22. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.

B 23. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eorum.

24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.

25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum vero tradidit voluntati eorum.

26. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.

27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum.

28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

C 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos.

31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

32. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, unum a dextris, & alterum a sinistris.

34. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes.

35. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.

D 36. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,

37. & dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.

38. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Judæorum.

39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.

40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es.

41. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.

42. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.

43. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. E

44. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.

45. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium.

46. Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit.

47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat.

48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertabantur.

49. Stabant autem omnes noti ejus a longe; & mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa hæc videntes.

50. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat de- F curio, vir bonus, & justus:

51. hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.

52. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu:

53. & depositum involvit sindone, & posuit eum in monumento excisо, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54. Et dies erat parasceves, & sabbatum illucescebat.

55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus,

56. Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

UNUS AUTEM DE HIS QUI PENDEBANT (a sinistro latere Christi) LATRONIBUS BLASPHEMABAT EUM, DICENS: SI TU ES CHRISTUS (Salvator mundi) SALVUM FAC TEMETIPSUM, ET NOS] ut nos a cruce liberes, ac vitæ & libertati restituas. Voluit Christus atrocissima pati, idque ab omni genere hominum, ideoque irrideri & blasphemari, non tantum a Scribis & Judæis, sed & ab ipso latrone, supplicii sui socio, quod longe erat acerbius: latro enim hic animum agens debuisset Christo compati, ac cogitare de salute animæ suæ, eamque a Christo postulare; ut & nos ad scommata, irrisiones, & subsannationes taceamus, & mente patientiam, ore silentium præferamus. VERS. 39 G

RESPONDENS AUTEM ALTER (pendens a dextera Christi ut habet traditio) INCREPABAT EUM DICENS: NEQUE TU TIMES DEUM, QUOD IN EADEM DAMNATIONE (græce κρίματι, id est, judicio, supplicio crucis cum Christo mecum) ES.] Syrus, *etiam non a Deo non times tu*? q. d. Esto, Scribæ & Judæi liberi & validi non timeant Deum, ideoque subsannent Christum; tu tamen qui in cruce torqueris, & ad mortem tendis, deberes timere Deum ne te paulo post mortem acriter puniat, eo quod tam sacrilege Christum ejus blasphemes. Significat ergo hic latro se timere Deum: *Initium autem sapientiæ* (& salutis) *timor Domini*, Eccl. 1. 28. nec tantum se timere Deum, H sed & socium latronem ad eumdem timorem exhortari, q. d: Esto Judæi rideant Christum, tuum tamen est timere Deum, tum quia in eadem es damnatione, id est pœna crucis ad quam juste damnatus es; Christus vero innocens injuste, ac proinde decet te potius socii tui in pœna, præsertim innocentis, misereri, quam conviciari; tum quia debes te ad mortem componere, & ad judicium Dei, ubi hujus tuæ blasphemiæ rationem reddes, & actem gehennæ vindictam subibis. Porro dicendo: *Neque tu times Deum*, videtur Christum denotare, eumque confiteri esse Deum, q. d. Time vindictam Christi, quem blasphemas, quia ipse non tantum est homo, sed & Deus: hoc enim ipsum a Christo illuminatum credidisse, mox patebit. Ita S. Ambr. & Euseb. quorum verba recitabo. VERS. 40 Latro bonus alterum increpat.

ET NOS QUIDEM JUSTE (damnati versamur in hac damnatione, id est pœna crucis) NAM DIGNA FACTIS VERS. 41

RECI-

A RECIPIMUS. *En actum profundæ publicæque contritionis, confessionis & pœnitentiæ, quo priora scelera expiavit:* HIC VERO NIHIL MALI GESSIT *] Græce,* ἄτοπον, *id est absonum, indecens, incongruum, nihil quod vel leviter reprehendi aut culpari posset. En libera publicaque confessio, ac testimonium innocentiæ Christi, quod latro hic dat Christo, coram Scribis & principibus, qui Christum damnarant, nil veritus eorum iram & furorem.*

VERS. 42 ET DICEBAT AD JESUM: DOMINE, MEMENTO MEI CUM VENERIS IN REGNUM TUUM *] cæleste & divinum, ad quod tendis per mortem crucis, ut mox a morte illud ineas, tuosque in illud introducas: quare te obsecro ut & me in illud tecum inducas; ideoque peccatorum omnium, quorum me summe pœnitet, veniam a te supplex deposco, ac pro satisfactione tormenta hæc crucis, in eaque mortem, quam libenter subeo, tibi offero: quare totum me tibi resigno, dedico, consecro. Utinam pro te, tuaque fide & amore hæc & plura tormenta pati mihi concederetur. Hæc enim ejus verba significant vivam & ardentem ejus fidem, spem, charitatem, devotionem, humilitatem, patientiam, contritionem, cæteraque virtutes.*

B Moraliter disce hic vim, efficaciam, & celeritatem gratiæ Christi, quæ in ipsa cruce ex latrone fecit virum sanctum, imo sanctissimum. Mira fuit conversio S. Magdalenæ, mira S. Pauli, sed magis mira hujus latronis; quia S. Magdalena audierat dicta & miracula Christi: S. Paulus cum e cælo verberantem sentiebat; latro vero in ipsa cruce, ubi Christus infame & atrox latronum supplicium patiebatur, fuit ad eum conversus per heroicos fidei, charitatis, devotionis, &c. actus. Addunt S. Hieron. Chrysost. Theoph. Euthym. in Matth. cap. 27. Cyrill. Hierosolym. catech. 13. Origenes tract. 35. in Matth. hunc latronem prius cum socio blasphemasse Christum; nam SS. Matth. & Marcus dicunt in plurali, *latrones* improperasse Christo; licet probabilius S. Aug. Epiphan. Anselm. & alii cum Suarez contrarium sentiant, censeantque per synechoden *latrones* vocari unum e latronibus; nam Lucas diserte ait unum blasphemasse, alterum confessum esse Christum. Si prius blasphemavit, magis mira fuit ejus conversio, qua subito blasphemias convertit in confessionem, & laudem Christi. Unde exclamat S. Aug. *Hæc mutatio latronis dextera Excelsi est.*

Conversio latronis mira.

C Quæres, qua ratione fuit conversus? Resp. Exterius per exempla virtutum, quæ in Christo cernebat, eximiæ scilicet charitatis, qua illum pro inimicis orantem audierat, patientiæ, fortitudinis, modestiæ, religionis ac virtutum omnium. Ita Theoph. hic & Euthym. c. 67. in Matt. Interius vero per raram, & pene miraculosam Dei motionem & illustrationem, qua cognovit Christum esse innocentem, & altioris regni regem & supremum dominum, in cujus potestate esset hominem etiam mortuum beare: quare ipsum esse Messiam, Dei filium, & salvatorem mundi. Ita S. Leo ser. 2. de Passione: *Quæ,* inquit, *istam fidem exhortatio persuasit, quæ doctrina imbuit, quis prædicator accendit? non viderat prius acta miracula, cessaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt supplicii sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum.* Nota hic illa verba, *ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant:* videtur enim illis tacite reprehendere id, quod apud Hieronymum in c. 27. Matt. reperimus scriptum, *sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris; unum latronem cœpisse credere, & confiteri Jesum.* Quam sententiam pene iisdem verbis habet Chrysost. hom. 2. de Cruce & latrone, & significat Origenes tract. 34. in Matth.

D Sed mirum est, hos Patres non animadvertisse hanc sententiam pugnare cum Evangelio, quia, exceptis tenebris, cætera signa acciderunt mortuo jam Christo (ut plane ex Evangelio constat) cum tamen ex eodem Evangelio perspicuum sit latronem conversum esse vivente Christo: solis autem defectio, & tenebræ post latronis conversionem a Luca narrantur. Eamdem vero cum Leone sententiam docet S. Cyrill. catech. 13. dicens: *Qua virtus te illuminavit, o latro? quis te docuit adorare contemptum, & simul cruci affixum? O lumen perpetuum illuminans obscuratos!* Eadem fuse prosequitur S. Aug. ser. 13. de Tempore, S. Chrys. hom. de Latrone, ser. 1. de Cruce & Latrone. Ita Suarez, qui & addit fieri potuisse, ut latro antequam incarceraretur, Christum prædicantem audierit, miracula conspexerit vel audierit, & forte in ipsum credi-

E derit. Addit S. Vincentius Ferrerius ser. de Bono Latrone, eum conversum umbra Christi, cum scilicet sole gyrante, umbra crucis Christi eum contigit. Sic enim umbra S. Petri sanabat infirmos, *Act.* 3. Addunt alii B. Virginem steriſſe mediam inter hunc latronem, & Christum, ac illi gratiam impetrasse, & morienti Christum reipsa crucifixum exhibuisse, uti morientibus solet crucifixus proponi. Adde, ipsum vidisse cælum solemque obscurari, ac diem in noctem verti, ob creatoris sui crucem & mortem.

Porro sanctitas hujus latronis liquet ex eximia ejus fide, spe, & charitate: *fide,* qua credidit in Christum velut Regem regum, quem videbat ut vilissimum hominem, imo ut latronem crucifixum: *spe,* qua a Christo petit ut ad regnum ejus admittatur: *charitate,* qua socium latronem Christum blasphemantem corripit, Christi innocentiam palam coram Judæis & hostibus infensissimis confitetur, & propugnat, cum cæteri omnes, etiam Apostoli, præ metu diffugissent; & Christum deseruissent. Heroicâ ergo ejus fuisset confessio. Unde S. Greg. 18. Moral. c. 13. *In cruce,* ait, *clavi manus pedesque ligaverant, nihilque in eo pœnis liberum, nisi cor & lingua remansserat. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem. In corde autem fidelium tres summopere manere virtutes testatur Apostolus, fidem, spem & charitatem, quas cunctas subito repletus gratia & accepit latro, & servavit in cruce.*

F Exclamat S. Aug. ser. de feria 3. Paschatis, & l. 1. de Anima & ejus origine c. 9. *Hunc fidei quid addi possit, ignoro. Si tituhaverunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantem, credidit ille, qui videbat eum secum in ligno pendentē. Vere non invenit Christus tantam fidem in Israel: imo nec in universo mundo.* S. Chrysost. *Priusquam,* ait, *sibi quidquam petat, curat socium lucrari, quæ insignis est charitas.* Imo nonnulli latronem hunc vocant Martyrem, ut S. Cyprianus epist. ad Fabian. eumque asserit suo sanguine baptizatum, idque repetit ser. de Cœna & ser. de Pas. Dom. ubi ait: *Sic in cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus promissus est in paradisum, & factus est particeps regni per confessionē factus collega martyrii.* Quam Cypriani sententiam refert S. Aug. l. 1. de Anima & ejus orig. c. 9. & lib. 4. de Baptismo cap. 22. ubi ait, Latroni non opus fuisse baptismo vel martyrio, sed sola contritione potuisse salvari. Priori vero loco ait, quod, licet latro non sit mortuus pro Christo, tamen apud Deum tantum valuisse, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus, atque ita inventa est in eo mensura Martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erant Martyres.

An bonus latro fuerit martyr.

G Rursum D. August. serm. 120. de tempore: *Latro,* inquit, *nondum vocatus, & jam electus; nondum famulus, & jam amicus: nondum discipulus, & jam magister, atque ex latrone confessor: quia etsi pœna cœperat in latrone, novo genere consummatur in Martyre.* Idem lib. de Anima & ejus origine c. 9. in 7. tom. *Latro,* inquit, *tantum valuit confessus Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus.* S. Hier. ep. 13. ad Paulinum: *Latro,* inquit, *crucem mutat paradiso, & facit homicidii pœnam martyrium.* Drogo Episcopus Ostiensis tract. de Sacram. Dominicæ passionis (extat tom. 2. Biblioth. SS. Patrum) eumdem vocat Martyrem.

Porro nonnulli hanc rationem martyrii ejus probabilem asserunt, scilicet Judæos, audientes ejus confessionem Christi, qua ipsorum facta, & condemnationem Christi damnabat, ira & furore percitos in illum sæviisse, ac immaniter crura confregisse, ut habent Evangelistæ; itaque mortem illi acerbiorem reddidisse, eamque acceleraſſe, ac proinde Martyrem effeciſſe. Hinc & S. Hilar. lib. 10. de Trinit. eumdem vocat Martyrem: *Martyri,* inquit, *sua paradisum promittens: martyri,* id est, testi, quia latro in cruce protestatus est suam fidem, & spem in Christum; alioqui ipse ob passionem suam proprie, & præcise non fuit Martyr, quia passus est pro suis sceleribus, non pro Christo: nisi dicas Judæos ipsi propter hanc confessionem, mortem aggravasse & acceleraſſe, ut jam indicavi.

H Denique Arnaldus (alii Renaldum vocant) Abbas tract. 9. de Septem verbis Christi in Cruce, in Biblioth. SS. Patrum, asserit latronem hunc evectum in cælos, sedem super angelos omnes, super Cherubinos & Seraphinos, ac ipsum Luciferi thronum occupasse. Vide nostrum P. Stephanum Binetum lib. de Bono Latrone, ubi eum vocat Archangelum paradisi, primogenitum Christi crucifixi

Latronis elogia.

I

Digitized by Google

A fixi filium, Martyrem, Apostolum, & prædicatorem totius mundi, utpote qui e cathedra crucis Christum toti orbi prædicarit, Paulus, inquit, loquitur ut Cherubim, latro amat ut Seraphim. Audi nunc de eodem elogia Patrum.

S. Chrysost. hom. de Cruce, & latrone: *Iste latro*, ait, *de ligno mercatur salutem. Hic latro furatur cœleste imperium, vim facit majestati.* Et inferius: *Nullum, ante latronem, invenies repromissionem paradisi meruisse, non Abraham, non Isaac, non Jacob, non Mosen, nec Prophetas, nec Apostolos; sed ante omnes reperies latronem.* Deinde fidem latronis confert, & præfert fidei Abrahæ, Moisi, Ezechielis, Mosis, eo quod non in templo, non in solio & gloria, uti illi, sed in cruce & tormentis Christo crediderit: *Videt*, ait, *in tormentis, & tamquam in gloria adorat. Videt in cruce, & rogat quasi in cœlis sedentem. Videt condemnatum & regem invocat, dicens: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, & regem prædicas; in ligno pendere cernis, & cœlorum regna meditaris. O admiranda latronis conversio!*

B S. Ambr. serm. 45. *Illud*, ait, *ad gratiam ejus* (latronis) *majoris est meriti, quod Christum in cruce credidit, & passio quæ aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit: recte ergo mercatur paradisum, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem.* Et inferius serm. 50. *Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet ipsius sanguine profluentem, Deum tamen credit, quem reum nescit; justum fatetur, quem non meminit peccatorem.* Et mox: *Intellexit enim, quod pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus hæc vulnera sustineret; scivit quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis: atque ideo plus amare cœpit postquam in corpore ejus sua vulnera recognovit.* Et pluribus interjectis: *Magna plane est & admirabilis fides, quæ Christum crucifixum glorificari magis credidit, quam puniri. In hoc enim totius forma salutis est. Salvatorem tunc majestatis dominum cognoscit, cum videtur humilitatis patientia cruciari. Præcessit devotione, qui præcessit & præmio: prior enim latro ad paradisum, quam Apostoli pervenerunt.*

Eusebius Emissen. (vel quisquis est auctor: stylus enim Latinum arguit auctorem, non Græcum, vel Syrum, qualis fuit Eusebius) hom. de Latrone beato, *Quam singularis*, inquit, *& quam stupenda devotio! sub illo tempore credidit reus, quo negavit electus. Laudabilius hoc itaque in latrone ac magnificentius fuit, quod hominem addictum, & inter extrema deficientem supplicia Dominum credidit, quam si inter virtutum opera credidisset: non itaque sine causa tantum meruit.* Causam subdit: *Illuminaverat, credo, nascentem fidem latronis, jam credentis in Christum, præpius corporea divinitas, quæ se largius sub momento illo peragendæ redemptionis infuderat.* Et mox: *Non dixit: Si Deus es, de supplicio præsenti eripe me: sed magis: Quia Deus es, de futuro judicio libera me, prædicat sæculi judicem, regemque sæculorum*, &c. *etsi pœna coperit in latrone, nova genere consummatur in Martyre.*

Porro latro hic pœnitens a S. Athanas. serm. in Parasceve vocatur *Evangelista: Tamquam latro*, inquit, *crucifixus es, o bone, & repente Evangelista evasisti.* A S. Chrys. serm. in Parasceve vocatur *Propheta*, hoc est prædicator & enarrator magnitudini Christi: *O potentiam Jesu*, inquit, *latro jam Propheta est, & e cruce prædicat.* Idem ibidem rursum vocat *prædonem & raptorem paradisi: Vidisti*, inquit, *quomodo neque in cruce artis suæ obliviscitur, sed per ipsam confessionem prædatur regnum.* Unde Sedulius carm. 5. Pasch.

D *Abstulit iste suis cælorum regna rapinis.*

A S. Cyrillo l. 2. de Ador. & a B. Petro Damian. serm. de Exalt. S. Crucis nuncupatur, *primitiæ crucis Christi, & credentium.* A Drog. de Sacr. Domin. Pass. indigitatur *Petrus in cruce: Tu*, inquit, *Petrus in cruce fuisti, & Petrus in domo Caiphæ, latro*, quia Christum negavit, quem latro in cruce confessus est coram omni populo. A S. Cypriano (vel quisquis est auctor) serm. de Pass. nominatur *collega Martyrii Christi.* Ab Arnol. Abbate Bonæ Vallis tract. 2. de Verbo Christi, *collateralis Christi, & præcursor ejus victoriæ.* A S. Chrysost. hom. de Cæco nato, *advocatus Christi*, quia eum contra Judæos quasi advocatus defendit. Ab Anast. Sinaita l. 5. Hexam. *volucris cali, magna aquila per aerem volans in paradisum.* Plura ejus elogia conglomerat S. Athan. serm. citato in Parasceve, ubi inter alia ait: *O latro Petri commilito, Judæorum accusator. O latro regni mercator, paradisi custos. O latro crucis velut corollarium, tibi cælum efficiens. O latro quomodo homines regnum quasi furto auferant, instruens. O latro, postremus veniens, sed primus coronatus. O latro vehemens Judæ accusator. O latro, Apostolorum symmysta, juste Christum coemens.* Audi S. Paulinum in Cesu pueri Panegyr.

Meror abi, discede pavor, fuge culpa, ruit mors.
Vita resurrexit Christus in astra vocat,
Morte mea functus mihi mortuus, & mihi victor,
Ut mors peccati, sit mihi vita Dei,
Denique servatum jam de cruce duxit aperte
Limite latronem, qua paradisus adest.

Roganti pro peccatore pœnitente qui confessarii copiam non habebat, respondit Christus S. Brigittæ in hæc verba: *Ille plorat, quod non habet auditorem confessionis suæ. Dic ei, quod sufficit voluntas. Nam quid profuit latroni in cruce? Nonne voluntas bona? Aut quid aperuit cœlum, nisi voluntas volendi bona, & odiendi mala? Quid vero facit infernum, nisi voluntas mala: & affectus inordinatus?* Ita habetur l. 6. Revel. S. Brig. c. 115. Plura vide apud nostrum Theoph. Raynaudum, in erudito opere, quod de Metamorphosi latronis in Apost. conscripsit, ubi cap. 17. Millificium tropologicum per Christianas apes, S. Latronis virtutum prata carpentes, conficit & contexit.

Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso] id est, in loco voluptatis, ubi scilicet sis in beatitudine & visione Dei beatifica, q. d. Hodie te felicem in perpetuum efficiam, hodie te regem in regno gloriæ divinæ mecum regnantem constituam. Et hoc videntur velle Cyril. Hier. catech. 13. S. Chrys. hom. 2. de Cruce & latrone, Nyssen. ser. de Resurrect. S. August. in Joan. tract. 111. qui *to in paradiso*, explicat, *in cælo*, id est, in beatitudine cælesti. Certum enim est Christum, cum latrone, die illo quo obiit, non ascendisse in cælum, sed descendisse ad limbum Patrum. (Unde S. August. l. 12. de Gen. ad litt. c. 34. & Maldon. per *paradisum* hic accipiunt sinum Abrahæ) ibique eis visionem divinitatis suæ impertivisse, itaque eos beasse, quare tunc Christus rerum sortes mutavit: fecit enim ut limbus esset paradisus, ut inferi essent supori, ut infernus esset cælum; ubi enim est Christus, ibi est paradisus, ubi est visio Dei & beatitudo, ibi est cælum. VERS. 43 *Mecum eris in paradiso. Quonam?*

Nam quod Euthym. aliique Græci hic, negantes animas Sanctorum ante diem judicii videre Deum, esseque beatas, per *paradisum* intelligunt terrestrem, ad quem raptus fuit Henoch, verum esse nequit: De fide enim est, Christum mox a morte in infernum, pura ad limbum patrum descendisse; non vero iisse ad paradisum terrestrem. Adde, incertum est an paradisus terrestris post diluvium adhuc superstet, & esto superesset, ille non animarum, sed corporum dumtaxat lætum & felix est habitaculum. Quare ex hoc loco contra Græcos, & contra Calvinum, aliosque Novatores liquet, animas Sanctorum plene a peccato purgatas non dormire usque ad diem judicii, sed illico videre Deum, illaque visione beari.

Moraliter. Nota hic liberalitatem Christi, qui supplicum preces excedit & vota. Petierat latro ut Christus existens in regno sui meminisset dumtaxat: at Christus eodem die illi regnum promittit, ut in eo quasi rex secum regnet. *Hodie*, ait Eusseb. Emissen. hom. de Latrone beato, *quasi dicat: quid me, o fidelis meus comes, & unicustanti testis triumphi, tantopere exorandum putas, ut in die judicii mei meminerim tui? hodie mecum eris in paradiso.* Et mox: *Positus in patibulo* (Christus) *velut arbiter in medio damnatorum negantem repulit, suscepit confitentem, hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Post hæc ergo credamus in majestate judicaturum, quem jam in cruce videmus exercere judicium.* Hæc ergo est suavissima Christi ad latronem responsio, quam merito S. Fulgentius serm. nov. 60. vocat *Christi testamentum, calamo crucis conscriptum.*

Denique nomen hujus beati latronis fertur fuisse Dismas: hoc enim nomine S. Dismæ latronis nonnulla sacella ei erecta reperiuntur. Catalogo Sanctorum adscriptus est in Martyrol. die 25. Martii; illo enim die passus videtur, ac consequenter mortuus Christus. Sic enim in eo legimus: *Hierosolymis commemoratio S. Latronis, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in paradiso.* Nomen B. Latronis.

Pater, in manus tuas commendo (Arabic. *pono*; Tertull. lib. contra Praxeam c. 25. *depono*, q. d. Depositum trado: hæc enim significat *παρατίθεμαι*, unde *παραθήκη* est depositum. Idem significat Hebr. [illegible] *hiphkid*, quod Noster vertit, *commendo*, scilicet tamquam depositum, ut illud VERS. 46

Digitized by Google

A illud mihi custodias, & suo tempore restituas) SPIRITUM MEUM] S. Athanasius lib. de Humana Christi natura contra Apoll. sub initium. *Cum in cruce*, inquit, *dicit: Pater in manus tuas depono spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deposuit ac commendat, per ipsum, & in ipso vivificandos: membra enim sumus, & membra ista multa unũ corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est: omnes ergo in se Deo commendat.* Christus igitur, juxta S. Athanasium, homines vocat suam animam & spiritum: quantum ergo animabus lucrandis, & salvandis incumbere debemus, ut Christo quasi servemus suam animam, & spiritum? Sic Paulus ad Philem. Onesimum vocat *sua viscera*.

Tradidit animam suam manibus genitoris, inquit Cyril. l. 12. in Joan. c. 36. *ut ab illa, & per illam facto initio, certam hujus rei spem habeamus, firmiter credentes in manibus Dei nos post mortem futuros.* Sic S. Victor Antioch. in Marcum: *Hæc quoque Christi commendatio*, ait, *in animarum nostrarum commodum cedebat: quippe quas ille a corpore quod inhabitaverant absolutas, quasi quoddam depositũ in Dei viventis manus ea ratione tradebat.* Et Euthym. *Et hoc nobis effecit Dominus*, ait, *ne deinceps justorum animæ* B *descenderent in infernum, sed magis ad Deum ascenderent.* Citat Christus Ps. 30. 6. ubi David afflictus, & in mortis periculo constitutus, tam in sua, quam in Christi persona ait, oratque: *In manus tuas commendo spiritum meũ.* Unde eumdem versum & psalmum quotidie usurpat, canitque Ecclesia in Completorio sub noctem, ut doceat nos, quando imus cubitum, animam Deo commendare, quia noctu multa ex catarrho, suffocatione, apoplexia, &c. mortis subitaneæ occurrunt pericula. Eumdem versum usurpant moribundi, uti usurpavit S. Nicolaus, S. Ludovicus rex Franciæ, & S. Basilius, idque præsentibus angelis a quibus abducebatur, teste Nazianz. Orat. in S. Basil. quin & Stephanus dicens: *Domine Jesu suscipe spiritum meum*. Hoc enim versu testamur Primo, nos animam in nativitate accepisse, non a patre vel matre, sed a solo Deo, ideoque nos illi eamdem, quasi creaturam ipsi propriam reddere. Secundo, nos credere animam in morte non interire, sed esse superstitem & immortalem, ac ad Deum, qui eam creavit & judicabit, redire. Tertio, nos credere carnis resurrectionem: morientes enim Deo commendamus animam, ut ipse eam quasi depositum servet; & in resurrectione corpori nostro restituat. Quarto, nos in agone ultimo, quem acerrimum cum dæmone subimus, in morte implorare Dei opem, ut ei animam resignantes dæmonem superemus, de eoque triumphemus: unde multorum est sententia dæmonem propriũ cuique adversarium, eidem moribundo horribili specie apparere, eumque ad desperationem aliaque scelera sollicitare, uti apparuit S. Marthæ & aliis, non tamen omnibus. Idipsum sentire videtur S. Ephrem serm. in eos qui in Christo obdormiunt, S. Chrysost. hom. 34. in Matth. & alii quos citat noster Lorinus Eccl. c. 8. v. 8. Idem de Christo sentiunt multi. Unde Eusebius lib. 10. Demonstr. cap. ult. illud Christi dictũ, *Tauri pingues obsederunt me*, Ps. 21. 13. intelligi de dæmonibus, quos Christus in cruce viderit hiante rictu sibi quasi reo & scelesto insultantes de crucifixione & instante morte. Favet illud Habac. cap. 3. 5. *Egreditur diabolus ante pedes ejus*. Et illud Christi: *Venit princeps mundi, & in me non habet quidquam*, Joan. 14. 30. Deponit ergo spiritum in manu Dei, certus quod nemo ex ea possit illum rapere. Fidissimus enim & fortissimus depositarius est Deus. Ita S. Hieronym. in Psalm. 30. v. 6. D *In manus tuas commendo spiritum meum. Hoc est*, inquit, *in potestatem tuam commendo animam meam. Hoc exemplum accepit Ecclesia a Christo. Hoc & S. Stephanus fecit. Hoc & Sancti orant, quando exeunt de corpore, ut illud: Fideli creatori commendant animas suas in benefactis. Hoc in cruce positus Dominus dixit, quod in Patris manus spiritũ commendaverit, cito eum ipso resuscitante sumpturus.*

Symbolice, Dydimus in Catena Psalm. 30. Triplex est spiritus, inquit: primus cogitatio nostra, secundus anima, tertius conscientia, quæ tria Deo commendare debemus.

ET HÆC DICENS; EXPIRAVIT] Syrus, *hoc dixit, & finiit*, scilicet vitam; Arabicus, *& cum dixisset hoc, tradidit spiritum* in manus Patris, uti dixerat. Fuit ergo hoc certum signum, ipsum esse Filium Dei Patris ab ipso inclamati, ac Patrem clamorem filii exaudisse, spiritumque ejus suscepisse. Cum enim dixisset: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, tunc demum morti permisit, ut ad se accederet, ait Euthymius in c. 27. Matth. utpote certo sciens, Patrem spiritum suum in manus suas traditum, quasi depositum secure servaturum, eique tertio die in resurrectione redditurum: quare hac spe certus, lætus & alacer tradidit Patri spiritum. E

Versum In manus tuas, &c. usurpant moribundi.

Dæmon, singulis in morte apparet.

Spiritus triplex.

CAPUT XXIV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus resurgens apparet piis feminis: Secundo, vers. 12. duobus discipulis euntibus in Emmaus; Tertio, v. 30. duodecim Apostolis in cenaculo Jerusalem. Quarto, v. 50. ascendit in cælum.

Primam partem explicui Matth. 28. Quartam Act. 1. supersunt ergo secunda & tertia hic explicanda.

UNa autem sabbati valde diluculo venerunt Vers. 1.
ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata;

2. & invenerunt lapidem revolutum a monumento.

3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.

5. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis?

6. non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,

7. dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.

8. Et recordatæ sunt verborum ejus.

9. Et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. G

10. Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi, & ceteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. C

11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista; & non crediderunt illis.

12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.

13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus,

14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant.

15. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis:

16. oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? H

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?

19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo:

20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.

22. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt

A fuerunt nos; quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

23. &, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.

24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

25. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ!

26. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

26. Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

28. Et appropinquaverunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire.

29. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est B jam dies. Et intravit cum illis.

30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

31. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.

32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos, qui cum illis erant,

34. dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.

35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

36. Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere.

C 37. Conturbati vero, & conterriti, existimabant se spiritum videre.

38. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.

41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis.

43. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, D quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.

45. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.

46. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die:

47. & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.

48. Vos autem testes estis horum.

49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis.

51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. E

52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno:

53. & erant semper in templo, laudantes, & benedicentes Deum. Amen.

UNA AUTEM SABBATI] *Una*, id est, prima die post sabbatum, puta Dominica, qua Christus resurrexit. Vide dicta Matth. 28. 1. VERS. 1.

JOHANNA] Uxor Chusæ procuratoris Herodis, Christi discipula, cujus hostis & illusor erat Herodes. Sic S. Serena uxor Diocletiani Imp. persecutoris Christi, ejusque filia S. Anthemia, & neptis S. Susanna, virgines, adeo Christum coluerunt, ut omnes a marito, & patre Diocletiano martyrio laureatæ sint. Sic & S. Tryphonia uxor fuit Decii Imp. persecutoris, ac utriusque filia S. Cyrilla Christo virginitatem vovit, & pro eo Martyr occubuit. S. Licinia Licinii Imp. soror vel filia, ac Maximini Imp. persecutoris uxor, a S. Catharina virgine & Martyre ad Christum conversa eidem in martyrio consors fuit, & socia. Horum omnium vitam eleganter descripsit R. D. Joannes Tomcus Antistes Bosnensis, Romæ mihi familiaris, in Sanctis Regibus Illyricanis. Sic & S. Flavia Domitilla neptis Domitiani Imp. ab eodem martyrii lauream adepta est. Ita e spinis Deus elicit rosas; nimirum voluit ipse maritos per uxores, reges per reginas vincere & confundere, tum hic, tum in die judicii. VERS. 10 S. Johanna uxor Chusæ. S. Serena uxor Diocletiani. S. Tryphonia uxor Decii. S. Licinia uxor Maximini. F S. Flavia Domitilla neptis Domitiani.

ET ECCE DUO EX ILLIS IBANT IPSA DIE (Dominica Paschatis, qua Christus resurrexit) IN CASTELLUM (græce, κώμην, id est vicum, pagum. Unde Marcus c. 15. vocat *villam*) QUOD ERAT IN SPATIO STADIORUM SEXAGINTA AB JERUSALEM, NOMINE EMMAUS] *Duo*. Hi duo iidem sunt cum illis, de quibus ait Marc. c. 16. 11. *Post hæc autem duobus ex illis ambulantibus, ostensus est in alia effigie euntibus in villam*. Ita passim interpretes, uno excepto Euthym. qui censet diversos esse, & diversam Christi apparitionem, idque probat ex eo, quod subdit Marcus: *Et illi euntes nunciaverunt cæteris, nec illis crediderunt*: cum tamen Lucas hic v. 34. de suis hisce dicat, credidisse eis Apostolos: *Dicentes, quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*. Sed respondeo, plerosque credidisse, aliquos tamen non credidisse, uti patet de Thoma. VERS. 13 Historia duorum discipulorum euntium in Emmaus. G

Quæres, quinam fuerint hi duo? Resp. Certum est ex v. 18. unum fuisse Cleopham: quis fuerit alter incertum est. S. Ambr. censet fuisse *Amaon*, a loco ita dictum, ut videtur, quasi incola & civis fuerit Emmaus, quo tendebat. Origen. initio Comment. in Joan. eum vocat *Simeonem*. S. Epiphan. hær. 23. nominat *Nathanaelem*, de quo Jo. 3. Alii plerique censent fuisse *Lucam*. Ita Theoph. hic S. Gregorius præf. in Job c. 2. Doroth. Niceph. & Metaphrast. in vita Cleophæ. Verum Lucas non videtur Christum vidisse in carne, sed post ejus mortem fuisse conversus, ut patet ex Evangelii ejus proœmio. Quinam hi fuerint?

EX ILLIS, discipulis Christi, IBANT] tum negotiorum, tum animi recreandi causa ut mœstitiam & dolorem ex Christi magistri sui tam atroci, & infami morte conceptum diverterent & lenirent.

STADIORUM SEXAGINTA] Stadium est octava pars milliaris, sive mille passuum, stadium enim continebat 125. passus. Ergo stadia 60. faciunt septem milliaria Italica, & semis, id est leucas Gallicas unius horæ circiter tres; nam una leuca continet circiter tria milliaria Italica, Ita Beda, *Stadium*, ait, *quo Græci, auctore, ut dicunt, Hercule, viarum spatia mensurant, octava est pars milliaris; & ideo sexaginta stadia septem millia passuum, & quingentos significant*. Dictum stadium ἀπὸ τῆς στάσεως, hoc est a statione, quod Hercules eo spatio uno spiritu decurso constitisset: inde dictum stadium athletarum & cursorum: hi enim stadio Olympico Romano, Corinthio, &c. decurrebant, & cursu certabant. Vide Gellium lib. 1. c. 1. Stadium quid? H

NOMINE EMMAUS] Græce ἐμμαοὺς, est trisyllabum, unde dicitur, Emmaus, Emmauntis; sicut Trapezus, Trapezuntis; Jericbus, Jerichuntis. Emmaus tempore Christi erat vicus, ex quo oriundum fuisse Cleopham tradit S. Hieronymus in Locis Hebr. ideoque eo familiæ causa profectus hic fuisse videtur. Porro *Emmaus*, si initio per *aleph* scribatur, hebr. idem est, quod *pavor*, vel *terror consilii*: sin per *chet*, idem est, quod *calor consilii*, ait Pagnin. in Nom. Hebr. utrumque huic loco convenit; nam hi duo pavido fuere animo, sed a Christo inflammati, pa- Emmaus quid?

vorem

A vorem verterunt in calorem, atque valido Christi amore arserunt. Alii ἐμμαὺς, scribentes per αin, idem esse censent, quod עם מאוס *am maus*, id est, *populus reprobatus*, ad quem hi duo tendebant per suam diffidentiam, & dubitationem; sed a Christo reducti, remissi sunt ad electos Apostolos in Jerusalem.

Emmaus dicta Nicopolis. Porro Emmaus postea à Romanis capta Hierosolyma, & devictis Judæis, aucta factaque trophæum, dicta est Nicopolis, id est, victoriæ civitas. De qua audi quid scribat Sozomenus lib. 5. hist. c. 21. *Ante hanc civitatem, circa trivium, in quo Christus una cum Cleopha post resurrectionẽ ambulans, in alium se vicum properare simulavit, salubris quidam fons est, in quo passiones suas abluunt & homines, & alia animantia variis morbis laborantia. Ferunt enim Christum ex itinere aliunde una cum discipulis venisse ad eum fontem, ibique pedes abluisse, & ex eo tempore aquam illius medicinam factam esse morborum.* Addit deinde simile de arbore, quæ juxta Hermopolim Christum fugientem in Ægyptum inclinando se adoravit, cujus folia, fructus & cortices multis morbis medentur.

VERS. 14 B ET IPSI LOQUEBANTUR AD INVICEM DE HIS OMNIBUS QUÆ ACCIDERANT] de Christi magistri sui passione, cruce, morte, sepultura, de tanti viri & Prophetæ tam indigna nece dolentes, quodque eum non amplius essent visuri: de ejus enim resurrectione, & redemptione Israel per eum facienda plane desperabant.

VERS. 15 ET FACTUM EST, DUM FABULARENTUR, ET SECUM QUÆRERENT; ET IPSE JESUS APPROPINQUANS IBAT CUM ILLIS] Docet hic Jesus se adesse iis, qui de ipso loquuntur; loquamur ergo de Jesu, & Jesus pariter sese insinuabit nobis, nostrisque colloquiis, si non corporaliter, certe spiritualiter per suam gratiam & spiritum, quo nos accender. Hoc enim ipse promisit dicens: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. 18. 20. Qui ergo de rebus bonis loquuntur, in medio sui habent Jesum; qui de malis, Luciferum: cujus rei experientia & effectus clari sunt.

VERS. 16 OCULI AUTEM ILLORUM TENEBANTUR NE EUM AGNOSCERENT] Quæres qua ratione id sit factum? Resp.

Cur Christus non agnoscebat duo discipuli? Primo, Dionys. Carthusianus, & favet S. Aug. l. 22. de Civitate, c. 9. quod percussi fuerant cæcitate, æque ac Sodomitæ, Gen. 19. 11. Verum id proprie dici nequit: videbant enim ipsi Christum, & cum eo loquebantur, sed eum non agnoscebant. Secundo, Cajetanus censet id factum per interiorem ecstasin, sive abstractionem & distractionem phantasiæ duorum discipulorum. Sed repugnat Marcus dicens c. 16. *Ostensus est in alia effigie.* Unde Tertio, S. August. ep. 59. q. 8. opinatur id factum per immutationem faciei Christi, quod ad lineamenta & figuram, aut certe colorum & lucis, uti contigit in transfiguratione Christi. Verum hoc non satis congruit dignitati corporis glorioſi, quod stabile est, immortale & inalterabile. Quarto ergo, idem S. Aug. idipsum retractans lib. 3. de Consensu Evang. c. 25. ait a dæmone oculis discipulorum impressum fuisse humorem, vel nebulam & caliginem, qui oculos eorum obscurans, faciebat ne Christum agnoscerent. Verum omnino hæc actio & hoc opus videtur fuisse Christi, non dæmonis, uti & fuit illud, quo apparuit Magdalenæ specie hortulani.

Dico ergo id factum ex eo, quod corpus Christi in se, licet idem & immutatum manens, tamen quia Verbo unitum erat, & quia glorioſum, potestatem habebat, uti se occultandi, ac retinendi species sui corporis, ne ad oculos aliorum diffunderentur, sic & visum intuentium immutandi, eo modo, quo ipsi libuerit, idque vel divaricando, & diverso modo imprimendo species, vel media immutando, uti faciunt specula, vel ipsum etiam visus organum immutando. Hoc est enim, quod ait Lucas: *Oculi eorum tenebantur* a Jesu, ne officio suo fungi possent, perinde ac si velamine quopiam obducti fuissent: unde postea statim ut voluit Jesus, eum agnoverunt. Idem & multo magis dico de auribus & auditu, scilicet Christum a discipulis non fuisse agnitum ex voce, quia multo facilius est mutare vocis sonum, ac modum exprimendi & pronunciandi: imo naturaliter id fieri potest, & a multis fit, qui aliter movendo labia, linguam, palatum, aliter percutiendo, & colligendo aerem, mutant naturalem vocis sonum, ut alius a solito esse videatur. Ita D. Thom. 3. par. q. 54. a. 1. ad 3. Suarez, & alii ibidem.

Cur Christus in alla effigie duobus discipulis apparuit? Porro causæ, cur Christus alia forma his discipulis apparuit, fuere variæ: Prima, quia Christus & angeli, cum apparent hominibus, tales apparent, quales sunt ii, quibus apparent. Christus ergo peregrinantibus hisce se conformans, quasi peregrinus apparuit; dubitantibus de se, quasi alienus & incognitus. Ita S. Aug. lib. 3. de Consensu Evang. c. 35. & S. Greg. homil. 23. in Evang. quem audi: *Hoc ergo egit for. s Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namq; apud semetipsos intus & amabant & dubitabant; eis autem Dominus & foris præsens aderat, & quis esset non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit: verba quidem contulit, duritiem intellectus increpavit, sacræ Scripturæ mysteria, quæ de se ipso erant, aperuit; & tamen, quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat in fide, se ire longius finxit.*

Secunda, ne, si illico clare se discipulis ostenderet, eos novitate resurrectionis perculeret, ideoque ipsi non Christum, sed phantasma se videre putarent, itaque de resurrectione ejus dubii remanerent. Jam autem diu cum eis colloquens, ac tandem se manifestans, omne eis de resurrectione sua dubium exemit.

Tertia, *ut ulcus suum* (suæ dubitationis & tristitiæ) *discipuli aperirent, & pharmacum susciperent*, ait Theoph. si enim subito dixisset se esse Christum, discipuli non fuissent ausi dicere se de eo, ejusque resurrectione dubitare.

Quarta, ut specie & habitu suo ostenderet nos in hac vita esse viatores, ac tendere ad patriam cælestem; quare ad illã quasi peregrinos assidue suspirare, & totis viribus contendere debere. Quocirca S. Franciscus, cum quadã vice in die Paschæ moraretur in monasterio, nec essent a quibus mẽndicaret, memor Christi, qui discipulis euntibus in Emmaus hoc ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis Fratribus eleemosynam petiit, ut peregrinus & pauper: quam cum accepisset, humiliter sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum, tamquam peregrini & advenæ, verique Hebræi Pascha Domini, hoc est transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Porro peregrini leges sunt, sub alieno tecto colligi, sitire ad patriam, pacifice transire. Ita habent Chronica Ordinis S. Francisci.

ET AIT AD ILLOS: QUI SUNT HI SERMONES, QUOS VERS. 17 CONFERTIS AD INVICEM AMBULANTES, ET ESTIS TRISTES?] Græce, σκυθρωποὶ, id est vultu tristi, mœsto, tetrico: sciebat Christus tristitiæ causam, sed interrogat, ut ipsimet eam detegant, ut deinde illi medeatur, illamque eis eximat. q. d. Proxime vos sequens audivi vestros sermones, at non satis eos intellexi. Audivi enim vos loqui de quodam Hierosolymis occiso, edicite ergo quis ille sit, quæ fuerit ejus cædes, & qua de causa.

ET RESPONDENS UNUS, CUI NOMEN CLEOPHAS, DIXIT EI: TU SOLUS PEREGRINUS ES IN JERUSALEM, ET NON COGNOVISTI QUÆ FACTA SUNT IN ILLA, HIS DIEBUS?] *Cleophas*, fuit hic frater S. Josephi sponsi B. Virginis, ac pater S. Jacobi & Judæ Apostolorum, atque avus S. Jacobi Majoris & S. Joannis Apostolorum. Hi enim nati sunt ex matre Salome, quæ fuit filia Cleophæ. Vide dicta Lucæ cap. 3. v. 23. VERS. 18 Quis hic Cleophas?

De Cleopha ita scribit Helecas Episcopus Cæsaraugustanus in Addition. ad Chronicon L. Dextri & M. Maximi, *Alphæus, qui & Cleophas, unus de 70. discipulis, ut docet S. Hieron. & frater Joseph sponsi B. Virginis, in castello Emmaunte pro Christo a Judæis occiditur.* Fuit ergo Martyr. Unde de eo sic legimus in Martyrologio Romano, ad diem 25. Septemb. *In castello Emmaus natalis B. Cleophæ Christi discipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua mensam Domino paraverat, pro confessione illius a Judæis occisum, & gloriosa memoria sepultum.* Plura de eo vide apud Dorotheum in Vitis Patriarcharum.

Denique Cleophas, Græce Κλεόπας, idem est, quod *gloriæ omnis*, ait Pagninus: κλέος enim est *gloria*, πᾶς *omnis*: Judæi enim ab Alexandro, & Græcis subacti Græca nomina assumpserunt. Hebr. vero *Cleophas* idem est quod *concionem*, vel *Ecclesiam multiplicans*; קהלה *kekala* enim est concio, cœtus, Ecclesia, פוץ *pus* multiplicari. Cleophas enim multos filios & filias, nepotes, & neptes dedit Ecclesiæ Christi. Cleophæ etymon.

TU SOLUS PEREGRINUS (advena, hospes, exterus) ES IN JERUSALEM?] Græce, παροικεῖς ἐν Ἰερουσαλήμ, quod Theoph. & Euthym. vertunt, *habitas in Jerusalem*; alii, *peregrinaris in Jerusalem*; Arab. *peregrinus es de Jerusalem.* Sensus est. q. d. Tu solus ita peregrinus es in Jerusalem, ut non cognoveris, quæ hisce diebus in illa facta sunt, circa Jesum Nazarenum, ut roges quis & qualis sit ille occisus & crucifixus, de quo tristes sermocinamur? Omnes enim

Digitized by Google

A enim id norunt, ubique non alius quam de Jesu crucifixo est sermo, quomodo tu solus id ignoras?

VERS.19 QUIBUS ILLE DIXIT: QUÆ? Pressius urget Christus, ut ulcus suum particulatim apariant, & dolorem de Jesu crucifixo, ac dubium de ejus resurrectione deregant. ET DIXERUNT: DE JESU NAZARENO, QUI FUIT VIR PROPHETA, POTENS IN OPERE ET SERMONE, CORAM DEO ET OMNI POPULO] *Prophetam magnum fatentur*, ait Beda, *Filium Dei tacent, vel nondum perfecte credentes, vel solliciti ne inciderent in manus Judæorum persequentium, quia nesciebant quis esset, cum quo loquebantur, quod verum credidere celantes*: nam vers. 21. ajunt se credidisse ipsum, quasi Messiam Dei filium, redempturum Israel.

VERS.20 POTENS IN OPERE ET SERMONE] Id est efficax in prædicando, æque ac operando tot tantasque heroicas
B virtutes, æque ac miracula. Talis sit Christianus, præsertim sacerdos, Religiosus; prædicator, scilicet potens in opere & sermone, ut bona, quæ prædicat, opere præstet, priusque doceat exemplo, quam verbo.

ET QUOMODO EUM TRADIDERUNT (Pilato præsidi) SUMMI SACERDOTES, ET PRINCIPES NOSTRI IN DAMNATIONEM MORTIS, ET CRUCIFIXERUNT EUM] Non addunt injuste id eos fecisse, licet ipsi ita sentirent & crederent, ne, si peregrinus hic sit explorator, eos apud principes accuset, quasi rebelles & tumultuarios, ac apud eos mortis reos peragat.

VERS.21 NOS AUTEM SPERABAMUS QUIA (quod) IPSE ESSET REDEMPTURUS ISRAEL] a servitute Gentium, puta Tiberii Imp. & Romanorum. q.d. Sperabamus ipsum esse Messiam, qui regnum Judææ collapsum restitueret, & in pristinam vel majorem dignitatem, quam habuit sub Davide & Salomone, eveheret. At nunc videntes eum tam dire a Judæis occisum, non quidem omnino de eo desperamus; sed tamen parum speramus: mors enim ejus hanc spem valde imminuit & infregit. Ecce hoc est eorum ulcus, hæc diffidentia, hæc fluctuatio inter spem & desperationem, quam Christus ab eis audire cupiebat, ut sanaret. *O discipuli sperabatis; ergo jam non speratis*, ait S. August. ser. 140. de Tempore. *Ecce Christus vivit, spes mortua est in vobis*. Et mox: *In via cum illis tamquam comes ambulabat, & ipse duxerat*.
C

ET NUNC SUPER HÆC OMNIA, TERTIA DIES EST HODIE; QUOD HÆC FACTA SUNT] Christus enim feria sexta crucifixus est, a qua dies Dominica, qua resurrexit, erat tertia. Est aposiopesis: Discipuli enim dubii, anxii & perplexi nesciunt quid de Christo sentire & dicere debeant, quasi dicant: Jesus vivens dixit se die tertia a morte resurrecturum; ecce hodie est dies tertia, qua necdum eum resurrexisse cognovimus, an vero resurrexerit, vel adhuc resurrecturus sit, ignoramus. Hærent enim dubii, inter spem & metum fluctuantes. *Hæc quasi dubitantes dicunt*, ait Theoph. *& videntur mihi viri in valde ambigua esse sententia, & neque valde discedere, neque recte credere. Etenim dicendo: Speravimus quod redempturus sit Israel, incredulitatem indicant: quod autem dicunt esse diem tertium, hominum est, qui probe recordentur quod dixerit eis: Die tertia resurgam*. Et rursus paulo post: *Et omnino si considerentur, sermones humani sunt, & magnam dubitationem habent; & hominum perplexorum*.
D

VERS.22 & 23. SED ET MULIERES QUÆDAM EX NOSTRIS, TERRUERUNT NOS, QUÆ ANTE LUCEM FUERUNT AD MONUMENTUM, ET NON INVENTO CORPORE EJUS, VENERUNT, DICENTES SE ETIAM VISIONEM ANGELORUM VIDISSE, QUI DICUNT EUM VIVERE.

TERRUERUNT] græce, ἐξέστησαν, id est *stupefecerunt nos*, ita Tigurina; vel *attonitos nos reddiderunt*: ita Vatablus. Magis enim hic significatur discipulorum admiratio & stupor, quam timor, quæ orta fuit ex eo, quod mulieres non invenissent corpus Jesu, ac vidissent angelos, qui dicebant eum resurrexisse: omnia enim hæc, quia nova, inaudita & supernaturalia, eos sacro horrore & timore, sive stupore percellebant, ac eorum incredulitatem & diffidentiam concutiebant, ait Theophyl. eosque in fidem & spem resurrectionis Christi erigebant: luctabatur ergo in eis timor cum spe, ac inter utrumque dubii fluctuabant.

VERS.24 ET ABIERUNT QUIDAM (Petrus & Joannes, Joan. 20. 3.) EX NOSTRIS AD MONUMENTUM: ET ITA INVENERUNT, SICUT MULIERES DIXERUNT, scilicet corpus Jesu non esse in sepulchro, quod nobis dat aliquam spem ipsum resurrexisse; IPSUM VERO (Jesum redivivum) NON INVENERUNT] aut videtur, quod nobis auget metum eum non resurrexisse. Proferunt argumenta tam spei, quam metus, quibus significant se inter utrumque ambiguos hærere, & dubios fluctuare. E

ET IPSE DIXIT AD EOS: O STULTI, ET TARDI CORDE AD CREDENDUM IN OMNIBUS (id est omnibus, vel omnia; hoc enim Hebræis significat *beth* contractus) QUÆ LOCUTI SUNT PROPHETÆ] de mea uti morte, & cruce, sic & resurrectione. VERS.25

STULTI] Græce, ἀνόητοι, id est sine mente, amentes, carentes sensu & intellectu, *insensati*, uti vertit Noster, Galat. 3. 1. Acribus hisce verbis & cognominibus Christus, quasi magister pungit & castigat discipulorum ruditatem, & tarditatem credendi suam resurrectionem tam clare a se & Prophetis prædictam. Hoc enim præceptori in discipulos hebetes licet, ut ees hac objurgationis acrimonia, ad res altas & difficiles exactius considerandum & intelligendum stimulet & exacuat, ut dixi Matth. 5. 22. Hoc enim stimulo eget natura nostra caduca & hebes, ut ad supernaturalia credenda sperandaque se libret & elevet, in F
iisque firmiter se roboret & confirmet.

NONNE HÆC OPORTUIT PATI CHRISTUM, ET ITA INTRARE IN GLORIAM SUAM?] *Gloriam* vocat gloriosam suam resurrectionem, ascensionem in cælum, missionem Spiritus sancti, exaltationem super omnem creaturam, adorationem nominis sui, religionem & cultum sui per totum orbem, regnum æternum in universo cælo & terra. VERS.26

OPORTUIT] Syrus, *futurum erat*, Arabicus, *nonne hoc erat futurum, ut Christus susciperet has passiones, & intraret gloriam suam?* *Oportuit* ergo Christum per crucem ire ad gloriam. Primo, quia id prædixerant Prophetæ. Secundo, quia ita decreverat Deus Pater ab æterno. Tertio, quia hoc exigebat nostra redemptio, ut ejus pretium morte in cruce persolveret. Quarto, quia decebat tantam gloriam tanto labore & dolore, quasi merito, comparari. Quinto, quia oportebat Christum quasi ducem exemplo præire Martyribus, Apostolis, Confessoribus, Virginibus, Sanctisque omnibus, qui per multas tribulationes tendunt ad cælum. Sensus est, q.d. G
Vos, o discipuli, vestramque de mea resurrectione fidem & spem turbavit & infregit mea passio, mors & crux, ideoque dixistis, *Sperabamus*; sed timor est sine causa: nam hæc potius vos in vestra fide & spe roborare & confirmare debuisset; quia non est alia via ad resurrectionem, nisi per mortem; nec ad gloriam, nisi per passionem & crucis ignominiam.

ET INCIPIENS A MOYSE, ET OMNIBUS PROPHETIS (q.d. Pergensque per omnes Prophetas: est hebraismus) INTERPRETABATUR ILLIS IN OMNIBUS SCRIPTURIS, QUÆ DE IPSO ERANT] Est metathesis, sive transpositio verborum, quæ sic ordinanda est: *Interpretabatur illis* (pleraque non omnia; hoc enim operosum & prolixum fuisset) *quæ de ipso erant in omnibus Scripturis*. VERS.27

ET APPROPINQUAVERUNT CASTELLO (Emmauntis) QUO IBANT: ET IPSE SE FINXIT LONGIUS IRE] *Finxit*, quia licet Jesus ita componeret gressus suos, quasi longius ire vellet, revera tamen longius ire nolebat: cupiebat enim ab eis detineri: volebat enim hac fictione tantum excitare in discipulis virtutem hospitalitatis, per quam digni fuerunt; quibus se ipse in mensa patefaceret: fictio tamen hæc non fuit mendacium, quia revera volebat longius ire, & reipsa longius iviſſet, casu, quo eum discipuli non detinuissent; verum quia ab illis se detinendum sciebat, hoc respectu nolebat longius ire, sed fingebat, vel, ut græce est, προσεποιεῖτο, id est, *præ se ferebat*; Arabicus, *& ipse erat in existimatione eorum, quod iret in locum distantiorem*. Unde S. August. lib. 2. Quæst. Evang. q. 51. *Cum*, inquit, *fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis*. Et inferius: *Fictio ergo, quæ ad aliquam veritatem refertur, figura est: quæ non refertur, mendacium est*. Et S. Greg. hom. 23. in Evang. *Fingere namque*, inquit, *componere dicimus, unde & compositores luti figulos vocamus. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit, sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant; si hi, qui eum etsi necdum ut Deum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent*. VERS.28 H

ET COEGERUNT ILLUM] *Ex quo exemplo colligitur*, ait S. Greg. hom. 23. *quia peregrini ad hospitium non solum* VERS.29

Digitized by Google

A *invitandi sunt, sed etiam trahendi*. Nam, ut ait S. Aug. serm. 140. de Temp. *Tene hospitem, sibi agnoscere Salvatorem, quod tulerat infidelitas, reddit hospitalitas.*

DICENTES: MANE NOBISCUM, QUONIAM ADVESPERASCIT, ET INCLINATA EST JAM DIES] id est vergit ad occasum, sed non adeo, sicut ipsi exaggerant, ut Christum tam gratum & suavem in colloquiis hospitem detineant: nam mox ipsi ex Emmaus eodem die regressi sunt in Jerusalem, per stadia sexaginta, quod est iter trium horarum.

Cardinalis, Hosiusmoriturushæc verba: *Mane nobiscum*, &c. identidem repetebat.

Hæc verba jugiter per omnem vitam in corde & ore habebat Cardin. Hosius, ac præsertim jam moriturus, sumpta S. Synaxi, crebro iterans: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit*: ac revera mansit cum eo Dominus, & magna miraque per eum in Polonia, Germania, Italia operatus est, quæ tribus libris de ejus Vita scriptis enarrat Stanislaus Reschius, ac denique ei hoc dat elogium.

B *Religionis Atlas, vos & manus altera Pauli,*
Mors Lutheri, cæli janitor, orbis amor,

VERS. 30 ET FACTUM EST, DUM RECUMBERET CUM EIS, ACCEPIT PANEM, ET BENEDIXIT, AC FREGIT, ET PORRIGEBAT ILLIS] *Benedixit*, convertendo panem in corpus suum, uti fit in consecratione Eucharistiæ. Hunc enim consecrasse hic Christum, licet nonnulli cum Jansenio negent, probatur Primo, quia eodem modo Matthæus, Marcus & Lucas loquuntur de institutione Eucharistiæ, quo Lucas de pane hoc. Secundo, quia benedictio hæc non videtur fuisse initio cœnæ: voluit enim Christus evanescere ex oculis discipulorum, non initio mensæ, sed cœnare cum ipsis, ne videretur esse phantasma. Fuit ergo in medio, vel potius in fine cœnæ: fuit igitur benedictio hæc non communis, quæ præmittitur mensæ, sed sacra & Eucharistica. Tertio, id patet ex effectu, quia discipuli occultatum hucusque Christum, statim agnoverunt ex hoc pane benedicto & manducato. Quarto, ita censent Patres, S. August. l. 3. de Consensu Evang. c. 25. Beda, Theophyl. Glossa, Maldon. Franc. Lucas & alii hic. Audi Auctorem Imperfecti apud S. Chrysost. hom. 17. *Dominus in via*, inquit, C *non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophe & socio ejus. Quod autem de manu porrigatur, non solum sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem.* Et S. Aug. serm. 140. de Temp. *Ubi voluit Dominus agnosci? in fractione panis: securi sumus, panem frangimus & Dominum agnoscimus: noluit agnosci nisi ibi, propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi ejus carnem.* Denique Hier. ep. 27. quæ est Epitaphium Paulæ c. 3. *Repetitoque itinere*, ait, *Nicopolim* (profecta est) *quæ prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicavit.* In ecclesia enim conficitur Eucharistiæ Sacramentum & sacrificium.

Usus unius speciei in Eucharistia hic probatur.

Unde ex hoc loco pariter probatur usus unius speciei in Eucharistia: nam Christum hic non consecrasse, nec dedisse calicem, patet, quia statim post porrectionem panis benedicti, aperti sunt oculi discipulorum, Jesumque agnoverunt. Quocirca ipse illico evanuit. Ita S. Aug. Chrysost. Theophyl. Beda & alii.

VERS. 31 D ET APERTI SUNT OCULI EORUM, ET COGNOVERUNT EUM] Ecce hæc est virtus, hic effectus Eucharistiæ, ut oculos mentis aperiat & illuminet ad cognoscendum Jesum, & penetrandum res cæleste & divinas. *Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini*, ait Theophyl. Unde S. August. serm. 14. de Temp. *Quisquis fidelis es*, inquit, *consolatur te fractio panis, & absentia Domini non est absentia. Habeto fidem, & tecum est, quem nos vides.*

Tropologice; S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. *Hospitalitatis officio*, ait, *ad Christi cognitionem pervenitur*. Gregorius in hom. *Qui audita vult intelligere, quæ intellexit opere compleat. Ecce Dominus cum loqueretur non est cognitus; cum pascitur, cognosci dignatus est.* Glossa; *Veritas melius operando, quam audiendo intelligitur; nec agnoscunt Christum nisi participes corporis ejus, id est Ecclesiæ, cujus unitatem commendat Apostolus in Sacramentum panis, dicens: Unus panis, unum corpus multi sumus.* 1. Cor. 10. 17.

ET IPSE EVANUIT EX OCULIS EORUM] Græce, ἄφαντος ἐγένετο, id est, *invisibilis factus est*; Arab. *absconditus est ab illis*. Erat ergo Christus præsens discipulis, sed eis invisibilem se fecit: hoc enim possunt facere dæmones in suis sagis, & multo magis id potest Christus & Beati in corpore glorioso, uti passim docent Theologi, idque constat ex apparitionibus Christi post resurrectionem: apparens enim iis illico evanuit. Perperam ergo id negat Calvinus, qui proinde vertit, *subduxit se*: sed inepte: nil enim tale significat Græcum ἄφαντος. Negat autem id Calvinus subdole, ne cogatur fateri Christum esse in Eucharistia, sed absconditum & invisibilem.

Causa, cur illico ut agnitus fuit a discipulis, evanuerit, fuit. Prima, ut ostenderet se resurrexisse, esseque glorioso. Dos enim corporis glorioso est, quod possit apparere, vel se abscondere, prout ei libuerit, Evanescere ergo fuit novum argumentum, quo Christus probavit & confirmavit suam resurrectionem. Cur Christus hic evanuit.

Secunda, ut indicaret se per resurrectionem jam mutasse statum vitæ in statum gloriæ, ac proinde jam non cum hominibus familiariter conversari, sed cum Deo & angelis.

Tertia, ut doceret reverentiam, quam debemus Christo & Beatis in cælo: Christo enim glorioso debemus adorationem latriæ, Beatis duliæ. F

Quarta, ut discipuli statim redirent ad Apostolos de Christi morte afflictos, eosque solarentur nunciando Christum resurrexisse, sibique apparuisse. Unde sequitur.

ET DIXERUNT AD INVICEM: NONNE COR NOSTRUM ARDENS ERAT IN NOBIS, DUM LOQUERETUR IN VIA, ET APERIRET (explicaret) NOBIS SCRIPTURAS?] *Ardens erat*; Euthymius, *incendebatur, saliebat, movebatur & vibrabatur*. Hoc erat novum & certum signum Christi redivivi: Christus enim ita loquitur exterius, ut interius corda amore divino succendat, quod nec Aristoteles, nec Plato, nec sapientes mundi facere possunt; unde eorum doctrina & lectio est arida & frigida, ac hominem aridum, sterilem frigidumque relinquit. Imitentur Christum S. Scripturæ interpretes, cæterique doctores, ut interpretando & docendo, non solum auditorum lectorumque intellectum illuminent, sed & corda inflamment; nec tantum sint Cherubini, sed & Seraphini, qualis inter alios fuit S. Franciscus, ac ejus assecla S. Bonaventura, qui proinde Doctor Seraphicus appellatur. Hoc est, quod ait David: *Ignitum eloquium tuum vehementer*, Psal. 118. 140. Et Salomon: *Omnis sermo Domini ignitus*. Proverb. 30. 5. & Moyses: *In dextera ejus ignea lex*, Deut. 32. 2. Et Christus. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Lucæ 12. 49. Talis fuit Joannes Baptista, de quo Christus: *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens & lucens*, Joan. 5. 35. Et Elias, de quo Eccles. c. 48. 1. *Surrexit*, ait, *Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*. Vide ibi dicta. Simus ergo Ignatii, imo igniti & ignei, assecla & præcones Christi, juxta illud Ezechiel. 1. 13. de Cherubinis: *Aspectus eorum quasi carbonis ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*. Et mox: *Ibant & revertabantur in similitudine fulguris coruscantis.* G

VERS. 33 ET SURGENTE (illico a mensa necdum finita, ideoque necdum saturi) EADEM MORA (eodem momento) REGRESSI SUNT IN JERUSALEM, ET INVENERUNT CONGREGATOS UNDECIM] Erant decem dumtaxat: Thomas enim aberat, & Judas se suspenderat: dicuntur tamen *undecim*, quia jam totum collegium Apostolorum vocabatur, & erat undecim virorum, quod hic majori ex parte erat collectum. Sic triumviri septem viri dicuntur congregati, etiamsi unus vel alter desit. H

REGRESSI SUNT] Græce, ὑπέστρεψαν, id est, redierunt celeriter, pleni alacritate & gaudio.

ET EOS QUI CUM ILLIS ERANT] id est, cæteros Christi discipulos, qui tum Hieros. cum Apostolis commorabantur.

VERS. 34 DICENTES, QUOD SURREXIT DOMINUS VERE, ET APPARUIT SIMONI] Petro ergo quasi pœnitenti ac lapso, & quasi principi Apostolorum primo apparuit Christus, antequam appareret his duobus discipulis & cæteris Apostolis, ut patet ex v. 36. Ita S. August. l. 3. de Consensu Evang.

VERS. 35 QUOMODO COGNOVERUNT EUM IN FRACTIONE PANIS] Ita solet Lucas appellare Eucharistiam, æque ac Paulus 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus*, inquit, *nonne participatio corporis Domini est?*

VERS. 36 DUM AUTEM HÆC LOQUUNTUR, STETIT JESUS IN MEDIO EORUM, ET DIXIT EIS: PAX VOBIS: EGO SUM, NOLITE TIMERE] *in medio*, ut esset omnibus conspicuus, ait Euthymius, tamquam pastor in medio ovium dissi-

Digitized by Google

A dissipatarum, ut eas sibi circumcirca adunaret. Ezech. cap. 34. vers. 12.

PAX VOBIS] Hæc erat Hebræorum usitata salutatio, qua nomine pacis, omnem prosperitatem, omneque bonum salutatis apprecabantur. Hic autem Christus proprie pacem Apostolis apprecatur & affert, quæ opponatur pavori & turbationi mentis, qua laborabant Apostoli ob mortem Christi: perplexi enim erant, quid post eam, tam de se, quam de Jesu esset futurum. Hæc omnia hic exemit eis Christus, pacemque eis impertit, ipse enim est pax omnium, ait S. Cyr. l. 12. in Joan. c. 54. Unde S. Chrysost. in cap. 28. Matth. *Molestia*, ait, *omnes dissolvens, crucis meritu colligit, quæ sunt pax, quia omnia impedimenta sublata sunt, & tropheum clarissimum statuit.*

VERS. 37 CONTURBATI VERO ET CONTERRITI, EXISTIMABANT SE SPIRITUM VIDERE] eo quod viderent Jesum januas clausas penetrasse, & ex improviso se sistere in medio eorum. Unde S. Ambr. *Et si Petrus*, inquit, *de resurrectione crediderat; turbari tamen potuit, cum videret, quod se Dominus cum corpore, in ea, quæ vestibulis obserata & obstructis erant sepia; parietibus, improvisus infunderet.*

B VERS. 38 ET DIXIT EIS: QUID TURBATI ESTIS, ET COGITATIONES ASCENDUNT (oriuntur, vobis permittentibus & indulgentibus) IN CORDA VESTRA?] *Cogitationes iste*, ait Augustinus serm. 69. de Diversis, *terrenæ sunt: Si enim cælestes essent, descenderent in cor, non ascenderent:* ascendunt ergo e terra, id est e corde terreno, ideoque timido, exili & pavido. Porro Christus hic ostendit se esse cardiognosten, hoc est cordium & turbationis eorum cognitorem, ideoque Deum, ait Titus & Euthymius.

VERS. 39 VIDETE MANUS MEAS, ET PEDES, QUIA EGO IPSE SUM: PALPATE, ET VIDETE: QUIA SPIRITUS CARNEM ET OSSA NON HABET, SICUT ME VIDETIS HABERE] q.d. Si aspectui non creditis, tactui credite. Probent sibi manus vestræ, si mentiuntur oculi vestri, ait S. August. serm. 69. de Diversis. Tactus enim visu est solidior & certior. *Palpate* ergo, græce, ψηλαφήσατε, id est, contrectate me, totumque meum corpus, ut illud solidum, reale, verum ac genuinum esse ipso tactu sentiatis. Hinc patet corpus glorioſum Christi & Beatorum esse subtile quidem, per effectum spiritualis potentiæ, palpabile autem per veritatem naturæ, ait S. Gregorius.

C Quomodo corpus glorioſum poſt eſt eſſe ſimul ſubtile & palpabile?

Quæres, qua ratione corpus Christi (& Beatorum) post resurrectionem glorioſum, ideoque subtile & penetrabile possit simul esse palpabile? Nota hæc tria in corpore esse distinguenda. Primo quod corpus non cedat, sive quod alteri corpori resistat. Secundo, quod sentiatur. Tertio, quod palpetur. Cæli enim corporei resistunt aliis corporibus, non tamen sentiuntur proprie: ignis vero sentitur, non tamen resistit, vel palpatur. Resistit ergo corpus cum alteri se opponit, nec ab eo se penetrari sinit, sive id faciat ratione suæ indivisibilitatis, ut cælum, sive ratione suæ duritiei & densitatis, ut ferrum, & alia. Sentitur vero, cum per calorem, frigus, mollitiem, asperitatem & alias qualitates tactiles, sensum tactus immutat, aut ei speciem intentionalem imprimit. Denique palpatur corpus, teste D. Thoma 3. part. quæst. 54. art. 3. ad 2. cum utrumque habet, id est, cum resistit ratione suæ densitatis, & simul sentitur esse molle, asperum, leve, durum, rarum, spissum, aliasque similes dispositiones tactiles habere, quæ variæ sunt in variis membris, secundum quas varie palpantur & contrectantur. Unde S. Greg. hom. 26. Quod palpatur, ait, necesse est corrumpi, scilicet naturaliter, quia hoc signum est illud constare quatuor elementis ac qualitatibus contrariis. Dico naturaliter; quia supernaturaliter corpus glorioſum incorruptibile est, & tamen palpabile. Unde subdit S. Greg. *Sed miro modo atque inæstimabili, Redemptor noster & incorruptibile post resurrectionem & palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile invitaret ad præmium, & præbendo palpabile firmaret ad fidem. Et corruptibilem se ergo, & palpabilem demonstravit: ut profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & ejusdem naturæ, & alterius gloriæ.*

D At qua ratione id fecit Christus? Dico Primo, Corpora glorioſa habent dotem subtilitatis, per quam possunt non resistere alteri corpori, illudque penetrare: habent Secundo, dotem ut possint non sentiri tactu, sicut habent ut possint non videri, ut paulo ante dixi: hæc utraque dos est illis libera; unde ea utuntur, aut non utuntur, prout eis libuerit.

E Dico Secundo, Consequenter corpora glorioſa, cum volunt, sunt palpabilia, aut non palpabilia: si enim velint resistere, & sinere se sentiri & contrectari, sunt palpabilia: si alterutrum nolint, id est, si nolint resistere, sed velint sentiri, aut si nolint sentiri, sed velint resistere, uti cæli; aut si velint nec resistere, nec sentiri, non sunt palpabilia. Ita Suarez 3. part. quæst. 54. artic. 3.

An palpatio Christi, comestio, &c. fuerit, sufficiens argumentum resurrectionis?

Quæres, Secundo, An hæc Christi palpatio, comestio & similia fuerint sufficiens argumentum resurrectionis Christi? Respondeo non fuisse omnino physice certa: nam etiam angeli in corpore assumpto palpati fuerunt ab Abraham, Lot & aliis; fuit tamen certum certitudine morali, & humana. Primo, quia propter hanc causam voluit Christus diu inter Apostolos versari, & per omnes sensus disciplinæ, scilicet auditum, visum, tactum, qui hominibus certissimi habentur, manifestare in resurrectione, uti & in morte. Secundo, quia ad Dei providentiam pertinebat, hæc tot signa non permittere, & fucum, si quis fuisset, detegere: F agebatur enim de vero Messia, ejusque nova religione, & præcipuo ejus puncto, id est resurrectione confirmanda. Tertio, quia cum his signis juncta miracula Christi & prophetiæ de Christo, faciebant rem omnino certam & credendam. Ita D. Th. 3. p. q. 55. art. 6:

Igitur eadem Christi forma, figura, loquela, vultus, vulnera, tactus, esus, potus, progressus, conversatio, asseveratio, prædictio, miracula, testimonia angelorum, oracula Prophetarum; hæc omnia, inquam, in unum collecta & conglobata, certo demonstrabant eum vere resurrexisse.

VERS. 40 ET CUM HOC DIXISSET, OSTENDIT EIS MANUS ET PEDES] *perforatos, qui clavorum adhuc ferebant foramina*, ait Euthymius, idque patet ex Joan. 20. v. 27. ubi Christus ait Thomæ, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas* (perforatas) *& affer manum tuam, & mitte in latus meum*, lancea in cruce transfixum. Hæc enim quinque vulnera, aut potius vulnerum cicatrices & stigmata, quasi victoriæ de morte, peccato, diabolo & gehenna in cruce partæ trophæa, Christus in G corpore suo glorioso remanere voluit, ac cælo inferre, ait S. Ambrosius, *ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet:* atque, ut ait Beda: *Qui regna mortis destruxit, signa mortis obliterare noluit.* Sic etiam in cælo SS. Martyres cicatrices vulnerum suorum, quasi martyrii sui triumphos ostentabunt. Nam ut ait S. August. lib. 22. de Civitate Dei c. 20. *Non deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit: non sunt deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia.*

An Apostoli revera tetigerint manus & pedes Christi perforatos.

Quæres, an revera discipuli post resurrectionem palparint & tetigerint manus & pedes Christi perforatos?

Respondeo nihil in hac re esse certi, quia Scriptura id non enarrat. Probabile tamen est aliquos palpasse & tetigisse, præsertim illos qui magis de resurrectione Christi dubitabant: tum quia hi in dubio hoc rei veritatem tactu explorare cupiebant, seque certos reddere, an vere hic esset Jesus, & a morte redivivus, num vero illusio vel phantasma: hoc enim magni intererat ad veram in Christum fidem & spem: tum quia Christus se eis palpandum obtulit, imo jussit ut palparent, H ut omne eis dubium eximeret: tum quia Christus palpationem hanc voluit esse argumentum certum, probans suam resurrectiondm non tantum Apostolis, sed & eorum posteris, ut scilicet Apostoli possent prædicare Gentibus Christum vere resurrexisse. Id ita esse docet S. Joannes ep. 1. c. 1. v. 1. *Quod vidimus*, inquit, *oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*, &c. *annunciamus vobis*. Ita Didymus ibidem, S. August. serm. 18. de Verbis Domini, S. Leo epistola 97. cap. 3. & alii.

VERS. 41 ADHUC AUTEM ILLIS (plerisque illorum, non omnibus) NON CREDENTIBUS, ET MIRANTIBUS PRÆ GAUDIO, DIXIT: HABETIS HIC ALIQUID QUOD MANDUCETUR?] τὸ *præ gaudio*. refer ad *non credentibus* potius, quam ad *mirantibus*, ut patet ex Græco, Syro & Arabico. Græcus enim habet, *adhuc non credentibus illis præ gaudio, & mirantibus;* Syrus, *cumque adhuc non crederent præ gaudio suo, & mirarentur;* Arabicus clare & exacte, *cum ipsi essent incredduli præ gaudio & admiratione*. Ex parte enim credebant discipuli ex palpatione Jesum resurrexisse, & verum corpus resumpsisse; verum

Digitized by Google

A alia ex parte præ admiratione rei tam novæ & insolitæ, ac præ magnitudine gaudii, non plane credebant, nec poterant sibi certo & firmiter persuadere, hunc esse ipsissimum Jesum, paulo ante crucifixum & jam redivivum, Magnitudo gaudii oriebatur ex credulitate, qua ex parte convicti, visu, voce & tactu Jesu credebant ipsum vere esse Jesum; eadem tamen gaudii magnitudo faciebat ut id ipsum firmiter credere non possent. Experimur enim in nobis, cum lætissimi afferuntur nuncii, iique a viris gravibus asseruntur, nos ingenti gaudio affici, ideoque necdum certam adhibere fidem, eo quod res nunciata sit ingens, nova, mira, insolita, summeque optata, ideoque nostram fidem & spem exsuperans, ne si postea falsa esse deprehendatur, nos falsitate delusos cernamus, & tantum de ea doleamus, quantum antea gravisi fuimus. Summum enim gaudium, si res ob quam gaudemus falsa deprehendatur, in summum vertitur mœrorem: quare hoc gaudium temperamus & suspendimus, donec certiores nunci vel argumenta de rei veritate suggerantur. Ita se res habuit hic in
B Apostolis, nam obscurabat & impediebat judicium illorum vehemens gaudium. Ita Vatablus.

HABETIS ALIQUID QUOD MANDUCETUR?] Christus apparuit discipulis accumbentibus ad mensam, & cœnantibus, ut patet Marci 16. 13. Illi viso Jesu mox ex reverentia surrexerunt e mensa, illique occurrerunt gaudentes & stupentes, ideoque dubitantes. Quare Jesus se eis palpandum dedit: sed, cum nec sic omnino crederent, petiit cibum, quem videbat in mensa, ut coram eis manducaret, itaque se redivivum esse ostenderet.

VERS. 43 AT ILLI OBTULERUNT ILLI PARTEM PISCIS ASSI, ET FAVUM MELLIS] Vide hic frugalitatem Apostolorum: non enim aliud obsonium habebant, quam piscem & favum, qui pauperum est cibus: si enim carnes assas vel elixas habuissent, utique quod melius erat, Christo obtulissent. Piscibus ergo quasi piscatores vescebantur: eadem frugalitatis causa prisci non carnibus, sed piscibus se cibabant, ut patet ex Athenæo lib. de Cœnis sapientum, imo ante diluvium nullus carnium erat usus
C & esus, sed piscium, uti ostendi Genes. 9.

Piscis assus quid symbolice. Symbolice, Beda: Piscis assus, inquit, est Christus passus: latere enim dignatus est in aquis generis humani, & capi laqueo mortis nostræ, & quasi tribulatione assati tempore passionis; sed favus mellis extitit in resurrectione, mel in cera, divinitas in humanitate. Et Theophylactus: Manducavit partem piscis assi: naturam enim humanam, in hujus vitæ mari natantem assans igne propriæ deitatis, ejusque humiditatem exsiccans, a profundis undis extractam facit escam divinam, cibumque suavem: quod significat favus mellis. Vel piscis assus est vita activa, consumens nostram humiditatem laborum prunis; favus mellis est contemplatio dulcis eloquiorum Dei. Et Gregorius Nyssenus: Legale pascha, ait, cum amaritudine edebatur, post resurrectionem vero cibus favo mellis dulcoratur.

Tropol. Tropologice, qui hic assantur tribulationibus pro Deo, ait Glossa, vera postea dulcedine satiabuntur.

Aliam causam tropologicam, cur Christus assum piscem comederit, dat Anonymus in Catena Græca. Naturæ enim humanæ, inquit, humiditatem, cui propter vitæ
D incontinentiam piscis instar immersa erat, Dei Verbum tanquam ignis quidam novus & inaccessus, per ineffabilem carnis unionem exsiccans quasi & assans, ab omni eam passionum commixtione liberavit. Hancque dispensationem tam suaviter adimplevit, ut sibi cibum suavem effecerit; salus enim hominum cibus Dei est. Unde Christus mox post comestum piscem & favum, insufflans in Apostolos, dedit eis Spiritum sanctum ad remittendum peccata, ut patet Joan. 20. 22. *Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

VERS. 43 ET CUM MANDUCASSET CORAM EIS, SUMENS RELIQUIAS DEDIT EIS] Græce, *& sumens coram eis manducavit.* Vera fuit hæc manducatio Christi. Erat enim vitalis actio, quia cibus a Christo animato & redivivo, vi animæ vegetantis vitaliter trajiciebatur in stomachum, cujus calore concoqui poterat. Secus est in angelis, dum corpus assumunt; hi enim videntur comedere, sed revera non comedunt, quia nec verum habent corpus aut stomachum, nec vitaliter in eum cibum trajiciunt, quia non vivunt in corpore, nec enim illud E
informant & animant: trajiciunt ergo cibum in stomachum aereum, perinde ac si nos cibum trajiciamus in saccum aliquem laneum vel lineum. Unde Raphael Tobiæ 12. 19. *Videbar quidem*, inquit, *vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili & potu qui ab hominibus videri non potest, usor.* Christus tamen non fuit hoc cibo nutritus, sed in stomacho illum totum vel annihilavit, vel in aerem aliamque materiam convertit & dispersit. Ita Theophyl. *Comedens*, ait, *divina quadam virtute consumendo quod comedebat.* Sic & Aug. epist. 49. ubi dat simile: *Aliter*, inquit, *absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius cadens; illa indigentia, iste potentia:* sic & D. Th. ac Scholastici.

SUMENS RELIQUIAS DEDIT EIS] tum ne peterent, tum ut reliquias has comederent Apostoli, itaque dicere possent se cum illo ex eodem cibo comedisse, tum ut ipsi reliquias has ostenderent incredulis, ac ex eis Christum comedisse asserendo, illum resurrexisse iisdem persuaderent. Hæc verba jam desunt in Græco & Syro. Verum illa olim in Græco extitisse, F
liquet ex nostro Interprete, & Arabico qui habet, *& accepit reliquias & dedit illis.*

HÆC SUNT VERBA, QUÆ LOCUTUS SUM AD VOS, VERS. 44
CUM ADHUC ESSEM VOBISCUM, QUONIAM NECESSE EST IMPLERI OMNIA QUÆ SCRIPTA SUNT IN LEGE MOYSI, ET PROPHETIS, ET PSALMIS, DE ME] *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos*, quibus scilicet prædixi me sic passurum, in cruce morituram, & die tertia resurrecturum, ut jam reipsa factum videtis. Agnoscite ergo me verum esse Propheram & Messiam, utpote cujus oraculis ad amussim respondet rerum eventus, Aut: *Hæc sunt verba*, id est hæ sunt res, quas uti locutus sum & prædixi vobis, ita jam vos re ipsa perfectas & completas videtis: res istæ sunt mea passio, crucifixio, mors & resurrectio, ut sit metonymia, qua sæpe verbum pro re verbo significata sumitur. Porro res istæ non debent vobis, o Apostoli, videri novæ & inopinatæ, quia non solum a me, sed & olim a Moyse, Prophetis & Davide in Psalmis prædictæ & prænunciatæ sunt, ut sequitur.

Nonnulli censent *Lucam hic* uti anticipatione: putant G
enim Christum hæc dixisse non in Dominica resurrectionis, sed in die ascensionis: tunc enim jussit eos manere in Jerusalem usque ad adventum Spiritus S. (uti hic jubet v. 49.) ut patet Act. 14. Unde de Ascensione Christi mox agit Luc. v. 50. nisi quis dicat utroque die, adeoque sæpius Christum hæc Apostolis inculcasse, ad eorum fidem æque ac memoriam confirmandam.

TUNC APERUIT ILLIS (græce, διῆνοιξε, id est, *eorum* VERS. 45
ita Syrus & Arabicus) SENSUM (græce νοῦν, id est mentem) UT INTELLIGERENT SCRIPTURAS] q. d. Tunc illuminavit eorum mentem, ut oracula Propheratum de Christi morte, cruce & resurrectione, huc usque ab eis non intellecta intelligerent, sicut fecerat duobus discipulis euntibus in Emmaus, quibus in via interpretabatur Scripturas quæ de ipso erant, v. 27. præced. *Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant*, Patet ex v. 46. qui sequitur.

Egit hoc Christus, tum ut ex illis Apostolos in fidæ suæ passionis & resurrectionis solidaret, tum ut ipsos ejusdem H
fidei doctores & prædicatores efficeret. Horum enim est S. Scripturam populo explicare. Porro Christus *id ipsum* hic fecit inchoate, perfecit autem in Pentecoste, cum in eos misit Spiritum sanctum, qui eis notitiam uti linguarum, sic & Scripturarum pleniorem indidit.

Hinc pater Primo, S. Scripturam non esse omnibus legentibus, etiam laicis & rudibus, apertam & claram, uti volunt hæretici. Secundo, eadem non esse interpretandam ex proprio sensu, ut iidem contendunt; sed ex spiritu Dei, quem Christus hic dedit Apostolis, hi Ecclesiæ, Ecclesia autem eumdem nobis tradidit. Quocirca S. Paulus docet, Deum in Ecclesia posuisse doctores, & inter gratias gratis a Deo datas 1. Corinth. c. 12. numerat *interpretationem sermonum*: hac de causa erant olim in Ecclesia interpretes, quorum officium vide apud Baronium tom. 1. p. 394.

S. Scriptura non est omnibus legentibus facilis & clara.

ET DIXIT EIS: QUONIAM (quod, quæ particula hic VERS. 46
per pleonasmum more Hebræo redundat) SCRIPTUM EST (Isaiæ 53. Psal. 21. & alibi) ET SIC OPORTEBAT CHRISTUM PATI, ET RESURGERE A MORTUIS TERTIA DIE] Ecce in hisce fidei articulis aperuit Christus Apostolorum sen-

Digitized by Google

A sensum & mentem, ut sacras Scripturas de eis prophetantes intelligerent.

VERS. 47 ET PRÆDICARI IN NOMINE EJUS POENITENTIAM ET REMISSIONEM PECCATORUM IN OMNES GENTES] *In nomine ejus*, id est Primo, auctoritate ejus, scilicet Christi. Secundo, jussu Christi: Tertio, vice Christi; ut scilicet Christi prædicationem de pœnitentia & remissione peccatorum per fidem danda, Apostoli prosequerentur & propagarent per omnes Gentes: Quarto, *in nomine*, id est in virtute & efficacia meritorum & mortis Christi, nulli enim nisi per hæc Deus dat Spiritum pœnitentiæ & remissionis peccatorum.

INCIPIENTIBUS AB JEROSOLIMA] Vobis scilicet, o Apostoli, prædicatoribus: q. d. Vos, o Apostoli, incipite prædicare in Jerusalem, & ex ea pergite ad omnes gentes.

INCIPIENTIBUS] Legit Interpres, ἀρξαμένων, jam legunt ἀρξάμενον, id est *incipientem*, id est incipiente, hoc est incipiendo a Jerusalem, ut sit atticismus; Syrus, *exordium erit a Jerusalem*.

B Cur a Jerusalem cœpit prædicatio Evangelii?

Causa fuit: Prima, quia in Jerusalem florebat synagoga, ibique prædicante Christo cœpit Ecclesia: ibi enim vetus Ecclesia in novam a Christo est transfusa, juxta illud Isaiæ: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*. Et c. 60. 1. *Surge, illumina Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*, &c. *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui*. Secunda, quia Judæis a Prophetis promissus fuerat Christus, ejusque fides, prædicatio, salus & gratia; Judæorum autem metropolis erat Jerusalem, Tertia, quia David & Salomon regnarant in Jerusalem: Christus autem eorum filius regnum eorum collapsum restituere venerat: sed alio modo sublimiore, scilicet spirituali, per fidem & gratiam: ergo in Jerusalem illud ordiri oportebat. Plures causas recensui Act. c. 1. 4.

VERS. 48 VOS AUTEM TESTES ESTIS HORUM] Hæc & sequentia de ascensione Christi fusius narrat Lucas Act. cap. 1. 4. & sequentibus, ubi ea explicui.

C VERS. 49 ET EGO MITTO PROMISSUM PATRIS MEI IN VOS] q. d. Post paucos dies in Pentecoste mittam vobis Spiritum sanctum, qui hæc & plura clarius vos docebit, atque roborabit ad libere & efficaciter illa prædicandum per omnes gentes.

VOS AUTEM SEDETE IN CIVITATE (Jerusalem) QUOADUSQUE INDUAMINI VIRTUTE (græce, δυνάμει, id est vi, robore) EX ALTO] q. d. Donec e cælo mittam in vos Spiritum sanctum, qui undique vos induet & imbuet spiritu & robore cælesti, sicut miles undique induitur & tegitur lorica, cæterisque armis, ut sic toto corpore menteque obarmati, nullum in mente timorem, tarditatem, torporem sentiatis, sed constantes, intrepidi, ferventes, celeres & agiles pergatis prædicatum per totum orbem, atque omnes gentes, reges, tyrannos, sapientes, &c. mihi meæque fidei potenter subigatis, nam, ut ait S. Chrysost. in Catena: *Sicut milites invasuros multos dux exire non sinit, donec armati sint* (ne inermes hostium gladiis trucidentur:) *sic & Christus discipulos ante Spiritus adventum ad conflictum egredi non permittit*.

D Unde Tropologice, S. Gregorius 3. p. Pastor. admonit. 26. *In civitate*, ait, *consistamus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur, ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nubis metipsis foras etiam alios instruentes exeamus*.

E EDUXIT AUTEM EOS FORAS IN BETHANIAM] & inde in Montem Oliveti, ex quo in cælum ascendit. Bethania quindecim stadiis distabat a Jerusalem, & in medio erat Mons oliveti: pertexit tamen Christus prius in Bethaniam, ut Lazaro, Marthæ & Magdalenæ hospitibus suis valediceret, eosque secum in Montem Oliveti adduceret, ut suæ ascensionis essent spectatores, gloriæque ac triumphi participes. VERS. 50 Bethania quantum distans a Jerusalem.

F ET ELEVATIS MANIBUS SUIS (in cælum, quas a Deo poscens benedictionem efficacem dandam discipulis) BENEDIXIT EIS) formans signum crucis super eos, uti censet Dionysius Carthus. Franc. Lucas, & alii, ac Suarez 3. p. qu. 58. art. 4. disp. 52. sect. 2. Imo S. Hier. in Isaiæ c. 66. v. 19. *Et ponam in eis signum. Hoc*, inquit, *nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut libere diceremus: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Crux enim est signum Christi, quod nobis est fons omnis benedictionis & gratiæ. Quocirca a Christo & Apostolis manavit traditio, ut, dum cui benedicimus, manibus in formam crucis deductis id faciamus.

Porro Christus hic abiturus a suis discipulis, docet nos, ut cum a nostris subditis, &c. abimus, eis benedicamus, & signo cruci super eos formato a Deo benedictionem eis apprecemur. Ita Theophylactus.

VERS. 52 ET IPSI ADORANTES (græce προσκυνήσαντες, id est cum adorassent) REGRESSI SUNT IN JERUSALEM CUM GAUDIO MAGNO] Gaudebant enim, tum quia videbant Christum magistrum suum tam glorioso triumpho in cælum conscendere: tum quia Christus eis promiserat Spiritum sanctum, eumque læti, avide & certo expectabant: tum quia post labores prædicationis sperabant se simili modo in cælum a Christo recipiendos. Hoc enim ipse eis promiserat, Joannis 14. 31.

VERS. 53 ET ERANT SEMPER IN TEMPLO, LAUDANTES ET BENEDICENTES (id est gratias agentes pro tantis Christi gratiis, donis & beneficiis) DEUM. AMEN] *Semper*, scilicet post adventum Spiritus sancti in Pentecoste: nam ante eum pavidi metu Judæorum domi se continebant. Aut *semper*, id est frequenter, assidue adibant templum, ut in eo Deum orarent, laudarent & gratias agerent: nam alioqui ex Act. c. 1. 13. constat eos habitasse in domo, puta in cœnaculo, in quo Christus ultimam cœnam celebraverat; sed hoc cœnaculum vicinum erat templo: ex eo ergo facile & crebro adibant templum & domum redibant. *Inter laudum devotiones, promissum Spiritus sancti adventum promptis per omnia paratisque cordibus expectant*, inquit Ven. Beda. Qui & hoc hic annotat, Lucam, qui Evangelium suum a ministerio templi per sacerdotium Zachariæ cœpit, pulchertime hoc in templi devotione complere, cum Apostolos inibi, ministros videlicet novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei & benedictione concluserit. G H

Moraliter, Apostoli & discipuli Christi hic nos suo exemplo docent, assidue laudare Deum, ut tota vita Christiana sit laus continua Christi. Ita inchoamus vitam Beatorum, quibus perpetim laudare Deum est juge otiosum negotium, & negotiosum otium, uti sæpius ostendi in Apoc. c. 4. 5. & 7. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*.

Digitized by Google

COMMENTARIUS IN EVANGELIUM SANCTI JOANNIS.

ARGUMENTUM.

A

SAnctus Joannes Apostolus, filius Zebedæi & Salomes, frater S. Jacobi Majoris in Asia græce scripsit hoc Evangelium, sub finem vitæ post reditum ex exilio in Pathmos, ubi scripserat Apocalypsin, uti ostendi prooemio in Apocalysin.

Joanni causa scribendi duplex.

Causa scribendi fuit duplex: Prior ut Ebionem & Cherintum hæreticos jam tum subnascentes, qui negabant Christi divinitatem, eumque merum esse hominem docebant, confutaret. Posterior, ut ea, quæ Matthæus, Marcus & Lucas de Christo omiserant, suppleret. Unde Joannes plene prosequitur acta Christi primo prædicationis suæ anno, quæ alii tres fere præterierunt.

B

Audi S. Hier. prooemio in Matt. *Ultimus Joannes Apostolus, & Evangelista, quem Jesus amavit plurimũ, qui supra pectus Domini recumbens, purissima doctrinarũ fluenta potavit, & qui solus de cruce meruit audire; Ecce mater tua. Is cum esset in Asia, & tunc jam hæreticorum semina pullularent, Cherinti, Ebionis & cæterorũ, qui negant Christum in carne venisse, quos & ipse in epistola sua Antichristos vocat, & Apostolus Paulus frequenter percutit; coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, & multarũ Ecclesiarũ legationibus, de divinitate Salvatoris altius scribere, & ad ipsũ, ut ita dicam, Dei Verbũ, non tam audaci, quã felici temeritate prorumpere. Unde & Ecclesiastica narrat historia, cum a fratribus cogeretur, ut scriberet, ita facturũ se respondisse, si indicto jejunio in cõmune omnes Deũ deprecarentur: quo expleto, revelatione saturatus, illud prooemium e cœlo veniens eructavit. In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbũ: hoc erat in principio apud Deum.*

Tempus.

C

Ergo scripsit S. Joannes Evangelium, prævio communi Ecclesiæ jejunio. Addunt alii, previis tonitruis & fulguribus, quasi alter Moses, qui legem a Deo excepit cum tonitruo, fulmine & terræ motu, Exodi 19. Ipse enim a Christo indigitatus est *Boanerges*, id est, filius tonitrui, ac ut talis novum legis novæ exordium intonuit: *In principio erat Verbum.* Ita ex Metaphraste & aliis, Baronius tom. 1. sub initiũ anni Christi 99. ubi pariter docet Joannem scripsisse Evangelium hoc anno Christi 99. post ejus ascensionem 66. qui fuit post excidium Hierosolymæ per Titum 27. Nervę Imper. primus, cum jam fides Christi & Ecclesia ubique per provincias increbresceret, & inclaresceret magno fidelium numero, ac majore virtute & robore Martyrum.

Igitur sicut Isaias cæteros Prophetas, ita Joannes cæteros Evangelistas sublimitate superat: quare licet cæterorum tempore sit postremus, dignitate tamen & perfectione est primus. Unde & aquilæ cæteris avibus supervolitanti comparatur Ezech. 1. Apoc. 4. Dignitas hæc ejus, sublimitas & præcellentia, ac consequenter obscuritas, ex tribus maxime capitibus æstimari potest. Primum est, materia & argumentum: S. Joannes enim solus ex professo agit de Christi divinitate, de Verbi origine, æternitate, generatione ac spiratione Spiritus sancti, de Sanct. Trinitate, deitatis unitate, relationibus, attributis divinis &c. Matthæus vero, Marcus & Lucas humanitatis Christi mysteria & gesta recensent. Unde ex S. Joanne Patres omnia pene argumenta cõtra Arianos, Servetianos, Nestorianos, Eutychianos, similesque hereticos: Doctores vero Scholastici totam materiam de S. Trinitate, deque Deo trino & uno hauserunt.

Joannes aquila. Primo.

D

Secunda.

Secundum, est ordo temporis. Scimus Ecclesiã instar auroræ & solis, sensim successu temporũ, crevisse ad perfectũ diem cognitionis mysteriorũ fidei. Hinc scriptores hagiographi novi testamenti, puta Apostoli & Evangelistæ longe clarius & luculentius de iis scribunt, quam Moses & Prophetæ veteris Testamenti. Inter eos autem ultimus omniũ est S. Joannes: ultimum ejus opus est Evangeliũ, uti docent Patres & interpretes. Ultimam ergo manum & coronidem Evangeliis & Bibliis hoc Evangelio S. Joannes imposuit.

Tertium, est auctor: S. Joannes enim unus omnium Sanctorum laureas meruit & obtinuit. Ipse vocatur & revera est Theologus, imo Theologorum vertex, ipse Propheta, ipse Apostolus, ipse Evangelista, ipse sacerdos, ipse pontifex, ipse Hierarcha, ipse virgo, ipse Martyr; sed quia virgo illæsus perstitit, ac ferventi oleo immersus, illo nec uri, nec lædi potuit. Joannem esse Theologum liquet ex Apocalypsi, quæ græce inscribitur *Apocalypsis S. Joannis Theologi*. Ipsum esse Prophetam in Apocalypsi nemo ignorat: Evangelista est in Evangelio: Apostolus in tribus Epistolis Canonicis, quas conscripsit. Eumdem virginem fuisse, esseque perpetuum, veteres omnes tradunt, ac nominatim vetustissimus Tertul. lib. de Monogamia, & S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. Quocirca ipse tum aliarum virtutum, tum præsertim virginitatis merito, evasit discipulus ille, quem diligebat Jesus, Benjaminus Christi, qui in ultima cœna Domini super pectus ejus recubuit, cui moriens quasi virgini virginem matrem commendavit. Nimirũ *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*; at ipsa Veritas, Matth. 5. *Videbunt*, inquam, in hac vita per fidem & contemplationem, in futura per speciem & visionem.

E

Tertio. Joannes habet dotes omni Sanctorum

F

Unigenitus ergo, qui est in sinu Dei Patris, S. Joanni velut carissimo sibique amicissimo, in sinu suo recumbenti enarravit secreta & sacramenta divinitatis, abscondita cõstitutione mundi. Joannes eadem hæc nobis enatravit, ac quasi filius tonitrui, cæraunius & fulmineus totum orbem Verbi divinitate, velut coruscante fulmine collustravit, ejusdemque ignea charitate inflammavit. Testis sit vel unicus ille sermo longissimus & ultimus Christi a cœna, c. 13. & seq. qui non nisi amoris divini ardores spirat & eructat. *Joannes*, ait S. Epiphan. hæresi 73. *vere tonitrui filius per propriam suam grandiloquentiam, velut ex quibusdam nubibus a sapientiæ ænigmatibus, pium nobis de filio intelligentiam persuasit.* S. Hieron. ep. 85. ad Evagrium, *Clangit*, ait, *tuba, filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit.*

G

Plura de eo vide hic apud S. Cyrillum, S. Augustinũ & S. Chrysost. prooemio in Joannem. Imo S. Chrisostomus audet dicere, Joannem per Evangelium docuisse angelos secreta Verbi incarnati, quæ prius ignorabant; adeoque ipsum doctorem fuisse Cherubinorum & Seraphinorum, idque probat ex illo Pauli, Ephes. 3. *Ut innotescat principatibus & potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. Si igitur*, inquit Chrys. *principatus & potestates, Cherubimque & Seraphim hæc per Ecclesiam didicerunt, plane constat ipsos Angelos summa cum attentione ejus sese auditores exhibere. Quippe idcirco non parum honoris consequimur, quod nobis ea angeli discant quæ nesciunt.*

Narrat S. Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii, in Vita S. Greg. Thaumaturgi, ipsum, cum Origenis fuisset discipulus, ac jam Neocæsareæ creatus foret Episcopus, dum jam Origenistæ errores suos spargerent, & semina arianismi jacerent, circa doctrinam doctrinæ quemodum fluctuare cœpisse: quare Deum, ejusque matrem pro ope & luce supplici ter invocasse: nec incassum. In somnis enim apparuit ei B. Virgo cum S. Joanne, quæ eidem præceptorem dedit ipsum, S. Joannem: quare S. Joannes Symbolum Thaumaturgo tradidit, quod celebrat V. Synodus Oecumenica & tota Orientalis Ecclesia: quo Symbolo pleraque divinissima Evangelii sui mysteria, præsertim de Verbo Patri homousio, limpidissime explicat & pertractat. Extat hoc Symbolum apud Baronium & alios in Vita Thaumaturgi. Idem & nos ab utroque identidem supplices efflagitemus. Plura de S. Joanne dixi prooemio in Apocal. & in ep. 1. Joannis.

H

S. Joannes datur in præceptorem S. Gregorio Thaumaturgo a B. Virgine.

Denique S. Joanni Chrysostomo in monasterio degenti apparuit S. Petrus, porrigens illi claves, & S. Joannes tradens illi librum Evangelii: atque ita S. Petrus eum Pontificem, S. Joannes eum doctorem & concionatorem cœlestem creavit & auctoravit; unde *Chrysostomus*, id est *os aureum*, cognominari meruit, ita habet ejus Vita.

Apparitio SS. Petri & Joannis S. Joan. Chrysostomo.

CANO-

Digitized by Google

CANONES
EVANGELIO S. JOANNIS
lucem afferentes, facemque præferentes.

A

S. Joannis ſtylus.

CAN. I.

JOANNES ſtylum habet ſibi proprium & peculiarem, a cęteris Evangeliſtis & ſcriptoribus hagiographis plane diverſum. Ut aquila enim nunc ſe ſupra omnes attollit: nunc quaſi ad prædam in terram ſe demittit, & ſimpliciũ captui ruditatiq; ſe attemperat, ac ſimplex eſt, virgineus, planus & candidus. Nunc ſapit ut Cherubin, nunc ardet & accendit ut Seraphin. Ratio eſt, quod Joannes fuerit ſimillimus Chriſto eique dilectiſſimus, ac viciſſim ſumme eũ diligens; unde in ultima Chriſti cœna, in pectore ejus recubuit. Ex illo ergo ſuxit Chriſti indolem, ſapientiã, candorẽ, æque ac ardorem. Quare dum Joannẽ intueris, legis, audis, Chriſtũ te intueri, legere, audire cogita: Chriſtus enim ſuum ſpiritum, ſuoſque mores & amores in Joannem transfudit.

CAN. II.

Hebræis phraſibus abundat.

B

Joannes, licet omnium conſenſu in Græcia Græcis græce ſcripſerit Evangeliũ, tamen, quia ipſe genere & gente, ac primæva nativæque lingue amore, æque ac elegantia erat Hebræus, hinc magis Hebræis, quam Græcis phraſibus & idiotiſmis præ aliis abundat, unde bilingui, imo trilinguicognitione hic opus eſt; ſcilicet ut noris hebraice, græce & latine. Sic hebraizat, dum ſæpe τὸ & ſumit pro *ſicut*, uti paſſim facit Salomon in Proverbiis, ubi ſimilie ſimili comparat per copulam &, quæ proinde ſimilitudinis eſt nota, idemq; valet quod *ſicut*: Græcizat vero, dum *forſitan* ſumit pro *utique*, Græcum enim ἀὴ notat aſſertionem, non dubitationem. Joan. 8. 19. Sic *non poſſe* ſumit pro *nolle*. Joan. 8. 43. Sic Hebræum *amen* ſemper geminat & duplicat; dicens: *Amen, amen*, cum cæteri Evangeliſtæ ſimplex unumque duntaxat ponant *amen*. Cauſas hujus diverſitatis veſtigabo c. 3. 2.

CAN. III.

Celebriores Chriſti conciones & diſputationes fuſius enarrat.

C

Joannes Chriſti diſputationibus cum Judæis, & concionibus magis quã rebus ab eo geſtis recenſendis incumbit. Non quod omnes Chriſti diſputationes & conciones enarret, ſed quod celebriores & majoris momenti, præſertim illas, quibus Chriſtus probabat ſe Deum eſſe æque ac hominem, in compendium redigat.

CAN. IV.

Chriſtum nunc ut hominem, nunc ut Deum loquentem refert.

Apud Joannem Chriſtus nunc ut homo, nunc ut Deus loquitur: idque ſolerter ex adjunctis & circumſtantiis diſtinguendum & ſecernendum eſt.

CAN. V.

D

Cum Chriſtus apud Joannem dicit ſæpius, ſe nihil facere aut loqui ex ſeipſo, vel ſe non facere aut dicere hoc illudve, ſed Patrem; id intelligi debet originaliter & ſolum q. d. Ego ſolus neque qua homo hæc confingo, neque qua Deus primus eorum ſum auctor; ſed Deus Pater, qui cum eſſentia ſua divina communicat mihi omniſcientiam & omnipotentiam operandi quidvis, quantumvis arduum, ſublime, paradoxum & divinum.

CAN. VI.

Licet Apoſtoli aliique Sancti miracula quoque patrarint, Chriſtus tamen apud Joannem, ſæpe ex miraculis a ſe factis probat ſe eſſe Meſſiam & Deum: idque recte & efficaciter. Primo, quia ipſe ad hoc probandum illa directe adhibebat. Miraculum enim, quaſi opus Dei, & vox realis primæ veritatis, eſt certum teſtimonium ejus rei, ad quam adhibetur & inducitur. Secundo, quia Chriſtus illa faciebat propria virtute, ſuaque auctoritate & imperio, quod facere non potuiſſet, niſi ipſe fuiſſet Deus ex Deo. Ita enim illa faciebat, ut viderentur ab eo quaſi ex Deo; & quaſi ex primo miraculorum fonte manare. Sancti autem miracula patrant non ſua auctoritate, ſed invocatione nominis Dei vel Chriſti. Tertio, quia plura & magis varia fecit Chriſtus, quã cæteri Santi ante vel poſt ipſum. Adde, illa fuiſſe facta a Chriſto, quæ ab Iſaia aliiſque Prophetis prædicta ſunt, fore indices & notas Meſſiæ, ſive Chriſti, ut patebit c. 11. 4.

CAN. VII.

S. Joannes duorum priorum prædicationis Chriſti annorũ hiſtoriam præcipue texit.

Matthæus, Marcus & Lucas maxime ſcribunt acta ultimi & penultimi anni prędicationis Chriſti, ſcilicet ea, quæ egit poſt incarcerationem S. Joannis Baptiſtæ: Joannes vero in ſuo Evangelio, præcipue duorum præcedentium prædicationis Chriſti annorum hiſtoriã pertexit: atque per hoc multæ ſolvuntur antilogiæ, quibus Joannes cæteris tribus videtur adverſari. Ita S. Auguſtinus hic in Proœmio.

E

CAN. VIII.

In S. Joanne particulãs valde expendendãs.

In Joanne magna ſæpe eſt vis & obſcuritas in adverbiis & conjunctionibus cauſalibus, illativis, continuativis, & cæteris ſimilibus, ut aliquando una ex eis particula integrum ſententiæ ſenſum contineat & oſtendat. Quocirca illæ valde rimandæ & expendendæ ſunt, ut ſuis quibuſque locis demonſtrabo.

CAN. IX.

Ut, propterea, propter quod quomodo conſtruendã.

Voculæ *ut, propterea, propter quod*, & ſimiles, non ſemper cauſam aut finem intentum ſignificant; ſed ſæpe conſequentiam, & eventum duntaxat, ſive id quod conſecutum eſt, præſertim ſi eventus certo præviſus ſit, ideoque aliter jam evenire non poſſit. Id patet Joan. 12. 38. & 39. ubi ait: *Non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ impleretur*. Et mox: *propterea non poterant credere, quia iterũ dixit Iſaias, Excecavit oculos eorũ*. Cauſa enim cur Judæi nollent Chriſto credere, non fuit prędictio Iſaiæ, qua prędixit eos non credituros, ſed Judæorum durities & malitia, quæ prędictionem Iſaiæ, quaſi objectum & cauſa præceſſit. Ideo enim prędixit Iſaias Judæos non credituros, quia revera ipſi ex ſua malitia & obſtinatione non erant credituri Chriſto. Ita S. Chryſoſt. Cyrillus, Theophyl. Euthym. ibid.

F

CAN. X.

Per Judæos qualnam intelligendi ſint

Joannes per Judæos nunc ſolos principes, nunc ſolum populum intelligit: ideoque Judæos nunc Chriſto adverſos, nunc faventes inducit, quia favebat Chriſto populus, adverſabantur vero principes. Id patet c. 7. v. 11. & 13. c. 8. v. 31. c. 9. 23.

CAN. XI.

Præſens tempus verbi quomodo intelligendum.

G

Per hebraiſmum ſæpe præſens tempus non actum in affectum exeuntem, ſed naturæ vim, ſive actum agentis ſignificat, etiamſi ejus effectus a paſſo, aut aliunde impediatur. Sic c. 1. 9. ait Chriſtum ſuo adventu illuminaſſe mundum, ſcilicet quantum erat ex ipſo. Nam multi, ut Judæi, lumen hoc recipere noluerunt, uti mox ſubdit, ſed in ſuis infidelitatis tenebris permanſerunt.

CAN. XII.

quaſi ut exponendum?

Voculæ *quaſi, ſicut*, & ſimiles, quia reſpondent Hebræo *caph*, non ſemper ſimilitudinem, ſed aliquando ipſam veritatem denotant: ut c. 1. 14. *Vidimus gloriam quaſi unigeniti*, i. e. vere unigeniti. q. d. Vidimus gloriam talem & tantam, qualis & quanta decebat eum, qui vere erat unigenitus Filius Dei Patris. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. ibid.

CAN. XIII.

Verba in quo ſenſu explicanda?

H

Joannes more Hebræo verba nunc ſumit in actu inchoato, ut ſignificent incipere opus, nunc incontinuato, ut ſignificent pergere in opere & creſcere; nunc in perfecto, ut ſignificent opus eſſe completum. Unde non mirum, ſi quandoque id quod creſcit aut perficitur, ita fieri dicatur, ac ſi jam primum inciperet, & vice verſa. Actus inchoati exemplum eſt c. 16. 6. ubi Petrus Chriſto volenti pedes ſibi lavare reſiſtens, ait: *Domine tu lavas mihi pedes? Lavas*, id eſt, lavare vis, lavare paras & incipis? Actus continuati exemplũ eſt c. 2. 11. ubi viſo miraculo converſionis aquæ in vinum in Cana Galilææ, ſubjicitur: *Et crediderunt in eũ diſcipuli ejus: crediderunt*, id eſt credere perrexerunt, in fide creverunt & confirmati ſunt: nam jam antea crediderãt in Chriſtũ: niſi enim credidiſſent, non fuiſſent eũ ſecuti, nec ejus diſciplinæ ſe tradidiſſent. Et c. 4. v. 63. ubi regulus viſo miraculo, quo Chriſtus filium ejus moribundũ vitæ reſtituerat, dicitur credidiſſe in eum, i. e. in fide Chriſti profeciſſe, ſeque corroboraſſe. Nam niſi jam ante in eum credidiſſet, utique eum non adiiſſet, nec ſanationem filii ab eo poſtulaſſet. Actus perfecti exemplum eſt c. 11. 15. ubi Chriſtus ſub finem vitæ ſuſcitaturus Lazarum ait: *Gaudeo propter vos, ut credatis*, hoc eſt ut in fide mea per hoc miraculum meum ultimum & maximum plane perficiamini. Et c. 20. 17. Jeſus poſt reſurrectionem apparens Magdalenæ ad pedes ejus provolutæ, ait: *Noli me tangere*, id eſt, noli in tactu pedum meorum hærere & deſidere, ſed vade cito, ac nuncia Apoſtolis de mea morte mœſtiſſimis, me reſurrexiſſe.

Digitized by Google

A

CAN. XIV.

Res gravis per affirmationem & contrarii negationem asserta.

Joannes more Hebræorum, id quod per affirmationem dixit, iterum per negationem contrarii asserit, iterat & confirmat, præsertim ubi res est gravis, notanda & multis dubia, ut valida confirmatione indigeat. Sic Joannis 1. v. 20. Joannes Baptista rogatus a Judæis, an ipse esset Christus, *confessus est, & non negavit, & confessus est, quia non sum ego Christus*; & v. 3. *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*,

CAN. XV.

Peculiares aliquæ S. Joannis phrases.

Gaudet Joannes Christum appellare vitam & lucem, ob causas, quas afferam c. 1. v. 4. & seq. Ad hæc similes alias peculiares habet phrases. *Judicium* enim sæpe vocat condemnationem, quæ in judicio fit per metalepsin; alibi *judicium* vocat arcana Dei judicia & decreta, quia justa. *Demonstrat*, sumit pro exhibet, dat, denotat. *Tenebras* vocat peccata; *filios lucis* vocat Sanctos; *veritatem* vocat id, quod verum, justum & rectum est; *Operamini cibum* c. 6. 27. i. e. comparate cibum. Crebro utitur verbo *manendi*: unde dicit nos per amorem in Deo manere & Deum

B in nobis. c. 6. asserit se & carnem suam esse panem, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, c. 7. 37. 38. *Si quis sitit*, ait, *veniat ad me, & bibat, Qui credit in me*, &c. *flumina de ventre ejus fluenta aquæ vivæ*. c. 8. interrogatus Judæis: *Quis es tu?* resp. *Principium, qui & loquor vobis*. c. 10. comparat se pastori bono, fideles ovibus. c. 11. suscitans Lazarum, ait se esse resurrectionem & vitam. Ibidem Joannes

Vers. 36 Caipham prophetasse de morte Christi asseverat c. 13. asserit Jesum suos in finem dilexisse, ideoque iturum ad mortem eis pedes lavasse. cap. 14. *Ego*, inquit, *sum via, veritas & vita, Pater in me est, & ego in Patre*. Ibid. Spiritum sanctum promittens, eum vocat *spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. cap. 15. *Ego*, inquit, *sum vitis vera, vos palmites, quia sine me nihil potestis facere*. cap. 16. & seq. vult nos unum esse cum Deo & cum proximis. Sic Interpres *signavit*, sumit pro appositio sigillo confirmavit: hoc enim est Græcum ἐσφράγισεν, cap. 6. 27.

CAN XVI.

C Christum aliqua dixisse, quæ ipse S. Joannes non narravit, brevitati studens asserit.

S. Joannes asserit Christum quædam prius dixisse, cum tamen prius non narrarit, ubi & quando ea dixerit; brevitati enim studens se habuit semel ea narrare, ne, si prius ea narrasset, cogeretur postea eadem repetere. Sic. cap. 11. ait; Martham dixisse Magdalenæ: *Magister adest, & vocat te*; & tamen prius non narravit Christum jussisse Marthæ, ut vocaret Magdalenam; quia cum recenset Martham jussu Christi vocasse Magdalenam, hoc ipso sat indicat, Christum prius jussisse illi ut sororem vocaret. Ibidem Christus ait Marthæ: *Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei*? & tamen prius non narravit Christum hoc dixisse. Sic cap. 6. 36. ait Christus. *Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis*, & tamen nusquam antea recensuit, quod idipsum dixerit Christus.

CAN. XVII.

Multa Christi miracula tantum Joannes narrat.

D Miracula Christi, quæ solus Joannes commemorat, sunt hæc: Conversio aquæ in vinum in Cana Galilææ, c. 2. Prior expulsivo vendentium e templo, ibid. vers. 15. Filii reguli infirmi sanatio, c. 3. 47. Paralytici ad Probaticam piscinam curatio, cap. 5. 1. & seq. Cæci nati illuminatio, cap. 9. 1. & seq. Lazari a morte suscitatio, cap. 11. 1. & seq. Prostratio Judæ & satellitum in terram, cum venirent ut caperent Jesum, c. 18. 6. Effluvio sanguinis & aquæ e latere Christi jam mortui, & lancea perfossi, c. 19. 34. Potestas remittendi peccata per insufflationem Spiritus sancti data Apostolis post resurrectionem, c. 20. 22. Multiplicatio piscium Apostolis piscantibus, c. 21. 6.

INTERPRETES.

IN Evangelium S. Joannis commentati sunt permulti, ac præcipui Patrum Græcorum & Latinorum. E Græcis post Origenem, qui in Joannem elucubravit 32. tomos, sive libros, præclare docteque scripsit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui sane præ aliis didacticus est, solers, acutus & genuinus in sensu literali consignando. Porro S. Cyrillus Joannis Evangelium pertractavit duodecim libris; sed quatuor medii, scil. quintus, sextus, septimus & octavus injuria temporum interciderunt. Supplevit eos Judocus Clictonæus Doctor Parisiensis. Cum ergo audis citari quintum, sextum, septimum & octavum hic librum Cyrilli, scito non esse Cyrilli, sed Clictonæi, quod multos etiam viros doctos fefellit. Porro librum quintum & sextum Cyrilli, græce exaratum, in Chio insula nuper invenit Collegii Societatis Jesu ibid. Rector, qui eodem Panormum in Siciliam transtulit, unde eos secum Romam, ad Roman. Collegium nostrum advexit R. P. Joann. Baptista Jattinus, in eodem Mathematicæ professor, qui & eos de in Latinum convertit: quæruntur ab eo cæteri duo, septimus & octavus, ut omnes latinitate donatos in lucem edat, quinto, & sexto Romæ usus sum; eosque subinde citabo: plane enim redolent doctrinam, stylum & ingenium S. Cyrilli.

Origenes, S. Cyrillus Alexandrinus.

Judocus Clitonæus S. Cyrilli libros aliquos in Joannem supplevit.

E

Secundus, est S. Chrysostomus, qui, ut paulo ante dixi, a S. Joanne librum Evangel. accipiens, ejus ut videtur instinctu, in illud scripsit hom. 87. Extant tom. 3. operum ejusd. S. Chrysostomus.

Tertius, est Theophylactus: quartus, Euthymius: qui duo more suo Chrysostomi sunt asseclæ, & quasi discipuli; sed Theophylactus est fusior & luculentior; Euthymius brevior, qui & expresse se sua ex S. Chrysostomo, Origene, S. Basilio & Nazianzeno collegisse fatetur. Theophylactus. Euthymius

Quintus, est Nonnus Panopolitanus, Ægyptius, eloquentissimus, qui virginem Theologum, hoc est Joannem Evangelistam, versibus heroicis est interpretatus, ait Suidas. Sixtus Senensis eum inter Græcos Christianorum præcipuum numerat, cujus & (inquit) feruntur Dionysiacon l. 48. heroice conscripti; alto cothurno incedit instar Homeri. At licet Nonni interpretatio proprie tantum sit paraphrasis, tamen multis in locis Evangelii sensum per epitheta indicat & illustrat. Nonni Paraphrasin Græcolatinam edidit, notisque illustravit P. Nicolaus Abramus e Societate Jesu, esto primus eam Aldus Manutius ediderit, ac post eum Franciscus Nansius. Nonnus Panopolitanus.

F

E Latinis primus & præcipuus Evangelii S. Joannis interpres est S. Augustinus, qui illud ordine prosequitur per tractatus 124. Extat tomo 9. operum ejusdem.

Secundus est Venerabilis Beda, qui S. Augustinum passim, & subinde ad verbum consectatur.

Tertius est auctor Glossæ. Ubi adverte, in Glossa communi triplicem contineri glossam. Prima est interlinealis, quæ inter lineas textus S. Script. inseritur, ideoque breviter, sed punctim, multa docte & utiliter tangit. Secunda est marginalis, quæ ad marginem textus S. Scripturæ collocatur, & vocatur Glossa ordinaria. Tertia, quæ huic subnectitur, est Glossa Nicolai Lyran. Primæ interlinealis auctorem esse Anselmum Laodunensem, cognomento Scholasticum, censet Sixtus Senensis, Franc. Ribera & alii. *Anselmus hic floruit anno Domini 1110.* Auctores Glossæ.

G

Secundæ glossæ, scilicet Ordinariæ, idem Sixtus, Ribera & alii auctorem faciunt Strabum, monachum Fuldensem, auditorem Rabani Mauri, sub annum Dom. 820. qui eam ex Rabano, S. Gregorio, aliisque Patribus conflavit. Anselmus Laodunensis. Strabus.

Tertia auctorem suum præfert Nicolaum de Lyra, sic dictum a Lira vico Normanniæ, qui genere & gente Judæus, conversus ad Christum, & S. Francisci Ordinem ingressus, docuit Theologiam Scholasticam, anno Dom. 1320. vir doctus & linguæ Hebraicæ peritus. Hic Glossam illo tempore insignem scripsit, qua Joannem & cæteros hagiographos ad literam explicat, adeo ut de eo vulgi ore olim tritum fuerit illud: *Nisi Lyra lyrasset, nostri Theologi non saltassent*. Verum hoc in Lyrano notandum & cavendum, quod ipse suæ genti & Rabbinis, maxime R. Salomoni, qui magnus est fabulator, plus æquo, etiam in næniis & fabellis Judaicis, subinde indulgeat & consentiat. Nicolaus de Lyra.

Posterioribus sæculis, & præsertim nostro hoc omnium eruditissimo, plures in S. Joannem commentari sunt. Præ aliis excellunt Joannes Maldonatus e Societate Jesu, qui fusus est, acutus, elegans & doctus: Cornelius Jansen. qui exactus, solidus & genuinus: Franciscus Toletus, qui acri judicio sapidus est & pulcher, præsertim in applicandis metaphoris & similitudinibus, earumque analogiis, v. g. cur Christus vocetur vitis, panis, vita, lux, ostium, pastor; cur Spiritus sanctus nuncupetur aqua viva, columna, ignis, &c. Sebastianus Barradius literam recte tangens, & moralia miscens, concionatoribus dicendi materiam & spiritum subministrat. Franciscus Lucas totus literalis est, sed literam ad pios affectus traducit. Franciscus Ribera brevis, sed more suo rarus & eruditus: posthumus est, & post mortem Riberæ in lucem editus.

H

Maldonatus, Jansenius, Toletus. Barradius. Franciscus Lucas. Ribera.

Ex hæreticis in S. Joannem scripsere Martinus Bucerus, VVolfgangus Musculus, Bullingerus, Brentius, Calvinus, ac Theodorus Beza; e quibus omnibus Augustinus Marloratus Catenam consarcinavit, quam in Belgio perlegi & confutavi. Hæretici scriptores.

SAN-

Digitized by Google

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

Hic eſt titulus in codicibus Græcis & Latinis: in Syriacis hic eſt, EVANGELIUM Sanctum præconium Jouchanon (*Joannis*) quod locutus eſt & prædicavit ionice (*græce*) Epheſi: *in Arabicis hic eſt*, EVANGELIUM Sancti magni diſcipuli, Apoſtoli Joannis, filii Zebedæi, dilecti Domino noſtro JESU CHRISTO.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deſcribit Verbi æterni originem, & ex Deo Patre generationem, omnipotentiam, omniſcientiam, ac tandem v. 14. incarnationem & gratiæ plenitudinem, Secundo, v. 19. teſtimonium, quod Joannes Baptiſta Judæis interrogantibus dedit de Jeſu: ſcilicet ipſum eſſe Meſſiam & Agnum, qui tollit peccatum mundi. Tertio, v. 37. narrat duos Joannis diſcipulos viſitaſſe Chriſtum, e quibus unus Andreas fratrem ſuum Simonem adduxit ad Chriſtum, cui Chriſtus: Tu, inquit, vocaberis Cephas, id eſt Petrus. Quarto, v. 43. ad ſui ſequelam vocat Philippum, hic Nathanaelem ad Chriſtum adducit, qui ei ſecreta ſua ſub ficu facta pandens, ab eo agnoſcitur eſſe Meſſias. Unde Chriſtus ei promittit majora, ſcilicet, quod viſurus ſit angelos e cælo ad ſe deſcendentes & aſcendentes.

B VERS. 1. IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.

2. Hoc erat in principio apud Deum.

3. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt,

4. in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum:

5. & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

6. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes.

7. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

8. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.

9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

10. In mundo erat, & mundus per ipſum C factus eſt, & mundus eum non cognovit.

11. In propria venit, & ſui eum non receperunt.

12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus:

13. qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

14. Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a patre plenum gratiæ, & veritatis.

15. Joannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat.

16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

17. Quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.

18. Deum nemo vidit umquam: Unigenitus D filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit.

19. Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis ſacerdotes & Levitas ad eum ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de teipſo?

23. Ait: Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias propheta.

24. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.

25. Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? E

26. Reſpondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.

27. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.

28. Hæc in Bethabara facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

29. Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.

31. Et ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.

32. Et teſtimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. F

33. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.

34. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui quia hic eſt Filius Dei.

35. Altera die iterum ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo.

36. Et reſpiciens Jeſum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.

37. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum.

38. Converſus autem Jeſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magiſter,) ubi habitas?

39. Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima.

40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri

Digitized by Google

A tri unus ex duobus, qui audierant a Joanne, & secuti fuerant eum.

41. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam: (quod est interpretatum Christus.)

42. Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

43. In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me.

44. Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ & Petri.

45. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.

46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & B vide.

47. Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.

48. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Jesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.

49. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel:

50. Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.

51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.

MERS. 1. IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT VERBUM.] Sic Syrus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus & Arabicus; nisi quod hic secundo & tertio loco addat articulum dicens: *Et illud Verbum erat apud Deum, & Deus erat illud Verbum*. Porro Æthiopicus habet *cal*, id est Verbum; C sic & cæteri omnes: quare minus recte Erasmus & Novantes pro *Verbum* vertunt *sermo*, de quo mox plura.

Cur a Verbi divinitate incipiat S. Joannes?

Orditur Joannes a divinitate Verbi: Primo, quia hoc rectus ordo & plena historia de Christo exigebat, ut scil. prius generationem ejus divinam & æternam, deinde humanam & temporalem enarraret. Secundo, quia tempore S. Joannis, obortæ fuere hæreses Cerinthi & Ebionis negantium Christi divinitatem, quæ etiamnum in nostris Transylvanis Arrianis, Polonis Ebionitis, ac Syris Nestorianis perdurant. Ita Sanct. Chrysostom. Hieron. Epiphan. Irenæus, & ex iis Maldonatus.

Similiter orditur Moses genesin mundi dicens: *In principio creavit Deus cælum & terram*. Orditur ergo Moses a creatione mundi, Joannes vero longe altius a Verbi æternitate. Moses assignat principium temporis, quo Deus omnia fecit, Joannes assignat principium, quod erat ab æterno, quando erat Verbum, per quod in tempore omnia a Deo facta sunt. Joannes ergo hoc Mosis exordium supponens, supplens & prævenions principium creationis mundi, longe anterius Verbi ipsius, quando (ut ita dicam) esse cœpit, dat principium. Quocirca Tertull. lib. D contra Hermogenem vere asserit, Evangelium veteris testamenti esse supplementum.

Alludit S. Joannes ad Ecclesiastici c. 24. 5. *Ego* (Sapientia æterna) *ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*. Et Prov. 8. 22. *Dominus possedit* (Septuag. ἔκτισε, id est, *condidit*; S. Ambros. l. 3. de Fide c. 4. *creavit*) *me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*; ubi Septuag. vertunt, *Dominus condidit me principium viarum suarum in opera sua: ante sæculum fundavit me in principio, antequam terram faceret, & abyssos constitueret*; Aquila, *Dominus possedit me ab initio opificiorum suorum*; Symmach. *Dominus possedit me principium viarum suarum ante opificium suum*; Theodor. *Dominus possedit me ante opificium ejus*; *a tunc, & ex tunc, ante sæculum præparata sum*. Vide ibi dicta.

Principium triplex.

IN PRINCIPIO] Hoc est Primo, in Patre æterno, ait S. Cyrillus, & Origenes, nam mox Joannes v. 14. ait Verbum esse in sinu Patris. Secundo, simplicius S. Aug. Beda & S. Hilarius *in principio*, scilicet mundi, vel temporis, etiam imaginarii, illius scilicet quod ante mundum imaginari potes ab æterno fluxisse. q.d. Verbum non est factum in principio temporis, etiam imaginabilis & antiquissimi; sed jam tum erat, quia non est factum, sed genitum ab æterno. Tertio, simplicissime idem S. August. Chrysost. Theophyl. & S. Basilius in hæc verba S. Joann. *in principio*, id est, ante omnia, vel ab initio omnis durationis & æternitatis, ab omni æternitate, longissime ante angelos, homines, omnesque res creatas erat Verbum. Principium enim verum hic accipit S. Joannes, non imaginarium, æque ac Moses Gen. 1. 1. ac Salomon Prov. 8. 22. Unde Patres omnes ex hoc loco probant veram Christi divinitatem, & æternitatem. Hoc exordium statim S. Joannes opponit Ebioni, qui ajebat Christum incæpisse post partum Virginis, nec ante eum extitisse. Ita Cyrillus. Hinc Nonnus *Τὸ in principio* quintupliciter exponit per quinque epitheta, quorum unum ex altero ordine sequitur *In principio*, inquit, id est, Primo, intemporaneum. Secundo, Patri coævum; Tertio, Patri natura æquale; Quarto, incomprehensibile; Quinto, ineffabile. Quatuor ex primo consequuntur. Audi Nonnũ:

Ἄχρονον ἦν, ἀνίχνητος, ὦ ἀῤῥήτῳ λόγον ἀρχῇ,
Ἴσοφυὴς ἠνεπίρρυμος ὁμήλικος ἠδὲ ἀμήτωρ, id est,

Sine tempore erat incomprehensibile, in ineffabili Verbum principio.
Æqualis naturæ, Patri coævum, filius sine matre.

F

Dices: Æternitas est duratio infinita, carens principio & fine; cur ergo hic datur ei principium? Resp. Causa est, infirmitas humani intellectus, qui non potest æternitatem comprehendere, nec distincte concipere, nisi per comparationem ad tempus, ideoque concipit æternitatem esse durationem, quæ omni tempori præsenti, futuro & præterito, non tantum vero, sed & imaginario coexistit, imo omne tempus prævenit & antecedit. Sensus ergo esto. q.d. In principio, id est, ante omne tempus, etiam quod mente imaginari, fingere & concipere potes, erat Verbum: finge mille millia annorum, quotquot mente concipere vales; ante omnes illos & infinitos, quos semper adjicere potes, erat Verbum. Hac de causa S. Joannes quater repetit *Τὸ erat in principio*, inquit, *erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum*: ut quodcumque tempus cogites, scias quod in illo jam erat Verbum: quodcumque ævum concipias, scias quod in illo erat Verbum; quodcumque sæculum mente anticipes, scias quod in illo jam erat Verbum. Sic ergo *principium* hic sumitur respective: dicit enim respectum ad omnia tempora, eo quod illa longe antecedat. Sicut enim tota quantitas & immensitas Dei est in quolibet loco & spatio, imo in quolibet ejus puncto, & tamen illa ambit omnia spatia & loca, etiam illa, quæ supra cælos imaginari possumus: sic etiam æternitas Dei, quæ tota est in uno nunc, sive in uno puncto durationis temporis, ambit & complectitur omne tempus præteritum, præsens & futurum, ac omne illud longe superat, antecedit & transcendit: & hoc volumus significare, dum ex S. Joanne dicimus eam fuisse in principio.

Cur æternitati datur hic principium?

Erat quater repetitum: Cur?

G

Rursum mens nostra per hanc comparationem principii, sive æternitatis, ad tempus quodlibet, ascendit ad ipsam æternitatis antiquitatem & quasi originem, illam positive in se considerando, illamq; vocat *principium*, hoc est initiũ omnis durationis & æternitatis; sed hoc initium revera est sine initio, & principium carens principio. Igitur ut concipiamus & exprimamus rem quampiam non cœpisse in tempore, sed esse æternam, & fuisse ab æterno, dicimus illam fuisse in principio omnis durationis & æternitatis, per quod nil aliud significamus, quam illam fuisse semper, fuisse ab æterno, fuisse ab omni æternitate. Hoc ergo sensu Joannes ait: *In principio erat Verbum*. Et Psaltes Ps. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Et sic vulgo dicimus Deum extitisse a principio æternitatis, id est, ab omni æternitate. *Principium* ergo hic non initium aliquod, sed ipsam in se æternitatem, quæ fuit a principio, denotat.

H

ERAT] *τὸ erat*, ait S. Basilius in hæc S. Joannis verba, nos ducit ad *æternitatem*: non quasi *τὸ erat* significet Verbum antecessisse principium, de quo dicitur, *in principio erat*; ac consequenter principium temporis & mundi hic accipiendum sit, sed quod in principio durationis vel æternitatis (quod Verbum non anteceserit nisi ratione tantum: sicut enim res quælibet suam durationem, suumque tempus vel ævum ratione antecedit, sic & Deus suam durationem & æternitatem: duratio enim est rei, quæ existit & durat, duratio & mensura) hoc est jam olim ab omni æternitate erat Verbum. Ubi Nota, dici *erat*, non *fuit*, quia *fuit*, significat rem fuisse & præteriisse: *erat* vero significat etiam-

num

A

nam esse, sive esse perennem & æternam. Ita S. Chrys. Cyrill. & Theophyl. Spiritus sanctus ergo posuit *Τὸ erat* in mente & calamo Joannis, contra Arrianos, quos prævidebat futuros, horum enim vox fuit: *Erat quando non erat*: hoc est, erat tempus, quando non erat Filius; quam eorum vocem ex hisce S. Joannis verbis damnat Concilium Nicenum, quia scilicet *in principio*, id est, semper ab æterno, *erat Verbum*.

Rursum *in principio erat Verbum*, id est, ab æterno genitum est Verbum; hæc enim generatio in voce *Verbum* includitur, uti mox ostendam.

Insuper Elias Cretensis in orat. 4. de Theol. S. Greg. Nazianz. notat verbum substantivum *est* & *erat* proprium esse Dei: dicitur enim ab effendi plenitudine. Unde Deus Hebraice vocatur *Jehova*, sive *qui est*; græce ὤν, de quo multa dixi Exodi c. 3. v. 14.

B

VERBUM] Græce, ὁ λόγος, id est, *illud Verbum* scilicet æternum & divinum, hoc est Filius Dei, uti etiam ipsi Arriani olim fatebantur: nam paulo post Joannes v. 14. hoc *Verbum* vocat unigenitum Patris. Et ita passim in Scriptura Filius vocatur Verbum Patris: licet S. Basilius putet Spiritum sanctum quoque posse dici *Verbum*; sed recte advertit D. Thomas id improprie dumtaxat dici posse.

Quæres, cur Filius Dei dicitur ὁ λόγος, id est, verbum?

λόγος quid? Resp. Primo.

Resp. λόγος græce multa significat, quæ omnia huic loco conveniunt. Primo, λόγος verti potest *ratio*, quia sicut ratio vel notitia a mente, sic Filius a Patre procedit. Ita S. Chrysost. Theophyl. Euthymius, S. Basilius, & Nazianzenus orat. 4. de Theolog.

Secundo.

Secundo, λόγος verti potest, *definitio*, quia Verbum Patris naturam, omnesque res definite exprimit & explicat. Ita Nazianz. 2. ibid. Unde Nicetas in orat. 42. Nazianzeni: *Quam rationem*, ait, *habet definitio ad definitum, eandem habet Filius ad Patrem. Ipsum enim declarat, sicut definitio id, quod ab ea definitur. Quamobrem Christus dicebat: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, Joan. 14. Paternæ siquidem naturæ compendiosa demonstratio est Filius. Omnis enim proles parentis sui tacita est ratio, sive definitio.*

C

Tertio.

Tertio, λόγος verti potest, *causa*, quia Verbum est causa rerum omnium, quæ verbo Dei creatæ & productæ sunt. Ita S. Dionys. de Divin. nom. c. 7. Hier. ep. ad Paulinum.

Quarto.

Quarto, λόγος, verti potest *opus*, quia Verbum est opus Patris, illi commensum, coævum & adæquatum.

Quinto.

Quinto λόγος, verti potest, *virtus*, quia Verbum est virtus, robur & dextera Patris.

Sexto.

Sexto, λόγος, verti potest, *forma*, quia Verbum est Patris forma, decor & pulchritudo.

Septimo.

Septimo & optime, λόγος, verti potest, *sermo* cum Tertulliano, S. Cypriano, S. Amb. & Hieronymo, vel potius *verbum*. Unde & Æthiopicus vertit *kal*, id est, *verbum*; sic & Syrus, Arabicus, Persicus, Ægyptius. *Verbum*, inquam, non oris, sed mentis, quia sicut nos cogitando, vel intelligendo, formamus nobis conceptum rei cogitatæ, vel intellectæ, qui dicitur verbum mentis: ita Pater æternus intelligendo & comprehendendo suam essentiam, & omnia quæ in ea sunt, ac inter ea vim spirativam Spiritus sancti, & vim creativam omnium rerum possibilium, formavit & produxit hoc Verbum æternum, sibi adæquatum & simillimum; quo fit ut Verbum hoc sit Deus, Deique Filius a Patre genitus.

D

Hinc & Gentilium philosophi & Theologi, ut Trismegistus, Orpheus, Plato, aliique Græci, Chaldæi & Ægyptii Patrem vocarunt νοῦν, id est, mentem; Filium vero λόγον, quasi mentis prolem, teste S. August. lib. 7. Confess. c. 9. Theodoreto l. 2. de Curandis Græcor. affect. & aliis. Unde illud Platonis: *Monas genuit monadem, & in se reflexit ardorem*, q. d. Pater genuit Filium, & per eum spiravit Spiritum sanctum, qui est amor reflexus Patris & Filii; licet multi censeant Platonem, Trismegistum, aliosque Gentiles per λόγον, non intellexisse Filium, sed ideam, quæ est in mente Dei, juxta quam ipse creavit omnia, & in se reflexit ardorem, quia mundum creavit propter sui amorem.

Verbum Dei duplex.

Ubi Nota: Verbum Dei est duplex; unum essentiale, quod est ipsa intellectio Patris, quam cum essentia, intellectu & voluntate communicat Filio & Spiritui sancto. Alterum est notionale, quod est Verbum a Patre productum & persona subsistens; scilicet Filius, de quo hic agit Joan. Ita S. Thomas 1. dist. 27. q. 2. a. 2. & ex eo Capreolus & Ferrar. Intellige hoc de Verbo ample sumpto: nam Verbum stricte proprieque sumptum non nisi notionale est, uti docet S. Aug. Cyrillus, D. Thomas, & ex iis Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 3.

E

Pluta de Verbo hoc dixi in epist. S. Joannis 1. cap. 1. v. 1. ubi pariter ostendi, in quibus Verbum hoc divinum nostro humano sit simile, & in quibus sit dissimile: item ejus dignitatem, præstantiam, efficaciam, qua intime mentibus nostris illabitur, easque sibi assimilat, purificat, perficit, sanctificat. Quibus adde S. Aug. serm. 38. de Verbis Domini: *Est*, inquit, *Verbum Dei forma quædam non formata, sed forma omnium formarum superans omnia, existens in omnibus. Quærunt vero quidam, quomodo natus Filius potuerit Filius coævus Patri? nonne si ignis æternus esset, coævus esset splendor? itemque imago, quæ de speculo existit aut aqua? ut si aliquid super aquam exempli gratia virgultum, semper fuisset, & imago de eo semper esset.* S. Basil. hom. in princ. Joan. *Verbum hoc*, ait, *quod erat in principio, nec humanum erat, nec angelorum; sed ipse Unigenitus, qui dicitur Verbum, quia impassibiliter natus, & generantis imago est, totum in se generantem demonstrans:*

F

habet vero verbum nostrum divini verbi similitudinem quamdam: declarat enim totam mentis conceptionem: & quidem cor nostrum quasi fons est, verbum prolatum quasi rivulus ex ipso manans. Prævidit Spiritus sanctus futuros, qui gloriæ Unigeniti invidentes dicerent: Antequam genitus esset, non erat, itaque ait: In principio erat Verbum, S. Chrys. *Non simpliciter*, ait, *Verbum dixit, sed cum articulo a reliquis ipsum separans: est enim quædam hypostasis ex Patre impassibiliter proveniens; significat vero hoc: In principio erat, semper & infinite extitisse: nam de cælo & de terra non dicitur, quod erant in principio, sed quod in principio facta sunt.*

ET VERBUM ERAT APUD DEUM] Occurrit S. Joannes objectioni. Dicet enim quis: Ubi erat Verbum in principio, id est, ab æterno, cum adhuc nullus locus, imo nihil, sive nulla creata essent in rerum natura? Respondet, Verbum loco non eguisse, eo quod spirituale sit & divinum, sed fuisse apud Patrem, utpote a quo originem duceret, id est, ut ait v. 18. fuisse in sinu Patris, vel etiam in domo paterna, quæ est Deus ipse, ejusque immensitas; ibi, inquam, fuisse arcanum & nobis absconditum.

G

Apud tria notat.

Præpositio *apud* notat Primo, diversitatem personæ; quod scilicet Filius sit diversa persona a Patre, non una & eadem, uti voluit Sabellius, ejusque asseclæ Sabelliani: *Quomodo enim quod unum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligitur?* ait S. Cyrillus. Sic & S. Chrys. Theoph. ac Sever. & Leontius in Catena: *Ante omnia*, ait Tertullian. l. 5. Contra Praxeam, *Deus solus erat ipse sibi & mundus, & locus, & omnia: solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum, cæterum ne tunc quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam*, &c. *hanc Græci λόγον dicunt.* Solitudo enim vitæ beatæ adversatur. Deus ergo Deique beatitudo requirit societatem & amicitiam, scil. pluralitatem personarum.

Secundo, *apud* notat amicam & summam Filii cum Patre conjunctionem, qua fit ut a Patre separari nequeat, sed illi semper individuse adhæreat. Ita Nonnus.

Tertio, *apud* designat æqualitatem Filii cum Patre: nam esse apud Deum, sive juxta Deum, est, sedere ad dexteram Dei quasi Deum ὁμότιμον æqualem. Unde Christus, post ascensionem, ad dexteram Patris rediisse dicitur, Marc. 16. 19. Ita S. Cyrill. Hieros. cateches. 11. Hinc & Nonnus sic explicat:

H

Πατρὸς ἅμα ἐμέρισσε, ἀτέρμονα συνέδρον ἕδρης:

hoc est,

A Patre erat indivisum, æterno cum eo sedens in throno.

Nota σύνεδρον, quod Latina vox una non adæquat, idemque est quod ejusdem throni consors, assessor, consessor in eadem sede. Plura de hoc membro dixi in epist. 1. S. Joannis c. 1. v. 1.

ET DEUS ERAT VERBUM] Græce, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, Ne Ariani objiciant: Si Verbum erat apud Deum, ergo ipsum non erat Deus; occurrit & antevertit Joannes: *Et Deus erat Verbum.* Ariani enim Verbum Dei internum & essentiale, id est, intellectionem Patris, Filii & Spiritus sancti (ut habet Orthodoxa fides) ponebant in uno Deo, i. e. in una persona Dei, ipsi cœternam: sed Deum cœpisse esse Patrem in tempore, cum Verbum notionale a se distinctum produxit, quasi primam creaturam, & per eam cæteras. Refellit hoc S. Joannes dicens: *Et Deus erat Verbum*, id est, Verbum jam dictum erat Deus. Sic enim invertenda est hæc propositio. Ob consonantiam enim

Ariarorum hæresis.

Joan-

Digitized by Google

A Joannes verba transposuit: dixerat enim: *Verbum erat apud Deum*; unde repetens nomen Dei consone subjicit: *Et Deus erat Verbum*, ne quis putaret Verbum non esse Deum, eo quod dixerit esse apud Deum. q. d. Verbum ita est apud Deum, ut ipsummet sit Deus. Aut, ne idem ille Deus, apud quem erat Verbum, i. e. Deus Parer, putaretur esse Verbum, eademque cum illo persona; sed Verbum ejusdem naturæ divinæ dumtaxat cum Patre communicationem habere; hinc addit: *Et Deus erat Verbum*: q.d. Verbum erat apud Deum Patrem, cum eoq; est idem Deus, quoad eamdem naturam divinam: non vero quoad eamdem personam. Hoc telo configuntur Ariani; diserte enim Joannes ait, Verbum, id est Filium, esse Deum.

Objiciunt Ariani, vocem Θεὸς, i. e. Deus, hic non habere articulum, uti habuit paulo ante: *Et Verbum erat apud* τὸν Θεὸν, i. e. *Deum*, ergo Verbum vere non est Deus. Resp. Nego sequelam: nam causa hujus diversitatis est, quod vox Θεὸς, in præcedenti membro cum dicitur: *Apud Deum*, certam personam denotet, scilicet Patris, apud quem erat Verbum; hic ergo non personam, sed essentiam utrique personæ communem denotat. Verbum enim est idem Deus cum Patre, quoad eamdem essentiam & deitatem, non vero quoad eamdem personam. Articulus autem notat tertiam personam, non vero naturam utrique communem. Rursum Græci articulum præponunt subjecto, non prædicato, hic vero *Deus* prædicatum est, *Verbum* vero subjectum, ut dixi.

B Nota, Joannem trimembri hac sententia primo membro explicare Verbi *quando*, sive æternitatem; secundo Verbi *ubi*; & a Patre distinctionem; tertio *hoc* Verbi essentiam, & essentiæ cum Patre identitatem. Si enim quæras, Quando erat Verbum? respondet: Erat in principio; i. e. ab æterno. Si quæras, Ubi erat Verbum? resp. Erat apud Deum Patrem. Si denique quæras: Quidnam est Verbum, & cujus naturæ? resp. Verbum hoc est Deus. Ita S. Joann. hoc trimembre Evangelii sui de Verbo exordium explicavit in Symbolo, quod ipse jussu B. Virginis tradidit S. Greg. Thaumaturgo, uti narrat S. Greg. Nyssen. in ejus Vita. Hoc enim symbolum sic habet: *Unus est Deus Pater Verbi viventis, Sapientiæ subsistentis, & potentiæ & figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, figura, & imago deitatis, Verbum efficax, Sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & potius totius creaturæ effectrix. Filius verus veri Patris, visum effugiens visum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius morti non obnoxii, & æternus æterni.*

C Vers. 2. Hoc erat in principio apud Deum] Trimembrem propositionem uno hoc membro, quasi compendio repetit, confirmat & inculcat S. Joannes, q. d. Hoc Verbum, quod dixi esse Deum, erat in principio, id est, ab æterno, apud Deum: quia enim difficile est intelligere, quomodo Verbum sit apud Deum, & tamen idem sit Deus; hinc utrumque jungit & inculcat Joannes, ut unitatem essentiæ simul & diversitatem personarum significet, ac in deitate esse trinitatem trium hypostaseon, scilicet Patris, Filii, & Spiritus sancti doceat. Hoc enim est altissimum, obscurissimum & creditu difficillimum fidei nostræ mysterium, quod omnem hominum & angelorum captum superat. *Quasi ergo Arianos audiens*, ait S. Cyrill. *non modo inquit, Verbum erat apud Deum, verum etiam, Deus erat. Sic quoniam apud Patrem est, inquit, per seipsum subsistit: quoniam vero Deus est, & ex Deo Patre, consubstantialis Patri, & natura Deus esse intelligitur.*

D Secundam hujus repetitionis causam dat Maldonatus, scil. ut ex tertio membro: *Et Deus erat Verbum*, quasi ex ratione vel causa duo priora membra probet vel confirmet, q. d. Quia Verbum est Deus, hinc sequitur ipsum in principio fuisse apud Deum Patrem, hoc est esse æternum & Patri coævum, ὁμόσιον, & æquale.

Tertiam dat S. Hilar. lib. 2. de Trinit. ne quis ex eo quod dixit Verbum esse Deum, idemque esse apud Deum, suspicetur duos esse deos; scilicet unum, qui sit Verbum, alterum, apud quem sit Verbum, sicut Manichæi duo posuerunt rerum principia, sive duos Deos, unum qui sit creator corporum & rerum corporalium, alterum, qui sit creator angelorum & rerum spiritualium. Dicit ergo Joannes, Verbum ita esse apud Deum Patrem, ut idem cum Patre sit Deus, quia apud Patrem est tamquam Verbum, cum eo in eadem deitate conjunctum, imo unum idemque, sed hypostasi & persona ab eo distinctum.

E Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt] *Omnia*, scilicet quæ non sunt Deus, per Verbum facta, id est, creata sunt, uti mox explicat, *Omnia* scilicet *ab angelo usque ad vermiculum*, ait S. Aug. qui & addit: *Inter dicentem Deum & factam creaturam, quid est per quod factum est, nisi Verbum, per quod Deus dixit: Fiat & factum est? juxta illud: Dixit, & facta sunt.* Hoc est quod ait Apost. *In ipso* (Verbo sive Christo) *condita sunt universa, in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia: sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*, Coloss. 1. 16. Et, *per quem fecit & sæcula*, Heb. 1. 2. Et, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, Ps. 32. 6. F Vers. 3.

Ergo ex hisce S. Joannis verbis perperam Macedoniani negantes Spiritum sanctum esse Deum, inferebant ipsum esse factum, id est, creatum per Verbum, ac proinde ipsum esse creaturam, non creatorem: quia τὸ *omnia* refert tantum ea quæ facta, id est, creata sunt, non autem increata, qualis est Spiritus sanctus, qui idem cum Filio & Patre est Deus, & creator omnium. Nam alioqui si generalissime *Tò omnia* accipias, ex eo inferes, etiam Patrem esse factum, id est, creatum per Verbum, quod est absurdissimum, uti docte contra Macedonianos docet S. Gregorius Nazianzenus orat. de Spiritu sancto. Verum S. Joannes Spiritus sancti hic non meminit, quia Verbi dumtaxat generationem & incarnationem describit. Itaque cum v. 1. & 2. dixisset: Verbum in se esse Deum, esse æternum, esse apud Patrem, id est ὁμόσιον, & æquale Patri; nunc v. 3. declarat, quomodo idem Verbum se habeat ad creationem & creaturas, asseritque omnia per ipsum esse creata: unde gradatim v. 9. & seq. descendit ad hominem, docetque quomodo Verbum se habuerit ad hominem, atque asseverat illud hominis carnem & naturam assumpsisse, ut eum illuminaret, redimeret, salvaret & beatet. Huc enim tota hæc ejus narratio & spectat & refertur. Macedonianorum hæresis. F

Nota. Præpositio *per*, cum dicitur, *per ipsum*, hic non significat causam instrumentalem, aut ministrum, quasi Verbum fuerit instrumentum, vel minister Dei, per quod crearit omnia; uti voluit Origen. (qui proinde a nonnullis vocatur pater Arianorum) & Ariani: sed significat causam principalem, uti & Gen. 4. 1. *Possedi hominem per Deum*, Prov. 8. 15. *Per me reges regnant*, Gal. 4. 7. *Quod si filius, & heres per Deum.* 1. Cor. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis.* Ecce hic aliisque locis, præpositio *per* tribuitur Deo Patri, qui est prima omnium causa. Significat ergo *Tò per* hic, Verbum cum Patre esse causam principalem creationis rerum omnium, ac consequenter Verbum esse omnipotens, esseque Deum. Ita S. Chrysost. Theophyl. Euthym. hic, ac S. Athanas. Basilius, & alii scribentes contra Arianos. Quocirca Paulus Heb. 1. 10. illud Ps. 101. 26. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*, de Verbo, sive Filio, interpretatur, *Nunquam profecto id asserturus*, inquit Chrys. *nisi conditorem Filium, non ministrum arbitraretur, ac Patri & Filio pares esse intelligeret dignitates.* G

Dices, Cur ergo S. Joannes potius dicit per Verbum omnia esse facta, quam a Verbo? Resp. Primo, ut significet Verbum a Patre procedere, esseque genitum: *Ne quis illum esse ingenitum suspicaretur*, ait S. Chrysost. Per Verbum omnia. Primo.

Secundo, ut significet Verbum esse ideam rerum creatarum, juxta quam Pater cum Filio creavit omnia. Artifex enim omnia opera artis suæ facit per ideam, sapientiam, conceptum, sive verbum mentis suæ: hæc autem omnia appropriantur Verbo divino, sive Filio, qui est Sapientia genita, sed increata, & per consequens appropriatur ei, quod per ipsum omnia sint facta. Ita S. Cyrillus. Secundo. H

Tertio, proprie dicit per Verbum omnia esse facta, quia Verbum a Patre accipit cum essentia divina, omnipotentiam, & actionem eamdem numero, qua simul cum Patre omnia creat; quare Verbum est quasi medium inter Deum Patrem & creaturas, ac proinde recte dicitur Pater per ipsum, ut causam principalem a se genitam, fecisse omnia. Tertio.

Et sine ipso factum est nihil] *Sine exceptione sunt omnia*, ait S. Hilar. lib. de Trinit. *nihil, quod extra sit, derelinquitur.* Rursum *Tò sine ipso*, notat Verbum fuisse socium Patri, in rerum creatione. Unde S. Hilar. S. Joannem alloquens: *Piscator*, inquit, *reddidisti auctorem, cum socium professus es.*

Factum est nihil] *Nihil*, id est, malum, puta res corruptibiles, quæ assidue tendunt in nihilum, ex quo prodierunt, inquiebant Manichæi: hi enim censebant Nihil quid? Resp. Primo.

res

A res corporales & corruptibiles non esse creatas a Deo & Verbo, sed a dæmone vel Deo malo esse conditas, Ridet hoc S. Augustin. lib. de Natura boni, contra Manichæos cap. 25. ac futile falsumque hoc esse liquet ex Græco, qui pro *nihil* habet, οὐδὲ ἕν, id est *neque unum*; Syrus, *etiam non unum* q. d. Ne unum quidem factum est sine Verbo, sed omnia omnino, usque ad unum & ultimum, per illud creata sunt. Unde Arabicus clare vertit, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso non fuit quidquam eorum quæ facta sunt.*

Secundo, Secundo, S. Aug. per *nihil*, accipit peccatum, q.d. Omnes res creatæ sunt per Verbum, excepto nihilo, id est, peccato, cujus auctor est diabolus & mala voluntas, non Deus, nec Verbum. Sicut enim malum, non est ens, sed privatio entis & boni: sic pariter peccatum est privatio rectitudinis & bonitatis, quæ operi inesse debet, ac consequenter peccatum est quasi nihil. Verum hoc subtilius est, quam solidius, ac coactius quam germanius, teste S. Hieronymo in c. 2. Michææ, atque refellitur ex Græco οὐδὲ ἕν, *neque unum*, & ex eo quod sequitur: *Quod factum est*: hoc enim tantumdem valet, ac

B si dicas: *Nihil*, id est, nulla res, quæ facta est, facta est sine Verbo, sed omnes omnino per illud factæ & creatæ sunt. Hic enim sensus est planus & genuinus.

Triplex Lectio, Prima. QUOD FACTUM EST] Triplex est hic distinctio, & consequenter triplex lectio & intellectio, triplexque sensus: Prima est: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*, ac deinde ponitur punctum, post quod nova sententia sequitur: *Vita erat, & vita erat lux hominum*, &c. ita distinguit, legitque S. Hilar. l. 2. de Trinit. S. Epiphan. in Anachoratu, & alii nonnulli.

Verum hæc lectio passim ab aliis rejicitur. Videtur enim ineptam continere tautologiam, cum ait: *sine ipso*, & mox, *in ipso*.

Secunda, Secunda lectio est *Sine ipso factum est nihil*, deinde punctum, post quod nova sequitur sententia: *Quod factum est in ipso, vita erat*. Ita distinguit legitque S. August. Tertullian. Contra Hermog. S. Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 3. & passim Latini; atque e Græcis Clemens Alexandrin. l. 1.

C Pædag. cap. 6. & S. Cyrillus hic; quod S. Aug. sic explicat, q. d. Omnis res facta & creata per Verbum, antequam fieret & crearetur, erat in ipso Verbo vitaliter & intellectualiter. Erat enim in ideis & rationibus æternis, quæ vivunt in Verbo. Erat ergo vita, id est, vivebat in mente & idea Verbi. Aliter explicat S. Cyrill. q. d. Omnis res facta erat vita in Verbo, id est, vitam, hoc est, vigorem & essentiæ suæ conservationem accepit, & continuo accipit a Verbo, quamdiu est & existit.

Tertia, Tertia lectio communis est Syrorum, Arabicorum & Græcorum, S. Chrysostomi, Theoph. Nonni, Euthymii & Leontii in Catena: *Sine ipso factum est nihil quod factum est*, deinde punctum, mox nova incipit sententia: *In ipso vita erat*; Hæc lectio est planissima, quocirca eam sequuntur Biblia Romæ correcta, aliaque Latina perplura. Sensus enim planus est. q.d. Nihil quod factum est sine Verbo factum est, sed omnes res factæ, a Verbo factæ sunt.

Addit hoc contra Macedonianos argutantes: Si omnia per Verbum facta, id est creata sunt; ergo & Spiritus sanctus per Verbum factus, id est, creatus est, ac consequenter Spiritus sanctus est creatura. Excludit enim hoc Joannes, addens τὸ *quod factum est*: q. d. Cum dico omnia per

D Verbum esse facta, non intelligo Spiritum sanctum, sed tantum ea quæ facta & creata sunt. Ergo τὸ *quod factum est*, limitat & determinat τὸ *nihil*, q.d. Nihil quod factum est, sine Verbo factum est; nulla res, quæ creata sine Verbo creata est, sed omnia per Verbum producta sunt.

Vers. 4. IN IPSO VITA ERAT, ET VITA ERAT LUX HOMINUM] Vita est res præstantissima, sicut mors est pessima. Vitæ ergo fontem S. Joannes hic assignat Verbo: *In ipso enim vivimus, movemur & sumus*. Act. 17. Hinc & Græci suum Deum vocant ζῶον a ζῶ, id est, *vivere*, quod omnibus viventibus vitam inspiret. Sensus ergo est, q. d. Vera nostra vita gratiæ & gloriæ in ipso Verbo erat, velut in sui origine & fonte. Unde ut ipsum hanc vitam & lucem hominibus communicaret, ad eos descendit & hominem se fecit: ut sicut per Verbum macrocosmus, hoc est magnus hic mundus, olim creatus est, ita & per illud ipsum microcosmus, id est parvus mundus puta homo, recrearetur, & a morte peccati ad vitam gratiæ & justitiæ revocaretur. Ita se explicat S. Joannes, cum subdit: *Et vita erat lux hominum*. Et in ep. 1. cap. 1. v. 2. loquens de Verbo vitæ: *Et vita*, inquit, *manifestata est, & vidimus, &*

E *testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Et c. 5. v. 20. *Ut cognoscamus verum Deum; & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna*. Vide ibi dicta. Hac de causa S. Joannes passim Christum vocat *vitam*. Ita S. Chrysost. & Theophyl. hic. Ammonius in Catena S. Ambros. lib. 3. de Fide c. 3. & 5. Athanasius lib. 3. de Assumptione hominis, contra Marcellinum.

Porro Patres hanc Verbi vitam varie explicant.

In Verbo est vita. Primo. Primo de vita formali: *In ipso vita erat*; hoc est ipsa Verbi substantia est vita, ipsum Verbum est vita subsistens, ait Oecum. in ep. 1. S. Joan. cap. 1. Ipsum Verbum essentialiter est vita; ipsa enim ejus essentia est vivere & vita. Vivit enim vitam divinam, perfectissimam, immensam, æternam, beatissimam, quæ origo & fons est omnis vitæ angelicæ, humanæ, animalium & plantarum.

Secundo. Secundo, in Verbo est vita idealis, sive exemplaris, quia in Verbo quasi in idea vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, ut ait S. Aug. Verbum enim est omnium creaturarum idea, idea autem est ipsa essentia & vita Dei. Ita S.

F Aug. tr. 1. in Joan. *Sapientia Dei*, inquit, *secundum artem continet omnia: terram vides, cælum, solem, lunam, sunt ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte vitæ sunt*. Alio vero loco; *Propterea* (ait Joan.) *quod factum est, in ipso vita erat, omnia quæ facta & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt*. Sic ergo Verbum est vita omnium creaturarum, etiam inanimatarum, quia omnes vivunt in Verbo, utpote quod totum est vita.

Tertio. Tertio, in Verbo est vita causalis naturalis, quia Verbum causat & efficit omnia viventia, eisque suam vitam communicat; scilicet plantis vitam vegetativam, animalibus vitam animalem, hominibus rationalem, angelis angelicam. Rursum, in Verbo quasi in causa efficiente, est vita, id est omnium rerum vigor, duratio & conservatio, quia hæc per Verbum fiunt: Verbum enim omnibus rebus dat vigere, vivere, durare & permanere. Ita S. Chrys. Cyrillus, Theophyl. Unde Jansenius sic exponit, q. d. Vita naturalis viventium, pendet a verbo; quasi sensim Joannes a vita viventium descendat ad hominem, ejusque vitam acceptam a Verbo.

G

Quarto. Quarto & magis genuine, *vitam* hic accipias causalem supernaturalem, q. d. In Verbo quasi in fonte & causa primigenia erat vita nostra supernaturalis, puta gratiæ & gloriæ, ideoque ut hanc vitam nobis impetraret, incarnatus est & factus homo, ut initio dixi. Supernaturalis enim vita est duplex, inchoata per gratiam, qua homo justus per fidem, spem & charitatem servit Deo, vivitque vitam supernaturalem, in Deum supernaturaliter credendo, sperando, eumque super omnia amando: altera vita supernaturalis est consummata per gloriam, qua Beati Deo fruuntur, deliciantur & beantur, in æternum. Alludit ad illud Psal. 45. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, ait Theodoretus, *apud te est Verbum internum, fons vitæ; & in lumine Spiritus sancti, lumen Unigeniti tui cernemus*. Vide S. Dionysium c. 6. de Divin. nomin. ubi docet Deum esse originalem vitam, Primo, vitæ angelicæ; Secundo, humanæ; Tertio, animalium; Quarto plantarum; Quinto, justorum, Sexto, Beatorum.

H ET VITA ERAT LUX HOMINUM] Qua homines illuminantur spiritualiter per fidem & gratiam. De spirituali enim & supernaturali luce loquitur, non de corporali & naturali, ut patet ex seq. Sensus est, q.d. Vita nostra, quam paulo ante dixi fuisse in Verbo, erat hæc Verbi illuminatio, quæ homines cognitione Dei & salutis suæ illuminavit exterius, per verba & exempla sancta; interius, per lumina cælestia menti indita, quibus mentem illustravit & illustrat. Hæc est causa cur Verbum sit caro factum, & cur Joannes Baptista a Deo sit missus, ut ei fieret testis, ut paulo post dicam. Sed anticipat Joannes hic, & lucis mentionem interjicit, eo quod homines ingrati tantum vitæ & lucis donum non receperint, quod mox inculcare volebat. Ita Clemens Alexandr. Exhort. ad Gentes: *Verbum*, ait, *quod erat apud Deum, doctor apparuit. Verbum, per quod omnia sunt fabricata, & quod cum eo, qui fingit, vitam simul præbuit, ut opifex, bene vivere docuit, cum apparuisset ut magister, ut posthæc semper vivere suppeditaret ut Deus.*

Symbolice, quomodo Deus sit lux primo, formalis; secundo, idealis; tertio, causalis: quarto, supernaturalis omnis omnino lucis; vide apud S. Dionysium de Divin. nomin. c. 2. 4. & 7.

Et

Digitized by Google

A ET LUX IN TENEBRIS LUCET, ET TENEBRÆ EAM
VERS. 5. NON COMPREHENDERUNT] q. d. Lux natura sua solet tenebras illuminando dispellere, & sic Verbum, puta Christus, quia lux est, fecit quantum est ex parte sua; sed tenebræ, id est, homines ignorantia, infidelitate, cupiditatibus & peccatis suis obstinati, mentis suæ oculos clauserunt, & noluerunt hanc lucem admittere.

Nota. Christus, qua Deus, est lux formalis increata, qua homo vero, etiam est lux causalis, quia ipse hominibus causa est omnis sapientiæ, gratiæ & gloriæ, non tantum dans eis lumen naturale rationis, ut explicant Origenes & Cyrillus: sed etiam & potius dans his lumen supernaturale fidei & sapientiæ: unde a Malachia c. 4. 2. vocatur *sol justitiæ*.

Nota. Hic Christus homo vocatur *lux*, quia maxime luxit post carnem assumptam: fuit tamen etiam lux ante eam, a mundi exordio; nam sicut sol, antequam horizontem ascendat, aliquos auroræ radios præmittit, quibus mundum illuminat, sic & Christus. Ita S. Aug. tr. 1. in Joannem. Hoc est quod ait Pater ad Christum: *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Isaiæ 49. 6. Et Christus: *Ego sum lux mundi*, Joan. 8. ac de eo Simeon: *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*, Lucæ 2. 32.

Pulchre S. August. hom. 43. inter 50. *Ideo*, ait, *venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator*. Ita S. Greg. Nyssenus orat. de Nativit. Christi: *Puritas*, ait, *in nostris sordibus versatur, sordes vero puritatem non attingunt, sicut ait Evangelista, quod lux in tenebris lucet, & tenebræ eam complexæ non sint*. Et S. Augustinus ep. 120. ad Honoratum: *Filius*, ait, *Dei non est absens etiam mentibus impiorum, quamvis eum non videant, sicut nec ulla lux videtur, oculis præsentata cæcorum*. Idem lib. 1. de Pec. mer. c. 25. *Sicut sol a cæcis, quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic a stultitia tenebris lumen Dei non comprehenditur*. Lucet autem lux Verbi in tenebris impiorum hominum, per lumen rationis, per creaturarum voces, quæ omnes creatorem esse, esseque venerandum & amandum clamant: per legem naturæ menti inscriptam; per legem novam, per Scripturas, doctores, concionatores, sanctas inspirationes, &c. Unde idem Augustinus
C tract. 2. in Joan. *Noli cadere*, ait, *in peccatum, & non tibi occidet hic sol; si tu feceris casum, tibi facies occasum*. Si vis videre lucem, esto & tu lux: si enim tenebras & tenebrosas cupiditates ames, obtenebrabunt, imo excæcabunt te.

Nota. In S. Scriptura, præsertim apud S. Joannem hic, & in epist. fides & gratia Christi comparantur luci, peccata vero tenebris, ob multas & oppositas analogias: lux enim cælestis & nobilissima inter naturales est qualitas celerrima, efficacissima, impassibilis, purissima, quæ nullis sordibus, licet iis immista, fœdari potest, afferens splendorem, calorem, lætitiam: faciens res omnes videri, vitam & vigorem omnibus viventibus afferens: talis est & Deus, Deique gratia: contrarium est in peccatis, quorum proinde symbolum sunt tenebræ. Adde, quod gratia ad æternam lucem & gloriam, peccata ad imas & summas tenebras ducant. Vide dicta in ep. 1. S. Joan. c. 1. v. 5. & 6. ubi ex S. Dionysio de Divin. nomin. c. 15. recensui triginta analogias lucis sive ignis & gratiæ, ac octo
D analogias tenebrarum & peccatorum. Vide & quæ de umbra mortis dixi Lucæ 1. v. 79. & Isaiæ 9. 2.

Fides & gratia comparantur luci, peccata vero tenebris.

NON COMPREHENDERUNT] Græce, οὐ κατέλαβε, id est, *non apprehenderunt*, ut vertit Vatab. *non scripserunt*, unde Nosser v. 11. & 12. vertit, *non receperunt*: Verti quoque potest, *non detinuerunt, non occuparunt, non anteverterunt*: & tunc major est emphasis, q. d. Tenebræ, id est, homines infideles & impii, Deum & viam salutis ignorantes, visa luce Verbi, debuerunt eam detinere, imo occupare & antevertere, ut per eam Deum & viam salutis suæ cognoscerent: at tanta fuit eorum cæcitas & pravitas, ut eam ultro se offerentem, illosque ambientem amplecti & recipere noluerint, sed illi clauserint oculos, nec eam admittere, vel recipere voluerint: *Erant enim mala eorum opera*, ut ait Joannes c. 3. 19.

VERS. 6. FUIT HOMO MISSUS A DEO, CUI NOMEN ERAT JOANNES] cognomen Baptista, a baptismo pœnitentiæ, quem instituit. *Missus*, scilicet, ut ait Luc. c. 3. 1. *anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris factum est verbum Domini super eum in deserto, & venit in omnem regionem Jordanis*, &c. *Tu igitur*, ait Chrys. *cum a Deo missum intelligis, nihil jam humanum ab eo dici annunciative existimes, sed divina omnia. Non enim suum quidquam, sed mittentis arcana denunciat. Idcirco Angelus appellatur, hoc est nuncius: est enim nuncii officium nihil ex se scire*. Ita S. Chrys. & ex eo Theoph. Dicit ergo Joannem missum a Deo, ut ei pondus auctoritatis addat, ejusque de Christo testimonium, non tam humanum, quam divinum esse ostendat. E

HIC VENIT IN TESTIMONIUM. (ad testandum, sive VERS. 7.
ut esset testis, ut testimonium perhiberet veritati, scilicet quod Jesus esset Messias salvator mundi) UT TESTIMONIUM PERHIBERET DE LUMINE] puta ut testaretur Jesum esse verum lumen mundi, & ab eo nos debere omne lumen fidei, & notitiam salutis expectare & postulare.

Nota. Licet lux soleat distingui a lumine, sicut causa ab effectu; lux enim solis producit lumen in aere; hic tamen idem sunt *lux* & *lumen*; pro utroque enim græce eadem est vox φῶς, id est lux, quam noster Interpres copiæ causa non vertit *lux*, nunc *lumen*. Rursum græce additur articulus τὸ φῶς, id est, illa lux, scilicet spiritualis, eximia, immensa, divina, ex se lucens, quæ per se & essentialiter est lux, & fons omnis lucis, ac quasi sol quidam divinus, cujus respectu Joannes Baptista erat luna dumtaxat, vel lucifer: quia sicut lucifer sive hesperus præit solem, sic Joannes præivit Christum, quasi solis justitiæ anteambulo. Sensus est, q. d. Quia lux deitatis abscondita erat in humanitate Christi, abjecta, vili & paupere, quasi in lucerna obscura & umbrosa, ut homines eam non viderent, nec cognoscerent: hinc Deus misit Joannem ut lucem hanc detegeret, ostenderet, ac testaretur Jesum vere esse Deum, Deique Filium, & mundi doctorem & redemptorem. Nam, ut ait Paulus: Deus *lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. 1. Tim. 6. 16. Rursum Filius est *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus* (Dei Patris) Heb. 1. 3. Idem *candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*, Sap. 7. 26. Vide ibi dicta. F

UT OMNES CREDERENT PER ILLUM] q. d. Ut omnes Joannem audituri, in Christum, quasi in lucem crederent, & credentes justificarentur ac salvarentur. *Per illum*, scilicet Joannem, qui Christum digito
G ostendens: *Ecce*, inquit, *agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Unde Nonnus: *Per illum*, inquit, id est, *per unius præconis* (Joannis) *vocem*.

NON ERAT ILLE LUX, SED UT TESTIMONIUM PER- VERS. 8
HIBERET DE LUMINE] Judæi & Scribæ, ob prædicationem & vitam cælestem Joannis in eremo, putabant ipsum esse lucem, i. e. Christum. Elidit idipsum hoc Joannes Evangelista, q. d. Joannes Baptista *non erat lux*, id est, Messias, doctor & salvator mundi, sed tantum ejus testis & index, qui omnem suam cognitionis, prophetiæ & gratiæ lucem a Christo acceperat. Unde ipse c. 5. 35. vocatur *lucerna ardens & lucens*. *Sed non proprio igne ardebat*, inquit Origenes, *non propria luce lucebat. Stella erat matutina, sed non a seipso proprium lumen accepit, gratia ipsius, quem præcurrebat, in eo ardebat & splendebat. Non erat ille lux, sed particeps luminis. Suum non erat, quod in se & per se fulgebat*.

ERAT (alia a Joanne, puta ipse Christus) LUX VE- H
RA, QUÆ ILLUMINAT OMNEM HOMINEM VENIENTEM VERS. 9.
IN HUNC MUNDUM] Quæres, cur Christus dicitur *lux vera*, vel, ut Græca nervosius habent, τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, id est, *illa lux illa vera*? Resp. Quia Verbum est prima, increata, naturalis & per essentiam lux: Joannes vero Baptista & cæteri Sancti sunt lux per Verbi communicationem & participationem dumtaxat: quia omnes lumen fidei & gratiæ emendicant a Christo, ceu luna & planetæ a sole: quare si cum Christo comparentur, quia in infinitum ab ejus claritate superantur, non merentur nomen lucis. Christus ergo solus lux est, & solus lucis nomen meretur, sicut Dei nomen est *Jehova*, sive *qui est*, quia ipse est verum, essentiale, æternum & immensum ens, cætera vero omnia ab eo particulam entitatis hauriunt: quare respectu Dei habent esse adeo imperfectum & diminutum, ut potius non esse, quam esse videantur: sunt enim quasi umbra entis quaquaversum immensi, quod est Deus, qui proinde solus verum est ens, sive ὄν, uti dixi Exodi 3. 14. Unde hic cap. 7. 28. Christus ait: *Est verus* (Deus Pater) *qui misit me*.

Christus lux vera. Primo.

Secundo, Christus est vera lux mundi, quia ejus doctrina & fides opposita est falsis doctrinis & erroribus Gentilium philosophorum, Saracenorum, hæreticorum, atheo- Secundo.

A atheorum, &c. *Verâ* enim *lux* eſt, mera, pura, ſincera, clara, genuina, quæ nil habet ficti, nil obſcuritatis, nil umbræ, nil diminutæ lucis.

Tertio. Tertio, quia Chriſtus longe verius & perfectius nos illuminat, quam omnis lux corporea, ut ab ea metaphora ducatur, in qua proinde lux ſpiritualis dicitur mereri ſola nomen lucis, lux vero corporea ejus dumtaxat eſſe velut umbra. Simili modo & ſenſu ait Chriſtus c. 15. 1. *Ego ſum vitis vera*, ac 6. 55. vocat ſe verum panem. Sic alibi ſæpe verum vocatur, id quod perfectum eſt, eminens & excellens.

Quarto. Quarto, Chriſtus eſt lux vera, quia latiſſime & pleniſſime, quaquaverſum lumen ſuum diffundit; unde ubique ipſe eſt vera lux; nam, ut explicans ſubdit Joannes, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Omnes enim fideles & Sancti, quanticumque & quotquot fuerunt a principio mundi, ſunt, & erunt, omne ſuum fidei & gratiæ lumen hauſerunt, hauriunt, & haurient a Chriſto. Joannes vero Baptiſta lux fuit Judææ dumtaxat, qui eſt angulus terræ, idque tempore Herodis B tantum. Simile eſt de cæteris Sanctis.

Denique Joannes & cæteri exteri exterius tantum, ſonora voce auditores ſuos docuerunt, mentem vero per ſe & immediate illuſtrare non potuerunt: utrumque autem facit Chriſtus. Vox enim ferit aures dumtaxat, ſed Chriſtus ſua gratia mentem ferit & illuminat: unde ipſe ſolus dicitur *illuminare omnem hominem*.

Hac de cauſa Chriſtus paſſim a Joanne vocatur *veritas*; ut cum Chriſtus ait cap. 14. *Ego ſum via, veritas & vita*. In Chriſto enim fuit omnis veritas, illaque quadruplex, ſcilicet veritas entis, veritas mentis, veritas oris, veritas operis,

Latet in occulto veritas; ſic vera deitas latebat occulta in humanitate Chriſti. Eadem tamen ſemper latere non poteſt. Nam, ut ait Cicero pro Cælio: *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſollertiam, contraque fictas omnium inſidias, facile ſe per ſeipſam defendat*. Hinc veritas premi poteſt, opprimi non poteſt; perinde ut ſol nubibus tectus latet, ſed mox radiorum ſuorum vi nubes diſſipat, & clarus ef- C fulget: ſic & veritas, ſic & Chriſtus.

veritatis etymon. Quocirca veritas græce dicitur ἀλήθεια, ab ἀ privativo, & λανθ, id eſt oblivio, quod oblivionem arceat, quodque in eam nulla cadat oblivio, nullus error, nulla falſitas. Hanc haurimus a Chriſto, *tamquam a Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Jacobi 1. 17.

Porro magna eſt affinitas verbi, & veri ſive veritatis. Unde licet nonnulli apud Auguſtinum lib. de Princip. Dialec. c. 6. *verbum* derivent a verberando, vel verberatu, ut verbum ſit verber, eo quod verberato lingua intra & verbi. palatum aere, formatur verbum: melius tamen Varro, & ex eo S. Auguſt. l. 15. de Trin. cap. 11. *verbum* a vero & veritate deducunt, eo quod verbum ſit vera cogitationis, & rei cogitatæ intellectæque imago. *Quando ergo quod eſt in notitia, hoc eſt in verbo*, ait S. Aug. *tunc eſt verum verbum & veritas*, hoc autem ſemper eſt in Verbo hoc divino, nam humanum ſæpe fallit & fallitur.

Illuminat omnem hominem] quantum in ipſo eſt; unde qui non illuminantur, ſibi tribuant culpam, quia D lumen fidei & gratiæ a Chriſto oblatum recipere nolunt; ſicut ſol illuminat omnes, qui in domo ſunt, quantum eſt ex parte ſua; ſed ſi quis feneſtram claudat, impediet ne ſol illam illuminet; hæc ipſius erit culpa, non ſolis; alludit enim ad ſolem, qui totum mundum illuminat. Ita S. Chryſoſt. Cyrillus, Theophyl. Euthym. Et patet ex præced. Idem enim dicit cum eo quod dixit v. 5. *Lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt*. Loquitur de lumine ſupernaturali & gratiæ, licet S. Cyrill. explicet de lumine naturali rationis. Deus enim dedit cuique homini lumen rationis, ut per illud ſciat quid bonum ſit, quid malum; quid amplectendum, quid fugiendum.

Chriſtus illuminat omnes. Primo. Porro S. Auguſt. arctius hæc accipit: nam ut contra Pelagianos doceat non omnibus hominibus dari gratiam, ſcilicet congruam & efficacem, quæ eos convertat, juſtificet & beet; hac de cauſa *omnem hominem* ſic Primo, exponit, ex omni hominum genere aliquos illuminat, v. g. aliquos ex Indis, aliquos ex Perſis, aliquos ex Afris, aliquos ex viris, aliquos ex fœminis, aliquos ex pueris, &c. ut ſit diſtributio, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, ut vocant Logici.

Secundo. Secundo, ſic exponit, q. d. Omnis homo, qui illuminatur, a Chriſto illuminatur; *quia niſi ab ipſo nullus illuminatur*, ait S. Aug. Enchir. 102. & lib. 1. de Pec. mer. c. 25. Sic vulgo dicimus: Hic Magiſter docet omnes pueros hujus civitatis, ſcilicet eos qui doceri volunt: q. d. Nullus eſt, qui doceat in hac urbe, niſi hic magiſter, quare qui doceri vult, hunc adeat oportet. Simili modo S. Auguſt. exponit illud 1. Timoth. 2. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. Vide ibi dicta. E

Venientem in hunc mundum] Id eſt, naſcentem in hoc mundo: eſt hebraiſmus. ſic enim ſolent Hebræi hominem, vel hominis nativitatem deſcribere. Græcum ἐρχόμενον, verti poteſt, *veniens*, ſcilicet lux, q. d. Lux veniens in hunc mundum, id eſt, Chriſtus naſcens in mundo, quantum eſt ex ſe, illuminat omnem hominem. Ita S. Aug. l. 1, de Pec. mer. c. 25. Simili enim modo de Chriſto dicitur c. 3. v. 19. *Lux venit in mundum*. Et c. 12. 46. *Ego lux in mundum veni*. Verum Interpretes fere omnes Græci & Latini vertunt, *venientem* in accuſativo.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus Vers. 10 est, et mundus eum non cognovit] *In mundo erat*, ſcilicet Verbum, ſive Filius Dei: hic enim qua Deus, ab F initio mundi erat in eo per eſſentiam, præſentiam & potentiam, atque per vim ſuam & providentiam mundi conſervatricem & gubernatricem, juxta illud Pauli Act. 17. 27. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum: nam in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus*. Ita S. Chryſoſt. S. Aug. cæterique Græci & Latini. Aliter Maldonatus: Verbum, inquit, in mundo erat per humanitatem aſſumptam, poſtquam per incarnationem factum eſt caro. Verum de incarnatione aget verſ. ſeq.

Et mundus per ipsum factus est] τὸ & accipitur pro *quinimo*, aut nervoſius pro *quia*, ut ſit cauſale, q. d. Ideo Verbum erat in mundo, quia per ipſum mundus creatus eſt, conſervatur & ſubſiſtit. Verbum enim eſt quaſi baſis, imo quaſi anima mundi, uti cenſuit quoque, Gentilis licet, Plato. Sapienter Philo: *Creatori*, ait, *proprium eſt benefacere; creaturæ gratias agere*. Verum ipſa ſui officii ſæpe obliviſcitur. Deus numquam, imo in ingratos quoque beneficus eſt. G

Et mundus eum non cognovit] Eſt helleniſmus: græcizat enim Interpres, quia vertit, *eum*, ſcilicet λόγον, id eſt, Verbum λόγος enim Græcis eſt maſculini generis, cum alioqui latine dicendum fuiſſet *illud*, ſcilicet *Verbum*. Simile eſt Heb. 9. 2. & alibi, uti ibidem annotavi. Inculcat Joannes ingratitudinem mundi, quod ſuum auctorem, quem ſemper habet præſentem, & a quo creatus eſt & conſervatur, puta Verbum ſive Filium Dei, non cognoverit.

Porro ludit in voce *mundus*, Primo enim proprie mundum accipit pro toto univerſo, & omnibus quæ in eo ſunt: hæc enim omnia a Verbo ſunt facta. Cum ergo ſubdit: *Et mundus eum non cognovit*, per mundum intelligit incolas mundi, puta homines mundo deditos, & divina non ſapientes: hi enim non cognoverunt ſuum auctorem, puta Verbum, ſive Filium Dei. Ita S. Auguſt. S. Chryſoſt. Theophyl. & Euthymius.

Nota hic, ex mundi opificio naturaliter poſſe cognoſci Deum unum in eſſentia: non autem trinum in perſonis, ac conſequenter ex eo non poſſe cognoſci Verbum, qua Verbum. Culpat ergo mundum, id eſt, mundanos homines Joannes, quod Verbum, non qua Verbum, ſed qua H Deum mundi creatorem, ex mundi fabrica, quaſi ex ungue leonem, & ex pictura Apellem, non cognoverint. Et ſic reſpondent rationi Maldonati, qui ex hiſce verbis contendit Joannem loqui hic de Verbi incarnatione, q. d. Mundani non cognoverunt Verbum incarnatum, ſcilicet Jeſum eſſe Deum, Deique Filium; nam iidem cognoverunt ex mundi fabrica deitatem, ſive unum Deum mundi opificem. Hæc Maldonatus. Sed reſpondetur eos non cognoviſſe Verbum, ut Verbum, ſive perſonam Filii, ut dixi: quinimo multi ex mundi fabrica non cognoverunt Deum ejus fabricatorem. Fateor nonnullos, ut Patriarchas & Prophetas, cognoviſſe Verbum, ſive Dei Filium, de eoque prophetaſſe. Verum hi illud cognoverunt ex peculiari Dei revelatione, non ex fabrica mundi. Deplorat ergo Joannes humanæ infirmitatis, poſt lapſum in peccatum, cæcitatem & ignorantiam, quod cum fide amiſerit cognitionem ſui creatoris & ſalvatoris, puta Verbi ſive Filii Dei.

In propria venit, et sui eum non receperunt] Vers. 11 Arabic. *Ad proprios venit, & proprii eum non receperunt*. Unde per *propria* vel *proprios* S. Auguſt. Cyrill. Chryſoſt. Theoph. Euthymius accipiunt Judæos: hi enim erant populus

Digitized by Google

A pulus Deo proprius Deique cultui & Ecclesiæ dicatus, Melius iidem per *propria* & *proprios* accipiunt totum mundū, omnesque homines mundi incolas. Idem enim dicit Joannes, aliisque verbis more suo repetit & inculcat cum eo, quod paulo ante dixit: *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*. Audi S. Cyrillum in Conc. Ephesino: *Venit Unigenitus ad proprios, & præcipue ad Israelitas, simul atque carne sumpta factus est homo.*

Et sui] Non omnes, sed multi: nam nonnulli Jesum ut Christum receperunt, sicut duodecim Apostoli, 72. discipuli, & alii usque ad 500. 1. Corinth. 15. 6. sed hi, præ reliquis Judæis, qui eum non receperunt, fuere pauci, quæ sane fuit magna Judæorum ingratitudo & malitia, Christi vero mortificatio, contemptus & humiliatio non exigua; Dei autem consilium admirabile, & judicium inscrutabile, ut per Judæorum repulsam, Evangelium ab Apostolis transferatur ad Gentes toto orbe diffusas, uti docet Apostolus Rom. 11.

Vers. 12 Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in
B nomine ejus] id est in nomen ejus, hoc est in eum: nomen enim Christi ejus personam significat. Pronomen *qui* refert non ad filios Dei; sed ad *quotquot*. Patet ex Græco οἵ, quod cum sit masculinum, nequit referri ad neutrum τέκνα, id est, *filios*, sed ad ὅσοι, id est, *quotquot*. Sensus est, q. d. Quotquot Christum receperunt, puta omnibus his, qui credunt in nomen ejus, ejusque fidei & legi obediunt, dedit potestatem filios Dei fieri: sic se explicat S. Joannes ep. 1. c. 5. 1. *Omnis*, inquit, *qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est*.

Potestatem] Græce ἐξουσίαν, id est, dignitatem, potestatem, facultatem, libertatem & jus, ut scilicet hoc ipso, quo Christum fide & fidei Sacramento, id est baptismo, aut certe fide per charitatem formata, quæ votum, sive desiderium baptismi includit, recipiunt; simul quidem tempore, sed posterius natura justificentur, fiantque & sint (Græcum enim γίνεσθαι & fieri & esse significat) filii Dei adoptivi per participationem & gratiam, sicut ipse Christus Filius est Dei naturalis per suam hypostasin divinam.

C Quocirca Clemens Alexandr. adhort. ad Gentes, ait Christum sua incarnatione terram in cælum mutasse, ac ex hominibus angelos, imo deos fecisse, ideoque ipsum pulchrum esse aurigam, qui currum, sive bigam fidelium, puta Judæorum & Gentium, agat in cælum, dirigatque ad beatam immortalitatem.

Igitur vox ἐξουσία significat tum dignitatem filiationis divinæ, tum libertatem arbitrii nostri, ad eam libere per fidem capessendam. Non enim ait, fecit illos filios Dei, sed dedit potestatem, id est liberam facultatem, filios Dei fieri; si videlicet libere illi credere & obedire velint. Negat hoc Calvinus & Beza, sed asserit S. Aug. de Spiritu & litera c. 31. quia *hanc*, inquit, *dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit*. Idem asserit S. Chrys. Theophyl. Euthym. Beda & alii passim. Audi S. Chrys. *Quemadmodum ignis si metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit: sic & longe magis pro luteis aureos eos baptisma facit, quos abluerit; cum Spiritus S. tanquam ignis illa ipsa hora animas nostras ingrediatur, & terrena absumpta similitudine, cælestem illam, novam & claram, tanquam ex fornace fulgentem referat. Et cur non dixit: Fecit eos filios Dei fieri? ut ostenderet multa opus esse diligentia, ut adoptionis*
D *nobis per baptisma impressam imaginem puram servemus atque intactam. Præterea quod nemo hanc nobis potest auferre potestatem, nisi primum nobis ipsis abstulerimus*. Et paulo post: *Simul autem declarare voluit, gratiam non temere, neque sine labore nostro in nos infundi, sed cum ipsi volumus, cum eam inquirimus: in nostra enim potestate est filios Dei fieri. Quippe nisi primum ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque divinum ad nos munus accedit, neque quidquam in nobis operatur. Ubique igitur non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus & liberum nobis ostendit arbitrium*.

Dices: Fides, æque ac Filiatio Dei est donum Dei, ergo illud non est positum in arbitrio hominis. Resp. negando sequelam: Deus enim fidem, spem, charitatem, reliquasque virtutes & dona sua hominibus non indit invitis, vel incogitantibus, sed cogitantibus, volentibus, consentientibus & cooperantibus libere. Hoc est enim, quod ait hic S. Joannes, Deum dedisse potestatem filios Dei fieri his, qui libere Christum per fidem & obedientiam receperunt, exclusis iis, qui eum recipere noluerunt. *Datur potestas ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur ut credant eum*, ait S. Aug. lib. 1. contra 2. epist. Pelag. cap. 3. Datur autem hoc a Deo, cum Deus ita per gratiam suam illuminat & movet mentem hominis, ut ipsa libere consentiat & credat. E

Filios Dei fieri] Quomodo id fiat, & quanta hujus filiationis sit dignitas, utilitas, hereditas, fuse ostendi Oseæ 1. 10. ad illa: *Dicitur eis, Filii Dei viventis*. Unde Cyrill. *Ascendamus*, inquit, *ad supernaturalem dignitatem per Christum: non tamen ut proprie, sicut ille, sed ut similitudine illius per gratiam filii Dei simus. Alia est enim naturæ ratio, alia adoptionis*.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate Vers. 13
(Arabicus, *appetitu*) carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt] S. Joannes hic ponit antithesim humanæ generationis & divinæ, ut hujus præ illa præstantiam demonstret. Igitur ut vilitatem humanæ per exaggerationem ostendat, asserit Primo, eam fieri *ex sanguinibus*, id est, ex sanguine (est hebraismus) tum F
menstruo mulieris, ex quo coagulato formatur fœtus, tum seminali viri; viri enim semen, quia sanguinei alimenti est residuum, vocatur sanguis.

Secundo, asserit eam esse & fieri *ex voluntate*, id est, concupiscentia (sic enim sumitur *voluntas* Isaiæ 58. 3. Ephes. 2. 3. & alibi) *carnis*: quod alibi dicitur esse ex carne & sanguine, in quo consistit voluntas, id est, concupiscentia viri, sub quo pari ratione feminam accipe. Explicat enim quæ sit voluntas carnis, per *voluntatem viri*, q. d. Voluntas, id est appetitus & concupiscentia carnis est voluntas, i. e. concupiscentia viri & feminæ in actu generationis: hunc enim vult & appetit carnalis appetitus & concupiscentia. Voluntas carnis, quid?

Ex adverso divina generatio filiorum Dei non ex sanguinibus, nec ex voluntate & concupiscentia carnis & viri, uti est filiorum hominum, sed est *ex Deo*, id est, ex Dei voluntate, prædestinatione, electione, charitate. Rursum *ex Deo*, id est, ex Dei spiritu & gratia, per quam mens hominis, antea carnalis, regeneratur & justificatur, itaque homo fit spiritualis, justus, sanctus, amicus, imo G
filius Dei. Tertio *ex Deo*, quia in hac hominis justificatione & regeneratione, Deus non tantum dat ei suam gratiam, spiritum & charitatem, cæteraque virtutes, sed & seipsum, ut homo justificatus, vere & proprie habeat in mente inhabitantem ipsi similem Spiritum, imo totam S. Trinit. ideoque fiat divinus, imo filius & heres Dei, ac coheres Christi, uti fuse ostendi Oseæ 1. 10.

Aliter S. Aug. hic tr. 2. explicat τὸ *ex voluntate carnis*. *Carnem*, ait, *pro femina posuit, quia de costa cum facta esset, Adam dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea, & Apostolus ait: Qui diligit uxorem suam, seipsum diligit: nemo enim unquam carnem suam odio habet. Ponitur ergo caro pro uxore; quomodo & aliquando spiritus pro marito. Quare? Quia ille regit, hæc regitur: ille imperare debet, ista servire; nam ubi caro imperat, & spiritus servit, perversa domus est*.

Et verbum caro factum est, et habitavit in Vers. 14
nobis] Sic ad verbum habent Syrus, Persicus, Ægyptius & Æthiopicus; Arabicus vero & *Verbum*, inquit, *factum est Corpus*. *Caro* ergo hic est corpus humanum, indeque H
homo. Hinc Apollinaris hæresiarcha negabat Verbum assumpsisse animam humanam & mentem: ejus enim loco asserebat esse mentem Verbi divini, ipsamque ejus divinitatem. Ita refert S. Aug. hæresi 55. Verum hæc est hæresis, fides enim docet Verbum assumpsisse, uti veram carnem humanam, sic & veram animam rationalem, ac proinde habere duas naturas integras & impermistas, scilicet divinam & humanam, ac consequenter habere duas voluntates, & duplicem mentem, divinam & humanam: ita ut hæ duæ naturæ cum suis potentiis, subsistant in unica persona Verbi, in qua persona facta est hæc unio, non autem in natura, ut contra Nestorium definit Concilium Ephesinum, & contra Eutycherem Concilium Chalcedonense. Apollinaris hæresiarcha aberrat non aliam esse Christi animam, quam ipsam Verbi divinitatem. Incarnationis species.

Ex hac autem unitate personæ sequitur Primo, ut Theologi docent, communicatio idiomatum utriusque naturæ, ut in Christo quidquid competit humanitati & homini, id ipsum dicatur & prædicetur de divinitate & Deo, ac vice versa, v. g. vere dicimus hunc hominem (Jesum) esse Deum, esse omnipotentem, esse creatorem, fuisse ab æterno, atque vice versa Deum, sive Filium Dei, vere esse passum, Effectus Primus.

Digitized by Google

A passum, crucifixum, mortuum: quia scilicet una eademque persona divina est in Christo Deo & homine, qui hæc omnia subiit, licet secundum duas, & diversas naturas; actiones enim & passiones sunt suppositorum, sive personarum in quacumque natura illæ subsistant. Audi S. Aug. in Dialogo 65. qu. ad Orosium, qu. 4. *Verbum caro factum est, non carne mutatum, ut non desisteret esse quod erat, sed cœperit esse quod non erat. Assumpsit enim carnem, non se convertit in carnem. Carnem istam a parte totum hominem intelligimus, id est carnem & animam rationalem. Et sicut primus homo & carne & anima mortuus fuerat, ita etiam oportuit, ut per mediatorem Dei & hominum, & hominem Jesum Christum, & carne & anima vivificaretur.*

Secundus. Sequitur Secundo, quod *Verbum factum est caro*, non eo modo, quo aqua fit vinum, dum mutatur & convertitur in vinum; aut sicut cibus fit caro nostra, dum in eam convertitur, nec rursum eo modo, quo aurum fit statua, scilicet accedente ad auri materiam forma accidentaria statuæ, sed simili modo, quo anima & caro juncta fiunt unus homo. Ita S. Athanas. in Symbolo: *Unus*, inquit, B *non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Sed homo unus est essentialiter, Christus vero unus est personaliter. Aut eo modo, quo homo accedente veste fit vestitus. Scilicet ut verbo accesserit nova substantia, quasi vestis, sed substantialis, non accidentalis, substantia enim carnis & naturæ vestivit se Filius Dei, eamque substantialiter in eadem hypostasi Verbi sibi copulavit, intimeque univit.

Caro ergo hic, uti & passim in Scriptura per synecdochen Hebræis familiarem, significat totum hominem: q.d. *Verbum factum est caro*, id est Filius Dei factus est homo. Simili modo potuisset S. Joannes dicere: *Verbum Dei factum est anima*, id est, homo animatus & vivus, maluit tamen dicere *caro* potius quam *anima*, ut ostenderet quantum Dei benignitas, nostri amore, pro nobis sese exinanierit; scilicet quod Deus factus sit caro vilissima & infima, ut nos ex carne per concupiscentiam, & peccatum corruptissima, fieremus quasi dii & filii Dei, ipsique Deo consanguinei. Ita S. Cyrillus, S. Chrysost. & alii. *Carnem*, ait S. Cyril. epist. 8. ad Nestorium, *animatam anima* C *rationali uniens Verbum sibi secundum subsistentiam, ineffabiliter factus est homo.*

Symbolice Glossa: Verbum, inquit, factum est caro, quasi mutatum in lac propter parvulos, ut eorum fieret cibus; præsertim in Eucharistia. Nunc singula verba ad incudem revocemus, & penitius expendamus.

Et] Hæc vocula nectit hanc sententiam præcedentibus, partim historice, partim causaliter. Historice, q.d. Verbum illud æternum, cujus generationem divinam enarravi, quodque dixi fuisse apud Deum, imo fuisse Deum ipsum, per quem omnia facta & creata sunt, ideoque ipsum fuisse, esseque vitam rerum omnium; hoc Verbum, inquam, in tempore a Deo statuto factum est caro, dum in B. Virgine carnem nostram assumpsit, & nono post mense ex ea natum est, ac Jesu nomen accepit: ut τὸ & capiatur pro idcirco, ideo, hac de causa; q. d. Verbum factum D est caro, id est Filius Dei factus est homo, hac de causa, ut filios hominum ex sanguinibus & carne in peccato natos expiaret, & filios Dei efficeret, uti præcessit. Unde S. Aug. *Ne miraremur & horreremus tantam gratiam, & ne nobis incredibile videretur homines ex Deo nasci; quasi securitatem faciens, hoc dixit:* q.d. Quid miraris homines ex Deo nasci? attende ipsum Deum ex hominibus natum. Et S. Chrys. *Factus est*, inquit, *filius hominis dilectissimus Filius Dei, ut filios hominum faceret filios Dei.*

Verbum] Græce ὁ λόγος, id est, illud Verbum, scilicet æternum & divinum, de quo hucusque fuit sermo; Verbum, inquam, manens Verbum, manens in sua deitate, hypostasi, majestate, & gloria divina, factum est caro, id est homo, hoc est assumpsit & induit humanam naturam. Unde S. Athan. epist. ad Epictetum dat simile illud, Gal. 3. *Christus pro nobis factus est maledictum: Sicut enim Christus dicitur maledictum, non quod ipse maledictum factus sit, sed quod pro nobis maledictum* (id est crucem, quæ a Judæis habebatur maledicta & execrabilis) *susceperit*; ita *non quod ipse conversus sit in carnem, sed quod carnem pro nobis susceperit, dicitur factus caro.*

Eadem maledicti similitudine exponunt τὸ *Verbum caro factum est*, S. Greg. Nazianz. epist. ad Cledonium, S. Amb. S. Flavianus Patriarcha Antioch. (cujus verba sunt: *Verbum caro factum est, non quod in carnem mutatum sit, neque quod Deus esse desierit; sed quod Dei consilio & dispositione carnem assumpsit*) S. Ignatius, S. Irenæus, S. Hippolyt. S. Basilius, S. Chrys. S. Greg. Nyssen. Amphiloch. & alii, quorum verba recitat Theodoretus dialogo, cui titulus, *Immutabilis*, ubi confutat Eutychianos illos, qui dicebant, Verbum incarnatione mutatum esse & transformatum in carnem. Alios vero, qui dicebant carnem mutatam esse in Verbum, ac Verbum absorpsisse, sive absumpsisse carnem, sicut mare sorbet rivulum in se influentem; confutat dialogo 2. cui titulus, *Inconfusus*. Tertios denique, qui dicebant deitatem in Christo esse passam, & crucifixam, confutat 3. dialogo, cui titulus, *Impassibilis*.

Denique audi S. Cyrill. in Concilio Ephes. *Nomine carnis intelligi debet totus homo, ut cum dicitur: Videbit omnis caro salutare Dei. Et, Non adhæsi carni & sanguini. Galat. 1. Atque eodem quoque modo nonnunquam accipitur anima, ut, In septuaginta quinque animabus descenderunt patres in Ægyptum, Act. 7. non enim dixeris, quod nuda & sine carne anima in Ægyptum descenderit. Quoties igitur audiemus carnem factam esse Verbum, hominem intelligamus ex anima & corpore factum.* Idem alibi hoc repetit, additque. *Non secundum translationem, vel conversionem, vel commutationem, transformatione facta in carnis naturam, neq; habens temperationem vel commixtionem*, &c. Idem habet Concil. Toletan. XV. quod celebratum est æra 726. qui fuit annus Christi 688. Anni enim Christi sequuntur Æram Hispanicam annis 38. Æram Hispanicam annis 38. sequuntur anni Christi.

Caro] Id est homo. Opponit Verbo carnem, qua summo nimum, beato miserum, glorioso vilissimum, infirmissimum & spurcissimum. Quid enim miserius, vilius, infirmius, spurcius carne humana? quæ longe infirmior, miserior, spurcior est carne asinina, bovina, equina & cæterorum animalium; & tamen ad carnem talem demittere sese dignatum est Verbum Dei, nostri amore. Hæc est ejus φιλανθρωπία, & amoris ecstasis, quam celebrat Apostolus epist. ad Titum c. 3. 4. Audi S. Bernard. serm. 3. de Nativit. *Verbum caro factum est, caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens; omnis operis, omnis laboris impatiens.* Et mox: *Dum esset in principio apud Deum, lucem habitabat inaccessibilem, & non erat, qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Carnalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: sed jam capiat & carnalis, quia Verbum factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire; ecce Verbum caro factum est; audiat illud vel in carne. O homo in carne tibi exhibetur sapientia illa quondam occulta; ecce jam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter (ut jam dixerim) prædicatur tibi, Fuge voluptatem: quia posita est mors secus introitum delectationis.* Carnis humanæ vilitas.

Verbum ergo factum est caro, id est homo, dum hominem assumpsit, hominem, inquam existentem, sed non subsistentem. Naturam enim hominis existentem assumpsit, at non personam hominis: nec enim Verbi persona facta est persona hominis: quia hoc est impossibile. Verbum ergo assumens essentiam & existentiam hominis, non assumpsit ejus subsistentiam, sed essentiam & existentiam hominis: eo ipso temporis instanti, quo a Spiritu sancto formata, & facta est, præveniens ne per se subsisteret velut persona, eamdem sibi in unitate personæ suæ divinæ conjunxit, fecitque ut in eadem subsisteret. Quare humanitas Christi non in se, sed in persona Verbi subsistit.

Factum est] Non quod Verbum mutatum sit in H carnem, uti volebat Apollinaris, teste S. Augustino hæresi 55. Nec vice versa, quod caro mutata sit in Verbum, quia, ut ait S. Chrysostom. *longe ab illa immortali natura est transmutatio:* qui enim caro fiat Deus, id est, quomodo creatura fiat creator? Nec Tertio, quod ex carne & Verbo, ceu duabus partibus, conflata sit tertia natura, sicut ex carne, & anima conflatur, & componitur homo, uti volebat Eutyches, cujus error damnatus est in Concilio Chalcedonensi. Nec Quarto, quod Verbum factum sit caro, id est homo subsistens, quasi non solum naturam, sed & personam assumpserit, uti volebat Nestorius, quasi *invento homine virtutibus prædito, illi se adjunxerit Verbum*, ait Theophylact. sicut Prophetis se adjungit Spiritus sanctus; Tobiæ Raphael angelus, & sagis magisque dæmon, sed quod carnem, id est, naturam hominis, suæ hypostasi univerit, feceritque, ut in eadem subsisteret homo Jesus, in qua subsistebat Deus Verbum, sive Deus Filius. Qua ratione Verbum caro factum?

Digitized by Google

A Porro Verbum non per imaginationem, vel apparentiam & phantaſma dumtaxat, ut volebant Manichæi, ſed reipſa, & in rei veritate, *factum eſt caro*, id eſt homo: factum, inquam, non a ſe ſolo, ſed a tota S. Trinitate: tota enim S. Trinitas fuit cauſa efficiens incarnationis Verbi, ſed ita, ut ipſa non ad Patrem & Spiritum ſanctum, ſed ad ſolum Verbum, ſive Filium, hypoſtatice terminaretur, ſoluſque Filius fieret homo. *Solum enim Verbum carnem ipſa Trinitas fecit*, ait S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 2.

Verbum ergo carne veſtitum, fuit quaſi ſol nube veſtitus, aut ſicut ignis ferrum ſibi uniens & igniens, aut ſicut ignitus carbo, ait S. Cyrillus. Unde ejus typus & ſymbolum eſt carbunculus, uti dixi Apoc. 21. 19. Rurſum fuit ſicut margarita in concha, ſicut fulgur in nube, ſicut aurum in fornace, ſicut angelus in corpore. Inſuper S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 11. *Sicut verbum*, ait, *noſtrum vox fit, nec mutatur in vocem, ita Dei Verbum caro factum eſt, non mutatum in carnem*. Et geſta Conc. Epheſ. *Ut cum ſermo induerit litteras & elementa, viſibilis fit & tractabilis, ſic Verbum Dei tractabile invenitur*.

B Plura de Verbi incarnatione dixi in epiſt. 1. S. Joan. c. 1. ad illa: *Et manus noſtræ contrectaverunt*, ubi expendi quatuor tanti ſacramenti circumſtantias, ſcilicet, quis, quid, cur, cui, Verbum factum ſit caro: ac inter alia oſtendi id factum eſſe hoc fine & fructu noſtro, ut Verbum, quod antea qua Deus, erat pater noſter, per humanitatem aſſumptam fieret quaſi mater noſtra, itaque diceretur & revera eſſet πατρομήτωρ, id eſt, *patrimater*. Addidique ex Damaſceno, Deum aſſumpſiſſe hominem, ut per eum totum mundum ſibi uniret, & quaſi deificaret: homo enim eſt microcoſmus, ſive totius mundi ſumma, & compendium.

Et habitavit in nobis] Græce, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. hoc eſt, tentorium vel tabernaculum fixit in nobis, id eſt, inter nos, ad modicum tempus, quaſi hoſpes & peregrinus in terra aliena: erat enim ipſe civis, incula & dominus cæli ac paradiſi, juxta illud Jerem. 14. 8. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* Vide ibi dicta. Chriſtus ergo ſui exemplo voluit docere, Chriſtianis terram eſſe quaſi hoſpitium, patriam vero eſſe cælum, ad quod proinde, C contemptis rebus terrenis, tota mente, & niſu contendere debent: hac de cauſa homo factus inter homines in terra quaſi peregrinus verſatus eſt, cum eis familiariter colloquens, converſans, & docens terrena relinquere, & ambire cæleſtia, juxta illud Baruch. 3. 38. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*.

Paulo aliter S. Chryſ. & Cyrillus: *In nobis*, inquiunt, id eſt in natura noſtra, puta in humanitate, quam aſſumpſit, ut nos redimeret. Cauſam dat Chryſoſt. *Deus Verbum*, inquit, *ſibi ſanctum templum conſtruxit, ac per illud ex cælis deductam agendæ vitæ rationem ad vitam noſtram introduxit*. Citat & laudat hæc S. Chryſoſtomi verba Theodoretus Dialogo, *Immutabilis*. Cauſa ergo fuit hæc, ut cæleſtem vivendi rationem e cælis afferret, illamque homines doceret.

Et vidimus gloriam ejus] Græce ἐθεασάμεθα, id eſt ſpectavimus, quaſi in theatro mirum novumque ſpectaculum, ut ſcilicet Verbum carne velatum, in ea gloriam deitatis ſuæ oſtenderet, per miracula, per virtutes heroicas, per ſapientiam & doctrinam divinam, &c. Sic Apoſtolus ait 1. Cor. 4. 9. *Spectaculum* (græce, *theatrum*) *facti ſumus mundo, angelis, & hominibus*. Audi S. Auguſt. *Nativitate iſta collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis noſtri: ejus gloriam nemo poſſet videre, niſi carnis humilitate ſanaretur: caro te obcæcaverat, caro te ſanat; ſic venit medicus, ut de carne vitia carnis extingueret*.

Gloriam quaſi unigeniti a Patre] Arab. *quaſi unici qui eſt a Patre*. Senſus eſt q. d. Vidimus Chriſti gloriam, talem & tantam, qualis & quanta decebat unigenitum, vel quæ oſtenderet eum eſſe unigenitum Dei filium; cui ſcilicet, ut ait S. Baſilius, Deus Pater omnem gloriam, omnem ſubſtantiam dedit, ſicut ſolent parentes filiis ſuis unigenitis relinquere omnem ſuam hereditatem. Hanc Chriſti gloriam vidit S. Joannes cum ſociis, in transfiguratione in monte Tabor, in glorioſa ejus reſurrectione, in aſcenſione in cælum, in miſſione Spiritus ſancti, in cæleſti & divina ejus doctrina, vita, & miraculis. Ergo vox *quaſi* non ſimilitudinem, ſed veritatem denotat. Ita S. Chryſoſt. *Verbum Quaſi*, inquit, *hoc in loco non ſimilitudinis eſt, neque parabolæ, ſed confirmationis & definitionis certiſſimæ*. q. d. *Vidimus gloriam, qualem deceat, & credibile ſit habere unigenitum & dilectiſſimum omnium, regis Dei filium*. Et Theoph. *Spectavimus gloriam, non talem, qualem habebat Moyſes, vel cum gloria quæ Cherubim & Seraphim Prophetæ apparuerunt, ſed talem gloriam, qualem decuit eſſe unigeniti a Patre, quæ illi naturaliter ineſt. Nam, velut, hic non ſimilitudinis, ſed confirmationis, & determinationis indubitatæ verbum eſt*. Et Euthym. *Gloriam, non qualis eſt Sanctorum beatorum, vel angelorum, ſed gloriam vere unigeniti, nam hic dictio ὡς (tanquam) idem ſignificat quod vere*.

Porro gloria deitatis Chriſti, per carnem aſſumptam, quaſi per velum tranſparuit, & emicuit, ait Euthym. qui & addit: *Quæ autem erat illa Verbi gratia? Certe numquam antea viſa, variaque miracula, perlucida ac ſupernaturalis transformatio, & tempore paſſionis ſolis præter naturam obſcuratio, formidabilis veli ſciſſio, horribilis terræ motus, petrarum ſciſſiones, monumentorum apertiones, mortuorum ſuſcitationes: quodque omnium caput eſt, mirabilior quam dici aut cogitari queat, Domini reſurrectio, & poſt hanc quæcumque glorioſa Apoſtoli deinceps conſpexerunt*.

A Patre] refer ad *unigeniti*: hic enim unice genitus prodiit a Patre. Addit hoc: *Quia*, ut ait S. Bern. ſer. 2. de Pentec. *totum paternum, eſt quod de corde Patris Chriſtus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei, niſi dulce, niſi paternum humani generis trepidatio ſuſpicetur*. Sublimius & magis ad litteram S. Cyrillus: *Firma*, ait, *& immutabilis ſupernaturalis illa natura eſt, eodemque modo ſemper ſe habens, propriis ſemper dignitatibus æqualiter abundat. Quamvis ergo Verbum caro factum ſit, non tamen infirmitate carnis ſuperatum eſt, nec de priſca majeſtate atque omnipotentia decidit, quoniam homo factum eſt. Vidimus enim*, inquit, *gloriam Chriſti a Deo, ſublimiorem creaturarum gloria, ut mentis quiſque compos, nulli alii, quam unigenito Dei Filio, convenire illam fateretur*.

Plenum gratiæ et veritatis] Eraſmus & Cajetanus hæc jungunt ſequentibus, referuntque ad Joannem Baptiſtam, de quo ſequitur, non ad Chriſtum, de quo ſermo præceſſit. Sic ergo vertunt & nectunt, *Plenus gratia & veritate Joannes teſtificatur de ipſo*, ſcilicet Jeſu, quod ipſe ſit Chriſtus, quia, inquiunt, græce eſt πλήρης, id eſt, *plenus* in nominativo maſculino. Verum hæc diſpunctio, verſio & expoſitio eſt contra omnes Patres, & contra perpetuum Eccleſiæ conſenſum, ac contra diſpunctionem codicum Græcorum, Latinorum, Syrorum, Arabicorum, &c. qui conſtanter poſt τὸ *veritatis*, ponunt punctum. Inſuper repugnat ſequentibus: nam explicans Joannes quomodo Chriſtus ſit plenus gratia & veritate, ſubjicit dicens: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Nec obſtat quod in textu Græco ſit πλήρης, id eſt *plenus*, tum quia in multis codicibus ponitur πλήρη, in accuſativo, id eſt *plenum*, in alii τὸ πλήρη in margine ponitur: quod ſi velimus legere πλήρης, id eſt *plenus* in nominativo, tum verba præcedentia legenda ſunt per parenthеſin hoc modo (*& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre*) ut legunt Biblia Lovan. Hentenii, & ita ſervatur idem ſenſus: nam πλήρης refertur ad λόγος; q. d. Verbum caro factum erat plenum gratiæ & veritatis. Alludit ad verbum humanum, cujus ſumma laus eſt, ſi ſit gratioſum, & verum, ſive verax: ſic enim verbum divinum, non tantum in ſe, qua Verbum Dei Patris (quis enim de eo dubiter?) ſed etiam qua caro factum, ſive qua homo in ſe quaſi in fonte & capite, non participando, ſed per ſe, & quaſi nativa ſua vi, omnibus gratiæ tam gratum facientis, tam gratis datæ, donis a Deo fuit cumulatum, atque ore & opere, in omnibus ſuis dictis, & factis, eximiam gratiam præ ſe tulit, juxta illud: *Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius*. Luc. 4. 22. Idem fuit plenum veritate; quia omnes errores, item umbras legis veteris deſexit, ipſamque veritatem olim a Prophetis promiſſam exhibuit. Inſuper in ipſo *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, Coloſſ. 2. v. 5.

Plenum gratiæ] *Non enim gloriam poteſtatis aut claritatis* vidimus, ait S. Bernardus ſerm. 6. in vigilia Nativit. *ſed gloriam patentem pietatis*, gloriam gratiæ, de qua Apoſtolus: *In laudem*, inquit, *gloriæ gratiæ ſuæ*, Epheſ. 1. Unde Apoſtolus 1. Timoth. 3. 16. exclamat: *Magnum*, inquit, *eſt pietatis ſacramentum* (ſcilicet Verbum caro factum) *quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*. Vide ibi dicta. Quam plena, & quaquaverſum perfectiſſima fuerit gra-

tia

A tia Christi: *vide docentem S. Thom. 3. p. q. 7. art. 9. & seq.* ibique Suarez, Vasquez & cæteros.

ET VERITATIS] Apte veritatem jungit gratiæ: quia, ut ait S. Bern. serm. 74. in Cant. *Veritas caprea oculos habet, gratia hinnuli hilaritatem; utraque res necessaria mihi; & veritas quidem, cui abscondi non possim: gratia autem, cui nolim. Alioquin sine alterutra visitatio plena non erit, cum & illius severitas absque hac, onerosa, & hujus hilaritas absque illa dissoluta possit videri. Amara est veritas sine condimento gratiæ, sicut absque veritatis frano levis, & nesciens modum, plerumque & insolens ipsa devotio.*

Urim, Thummim. Hujus rei symbolo pontifex Aaronicus, qui Christi erat typus, in rationali pectoris sui gestabat inscriptum *Urim vetummim*, id est *doctrina & veritas*; vel ad verbum, *illuminatio & perfectio*, hoc est *veritas & gratia*: quæ duo in Christo excelluerunt, & sacerdoti cuilibet maxime necessaria sunt, ut iis Christo assimiletur. Vide dicta Exodi 28. vers. 30.

Ergo licet B. Virgo, S. Stephanus, & alii dicantur pleni gratia præ cæteris hominibus; tamen respectu Christi non fuere pleni. Christus enim est quasi oceanus & mare
B gratiarum, quod in omnes fideles, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines rivos gratiarum emanat. B. Virgo vero, S. Stephanus, aliique Sancti sunt quasi fontes, qui ex Christo, quasi ex mari, aquam gratiæ hauriunt, eamque quasi rivi, vel fontes pleni, eructant. Hoc est, quod ait Apostolus Coloss. 2, 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Et: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, Ephes. 4. 7. *Filio autem non ad mensuram Deus dedit spiritum*, ut inferius dicetur cap. 3. 34.

VERS. 15 JOANNES TESTIMONIUM PERHIBET (id est perhibuit) DE IPSO, ET CLAMAT DICENS: HIC ERAT, QUEM DIXI: QUI POST ME VENTURUS EST, ANTE ME FACTUS EST: QUIA PRIOR ME ERAT] Probat ea, quæ dixi de Verbo incarnato, quodque ipsum fuerit plenum gratiæ & veritatis, ex testimonio irrefragabili S. Joannis Baptistæ. Ipsum enim Judæi habebant quasi Prophetam, & virum divinum: q. d. Non solum nos vidimus Jesum Christum plenum gratiæ, & veritatis, sed & Joannes a Deo missus idipsum de eodem palam testatus est & asseveravit.

Audi S. Cyril. in Concil. Ephesino: *Joannes de Christo, quem prædicabat, ait: Qui post me venit, hoc est, post me in lucem prodiit, is prior me est, hoc est dignitate & gloria me præstat, sed & ipsa quoq; subsistendi ratione, ut Deus me antevertit. Quomodo ergo idem Joannes prior & posterior secundum tempus extitit? Quia Verbum Deus erat, & factum est caro: prius proinde erat ut Verbum, posterius vero ut homo.*

ET CLAMAT] Græce, κέκραγε, id est clamavit, fuit enim ipse *vox clamantis in deserto*, Is. 40. 23. q. d. *Quem non ipse solus audivi, sed late per omnes sparsus est clamor ejus.* ait Cyrill. *Quia non in occulto, nec demissa balbutientique voce, sed tuba sonantis*, atque ut ait Chrys. *Fidenter & libere, omni abjecta formidine, Dei adventum prædicavit.*

HIC ERAT, QUEM (de quo) DIXI] vers. 27. & 30. q. d. Joannes antequam Christum vidisset & novisset, de eo dixit, quod ipse venturus esset ad salvandos homines; ac eo viso idipsum repetiit & confirmavit: testi ergo tam fideli, & constanti credendum est, ita Theoph. *Ne enim videatur*, inquit, *gratificans personæ Jesu, de eo honestiora testari, ideo dicit: De quo dicebam, hoc est, etiam priusquã viderem eum.*

QUI POST ME VENTURUS (id est, *prædicaturus*, ait S. Chrys.) EST, ANTE ME FACTUS EST] id est, mihi præ-
D latus, mihi honore præpositus est, quia a Deo destinatus, & in baptismo declaratus est redemptor orbis, Matth. 3. Ita S. Chrysost. Theoph. Euthym. Unde Beda: *Quod ait, Ante me*, inquit, *non ad ordinem temporis, sed ad distantiam pertinet dignitatis*. Et S. August. *Non factus est, antequam factus essem ego*. (nam Joannes Christo sex mensibus fuit senior, & ante Christum cœpit prædicare) *sed anteposit us est mihi, hoc est, ante me factus est.*

QUIA PRIOR ME ERAT] quia scilicet Jesus fuit ab æterno; cum ipse verus sit Deus, Deique Filius. Ita S. Aug. Chrysost. Theoph. Euthym. Rursum *prior*, id est prior natura, dignior majestate, excellentior divinitate. Non dicit Joannes: Christus proficiendo in virtute, & gratia me superavit, ait Chrysost. sed *prior me erat*, hoc est *semper me superior, semper glorioſior erat*, inquit Cyrill. utpote verus Deus existens.

VERS. 16 ET DE PLENITUDINE EJUS NOS OMNES ACCEPIMUS, ET GRATIAM PRO GRATIA] Prosequitur, & explicat quod dixit v. 14. Verbum incarnatum fuisse *plenum gratiæ*

& veritatis; quia de hac gratiæ & veritatis ejus plenitudine E. omnes nos Apostoli & Christiani, imo omnes fideles ante Christum accepimus: nam Henoch, Noe, Moses, Abraham, cæterique Prophetæ & Patriarchæ, ex prævisis Christi meritis sanctificati & salvati sunt. Origenes, & Theophyl. censent hæc verba adhuc esse Joannis Baptistæ de Christo. Melius S. Chrys. Cyrillus, Euthym. & alii censent esse verba Joannis Evangelistæ, confirmantis præcedentia verba Baptistæ.

DE PLENITUDINE EJUS] Hoc est, de eo plenissimo: Christus enim quasi caput Ecclesiæ, in omnes fideles, quasi in membra sua, non plenam omnemque gratiam suam, sed partem ejus ad libitum diffundit. *Sancti*, ait Beda, *non plenitudinem spiritus ejus, sed de plenitudine ejus, quantum ipse donat, accipiunt. De plenitudine namque filii*, inquit Cyrillus, *quasi jugi fonte, gratiarum donum scaturiens, in singulas animas, quæ digne sunt; defluit.* Hoc est, quod ait Apostolus: *Benedixit nobis in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, id est, per Christum, Ephes. 1. *Ipse enim fons est & radix bonorum omnium*, inquit Chrysost. *Ipse vita, ipse lux, ipse veritas,* F *non in seipso bonorum divitias continens; sed in universos diffundens, quibus diffusis plenus permanet: neque ex eo quod alii suppeditet, minuitur, sed divitias suas elargitur semper uberius: cumque omnes his bonis impertiat, in eadem permanet perfectione.*

ET GRATIAM PRO GRATIA] Græce, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος; ubi examinandum est τὸ ἀντὶ, id est, *pro*. Primo, aliqui sic exponunt: *gratiam pro gratia*, q. d. Gratiam super gratiam, id est, omnem gratiam accepimus a Christo, quod Hebræi dicunt חן על חן *chen al chen*. Verum τὸ ἀντὶ, græce non capitur, pro ἐπὶ, id est *super*: unde hanc expositionem confutat hic Ribera; sed eam sequitur, & propugnat Joannes Alba Electorum sacræ Scripturæ c. 13. additque *gratiam pro gratia*, hoc est copiosam, abundantem & exuberantem gratiam. Sic in Propheris *plaga super plaga*, vocatur maxima plaga: & *contritio super contritione*, vocatur summa contritio: & *pellem pro pelle*, Job 1. hoc est, pellem super pelle, id est universum gregem, & armenta universa dabit homo pro anima & vita sua. Hæc ille. Huc accedit Suar. 3. p. q. 19. art. 4. disp. 41. sect. 2. *Gratiam pro gratia*, inquit, hoc est gratiam secundam pro gratia prima, hoc est, gratiam crescentem & majorem ac- G cepimus omnes non tantum homines, sed & angeli: hos enim gatiam accepisse a Christo censet Suarez.

Gratia pro gratia quæ? Resp. Primo.

Secundo, Maldonatus, *gratiam pro gratia*, hoc est, Secundo. unus unam, alius pro illa aliam accepit gratiam. q. d. Omnes quidem accepimus gratiam a Christo, sed hic illam, alius aliam, & quisque suam ab aliis disparem, & diversam. Verum hoc quoque obscurius est, nec satis respondet Græco ἀντὶ, quod vicem & successionem, non distributionem significat.

Tertio, S. Aug. q. d. Gratiam vitæ æternæ, id est gloriam Tertio. beatificam, pro gratia hujus vitæ accepimus in spe, & reipsa post mortem accipiemus a Christo: gratia enim est semen gloriæ, & vice versa gloria est consummatio gratiæ.

Quarto, alii, q. d. Legem Evangelicam a Christo accepi- Quarto. mus pro lege veteri: utraque enim est gratia, quia gratis data a Deo. Ita S. Cyril. Chrys. Leontius, Theoph. Euthym. Jansen. Ribera. Verum huic obstat, quod Joannes mox v. 17. legem opponat gratiæ æque ac Mosen Christo.

Quinto, alii, q. d. *Gratiam pro gratia*, id est, in Christi Quinto. gratia nos omnes sumus gratiam consecuti, & per eum grati facti Deo. Unde Paulus passim dicit nos in Christo H justificatos & sanctificatos. Ita Zacharias Chrysopolitanus & Toletus. Hic sensus aptus est, sed non præcisus: Græcum enim ἀντὶ, id est *pro*, non capitur pro *in*.

Sexto ergo genuine & præcise, Græcum ἀντὶ duo signi- Sexto. Genuina. ficat, scilicet Primo & proprie, vicariam successionem, ut respondeat Hebr. תחת *tachat*, idemque sit quod *vice, loco, pro*. q. d. Pro gratia Christi, nos quasi ejus successo- Græcum quid significet. res & filii, vicarian & similem illi gratiam accepimus. Sicut enim Christi gratia fecit illum Deo gratum, sanctum, amicum & Filium Dei naturalem: sic eadem nos facit Deo gratos, sanctos, amicos & filios Dei adoptivos. Ita S. Chrys. Cyrill. Theoph. & alii. Secundo, ἀντὶ sæpe, licet improprie, sumitur pro *propter*, q. d. Propter gratiam, vel per gratiam Christi, quasi fontem & originem, nos gratiam accepimus: explicat enim id, quod præcessit: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, per hoc quod subdit, *Et gratiam pro gratia*. Gratia enim a Deo, per Christum quasi caput, ad nos quasi membra derivatur & di-

Digitized by Google

A manat, uti docet Apoſtolus Epheſ. 1. Voluit enim Deus Chriſtum, conſtituere quaſi fontem communem gratiæ, ex quo omnis gratia ad fideles defluereț, ut Chriſto debeamus omnem gratiam & ſalutem acceptam ferre, illique juges & immenſas agere gratias. Propter Chriſtum enim ſibi gratiſſimum, & dilectiſſimum, quaſi mediatorem, Deus nos ſibi reconciliavit, ſuaque gratia & amicitia donavit, juxta illud Matth. 3. 17. & c. 17. 5. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; ut nemo niſi per ipſum mihi placere poſſit. Ita Vatabl. Franc. Luc. & alii. Hinc patet nos a Chriſto accipere gratiam eamdem, quam ipſe in ſe habet: eamdem, inquam, ſpecie, non tamen numero (licet id quidam opinati ſint:) hoc enim eſt indecens, & impoſſibile juxta legem ordinariam.

Poſſet Tertio, τὸ ἀντὶ notare quamdam æqualitatem: ſic enim dicitur ἀντίθεος, id eſt Deo æqualis, qui Deo ſe æquat, Deumque ſe facit, ut fecit Lucifer, & faciet Antichriſtus: ἀντίδοσις eſt æqua remuneratio & compenſatio mortuorum: ἀντίθετα ſunt ex æquo compoſita & ſibi oppoſita ἀντίτυπος eſt reſpondens ex adverſo, compar & ejuſdem formæ: ἀντίτεχνος eſt æmulus, qui cum æquali
B de arte certat: antipodes ſunt, qui ex adverſo æquis veſtigiis inſiſtunt. Sic ſenſus eſſet, q.d. Per Chriſtum accepimus gratiam gratiæ Chriſti quaſi æqualem, quia per illam elevati ſumus, factique ordinis divini, ſcilicet filii Dei, & divinæ conſortes naturæ, 2. Petr. 1, 4. Sic Apoſtoli erant quaſi æquales & ſuppares Chriſto: unde ipſe eos *fratres* appellat: ſicut Pontifex Cardinales vocat fratres, itaque eos quodam modo ſibi æquat. Fidelis ergo, præſertim ſacerdos, Religioſus, Apoſtolus, cogitet ſe inſtar Chriſti vivere debere, ut cæleſtem Chriſti vitam agat, ut quisquis eum viderit, vel audierit, Chriſtum ſe in viva ſui imagine vidiſſe & audiſſe autumet.

Sub *gratia* hic veritatem comprehende. Dixit enim Chriſtum plenum gratiæ & veritatis & de utriuſque plenitudine nos omnes accepiſſe, per Chriſtum enim accepimus veritatem, id eſt Dei cognitionem, fidem, prudentiam, ſapientiam, intellectum ſalutis & rerum divinarum; item peccatorum remiſſionem, cum Deo reconciliationem, juſtitiam, adoptionem in filios Dei, charitatem, humilitatem, manſuetudinem, cæteraſque virtutes, & dona: quæ omnia hic nomine gratiæ intelliguntur.

C VERS. 16. Chriſtus Moſi opponitur, & anteponitur.

QUIA LEX PER MOYSEM DATA EST, GRATIA ET VERITAS PER JESUM FACTA EST] Dat cauſam, cur per Chriſtum acceperimus gratiam pro gratia: quia ſcilicet Moſes, qui apud Judæos erat ſummus Propheta & legislator, legem tantam dare potuit, quæ doceret & juberet mandata Dei, ſed gratiam ad illa implenda conferre nequivit. Chriſto ergo opus fuit, qui gratiam ad legem implendam præſtaret. Unde Arabic. vertit, *gratia & veritas neceſſariæ fuerunt per Jeſum Chriſtum*. Opponit ergo & anteponit Chriſtum Moſi, ac gratiam & veritatem legi Primo quod Moſes directe in lege doceret dumtaxat, quid Deus vellet a Judæis fieri: puta præcepta decalogi, cum promiſſione bonorum temporalium, ſcilicet copiæ frumenti, vini, & olei, ſi illa ſervarent, at vero viam ſalutis, pœnitentiæ, remiſſionis peccatorum, juſtificationis & ſanctitatis, qua pervenitur ad vitam æternam; non doceret, multo minus eam conferret. Chriſtus autem illam docuit, & reipſa contulit per gratiam & veritatem, quam e cælis attulit. Hoc eſt, quod cecinit Zacharias Luc. 1. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum*. Ita S. Chryſ. *Per Chriſtum*, inquit, *facta eſt gratia, quia cum poteſtate remittebat peccata, regenerabat*; &c. *Veritas, quia figuras adimplevit*.

D Secundo, in lege triplicia erant præcepta, moralia ſive decalogi, judicialia & ceremonialia: duobus prioribus opponit gratiam, ſine qua illa impleri non poterant, ideoque hominem ea tranſgredientem faciebant reum mortis præſentis, & æternæ: gratia vero facit, ut fidelis eadem implens ex amore Dei, mereatur vitam æternam: tertiis vero, puta cæremonialibus, opponit veritatem, quia cæremonialia erant typi & umbræ Chriſti, ejuſque Sacramentorum, quas umbras implevit Chriſtus, itaque veritatem attulit. Unde S. Aug. hic: *Quomodo*, ait, *exhibita eſt veritas? quia factum eſt, quod promiſſum eſt*. Idem l. 17. contra Fauſtum, c. 6. *Ipſa lex*, ait, *cum impleta eſt* (per Chriſtum) *gratia & veritas facta eſt: gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem*: ſic & Athan. ſerm. 2. contra Arrian.

Tertio, quia Moſes obſcuram & modicam dedit Dei & SS. Trinitatis cognitionem, claram vero & eximiam Chriſtus. Unde Beda hæc omnia complectens, *Chriſtus*, E ait, *homo factus enarravit quid de veritate Trinitatis ſentiendum, qualiter ad ejus contemplationem properandum, quibus actibus perveniendum ſit*: enarrabit etiam, cum electos ad claritatem ſuæ viſionis inducet.

Dicit ergo hoc Joannes, ut Judæos a Moſe, cui nimis inhærebant, traducat ad Chriſtum, ſcilicet a lege ad Evangelium, ejuſque gratiam.

Symbolice & anagogice, S. Aug. l. 13. de Trinit. cap. 19. per *gratiam* accipit ipſum Verbum in tempore incarnatum, per *veritatem* vero viſionem Dei æternam, ad quam ipſum nos ducit. Audi ipſum: *In rebus enim per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quod homo in unitate perſonæ conjunctus eſt Deo, in rebus vero æternis, ſummæ veritas recte tribuitur Dei Verbo. Quod vero ipſe idem eſt unigenitus a Patre plenus gratia & veritatis, id actum eſt, ut idem ipſe ſit in rebus, pro nobis temporaliter geſtis, cui per eamdem fidem mundamur, ut eum ſtabiliter contemplemur in rebus æternis.*

DEUM NEMO VIDIT UMQUAM: UNIGENITUS FILIUS, QUI EST IN SINU PATRIS, IPSE ENARRAVIT] Dat cauſam, cur non Moſes, vel quis alius, ſed ſolus Chriſtus perfectam de Deo & rebus divinis veritatem nos docuerit, quia ipſe ſolus vidit Deum, q. d. Hæc, quæ hucuſque de Deo, de Verbo, deque ejus divinitate, creatione, vita & luce, &c. dixi, adeo ſublimia ſunt, ut, cum Deum nemo mortalium viderit præter Dei Filium, ac conſequenter nec Moſes; hinc nemo, nec Moſes quidem, ſed ſolus Dei Filius incarnatus hæc perfecte enarrare potuerit. Patet ex præcedent. Ita paſſim Patres, qui ex hoc loco docent Moſen non vidiſſe Dei eſſentiam, ſed corpus quoddam luminoſum dumtaxat, ab angelo aſſumptum, Dei gloriam aliquo modo oculis Moſis repræſentans, uti fuſe oſtendi Exodi 33. 19. & ſeq. Idem docet hic S. Aug. licet contrarium ſentiat epiſt. 112. c. 13. ubi aſſerit Moſen vidiſſe Dei eſſentiam. Audi Bedam: *Nemo corruptibili adhuc & mortali carne circumdatus, incircumſcriptam divinitatis poteſt lucem intueri. Unde manifeſtius dicit Apoſtolus: Quem nullus vidit hominum, ſed nec videre poteſt.* Et S. Greg. in Catena: Quamdiu, ait, hic mortaliter vivitur, videri per quaſdam imagines poteſt Deus, ſed per ipſam naturæ ſpeciem non poteſt.

Tropologice, S. Greg. lib. 18. Moral. c. ult. & penult. Tropol. docet neminem poſſe videre Deum, & divina, niſi prius G huic mundo ejuſque voluptatibus moriatur. Explicans enim illud Job 28. *Abſcondita eſt ab oculis viventium*; cauſam ſubjicit: *Quoniam*, inquit, *quiſquis ſapientiam, quæ Deus eſt, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo poteſt Deum ſimul amplecti & ſeculum. Qui enim Deum videt, eo ipſo moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis, ab hujus vitæ delectationibus tota mente ſeparatur. Unde adhuc ad eumdem quoque Moyſen dicitur: Non enim videbit me homo, & vivet: ac ſi aperte diceretur: Nullus unquam Deum ſpiritualiter videt, & mundo carnaliter vivit.*

UNIGENITUS QUI EST IN SINU PATRIS] Syrus, *in gremio*; S. Cyrillus, *in utero* (hunc enim quoque ſignificat Græcum κόλπος) græce, εἰς κόλπον, id eſt *ad ſinum*, puta ad pectus, & cor Patris. Eſt catachreſis: per *ſinum* enim ſignificatur ſumma Filii cum Patre conjunctio, communicatio, & ſecretorum cognitio, q. d. Filius, qui Patri eſt intimus, conjunctiſſimus, & ὁμοούσιος, ſive conſubſtantialis, ac conſequenter ſapientiæ, conſiliorum & ſecretorum omnium Dei Patris eſt conſcius & particeps, ideoque ea optime & intime novit; hic, inquam, ſolus eadem plane, & plene enarrare potuit, & de facto enarravit. Ita S. Chryſoſtomus, Cyrillus, Auguſtinus, Theophylact. Euthym. & alii. Unde S. Ambroſius ſerm. 18. explicat ſinum hunc, ut ſit intimum naturæ ſecretum, Notat S. Athanaſius libr. 3. de Unica Trinit. ſubſtant. dictum eſſe Unigenitum in ſinu eſſe Patris, ne per hoc, quod caro factus eſt, diviſus eſſe credatur a Patre, cum revera maneat, & etiam ſit apud Patrem, ſicut erat in principio & ſemper.

Sinus quid ſignificat? H

Audi S. Chryſoſtom. qui per *ſinum* ſignificari cenſet, quod Filius non tantum videat, ſed & comprehendat Patrem: *Multi*, ait, *Deum cognoſcimus, non tamen ipſam ſubſtantiam, qualis eſt, niſi ſolus Unigenitus, qui certa notione, viſumque & comprehenſione habet, qualem Filium de Patre habere par eſt. Sicut enim cognoſcit me Pater, inquit, & ego cognoſco Patrem* (Joan. 10. v. 15.) *Quare*

anima-

Digitized by Google

A *animadverte quanta cum exuberantia loquatur Evangelista: Siquidem cum dixisset: Deum nemo vidit unquam, non prosecutus est, Filius qui vidit narravit, sed aliud quiddam amplius quam videre posuit, dicens: Qui in sinu est Patris. Qui enim tantum videt, non certam habet rei visæ cognitionem: qui vero in sinu immoratur, omnia ei perspicua sunt & certa. Ne igitur audiendo: Nemo cognoscit Patrem nisi filius (*Matth. 11. 27.*) diceres quod, licet majorem cæteris de Patre habeat cognitionem, non tamen qualis est novit, ideo in sinu Patris eum esse inquit Evangelista: quo uno verbo multam substantiæ cognationem, propinquitatem, parem Patri cognitionem, potestatem ostendit.*

Alludit ad illud Davidis de Christo Ps. 109. 4. *Ex utero ante luciferum genui te*, id est, ex intellectu meo fœcundo, velut verbum dixi, & velut filium genui te. Unde S. Hieronymus ibidem: *Ex utero*, inquit, id est, *de mea substantia, de mea natura, de meis visceribus, de medullis divinitatis meæ. Totum quidquid est in divinitate, dedit Filio, quem generavit.* Et S. Aug. Ps. 109. *Qui est sinus*, ait, *ipse est uterus, & sinus & uterus pro secreto positus est. Quid est ex utero? Ex secreto, & occulto, de meipso, de substantia mea, hoc est ex utero.* Sic & Theodor. *Ex utero*, ait, id B est, *ex substantia mea: ut enim ex utero homines gignunt, & ea quæ gignuntur eamdem habent naturam, quam genitores: sic ex me genitus es, & genitoris in teipso substantiam ostendis.*

Porro ipse Hier. hunc Ps. 109. versum ita vertit, *quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ*; Aquila, *de vulva diluculo surgentis tibi ros pueritiæ tuæ*; Quinta editio, *de vulva super auroram tibi ros adolescentiæ tuæ*, hoc est, ex divinitate mea genui te Deum, juxta illud Symboli, *Deum de Deo*. Ita S. Hilarius, Ambr. August. Athan. & alii contra Arrianos. *Ros* idem est Hebræis, quod Latinis flos. Ros, ait R. Salomon, designat suavitatem, hilaritatem, dulcedinem, puritatem generationis cælestis, sicut ros nascitur ex aurora cælesti.

Ros Hebræis idem quod flos.

Ipse enarravit] Græce ἐξηγήσατο, id est declaravit, clare exposuit, dilucide explicavit discipulis suis, & per eos in totum mundum propagavit, ait S. Chrys. ἐξηγεῖσθαι enim est res occultas & absconditas explanare & dilucide exponere, uti Christus exposuit nobis arcana Patris de S. Trinitate, de Verbo, de hominum vocatione, gratia, beatitudine, C resurrectione, gloria cælesti, pœnis inferni, &c. *Vox ἐξηγήσατο*, ait S. Chrys. *expressiorem certioremque doctrinam demonstrat.* Et mox: *Enarratio hoc loco doctrinæ evidentiam significat: quare & Verbum, & magni consilii appellatur.* Et nonnullis interjectis: *Quid amplius a Filio didicimus, qui in sinu est Patris? longe ab eo expressiorem & magis perspicuam doctrinam accepimus, videlicet quod Spiritus Deus est, & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare, quod Deum videre est impossibile, quod eum nemo novit nisi Filius, quod Pater est dilectissimi unigeniti; & alia multa.*

Vers. 19 Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Hierosolimis sacerdotes, et Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?] Joannes Baptista sæpius testimonium perhibuit Jesu, quod ipse esset Messias, sive Christus, tam ante ejus baptismum, quam post. Joannes Evangelista ergo hic, omisso testimonio, quod perhibuit Joannes Baptista Jesu, ante ejus baptismum, utpote a cæteris tribus Evangelistis enarratum; hic recenset testimonium ejusdem de Jesu, postquam ipse eum baptizavit: quia illud fuit publicum, D juridicum & celebertimum, utpote, a pontificibus, & magistratibus juridice postulatum, & acceptum per legatos ad Joannem missos. Causa hujus legationis & quæstionis fuit quod pontifices viderent Joannem in deserto vitam agere angelicam, prædicare tanto spiritu, baptizare, movereque homines ad pœnitentiam, quod nemo cæterorum Prophetarum fecerat. Putarunt ergo pontifices sui officii esse, ut ab eo quærerent, quis esset? præsertim quia ex translato a Juda ad Herodem sceptro, & ex completis 70. hebdomadibus Danielis, sciebant jam imminere tempus adventus Messiæ. Quare Joannem suspicabantur esse Messiam. Unde rogant eum: *Tu quis es?*

Cur Judæi hanc legationem ad Joan. Baptistam miserunt?

Aliam causam affert S. Chrys. hic, scilicet id eos rogasse ex odio & invidia Jesu; ut enim Jesum ostenderent non esse Messiam, titulum Messiæ ad Joannem transferre conati sunt. Ægre enim ferebant Joannem sibi præponere Jesum, eumque facere Messiam. Idem S. Chrys. hom. 11. in Matth. censet id eos rogasse ex invidia Joannis, quod scilicet dolerent Joannem vitæ sanctitate, prædicatione & baptismo ita inclarescere, sibique præferri, ac populum a Scribis & sacerdotibus, ad se traducere. Verum esto aliqua nonnullorum invidia hic sese miscuerit; tamen vera & propria est causa, quam dixi: Dei enim consilium erat Joannem ita exaltare, ut pontifices compelleret eum rogare an ipse esset Messias, ut rogatus juridice responderet id quod erat, scilicet se non esse Messiam, sed Jesum esse Messiam, ut hoc Joannis testimonio convicti, cogerentur Jesum pro Messia recipere; &, si non reciperent, essent inexcusabiles. E

Tu quis es?] Videntur pontifices eorumque legati tacite, vel expresse interrogasse Joannem, an ipse esset Christus, dixisseque: Tu quis es, esne Christus? Nam vers. seq. Joannes interrogationi eorum respondens ait: *Non sum ego Christus*. Evangelista tamen solam priorem interrogationem hic refert, utpote præcipuam, & ad suum propositum pertinentem; nimirum ut Baptista ad eamdem respondens se esse vocem clamantis in deserto, ad parandam viam Messiæ, eumque indicandum, testificaretur Jesum esse Messiam, quem illi quærebant. Ita Jansen. Maldonat. Cajetanus & alii. F

Porro sciebant pontifices Joannem esse filium Zachariæ sacerdotis, ideoque sacerdotem; eum ergo rogant: *Tu quis es?* rogant quis es munere, dignitate, officio? q.d. Quod munus geris? quod officium a Deo accepisti? ad quid te misit Deus prædicare & baptizare? Majora enim officia Deus solebat committere sacerdotibus.

Tropologice, quisque se crebro interroget: Tu quis es? obeundo singula Prædicamenta. Primo, *Substantiæ*: Tu quoad substantiam quis es? Audiat conscientiam sibi respondentem: Dei creatoris mei nomen est: *Ego sum qui sum*, sive *qui est*, Exodi 3. Ergo meum, qui sum creatura, nomen est. *Ego sum, qui non sum*, quia ex me nihil sum, sed ex meo nihilo eductus sum a Deo, factusque homo: quare anima & corpus quæ habeo, non mea sunt, sed Dei, qui ea creavit ex sua essendi plenitudine, mihique eadem dedit, vel potius commodavit, ut iis utar ad ejus voluntatem, amorem & cultum: quare par est, ut ea in ipsius obsequio impendam, & exhauriam. Sic Joannes respondet: *Non sum ego Christus*. Et S. Franciscus: Quis tu Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ, patientiæ, virtutis, omnisque boni: ego abyssus ignorantiæ, infirmitatis, peccatorum, omnisque mali & miseriæ. Tu G abyssus entis, ego abyssus nihili. Hinc Christus apparens S. Catharinæ Senensi, dixit: *Beata eris si noris, qui sim ego, quæ tu. Ego sum qui sum, tu es quæ non es.*

Tropol. *Tu quis es?* in substantia.

Secundo, *Quantitatis*. Quis, id est, quantus es tu? Si continuam quantitatem spectes; sum quatuor cubitorum: quisque enim homo in altitudine tantum habet, quantum habet in latitudine, si brachia extendat: brachia autem extensa habent mensuram quatuor cubitorum uniuscujusque, ut patet si quis ea complicet, & complicando jungat. Si discretam quantitatem, id est numerum, spectes; ego inter tot hominum milliones, sum unus, exiguus & pusillus; ergo par est, ut meam parvitatem agnoscam, meque sub Deo & angelis summe deprimam & humiliem: si enim Christus fuit despectus, & novissimus virorum, Isaiæ 53. 3. quantulus sum ego? In quantitate.

Tertio *Qualitatis*. Quis? id est, qualis es tu? corpore sum infirmus, miser, ærumnosus. Anima sum rationalis, similis angelis; sed appetitu sensitivo, & concupiscentia similis sum asinis & bestiis: sequar ergo rationem, ut assimiler angelis; non concupiscentiam, quæ me similem faciat bestiis. In Qualitate.

Quarto, *Relationis*. Quis? id est cujus filius es tu? Sum filius Adæ, primi peccatoris, ideoque peccator natus sum in peccatis, vivo in peccatis, moriar in peccatis, nisi Christi gratia ex iis me eripiat, sanctificet & salvet: illam ergo humiliter & assidue implorabo. H In Relatione.

Roga Salomonem regem sapientissimum, opulentissimum & felicissimum: Quis es tu? respondebit tibi, Sap. 7. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conveniente. Et ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi ploransin involumentis nutritus sum & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nasivitatis initium. Unus ergo introitus est ad vitam. & similis exitus.*

Quinto, *Actionis*. Quis es tu? quid agis, quid exerces tu? Exerceo artem fabrilem, sartoriam, pistoriam, ago In Actione.

Digitized by Google

A prætorem, paſtorem; cauſidicum; &c. Vide ut ea ſic agas, ſicut lex divina exigit, nimirum ut ſobrie, recte & pie vivas in hoc ſæculo exſpectans beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei; ut per temporalia bona ſic tranſeas, ut non amittas, ſed acquiras æterna. Age, ſtude, labora, vive æternitati. Hoc age: hoc enim eſt omnis homo. Hinc S. Bernard. crebro ſibi dicebat: *Bernarde dic, quare hic?* atque hoc ſtimulo, ad omne virtutum ſtudium ſe excitabat.

In Paſſione. Sexto, *Paſſionis*. Quis tu? quid pateris? Patior in corpore famem, ſitim, frigus, fatigationem, æſtum, morbos & tribulationes aſſiduas, adeo ut vix momentum horæ ſit, quin hoc illudve, imo multa ſimul mihi patienda occurrant. In anima longe majora & acerbiora patior, ſcilicet dolores, angores, ſcrupulos, mœrores, iras, indignationes, caligines, pavores, &c. ut videar eſſe ſcopus, in quem omnes ærumnæ ſua tela conſiciant, meque ſuis ſagittis configant. Eſto ergo adamas patientiæ, ut patienter & generoſe omnia ſuſtineas, itaque patientiæ coronam in cælo æternam adipiſcaris.

In loco. Septimo, *Ubi*. Quis es tu? Ubi es tu? ſum in terra,
B ſitus inter cælum & infernum, ut, ſi ſancte vivam, in cælum tranſferar, ſi impie, in infernum, in incendia conjiciar. Vive ergo ſollicite, caute & ſancte, ne infernus, ſed cælum poſt mortem brevi te excipiat.

In tempore. Octavo, *Quando*. Quis es tu? quando natus es tu? quamdiu vixiſti? quando morieris? Heri natus, hodie vivo, cras moriar. *Heſterni quippe ſumus, & ignoramus quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram*, Job 8. 9. Naſcendo morimur: mox enim ut nati ſumus, tendimus, imo veloci paſſu currimus ad mortem. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit*, Pſal. 89. 4. Deſpice ergo temporalia cuncta, quæ inſtar avis prætervolant; ama, & ambi cæleſtia, quæ cum Deo & angelis in omne ævum perdurant, ita æternus eris, in æternum felix, & in perennibus gaudiis æternabis. *Nam ut beati atque æterni ſimus in æternum*, ait S. Greg. l. 18. Moral. in fine, *imitemur æternum. Et magna nobis eſt æternitas, imitatio æternitatis.*

Nono & decimo, *Situs & habitus*. Quis es tu? quem habes ſitum, quem habitum? Nunc ſto, nunc ſedeo, nunc
In Situ & Habitu. jaceo. Habitum, & veſtem gero Chriſtiani, Sacerdotis,
C Epiſcopi, Religioſi. Vide ut tuo habitu & ſtatu condigne vivas: nec enim habitus facit Chriſtianum vel monachum, ſed vitæ puritas, humilitas, charitas, ſanctitas.

VERS. 20 ET CONFESSUS EST (veritatem,) ET NON NEGAVIT (non revocavit; non retractavit:) ET CONFESSUS EST, QUIA (quod) NON SUM EGO CHRISTUS] Hoc eſt, publice, plane, & plene confeſſus eſt ſe non eſſe Chriſtum. Hebræi enim cum quid aſſeverare & valde confirmare volunt, id ipſum aſſertive congeminant, & negative triplicant. Hinc patet, legatos rogaſſe Joannem, an ipſe eſſet Chriſtus? ipſe enim ad hoc reſpondit: *Non ſum ego Chriſtus*. Ita Nonnus: *Sacerdotes convenæ*, inquit, *interrogabant celeri ſermone: Quis es tu; num Chriſtus es?* Ubi Nota inſignem humilitatem S. Joannis, qui nomen Chriſti ſibi oblatum conſtanter refutavit, quia amabat veritatem & Jeſum, cui titulus Chriſti debebatur: *Hoc fidelis ſervi*, ait Chryſ. *officium eſt, non ſolum Domini ſui gloriam non aucupari, ſed & a multitudine tributam propulſare*. Hæc pariter inſignis ejus fuit prudentia, qua maluit *ſolide ſubſiſtere in ſe, quam humana opinione rapi inaniter ſuper ſe*, ait S. Greg. Mundani homines ſolent ſe jactare
D dicereque: Ego ſum nobilis, dives, ſapiens, prætor, Canonicus, Epiſcopus. At Joannes docet nos dicere: *Ego non ſum*, quia ſi quid ſum, a Deo ſum.

VERS. 21 ET INTERROGAVERUNT EUM: QUID ERGO? ELIAS ES TU? ET DIXIT: NON SUM] Negante Joanne ſe eſſe Chriſtum, rogant legati an ſit Elias: hic enim raptus eſt a Deo, ut ſit præcurſor Chriſti, quem ipſi ſub hoc tempus expectabant, juxta illud Malach. 4. 5. *Ecce ego vobis mitto Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*; ſcil. ante diem judicii, cum Chriſtus redibit, ut ſit judex omnium: ſed Scribæ id non intellexerunt: putabant enim unum tantum fore adventum Chriſti, ſcilicet glorioſum, quem præcedet Elias; ut etiamnum putant Judæi, qui proinde Chriſtum necdum veniſſe credunt, ſed venturum cum Elia exſpectant; cum tamen ex eodem Malach. c. 3. v. 1. cognoſcere debuiſſent, alium fore præcurſorem primi adventus Chriſti in carnem, ſcilicet Joannem Baptiſtam: *Ecce ego*, inquit Dominus, *mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*

PROPHETA ES TU? ET RESPONDIT: NON] Græce, E
πάμφλω, id eſt *ille propheta* per excellentiam. q.d. Eſne tu novus & magnus Propheta, cæteros omnes ſuperans, qualem unum cum Meſſia venturum opinamur, ut ſit ejus præco? Ita S. Chryſ. Cyril. Theoph. Euthym. ſed errant: Chriſtus enim non erat Propheta, uti Moſes, quia elinguis, erat Aarone, Exod. 7. v. 1. & 2. ſed ipſe Chriſtus ſibi fuit Propheta, præco, ſacerdos, legislator, princeps. Porro Joannes non fuit Propheta hoc ſenſu, quia non prædixit futura, ſed Chriſtum præſentem indicavit, & digito demonſtravit: fuit ergo ipſe plus quam propheta, ut ait Chriſtus Matth. 11.

DIXERUNT ERGO EI: QUIS ES? UT RESPONSUM DEMUS HIS, QUI MISERUNT NOS. QUID DICIS DE TE IPSO?] quem te eſſe dicis? VERS. 22

AIT: EGO VOX CLAMANTIS IN DESERTO: DIRIGITE VIAM DOMINI, SICUT DIXIT ISAIAS PROPHETA.] c. 40. 3. ubi hunc locum explicui. Audi Patres illum interpretantes: *Servus ſum*, inquit, *& vias præparo Domino corda veſtra*, ait Theoph. *Venio, inquit, dicturus, in januis ipſum jam eſſe, qui expectatur, ut parati ſitis proficiſci, quocumque jubebit*, ait Cyril. Denique B. Auguſt. *Non vobis videtur præconis eſſe dicere: Exite, facite viam?* F VERS. 23

ET QUI MISSI FUERANT, ERANT EX PHARISÆIS] VERS. 24
Addit hoc Joannes, ut occaſionem ſuggerat, cur ipſi Joannem Baptiſtam de baptiſmo examinarent. q.d. Legati hi ad Joannem miſſi erant Phariſæi, ideoque in Scriptura verſati æque ac verſuti, vafri, & captioſi. Sciebant ergo Meſſiam quidem baptizaturum in remiſſionem peccatorum, quia id prædixit Ezech. c. 36. 25. & Zach. 13. 1. de aliis vero Prophetis & Sanctis, quod baptizaturi eſſent, non legerant in Scriptura: rogant ergo Joannem, ut dicat qua auctoritate ſibi baptiſmum aſſumat, præſertim cum ſe non tantum Chriſtum, ſed & Prophetam eſſe negaret. Videntur ergo hi Phariſæi non juſſu pontificum, ſed ex ſe examinaſſe Joannem de baptiſmo, quaſi illi ſuboffenſi, & gloriæ ejus invidentes, quaſi ipſe ſibi per baptiſmum plus æquo tribueret.

ET INTERROGAVERUNT EUM, ET DIXERUNT EI: VERS. 25 V
QUID ERGO BAPTIZAS, SI TU NON ES CHRISTUS, NEQUE ELIAS, NEQUE PROPHETA?] Phariſæi hi ex arrogantia, ait S. Cyrillus, inſultant Joanni. q.d. Nec Elias, G
nec Eliſæus, nec alii Prophetæ auſi ſunt ſibi arrogare munus baptizandi: qua fronte ergo, qua audacia, tu, qui nos es Propheta, illud uſurpas, tibique arrogas? Ita & S. Auguſtin. Cauſam dat S. Cyrillus dicens: *Conſueverant enim ſemper ex protervia Phariſæi præſentes contemnere, & venturum ſimulato afficere honore, & ut ipſi magni apud Judæos eſſent, & divitias ingentes ſibi accumularent, neminem præter ſe pati honorari.*

RESPONDIT EIS JOANNES, DICENS: EGO BAPTIZO IN AQUA: MEDIUS AUTEM VESTRUM STETIT, QUEM VOS NESCITIS] q.d. Deus miſit me baptizare aqua, ut vos excitem ad pœnitentiam & lacrymas, quibus vos diſponam ad baptiſmum Chriſti: ipſe enim vos baptizabit Spiritu ſancto, in remiſſionem peccatorum, uti exprimunt tres cæteri Evangeliſtæ, ideoque Joannes idipſum hic ſubticet & omittit. VERS. 26

MEDIUM VESTRUM STETIT] q.d. Chriſtus in medio veſtrum verſatur, & tamen *vos* eum *neſcitis*, id eſt, non agnoſcitis pro Meſſia, ſed Jeſum, id eſt merum hominem eſſe, eumque pauperem, vilem & abjectum exiſtimatis. *Vide manſuetudinem & veritatem ſancti*, inquit Theoph. *manſuetudinem quidem, eo quod nihil aſperum adeos loquitur, quamvis inſolentes eſſent, veritatem autem quia liberrimus teſtis erat gloriæ Chriſti, neque Domini gloriam occultabat, ut ſibi nobilitatem pareret.* H

IPSE EST, QUI POST ME VENTURUS (prædicaturus, & baptizaturus) EST, QUI ANTE ME FACTUS EST] id eſt mihi prælatus & præpoſitus eſt, ut dixi v. 15. q.d. Veniet poſt me Chriſtus; vos baptizans, ut ſuo baptiſmo meum perficiat; & pœnitentes abluat & juſtificet, q.d. ait Cyrillus: *Ego præparando lavo aqua inquinatos peccatis, ad initium pœnitentiæ, & hoc pacto ab his minoribus ad ſublimiora vos præparo: Majorum autem rerum & ſummæ perfectionis largitor poſt me venturus eſt*, quaſi dicat, Meus baptiſmus eſt tantum diſpoſitio, & præparatio ad baptiſmum Chriſti; ait S. Chryſoſt. meus aqueus eſt & corporeus, Chriſti vero igneus & ſpiritalis. VERS. 27

CUJUS EGO NON SUM DIGNUS, UT SOLVAM EJUS CORRIGIAM CALCEAMENTI] quaſi dicat: *Ego inter poſtremos etiam Chriſti ſervos annumerari non mereor, propter magnitudinem conſideratæ in eo divinitatis*, ait Euthym.

Salve-

Digitized by Google

A *Solvere enim calceamenta vilissimi servi officium est*, ait S. Chrysost. Vide dicta Matth. c. 3. v. 11.

VERS. 28 HÆC IN BETHANIA FACTA SUNT TRANS JORDANEM, UBI ERAT JOANNES BAPTIZANS] *Bethania*. Ita habent Biblia Romana, Syra, Arabica & multa Græca, etiam Vaticana, Beda, Alcuinus, Glossa, Lyranus. Verum Origenes, S. Chrysostom. Theoph. Euthym. S. Epiphan. & S. Hier. in Locis Hebr. pro *Bethania* legunt *Bethabara*, ubi Gedeon cæcidit Madianitas. Verum respondeo cum Toleto; unum eumdemque esse locum *Bethania* & *Bethabara*, aut certe unum alteri fuisse vicinum, vel in altera Jordanis ripa oppositum. Fuit hic locus ille, in quo Hebræi venientes ex Ægypto, primum duce Josue transierunt Jordanem, ut ingrederentur in terram Chanaan sibi a Deo promissam: *Bethabara* enim hebr. idem est, quod *domus transitus*; *Bethania* idem est quod *domus navis*: *domus*, id est locus: Erant enim hoc loco paratæ naves, quibus viatores trajicerent Jordanem. *Bethania* ergo hic derivatur a *Beth*, id est domus, & אני *oni* per נ id est navis. Alia igitur fuit hæc Bethania a Bethania Marthæ & Lazari. Hæc enim hebr. scribitur per *he* ביתהני *Bethoni*, & significat *domum humilitatis*.

Bethaniæ & Bethabaræ etymon.

B Igitur Joannes hunc locum elegit ad baptismum, tum ob aquarum copiam, tum quia vicinus erat deserto, in quo ipse degebat; tum ob memoriam prisci trajectus Israelis ibidem facti: tum quia ibi ob trajectum magnus erat hominum concursus. *Unde & usque hodie*, ait S. Hier. in Locis Hebr. *plurimi e fratribus, hoc est de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur*: in memoriam Christi, qui ibidem a Joanne baptizatus est. Distat hic locus Jordanis a mari Mortuo, sive a lacu Asphaltite, quatuor leucis sive horis.

Nota. Christus a Joanne baptizatus die sexta Januarii; inde a baptismi 55. die, ait S. Epiphan. hær. 51. puta prima die Martii, Joannes hoc testimonium perhibuit Jesu absenti, quod ipse esset Messias, sive Christus. Mox sequenti die, scilicet die 2. Martii, Jesus præsentem se stitit Joanni, tuncque Joannes iterum ei testimonium perhibuit, dicens: *Ecce Agnus Dei*. Unde sequitur.

VERS. 29 ALTERA DIE VIDIT JOANNES JESUM VENIENTEM AD SE, ET AIT: ECCE AGNUS DEI, ECCE QUI TOLLIT PECCATUM MUNDI] Nota, Jesus a Joanne baptizatus ivit in desertum, ibique jejunavit 40. diebus, mox tentatus a

C diabolo, ut patet Matth. 3. e monte ubi eum diabolus tentans, sed victus reliquerat, descendit, rediitque ad Joannem, ut eum, a quo paulo ante hos dies fuerat baptizatus, visitaret & audiret; sed maxime, ut Joannes testimonium, quod sibi absenti coram legatis Judæorum dederat, præsenti iteraret confirmaretque, ac coram Judæis omnibus testaretur ipsum esse Christum, eumque digito demonstraret, ut nullus tergiversationi esset locus.

ECCE AGNUS DEI] Nonnus paraphrastice vertit, *& cum erexisset digitum, commonstrabat testi populo prope venientem. Illud verbum, Ecce, ponitur*, ait Chrys. *eo quod multi jam ipsum inquirebant, ideo præsentem ostendit, dicens: Ecce hic est, de quo jam sermo habitus est. Brevi admodũ tempore*, ait Cyrill. *Propheta simul & Apostolus Baptista effectus est: quẽ enim venturũ prædicabat, hunc jam monstrat præsentem.*

AGNUS] Græce ὁ ἀμνὸς, scilicet *ille agnus* singularis, & divinitus a Mose & Isaia prædictus & præfiguratus, ait S. Chrys. & Theoph. Alludit ad Isaiæ c. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*. Et ad Jer. c. 11. v. 19. *Et ego quasi agnus qui portatur ad victimam*. Vide ibi dicta, ubi & addidi nomen Jesus græce Ἰησοῦς, per anagramma litteris transpositis idem esse σὺ εἶ οἱ, id est, *tu es ovis*.

D Nominis Ἰησοῦς pulchrum anagramma. Christus est agnus.

Christus a Joanne baptizatus, & ab ejus assecla Joanne Evangelista in Apoc. crebro vocatur *agnus*; Primo, quia ipse præsignatus erat agno paschali, & jugi sacrificio, quo quotidie agnus mane & vesperi Deo in templo immolabatur, aliisque agnis, qui ex lege pro peccato sacrificabantur, nec tamen peccatum abolere poterant, unde repræsentabant Christum, qui illud suo sanguine aboliturus erat. Ita Origenes, S. Cyrillus, Euthym.

Primo.

Secundo. Secundo, quia Christus ab Isaia & Jeremia vocatus est agnus, pro mundi redemptione offerendus. Ita S. Chrys. Cyrillus, Theoph. Euthym.

Tertio. Tertio, dicitur agnus ob summam & agninam innocentiam, mansuetudinem, patientiam, obedientiam usque ad mortem; quam silens instar agni sustinuit. Ita S. Aug. Unde S. Petrus ep. 1. c. 2. 22. *Qui*, inquit, *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non* E *maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*. Hinc & S. Joannes in Apocal. delectatur voce agni, & cum Christo quasi agno dissuaviatur, ab eoque agninam simplicitatem, puritatem, & mansuetudinem imbibit, ut nos idem facere verbo & exemplo doceat.

Jam vero Christus dicitur *agnus Dei*, id est, non ovium, sed Dei Filius, quia a Deo, id est, jussu & voluntate Dei, pro hominum redemptione est immolatus: sicut vocatur sacrificium Abrahæ, quod Abraham obtulit, ait Theoph. Euthym. & Maldon. Aut quia ipsimet Deo est oblatus & immolatus. Aut *Dei*, id est divinus propter divinitatem, quæ in ipso erat. Aut, ut Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 5. & ex eo Toletus in c. 1. S. Joannis, quia pro nobis factus est puer & infans Patris; pueros enim agnos vocamus. Verba Clementis sunt: *Quoniam Scriptura pueros, & infantes agnos vocat, Deum, qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit Agnum Dei, Filium Dei, infantem Patris*, q. d. Christus est Agnus Dei, id est, Filius Dei; agnus enim filium notat.

Porro Christus quoad fortitudinem, victoriam, re- F gnum & triumphum, est leo de tribu Juda; quoad lenitatem & candorem, est agnus, ac per illa factus est leo: fuit enim ipse agnus in passione, leo in resurrectione.

QUI TOLLIT PECCATUM] tum quoad maculam, quam peccatum post actum, animæ imprimit; tum quoad reatum pœnæ & gehennæ, cui peccatorem facit obnoxium, & reum: *tollit* inquam, ejus expiationem & pœnam in se susciendo, itaque morte sua in cruce, pro peccato ex justitia, & æquitate satisfaciendo. Dicit hoc Joannes, ne quis putet Christum accessisse ad baptismum suum, ut eo peccata sua ablueret, uti faciebant cæteri, eo quod ipse nullum haberet peccatum, esseteque innocentissimus, & sanctissimus, ideoque a Deo factus esset victima pro peccatis totius mundi, ut omnia expiaret, omnesque in se credentes & pœnitentes sanctificaret. *Qui non assumpsit de massa nostrum peccatum*, ait S. August. *ipse est, qui tollit nostrum peccatum*.

PECCATUM] Ita legunt Græca, Romana, Syra, licet nonnulla legant cum Arab. *peccata* in plurali; sed eodem redit sensus. Per *peccatum* intelligit primum & universale peccatum Adæ, puta originale, quod ipse per generationem in posteros omnes transfundit, & ex quo cætera G omnia actualia, tam venialia, quam mortalia oriuntur. Christus ergo tollit *peccatum*, id est, omnem peccatorum colluviem, & scaturiginem. Ita Theoph. Beda, D. Thomas, Glossa, Jansen. & alii, juxta illud Isaiæ 53. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, &c. *& iniquitates eorum ipse portabit*. Et illud: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostrit autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. 1. Jo. 2. 2. *Unus per omnibus occiditur*, ait Cyr. *ut omne genus hominum Deo Patri lucrifaciat*. Est enim in Christo perennis vis peccata expiandi, per omnia sæcula, per omnes gentes, per omnes homines, qui ejus fidem, baptismum & pœnitentiam suscipere volunt.

HIC EST, DE QUO DIXI V. 15. & 27. POST ME VE- VERS. 30
NIT VIR, QUI ANTE ME FACTUS (mihi præpositus) EST: QUIA PRIOR ME ERAT] utpote æternus verusque Deus. *Baptista*, ait Cyrillus, *ultro & sponte gloriæ Christi cedit, nec ex charitate magis, quam ex veritate, adeoque necessitate, id facit*,

ET EGO NESCIEBAM EUM, SED UT MANIFESTETUR IN VERS. 31
ISRAEL, PROPTEREA VENI EGO IN AQUA BAPTIZANS,] H
q. d. Ne putetis, o Scribæ & Judæi, me Jesum asserere esse Messiam, familiaritatis, cognationis, aut gratiæ causa, quasi illi familiaris amicus sim vel fuerim: asservero enim vobis, quod ego *nesciebam eum*, quia numquam eum antea vidi, nec ante baptismum allocutus sum; sed ut eum vidi, ex Dei afflatu & inspiratione ipsum agnovi, ut dixi Matt. 3. 14. *Quid mirum*, ait S. Chrysost. *si Christum nesciebat, qui in deserto, extra paternam domum, a puero versatus erat?*

SED UT MANIFESTETUR IN ISRAEL.] Judæis, quibus per Phophetas promissus est Messias, *ut omnes adducantur ad fidem in illum*, ait Theoph. Unde Nonnus paraphrastice vertit, *sed ut ipse habens incognitam faciem, manifestaretur omnibus Israelis* (Jacobi Patriarchæ) *filiis, rectore carentibus, ego veni præcursor via non prædicata, baptizans indoctum, ignarum, erroneum populum*.

ET TESTIMONIUM PERHIBUIT JOANNES, DICENS: VERS. 32
QUIA VIDI SPIRITUM DESCENDENTEM QUASI COLUM-

Digitized by Google

A BAM DE CÆLO, ET MANSIT SUPER EUM] puta in Christi baptismo. Vide dicta Matt. 3. 16. Nonnus vertit, *testimonium dixit, quod vidisset descendentem ex æthereis finibus Spiritum Dei, alarum prudenti plausu & vibratione delatam, ad expressam imitationem columbæ, donec super ipsum venit, & ibi manebat.*

VERS. 33 ET EGO NESCIEBAM EUM; SED QUI MISIT ME BAPTIZARE IN AQUA, ILLE MIHI DIXIT, SUPER QUEM VIDERIS SPIRITUM DESCENDENTEM, ET MANENTEM SUPER EUM, HIC EST, QUI BAPTIZAT IN SPIRITU SANCTO] *In aqua;* Nonnus, *baptizare non ignitis & spiritu carentibus lavacris.* Identidem Baptista ingeminat, se non ex visu & alloquio, sed ex Dei revelatione nosse Jesum esse Christum, ut nemo ejus testimonio refragari audeat. Ita S. Cyrillus.

Nota τὸ *manentem.* Hinc enim liquet proprium fuisse Christi, habere omnes gratias Spiritus sancti, ac prophetiam per modum habitus: at in aliis manere solum ea dona, quæ ad vitæ sanctitatem necessaria sunt; juxta illud Joan. 14. *Apud vos manebit.* Ita S. Hier. in Jerem. c. 28. & Ezech. 35. S. Greg. hom. 1. in Ezech. & alii. Vide Suarez tract. de Fide, disp. 8. sect. 6. n. 6.

B ET EGO VIDI (Spiritum sanctum in Jesum, cum a me
VERS. 34 baptizaretur, descendentem & manentem) ET TESTIMONIUM PERHIBUI, QUIA HIC EST FILIUS DEI] Græce, ὁ υἱὸς, id est, *ille filius;* scilicet naturalis, divinus & ὁμοούσιος Patri, ideoque *omnium Patris bonorum hæres,* ait Cyr. *ad quem nos per adoptionem conformamur, ad hujusmodi dignitatem per gratiam invitati.*

VERS. 35 ALTERA DIE (postridie) ITERUM STABAT JOANNES, ET EX DISCIPULIS EJUS DUO] Dicit Evangelista Joannem Baptistam tribus diebus continuis, ter testimonium perhibuisse Jesu, quod ipse esset Christus, ut illud plane firmaret & solidaret. Primum enim dedit authenticum, & juridicum rogatus a legatis Judæorum, die prima Martii v. 19. secundum dedit postero die venienti & præsenti jam Jesu, die 2. Martii v. 29. tertium dat hic die 3. Martii, coram discipulis suis, ut eos ad Jesum traducat. Vide Chronotaxim n. 10. & 11.

VERS. 36 ET RESPICIENS JESUM AMBULANTEM DICIT: ECCE AGNUS DEI] q. d. Ecce Christus instar agni immaculati, destinatus in victimam, ut Deo in cruce immoletur, pro peccatis totius mundi. Sicut enim agnus paschalis assabatur distentus in veru, sic Christus distentus in cruce assus fuit, tum dolore clavorum, tum potius amore electorum. Dicit hoc Baptista, q. d. discipulis suis: Quid me sequimini? illum sequamini, qui est agnus Dei, pretium mundi, ait Interlin. Sic & S. August. Chrysost. & alii. Ubi Nota prudentiam & modestiam Joannis, qui discipulos non cogit, nec impellit ad sequendum Christum, sed duntaxat illis eum indicat, ut illi tantum bonum agnitum sponte sua ardentius sequantur, & constantius retineant; sicut qui gemmam, quæ vili pretio venditur, quanti sit pretii, mercatoribus indicat, facit ut ultro eam ambiant, & coemant. Unde S. Chrysostomus: *Nullo,* ait, *hortatu (suspiciosum enim fuisset) sed solo auditu secuti sunt.*

C

VERS. 37 ET AUDIERUNT EUM DUO DISCIPULI LOQUENTEM, ET SECUTI SUNT JESUM] Objicit Chrys. *Atqui & alii erant Joannis discipuli. Sed illi non modo non secuti sunt, sed æmulabantur* honorem Joannis sui magistri, eumque præferebant Christo, ut patet c. 3. 26. Et Euthym. *Inter multos auditores,* ait, *hi soli adesse dicuntur, auribus videlicet animæ, cum alii utique audissent auribus corporis.*

D DUO] Quorum unus erat Andreas, ut patet v. 40. alter ignoratur. Porro S. Chrysost. Quare, ait, alterius nomen non ponitur? quia est ipse, qui scribit (Joannes,) aut quia ille non erat insignis. Prius est verisimilius, ait Franc. Lucas: & favet quod Joannes & Jacobus fuerint in piscatione socii Petri & Andreæ, Matth. 4. ubi paulo post Andream & Petrum, vocat Christus ad se Joannem, & Jacobum. Item quod Joannes in Apocalypsi gaudeat Christum vocare agnum, quasi qui hoc nomen audierit, & imbiberit a magistro suo Joanne Baptista. Denique tanta puritas, virginitas & sanctitas S. Joannis Evangelistæ videtur manasse a puritate & sanctitate Joannis Baptistæ. Accedit S. Epiphanius hæresi 51. qui asserit alterum horum duorum fuisse Joannem, vel fratrem ejus Jacobum, id est alterutrum filiorum Zebedæi. Joannem fuisse, opinantur quoque Theoph. Euthym. & S. Cyrillus in Catena. Alcuinus vero in Catena S. Thomæ: Alter, inquit, erat Philippus. Verum Philippus vocatus fuit a Christo, v. 43. in Galilæa.

SECUTI SUNT JESUM] ut eum plenius nossent, ait E
Euthymius, & cum eo familiaritatem contraherent, ac, si commodum experirentur, illum plane sequerentur, futuri ejus perpetui discipuli; nam hic eos se totos Christo necdum addixisse, sed tantum probare voluisse, patet ex sequent.

Allegor. Beda: Sequentes Jesum, ait, reliquerunt Joannem; sequentes Evangelium, legem amiserunt: sic tamen secuti sunt Evangelium, ut testimonio uterentur e lege.

CONVERSUS AUTEM JESUS, ET VIDENS EOS SEQUEN- VERS. 38
TES SE, DICIT EIS: QUID QUÆRITIS? QUI DIXERUNT EI: RABBI (QUOD DICITUR INTERPRETATUM MAGISTER) UBI HABITAS?] *Quid quæritis?* Vox est non ignorantis, sed invitantis, & eorum verecundiam sublevantis. Audi Cyrillum. *Interrogat quid quærerent, non quia ignoraret, qui universa noverat ut Deus, sed ut colloquendi principium interrogatio fieret.* Sic S. Chrysost. *Qui humanorum cordium scrutator est,* ait, *is interrogat, non ut sciat (scit enim) sed ut rogando eos sibi conciliet, ut familiares reddat atque audentiores, seque suo eos dignari colloquio ostendat. Credibile enim erat eos subvereri & formidare, cum se rudes intelligerent, & tantum de illo magistro accepissent testimonium.* F

RABBI] Syrus, *Rabboni,* id est, *magister noster,* Arab. *Rabban,* id est, *magister.* Hac voce discipuli Christum honorant, ejusque gratiam sibi conciliant, & se ejus velle fieri discipulos insinuant. Ita Beda: *Ipsa interrogatio,* inquit, *indicium est fidei: quando enim dicunt, Rabbi, quod intelligitur magister: & sequuntur eum, utique magistrum sequuntur & dicunt. Magistrum appellaverunt,* ait Cyrill. *a quo discere cupiebant.* Et Chrys. *Nec ex eo solum, quod sequerentur, sed etiam ex interrogatione eorum ostendit desiderium. Siquidem cum nihil adhuc magnum neque vidissent, neque audissent ab eo, magistrum appellant, se discipulis annumerant, & cur sequantur ostendunt: ut videlicet aliquid utile decerperent.*

QUOD DICITUR INTERPRETATUM, MAGISTER] Hæc verba sunt non discipulorum, sed Joannis, eorum vocem Hebraicam, *Rabbi,* Græcis & Latinis, qui hebraice ignorant, interpretantis.

UBI HABITAS?] Græce πῦ μένεις, i. e. *ubi manes,* ubi moraris? hospitium enim Christus in terris habuit, non propriam habitationem & domum, juxta illud Matth. 8. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Rogant hoc discipuli, ut domi cum Christo secreto colloqui, & ab illo de rebus divinis, & iis quæ ad vitam perfectiorem pertinent, instrui possint, ac significant se velle fieri ejus familiares & domesticos. Ita S. Chrysost. Theoph. Euthym. G

DICIT EIS: VENITE, ET VIDETE. VENERUNT, ET VERS. 39
VIDERUNT UBI MANERET, ET APUD EUM MANSERUNT DIE ILLO: HORA AUTEM ERAT QUASI DECIMA] ab ortu solis est quarta post meridiem, & secunda ante occasum solis, quæ apud Italos est hora vigesima secunda. Erat enim dies tertia Martii, uti dixi v. 28. & 35. cum non longe abest æquinoctium, quo dies & noctes sunt æquales, dieque est duodecim horarum, & totidem nox. Addit hoc Joannes, ut ostendat & Christi zelum, qui imminente nocte, noluit eos rejicere in sequentem diem, sed statim cum eis negotia salutis peragere: æque ac discipulorum erga Christum ardorem, qui de nocturno hospitio non solliciti, maluerunt apud Christum audiendo pernoctare, quam domi in lecto decumbere. Ita Euthymius. Nam eos mansisse apud Christum, non duabus tantum, H
quæ supererant, diei horis, ut nonnulli putant, sed per integrum diem naturalem, qui noctem comprehendit, ideoque per noctem totam; patet ex eo quod duabus, quæ supererant diei & lucis horis, nec satis cum Christo suo tractare, nec Christum pernosse, nec ad Joannem ante noctem redire potuissent. *Non enim convenit,* ait Cyrillus, *ut cito satiati a divina doctrina recedamus.*

Porro quæ & quanta audierint a Christo, quantos pietatis affectus hauserint, quos charitatis ignes a Christo afflatos senserint, soli illi norunt, qui experti sunt. Unde exclamat S. August. *Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem! Quis est, qui nobis dicat, quæ audierint illi a Domino?* Certe id ex affectu æstimare licet. Nam Andreas ita amore Christi fuit accensus, ut fratrem suum Petrum mox Christo lucrari, ejusque amore accendere satagerit: ut patet ex vers. seq.

ERAT AUTEM ANDREAS FRATER SIMONIS PETRI, VERS. 40
UNUS EX DUOBUS, QUI AUDIERANT A JOANNE (dicente de

A te de Jesu, *Ecce Agnus Dei* (ET SECUTI FUERANT EUM] scilicet Jesum. Ingerit hoc Joannes, ut ostendat qua ratione ad Christum adductus sit Petrus, qui fuit princeps Apostolorum, & caput totius Ecclesiæ, nimirum quod Andreas lætus de invento, & audito Christo ad eum fratrem suum Petrum, quem unice diligebat, adduxerit, ut tanti boni eum faceret consortem. Signum ergo, & effectus vocationis divinæ est zelus hic, quo qui ejusdem, alios, præsertim intimos suos, participes facere, & ad Deum traducere studet, & ardet. Sicut enim ignis parit ignem, sic zelus zelum. Porro videtur Petrus, æque ac Andreas, fuisse Joannis Baptistæ discipulus; vel certe studiosus auditor: uter fuerit senior ignoratur. Andreæ ergo decus & laus est, conversio Petri.

VERS. 41 · INVENIT (quem studiose quærebat. Syrus, *vidit*, postridie scilicet illius diei, quo cum Christo manserat, & pernoctarat v. 39.) HIC PRIMUM (ante alios amicos, & notos) FRATREM SUUM SIMONEM, ET DICIT EI: INVENIMUS MESSIAM, QUOD EST INTERPRETATUM CHRISTUS] q.d. Messiæ nomen Hebræum, si græce interpreteris, idem est, quod Christus, id est latine unctus, scilicet unctione non corporali, sed spirituali gratia, tum

B unionis hypostaticæ, tum habitualis eximiæ, per quam a Deo creatus & quasi consecratus est primo, sacerdos; secundo; doctor; & tertio, propheta; quarto, rex; quinto, legislator; sexto redemptor orbis est. Græce ὁ μεσίας, id est, illum Christum, illum unctum; quem scilicet velut eximium, unicum & singularem Prophetam a Prophetis promissum, quasi restauratorem Israelis omnes avidissime exspectant. Ita Euthym.

INVENIMUS (scilicet ego cum socio meo) MESSIAM] quem ego & tu cupidissime exspectamus, vestigamus, & scrutamur. Viderur ergo Andreas, æque ac Petrus, partim ex oraculis Propherarum, partim ex Joannis de Christo jam nato testimonio, Christi videndi desiderio arsisse: nam, ut ait Beda: *Nemo invenit, nisi qui quærit: iste qui invenisse se dicit, ostendit quia diu quæsierit.* Et S. Chrys. *Hoc verbum, Invenimus,* inquit, *anima est maxime ejus præsentiam desiderantis, & cælitus adventum exspectantis; cujus adventu exultans, alios Evangelii gestiat fieri participes. Hoc fraterni animi, cognati amoris sinceri est affectus officium, ut in spiritualibus quam diligentissimam curam adhibeamus, ut invicem opitulemur.* S. Chrys. de more secutus

C Euthym. *Sermo,* inquit, *est admodum lætantis: Invenimus quem quærebamus, quem venturum sperabamus, quem Scripturæ annunciaverunt.* Andreas ergo cum socio lætitia de Christo invento quasi de summa felicitate gestiens, ut eamdem communicet fratri suo Petro, exclamat: *Invenimus Messiam.* Quare *non amplius,* ait Chrys. *ad Joannem reversi sunt, sed ita Christo affixi sunt, ut Joannis ministerium susciperent, & ipsi Christum prædicarent.*

Hinc Moraliter discimus, Deum per gratiam suam occurrere animæ se desideranti, eoque magis eam implere, quo magis se desiderat, & sitit; imo hoc ipsum sui desiderium solet Deus prius animæ immittere, ut per illud animam ad se, suaque dona præparet, eorumque capacem efficiat. Sicut enim quo majus est vas, eo majori vini vel olei est capax: sic quo majus est in anima Dei & virtutis desiderium, eo magis illa ipsius est capax, juxta illud Thr. 3. 25. *Bonus* (beneficus, liberalis) *est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.*

VERS. 42 D ET ADDUXIT EUM AD JESUM] *Credibile est,* ait S. Chrys. *Andream plura persuasioni accommodata narrasse, aderat quoque alter discipulus, qui ista adjuvabat: verum Andreas, cum suum non esset officiu, neque ad tanti luminis narrationem sufficeret, ad fontem ipsum, quem invenerat, fratrem adducit.* Porro Petri animus ad hæc verba velut ignis præsente stipula, desiderio videndi audiendiq; Christi exarsit. Unde pergit S. Chrysost. *Considera,* ait, *a principio obedientem & benevolum Petri animum: cucurrit e vestigio nil moratus. Adduxit, inquit, eum ad Jesum; sed nemo ejus damnet nimiam in credendo facilitatem: non enim dicit statim persuasisse, sed tantum adduxisse ad Jesum, ut inde totum disceret.*

INTUITUS AUTEM EUM JESUS (quasi subjectum appositum ad prædicandam & illustrandam suam gloriam, ideoque eum destinans suum successorem & vicarium, puta Pontificem Ecclesiæ) DIXIT: TU ES SIMON FILIUS JONA: TU VOCABERIS CEPHAS. QUOD INTERPRETATUR PETRUS] Pater ergo Simonis Petri vocabatur *Johanan,* sive *Joannes,* & per crasin *Jona,* sicut *Jehoschua* contrahitur in *Josue* & *Jesus.* Ita Nonnus & alii. Dicit hoc Christus, ut Petro arcana pandat, seque eorum conscium, ideoque E cardiognosten, & Deum esse ostendat. Nam, ut ait Cyril. *antequam aliquid de eo quæsisset, tam ipsum, quam patrem ejus nomine appellat, & hac re discipulum instruit, eum se esse, qui cuncta etiam antequam fiant, novit.*

TU VOCABERIS CEPHAS] Promittit Christus Simoni nomen *Cephas,* id est, Petrus, q. d. Ego tibi, o Simon aliud nomen indam, vocabo te *Cephas,* id est, petra, vel Petrus, quia te faciam petram Ecclesiæ, ut tibi, tuæque fidei, æque ac regimini, quasi fundamento petrino & solidissimo incumbat firmissima Ecclesiæ meæ fabrica. Promissum hoc præstitit Christus, Matth. 16. 18. dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram,* (id est, super te, quem voco *Cephas,* id est, petram) *ædificabo Ecclesiam meam.* Vide ibi dicta. Ita S. Cyrill.

IN CRASTINUM VOLUIT (Jesus) EXIRE IN GALI- VERS. 43
LÆAM] ut ex ea vocaret viles ac rudes piscatores, quos Apostolos suos crearet, & Evangelii præcones efficeret, ne fides Christiana putaretur esse opus hominum, non Dei. Apostoli enim fuere Galilæi, Galilæi autem erant pauperes & ignobiles præ Judæis, qui ex Juda, quæ erat tribus regia, erant oriundi. Ita S. Chrys. Euthym. & alii.

IN CRASTINUM] Puta postridie illius diei, qua Andream & socium hospitio exceperat, quæ fuit dies 3. Martii, ut F
dixi v. 35. postridie ergo, id est, die 4. Martii, ivit Jesus in Galilæam, & vocavit Philippum: singulos enim actorum Christi dies accurrate hic consignat Joannes, & quid quoque die ab eo gestum sit, enarrat.

ET INVENIT PHILIPPUM] non casu vel fortuito, sed destinato consilio vadens ad eum locum, ubi sciebat esse Philipphum: ibi eum invenit, quem studiose quærebat, quia eum destinabat Apostolum.

ET DICIT EI JESUS: SEQUERE ME] Hæc est prima vocatio exterior Christi. Petrus enim & Andreas prius vocati sunt interius per internam inspirationem, non exterius per externam vocem Christi, sed audita voce Joannis Baptistæ magistri sui dicentis de Christo, *Ecce Agnus Dei,* ab eo non vocati, ultro & sponte sua Jesum adierunt, exploraturi ejus doctrinam, & vitam, non autem quasi certi, & stabiles futuri ejus discipuli. Ita Toletus. Philippho ergo hoc decus & hæc laus debetur: quod primus omnium a Christo dicente, *Sequere me,* exterius vocatus sit: & interius mentem ejus impellente Spiritu S. vocationi huic obediens, illico Chri- G
stum secutus sit, quia ipse erat studiosus legis Mosaicæ, & sollicitus de adventu Christi, ait Theoph. atque, ut S. Chrysost. *in perscrutanda veritate diligentissimus.*

Unde S. August. lib. 2. de Consensu Evang. cap. 17. *Jam Philipphus,* inquit, *sequebatur, quem sic vocaverat, ut diceret ei: Sequere me.* Causam dat Theophyl. vim attractivam vocis Christi: *Videtur enim,* inquit, *primum vox Domini animum illius stimulo quodam charitatis tetigisse. Non enim simpliciter Salvatoris vox dicebatur, sed dignos statim flagrare faciebat intrinsecus ad amandum ipsum, sicut & Cleophas dixit: Nonne cor nostrum ardens erat, cum loqueretur nobis in via?*

Porro Clemens Alex. l. 3. Strom. c. 2. certo asserit Philipphum esse illum, qui petens a Christo, discensque: *Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum,* hoc a Christo responsum tulit: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos,* ut dixi Matth. 8. 22.

ERAT AUTEM PHILIPPUS A BETHSAIDA, CIVITATE VERS. 44
(patris) ANDREÆ ET PETRI] Addit hoc Joannes, ait H
Theoph. ut insinuet Andream & Petrum prius insinuasse Philippo, quasi civi & vicino suo invenisse Messiã, illumq; esse Jesum Nazarenum. Quare Philippum mox a Christo vocatum, dum ab eo audiret, *Sequere me,* illico eum fuisse secutum, quia jam animo erat præparato & Christi avido. Idem probabile esse asserit Franc. Lucas. Solebat enim Christus discipulos præmittere, qui viam sibi sternerent, & auditores ad suum adventum præpararent.

Porro Bethsaida erat adjacens mari Galilææ (sita juxta Corozaim & Capharnaum) in qua domum habebat Petrus & Andreas, quam Christus ingressus, socrum Petri in lecto decumbentem, a gravi febre liberavit, & apprehensa manu sospitem erexit, Matth. 8. Hæc ergo fuit patria trium Apostolorum, Petri, Andreæ & Philippi, dicta *Bethsaida* hebr. quasi domus venationis, vel piscationis, quia in ea habitabant piscatores, qui in vicino mari pisces venabantur, & capiebant, quales fuere Petrus & Andreas.

INVENIT PHILIPPUS NATHANAEL, ET DICIT EI: VERS. 45

QUEM

Digitized by Google

A QUEM SCRIPSIT MOYSES IN LEGE, ET PROPHETÆ, INVENIMUS JESUM FILIUM JOSEPH, A NAZARETH] *Invenit non casu*, ait Cyrillus, *sed multo quæsitum studio: studiosissimum enim Scripturarum virum, diligentissimumque cognoverat. Invenit* autem, ut videtur, illum in Cana Galilææ (inde enim oriundus erat Nathanael, ut patet Joan. 21. 2.) quando scilicet Philippus cum Jesu vocatus ad nuptias, eodem ivit, ut audiemus cap. 2. 1.

Nathanael quis? NATHANAEL] amicum & familiarem suum. Quæres, quisnam fuit hic Nathanael?

Resp. Primo. Primo, Claudius Espencæus scribens in epist. 2. ad Tim. c. 4. digress. 25. ait nonnullos putare Nathanaelem fuisse Ursicinum, sive Ursinum primum Bituricensium Episcopum.

Secundo. Secundo, Græci in Menologio asserunt Nathanaelem eumdem esse cum Simone Chananæo Apostolo: sic enim habent die 22. Aprilis: *S. Apostoli Nathanaelis, qui fuit Simon Zelotes de Cana Galilææ, ubi Christus invitatus ad nuptias, aquam in vinum convertit*. Idem habent die 10. Maji. Favet huic sententiæ, quod Nathanael oriundus fuerit ex hac Cana, Joan. 21. 2.

B Tertio. Tertio, verisimilius Rupertus & Jansen. hic, & Abulensis in c. 10. Matth. v. 3. ad illa: *Philippus, & Bartholomæus*, censent Nathanaelem esse Bartholomæum Apostolum. Probant id Primo, quia Evangelistæ semper jungunt Philippum Bartholomæo, sicut hic Joannes eundem jungit Nathanaeli. Secundo, quia Bartholomæi vocationem factã a Christo nusquam legimus; nisi sit hæc ipsa Nathanaelis. Tertio, quia cæteri tres Evangelistæ, qui Bartholomæi meminerunt, non meminerunt Nathanaelis, ac vice versa Joannes, qui meminit Nathanaelis, non meminit Bartholomæi, quasi hi duo unus idemque sint. Quarto, quia Joannes 21. 2. Nathanaelem Petro, Thomæ, Jacobo & Joanni Apostolis in piscatione, & visione Jesu associat. Videtur ergo ipse quoque fuisse Apostolus, nec apparet quis alius fuerit, quam Bartholomæus. Quinto, quia Bartholomæus non videtur esse nomen proprium, sed significare filium Tolmæi: proprium ergo ejus nomen videtur fuisse Nathanael. Sic enim Barjona, id est filius Jonæ; dictus est Petrus, qui proprio nomine vocabatur Simon, ac deinde a Christo vocatus est *Cephas*, id est, Petrus. Sexto, quia de Nathanaele ait Christus: *Ecce vere*

Tertio fuisse Bartholomeũ Prob. sex conjecturis.

C *Israelita, in quo dolus non est*, ac deinde Christus ei promittit visionem angelorum super se ascendentium & descendentium. Videtur ergo Christus eum intime dilexisse, ac selegisse in suum familiarem & Apostolum.

Negat tamen idipsum S. August. tract. 17. ac ex eo Toletus, Ribera, Maldonat. & Baronius, moti hac ratione, quod Nathanael videatur fuisse legis doctor; nam ex lege disserit cum Philippo; Christus autem non legis peritos, sed rudes & idiotas piscatores elegit ad Apostolatum. Verum responderi potest Nathanaelem fuisse legis studiosum, non doctorem, æque ac erat Philippus cum eo de adventu Messiæ ex lege disserens, ac Petrus & Andreas. Videntur enim hi omnes fuisse Joannis Baptistæ discipuli, vel auditores, atque ab eo transmissi ad Christum. Sic Saulus sive Paulus erat legis studiosus, at non legisperitus vel doctor. Quod si Nathanael non fuit Apostolus: certe fuit discipulus. Unde L. Dexter in Chronico ad annum Christi 101. n. 5. *Nathanael*, ait, *unus de septuaginta Dominis discipulis requievit in urbe* (Hispaniæ) *Treuga*, prope Legionem, vulgo *Leon*. Idem habet Petrus de Natalib. in Catal. Sanct. ex Vincentio, qui & de eodem addit: *Post expletum prædicationis officium, feliciter in Domino requievit, pridie Kal. Decembris*.

D Nathanaelis etymon. Porro, *Nathanael* Heb. idem est quod *donum Dei*; vel *dedit Deus*, vel *da Deus*, ait Pagn. sive *Adeodatus*. Hinc princeps tribus Issachar tempore Mosis vocatur Nathanael. Num. 1. 8. & forte ab illo hic noster Nathanael prognatus, nomen mutuatus est. Hinc & S. August. filium suum divino ingenio præditum vocavit Adeodatum, ut ipse fatetur lib. de Beata Vita, post initium.

JESUM] Syrus, *qui est Jesus filius Joseph a Nazareth*. Erat enim Nazareth vicina Canæ Galilææ, tribus horis tantum ab ea distans, ita ut Nathanael ex Cana oriundus, facile nosse posset Jesum filium Joseph, ut vulgo putabatur, oriundum ex Nazareth. Arguit hic Calvinus Philippum stultitiæ & insciticæ, dicens: *Jesum stulte dicit filiũ Joseph, imperite Nazaronum facit: & de Christo quatuor verba profari nequit, quin duos crassos errores permisceat*. Sed stultus & imperitus est Calvinus, sapiens vero, & sciens Philippus, qui apud Nathanaelem Jesum ita describit ex vulgi opinione, & agnominatione, ut Nathanael eum nosse posset, alioquin plane eum incognitum habiturus. Ita S. Chrysost. Christus enim revera erat Nazarenus patria, quia ibi conceptus erat, esto per occasionem census natus esset in Bethlehem. E

ET DIXIT EI NATHANAEL: A NAZARETH POTEST ALIQUID BONI ESSE? DICIT EI: VENI, ET VIDE.] q. d. Nazareth est in Galilæa locus ignobilis & obscurus, ac apud Judæos contemptus. Unde Pharisæi infra cap. 7. 57. dicunt, quod *a Galilæa Propheta non surgit*, quomodo ergo, o Philippe, ex Nazareth natum censes Christum, præsertim quia Christus ex Juda & Davide, nasciturus in Bethlehem prædicitur a Michæa c. 5. 2. Ita S. Chrysost. qui & addit: *Ostendit igitur & Scripturæ cognitionem, & morum simplicitatem, denique vehemens adventus Christi desiderium, cum Philippi verba non contemnit. Norat enim Philippum in patria commemorando falli potuisse*, & ex parte falsus est: Christus enim licet conceptus esset in Nazareth, tamen natus erat in Bethlehem, quod hoc tempore ignorabat Philippus. Sic & Theoph. & Euthy. Porro Joannes Alba in Electis *potest* accepit pro *solet*, & hujus acceptionis exemplum profert, q. d. Soletne ex Nazareth bonus aliquis Propheta prodire? q. d. Minime: quomodo ergo tu, o Philippe, ais ex Nazareth prodiisse Christum? Vers. 46 F

VENI, ET VIDE] Syrus, *Veni, & videbis*. q. d. Noli tecum de Nazareth disputare, sed veni, vide, & audi Jesum, & experieris, quod ego expertus sum, ut rapiaris in ejus amorem, credasque ipsum esse Christum. Audi S. Chrys. *Quomodo hic sit Christus, & quomodo Prophetæ eum prædixerint, non dicit Philippus, sed ducit ad Jesum, sciens ipsum non abscessurum, si illius verba & doctrinam gustaret. Si videris, solummodo, dicit, si sermonem cum eo conferas, facillime mihi assenties. Credere autem non oportet*, ait Cyrillus, *ineffabilem quandam gratiã in sermone ac verbis Christi fuisse, quibus auditorũ animi magna jucunditate allicerentur. Scribitur enim, quia omnes admirabantur de verbis gratiæ, quæ exibant de ore ejus*.

Porro Nathanael vehementer desiderans videre Christum, Philippo acquievit, ad Jesum cum eo venit, eumque Christum esse agnovit: quare disciplinæ, & sequelæ ejus se tradidit.

VIDIT JESUS NATHANAEL VENIENTEM AD SE, ET DICIT DE EO: ECCE VERE ISRAELITA, IN QUO DOLUS NON EST] qui scilicet imitatur candorem, simplicitatem, & sanctitatem Israelis, id est, Jacob Patriarchæ, ex quo ipse prognatus est. Unde Syrus vertit, *ecce vere filius Israel*: Jacob enim vir simplex habitabat in tabernaculis, Gen. 25. 27. Ostendit Jesus se scire & videre animi Nathanaelis candorem & statum, ut inde Nathanael cognoscat Jesum non esse merum hominem, sed & Deum cordium inspectorem. Censet S. Chrys. Christum alludere ad id, quod de se Nathanael dixerat Philippo: *A Nazareth potest aliquid boni esse*? q. d. Hoc tuo dicto contra me non offendo, quia scio te id animo candido, & inquirendæ veritatis avido dixisse: scio enim in animo tuo nullum esse dolum, nullum malitiæ fel. Vers. 47 G

DICIT EI NATHANAEL; UNDE ME NOSTI?] qui numquam me vidisti, nec mecum egisti. *Animadverte*, ait Chrys. *hominis constantiam, non intumuit laudibus, neque his obviam factus est, sed de eo perscrutari pergit, ut de eo certi aliquid intelligat*. Vers. 48

RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: PRIUSQUAM TE PHILIPPUS VOCARET, CUM ESSES SUB FICU, VIDI TE] q. d. Cum solus esses sub ficu, putabasque te a nemine videri, ego tamen te vidi, scioque quæ clam & secreto ibi egeris. Vidi deinde & audivi te colloquentem cum Philippo, cum ipse te ad me vocaret, tuque ei objiceres: *A Nazareth potest aliquid boni esse*? q. d. Unde colligas me majorem esse homine, Messiam scilicet Dei Filium. Ita S. Cyrillus, Euthym. & S. Aug. serm. 40. de Verbis Dom. H

Mystice, S. Greg. l. 18. Moral. c. 20. *Cum esses sub ficu*, id est, sub umbra legis, *vidi te*, ut te transferrem ad vitem mei Evangelii.

Tropologice hinc disce Deum & Christum ubique præsentem intueri, & revereri, cum solus es in cubiculo, imo, cum quid secreto cogitas, vel desideras in corde, Christus te, tuasque cogitationes & desideria videt & introspicit. Vide ergo ne quid cogites, desideres vel agas, quo oculos majestatis ejus offendas. Sic enim vidit hic Nathanaelem, ejusque acta sub ficu. Unde Nonnus vertit, *vidi te sub umbrosa ficu, versantem & meridiantẽ sub altrice*

Tropol. Deus ubique præsens omnia intuetur.

Digitized by Google

A *altiori mis rami, oculis & mente videns non præsentem.* Sic Deus vidit Adamum sub ficu comedentem ficum veritam, Genesi 3.

VERS. 47 RESPONDIT EI NATHANAEL, ET AIT: RABBI TU ES FILIUS DEI, TU ES REX ISRAEL] *Filius Dei*, naturalis & consubstantialis; ideoque Deus: hoc enim nude verba sonant. Ita S. Cyrillus, Aug. Ammon, Glossa, Dionys. Maldonat. licet S. Chrys. Euthym Theoph. Lyran. Cajet. Tolet. Barrad. censeant Nathanaelem nescisse Christum esse Deum; sed tantum credidisse eum esse filium Dei adoptivum, per eximiam gratiam, qua eum pollere videbat præ cæteris Prophetis & Sanctis. Nam revelare cordium secreta possunt & Prophetæ ex instinctu Dei, uti Eliseus revelavit secretam avaritiam Giezi, & secretas insidias regum Israel. 4. Reg. 5. 26. & c. 6. 9. & seq.

Crediderim Philippum ex testimonio Joannis Baptistæ de Jesu v. 34. credidisse Jesum esse Filium Dei, sed in confuso, nec satis distinxisse, an esset naturalis, an adoptivus, idemque declarasse & persuasisse Nathanaeli. Licet enim Joannes Baptista dicens Christum esse Filium Dei intellexerit naturalem unionem

B hypostaticam humanitatis cum Verbo, tamen hanc unionem necdum intelligebat Philippus, & Nathanael, donec sensim hac de re planius fuere edocti.

REX ISRAEL] Id est, Messias, Davidis & Salomonis regum filius, ideoque regni Israelis, id est, duodecim tribuum successor, & hæres. Hoc enim de ipso prædixerat David, vel potius Deus per Davidem Ps. 2. 5. & 6. dicens in persona Christi. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Unde liquet Davidem prædixisse Messiam fore Dei Filium naturalem, sed hanc ejus prædictionem pauci ante Joannem Baptistam, & Christum illam explicantem, clare pleneque intellexerunt. Concil. Constantin. œcumenicum in constitutione Vigilii Papæ ad quintam collationem pertinente, anathema dicit iis, qui verba Nathanaelis: *Tu es filius Dei, tu es rex Israel*, ab ipso dicta volunt Christo tamquam domestico Dei, ut non ipse sit Deus, sed ob familiaritatem, quam cum Deo habet, Deus nominetur.

VERS. 50 RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI, QUIA TIBI DIXI:

C VIDI TE SUB FICU, CREDIS: MAJUS HIC VIDEBIS] scilicet majora mea oracula, & miracula, majora mysteria doctrinæ, vitæ, passionis, resurrectionis & ascensionis meæ: ex quibus cognosces me non tantum Israelis, sed mundi totius, adeoq; cælorum & angelorum omnium esse regem & Dominum: *Duo dicit*, ait Chrys. *alterum jam præteritum indicat, alterum ex hoc confirmat futurum: qui enim ejus virtutem jam viderat, facilius quæ futura audit, credit.*

VERS. 51 ET DICIT EI: AMEN, AMEN DICO VOBIS, VIDEBITIS CÆLUM APERTUM, ET ANGELOS DEI ASCENDENTES ET DESCENDENTES SUPRA FILIUM HOMINIS.] *Cælum apertum* non quod vere cælum scindendum & aperiendum sit, sed quod cælum angelis intrantibus, & exeuntibus aditum dabit, & exitum: sicut solet nobis dare ostium, dum aperitur: quare vobis videbitur cælum aperiri, esseque apertum. Est catachresis. Simili modo in baptismo Christi, visum est cælum Christo aperiri, Matt. 3. 16. & Ezech. c. 1. 1. dum vidit in cælo currum cherubicum gloriæ Dei; & S. Stephano, dum a Judæis lapidatus, vidit Jesum stantem a dextris Dei Act. 7. 55. Vide, quæ illis locis annotavit. Hac visione significatur, cælum per quatuor annorū millia hominibus ob peccata clausum, per Christū fore reserandum.

D ET ANGELOS DEI ASCENDENTES, ET DESCENDENTES (Arab. *Ascendere & descendere*) SUPRA FILIUM HOMINIS] Syrus, *ad Filium hominis*, uti ei quasi regi suo obsequantur. Hoc enim significat Græcum ἐπὶ, quod respondet Hebr. עַל *al*. Unde Vatabl. vertit, *sub Filio hominis*, q. d. Sub imperio & potestate mea, me imperante, ad nutum meum prout ego voluero, vel jussero, ascendent, & descendent angeli. Sic & Franc. Lucas.

Nota Primo, Ex eo quod Christus Nathanaelem vocavit Israelitam, in quo dolus non est, liquet eum alludere ad visionem angelorum in scala e terra in cælum porrecta ascendentium & descendentium, factam Israeli, id est Jacobo Patriarchæ Bethel Gen. 28. 12. ita S. August. lib. 12. contra Faustum cap. 26. Israel enim sive Jacob uti pater, sic & typus fuit Christi. Christus enim verus est Israel, id est, dominans Deo: idem est Patriarcha Christianorum, & fundator Bethel, id est, domus Dei, puta Ecclesiæ tam cælestis quam terrestris, tam triumphantis quam militantis.

Nota Secundo, Christum hac phrasi & visione angelorum ad se ascendentium, significare se non tantum Israelis & hominum, sed & cælorum ac angelorum esse principem, ac consequenter se verum esse Deum, Deique Filium; ideo enim ascendunt, & descendunt ad eum angeli, quasi ejus ministri, ut ipsi quasi hero & regi suo assistant, obsequantur, omniaque ejus jussa, tam in cælo quam in terra, peragant. Ita S. Cyrillus & Chrysost. E

Quæres, quando hic angelorum ad Christum descensus & ascensus contigerit? Primo S. Chrysost. & Theoph. censent eum contigisse, cum Christo agoniam patienti, sanguinemque sudanti in horto apparuit angelus, confortans eum, Lucæ 22. 44. Item cum in resurrectione mulieribus, apparuerunt angeli, nuncantes eum resurrexisse, Matth. 28. Angeli descenderunt ad Christū Primo.

Secundo, S. Cyril. censet id factum in baptismo Christi, tunc enim angelorum ministerio formata est columba devolans in Christum, quæ erat index Spiritus S. Item vos Patris in aere: *Hic est filius meus dilectus*. Matt. 3. 16. Verum hoc Christi cum Nathanaele colloquium contigit post baptismum Christi. Secundo.

F

Tertio, Euthymius, id factum opinatur in ascensione Christi: tunc enim omnes omnino angeli eum ascendentem stiparunt, velut famuli principem, & velut milites regem suum. Tertio.

Quarto Toletus censet id continuo fieri in Ecclesia, quæ a Christo per angelos regitur. Quarto.

Quinto, Maldonat. æstimari id fore in die judicii: tunc enim omnes angeli illi assistent, tam boni, quam mali: boni, ut ab eo homines pios cælo adjudicatos in illud deducant; mali, ut impios ab eo damnatos in tartara abripiant: Quinto.

Sexto, Franc. Lucas hæc accipit de Christi miraculis, & donis cælestibus, quibus Christo subservierunt angeli in hac vita, ac post eam. Intelligit ergo Jesus, inquit, ad nutum Filii hominis cælum ex eo tempore a fidelibus visum iri apertum, ultro citroque discurrentibus angelis; quia brevi e cælis, jubente Filio hominis, ejusque jussui parentibus angelis, Dei dona magna copia omnibus cernentibus adferenda erant in terram, infirmorum sanatio, leprosorum mundatio, cæcorum illuminatio, claudorum erectio, dæmonum expulsio, mortuorum suscitatio, impiorum justificatio, Spiritus sancti effusio, variorum munerum distributio, mundi conversio. Quæ omnia cum sint manifesta Dei dona, non potuit non videri cælum apertum: & angelos sanctos, per quos cælestia ministrantur, Filio hominis ad nutum servire, iis qui viderunt Filium hominis reddentem plurimos horum compotes. Loquitur ergo Christus de omnigenis miraculis & cælestibus donis, quæ statim a Nathanaelis vocatione editurus erat, toto mortalis vitæ suæ tempore, imo etiam post ascensionem suam in cælum continue patraturus in gubernatione Ecclesiæ suæ, usque ad extremum judicium & consummationem sæculi. Hæc omnia vera & apposita sunt. Sexto. G

Verum, quia Christus Nathanaeli & Philippo specialiter promittit hanc angelorum visionem, ad inchoatam eorum in se fidem augendam & roborandam; nec in baptismo, passione, resurrectione, vel ascensione Christi, vel alias proprie apparuerunt angeli ascendentes, & descendentes ad Christum; hinc planius, simplicius, pressius, & germanius dicemus peculiarem & publicam hanc fuisse visionem angelorum, viventi Christo proprie ut verba sonant factam, æque ac eadem facta est Jacobo, qui fuit Christi typus, Gen. 28. 12. Quare illa visio Jacobi similem Christo obventuram angelorum visionem (de qua hic agitur) præsignificat, ac similis jam ante contigerat in nativitate Christi, dum angeli ad eum descendentes cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo*, Luc. 2. 13. Porro ubi, & quando contigerit hæc angelorum visio, non narrant Evangelistæ, uti & alia multa Christi acta silentio prætereunte. Ita Jansen. H

Facta autem est hæc visio hoc fine. Primo, ut per eam ostenderetur Christum homines angelis, terram cælo reconciliasse, ac utriusque mutuam communicationem, & familiaritatem, quæ primitus erat in paradiso, restituisse. Cur? Causa Prima.

Secundo, ut doceret Christianos esse advenas & hospites in terra, ac versari debere cum angelis, & eorum angelicam vitam imitari, quasi cives Sanctorum, & domesticos Dei, Ephes. 2. 19. Secunda.

Tertio, ut angelos nobis quasi præsides assignaret, qui nos contra dæmones, omnesque malorum incursus tutarentur, & ad heroicas virtutes impellerent, tamdemque Tertia.

post

Digitized by Google

A post mortem in cœlum deducerent. Ascendunt enim in cælum angeli, ut vota, preces, & gemitus nostros ad Deum perferant; descendunt, ut a Deo gratiæ dona ad nos deferant.

Quarta. Quarto, ut declararetur Christi majestas, & angelorum erga eum obsequium & reverentia. Ipse enim, ait Chrysost. constitutus est *supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Ephes. 1. 21.

Vide quæ de scala Jacob, angelisque per eam ascendentibus & descendentibus fuse dixi Gen. 28. 12.

CAPUT II.

SYNOPSIS CAPITIS.

B *Primo, Jesus vocatus ad nuptias in Cana, aquam in vinum convertit. Secundo, v. 13. ejicit vendantes e templo. Tertio, v. 18. Judeis petentibus signum, quo ostenderet se a Deo missum, hoc assignat:* Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

VERS. 1. ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Jesu ibi.

2. Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.

4. Et dicit ei Jesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

5. Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

7. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

C 8. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus,

10. & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.

12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus.

13. Et prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam:

14. & invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes.

D 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.

16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

17. Recordati sunt vero discipuli ejus quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

18. Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

19. Respondit Jesus, & dixit eis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

20. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? E

21. Ille autem dicebat de templo corporis sui.

22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Jesus.

23. Cum autem esset Jerosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat.

24. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.

25. Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

ET DIE TERTIA FACTÆ SUNT NUPTIÆ IN CANA GALILÆÆ; ET ERAT MATER JESU IBI] *Die tertia*, a Christi abitu in Galilæam, & a vocatione Philippi cap. 1. v. 43. Hoc enim ultimum est tempus a Joanne nominatum. Ita Origen. Jansenius, Toletus & Franciscus Lucas. Aut potius *die tertia* a visitatione & conversione Andreæ & Petri c. 1. v. 35. Illa enim die cœpit Jesus colligere discipulos, iisque se patefacere; inde ergo Joannes computat hic diem tertiam, qua iisdem plane se patefecit, ostenditque se esse Messiam, per conversionem aquæ in vinum. VERS. 1. F

Chronotaxis dierum Christi.

Hæc ergo est chronotaxis horum Christi dierum. Christus baptizatus fuit a Joanne anno ætatis 31. die 6. Januarii, uti habet Ecclesiæ & Patrum traditio. Eadem die a prandio secessit in desertum, ibique jejunavit per 40. dies. Cœpit ergo jejunium die 7. Januarii, finiit die 15. Februarii, inde rediit in Nazareth, ibique mansit per 15. dies; mox 56. die a baptismo, ait S. Epiphan. hær. 51. puta die 1. Martii, Judæi miserunt legatos ad Joannem Baptistam, qui rogarent an ipse esset Christus? abnuit Joannes, dixitque Jesum esse Christum, uti audivimus cap. 1. v. 19. Inde postero die, puta 2. Martii, venit Jesus ad Joannem, unde Joannes cum digito ostendens: *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, cap. 1. v. 29. Sequenti die, puta 3. Martii, Joannes idem repetiit, & coram discipulis duobus testatus est: unde illi visitarunt Jesum, unusque ex eis Andreas fratrem suum Petrum ad Christum adduxit, cap. 1. vers. 35. In sequenti crastino, puta die 4. Martii, Jesus ivit in Galilæam, ibique vocavit Philippum cap. 43. fuit hoc crastinum dies secunda ab adventu Andreæ, & Petri ad Christum: inde die tertia, puta die 5. Martii, nuptiæ hæ factæ sunt in Cana Galilææ. Unde S. Epiphan, loco citato, ait nuptias has factas die 60. a baptismo Christi. Porro idem S. Epiphanius, contra reliquos & Patres & communem Ecclesiæ sensum, opinatur Christum baptizatum fuisse a Joanne, die 8. Novembris, ac proinde sexagesimo die scilicet die 6. Januarii factas esse has nuptias in Cana, ibique Jesum aquam in vinum vertisse, scilicet in festo Epiphaniæ, quo ante 30. annos, Magi duce stella venerant ad Christum in Bethlehem, ibique eum adorarant. Additque in memoriam tanti miraculi, etiamnum eodem die 11. mensis Tybi (qui apud nos est 6. Januarii) quosdam fontes in vinum converti. Audi eum: *Quapropter etiam in multis locis usque in diem, hoc fit quod tunc factum est divinum signum, in testimonium incredulis: velut testantur in multis locis fontes ac fluvii in vinum conversi: Cibyres quidem urbis Cariæ fons, qua hora hauserunt ministri, & ipse dixit: Date architriclino. Testatur & in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus de Cibyris fonte, fratres vero nostri de eo qui est in Gerasa, in Martyrum templo. Sed & multi in Ægypto de Nilo hoc testantur: quare in undecima Tybi, apud Ægyptios omnes hauriunt aquam, & reponunt, tũ in ipsa Ægypto, tum in multis regionibus.* Hinc nonnulli putant sequenti anno, qui fuit Christi 32. recurrente eadem die 6. Januarii, nuptias hasce celebratas in Cana. Verum illas eodem anno quo baptizatus est Christus, puta duobus mensibus a baptismo Christi, contigisse liquet ex historia gestorum Christi, quam per singulos dies (uti paulo ante ostendi) hic pertexit Joannes. Ita Baronius, & alii. G

Dices: Cur ergo Deus idem miraculum conversionis in vinum quotannis renovavit, die 6. Januarii? Resp. Causa est, quod Ecclesia illo die istud miraculum celebret,

H

A bret, esto illo die non contigerit: voluit enim Ecclesia tria miracula, quibus Christus se primo modo patefecit, eodem Epiphaniæ, id est, apparitionis Christi die recolere & celebrare: scilicet Primo, adventum & adorationem Magorum duce stella; Secundo, baptismum Christi, in quo vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus*. Tertio, conversionis aquæ in vinum in Cana. E tribus hisce duo priora contigerunt eodem die, scilicet sexto Januarii; tertium vero post duos menses contigit, die 6. Martii, uti dixi. Quod ergo illo die canit Ecclesia: *Hodie vinum ex aquafactum est ad nuptias*, idem est ac si diceret: Hodie ejus rei memoria apud fideles recolitur, & in Ecclesia publice quotannis celebratur. Ita Baronius, imo S. Augustinus serm. 127. de Temp. S. Maximus serm. de Epiphania & alii.

Simili modo olim in plerisque locis Occidentis, paschali tempore, quo solemne baptisma in Ecclesia peragi consuevit, e sicco aridoque fonte lapideo, copiosæ ad baptismi usum aquæ exundare consueverunt, non quidem ad ipsam insinuandam diem, qua baptizatus est Christus B, sed quod tunc temporis solemne baptisma in Ecclesia peragi consuevit.

Sponsus in Cana quis? NUPTIÆ] Syrus; *convivium*, scilicet nuptiale. Quæres, cujus fuerint hæ nuptiæ, & quis in iis fuerit sponsus? Beda, Rupertus, Lyranus, Carthus. hic, & S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 4. ac Dom. Soto in 4. dist. 27. qu. 1. ad 4. & alii putant sponsum fuisse S. Joannem Evangelistam, moti auctoritate S. Augustin. qui hic præfat. in Joannem ait: *Joannem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit*.

An S. Joannes? Verum dico sponsum hic non fuisse S. Joannem: nam S. Joannes semper fuit virgo, unde numquam uxorem duxit: hac enim de causa Christo fuit charissimus, & discipulus ille quem diligebat Jesus, quasi virgo virginem, qui virginitatis propositum per matrimonium numquam infregisset, imo numquam infringere destinasset, sed in eo constans pro omnem vitam perstiturus erat. Ita docet S. Ignatius, Hier. August. Epiphan & alii, quos citat & sequitur Baronius anno Christi 31. Quare quod S. August. ait: *Joannem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit*: intellige *nuptiarum* non initarum, sed incundarum, seu quas inire potuisset, & more gentis inire debuisset. q. d. Christus Joannem juvenem advocavit ad se, ne de nuptiis ineudis cogitaret, C

Fuit Simon Cananæus? Verisimilius ergo idem Baronius secutus Nicephorum lib. 8. Hist. c. 30. censet sponsum in hisce nuptiis fuisse Simonem Apostolum, qui a Cana hac cognominatus est Cananæus. Additque Baronius ex Nicephoro locum hunc nuptiarum in Cana Galilææ, a S. Helena Constantini Magni matre insigni ecclesia ibidem erecta, fuisse decoratum, & nobilitatum. Simon ergo viso hoc Christi in nuptiis suis miraculo, sponsæ & mundo valedicens, secutus est Christum, ob eoque in 12. Apostolorum numerum est cooptatus; atque hac de causa Christus nuptia ejus adiit: atque eas adeundo, nuptias quidem honoravit, sed eum ab illis ad se evocando cælibatum, & apostolatum nuptiis præstare declaravit.

Anima sancta Christi nympha. Tropologice quomodo anima sancta per fidem, spem, castitatem, charitatem, religionem, quasi sponsa nubat Christo, fuse ostendi 2. Cor. 11. v. 2. ad illa: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Ipsa ergo est nympha Christi, quæ relictis omnibus mundi illecebris, D amorem omnem in Christum transfert, illique caput, id est, mentem, sensusque omnes obnubit & velat, ut supra nubes in cælo cum eo jugiter versetur, illique se totam dedicat, & consecrat. Quare illi optime conveniunt nuptiarum etyma, quæ assignat Festus, dum ait, Nuptias

Nuptiarum etymas nonnulli a Græco dictas censent: Græci enim novam nuptam vocant νύμφην. Cornificius, quod nova petantur conjugia: Curiatius, quod nova ratio fiat; Ælius & Cincius, quod flammeo (velo nuptiali) caput nubentis obvolvatur, quod antiqui *obnubere* vocarunt, ob quam causam legem Parenstam jubere caput ejus obnubere, qui parentem necasset, quod est obvolvere. Hoc ultimum secutus Varro libr. 4. de Lingua Latina: *Neptunus* dicitur, inquit, quod mare terram obnubit, ut nubes cælum: a nuptu, i.e. opertione, ut antiqui: a quo *nuptiæ nuptusque*. Sic S. Isidorus lib. 9. Etymolog. cap. 8. *Nuptæ*, inquit, dictæ quod vultus suos velent: translatum nomen a nubibus, quibus tegitur cælum. Unde & nuptiæ dicuntur, quod ibi primum nubentium capita velantur: obnubere enim cooperire est, cujus contraria *innuba*, hoc est innupta, quæ adhuc vultum suum non velat. Hucusque Isidorus. E

Talis Christi nympha fuit S. Dympna virgo & Martyr, quæ ob formam a patre Hyberniæ rege in conjugem appetita, fugiens in Brabantiam, in oppido *Geel* non longe ab Antuerpia, patris manu obtruncata, nobile pro castitate obiit martyrium; unde meruit, ut energumeni ejus sacra lipsana visitantes, a dæmonibus liberarentur. Visitavi olim ejus templum, & virginem reveritus colui. Extat Vita ejus apud Surium die 15. Maii.

Cana ubi sita? IN CANA GALILÆÆ] Addi τῆ *Galilææ*, ad distinctionem alterius Cana, sive Chana, quæ sita erat in tribu Aser juxta Sidonem: unde & Sidoniorum vocabatur, licet ipsa quoque esset in Galilæa, scilicet superiore, quæ Gentium dicebatur, de qua Josue cap. 19. v. 28. atque ejus incola fuit mulier Cananæa, cujus filiam Christus a dæmone liberavit, Matth. 15. 22. Hæc vero nuptiarum Cana sita erat in tribu Zabulon, in medio Galilææ, puta in Galilæa inferiore, supra vallem Carmelon, quatuor circiter horis distans a Ptolemaide, tribus vero a Nazareth. Ita S. Hier. in Locis Hebr. Adrichom. Franciscus Lucas, Maldonatus & alii. F

ET ERAT MATER JESU IBI] *vocata tamquam familiaris ab his, qui nuptias celebrabant*, ait Euthym. Simon enim Cananæus, qui erat hic sponsus, fuit filius Cleophæ, qui erat frater Josephi, sponsi B. Virginis, ut dixi Lucæ 3. 23. Josephi hic, & deinceps non fit mentio, quia ipse jam obierat, ut ex hoc loco colligit S. Epiphan. hær. 78. Franc. Lucas, Baronius, & alii, licet ex adverso S. Cyprianus (vel quisquis est auctor) tract. de Passione Domini, & S. Ambrosius in cap. 23. Sancti Lucæ, opinentur Josephum adhuc fuisse superstitem in passione Christi, ac æquanimiter tulisse S. Joannem a Christo sibi præferri in cura B. Virginis.

VERS. 2. VOCATUS EST AUTEM ET JESUS, ET DISCIPULI EJUS, AD NUPTIAS] tamquam consobrinus sponsi, puta Simonis Chananæi. Porro Jesus *vocatus*, ait S. Chrys. *nuptiis adfuit, in quibus non dignitati suæ, sed nostræ consuluit utilitati*: nimirum ut Primo, consanguineis hunc honorem deferret, eorumque nuptias sua præsentia honestaret. Secundo ut daret exemplum humilitatis, adiens pauperum nuptias. Unde S. Chrysost. *Qui non est dedignatus*, inquit, *formam servi accipere, non est dedignatus ad nuptias venire servorum*. S. August. de Verbis Domini serm. 4. *Erubescat*, ait, *homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus: ecce venit ad nuptias, qui cum apud Patrem esset, instituit nuptias*. Tertio ut in iis sponsorum paupertati & famæ consuleret, convertendo aquam in vinum. Quarto, ut per hoc miraculum se discipulis patefaceret, eisque se Messiam esse ostenderet. Ita Cyrillus. Quinto, ut nuptias approbaret, ac sua præsentia sanctificaret, itaque refelleret Encratitas, & Tatianos mox futuros, qui nuptias quasi sordidum diaboli inventum, damnabant. Ita S. August. serm. 41. de Temp. Cyrillus, Euthymius, Ammon. in Catena, & Beda homil. in Dominicam 2. post Epiphaniam, quem audi: *Si nuptiis debita castitate celebratis culpa inesset, non ad eas Dominus venisset: bona castitas conjugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis. Itaque Christus ex Virgine nascitur, a prophetica vidua Anna ore benedicitur, ad nuptias invitatus venit*. Christus ivit ad nuptias quinque de causis. G

Quinam hi Christi discipuli? ET DISCIPULI EJUS] Quæres, unde, & qui fuere hi discipuli Jesu? nam Jesus necdum collegerat Apostolos: non enim collegit eos, nisi post incarcerationem S. Joannis Baptistæ, ut patet Matth. cap. 4. 13. hæc autem contigerunt ante incarcerationem Joannis, ut patebit cap. 3. 24. H

Resp. Verisimile est discipulos hos fuisse Nathanaelem & Philippum, forte etiam Petrum & Andream, qui c. 1. 40. tertio ab hoc die Jesum viserant, illique quasi magistro ad tempus adhæserant: nam postea ad suam piscationem, & naves redierunt, unde a Christo vocati ad apostolatum, constanter ei adhæserunt, Matth. 4.

VERS. 3. ET DEFICIENTE (græce, ὑστερήσαντος, id est, *cum defecisset*, eo quod pauper sponsus parum vini procurasset) VINO DICIT MATER JESU AD EUM: VINUM NON HABENT] sponsi cognati nostri; q. d. consule ergo, o fili, eorum verecundiæ, ne coram invitatis confundantur; scio enim te id posse, cum sis Dei Filius, ac hoc tuam charitatem decere æque ac providentiam, ut hic miraculum patrando, te esse Messiam discipulis tuis & convivis omnibus ostendat. Ita S. Cyrillus, Chrysost. & alii. Audi S. Bernardum serm. 1. in Dominicam primam post Octavam Epiphaniæ: *Compassa est enim eorum verecundiæ, sicut*

A *tut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam & ante mentem replevit quam ventrem, & cum processit ex utero, ab animo non recessit.*

Nota modestiam Virginis; Non enim postulat imperando, vel rogando: Fili procura eis vinum: sed tantum eorum necessitatem indicat, aitque, *Vinum non habent*, non dubitans Jesum pro sua providentia & charitate illis succursurum; sic quoque Martha & Magdalena, ægrotante Lazaro miserunt ad Jesum nuncios, ut eum sanaret, nec tamen id expresse petunt, sed tantum dicunt: *Domine, ecce quem amas, infirmatur*. Amanti enim sufficit infirmitatem amati indicare: *Non enim amas & deseris*, ait S. Augustinus. Audi S. Bernardum serm. 2. de Beata Virgine; *Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & virginalis verecundiæ*
B *fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sane increpata est a filio (tamquam mitis & humilis corde) nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros admonens facere quod diceret eis.*

Porro certa fiducia impetrandi, tacite vinum hic a filio produci postulat mater, eo quod per 30. annos, quibus cum illo familiariter vixerat, ab eo intellexisset, eum missum a Patre, ut per cælestem doctrinam & miracula, homines ad se & ad Deum converteret; imo dubitari nequit, quin Christus valedicens matri iturus ad baptismum Joannis, indeque orsurus suum prædicandi officium, id ipsum expresse matri significarit: quare ipsa opportunum hic tempus rata, quo Jesus per miraculum sibi jam prædicare incipienti auctoritatem, & fidem conciliaret, idipsum intrepide poscit a filio, non dubitans, quin Christus id facturus esset, tum ut matri, & cognatis satisfaceret, tum ut sibi, suæque dignitati, & officio prospiceret.

Moraliter. Tropologice, S. Bern. serm. 2. in Dom. 1. post. Octavam Epiphan. loquens de mysticis animæ cum Deo nuptiis: *Hic*, inquit, *nonnumquam vinum deficit, gratia*
C *scilicet devotionis, & fervor charitatis. Quoties mihi necesse est, fratres, post lacrymosas querimonias vestras, exorare matrem misericordiæ, ut suggerat suo benignissimo filio, quoniam vinum non habetis? Et ipsa dico vobis charissimi, si pie a nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est & mater misericordiæ.*

Vers. 4. Et dicit ei Jesus: Quid mihi, et tibi est mulier? (q. d. Quid mihi tecum in hac re est negotii?) nondum venit hora mea] Nota. B. Virgo non ex ostentatione, aut intempestive, insolenter vel indiscrete petiit hoc a filio miraculum fieri, uti opinantur S. Chrysostom. Theoph. & Euthym. sed ex necessaria charitate, & pietate: Ita S. Cyrillus, Bernardus, & alii: ergo in ipsa nulla fuit culpa: ergo non vera fuit Christi reprehensio; reprehendere tamen illam videtur, ut non ipsam, sed nos doceret in operibus theandricis, sive in rebus divinis & miraculis, uti parentes nihil habent juris & auctoritatis, ita nec eorum affectibus & desideriis, sed tantum Deo & charitati illa esse danda & exhibenda. Vide dicta Lucæ 2. v. 29. & 51. Sensus ergo est. q. d. Tu, o mater, in hac re
D mihi non es mater, sed quasi mulier extera, quia a te humanitatem accepi, non divinitatem; cujus est hoc miraculum patrare, non secundum tua & cognatorum desideria, sed juxta voluntatem Dei Patris & meam: juxta illam ergo illud patrabo, quando venerit tempus, & hora a Deo decreta. Audi S. Augustinum hic tract. 10. *Dicta est mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis. Non dixit Mater, sed Mulier, tamquam Deus*, inquit Euthym. *Significat*, ait Beda, *se divininatem, quam miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse de matre, sed per æternitatem semper habuisse de Patre*, q. d. ait Glossa interlin. Quid est commune deitati meæ, & tibi matri secundum carnem? non tu genuisti deitatem meam, quæ facit miraculum, ait S. Augustinus. Addit S. Chrysostomus: Ita loquitur, ne suspectum esset miraculum (fictum, & ex composito simulatum:) ab his enim qui indigebant rogari oportuerat, non a matre.

Nondum venit hora mea] Qua scilicet opportune hoc miraculum edam: volo enim adhuc paulisper exspectare, donec vinum omnino deficiat, idque omnes E convivæ sentiant & videant, ut clarius, & magis pium miraculum appareat, utque omnes advertant, me hoc miraculum patrasse, itaque in me credant: qui enim necessitatem non præsensit, nec beneficium magnopere sentiet. Ita S. Chrysost. Aliter quoque idem S. Chrysost. & Theoph. q. d. Nondum venit hora mea, quia statui primum miraculum facere in Jerusalem, utpote metropoli Judææ, sed ad preces tuas, o mater, propositum mutabo, faciamque illud hic in Cana Galilææ.

Aliter quoque S. Augustinus. q. d. Nondum venit hora passionis meæ, qua ostendam, quid tibi & mihi sit, o mater, scilicet, me ex te veram assumpsisse naturam humanam, tuumque esse filium, q. d. ait S. Augustinus: Cum infirmitas mea pendebit in cruce, cujus mater es, tunc te agnoscam; commendavit enim matrem discipulo. Non est autem quod hic Mathematici occasionem sumant erroris, quasi Christus sub fato fuerit; nec enim sub necessitate siderum est eorum conditor: in potestate habebat quando moreretur, sed ea uti nondum erat opportunum: vocandi prius erant discipuli, annunciandum regnum cælorum, faciendæ virtu- F tes, commendanda divinitas in miraculis, & humilitas in mortalitate: ubi vero tantum fecit, quantum sufficere judicavit, venit hora necessitatis, sed voluntatis; non conditionis, sed potestatis. Hæc S. Aug. fuse, ideoque ejus verba plura in pauca contraxi. Verum hæc symbolica & mystica sunt, non litteralia.

Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.] Tacet modeste mater, jureque Vers. 5. cedit filio, utpote Dei filio: alioqui enim, ait S. Bern. dicens: *Quid mihi & tibi mulier*? Vere respondere potuisset; *Quid matri est & filio*? Nam, ut ait Interlin. & alii, etsi negare videtur filius, scit mater pietatem ejus, & ideo fiducialiter imperat ministris. Et S. Gaudentius Brixianus in hæc verba: *Non mandaret*, ait, *mater: Quodcumque dixerit vobis facite, nisi Spiritu sancto post partum plena faciendi a Christo vini ex aqua universum ordinem prævidisset*. Sic & Eucherius ac Beda. Unde S. Bernard. hom. 2. in hæc verba: *Manifeste*, inquit, *jam video quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis matris teneram verecundiam, dixerit: Quid mihi & tibi? sed propter nos, ut conversos ad Dominum jam* G *non sollicitet carnalium cura parentum*. Nam Christus mox obsequens matri, ut illam honoraret, miraculum patravit. Audi S. Chrysost. *Et licet ita responderit, maternis tamen precibus obtemperavit*, &c. *ut matri honorem exhiberet, & non contumax videretur matri, neve genitricem tam multis præsentibus pudore afficeret*. Et Cyrillum: *Quantus honor debeatur parentibus ostendit, cum statim ad actum propter matrem accedit*. Et Euthym. *Nam quod eam plurimum honoraret, & ex aliis multis manifestum est, & ex eo quod ipsius complevit exhortationem.*

Porro in his Virginis matris verbis, mira elucet ejus mansuetudo, pietas, prudentia, fiducia, constantia, animique magnitudo.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ Vers. 6. secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas] *Hydria*, Varro lib. 4. de Lingua Latina, interpretatur *aquales* (ὕδωρ enim est aqua) id est, vasa aquaria ad continendam aquam: hydriis ergo hic usus est Christus, ut clarius constaret nil eis fuisse vini, ac consequenter clarior esset aquæ in vinum conversio, in hydriis sive vasis aquatiis mox ab ipso facienda. Ita S. Chrysostom. Theophylactus, & alii. H

Secundum purificationem Judæorum] qua Pharisæi juxta traditiones suas, inter epulas sæpe religionis causa manus lavabant; ut si quid immundi in mensa tetigissent, aqua ex hydriis sumpta se expiarent, & purificarent. Vide dicta Marci 7. 3.

Tropologice, S. Bern. serm. 1. in Domin. 1. post Octavam Epiph. sex hydriæ purificatoriæ, inquit, sunt sex vir- Mystice sex hydriæ sunt sex virtutes. tutes animam purificantes. Audi eum illas enarrantem: *Prima hydria, & prima purgatio in compunctione est, de qua legimus: Quoniam in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Secunda vero, confessio est. Omnia siquidem in confessione lavantur. Tertia, eleemosynarum largitio. Hinc enim habes in Evangelio: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quarta, remissio injuriarum, secundum quod oramus dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitti-*

Digitized by Google

A *mittimus debitoribus noſtris. Quinta eſt afflictio corporis: unde & oramus, ut mundi per abſtinentiam Deo canamus*
VERS. 19 *gloriam. Sexta, eſt obedientia præceptorum, ſicut audierunt diſcipuli: quod utinam audire mereamur & nos: Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Nimirùm quia non erant ſicut hi quibus dicitur: Sermo meus non capit in vobis, ſed in auditu verbi obaudierant ei.* Reliqua deinde ita explicat, & applicat: *Aqua replentur, ut in timore Dei cuſtodiantur, quoniam timor Domini fons vitæ; aqua, inquam, timor Domini eſt, etſi minus ſapida, ſed optime refrigerans animam noxiis deſideriis æſtuantem.* Et paucis interjectis: *Sed divina virtute aquæ mutantur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem: dicuntur autem lapideæ hydriæ, non tam propter duritiam, quam ſtabilitatem; capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Duæ metretæ duplex timor, ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi.*

Metreta quid?

CAPIENTES SINGULÆ METRETAS BINAS VEL TERNAS] *Metreta* græce idem eſt quod menſura, ita dicta *ἀπὸ τῆ μετρῆσαι*, id eſt, a metiendo. *Metreta* æqualis eſt Hebræo ephi ſive bato, continens congios decem, ait Dioſcor. l. 5.
B vel, ut S. Epiphan. lib. de Ponder. & menſuris, duodecim: congius autem ſex continet ſextarios, ſolietas octo. Breviter Janſen. ex Roberto Cenali, qui poſt Budæum accuratius de menſuris ſcripſit: Metreta, inquit, continet 72. ſextarios Atticos, id eſt, libras menſuales 108. hoc eſt Pariſinos quartarios 12. & paulo amplius, hoc eſt pocula Belgica (vulgo *potten*) duodecim.

Sextarius triplex,

Verum adverte hic, ſextarium fuiſſe triplicem; ſcilicet Romanum, qui continebat 30. uncias aquæ vel vini; Atticum, qui 15. & Hebræum, qui 13. dumtaxat uncias continebat, idemque erat quod Hebr. *leg*. Hic autem Hebræus accipiendus videtur. Quare metreta continens 72. ſextarios 13. unciarum, continebat 72. libras, & totidem uncias (libram enim accipio vulgarem 12. unciarum) quæ unciæ efficiunt ſex libras, ut univerſim fiant 72. li-
Boccale, bræ. Quare metreta continebat *boccales* Italicos 13. &
Folietta, ſolietas duas. Unum enim boccale continet 4. libras, & 4. uncias, id eſt, uncias 64. *Folietta* vero eſt quarta pars boccalis, continens uncias 16. Quare hydriæ, quæ vulgo oſtenduntur, quaſi reliquiæ nuptiarum in Cana Galilææ, videntur ſuppoſititiæ; ſunt enim metretis jam dictis minores, & facile portatiles. Vide quæ de menſuris
C annotavi, in fine Pentateuchi. Hydria ergo continens duas metretas, continebat 27. boccales. Sex ergo hydriæ continebant 162. boccales: tantum ergo vini ex aqua hic effecit Chriſtus; ſin hydriæ des tres metretas, quælibet hydria continebat 40. boccales, & duas ſolietas, quare ſex hydriæ continebant 240. boccales cum 12. ſolietis, puta
Botta Romana. pene integram vini bottam; *botta* enim Romana continet boccales 256. Sic ergo pene bottam vini hic in inſtanti produxit Chriſtus.

Denique Franc. Lucas: Metreta, inquit, idem erat Græcis, quod Hebræis *bath*, ſive batus; *Bath* autem continet ſex *hin*, *hin* 12. *log*, *log*, ſex ova gallinacea communia; quare bath, ſive metreta, capit ova 432.

VERS. 7. DICIT EIS JESUS: IMPLETE HYDRIAS AQUA, ET IMPLEVERUNT EAS USQUE AD SUMMUM] Quærit S. Chryſ. *Sed cur ipſe* (Chriſtus) *hydrias aqua non implevit, deinde in vinum vertit, ſed miniſtris implendas mandavit?* Reſpondet recte, ut miraculi ipſos teſtes haberet, qui aquam hauſiſſent, ne qua fraus, ne quod præſtigium putaretur.

D AD SUMMUM] ne, ſi quid vacui manſiſſet, Chriſtus aquæ vinum potens ſuperfudiſſe putaretur, quod aquæ ſubjectæ vini ſaporem communicaret, ac conſequenter non mutaſſe aquam in vinum.

VERS. 8. ET DICIT EIS JESUS: HAURITE NUNC, ET FERTE ARCHITRICLINO, ET TULERUNT] *Haurite*. q. d. Ex hydriis magnis haurite, & promite in poculis minoribus, quæ portatilia ſunt, ac ferte ad architriclinum, ut is, qualis ſit hic potus, quale, inquam, & quam præſtans vinum, dijudicet. Hæc enim dicens Chriſtus, ſubito omnipotenti ſua vi, totam aquam ſex hydriarum in vinum convertit. Audi Nonnum: *Subito factum eſt miraculum, & verſicolor aqua mutavit fluore rubeſcente colorem niveum in liquorem vini nigri. Quid enim*, ait Cyrillus, *omnipotenti Deo difficile, aut quomodo qui ex nihilo ad eſſe res omnes provocat, non multo facilius unum ad aliud permutabit atque traducet? Sed cur*, interrogat Chryſ. *antequam implerentur, ex nihilo non fecit miraculum, quod longe fuiſſet admirabilius?* Reſpondet: *Hoc profecto mirabilius, non tamen ita credibile, & quod tam facile potuiſſet multitudini perſuaderi: hac de cauſa miraculorum magnitudinem nonnunquam conſulto imminuit, ut facilius crederentur.* E

Ex hac converſione aquæ in vinum, patres probant converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia, addunt que majus videri miraculum, quod Chriſtus aquam in vinum, quam quod vinum in ſanguinem converterit: vinum enim propinquius eſt ſanguini, quam ſit aqua vino. Ita S. Cyril. Hieroſol. catechеſi 4. myſtag. S. Cyprian. in epiſt. contra Aquarios, S. Irenæus l. 3, c. 11. & Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſt. 393. Qui quærens cur Chriſtus hoc miraculum voluerit eſſe primum? Reſpondet myſtice, ut quod legi deerat, ſuppleret; *Quoniam namque*, inquit, *illa in aquis dumtaxat baptizabat, ipſe ſuo cruore ſacram initiationem perfecit, utrumque in ſeipſo miſcens, ac legem cum gratia copulans:* aquam enim ſymbolum fuit legis veteris, quæ omnia per aquam purificabat, ſed purificatione corporali dumtaxat. Vinum vero ſymbolum eſt ſanguinis Chriſti, qui in cruce fuſus animas expiat: Chriſtus enim vinum in ſanguinem ſuum convertit in Euchariſtia. Chriſtus ergo initio ſuæ prædicationis mutans aquam in vinum, ſignificabat ſe legem Moſaicam, inſtar aquæ inſipidam & frigidam, converſurum in Evangelium gratiæ, quæ inſtar vini eſt generoſa, ſapida, ardens, & efficax. F

Cur hoc miraculo ſit Chriſtus primum?

ARCHITRICLINO] S. Gaudentius (& ex eo Baron. qui aſſerit hanc eſſe traditionem) Nuptiæ, ait, cum fierent apud Judæos, unus e ſacerdotibus dabatur, qui morem diſciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis, ſimul & convivii apparatum, miniſtros atque ordinem diſpenſaret: inde Architriclinus, id eſt, tri-
Architriclinus quis? clinii, ſive menſarum, & convivii præfectus dicebatur, qui apud Gentiles Modimperator vocabatur, de quo multa dixi Eccli. cap. 32. v. 1. Unde non mirum huic honeſtati, adeoque honeſto nuptiarum convivio Chriſtum, & B. Virginem interfuiſſe. Jubet ergo Chriſtus aquam in vinum a ſe converſam ferri architriclino, quia is ex officio & ſolicitudine magis ſobrius erat, æque ac ſaporum vinorumque magis peritus, ideoque optime de hoc vino, ejuſque bonitate & excellentia judicare poterat, & miraculum hoc Chriſti apud omnes celebrare. Ita S. Chryſoſt. & Theophylactus.

ET TULERUNT] Liquorem ex hydriis in ſcypho hauſtum, quem jam in vinum eſſe converſum ſuſpicabantur ex odore & colore. Veriſimile eſt enim Chriſtum aquam in vinum rubrum convertiſſe: tum quia in Pa- G
leſtina nonniſi vini rubri eſt uſus: tum quia id aſſerit Nonnus, Franc. Lucas & alii: tum ut clarius appareret vere aquam in vinum eſſe converſam. *Tulerunt* ergo, gaudentes ſe ad tantum miraculum Chriſto obſecutos, & cooperatos eſſe: non parum enim ad hoc miraculum contulit, ipſorum promptum in hauriendo aqua miniſterium & obedientia.

VERS. 9. UT AUTEM GUSTAVIT ARCHITRICLINUS AQUAM VINUM FACTAM (id eſt vinum, in quod aqua erat converſa,) ET NON SCIEBAT UNDE ESSET, MINISTRI AUTEM SCIEBANT, QUI HAUSERANT AQUAM: VOCAT SPONSUM ARCHITRICLINUS, VERS. 10 ET DICIT EI: OMNIS HOMO PRIMUM BONUM VINUM PONIT; ET CUM INEBRIATI FUERINT, TUNC ID QUOD DETERIUS EST; TU AUTEM SERVASTI BONUM VINUM USQUE ADHUC] *Guſtavit:* non credidit omnino odori & colori rubro, eſſe vinum; ſed inſuper guſtavit, ac deprehendit optimum, & præſtantiſſimum eſſe hoc vinum: guſtus enim certius de vino judicat, quam viſus vel odoratus.

H

Ebrietas in S. Scriptura ut explicanda.

ET CUM INEBRIATI (id eſt, exhilarati) FUERINT] Ebrietas enim ſæpe in Scriptura vocatur liberalior potus mentem exhilarans, ſed rationis uſu eam non privans: ſi enim convivæ hi vere fuiſſent ebrii, utiq; Jeſus eis aquam in vinum non mutaſſet: foviſſet enim, & audiſſet eorum ebrietatem; ſed potius potioni finem impoſuiſſet, eoſque domum amandaſſet. Idem feciſſet B. Virgo.

TUNC ID, QUOD DETERIUS] Ratio eſt, quod ſtomachus vino refertus, minus recte judicat de vino, ſed qualecumque vinum, eſto deterius ſit, judicat eſſe bonum & priori ſimile, quia ipſum ſapit & eructat: ipſo enim eſt plenus. Hic eſt typus fallaciæ mundi, qui initio res ſpecioſas oculis objicit, deinde ſub iis deteriores & viles inducit, itaque ſui amatores decipit & illudit.

TU AUTEM SERVASTI BONUM VINUM USQUE ADHUC] Hinc liquet præſtans fuiſſe hoc vinum, utpote opus Chriſti & divinum: Dei enim perfecta ſunt opera. Sic panes a Chriſto multiplicati, ad alendum quatuor hominum millia,

Digitized by Google

A millia, fuere ſapidiſſima inſtar manna. *Ejuſmodi enim ſunt Chriſti miracula*, ait Chryſoſtomus, *ut quam quæ natura perfecta ſunt, longe pulchriora melioraque reddantur, ita & in aliis diſtortum membrum quod ſanabat, validius reddebat.*

Omnia hæc concinne acta & ordinata fuere a Chriſto ut teſtatius & celebrius foret miraculum. Architriclinus enim vocavit ſponſum, ſciſcitans unde eſſet hoc vinum? Ille ſe nihil de eo ſcire reſpondit; quare a miniſtris rei ſeriem intelligentes, adierunt hydrias, atque omnes eodem vino præſtanti plenas repererunt: quare in Jeſu auctoris, & benefactoris ſui laudes erumpentes, ipſi ingentes egere gratias, ac miraculum convivis omnibus enarrarunt, & celebrarunt. Jeſus vanam gloriam fugiens receſſit, prius monens, ut vino hoc moderate uterentur, ad Dei laudem & gratiarū actionem. Addit Franc. Lucas: ſinguli ſtupore, & gaudio pleni, aliquid ex vino illo ex aqua facto, etiam ſecum in vaſculis domū auferre contenderunt, quod vel darent aliis quoque guſtandum, vel ad longam ſervarent memoriam.

VERS. 11 B HOC FECIT INITIUM SIGNORUM JESUS IN CANA GALILÆÆ: ET MANIFESTAVIT GLORIAM SUAM (ſuam omnipotentiam & divinitatem:) ET CREDIDERUNT IN EUM (id eſt credere perrexerunt, in fide ejus confirmati ſunt) DISCIPULI EJUS] quinque ſuperius nominati, ſcilicet Andreas cum ſocio, Petrus, Philippus & Nathanael.

An hæc aqua in vinum conversa fuerit primū Christi miraculum?

INITIUM] Hinc paſſim Patres & interpretes docent, hoc miraculum fuiſſe abſolute primum, quod Chriſtus publice fecit, ad fidem prædicationi ſuæ faciendam. Hinc ergo refellitur liber de Infantia Salvatoris, quem damnat Gelaſius Pontifex, quaſi ab hæreticis confictum, in quo narratur Chriſtum, dum puer eſſet, publice miracula patraſſe; nil tamen vetat, ait Maldonatus, ſi eum privata ſubinde feciſſe concedamus, ac per miraculum ſubinde inopiæ parentum ſuccurriſſe fateamur: unde iis animata fuiſſe videtur mater, ut ſimile hic a Chriſto miraculum fieri peteret & conſtanter idipſum ab eo exſpectaret. Verum poterat Chriſtus ſuccurrere neceſſitati matris, peculiari aliqua providentia, citra miraculū.

Hinc collige hoc miraculum mox a baptiſmo Chriſti contigiſſe: nam poſt baptiſmum ſtatim cœpit prædicare, & doctrinam ſuam miraculis confirmare: uti ſuperius oſtendi.

C Quæres, cur Chriſtus voluit primum hoc ſuum eſſe miraculum? Reſp. Quia maxime congruum erat illud loco, tempori & perſonis. Per hoc enim ſtatim innotuit omnibus ſuis cognatis, civibus, & Galilæis. Vinum enim eſt potus nobiliſſimus, qui Deum & homines lætificat, Judic. c. 9. 13. Unde Noe ſtatim a diluvio vinum adinvenit, fuitque typus Chriſti hic vinum efformantis, Gen. 9. Vide quæ de vini commodis dixi Eccli. cap. 31. & v. 33. & ſeq. Rurſum Chriſtus hoc miraculo oſtendit ſe eſſe, qui, ut ait S. Auguſt. *omni anno hoc facit in vitibus*, dum in eis ſuccum aqueum in vinum convertit. *Hoc* ergo *miraculo*, ait Sanctus Chryſoſtomus, *manifeſte oſtendit, ſe eum eſſe, qui in vitibus aquam tranſmutavit, & qui pluviam per vitis radicem in vinum vertit, cum quod in planta temporis ſpatio efficitur, id repente in nuptiis operatus eſt.* Quid enim aliud eſt vinum, niſi aqua in vite radiis ſolis percocta?

Cur Christus aquam in vinum vertit? Causa literalis.

Symbol. D Symbolica cauſa eſt, quod vinum aptiſſimum ſit ſymbolum gratiæ, charitatis, devotionis, fervoris, fortitudinis, quas ſuis ſuggerit Chriſtus. Unde S. Bernardus in Sententiis: *Triforme*, ait, *vinum eſt in ſycho Dei, rubicundum in longanimitate Sanctorum, quod lætificat Iſaac in ægritudine: album in remuneratione juſtorum; quo inebriatur Noe: nigrum & acidum in damnatione pravorum, quod Jeſus guſtat, ſed non vult bibere.*

Allegor. Allegorica cauſa fuit, quod hæ nuptiæ repræſentabant connubium Chriſti cum humana natura factum in incarnatione Chriſti: unde hoc quoque factum eſt tertio die, id eſt, tertio mundi ſtatu: primus enim ſtatus fuit in lege naturæ, ſecundus in lege Moſis, tertius in lege Chriſti. Idipſum pariter factum eſt in Galilæa Gentium, quia Chriſtus ad illud vocat omnes Gentes. Item in Cana Galilææ, hoc eſt in poſſeſſionis tranſmigratione, i. e. in populo Chriſtiano, qui eſt poſſeſſio Chriſti, ejus ſanguine empta, ideoque e terra in cælum tranſmigrat. Hic Chriſtus dat vinum, id eſt Evangelicam doctrinam & gratiam, quæ mentem fidelis lætificat & inebriat, item vinum in ſanguinem Chriſti converſum in Euchariſtia, de quo Zachar. c. 9. v. ult. *Quid*, inquit, *bonum ejus eſt, & quid pulchrū ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Ubi multa dixi de hoc vino. E

Tropologica cauſa fuit, ut per haſce nuptias & vinum ſignificaret conjunctionem, & quaſi connubium animæ noſtræ, per gratiam & charitatem, cum Chriſto & Deo. Hoc enim fit in Cana Galilææ, id eſt, poſſeſſione iſtius mundi, ex quo in cælum aſſidue tranſmigramus. Adeſt mater Jeſu, id eſt, virginalis caſtitas, & diſcipulorum Chriſti ſimplicitas, & fides in Jeſum, qui, cum humiliter agnoverimus vinum devotionis & fervoris nobis deficere, illudque ab eo flagitaverimus, ipſe aquam, quæ eſt in ſex hydriis, id eſt, omnem animæ noſtræ virium diſſolutionem & mollitiem convertet in vinum ſapidum cæleſtis gratiæ, quo non tantum nos, ſed & alios recreemus, inebriemus, ac amore Dei incaleſcere faciamus. Tropol.

Anagogice, nuptiæ Agni perficientur in cælo, ubi Chriſtus dabit nobis vinum novum & nectar divinum. Tunc enim inebriabimur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ſuæ potabit nos. Vide dicta Apoc. 1. verſ. 19. & ſequent. Anagog.

VERS. 12 F POST HOC DESCENDIT CAPHARNAUM IPSE ET MATER EJUS, ET FRATRES EJUS, ET DISCIPULI EJUS, ET IBI MANSERUNT NON MULTIS DIEBUS] Peractis nuptiis in Cana, Jeſus cum matre & ſuis rediit domum, puta in Nazareth, quæ quia altiori loco ſita erat, hinc Jeſus ex illa proficiſcens Capharnaum, quæ urbs erat loco decliviore ad mare Galilææ, dicitur eo deſcendiſſe. Cauſa deſcenſus fuit, quod Jeſus nollet in Nazareth, utpote orbe ignobili & exili, ubi a ſuis civibus quaſi faber, & fabri filius contemnebatur, prædicationis, & doctrinæ ſuæ ſedem conſtituere; ſed ad hoc deſtinabat Capharnaum, utpote urbem ob mare & merces celebrem, & populis frequentem, ut ad plures prædicationis ſuæ fructus dimanaret, uti patet Matth. 4. v. 13.

Porro hic deſcenſus, & hoc iter Chriſti contigit ante incarcerationem Joannis Baptiſtæ, ut clare colligitur ex cap. 3. 24. & c. 4. 1. alius ergo fuit Chriſti deſcenſus, ab illo, de quo agit Matth. 4. 13. *Ille* enim contigit poſt incarcerationem Joannis, cum Chriſtus de facto habitationem ſuam tranſtulit Capharnaum, ibique publicam ſuæ doctrinæ & prædicationis ſchola aperuit. Hic vero eamdem dumtaxat præparare, & quaſi inchoare cæpit, ut pluribus innoteſceret, plureſque diſcipulos colligeret. Fuit ergo hic obiter, & quaſi in tranſitu, ut ſcilicet inde pergeret Hieroſolymam, ad inſtans Paſcha celebrandum. Ita Janſenius. G

ET FRATRES EJUS] Id eſt cognati & conſobrini Chriſti, puta Jacobus Minor, Joſeph, Simon & Judas, Matth. 13. 55. Item Joannes & Jacobus Major: hos enim avide verba ſua cæleſtia audientes, paulo poſt in diſcipulos, ac tandem in Apoſtolos elegit.

VERS. 13 ET PROPE ERAT PASCHA JUDÆORUM: ET ASCENDIT JESUS HIEROSOLYMAM] fuit hoc primum Paſcha, tertio menſe *Niſan*, ſive Martio, poſt Chriſti baptiſmum, qui contigit die 6. Januarii.

VERS. 14 ET INVENIT IN TEMPLO VENDENTES BOVES, ET OVES, ET COLUMBAS, ET NUMMULARIOS SEDENTES.

VERS. 15 ET CUM FECISSET QUASI FLAGELLUM DE FUNICULIS, OMNES EJECIT DE TEMPLO, OVES QUOQUE ET BOVES, ET NUMMULARIORUM EFFUDIT ÆS, ET MENSAS SUBVERTIT.

VERS. 16 ET HIS QUI COLUMBAS VENDEBANT, DIXIT: AUFERTE ISTA HINC, ET NOLITE FACERE DOMUM PATRIS MEI, DOMUM NEGOTIATIONIS] Hæc omnia explicui Matth. c. 21. 12. Tantum nota aliam eſſe hanc ejectionem vendentium e templo ab illa, de qua agit Matthæi cap. 21. illa enim contigit paulo ante paſſionem Chriſti; hæc vero initio prædicationis ejuſdem; hanc enim pie & recte, & ordine congruo, Chriſtus a religione a domo Dei ordiri voluit, ex ea ejiciendo vendentes illam profanantes. Idem Chriſti exemplo faciat viſitator, reformator & concionator Apoſtolicus. H

Christus e templo ejicit vendentes.

VERS. 17 RECORDATI SUNT VERO DISCIPULI EJUS, QUIA SCRIPTUM EST (Pſalm. 68. verſ. 10.) ZELUS DOMUS TUÆ COMEDIT ME] Zelus hic fuit iſta Chriſti indignatio, ait Euthymius, aut potius ardor, & æſtus animi, ad emoliendum ea, quæ Deum (quem ſumme amabat) Deique honorem offendebant, quo inde iram & indignationem, quaſi cotem aſſumpſit, ut eo ſe acueret, & audacter ſe, ſuam vitam & famam, pro tuendo Dei honore exponeret. Hoc enim fecit Chriſtus hic coram avaris & ſuperbis Scribis, & Phariſæis, ſibi

A ibi adversantibus. Sensus ergo est, q. d. *Zelus*, id est fervor, ardensque studium procurandæ gloriæ templi tui, in quo tu, o Domine, quasi in domo tua habitas, atque indignatio, quam in vendentes, qui illud profanant & pessundant, concepi, *comedit me*, id est, absorbuit me; Symmachus, *consumpsit*, *exedit me*, sicut ignis ferrum igniens illud consumit, & in se transmutat, ut jam non ferrum, sed merus ignis esse videatur.

Quærit S. Augustinus: *Qui comeditur zelo domus Dei?* ac respondet: *Qui omnia, quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare; non quiescit si emendare non potest, tolerat, gemit, & apud se dicit: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*, psal. 118. v. 139. Unde Beda hic: *Zelemus & nos fratres*, inquit, *domum Dei; si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, detractionibus assuetum; si ebrietati servientem, si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alii cuiquam vitio substratum, studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare pollua ac perversa corrigere: & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Dei consecratur, ubi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus.*

B Porro de zelo dixi Deuter. cap. 32. 10. & Eccli. cap. 48. v. 1. ad illa: *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*. Elias enim zelans pro Deo, fuit typus Christi zelantis pro domo Dei. Vide & quæ de zelo Pauli dixi proœmio in Acta Apostolorum num. 99. & alibi.

VERS. 18 RESPONDERUNT ERGO JUDÆI, ET DIXERUNT EI: QUOD SIGNUM OSTENDIS NOBIS, QUIA (quod) HÆC FACIS?] q.d. Quod miraculum profers, quo ostendas te vendentes præter morem ejicere e templo, auctoritate accepta a Deo? nam ab homine, v. g. a pontifice, vel a præside te nullam habere scimus. Insinuaverat enim Christus se a Deo missum; imo se esse Dei Filium, nam dixerat v. 16. *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. Petunt ergo, ut ipse miraculo probet se esse Dei Patris Filium, & Messiam, sicut Moses signa & prodigia de cælo ostendit, ait Rupertus, quibus Pharaoni & Ægyptiis demonstravit se a Deo mitti ad educendum Hebræos.

C JUDÆI] scilicet ementes & vendentes, quos e templo ejecerat, eorumque fautores & amici, vel patroni, præsertim sacerdotes & Scribæ: hos enim pungebat & urebat Christi animositas, quod ab eo lucris suis privati, & publica ignominia notati forent.

VERS. 19 RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EIS: SOLVITE TEMPLUM HOC, ET IN TRIBUS DIEBUS EXCITABO ILLUD] Apposite auctoritatem suam in templum probat, per potestatem suam reædificandi templum.

Corpus suum vocat Christus templum. Cur? TEMPLUM HOC] Puta corpus meum, quod Christus hic manu ad pectus admota demonstrabat. Ubi nota, corpus Christi vocari templum, quia in eo inhabitabat plenitudo divinitatis, non tantum per gratiam, ut inhabitat in nobis, sed corporaliter & personaliter, Colos. 2. v. 9. Ita Cyrillus. q. d. Vos, o Judæi increduli, petitis a me signum sive miraculum, en ego vobis illud assigno; nimirum meam a morte resurrectionem, quod quidem vobis, quia increduli estis, obscurum nunc est, sed illud paulo post intelligetis, vel facile intelligere poteritis, cum me videbitis die tertia resurgere: inde enim cognoscetis, quis, qualis & quantus ego fuerim; nimirum me fuisse dominum corporis mei, ut illud ad libitum mori finam, & rursum vivificem: ac consequenter me multo magis templi hujus esse dominum; utpote quod corporis mei sit typus & umbra, ac proinde potestatem me habere, vos vendentes & ementes ex illo ejiciendi. Ita Beda.

D Porro Christus corpus suum potius vocat *templum*, quam aliud quidpiam, quia lis hæc in templo, & de templo agebatur, eo quod ex illo vendentes ejecisset. q. d. Ut sciatis, o Judæi, me dominum esse templi, *solvite*, id est, permitto, ut solvatis, ac scio reipsa vos soluturos templum corporis mei, cum me crucifigetis & occidetis, & ego intra tres dies, propria virtute, ait Cyrillus, resuscitabo illud, quasi dominus illius, ac multo magis templi vestri materialis & inanimis, quod tantum figura est templi animati & divini puta corporis mei. *Solvite, dixit*, ait Euthymius, *non adhortans eos ad sui interfectionem, sed, quia cognovit quod facturi erant, figurativo sermone prædixit: solvite ergo, sive in terram subvertite, ab anima separate, & conjunctionem, quæ cum illa est, dissolvite*, Ita Euthymius.

DIXERUNT ERGO JUDÆI: QUADRAGINTA ET SEX ANNIS ÆDIFICATUM EST TEMPLUM HOC, ET TU IN TRIBUS DIEBUS EXCITABIS ILLUD?] Nota. Ter ædificatum fuit templum Judæorum. Primo, a Salomone, per septem annos, 3. Regum cap. 6. 1. De hoc agitur hic, tum quia fuit perfectum annis septem, non 46. tum quia jam pridem combustum, & funditus eversum fuit a Chaldæis; quare a Christo hic designari non potuit. E VERS. 20

Templum Judaicum ter ædificatum.

Secundo, post reditum e captivitate Babylonica templum a Chaldæis combustum, reædificatum fuit a Zorobabele & sociis, anno primo Cyri regis Persarum, usque ad annum sextum Darii Hystaspis, 1. Esdræ 3. 6. quod spatium multi putant fuisse 46. annorum, de iisque hic loqui Judæos. Ita S. Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Eucherius, Toletus, Jansenius, Maldonatus hic, & Eusebius in Chron. qui annos 46. sic computant. Cyrus regnavit annos 30. Cambyses ejus filius & successor annos novem, Magi annum unum, quibus successit Darius Hystaspis, cujus anno sexto perfectum fuit templum: adde omnes hos annos, & invenies 46. Verum hic computus errat: nam annus primus Cyri, quo ipse Judæis dedit facultatem reædificandi templum, intelligitur non regni, quo scilicet ipse cœpit regnare in Perside, regnavitque deinde per 30. annos, sed monarchiæ, quo scilicet ipse, capta Babylone, & occiso Baltassare, monarchiam a Babyloniis transtulit ad se & Persas, ac simul Judæos in Babylone captivos liberavit, liberosque in Judæam remisit, data simul potestate reædificandi templi. Quæ omnia fecit Cyrus anno 27. regni sui, qui fuit primus monarchiæ ejus, quæ tantum tres annos duravit: nam Cyrus tres tantum annos regnavit ut monarcha: tertio enim anno occisus est a Tomyri regina Scytharum. Id ita esse ostendi 1. Esdræ 3. 6. quare ab anno primo Cyri, quo cœpit fabrica templi, usque ad sextum Darii, quo finita est, non fluxere 46. anni, sed 15. dumtaxat: Cyrus enim tres annos regnavit ut monarcha; huic successit filius Cambyses, qui post Cyrum patrem sex dumtaxat annis regnavit, deinde Magi per septem menses. Denique Darius Hystaspis, cujus anno sexto consummatum fuit templum. Adde omnes hos annos, & invenies quindecim dumtaxat. Fieri tamen potuit, ut Judæi Chronologiæ profanæ ignari, computarint hic non 15. sed 46. annos; quia scilicet computabant annos 30. regni Cyri, non tres monarchiæ dumtaxat: nec mirum eos in hoc computu erasse, cum in eodem errarint tam multi interpretes eruditi, Græci & Latini, quos paulo ante citavi. Potuerunt ergo Judæi hic annos 46. tribuere fabricæ templi Zorobabelis, & de eo hic loqui.

Quomodo hi 46. anni ædificationis templi computandi? F

G

Tertio, templum hoc reædificatum fuit ab Herode Ascalonita, qui infantes occidit in Bethlehem, ac ut regnū Judææ sibi suisque posteris assecuraret, & a Judæis haberetur verus Messias, templum eis novum erexit. Et de eo hic loqui Judæos valde est verisimile, ex pronomine *hoc*, quod præsens demonstrat templum, cum duo priora jam pridem essent quasi diruta, ut demonstrari non possent. Cœpit autem Herodes hanc suam tertii templi fabricam, anno regni sui 18. tunc enim suam de ædificando templo voluntatem indicavit, teste Josepho lib. 15. Antiq. c. 14. Quare cum Christus natus sit sub annum regni Herodis 35. uti ostendi Lucæ 2. v. 1. sequitur a cœpto hoc tertio Herodis templo, usque ad nativitatem Christi fluxisse 15. annos, quibus adde annos 30. vitæ Christi, habebis 46. quos quærimus: anno enim 30. quo Christus baptizatus est, hæc Christi cum Judæis disputatio contigit, initio prædicationis suæ. Ita Baronius anno Christi 31.

Herodes Ascalonita templum Hierosolymitanum reædificavit.

H

Dices, Josephus loco citato asserit Herodem octo annis perfeciisse templi fabricam, ubi ergo sunt 46. anni? Respondeo, Herodem octo annis perfeciisse templum, quoad primarias templi partes, scilicet Sanctum, & Sanctum Sanctorum; tamen multis deinde annis in eodem expoliendo per se & posteros suos laborasse, usque ad annum Christi 30. nam in extruendis atriis, porticibus, omnique ejus ornatu intrinseco & extrinseco, tamdiu laborarunt octodecim hominum millia, teste eodem Josepho lib. 20. Antiquit. cap. 8. Sensus ergo est. q. d. Per 46. ann. in hoc templo erigendo & ornando laborarunt, & etiamnum laborant octodecim hominum millia; & tu solus tantumdem spatio tridui efficies?

Denique nonnulli censent Judæos loqui de utroque templo, scilicet Zorobabelis & Herodis: hoc enim tam duplex, quam simplex, sive unum, idemque fuit templum: Herodes enim non tam novum templum extruxit, quam

Digitized by Google

A verus Zorobabelis opus fuit: partem enim ejus deposuit Adrianus, ut eleius, angustius & ornatius erigeret, uti ex Hegesippo & aliis nervose probat Vidalpandus lib. 5. de Templo disput. 4. c. 67. & 68. idemque ego multis ostendi Aggæi 2. v. 10. Templum ergo a Zorobabele 15. annis ædificatum postea per plures annos auctum & ornatum fuit a Machabæis, a Simone Oniæ filio pontifice, Eccli. 50. 1. & ab Herode, quorum annos omnes si computes, facile reperies 46. Ita Arias & Franc. Lucashic, ac noster Gaspar Sanchez Zachar. 1. vers. 12. Sic basilica S. Petri Romæ nova (veteri Constantini Magni diruta) ædificata est per centum annos, ac etiamnum in ea continuo ædificari videmus nunc turres, nunc altaria, nunc sacella, nunc columnas, nunc testudinem, nunc incrustationem, &c.

Mysteria num. 46. Symbolice, 46. anni fabricæ templi, significant totidem diebus fabricatum esse corpus Christi. Audi S. Augustin. lib. 14. de Trinit. cap. 5. *Numerus hic perfectionis corporis Christi congruit: quadragesies enim sexies seni, fiunt ducenta septuaginta sex, scilicet, novem menses & sex dies, tanto autem tempore perfecto corporis Christi ad partum perducta: conceptus enim VIII. Kalendas Aprilis, quo & passus, natus VIII. Kalendas Januarii.* Idem lib. 83. Quæst. q. 59. *Dicitur conceptio humana sex primis diebus lactis habere similitudinem, sequentibus novem converti in sanguinem, deinde duodecim solidari, reliquis octodecim perfecte formari, deinde usque ad partum augeri, qui numerus facit quadraginta quinque, addito uno (quod significat summa) quadraginta sex: que multiplicata per senarium, qui est hujus ordinationis caput, fiunt ducenti septuaginta sex; tantoque quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot fuerunt dies in perfectione corporis Domini.* Idem in Joann. hic tract. 10. *Christus de Adam corpus accepit; grace autem ἀνατολὴ est Oriens, δύσις Occidens, ἄρκτος Septentrio, μεσημβρία Meridies, quorum prima litera faciunt nomen Adam, nempe a quatuor ventis colligendi electi, cum venerit Dominus ad judicium. Habent & litteræ nominis Adam numerum quadraginta sex, secundum Græcos: α enim notat unum, δ quatuor, rursum α unum, & μ quadraginta: ita fiunt quadraginta sex.* Eadem habet Beda, S. Cyprianus (vel quisquis est auctor) tract. de Sion & Sina, Clemens Alexandrin. lib. 6. Strom. & alii.

Nominis Adam litteræ symbolicæ.

C Tropologice anima fabricat sibi templum virtutis & perfectionis, servando quatuor Evangelia & decalogum (quater enim ducta in 10. faciunt 40. qui est numerus solidus, virtutis solidæ & perfectæ index) per senarium hujus hebdomadæ, id est vitæ.

VERS. 21 ILLE AUTEM DICEBAT DE TEMPLO CORPORIS SUI] Quærit S. Chrysost. *Quare dubitantibus non aperuit, se templum carnem suam appellare?* ac respondet: *Quoniam ipsius verbis fidem non habebant*, imo si id aperuisset, Judæi irrisissent eum, & pejus eum tractassent.

VERS. 22 CUM ERGO RESURREXISSET A MORTUIS, RECORDATI SUNT DISCIPULI EJUS, QUIA HOC DICEBAT, ET CREDIDERUNT SCRIPTURÆ, ET SERMONI, QUEM DIXIT JESUS] *Et credidérunt Scripturæ*, quæ Christum a morte resurrecturum prædixit, quam ipsi antea non intellexerunt, sed tunc demum intellexerunt, cum eamdem ipsa in Christi resurrectione completam viderunt. Talis scriptura est psalm. 15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et Osee c. 6. 3. *Vivificavit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.*

D ET SERMONI, QUEM DIXIT JESUS] scilicet, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Crediderunt huic sermoni, cum viderunt Christum die tertio resurgentem: intellexerunt enim Christum de resurrectione corporis, non de refusicitatione templi, metaphorice locutum fuisse.

VERS. 23 CUM AUTEM ESSET HIEROSOLYMIS IN PASCHA IN DIE FESTO (q. d. In die festo Paschæ) MULTI CREDIDERUNT IN NOMINE EJUS] Id est in nomen ejus; puta eum vere gerere, & præ se ferre nomen Messiæ, sive eum vere esse Messiam, hoc est Christum, uti ipse se nominabat, & a fidelibus publica fama nominabatur & celebrabatur. Hebræis enim id est *credere Deo, & credere in Deum*, uti recte probat Jansenius; licet sanctus Augustinus ea hic distinguat.

VIDENTES SIGNA (miracula) EJUS, QUÆ FACIEBAT] ut iis probaret se esse Christum.

VERS. 24 IPSE AUTEM JESUS NON CREDEBAT SEMETIPSUM EIS, EO QUOD IPSE NOSSET OMNES] *non credebat*, id est, *non confidebat*: licet enim sciret eos in se credere, tamen sciebat pariter eos esse mutabiles, & facile ab hac fide posse resilire, ac perverti a rot Pharisæis & Scribis suis hostibus: ipsorum enim magna erat tum auctoritas, cum vis & potestas. Ita S. Chrysost. & Euthym. Quæ de causa Christus cum iis nec secure nec diu versatus est, sed abiit in alia Judææ loca, ut patebit cap. sequenti, v. 23. Sciebat enim non tantum quid jam cogitarent & facerent, sed & quid deinceps contra se cogitaturi & facturi erant, scilicet quod ipsum persequerentur usque ad mortem & crucem.

VERS. 25 ET QUIA OPUS EI NON ERAT, UT QUIS TESTIMONIUM PERHIBERET DE HOMINE: IPSE ENIM SCIEBAT QUID ESSET IN HOMINE] Scrutabatur enim cor cujusque, an constans esset, an levis & inconstans. Quocirca, ut ait S. Chrys. *non curabat exteriora verba, quin in ipsos animos ingreditur, qui in humanas cogitationes irrumpit, qui eorum fervorem mox infrigescere cognoscebat: non opus erat Jesu testibus, ad eas quas formarat mentes cognoscendas. Plus noverat artifex quid esset in opere suo*, addit S. Aug. *quam ipsum opus, quid esset in semetipso. Creator hominis noverat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat. Hac enim dignitas*, ait Cyrill. *vero Deo solummodo, nec ulli creaturarū attribuitur, esse καρδιογνώστην, novisseque hominis animum, nullis exterioribus argumentis declaratum.* Unde Psalmista psal. 32. v. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui omnia opera eorum intelligit*, Ita Franc. Lucas, Jansenius, Barradius & alii.

Tropologice Beda, *Numquam simus*, inquit, *de nostra conscientia securi, sed semper sollicite formidemus: quod enim nos latet, æternum arbitrum latere non potest.*

E F G H

CAPUT III.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHRISTUS Primo, Nicodemum docet regenerationem ex aqua & Spiritu esse viam ad regnum cælorum. Secundo, v. 14. prædicit exaltationem sui in cruce instar serpentis enei a Mose erecti, ut salvet mundum. Tertio, v. 26. Joannes Baptista suos discipulos Christi baptismo obmurmurantes retundit, asserens ipsum esse Ecclesiæ sponsum, cui omnia Pater in manus dedit; ut qui credit in eum, habeat vitam æternam.

VERS. 1 ERat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum.

2. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

3. Respondit Jesus, & dixit ei, Amen: amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?

5. Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

6. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.

8. Spiritus ubi vult spirat: & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat, sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

9. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?

10. Respondit Jesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?

11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.

12. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?

13. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.

14. Et

Digitized by Google

A 14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:

15. ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

18. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

19. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.

B 20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus:

21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

22. Post hæc venit Jesus, & discipuli ejus, in terram Judæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.

23. Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.

24. Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem.

25. Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de Purificatione.

26. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.

C 27. Respondit Joannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.

28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum.

29. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

30. Illum oportet crescere, me autem minui.

31. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est.

32. Et quod vidit, & audivit, hoc testatur: & testimonium ejus nemo accipit.

33. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est.

34. Quem enim misit Deus & verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.

D 35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.

36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

VERS. 1. Nicodemi etymon. ERAT AUTEM HOMO EX PHARISÆIS, NICODEMUS NOMINE, PRINCEPS JUDÆORUM] *Nicodemus*, & inverse *Demonicus*, græce idem est quod *victor populi*, qualis fuit hic, qui superans metum populi, Pharisæorum & Pontificum, credidit in Christum: unde de eo sic scribit Lucianus in Inventione corporis Sancti Stephani, ex ore Gamalielis: *Cognoscentes Judæi illum* (Nicodemum) *esse Christianum, amoverunt eum e principatu suo, & anathematizaverunt eum, & de civitate exulaverunt. Tum ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, & alui, & vestivi, usque ad finem vitæ ejus, & defunctum honorifice sepelivi juxta Dominum Stephanum.*

Quocirca Nicodemus catalogo Sanctorum adscriptus est in Martyrol. Romano ad diem 3. Augusti, ubi hæc habentur: *Inventio corporis S. Stephani Protomartyris: item sanctorum Gamalielis, Nicodemi & Abibonis*, &c. *sub Honorio principe.* B

PRINCEPS JUDÆORUM] puta vir inter eos primarius, senator & e magistratu. Unde cap. 7. 50. dicitur fuisse e concilio principum. Hæc omnia narrat Joannes, ut insinuet causam, cur noctu venerit, & quam difficilis fuerit ejus ad Christum conversio.

VERS. 2. HIC VENIT AD JESUM NOCTE, ET DIXIT EI: RABBI, SCIMUS QUIA A DEO VENISTI MAGISTER: NEMO ENIM POTEST HÆC SIGNA FACERE, QUÆ TU FACIS, NISI FUERIT DEUS CUM EO] *Venit*, ut planius dogmata Jesu ex ipsius ore disceret; *Cupiens*, ait Beda, *secreta ejus allocutione plenius discere mysteria fidei*; & viam salutis.

NOCTE] tum ex pudore: pudebat enim eum per diem, spectantibus aliis, Jesum pauperem adire, ejusque fieri discipulum, cum ipse esset magister in Israel, ut ait Christus v. 10. hoc enim ejus auctoritate & gravitate videbatur indignum: tum ne odium suorum Pharisæorum Christum spernentium incurreret; lucem tamen, quam nocte quæsivit, invenit, ait Rupert. maximaque hausit sacramenta salutis. Quare videtur solus sine famulo & socio noctu ad Christum venisse, cum eo ore ad os collocutus, ejusque doctrinam & spiritum imbibisse. Ita Nonnus. F

VENISTI MAGISTER] Syrus, *ut sis magister Israelis*, id est, Judæorum. Non dicit: Venisti ut sis Messias, sive Christus, quia necdum hac de re inaudierat, vel certe idipsum necdum ei certo constabat: Christus enim initio prædicationis idipsum enunciare noluit, seu sensim illud patefacere.

HÆC SIGNA] Hæc miracula, quæ proximo Paschate vidimus vel audivimus te patrasse in templo, ut quod ex eo solus omnes vendentes & ementes ejeceris.

NISI FUERIT DEUS CUM EO] Nisi Dei auctoritate, ope & omnipotentia fulciatur. Miracula enim Dei sunt opera: non enim humana vel angelica vi, sed solo Deo supernaturaliter operante, fiunt.

VERS. 3. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: AMEN, AMEN DICO TIBI, NISI QUIS RENATUS FUERIT DENUO, NON POTEST VIDERE REGNUM DEI] *Amen, amen*. Joannes passim geminat, *Amen, amen dico vobis*, cum alii Evangelistæ habeant unum duntaxat *amen*. Cur? Resp. Primo, quia ipse præ cæteris altissimas & certissimas habuit revelationes, & altissima mysteria divinitatis cognovit; præsertim in exilio Parhmos, ubi scripsit Apocalypsin, tot habentem sacramenta, quot verba, ait S. Hieron. ac post illam totus senex scripsit Evangelium, cum solus ex omnibus Apostolis esset superstes, ac proinde ipse erat Ecclesiæ os & oraculum, fidei basis & columna, Patriarcharum Patriarcha. Dicit ergo quasi auctoritate pollens, quasi senum senior, quasi patrum Patriarcha: *Amen, amen*. d. d. Ego res sublimissimas & divinas, quæ omnem sensum & fidem humanam superant, mihi tamen a Christo revelatas, ideoque certissimas, & in se verissimas, ac vobis saluberrimas, summa fide & gravitate annuncio: quia Christus vere geminavit, dixitque *Amen, amen*, ad ostendendam rei gravitatem, sublimitatem, & certitudinem; ceteri vero Evangelistæ brevitatis studio, unico *amen* utrumque Christi *amen* complexi sunt: Ego autem, quia præ ceteris Christi sensa æque ac verba ponderavi & penetravi, dico *Amen, amen*, uti Christus ipse dixit. H

G Joannes geminat *amen*: Causa Prima.

Secunda.

Secundo, quia *amen* idem est, quod *vere*: Sanctus Joannes autem delectatur nomine veritatis, itaque vocat Christum, quia ipse est Verbum, ideoque veritas; Patris veritas, inquam, tum speculativa fidei, tum practica prudentiæ & operationis virtutum. Virtutes non sunt aliud, quam lumina & veritates practicæ.

Tertia.

Tertio, quia *amen* partim est nomen significans *verum*, partim est adverbium significans *vere*, unde sic explices: Ille, qui est *Amen*, hoc est Christus, cujus nomen est verus & veritas, *Amen*, id est, in veritate, sive verissime dicit. Sic ut Apocal. 3. v. 14. *Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus*; græce, ὁ Ἀμήν, id est, *ille qui est Amen*, hoc est stabilis, verus, constans, fidelis, ipsaque stabilitas, veritas & fidelitas. *Amen* ergo est epithetum, quod Christo tribuit Sanctus Joannes. Vide dicta Apoc. c. 3. 14. & c. 22. 20. ubi nonnulli censuere *amen* denotare 99. annos, quos vixit Sanctus Joannes.

Quarta.

Quarto, *Amen, amen*, notat materiæ, rerumque quæ a Joanne dicuntur, summam veritatem & certitudinem. q. d. Quæ ego dico, sunt *amen, amen*, id est, *vera, vera*,

Digitized by Google

A hoc est verissima, certissima, & omnia alia veritate veriora, omni alia certitudine certiora.

unta, Quinto, per *Amen*, *amen* insinuat geminum modum certitudinis; scilicet quod S. Joannes ea quæ scribit cognoverit per duplicem cognitionem naturalem & divinam, puta per experientiam & revelationem; nam & oculis ea vidit, auribusque audivit, & a Christo revelante, cum in sinu ejus recumberet, ea intellegit. Unde ep. 1. c. 1. sic incipit: *Quod vidimus, quod audivimus, quod manus nostræ contrectaverunt*, &c. *annunciamus vobis*.

NISI, QUIS RENATUS FUERIT] Nota. Ex hoc Christi responsione colligendum relinquit Joannes, quod Nicodemus tacite vex expresse rogarit Christum, ut se doceret viam ad regnum cælorum, quod ipse prædicabat: Christus enim huic interrogationi respondet, viam ad cælum esse baptismum.

DENUO] Græce ἄνωθεν, quod duo significat. Primo superne, de sursum, cælitus, q. d. Nisi quis renatus fuerit regeneratione cælesti & divina, non potest introire re-
B gnum Dei. Ita Cyrill. & Theoph. Secundo, ἄνωθεν significat denuo, iterum, & ita hic accipiendum esse liquet ex responsione Nicodemi v. 4. Ita S. Chrysost. Nonnus, Euthym. Unde Syrus vertit, *a principio*, id est, iterato. q. d. Duplex est hominis nativitas, ut naturalis & carnalis, qua ex patre & matre carnaliter nascitur, ideoque carnalis & peccato originali obnoxius in lucẽ prodit; quare hæc hominem non cælo, sed inferno obnoxium facit. Unde ergo homo a peccato hoc, in prima nativitate contracto expietur, necessum est ut accedat secunda nativitas spiritualis, qua in baptismo ex aqua & spiritu renascatur, itaque a peccato expietur & sanctificetur.

NON POTEST VIDERE REGNUM DEI] *Videre*, id est, frui, possidere. Est metalepsis. Sic Latini dicunt hereditatem cernere, id est, adire, possidere, occupare.

VERS. 4. DICIT AD EUM NICODEMUS: QUOMODO POTEST HOMO NASCI, CUM SIT SENEX? NUMQUID POTEST IN VENTREM MATRIS SUÆ ITERATO INTROIRE, ET RENASCI?] *Non noverat iste*, ait S. August. *nisi unam nativitatem ex Adam & Eva*. Qua de causa, addit Cyrill. *Spiritualem nativitatem non capiens, nec ultra res humanas quidquam cogitans, corporalem quemdam ventrem*,
C *& reditum hominis, & partum fingere cogitur*.

VERS. 5. RESPONDIT JESUS: AMEN, AMEN DICO TIBI, NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU SANCTO, NON POTEST INTROIRE IN REGNUM DEI] Calvinus ut vim justificandi, & necessitatem baptismi baptismo deroget (censet enim filios fidelium, hoc solo quod fidelium filii sunt, in utero justificari) negat hic agi de baptismo: quare per aquam, non aquam, sed Spiritum sanctum, qui credentes in Christum per fidem purgat ut aqua accipit, q. d. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, & (id est, ex) *Spiritu sancto*. Sic, inquit, Matth. 3. 11. dicitur, *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*, hoc est in Spiritu sancto, qui instar ignis vos amore Dei accendet & ignict. Ita ipse. Verum hæc omnia absurda sunt, contorta, & erronea, & ut hæretica ab Ecclesia damnata.

Calvini expositio eo torta & erronea rejicitur.

Primo enim, quorsum hic Christus facit mentionem aquæ, si ex aqua, non homo, sed piscis dumtaxat renascitur? cur non breviter & clare Nicodemo rerum Christianarum rudi, & ignaro (quem hic catechizat, & ut puerum
D instruit) dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto*.

Secundo, quia simili modo huc alludens Paulus ad Titum 3. v. 5. baptismum vocat *lavacrum regenerationis*. Ergo in eo spirituali nativitate per aquam renascimur, simusque filii Dei, qui prius eramus filii diaboli & iræ, Ephes. 2. 3.

Tertio, si hunc locum cum Calvino detorquere licet, licebit omnes alios, totamque S. Scripturam detorquere: nec in ea extabit clarum præceptum, vel institutio baptismi.

Quarto, Calvinus ejusque asseclæ non possunt contra Anabaptistas probare, baptizandos esse infantes, usu rationis & fidei carentes, ex alio S. Scripturæ loco, quam ex hoc. Ergo cum ipsi traditiones non admittant, ex hoc loco id probent oportet, nisi ab Anabaptistis se victos fateri velint.

Quinto, ita explicant omnes Patres & interpretes orthodoxi, ac Concilium Trident. sess. 7. can. 2. Nec obstat illud Matth. 3. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*: quia ibi verus accipitur ignis, æque ac hic aqua: agitur enim ibidem de Pentecoste, in qua Spiritus S. specie ignis & linguarum ignearum in Apostolos descendit.

Porro recte & congrue aqua in baptismo a Christo est E institutus ad hanc spiritalem regenerationem. Primo, quia aqua optime interiorem regenerationem repræsentat; nam ex aqua, initio mundi, cæli omnes, cæteraque omnia genita & producta sunt, uti docui Gen. 1. v. 2. & 3. Secundo, quia humiditas, qualis est in aqua, maxime in generatione ad prolem formandam concurrit, ut docent Physici. Rursum, quia justificatio est quædam animæ a sordibus peccatorum expurgatio, quæ optime per aquam designatur, Ita D. Thomas 3. part. qu. 66. art. 3. qui & addit: *Aqua sua frigiditate temperat superfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis: sua diaphaneitate est luminis susceptiva: unde competit baptismo in quantum est fidei sacramentum: Tertio, quia convenit ad repræsentandum mysteria Christi, quibus justificamur: Ut enim dicit Chrysostomus super illud Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, & deinde novus rursus ascendit. Quarto, quia ratione sua communitatis & abundantiæ est conveniens materia necessitatis hujus Sacramenti; potest enim ubique de facili haberi.*

Cur aqua est materia baptismi? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

F

Quæres, cur Christus dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, & non potius dicit, *Ex aqua & forma baptismi*? Aqua enim est materia baptismi: forma vero est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritui sancti*. Ex materia enim & forma, velut essentialibus sui partibus, componitur baptismi Sacramentum. Respond. Quia voluit Christus Nicodemo seni inveterato, novitatem vitæ & generationis spiritualis describere, per analogiam & similitudinem generationis naturalis, ad quam concurrit pater & mater. Simili enim modo ad regenerationem spiritualem, quæ fit in baptismo, concurrit aqua quasi mater, & Spiritus sanctus tanquam pater: ipse enim est primarius agens & effector gratiæ & sanctitatis, per quam filii Dei renascimur in baptismo: sicut in generatione Christi B. Virgo erat mater, Spiritus sanctus erat vice patris, juxta illud: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, Lucæ 1. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, Ammon, & alii.

G

Ex hoc loco igitur S. Aug. lib. de Pecc. cap. 10. contra Pelagium, probat infantes nasci in peccato originali: ideo enim renasci debent in baptismo, ut ab illo peccato expurgentur: ac ridet Pelagianos, qui ut locum hunc eluderent, dicebant infantes morientes sine baptismo, ingressuros in regnum cæli & vitam æternam, non autem in regnum Dei, quasi aliud sit regnum Dei a regno cælorum.

Hinc, infantes nasci in peccato originali probatur.

Denique renatus ex aqua, hic intelligi debet, vel reipsa, vel voto. Qui enim de peccatis conteritur, optatque baptismum, nec eum ob defectum aquæ vel ministri suscipere potest; renascitur ex baptismi voto & desiderio. Ita differte hunc locum explicat Concilium Trident. sess. 7. can. 4. de Sacramentis in genere.

Baptismus quando institutus.

Nonnulli censent hic institutum esse a Christo baptismi Sacramentum. Verum non est verisimile Christum secreto, coram uno Nicodemo instituisse publicum baptismi Sacramentum: quare illud publice instituit in suo baptismo, quo in Jordane baptizatus est, vel certe paulo post prædicans & baptizans, uti dixi Matth. 3. sub finem. Baptismus tamen H licet jam a Christo institutus, non obligavit Judæos aliosque homines, nisi post mortem Christi in Pentecoste: tunc enim facta est promulgatio legis Evangelicæ, cujus initium est baptismus. De hoc tempore loquitur hic Christus. q. d. Jam instat tempus & obligatio legis Evangelicæ: quare tunc desiit obligare lex vetus, & circumcisio, ac ejus loco successit & obligare cœpit lex nova, & baptismus, in quo nemo nisi renatus ex aqua & Spiritu sancto poterit introire in regnum Dei; cum scilicet lex nova promulgabitur in Pentecoste. Unde hoc Christi præceptum magis ad futurum in Pentecoste tempus, quam ad præsens spectare, asserit D. Thomas 3. part. quæst. 66. art. 2. ad 3.

Porro *nisi quis renatus fuerit*, innuit jam baptismum a Christo paulo ante fuisse institutum: Christus enim id dixit Nicodemo paulo post baptismum suum, cum prædicare & baptizare inciperet: neque illi necessarium ad salutem esse baptismum asseruisset, nisi is jam fuisset institutus.

VERS. 6. QUOD NATUM EST (quod nascitur, gignitur, producitur) EX CARNE, CARO EST: ET QUOD NATUM EST EX SPIRITU (sancto) SPIRITUS EST] Dicit hoc Christus, ut necessitatẽ regenerationis ex aqua & Spiritu sancto ostendat, simul ut ejus rationem, præstantiam & fructũ declaret.

Tale

A Tale ergo est Christi argumentum: Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: sunt enim carnalia, regnum vero Dei est spirituale; ergo cum ex carnali generatione non nascatur nisi caro, id est, homo, animalis & carnalis, peccato obnoxius, & ad peccata proclivis, ideoque regno Dei indignus & ineptus; hinc sequitur eum, ut regnum Dei spirituale ingredi possit, debere ex aqua & spiritu spiritualiter renasci, ut spiritus, id est, spiritalis, itaque regno Dei aptus, dignusque fiat. Quare *non est quod mireris, o Nicodeme, id quod dixi, oportere te renasci ex aqua & Spiritu sancto: sicut enim caro generat carnem, id est, rem corpoream & carneam, sic Spiritus generat spiritum, id est, rem spiritalem: tale enim est genitum qualis est generans: hic enim in id quod gignit, suam substantiam transfundit, quoad illa transfundi potest.* Argumentum Christi ad Nicodemum.

Quomodo Spiritus S transfundatur in baptizatos.

Naṁ Spiritus sanctus suam substantiam, hoc est divinitatē in baptizatos transfundere nequit; sic enim eos faceret vere & proprie deos, sicut ipse vere & proprie est Deus, quod est impossibile: transfundit ergo se in eos, quoad fieri potest, per gratiam & dona sua spiritualia, quibus baptizatos sibi similes, id est, spirituales, sanctos, cælestes & divinos effecit. Ita S. Cyrillus, Chrys. Euthymius, Theoph. & alii. Adde tamen, Spiritum sanctum cum donis suis seipsum quoque donare animæ, quam sanctificat, & sibi in filiam adoptat, ideoque justificationem ipsius proprie esse regenerationem spiritalem, per quam renascimur filii, & divinæ consortes naturæ, uti pluribus ostendi Osee 1. v. 10. ad illa, *Dicetur eis, Filii Dei viventis.*

B

VERS. 7. NON MIRERIS QUIA DIXI TIBI, OPORTET VOS NASCI DENUO] Est conclusio illata ex versu præced. uti jam dixi, unde Chrys. *Non disputamus*, ait, *de carne, sed de spiritu, noli arbitrari, quod carnem spiritus pariat, vel caro spiritum.* E spiritu ergo renascaris oportet, si spiritus, id est, spiritalis, & cæli candidatus fieri exoptas.

VERS. 8. SPIRITUS UBI VULT SPIRAT: ET VOCEM EJUS AUDIS, SED NESCIS UNDE VENIAT, AUT QUO VADAT: SIC EST OMNIS, QUI NATUS EST EX SPIRITU] Pergit Christus Nicodemo rationem & naturam regenerationis spiritalis explicare, eique admirationem, quomodo illa fieri possit, eximere: q. d. Ne mireris te illam non intelligere, quia ipsa spiritualis est & invisibilis.

C

Spiritus primo est ventus.

Quæres, quis hic intelligatur spiritus? Primo, plane & simpliciter spiritus est ventus: huic enim comparat Spiritum sanctum, ut patet ex eo, quod subjicit: *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* q. d. Sicut ventus; quocumq; eum trahit voluntas, id est, appetitus suus naturalis ad standum, ibi stat & spirat, & tamen eum, ejusque determinatum locum non perspicis, nec prævides, sed tantum ejus effectum & vocem, id est, sonitum & stridorem percipis: ita multo magis nec tu, o Nicodeme, nec quis alius, quantumvis subtilis, & perspicax, regenerationem hanc spiritualem, ejusque finem & terminum, vel sensu, vel lumine naturali percipere valet; sed tantum eam cognoscit ex revelatione & afflatu Spiritus sancti, etiamsi symbola ejus externa aquæ & ablutionis in baptismo videat, & oculis conspiciat. Ita S. Chrysostomus. Si venti, inquit, quem sentis, viam nescis, quomodo Divini spiritus operationes scrutaberis? Sic & S. Cyrillus, Theophyl. Euthym. Jansen. & alii. Ludit Christus analogice in voce *spiritus:* prius

D

enim per spiritum accipit ventum, deinde accipit ipsum Spiritum sanctum, quia ventus index & symbolum est Spiritus sancti, ut patet Act. 2. v. 1. ubi Spiritus sanctus per speciem venti validi descendit in Apostolos.

Secundo Spiritus sanctus.

Secundo, sublimius S. Aug. Didymus, Nazianz. S. Ambros. S. Greg. Origenes, & alii, quos citat & sequitur Toletus, per *Spiritum* accipiunt Spiritum sanctum. q. d. Spiritus S. ubi vult spirat, & quibus vult aspirat suos fidei, pœnitentiæ & gratiæ impulsus. *Et vocem ejus audis*; per prædicationem meam, meorumque prædicatorum, ait S. Aug. Origenes, Beda & Rupertus: aut *vocem*, id est, ejus efficaciam & effectum sentis, ait Ammon. *Sed nescis unde veniat, aut quo vadat.* q. d. Nescis quomodo in hominem introeat, & quomodo redeat, ait Alcuinus & Beda, quia natura invisibilis. Rursum nescis quomodo credentes ad fidem introducat, & quomodo fideles ad spem, charitatem, aliasque virtutes perducat, ait Ammon. Adhæc nescis quomodo homines in filios Dei regeneret, & ad regnum Dei conducat. Denique nescis quomodo animam hominis immutet, renovet, sanctificet, nescis ad quantam perfectionem ducat nascentem ex se, ait Glossa.

SIC EST OMNIS, QUI NATUS EST EX SPIRITU] τὸ *sic*, juxta hunc sensum, non est vox comparantis, sed confirmantis. q. d. *Sic prorsus*, ut jam dixi, agitur cum omni fideli, *qui in baptismo renascitur ex Spiritu Sancto.* Simile est Marc. 4. 26. *Sic est regnum Dei.* Alludit ad priscos heroes, qui *Spiritus sancti impulsu*, heroica fortitudinis & virtutum opera ediderunt. Cum enim Samson quid magni aggressus est, *dicitur* in eum irruisse *Spiritus Domini*, Judic. 14. v. 6. & 19. Sic idem spiritus dicitur induisse Gedeonem, Judic. 6. 34. & insiliisse in Saul, & mutasse eum in virum alterum. 1. Reg. 10. 6. 10.

E

Tertio, Maldon. per *spiritum* accipit animam, q. d. *Quid mirum, o Nicodeme, si non intelligas quomodo* homo ex Spiritu sancto regenerari possit, cum intelligere non possis, quomodo ex Spiritu illo naturali, quo vivit, generetur? Spiritus enim animalis *ubi vult spirat*, i. e. quæ vult animat corpora, & ex mortuis viva reddit; vult autem non omnia, quæ homines volunt, sed quæ ita affecta sunt, ut animari ab illo possint. *Et vocem ejus audis*, quia loquentem hominem, hinnientem equum, rugientem leonem vides, & ipsam quodammodo loquentem animam audis: unde intelligis hominem vivere? *Quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum*, Sap. 2. 2. Nescis tamen unde veniat, aut quo vadat, quia ignoras quomodo anima *in corpus ingrediatur*, quomodo egrediatur e corpore, unde gignatur, aut in quid desinat. Si ergo spiritus, i. e. anima illa, quæ vult corpora animat, & per ea loquitur, moritur & nascitur; & tamen ejus generationem, modumque, quo advenit & abit, ignoras; quid mirum, si non intelligas modum spiritualis regenerationis, quo ex Spiritu & baptismo fidelis renascitur? Hic sensus novus quidē, sed appositus & connexus est. Ducit enim argumentum a generatione naturali animæ ad generationem spiritualem gratiæ, quæ fit virtute Spiritus sancti, ac ex illius occultatione evincit, hanc longe esse occultiorem. Sic pariter occultissima sunt, quæ Deus in anima operatur, dum eam radiis suæ lucis illustrat, consolatur, corroborat, inflammat, ac subinde a se abalienat, a terra in cælum rapit, imo in se quasi transformat. Nam, ut ait S. Dionysius, divinus amor facit ecstasin, ut terrena bona & mala non sentiat, sed super omnia elevatus, non nisi divina capiat & sapiat.

Tertio, anima.

F

Tropologice, hinc disce cuilibet ambiendos, consulendos, sequendos Spiritus Sancti instinctus. Unde Arist. l. 7. Moral. *His*, inquit, *qui moventur per instinctum divinum, non expedit, consiliari secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum, quia moventur a meliori principio.*

G

Moraliter.

Melius S. Thom. 1. 2. q. 68. art. 2. ad 3. *Ille*, ait, *cujus scientiæ & potestati omnia subsunt, sua motione a stultitia & ignorantia, & hebetudine, & duritia, & ceteris hujusmodi tutos non reddit, quando per ipsius dona ejus instinctum sequimur perfecte.* Porro quomodo Spiritus sanctus occulte animam visitet, experientia sua docet S. Bern. Serm. 74. in Cant.

Rursum S. Greg. l. 2. Dialoc. c. 21. *Prophetiæ spiritus*, inquit, *Prophetarum mentes non semper irradiat, quia sicut de Spiritu sancto scriptum est, Ubi vult spirat: ita sciendum est, quia & quando vult, aspiret.* Probat id exemplo Nathan 2. Reg. 7. Elisæi 4. Reg. 4.

RESPONDIT NICODEMUS: QUOMODO POSSUNT HÆC FIERI?] *Animalis enim homo* (qualis erat adhuc Nicodemus) *non percipit ea quæ sunt Spiritus*, 1. Cor. 14. sicut rustici non capiunt quæstiones Scholasticas, ac pueri nil noverunt nisi nuces suas, quas sapiunt.

VERS. 9.

H

RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: TU ES MAGISTER IN ISRAEL, ET HÆC IGNORAS?] q. d. Tuum erat, o Nicodeme, qui quasi Rabinus, cæteros Israelitas doces legem & Scripturas, hæc scire & docere. Hæc enim, quæ de regeneratione baptismi dixi, manifeste prædicta sunt ab Ezechiele c. 36. 24. (*Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, &c. & dabo vobis cor novum, & spiritum novum.* Ita S. Chrys.) & ab aliis Prophetis, eademque tibi clare a me jam exposita sunt: cur ergo ea ignoras? nimirum quia Judæus es, solum capis Judaicas lustrationes, & cæremonias corporales: Christi vero & Christiana mysteria, licet a Prophetis prædicta, quia spiritualia sunt, necdum cognovisti, sed ea sensim me docente cognosces. Nam, ut S. Aug. ait Beda, Christus hæc dixit: *Non insultare ei volens, sed ad humilitatis illum viā provocans*, itaque eū ad res Christianas capiendas disponens.

VERS. 10.

AMEN, AMEN DICO TIBI; QUIA QUOD SCIMUS LOQUIMUR, ET QUOD VIDIMUS TESTAMUR, ET TESTIMONIUM NO-

VERS. 11.

Digitized by Google

A NOSTRUM NON ACCIPITIS] q.d. Ego mysteria divina de Deo, de Spiritu Sancto, deque ejus regeneratione spirituali in baptismo, &c. quæ tibi, o Nicodeme, prædico, verissime & certissime scio, quia ego, qua Deus, illa vidi in scientia divina; qua homo vero eadem vidi per visionem beatificam, ac per scientiam infusam. Quare mihi testificanti credere debetis: sed major Judæorum pars incredula mihi non credit, nec testimonium meum recipit, imo tu quoque, Nicodeme, ea necdum credis, quia de iis contra me disputas. Tacite hortatur Christus Nicodemum, ut hæc mysteria ratione non scrutetur, ut ea intelligat, sed fide credat. *Omissa exquisitiore investigandi diligentia*, ait Cyrill. *simpliciore fide quod intelligere non poterat, recipiendum esse consulit, auctoritate sua contradicendi iter illi obstruens.* Loquitur Christus de se in plurali, *Quod scimus loquimur*, id est, quod scio loquor, ad pondus testimonii, quod solet a pluribus dari; & quia innuit Patrem & Spiritum sanctum, plures secum esse testes, qui per os ejus loquantur. In Christo enim *inhabitavit plenitudo divinitatis* (ac consequenter tota S. Trinitas) *corporaliter*, Coloss. 2.

B SI TERRENA DIXI VOBIS: ET NON CREDITIS: QUO VERS. 12 MODO SI DIXERO VOBIS CÆLESTIA, CREDETIS?] Si tu, o Nicodeme, per terrenas similitudines, de humana generatione, de carne, de spiritu & vento allatas non capis res divinas, quomodo eas capies, si nude easdem tibi proponam? possem quidem ipsum facere, quia easdem nude vidi, & oculis mentis conspexi; sed oculi tui cæcutientes ad tantam lucem hebescent, ut eam intueri nequeant. Quare suadeo tibi ut eas amplius non scruteris, nec de iis mecum disputes, sed simplici fide eas credas.

Paulo aliter S. Chrys. quem de more Theoph. & Euthym. sequuntur, q.d. *Terrena*, inquit, *terrenum baptisma dicit, vel quod in terra perficiatur, vel quod ad sua ipsius ineffabilis generationis comparationem ita appellat.* q.d. Si non capitis terrenum meum baptisma, quomodo capietis mysteria divina de S. Trinitate, de æterna Verbi generatione, processione Spiritus sancti, de justorum felicitate, gloria, &c. Noli ergo, o Nicodeme, pergere ea curiose exquirere, de iisque mecum disputare, sed mihi quasi testi oculato & divino ea affirmati simpliciter crede.

C ET NEMO ASCENDIT IN CÆLUM, NISI QUI DESCENDIT VERS. 13 DE CÆLO, FILIUS HOMINIS, QUI EST IN CÆLO] *Et* ponitur pro *tamen*, vel certe τὸ *tamen* subauditur. q.d. Mihi non creditis, & tamen nemo alius ascendit in cælum, ibique illa, quæ prædico, contemplatus est, nisi ego, qui sum Deus & homo, ac ut Deus descendi in terram, & naturam humanam assumpsi, ut vos illa docerem. Elevat Christus mentem Nicodemi, ut cogitet se non tantum esse hominem, sed in homine latere Deum, qui est in cælo, imo cælum & terram implet, ideoque plane sibi fidem adhibeat, & in se credat. Vult enim probare Christus sibi cælestia prædicanti, præ omnibus esse credendum, ex eo quod ipse solus in cælo illa intuitus fuerit, juxta illud cap. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

ASCENDIT] Græce est, ὁ ἀναβέβηκεν, id est, *ascendit* in præterito, non in præsenti, multo minus in futuro. Quare hic locus de futura Christi in cælum ascensione intelligi nequit. Porro Christus expresse tantum ait; neminem alium a se ascendisse in cælum, quo tacite innuit se

D eo ascendisse, id est, se ibi fuisse, ibique Deum & omnia mysteria divina conspexisse. Est metalepsis. Loquitur enim Christus de se ut homine: homines autem non possunt esse in cælo, nisi e terra sua in cælum ascendant. Christus ergo qua Deus ascendit in cælum, id est ab æterno fuit in cælo, imo in cælorum apice & summitate, perinde ac in cælo foret homo, qui e terra in cælum conscendisset: unde explicans subdit: *Filius hominis qui est in cælo*. Ita Toletus.

Subtilius Maldonat. Christus, inquit, qua homo ascendit in cælum, ab initio suæ incarnationis, non per humanitatis elevationem in cælum, sed per communicationem idiomatum, quia incarnatus & homo factus mox fuit in cælo, per communicationem jam dictam, & sic recte dicitur eo ascendisse. Sicut enim de Deo in Christo incarnato, per communicationem idiomatum recte dicitur, quod Deus sit in tempore natus, passus, crucifixus, mortuus, quia humanitas a Deo assumpta in tempore est nata, passa, crucifixa: sic vicissim de homine Christo per eamdem communicationem vere dicitur: Hic homo fuit ab æterno, hic homo est in cælo, hic homo adoratur ab angelis, quia scilicet divinitas, quæ est in eadem persona Christi, fuit ab æterno, est in cælo, adoratur ab angelis.

E Addit Emmanuel Sà Christum, qua homo est, ab initio incarnationis dici ascendisse in cælum, quia ex tunc anima ejus vidit Deum, fuitque beata, quæ magna est in cælum, imo in cælum cælorum, ascensio.

Perperam ergo Ubiquetarii hæretici ex hoc loco contendunt corpus Christi esse ubique, eo quod divinitas ejus sit ubique: proprium enim divinitatis est esse ubique, humanitatis vero proprium est esse in certo & determinato loco, quo circumscribitur. Ubiquetariorum hæresis.

NISI QUI DESCENDIT DE CÆLO] Hinc Valentinus contendebat Christum e cælo attulisse corpus, quare illud non accepisse in terra, ex B. Virgine, sed per eam solùm quasi per canalem transisse, quæ est hæresis jam olim ab Ecclesia damnata. Dicitur ergo Deus, sive Verbum, in incarnatione descendisse de cælo, per catachresin & metalepsin; Deus enim proprie locum non mutat, aut descendit. Dicitur tamen descendisse, quia in terra humanam naturam assumpsit, itaque per hanc novam in terra incarnationis operationem, hominibus visus est e cælo in terrâ descendisse. Loquitur enim Script. anthropopathès, sive ex more & sensu hominum, qui concipiunt Deum in terram descendere, sicut homines descendunt ex loco alto in demissum, sive ex monte in vallem. Sic Gen. 18. dicitur Deus descendisse ad videnda & castiganda scelera Sodomæ. Causam dat S. Cyrill. in Concilio Ephesino; *Quia*, inquit, *Deus Verbum semetipsum exinanivit, ac Filius hominis appellatus fuit; manens interim quod erat, hoc est Deus, sit ut tamquam unus cum propria carne consideratus, e cælo descendisse dicatur.* Valentinus Christum e cælo corpus attulisse contendebat.

F FILIUS HOMINIS, QUI EST IN CÆLO] Explicat & inculcat quod dixit, *Ascendit in cælum*. q. d. Christus ascendit in cælum, id est, qua Deus ab æterno fuit in cælo, quia ipse semper est in cælo, tamquam cælorum conditor, moderator, imperator, dominans in toto universo. *Filius hominis* ergo, id est, Christus homo, dicitur esse in cælo per communicationem idiomatum, quia ejus divinitas erat in cælo, ut dixi. His verbis ait Synodus IV. Oecum. act. 12. *nos instruit quod divinitati unitæ est caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, ut discrete atque inconfuse sic indivise videretur conjungi, ut nimirum stupenda mirabiliter manentibus utrarumque naturam differentiis cognoscatur miri.*

G ET SICUT (q.d. Sicut autem) MOYSES EXALTAVIT SERPENTEM IN DESERTO, ITA EXALTARI OPORTET FILIUM HOMINIS, VERS. 14

UT OMNIS, QUI CREDIT IN IPSUM, NON PEREAT, VERS. 15 SED HABEAT VITAM ÆTERNAM] Pergit Christus catechizare Nicodemum, unde sicut v. præced. ei exposuit, se esse Deum, sic hic exponit se factum esse hominem, ut pro hominum redemptione crucifixus, mereatur ut omnis, qui in eum credit, & per mortis ejus meritum salutem sperat, eamdem consequatur. Sic enim solet Christus de se loquens summis ima, divinis humana, gloriosis funesta jungere & subtexere. q.d. *Quicumque percussus fuerit a serpentibus peccatorum, Christum intueatur, & habebit sanitatem in remissionem peccatorum*, ait Hadrianus I. Papa epist. 3. ad Carolum regem Francorum, Act. 5. Idem ex hoc serpente probat licitum esse usum imaginum. Additque: *Figura præstabat vitam temporalem; res ipsa, cujus illa figura erat, vitam æternam.*

H Citat Christus historiam Hebræorum Num. 21. 5. sequ. cum enim Hebræi in deserto murmurarent contra Deum & Moysem, Deus misit in eos ignitos serpentes (qui tropolog. ait Glossa, significabant incentiva vitiorum) qui eos morderent, & igneo suo veneno necarent, & quasi cremarent. Quocirca Hebræi pœnitentes postularunt a Mose remedium. Moses jussu Dei fabricavit æneum serpentem, eumque in pertica erexit, ut a singulis per tota castra aspici posset; quare qui eum aspiciebant a morsu serpentum illico per miraculum sanabantur. Hic enim serpens repræsentabat Christum, qui formam habebat peccatoris, at non venenum peccati; Christus enim in cruce erectus est, ut omnis in eum per fidem aspiciens, & salutem sperans, a peccato Adæ per serpentem inducto, cæterisque omnibus, quæ ex eo consecuta sunt, saneretur. Ita S. Aug. de Pecc. merit. l. 1. c. 32. *Exaltatus serpens*, inquit, *est mors Christi; a serpente quippe mors venit, qui peccatum homini persuasit: Dominus autem in carnem suam non serpentis venenum, id est peccatum, transtulit, sed mortem, ut esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa; unde & pœna solveretur a culpa.* Et Theoph. *In illo serpente*, ait, *species quidem bestiæ, sed non veneni: sic in Christo similitudo carnis peccati, non peccati.* Audi S. Cyrill. in Conc. Ephesino acute & Serpens æneus figura Christi.

Digitized by Google

A eleganter hæc explicantem: *Et quid iſtud enigma ſibi vult? Cur ſublatum ſerpentem conſpicatus vita donatur? Unigenitum Dei Verbum, quod ſuapte natura vita eſt, nobis ſimile, hoc eſt homo factum. Eſt autem homo res quadam noxia, ſerpenti non ab ſimilis. At vero licet ut homo nobis aſſimilatus ſit, ſi quis tamen in illum aſpexit, morte ſuperior evadit. Sed quid aliud, obſecro, eſt illum intueri, quam incarnationis illius myſterium exacto animi judicio expendere?* Addit S. Epiph. hæreſi 37. Chriſtum comparari ſerpenti, quia Judæi eum ut ſerpentem deſpiciebant & abominabantur: *Inſtar ſerpentis*, inquit, *Dominum Salvatorem ignominia afficiebant.*

Serpentis ænei analogiæ cum Chriſto.

Pleniſſime vero S. Chryſ. cauſam & analogias ſerpentis ænei & Chriſti aſſignat: *Ne enim*, inquit, *quis diceret: Quomodo poſſunt in crucifixum credentes ſalvi fieri, cum ſe a morte non liberavit: veterem in medium adducit hiſtoriam. Nam ſi ad æri ſerpentis ſimulacrum aſpicientes Judæi, a morte liberabantur: quanto majori, qui in crucifixum credunt, beneficio fruentur? Illic enim mortem fugerunt Judæi temporalem, hic ſempiternam fideles. Illic ictus ſerpentum ſuſpenſus ſerpens ſanavit, hic in corporei ſerpentis plagas Jeſus cruci affixus curavit. Illic corporeis oculis ſuſpicientes, corporis ſalutem, hic incorporeis omnium peccatorum remiſſionem conſecuti ſunt. Serpens illic mordebat, & ſerpens ſanabat; hic mors perdidit; & mors ſalvum fecit. Ad hæc interimebat ſerpens, veneno ſæviebat, qui liberabat nullo. Sic & hic, quæ perdebat mors peccatum habebat; quemadmodum ſerpens venenum: Domini autem mors ab omni immunis erat peccato, ut æreus ſerpens veneno. Vides ut figura conſentiat veritati.*

B

Exaltavit] id eſt ex ligno alto ſuſpendit, unde heb. Num. 21. 9. additur עַל נֵס *al nes*, i.e. *ſuper vexillum*, puta ſuper haſtam vexillarem, inſtar vexilli erectam: hoc enim typus & figura erat vexilli crucis Chriſti, ad quod ipſe fideles ſuos, quaſi milites advocat. Hanc autem haſtam cum ſerpente æneo ex illa ſuſpenſo, Moſes fixit & erexit ſuper tabernaculum, quod in deſerto, in medio caſtrorum ſitum, Hebræis erat vice templi, teſte Juſtino ſub finem Apol. 2. ad Ant. Imp. quo ſignificabatur crucem Chriſti figendam, & adorandam in templo ab omnibus infidelibus, quaſi fidei & religionis Chriſtianæ vexillum & trophæum.

C Quærit S. Chryſ. *Cur non dixit ſuſpendi, ſed exaltari?* ac reſpondet: *Ut neque ignominioſum auditori, neque a figura abhorrens videretur.* Plura de hoc ſerpentis ænei ſymbolo, & Chriſti crucifixi typo dixi Num. 21. 9. Hinc liquet inepte Calvinum interpretari hanc Chriſti exaltationem, eſſe Evangelii ejus prædicationem, non autem ejus crucifixionem.

Ut omnis, qui credit, illique obedit leges ejus ſervando, ſive qui in eum credit, fide non nuda & informi, ſed per charitatem formata, habeat vitam æternam] per gratiam, pœnitentiam, virtutes & bona opera, quæ illi Chriſtus a cruce aſpirat hoc fine, ut vitam, felicitatem & gloriam æternam mereatur & aſſequatur.

Vers. 16

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum (Syrus *unicum*) daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam] Arab. *ſic dilexit Deus mundum, ut dono dederit Filium ſuum*, & conſentit more ſuo Ægyptius, ac cæteri. Eſt occupatio: ne enim Nicodemus miretur & objiciat: Si Filius Dei es, quomodo ergo Deus permittet te ſuſpendi & exaltari in cruce? Occurrit Chriſtus Deum id permiſſurum, ut igneam & immenſam ſuam in homines charitatem demonſtret, quam proinde repræſentabat ſerpens æneus, qui hebraice vocatur שָׂרָף *ſaraph*, i.e. igneus, & igniens, ac ignitos deſerti ſerpentes afflans & comburens. Ita S. Chryſ. & Theoph. Audi S. Amb. l. 2. de Jacob, & vita beata c. 6. *Conſidera affectum patrium. Quod pietas eſt, quaſi morituri filii ſuſcepit periculum, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, ut propemodū de ſuo periclitaretur, dum te lucraretur.*

D

Emphaſis amoris Dei.

Nota ſingula Chriſti verba hic habere magnam emphaſim, & emphatice exaggerare amorem Dei. Primo enim ait *ſic*, i.e. tanta amoris vehementia, conatu, exceſſu. Secundo, non rex, non Cæſar, non angelus, ſed *Deus*. Tertio, *dilexit*; ſcil. prior & gratis, ſine merito, imo ſine deſiderio noſtro. Quarto, *mundum* ſibi contrarium hoſtem & reum damnationis. Quinto, ut non hominem, non angelum, non mundum alterum, ſed *filium*; non alienum, non adoptivum, ſed *ſuum* proprium ac naturalem, eumque non unum e multis, ſed *unigenitum* & unicum. Sexto non venderet pretio, non mutuaret, ſed gratis *daret*, non ad regnum & triumphos; ſed ad mortem & crucem. Septimo, id fecit non ſibi, non Chriſto fructum aliquem quærens; ſed ut *ipſe nos*, i.e. creator creaturas ſuas ſua morte vivificaret, ſua humilitate exaltaret, ſua exinanitione, æterna gloria, opibus & bonis immenſis cumularet. Hæc eſt philanthropia Dei erga homines, quam celebrat Apoſtolus ad Titum c. 3. v. 4. Vide ibi dicta.

E

Objectio Prima.

Dices, Majoris amoris fuiſſet, ſi Deus Pater dediſſet ſeipſum nobis, noſtramque carnem aſſumpſiſſet, quam quod miſerit Filium: plus enim dat qui ſe dat, quam qui alium mittit.

Reſpond.

Reſp. Hoc verum eſt *in iis*, qui ſunt diverſæ eſſentiæ, non autem in Deo, ubi Pater & Filius eamdem numero habent eſſentiā divinam, ſuntq; ὁμοούσιοι, i.e. conſubſtantiales: quare Pater dando nobis Filium, cum eo dedit nobis eſſentiam ſuam, qua nihil majus eſſe aut dari poteſt. Fuit ergo donum hoc Patris ſummum & infinitum. Ita S. Cyrillus hic.

F

Objectio Secunda. Reſpond.

Inſtabis: Pater non dedit perſonam ſuam, ſed eſſentiā dumtaxat. Plus ergo dediſſet, ſi perſonam ſuam quoque dediſſet. Reſp. negando conſequentiam: tum quia perſona in Deo realiter idem eſt, quod eſſentia: nihil enim addit eſſentiæ niſi relationem & oppoſitionem ad aliam perſonam: tum quia perſona Filii tam digna eſt, quam perſona Patris: omnes enim tres perſonæ divinæ per omnia ſunt æquales, ut habet ſymbolum S. Athan. Adde, Pater dando perſonam Filii, dedit nobis quoque perſonam ſuam, æque ac Spiritus ſancti, quia Pater eſt in Filio, & uterque in Spiritu ſancto, ac viciſſim Filius in Patre eſt, & Spiritus ſanctus in Patre & Filio, per divinam illam περιχώρησιν, ſive circumince ſſionem, de qua dicam Joan. 14. 10.

Cur Filius incarnatus, non Pater, aut Spiritus ſanctus?

Porro cauſas, ob quas Deus Pater proxime dederit perſonam, non ſuam, ſed Filii ſui, ſive cur Filius ſolus carnem noſtram aſſumpſerit, non Pater, nec Spiritus ſanctus, plures affert S. Tho. 3. part. qu. 3. art. ult. Inter quas primaria eſt, quod Pater per Filium voluerit nos, noſtramque naturam ſibi adoptare, noſque ſibi filios & conſequenter hæredes efficere. Filium enim ſuum fratrem noſtrum effecit, ut per eum filii Dei, & conſequenter hæredes efficeremur, uti indicat hic Chriſtus. Unde Theodoret. citans hæc verba Chriſti ſerm. 10. de Provid. longiuſcule poſt initium, ea ſic explicat. q. d. *Tanta eſt amoris hujus excellentia, ut Filium unigenitum, conſubſtantialem, ex utero ante Luciferum genitum, quo cooperario uſus mundum creavit, mediatorem & Salvatorem noſtrum decerneret, & per hunc adoptionis in filios Dei donum nobis donaret*, juxta illud Apoſtoli: *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui.* Rom. 8. 29.

G

Adde, in humanis amor deſcendit, non aſcendit; unde magis amat pater filium, quā filius patrem: optat enim poſt ſe filius ſuperſtitem & heredem relinquere, quaſi in filio poſt mortem victurus & ſuperſtes futurus. Atque hoc reſpectu, & hac analogia cum rebus humanis, dici quodammodo poſſet major amor Patris, quod dederit nobis filium, quam ſi dediſſet ſeipſum; dando enim Filiū, dedit quoq; ſeipſum (Pater enim omnia ſua communicat & transfert in Filiū) dando vero ſeipſum præciſe, non dediſſet Filium: Pater enim eſt ante Filium, non tempore, nec natura, ſed origine. Pater enim eſt origo & principium Filii, non Filius Patris. Hæc intellige, ſi anthropopathōs, ſive comparative per analogiam ad res humanas de divinis loquamur, uti dixi.

H

Sic enim ſæpe loquitur Deus humano more, & ad noſtros conceptus deſcendit, ut divina & incomprehenſibilia, per ea, quæ apud homines videmus, aliquo modo capiamus.

Vers. 17

Non enim misit Deus Filium ſuum in mundum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum] Confirmat & exaggerat immenſum Dei in homines amorem, per Chriſtum crucifixum demonſtratum. q. d. Jure ſuo poterat Deus Filium mittere in mundum, ut eum tot ſcelerum reum perderet, & in abyſſum gehennæ demergeret: hoc enim juſtitia exigebat, ſed juſtitiam vicit immenſa Dei charitas, quæ mundum, cum dignus eſſet extremo ſupplicio, ſummo affecit beneficio, dando ei ſalutem per eum.

Judicet quid?

Nota τὸ *ut judicet*, i. d. condemnet, puniat, in tartara mittat, ibique comburat: opponitur enim illi τὸ *ut ſalvetur*. Sic & in ſeq. & alibi crebro, *judicare*, ponitur pro *condemnare*. Eſt metalepſis. Hinc S. Aug. & Theophyl. notant Chriſtum hoc fine incarnatum eſſe, ut omnes homines ſalventur, idque ipſum ſerio optare & velle: quare quod multi ex eis damnentur, per ipſos ſtare, nec Chriſti, ſed ipſorum eſſe culpam.

Digitized by Google

A QUI CREDIT IN EUM, NON JUDICATUR (non condemnabitur, ſed ſalvabitur:) QUI AUTEM NON CREDIT JAM JUDICATUS, i. e. condemnatus, EST; quia talis manifeſte ipſum per ſuam infidelitatem condemnat; per illam enim ſibi omnem ſalutis viam, & initium (puta fidem) præſcindit: QUIA NON CREDIT IN NOMINE UNIGENITI DEI] Græce εἰς τὸ ὄνομα, i. e. *in nomen*, h. e. in ipſum Filium Dei, *nomen* enim ponitur pro re nominata metonymice. Aut proprie, q. d. Quia mihi homini non dat nomen & titulum Filii Dei; qui enim me ſolum credit eſſe hominem, hinc me nominat hominem, Dei vero nomen mihi denegat; quæ ſumma eſt in me & Deum Patrem injuria, æque ac blaſphemia, ideoque acrem pœnam & condemnationem meretur. *Magnum*, ait Cyrill. *crimen incredulitatis eſſe oſtendit, quoniam unigenitus ipſe ſit Filius Dei: nam quanto præſtantius eſt, quod contemnitur, tanto majoribus, qui ſpernit, ſuppliciis ſubjacebit*: præſertim quia talis *mendacem facit Deum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo*, 1. Joan. 5. 10.

VERS. 18

B HOC EST AUTEM JUDICIUM: QUIA LUX VENIT IN MUNDUM, ET DILEXERUNT HOMINES MAGIS TENEBRAS, QUAM LUCEM; ERANT ENIM EORUM MALA OPERA] *Judicium*, id eſt, cauſa judicii, hoc eſt, condemnationis. q. d. Hæc eſt cauſa cur jam judicati, id eſt, condemnati ſunt, qui non credunt in me; quod ſcilicet magis tenebras, & ignorantiam Dei & agendorum, ac ſuas terræ delicias & concupiſcentias, indeque peccata ſua obſtinatæ dilexerint, quam lucem, id eſt, Chriſtum, qui mundo attulit lucem, id eſt cognitionem Dei, ſalutis, rerum agendarum, & bonæ ſanctæque vitæ. Horum enim ſymbola ſunt lux & tenebræ, ob triginta analogias, quas recenſui 1. Joan. 5. ad illa: *Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*. Unde Beda: Lucem, ait, ſeipſum appellat, de qua ſupra c. 1. *Erat lux vera*: tenebras vero peccata. Porro *lux venit in mundum*, homines excitans, ait Gloſſa, & admonens cognoſcere ſua mala. q. d. ait S. Chryſoſt. *Nam ipſi eam quæſierunt, vel laborarunt ut invenirent: ipſa ad eos venit, nec tamen ei occurrerunt*. Chriſtus verſu præcedenti dedit proximam judicii, i. e. condemnationis infidelium cauſam, ſcilicet ipſam eorum infidelitatem: hic dat cauſam remotam, ſed primam; ſcilicet quod tenebris ſuarum concupiſcentiarum affixi, noluerint admittere lucem veritatis & ſanctitatis, quam ipſe verbo & exemplo prædicavit, ſi hodie multi fiunt hæretici, ut libertatem carnis ſequantur: hanc enim permittit hæreſis, vetat vero fides, quare ut hæreticum convertas, hac via utere, ut prius ei vitam honeſtam, moreſque caſtos & ſanctos perſuadeas: ſic enim facile fidem veram eidem perſuadebis.

VERS. 19

C

Poſſet Secundo, nervoſius *judicium* proprie accipi, q. d. Hoc eſt *judicium*, ſcilicet condemnationis & reprobationis infidelium, vel quo ſe quiſque eorum condemnat, quod ſcilicet tenebras prætulerint luci, i. e. cupiditatem ſanctitati, ignorantiam ſcientiæ, dæmonem Deo; fideles vero credentes in Chriſtum, tenebras ſuas confeſſis abdicarint, ac oblatam ſibi Chriſti lucem receperint, ait S. Auguſtinus: qui enim tenebras præfert luci, i. e. infidelitatem fidei, ſcelera virtutibus, hic ipſo facto ſeipſum judicat, i. e. condemnationis reum, & gehenna dignum confitetur. Quare tali dicet Chriſtus judex: Ego te non judico, quia tua ipſius conſcientia te judicat & condemnat.

D

VERS. 20 OMNIS ENIM, QUI MALE (græce φαῦλα, i. e. prava & perverſa) AGIT, ODIT LUCEM, ET NON VENIT AD LUCEM, UT NON ARGUANTUR OPERA EJUS] *Recuſat*, ait Cyrillus, *omnis, qui male agit, lucis illuminationem, non quia malorum eum pudeat, pigeatque (ſalvaretur enim ſi id eſſet) ſed quia ignorare meliora maunlt, ne conſcientiæ ſtimulis quotidie peccans exagitetur*. Nam, uti notat S. Chryſoſt. *eos notat, qui ſemper in malitia perſeverant, & uſque ad extremum ſpiritum malitiæ ſtudentes, in malis perſeverant operibus, & ſemper in vitiorum luto verſantur*.

VERS. 21 QUI AUTEM FACIT VERITATEM, VENIT AD LUCEM, UT MANIFESTENTUR OPERA EJUS, QUIA IN DEO (ſecundum Deum, Deique voluntatem & legem, item per Dei directionem, lucem, gratiam & opem) SUNT FACTA] *Veritatem*, intellige practicam, hoc eſt id, quod verum, rectum, juſtum, æquum, & Deo gratum eſt. Sicut enim eſt veritas cordis & oris; ſic eſt & operis, qua fit ut opus honeſtum & ſanctum reſpondeat & adæquetur ſuæ regulæ, puta vero judicio practico rationis & prudentiæ, ſive juſtitiæ, virtuti, legi & voluntati Dei. Sic c. 8. 43. de Lucifero dicitur: *Ille in veritate*, id eſt, æquitate, *juſtitia & ſanctitate, non ſtetit*. Et ſic Apoſtolus jubet nos *facere veritatem*, id eſt quod vere bonum, ſanctum & Deo gratum eſt. Idem ingeminat Pſalmus Pſalm. 118.

Facere veritatem. quid?

Senſus eſt, q. d. *Qui facit*, i. e. per Dei illuminationem & gratiam, proponit & decernit facere veritatem, i. e. quod vere bonum & ſanctum eſt, *venit ad lucem*, i. e. amplectitur meam doctrinam & fidem Chriſtianam; *ut manifeſtentur opera ejus, quia* (quod) *in Deo ſint facta*; quod ſcilicet Deo placeant, quaſi ipſius ductu, nutu, juſſu, impulſu facta, ait Euthym. aut ſi ſecus facta ſint, ut illa corrigat, & juxta Dei voluntatem emendet & reformet. *Qui veritatem facit*, ait Cyrill. *ſpiritalem illuminationem non ſpernit, per ipſam maxime ad eam cognitionem perductus, ut intelligere poſſit, aut omnia ſecundum divina peregerit præcepta, nec voluntatem Dei tranſgreſſus ſit*. Et S. Chryſoſt. *Oſtendit*, ait, *errantium neminem ſe fidei ſubditurum, niſi prius rectam ſibi vitam perſuadeat, & neminem niſi prorſus malitiæ deditum, in credulitate perſiſtere*.

E Hucuſque verba Chriſti ad Nicodemum, quibus ipſe ſenſim ad Chriſti fidem & ſanctitatem perductus eſt, ut patet cap. 7. verſ. 50. & cap. 19. verſ. 39.

F

VERS. 22 POST HÆC VENIT JESUS ET DISCIPULI EJUS IN TERRAM JUDÆAM] Syrus, *In terram Judææ*. q. d. Jeſus a metropoli Judææ, ſcil. a Jeruſalem, cujus civis fuiſſe videtur Nicodemus, venit in reliquam Judææ regionem, fugiens ſectas & odia Hieroſolymitanorum principum. Ita S. Chryſoſt. Theoph. D. Thomas & alii, licet aliter opinetur Janſen. *In ſolemnibus*, ait Chryſ. *in civitatem veniebat, ut in medium doctrinam Dei proponeret, inde ſæpe Jordanem petebat*.

Chriſtus per diſcipulos baptizabat res ob cauſas.

ET ILLIC DEMORABATUR CUM EIS, ET BAPTIZABAT] non tam per ſe, quam per ſuos diſcipulos, ut dicitur cap. 4. v. 2. quos tamen ipſe prius baptizabat, idque fecit variis de cauſis. Prima eſt, ut oſtenderet ſuum baptiſmum diverſum eſſe a Joannis baptiſmo; hic enim a ſolo Joanne dabatur; Chriſti vero baptiſmus dabatur etiam ab aliis, ſcilicet a diſcipulis Chriſto in eis & per eos potenter operante. Secunda, ut auctoritatem, vim & durationem ſui baptiſmi oſtenderet propagandam fore per omnia ſuccedentia ſæcula. Ita S. Auguſtinus & Cyrillus. Tertia, quia ipſe majoribus occupationibus docendi, concionandi, ægros ſanandi, dæmones expellendi, & miracula patrandi diſtinebatur. Ita Theoph. Porro diſcipuli Chriſti baptizantes, necdum erant Apoſtoli: Apoſtoli enim vocati & creati ſunt a Chriſto, poſt incarcerationem Joannis: hæc autem contigerunt ante eam, ut patet v. 24. Diſcipuli ergo hi necdum erant Apoſtoli, imo necdum erant ſacerdotes, quia ſacerdotes a Chriſto poſtea creati ſunt, in ultima ejus cœna.

G

An baptiſmus ante mortem Chriſti remiſerit peccata?

Quocirca jam quaſi error eſt dicere, quod hic ajunt Ammonius, Rupertus, Chryſ. hom. 28. Theoph. Tertul. lib. de Bapt. c. 11. Chriſtum idcirco non baptizaſſe, eo quod baptiſmus ante mortem Chriſti non haberet vim remittendi peccata, & conferendi Spiritum ſanctum; hanc enim accepiſſe a morte Chriſti: quare diſcipulos Jeſu baptizaſſe baptiſmo Joan. Baptiſt. non Chriſti. Audi Tertul. *Itaque tingebant diſcipuli ejus ut miniſtri, ut Joannes ante præcurſor, eodem baptiſmo Joannis, ne quis alio putet, quia nec exſtat alius, niſi poſtea Chriſti, qui tunc utique a diſcendentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec inſtructa efficacia lavacri per paſſionem & reſurrectionem, quia nec mors noſtra diſſolvi poſſet, niſi Domini paſſione, nec vita reſtitui ſine reſurrectione ipſius*.

Negat Tertullianus.

H

Addit S. Chryſoſtomus: *Utrumque* (baptiſma ſcilicet Joannis & diſcipulorum Jeſu) *enim ſimiliter ſpiritus expers erat, & unam eamdemque baptizandi cauſam habebat, ut Chriſto conciliaret baptizatos*. Et mox: *Quod autem nihil eorum baptiſma præſtaret, ſequentia manifeſtant*. Probat ex eo: *Spiritus nondum datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*, Joan. 7. Sed alius illius loci eſt ſenſus, ut ibi oſtendam. Accedit S. Leo ep. 4. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 2. *Proprie*, inquit, *in morte crucifixi, & in reſurrectione ex mortuis, potentia baptiſmatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renaſcentibus & mors Chriſti operaretur, & vita, dicente beato Apoſtolo Paulo: An ignoratis quod quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?*

& Chryſoſtomus.

Verum alia eſt mens Pauli, ut ibi dixi, atque ipſius, ut opinor, S. Leonis. Nam ante mortem Chriſtus remiſit peccata paralytico, Matth. 9. & Magdalenæ, eamque ſpi-

Reſp. affirmative.

I

Digitized by Google

A *ſpiritu charitatis implevit, Luc. 7. idque ſola voce ſine Sacramento: cur ergo idem facere non potuit cum Sacramento baptiſmi? hoc enim vim ſuam juſtificandi trahebat a meriti Chriſti, tum præſentibus, tum futuris; ac præſertim a morte Chriſti, quam Chriſtus jam acceptaverat, ſeque in victimam futuram, pro ſalute hominum Deo Patri jam ſæpe obtulerat. Quocirca ſicut Euchariſtia ante mortem a Chriſto inſtituta ſanctificavit Apoſtolos, ſic & Baptiſmus, Ita diſerte Aug. hic tract. 15. S. Thomas, S. Bonav. Richard. Scotus, Cajetanus, Sotus, cæteque Doctores, quos citat & ſequitur Gabriel Vaſquez 3. part. qu. 66. art. 3. diſp. 140. c. 3.*

Eadem ferma baptizavit qua nos?

Similiter parum probabile eſt, quod cenſent D. Soto & Melch. Canus lr. de Baptiſmo, diſcipulos hic alia forma uſos in baptizando, ſcil. dicendo: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti*; cum poſt ejus reſurrectionem dixerint: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* uti jubet Chriſtus Matth. 28. Aut, ut opinatur Franc. Lucas, dicendo: *Pœnitentiam age, appropinquavit enim regnum cælorum*. Hoc enim fuit initium prædicationis

B tam Joannis Baptiſtæ, quam Chriſti. Verum hæc minus ſunt veriſimilia, tum quia ſic Chriſtus debuiſſet formam baptiſmi mutare; quod incongruum fuiſſet, ſic enim duplex baptiſma inſtituiſſet, tum quia non eſt veriſimile Chriſtum baptizaſſe in nomine ſuo, cum tamen ipſe per ſe baptizarit ſuos Apoſtolos.

Chriſtus baptizavit matrem & Petrum.

Porro antiquorum Patrum ſententia eſt, ait Euthymius, B. Virginem & S. Petrum a Chriſto ipſo eſſe baptizatos. Et Evodius S. Petri in cathedra Antiochena ſucceſſor, epiſtola, quæ inſcribitur πῦρος, id eſt *lumen*, aſſerit Chriſtum ſuis manibus baptizaſſe Andream, Joannem & Jacobum, & ab his cæteros Apoſtolos fuiſſe baptizatos. Et Aug. ep. 108. docet Apoſtolos baptiſſimo Chriſti fuiſſe baptizatos, antequam ipſi eodem alios baptizarent.

VERS. 23 ERAT AUTEM ET JOANNES BAPTIZANS IN ÆNNON. JUXTA (græce, ἐγγὺς, id eſt, *prope*) SALIM: QUIA AQUÆ MULTÆ ERANT ILLIC, ET VENIEBANT, ET BAPTIZABANTUR] *Ænnon*, vel *Ennon* oppidum erat apud

Ænnon quid?

C Jordanem, octo paſſuum millibus diſtans a Betſan, quæ poſtea Scythis illam occupantibus, dicta eſt Scythopolis: ita dicta ab Heb. *ain*, & craſi *en*, id eſt fons, quia, ut ſequitur, *aquæ multæ erant illic*.

Salim. JUXTA SALIM] *Salim* vel *Salem* duplex erat: una quæ poſtea dicta eſt Jeruſalem, altera juxta Scythopolim, quæ tempore S. Hieronymi dicebatur *Salumias*, ut ipſe teſtatur in Locis Heb. *Salem*, heb. idem eſt quod *ſanitas, integritas, pax, perfectio*: hanc enim pœnitentes recipiebant a Joanne tranſmiſſi ad Chriſtum, qui non longe a Joanne baptizabat. *Baptizabat Chriſtus*, ait Cyrill. *per diſcipulos ſuos, Joannes quoque ipſe non per alios, ſed manibus ſuis: nec in iiſdem fontibus, in quibus Chriſtus, ſed juxta Salim, & in fonte quodam certo atque vicino, quia multæ aquæ erant illic*. Unde colligas Joannem ita baptizaſſe, ut non ſolum caput (ad hoc enim modica aqua erat opus) ſed & corpus aquis ablueret. Porro Joannes prius baptizarat in Bethania, ſive Bethabara, ubi Jeſum baptizavit. c. 1. 18. Unde putant nonnulli ipſum illum locum ceſſiſſe Jeſu, ut ipſe ibidem baptizaret, ac ſe tranſtuliſſe in Ænnon. Verum hoc invidiam conflaſſet Jeſu, ac lites inter

D ipſum & Joannis diſcipulos concitaſſet. Quare verius videtur, quod Joannes ſponte ſua ſubinde locum mutarit, ut totam Jordanis regionem prædicando & baptizando circumiret, pluresque ad ſuum baptiſmum alliceret quibus ipſe Jeſum eſſe Meſſiam annuntiaret, *ut in eum qui poſt ipſum venturus erat, crederent*. S. Chryſ.

VERS. 24 NONDUM ENIM MISSUS (græce βεβλημένος, id eſt, conjectus, compactus) FUERAT JOANNES IN CARCEREM] Hæc vox, ait S. Chryſ. innuit Joannem baptizaſſe uſque ad ſuam incarcerationem: uſque ad mortem enim conſtans perſtitit in officio ſuo, ad quod a Deo miſſus erat, ſcilicet ut baptizando & prædicando pararet viam Chriſto: quod cum ſat ſuperque feciſſet, Dei nutu permiſſus eſt incarcerari, ut locum cederet Chriſto, omneſque ſuos diſcipulos ad Chriſtum tranſmitteret, uti reipſa fecit.

Addit hoc Joannes Evangeliſta, ut innuat ſe hæc omnia ſupplere, & addere cæteris tribus Evangeliſtis: illi enim hiſtoriam ſuam ordiuntur a carcere Joannis.

VERS. 25 FACTA EST AUTEM QUÆSTIO EX DISCIPULIS JOANNIS, CUM JUDÆIS DE PURIFICATIONE] *Autem* græce δὲ, i. e. *igitur*: quia ſcil. Joannes baptizabat cum Jeſu, ut præceſſit, inde enim orta eſt *quæſtio*, i. e. lis & contentio, *ex diſcipulis Joannis*, ſcil. hanc quæſtionem & litem moventibus, utpote zelantibus pro honore & auctoritate magiſtri ſui Joannis, ne ille vileſceret per baptiſmum Jeſu, ad quem plures confluebant, præſertim tranſmittente, & Jeſum ſibi præferente ipſomet S. Joanne. E

CUM JUDÆIS] Jeſum ſequentibus. Græca, Complut. habent in ſingulari, μετ' Ἰουδαίου, id eſt, *cum Judæo*; Syrus addit, *uni ex diſcipulis Joannis, cum uno Judæo*: quam lectionem ſequuntur & exponunt S. Chryſ. Nonnus, Theophyl. & Euthymius: Latini vero, & ex Græcis S. Cyrill. legunt, *cum Judæis* in plurali. Fieri poteſt, quod unus hanc litem ſuſcitarit, quam deinde plures, ut fieri ſolet, adauxerint, *de purificatione*, i. e. de baptiſmo Joannis & Jeſu, uter ſcil. eſſet melior, magiſque purificaret & ſanctificaret. Nam *Judæus quidam*, ait Theoph. *præferebat baptiſma diſcipulorum Chriſti, diſcipuli vero Joannis baptiſma magiſtri ſui*; utpote qui prior multos, adeoque ipſum Jeſum, quaſi diſcipulum ſuum, baptizaſſet. Sed replicabant diſcipuli Jeſu, ipſum multa miracula feciſſe, Joannem vero nullum. Rurſum Joannem Jeſum ſibi prætuliſſe, & aſſeruiſſe ipſum eſſe Meſſiam, ſive Chriſtum, ita ſanctus Auguſtinus, F Beda, Cyrillus & Chryſoſt. cum ſuis.

ET VENERUNT AD JOANNEM, ET DIXERUNT EI: VERS. 26 *RABBI, QUI ERAT TECUM TRANS JORDANEM, CUI TU TESTIMONIUM PERHIBUISTI, ECCE HIC BAPTIZAT, ET OMNES VENIUNT AD EUM] *Rabbi* paraphraſtice, eleganter Nonnus: *Rabbi, qui primus ſalutarium aquarum fuiſti præco.*

QUI ERAT TECUM TRANS JORDANEM] ſcil. Jeſus, qui ad te venit ut baptizaretur: hic jam ingratus ſe tibi æquat, tuum officium invadit, tuum baptiſmum ambit & uſurpat. Dignus ergo eſt ut eum coerceas, alioqui omnes a te ad illum defluent cum ignominia & dedecore, tam tuo, quam noſtro. Audi S. Chryſ. *Quem tu baptizaſti, quem clarum & conſpicuum reddidiſti, is eadem, quæ tu, audet.* Et paulo poſt: *Qui in diſcipuli loco habitus eſt, qui nulla ex parte nobis ſuperior erat, is abs te diſcedens baptizat. Hæc autem ex animi imbecillitate, & ambitione quadam loquebantur.* Similiter Euthym. *Hic munus tuum contra te exercet, tuamque rapit gloriam. Et inſuper exaſperare illum volentes addiderunt: Et omnes veniunt ad eum te relicto.* G

RESPONDIT JOANNES, ET DIXIT: NON POTEST HO- VERS. 27 MO ACCIPERE QUIDQUAM, NISI FUERIT EI DATUM DE CÆLO] Joannes reprimit diſcipulorum ambitionem & contentionem, imo aperte litem Chriſto adjudicat, eumque ſibi præfert, & novum amplumque ei dat teſtimonium, quod ipſe ſit Meſſias. q. d. Ego non poſſum ſine inſigni præſumptione, ſuperbia & ingratitudine, ac conſequenter nec volo, nec deſidero occupare majorem gradum, majus officium, majorem auctoritatem, quam mihi dederit Deus. *Decet enim hominem conæſſa ſibi de cælo menſura eſſe contentum*, ait Cyrill. Quid ergo vultis? ut ego Meſſiæ munus invadam, illudque Jeſu præripiam? Deus hoc avertat: ſi enim id facio, Deus juſte me officio & honore meo privabit. Scitis illud vulgo apud noſtros Syros jactatum: *Camelus poſtulans cornua, aures amiſit*. Abſit igitur a me, ut me Jeſu præferam, ut mihi Meſſiæ nomen & dignitatem arrogem: hoc enim Jeſu datum eſt a Deo, non mihi, mihi ſat ſuperque dedit Deus, quod ejus præcurſorem & indicem me fecerit: illo ergo H contentus vivam & moriar, cætera omnia Jeſu Domino meo ultro concedam. Ita Auguſt. Beda & alii: licet S. Chryſ. cum ſuis hæc a Joanne dicta putet, non de ſe, ſed de Jeſu. q. d. Jeſus facit ſe Meſſiam, idque probat per miracula, & recte facit: quia hæc dignitas, & hoc officium illi datum eſt a Deo: nemo enim poteſt hoc uſurpare, niſi cui id dederit Deus, juxta illud Heb. 5. 4. *Ne quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo*. Deus enim cuique diſtribuit menſuram fidei & gratiæ, ultra quam ſe efferre nequit, & quam recte uſurpare poteſt & debet.

IPSI VOS MIHI TESTIMONIUM PERHIBETIS (græce, VERS. 28 μαρτυρεῖτε, id eſt *teſtes eſtis*) QUOD DIXERIM: NON SUM EGO CHRISTUS, SED QUIA MISSUS SUM ANTE ILLUM] ut ſcilicet ejus adventum præeam, hominesque præparem, velut ejus præcurſor, miniſter, index & præco. q. d. Scitis me ſemper profeſſum eſſe, quod non ſim Chriſtus, ſed præcurſor Chriſti, cum ergo me jam ſollicitatis, ut ego hæc dicta mea revocem, ac me Jeſu præponam, illique nomen Chriſti ſuffurer, illudque mihi arrogem? Sane hæc intoleranda foret ſuperbia, inconſtantia, injuria & blaſphemia: ſinite ergo me meo officio conten-

Digitized by Google

A contentum vivere? mecumque Jesu viam præparate, illique quasi Messiæ Deo & Domino meo & vestro, vos totos addicite & servite.

VERS. 29 QUI HABET SPONSAM (cui sponsa assignata & desponsa est) SPONSUS EST; AMICUS AUTEM SPONSI, QUI STAT, ET AUDIT EUM, GAUDIO GAUDET PROPTER VOCEM SPONSI. HOC ERGO GAUDIUM MEUM IMPLETUM EST] q. d. Jesus Christus per incarnationem desponsit sibi Ecclesiam, sive totum coetum populi fidelis, huicque ille a Deo addictus est, quasi sponsa sponso. Jesus ergo est verus Ecclesiæ sponsus, & sponsus a toto populo fideli summe acceptandus, amandus & colendus est. Quid mirum ergo, si totus populus, me relicto ad illum confluat? Ego enim non sum sponsus, puta Christus, sed amicus sponsi Christi: quare illi non invideo hunc populi confluxum, sed ut amicus ejus mire gaudeo, quod tanto dignus sim habitus ministerio, ut sim sponsi paranymphus, utque sponsam, id est, populum fidelem, ad illum traducam, ut omnes eum velut Messiam suum agnoscant, ament & revereantur, ab eoque omnem gratiam & gloriam exspectent: ille enim est sponsus sponsæ, id est, caput & princeps totius Ecclesiæ. B

Joannes Bapt. paranymphus Christi.

Alludit ad paranymphos, qui sponso erant intimi, & familiarissimi, adeo ut ad ipsum cubile & thalamum nuptialem, cæteris exclusis, admitterentur, ideoque amici sponsi vocabantur. Talis enim erat Joannes Christo. *Sponsus*, ait Cyrill. *celebritatisque princeps Jesus est, minister ego, eaque dignitas mea, ut inter amicos sponsi numeratus, vocem sponsi audiam. Nolite in me sponsi coronam quærere*: sponsi enim coronis nuptialibus coronabantur quasi principes & reges totius familiæ, juxta illud Isaiæ 61. 10. *Quasi sponsum decoratum corona*. Unde Claudian. in nuptiis Honor. Imper. hoc Epithalamium canit:

Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Et Plutarch. in Vita Alexandri Magni, asserit eum fuisse coronatum, cum uxorem duxit. Est enim corona symbolum hilaritatis, lætitiæ, gratulationis, pulchritudinis, exultationis: quæ omnia abundant in nuptiis & sponsis.

C De hisce nuptiis spiritualibus Christi, in quibus multitudo fidelium, quasi sponsa per fidem, gratiam & charitatem, Christo quasi sponso desponsetur, dixi Matt. 22. 2.

Nota. Joannes cap. 1. vocavit se servum Jesu, adeoque indignum se esse, qui ejus calceos solvat, professus est; hic vero vocat se *amicum* ejusdem: quia hæc est Jesu, Deique nostri dignatio, ut fideles suos servos in amicos, imo filios sibi asciscat & adoptet. Vocat autem Joannes hic potius se *amicum*, quam servum, quia servi sæpe invident felicitati herorum; amici autem non, sed illi cooperantur, illamque promovent, ac de ea gaudent & exultant. Sensus ergo est. q. d. Ego Joannes adeo non doleo, nec invideo Jesu, quod totus populus ad eum velut Messiam confluat, quia ejus intimus sum amicus, summeque eum amo, atque ut amicus fategi semper, & fatago populum fidelem a me ad ipsum amandare, quasi sponsam ad suum sponsum. Hoc enim fuit meum officium, ad quod me Deus misit in mundum, ut scilicet Synagogam, sive Judæos omnes ad Jesum, quasi suum Messiam adducam. Ita S. Chrys. & ex eo Theoph. *Hoc*, inquit, *effecturus veni, & tunc maxime dolerem ego pronubus, si non fieret, si ad sponsum sponsa, hoc est populus non accederet; nunc autem nunc cum testimonium nostrum recomprobatur, & onus quod mihi concreditum fuerat, video profeciſſe. Hoc mihi curæ fuit, & propterea omnia feci: cum vero in præsentia contigisse videam, gaudeo & exulto*. Idem faciat doctor, concionator, pastor; ut fideles non sibi, sed Christo conquirat, addicat & tradat, uti faciebat Paulus, dicens: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Cor. 11. D

QUI STAT, ET AUDIT EUM, GAUDIO GAUDET PROPTER VOCEM SPONSI] q. d. Ego Joannes asto sponso Christo quasi minister: silebsque audio *vocem sponsi* cum sponsa sua amice colloquentis; non autem sponsam mihi ipsi appeto, & ambio, sed summe gaudeo, quod vocem ejus audire mereat: scilicet audivit Joannes tum baptizans, tum in carcere existens miracula & prædicationem Christi, adeoque discipulos suos ad eum transmisit, Matt. 11. Innuit hic Joannes sibi imminere silentium, ut scilicet officio suo defunctus, a prædicando & baptizando cesset, ac locum cedat Christo, illique velut cursu peracto, lampada tradat; quod paulo post factum, cum Herodem reprehendens ob adulterium cum Herodiade, ab eodem in carcere detrusus est. Ita S. Chrysost. Theophyl. Euthym. E

HOC ERGO GAUDIUM MEUM IMPLETUM EST] q. d. Cœpi gaudere, cum Deo revelante cognovi instare adventum Christi; magis gavisus sum, cum eum præsentem vidi & audivi; at cum totum populum ad eum confluere intellexi, meum gaudium impletum & perfectum extitit. Hujus enim unius gratia ego prædicavi, baptizavi, totamque vitam meam transegi.

ILLUM OPORTET CRESCERE, ME AUTEM MINUI] *Crescere*, scilicet concursu populi, prædicationis celebritate, auctoritate, miraculorum copia & gloria, adorationis religione & cultu, ut totus mundus eum ut Christum agnoscat, amet, colat, adoret; me autem ut merum ejus præcursorem & ministrum æstimet, sicut lucifer (sive stella Veneris) in aurora fulgens, sole appropinquante, per ejus splendorem obscuratur. Ita S. Cyrill. quem audi: *Quousque profundis aeris nocturnis tenebris obscuratur, aureo fulgore gloriaque integra splendere lucifer um magna omnes prædicant admiratione. Cum autem ad ortum sol festinare videtur, cumque lux ejus nostrum hunc orbem aliquantum illuminaverit, cedit sensim major lucifer, & Joannis verba non injuria dicere posset: Illum oportet crescere, me autem minui*. Sic & S. Chrys. ac Theoph. quem audi: *Crescit Christus, secundum quod paulatim manifestat se per signa & miracula, non secundum profectum in virtutibus. Absit: hoc enim Nestorii deliramentum esset*. VERS. 30 Christum oportebat crescere, Joannem, minui, quo sensu? F

ME AUTEM MINUI] non virtute, nec sapientia, nec meritis: in iis enim assidue crevit Joannes usque ad martyrii lauream; sed quoad honorem, auctoritatem, concursum populi, prædicationem & baptismum. q. d. *Meum feci officium*, jam cessabo, ait Chrysost. Hujus rei symbolo Joannes natus est mox post solstitium æstivum, cum dies incipiunt decrescere & minui, puta die 24. Junii: Christus vero natus est paulo post solstitium hiemale, cum dies brevissimi crescere incipiunt, puta die 25. Decembris, uti solerter annotarunt S. Chrys. hom. de Nativit. S. Joannis, S. Ambros. serm. 2. de Natali Domini, & S. August. quæst. 58. inter 83. G

QUI DE SURSUM VENIT, SUPER OMNES EST] Dat causam, cur Jesum crescere oporteat, se vero *minui*; nimirum quod Jesus de sursum, id est, de cælo ex sinu Patris, quasi unigenitus Dei Filius (*qui ex superiore germinavit radice paternam conservans naturam*, ait Cyrill.) venit in terram carnem assumens: quare ipse *super omnes est*, id est, non tantum me Joanne, sed & omnibus angelis, hominibus & creaturis longe superior est, utpote omnium creator & dominus, ideoque ab omnibus devotissime recipiendus, diligendus, colendus & adorandus. VERS. 31

QUI EST DE TERRA, DE TERRA EST, ET DE TERRA LOQUITUR. QUI DE CÆLO VENIT, SUPER OMNES EST. ET QUOD VIDIT, ET AUDIVIT, HOC TESTATUR: ET TESTIMONIUM EJUS NEMO ACCIPIT] Joannes comparat & præponit Christum sibi, quasi cælestem terreno; quantum ergo cælum eminet terræ, tantum Christus supereminet Joanni, juxta illud: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*. 1. Cor. 15. 47. Vide ibi dicta. VERS. 32

Sensus ergo est. q. d. *Qui de terra* natus est, uti ego Joannes natus sum, ac de terra plasmatus & formatus est, instar Adæ; hic terrenus est, & *de terra*, id est terrena loquitur. Sic vers. 6. hominem de carne natum vocavit *carnem*, id est, carneum. Hoc autem in Joanne verum est, Primo, si ejus nudam naturam spectes, & seclusa Dei gratia, vocatione & revelatione: sic enim Joannes non nisi terreus & terrenus erat, nec nisi terrena sapiebat: quia *si quid divinum audisti a Joanne illuminantis est, non recipientis*, ait S. Augustinus, quasi dicat, Id accepit a Deo, non habet a se. H

Secundo, id verum est, si Joannes conferatur cum Christo, cujus origo, natura & loquela longe sublimior erat Joanne, & plane cælestis, divinaque ac consequenter omnino efficax ad animos hominum, quoeumque vellet, permovendos per internam gratiam, quam cum verbis suis animis audientium interius inspirabat & imprimebat, ut vocat S. Cyrillus.

ET QUOD VIDIT, ET AUDIVIT, id est, quod cognovit, quod intellexit, HOC TESTATUR] scilicet ipse Christus. Est catachresis. In divinis enim idem est *videre* & *audire*, idemque quod cognoscere, sed *videre* significat evi-

Digitized by Google

A evidentiam rerum cognitarum, auditus originem, quod scilicet hæc omnia a Patre cum essentia divina acceperit, pura omniscientiam & τετορίαν.

NEMO ACCEPIT] Id est pauci accipiunt. Est hyperbole. Ita S. Chrysost. licet enim multi confluerent ad Jesum; tamen hi præ cæteris domi manentibus, & Christi prædicationem negligentibus, erant pauci, atque inter hos paucos alii in Christum credebant, alii non credebant, uti Scribæ, Pharisæi, & eorum asseclæ. Tangit Joannes suos discipulos, ait Chrys. cæterosque Judæos, ait Euthymius, quod pauci ad eũ veniant, pauciores in eum credant.

VERS. 33 QUI ACCEPIT (vel accipit) EJUS TESTIMONIUM (illi credendo) SIGNAVIT, QUIA DEUS VERAX EST] Pro *signavit* græce est ἐσφράγισεν, id est, sigillavit, sive sigillo (σφραγὶς enim est sigillum) suo obsignavit & confirmavit. q.d. Qui recipit Christi testimonium, illique credit, hic eo ipso testatur, & quasi adhibito suæ fidei sigillo obsignat, profitetur & confirmat veracem esse Deum Patrem, qui per Filium, quasi per os proprium loquitur res verissimas & divinas: Filius enim illas a Patre
B audivit & accepit. Aut, ut Cyrillus, talis profitetur Deum Filium esse veracem, qui hæc ipsa loquitur, q.d. Qui credit Deo ejusque Filio, magnum honorem defert Deo, quia credendo profitetur ipsum esse verácem adeoque esse primam & infallibilem veritatem. Sicut ex adverso qui non credit, valde inhonorat Deum, quia reipsa facit eum fallacem & mendacem: quæ summa est Dei injuria, contemptus, ignominia & blasphemia. Hoc est, quod Joannes ait epist. 1. 5. 10. *Qui credit in Filium, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod Deus testificatus est de filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus.* Vide ibi dicta. Paulo aliter Alcuinus; *Sigillavit*, inquit, id est, *signum posuit in corde suo, quasi singulare aliquid & speciale, hunc esse verum Deum, qui missus est ob salutem humani generis.*

Quomodo Deus sua dicta & oracula signet?

C Porro Deus dicitur signare & sigillare sua dicta & oracula, dum ea per miracula, quasi sigilla sua confirmat: homo vero dicitur signare & sigillare eadem dicta Dei, cum eadem credit esse vera, & a Deo quasi a prima veritate profecta. Fides ergo est sigillum, quo obsignamus dicta Dei: credendo enim profitemur & confirmamus illa esse vera & divina, sicut rex suo sigillo confirmat suas litteras.

Denique Joannes Alba Elect. S. Script. c. 77. sic explicat. q.d. Deus *signavit*, id est, elegit, & in mente sua designavit, descripsitque ad vitam æternam illum, qui accipit testimonium ejus, puta qui credit in Christum, *quia Deus verax est*; ut vitam æternam, quam fidelibus promisit, veraciter eisdem largiatur. Sed hic sensus videtur torquere verba S. Scripturæ. Aliud enim est signare electum, aliud signare Dei testimonium. Hic tamen sensus quadrat illi loco Joan. 6. 27. *Hunc enim Pater signavit Deus*, de quo ibidem.

VERS. 34 QUEM ENIM MISIT DEUS, VERBA DEI LOQUITUR: NON ENIM AD MENSURAM DAT DEUS SPIRITUM] Probat quod dixit, eum qui credit Jesu Christo, sigillo fidei suæ signare & testari, quod Deus sit verax, eo quod Jesus, quem e cælo misit Deus in terram, ut
D in carne assumpta homines doceret & salvaret; Jesus, inquam, non sua, sed Dei mittentis se verba loquitur. q.d. Verba Jesu sunt verba Dei Patris, ipse enim eadem dedit Jesu: quare qui Jesu credit: hic in Deum Patrem credit: Deus enim Jesum misit & Dei sunt verba, quæ Jesus loquitur. Ita Euthymius.

NON ENIM AD MENSURAM DAT (Jesu Christo Filio suo) DEUS SPIRITUM] hoc est dona Spiritus sancti. Dicit *dat*, non *dedit*: quia quæ Deus semel dedit Christo, eadem semper dat per conservationem & continuum influxum: conservatio enim non est aliud, quam rei creatæ continuatio, & continuata quasi creatio. Sensus est, q.d. Jesus a Deo missus, verba Dei omniaque divina mysteria eloquitur & prædicat: quia Deus hæc ei communicat sine mensura, & quasi immense: nec enim Deus ita pauper aut parcus est, ut certam habeat spiritus mensuram, qua majorem dare non possit: infinita enim in Deo est hæc spiritus opulentia, quam Jesu, utpote filio suo, dat & communicat. Licet ergo vos, o discipuli, in me Joanne magistro vestro, magnam videatis divini spiritus in prædicando vim & efficaciam; tamen scitote in Jesu longe esse majorem, imo in eo esse omnem spiritus plenitudinem; in Jesu, inquam, tum qua Deus est, tum qua homo; qua Deus enim, *substantialiter in seipso spiritum possidet*, ait Cyrillus: qua homo est, in ipso *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, Coloss. 2. 9. Unde *vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*, ait Joan. c. 1. 14. *ac in eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt*, Coloss. 2. 3. Ita S. August. *Hominibus*, ait, *ad mensuram dat, unico filio non dat ad mensuram*. Et S. Chrys. *Nos omnes ad mensuram operationem spiritus accipimus* (juxta illud: *Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*, Rom. 12. 3.) *ille vero sine mensura*.

E

Dices: Ergone Christus, ut homo est, accipit spiritum & gratiam, absolute & physice immensam & infinitam? Resp. Non: hoc enim fieri nequit, nec hujus capax est anima Christi creata & finita: dicitur ergo sine mensura illi datus spiritus, eo quod Deus abundantissime omnes gratias omniaque dona sua illi communicarit, ut capiti Ecclesiæ; ut, scilicet, ipse illa in homines fideles, quasi in membra sua dispertiretur & distribueret, certa mensura ad libitum: esto enim fideles essent sine mensura & numero, ac successive innumeri & infiniti; tamen Christus, quasi caput in omnes, quasi in membra sua, spiritum & gratiam suam influeret. Vide D. Thomam & Scholasticos 3. part. q. 7. art. 11. & 12. & tota quæstione 8. ubi disputant, an gratia Christi fuerit infinita. Audi S. Hieron. in cap. 11. Isaiæ: *Super hunc florent, qui de trunco & radice Jesse, per Mariam virginem repente consurgit, requiescet spiritus Domini: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, nequaquam per partes, ut in cæteris Sanctis, sed juxta Evangelium eorum, quod Hebræo sermone conscriptum legunt Nazarei: Descendet super eum omnis fons Spiritus sancti.*

F

Quocirca quidquid Jesus agit, quidquid loquitur, hoc sanctum, hoc spirituale, hoc divinum est: totus enim possidetur a Spiritu sancto; ille eum regit, agit, movet: ille verba quæ loquitur, cordi & ori ejus inserit: ille miracula, quibus dicta sua confirmat, per eum operatur & patrat, quare qui eum recipit, & in eum credit, Deum Patrem & Spiritum sanctum recipit, in eumque credit, ac credendo signat & confirmat, quod Deus verax est: secus fuit in Joanne Baptista & Prophetis, qui non ita
G possidebantur Spiritu sancto, quin & multa agere & dicere possent ex proprio spiritu, ideoque falli & fallere, uti falsus est Nathan Propheta, Davidi quasi ex ore Dei dicens, ut fabricaret templum. 2. Reg. 7. 3.

VERS. 35 PATER DILIGIT FILIUM, ET OMNIA DEDIT IN MANU EJUS] q.d. Sicut Deus Pater diligit Filium sine mensura: sic *omnia* dat *in manu*, id est, in arbitrio & potestate ejus sine mensura, *omnia*, scilicet corporalia & spiritalia, omnia quæ in cælo & in terra sunt, ac consequenter omnia dona Spiritus sancti, ut ea ad libitum in fideles suos distribuat. Rursum, *omnia*, id est, omne jus, quod S. Trinitas in homines & res creatas habet, hoc dedit Filio, non solum qua Deus, sed & qua homo est, ut possit de iis facere quidquid voluerit. Vide dicta Matth. 28. 18. Audi Euthym. *Tamquam Deus omnia habebat (omnia siquidem per ipsum facta sunt) hoc tamen etiam dedit ei tanquam homini. Convenienti autem modo dictum est, Diligit & dedit: sicut inter homines dicitur: Solent namque patres diligere filios, eisque tradere quæ sua sunt.*

H

QUI CREDIT IN FILIUM, HABET VITAM ÆTERNAM] *Habet*, in spe ac jure, quasi in radice & semine, VERS. 36 sed necdum in re & fructu, aut etiam actu. Habet enim fidem & gratiam, quæ ei jus tribuit ad gloriam, sed gratiam inchoatam in spiritali Dei & cognitione & amore, quæ perficietur post mortem in cælo. Sic Joan. 17. 3. dicitur: *Hæc est vita æterna* (id est, hæc est via & inchoatio vitæ æternæ) *ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Est metonymia.

QUI AUTEM INCREDULUS EST FILIO, NON VIDEBIT (non sentiet, non fruetur, non percipiet) VITAM, SED IRA DEI MANET SUPER EUM] *Manet*, æternumque manebit, *ira*, id est Dei vindicta & gehenna, *super eum*, id est, semper eum puniet, ait Euthym. per omnem æternitatem. Audi Cyrillum: *Vitam non videbunt, id est, nec quantum ad visum quidem pertinet nudum, ad vitam Sanctorum pervenire poterunt; non attingent illam beatitudinem, non gustabunt illa gaudia, non videbunt veram illam vitam: supplicüs enim cruciabuntur, quod omni morte tristius est, in solo sensu dolorum animam in corpore retenturi.*

Hucusque Joannis elogia de Christo ad discipulos, quibus illi sensim ad Christum traducti sunt.

C A-

Digitized by Google

A

CAPUT IV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat colloquium Christi cum Samaritana, quo Christus eam docet Deum adorandum esse in spiritu & veritate, seque esse Messiam. Secundo, v. 32. Christus Apostolis mirantibus ejus cum muliere colloquium, respondet suum cibum esse facere voluntatem Patris, circa messem & salutem hominum. Unde confluentibus ad se Samaritis prædicans, multos ex eis convertit. Tertio, v. 46. sanat filium reguli.

VERS. 1. UT ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes,

2. (quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus)

3. reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.

B

4. Oportebat autem eum transire per Samariam.

5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.

6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.

8. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.)

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.

C

10. Respondit Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.

11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?

12. Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?

13. Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum:

14. sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam: neque veniam huc haurire.

D

16. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum:

18. quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti.

19. Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu.

20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.

21. Dicit ei Jesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.

22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.

23. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

24. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. E

25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus:) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

26. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum.

27. Et continuo venerunt discipuli ejus: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus:

29. Venite: & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus?

30. Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.

31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: F Rabbi, manduca.

32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

34. Dicit ei Jesus: Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis. G

39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.

40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.

41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus.

42. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

43. Post duos autem dies exiit inde: & abiit in Galilæam.

44. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit quia Propheta in sua patria honorem non habet.

45. Cum ergo venisset in Galilæam, excepe- H runt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.

46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.

49. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua me-

Digitized by Google

melius habuerit: Et dixerunt ei; Quia heri hora
A septima reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota.

54. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.

VERS. 1. UT ERGO COGNOVIT JESUS, QUIA AUDIERUNT PHARISÆI, QUOD JESUS PLURES DISCIPULOS FACIT, ET BAPTIZAT, QUAM JOANNES] scilicet ante fecerat & baptizaverat, ait S. Augustinus lib. 2. de Consensu Evangel. c. 18. nam Joannes jam erat in carcere. Hæc enim contigerunt occasione incarcerationis Joannis. Jesus enim audiens eum ab Herode incarceratum per calumniam Pharisæorum, qui invidebant Joanni gloriam prædicandi & baptizandi, cum tanto populi confluxu & applausu, præsertim quod ipse sine eorum auctoritate & venia baptizaret & prædicaret, quodque ipsorum vitia taxasset, eosque vocasset genimina viperarum; eum quasi
B novatorem, qui populi seditionem facile concitare posset, accusarunt apud Herodem, qui pariter Joanni offensus ob ejus reprehensionem, urgente Herodiade, Joannem incarceravit. Jesus id audiens, metuensque eorundem Pharisæorum invidiam & calumniam, ob majorem populi ad se confluxum; ne se pariter per Herodem vel Pilatum incarcerarent, & occiderent ante tempus a Patre præfinitum, e Judæa prudenter secessit in Galilæam. Vide dicta Matth. 4. 12.

VERS. 2. QUANQUAM JESUS NON BAPTIZARET, SED DISCIPULI EJUS] tum quia Jesus majoribus officiis prædicandi, ægros dæmoniacosque sanandi occupabatur. Unde & Paulus: *Non misit me Christus baptizare*, inquit, *sed evangelizare*. 1. Corinth. 1. 17. tum ut ostenderet vim baptismi sui majorem esse Joannis baptismo. Joannes enim per se baptizabat, nec habebat jus delegandi eam potestatem discipulis; sed discipulis baptizantibus ipse baptizare censebatur: nam, ut ait S. Aug. *Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis*, ac illis corpus abluentibus ipse animam a peccatis
C abluebat. Vide dicta c. 3. 32.

VERS. 3. RELIQUIT JUDÆAM, ET ABIIT ITERUM IN GALILÆAM] non formidinis causa, quasi timeret mortem, sed ut Pharisæorum leniret invidiam, ait Chrysost. Pharisæi enim erant potentes, imo sacerdotes, Scribæ, senatores, ac magistratus fere erant Pharisæi. Est hic secundus Christi secessus in Galilæam: primus enim fuit c. 1. 43. Vide dicta Matth. 4. 12.

Secedit iterum Christus in Galilæam.

VERS. 4. OPORTEBAT AUTEM EUM TRANSIRE PER SAMARIAM] hæc enim inter Judæam & Galilæam interjacet. Notat Cyrillus Christum hic non contraire suo præcepto, quo Apostolis jussit, dixitque Matth. 10. 5. *In civitates Samaritanorum non intraveritis*, quia ibi erat Apostolis, ne ex professo adeant Samaritanos, ibi habitent, diu morentur, iisque continuo evangelizent, ne Judæos Samaritanorum hostes a se, & fide Christi avertant: hic autem Jesus obiter dumtaxat transiit per Samariam, ut iret in Galilæam.

Samaria unde sic dicta.

SAMARIAM] Samaria regio erat, quam occupavit tribus Ephraim, & dimidia tribus Manasse: ita dicta est a
D regia urbe Samaria, quæ nomen accepit a nomine montis, in quo ædificata erat, qui dictus est *Somer*. 3. Regum 16. 24. Vide Adrichomium, Brochardum, Bredenb. & alios in descript. terræ sanctæ. Samaria postea dicta est Sebaste, id est Augusta, ubi corpora Elisei, Joannis Baptistæ, & aliorum Prophetarum, sepulta fuere.

VERS. 5. VENIT ERGO IN CIVITATEM SAMARIÆ, QUÆ DICITUR SICHAR, (quæ sita erat) JUXTA PRÆDIUM, QUOD DEDIT JACOB JOSEPH FILIO SUO] *Sichar:* id est *Sichem*, ubi Dina corrupta est a Sichem urbis domino, Genes. 33. Urbs hæc a Jeroboam faciente schisma a Roboam, sibique regnum decem tribuum, sive Israelis, usurpante, facta est regionis Samariæ metropolis; totiusque regni caput, postea tamen ab Amri hæc dignitas translata est in urbem Samariæ; deinde tempore Alexandri Magni rursum Sichem facta est caput Samariæ, dictaque Neapolis, teste Josepho lib. 11. Antiq. cap. 8. Tempore Christi *Sichem* corrupte dicebatur *Sichar*, hodie *Peloſa* vel *Napoloſa* vocatur. Urbs hæc in Scriptura multis heroicis factis est memorabilis. Abraham, ait Toletus, migrans ex Mesopotamia in Chanaan, primo venit in Sichem, ibique primum altare ædificavit Domino, & terræ illius pro-

Historia Samaritanæ, a Christo juxta puteum conversæ.

Sichar quænam urbs?

Multis heroicis factis celeberrima.

missionem accepit, ut habetur Genes. 12. & 13. Jacob
E etiam revertens ex Mesopotamia cum uxoribus & filiis, in Sichem fixit tabernaculum, & ibi emit partem agri a filiis Emor, Genes. 33. Ibi Dina corrupta a filio regis Sichem, & facta est occisio magna a filiis Jacob, Genes. 34. Sichem constituta fuit asylum & refugium fugitivis, Josue 20. Ibi decem tribus, propter stultitiam Roboam, recesserunt a Juda, 3. Reg. 12. Ossa Joseph in Sichem sepulta sunt, ut habetur Josue ultim. S. Hieron. tract. de Locis Hebr. eamdem dicit Sichem & Salem; unde sequitur Melchisedech typum Christi, etiam hujus urbis regem fuisse: profecto urbs satis per se celebris, multo celebrior propter hoc Christi miraculum facta est.

JUXTA PRÆDIUM, QUOD DEDIT JACOB (moriens) FILIO SUO JOSEPH] Gen. 48, 2. 22. Vide ibi dicta. Quocirca Joseph moriens in Ægypto, jussit ossa sua transferri in Sichem, tamquam in prædium sibi proprium, & a patre Jacob testamento sibi relictum, Josue ult. v. 32.

ERAT AUTEM IBI FONS JACOB] *Fons*, id est puteus VERS. 6.
effossus a Jacob, ut patet v. 12. Hoc enim significat Hebr. בְּאֵר *beer*, imo latine, ait S. Aug. *Omnis puteus est fons*, F
non autem omnis fons est puteus. Ubi enim aqua de terra manat, & usus præbetur haurientibus, fons dicitur: sed si in promptu & superficie sit, fons tantum dicitur; si autem in alto & profundo sit, ita puteus vocatur, ut fontis nomen non amittat. Fons enim a fundendo dicitur, ait Festus, quod aquas effundat, ut effundit puteus. Et Varro lib. 4. de Lingua Latina: Fons, inquit, est unde funditur e terra aqua viva. Et S. Isidor. l. 23 Origin. c. 21. Fons, ait, caput est aquæ nascentis, quasi fundens aquas. Fons Jacob ergo est puteus, quem Jacob, cum ibi habitaret, effoderat ad suum & familiæ usum, Genes. 21. 30. & c. 26. 15. erat enim ibi raritas aquæ; vel quem Jacob a Sichimitis coemerat, uti vult Rupertus.

Fontis etymon.

JESUS ERGO FATIGATUS EX ITINERE] quia non curru, nec equo vehebatur, sed pedes incedebat, pedibus obeundo vicos & castella contigua, usque ad mortem: mollem & lascivam vitam expellens, ait S. Chrys. laboriosam autem & difficilem nos erudiens. Idem Christi exemplo fecere Apostoli, ac nuper in India fecit B. Xavetius, ejusque assecla. Pie S. Aug. tr. 15. *Non frustra fatigatur Jesus*, inquit, *non frustra fatigatur virtus Dei: non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur: non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur*. Et mox: *Tibi fatigatus est ab itinere Jesus*, &c. *fortitudo Christi te creavit: fortitudo Christi fecit, ut quod non erat, esset: infirmitas Christi fecit, ut quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua: nutrit ergo ipse infirmos, tamquam gallina pullos suos; huic enim se similem fecit.*

SEDEBAT SIC SUPRA FONTEM] Græce ἐπὶ τῇ πηγῇ, id est, *ad fontem*, scilicet juxta puteum; aut proprie *supra fontem*, quia fons, id est aqua scaturiens, erat in imo putei; Jesus autem sedebat in summitate putei.

SEDEBAT SIC] Id est, prout casus ferebat, prout erat ibi sedendi commoditas. q. d. Sedebat humi sine sede, uti sedere solent viatores juxta fontes & puteos, refrigerii & potus causa. Ita S. Chrysost. Theophyl. Euthym. Secundo, simplicius: *Sedebat sic*, scilicet ut fatigatus ex itinere; q. d. Sedebat habitu ac situ fatigati hominis, sive uti sedere solent homines defatigati & anheli, habitu defatigationem & lassitudinem indicantes. Est mimesis, sive imitatio rei, quæ narratur, in voce *sic*. Similis est apud Horatium, cum ait:

Sic quadrupliciter capitur. Primo. Secundo.

H

Leporem positum sic tangere noli.

Et apud Virgilium:

Sic, o sic positum affati, discedite, corpus.

Ita Cajetanus, Franc. Lucas & alii. Tertio & nervosius, Tertio.
posset τὸ *sic* accipi pro *propterea*; q. d. Quia Jesus erat fatigatus, *sic*, id est propterea, sedebat ut quiesceret. Hoc sensu τὸ *sic* in vulgari loquendi modo sæpe accipitur, ut Hebr. כֵּן *ken*, id est *sic*, ponatur pro עַל כֵּן *al ken*, id est, *super sic*, hoc est, *propterea*. Simile est psal. 60. 9. *Sic* (id est, propterea) *psalmum dicam tibi*. Et Cicero Tuscul. 4. *Sic* (id est propterea) *tot simul virtutes defecerunt*. Ita Toletus & Maldonatus.

Quarto, *sic*, hoc est, eo modo, quo jam exponam, pura cum circumstantiis, quas jam recensebo. q. d. Sedebat *sic*, id est, sedebat cum esset hora sexta, & mulier Samaritana veniret haustum aquam, & discipuli abiissent in urbem empturi cibos, uti mox enarrat Joannes. Quarto.

HORA ERAT QUASI SEXTA,] Causam dat, cur Jesus, sede-

Digitized by Google

A ſederet ad fontem, ſcilicet ut fatigatus, æſtuans & eſuriens, ſitienſque ibidem quieſceret & refrigerium caperet, pranderet & biberet: erat enim *hora ſexta*, id eſt, meridiés, quando fervet æſtus, ſeſeque cibo & pótu reficere ſolent viatores. Unde Nonnus vertit, *erat hora afferens ſitim*.

VERS. 7. VENIT MULIER DE SAMARIA HAURIRE AQUAM] *Mulier*, nomine Photina, de qua plura verſ. 29.

DE SAMARIA] ſcilicet regione, non urbe. Veniebat enim ex urbe Sichar, ſive Sichem, fonti, ſive puteo vicina. q.d. Erat mulier Samaritana, quia Sichimitis, quæ cum Chriſto Judæo loquebatur. Inter Judæos enim & Samaritanos ſumma erant diſſidia & ódia, uti dixi Eccl. 50. verſ. 28.

Hinc patet in urbe non fuiſſe fontes & puteos, ſaltem tam bonos & communes, ſed cives urbe egredi ſolitos, ad hauriendum aquam ex puteo hoc communi urbi vicino, ob ſiccitatem ſoli, & aquæ penuriam. Ita Euthym.

B DICIT EI JESUS: DA MIHI BIBERE] ex ſitula vel hydria tua. Prævenit Jeſus mulierem, ut colloquio occaſionem & initium præbeat. Sciebat enim mulierem, utpote Samaritanam, id non facturam, ſed Jeſum ut Judæum averſaturam, nec voce aut ſalutatione dignaturam. Porro *ille, qui bibere quærebat, fidem mulieris ſitiebat*, ait S. Auguſtinus. Nota hic miram comitatem & charitatem Chriſti, qua cum vili meretrice captat colloquium, ut eam, & per eam totam urbem convertat.

VERS. 8. DISCIPULI ENIM EJUS ABIERANT IN CIVITATEM (Sichem) UT CIBOS EMERENT] Nota τὸ *enim*, dat cauſam cur Jeſus a muliere petierit bibere, quia ſcilicet diſcipuli ejus, a quibus alias cibum & potum petere ſolebat, jam abierant in urbem emptum cibos: volebat enim Jeſus juxta puteum prandere, & ex puteo bibere, ſitimque reſtinguere, uti viatores pauperes facere ſolent, præſertim in Syria, Arabia, aliiſque locis calidis & ſiccis, idcoque aquæ penuria laborantibus. Factum id eſt tacita Chriſti providentia, ut, diſcipulis omnibus in urbem dimiſſis, ſolus ipſe liberius cum muliere impudica ejus pudori conſulens ageret, ejuſque impudicitiam detegeret, atque illam ad fidem & pudicitiam converteret. Hic etiam Nota,

C Chriſtum tunc non mendicato vixiſſe, ſed pretio, quod ſibi a Magdalena, aliiſque feminis oblatum, ipſe non ut proprium, ſed ut cómune cum Apoſtolis poſſidebat.

VERS. 9. DICIT ERGO EI MULIER ILLA SAMARITANA: QUOMODO TU JUDÆUS CUM SIS, BIBERE A ME POSCIS, QUÆ SUM MULIER SAMARITANA? NON ENIM COUTUNTUR JUDÆI SAMARITANIS] *Ergo*, Græcis & Hebræis ſæpe eſt nota initii ſermonis, hic tamen eſt nota illationis ex præcedenti Chriſti poſtulatione, q.d. Jeſus poſtularat a muliere aquam: mulier ergo ei poſtulanti, reſpondit: *Quomodo tu Judæus cum ſis*, & cognovit mulier Jeſum eſſe Judæum ex habitu & ſermone, quem Chriſtus, ut patriæ ſe accommodaret, civibus ſuis ſimilem concinne & prudenter ſervavit. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. & Euthym.

Ergo. Græcis & Hebræis initii ſermonis ſæpe eſt nota.

NON ENIM COUTUNTUR JUDÆI SAMARITANIS] Id eſt, non habent commercium, non utuntur eadem menſa, poculo, vaſe. Ita S. Aug. *Omnino*, ait, *vaſculis eorum Judæi non utuntur*, quaſi ex ſchiſmate eorum impuris & abominandis. Cauſam dedi Eccli. 50. v. 28. Hæc verba accipi poſſunt vel ut ſint Evangeliſtæ, vel ut ſint Samaritanæ: utrumque aptum, utrumque probabile. Ex hoc

D exemplo diſce, quam hæreticorum familiaritatem, libros & colloquia fugere debeamus. Sermo enim eorum ut cancer ſerpit, ait S. Paulus.

VERS. 10. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: SI SCIRES DONUM DEI, ET QUIS EST QUI DICIT TIBI: DA MIHI BIBERE; TU FORSITAN PETISSES AB EO, ET DEDISSET TIBI AQUAM VIVAM] *Si ſcires donum Dei*; tum commune, quod Deus donavit omni homini. q.d. Si cognoſceres me eſſe Chriſtum ſalvatorem mundi. Ita Ammon. & Toletus; unde explicans ſubdit, *Et quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere*. Tam tibi proprium, quod tibi Deus per me nunc exhibet, ut per meum alloquium, occaſionem ſalutis accipias, in me credas, itaque a me juſtificeris & ſalveris. Ita Maldonat. Franc. Luc. & alii.

TU FORSITAN PETISSES AB EO] Græce σὺ ἂν ἤτησας αὐτὸν, i.e. tu utique petiiſſes: ἄν, enim eſt particula expletiva, rem confirmans. Noſter tamen vertit *forſitan*, ut ſignificet liberum petentis arbitrium. Vide dicta Matth. 11. 23.

ET DEDISSET TIBI AQUAM VIVAM] Chriſtus Samaritanam ab aqua corporali, ad ſpiritualem per anagogen traducit. Idem faciat vir Religioſus & Apoſtolicus. Nota: Sicut mare conſiſtens, lacus, vel aqua ſtagnans dicitur mortua, quia non movetur, ſed eodem loco ſemper conſiſtit: ſic e contrario *aqua viva* dicitur, quæ fluit, ac præſertim quæ ex fontibus & ſcatebris, quaſi animata ſpiritu vitali, ſponte ſcaturit & exilit. In viventibus enim motus & ſpiritus ſigna ſunt & effectus vitæ. E

Primo *aqua viva* hic vocatur doctrina Chriſti Evangelica, ait Ammon. Item Spiritus ſanctus, ejuſque gratia, quam Chriſtus docens ſuis afflat & aſpirat. Ita Cyrill. Theoph. Euth. & paſſim alii. Dicitur *aqua*, Primo, quia inſtar aquæ animam a peccatis expurgat, imo novam mundiciem & ornatum animæ confert, quod non facit aqua, juxta illud: *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*, pſal. 50. Gratia eſt ſupernaturalis animæ mundicies, decor & ornatus. Vide illud Cant. 1. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es*. Rurſum aqua lavat, ſed corrumpit, debilitat, deſtituit, & conſumit. Videmus enim veſtes, *dum* abluuntur, mundari quidem, ſed conſumi; aquæ enim qualitates corruptivæ ſunt: at Spiritus ſanctus non ſic ſe habet, ſed lavat & roborat animas, majoreſque vires accedunt, quo magis lavantur, quod Paulus ſentiens Philipp. 4. dixit: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*.

Analogia aquæ & gratiæ.

Prima.

F

Secundo, quia Spiritus ſanctus, ejuſque gratia æſtum concupiſcentiæ refrigerat, omneſque animæ paſſiones motuſque componit & æquat, inſtar aquæ. Hinc *aqua* dicitur quaſi *æqua*, ait Varro l. 4. de ling. Lat. & Iſidor. l. 13. Orig. c. 7. & ſeq. *Aqua*, ait, *quaſi æqua, quod ſuperficies ejus æqualis ſit. Hinc & æquor appellatum, quia æqualiter fuſum eſt*: licet Feſtus, *Aqua* ait dicitur, quaſi *a qua juvamur*; vel, ut alii, *a qua omnia*, quia ex aqua cæli, aer, cæteraque omnia creata ſunt, ut dixi Gen. 1. Vide quæ de aquæ dotibus dixi Eccli. 29. ad illa: *Initium vitæ hominis aqua & panis*, & Plinium l. 31. c. 1. ubi concludens ait: *Omnes terræ vires aquarum eſſe beneficium*.

Secunda.

Aquæ commo.

Tertio; quia ſitim rerum ſpiritualium ſedat; de quo plura verſ. 13.

Tertia.

Quarto, quia ſicut aqua terram, arbores, herbas, flores, fructus, fœcundat & impinguat: ita gratia animam bonorum operum, & virtutum omnium fœcundam fertilemque efficit; ſed pro cujuſque conditione, ſtatu & gradu. Verum gratia facit amplius quam aqua: elevat enim animam, ut non tantum fructus & opera naturalia, ut facit aqua; ſed & ſupernaturalia fidei, ſpei, charitatis, &c. producat, juxta illud, *Qui manet in me, hic fert fructum multum*. Joan. 15. Rurſum aqua in piro ſolum producit pirum, in nuce nucem, in roſa roſam; ut gratia in eadem anima omnium virtutum fructus producit; in anima, inquam, quæ ante peccato corrupta, nonniſi vitiorum fructus germinabat.

Quarta. G

Porro Spiritus ſanctus, ejuſque gratia dicitur *aqua viva*, Primo, quia Spiritus S. in ſe diviniſſime vivit vitam beatam & divinam, hancque ſuam vitam animæ fideli, pœnitenti & ſanctæ communicat: imo Spiritus ſanctus cum Patre & Filio eſt ipſa vita increata & eſſentialis, a qua omnis angelorum, hominum, animalium & plantarum vita tam naturalis, quam ſupernaturalis, velut ex fonte, imo ex Oceano promanat.

Cur vita? Reſp. Primo.

H

Secundo, quia, ut ait Theophyl. gratia Spiritus ſancti eſt forma, qua vivitur ſecundum ſpiritum, adeoque gratia eſt quaſi anima animæ, anima, inquam, virtutis & ſanctitatis.

Secundo.

Tertio, quia per gratiam ipſe Spiritus ſanctus, qui eſt ipſa vita, nos inhabitat & vivificat.

Tertio.

Quarto, quia idem efficit, ut anima ſemper ad bonum moveatur, novos jugiter in corde diſponens gradus, quibus ad meliora & altiora conſcendat, juxta illud pſ. 83. 6. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*. Nam, ut ait S. Ambroſ. Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, ſed cogit animam cum B. Virgine in montana virtutum conſcendere.

Quarto.

Quinto, S. Aug. tr. 15. *Aqua viva*, inquit, dicitur, quæ ita fluit, ut ſit conjuncta ſuo principio, puta fonti & venæ, e qua ſcaturit, aqua autem mortua vocatur, quæ diviſa eſt & interrupta a ſuo fonte. Gratia ergo vocatur *aqua viva*, quia a ſuo fonte, puta a Spiritu ſancto numquam ſeparatur, uti & Spiritus ſanctus a ſua origine, puta a Patre & Filio, inſeparabilis eſt, illiſque intime in eadem numero eſſentia divina unitur. Quare licet animæ ſeſe infundat, tamen a Patre & Filio non recedit, imo ad animam ſecum Patrem & Filium inducit, ut in eo omnes, quaſi in templo ſuo inhabitent, juxta illud Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum*,

Quinto.

A *sum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ita S. Cyrillus lib. 2. c. 22. Gratiam spiritus, ait, vivam appellat, quasi vivificantem, & quia suo etiam principio est conjuncta, nosque conjunctos efficit. Pendet enim semper a Spiritu sancto, & per eam Spiritus in nobis inhabitat, & nobiscum manet, & per eam nos conjungimur ipsi, juxta illud 1. Cor. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti,*

Sexto. Sexto, aqua fontis per canales in valles deducta, ex iis nunquam impulsu continuo aquæ e fonte profluentis, & sibi continue succedentis, ad tantam altitudinem deduci potest, quanta est altitudo fontis sive scaturiginis, ut experientia constat. Sic gratia cœlestis, quasi fons donorum & virtutum, e cœlo a Spiritu sancto scaturiens, eadem, id est, æque alte ac est origo fontis, puta in cœlum ad Deum, per bona opera & merita exilire nos facit, juxta illud v. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ex illud Cant. 4. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Vide ibi dicta.

VERS. 11 B DICIT EI MULIER: DOMINE, NEQUE (situlam aut aliud vas.) IN QUO HAURIAS HABES, (græce, non habes ἄντλημα, id est, *haustum*, vel ut S. Aug. legit, *hauritorium*) ET PUTEUS ALTUS (deorsum, id est profundus) EST: UNDE ERGO HABES AQUAM VIVAM?] Arabicus, *Domine non est tibi situla; puteus profundus est: unde ergo tibi aqua vitæ?* Sic & Syrus. Ecce hic fontem vocat *puteum*, eumque profundum, ex quo hauritur aqua ad bibendum.

Putei etymon. Unde S. Isidorus l. 13. Origen. c. 21. Puteus, ait, est locus defossus, ex quo hauritur aqua, a *potatione* dictus. Licet Varro de Lingua Latina lib. 4. puteum dici censeat a *putere*; quasi olidum & putidum ex vaporibus, & odoribus, sæpe etiam ex sulphure & alumine, quæ putearios non raro necant, præsertim cum valde profundus est. Rupertus scribit hunc puteum profundum fuisse quadraginta cubitis. Sensus est ergo. q. d. Hic non est alia aqua, quam hujus putei, puteus autem profundus est, nec tu, o Jesu, situlam habes, qua aquam ex eo hauriasi unde ergo est tibi aqua viva?

VERS. 12 NUMQUID TU MAJOR ES PATRE NOSTRO JACOB, QUI DEDIT NOBIS PUTEUM, ET IPSE EX EO BIBIT, ET FILII EJUS, ET PECORA EJUS?] Nota. Samaritani erant Assyrii, quia Salmanasar in Samariam, quasi novi coloni, deducti sunt, cum ipse inde inquilinos, id est, decem tribus Israel, traduxisset in Assyriam, ut patet 4. Regum 17. Hi tamen volebant haberi Judæi, non Assyrii, cum Judæorum resp. floreret, teste Josepho lib. 11. Antiq. cap. ultim. tum quia ipsi Judææ partem, quæ tribui Ephraim obtigerat, scilicet Samariam, incolebant; tum quia ipsi cum Judæis, qui relicti fuerant, vel eo postea commigrarant, erant mixti. Ita Cyrillus, Theophylactus, Euthymius: tum quia ipsi Judæorum religionem ex parte sequebantur: colebant enim Deum Israel simul cum Assyriorum idolis, ut patet 4. Regum 17. Hac ergo de causa mulier Jacobum vocat *patrem nostrum*; id est, patrem Samaritanorum, quasi Samaritani sint Judæi, & Israelitæ ex Jacob progeniti. Sensus ergo est, q. d. Jacob non habuit aquam meliorem hac: si enim habuisset meliorem hac, utique ex ea bibisset, tam ipse, quam filii ejus & pecora. Si tu ergo, o Jesu, hic meliorem potes dare vel reperire aquam, necesse est, ut tu major sis Jacob Patriarcha & patre nostro. Ita S. Chrys. Euthym. & Theoph.

Samaritani quia in erant? C

D quem audi: *Quod ipse (Jacob) ex eo bibit, sanus est bonitatis aqua, quod autem & pecora ejus biberint, indicium est copiæ aquarum: non enim solum dulcis, sed & sic larga est, ut sufficerit multitudini pecorum patriarchæ Jacob.* Paulatim Jesus erexit mentem mulieris, ut tandem agnosceret Ipsum esse Messiam. Ex eo enim, quod dixerat: *Si scires quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*; mulier conjecit, vel suspicata est Jesum se facere majorem Jacobo.

VERS. 13 RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: OMNIS, QUI BIBIT EX AQUA HAC, SITIET ITERUM, QUI AUTEM BIBERIT EX AQUA, QUAM EGO DABO EI, NON SITIET IN ÆTERNUM] Jesus mulieri excellenti aquam sui putei, modeste ostendit, suam aquam vivam longe esse meliorem, ex eo, quod sitim omnem, etiam futuram, auferat. Unde tacite illi colligendum relinquit, se esse majorem Jacobo: *Non se majorem dixit*, inquit Chrys. *visus enim esset se tantum jactare nondum cognitus, sed latenter id significat. Non enim simpliciter dixit: Dabo tibi aquam, sed prius Jacob aquam neglecta suam laudat, a munerum natura, dantium vo-* E *lens differentiam ostendere, & quantum ipse Patriarcham excelleret.* Addit Cyrill. *In infinitum enim differre has sensibiles aquas, atque terrenas, ab intelligibilibus ostendit*; ut scilicet acuat mulieris orexin, & aviditatem cognoscendi & gustandi hanc Christi aquam vivam.

QUI BIBIT EX AQUA HAC, SITIET ITERUM] Tropologice S. Aug. Aqua in puteo, ait, est voluptas sæculi in profunditate tenebrosa, quam hauriunt homines hydria cupiditatum; hæ enim faciunt hominem semper sitire; quia cupiditatis est insatiabilis. Tropol.

QUI AUTEM BIBERIT EX AQUA, QUAM EGO DABO EI, NON SITIET IN ÆTERNUM] Qui aquam vivam, id est, gratiam Spiritus S. a me acceperit, numquam amplius sitiet justitiam, Dei amicitiam, virtutem, sanctitatem, quia ea jam habebit per gratiam; intellige, nisi ipse hanc aquæ gratiam sponte & ultro per peccatum mortale evomat & prodigat. Hæc enim est antithesis Christi. q.d. Aqua communis, qualis est tua, ex puteo hoc, o mulier, semel gustata, tantum ad modicum tempus sitim sedat, quia non manet in stomacho; sed ab eo concoquitur, corrumpitur & evanescit, aut per sudorem, vel urinam excernitur; hæc vero mea aqua viva, puta gratia Spiritus S. quantum est ex parte sua, tam efficax est, ut vel semel gustata, semper sufficiat ad abigendam sitim: nam ipsa semper manet in anima, manet, inquam, eadem & immutata. Gratia enim habitualis ex lege Dei ordinaria, affert secum statis temporibus auxilia prævenientia, puta impulsus gratiæ excitantis, qui ad retinendum spiritalem animæ humorem & vigorem, ac ad perseverantiam & salutem, uti necessarii sunt, sic sufficiunt, uti docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. F

Dices. Quomodo ergo Eccli. 24. v. 29. ait Sapientia de se: *Qui bibent me, adhuc sitient*, hoc enim videtur contrarium ei, quod Christus hic de sua gratia dicit: *Non sitiet in æternum.* Resp. *Qui bibent me, adhuc sitient*, i. e. adhuc concupiscent, ut amplius sapientia Dei, quam jam habent, impleantur, hoc est, optabunt augmentum sapientiæ & gratiæ Dei. Hic vero *sitire* est indigere omni aqua, sive concupiscere aquam gratiæ ad vitam spiritalem necessariam: hoc est optare Spiritum sanctum, ejusque justitiam & sanctitatem, quam non habes, ad levandam spiritalem sitim, ariditatem & sterilitatem mentis. Spiritus sanctus enim per gratiam mentem inhabitans, ita mentem sua gratia reficit, potat, & satiat, ut mens nihil aliud sitiat aut desideret, sed ipso contenta, saturaque vivat feliciter. Vide dicta Eccli. 24. 29. Sic S. Ignatius Martyr ad leones damnatus, cum in amphitheatrum prodiret, Romanos spectantes compellans: *Ego*, inquit, *huc veni, ut moriar pro Jesu meo, quem insatiabiliter sitio, ut illi in cælo uniar.* G

Nota, Spiritus sanctus per gratiam in hac vita inchoate, sed in cælo perfecte omnem animæ sitim & desiderium adimplet; item sitim superbiæ ac concupiscentiæ restinguit; denique in cælo plane tollet omnem, tam corporis, quam animæ sitim & famem, omnem defectum, omnem molestiam per gloriam & dotem impassibilitatis, juxta illud: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ps. 16. 15. Et illud: *Qui replet in bonis desiderium tuum*, Ps. 102. 5. Et illud: *Non esurient, neque sitient amplius, & non percutiet eos æstus & sol.* Isaiæ 40. 10. Ita S. Aug. *Satiabimur*, inquit, *in bonis domus tuæ. De qua ergo aqua daturus est, nisi de illa, de qua dictum est; Apud te est fons vitæ? nam quomodo sitient, qui inebriabuntur ubertate domus tuæ?* Ps. 35. v. 9. & 10. Et Glossa Interlin. Promittit, ait, satietatem spiritus, quæ fiet in resurrectione, quia apud eum est fons vitæ, quo inebriabuntur. Gloria ergo cælestis implet omnes animæ & corporis defectus, omne desiderium, omnem sitim; *quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*, ait Boetius, juxta illud: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Ps. 35. 9. H

SED AQUA, QUAM EGO DABO EI, FIET IN EO FONS AQUÆ SALIENTIS (Syrus *aquarum salientium*) IN VITAM ÆTERNAM] Alludit ad fontes, qui tanto impetu & copia aquas continuo effundunt, ut posteriores semper priores propellant, ac licet per valles deducantur, cogant tamen eas per tubos exilire ad tantam altitudinem, quanta est altitudo ipsius primi fontis & scaturiginis. Simili enim modo aqua gratiæ Spiritus sancti e cælo in mentem sanctam demissa, adeo potens est, adeo efficax, ut fiat in ea quasi fons, adeo copiosus, ut mentem faciat exilire ad sui originem, puta ad Deum, ad cælum & vitam æternam. Gratia enim est semen gloriæ. Unde Arabicus vertit, *aquam quam ego dabo, fiet in ea aqua, quæ scaturiet in vitam æternam.* Arabico de more consentit Ægyptius & alii: quare gratia propellit hominem ad cælum, nec quiescit, donec illum eo evehat, ubi nulla est sitis, nullus defectus, nulla miseVERS. 14 Gratia est fons saliens in cælum. Primo.

A miseria: sed omnis satietas, omnis copia, omnis felicitas: hanc enim significat *vita æterna*: nam hic fons gratiæ, qui est in anima, derivatur a primo fonte, puta a Spiritu sancto, qui est in cælis, sicut fons, qui manuductus exilit in foro vel horto, derivatur a primo fonte, qui est in monte quopiam, ubi primo oritur & ebullit. Hinc dicitur *aqua viva*, quia ad primam altitudinem sui principii, sive primæ suæ originis exilit, & aquas ejaculatur.

Secundo. Secundo, *fiet in eo fons*, quia, ut ait Theophyl. aqua gratiæ, quam Christus animæ fideli instillat, in ea semper multiplicatur. Semina enim & principium boni sumunt Sancti per gratiam, ipsi vero cum ea negotiantur & operantur ad ejus augmentum, ut fiat in eis copiosa ad instar fontis, quo non tantum se, sed & multos alios potet & inebriet. Unde S. Chrysost. qui intra se habet fontem, inquit, non afficitur siti. Porro Origenes. Quilibet angelorum, inquit, habet in se fontem aquæ scaturientis in vitam æternam, ab ipso Verbo.

Tertio. Tertio, sicut fons, quo plus deorsum effluit, eo plus sursum in eum influit, sic quo quis gratiam suam in alios B magis effundit, eo majorem a Deo recipit & haurit. Unde S. Basilius hom. in illud Luc. 12. *Destruam horrea mea: Sicut*, ait, *putei continuo exhausti, & copiosiore & pulchriore fluunt aqua: dimissi vero & quieti, facile putent: sic & opes reconditæ, inutiles sunt: translatæ in pauperes, fructum pariunt*. Idem eadem similitudine, docet Clemens Alex. 3. Pædag. c. 7.

Denique hoc est paradoxum Christi, ut, cum aqua desiliat deorsum, hic ejus fons exiliat sursum, juxta illud: *Sursum versus feruntur sacrorum fluminum fontes*. Magnus hic & mirus est saltus, magna & immensa vis Spiritus sancti, quæ terrea & plumbea hominum corda facit exilire e terra in cælum, & cælum empyreum, e gratia ad gloriam, e carne ad spiritum, e morte ad vitam æternam, e bestiis ad angelos, e tempore ad æternitatem, a dæmone ad Deum. Fidelibus ergo dicitur, *sursum corda*, atque hoc certum est signum inhabitantis gratiæ & Spiritus sancti, si mente in cælis versemur, si cælestia loquamur & operemur, dicamusque cum Paulo: *Nostra conversatio in cælis est*, C Philipp. 3. Hac de causa Christus e cælo in terram desiliit, ut nos e terra exilire faceret in cælum, juxta illud: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, Cant. 2. 8. Ita saliebat in cælum S. Maria Orgniacensis, quæ assidue cum Christo, B. Virgine, S. Joanne Evangel. Angelis, Apostolis, Martyribus, Virginibus conversabatur, adeoque singulos habitu & voce dignoscebat, uti nos vicinos dignoscimus. Ita Cardin. Jacobus de Vitriaco in ejus Vita lib. 2. c. 8, & seq. Qui & addit illam accepta suæ prædestinationis revelatione, ita in spiritu exultasse & jubilasse, ut continue cantret: *Ibo ad sancta Sanctorum. Et quæ sunt sancta Sanctorum?* Extat apud Surium ad diem 23. Junii.

Saltum in cælum.

Vers. 15 Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire] *Delectata est*, ait S. Aug. *non sitire, & putabat hoc secundum carnem promissum sibi esse a Domino*, &c. *Ad laborem* (veniendi & hauriendi aquam e remoto ab urbe puteo) *indigentia cogebat, & laborem infirmitas recusabat*. Necdum intellexit mulier carnalis & rudis Christum loqui de spirituali aqua gratiæ: quare Christus ab alto telo eam figit, ut altiora de se cogitet. Ait ergo.

D Vers. 16 Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, et veni huc] Nota ex Chrys. Theoph. Euth. & aliis, Christum hoc prætextu jubere mulieri, ut vocet virum suum; quod scilicet non satis honestum esset rem tantam, tantumque donum (puta aquam vivam) mulieri nuptæ dare, insciο marito: revera autem volebat Christus ei occulta patefacere, ac secretam fornicationem aperire, ut sic illius confessionem ab ea eliceret, eamque ad pœnitentiam excitaret, ac simul illi ostenderet se majorem esse puro homine, esseque Prophetam & Christum, a quo ipsi peccatorum remissio, & salus æterna postulanda & expectanda sit. Hæc est enim aqua viva, ipsi a Christo proposita.

Vers. 17 Respondit mulier, et dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jesus: Bene (id est recte, vere) dixisti, quia non habeo virum] Hinc patet mulierem hanc fuisse viduam & solutam, ac proinde non fuisse adulteram, sed fornicariam dumtaxat, sive meretricem, nisi amasius ejus fuerit conjugatus: hoc enim posito, uterque fuit adulter. Ita S. August. τὸ *quia*, more Hebræo per pleonasmum redundat.

Vers. 18 Quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir; hoc vere dixisti] Nonnus, *Quinque enim viros habuisti vicissim alium post alium:* E *& quem nunc habes, non est legitimus maritus. Quinque viros*, scilicet legitimos, *habuisti*. Ita S. Aug. Beda, Euthym. Rupertus & alii passim, licet S. Chrys. in Ps. 13. & Maldonatus putent illos fuisse illegitimos & adulteros, ac proinde hic a Christo hoc nomine taxari, quod sextum adulterum etiamnum habeat. Prior sensus est germanior: nam Christus ponit antithesin inter quinque priores & sextum, quod illi fuerint legitimi, hic vero sit illegitimus.

Nota hic modestiam, & gratiam corripiendi in Christo: non enim aperte dicit mulieri: Tu es adultera vel fornicaria: age ergo de tuis fornicationibus pœnitentiam, sed laudans eam, quod veritatem dixit, se non habere virum, addit: *Et nunc quem habes, non est tuus vir*, quo tacite insinuat illam cum eo fornicari, seseque illud, licet occultum, ex Dei revelatione scire, ac proinde se esse Prophetam & Messiam, a quo veniam & gratiam petere debeat. Quam graviter corripit Christus.

Nota. S. Basilius ep. 2. ad Amphilochium ait trigamiam, sive tertias nuptias, esse Ecclesiæ inquinamenta, F sed Fornicatione meliora. Et ep. 1. ad eumdem: *Trigamos*, ait, *sæpe tribus & quatuor annis segregant, id autem non amplius, sed polygamiam appellant, vel castigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat: Quem nunc, inquit, habes, non est maritus, nempe quod digni non sint, qui a bigamiæ mensura exciderunt, ut vel mariti vel uxoris nomine appellentur*. Verum Ecclesia aliter jam sentit. Certum enim est quartas, quintas, sextas, septimas, &c. nuptias esse licitas, etsi subinde sint indecentes, & incontinentiæ indices: & hoc videtur voluisse S. Basilius.

Dicit ei mulier: Domine, video quia Prophe- Verus
ta es tu] quia occulta ma, tam bona, quam mala revelas, quæ non nisi ex Dei revelatione scire potes, præsertim cum sis Judæus & exterus; quare tuam correptionem tam modestam humiliter admitto, meamque fornicationem confiteor. *Una*, ait Rupertus, *eademque confessione, & de se confessa est quod erat, & de illo quod eum esse intelligere poterat*. Et mox: *Minus quidem & longe minus, quam ille erat, confessa est, sed confitendo quantum percepe-rat, dignam se fecit, cui crederet Jesus totum quod erat*.

Patres nostri in monte hoc adoraverunt: et G
vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi Verus
oportet adorare.] Mulier agnoscens Jesum esse Prophetam, proponit ei quæstionem de religione, illo tempore inter Judæos & Samaritanos summe controversam, ut sciret utram partem sequi deberet, ut saluti suæ consulat: hæc enim quæstio plus eam cruciabat, quam sitis aquæ vivæ a Christo promissæ, quam non intelligebat.

Adoraverunt] Nota, per adorationem hic & alibi significari omnem ritum publicum colendi Deum, præsertim per sacrificia, & alias cæremonias a Deo institutas, & a Mose in Levitico ex ore Dei præscriptas: hic enim publicus ritus tantum in tabernaculo a Mose erecto, & postea in templo a Salomone fabricato exerceri poterat, ut patet ex lege, quam sancit Deus Deuter. 24. 24. Alioqui enim jure naturæ & divino, semper quovis loco Deum privatim adorare & invocare licuit & licet. Ergo *adoraverunt* hic idem est, quod *sacrificarunt*, & victimas in sacrificium publice Deo obtulerunt: quia adoratio, sive cultus externus latriæ est ipsum sacrificium. Sic Genes. 22. 5. aic H Abraham pueris suis, *Postquam adoraverimus*, id est, sacrificaverimus, *revertemur ad vos*. Et Actor. 8. 27. *Eunuchus Candacis reginæ venerat adorare*, id est sacrificium offerre, *in Jerusalem*. Ita Suarez tract. de Religione. Adorare id est sacrificare.

In monte hoc] Garizim, qui imminet urbi Sichem. Unde ex eo Joathan filius Gedeonis Sichimitis maledixit Judic. 9. 7.

Templi Samaritani origo.

Nota. Celebris illo ævo & perpetua fuit quæstio & contentio inter Samaritas Judæos de adoratione & sacrificio in hoc monte. Nam tempore Alexandri Magni Manasses frater Jaddi pontificis, qui occurrit Alexandro, eumque Judæis infensum placavit, uxorem duxit alienigenam, scilicet filiam Sanaballat, quem Darius ultimus Persarum rex præfecerat Samariæ. Quare Manasses a fratre Jaddo, ceterisque sacerdotibus templo & sacris exclusus, confugit ad generum suum Sanaballat, qui in Samaria, pura in monte Garizim, nobile templum extruxit, eique Manasse quasi pontificem præfecit. Unde ad illud confluxere multi Judæi transfugæ, præsertim qui contra legem, instar Manassis, alienigenas uxores duxerant: atque utebantur in sui excusationem hoc argumento, quod Sichem, cui imminet mons iste Garizim, celebris esset adoratione & sa-

Digitized by Google

A & ſacrificiis Patriarcharum, ut Jacobi, Geneſ. 33. 20. Joſue, cap. ult. v. 1. Moſis & 12. tribuum, Deuter. 27. 12. ubi juſſu Dei Moſes jubet Joſue, ut in monte Garizim ædificet altare, in quo Deo offerat holocauſta, ac lapidibus inſcribat Decalogum, & coram arca duodecim tribubus promulget Dei legem, cum benedictionibus, quas Deus ſervantibus legem promiſit, populo reſpondente, Amen.

Templum in monte Garizim ducentis annis ſtetit.

Porro ſtetit hoc templum in montem Garizim, per 200. annos, uſque ad Hyrcanum Simonis fratris Judę Machabæi filium, pontificem & principem, qui illud evertit, teſte Joſepho l. 3. Antiq. c. 17. qui & c. 16. narrat Samaritas & Judæos litem hanc decidendam detuliſſe ad Ptolemæum Philometorem, regem Ægypti, qui illam adjudicavit Judæis, utpote qui ex Moſis ſententia templum ſuum fabricaſſent. Sed hac deciſione Samaritæ non fuere contenti, ac in ſuo ſchiſmate, templo & contentione cum Judæis perſtiterunt, uſque ad templi ſui excidium.

VERS. 21 DICIT EI JESUS: MULIER CREDE MIHI, QUIA VENIT HORA QUANDO NEQUE IN MONTE HOC, NEQUE IN HIEROSOLYMIS ADORABITIS PATREM] Scilicet vos, quicumque rite, ex Dei præſcripto Deum Patrem adorare voletis.

B *Adorabitis Patrem* ergo, hoc eſt, adorabitur Pater. Senſus eſt, q. d. *Venit hora*, id eſt, tempus Evangelicæ legis, & doctrinæ a me inſtituendæ, & promulgandæ, per quam jam poſt mortem meam brevi futuram, abolebitur lex Moſis, omneſque ritus illius colendi Deum in templo Hieroſolymitano, vel etiam hoc veſtro Garizimitano Hieroſolymitani æmulo, quia per totum orbem ædificabuntur Eccleſiæ Chriſtianorum, in quibus Deus adorabitur in ſpiritu & veritate, uti explicat Chriſtus v. 23. Hoc eſt, quod ſub Chriſtum futurum prædixit Malach. c. 1. 10. & 11. *Munus*, ait Dominus, *non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſq; ad occaſum magnũ eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, hebr. *mincha*, ſcilicet, Euchariſtia, puta oblatio corporis & ſanguinis Chriſti, quæ ſola omnibus priſcis animalium ſacrificiis ſucceſſit. Vide ibi dicta.

VERS. 22 VOS ADORATIS QUOD (Arabic. *quem*) NESCITIS, NOS ADORAMUS QUOD SCIMUS, QUIA SALUS EX JUDÆIS EST] Hic Chriſtus directe quæſtioni mulieris reſponder, ac litem de Deo adorando Judæis adjudicat, Samaritas velut ſchiſmaticos condemnans. Ait ergo: *Vos*, o Samaritæ, *adoratis quod neſcitis*; quia Deum Judæorum cum veſtris Aſſyriorum idolis, ac conſequenter Deum quaſi idolorum ſocium, ac proinde falſum fictumque colitis. Rurſum colitis Deum a Deo Judæorum diverſum, qui ſcilicet ſolius terræ veſtræ ſit dominus, qui proinde falſus eſt & confictus a vobis. Patet ex 4. Reg. 17. 26. Rurſum Samaritæ ſuas habebant hæreſes & errores, quos recenſet S. Epiphan. in eorum hæreſi. Sic Turcæ & Judæi adorant Deum, quem neſciunt, quia negant eum eſſe in perſonis trinum. Sic & Calvinus cum ſuis, negans Dei omnipotentiam, facienſque eum crudelem, dum aſſerit eum gehennæ addicere quoslibet, ſine eorum demerito, non verum, ſed falſum Deum adorat: Deus enim verus omniporens eſt & benigniſſimus.

Salus ex Judæis eſt.

C Secundo & potius, *vos adoratis*, id eſt, ritum adorandi, & ſacrificandi habetis, quem *neſcitis* eſſe a Deo profectum; quia ſcil. eum vobis veſtro ingenio finxiſtis, contra Dei legem & voluntatem. *Nos* Judæi vero adoramus quod ſcimus, quia ritum adorandi & ſacrificandi a Deo per Moſen in Levitico præſcriptum ſervamus, & ſequitur.

D QUIA SALUS (Syrus, *vita*) EX JUDÆIS EST] tum quia ego Chriſtus, qui ſum ſalutis auctor a Deo miſſus, non ex Samaritis, ſed ex Judæis natus ſum, ait S. Chryſ. Cyrill. Theoph. Euthym. Ammonius & alii: tum quia vera Dei cognitio & cultus, qui homines ad ſalutem ducit, olim in lege veteri a Judæis ad Gentes manavit, ac jam in lege nova, a me Judæo ad omnes manabit. Ita iidem.

VERS. 23 SED VENIT HORA, ET NUNC EST, QUANDO VERI ADORATORES ADORABUNT PATREM IN SPIRITU ET VERITATE. NAM ET PATER TALES QUÆRIT, QUI ADORENT EUM] q. d. Jam eſt tempus meæ legis Evangelicæ, in qua veri adoratores, ſcilicet Chriſtiani, ſive ex Judæis, ſive ex Samaritis, ſive ex aliis gentibus ad me converſi adorabunt Deum, in monte hoc, nec Hieroſolymis duntaxat, carnalibus animalium ſacrificiis, uti faciunt Judæi & Samaritæ, ſed ubivis gentium, in ſpiritu & veritate. Audi Euthym. *Ubi Judæos Samaritanis præpoſuiſſet, rurſus nunc Judæis præponit Chriſtianos, ut ſuſpicione careat prælatio, & non appareat Judæis gratificari tamquam Judæus.*

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

IN SPIRITU ET VERITATE] Sic & Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, & Perſicus. Nota. Samaritani falſo, imo falſum adorabant Deum, quem ignorabant, uti dixi v. 22. Judæi autem adorabant quidem Deum verum, ſed præcipue per corporales victimas, ait Euthym. aliaque corporalia ſigna, idque certo loco, puta in templo Hieroſolymitano, quæ omnia erant umbræ & typi adorationis & cultus ſpiritualis, inducendi a Chriſto; utriſque ergo Chriſtus hic opponit ſuos fideles & Chriſtianos, qui pro corpore, *in ſpiritu*; pro umbris, ac falſitate, & ignorantia, *in veritate* adorant Deum, qui ſpiritus eſt incorporeus, veriſſimus & puriſſimus. Spiritus ergo hic ſignificat ſpiritualem cultum fidei, ſpei, charitatis, religionis, devotionis, contritionis, cæterarumque virtutum, quibus a Chriſtianis, non per umbras & figuras, ſed *in veritate*, id eſt, veriſſime, rectiſſime & propriiſſime Deus colitur. *In veritate* ergo, hoc eſt vero, recto, ſincero, proprio, Deoque digno cultu, quo Deus delectatur & gaudet, juxta illud Pſal. 50. 18. *Holocauſtis non delectaberis: ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Et illud Pſ. 49. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et Pſ. 4. 6. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Et Pſ. 49. 13. *Numquid manducabo carnes taurorum? &c. immola Deo ſacrificium laudis.* Ita S. Cyrillus: *Spiritalis adorator*, inquit, *gratus eſt, qui non formæ & figuris Judaicis ad pietatem obumbrabatur, ſed Evangelica virtute fulgens, recta dogmatum diſciplina veram peragit adorationem.* Et Theoph. *Quia multi*, ait, *videntur adorare in anima, non tamen rectam habent ſcientiam, ſicut hæretici, ideo addidit: Et in veritate: oportet enim & mente adorare Deum, & ſanam opinionem de ipſo habere.* Talis erat Paulus, ait Origen. dicens: *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio* (latria, græce enim eſt, λατρεύω, id eſt, quem latria adoro) *in ſpiritu meo*, Rom. 1. 9. Et Gloſſa: Non in templo, ait, non in hoc monte, ſed in intimo templo cordis, & in veritate cognitionis adorandus eſt Deus: Samarita ergo Deum adorat in monte, localiter, Judæus in umbra, figulariter, Chriſtianus in ſpiritu & veritate, vere & ſpiritualiter. Nam, ut ait S. Chryſoſt. *Priora figura erant, nunc totum eſt veritas.*

E Adoratio in Spiritu & veritate quæ?

Secundo. Vatabl. τὸ *in veritate*, exponit, *in integritate*, vel in perfectione: veri enim, id eſt, integri, & perfecti, adoratores adorant Deum, in ſpiritu & perfectione fidei, ſpei, charitatis, cæterarumque virtutum, uti faciunt Chriſtiani; umbratici vero & imperfecti adoratores adorant Deum corporeis ſignis & ſacrificiis, ut faciebant Samaritæ & Judæi.

F

Symbolice, S. Athan. epiſt. ad Serapionem: Oportet, ait, adorare Deum, ſcilicet Patrem in veritate, id eſt, in Filio & in Spiritu ſancto, hoc eſt, oportet adorare Deum trinum & unum, oportet adorare S. Trinitatem, ac tres ejus perſonas.

Alii, Oportet adorare Deum, inquiunt, in Spiritu, hoc eſt, per Spiritum, ſive inſtinctu Spiritus ſancti.

Myſtice, Theoph. per ſpiritum, inquit, actio inſinuatur, per veritatem contemplatio: omnes enim Chriſtiani ſerviunt Deo, in vita, vel activa, vel contemplativa.

G

Objiciunt hæretici: Deus a Chriſtianis adorandus eſt in ſpiritu & veritate; ergo a baptiſmo rejiciendæ ſunt omnes corporeæ cæremoniæ & ritus.

Argumenti hæreticorum contra cæremonias Eccleſiaſticas ſolvitur.

Reſp. nego conſequentiam: quia hæ non ſunt umbræ & figuræ legis veteris, ſed ornamenta, excitamenta, & effecta ſpiritus, ideoque ad ſpiritum pertinent: alioqui enim omnia Sacramenta, ipſaque Euchariſtia, quæ in ſymbolis corporeis conſiſtunt, a lege nova abjicienda forent: quod eſt abſurdum, etiam apud hæreticos. Sine Sacramentis enim & ſacrificiis Eccleſia nequit conſiſtere, quia ſine iis nequit eſſe viſibilis, & nequit uniri ac congregari. Denique hæ cæremoniæ a Chriſtianis obeuntur, & manant ab interno ſpiritu fidei, ſpei, charitatis & devotionis; ergo ad ſpiritum pertinent, quaſi effectus ad cauſam, ac quaſi actus externus ad internum. Secus erat in craſſis, rudibus & carnalibus Judæis, qui totam ſuam devotionem in externis ſacrificiis & ritibus collocabant. Ita Cyrillus, Maldonat. Janſen. Toletus, & alii hic, ac S. Ambr. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. & Hilarius lib. 2. de Trinitate.

H

Denique S. Cyrillus ſcripſit ſeptemdecim libros de Adoratione in ſpiritu & veritate, quos Romæ edidit Angellius, anno Domini 1588. Vide idipſum Gentiles: unde Cato.

Et Deus eſt animus, ait, *nobis ut carmina dicunt,*
Hic tibi præcipue pura ſit mente colendus.

Digitized by Google

A SPIRITUS EST DEUS: ET (id est, idcirco) EOS, QUI
VERS. 24 ADORANT EUM, IN SPIRITU ET VERITATE OPORTET ADORARE] Est hæc ratio a priori, q.d. Deus est purissimus & vetissimus spiritus, ergo non nisi adoratione in spiritu & veritate delectatur. *Si corpus esset Deus*, ait S. Aug. *oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons; vel in templo, quia corporeum est templum*. Jam autem, quia Deus est spiritus, hinc spirituali mente, spirituali amore, & devotione colendus & adorandus est. Hinc patet contra Anthropomorphitas & Audianos, ac contra Tertullian. lib. contra Praxeam, item contra Lactantium lib. de Ira Dei, Deum nullum licet tenuissimum habere corpus, sed purissimum esse spiritum, ideoque purissimo spiritu adorandum. Falsum ergo est illud Tertulliani axioma. *Quod incorporale est, nihil est*. Sed videntur hi duo abusi voce corporis, ac per illud non aliud quam solidam substantiam intellexisse, esto sit incomposita.

Deus est incorporeus.

Audi S. Aug. hæc verba Christi explicantem, lib. de Speculo cap. 1. & seq. *Spiritus est Deus*, &c. *Spiritus incomprehensibilis, incorporeus, immutabilis, incircumscriptus, ubique totus, numquam divisus*, &c. *ubique præsens, ineffabiliter omnia penetrans, omnia continens, omnia sciens, cuncta prospiciens, omnia potens, universa gubernans, totus in cælo, totus in terra, totus ubique*. Et nonnullis interjectis: *Semper agens, semper quietus, colligens & non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione; omnia creans & protegens, nutriens & perficiens. Quærens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuans; zelans, & securus es; pœnitet te, & non doles; iraseris, & tranquillus es, operamutas, sed consilium numquam recipis*. Et paulo inferius: *Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia: nec ex alia parte sustines, atque ex alia superexcedis; neque ex alia parte imples, atque ex alia circumplecteris; sustinendo super excedis, & super excedendo sustines. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum, qui attingis a fine usque ad finem fortiter, & omnia disponis suaviter*.

B

Idem per umbram videre Philosophi, quorum definitiones Dei recenset Minucius Felix in Octavio: nimirum.

Quid est Deus? Respondet Pytagoras: *Deus est animus per universam rerum naturam commeans, ex quo etiam animalium omnium vita capitur*.

Dei definitiones.

Quid est Deus? Respondet Anaxagoras: *Deus est descriptio & modus infinitæ mentis*.

C

Quid est Deus? Resp. Thales: *Est mens, quæ ex aqua cuncta formavit*: aquam enim ipse statuit initium rerum omnium.

Quid est Deus? Respondet Xenophanes: *Deus est infinitum omne cum mente*.

Quid est Deus? Respondet Democritus; *Deus est natura, & intelligentia, quæ imagines fundat*.

Speusippus: *Deus*, ait, *est vis naturalis, qua omnia reguntur*.

Heraclides: *Deus est divina mens*.

Zeno: *Deus est una mundi providentia*.

Aristotel. *Deus est mens, quæ mundum gubernat*.

Cleantes: *Deus est animus, & ratio mundi*. Unde Virgilius:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Chrysippus: *Deus est vis divina, rationalis natura, & fatum rerum*.

Xenophon: *Forma Dei veri videri non potest, & ideo eam quærere non oportet*.

Atisto: *Deus est, cujus essentia & majestas comprehendi non potest*.

D

Quid est Deus? Respondet Plato in Timæo: *Deus est mundi parens, artifex anima, cœlestium terrenorumq; fabricator, quem & invenire difficile præ nimia & incredibili potestate; & cum inveneris, in publicum dicere, impossibile*.

Quid est Deus? Audi Arnobium l. 1. contra Gentes eum vocantem: *O maxime; O summe rerum invisibilium procreator, o ipse invisus, & nullis umquam comprehense naturis: dignus, dignus vere (si modo te dignum mortali dicendum est ore) cui spirans omnis intelligensque natura, & habere & agere numquam designat gratias, cui tota conveniat vita genu nixo procumbere & continuatis precibus supplicare: Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum, quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers ac quantitatis, sine situ, motu & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium potest significatione verborum: qui ut intelligaris, tacendum est, atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum*.

E

DICIT EI MULIER: SCIO QUIA MESSIAS VENIT (QUI VERS. 25
DICITUR CHRISTUS) CUM ERGO VENERIT ILLE, NOBIS ANNUNCIABIT OMNIA] *Venit*, græce ἔρχεται, in præsenti, id est, adventat, vicinus est, mox aderit Messias, qui omnia religionis dubia nobis resolvet, docebitque ubi, quando, & quomodo Deus adorandus, & colendus sit. Sciebat hoc mulier ex communi sermone, & fama: jam enim translatum erat sceptrum a Juda ad Herodem; unde ex vaticinio Jacobi Genes. 49. & ex 70. hebdomadis Danielis jam impletis, omnes sciebant instare tempus adventus Messiæ, idque communi omnium sermone vulgabatur. Unde Judæi putabant Joannem Baptistam esse Messiam, ipse vero asserebat Jesum esse Messiam: quare ex Baptistæ assertione spargebatur rumor, jam venisse Messiam.

QUI DICITUR CHRISTUS] Verba sunt non mulieris, utpote Hebrææ, & loquentis hebraice dumtaxat, sed Joannis Evangelistæ Hebræum nomen interpretantis, q.d. Messias hebr. idem est quod græce χριστὸς, latine unctus.

DICIT EI JESUS: EGO SUM QUI LOQUOR TECUM] VERS. 26
q.d. Ego sum Messias, id est Christus, mihi ergo fidem adhibe, & in me crede, meamque doctrinam, & legem capesse, ut salveris & beeris. Dixit ergo Christus voce tum externa, tum magis interna, mentem mulieris illuminans, & voluntatem in sui amorem, & reverentiam accendens; illico credidit mulier, & totam urbem ad credendum excitavit.

F

ET CONTINUO VENERUNT DISCIPULI EJUS: ET MIRABANTUR, QUIA (quod) CUM MULIERE LOQUEBATUR, VERS. 27
NEMO TAMEN DIXIT, QUID QUÆRIS, AUT QUID LOQUERIS CUM EA?] Origenes, & S. Cyrillus, S. Chrys. Theoph. & Euthym. opinantur discipulos fuisse miratos humilitatem Christi, quod dignaretur cum muliere alienigena & paupere loqui. Verum sic addidisset, *illa*, vel *tali*, dixissetque: *Quod cum muliere tali loqueretur*: quare melius S. Cyprianus tract. de Singular. Cleric. & alii respondent, insolitum fuisse Christo seorsim loqui cum muliere, idque hoc fine, ut castitatis & honestatis omnibus fidelibus, sed maxime clericis, sacerdotibus, prædicatoribus & Religiosis daret exemplum. Nam recte ait Sapiens: *De vestimento procedit tinea, & a muliere iniquitas viri*, Eccli. 42. 13. Et c. 25. 33. *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur*. Vide ibi dicta. Hinc Eliseus, & omnes Sancti tantopere fugerunt consortia mulierum, ideoque communis fuit ille omnium sensus, fœminas parvo fructu, sed magno periculo adiri, periculo, inquam, pudicitiæ propriæ, vel illarum, quæ sæpe vultus virorum tacite delibant & depascuntur; vel certe periculo famæ. A consortio enim fœminarum vel flamma procedit, vel fumus: atque utut spiritales subinde videantur & sint, ac spiritalia colloquia misceant; tamen naturali concupiscentia occulte instigante, & dæmone inflammante, facile spiritus in carnem & carnalia degenerat, idque sensim sine sensu colloquentium.

Miratur discipulos, quod Christus cum muliere loquatur.

Dices: Ergone negligendæ erunt mulieres? Resp. Nequaquam, sed in publica concione vel catechesi docentur: si ægrotent, aut alia de causa eas adire sacerdotem oporteat, id fiat loco publico & patenti, uti Christus hic fecit, ac cum teste, quem semper adhibere solebat S. Carolus Borromæus. Ita S. Cypr. loco citato.

NEMO TAMEN DIXIT, QUID QUÆRIS?] *Quia magistrum & timebant & reverebantur plurimum*, ait S. Chrys. H

RELIQUIT ERGO HYDRIAM SUAM (qua haustura erat VERS. 28
aquam ex puteo) MULIER, ET ABIIT IN CIVITATEM (Sichar, sive Sichem) ET DICIT ILLIS HOMINIBUS] incolis Sichem. *Audito*, ait S. August. *Ego sum, qui loquor tecum, & recepto in cor Christo Domino, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret, & evangelizare curreret*? Sciebat enim Jesum esse Prophetam & virum magnum, ex eo quod sibi secreta revelasset: illi ergo se asserenti esse Messiam credidit, sciens illum esse virum fide dignum, qui falli, vel fallere non posset; quare relicta hydria ad puteum, illico cucurrit in urbem, timens, ne si moram faceret, Jesus abiret, ac cives suos ad Jesum pro Messia cognoscendum colendumque excitavit. Unde S. Chrys. *Adeo*, inquit, *audito Jesu incensa est, ut relicta hydria & aqua, cujus gratia eo concesserat, in civitatem properaret, & ad Christum universum populum traheret. Poterat hauriendæ aquæ gratia, & cum verum fontem invenisset, contempsit alterum, & superna veniente gratia, Apostolico munere fungitur*.

Hic

A Hic enim est spiritus Christi, ut a se conversis zelum alios convertendi injiciat, ut tanti boni, quod ipsi in se sentiunt, alios faciant participes. Eleganter & pie S. Ambr. ser. 30. *Novo*, ait, *admirationis genere, mulier, quæ ad puteum Samariæ, meretrix advenerat, a Christi fonte casta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportavit. Statim etiam indicante Domino sua peccata recognoscens confitetur, Christum annunciat Salvatorem, & relinquens aquæ vasculum, ad civitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reverti onere, sed plena revertitur sanctitate. Plena, inquam, redit, quia peccatrix advenerat, revertitur prædicatrix; & quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat: in nullo civitatis sua inferens detrimentum: etenim si aquam civibus non intulit, tamen fontem salutis invexit.*

VERS. 29 VENITE, ET VIDETE HOMINEM, QUI DIXIT MIHI OMNIA QUÆCUMQUE FECI: NUMQUID IPSE EST CHRISTUS?] *Miraculi*, inquit Cyrill. *narratione proposita, præparavit auditores ad fidem*: quia scilicet, ut ait Cyrill. *non omnem vitam suam acceperat a Christo, ex his tamen, quæ dixerat,* B *& cetera credidit*. Theoph. *Accensa divino igne, ad nihil eorum, quæ in terra sunt, respicit, non ad confusionem, non ad ignominiam, aut aliud quippiam, non veretur secreta sua pandere.*

NUMQUID IPSE EST CHRISTUS?] *Hæsitando loquitur tamquam addubitans*, ait Euthym. *ut ab illis detur sententia*: ipsa enim non hæsitabat, sed firmiter credebat Jesum esse Messiam. Unde S. Chrysost. *animadvertite*, ait, *immensam mulieris sapientiam, neque affirmat Christum esse, neque reticet: noluit se hujus opinionis auctorem, sed suo ipsorum auditu inductis hoc ipsis persuaderi, quod longe futurum erat probabilius. Proculdubio enim intelligebat, modo fontem illum gustarent, eadem de eo, quæ & ipsa, sensuros.*

Hæc ergo Samaritana, per alloquium & gratiam Christi ex peccatrice facta est pœnitens & sancta, imo præco Christi, instar S. Magdalenæ.

Porro ipsius nomen proprium fuit Photina, quæ, ut Sanctа Martyrologio Romano ascripta, legitur die 20. Martii hisce verbis: *Eodem die Sanctorum Photinæ, Samaritanæ, Joseph & Victoris filiorum, itemque Sebastiani ducis, Antonii, Photii, Photidis, Parasceves & Cyriacæ germanarum: qui omnes Christum confessi, martyrium sunt consecuti.* Ubi Baronius: *Agunt de ea* (Photina) *Græci hac die in Menologio, feruntque eamdem fuisse Samaritanam, de qua Joannes Evang. c. 4. In vet. Martyrol. Cassinensi de eadem agitur, eamdemque fuisse affirmatur.* Quare plane verisimile est Christum illam hoc colloquio convertisse. Hoc enim ipse intendebat, unde & ipsa credidit ipsum esse Messiam, id est, Salvatorem, & petit implicite ejus gratiam a Christo propositam, dicens: *Domine da mihi hanc aquam*: ac Christus eam compunxit exterius, dicens: *Nunc quem habes, non est tuus vir*; multo magis interius: unde & ipsa fatetur culpam, aitque: *Domine, ut video, Propheta es tu*; ac plane videtur tunc Christo mentem ejus movente elicuisse actum pœnitentiæ & contritionis, per quem fuit justificata. Hinc & Christi amore incensa, cives suos advocavit, ut Messiam verum agnoscerent, quem ipsa jam agnoverat. Quare caput hujus Samaritanæ religiose Romæ asservatur, in basilica S. Pauli, ubi inter alias Sanctorum reliquias illum mihi ostensum fuit.

Samaritanæ nomen fuit Photina.

C

D Porro Franc. Bivarius in Commentario Chronici L. Dextri, ad annum Christi 60. p. 117. ex actis Martyrum Italicensium, quæ Jeremias Patriarcha Constant. anno Christi 1580. e Græco in Latinum transtulit, narrat Samaritanam hanc, apud Carthaginem in Africa, prædicasse Evangelium Christi, ideoque cum duobus filiis, Victore & Josepho, ac quinque sororibus, Anatolia, Photi, Photide, Parasceve & Cyriaca, ac cum Sebastiano duce, a Victore ad Christum converso, sub Nerone illustre obiisse martyrium. Nam primo in carcerem teterrimum detrusi, inde in ardentem clibanum totis tribus diebus missi, a quo indemnes extracti, semel & iterum veneno potati fuere: plumbo etiam & resina in liquorem redactis, in ore Photinæ & in auribus cæterorum, sine detrimento susceptis, sæpius bovinis nervis cæsi, pectinibus quoque ferreis a capite in sublime suspensi, excarnificati, atque facibus ignitis ad Martyrum latera applicatis exusti; oculis demum erutis, iterum in carcerem venenosis animalibus scatentem reducti, quo tandem sine cibo & medicamine miserabiliter interirent: sed cum illuc Christi luce ac visione perfunderentur, in pristinam sanitatem reducti, & oculorum beneficio restituti, ac miraculoso cibo, tribus mensibus ac diebus totidem refocillati, rursus ad novum adducti certamen, denuo flagris sævissime laniati, ad ultimum pelle detracta, frustatim cæsi, & capite amputato illustrissimam martyrii palmam perceperunt; una dempta Photina, quæ in veterem cisternam immissa, indeque detracta, flexis genibus impollutum Deo spiritum reddidit 20. die Martii, quam tum a Latinis, tum a Græcis ejus memoria anniversaria celebritate colitur. Hæc Bivarius ex actis a Jeremia traductis & acceptis, penes quos eorum sit fides. Illis enim in martyrio Samaritanæ & filiorum, adstipulatur Menologium Græcorum, ad diem 20. Martii, quod sic habet: *Eadem die certamen S. Martyris Photinæ Samaritanæ, cum qua Christus locutus est, & Joseph, & Victoris filiorum, nec non Sebastiani Ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves & Cyriacæ germanarum sororum, qui omnes Christi fidem confessi, martyrii palmam consecuti sunt.* Videtur ergo Samaritana hæc suos filios, item fratres ac sorores ad Christum convertisse, ac cum iis martyrii palmam accepisse. F

Prædicavit Evangelium in Africa.

E

EXIERUNT ERGO DE CIVITATE, ET VENIEBANT AD EUM] ejusque sapientia & sanctitate, ex verbis & moribus ejus perspecta, in eum ut Messiam crediderunt, ut patet ex v. 42. *Duricies Judæorum*, ait Cyrill. *a Samaritana facilitate arguitur*: quia Samaritani ex uno Christi alloquio ad eum conversi sunt; Judæi vero post triennalem Christi prædicationem, ad tot tantaque miracula ab eo patrata, in eum credere noluerunt. VERS. 30

INTEREA ROGABANT EUM DISCIPULI DICENTES: RABBI, MANDUCA] *Hoc*, ait S. Chrys. *non improbitate quadam, sed amore & studio in magistrum dicebant, cum itinere & æstu fatigatum viderent.* Simul ipsi sibi consulebant: ipsi enim esurientes, & fessi optabant manducare, sed non audebant id facere, nisi Christo incipiente, & prius mensæ de more benedicente. Porro Jesus *solebat*, ait Theoph. *ab aliis oblatos cibos suscipere, qui dat escam omni carni, ut deferentes meritum consequerentur, & ne quis erubescat paupertatem, nec grave putet ab aliis nutriri: proprium enim & necessarium doctoribus, alios habere procuratores ciborum, ut ipsi de nullo curantes, verbi ministrationem procurent sollicite.* VERS. 31

G

ILLE AUTEM DICIT EIS: EGO CIBUM HABEO MANDUCARE, QUEM VOS NESCITIS] q.d. Ego esurio conversionem Samaritanorum, quam jam per mulierem procuro: quare illa esuries spiritalis omnem corporalis cibi esuriem, si non tollit, certe minuit & supprimit: vos interim fessi & famelici comedite quantum lubet. *Occultius*, ait Cyrill. *significat, quod si discipuli scirent de Samaritanorum conversione jam agi, de illo cibo magis cogitarent, quam de corporali consulerent.* Et mox: *Nam quoniam orbis futuri erant magistri, exemplo suo eos docet, multo majorem salutis hominem, quam proprii corporis curam esse habendam.* VERS. 32

DICEBANT ERGO DISCIPULI AD INVICEM: NUMQUID ALIQUIS ATTULIT EI MANDUCARE?] Non intellexerunt Apostoli Christum loqui de cibo spiritali, puta de conversione Samaritanorum: unde rogant, quis ei cibum corporalem attulerit, de quo ipse dicit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quocirca S. Augustin. *Quid mirum*, inquit, *si mulier illa non intelligebat aquam, ecce discipuli non intelligunt escam.* VERS. 33

DICIT EIS JESUS: MEUS CIBUS EST, UT FACIAM VOLUNTATEM EJUS, QUI MISIT ME, UT PERFICIAM OPUS EJUS] Nota. Christus hic opus prædicationis, & redemptionis hominum, sibi a Patre injunctum, vocat suum, id est, sibi proprium, sibique suavissimum cibum, quia illo, velut cibo delicatissimo pascebatur & delectabatur. Ita Euthym. *Voluntas Patris, qui ipsum miserat*, inquit, *& opus illius Christo injunctum, salus est hominum*, juxta illud: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Joan. 17. v. 4. Causam dat Theophyl. quia *salutem hominum tanto desiderio avebat, quanto nullus nostrum sensibilem cibum.* Et Chrysost. *Hominum salutem hoc in loco cibum appellat, ut quanta salutis nostræ cura, & desiderio teneatur ostendat.* VERS. 34

H

Cibus viri Apostolici.

Tropologice a Christo discant Christiani, præsertim prædicatores, virique Apostolici, quod eorum cibus spiritalis debeat esse obedientia, & zelus animarum: quia Primo, uterque animæ vitam sustentat: Secundo, uterque mentis vires instar cibi vegetat & roborat. Tertio, quia, sicut cibus facit pueros crescere in virum per-

Digitized by Google

A SPIRITUS EST DEUS: ET (id est, idcirco) EOS, QUI VERS.24 ADORANT EUM, IN SPIRITU ET VERITATE OPORTET ADORARE] Est hæc ratio a priori, q.d. Deus est purissimus & verissimus spiritus, ergo non nisi adoratione in spiritu & veritate delectatur. *Si corpus esset Deus*, ait S. Aug. *oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons; vel in templo, quia corporeum est templum.* Jam autem, quia Deus est spiritus, hinc spirituali mente, spirituali amore, & devotione colendus & adorandus est. Hinc patet contra Anthropomorphitas & Audianos, ac contra Tertullian. lib. contra Praxeam, item contra Lactantium lib. de Ira Dei, Deum nullum licet tenuissimum habere corpus, sed purissimum esse spiritum, ideoque purissimo spiritu adorandum. Falsum ergo est illud Tertulliani axioma. *Quod incorporale est, nihil est.* Sed videntur hi duo abusi voce corporis, ac per illud non aliud quam solidam substantiam intellexisse, esto sit incomposita.

Deus est incorporeus.

Audi S. Aug. hæc verba Christi explicantem, lib. de Speculo cap. 1. & seq. *Spiritus est Deus*, &c. *spiritus incomprehensibilis, incorporeus, immutabilis, incircumscriptus, ubique totus, numquam divisus*, &c. *ubique præsens, ineffabiliter omnia penetrans, omnia continens, omnia sciens, cuncta prospiciens, omnia potens, universa gubernans, totus in cælo, totus in terra, totus ubique.* Et nonnullis interjectis: *Semper agens, semper quietus, colligens & non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione; omnia creans & protegens, nutriens & perficiens. Quærens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuans; zelans, & securus es; pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es, opera mutas, sed consilium numquam recipis.* Et paulo inferius: *Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia: nec ex alia parte sustines, atque ex alia superexcedis: neque ex alia parte imples, atque ex alia circumplecteris; sustinendo superexcedis, & superexcedendo sustines. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum, qui attingis a fine usque ad finem fortiter, & omnia disponis suaviter.*

B

Idem per umbram videre Philosophi, quorum definitiones Dei recenset Minucius Felix in Octavio: nimirum.

Quid est Deus? Respondet Pytagoras: *Deus est animus per universam rerum naturam commeans, ex quo etiam animalium omnium vita capitur.*

Dei definitiones.

Quid est Deus? Respondet Anaxagoras: *Deus est descriptio & modus infinitæ mentis.*

C

Quid est Deus? Resp. Thales: *Est mens, quæ ex aqua cuncta formavit*: aquam enim ipse statuit initium rerum omnium.

Quid est Deus? Respondet Xenophanes: *Deus est infinitum omne cum mente.*

Quid est Deus? Respondet Democritus; *Deus est natura, & intelligentia, quæ imagines fundat.*

Speusippus: *Deus*, ait, *est vis naturalis, qua omnia reguntur.*

Heraclides: *Deus est divina mens.*

Zeno: *Deus est una mundi providentia.*

Aristotel. *Deus est mens, qua mundum gubernat.*

Cleantes: *Deus est animus, & ratio mundi.* Unde Virgilius:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Chrysippus: *Deus est vis divina, rationalis natura, & fatum rerum.*

Xenophon: *Forma Dei veri videri non potest, & ideo eam quærere non oportet.*

Aristo: *Deus est, cujus essentia & majestas comprehendi non potest.*

D

Quid est Deus? Respondet Plato in Timæo: *Deus est mundi parens, artifex anima, cœlestium terrenorumq; fabricator, quem & invenire difficile præ nimia & incredibili potestate; & cum inveneris, in publicum dicere, impossibile.*

Quid est Deus? Audi Arnobium l. 1. contra Gentes eum vocantem: *O maxime; O summe rerum invisibilium procreator, o ipse invisus, & nullis unquam comprehense naturis: dignus, dignus vere (si modo te dignum mortali dicendum est ore) cui spirans omnis intelligensque natura, & habere & agere numquam designat gratias, cui tota conveniat vita genu nixo procumbere & continuatis precibus supplicare: Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum, quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers ac quantitatis, sine sexu, motu & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium potest significatione verborum: qui ut intelligaris, tacendum est, atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum.*

E

DICIT EI MULIER: SCIO QUIA MESSIAS VENIT (QUI VERS.25 DICITUR CHRISTUS) CUM ERGO VENERIT ILLE, NOBIS ANNUNCIABIT OMNIA] *Venit*, græce ἔρχεται, in præsenti, id est, adventat, vicinus est, mox aderit Messias, qui omnia religionis dubia nobis resolvet, docebitque ubi, quando, & quomodo Deus adorandus, & colendus sit. Sciebat hoc mulier ex communi sermone, & fama: jam enim translatum erat sceptrum a Juda ad Herodem; unde ex vaticinio Jacobi Genes. 49. & ex 70. hebdomadis Danielis jam impletis, omnes sciebant instare tempus adventus Messiæ, idque communi omnium sermone vulgabatur. Unde Judæi putabant Joannem Baptistam esse Messiam, ipse vero asserebat Jesum esse Messiam: quare ex Baptistæ assertione spargebatur rumor, jam venisse Messiam.

QUI DICITUR CHRISTUS] Verba sunt non mulieris, utpote Hebrææ, & loquentis hebraice dumraxat, sed Joannis Evangelistæ Hebræum nomen interpretantis, q.d. Messias hebr. idem est quod græce χριστὸς, latine unctus.

DICIT EI JESUS: EGO SUM QUI LOQUOR TECUM] VERS.26 q.d. Ego sum Messias, id est Christus, mihi ergo fidem adhibe, & in me crede, meamque doctrinam, & legem capesse, ut salveris & beeris. Dixit ergo Christus voce tum externa, tum magis interna, mentem mulieris illuminans, & voluntatem in sui amorem, & reverentiam accendens; illico credidit mulier, & totam urbem ad credendum excitavit.

F

ET CONTINUO VENERUNT DISCIPULI EJUS: ET MIRA- VERS.27 BANTUR, QUIA (quod) CUM MULIERE LOQUEBATUR, NEMO TAMEN DIXIT, QUID QUÆRIS, AUT QUID LOQUERIS CUM EA?] Origenes, & S. Cyrillus, S. Chrys. Theoph. & Euthym. opinantur discipulos fuisse miratos humilitatem Christi, quod dignaretur cum muliere alienigena & paupere loqui. Verum sic addidisset, *illa, vel tali*, dixisseque: *Quod cum muliere tali loqueretur*: quare melius S. Cyprianus tract. de Singular. Cleric. & alii respondent, insolitum fuisse Christo seorsim loqui cum muliere, idque hoc fine, ut castitatis & honestatis omnibus fidelibus, sed maxime clericis, sacerdotibus, prædicatoribus & Religiosis daret exemplum. Nam recte ait Sapiens: *De vestimento procedit tinea, & a muliere iniquitas viri*, Eccli. 42. 13. Et c. 25. 33. *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur.* Vide ibi dicta. Hinc Eliseus, & omnes Sancti tantopere fugerunt consortia mulierum, ideoque communis fuit ille omnium sensus, fœminas parvo fructu, sed magno periculo adiri, periculo, inquam, pudicitiæ propriæ, vel illarum, quæ sæpe vultus virorum tacite delibant & depascuntur; vel certe periculo famæ. A consortio enim fœminarum vel flamma procedit, vel fumus: atque utut spirituales subinde videantur & sint, ac spiritualia colloquia misceant; tamen naturali concupiscentia occulte instigante, & dæmone inflammante, facile spiritus in carnem & carnalia degenerat, idque sensim sine sensu colloquentium.

Mirantur discipuli, quod Christus cum muliere loquatur.

G

Dices: Ergone negligendæ erunt mulieres? Resp. Nequaquam, sed in publica concione vel catechesi docentur: si ægrotent, aut alia de causa eas adire sacerdotem oporteat, id fiat loco publico & patenti, uti Christus hic fecit, ac cum teste, quem semper adhibere solebat S. Carolus Borromæus. Ita S. Cypr. loco citato.

NEMO TAMEN DIXIT, QUID QUÆRIS?] *Quia magistrum & timebant & reverebantur plurimum*, ait S. Chrys.

H

RELIQUIT ERGO HYDRIAM SUAM (qua haustura erat VERS.28 aquam ex puteo) MULIER, ET ABIIT IN CIVITATEM (Sichar, sive Sichem) ET DICIT ILLIS HOMINIBUS] incolis Sichem. *Audito*, ait S. August. *Ego sum, qui loquor tecum, & recepto in cor Christo Domino, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret, & evangelizare curreret?* Sciebat enim Jesum esse Prophetam & virum magnum, ex eo quod sibi secreta revelasset: illi ergo se asserenti esse Messiam credidit, sciens illum esse virum fide dignum, qui falli, vel fallere non posset; quare relicta hydria ad puteum, illico cucurrit in urbem, timens, ne si moram faceret, Jesus abiret, ac cives suos ad Jesum pro Messia cognoscendum colendumque excitavit. Unde S. Chrys. *Adeo*, inquit, *audito Jesu incensa est, ut relicta hydria & aqua, cujus gratia eo concesserat, in civitatem properaret, & ad Christum universum populum traheret. Venerat hauriendæ aquæ gratia, & cum verum fontem invenisset, contempsit alterum, & superna veniente gratia, Apostolico munere fungitur.*

Hic

A Hic enim est spiritus Christi, ut a se conversis zelum alios convertendi injiciat, ut tanti boni, quod ipsi in se sentiunt, alios faciant participes. Eleganter & pie S. Ambr. ser. 30. *Novo*, ait, *admirationis genere, mulier, quæ ad puteum Samariæ, meretrix advenerat, a Christi fonte casta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportavit. Statim etiam indicanti Domino sua peccata recognoscens confitetur, Christum annunciat Salvatorem, & relinquens aquæ vasculum, ad civitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reverti onere, sed plena revertitur sanctitate. Plena, inquam, redit, quia peccatrix advenerat, revertitur prædicatrix; & quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat: in nullo civitatis suæ inferens detrimentum: etenim si aquam civibus non intulit, tamen fontem salutis invexit.*

VERS. 29 VENITE, ET VIDETE HOMINEM, QUI DIXIT MIHI OMNIA QUÆCUMQUE FECI: NUMQUID IPSE EST CHRISTUS?] *Miraculi*, inquit Cyrill. *narratione proposita, præparavit auditores ad fidem*: quia scilicet, ut ait Cyrill. *non omnem vitam suam acceperat a Christo, ex his tamen, quæ dixerat,* B *& cetera credidit*. Theoph. *Accensa divino igne, ad nihil eorum, quæ in terra sunt, respicit, non ad confusionem, non ad ignominiam, aut aliud quippiam, non veretur secreta sua pandere.*

NUMQUID IPSE EST CHRISTUS?] *Hesitando loquitur tamquam addubitans*, ait Euthym. *ut ab illis detur sententia*: ipsa enim non hæsitabat, sed firmiter credebat Jesum esse Messiam. Unde S. Chrysost. *animadvertite*, ait, *immensam mulieris sapientiam, neque affirmat Christum esse, neque reticet: noluit se hujus opinionis auctorem, sed suo ipsorum auditu inductis hoc ipsis persuaderi, quod longe futurum erat probabilius. Proculdubio enim intelligebat, modo fontem illum gustarent, eadem de eo, quæ & ipsa, sensuros.*

Hæc ergo Samaritana, per alloquium & gratiam Christi ex peccatrice facta est pœnitens & sancta, imo præco Christi, instar S. Magdalenæ.

Samaritanæ nomen fuit Photina.

Porro ipsius nomen proprium fuit Photina, quæ, ut Sancta Martyrologio Romano ascripta, legitur die 20. Martii hisce verbis: *Eodem die Sanctorum Photinæ, Samaritanæ, Joseph & Victoris filiorum, itemque Sebastiani ducis, Antonii, Photii, Photidis, Parasceves & Cyriacæ germanarum: qui omnes Christum confessi, martyrium sunt consecuti.* C Ubi Baronius: *Agunt de ea* (Photina) *Græci hac die in Menologio, feruntque eamdem fuisse Samaritanam, de qua Joannes Evang. c. 4. In vet. Martyrol. Cassinensi de eadem agitur, eamdemque fuisse affirmatur.* Quare plane verisimile est Christum illam hoc colloquio convertisse. Hoc enim ipse intendebat, unde & ipsa credidit ipsum esse Messiam, id est, Salvatorem, & petit implicite ejus gratiam a Christo propositam, dicens: *Domine da mihi hanc aquam*: ac Christus eam compunxit exterius, dicens: *Nunc quem habes, non est tuus vir*; multo magis interius: unde & ipsa fatetur culpam, aitque: *Domine, ut video, Propheta es tu*; ac plane videtur tunc Christo mentem ejus movente elicuisse actum pœnitentiæ & contritionis, per quem fuit justificata. Hinc & Christi amore incensa, cives suos advocavit, ut Messiam verum agnoscerent, quem ipsa jam agnoverat. Quare caput hujus Samaritanæ religiose Romæ asservatur, in basilica S. Pauli, ubi inter alias Sanctorum reliquias illum mihi ostensum fuit.

Prædicavit Evangelium in Africa.

D Porro Franc. Bivarius in Commentario Chronici L. Dextri, ad annum Christi 60. p. 117. ex actis Martyrum Italicensium, quæ Jeremias Patriarcha Constant. anno Christi 1580. e Græco in Latinum transtulit, narrat Samaritanam hanc, apud Carthaginem in Africa, prædicasse Evangelium Christi, ideoque cum duobus filiis, Victore & Josepho, ac quinque sororibus, Anatolia, Photi, Photide, Parasceve & Cyriaca, ac cum Sebastiano duce, a Victore ad Christum converso, sub Nerone illustre obiisse martyrium. Nam primo in carcerem teterrimum detrusi, inde in ardentem clibanum totis tribus diebus missi, a quo indemnes extracti, semel & iterum veneno potati fuere: plumbo etiam & resina in liquorem redactis, in ore Photinæ & in auribus cæterorum, sine detrimento susceptis, sæpius bovinis nervis cæsi, pectinibus quoque ferreis a capite in sublime suspensi, excarnificati, atque facibus ignitis ad Martyrum latera applicatis exusti; oculis demum erutis, iterum in carcerem venenosis animalibus scatentem reducti, quo tandem sine cibo & medicamine miserabiliter interirent: sed cum illuc Christi luce ac visione perfunderentur, in pristinam sanitatem reducti, & oculorum beneficio restituti, ac miraculoso cibo, tribus mensibus ac diebus totidem refocillati, rursus ad novum adducti certamen, denuo flagris sævissime laniati, ad ultimum pelle detracta, frustatim cæsi, & capite amputato illustrissimam martyrii palmam perceperunt; una dempta Photina, quæ in veterem cisternam immissa, indeque detracta, flexis genibus impollutum Deo spiritum reddidit 20. die Martii, quam tum a Latinis, tum a Græcis ejus memoria anniversaria celebritate colitur. Hæc Bivarius ex actis a Jeremia traductis & acceptis, penes quos eorum sit fides. Illis enim in martyrio Samaritanæ & filiorum, adstipulatur Menologium Græcorum, ad diem 20. Martii, quod sic habet: *Eadem die certamen S. Martyris Photinæ Samaritanæ, cum qua Christus locutus est, & Joseph, & Victoris filiorum, nec non Sebastiani Ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves & Cyriacæ germanarum sororum, qui omnes Christi fidem confessi, martyrii palmam consecuti sunt.* Videtur ergo Samaritana hæc suos filios, item fratres ac sorores ad Christum convertisse, ac cum iis martyrii palmam accepisse. F

VERS. 30 EXIERUNT ERGO DE CIVITATE, ET VENIEBANT AD EUM] ejusque sapientia & sanctitate, ex verbis & moribus ejus perspecta, in eum ut Messiam crediderunt, ut patet ex v. 42. *Duritiei Judæorum*, ait Cyrill. *a Samaritana facilitate arguitur*: quia Samaritani ex uno Christi alloquio ad eum conversi sunt; Judæi vero post triennalem Christi prædicationem, ad tot tantaque miracula ab eo patrata, in eum credere noluerunt.

VERS. 31 INTEREA ROGABANT EUM DISCIPULI DICENTES: RABBI, MANDUCA] *Hoc*, ait S. Chrys. *non improbitate quadam, sed amore & studio in magistrum dicebant, cum itinere & æstu fatigatum viderent.* Simul ipsi sibi consulebant: ipsi enim esurientes, & fessi optabant manducare, sed non audebant id facere, nisi Christo incipiente, & prius mensæ de more benedicente. Porro Jesus *solebat*, ait Theoph. *ab aliis oblatos cibos suscipere, qui dat escam omni carni, ut deferentes meritum consequerentur, & ne quis erubescat paupertatem, nec grave putet ab aliis nutriri: proprium enim & necessarium doctoribus, alios habere procuratores ciborum, ut ipsi de nullo curantes, verbi ministrationem procurent sollicite.*

VERS. 32 ILLE AUTEM DICIT EIS: EGO CIBUM HABEO MANDUCARE, QUEM VOS NESCITIS] q.d. Ego esurio conversionem Samaritanorum, quam jam per mulierem procuro: quare illa esuries spiritalis omnem corporalis cibi esuriem, si non tollit, certe minuit & supprimit: vos interim fessi & famelici comedite quantum lubet. *Occultius*, ait Cyrill. *significat, quod si discipuli scirent de Samaritanorum conversione jam agi, de illo cibo magis cogitarent, quam de corporali consulerent.* Et mox: *Nam quoniam orbis futuri erant magistri, exemplo suo eos docet, multo majorem salutis hominem, quam proprii corporis curam esse habendam.* G

VERS. 33 DICEBANT ERGO DISCIPULI AD INVICEM: NUMQUID ALIQUIS ATTULIT EI MANDUCARE?] Non intellexerunt Apostoli Christum loqui de cibo spiritali, puta de conversione Samaritanorum: unde rogant, quis ei cibum corporalem attulerit, de quo ipse dicit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quocirca S. August. *Quid mirum*, inquit, *si mulier illa non intelligebat aquam, ecce discipuli non intelligunt escam.*

VERS. 34 DICIT EIS JESUS: MEUS CIBUS EST, UT FACIAM VOLUNTATEM EJUS, QUI MISIT ME, UT PERFICIAM OPUS EJUS] Nota. Christus hic opus prædicationis, & redemptionis hominum, sibi a Patre injunctum, vocat suum, id est, sibi proprium, sibique suavissimum cibum, quia illo, velut cibo delicatissimo pascebatur & delectabatur. Ita Euthym. *Voluntas Patris, qui ipsum miserat*, inquit, *& opus illius Christo injunctum, salus est hominum*, juxta illud: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Joan. 17. v. 4. Causam dat Theophyl. quia *salutem hominum tanto desiderio avebat, quanto nullus nostrum sensibilem cibum.* Et Chrysost. *Hominum salutem hoc in loco cibum appellat, ut quanta salutis nostræ cura, & desiderio teneatur ostendat.* H

Cibus viri Apostolici.

Tropologice a Christo discant Christiani, præsertim prædicatores, virique Apostolici, quod eorum cibus spiritalis debeat esse obedientia, & zelus animarum: quia Primo, uterque animæ vitam sustentat: Secundo, uterque mentis vires instar cibi vegetat & roborat. Tertio, quia, sicut cibus facit pueros crescere in virum per-

Digitized by Google

A perfectum, sic hæ duæ virtutes faciunt nos crescere in virilem ætatem spiritus & virtutis, quod non erat in Christo; nec enim Christus ullo actu proficere & crescere poterat in gratia, sanctitate & perfectione: illa enim ipse plenus & perfectus erat a primo instanti conceptionis & incarnationis suæ.

VERS. 35 NONNE VOS DICITIS QUOD ADHUC QUATUOR MENSES SUNT, ET MESSIS VENIT? ECCE DICO VOBIS, LEVATE OCULOS VESTROS, ET VIDETE REGIONES, QUIA ALBÆ SUNT JAM AD MESSEM] A metaphora cibi transiit ad allegoriam messis, e qua fit cibus & panis.

NONNE VOS DICITIS] id est crebro dicere soletis, & nunc reipsa dicitis. Unde videtur quod Apostoli transeuntes per campos & segetes Sichimorum, de messe futura, uti facere solent homines, inter se collocuti fuerint, inde Christus sumpsit occasionem loquendi de messe spirituali, id est, conversione Samaritanorum. q. d. Cum messis corporea vos tangit; sed multo magis tangere vos debet cura messis spiritalis, ut me in convertendis Samaritanis adjuvetis.

B ADHUC QUATUOR MENSES SUNT, ET MESSIS VENIT] Maldonatus putat esse proverbium, significans adhuc sat temporis esse, ut dcre aliqua, v. g. de messe corporea, cogitetur: at id in messe spirituali dici non posse; eum enim illa jam sit matura, illico illam a Christo, & Apostolis demetendam esse: censet enim Maldonatus hæc dicta esse a Christo in fine Martii, sub instans Pascha, de quo cap. seq. v. 1. cum in Judæa messis est vicina, non longinqua.

Quo mense messis fiebant in Judæa?

Melius S. August. & alii, hæc ad litteram, ut sonant, accipiunt: quare hæc dicta videntur a Christo in Januario, post octo menses, quibus Christus in Judæa prædicarat: nam post quatuor menses, puta in Majo, in Judæa maturæ sunt segetes, fitque messis: unde in Pentecoste, quæ incidebat in Majum, ex nova messe offerebant Deo panes primitiarum. Vide Chronotaxim num. 15. *Vos*, ait S. August. *quatuor menses computatis usque ad messem; ego vobis aliam messem albam & paratam ostendo*. Unde subdit Christus: *Ego dico vobis, levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem*, in messe enim segetes prius viridcs, albescunt & flavescunt. *Regiones albas ad messem* vocat urbem Sichem, locaque vicina Samaritanorum, qui a muliere excitati, turmatim confluebant ad Christum. q. d. Videtis agros hosce non tritico, sed turba populi ad me confluentis refertos, qui paratus est meam doctrinam excipere, in Ecclesiam admitti, ac christianismo initiari: huic ergo messi, ne pereat, demetendæ mecum, o Apostoli, insistite, & strenue collaborate. Longe, puta ad quatuor menses, abest messis tritici, at instat, & prope est messis animarum: en jam parata est in hisce Samaritis: levate oculos & respicite campos Sichimorum, e quibus turmatim omnes confluunt ad recipiendum me meumque Evangelium: hi ergo quasi segetes spirituales, jam albescunt & maturescunt: par igitur est, ut a me & vobis illico demetantur, & in horreum Dei colligantur. *Jam venientem Samaritanorum turbam videbant*, ait S. Chrys. *quorum fervorem & promptissimam voluntatem albas regiones appellat. Sicut enim spicæ flaventes messem indicant, & jam manus postulant, ita illi properabant ad salutem, ut & docerentur, & crederent, & a Prophetis persuasi fructum redderent*. Et Theophyl. *Attollite*, ait, *oculos vestros, vel spirituales, vel sensibiles, & spectate multitudinem Samaritanorum, & animas eorum ad fidem alacres & promptas, quæ quasi regiones albæ, opus habent messoribus ad salutem præparatæ*.

Regiones albæ ad messem.

C

D Causam dat S. Cyrillus dicens: *Nam sata intellectualia, & spicæ spirituales sunt, qui Prophetarum voce culti, ad fidem Christi perveniunt: quæ seges albescit tunc, cum jam maturus, id est promptus, ad suscipiendam fidem Christi, & veram religionem animus est, messoria vero falx, est Apostolorum splendida prædicatio, qua ad aream, id est, ad Ecclesiam Dei transponit*.

VERS. 36 ET QUI METIT, MERCEDEM ACCIPIT, ET CONGREGAT FRUCTUM IN VITAM ÆTERNAM: UT ET QUI SEMINAT, SIMUL GAUDEAT, ET QUI METIT] Invitat Christus Apostolos ad laborandum secum in colligenda hac messe, spe mercedis æternæ, q. d. Qui metit triticum, mercedem accipit, sed temporalem, & brevem; qui vero metit mecum hanc messem spiritalem animarum, congregat eam in vitam æternam: hanc enim messor & sibi & suæ messi, id est, animabus a se conversis acquirit, dum eas in cælum ad vitam æternam, quasi in triumphum ducit. *Hujus terrenæ messis fructus*, ait Chrys. *ad æternam non pervenit vitam, sed in hac fluxa & caduca consumitur: illa autem perpetuo nos comitatur*. *Ut* (q. d. Unde fiet, unde consequetur: notat enim fructum hujus messis communem fore satori & messori) *& qui seminat simul gaudeat, & qui metit*. Satores vocat Mosen & Prophetas, qui magno labore Judæis tradiderunt fidei semina, id est, prima principia, puta Deum esse unum, summe amandum & colendum, venturum Messiam mundi salvatorem, ab illo exspectandam salutem, &c. Messores sunt Christus & Apostoli, qui hæc Propheturum principia Evangelica doctrina perfecerunt, ac per fidem & gratiam Christi, Judæos & Samaritas sanctificarunt, & in vitam æternam induxerunt. Quare hæc Samaritarum conversio gaudium peperit non tantum Christo & Apostolis, sed & Mosi ac Prophetis, eo quod sua semina non evanuisse, sed ad fructum & messem per Christum perducta esse conspexerunt. Audi S. Chrysost. *Prophetæ satores, non messuerunt tamen, sed Apostoli. Atqui non propterea voluptate & fructu laborum privantur, sed vobiscum gaudent*. Et S. Aug. *Si non Prophetæ seminatores; unde ad illam mulierem pervenerat: Scio quia Messias venit? jam ista mulier fructus maturus erat*. Et inferius; *Dispares temporis labores habuerunt, sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt vitam æternam*. Secus sæpe fit in messe corporali, ubi messor gaudet, sator vero luget, quia sator messori servit, aut messor satorem suo semine, & messe privat. Messores Apostoli.

E

F

IN HOC ENIM EST VERBUM VERUM QUIA ALIUS EST QUI SEMINAT, ET ALIUS EST QUI METIT] *Verbum*; id est proverbium, vulgo jactari solitum, *quod in ore multorum est*, ait Chrysost. q. d. Hoc proverbium: *Alius est qui seminat, & alius qui metit*, vulgo de satore & messore frumenti dictum, verius est in satoribus & messoribus animarum. Satores enim fuerunt Propheræ, messores vero estis vos, o Apostoli, qui, ut sequitur, sata a Prophetis fidei semina, per meam doctrinam perficietis, & matura jam in horreum Ecclesiæ colligetis. Unde explicans subdit. VERS. 37

EGO MISI VOS METERE QUOD VOS NON LABORASTIS; ALII LABORAVERUNT, ET VOS IN LABORES EORUM INTROISTIS] *Ego misi*, id est, decrevi, & destinavi vos mittere: significatur actus inchoatus & destinatus, non perfectus, & consummatus. *Alii laboraverunt*. q. d. Propheræ & Regis doctores, similesque magno docendi labore, rudes Judæorum animos primis cognitionis Dei, & virtutis pietatisque rudimentis, quasi seminibus imbuerunt, itaque, eos ad messem Evangelicam, id est, ad justitiam & sanctitatem christianismi præparaverunt. Vos vero, o Apostoli, *in labores eorum introistis*, quia Judæorum animos jam ad me recipiendum præparatos promptosque & cupidos facile ad me convertetis, Ita Orig. S. Chrys. Theoph. Euthym. & alii. VERS. 38

G

Porro dicit hoc Christus, ut exemplo Propheturum laboriose seminantium, animet Apostolos ad evangelizandum, quod facilius erat & minoris laboris. *Ne ad prædicandum dimissi*, ait S. Chrys. *tanquam maximum onus subeuntes perturbarentur, cogitantes quod Prophetæ amplius laborassent, sicut laboriosior est sator, & majori egebat sollicitudine semina spargere, & ad Dei cognitionem animam erudire: nam in metendo* (quod erat Apostolorum) *& proventus uber, & labor erat remissior*. Simul *Propheturum voluntatem fuisse demonstrat, ut humanum genus ad Christum allicerent*. Rursum: *Nisi Judæi parati fuissent per Prophetas, non audirent Apostolos*, ait Glossa.

H

EX CIVITATE AUTEM ILLA MULTI CREDIDERUNT IN EUM SAMARITANORUM, PROPTER VERBUM MULIERIS TESTIMONIUM PERHIBENTIS: QUIA DIXIT MIHI OMNIA QUÆCUMQUE FECI] quia, ut ait Chrysost. *videbant eam, non ad gratiam, neque ut alteri gratificaretur, sanam vitam manifestam facere*. Confitebatur ergo coram suis civibus, se cum viro non suo, uti dixerat Christus, in fornicatione vixisse, ut sua ignominia patefaceret Christi quasi veri Prophetæ ac Messiæ, decus & gloriam. VERS. 39

CUM VENISSENT ERGO AD ILLUM SAMARITANI, ROGAVERUNT EUM UT IBI MANERET] *Ut urbem ingressus salutarem eis doctrinam prædicaret*, ait Cyrill. utque perpetuo apud eos maneret & habitaret, ait Chrys. & Theoph. VERS. 40

ET MANSIT IBI (in urbe Sichem) DUOS DIES] non plures, ne, si diutius apud Samaritas maneret, Judæi calumniarentur eum non esse Messiam, utpote qui Judæis, non Samaritis, erat promissus. Ita Jansen. Franc. Luc. & alii.

ET MULTO PLURES CREDIDERUNT IN EUM PROPTER SERMONEM EJUS] cælestem, & divinum, quibus alia VERS. 41

A altæ de Deo mysteria promebat; item zelosum, & efficacem: nam omnes amore Dei, occultis gratiæ suæ facibus accendebat: quare in ejus admirationem & venerationem rapti, crediderunt eum esse talem, qualem se profitebatur, scilicet Messiam mundi salvatorem.

VERS.42 ET MULIERI DICEBANT: QUIA JAM NON PROPTER TUAM LOQUELAM CREDIMUS: IPSI ENIM AUDIVIMUS, ET SCIMUS, QUIA HIC EST VERE SALVATOR MUNDI] puta *Messias*, ut addit Syrus, qui a Deo missus est ad salutem, non tantum Israelis, ut volebant Judæi, sed omnium gentium totius mundi: *mundi*, inquam, peccato perditi, ait Chrys. *quod orbe perdito venerit hic, ut eum servaret*. Merito ergo Chrysost. tantam, tamque subitam fidem Samaritarum admiratur, cum Judæi ad credendum in Christum fuerint tardi, morosi, & difficiles.

VERS.43 POST DUOS AUTEM DIES EXIIT INDE, ET ABIIT IN GALILÆAM] uti initio proposuerat: in Galilæam, inquam, id est reliquas Galilææ civitates ac vicos, ait Euthym. *relicta Nazareth*, patria sua, ut ait Matth. c. 4. 13. Vide dicta superius v. 3.

VERS.44 IPSE ENIM JESUS TESTIMONIUM PERHIBUIT, QUIA B (quod) PROPHETA IN SUA PATRIA HONOREM NON HABET] τὸ *enim* dat causam, cur Jesus, relicta Nazareth patria sua, ivit in cæteram Galilæam ad se non pertinentem; quia scilicet Nazarethani eum, quasi civem suum & fabri filium, contemnebant, Matth. 13. 57. Ita Jansen. Tolerus, & alii.

Paulo aliter Maldonat. q.d. Ideo Jesus relicta Bethlehem, & Judæa patria sua, abiit in Galilæam, ut superius dixi, quia Propheta in patria non est in honore.

VERS.45 CUM ERGO VENISSET IN GALILÆAM, EXCEPERUNT EUM GALILÆI, CUM OMNIA VIDISSENT, QUÆ FECERAT HIEROSOLYMIS IN DIE FESTO: ET IPSI ENIM VENERANT AD DIEM FESTUM] Paschæ, juxta legis decretum. Vide c. 2. 13. *cum omnia* miracula *vidissent*, præsertim quod ipse solus omnes ementes & vendentes ejecisset e templo, aliaque plura signa edidisset, ut ait Joan. c. 2. 14. & 23. & c. 3. 2.

Nota. Judæi visis tot Christi miraculis, & prædicationi ejus non crediderunt, nec eum exceperunt, Galilæi autem visis tot signis, eum benevole exceperunt, sed in eum non crediderunt; Samaritæ vero, nullis visis miraculis, eum exceperunt, in eumque, ut Messiam, a Deo ad salutem totius mundi missum, crediderunt: ita sæpe exteri avide excipiunt quod domestici fastidiunt & aspernantur.

C

VERS.46 VENIT ERGO ITERUM IN CANA GALILÆÆ, UBI FECIT AQUAM VINUM (*ut fidem, quæ ex facto prius miraculo acceperat, sua præsentia confirmaret*, ait Euthym.) ET ERAT QUIDAM REGULUS, CUJUS FILIUS INFIRMABATUR CAPHARNAUM] *Regulus*, id est, nobilis aliquis potens, aut princeps. Videtur interpres in Græco legisse βασιλίσκος, id est regulus, sive parvus rex; jam legunt βασιλικὸς, id est regius, puta Herodis Antipæ regis consiliarius, aut publicus minister, præfectus, vel aulicus, & amicus intimus. Syrus, *servus regius*; Chrysost. *quod de regio esset genere, aut alia principatus dignitate fungeretur*; Nonnus, *vir regius regens exercitum*. Origen. Erat hic, ait, forte de familia Tiberii Cæsaris, exercens pro eo aliquod officium in Judæa. S. Hier. in cap. 65. Isaiæ interpretatur, *regius*, sive *palatinus*.

Quis iste regulus.

CAPHARNAUM] in urbe, quæ dicebatur Capharnaum, quod nomen noster Interpres quasi peregrinum, & indeclinabile usurpat. Syrus refert ad τὸ *regulus*; alii certius ad τὸ *filius*: filius enim reguli decumbebat æger Capharnai; sed verisimile est eum ibi decubuisse, eo quod pater, puta regulus, ibidem habitaret, atque inde audiens Jesum tot ægros sanantem, e Judæa veniisse in Cana Galilææ, eo abiit, ut a Jesu filii sanitatem postularet, ut patet v. seq. Regulus hic videtur fuisset Judæus (non Gentilis, uti opinantur S. Hier. & Origen.) tum quia parvæ erat fidei: tum quia ut talis a Christo increpatur, cum Gentiles magis solerent esse faciles ad credendum in Christum, ideoque ab eo laudari, ut patet in Centurione & Chananæa. Ita Maldon. Jansen. & alii.

D

An hic Regulus idem cum Centurione?

Quidam putant regulum hunc esse centurionem; de quo Matth. c. 8. ita Irenæus lib. 2. c. 39. Sed hi duo diversi fuere. Centurio enim Christum ad se volentem ire, rogat ut maneat; hic vero regulus orat ut Christus ad filium ægrum veniat: ille ad Jesum descendentem de monte in Capharnaum venit, hic ad Jesum venientem in Cana: illius puer paralysi, hujus febri laborabat: illum Christus descendens & pene præsens, hunc absens curavit: ille erat servus, hic filius. Ita S. Chrys. Theoph. Euthym. & alii.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

HIC CUM AUDISSET, QUIA (quod) JESUS ADVENIRET E A JUDÆA IN GALILÆAM, ABIIT AD EUM, ET ROGABAT VERS.47 EUM, UT DESCENDERET, ET SANARET FILIUM EJUS: INCIPIEBAT ENIM MORI] q.d. Regulus audita Christi fama, quod quoslibet ægros sanaret, ex urbe Capharnao profectus est in Cana Galilææ, ad Jesum ibi degentem, rogans, ut secum ex Cana pergeret Capharnaum, ad sanandum suum filium, quod erat iter 14. leucarum, sive horarum, ideoque longum & difficile. Quare minus in Jesum credidit, ait S. Greg. hom. 28. quem putavit non posse salutem dare, nisi præsentem corpore.

DIXIT ERGO JESUS AD EUM: NISI SIGNA ET PRO- VERS.48 DIGIA VIDERITIS, NON CREDITIS] Signa & prodigia idem fere significant; proprie tamen signa sunt, quæ fiunt in re naturali, & per naturam, sed lente operantem, cum Christus in momento, ideoque per miraculum idipsum præstaret; tale est infirmos sanare: prodigia vero sunt, quæ omnem naturæ vim superant, uti est mortuos suscitare. Hinc S. Aug. *Prodigium*, ait, vocatur, quod *porro dicat*, & futurum aliquod portendat, q.d. *porrodigium*, quod futura prædicat, ait Festus.

F

Cur Christus reguli hujus fidem arguerit.

Arguit Christus reguli parvam fidem, ut in ea crescat, illamque acuat & adaugeat, q.d. Tu cum tuis quædam mea signa, & prodigia audisti, nec tamen adhuc credis me esse Messiam, nisi plurima alia faciam, illaque tu ipse videas & oculis tuis conspicias. *Suadet*, ait Chrys. *non signa nobis, sed doctrinam ipsius attendendam*. Et nonnullis interjectis: *Ostendit signa maxime animæ gratia fieri; neque minus hoc in loco patrem animæ morbo laborantem, quam filium curat*, imo prius curat infidelitatem, vel fidei imperfectionem in patre, deinde febrim in filio; huic enim obstabat patris pro filio obsecrantis imperfecta fides. *Licet enim crediderit*, ait Chrys. *non tamen firmiter neque integre*. Et Theoph. *Accessit*, ait, *ex fide, sed frigida & imperfecta, quam neque quis fidem recte vocaverit*. Unde Glossa: Per reguli duritiam, ait, significatur duritia Judæorum, qui nec visis miraculis credunt: contra per Samaritanam significatur fide Gentium, quæ solo verbo credidit.

DICIT AD EUM REGULUS: DOMINE, DESCENDE, VERS.49 PRIUSQUAM MORIATUR FILIUS MEUS] Græce παιδίον μου, id est, puerulus meus, scilicet mihi dilectissimus, unicæq; meæ deliciæ. *Regulus*, ait Chrys. *filii dolore affectus, non multum tunc Jesu verbis attendit, sed in solius filii cura versabatur*, &c. *Audi quantum adhuc humi trahatur*. *Descende*, inquit, *priusquam moriatur filius meus, ac si mortuum suscitare non potuisset, & nesciret ut se puer haberet.*

G

DICIT EI JESUS: VADE (redi Capharnaum, non est VERS.50 opus, ut ego tecum vadam: absens enim curabo, & de facto curo dicendo) FILIUS TUUS VIVIT] id est, sanus est, liberatus a morbo & morte. *Hoc unum, idemque dictum*, ait Rupert. *& vera de præsentibus prophetia, & imperium vitæ est*. Fuit enim hic Christi sermo non tantum enunciativus, sed & practicus: reipsa enim operabatur, & efficiebat id, quod enunciabat, scilicet vitam & sanitatem infirmi; sicut in Eucharistiæ consecratione, hæc verba *Hoc est corpus meum*, ita enunciant in ea esse corpus Christi, ut simul illud conficiant, ibique præsens sistant.

Porro Christus ivit ad puerum Centurionis, Matth. 8. ad reguli vero filium hic ire noluit. Primo, quia in Centurione erat fides confirmata, ait S. Chrysost. in regulo vero imperfecta. Secundo, quia, ut ait S. Greg. hom. 28. *Dominus, qui rogatur ut vadat, quia non deest ubi invitatur, indicat: solo jussu salutem reddit, qui voluntate omnia creavit.*

H

CREDIDIT HOMO SERMONI, QUEM DIXIT EI JESUS, ET IBAT.] *Duos*, ait Cyrill. *iisdem verbis Salvator curavit: nam & animum reguli ad fidem induxit: & a corporis morbo adolescentem eripuit;* ac pater credendo Christo, sanandoque morbum animæ, sua fide quasi meruit filium sanari in corpore.

f JAM AUTEM EO DESCENDENTE, SERVI OCCURRERUNT VERS.51 EI, ET NUNCIAVERUNT DICENTES, QUIA (quod) FILIUS EJUS VIVERET] sanus & incolumnis, ac quasi a morte instante suscitatus ad vitam. *Servi occurrerunt*, ait Cyrill. *velocitate & vim verborum Christi annunciantes, Domino sic dispensante, ut ab eventu rerum reguli fides confirmaretur.*

INTERROGABAT ERGO HORAM AB EIS, IN QUA ME- VERS.52 LIUS HABUERIT. ET DIXERUNT EI: QUIA HERI HORA SEPTIMA RELIQUIT EUM FEBRIS] *Certior fieri de hora studet*, inquit Cyrill. *ut videat si tempori congruit, in quo a Salvatore sibi gratia fuit concessa.*

HERI HORA SEPTIMA] scilicet ab ortu solis, hoc est,

Digitized by Google

A hora prima post meridiem: illa ergo hora sanato filio, illico servi se in iter dederunt, ut patri sanitatem filii adeo desideratam, nunciarent; sed eodem die ad ipsum pervenire non potuerunt, quare reliquo diei tempore, & per noctem sequentem ambulantes, postero mane ad eum perveniunt. Distabat enim Capharnaum a Cana Galilææ 14. horis sive leucis, ut dixi.

VERS. 53 COGNOVIT ERGO PATER, QUIA ILLA HORA ERAT, IN QUA DIXIT EI JESUS: FILIUS TUUS VIVIT: ET CREDIDIT IPSE, ET DOMUS EJUS TOTA] Ex eadem enim hora collegit filium, non naturæ vi, sed supernaturali Christi jussu, virtute verboque ac nutu sanatum. Reliquerat enim eum moribundum, & agentem animam, ac jam a servis audit, eum subito pristinæ sanitati restitutum, illa hora, qua dixerat Christus, *Filius tuus vivit*. Unde ex tam evidenti miraculo, credidit Christum esse Deum omnipotentem, qui vitæ & mortis haberet imperium, ac esse Messiam, & Salvatorem mundi. *Unde datur intelligi*, ait Beda in Catena, *& in fide gradus esse, sicut & in aliis virtutibus, quibus est initium, incrementum & perfectio. Hujus ergo fides initium habuit, cum filii salutem petiit; incrementum, cum credidit sermoni Domini dicentis, Filius tuus vivit; deinde perfectionem obtinuit nunciantibus servis.*

Porro, quia regulus hic habitavit Capharnai, æque ac centurio, de quo Matth. 8. non dubium est unum alteri fuisse familiarem, ac centurionem ex hoc miraculo prævio (posterior enim fuit ejus servi sanatio facta a Christo) tantam in Christum fidem concepisse, ut diceret: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*, Matth. cap. 8. vers. 8.

Tropologice, rex, sive regulus, est mens cujusque hominis; filius æger est voluntas ad bonum infirma; servi sunt sensus & membra; febris calida est cupiditas, & amor terrenorum: febris frigida est timor eorumdem, uti per novem utrimque analogias ostendi Matth. 8. v. 14. Hæc sanat Christus; ille ergo adeundus & invocandus est, ut regnum menti integrum restituat, illamque ex regulo regem efficiat. Vide Salmeronem tom. 6. tractat. 9. in fine, ubi inter alia ait; Regulus est mens, sive C intellectus, non solum quia cognatus Deo est, Regi regnum omnium, quemadmodum Paulus ex Poeta quodam dixit: *Ipsius enim & genus sumus*; sed etiam, quia in hoc mundo cum dominium habeat in universas creaturas, quæ ad se ordinem habent, prorex Dei est, respectu cujus regulus est, & non rex, ac regnum animæ & corporis habet, & sensus quidem & membra dominio despotico regis, appetitum vero concupiscentis & irascentis animæ dominio politico. Habet etiam insignia regalia, nempe, coronam prudentiæ, sceptrum justitiæ, purpuram fortitudinis, & fibulam auream temperantiæ, de qua Poeta describens reginam, dicebat:

Aurea purpuream nectebat fibula vestem.

Audi Theoph. *Regulus est omnis homo, non solum quia regi universorum propinquus secundum animam, sed quia super omnia principatum sumpsit; ejus filius, mens febricitans voluptatibus pravis & desideriis; descensus Christi condescensus misericordiæ: dicit autem, Vide, id est, profectum continuum circa bonum ostende, & tunc filius vivet; alioquin morietur, si ambulare cessaveris.*

Denique hora septima sanatus est: Primo, quia, ut D ait Origines, septenarius symbolum est sabbathi & quietis, in qua sanitas. Secundo, quia idem figura est sancti Spiritus septiformis, in quo est omnis salus. Tertio, quia, ut ait Alcuinus, per septiformem spiritum est remissio peccatorum. Septenarius enim in tria, & quatuor divisus, significat sanctam Trinitatem in quatuor mundi partibus dominantem.

Numeri septenarii symbola.

VERS. 54 HOC ITERUM (Arabicus, *etiam*) SECUNDUM SIGNUM FECIT JESUS CUM VENISSET A JUDÆA IN GALILÆAM] τὸ *iterum* junge cum τὸ *venisset*, q.d. Hoc secundum miraculum fuit, quod fecit Christus in Cana Galilææ, cum iterum, id est secundo, e Judæa venisset in Galilæam: primum enim fuit conversio aquæ in vinum, cap. 2. 1. & seq. quod fecit Christus, cum primo e Judæa venit in Galilæam, bis ergo venit e Judæa in Galilæam, & utrumque suum eo adventum novo miraculo illustravit. *Secundum dixit*, ait Euthym. *non quod post primum, nullum aliud ediderit in tota Palæstina* (nam in Judæa multa jam ediderat) *sed quod post primum, hoc secundum in Cana sit factum*. Dicit hoc Joannes, ut indicet copiam miraculorum, a Christo in Galilæa deinceps patratorum, quam narrat Matth. cap. 4. 23. & seq. post hoc secundum a Joanne hic recensitum, contigisse. E

CAPUT V.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus Primo, ad Probaticam piscinam sanat ægrum per 38. annos. Secundo, v. 16. Judæis calumniantibus, quod eum die sabbati sanasset, respondet se omnia sua simul cum Patre operari, q. d. se Patris auctoritate, imo ope & robore, sabbato ægrum sanasse. Tertio, v. 20. asserit se cum Patre mortuos vivificare, & a Patre constitutum esse judicem omnium. Quarto, v. 33. tribus testimoniis probat se esse Messiam. Primo, testimonio Joannis Baptistæ; Secundo, testimonio proprietum operum & miraculorum; Tertio, testimonio Moysis. F

POST hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. VERS. 1.

2. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.

3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

5. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? G

7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.

8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

9. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

10. Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?

13. Is autem, qui sanus fuerat affectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco.

14. Postea invenit eum Jesus in templo, & H dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.

17. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor.

18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, & dixit eis:

19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.

20. Pa-

Digitized by Google

A 20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat.

22. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio,

23. ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam.

25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.

26. Sicut enim Pater habet vitam in semet-
B ipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso:

27. & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei:

29. & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

30. Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

32. Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

C 33. Vos misistis ad Joannem: & testimonium perhibuit veritati.

34. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico ut vos salvi sitis.

35. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.

36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:

37. & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audistis, neque speciem ejus vidistis.

38. Et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:

D 40. & non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

41. Claritatem ab hominibus non accipio.

42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?

45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

47. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

POST HEC ERAT DIES FESTUS JUDÆORUM, ET ASCENDIT JESUS HIEROSOLYMAM] Nota. Joannes hic multa Christi in Galilæa gesta omittit, scilicet plurima miracula, vocationem Apostolorum, sermonem Christi in monte & cætera, quæ narrat Matth. a c. 4. usque ad 12. nam quod c. 12. narrat Matth. de discipulis Christi vellentibus spicas, contigit post sequens festum, uti mox patebit. Ita Jansen. Toler. Franc. Lucas & alii. E VERS. 1. Sanatio paralytici ad probaticam piscinam.

DIES FESTUS] S. Chrysost. Cyrillus, Theoph. Euthym. & Maldonatus putant fuisse Pentecosten. Melius S. Irenæus lib. 2. c. 39. Rupertus, Jansenius, Tolet. & Franc. Lucas censent fuisse Pascha, idque probatur. Primo, quia cap. 4. v. 35. dixit Jesus adhuc quatuor menses restare usque ad messem, ergo tunc necdum erat Pasqua, sed festum grande primo futurum erat Pascha: igitur illud hic intelligitur: nam in Judæa messis fit in Pascha & Pentecoste. Quisnam hic dies festus.

Secundo, quia Pascha erat festum festorum. Ergo cum absolute dicitur: *Erat dies Festus*, intelligit Pascha: hoc enim per antonomasiam, & κατ' ἐξοχὴν vocatur *festum*.

Tertio, quia Christus post baptismum suum tres annos cum dimidio prædicavit, ut habet communis Doctorum F
sententia: hinc oportet in Evangeliis quatuor inveniri Paschata hujus temporis, sive horum trium annorum cum medio: primum Pascha expressit Joan. c. 2. 13. secundum hic, tertium c. 4. 6. quartum paulo ante mortem c. 19. vers. 14. alioqui si hic dies festus non fuit Pascha, tria dumtaxat Christi Paschata ex Joanne colligere poteris.

Quarto, quia, ut paulo ante dixi, Christus non potuit tam multa gerere a Pascha usque ad Pentecosten, quod est spatium septem hebdomadarum dumtaxat; omnia scilicet, quæ narravit Joannes a c. 2. 39. huc usque, & Matt. a c. 4. usque ad c. 12. ergo anterius illa gesta sunt, scilicet a Januario usque ad Pasqua.

Hic igitur finiuntur gesta primi anni prædicationis Christi & trium mensium, qui a die 6. Januarii, quo ipse a Joanne baptizatus est, fluxere usque a Pascha, quod in Nisan, sive in Martio celebrabant. Finiuntur ergo hic acta Christi a Baptismo usque ad secundum Pascha. Vide Chronotaxin, quam Evangeliis præposui.

EST AUTEM HIEROSOLYMIS PROBATICA PISCINA, VERS. 2.
QUÆ COGNOMINATUR HEBRAICE BETHSAIDA, QUINQUE G
PORTICUS HABENS] *Probatica*, Græca est vox; idem significans quod pecuaria vel ovina, πρόβατον enim est ovis. Ita dicta fuit hæc piscina, tum quia erat juxta portam adjacentem templo, per quam scilicet greges ovium introducebantur immolandi in templo, de qua 2. Esdræ 3. v. 1. & 32. tum quia in illa oves quotidie mane & vespere, Deo sacrificandæ congregabantur, & abluebantur. Ita Theophyl. Beda, Jansen. & S. Hier. in Locis Hebr. Probaticæ quænam vox.

PISCINA] puta stagnum aquarum, quod pisces continebat, aut certe continere poterat, etiamsi actu non contineret. Unde græce κολυμβήθρα, id est natatoria, dicitur, quod in ea pisces, quin & homines, natare possent, etiam si actu non natarent. Ita S. August. tract. 20. Piscinam hanc extruxit Salomon pro ministerio templi: unde a Josepho l. 6. Belli c. 6. *stagnum Salomonis* nuncupatur: in eo enim Nathinæi lavabant victimas, quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas. Originem hujus piscinæ, ex vetusto codice manuscripto miram recenset Genebrardus in fine libr. 1. Chronol. editionis Parisiensis, Probaticæ piscinæ origo fabulosa. H
factæ a Sebastiano Nivellio anno Christi 1600. pag. 174. scilicet eo die, quo conceptus est Christus, ingenti terræ motu concussum fuit templum, illoque fontem hunc e terra erupisse, arcana virtute præditum, ut scabie pecudum elota etiam morbidos quoslibet ibidem ablutos sanaret; atque illum exaruisse, cum ex cedro, palma, & oliva ibidem repertis, crux fabricata est, in qua crucifixus fuit Christus. Verum hæc fabulosa videntur, & rabbinismum olent: Rabbini enim fabulosi sunt, & fabularum architecti. Minus improbabile est, quod ait idem Genebrardus in Notis Chronol. Beda in cap. 2. Esdræ, & ex iis Serarius in libr. 2. Machab. cap. 1. q. 14. scilicet probaticam piscinam esse locum illum, in quo Jeremias abscondit ignem sacrum templi, quem post reditum e Babylone requirentes Judæi, pro igne invenerunt aquam crassam, quæ a Nehemia effusa in lapides templi rursum versa est in ignem, ideoque rex Persarum Darius Hystaspis, vel ejus nepos Artaxerxes, eo loco, ut ait Sanctus Ambrosius 1. Offic. 14. fecit templum, græce ἱερὸν, id est, sacrum, scilicet, ædificium, quale erat hæc piscina, eamque suis porticibus circum-

Digitized by Google

A eumſepſit, ut habet Græcus 2. Machab. 1. v. 24. Verum hæc piſcina Nehemia fuit antiquior & a Salomone ad lotionem pecudum templi erecta; unde & opus Salomonium a Joſepho vocatur, ut dixi; niſi quis dicat, piſcinam prius quidem fuiſſe, ſed eo tempore, quo Jeremias in ea ignem ſacrum abſcondit, & Nehemias aquam craſſam in eo inventam rurſum in ignem convertit, accepiſſe hoc donum curandi quoslibet morbos, a Deo; ideoque porticibus, columnis, aliiſque fabricis a rege Perſarum auctam, & illuſtratam fuiſſe. Verum hæc incerta ſunt, nec a quopiam veterum tradita. Nonnulli Græci codices pro piſcina habent, πύλη, id eſt porta; ſed S. Chryſ. Theophyl. Cyrillus, Euthym. S. Hier. & alii paſſim legunt κολυμβήθρα, id eſt natatoria piſcina, ſive ſtagnum. Syrus vertit, *baptiſterium*, id eſt lavacrum.

Bethſaida quid? BETHSAIDA] Ita legunt codices Romani, & ex Græcis S. Chryſoſt. & Cyrillus, idque appoſite: *Bethſaida* enim Hebr. idem eſt quod *domus*, id eſt locus (Hebræi enim omnem locum vocant *domum*) *venationis* ſive piſcationis: בית *beth* enim eſt *domus* צידה *tſaiid* eſt venatio, quæ hic erat piſcium, hoc eſt, piſcatio in piſcina. Et hoc ſignificat
B Græcum κολυμβήθρα, id eſt, natatoria, in qua ſcilicet piſces natare ſolent, vel poſſunt: κολυμβᾶν enim eſt natare. Codices vero Græci habent Βηθεσδά. Unde S. Hier. in locis Hebr. legit, *Betheſda*, id eſt, domus effuſionis (אשרא *eſda* enim eſt *effuſio*, a Chal. שרא *ſeda*, id eſt, effudit) quod in illam aquæ pluviæ e tectis, atque aliæ ex aquæ ductibus effunderentur. Porro Syrus legit, *beth ebeſda*, id eſt, domus miſericordiæ (Hebr. enim חסד *cheſed* eſt miſericordia) eo quod Deus miſericordiam ſuam ibidem declararet in miſeros ægros, quos ſanabat; ſive quod viri probi pauperes ægros ibidem jacentes, ſuis eleemoſynis ſublevarent: Porro Arabicus habet; *quæ vocatur Hebraice Bethſaida, cujus interpretatio eſt piſcina ovium*, in qua ſcilicet, non piſces, ſed oves ablutas venabantur, & capiebant, ad offerendum eas in templo.

QUINQUE PORTICUS HABENS] Porticus ſunt loca ſuperne tecta, inferne aperta ad ambulandum, item ad decumbendum, vel quieſcendum, ut ſcilicet ægri in iis quieſcerent, tuti a pluvia æque ac æſtu ſolis, indeque in piſcinam vicinam illico exilirent, dum angelus ejus aquam commovebat. Unde ſequitur.

VERS. 3. IN HIS JACEBAT MULTITUDO MAGNA LANGUENTIUM (græce ἀσθενούντων, id eſt, ægrotantium) CÆCORUM, CLAUDORUM, ARIDORUM (quibus manus, brachium, pes,
C vel alia pars corporis exaruerat, ut eſſet vitæ motuſque expers, & ad uſum inepta) EXPECTANTIUM AQUÆ MOTUM] Nonnus, *ſemper ſpectantes ſaltum excitatæ & motæ aquæ, ut in aqua omnia ſanante diſſiparent moleſtum morbum, gnari illic eſſe effugium omnium morborum, etſi incurabilium ſcientiis humanis.*

Tropologice Beda, Cæci, ait, ſunt ſcientiæ lumine carentes; claudi, qui ad ea, quæ vident implenda vires non habent, aridi ſunt ii, qui dilectionis ſupernæ pinguedine carent: hos ſolus ſanare poteſt Chriſtus vi gratiæ ſuæ.

VERS. 4. ANGELUS AUTEM DOMINI DESCENDEBAT SECUNDUM TEMPUS IN PISCINAM: ET MOVEBATUR AQUA. ET QUI PRIOR DESCENDISSET IN PISCINAM POST MOTIONEM AQUÆ, SANUS FIEBAT A QUACUMQUE DETINEBATUR INFIRMITATE] *Angelus*, ſive Raphael ſive, quis alius. Raphael enim, quia præeſt medendis corporibus vocatur *Raphael*, id eſt medicina, vel medicus Dei. Unde Tobiam a cæcitate curavit.

SECUNDUM TEMPUS] Id eſt certo quodam tempore a
D Deo vel ab angelo deſtinato, ſed hominibus incognito. Unde non videtur ſolitum, quod ait Cyrill. & Tertul. lib. de Baptiſmo, ſemel in anno dumtaxat, ſcilicet in Penteceſte angelum in piſcinam deſcendiſſe: ſic enim non decubuiſſent juxta eam ægri, ſed domi ſuæ, indeque inſtante Penteceſte piſcinam adiiſſent. Unde Euthym. *Dicens*, ait, *Statuto tempore, docuit quod non ſemper fiebat miraculum, ſed certis temporibus, hominibus quidem incognitis, verum frequenter, ut opinor, in anno, propter hoc ſiquidem accumbebat in porticibus multitudo magna languentium.*

MOVEBATUR AQUA] Græce ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, id eſt, *turbabat aquam*. Ita Syrus, Arab. *movebat aquam*. *Motionis ſonus, adeſſe angelos ad ſanctificandam aquam ſignificabat*, ait Cyrill. *Ut eſſet indicium, quia deſcenderat angelus, movebatur aqua*, ait S. Ambr. lib. de iis qui initiantur myſter. cap. 4.

ET QUI PRIOR DESCENDISSET IN PISCINAN AQUÆ, SANUS FIEBAT] ut oſtenderet quid valeat labor & diligentia; quamque ad Dei beneficia captanda, celeres & agiles
E eſſe debeamus. Hinc ad manna colligendum oportebat ſurgere in aurora, nam orto ſole liqueſcebat, *ut notum eſſet omnibus, quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare*, ait Sapiens c. 6. v. 28. Vide ibi dicta. Deus enim ſua dona vigilantibus & ſedulis offert, non tardis & dormitantibus. Sic in ſtadio ille ſolus, qui aliis omnibus præcurrit, accipit bravium, 1. Cor. 9. v. 24. Julius Cæſar in bellis plurimum valere celeritatem aſſerebat, ac per illam ſe tot & tanta perfeciſſe. Unde illud ejus dictum: *Veni, vidi, vici*, teſte Plutarcho, in Apophth. Roman.

Cur poſt motum aquæ ſanabatur æger. Cauſa literalis. Quæres, cur poſt motionem, vel, ut græce eſt, turbationem aquæ ſanabantur is ſolus, qui prior in aquam deſcendebat? Reſp. Cauſa litteralis fuit: ut ſignificaretur hanc vim ſanandi non provenire ab aquæ natura, ſed a motione angeli, & a juſſu Dei. Porro motio hæc angeli non imprimebat vim aliquam, vel qualitatem phyſicam ad ſanandum quoslibet morbos: hanc enim nec angelus poterat efficere, nec aqua recipere; motio hæc ergo tantum ſignum erat virtutis, præparationis & actionis divinæ, quæ ægrum illum ſanatura erat, qui prior diligentia ſua ſe moviſſet, & in aquam deſcendiſſet, ibique Dei beneficium & miraculum, illi quaſi occurrendo, primus excepiſſet. Motio hæc ergo erat invitatio ægrorum, ad captandam ſanitatem in aqua mota. Motio enim angeli excitabat omnes ægros ad movendum, ut alter alterum præveniret, eſſetque primus in aquam deſcendens. Qua in re magna erat omnium feſtinatio & turbatio.
F

Appoſite vero hoc ſignum motionis uſurpavit angelus, quia virtus aquæ dum movetur, acuitur, fitque efficax, & vivida. Vita enim in motu conſiſtit; mors in quiete & torpore, hinc aquæ vivæ vocantur illæ, quæ moventur & fluunt, uti ſunt fontium & fluminum; mortuæ vero, quæ ſtant & ſtagnant, uti ſunt lacuum & piſcinarum. Adde inſtante ſanitate ſolet æger turbari: confligit enim natura cum morbo, donec illum ſuperet: quare morbus tunc ſummas & ultimas ſui vires exerit & evomit.

Tropologica cauſa fuit, ut ſignificaretur peccatorem, cum a Deo convertitur, & ſanatur, prius ſolere in conſcientia variis motibus timoris, pudoris, ſpei agitari & turbari: hiſce enim Deus eum ad pœnitentiam & contritionem commovet, ut per eam ſanetur, G uti docet Concilium Trident. Tropol.

Allegorica cauſa fuit, ut ſignificaretur Chriſtus in aquis paſſionum agitandus, & turbandus, qui per eas nobis ſanitatem omnem ſpiritalem & corporalem meruit, & impetravit: de quo mox plura. Allegor.

A QUACUMQUE DETINEBATUR INFIRMITATE] Hinc patet hanc piſcinæ ſanandi vim non fuiſſe a victimis in ea ablutis, nec a lignis in fundo jacentibus, ex quibus crux Chriſti ſit fabricata, ut aliqui voluere; ſed fuiſſe ſupernaturalem & miraculoſam, nimirum voluit Deus hoc beneficium publicum populo fideli exhibere ſub tempus Chriſti (nam ante Chriſtum, in veteri teſtamento nulla ejus fit mentio) ut Chriſtus ægrum ibidem ſanans, oſtenderet ſe eſſe Deum, qui vim hanc piſcinæ dediſſet, ideoque ſine illa ægrum curare poſſet. Quare videtur donum hoc Deus ab ingratis Judæis abſtuliſſe, cum ipſi Chriſtum occiderunt: nam nulla deinceps ejus extat memoria. Unde Tertull. lib. contra Judæos c. 13. *Piſcina Bethſaida*, ait, *uſque ad adventum Chriſti curando invaletudines abIſrael, deſiit a beneficiis deinde ex perſeverantia furoris.*

Allegorice voluit Deus ut piſcina hæc eſſet index Paſſionis Chriſti ejuſque baptiſmi. Sicut enim angelus deſcendebat in aquam; ſic Chriſtus deſcendit ad Paſſionem, & tormenta, iiſque quaſi aquis immerſus fuit & obruptus: unde ſicut piſcina rubebat ſanguine victimarum, quæ in ea abluebantur: ſic Chriſtus ſuo ſanguine fuit rubicundus, & cruentus, Iſaiæ 63. 2. ut ejus merito, baptiſmum (unde Syrus pro *piſcina* vertit, *baptiſterium*) inſtitueret, quo fideles aquis abluti, ab omni infirmitate ſpiritali curarentur. Ita Tertul. lib. de Baptiſmo c. 5. S. Ambr. l. 1. de Spiritu ſancto c. 7. & S. Chryſ. hic, quem audi: *Siquidem cum vellet Deus appropinquantis baptiſmatis fidem nos erudire, non ſolum pollutiones, ſed etiam morbos per aquam expulit: propriores enim veritati imagines atque figuræ, illuſtriores fuere quam vetuſtiores*, &c. Et Aug. *Deſcendere in aquam turbatam*, inquit, *hoc eſt humiliter credere in Domini paſſionem. Ibi ſanabatur unus, ſignificans unitatem; poſtea quiſquis veniret non ſanabatur, quia quiſquis præter unitatem fuerit, ſanari non poterit.*
H

ERAT

A VERS. 5. ERAT AUTEM QUIDAM HOMO IBI, TRIGINTA ET OCTO ANNOS HABENS IN INFIRMITATE] Græce ἐν ἀσθενείᾳ, id est in morbo, in ægritudine, Arab. *erat autem vir infirmus per triginta octo annos*; Syrus, *qui trigesimum octavum annum agebat in mala valetudine.* Infirmum hunc fuisse paralyticum asserit S. Chrys. Euthym. & Leontius hic, ac S. Ambr. l. 2. de Sacram. c. 1. ideoque Allegor. gessisse typum generis humani, quod a lapsu Adæ, per quinque annorum millia, plurimis infirmitatibus corporis & animæ assidue affligitur.

Paralysis est consuetudo peccandi. Cur?

Tropologice, paralyticus hic repræsentat quemlibet in peccandi consuetudine inveteratum, adeoque suo vitio & habitu languidum, & ad omne bonum invalidum. Sicut enim paralysis dissolvit membrorum nexum & firmitatem, sic & consuetudo peccandi vires animæ enervat, luxat & dissolvit, ub ab ea resurgere illique resistere nequeant, nisi potenti Dei gratia erigantur & roborentur. Hinc patet paralysim hanc naturaliter fuisse incurabilem, nec ulla arte per 38. annos curari potuisse; ideoque eam præ cæteris languentium morbis, sibi curandam sumpsit Christus, ut immensam suam potentiam, æque ac misericordiam in illa ostenderet. Sicut archiatri medicique

B præstantes infirmos gravissime ægrotantes, qui ab aliis curari nequivere, sibi curandos assumunt, ut in eis artis suæ excellentiam ostendant. Qua de causa Christus Paulum in spiritu gravissimo infidelitatis morbo laborantem, præ aliis Judæis incredulis & impiis, sibi sanandum deposcit, uti ipse docet initio epist. 1. ab Timoth. Vide ibi dicta: *Magnus*, ait S. Aug. *de cælo descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus*. Symbola numeri 38. vide apud S. Augustin. hic tract. 17. ubi inter cætera ait, eum esse symbolum infirmitatis, sicut quadragenarius symbolum est sanitatis & perfectionis. *Si ergo*, ait, *qua-*

... habet perfectionem ... hic. & lex non



non habeo: tum enim pauper ... ie adjuvare possis, adjuva; putabat enim Christum quærendo: *Vis sanus fieri?* hoc velle. q.d. Vis ut ego te in piscinam deferam, angelo aquam movente, ut in ea sanus fiat? Nondum enim cognoscebat Jesum ejusque potentiam, & virtutem, quia numquam eum viderat.

HOMINEM NON HABEO] Paulo aliter Syrus, *etiam Domine* (cupio sanus fieri) *hominem autem non habeo*; & Arabicus, *utique Domine, sed non est mihi homo*; Pulchre S. Aug. *Vere*, ait, *necessarius erat ille homo* (Jesus) *ad salutem, sed homo ille, qui & Deus est.* Tropologice, pauperes sæpe non habent hominem, E a quo adjuventur; sed divites & potentes, quorum gratiam & bursam omnes aucupantur.

DICIT EI JESUS: SURGE, TOLLE GRABATUM TUUM, VERS. 8. ET AMBULA] *Surge*, sanus a morbo, *tolle grabatum*, id est, lectum tuum (ut dixi Marc. 2. 4.) qui te hucusque tulit, *& ambula*, ut velut fortis lecti tui bajulus, cum eo domum redeas. Hic sermo Christi fuit practicus & efficax. Dicendo enim: *Surge*, ægrum erexit & sanavit. *Non operis imperium fuit*, ait August. *sed operatio sanitatis.* Et S. Cyrill. *Non est hominis tanta potestas, & virtus; solius Dei proprium est, ut sic imperare possit.* Jussit Christus eum tollere grabatum, ut omnibus constaret eum esse a se sanatum, imo validum & fortem subito effectum, ut lecti esset portator. Unde notat hic Euthym. solere Christum post facta a se miracula, quiddam addere, ex quo miraculi veritas, & magnitudo cerneretur. Sic hic paralyticum jussit tollere grabatum suum, quod non nisi sanatus, imo fortis ac validus facere potuisset. Sic post multiplicatos a se panes jussit fragmenta panibus majora colligi, Matth. 14. 20. Sic leproso a se sanato dixit: *Vide, ostende te sacerdoti*, Matth. 8. 4. Sic suscitatæ a se puellæ jussit dari manducare, Marci 5. 43. F Sic aquam in vinum conversam præcepit ferri architriclino, qui optimum esse vinum pronunciavit, Joan. 2. 8.

Miraculorum Christi auctaria.

Moraliter Beda: Surge e torpore & ignavia, in quibus prius jacebas, & in bonis operibus proficere stude.

Tolle grabatum, id est tolera tentationes carnis.

Tropolog. S. Gregor. hom. 12. in Ezech. hæc applicat peccatoribus per pœnitentiam justificatis, qui priorum peccatorum, justo Dei judicio, tentatione adhuc patiuntur: *Ægro*, inquit, *ad salutem reducto præcipitur: Tolle grabatum tuum, id est, porta lectum, in quo portatus es: quia necesse est, ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere: Tolle grabatum tuum & vade in domum tuam: nisi porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ feceris.*

S. Maria Ægyptiaca.

Sic S. Maria Ægyptiaca per septemdecim annos graves carnis tentationes passa est jam conversa, quia totidem annis prius impudice vixerat, ubi habet ejus Vita. Peccata ergo sui ipsorum sunt carnifices, & justi ultores. Quod antea libuit, postea cruciat: quod feceris volens, idem deinceps patieris nolens.

Symbolice, S. August. tract. 17. *Surge*, hoc est dilige G Deum, qui surrum est, *tolle grabatum tuum*, hoc est dilige proximum, infirmitates ejus portando, juxta illud: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, Galat. 6. *Cum esse languidus*, ait S. August. *portabat te proximus tuus; sanus factus es, porta proximum tuum*, &c. *Porta ergo eum, cum quo ambulas, ut ad eum pervenias, cum quo manere desideras.*

ET STATIM (Syrus, *eo momento*: Christum enim, quia VERS. 9. Deus, in istanti sanabat, ut ostenderet hanc sanitatem, non naturaliter, sed vi supernaturali, per miraculum fieri ab omnipotentia Dei) SANUS FACTUS EST HOMO ILLE, ET SUSTULIT GRABATUM TUUM (Nonnus, *onerosum humerale*) ET AMBULABAT. ERAT AUTEM SABBATUM IN DIE ILLO] Studio sanavit Christus in sabbato, tum quia sabbatum erat summum apud Judæos festum, quod proinde præ aliis sanctificare oportet bonis operibus, quale erat hic sanatio ægri adeo afflicti, tam benefica, tam potens & divina: tum quia per hoc Judæis ostendere volebat, se dominum esse sabbati, jubendo ut in illo tolleret grabatum, quod erat lege vetitum, ideoque se esse Messiam ac Deum: tum quia sabbatum H erat dies dicata quieti, & laudi Dei. Quietem autem a doloribus ægro huic præstitit Christus, ideoque magnam laudandi Deum occasionem eodem die subministravit.

DICEBANT ERGO JUDÆI ILLI, QUI SANATUS FUERAT; VERS. 10. SABBATUM EST; NON LICET TIBI TOLLERE GRABATUM TUUM] Nonnus, *Et dicebant cum clamore proferentes criminatricem vocem: Sabbatum est, quod oportet unumquemque hominum transigere totum in otio: non est tibi fas lectum tollere.* In genere verum dicunt: apud Judæos enim summa erat religio sabbati, ideoque omnes opus in illo erat vetitum, ut patet Exodi 20. 8. ac nominatim gestatio onerum eo die prohibetur a Jeremia, cap. 17. 21. & seq. *Nolite*, ait, *portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem*, & a Nehemia 2. Esdræ 13. 15. Christus tamen contrarium hic præcipit ægro a se sanato; tum quia ipse dominus erat sabbati, ac proinde in ejus lege dispensare poterat? tum maxime, quia opus vetitum a lege

Digitized by Google

A ge in ſabbato, erat opus ſervile, non autem opus pium & divinum, quale hic erat, quod æger ſanatus ſuum tolleret lectum: illud enim ei juſſit Chriſtus hoc fine, ut omnes, qui in ſabbato turmatim confluebant ad templum, miraculum hoc agnoſcerent, indeque Jeſum ejus auctorem eſſe Meſſiam colligerent, illique gratias agerent, & in eum crederent. Unde ſequitur:

VERS. 11 RESPONDIT EIS: QUI ME SANUM FECIT, ILLE MIHI DIXIT: TOLLE GRABATUM TUUM ET AMBULA] Subintellige: ille autem fuit vir divinus, & divina virtute me ſanavit: ergo Deo charus eſt & amicus, nec quidquam præcipit, quod Deo diſpliceat, ſed quod Deo gratum eſſe cognoſcit: operatur enim cum Deo & ex Deo: *Non acciperem juſſionem*, ait S. Auguſt. *a quo acceperam ſanitatem?* Juſta fuit hæc ægri excuſatio, quam Judæi intelligere & acceptare debuiſſent; ſed ſuperbia occæcati illum capere noluerunt, ideoque peccarunt, & Chriſtum perſequentes in reatum & gehennam corruerunt.

VERS. 12 INTERROGAVERUNT ERGO EUM: QUIS EST ILLE HOMO, QUI DIXIT TIBI: TOLLE GRABATUM TUUM, ET
B AMBULA?] Indignantes & minabundi hoc dicunt, q.d. Quis eſt ille audax & inſolens, qui contra legem audet tibi præcipere, ut in ſabbato tollas grabatum tuum? utique ille homo non eſt a Deo, qui ſabbatum a Deo ſanctum non cuſtodit. Ita illi ex cæco legis ſuæ, quam non intelligebant, præjudicio; cum ex altera parte cogitare debuiſſent, illum, qui ægrum per miraculum ſanaverat, hoc non niſi ſingulari Dei auctoritate & ope facere potuiſſe, ac proinde a Deo pariter accepiſſe jus dicendi eidem in ſabbato: *Tolle grabatum tuum & ambula.*

VERS. 13 IS AUTEM, QUI SANUS FUERAT EFFECTUS, NESCIEBAT QUIS ESSET: JESUS ENIM DECLINAVIT A TURBA CONSTITUTA IN LOCO] q.d. Sanatus neſciebat nomen Jeſu, aut quis eſſet Jeſus, vel quo abiiſſet; numquam enim eum ante viderat, aut poſt, niſi obiter in ipſo ſanationis actu.

DECLINAVIT] Cauſam dat Euthym. *Simul*, inquit, *ut hominem ſanaverat, ſubduxerat ſe propter turbã, partim quidem fugitans laudem æquorum, partim vero invidiam amputans iniquorum.* De quo & Cyrill. ait: *Medicum non cognovit, non abſque diſpẽſatione in multitudine hominum occultatum, ut ira Judæorũ aliquantulum deferveſceret*;
C ne, ſi in ipſo indignationis impetu in Jeſum incurrerent, eum lapidarent vel occiderent. Tertiam cauſam dat S. Chryſ. *Quare declinavit? Primum*, inquit, *ut ſe abſente minime ſuſpicioſum eſſet teſtimonium*: ſi enim præſente Chriſto ſanatus ab eo illum Judæis laudaſſet, viſus fuiſſet in gratiam Chriſti id facere; jam autem eo abſente eum laudans, patet quod non niſi veritatis amore id fecerit.

VERS. 14 POSTEA INVENIT EUM JESUS IN TEMPLO, ET DIXIT ILLI: ECCE SANUS FACTUS ES, JAM NOLI PECCARE, NE DETERIUS TIBI ALIQUID CONTINGAT] Arabic. *jam ſanus factus es, ne redeas ad peccandum, ne fiat tibi malum majus.* Syrus, *ne peccaveris amplius, ne quid deterius tibi contingat quam a principio.*

IN TEMPLO] Hinc videtur, quod æger hic ſanatus a Chriſto, mox ut grabatum detulit domum ſuam, iverit ad templum, ut Deo pro tanto ſanitatis beneficio gratias ageret. Ita Euthym. Unde Chryſ. *Magnum profecto*, ait, *& reverentiæ & pietatis ſignum: non enim in forum, non in porticus conceſſit, non voluptati, non otio indulſit, ſed in templo verſatur.*

D JAM NOLI PECCARE] Hinc patet Deum ſæpe ægris morbos immittere ob eorum peccata, atque huic de facto ob illa immiſiſſe. Ita Chryſ. Cyrill. Theoph. & alii. Igitur paralyticus hic ante 38. annos, quibus æger decubuit, cum Chriſtus necdum eſſet natus, aliquod ſcelus patravit, quod Deus morbo tam diutino caſtigare & expiare voluit. Tacite ergo Chriſtus conſcientiam ægri, ut ſceleris ſui ſit memor, ac de eo conteratur, illudque deinceps caveat, admonet, ſimulque ſe quaſi Prophetam, ſpiritu divino ipſum cognoviſſe ſignificat. *Ideo autem*, ait Chryſ. Deus *ob animi peccatum corpus flagellat, ut deterioris partis ſupplicio melior ad quærendum remedium convertatur.* Quare dum cuipiam morbus a Deo immittitur, conſcientiam examinet & peccatum, ob quod illum Deus immiſit, pœnitendo, & confitendo deleat, Deumque exoret, ut ſibi peccati culpam & pœnam condonet, itaque morbum auferat. Sublata enim cauſa tollitur effectus; ut ajunt Philoſophi. Hoc conſilium ægro ſuggerit Eccleſ. cap. 38. v. 10. dicens: *Averte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum*, &c. & verſ. 15. *Qui delinquit in conſpectu ejus qui fecit eum, incidit in manus medici.* Vide ibi dicta. E

Dixi: *ſæpe*: nam ſubinde Deus viris ſanctis morbos immittit, ut eorum patientiam probet, augeat & coronet, ut immiſit S. Job, cujus tota diſputatio cum amicis in hoc cardine verſatur, ut amicis urgentibus ipſum peccatis ſuis cauſam tot morbis dediſſe, ipſe ex adverſo contendat ſe a peccatis eſſe immunem, nec morbos illos commeruiſſe. Atque Deus cap. ult. ipſi cauſam adjudicat, amicos vero condemnat. Idem patebit in cæco nato cap. 9. 3. de quo ait Chriſtus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.*

Porro Chriſtus, ſicut corpus hujus ægri ſanavit ad piſcinam, ſic ſua inſpiratione interna, atque hac monitione externa ſanavit ejus animam in templo: inſpiravit enim memoriam peccatorum juventutis ſuæ, quibus morbum tam longum meruit, movitque cor ejus, ut de eis contereretur, & veniam a Deo peteret, itaque juſtificaretur, imo ideo Chriſtus corpus ejus ſanavit, ut ejus animam ſanaret, uti fecit S. Magdalenæ: ſicut dixi Lucæ c. 7. & 8. *Qui foris ab infirmitate, ipſe etiam intus ſalvavit a ſcelere*, ait Beda.

NE DETERIUS TIBI ALIQUID CONTINGAT] *Qui enim priori ſupplicio non eſt emendatus*, ait Theoph. *ad majora tormenta ſervatur, tanquam inſenſatus & contemptor*; idque *ſive in præſenti vita, ſive in futura, ſive in utraque*, inquit Euthym. *Pejor eſt morbo recidiva morbi.* Sic pejor eſt culpa recidiva culpæ, ob majorem ingratitudinem, audaciam, impudentiam: item quia iteratio peccati inducit proclivitatem ad illud peccatum frequentandum, ac tandem ad conſuetudinem & habitum, cui vix reſiſtere poteſt peccator. F

ABIIT ILLE HOMO, ET NUNCIAVIT JUDÆIS, QUIA (quod) JESUS ESSET, QUI FECIT EUM SANUM] *Nuntiavit*, non ex malevolentia, ſed affectu gratitudinis, ne auctorem tanti beneficii celaret. Ita S. Aug. Chryſoſt. & alii. *Abiit & nunciavit*, ait Euthym. *non tamquam iniquus, ut proderet, ſed tanquam gratus, ut benefactorem divulgaret. Nam quia crimen incurrere ſe putabat, ſi tacuiſſet, beneficium prædicavit.* Addit Cyrill. *Ut non ignorarent medicum, ſi quis etiam eorũ curari deſideraret.* VERS. 15

PROPTEREA PERSEQUEBANTUR JUDÆI (præſertim Scribæ & Phariſæi. Addunt aliqui codices Græci, item Syrus & Arabicus: *Et quærebant eum interficere*) JESUM QUIA HÆC FACIEBAT IN SABBATO] *Propterea*, id eſt, eo prætextu: vera enim cauſa erat invidia. Unde Euthymius. *Quantum ad id, quod apparebat*, inquit, *propter hoc, quantum vero ad id, quod occultum erat, propter invidiam.* Invidebant enim Jeſu hanc gloriam, dolebantque eum a populo ſibi præferri: indignabantur vero ſua ſcelera ab eo reprehendi, ejuſque ſanctitate refelli. Ipſi enim volebant haberi & coli ut Rabbini, & legis doctores, atque ut oracula ſapientiæ & ſanctitatis: quare Chriſtum eorum ſcelera detegentem, quaſi eos infamantem, oderant & perſequebantur calumniis, detractionibus, minis, & tandem eum ad crucem adegerunt. VERS. 16 G

JESUS AUTEM RESPONDIT EIS: PATER MEUS USQUE MODO OPERATUR, ET EGO OPEROR] *Pater operatur*, inquit S. Auguſtinus lib. 4. de Geneſi ad litter. cap. 12. *& creatura præbens congruam gubernationem, & apud ſe habens æternam tranquillitatem* (quia, ut idem alibi, ait *quietus operatur, & operans quieſcit*,) & nonnullis interjectis: *Creatoris namque potentia & virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret.* Sicut lumen in aere ceſſat & evaneſcit, ſi ſol radios ſuos, quibus lumen producit, & conſervat, ſubtrahat. Senſus eſt, q.d. Vos o Scribæ, mihi objicitis legem ſabbaticæ quietis, quam Deus vobis præcepit, eo quod ipſe in ſabbato quieverit ab omni opere ſuo, Geneſis 2. Verum reſpondeo Deum in ſabbato quieviſſe dumtaxat a novis rerum ſpeciebus producendis, non autem ita, quin uſque modo per omnia ſabbata operatus ſit, & continue operetur; ſcilicet mundum, & omnia quæ in eo ſunt, gubernando, conſervando, cælos movendo, unam rem ex alia producendo, viventia alendo, ſanando, &c. Id quod ſummi eſt beneficii, idemque eſt opus non ſervile, ſed liberale, pium & divinum, ac proinde ſabbato licitum, imo ſabbatum ornans & ſanctificans: ita & ego, qui ſum Filius Dei Patris, illi æqualis, & ὁμοούσιος, eadem cum illo operor, ac ſemper operatus ſum: nec ego VERS. 17

Deus ſæpe morbos immittit ob peccata ægrorum.

Pater cœleſtis operatur quomodo.

H D

ſine

A sine Patre, nec Pater sine me operari potest. Ita S. Aug. Cyrill. Chrysost. Beda & alii.

Nota hebraismus; *Et ego operor*, hoc est, *sic vel similiter*, aut pariter *ego operor*, ו enim & cum sit nota conjunctionis, quando similia conjungit, nota est comparationis & similitudinis, idemque est quod *sic*, ut passim fit in Proverbiis.

VERS. 18 PROPTEREA ERGO MAGIS QUÆREBANT EUM JUDÆI INTERFICERE: QUIA NON SOLUM SOLVEBAT SABBATUM, SED ET PATREM SUUM DICEBAT DEUM, ÆQUALEM SE FACIENS DEO. RESPONDIT ITAQUE JESUS, ET DIXIT EIS] *Patrem suum*, græce, πατερα ἴδιον, id est, *peculiarem proprium*, quia naturalem. Christus enim solus est filius Dei proprius & naturalis; angeli vero & homines sancti sunt filii Dei, asciti dumtaxat, & a Deo gratis adoptati. Ita Cyrill. Unde Arabicus vertit, *quoniam dicebat, quia Deus pater meus est.*

ÆQUALEM SE FACIENS DEO] quia dixerat se non similia, sed idem omnino operari, quod operatur Pater, ideoque illi per omnia cooperari, non ut famulum, sed ut
B filium Patri ὁμοούσιον. Ita Chrys. Et Cyrillus; *Hominem, ita, esse videntes, & habitantem in eo Deum non cognoscentes, ferre non poterant singulari modo Deum ab eo patrem appellari, nimirū*, ut ait Beda, *quod is, quem verum per infirmitatem carnis hominem cognoverant, verum se Dei filiū credi vellet, id est, non gratia adoptatum, ut ceteros Sanctos, sed natura Patri per omnia æqualem: non substantia, sed persona distantem: qui putabant Jesum prædicando se fucere quod non esset, non veraciter intimare quod esset. Commoti sunt ergo Judæi & indignati sunt; merito quidem, quod audebat homo æqualem se facere Deo, sed ideo immerito, quia in homine non intelligebant Deum.* Voluerunt ergo pontifices & Scribæ Jesum occidere, quia timebant ne crescente gloria Jesu, ipsorum auctoritas decresceret, imo ne Jesus persuadens populo se esse Deum, a populo pontificibus præponeretur, ac tandem præficeretur, itaque eos exauctoraret, & novos sacerdotes & pontifices suos induceret: ut reipsa ab eo factum videmus.

AMEN, AMEN DICO VOBIS: NON POTEST FILIUS A VERS. 19 SE FACERE QUIDQUAM, NISI QUOD VIDERIT PATREM FACIENTEM: QUÆCUMQUE ENIM ILLE FECERIT, HÆC ET FILIUS SIMILITER FACIT] *Non potest. Non ob potentiæ defectum*, ait Euthym. *sed propter inseparabilitatem: nam impossibile est Filium facere quidquā quod non facit Pater.* Sic
C & S. Chrys. & S. Aug. *Nisi*. Hæc vox hic non est exceptiva, sed adversativa, idemque significat, quod *sed tantum*. Idem significat Matth. 12. 4. Galat. 2. 6. & infra c. 15. 4.

Non potest Filius a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem, quid?

QUOD VIDERIT] Græce, βλέπῃ, id est, *videat*; Syrus & Arab. *videt*: non enim prius quam operetur, sed simul videt Patrem operantem, dum cum illo operatur: Christus enim qua Deus non simile, sed idem numero opus cum Patre producit. Eadem enim actio est Patris & Filii, quam uterque simul videt, & simul operatur. Actio dico, non vero unio hypostatica, nec ea quæ illam sequuntur, quia unio hæc non actionis, sed termini rationem habet. Quare licet tota S. Trinitas, puta Pater, Filius & Spiritus Sanctus, actione sua divina operati sint hanc unionem, tamen unio ipsa ad solum Filium terminata est, non ad Patrem & Spiritum sanctum. Quocirca solus Filius incarnatus est, passus, mortuus, &c, non Pater, vel Spiritus sanctus.

Nota. Christus hic tantum vult dicere, se a Deo Patre accipere divinam ejus essentiam, potentiam, scientiam
D & operationem, quasi ab auctore suo, ac proinde utitur voce *viderit*, quasi Filius non faciat quidquam, nisi quod videt facere Patrem, sive quod videt esse opus Patris sui. Solent enim filii & discipuli inspicere & imitari voluntatem & facta parentum & magistrorum: eorum enim sunt quasi simiæ. Loquitur enim Christus anthropopathōs, sive more hominum moderate & congrue filio, sive, ut decet apud homines loqui de patre filium, apud Judæos, arrogantes & captiosos, ne eos sat contra se irritatos, magis irritet, & in suam necem provocet.

Adde, Theologice & proprie Christum uti voce *videre*, quia ipse a Patre procedit ut Verbum, quod est terminus visionis & cognitionis notionalis Dei Patris. Pater enim videns, & intelligens se & omnia, producit & gignit Verbum, illique suam visionem & actionem hoc ipso communicat. Nil ergo videt aut facit Filius, nisi quod videt Patrem videre aut facere. Ipsa enim est Verbum & idea, in quo, quasi termino, Pater exprimit & imprimit omnem suam visionem & cognitionem, tam speculativam, quam practicam. Sensus ergo est, q. d. E
Quidquid ego operor, hoc idem Pater operatur, idque eadem omnino visione, cognitione, voluntate, potentia & actione: quare si me accusatis, quod sabbato sanarim paralyticum, Deum quoque Patrem accusatis: ille enim mecum hoc est operatus, quia ipse in me, & per me, omnia operatur; imo omne opus meum a Patre accepi. Quasi si creditis Deum Patrem omnia recte, sapienter & sancte operari, idem de me credatis oportet: ac proinde hanc sanationem ægri in sabbato, fuisse opus prudenter factum, sanctum, & divinum.

SIMILITER FACIT] scilicet simili, imo eodem prorsus modo, eadem libertate, eadem potentia, eodem dominio, eadem auctoritate, ait S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Filio. Unde Sanct. Augustinus: *Non*, inquit, *cum ille* (Pater) *fecerit, alia Filius similiter facit; sed quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Si hæc facit Filius quæ fecerit Pater, per Filium facit Pater.* Et Cyrillus: *Similiter operantur*, inquit, *quæ omnino ejusdem naturæ sunt: quæ autem diversas essendi habent* F *rationes, in iis idem operationis modus esse non potest. Sicut ergo Deus de Deo vero, eadem Patri similiter facere potest.*

PATER ENIM DILIGIT FILIUM, ET OMNIA DEMON- VERS. 20 STRAT EI, QUÆ IPSE FACIT, ET MAJORA HIS DEMONSTRABIT EI OPERA, UT VOS MIREMINI] *Demonstrat*, non sicut præceptor discipulo, ait Euthym. sed sicut pater filio, ac Deus Deo. *Demonstrat* ergo, id est, dat, communicat, præsertim quia, ut dixi, Filius a Patre per demonstrationem, id est, per intellectum & visionem procedit, quasi Verbum. Sic *demonstrare* pro dare, exhibere, tribuere sumitur 1. Reg. 14. 12. Ex. 33. 19. Ps. 4. 6. Ps. 19. v. 5. Hunc esse sensum patet ex seq. Porro Pater *demonstrat*, id est, communicat, omnia Filio, tum qua Deo, non libera dilectione, sed naturaliter ex fœcunditate naturæ divinæ, cujus signum maximum apud homines est dilectio: qui enim omnia sua filio apud homines communicat, hoc ipso dat signum evidens, quod ipsum summe diligat: tum communicat omnia Filio qua incarnato & homini, cujus communicationis non signum, sed causa est dilectio. *Demonstrare Patrem Filio*, ait Beda, *est per se Filium facere quæ facit.*

Præclare S. Athanas. in disput. contra Arium. lib. 1. *Dedit*, ait, *Filio Pater omnipotens omnipotentiam, majestatem majestati, virtutem dedit virtuti, prudentiam dedit prudenti, præscientiam præscienti, æternitatem æternitati, divinitatem, divinitati, æqualitatem æqualituti, immortalitatem immortalitati, invisibilitatem invisibilitati, regi regnum, vitam vitæ; & non aliam ab eo, quam habet, dedit, & quantam habet, tantam dedit.* G

Quæres, cur *demonstrare* & ostendere hic & alibi, sumatur pro donare & communicare? Resp. Primo, quia Deus demonstrando Filio se suaque opera, ei communicat suam scientiam, & consequenter suam essentiam. Scientia enim Dei idem est cum sua essentia. Adhæc demonstrando illuminat Filium, hoc est suam sapientiæ, omnisque boni lucem, totumque se illi communicat: Deus enim est lux increata & immensa, uti docet S. Joannes epist. 1. c. 1. v. 5. Denique demonstrando, id est, intelligendo producit Verbum, id est, Filium: quia in Deo res nobilissima est intellectus, ac nobilissima actio est intelligere, illuminare, demonstrare. Nobilissima enim & princeps animæ potentia est intellectus & ratio, quæ voluntati imperat, eamque cæcam dirigit, & per illam omnes sensus, ceteraque animæ vires movet, & regit. H
Hinc illa sapientum axiomata: Mens universa efficit. Rationis est gubernare. Quantum quisque valet ingenio, tantum habet de imperio. Intellectus enim res concipiendo, & intelligendo, sibi per conceptum & intellectionem illas omnes vivaciter incorporat, & quasi possidet: res enim omnes in se vivo quodam modo concipit, earumque speciem in se efformat, quæ rerum bonitatem & pulchritudinem omnem illi repræsentat. Quocirca intellectus est oculus mentis: sicut ergo oculus in corpore est sensus nobilissimus, vivacissimus, efficacissimus, qui rerum omnium formas sibi incorporat; sic multo magis idem facit intellectus in mente. Quocirca Beati in cælo per intellectum intelligendo & videndo Deum, eum sibi incorporant, illum possident, illoque beantur. Hæc ergo est ratio hujus phrasis, qua ostendere & *demonstrare* sumitur pro dare, communicare, ac in possessionem rei ostensæ & demonstratæ inducere. Et catachresis & metalepsis. Hoc est, quod ait Aristoteles & Philosophi: *Intel-*

Demonstrare est dare. Cur? Causa Prima. Secunda. Tertia.

lectus

Digitized by Google

A *lectus intelligendo fit omnia*, quia per vivam rerum conceptionem, illis ſeſe, & ſibi illas aſſimilat, itaque illas tenet & occupat, facitque ut in ipſo melius, & nobilius exiſtant, quam ſint in ſeipſis; in ſeipſis enim ſæpe ſunt inanimes & mortuæ, in intellectu autem ſunt animatæ, & vivæ, vivuntque actu ſumme vitali & præſtantiſſimo.

Denique Chriſtus hic appoſite contra Judæos calumniantes, quod ægrum ſanaſſet in ſabbato, ad majus argumenti pondus & nervum, utitur verbo demonſtrandi, q. d. Deus ſapientiſſimus demonſtravit mihi hoc opus ſanandi in ſabbato eſſe opus ſuum, id eſt, divinum, piiſſimum, & ſanctiſſimum, cur ergo vos, o Scribæ, illud reprehenditis, & cavillamini? quis enim audeat eſſe reprehenſor illius, cujus Deus eſt demonſtrator? Ergone ſapientiores eſtis Deo, ac Deum ipſum vultis docere, imo caſtigare? o inſaniam! o inſanam temeritatem, & ſuperbiam!

ET MAJORA HIS DEMONSTRABIT] & demonſtrando dabit, & communicabit. *Majora* hæc ſunt præclariora myſteria & miracula, ac præſertim mortuorum ſuſcitatio, & poteſtas judiciaria judicandi omnes homines, quæ duo hic ſubjicit Chriſtus.

B UT VOS MIREMINI] non dicit Ut vos credatis, quia Scribæ & Judæi viſis tot Chriſti miraculis mirati ſunt ejus vim & potentiam, ſed tamen odio & invidia excæcari, in eum ut Meſſiam credere noluerunt: Chriſtus tamen ea illa mente & fine fecit, ut in ſe crederent, ita Cyrill. Sic etiamnum faciunt hæretici; nimirum mirantur Sanctorum orthodoxorum ſapientiam, ſanctitatem, miracula; ſed tamen eorum fidem ſequi, & mores imitari nolunt. Hæc eſt hæreſis, & erroris cæcitas, obſtinatio, & malignitas.

VERS. 21 SICUT ENIM PATER SUSCITAT MORTUOS, ET VIVIFICAT: SIC ET FILIUS, QUOS VULT, VIVIFICAT] Ecce hoc eſt primum majus opus, quod Chriſtus Patrem ſibi Filio demonſtraturum, id eſt communicaturum, dixit. Nam, ut ait S. Aug. *Majora ſunt opera mortuos ſuſcitare, quam languidos ſanare.* Et S. Cyrill. *Nolite*, ait, *mirari hoc, quod unus longo morbo diſſolutus, verbo corroboratur, grabatum etiam tulit & abiit, cum mortem omnino deſtructurus ſim, & orbem terrarum judicaturus.*

SIC ET FILIUS QUOS VULT VIVIFICAT] Tacite ſignificat ſe eſſe Deum, Patri æqualem in poteſtate & libertate ſuſcitandi & vivificandi quoſcumque voluerit,
C *illa particula; ſicut Pater*: ait Chryſoſt. *indiſcretam poteſtatem; illa autem, quos vult, æqualem demonſtrat.* Similiter Theoph. *Verbum, Quos vult, indicat ſua cum Patre poteſtatis æqualitatem.*

QUOS VULT] Non alios vult Pater vivificare, alios vero Filius; ſed eoſdem, quia ejus voluntas conformis, imo eadem numero eſt cum voluntate Patris. Ita S. Auguſt.

VIVIFICAT] Id eſt a morte ſuſcitat, tum in hac vita, ut ſuſcitavit Lazarum ac filium viduæ; tum in die judicii omnes omnino ſuſcitabit; Sanctos quidem ad vitam æternam, impios vero ad gehennam, & mortem æternam, ut patebit v. 25. & 28.

VERS. 22 NEQUE ENIM PATER JUDICAT QUEMQUAM, SED OMNE JUDICIUM DEDIT FILIO] τὸ *enim* omittit Arabicus, ſed habet Græcus, & apte: novum enim argumentum ſuggerit. Eſt enim hæc ſecunda ratio, qua Chriſtus ſe probat eſſe Deum, eſtque ſecundum opus majus, quod Patrem ſibi demonſtraturum, id eſt, daturum, dixit verſ. 20. Primum enim eſt ſuſcitare mortuos; ſecundum eſt, poteſtas judiciaria, quam ſolus Chriſtus homo accepit a Pa-
D tre in ſua incarnatione, ac ſolus viſibiliter in omnes exercebit in die judicii. Ita Beda, Chryſ. & Cyril. quem audi: *Aliud quoddam divinum atque præcipuum affert argumentum, quo ſe natura & vere Deum oſtendit. Cui enim orbem terrarum judicare alii convenit, quam ſoli Deo, quem ſolū ad judicandum divina Scriptura vocat, dicens: Exurge Deus, judica terram:* Pſ. 81. v. 8. Et rurſus: *Quoniam Deus judex eſt, alium humiliat, & alium exaltat*, Pſ. 74. v. 6.

FILIO SUO], uni ſecum Deo, ſed per incarnationem homini facto. *Ac ſi diceretur*, ait Aug. lib. 1. de Trinit. c. 13. *Patrem nemo videbit in judicio vivorum & mortuorū, ſed omnes Filium, qua Filius hominis eſt, ut poſſit & ab impiis videri, cum & illi videbunt in quem pupugerunt.*

An Chriſtus ex eo quod ſit judex omnium recte probet ſe eſſe Deum?

Dices, Chriſtus creatus eſt judex ut homo, juxta illud: *Qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorū*, Act. 10. 42. ergo non recte Chriſtus ex eo quod ſit judex, probat ſe eſſe Deum. Reſp. recte id eum probare, quia poteſtas judiciaria propria eſt Deo: eſt enim ſumma, & juris ampliſſimi: quare Deus eam communicare noluit, nec congrue potuit puro homini, ſed Chriſto ſoli, qui Deus eſt & homo. Ipſe enim ut Deus, ſummam habet auctoritatem judicandi, ut homo vero habet facultatem judicium hoc viſibiliter coram hominibus ſalvandis, & damnandis exercendi; judex enim debet videri a reo, ejuſque ſententie ab eo audiri. E

UT OMNES HONORIFICENT FILIUM, SICUT HONORIFICANT PATREM: QUI NON HONORIFICAT FILIUM, NON HONORIFICAT PATREM, QUI MISIT ILLUM] Judæi enim, qui hic noluerunt honorificare Filium Dei; nec eum ut talem agnoſcere, in die judicii videntes ejus majeſtatem, & poteſtatem in judicando divinam, inviti cogentur eum ut Deum agnoſcere, honorificare & adorare. VERS. 23

SICUT HONORIFICANT PATREM] τὸ *ſicut* ſignificat æqualitatem, non ſimilitudinem, quia aſſimilat eos, qui ſunt ejuſdem naturæ, id eſt, eos ſibi mutuo coæquat, ſcilicet Filium Patri. *Nam*, ut ait Cyrill. *ſi ipſe omnia eſt, qua Pater, quantum ad deitatis majeſtatem pertinet, quomodo par non erit æqualiter cum Patre honorari, cui ad identitatem ſubſtantiæ nihil prorſus deeſt?* Sic & S. Auguſt. Chryſ. Theoph. & alii. Hinc contra Arianos patet Chriſtum eſſe Deum, ideoque adoratione adorandum, qua adoratur Pater, ſcilicet latria. F

QUI NON HONORIFICAT FILIUM, NON HONORIFICAT PATREM, QUI MISIT ILLUM] tum quia negando Filium, negat & Patrem: pater enim, & filius ſunt correlativa, nec pater eſſe poteſt, qui filium non habet. In Deo vero, qui negat Filium Dei eſſe Filium, negat Deum Patrem vere & proprie eſſe Patrem, ac generaſſe; taciteque aſſerit, ei defuiſſe vim generandi Filium ſibi conſubſtantialem, & æqualem: tum quia Pater *miſit Filium* in mundum, ut per eum honoraretur, ut ſcilicet agnoſceretur eſſe pater proprie dictus, ac genuiſſe Filium ſibi ὁμοούσιον, cum eoque eadem latria adoraretur: qui ergo negat Filium eſſe Deum, negat Patrem genuiſſe Deum, quæ ſumma eſt Patris injuria & blaſphemia. Aufert enim Patri generationem ſibi parem, & ſe dignam, ac pro divina, & increata, creatam & exilem ei attribuit: quare negat eum eſſe Patrem proprium & divinum.

AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA QUI VERBUM MEUM AUDIT, ET CREDIT EI, QUI MISIT ME, HABET VITAM ÆTERNAM, ET IN JUDICIUM NON VENIT, SED TRANSIIT A MORTE IN VITAM] *Amen, amen.* Geminatio hæc attentionem excitat. Significat enim rem, quam aſſerit, non tantam eſſe certiſſimam, ſed ſumme neceſſariam ad ſalutem æternam. Vide dicta c. 3. 3. *Quia*, id eſt, *quod*. *Audit*, ita ut credat, & obediat verbo meo. Unde ſubdit: *Et credit ei, qui miſit me*, ac conſequenter credit mihi quaſi Filio, a Patre in mundum ad ejus ſalutem miſſo. Non dicit, *Et credit mihi*, ſed amplius. Dicendo enim, *Et credit ei qui miſit me*, involvit myſterium S. Trinitatis, & incarnationis: quæ duo ſunt præcipua fidei capita, & ſumme ad ſalutem neceſſaria. Ille enim qui miſit Filium, eſt Deus Pater: jam Pater, & Filius juncti neceſſario ſpirant Spiritum ſanctum: en tibi tota S. Trinitas. G

HABET VITAM ÆTERNAM] *Habet*, jure, merito, ſpe, ſed nondum in re. *Habet* ergo, id eſt, certo habebit, ſi in fide perſeveret, illique congruenter vivat uſque ad mortem. Vide dicta c. 3. v. 16.

ET IN JUDICIUM, id eſt, in condemnationem, puta in gehennam, NON VENIT] non vadit. Vide dicta c. 3. 17.

TRANSIIT, id eſt certo tranſibit (utitur præterito pro futuro ob rei certitudinem, q. d. Certo & infallibiliter tranſibit, perinde ac ſi jam tranſiſſet). A MORTE, corporis temporaria, IN VITAM ÆTERNAM] beatam in cœlis: licet enim reprobi damnandi, ſuſcitandi ſint quoque ad vitam, ut ardeant in gehenna: tamen hæc vita gehennalis, continua potius erit mors, quam vita. Nam, ut ait S. Aug. l. 6. de Civit. c. 12. *Nulla major & pejor eſt mors, quā ubi non morietur mors.* In gehenna ergo erit mors vitalis, & vita mortalis, hoc eſt ſemper moriens, & numquam mortua. Rurſum planius, q. d. Qui credit & obedit Deo Patri & Filio ab eo miſſo, *tranſiit a morte*, animæ per peccatum mortuæ, ad vitam ſpiritualem gratiæ, ut H
poſt mortem naturalem tranſeat ad vitam gloriæ. VERS. 25

AMEN, AMEN DICO VOBIS QUIA (quod) VENIT HORA, ET NUNC EST, QUANDO MORTUI AUDIENT VOCEM FILII DEI, ET QUI AUDIERINT, VIVENT] *Ne longe poſt futurum arbitretis*, inquit Chryſ. *ſubdit, Et nunc eſt. Nam ſi futura tantā annunciaret, non immerito eſſet dubitandū. Sed ſe in terris cum ipſis converſante, hæc ventura dicit.*

Digitized by Google

A dicit. Nam, ut Theoph. *Dicit hic de iis (tribus) quos suscitaturus erat, ut de filio viduæ, filia Archisynagogi & Lazaro, & maxime de Lazaro: hunc enim in Judæa suscitaturus erat, cæteros duos vero in Galilæa.* Christus enim hic loquitur in Judæa Judæis; & hoc significat τὸ *nunc est*, Assurgit enim Christus a resurrectione spirituali animarum a peccato ad vitam gratiæ factam a se, ad resurrectionem corporum a se factam, dum ipse adhuc in terris viveret, indeque v. 28. assurgit ad plenam resurrectionem, & gloriam corporum, quam faciet in die judicii. Nam ex potestate suscitandi animas a morte peccati ad vitam gratiæ, tamquam ex re majori, & difficiliori, probat Christus se habere potestatem suscitandi corpora: quod minus, & facilius est. Ita Tolet. Jansen, & Franc. Lucas ex S. Chrys. & Theoph. Licet S. Cyrill. Maldon. & alii censentes hic agi de resurrectione communi & universali τὸ *& nunc est*, accipiant de die judicii extremi. Totum enim tempus legis novæ S. Joannes ep. 1. c. 2. v. 18. vocat horam (id est tempus) novissimam; quia scilicet hoc est ultimus hominum status, ac proinde omnia, quæ in eo fiunt, videntur adesse quasi præsentia, & nunc hac hora fieri.

B Alii asserunt Christum loqui de Sanctis, quos morientes & resurgens a morte suscitavit, Matth. 27. vers. 52. Plenissimus erit sensus, si de omnibus omnino a Christo suscitatis & suscitandis intelligas.

Et qui audierint] Id est, qui senserint vim vocis Christi, sive qui illi obedient, perinde ac si audirent vocem Filii Dei, qui vocat ea, quæ non sunt, quasi ea, quæ sunt. Est catachresis. Constat enim mortuos non audire, ac prius debere a morte suscitari, antequam vocem audire possint.

Vivent] resurgent vi & virtute vocis Christi.

Vers. 26 Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso] *Habere vitam in semetipso* tria significat. Primo, habere vitam a se, suaque essentia, non ab alio. Dei enim essentia est vita, & vita est essentia. Deus ergo essentialiter, & per essentiam est ipsa vita essentialis, increata & immensa. Ita S. Aug. hic tr. 19. *Quid est*, inquit, *Habet Pater vitam in semetipso? Non alibi habet vitam, sed in semetipso: vivere quippe suum in illo est, & non aliunde. Non alienum est, non quasi mutuatur vitam, neque quasi particeps sit vitæ ejus, vitæ quæ non est quod ipse: sed habet vitam in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse.* Secundo, habere Deum vitam in se est esse fontem omnis vitæ, ex quo scilicet omnis angelorum, hominum, animalium & plantarum vita, quasi ex uberrimo, & vitali fonte profluat, nec aliunde profluere possit. Ita S. Euthym. *Habere vitam in semetipso*, ait, hoc est ad modum fontis scaturire facit vitam, juxta illud, *Quoniam apud te fons vitæ*, Ps. 35. 10. Tertium, quod ex primo & secundo consequitur, *habere vitam in se*, est habere vitam in sua potestate, esse dominum vitæ, dominare viventibus omnibus, ut eis vitam dare, conservare, auferre ad libitum possit. Hinc patet unitas essentiæ, puta deitatis, in Patre & Filio; nam alioqui si Filius haberet aliam essentiam a Patre, haberet vitam in alio, scilicet in Patre, qui vitam illi dedit: jam autem habet vitam in semetipso, id est, in sua essentia divina, quam proinde eamdem omnino habet cum Patre. Ita Chrys. *Ecce*, ait, *quomodo in nullo prorsus differunt*, nisi quod alter Patet est, alter Filius.

D Sic dedit et Filio habere vitam in semetipso] qua Filius Deus est, idque juxta tres modos jam recensitos. *Ut vita ejus non esset egens vita*, ait S. August. *ne participando intelligatur habere vitam: si enim participando habere vitam, posset & amittendo esse sine vita: hoc in Filio ne accipias, ne cogites, ne credas. Manet ergo Pater vita, manet & Filius vita: Pater vita in semetipso, non a Filio; Filius vita in semetipso, sed a Patre.*

Porro S. Cyrillus id ipsum explicat de Christo, non qua Deus, sed qua homo est, q. d. Christus qua homo est, habet vitam in semetipso, hoc est, vitæ & necis in omnes habet potestatem, vitæ necisque omnium est dominus; ipse enim a Patre constitutus est judex vivorum, & mortuorum. Unde sequitur.

Vers. 27 Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est] q. d. Quia Christus, qua Deus, habet vitam in semetipso, hinc, qua homo, habet potestatem judicandi omnes, τὸ enim *quia* hic specificative sumitur, non reduplicative, idemque valet quod *quatenus*, ut ὅτι sumatur pro καθ' ὅτι. Secundo tamen & nervosius, τὸ *quia* accipias reduplicative, & causaliter, ut sonat. Dat enim causam, cur Deus dederit Christo potestatem judiciariam. Causa est, quia Christus Filius hominis est, id est, quia incarnati dignatus est, homoque fieri, q. d. Voluit Deus homines per Christum hominem judicare, ut congruum esset judicium, congruoque modo, scilicet sensibili & humano, fieret, utque sicut ipse per Christum hominem mundum salvat, sic & per ipsum eumdem judicet; hominem, inquam, qui cum Deus esset, vitam humanam induit, eamque pro hominum salute morti exposuit & prodegit. Quare ipse tanta sui exinanitione, qua voluit fieri homo, moriique pro hominibus, meruit hanc exaltationem judiciariæ potestatis, ut omnium sit judex, qui omnium fuit salvator. Ita Tolet. Jansen. Maldon. & alii. Audi S. Aug. *Secundum quod Filius est Dei, sicut habet Pater vitam in semetipso: sic & dedit Filio vitæ habere in semetipso: secundum autem quod Filius hominis est, potestatem dedit & judicium faciendi.* Et paulo post: *Secundum hoc accepit potestatem judicandi, quia Filius hominis est; nam secundum quod Dei Filius est, semper habuit hanc potestatem.* Causam duplicem addit. Prior est: *Adjectum erat*, ait, *ut judicandi viderent judicium: judicandi ante erunt boni & mali: restabat, ut in judicio forma servi bonis, & malis ostenderetur, forma Dei solis bonis servaretur.* Posterior: *Forma illa erit judex, qua stetit sub judice: illa judicabit, qua judicata est: judicata est enim inique, judicabit juste.*

E F

Vers. 28 Nolite mirari hoc quia (quod) venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei] *Hora*, id est, tempus legis Evangelicæ, quæ omnium est ultima & novissima, in cujus fine fiet resurrectio mortuorum, & universale judicium, ut dixit vers. 25.

Qui in monumentis sunt] puta mortui & sepulti, sub quibus etiam mortuos insepultos accipe. Nam, ut ait S. Aug. *ab his qui naturaliter sepulti sunt, etiam eos significavit, qui naturaliter sepulti non sunt.*

Audient] Hoc est, sentient sententiam, vim & efficaciam vocis Christi.

Vocem Filii Dei] Erit hæc vox tubalis Archangeli, forte Michaelis: *Surgite mortui, venite ad judicium*, idem concrepantibus, & consonantibus aliis aliorum angelorum tubis & vocibus. Dicitur vox Dei & Christi, quia ejus jussu, sed angelorum ministerio, formabitur in aere, ita ut per totum orbem resonet; ab eoque efficaciam suscitandi mortuos accipiet, quasi ejus instrumentum, saltem morale. Non enim est necesse huic tubæ vim physicam suscitandi mortuos tribuere. De hac voce & plura dixi 1. Thes. 4. 16.

Quænam hæc vox filii hominis, qua mortui audient?

Vers. 29 Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, beatæ, & æternæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii] id est, condemnationis & gehennæ. q. d. Boni resurgent ad gloriam, mali ad gehennam.

Procedent] Græce ἐκπορεύσονται, id est egredientur, scilicet e suis monumentis, & sepulchris resurgent, tendentque ad vallem Josaphat juxta Jerusalem, in qua fiet judicium universale, ut ibi a Christo Judice, pro meritis cælo, vel inferno adjudicentur.

Objicit hic Christus Judæis sibi incredulis, & rebellibus suam potestatem judiciariam, ut ejus metu eos terreat, conterat & convertat, æque ac fecit in fine vitæ, cum a Caipha pontifice adjuratus an esset Filius Dei, respondit se esse, ideoque ad mortem condemnandus addit: *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Matth. 26. 64.

G H

Judicii meditatio quam efficax?

Nulla enim terribilior res est, & efficacior ad permovendum hominum animos, ut pœnitentiam agant, vitamque sanctam instituant, quam viva repræsentatio judicii extremi. Quocirca Christus ascendens in cælum, per angelos jussit Apostolos prædicare suum ad judicium reditum, Act. 1. 11. ideoque eumdem Paulus Areopagitis inculcavit, ac inter alios S. Dionysium convertit, Actor. 17. 31. In judicio enim cuique jacietur alea æternitatis, vel beatissimæ, vel miserrimæ, *In omnibus operibus tuis* ergo *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. 40. Vide ibi dicta. Sane fatalis ille dies mundi ultimus erit decretorius, & horizon æternitatis, qui probos ab improbis disterminabit, & longissime separabit, atque probos omni felicitate cumulabit, improbos omni calamitate obruet, idque in æternum. Hoc mirum & miserabile divortium assidue cogita, stude sanctitati, vive æternitati.

Vers. 30 Non possum ego a meipso facere quidquam

Sicut

A SICUT AUDIO, JUDICO, ET JUDICIUM MEUM JUSTUM EST: QUIA NON QUÆRO VOLUNTATEM MEAM, SED VOLUNTATEM EJUS, QUI MISIT ME] Demonstrat Christus judicium suam, quo qua homo omnes homines judicabit, fore justum ex eo, quod ipse aliud judicare & velle non possit, quam id, quod judicat & vult Pater: Nam ipse qua Deus idem numero habet judicium, eamdem numero mentem & voluntatem divinam, quam habet Pater; qua homo vero, totus regitur a deitate & Verbo inhabitante, ut aliud judicare & velle nequeat, quam id, quod ejus deitas, quasi præses judicat & vult. Ita S. Aug. S. Chrysost. Euthym. & alii.

SICUT AUDIO, a Patre verissime judicante judicandum esse, sic JUDICO] semper, ac præsertim sic judicabo in die judicii. *Audio*, ergo idem est, quod cognosco, intelligo, video; in divinis enim idem est audire & videre, imo idem est in mente: mens enim eminenter continet visum, auditum, cæterosque sensus. Ostendit suum judicium, quo omnes judicabit, fore verum, quia non ex suo, sed ex Dei Patris judicio, quod constat est verissimum & æquissimum, judicabit. Unde subdit: *Et*, id est, itaque vel idcirco, *judicium meum justum est*. Ita S. Chrys. *Per auditum*, ait, *nihil aliud intelligitur, quã nihil aliud posse, quam quod Pater. q.d. Ita judico, ac si Pater ipse judex sit.*

B QUIA NON QUÆRO VOLUNTATEM MEAM, scilicet solam, aut a Patris voluntate diversam: talem enim non habeo, SED VOLUNTATEM EJUS, QUI MISIT ME] nam voluntas mea divina, eadem numero est cum voluntate Patris; voluntas autem mea humana voluntati divinæ plane conformis est, ab eaque per omnia dirigitur: quare aliud ab illa velle & judicare nequit. Ita S. August. *Non quia*, inquit, *ipsius in judicando nulla voluntas est, sed quia non est ita voluntas ejus propria, ut sit a Patris voluntate aliena*. Nam, ut ait Cyrillus, *illius voluntatem quasi regulam in omnibus sequitur, ideoque*, ait Euthym. *illius voluntas etiam mea est*. Dat causam a priori, cur suum judicium futurum sit justum; quia scilicet voluntas ejus plane subjecta & conformis est voluntati divinæ, eo quod subsistat in persona divina Verbi, ab eaque regatur: voluntas enim flectit regitq; intellectum, ejusque judicium, quocumque vult. Quare si voluntas humana conformis sit voluntati divinæ, etiam intellectus & judicium humanum conformia erunt intellectui & judicio divino: præsertim, quia in Deo, in re idem omnino est intellectus & judicium, quod voluntas: in Deo enim omnes potentiæ, omniaque attributa in re idem sunt cum essentia divina, ex qua, quasi ex fonte suo, imo quasi ex omnis boni oceano promanant, in eoque essentialiter coeunt & uniuntur: quare ipsa infallibilis est omnis veritatis & justitiæ norma ac regula, quam Christus in omnibus sequitur, nec ab ea vel hilum deviare potest, ideoque tam voluntas ejus quam intellectus, & judicium rectissima, verissima & justissima sunt, & erunt semper.

C

VERS. 31 SI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO, quod sim Filius Dei, ideoque qua homo, Dei judicio & voluntati per omnia conformis, TESTIMONIUM MEUM NON EST VERUM] id est, legitimum, juridicum, & fide dignum. *Verum* enim hic non opponitur falso, sed illegitimo, infido, incerto; respondet enim Hebr. אמת *neeman*, id est, fidele, congruum, & fide dignum. Fieri enim potest, ut quis verissimum de seipso dicat testimonium, sed tamen apud homines fide careat, propter suspicionem de nimio sui ipsius amore, ait Euthym.

D Est prolepsis, sive occupatio, qua Christus occurrit tacitæ objectioni Scribarum dicentium: Tu, o Jesu, prædicas te esse filium Dei, ideoque sequi in omnibus Dei judicium, at non credimus tibi, nisi Dei, vel virorum fide dignorum testimonio id probes; tuum enim testimonium, hic in re tua, tibique propria, nobis suspectum videtur, nec fide dignum. Respondet Jesus: Fateor, vobisque concedo, testimonium meum de me ipso non esse legitimum, nec fide dignum, si ego solus ex meipso hoc testificor: do vobis ergo, uti mihi soli non credatis; at ego non solus, sed plures alii fide digni idem de me testificantur, ut patebit v. seq. Loquitur enim Christus magis ex confessione, & ex communi Judæorum sensu, quam ex suo, ut patet Joan. 8. 13. Ut Judæi Christo in faciem objiciunt, dicuntque. *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*. Quibus respondet Christus v. 14. & 16. *Verum est testimonium meum*, &c. *quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater*. Ita S. Cyrill. Chrysost. Leontius, Theoph. Euthym. & alii.

ALIUS EST, QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE ME; E ET SCIO QUIA VERUM EST TESTIMONIUM, QUOD PERHIBET DE ME] *Alius*, scilicet Deus Pater, qui in baptismo meo cælitus intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Matth. 3. 17. Ita S. Cyrill. Beda, Rupertus. Rursum *alius*, scilicet Joannes Baptista mihi attestatur, ut sequitur. Ita S. Chrysost. Leontius, Theoph. Euthym. Jansen. Maldonat. & alii. *Alius* ergo, id est alii sunt, qui testificantur me esse Filium Dei, scilicet Deus Pater, Joannes Baptista, Moses, Prophetæ, atque opera mea divina & miraculosa: hos enim omnes testes in sequentibus pro se produxit Christus, ut probet se esse Messiam & Dei Filium. VERS. 32

ET SCIO QUIA VERUM EST] q.d. Ego pro me, hisce testibus non egeo: scio enim ex scientia propria & divina, verum esse id quod testantur, scilicet me esse Filium Dei. Quare ego eorum testimonium produco, non propter me, sed propter vos, ut mihi tot testimoniis probato fidem adhibeatis.

VOS MISISTIS AD JOANNEM (cap. 1. v. 19.) ET TESTIMONIUM PERHIBUIT VERITATI] q.d. Vos misistis legatos ad Joannem, quasi ad virum vestra opinione sanctum, & omni fide dignum, ut eum rogaretis an ipse esset Messias: Joannes respondit non se, sed me esse Messiam, hocque testimonium non dedit meæ amicitiæ aut gratiæ (nam me ante non viderat) sed *veritati*: ipsum enim nil dare gratiæ, sed omnino veritati, vos ipsi existimastis, cum eum pro Messia recipere voluistis: *Ergo testimonium ejus refellere non potestis*, ait Euthym. Plene convincit Scribas hic Christus ex Joannis testificatione, utpote apud Judæos certa & irrefragabili, se esse Messiam. VERS. 33 F

EGO AUTEM NON AB HOMINE TESTIMONIUM ACCIPIO] q. d. Ego pro me teste Joanne non egeo: sum enim Deus, Deique Filius, cui Joannes, Moses & Prophetæ credere debent, ab eoque doceri, omnemque gratiam, & auctoritatem accipere. Rursum, ut ait Cyrillus: *Ostendit sibi nullius testimonium esse necessarium, cum a splendore signorum ac gloria, natura Deus demonstretur*. q.d. Ego cum sim Deus, hominum testimonio, commendatione, celebratione non indigeo. Ita Theoph. Leontius, Maldonatus, Jansen. & alii. VERS. 34

SED HÆC DICO, UT VOS SALVI SITIS] Hoc est, ut ait S. Chrys. *Ego hominis non indigeo testimonio, cum Deus sim: verum cum Joannes tanta apud vos auctoritatis sit, cum tamquam Prophetam admiremini, mihi autem ut miracula facienti non credatis, idcirco ejus testimonium vobis in memoriam reduco, omniaque facio, ut vos alliciam, & salvos faciam*. G

ILLE LUCERNA ERAT (græce, ὁ λύχνος, id est, illa lucerna scilicet eximia, & singularis) ARDENS ET LUCENS. VOS AUTEM VOLUISTIS AD HORAM EXULTARE IN LUCE EJUS] Joannes non erat ipsa lux ex se lucens (hæc enim erat ipse Christus, Jo. 1. v. 9.) sed erat lucerna, quæ lumine a Christo accepto, in se Dei cognitione & amore ardebat, aliis vero exemplo sanctitatis & fervore prædicationis lucebat. Joannem enim misit Deus post longum, per plura sæcula, Prophetarum omnium silentium, quasi cælestem Prophetam, qui tenebras ignorantiæ Judæorum, velut lucerna illuminaret, eisque veram lucem, puta Christum Dominum, ostenderet, eique facem præferret. Ita S. Cyrill. Leontius, Theoph. & Euthym. Christus ergo est sol justitiæ, Joannes quasi stella & luna a sole illuminata. Lux enim naturaliter unigenitus est, qui ex luce, id est, ex substantia Patris, effulsit, ait Cyrillus. Joannes vero lucerna fuit, quia luxit luce ab eo derivata, & participata; luxit, inquam, oleo, id est, gratia Spiritus sancti, quæ instar olei, animas nostras, quasi lucernas ingressa, nutrit, conservat, auget. Unde ejus typus fuit lucerna oleo ardens in templo, ante Deum residentem in Sancto sanctorum: sic enim Joannes lucet ante Christum. Lucerna ergo ardens ac lucens super tabernaculo testimonii fuit Joannes Baptista, ait Cyrillus. Vide dicta Exodi 25. v. 31. VERS. 35 Joannes Baptista ex lucerna ardens & lucens. Christus sol. H

Moraliter S. Bern. serm. de S. Joanne Baptista, docet sanctos viros & prædicatores, prius in seipsis debere ardere charitate & zelo, antequam aliis prædicando luceant. *Est enim*, ait, *tanquam lucere vanum, tantũ ardere parum; ardere, & lucere perfectum*. Et inferius: *Ille erat lucerna ardens & lucens. Non ait: Lucẽs & ardens: quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore: sunt enim, qui non eo lucent, quia fervent, sed magis fervent ut luceãt. At isti plane non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis*

Digitized by Google

A *tatis.* Ac mox triplicem in Joanne ardorem, & splendorem assignans: subjicit: *Ardens enim erat in seipso vehementi auctoritate conversationis: erga Christū intimo quodam & pleno fervore devotionis: erga peccantes proximos constantia libera increpationis: luxit nihilominus, ut paucis dixerim, exemplo, digito, verbo, & seipsum ostendens ad imitationem, & luminare majus, quod latebat, ad peccatorum remissionem, & ipsas quoque tenebras nostras illuminans.* Et mox: *Considera hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in utero, & novum in novo homine pœnitentiæ mirare fervorem.* Audi Alcuinum hic: *Joannes erat lucerna, illuminatus a Christo luce, ardens fide & dilectione, lucens verbo & actione; qui præmissus est, ut inimicos Christi confunderet, secundū illud: Paravi lucernā Christo meo, inimicos ejus induā confusione.*

Laudes S. Athanasii.

Talis fuit S. Athanasius; unde S. Gregorius Nazianz. orat. 21. quæ est de laudibus Athanasii, ipsum nuncupat oculum mundi, prælatum sacerdotum, ducem & magistrum Confessorum, vocem sublimem, firmam fidei columnam, post Joannem Baptistam secundam lucernam lucentem & ardentem. Additq; Athanasium *percutientibus erat adamas* (per invictam patientiam) *dissidentibus magnes*, eos ad se alliciens & inter se concilians. Et inferius: *Virgines*, inquit, *eum ut pronubum laudent, conjuges moderatorem, Anachoretæ excitatorem, cœnobitæ legislatorem, simplices deductorem, speculationi dedit Theologum, hilares frenum, calamitosi consolatorem, canities baculum, juventus pædagogum, paupertas largitorem, divitiæ dispensatorem, egrotantes medicum, sani valetudinis custodem: omnes denique eum, qui omnibus omnia factus est, ut omnes; vel quamplurimos lucrifaceret.* Et anterius. Ipse, ait, Abrahæ, Isaac, Jacob, Mosis, Davidis, Samuelis, Eliæ, Elisæi, cæterorumque Sanctorum virtutes, *in unam sui ipsius complexus animam, unum ex omnibus virtutis simulacrum numeris omnibus absolutum edidit.* Talis quoque fuit S. Basilius, de quo idem Nazianz. orat. 20. *Basilii vox*, ait, *erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur.* Quia vita fulgurabat, ideo voce tonabat.

B

Vos autem voluistis ad horam (ad modicum tempus] exultare in luce ejus] q. d. Initio prædicante Joanne, cum tanta vitæ sanctitate & zelo, gavisi estis, & exultastis, quod tantus Propheta cælitus exortus esset, quem sperabatis fore vestrum Messiam; sed ubi Joannes vestra scelera taxare cœpit, ac indicare me esse Messiam, me, inquam, pauperem & humilem, vos Joannem sprevistis, nec testimonio ejus de me credidistis; quia si credidissetis, me pro Messia recepissetis. Hoc est quod ait Lucas cap. 7. 30. *Pharisæi autem & legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsis, non baptizati ab eo*, scilicet Joanne. Ita S. Cyrillus, Chrysost. & alii.

C

Vers. 36 Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me quia Pater misit me] *majus Joanne*, id est, majus testimonio Joannis; *Majus*, id est, certius, efficacius, magis convincens mē esse Messiam, Dei Filium, a Deo missum ad hominum salutem. Hoc majus testimonium sunt mea opera, id est, miracula *quæ dedit mihi Pater*, ut iis probem me ab eo missum. Nam *Joannis testimonium poterat quispiam calumniari, tamquā ad gratiam factū* (ait Euthym.) *verum opera omni suspicione libera, cunctorum ora contentiosa obturant. Operæ enim etiam insanis persuaderent*, inquit Chrys. Addit S. Cyrill.

D *Quoniam ergo non dignus vobis Joannes fide videtur, majorē testē offero, cujus splendor mentis vestræ oculos ita perstringat, ut nihil omnino dicere possitis, non enim verbis, nec auctoritate hominū rē meam approbo, sed miraculorū splendore ac gratia, me ex Deo natum, & natura Deū ostendo.*

Opera (miracula) quæ ego facio, testimonium perhibent de me] quia miracula (quale fuit recens paralytici sanatio, v. g. ait Theoph.) mea sunt opera supernaturalia, quæ a nulla creata causa fieri possunt, sed Deo soli sunt propria: unde ipsa sunt quasi sigillum Dei, quibus ipse mihi testimonium perhibet, meamque doctrinam obsignat & confirmat. *Quia sunt opera solius divinæ virtutis*, ait Euthym. Unde Lyranus: *Firmum*, ait, *testimonium est per opera soli Deo possibilia, qui non potest testis esse falsitatis.* Sic & S. Chrys. Cyrill. & alii.

Miraculis evicit Jesus se esse Christum.

Hinc sequitur, Judæos potuisse, & debuisse certo cognoscere Jesum esse Messiam, sive Christum & Dei Filiū, ex miraculis quæ patrabat. Primo, quia Jesus illa faciebat hoc fine & scopo, ut iis probaret se esse Christum, & Deum. Hoc ergo evidens erat in attestante, scilicet in miraculis, quæ testabantur ipsum dicere verum, scilicet se esse Deum, Deique Filium. Secundo, quia Jesus fecit omnia miracula, quæ Prophetæ prædixerunt a Christo esse facienda, ipse ostendit Matth. 11. v. 4. & 5. Tertio, quia, licet aliqui Prophetæ & viri sancti nonnulla miracula ediderint, non tamen tot & tanta, quot & quanta edidit Jesus. Rursum Prophetæ faciebant miracula non sua virtute; sed invocatione Dei; Christus autem sua virtute, sua auctoritate, suo jussu & imperio quasi Dominus illa efficiebat. Inde ergo facile erat cognoscere ipsum esse Messiam, & Deum. Ita S. Athan. lib. de Incarn. Verbi. Hinc etiam multi e Judæis ipsum ut talem agnoverunt; alii tamen, præsertim principes & Scribæ, licet secreto & sedate omnia Jesu gesta considerantes, iis convincerentur ipsum esse Messiam; tamen alias ira, & invidia contra eum acti cæcatique, ipsum ut talem non agnoverunt, aut potius agnoscere noluerunt.

E Secundo. Tertio.

Igitur duobus maxime modis miracula Jesu probant eum esse Deum. Primum, ratione modi faciendi, ut dixi: quo præpotenti illa vi, sibi propria, utereretur in peragendis miraculis. Deinde nonnulla etiam sibi miracula reservavit, quæ ipsa sui natura convincunt; & clamant eum esse Deum: qualia sunt, quod natus est de Virgine: quod secreta cordium, & quid esset in homine nosset, & sciret omnia: quæ causa fuit quamobrem Apostoli dicerent se credere, quod a Deo exiisset. Item, quod futura omnia, quæ in passione, morte, & post resurrectionem juxta Scripturam eventura erant, prædixit: quod, cum voluit, animam suam in cruce posuit, ac deinde tertia die resumpsit: quod ascendit in cælum: quod misit Spiritum sanctum: denique quod mirificam illam vim patrandorum miraculorum in Apostolos, & septuaginta suos discipulos transfudit. Hoc quoque singulare in Christo, eique soli servatum, quod dicturus sum: Vis scilicet, & potestas semper & ubique prompta & parata, & nusquam restricta, tam grandia edendi miracula, tam incredibilia & naturæ facultatem superantia: tam plena ac perfecta, tam salutaria, tam vera, tam certa ac clara, tam divina ac convenientia Filio Dei. Inter quæ maxime eminet salutifera illa & præsentanea virtus sanandi omnes morbos, omniū, uti diximus, quotquot eum adibant sanitatis recuperandæ gratia, omnibus locis, omni tempore. Hæc absoluta potentia & perpetua virtus, solius est Christi. Nec in veteri testamento Eliæ, aut Elisæo, aut etiam in legis promulgatione Moysi, aut angelis umquam concessa fuit: quippe qui tantum ex intervallo miracula ediderunt, ut ex historiarum collatione constat. Præterea miracula eorum certo numero comprehendebantur; Christi miraculorum continua series erat, nec ullus numerus iniri poterat. Ita S. Aug. epist. 3. ad Volusianum, S. Cyrillus & Chrys. quos citat & sequitur S. Thom. 3. par. q. 43. ar. 4. Quibus adde ea, quæ Christi mortem quasi effectus consecuta sunt, uti fuere totius mundi per duodecim Apostolos piscatores ad Christum conversio, fervor fidelium primitivæ Ecclesiæ Act. 2. & seq. Martyrum innumerorum invictum robur, imo in tormentis exultatio, etiam puerorum, virginum & feminarum, &c. Quæ omnia clamant Christum ut Dei filium esse colendum, amandum & adorandum, utpote qui solus hæc opera divina Deoque propria efficeret. Hæc est gloria Verbi incarnati, quam celebrat S. Joan. c. 1. v. 14. Evangelii.

G

Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audistis, neque speciem ejus vidistis] *Testimonium perhibuit* cum in meo baptismo cælitus intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matt. 3. 17. Ita S. Chrys. Rursum *testimonium perhibuit de me*, per Scripturas, puta per Mosen & Prophetas, qui de me, meisque operibus ante tot centenos annos prophetarunt, uti mox explicat Christus v. 39. Ita Theoph. Nonnus, Euthym. & alii. Addit S. Aug. & Hilar. lib. 6. de Trinit. Patrem testificari Jesu, quod ipse sit Filius Dei, cum ejus operibus, id est, miraculis cooperatur, eique vim illa operandi tribuit. Verum hoc testimonium includitur in ipsis miraculis, de quibus egit versu præced. Vers. 37

H

Nota. Christus hic præter testimonium Joannis, tria alia majora adducit, quibus se probat esse Messiam, primum ex miraculis v. 36. secundum ex voce Patris in baptismo, tertium ex Scripturis v. 39.

Et verbum ejus non habetis in vobis manens (Arab. *non est firmatum in vobis*) quia quem misit ille, Vers. 38

Digitized by Google

A LE, HUIC VOS NON CREDITIS] Connexio, & conſequenter argumentatio, horum verborum eſt obſcura, quam proinde varii varie elucidant.

Primo, plane & genuine ſic exponas, ut ſit occupatio, & conceſſio, q. d. Vos, o Scribæ, mihi alleganti teſtimonium Dei Patris de me, objicietis vos illud non audiſſe, eo quod vocem Dei propriam & naturalem non audiveritis, nec ſpeciem & faciem ejus videritis, ſicut vidis Moſes, legem a Deo accipiens in Sina, Exod. 19. cui proinde vos credere aſſeritis. Reſpondeo: Concedo id quod dicitis, ſed addo, quod nemo, ne Moſes quidem, nec majores veſtri legem a Deo accipientes in Sina, audierunt proprià Dei vocem, nec ejus ſpeciem & faciem viderant, ſed tantum copioſum ignem, quo tegebatur Deus, viderint, & vocem in aere ab angelo vice Dei formatam audierint. Ego enim ſolus, qui ſum filius Dei naturalis ideoque Deo intimus, vocem ejus propriam audivi, & ſpeciem, ſive faciem ejus divinam vidi, & video aſſidue; ſed tamen vos urgeo & convinco, quod verbum Dei mihi arteſtantis audiſtis, eum in baptiſmo meo Deus Pater publico ſono edixit: B *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. 17. Rurſum quod verbum Dei de me audiſtis in S. Scripturis, puta in Moſe & Prophetis, qui me eſſe Meſſiã & Deum arteſtantur. Verum vos, licet hoc Dei de me Verbum & teſtimonium audiveritis, illud tamen non habetis in vobis manens, quia illud non penetratis mente, non capitis, non intelligitis, non comprehenditis, non creditis, eo quod in me velut a Deo Patre miſſum, credere nolitis, qua in re graviter erratis & peccatis. Si enim verbum angeli, vice Dei cum Moſe, quaſi ſervo ſuo loquentis, audiſtis, illiq; creditis: multo magis verbum Dei mihi arteſtantis, quod ſim ejus Filius, audire, illique credere deberetis; præſertim cum Moſes mihi teſtimoniũ perhibeat, meque a vobis audiri jubeat, ut ſequitur. Ita Euthym. *Cum ſermo*, ait, *qui per legem datus eſt ac Prophetas, clamet quod Pater Filium ſuum miſſurus ſit ad ſalutem veſtram, & quod vos illi credere oporteat, vos hinc quem ille miſit, non credentes, non auſcultatis prædicto ejus ſermoni, ac proinde nec habetis in vobis manentem*. Hic ſenſus videtur clarus, planus & genuinus.

Secundo, tamen S. Hilarius libr. 9. de Trinit. totum hunc locum ſic nectit & explicat. q. d. Proterea vocem ejus non audiſtis, nec ſpeciem vidiſtis, nec verbum ejus manet in vobis, quia mihi non creditis: quaſi C dictum ſit: Si credideretis, vocem Patris audiretis, & ſpeciem videretis, qui enim videt me, videt & Patrem: ſimiliter qui audit me, audit & Patrem, & Verbum Patris in eo manet.

Tertio, S. Cyrill. & Chryſoſt. cenſent hæc dici a Chriſto ad confundendos Judæos, jactantes quod Deum audiſſent & vidiſſent in Sina decalogum promulgantem. q. d. Erratis, & falſo jactatis, o Judæi, vos Deum audiſſe & vidiſſe in Sina: nam Deus purus eſt ſpiritus, qui nec vocem, nec ſpeciem propriam habet, ſicut habet homo: quare illa vox, quam audiſtis, & ſpecies ignis quem vidiſtis in Sina, non fuit vox, nec ſpecies vera & propria Dei; ſed ſymbolum, & ſignum dumtaxat corporeum, vobis corporatis & rudibus arcanam & inviſibilem deitatem, inſtar umbræ repræſentans.

Quarto, S. Athan. l. 4. contra Arian. per *verbum*, græce λόγον, intelligit Chriſtum Dei Filium, qui eſt Verbum Patris, quem apte jungi cum ſpecie, & forma Dei aſſerit, eo quod ipſe character ſit, & viva D imago Patris; ſenſumque eſſe, q. d. Vos vocem Dei non audiſtis, nec formam vidiſtis, & cum ſupereſſet vobis modus unus, ut in me, qui ſum Verbum Patris, & imago ejus ſubſtantiæ, quemque qui videt, videt & Patrem, credideretis; hunc modum contemnitis, & non creditis mihi, propterea Patris cognitionem non habetis, & divina notitia privati eſtis.

Quinto, Toletus, q. d. Vos, o Judæi, perterriti voce tubali angeli, & igne fulgurante in Sina, petiſtis vocem hanc terribilem amplius non audire, nec ignem horribilem videre, ſed ut Deus vobis per Moſen, quaſi internuncium loqueretur, idque a Deo obtinuiſtis; ſed verbum & pactum ejus, ad quod vos obligaſtis, non ſervatis: acceptaſtis quidem pactum ejus, nempe vos audituros, quem ille miſerit Prophetam de gente veſtra: at verbum & pactum ejus non manet in vobis, quia quod pepigiſtis, implere non vultis: Ecce enim ego ſum, quem ille miſit, & vos non mihi creditis, nec auditis me, ſicut promiſiſtis.

Verum primus ſenſus maximè videtur congruus; E & appoſitus.

SCRUTAMINI SCRIPTURAS, QUIA VOS PUTATIS IN IPSIS VITAM ÆTERNAM HABERE: ET ILLÆ SUNT QUÆ TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME] *Scrutamini*, tam in Græco, quam in Latino, poteſt eſſe modi indicativi, & imperativi, in indicativo modo accipit Cyrillus. q. d. Vos, o Scribæ, aſſidue ſcrutamini & verſatis Scripturas, quæ teſtimonium perhibent de me; ſed vos illud capere, & intelligere non curatis, quia ad me venire non vultis. Melius S. Auguſt. S. Chryſoſt. Theoph. Euthymius, & alii accipiunt in Imperativo. q. d. Veſtigate Scripturas, & in iis invenietis Deum Patrem mihi perhibere teſtimonium. VERS. 39

Porro per τὸ *ſcrutamini*, Chriſtus, ait Chryſ. *Judæos ad Scripturarum, non ſimplicem & nudam lectionem, ſed ad inveſtigationem perquam diligentem relegavit: non enim dixit: Legite Scripturas, ſed ſcrutamini*, id eſt, diligenter quærite, & quaſi effodite latentes in ea de me, rebuſque divinis theſauros, ſicut qui ſcrutantur venas auri & argenti terram effodiunt ut aurum inveniant. *Effodere profundius jubet, ut ea quæ alte in modum theſauri recondita ſunt, poſſint invenire*, ait ex Chryſoſt. Euthym. Sic & Theoph. *Dixerat eis*, ait, *verbum Dei, hoc eſt Scripturæ, quæ de me teſtantur, non ſunt in vobis. Igitur quomodo poterunt habere verbum Dei? inquit, Scrutamini Scripturas*. Sic Scripturas ſcrutabantur ii, quibus prædicabat Paulus Act. 17. 11. ſed ſincere & ſolius veritatis cognoſcendæ ſtudio: quare in Scriptura invenerunt Chriſtum, quem eis prædicabat Paulus. F

QUIA VOS PUTATIS IN IPSIS, (id eſt in earum intelligentia, fide & obſervatione,) VITAM ÆTERNAM HABERE] Si quis enim credat & faciat, quæ jubet Script. vitam æternam aſſequetur. Hinc patet Judæos pleroſque ac nominatim Phariſæos, credidiſſe animæ immortalitatem, aliamque poſt hanc ſupereſſe vitam, in qua probis vita æterna, improbis mors æterna a Deo irroganda ſit. Dico pleroſque: nam Sadducæi hæc omnia negabant, ut patet Actor. 23. v. 8.

ET (id eſt *etenim*. Hebræum enim *vau*, id eſt &, ſæpe eſt cauſale, idemque valet quod *nam, quia, etenim*. Ita Euthym. dat enim cauſam cur dixerit: *Scrutamini Scripturas*; quia ſcilicet) ILLÆ SUNT, QUÆ TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME] ſcilicet multæ ad litteram, plures in ſenſu allegorico & myſtico: quia *finis legis eſt Chriſtus*, Rom. 10. 4. nam, ut ait Petrus: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum*. Actor. 10. 43. Lector ergo ſacræ Scripturæ, ac præſertim interpres, doctor & prædicator, ſcrutetur Scripturas, & in omnibus inveniet Chriſtum vel in veritate apertum, vel ſub umbris, & figuris opertum, celatum & velatum. Vide noſtrum Joſephum Acoſtam lib. de Chriſto revelato, ac S. Cypr. lib. de Teſtimon. contra Judæos. G

ET (tamen) NON VULTIS VENIRE AD ME UT VITAM HABEATIS] q. d. Non vultis mihi adhærere, in me credere, meam doctrinam & legem capeſſere, ut vitam æternam a Script. prædicatam acquiratis. Ad illam enim ego ſolus ſum via, veritas, & vita, Joan. 14. 6. VERS. 40

CLARITATEM (græce, δόξαν, id eſt gloriam) AB HOMINIBUS NON ACCIPIO] Eſt occupatio. q. d. Vos, o Scribæ, ſuſpicamini, & mihi objicitis, quod ego tam magnifica de me prædicem, meamque dignitatem & auctoritatem tam impenſe probare conet ex ſtudio vanæ gloriæ, quod ſcilicet venet auram populi, ab eoque glorificari, magnuſque, imo filius Dei habere cupiam. Reſpondeo, me hæc de me ipſo prædicare, non propter me, ut gloriam hominum aucuper, ſed propter vos, ut ſcilicet vos ſalvem: veſtræ enim ſalutis ſum avidus, illamque ſitio, ſcio enim neminem poſſe ſalvari, & vitam æternam poſſidere, niſi per me, utpote quem Deus conſtituit mundi ſalvatorem. Ita S. Chryſoſt. Cyrill. Leontius & alii, idque patet ex ſequentib. H VERS. 41

SED COGNOVI VOS, QUIA DILECTIONEM DEI NON HABETIS IN VOBIS] q. d. Scio & penetro intima cordis veſtri (ſum enim cardiognoſtes & cordium inſpector, quia Deus) videoque in iis nil eſſe amoris divini, ſed illa plena eſſe ambitione, avaritia, ſuperbia: quæ eſt cauſa cur tam clara teſtimonia, quæ ego pro me profero, accipere, & in me credere nolitis. q. d. Radix veſtræ incredulitatis, & obſtinationis non eſt mea gloriæ ambitio, ſed veſtra veſterque defectus charitatis. Si enim vere Deum VERS. 42

dili-

Digitized by Google

V diligeretis, eique uni placere studeretis, utique me ab eo missum, & tam clare in Script. descriptum agnosceretis: sic & hodie hæreseos causa in multis est vitiatus amor; quia scilicet multi amant libertatem carnis, quam docet hæresis, nec amant Deum, qui eam stringit & vetat.

Aliter hæc cum præcedentibus nectit Cyrillus. q.d. Non hæc magna de me prædicavi propter claritatem, ut scilicet humanam laudem aucuper, sed ut cognoscatis (sicut ego cognosco) dilectionem Dei non esse in vobis, qua privati, quomodo poteritis ad me, qui Filius sum Dei, venire?

Aliter quoque Chrys. & Euthym. q. d. Vos, o Scribæ, me persequimini, non ex zelo Dei, quod Deum, Deique honorem diligatis, sed ex odio & invidia: nam ego tot testimoniis probavi me esse a Deo missum.

Aliter denique Toletus & Maldonatus. q. d. Ego prædico me esse Messiam & Dei Filium, non quod quæram vanam hominum gloriam; sed quia cognovi, id est, cognosco, vos dilectionem Dei, quæ ad vitam æternam ducit, non habere: ut scilicet ad dilectionem hanc per fidem, qua in me credatis, adducam.

B EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI, ET NON ACCIPITIS ME: SI ALIUS VENERIT IN NOMINE SUO, ILLUM ACCIPIETIS] *In nomine Patris*, quasi Filius missus a Deo Patre, ut ejus nomine & auctoritate, atque ad illius unius laudem & gloriam impleam illa, quæ ipse vobis de Messia promisit; nimirum ut per illum Dei notitiam, gratiam, salutem & vitam æternam vobis largiatur; idque tot testimoniis, quæ Pater mihi dedit, vobis clare probavi: & tamen *non accipitis me*, sed ut pseudo prophetam refutaris; quare justo Dei judicio fiet, ut, si alius pseudo propheta ad vos venerit, non missus a Deo, sed *in nomine suo*, id est, sua auctoritate, sua ambitione, sua audacia sese ingerens, fingens, jactansque se esse Messiam, illū ut talem recipiatis. *Alius* ergo hic erit Antichristus, cui credent Judæi, qui Christum respuerunt: juxta illud Pauli 2. Thessal. 2. 10. *Ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Vide ibi dicta. Ita S. Chrysost. Cyrill. August. Beda, Leontius & passim veteres. Rursus *alius* quilibet pseudopropheta, fingens se Christum, ideoque Antichristi præcursor, hic accipi potest, qualis fuit paulo post Christum Ægyptius ille, qui triginta hominum millia post se duxit in exitium, de quo Josephus l. 2. Belli c. 12. Item *Benchosba*, id est, filius mendacii, qui se falso vocabat *Bar chochaba*, id est filium stellæ, sub Adriano Imp, de quo Euseb. l. 4. Histor. c. 6.

VERS. 43

C QUOMODO VOS POTESTIS CREDERE, QUI GLORIAM AB INVICEM ACCIPITIS, ET GLORIAM, QUÆ A SOLO DEO EST, NON QUÆRITIS?] q.d. Vos gloriam humanam, brevem & exilem captatis; quare me spernitis, qui gloriā humanam contemno, & contemnendam doceo; sectandam vero esse divinam & æternam, quam Deus sanctis inchoat in terra, sed perficiet in cælo, ubi eos omni gloria cumulabit ac beabit. Ita Theophyl.

VERS. 44

Rursum q. d. Vos vultis coli a populo, quasi sapientes, summique legis doctores, ac religiosissimi ejus observatores: quare non vultis mihi subjici, meique fieri discipuli. Ambitio ergo est, quæ vos excæcat, & in infidelitate vestra obdurat.

D NOLITE PUTARE, QUIA (quod) EGO ACCUSATURUS SIM VOS APUD PATREM: EST QUI ACCUSAT VOS MOYSES, IN QUO VOS SPERATIS] Audi Cyrill. *Non opus est alio accusatore, sed etiam ceteris omnibus silentibus. solam Moysis legem ad condemnationem non credentium in se Judæorum sufficere asserit*. Mosen nominat, quia Judæi totam suam fidem & spem in Moyse locabant. Unde dicebant: *Nos Moysis discipuli sumus: nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit*. Joan. 9. 28. Quare Christus *sagaciter hoc in ipsorum caput retorquet*, ait Euthym. Unde sequitur.

VERS. 45

VERS. 46

SI ENIM CREDERETIS MOYSI, CREDERETIS FORSITAN ET MIHI: DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT] *Forsitan*: sic Interpres noster vertere solet Græcum ἴσως, id est *utique*; quod proinde confirmantis est, non dubitantis. q.d. Si Mosi credideretis, utique mihi quoque credideretis. Quare veteres nonnulli non legunt τὸ *forsitan*. Vide dicta Matth. 11. 23.

DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT] tum in Levitico, totoque Pentateucho: nam omnes ejus ceremoniæ & historiæ fere me præfigurarunt. Ita S. Chrys. & Cyrillus, tum clare & diserte de me scripsit Deuter. 18. v. 15. & 18. dicens: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore ejus*, &c. *qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*. Rursum scripsit de Christo Moses Gen. 49. 10. ubi & tempus venturi Messiæ ex oraculo Jacobi assignat, dicens: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*. Jam autem a Juda sceptrum defecerat, translatumque erat ad Herodem: ergo jam erat tempus adventus Messiæ.

E

VERS. 47

SI AUTEM ILLIUS LITTERIS NON CREDITIS: QUOMODO VERBIS MEIS CREDETIS?] Est argumentum ad hominem: Judæi enim Mosen præferebant Christo: quare recte contra eos argumentatur: *Si vos Moysis*, quem vos summi facitis, litteris, quas de me scripsit, non creditis, multo minus meis verbis credetis. Frustra ergo tot testimonia profero, cum vos in mei odio & rebellione obfirmatos obstinatosque videam. Sermonem ergo finio, taceo, & abeo.

CAPUT VI.

F

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus quinque panibus & duobus piscibus pascit quinque hominum millia. Secundo. v. 17. ambulat super mare. Tertio, v. 27. disputat de cibo animæ spirituali. Quarto, v. 55. agit de pane Eucharistiæ.

VERS. 1.

POst hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis:

2. & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

3. Subiit ergo in montem Jesus: & ibi sedebat cum discipulis suis.

4. Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.

5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, G dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?

10. Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11. Accepit ergo Jesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter H & ex piscibus quantum volebant.

12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverūt fragmenta, ne pereant.

13. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeacis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant.

14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.

15. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.

17. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos Jesus.

18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

Digitized by Google

A LE, HUIC VOS NON CREDITIS] Connexio, & conſequenter argumentatio, horum verborum eſt obſcura, quam proinde varii varie elucidant.

Primo, plane & genuine ſic exponas, ut ſit occupatio, & conceſſio, q. d. Vos, o Scribæ, mihi alleganti teſtimonium Dei Patris de me, objicietis vos illud non audiſſe, eo quod vocem Dei propriam & naturalem non audiveritis, nec ſpeciem & faciem ejus videritis, ſicut vidis Moſes, legem a Deo accipiens in Sina, Exod. 19. cui proinde vos credere aſſeritis. Reſpondeo: Concedo id quod dicitis, ſed addo, quod nemo, ne Moſes quidem, nec majores veſtri legem a Deo accipientes in Sina, audierunt propriã Dei vocem, nec ejus ſpeciem & faciem viderant, ſed tantum copioſum ignem, quo tegebatur Deus, viderint, & vocem in aere ab angelo vice Dei formatam audierint. Ego enim ſolus, qui ſum filius Dei naturalis ideoque Deo intimus, vocem ejus propriam audivi, & ſpeciem, ſive faciem ejus divinam vidi, & video aſſidue; ſed tamen vos urgeo & convinco, quod verbum Dei mihi atteſtantis audiſtis, cum in baptiſmo meo Deus Pater publico ſono edixit: B *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. 17. Rurſum quod verbum Dei de me audiſtis in S. Scripturis, puta in Moſe & Prophetis, qui me eſſe Meſſiã & Deum atteſtantur. Verum vos, licet hoc Dei de me Verbum & teſtimonium audiveritis, illud tamen non habetis in vobis manens, quia illud non penetratis mente, non capitis, non intelligitis, non comprehenditis, non creditis, eo quod in me velut a Deo Patre miſſum, credere nolitis, qua in re graviter erratis & peccatis. Si enim verbum angeli, vice Dei cum Moſe, quaſi ſervo ſuo loquentis, audiſtis, illiq; creditis: multo magis verbum Dei mihi atteſtantis, quod ſim ejus Filius, audire, illique credere deberetis; præſertim cum Moſes mihi teſtimoniũ perhibeat, meque a vobis audiri jubeat, ut ſequitur. Ita Euthym. *Cum ſermo*, ait, *qui per legem datus eſt ac Prophetas, clamet quod Pater Filium ſuum miſſurus ſit ad ſalutem veſtram, & quod vos illi credere oporteat, vos huic quem ille miſit, non credentes, non auſcultatis prædicto ejus ſermoni, ac proinde nec habetis in vobis manentem*. Hic ſenſus videtur clarus, planus & genuinus.

Secundo, tamen S. Hilarius libr. 9. de Trinit. totum hunc locum ſic nectit & explicat. q. d. Propterea vocem ejus non audiſtis, nec ſpeciem vidiſtis, nec verbum ejus manet in vobis, quia mihi non creditis: C quaſi dictum ſit: Si credideretis, vocem Patris audiretis, & ſpeciem videretis, qui enim videt me, videt & Patrem: ſimiliter qui audit me, audit & Patrem, & Verbum Patris in eo manet.

Tertio, S. Cyrill. & Chryſoſt. cenſent hæc dici a Chriſto ad confundendos Judæos, jactantes quod Deum audiſſent & vidiſſent in Sina decalogum promulgantem. q. d. Erratis, & falſo jactatis, o Judæi, vos Deum audiſſe & vidiſſe in Sina: nam Deus purus eſt ſpiritus, qui nec vocem, nec ſpeciem propriam habet, ſicut habet homo: quare illa vox, quam audiſtis, & ſpecies ignis quem vidiſtis in Sina, non fuit vox, nec ſpecies vera & propria Dei; ſed ſymbolum, & ſignum dumtaxat corporeum, vobis corporatis & rudibus arcanam & inviſibilem deitatem, inſtar umbræ repræſentans.

Quarto, S. Athan. l. 4. contra Arian. per *verbum*, græce λόγον, intelligit Chriſtum Dei Filium, qui eſt Verbum Patris, quem apte jungi cum ſpecie, & forma Dei aſſerit, eo quod ipſe character ſit, & viva D imago Patris; ſenſumque eſſe, q. d. Vos vocem Dei non audiſtis, nec formam vidiſtis, & cum ſupereſſet vobis modus unus, ut in me, qui ſum Verbum Patris, & imago ejus ſubſtantiæ, quemque qui videt, videt & Patrem, credideretis; hunc modum contemnitis, & non creditis mihi, propterea Patris cognitionem non habetis, & divina notitia privati eſtis.

Quinto, Toletus, q. d. Vos, o Judæi, perterriti voce tubali angeli, & igne fulgurante in Sina, petiſtis vocem hanc terribilem amplius non audire, nec ignem horribilem videre, ſed ut Deus vobis per Moſen, quaſi internuncium loqueretur, idque a Deo obtinuiſtis; ſed verbum & pactum ejus, ad quod vos obligaſtis, non ſervatis: acceptaſtis quidem pactum ejus, nempe vos audituros, quem ille miſerit Prophetam de gente veſtra: at verbum & pactum ejus non manet in vobis, quia quod pepigiſtis, implere non vultis: Ecce enim ego ſum, quem ille miſit, & vos non mihi creditis, nec auditis me, ſicut promiſiſtis.

Verum primus ſenſus maxime videtur congruus; E & appoſitus.

SCRUTAMINI SCRIPTURAS, QUIA VOS PUTATIS IN IPSIS VITAM ÆTERNAM HABERE: ET ILLÆ SUNT QUÆ TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME] *Scrutamini*, tam in Græco, quam in Latino, poteſt eſſe modi indicativi, & imperativi, in indicativo modo accipit Cyrillus. q. d. Vos, o Scribæ, aſſidue ſcrutamini & verſatis Scripturas, quæ teſtimonium perhibent de me; ſed vos illud capere, & intelligere non curatis, quia ad me venire non vultis. Melius S. Auguſt. S. Chryſoſt. Theoph. Euthymius, & alii accipiunt in Imperativo. q. d. Veſtigate Scripturas, & in iis invenietis Deum Patrem mihi perhibere teſtimonium. VERS. 39

Porro per τὸ *ſcrutamini*, Chriſtus, ait Chryſ. *Judæos ad Scripturarum, non ſimplicem & nudam lectionem, ſed ad inveſtigationem perquam diligentem relegavit: non enim dixit: Legite Scripturas, ſed ſcrutamini*, id eſt, diligenter quærite, & quaſi effodite latentes in ea de me, rebuſque divinis theſauros, ſicut qui ſcrutantur venas auri & argenti terram effodiunt ut aurum inveniant. *Effodere profundius jubet, ut ea quæ alte in modum theſauri recondita ſunt, poſſint invenire*, ait ex Chryſoſt. Euthym. Sic & Theoph. *Dixerat eis*, ait, *verbum Dei, hoc eſt Scripturæ, quæ de me teſtantur, non ſunt in vobis. Igitur quomodo poterunt habere verbum Dei? inquit, Scrutamini Scripturas*. Sic Scripturas ſcrutabantur ii, quibus prædicabat Paulus Act. 17. 11. ſed ſincere & ſolius veritatis cognoſcendæ ſtudio: quare in Scriptura invenerunt Chriſtum, quem eis prædicabat Paulus. F

QUIA VOS PUTATIS IN IPSIS, (id eſt in earum intelligentia, fide & obſervatione,) VITAM ÆTERNAM HABERE] Si quis enim credat & faciat, quæ jubet Script. vitam æternam aſſequetur. Hinc patet Judæos pleroſque ac nominatim Phariſæos, credidiſſe animæ immortalitatem, aliamque poſt hanc ſupereſſe vitam, in qua probis vita æterna, improbis mors æterna a Deo irroganda ſit. Dico pleroſque: nam Sadducæi hæc omnia negabant, ut patet Actor. 23. v. 8.

ET (id eſt *etenim*. Hebræum enim *vau*, id eſt &, ſæpe eſt cauſale, idemque valet quod *nam, quia, etenim*. Ita Euthym. dat enim cauſam cur dixerit: *Scrutamini Scripturas;* quia ſcilicet) ILLÆ SUNT, QUÆ TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME] ſcilicet multæ ad litteram, plures in ſenſu allegorico & myſtico: quia *finis legis eſt Chriſtus*, Rom. 10. 4. nam, ut ait Petrus: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum*. Actor. 10. 43. Lector ergo ſacræ Scripturæ, ac præſertim interpres, doctor & prædicator, ſcrutetur Scripturas, & in omnibus inveniet Chriſtum vel in veritate apertum, vel ſub umbris, & figuris opertum, celatum & velatum. Vide noſtrum Joſephum Acoſtam lib. de Chriſto revelato, ac S. Cypr. lib. de Teſtimon. contra Judæos. G

ET (tamen) NON VULTIS VENIRE AD ME UT VITAM HABEATIS] q. d. Non vultis mihi adhærere, in me credere, meam doctrinam & legem capeſſere, ut vitam æternam a Script. prædicatam acquiratis. Ad illam enim ego ſolus ſum via, veritas, & vita, Joan. 14. 6. VERS. 40

CLARITATEM (græce, δόξαν, id eſt gloriam) AB HOMINIBUS NON ACCIPIO] Eſt occupatio. q. d. Vos, o Scribæ, ſuſpicamini, & mihi objicitis, quod ego tam magnifica de me prædicem, meamque dignitatem & auctoritatem tam impenſe probare coner ex ſtudio vanæ gloriæ, quod ſcilicet vener auram populi, ab eoque glorificari, magnuſque, imo filius Dei habere cupiam. Reſpondeo, me hæc de me ipſo prædicare, non propter me, ut gloriam hominum aucuper, ſed propter vos, ut ſcilicet vos ſalvem: veſtræ enim ſalutis ſum avidus, illamque ſitio, ſcio enim neminem poſſe ſalvari, & vitam æternam poſſidere, niſi per me, utpote quem Deus conſtituit mundi ſalvatorem. Ita S. Chryſoſt. Cyrill. Leontius & alii, idque patet ex ſequentib. H VERS. 41

SED COGNOVI VOS, QUIA DILECTIONEM DEI NON HABETIS IN VOBIS] q. d. Scio & penetro intima cordis veſtri (ſum enim cardiognoſtes & cordium inſpector, quia Deus) videoque in iis nil eſſe amoris divini, ſed illa plena eſſe ambitione, avaritia, ſuperbia: quæ eſt cauſa cur tam clara teſtimonia, quæ ego pro me profero, accipere, & in me credere nolitis. q. d. Radix veſtræ incredulitatis, & obſtinationis non eſt mea gloriæ ambitio, ſed veſtra veſterque defectus charitatis. Si enim vere Deum VERS. 42

dili-

Digitized by Google

V diligeretis, eique uni placere studeretis, utique me ab eo missum, & tam clare in Script. descriptum agnosceretis: sic & hodie hæreseos causa in multis est vitiatus amor; quia scilicet multi amant libertatem carnis, quam docet hæresis, nec amant Deum, qui eam stringit & vetat.

Aliter hæc cum præcedentibus nectit Cyrillus. q.d. Non hæc magna de me prædicavi propter claritatem, ut scilicet humanam laudem aucuper, sed ut cognoscatis (sicut ego cognosco) dilectionem Dei non esse in vobis, qua privati, quomodo poteritis ad me, qui Filius sum Dei, venire?

Aliter quoque Chrys. & Euthym. q. d. Vos, o Scribæ, me persequimini, non ex zelo Dei, quod Deum, Deique honorem diligatis, sed ex odio & invidia: nam ego tot testimoniis probavi me esse a Deo missum.

Aliter denique Toletus & Maldonatus. q. d. Ego prædico me esse Messiam & Dei Filium, non quod quæram vanam hominum gloriam; sed quia cognovi, id est, cognosco, vos dilectionem Dei, quæ ad vitam æternam ducit, non habere: ut scilicet ad dilectionem hanc per fidem, qua in me credatis, adducam.

B EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI, ET NON ACCIPITIS ME: SI ALIUS VENERIT IN NOMINE SUO, ILLUM ACCIPIETIS] *In nomine Patris*, quasi Filius missus a Deo Patre, ut ejus nomine & auctoritate, atque ad illius unius laudem & gloriam impleam illa, quæ ipse vobis de Messia promisit; nimirum ut per illum Dei notitiam, gratiam, salutem & vitam æternam vobis largiatur; idque tot testimoniis, quæ Pater mihi dedit, vobis clare probavi: & tamen *non accipitis me*, sed ut pseudo prophetam refutatis; quare justo Dei judicio fiet, ut, si alius pseudo propheta ad vos venerit, non missus a Deo, sed *in nomine suo*, id est, sua auctoritate, sua ambitione, sua audacia sese ingerens, fingens, jactansque se esse Messiam, illi ut talem recipiatis. *Alius* ergo hic erit Antichristus, cui credent Judæi, qui Christum respuerunt: juxta illud Pauli 2. Thessal. 2. 10. *Ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Vide ibi dicta. Ita S. Chrysost. Cyrill. August. Beda, Leontius & passim veteres. Rursus *alius* quilibet pseudoprophera, fingens se Christum, ideoque
C Antichristi præcursor, hic accipi potest, qualis fuit paulo post Christum Ægyptius ille, qui triginta hominum millia post se duxit in exitium, de quo Josephus l. 2. Belli c. 12. Item *Ben chosba*, id est, filius mendacii, qui se falso vocabat *Bar chochaba*, id est filium stellæ, sub Adriano Imp, de quo Euseb. l. 4. Histor. c. 6.

VERS. 44 QUOMODO VOS POTESTIS CREDERE, QUI GLORIAM AB INVICEM ACCIPITIS, ET GLORIAM, QUÆ A SOLO DEO EST, NON QUÆRITIS?] q.d. Vos gloriam humanam, brevem & exilem captatis; quare me spernitis, qui gloriã humanam contemno, & contemnendam doceo; sectandam vero esse divinam & æternam, quam Deus sanctis inchoat in terra, sed perficiet in cælo, ubi eos omni gloria cumulabit ac beabit. Ita Theophyl.

Rursum q. d. Vos vultis coli a populo, quasi sapientes, summique legis doctores, ac religiosissimi ejus observatores: quare non vultis mihi subjici, meique fieri discipuli. Ambitio ergo est, quæ vos excæcat, & in infidelitate vestra obdurat.

VERS. 45 D NOLITE PUTARE, QUIA (quod) EGO ACCUSATURUS SIM VOS APUD PATREM: EST QUI ACCUSAT VOS MOYSES, IN QUO VOS SPERATIS] Audi Cyrill. *Non opus est alio accusatore, sed etiam ceteris omnibus silentibus, solam Moysis legem ad condemnationem non credentium in se Judæorum sufficere asserit*. Mosen nominat, quia Judæi totam suam fidem & spem in Moyse locabant. Unde dicebant: *Nos Moysis discipuli sumus: nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit*. Joan. 9. 28. Quare Christus *sagaciter hoc in ipsorum caput retorquet*, ait Euthym. Unde sequitur.

VERS. 46 SI ENIM CREDERETIS MOYSI, CREDERETIS FORSITAN ET MIHI: DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT] *Forsitan*: sic Interpres noster vertere solet Græcum ὅτι, id est *utique*; quod proinde confirmantis est, non dubitantis. q.d. Si Mosi crederetis, utique mihi quoque crederetis. Quare veteres nonnulli non legunt τὸ *forsitan*. Vide dicta Matth. 11. 23.

DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT] tum in Levitico, totoque Pentateucho: nam omnes ejus ceremoniæ & historiæ fere me præfigurarunt. Ita S. Chrys. & Cyrillus, tum clare & diserte de me scripsit Deuter. 18. v. 15. & 18. dicens: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore ejus*, &c. *qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*. Rursum scripsit de Christo Moses Gen. 49. 10. ubi & tempus venturi Messiæ ex oraculo Jacobi assignat, dicens: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*. Jam autem a Juda sceptrum defecerat, translatumque erat ad Herodem: ergo jam erat tempus adventus Messiæ. E

SI AUTEM ILLIUS LITTERIS NON CREDITIS: QUOMODO VERBIS MEIS CREDETIS?] Est argumentum ad hominem: Judæi enim Mosen præferebant Christo: quare recte contra eos argumentatur: *Si vos Moysis, quem vos summi facitis, litteris, quas de me scripsit, non creditis, multo minus meis verbis credetis*. Frustra ergo tot testimonia profero, cum vos in mei odio & rebellione obstirmatos obstinatosque videam. Sermonem ergo finio, taceo, & abeo. VERS. 47

CAPUT VI. F

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus quinque panibus & duobus piscibus pascit quinque hominum millia. Secundo. v. 17. ambulat super mare. Tertio, v. 27. disputat de cibo animæ spirituli. Quarto, v. 55. agit de pane Eucharistiæ.

POst hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: VERS. 1.

2. & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

3. Subiit ergo in montem Jesus: & ibi sedebat cum discipulis suis.

4. Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.

5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, G dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?

10. Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11. Accepit ergo Jesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter H & ex piscibus quantum volebant.

12. Ut autem impleti sunt, dixit discipiis suis: Colligite quæ superaverũt fragmenta, ne pereant.

13. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeacis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant.

14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.

15. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & faccerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.

17. Et cum ascendisset navim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos Jesus.

18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

19. Cum

Digitized by Google

A 19. Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque aut triginta, vident Jeſum ambulantem ſupra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt.

20. Ille autem dicit eis: Ego ſum, nolite timere.

21. Voluerunt ergo accipere eum in navim: & ſtatim navis fuit ad terram, in quam ibant.

22. Altera die, turba, quæ ſtabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi niſi una, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Jeſus in navim, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent:

23. aliæ vero ſupervenerunt naves a Tiberiade juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agentes Domino.

24. Cum ergo vidiſſet turba quia Jeſus non eſſet ibi, neque diſcipuli ejus, aſcenderunt in
B navicvlas, & venerunt Capharnaum quærentes Jeſum,

25. Et cum inveniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti?

26. Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.

27. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignavit Deus.

28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?

29. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.

30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris?

C 31. Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare.

32. Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.

33. Panis enim Dei eſt, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.

34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc.

35. Dixit autem eis Jeſus: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet umquam.

36. Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis.

37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras:

D 38. quia deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.

39. Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.

40. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi,

42. & dicebant: Nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo deſcendi?

43. Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem.

44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. E

45. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.

46. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo, hic vidit Patrem.

47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam.

48. Ego ſum panis vitæ.

49. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt.

50. Hic eſt panis de cælo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.

51. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.

52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? I

54. Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

56. Caro enim mea, vere eſt cibus: & ſanguis meus, vere eſt potus.

57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

58. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.

59. Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. G

60. Hæc dicit in ſynagoga docens, in Capharnaum.

61. Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

62. Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?

63. Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?

64. Spiritus eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

65. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.

66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia H nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo.

67. Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant.

68. Dixit ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?

69. Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

70. Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.

71. Reſpondit eis Jeſus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt?

72. Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cum eſſet unus ex duodecim.

POST HÆC ABIIT JESUS TRANS MARE GALILÆÆ, QUOD EST TIBERIADIS] q. d. Mare hoc nunc vocatur *Galilææ*, quia illi erat conterminũ; nunc *Tiberiadis*, quia illi adjacebat civitas dicta Tiberias a Tiberio Cæſare, Vers. 1.

in

A in cujus gratiam fuit condita ab Herode Tetrarcha, teste Josepho lib. 18. Antiq. c. 3. Nominat Tiberiadem, quia juxta eam erat desertum, in quo Christus quinque panibus pavit 5000. uti ostendi Matth. 14. 13.

POST HÆC] non statim, sed post unum fere annum. Curatio enim paralytici, indeque consequens disputatio Christi cum Judæis, de qua paulo ante c. 5. egit Joannes, contigit initio anni 2. prædicationis Christi; hæc vero, quæ hic narrat, contigerunt in fine ejusdem anni. *Id patet ex eo, quod Christus paralyticum curarit in Paschate, ut patet c. 5. v. 1. hæc autem gessit instante Paschate sequentis anni, ut patet hic v. 4.* Omittit ergo Joannes hic ea, quæ gessit Christus toto anno 2. prædicationis suæ, scilicet creationem duodecim Apostolorum, sermonem Christi in monte, quem recensent Matth. c. 5. 6. & 7. missionem Apostolorum ad prædicandum, multaque alia, quæ recensui in chronotaxi a num. 20. usque ad 29. Omittit autem idcirco, quod illa plene & fuse narrata sint ab aliis Evangelistis. Hic vero inserit narrationem multiplicationis panum factæ a Christo, etiamsi ab alii Evangelistis recensitæ, eo quod illa fuerit occasio sermonis Christi de cibo spirituali, & cibo Eucharistiæ, quam fuse hic subjungit Joannes, eo quod ab aliis Evangelistis sit prætermissa.

B

VERS. 2. ET SEQUEBATUR EUM, (navi euntem,) MULTITUDO MAGNA] pedestri itinere flexuoso circumeundo mare Galilææ, ut ait Matth. c. 14. 13.

VERS. 5. DIXIT AD PHILIPPUM: UNDE EMEMUS PANES, UT MANDUCENT HI?] Nota. Hic fuit ordo rei gestæ; Christus videns e monte turbam se sequentem & quærentem, ex monte ad illam descendit, illamque benigne excepit, docuit, & ægros in illa sanavit usque ad vesperam, qua imminente *discipuli* monuerunt Christum, ut turbam dimitteret, ac corpus cibo reficeret: Christus vero jussit, ut ipsi prius turbam famelicam pascerent. Negant ipsi sibi id esse possibile, eo quod ducentorum denariorum panes tantæ turbæ non sufficerent: mox Christus rem proponit Philippo, forte quia is magis sollicitus, præ aliis urgebat Christum, ut dimissa turba cœnaret; Philippus idem respondit, quod cæteri, ducentorum denariorum panes non sufficere. Jam cætera usque ad vers. 27. prosequitur Matth. caq. 14. vers. 13. & seq. ubi illa explicui.

Miraculum quinque panum & duorum piscium.

C

VERS. 11 ACCEPIT ERGO JESUS PANES: ET CUM GRATIAS EGISSET, (Deo Patri, *suspiciens in cælum*, implorando Dei opem ad multiplicandos panes, ipsis benedixit, ut habent alii Evangelistæ, & Syrus hic,) DISTRIBUIT DISCUMBENTIBUS, (inter distribuendum panes miraculose multiplicans:) SIMILITER (autem) ET EX PISCIBUS, QUANTUM VOLEBANT] pari modo ex miraculo eos sensim multiplicans. Christum hac in re imitati sunt S. Dominicus & S. Franciscus: cum enim in Capitulo generali Ordinis Minorum nihil esset edulii, pleni fide dixerunt: *Eamus, & omnipotentem deprecemur Deum, qui 5000. hominum præter mulieres & pueros in deserto satiavit: neque enim nunc minoris est potentiæ aut misericordiæ, ut de ejus desperemus bonitate.* Perstiterunt ita in oratione, donec de divina eis constitit voluntate. Hora igitur prandii, jussit S. Franciscus fratres in refectorio discumbere. Quod dum faciunt, viderunt ingredi in triclinium viginti adolescentes egregios, succinctos & expeditos ad serviendum, qui & ministrarunt panem, vinum, & omne genus obsonii necessarium recumbentibus numero quingentis. Finito vero prandio, inclinato capite, & salutatis Fratribus, bini suo ordine exierunt e refectorio, admirantibus Fratribus, & Deum collaudantibus pro tanta in suos cura & providentia. Ita Annales Minorum Lucæ Vvaddingi, anno Christi 1219. num. 11. Idem Romæ fecit S. Dominicus, ad S. Sixtum: cum enim domi nihil esset cibi, jussit Fratres mensæ accumbere, illique benedixit: & ecce ingressi duo angeli, specie elegantium juvenum, singulis fratribus (erant enim centum) singulos candidissimos panes apposuerunt, unus a dextris, alter a sinistris, & submissis capitibus disparuerunt. Ita habet Vita S. Dominici l. 3. c. 4. Romæ locum hunc visitavi, & veneratus sum, ibique totam rem depictam conspexi.

Provident Deus cibos multis S. Francisci fratribus congregatis per 20. angelos.

D

&Fratribus S. Dominici.

VERS. 15 UT RAPERENT EUM, ET FACERENT EUM REGEM] Messiam scilicet, quem Judæi putabant sibi daturum copiam frumenti, vini, olei, auri, & argenti, ideoque eum hic regem inaugurare volebant, non tam Christi, quam suo, quod ab eo exspectabant, commodo. Talem Messiam etiamnum exspectant crassi Judæi, qui instar Salomonis eis det copiam frugum & opum terræ.

VERS. 17 ET CUM ASCENDISSET NAVIM, VENERUNT (græce, ἤρχοντο, id est, *veniebant*, hoc est, ut Syrus, *tendebant*, pergebant: nam erant adhuc in mari, ibique tempestatem passi sunt, quam Christus sedavit, ut sequitur) TRANS MARE (Galilææ) IN (id est versus) CAPHARNAUM] quod situm erat in terra Genesar, ut ait Matth. c. 14. 43. Jusserat Christus ut irent Bethsaidam, teste Marco c. 6. 54. sed cum paulo post ipsi, absente Christo, tempestate maris & vento jactarentur, ultra Bethsaidam, versus Capharnaum, ibique Christus ambulans super mare, illudque sedans eis occurreret: hinc præterita jam Bethsaida, mutato consilio pertexerunt Capharnaum, ubi erat domus & sedes Christi prædicantis: inde rursum postea profecti sunt Bethsaidam, ubi Christus cæcum curavit, ut habet Marcus c. 8. 22.

E

VERS. 19 CUM REMIGASSENT ERGO QUASI STADIA VIGINTI QUINQUE AUT TRIGINTA] id est, milliaria Italica fere quatuor, nam stadium est octava pars milliaris.

VERS. 21 VOLUERUNT ERGO (cupiverunt & invitarunt jam agnitum; quem paulo ante putantes esse spectrum, horrebant & aversabantur) ACCIPERE EUM IN NAVIM (& de facto acceperunt, ut ait Marcus c. 6. 51.) ET STATIM (Christi præsentis ope & virtute) NAVIS FUIT AD TERRAM, IN QUAM IBANT.] Nonnus, *Divina agitatione*, ait, *navis sponte sua appellebat ad longinquum portum, velut ipsa mens alata*, ipsa ad terram Genesar, ut habet Matth. c. 14. 34. sive Genesareth, ut habet Marcus c. 6. 53. quæ prius Cenereth, sive Ceneroth dicebatur ab urbe ita dicta, quæ vicina erat Capharnao, a quo totum mare Galilææ vicinum dictum est stagnum Cenereth, sive Genesareth. Porro in terra hac Genesareth sita erat urbs Capharnaum, ad quam navigasse & appulisse Jesum cum discipulis, diserte testatur Joan. c. 6. v. 17. & 24. c. 25. Ibi enim habuit prolixam illam de pane cælesti & Eucharistia disputationem, quam fuse recenset Joan. c. 6. nam ibidem v. 60. diserte ait: *Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum.* Si quis tamen malit Jesum præcise in terram, id est, in urbem Cenereth, navigando appulisse, & inde pedibus iisse ad vicinam urbem Capharnaum, non repugnabo.

F

Nota & *statim*: inde enim sequitur, Christum effeciisse, ut navis hæc quasi in momento, involarit in portum urbis Capharnaum; ideoque in momento quasi confecit octo vel novem passuum millia, quæ conficiunt totidem milliaria Italica: nam tantum distabat Bethsaida a Capharnao. Jam enim discipuli navigantes e loco, ubi Christus paverat 5000. (qui erat medius inter Bethsaidam & Tiberiadem) per 25. vel 30. stadia, uti dixi v. 19. id est, per quatuor fere milliaria Italica, versabantur circa, vel paulo ultra Bethsaidam, cum Christus ambulans super mare occurrens, navimque ingressus, effecit ut navis ex eo loco volans, quasi in momento perveniret ad portum Capharnai. Ergo effecit, ut navis octo vel novem milliaria, quasi in momento conficeret. Hinc disce omnes tuas actiones cum Christo, imo duce Christo peragere: cum illo enim magna efficies, sine illo nihil. Sic Petrus tota nocte sine Christo laborans, nullos pisces cepit; ipso autem præsente & jubente laxans retia, cepit ingentem piscium copiam, Joan. 21. 3. & sequ. Et iterum Lucæ 5. 5. Igitur, ut ait Nazianz. in Carm.

G

Felix, qui Christum fortunis omnibus emit.

VERS. 22 ALTERA DIE, TURBA, QUÆ STABAT TRAS MARE, VIDIT, QUIA NAVICULA ALIA NON ERAT IBI, NISI UNA, ET QUIA NON INTROISSET CUM DISCIPULIS SUIS JESUS IN NAVIM, SED SOLI DISCIPULI EJUS ABIISSENT) *Trans mare* intellige respectu discipulorum, qui jam in aliud maris littus navigarant: q. d. Postridie ejus diei, quo Christus panibus quinque paverat 5000. turba quæ ab eo pasta fuerat trans mare, hoc est in loco pridiani pastus & convivii persistens, cum sciret unam tantum ibi fuisse naviculam, quam soli Christi discipuli conscenderant, relicto in terra Jesu; subaudi, requisivit ibidem eumdem Jesum: non enim sciebat ipsum nocte supra mare ambulantem, ingressum navim appulisse Capharnaum. Sciebat enim ipsum terra non potuisse hoc iter conficere, quin a turba ipse videretur & teneretur.

H

VERS. 23 ALIÆ VERO SUPERVENERUNT NAVES A TIBERIADE JUXTA LOCUM, UBI MANDUCAVERANT PANEM, GRATIAS AGENTE DOMINO] Syrus, *cum benedixisset Jesus*, & benedictione sua panes multiplicasset. Hinc patet locu, in quo Christus panes multiplicavit, fuisse juxta Tiberiadem, adeoque prætervigandum fuisse iis, qui Tiberiade navigarent Bethsaidam & Capharnaum, ut patet ex v. 24.

Digitized by Google

A Sensus est, q.d. Sparso hoc Christi multiplicationis panum miraculo, multi tum aliunde, tum ex vicina Tiberiade, navibus venerunt ad locum, in quo Christus panes multiplicarat, ut Jesum tanta patrantem viderent & audirent.

VERS. 25. ET CUM INVENISSENT EUM TRANS MARE, DIXERUNT EI: RABBI, QUANDO HUC VENISTI?] *Trans mare*, puta in synagoga urbis Capharnai, ut patet v. 59. *Quando*, & quomodo *huc veniſti*? Scimus enim heſterno die ſolos diſcipulos in deſerto Bethſaidæ navim conſcendiſſe, te vero ibidem in terra remanſiſſe. Neſciebant enim Christum nocte media ſuper mare ambulaſſe.

VERS. 26. RESPONDIT EIS JESUS, ET DIXIT: AMEN, AMEN DICO VOBIS: QUÆRITIS ME, NON QUIA VIDISTIS SIGNA, SED QUIA MANDUCASTIS EX PANIBUS, & SATURATI ESTIS] Christus modeſtiæ cauſa, non reſpondet directe interrogationi illorum, ne cogatur dicere ſe ambulando ſuper mare eo veniſſe: itaque ſe jactare videatur. Reſpondit ergo id, quod magis interrogantium intererat, ſcilicet, ut a ſe requirant cibum animæ potius quam corporis, Ait igitur: Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, & B miracula, per quæ fidem, pœnitentiam, aliaſque virtutes Evangelicas, quibus ad vitam æternam pervenitur, docere & perſuadere laboro, q.d. Quæritis me, non ut a me cibum animæ accipiatis, quo perveniatis ad vitam æternam, *ſed quia manducaſtis ex panibus*, quos miraculoſe multiplicavi, ideoque ſapidiſſimos effeci, ut rurſus vobis ſimiles impertiar. Multi enim ſunt amici ollæ & menſæ, potius quam Christi & ſalutis æternæ: carnales enim non niſi carnalia ſapiunt, quia ſpiritualia non capiunt.

VERS. 27. OPERAMINI NON CIBUM, QUI PERIT, SED QUI PERMANET IN VITAM ÆTERNAM, QUEM FILIUS HOMINIS DABIT VOBIS. HUNC ENIM PATER SIGNAVIT DEUS] *Operamini*, græce, ἐργάζεσθε, id eſt opera, ſtudio & labore veſtro contendite, & ſedulo curate, ut acquiratis cibum, non corporis, qui perit, ſed animæ, qui non perit. Unde Arabicus vertit, *operamini non ob cibum perituram* (ut enim operando lucremini: *Omnis enim labor hominis in ore ejus*, ait Sapiens, ut ſcilicet ori ſuo cibum laborando comparet) *ſed ob cibum* C *permanentem in vitam æternam*. Ergo *operamini toto animo*, inquit Euthymius, *omni cura continue*. *Non præcipit tantum operari cibum animæ, ſed admonuit corporalem cibum obiter curare, animæ voto toto ſtudio*. Similiter Theophylactus: *Oportet vos non omnino deditos eſſe ventri, ſed maxime ſpiritalem agere curam, & non omnem ſollicitudinem in corporalem cibum inſumere*.

Aſſurgit Chriſtus, & turbas traducit a pane corporali, quo paulo ante illas in deſerto paverat, ad panem ſpiritalem multo digniorem, magiſque neceſſarium. q.d. Ego dedi vobis panem bordeaceum illaboratum, id eſt, ſine opere ac labore veſtro: at vos operamini & laborate totis viribus, ut panem ſpiritalem comparetis, qui vos alat, ducatque ad vitam æternam. Simili modo c. 4. ab aqua puteana, Samaritanam traduxit ad aquam ſpiritalem, ut fideles ſuos, præſertim ſacerdotes & Religioſos, doceret idem facere, ut in colloquiis populum a rebus corporalibus ad ſpirituales traducere & evehere ſatagant. Unde ex hac Christi ſententia recte colligit Cyrillus. *Nulla igitur*, inquit, *carnis cura nobis habēda eſt, ſed neceſſariis & æternis invigilandū: non enim differt a beſtiis, qui corporis voluptates conſectatur, ſed qui virtutibus inhærat, & ſpiritali vitā peragit lege; illiſque qui omnino deditus eſt, quæ nobis divinitus conceſſa, iter ad ſuperos præparant, is mihi videtur ſeipſū cognoviſſe, nec ignoraſſe ſe rationale animal ad* D *imaginem creatoris eſſe productū*. Et inferius: *Operemur igitur* (*ut Salvator ait*) *non cum cibum, qui lapſus in ventrem, & brevi nos voluptate afficiens, per alvum tandem emiſſus perit, ſed cibū ſpiritalem, qui corda confirmat, & in vitam æternam perducit, quem largiturum ſe pollicetur.*

Quis eſt cibus permanens in vitam æternam?

Quæres, quis eſt cibus permanens in vitam æternam, quem Chriſtus operando comparari jubet? hæretici dicti Maſſaliani, ſive Euchitæ, id eſt precatores, cenſebant eſſe orationem, q.d. Chriſtus: Nolite operari manibus, quia opus manuum perit, ſed mente ſemper Deum orate, quia oratio eſt cibus ſpiritus, qui permanet in æternum. Hi enim hæretici dicebant non eſſe laborandum manibus, ſed ſemper orandum, uti refert S. Chryſ. Aug. l. de Hæreſ. & alii. Verum hæc eſt hæreſis, quam convellit Paulus 2. Theſſal. 3. 10. *Si quis*, inquit, *non vult operari, nec manducet*. Et 1. Corinth. 4. 14. loquens de ſe: *Laboramus*, inquit, *operantes manibus noſtris*.

Dico ergo cibum hunc permanentem eſſe fidem, charitatem, gratiam, opera bona, ut explicant Judæi verſ. ſequent. item Sacramenta, omniaque illa, quæ nos ducunt ad vitam æternam, ac præſertim Euchariſtiam, de qua v. 54. Ita Janſenius, Maldon. Bellarm. & alii. Senſim enim & gradatim Chriſtus a minoribus & communibus, ad majora & ſingularia, puta ad Euchariſtiam, conſcendit. Unde S. Aug. *Credere in eum*, inquit, *eſt manducare cibum, qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentem & ventrem? crede, & manducaſti*.

Secundo magis apposite, proprie & præciſe, cibus hic ſpiritualis eſt Euchariſtia, uti Chriſtus diſerte explicat v. 54. ipſe enim primo in genere, per modum theſis, cibum hunc vocat cæleſtem & permanentem in vitam æternam: mox v. 35. a theſi deſcendit ad hypotheſin, ac cibum hunc determinat, aſſeritque ſe eſſe hunc cibum; *Ego*, inquit, *ſum panis vitæ*: ac tandem v. 54. & ſequenti clare rem totam aperit, dicitque ſuam carnem & ſanguinem in Euchariſtia, eſſe hunc panem & cibum: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, inquit, *& biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et v. 56. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Poſt ſeſquiannum enim, paulo ante mortem inſtituturus erat Sacramentum Euchariſtiæ, in eoque carnem & ſanguinem ſuum nobis F daturus in cibum & potum ſpiritalem animæ, intermediis autem hic ſententiis crebro hortatur ad fidem, quia hæc ſumme in Euchariſtia eſt neceſſaria.

Senſus ergo eſt, q. d. Operamini opera fidei, credite in me, meiſque dictis fidem adhibete, ita quæretis & reipſa acquiretis cibum Euchariſtiæ, qui animam veſtram non tantum alet, ſed & ducet ad vitam æternam: Chriſtus enim diſtinguit opus fidei a cibo Euchariſtiæ, qui opere fidei parandus eſt, ſicut diſtinguitur medium a fine, ad quem ducit. Unde mox Judæis opus, quo quaſi modo & medio cibum hunc acquirent, poſcentibus, Chriſtus, v. 29. reſpondet: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*. Ita Theoph. *Cibum manentem*, inquit, *myſticam dicit ſumptionem carnis Domini*. Et Rupertus: *Qui permanet in vitam æternam, id eſt, qui in hac mortali vita manducatus, ad hoc valet, ad hoc proficit, ut vitam det mundo æternā*. Sic & Toletus, Franc. Lucas & alii.

HUNC ENIM PATER SIGNAVIT DEUS] Græce, ἐσφράγισεν, G q. d. Pater cæleſtis, qui eſt ille magnus, ſummuſque Deus, *ſignavit*: græce, ἐσφράγισε, id eſt, *ſigillavit*. Jam ſignatio vel ſigillatio hæc Chriſti eſt triplex, quarum prima pariet ſecundam, ſecunda tertiam: prima eſt divinitatis Chriſti, ſecunda & tertia humanitatis ejuſdem. Primo ergo, Cyrillus lib. 3. c. 29. ſic explicat: *Signari*, inquit, *prægungi poſſis*, (*ſignabatur enim qui ungebatur*) *aut naturaliter ad formam Patris* (*ut ita dicam*) *ſe eſſe formatum, ſignationis nomine denotavit*; *ut dicere videretur: Non eſt mihi difficile permanentem cibum vobis largiri; quo ad æterna vitæ inaudītas delicias deducemini*. Filius enim eſt character hypoſtaſeos Dei Patris: character autem, quo ſignatus eſt a Patre, non eſt aliud, niſi ipſa forma & ſubſtantia deitatis. Hæc Cyrill. quin & Paulus Heb. 13. *Qui*, inquit, *cum ſit ſplendor gloriæ, & figura* (græce χαρακτὴρ) *ſubſtantiæ ejus*. Unde S. Greg. Nazianz. orat. 42. Filio hæc dat elogia: *Ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expreſſio* (id eſt ſimilitudo, ſignaculum, ac velut expreſſa effigies Dei, ait ibidem Nicetas) *illud immotum ſigillum* (id eſt, quod non alteratur, nec ad aliam formam commutatur, ut explicat Nicetas) *illa per omnia ſimilis imago, illa Patris terminus & ratio*; græce ὅρος καὶ λόγος quæ duo pro eodem accipit Nicetas. q. d. Filius eſt Dei Patris ſermo, puta definitio, demonſtratio; ſicut enim definitio demonſtrat id, quod definitur, ſic Filius demonſtrat, & quaſi definit Patrem. Hæc Nicetas. H

Signatio Chriſti triplex.

Prima.

Secundo, S. Hilarius l. 8. de Trinit. magis proprie & apposite: Pater, inquit, ſignavit Filiū, non in divinitate, cōmunicando illi ſuam deitatē, ſed in humanitate, cum eam univit Verbo, eique communicavit Verbi divinitatem. Nā ſigillū, inquit, ſolet imprimi in materia diverſa, quæ ſigillata dicitur; ſic humanitas ſigillata eſt divinitate Filii. Sic & S. Aug. & ex eo Toletus: Quia, inquit, Filius, qui eſt imago & character Patris, eſt humanitati unitus, propterea humanitas dicitur habere ſigillum & characterem Patris.

Secunda.

Tertio, S. Chryſ. & alii multi: Pater, inquit, Filium ſignavit, id eſt voce e cælo delapſa in baptiſmo: *Hic eſt Filius meus dilectus*, oſtendit, demonſtravit, manifeſtavit, ac miraculis ſuis, velut ſigillis, ipſum Filium ſuum eſſe, & Meſſiam promiſſum confirmavit, qui congruentem cibum imperire valeat omnibus avidis vitæ æternæ. Eodemque reci-

Tertia.

Digitized by Google

A recidit, si *signavit* interpreteris, auctoritatem dedit, quia solemus impresso sigillo, fidem & auctoritatem litteris conciliare.

Hic sensus facilior est & planior, sed secundus solidior & sublimior. Verum tertius hic sequitur ex secundo, eumque complet & perficit. Pater enim per suam vocem & miracula, quasi sigilla sua, hominibus testatus est, se humanitatem Jesu signasse divinitate Verbi, illique impressisse formam divinitatis suæ, hoc est, testatus est hunc hominem, puta Jesum vere esse Deum, Deique Filium, ut illi auctoritatem docendi, leges ferendi, & Ecclesiam novam instituendi daret, & apud homines conciliaret. Unde Glossa, *Signavit*, inquit, *hoc est proprio signo a ceteris discrevit*.

VERS. 28 DIXERUNT ERGO AD EUM: QUID FACIEMUS, UT OPEREMUR OPERA DEI?] Cyrillus opinatur Judæos id rogare ex arrogantia, quasi stomachantes in Christum, quod eos velut animæ suæ incurios reprehendisset. q. d. Tu nos reprehendis, quasi panes tuos corporeos sectemur, cibum vero animæ negligamus. Dic ergo nobis, quæ nova Dei opera affers, quibus Deo placeamus, & animas nostras pascamus, præter illa, quæ nobis dedit Moses, & in Pentateucho conscripsit?

Quo animo id rogaverint Judæi.

B

S. Chrysost. vero censet Judæos hæc ex gula dixisse, eo quod panibus Christi, quibus pasti erant, rursus inhiarent: rogare ergo quæ sint opera Dei, quibus Christus velit ut animas suas pascant, non quod intendant illa facere, sed ut Christi sibi benevolentiam concilient, itaque eum ad panum prorogationem invitent.

Melius S. Aug. tr. 27. & alii sentiunt, Judæos idipsum animo sincero opera hæc operandi dixisse. Multi enim inter eos doctrina Christi excitati, & miraculo hoc panum stimulati, erant salutis suæ cupidi: rogant ergo Christum, quæ opera peragere debeat, quibus cibum illum permanentem, qui animas alat, & ad vitam æternam ducat, a Deo obtineant. Unde Jesus sincere rogantibus, sincere respondet, docetque quænam sint opera Dei, non id facturus, si ficte & simulate rogassent.

Opera Dei igitur vocant, non tantum illa, quæ grata sunt Deo, nec illa, quæ sint cibus animæ, illam alens in vitam æternam, ut vult Leontius: quia ex lege Mosis sciebant, quænam opera essent grata Deo & ab eo præcepta, sed

C

opera Dei intelligunt illa, quæ proprie Deus per Jesum, quem significavit v. 27. destinavit, sanxitque, ut per ea consequamur cibum hunc spiritalem a Jesu prædicatū, qui nos alat, ducatque ad vitā æternam. Cum enim audissent cibum hunc esse vitæ æternæ, & Deum signasse Christum, ut cibum hunc daret, *recte opera Dei* appellant ea, quæ necesse erat operari, ut cibum hunc assequerentur. Quænam ergo illa sint, quærunt a Jesu, non dubitantes ipsum, qui tam potens & liberalis fuerat in corporibus eorum pane alendis, æque imo magis potentem & liberalem fore, in cibo animæ edocendo & suggerendo. Ita Toletus.

VERS. 29 RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EIS, HOC EST OPUS DEI, UT CREDATIS IN EUM, QUEM MISIT ILLE] id est, in me, qui tot argumentis & miraculis probavi me esse Messiam a Deo missum: nam modestiæ causa de se loquitur in tertia persona. q. d. Opus, quo cibum animam alentem in vitam æternam a Deo impetrabitis, est ut credatis in me. Ego enim in me credentibus hunc cibum confero: quia ego ipse sum hic cibus, ut ait ipse v. 35.

D

UT CREDATIS] & credendo mihi obediatis, meamq; legem & doctrinam observetis, & opere impleatis. Sub fide ergo, quasi sub radice, Christus & Paulus omnia opera charitatis, pœnitentiæ, temperantiæ, cæterarumque virtutū, quæ fides excitat & generat, intelligit; uti fuse ostendi canone 2. & 3. in S. Paulum. Unde Theoph. *Fides*, inquit, *profecto est opus sanctum & perfectum, & sanctificans illos, qui illam habent. Dux enim fit diligens fides ad omnem bonam operationem, & bona operatio conservat fidem. Nā & opera sine fide mortua sunt, & fides sine operibus*.

VERS. 30 DIXERUNT ERGO EI: QUOD ERGO TU FACIS SIGNUM, UT VIDEAMUS ET CREDAMUS TIBI?] *Dixerunt*: qui in turba erant audaciores, Jesū minus cognoscentes & æstimantes. Jam viderant signū multiplicationis panum, quibus Christus pridie paverat quinque millia hominū; sed illud parvi æstimant ac majus & mirabilius flagitant. q. d. Tu, o Jesu, rem magnā, imo sūmam, a nobis flagitas, ut scilicet in te, quasi in Messiam & Dei filiū credamus: ad hoc non sufficit miraculum multiplicationis panum a te heri factum: nam Moses simile, imo majus fecit; ergo ede signū cæleste & divinum ac condignum, quo Deus testetur te esse Filiū suum, & nostrum Messiam. Unde explicantes subdunt.

PATRES NOSTRI MANDUCAVERUNT MANNA IN DESERTO, SICUT SCRIPTUM EST (psal. 77. v. 24.) PANEM DE CÆLO DEDIT EIS MANDUCARE] q. d. Moses aluit patres nostros in deserto (puta sexcenta & plura hominum millia) cibo cælesti & suavissimo, scilicet manna, idque *quotidie* per quadraginta annos, quod longe majus est tua hesterna panum multiplicatione: nec tamen Moses idcirco voluit haberi, credique Messias & Dei filius. Cum ergo, o Jesu, talis haberi velis, necesse est ut majora Mose edas miracula. Ita S. Augustinus & Cyrillus, qui & addit: *Tale etiam a Christo flagitant signum, parumque putantes, quod uno die miraculose nutriti sunt, longi temporis otiosa petunt alimēta. Sic enim assensuros se doctrinæ illius polliceri videntur*. q. d. Ale nos per omnem vitam, sicut aluisti heri, uti Moses aluit patres nostros per quadraginta annos: & tunc nos credemus tibi asserenti te esse Messiam Dei Filium. Ita Judæi, utpote animales & carnales; cum potius secundum rationem & spiritum sic ratiocinari debuissent. Jesus hic multiplicavit panes, ægros quoslibet curat, demones ejicit, mortuos suscitat, pluraque edit signa, quæ non fecit Moses, idque hoc fine & scopo, ut iis quasi Dei signaculis, probet se esse Messiam a Deo missum: ergo *vere ipse* est Messias. Miraculum enim etiam unicum, certum est testimonium illius rei & veritatis, ad quam probandam inducitur. Moses autem dans manna, aliaque signa edens, illa non fecit hoc fine, ut iis probaret se esse Messiam; sed tantum populi ducem & legislatorem a Deo missum: unde ei credidit populus, talemque ipsum habuit. Vos ergo similiter mihi, ait Jesus, credite, meque talem, qualem me esse per miracula demonstro, habetote, scilicet Messiam.

E

VERS. 31

F

PANEM DE CÆLO] Id est cæleste, in cælo, id est in aere, ab angelis formatum, indeque in castra Hebræorum depluentem, vel potius ningentem aut grandinantem: manna enim istar granorum grandinis ex aere descendebat. Hebr. psal. 77. 24, est עבור דגן *degan scamaim*, id est, *triticum cælorum*, id est, cæleste. Vide dicta Exodi 16. 14. ubi fuse egi de manna.

DIXIT ERGO EIS JESUS: AMEN, AMEN DICO VOBIS: NON MOYSES DEDIT VOBIS PANEM DE CÆLO: SED PATER MEUS DAT VOBIS PANEM DE CÆLO VERUM] Christus hic retundit cavillum Judæorum, eisque ostendit se majorem esse Mose, majoremque panem dare, quam fecerit Moses dando manna. Opponit ergo & præponit panem suum, id est seipsum, sive corpus suum in Eucharistia, ut ipse explicat v. 35. 31. 54. & seqq. mannæ Mosaico in tribus. Primum est, quod manna dederit Moses, qui erat merus homo, idque soli Israeli, puta solis Judæis in deserto: at panem suum dat Deus Pater, idque toti mundo.

VERS. 32

G

Eucharistia præcellit manna.

Primo.

Secundū, quod manna non erat vere panis de cęlo, sed ex aere tantum, ut ros, vel grando descendens; dici tamen panē cęli abusive, sicut dicuntur *volucres cæli*, qui in cęlo, id est in aere, volitant: at panis suus proprie e summo cęlorum, imo a sinu Dei Patris descendat, ac proinde solus sit vere cælestis & divinus, cujus proinde manna dumtaxat erat typus & umbra. Ita S. Chrysost. Theoph. Euthym.

Secundo.

Tertium inde consequens est, quod manna ad tempus dumtaxat aluit corpus: at panis Christi & corpus animam alat & vivificet in æternum. Ita Chrysost. Leont. Cyrill.

Tertio.

H

Esto enim mortem temporalem Christus & Eucharistia a Christianis devote communicantibus non auferat; facit tamen, ut ipsi a morte resurgant, & deinceps non moriantur in æternum. Resurrectio enim est effectus Eucharistiæ, uti patebit v. 50.

Quartum addit Cyrillus lib. 3. cap. 33. quod Moses non formarit, nec dederit manna, sed Deus per angelos, ad preces Mosis: at panem hunc Eucharistiæ formet & reipsa det ipse Christus: ipse enim sua omnipotentia, quam a Patre cum essentia divina accepit, panem & vinum in corpus & sanguinem suum transsubstantiat, transelementat & transformat.

Quarto.

PANEM DE CÆLO VERUM] Hoc est Primo, vere cælestem & divinum, non tantum quoad locum, quod scilicet ex cælo descendat, sed etiam quoad naturam & substantiam. Panis enim hic est ipse Christus, qui qua Deus, essentiam habet celestem & divinam, scilicet eamdem cum Patre deitatem. Secundo, *verum*, ait Cyrillus, Chrysostomus & Augustinus respectu manna: hoc enim Eucharistiæ erat figura dumtaxat. In Eucharistia ergo est veritas, in manna umbra veritatis. Tertio, *verum*, quia vivificum, qui scilicet dat vitam, tum animæ, tum corpori, ut ait Christus vers. seq. ita Cyril. & Aug. Quarto, *verum*,

Eucharistia est panis verus. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Digitized by Google

A id est perfectum, eximium, in quo est omnis plenitudo, tam essendi quam alendi, quia omnis essentia creata, uti erat manna, si cum essentia increata, puta cum Deo, qualis est Christus in Eucharistia, conferatur, non habet esse verum, sed tantum umbraticum. In solo ergo Deo & Christo est veritas, id est soliditas & plenitudo essendi, ac instar panis perfectissime alendi. Hoc est, quod Deus ait Moysi: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel; Qui est misit me*, Exodi 3. 14. Vide ibi dicta.

VERS. 33 PANIS ENIM DEI EST, QUI DE CÆLO DESCENDIT, ET DAT VITAM MUNDO] Probat Christus non manna, sed panem suum, id est seipsum esse panem verum, id est vere cælestem & divinum, duobus argumentis. Primo, quia hic solus vere de cælo descendit. Secundo, quia hic solus veram vitam dat mundo, puta vitam beatam & æternam, quæ sola est vera vita. Nota. Hic panis vocatur *Dei*, quia a Deo solo formatus, & quia solius Dei proprius: Deus enim vivit seipso & sua divinitate; & quia panis hic vere est Dei Filius, ipseque Deus.

B DESCENDIT] non in præterito, sed in præsenti. Græcum enim καταβαίνων, est præsentis temporis. το ergo *descendit*, significat continuationem descensus Christi in altare Eucharistiæ usque ad finem mundi. Quoties enim sacerdos consecrat Eucharistiam, toties Christus, qui post mortem ad cælum ascendit, ex eo ad species panis consecratas descendit, in illisque se præsentem sistit & exhibet.

VERS. 34 DAT] Arab. *dono dat*, ingens utique donum est Christus, qui est ipsa vita vivificans omnes fideles rite communicantes per universum mundum, eisque dans vitam cælestem divinamque gratiæ, & postea gloriæ in omnem æternitatem.

DIXERUNT ERGO AD EUM: DOMINE, SEMPER DA NOBIS PANEM HUNC] illaboratum, ut sine labore, in suavi otio panem hunc læti comedamus, qui nobis vitam proroget, instar ligni vitæ in paradiso, ut annos Nestoreos vivamus. Judæi enim carnales necdum intelligebant panem Christi spiritualem, nec nisi terrenum cogitabant. *Adhuc sensibile quiddam*, ait Chrysost. *Suspicabantur, adhuc ventrem implere exspectabant*. q. d. ait Augustinus. Da panem, *qui reficiat & non deficiat*. Nam, ut ait Cyrillus. C *Etsi multis verbis carnali eos a sensu Salvator removerit; nihil tamen proficiunt, neque a carnalibus ullo modo recedunt: quippe panem audientes, quo vita mundo datur, terrestrem intelligebant. Similes sunt Samaritanæ illi mulieri, quæ cum longam de intelligibili aqua Christi orationem audisset; ad sensibilium memoriam aquarum labebatur, dicens, Da mihi Domine hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.*

VERS. 35 DIXIT AUTEM EIS JESUS: EGO SUM PANIS VITÆ. QUI VENIT AD ME, NON ESURIET: ET QUI CREDIT IN ME, NON SITIET UMQUAM] Syrus, & Arab. *in æternum*. Hic Christus Judæis postulantibus panem alentem in vitam æternam, illum aperit & offert, asseritque esse seipsum. Ipse enim per gratiam & spiritum suum, quem fidelibus inspirat, eos alit ut semper vivant; sed proprie eos alit per panem Eucharistiæ, de quo omnis hic Christi est sermo. Audi Cyrillum: *His verbis subostendit sanctissimi sui corporis vitam & gratiam, quæ in nobis unigeniti proprietas, id est vita, & ingreditur & permanet*. Christus enim in Eucharistia recte vocatur panis: Primo, quia panem consecrando transformat in corpus suum, quod sub speciebus panis, annihilata panis substantia, solum remanet. Secundo, quia instar panis famem aufert, nutrit, sustentat vitam, satiat, exhilarat. Audi Cyrillum: *Non enim illud verum manna, & verus cælestis panis fuit; sed ipse unigenitus Filius verus panis est, qui cum sit ex substantia Patris, naturaliter vita est cuncta vivificans. Ut enim panis hic terrestris facit, imbecillitatem carnis nostræ sustinens atque conservans, ita & ipse per Spiritum sanctum, spiritum nostrum vivificat, & corpus ipsum a corruptione liberat.*

Christus in Eucharistia recte vocatur panis.

D PANIS VITÆ] Id est vivus, vitalis, vivificus, imo ipsa vita. Alludit ad lignum vitæ, Gen. 2. 9. Sicut enim hoc lignum, id est arbor vitæ, suo fructu, sive pomo, Adæ in paradiso dedisset vitam, Primo, longævam, ad aliquot annorum millia, donec Deus eum e paradiso vivum transtulisset in cælum. Secundo, sanam & robustam: Tertio, constantem, ut numquam morbum, aut senium sensisset: Quarto lætam & hilarem: pepulisset enim omnem mœstitiam & melancholiam: sic multo magis hæc omnia præstat Eucharistia, quæ non tantum longævam, sed & æternam vitam communicantibus confert: unde arbor vitæ fuit figura Eucharistiæ, uti docet S. Irenæus lib. 5. c. 3. Porro Eucharistia non tantum animam, sed & corpus nutrit & vegetat, uti docent Theologi: imo S. Joannes Abbas, teste Palladio in Lausiaca cap. 61. S. Catharina Senensis, S. Maria Oigniacensis, S. Ebrulphus Abbas apud Surium tom. 6. pluresque alii sola Eucharistia, sine alio cibo, multo tempore vixerunt. Quin & Ludovicus Pius Imp. in supremo morbo, quo obiit, totos 40. dies jejunus transegit, Eucharistiam solam quotidie sumens, ut qui adfuit ei scriptor tentatur, quem citat Thomas Bozius tomo 2. de Signis Ecclesiæ lib. 15. c. 2.

E Eucharistia etiam corpus nutrit & vegetat.

QUI VENIT AD ME, NON ESURIET, ET QUI CREDIT IN ME, NON SITIET UMQUAM] Quia dabo ei panem, qui omnem famem; & potum, qui omnem sitim satiet. Dixit Christus se esse panem vitæ, hic modum panem hunc assequendi assignat; nimirum, ut quis ad eum veniat, hoc est, in eum credat, uti Christus mox exponit. ita S. Aug. ad Christum enim venimus, passibus non corporis (sic enim Judæi increduli & crucifixores ad eum venerunt) sed mentis; scilicet, fidei, obedientiæ & charitatis, *non esuriet*, umquam: hoc enim repetendum est ex τῷ *non sitiet umquam*. Sensus est, q. d. Manna comestum sedabat famem, sed ad tempus dumtaxat; at ego, qui sum panis vitæ, si vel semel comedat in Eucharistia, comedenti confero plenam satietatem, ut alium cibum non requirat: imo ut nullam deinceps esuriem sentiat, quia confero illi vitam gratiæ & gloriæ beatam & immortalem, quæ omne hominis desiderium implet & satiat, ut patebit v. 40. & seq. F

ET QUI CREDIT IN ME, NON SITIET UMQUAM] Quia dabo ei in Eucharistia potum sanguinis mei, quo plene refectus & satiatus nunquam sitiet. Audi Cyrill. *Quid igitur Christus pollicetur? corruptibile certe nihil, sed benedictionem, quam communicatione corporis atque sanguinis Christi assequimur: unde ad eam incorruptionem integre reducemur, ut cibo & potu corporali non indigeamus. Vivificat enim corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit*. Esto enim fideles laici non sumant, nec bibant Eucharistiam sub specie vini, uti faciunt sacerdotes, sed eam comedant sub specie panis dumtaxat; tamen sub illa non tantum comedunt corpus Christi, sed & bibunt sanguinem Christi, quia sanguis a corpore Christi, utpote immortali & glorioso, separari nequit. In spiritualibus enim idem est esurire & sitire, idem est cibus & potus. *Qui venit ad me*, inquit Augustinus, *hoc est, quod ait, Et qui credit in me; & quod dixit: Non esuriet; hoc intelligendum est, non sitiet unquam; utroque enim illo significatur æterna satietas, ubi nulla est egestas*. In summa: *Non sitiet unquam*, id est, quod Psalm. 35. v. 9. ait: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabit eos*. Simili modo dixit Samaritanæ: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, c. 4. 13. Vide ibi dicta. G

SED DIXI VOBIS, QUIA ET VIDISTIS ME, ET NON CREDITIS] *Dixi* alias, etiamsi id nullibi sit scriptum a Joanne. Ita Chrysost. Euthym. & alii. Rursum *dixi*, id est, sat superque ostendi & probavi vobis, *quia*, id est, quod, *vidistis*, id est, cognovistis, hoc est ex tot signis & miraculis quæ edidi, cognoscere potuistis & debuistis *me*; & tamen ex obstinatione animi in me *non creditis*. Nam c. 5. v. 3. & seq. fuse arguit Judæos, quod, visis tot signis, in se non credant. Ita Euthym. *Vidistis*, inquit, *me, sive cognovistis quis ego sim, & a testimonio Joannis, & a signis, quæ edidi, & a testimonio Scripturarum, quas vobis aperui, sed voluntarie malum operantes non creditis*. VERS. 36 H

OMNE, QUOD DAT MIHI PATER, AD ME VENIET: ET EUM QUI VENIT AD ME, NON EJICIAM FORAS] Est occupatio, q. d. Objicietis mihi: Si sciebas nos tibi prædicanti non creditutos; cur ergo nobis prædicas? Resp. Quia ex vobis sunt aliqui, qui in me credent; nimirum illi, quos Pater elegit, mihique dedit, ut sint mei discipuli & filii: quo tacite innuit Judæos plerosque ob suam incredulitatem, non esse sibi datos, nec ad fidem a Deo electos, sed pro iis Deum multos alios, præsertim ex Gentibus, elegisse, unde ait: *Omne, quod dat mihi Pater*, in genere neutro, non *Omnis*, ut magis significet universitatem omnium gentium. *Omne* ergo, id est, omnis gentis, omnis generis, omnis ætatis & sexus universitas & populus, cui Pater inspirat affectum fidei, ut sponte & libere in me credat, hic per fidem ad me veniet, fietque Christianus & meus discipulus: quare ego eum a me non repellam, nec e domo, id est Ecclesia mea foras ejiciam, uti vos, o Judæi increduli & rebelles, a me, meaque Ecclesia repello, compellamque in tartara; sed ultro & amanter eum complectar, mecumque ducam ad Ecclesiam triumphantem in cælis. VERS. 37

Nota.

Digitized by Google

A Christus ad prædestinationis secretum sermonem suum attolit. Cur?

Notā. Christus hic, ut Judæos incredulos & pervicaces retundat, terreat & percellat, assurgit ad secretum voluntatis & prædestinationis Dei. Vult enim docere, quod fides sit donum Dei, quo illi careant. Dat ergo Pater Christo fideles ab æterno, prædestinando, & in tempore vocando ad fidem, ea ratione & modo, ut vocati libere Deo voçanti obsequantur & credant, itaque veniant ad Christum. Hæc enim est causa actualis fidei, sive cur quis hic & nunc actu credat in Christum, scilicet gratia Dei excitans hominem ad credendum, & homo libera sua voluntate gratiæ Dei consentiens & credens. Igitur dat Pater nos Christo, cum per gratiam suam prævenientem & cooperantem, facit nos actu converti, & libere credere Christo: nam, ut ait hic ipse, omnis qui a Patre datur Christo, reipsa venit ad Christum. Ita S. Aug. Cyrill. Leon. Chrys. & alii.

Adverte, Christum hic proprie loqui de prædestinatione ad fidem & gratiam, non ac gloriam, æque ac Paulus. Alludit ad Ps. 2. 8. *Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Unde

B ait in futuro: *Ad me veniet*, ut Gentes per prædicationem Apostolorum ad se venturas innuat. Audi Cyrillum. *Jam jam venturas Gentes significat, & jacturam gratiæ, quam facturi erant Judæi, minatur.*

Porro Deus Pater dat fideles Christo, quia Christus hoc obedientia & passione sua meruit. Merita enim Christi sunt causa, non tantum vocationis temporariæ, sed & prædestinationis æternæ fidelium: Deus enim ob prævisa Christi merita, fideles prædestinavit & elegit, uti docet Paulus Ephes. 1. 4. dicens: *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionē, ut essemus sancti.* Et mox: *Qui prædestinavit nos in adoptionē filiorū, per Jesū Christū in ipsum.*

Non ejiciam foras] *Non repellam a me, mea Ecclesia, meo cœlo, sed magna cura refocillabo*, ait Theophyl. Alludit ad hospitem, qui peregrinos sibi benevolos & amicos ad suum hospitium admittit. Ita Euthym. *Non abjiciam eum*, inquit, *hic a mea familiaritate, neq; ibi a regno cœlorum*. Et Cyrillus: *Non abdicabitur*, inquit, *neque ut inglorius ejicietur, nec erit expers meæ benignitatis, sed recordetur in horreum, & in cœlestes mansiones diverţet, ingredieturque quo mens hominū nequaquā cogitavit.*

C Nota. S. Chrysost. & Cyrillus lib. 3. cap. 39. dicunt illos a Patre dari Filio, qui se per bonum liberi arbitrii usū, Dei vocatione & gratia dignos reddiderunt; quod postea crude secutus Pelagius gratiæ necessitatem negavit, dicens liberum arbitrium sibi sufficere ad bene operandum. Verum hic est error, quem confutat S. Aug. *Credere*, inquit, *Dei gratiæ est, posse credere naturæ*. Quocirca ipse hic & libi docet omnes quidem posse credere, bene operari & salvari, quia liberum in omnibus arbitrium gratiæ Dei est capax, & sæpe sufficientem ad salutem gratiam a Deo accipit, solos illos tamen actu credere, bene operari & salvari, quibus Deus dat gratiam efficacem, sive congruam; quam scilicet prævidet persuasuram libero arbitrio, ut sibi cooperetur, de quo plura v. 44.

VERS. 38 QUIA DESCENDI DE CÆLO, UT FACIAM VOLUNTATEM EJUS, QUI MISIT ME] Dat causam Christus, cur non ejiciet foras eum, quem Pater sibi dederit, quia scilicet ipse venit in carnem & mundum, hoc fine dumtaxat, ut faciat Patris voluntatem; quæ est, ut eos, quos Pater vult dare Christo, & salvare, hos Christus acceptet & sal

D vet. Unde explicans subdit: *Hæc est autem voluntas*, &c. Audi S. Cyrillum in Concil. Ephesino hæc profunde pertractantem: *Dum non suam, sed suis Patris voluntatem perficere addit, Judæorum vesaniam ex obliquo perstringit, utpote qui suam semper voluntatem constituere satagentes, divinasque leges flocci facientes, de Domini sui placitis nihil quidquam pensi haberent: dum, inquam, suum hoc loco promptum obsequendi studium palam commendat, illorum rebellionem neutiquam obscure incusat.*

VERS. 39 HÆC EST AUTEM VOLUNTAS EJUS, QUI MISIT ME, PATRIS: UT OMNE, QUOD DEDIT MIHI, NON PERDAM EX EO, SED RESUSCITEM ILLUD IN NOVISSIMO DIE] *Omne*, id est omnes omnino, cujuscumque sint generis, gradus, status, ætatis vel sexus, ut dixi v. 37. *Non perdā*, id est, non sinam perire. Explicat enim id, quod dixit: *Non ejiciam foras*: unde id exponens & perficiens addit: *Sed resuscitē illud in novissimo die*, puta in ultimo mūdi die, sive in die judicii, ut scilicet eum in cælū admittam, ibique eū beem immortalitate & gloria, tam corporis, quā animæ in æternum. Tunc enim cessabit cælorū motus, ac consequēter tempus, quod motus illorum est mensura; quare erit tunc dierum, mensium & annorum omnium statio & finis.

HÆC EST AUTEM VOLUNTAS PATRIS MEI, QUI MISIT ME: UT OMNIS, QUI VIDET FILIUM, ET CREDIT E VERS. 40 IN EUM, HABEAT VITAM ÆTERNAM, ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE] *Qui videt* græce, θεωρῶν, id est, considerans & contemplans Filium, eumque videns oculis, non corporis, sed mentis, hoc est, in eum credens, illique obediens. Notat Lactantius lib. 7. c. 9. ex Trismegisto, quod hoc verbum θεωρῶν proprie sit rerum divinarum.

ET EGO RESUSCITABO] Græcum ἀναστήσω potest verti & in futuro indicativi modi, *resuscitabo*; & in aoristo conjunctivi, ut *resuscitem*, uti vertis Interpres v. 39. Inculcat Christus resurrectionem, quia *spes Christianorum, est resurrectio mortuorum*, ait Tertull. lib. de Resurrect. Audi S. Chrysost. hom. 46. *Vitæ ubique meminit*: nam ejus *trahimur cupiditate, & nihil suavius, quam non mori. Etenim in veteri Testamento, longa vita & multi dies promittebantur: nunc vero non simpliciter vitæ longitudo, sed vita sine fine promittitur; simul & ostendere vult, quod supplicium ex peccato inductum nunc revocat sententiam illam mortis solvendo & vitæ sempiternæ inducendo, contra superiorum temporum institutionem.* F

MURMURABANT ERGO JUDÆI DE ILLO, QUIA DIXISSET: EGO SUM PANIS VIVUS, QUI DE CÆLO DESCENDI. VERS. 41

ET DICEBANT: NONNE HIC EST JESUS FILIUS JOSEPH, CUJUS NOS NOVIMUS PATREM, ET MATREM? QUOMODO ERGO DICIT HIC: QUIA DE CÆLO DESCENDI? VERS. 42] Murmuratio de rebus bonis, ait Cyrillus, est quasi paterna hæreditas a parentibus sub Mose, ad Judæos sub Christo descendens. Causam murmuris dat Theoph. *Huc usque quidem*, inquit, *existimebant de pane sensibili eum loqui, & mansuete eū ferebant: nunc autem, quia revelavit eis, quod de spirituali pane sermonem haberet, contempto illo murmurant*: quia non capiebant quomodo Christus esset panis vivus, & quomodo de cælo descendisset, & quomodo ipsi eum manducarent: suæ enim gulæ inhiabant.

RESPONDIT ERGO JESUS, ET DIXIT EIS: NOLITE MURMURARE IN INVICEM] Græce, μετ' ἀλλήλων, id est, cum invicem, inter vos mutuo, vel etiam contra vos mutuo: G innuit enim alios pro se, alios contra se fuisse; atque hac ratione inter se his Christum accusantibus, illis eū defendentibus, certasse, itaque inter se murmurasse: ita Jansen. VERS. 43

NOLITE MURMURARE] quia nullam murmurandi occasionem vobis præbeo: nam ego puram meramque dico veritatem, quæ licet ob sui sublimitatem a vobis non capiatur, vos tamen estis in culpa; tum quia mihi obstrepitis & rebellatis, nec a me explicationem meorum dictorum quæritis, tum quia lumen ad mea dicta intelligendum a Deo non flagitatis. Unde subdit;

NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI PATER, QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM: ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE] Nota Primo, Potuisset Christus, ut recte advertit Chrys. respondere & dicere: Non est mirum, quod vos, o Judæi, hæc quæ dico, quod scilicet ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, non intelligatis, nec credatis, quia carnales, duri & protervi estis; sed mavult suavius & divinius respondere, scilicet, quod nemo in se credat, nisi cui hoc datum sit a Patre, ut sic ii, qui credebant contra alios, qui non credebant, non contenderent, & increduli agnoscerent sibi deesse lumen divinum, ad proxime & plane credendum necessarium, illudque humili prece a Deo & Christo flagitarent; non autem murmurarent; aut certe se deesse illi lumini a Deo oblato, illique esse rebelles adverterent. H VERS. 44

Sensus ergo est. q. d. Nolite vos, o mihi credentes, contra incredulos murmurare; eo quod meæ doctrinæ tot miraculis confirmatæ non credant: quia fides est donum supernaturale Dei, nec potest quis credere in me, nisi Pater traxerit eum ut credat: illi autem necdum trahuntur a Patre: quare nolite eis indignari, sed rogate Patrem, ut trahat eos, sicut traxit vos: sic enim æque ac vos in me credent. Vosquoq; o increduli, nolite murmurare contra me, meaque dicta, & meos credentes; quia traxit illos Pater, ut credant in me; rogare ergo potius Patrem, ut vos quoque trahat: sic enim æque ac illi credetis in me, & cū illis unanimiter in mea fide, doctrina & Ecclesia cōspirabitis. Dicite ergo cū sponsa: *Trahe nos post te, quia sic tracti curremus in odorem unguentorum tuorum*. Cant. 1. 3. Vide ibi dicta.

Trahere hic quid significat?

Nota Secundo, *traxerit*, non significare coactionem aut necessitatem, nec opponi libertati arbitrii, quasi illam homini adimat, uti volunt Lutherani & Calviniste: sic enim trahuntur ligna & saxa, apud homines autem,

Digitized by Google

A trahit ſua quemque voluptas, hoc eſt libertas, non neceſſitas. Oſtendis puero ſaccharum, trahis illum ad te: oſtendis ovi ramum viridem, trahis illam ad te; uterque enim trahitur pabuli illecebra; ſimiliter trahitur hominis voluntas, ſicut ferrum trahit magnes; ſic occulta amoris vi ad Chriſtum tracta fuit S. Agnes. Trahimur *monitione*, ait Cyrill. *doctrina*, *revelatione*, *ineffabiliter facta*. Audi S. Auguſt. hic tr. 26. *Noli cogitare te invitum trahi: trahitur animus & amore*. Et mox: *Quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico, Parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quadam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cæleſtis. Porro ſi poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemque voluptas: non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio, quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum*

B *Chriſtus eſt?* Et poſt nonnulla: *Da amantem, & ſentit quod dico, da deſiderantem, da eſurientem, da in iſta ſolitudine peregrinantem atque ſitientem, & fontem æterna patriæ ſuſpirantem, da talem, & ſcit quid dicam: ſi autem frigido loquor, neſcit quid loquor*. Idem ſermone de Verbis Apoſtoli: *Non dixit*, inquit, *duxerit, ſed traxerit. Iſta violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis, ama & traheris. Ne arbitreris iſtam aſperam, moleſtamque violentiam, dulcis eſt, ſuavis eſt, ipſa ſuavitas te trahit. Nonne ovis trahitur; cum eſurienti herba monſtratur? Et puto quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur. Sic & tu veni ad Chriſtum, noli longa itinera meditari. Ubi credis, ibi venis. Ad illum enim qui ubique eſt, amando venitur, non navigando.*

Tractus Dei. Tractus Dei ergo ſignificat vim & efficaciam gratiæ, ſed ſuavem & blandam, quæ liberum arbitrium non cogat, ſed allectet, mulceat & blandiendo flectat ut credat. Item ſignificat imbecillitatem & vitioſas cupiditates hominis, quæ fidei & ſanctitati Chriſtianæ repugnant, ut homo ad

C fidem & virtutem Chriſtianam, vehementi gratiæ Dei impulſu, non tam duci, quam trahi indigeat. Hoc eſt, quod ait Chriſtus Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Ebrioſus enim debet inferre vim ſuæ gulæ, luxurioſus ſuæ libidini, avarus ſuæ cupiditati, ambitioſus ſuæ ambitioni. Igitur tractus gratiæ voluntatem in carnem depreſſam, ſurſum ad cæleſtia elevat, renitentem allicit, infirmam corroborat, triſtem exhilarat, timidam animat ad bonum. Quocirca hac Chriſti ſententia paſſim Patres Latini cum S. Aug. uſi ſunt contra Pelagianos, ut probarent neceſſitatem gratiæ. Excipio Græcos, S. Chryſ. Cyrillum, & eorum ſequaces, qui Pelagium præceſſerunt, ideoque de gratia parce loquuntur, ut liberum hominis arbitrium contra Manichæos extollant. Unde Theoph. hic ex S. Chryſ. Sicut, ait, magnes non trahit niſi ferrum, ſic Deus non trahit niſi idoneos; qui ſcilicet libero arbitrio utendo, gratia Dei ſe dignos efficiunt. Quare caute legendus eſt hic S. Chryſ. dum ait eos qui trahuntur a Deo, hoc ipſum promereri aliqua prævia liberi arbitrii bona voluntate. Hoc ſi de primo gratiæ tractu, ac de libero arbi-

D trio nudo, omnique gratia deſtituto accipias, Pelagianum eſt: Catholicum autem, ſi de ulteriori tractu ad majorem fidem & virtutem, ac de libero arbitrio, jam ab aliqua priori gratia prævento & excitato intelligas.

Trahuntur inchoate, qui? Nota Tertio. Quidam a Deo trahuntur inchoative, ſive quantum eſt ex parte Dei, quantumque ſufficit, ut poſſint converti: qui tamen ad Chriſtum non veniunt, nec ſeſe convertunt; quia ſcilicet Deum trahentem ſequi nolunt: & ſine tractu hoc ſimpliciter impoſſibile eſt venire ad Chriſtum: perinde ac impoſſibile eſt homini ſine alis volare. Et de hoc tractu ait Maldon. ſi quæras cur hic ad Chriſtum trahitur, ille non? reſpondeo, quia hic Chriſtum trahentem ſequi voluit, ille vero noluit, imo nonnulli jam credentes in Chriſtum, offenſi hac carnis ejus manducatione, ab eo reſilierunt, uti teſtatur Joannes v. 67. dicens: *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant*, ac diſerte de Juda proditore verſ. 71. *Nonne*, ait, *ego vos duodecim elegi, &*

qui complete. *unus ex vobis diabolus eſt?* Alii vero a Deo trahuntur complete, id eſt pertrahuntur ad Chriſtum; qui ſcilicet Deum trahentem ſequuntur, & de talibus hic quoque agit Chriſtus, ut patet v. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me*

veniet: Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad E *me*. Idem enim hic eſt, trahi a Patre, quod audire, doceri, diſcere a Patre. *Quid eſt trahi a Patre, niſi diſcere a Patre?* ait S. Aug. Ita complete trahuntur illi, quibus Deus gratiam dat, non tantum prævenientem, eamque efficacem & congruam (priores enim, qui inchoate trahuntur, habent dumtaxat ſufficientem) ſed & cooperantem. Congrua dicitur, qui eorum qui trahuntur, ingenio, affectui & moribus congruit. Unde Deus prævidet ipſos de facto illi libere conſenſuros & cooperaturos, itaque convertendos, credituros, recteque operaturos. Et de his ait S. Aug. *Si non traheris, orant traharis*. Et: *Cur hic trahatur, ille non trahatur, noli judicare, ſi non vis errare.*

Gratia efficax ad converſionem & ſalutem neceſſaria. Porro hæc gratia efficax & congrua eſt neceſſaria ad converſionem, fidem & ſalutem, non ſimpliciter, ſed ex hypotheſi, poſita ſcilicet præſcientia Dei, quia ipſe prævidet hanc gratiam perſuaſuram libero arbitrio, ut ſe ad Deum convertat; alteram vero, quæ ſolum ſufficiens eſt, idipſum illi non perſuaſuram. Unde pari-

F ter prævidet Deus, nos gratiæ efficaci & congruæ libere conſenſuros, ſufficienti vero & incongruæ non conſenſuros, idque ex mera arbitrii libertate. Hoc eſt, quod ait Chriſtus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum*. Quare gratia congrua uſque ad finem vitæ eſt magnum perſeverantiæ donum, quod eſt cauſa noſtræ ſalutis æternæ, ac proinde ſub meritum non cadit; ſed eſt peculiare & ſummum Dei beneficium, quod Deus ſuis prædeſtinatis & electis confert, eoſque a non electis & reprobis fecernit & diſtinguit, uti fuſe docet S. Auguſt. de Præd. Sanct. cap. 16. & ex eo S. Thom. & Scholaſtici, ac Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 13. Quo circa hæc gratia congrua nobis aſſidue ac humillime a Deo poſtulanda eſt per Chriſti merita: in ea enim vertitur cardo ſalutis noſtræ, quia Deus promiſit ſe daturum nobis quidquid in nomine Chriſti petierimus, Joan. 15. 16.

Denique tractum Dei ſæpe impedit ingens cordis humani malitia & obduratio, perinde ac magnetis tractum ferri indomabilis adamas, qui non ferro, nec G igne, ſed ſolo hircino ſanguine vincitur & frangitur. Audi Plinium lib. 37. cap. 4. *Adamas diſſidet cum magnete in tantum, ut juxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi, aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat, atque auferat*. Idem tradit Aug. l. 21. de Civitate c. 4.

Vers. 44 ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE] Oſtendit Chriſtus fructum hujus tractus Dei Patris, q. d. Ego autem illum, qui a Deo tractus venerit ad me, & in me crediderit, mihique obedierit, hoc præmio donabo, ut eum reſuſcitem ad vitam & gloriam æternam; ſi videlicet in mea fide & obedientia uſque ad mortem perſeveraverit.

Vers. 45 Divina Dei quid? EST SCRIPTUM IN PROPHETIS, ET ERUNT OMNES DOCIBILES DEI] Arabic. *a Deo*. Citat Iſaiæ c. 54. 13. *Univerſos filios doctos a domino*. Simile habet Jerem. c. 31. 33. & 34. & Ezechiel c. 11. 19. & c. 36. 26. & Joel c. 2. 28. Vide ibi dicta. Quia inſolens videbatur Judæis, quod dixerat Chriſtus; *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*; hinc Chriſtus idipſum confirmat ex Iſaia & Prophetis, qui aſſerunt omnes filios, ſive diſcipulos, Chriſti & Eccleſiæ fore theodidactos, id eſt doctos a Deo: doceri autem a Deo, eſt trahi a Deo: *docibiles* enim idem eſt, quod *doctos*. Hebr. enim eſt למודי *limmude*. Sic ſæpe alibi verbalia deſinentia in *bilis*, Interpres noſter Latinus pro participio paſſivo accipit, ut *incredibilis* idem H ſit quod incredulus, plaga *deſperabilis* ſit deſperata, verbum *perſuaſibile* ſit verbum perſuaſum, vel perſuadens.

Erunt autem docti a Deo, ſcilicet interius mentem docente, illuminante, afflante, implente ad vocem externam Chriſti ejuſque diſcipulorum, ut illi credant, & obediant, cum prius in lege veteri Deus exterius magis, quam interius, ſcilicet per Prophetas, per ſacerdotes, per S. Scripturas doceret populum. Quare *ubi Deus eſt magiſter, ibi cito diſcitur quod docetur*, ait S. Leo ſerm. de Pentecoſte. Audi S. Aug. in ep. 1. Joan. tr. 3. *Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt*. Et mox: *Omnibus locutus ſum, ſed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus S. intus non docet, indocti redeunt. Magiſteria foriſecus adjutoria ſunt quædam & admonitiones: cathedram in cælo habet, qui corda docet: propterea ait & ipſe in Evangelio: Nolite vobis dicere Magiſtrum in terra: unus eſt magiſter veſter Chriſtus. Ipſe vobis ergo intus loquitur, quando nemo hominum illic eſt*, &c. *Ubi illius inſpiratio, illius unctio non eſt, foriſecus inaniter perſtrepunt verba.*

OMNIS

A OMNIS, QUI AUDIVIT A PATRE, ET DIDICIT (Arabicus, *& ſcit*) VENIT AD ME] Ecce hic tractum Patris explicat, q. d. Trahitur a Patre, qui interius ab eo docetur, id eſt, cujus intellectus a Patre illuminatur, & voluntas inflammatur, ut mihi credat, meque ſequatur: & didicit vel diſcit, hoc eſt, meam illuminationem in intellectu & meum impulſum ſive inflammationem in voluntate excipit, illique acquieſcit, & libere conſentit: ille *venit ad me*, id eſt, credit in me quaſi Meſſiam, mihique obedit: duo enim pedes non corporis, ſed animæ, quibus illa venit ad Chriſtum, ſunt intellectus a Deo illuſtratus, & voluntas ab eodem impulſa & inflammata. Hinc S. Auguſt. de Prædeſt. Sanct. c. 8. infert, aitque: *Si omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit: profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret.* Ac ſubdit: *Valde remota eſt a ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniatur ad Filium. Ibi eſt & ipſe Filius, quia ipſe eſt Verbum ejus, per quod ſic docet: nec agit hoc cum carnis aure, ſed cordis. Simul eſt & ibi Spiritus Patris &* B *Filii: neque enim ipſe nos docet, aut ſeparatus docet: inſeparabilia quippe didicimus eſſe opera Trinitatis.* Et poſt nonnulla: *Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet: quos autem non docet, judicio non docet; quoniam cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: ſed miſeretur bonum tribuens, obdurat dignare tribuens*, &c. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur & docet; ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Propheta prædicante promiſit. Sic quippe facit filios promiſſionis vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriã*

VERS. 46 NON QUIA (non quod) PATREM VIDIT QUISQUAM, NISI IS, QUI EST A DEO, HIC VIDIT PATREM] *Ne ſuſpicarentur Judæi craſſi & rudes*, ait Euthym. *quod ſenſuali modo audiat quiſquam a Patre, videns eum humano modo*, ait: *Non quia*, &c. ſubaudi, ſed quod inviſibiliter Deum in mente loquentem, revelantem, illuminantem, & fidem Chriſti perſuadentem audiant. q. d. Deus eſt magiſter inviſibilis, qui a diſcipulis non videtur, Deus eſt doctor non* C *oculorum, nec aurium, ſed cordium & mentium.*

NISI IS, QUI A DEO EST] puta ego: qui qua Deus, ſum Dei Filius ex ipſo natus, ideoque ipſi intimus: ipſum per eſſentiam continue video & intueor, qua homo vero, ab eo ſine opera viri formatus, ſemper ipſius beatifica viſione fruor. Ita Cyrill. *Tanquam Patri conſubſtantialis*, inquit, *videbit profecto eum, ex quo eſt.* Et Euthym. *Utpote ejuſdem naturæ, ſubſtantiæ & ſcientiæ, & qui eſt in ſinu Patris.*

VERS. 47 AMEN, AMEN DICO VOBIS: QUI CREDIT IN ME, HABET VITAM ÆTERNAM] *Habet*, jure & merito, ſive in certa ſpe, ſed necdum in re. Redit Chriſtus ad verſ. 29. & fidem in ſe iterum iterumque inculcat, quia hæc eſt principium omnis boni, radix ſalutis, ac medium neceſſarium ad obtinendum a Chriſto panem vitæ, puta Euchariſtiam.

VITAM ÆTERNAM] *Ita nolentes*, ait Chryſ. *firma præmii ſpe ad fidem impellit; quid enim melius aut ſuavius mortem & corruptionem timentibus, quam vita æterna?*

VERS. 48 D EGO SUM PANIS VITÆ] alens me comedentes in vitam æternam. q. d. Ego iis, a quibus cum vera vivaque fide comedor, tribuo vitam æternam. Idem ſæpe reperit & confirmat, & ne temere dixiſſe videatur, quia Judæis videbatur res hæc plane paradoxa & impoſſibilis.

VERS. 49, 50 PATRES VESTRI MANDUCAVERUNT MANNA IN DESERTO, ET MORTUI SUNT. HIC EST PANIS DE CÆLO DESCENDENS: UT, SI QUIS EX IPSO MANDUCAVERIT, NON MORIATUR] *In deſerto.* Iſta particula, ait Chryſ. *ſignificat manna non diu duraſſe, neque in terram promiſſionis veniſſe: mox enim ut illam attigerunt, ceſſavit manna.* Verum hic Chriſti panis eſt perpetuo durans, ait Theophyl. Audi Joſue cap. 5. verſ. 12. *Defecitque manna, poſt quam comederunt de frugibus terræ, nec uſi ſunt ultra cibo illo filii Iſrael, ſed comederunt de frugibus terræ Chanaan.* Deus enim, ſicut non deficit in neceſſariis, ita in ſuperfluis non abundat.

ET MORTUI SUNT] q. d. Manna patres more aliorum ciborum aluit, & ab eis mortem non arcuit, nec arcere potuit, meus autem panis illam arcet.

UT SI QUIS EX IPSO MANDUCAVERIT, vera fide, viva, & charitate formata, NON MORIATUR IN ÆTERNUM.] q. d. Manna non habuit vim vitalem præſervandi a morte corporea, multo minus animas patrum veſtrorum, E hic vero meus panis vim habet liberandi a morte, non tantum corporis, ſed & animæ, idque in æternum: licet enim mortem temporalem corporis non auferat; faciet tamen, ut ex ea fidelis vir reſurgat, & deinceps non moriatur in æternum: de quo plura v. 55. & ſequenti.

EGO SUM PANIS (id eſt cibus. Eſt hebraiſmus) VIVUS, VERS. 51 in me ipſo, & me vivum comedentes vivificans, eiſque meam vitam communicans: cum manna eſſet in ſe inanime & mortuum, ideoque vitam comedentibus ſe tribuere non poſſet: QUI DE CÆLO DESCENDI] ratione divini ſuppoſiti, ait Suarez. *Cum de cælo cibum quærerent*, ait Chryſ. *ideo frequenter ſe de cælo deſcendiſſe teſtatur.*

SI QUIS MANDUCAVERIT EX HOC PANE, VIVET IN VERS. 52 ÆTERNUM] Hic enim panis dat animæ vitam gratiæ, durantem uſque ad vitam gloriæ in omnem æternitatem; corpus vero faciet reſurgere a morte, ut glorioſum vivat pariter in æternum.

Calvinus & hæretici contendunt panem hunc non eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia, ſed eſſe panem myſticum: nos enim myſtice comedere corpus Chriſti per fidem, cum F in eum credimus. Idem e Catholicis ſenſit Janſen. hic, Cajetan. Gabriel, Ruardus Tapper. Nicolaus Guſanus & Heſſeſius, quos citat Bellar. lib. 1. de Euchariſtia c. 5. contra quos integrum librum ſcripſit Didacus Caſtillus, & alterum Nicolaus Sanderus, illoſque refutant Toletus, Maldonat. Bellarm. & alii paſſim.

Dico ergo, Chriſtum ab hoc loco deinceps loqui ad literam de Euchariſtia. Id adeo certum eſt, ut Maldon. dicat idipſum negare eſſe temerarium, & pene erroneum. Agit hic de Euchariſtia.

Probatur Primo, quia id clariſſime hic aſſerit Chriſtus, paſſim jubens nos manducare ſuam carnem, & bibere ſuum ſanguinem, adeo ut clarius Euchariſtiæ dogma exprimere non potuerit: nil enim aliud hic ingeminat, nil aliud audis, quam, *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem.* Sane incredibile videtur, quod Chriſtus rem per ſe claram, & a ſe toties repetitam, nimirum credendum eſſe in ſe, voluerit verbis & metaphoris manducandi ſuam carnem & ſanguinem obſcurare, præſertim cum prævideret hac de cauſa multos, etiam diſcipulos, a ſe diſceſſuros. Prob. Primo. G

Secundo, quia utramque Euchariſtiæ ſpeciem diſtinguit: carnem enim ſuam facit cibum, quem comedamus: ſanguinem vero ſuum facit potum, quem bibamus. *Niſi*, inquit v. 54. *manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo loquitur de Euchariſtia, in qua vere & prorie manducamus Chriſti carnem, & bibimus ejus ſanguinem. Nam in ſpirituali manducatione Chriſti, quæ fit per fidem, potus a cibo, & ſanguis a carne diſtingui nequit; nec enim ſpeciatim & ſeorſim credere debemus carnem, & deinde ſanguinem Chriſti, ſed ſufficit in genere & totaliter credere in totam humanitatem Chriſti. Secundo.

Tertio, quia nuſquam in Scriptura efficacia & fructus Euchariſtiæ, item præceptum univerſale illam ſumendi, clare exprimitur, & inculcatur, niſi hic. Hoc enim præceptum cum ſit grave, & omnes fideles obliget, clare exprimi debuit. Tertio. H

Quarto, ſi S. Joannes hic non agat de Euchariſtia, ergo nuſquam de illa egit. Quis hoc credat de Benjamino Chriſti, qui in cœna ultima, ubi Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, ſupra pectus recubuit, illum ſcilicet, auguſtiſſimum hoc dilectionis Chriſti monumentum & myſterium omiſiſſe, & ſilentio involviſſe? Quarto.

Quinto, quia ſimili modo c. 3. baptiſmi inſtitutionem narrat, ac de eo diſputationem Chriſti cum Nicodemo; ſicut hic narrat myſterium Euchariſtiæ, ac de ea Chriſti diſputationem cum Judæis. Hæc enim ſunt duo Sacramenta fidelibus neceſſaria, ac quaſi duæ baſes & columnæ Eccleſiæ Chriſtianæ. Quinto.

Denique hæc eſt communis ſententia Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, item interpretum ac Doctorum Scholaſticorum, ſcilicet S. Cyrill. Chryſ. Theoph. Euthym. S. Thomæ, Ruperti, Lyrani, Maldonati, Toleti, hic & aliorum variis in locis, quos fuſe citant Toletus, Rubera, & Maldon. Sanderus & Didacus Caſtillus ſcribentes in hoc caput, ac Bellarm. l. 1. de Euchariſtia c. 5. Sexto.

Pari modo hunc locum de Euchariſtia intelligit Conc. Epheſinum epiſt. ad Neſtorium, Nicenum II. act. 6. Cabilonenſe II. c. 46. & Senonenſe c. 10. ac Trident. ſeſſ. 13. Concilia hunc locum de Euchariſtia explicant.

Digitized by Google

A c. 2. & ſeſſ. 21. cap. 1. Nec diſſentit S. Auguſtinus, quem
Nec diſſentit S. Aug. multi contrarium putant, ut patet eum diligenter legenti: nam ex hoc loco ipſe, imo multi veteres, infantibus quoque dandam eſſe Euchariſtiam contendebant, idque factitatum eſt per ſexcentos annos variis in locis, donec Eccleſia contrarium definivit, ſcilicet, Euchariſtiam infantibus non eſſe neceſſariam, nec expedire illam eis dare ob periculum irreverentiæ.

Ubi Nota, S. Auguſtinum, præter explicationem litteralem & genuinam hujus loci, quæ eſt de Euchariſtia, adjungere aliam ſymbolicam & myſticam, ac per panem & cibum hunc, intelligere ſocietatem membrorum & corporis Chriſti, quod eſt Eccleſiæ, ut comedere carnem Chriſti, idem ſit quod incorporari Eccleſiæ, illique aggregari & aſſociari, ac conſequenter inſeri Chriſto, ejuſque ſpiritum haurire & participare. Id autem facit Auguſtinus propter Donatiſtas ſui temporis in Africa, quibuſcum continua illi fuit diſputatio. Hi enim ſocietatem & unitatem Eccleſiæ per ſchiſma diſciderant. Accedit Primo,
B quod Euchariſtia hujus ſocietatis fidelium in Eccleſia, non tantum ſymbolum ſit, ſed & cauſa. Sicut enim ex multis tritici granis commolitis fit unus panis, & ex multis uvæ acinis preſſis confluit vinum: ſic ex multis fidelibus communicantibus fit una ſocietas & Eccleſia. Secundo, quod hæc fidelium unio & ſocietas, ſit finis & fructus Euchariſtiæ, quæ ſine illo nihil ad ſalutem prodeſt. Tertio, quod S. Auguſt. ſæpe leviter inſinuato, & quaſi obiter præterito ſenſu litterali, utpote facili & aperto, inhæreat ſpiritali & myſtico, utpote obſcuriori, ſubtiliori, & ſublimiori. Idem facit Origen. S. Greg. S. Hier. aliique Patres. Ita S. Aug. explicat ejus de more aſſecla S. Bernardus ſerm. 3. in Pſalm. 90. *Quid eſt*, inquit, *manducare ejus carnem, & bibere ſanguinem, niſi communicare paſſionibus ejus, & eam converſationem imitari, quam geſſit in carne? Unde & hoc deſignat illibatum illud altaris Sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus: ut, ſicut videtur illa panis forma in nobis intrare, ſic noverimus per eam, quam in terris habuit, converſationem, ipſum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus noſtris.*

Dices, S. Aug. l. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 16. aſ-
C ſerit in hiſce Chriſti verbis eſſe tropum, ſive figuram, qua præcipiatur paſſionibus Chriſti eſſe communicandum.
Obiectio Prima, Reſp. Reſp. S. Aug. figuram hanc vocat, eo quod Chriſti caro hic non præcipiatur carnaliter lanianda, coquenda, itaque comedenda, ut fit in carnibus boum & ovium, ſicut Capharnaitæ intelligebant, ideoque offendebantur, ſed figurate, id eſt ſacramentaliter. Cenſet enim hic præcipi, ut in Euchariſtia, per ſpecies panis & vini a ſe invicem diviſas, & quaſi mortuas, repræſentemus paſſionem & mortem Chriſti, quæ facta eſt per divioſinem animæ & ſanguinis a corpore Chriſti, illamque deinde per mortificationem imitemur, ac moribus ſanctis exprimamus.

Secunda. Dices, Secundo: Chriſtus verſ. 27. 29. & 63. agit de manducatione ſui ſpirituali per fidem, ergo & hic de eadem agere pergit, non de ſacramentali & corporali, alioqui non loqueretur conſequenter & cohærenter. Reſp.
Reſp. Primo, negando conſequentiam: Chriſtus enim ſenſim voluit rudes Judæos evehere, ac primo eis faciliora, deinde difficiliora & magis arcana proponere. Unde a mul-
D tiplicatione panum, qua turbam paverat, aſſurgit ad manna, inde ad ſpiritalem fidei cibum, v. 27. 29. 35. 36. 40. e 47. inde hoc verſu & deinceps, ad realem ſui manducationem in Euchariſtia, quæ illius miraculi, & multiplicationis panum, ac totius diſcurſus & diſputationis ejus in hoc capite eſt finis, meta & ſcopus. Simili modo cap. 4. Samaritanam a corporali aqua & potatione, evexit & traduxit ad ſpiritalem. Atque hanc evectionem Chriſtus ipſe ſatis inſinuat, imo explicat, dum v. 29. & 35. dixit panem illum jam haberi ab iis, qui credunt, hic vero ait panem ſuum (Euchariſtiæ) necdum haberi, ac necdum ſe illum dare: ſed daturum in futuro. *Panis*, ait, *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Cauſa autem hujus varietatis eſt, quod Chriſtus v. 27. & ſeq. voluerit auditores ſuos præmunire, & præpare ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ myſterium: nam in eo ſumme requiritur fides, & ſpiritalis manducatio, ſine qua realis & corporalis nil prodeſt, ut ait S. Auguſt.

Reſp. Secundo, negando antecedens. Chriſtus enim non dixit nos manducare ſe per fidem, ſed fidem requiſivit, tamquam medium ad obtinendum ab eo panem & cibum cæleſtem, qui non eſt alius, quam ejus caro & ſanguis in Euchariſtia, uti v. 27. & ſeq. annotavi.

Objiciunt Tertio: Chriſtus ait verſ. 64. *Spiritus* E
eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam, ſed il- Tertia.
lud verſ. 64. explicabo.

Ex dictis liquet, in Euchariſtia vere & proprie ipſiſſimam Chriſti carnem manducari, ejuſque ſanguinem bibi, non autem panem, qui ſit carnis Chriſti typus & figura dumtaxat, ut volunt Calviniſtæ. Nam figura Euchariſtiæ potius erat manna Judæorum, utpote cæleſte & ſapidiſſimum, quam panis Chriſtianorum vulgaris & aridus. Et ſi in Euchariſtia eſt nudus panis, non corpus Chriſti; ergo perperam Chriſtus Euchariſtiam præfert ipſi manna, utpote quod erat ſapidius & ſublimius pane. Atque ita Chriſtum intellexerunt Capharnaitæ & diſcipuli Chriſti, ſcilicet quod vellet vere & proprie carnem ſuam manducati, etſi modum manducandi ſacramentaliter, ſub ſpeciebus panis & vini ignorarent, nec eum, etiamſi explicuiſſet Chriſtus, hoc tempore capere potuiſſent; & tamen eos, licet graviter offenderentur, non correxit Chriſtus, cum hanc eorum offenſam & apoſtaſiam unico verbo impedire potuiſſet, & debuiſſet, dicendo ſe loqui myſtice, ſcilicet, quod manducare carnem ſuam non ſit aliud, quam F
credere ſe eſſe incarnatum & paſſum pro ſalute hominum. Cum ergo hoc non fecerit, certum eſt ipſum loqui de manducatione carnis ſuæ reali & ſacramentali in Euchariſtia. *Attende*, inquit Theoph. *quod panis, qui a nobis in myſteriis manducatur, non eſt tantum figuratio quedam corporis Domini, ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit; Panis, quem ego dabo figura eſt carnis, ſed, caro mea eſt. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem, & acceſſionem S. Spiritus, in carnem Domini. Et quomodo*, inquit, *non apparet nobis caro, ſed panis? ut non abhorreamus ab ejus eſu. Nam ſi quidem caro apparuiſſet, infuaviter affecti eſſemus erga communionem. Nunc autem condeſcendente Domino noſtræ infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus alioquin aſſueti ſumus.*

ET PANIS, QUEM EGO DABO, CARO MEA EST PRO Verſus
MUNDI VITA] Græca habent, *Panis autem, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*: itaque legit Syrus, Cyrill. Theoph. & Theodor. Arabic. *& panis, quem ego dabo, eſt corpus meum, quod ego do pro mundi vita*. Sic & Syrus. Senſus eſt. q. d. Panis, id eſt, G
cibus Euchariſtiæ, quem ego dabo in ultima cœna, eſt caro mea, quam ego dabo, id eſt offeram Deo in cruce, lytrum & pretium, ad mundum e morte redimendum, ut ſcilicet mundum peccato mortuum, ad vitam gratiæ & gloriæ reſuſcitem. Aut potius. q. d. Panis Euchariſtiæ, quem ego dabo in cibum pro mundi vita, erit hæc caro mea, quam in crucem & mortem quoque tradam pro mundi vita; ſed ita ut in cruce dem eam ad vitam perditam mundo reſtituendam; in Euchariſtia vero dem eam in cibum, ut mundus per mortem meam reſuſcitatus ad vitam gratiæ, in ea alatur, creſcat & perficiatur. q. d. Dabo veram carnem meam in cruce, quaſi frumentum in molendino, molendam & pinſendam, ut ex ea fiat panis Euchariſtiæ, frugifer & vitalis, alens fideles in vita gratiæ, ducenſque ad vitam gloriæ. Huc reſpiciens S. Ignatius jam damnatus ad leones, cum eos rugientes audiret: *Frumentum*, inquit, *Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molan, ut panis Chriſti mundus inveniar.*

Ex τῷ *dabo*, quod eſt futuri temporis, omnes veteres, H
& paſſim moderni hunc locum accipiunt de Euchariſtia, addunt que nonnulli, Chriſtum non tantum in cruce, ſed & in Euchariſtia dare, id eſt offerre Deo carnem ſuam pro mundi vita. Chriſtus enim non tantum in cruce obtulit ſe Deo, quaſi victimam cruentam pro mundi vita, ſed & pro eadem ſe offert quotidie in Euchariſtia, quaſi victimam incruentam. Eſt enim Euchariſtia ſive Miſſa, ſacrificium juge, ſed incruentum. *Non dixit*, inquit Euthym. *Panis, quem do, ſed quem dabo: daturus namque erat in ultima cœna, quando ſumptum panem actis gratiis fregit, deditque diſcipulis, & ait: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum*. Et mox: *Dabo in mortem. Hoc enim crucifixionem ſuam præſignat, & ultroneam paſſionem*: Audi & Theoph. *Quamvis & a Patre dicatur eſſe traditus; attamen & ſeipſum tradidiſſe dicitur: & illud quidem eſt, ut diſcamus ejus cum Patre concordiam; hoc autem, ut liberam voluntatem Filii non ignoremus.*

LITIGABANT ERGO JUDÆI AD INVICEM, DICENTES: QUO- Verſus
MODO POTEST HIC NOBIS CARNEM SUAM DARE AD MANDUCANDUM?] *Litigabant*, græce ἐμάχοντο, id eſt, pugnabant, verbis certabant, contendebant, rixabantur ad invicem, aliis Chriſtum accuſantibus, aliis eum defendentibus.

Quo-

A QUOMODO] Quando ſubit quæſtio, Quomodo aliquid fiat, ſimul ſubit & incredulitas, inquit Chryſ. *Nam cum oporteat eos*, ait Cyrill. *qui divinam virtutem Salvatoris, ac poteſtatem ſignorum miraculo perceperant, ſermonem ejus libenter ſuſcipere, & ſi quæ difficilia videbantur, eorum ſolutionem quærere, contra omnino faciunt: Et quomodo poteſt hic*, &c. S. Chryſ. *Si hoc inquiris*, ait, *cur non quoque idem in miraculo panum dixiſti, quomodo eos in tantum auxit? ex eo enim & hæc credere oportuit ei facilia factu eſſe.* Eſt ergo τὸ *quomodo* verbum Judaicum, & interrogatio infidelium. Audiant hoc hæretici, qui dicunt: Quomodo Chriſtus tantus totus eſſe poteſt in tam parva hoſtia? Dicant potius ipſi: Quomodo angelus totus eſt in puncto? Quomodo Deus eſt ubique? Quomodo anima tota eſt in toto corpore, & tota in ſingulis ejus partibus? Et ſi hæc dicere & capere nequeunt, quomodo capient myſterium Euchariſtiæ? Credant Deo omniporenti idipſum aſſeveranti, etſi modum non intelligant. Plura poteſt Deus facere, quam homo poſſit intelligere, ait S. Aug. *Oportet igitur nos*, ait Theoph. *cum audiverimus: Niſi ederitis carnem Filii, non habebitis vitam, in ſumptionibus divinorum myſteriorum, indubitatam retinere fidem, & non quærere, quo pacto.* Similiter Cyrill. *Sed nos magnum queſo apeccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem myſteriis adhibentes, numquam in tam ſublimibus rebus, illud Quomodo, aut cogitemus, aut proferamus: Judaicum enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicii cauſa.* Quocirca ſapienter concludit: *Cum Deus operatur, non quæramus quomodo, ſed operis ſui viam atque ſcientiam illi ſoli concedamus.*

Quomodo, infidelium interrogatio.

B

VERS. 54 DIXIT ERGO EIS JESUS: AMEN, AMEN DICO VOBIS: NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, ET BIBERITIS EJUS SANGUINEM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS] Audi S. Chryſ. & ex eo Euthym. *Ipſi quidem hoc impoſſibile judicabant, ipſe vero omnino poſſibile oſtendit, neque id tantum, ſed & neceſſarium. Et modum quidem, quo id fieri poſſit, non enodavit*, inquit Cyrill. *ſed fide quærendum hortatur: illi vero antequam crederent, importune quærebant.* Similiter S. Aug. *Quomodo quidem detur, & quiſnam modus ſit manducandi iſtum panem, ignoratis; Verumtamen niſi manducaveritis*, &c.

C

Præceptum Euchariſtiæ.

NISI MANDUCAVERITIS] Eſt hoc Chriſti præceptum de ſumenda Euchariſtia: quare ex ipſa verborum formula liquet illud ad ſolos adultos pertinere; licet enim nonnulli veteres idipſum quoque ad parvulos & infantes extenderint, quibus proinde reipſa quoque dabant Euchariſtiam, ut patet ex S. Aug. ep. 23. ad Bonifacium, & ex S. Cypr. tr. de Lapſis. Imo Coſtantinopoli & alibi, mos erat reliquias Euchariſtiæ dare pueris innocentibus & puris, quos e ſchola ad hoc vocabant in templum, ut liquet ex iis, quæ mox dicam de puero Judæo. Verum poſtea Eccleſia definivit parvulos, utpote necdum ratione utentes, hujus præcepti eſſe incapaces, & ad reverenter illud implendum parum habiles. Unde Conc. Trident. ſeſſ. 21. can. 4. *Si quis dixerit*, inquit, *parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem: anathema ſit.* Secus eſt de decreto Baptiſmi: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Joan. 3. 5. Ibi enim ex formula verborum liquet baptiſmum non tantum præcipi, ſed quoque ut medium ad ſalutem neceſſarium ſtatui, ideoque parvulos non poſſe ſalvari, niſi medio baptiſmo, licet ejus præcepto non obligentur, imo obligari nequeant. Alii hoc de manducanda Euchariſtia præceptum ad parvulos extenderunt, in ſenſu non litterali, ſed myſtico, ſcilicet parvulos debere manducare carnem Chriſti, id eſt, debere fieri participes corporis Chriſti myſtici, quod eſt Eccleſia, hoc eſt debere baptizari, ut Eccleſiæ & Chriſto per fidem, ſpem & charitatem eis in baptiſmo infuſam, incorporentur. Ita cenſet & explicat S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 53. Innocent. I. Pontifex ep. 93. ad Patres Concil. Milevitani, quæ extat ſuo ordine inter epiſtolas S. Auguſt. epiſt. 106. & lib. 1. contra 2. epiſt. Pelag. c. 12. Verum hoc remotum eſt & ſymbolicum, non litterale & genuinum.

Olim infantibus dabatur.

D

Dices, Parvuli debent uniri Eccleſiæ & Chriſto, atqui hæc unio eſt effectus & fructus Euchariſtiæ (ut docet Conc. Florent.) ergo illam debent ſumere, ut unionem hanc conſequantur. Reſp. parvulos uniri & incorporari Chriſto & Eccleſiæ per baptiſmum; perfectionem vero hujus unionis fieri in Euchariſtia, ejuſque eſſe effectum proprium & peculiarem: ſed hæc perfectio non exigitur a parvulis, nec neceſſaria eſt ad ſalutem, ita Suarez.

E

ET BIBERITIS EJUS SANGUINEM] Hinc Huſſitæ, Lutherus, Calvinus & alii contendunt laicis dandum quoque eſſe calicem Euchariſtiæ, ut communicent ſub utraque ſpecie. Verum contrarium habet uſus & definitio Eccleſiæ, quæ eſt optima S. Scripturæ interpres.

Hæreticorum objectio de utraque ſpecie laicis danda.

Reſp. ergo Primo, quoad rem ipſo Sacramento contentam, laicos quoque bibere ſanguinem Chriſti, cum corpus ejus ſumunt ſub ſpecie panis, quia ſub ea, vi conſecrationis ponitur corpus Chriſti; per concomitantiam vero ſub eadem ponitur ſanguis Chriſti, quia corpus Chriſti non eſt exangue, nec ſanguis a corpore Chriſti glorioſo ſeparari poteſt. Sicut ergo ſumens Euchariſtiam ſub ſpeciebus vini, vi conſecrationis verborum directe & primario ſumit ſanguinem Chriſti, concomitanter tamen ſumit & carnem Chriſti, quia ſanguis Chriſti ſine carne eſſe nequit; ſic viciſſim ſumens carnem Chriſti ſub ſpeciebus panis, directe ſumit carnem Chriſti, concomitanter tamen ſumit & ſanguinem. In ſpiritualibus enim & ſacramentalibus, æque ac divinis, idem eſt cibus & potus, ac conſequenter idem eſt comedere & bibere: quare qui unam tantum ſpeciem ſumit, tantum fructus & gratiæ percipit, quantum ille qui utramque ſumit, imo in rebus corporalibus idem lac ſimul eſt cibus & potus, idem panis vino intinctus ſimul cibat & potat, ſimul comeditur & bibitur, ſimul famem & ſitim reſtinguit. Quoad ſpecies vero ſacramenti, proprie dicitur quis comedere carnem Chriſti, cum eam ſub ſpecie panis manducat, bibere autem ejus ſanguinem, cum eum ſub ſpecie vini haurit.

F

An calix laicis præceptus? Reſp. negative.

Dices: Ergo laici debent utrumque facere, quia Chriſtus idipſum jubet hic. Reſp. τὸ *& biberitis*, hic & alibi ſæpe per hebraiſmum ſumitur pro, *aut biberitis*: Sufficit enim alteram ſpeciem ſumere, quia ſub qualibet totus & integer continetur Chriſtus. Sic dicitur Exod. 21. 13. *Qui percuſſerit patrem, & (id eſt vel) matrem, morte moriatur*: qui enim alterutrum percuſſerit, reus eſt mortis. Hic enim τὸ & licet disjungat partes ſubjecti, ſcilicet patrem & matrem, tamen conjungit & copulat eas in attributo, puta in pœna mortis, *Argentum & (id eſt vel) aurum non eſt mihi*. Act. 3. 6. Similia ſunt Exod. 22. 10. Ezech. 44. 22. & alibi. Ita hic quoque accipi poteſt, ex eo quod Chriſtus v. 51. & 58. de ſolo pane dicit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Et ita Chriſtum explicat Paulus dicens. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, 1. Cor. 11. 27. & Concil. Trident. ſeſſ. 21. can. 1. Bellar. Suarez, Toletus, Maldon. & alii.

G

Adde, ex hebraiſmo repetendum eſſe τὸ *niſi*, hoc modo: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & niſi biberitis ejus ſanguinem* hoc eſt, ſi neque manducaveritis, neque biberitis, &c. ſive, ſi non manducaveritis, aut non biberitis. Id patet ex Græco, qui pro *niſi* habet ἐὰν μὴ, id eſt, *ſi non* manducaveritis, & ſi non biberitis, hoc eſt, ſi neutrum feceritis: ſi videlicet nec manducaveritis, nec biberitis. Ratio a priori eſt, quod Chriſtus hic reſpondet Judæis inter ſe litigantibus, dicentibuſque de ſola carne Chriſti; *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* quibus ille reſpondet; *Amen, amen*, id eſt veriſſime & certiſſime, *dico vobis: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. Addit vero, *Et biberitis ejus ſanguinem*, ut convertit τὸ *niſi manducaveritis carnem*: caro enim vera & viva non eſt, quæ non habet ſanguinem, utque oſtendat ſuam liberalitatem, charitatem, & beneficii magnitudinem, qua in Euchariſtia plenam refectionem, quæ in cibo & potu conſiſtit fidelibus apparat. Hoc ergo magis ad beneficium, quam ad præceptum ſpectat.

H

Denique canon eſt S. Scripturæ traditus a S. Auguſtino lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 17. Multa præcepta in Scriptura dantur univerſæ Eccleſiæ, ſed implenda per aliquos, non per ſingulos. Tale eſt illud: *Creſcite & multiplicamini*, Geneſ. 1. Jubet enim ut aliqui ducant uxores & propagent genus humanum, non autem ut omnes & ſinguli id faciant. Sic hic: *Niſi manducaveritis*, &c. id eſt, niſi ſint aliqui (puta ſacerdotes) qui Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie ſumant, non habebitis vitam in vobis: quia ſi nulli tales ſint, conſequenter nulli erunt, qui Sacramentum conficiant, nulli qui miniſtrent; atque ita peribit totus fructus ſaluberrimi Sacramenti, inquit Bellarm. l. 4. de Euchariſt. c. 25. Sacerdotum enim eſt utramque ſpeciem conſecrare & ſumere, ut perfectum non tantum Sacramentum, ſed & ſacrificium conficiant,

hoc

Digitized by Google

A hoc enim utramque ſpeciem requirit, tum ut ſignificetur perfecta refectio (ſacrificium enim eſt quaſi cibus Dei) quæ in cibo & potu conſiſtit, tum ut perfecte repræſentetur paſſio & mors Chriſti, in qua ſanguis diviſus fuit a corpore Chriſti: ſicut vi conſecrationis verborum, ſeorſim conſecratur & ponitur caro ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini. Olim quidem laici ſubinde (non ſemper) communicabant ſub utraque ſpecie, in primitiva Eccleſia, ut patet ex S. Paulo 1. Cor. c. 11. 28. & ex S. Dionyſio de Cæleſti hierarch. c. 3. p. 3. & ex S. Cypriano ſerm. de lapſis. Verum creſcente numero fidelium, Eccleſia ob irreverentiæ periculum, varioſque abuſus, quos ſæpe experta fuerat, merito morem hunc ſuſtulit.

NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS] ſine Euchariſtia poſſe haberi vitam ſpiritalem, qua in gratia & charitate Dei vivat anima fidelis, patet in recens baptizatis; hic tamen dicitur ſine illa non poſſe vitam haberi: quia illa non poteſt diu retineri, foveri & ali ſine hoc cibo; maxime cum præceptum communicandi vel jure naturæ & divino, vel jure humano (Eccleſia enim ſanxit ut ſemel in anno, puta in Paſchate, quiſque communicet) ad eam ſumendam urget & obligat. Unde Rupertus: Non cenſetur, ait, non manducaſſe, niſi qui manducare noluit, qui non curavit, qui neglexit: ſic vulgo dicimus hominem ſine cibo non poſſe vivere, vel habere vitam, ſcilicet diu. Hinc S. Baſil. l. 1. de Baptiſm. *Qui*, inquit, *per baptiſma regeneratus eſt, participatione deineeps divinorum myſteriorum nutriri debet*. Simile dat Dion. Carthul. *Sicut*, ait, *corpus ſine corporeo cibo non ſuſtentatur, nec permanet in vita naturali: ita anima ſine hoc cibo vivifico non perſiſtit in vita gratiæ ſpiritualis*. Similiter Lyranus: *Sicut in vita corporali cibus eſt neceſſarius ad vitam conſervandam, ita in vita ſpirituali hoc Sacramentum eſt neceſſarium, quia eſt vitæ ſpiritualis conſervativum; quia ſicut baptiſmus eſt quædam ſpiritualis generatio, ita Euchariſtia eſt quædam ſpiritalis nutritio*.

Ex dictis liquet fructus & effectus Euchariſtiæ, per analogiam ex fructibus panis & cibi colligendos eſſe, quod enim panis & cibus præſtat corpori, hoc Euchariſtia præſtat animæ, ſubinde etiam corpori; ut ſcilicet corpus C quoque alat, vegetet, vivificet, imo quandoque morbos ſanet, & mortis pericula depellat. Quocirca ſolebant olim nonnulli navim conſcenſuri, Euchariſtiam ſecum deferre, ut illam in periculo ſumerent, imo periculum arcerent. Ita Gregorius S. Gregorii Nazianzeni pater, ardentiſſima & diuturna febri exhauſtus, mortique vicinus, ab ea liberatus, vitæque & ſanitati reſtitutus eſt per Euchariſtiam in die Paſchatis ſumptam, uti refert Nazianz. orat. quam habuit in funere patris. Idem ibidem narrat matrem ſuam a gravi & periculoſo morbo panibus a ſe ſacrificante conſecratis ſpiritualiter nutritam, convaluiſſe. Idem orat. in funere S. Gorgniæ ſororis ſuæ, teſtatur illam a membrorum omnium diſſolutione, ac graviſſimis cruciatibus, quibus affligebatur, per Euchariſtiam fuiſſe ſanatam. S. Ambr. orat. in obitu Satyri fratris ſui, teſtatur ipſum in naufragio a certo mortis periculo, per Euchariſtiam ad collum appenſam evaſiſſe & enatasſe. Simile maris periculum effugiſſe per Euchariſtiam Maximianum Syracuſæ Epiſcopum, narrat S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 36. Sub Juſtiniano Imper. Conſtantinopoli D Judæi cujuſdam filius, cum cæteris Chriſtianorum pueris, reliquias Euchariſtiæ more illius ævi ſumens, ideoque a patre Judæo in ardentem vitri fornacem (erat enim ipſe vitri conflator) conjectus, in illa virtute Euchariſtiæ vivus & illæſus ſervatus fuit, anno Domini 552. uti ex Evagrio lib. 4. c. 24. Greg. Turon. lib. 1. Mirac. cap. 10. Nicephoro lib. 17. cap. 25. narrat Baron. tom. 7. ad annum Chriſti 552. Denique audi S. Cyrillum hic lib. 4. c. 17. fructus & effectus Euchariſtiæ recenſentem: *Non mortem ſolum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec in quibus ſumus peccatis conſiderat: ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ovibus poſuit, ab omni nos erigit caſu*.

VERS. 55 QUI MANDUCAT MEAM CARNEM, ET (id eſt, vel) BIBIT MEUM SANGUINEM, HABET VITAM ÆTERNAM: ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE] *Manducat*; intellige, digne, ait Rupert. cum debita præparatione & purificatione, præmittendo actum contritionis, & confeſſionem Sacramentalem, ſi quis alicujus peccati mortalis ſibi ſit conſcius. Si enim poſt examen nullius ſibi ſit conſcius, & tamen revera ſit in peccato mortali ſibi occulto, communio Euchariſtiæ illud peccatum abolebit, & communicantem Dei gratiæ & charitati reſtituet, uti docet Suarez, & paſſim Theologi. Porro Synodus VI. Oecum. act. 8. hunc locum accipit de Euchariſtia, aſſeritque in ea carnem Chriſti dici vivificam, quia propria eſt Verbi, eique hypoſtatice unita. E

HABET VITAM ÆTERNAM] quia per Euchariſtiam recipit gratiam, quæ eum conſervet & ducat ad vitam æternam. Ita Dionyſ. Carthuſ. *Habet vitam æternam*, inquit, *quia habet meipſum, & habet vitam gratiæ, quæ virtute hujus Sacramenti continuatur, donec ad vitam gloriæ ſempiternæ pertingat*. Cauſam dat S. Cyrill. quia caro Chriſti eſt caro Dei, *quæ verbo Dei*, quod naturaliter vita eſt, conjuncta, vivifica effecta eſt. Euchariſtia ergo animam vivificat, quia gratiam conſervat, alit, auget; item peccata venialia abolet, mortalia quoque ſi quis illorum ſit oblitus: corpus vero a morte ſuſcitabit. Unde ſequitur: *Et ego reſuſcitabo eum*. Porro S. Bern. tr. de Diligendo Deo, Tropolog. hæc Chriſti verba ſic explicat; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Hoc eſt*, inquit, *qui recolit mortem meam & exemplo meo mortificat membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, habet vitam æternam*. F

ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE] quo paſſio Chriſti, æque ac Sacramenta, præſertim Euchariſtia, ultimum & perfectiſſimum ſui fructum & præmium in Sanctis conſequentur. *Ego*, qui realiter contineor & comedor in Euchariſtia, *reſuſcitabo* me comedentem; ut ſicut animæ confero ſuam gloriam, ſic ſimilem conferam & corpori: anima enim glorioſa exigit corpus glorioſum, ut totus homo ſit beatus. Audi S. Cyrill. *Ego, dixit, id eſt, corpus meum, quod comedetur, reſuſcitabo eum. Non enim alius ipſe eſt quam caro ſua. Non id dico, quia natura non ſit alius, ſed quia poſt incarnationem, in duos ſe dividi filios minime patitur. Ego igitur, inquit, qui homo factus ſum, per meam carnem in noviſſimo die comedentes reſuſcitabo: nempe impoſſibile omnino eſt, ne interitus & mors ab eo, qui naturaliter vita eſt, ſuperetur*. G

RESUSCITABO] ad immortalitatem & gloriam. *Ne putarent*, inquit S. Aug. *ſit in iſto cibo & potu promiſſi vitam æternam, ut qui eum ſumerent, jam nec corpore morerentur; huic cogitationi dignatus eſt occurrere, continuo ſubjiciens: Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die; ut habeat interim ſecundum ſpiritum vitam æternam, in requie, quæ Sanctorum ſpiritum ſuſcipit; quod autem ad corpus attinet, nec caro ejus vita æterna fraudetur, ſed in reſurrectione mortuorum in noviſſimo die*.

Quocirca Concil. Nicenum *Euchariſtiam* vocat *ſymbolum reſurrectionis*, & S. Ignat. ep. 14. ad Eph. nuncupat *pharmacum immortalitatis*, S. Cyrill. hic lib. 4. c. 16. nominat *cibum nutrientem ad immortalitatem & vitam æternam*, quæ latius explicat cap. 15. & lib. 10. cap. 13. Hinc S. Chryſ. l. 6. de Sacerdotio, aſſerit animas eorum qui hoc Sacramentum in fine vitæ ſuſcipiunt, ab angelis propter ſumptum hoc Sacramentum, hinc recta in cælum deduci: eorum vero corpora, ſatellitum more ſtipantibus angelis, cuſtodiri in vitam æternam. Nyſſenus vero Orat. catechef. c. 37. adjungit, *corpus noſtrum non poſſe conſequi immortalitatem, niſi corpori huic immortali Chriſti fuerit conjunctum*. Similia habet S. Cypr. ſer. de Cœna Domini, & Tertull. l. de Reſurrectione carnis. Imo S. Irenæus lib. 4. cap. 34. ex eo quo communicemus carni & ſanguini Chriſti immortalis, probat reſurrectionem, ſcilicet nos reſurrecturos ad vitam immortalem. Hæc omnia ſic accipe, non quod per Euchariſtiam conferatur corpori aliqua qualitas phyſica, cauſans reſurrectionem, vel donum aliquod ſupernaturale, quod ratione gratiæ, vel gloriæ animæ ſanctæ non debeatur; ſed quod reſurrectio debita gratiæ, detur etiam Sanctis alio titulo, qui proprius eſt & ſpecialis Euchariſtiæ, ſcilicet propter ſpecialem conjunctionem cum corpore Chriſti glorioſo factam per Euchariſtiam, idque inſtitutione & promiſſione Chriſti. Ita Suarez 3. p. q. 79. art. 8. diſp. 64. ſect. 2. Adde, quod Euchariſtia conſervet, alat & augeat gratiam, quæ ſemen eſt gloriæ. Euchariſtia ergo eſt cauſa inſtrumentalis reſurrectionis, ſed moralis, non phyſica; propter illam enim Chriſtus nos reſuſcitabit. Unde non ait: *Euchariſtia eum reſuſcitabit, ſed ego reſuſcitabo eum*.

CARO ENIM MEA, VERE EST CIBUS: ET SANGUIS MEUS, VERE EST POTUS] *Vere*, id eſt, *non parabolice, non enigmatice*, ait ex Chryſoſt. Euthymius, non figu-

rate,

A rate, sed vere & proprie ut verba sonant. Hinc S. Chrys. hom. 61. ad Populum docet, nos in Eucharistia, Christi carni non tantum, per amorem & voluntatis consensum, sed realiter quoque & substantialiter uniri & commisceri. *Propterea semetipsum*, inquit, *nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tamquam corpus capiti coaptatum; ardenter enim amantium hoc est. Hoc itaque Job insinuans dicebat de servis, quibus erat supra modum desiderabilis, quod desiderium ostendentes dicebant: Quis dederit nobis ex carnibus ejus impleri?* Job 31. Et paucis interjectis: *Non tantum se prebens cupientibus videndum, sed & palpandum & comedendum, & carni dentes infigere, & implicari, & omne desiderium implere. Tanquam leones igitur ignem spirantes, ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente revolventes, & charitatem quam nobis exhibuit.*

ERAS. 57 manet quid sic importet? B

QUI MANDUCAT MEAM CARNEM ET BIBIT MEUM SANGUINEM, IN ME MANET, ET EGO IN ILLO] Nota. Primo. Delectatur S. Joannes verbo *manet*, illoque aliquando significat moram & temporis durationem, ut cum c. 1. 33. ait: *Super quem videris spiritum descendentem & manentem*. Et c. 3. ult. *Ira Dei manet super eum*. Aliquando vero per το *manet*, insuper significat inhabitationem, & intimam conjunctionem, ut hic, & epist. 1. c. 3. 9. *Semen ipsius* (id est gratiæ Dei) *in eo manet*. Et c. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo*.

Nota Secundo, mansionem hanc, & conjunctionem animæ cum Christo in Eucharistia, non tantum fieri per ipsam Eucharistiam, per quam Joannes ait nos in Deo manere, & Deum in nobis; sed etiam, idque magis proprie, fieri per ipsam Eucharistiam, per quam Christus in ea latens realiter & corporaliter intrat in corpus nostrum, itaque Christus nobis, & nos carni Christi, ac consequenter personæ, divinitati & omnipotentiæ realiter unimur & commiscemur: sicut cibus realiter unitur & commiscetur stomacho & carni nostræ. Ita S. Chrys. *Dicit*, inquit, *in me manet, ut cum ipso se admisceri ostendat*. Euthym. *In me manet, unitur mihi per transumptionem & communicationem mee carnis, meique sanguinis, & unum corpus mecum efficitur*. Theoph. *Hoc loco discimus sacramentum communionis*, ait, *Nam qui edit & bibit carnem & sanguinem Domini, in ipso manet Dominus, & Dominus in ipso. Contemperatio enim fit nova & super rationem, ita ut sit Deus in nobis, & nos in Deo*. Similitudinem apposita ceræ affert S. Cyrill. hic l. 4. c. 34. *Sicut*, inquit, *si quis liquefactæ cere aliam ceram infuderis, alteram cum altera per totum commisceat necesse est; ita si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur*. Et paulo post: *Sicut parum* (ut ait Paulus) *fermenti totam massam fermentat, sic parvula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet: & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo. Vere enim parvum fermentum totam massam pertransit. Et sensus quidem loci hujus hic est*. Idem l. 10. c. 13. asserit, *non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alia cere similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utriusque factum videatur, sic communicatione corporis & sanguinis Christi, est ipse in nobis, & nos in ipsa*.

D Idem docet S. Hilarius lib. 8. de Trinitate, & S. Irenæus lib. 4. c. 34. Hinc S. Cyrillus Hierosol. catechesi 4. mystag. asseverat, nos in sacra communione fieri christiferos, imo concorporeos & consanguineos Christi. Porro Christus realiter in nobis manet, quamdiu species Sacramentales panis & vini in nobis manent, iis vero a stomacho digestis & consumptis, desinit quidem in nobis esse Christus homo substantialiter, sed tamen ex prævia ejus nobiscum unione & contactu fit, ut vita animæ spiritalis per gratiam alatur, roboretur & conservetur in æternum; corpori etiam quasi semen quoddam immortalitatis inseratur, semen inquam morale, non physicum, ut dixi, quale est meritum bonorum operum: sicut enim bonus opus post se relinquit meritum, quasi semen gloriæ, quod est quasi jus quoddam ad vitam æternam: sic simile jus novum, sibique proprium post se ad eamdem vitam, quasi semen gloriæ in nobis relinquit S. Eucharistiæ communio: jus enim hoc communicantibus assignat Christus, ex contactu & connexione sui corporis vivifici: decens enim & congruum est, ut Christus iis, in quibus seipsum impertit, vitam quoque suam glorioſam impertiat. *Oportuit enim certe*, ait Cyrill. *ut non solum anima per Spiritum sanctum in vitam beatam ascenderet, verum etiam ut rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu & cibo ad immortalitatem reduceretur*. Caro ergo Christi in Eucharistia est instrumentum morale resurrectionis. Vis & ejusdem causam physicam? Accipe. Physica. Deitas Christi in Eucharistia est causa physica resurrectionis. Quod ut a fundamentis intelligas. Nota, quod Christus qua Deus, per gratiam in Eucharistiæ sumptione homini datam & infusam, etiam consumptis calore stomachi Eucharistiæ speciebus, realiter inhabitat in homine, non tantum quasi in templo suo per charitatem, sed quoque quasi cibus in stomacho suo per alimoniam. Sicut enim cibus jam digestus, & in chilum commutatus, nutrit vegetatque stomachum, & per eum omnes artus & membra, in quos eum stomachus transmittit & dispergit: sic pariter deitas Christi cum carne ejus sumpta in Eucharistia, quasi cibus animæ & corporis, cum ab homine digeri consumique nequeat, manet jugiter in animæ quasi stomacho, eumque & per eum omnes animæ vires & potentias nutrit & vegetat. Et hoc est, quod ait hic Christus: *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in ea*. Deitas enim Christi, quasi cibus manet in anima semper eam alens, ac vicissim anima manet in deitate Christi, quasi in cibo immortali & vivifico, imo quasi in ipsa vita, qui continuo nos pascit & cibat influxu gratiæ habitualis, ac per stata tempora infusione novæ gratiæ actualis, puta novis sanctis illustrationibus, novis inspirationibus, novis piis affectibus & impulsibus in animam immissis, ut fiamus idem, quod ipse est, ait S. Gregorius Nyssen. id est, ut fiamus spiritales, sancti & divini, idque in dies magis & magis, atque ipsam Christi deitatem, quasi lignum vitæ, semper habeamus in stomacho tam corporis quam animæ, ut ipsa suo tempore, scilicet in die judicii, & communi resurrectione nobis communicet suam vitam immortalem, beatam & divinam: Sic medicina quandoque diu postquam sumpta, consumpta & digesta est, per virtutem, quam post se relinquit, operatur & sanat, imo prius sumentes facit ægriores, quia humores pravos exagitat, cum iisque pugnat, donec eos purget & expellat, quibus expulsis corpus pristinæ puritati & sanitati restituit.

Ordo rerum in cōmunione Eucharistiæ

Hic est ergo ordo rerum in communione Eucharistiæ, Primo, per Eucharistiæ sumptionem, Christi caro & sanguis, totusque Christus, id est, ejus humanitas & divinitas, quasi cibus ingreditur in stomachum nostrum, in eoque manet. Secundo, speciebus Eucharistiæ vi stomachi digestis, & in carnem nostram conversis (redit enim per Dei virtutem materia panis & vini, quæ in consecratione fuerat annihilata) Christi caro & humanitas in nobis esse desinit, sed deitas Christi, quasi cibus immortalis, manet in nobis: quæ exinde, Tertio, vitam suam supernaturalem animæ communicat, fovet & auget, cibando illam assidue eo modo, quo jam dixi. Quarto, eadem nostrum corpus in resurrectione a morte suscitabit, illudque animæ uniet, itaque toti homini vitam æternæ gloriæ conferet, eo quod Eucharistiam, saltem quoad deitatem Christi, quam continet, quasi cibum & pharmaceum immortalitatis, semper in corpore & anima habeamus, ac per illam Christus maneat in nobis, ut ipse hic asserit, nimirum quatenus ipse Deus est. Deus autem resurrectionis nostræ erit causa physica, sicut caro Christi ejusdem erit causa moralis; ac licet caro nostra prius moritura sit, ut mortua est caro Christi, cibus tamen hic Eucharistiæ, hoc est Christus qua Deus est, in homine semper manens, eum a morte suscitabit ad vitam æternam. Hoc est, quod ait Christus: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Ego sum panis vivus, qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum*: Christus enim qua Deus, non qua homo de cælo descendit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, scilicet quasi cibus jugiter eum alens & suscitans ad vitam æternam. Nec enim aliter hæc verba explicari queunt. Sicut ergo cibus, postquam digestus est, suam virtutem alendi relinquit in chilo, qui remanet; sic Eucharistiæ species postquam digestæ sunt, suam virtutem alendi in vitam æternam quodammodo relinquunt in deitate Christi, quæ cum gratia remanet: humanitas enim ejus, ex ipsius ordinatione, alligata est speciebus panis & vini, ut quamdiu illæ manent, maneat & ipsa, iis vero consumptis evanescat, uti docet S. Thom. ceteriique Theologi. Simili modo post opus bonum, manet in

Digitized by Google

A net in nobis non ſolum gratia habitualis, ſed & ipſa deitas, & tota SS. Trinitas, quæ nos efficit divinæ conſortes naturæ, ſuoſque filios, uti fuſe oſtendi Oſee 1. 10. ad illa: *Dicetur eis, filii Dei viventis:* rurſus oſtendem inferius c. 14. 23. ad illa. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Idipſum magis patebit ex v. 58. proxime hic ſequenti, & ex v. 64. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam.* Ubi Cyrill. per ſpiritum, accipit deitatem Chriſti: ſic & S. Aug.

Euchariſtia præſtat omni cibo. Primo.

Ubi obiter advertе triplex diſcrimen Euchariſtiæ & cibi communis. Primum eſt, quod cibus communis in nobis non maneat, ſed in chilum, hoc eſt materiam quaſi lacteam in ſtomacho, indeque in hepate in ſanguinem, ac tandem in membris ſingulis in carnem & ſubſtantiam hominis convertatur. At vero in Euchariſtia caro Chriſti non convertitur in ſubſtantiam manducantis, ſed incorrupta & immutata in ſe permanet, utpote immortalis & glorioſa. Hoc eſt, quod Chriſtus cuidam Sanctorum dixit: *Non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.*

Secundo. B

Secundum eſt, quod cibus communis ex ſe ſit inanimis, ſed animatur & vitam accipit a manducante. At caro Chriſti in Euchariſtia eſt animata & viva ac vivifica, vitamque dat manducanti.

Tertio.

Tertium, panis & cibus nullam ſui partem poſt ſe relinquit, quia totus convertitur in chilum, illique ſuam alendi virtutem communicat & transfundit. At caro Chriſti in Euchariſtia, conſumptis ſpeciebus panis evaneſcens, poſt ſe relinquit ſuam hypoſtaſim: puta Verbi perſonam, ejuſque divinitatem, ob quam Chriſtus dicitur hic manere in manducante, eumque reſuſcitare, & manducans in Chriſto. Ita Cyrill. & Patres ſuperius citati, ac S. Amb. l. 6. de Sacram. c. 1. quem audi: *Quomodo ergo deſcendit panis e cælo, & panis vivus? Quia idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, conſors eſt & divinitatis & corporis: & tu qui accipis ejus carnem, divinæ ejus ſubſtantiæ in illo participaris alimento.* Sic & Hil. l. 8. de Trinit. *Eſt*, inquit, *ipſe in nobis per carnem, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in Deo eſt.*

Vers. 58 C

SICUT MISIT ME VIVENS PATER, ET EGO VIVO PROPTER PATREM: (ſic) ET QUI MANDUCAT ME, ET IPSE VIVET PROPTER ME] *Miſit me*, in carnem & mundum, per incarnationem ad ſalutem hominum, *vivens Pater*, qui eſt ipſa vita divina ſubſtantialis & increata, ideoque qua *Pater*, me gignens eamdem numero mihi communicavit, ut ego ſimilem communicarem humanitati, ad quam aſſumendam me miſit, ut ego ſimilem vitam ſpiritalem, ſanctam, beatam & æternam fidelibus me manducantibus communicarem.

ET EGO VIVO PROPTER PATREM] id eſt, per Patrem, ex Patre. Pater enim me gignendo communicat mihi ſuam divinitatem, quæ per eſſentiam eſt vita. Genuit enim Deus Deum, vivens viventem. Filius ergo, ait Cyrillus lib. 4. cap. 18. *ſicut lumen de lumine eſt, ſic & vita de vita. Et quemadmodum quæ luce indigent, per Filium Pater illuminat, & ſapienter per eum facit: ſic quæ vita egent, per Filium ut per vitam ſuam, quæ ex ipſo emanat, vivificat.* Et poſt nonnulla. *Vivo*, inquit, *propter Patrem: nam quoniam vitæ, ſecundum naturam genitor meus eſt, & quia ego naturaliter ejus filius ſum; hanc naturæ ſuæ proprietatem, id eſt vitam, naturaliter mecum habeo.*

D

Hic Chriſtus dat cauſam, cur ipſe in Euchariſtia ſit panis vivus & vivificus, qui nos ſuſcitabit a morte in die judicii, ac ipſam vitæ & reſurrectionis originem fontemque aperit & aſſignat: Deus Pater enim eſt ipſa fontalis vita, juxta illud: *Quoniam apud te eſt fons vitæ*, Pſal. 35. 10. qui hanc vitam Filio ſuo cum eſſentia communicat: quo fit, ut ipſe Filius ſit fontalis vita. Quare ſicut Pater ſemper manens in Filio, ſempet hanc fontalem vitam Filio impertit, ſic & Filius miſſus a Patre in carnem, in eaque manens vitam hanc divinam carni & humanitati a ſe aſſumptæ aſſidue inſtillat, ac nobis illam in Euchariſtia ſumentibus continuo in nobis manens ſimilem vitam inſpirat. Vivet ergo *propter me*, ut ſicut Pater Filio ſuam communicat vitam, ita Chriſtus ſuam Chriſtiano eum rite ſuſcipienti. Unde D. Dionyſius Areop. de Eccl. hierarch. c. 1. docet ſacerdotem *in deitatis conſortium tranſire*; & c. 2. communionem eſſe *deificam*; & c. 3. eos qui digne communicant *per vitæ ſinceræ ac divinæ ſimilitudinem* Chriſto compaginari. Porro hoc facit Euchariſtia pueris & pœnitentibus. Unde S. Auguſt. ſerm. 1. de Temp. *Muſet*, inquit, *vitam, qui vult accipere vitam. Nam ſi non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam: & magis ipſa corrumpitur, quam ſanatur: magis occiditur, quam vivificatur.* Nam impuri & impœnitentes ex Euchariſtia non vitam ſed mortem corporis & animæ tam præſentem, quam æternam percipiunt. Unde S. Cyprian. ſerm. 5. de Lapſis, locutus de fœmina indigne communicante: *Non cibum*, inquit, *ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia, palpitans & trepidans concidit: & quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem.* Ita ille, ubi plures eventus non abſimiles enarrat Guilielmus Durandus in Rarion. divin. Offic. lib. 6. c. 10. refert eam peſtilentiam, quæ Romæ graſſata eſt tempore Pelagii Papæ uſque ad Gregor. Magnum, multaque hominum millia abſumpſit, divinitus fuiſſe immiſſam in pœnam eorum, qui poſt quadrageſimalia jejunia & Paſchalem communionem ad priſtina ſcelera redierunt. Morte enim plectendi erant, qui Euchariſtia, quæ eſt germana vita, abutebantur.

E

Senſus ergo eſt, q. d. Sicut Pater per ſeſe vivens, ipſaque eſſentialis vita, miſit me in hunc mundum, hominem me efficiens, & ob id, quod ab eo me gignente miſſus ſum, & homo factus vitam habeo a Patre vivente; vitam, inquam, tum humanam ab anima humana, ut explicat S. Auguſtinus, tum magis appoſite divinam conſortio divinitatis, cui humanitas mea hypoſtatice eſt conjuncta; ſemperque illi conjuncta manet: ita pariter qui me viventem manducat, etiam a me, ſemper quoad deitatem in ipſo manente, jugem vitam gratiæ & gloriæ accipiet, ac quoad corpus poſt mortem ab ea ad vitam beatam & æternam ſtato a me die ſuſcitabitur. Significat enim Chriſtus vitam, quæ originaliter eſt in Patre, per Filium & Euchariſtiam, quaſi per organum intermedium nobis communicari. Ita Leontius, Janſen. Franc. Lucas & alii, ſed præ aliis S. Cyrill. quem audi l. 4. c. 18. *Sicut homo factus ſum voluntate Patris, qui e naturali vita emanavi & homo factus vivo, corpuſque meum vita replevi: non aliter qui carnem meam manducat, propter me vivet. Mortalem enim carnem aſſumpſi: ſed quia naturaliter vita exiſtens, habito in ipſa, totam ad vitam meam reformavi; non enim ſum victus interitu carnis, ſed ut Deus omnem interitum & mortem ipſe ſuperavi.* Et paucis interjectis: *Quamvis miſit me Pater, id eſt homo factus ſum; vivo tamen propter Patrem, id eſt genitoris naturam ad unguem conſervo: ſic qui manducatione carnis meæ me recipiet, vivet profecto totus ad me reformatus; qui vivificare poſſum, quoniam ex vivo Patre ſum.* Addit ſimile ferri igniti: ſicut enim ignis ferro ignito ſuum calorem communicat, ſic Chriſtus vivens ſuam vitam nobis in Euchariſtia impertitur. Hoc admiratus S. Aug. l. 7. Confeſſ. c. 10. exclamat: *O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas: contremui amore, & horrore, tamquam audirem vocem tuam de excelſo: Cibus ſum grandium: creſce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

F

Nota hic gradationem, qua vita a Deo, quaſi per ſcalas gradatim ad nos deſcendit. Primus enim gradus eſt, quo Pater Filio vitam ſuam divinam communicat. Secundus, quo Filius vitam eamdem humanitati a ſe aſſumptæ per communicationem idiomatum impertit. Tertius, quo eidem vitam participatam, puta gratiæ & gloriæ, inſpirat. Quartus, quo non æqualem, ſed ſimilem nobis in Euchariſtia inſtillat.

H

Denique ſignificat hic Chriſtus id, quod dixi v. præced. deitatem ſuam, quæ poſt Euchariſtiæ ſumptionem jugiter, etiam conſumptis ſpeciebus in nobis manet, aſſidue in nos influere vitam gratiæ, ac poſt mortem nos ab ea ad vitam immortalem ſuſcitaturam. Hoc eſt enim, quod ait: *Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* q. d. Quia ego deitatem, quæ mera eſt vita, a Patre accipio, idcirco qui manducat me, & ipſe vivet propter me; mea enim deitas in ipſo manens, jugiter animæ ipſius vitalis gratiæ afflatus inſpirabit; corpus vero poſt mortem ab ea vitam beatam ſuſcitabit. Sicut vis ſeminalis latens in corde ſeminis tritici per hiemem quaſi mortui, in vere per calorem ſolis virtutem ſuam explicans, granum ipſum tritici quaſi a morte ſuſcitat, dum illud germinare facit, ut pro uno triginta & ſexaginta producat.

Vers. 59

HIC EST PANIS, QUI DE CÆLO DESCENDIT. NON SICUT MANDUCAVERUNT PATRES VESTRI MANNA, ET MORTUI SUNT. QUI MANDUCAT HUNC PANEM, VIVET IN ÆTERNUM] Idem hic inſinuat, quod jam dixi in fine verſus præced. Chriſtus enim non qua homo, ſed qua Deus,

Digitized by Google

A Deus, e cælo descendit: quare qui ipsum in Eucharistia manducat, vivet in æternum; quia scilicet Deum & deitatem manducat, quæ manducanti semper præsens & assistens, jugiter suam vitam illi aspirat. Audi S. Ambros. serm. 18. in Ps. 118. *Quomodo*, inquit, *morietur cui cibus vita est?* Et mox mirabiles ejus effectus enarrans: *Accedite*, inquit, *ad eum, & satiamini, quia panis est: accedite ad eum, & potate, quia fons est: accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est: accedite ad eum, & liberamini, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas: accedite ad eum, & absolvimini, quia remissio peccatorum est.* Et S. Bernardus serm. de cœna Domini: *Duo*, inquit, *illud Sacramentum operatur in vobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.* Et post pauca: *Si quis vestrum*, inquit, *non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iræ, fundit motus, invidiæ, luxuriæ, ac ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Et S. Chrys. in Ps. 22. 5. ad illa: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me*, ait. *Qui tribulationes carnis habent, veniant ad mensam potentis, & tribulationes fient consolationes.* Denique S. Cyrillus hic l. 3. c. 37. *Vivificat*, inquit, *corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cujusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum potestate illius; quo universa vivunt & sunt.*

B

VERS. 60 HÆC DIXIT IN SYNAGOGA DOCENS, IN CAPHARNAUM] q. d. Hæc Christus non secreto, nec in angulo, sed in publica synagoga coram Scribis, sacerdotibus, totoque populo confluente dixit & docuit. Synagoga enim erat quasi Ecclesia, vel publica schola populi.

IN CAPHARNAUM] *Ubi multa miracula fecerat, & proinde maxime audiendus erat*, ait Chrys. Quia enim paradoxa & Judæis incredibilia videbantur, quæ Christus de carne sua comedenda, ac nos a morte ad vitam perennem suscitatura dixerat: hinc voluit ea edicere eo loci, ubi tot miraculis sibi suæque doctrinæ fidem fecerat, & auctoritatem conciliarat.

VERS. 61 C MULTI ERGO AUDIENTES EX DISCIPULIS EJUS DIXERUNT; DURUS EST HIC SERMO, ET QUIS POTEST EUM AUDIRE?] *Durus*, græce, σκληρὸς, id est, austerus, durus, rigidus, strigosus, immitis. Arabicus, *difficilis*; Euthymius, *agre admitti potest*; Theophylactus, *asper, & qui suscipi nequeat.*

Durus incredulis videtur sermo Christi.

ET QUIS POTEST EUM AUDIRE?] Quis non dico eum facere, sed vel aures admittere sustineat? q. d. Hæc, quæ Jesus dixit de carne sua manducanda, ac præsertim præceptum ejus de illa comedenda v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; videntur creditu difficilia, & practicatu horribilia. Quis enim lanio Christum mactabit & laniabit? quis carnem humanam vorare, quis sanguinem humanum potare sustineat? Hæc enim horrida & barbara videntur, hæ sunt Thyestææ cœnæ, hæc Anthropophagorum convivia, uti postea Ethnici Christianis objectarunt, non intelligentes carnis Christi in Eucharistia mysterium; ideoque Capharnaitas hosce imitantes, teste Tertull. Eusebio, Arnobio, Athenagora, & aliis in Apolog.

D Durus erat hic sermo non in se, sed Judæis crassis & duris, qui putabant carnem Christi laniari, dentibus discerpi & comminui debere instar carnis bubulæ; sed errabant. Nec enim Christus hoc dixerat, nec dicere intendebat, sed volebat nos carnem suam comedere sacramentaliter, hoc est, in Sacramento sub speciebus panis & vini absconditam, quod nullum habet horrorem; sed facillimum & suavissimum esse quotidie sacrificantes & communicantes experimur. Debebant ergo Judæi modum hunc a Christo sibi explicari, humiliter postulare: quod si fecissent, audissent, capere potuissent, nec durum dixissent. Ita S. Cyrill. *Ad immanes*, inquit, *ferarum mores vocari se arbitrabantur, incitarique ut vellent crudas hominis carnes manducare, & sanguinem bibere, quæ vel auditu horribilia sunt. Illud etiam ad hæc cogitabant, quomodo caro hujus hominis æternam nobis vitam largiretur, aut quomodo ad immortalitatem adducere poterit?*

VERS. 62 SCIENS AUTEM JESUS APUD SEMETIPSUM, (græce, ἐν ἑαυτῷ, id est, *in seipso*; Syrus, *in anima sua*; Arabicus, *in semetipso*, id est, per se, per omniscientiam suam, sine alio nunciante vel revelante: *hoc enim erat divinitatis argumentum, quæ secreta revelaret*, ait Chrys.) QUIA MURMURARENT DE HOC DISCIPULI EJUS, DIXIT EIS: HOC VOS SCANDALIZAT?] Syrus, *offendit*. q. d: Ego tot mira & magna facio, quia ad hoc missus sum a Patre, uti per tot miracula probavi: ergo meis dictis & factis scandalizari & offendi non debetis, sed potius lumen & gratiam a Deo, qui me misit, flagitare, ut illa capere possitis. E

SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM UBI ERAT PRIUS:] *Loquitur de futura sua in cælum assumptione*, ait Euthym. Hanc enim aliqui ex iis, puta Apostoli & fideles, viderunt, alii non credentes etsi non viderunt, ab iis tamen qui viderant, audire, & certo discere potuerunt. VERS. 63

UBI ERAT PRIUS] *quoad divinitatem*, ait Euthymius: in cælum enim ascendit quoad humanitatem, subaudi: *quid dicetis?* ait Euthym. adhucne scandalizabimini? credo quod non; certe scio quod jure & merito non facietis. Nam ex meo in cœlum per propriam virtutem ascensu cognoscere poteritis, me e cælo descendisse, eoque redire, ubi eram prius, ac proinde me non tantum esse veracem, verumque Prophetam, sed etiam esse Deum, Deique Filium, cui omnia sunt factu possibilia, imo facilia, ac proinde me posse carnem meam dare in cibum, ac per illam mortuos suscitare. Ex miraculo ascensus sui in cælum recte probat Christus suam deitatem & omnipotentiam, ac proinde mysterium Eucharistiæ; Deitati enim nil impossibile est, nil novum, nil paradoxum, imo deitatem nova & paradoxa, quæ naturam & rationem humanam superant, facere decet. Ita S. Cyrillus: *Alia eos*, inquit, *re mirabili ad fidem impellit*, eaque apposita. Ascensus enim Christi in cælum significabat eum e cælo descendisse (redibat enim eo unde venerat) ac proinde ipsum esse panem vivum, qui de cælo descendit, quod ipse hic Capharnaitis persuadere volebat. F

Aliter Maldonatus, q. d. Cum audieritis me in cælum ascendisse, quid dicetis? utique magis scandalizabimini, minus mihi credetis, magum esse dicetis, qui ope dæmonum instar Simonis Magi in cælum volare me simularim.

SPIRITUS EST, QUI VIVIFICAT: CARO (Arabic. *corpus*) NON PRODEST QUIDQUAM. VERBA, QUÆ EGO LOCUTUS SUM VOBIS, SPIRITUS ET VITA SUNT] Syrus, *Spiritus sunt & vita sunt*. Hæc Christi verba nobis objectant Calvinistæ, ut probent in Eucharistia realiter & corporaliter non esse carnem Christi, sed tantum spiritaliter & typice per repræsentationem & fidem, quia inquiunt, *caro non prodest quidquam*. Sed si hoc verum est, ergo frustra Verbum caro factum est, ergo frustra caro Christi passa, crucifixa, & mortua est: quod absit. Et quis non videt carnem Christi plus prodesse, quam panem merum Calvini, esto melle & saccharo ex gula Calvini conditum? In pane enim ipsius nullus est spiritus, nisi erroris & furoris satanæ. VERS. 64 G

Caro non prodest. quo sensu.

Primo, ergo S. Cyrill. S. Aug. Leont. & Rupert. docte hæc verba sic exponunt, q. d. Christus: Caro mea sola non prodest ad servandum eum, qui comederit, in vitam æternam, quia mera caro mea vitam & resurrectionem non confert, sed spiritus: id est, deitas mea carni conjuncta, vivificat tum animam, tum corpus in resurrectione: & sic caro mea prodest plurimum, quatenus scilicet spiritui Verbi copulata, ex eo haurit vim vivificandi. Simili phrasi sensuque dicimus, oculus non videt, auris non audit, corpus non sentit, sed spiritus, id est, anima est, quæ per oculum videt, per aurem audit, per corpus sentit. Et consequenter: *Verba*, id est res & mysteria carnis meæ in Eucharistia manducandæ, *quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est, sunt spiritus vivus & vivificans, scilicet ipsa deitas mea, quæ purus est spiritus: hæc enim vos in Eucharistia vivificabit, non vero nuda caro mea. Ita S. Aug. *Caro sola*, inquit, *non prodest, sed accedat Spiritus ad carnem, & prodest plurimum. Nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret.* Idem l. 10. de Civit. c. 24. *Caro*, ait, *non per seipsam mundat, sed per Verbum, a quo suscepta est.* Et S. Cyrill. *Caro*, inquit, *si sola intelligitur, nihil prorsus vivificare potest, quippe quæ vivificante indiget, sed quoniam cum vivificante Verbo conjuncta est, tota est effecta vivifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam junctum Dei Verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem elevata est. Quamvis ergo natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat; facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit.*

Respondet enim hic Christus Capharnaitis murmurantibus, quomodo caro Christi comesta posset dare vitam æternam. Verum quia Capharnaitæ magis murmurabant de ista comestione carnis Christi, ejusque modo, quem carnalem

Resp. Primo. H

A nalem & ferinum ſibi imaginabantur, quod ſcilicet caro Chriſti inſtar carnis vaccinæ deberet mactari, laniari, dentibus conteri & diſcerpi, ut patet v. 52. & 60. *Quomodo*, inquiunt, *poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandũ?* Et v. 61. *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Videtur enim quid inhumanum & barbarum exigere, ut carnem humanam Chriſti laniemus & voremur inſtar luporũ. Hinc.

Secundo. Secundo, aptius & facilius: *caro*, id eſt, carnalis intelligentia, qua ſcilicet vos putatis carnem meam inſtar carnis ovillæ viſibiliter ſcindendam, maſticandam, & manducandam eſſe, *non prodeſt quidquam* ad conferendum vitam æternam; ſed ſpiritus & ſpiritalis intelligentia, qua credimus carnem Chriſti divinitati unitam ſpiritali, id eſt, Sacramentali modo, ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia velatam & occultatam manducandam eſſe; hæc vitam dat animæ & corpori. Ita S. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Nec aliud vult S. Aug. in Pſ. 98. ſi attente legatur, ait enim: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; ſpiritaliter intellectum vivificabit vos. Et ſi neceſſe eſt, illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inviſibiliter intelligi.* Quæ verba Calviniſtæ ſic accipiunt, q. d. In Euchariſtia comedimus carnem Chriſti, non realiter, ſed figurate & myſtice per fidem. Sed errant. Senſus enim Aug. eſt. q. d. In Euchariſtia non comedimus carnem Chriſti, viſibiliter eam laniando, ſcindendo, maſticando, uti intelligebant Capharnaitæ; ſed ſub ſacramento, id eſt, ſacramentaliter & inviſibiliter, ſub ſpeciebus panis & vini latentem & occultatam. Nam alioqui S. Auguſt. repugnaret ſibi ipſi ſerm. 1. in Pſal. 33. & lib. 22. Civit. cap. 8. & alibi, ubi manifeſte adſtruit veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia.

B Unde ſubdit Chriſtus: *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt: ſpiritus*, id eſt, ſpiritalia ſunt, & ſpiritaliter, id eſt ſacramentaliter, intelligenda, eo modo, quo jam explicui, non vero carnaliter, uti vos Capharnaitæ quaſi macellarii intelligitis; itaque *ſunt vita*, id eſt vitalia, & vitam audienti meque manducanti conferunt. Eſt hebraiſmus: ponitur enim abſtractum pro concreto. Sic ſæpe alibi *caro* & *ſpiritus* ſumuntur pro carnali & ſpiritali in-

C tellectu & ſenſu, ut 2. Cor. 3. 6. *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Matt. 16. 17. *Caro & ſanguis non revelavit tibi*, & alibi. Porro familiare eſt S. Scripturam ludere in ſignificatis verborum. Unde non mirum carnem hic aliter ſumi, quam ſumatur v. 56. & ſeq. *Caro mea vere eſt cibus*: ibi enim vera caro intelligitur, hic vero myſtica. Sic Chriſtus luſit in aqua, cap. 4. a corporali aſſurgens ad ſpiritalem. Sic luſit Apoſtolus in voce *peccatum*, 2. Cor. 5. ultim. dicens: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (id eſt, hoſtiam pro peccato) *fecit*.

Tertio. Tertio, pleniſſimus erit ſenſus, ſi utrumque jam datum jungas, & in unum cum Beda confles. q. d. Virtus vivificandi, quam habet caro mea comeſta in Euchariſtia, non tam manat a carne, quam a ſpiritu Verbi, qui eſt vivus, & vivificans: ac conſequenter hæc carnis meæ manducatio non fit modo carnali, lanionum, ſed modo ſpiritali & ſpiritui accommodato, ſcilicet occulte & ſacramentaliter. Utriſq; enim contrarium ex verbis Chriſti craſſe intellectis, allegabant & averſabantur Capharnaitæ, ut patet ex dictis.

D Atque ſic hic ſpiritalis, id eſt Sacramentalis comedendi carnem Chriſti modus, ſumendo ſpecies panis & vini, ſub quibus realiter latet corpus & ſanguis Chriſti, ipſaq; deitas, nullum horrorem comedenti, nullam etiam læſionem aut noxam carni Chriſti comeſtæ infert. Latet enim hic Chriſtus, eſtque inviſibilis & indiviſibilis inſtar angeli. Ita Euth. *Spiritualia*, ait, *& vivifica ſunt. Oportet namq; non ſimpliciter eo intueri (id enim eſt carnaliter intelligere) ſed aliud quippiã imaginari, & interioribus oculis ea aſpicere tamquã myſteria*

VERS. 65 SED SUNT QUIDAM EX VOBIS, QUI NON CREDUNT] q. d. Cauſa, cur quidam ex vobis verba mea de Euchariſtia non capiant & averſentur, non eſt, quod meus ſermo ſit durus, ut dicitis, ſed quia eſtis incredeli, & tot meis miraculis ſignisque credere non vultis; humili enim fide hic opus eſt, illaque humili prece a Deo Patre poſtulanda & expectanda eſt: vobis autem humilitas tam precis quam fidei deeſt, ideoque nec oratis Deum, nec creditis mihi. S. Aug. Beda, & Rupert.

SCIEBAT ENIM AB INITIO (ſuæ prædicationis & converſationis cum ſuis diſcipulis: ita S. Chryſ.) JESUS, QUI ESSENT NON CREDENTES (futuri, id eſt, crediturі, vel in fide non perſeveraturi, q. d. Chriſtus, quia Deus, præſciebat futura ab æterno, & hanc præſcientiam humanitati ſuæ communicabat ab initio conceptionis ejuſdem) ET E QUIS TRADITURUS ESSET EUM] Hac voce innuit Joannes Judam traditorem fuiſſe unum e non credentibus; nimirum eum Chriſti ſermone de carne ejus comedenda offenſum, averſionem a Chriſto concepiſſe, illamque foviſſe, ac tandem in proditionem ejus erupiſſe. Hoc enim verborum connexio hic exigit: alioqui impertinens eſſet hic traditoris mentio, niſi Judas ex ſermone hoc Chriſti incredulitatis, indeque proditionis ſumpſiſſet originem. Ita S. Auguſt. Beda, Franc. Lucas, Emmanuel Sa, & alii.

Addit hoc Chriſtus, ne putetur Judam admiſiſſe ad apoſtolatum inſcius & ignarus futuræ ejus proditionis, ſed eam præſciviſſe, ac conſulto permiſiſſe, ut per eam paſſio ſua, & redemptio hominum per eam a Deo decreta, impleretur.

ET DICEBAT: PROPTEREA DIXI VOBIS, QUIA NEMO VERS. 66 POTEST VENIRE AD ME, NISI FUERIT EI DATUM A PATRE MEO] *Niſi* ſcilicet *Pater traxerit eum*, ut dixit v. 44. Vide ibi dicta. Modeſte Chriſtus incredulitatem Judæorum non tribuit culpæ incredulorum, ſed ipſos excuſat, quod eis non ſit datum a Patre, ac ſimul ſeipſum ſolatur. q. d. Non me torqueo, non triſtor, quod multi mihi non credat, ſed conſolor me, quod Pater eos, quos elegit, faciet mihi credere, illoſque ad me venire faciet; quibus ego contentus ſum, cæteros non ambio: quia quos vult Pater, hos volo & ego, quos ipſe non vult, ego quoque nolo. Peccabant tamen qui nolebant venire, id eſt, credere in Chriſtum, tum quia habebant gratiam ſufficientem, qua poſſent credere ſi vellent; etſi non haberent efficaciam, qua reipſa & actu crederent, tum quia humiliter non petebant a Deo gratiam efficacem, qua actu crederent: tum quia ſua ſuperbia, aliiſque peccatis illa gratia ſe fecerant indignos, imo pervicaces Dei gratiam & fidem repellebant & refutabant, uti docte explicat S. Cyprian. l. 1. ep. 3. ad Cornelium.

Ex HOC (tempore, ait Euthym. & alii: aliter Syrus *propter hunc ſermonem*: Arab. *propter hoc*] MULTI DISCIPULORUM VERS. 67 EJUS ABIERUNT RETRO (reliquerunt Jeſum) ET JAM NON CUM ILLO AMBULABANT] Diſcipuli hi non fuere Apoſtoli: nam hos excipit Chriſtus v. ſeq. nec 72. Chriſti diſcipuli. Hi enim necdũ a Chriſto erant deſignati & electi: ſed conſtantiores Chriſti auditores & aſſeclæ, *qui*, ut ait Theoph. *ſequebantur eum in ordine diſcipulorum, & manebant apud eum longiori tempore, quam turbæ, itaque ad reliquam turbam collati audiebantur ejus diſcipuli*. Hi ergo hucuſque Chriſti doctrina ſuavi allecti panibus ab eo per miraculum multiplicatis paſti, & deinceps ab eo ſimilem paſtum ſperantes, cum audirent Chriſtum in locũ panis ſurrogare ſuam carnẽ, eamq; ab eis manducari velle, ipſum putarunt vel inſanire, vel horrenda quædam & ferina machinari, ac forte conjurationem aliquam contra Romanos moliri, eamque hauſtu carnis & ſanguinis ſui ſancire, uti paulo ante Romæ fecerat Catilina, cujus conjurationem detexit & oppreſſit Cicero: hac de cauſa, ut ſibi conſulerent, a Chriſto defecerunt.

Unum ex his fuiſſe S. Marcum, qui poſtea a S. Petro revocatus Evangelium ſcripſerit, factuſque ſit Evangeliſta, diſerte tradit S. Epiph. hæreſi 51. ſed alii repugnant, qui aſſerunt S. Marcum non vidiſſe, nec audiſſe Chriſtum, ſed poſt ejus mortem converſum fuiſſe a S. Petro. Ita S. Hier. in Script. Eccleſ. in Marco, Theodor. in præf. Hiſtor. SS. Patrum, & paſſim interpretes in illud S. Petri ep. 1. c. 5. 13. *Salutat vos Marcus filius meus*.

DIXIT ERGO JESUS AD DUODECIM (Syrus, *dodecadi ſua*; Arabic. *ad congregationem duodecim*, id eſt ad cœtum 12. Apoſtolorum) NUMQUID ET VOS VULTIS ABIRE?] VERS. 68 Aliis ergo ſcandalizatis & offenſis a Chriſto abeuntibus cum illo *duodecim remanſerunt*, ait S. Aug. *nam neque Judas receſſit*, partim ex verecundia, ne ſolus ex Apoſtolis abiret, audiretque apoſtata, partim ut otioſus a Chriſto aleretur, uti hactenus alitus fuerat, utque geſtans loculos, quaſi procurator familiæ Chriſti, inde nummos ſibi ſuriperet, ſeque ditaret: erat enim fur.

Quærit hoc Chriſtus a duodecim Apoſtolis quinque de cauſis. Prima eſt, ut eos ſuæ libertati relinqueret, q. d. Optionem vobis do, ſi vultis abire, abite; ſi mecum manere: manete: nolo enim vos vi aut verecundia detinere. Audi Chryſ. *Neque adulatus* eſt Jeſus, neque *expulit*, *ſed interrogavit, non quod eos contemneret, ſed ne vi tenere viderentur*. Nam ſi inviti manſiſſent, perinde fuiſſet ac ſi abiiſſent.

Secunda, ut ſuam magnanimitatem oſtenderet, nec ſe egere Apoſtolorum opera, utpote qui per ſe omnia poſſet, ideoque illis dimiſſis, alios meliores ſubſtitueret, ſi vellet.

Ter-

Digitized by Google

A Tertia, ut intelligerent Apostoli, se manendo non commendare, nec gratiam exhibere Jesu, sed sibi ipsis, *eo quod beneficium potius accipiant, quam præstent*, ait Theophyl.

Quarta, ut hac libertate magis eos sibi devinciret, & ad manendum invitaret. Fit enim sæpe ex naturæ affectu, ut rogati nolimus, non rogati velimus, ut invitati fugiamus, non invitati accedamus: nimirum,

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Quinta, ut hac interrogatione eorum affectum probaret, constantiam exploraret, ac rectæ de se fidei confessionem ab eis exprimeret. Ita Cyrill. uti de facto expressisse patet ex vers. sequenti.

VERS. 69 RESPONDIT EGO EI SIMON PETRUS: DOMINE, AD QUEM IBIMUS? VERBA VITÆ ÆTERNÆ (effectricia, scilicet si quis eis credat & obediat) HABES] *Petrus* quasi ordine major, ait S. Cyrill. fide firmior, Jesu amantior, spiritu ferventior, nomine cæterorum Apostolorum respondit, existimans hanc omnium esse mentem & sensum: quod enim ipse sentiebat de Jesu, hoc collegas suos de eodem sentire censebat.

Petrus pro cæteris Christo respondet.

B AD QUEM IBIMUS] q.d. ait S. Aug. *Repellis nos a te: da nobis alterum te: ad quem ibimus, si te relinquamus?* unde S. Chrys. *Multæ amicitiæ*, ait, *est hoc verbum: honorabilior enim Christus erat, quam pater & mater.*

VERBA VITÆ ÆTERNÆ HABES] Primo, q.d. Verba tua, o Jesu, sunt suavia, grata, vivifica, quia identidem promittunt vitam æternam. Quis ergo nisi stolidus illa relinquat, & alio abeat? Ita Cyrill. *Non dura*, inquit, *ut illi* (Capharnaitæ) *dicunt verba, sed æterna vitæ habes, quæ conducere credentes possunt ad vitam incorruptibilem*: quare quæ de carne tua manducanda dixisti, ut per eam consequamur vitam æternam, etsi necdum satis intelligo, non tamen iis scandalizor vel offendor, sed firmiter credo esse vera, suo tempore illa me plenius intellecturum non dubitans, & ut id facias tacite rogans, & obsecrans.

Secundo, q.d. Verbis tuis, o Jesu, promittis nobis vitam æternam, si carnem tuam comedamus; hæc verba nos ad te alliciunt, & uniunt potius quam abigunt. Quis enim non optet vitam æternam, & modum illam adipiscendi? unde Arabic. vertit, *ad quem ibimus, cum verba vitæ æternæ sint tibi?*

C Tertio, q.d. In manu tua est vita æterna, ut eam des cuicumque & quomodocumque volueris (te ergo solum sequimur) quia a te solo speramus vitam æternam: hanc enim nec philosophi credere potuerunt, nec Judæi sperare, nec Moses promittere. *Hinc* discimus, ait Cyrill. *unum dumtaxat Christum sequendum esse magistrum, qui ad vitam æternam deducere potest.*

Quarto, *verba vitæ æternæ habes*, quia tu es vita æterna, ideo in carne & sanguine tuo non das nisi quod es, ait ex S. Aug. Inter lin. q.d. Tu es verbum Patris, ideoque habes in te vitam æternam, quia tu es ipsa vita æterna. Quid mirum ergo si manducantibus te conferas vitam æternam? confers enim idipsum quod es.

VERS. 70 ET NOS CREDIDIMUS (Syrus *credimus*) ET COGNOVIMUS (Arab. *certi sumus*) QUIA TU ES CHRISTUS FILIUS DEI] Græce in singulis verbis est articulus ὁ χριστὸς, id est ille Christus, a Deo scilicet promissus, & tot sæculis exspectatus: ὁ υἱὸς, id est ille Filius, scilicet naturalis, & proprius per substantiam, non adoptivus per gratiam. *Illud diligenter considera*, inquit Cyr. *quod ubique præcipue cum præpositione articuli. Tu es ipse Christus, dicunt ipse Dei vivi*

D *Filius, ab aliis filiis Dei, qui vocati per gratiam adoptati sunt, vere ac naturaliter Filium separantes, cui nos conjuncti per similitudinem Filii dicimur.*

COGNOVIMUS] ex testimonio Joannis Baptistæ, Prophetæ & magistri nostri, ex tot tantisque miraculis, quæ patrasti, ex doctrina tua cælesti, ex vitæ tuæ sanctitate, & ex moribus tuis, quos assidue tecum conversantes experimur esse cælestes, angelicos & divinos.

FILIUS DEI] Græca addunt, τοῦ ζῶντος, id est, viventis. Sic & Syrus & Arabic. q.d. Credimus te esse Filium Dei: quare pariter credimus omnia tua dicta esse divina, & verissima, etiamsi ea non intelligamus, ideoque esse vivifica, ac salutem & vitam æternam conferre, quia tu es Filius Dei vivi, qui scilicet per essentiam est vita, quam ipse tibi communicat, ac proinde nil a te nisi vitale & vivificum prodire potest, nec aliud a te exspectamus.

VERS. 71 RESPONDIT EI JESUS: NONNE EGO VOS DUODECIM ELEGI: ET (tamen) EX VOBIS UNUS DIABOLUS EST?] q.d. Tu, o Petre, nomine omnium Apostolorum respondes, quasi omnes in me credant, mihique sint fideles amici; sed scito te falli: nam unus ex eis diabolus est, mihi incredulus & infidus, qui me prodet. Ita Theoph.

E

DUODECIM ELEGI] quasi ad apostolatum secundum præsentem statum aptos & idoneos. Unde videtur quod Judas quoque proditor, cum primitus a Christo electus est, bonus probusque fuerit; improbum enim eligere prudentia & charitas vetant. Ita S. Cyrill. Leont. Ammon. Tolet. Maldonat. & alii, ac S. Hier. lib. 3. contra Pelag. & Tertull. lib. de Præscript. adversus hæres. cap. 3. Licet nonnulli putent Judam, cum esset malus, idque sciret Christus, ab eo tamen fuisse electum in Apostolum eo consilio, ut esset aliquis ex suis qui eum proderet, itaque passioni suæ, mortique, indeque redemptioni hominum, occasionem modumque exhiberet. Tribuunt hanc sententiam Bedæ & S. Augustino, sed neuter idipsum dicit, imo uterque potius innuit Judam electum a Christo, eum bonus esset, etiamsi sciretur malus sua culpa futurus. Audi S. August. *Consecratus est duodenarius numerus eorum, qui per quatuor cardines mundi Trinitatem fuerant denuntiaturi, non autem quia periit inde unus, ideo illius numeri honor ademptus: in locum enim pereuntis alius subrogatus est.* Et paucis interjectis: *Electus est iste, de quo nolente & nesciente magnum aliquid boni fieret: sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic e contra Deus bene utitur malis operibus hominum: malo Juda bene usus est Dominus, tradi se pertulit, ut nos redimeret.* Audi & Bedam. *Ad aliud elegit undecim, ad aliud unum; illos, ut in Apostolica dignitate perseverarent; istum, ut per proditionis ejus officium salutem humani generis operaretur.*

F

DIABOLUS] Syrus, *satanas*; Nonnus, *qui dicetur apud posteros alius novus diabolus*: Christus Judam nominare noluit, ut ejus famæ parceret: *Neque eum manifestavit*, ait Chrys. *neque latere voluit: illud ne impudentius contenderet; hoc, ne latere arbitratus licentius ageret.* Simul ut Apostolis timorem injiceret, ne & ipsi instar Judæ apostatarent, aut sibi suæque constantiæ superbe præfiderent. Audi Cyril. *Acrioribus eos confirmat verbis, diligentioresque facit, periculo ante oculos posito: sic enim dicere videtur: Magna vobis o discipuli, vigilantia, magnoque studio ad salutem opus est, lubrica enim admodum perditionis est via.* Et nonnullis interjectis: *Vigilantiores facit omnes, quia quis traditurus sit clare non dicit, sed uni generaliter tantæ impietatis onus imminere affirmans, sollicitos omnes reddit, & horrore ad majorem vigilantiam erigit.* Denique Aug. *Non illum expressit*, ait, *sed nec siluit, ut omnes timerent quamvis unus periret.*

G

Quæres, cur Judas vocetur diabolus. Resp. Primo quia fuit διάβολος, id est, calumniator: nam opera, & miracula Christi calumniatus est apud Scribas, & principes sacerdotum. Judas diabolus? cur:

Secundo, fuit *diabolus*, hebr. & syriace, *satan*, id est adversarius, quia Christo se opposuit.

Tertio, fuit *diabolus*, quia Christo incredulus fuit, fur & mendax: diabolus enim mendax est & pater ejus, scilicet mendacii, Joannis 8. Unde Christus ait: *Diabolus est*, in præsenti, non erit, in futuro.

Quarto, fuit *diabolus*, id est minister diaboli, instrumentum, & organum diaboli. Nam diaboli impulsu prodidit Christum, Deum & Dominum suum, quasi possessus a dæmone. Unde Joannes c. 13. 2. ait intrasse in eum satanam. Ita S. Chrys. Euthym. & alii. Sic vulgo *diabolus* vocatur homo scelestus & pessimus.

H Quinto, fuit *diabolus*, id est proditor Christi. Sic enim διάβολος pro proditore accipitur Eccli. c. 26. 6. per catachresin: nam Noster vertit, *civitatis delaturam*, sive *proditionem*, v. vertit Tigurina, & Lyranus. Sic diabolus est proditor angelus, quia angelicum statum sua malitia prodegit, perdidit, & prodidit. Ex choris enim Angelorum, ac ex cælo Lucifer proditor sua perfidia secum in tartara detraxit tertiam partem stellarum, Apocal. 12. 4. Cælum ergo & cælites prodidit gehennæ, & tartaro.

Alludit Christus ad casum Luciferi, qui electus a Deo in principem angelorum, sua superbia se fecit diabolum, & principem dæmonum. Simili enim modo Judas electus a Christo ad angelicum Apostolorum officium, inde sua culpa prolapsus se fecit diaboli socium, & diabolum, ut discamus cum timore, & tremore operari salutem nostram, ac licet sanctissimo consistamus loco, timere lapsum. Quo enim altior est locus, eo grandior est casus, & profundior ruina.

Digitized by Google

A Perperam ergo nonnulli diaboli nomen hic in bonam partem accipiunt, ut faciunt apud Italos & Belgas nonnulli, qui hominem sagacem, solertem, ingeniosum, vafrum, subtilem, vocant diabolum.

VERS. 72 DICEBAT AUTEM JUDAM SIMONIS ISCARIOTEM: HIC ENIM ERAT TRADITURUS (*Syrus, proditurus*) EUM, CUM ESSET UNUS EX DUODECIM] Præmunit Christus Apostolos, ut, cum postea visuri essent Judæ proditionem, scirent illam se prævidisse, & prædixisse, ac proinde se non invito, sed certo consilio permittente, illam fieri ad mortem sibi conciliandam, per quam humanum genus redimeretur.

Finiuntur hic acta secundi anni prædicationis Christi.

Hic finit Joannes Acta secundi anni prædicationis Christi usque ad tertium, sive acta a secundo Paschate usque ad tertium: nam acta tertii prosequitur capite sequenti. Multa ergo acta secundi anni Christi prætermittit, eo quod illa fusc a cæteris tribus Evangelistis enarrata forent. Finit ergo secundum annum Christi in multiplicatione panum facta ab eodem in Paschate, cujus occasione Christus longam cum Judæis habuit disputationem de pane spirituali, & carne sua in Eucharistia manducanda. Vide Chronotaxin.

B

CAPUT VII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus e Galilea ascendit Jerusalem ad festum Scenopegiæ. Secundo, v. 12, murmurantibus de se Judæis respondet, se a Deo Patre doctum & missum, ejus ductu & instinctu curare ægros, etiam sabbato. Tertio, v. 32. Pharisæi volentes eum occidere, mittunt satellites, qui eum comprehendant; sed hi audita Christi prædicatione attoniti, eo intacto redeunt dicentes Pharisæis; Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. *Denique v. 50. Nicodemus Jesum defendens, a Pharisæis arguitur quasi Galilæus & Jesu fautor.*

VERS. 1. C POst hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare: quia quærebant eum Judæi interficere.

2. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia.

3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo.

5. Neque enim fratres ejus credebant in eum.

6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.

8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego
D autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.

9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa.

10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est ille?

12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.

14. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, & docebat.

15. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?

16. Respondit eis Jesus, & dixit: Mea doctri- E
na non est mea, sed ejus, qui misit me.

17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.

18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est.

19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

21. Respondit Jesus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini:

22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus,) & in sabbato circumciditis hominem.

23. Si circumcisionem accipit homo in sab- F
bato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?

24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.

25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere?

26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?

27. Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis: & a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

29. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.

30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum ve- G
nerat hora ejus.

31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit?

32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes, & Pharisæi ministros ut apprehenderent eum.

33. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit.

34. Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire.

35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?

36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi sum ego, vos H
non potestis venire?

37. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

40. Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est vere Propheta.

41. Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Christus?

42. Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David,

Digitized by Google

David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?

43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum.

44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?

46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

47. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis?

48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?

49. sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.

50. Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis:

51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat?

52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia a Galilæa propheta non surgit.

53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

VERS. 1. POST HÆC AUTEM AMBULABAT JESUS IN GALILÆAM, NON ENIM VOLEBAT IN JUDÆAM AMBULARE, QUIA QUÆREBANT EUM JUDÆI (principes Judæorum) INTERFICERE] *Post hæc.* Non statim, sed post sex menses. Nam multiplicatio panum, & sermo de Eucharistia, de quo cap. præced. contigit sub Pascha, puta in Martio; quæ autem hic subjungit Joannes, contigerunt in festo Scenopegiæ, quod celebratur in Septembri. Vixit autem deinde Christus sex menses adhuc, scilicet ad proximè sequentem Martium, quo passus & crucifixus est. Hæc ergo & sequentia omnia Christus dixit & egit sex ultimis vitæ suæ mensibus. Omittit igitur hic Joannes ea, quæ gessit Christus hoc tertio anno prædicationis suæ a Paschate usque ad Septembrem, puta gesta sex mensium, inter quæ fuit defensio discipulorum, quod illotis manibus manducarent contra Pharisæos, item filiæ Chananææ a dæmone liberatio, nova panum multiplicatio, qua pavit quatuor millia virorum: interrogatio discipulorum quid de se sentirent homines, respondente Petro; *Tu es Christus Filius Dei vivi*, qua de causa Christus eum petram Ecclesiæ constituit. Ad hæc transfiguratio Christi in Tabor, sanatio dæmoniaci, solutio didrachmi telonariis, redargutio Apostolorum inter se contendentium quis esset major, dogma de vitando scandalo parvulorum, eo quod angeli eorum semper videant faciem Patris, &c. quæ in Chronotaxi recensui a num. 31. usque ad num. 38. Causa cur ea omittat Joannes, est, quia illa exacte jam narrarant alii tres Evangelistæ.

AMBULABAT JESUS IN GALILÆAM,] Græce *in Galilea*. Jam enim erat Christus in Galilæa: ibi enim panes multiplicavit, & de Eucharistia sermonem habuit in Synagoga Capharnai, quæ erat urbs sita ad mare Galilææ, ut patet c. 6. v. 60. *Ambulabat* ergo *Jesus in Galilæam*; id est, per Galilæam, sive in ulteriores Galilææ partes. q. d. Jesus ambulabat, obibat, & circuibat urbes, vicos & castella Galilææ, prædicans regnum Dei.

NON ENIM VOLEBAT IN JUDÆAM (græce, *in Judea*,) AMBULARE. q. d. Nolebat perambulare urbes & pagos Judææ, sed Galilææ: QUIA QUÆREBANT EUM JUDÆI (Judæorum primores) INTERFICERE] eo quod sabbatum more Judaico non servaret, sed in eo curaret ægrotos, & quod Patrem suum diceret esse Deum, ac consequenter se quoque esse Deum, ut patet cap. 5. 18. Quare videtur Jesus nec in Paschate, nec in Pentecoste hujus anni tertii sui, juxta legem, de more adiisse templum & Hierosolymam; quia sciebat ibi sibi strui insidias, & parari necem ante tempus moriendi sibi a Patre præfinitum, non quod ipse Judæos timeret (qui alias invisibilem se faciens ex manibus eorum elapsus est) vel mortem horreret: sed ut daret nobis exemplum declinandi pericula, & fugiendi persecutores, donec Deus aliud revelet, vel ipse nos in manus hostium tradat, ut fecit S. Athanasius fugiens Arianos. Ita S. August. Chrysost. & alii.

VERS. 2. ERAT AUTEM DIES FESTUS JUDÆORUM SCENOPEGIA] Græce σκηνοπηγία, id est, tabernaculorum fixio, quo scilicet Judæi die 15. mensis septimi figebant tabernacula (quæ ex lignis, ramis, pellibus vel linteis raptim constructebant) in iisque per septem dies habitabant, in memoriam protectionis divinæ, quæ patres eorum peregrinantes in deserto per 40. annos in tabernaculis habitantes manna aluerat, & duce columna ignis, & nubis duxerat in terram promissam, Levit. 23. 34. Vide ibi dicta. Unde Arabicus vertit, *cum propinquasset dies festus Tabernaculorum Judæorum*. Corrupte Syrus pro *Scenopegia*, vertit, *conopea*. Conopeum enim proprie est tentorium seu velum, & papilio ille lineus vel laneus, qui toto circumdatur ad arcendos culices, quo maxime utuntur Alexandrini, quod ex Nilo culices confluant, quos Græci κώνωπας, vocant.

Scenopegia quæ?

Ridiculum est, quod Abulensis in Levit. 23. 34. commentans, vocem Græcam *Scenopegia* derivat a κοινὸν, id est commune, & φαγία, id est comestio, eo quod illo festo in communi pranderent, & communia agitarent convivia. Nam σκηνοπηγία, derivatur a σκηνὴ, id est tabernaculum, & πηγία, id est fixio. Errat denique Plutarchus, utpote Ethnicus, ideoque rerum Judaicarum ignarus, qui lib. 4. Sympos. qu. 5. censet festum Tabernaculorum apud Judæos fuisse Bacchanalia: multisque probare conatur ipsos coluisse Bacchum, eo quod tunc thyrsos gestarent, (quos Gentiles gestabant in honorem Bacchi.) Addit Plutarch. *Alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipsi Levitas appellant, sive a Lysio sive ab Evio: (utraque enim vox Baccho congruit:)* quin & sabbatum censet fuisse festum Bacchi. *Quod enim Sabbos*, inquit, *etiamnum multi appellent Bacchos, eamque vocem edant, dum orgia Bacchi celebrant, licet ostendere ex Demosthene & Menandro.* Verum condonandum est Plutarcho, utpote Græco Hebraicæ linguæ imperito. Constat enim Hebr. *Sabbatum* ad Hebr. שבת *Scabat*, id est, quiescere, nuncupatum: Levitas vero a patriarcha Levi patrium nomen sumpsisse.

Error Plutarchi de Scenopegiis Judæorum.

VERS. 3. DIXERUNT AUTEM AD EUM FRATRES EJUS: TRANSI HINC, ET VADE IN JUDÆAM, UT ET DISCIPULI TUI VIDEANT OPERA TUA, QUÆ FACIS] *Fratres ejus*, non filii Joseph, ut vult Leontius, Cyrill. & Euthym. Joseph enim virgo permansit, æque ac sponsa ejus B. Maria, nec etiam Jacobus & Judas, ut opinatur Chrysostomus: hi enim electi jam in Apostolos a Christo, in illum credebant, ejusque ductum & nutum sequebantur; sed *fratres*, id est, consanguinei vel cognati B. Virginis, ait S. August. vel etiam Josephi. Vide genealogiam Christi, quam assignavi Lucæ 3. sub finem capitis. *Fratres* ergo, hoc est cognati ejus, non omnes, sed aliqui. *Alii* enim in eum credebant, alii non.

TRANSI HINC, ET VADE IN JUDÆAM] q.d. E Galilæa & Capharnao ignobili, vade nobiscum in nobilem Judæam & Jerusalem, ad instans festum Scenopegiæ, ad quod undique Judæi confluere solent, ut iis per tuam doctrinam & miracula te patefacias. Viderant ipsi, vel audierant Christum præcedenti Paschate & Pentecoste non iviisse in Jerusalem, ac in Galilæa latebras quærere; ex iis ergo eum extrahere volunt, ut in Jerusalem vadat, ibique innotescat & inclarescat.

UT ET DISCIPULI TUI VIDEANT (græce, θεωρήσωσι, id est, aspiciant, cernant, spectent) OPERA TUA, QUÆ FACIS] q.d. Tu, o Jesu, cognate noster, mira hic operaris in angulo Galilææ, coram paucis & pauperibus discipulis tuis Galilæis: vade nobiscum in Jerusalem metropolim Judæorum, ibique similia operare, ut discipuli tui, quos ibi nuper prædicando tibi parasti, quosque rursum miracula patrando parabis, non tantum ex plebe, sed etiam ex sacerdotibus, Scribis & principibus in fide tua instruantur, vel jam instructi confirmentur, teque ut Prophetam, & Messiam recipiant. His enim optabant Christum maxime innotescere, ut illi quasi principes Jesum esse Messiam, hoc est Christum declararent, at ut talem populo recipiendum proponerent. Ipsorum enim erat judicare de fide, de Prophetis, de Messia, ac quod ipsi decernebant, hoc populus sequebatur & faciebat, Matth. 21. 1.

VERS. 4. NEMO QUIPPE IN OCCULTO QUID FACIT, ET (sed) QUÆRIT IPSE IN PALAM ESSE] Græce, καὶ παῤῥησίᾳ ἐστὶ, id est proprie, *in libertate esse*: sed quia hic opponitur *occulto*, hinc idem est quod *palam*, publice, clare, manifeste. Sic etiam hanc phrasin usurpat Joan. cap. 5. 13. &

Digitized by Google

A cap. 16, 25. 29. & c. 18. 20. & Marc. c. 8. 32. ita ex Leontio, Maldonat. Franc. Lucas & alii.

SI HÆC FACIS, MANIFESTA TEIPSUM MUNDO] τὸ *si* hic non dubitantis est, sed asseverantis, ait Toletus, idemque valet, quod *cum*, *quia*, *quandoquidem*, q.d. Cum tanta & tam mira facias in Galilæa, uti oculis videmus, & auribus audimus, fac eadem in Judæa, ut ibi toti Israeli, indeque toti mundo innotescas, quis sis, & quam a Deo dignitatem, potestatem, & virtutem acceperis. Nam, ut ait Raphael Tob. c. 12. 7. *Sacramentum regis abscondere, bonum est: opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est.* Prætexunt laudem Christi, & gloriam Dei suæ cupiditati & ambitioni: cupiebant enim ut Christo per miracula & famam inclarescente, ipsi quoque quasi ejus cognati inclarescerent, & a populo honorarentur, ac muneribus afficerentur, insuper gratiam principum, & pontificum inirent, a quibus ad magna reipubl. officia vel beneficia promoveri sperabant. Sicut cum quis creatur Pontifex, Cardinalis, Episcopus, illico confluunt ad eum cognati, ut per eum honores & opes consequantur. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

VERS. 5. B NEQUE ENIM FRATRES EJUS CREDEBANT IN EUM] q.d. Fratres ejus tam libere, confidenter & audacter admonuerunt Jesum, ut secum iret in Jerusalem, quia non plane, & certo credebant ipsum esse Messiam, sive Christum: si enim id credidissent, ipsum reveriti, non ausi fuissent tam libere eum monere, & quasi arguere. Ita Euthymius. Licet enim viderent eum tot signa, & miracula facere, illaque vera esse non dubitarent: tamen dubitabant an ipse esset Messias & Dei Filius: licet enim hoc verum esse optarent, & ex parte ob tot ejus miracula crederent; tamen alia ex parte videntes ejus paupertatem, & neglectum, dubitabant. Ut ergo certi hac de re fiant, hortantur Christum ire secum in Jerusalem, ut ibi Scribæ & pontifices eum, ejusque opera examinent, ac declarent ipsum esse Christum, ut sic ipse honoretur & celebretur, atque illi quasi cognati per ipsum.

VERS. 6. DICIT EIS JESUS: TEMPUS MEUM NONDUM ADVENIT: TEMPUS AUTEM VESTRUM SEMPER EST PARATUM] id est, commodum & opportunum. *Tempus meum*, scilicet ascendendi in Jerusalem ad festum Scenopegiæ, *nondum advenit*, quia illud habeo statum & definitum a Patre, sed ad paucos dies dilatum, ob odium Judæorum, quo me prosequuntur: qua de causa ego brevi eodem ascendam, C sed clanculum, non autem publice vobiscum: ite ergo vos & præcedite, quia omne tempus vobis est *paratum*, id est, congruum & idoneum, ego deinde vos occulte sequar. Ita Jansen. Franc. Lucas & alii,

Aliter S. Chrys. Theoph. Euthym. Leontius, & ex iis Maldonat. q.d. *Tempus meum*, scilicet moriendi in Jerusalem, *nondum advenit*: mortem enim mihi parant Scribæ & principes Hierosolymæ: sed hoc quoque non adveherat: sed advenit paulo post, cum Christus eo ascendit, ut mox patebit. Prior ergo sensus est genuinus.

VERS. 7. NON POTEST MUNDUS ODISSE VOS: ME AUTEM ODIT, QUIA EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE ILLO, QUOD OPERA EJUS MALA SUNT] Dat causam, cur tempus ascendendi in Jerusalem fratribus, id est cognatis suis, semper sit paratum & opportunum, sibi vero non: quia scilicet illos non oderat mundus, id est, mundani Scribæ & principes, utpote nihil ab eis passi; sed oderant Jesum, utpote suorum scelerum reprehensorem & castigatorem: quare Jesu crucem & mortem parabant, non vero cognatis ejus. q.d. Vos omni hora ire potestis in Jerusa- D lem sine periculo, quia Scribis non resistitis, nec contradicitis, sed eis favetis & obsequimini; ego vero, quia eorum vitia publice castigo, si publice vobiscum eam, in manifestum vitæ periculum me conjicio. Ita S. Chrys. & Cyrill. qui & causam addit: *animus enim*, inquit, *voluptati deditus graviter fert, si a voluptate revocetur*. Nolebant enim Scribæ suas voluptates, luxurias, crapulas, injustitias, quas amabant, relinquere, ideoque Christum ab eis avocantem oderant; juxta illud de eis Sapientis oraculum: *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ*, Sap. 2. 12. Vide ibi dicta.

VERS. 8. VOS ASCENDITE AD DIEM FESTUM HUNC, EGO AUTEM NON ASCENDO AD DIEM FESTUM ISTUM: QUIA MEUM TEMPUS NONDUM IMPLETUM EST] *Vos*, qui periculum nullum timetis, ait Euthym.

EGO AUTEM NON ASCENDO] Græce, ἔτι οὐκ ἀναβαίνω, id est, *nondum ascendo*, & Arabicus, *nunc non ascendo*, E q.d. Nunc vobiscum publice ascendere in Jerusalem nolo, sed expecto, ut tempus impleatur, quo, subsidente indignatione Scribarum, qui me initio festi expectant, ut occidant, post tres dies occulte & minore periculo sine vobis ascendam: nam paulo post eum ascendisse patet ex v. 10. ita S. Chrysost. Theoph. Euthym. Verisimile est Christum dixisse, uti vertit noster Interpres, *Ego non ascendo*: nam si dixisset, *Ego nondum ascendo*, instituissent cognati. Nos ergo te exspectabimus, ut nobiscum ascendas. Sensus tamen Christi erat, q.d. *Non ascendo*, id est nondum ascendo: hoc enim significare intendebat, etsi id cognatis non exprimeret, ad redimendam eorum vexationem.

Secundo, S. Aug. Cyrill. & Eucherius in qu. in hunc Joannis locum, sic explicant, q.d. *Non ascendo ad diem festum istum*, hoc est ad diem primum festi instantem, sed ut dicitur v. 14. *festo die mediante*, id est sub diem quartum festi. Verum verius est Christum decrevisse ascendere ad diem primum festi, ut ostendam v. 14.

Aliter Maldonatus, q.d. Ego non ascendo, subaudi, sicut vos, o cognati mei, putatis & cupitis, scilicet ut purus homo, ac ut Hierosolymis a populo honorer & celebrer; sed tamen mox eo ascendam, ut Messias Dei filius, ut populum viam salutis doceam; itaque Dei gloriam, non meam quæram & propagem. Verum hoc videtur coactius. F

HÆC CUM DIXISSET, IPSE MANSIT IN GALILÆA. VERS. 9.
UT AUTEM ASCENDERUNT FRATRES EJUS, TUNC ET IPSE ASCENDIT AD DIEM FESTUM, NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO] *Tunc*, post tres dies, sub medium festorum v. 14. cum furor Judæorum initio festi ipsum exspectantium exardescens, jam sensim per tot dies deferveseeret, ut notat Theoph. & Euthym. ac S. Augustin. Verius videtur Christum paulo post cognatos ascendisse Hierosolymam, sed occulte, ita ut initio festi interfuerit, idque innuit hic Lucas, de quo plura v. 14. VERS. 10

NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO] Unde videtur Christus non recto itinere per Samariam, sed transito Jordane per Peræam profectus juxta Jerichuntem, dimissis populi turbis eum affectantibus, occulte cum paucis sibi charioribus perrexisse Hierosolymam. Id patet conferenti Matt. c. 19. 1. & 2. cum Luca c. 9. 51. & 53. & Marco c. 9. 29. & c. 10. 1.

JUDÆI ERGO QUÆREBANT EUM IN DIE FESTO, ET DICEBANT: UBI EST ILLE?] *Festo*, Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, de quo v. 2. puta primis festi diebus quærebant Jesum, ut caperent & occiderent. Nam, ut ait Chrys. *In die festo semper ad cædem ferebantur, & festis eum diebus capere tentabant*. Et Euthym. *Pulchra sane illorum opera in diebus festis, cum illos cædis facerent occasionem*, ut quibus debebant Christum quærere ad fidem, ut in eum crederent, illis quærant eumdem ad necem. Sic & hodie multi in festis, quibus Deo reconciliare se deberent, iisdem Deum maxime potando, scortando, rixando, ludendo & blasphemando offendunt: quare festum agunt non Deo, sed diabolo, qui proinde eis festa ignium pro meritis in gehenna rependit. Est hæc fraus & suggestio diabolo, ut festa profanet, ac cultum Deo in iis debitum adimat, eumque in se transcribat. VERS. 11 G

UBI EST ILLE] agyrta, impostor, populi seductor? *Ex nimio enim odio eum nominatim appellare non patiebantur*, ait S. Chrysost.

ET MURMUR MULTUM (ita legendum cum Romanis, non *multus*, Arab. *murmuratio multa*, Euthym. *turbatio & contradictio multa*) ERAT IN TURBA DE EO. QUIDAM ENIM DICEBANT: QUIA BONUS EST. ALII AUTEM DICEBANT: NON; SED SEDUCIT TURBAS] ut se novæ factionis auctorem faciat, & seditionem, vel rebellionem concitet. VERS. 12 H

BONUS EST] vir, imo doctor & Propheta. Hæc enim erat vox & sententia eorum, qui Jesum audierant docentem in Galilæa, ac viderant panes multiplicantem, ægros sanantem, dæmones ejicientem, &c. Contraria vox & sententia erat Scribarum & principum, ac turbæ illos sequentis.

NEMO TAMEN PALAM LOQUEBATUR DE ILLO PROPTER METUM JUDÆORUM] puta Scribarum, Pharisæorum & pontificum, quibus Jesus velut vitiorum censor erat invisus. Hos enim passim Joannes vocat Judæos, non Scribas, non sacerdotes, tum ut dignitati, officio & auctoritati eorum non deroget: tum quia, ut ait Cyril. *Indignum judicavit homines adeo a pietate remotos sacerdotes, vel seniores appellare. Nemo*, intellige eorum qui pro Jesu stabant, ac di- VERS. 13

Digitized by Google

A ac dicebant: *Bonus est*, ait Euth. Argute S. Aug. *Seducit turbas*, inquit, *clarius sonabant: Bonus est, pressius susurrabant.*

VERS. 14 JAM AUTEM DIE FESTO MEDIANTE, ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM, ET DOCEBAT] Syrus & Arabic. *cum autem dimidiati essent dies festi*, id est, cum ageretur dies quartus, vel quintus festi Tabernaculorum: hoc enim festum celebrabatur per octo dies. Græce, τῆς ἑορτῆς μεσούσης, id est, *cum jam media esset festivitas.*

ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM] Censet S. Aug. Theop. Euthym. & alii, Christum eodem die ingressum esse Jerusalem & templum, scilicet die quarto festi: veniens enim in urbem, pietatis ergo solebat primo adire templum; quod Christi exemplum multi fideles sequuntur. Contrarium censet Toletus, Maldonat. & alii, scilicet Christum paulo post cognatos ascendisse in urbem, ita ut interfuerit initio festi, sed non ascenderit in templum, nisi die quarto id festi. Id enim plane videtur exigere narratio Joannis hoc versu collata cum v. 10. & quia Jesus quasi religionis doctor & exemplar, ad aliorum ædificationem voluit totam hanc festivitatem celebrare. Hoc enim lege sancitum erat, Levit. 23. 42. *Habitabitis*, inquit, *in umbraculis septem diebus; omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis.* Adde: quisque sibi hæc tabernacula ante diem primum festi, vel in urbe, vel extra urbem extruere debebat: quare idem fecisse Jesum est probabile, nisi dicas eum in tabernaculo amici, vel discipuli alicujus jam parato exceptum fuisse. Denique occulte hoc modo ad diem primum festi ascendens, nullum adibat periculum, nisi adiret templum: unde illud non adiit, nisi quarto die: primis enim tribus delituit in tabernaculo.

B Tabernacula cuique Judæorum extruenda erant in festo Scenopegiæ.

Primo ergo, Christus ascendit in urbem ante diem primum festi, deinde die quarto festi ascendit in templum: ille ascensus occultus fuit, hic publicus: ille ad diem festum Tabernaculorum, qui celebrabatur non in templo, sed in umbraculis per urbem, vel extra urbem erectis; hic ad docendum in templo.

Cur Christus ascendens Jerusalem, non ascendit statim in templum?

Quæres, cur Christus primo die ascendens in urbem, non etiam ascendit in templum? Resp. Primo S. Aug. Leont. Chrys. Theoph. Euthym. ut prius inflammata contra se Scribarum & pontificum in templo degentium ira, & indignatio deferveseeret.

C Secundo, quod ante latuerit, exempli fuit & infirmitatis humanæ, quod postea prodierit, potestatis divinæ; ait S. Aug. & ex eo Beda.

Tertio, ut majus audiendi sui desiderium, per tot dierum moram & exspectationem, auditoribus eum exspectantibus injiceret. Ita Theoph.

Quarto, ut liberiores haberet auditores, & ab aliis curis expeditos: hi enim primis diebus in tabernaculis adornandis, rebusque ad festum necessariis comparandis occupabantur. Ita Theoph.

ET DOCEBAT] more suo ea, quæ erant salutis, docebantque ad regnum cælorum, idque publice in templo coram Scribis & principibus, quibus erat invisus. Vide hic, & imitare Christi magnanimitatem, qua in mediis periculis sine metu periculi versatur, suumque officium intrepide obit, & docet. Etsi enim scribarum contra eum ira per triduum dilata nonnihil defervuisset, tamen publico hoc docendi actu rursum facile accendi poterat. Sed Jesus magnanime eam contempsit, tum quia ab iis occidi erat paratus, tum quia sciebat, quod Deus divertere eorum contra se cogitationes & consilia, ne in eum manus injicerent, eo quod necdum tempus moriendi ab eo præstitutum advenisset. Quod ergo per triduum latuit, per hoc voluit nos docere prudentiam, ut persecutorum rabiem ad tempus prudenter & silenter declinemus: quod vero quarto die in publicum prodiens prædicavit, per hoc dedit nobis exemplum fortitudinis, ut officium nobis a Deo commissum strenue obeamus, etiam cum periculo vitæ, Deo confidentes, quod ipse vel nos ex illo eripiet, vel dabit vires, & fortitudinem illud patiendi, & superandi.

D

VERS. 15 ET MIRABANTUR JUDÆI, DICENTES: QUOMODO HIC SCIT LITTERAS, CUM NON DIDICERIT?] *Mirabantur, orationis, & prudentiæ inauditam in eo vim videntes*, ait Cyrillus. Nam, ut ait Theophylact. *mirabilia dixit, per quæ illos cohibuit, & mentem eorum in miraculum mutavit*, ut furorem suum in amorem, & admirationem Christi converterent. *Audiebant enim*, ait S. August. *eum de longe disputantem, legis testimonia proferentem*, illaque gratia, & modo non humano, sed divino explicantem. Nam, ut addit Augustinus, *multi noverant ubi natus; quemadmodum fuerit educatus, nunquam eum viderant litteras discentem.* E

CUM NON DIDICERIT] Inde inferre debuissent Scribæ: Ergo Jesu scientia & sapientia tanta non est studio acquisita, sed a Deo infusa: sed odio cæci, & stupidi in admiratione consistunt, nec ulterius ad vestigandam rei, quam admirantur, originem pergunt. Ita S. Chrysost. Hac enim de causa Deus voluit Jesum non e scholis, sed ab arte fabrili prosilire in cathedram, ut omnes agnoscerent doctrinam non esse humanitus comparatam, sed divinitus inspiratam.

VERS. 16 RESPONDIT EIS JESUS, ET DIXIT: MEA DOCTRINA NON EST MEA, SED EJUS, QUI MISIT ME] q.d. Doctrina mea, hoc est, dogmata mea, quæ ego doceo, non a me inventa sunt, nec meo studio acquisita, nec a me primo & originaliter profecta, sed a Deo Patre. q. d. Deus Pater mihi, qua Deus sum, suam omniscientiam communicavit; qua homo vero, suam scientiam beatificam, & infusam rerum omnium mihi indidit, juxta illud Isaiæ 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis.* Ita S. Chrysost. Leont. Euthym. & alii, qui & annotant Christum hoc ipso innuere se esse Deum. q. d. Ego a Patre cum essentia divina hausi meam omniscientiam & doctrinam. Audi S. Aug. tr. 29. *Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est verbum. Quid enim tam tuum, quam tu? Et quid tam non tuum, quam tu, si alicujus est quod es?* F

VERS. 17 SI QUIS VOLUERIT VOLUNTATEM EJUS (Arab. *placita ejus*) FACERE, COGNOSCET DE DOCTRINA, UTRUM EX DEO SIT, AN EGO A MEIPSO LOQUAR] Syrus, *ex voluntate animæ meæ*, hoc est, a me inventum & confictu, ideoq; a Dei voluntate dissonum, & diversum, vel adversum. q.d. ai Chrys. *Si quis sit amator virtutis, verborum meorum vim intelliget*, quod ex Deo manat. A Deo enim manat omnis virtus, cujus ego sum doctor & concionator assiduus. Qui ergo Dei virtute mandata amat & observat, ille pariter me, meaque dicta amabit & observabit, quia ego non alia dico & doceo, quam quæ Deo sunt placita, ab eoque mandata. Tacite innuit Jesus ipsos amare vitia, non virtutes, ideoque Deo & sibi adversari, ac doctrinæ utriusq; reluctari. *Amovete*, ait Chrys. *dubitationem hanc, & iram & invidiam, & immane contra me odium, & nihil vos impediet, quin cognoscatis, Dei vere verba mea esse. Nunc hæc vobis & tenebras offundunt, & rectum verumque judicium corrumpunt: quasi rejiceretis, non in hac essetis sententia.* G

VERS. 18 QUI A SEMETIPSO LOQUITUR, GLORIAM PROPRIAM QUÆRIT, QUI AUTEM QUÆRIT GLORIAM EJUS, QUI MISIT EUM; HIC VERAX EST, ET INJUSTITIA IN ILLO NON EST] Hinc a contrario infer cum Cyrill. *Qui autem gloriam Dei non quærit, sed suam, hic mendax simul & injustissimus est, mendax quidem, quia simulatione legis servandæ, suam voluntatem audiri proponit; injustissimus vero, quia legislatoria dignitate neglecta, Dominicis præceptis sua præferre audet.*

Est hæc secunda nota & ratio, qua Christus probat se non loqui ex semetipso, & dogmata, quæ tradidit, non esse sua & a se conficta, sed esse Patris. Estque talis Christi syllogismus in *Baroco*:

Qui loquitur a semetipso, gloriam suam quærit;
Sed ego Jesus non quæro gloriam meam, sed Patris, uti verbis & factis clamo.
Ergo non loquor a meipso, sed ex corde & ore Patris, cujus unius gloriam quæro, & propagare desidero.

Christi syllogismus in *Baroco*. H

Nam, ut ait Cajet. *gloria est præcipuum appetibile ex doctrina.* Inde enim philosophi & hæretici suas scholas aperuerunt, in iisque sua commenta docuerunt, ut discipulos post se traherent, qui magistrum suum glorificarent, ab eoque vocarentur Platonici, Pythagorici, Epicurei, Aristotelici, Ariani, Nestoriani, &c. Appetitus enim gloriæ peperit hæreses, & sectas tam philosophorum, quam hæreticorum.

INJUSTITIA] Id est, fraus, dolus, deceptio, quia sincere, & veraciter docet ea, quæ scit Deo placere, ejusque gloriam promovere, cum alii, qui suam gloriam quærunt, ut eam ab hominibus extorqueant, iis adulentur, illosque decipiant; variisque dolis & fraudibus illis illudant.

VERS. 19 NONNE MOYSES DEDIT VOBIS LEGEM, ET NEMO EX VOBIS FACIT LEGEM? QUID ME QUÆRITIS INTERFICERE?] VERS. 20

Digitized by Google

A Primo, *sensus est*: q.d. Non mirum vos meam & Patris mei legem non admittere, cum Moysis, quem tanti facitis & mihi objicitis, legem non servetis. Nam, ut alia mittam, multi e vobis, maxime Primiores, me innocentem occidere volunt, quod diserte vetat Moses Exod. 23. 7. Ita S. Augustin. *Si legem facerent*, inquit, *in ea Christum agnoscerent & præsentem non occiderent*. Et Glos. sa: *Gloriamini in lege*, inquit, *& contra legem, quæ vetat occidere, quæritis me interficere*. Sic & Chrysostom. Theoph. Euthymius.

Secundo, magis presse & connexe, æque ac profunde Franc. Lucas sic exponit, q.d. Vos, o Scribæ & Judæi, me accusatis & deposcitis ad mortem, quasi reum legis neglectæ, & quasi sabbatum violarim, dum in eo paralyticum sanavi: at vos pari modo legem eamdem sabbati violatis, dum in eo circumciditis hominem: majus enim & prolixius opus est circumcidere, quam verbo curare. Quare si ego violavi legem, vos multo magis eamdem violastis, & si vos me judicatis reum mortis, quod legem sabbati transgressus sim in sanando, multo magis judicare debetis vos esse reos mortis, eo quod eamdem legem continue transB grediamini circumcidendo: hoc enim opus meo longe est operosius, magisque carnale, & sanguinolentum. Sic enim se mox explicat Christus v. 21. & 22.

RESPONDIT TURBA, ET DIXIT: DÆMONIUM HABES: QUIS TE QUÆRIT INTERFICERE?] *Dæmonium habes*, id est, deliras, insanis, uti faciunt energumeni, & possessi agitatique a dæmone, perinde ac fecit Saul 1. Reg. 16. 23. Aut proprie, q.d. Dæmon te instigat ad hanc calumniam, qua nobis falso impingis machinationem homicidii, quod scilicet te velimus occidere; nil enim tale nobis in mentem venit.

Verba sunt turbæ, e quibus alii bene sentiebant de Jesu, alii male, ita tamen ut nollent eum occidere: sed idipsum volebant Scribæ & principes, eorumque assecłæ, qui turbæ plebis se miscebant; illos ergo hic perstringit Christus, atq; illorum occultam cædis suæ machinationem, quam ipsi celabant, propalat, ut sciant ipsum non latere eorum insidias, ideoque esse virum divinum, imo Deum.

VERS. 21 RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EIS: UNUM OPUS FECI, ET OMNES MIRAMINI] *Unum opus feci*, quod scilicet paraC lyticum sanarim sabbato, jusserimque grabatum suum portare cap. 19. Jesus convitium convitio non repulit, sed patientia dissimulavit, & modeste ac prudenter radicem convitii evulsit. *Plane non turbatus, sed in veritate suâ tranquillus*, inquit August. *non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: quibus si diceret: Dæmonium habetis vos, verum utique diceret; non enim talia illi dicerent veritati, nisi eos falsitas diaboli incitaret*.

MIRAMINI] id est, mirantes indignamini, quasi contra legem id fecerim; S. Chrys. *perturbamini & tumultuamini*: S. Cyrill. *damnatis*; Euthym. *quæritis me interficere*. Est catachresis & metalepsis. Admiratio enim tanti sceleris, puta violati sabbati, ut ipsi putabant, pariebat in eis indignationem, indignatio tumultum, tumultus machinationem necis.

VERS. 22 PROPTEREA MOYSES DEDIT VOBIS CIRCUMCISIONEM (NON QUIA EX MOYSE EST, SED EX PATRIBUS) ET IN SABBATO CIRCUMCIDITIS HOMINEM] *Propterea*, græce, διὰ τοῦτο, id est, *propter hoc*. Obscura est hoc loco hæc particula, & dubium quo referatur. Primo, Theophyl. & Maldonat. referunt ad v. præced. sicque nectunt; *Omnes miramini propter hoc*, scilicet opus sanationis quod feci in D sabbato. Sed repugnat dispunctio codicum Græcorum & Latinorum, qui τὸ *propterea* ponunt v. 22. sequenti, nectuntque cum τῷ *Moses dedit*.

Secundo, Euthym. & Jansen. censent τὸ *propterea*, hic non esse causale, sed illativum. q.d. Itaque ut non miremini, sed sciatis me recte feciisse curando ægrum in sabbato, advertite quod subjungo de circumcisione, quæ fit in sabbato. Simili modo sumitur subinde τὸ *propterea* in Prophetis; ut Jer. 30. 16. Et sic τὸ *propterea* reipsa est quoque causale: nam innuit causam ejus, cujus est illativum.

Tertio, S. Cyrill. Toletus, & Franc. Lucas, τὸ *propterea* referunt ad id quod sequitur, *Sed ex Patribus*, sicque verba ordinant, q.d. Atqui Moses dedit vobis circumcisionem, non propterea quod illa ex Mose sit, sed propterea quod sit ex patribus: voluit enim Moses præcepta & traditiones patrum studiose conservari, ut par erat: & tamen in sabbato ab eodem Mose sancito, circumciditis hominem.

Quarto, proprie & plenissime τὸ *propterea* est causale, & idem quod *propter hanc causam*, q.d. Propterea, vel, E ut græce est, *propter hoc*, id est, propter admirationem vestram; quia scilicet vos opus curationis meæ in sabbato ita admiramini & indignamini, ut scilicet eam vobis eximam, & vos mirari desinatis, subjungo argumentum ad id validum, petitum ex circumcisione, quam vos ipsi factis in sabbato ex decreto Moysis.

NON QUIA EX MOYSE EST: SED EX PATRIBUS] q.d. Non quod Moyses sit circumcisionis institutor, sed Patriarcha Abraham, qui illam a Deo acceptam tradidit Isaac, Jacob, Joseph, ac hi posteris suis & Mosi, uti ipse narrat, Gen. 17. Addit hoc, ut doceat Judæos non adeo uni debere incumbere Mosi, ut ejus unius præcepta de sabbato servent, cæterorum vero priorum, & antiquiorum negligant; quin potius si illa Mosi decretis adversentur, illis velut antiquiora præponi debeant, ita ut lex Moysis eis locum cedat. Sic enim lex circumcisionis data Abrahæ, elidebat legem sabbati datam Mosi, ut si quis natus esset in sabbato, deberet præcise octavo die, id est sabbato sequenti, circumcidi, nec posset differri circumcisio in posterum diem. Si lex Moysis cedere debet legi Abrahæ, ergo multo magis eadem cedere debet legi Christi & Dei, quæ jubet ut ægro valde afflicto prosis si possis, F etiam in sabbato, præsertim si id breviter, & verbo facere possis, ut faciebat Christus.

ET IN SABBATO CIRCUMCIDITIS HOMINEM] *Et*, id est, *idcirco*, q.d. Quia lex circumcisionis fuit anterior, dataque a Deo Abrahæ primo Hebræorum patri, & Patriarchæ, prævalet hinc sabbato, quod posterius a Mose jussu Dei institutum est: idcirco si octavus a nativitate pueri dies sit sabbatum, illo operose, magno apparatu & molimine circumciditis puerum, ut servetur lex Dei data Abrahæ: *Octavo die circumcidetur infantulus*. Genes. 17. & Levit. 12. 3.

SI CIRCUMCISIONEM ACCIPIT HOMO IN SABBATO, UT VERS. 23 NON SOLVATUR LEX MOYSI, MIHI INDIGNAMINI QUIA TOTUM HOMINEM SANUM FECI IN SABBATO?] q.d. Si circumcisio, quæ ex genere suo videtur esse opus servile, operosum & prolixum, æque ac molestum & afflictivum: vulnerat enim & mutilat infantem; licita est tamen, imo præcepta in sabbato; cur mihi pariter non licebit in sabbato hominem per 38. annos paralyticum, toto corpore ægrum & afflictum, morbo & afflictione tanta liberare, G ac verbo sanitati restituere, idque ad Dei unius laudem, & gloriam? Lex enim eleemosynæ & beneficentiæ est juris naturæ, cui omne jus humanum & divinum, quale est sabbatum, cedere debet.

Nota τὸ *totum hominem*. Nam, ut notat Euthym. *cum totum ejus corpus paralysi dissolutum esset, totum reddidit sanum*. Apposite Christus suam curationem comparat circumcisioni, quia sicut per hanc resecatur pars superflua præputii, sic per illam resecta fuit paralysis ægri, grassans per totum ejus corpus; sed circumcisio fiebat cum dolore & vulnere, curatio Christi cum voluptate & sanitate integra: nam totum hominem, hoc est, corpus integrum & animam sanavit. Quare videtur Christus quoque ab anima hujus ægri circumcidisse vitia & peccata, eumque justificasse & sanctificasse, æque ac alios a se sanatos, uti alibi dixi, perinde ac circumcisio circumcidendo carnem circumcidebat & animam; ab illaque resecabat peccatum originale, illique indebat Dei gratiam & justitiam.

NOLITE JUDICARE SECUNDUM FACIEM (græce κατ' VERS. 24 ὄψιν, id est, secundum visum, aspectum, speciem, Syrus; per *acceptionem vultus*, id est, personæ) SED JUSTUM JUH DICIUM JUDICATE] Taxat Judæos de vitio acceptionis personarum, quod in eadem vel simili re Mosem, vel potius seipsos absolvant, Jesum vero accusent & damnent. q.d. Vos judicatis secundum apparentiam & acceptionem personarum, ideoque inique & perverse: quia me accusatis quasi violatorem sabbati, quod ægrum solo jussu potenti & divino dumtaxat sanarim in sabbato, cum vos ex lege Moysis censeatis licere sabbato circumcidere & vulnerare parvulum, ac circumcisi vulnus adhibitis emplastris sanare, sanguinemque restinguere: quod opus longe operosius, molestius & horribilius est. Causa est, quod non judicatis secundum rei operisque veritatem, sed secundum personarum dignitatem: me enim quasi vilem, pauperem & exosum contemnitis & abjicitis: vos vero cum Mose quasi principes & doctores exaltatis & laudatis. Nam revera si secundum opus judicaretis, deberetis me cum Mose, & vobis absolvere; aut si me damnatis, etiam Mosen, & vos ipsos damnare: ego enim totum

Digitized by Google

A tum hominem sanavi sabbato, vos vero cum Mose in eodem parvulum circumcidendo, primo vulneratis, deinde sanatis: ac finis & scopus mihi tam pius est, quam Mosi & vobis, imo magis, quia non nisi ad Dei gloriam id feci, ut ostenderem me esse Messiam, ad salutem hominum a Deo missum; quare opus meum curationis fuit magis pium & divinum, quam sit opus vestrum circumcisionis. Ita S. August. Leontius, Cyrill. & Chrysost. Multi putant Christum hic conferre se cum Mose, illique se anteferre, sed aptius dicas Christum hic non cum Mose, sed cum Judæis, qui juxta legem Mosis circumcidebant in sabbato, se comparare. Nam Moses expresse nusquam jussit circumcidi hominem in sabbato, sed Scribæ ex eo quod Moses jusserat circumcidi infantem octavo die, inferebant, Ergo si dies octavus sit sabbatum, illo circumcidendus est, non die sequenti.

VERS. 25 DICEBANT ERGO (qui scilicet convicti erant hoc Christi argumento) QUIDAM EX HIEROSOLYMIS] Arabicus, & Syrus, *homines aliqui ex Jerusalem*: in hac enim urbe, utpote metropoli Judææ, in qua sola erat templum Dei, crebro docebat Christus, multaque signa edebat, ob quæ

B Hierosolymitæ multi in eum erant propensi, sed ob metum principium, id palam ostendere non audebant, ait Cyrillus, qui & causam adjicit: *Recte docentium quippe sermo tamquam ostium & porta quædam est ad Dei cognitionem & ad omnem virtutem*?

NONNE HIC EST QUEM QUÆRUNT INTERFICERE?] *Hi noverant*, ait Augustin. *quæ sævitia Jesus quæreretur*. Falso ergo & fraudulenter alii dixerunt v. 20. *Quis te quærit interficere?*

VERS. 26 ET ECCE PALAM LOQUITUR, ET NIHIL EI DICUNT (Nonnus, *quid sibi hoc tantum omnium silentium?*) NUMQUID VERE COGNOVERUNT PRINCIPES (Syrus, *seniores populi*) QUIA HIC EST CHRISTUS?] Idipsum sane cognoscebant, vel facile cognoscere poterant & debebant; sed superbia & odio excæcati noluerunt eum ut Christum admittere, sed ad necem persecuti sunt. Non ergo ex amore Jesu, ut putabant hi Hierosolymitæ, illi pepercerunt; sed quia Jesus divina sua virtute cohibebat eorum mentem & manum, ne in se insilirent, quod Hierosolymitæ ignorabant.

VERS. 27 *SED HUNC SCIMUS UNDE SIT: CHRISTUS AUTEM*

C *CUM VENERIT, NEMO SCIT UNDE SIT*] q. d. Novimus Jesu parentes esse Joseph & Mariam, cap. 6. 42. at Christus *cum venerit, nemo scit*, id est sciet, *unde*, id est, quibus parentibus sit ortus: nam alioqui in genere Christum ex Bethlehem, & semine David nasciturum confitentur ipsimet, v. 42. Nota, hæc esse verba vulgi imperiti, quod putabat quando Christus veniret, neminem cognoturum ejus parentes proximos, sed eum repente ignotis progenitoribus mundo appariturum. Quare natum in Bethlehem ibidem occulte latiturum, vel transferendum in longinquas regiones, ibique alendum usque ad virilem ætatem, ac tum ex impoviso in Judæa appariturum. Alii alias de Christo fabellas confinxere. Ad quas inducti fuere; Primo, verbis Isaiæ c. 53 8. *Generationem ejus quis enarrabit*? Secundo, ex Melchisedec, qui dicitur fuisse ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, id est, carens patre & matre, Hebr. 7. v. 3. Hic enim fuit typus Christi. Tertio, ex illo Michææ cap. 5. 2. *Egressus ejus a diebus æternitatis*; & ex illo Davidis, *Ex utero ante luciferum genui te*. Quæ omnia intelligenda sunt, non de humana, sed de divina Christi natura, quam Judæi in Christo negabant: putabant enim ipsum merum fore hominem: quare censebant eum ab æterno fuisse in

D Bethlehem genitum, inde fuisse occultatum, donec suo tempore Judæis exspectantibus sese conspicuum exhiberet, qua de causa Christus in seq. ad hominem respondet, docetque suam originem humanam ab eis sciri, sed non divinam, uti Prophetæ prædixerant. Ita Tolet. Jansen. Franc. Lucas & alii.

Falsæ quædam opiniones plebis imperitæ de Messia.

VERS. 28 CLAMABAT ERGO JESUS IN TEMPLO DOCENS, ET DICENS: *ET ME SCITIS, ET UNDE SIM SCITIS: ET A ME IPSO NON VENI, SED EST VERUS, QUI MISIT ME, QUEM VOS NESCITIS*] Est concessio. Loquitur enim Christus concedendo dandoque Judæis id, quod dixerant: *Hunc scimus unde sit*. q. d. Concedo & do vobis quod dicitis, vos nosse meam prosapiam & parentes, etsi in rei veritate fallamini, nec eos noscatis: nam Judæi non noverant Christi divinitatem, ignorabant etiam Christi generationem humanam, quia putabant eum esse filium Joseph. Aliter S. Chrys. Theoph. Euthym. & Maldonat. q. d. *Me scitis*, id est, me scire & nosse potestis ac debetis, scilicet me esse Messiam Dei filium. Id enim vobis ex Prophetis probavi, & per miracula mea confirmavi. E

CLAMABAT] tum ut ostendat se nosse tacitas Hierosolymitanorum susurrationes, dicentium: *Hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. Quæ secreto loquebantur*, ait Chrys. *in medium adducit, aperte eos confundens*; tum ut suo clamore prædicationi suæ, quæ erat de re maximi momenti, attentionem conciliet, & pondus addat.

A ME IPSO NON VENI] sed missus a Patre; unde subdit: *Sed est verus*, id est verax, & fidelis Deus Pater, qui promissa sua Abrahæ, & Davidi facta, de mittendo Messia ad hominum salutem, in me veraciter, & fideliter adimplevit: *quem vos nescitis* esse meum Patrem, ac me misisse, ut sequitur, ad mundi redemptionem. Aut *nescitis*, hoc est, ei non obeditis, eum non amatis, nec colitis, perinde ac si eum nesciretis, & non cognosceretis, ita Theophyl.

VERS. 29 EGO (Syrus, *ego vero*,) SCIO EUM QUIA AB IPSO SUM, ET IPSE ME MISIT] *Ab ipso sum*, natus, ait S. Aug. per divinam & æternam generationem, utpote F ejus filius proprius & naturalis: *& ipse me misit* in mundum per incarnationem. *Vide*, ait Theoph. *duas hoc loco in Christo naturas manifestari: per hoc enim quod ait: Ab ipso sum, substantia divina declaratur; cum vero ait, Et ille me misit, humana.*

Confutat ergo hic Christus Hierosolymitas excusantes, quod in ipsum non crederent, eo quod nossent ejus parentes, cum Christi parentes nemo sit cognituras. Ostendit enim eos nec generationem suam divinam, & Patrem æternum, nec humanam nosse, quod videlicet non ex Joseph, sed ex Spiritu sancto in Virgine sit formatus, & incarnatus. Quare hoc non obstare, quo minus in eum ut Messiam, cujus ignota sit prosapia, credere debeant.

VERS. 30 QUÆREBANT ERGO EUM APPREHENDERE: ET NEMO MISIT IN ILLUM MANUS: QUIA NONDUM VENERAT HORA EJUS] *Quærebant, Quinam*? interrogat Chrysost. ac resp. *Non multitudo, quæ non affectabat principatum, neque capiebatur invidia, sed sacerdotes*. Hi enim invidebant Jesu, quod a populo sibi præferretur, habereturque Messias: quare eum e medio tollere cogitarunt.

QUIA NONDUM VENERAT HORA EJUS] *qua teneri ac pati decreverat*, ait Theoph. *quando enim tempestivum exi-* G *stimavit quod pateretur, tunc & crucifixoribus se permisit. Unde nomen horæ, ostendit evidentem prudentiam & sapientiam Salvatoris*: quod scilicet non nisi hora, id est, tempore opportuno & commodo a se destinato, pati morique voluerit. Passio enim hæc Christi fuit voluntaria, & libera, non invita vel coacta, idque significat τὸ *hora ejus*, id est ab eo electa, & morti suæ destinata. *Hora* vocatur tempus rei conveniens & congruum, ait Cyrillus, qui in exemplari Romano manuscripto fuse hic agit contra Ethnicos illos, qui censent horas alias esse faustas hominibus, alias infaustas. Docet enim horas, æque ac homines, a Deo creatas, illius providentiæ subjici, & ab ea gubernari.

Hic inciditur & sistit Commentarius eruditus S. Cyrill. in Joannem in fine libri quarti ejusdem: nam quatuor libri sequentes, scilicet, quintus, sextus, septimus & octavus, injuria temporum interciderunt: quare supplevis eos Judocus Clictovæus nuper Doctor Paris. Ego vero germanos Cyrilli libros duos sequentes, scilicet quintum & sextum manuscriptos Romæ inveni: quare illos deinceps citabo, uti dixi in proœmio.

Hic finitur S. Cyrilli commentarius.

DE TURBA AUTEM MULTI CREDIDERUNT IN EUM, H ET DICEBANT: CHRISTUS, CUM VENERIT, NUMQUID PLURA SIGNA FACIET, QUAM QUÆ HIC FACIT?] *De turba*, quia populus erat simplicior, candidior, humilior, & avidior salutis suæ, quam sacerdotes & principes, qui auctoritati suæ & lucris metuentes, oderant Jesum, qui a populo summus habebatur doctor, & Propheta, imo Messias: quare Scribæ & sacerdotes præ Christo parvi fiebant & negligebantur a populo, quod eos valde pungebat, & in Christi odium incitabat. VERS. 31

CHRISTUS CUM VENERIT] q. d. Si adhuc Christus venturus esset, numquid plura miracula esset facturus, quam Jesus faciat? utique non: cur ergo eum præsentem non accipiamus pro Christo? cur alium incertum exspectemus? Prudentis enim est acceptare certum pro incerto, ac præsens pro futuro. Viderat enim turba, & audierat plurima a Christo patrata esse miracula, quæ subticet Joannes, quia ab aliis tribus Evangelistis fuse jam narrata fuerunt. Ita Chrys. & Cyrill. quem ex Romano codice manu-

Digitized by Google

A manuſcripto audi: *Turba in ducendis conjecturis optime ſe gerebat, geſtarum rerum præſtantia, ſuis quaſi pedibus ad debitam credulitatem deducta, ſolam principum doctrinam circa Chriſtum exſpectans.* Et inferius: *Sed caput evaſit in caudam, ut ſcriptum eſt. Nam qui præeſt ſubſequitur, & cum Phariſæorum improbitate conſentiens in Chriſtum effrenatus impetum facit.*

VERS. 32 AUDIERUNT PHARISÆI TURBAM MURMURANTEM DE ILLO HÆC: ET MISERUNT PRINCIPES ET PHARISÆI MINISTROS, UT APPREHENDERENT EUM] *Tamquam populum commoventem ad ſeditionem.* ait Euthymius; ſed revera ex invidia, qua Jeſu invidebant ſequelam & plauſum populi.

PHARISÆI] Græca & Syrus addunt, *Et princeps ſacerdotum*. Phariſæi enim erant e concilio & magiſtratu, illique apud pontifices Jeſum accuſarunt, eoſque in ſuam ſententiam occidendi Jeſum pertraxerunt.

VERS. 33 DIXIT ERGO EIS JESUS: ADHUC MODICUM TEMPUS VOBISCUM SUM; ET VADO AD EUM QUI ME MISIT] *Dixit eis*, ſcilicet miniſtris principum miſſis ad ſe comprehendendum, *ut eos alliceret*, ait Chryſ. *oſtendendo ſe adventus eorum cauſas intelligere:* utque illi ad dominos ſuos

B hæc referrent. *Adhuc modicum tempus*, q. d. *Non diu veſtris heris moleſtus ero, quia moleſtæ mihi ſunt cum homicidis more, aufugiam ab impiis*, ait Cyrill. Ergo adhuc ſex menſes apud vos vivam, prædicabo & docebo, ſcilicet a feſto Tabernaculorum, quod celebrabatur in Septembri, uſque ad Paſcha, tunc enim mihi erit hora & tempus moriendi pro ſalute mundi, a Patre decretum. Quare fruſtra conamini nunc me capere & occidere: nil enim efficere poteritis Deo invito: ergo fruſtra laboratis, & contra ſtimulum calcitratis. Oſtendit hic Chriſtus ſuam magnanimitatem, æque ac providentiam & potentiam divinam, qua principum contra ſe molimina deridet, & velut telas aranearum diffiat.

VADO] Id eſt, brevi vadam per mortem ad Patrem, qui me miſit, *Dicendo, vado*, ait ex Chryſ. Theoph. *ſignificat mortem ſuam*, eamque voluntariam: quare in vanum principes conati illi vim inferre, eumque violenter capere. Nam *vado* idem eſt quod ſponte ibo, meque vobis in vincula, verbera & mortem offeram.

AD EUM QUI MISIT ME] Hac particula ſignificat

C Chriſtus Primo, ſe libenter abiturum ad mortem, utpote per eam iturum ad Patrem. Secundo, perſecutiones principum nihil illi nocituras, ſed profuturas, quia e terra cum tranſmittent in cælum. Ita Chryſ. & Euthym. Tertio principes terret, quod iturus ad Patrem, illorum contra ſe odia ſit Patri relaturus, & vindictam poſtulaturus. Ita quoque Chryſ. & Cyrill. in manuſcript. quem audi: *Fruſtra in me impietatis gladium exacuiſtis, cohibete invidentiæ telum, quod ad nihilum recidet, morti vitam non ſubjicietis, &c. reſurgam ad eum, qui miſit me, aſcendam in cælum, veſtræ nequitiæ accuſationem apud angelos & homines præ me ferens. Hi enim redeuntem admirabuntur, illi procedentes obviam interrogabunt; Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Ego vero reſpondebo: His plagatus ſum in domo dilecti mei*, Zach. 13. 6.

VERS. 34 QUÆRETIS ME, ET (id eſt, *ſed*) NON INVENIETIS: ET UBI EGO SUM, VOS NON POTESTIS VENIRE] *Queritis me*, id eſt, quæretis alium Meſſiam, quem loco Chriſti habeatis, ſed non invenietis, quia nullus alius eſt Chriſtus, niſi ego. ita Toletus. Sed hoc obſcurius eſt, & remotius. Planius ergo & ſimplicius. q. d. Quando poſt mortem audietis me reſurrexiſſe, ac per diſcipulos patrare miracula, quæritis me ut iterum capiatis & occidatis, ut ſcilicet plane meum nomen, famam, religionem extirpetis & aboleatis: ſed non invenietis, quia ego redivivus e

D terra in cælum glorioſe conſcendam: ac licet Apoſtolos meos necetis; alios tamen ſubſtituam, qui vobis invitis meam doctrinam, & Eccleſiam propagent per univerſum mundum, ita Rupertus.

Tertio, Janſen. & alii. q. d. Poſt mortem meam & aſcenſum in cælum, prædicante Petro & Apoſtolis in Pentecoſte, multi ex vobis, quod me tot bonorum datorem ſpreverint, pœnitentes & compuncti, ad me convertentur, tuncque quærent & deſiderabunt me videre, & audire, quem jam præſentem ſpernunt; ſed non invenient, quia in cælum conſcendam. Sic & Cyrill. qui & moraliter docet, bonum cum præſens eſt amplectendum eſſe, ne, ſi elabatur, fruſtra illud requiramus, Nam *fronte capillata eſt, a tergo occaſio calva*, ut apprehendi nequeat.

Tropologice; mirare & imitare Chriſti hic in reſpondendo æquanimitatem, æque ac conſtantiam. *Oportet enim*, ait Cyrill. *mentem Deo addictam, omnes iræ & paſſionum velut undarum impetus vitare, & manſuetis cogitationibus, velut ſerenis zephyris delectari. Plurimum autem ſatagas, ut cum longanimitate verſeris, & videaris omnibus patienter adverſa tolerare; ac mentem quidem prorſus benignam habeas, verba vero vel ad inimicos, non indecora facias.* E

DIXERUNT ERGO JUDÆI AD SEMETIPSOS: QUO HIC ITURUS EST, QUIA NON INVENIEMUS EUM? NUMQUID IN DISPERSIONEM GENTIUM ITURUS EST, ET DOCTURUS GENTES? QUIS EST HIC SERMO, QUEM DIXIT: QUÆRETIS ME, ET NON INVENIETIS: ET UBI SUM EGO, VOS NON POTESTIS VENIRE?] *In diſperſionem gentium*; Syrus, *ad regiones populorum*, hoc eſt, ad gentes & populos toto orbe diſperſos, inde epiſtolæ, quas ad eos ſcripſit S. Petrus, Jacobus, Joannes, & Judas, dictæ ſunt Catholicæ, id eſt univerſales, & encyclicæ, id eſt circulares, quia ſcriptæ ad fideles per totum orbem ſparſos. Judæi vero Gentiles ſuggillando, vocabant diſperſos, quaſi toto orbe vagos, ait Chryſ. cum ipſi in Judæa collecti & adunati viverent. Rurſum quaſi varios errores, ſuperſtitiones, & cultus diſperſos, cum ipſi in F unius veri Dei orthodoxa fide, & religione adunati conſpirarent, ac unanimes ſoli Deo ſervirent.

Judæi hic mentem Chriſti non aſſequuntur, quia in cælum ipſum iturum non credebant: verum tamen dicunt: nam Judæis fidem in Chriſtum repellentibus, Apoſtoli eam traduxerunt ad Gentes, uti & Judæis exprobrat Paulus Act. 13. 46.

IN NOVISSIMO AUTEM DIE MAGNO FESTIVITATIS STABAT JESUS, ET CLAMABAT, DICENS: SI QUIS SITIT, VENIAT AD ME ET BIBAT] *In noviſſimo*; Syrus, *in die autem magno, qui erat ultimus feſti*, pura in Octava feſti Tabernaculorum: hoc enim feſtum celebrabatur per octo dies, ac dies octavus tam magnus & celebris erat, quam primus, atque vocabatur dies cœtus ſive collectæ, quo ſcilicet totus populus collectus templum adibat, gratias agens Deo eique ſe commendans, inde domum repeabat. Vide dicta Lev. 23. 36. Voluit ergo Chriſtus ultimo hoc feſti die, toti populo abeunti ſui deſiderium, ac de ſua religione ſcrupulum, imo ingentem aculeum injicere. Idem faciat concionator, ut in fine concionis aculeum menti abeuntium infigat, qui dein- G de aſſidue eos pungat, & ſtimulet ad vitam in melius commutandam. Ita Chryſ. *Quoniam domum erant abituri*, inquit, *præbet eis ad ſalutem viatica.*

Symbolice, feſtum Scenopegiæ erat plenum voluptate, & gaudio, idcoque erat typus reſurrectionis, & gaudii Beatorum, ad quod ſe ire paulo ante dixerat Chriſtus, atque hic ſe lumen eo ducens eſſe dicit. Ita Cyrill. Feſtum Scenopegiæ, typus reſurrectionis & gaudii Beatorum.

SI QUIS SITIT] ſuam ſalutem, felicitatem, beatam æternitatem: hæc enim ſumme cuilibet ſitienda, & deſideranda eſt, tamquam ſummum, & ultimum hominis bonum, ipſaque beatitudo; hic *veniat ad me*, id eſt, in me credat, uti Chriſtus explicat v. ſeq. *& bibat*, id eſt, hauriat a me Evangelicam doctrinam, gratiam & ſpiritum, ipſumque Spiritum ſanctum, cum omnibus ſuis donis, & virtutibus, qui eum deducat ad gloriam cæleſtem, ubi omnis ejus ſitis, omne deſiderium, omnis cupido ſatiabitur & explebitur: Hiſce ergo aquis ego potabo eum, ſatiabo & inebriabo. Alludit ad Iſaiæ 55. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas*, &c. Vide ibi dicta.

QUI CREDIT IN ME (ſicut oportet, ſcilicet fide charitate formata, ſive qui credit, ut ſimul mihi meiſque mandatis obediat) SICUT DICIT SCRIPTURA] Hæc verba Chryſ. cum ſuis refert ad id quod præceſſit: *Qui credit in me*. Omnes enim Prophetæ de Chriſto prophetränt, illique credi & obediri jubent. Melius alii paſſim referunt ad id quod ſequitur: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Sed ubi id dicit Scriptura? Primo, Rupertus, & S. Thom. hic, ac S. Hier. præfat. in Gen. id ſcriptum putant, Prov. 5. 16. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*, juxta ſenſum myſticum: dam illius loci alius eſt ſenſus litteralis, ut ibi dixi. Secundo, Franc. Lucas id dictum putat Iſaiæ 58. 11. *Et eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Tertio, pleniſſime, alii cenſent id ſcriptum non in uno loco, ſed in multis, idque omnino non quoad verba, ſed quoad rem, & ſenſum. Paſſim enim Prophetæ prædicunt ubertatem ſpiritus & donorum ſpiritualium, inſtar fluminum dandam a Chriſto, ut Joel. c. 2. 28. *Effundam*, ait, *ſpiritum meum* (quaſi

Digitized by Google

A (quasi flumen, imo flumina) *super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri.* Et Isaias c. 41. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes; ponam desertum in stagna aquarum, & terram invium in rivos aquarum.* Et c. 44. 3. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuã.* Similia sunt c. 55. 1. & Ezech. 36. 25. & Eccli. 20. 40. *Ego sapientia*, inquit, *effudi flumina: Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii dioryx, & sicut aquæ ductus exivi de paradiso.* Et Cant. 4. 15. *Fons hortorũ*, ait, *puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.*

Flumina aquæ vivæ quænam?

FLUMINA DE VENTRE EJUS FLUENT AQUÆ VIVÆ] *flumina*, ait non *flumen*, inquit S. Ambr. Theoph. ut denoret maximam copiam & abundantiam, æque ac vim, efficaciam & impetum spiritualium gratiarum, & operationum, puta flumina charitatis, flumina virginitatis & virginum, flumina martyriorum, & Martyrum, flumina eloquentiæ Christianæ. Ita S. Chrys. *Flumina dicit*, inquit, *ut abundantiam & copiam gratiæ significet.* Sic & Rupert. Theoph. & alii, & S. Greg. hom. 10. in

B Ezech. *Quia*, inquit, *de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud, nisi mentis interna, id est recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas?*

Rursum S. Chrys. *Considera Petri linguam, & Pauli imperium, & Stephani sapientiam, quos dicentes nihil effugit, sed omnes sequuntur a fluminibus quibusdam impetu ruentibus rapti*, uti factum est in Pentecoste, cum Petrus flumina spiritus sui eructans, una concione tria, & altera quinque millia Judæorum ad Christum convertit. Act. 2. Hinc S. Hier. epist. 61. ad Pammach. *Paulus*, ait, *vas electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ*, &c. *quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.* S. Chrysost. hom. 4. de laudib. S. Pauli: *Paulus*, inquit, *est cælum, solem habens justitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum, & profundissimum.*

Christus fons aquæ vivæ.

Nota. Christus est fons aquæ vivæ, id est gratiæ vitalis & vivificæ, juxta illud Psal. 35. vers. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Ex hoc fonte si bibamus, id est, si Christo

C credamus & obediamus, fiet in nobis *fons aquæ salientis in vitam æternam*, ut Christus promisit Samaritanæ, c. 4. 14. Fons hic est Spiritus sanctus, sive ejus gratia abundans & copiosa; ab hoc fonte in anima habitante, plurima, & perfectissima spiritualia dona & virtutes, quasi rivi & flumina multa, in ipsam animam, & corpus, ejusque potentias, actus & operationes, imo & ad proximos manant & profluunt: *Spiritus enim gratia*, ait Chrys. *cum menti illapsa est, eamque irrigavit, omni fonte uberius scaturit, nunquam deficit, numquam vacuatur, numquam stat. Simul igitur & indeficientem copiam, incredibilem operationem, & fontem & fluvios appellavit.*

Rivulus Spiritus sancti est fides, ait S. Greg. rivulus est spes, rivulus est charitas, &c. Id ita esse patet, quia sic explicat Joannes, dum subdit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

DE VENTRE EJUS] *Ventrem* per catachresim vocat interiora animæ. *De ventre* ergo, hoc est de corde & mente, quæ quasi venter est animæ, ita S. Chrysost. Leont. Theoph. Euthym. Audi S. August. Venter interioris hominis est conscientia cordis, quæ isto liquore purgata fontem habebit, &

D ipsa fons erit: est autem fons & fluvius manans, benevolentia, quæ vult consulere proximo, & ideo non siccatur, quia manat.

FLUENT] copiose per actus virtutum, per gratiæ effectus, per operationes & impulsus Spiritus sancti, quibus non se tantum, sed & alios ducant in cælum. Hujus enim fluminis spiritualis fons, id est, scaturigo & origo est in cælo, quare vi sua eo resilit, unde exiliit, ac homines spirituales eodem resultu suo reducit, juxta illud cap. 4. 14. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

qua viva intuetur. AQUÆ VIVÆ] Refer cum Syro ad flumina, q. d. Flumina non aquæ stantis & stagnantis, quæ videtur mortua, sed fluentis & exilientis, quæ videtur viva, fluent de ventre ejus. Fluent, inquam, *flumina*, id est, abundantia aquæ vivæ, id est Primo, charitatis, ait S. August. Secundo, lætitiæ spiritualis, juxta illud Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, ait S. Basilius in Ps. 45. Tertio, doctrinæ Evangelicæ, ait S. Ambr. Quarto, felicitatis, & gloriæ cælestis: hanc enim Joannes comparat fluvio aquæ vitæ splendido tamquam crystallo, procedenti de sede E Dei & Agni, Apoc. 22. 1. Vide ibi dicta. Quinto, & Quinta. pleniſſime, *aquæ vivæ*, id est omnis gratiæ & gloriæ, omnium charismatum & virtutum, omnium donorum Spiritus sancti. Ita S. Chrysost. S. Cyrill. Origen. Leont. & alii, idque patet ex seq.

HOC AUTEM DIXIT DE SPIRITU, QUEM ACCEPTURI ERANT CREDENTES IN EUM: NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS DATUS, QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS] *Accepturi* post mortem suam merito ejusdem in Pentecoste: licet enim ante illam Apostoli, aliique Sancti recepissent Spiritum sanctum, tamen non in illa fluviali copia & abundantia, quæ in illos effusa fuit in Pentecoste: unde ipsi mox, quasi effluentia flumina universum mundum aridum, fluentis suæ prædicationis & virtutis irrigarunt, bonis operibus fœcundarunt, amore Dei inebriarunt, virtutibus omnibus inundarunt, per aquam vivam suæ gratæ vitæ & doctrinæ Christianæ. VERS. 39

NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS (*sanctus*, ut addunt Græca) DATUS (in tanta copia & effusione, quanta in Pentecoste) QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS] quia nondum a morte resurgens, & in cælum conscendens, sedebat in gloria ad dexteram Dei F Patris; τὸ *enim* dat causam, cur dixerit, *accepturi* in futuro, non *acceperant*, in præterito.

Quæres, cur ante ascensionem Christi Spiritus sanctus non fuit datus visibiliter & copiose, uti post eam An Pentecoste? ut hæc donatio & effusio Spiritus sancti cognosceretur esse fructus passionis Christi, ejusque ascensionis sive triumphi. Solent enim reges, cum regnum ineunt, vel triumphum de victis hostibus agunt, aurum & argentum copiose in populum spargere, publicæ lætitiæ & gratulationis causa. Sic Christus regnum cæleste iniens, ibique triumphans, mox in Pentecoste in fideles suos copiam gratiarum effudit, juxta illud: *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis & auditis*, Act. 2. 33. Vide ibi dicta, unde vero S. Leo loco citato: *Domini ascensio*, ait, *dandi Spiritus fuit ratio.* q. d. Ideo Christus ascendit in cælum, ut inde mitteret Spiritũ sanctum. Cur Spiritus sanctus datus post mortem Christi. Causa Prima.

Secunda causa est, quod missio & effusio Spiritus sancti in Pentecoste fuerit glorificatio Christi; Spiritus sanctus enim per tot tantaque dona gloriam Christi, a quo mittebatur, mira illustravit, dum per illa, tam mira per Apostolos operatus est, imo totum orbem ad Christũ convertit, ut fideles ubiq; terrarum Christum colant & adorent. Secunda. G

Tertia, quia discipuli ante ascensionem Christi non erant capaces tam spiritalis doni: nimis carnaliter enim sentiebant de Christo, cum eoque agebant. ita Jansen. Tertia.

Quartam dat S. August. tract. 32. Noluit Dominus, inquit, dare Spiritum Sanctum nisi post resurrectionem, *ut in resurrectione charitas nostras flagaret, & ab amore sæculi separetur, ut tota curreret in eum.* Audi S. Cyrillum. *Tunc Christus renovatæ naturæ principium extitit, cum vincula mortis parvipendens iterum revixit.* Et inferius: *In Prophetis*, ait, *fuit dives quidam splendor Sancti Spiritus, faxque prælucens, quæ ad futurorum notitiã eos deduceret; at vero credentibus in Christum non solum facula prælucens Spiritus Sancti aucta, sed ipse inhabitavit Spiritus Sanctus quasi in templo suo.* Quarta.

Tunc ergo flumina gratiarum in fideles non paucos, sed plurimos e cælo fluxerunt, imo pluerunt. Inde enim manarunt tot millia Martyrum, pro fide Christi eculeos, ignes, leones generose superantium, tot chori virginum H pro virginitate Christi, suam usque ad mortem invicte decertantium; tot examina monachorum, & Anachoretarum, qui in cœnobiis, & desertis, a mundo separati Deo vixerunt, quasi homines cælestes, & angeli terrestres, tot ordines Pontificum, & Præsulum, qui sanctissime Ecclesias sibi commissas gubernarunt, & ad omnem sanctitatem efformarunt; tot centuriæ Doctorum, prædicatorum, Confessorum, qui flumina suæ doctrinæ & pietatis per doctrinam & concionem, perque librorum volumina quaquaversum sparserunt, totumque orbem Dei cognitione illustrarunt, ejusque amore succenderunt: de quibus proinde ait Eccli. cap. 39. 9. *Ipsos tamquam imbres mittet elaquia sapientiæ suæ*; tot denique myriades fidelium tam virorum, quam mulierum, quæ sobrie, juste & pie viventes in hoc sæculo, avide exspectarunt, & exspectant adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. An non hæc ingens est & perennis Christi glorificatio?

Digitized by Google

A NONNE SCRIPTURA DICIT, QUIA EX SEMINE DA-
VERS.42 VID; ET DE BETHLEHEM CASTELLO, UBI ERAT DAVID, VENIT CHRISTUS?] q.d. De Bethlehem oppidulo Judææ, ubi natus & educatus est David, nascetur Christus, quasi filius Davidis, uti prædixit Michæas cap. 5. 2. Ergo Jesus non est Christus, quia ipse est Galilæus, utpote conceptus, natus & educatus in Nazareth. *Sed falluntur & errant*; licet enim Christus conceptus & educatus esset in Nazareth, tamen natus erat in Bethlehem, ait Cyrill. cumque ipsi tot portenta & tam evidentia signa Messiæ vidissent in Jesu; debebant de hoc uno, quod ipsi deesse putabant, certius inquirere, vel Jesum interrogare; quod si fecissent, intellexissent rei veritatem, nec patriam obstare Jesu, quo minus ipse esset Christus, cognovissent; sed turbæ ex desidia, Scribæ ex invidia, id investigare neglexerunt, ideoque utrique sunt inexcusabiles.

VERS.43 DISSENSIO ITAQUE FACTA EST IN TURBA PROPTER EUM.

VERS.44 QUIDAM AUTEM EX IPSIS VOLEBANT APPREHENDERE EUM; SED NEMO MISIT SUPER EUM MANUS] *Dissensio*;
B græce, *schisma*, aliis Christum quasi novatorem accusantibus, aliis quasi Prophetam excusantibus, & laudantibus, ac unaquaque parte pro sua opinione stante, ait Euthym.

IN TURBA] *Non in principibus: nam principes unius sententiæ fuerũt, ne susciperetur ipse ut Christus*, ait Theoph.

QUIDAM, præsertim ministri & satellites ad eum capiendum a principibus missi, VOLEBANT APPREHENDERE EUM, quasi auctorem schismatis, ne propter eum oriretur tumultus, & seditio in populo: SED NEMO MISIT SUPER EUM MANUS] Christus enim sua facundia & vultus majestate, sed multo magis sua occulta vi divina cohibuit eos, ne in se manus injicerent: necdum enim hora patiendi ab eo electa advenerat, ita Cyrillus.

VERS.45 VENERUNT ERGO MINISTRI AD PONTIFICES ET PHARISÆOS (quasi ad heros, a quibus missi erant) ET DIXERUNT EIS ILLI: QUARE NON ADDUXISTIS ILLUM?] *Quod venerunt*, ait S. Chrysost. *longe majus fuit, quam si apud Christum remansissent: sic enim liberati fuissent eorum molestia: nunc præcones fiunt sapientiæ*
C *Christi, & majorem præ se ferunt animum.*

ILLUM] novatorem, seductorem, falsum prophetam, ad quem capiendum vos misimus. Nomine enim proprio Jesu, eum vocare dedignantur.

VERS.46 RESPONDERUNT MINISTRI; NUMQUAM SIC LOCUTUS EST HOMO, SICUT HIC HOMO] quia hic non est verus homo, ut cæteri, *sed* homo Deus, quare loquitur & docet non humana, sed divina gratia, facundia, efficacia, majestate. Vide hic quanta fuerit vis dicendi in Christo: quanta auctoritas, & dignitas! quæ ministros pontificum obstupefecit, ut, licet vellent eum capere, tamen non possent, imo eum amare, revereri & colere cogerẽtur, idq; ingenue & libere coram heris suis principibus, etiamsi Christo infensissimis, profiterentur. Atque ita *principum improbitatem coarguit*, ait Cyrill. *ostendens quã imbecilla & temeraria sit contra Deum pugnare. Potuissent fane*, ait Chrys. *se excusare propter turbam* (dicendo non fuimus ausi capere Jesum, ne turbam in eum propensam ad seditionem contra nos concitaremus) *sed animi ostendunt rectitudinem*, &c. *Neque tam se illum admirari, quam qui se miserant ad eum ligandum, quem audire debuissent, accusare visi sunt.* q.d. Cur nos misistis ad talem tantumque
D veritatis doctorem capiendum? Ab eo enim vi sermonis capti sumus; & si vos ipsum audiretis, eadem caperemini. Quare, ut ait Theoph. *non curarunt iram Phariseorũ, neque quia ut servi missi fuerãt, quæ placita erãt principibus dixerũt, sed testabatur veritati.* Tanta est efficacia veritatis. Vere sapiens: *Quis*, inquit, *cogitatus coget? Vis veritatis.*

Quare verisimile est multos ex his suavitate & veracitate Christi allectos & delectatos; postea per Petrum, & Apostolos in Pentecoste concionantes, perfecte ad Christum fuisse conversos: Deus enim hoc præmium dedisse videtur eorum testimonio de Christo, tam sincero & magnanimo. Imo Glossa: *Laudabiliter*, inquit, *seducti erant, qui dimisso malo infidelitatis transierunt ad fidem.* Denique S. Cyrillus in Manuscript. existimat ministros hos ita Christum extulisse supra omnes homines, ut crederent vel suspicarentur eum esse Deum. q.d. Quomodo capiemus eum, qui tantum supra nos extollitur, quantum supra hominem Deus?

VERS.47 RESPONDERUNT ERGO PHARISÆI (hostes Christi implacabiles, ut ait Nonnus) NUMQUID ET VOS SEDUCTI ESTIS] ab hoc plano & impostore? Audi S. Chrys. *Cum compungi & mutare sententiam oportuisset eos, mitius tamen, veriti, ne tandem deficerent. Sed interrogandum fuerat, quid admiratione dignum Jesu loqueretur? id certe caverunt*, invidia in Jesum ecc̃ati, & in odio ipsius obstinati. Urget S. Cyrill. *& vos.* q.d. Turbæ ab ipso seductæ parcatur, quod in eum credat: sed vos qui nostri estis ministri, & in eadem nobiscum incredulitate contabuistis, quomodo ab eo tam cito seduci potuistis, ut in eum credatis? E

VERS.48 NUMQUID EX PRINCIPIBUS ALIQUIS CREDIDIT IN EUM AUT EX PHARISÆIS?] q.d. Principes & Pharisæi, qui sunt prudentes & eruditi in lege, non credunt in Jesum: ergo ipse non est Christus. Est argumentum ab auctoritate, sed fallax & mendax; nam principes hi & Pharisæi erant jurati Jesu hostes, quia ipse vitia eorum taxabat. Falluntur tamen: nam nonnulli principum privatim occulte favebant Jesu, in eumque credebant, inter quos fuit Nicodemus c. 3. 1. Sapienter S. Augustin. Qui non noverant legem, inquit, credebant in eum, qui miserat legem: eum vero condemnabant, qui legem docebant, ut illud impleretur: Ego F
veni ut non videntes videant, & videntes cæci fiant.

VERS.49 SED TURBA HÆC, QUÆ NON NOVIT LEGEM, MALEDICTI SUNT] maledicta est: sed dicunt *maledicti*, in plurali, quia in turba erant multi. Est syllepsis. Alludunt ad Deut. 27. 16. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* q.d. Maledictum a Deo est, qui a Mose & lege transiit ad Jesum, ejusque Evangelium, sitque apostata. Hac voce maledictionis Pharisæi ministros cæterosque perterrefacere conantur, & a fide amoreque Jesu abstrahere. Audi Theoph. *Maledictam turbam ajunt eo quod credidit, ipsi innumeris maledictis digni, utpote increduli, & alii incredulitatis auctores.* Quocirca Rupertus hanc ipsorum maledictionem in ipsosmet retorquens: *Profecto*, inquit, *turba illa verius contradixisset: Istud vanitatis concilium, & ecclesia malignantium, quæ non facit legem, maledicti sunt.* Nam, ut ait Cyrill. *Sapientes dum se venditant, fatui reddũtur. Nam dum scire se legem profitentur, semetipsos incredulitatis accusant:* æque ac ignorantiæ, quod Christum lege promissum, G
& jam præsentem non agnoscant, ideoque maledicendi, & exterminandi a Deo, uti prædixit Moses Deut. *18. 19.*

VERS.50 DIXIT NICODEMUS AD EOS, ILLE, QUI VENIT AD EUM NOCTE, QUI UNUS ERAT EX IPSIS:

VERS.51 NUMQUID LEX NOSTRA JUDICAT HOMINEM, NISI PRIUS AUDIERIT AB IPSO, ET COGNOVERIT QUID FACIAT?] *Lex nostra*, id est, praxis legis nostræ, petita tum ex ipsa lege, tum potius ex ipso jure naturæ & gentium: lex Mosaica enim, licet Deut. 13. 14. jubeat examinari crimen rei, antequam damnetur, tamen expresse non jubet eum audiri, nec vetat inauditum condemnari, si testibus vel aliis argumentis reus esse convincatur. Taxat Nicodemus collegas suos principes, quasi legis & jure naturæ violatores, sed tacite & modeste, veritus eorum iras, unde suadet ut Jesum audiant & examinent. Nam, ut ait S. Aug. *Credebat* (sperabat) *quia si tantummodo eum vellent patienter audire, forte similes fierent illis* (ministris) *qui missi sunt tenere, & maluerunt credere.* Porro Cyrill. asserit Nicodemum ex stimulo conscientiæ hæc dixisse. *Sed noxia adhuc verecundia laborans*, inquit, *nec zeloloquendi libertatem admiscens, non sinit inhærentem in se fidem* H
nudam conspici, sed obscuro quodam pallio, simulatione se obtegens, adhuc aliquo modo latet Christi defensor; cum deceat credentes apertam præ se ferre libertatem, ac sine metu & pudore clare fidem veram profiteri, uti fecit Paulus dicens: *Non erubesco Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Rom. 1. Hæc Cyrillus.

VERS.52 RESPONDERUNT, ET DIXERUNT EI: NUMQUID ET TU GALILÆUS ES? SCRUTARE SCRIPTURAS, ET VIDE QUIA A GALILÆA PROPHETA NON SURGIT] *Galilæus* græce, *ex Galilæa*. q.d. Numquid tu ob communem patriã cum Jesu Galilæo, ejus patronus es, fautor & defensor?

SCRUTARE SCRIPTURAS] *Contumeliose*, ait Chrysost. *tanquam insicio Scripturæ respondent.* q.d. *Aquiesce nobis, & disce.* Nam, ut ait Theoph. *Ignominia eum afficientes quasi imperitum, dicunt: Scrutare, hoc est vade, disce, quia ad hoc usque tempus non didicisti, quia a Galilæa Propheta non surgit.* Legit interpres cum Nonno & Arabico ἐγήγερται, id est, *surgit*, jã legunt, ἐγήγερται, id est, *surrexit.* Hoc Prophetæ, & Prophetides a Galilæa, Pharisæorum axioma Primo, falsum est; Debora enim pro-

Digitized by Google

A prophetissa fuit Galilæa, puta ex tribu Nephthali vel Zabulon, Judic. 4. 5. 6. Sic & Anna prophetissa fuit Galilæa, utpote ex tribu Aser, Lucæ 2. 36. Sic Nahum Propheta fuit Elcesæus, id est, oriundus ex Elcese vico Galilææ, ait S. Hier. procemio in Nahum. Similiter in Samaria, quæ erat vicina Galilææ, ac in toto regno Israel, cujus præcipua pars erat Galilæa, sub regibus idololatris multi fuerunt Prophetæ, qui eos de idololatria redarguerunt, uti Elias, Eliseus, & filii Prophetarum, adeo ut Abdias dispensator Achab regis, centum ex eis absconderit in speluncis, ne a Jezabel uxore Achab interficerentur, 3. Reg. 18. 4.

Secundo, temerarium est, quia, etiamsi ante id tempus nemo Propheta ex Galilæa ortus fuisset, jam tamen oriri & nasci poterat: idem enim objici potuisset Eliæ Thesbitæ: Ex Thesbi huc usque non surrexit Propheta; Ergo Elias natus in Thesbi non est Propheta; & cuivis alteri Prophetæ in sua gente primo.

Tertio, stultum est: quia Nicodemus non dixerat Jesum Galilæum esse Propheram, sed tantum esse audiendum, nec inauditum esse condemnandum. Ita invidia, & odio excæcati, actu furoris abripiuntur, ut
B multa contra judicium rationis perpetrent imprudenter, falsè, temerarie, stulte,

VERS. 53 ET REVERSI SUNT UNUSQUISQUE IN DOMUM SUAM] *Timentes ne forte etiam quispiam alius similia Nicodemo diceret*, ait Euthymius: quare distulerunt suum de Jesu capiendo & necando consilium, sed non revocarunt, nec mutarunt. Hanc dilationem fecit Deus per Nicodemi interlocutionem, quia necdum venerat hora, morti Jesu ab ipso decreta.

CAPUT VIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Jesus adulteram a Scribis accusatam absolvit. Secundo, v. 12. asserit se esse lucem mundi, ac Judæos nisi in se credant, in peccatis suis morituros. Tertio, v. 25. ait se esse principium, ac credentes in se liberare a peccatis,
C *Judæos vero incredulos esse peccatores, servos peccati, v. 34. ac natos ex patre diabolo, v. 44. Quarto, v. 49. Judæis sibi objicientibus quod habeat dæmonium, & sit Samaritanus, respondet se dæmonium non habere, sed Patrem cælestem honorificare. Quinto, v. 58. asseverat se fuisse ante Abraham, ideoque Judæis eum lapidare volentibus se se abscondit.*

VERS. 1. JESUS autem perrexit in montem Oliveti: 2. & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

3. Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam; & statuerunt eam in medio,

4. & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.

5. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

D 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra.

9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus: & remansit solus Jesus & mulier in medio stans.

10. Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit?

11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & jam amplius noli peccare.

12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

13. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non E est verum.

14. Respondit Jesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, & quo vado: vos autem nescitis unde venio, aut quo vado.

15. Vos secundum carnem judicatis: ego non judico quemquam:

16. & si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater.

17. Et in lege vestra scriptum est: quia duorum hominum testimonium verum est.

18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

19. Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. F

20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.

21. Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, & quæretis me: & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.

22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?

23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui & loquor vobis.

26. Multa habeo de vobis loqui, & judicare, sed qui me misit, verax est: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. G

27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc agnoscetis quia ego sum, & a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor:

29. & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.

32. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.

33. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?

34. Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, servus H est peccati.

35. Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.

36. Si ergo vos filius liberavit, vere liberi eritis.

37. Scio quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.

39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

40. Nunc

Digitized by Google

A 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habebus Deum.

42. Dixit ergo ei Jesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit.

43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

44. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestris vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus.

45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

B 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. Respondérunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

49. Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.

50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet.

51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.

52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia demonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ; & tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.

53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?

54. Respondit Jesus: Si ego glorifico meipsum gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est,

55. & non cognovistis eum: ego autem novi eum: Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem ejus servo.

56. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.

57. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

58. Dixit eis Jesus: Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

VERS. 1. D JESUS AUTEM PERREXIT IN MONTEM OLIVETI] Jesus toto die octavo & ultimo festi Tabernaculorū docuerat Hierosolymis in templo, & Pharisæos confutarat: illi vespere domum ad cœnam lautam redierunt de more, Jesum vero nullus invitavit ad hospitium & cœnam, ob metum principium & Pharisæorum. Jesus ergo e templo jejunus ivit in montem Oliveti, puta in hortum villæ Gethsemani, ut ibi sub dio pernoctaret in oratione, ut colligitur ex c. 18. v. 1. & 2. & ex Matth. 26. 36. Cibus ei vel a Martha ex vicina Bethania submissus fuit, vel a discipulis Hierosolimæ coemptus. Hic igitur Christus hortum hunc in monte Olivarum, quasi nocturnum hospitium, imo oratorium elegit, & designavit sex mensibus ante mortem, ultimo die festo Tabernaculorum, ad quod deinceps e Jerusalem noctu oraturus secedere solebat. Unde Judas hanc ejus consuetudinem sciens, ibidem eum Judæis prodidit, Matth. 26. 36. Vide ibi dicta.

Hortum in monte Olivarum quasi nocturnum hospitium, & oratorium elegit sibi Christus sex mensibus ante mortem.

Mons Olivarum est olei symbolum, & misericordiæ, quam ibi ostendit Christus, orans obsecransque Patrem pro venia & salute peccatorum, juxta illud: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*, Lucæ 1. Festum Tabernaculorum significabat Christum & Christianos hic esse hospites & peregrinos, qui in Tabernaculis versantur, & tendunt ad patriam cælestem, ideoque ex urbe Jerusalem opulenta & splendida pergunt ad montem olei cælestis, ut ibi per orationem, gratiam & gloriam a Deo hauriant. F

ET DILUCULO ITERUM VENIT IN TEMPLUM, ET OMNIS POPULUS VENIT AD EUM: ET SEDENS DOCEBAT EOS] Nocte ergo Christus dabat orationi, diem doctrinæ & prædicationi, ut idem facere a Christo discat vir Apostolicus, uti fecit S. Paulus, S. Franciscus Xaverius, & similes. VERS. 2.

ADDUCUNT AUTEM SCRIBÆ, ET PHARISÆI MULIEREM IN ADULTERIO DEPREHENSAM: ET STATUERUNT EAM IN MEDIO. VERS. 3.

ET DIXERUNT EI: MAGISTER, HÆC MULIER MODO DEPREHENSA EST IN ADULTERIO. VERS. 4

IN LEGE AUTEM MOYSES MANDAVIT NOBIS HUJUSMODI LAPIDARE. TU ERGO QUID DICIS?] Nota. Hanc adulteræ historiā non habent, nec legunt S. Cyril. S. Chrys. aliique Græci interpretes, neque Syrus. Legunt tamen eamdem omnes Latini, & Arabicus, ac legendam esse docet Vulgata versio, quam probavit Conc. Trid. sess. 4. Unde patet illam esse canonicam, ac legitimam partem S. Scripturæ. VERS. 5.

Historiam hujus adulteræ non legunt Græci Interpretes.

LAPIDARE] Nota. Lex Mosis tantum jubebat occidi adulteras, Lev. 20. 10. eas autem lapidari jussere principes ex traditione & explicatione Scribarum & Rabbinorum. Lex enim in simili casu jubebat lapidari feminam viro desponsam, si adultaresset, Deut. 22. 24. Unde Scribæ multo justius hanc lapidationis pœnam ad uxorem adulteram extenderunt. Ita passim Interpretes. Verum Lev. 20. 10. ostendi pœnam mortis intentatam adulteris fuisse lapidationem, quæ ibidem nominatur initio capitis, ideoque ad sequentes casus, & consequenter ad adulteros extendenda est: unde & eadem in fine capitis repetitur, quasi ad cæteros capitis casus pertineant. Idem patet ex Ezech. c. 16. 38. collato cum v. 40. Hinc Susannam quasi adulteram voluerunt lapidare, sed ejus innocentia cognita, senes ejus accusatores falsæ accusationis a Daniele convicti, pœna talionis damnati, lapidati sunt; Dan. 13. 62. Sic & Romani, Saxones, Persæ, Ægyptii, Arabes, Parthi, Turcæ, Brasilii, aliæque gentes adulteria puniverunt morte, uti ostendi Gen. 38. 24. Num. 5. in fine capitis. F

HOC AUTEM DICEBANT TENTANTES EUM, UT POSSENT ACCUSARE EUM. JESUS AUTEM INCLINANS SE DEORSUM, DIGITO SCRIBEBAT IN TERRA] *Ut possent accusare eum*, quasi Mosi & legi contrarium, si diceret adulteram non esse lapidandam; sin eam lapidandam assereret, ipsum apud populum traducerent, quasi rigidum & immitem, qui summe volebat haberi clemens. Potius vero putabant eum dicturum non esse lapidandam, *ob servandam suæ mansuetudinis formā; ne populorum favores amitteret*, ait Rupert. sic & Beda, Euthym. & S. August. quem audi: *Animadverterant eum nimium esse mitem; dixerunt ergo apud se; si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit, quā lex jubet: ut vero mansuetudinem non perdat, in qua jam populis amabilis factus est, eam dimitti debere dicturus est, ita nos ad accusandū occasionem inveniemus: sed Dominus & in respondendo justitiā servavit, & a mansuetudine non recessit*. Putabant ergo eum accusare, quod adulteram absolvens violaret legem, & judicia tribunalium everteret, ac adulterandi januam aperiret. *Dicentes*, ait S. Aug. *hostis es legis, contra Mosen judicas, imo contra eum qui per Mosen legem dedit: reus es mortis, cum illa & tu lapidandus*. G VERS. 6.

JESUS AUTEM INCLINANS SE DEORSUM DIGITO SCRIBEBAT IN TERRA] Primo, ut vultum averteret, dorsumque obverteret non tam infami adulteræ, ut volunt nonnulli, quam ipsis Scribis eam accusantibus. q.d. Quid apud me accusatis adulteram, qui non sum judex civilis, nec peccatorum damnator, sed medicus & salvator? ita S. Aug. Jansen. Euthym. Franc. Lucas. Græci codices nonnulli addunt, κατατοίζων, id est, *non sibi attrahens*, non usurpans, non advertens, imo avertens se ab eis & eorum accusatione; licet Toletus & alii vertant, *non fingens, non simulans* se scribere, sed revera scribens in terra: utrumque significat vox Græca, & utrumque verum est, ac huic loco congruum. H

Cur Christus digito scribat in terra?

Secundo & potius, alluditur Christus ad illud Jer. 17. 1. *Peccatū Juda scriptū est stylo ferreo in ungue adamantino*; & ut ait S. Aug. S. Hier, & alii, magis proprie ad v. 13. *Omnes qui te derelinquunt confundūtur: recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum*: q. d. Vos, o Scribæ, hic ad vivum pinxit Jere-

Digitized by Google

Jeremias: vos adulteram accusatis, sed vos majora quã illa perpetrastis scelera; magis ergo vos quam illa lapidandi, imo ad gehennam damnandi estis. Vestrum enim rebellionis, infidelitatis, obstinationis, persecutionis contra me peccatum est indelebile, ac quasi scriptum stylo ferreo in ungue adamantino, quia vos dereliquistis Dominum, illique dorsum obvertistis, hinc vicissim ille vos dereliquit, & dorsum suum obvertit, sicut ego vobis obverto, atque vos confundet, juxta illud Jer. 18. 17. *Sicut ventus urens dispergam eos* (de terra) *coram inimico; dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*. Quæsivistis bona terrena, neglectis cælestibus, hoc est exilia, brevia, vana, idcirco cum illis brevi transibitis & abolebimini, sicut quod in terra scribitur, cito vel vento flante, vel pede calcante aboletur. Recessistis a Deo, idcirco nõ in cælo, sed in terra, imo in centro terræ, puta in inferno, scribemini, eritis folles & fomenta gehennæ. Vide dicta Jer. 17. Ita S. Aug. l. 4. de Consensu Evang. c. 10. S. Amb. ep. 76. ad Studitum: *Scribebat*, ait, *in terra digito, quo scripserat legem: peccatores in terra scribuntur, justi in cælo*.

Symbolice S. Aug. loco citato duas alias addit causas. Prima est, ut ostenderet se in terra miracula facere: quia cum Deus esset, se humiliavit ut homo fieret: miracula enim sunt signa, quæ in terra fiunt. Secunda, ut innueret jam adesse tempus, quo in terra, quæ fructum daret, non in lapide sterili, sicut olim, lex ejus conscriberetur. Tertiã addit hic tract. 33. ut significaret se eumdem illum esse, qui legem veterem digito scripserat in tabulis lapideis, non autem sic legem novam scribendam, sed in terra fructifera.

Quid in terra scribebat Christus?

Quæres, quidnam Christus scribebat in terra? Resp. Christus hæc egit & scripsit in atrio templi, quod erat lapidibus stratum: quare in illis non poterat characteres litterarum exprimere, sed tantum digito circumducto delineare. Videtur autem delineasse aliquid, quod Scribis pudorem & ruborem injiceret, aut eorum peccata argueret: nam hanc scripturam vox verbo explicans subdit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Imo S. Hier. l. 2. contra Pelag. ait Jesum in terra scripsisse *eorum qui accusabant* (Scribarum) *& omnium peccata mortalia*. S. Amb. vero ep. 56. *Quid*, ait, *scribebat, nisi illud propheticum* Jer. 22. v. 29. *Terra, terra scribe hos viros abdicatos?* quod de Jechonia ad litteram scriptum est. Idem epist. 79. censet Jesum inter alia scripsisse: *Festucam, quæ in oculo fratris tui est, vides, trabem vero, quæ in oculo tuo est, non vides*. Alii censent scripsisse: *Mane, tekel, phares*, quod Baltahari scriptum attulit exitium, Daniel. 5. v. 25. eo enim alludere videtur. Verum quid in particulari scripserit Christus, certo definiri nequit.

VERS. 7. CUM ERGO PERSEVERARENT INTERROGANTES EUM, EREXIT SE, ET DIXIT EIS: QUI SINE PECCATO EST VESTRUM, PRIMUS IN ILLAM LAPIDEM MITTAT] *Cum ergo perseverarent*, quia quid Christus in terra delinearet, non satis percipiebant, vel certe se perspicere dissimulabant. Urgent ergo eum, ut ad quæstionem ipsorum captiosam explicite respondeat, putantes Christum non posse hoc eorum dilemma cornutum evadere, quin aut in lege, si adulteram absolveret, vel misericordiam suam solitam, si eam damnaret, offenderet.

QUI SINE PECCATO EST] Græcum, ἀναμάρτητος duo significat; Primo, eum qui est impeccabilis, qualis est solus Deus & Beati; Secundo, eum qui caret peccato. Et sic hic accipitur, q. d. Vos, o Scribæ, similia, imo majora, quam hæc adultera commisistis peccata. Uti vestra conscientia (ad quam vos prudenter & modeste remitto) vobis attestatur. Ergo nolite tam rigide & importune urgere damnationem hujus adulteræ, sed potius conscii vestrorum scelerum ipsius misereamini, illique parcite, quasi peccatores peccatrici, rei reæ, puniendi puniendæ: alioqui si illam condemnatis, vos pariter condemnare debetis; si illam lapidare vultis, vos multo magis lapidandi, imo comburendi estis. Vide hic prudentiam Christi: concedit Scribis adulteram ream esse mortis, itaque legi patrocinatur; sed addit, Scribas illam ad necem tam pertinaciter persequi non debere: quin potius ei condolere, & misereri, cum ipsi exterius coram populo sanctitatem simulantes: interius vero majorum scelerum conscii, sibi a Deo & hominibus indulgeri, & clementiam veniamque exhiberi velint. Ita S. Aug. *Audistis*, inquit, *impleatur lex, lapidetur adultera: sed numquid in illa lex punienda est ac puniendis?* Et nonnullis interjectis: *Non dixit Jesus: Ne lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem ut diceret, Lapidetur: venit enim non perdere, quod invenerat, sed quærere quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat. O responsio sapientia! quomodo eos intromisit in se? Foris calumniabantur, seipsos intus non perscrutabantur*. Audi S. Amb. ep. 76. *Quid*, inquit, *tam divinum, quam ista sententia, ut is peccata puniat, qui ipse expers peccati sit? Quomodo enim feras alieni ultorẽ, & proprii criminis defensore? Nõne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat quod ipse commisit?*

Dices, Christus hic videtur evertere usum & rigorem judicii & tribunalium. Si enim judici dicas: *Qui sine peccato est, primus reũ damnet*; nemo eum damnare audebit: omnes enim, quia homines, sunt infirmi & peccatores. Resp. Christum hanc sententiam non torquere in judices, sed contra Scribas, qui qua privati ex privato zelo contendebant, ut Christus judicium adulteræ sibi usurparet, & juxta legem eam damnaret: quod ipse merito abnuit, quia venerat peccatores salvare, non damnare, & in ipsosmet retorsit. q. d. Si vos, cum non sitis judices, urget tanta cupido vel libido adulterium hoc puniendi, vos ipsi ejus judicium usurpate, & adulteram lapidate, si tam puri & sancti estis, ut nec adulterium, nec aliud scelus commiseritis: nam si Scribæ hi fuissent judices, & adulteram juxta legem ad lapidationem damnassent, neutiquam eam Jesus liberasset, nec a merita legis pœna absolvisset. Porro judicis officium est damnare rerum, si is de crimine convincatur, etiamsi ipse ejusdem vel similis sceleris sciat se reum: indecens tamen est, ut ipse si sit reus, alium ejusdem criminis reum damnet. Quare tacite monet Christus hic judices, ut innocentem vitam agant, itaque digni sint, qui nocentes damnent, ne eis populus occlamet: Si hunc damnas, damna pariter teipsum.

Moraliter docet hic Christus, cum qui vult aliena crimina judicare & carpere, prius debere judicare sua. Causam dat S. Greg. l. 4. Moral. c. 23. *Qui enim semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet ignorat. Et si novit fortasse per auditum, quod rectum judicare debeat; recte tamen judicare aliena meritò non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est enim, quod insidiantibus quibusdam, & puniendam adulteram deducentibus dicitur: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe, punienda peccata ibant, & sua relinquebant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant*. Hoc significant illa jactata vulgo proverbia: Tua prius vineta cædito: In tuum ipsius sinum prior inspue; In alienis vitiis sumus lynces, & in nostris talpæ: Aliorum medicus, ipse ulceribus scates: Medice, tibi ipsi medicus esto.

ET ITERUM SE INCLINANS, SCRIBEBAT IN TERRA] VERS. 8. tum ut pudorem rursum eis injiceret, tum ut honeste abeundi Scribis spatium daret. Ita S. Hier. l. 2. contra Pelag. *Dedit*, ait, *verecundiæ eorum clementissimus judex spatium recedendi*. Et Beda: *Alio vultum intendens*, ait, *liberum eis fecit exire, quos sua responsione perculsos citius excituros, quam plura interrogaturos esse, præviderat*.

AUDIENTES AUTEM UNUS POST UNUM EXIBANT, INCIPIENTES A SENIORIBUS: ET REMANSIT SOLUS JESUS, ET MULIER IN MEDIO STANS] VERS. 9. *Audientes*, Græci codices nonnulli addunt: *Et a conscientia redarguti*: Arab. *cum autem audissent hoc, ex eo intelligentes ignominiam, cœperunt exire*: quia male sibi conscii erubescebant de suis sceleribus, quodque adulteram damnare vellent, cum ipsi essent adulteri, vel adulteris sceleratiores. Æquam enim sententiam dixerat & dictarat Christus, quæ ipsos, imo quoslibet ferire & compungere potuisset. Quis enim audeat dicere se immunem a peccato, ut quasi sanctus alios peccatores damnare præsumat? Unde S. Aug. ep. 54. *Puto*, ait, *quod hac sententia Domini audita, si præsens fuit etiam maritus ipsa, qui violatam sui thori fidem vindicari postulabat, exterritus, animum ad voluntatem parcendi ab ulciscendi cupiditate deflexit*.

EXIBANT] *abscessu ipso*, ait S. Aug. confessi de se, reos esse similium scelerum, ac *tamquam zelo justitiæ percussi sese inspicientes, & reos invenientes recesserunt*, timentes ne Christus ulterius pergeret eorum scelera in particulari pandere & carpere, uti fecit Matth. 23.

INCIPIENTES A SENIORIBUS] Senes hi in peccatis consenuerant, eranto; inveterati dierũ malorũ, similes senibus illis judicibus adulteris, qui Susannam innocentem, quasi ream adulterii, ad lapidationem, contra omne jus damnarant, Dan. 13. Senes ergo primi exierunt, *vel quod ipsi plura haberent crimina, qui diu vixerant*, ait Ambr. *vel quia*

priores

Digitized by Google

A *priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores.* Et Rupert. *Seniores primum perſenſerunt reſponſum validum, & inexpugnabile eſſe, quod calumniari nequirent, utpote ad intelligendũ perſpicaciores, idcirco primo loco ceſſerunt.*

REMANSIT SOLUS cum Apoſtolis & turba populi, IN cujus MEDIO ERAT MULIER STANS] ut ſequitur, τὸ enim *ſolus* excludit tantum Scribas, qui Jeſum urgebant ad damnandum adulteram. *Relicti ſunt duo*, ait S. Aug. *miſeria & miſericordia*: nimirum *abyſſus abyſſum invocat*; abyſſus miſeriæ adulteræ invocabat abyſſum miſericordiæ Chriſti: ideoque ipſa non fugit, quia gratiam Chriſti erat experta, & majorem ab eo ſperabat.

VERS. 10 ERIGENS AUTEM SE JESUS, DIXIT EI: MULIER, UBI SUNT QUI TE ACCUSABANT? NEMO TE CONDEMNAVIT?] S. Ambr. legit, *nemo te lapidavit*.

ERIGENS SE, (ſcilicet ut ait S. Auguſt. Levans in illam oculos manſuetudinis, qui juſtitiæ lingua adverſarios ejus repulerat.) DIXIT EI MULIER] Primo, ad hoc ut mulier agnoſceret a ſe abactos eſſe ejus accuſatores, ideoque ipſa beneficium & beneficum Jeſum

B agnoſceret, & compuncta ab eo criminis veniam poſceret. Secundo, ut Chriſtus liberius eam abſolveret, eo quod ejus accuſatores accuſationem dimitterent, & fuga ſe abducerent, quaſi cauſæ ſuæ æquitari diffiſi.

VERS. 11 QUÆ DIXIT: NEMO, DOMINE. DIXIT AUTEM JESUS: NEC EGO TE CONDEMNABO: VADE, ET JAM AMPLIUS NOLI PECCARE] *Nec ego te condemnabo*, græce κατακρίνω, id eſt *condemno*. q. d. Ego ſolus, qui ab omni peccato ſum immunis, ac a Deo conſtitutus judex omniũ hominum, poſſem te meritn damnare, ſed nolo, quia veni non ut judicem mundum, ſed ut ſalvem, Joan. 3. 17. ita S. Aug. Audi S. Amb. ep. 76. *Adverte quomodo propriã ſententiam temperavit, ut Judæi mulieris abſolutione calumniari nihil poſſent, ſed in ſe magis calumniam retorquerent, ſi queri vellent. Dimittitur enim mulier, non abſolvitur, quia deerat accuſator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur, qui priores a perſecutione criminis, & ab executione ſupplicii deſtiterunt.*

Adulteram Chriſtus abſolvit.

Porro Chriſtus hiſce verbis, adulteram abſolvit, tum in foro fori coram populo, tum in foro poli, id eſt in foro conſcientiæ coram Deo, ut patet ex eo, quod ſubdit: *Vade* (quia dimitto tibi peccata) *& jam amplius noli peccare.*

C *Vade*, quaſi ſecura de remiſſo tibi a me adulterio. Sic enim condonans crimina Magdalenæ dixit: *Vade in pace*, Lucæ 7. Sed Chriſtus id aperte non dicit: recte enim loquitur, ne Phariſæi habeant quod carpant. Quare Chriſtus adulteræ huic interius inſpiravit dolorem de peccatis, & actum contritionis, ac deinde contritæ & pœnitenti peccata remiſit, ac culpam ſimul cum pœna condonavit. *Non damnat*, inquit S. Ambr. epiſt. 58. *ut redemptio, corrigit quaſi vita, quaſi fons abluit*. Et Euthym. *Satis erat*, inquit, *talis divulgatio, & coram tot adverſariis erubeſcentia pro ſupplicio, maxime cum ſciret, quod illam toto corde pœniteret*. Sic & Toletus, Janſen. Franc. Lucas & alii.

Et (id eſt, *ſed*) JAM AMPLIUS NOLI PECCARE] Græce, *nunc ne amplius pecces*; Arab. *vade & ex nunc ne revertaris ad peccatum*, quaſi ſus lota ad luti volutabrum, & canis ad vomitum. 2. Petri 2. verſ. 22. Sic enim ingrata amplius peccabis, animamque tuam ſordidabis; & ſi non judices, ego certe in die judicii te condemnabo ad gehennam, & mortem æternam. Audi S. Aug. *Nec ego te condemnabo, quid eſt? Domine faves ergo peccatis? non plane ita. Attende quod ſequitur: Vade, deinceps jam noli peccare.*

D *Ergo & Dominus damnavit, ſed peccatum, non hominem: nam ſi peccatorum fautor eſſet, diceret: Ne ego te condemnabo: vade, vive ut vis, de mea liberatione eſto ſecura.* Quibus addit Beda: *Quoniam miſericors & pius eſt, præterita relaxat: quoniam juſtus eſt, & juſtitiam diligit, ne amplius jam peccet interdicit.*

VERS. 12 ITERUM ERGO LOCUTUS EST EIS JESUS: EGO SUM LUX MUNDI] Gloſſa hæc nectit immediate præcedentibus de abſolutione adulteræ. *Subdit*, inquit, *quid poſſit ex divinitate; ne ambigatur quod poſſit peccata dimittere*. q. d. Ne miremini me liberare adulterã a tenebris peccatorum, quia ego ſum lux mundi, non creata, ſed increata, hoc eſt Deus. Unde ſubdit v. 15. *Ego non judico quemquam*. q. d. Ego adulteram non judico, nec abſolvo in foro fori, ſed tantum in foro poli, puta in foro interno conſcientiæ. Planius alii hæc referunt ad v. 2. *Sedens docebat eos*, hunc enim Chriſti docendi actum interruperunt Scribæ, adducentes adulteram, ut eam damnaret; mox Chriſtus Scribas pudefecit & abegit, ac adulteram abſolvit: quo facto quaſi finita cum Scribis lite, rurſum docere perrexit. Unde E ſignanter addit τὸ *eis*, ſcilicet *iiſdem*, quos paulo ante docuerat; idque innuit τὸ *iterum ergo*. q. d. Quia Chriſtus quæſtionem adulteræ, quæ doctrinam interruperat, jam terminavit, idcirco iterum ad docendum rediit, & doctrinam intermiſſam reſumpſit. Ita Chryſoſt. Theoph. Leont. Ammon. & alii. Unde Arabicus vertit, *deinde locutus eſt eis Jeſus verum*. Addit Chryſoſt. Objiciebant Judæi Chriſto Galilæam, de ipſo dubitantes, quod ex Galilæa Propheta non ſurgeret. Oſtendit ergo Chriſtus ſe non eſſe unum Prophetarum, ſed orbis terrarum illuminatorem, imo Deum & dominatorem. Ita Chryſoſt.

EGO SUM LUX MUNDI] Hinc Manichæi putabant Chriſtũ eſſe ſolem: ſol enim eſt lux mundi, ac ſolem vivere & eſſe animatũ cenſuere Platonici: unde de eo aliquando dubitavit S. Aug. utpote Platonicus, ut patet Ench. c. 58. Audi S. Aug. hoc eorum delirium recenſentem & confutanté hic tr. 34. *Manichæi ſolem iſtum carnis oculis viſibilem, expoſitum & publicum, Chriſtum Dominum eſſe putaverunt*. Et mox: *Non eſt Dominus Chriſtus ſol factus, ſed per quem ſol factus eſt. Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil. Eſt ergo lux, quæ fecit hanc lucem, hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipſã ſitiamus, ut ad ipſam lucẽ aliquando veniamus, & in illa ita vivamus, ut numquã omnino moriamur. Ita enim lux eſt, de qua prophetia olim præmiſſa ita in pſalmo cecinit: Homines & jumenta ſalvabis Domine, ſicut multiplicata eſt miſericordia tua Deus.* Et inferius: *Per hoc lumen factũ eſt lumen ſolis, & lumen quod fecit ſolem: ſub quo fecit & nos, factũ eſt ſub ſole propter nos. Factũ eſt, inquam, propter nos ſub ſole lumen, quod fecit ſolem. Noli contemnere nubem carnis: nube tegitur, non ut obſcuretur ſol, ſed ut temperetur. Loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen ſcientiæ, lumen ſapientiæ, ait hominibus: Ego ſum lux mundi.* Ex eod. Chriſtus dixerit, cum ma. Manichæi putabat ipſum ſolem.

Quomodo Chriſtus qua Deus, ſit lux immenſa & increata, qua homo vero ſit lux creata, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, juxta illud Zach. Lucæ 1. *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent*, dixi c. 1. 4. Rurſum quomodo rex ſit qua ſol ſui regni, per 18. analogias oſtendi Iſaiæ c. 45. 1. quas Chriſto accommoda: Chriſtus enim eſt rex mundi.

MUNDI] Hoc eſt non ſolius Iſraelis & Judæorum, uti G fuit Iſaias, Elias, cæteriq; Prophetæ, ſed totius mundi, id eſt, omnium omnino gentium, quo tacite ſignificat, & prædicit, omnium gentium converſionem ad Chriſti fidem, atq. Evangelium ab incredulis Judæis, transferendum eſſe ad Gentes in Chriſtum credituras. Ita Cyrill. qui & addit Chriſtum dicendo: *Ego ſum lux mundi*, alludere ad columnam ignis, quæ noctu prælucebat, & præibat Hebræis per deſertum euntibus in terram promiſſam. Simili enim modo Chriſtus, quaſi fax lucidiſſima, in tenebris errorum & vitiorum mundi nobis prælucet, viamque præit in cælum, Exodi 13. 21 Num. 14. 21.

QUI SEQUITUR ME, (in me quaſi in Chriſtum credendo, meiſque juſſis obtemperando) NON AMBULAT IN TENEBRIS] errorum & vitiorum, in quibus ambularunt Philoſophi, cæterique mundi ſapientes. q. d. Qui me lucem ſequitur, hic ſine errore & peccato vivit, in luce veræ fidei & virtutis.

SED HABEBIT LUMEN VITÆ] modo per fidem, poſtea per ſpeciem, ait S. Aug. qui & addit: *Concordant hæc verba cum illis Pſalmi: In lumine tuo videbimus lumen, quoniam apud te eſt fons vitæ. In iſtis corporalibus aliud lumen, aliud fons: apud Deum quod lumen, hoc fons: qui tibi lucet ut videas, ipſe tibi manat ut bibas: ſi ſequaris iſtum ſolem viſibilem, te deſerit in occaſu; a Deo ſi non facias caſum, numquam ad te ille faciet occaſum.*

LUMEN VITÆ] ergo juxta Aug. & Bedam eſt lumẽ gloriæ, beans fideles & Sanctos Chriſti, quod illi ab ipſo percipient in cælo. Planius alii per *lumen vitæ* accipiũt lumen fidei, ſapientiæ & prudentiæ Chriſtianæ, quod nos ducit ad lumen gloriæ, ipſamq; beatitudinem. Fides enim eſt quaſi fax, quæ fidelibus in tenebris errorum & vitiorum hujus mundi ambulantibus prælucet, ut videant verum iter virtutis, per quod inoffenſo pede contendant in cælum ad felicitatem æternam. Ita Cyril. *Qui ſequitur me*, inquit, *vitæ lumen lucrabitur, id eſt, eorũ, quæ in me ſunt myſteriorum revelationem, ipſum in æternam vitam potentem deducere.* Poſſet Tertio, *lumen vitæ* exponi lumen vivificans: fides enim cum Dei gratia & charitate conjuncta, eſt lumen divinum & ſupernaturale, quod animam vivificat, eique vitam gratiæ hic aſpirat, & in cælo vitam gloriæ aſpirabit.

Mo-

A Moraliter hic discе Christi doctrinam & vitam esse imitandam omni homini, qui vult veraciter illuminari, & ab omni mentis cæcitate purgari: quare hanc Christi sententiam quasi axioma, imo basim sapientiæ & sanctitatis, Thomas a kempis præposuit aureo suo libello de Imitatione Christi, qui quot habet sententias, tot habet gnomas, imo gemmas practicæ & salutiferæ veritatis, quas quotidie magno gustu fructuque lectito, atque iterum iterumq; lectitare semper desidero. Novi nonnullos perfectionis studiosos, qui singulas suas actiones ad aliquam Christi actionem, doctrinam vel sententiam, velut ad exemplar referre, eique conformare satagebant, ut illam velut ideam semper intuentes, eamdem in omnibus suis actibus exprimere conarentur: quæ sæpe pia, utilisque ad omnem sanctimoniam est praxis. Hac enim de causa Christus datus est nobis, ut esset speculum Sanctitatis. Quid enim sanctius Sancto Sanctorum? quid lucidius sole, ipsaque luce? quid sapientius ipsa sapientia?

Thomæ a kempis libellus de imitatione Christi commendatur.

VERS. 13 DIXERUNT ERGO EI PHARISÆI: TU DE TEIPSO TESTIMONIUM PERHIBES, TESTIMONIUM TUUM NON EST VERUM] *Verum*, id est legitimum, ut recipi crediq; debeat.

B Nemo enim, licet sanctus, in judicio accipitur testis de seipso, sed testes alios proferre debet. Vide dicta c. 5. 31.

VERS. 14 PHARISÆI] Jam subduxerant se Pharisæi, qui adulteram accusarant, pudefacti a Christo, sed præter illos alii erant Pharisæi in turba, qui, ut sociorum ignominiam vindicarent, & suam in Christum malevolentiam ostenderent, hoc illi opposuerunt, ut eum vicissim pudefacerent & confunderent. Ita Cyril. *In ignorantia enutriti*, inquit, *Emmanuelem non intelligentes, ipsum gloriæ affectare suspicantur, & tamquam in unum ex nostris invehuntur.*

RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EIS: ET SI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO, VERUM EST TESTIMONIUM MEUM: QUIA SCIO UNDE VENI, ET QUO VADO] *Verum*, hoc est non tantum verax in se, sed & legitimum, ut a quolibet, etiam judice, acceptari credique debeat. *Verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive abdat*, ait S. August. q. d. Lux ipsa non eget alio teste, quia ipsa seipsam clare sua luce ostendit, quod sit lucida, clare & fulgida. Sic Christus est lux mundi, quæ clare se mundo ostendit per opera, & miracula divina: quare alio teste non eguit Christus, tamen pro se alium testem profert, eumque summum & irrefragabilem, scilicet Deum Patrem. Unde subdit.

C QUIA SCIO UNDE VENI, ET QUO VADO] q. d. Ideo *verum*, id est legitimum, est testimonium meum de me, in foro non humano, sed divino, quia testimonio Dei Patris confirmatur, ait Glossa: idque ego scio, sed vos nescitis, quia scire vultis, cum id ex meis miraculis, & argumentis cognoscere & scire deberetis. Ego enim scio unde sim, missus scilicet e cælo in terram, & cujus legatus sim, nimirum Dei Patris: sum enim Dei Filius, & Deus verus de Deo vero; unde peracta mea in terris legatione, per mortem ad Deum Patrem, qui me misit, *vado*, id est vadam illico & revertar. Ita S. August. Ammon. Leont. Chrysost. & Theoph.

Nota. Christus obscure loquitur, tum modestiæ causa, ne se jactare videatur; tum ne Judæorum sibi offensorum magis in se iras accendat, alioqui poterat clare dicere: Ego sum Dei Filius & Deus; ergo testimonium meũ verum & legitimum est, quia Deo, Deique Filio credere debetis. Dei enim, qui est prima & irrefragabilis veritas, testimonium est irrefragabile. Patrem intelligi volebat,

D ait S. August. a quo nec veniendo discessit, nec redeundo nos dereliquit. Sicut autem sol iste illustrat faciem videntis & cæci, sed videt ille, iste non videt; sic sapientia Dei, ubique præsens est, etiam infidelibus, sed isti, quibus eam videant, oculos cordis non habent: unde subjungit:

VERS. 15 VOS SECUNDUM CARNEM JUDICATIS] Primo. q. d. Vos, o Pharisæi, secundum carnem, id est, carnalem affectum, quo me ex odio aversamini, non ex rei veritate, & æquitate de me judicatis. Ita S. Chrysost. qui ait: Secundum carnem vivere, est male vivere, ita secundum carnem judicare, est injuste judicare.

Secundo, planius, *vos secundum carnem*, quam in me videtis, hoc est, ex solo meo corpore, quod cernitis, judicatis me esse merum hominem, non Deum. Ita Theoph. Quia, inquit, in carne sum, carnem me solam putantes, non autem Deum, falso judicatis. Ita quoque Ammon. Leont. Euthymius: favet Arabicus, qui vertit, *vos corporeum judicatis*, ideoque judicatis veritatem mentiri, ait Cyrillus; ego enim sum veritas. E

Tertio & planissime, *Vos secundum carnem*, id est, juxta carneos vestros sensus & oculos judicatis. q. d. Vos ex solis sensibus de me judicatis, scilicet secundum id, quod in me videtis oculis carnis; nimirum me esse hominem vilem, pauperem, infirmum, abjectum, non Messiam, non Deum, qui in carne hac, velut candela in laterna, absconditus est & latet, ideoque judicio vestro me condemnatis, quasi superbum & blasphemum, eo quod asseram me esse Dei filium; quod non faceretis, si non ex carneis oculis, sed ex ratione, & spiritu veritatis de me judicaretis. Hæc enim vobis dictaret me esse eum, quem assero, scilicet Messiam Dei Filium. Ita S. Aug. Videbant hominem, ait, & Deum non credebant. Et Glossa: Hominem putant, ait, cui in laude sua credendum non sit.

Porro Christus, ait Cyrillus, hic facit ut medicus, qui phreneticorum ægrotantium contumelias nihili facit, ac licet ab eis probris appetitus, congruentem tamen eis adhibet medicinam: pugnat enim contra ægritudinem, quæ hujus insaniæ est causa, non contra ægrum, sed pro ægro, ut eum sanitati corporis & mentis restituat. F

EGO NON JUDICO QUEMQUAM] supple secundum carnem, ideoque erronee & falso, ut vos facitis; sed secundum rationem & spiritum, ideoque vere & recte judico. Ita S. August. Christus non judicat quempiam, quo sensu.

Secundo, S. Chrysost. Quia, inquit, possent Judæi objicere Christo, si nos secundum carnem perperam judicamus de te, cur tu nos non judicas, & de pravo judicio convincis? His respondet Christus: Ego nunc non judico quemquam. q. q. Non est meum de vobis judicare: ego enim veni in mundum, non ut eum judicem, sed ut salvem, & redimam. Sed judicabo in die judicii: si enim nunc judicarem, utique vos condemnarem: sed nunc tempus judicii non est.

Tertio, pro genuino sensu hujus loci Nota, τὸ *judico* hic præcise non significare *sententiã judiciariam profero*, vel, ut judex decido, sed idem esse, quod *quemlibet actum judicialem exercere*. Unde hic idem est quod *testor*, vel *testimonium profero*. In judicio enim varii sunt actus; scilicet accusatores accusant, testes testantur, judex sententiam profert: hos omnes significat τὸ *judico*, quare G *judico* hic idem est quod testor: Adde, qui testantur in judicio, judicem quasi cogunt ad judicandum juxta suum testimonium, hic testari reipsa est quasi judicare; unde testis subinde idem est, quod judex, uti ostendi Isaiæ cap. 55. 4. Tota enim hæc Christi cum Judæis quæstio est de testimonio, an scilicet Christi de se testimonium sit legitimum, & in judicio acceptandum. Sensus ergo est. q. d. Non est necesse ut ego Jesus de me, vel alio quopiam, v. g. de vobis tester, & testimonium perhibeam: sunt enim alii, qui id faciant: si tamen illud faciam, ac revera tester de me, uti facio v. 18. proxime sequenti, recte faciam, & verissimum erit meum hoc testimonium, quia solus non sum, sed mecum est & testatur Deus, Pater meus. Ita S. Ambr. lib. 5. epist. 20. Maldonat. & alii. Hunc esse sensum liquet ex sequent. præsertim ex v. 17. & 18. ubi τὸ *judico* Christus explicat per *testimonium perhibeo*. *Ego sũ*, inquit, *qui testimonium perhibeo de meipso, & testimoniũ perhibet de me, qui misit me Pater*. Porro utitur Christus verbo *judico*, quia videbatur adulteram paulo ante judicasse, & judicialiter absolvisse versu undecimo: idque ægre ferebant Pharisæi adulteræ accusatores, & Christi H hostes. q. d. Ego adulteram judicialiter non judicavi, nec judicialem absolutionis sententiam pro ea protuli, sed tantum dixi: *Nec ego te condemnabo*, potuissem tamen judicialiter eam absolvere, quia sum Deus, Deique Filius: quare nec merus sum homo, uti vos, o Pharisæi putatis; nec sum solus, quia mecum est Deus Pater meus. Et hoc sensu *judico* hic proprie sumitur pro *judicialem sententiam profero*.

ET SI JUDICO EGO (id est, testor de meipso, uti dixi) JUDICIUM (id est, testimonium) MEUM VERUM EST (id est legitimum, & in tribunali a judice acceptandum) QUIA SOLUS NON SUM; SED EGO, ET QUI MISIT ME, PATER.] S. Chys. exponit q. d. Si ego judicarem, juste vos condemnarem, quia non solus id facerem, sed ego & Pater, at vero tempus nunc judicii non est, sed misericordiæ. Verum genuinus sensus hujus loci est, quem dedi v. 15.

QUIA SOLUS NON SUM, SED EGO ET QUI MISIT ME PATER] *quia formã servi accepi, sed formam Dei non amisi*, ait S. August. *Missio tua Domine incarnatio est*. Et Interli-

Digitized by Google

A terlinearis. Etsi homo sum, inquit, Patrem tamen non deserui: etsi missus sum per carnem, tamen ego & Pater semper simul sumus per deitatem: quare idem utriusque est judicium, eadem pariter voluntas. Unde alibi ait: *Nihil facio a meipso*. q.d. ait Cyr. *Non sum unquam progressus ad aliquam ultionem, quæ Deo Patri non insit: quæcumque Patris natura & vult, & cogitare nata est, ea penitus etiam in me sunt, quia ex illius sinu eluxi, veruspue illius substantiæ fructus existo.*

VERS. 17. ET IN LEGE VESTRA (Deut. 17. v. 6. & cap. 19. v. 15. vide ibi dicta) SCRIPTUM EST, QUIA DUORUM HOMINUM TESTIMONIUM VERUM EST] juridice, id est, in jure & judicio pro vero legitimoque habetur, & a judice acceptatur, ut secundum illud sententiam juridice veram, id est legitimam, licet speculative subinde, & in re ipsa falsam, proferat; Judex enim debet judicare secundum allegata, & probata: quare si testes sint falsi, vel occulte muneribus corrupti, falsum testimonium dicant, judex bona fide eos sequens, in foro fori justam sententiam profert, sed in rei veritatem injustam & falsam. Sensus est. q. d. *Si* duorum testimonium in jure habetur verum & legitimum, quanto magis duarum personarum divinarum, scilicet Dei B Filii & Dei Patris testimonium, in omni tribunali non tantum pro vero, i. e. legitimo, sed etiam pro verissimo, & in se sincerissimo, æquissimoque, habendum est? Unde idipsum explicans, sibique applicans Christus, subdit: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*. Quod autem Deus Pater secum sit & testetur, quodque ipse sit Dei Patris Filius, hoc ex miraculis, aliisque testimoniis Christus sat superque superius probavit. Unde illud quasi jam probatum præsupponit.

Symbolice S. Aug. *Magnam*, ait, *habet quæstionem, & valde videtur res in mysterio constituta, ubi Deus dixit: In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Nam & Susanna duobus falsis testibus urgebatur, & universus populus mentitus est contra Christum. Per mysterium ergo hoc modo Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis: si vis habere bonam causam, habe duos, vel tres testes, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.*

VERS. 18. EGO SUM, QUI TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO, C ET TESTIMONIUM PERHIBET DE ME, QUI MISIT ME PATER] Probat Christus suum de se testimonium esse verum hoc syllogismo,

Syllogismus Christi.

Ex lege Deut. 17. 6. duorum testimonium in jure & judicio verum est.

Atqui mihi duo majores hominibus, scilicet Deus Filius & Deus Pater, testimonium perhibent:

Ergo hoc eorum testimonium de me omni jure verum est.

Dices: Nullius de seipso testimonium in judicio accipitur verum & legitimum, ergo nec Christi de seipso testimonium accipi debet ut legitimum. Resp. negando consequentiam: nam Christus, ut Deus, perhibet testimonium de se, ut homo est; duo autem sunt Deus & homo, ac in Christo alius erat Deus ab homine, alius, inquam, in natura, non in persona, Unde ex hoc loco colligunt Patres contra Nestorianos, & Eutychianos, in Christo unam fuisse personam, scilicet divinam; duas vero naturas, scil. divinam & humanam. Ita S. Cyrill. Chrysost. Theophyl. Leont. Ammon. in Catena Græca, & S. Ambr. l. 5. de Fide c. 2. Porro Deus Pater & Deus Filius perhibuere testimonium de Jesu, quod esset Messias per opera divina, D præsertim miracula, quæ per eum, & pro eo operati sunt, ut dixi c. 5. v. 31. & 32. ac præsertim cum Pater in Christi baptismo de cælo intonuit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. ita Beda.

VERS. 19. DICEBANT ERGO EI: UBI EST PATER TUUS] ut eum adeamus, & ejus de te testimoniū audiamus. q. d. Quis est pater tuus? Nos solum te videmus, ostende nobis tecum esse Patrem tuum. Et ubi est, vel quis est pater tuus, quem tantopere & toties jactas? Fingunt & simulant studium veritatis cognoscendæ, ut ex ore Christi eliciant claram vocem, qua dicat suum patrem esse Deum in cælo, ut ea audita, ipsum ut blasphemum accusent, imo lapident, uti facere voluerunt c. 5. 18. & c. 10. 31. Ita S. Chrys. Theoph. Rupertus & alii.

Minus probabiliter Cyrill. & Leont. censent Pharisæos id dixisse per contemptum & sarcasmum, hoc est hostilem irrisionem, q. d. Tuus pater est ignotus, est incertus: ostende ergo eum nobis, putabant enim Christum esse spurium, & ex adulterio natum. Mirius S. Augustinus, & Beda censent eos de patre carnali, puta Josepho, locutos, eo quod eum non cognoscerent. Verum prior sensus est germanus. E

RESPONDIT JESUS: NEQUE ME SCITIS, NEQUE PATREM MEUM: SI ME SCIRETIS, FORSITAN ET PATREM MEUM SCIRETIS] Christus directe & clare ad quæstionem respondendo dixisset: Pater meus est in cælo: sed id facere noluit, quia sciebat Pharisæos capriose quæstionem hanc proposuisse, ut cum illaquearent, & caperent: indirecte ergo, & recte hypocritis respondet: *Neque me scitis, neque Patrem meum*. Quo responso tacite ad quæstionem eorum directe respondet, sed ita recte, ut Pharisæi eum calumniari & accusare non possint. q. d. Vos, o Pharisæi, putatis me merum esse hominem, ac proinde non alium habere patrem, quam hominem in terra, puta Josephum, sed erratis: neque enim cognoscitis me ita esse hominem, ut pariter sim Deus, ac proinde neque patrem meum cognoscitis: nec enim Joseph est pater meus, qua homo sum; nec alius mihi est pater, quam Deus in cælo, quod vos non cognoscitis, licet tot miraculis a me probatum sit, quia obstinati in vestro carnali sensu id agnoscere non vultis.

Dices: Quomodo hæc consentiunt cum eo, quod dixit Christus c. 7. 28. *Et me scitis, & unde sim scitis?* Resp. Ibi F Antiqui hic fallun- tur. locutus est Christus de se ut homo est, quem sciebant conceptum in Nazareth; hic vero loquitur de se ut Deus, & sic eum nesciebant. Addit Origenes, ibi loqui Christum Hierosolymitis, qui eum noverant; hic vero Pharisæis, qui eum non noverant, imo erant ejus hostes.

NAM SI ME SCIRETIS, FORSITAN (græce ἄν, quod non est dubitantis, sed asserentis, idemque valet quod *utique*) ET PATREM MEUM SCIRETIS] q. d. Si enim sciretis me esse Deum, sciretis pariter patrem meum non in terra, sed in cælo quærendum, nec alium esse, quam Deum Patrem. Ita Theoph. Leont. Euthym. Rupert. & alii. Simili modo ait Christus Philippo c. 14. 9. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.*

Paulo aliter S. Aug. q. d. Idcirco quæritis quis sit pater meus, quia me non nostis; putatis enim me non esse Deum æternum in cælo.

Secundo, pressius & profundius S. Cyr. in manuscript. *Concurrat*, ait, *eum Patris appellatione Filii mentio: simulque rursus Filii significationem genitoris nomen comitetur: atque idcirco tamquam janua quædam Filius est, in Patris cognitionem ducens. Ita sane dicit cap. 14. v. 6. Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Unde infert. *Addiscamus ergo quid secundū naturam, & ita deinde tanquam in imagine & charactere exactissime bene intelligemus archetypum. Videtur enim in Filio Pater, & veluti in speculo, in natura propria prolis apparet.* Filius enim, ut ait Sapiens c. 7. 25. *est candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*, &, ut ait Paulus Hebr. 1. v. 3. ipse est *splendor gloriæ, & figura* (græce character) *substantiæ ejus.*

Aliter Origen. qui *nosse*, vel *scire sumit* pro *amare*: q. d. Si me amaretis, utique & Patrem meum amaretis. Qui enim male vivunt, practice Deum non cognoscunt: hinc de filiis Heli dicitur, quod ignorabant Dominum.

HÆC VERBA LOCUTUS EST JESUS IN GAZOPHYLACIO, DOCENS IN TEMPLO (hoc est in atrio templi: hoc enim atrium erat quasi templum laicorum) ET NEMO APPREHENDIT EUM, QUIA NECDUM VENERAT HORA EJUS] Rupert. censet *gazophylacium* hic nominari quasi causam cur Christus non fuerit apprehensus; quia scilicet hæc dixit in gazophylacio, qui erat locus semotus, ad quem H tantum conveniebant sacerdotes lucris intenti, qui ex eo pecuniam efferre, & laici, qui in illud pecuniam inferre volebant. Verum gazophylacium erat locus omnino publicus, ad quem plurimi confluebant. Erat enim porticus ampla, juxta atrium templi, in qua omnis templi gaza, id est pecunia & supellex servabatur. Sensus ergo est, q. d. Christus hæc palam & loco publico, ubi facile a Pharisæis sacerdotibus capi poterat, clare, libere, fidenter, & magnanime locutus est; nec tamen a Pharisæis hostibus suis comprehensus fuit, quia ipse eorum mentem, & manus vi divina continebat, eo quod necdum hora passioni ejus a Deo destinata advenisset. Ita S. Aug. Beda, Euthym. Leont. Theoph.

Gazophylacium erat locus publicus, & amplus.

Porro de gazophylacio, audi Adrichom. in Descript. Jerusalem num. 103. Gazophylacium, hebr. *Corban*, sive *Corbona*, dictum, arca & ærarium erat, in quo ad sacrificium necessaria, ad pauperum alimoniam, & ad tem-

Gazophylacium describitur.

VERS. 20

templi fabricam offerebatur, & oblata servabatur pecunia, ex qua etiam Joas rex, sicut in Regum lib. legimus sarta tecta templi instaurari curavit. Hoc ærarium cum Heliodorus a Syriæ rege missus spoliare tentaret, cælitus ab angelis flagellatus est. Atque Pilatus cum sacrum hunc thesaurum simili pene temeritate, ad aquarum inductionem expendere vellet, populari tumultu impeditus fuit: quem tamen Romani in urbis expugnatione diripuerunt. Juxta hunc locum Lysimachum occisum legimus. Hic etiam Christus se lucem mundi, & principium, seque a Judæis in cruce exaltandum esse docuit. Hic sedens viduam pauperculam duo æra minuta offerentem, plus omnibus divitibus dedisse pronunciavit, Marci 12. Lucæ 21. Jam vero ab arca hac ærataria, tota porticus, in qua erat arca, vocatur hic & alibi *gazophylacium*: non enim in arca, sed in porticu arcæ dixit hæc Christus.

Alia causa, cur Christus hæc locutus sit in gazophylacio, secretior, sed proximior fuit: quia gazophylacium Pharisæis erat larebra tenebrarum, hoc est officina avaritiæ, aliorumque vitiorum & errorum, quos recenset Christus Matt. c. 5. & c. 23. ut quod docerent filios parentibus egentibus dicere *corban*, id est, aurum meum dicatum est gazophylacio, Deo ergo dandum est, non tibi, o pater; quod asserent juramentum per templum non obligare, sed per gazam & aurum templi factum obligare; quod decimarent mentam, anethum & cyminum, relinquentes misericordiam & fidem; quod populum expilarent & diriperent. Has illorum tenebras ibidem redarguit Christus, ideoque contenta voce clamavit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur, me, non ambulat in tenebris.* q.d. Ego sum vera lux sapientiæ & sanctitatis, quæ doceo gazas terrenas, utpote exiles, viles & caducas, spernere; ambire vero gazas cælestes, utpote ingentes, pretiosas & æternas. Quare nolite sequi tenebrosos & avaros Pharisæos, suo gazophylacio & lucris terrenis, quasi talpas sordide inhiantes, quia brevi totum illud diripiet Vespasianus & Romani. Me potius sequimini, qui lux sum mundi; ego enim prædico paupertatem spiritus, quasi viam ad immensas cæli opes. Edico enim: *Beati pauperes spiritu; quoniam vestrum est regnum cælorum.* Matt. 5. Et ex adverso: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Lucæ 6. 24. Atque hæc fuit causa tantæ antipathiæ, & odii Pharisæorum in Christum, ideoque eum assidue usque ad necem & crucem persecuti sunt; imo ex hoc gazophylacio deprompserunt triginta denarios, quos dederunt Judæ, ut Christum sibi proderet, quod summum fuit sacrilegium. Unde ibidem Christus v. 28. prædixit se per illud exaltandum in cruce, tuncque ad se omnia tracturum.

Mysticam causam dat Origenes: Christus, inquit, hæc edixit in gazophylacio, quia gazophylacium, vel potius gaza, sunt divini ejus sermones, imaginem magni regis impressum habentes; sicut pecunia, quæ in gazophylacium injiciebatur, gerebat effigiem Cæsaris. Numismata, ait Origenes, sunt divina verba: conferat autem quisque ad gazophylacium, id est, ad Ecclesiæ ædificationem, quidquid potest ad honorem Dei & utilitatem communem. Et Beda, in gazophylacio, ait, Christus loquitur: quia in parabolis rectis & clausis loquebatur ad Judæos. Cœpit autem tunc gazophylacium quasi aperiri, cum discipulis eas explicuit, & mysteria cælestia in eis latentia reseravit.

QUIA NECDUM VENERAT HORA EJUS] non fatalis, sed opportuna & voluntaria, ita Interlin. puta a Deo statuta. *Nonnulli*, ait S. Aug. *hoc audientes, sub fato fuisse Christum credunt, sed quomodo fatum habet, per quem factum est cælum & sidera, cum tua voluntas, si recte sapias, transcendat & sidera? nondum ergo venerat hora, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi.*

VERS. 21. DIXIT ERGO ITERUM EIS JESUS] Dubium est unde inferatur τὸ *ergo*, & quid significet. Primo, aliqui censent τὸ *ergo* hic, uti & alibi, non esse illativum, sed incœptivum, tantumq; significare novi sermonis Christi exordium.

Secundo, pressius Origenes autumat τὸ *ergo* connectere sequentia cum præcedentibus, ac indicare illa eodem loco & tempore a Christo esse dicta, quo præcedentia.

Tertio, Maldonatus refert ad id, quod dixerat Christus v. 19. *Neque me scitis, neque Patrem meum.* q. d. Veniet ergo tempus, cum & me Deum esse cognoscatis & quæratis me, & non inveniatis, quia in peccatis vestris moriemini: aut veniet tempus, quo quæretis me, id est cognoscere voletis, sed non poteritis, quia a peccatis vestris non discedetis.

Quarto & magis apposite, Rupert. & Toletus τὸ *ergo* referunt ad id, quod proxime præcessit: *Et nemo apprehendit eum.* q. d. Quia Jesus videbat Pharisæos satis intelligere sua, licet obscure dicta, nec tamen credere, sed magis in iram & odium, ad eum capiendum & occidendum, exardescere; idcirco addidit, dixitque: *Ego vado, & quæretis me.* Aut q. d. Quia Pharisæi volebant eum comprehendere, sed impediebantur virtute divina ad breve tempus, hac de causa subjunxit, *Ego vado*, &c.

ITERUM] Nam jam ante idem dixerat famulis Pharisæorum c. 7. 33. Ita Rupert. q. d. Christus id, quod coram famulis dixerat, iterum repetiit, dixitque ipsis heris, scilicet Pharisæis.

EGO VADO, ET QUÆRITIS ME, ET IN PECCATO VESTRO MORIEMINI] *Vado*, id est, brevi vadam ex hac vita per mortem & crucem ad Patrem. *Christo mors*, ait S. Aug. *profectio fuit, quia in illa non mansit, sed per illam profectus est in cælum ad vitam immortalem.*

ET QUÆRETIS ME] id est, quæretis alium Messiam, quia non creditis me esse Messiam; sed non invenietis, quia non est alius præter me. Ita Tolet. Secundo, simplicius *quæretis me*, ut iterum crucifigatis & occidatis. Vide dicta c. 7. 34. Ita Origen. & S. Aug. quem audi: *Quæretis me, non desiderio, sed odio: quæsierunt Christum, postquam abscessit ab oculis hominum, & qui oderant, & qui amabant; illi persequendo, isti habere cupiendo.* Ut explicans subdit.

ET IN PECCATO VESTRO MORIEMINI] *Et*, i. e. idcirco, q. d. Quia quæretis me post resurrectionem, ut rursus occidatis, utpote obstinati in vestra contra me infidelitate, odio & malitia; idcirco in eadem moriemini, ideoque damnabimini ad tartara. Quare *quo ego vado, vos non potestis venire*, quia ego in cælum ibo, vos in tartara: frustra ergo quæretis me in terra, cum ego ascensurus sim in cælum, quo vos non potestis conscendere. Aliter Euthym. *In peccato vestro*, ait, hoc est, propter peccatum vestrum perfidiæ, *moriemini*, i. e. occidemini a Tito & Romanis, indeque ibitis in mortem secundam gehennæ, quæ pejor est & longior, utpote æterna. Sed prior sensus planior est & nervosior. Terret enim Christus sæpe Pharisæos denunciatione diei judicii, quo ipse e cælo descendet judicaturus omnes homines pro meritis, ideoque infideles, quales erant perfidi Pharisæi, damnaturus ad ignem inferni.

Apposite Origen. *Non potestis*, inquit, quia non vultis: si enim voluissent & non potuissent, non dixisset, *In peccato vestro moriemini*: omne enim peccatum est voluntarium & liberum.

Aliter S. Aug. qui censet Christum τὸ *non potestis* dixisse quoque suis discipulis. q. d. *Quo ego vado, non potestis venire modo: non abstulit spem, sed prædixit dilationem.* Verum id quod sequitur: *Et in peccato vestro moriemini*, evincit hæc non ad discipulos, sed ad Pharisæos dici.

VERS. 22. DICEBANT ERGO JUDÆI: NUMQUID INTERFECIT SEMETIPSUM, QUIA DIXIT: QUO EGO VADO, VOS NON POTESTIS VENIRE?] Ministri Pharisæorum audientes hæc Christi verba: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, quia Christi odio & livore carebant, sapientius intulerunt c. 7. 35. *Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus Gentes?* At Pharisæi ira & odio Christi excæcati, quia omnino eum occidere cupiebant, ac simul putabant Christum non posse manus eorum evadere, nisi ipse se interficeret, hinc dicunt: *Nunquid interficiet semetipsum?* q. d. Eat quocumque volet, nos persequemur eum, eat ad Gentes, inde retrahemus eum & occidemus. Ergo per hoc, quod dicit: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, vult significare, quod interficiet seipsum, ut a nobis capi, excarnificari & occidi non possit. Præsumptuosa & fatua erat hæc eorum cogitatio, sed quam odium & livor eis dictabat; nam alioqui multis modis potuisset Christus se ab eis subducere, uti alias fecerat. Christo vero mens hinc longe alia erat, scilicet se iturum in cælum, quo Pharisæi non poterant venire. Nam si non alio, quam in mortem iturus erat, & ipsi ad eamdem ituri erant, imo poterant ipsi quoque seipsos interficere. Unde S. Aug. ait; *Quo vado, dixit, non quo itur ad mortem, sed quo ipse ibat post mortem.*

ET (idcirco) DICEBAT EIS: VOS DE DEORSUM ESTIS, EGO DE SUPERNIS SUM. VOS DE MUNDO HOC ESTIS: EGO NON SUM DE HOC MUNDO] Dat causam Christus, cur quo ipse vadit, Pharisæi venire non possint. q. d. Vos ex terra estis, & terrena sapitis, ac proinde peccati vestris estis affixi, ibitisque deorsum in profundum profundi: ego vero de cælo descendi, & cælestia sapio, ac proinde post mortem in cælum redibo, quo vos me sequi non poteritis, ideoque me quærentes non invenietis; ego enim sum quasi aquila cælestis habitans in altissimis montibus æternitatis; vos ve-

A ro eſtis quaſi vermes, & ſcarabæi in terra repentes: quomodo ergo ad me evolare poteritis? Ita Rupert. & Aug. quem audi: *Vos de deorſum eſtis, ideo terram ſapitis, quia ſicut ſerpentes terram manducatis, quid eſt, terram manducatis? terrenis paſcimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, ſurſum corda non habetis.*

Secundo, S. Chryſ. Theoph. Euthym. Leont. Ammon. & ex Latinis S. Auguſt. & Beda cenſent Chriſtum hic dare cauſam, cur Phariſæi verba Chriſti: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*, quæ ipſe dixerat de ſuo in cælos reditu, illi non de illo, ſed de ſui ipſius interfectione intellexerint; quia nimirum terreni & carnales erant, ideoque cælum non ſapiebant, & cæleſtia non intelligebant. Utrumque huic loco appoſitum & congruum eſt.

Vos de deorſum eſtis: moraliter.

Ethice: *Vos de deorſum eſtis*, quia nati ex Adam terreno, & peccatore, inde concupiſcentiam terrenam traxiſtis, quam proinde quaſi naturam ſequentes, avaritia, ſuperbia, ira & odio æſtuantes, non niſi opes, delicias & honores terreſtres concupiſcitis: *ego* vero *de ſupernis ſum*, quia qua Deus natus ſum ex Patre cæleſti, qua homo vero
B ex Spiritu ſancto, non ex Adam, aliove patre terreno; quare cæleſtis mihi eſt indoles, cæleſtis amor, cæleſtia deſideria, ad quæ vos terreſtres & animales aſpirate non poteſtis, niſi per meam fidem & ſpiritum renaſcamini & reformemini, ut ex animalibus fiatis ſpiritales, ex terreſtribus cæleſtes, juxta illud, quod dixi Nicodemo c. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* In re ergo idem eſt: *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum*, cum eo, quod Joannes dixit c. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Et cum eo, quod ait Apoſtolus: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis, qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis*, 1. Cor. 15. 47. Et illud: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite,*
C *non quæ ſuper terram*, Coloſſ. 3. Vide utrobique dicta.

Phyſice.

Phyſice docet hic Chriſtus, locum in quo quis naſcitur, educatur & vivit, ſuas qualitates eidem affricare: perinde enim ac piſces viventes in aqua ſunt humidi & aquoſi, nec extra aquam vivere poſſunt: lupi vero, leones, equi, boves viventes in terra, ſunt terrei, nec extra terram vivere queunt; aves vero viventes in aere, ſunt aereæ, nec extra aerem volare poſſunt: ſic pariter Phariſæi nati in terra Chanaan, ſive in Judæa, erant corpore & mente terreſtres, Chananæi & Judæi: juxta illud Ezech. 16. 3. *Generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*: Chriſtus vero natus & converſans in cælo, erat cæleſtis, angelicus & divinus.

Metaphyſice.

Metaphyſice: *Vos de deorſum eſtis*, hoc eſt, *vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere: ille homicida erat initio*, ut explicat Chriſtus v. 44. q. d. Vos infernales eſtis, ac patrem veſtrum diabolum imitamini, quia ſicut ille Adamum per pomum occidit, ſic vos me vultis occidere: *Ego* vero *de ſupernis ſum*, quia ſum Filius Dei altiſſimi. Audi S. Aug. hic tract. 38. *Ille erat de ſupernis: de quibus ſupernis? de aere? Abſit, ibi*
D *& aves volitant: de cælo, quod videmus? Et hoc abſit, ibi & ſtellæ, & ſol & luna circumeunt: de angelis? neque hoc intelligatis: per illum & angeli facti ſunt, per quem omnia facta ſunt. De quibus ergo ſupernis Chriſtus? Ab ipſo Patre, nihil illo Deo ſuperius, qui Verbum genuit æquale ſibi, coæternum ſibi, unigenitum ſine tempore, per quem conderet tempora: ſic ergo accipe Chriſtum de ſupernis, ut excedat cogitationem tuam omne quod factum eſt, univerſam omnino creaturam, omne corpus, omnem conditum ſpiritum, omnem rem quoquo modo mutabilem.*

VOS DE MUNDO HOC ESTIS, EGO NON SUM DE HOC MUNDO] *De mundo*, id eſt de terra hac terreni eſtis, ut explicet id, quod dixit: *Vos de deorſum eſtis*. Secundo & preſſius *de mundo eſtis*, id eſt mundani eſtis, mundanos favores, opes & honores ambitis, vitam agitis talem, qualem agunt mundani, & mundo dediti, ut τὸ *de deorſum eſtis*, naturam eorum explicet; τὸ vero *vos de mundo hoc eſtis*, eorumdem qualitatem, quæ ex natura conſequitur, ait Toletus. Audi S. Aug. tr. 38. *Nemo dicat: De hoc mundo non ſum: quiſquis es homo, de hoc mundo es, ſed venit ad te, qui fecit mundum, & liberavit te de hoc mundo: ſi delectat te mundus, ſemper vis eſſe immundus: ſi autem jam non delectat hic mundus, jam tuus mundus:* E
verumtamen ſi per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mundat, & eris mundus, ſi autem fueris mundus, non manebis in mundo, nec audies quod audierunt Judæi: Moriemini in peccatis veſtris.

DIXI ERGO VOBIS, QUIA MORIEMINI IN PECCATIS VESTRIS] tum infidelitatis, tum cæteris omnibus, quia nullius peccati fit remiſſio, niſi per fidem in Chriſtum, quam vos reſpuiſtis. Unde ſubdit: VERS. 24

SI ENIM NON CREDIDERITIS, QUIA EGO SUM] ſcilicet Meſſias mundi ſalvator, quem me eſſe aſſidue doceo & profiteor, ac per tot ſigna & miracula probo & evinco. Ita Lyran. Janſen. Maldon. Subtilius S. Aug. Beda & Toletus: *quia ego ſum*, ſupple *qui ſum*, id eſt ſum Deus. Hoc enim proprium eſt Dei, Exodi 3. Rupertus vero ſic, q. d. *Quia ego ſum*, ſcilicet *de ſupernis*, uti præceſſit, *moriemini in peccato veſtro*, quia nullus eſt, qui peccata auferat, & condonet, niſi ego, quem vos aſpernamini.

DICEBANT ERGO EI: TU QUIS ES?] Dixerat Chriſtus: *Si non credideritis quia ego ſum*, &c. Unde Phariſæi non intelligentes, vel ſe non intelligere ſimulantes, F
appoſite rogant: *Tu quis es?* VERS. 25

DIXIT EIS JESUS: PRINCIPIUM, QUI ET LOQUOR VOBIS] S. Aug. ſæpe, Beda, Rupert. Bernard. & S. Ambr. l. 3. de Fide c. 4. *Principium* accipiunt ut nominativi caſus. q. d. Ego ſum principium, id eſt, ego ſum primus & noviſſimus, vel ego ſum principium rerum omnium, quia per Verbum Dei facta ſunt omnia, juxta illud; *Verbo Domini cœli firmati ſunt*. Verum Nota pro *principium*, græce non eſt ἀρχὼ in nominativo caſu, ſed ἀρχὴν in accuſativo, ita enim conſtanter habent Græca & Græci: & ſic Septuag. vertere ſolent Hebr. בראשׁית *bereſcit*, id eſt, *in principio*. *Chriſtus principium. Primo.*

Viderunt hoc SS. Auguſt. & Ambroſ. unde, Secundo, ſic exponunt. q. d. Credite me eſſe principium, per quod facta ſunt omnia; ſed ſupplent τὸ *credite*, quod non eſt in textu. Quare dicendum eſt hic eſſe græciſmum. Græci enim ſubintelligunt præpoſitionem κατὰ, ut ἀρχὼ ſit idem, quod κατ' ἀρχὴν, id eſt, juxta principium, vel a principio, aut in principio: hoc enim eſt Hebr. *bereſcit*. Senſus ergo eſt q. d. Ego ſum a principio, id eſt, G
ab æterno (ideoque ante Abraham, ut ait ipſe v. 58.) Deus vero de Deo vero, ideoque ſum principium temporis & ævi, ac rerum omnium, *qui* tamen *& loquor vobis*, id eſt, quia etiam hoc ipſum vobis annuncio: ideo enim carnem aſſumpſi, & factus ſum homo, ut hoc evangelizem, & eos qui hoc credunt, ſalvem. Legit noſter Interpres cum Arabico ὅς, id eſt, *qui*, jam legunt, ὅτι, id eſt, *quod*. q. d. Ego ſum a principio, quod ipſum loquor & aſſevero vobis. Aut potius. q. d. Ego cum ſim Verbum, quod a principio, id eſt ab æterno, dixit & locutus eſt Pater, jam homo factus etiam idipſum loquor, & annuncio vobis. Filius enim eſt Verbum, quo loquitur Pater; ipſe quoque Filius eſt Verbum, quod loquitur nobis. Vox ergo *principium* magis competit Verbo, quam Spiritui Sancto: tum quia Filius cum Patre eſt principium Spiritus ſancti, ipſe vero Spiritus ſanctus, nullus alterius perſonæ divinæ eſt principium, ſed tantum, creaturarum: tum quia Filius eſt principium procedens a principio, pura a Patre. Unde *principium* ſignificat ejus originem, qua genitus eſt a Patre, id ita eſſe liquet ex eo quod v. 27. ſubdit. Joann. *Et* H
non cognoverunt, quia Patrem ſuum dicebat Deum: hoc enim ſignificat τὸ *a principio*, quod Noſter ſagaciter, non verbo tenus, ſed quoad ſenſum vertit, *principium*. Significatur enim hic Verbum æternum, quod fuit a principio, ideoque ipſũ eſſe principium genitum a Patre, ita ut ipſum cum Patre ſit principium tam Spiritus ſancti, quam creaturarum omnium. Igitur τὸ *a principio* duo ſignificat. Primo, ab æterno, Secundo, a Deo Patre genitum. q. d. Ego ſum Verbum ab æterno a Deo Patre genitum. Quare idem eſt dicere: Ego ſum a principio, ſive ego ſum principium, cum eo quod ait Joan. c. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et cum eo quod idem ait Apoc. 1. 8. de Chriſto: *Ego ſum α & ω principium & finis*. Et c. 3. 14. *Qui eſt principiũ creaturæ Dei*. Et Paul. Coloſſ. 1. 18. *Qui eſt principium*. Vide ibi dicta. Sic Plato; *Deus*, ait, *eſt qui principium, medium, & finem rerum omnium complectitur*. Et Virgil. *Ab Jove principium*. Et S. Greg. Nazianz. *A te principium, tibi deſinet*. Et hoc voluere S. Aug. Amb. Rupert. Beda & Bern. initio citati, qui τὸ *principium* accipiunt in caſu nominativo, etiamſi græce ſit in accuſativo. Audi Gloſſam: *Pater eſt principium, non de principio. Filius eſt principium de princi-*

Digitized by Google

A *principio, id est, a Patre, qui omnia per Filium operatus est. Ipse enim est manus dextera, fortitudo, sapientia & Verbum Patris.* Græcum ἀρχή non tantum principium, sed & principatum significat, q. d. Christus: Ego sum principium, cui competit principatus, dominium, regnum, & imperium rerum omnium, ut alludat ad illud Ps. 109. *Tecum principium* (græce ἀρχή, id est principatus) *in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorũ. Ex utero ante Luciferum genui te.* Et ad illud Proverb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*, Ubi Septuag. vertunt, *Dominus condidit me principium viarum suarum in opera sua.* Vide ibi dicta. Audi S. Aug. lib. 3. Contra Maximinum lib. 17. tom. 6. *Pater est principium, non de principio; Filius principium de principio: sed utrumque simul, non duo, sed unum principium: sicut Pater Deus, & Filius Deus, & ambo simul non duo Dii, sed unus Deus.* Vide D. Thom. & Schol. 1. p. q. 36. art. 4. ubi docent Patrem & Filium non duo, sed unum esse principium Spiritus sancti.

B Moral. hinc disce ad Christum, qua Deus & homo est, referendum esse principium & finem omnium actionum Christianarum, ut utrumque ei offeramus, & ad utrumque gratiam ab eo flagitemus. Ipse enim eorum omnium principium est & finis. Ita fecit S. Paulus, qui Epistolas suas orditur a Christo, & in eo finit, æque ac fecit S. Petrus, Joannes, Jacobus & Judas. Idem fecit S. Greg. Nazianz. qui monosthica Alphabeti ab hac ἀρχή orditur: *Agendorum principium*, inquit, *& finis sit Deus.* Et S. Paulinus.

Deus principium & finis actionum nostrarum.

In te compositæ mihi sit spes unica vitæ.
Tu mihi principium, tu meta & terminus idem.

Sicut ergo ab unitate oriuntur omnes numeri, a centro omnes lineæ, quæ ad circumferentiam ducuntur: sic pariter a Christo oriuntur omnes actiones Christianæ & sanctæ; quare in ipso, quasi sui centro & principio coire, uniri, inchoari & terminari debent. Vide dicta Deut. 6. v. 6. A Christo ergo, o Christiane, incipe, & in Christum tuum desine. Hoc est quod sancit Apostolus Coloss. 3. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi gratia agentes Deo & Patri per ipsum.*

C Aliter Græca trajiciunt, indeque vertunt & explicant Nonnus, Vatabl. & Maldon. nimirum sic: Ego sum is, vel id, qui, vel quod, a principio vobis loquor, & jam pridem prædico, me scilicet esse Messiam vestrum, quem si velletis, jam pridem ex loquela mea cognoscere potuissetis. Unde Syrus vertit, *etiam id, quod incœpi loqui vobiscum*, & Vatab. *principio*, vel *in primis, quod & loquor vobis*, sicque explicat, q. d. *Omnino hoc ipsum sum quod a principio dixi*, scilicet mundi lux & salus, ut subaudiatur, *& non creditis mihi.* Verum hæc trajectio est insolita & dura.

Alii denique hæc referunt ad sequentia. q. d. *In primis*, id est ante omnia, *qui & loquor vobis*, subaudi; & tamen non creditis; propterea *multa habeo de vobis loqui & judicare.* Sed hoc frigidum est, & supplet τὸ *& tamen non creditis*, atque ad quæstionem Pharisæorum nil facit, merumque est responsionis effugium. q. d. Christus: Vos indigni estis, quibus respondeam, sed digni, quos judicem & damnem.

VERS. 26 MULTA HABEO DE VOBIS LOQUI, ET JUDICARE] q. d. Multa possem contra vos loqui, & de multis vos judi-
D care, id est accusare & arguere, ac in die judicii ea arguam, judicabo & condemnabo. Ita S. Cyrill. *Non unum*, inquit, *tantum, sed multa accusabo, & in nulla re mentior, sicut vos: possum condemnare vos tamquam incredulos & infideles, tanquam arrogantes, tanquam contumelioſos, tanquam Deo repugnantes, tanquam impudentes, tanquam ingratos, tanquam malignos, tanquam voluptatum potius, quam Dei amatores, tanquam humanam captantes gloriam, Dei verogloriã non quærentes.*

SED QUI ME MISIT, VERAX EST: ET EGO QUÆ AUDIVI AB EO, HÆC LOQUOR IN MUNDO] q. d. Sed, omissis multis, quæ in vobis juste carpere possem, hoc tantum præcipuum dicam in confutationem vestræ infidelitatis, qua doctrinam meam ridetis; quod Deus Pater, qui misit me in carnem & mundum, verax est, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo, ac proinde illa, quæ prædico, vera sunt, ideoque ab omnibus credenda, ita Jans. *Ideo*, ait Aug. *verus in judicio ego, quia filius veritatis, & veritas sum.* Porro alii varie id explicant.

Primo, Toletus ex Chrys. Theoph. & Euthym. q. d. Multa possem de vobis loqui & judicare, sed id modo non faciam, quia Pater, qui verax est in promissis, sicut promisit se missurum me in mundum ad eum salvandum, non E ad judicandum; ita veraciter id ipsum præstat, jubetque ut id faciam; quare ego illi obsequens nolo jam vos judicare, sed tantum loquor ea, quæ audivi a Patre, scilicet ea, quæ ad salutem mundi spectant.

Secundo, Maldonatus. q. d. Multa possem de vobis vere, ac meo jure dicere atque judicare, quod si fecero, nemo poterit judicium meum reprehendere, quia *qui misit me verax est, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Verum dure hic pro *sed*, substituitur *quia.*

Tertio, Rupert. τὸ *sed* refert superius ad τὸ *principium*. q. d. Licet dixerim me esse principium, id est principem Deum, ac idipsum loquar, asseramque vobis, tamen idipsum non loquor ex meipso; sed est Deus Pater, qui misit me, jussitque ut hæc, quæ ab ipso audivi, loquar & prædicem.

Quarto, alii, q. d. Vos quidem non creditis me esse Messiam, sed tamen scitote, quod Pater cælestis, qui misit me quasi Messiam, & legatum suum: vult me idipsum loqui & prædicare.

Quinto, alii, q. d. Multa habeo de vobis judicare F in die judicii, quem vos non exspectatis, nec creditis, sed est Pater meus verax, qui sicut promisit me fore judicem in illo die, ut cuique pro meritis fidei vel infidelitatis, præmia vel supplicia assignem, ita reipsa præstabit, opere complebit. Verum sensus, quem initio dedi, planus videtur & genuinus.

QUÆ AUDIVI AB EO] tum qua Deus, tum qua homo. Unde Interlin. ait: *Idem est audire ab eo, quod esse ab eo.* Et August. *Dat gloriam Patri equalis Filius.* q. d. *Do gloriam ei, cujus sum filius, quomodo tu superbis adversus eum, cujus es servus?*

ET NON COGNOVERUNT QUIA PATREM EJUS (id est VERS. 27
suum) DICEBAT DEUM] Græca jam tantum habent, *Quod Patrem suum eis dicebat*, id est quod Patrem suum eis indicabat esse Deum: & sic cum Græco legunt Syrus, Chrys. Theoph. Euthym. Aug. & Beda; sed eodem redit sensus, quem Latina versio longe melius & clarius expressit, cui plane consentit versio Arabica. Quare omnino verisimile est olim in Græco extitisse τὸ *Deum*. Loquebatur Jesus recte & obscure, ne Pharisæorum odia contra se G inflammaret: si enim clare dixisset, Ego sum unigenitus Dei Patris Filius; lapidassent eum quasi blasphemum. Dixit ergo involute & recte: *Ego sum principium*, vel, ut græce est, *a principio*, id est a Deo Patre ab æterno genitus: &, *Qui misit me verax est.* Quare ex his verbi Pharisæi non cognoverunt Jesum asserere, quod Deus esset suus Pater: aliqui tamen argutiores ex eis, id subodorari & suspicari potuerunt, sed clare id non cognoverunt, unde eum arguere nequiverunt; certe neutri cognoverunt, id est, crediderunt id esse verum; idque factum est Dei consilio, ne impediretur Christi passio, indeque hominum redemptio: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, ait Paulus 1. Corinth. 2. 8. Unde S. Aug. *Differo*, ait, *cognitionem meam, ut impleam passionem meam*, per manus vestras, ait Interl.

DIXIT ERGO EIS JESUS: CUM EXALTAVERITIS FILIUM VERS. 28
HOMINIS, TUNC COGNOSCETIS QUIA EGO SUM, ET A MEIPSO FACIO NIHIL, SED SICUT DOCUIT ME PATER, HÆC LOQUOR] *Cum exaltaveritis*, cũ me in crucem sustuleritis: crux enim erat in alto. Christus crucifixionem suam vocat H *exaltationem*: quia, etsi videtur summa esse ejus depressio, dedecus & ignominia; tamen revera ex Dei providentia, facta est summa ejus exaltatio, decus & gloria, ut omnes gentes Christum crucifixum adorent, & ab eo veniam, gratiam & gloriam sperent & exspectent: hoc enim tanta sui humiliatione meruit Christus, juxta illud Pauli: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*, Philip. 2. Idem facit Deus cuilibet Christiano & Christi assectæ, qui propter Christum deprimitur, vel ultro se humiliat & deprimit, juxta illud ejus decretum; *Omnis, qui exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

TUNC COGNOSCETIS QUIA (quod) EGO SUM] scilicet Messias Dei Filius, quem me esse prædico, non autem merus homo, uti vos nunc existimatis. In Christi enim cruce, morte, resurrectione & deinceps, multi Judæorum visa tanta Christi patientia, charitate, zelo, tantisque prodigiis & miraculis compuncti crediderunt in eum: unde iis visis dicebat Centurio, *Vere filius Dei erat iste:*

Digitized by Google

A Neque Christus sua cruce meruit, ac a Patre petiit & impetravit, ut patet Luc. 23. 48. Act. 2. 41. Ita S. Aug. *Videbat, ait, sibi aliquos post passionem suam creditūros. Dicit vero hoc illis, ne quisquam sibi male conscius desperet, quando eis condonatur homicidium, qui occiderunt Christum.* Sic & S. Chrys. Cyrill. Leont. Euthym. Theoph. & alii.

VERS. 28 ET A MEIPSO FACIO NIHIL, SED SICUT DOCUIT ME PATER, HÆC LOQUOR] Idem sæpe Christus inculcat, tū ut humiliter de se loquatur, tum ut doctrinæ suæ auctoritatem ex Deo Patre concilier. Ita Chrys. *Porro non sic Pater docuit Filium, quasi indoctum genuerit? sed hoc est docuisse, scientem genuisse: hoc est Filio esse, quod nosse. Pater gignendo dedit ei sicut esse, ita & nosse*, ait Aug.

VERS. 29 ET QUI ME MISIT, MECUM EST] Hoc addit, ait S. Chrys. ne Patre quasi se docente, minor esse putaretur: illud dispensationis, hoc deitatis est. Et S. Aug. Misit, ait, Pater Filiū, sed non recessit a Filio. Porro Pater est cum Filio, non tantum per indiscretam, & eandem numero essentiam deitatis, ut explicat S. Aug. sed etiam per singularem providentiam, regimen & gubernationem humanitatis ab eo assumptæ;

B hunc enim Deus quasi auriga regebat, & dirigebat ad omne opus, quo fiebat ut singula Christi opera essent eximia, perfecta, heroica, divina. Ita Rupert. Euthym. & alii.

VERS. 30 HÆC ILLO LOQUENTE, MULTI CREDIDERUNT IN EUM] Multi ex simplici, candida & docili turba, sed pauci, vel nulli ex superbis & invidis Pharisæis: *Crediderunt in eum*; tum quia rationum ejus evidentia convincebantur; tum quia gratia, spiritu, vi & efficacia sermonum ejus capiebantur, dicentes: *Nunquā locutus est homo, sicut homo hic.* c. 7. 46.

VERS. 31 DICEBAT ERGO (ut eos in fide jam accepta confirmaret) JESUS AD EOS, QUI CREDIDERUNT EI, JUDÆOS: SI VOS MANSERITIS IN SERMONE MEO, VERE DISCIPULI MEI ERITIS] *Judæos* intelligit plebejos, quos opponit principibus Pharisæis, & sacerdotibus incredulis: *Si vos manseritis in sermone meo*, id est, si in mea doctrina & fide, quam jam accepistis, perseveraveritis, inquit S. Aug. Leont. Chrys. Cyrill. & Theoph. *vere discipuli mei eritis*, scil. fideles & constantes, ut per persecutiones & cruces me generose sequamini usque in cælum, ibique mei discipuli & asseclæ,

C imo filii & hæredes, sitis in felicitate & gloria, sicut hic fuistis in fide & tribulatione: quare digni eritis discipulorum meorum uti nomine & titulo, sic & merito ac præmio.

VERS. 32 ET COGNOSCETIS VERITATEM, ET VERITAS LIBERABIT VOS] Per *veritatem* ipsum Christum, qui est via, veritas & vita, intelligunt Græci. S. Chrysost. Cyrill. Euthym. Et Theoph. q. d. Si permanseritis in fide mea, cognoscetis me esse veritatem, adumbratam in umbris & figuris legis veteris, a quibus proinde liberabo vos, ut serviatis Deo, non in corporeis cæremoniis & figuris, sed in spiritu & veritate fidei, spei & charitatis, ut dixi cap. 4. 23.

Secundo, & magis proprie ad mentem Christi, q. d. Si manseritis in mea doctrina, quam ego vos docui, per ipsam ejusdem experientiam & praxin cognoscetis, & quasi gustabitis quam illa sit vera, salutaris, sincera & pura; atq; eadem ipsa vos *liberabit*, græce, ἐλευθερώσει, id est liberos & ingenuos reddet, liberos, inquam a jugo & servitute peccati. De hac enim proprie hic agi patet, ex eo quod subdit v. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Fides enim mea deducet vos ad pœnitentiam, contritionē & charitatem, quæ abolet omne peccatum. Ita Rupertus, Jansenius, Maldonatus

D & alii, ac S. Aug. ser. 48. de Verbis Domini secundum Joannem: *Si non delectat veritas*, inquit, *delectet libertas*, &c. *plane reddidit libertatem, si abstulit iniquitatem.*

Anagogice liberabit vos mea doctrina a corruptione hujus mortalitatis, mutabilitatis, corruptionis, & exilii, quia deducet vos ad libertatem beatæ immortalitatis, & gloriæ filiorum Dei. Ita S. Aug. hic tract. 40. *Quid*, ait, *promittis credentibus fratres? & cognoscetis veritatem. Quid enim, non illam cognoverant, quando Dominus loquebatur? Si non cognoverant, quomodo crediderunt? Non quia cognoverunt, crediderunt; sed ut cognoscerent, crediderunt: credimus enim ut cognoscamus; non cognoscimus ut credamus: quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? fides ergo est, quod non vides, credere, veritas, quod credidisti, videre.*

Quadruplex libertas allata a Christo.

Disce hic quadruplicem esse servitutem, quam abstulit, & quadruplicem libertatem, quam attulit Christus. Prima servitus fuit sub onere legis veteris, quam Christus abstulit per libertatem Evangelii.

Secunda servitus fuit sub jugo peccati: hanc abstulit Christus per libertatem justitiæ.

Tertia servitus fuit sub dominio concupiscentiæ, quam Christus abstulit per libertatem spiritus; ac dominium charitatis & gratiæ. E

Quarta servitus fuit sub morte & mortalitate, omnibusque hujus vitæ ærumnis, quam auferet Christus per libertatem resurrectionis & gloriæ. Quare non agitur hic de libertate arbitrii, quasi peccatores adeo sint servi peccati, ut careant libero arbitrio, quod eis restituat Christus, cum eos justificat. Peccator enim non nisi per liberum arbitrium peccat, & pœnitens non nisi per liberum arbitrium gratiæ Dei adjutum, pœnitet & justificatur.

Quare inepte Calvinus hic negans tam peccatoribus quam justis liberum arbitrium; *Nos*, inquit *servimus, propriæ conscii, non nisi Christo liberatore gloriamur.* Censet enim ipse nos intrinsece non esse liberos, sed extrinsece per libertatem Christi: sicut idem censet nos intrinsece non esse justos per inhærentem nobis justitiam, sed tantum extrinsece per justitiam Christi nobis a Deo imputatam; quorum utrumque hæresis est non tantum impia, sed & imperita, inepta & stolida.

RESPONDERUNT (Judæi, non tam credentes in eum, de quibus vers. præc. quam increduli, ut patet ex sequent.) EI: SEMEN ABRAHÆ SUMUS, ET NEMINI SERVIVIMUS UMQUAM: QUOMODO TU DICIS: LIBERI ERITIS?] Christus dicendo, *Si manseritis in sermone meo, &c. cognoscetis veritatē, & veritas liberabit vos*, tacite Judæis objecerat ignorantiam & servitutem, quasi ex utraque eos sit liberaturus per veritatem & libertatem. Judæi de stirpe Abrahæ gloriantes, senserunt se pungi a Christo, ac dissimulantes ignorantiam superbe servitutem arripiunt negantque & esse vel fuisse servos, ac proinde libertate Christi non egere. q. d. Nos sumus filii magni patriarchæ Abrahæ, ideoque ingenui & liberi, nec ulli servivimus unquam; quare neque nativitate, neque condition sumus servi. Sic hodie multi, ait S. Chrysost. si arguantur eorum mores impuri & improbi, dissimulant; sed si tangatur eorum genus & nobilitas, exiliunt velut phrenetici. Verum Judæi non intellexerunt Christum: Christus enim non de servitute & libertate civili, sed spirituali loquebatur, quod scilicet e servitute peccati per libertatem gratiæ eos liberaret.

Quæres, an vere Judæi dicant: *Nemini servivimus unquam*? nam olim servierant Ægyptiis cum liberati & educti fuere a Mose; item Babyloniis, cum sub Joachin & Sedecia capti & abducti fuere in Babylonem; item Philisthæis, Ammonitis, &c. tempore Judicum. Resp. S. Chrysost. S. August. Leont. Beda, Judæos gloriabundos plus æquo suum genus extollere, ideoque falsum dicere & mentiri; sed hoc sensu mendacium suum velare, quod licet Babyloniis, Ægyptiis, aliisque gentibus fuerint subacti, numquam tamen in servos, id est, in mancipia, fuerint distracti & venditi.

Secundo, Cajet. Toletus, Jansen. & alii respondent, patres quidem horum Judæorum servisse Babyloniis & Ægyptiis, hosce vero Judæos tempore Christi nemini servisse, quia licet subessent Romanis & Tiberio Cæsari, tamen eorum non erant servi & mancipia, sed subditi dumtaxat: necdum enim fuerant a Vespasiano & Tito exciſi, tunc enim ab eis omnes Judæi vel occisi fuere, vel ut mancipia capti & divenditi, adeo ut captivorum fuerint 97. millia, occisorum vero & mortuorum undecies centena millia, teste Josepho lib. 7. Belli c. 17.

Hic sensus magis congruus videtur. Nam dicere, quod Patres ipsorum nemini servissent unquam, fuisset nimis splendidum mendacium, quod sol ipse erubuisset, & Christus illico confudisset. Dicunt ergo: *Nos semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquā*. q. d. Nos neque origine & genere sumus servi, quia sumus filii nobilis & inclyti Abrahæ: neque etiam sumus servi fortuna & conditione, quia nemini servivimus unquam. Ergo nullo modo sumus servi, sed omni ratione liberi, ingenui & nobiles; quia licet Romanis subsimus, eis tamen subsumus politice ut subditi, non despotice ut servi & mancipia.

AMEN, AMEN (id est, vere vere, vel certo certo, id est, verissime & certissime. *Veritas*, ait S. Aug. *dicit multum, commendat, quod ita pronunciat.*) DICO VOBIS: QUIA OMNIS QUI FACIT PECCATUM, SERVUS EST PECCATI] Christus Judæis objicientibus se non esse servos, sed liberos, respondet se loqui de servitute, non civili, sed mystica, qua quis servit peccato. Porro verecunde & modeste loquitur in genere & in tertia persona, cum proprie velit dicere; Vos facitis peccata multa, ideoque servi estis peccati, a qua servitute nemo vos liberare potest, nisi ego.

G

An vere dixerint Judæi: *Nemini servivimus unquam*?

VERS. 33 H

VERS. 34

Peccator servus est peccati: cur? Causa Prima.

Digitized by Google

A *O miſerabilis ſervitus*, exclamat S. Aug. tr. 41, cauſamque ſubdit: *Servus hominis aliquando ſui domini duri imperiis fatigatus, fugiendo quieſcit: ſervus peccati quo fugit, ſecũ ſe trahit quocumque fugerit. Non fugit ſeipſam mala conſcientia, non eſt quo eat, ſequitur ſe, imo non recedit a ſe: peccatum enim quod facit, intus eſt.* Cauſam aliam dat S. Petrus ep. 2. c. 2. 19. dicens: *A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Vide ibi dicta. Adde tertiam. Qui facit peccatum ſervus eſt diaboli, qui inſtigat ad peccatum; ſicut qui facit juſtitiam, ſervus eſt Dei, qui ad eam impellit. Diabolus autem ſummus eſt tyrannus, qui peccatores quaſi mancipia exagitat, & ex uno ſcelere in aliud & aliud ſemper, ac tandem in gehennam pertrahit, ut videre eſt in ſagis & magis. Quarto, quia peccatum poſt ſe relinquit concupiſcentiam, & inclinationem ad peccatum iterandum, quæ concupiſcentia etiam poſt dimiſſum peccatum manet ad pœnam & tentationem. Unde Apoſtolus Rom. 7. ait ſe venundatum ſub peccato, ut quod nolit hoc agat (ut ſcilicet motus concupiſcentiæ invitus ſentiat) & bonũ quod velit, nequeat perficere, ideoque exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quinto, quia peccator peccato quod fecit, quaſi vinculis, alligatur, ut ſe ab eo expedire nequeat, niſi Chriſtus eum gratia ſua liberet, juxta illud Prov. 5. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Et Iſaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Vide utrobiq; dicta. Audi S. Greg. 4. Moral. c. 42. *Qui ſe pravo deſiderio ſubjicit, iniquitatis dominio dudũ libera mentis colla ſupponit: ſed huic dominio contradicimus, cum iniquitati, quæ nos cepit, reluctamur.* Idem 25. Moral. c. 20. *Quanto aliquis libentius peragit perverſa, quæ vult, tanto iniquitatis ſervitio obnoxius obligatur.* Eſt proſopopœja, peccato enim, quæ res inanima eſt, tribuitur perſona heri, ſive domini & tyranni. Primo, ut ſignificetur vis & tyrannis peccati concupiſcentiæ. Secundo, quia ſub peccato intelligitur diabolus, qui in regno peccati imperat, & peccatoribus dure dominatur. Tertio, ut indicetur reatus peccati, quo peccatum peccatorem reum facit mortis & gehennæ.

C Præclare S. Ambr. in pſal. 118. ſerm. 12. ad illa: *Tuus ſum ego, ſalvum me fac. Non poteſt*, inquit, *dicere ſæcularis: Tuus ſum: plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit: Meus es, quia ea quæ ſunt corporis concupiſcis. Venit avaritia, & dicit: Meus es, quia argentum & aurũ quod habes, ſervitutis tuæ pretium eſt. Venit luxuria, & dicit: Meus es: quia unius diei convivium pretium tuæ vitæ eſt. Venit ambitio, & dicit: Plane meus es; neſcis quod ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipſe ſervires? neſcis quod ideo poteſtatem in te contuli, ut mea te ſubjicerem poteſtati? Veniunt omnia vitia, & ſingula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quam vile mancipium eſt?* Porro peccator, qui nequit dicere Deo: *Tuus ſum ego*, audit a diabolo, *Meus es tu*. Nam, ut ſubjicit S. Ambroſ. *Venit & introivit in eum ſatanas, & cœpit dicere, Non eſt tuus Jeſus; ſed meus eſt. Ea, quæ mea ſunt cogitat, quæ mea ſunt in pectore volvit: tecum epulatur, & mecum paſcitur: a te panem accipit, a me pecuniam: tecũ bibit; & mihi tuum ſanguinem vendit: tuus eſt Apoſtolus, & meus mercenarius.*

VERS. 35 SERVUS AUTEM NON MANET IN DOMO IN ÆTERNUM: FILIUS AUTEM MANET IN ÆTERNUM] q. d. Qui ſervus

D eſt peccati, uti vos, o Judæi, eſtis, hic more ſervorũ non habet jus manendi ſemper in domo heri, puta in Eccleſia Dei: nam poſt mortẽ ejicietur in tenebras exteriores gehennæ, uti eodem vos ejiciemini. At filius ſemper manet in domo heri, utpote patris ſui, hoc eſt, ego ſemper maneo apud Deum Patrem meum in cælo: quare ſi per me, meamque gratiam a ſervitute peccati liberati fueritis, mecum quaſi filii adoptivi ſemper in domo Dei, id eſt, in Eccleſia, tam militante per gratiam, quam triumphante per gloriam in æternum felices & glorioſi manebitis. Ita S. Auguſtinus, Cyrillus, Beda & alii. Unde ſequitur:

VERS. 36 SI ERGO VOS FILIUS LIBERAVIT, VERE LIBERI ERITIS] Nota *vere*. q. d. Nec Abraham, nec Moſes licet Dei chariſſimi ſervi, vos a peccato liberare poterunt, ſed ego ſolus, qui ſum verus Dei Filius, Meſſias, redemptor, & ſalvator mundi. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius & alii.

VERS. 37 SCIO QUIA FILII ABRAHÆ ESTIS, SED QUÆRITIS ME INTERFICERE] quod non fecit Abraham. q. d. Natura quidem eſtis filii Abrahæ, ſed imitatione degeneres. Quare proſapia Abrahæ vobis non proderit, niſi ad majorem damnationem: Abraham enim in die judicii damnabit vos,

dicetque: Ego vos non agnoſco pro filiis, quia Chriſtum filium meum, & fratrem veſtrum, perſecuti eſtis, & crucifixiſtis: ite ergo chriſticidæ in ignem æternum. Ita ſe Chriſtus explicat v. 40. E

QUIA SERMO MEUS NON CAPIT IN VOBIS] Id eſt, ut Vatabl. *non habet locum in vobis*; quia ſcilicet vos eum capere non vultis; Arab. *non eſt firmus in vobis*. Unde Orig. & Chryſoſt. cenſent hæc dici ad eos, qui ante crediderant in Chriſtum, ſed obiter & leviter: ac repente, cum audierunt ſe a Chriſto ſervos vocari, irati & excandeſcentes, mutata ſententia & fide in perfidiam volebant eum occidere. Planius & probabilius dicemus Chriſtum hæc dicere ad incredulos, qui jam ante ei necem machinabantur.

EGO QUOD VIDI APUD PATREM MEUM, LOQUOR: VERS. 38
ET VOS QUÆ VIDISTIS APUD PATREM VESTRUM, FACITIS] q. d. Sicut ego loquor & doceo ea quæ vidi & audivi (in ſpiritualibus enim & divinis idem eſt *videre* & *audire*, ut dixi c. 5. 30.) hoc eſt, cognovi & intellexi a Deo Patre meo, ſic pariter vos ea quæ vidiſtis, id eſt, audiſtis (unde Græci codices nonnulli cum Chryſoſt. & Leontio legunt, ἠκούσατε, id eſt, audiſtis) & didiciſtis a patre veſtro F diabolo, non tantum loquimini, ſed reipſa facitis, præſertim dum molimini me occidere. Ita S. Aug. Beda, Leont. Euthym. Rupert. Diabolum enim hic vocari patrem Judæorum, non vero Abraham, clare docet Chriſtus v. 44. dicens: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere: ille homicida erat ab initio.*

RESPONDERUNT, ET DIXERUNT EI; PATER NOSTER VERS. 39
ABRAHAM EST] quia Chriſtus alium videbatur eis aſſignaſſe patrem, nec eum nominarat; ut eum ex ore ejus eliciant, repetunt, replicantque: *Pater noſter Abraham eſt*, nec alium agnoſcimus patrem.

DICIT EIS JESUS: SI FILII ABRAHÆ ESTIS, OPERA ABRAHÆ FACITE] *Non negat eorum originem*, ait S. Aug. *ſed facta condemnat. Caro eorum ex illo* (Abraham) *erat, vita non erat.* Græci nonnulli codices, & illos ſecutus Arabicus habẽt: *Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis.*

NUNC AUTEM QUÆRITIS ME INTERFICERE, HOMI- VERS. 40
NEM, QUI VERITATEM VOBIS LOCUTUS SUM, QUAM AUDIVI A DEO: HOC ABRAHAM NON FECIT] Clare explicat, probatque Judæos non facere opera Abrahæ, quia A- G
braham neminem læſit, ſed Lot & quotquot potuit ſalvavit: Judæi, autem Chriſtum lædere & occidere ſatagebant. Simili modo Hebræi in *Pirke avoth* c. 5. *Ex tribus*, inquiunt, *cognoſces quis ſit diſcipulus Abrahæ & quis Balaam. Qui enim oculo eſt gratioſo, ſpiritu benigno, & anima ſatiabili, cui facile ſatisfit, hic eſt diſcipulus Abrahæ. Qui vero eſt oculo livido & invido, ſpiritu ſuperbo, & anima inſatiabili, hic eſt diſcipulus Balaam.*

VOS FACITIS OPERA PATRIS VESTRI] Perſtat Chri- VERS. 41
ſtus in eo quod dixit, Judæos non Abrahæ, ſed alterius Patris, cujus opera imitentur, eſſe filios, ſcilicet diaboli, quem necdum nominat, ſed nominabit v. 44.

DIXERUNT ITAQUE EI: NOS EX FORNICATIONE NON SUMUS NATI: & UNUM PATREM HABEMUS DEUM] Primo, Orig. Cyrill. & Leont. cenſent Judæos voce Chriſti dicentis, quod alium ab Abraham haberent patrem, ſcilicet adulterum, irritatos, implicite & tacite convicium in ipſum retorſiſſe. q. d. Nos non ſumus filii adulteri, ſed talis tu ipſe es: nam pater tuus non eſt Joſeph, ſed alius quis occultus adulter. Unde Origenes: *Atrocius*, inquit, *reſpondent, latenter deſignantes ex adulterio natum Chriſtum.* Hoc enim in vulgus ſparſerant Phariſæi nonnulli, Chriſto invidentes, ut ei famam & auctoritatem adimerent. Hoc ſi verum eſt, fuit atrox hæc in Chriſtum & Beat. Virginem calumnia & blaſphemia. H

Filii fornicationis cui? Reſp. Primo.

Secundo. Secundo, mitius Ethymius & Rupertus. q. d. Nos non ſumus filii Agar, quæ fuit ancilla & concubina (hoc eſt ſecundaria uxor Abrahæ,) ex Iſmaele ejus filio, & Agarenis ejus poſteris prognati, ſed ſumus filii Saræ, quæ fuit libera & domina, ideoque primaria uxor Abrahæ, ac ex illa per Iſaac, qui fuit primarius filius, indeque hæres benedictionum Abrahæ, deſcendimus. Filii enim concubinarum videbantur illegitimi & ſpurii, eo quod hæreditate patris excluderentur, etſi revera eſſent legitimi, ſed ſecundarii.

Tertio. Tertio. q. d. Nos non ſumus nati ex fornicatione ſpirituali, id eſt ex idololatria: hoc eſt; non ſumus filii Gentium idololatrarum, v. g. Agarenorum, ſed ſumus filii Abrahæ & Saræ, fidelium fidelis proles. Unde explicando ſubdunt: *Unum Patrem habemus Deum.* Objicit Rupert. ſic debuiſſe eos addere vocem adverſativam *ſed*, quam tamen omiſere, ac dixiſſe: Non ſumus ex fornicatione, id eſt, ex idolola-

Digitized by Google

A tria nati, *ſed* unum habemus Deum Patrem, quem colimus. Reſp. Maldonat. *ſed*, & ſimiles particulas ſæpe omitti & ſubintelligi. Fornicatio enim in Scripturis præſertim apud Prophetas, myſtica intelligitur, id eſt, idololatria, quia per eam anima, relicto Deo, qui eſt verus ejus ſponſus, proſtituit ſe idolis & dæmonibus, quaſi adulteris. Ita S. Auguſtinus, Maldonatus, & alii. Alludit ad Oſee 1. 2. *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra.* Huc accedit Theoph. qui exponit, q. d. Non ſumus nati ex conjugis Judæorum cum uxoribus Gentilibus; hæc enim conjugia lege erant vetita, ideoque illegitima & adulterina a Judæis habebantur.

Quarto. Quarto, ſimpliciter & plane, Judæi Chriſto objicienti alium patrem ab Abraham, ſcilicet diabolum (quem licet Chriſtus non expreſſerit, Judæi tamen eum ab ipſo intelligi ſubodorati ſunt) utpote cujus opera ſequerentur; reſpondent plene, ideoque bifariam. q. d. Nobis non alius adulter, ut tu objicis, ſed verus pater in terra eſt Abraham, in cælo vero unus eſt Deus; quare nos non
B ſumus ex fornicatione, ſed ex legitimo conjugio Abrahæ cum Sara prognati, ac conſequenter eumdem Deum verum colimus, quem coluit Abraham pater noſter; falſo igitur criminaris nos quaſi ſpurios, non facere opera Abrahæ, nec ejus fidem & pietatem imitari, nec Deum ejus colere, ſed diabolum, ejuſque opera & inſtinctus perficere. Inique ergo Deum Abrahæ verum tibi ſoli appropriias, quaſi tui ſolius patrem, noſque ab ejus filiatione excludis, & alteri, ſcilicet diabolo, aſſignas, faciſque ſpurios & adulterinos, ideoque infames & vitioſos. Solent enim ſpurii levitatem & vitia parentum ex ſemine contrahere, ideoque eſſe leves, petulantes, laſcivi; qua de cauſa Jure Canonico ſunt irregulares & inhabiles ad ſacerdotium.

VERS. 43 DIXIT ERGO EIS JESUS: SI DEUS PATER VESTER ESSET, DILIGERETIS UTIQUE ME: EGO ENIM EX DEO PROCESSI, ET VENI] Multi eorum ex fornicatione nati erant & hoc ſatis inſinuavit Chriſtus, digito ſcribens in terra, (cum accuſarent adulteram. v. 7. & 8.) ſed hoc omiſſo, ait
C Chryſoſt. utpote occulto, turpi, infami & invidioſo, Chriſtus oſtendit eos non eſſe ex Deo, hoc ſyllogiſmo:

Syllogiſmus Chriſti.

Quid diligit Deum, diligit pariter Dei filium;
Atqui vos non diligitis Dei filium, ſcilicet me,
qui vobis per tot miracula idipſum probavi,
Ergo, vos quoque non diligitis Deum.

Sicut Ariani, qui negant Chriſtum eſſe Dei Filium, negant pariter Deum Patrem: nec enim Pater eſt, aut dici poteſt, qui non habet filium.

EGO ENIM EX DEO PROCESSI (græce ἐξῆλθον, id eſt, *exivi*, ita Arabicus) ET VENI] Græce, ἥκω, id eſt, *venio*, id eſt, jam veni. S. Auguſt. Beda, Leont. Ammon. & S. Hilar. l. 6. de Trinit. cenſent hic denotari utramque Chriſti generationem, ſcilicet divinam & humanam. q. d. Proceſſi a Patre per æternam generationem: veni in mundum per incarnationem nuper factam. *Quod de Deo proceſſit Verbum, æterna proceſſio eſt*, ait S. Aug. *venit autem ad nos, quia caro factum eſt: adventus ejus, humanitas ejus.*

Planius Janſen. Maldonat. & alii utrumque, ſcilicet *proceſſi & veni*, referunt ad incarnationem, ſed ita, ut
D æterna ejus generatio ſimul innuatur, & quaſi præſuppo-natur. q. d. Exivi a Deo, & veni in mundum, qui ante a Deo genitus exieram, eramque in cælo Deus, Deique Filius. Hoc enim ſenſu ait Chriſtus c. 10. 27. *Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia a Deo exivi*, ſcilicet, miſſus in carnem & mundum.

VERS. 43 NEQUE ENIM A MEIPSO VENI, SED ILLE ME MISIT] *Docet ſibi non a ſe eſſe originem*, ait Hilar. lib. 6. de Trinit. Addit Origen, Hoc dicit propter quoſdam ad ſe venientes, & non miſſos a Patre, quos taxat Jerem. c. 23. dicens: *Non mittebam eos, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Hoc notent Lutherus, Calvinus, cæterique hæreſiarchæ, qui a nullo auctoritatem habente miſſi, ſeipſos intruſerunt in cathedras Eccleſiæ ad innovandam & pervertendam veram Dei fidem & religionem.

QUARE LOQUELAM MEAM NON COGNOSCITIS? QUIA NON POTESTIS AUDIRE SERMONEM MEUM] *Non poteſtis*, quia affixi veſtræ ſuperbiæ, avaritiæ, odio & invidiæ contra me, non vultis me *audire* & cognoſcere. *Ideo audire non poterant*, ait S. Aug. *quia corrigi credendo nolebant*; ſed ut addit Gloſſa, *quia ex diabolo eſtis, in eo perſeverare elegiſtis.* Sic & S. Chryſ. Theophyl. Leont. & Euth. Vide S. Greg. Nazianz. orat. 4. de Theolog. ubi docet *non poſſe* in Scriptura ſubinde idem ſignificare, quod *non velle*. Sic Matth. 19. 12. dicitur: *Qui poteſt*, (id eſt qui vult) *capere capiat*. Secundo, magis proprie & nervoſe. q. d. Ideo ſermones meos non intelligitis, quia ferre me docentem non poteſtis, & dicta mea ne ad aures quidem admittere vultis, adeo ſum vobis inviſus, & tanto mei odio laboratis, in eoque mentem obſtinaſtis & obduraſtis. Ita Emman. Sà.

VOS EX PATRE DIABOLO ESTIS] *Imitando, non naſcendo*, ait S. Aug. citanſque illud Ezech. 16. 3. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*, addit: *Judæi imitantes impietates eorum, invenerunt ſibi parentes, non de quibus naſcerentur, ſed quorum mores ſectantes, pariter damnarentur.* VERS. 44

Porro per *diabolum* hic S. Epiphan. hæreſi 38. & 40. accipit Judam proditorem, qui idcirco a Chriſto c. 6. 70. vocatur diabolus: auctor vero Quæſt. novi & veteris teſtamenti apud S. Aug. per *diabolum* intelligit Cain, qui Abelem fratrem occidit, ſicut Judæi Chriſtum. Sed certum eſt per *diabolum* hic ad litteram recipi Luciferum, ut patet ex ſequ. hunc enim quaſi patrem, ſecuti ſunt Judæi perſequentes Chriſtum, *Non utique ſucceſſione carnis, ſed criminis*, ait S. Ambr. l. 4. in Lucam.

ET (id eſt quia) DESIDERIA (græce, ἐπιθυμίας, id eſt, concupiſcentias, cupiditates) PATRIS VESTRI VULTIS FACERE] ut me occidatis. Explicat, & dat cauſam, cur dixerim eos eſſe ex patre diabolo; quia ſcilicet diaboli opera, ſuggeſtiones, inſtinctus ſequuntur, & re ipſa exequuntur.

Non dixit, opera, inquit S. Chryſ. ſed *deſideria*, oſtendens vehementer & illum, & ipſos cædibus delectari. Dæmon enim ardet cupiditate occidendi, & perdendi omnes homines, tum quia ipſis gloriam, a qua ipſe excidit, invidet; tum ut Deo, quem quaſi tortorem ſuum odit, noceat, eique homines adimat: hos enim Deus creavit ad imaginem, atque ad ſuam gratiam & gloriam æternam vocavit & prædeſtinavit.

ILLE HOMICIDA ERAT AB INITIO, ET IN VERITATE NON STETIT] *Homicida*, græce, ſignificanter ἀνθρωποκτόνος; Arabic. *occiſor hominum*, fuit diabolus *ab initio*, creationis tam mundi quam ſui, puta ſexto mundi die, quo creatus eſt Adam: mox enim ut ipſe creatus eſt, Lucifer illi invidens, eodem die ipſum omneſque ejus poſteros occidit: quia perſuaſit ei, ut pomum a Deo ſub pœna mortis vetitum comederet, itaque eum in mortem impulit. q. d. Sicut diabolus ab initio Adamum, omneſque ejus poſteros occidit, ita hunc per vos, o Judæi, me pariter, per quem a morte redimendi ſunt homines, conatur occidere; perſtat enim ſemper in ſua ira, odio, nocendi & occidendi cupiditate, inſtar pardi & lupi, qui humanis carnibus paſcitur; ideoque eorum necem & ſanguinem aſſidue ſitit. Quare ille idem eſt Lucifer, qui ab initio mundi Cainum impulit, ut Abelem fratrem necaret: item fratres Joſephi, ut eum necidestinarent, ipſe reliquos homicidas ad homicidia inſtigavit, & etiamnum inſtigat: multo magis idem ille ſitit necem & exitium animarum, etſi proprie de cæde corporum hic agatur: hanc enim Judæi, inſtigante diabolo, machinabantur Chriſto. Ita Euth. & S. Aug. l. 2. contra Lit. Petil. c. 13. Diabolus fuit homicida ab initio quo ſenſu.

ET IN VERITATE NON STETIT] Hoc eſt, in integritate, rectitudine & perfectione, puta in gratia, juſtitia & ſanctitate, in qua conditus erat a Deo, *non ſtetit*, id eſt non permanſit. Sic dicitur verum aurum, quod purum & perfectum eſt, non adulteratum: ſic Nathanael vocatur *verus Iſraelita, in quo dolus non eſt*, c. 1. v. 47. Rurſum *in veritate*, id eſt in officio ſuo, puta in eo, quod æquum & juſtum erat ipſum facere: hoc enim paſſim apud Joannem, Davidem & Salomonem ſignificat *veritas*. Vide dicta c. 3. 21. Triplex enim eſt veritas, cordis, oris, & operis. Veritas cordis eſt, qua cor ſive mens, vere rem concipit & intelligit, ſicut ipſa in ſe eſt; hæc opponitur falſitati & errori. Veritas oris eſt, qua quis vere loquitur id, quod in corde ſentit, hæc opponitur mendacio. Veritas operis eſt, qua quis operatur vere, id eſt conformiter ad judicium rationis practicæ, ſive qua quis operatur id, quod vere in praxi, juxta dictamen rectæ rationis, faciendum eſſe judicat. Hæc opponitur iniquitati & peccato: atque hæc ipſa hic intelligitur. q. d. Diabolus, id eſt Lucifer cum aſſeclis, *non ſtetit*, id eſt, non perſeveravit, *in veritate*, id eſt in eo, quod ipſum in praxi vere facere oportebat; quia ſcilicet noluit ſubeſſe Deo, cui ipſe ut creatura ſubeſſe debebat, ſed ſuperbiens contra eum inſurrexit, voluitque ei eſſe par, quaſi alter Deus, unde a ſua rectitudine, gratia, ſtatu & loco excidit, & dejectus fuit in tartara, juxta illud: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Iſaiæ 14. 12. Ita S. Chryſ. hom. 54. S. Leo ſer. 10. de Quadrag. & alii. Veritas cordis, oris & operis.

Hinc

Digitized by Google

A Hinc S. Auguſt. lib 4. contra Adimant. c. 4. per *veritatem* accipit legem. q. d. Diabolus non perſtitit in lege Dei, alii per *veritatem* accipiunt fidelitatem. q. d. Diabolus non perſtitit in fidelitate & obedientia, quam Deo creatori ſuo debebat.

Secundo, S. Irenæus l. 5. c. 22. & 23. & ex eo Toler. proprie hic *veritatẽ* accipiunt pro veritate, quæ opponitur mendacio. q. d. Diabolus ab initio fuit mendax; ſuo enim mendacio decepit Adamum & Evam, dicens: *Non moriemini*, ſi ex pomo vetito comedatis, ſed *eritis ſicut dii scientes bonũ & malũ*, Gen. 3. Hic ſenſus valde congruit cum ſequentibus, ubi dicitur. *Cum loquitur mendaciũ, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus.* Chriſtus enim videtur taxare hic duo vitia Judæorum, quæ a patre diabolo didicerunt: primum, eſt homicidii, quo ſibi necem machinabantur, ſicut diabolus occidit Adamum: ſecundum, eſt mendacii & calumniæ, quo mentiebantur Chriſtum eſſe falſum Prophetam, magum, dæmoniacum, &c.

Tertio, Origen. hic tom. 24. accipit veritatem judicii practici, quam deſeruit Lucifer, cum peccavit, indicans
B ſibi eſſe ſuperbiendum & rebellandum Deo, quod practice erat falſum & erroneum. Nam, ut dicitur Prov. 4. *Errant*
VERS. 43 *qui operantur malum*, & e contrario ſapiunt, qui operantur bonum, quia ſequuntur verum judicium practicum rectæ rationis. Omnia hæc vera ſunt, & huic loco congruunt, atque ex primo conſequuntur. Quia enim Lucifer non ſtetit in veritate operis & officii ſui, hinc pariter excidit a veritate cordis & mentis, ut judicia practice falſa ſibi perſuaderet, atque veritate oris, id eſt, a veracitate, ut ſuis mendaciis deciperet Evam, cæteroſque homines.

NON STETIT] Hinc recte colligit S. Auguſt. lib. 11. de Civit. c. 13. & ſeq. atque ex eo Theologi, diabolum a Deo creatum eſſe in gratia & juſtitia, ſed in ea non ſtetiſſe, id eſt non perſeveraſſe: quare errare Manichæos, dicentes diabolum natura ſua eſſe malum, ac a malo Deo creatum eſſe malum. Manichæi enim abutebantur illo dicto S. Joannis epiſt. 1. c. 3. *Ab initio diabolus peccat*. Alius autem eſt illius loci ſenſus, ut ibi dixi.

QUIA NON EST VERITAS IN EO] ſcilicet nec veritas cordis, nec oris, nec operis, ut jam dixi: hæ enim tres veritates quaſi ſorores ſunt connexæ, & ſe mutuo comitantur: hic tamen proprie *veritas* ſignificat veracitatem: probat enim diabolũ non ſtetiſſe in veritate operis ex effectu; quia ſcilicet excidit a veracitate, mentitur, fallit & decipit: quia enim diabolus excidit a veritate operis & officii ſui, hinc pariter excidit a veritate oris, id eſt, a veracitate, hoc eſt, mentitur, & plurima mendacia profert, ut ſequitur. Ita S. Auguſt. loco jam citato.

C *Ex propriis loquitur: quid?* CUM LOQUITUR MENDACIUM, EX PROPRIIS LOQUITUR, QUIA MENDAX EST, ET PATER EJUS] Arabicus, *quando loquitur mendacium, tantummodo loquitur quod eſt illi*. q. d. Diabolo, poſtquam a veritate officii & gradus, ſtatuſque ſui angelici excidit, atque ſua libertate ex angelo pulcherrimo ſe fecit teterrimum cacodæmonem, proprium, & quaſi innatum eſt fallere & decipere, ejuſque officium peculiare, & proprium eſt mentiri, ut homines ſeducat, & in gehennam, ſuumque regnum pertrahat. Hoc enim totus agit, huc omnes ſuas cogitatione & ſtudia confert; aliud non cogitat, nec deſiderat, nec molitur.

Secundo, *ex propriis*, id eſt, ex propria inventione; quia
D diabolus fuit inventor mendacii, ac primus omnium mentitus eſt, cum decepit Evam. Homines vero poſt illum, & ab illo deinceps, cœperunt fallere & mentiri, ideoque non ex propriis, ſed ex alieno, puta ex diaboli imitatione & ſuggeſtione, fallunt & mentiuntur. Ita Origen. S. Chryſ. & S. Aug. probantque ex eo, quod ſequitur: *Quia mendax eſt, & pater ejus*.

Tertio, *ex propriis*, id eſt, ex intrinſecis, ex intimis animæ ſuæ penetralibus, quod Hebr. dicunt בנפשו *benaphſo*, i. e. *ex anima ſua*, loquitur, quia intime gaudet mendaciis, geſtitque cum mentiri & fallere poteſt, ſicut fur gaudet ſuis furtis.

QUIA MENDAX EST] ex continuo fallendi & mentiendi uſu, habitu & officio, adeo ut totus ex fraudibus & mendaciis conſutus & conflatus videatur: quod ſi aliquando verum dicit, coactus dicit, aut certe hoc fine dicit, ut per verum perſuadeat falſum, & in fraudem inducat.

ET PATER EJUS] *Ejus*, ſcilicet diaboli, ait Nonnus. Unde Cajani hæretici per diabolum accipiebant Cain. S. Epiphan. vero hæreſi 38. accipit ipſum Judam proditorem, quorum pater fuit diabolus mendax, æque ac ipſi fuere mendaces. Manichæi vero, teſte S. Aug. tr. 62. dicebant ipſum diabolum habere patrem, ſcilicet Deum malum, a E
quo creatus foret, qui mendax eſſet, æque ac filius ejus diabolus. Verum dico, diabolus dicitur hic pater *ejus*, ſcilicet *mendacii*, quod præceſſit, quodque rurſum in concreto *mendax* includitur. Diabolus autem dicitur *pater mendacii*. Primo, *pater*, id eſt inventor, quia primus mentitus eſt, artemque mentiendi & fallendi adinvenit, quam deinde homines docuit. Sic Geneſ. 4. v. 20. dicitur Jabel *pater habitantium in tentoriis*, & frater ejus Jubal *pater canentium cithara & organo*, *pater*, id eſt inventor. Secundo, *pater*, quia ipſe gignit & fingit mendacia, ſicut figulus ex luto format & fingit vaſa teſtacea, ipſe ergo eſt *pater*, id eſt figulus, mendacii. Ita S. Aug. Leont. Chryſoſt. & alii. Eſt hebraiſmus. Audi Origenem: *Diabolus mendacium genuit. Seductus eſt a ſeipſo: in hoc deterior, quod alii ab eo falluntur, ipſi ſibi deceptionis eſt auctor*. Et S. Aug. *Non omnis qui mentitur eſt pater mendacii, ſed qui aliunde mendacium non accepit, ut diabolus*.

Hinc diabolus eſt pater & auctor hæreſium, ideoque hæreſiarchæ habuerunt dæmonem paredrum ſive aſſeſſorem, qui eis hæreſes & argumenta ad eas confirmanda F
ſuggeſſit, uti de ſe faſſus eſt Lutherus. Talem habuit Arius, Eunomius, Calvinus, &c. & talem habebit Antichriſtus, unde Apoſtolus 1. Timoth. 4. v. 1. hæreſes vocat *doctrinas dæmoniorum*. Vide ibi dicta.

EGO AUTEM SI VERITATEM DICO, NON CREDITIS MIHI] Eſt hæc minor propoſitio, quam ſub majore ſubſumit Chriſtus, ut probet Judæos eſſe ex patre diabolo. Hic enim ejus eſt ſyllogiſmus. VERS. 45

Quicumque credit mendacio, non veritati, hic eſt filius diaboli, qui eſt mendax, & pater ejus. Syllogiſmus Chriſti probans Judæos eſſe diaboli filios.

Atqui vos creditis mendacio, non veritati.

Ergo vos eſtis filii diaboli.

Si, id eſt, *quia*, ut habet Græcus, & nonnulli Latini. q. d. Quia ego veritatem dico, vere veſtra vitia taxans, ac vere aſſerens me eſſe Meſſiam, veſtrum doctorem & G
ſalvatorem mundi, idque per miracula probo, vos, quia non vultis veſtra vitia dimittere, nec ea redargui; hinc mihi veritatem dicenti & docenti credere non vultis, ſed diabolo, qui ſuis mendaciis vobis perſuadet me eſſe pſeudoprophetam, meaque miracula eſſe præſtigias, ideoque eſſe ficta, non vera. Hinc Arabicus omiſſo *ſi* vertit, *ego autem veritatem loquor, & non creditis mihi*.

QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO?] Eſt occupatio: occurrit enim objectioni Judæorum. Hi enim excipere poterant ac dicere: Nos non credimus tibi, quia tu legem noſtram violas & peccas, v. g. ſabbatum violas, dum in eo curas paralyticos. Reſpondet Chriſtus: Proferte aliquod peccatum, quo legem violem, illudque probate, & patiar mihi a vobis non credi: nam alias demonſtravi curationem meam in ſabbato eſſe legis non violationem, ſed ſanctificationem. Proferte ergo aliud meum peccatum, ſi poteſtis, meque de illo arguite. En mei cenſuram & judicium vobis, licet juratis meis hoſtibus, permitto. Magna fuit hæc Chriſti innocentia & confidentia, qua non tantum peccatum, ſed vel umbram & ſuſpicionem peccati a ſe removet, ita ut nullus quidquam ei objicere poſſet, quod vel minimam peccati haberet ſpeciem. Ipſe enim erat impeccabilis, tum propter viſionem beatificam, qua fruebatur, uti ob eandem Beati in cælo ſunt impeccabiles: quia H
enim Deum vident ſummum eſſe bonum, hinc neceſſario illud totis viribus amant, & oderunt quidquid illi diſplicet: tum propter unionem hypoſtaticam cum Verbo: quia enim humanitas ejus ſubſiſtebat in perſona Verbi; hinc Verbum humanitatem ſuam immunem ab omni peccato, in plena ſanctitate conſervabat. Si enim humanitas Chriſti peccaſſet perſona Verbi peccaſſet, quod eſt impoſſibile. Actiones enim virtutum vel vitiorum ſunt perſonarum, & perſonis attribuuntur. Hinc S. Ambr. in pſalm. 40. v. 13. Deum Patrem ita Chriſtum alloquentem inducit: *Inter peccatores verſatus es, omnium peccata ſuſcepiſti, peccatum pro omnibus factus es, ſed nullus uſus ad te potuit tranſire peccati. Ita inter homines verſatus es, quaſi inter angelos verſareris. Feciſti terram eſſe, quod cælum eſt, ut & ibi peccatum tolleres.*

SI VERITATEM DICO, QUARE NON CREDITIS MIHI?] Alteram Judæorum exceptionem hic excludit. Dicere enim potuiſſent Judæi, Nos non credimus tibi, non ob peccatum aliquod a te commiſſum, ſed quia illa, quæ dicis & doces, non ſunt vera. Occurrit Chriſtus, aitque: Ego tot rationibus & miraculis probavi vobis doctrinam meam, ut nemo prudens & odio non excæcatus dubitare VERS. 46

Digitized by Google

A possit, quin illa sit verissima. Si ergo mea vita est innocentissima, & mea doctrina est verissima, cur mihi non creditis? Veritatem ergo hic non nude asseram, sed ratione demonstratam accipe, ut veritas veritatis demonstrationem complectatur.

VERS. 47 QUI EX DEO EST, VERBA DEI AUDIT: PROPTEREA VOS NON AUDITIS, QUIA EX DEO NON ESTIS] Christus hic veram causam assignat, cur Judæi sibi non credant; quia scilicet non Deum, sed diabolum, quasi patrem sequuntur & audiunt. q. d. Hæc vera est ratio a priori, cur mihi non credatis: quia scilicet non estis ex Deo nati, sed ex diabolo, hoc est, quia non Dei spiritum & instinctum, sed diaboli auditis & sequimini: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, Rom. 8. Diabolus enim corda vestra cupiditate, odio & invidia mei excæcavit: quare vos verba Dei, quæ ego a Deo missus, vobis annuncio, non auditis, quia illa audire & intelligere non vultis. Quia ergo non estis Dei veracis, sed diaboli mendacis filii, hinc ejus mendaces B suggestiones auditis, eisque obeditis; Dei vero veracia verba, a me prolata, ad aures admittere non vultis.

Porro S. August. tract. 42. & S. Greg. hom. 18. hanc sententiam intelligunt de electis & reprobis. q. d. Qui a Deo prædestinatus & electus est, hic verba Dei audit, propterea vos eas non auditis, quia non estis a Deo prædestinati, sed reprobati. Verum hic sensus est accommodatius, non litteralis & genuinus. Nam, ut recte advertit Tolet. & Maldon. hæc non fuit præcisa causa: cur Judæi non crederent Christo, sed ea, quam dixi. Nam multi ex his, qui nunc non crediderunt Christo, postea prædicante Petro & Apostolis, crediderunt & salvati sunt, ut patet Actor. 2. Vice versa nonnulli, qui nunc crediderunt Christo, postea a fide ejus defecerunt, ideoque reprobati sunt, ut colligitur ex Joan. c. 6. 67.

Denique perperam ex hoc loco Manichæi, teste S. August. hic, inferebant aliquos homines ex natura sua esse bonos, eo quod a Deo bono creati, particulam ejus naturæ & bonitatis acceperint; alios vero natura sua esse malos, eo quod a malo principio conditi sint.

Moraliter ex hac Christi sententia infert S. Greg. hom. C 18. aitque: *Interroget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit, & intelligat unde sit. Cœlestem patriam desiderare veritas jubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo apud se unusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, & quia jam ex Deo sit, agnoscat.* Et paulo post. *Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, sed post lacrymarum tempus, ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, quia hæc exercere opere contemnunt.*

Hinc colligit S. Greg. signum divinæ prædestinationis esse, si quis verba Dei audiat, ejusque sanctis inspirationi- Verba Dei libenter audire signum prædestinationis. bus obediat: reprobationis vero, si quis illas repellat, juxta illud Prov. 1. *Quia vocavi, & renuistis*, &c. *ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit.* Nam, ut ait Christus Joan. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Sicut enim ovis, quæ audit vocem pastoris, secura est a lupo & salva; quæ vero D non audit, errans a lupo devoratur: sic & qui Christi pastoris vocem audiunt, salvantur; qui non audiunt, a dæmone devorantur. Quocirca Christus clare edicit: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, Luc. 10. Hinc S. Bernard. ser. 1. in Septuag. monachis suis hoc maximum prædestinationis dat signum, quod verba Dei cum fructu audiant. Eorum enim quasi perpetuus erat pastus, quidquid procedit de ore Dei, legendo, meditando, orando investigare, & opere adimplere.

VERS. 48 RESPONDERUNT ERGO JUDÆI, ET DIXERUNT EI: NONNE BENE (recte, vere) DICIMUS NOS, QUIA SAMARITANUS ES TU, ET DÆMONIUM HABES?] *Dicimus*, id est diximus, & dicere solemus: hinc constat id eos dicere solitos, etiamsi id alibi scriptum non sit. Sed cur Christum vocarunt Samaritanum? Primam causam dat Rupertus, quod Christus cum Samaritanis versatus fuisset c. 4. 40. Unde objiciebant ei, quod esset transfuga, & ex Judæo effectus Samaritanus. Secundam dat Maldon. quod Judæi Christum vocarint *Galilæum*, quia conceptus & educatus erat in Nazareth, quæ est urbs Galilææ. Galilæi autem vicini erant Samaritanis, unde quasi similes, vel iidem, pari loco & vilitate a Judæis habebantur. Tertia & potissima causa fuit, quod Samaritani partim erant Judæi, partim Gentiles, quia cum Deo Judæorum colebant deos Assyriorum, a quibus prognati erant, 4. Reg. 17. Sic Christus eis videbatur partim Judæus, partim Gentilis; quia novam fidem & religionem inducebat; quare videbatur legem adulterare, æque ac majorum traditiones, atque legem miscere cum Evangelio, uti Samaritani Judaismum miscebant & corrumpebant gentilismo. Denique Samaritanus idem apud Judæos erat, quod schismaticus & apostata. Samaritani enim a Judæis fecere schisma, & templum sibi erexerunt in monte Garizim, quasi æmulum & oppositum templo Judæorum Hierosolymitano, uti dixi c. 4. v. 9. Ita Origen. Theoph. Ammon. Leont. Euthym. Quare vocare quemquam Samaritanum, ingens erat convitium & probrum; quale nunc apud Hispanos est vocare aliquem Maurum, vel Maranum.

ET DÆMONIUM HABES?] Primo, *quia in Beelzebub principe dæmoniorum ejicis dæmonia*, uti ipsi objiciunt Christo, Lucæ 11. 15. Ita Theoph. Secundo, quia Christus faciebat se Deum, itaque gloriam Dei ad se transferebat, sicut dæmon, scilicet Lucifer, apperiit esse Deus, & gloriam Dei sibi vendicare. Ita Leont. Hic sensus videtur genuinus, & ita intellexit Christus, unde respondet: *Ego gloriam meam non quæro*. Tertio, *dæmonium habes*, id est, deliras, insanis, perinde ac lunatici & energumeni, a dæmone agitati delirant & insaniunt. Sic enim dicitur c. 10. 20. *Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis?* & c. 7. 20. *Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Atrox hoc fuit Judæorum in Christum convitium & blasphemia, ideoque stupenda Christi in eo tolerando modestia & patientia, ut patet ex modestissimo ejus responso. Aiterim:

VERS. 49 EGO DÆMONIUM NON HABEO, SED HONORIFICO PATREM MEUM, ET VOS INHONORASTIS ME] Mirare hic Christi in tanta contumelia mansuetudinem, qua ut verax, illam ut falsam negat, sed ut potens convitium non reddit. Unde S. Greg. hom. 18. *Ecce*, inquit, *injuriam suscipiens Deus non contumeliosa verba respondet: cum a proximis contumeliam accipis, etiam eorum vera mala tacere debes, ne ministerium justæ correptionis in arma vertatur furoris.* Et Chrysost. *Ubi oportebat Dominum tos docere, & contra eorum superbiam invehi, asper erat; ubi vero exprobrantes sufferre, multa mansuetudine utebatur: ut scilicet disceremus, quæ ad Deum pertinent, vindicare; quæ vero ad nos, despicere.* Et August. *Imitemur ejus patientiam, ut perveniamus ad potentiam.*

Dissimulavit Christus nomen Samaritani, quia merum erat convitium contra se, non contra Deum jactum: suam ergo injuriam ulcisci noluit, sed Dei honorem tueri; & quia omnes sciebant ipsum esse Galilæum, non Samaritanum: & quia refutando se habere dæmonium, refutabat pariter se esse Samaritanum. Samaritani enim quasi schismatici, erant mancipia dæmonis. Aliam causam, sed mysticam, non litteralem dat S. Gregor. hom. 18. *Samaritanus*, inquit, *interpretatur custos, & ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait: Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam; & cui per Isaiam dicitur: Custos quid de nocte? Respondere noluit Dominus: Samaritanus non sum: sed, Ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt: unum negavit, aliud tacendo consensit. Custos namque humani generis, & se Samaritanum se non esse diceret, esse se custodem negaret.*

EGO DÆMONIUM NON HABEO] sed vos potius habetis, ait Leont. q. d. Ego adeo Dei gloriam non adimo, nec eam mihi usurpo, uti fecit dæmon, puta Lucifer, ut assidue honorificem Deum Patrem, dicamque omnia me ab illo habere, me ab ipso esse missum, ejus voluntati per omnia obedire, me universa mea illi accepta referre, & ad ejus honorem gloriamque dirigere: vos potius inhonoratis Deum Patrem, quia inhonoratis & acerbissimis convitiis afficitis me, qui sum Dei Patris Filius & legatus in mundo. Ita Leontius: Cæteri generalius explicant de peccato, q. d. Ego honorifico Patrem per opera sancta, vos eum inhonoratis per peccata vestra. Ita S. August. Chrysost. Beda, Theoph.

EGO NON QUÆRO GLORIAM MEAM (sed Dei Patris) VERS. 50 EST QUI QUÆRAT, ET JUDICET] q. d. Est Deus Pater, qui requiret & judicabit, id est, vindicabit & puniet acerrime eos, qui gloriam meam non ferunt, nec quærunt, sed omnibus modis dehonorant & deturpant, uti vos facitis. Ita S. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym.

Dices. Id contrarium videtur illi dicto Christi c. 5. 22. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit*

Fi-

Digitized by Google

A *Filio*. Resp. Ibi Christus loquitur de judicio publico & universali, quod Pater commisit Filio, ut illud peragat in die extremi judicii: hic vero loquitur de judicio privato & quotidiano, quo solet Deus Pater injurias Filio, ejusque Sanctis factas in hoc mundo vindicare, sicut fecit dum Judæos per Titum & Romanos evertit, ob cæsum ab eis Christum; idque hoc loco tacite innuit & prædicit Christus. Ita Jansenius, Maldon. & alii. Aliter Glossa: *Est qui judicet*, inquit, hoc est, qui discernat meam gloriam a vestra, qui secundum sæculum gloriamini, juxta illud Davidis: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.*

VERS. 51 AMEN, AMEN DICO VOBIS: SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, NON VIDEBIT (id est, non sentiet, non experietur) MORTEM IN ÆTERNUM] Christus tam atroci Judæorum convitio non commotus ad indignationem, sed potius ad eorum commiserationem, perstat in sua sententia & doctrina, ostenditque se non quærere gloriam suam, sed Judæorum salutem. Unde ait; *Amen, Amen*, id est, in veritate, verissime & certissime dico, &, ut censet Aug. juro vobis, quod, si mea dogmata servaveritis, numquam moriemini morte animæ, id est, numquam peccabitis (peccatum enim est mors animæ) sed semper vivetis, hic in Dei gratia, & in cælo in Dei gloria: corpore autem moriemini quidem, sed ab hac morte ego vos in die judicii suscitabo, faciamque, ut deinde in omni felicitate corporali & spirituali vivatis in omnem æternitatem. Ita S. August.

B

VERS. 52 NUNC COGNOVIMUS QUIA DÆMONIUM HABES] Dæmon enim tibi suggerit, ut tam superba, quam falsa & absurda loquaris, nimirum quod tuus sermo profligabit a tibi credentibus mortem, cum videamus omnes omnino mori, etiam Prophetas & Sanctos, qualis fuit Abraham. Sed, ut ait S. Greg. hom. 18. *Solum carnis mortem aspicientes, in veritatis sermone caligabant.* Nam, ut ait Beda, Abraham, quem citant, mortuus quidem erat corpore, anima autem vivebat. Disce hic, o Religiose, o prædicator, o Christiane, a Christo tuo pro bono opere recipere calumnias, pro beneficiis maledictiones & maleficia, disce etiam ingratis benefacere: Christus enim assidue Judæos docens, sanans, a dæmonibus liberans, ab eis contumelias & probra sibi illata benigne sustinuit, pro beneficiis ingratitudinem, pro miraculis blasphemias, pro doctrina irrisiones & reprehensiones recepit, & tamen ingratis benefacere non destitit. Hic est apex patientiæ & charitatis.

C

ABRAHAM MORTUUS EST, ET PROPHETÆ, ET TU DICIS: SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, NON GUSTABIT MORTEM IN ÆTERNUM?] q. d. Abraham & Prophetæ, qui Dei sermonem servarunt, mortui tamen sunt. Ergo tu blasphemas, dum te facis non solum majorem Abraham & Prophetis, sed & Deo ipso, utpote qui dicis sermonem tuum posse credentes servare immunes a morte, cum Dei sermo Abraham & Prophetas a morte liberare non potuerit. Sed alius & potentior erat sermo Dei in ore Christi promulgatus, quam sermo Dei prolatus ad Abraham & Prophetas; nec Abraham & Prophetæ mortui erant quoad animam, ac licet corpore mortui, resuscitandi tamen erant a Christo ad vitam æternam.

VERS. 53 NUMQUID TU MAJOR ES PATRE NOSTRO ABRAHAM, QUI MORTUUS EST? ET PROPHETÆ MORTUI SUNT. QUEM TEIPSUM FACIS?] Contenti fuere Abraham nominare, quia Abraham erat pater Synagogæ & credentium omnium: quare absurdissimum putabant, horrendum, & blasphemum, si Christus se præferret Abrahæ, uti revera prætulit: Erat enim ipse Deus & homo, cum Abraham merus esset homo; sed id ignorabant, vel potius credere nolebant Judæi.

D

VERS. 54 SI EGO GLORIFICO MEIPSUM, GLORIA MEA NIHIL EST: (Arabicus, *non esset gloria mea quidquam*) EST PATER, QUI GLORIFICAT ME] *Hoc ait propter illud, quod dixerunt: Quem teipsum facis?* inquit S. Aug. *refert enim gloriam suam ad patrem suum, de quo est, & qui Deus est.*

GLORIA MEA NIHIL EST] Id est, nullius ponderis est, nullius valoris, nullius momenti, idque apud vos, ut ait Chrysost. sed & apud cæteros homines. Nam in omni tribunali nulli creditur de seipso, sed aliis, puta testibus pro ipso testantibus. Hoc est, quod asseruit c. 5. 31. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum* (id est, legitimum) *alius est, qui testimonium perhibet de me.* Hinc Salomon sancit, aitque Proverb. 27. 2. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.* Objiciebant Ariani: Pater glorificat Filium, ergo ipse major est Filio. Resp. S. August. *Hæretice, non legisti ipsum Filium dicentem, quod glorificat Patrem suum: sed & ille Filium glorificat, & Filius Patrem glorificat; pone perniciem, agnosce æqualitatem, corrige perversitatem.*

E

ET NON COGNOVISTIS EUM, EGO AUTEM NOVI EUM] Primo & plane, q. d. Vos Deum verum, quem colitis, non cognoscitis, qui nescitis ipsum esse unum in essentia, & trinum in personis: putatis enim unum esse in persona, sicut unus est in essentia: nescitis Deum esse Patrem, & me Filium genuisse, ac mecum spirando produxisse Spiritum sanctum. Si enim id sciretis, utique cognosceretis, & credideretis me esse Messiam Dei Filium: ac vice versa: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis*; ait Christus c. 14. 7. Ita S. Chrysost. Theophyl. & Beda. VERS. 55

Secundo, S. Aug. q. d. Creditis unum esse Deum, licet eum non cognoscatis, id est, licet eum non videritis, nec audieritis: juxta illud cap. 5. 37. *Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem vidistis.* Ergo pariter mihi ejus Filio credere deberetis, ob tot signa & prodigia, quæ edo, etsi divinitatem in me latentem non videatis.

F

Tertio, *Non cognovistis eum*, id est non credidistis illi testimonium de me perhibenti, dicentique: *Hic est filius meus dilectus*: non enim cognovistis, vel cognoscere noluistis hanc veram veri Dei fuisse vocem.

Quarto, Euthym. *Non cognovistis*, id est non ostendistis vos ipsum cognoscere, qui vivitis impie, non ut Dei cultores, sed ut Gentes idololatræ, estisque ex illis, de quibus dicit Paulus ad Titum c. 1. v. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

ET SI DIXERO, QUIA NON SCIO EUM, ERO SIMILIS VOBIS, MENDAX] Maldon. censet Judæos a Christo vocari mendaces, quia ei dixerant: *Samaritanus es, & dæmonium habes*; hæc enim erant duo crassissima mendacia, imo blasphemiæ. Magis ad rem S. Chrysost. Ammon. Theoph. asserunt eos a Christo mendaces vocari, quia cum dicerent se nosse Deum, mentiebantur: non enim credebant eum habere filium, ac trinum esse in personis, uti dixi vers. 55.

SED SCIO EUM, ET SERMONEM EJUS SERVO] τὸ & per *quia* exponit Theoph. q. d. Ostendo vita & factis me Deum Patrem nosse, revereri & colere, quia sermonem ejus reverenter observo, & constanter adimpleo. Melius & accipias pro *ideo, idcirco*, q. d. Quia ego nosco Deum Patrem, ejusque majestatem, potentiam & sanctitatem clare perspicio, idcirco illam ut homo summe revereor, ejusque sermonem, id est præcepta plane, pleneque observo, quæ vos, o Judæi, non observatis, quia ejus majestatem non nostis, nec perspicitis, ideoque eam non reveremini. Ita Theoph. Porro S. Aug. *Sermonem Patris*, inquit, *tamquam Filius loquebatur, & ipsum erat Verbum Patris, quod hominibus loquebatur.* q. d. Apte Christus dixit *sermonem*, non præceptum, quia ipse erat λόγος, id est Verbum, vel sermo Patris, atque idipsum eum loqui & prædicare hominibus præceperat Pater, ut scilicet ipsi tam Deum Patrem, quam Deum Filium agnoscerent, crederent, colerent.

G

ABRAHAM PATER VESTER EXULTAVIT, UT VIDERET DIEM MEUM: VIDIT, ET GAVISUS EST] *Exultavit*, id est, exultanti animo expetivit, ait Vatabl. Arab. *desideravit*. Nam, ut ait S. August. *Non timuit, sed exultavit, credens exultavit sperando, ut videret intelligendo.* Est catachresis. VERS. 56

H

DIEM MEUM] Quem? S. August. accipit diem æternitatis, quo ab æterno Filius a Patre erat genitus. q. d. Cupiebat Abraham cognoscere meam generationem æternam ac divinitatem, ut eam crederet & per eam salvaretur. *Vidit*, inquit S. Aug. *diem meum, quia mysterium Trinitatis agnovit.* S. Aug. ut magistrum more suo sequitur Beda. Huc accedunt S. Hier. in c. 8. Daniel. & S. Greg. hic hom. 18. qui diem hunc accipiunt illum, quo per tres angelos sibi apparentes, & unum ex eis dumtaxat loquentem, quasi per symbolum illi revelatum est mysterium S. Trinitatis. Nam tres vidit, & unum adoravit, Gen. 18. 2. Abraham quomodo vidit diem Christi?

Verum alii passim accipiunt hic diem humanitatis Christi, non deitatis. Unde Primo, S. Chrysost. Ammon. Theophyl. Leont. Euthym. per diem Christi accipiunt diem passionis, crucifixionis & mortis. q. d. Abraham optabat videre crucem & mortem meam, ut per eam ipse, cæterique homines salvarentur.

Secundo & planius, accipias diem, quo incarnatus, & quo

Digitized by Google

A quo poſt novem menſes natus eſt Chriſtus, q.d. Abraham exultavit ut videret diem, quo ego incarnarer & naſcerer, quia ex me ſperabat ſalutem ſibi, totique mundo. Omnes enim Prophetæ & Patriarchæ, quorum pater & patriarcha erat Abraham, ſumme deſiderabant adventum Meſſiæ, & Verbi incarnationem, Chriſtique nativitatem, ut per illum a peccatis æque ac a limbo liberarentur. Unde Joannes Alba Elector. S. Script. c. 97. Abraham, inquit, deſideravit videre diem Chriſti, hoc eſt potiri felicitate & gratiis a Chriſto allatis. Videre enim ſæpe ſignificat potiri, frui, poſſidere, per catachreſin. Ut: *Credo videre bona* (hoc eſt, frui bonis) *Domini in terra viventium*.

VIDIT, ET GAVISUS EST] *Vidit*, i. e. per fidem cognovit & credidit, ac rurſum, quaſi per figuram inſpexit, cum juſſus fuit a Deo immolare Iſaac filium, Gen. 22. 10. & 18. hæc enim immolatio erat typus & figura immolationis Chriſti in cruce. Ita S. Chryſ. S. Aug. Theophyl. Euthym. Leont. Amm. Addit S. Aug. & S. Bernard. ſerm. 6. de Vigilia Natalis Domini reſpici hic ad factum Abrahæ, quo manu admota femori adjuravit ſervum ſuum, ſignificans ex femore ſuo naſciturum Chriſtum, Geneſ. 24. 2.

B Secundo, alii, *Vidit*, inquiunt, i. e. per propheticam revelationem cognovit, ſicut cæteri Prophetæ. Verum hæc non fuiſſet viſio, ſed prævisio & prophetica prænotio, quæ ſpectat futurum, cum viſio ſit rei præſentis. Ita Eucher. in quæſt. in Joannem.

Tertio ergo & genuine, Abraham in limbo exiſtens *vidit*, i. e. cognovit diem & tempus, quo incarnatus & natus eſt Chriſtus, non tantum ex eo, quod Simeon qui Chriſtum ulnis exceperat, paulo poſt moriens, deſcendenſque in limbum, annunciaret Abrahæ natum eſſe Chriſtum, ſeque eum vidiſſe & ulnis geſtaſſe (idem Abrahæ nunciavit Anna prophetiſſa; item Zacharias, Anna mater Deiparæ, ac Joannes Baptiſta, qui ante Chriſtum mortui deſcenderunt ad limbum:) ſed inſuper idipſum proprie *vidit*, i. e. oculis mentis, per Dei & angelorum revelationem, perque claram cognitionem, ſive abſtractivam, ſive potius intuitivam: hanc enim proprie ſignificat τὸ *vidit*. *Videre* enim idem eſt quod intueri, aſpicere. Abraham ergo e limbo, oculis mentis a Deo elevatis, vidit Chriſtum incarnari & naſci,
C ſicut angeli & Beati e cælo vident, quæ fiunt in terra, & in inferno. Et S Anſelmus oculis corporeis a Deo elevatis, vidit ea quæ in loco ſecreto poſt murum agebantur. Hoc enim ſumme deſiderabat Abraham videre, & quaſi præſens aſpicere. Atque hoc Abrahæ tamquam patri Chriſti, cui promiſſio ſolemnis de Chriſto ex ſe naſcituro ſæpius a Deo facta fuerat ob ejus fidem, obedientiam, ſanctitatem, ac tot tantaque merita quaſi debebatur, ut ſcilicet Abrahæ patri fidei & credentium, qui per duo millia annorum ſine ſua culpa, imo cum magna ſanctitate, fide & ſpe detinebatur in limbo, avidiſſime exſpectans Chriſtum liberatorem, ad ſuam & ſociorum patrum conſolationem, ac ad leniendam tam longam, anxiamque Chriſti exſpectationem, cognoſceret diem, quo incarnatus & natus eſt Chriſtus. Natus enim eſt Chriſtus poſt Abraham anno bis milleſimo, uti oſtendi in Chronotaxi, quam præfixi Pentateucho. Abraham ergo per bis mille annos avide exſpectavit Chriſtum, languens & ſuſpirans ad ejus diem natalem: quare Deus illum ipſi revelavit, & in ſpiritu oſtendit, tuncque exultavit & jubilavit Abraham omneſque San-
D cti in limbo. Ita Janſen. Maldon. & alii. Denique angeli, qui ſolantur animas in Purgatorio, multo magis ſolabantur animas Abrahæ, Patriarcharum & Prophetarum in limbo, quare ei Chriſti adeo exoptati nativitatem annunciaverunt, uti iidem eamdem annunciarunt paſtoribus, Lucæ 2.

Dicit hoc Chriſtus Primo, hoc fine, ut oſtendat ſe majorem eſſe Abrahamo, eſſeque Deum. Secundo, ut oſtendat quantam de ſe abſente exiſtimationem habuerit Abraham, quem Judæi Abrahæ filii præſentem jam contemnebant. Tertio, ut oblique eos pungat, q.d. Abraham tantum mei deſiderium habuit, vos vero me reſpuitis: ergo non eſtis genuini filii, ſed ſpurii & degeneres: unde ait, *Abraham pater veſter*, hoc eſt Abraham, cujus vos filios eſſe gloriamini, cum ego de eo non glorier, ſed potius Abraham de me glorietur & exultet.

VERS. 57 DIXERUNT ERGO JUDÆI AD EUM: QUINQUAGINTA ANNOS NONDUM HABES, ET ABRAHAM VIDISTI?] ut viciſſim Abraham te quoque viderit, videnſque exultarit, uti dixiſti. Hinc S. Irenæus lib. 2. cap. 39. & 40. colligit Chriſtum in terris ad 50. annos vixiſſe, ſed falſo. Communis eſt enim doctorum ſententia, Chriſtum non vixiſſe niſi 34. annos, eoſque non plenos; ſcilicet expleſſe 33. annos, & mortuum eſſe anno ætatis 34. per tres menſes inchoato, S. Chryſoſt. & Euthym. pro 50. legunt 40. quia Græce litteræ μ & ν, quæ ſunt notæ 40. & 50. vicinæ ſunt, ut ex una in aliam facilis ſit lapſus. Sed paſſim Latini, Græci, Syrus & Arabicus legunt 50. Videntur Judæi reſpicere ad annum ſæcularem, puta quinquageſimum, qui erat annus jubilei. q.d. Tu, o Jeſu, nondum unum ſæculum expleſti, necdum jubileum abſolviſti; quomodo ergo dicis te vidiſſe Abraham, qui vixit ante quadraginta ſæcula, ſive ante 40. jubileos? ita Severus Antioch. in Catena. Euthym. vero cenſet Chriſtum ob maturitatem judicii ac ob vultus & morum gravitatem; addunt alii ob itinera & labores in prædicando exantlatos, Judæis viſum fuiſſe 50. annorum. Sed facillime dicas, Judæos, ne carpi, vel erroris argui poſſent, majorem poſuiſſe ætatis Chriſti numerum & terminum, ad quem certo ſciebant Chriſtum non perveniſſe. Si enim dixiſſent 40. timebant ne forte in eo errarent, & a Chriſto redarguerentur: multi enim F ſunt 40. annorum, qui intuentibus videntur vix excedere trigeſimum.

DIXIT EIS JESUS: AMEM, AMEN DICO VOBIS, ANTEQUAM ABRAHAM FIERET, EGO SUM] Id eſt ſui ab æterno, quia ego ſum qui ſum, Exod. 3. id eſt, ego ſum Deus. τὸ ergo *ſum*, notat æternitatem, quia illa ſemper eſt præſens, caretque omni præterito & futuro. *Ego* ergo *ſum* æternus, immutabilis, idemque ſemper & conſtans. Ita S. Aug. Beda, S. Greg. Leont. Euthym. Quare ego qua Deus non tantum 50. annos, ſed & ſæculum Abrahæ infinitis durationis paſſibus anteeo & antecedo. Nam, ut ait Tertull. l. de Trinit. *Niſi fuiſſet Deus, conſequenter cum ex Abraham fuiſſet, ante Abraham eſſe non poſſet*. Audi S. Aug. verba Chriſti prementem & exprimentem tr. 43. in fine: *Antequam Abraham fieret, intellige fieret, ad humanam naturam. Sum vero, ad divinam pertinere ſubſtantiam. Fieret, quia creatura erat Abraham. Non dixit, antequam Abraham eſſet, ego ſum, ſed antequam Abraham fieret, quia niſi per me non fieret, ego ſum. Neque hoc dixit, antequam Abraham fieret, ego factus ſum. In principio enim fecit Deus cælum & terram: nam in principio erat Verbum. Antequam fieret Abraham, ego ſum. Agnoſcite creatorem, diſcernite creaturam. Qui loquebatur ſemen Abrahæ factus erat, & ut Abraham fieret, ante Abraham ipſe erat*.

TULERUNT ERGO LAPIDES, UT JACERENT IN EUM] tamquam blaſphemum, eo quod ſe præferret Abrahæ, & conferret æquaretque Deo æterno. Blaſphemus enim jubetur lapidari. Levit. 24. 16. Liquet Judæos hoſce non fuiſſe eos, qui v. 30. dicuntur credidiſſe in Chriſtum, ut vult Theoph. ſed alios Chriſto advertſos & incredulos, Apte S. Aug. *Quo*, ait, *curreret tanta Judæorum duritia niſi ad lapides?* Et S. Greg. hom. 18. *Quem intelligere non poterant, obruere querebant*.

JESUS AUTEM ABSCONDIT SE, ET EXIVIT DE TEMPLO] *Abſcondit*, non in angulo aliquo templi: ibi enim cum Judæi ſedulo ſcrutati inveniſſent, ſed *abſcondit ſe* ab oculis eorum, quia vi divina eis ſe fecit inviſibilem, quod & Beati facere poſſunt: inviſibilis ergo per medios hoſtes ivit illæſus, & e templo exiit, cedens illorum H furori. Ita Leont. Theoph. Euthym. & alii. Audi S. Greg. hom. 18. *Si potentiam exercere voluiſſet, eos in ſuis actibus ligaret, aut eos in pœnas ſubite mortis obrueret, ſed qui pati venerat judicium exercere nolebat*. Et S. Aug. *Magis erat commendanda ſapientia, quam exercenda potentia. Deſerit eos quaſi correctionem non ſuſcipientes, non abſcondit autem ſe in angulo templi, quaſi timens, aut in domunculam fugiens, aut poſt murum aut columnam divertens, ſed calica poteſtate inviſibilem inſidiantibus ſe conſtituens, per medium illorum exivit, tamquam homo a lapidibus fugit: ſed ve illis, a quorum lapideis cordibus Deus fugit*.

Moral. docemur hoc exemplo, ait S. Greg. iram ſuperbientium, etiam cum reſiſtere poſſumus, humiliter declinare. Unde Arab. vertit, *& retroceſſit Jeſus & exiit de templo, & tranſivit per medium eorum excurrens ſic*.

CA-

A

CAPUT IX.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHRISTUS cæcum natum die Sabbati illuminat. Unde v. 14. Pharisæi Christum quasi Sabbati violatorem criminantur; verum cæcus jam videns eum defendit, ideoque v. 34. extra Synagogam ejicitur, sed eum recipit, edocetque Christus.

ERS. 1. ET prætériens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate:

2. & interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

3. Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus? sed ut manifestentur opera Dei in illo.

B 4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus,

7. & dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.

8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est.

9. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum.

10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Je- C sus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & lava. Et abii, lavi: & video.

12. Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus.

15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & lavi, & video.

16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos,

17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem D dixit: Quia propheta est.

18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat:

19. & interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic est Filius noster, & quia cæcus natus est:

21. quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur.

22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

23. Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

24. Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. E Nos scimus quia hic homo peccator est.

25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, modo video.

26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27. Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?

28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysis discipuli sumus.

29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.

30. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos:

31. scimus autem quia peccatores Deus non F audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

32. A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati.

33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.

34. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: & cum inveniisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36. Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?

37. Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.

38. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum. G

39. Et dixit Jesus: In judicium ergo in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant,

40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus?

41. Dixit eis Jesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

VERS. 1 ET PRÆTERIENS JESUS VIDIT HOMINEM CÆCUM A NATIVITATE] Arabicus, *cæcum natum. Prætériens*, id est transiens per medios suos hostes, turbamque populi. Unde hæc vox significat cæci curationem statim (licet id alii negent) ab egressu Christi e templo contigisse; cum scilicet invisibiliter abeuntem secuti discipuli, mox ubi oculos hostium effugerat, rursum visibilem factum, agnitumque secuti sunt. Causam dat S. Chrysost. *Exiens e templo*, inquit, curavit cæcum, sui absentia H furorem mitigans, & per signi operationem eorum duritiem molliens.

VIDIT] Hoc est benignis, fixisque in eum oculis intuitus, tamquam ejus misertus, eumque visui redditurus. Unde hic Christi intuitus dedit occasionem discipulis quærendi causam cæcitatis ejusdem. Ita S. Chrys. Ipse, inquit, vidit cæcum, non cæcus ad eum accessit. Respexit vero ita attente, ut discipuli interrogarent id quod sequitur. Mystice, infideles & peccatores cæci sunt: quare Christum videre & quærere nequeunt, sed necesse est ut Christus eos prior aspiciat, oculisque gratiæ suæ complexus illuminet.

CÆCUM A NATIVITATE] ut ostendatur cæcitas fuisse naturalis & incurabilis: nam cæci per casum facti, ut per humores oculum obducentes, vel per pelliculam oculo obnatam, illis discussis, & hac acu diducta, naturaliter a medicis & chirurgis curantur: quod vero cæcus a nativitate curetur, *non artis est, sed potestatis*, ait S. Ambr. *Donavit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanavit Dominus, quos nemo curaret.*

Porro cæcus hic vocabatur Cedonius, sive Celidonius, qui qualis, quantusque per Christum evaserit, dicam *v. 38.*

Mystice, cæcus a nativitate est, genus humanum, *Ad æ-*

pecca-

Digitized by Google

A peccato originali occæcâtum, ait S. Aug. & Beda, quod Jesus præteriens vitam mortalitatis nostræ, ait Glossa, miserens vidit & illuminavit. Nam, ut ait S. August. contigit cæcitas in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus: cæcum ergo humanum genus est a nativitate. Et Beda: Christi iter, ait, est de cælis in terram descensus, vidit autem cæcum, cum misericorditer respexit humanum genus.

Rursum, hic cæcus natus notat Gentiles in cæca infidelitate & idololatria natos & educatos, ad quos Christus expulsus de cordibus Judæorum, transivit, ait Beda, eosque luce fidei & Evangelii sui illuminavit, idque in hac cæci illuminatione, quasi in typo designare & præsignificare voluit Christus, inquit S. Cyrill. Rupert. & Beda.

VERS. 2. ET INTERROGAVERUNT EUM DISCIPULI EJUS: RABBI, QUIS PECCAVIT, HIC, AUT PARENTES EJUS, UT CÆCUS NASCERETUR?] Interrogatio hæc processit ex rudis vulgi opinione, qua censet morbos esse pœnas peccatorum, & ut ait S. Ambr. *debilitates corporum referunt ad merita delictorum*. Interrogant ergo, an hujus cæcitatis causa sit culpa cæci, vel parentum? Qua B in re errant. Etsi enim id sæpe fiat, at non semper: Job enim innocens a Deo morbis multis afflictus fuit, ad probandam & augendam ejus patientiam, æque ac Tobias, aliique multi, idque hic vers. seq. docet Christus. Unde S. Chrysost. & Theophyl. ajunt hanc interrogationem esse impertinentem & absurdam.

Alii putant discipulos ad hoc interrogandum fuisse commotos, ex illo Christi ad paralyticum dicto c. 5. 14. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*.

HIC] Quia propriæ cæcitatis, utpote pœnæ, videtur causa esse culpa propria, non aliena. Et vere peccatum originale est causa omnium pœnarum & malorum, quæ nobis in hac vita accidunt, ac nominatim morborum, qui infantibus obveniunt, uti docet S. Augustin. lib. 3. contra Julianum cap. 4. sed tamen ipsum non fuit causa propria, cur hic præ aliis infantibus cæcus nasceretur. Unde S. Aug. ait: Non quidem hic aut sine peccato originali natus erat, aut vivendo nihil addiderat: habebat ergo peccatum ipse, & parentes ejus; sed non C ipso peccato factum est, ut cæcus nasceretur.

Porro S. Cyrillus putat discipulos fuisse imbutos errore Pythagoræ & Platonis, qui censebant animas ante corpora extitisse, & ob peccata sua in corpora fuisse detrusas, quod postea sensit Orig. Leontius vero putat discipulos loqui de peccato cæci, non ante nativitatem præterito, sed post eam futuro; quasi illud futurum prævidens Deus punierit prævia cæcitate. Verum sive hic, sive quis alius fuerit discipulorum sensus (quem difficile est conjectare) certum est eos errasse: nec enim animæ fuerunt ante corpus, nec Deus punit peccata futura, sed præterita.

AUT PARENTES EJUS?] Solet enim Deus sæpe parentes ob sua peccata punire in filiis: hi enim sunt partus & membra parentum. Unde ob parentum libidines, aliasque iniquitates, proles sæpe nascuntur debiles, infirmæ, cæcæ, mancæ, deformes, monstrosæ, aut cito moriuntur, uti mortuus est infans Davidis ex adulterio genitus, 2. Regum 12. 14. Hoc est, quod Deus sanxit Exodi 20. 5. *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in* D *filios in tertiam & quartam generationem*.

VERS. 3. RESPONDIT JESUS: NEQUE HIC PECCAVIT, NEQUE PARENTES EJUS; SED UT MANIFESTENTUR OPERA DEI IN ILLO] Christus non negat cæcum & parentes ejus peccasse peccato originali, aliisque actualibus illud consequentibus; sed negat eum ob hæc peccata, præ aliis, qui eadem & majora commiserant, cæcitate damnatum. Ita S. August. Chrysost. Leon. Beda, Theophyl. Euthym. frustra ergo Pelagiani hoc loco abutuntur, ut peccatum originale negent & tollant.

Causa igitur, cur Deus huic cæco cæcitatem immiserit, fuit, *ut opera Dei*, id est, miraculosa Dei virtus & operatio, in eo per Christum curando eluceret, ut per hoc Christus cognosceretur a Deo missus, esseque verus Messias. Ita Patres jam citati. Mysticam causam dat Glossa, scilicet, ut cæcum illuminando, inquit, & per eum, quid in cæcitate generis humani facturus significando, Filius Dei manifestetur. q. d. Ideo Christum cæcum illuminavit in carne, ut significaret se simili modo homines illuminaturum in mente per suam gratiam & doctrinam Evangelii. Hinc & cæcus hic non solum carne, sed mente a Christo illuminatus est, ut patebit vers. ult. Quocirca dum cæcus natus fuit, non injusta passus est, sed E beneficium accepit per cæcitatem, ait S. Chrysost. per hanc enim interioribus respexit oculis, & quidem eum, qui ex non ente eum deduxit ad esse, atque clarius ab eo, tam sensus quam mentis lucem accepit.

ME OPORTET OPERARI OPERA EJUS, QUI MISIT ME, VERS. 4. DONEC DIES EST: VENIT NOX, QUANDO NEMO POTEST OPERARI] S. Chrysost. Theophyl. Euthym. Leont. & Rupertus per *diem* accipiunt præsens sæculum usque ad finem mundi, per *noctem* vero sæculum futurum. Verum hic dies ad operandum statutus est omnibus hominibus; Christus vero diem hunc sibi appropriat, suæque operationi attribuit, quare melius & pressius S. Aug. Beda & Cyrill. per *diem* accipiunt tempus vitæ Christi, quo corporaliter præsens erat mundo, *noctem* vero vocat mortem & tempus absentiæ suæ. Ergo venit *nox*, hoc est instar mihi mors, post quam nec ego, nec quis alius operari potest. Sensus est, q. d. Sicut homines noctu ob tenebras operari non possunt, ita ego post mortem nil operabor eorum, quæ nunc pro salute & redemptione hominum operor. Sic c. 8. 56. dixit: *Abraham exultavit ut videret diem meum:* id est, diem meæ nativitatis & vitæ inter homines. Dicit hoc Christus, ut sternat viam ad cæci illuminationem. q. d. Ego missus sum in mundum, ut assidue operer ea, quæ sunt salutis hominum, v. g. ut cæcos illuminem: en hic cæcus se offert, utar ergo occasione, & eum illuminabo.

Symbol. Interlin. Nox, inquit, est persecutio Apostolorum, & maxime persecutio Antichristi.

Tropolog. Cuique homini tempus vitæ est dies ad operandum, & merendum gloriam sempiternam: nox vero est mors ejusdem. Quare qui sapit, sequatur consilium Sapientis: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Eccles. 9. 10. Vide ibi dicta. Unde S. Aug. hic: Nox, inquit, est, de qua dicitur: Projicite eum in tenebras exteriores: ibi ergo erit nox, ubi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est: dum vivis, operare, ne nocte illa præveniare! Sic & Philosophi ac Poetæ vitam vocarunt diem, mortem vero noctem. Unde, Pythagoras ajebat vitam hominum similem esse diei solemni, ad quem multi conveniunt, G alii certaturi, alii negotiaturi, nonnulli spectatores futuri. Ita refert Laertius l. 8. c. 1. Et Epicharmus cum audisset disputantes de vivendi spatio, dum quidam tres, quidam quatuor, alii plures sibi tribuerent annos adhuc vivendos, dixit: *Quid mutuo contenditis & litigatis de paucis diebus? omnes enim, qui convenimus, quodam fato propinqui sumus morti*. Ita Ælianus lib. 2. de Varia histor. Anonymus alter rogatus, qualis esset hominis vita? cum parum per se ostendisset, mox se abscondit, significans brevem & diariam, imo momentaneam, esse hominis vitam. Thales ajebat nihil interesse inter vitam & mortem. Cuidam vero obstrepenti: Cur tu ergo non moreris? respondit: Ob hoc ipsum, quia nihil interest: potius enim habetur id, quod accersitur. Ita Laertius lib. 1. c. 1. Mausonius interrogatus; *quis optime extremum diem clauderet?* respondit: *Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit*. Ita Maxim. serm. 36. Secundus Philosophus interrogatus ab Adriano Imperatore, *quid esset mors?* respondit: *Æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnii pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium*. Ita Laertius. Hinc illud:

——*In æternam clauduntur lumina noctem*, id est, morte. Et: *Omnes una manet nox: Omnibus una nox dormienda*: sed ab hac nocte evigilabimus in resurrectione.

Quocirca Messodanus vir sanctissimus, jam senex, cum ab amico in crastinum vocaretur ad convivium: *Cur me vocas in crastinum*, inquit, *qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in singulos dies expectavi?* uti cuique fideli & Religioso faciendum esse monuit S. Antonius apud S. Athanasium, & Barlaam apud Damascen. in historia. Quocirca sapienter S. Hieron. *Facile*, inquit, *contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum*, qui quemlibet diem auguratur sibi fore ultimum: nam

Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ, ait Virgil. 10. Æneid.

QUAMDIU SUM IN MUNDO, LUX SUM MUNDI] q. d. Lucis autem est illuminare; ergo hunc cæcum illuminabo, ut me mundi lucem & solem esse ostendam. Vide dicta cap. 1. v. 9. & c. 8. v. 12.

HÆC

A HÆC CUM DIXISSET, EXPUIT IN TERRAM, ET FECIT VERS. 6. (Syrus, *finsuit*) LUTUM ET SPUTO, ET LINEVIT LUTUM SUPER OCULOS EJUS] Christus cæcum illuminavit per lutum, quod natura sua magis oculos obturat & excæcat, ut ostenderet se non naturaliter, sed supernaturaliter, puta per id, quod plane morbo erat contrarium, ipsum curare. Symbolica causa fuit, ait S. Chrys. ut significaret se esse eum (Deum) qui initio mundi hominem quasi figulus e luto formarat, Gen. 1. ac proinde suum jam esse, hominem a se formatum, sed cæcitate deformatum, illuminando refingere & reformare, atque consequenter se pariter esse Dominum omnium, etiam sabbati, ut eo operari, & cæcum curare posset, quidquid obstrepant Pharisæi. Ita Cyrill. Leont. Theoph. Unde Glossa Interlin. Ecce collyrium, ait, quo ungitur genus humanum, scilicet cogitatio suæ vilitatis, quod ex luto factum sit, ut per eam superbia, quæ illud excæcavit, curetur, juxta illud: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Saliva symbola. Saliva sua Christus usus est, ait Cyrill. Primo, ut ostenderet carnem suam quoque salutiferam esse, & vim medendi supernaturalem habere, Secundo, quia saliva providentiæ, ac consequenter visus recuperandi, erat symbolum: saliva enim ex cerebro (ubi est sedes judicii & prudentiæ) descendente, ciborum sapores dijudicamus. Unde & saliva a sale dicitur, quod fere salis saporem habeat: sal autem symbolum est sapientiæ. Aut saliva dicitur quasi salvia, quod instar salviæ multos morbos sanet & salvet, uti docet Galenus & Plinius lib. 22. cap. 25. & lib. 28. 4. Hominum saliva jejuna, ait, contra serpentes præsidio est, &c. Idem lib. 28. 4. ait lippitudines oculorum quotidiana jejunæ salivæ inunctione sanari, multaque alia salivæ commoda affert, sed quæ sacrilega & magica sunt. Tertio, sputo usus est, ait Chrys. ut nihil ascriberetur fonti Siloe, sed virtuti oris ejus, ex quo sputum manabat; suo enim ore jubens cæcitatem abegit. Quartam causam dat idem Chrys. ut miraculum hoc apud omnes foret magis testatum & celebre; ac Quintam, ut fidem & obedientiam cæci probaret. Audi Chrysost. *Quare eum mittit ad Siloe? ut omnes viderent euntem, & lutum super oculos habentem. Non autem erat timendum, ne Siloe curatio ascriberetur; multi enim laverant ibi, & curati non fuerant. Adde, quod fides cæci demonstrata est, qui non contradixit, nec apud se ita cogitavit: Lutum magis excæcat, sæpe lavi in Siloe, & nihil adjutus sum, si virtutem Christus haberet, præsens curasset; sed simpliciter obedivit.* Verba S. Chrys. æque ac S. Aug. quia fusiora sunt, in pauca contraxi, ne lectorem prolixiore citatione morer & fatigem.

Allegor. Allegorice, S. August. Christus fecit lutum de saliva, inquit, quia Verbum caro factum est: unxit oculos cæci, sed nondum ille videbat, quando enim unxit, forte catechumenum fecit. Mittit ad piscinam Siloe: baptizatus enim in Christo illuminatur. Et Glossa: Saliva, ait, est sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiit; terra est caro Christi: ungere oculos est catechumenum facere. Qui credit verbum carnem factum, mittitur ut lavet, id est baptizatus, in Siloe, i. e. in misso, hoc est in Christo; baptizatus autem lumen mentis recipit per fidem, gratiam & charitatem, quæ illi a Deo in baptismo infunduntur.

VERS. 7. ET DIXIT EI: VADE, & LAVA IN NATATORIA (piscina, in qua natant pisces; Syrus, *in baptisterio*) SILOE, QUOD INTERPRETATUR MISSUS] Arab. *vade & lavare in fonte Siloe, cujus interpretatio est missus.*

Siloe fons qualis? Nota Primo. Siloe fons est ad radices montis Sion, qui non jugiter, sed incertis horis diebusque, inquit S. Hier. ebullit cum sonitu, inde silet, id est, abscondit se sub terra, & per canales in piscinam Siloe defertur, unde per tubos cum silentio & suaviter derivatur in hortos regios, eosque rigat. Audi S. Hier. in Isaiæ cap. 8. *Siloem autem fontem esse ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis diei ebulliat, & per terrarum concava, ad antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos præsertim, qui in hac habitamus provincia.* Hæc Hier. Quomodo vero fons ille primum eruperit precibus Isaiæ, & unde nomen acceperit. Epiphan. his verbis ejusmodi recenset historiam, *Fontem quippe Deus Siloam causa Prophetæ effecit: quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus est, ut undas illinc erumpere dignaretur, & confestim dimisit illi celitus aquam viventem, unde sortitus est locus ille appellationem Siloam, quod si quis interpretetur, fonat demissum. Sub Ezechia quoque rege, antequam stagnum piscinasque fabricasset, precibus Isaiæ effectum, ut exigua lympha scaturiret, quod populus in obsidione hostium teneretur, ne ipsa periret undis destituta civitas. Milites igitur perscrutabantur undique ubinam sedare sitim daretur, ignorabant enim. Urbe quippe jam portiti obsidebant Siloam; quandocumque itaque indigentes Judei aquarum venerant, scaturiebat eis unda, & aquabant; exterarum vero nationum homines reperire nesciebant, latex namque aufugiebat. Eaque usque ad hodiernum diem eructatur clanculum, quo significetur mysterium.*

Fons sabbaticus quis? Hæc omnia S. Epiphan. lib. de Vita Prophet. cap. 7. in Isaia. Quocirca Baron. tom. 1. anno Christi 33. cap. 26. Huic fonti Siloe, inquit, similis videtur fons ille sive fluvius, item in Palæstina, Sabbaticus dictus, eo quod die sabbati tantum fluat, cæteris diebus alveo sicco appareat, uti narrat & certo asseverat Josephus lib. 7. Belli Judaici cap. 24. Sic enim fons Siloe interruptis diebus ebulliens & fluens, maxime die sabbati, qui apud Hebræos erat solemnis & sacer, fluxisse videtur. Quare hac de causa Christus cæcum hunc ad oculos in Siloe lavandos, die sabbati pariter misisse videtur. Ita S. Irenæus l. 4. c. 19. *Siloa*, inquit, *sæpe sabbatis curavit, & propter hoc assidebant ei multi die sabbatorum.*

Nota Secundo. Ex hoc fonte Siloe, cum interruptis vicibus emanet, atque in Palæstina, utpote calida regione, sit aquarum penuria: derivabatur aqua fluens silentio & sine strepitu, ut habet Isaias c. 8. 6. in κολυμβήθραν, id est natatoriam, sive piscinam, ut vertit Noster cap. 5. 2. & inde in hortos aqua deducebatur, ideoque fons hic ab emissis hoc modo & derivatis aquis dictus est Siloe, & magis proprie Chald. *Schillucha*, id est missus, emissus, dimissus, a radice שלח *Schalach*, id est misit, emisit, dimisit.

Christus est Siloe. Primo. Quæres, cur Christus cæcum illuminaturus miserit eum ad fontem vel piscinam Siloe? Resp. Quia Siloe erat typus Christi. Primo, quia Christus a Patre missus erat in mundum, ad eum luce & doctrina divina illuminandum, cujus virtute cæcus hic illuminabatur, non autem aquarum Siloe vi, aut efficacitate, ait S. Chrys. & Irenæus lib. 4. c. 19.

Secundo. Secundo, sicut aquæ Siloe vadunt cum silentio, ut ait Isaias cap. 8. 6. Sic Christus est lenis, mansuetus, & quasi agnus ductus ad mortem: ipse enim missus & emissus est a Patre, a quo arcano silentio procedit, qua Deus in cælis, & qua homo per Virginem in terris. Rursum Christus est Siloe, id est fons aquæ salientis in vitam æternam.

Tertio. Tertio, quia Christus est fons gratiarum, qui sua charismata, quasi per rivos in fideles emanat & distribuit, juxta illud Isaiæ 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Et illud Zachar. 13. 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruata.* Vide ibi dicta. Fons enim est Christus. Hinc, si credimus S. Epiphan. fontis Siloe auctor fuit Isaias, qui suo tam nomine, quam prophetica vita & martyrio expressius fuit typus Jesu Christi. Hinc & Isaias juxta Siloe fuit sepultus. Vide tabulam urbis Hierosolymæ apud Adrichom.

Quarto. Quarto, quia juxta aquas Siloe sive Geon (utroque enim nomine fons hic vocabatur) Salomon unctus est in regem, 3. Reg. c. 1. 45. Hinc aquæ Siloe significant regiam stirpem & sceptrum Davidis & Salomonis. Eo ergo misit Christus cæcum, ibique eum illuminavit, ut innueret se esse filium Davidis & Salomonis, hoc est, se esse Messiam.

Quinto. Quinto, quia Messiæ nomen erat *Siloach*, quod Latini & Græci pronunciant *Siloe*, id est, missus, vel mittendus, scilicet legatus a Deo, juxta illud Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est:* Hebr. *donec veniat Silach:* pro quo corrupte jam legitur *Siloh*, littera ה *cheth* in vicinam ה *he* conversa & corrupta. Chal. *donec veniat Messias:* Misit ergo Christus cæcum ad Siloe, ut refricaret Judæis oraculum Jacobi patriarchæ de Messia. q. d. Ego, qui in *Siloe* curo cæcum, sum *Siloach* sive *Siloe*, id est, Messias, missus & legatus a Deo Patre, quem hoc nomine *Siloe* venturum prædixit Jacob, ante 1500. annos. Atque hac de causa Christus passim hic disputans contra Pharisæos, se vocat *Siloach*, id est, missum & legatum Patris, sive eum, quem misit Pater, hoc est Messiam, cujus nomen ex officio erat *Siloach*. Proprium enim Christi officium fuit agere legatum Dei apud homines.

Digitized by Google

A nes: quare proprium officii & dignitatis ejus nomen fuit *Siloach*, id est missus.

Sexto, Sexto, Siloe erat typus baptismi Christi, quo spiritualiter illuminamur: unde & baptismus græce vocatur φωτισμὸς, id est, illuminatio, Heb. 6. 4. ita Rupert. Beda, Jansen. Maldon. & Ambrof. ep. 75. & S. Aug. hom. 43. inter 50. Unde S. Irenæus lib. 5. cap. 15. censet cæcum hunc non tantum corpore, sed & mente fuisse illuminatum in Siloe, uti fit in baptismo.

Septimo. Denique, magna est affinitas fontis & lucis, ablutionis & illuminationis. Fons enim est quasi oculus & lux terræ, & flumina sunt quasi limpida agrorum lumina. Unde Heb. עין *ain* tam oculum, quam fontem significat. Sicut enim oculus est quasi lux totius corporis, sic fons est quasi lux terræ; & sicut ex oculo manant lacrymæ, sic ex

Flumen est lumen? fonte aquæ. Hinc & Hebr. נהר *nahar* tam flumen, quam lumen significat, & verbum נהר *nahar*, tam confluere, quam illuminare denotat: quin & Cicero, ac Quintil. lumina ingenii, animi, orationis, virtutis, vocant flumina. Imo Psalres lumen gloriæ vocat fontem sive flumen vitæ: B *Quoniam*, inquit, *apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, psal. 35. 10. Quocirca Christus hic lucem jungit fonti. Cum enim dixisset: *Ego sum lux mundi*, illico misit cæcum ad fontem Siloe, ut ibi lumen oculorum reciperet. Aquæ enim crassos & noxios humores oculorum abluunt & abstergunt, itaque eos illuminant. Unde medici suadent mane aqua fontana abluere oculos, ad acuendum eorum visum.

Aqua fontis Silo quænam? Porro Barthol. Saligniacus lib. 10. Itinerarii Hierosol. cap. 1, & ex eo Adrichomius in Siloe pag. 171. num. 200. Siloe, inquit, fons, cui piscina sive natatoria Siloe, quæ & piscina inferior nuncupatur, conjuncta est, in Occidentali latere vallis Josaphat, e radice montis Sion scaturit. Aqua ejus clara, dulcis & uberrima, cum silentio placideque fluit in torrentem Cedron. Et paulo post: *Fontis hujus aqua hodie adhuc ipsis etiam Saracenis in pretio est. Nam cum corpore naturaliter instar hircorum fœteant, in hoc fonte se, & pueros suos lavant, eaque lotione fœtorem suum mitigant. Quin & eam Turcæ magni faciunt, quod ejus usum oculorum visui conferre experiantur.* Nimirum C sicut Christus baptizatus in Jordane, suo contactu aquas sanctificavit, iisque vim peccata abluendi in baptismo indidit: sic & per aquas Siloe illuminans cæcum, aliquam similem alios illuminandi vim eisdem communicasse videtur, ut eum omnes aquæ fontanæ oculos clarificent, præ ceteris tamen id faciant aquæ Siloe. Quocirca S. Helena mater Constantini Imperat. ad fontem Siloe magnifica & mirifica constituxit opera, ait Nicephor. lib. 8. cap. 30. Audi S. Chrysost. hic: Significat, ait, quod in Siloe erat virtus Christi, quæ cæcum curavit. Sicut enim Apostolus dixit Christum esse portam spiritalem, ita & Christus erat Siloe spiritalis. Sic & Cyrillus, ac S. Basilius in Isaiæ cap. 8. vers. 6. & Eusebius lib. 7. Demonstr. cap. 2.

Quod interpretatur Missus] quia fons hic erat typus Messiæ; cujus nomen erat *Siloach*, id est, missus, vel mittendus a Deo, uti jam dixi. Nam, ut ait S. Aug. *Nisi ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus.*

Abiit ergo, et lavit, et venit videns] virtute non aquarum Siloe, sed Christi, aquis hisce, quasi in- D strumento utentis ad cæci illuminationem, sicut utitur aquis baptismi ad mentis purificationem & illuminationem. In Siloe, inquit Chrys. erat virtus Christi, quæ cæcum curavit. Meruit hoc non de condigno, sed de congruo cæci fides & obedientia, qua credidit se lutum oculis suis a Christo impositum abluendo aquis Siloe, visum recuperaturum: nisi enim hoc credidisset, lutum super oculos non gestasset, cum irrisione intuentium, nec ad Siloe iviſſet, eoque lutum ab oculis abstersisset. Minus vere ergo Glossa hic ait: *Quomodo iste sine fide sanatus est, cum nemo legatur a Christo sanatus exterius sine sanatione interiori? hoc de illis dicitur, qui propter peccata infirmabantur; at iste propter Dei gloriam languebat:* nam, ut ostendi, magna fuit cæci hujus fides & obedientia, ac per eam pariter justificatus est, ut audiemus in fine capitis. Sic Elisæus per aquas Jordanis Naaman Syrum purgavit a lepra 4. Reg. 5. Idem per sal in aquas amaras & salsas injectum eas dulcoravit, 4. Reg. 2. 20. Causas varias cur in Siloe illuminatus sit, dedi paulo ante. Hinc S. Aug. Dies, inquit, erat Christus, qui inter lucem & tenebras divisit, cum cæco cæcitatem depulit, eique visum restituit.

Vers. 8. Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum] Magnitudo facti, ait Chrysost. incredulitatem inducebat: & aperti oculi vultum cæci mutaverant, ait S. Aug. ut eum intuentes dubitarent, an videns hic esset prior ille cæcus, sed diligenter inspicientes per longam viam euntem, agnoverunt eumdem esse, nec id negari posse. Ita Chrysostomus.

Mendicus] Mirabilis Dei clementia, ait Chrysost. eos qui mendicabant, cum multa devotione curabat, ignobiles etiam sua dignos ducens providentia: pro salute enim omnium venerat. Sic hodie ad B. Virginem Lauretanam & Sichenensem, plerique pauperes & tenuis fortunæ miracula & beneficia per B. Virginem impetrant; tum quia ipsi majore sunt in necessitate & egestate, quam divites: tum quia magis innocentis sunt vitæ, tum quia majorem præ se ferunt fidem & devotionem: tum quia Deus F eorum, utpote derelictorum, peculiarem gerit curam, juxta illud: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Unde S. Jacob c. 2. 5. *Nonne*, ait, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide?* Et Christus: *Pauperes evangelizantur*, Matth. 11. Assecla Christi ergo pauperes non spernat, sed exemplo Christi ambiat.

Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, lavi: et video] *Ille homo*, quia nondum sciebat Jesum esse Deum, ait Euth. & Theoph.

Qui dicitur Jesus] Nomen Jesu cæcus didicerat, vel ex communi fama, vel interrogando a circumstantibus. Quod Jesum non vocet Rabbi vel Dominum, partim simplicitati & candori ejus, partim veracitati ascribendum: ne quid enim suæ de Christo existimationi dare videretur, nude veritatem aperit, eumque Jesum dumtaxat nominat: forte etiam id facit, ne Judæos Christo infensos magis contra eum concitaret.

Ad natatoria] scilicet stagna in plurali. Ita Rom. & alii legunt *ad natatoriam*, scilicet piscinam. Idem ergo G est sensus.

Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.] Jesus enim fugiens laudem se subduxerat. Recedebat Christus ubi curasset, ait Chrysost. non enim quærebat gloriam, nec se ostentare.

Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus] *Ad Pharisæos*, ut illi quasi Rabbini & principes rem examinent. Consilio Dei id factum est, ut miraculum fieret testatissimum & celeberrimum, ipsique Pharisæi illud negare non possent. Unde S. August. *Cæcus*, inquit, *confitebatur, & cor impiorum frangebatur.* Adducunt ergo cæcum ad Pharisæos, quasi ad judices, ideoque in domo judicii congregatos, ait Theod. Heracleensis in Catena. Hæc autem domus videtur fuisse synagoga, juxta templum: agebatur enim hic quæstio religionis & fidei, ut scilicet Pharisæi, quasi doctores & judices examinarent hoc miraculum, & ex eo judicarent, an ejus patrator esset Prophera & Messias, an non.

Erat autem sabbatum] Hoc addit, ait Chrysost. H demonstrans illorum malam mentem: quærebant enim occasionem contra Jesum, & volebant miraculo detrahere per apparentem legis prævaricationem. Nam revera facere lutum, ut illo cæcum illumines, in sabbato, uti fecit Christus, sabbati non est prævaricatio, sed sanctificatio.

Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta est] *Propheta*, id est vir sanctus, eximius, thaumaturgus & divinus. Sic Gen. 20. 7. Abraham vocatur Propheta, id est vir sanctus, & eximius. Vide dicta 1. Corinth. 14. initio capitis, & Eccli. 48. v. 12. ubi varias nominis Prophetæ significationes recensui. Adhuc inunctus, ait S. August. in corde nondum Filium Dei confitebatur, non tamen mentiebatur: ipse enim Dominus de se, ait: *Non est propheta sine honore nisi in patria sua.*

Tu quid dicis de illo?] Iterum iterumque interrogabant cæcum, ex acerbo odio & invidia in Christum; tum ut cæcum in eamdem cum Christo culpam & calumniam involvant; tum ut ex ore ejus aliquid eliciant, quo sibi contradicat, itaque eum mendacii arguant; sed Deus invi-

Digitized by Google

A invidos & astutos comprehendit in sua astutia, dum effecit ut per hoc crebrum examen, magis constans confessio, indeque Christi miraculum & gloria elusceret. Ita Leontius & alii. Sapienter S. Chrysost. Hæc, ait, est veritatis natura, ut per quæ putant insidias pati, fortior fiat, quod & nunc accidit: parentes in medium ducuntur: qui maxime suum filium cognoscebant, qui filii dicta confirmant.

VERS.18 NON CREDIDERUNT ERGO JUDÆI DE ILLO, QUIA CÆCUS FUISSET, ET VIDISSET, DONEC VOCAVERUNT

VERS.19 PARENTES EJUS QUI VIDERAT: ET INTERROGAVERUNT EOS, DICENTES: HIC EST FILIUS VESTER, QUEM VOS DICITIS, QUIA CÆCUS NATUS EST? QUOMODO ERGO NUNC VIDET?

RESPONDERUNT EIS PARENTES EJUS, ET DIXERUNT:

VERS.20 SCIMUS QUIA HIC EST FILIUS NOSTER, ET QUIA CÆ-

VERS.21 CUS NATUS EST: QUOMODO AUTEM NUNC VIDEAT, NESCIMUS: AUT QUIS EJUS APERUIT OCULOS, NOS NESCIMUS: IPSUM INTERROGATE: ÆTATEM HABET, IPSE DE SE LOQUATUR] Pharisæi cæci responso confusi, B convertunt se ad ejus parentes ex majori livore & rabie, ut ex eorum ore eliciant quippiam, quo vel cæcum, vel Christum redarguant; scilicet vel cæcum hunc non fuisse natum cæcum, vel non fuisse plane cæcum, sed luscioſum, vel per artem magicam, ut ait Chrysost. non per miraculum a Christo fuisse illuminatum. Quærebant, ait S. August. quomodo hominem calumniarentur, ut eum de synagoga ejicerent, uti paulo post fecerunt. Et Theoph. hoc eorum fuisse dilemma asserit: Aut falsum est quod filius vester nunc videat, aut quod antea cæcus fuit: constat autem eum videre: falsum ergo est quod dicit, se cæcum fuisse. Parentes autem caute respondent; Scire se filium hunc esse suum, ac cæcum esse natum, sed a quo & quomodo sit illuminatus, nescire: Prudenter, ut nec veritatem negent, nec periculum excommunicationis incurrant: sed timide; unde ajunt, *Ætatem habet*, q.d. ait August. Juste cogeremur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset: at hic est vir, qui pro se loqui potest: ergo *ipsum interrogate*.

VERS.22 HÆC DIXERUNT PARENTES EJUS, QUONIAM TIME-

C BANT JUDÆOS: JAM ENIM CONSPIRAVERANT JUDÆI, UT, SI QUIS EUM CONFITERETUR ESSE CHRISTUM, EXTRA SYNAGOGAM FIERET. PROPTEREA PARENTES EJUS

VERS.23 DIXERUNT: QUIA ÆTATEM HABET, IPSUM INTERROGATE] *Extra synagogam*, Græce ἀποσυνάγωγον, hoc est *asynagogus*; scilicet ejectus e synagoga, & quasi excommunicatus. Verum, ut ait S. August. jam non erat malum fieri extra synagogam: quia illi expellebant, sed Christus expulsum suscipiebat. *Propterea parentes dixerunt*: quia imbecilliores erant filio, ait Theoph. qui testis aderat intrepidus veritatis.

VERS.24 VOCAVERUNT ERGO RURSUM HOMINEM, QUI FUERAT CÆCUS, ET DIXERUNT EI: DA GLORIAM DEO, NOS SCIMUS QUIA (quod) HIC HOMO PECCATOR EST.

VERS.25 DIXIT ERGO EIS ILLE: SI PECCATOR EST, NESCIO: UNUM SCIO, QUIA CÆCUS CUM ESSEM, MODO VIDEO. DIXE-

VERS.26 RUNT ERGO ILLI: QUID FECIT TIBI? QUOMODO APERUIT TIBI OCULOS? RESPONDIT EIS; DIXI VOBIS JAM,

VERS.27 ET AUDISTIS: QUID ITERUM VULTIS AUDIRE? NUMQUID ET VOS VULTIS DISCIPULI EJUS FIERI?] *Da gloriam Deo*. Est modus, sive phrasis obtestandi & adjurandi apud Hebræos, ut patet Josue 7. 19. q. d. Dic veritatem ad Dei gloriam: fatere tu idipsum, quod nos scimus esse verum, scilicet hunc hominem, puta Jesum, esse peccatorem, atque hac veritatis, quæ latebat, confessione a te manifestata, glorificabis Deum, qui est prima & æterna veritas. *Dare gloriam Deo*, inquit Glossa, est veritatem de aliquo, quasi Deo præsente dicere. q. d. confitere istum non esse Deum, sicut nos, sed peccatorem; nimirum prætextu religionis, ait Chrysost. ad hoc volunt cæcum inducere, ut neget se a Christo curatum, aut ficte & magice per præstigias curatum. q. d. ait Interlin. Nega beneficium & miraculum, quod a Jesu accepisti: quod est blasphemare, non Deo gloriam dare.

D Anxia Judæorum de cæco sanato disquisitio.

SI PECCATOR EST, NESCIO; UNUM SCIO, QUIA CÆCUS CUM ESSEM, MODO VIDEO] Prudenter & caute respondet: quia nec paret calumniæ, nec veritatem celat, ait Interl. Objicit Chrysost. Quomodo dixit cæcus paulo ante: *Propheta est*, qui nunc dicit: *Si peccator est, nescio*? Respondet: Non hoc dicit asserendo, nec timendo, sed quia volebat Jesum a rei testimonio, non a sua voce; ab incusatione eripi. q. d. Nunc dicere vel disputare vobiscum nolo, an Jesus sit peccator, nec ne: unum dico, quod certo scio, me jam esse videntem, qui prius fui cæcus. E

QUOMODO APERUIT TIBI OCULOS?] Modum curationis iterum inquirunt, more canum, ait Chrysost. qui leporem huc, nunc illuc investigant.

QUID ITERUM VULTIS AUDIRE?] q.d. Inaniter interrogatis, non volentes addiscere, sed cavillari, ait S. Chrysost.

NUMQUID ET VOS VULTIS DISCIPULI EJUS FIERI?] Sicut ego jam video, & non invideo, ait Interl. Imo discipulum me esse Jesu profiteor, ac vos pariter ejus discipulos fieri opto: loquebatur hæc, ait S. August. jam stomachans adversus duritiem Judæorum, & ex cæco videns, non ferens cæcos. Nota hic heroicam constantiam & magnanimitatem cæci, in tuendo Jesu coram Pharisæis juratis Christi hostibus, unde meruit a Christo suscipi & exaltari.

MALEDIXERUNT ERGO EI, ET DIXERUNT, TU DISCI- VERS.28
PULUS ILLIUS SIS: NOS AUTEM MOYSIS DISCIPULI SUMUS. NOS SCIMUS QUIA MOYSI LOCUTUS EST DEUS: VERS.29
HUNC AUTEM NESCIMUS UNDE SIT] *Maledixerunt*, F
dicendo: Maledicte, esto maledictus, maledicat tibi Deus, ito in malam crucem; aut quid simile; aut *maledixerunt*, id est, maledicta & convitia in eum jecerunt: Arab. *opprobriis eum affecerunt*. Verum inefficax fuit eorum maledictio, & a Christo conversa in benedictionem: laus enim piorum est, ab impiis maledici. Unde S. Aug. maledictum est, ait, si cor discutias, non si verba perpendas: tale autem maledictum sit super nos, & super filios nostros.

HUNC AUTEM NESCIMUS UNDE SIT] an a Deo missus, uti fuit Moses, an a diabolo. Ita Euthym.

RESPONDIT ILLE HOMO (cæcus a Christo illuminatus:) VERS.30
ET DIXIT EIS: IN HOC ENIM (q.d. Hoc sane. Est hebraismus) MIRABILE EST, QUIA VOS NESCITIS UNDE SIT, ET APERUIT OCULOS MEOS] q.d. Vestrum, utpote doctorum & legisperitorum, erat, scire Jesum, qui tanta patrat miracula, & me modo illuminavit, non nisi a Deo missum esse: Deus enim est, qui per eum miracula operatur. Ubiq; signum illuminationis suæ inducit, ait Chrys. quia hoc depravare non poterant, sed ab eo convincebantur. G

SCIMUS AUTEM QUIA PECCATORES DEUS NON AU- VERS.31
DIT] Quæres, quomodo hoc sit verum? Nam Deus peccatores, si pœnitentes veniam petant, illam ei indulget, & peccatoribus bona temporalia, quin & spiritualia petentibus sæpe elargitur. Resp. Primo: Deus ordinarie peccatores non exaudit, peccatores, inquam, in peccato perseverantes: aliquando tamen eos exaudit, sed id rarum est. Ita Jansen. Id ita esse patet ex Scriptura. Audi Isaiam: *Aggravata est auris ejus, ut non exaudiat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum*, Isaiæ 59. 1. & 2. Et: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis*, Prov. 28. 9. Et, *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum*? psal. 49. 16. Et, *Maledicam benedictionibus vestris*, Malach. 2. 2. De justis autem dicitur: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*, psal. 33. 16. Et, *Oculi Domini ad timentes eum*, Eccl. 15. 20.

Peccatores an Deus exaudiat?

Secundo, & magis proprie ad rem propositam, Deus non exaudit peccatores: nimirum hac ratione & modo, ut ad declarandam eorum sanctitatem (quæ nulla, vel ficta & simulata est) miracula faciat, uti facit per Jesum, ad testandum ipsum esse Messiam: de hac enim re hic agebatur. Ita Theophyl. Euthymius, & Maldon. hic, ac Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. de orat. c. 25. Deus, inquit, peccatores non audit, si orent mala intentione, v.g. ad confirmationem hyprocrisis vel mendacii. H

Tertio, S. Aug. l. 3. de Baptism. contra Donat. cap. 20. Respondet, cæcum hunc id dixisse generaliter, cum adhuc esset catechumenus, & necdum satis in fide instructus: nam generaliter idipsum non esse verum. Quare sententiam hanc non omnino esse veram, nec esse sententiam S. Scripturæ, sed S. Scripturam tantum asserere illam prolatam esse a cæco: quod verum est & canonicum.

Audi S. Aug. *Hæc adhuc inunctus loquitur; nam & peccatores Deus exaudit: alioqui frustra publicanus diceret, Deus propitius esto mihi peccatori, ex qua confessione meruit justificationem, sicut & cæcus ille illuminationem*.

Ex hoc loco S. Cyprianus epist. 64. & 80. & ejus sequaces Donatistæ, inferebant baptismum a ministro hæretico collatum, esse invalidum, ideoque iterandum; quia hæreticus est magnus peccator, quem Deus non audit. Sed per-

Digitized by Google

A perperam: nam simili modo Catholici sacerdotis qui in peccato vivit, baptisma esset irritum & iterandum: hic enim est peccator. Dico ergo, alia est vis Sacramenti, alia orationis. Sacramentum enim habet vim ex opere operato, oratio vero ex opere operantis, puta ex sanctitate & meritis orantis. Quare si peccator, v. g. hæreticus, baptizet, validum est Sacramentum, suamque habet vim ex institutione Christi, qui per Sacramentum gratiam confert: Christus enim est principalis auctor baptismi, qui per ministrum, quasi instrumentum baptizat. Adde, esto Deus non audiat preces peccatoris in quantum ipse persona privata est; audit tamen ejusdem preces, quatenus ipse persona publica est, puta minister Ecclesiæ: Ecclesia enim est sancta, quia caput, puta Christum, habet sanctum, multaque membra, hoc est multos fideles habet sanctos, quorum preces Deus exaudit.

VERS. 32 A SÆCULO NON EST AUDITUM, QUIA (quod) QUIS APERUIT OCULOS CÆCI NATI] q.d. Esto, Moses & Prophetæ multa fecerint miracula, numquam tamen cæco nato visum restituerunt: Jesus ergo, qui mihi cæco nato

B visum reddidit, magnus Propheta in mundum a Deo missus sit oportet, imo major Mose & Prophetis cæteris. Pungit & retundit dictum Pharisæorum: *Tu discipulus illius sis, nos autem Mosis discipuli sumus*. q.d. Vos Mosen antefertis Christo; ego vero Christum antefero: vos Moysis discipuli esse vultis, ego malo Jesu esse discipulus. Ita Cyrillus, Leont. & alii.

VERS. 33 NISI ESSET HIC A DEO, NON POTERAT FACERE QUIDQUAM] in curanda cæcitate mea. Dicit hoc cæcus libere, constanter & veraciter, ait S. August. Dei enim opus supernaturale & proprium est illuminare cæcos.

VERS. 34 RESPONDERUNT, ET DIXERUNT EI: IN PECCATIS NATUS ES TOTUS, ET TU DOCES NOS?] *Totus*, scilicet & anima & corpore: nam ob peccatum tuum cæcus es natus, hinc stigma peccati in oculis ostentas. Censent enim cum Pythagora, Platone & aliis, animam ante corpus extitisse, & ob peccata in corpus deforme, v. g. cæcum, esse detrusam. Ita Cyrill. Leont. & alii. Aliter

C Maldon. q.d. Ab utero matris usque in hodiernum diem nil didicisti, nisi peccare. Sic & S. Chrysost. & Theoph. A prima ætate, inquiunt, & continuo peccas.

ET TU DOCES NOS] q.d. Tu, o cæce peccator, vis docere nos, qui sumus videntes, sapientes & justi?

ET EJECERUNT EUM FORAS] extra domum privatam, in qua erant, quasi stultum & indignum, cum quo tanti magistri disputarent, ait Maldon. vel, ut Theophyl. & S. Chrys. extra templum, ac consequenter extra synagogam, ait Leont. hoc est, excommunicaverunt eum, & extra cœtum, sive Ecclesiam suam, ejecerunt; sed invenit eum Dominus templi (Christus) ait Chrysost. & suscepit. Utrumque eos fecisse est credibile, scilicet cæcum ex domo, & hoc symbolo ex Ecclesia sua ejecisse. Hoc enim apud eos jam decretum erat, ut patet v. 22. Atque hoc satis significant v. 28. cum dicunt: *Tu illius discipulus sis, nos autem Moysis discipuli sumus*. q.d. Abi a Mose & nobis, o apostata, ad tuum Jesum, nimirum huc eos agebat livor & odium Christi. Denique idipsum suadet, quod hæc acta sint in domo judicii, quæ videtur fuisse domus publica, non privata, puta synagoga juxta templum, ut dixi v. 31. Ita S. Chrys. Theoph. Leont. Idipsum magis patebit cap. 10.

D v. 1. ubi ob cæcum hunc e synagoga expulsum, Christus ait se esse ostium ovilis Dei, id est, Ecclesiæ.

VERS. 35 AUDIVIT JESUS QUIA EJECERUNT EUM FORAS: ET CUM INVENISSET EUM, DIXIT EI: TU CREDIS IN FI-
VERS. 36 LIUM DEI? RESPONDIT ILLE, ET DIXIT: QUIS EST, DOMINE, UT CREDAM IN EUM? ET DIXIT EI JESUS:
VERS. 37 ET VIDISTI EUM: ET QUI LOQUITUR TECUM, IPSE EST.
AT ILLE AIT: CREDO DOMINE. ET PROCIDENS ADO-
VERS. 38 RAVIT EUM.] Christus cæcum, a Judæis ob sui confessionem ejectum, benigne suscipit, ejusque constantiam remunerat; quare quem prius carne, eumdem nunc mente illuminat. Nam cum eum carne illuminavit, simul ei communia & confusa quædam fidei semina injecerat, quæ nunc particulatim efformat & perficit, ut Jesum, quem quasi illuminatorem sui credebat esse Prophetam, sed hominem, nunc credat esse quoque Deum, Deique Filium. Unde Glossa: Habebat cæcus, inquit, jam dudum cor paratum ad credendum, sed in quem credere deberet, ignorabat. Unde ait: *Quis est, Domine, ut credam in eum*? Discit ergo hoc a Christo, ut scilicet in se, quasi in Messiam, Dei Filium, ideoque Deum verum, credat.

ET CUM INVENISSET] utique studio Christi quæsitum eo loci, ubi ipsum esse sciebat: Nemo enim invenit, nisi id quod antea quæsivit: nimirum pastoris boni est quærere ovem errantem, quæ se in viam reducere nequit, nisi ab illo quæsita & reducta. Unde S. August. tract. 4. *Illi pellunt*, inquit, *excipit Dominus: magis enim quia expulsus est, Christianus factus est*. E

CREDIS] Jesus non requisivit fidem cæci in sanatione corporis, sed hic in sanatione mentis eam exposcit: quia, ut ait S. Aug. serm. 15. de Verbis Apostoli: *Qui fecit te sine te, non justificat te sine te, fecit nescientem, justificat volentem*.

ET DIXIT EI JESUS: ET VIDISTI EUM, ET QUI LOQUITUR TECUM, IPSE EST] *Et vidisti eum*, nunc cum se tibi ipse videndum offert, quem hucusque cæcus videre non potuisti. Nam cæcus illuminatus fuerat in Siloe absente Christo, unde Christum hucusque non viderat. Insinuat ergo Christus se esse eum, qui ipsi paulo ante visum restituit. Reducit enim ei in memoriam sanitatem, ait Theophyl. & quod ab eo virtutem videndi acceperat, ut sic credat ipsum non tantum esse Filium hominis, sed & Filium Dei. F

CREDO DOMINE, ET PROCIDENS ADORAVIT EUM] Jesum, tamquam genuinum & proprium Dei filium, ideoque Deum verum latria adorandum. Porro cæcus, Christo interius eum illustrante & impellente, dicens *Credo*, simul elicuit actus spei, contritionis, charitatis, religionis & adorationis erga Christum, & per illos a peccatis purgatus & justificatus est. Quocirca vir sanctus & Apostolicus evasit: scripsit ejus vitam Petrus de Natal. Episc. Esquilinus in Catalogo Sanctorum lib. 5. c. 102. *Cedonius Episcopus*, inquit, *vel Sidonius, suis ille cæcus a nativitate, quem Dominus lutum ex sputo faciens, & oculos liniens, illuminavit, ut habet Joan. 9. qui & ab aliquibus dicitur fuisse unus ex 72. Christi discipulis. Sive autem ex numero illorum fuerit, sive non; planum habetur ex chronicis & gestis discipulorum, quod Christi discipulus fuit; & post ascensionem Domini ab Apostolis baptizatus, sancto Maximino specialiter adhæsit; & cum eodem, & Lazaro atque sororibus ejus navicula impositus, a finibus Judæorum expulsus fuit. Postquam autem prefati Sancti provinciam Provinciæ, ad quam Deo duce applicuerant, ad Christum converterunt: & postquam beatus Lazarus Marsiliæ, & beatus Maximinus Aquis ordinati sunt, ipse in ministerio Maximini Aquensis civitatis Episcopi permansit, & ejusdem prædicationis coadjutor: ubi & post dies multos in pace quievit, & juxta magistrum reconditus jacuit, ut supra dictum est*. G

ET DIXIT JESUS] Nonnulli codices addunt *ei*, scilicet cæco; sed cum Romanis, Græcis, Syro & Arabico delendum τῷ *ei*. Christus enim hæc dixit non ad cæcum, sed ad Pharisæos. Vatic

IN JUDICIUM EGO IN HUNC MUNDUM VENI) Arabicus, *veni ut judicem hunc mundum*) UT QUI NON VIDENT, VIDEANT, ET QUI VIDENT, CÆCI FIANT] *In judicium*, id est, ad condemnationem, ait Cyrill. Leont. & Theoph. & Chrysost. ut scilicet superbos & mundanos Pharisæos, qui sibi videntur videre & sapere, cæcitatis arguam, convincam & condemnem.

Melius alii accipiunt *judicium* non condemnationis, sed examinis & discretionis. q.d. Ego incarnatus sum & veni in terram, ut discernam & separem credentes ab incredulis, bonos a malis, pios ab impiis; nimirum ut humiles, qui antea in ignorantia Dei & salutis vivebant in cæcitate mentis, instar cæci hujus, mihi credentes, Dei & rerum ad salutem spectantium cognitionem illuminem; superbos vero mihi credere nolentes, uti sunt Pharisæi scientia legis inflati, superbia sua excæcari permittam, ac excæcatos cæcitatis arguam & refutem. Ita S. Augustinus. Quædam judicia hic intelligantur. H

Posset Secundo, *judicium* hic significare arcanum Dei consilium, & mirabile decretum, sed justo ejus judicio statutum & fixum, quo Deus effecit ut Gentiles Deum ignorantes, ideoque cæci lumen fidei Christi viderent, illudque humiliter & avide susciperent: Scribæ vero, Pharisæi, & mundi sapienter sua scientia inflati, per infidelitatem excæcarentur, Christique fidem & lucem repellerent. Humiliter ergo Gentes insipientes, se Christo subdentes fide Christi illuminavit: superbia vero Scribas sapientes Christum repellentes infidelitate cæcavit. Ita Cyrill. vel potius Clictovæus, qui Cyrillum hic supplevit. Hoc est, quod exclamat Apostolus Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & inve-*

Digitized by Google

A *investigabiles viæ ejus!* Nimirum, *judicia Dei abyssus multa*. Causam præmisit Apostolus ibidem v. 25. dicens: *Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret*. Ita Clictovæus in impresso & Cyrillus in Catena. Porro Theodor. in Catena, hæc ad Paulum & Judam adaptat: Paulus enim ex cæco videns, Judas autem ex vidente cæcus factus est.

Ubi Nota *ut, propterea, ideo, idcirco*, &c. apud Joannem sæpe non causam, sed effectum vel consecutionem significare. Non enim hac causa & hoc fine venit Christus, ut Scribæ excæcarentur, sed cæcitas eorum ex adventu & prædicatione ejus consecuta est, non per actionem Christi, sed per ipsorum superbiam & culpam. Ita Cyrill. Chrysost. Theoph. Euthym. & alii.

VERS. 40 ET AUDIERUNT QUIDAM EX PHARISÆIS, QUI CUM IPSO ERANT, ET DIXERUNT EI: NUMQUID ET NOS CÆCI SUMUS?] Senserunt Pharisæi Christi dicto: *Ut videntes cæci fiant*, se tangi & pungi, Christumque loqui de cæcitate non corporis, uti vult Theoph. sed animi: Ita Cyrillus & Leontius. Videbant enim se corpore non esse cæcos; quare si eos oculis captos dixisset, ipsum stolidum

B explosissent: rogant ergo: *Numquid & nos cæci sumus*? q.d. Itane tu venisti, ut cæcos corporaliter illumines & nos spiritualiter videntes, legisque doctores excæces, & incipientes amantesque efficias? ostende nobis hanc cæcitatem, & amentiam.

VERS. 41 DIXIT EIS JESUS: SI CÆCI ESSETIS, NON HABERETIS PECCATUM. NUNC VERO DICITIS: QUIA VIDEMUS. PECCATUM VESTRUM MANET] Arab. *firmatum est*. Primo, Chrys. Theoph. Euthym. exponunt de cæcitate corporis. q. d. Si cæci essetis corpore, minus superbiretis, & peccaretis. Cæcitas enim corporis humiliaret animum vestrum.

Secundo, & magis genuine, S. Aug. tract. 44. *si cæci essetis*, scilicet vestro sensu & judicio, hoc est, si cæcos, id est, ignorantes & insipientes in rebus salutis vos esse humiliter agnosceretis, non haberetis peccatum; quia cæcitatis vestræ remedium quæreretis, & a me quærentes acciperetis. Sic & Beda, Maldon. & alii.

Tertio, præcise & scholastice. q. d. Si essetis cæci, scilicet per ignorantiam Scripturæ, & legis naturalis, non haberetis peccatum juxta ignorantiam hanc operando, &

C me Messiam vestrum non agnoscendo: scilicet si ignorantia vestra esset plane inculpata, & invincibilis, haberetis quidem aliquod peccatum, sed minus grave & excusabile, atque facile a me, ignorantiam vestram mea doctrina dispellente, possetis illuminari & curari: nunc vero apud vos *dicitis: Quia* (quod) *videmus*, hoc est, putatis vos videre esseque sapientes, ut de Christi adventu & persona optime judicetis: *Idcirco*, ut habet Græcus, Arabicus, & Syrus, *peccatum vestrum manet*. q.d. Idcirco vos ex malitia & arrogantia permanetis in vestro infidelitatis contra me peccato, idcirco obstinatis & obfirmatis animum, ut me Messiam esse credere nolitis, etiamsi ego idipsum plurimis signis & miraculis verum esse demonstratim. Quocirca nulla ratione a me illuminari & curari potestis, quia obstinate me audire non vultis. Ita Theophylactus, Jansenius, & alii.

CAPUT X.

D

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus de se duas parabolas dat, unam ostii, aliam pastoris ovium, & utramque sibi attribuit. Unde vis v. 7. Ego sum ostium ovium; *qui ergo per me non intrat in ovile, ille fur est & latro. Et v. 11.* Ego sum pastor bonus, *&c.* & animam meam pono pro ovibus meis. *Secundo, Judæi inter se de Jesu dissentientes v. 19. rogant eum ut clare dicat, an ipse sit Messias, id est Christus. Respondet Jesus se esse Christum, sed Judæos id nolle agnoscere, eo quod non sint oves sua. Hic Tertio, Judæi v. 31. tollunt lapides, ut in eum jaciant, sed Christus se & sua dicta tuetur illo dicto Ps. 81.* Ego dixi: Dii estis. *Quare Judæis eum capere volentibus, ipse invisibiliter elabitur.*

VERS. 1. AMen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro,

2. Qui autem intrat per ostium, pastor est E ovium.

3. Huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas.

4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.

5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.

6. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis,

7. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.

8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oves.

9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.

10. Fur non venit nisi ut furetur, & mac- F tet, & perdat: Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12. Mercenarius autem & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves:

13. mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego sum pastor bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.

15. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.

17. Propterea me diligit Pater: quia ego pono G animam meam, ut iterum sumam eam.

18. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi a Patre meo.

19. Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos.

20. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?

21. Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

22. Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis: & hyems erat.

23. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.

24. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.

25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, & H non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me:

26. sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

27. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me:

28. & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.

29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.

30. Ego, & Pater unum sumus.

31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.

32. Respondit eis Jesus: Multa bona opera

Digitized by Google

A ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

33. Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.

34. Respondit eis Jesus. Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis?

35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura:

36. quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas; Quia dixi, Filius Dei sum?

37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38. Si autem facio; & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.

39. Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de manibus eorum.

B 40. Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum: & mansit illic.

41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum.

42. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

VERS. 1. AMEN, AMEN (id est in veritate, sive verissime, & certissime) DICO VOBIS: QUI NON INTRAT PER OSTIUM IN OVILE OVIUM, SED ASCENDIT ALIUNDE, ILLE FUR EST, ET LATRO] Proponit hic Christus parabolam ostii ovilis, ut per eam ostendat quis ipse sit, & quales sint sui æmuli & adversarii, puta Scribæ & Pharisæi. Incipit hæc parabola v. 1. & finitur v. 11. ubi Christus aliam pastoris parabolam inducit.

Parabola ostii ovilis.

Occasio & causa, cur Christus hanc parabolam proposuerit, fuit, quod Pharisæi cæcum a se illuminatum ob Christi fidem & confessionem, e synagoga quasi ex ovili suo ejecerant, quo facto significabant Jesum non esse Messiam, nec membrum Synagogæ, sive Ecclesiæ suæ, sed esse pseudopropheram, ac consequenter eos, qui in ipsum credebant, uti crediderat cæcus ab eo illuminatus, errare in fide, & aberrare a synagoga, esseque Ecclesiæ suæ apostatas. Proponit ergo Christus parabolam ostii ovilis, ut per illam doceat contrarium; scilicet adeo se non esse pseudoprophetam, ut potius omnes alii, qui per ipsum tamquam verum ovilis, i.e. Ecclesiæ Dei, ostium, in illam non intrant, sint seductores & falsarii: illi vero sint legitimi pastores, Prophetæ & doctores, qui per ipsum in hoc ovile, id est in Ecclesiam Dei, intrant. Quare Synagogam Pharisæorum jam judaizantem, esse Synagogam non Dei, sed satanæ: veram autem Dei Ecclesiam esse Christianam, quam Christus instituebat, Synagogæ Judaicæ surrogabat, ac proinde cæcum a Synagoga excommunicatum, per fidem in Christum ingressum esse in Ecclesiam veram, scilicet Christianam.

C

Ut totam parabolam lector facile comprehendat, totam ejus synopsin hic oculis subjiciam. Primo, ovile Dei est Ecclesia, quæ vetus apud Judæos, synagoga dicebatur. Secundo, herus ovilis, id est Dominus Ecclesiæ, est Deus Pater. Tertio, ostium est Christus, sive fides in Christum, qui clausus est Scriptura legis & Prophetarum, velut ostio suis seris obserato. Quarto, ostiarius est Spiritus sanctus. Quinto, oves sunt non soli prædestinati, ut opinatur S. Aug. & electi ad gloriam, sed quivis fideles, & discipuli Christi, sive omnes, qui sunt in Ecclesia. Sexto, veri pastores & Prælati sunt, qui per Christum intrant. Septimo, hic ostiarius, id est Spiritus sanctus, aperit ostium; quia fides in Christum, per quam ingrediuntur in Ecclesiam, est donum Spiritus sancti; ipseque Spiritus sanctus eis potestatem veram & legitimam impertit, ut quæ ipsi fecerint, rata sint & habeantur a Deo. Octavo, hi educunt oves, i.e. fideles ad pascua sacræ doctrinæ, gratiæ & virtutum, eisq; suo vitæ probæ exemplo præeunt; ac nominatim eas vocant, quia sigillatim uniuscujusque curam gerunt, & singulos ad meliora hortantur, stimulant, compellunt. Nono, qui per Christum non intrat in ovile, sed vel per murum in illud transilit, vel per fenestram, aut macteriam in illud irrumpit, ille fur est, & latro ovium, id est fidelium: hos enim mactare & perdere satagit. Cætera fere sunt emblemata, quæ ad elegantiam pertinent, nec rei per eam significatæ sunt applicanda.

Parabolæ ostii ovilis explicatio.

D

Nunc singula sigillatim expendamus, & ad incudem revocemus.

QUI NON INTRAT PER OSTIUM IN OVILE] græce, αὐλὴν, i. e. stabulum) OVIUM, SED ASCENDIT ALIUNDE (Arab. *per alium locum*) ILLE FUR EST, ET LATRO] q.d. Qui per me Christum, qui sum ostium Ecclesiæ, in eam non intrat, ille non est pastor, sed fur & latro, qui fideles laniare, necare & perdere molitur. Tales fuere Judas Galilæus & Theodas, Act. 5. v. 36. & 37. nec similes, qui se finxerunt esse Messiam, aut id, quod Messiæ erat proprium, sibi arrogare & profiteri conati sunt. Tales etiam jam esse incipiebant Scribæ, & Pharisæi, qui antea per merita Christi legitimam a Deo docendi & gubernandi populum potestatem acceperant, ideoque ejus veri erant pastores, & doctores; jam autem Christo præsenti se opponentes, & populum ab eo avertentes, fiebant lupi, imo fures, & latrones fidelium. Ita S. Aug. & ex eo Glossa. Contra Pharisæorum, inquit, qui se videre jactabant, arrogantiam, similitudinem proponit, ostendens nec sapientiam, nec bonam vitam quidquam valere, nisi per eum. Et Chrys. dicens, Abunde, inquit, Scribas significat, qui docebant doctrinas, & mandata hominum, & legem transgrediebantur. Tales quoque olim fuere pseudoprophetæ, & nunc sunt hæretici de quibus Jerem. c. 23. 21. *Ipsi*, inquit, *currebant, & ego non mittebam eos*, Audi S. Aug. *Dicant Pagani, vel Judæi, vel hæretici: Bene vivimus; si per ostium non intrent, quid eis prodest? non bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cecitate nesciunt, vel inflatione contemnunt.*

Tropologice addit August. Humilis janua est Christus: qui intrat per hanc januam, oportet humilem esse, ut sano capite (ne in superliminare attollens caput impingat) possit intrare: qui non se humiliat, sed per macteriam vult ascendere, ideo exaltatur ut cadat. Idem S. Aug. serm. 49. de Verb. Domini: Intrat per ostium, inquit, *qui imitat* per Christum, ejusque passionem imitatur & humilitatem. *Fur* est, quia oves *id* est fideles, Christo surripere, sibique arrogare contendit. Idem *latro* est, quia fidelium animas occidit, & gehennæ mancipat. Ita S. Aug. Fur est, inquit, quia quod alienum est, suum dicit; nimirum oves Dei suas faciendo, ait Glossa. Latro est, quia quod furatur occidit, ait S. August.

E

F

Tropologice, festive noster Salmeron tom. 7. pag. 88. In Ecclesiam, inquit, id est, ad beneficia Ecclesiastica, varii varie intrant. Primo nonnulli per ostium, sive portam Cæsaream; nimirum aulici per commendationem Cæsarú, regum, principum. Secundo, alii intrant per portam auream, scilicet divites. Tertio, alii per portam sanguineam, puta per parentes, cognatos & amicos potentes. Quarto, alii per portam munerariam, hoc est per dona & munera. Quinto, alii per portam famulariam, scilicet servi, & famuli, qui propter obsequia ab Episcopis promoventur ad beneficia. Hi jacent languentes, & exspectantes aquæ, id est, sedis vacantis, motum: tunc enim qui prior est in gratia apud successorem, beneficium obtinet.

Ad beneficia Ecclesiastica pertinet.

G

QUI AUTEM INTRAT PER OSTIUM, PASTOR EST OVIUM] S. Chrys. per *ostium* intelligit S. Scripturas: hæ enim, inquit, Dei cognitionem aperiunt, oves custodiunt, lupos prohibent, hæreticis aditum præcludentes. Sic & Theoph. Leont. & Euthym. Accedit Theodor. Heracleores in Catena. Qui & aliam causam addit; S. Script. est ostium, inquit, quia ille verus est pastor, cui ostium ingressum, id est S. Scriptura auctoritatem præbet, & fidem conciliat. Verum S. Aug. Cyrill. Beda, Rupert. hic, & S. Greg. hom. 15. in Ezech. per *ostium* intelligunt Christum. Ipse enim, v. 7. diserte ait: *Ego sum ostium*.

VERS. 2.

H

Dices: Christus est pastor ovium: ergo nequit esse ostium: pastor enim intrat per ostium, ergo ipse non potest esse ostium. Resp. S. August. Dominus (Christus) ipse ostiarius, & pastor, & ostium; ipse se aperit, qui seipsum exponit: vel ostiarius est Spiritus sanctus, de quo Dominus: *Ipse vos docebit omnem veritatem*: ostium ergo est Christus, qui est veritas, quam qui docet, ostium aperit. Hæc Aug. Et Glossa, Omnes, ait, qui veritatem tenent & docent, in Christo pastore sunt unus pastor: sibi Christus soli tenuit quod ostium est, per quem oves intrent ad Deum: intrat autem pastor ovium; Christum enim Christus ipse, & alii pastores prædicant. Simplicius cum Maldonato, dicas Christum pastorem per ostium,

Digitized by Google

A ostium, id est, per seipsum, intrare in Ecclesiam, quia sua auctoritate in eam intrat, cæteri vero intrant auctoritate a Christo accepta. Nec enim in parabolis omnia adamussim accommodare est possibile. Porro Syri & Hebræi gaudent parabolis, easque conduplicant & multiplicant, imo unam alteri inserunt, & commiscent. Unde Christus Scribis non nisi in parabolis loquebatur, Matth. 13. 35. Sic hic, Christus parabolas ostii & pastoris commiscet.

VERS. 3. HUIC OSTIARIUS APERIT] Id est Moyses, inquit Chrys. Theoph. Euthym. cui ostium, id est Dei eloquia credita sunt. Moyses enim Christo testimonium perhibens, eum quasi principem in Ecclesiam inducit, juxta illud c. 5. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.*

Quis hic ostiarius.

Secundo, Cyrill. ostiarium censet esse angelum, qui præest toti Ecclesiæ, puta S. Michaelem. Ostarius est Christus ipse, ait S. August. verbis jam cit.

Tertio & genuine, idem S. Aug. Chrys. Theoph. Rupertus, Maldon. & alii. Ostiarius, inquiunt, est Spiritus sanctus, per quem nobis Scripturæ reseratæ Christum pastorem indicant, ait Theoph. Aut potius Spiritus sanctus

B Christo aperuit ostium in Ecclesiam, dum eum Ecclesiæ pastorem constituit, & suo testimonio, gratia & miraculis auctoravit, ut cum in Christi baptismo specie columbæ in eum descendit, ac deinde per eum cæcos illuminavit, ægros sanavit, mortuos suscitavit. Idem alios quoslibet pastores, legitimos Christi successores præficit Ecclesiæ, facitque ut ab Ecclesia agnoscantur & recipiantur, ac per eos cæteros fideles in Ecclesiam inducit. Idem pseudopastorum, ut hæreticorum, fraudes detegit, facitque ut ab Ecclesia expellantur.

ET OVES VOCEM EJUS AUDIUNT] q.d. Sicut oves ex consuetudine, & ex pastorali cura & benevolentia pascendi agnoscunt suum pastorem, ejusque vocem audiunt, id est, sentiunt, dignoscunt, & quid ille velit intelligunt, illudque ei obediendo exequuntur & faciunt, ut, dum pastoris præeuntis sibilum audientes, illum, relicto etiam pabulo, sequuntur: sic pariter fideles & Christiani, Christum verum pastorem & illos, quos ipse sibi vicarios substituit, agnoscunt, ejusque vocem audiunt, illique per omnia obediunt. S. Augustin. & ex eo Beda, per oves solos prædestinatos accipiunt: hi enim oves vocantur, & ab

C hœdis discernuntur, Matt. c. 23. 33. Sed ibi agitur de judicio, ubi electi & salvandi a reprobis secernuntur: hic vero agitur de Ecclesia in terris militante, ubi electi cum reprobis commisti sunt, nec ab iis secerni possunt. Quare utrique vocantur oves: oves ergo sunt omnes fideles: hi enim sunt in ovili, id est in Ecclesia, & Christum pastorem agnoscunt, amant, & colunt.

ET PROPRIAS OVES VOCAT NOMINATIM] Arab. *& vocantur oves ejus nominibus suis. Nominatim*, id est, sigillatim. q.d. Pastor singularum ovium curam gerit, omnesque & singulas evocat, ut se ad pascua præeuntem sequantur: ac si aliqua ægra sit, illam solam avocat, ungit, medetur, imo, si opus sit, in humeros tollit. Adde, solent pastores solertiores suis vaccis, canibus, ovibus nomina imponere, ac per ea illas ad se evocare. Sic pariter Christus, & quilibet post eum pastor Christianis, dum eos baptizat, nomen proprium indit, illoque eos compellat & vocat, ac singulorum curam gerit, ut eos verbo, exemplo & SS. Sacramentis pascat, itaque ad salutem & gloriam cælestem deducat.

Octo munia pastoris.

Notat Leont. Christum hic tradere octo veri pastoris

D signa & munia. Primum est, quod per ostium ingrediatur; Secundum, quod ostiarius illi aperiat; Tertium, quod oves ejus vocem agnoscant, illique pareant; Quartum, quod singulas oves nominatim appellare possit; Quintum, quod oves educat; Sextum, quod ante eas vadat. Septimum, quod oves eum sequantur; Octavum, quod animam suam ponat pro ovibus. Talis fuit S. Chrys. qui cum de expulsione ejus ageretur, hom. 11. sic suos affatur: *Vos estis mihi pater, vos mihi mater, vos mihi vita, vos mihi gratia; si vos proficitis, mihi placebit. Vos estis corona mea, & divitiæ meæ, vos estis thesaurus meus. Ego millies pro vobis immolari paratus sum: & nec gratia mihi in hoc est, sed debitum reddo. Bonus enim pastor debet animam suam pro ovibus suis ponere: hujusmodi enim mors immortalitatem parit.*

ET EDUCIT EAS] ad pascua, quæ non extra, sed intra ipsum ovile, hoc est, in ipsa Ecclesia continentur. In Ecclesia enim pastor docet populum, Missam celebrat, baptizat, Sacramenta administrat, &c. Adde, Ecclesia est cœtus fidelium: ubi ergo sunt fideles, ibi pariter est E Ecclesia, vel pars Ecclesiæ.

ET CUM PROPRIAS OVES EMISERIT (ad pascua) ANTE EAS VADIT] ut iter præeat, ut eas a lupo & raptore defendat, ut per rectum iter commodumque eas ad meliora pascua se sequentes deducat. Sic pariter Christus, & quilibet verus pastor Primo, fidelibus iter in cælum præit sanctæ vitæ exemplo. Cogiter ergo pastor, se fidelium debere esse in sanctitate anteambulonem & ducem, eosque omnes præire, ut cunctis illustre det virtutum exemplum, in quod singuli intuentes ipsum ad alta sequantur, juxta illud S. Petri epist. 1. c. 5. 3. *Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Secundo, pastor fideles ab hæreticis, scandalis cæterisque noxis sua vigilantia, & robore tuetur & defendit. Tertio, eis rectum iter in cælum commonstrat, ac melioribus, quibus potest, documentis, consiliis, monitis eos pascit ac nutrit. Ita Theophyl. Beda, Euthym. & alii. VERS. 4.

Anagogice, S. Aug. *Quis*, ait, *est, qui oves præcessit, nisi qui surgens a mortuis jam non moritur, & Patri dixit: Quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.*

ET OVES ILLUM SEQUUNTUR, QUIA SCIUNT VOCEM EJUS] Hoc est, dignoscunt vocem pastoris sui a voce cujusvis alterius, ideoque ejus vocem & sibilum sequuntur. F

ALIENUM AUTEM NON SEQUUNTUR, SED FUGIUNT AB EO: QUIA NON NOVERUNT VOCEM ALIENORUM] v. g. hæreticorum, Judæorum, Paganorum, omniumq; improborum & fraudulentorum: hos enim quasi lupos fugiunt veri fideles, qui sunt genuinæ Christi oves. VERS. 5.

HOC PROVERBIUM DIXIT EIS JESUS. ILLI AUTEM NON COGNOVERUNT, QUID LOQUERETUR EIS] *Proverbium*, græce *παροιμία*, id est parœmiam, similitudinem, parabolam, ut vertit Arabicus. Vide dicta Prov. 1. v. 5. *Illi autem*, scilicet Pharisæi & Judæi, contra quos parabolam hanc intorsit Christus, quin & Apostoli eamdem non intellexerunt, eo quod in se involuta sit, ænigmatica, & obscura. VERS. 6.

DIXIT ERGO EIS ITERUM JESUS: AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA EGO SUM OSTIUM OVIUM] Maldon. censet hic Christum duplex ostium statuere, scilicet ostium domus, & hoc esse S. Scripturam, & ostium ovilis, & hoc esse Christum. Credo, inquit, alio sensu dixisse Christum: *Qui non intrat per ostium*; alio vero: *Ego sum ostium*. Nam G cum dixit, *qui non intrat per ostium*, de ostio, per quod pastores; cum dixit, *Ego sum ostium*, de ostio, per quod oves ingrediuntur & egrediuntur, loquebatur, quod diversum omnino est: illud est porta prima domus, hoc ostiolum ovilis, per illud pastorem, per hoc oves dicit ingredi debere; illud quod esset, non declaravit, hoc se esse dixit: *Ego*, ait, *sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*. Verum hæc distinctio ostii subtilior est, quam solidior: ubique Christus de uno eodemque ostio, scilicet ovilis, loquitur. Quod enim ante parabolice, & obscure dixit vers. 1. *Qui non intrat per ostium*, &c. *fur est & latro*, cum illud discipuli non intelligerent, Jesus eis parabolam explicuit, dicens: *Ego sum ostium ovium: omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones. Ecce*, ait S. Aug. *quod clausum est aperuit. Ipse est ostium: intremus, ut nos intrasse gaudeamus.* Rursum hæc distinctio difficultatem quidem unam evadit, scilicet quomodo Christus, quasi pastor per ostium, id est per S. Scripturas sibi attestantes ingrediatur in domum Ecclesiæ: alteram tamen, quomodo scilicet idem sit pastor & ostium, non evadit. Dicendum ergo Christum hic mi- H scere more Syrorum inter se duas parabolas, unam ostii, alteram pastoris, ut dixi v. 2. Duo enim hic docere intendit Christus. Prius, neminem posse ingredi in Ecclesiam, indeque in cælum, hoc est, neminem posse justificari & salvari, nisi per se, scilicet per fidem, credendo Jesum esse salvatorem mundi: hoc ostendit per parabolam ostii. Sicut enim non patet ingressus in ovile, nisi per ostium, sic nec patet ingressus in Ecclesiam militantem & triumphantem, nisi per Christum. Posterius, se verum esse pastorem, qui animam ponat pro ovibus suis, cæteros vero mercenarios: quare oves se sequi debere, non mercenarios: hoc ostendit per parabolam pastoris: porro quia hoc posterius priori immistum & connexum est, idcirco parabolam ostii, parabolæ pastoris immiscet & innectit.

OMNES QUOTQUOT VENERUNT, FURES SUNT ET LATRONES, ET NON AUDIERUNT EOS OVES] Dices: Ergone omnes Prophetæ, qui venerunt ante Christum, populumque docuerunt, fures sunt & latrones? Respondent VERS. 8.

Digitized by Google

A S. August. lib. 16. contra Faustum cap. 12. & S. Hier. lib. 2. contra Pelag. & Beda hic, Prophetas non venisse sua sponte, sed missos esse a Deo. Rursus eos non venisse præter Christum, sed cum Christo; ut scilicet quasi ejus præcursores ipsius adventum prænunciarent. Quare Prophetas non diversos, sed eosdem censeri cum Christo, quia Christi causa, jussu & ductu venerant. Audi S. Aug. *Prophetæ non præter Christum venerunt: venerunt enim cum verbo Dei: venturus præcones misit, & eorum, quos miserat, corda possidebat.* Addit Euthym. Prophetas venisse quidem ante Christum, sed per ostium ingressos fuisse. Denique Christus proprie hic agit de iis, qui venerant ante ipsum titulo pastoris, sive Messiæ, q. d. Omnes, qui ante me venerunt, seseque venditarunt pro pastore Ecclesiæ a tot sæculis exspectato, scilicet pro Messia, sive Christo, hi fures sunt & latrones, quia oves, id est fideles, ut fures, Deo & Christo surripere, sibique asscribere, eosque laniare, & perdere conati sunt. Tales fuere Judas Galilæus, Theodas, & post Christum Simon Magus, Barchocabas, pluresque alii, qui sibi Christi nomen, & titulum arrogarunt. Ita S. Cyrillus, Chrysost. Theoph. Euthym. & alii.

B Et non audierunt eos oves] quia deprehenderunt eos non afferre signa Messiæ a Prophetis prædicta, sed velle fideles Christo surripere, eosque sibi arrogare, mactare, & in gehennam præcipitare.

Vers. 9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet] Rupertus censet hic aliud ostium a priori diversum statui, & aliud ovile, juxta illud vers. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.* Verum frustra. Nam unum est tantum ovile Christi, puta una dumtaxat Ecclesia. Unde v. 16. subjicit Christus: *Et fiet unum ovile, & unus pastor.* Idem ergo hoc est ostium cum eo quod præcessit. Ostium enim jam dictum Christus partim confirmat, partim explicat, dum subdit: *Per me si quis introierit*, id est, si quis in me crediderit, iraque per fidem & gratiam meam ingrediatur Ecclesiam, hic *salvabitur*, id est justificabitur & beabitur, si videlicet in fide, gratia, & charitate mea usque ad mortem persistat. Ita S. Greg. ep. 49. lib. 7. *Ille*, ait, *ad ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodem creatore & redemptore humani generis vera sentit & prædicat, & prædicata custodit.*

C Et ingredietur et egredietur] Non significat ingressum in Ecclesiam, & egressum ex ea, ut patet, sed *egredietur*, scilicet ad pascua, & post pastum *ingredietur* in locum, ubi recubet, uti faciunt oves. q. d. Fidelis quasi ovis ingredietur caulam Ecclesiæ bene pastus, & rursum esuriens egredietur ad pascua animæ suæ, sine ullo periculo, me pastore ducente & reducente. Ita Maldonat.

Ingreditur & egreditur quid?

Aut potius *ingredi* & *egredi* apud Hebræos significat libere versari, suo munere fungi, solitum agere, & quævis negotia peragere, atque nectendum est cum eo quod sequitur: *Et pascua inveniet.* q. d. Fidelis ubique libere sine metu versabitur, suo munere fungetur, ac quidquid agat, tam domi, quam foris, ubique pabulum animæ inveniet. Significat enim hæc phrasis Primo, securitatem; Secundo, fiduciam; Tertio, libertatem conversandi ubilibet, suo munere fungendi, & quælibet negotia peragendi pro Christo, & per Christum. Ita Cyrill. Chrysost. Theoph. Euthymius.

Symbolice & Tropologicæ, S. August. Beda & S. Greg. hom. 14. Ingreditur fidelis intra se per contemplationem, egreditur per actionem ad bona opera. *Ingredietur*, ait S. August. *ad internam meditationem, & egredietur ad externam actionem.* Auctor de Spiritu & anima: *Ingredietur*, inquit, *ad divinitatem meam, & egredietur ad humanitatem, & in utriusque contemplatione mira pascua inveniet.* Denique alio loco Greg. *Ingredientur*, ait, *& egredientur, & pascua invenient: intus quippe habent pascua contemplationis, foris pascua boni operis; intus mentem devotionibus impinguant, foris se piis operibus satiant.* Denique Theoph. *Ingredietur*, ait, *qui curam egerit interioris hominis; egredietur, qui mortificaverit membra sua super terram.*

D Anagogice, Rupertus, Ingredietur fidelis Ecclesiam per fidem, ut in ea pascua inveniat; egreditur, cum ex ea moriens migrat in cælum. *Ingreditur*, ait S. August. *per ostium fidei in Ecclesiam, & egreditur per idem ostium fidei viventis in vitam æternam, ubi pascua inveniet.* Et S. Greg. *Ingredietur*, ait, *ad fidem, egredietur autem ad spem, pascua vero inveniet in æterna satietate.*

E Fur non venit nisi ut furetur, et mactet; et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant] Ostendit quis sit finis, & scopus ejus, quem paulo ante furem vocavit, & quis ex adverso suus. q. d. Fur & latro ovium, qui per ostium, id est per me, non intrat in ovile Ecclesiæ, sed aliunde clam irrumpit, puta hæreticus, schismaticus, Scriba, Pharisæus, ac præsertim Pseudochristus, qui se pro Messia venditat, uti fecit Theodas, & Judas Galilæus; hic non venit, ut oves, id est fideles, tueatur, & salvet, sed ut eos furetur, ac Deo & Ecclesiæ, cujus sunt proprii, surripiat, eosque ad se, id est ad synagogam Satanæ, transferat, ibique eos per hæresim & vitia mactet, ac in gehennam ducat & perdat. Ego vero, qui sum verus ovium, id est fidelium, pastor, e cælis veni & descendi in terram, non mei, sed fidelium causa, ut scilicet per me a peccatis liberati *vitam* gratiæ *habeant*, imo *abundantius habeant*. Græce περισσὸν ἔχωσιν, id est, *abunde habeant*, vel *abundantem habeant*, scilicet vitam: τὸ enim περισσὸν, potest accipi ut adverbium, vel ut nomen adjectivum, q. d. Ego veni ut dem fidelibus vitam, non qualem qualem, sed περισσὸν, id est præstantem, eximiam, abundantem, novam, modum excedentem, ut scilicet abundent mea doctrina & gratia, per eamque in spiritu vegeri, læti, pingues, & abundantes donis spiritualibus vivant, tum in hoc sæculo per gratiam, tum in futuro per gloriam. Ita S. Chrys. Cyrill. Theoph. Euthym. Beda & alii. Huc accedit expositio Ruperti; ut Christiani, inquit, abundantiorem habeant gratiam, quam Judæi in lege veteri. Hinc & Arabicus vertit, *ut abundantius eis sit*; Vatablus, *ut abundent pascuis*. Hanc abundantem spiritus vitam, a Christo aspiratam videre licet in S. Petro, Paulo, cæterisque Apostolis, in S. Stephano, Laurentio, cæterisque Martyribus; in S. Athanasio Gregorio, cæterisque Confessoribus; in S. Cæcilia, Catharina, cæterisque virginibus, &c. Hinc illa ardens Pauli vox: *Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia?* &c. *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Rom. 8.

Vers. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis] Græce ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, id est, *ille pastor, ille bonus*, scilicet per eccellentiam, hoc est præclarus, optimus & præstantissimus, imo unicus & singularis ille princeps pastorum, qui solus ita animam meam pro ovibus, id est fidelibus meis, ponam, ut eos mea morte a morte redimam, ac vitam præsentem, & æternam eis conferam: quod non fecere Prophetæ, nec Apostoli, nec quis alius. Esto enim ipsi pro fidelibus non suis, sed Christi oceisi sint, tamen eos morte sua a peccatis non redemerunt, nec sanctificarunt, vel bearunt. Ita Rupert. Chrys. Theoph. Euth. Addit S. Aug. & Beda, Prophetas, & Apostolos censeri unum eumdemque pastorem cum Christo, quia Christo fuere subordinati, ab eoque missi, directi, adjuti & protecti. Christus ergo est eximius ille & unicus pastor, quem venturum prædixit Ezechiel pastorum principem, dicens cap. 34. 23. *Suscitabo super eas* (oves meas) *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David* (puta Christum Davidis filium) *ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem*, &c. Vide ibi dicta.

Vers. 11. Christus pastor bonus.

F Transit Christus a parabola ostii ad parabolam præclariorem pastoris. Ipse enim ita est ostium, per quod oves, id est fideles, ingrediuntur in Ecclesiam, ut idem sit pastor ovium, non qualis qualis, sed principalis, singularis, & divinus: unde ipse per ostium, id est per seipsum, quia sua auctoritate intrat ad oves, id est fideles Ecclesiæ.

G Porro Christus gaudet titulo pastoris, ut proprio, & suavissimo. Hinc olim pingebatur ut pastor humeris suis ovem bajulans, uti etiamnum videre est in picturis antiquissimis, quæ extant in Basilica Lateranensi, in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, & in cryptis & cœmeteriis S. Priscillæ, S. Laurentii, S. Sebastiani, &c. Hinc prisci Patriarchæ, & parentes, typique Christi, fuere pastores ovium, ut Abraham, Isaac, Jacob & Moses, qui pascendo oves didicit pascere & regere homines, ait Philo. Hinc & David a pastu ovium traductus est ad regnum. Hinc & Homerus Agamemnonem regem Græcorum passim vocat ποιμένα λαῶν, id est, pastorem populorum. Vis ergo nosse, & sequi officium veri pastoris? inspice, & fac sicut pastor ovium se gerit erga suas oves; esto tam eminens doctrina, & sanctitate inter fideles tuos, ut inter oves irrationales videaris pastor rationalis, ac quasi angelus inter homines, ait Sanctus Chrysostomus.

H Christus unicus pastor.

Primo

Digitized by Google

A

Analogia paſtoris corporalis & ſpiritalis. Prima. Secunda. Tertia.

Primo ergo, ſicut paſtor oves ſingulas agnoſcit, curat, compellat; ſic & paſtor animas ſingulas ſuæ curæ commiſſas agnoſcat, curet, inſtruat, moneat, dirigat.

Secundo, paſtor oves educit ad meliora paſcua: idem faciat paſtor fidelium.

Tertio, paſtor ante oves vadit: ſic paſtor ſuos fideles præeat virtutis exemplo. Hoc eſt quod Paulus præcipit Tito, quem Cretæ Epiſcopum conſtituerat c. 2. 7. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*, &c.

Quarta.

Quarto, paſtor fugat lupos, ſerpentes, omniaque ovibus damnoſa: ſic Parochus fuget hæreticos, omneſque noxios. Rurſum paſcat oves ſua doctrina, & Sacramentis, non vero impinguet ſemetipſum lacte & lana ovium, Ezech. 34. 2. Ne ſit ergo mercenarius, ut ſua lucra quærat, ſuos honores, ut urbanos nobileſque paſtoratus ambiat, ruſticanos & ignobiles aſpernetur, Chriſtus enim obiit vicos & caſtella, aitque: *Pauperes evangelizantur*, Matt. 11. Memorabile hac in re exemplum dedit Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, qui exiguum & tenuem ſuum Epiſcopatum noluit commutare cum locuplete, & honorato, quem ei offerebat Henricus VIII. Angliæ rex, dictitans ſe facilius & melius Chriſto in die judicii rationem redditurum pro paucis ovibus, & lucris, quam pro multis. Nam ſi multi, inquit, ſcirent, quam ratio hæc futura ſit exacta, non ambirent magnos & optimos Epiſcoparus. Ita Sanderus in Schiſm. Anglic.

B

Quinta.

Quinto, paſtor agnos tenere paſcit, fovetque: oves infirmas conſolidat, ægrotas ſanat, confractas alligat, errantes reducit. Ezech. 34. 4. Vide ibi dicta, præſertim ſub finem capitis. Idem Chriſtianis faciat Parochus & Epiſc. Exemplum illuſtre eſt in Vita S. Abrahami, quam conſcripſit S. Ephrem: Hic enim ex Anachoreta factus paſtor populi ferocis, barbari & indomabilis, ab eo male acceptus & crebro verberatus uſque ad mortem, ſua tamen invicta patientia, manſuetudine, & charitate eum domuit, & Chriſti legibus ſubjecit.

Sexta.

Sexto, verus ovium paſtor fuit Jacob, qui de ſe ait: *Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*, Geneſ. c. 31. 40. & naſcente Chriſto paſtores noctu vigilabant ſuper gregem ſuum. Unde hujus vigiliæ merito

C

allectus angelus, eis apparuit nuncians Chriſti ortum, Lucæ 2. Sic Parochus & Epiſcopus ſit vigil, gregique ſuo invigilet. Prima ejus dos ſit vigilantia.

Septima.

Septimo, paſtor pro tuendis ovibus vitam ſuam periculo exponit. Idem faciat Parochus cum ingruit perſecutio peſtis, hoſtis, uti fecit S. Athanaſius, S. Chryſ. S. Baſil. S. Ambroſius.

Octava.

Denique S. Petrus ſummus Eccleſiæ Paſtor, hæc paſtoribus ſibi ſubditis dat præcepta, ep. 1. c. 5. 2. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſponte anee ſecundum Deum, nec turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.* Vide ibi dicta. Plura & particularia paſtorum documenta, vide apud S. Greg. in exacto & eximio ejus Paſtorali. Et apud S. Bernard. in aureis libris de Conſider. ad Eugenium Pontificem, ac S. Aug. tract. de Paſtoribus & ovibus tom. 9.

Porro horum omnium origo, fons & cauſa, ideoque ſumma & compendium eſt charitas. Hæc enim omnia jam recenſita, ſunt munia & officia charitatis: charitas enim ſumme amat Deum, & fideles ſibi a Deo commiſſos

D

propter Deum. Unde S. Aug. hic tract. 123. *Amor*, inquit, *in eo qui paſcit oves, in tam magnum debet ſpiritalem creſcere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem.* Hinc Chriſtus volens Petrum Eccleſiæ paſtorem conſtituere: *Petre*, inquit, *amas me? eoque reſpondente: Domine tu ſcis quia amo te*; ſubjecit, *Paſce oves meas*, uti audiemus cap. ultimo.

Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

BONUS PASTOR ANIMAM SUAM DAT PRO OVIBUS SUIS] *Animam*, id eſt vitam. Hæc pars, uti & illa v. 3. *Proprias oves vocat nominatim*, non tam parabolæ, quam rei per parabolam ſignificatæ convenit: paſtor enim ovium pluris debet facere vitam ſuam, utpote hominis, quam ſuarum pecudum & beſtiarum; poteſt tamen ipſe oves ſuas tueri, uti & alia bona, contra lupos & fures cum diſcrimine vitæ. Verum paſtor animarum ex officio, debet vitam ſuam temporalem periculo exponere, pro vita ſpiritali & ſalute fidelium ſibi commiſſorum. Hinc tempore peſtis tenetur eis aſſiſtere, vel providere de alio idoneo, qui ægrotis Sacramenta adminiſtret, uti fecit S. Carolus Borromæus, qui inde ſanctitatis nomen adeptus eſt. Sic omnes Apoſtoli, uno excepto S. Joanne, pro fidelibus ſibi commiſſis mortem oppetiverunt, & martyrium obierunt, æque ac omnes pene Pontifices Romani a S. Petro uſque ad S. Silveſtrum per 300. annos. Horum omnium dux fuit Chriſtus, qui ſolus, quaſi optimus paſtor, pro ovibus ſuis dedit vitam ſuam in redemptionis lytrum & pretium, cum cæteri omnes id fecerint ad fidei ſpeculum dumtaxat, & virtutis exemplum.

E

MERCENARIUS AUTEM, ET QUI NON EST PASTOR, CUJUS NON SUNT OVES PROPRIÆ, VIDET LUPUM VENIENTEM, ET DIMITTIT OVES, ET FUGIT: ET LUPUS RAPIT ET DISPERGIT OVES] *Mercenarius*; græce, μισθωτὸς; hebr. שכיר *ſachir*, eſt qui pro mercede temporali oves paſcit, unde non ovium bonum, ſed ſuum lucrum quærit & ſpectat. Mercenarii, ait S. Auguſt. ſunt, qui non ea quæ Chriſti, & ovium, ſed quæ ſua ſunt, quærunt. Sic & Baſil. otat. de S. Mamante. Porro Apoſtoli licet oves non ſuas, ſed Chriſti paverint, ab eoque mercedem ſpiritalem receperint; non tamen fuere mercenarii, quia non ſua temporalia, ſed Chriſti fidelium lucra ſpiritualia & æterna quæſiverunt. Unde S. Gregor. hom. 14. *Non paſtor*, inquit, *ſed Mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit. Mercenarius quippe eſt, qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit: terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reverentia lætatur.*

F

Vers. 12

VIDET LUPUM VENIENTEM] *Tranquillitatis enim tempore*, ait S. Greg. *plerumque ad gregis cuſtodiam, ſicut verus paſtor, ſic etiam Mercenarius ſtat, ſed lupus veniens indicat, quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam ſtabat. Lupus enim ſuper oves venit, cum quilibet injuſtus & raptor fideles quoſque humiles opprimit. Sed is qui paſtor eſſe videbatur & non erat, reliquit oves & fugit: quia dum ſibi ab eo periculum metuit, reſiſtere ejus injuſtitiæ non præſumit.*

FUGIT] *Non mutando locum*, ait S. Gregor. *ſed ſubtrahendo ſolatium. Fugit, quia injuſtitiam vidit, & tacuit. Fugit, quia ſe ſub ſilentio abſcondit. Quibus bene per Prophetam dicitur: Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini*, Ezech. 13.

G

Lupus quis?

ET LUPUS RAPIT] *Lupus* Primo, eſt hæreticus, Secundo, quivis ſceleratus, qui fideles verbo vel exemplo rapere & pervertere ſtudet: Tertio, lupus eſt diabolus, ait S. Greg. *qui rapit oves cum hunc ad luxuriam petrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in ſuperbiam erigit, alium per iracundiam dividit: hunc invidia ſtimulat, illum in fallacia ſupplantat. Quaſi ergo lupus gregem diſſipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc Mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, quia dum ſola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur.*

Hinc per antitheſin Chriſtus colligendum relinquit, quod bonus paſtor dum videt lupum venientem, non fugit, nec dimittit oves, ſed pro iis ſtat & pugnat uſque ad mortem, adeoque pro ovibus animam ſuam ponit, ut paulo ante dixit. Quando paſtori in perſecutione fugere liceat, quando non, dixi Matth. 10. 23. Vide S. Auguſt. epiſt. 180. ad Honoratum. Liberalius hic utor verbis S. Gregorii, quia ipſe rem hanc optime explicat, utpote quam per longam praxim, & experientiam exactam optime callebat.

H

MERCENARIUS AUTEM FUGIT, QUIA MERCENARIUS EST, ET NON PERTINET AD EUM DE OVIBUS] *Sola enim cauſa eſt*, ait S. Greg. *ut Mercenarius fugiat, quia Mercenarius eſt. Ac ſi aperte diceretur. Stare in periculo ovium non poteſt, qui in eo quod ovibus præeſt, non oves diligit, ſed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere ſe contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat.*

Vers. 13

Mercenarius quis?

Hinc Arabicus vertit, *Mercenarius tantummodo fugit, quia mercede conductus eſt, & (idcirco) non habet curam de ovibus*, utpote alienis, non ſuis, nec ad ſe pertinentibus: græce ὃ μέλει αὐτῷ, id eſt, *non eſt ei cura de ovibus*. Vatabl. *oves non ſunt ei curæ*. Nemo enim curat tam diligenter res alienas, quam ſuas: quare vitam ſuam magis amat, & curat mercenarius, quam oves alienas: veniente ergo lupo fugit, ut vitæ ſuæ conſulat magis quam ovium.

EGO SUM PASTOR BONUS, ET COGNOSCO (*oves*) MEAS (*quas paſco*, ut addit Arab.) ET COGNOSCUNT ME MEÆ] Vers. 14

Digitized by Google

A Idem reperit Christus, & confirmat ex conditionibus boni pastoris, quas sibi convenire ostendit, inter quas prima est, quod cognoscat oves suas, & cognoscatur ab ovibus. Per *oves*, ut dixi, intellige non solos prædestinatos, ut vult S. Aug. & Beda, sed quoslibet fideles: hi enim sunt in ovili Christi, id est in Ecclesia. Hos ergo cognoscit Christus, non tantum divinitatis suæ (Christus enim ut homo est pastor Ecclesiæ) providis benignisque oculis, ut sciat qui & quales sint ejus fideles, quæ eorum dotes, æque ac infirmitates: ut illas augeat, has curet & sanet. Agnoscit ergo eas tum speculative, tum practice, i. e. approbat, amat & sedulo curat eas, eisque de omnibus providet abunde, ut dixi vers. 10. imo eas omnibus suis donis, beneficiis, & gratiis cumulat.

ET COGNOSCUNT ME MEÆ] oculis fidei, spei & charitatis, quia in me credunt, sperant, meque summe amant, τὸ & significat effectum, q.d. Quia ego agnosco & diligo oves meas, hinc vicissim oves me agnoscunt & diligunt, quia amantem sui redamant: magnes enim amoris est amor: si vis amari, ama. Efficax philtrum & illicium est amor. Ita Theophyl. Ad hæc Christi amor erga nos B causat amorem vicarium in nobis erga Christum: quia enim Christus amat nos, hinc inspirat nobis charitatem, qua ipsum redamemus. Hæc enim charitas summum est bonum, non Christi, sed nostrum, adeoque ipsa nos ad cælum deducit & beatos efficit.

VERS. 15 SICUT NOVIT ME PATER, ET EGO AGNOSCO PATREM] supple, sic pariter agnoscunt me oves meæ, & ego agnosco illas, uti præcessit; inde enim pendet hæc sententia & comparatio, quam indicat τὸ *sicut*, ut advertit Cyrillus, qui sic explicat, q.d. Sicut Pater agnoscit me Filium, quasi sibi proprium, ac vicissim ego agnosco Patrem, quasi mihi proprium, sic pariter ego agnosco fideles meos, & illi vicissim me agnoscunt. Hac comparatione significat Christus tum causam & originem, tum intensionem, & magnitudinem agnitionis & amoris, qua suas oves, id est fideles, prosequitur, q.d. Cognitio & amor immensus, quo Pater me prosequitur, & ego Patrem, est origo, fons & causa cognitionis & amoris, quo ego prosequor fideles, & illi me; tum quia amor divinus & increatus est fons omnis amoris humani & creati, tum quia Pater vult ut ego magno & insigni amore amem fideles, sicut ipse immense C amat me, & ego illum: vult enim per me filium naturalem fideles meos adoptare eosque facere sibi filios adoptivos: quare eos ut filios summe amat & diligit, idem facio & ego, quia Patris amori & voluntati per omnia consentio & respondeo, imo idem mihi cum Patre est amor, sicut eadem est voluntas, natura & divinitas.

Adverte, τὸ *sicut*, significare similitudinem, non æqualitatem. Nam Pater increato, ideoque infinito, amore diligit Filium, æque ac Filius Patrem: Filius vero ut homo, diligit fideles suos amore creato & finito, similique ab eis diligitur. Erit tamen quædam hic æqualitas, si cum Maldonato sic exponas, & transponas, ut cum Christus dicit, *Cognosco oves meas*; loquatur ut Deus; cum vero dicit, *Novit me Pater, & ego agnosco Patrem*, loquatur de se ut homine. Nam quemadmodum Christus, tamquam Deus oves suas novit, oves autem ipsius, tamquam homines illum vicissim cognoscunt; ita Pater Filium, ut Deus hominem novit; & Filius ut homo Patrem suum recognoscit, & Deum suum, sicut & nos, appellat. *Ascendo*, inquit, *ad Deum meum, & Deum vestrum*, infra c. 20. 17.

D ET ANIMAM MEAM PONO PRO OVIBUS MEIS] Refert hæc non ad proxime præcedentia, sed ad *v. 14. Ego cognosco oves meas: cognosco* practice hoc est, amo oves vehementissime, q.d. Quia ego summe amo fideles, & i. e. idcirco, *animam meam pono*, i. e. brevi ponam pro eis. Interposuit enim Christus τὸ *sicut novit me Pater*, ut originem & vehementiam amoris sui erga fideles per amorem erga Patrem repræsentaret: nam hic amor stimulavit eum, ut animam suam pro ovibus poneret, τὸ *pono*, significat mortem Christi non fuisse coactam, sed voluntariam, electam, & dilectam pro salute fidelium. Ita Leont. idque exprimit Christus *v. 18. Nemo*, inquit, *tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso*. Rursum *pono*, id est ad modicum tempus depono, puta ad tres dies animam meam deponam in limbo patrum, ita ut tertio die illam resumam, & gloriose resurgam. Mors ergo Christi non tam fuit mors, quam depositum animæ in limbo ad tres dies.

VERS. 16 ET ALIAS OVES HABEO, QUÆ NON SUNT EX HOC OVILI: ET ILLAS OPORTET ME ADDUCERE, ET VOCEM MEAM AUDIENT] *Alias oves* vocat, quæ necdum in præsenti sunt, sed postea futuræ sunt oves, id est, fideles, per anticipationem τὸ *habeo* ergo ample accipitur, extenditurque ad futurum; *habeo*, id est, brevi habebo. Gentiles intelligit, qui idola colebant, ideoque erant oves non Christi, sed satanæ, quas Christus ex ovili satanæ transtulit in ovile suum, id est, in Ecclesiam suam, quam primitus ex Judæis collegerat. Prædicit ergo hic vocationem & conversionem Gentium, ut ostendat se fore regem & pastorem omnium gentium, æque ac hucusque fuerat Judæorum, ac proinde non curare si Judæi pauci sibi sint increduli & rebelles, cum in eorum locum surrogaturus sit Gentes plurimas & numerosissimas. Ita Rupertus. Unde subdit: *Et vocem meam audient*, quo dicto tacite pungit Judæos. q.d. Scio Judæos plerosque in me non credituros; sed parvi hoc facio: nam eorum loco Gentes omnes avide *vocem meam* per ora Apostolorum loquentem audient, illique obedient, & in me credent. E

ET FIET UNUM OVILE, ET UNUS PASTOR] Nonnulli vulgo sic explicant, q.d. Sub finem mundi Deus per Eliam omnes Judæos, & per Henoch omnes Gentes simul ad Christum convertet, sicque ex utrisque, id est ex omnibus hominibus, fiet una Ecclesia, & unus pastor Christus, ejusque vicarius summus Pontifex: unde exspectant Pontificem, sub quo id futurum sit, qui proinde vocandus sit *pastor Angelicus*, uti nominatur in catalogo Pontificum, quem obscure per symbola conscripsit S. Malachias, extat apud Arnoldum VVion in Vita S. Malachiæ. Verum errant: nam nec Elias omnes Judæos, nec Henoch omnes Gentes ad Christum convertet. Erunt enim tunc multi infideles & asseclæ Antichristi. Porro longe alia est mens Christi hic, nimirum hæc, q. d. Post meam mortem & resurrectionem Apostoli spargentur per omnes Gentes, illasque ad me convertent; quare tunc Gentes, antea aversæ a Judæis, simul cum eis aggregabuntur Ecclesiæ meæ, quæ cœpit ex Judæis: tunc ergo fiet *unum ovile*, id est, una Ecclesia collecta ex Judæis, & Gentibus in me credentibus, & unus pastor, nimirum Christus, ejusque vicarius Pontifex Romanus. Quare id non quasi adhuc futurum exspectatur, sed jam pridem factum est tempore Apostolorum, & tempore Constantini Magni, qui primus Christianus Imperator omnes pene gentes suo imperio G subditas Christianas effecit. Graphice idipsum ob oculos ponit Apostolus Ephes. 2. toto cap. Fiet unum ovile & unus pastor.

VERS. 17 PROPTEREA ME DILIGIT PATER: QUIA EGO PONO ANIMAM MEAM, ET ITERUM SUMAM EAM] Ne Judæi Christum, eo quod se pro ovibus suis moriturum dixerat, contemnant quasi mortalem, & in cruce moriturum; occurrit Christus hanc mortem sibi in optatis esse, & gloriosam fore, eo quod ex amore & obedientia Patris eam sponte sit obiturus, ideoque a Patre diligendus, honorandus & exaltandus, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, Philip. 2. q.d. Mors crucis mihi est dilecta & electa, quia eadem est dilecta & electa a Patre: Pater enim decrevit, me crucifigi, & mori pro salute hominum: mihique jussit crucem, & mortem hanc capessere. Quare ego ipsi obediens, ex ejus amore ultro eam capesso. Idcirco me tam sui amantem sibique in re tam ardua obedientem summe diligit Pater, ideoque summa exaltabit & glorificabit. Christus quomodo ponat & iterum sumat eam?

PONO ANIMAM.] *Animam* proprie accipe cum S. Aug. Beda & aliis, qui hinc contra Apollinarium negantem in Christo fuisse animam creatam, eo quod loco animæ esset ipsa Verbi divinitas, probant vere in Christo fuisse animam humanam. Alii per *animam* accipiunt vitam metonymice: hanc enim causat anima unita corpori. Eodem ergo uterque sensus redit. H

UT ITERUM SUMAM EAM] τὸ *ut* refer ad *pono*. q.d. Animam meam non perdo, non interimo, non annihilo, sed ad breve tempus pono, ut tertio die resurgens iterum sumam eam. Cyrillus vero refert ad τὸ *diligit Pater*. q.d. Propterea diligit me Pater, quia non solum pono animam meam pro ovibus meis, sed etiam quia iterum sumo eam, id est, non solum quia morte mea oves meas libero, sed etiam quia resurgendo vivifico. *Traditus est*, inquit D. Paulus, *propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*, Rom. 4. 25.

VERS. 18 NEMO TOLLIT EAM A ME; SED EGO PONO EAM A MEIPSO] explicat & confirmat quod dixit: *Ego pono animam meam*. q. d. Nemo animam, id est vitam, tollit a me per vim invito, sed ego sponte eam pono pro salute hominum, puta *a meipso*, id est, *mea voluntate*, ut verit

Ara-

A Arabicus, & libertate: licet enim Judæi me per vim occisuri sint, tamen hæc vis eorum nil contra me valeret, nisi ego sponte illam admitterem. Rursum admissa eorum vi, in mea adhuc potestate & libertate est mori, vel non mori. Possum enim mea divinitate ita fulcire & roborare corpus meum, ut nullis clavis, plagis, flagellis, quin & vulneribus sponte acceptis possit interimi; perinde ut fulcio corpora Beatorum, eaque reddo impassibilia. Ita Tolet. Hinc Christus in cruce clamans exspiravit, ut ostenderet se sponte & libere mori, cum adhuc vivere posset, si vellet: qui enim habebat vires ad clamandum, habebat etiam vires ad adhuc vivendum. Unde Centurio videns quod clamans exspirasset, dixit: *Vere Filius Dei erat iste*. Matth. 27. Hinc & Christus habuit superiorem quamdam & excellentem voluntatem, ut posset cum vellet morti tradi, non ante, inquit Suarez 3. p. q. 20. art. 2.

ET POTESTATEM HABEO PONENDI EAM (per mortem voluntariam & liberam:) ET POTESTATEM HABEO ITERUM SUMENDI EAM] per potentem & gloriosam resurrectionem, quam faciet anima mea beata, per vim divinitatis sibi hypostatice conjunctæ. Significat ergo hic Christus se esse Deum æque ac hominem: ut homo enim ponit B animam, ut Deus illam resumit. Ita Cyrillus.

HOC MANDATUM ACCEPI A PATRE MEO] Arabicus præponit, *quia*. Dat enim Christus causam, cur positurus sit animam, seseque facturus victimam pro salute mundi: scilicet quia id ei erat mandatum a Patre, ne Judæi, vel quis alius ei objiciat: Tu ex te assumpsisti hoc officium & dignitatem; ut habearis & colaris quasi Mediator, Messias, & salvator mundi.

Hinc patet Christum accepisse a Patre mandatum durum & grave, patiendi scilicet & moriendi in cruce, indeque die tertia resurgendi. Unde Apostolus Philip. 2. *Factus est*, inquit, *obediens* (Patri mandanti: obedientia enim proprie dicta præsupponit præceptum, imo ejus est correlativum: nam obedientia est rei præceptæ obedientia, ac vicissim præceptum est obedientiæ præceptum: hoc enim est formale obedientiæ objectum) *usque ad mortem, mortem autem crucis*. Ita S. August. tract. 82. Cyrill. & S. Ambr. lib. 5. de Fide c. 5. S. Thomas, Suarez & Theo- C logi 3. p. q. 20. art. 2. & q. 47. art. 2. Porro hoc mandatum physice non determinabat voluntatem Christi ad illud implendum, quare illam in se indifferentem & liberam relinquebat; sed ad personam Verbi pertinebat, voluntatem Jesu prævenire tot tantisque gratiæ auxiliis, quibus ipsam libere consensuram & mandatum impleturam præsciebat; atque hoc respectu, scilicet ob custodiam Verbi continuam, humanitas Christi dicitur impeccabilis extrinsece, non quod Verbum illam prædeterminaret, sed quod congrua illi auxilia suggereret, quibus prævidebat illam libere præceptum facturam. Per hanc enim præscientiam futurorum conditionalium optime salvatur libertas Christi, ut fuse docet Suarez 3. p. qu. 18. Atque hac tam generosa obedientia in re adeo difficili Christus meruit nobis salutem & sibi gloriam, ut ibidem asserit Apostolus. Hoc Dei Patris mandatum, & hanc Christi obedientiam tibi ob oculos pone, o subdite, o Religiose, cum tibi a Superiore quid difficile & arduum imperatur. Præclare R. Juda in Pirke avoth. c. 5. *Esto*, inquit, *audax ut leopardus, agilis ut aquila, celer ut hinnulus, animosus ut leo, ut exequaris voluntatem Dei patris tui, qui in celis est*.

VERS. 20 & 21. DICEBANT AUTEM MULTI EX IPSIS; DÆMONIUM HABET, ET INSANIT: QUID EUM AUDITIS? ALII DICEBANT: D HÆC VERBA NON SUNT DÆMONIUM HABENTIS, NUMQUID DÆMONIUM POTEST CÆCORUM OCULOS APERIRE?] *Dæmonium habet*: quia superbit ut Lucifer, dum ejus instinctu patrem suum facit Deum, seque filium Dei constituit.

INSANIT] Syrus, *insaniendo insanit*, id est, summe delirat & insanit, dum se ait animam ponere, id est, sponte mori, cum videamus eum vivere; & nemo sponte moriatur, sed necessitate naturæ, vel vi illata coactus. Porro Christus ad hæc probra & calumnias non respondit, tum quia indigna erant responso, tum quia jam ante iis responderat, tum quia permisit alios sibi faventes pro se respondere, ut sequitur: aliis enim magis creditur, quam sibi de seipso testanti. Ita Theophn.

VERS. 22 FACTA AUTEM SUNT ENCÆNIA IN HIEROSOLYMIS, ET HIEMS ERAT] *Encænia*, Syrus, *festum Encæniorum*, hoc est, festum dedicationis templi, cum scilicet novum (*καινὸν*, enim est novum: unde *ἐγκαινίζειν* est renovare, dedicare, initiare: unde Encænia idem sunt quod renovalia vel initialia) templum Deo dicatum est; sive primitus ædificatum a Salomone 3. Regum 8. ut vult Cyrillus; sive reædificatum a Zorobabele, post reditum a captivitate Babylonica, 1. Esdræ 6. 16. ut opinantur S. Chrys. Theoph. Leont. Euthym. sive (quod longe verius est) rursum dedicatum a Juda Machabæo. Hic enim templum profanatum, & ex parte dirutum ab Antiocho Epiphane, rursus consecravit & dedicavit, 1. Machab. 4. 59. jussitque hujus dedicationis memoriam, & festum solemne quotannis per octo dies renovari, & celebrari die 25. mensis Casleu, id est Decemb. Casleu enim incidebat partim in Novemb. partim in Decembrem. Unde sequitur: *Et hiems erat*. Hoc festum celebrabatur magna populi lætitia, ob restitutam Hebræis a Juda cum templo religionem & libertatem. Unde & *festum luminum* vocabatur, ait Josephus lib. 12. Antiquit. cap. 11. præsertim quia eodem die celebrabant festum *dati*, id est cælitus restituti *ignis*, quo cremari solebant victimæ, ut patet 2. Machab. 1. v. 18. Quare omnia, quæ narravit Joannes a c. 7. 2. hucusque contigerunt duobus mensibus, scilicet Octobri & Novembri, pura a festo Scenopegiæ, ut ibi dicitur, id est Tabernaculorum, quod celebrabatur in fine Septembris, usque ad F festum Encæniorum, quod celebrabatur in Decembri: inde vero usque ad sequens Pascha in Nisan, sive Martio, supersunt tres circiter menses, quibus Christus omnia gessit, quæ deinceps usque ad finem libri narrat Joannes hic, & Lucas a cap. 15. usque ad finem Evangelii.

Tropologice Encænia hæc significabant renovationem animæ peccato pollutæ, quæ per pœnitentiam rursus se sanctificat, & consecrat Deo. Vide Riberam lib. 4. de Templo cap. 17.

ET HIEMS ERAT] Hoc dicit Evangelista, ait Theoph. ad significandum proximum tempus passionis: in vere enim sequenti passus est Dominus. Addit Cyril. hoc dici, ut significetur causa, cur Jesus ambularit in porticu; quia scilicet hiems erat, tempusque frigidum, vel pluvium, quare Jesus non in atrio, quod erat sub dio, sed in porticu superne tecta ambulabat, ut ab injuriis aeris se defenderet. Mystice per hiemem, ait Glossa, significatur Judæorum frigiditas, qui non accedunt ad ignem, id est, in Christum non credunt. Audi S. Augustinum. Judæi frigebant diligendi charitate, & ardebant nocendi cupiditate; non accedebant prosequendo, G sed premebant persequendo. Et Theoph. Tu etiam, inquit, dum hiems est, id est, vita præsens turbinibus iniquitatis concutitur, spiritualia encænia templi tui celebra, renovando teipsum semper, & ascensiones in corde tuo disponens, eritque tibi Jesus præsto in porticu Salomonis, pacificum statum tribuens. Sic & S. Greg. 2. Moral. c. 2.

ET AMBULABAT JESUS IN TEMPLO] hoc est, in porticu templi, ut sequitur. Porticus enim templi est pars extima templi, ideoque templum vocatur. VERS. 23

IN PORTICU SALOMONIS] q.d. Cum dico Jesum ambulasse in templo, intelligo non ipsum templum (in templo enim non decet ambulare) sed porticum templo adjacentem. Quæres, quænam fuit hæc porticus? Nota. Templum Judæorum proprie duas habebat partes: prior dicebatur hebraice *Hechal*, latine *Sanctum*, in quo soli versabantur sacerdotes, in eaque tria munia peragebant; scilicet Primo, quotidie mane & vespere adolebant Deo thymiama in altari thymiamatis. Secundo, accendebant septem lucernas quæ erant in candelabro. Tertio, quovis sabbato novos panes duodecim, juxta 12. tribus, ponebant coram Domino in mensa panum propositionis, & veteres auferebant. Posterior hebr. dicebatur דביר *debir*, latine *oraculum* & *Sanctum Sanctorum*, in quod solus pontifex semel in anno ingrediebatur, puta in festo expiationis, ut præscribitur Levit. 16. Cum ergo utraque pars templi solis sacerdotibus prognatis ex tribu Levi pateret, Christus autem non fuerit sacerdos oriundus ex Levi, sed ex tribu Juda; hinc sequitur Christo non licuisse ingredi templum; hoc est Sanctum, multo minus Sanctum Sanctorum. H

Porro ante templum hoc bipartitum, erat אלם *ulam*, id est, atrium vel vestibulum, sub dio pariter bipartitum. Prior enim ejus pars vicina Sancto, erat atrium sacerdotum, in quo sacerdotes offerebant victimas in altari holocaustorum. Posterior ejus pars erat atrium exterius contiguum atrio interiori sacerdotum, vocabaturque *atrium laicorum*; in quo scilicet populus orabat, & spectabat sacrificia, quæ fiebant in atrio

Encænia quid? Porticus Salomonis quæ?

Digitized by Google

A sacerdotum ; unde hoc atrium erat templum populi, in eoque versatus est & docuit Christus. Hoc atrium latere circumcirca habebat porticus superne tectas, ad quas populus tempore pluviæ, veni, grandinis, &c. se reciperet, ubi patet 3. Regum 6. 3. Has porticus hic vocari *porticum Salomonis*, censet Ribera libr. 1. de Templo cap. 6. Adrichomius & alii. q. d. Joannes : Christus ambulabat in templo, at non in ipso atrio templi, sed in porticum, quæ cingebat atrium.

Alii cum Vilalpando, Maldonato, & aliis verisimilius opinantur peculiarem hanc fuisse porticum, quæ dicta sit Salomonis, eo quod Salomon diu post ædificatum templum, complanato montis clivo, ad partem Orientalem templi porticum hanc ædificarit, teste Josepho l. 6. Belli c. 6. qui ait Salomonem montem Sion, in quo erat templum, muro cinxisse, & planitiem aggere muniviſſe, ac in planitie porticum extruxisse. Dicta ergo fuit *Salomonis*, non quod in ea Salomon soleret orare, ut vult Interl. sed ad distinctionem aliarum porticuum, quas alii deinde, ac præsertim Herodes templo adjecerunt, sive ipsa porticus a Salomone ædificata, reliquo templo a Chal-
B dæis combusto, sola superstes manserit, ut censet Baron. & alii ; sive quod eodem loco, & eadem forma & modo, reædificata sit, quo primitus a Salomone fuerat constructa. Plura de hac porticu dixi Act. 3. v. 11.

VERS. 24 CIRCUMDEDERUNT ERGO EUM JUDÆI (Judæorum Scribæ & principes Christo infensi) ET DICEBANT EI : QUOUSQUE ANIMAM NOSTRAM TOLLIS ?] Syrus *retines* ? Arabic. *affligis* ? Hoc est, quousque nos tenes suspensos, dubios & ambiguos. Sic enim nos affligis : videris enim mentem nostram suspendere, dum mentis nostræ cogitationes, & curas tenes in suspenso. Optamus enim videre Messiam, ac cupimus ut tu sis, teque Messiam esse profitearis. Fingunt enim se id cupere, ut confessionem ex ore Christi eliciant, quam calumnientur. Nam, ut ait S. August. non veritatem desiderant, sed calumniam præparant, ut accusent eum, quod se faciat Messiam. Sic & Chrysost. Theoph. Euthym. sed Christus, ait Glossa, sic responsionem temperat, ut nec calumniæ locus sit, & fidelibus constet ipsum esse Christum Dei Filium.

SI TU ES CHRISTUS, DIC NOBIS PALAM] Græce, παῤῥησίᾳ, id est, libere, fidenter, clare, ut te pro Messia
C nostro publice omnes colere & venerari possimus. Ita isti hypocritæ, & insidiatores Christi, de quibus vere prædixit David : *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me*, Ps. 21. 17. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis*. Ps. 117. 12. Nam, ut ait S. Chrys. Christus palam omnia dicebat, & nihil occulte loquebatur. Unde S. August. Quærebant, inquit, audire ; Ego sum Christus : quod si diceret, calumniarentur, quasi sibi arrogaret regiam potestatem.

VERS. 25 LOQUOR VOBIS ET NON CREDITIS ; OPERA QUÆ EGO FACIO IN NOMINE PATRIS MEI, HÆC TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME] q. d. Palam & clare dixi vobis me esse Messiam, sed vos mihi non creditis, unde dixistis cap. 8. 15. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*. Porro ego id quod de me dixi, scilicet me esse Messiam, operibus Dei & miraculis confirmavi, & assidue confirmo : hæc enim ego facio *in nomine*, id est, auctoritate, voluntate, jussu, vi & potentia supernaturali Dei Patris ; quare illa testimonium perhibent de me, quod ego sim Dei Patris filius, ab eo quasi Messias missus, & legatus in terram ; sed vos in perfidia obstinati,
D operibus hisce non creditis, imo ea esse opera diaboli calumniamini : quomodo ergo verbis meis credetis ? Ita S. Chrysostomus.

VERS. 26 SED VOS NON CREDITIS, QUIA NON ESTIS EX OVIBUS MEIS] quia scilicet non vultis mihi quasi pastori subjici, non vultis mei esse fideles & discipuli, non vultis me pro vestro Messia, & Salvatore agnoscere ; sed ipsi vultis me vobis subjicere, ac mei esse non pastores, sed Superiores, censores, & calumniatores. Ambitio ergo est, quæ facit vos mihi invidere primatum Ecclesiæ, ideoque mihi credere nolle. S. August. per *oves* accipit prædestinatos. q. d. Vos non creditis, quia non estis prædestinati, sed reprobi. Verum hæc causa non est propria, nec adæquata : non propria, quia reprobatio Dei non est causa, sed potius effectus infidelitatis & peccati. Non enim quia Deus reprobaverat Judæos, ideo ipsi erant infideles, & peccabant ; sed quia ipsi volebant esse infideles, & peccare, ideo fuere a Deo reprobati. Non adæquata, quia multi ex Judæis erant prædestinati, qui tamen tunc non credebant in Christum, sed postea prædicante Petro, & Apostolis, Actor. 2. in eum crediderunt. Rursum nonnulli tunc credebant in Christum, qui tamen non erant prædestinati, quia postea vel a fide, vel a charitate per peccatum exciderunt, uti excidit Judas, Nicolaus Antiochenus, & alii. E

OVES MEÆ VOCEM MEAM AUDIUNT] Christus Ju- VERS. 27
dæis subsumendum relinquit : Vos autem vocem meam non auditis ; ergo non estis ex ovibus meis. Hoc enim probare intendit. Vide dicta v. 4.

ET EGO VITAM ÆTERNAM DO EIS : ET NON PERI- VERS. 28
BUNT IN ÆTERNUM, ET NON RAPIET EAS QUISQUAM DE MANU MEA] Duplices sunt oves Christi ; Primo, omnes fideles & Christiani ; Secundo, omnes & soli prædestinati electique ad gloriam. His secundis proprie competunt hæc verba Christi : priores enim, pura fideles omnes sunt oves Christi gregales & communes, e quibus multi pereunt & damnantur. Ita S. August. Ostendit, ait, quare non pereant : de ovibus enim, de quibus dicitur : *Novit Dominus qui sunt ejus*, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Posteriores ergo sunt oves Christi, e F
grege fidelium selectæ & singulares, e quibus nullas perit, sed omnes salvantur : de prioribus tamen quoque ait Christus ; *Ego vitam æternam do eis*, quantum scilicet ex me est ; quia nimirum promitto eis vitam æternam, meamque opem, & gratiam, omniaque necessaria ad illam ipsis offero, optoque ut salventur. Quod ergo nonnulli ex eis pereant & damnentur, non mea, sed ipsorum est culpa, qui me audire, gratiasque meæ cooperari nolunt. Nam nec diabolus, nec quis alius tam potens est ut eos rapere possit de manu mea, si ipsi in ea permanere velint, nolintque rapi. Gratia enim mea, quam eis do, tam potens est & valida, ut si ei cooperari usque ad finem vitæ velint, nemo eos possit a me abripere ; sed si ipsi libere me relinquant, non est hic raptus, sed liber eorum abitus, apostasia, discessus. Ita Cyrill. Leont. Theophyl. Maldonatus. Vult enim dicere Christus, nullam esse tantam vim, quæ fideles a se abstrahere, & abripere possit, esto ipsorum libertatis sit posse a Christo abire, eumque deserere.

Ego ergo omnibus ovibus, id est Christianis, *do vitam æternam*, videlicet quantum est ex parte mea, si nimirum ipsi oves meæ maneant, ac in fide & obedientia mea persistant. *Do eis*, inquam, *vitam æternam*, in hoc sæculo per gratiam in spe, reipsa datus in futuro per gloriam. Hac enim promissione invitat Judæos, ut velint esse oves, id est, fideles sui, ac redarguit eos, quod oves suæ esse nolint. G

Denique fideles sunt *in manu*, id est, tutela, protectione, providentia, benevolentia, beneficentia, Christi ; horum enim omnium symbolum est manus. Hinc *manus*, ait S. Isidor. lib. 11. Etymol. c. 1. *dicitur, quod sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia atque dispensat : per eam accipimus & damus*.

PATER MEUS, QUOD DEDIT MIHI, MAJUS OMNIBUS VERS. 29
EST (ita legendum cum Roman. S. Aug. Ambros. Tertull. Rupert. Beda. Licet Græca & Syrus habeant μείζων, id est, *major* :) ET NEMO POTEST RAPERE DE MANU PATRIS MEI] Probat Christus neminem posse oves rapere de manu sua : Quia, inquit, id quod gignendo dedit mihi Pater, pura natura divina, ejusque omnipotens vis & potestas, omnibus rebus creatis, etiam angelis & dæmonibus, est major ; ac proinde sicut nemo potest eas rapere de H
manu Patris, sic nec de mea, quia eadem est manus, id est, vis & potestas Patris & mea, ita S. August. Beda, Maldonat. hic, & S. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. Hilar. lib. 7. de Trinit. & Tertull. lib. contra Praxeam. Opponit Christus hoc Judæis, qui eum putabant merum esse hominem. q. d. Vos me contemnitis, quasi nil habeam nisi naturam humanam vobis communem, quam dedit mihi mater mea ; sed scitote Patrem æternum mihi insuper dedisse naturam & hypostasim divinam, quæ omni natura humana, angelica & creata longe major, sublimior & potentior est.

Aliter alii, q. d. Ecclesia, oves que, id est fideles, mihi a Patre commissæ, sunt majus quid rebus cæteris, id est, pluris faciendæ sunt quam quidvis aliud, quas sicut nemo rapere potest de manu Patris, sic nec de mea. Sed prior sensus uti sublimior, sic & nervosior est.

Porro Græci & Syrus legunt, *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est*, idque sic exponit Cyrillus, q. d. Pater meus, qui omnium rerum est dominus, omniaque regit

Digitized by Google

A git & gubernat, mihi filio suo incarnato dedit, id est commisit, curam ovium, id est fidelium; mihi inquam, qui sum vita, ut eamdem vitam gratiæ & gloriæ eisdem communicem. *Pater autem major omnibus est*: unde nemo potest oves rapere de manu Patris, ac consequenter nec de mea, quia eadem est potestas Patris & mea, qua Deus sum, qua homo vero, manus mea fulcitur omnipotenti manu Patris. Unde Interlin. *de manu* exponit *de me*; *qui sum manus Patris*. Nam, ut ait Aug. Solent homines dicere manus suas illos, per quos faciunt quod volunt. Et sic utraque lectio & expositio eodem redit.

VERS. 30 EGO ET PATER UNUM SUMUS] non tantum voluntatis concordia, & consensu, uti volunt Ariani, sed *unum* in essentia & deitate, eadem numero, non specie: alioqui enim plures essent alii. Loquitur enim Christus hic, qua Deus est, & Verbum Patris: unde S. Athanas. Aug. Cyrill. Basil. Ambr, cæteriqne Patres hinc probant Filii divinitatem contra Arianos. Et ita intellexerunt Judæi, qui idcirco voluerunt Christum lapidare, ut sequitur, quasi blasphemum, eo quod se faceret Filium Dei, Deoq; Patri æquaret. Ita quoque exposuit Christus, quia cum B Judæi ob hoc ejus dictum vellent eum lapidare, confirmans, illud, respondit, quod *Filius Dei sum*. Denique id patet ex argumentatione Christi; Christus enim probat neminem posse oves rapere de manu sua, ex eo quod nemo possit eas rapere de manu Dei Patris, eo quod ipse & Pater unum sint, q. d. Quia unum sum cum Patre in essentia, hinc eamdem cum eo habeo manum, id est, potestatem; & omnipotentiam; ubi enim eadem est essentia, ibi eadem quoque est potentia. Ergo nemo potest rapere oves de manu mea, quia manus mea est manus Patris, de qua nemo eas rapere prævalet. Ita S. Hilar. libr. 8. de Trinit. Unum sunt, inquit, Pater & Filius, non solum voluntate & unanimitate, ut dicunt hæretici (quomodo dicitur de fidelibus c. 17. *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*) sed natura, honore & virtute. Et S. Aug. A Charybdi, inquit, & Scylla liberat, cum dicit, *unum*, ab Ario: cum dicit, *sumus*, a Sabellio: *unum* enim significat unitatem essentiæ, *sumus* pluritatem personarum, quam negabat Sabellius, dicens Deum esse unum in persona, sicut est unus in essentia. Idem Aug. lib. 6. de Trinit. C cap. 2. Unum sunt, inquit, secundum essentiam, non secundum relationem, quæ constituit personam. Vide Bellarm. lib. 1. de Christo c. 6.

VERS. 31 SUSTULERUNT ERGO LAPIDES JUDÆI, UT LAPIDARENT EUM] quasi blasphemum, eo quod se faceret Dei filium, ideoque Deum. Ecce hic produnt Judæi suam hypocrisin, malignitatem, livorem & odium in Christum, quodque non sincere, sed ficte & insidiose rogarint eum, ut palam ediceret se esse Christum. Sed Christus, quia Deus continuit eorum mentes, & manus, ne lapides, quos tenebant, in eum jacerent. Apte S. August more suo: Duri, inquit, ad lapides cucurrerunt. Mystice S. Hilar. l. 7. de Trinit. Et nunc, inquit, hæretici verborum lapides injiciunt, & Christum de throno suo, si possent, detraherent: instigati nimirum a Lucifero, qui thronum hunc divinitatis ambivit, ideoque eum Christo invidet, & per hæreticos auferre satagit.

Jesum lapidare volunt Judæi.

VERS. 32 RESPONDIT EIS JESUS: MULTA BONA OPERA OSTENDI (id est, exhibui, præstiti, ut dixi cap. 5. 20.) VOBIS EX PATRE MEO: PROPTER QUOD EORUM OPUS ME LAPIDATIS?] *Respondit*, non verbis, utpote quæ nulla præcesserunt, sed intentioni & machinationi Judæorum. *Respondit* ergo, id est interrogavit (est catachresis) qua de causa, sive propter quod opus vultis me lapidare? *Opera* vocat miracula, quæ auctoritate, & ope supernaturali Dei Patris fecerat, cæcos illuminando, energumenos sanando, mortuos suscitando, &c. ubi tacite arguit, pungitque eorum ingratitudinem & malignitatem. q. d. Ego vestros cæcos, claudos, ægros omni ope humana destitutos virtute divina curavi, cur ergo vos ingrati tot beneficiis meis rependitis maleficia, meque vultis lapidare? D

VERS. 33 RESPONDERUNT EI JUDÆI: DE BONO OPERE (propter bonum opus) NON LAPIDAMUS TE, SED DE BLASPHEMIA: ET (id est) QUIA TU HOMO CUM SIS, FACIS TEIPSUM DEUM] Ecce Judæi, ait S. August. intellexerunt, quod Ariani non intelligunt. Senserunt enim non posse dici: *Ego & Pater unum sumus*; nisi ubi æqualitas est Patris & Filii.

VERS. 34 RESPONDIT EIS JESUS: NONNE SCRIPTUM EST IN LEGE VESTRA (id est, in veteri Scriptura, sive Testamento, nimirum Ps. 81. 6.) QUIA EGO DIXI: DII ESTIS?] *Dii* hebr. *Elohim*. *Elohim* enim est plurale, & tam Deum, quam deos significat. Dicitur enim Deus *Elohim*, quatenus orbem regit & gubernat, ac quatenus judex est, scelerumq; vindex & ultor. Unde angeli & judices, qui hanc potestatem regendi & judicandi a Deo accipiunt & participant, vocantur *Elohim* Ps. 81. 6. Hi ergo vocantur dii, non natura, nec unione hypostatica, ut Christus, sed participatione eminentiæ & judicii divini. Sic Exodi 7. 1. ait Deus Mosi, *constitui te in Deum Pharaonis: deum*, id est principem, castigatorem & vindicem vice Dei. Et Exodi 22. 28. *Diis*, id est judicibus, *non maledices*. Et Ps. 8. 6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis*; hebr. *ab elohim*. Sed tunc, ut advertit S. Hilar. l. 7. de Trinit. ex adjunctis nomen *Elohim* limitatur ut appareat illud non Deum, sed angelos vel judices significare, ut hoc Ps. 81. limitatur, ex eo quod additur: *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos dijudicat*. Dii ergo, qui judicantur sunt homines vel angeli: qui vero eos dijudicat, solus est Deus, unus & verus, sicut hic Christus quasi Deus Pharisæos, & Principes Judæorum, qui quasi quidam terrestres erant dii, velut summus judex dijudicat, examinat & coarguit, F ait S. Aug. Atque ut hoc innueret Christus, hac de causa locum hunc psalmi præ aliis citavit; hebr. enim Ps. 81. sic habetur: *Elohim judicat elohim*, id est, Deus qui per Essentiam est *Elohim*, id est, gubernator & judex omnium, judicat *elohim*, id est judices, quibus divinam suam potestatem regendi & judicandi communicavit. q. d. Summus & cælestis elohim judicat inferiores & terrestres elohim, id est, judices & principes. Unde Chald. vertit, *Deus cujus majestas commoratur in congregatione justorum, qui potentes sunt in lege, & in medio judicum in veritate judicat*. Idem Chald. Ps. 81. v. 6. pro, *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes*, vertit, *estis sicut angeli Dei excelsi*: quod proprie de judicibus dicitur; potest tamen extendi ad omnes Israelitas & fideles, ut extendit ibidem S. August. Hi enim sunt filii Dei. Nam alibi ubi elohim absolute ponitur, nec ex adjunctis limitatur, significat Deum unum & verum.

Elohim Hebræum quid?

Christus ergo hic, ait Chrysost. non destruit opinionem Judæorum existimantium, quod ipse se Deo patrem diceret, sed magis confirmat.

SI ILLOS DIXIT DEOS, AD QUOS SERMO DEI FACTUS G EST, quos sermo Dei judices constituit, id est, quibus Deus suo sermone & jussu auctoritatem judicandi dedit VERS. 35 per Mosen, ejusque successores. Item proprie, ad quos sermo Dei factus est illo Ps. 81. quo mandat Deus judicibus ut recte judicarent, quasi participantes suam auctoritatem; suique vicarii, ideo dii quidam terræ. Ita Euthym. ET NON POTEST SOLVI, irritari, fieri falsa, & mendax, SCRIPTURA. q. d. Nemo potest irritare, & auferre a judicibus nomen deorum, quod Scriptura divina & irrevocabilis ei dedit: QUEM PATER SANCTIFICAVIT, ET MISIT IN MUNDUM (me scilicet) VOS DICITIS: QUIA (quod) BLASPHEMAS: QUIA DIXI, FILIUS DEI SUM] Est argumentum non a pari, ut volunt Ariani, sed a minori ad majus. q. d. Si judices, qui participant potestatem Dei, vocantur dii, quanto magis ego vocandus sum Deus, qui sum Filius Dei naturalis, ab eo sanctificatus missus in mundum? VERS. 36

Acutius quam germanius S. August. & Beda censent in eo quoque argumenti vim esse, quod dicat: *Ad quod sermo Dei factus est*, quasi diceret: Si illi, qui sermonis Dei participes fuerunt, Scriptura teste, *quæ solvi*, id est mentiri, *non potest*, dii merito vocati sunt; quanto magis ego, qui non sermonis Dei particeps, sed ipse Dei sermo sum, Deus vocari possum? H

Nota, *in quem Pater sanctificavit*, Primo idem est quod cui Pater sanctitatem, qua ipse sanctus est communicavit, sive cui Pater gignendo ut sanctus esset dedit, quia sanctum genuit, ait S. August. Nam sanctus Deus Pater genuit sanctum Dei Filium. Sic & Beda, Toletus & alii: Filius ergo est sanctus per generationem & essentiam. Pater Filium sanctificavit. Primo.

Secundo, Christum qua homo est Pater sanctificavit per unionem hypostaticam: per hanc enim præcise summe sanctificata est humanitas Christi: hoc ipso enim quo hypostasis Verbi, quæ ipsa est sanctitas increata & infinita, humanitatem assumpsit, sibique hypostatice copulavit, eam plane sanctificavit: ideoque sanctitatem eximiam charitatis gratiæ, omniumque virtutum animæ ejusdem infudit. Ita S. Hilar. Jesus, ait, sanctificatus est in Filium, dicente Paulo, quod *prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis*. Sic & S. Chrys. & S. Athan. Secundo.

Digitized by Google

A sacerdotum; unde hoc atrium erat templum populi, in eoque versatus est & docuit Christus. Hoc atrium a latere circumcirca habebat porticus superne tectas, ad quas populus tempore pluviæ, venti, grandinis, &c. se reciperet, ubi patet 3. Regum 6. 3. Has porticus hic vocari *porticum Salomonis*, censet Ribera libr. 1. de Templo cap. 6. Adrichomius & alii. q. d. Joannes: Christus ambulabat in templo, at non in ipso atrio templi, sed in porticum, quæ cingebat atrium.

Alii cum Vitalpando, Maldonato, & aliis verisimilius opinantur peculiarem hanc fuisse porticum, quæ dicta sit Salomonis, eo quod Salomon diu post ædificatum templum, complanato montis clivo, ad partem Orientalem templi porticum hanc ædificarit, teste Josepho l. 6. Belli c. 6. qui ait Salomonem montem Sion, in quo erat templum, muro cinxisse, & planitiem aggere muniviſſe, ac in planitie porticum extruxisse. Dicta ergo fuit *Salomonis*, non quod in ea Salomon soleret orare, ut vult Interl. sed ad distinctionem aliarum porticuum, quas alii deinde, ac præsertim Herodes templo adjecerunt, sive ipsa porticus a Salomone ædificata, reliquo templo a Chal-
B dæis combusto, sola superstes manserit, ut censet Baron. & alii; sive quod eodem loco, & eadem forma & modo, reædificata sit, quo primitus a Salomone fuerat constructa. Plura de hac porticu dixi Act. 3. v. 11.

VERS. 24 CIRCUMDEDERUNT ERGO EUM JUDÆI (Judæorum Scribæ & principes Christo infensi) ET DICEBANT EI: QUOUSQUE ANIMAM NOSTRAM TOLLIS?] Syrus *retines?* Arabic. *affligis?* Hoc est, quousque nos tenes suspensos, dubios & ambiguos. Sic enim nos affligis: videris enim mentem nostram suspendere, dum mentis nostræ cogitationes, & curas tenes in suspenso. Optamus enim videre Messiam, ac cupimus ut tu sis, teque Messiam esse profitearis. Fingunt enim se id cupere, ut confessionem ex ore Christi eliciant, quam calumnientur. Nam, ut ait S. August. non veritatem desiderant, sed calumniam præparant, ut accusent eum, quod se faciat Messiam. Sic & Chrysost. Theoph. Euthym. sed Christus, ait Glossa, sic responsionem temperat, ut nec calumniæ locus sit, & fidelibus constet ipsum esse Christum Dei Filium.

SI TU ES CHRISTUS, DIC NOBIS PALAM] Græce, παῤῥησίᾳ, id est, libere, fidenter, clare, ut te pro Messia
C nostro publice omnes colere & venerati possimus. Ita isti hypocritæ, & insidiatores Christi, de quibus vere prædixit David: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me*, Ps. 21. 17. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis*. Ps. 117. 12. Nam, ut ait S. Chrys. Christus palam omnia dicebat, & nihil occulte loquebatur. Unde S. August. Quærebant, inquit, audire: Ego sum Christus: quod si diceret, calumniarentur, quasi sibi arrogaret regiam potestatem.

VERS. 25 LOQUOR VOBIS ET NON CREDITIS; OPERA QUÆ EGO FACIO IN NOMINE PATRIS MEI, HÆC TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME] q. d. Palam & clare dixi vobis me esse Messiam, sed vos mihi non creditis, unde dixistis cap. 8. 15. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*. Porro ego id quod de me dixi, scilicet me esse Messiam, operibus Dei & miraculis confirmavi, & assidue confirmo: hæc enim ego facio *in nomine*, id est, auctoritate, voluntate, jussu, vi & potentia supernaturali Dei Patris; quare illa testimonium perhibent de me, quod ego sim Dei Patris filius, ab eo quasi Messias missus, & legatus in terram; sed vos in perfidia obstinati,
D operibus hisce non creditis, imo ea esse opera diaboli calumniamini: quomodo ergo verbis meis credetis? Ita S. Chrysostomus.

VERS. 26 SED VOS NON CREDITIS, QUIA NON ESTIS EX OVIBUS MEIS] quia scilicet non vultis mihi quasi pastori subjici, non vultis mei esse fideles & discipuli, non vultis me pro vestro Messia, & Salvatore agnoscere; sed ipsi vultis me vobis subjicere, ac mei esse non pastores, sed Superiores, censores, & calumniatores. Ambitio ergo est, quæ facit vos mihi invidere primatum Ecclesiæ, ideoque mihi credere nolle. S. August. per *oves* accipit prædestinatos, q. d. Vos non creditis, quia non estis prædestinati, sed reprobi. Verum hæc causa non est propria, nec adæquata: non propria, quia reprobatio Dei non est causa, sed potius effectus infidelitatis & peccati. Non enim quia Deus reprobaverat Judæos, ideo ipsi erant infideles, & peccabant; sed quia ipsi volebant esse infideles, & peccare, ideo fuere a Deo reprobati. Non adæquata, quia multi ex Judæis erant prædestinati, qui tamen tunc non credebant in Christum, sed postea prædicante Petro, & Apostolis, Actor. 2. in eum crediderunt. Rursum nonnulli tunc credebant in Christum, qui tamen non erant prædestinati, quia postea vel a fide, vel a charitate per peccatum exciderunt, uti excidit Judas, Nicolaus Antiochenus, & alii. E

OVES MEÆ VOCEM MEAM AUDIUNT] Christus Ju- VERS. 27
dæis subsumendum relinquit: Vos autem vocem meam non auditis, ergo non estis ex ovibus meis. Hoc enim probare intendit. Vide dicta v. 4.

ET EGO VITAM ÆTERNAM DO EIS: ET NON PERI- VERS. 28
BUNT IN ÆTERNUM, ET NON RAPIET EAS QUISQUAM DE MANU MEA] Duplices sunt oves Christi, Primo, omnes fideles & Christiani; Secundo, omnes & soli prædestinati electique ad gloriam. His secundis proprie competunt hæc verba Christi: priores enim, pura fideles omnes sunt oves Christi gregales & communes, e quibus multi pereunt & damnantur. Ita S. August. Ostendit, ait, quare non pereant: de ovibus enim, de quibus dicitur: *Novit Dominus qui sunt ejus*, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Posteriores ergo sunt oves Christi, e F
grege fidelium selectæ & singulares, e quibus nullas perit, sed omnes salvantur: de prioribus tamen quoque ait Christus; *Ego vitam eternam do eis*, quantum scilicet ex me est; quia nimirum promitto eis vitam æternam, meamque opem, & gratiam, omniaque necessaria ad illam ipsis offero, optoque ut salventur. Quod ergo nonnulli ex eis pereant & damnentur, non mea, sed ipsorum est culpa, qui me audire, gratiæque meæ cooperari nolunt. Nam nec diabolus, nec quis alius tam potens est ut eos rapere possit de manu mea, si ipsi in ea permanere velint, nolintque rapi. Gratia enim mea, quam eis do, tam potens est & valida, ut si ei cooperari usque ad finem vitæ velint, nemo eos possit a me abripere; sed si ipsi libere me relinquant, non est hic raptus, sed liber eorum abitus, apostasia, discessus. Ita Cyrill. Leont. Theophyl. Maldonatus. Vult enim dicere Christus, nullam esse tantam vim, quæ fideles a se abstrahere, & abripere possit, esto ipsorum libertatis sit posse a Christo abire, eumque deserere.

Ego ergo omnibus ovibus, id est Christianis, *do vitam eternam*, videlicet quantum est ex parte mea, si nimirum ipsi oves meæ maneant, ac in fide & obedientia mea persistant. *Do eis*, inquam, *vitam eternam*, in hoc sæculo per gratiam in spe, reipsa datus in futuro per gloriam. Hac enim promissione invitat Judæos, ut velint esse oves, id est, fideles sui, ac redarguit eos, quod oves suæ esse nolint. G

Denique fideles sunt *in manu*, id est, tutela, protectione, providentia, benevolentia, beneficentia, Christi; horum enim omnium symbolum est manus. Hinc *manus*, ait S. Isidor. lib. 11. Etymol. c. 1. *dicitur, quod sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia atque dispensat: per eam accipimus & damus.*

PATER MEUS, QUOD DEDIT MIHI, MAJUS OMNIBUS VERS. 29
EST (ita legendum cum Roman. S. Aug. Ambros. Tertull. Rupert. Beda. Licet Græca & Syrus habeant μείζων, id est, *major*:) ET NEMO POTEST RAPERE DE MANU PATRIS MEI] Probat Christus neminem posse oves rapere de manu sua: Quia, inquit, id quod gignendo dedit mihi Pater, puta natura divina, ejusque omnipotens vis & potestas, omnibus rebus creatis, etiam angelis & dæmonibus, est major; ac proinde sicut nemo potest eas rapere de H
manu Patris, sic nec de mea, quia eadem est manus, id est, vis & potestas Patris & mea, ita S. August. Beda, Maldonat. hic, & S. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. Hilar. lib. 7. de Trinit. & Tertull. lib. contra Praxeam. Opponit Christus hoc Judæis, qui eum putabant merum esse hominem. q. d. Vos me contemnitis, quasi nil habeam nisi naturam humanam vobis communem, quam dedit mihi mater mea; sed scitote Patrem æternum mihi insuper dedisse naturam & hypostasim divinam, quæ omni natura humana, angelica & creata longe major, sublimior & potentior est.

Aliter alii, q. d. Ecclesia, ovesque, id est fideles, mihi a Patre commissæ, sunt majus quid rebus cæteris, id est, pluris faciendæ sunt quam quidvis aliud, quas sicut nemo rapere potest de manu Patris, sic nec de mea. Sed prior sensus uti sublimior, sic & nervosior est.

Porro Græci & Syrus legunt, *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est*, idque sic exponit Cyrillus, q. d. Pater meus, qui omnium rerum est dominus, omniaque regit

A gis & gubernas, mihi filio suo incarnato dedit, id est commisit, curam ovium, id est fidelium; mihi inquam, qui sum vita, ut eamdem vitam gratiæ & gloriæ eisdem communicem. *Pater autem major omnibus est*: unde nemo potest oves rapere de manu Patris, ac consequenter nec de mea, quia eadem est potestas Patris & mea, qua Deus sum, quia homo vero, manus mea fulcitur omnipotenti manu Patris. Unde Interlin. *de manu* exponit *de me*; *qui sum manus Patris*. Nam, ut ait Aug. Solent homines dicere manus suas illos, per quos faciunt quod volunt. Et sic utraque lectio & expositio eodem redit.

VERS. 30 EGO ET PATER UNUM SUMUS] non tantum voluntatis concordia, & consensu, uti volunt Ariani, sed *unum* in essentia & deitate, eadem numero, non specie: alioqui enim plures essent alii. Loquitur enim Christus hic, qua Deus est, & Verbum Patris: unde S. Athanas. Aug. Cyrill. Basil. Ambr, cæteriqne Patres hinc probant Filii divinitatem contra Arianos. Et ita intellexerunt Judæi, qui idcirco voluerunt Christum lapidare, ut sequitur, quasi blasphemum, eo quod se faceret Filium Dei, Deoq; Patri æquaret. Ita quoque exposuit Christus, quia cum B Judæi ob hoc ejus dictum vellent eum lapidare, confirmans, illud, respondit, quod *Filius Dei sum*. Denique id patet ex argumentatione Christi; Christus enim probat neminem posse oves rapere de manu sua, ex eo quod nemo possit eas rapere de manu Dei Patris, eo quod ipse & Pater unum sint. q. d. Quia unum sum cum Patre in essentia, hinc eamdem cum eo habeo manum, id est, potestatem; & omnipotentiam: ubi enim eadem est essentia, ibi eadem quoque est potentia. Ergo nemo potest rapere oves de manu mea, quia manus mea est manus Patris, de qua nemo eas rapere prævalet. Ita S. Hilar. libr. 8. de Trinit. Unum sunt, inquit, Pater & Filius, non solum voluntate & unanimitate, ut dicunt hæretici (quomodo dicitur de fidelibus c. 17. *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*) sed natura, honore & virtute. Et S. Aug. A Charybdi, inquit, & Scylla liberat, cum dicit, *unum*, ab Ario: cum dicit, *sumus*, a Sabellio: *unum* enim significat unitatem essentiæ, *sumus* pluritatem personarum, quam negabat Sabellius, dicens Deum esse unum in persona, sicut est unus in essentia. Idem Aug. lib. 6. de Trinit. C cap. 2. Unum sunt, inquit, secundum essentiam, non secundum relationem, quæ constituit personam. Vide Bellarm. lib. 1. de Christo c. 6.

VERS. 31 SUSTULERUNT ERGO LAPIDES JUDÆI, UT LAPIDARENT EUM] quasi blasphemum, eo quod se faceret Dei filium, ideoque Deum. Ecce hic produnt Judæi suam hypocrisin, malignitatem, livorem & odium in Christum, quodque non sincere, sed ficte & insidiose rogarint eum, ut palam ediceret se esse Christum. Sed Christus, quia Deus continuit eorum mentes, & manus, ne lapides, quos tenebant, in eum jacerent. Apte S. August more suo: Duri, inquit, ad lapides cucurrerunt. Mystice S. Hilar. l. 7. de Trinit. Et nunc, inquit, hæretici verborum lapides injiciunt, & Christum de throno suo, si possent, detraherent: instigati nimirum a Lucifero, qui thronum hunc divinitatis ambivit, ideoque eum Christo invidet, & per hæreticos auferre satagit.

Jesum lapidare volunt Judæi.

VERS. 32 RESPONDIT EIS JESUS: MULTA BONA OPERA OSTENDI (id est, exhibui, præstiti, ut dixi cap. 5. 20.) VOBIS EX PATRE MEO: PROPTER QUOD EORUM OPUS ME LAPIDATIS?] *Respondit*, non verbis, utpote quæ nulla præcesserunt, sed intentioni & machinationi Judæorum. D *Respondit* ergo, id est interrogavit (est catachresis) qua de causa, sive propter quod opus vultis me lapidare? *Opera* vocat miracula, quæ auctoritate, & ope supernaturali Dei Patris fecerat, cæcos illuminando, energumenos sanando, mortuos suscitando, &c. ubi tacite arguit, pungitque eorum ingratitudinem & malignitatem. q. d. Ego vestros cæcos, claudos, ægros omni ope humana destitutos virtute divina curavi, cur ergo vos ingrati tot beneficiis meis rependitis maleficia, meque vultis lapidare?

VERS. 33 RESPONDERUNT EI JUDÆI: DE BONO OPERE (propter bonum opus) NON LAPIDAMUS TE, SED DE BLASPHEMIA: ET (id est) QUIA TU HOMO CUM SIS, FACIS TEIPSUM DEUM] Ecce Judæi, ait S. August. intellexerunt, quod Ariani non intelligunt. Senserunt enim non posse dici: *Ego & Pater unum sumus*; nisi ubi æqualitas est Patris & Filii.

VERS. 34 RESPONDIT EIS JESUS: NONNE SCRIPTUM EST IN LEGE VESTRA (id est, in veteri Scriptura, sive Testamento, nimirum Ps. 81. 6.) QUIA EGO DIXI: DII ESTIS?] *Dii* hebr. *Elohim*. *Elohim* enim est plurale, & tam Deum, quam deos significat. Dicitur enim Deus *Elohim*, quatenus orbem regit & gubernat, ac quatenus judex est, scelerumq; vindex & ultor. Unde angeli & judices, qui hanc potestatem regendi & judicandi a Deo accipiunt & participant, vocantur *Elohim* Ps. 81. 6. Hi ergo vocantur dii non natura, nec unione hypostatica, ut Christus, sed participatione eminentiæ & judicii divini. Sic Exodi 7. 1. ait Deus Mosi, *constitui te in Deum Pharaonis: deum*, id est principem, castigatorem & vindicem vice Dei. Et Exodi 22. 28. *Diis*, id est judicibus, *non maledices*. Et Ps. 8. 6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis*; hebr. *ab elohim*. Sed tunc, ut advertit S. Hilar. l. 7. de Trinit. ex adjunctis nomen *Elohim* limitatur ut appareat illud non Deum, sed angelos vel judices significare, ut hoc Ps. 81. limitatur, ex eo quod additur: *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos dijudicat*. Dii ergo, qui judicantur sunt homines vel angeli: qui vero eos dijudicat, solus est Deus, unus & verus, sicut hic Christus quasi Deus Pharisæos, & Principes Judæorum, qui quasi quidam terrestres erant dii, velut summus judex dijudicat, examinat & coarguit, F ait S. Aug. Atque ut hoc innueret Christus, hac de causa locum hunc psalmi præ aliis citavit; hebr. enim Ps. 81. sic habetur: *Elohim judicat elohim*, id est, Deus qui per Essentiam est *Elohim*, id est, gubernator & judex omnium, judicat *elohim*, id est judices, quibus divinam suam potestatem regendi & judicandi communicavit. q. d. Summus & cælestis elohim judicat inferiores & terrestres elohim, id est, judices & principes. Unde Chald. vertit, *Deus cujus majestas commoratur in congregatione justorum, qui potentes sunt in lege, & in medio judicum in veritate judicat*. Idem Chald. Ps. 81. v. 6. pro, *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes*, vertit, *estis sicut angeli Dei excelsi*: quod proprie de judicibus dicitur; potest tamen extendi ad omnes Israelitas & fideles, ut extendit ibidem S. August. Hi enim sunt filii Dei. Nam alibi ubi elohim absolute ponitur, nec ex adjunctis limitatur, significat Deum unum & verum.

E

Elohim Hebræum quid?

Christus ergo hic, ait Chrysost. non destruit opinionem Judæorum existimantium, quod ipse se Deo patrem diceret, sed magis confirmat.

G

SI ILLOS DIXIT DEOS, AD QUOS SERMO DEI FACTUS EST, quos sermo Dei judices constituit, id est, quibus Deus suo sermone & jussu auctoritatem judicandi dedit VERS. 35 per Mosen, ejusque successores. Item proprie, ad quos sermo Dei factus est illo Ps. 81. quo mandat Deus judicibus ut recte judicarent, quasi participantes suam auctoritatem; suique vicarii, ideo dii quidam terræ. Ita Euthym. ET NON POTEST SOLVI, irritari, fieri falsa, & mendax, SCRIPTURA. q. d. Nemo potest irritare, & auferre a judicibus nomen deorum, quod Scriptura divina & irrevocabilis ei dedit: QUEM PATER SANCTIFICAVIT, ET MISIT IN MUNDUM (me scilicet) VOS DICITIS: QUIA (quod) BLASPHEMAS: QUIA DIXI, FILIUS DEI SUM] Est argumentum non a pari, ut volunt Ariani, sed a minori ad majus. q. d. Si judices, qui participant potestatem Dei, vocantur dii, quanto magis ego vocandus sum Deus, qui sum Filius Dei naturalis, ab eo sanctificatus missus in mundum? VERS. 36

Acutius quam germanius S. August. & Beda censent in eo quoque argumenti vim esse, quod dicat: *Ad quod sermo Dei factus est*, quasi diceret: Si illi, qui sermonis Dei participes fuerunt, Scriptura teste, *quæ solvi*, id est mentiri, *non potest*, dii merito vocati sunt; quanto magis ego, qui non sermonis Dei particeps, sed ipse Dei sermo sum, Deus vocari possum? H

Nota, *in quem Pater sanctificavit*, Primo idem est quod cui Pater sanctitatem, qua ipse sanctus est communicavit, sive cui Pater gignendo ut sanctus esset dedit, quia sanctum genuit, ait S. August. Nam sanctus Deus Pater genuit sanctum Dei Filium. Sic & Beda, Toletus & alii: Filius ergo est sanctus per generationem & essentiam. Pater Filium sanctificavit. Primo.

Secundo, Christum qua homo est Pater sanctificavit per unionem hypostaticam: per hanc enim præcise summe sanctificata est humanitas Christi: hoc ipso enim quo hypostasis Verbi, quæ ipsa est sanctitas increata & infinita, humanitatem assumpsit, sibique hypostatice copulavit, eam plane sanctificavit: ideoque sanctitatem eximiam charitatis gratiæ, omniumque virtutum animæ ejusdem infudit. Ita S. Hilar. Jesus, ait, sanctificatus est in Filium, dicente Paulo, quod *prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis*. Sic & S. Chrys. & S. Athan. Secundo.

Digitized by Google

A S. Athan. lib. de Incarnat. Verbi ſub initium. *Sanctificavit* ergo idem eſt quod *ſignavit*; uti dixi c. 6, v. 27.

Tertio. Tertio, Theoph. *ſanctificavit*, inquit, hoc eſt ſanxit ſacrificari pro mundo, in quo ſe oſtendit non eſſe Deum, ut cæteri: ſalvum enim facere mundum, Dei opus eſt, non autem hominis deificati per gratiam. Simili modo ait Chriſtus c. 17. v. 19. *Pro eis ego ſanctifico* (id eſt, ſacrifico, & in ſanctam victimam offero) *meipſum*.

Quarto. Quarto, Maldonat. *ſanctificavit*, inquit, hoc eſt, deſignavit, & deſtinavit ad officium Salvatoris, ut homines ſanctificaret & ſalvaret, ut alludat ad Jerem. 1, 5. *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te*; hoc eſt, deſtinavi te Prophetam. Unde explicans ſubdit: *Et Prophetam in Gentibus dedi te*; quamquam & alius ſit germanior illius loci ſenſus, ut ibi dixi.

VERS. 37 SI NON FACIO OPERA PATRIS MEI, NOLITE CREDERE MIHI] Identidem Chriſtus appellat ad opera ſua, id eſt, miracula quæ faciebat juſſu, & poteſtate ſupernaturali Dei Patris: hæc enim utpote divina, evincebant ipſum eſſe Dei Filium, a Deo miſſum ad mundi ſalutem.

VERS. 38 B SI AUTEM FACIO, ET SI MIHI NON VULTIS CREDERE, OPERIBUS CREDITE, UT COGNOSCATIS, ET CREDATIS QUIA PATER IN ME EST (tam divina operans;) ET EGO IN PATRE] per eamdem deitatem, & omnipotentiam, quam ab eo accepi. Unde S. Aug. Cyril. Leontius, Beda & Euthym. cenſent τὸ *ego in Patre, & Pater in me eſt*, idem eſſe cum τῷ *Ego & Pater unum ſumus*. Audi S. Aug. tract. 48. Non poſſumus dicere: *In Deo ſumus & Deus in nobis. Ego & Deus unum ſumus, numquid poſſumus dicere? In Deo es, quia Deus continet te: Deus eſt in te, quia templum Dei factus es: ſed numquid, quia in Deo es, & Deus eſt in te, potes dicere: Qui me videt, Deum videt, quomodo unigenitus dixit; Qui me videt; videt & Patrem, & ego & Pater unum ſumus? Agnoſce proprium domini, & munus ſervi. Proprium domini eſt æqualitas Patris, munus ſervi eſt participatio Salvatoris.*

VERS. 39 QUÆREBANT ERGO EUM (Judæi) APPREHENDERE. EXIVIT DE MANIBUS EORUM] ut eorum furor, ait Chryſ. per abſentiam ſedaretur. Acute, ſed ſymbolice S. Auguſt. *Non apprehenderunt*, inquit, *quia manus fidei non habuerunt*. Exivit autem virtute divina, faciendo ſe inviſibilem, uti fecit c. 8. v. 59.

VERS. 40 C ET ABIIT ITERUM TRANS JORDANEM, IN EUM LOCUM, UBI ERAT JOANNES BAPTIZANS PRIMUM] puta in Bethania; ſive Bethabara, ubi Chriſtus a Joanne fuerat baptizatus: nam poſtea Joannes baptizavit in Ænon juxta Salim, cap. 3. 23. & crebro mutans locum alias Jordanis regiones baptizando obivit, ut dixi ſuperius. Seceſſit Chriſtus in Bethabara, ut turba ipſum eodem ſecutura, recordaretur teſtimonii, quod ibidem ipſi perhibuerat Joannes, ſcilicet ipſum eſſe Meſſiam, æque ac teſtimonii Dei Patris in ejus baptiſmo intonantis: *Hic eſt Filius meus dilectus*, Matth. 3. atque in eum crederent, uti & factum eſſe patet verſ. ſeq. ita S. Chryſ. Leont. Theoph. Euthymius.

ET MANSIT ILLIC] donec imminente Paſchate & paſſione ſua, rediit in Judæam & Jeruſalem, ibique ſuſcitavit Lazarum: unde Scribæ & principes irati, eum ceperunt & crucifixerunt, uti patebit cap. ſeq.

VERS. 41 D ET MULTI VENERUNT AD EUM, ET DICEBABANT: QUIA (quod) JOANNES QUIDEM SIGNUM FECIT NULLUM] q.d. Et tamen credidimus ei. Ergo multo magis debemus credere Jeſu dicenti ſe eſſe Meſſiam, qui id probat per tot ſigna & miracula. Ita Chryſoſt.

Eſt altera ratio, quæ perſuaſit hiſce credere in Chriſtum; nimirum quod reipſa deprehenderent Jeſum eſſe fortiorem Joanne, in patrandis miraculis, in efficacia ſermonis, in vitæ ſanctitate, uti eis prædixerat Joannes, unde inferebant: Si cætera, quæ dixit Joannes de Jeſu, vera eſſe cernimus, ergo pariter verum eſt id quod idem Joannes aſſeruit de Jeſu, ſcilicet ipſum eſſe Meſſiam.

VERS. 42 ET MULTI CREDIDERUNT IN EUM] Græca addunt, *ibi*, puta in Bethabara, ob memoriam teſtimonii Dei Patris, ac Joannis Baptiſtæ, ut dixi v. 40. Nimirum, ut ait S. Aug. *apprehenderunt permanentem, non quomodo Judæi volebant apprehendere diſcedentem: & nos ergo per lucernam veniamus ad diem: Joannes enim lucerna erat, diei teſtimonium perhibebat.*

CAPUT XI.

SYNOPSIS CAPITIS.

CHriſtus a morte, & ſepulchro ſuſcitat Lazarum; Hinc v. 47. pontifices invidentes Chriſto cogunt contra eum concilium, in quo Caiphas pontifex prophetat expedire, ut Chriſtus pro populo moriatur: quare v. 54. Chriſtus eorum iras declinans, ad paucos dies ſecedit in Ephrem.

Ante hoc caput, Janſenius & alii claudunt acta tertii anni prædicationis Chriſti: nam hæc Lazari ſuſcitatio & hiſtoria contigit circa quartum, & ultimum Chriſti Paſcha, ut patet v. 55. quo ipſe occiſus & crucifixus eſt: quare videtur ipſa contigiſſe ſub illud tempus, quo ipſa ſolet legi ab Eccleſia in Miſſa ſacrificio, ſcilicet quatuordecim diebus ante Paraſceven & paſſionem Chriſti. Ita cenſent viri eruditi. Vide Chronotaxim, quam Evangeliis præpoſui, num. 56. & 57.

ERat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis ejus. VERS. 1.

2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis, cujus frater Lazarus infirmabatur.)

3. Miſerunt ergo ſorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

4. Audiens autem Jeſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & Lazarum.

6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.

7. Deinde poſt hæc dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Judæam iterum.

8. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc? G

9. Reſpondit Jeſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt:

10. ſi autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.

11. Hæc ait, & poſt hæc dixit eis: Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado ut a ſomno excitem eum.

12. Dixerunt ergo diſcipuli ejus: Domine, ſi dormit, ſalvus erit.

13. Dixerat autem Jeſus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret.

14. Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus eſt:

15. & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.

17. Venit itaque Jeſus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. H

18. (Erat autem Bethania juxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim.)

19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo.

20. Martha ergo ut audivit quia Jeſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat.

21. Dixit ergo Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus:

22. Sed & nunc ſcio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

23. Dicit illi Jeſus: Reſurget frater tuus.

24. Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.

25. Dixit ei Jeſus: Ego ſum reſurrectio, & vita

Digitized by Google

A vita: qui crédit in me, etiamsi mortus fuerit, vivet:

26. & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

29. Illa ut audivit, surgit cito, & venit ad eum:

30. nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexerit, & exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

B 32. Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum.

34. & dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide.

35. Et lacrymatus est Jesus.

36. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum.

37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?

38. Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei.

39. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.

C 40. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41. Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.

42. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.

43. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras.

44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus: Solvite eum, & sinite abire.

45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.

46. Quidam autem ex ipsi abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus.

D 47. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50. nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

51. Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente,

52. & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. E

54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.

55. Proximum autem erat Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.

56. Quærebant ergo Jesum: & colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

ERAT AUTEM QUIDAM LANGUENS (Arab. *infirmus*) LAZARUS A BETHANIA, DE CASTELLO MARIÆ, ET MARTHÆ SORORIS EJUS] Syrus, *erat autem quidam, qui morbo detinebatur, Loozar ex Beth Anio* (domo afflictionis) *pago: frater Mariam & Mortho*; Vatabl. *agrotabat autem Lazarus*; Nonnus, *morboso gravia habens genua flagellabatur Lazarus æstu, membrivora plaga tabefactus, vicinus morti*. Ergo morbus hic erat gravis & lethalis, nam paulo post mortem attulit. VERS. 1. Historia Lazari a morte suscitati. F

LAZARUS] nobilis & dives, ideoque alius a Lazaro mendico & ulceroso jacente ad fores Epulonis, Luc. 16.

A BETHANIA, DE CASTELLO MARIÆ ET MARTHÆ] Est appositio, q.d. A Bethania, id est ex castello (hoc est oppido vel pago) Marthæ & Mariæ Magdalenæ, in quo scilicet ipsæ habitabant, ejusque erant non tam dominæ, quam honoratiores incolæ, ac Christi discipulæ & hospites, ita Theoph. Leont. & alii. Sic c. 1. 44. Bethsaida vocatur civitas Petri & Andreæ, quia ipsi ejus erant incolæ, non domini.

Mystice, *Bethania* hebr. idem est Primo, quod domus afflictionis, ut vertit Syrus, idque hic congruit. Lazari enim morbus & mors affligebat tam ipsum, quam sorores ejus. Secundo, *Bethania* idem est, quod domus obedientiæ. Unde S. Bernardus serm. ad milites templi c. 13. *Hoc loco*, ait, *intimatum est, quod nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacryma pœnitentis extra Bethaniam accepta esse poterunt illi, qui tantam habuit obedientiam, ut vitam ipsam perdere maluerit, factus obediens Patri usque ad mortem.* Bethaniæ significata. Primum. Secundum. G

Tertio, *Bethania*, ait Pagnin. idem est, quod domus responsionis, vel exauditionis Domini, quia ibi Christus Mariam & Martham pro vita Lazari orantes exaudivit. Radix enim עָנָה *ana* per *ain*, significat affligi, obedire, respondere, & exaudire. Tertium. Bethaniæ etymon.

Transit Joannes a gestis Christi in festo Encæniorum, ut patet cap. 10. 22. ad gesta Christi paulo ante ultimum Pascha, ut patet hoc cap. v. 55. hoc est salit a Decembri ad Martium: omittit ergo gesta Christi in Januario & Februario, quia illa fuse recenset Lucas a c. 15. usque ad 19. ex quo eadem summatim recensui in Chronotaxi n. 51. usque ad 57.

MARIA AUTEM ERAT, QUÆ UNXIT DOMINUM UNGUENTO, ET EXTERSIT PEDES EJUS CAPILLIS SUIS] Luc. 7. 37. ostendi eamdem fuisse Mariam, quæ bis, vel, ut alii, ter unxit Christum, nimirum Mariam Magdalenam, esto aliqui opinentur fuisse duas, alii tres. Minus recte ergo Leontius, quem sequuntur moderni hæretici, *ut unxit* accipit de unctione non præterita Lucæ, sed paulo post futura sex diebus ante mortem Christi, de qua cap. seq. v. 3. ut hic sit anticipatio. VERS. 2. H

CUJUS FRATER LAZARUS INFIRMABATUR] Arabic. *erat autem Lazarus infirmus frater ejus*. Addit hoc Joannes, ut insinuet causam suscitationis Lazari, nimirum quod frater esset Magdalenæ, quæ tota devota suo Jesu, ab eo impetravit fratris Lazari suscitationem.

MISERUNT ERGO SORORES EJUS AD EUM (Jesum) DICENTES: DOMINE, ECCE QUEM AMAS, INFIRMATUR] Cyril. Theoph. & Leont. censent hæc verba esse admirantis, & admirationis. q.d. Qui fieri potuit, ut ille, quem tu amas Domine, qui vitæ & necis habes imperium, in morbum inciderit? quomodo tui amantem ausa fuit ægritudo invadere? & quomodo eum tenet languor, quem tui occupat amor? VERS. 3.

Simplicius alii censent sorores ex modestia & fiducia id dixisse. Audi S. August. & ex eo Bedam: *Non dixerunt: Veni,*

Digitized by Google

A *Veni, amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere; Veni & sana; non ausæ dicere; Ibi jube: & hic fiet; cur enim non & ista, si fides Centurionis illius inde laudatur? Ait enim, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum ista, sed tantum, Domine, ecce quem amas infirmatur; sufficit ut noveris; non enim amas & deseris.* Est ergo insinuatio hæc oratio, sed occulta & implicita, quia significat necessitatem & desiderium remedii, quæ sæpe efficacior est postulatione aperta, quia magis humilis, verecunda, reverens, & confidens. Ita ex S. Thoma, Suarez tract. de Oratione.

Itaque hæc petitio sororum præ se fert Primo, magnam fidem: non enim dicunt: Veni, acceleta, ne mors eum præoccupet. Credunt enim Christum posse curare absentem, imo mortuum suscitare. Ita Cyrill. Theoph. Ruper. Secundo, ingentem fiduciam, qua confidebant Christum solo nuncio morbi accepto, illi remedium allaturum. Unde verba, & preces non multiplicant. Tertio, eximiam charitatem: *Ecce quem amas*, inquiunt. q. d. Tu nos amas, & nos te: sufficit ergo amanti amati morbum indicare. Amor enim precibus omnibus prævalet. Quarto resignationis: resignant enim se totas in providentiam Christi, ut ille de morbo, & morbido hoc statuat & disponat, quod ejus prudentiæ, & charitati libuerit. Quare efficax fuit hæc earum oratio, nobisque crebro est imitanda, & usurpanda.

B

Tropologice, Rabanus, & ex eo glossa: Lazarus, inquit, est peccator, qui a Domino amatur: ipse enim non venit vocare justos, sed peccatores: sorores sunt viri sancti, vel bonæ cogitationes, quæ pro peccatis dissolvendis orant.

Porro, ipsæ sorores non iverunt ad Jesum, sed nuncios dumtaxat miserunt, tum quia fœminæ erant, quas decet domus cura, & dedecet longum iter: tum quia Lazaro fratri ad mortem decumbenti debebant assistere: tum quia Christi benignitati & amori confidentes, solum nuncium sufficere existimabant. Ita S. Chrys. Cyrill. & Euthymius.

VERS. 4. AUDIENS AUTEM JESUS, DIXIT EIS: INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM (Syrus, *non est lethalis*; Arabic. *non est infirmitas mortis*) SED PRO GLORIA DEI, UT GLORIFICETUR FILIUS DEI PER EAM] *Non est ad mortem*,

C Primo, quia hæc mors Lazari, non tam erit mors, quam somnus: nam illico ex ea evigilabit & resurget. Unde v. 11. ait: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.*

Secundo, q. d. Infirmitatis Lazari finis & scopus non est mors, sed gloria Dei: Deus enim non immisit morbum hunc Lazaro hoc fine, ut vitam ei per mortem adimat, sed potius ut vitam ei majorem restituat, itaque gloriam Dei adaugeat. Ita S. Aug. *Non est ad mortem*, inquit, *quia & ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum, quo facta crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem.*

Tertio; *non est ad mortem*, scilicet talem, qualis esse solet communis hominum mors, nimirum, ut homo in ea permaneat, nec amplius ad hanc vitam & hoc sæculum redeat: licet enim mors separaret animam Lazari a corpore, tamen non imponebat finem huic sæculo, ut ad illud non rediret: quod tamen facit mors. Nam mox a Christo resuscitatus ad illud rediit, magis vivus, sanus, & vegetus, quam ante. Ita S. Chrysost. Cyrillus, Theoph. Euthym. & alii. Unde Nonnus vertit, *non est ad eternam mortem.*

D

SED PRO GLORIA DEI] Per gloriam Primo, Andreas Cretensis in Catena intelligit crucem & mortem Christi: hanc enim Judæi invidi irrogarunt Christo ob suscitatum ab eo Lazarum, & hæc maxime glorificavit Christum. Secundo, Theodorus Heracleotes in Catena accipit gloriam, quæ obventura erat Christo, ob divulgationem & celebritatem hujus suscitationis factæ ab eo per totam Judæam, imo per totum orbem. Tertio, & genuine, gloriam Dei accipe, quia homines videntes Lazarum a Christo suscitatum, in eum ut Messiam & Dei filium crediderunt, itaque tam Christum, quam Deum Patrem glorificaverunt. Sic enim hanc gloriam explicat Joannes, dicens v. 45. *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.* Unde S. August. *Talis glorificatio*, ait, *non ipsum auxit, sed nobis profuit.*

VERS. 5. DILIGEBAT AUTEM JESUS MARTHAM, ET SOROREM EJUS MARIAM, ET LAZARUM] Ob singularem eorum erga se amorem, devotionem, liberalitatem, qua Jesum cum Apostolis alebant: Martha enim habebat curam hospitalitatis Jesu, Maria a Christo sanata & conversa totam se ei addixerat, imo eum per oppida proficiscentem ac prædicantem comitabatur, sumptusque suppeditabat, Luc. 8. v. 2. Lazarus sorores imitabatur. Dilectionis Jesu mentionem injicit hic Joannes, non tam ut illam fuisse causam ægrotationis Lazari significet, ut censet Cyrillus. q. d. Ideo Jesus immisit morbum Lazaro, quia illum, ejusque sorores diligebat, juxta illud: *Ego quos amo, arguo & castigo*, Apocal. 3. 19. sed ut significet Jesum accepto nuncio plane menti & memoriæ infixisse morbum Lazari, ut eum sanaret, sed modo & tempore opportuno. Dilectio enim faciebat eum solicitum de Lazari salute, ideoque Lazari causa fecit omnia, quæ vers. sequenti, & deinceps narrat Joannes, illudque significat τὸ *ergo*, cum statim subdit: *Ut ergo audivit*. q. d. Diligebat Jesus Lazarum, ut ergo audivit eum ægrotare, cœpit serio cogitare de eo sanando, omniaque sua ita disposuit, ut congruo eum tempore vitæ, & sanitati restitueret.

E

Porro adeo Jesus dilexit Lazarum & sorores ejus, ut propter eas Lazarum a morte suscitarit, etiamsi sciret suscitationem Lazari sibi fore causam mortis & crucis: ob Lazarum enim suscitatum Pharisæi Christum occiderunt. Vita ergo Lazari fuit mors Christi.

VERS. UT ERGO AUDIVIT, QUIA (quod) INFIRMABATUR; TUNC QUIDEM MANSIT IN EODEM LOCO (in Bethabara cap. præced. vers. 20.) DUOBUS DIEBUS] tum ut hominum multitudini ad se confluenti satisfaceret, eique ostenderet se esse Messiam a Joanne ibidem demonstratum, tum ut illud idem confirmaret miraculo insigni, & omni exceptione majori, scilicet suscitatione Lazari. Mansit ergo ibidem per biduum, ut interim moreretur Lazarus, quia volebat non ægrum sanare, sed mortuum, imo sepultum, quatriduanum, & fœtentem suscitare, quod longe erat majus tam beneficium, quam miraculum, ne calumniæ Judæorum foret locus, ut dicerent Lazarum non vere fuisse mortuum, ideoque nec suscitatum, sed tantum syncopen, vel deliquium animi passum, ex illo non ope Christi, sed vi naturæ & juvenilis vigoris, ultro ad se rediisse. Ita S. Chrys. Theoph. & Rupert.

VERS. DEINDE POST HÆC DIXIT DISCIPULIS SUIS: EAMUS IN JUDÆAM ITERUM] nimirum ex Bethabara eamus in Bethaniam, ad suscitandum Lazarum. Præmonendo præmunit Christus Apostolos timidos: timebant enim redire cum Jesu in Judæam, eo quod Judæi paulo ante cap. præc. vers. 31. voluissent eum lapidare. Ita S. Chrysostomus: Nusquam alias, inquit, Dominus prædixit discipulis, quo iturus esset, nisi hic, quia valde formidabant, ne si repente (sine præmonitione) discederet, conturbarentur: formidabant vero, & pro ipso, & pro se: nondum enim erant in fide firmati. Ita quoque Theoph. Euthymius & Theodor. Heracleotes. Porro S. Augustinus, *Christus*, ait, *e Judæa discessit ut homo, ne lapidaretur: sed in redeundo, quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem.*

VERS. DICUNT EI DISCIPULI: RABBI (o magister, & Domine noster) NUNC QUÆREBANT TE JUDÆI LAPIDARE, ET ITERUM VADIS ILLUC?] *Nunc*, id est, paulo ante: nam exinde jam duo menses effluxerant, uti initio capitis dixi, & colligitur ex cap. præced. vers. 22. & seq. Dicunt hoc discipuli, quia a Judæis metuebant, Christo, & magis sibi ipsis. Ita Chrysost. Theoph. Euthymius.

VERS. RESPONDIT JESUS: NONNE DUODECIM SUNT HORÆ DIEI?] Primo, Lyran. ejusque sequaces sic exponunt. q. d. Sicut per diem mutantur duodecim horæ, cum eis mutatur aura aeris, sic Judæorum animi facile mutari possunt, ut qui ante me oderant, jam ament & suscipiant.

Secundo, S. Augustin. Beda & Rupertus. q. d. Sicut duodecim horæ sequuntur diem, id est, solem, ejusque cursum, ut sibi ex ordine vicissim succedant, sic vestrum est me sequi: ego enim sum quasi vester sol & dies, vos autem me stipatis quasi duodecim horæ. Audi S. August. ut se diem ostenderet, duodecim discipulos elegit: in hoc autem verbo non ipsum Judam, sed ejus successorem prævidebat. Et Glossa. Se dicit Christus diem, in quo debent ambulare, ne offendant, & sine quo ambulantes offendunt; ut modo discipuli nolentes eum mori, qui pro hominibus venit mori: illos autem dicit horas, quæ diem sequuntur.

Tertio,

A Tertio, S. Cyrillus, q. d. *Adhuc aliquot horæ meæ diei, id est, vitæ, supersunt, quibus oportet me prædicare & benefacere Judæis; veniet nox*, id est cædes, & mors mea, ob quam tenebris excidii, & calamitatum per Titum eos involvam; nox enim symbolum est vindictæ, & calamitatum.

Tertio,

Quarto & genuine, q. d. Certum, & statum est diei tempus, scilicet duodecim horarum (erat enim jam Martius, cujus 21. est æquinoctium, quo dies sunt æquales nocti, ac consequenter duodecim horarum: quamquam & aliis mensibus Judæi dividebant diem in 12. horas, sed in æquales, æque ac noctem in quatuor vigilias, quæ in hieme erant longiores, in æstate breviores) intra quod duodecim horarum spatium si quis ambulet, offendere non potest, quia lucem habet, qua videt saxa, aliaque offendicula, ideoque cavet ne in ea impingat: sic pariter mihi certum a Deo Patre constitutum est vitæ tempus, in quo ambulare, vivere, & opera mea, ad quæ missus sum, operari debeo; quod proinde diem appello; ac proinde in illa a Judæis nihil mihi aut vobis timendum est periculi: nec enim ante constitutum mihi tempus a Patre, hoc est, antequam vitæ meæ nox & occasus veniat, occidi possum. Ita Rupert. Tolet. Maldon. & alii.

Quarto,

B

VERS. 9. & 10. SI QUIS AMBULAVERIT IN DIE, NON OFFENDIT, QUIA LUCEM HUJUS MUNDI VIDET: SI AUTEM AMBULAVERIT IN NOCTE, OFFENDIT, QUIA LUX NON EST IN EO] Primo, S. Augustin. exponit. q. d. Hortor vos, o discipuli mei 12. ut me sequamini, sicut duodecim horæ sequuntur diem & solem, si non vultis offendere & impingere. Et S. Chrysost. Ne formidetis Judæos, inquit, nihil enim dignum morte gessimus. Vel; si quis lucem hujus mundi videt, securus est, multo magis qui mecum est, securus est, nisi se amoverit a me.

Secundo, S. Cyrill. q. d. Quamdiu est dies vitæ, hoc est, quamdiu ego vivo, & Judæis benefacio, nihil vobis a Judæis timendum est: hæc enim dies est, id est, tempus benignitatis & beneficentiæ: at ubi venerit nox, id est, tempus vindictæ, quo Deus per Titum exscindet Hierosolymam & Judæam, tunc vobis timendum, & e Judæa fugiendum erit.

Tertio & genuine, q. d. Dum dies est, id est, dum tempus vitæ mihi suppetit, non offendetis, o discipuli, me sequendo in Judæam: at ubi venerit nox, id est, mors, & vitæ meæ occasus; tunc Judæi vos persequentur, & occident quasi meos discipulos, sicut me persecuti sunt & occiderunt. Ita Rupert. Tolet. & Maldonat.

C

Mystice, qui diem, id est, solem & lucem fidei & gratiæ sequitur, non offendit, non ruit in peccata; at qui nocte, id est, in tenebris ignorantiæ, & concupiscentiæ ambulat, hic ruit in varias culpas & pœnas. Ita Interlin. Unde Apost. *Eratis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia & veritate*, Ephes. 5. 8.

VERS. 11 HÆC AIT, ET POST HÆC DIXIT EIS: LAZARUS AMICUS NOSTER DORMIT, SED VADO UT A SOMNO EXCITEM EUM] Mortem vocat *somnum*, quia mox ab ea suscitandus & evigilaturus erat Lazarus. Audi S. Aug. Domino dormiebat qui eum tanta facilitate excitavit de sepulchro, quanta tu excitas dormientem de lecto; hominibus autem mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Sic Paulus mortuos dormientes appellat, quia sunt resurrecturi.

VERS. 12 DIXERUNT ERGO DISCIPULI EJUS: DOMINE, SI DORMIT, SALVUS ERIT] Arabicus, *si est dormiens, expergiscetur*. Solet enim somnus in ægrotis redituræ sanitatis esse argumentum & præsagium, ac sæpe causa. Ita Cyrillus, Augustin. Jansen. Maldonat. & alii. Somnus enim naturam vegetat, cerebrum confortat, humores superfluos concoquit, & consumit, sudorem ciet, calorem naturalem fovet, & auget, itaque materiam morbi superat, dissipat & absumit, vel ejicit. Sensus est. q. d. Si dormit Lazarus, sinamus eum dormire, ut citius convalescat: quare non est, quod ad eum pergamus. Ita S. Aug. & Cyrillus.

D

VERS. 13 DIXERAT AUTEM JESUS DE MORTE EJUS: ILLI AUTEM PUTAVERUNT, QUIA (quod) DE DORMITIONE SOMNI DICERET] quia simpliciter acceperunt τὸ *dormit*, ut sonat, non symbolice, ut Christus intelligebat, de morte.

VERS. 14 TUNC ERGO JESUS DIXIT EIS MANIFESTE: LAZARUS MORTUUS EST] Ostendit Christus se esse Prophetam, imo Dei Filium, eo quod arcana, & absentia revelet: talis enim erat hæc mors Lazari, quam hic clare enunciat, ut discipulis errorem de ejus somno eximat. Nuncius enim morbum dumtaxat nunciarat Christo, non mortem.

E

VERS. 15 ET GAUDEO PROPTER VOS, UT CREDATIS, QUONIAM NON ERAM IBI] Hæc ultima nocte cum *gaudeo*, uti nectit Arabicus. d. q. Gaudeo me non fuisse ibi, scilicet in morte Lazari præsentem, ut vos in me credatis, scilicet firmius, perfectius & robustius, ait S. August. visa ejus resuscitatione, quam facturus sum: si enim fuissem præsens ægrotanti, ad preces Marthæ, & Mariæ debuissem ægrum sanare, alioqui Judæi culpassent me impotentiæ vel immisericordiæ: aut certe debuissem recens mortuum illico suscitare, quod minus fuisset miraculum, magisque dubium: jam autem a quatuor diebus defunctum suscitabo, ut omnes videant hanc suscitationem omnem naturæ vim excedere, esseque clarum miraculum, nec nisi Dei solius opus. Ita Cyrill. Euthym. Rupert. & alii. Aliter S. August. & Beda. q. d. Gaudeo me non fuisse præsentem Lazaro morienti, ut absens vobis mortem ejus annunciem, indeque cognoscatis me esse Messiam, & in me magis credatis: Lazarus enim æger fuerat nunciatus, non mortuus. Christus ergo mortuum nuncians, ostendebat se non humanitus, sed divinitus id scire. Quomodo enim, ait August. lateret eum, qui creaverat? ad cujus manus anima morientis exierat? Prior ratio uti validior, ita germanior est.

F

SED EAMUS AD EUM] Christus de mortuo, quasi de vivo loquitur, quia mox facturus erat ut esset redivivus. Ita Cyrillus.

VERS. 16 DIXIT ERGO THOMAS, QUI DICITUR DIDYMUS, AD CONDISCIPULOS: EAMUS ET NOS, UT MORIAMUR CUM EO] *Thomas*, inquit Pagnin. in Interpret. nomin. Hebr. idem est quod abyssus sive vorago, hæc enim hebr. dicitur תהום *theom*. Aut geminus sive gemellus, id est, eodem partu cum alio natus: תאומים *teomim* enim sunt gemelli eodem partu editi quasi conjunctis corporibus.

Thomæ etymon.

QUI DICITUR DIDYMUS] Syrus, *qui dicitur gemellus*. Thomas ergo non fuit binomius, ut scilicet duo habuerit nomina, primo Thomæ, secundo Didymi, uti vult Nonnus, sed unum idemque: Hebr. enim Thomas idem est, quod græce δίδυμος, latine gemellus. Sicut Hebr. Messias idem est, quod græce χριστὸς, latine unctus, ait Angelus Caninius in Hebr. nomin. cap. 13. *Dicitur* ergo idem est, quod *interpretatur*.

Didymi etymon.

G

Thomas igitur dictus est Didymus, id est gemellus sive quod eodem partu cum fratre altero natus sit, uti Jacob, & Esau fuere gemelli, ut vult Euthym. sive quod hoc nomen a majoribus acceperit; quomodo apud Romanos quosdam Spurios, alios Crassos, alios Claudios vocatos legimus, etiamsi illi ipsi nec spurii, nec crassi, nec claudi forent. Ita Toletus, Maldonat. & alii.

Thomas cur dictus Didymus?

Addit Leontius, Joannem solius Thomæ nomen interpretari, ut significetur aliqua ejus excellentia; Theoph. vero, ut significentur ejus mores, inquit, quod scilicet esset didymus, id est gemellus, varius, inconstans, dubius, duplex, sed hoc huic loco non quadrat: quadrat tamen c. 20. v. 24. ubi Thomas ob incredulitatem resurrectionis Christi vocatur Didymus. Potius videtur Thomas hic dici Didymus, quasi gemellus frater Christi: talem enim hic se ostendit, dum pro Christo, & cum Christo vivere & mori paratus se offert, ac alios ad idem faciendum hortatur, dicens; *Eamus & nos, & moriamur cum eo*. Solent enim gemelli mutuo sese valde diligere, imo moribus & amoribus esse similes, ut uno gaudente, ridente, flente, gaudeat, ridat, fleat & alter, imo, uno ægrotante vel moriente, ægrotet vel moriatur & alter. Hoc subinde fit, at non semper. Nam Jacob & Esau moribus fuere dissimiles & diversi, imo invicem adversi.

H

EAMUS ET NOS, UT MORIAMUR CUM EO] non Lazaro, ut volunt nonnulli: hoc enim insulsum videtur, sed Christo, qui paulo ante dixerat: *Eamus ad eum*. Thomas, ait Beda, præ omnibus socios hortatur, ut eant & moriantur cum illo, in quo magna ejus apparet constantia. Et Interlin. Ecce verus amantium affectus, vel cum eo vivere, vel cum eo mori: quales apud Gallos erant Solduríi, quorum lex & fœdus erat in bello, vel simul vincere, vel simul occumbere, teste Julio Cæsare in Comment. quo videtur allusisse S. Paulus, dicens 2. Corinth. 7. 3. *In cordibus nostris estis ad commoriendum & convivendum*, ut ibidem dixi.

Animosa vox S. Thomæ.

Porro quod Thomas ait: *Eamus & moriamur*, perinde est ac si dicat: Si imus cum Jesu, nobis cum eo moriendum

Digitized by Google

A dum est, ob summa Judæorum contra illum odia. Si ergo *ipse* in, eamus & nos, quasi generosi ejus discipuli & milites, ac cum eo quasi duce nostro animose moriamur: si ille mortem spernit, imo invadit, nos quoque spernamus & invadamus. Non enim satis intellexerat, quod Christus v. 9. insinuaret, nihil adhuc sibi a Judæis imminere periculi. Ita Cyrill. Offert ergo se pro Christo certæ morti, hanc enim imminere putabat: quod insigne fuit fortitudinis ejus eximiæ, æque ac amoris in Christum singularis argumentum.

VERS. 17 VENIT (*in Bethaniam*, ut addunt nonnulli codices Græci) ITAQUE JESUS, ET INVENIT EUM QUATUOR DIES JAM IN MONUMENTO HABENTEM] hoc est, a quatuor diebus sepultum. Venit enim nuncius a sororibus ad Jesum de morbo Lazari, ait Chrysost. eo die, quo Lazarus est defunctus, deinde duobus sequentibus mansit Jesus in Bethabara, die quarta demum ivit Bethaniam; quare videtur Lazarus eodem die, quo sorores nuncium miserunt ad Christum, fuisse mortuus & sepultus: alioqui enim veniente Christo, non fuisset quatriduanus in morte & sepulchro, uti hic dicitur,

B Probabilius Euthymius, & Maldon. censet Lazarum quidem eo die, quo nuncius ad Christum venit, fuisse defunctum, sed postero die sepultum, ne forte quid occultæ viræ in eo lateret, inde Christum biduo mansisse in Bethabara, quarto die inde *discessisse* versus Bethaniam: sed quia hoc iter erat decem circiter horarum (ut patet ex tabulis Geographicis terræ sanctæ, quas edidit Adrichom. & alii) quod ægre a Christo, & Apostolis pedibus confici potuisset uno die; hinc Christum postero mane, qui dies quintus erat a sepultura Lazari, appulisse Bethaniam, ac suscitasse Lazarum: nec enim decebat eum vespere (ne phantastica videretur suscitatio) sed mane, vel plena die suscitari. Quare Lazarus jam erat quatriduanus, hoc est integros quatuor dies exegerat in monumento, sive sepulchro, jamque agebatur quintus *dies* a sepultura, ut constaret omnibus eum non tantum esse mortuum, sed fœtentem, & a vermibus comestum. Hinc suscitatio ejus facta a Christo fuit certissimum, & clarissimum miraculum, quod a Scribis nullo modo obscurari, aut vellicari potuit.

C Tropologice, quatriduanus est peccator habens habitum peccandi, qui peccato immortuus, in eo quasi sepultus, sine spe veniæ & vitæ spiritalis, quasi desperatus jacet. Primus enim dies est, quo quis consensu voluntatis peccat. Secundus, quo quis peccatum opere consummat. Tertius, quo illud frequentat, ejusque consuetudinem & habitum sibi inducit. Quartus, quo hic habitus callum obducit, & quasi in naturam vertitur, juxta illud S. August. lib. 8. Confess. c. *Ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi anulis quibusdam sibi innexis, unde & catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus.* Tali ergo magna & rara Christi gratia, ab hoc peccati sepulchro excitandus est; quod ut significaret Christus, magna voce clamavit: *Lazare veni foras.* Ita S. August.

Quatriduani tropologia.

Rursum Alcuinus: Primus dies, inquit, est elatio in corde; secundus, consensus voluntatis in peccatum: tertius, factum, cum illud opere exequimur: quartus consuetudo, cum illi consuescimus, & consuescendo inhæremus. Sic fere & S. Aug. l. 1. de Serm. Dom. in monte, c. 23.

Quatuor dies peccatoris quinam.

D *Sicut*, inquit, *tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tamquam tres mortes, una quasi in domo, id est, cum in corde consentitur libidini; altera jam prolata quasi extra portam, cum in factum procedit assensio: tertia, cum vi consuetudinis male, tamquam mole terrena, premitur animus, quasi in sepulchro jam putens. Que tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse considera, quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cum alibi dicit: Puella surge; & alibi; Juvenis tibi dico surge, alibi, In fremuit in spiritu, & flevit, & rursus fremuit, & post deinde voce magna exclamavit, Lazare veni foras.* Vide eumdem de Verbis Dom. secundum Joannem tr. 44. *Prima*, ait, *est titillatio delectationis in corde; secunda, consensus; tertia, factum; quarta, consuetudo.*

Tertio, Glossa ex S. Aug. & Beda. Primus dies mortis est, inquit, quo nascimur cum peccato originali. Secundus, quo ad annos discretionis venientes naturalem legem transgredimur. Tertius, quo legem contemnimus. Quartus, quo ipsum quoque Christi Evangelium & gratiam aspernamur. Ex adverso S. Bern. serm. 4. de Assumpt. per quatuor dies accipit quatuor motus & actus pœnitentis; primus est *timoris*; secundus, certaminis contra peccata; tertius, doloris; quartus, pudoris eorumdem. E

ERAT AUTEM BETHANIA JUXTA HIEROSOLYMAM, QUASI STADIIS QUINDECIM] Stadium est octava pars milliaris Italici, sive mille passuum: continet ergo 125. passus: quare quindecim stadia continet 1875. passus: sedecim enim stadia continent duo millia passuum, faciuntque duo milliaria Italica. Addit hoc Joannes, ut significet multos Hierosolymis venisse in Bethaniam, utpote adeo vicinam, ut Martham, & Mariam, ob Lazari mortem mœstas solarentur. Ita S. Chrys. Theoph. Cyrill. & alii. Unde sequitur. VERS. 18 Bethania quam distaret a Jerusalem.

MULTI AUTEM EX JUDÆIS VENERANT AD MARTHAM ET MARIAM, UT CONSOLARENTUR EAS DE FRATRE SUO] *Multi*, præsertim cognati, affines, amici: erant enim hæ sorores honoratæ, divites & nobiles, quæ multos habere solent vel amicos, vel assecias. Accedit, quod acerbus sit funeris fraterni luctus, ad quem proinde leniendum multi, etiam exteri & incogniti, consolandi F causa accurrere solent. Est enim hic *mortis luctus* toti naturæ nostræ communis, unde & communis *in eo* omnium accedit consolatio. Ita Chrys. Theoph. Euthym. VE

MARTA ERGO UT AUDIVIT QUIA JESUS VENIT, OCCURRIT ILLI: MARIA AUTEM DOMI SEDEBAT] silentio, luctui & orationi more suo vacans: quare nuncius adventus Christi, non ad Mariam, sed ad Martham pervenit. Martha enim erat senior, & domui præerat, totaque actuosa & negotiosa: quare litteræ & nuncii omnes ad illam primo deferebantur, non ad Mariam. *Sed* cur ipsa Mariæ non significavit Christum adventare? *Resp.* Primo, quia occursus adventantis Christi moram nullam patiebatur. Videtur enim Christus domui fuisse vicinus, cum Martha ei occurrit. Secundo, quia Martha secrete volebat agere cum Christo, ut ab eo exploraret, *num* quæ spes foret fratris resuscitandi *vel adjuvandi, ut patet ex* v. seq. Tertio, quia Maria, ut dixi, quieti & orationi erat addicta. Quarto, quia, si Mariam evocasset, omnes Judæi eam secuti fuissent; itaque tumultus exortus fuisset, & eorum cum Christo disputantium lis, & contentio. Ita Leontius. Denique lætitia ob adventantem Christum, totam eam rapiebat ad occurrendum Christo, ut de sorore vocanda non cogitaret. Malim hoc dicere, quam, quod nonnulli autumant, eam hanc laudem occursus Christi voluisse præripere sorori suæ: hoc enim nimis inane & fœmineum est, ac tanta, tamque sancta virgine indignum. VERS. Mar. Christum curat. G

DIXIT ERGO MARTHA AD JESUM: DOMINE SI FUISSES HIC, FRATER MEUS NON FUISSET MORTUUS] quia scio te tam potentem, ut mortem arcere possis; scio pariter te ipsius, & nostri adeo amantem, ut eum mori non permisisses. Tacite, inquit Chrysost. Cyrill. & Theoph. sed reverenter, dolendo, quasi arguit Christum, quod serius venerit. Verum huic sententiæ obstat, quod eodem die, quo venit nuncius de morbo Lazari ad Christum, ipse sit mortuus. Quare etiam si statim Christus accinxisset se ad iter; tamen antequam venisset Bethaniam, Lazarus fuisset mortuus. Erat enim iter novem horarum. Potius ergo Martha incusat seipsam, quod non citius nuntium miserit ad Christum, aut certe in genere dolet, & luget Christi absentiam, quod scilicet non fuerit præsens, ut Lazaro ægrotanti sanitatem restitueret; quomodo dolemus de causali medici absentia, si quis eo absente *in* morbum incidat. Non videtur Martha adhuc habuisse perfectam fidem de Christi deitate, omniscientia & omnipotentia. Si enim hanc habuisset, credidisset Christum etiam absentem sciviſse mortem Lazari, eumque potuisse curare. Eum ergo credebat esse Prophetam præ cæteris Prophetis; non tamen Deum, sed evecta & illuminata a Christo mox id credidit, v. 28. VE H

SED ET NUNC SCIO, QUIA QUÆCUMQUE POPOSCERIS A DEO, DABIT TIBI DEUS] ac consequenter si poscas a Deo resuscitationem Lazari, licet quatriduani jam in sepulchro, dabit eam tibi Deus. Putabat, ait Cyrill. quod Christus veniret, non ut suscitaret Lazarum, sed ut se, & Mariam solaretur, idcirco rogat eum, ut Lazarum suscitet, sed tacite, & cum modesta, humilique voluntatis suæ in Christum resignatione. Unde, ut advertit S. Aug. *Non dixit: Sed & modo rogo te, ut resuscites fratrem meum: unde enim sciebat, si fratri ejus resurgere utile fuerit? hoc tantum dixit: Scio quia potes: si vis facies: utrum enim facias, judicii* VERS.

Digitized by Google

A *judicii tui est, non præsumptionis meæ*, Dices: Cur Martha non servavit corpus Lazari insepulum, & balsamo conditum, usque ad adventum Christi, ut sic facilius Christum permoveret ad eum suscitandum? Resp. Quia Judæis mos erat postero die defunctos sepelire, Secundo, quia nesciebat an Christus eum esset suscitaturus, nec ne. Tertio, quia quatriduanum mortuum domi detinere insepultum, fuisset res insolens, fœtida, & calumniis obnozia. Quarto, quia credebat Christum etiam sepultum posse suscitare, uti ipsa hic dicit, Denique Christus hanc mentem ei injecerat, ut naturæ cursum sequens fratrem mortuum sepeliret, hoc fine ut ipse jam sepultum suscitaret, itaq; majus foret ejus miraculum & beneficium. Hic enim est mos Dei.

Cum Martha non servavit corpus fratris insepultum.

Dei mos est desperatis rebus opem ferre.

Hinc moraliter disce, Deum sæpe permittere nos in tribulationes incidere, easque sinere ut crescant ad summum, ac tum vi magna succurrere, ut suam omnipotentiam, summamq; clementiam & providentiam ostendat. Quare tunc fideli non est desperandum, sed augenda spes & ratio, ac maxime sperandum. Cum enim omne humanum deficit auxilium, tunc prope est & accurrit divinum, ajebat Philo legat. ad Cajum Imper. Sic Deus succurrit Abrahæ in arctis posito, Gen. 20. & Joseph in carcere oblivioni tradito, Gen. 41. 12. Item Hebræis a Pharaone oppressis, Ex. 1. & seq. ac præsertim cum eosdem hinc mari, inde montibus, aliunde exercitu Pharaonis undique cinctos, diviso mari rubro salvos per illud traduxit, ac Pharaonem insequentem reducto mari, cum toto exercitu submersit, Exod. 14. Sic tempore Judicum permisit eodem opprimi nunc a Madianitis, nunc a Moabitis, nunc ab Ammonitis, nunc a Philistinis, ut eos induceret ad ferventer orandum, & clamandum ad se; quo facto illico mittebat eis Gedeonem, Aod, Samsonem, aliosque judices, qui eos liberarent. Sic Judæos neci destinatos ab Holoferne liberavit per Judith, & ab Aman per Mardochæum, & ab Antiocho per Machabæos. Sic Davidem in spelunca a Saule circumdatum liberavit, misso ad Saulem nuncio, Philistæos Judæam populari, 2. Reg. 23. 26. & 27.

B Simili modo in bellis sæpe desperatio est causa spei, imo victoriæ: milites enim de vita desperantes pro ea pugnant acerrime, ne moriantur inulti; quare sunt formidabiles, & sæpe hostes victores vincunt. Unde illud militare axioma: Hostem ne cogas ad desperationem. Hosti fugienti aureū sterne pontem. Cum desperato manus ne conferas.

C Dei ergo proprium est, uti defectum naturæ supplere, sic & derelictis desperatisque succurrere, juxta illud: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*. Et illud: Deus ex machina: Deus ex improviso apparens.

VERS. 23 DICIT ILLI JESUS: RESURGET FRATER TUUS] Mœstam Martham de morte fratris solatur Jesu spe resurrectionis, sed ambiguæ, ut sensim illam evehat ad tanti miraculi, quo cum mox suscitare destinabat, fidem & spem, qua se disponat, & quasi mereatur illud; Ita Leontius.

VERS. 24 DIXIT EI MARTHA: SCIO, QUIA RESURGET IN RESURRECTIONE (Syrus, *in consolatione*) IN NOVISSIMO DIE] Christus dixerat Lazarum resurrecturum, sed ambigue, non exprimendo an nunc, ac in die judicii. Martha ergo, ut hujus ambigui resolutionem ex ore Christi eliciat, subdit: Scio eum resurrecturum in die judicii: verum hoc non erit ei peculiare beneficium, sed commune omnium hominum; sin ante illud resurrecturus sit, & nunc a te suscitandus, clare velim edicas: erit enim hoc singulare, illi, nobisq; omnibus privilegium. Disce hic, Judæos & præsertim Pharisæos, credidisse immortalitatem animæ, indeque resurrectionem corporum, idque patet 2. Mach. 12. 46. Job 19. 25. Act. 23. 8. Martha enim hic loquitur ex Judæorum sensu, licet Theoph. autumet ipsam didicisse resurrectionem a Christo.

D VERS. 25 DIXIT EI JESUS: EGO SUM RESURRECTIO ET VITA] Syrus, *ego sum consolatio & vita*. Syri enim resurrectionem vocant *consolationem*, quia illa hominibus in hujus vitæ omnimoda desolatione, summa est consolatio tum animæ, tum sensuum & membrorum omnium, ac totius hominis.

Christus resurrectio & vita.

EGO SUM RESURRECTIO, ET VITA] non formalis, sed causalis. q.d. Ego sum, qui resuscito, ego qui vitam præbeo. (sic 1. Cor. 1. dicitur: *Qui factus est nobis justitia, & sanctificatio & redemptio*, hoc est, justificator, sanctificator, redemptor) per me & mortui resurgunt, & viventes vivunt, itaq; possum ego jam statim ante resurrectionem communem, fratrem tuum a morte redivivum suscitare. Unde S. Aug. *Dicit*, inquit, *Resurget frater meus in novissimo die: verū dicis; sed per quem tunc resurget, potest & modo, quia ego sum resurrectio & vita*; hoc est, ego sum causa resurrectionis & vitæ, ita ut omnes per me resurgant, ac nemo nisi per me resurgere valeat. Causa sum, inquam, quadruplex, scilicet meritoria, efficiens, exemplaris & finalis. Ego enim merui mea morte omnium resurrectionem, eamdemque physice efficiam in die judicii, ac ejusdem exemplar dedi in mea resurrectione, quæ est finis resurrectionis omnium. Resurgent enim fideles omnes hoc fine, ut mihi resurgenti in gloria conformentur, meque glorificent in æternum.

E

Porro Christus tacite resp. illi dicto Marthæ: *Quæcumque poposceris a Deo dabit tibi Deus*, quæ verba innuunt imperfectam Marthæ fidem, ait Theoph. quare eam perficit Christus: Illa enim dicebat: Quæcumque petieris, &c. Christus autem ostendit se esse, a quo oporteat petere, ait Chrys. Dicit ergo: *Ego sum resurrectio*, q.d. Mihi non est opus poscere a Deo resurrectionem fratris tui, quia ego ipse per me eamdem præstare possum: sum enim resurrectio & vita, nimirum resurrectio mortuorum, & vita viventium, quia mortuos a morte suscito, & viventibus vitam tribuo. *Vitam* intelligit, qua resurgentes vivunt, & aliquid amplius. Ita Chrysost. Theoph. Euthym. & alii. Unde aliqui sic exponunt: Ego sum resurrectio & vita, id est, ego sum resurrectio ad vitam, ut sit hendiadys. Hinc vitam hanc explicans subdit.

F

QUI CREDIT IN ME, ETIAMSI MORTUUS FUERIT, VIVET] Christus Marthæ petenti Lazaro restitui vitam corporis, amplius respondet & tribuit, nimirum vitam quoque animæ, ut scilicet anima ejus vivat hic novam vitam per majorem gratiam, & in futuro per gloriam. Vivet anima, ait S. Aug. donec resurgat caro, numquam postea moritura. Sensus ergo est. q.d. Non tantum frater tuus me suscitante resurget, sed & quilibet fidelis, qui credit in me fide viva & per charitatem formata, *etiamsi mortuus fuerit, vivet*: tum quia anima ejus semper vivet per vitam charitatis & gratiæ, ac gloriæ in cælo: tum quia corpus ejus a morte per me suscitabitur ad vitam beatā, & æternam in die judicii; quod proprie hic spectat Christus. Quare licet illud moriatur, tamen erit hoc ad tempus modicum dumtaxat, ita ut mors illa non tam mors, quam somnus & dormitio esse videatur: nam ex ea evigilabit & resurget in die judicii. Unde S. Cypr. lib. de Moralit. hunc locū citans & explicans: *Si in Christū credimus*, inquit, *fidem verbis & promissis ejus habeamus, & non morituri in æternū, ad Christū, cum quo & victuri & regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte trasgredimur; nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus iste, sed trāsitus, & temporali itinere decurso, ad æterna trāsgressus.*

G

ET OMNIS QUI VIVIT, ET CREDIT IN ME, NON MORIETUR IN ÆTERNUM] Probat Christus se esse resurrectionem & vitam, i. e. causam resurrectionis & vitæ omnibus fidelibus & sanctis, resurrectionē quidem, dicens: *Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet*; quia scil. a morte per me suscitabitur ad vitam beatam: vitā vero dicens: *Et omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternū*. q.d. Ego sicut fideles mortuos ad vitam beatam suscitabo, sic & viventes adhuc, qui in me credunt, in vita æterna conservabo, faciamq; ut non moriantur in æternum, quia licet ad modicum tempus ex debito naturæ moriantur, tamen paulo post a morte eos suscitabo ad vitā æternam, ita ut non tam mortui fuisse, quam dormiisse videātur. Quare ego omnium tam mortuorū, quam viventium fidelium sum resurrectio & vita, quia per resurrectionem omnibus tribuam vitam perpetuam. Ita S. Chrys. Cyrill. Theoph. Leont. Euthym. In fideles enim & impii, licet resurrecturi quoq; sint ad vitam; tamen quia resurgent ad tormenta gehennæ, hinc vita eorū potius mors dicenda est, quam vita.

VERS. 26

H

Rursum nonnulli magis ample sic exponunt: q.d. Omnis, qui vivit vita naturali, & credit in me, itaq; per fidem charitate formatam vivit vita gratiæ supernaturali, hic non morietur in æternum: quia anima ejus non morietur per peccatum mortale, sed permanebit in vita gratiæ: intellige, nisi ipse ultro eam peccando prodigat & abjiciat: quoad corpus vero, licet moriatur ad breve tempus, tamen non manebit in morte, sed suscitabitur ad vitā æternam: juxta illud c. 3. 15. *Ut omnis qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Hinc sensus undequaque plenus est: Christus tamē magis hic spectat resurrectionem corporis, quam vitam animæ. Agit enim de suscitando Lazaro.

CREDIS HOC?] Fidem resurrectionis Christus exigit, non a Lazaro, utpote mortuo, sed a sorore ejus Martha, ut per

Digitized by Google

A ut per hanc ipsa impetret fratris suscitationem, simul ut & ipsa excitetur ad majorem resurrectionis fidem, & spem, itaque majori studio, & sanctitate ad eamdem se comparet. Sic a patre poscente filium liberati a dæmone, exegit Christus fidem, ut crederet se posse hoc facere, Marci 9. 29. & a portitoribus paralytici similem exegit fidem, Matth. 9. 3.

VERS. 27 AIT ILLI: UTIQUE DOMINE EGO CREDIDI, QUIA (quod) TU ES CHRISTUS (Messias, Judæis promissus, FILIUS DEI VIVI, QUI IN HUNC MUNDUM VENISTI] Arab. & Græcus, ὁ ἐρχόμενος, id est *veniens* (quod erat nomen Messiæ) Syrus, *venturus es*, ut mundum redimas & salves.

FILIUS] Græce ὁ υἱὸς, id est *ille Filius*, scilicet verus, naturalis & unicus Dei. Marthæ fidem imperfectam perfecit Christus, dicens: *Ego sum resurrectio & vita*. Unde ipsa interius illuminata a Christo, in actum fidei perfectum erupit, dixitque: Credo te esse Messiam verum Dei Filium, ideoque Deum, ac omnis resurrectionis, & vitæ causam primam. Credo te ut Deum, posse Lazarum & quoscumque defunctos velis, illico suscitare & vivificare. Ita S. Aug. Cyrill. Leont. Maldonat. Ribera, & S. Hilar. lib. 6. de Trinit.

B At vero S. Chrys. Euthym. & Toletus censet Martham non intellexisse verba Christi dicentis: *Ego sum resurrectio & vita*, &c. ideoque in genere & in confuso dixisse: Credo te esse Christum filium Dei vivi, non distinguendo, an filius Dei naturalis esset, an adoptivus, sed eximius & singularis præ ceteris Sanctis & Prophetis.

VERS. 28 ET CUM HÆC DIXISSET, ABIIT, ET VOCAVIT SOROREM SUAM SILENTIO, DICENS: MAGISTER (Arabicus & Syrus addit, noster) ADEST, ET VOCAT TE] Hinc patet Jesum jussisse vocari Mariam, licet Evangelista id ante non narrarit brevitatis studio, contentus idipsum hic per Marthæ jussum Christi exequentis verba insinuare. Ita S. Aug. Cyrill. Leont. Tolet. Maldonat. & alii.

SILENTIO] quia Maria circumdata erat Judæis eam cõsolantibus. Secreto ergo eam vocat Martha, ne Judæorum tumultum excitet, si dicat palam Jesum adesse & vocare Mariam. Paulo aliter Theoph. Christi præsentiam, inquit vocationem reputavit. Præsentia enim Christi ultro vocabat Mariam, sicut amor vocat amatum.

VERS. 29 & 30. C ILLA UT AUDIVIT, SURGIT CITO, ET VENIT AD EUM: NONDUM ENIM VENERAT JESUS IN CASTELLUM (Syrus, *in pagum*, in Bethaniam) SED ERAT ADHUC IN ILLO LOCO, UBI OCCURRERAT EI MARTHA] quia Jesus volebat adire sepulchrum Lazari, quod more Judæorum erat extra pagum, vel oppidum: hinc Bethaniam ingredi, ne mox rursus egredi deberet ad sepulchrum. Mansit ergo extra eam, ut vicinior esset sepulchro, ibique exspectavit Mariam, quæ evocata, audito nomine Jesu, ardens ejus amore & desiderio, illico advolavit, perinde ut filii accurrunt audientes matrem peregre rediisse. Ita S. Chrys. *Nec dignitas*, inquit, *nec luctus, nec assidentes eam sunt remorati*, &c. *Ferventior erat sorore: non enim est turbam verecundata, nec Judæorum de Christo opinionem timuit, sed omnia humana contempsit præsente magistro.*

VERS. 31 JUDÆI ERGO, QUI ERANT CUM EA IN DOMO, ET CONSOLABANTUR EAM, CUM VIDISSENT MARIAM, QUIA CITO SURREXIT, ET EXIIT, SECUTI SUNT EAM DICENTES: QUIA VADIT AD MONUMENTUM, UT PLORET IBI] Martha secreto in aurem dixerat Mariæ Jesum adesse, illa ergo sola hoc audivit, non Judæi, qui proinde subitum ejus velocemque abitum videntes, putarunt eam ire ad monumentum fratris, planctus & ploratus causa, ideoq; secuti sunt eam. Dei providentia id factum est, ut Judæi plurimi sequentes Mariam, viderent Jesum suscitantem Lazarum, itaque hujus suscitationis forent testes irrefragabiles, atque in eum crederent, & alii alios ad credendum inducerent. Ita S. Aug.

D MARIA ERGO, CUM VENISSET UBI ERAT JESUS; VIDENS EUM CECIDIT AD PEDES EJUS, ET DICIT EI: VERS. 32 DOMINE, SI FUISSES HIC, NON ESSET MORTUUS FRATER MEUS] Cecidit ad pedes reverentiæ & gratitudinis causa, utpote quos nuper lacrymis rigans & capillis tergens, audierat: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace*, Lucæ 7. idem autem dicit quod soror ejus Martha, quia idem ei erat doloris sensus, eadem fides, indeque eadem verba, quæ Marthæ; non tamen dicit omnia, quæ Martha, lacrymis nimirum impedita, ait Beda.

SI FUISSES HIC] Quia, ut ait Interlin. te præsente, nulla infirmitas ausa fuit apparere, apud quas vita noverat hospitari.

JESUS ERGO, UT VIDIT EAM PLORANTEM, ET JUDÆOS, QUI VENERANT CUM EA, PLORANTES, INFREMUIT SPIRITU, ET TURBAVIT SEIPSUM] Quæres: qualis hic fuit Christi fremitus & turbatio? Primo Eusebius Emissen. vel potius Gallus (quo nomine jam impressus est in Biblioth. Patrum ultimo Parisiis & Coloniæ edita) hom. in hæc verba, *Infremuit*, inquit, id est ingemuit, ut doceret nos super peccantes gemere; sed gemitus est miserentis, fremitus vero indignantis. Nonnus vertit, *paterno agitatus*, vel *commotus spiritu*. Sed hoc nimis generale est, nec quis vel qualis fuerit hic motus, explicat.

E VERS. 33 Fremitus Christi quid? Resp. bis. mo.

Secundo, Theoph. per *spiritum* accipit divinitatem. q. d. Jesus spiritu, id est divinitate sua, potenter quasi fremendo repressit lacrymas, & commiserationis affectum, qui in ipso ob ploratum Mariæ & Judæorum exoriebatur, ne ulterius prorumpens in lacrymas, & in ploratum cum aliis se effundens, vocem debilem & lacrymabilem emitteret, qualis virum tam gravem & sanctum dedecebat. Secundo.

Huc accedit S. Chrys. hom. 62. & Euthym. Cyrill. & Leont. qui per *fremitum* accipiunt affectum animositatis, indignationis, & iræ, quo Christus sibi quasi vim inferens, commiserationis affectum, & lacrymas in se exorientes, vultu sereno torvoque cohibuit & repressit. q. d. Christus *infremuit spiritu*, id est comminatus est spiritui, cohibuit spiritum, & naturam suam humanam, ne in fletum prodiret. Verum obstat Primo, quod necdum plane exortus erat hic commiserationis affectus, cum Christus fremeret, sed paulo post cum turbavit seipsum. Secundo quod in Christo hæ passiones & affectus non erant involuntarii & violenti, sed voluntarii & libere assumpti, ut mox dicam. Tertio, quia post fremitum turbavit seipsum. Ergo fremitum non repressit, sed potius turbando auxit.

F

Dico ergo, Christum hic elicuisse affectum, actumque fremitus, id est indignationis, in spiritu, id est in mente & intimis animi sensibus, quem signo & fremitu, id est voce indignante, exterius ostendit, ut significaret dolorem, quem conceperat ex morte Lazari, ac ploratu Mariæ, & Judæorum, de quo mox plura: utque hoc fremitu quasi se pararet & animaret ad arduum cum morte duellum, ut innueret quam difficilis foret Lazari quatriduani a morte suscitatio, præsertim resistente diabolo, ob gloriam, quam inde Christo obventuram prævidebat. Unde S. Aug. *In voce frementis*, ait, *apparet spes resurgentis*, imo prævidebat Jesus, se ob suscitationem Lazari ab invidis Pharisæis crucifigendum: hoc tamen non obstante se vicit, & Lazarum suscitare voluit: qui fuit actus heroicæ fortitudinis, quem hoc fremitu patefecit. Sic milites instante prælio fremunt, & iras excitant, acuuntque ad instantem pugnam arduam & periculosam: ira enim est eos virtutis & fortitudinis. Hinc leones cum tauris & elephantis dimicaturi iras acuunt, rugiuntq; ut animos viresque exsuscitent, ac hostem rugitu percellant. Hinc & ingruente tentatione dæmonis, carnis, vel mundi, ira in eos acuenda est, ut illam superemus, ira enim vincitur concupiscentia, æque ac operis ardui difficultas.

G

Tertio.

Porro fremitus, id est indignatio, hæc Primo, erat in mortem & diabolum, cujus invidia mors intraverat in orbem terrarum, quæ tanti luctus, & ploratus hujus fuerat causa. Ita Cyrill. Aug. Beda, Lyran. Jansen. & Ribera.

Secundo, & magis particulatim, ac proprie ad rem præsentem, fremebat, id est indignabatur Jesus contra Judaicam perfidiam Pharisæorum & Scribarum illorum, propter quam Lazarum mori decreverat Deus, ut eum Jesus resuscitaret, quia scilicet ex ejus morte tot lacrymæ & ploratus Marthæ, & Mariæ & amicorum omnium processerant. Ita Tolet. *Ira*, ait S. Basil. hom. de Ira, *est rationi adjutrix contra peccatum, ceu miles apud ducem. Nervus est animæ indignatio, fortitudinem constantiamque ac robur ad res bene & ordine gerendas præbens: quæ animam voluptate lascivientem, velut ferro quodam cohibet. Sicut canis pastori, sic rationi ira obediens, vitia quasi lupos allatrat & fugat*, juxta illud Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare*. Sic Christus assumens iram, vendentes e templo flagello ejecit, Joan. 2. sic Moses occidens 22. millia, idololatriam vituli cohibuit Exodi 32. Sic Elias tres quinquagenarios ad se capiendum a rege missos, igne cælesti consumpsit, 4. Reg. 1. Irascendum ergo est peccato, concupiscentiæ, tentationi. Audi S. Greg. Nazianz. qui sic carmen de Ira orditur.

H

Ira sæpe rationi. Ver

Irascor iræ, dæmoni intus condito.

Ira enim est quasi dæmon internus, cui proinde irascendum est. Hæc enim est justa ira, *quæ est quasi miles quidam*,

Digitized by Google

A *quidam, rationis, fatelles, cupiditatis vindex*, ait Nicetas in orat. 43. Nazianz. De S. Malachia Episc. Hiberniæ sic scribit S. Bern. in ejus Vita: *Ira ejus in manu ejus. Vocat a veniebat, exiens non erumpebat: nutu, non impetu ferebatur. Non urebatur illa, sed utebatur.* Et paulo ante: *In sua tribulatione patiens, in aliena compatiens erat, plerumque & impatiens. Siquidem repletus zelo, pro aliis in alios movebatur, ut eripiens inopes, & reprimens fortes, consuleret omnibus in salutem.* Et inferius: *Sine turbatione versabatur in turbis: sine otio tempus, quod otio dederat trã-sigebat*, &c. Hoc est quod ait Christus Isaiæ 63. 5. *Salvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione mea & detraxi in terra virtutem eorũ.*

ET TURBAVIT SEIPSUM] Hoc est, elicuit in se libere & sponte affectum magnum tum indignationis jam dictæ, tum commiserationis & lacrymarum, ob ploratum communem Marthæ, Mariæ & cæterorum: illis enim non condolere, nec compati inhumanum fuisset; iis ergo se Jesus turbavit.

Passiones an fuerint in Christo & quomodo.

Nota. Hæ passiones indignationis, tristitiæ, commiserationis, fletus ita fuerunt in Christo, ut rationem & voluntatem ejus non prævenirent; iisque invitis exorirentur, uti oriuntur in nobis, sed potius rationem sequerentur, & ab ea imperarentur & excitarentur. Unde eas semper dirigebat & moderabatur recta ratio. Hinc ait: *Turbavit seipsum*, non autem, Turbatus est. Quare hæ passiones in Christo non tam fuere passiones, quam propassiones libere assumptæ, uti ex Damasceno docent Theologi. Poterat enim Christus eas pro arbitrio suo excitare, sopire, moderari, regere, flectere, multo magis quam auriga regit suos equos & currum. Vide dicta Matth. 26. v. 27. unde ait S. Aug. *Quis eum posset nisi ipse turbare? turbatus est, quia voluit; esuriit, quia voluit: in illius potestate erat sic & sic affici.* Causam dat Theophy. *Ostendit*, inquit, *se verum esse hominem, & non apparentem, & nos docet compati.*

B

Christus quomodo turbavit seipsum.

C Turbavit ergo seipsum inducens affectum doloris, iræ & compassionis, eumque ostendens mutato vultu & voce præ dolore. Igitur propria causa hujus fremitus & turbationis Christi fuit mors Lazari, indeque ploratus Mariæ & Judæorum, ut patet ex ipsis verbis. Ait enim: *Jesus ergo ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes; infremuit spiritu, & turbavit seipsum.* Jesus enim videns tantas afflictiones Marthæ & Mariæ suarum discipularum, ac communem omnium ploratum ob mortem Lazari; excitavit in se fremitum, hoc est actum indignationis, quo indignabatur familiam hanc adeo sibi hospitalem, amicam & devotam in tantam afflictionem & luctum incidisse; quæ merebatur omnem consolationem & omne gaudium. Quare consequenter indignabatur totum genus humanum, tam nobile, integrum, sanum & immortale a Deo conditum, in has morborũ & mortis ærumnas, indeq; in tot ploratus & gemitus incidisse, (hoc enim videbatur indignum) indeque indignabatur peccato, æque ac diabolo, qui tantæ indignitatis, ac horum omnium malorũ fuit origo & causa, atque indignatione hac plane obfirmavit animum, mala hæc inprimis a Martha & Maria, suscitando statim Lazarum, ac deinde a toto genere humano, per suam crucem & mortem jam instantem, depellere. Miseria ergo Lazari & hominum excitavit commiserationem Christi, commiseratio excitavit indignationem in tantas ærumnas, indignatio auxit cõmiserationem, simulque cum ea excitavit zelum, & propositum ærumnas illas depellendi, etiam cum jactura vitæ suæ per mortem in cruce, qua res tanta illi emenda erat, juxta illud Isaiæ c. 63. 4. *Dies ultionis in corde meo*, &c. *indignatio ipsa auxiliata est mihi.*

D

VERS. 34 ET DIXIT: UBI POSUISTIS EUM? DICUNT EI: DOMINE, VENI, ET VIDE] Sciebat Christus locum sepulturæ Lazari: nam, ut arguit S. Aug. *Sciſti quia mortuus sit, & ubi sit sepultus, ignoras?* Interrogat tamen, quia humano more cum hominibus agebat, & interrogando parabat se, viamque sternebat ad Lazari suscitationem, ac simul Mariam, Martham, & Judæos excitabat ad tanti miraculi attentionem, ut attente considerarent omnia dicta & facta Christi, qui eum erat suscitaturus.

Symbolice, S. Greg. lib. 4. ep. 42. Christus, ait, Evæ peccatum mulieribus memorans, dicit: Ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulchro.

VENI, ET VIDE] Avide invitant Jesum, ut veniat & videat, sperantes eum, qui mortuos exteros suscitarat, etiã Lazarum domesticum, adeo sibi dilectum, suscitaturum. Unde mystice Interlin. *Vide*, inquit, id est miserere: nam, ut ait S. Aug. videt Dominus quando miseretur, juxta illud: *vide humilitatem meam, & dimitte omnia peccata mea.* Aliter S. Chrys. & ex eo Theophy. Ita videbatur iturus, ait, ut lacrymaturus, non ut resuscitaturus. E

ET LACRYMATUS EST JESUS] viso Lazari sepulchro (licet Chrysost. lacrymatum putet cum infremuit, & turbavit seipsum, quod pariter est probabile) ut significaret dolorem conceptum ex ejus morte, & suum in eum amorem. VERS. 35

Secundo, ut cum sororibus & Judæis lacrymantibus, collacrymaretur, idemque nos facere doceret. Ita S. Aug. Audi S. Ambr. l. 4. in Lucam in fine Proœmii: *Christus omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, profluus abundantibus. In carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit.*

Tertio, ut lacrymas orationi addens, eam faceret vehementiorem & efficaciorem: lacrymæ enim vehementis doloris & afflictionis, æque ac affectus & desiderii sunt signum: quare orationes lacrymis conditas, & quasi armatas Deus exaudire solet. Sic Christus in cruce *preces supplicationesque cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Hebr. 5. 7. Sic Tobias c. 12. 12. audivit a S. Raphaele: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino.* Sic Jacob luctans cum angelo, obtinuit benedictionem, Genes. 32. 36. Quare? quia *flevit & rogavit eum*, Osee 12. 4. *Lacryma pœnitentium*, ait S. Bern. *vinum sunt angelorum.* Mentis enim compunctio in oratione est, quæ movet, & quasi cogit Deum ad miserendum, juxta illud: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, ps. 50. 19. sic lacrymæ infantis movent matrem, & ab ea impetrant quod ille petit: Deus enim exhibet viscera matris. Oratio lacrymis condienda. F

Alii alias lacrymarum Christi dant causas. Primo, Cyrillus ait Christum fleviſſe humani generis miserias per peccatum invectas. Secundo, Andr. Cretensis ait eum fleviſſe Judæorum incredulitatem, quodque viso suscitationis Lazari miraculo, non essent tamen in Christum credituri. Tertio, Isidor. Pelus. In Catena, & Rupert. censent Christum fleviſſe, eo quod Lazarum ex limbo, hoc est ex portu & statu quietis, revocaturus esset ad procellas, pericula & ærumnas hujus vitæ. G

Porro Christus ter legitur lacrymatus. Primo, hic in morte Lazari; Secundo, in cruce, Hebr. 5. 7. Tertio, videns Jerusalem, ejusque excidium. Lucæ 19. 41. Porro S. Bern. serm. 3. in die Nativ. *Lacryma Christi*, ait, *mihi & pudorem pariunt & dolorem*, &c. *Adhucne ludam, & deludam lacrymas ejus?* Et mox: *Compatitur Filius Dei, & plorat: homo patitur, & ridebit?* Et S. Augusti. hic tract. *Flevit*, ait, *Christus, fleat se homo: quare enim flevit Christus, nisi quia flere hominem docuit? Quare fremuit, & turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis, fremere quodammodo debet in accusatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi?* Christus ter lacrymatus.

VERS. 37 QUIDAM AUTEM EX IPSIS DIXERUNT: NON POTERAT HIC, QUI APERUIT OCULOS CÆCI NATI, FACERE UT HIC NON MORERETUR?] Utique id facere poterat; sed noluit, quia longe amplius facere decreverat, scilicet mortuum & quatriduanum, suscitare: quod Judæi putabant impossibile, ideoque mirantur Christum non impediviſſe Lazari mortem. *Qui noluit facere, ut non moreretur*, ait S. Aug. *plus est quod factum est, ut mortuus suscitetur.* H

VERS. 38 JESUS ERGO RURSUM FREMENS IN SEMETIPSO; VENIT AD MONUMENTUM] De hoc fremitu dixi vers. 33. Nota. Christus hic ter valde commotus, & lacrymatus fuit. Primo, vers. 33. cum vidit Mariam & Judæos plorantes. Secundo, vers. 34. cum videt sepulchrum Lazari. Tertio, hic cum ad illud pervenit, ut ostenderet quam miseranda esset sors Lazari mortui, & typice sors peccatorum per peccata spiritualiter mortuorum, ac in gehennæ tormentis perpetim morituro-rum. Hæc enim ipsi in agonia mortis sanguineas elicuit lacrymas, Lucæ 22. 44.

ERAT AUTEM SPELUNCA, ET LAPIS SUPERPOSITUS ERAT EI] Judæi enim nobiliores in speluncis, sive cryptis, sepeliebantur, ut patet in sepulchro Abrahæ, Genes. 23. 9. Isaac, & Jacob, Genes. 49. 31. Josephab Arimathia, Matth. 27. 60.

Mystice, S. Aug. Lapis hic, inquit, notat legem Mosaicam,

Digitized by Google

A faicam, quæ in tabulis lapideis ſcripta; omnia concludebat ſub peccato.

Tropologice idem Aug. ſerm. 44. de Verbis Domini ſecundum Joannem: *Moles illa*, ait, *impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis duræ conſuetudinis, qua premitur anima, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur.*

VERS. 39 AIT JESUS: TOLLITE LAPIDEM] Juſſit hoc Chriſtus Primo, ut Judæi ſublato lapide viderent corpus Lazari, itaque ipſum non tantum mortuum cernerent, ſed & putridum olfacerent, itaque ſuſcitationem ejus pluris facerent. Ita S. Chryſ. Theophyl. Euthym. hic, & S. Ambr. l. de Fide reſurr. Secundo, ut coram corpore Lazari orationem faceret, illudque mortuum Deo ſiſteret: ac ab eo reſuſcitari flagitaret.

Tropol. S. Bern. ſerm. 4. de Aſſumpt. *Tollatur lapis*, ait, *ſed maneat pœnitentia non jam premens & onerans, ſed vividam & robuſtam mentem roborans; atque confirmans: nimirum cujus cibus ſit (quem antea neſciebat) Domini facere voluntatem. Sic & diſciplina non jam conſtringit liberum, ſecundum illud: Juſtis non eſt lex poſita: ſed voluntarium regit, & dirigit in viam pacis.*

B DICIT EI MARTHA, SOROR EJUS QUI FUERAT MORTUUS: DOMINE JAM FŒTET, QUATRIDUANUS (a quatuor diebus ſepultus) EST ENIM] Orig. Cyrill. & Rupert. cenſent Marthæm id ſuggerere, ne Chriſtus deformitate & fœtore cadaveris Lazari offenderetur. Chryſ. vero Theoph. Euth. Leont. & Maldon. quia diffidebant Lazarum quatriduanum a Chriſto ſuſcitari poſſe, ne id tentaret Chriſtus: quod ipſa nullo modo fieri poſſe putabat, idque innuit reprehenſio ejus mox facta a Chriſto: *Nonne dixi tibi quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?*

Myſtice S. Aug. ſerm. 44. de Verbis Domini ſecundum Joannem, Quatriduanus Lazarus, ait, ſignificat peccatorem in peccati conſuetudine ſepultum, & quaſi deſperatum; *ut dicatur, quatriduanus eſt, jam fœtet. Venit ergo Dominus, cui utique facilia erant omnia, & difficultatem quamdam oſtendit. Ibi infremuit ſpiritu, oſtendit multo clamore objurgationis opus eſſe, ad eos qui conſuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini rupta ſunt*
C *vincula neceſſitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus eſt Lazarus vivus. Liberat eum & de mala conſuetudine Dominus quatriduanos mortuos: nam ipſe quatriduanus Chriſto volenti reſuſcitare dormiebat.*

VERS. 40 DICIT EI JESUS: NONNE DIXI TIBI, QUONIAM (quod) SI CREDIDERIS, VIDEBIS GLORIAM DEI?] Puta miraculoſam reſuſcitationem Lazari, per quam glorificetur Deus auctor tanti miraculi. Ita Euth. Maldon. & alii. Hæc enim reſuſcitatio magnam gloriam attulit Chriſto & Deo. Tacite hic Chriſtus coram Judæis incredulis inſinuat ſe eſſe Deum: ipſe enim ſuſcitaturus erat Lazarum ſuo imperio, ſuaque virtute; quod opus eſt ſolius Dei.

Videbis gloriam Dei ergo idem eſt quod *videbis gloriam meam*, qui ſum Deus, Deſque Filius. Ita Leont. & Euth.

Sed ubi id Marthæ dixit Chriſtus? Reſp. Chriſtum id non verbo tenus, ſed quoad rem & ſenſum dixiſſe nuntiis a Martha miſſis, v. 4. cum ait: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei ut glorificetur Filius Dei per eam.* Ita S. Chryſ. Theoph. & Rupert. Rurſum & clarius ipſi Marthæ, v. 23. *Reſurget frater tuus.* Et v. 25. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus*
D *fuerit vivet*, &c. *Credis hoc?*

SI CREDIDERIS] Excitat Chriſtus nutantem Marthæ fidem & ſpem: licet enim ipſa ante Chriſto occurrens dixerit verſ. 27. *Ego credidi quia tu es Filius Dei vivi.* Et v. 22. *Scio quia quodcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*; tamen cum ad rem ventum eſt, cum, inquam, Chriſtus Lazarum ſuſcitaturus juſſit aperiri ſepulchrum, cœpit Martha titubare, unde dixit: *Domine jam fœtet: quatriduanus eſt enim.* Habuit ergo alternanter motus gratiæ & naturæ, fidei & diffidentiæ, ſpei, & deſperationis de reſurrectione Lazari, quales in nobis experimur, cum converſi ad Deum ſperamus omnia, licet difficilia, nos ſuperaturos, converſi vero ad noſtram infirmitatem, cum jam rem arduam aggredi debemus, trepidamus, hæremus, & pene diffidimus illam a nobis poſſe confici. Sic tirones ante prælium animos ingentes oſtentant, at ubi prælium ingruit, primo hoſtium incurſu terrentur & diffugiunt. Unde illud: *In pace leones, in prælio cervi.* Veterani vero milites ante prælium trepidant ut cervi, in prælio vero conſiſtunt, pugnantque ut leones. Hoc diſcrimine veteranum dignoſcas a tirone.

VERS. 41 TULERUNT ERGO LAPIDEM] quo ſublato cadaver Lazari olidum & putidum appatuit, ut omnibus conſtaret eum vere eſſe mortuum, utque Chriſtus ipſum ut talem Deo per preces ſiſteret, ac reſuſcitandum offeret. I

JESUS AUTEM ELEVATIS SURSUM OCULIS (ad Deum Patrem, ut nos in oratione oculos, & magis mentem ad Deum in cælum elevare doceret. Ita Damaſc. in Catena. Ibidem Andr. Cretenſis addit Chriſtum, in cælum, quaſi in patriam ſuſpexiſſe, ut inde in terram ſe veniſſe innueret) DIXIT: PATER GRATIAS AGO TIBI QUONIAM AUDISTI ME] Hinc nonnulli opinantur Chriſtum, cum ſpiritu infremuit v. 33. tacite in mente oraſſe Patrem, ut Lazarum ſuſcitaret, ac ab eo reſponſum tuliſſe, Lazarum ab eo fore ſuſcitandum, ideoque Chriſtum hic dicere: *Pater gratias tibi ago, quoniam audiſti me.* Hoc eſt probabile.

Secundo, alii putant Chriſtum antea non oraſſe, quare Patrem non exaudiſſe ejus orationem, ſed deſiderium, quod deſiderabat Lazarum ſuſcitare, Deus enim piorum vota prævenit, & deſideria exaudit, juxta illud: *Deſiderium animæ ejus tribuiſti ei.* Et: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*, pſalm. 9. Et: *Antequam clament ad me, ego exaudiam*, Iſaiæ 65. 24. Sic ſenſus erit, q. d. Gratias tibi ago, o Pater; quia annuiſti votis meis, & voluiſti Lazari reſurrectionem, quam me velle & deſiderare videbas. Ita S. Chryſ. Euthym. Titelm. Janſen. & Ribera. Porro improbabile eſt quod addit Orig. cum Chriſtus pararet ſe ad orandum pro ſuſcitatione Lazari, Deum Patrem eum præveniſſe ac ante orationem, animam Lazari corpori reſtituiſſe. Nam non ante, ſed poſt eam fuiſſe corpori reſtitutam, patet ex v. 43. & 44.

Tertio, plane & plene. q. d. Gratias tibi ago, o Pater, quia hactenus me orantem ſemper exaudiſti, & aſſidue exaudis, ac præſertim nunc, cum tacite ſaltem & mentaliter, pro ſuſcitatione Lazari te invoco & obſecro. Aſſecuras enim me, quod mox eum ſuſcitabo. Docet hic Chriſtus nos modum orandi, ut ſcilicet initio orationis gratias agamus Deo pro beneficiis acceptis. Hæc enim gratiarum actio Deum nobis conciliat, flectitque ad nova beneficia quæ poſcimus, largiendum. Qui enim gratus eſt pro minoribus, majora meretur accipere. Eſt hæc fiducialis filiorum oratio. Unde ſubjicit Chriſtus,

G EGO AUTEM SCIEBAM QUIA (quod) SEMPER ME AUDIS, SED PROPTER POPULUM, QUI CIRCUMSTAT, DIXI: UT CREDANT QUIA TU ME MISISTI] Quod vocaliter dixi v. 41. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me*, non dixi, propter me, quaſi novum mihi ſit me a te audiri: ego enim ſcio, quod ſemper me vel ſola mente orantem audis; ſed propter populum aſtantem, ut is credat quod me miſeris, ex eo quod videat me exauditi a te, uti jam me exauditum videbit, cum ope tua ſupernaturali ſuſcitabo Lazarum.

VERS. 43 HÆC CUM DIXISSET, VOCE MAGNA CLAMAVIT: LAZARE VENI FORAS] *Voce magna.* Primo, ut oſtenderet vocem hanc habere vim magni & potentis impetii, quo a morte ſuſcitabat Lazarum, quaſi Deus imperans naturæ & morti. Unde Cyrill. *Deo dignum*, ait, *& regium imperium eſt: Lazare veni foras.* Dixit enim hoc non obſecrando, ſed jubendo & imperando. Magna vox ergo ſignificat magnam vim & potentiam, quæ Lazarum a morte ad vitam revocabat. Hoc enim opus erat difficillimum, ideoque ſummam & divinam exigebat potentiam, æque ac vocem. Rurſum vox magna manabat a magna animi affectione & contentione, quam hic habuit Chriſtus ejuſque erat indicium. H

Secundo, ut ſignificaret animam Lazari e loco remoto, puta e limbo patrum, & centro terræ, ad corpus in terra ſepultum revocari: remotis enim magna voce inclamamus, ut audiant: quamquam animabus ſeparatis clamore non ſit opus: hunc enim non magis audiunt, quam vocem ſubmiſſam, cum ſint nudi & incorporati ſpiritus.

Tertiam cauſam dat Theoph. Altius clamavit, inquit, propter Gentilium errorem, fabulantium in tumultis eſſe animas defunctorum: quaſi enim longe manentem in limbo vocat per clamorem.

Symbolica & anagogica cauſa fuit, ut hac voce magna repreſentaret vocem tubalem Archangeli in die judicii, qua ſuſcitabuntur omnes mortui. Unde S. Chryſ. Cyril. Theoph. Euthym. aſſerunt Chriſtum hic reipſa monſtrare voluiſſe quod dixerat cap. 5. 25. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audiunt vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.* Audi S. Ambr. l. de Fide reſurrectionis: *Oſtendit tibi Dominus quemadmodum reſurgas. Non enim unum Lazarum,*

ſed

A *sed fidem omnium ſuſcitavit. Quod ſi credas cum legis, mens quoque tua, quæ mortua fuerat, in illo Lazaro reviviſcit. Quid enim ſibi vult, quod Dominus ad monumentum acceſſit, magna voce clamavit: Lazare exi foras, niſi ut futuræ reſurrectionis ſpecimen præſtaret, exemplum ederet? cur voce clamavit, quaſi ſpiritu non ſoleat operari, quaſi tacitus non ſoleat imperare? ſed ut illud oſtenderet, quod ſcriptum eſt: Quoniam in momento oculi, in noviſſima tuba ſurgent incorrupti.*

Tropologice magna vox Chriſti ſignificat magnum impulſum gratiæ excitantis, qua opus eſt ut peccatore conſuetudine peccati, in qua ſepultus jacet, ad gratiam & novam vitam evocetur. Ita S. Aug. cujus verba recitavi v. 39. Hinc illud Pauli Epheſ. 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis; & illuminabit te Chriſtus.*

LAZARE] Vocat eum nomine proprio, *Ne, ut* ait S. Amb. de Fide reſurrect. *alius reſuſcitatus pro alio videretur, aut fortuita magis reſurrectio, quam imperata*: Rurſum mortuum quaſi viventem compellat, quia Deo etiam omnes mortui vivunt, ait S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

B VENI FORAS] Non quaſi jam ante reſurrexeris, & nunc tantum foras extra ſepulchrum proditurus ſis, uti hinc male collegit Orig. Sed *veni foras*, id eſt, reſurge, redi ex atris & arcanis mortis & inferni antris; redi, o Lazari anima, ex intimis limbi patrum finibus in corpus hoc, indeque in vitam, auram, & lucem hanc omnibus viventibus communem.

Tropol. audi S. Greg. hom. 26. *Veni foras: Omnis quippe peccator, dum culpa ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur: ſed mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam tuam abſcondis? foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Paulo aliter S. Bern. ſerm. 4. de Aſſumpt. *Lazare veni foras*. q. d. *Quouſque conſcientiæ tuæ caligo te detinet? quamdiu in cubiculo tuo gravi corde compungeris? Veni foras, procede, reſpira in luce miſerationum mearum. Hoc enim eſt, quod in Propheta legiſti: Infranabo os tuum laude mea, ne pereas.*

C

VERS. 44 ET STATIM PRODIIT QUI FUERAT MORTUUS, LIGATUS PEDES ET MANUS INSTITIS] *Statim*. Notatur vis vocis Chriſti, quæ celerrime mortuum ſuſcitavit, ut dictum foret factum.

INSTITIS] Græce κειρίαις, id eſt, faſciis funereis ſepulchralibus. Ita Syrus, quibus manus & pedes mortui conſtringuntur, ut in loculum arctum inferri, ibique apte componi poſſint. Arabicus vertit, *linteaminibus*, Nonnus, *a pede uſque ad caput conſtrictum complicatis totum corpus habebat faſciis ſepulchralibus*. Porro inſtita proprie eſt tenuiſſima faſciola, quæ ſtolæ extremitatem ambibat: eique ſubſuebatur, qua honeſtæ matronæ utebantur. Unde Horat. lib. 1. Serm. ſatyra 2.

Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte.

ET FACIES ILLIUS SUDARIO ERAT LIGATA] more Judæorum, ut mortuus ſignificaretur, ac ne cui facies pallida & horrida horrorem incuteret.

D Cur Chriſtus vincula Lazari reſuſcitati non ſolvit?

Quæres, cur Chriſtus mortuum ſuſcitans, non ſimul vincula ejus diſſolvit?

Reſp. Primo, S. Aug. Chryſoſt. Cyrill. Leont. & alii, ut Judæi viderent eumdem Lazarum ſuſcitari, qui paulo ante ut mortuus, ab ipſis fuerat faſciis & ſudario obvolutus; non vero eſſe phantaſma, vel virum quempiam in ſepulchro abſconditum, ad fucum faciendum.

Secundo, ut duplex eſſet miraculum: primum enim fuit mortui ſuſcitatio: ſecundum, quod mortuus ſuſcitatus quidem, ſed adhuc pedibus colligatus, & facie obvolutus, directe tamen ambularet, & extra ſepulchrum recta ad Chriſtum pergeret. Ita Chryſoſt. & Theophyl.

Tropol. S. Aug. tr. 49. *Proceſſit*, ait, *& adhuc ligatus adhuc involutus, tamen jam foras proceſſit. Quid ſignificat? Quando contemnis, mortuus jaces: & ſi tanta, quanta dixi, contemnis, ſepultus jaces, quando confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occulto velut exeundo te manifeſtari? ſed ut confitearis Deus facit, magna voce clamando, id eſt magna gratia vocando.*

Rurſum S. Greg. 4. Moral. c. 25. *Redemptor noſter*, ait, *puellam in domo, juvenem extra portam, in ſepulchro autem Lazarum ſuſcitavit. Adhuc quippe quaſi mortuus jacet in domo, qui latet in peccato. Jam quaſi extra portam adducitur, cujus iniquitas uſque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam uſu conſuetudinis preſſus gravatur. Sed hos ad vitam miſeratus revocat, quia plerumque divina gratia non ſolum in occultis, ſed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, & mole pravæ conſuetudinis preſſos, reſpectus ſui lumine illuſtrat.*

E

Anagogice, S. Aug. lib. 83. Quæſt. quæſt. 65. Lazarus, inquit, exiens de monumento eſt anima recedens a carnalibus vitiis, ſed ligata, i. e. nondum aliena a moleſtiis carnis, dum in corpore vivit; facies ſudario eſt tecta: plena enim cognitio in hac vita haberi non poteſt: ſed dicitur, *Solvite eum*: poſt hanc enim vitam auferentur velamina, ut facie ad faciem videamus.

DIXIT EIS JESUS: SOLVITE EUM ET SINITE ABIRE] domum ſuam. Juſſit hoc Chriſtus Judæis, ut ipſi Lazarum contrectantes, miraculum a ſe factum, ejuſque ſuſcitationem quaſi manibus tangerent & palparent. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

F

Symbol. Chriſtus peccatores peccatorum funibus conſtrictos mittit ad Apoſtolos & ſacerdotes, ut ab iis ſolvantur, & abſolvantur, dicens: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*. Matth. 18. v. 18. Ita S. Aug. *Quid*, ait, *eſt, Solvite & ſinite abire? quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo*. Sic & Beda, Rupert. & S. Greg. hom. 26. in Evangel. & lib. 21. Moral. c. 9.

Porro, advertit S. Greg. Chriſtum prius ſuſcitaſſe Lazarum ad vitam, deinde miſiſſe eum ſolvendum ad diſcipulos, ut ſignificaretur peccatorum prius debere excitari a Chriſto ad pœnitentiam, & propoſitum novæ vitæ, deinde a peccatis abſolvi ab Apoſtolis. Addit S. Greg. optandum eſſe, ut Chriſtus prius eum per actum contritionis perfectæ vivificet & juſtificet, culpamque aboleat, ac deinde eum ſacerdotes a pœna abſolvant. Verum hoc rarum eſt, nec neceſſarium. Multi enim non contriti, ſed attriti dumtaxat peccata ſua confitentur ſacerdoti, quia ab eo vi Sacramenti abſolvuntur tam a culpa, quam a pœna.

Denique Lazarum ingentes egiſſe gratias Chriſto (etſi id ſileat Joannes) nulli eſt dubium: nam & vitam, quam ab ipſo acceperat, eidem dedicavit factus ejus diſcipulus, prædicator & Epiſcopus Maſſilienſis. Unde ut talis catalogo Sanctorum aſcriptus legitur in Martyr. Rom. die 17. Decemb. atque in ejus honorem magnificam baſilicam extruxit Leo VI. Imper. teſt. Zonara l. 3. Vitam ejus ex actis S. Marthæ, Magdalenæ, & Maximini collectam, paucis ita deſcribit Petrus de Natal. Epiſcop. Eſquilinus l. 1. Cat. Sanct. c. 72. *Lazarus Epiſcopus, frater Marthæ & Mariæ Magdalenæ, nobilis, de genere Judæorum dives ac prapotens, patre Syro, matre Eucharia exortus: quatriduanus defunctus a Domino ex mortuis ſuſcitatus, diſcipulus Chriſti, & Apoſtolorum conſocius fuit, & in die Pentecoſtes unus ex numero centum viginti diſcipulorum extitit, in quos Spiritus ſanctus corporaliter effuſus eſt. Et deinde una cum ceteris prædicationi verbi Domini inſtabat, diſtractiſque omnibus, ſicut & ceteri, pretium Apoſtolorum pedibus præſentavit, & Apoſtolicam vitam & formam aſſumpſit. Verum perſecutione Judæorum, quæ facta eſt poſt Stephani lapidationem, ita ut cuncti diſcipuli diſpergerentur per civitates præter Apoſtolos, ut dicitur Actuum 8. ipſe una cum ſororibus ſuis, & S. Maximino, & S. Celidonio, qui fuerat cæcus a nativitate, & cum Marcella pediſſequa Marthæ navicula ſine remo vel duce impoſiti ſunt, & mari expoſiti, a Judæorum finibus expulſi. Qui Deo duce Maſſiliam pervenerunt; ubi prædicante Magdalena, & omni provincia ad Deum converſa, ipſe anno 14. a clero & populo Epiſcopus Maſſilienſis conſtitutus eſt. Et poſtquam Magdalena deſerta montium petiit, ipſe Maſſiliæ degens Dei populum feliciter gubernavit, ubi & in Domino requievit 16. Kal. Januarii; cujus ibidem in matrice Eccleſia caput oſtenditur. Dicitur quod Lazarus a Domino ſuſcitatus, confeſtim Chriſtum interrogavit, an eum iterum mori oporteret: & quod de cætero nunquam riſit.* Vita S. Lazari.

G H

VERS. 45 MULTI ERGO EX JUDÆIS, QUI VENERANT AD MARIAM ET MARTHAM, ET VIDERANT QUÆ FECIT JESUS, CREDIDERUNT IN EUM] Evidentia enim & magnitudine tam miraculo ſæ ſuſcitationis Lazari convincebantur Jeſum eſſe Prophetam, imo Meſſiam, uti ipſe profitebatur.

VERS. 46 QUIDAM AUTEM EX IPSIS ABIERUNT AD PHARISÆOS, ET DIXERUNT EIS QUÆ FECIT JESUS] Dubitat S. Aug. an bono animo, an malo id fecerint: ſive annunciando ut crederent, ſive prodendo ut ſævirent, ait Gloſſa: poterant enim bono id facere, ſcilicet hac mente, ut Phariſæos ſi non

Digitized by Google

A sinon ad Christi fidem, certe ad mitiorem in Christum animum inflecterent, uti opinatur Orig. Verum alii passim censent id eos malo animo fecisse: quare visa Lazari suscitatione non crediderunt (S. Joannes enim opponit hos iis qui crediderunt v. præc.) in Christum, imo non crediderunt verum esse miraculum, sed magicum & præstigiosum, uti nunc hæretici, cum vident miracula B. Virginis Lauretanæ, vel Sichenensis, eadem calumniantur, dicuntque esse vel conficta, vel præstigiosa. Probabiliter suspicatur Euthym. hos Christi delatores fuisse illos, qui v. 37. dixerant: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?* Quid ergo intendebant hac sua denunciatione? Primo, Pharisæorum gratiam captare, male de Christo, & hoc ejus miraculo loquendo, ait Cyrill. Secundo, calumniari hanc suscitationem, quasi præstigiosam, ac Christum quasi præstigiatorem accusare, ait Euthym. Tertio, per hanc suscitationem, Pharisæorum invidiam & indignationem in Christū magis accendere, ait Rupert. Unde & mox Pharisæi coacto concilio Jesum occidendum decreverunt. Addit Theo-
B phyl. & Leont. intendisse eos Christum accusare quasi sacrilegum, eo quod mortui corpus effodisset. Magna ergo fuit eorum malitia & malignitas, qua Christo pro tanto beneficio, tantum maleficium, pro miraculo blasphemiam, pro vita mortem rependerunt, eumque Pharisæis ad crucem damnandum objecerunt & adegerunt.

VERS. 47 COLLEGERUNT (convocarunt) ERGO PONTIFICES ET PHARISÆI CONCILIUM, ET DICEBANT: QUID FACIMUS (quid facere nos oportet? *Syrus, quid agemus?*) QUIA HIC HOMO MULTA SIGNA FACIT?] Debebant ipsi ex tot Jesus signis & miraculis convinci, & credere ipsum esse Messiam Dei filium, sed odio & invidia excæcati, contrarium dicunt & agunt, unde nec nominare eum dignantur, sed dicunt: *Hic homo*, quasi merus & vilis esset homo (hominem adhuc vocant, ait Chrysost. qui tantam deitatis ejus demonstrationem susceperant) ac de ejus cæde deliberant, eique vitam eripere destinant, qui Lazaro vitam reddiderat, & a quo vitam æternam petere & sperare debebant. Ita S. Chrysost. Cyrill. Theoph. *Non dicebant: Credamus*, ait S. Aug. *plus enim perditi homines cogitabant, quomodo nocerent ut perderent, quam quomodo sibi*
C *consulerent, ne perirent.* Infatuatum est ergo insipiens cor eorum, quo sibi totique suæ Judæorum nationi exitium præsens & æternum accersiverunt.

Quanta insipientia, ait Orig. & cæcitas, qui cum testificentur multa peregisse miracula, se putent contra illum posse aliquid, quasi ab eorum insidiis se non possit eximere.

VERS. 48 SI DIMITTIMUS EUM SIC, OMNES CREDENT IN EUM: ET VENIENT ROMANI, ET TOLLENT LOCUM NOSTRUM, ET GENTEM] q. d. Romani perdent Judæam, totamque gentem Judaicam. S. Chrysost. & Theoph. per *locum* accipiunt Hierosolymam metropolim Judææ, indeque totum ejus regnum. Maldonat. vero accipit templum: hoc enim cum suis victimis & lucris eripi sibi a Romanis metuebant pontifices.

OMNES CREDENT IN EUM] Vide hic invidiæ genium, & effectum ipsa condignum: pontifices volentes Christi gloriam obscurare, eam magis illustrant, dicen-
D do quod omnes in eum crediturі sint. Cur ergo vos quoque in eum non creditis? Audi S. Greg. lib. 6. Moral. c. 13. *Intulerunt ei mortem, ut ab eo absconderent fidelium devotionem: sed fides inde crevit, unde se hanc extinguere infidelium credulitas credidit.*

ET VENIENT ROMANI, ET TOLLENT (VATABL. *transferent non alio*) LOCUM NOSTRUM, ET GENTEM] Nonnulli opinantur eos hoc sentire. q.d. Si omnes credant in Jesū, omnes a nobis, nostroque Judaismo, Synagoga & republica ad eum abibunt, & sic nullus erit, qui pro nobis contra Romanos nobis jugum inducere volentes depugnet. Unde S. Aug. *Timebant*, ait, *ne si omnes in Christum crederent, nemo maneret, qui contra Romanos civitatem templumque defenderet. Temporalia ergo perdere timuerunt, & vitam æternā non cogitaverunt, ac sic utrumq; amiserunt. Tulerunt autē Romani & locū & gentē, expugnando & transferendo.*

Cur a Romanis propter Christum sibi timebant Judæi.

Verisimilius alii, q. d. Si omnes credant Jesum esse Messiam regem Judæorum, irritabuntur contra nos Romani Judææ domini, quod nobis novum regem & Messiam, puta Jesum, creaverimus, ac a Cæsare Tiberio ad eum defecerimus: quare armati venient & tollent, græce, *αἴρουσι*, id est capient, vastabunt & perdent Hierosolymam & Judæam cum tota Judæorum gente & republica. Ita Chrysost. Volebant, inquit, populum concitare, ut periclitatorum E ex suspicione tyrannidis. q.d. Si Romani viderint Jesum turbas ducentem, suspicabuntur tyrannidem, & destruent civitatem. At quos Christus armigeros circumducebat & equites? Verum livor & odium excæcabat eos, ut plane errarent & paralogizarentur. Nam Primo, Jesus erat rex Judæorum, non temporalis, sed spiritalis, qui regnum temporale Cæsaris non tangebat, imo augebat. Dabat enim ei tributum, aliisque dandum esse docebat, adeoque cum populus eum regem temporalem creare vellet, aufugit, Joan. 6. 15. Secundo, Judæi pluris facere debebant salutem animæ æternam, quam temporalem corporis. Quare potius perdere debuissent corpus, quam animam; potius Judæam, quam cælum. Adde, Christus, si in se credidissent, ab eis omne malum, etiam temporale, avertisset. Tertio, si credidissent in Jesum, ab eo didicissent obedire Romanis, quasi rerum dominis, eisque tributa pendere; quare a Romanis nil eis metuendum fuisset. Quarto, ideo Romani perdiderunt Judæam, quia ipsi suum occiderunt Messiā, justa Numinis vindicta, uti censuit ipse Titus eorum eversor, teste Josepho. Ita S. Chrys. Cyrill. Euth. Theoph. qui & addunt, pontifices non vere hoc in animo sensisse, nec metuisse Romanorum adventum & excidium propter Jesum, sed idipsum tantum invidiæ & odio suo in Jesum, quasi velum, prætexuisse. Porro ipsi excæcati occidentes Jesum, in Romanorū gladium & excidium, ac quod magis est, in mortem æternam & gehennam incurrerunt.

Sic hodie Machiavellistæ & Politici, qui politiam præferunt religioni, regnum fidei, rempub. Ecclesiæ, & bona terrena cælestibus, temporalia æternis, utraque perdunt, uti recte advertit S. August. Illustre exemplum hoc sæculo fuit Volsæus, qui offensus Carolo V. suasit Henrico VIII. Angliæ regi, ut Catharinam uxorem Caroli amitam repudiaret, quod ipsum desiderare sciebat, sed tandem ipse justo Dei judicio in Henrici indignationem incidit, ac ab eo captus dixit: *Juste hæc patior, quia dum regis gratiam cum offensa Dei aucupatus sum, Dei gratiam amisi, nec regis gratiā acquisivi.* Ita Sander. in Schism. Anglicano. Hi ergo hinc discant, quod fides & pietas non tollunt politiam & regnum temporale, sed potius conservant & augent: infidelitas vero & impietas illud everterunt. Unde notat Chrys. hom. 6. Judæos a Deo non fuisse punitos, nisi cum Dei fidem & cultum deseruerunt, idq; probat ex historia Achior, Judith c. 5.

Volsæi historia.

G

VERS. 49 UNUS AUTEM EX IPSIS, CAIPHAS NOMINE, CUM ESSET PONTIFEX ANNI ILLIUS, DIXIT ILLIS] Consultantibus cæteris, nec quid facto opus esset invenientibus, vel definientibus, Caiphas quasi pontifex consilium suggerit, & rem totam definit. Dicitur autem *pontifex anni illius*, quia cum ex lege Exodi 28. deberet pontificatus durare pontifici usque ad mortem, ac post eam in filium primogenitum, jure quasi hæreditario derivari; Romani præsides eos crebro mutabant, vel pro arbitrio, vel accepto ab ambientibus pretio. Audi Josephum l. 18. Antiq. cap. 3. Augusto Cæsari in imperio successit Tiberius: *A quo*, inquit, *quintus Judæorum præses missus est in Annii Rufi locum Valerius Gratus. Hic adempto Anano sacerdotio Ismaelem Fabii filium jussit esse pontificem: quo paulo post dejecto, in Eleazarum Ananì pontificis filium eum honorem transtulit. Elapso deinde anno, & hunc redegit in ordinem, & Simonì Camithi filio pontificatum tribuit, hic quoque anno in hac dignitate exacto, jussus est eam cedere Josepho, qui cognominabatur Caiphas.*

Pontifex anni illius.

Non ergo annus apud Judæos erat pontificatus, ut ex hoc loco colligere videtur S. August. sed per annos plures vel pauciores, imo per eumdem annum subinde mutabatur. H

Porro *Caiphas*, ait Pagnin. heb. idem est quod *vemens ore* (קאה *kaa* enim est vomere, פה *pe* est os) vel *sagax vestigator* & scrutator. Apte quia evomuit hic impiam in Christum sententiam, ejusque sagax fuit scrutator & inventor.

VERS. 50 VOS NESCITIS QUIDQUAM. NEC COGITATIS QUIA EXPEDIT VOBIS UT UNUS HOMO MORIATUR PRO POPULO, ET NON TOTA GENS PEREAT] q. d. Vos quasi plebeji & privatis estis bardi & stipites, nil hac in re intelligitis, nec quid facto sit opus cognoscitis, nil expeditis, nil definitis, nullum consilium congruum suggeritis; sed ego quasi pontifex a Deo illuminatus, rem verbo expedio, consilium optimum do, & rem totam definio, dicendo: *Expedit ut unus homo*, puta Jesus, licet de nullo crimine accusatus, imo innocens & Propheta, ac tanti miraculi opifex, *moriatur* (occidatur a vobis) *pro populo*, ut scil. populus propter eum non periclitetur apud Romanos, ne videlicet Romani propter Jesum,

Pontifex ex Judæorum more.

A sum, quasi Messiam & regem Judæorum, tollant eorum locum & gentem; itaque gens tota non pereat, sed eo sublato incolumis salvaque consistat. Hoc ergo fuit impium, falsum & injustum judicium Caiphæ, scilicet expedire ad salutem populi, ut Christus innocens occideretur, ne propter eum Romani Judæam & Judæos vastarent. Ratio ejus erat, quia præstat unum perire, quam multos, juxta illud: Satius est ut pereat unus, quam unitas & communitas. q. d. Quid ergo cunctamini, quid deliberatis? mihi non est dubium expedire unum Jesum pro omnibus Judæis mori. Ita Toletus, Jansen. Maldon. & alii.

Symbolice, Origenes, Nil noverant, inquit, qui Jesum non noverant, juxta illud:

Si Jesum noscis, satis est, si cætera nescis.
Si Jesum nescis, nil est, si cætera noscis.

VERS. 51 HOC AUTEM A SEMETIPSO NON DIXIT: SED CUM ESSET PONTIFEX ANNI ILLIUS, PROPHETAVIT, QUOD JESUS MORITURUS ERAT PRO GENTE] Judæorum. Nota, Caipham cum aliis principibus sacerdotum Christo infensissimum, ex privato in eum odio idem voluisse clare dicere, quod alii tacite innuebant, sed non exprimebant, scilicet Christum esse tollendum e medio pro salute populi, ne a Romanis invaderetur, uti jam dixi: sed Spiritus illi volenti hoc eloqui, quasi pontifici, & capiti Ecclesiæ, ea verba objecit, quibus contrarium potius diceret, & verissimam in Christum fidem confirmaret & definiret, scilicet expedire, ut Christus pro populo, id est, pro salute populi moreretur, ac morte sua quasi dato pretio eumdem a peccato, diabolo, morte & gehenna redimeret, ne alioqui ille periret in æternum. Hoc enim verba Caiphæ & proprie & præcise significant; alioqui enim secundum impiam in Christum Caiphæ mentem, ipse potius dicere debuisset sic: Expedit ut unus Jesus moriatur pro toto populo, vel potius quam totus populus; jam autem non dicit *pro*, sed *pro populo*: quod proprie significat pro salute populi, ut salvet populum: ac licet Caiphas non intelligeret, multo minus intenderet; solerter tamen id suggerente Spiritu S. advertit hic S. Joannes, & sicut ipse advertit, sic & alii viri sinceri & probi Caipham audientes, idipsum tunc advertere potuerunt, æque ac nos advertimus. Hinc discе, quantam curam habeat Deus Ecclesiæ, quamq; assistat Pontifici, qui ejus est caput, præsertim in lege nova, quam instituit, sanxit, regitque Christus, quasi ejus caput & sponsus, ne scilicet Ecclesia Christi sponsa a fide & veritate aberret.

Caiphas an Propheta?

Porro, quia Caiphas hoc mysterium non intellexit, hinc proprie Propheta non fuit, ut notat Origenes, quia Spiritus sanctus per os ejus locutus est, sicut angelus locutus est Balaam impio per os asinæ, Num. 22. & seq. Caiphas ergo scelestissime verba Spiritus sancti detorsit ad necem Christi. Intendit enim dicere expedire, ut Christus tolleretur, ne Judæi per eum Romanos Cæsares & præsides offenderent. Unde S. Chrysost. ait Spiritum sanctum Caiphæ linguam, non cor moviisse.

Dices: Ergo Caiphas hic erravit in fide. Resp. nego consequentiam, imo veram fidem definivit, scilicet expedire, ut Christus pro salute mundi moreretur, uti jam dixi: esto id ipse non intelligeret, nec dicere intenderet: intendebat enim Christum esse tollendum, ne propter eum populus a Romanis vastaretur, qua in re licet erraret contra justitiam & pietatem, non tamen contra fidem. Error enim hic versabatur circa factum politicum, scilicet an Christus esset occidendus pro statu politico, nec ne. Adde, pontifex Judaicus non habebat illam infallibilem assistentiam Spiritus sancti, quam a Christo & post Christum habent Pontifices Christiani; præsertim cum jam Synagoga Judæorum præsente Christo cadere inciperet, & ejus loco surgeret & succederet Ecclesia Christi. Unde paulo post Caiphas cum toto concilio Sanedrim, Jesum quasi pseudomessiam reum mortis proclamavit; qui erat error in fide: quare desiit eorum Synagoga esse Ecclesia Dei, cœpitque esse Synagoga Satanæ, dum Christum a Deo missum negavit & occidit, de quo Matth. 27. v. 1. & seq.

Denique prophetia hæc Caiphæ fuit de morte Jesu certo futura, certo, inquam, in causis. Intendebat enim Spiritus S. hoc per os ejus significare, scilicet expedire, ut Christus moreretur pro salute hominum, ac pro ea certo moriturum, ex odio, prava mente, & sententia Caiphæ, ejusque sociorum; quam hic vultu & gestu satis ostenderunt. Unde paulo post Jesus reipsa ab eis occisus est & mortuus. Quare quidquid hic fuit prophetiæ, non meritis Caiphæ, sed pontificali ejus officio dedit Spiritus sanctus. Ita S. August. Chrys. Cyrill. Theoph. Euthym. Beda, & cæteri.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

ET NON TANTUM PRO GENTE (sua Judaica) SED UT FILIOS DEI, QUI ERANT DISPERSI, CONGREGARET IN UNUM] q.d. Expedit mori Christum; non tantum pro sua gente, & nostra, id est pro Judæis, sed etiam pro Gentibus universis credituris in Christum, ac per totum mundum dispersis. Hi enim vocantur *filii Dei*, non jam actu & reipsa, sed in Dei præscientia & prædestinatione; quia scilicet per Dei gratiam futuri erant fideles & sancti, ideoque filii Dei. Ita S. Aug. & Chrys. Hoc est, quod prædixit Christus c. 10. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili* (ex Synagoga Judæorum) *& illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor.* E VERS. 52

AB ILLO ERGO DIE (græce *hora*) COGITAVERUNT UT INTERFICERENT EUM] Ecce hic clare patet iniqua mens, intentio & sententia Caiphæ & sociorum. Pro *cogitaverunt*, græce est: συμβουλεύσαντο, quod nonnulli vertunt, *consultabant*. Ita Vatabl. Arabic. *consuluerunt*; melius Cyrill. Leont. & Chrys. *consultationem finierunt, & firmarunt communi decreto, & quasi senatusconsulto*. Unde noster vertit, *cogitaverunt*, id est decreverunt; Syrus, *machinabantur, ut eum interficerent*. VERS. 53 F

JESUS ERGO JAM NON IN PALAM (græce, οὐ παῤῥησίᾳ, id est, libere, aperte, publice) AMBULABAT] Audi Cyrillum. *Tamquam Deus, quid de se statuissent Judæi, nemine nunciante cognovit, tamquam homo se subduxit*, quia necdum venerat hora morti ejus a Patre decreta. Fecit hoc ut nobis exemplum daret, per fugam pericula vitæ declinandi. Ita idem Cyrill. Theophyl. Origen. August. Beda, Rupert. VERS. 54

SED ABIIT IN REGIONEM JUXTA DESERTUM, IN CIVITATEM QUÆ DICITUR EPHREM, ET IBI MORABATUR CUM DISCIPULIS SUIS] *Ephrem*, idem est quod *Ephraim*: græci enim pro *Ephraim* dicunt *Ephrem*, ut ps. 77. *Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum.* Leontius opinatur Ephrem esse Bethlehem, in qua natus erat Christus: sed hoc parum est verisimile, quia Bethlehem erat vicina Jerusalem, & ibi maxime a pontificibus se quærendum sciebat Jesus. S. Hier. in Locis Hebr. & ex eo Jansen. putant *Ephrem* esse *Ephron*, de quo 2. Paral. 13. 19. sed ibi Ephron scribitur per *ain* & *nun*; Ephraim vero sive Ephrem scribitur per *aleph* & *mem*. Ribera & alii putant Ephrem sitam fuisse supra Jericho, juxta ejus desertum: Adrichom. vero pag. 62. n. 40. Ephrem collocat in quinto milliario Bethelis versus Orientem, septem horis distantem a Jerusalem juxta desertum Hai, non longe a torrente Carib, ab quam Elias fugiens Jezabel secessit, ibique pastus fuit a corvis, 3. Reg. 17. Secessit eo Jesus, tum ut iras pontificum ad tempus declinaret, tum ut in hoc secessu orationi & contemplationi vacans, animaret & armaret se ad instantem mortem, & arduum cum pontificibus, imo cum Lucifero in cruce duellum. Hinc *Ephraim* & *Ephrem* hebr. idem est quod fertilitas ac Christi typus fuit Ephraim filius Joseph, cui pater hoc nomen indidit, vaticinando dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Genes. 41. 52. sic enim crevit Christus in terra, quam sterilem ipse fertilem virtutum & Sanctorum effecit. Ephrem quænam urbs? G ubi sita?

Hinc Ephraim symbolice typus est Ecclesiæ Gentium, quæ fructum hunc copiosum protulit. Ita Origen. *Conversabatur Jesus*, inquit, *dudum inter Judæos: Verbū scilicet divinum per Prophetas; sed abiit, nec est apud illos; accessit autem ad villam, quæ est prope desertum, de qua dicitur: Multi filii deserta magis quam conjugatæ: interpretatur autem Ephrē fertilitas. Fuit vero Ephraim frater Manasse, senioris populi oblivioni traditi: post populum enim oblivioni datū prætermissum, prodiit ex Gentibus abundantia. Discedens ergo Dominus a Judæis, venit in terram totius orbis prope desertam Ecclesiam, quæ dicitur civitas fœcunda, ibique moratur cum discipulis usque nunc.* H

Tropol. Ephrem sita juxta desertum, symbolum est animæ sanctæ vacantis solitudini & orationi: hæc enim fit Ephrem, id est fructifera bonorum operum: quare in ea per gratiam suam copiosam commoratur Jesus.

PROXIMUM AUTEM ERAT PASCHA JUDÆORUM] scilicet ultimum Paschæ Christi, quo ipse quasi agnus paschalis in cruce immolatus est pro salute mundi, ideoque illud avide exspectabat. Syri pro *Pascha* dicunt *Pezcho*, quod interpretatur *hilaritas*, quia erat hoc festum cæteris hilarius, æque ac Christianis summe est hilare, ob Christi in eo factam in cruce redemptionem nostram, ac resurrectionem. VERS. 55

ET ASCENDERUNT MULTI HIEROSOLYMAM DE REGIONE (de vicinis oppidis, pagis & vicis, ita Syrus) ANTE

Digitized by Google

A PASCHA, UT SANCTIFICARENT SEIPSOS] id est ut sacrificiis & & cæremoniis purgarent se ab omnibus immunditiis legis, ac orationibus & sacrificiis se præpararent ad Pascha rite celebrandum & comedendum, ut ait S. Thomas, & Jans. & ideo aliquot diebus ante Pascha in Jerusalem.

VERS. 35 QUÆREBANT ERGO JESUM : ET COLLOQUEBANTUR AD INVICEM, IN TEMPLO STANTES : QUID PUTATIS, QUIA NON VENIT AD DIEM FESTUM ? DEDERANT AUTEM PONTIFICES ET PHARISÆI MANDATUM, UT SI QUIS COGNOVERIT UBI SIT, INDICET, ET APPREHENDANT EUM] *Quia* (quod) *non venit*, græce, ὅτι οὐκ ἔρχεται quod Cyrill. Leont. & Vatabl. vertunt negative, *quod non veneris*. S. Chrysost. vero, Theophyl. & Maldon. vertunt dubitative, *num venturum non esse ad diem festum?* Accedit Syrus, *quid putatis? non venturum esse ad festum*; & Arabic. *videturne vobis ipsum non venire ad festivitatem?* Cyrill. putat hanc esse interrogationem eorum, qui in Christum credebant, qui non credentibus interrogando dicebant: Quare Jesus de more non venit ad commune hoc Paschæ festum? Utique quia ut Deus præsentit sibi in eo a Scribis parari insidias. Planius B S. Aug. Chrysostom. Beda, Theophyl. Rupert. Euthym. censent hanc esse interrogationem pontificum, Pharisæorum, eorumque asseclarum & ministrorum, qui Jesum comprehendere decreverant, ideoque indignantes rogare: Cur Jesus non venit ad festum Paschæ? Itane hoc festum non celebrabit? Itane erit legis contemptor & violator, uti nos ei objicimus? cur diebus hisce Paschæ præviis non comparet, ut se cum cæteris purificet, & ad tantum festum comparet?

CAPUT XII.

SYNOPSIS CAPITIS.

C *Primo, Jesus Bethaniæ convivio excipitur, in quo Magdalena ungit Christum, qui contra murmur Judæ eam defendit. Secundo, vers. 12. Christus postero die, id est, in Dominica palmarum, vectus asino, cum pompa quasi Messias Jerusalem ingreditur. Tertio, vers. 24. per parabolam grani frumenti, quod moriens copiose resurgit, prædicit instantem sibi passionem, & vox de cælo eum clarificat, ut exaltatus a terra omnia trahat ad seipsum. Quarto, vers. 37. narrat Judæos per tot signa Christi non credidisse in eum; nonnullos tamen occulte credidisse.*

VERS. 1. JESUS ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus.

2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex D odore unguenti.

4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus:

5. Quare hoc unguentum non venit trecenti denariis, & datum est egenis?

6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.

7. Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.

8. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est: & venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

10. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent:

11. quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum.

12. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam: I

13. acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

14. Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est:

15. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.

16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Jesus tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo: & hæc fecerunt ei.

17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis.

18. Propterea & obviam venit ei turba; quia audierunt eum fecisse hoc signum. F

19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant ut adorarent in die festo.

21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre.

22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Jesu.

23. Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,

25. ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

26. Si quis mihi ministrat, me sequatur; & G ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: & clarificavi, & iterum clarificabo.

29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est.

30. Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

31. Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

32. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia H traham ad me ipsum.

33. (hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.)

34. Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?

35. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus: & abiit, & abscondit se ab eis.

37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis; non credebant in eum:

38. ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias:

40. Excæ-

Digitized by Google

A 40. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum; ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.

41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.

42. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur.

43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

44. Jesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

46. Ego lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non judico eum. Non enim veni ut
B judicem mundum, sed ut salvificem mundum.

48. Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui judicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.

49. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.

50. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

VERS. 1. JESUS ERGO ANTE SEX DIES PASCHÆ VENIT BETHANIAM, UBI LAZARUS FUERAT MORTUUS, QUEM SUSCITAVIT JESUS] Jesus ex Ephrem, instante Paschate, quo sibi moriendum erat in cruce, venit in Bethaniam, ut ad mortem se pararet, imo morti se offerret, ejusque occasionem daret per Judæ proditoris avaritiam. τὸ ergo dat causam, cur Jesus non Jerusalem, sed Bethaniam primo venerit, q. d. Cum pontifices cap. præced. vers. ult. mandatum dedissent ut Jesus
C apprehenderetur, ipse id spiritu divino sciens, a Jerusalem divertit, ac Bethaniam venit, ubi Lazarum suscitaverat, & multos benevolos habebat, ideoque apud eos secure degere poterat, ut inde quasi agnus paschalis immolandus pro salute mundi, paulo post in Dominica palmarum Jerusalem solemni pompa ingrederetur.

Porro Bethania, quæ adjacet monti Oliveti, hebr. idem est quod domus obedientiæ, ex qua Christus ire voluit in Jerusalem ad crucem. Unde Glossa. Veniat, ait, in Bethaniam, id est, domum obedientiæ, ipse Patri obediens usque ad mortem, obedientiam docens Ecclesiam, quæ est in Monte olei, id est misericordiæ, nec potest abscondi, in qua suscitat sepultos a peccatis gravibus. Ibi fit cœna in fide & devotione justorum. Martha ministrat, dum quilibet fidelis opera devotionis Domino impendit; Lazarus, id est suscitati, cum iis qui manserunt in justitia, læti epulantur de præsentia Domini.

Ante sex dies Paschæ quid?

ANTE SEX DIES PASCHÆ] Id est, ante sex dies, qui præcedunt Pascha, puta feria sexta, sive die Veneris vespere, Jesus ex Ephrem venit Bethaniam, inde sequenti sabbatho fecerunt ei convivium, ac postero die, puta Dominica
D palmarum, solemniter ingressus est Jerusalem: Pascha enim eo anno incidebat in feriam quintam, sive in diem Jovis proximæ hebdomadæ: quare sex dies diem Paschæ præcedentes, ante quos Jesus venit Bethaniam, hi sunt, sabbatum, Dominica, feria prima, secunda, tertia, quarta. Venit ergo feria sexta, cum sequenti hebdomade feria sexta esset crucifigendus. Non venit sabbato, quia eo juxta legem non licebat iter agere, sed quiescendum erat.

Symbolice, Glossa, Deus, ait, sex diebus omnia fecit, sexta die hominem condidit, sexta mundi ætate eumdem redimere voluit, sexta fetia passus est, sexta hora crucifixus.

QUEM SUSCITAVIT JESUS] ut hujus suscitationis suæ recentis memoriam, & admirationem civibus Bethaniæ sua præsentia renovaret, itaq; eos excitaret, ut se postera die Dominica solemniter ingressurum Jerusalem, quasi Messiam cum ramis ovantes clamantesque Hosanna comitarentur.

VERS. 2. FECERUNT AUTEM EI CŒNAM IBI, ET MARTHA MINISTRABAT: LAZARUS VERO UNUS ERAT EX DISCUMBENTIBUS] Hæc cœna eadem est cum illa, quam narrat Matthæus c. 26. ubi eam explicui.

LAZARUS VERO UNUS ERAT EX DISCUMBENTIBUS] E ut non phantasma, sed vera ejus resurrectio probaretur. Nam, ut ait S. Aug. *vivebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur.*

VERS. MARIA (Magdalene) ERGO (ne Martha ministrante ipsa partibus suis deesset, ut ipsa plus cæteris Christum honoraret, omnesque superaret obsequio, quos vincebat amore) ACCEPIT LIBRAM UNGUENTI NARDI PISTICI PRETIOSI] Syrus, *multi pretii*. Ex libra quis suspicetur unguentum hoc fuisse spissum & crassum: crassa enim ponderantur libra, liquida vero mensurantur amphora. Nardinum enim unguentum ex variis aromatibus commixtum erat, ut docet Plin. l. 13. c. 2. ideoque densum. Verum hoc liquidum fuisse, non spissum, colligitur ex eo, quod effusum fuerit super caput Christi, ut ait Matth. c. 26. 7. Liquida enim subinde in vasis ponderantur, aut certe nardus ipsa, ex qua liquor unguenti distillatur & elicitur. Aut potius libra hæc non ponderalis erat, sed mensuralis. Sicut enim Romanis, ita & Judæis, qui jam Romanis suberant, duplex erat libra; mensuralis erat mensura cornea, qua oleum admetiebantur, intersecta lineis quibusdam, ipsam in duodecim partes æquales, quæ unciæ dicebantur, dividentibus, ait Franc. Lucas.

Mystice S. Aug. Unguentum, quo Maria unxit Jesum, justitia fuit, ideo libra fuit. Et Glossa: Maria olim pœnitens unxit pedes, nunc vero ubi non pœnitentium rudimenta, sed perfectorum justitia designatur, caput & pedes ungit, unde libra dicitur unguenti, id est justitiæ perfectio: caput ungit, qui alta de Christo prædicat; pedes, qui infima veneratur.

NARDI PISTICI] Hoc est, unguenti nardini pistici, sive ex nardo pistico confecti.

Quæres quænam est nardus pistica? Primo, Auctor Comment. in Marcum, c. 14. qui extat inter opera S. Hier. *pistici* interpretatur *mystici*, sed hoc tam ridiculum est, quam S. Hieronymo indignum. Secundo, S. Aug. hic tr. 50. Pistica, ait, dicta est a loco; unde afferebatur: sed hoc incertum est, & æque incognitus est locus pisticus, atque nardus pistica. Tertio, Maldonatus, *Pisticus*, inquit, dicitur, ἀπὸ τοῦ πίνειν, id est, potare, bibere: *pistici* ergo idem est G quod potabilis & liquidi, ut in caput & pedes Jesu effundi posset: alia enim unguenta sunt spissa & crassa. Quarto, aliii *pisticum* derivant a πίζω, id est premo, quasi pisticus sit πιστικὸς, id est pressus, expressus: unde teste Franc. Luca, unus codex pro *pistici* habet *pestici*. Sed hi duo ultimi nil insigne, nil novum huic unguento tribuunt, nec *pisticus* eo sensu usitatum est.

Pistica nardus quæ? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Quinto, communius & significantius, alii passim: *pistici*, inquiunt, id est *fideles* (πίστις, enim est fides) hoc est, puri, sinceri, non sophistici, non misti, nec adulterati: nam facile nardum pseudonardo, sive lavendula & aliis herbis adulterari docet Plinius l. 12. c. 14. Ita Euthym. & Theoph. in Marci c. 12. Baron. Ribera, Vatablus, Jansen. Toletus & alii. Verum nil de pistica nardo apud Dioscoridem, Plinium, aut alios legimus, & si a fide dicta esset, πιστὸς vel πιστὴ dicenda fuerat, non πιστική.

Quinto.

Sexto ergo, τὸ *pistici* idem est, quod *spicati* (sic enim legunt omnes fere codices veteres & novi, paucis exceptis minoris fidei, qui pro *spicati* ex Græco habent *pistici*. Vide Franc. Lucam in Notis hic) ut habet Marc. 14. 3. Id ita esse colligitur, ex eo quod Græci codices tam in Marco quam H in Joanne constanter habent στακτῆς. Ergo cum Latinus Vulgatus Interpres Marci (qui fuit vel ipse Marcus, vel aliquis ei familiaris & coævus) τὸ στακτῆς interpretetur *spicati*, non dubium quin in Joanne quoque ita hoc loco interpretandum sit: nam de hac nardo Joannem hic idem velle dicere, quod de ea dixerat Marcus, patet conferenti utrobique Syra, Arabica, Græca, & Græcos interpretes. Secundo, quia pro τῆς στακτῆς, Syrus tam in Marco, quam in Joanne vertit, *nardin risoio*, id est, *nardum capitalem*, hoc est, primam & præstantissimam; Arabicus, *optimam*: talis autē est nardus spicata. Tertio, quia apud omnes constat, quæ sit nardus spicata, de pistica nihil uspiam legimus. Nardus enim & spicas & folia habet; ex utrisque conficitur unguentum; illud spicatum, hoc foliatum dicitur. Vide Plinium lib. 13. c. 12. Spicatum autem quia plus habet substantiæ & medullæ, hinc præstantius est, quod Galenus ναρδοστάχυ, officinæ *nardi spicam* nuncupat. Videntur ergo Græci Latinam vocem *spicati* corrupisse, & corrupte per metathesin, sive literarum transpositionē pronunciasse στακτῆς, sive quod hoc pronūciatu esset facilius & suavius (unde Græcis difficile est pronunciatu *spicati*) imo ipsi nulli

Prob. Primo. Secundo. Tertio.

Digitized by Google

habent nomen vel verbum, quod poſt ſp habeat ϗαππα) ſive quia non intelligebant τὸ ſpicati, ſive quia τὸ πιϛικῶς magis accedit ad Græcum πίϛις, id eſt fides. Pro πιϛικῆς ergo vel μυϛικῆς dixerunt πιϛικῶς; unde & unus manuſcriptus codex in Joanne habet ſpicici. Porro Joannes diu ſcripſit poſt Marcum, cum ergo ex Marco vox πιϛικῆς pro ſpicati apud fideles eſſet uſu recepta, Joannes eamdem retinuit ad fidem rei tam obſcuræ. Ita Franc. Lucas, & nonnulli recentiores linguarum periti.

Metatheſis in nominibus. Exempla.

Simili modo pleraque nomina ex una in alia linguam tranſeuntia, per metathesin deflexa & corrupta ſunt, ut *effeta* pro *hippateach*, *golgota* pro *gulgota*, *pſomomphanich*, ut vertunt Septuag. pro *ſophnepaneach*, id eſt, ſalvator mundi, Gen. 41. 45.

Sic pro Hebr. *ſippor* Latini per metath. dicunt *paſſer*, pro *darag gradus*, pro *mecar mercor*, pro *erets terra*, pro *Jeſaiahu Iſaias*, pro *Jecheskiel Ezechiel*.

Sic pro ἄρπαξ Latini dicunt *rapax* pro μορφὴ, *forma* pro νεῦρον *nervus*, pro κρέας *caro*, pro κρίκος *circus*, pro κρίνω *cerno* ἄκρα *arx*, pro ταχὺ *citò*.

Sic Itali pro *carnes* ajunt *cremeſi*, pro *plaudes paludi*, pro *Hieronymo Gerolamo*, pro *veſpertilio pipiſtrello*.

Sic Hiſpani, pro *parabola* dicunt *palabra* (Itali & Galli *parola*, unde *parlare*) pro *periculum peligro*, pro *miraculum milagro*, pro *oblivio olvido*,

Sic pro Hebræo *Jehochanan*, Latini & Græci dicunt *Joannes*, Itali *Giovanni*, Hiſpani pronunciant *Juan*, alii *Goan*, Germani *Hans*, Illyrici *Juan*, Galli *Jean*, Flandri *Jan*, ruſtici *Hanſen* & *Hennen*.

Optima Deo offerenda.

Moraliter hic diſce bona opera, quibus quaſi unguentis pretioſis ungimus Chriſtum, debere eſſe ſpicata, ſive piſtica, id eſt ſincera, ſolida, eximia, præſtantia: talia enim tanto Domino debentur. Hinc victimæ Abel placuerunt Deo, quia meliores; Caini diſplicuerunt, quia deteriores, Gen. 4. Quocirca David Pſalm. 65. 15. *Holocauſta medullata* (pinguia & plena medullis) inquit, *offeram tibi*. Et pſal. 19. 4. *Holocauſtum tuum pingue fiat*. Azarias in medio ignis orans ait: *Suſcipiamur*, &c. *ſicut in millibus agnorum pinguium*. Daniel. 3. 40. Imo Deus olim ex victimam adipem ſibi depoſcebat, Levit. 3. 16. *Omnis adeps*, ait *Domini erit jure perpetuo*. Et Numer. 18. 17. *Adipes adolebis in ſuaviſſimum odorem Domini*. Rurſum Levit. 23. 19. jubet Deus ut victima ſibi immolanda ſit maſcula, & carens omni macula, id eſt vitio, ſcilicet ut ſit integra & perfecta, unde cæcas, fractas, ſcabioſas ſibi offerri vetat. Denique Num. 18. 29. ita ſancit Deus: *Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini ſeparabitis, optima & electa erunt*.

ET UNXIT PEDES JESU] Addit Matth. & *caput*. Myſtice, Alcuinus, Caput, ait, eſt divinitatis ſublimitas, pedes, humilitas incarnationis. Vel caput eſt ipſe Chriſtus, pedes ſunt pauperes, qui ſunt membra Chriſti: hos ungimus, dum eis damus eleemoſynam.

ET EXTERSIT PEDES EJUS CAPILLIS SUIS] Eſt hyſteron proteron. Prius enim pedes terſit a pulvere & luto, deinde unxit: Chriſtus enim incedebat nudipes ſolea tantum calceatus, quam deponebat more gentis menſæ accubiturus: ſi enim Maria prius unxiſſet pedes Jeſu, & poſtea capillis exterſiſſet, potius unxiſſet ipſa capillos ſuos, quos minime unctos volebat, & indignos unctione cenſebat, quam pedes Jeſu. Adde, unguentum hoc odoratum & pretioſum non erat abſtergendū, ſed in pedibus Chriſti, ad eos fovendos relinquendum.

CAPILLIS SUIS] ut eos, in quibus olim vane gloriata erat, ſordidaret ſordibus pedum Jeſu, ac cum illis totum ſuum caput pedibus ejus ſumma humilitate & reverentia ſubſterneret. *Nam cum capillis abſtergeret pedes ejus, honorabilius in toto corpore membrum, caput dico ſuum, pedibus Chriſti ſubjiciebat*, ait Chryſ. &c. *neque tamquam homini adeſt, ſed tamquam Deo.*

ET DOMUS IMPLETA EST EX ODORE UNGUENTI] Myſtice S. Aug. Mundus, ait, impletur bona fama pietatis & virtutis, qualem hic exercuit Maria, juxta illud Pauli: *Chriſti bonus odor ſumus*, bonis vitæ in vitam, ſed malis mortis in mortem; uti hic contigit. Unde ſequitur.

VERS. 4. DIXIT ERGO UNUS EX DISCIPULIS EJUS, JUDAS ISCARIOTES, &c. QUARE HOC UNGUENTUM, NON VÆNIIT TRECENTIS DENARIIS, ET DATUM EST EGENIS?] Matt. & Marc. addunt: *Ut quid perditio iſta unguenti?* Reſp. Beda: Non perditio eſt, ſed ſepulturæ officium: nec mirum mihi dediſſe bonum odorem fidei, cum ego pro ea fuſurus ſim ſanguinem.

VERS. 5. Judas in Magdalenam murmurat.

DIXIT AUTEM HOC, NON QUIA DE EGENIS PERTINEBAT AD EUM, SED QUIA FUR ERAT, ET LOCULOS HABENS, EA QUÆ MITTEBANTUR, (offerebantur Chriſto) PORTABAT] *Fur*, imo ſacrilegus, utpote *in ſuum uſum rapiens, quæ in divinum dabantur*, ait Theophyl. nam *miniſterio portabat, furto exportabat*, ait S. Aug. Cupiebat enim Judas unguentum hoc venumdari, ſibique pretium dari, cumque ſciret Chriſtum nolle tantum pecuniæ in loculis ſuis aſſervari, ſed velle illud in pauperes diſtribui, reliquam ſibi ſufſuratus fuiſſet. Vide hic, ut occaſio faciat furem, quamque periculoſum ſit viris ſanctis & Religioſis tractare pecunias, præſertim rori communitati communes: facile enim quid ex eis, ſuggerente concupiſcentia, in ſuos vel ſuorum uſus avertitur.

Cur Chriſtus Judæ furem ſegit?

Sed cur Jeſus Judæ commiſit loculos, cum ſciret eum fore furem? Reſp. Quia Judas aptior erat ad res temporales procurandas, quam cæteri Apoſtoli: furtum vero permiſit, quia inde nata eſt occaſio proditionis & paſſionis ſuæ, quam ipſe ambiebat. Rurſum S. Aug. Quia, inquit, Eccleſia loculos habitura erat, fures admiſit, ut ejus Eccleſia potentes fures, dum patitur, toleraret; ut doceret tolerandos eſſe malos, ne corpus Chriſti dividamus: tolera malum bonus, ut venias ad præmium bonorum. Addit Chryſoſt. Commiſit Dominus furi loculos, ut omnem ei abſcinderet proditionis occaſionem, ne videretur ob pecuniæ defectum eum prodere. Theophyl. verius: Quidam, ait, dicunt Judam, ut omnium minimum, pecuniæ adminiſtrationem ſuſcepiſſe.

Denique S. Bernard. l. 4. de Conſider. c. 6. docet Chriſtum hic Prælatos docere voluiſſe, ut rerum temporalium curam facile cuivis confidant, ſpiritualium vero diſpenſationem ſibi reſervent, cujus contrarium nonnulli faciunt. Rurſum fecit id Chriſtus, ne miremur ſi in Sanctorum cœtibus, monaſteriis, congregationibus, ſubinde reperiantur aliqui vitioſi & ſcandaloſi. Unde S. Aug. ep. 137. cum unus e monachis ſuis ſcandalum dediſſet, ob quod populus illi acclamabat, prudenter reſp. *Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior ſit, quam arca Noe, ubi inter octo homines reprobus unus inventus eſt: aut melior ſit, quam domus Abrahæ, ubi dictum eſt: Ejice ancillam & filium ejus, aut melior ſit, quam domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui: aut melior ſit quam domus Jacob, ubi lectum patris filius inceſtavit: aut melior ſit quam domus David, cujus filius cum ſorore concubuit; cujus alter filius contra patris tam ſanctam manſuetudinem rebellavit: aut melior ſit quam cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt: aut melior ſit poſtremo quam calum, unde angeli ceciderunt.*

Nimirum permittit id Deus ſapienti ſua providentia, ut ex unius vel paucorum improbitate cæterorum probitas & ſanctitas per anthitheſin magis reſplendeat, ſicut lux inter tenebras, aurum inter plumbum, ſol inter nubes, ſapiens inter ſtultos magis emicat & refulget: contrarium enim contrario oppoſitum magis elucescit, ut docet Eccleſiaſt. cap. 33. 15. Vide ibi dicta.

ET LOCULOS HABENS, EA QUÆ MITTEBANTUR, PORTABAT] Hinc recte colligit Janſenius & alii, Chriſtum cum ſuo Apoſtolorum collegio habentem loculos, ipſo facto, ſuoque exemplo oſtendiſſe, Eccleſiam licite habere loculos & opes, nec derogare perfectioni, habere commune marſupium pro ſumptu opportuno & moderato. Nihil enim imperfectionis fecit Jeſus in vita ſua, utpote qui perfectionis omnis fuerit magiſter.

Chriſtum paupertatem profeſſus cur?

Hoc ut a fundamentis intelligas. Nota, Chriſtum, licet ratione unionis hypoſtaticæ cum Verbo, habentem excellens & quaſi divinum in omnes creaturas dominium; tamen paupertatem, i. e. carentiam humani dominii, prout illud eſt in uſu hominum, profeſſum eſſe, ut perfectionis vitæ eſſet magiſter, ejuſque nobis daret exemplum. Patet id ex Matth. 8. 20. *Vulpes*, inquit, *foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Et Matth. 19. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes & da pauperibus*, &c. *& veni, ſequere me*. Et c. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

Nota Secundo, Chriſtum habuiſſe dominium pecuniarum, & rerum ſibi a fidelibus oblatarum, in communi, non in particulari; quia loculi hi ad totum collegium Apoſtolorum pertinebant, quod illorum habebat dominium; non

Digitized by Google

A non ergo Christus ipse illos habebat quasi proprios, ut illorum particularis esset dominus. Hinc & cap. 4. 8. dicuntur discipuli abiisse in civitatem, ut cibos emerent. Et cap. 6. Jesus ait ad Philippum: *Unde ememus panes ut manducent hi?*

Perfecti habent bona in communi,

Igitur ex hoc Christi exemplo sequitur, perfectioni nihil derogare habere bona in communi, ut habent passim Ordines Religiosi, uti definit Joannes XXII. Extravag. *Ad conditorem*. Potest enim pro diversitate personarum, statuum & finium, quos quisque sibi proponit, aliquando hoc esse perfectius, & aliquando non. Videtur tamen Christus aliquando caruisse omni dominio etiam in communi, ut cum ait: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*: cum mulieres eum sequentes, eum alerent, Lucæ 8. 3. item in cruce, ubi rebus omnibus, etiam vestibus, ultro se abdicavit. Et hoc tantum videtur velle Nicolaus VI. (qui in speciem videtur Joanni XXII. adversari (c. *Exiit qui seminat*, de verb. signific. in 6.

Porro loculos in communi non officere perfectioni, ratione a priori probat S. Thom. 2. 2. qu. 188. art. 7. B Quia, inquit, paupertas tantum est instrumentum perfectionis, ex eo quod tollat tria divitiarum damna, quæ sunt impedimenta charitatis; primum est, sollicitudo eas parandi & servandi; secundum, earum amor; tertium, ob eas superbire. Atqui habere loculos in communi, nec sollicitudinem eorum affert, nec amorem, nec superbiam. Ergo hoc non est charitatis impedimentum, sed potius adjumentum. Nam minuit sollicitudinem, quam sæpe experiuntur pauperes plane & mendici in mendicando, & procurando sibi victum & vestitum, *Manifestum est enim*, ait S. Thomas, *quod minimam sollicitudinem ingerit servare res usui hominum necessarias, tempore congruo procuratas.*

Quocirca omnes veteres Religionum fundatores, viri sancti & sapientes, sanxerunt, ut Religiosi haberent bona in communi, ut sine cura vacarent orationi, studio, prædicationi, sicut patet ex Constit. S. Basilii, S. August. epist. 109. S. Benedicti, S. Bernardi, S. Brunonis, S. Romualdi. S. Dominici. Unde nata est Justiniani Imp. C Constitutio in auth. coll. 1. constit. 5. §. *Illud.* & coll. 9. constit. 15. §. *Si qua*, qua jubet ut eorum bona, qui monachi fiunt, eo ipso ad eorum monasteria pertineant.

Paupertatis Evangelicæ vis, in quo sita?

Tota enim paupertatis vis in eo sita est, ut nihil proprium & singulare habeatur, licet deinde sit aliquid commune, ex quo juxta formam Apostolicam dividatur singulis, prout cuique opus est: Apostoli enim cum fidelibus primis, qui erant sanctissimi & glorioſissimi, possidebant bona in communi, quæ deinde singulis pro necessitate cujusque distribuebant, ut patet Actor. 2. & seq. Vide ibi dicta. Hoc est, quod de Religiosis suæ ætatis ait S. Hier. ep. 22. *Non licet dicere cuiquam: Tunicam & sagum, textaque juncis strata non habeo. Prafectus omnium ita universa partitur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram lariorem, & tanto senum ministeria refovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum.*

Idem passim docent Patres & Scholastici. Vide Suarez 3. p. qu. 40. art. 3. disp. 28. sect. 2. Bellarm. in lib. 4. de Summo Pontif. cap. 14. D. Soto lib. 4. de Justitia, quæst. 1. art. 1.

D An loculos habere perfectionem minuat?

Dices: Nicolaus IV. loco jam citato insinuat, quod loculos habere sit perfectionem minuere: ait enim Christum cum loculos habuit, sese infirmioribus accommodasse, ut omnibus esset exemplo: Resp. Suarez Nicolaum solum asseruisse, in genere paupertatem minorem, minusque rigidam esse illam, quæ loculos habere permittit; inde vero non concludi, id majoris esse perfectionis absolute: potest enim quod minus perfectum est in paupertate, magis esse perfectum in charitate, vel alia virtute. Agit enim Nicolaus de Franciscanis (qualis ipse fuit) quorum Religio pro scopo & fine habet paupertatem summam, ut se S. Francisco fundatori conformet, qui summe summam paupertatem & nuditatem rerum omnium adamavit. At vero aliæ Religiones alios habent fines pios & sanctos, ad quos convenientius est habere bona in communi: quare hoc in iis congruentius & perfectius est. Sic Carthusiani sancte servant silentium & solitudinem. Alii magnam sectantur vitæ austeritatem. Qui vero prædicationi & missionibus ad infideles vacant, inter homines versentur, & magnis viribus sint oportet, ut magnos instituti sui labores sustinere valeant: quare austeritatem vitæ charitate in proximum compensant. Utrique ad suum institutum & finem sibi positum congrue, pie & apposite. Diversus enim finis diversa exigit media. Denique Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. concedit omnibus Religiosis, exceptis Franciscanis, ut bona immobilia possidere possint. E

DIXIT ERGO JESUS: SINITE ILLAM, UT IN DIEM SEPULTURÆ MEÆ SERVET ILLUD] *Ut servet*, id est, ut servasse ostendatur. Unde græce est in præterito, *in diem sepultura mea servavit illud*. Sic & Syrus. Cætera huc spectantia explicui Matth. 26. 12. &c. Audi S. August. *Non illi ait: Propter furta tua dicis ista: furem noverat, & prodere nolebat, sed potius tolerabat, & ad perferendos malos in Ecclesia, nobis exemplum patientiæ demonstrabat.* VERS. 7.

COGNOVIT ERGO TURBA MULTA EX JUDÆIS, QUIA ILLIC (in Bethania) EST: ET VENERUNT, NON PROPTER JESUM TANTUM, SED UT LAZARUM VIDERENT, QUEM SUSCITAVIT A MORTUIS] *Curiositas*, ait S. Aug. *eos adduxit, non charitas*, ut scilicet Lazarum a morte redivivum viderent, audirent, interrogarent ubi post F mortem fuisset, quid vidisset, quid egisset? Ita Cyrillus, Theophyl. Leont. VERS. 9.

COGITAVERUNT (græce, ἐβουλεύσαντο, id est *consultaverunt*: Ita Syrus, Arab. & Vatabl. & consultando decreverunt) AUTEM PRINCIPES SACERDOTUM, UT ET LAZARUM INTERFICERENT] Vide hic virulentam principum invidiam & malitiam, qua invidentes Jesu gloriam, invident Lazaro & vitam, ne vita ejus gloriam Jesu adaugeat. Instabat enim festum Paschæ, quo omnes Judæi confluentes Hierosolymam, visuri erant Lazarum a morte suscitatum, ac admiraturi Christi virtutem eum suscitantem, ideoque multi in eum crediturі: quod ut impediant principes, Lazarum e medio tollere decernunt. Verum recte exclamat in eos S. August. tr. 50. *O stulta cogitatio & cæca sævitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Christo potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus; ecce Dominus utrumque fecit, & Lazarum mortuum, & seipsum suscitavit occisum.* VERS. 10

Denique Lazari suscitatio erat opus proprium Deo: G qui ergo cum occidere satagebant, contra Deum pugnabant, eumque quasi ad duellum provocabant.

QUIA MULTI PROPTER ILLUM ABIBANT EX JUDÆIS, ET CREDEBANT IN JESUM] *Abibant*, græce ὑπῆγον, id est, subducebant se, relinquebant eos, deserebant eorum factionem. τὸ *ex Judæis* refer ad *multi*, uti refert Syrus, & Arabic. & colligitur ex Græco; potest tamen referri quoque ad τὸ *abibant*, q. d. Multi Judæorum abibant a Judæis Christo adversantibus, & transibant ad Christum. VERS. 11

IN CRASTINUM AUTEM] Hoc est, die crastino, sive postero a cœna Jesu facta sabbato in Bethania, puta die Dominica palmarum, quæ erat quinta ante diem Paschæ, eratque dies decima mensis Nisan, quo Christus quasi agnus paschalis solemni ritu ingressurus erat Jerusalem, ut ibi fieret victima & piaculum mundi: nam die decimo agnus paschalis, qui erat Christi typus, immolandus die 14. inducendus erat in Jerusalem, juxta legem Exodi 12. 3. Cætera, quæ sequuntur usque ad v. 17. de pompa Christi ingredientis in Jerusalem; explicui Matth. 21. 7. VERS. 12

TESTIMONIUM ERGO PERHIBEBAT (de suscitatione Lazari, quod scilicet Jesus Lazarum vere, non ficte a H morte suscitasset) TURBA, QUÆ ERAT CUM EO (Jesu) QUANDO LAZARUM VOCAVIT DE MONUMENTO. VERS. 17

PROPTEREA ET OBVIAM VENIT EI TURBA, QUIA AUDIERUNT EUM FECISSE HOC SIGNUM] Joannes dat causam, cur cives Hierosolymæ nunc turmatim occurrant Jesu cum tanto plausu, quod numquam antea fecerant, quia scilicet turba, quæ suscitationi Lazari interfuerat, hoc Jesu miraculum per totam Hierosolymam sparsit, dicens se illud oculis suis vidisse. Hæc ergo tanti miraculi novitas excivit cives, ut turmatim occurrerent Jesu, acclamantes Hosanna ipsi, quasi suo Messiæ & Regi. VERS. 18

PHARISÆI ERGO DIXERUNT AD SEMETIPSOS (inter se conferentes consilia;) VIDETIS QUIA NIHIL PROFICIMUS? ECCE MUNDUS TOTUS POST EUM ABIIT] Arabicus, *totus mundus sequitur illum*. Est hyperbole, q. d. Plurimi abeunt a nobis, credunt que in Jesum. Viderant enim ingentem hominum turbam illi quasi Messiæ occurrere, & acclamare Hosanna, eosque ex omni sexu, ætate, genere, nimirum tam viros quam feminas, tam senes quam pueros, tam Judæos quam Gentiles, ut patet v. seq. VERS. 19

Digitized by Google

A seq. Notat Cyrillus Phariſæos hic tacite prophetare, quod omnes gentes totius mundi ad Chriſtum converterentur, licet id ipſi non intelligerent.

S. Chryſoſt. & Theoph. cenſent eos, qui hæc dicebant, fuiſſe credentes in Chriſtum, aut certe in illum propenſos, quaſi ipſi aliis incredulis Chriſtum perſequentibus dicant: Videmus quod perſequendo Chriſtum, nihil contra eum proficimus, ſed potius ejus ſectam & gloriam augemus: nam totus mundus poſt eum abiit; ceſſemus ergo ab eo perſequendo. Unde Græca, Syrus & Arabicus habent, *vinctis nos nihil proficere*.

Verius Cyrillus, Euthym. & alii, cenſent eos fuiſſe incredulos & Chriſti hoſtes; tales enim erant Phariſæi, q.d. Nuper omnes cum Caipha decrevimus Jeſum occidere, interim idipſum facere differimus & tardamus: & ecce dilatione & tarditate hac noſtra nihil proficimus, ſed potius malum augemus: nam totus mundus poſt eum abiit: quanto ſatius feciſſemus, ſi nuper, cum decrevimus eum occidere, ſtatim eum occidiſſemus, antequam ſecta ejus adeo creſceret & inclareſceret. Quid ergo nunc nobis faciendum incumbit? ut quantocius decretum noſtrum exequamur, eumque e medio tollamus. Quid igitur cunctamur? quid moras nectimus? ſi tardamus, omnes a nobis ad Jeſum abibunt, nec eos revocare poterimus: turba vincemur, niſi aſtu vincamus. B

Vers. 20 Erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant ut adorarent in die feſto] Mirum eſt nonnullos putare hos fuiſſe Judæos, inter Gentiles commorantes, cum Joannes diſerte dicat eos fuiſſe Gentiles. Fuere ergo hi partim proſelyti, hoc eſt, qui Judæorum religionem jam amplexi erant, vel potius amplecti cogitabant, uti opinantur Chryſ. Theophyl. Euthym. partim vero Gentiles, qui unum eſſe Deum cenſebant, quem eum viderent a Judæis adorari tanta majeſtate in templo Hieroſolymitano, a tanta hominum multitudine in Paſchate, ipſi idem cum eadem facere deſtinarant, præſertim allecti fama ſanctitatis & miraculorum Jeſu, quem videre & audire cupiebant, uti ait hic Joannes. Ita Cyrill. Leont. & Theophyl. Simili modo Eunuchus Candacis reginæ venit C adorare in Jeruſalem, ad quem angelus miſit alterum Philippum, ſcilicet Diaconum (non hunc Apoſtolum) qui eum ad Chriſtum convertit. Act. 8. Sic etiam Gentilium reges templum Jeruſalem venerabantur, & ei dona mittebant, ut Cyrus 1. Eſdræ 1. Darius Hyſtaſpis, ibid. c. 6. Seleucus & alii reges Aſiæ 2. Machab. 3.

Vers. 21 Hi ergo accesserunt ad Philippum (Apoſtolum,) qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum dicentes: Domine volumus Jesum videre] Philippum præ aliis adierunt, vel quia is erat notus, vel quia primus eis occurrit, vel quia voce & vultu majorem candorem, facilitatem, & benignitatem præ ſe ferebat, itaque omnes ad ſe alliciebat. Chriſtum enim ipſum, utpote virum ſanctiſſimum, & Prophetam eximium, adeoque Judæum (Judæi enim abhorrebant a Gentibus) illi cum Gentiles eſſent, accedere non audebant, ait Cyrill. Chryſ. & Leont. Mediatorem ergo inter ſe & Chriſtum adhibent Philippum, ut is ad eum aditum faciat.

Vers. 22 Venit Philippus, et dicit Andreæ, (quaſi majori & antiquiori Apoſtolo) Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu] Andreas enim majoris apud D Chriſtum erat auctoritatis, utpote qui primus omnium Jeſum adierat, & ad eum Petrum fratrem ſuum adduxerat, c. 1. 40. Communicato inter ſe conſilio, rem totam deferunt ad Jeſum, antequam ipſos Gentiles adducant, quia audierant a Jeſu: *In viam Gentium ne abieritis*, Matth. 10. 5.

Vers. 23 Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora ut clarificetur Filius hominis.] Græce δοξασθῇ, id eſt, *glorificetur*, ita Syrus & Arabic. q.d. Nolite Gentiles arcere a me, ſed eos ad me adducite. Quod enim dixi olim: *In viam Gentium ne abieritis*, vobis dixi initio prædicationis meæ, qua ad Judæos ſolos a Deo deſtinabar, nunc autem cum finitur prædicatio, æque ac vita mea, cumque Judæi prædicationem meam repellant, ego illam per vos transferam ad Gentes. Inſtat ergo nunc hora, id eſt, tempus, quo ego poſt mortem meam (& per eam) quæ mihi imminet, ac per meam e morte reſurrectionem, aſcenſionem in cælum, & miſſionem Spiritus ſancti, non tantum a Judæis, ſed a Gentilibus per totum orbem clarificer, id eſt, velut Meſſias ſalvator agnoſcar, colar, adorer per veſtram, o Apoſtoli mei, ubique prædicationem.

Porro Chriſti clarificatio, Chriſtianorum omnium clarificatio eſt. Nam, ut ait S. Auguſt. ſerm. 176. de Temp. E *Nos Chriſti mors vivificavit, nos reſurrectio erexit, nos aſcenſio conſecravit*. Quia, ut idem ait ſer. 184. *cum Jeſus aſcendit, Spiritus S. ad nos deſcendit*.

Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert] Docet Chriſtus claritatem ſive gloriam jam dictam, ſibi per mortem & crucem obventuram, ne illa turbentur & ſcandalizentur Apoſtoli & fideles. Audi & S. Auguſt. tr. 51. *Seipſum Jeſus dicebat: ipſe erat granum mortificandum & multiplicandum; mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide omnium populorum*, q.d. Sicut granum tritici ſeminatum in terra, niſi in ea moriatur, id eſt, corrumpatur, mortificetur, & in aliam ſubſtantiam, ſcilicet in germen terræ calore reſolvatur, non germinat, nec fructum facit: ſin autem moriatur, germinando multum fructum affert, ſeque multiplicat, ut unum granum ex ſe producat 20. 30. 60. grana. Supple; Sic pariter ego, qui ſum quaſi granum tritici, e cælo in terram jactum, mori debeo, ut per mortem meam, ejuſque meritum, æque ac exemplum multos virtutum & fidelium fructus, eoſque inſignes & celebres proferam, ſcilicet tot millia Martyrum, Virginum, Doctorum, Confeſſorum, cæterorumque fidelium, per totum orbem ſparſa, & futuris ſæculis ſpargenda. Idem contingit in morte Martyrum, ut uno moriente, multi pro eo ſurgant, & fidem Chriſti amplectantur. Quocirca Eccleſia hæc legit in feſto S. Laurentii, cæterorumque Martyrum. Vere Tertullianus in fine Apolog. *Sanguis Martyrum*, inquit, *eſt ſemen Chriſtianorum*. Unde addit idem ibidem; *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra*. Et mox: *Exquiſitior crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ: plures efficimur, quoties metimur a vobis*. Exemplum illuſtre S. Gregorius li. c. Dialog. c. 31. dat S. Hermenegildum, qui propter orthodoxam fidem occiſus a patre Leovigildo rege Ariano, ipſum & fratrem ſuum Reccaredum, totamque Viſigothorum gentem ab arianiſmo ad rectam fidem convertit. *Unus* ergo, ait Gregorius, *in gente illa mortuus eſt, ne multi viverent, & dum unum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem animarum ſeges multa ſurrexit*. Vers. 24 & 25. G

Anagogice, Beda: Seminatus eſt Jeſus, inquit, de ſemine Patriarcharum in agro mundi hujus, id eſt, incarnatus eſt: ſolus mortuus eſt, cum multis ſurrexit. Denique audi S. Bernard. ſerm. 15. in Cant. *Moriatur granum & ſurgat gentium ſeges. Oportet pati Chriſtum, & ſurgere a mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, non ſolum in Judæam, ſed etiam in omnes gentes, quatenus ab uno nomine, quod eſt Chriſtus, millia millium credentium Chriſtiani dicantur, & dicant, Oleum effuſum nomen tuum*.

Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam] Primo, q.d. *Qui amat animam*, id eſt, vitam ſuam præ mea fide & fidei profeſſione, ut malit fidem negare, quam vitam amittere, hic *perdet* animam & vitam, quia incurret mortem æternam & gehennam. *Qui* vero *odit animam*, id eſt, vitam, ut malit eam potius, quam fidem amittere, hic *cuſtodit eam*, ut in H D æternum beatus vivat in cælo. Rurſum *qui amat animam ſuam*, id eſt, animæ ſuæ deſideria & concupiſcentias, præ voluntate & mandatis meis, ut malit concupiſcentias ſuas ſequi, quam mandata mea, hic *perdet* animam ſuam in gehenna: *qui* vero eam *odit*, reſiſtendo ejus concupiſcentiis legi Dei contrariis, hic *cuſtodit eam*, ut æternam beatitudinem & vitam a me conſequatur. Ita fecere Martyres, Anachoretæ, Religioſi, Virgines, cæterique Sancti. Uterque ſenſus huic loco eſt congruus, & a Chriſto intentus, ideoque jungendus, uti jungunt S. Chryſ. Theophyl. Euthym. Videbat enim Chriſtus Apoſtolos & Chriſtianos poſt mortem ſuam perſecutionem & martyria paſſuros a Judæis & Gentibus: voluit ergo contra illa ipſos hic præmonere & præmunire. q.d. Me defuncto inſurgent contra vos Scribæ, principes & tyranni: videte ergo ne fidem meam negetis, ut vitam temporalem conſervetis, quia hoc faciendo perdetis vitam æternam & beatam, quam acquiretis, ſi vitam temporalem pro fide mea morti expoſueritis. Vers. 25 Vers. Vers. 26

Rurſum voluit Chriſtus fideles omnes docere, quod aſſiduo ſuis concupiſcentiis reſiſtere, cum eiſque luctari de-

Digitized by Google

A debeant. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Galat. 6. Hoc est, quod ait Christus Matth. 10. 39. *Qui invenit animam suam, perdet illam.* Et c. 16. 25. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et Eccli. 18. 30. *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Vide ibi dicta.

Porro, perperam hunc locum intelligebant haeretici dicti Circumcelliones, qui teste, S. Aug. hic, seipsos occidebant, ut sic vitam aeternam a Christo hic promissam consequerentur. Aliud enim est odisse animam, aliud eam occidere, quod omni lege vetitum est.

Denique audi S. Aug. tr. 51. *Qui amat animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest: Qui amat, perdet, id est, si amas, perdas; si cupis vitam tenere in Christo, nali timere mori pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam; noli amare, ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita. Hoc autem, quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus.* Et nonnullis interjectis: *Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat, odium, ne pereat: si male amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* Unde post multa concludit: *Cum ergo causae articulus venerit, ut hac conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei praeceptum, aut ex hac vita emigrandum: quorum duorum homo si rogatur alterum eligere, comminante morte persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere: ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam aeternam custodiat eam.* Audi & S. Chrys. *Amat animam in hoc mundo, qui desideria ejus inconvenientia facit; odit autem, qui non cedit ei noxia concupiscenti. Dixit vero, odit: sicut enim earum, qui odio habentur, nec vocem audire sustinemus, ita animam contraria Deo volentem cum vehementia avertere oportet.* Et Theoph. quia grave erat audire odio habendam animam, consolatur dicens: In hoc mundo, in quo temporis brevitatem indicat, emolumentum aeternum subjungens. Addit Chrys. Christum, cum videret discipulos de morte sua contristandos, eos erexisse ad majora, q. d. *Quid dico? Si mortem meam generose non feretis? miss vos ipsi moriamini, nullum vos sequetur emolumentum.* Haec Chrysost. hic tract. 66.

B

C

Haec ergo Christi sententia est, axioma, basis, fundamentum, & compendium vitae Christianae. Ipsa enim est radix, & principium virtutum omnium, quae ex illa, perinde ac conclusiones ex praemissis eliciuntur: qui ergo in schola Christi doctus, eximius & perfectus evadere cupit, hanc gnomen assidue ruminet, expendat, voluntati imprimat, & opere exequatur, ut omnes suas actiones illi quasi Lydio lapidi adaptet, adaequet & conformet: ita verus & singularis Christi discipulus, assecla & imitator evadet, ac pro vita temporali, quam negligit, beata vitae aeternae gaudia nanciscetur.

Si quis mihi ministrat, me sequatur] q. d. Qui cupit meus esse minister, assecla & discipulus, me 12.26
imitetur per mortem & mortificationem, ac per bona opera, ait S. Chrysost. ut vias meas ambulet, ait S. Aug. non suas, non quae sua sunt quaerens, sed quae Jesu Christi, quaecumque bona, sive in temporalibus, sive in spiritualibus faciens propter eum.

D

Et ubi sum ego, illic et minister meus erit] Ecce fructum (pergit S. August.) & mercedem: gratis amatur, & operis, quo ministratur illi, pretium est esse cum illo, ut ibi sit adoptatus, ubi est unitus; nimirum in caelo, in visione & possessione Dei, in felicitate & gaudio aeterno. Ita S. Chrys. Vide dicta Lucae 22. 7. & seq.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus] honore caelesti, coram angelis beatis & toto mundo. Non dixit: Ego honorificabo eum: nondum enim de eo decentem opinionem habebant, sed majorem de Patre, ait Chrysost.

Nunc anima mea turbata est] Nota. Chri- 12.27
stus hic, quia mortis post tres dies sibi instantis (dixit enim haec Dominica Palmarum) mentionem fecerat, permisit in se excitari naturalem ejus horrorem, uti sit in nobis, & hoc horrore seipsum turbavit. Unde ait, *salvifica*, id est, eripe me *ab hac hora*, & horrore mortis mihi imminentis. Simile fuit in horto, cum tristis usque ad mortem oravit: *Transeat a me calix iste.*

Causam dat S. Chrysost. Exhortatus, inquit, fuerat Christus suos ad sui sequelam per mortem; ne ergo dicant eum extra dolorem existentem facile de morte philosophari: & alios ad eam adhortari, ostendit etiam se in agonia esse, & tamen mortem non recusare, ut nos eum sequamur, idemque faciamus in horrore mortis & mortificationis. E

Causam secundam dat S. Cyrillus, ut se ostenderet non tantum Deum, sed & verum hominem esse passionibus & aerumnis nostris obnoxium.

Tertiam dat S. August. & ex eo Beda, ut Christus in se nostras infirmitates suscipiens curaret, nosque roboraret. Audi August. *Sequi jubes animam meam, sed turbari video animam tuam: quale fundamentum quaeram, si petra succumbis? Agnosco misericordiam tuam, Domine: nam qui charitatis voluntate turbaris, infirmos, ne desperando pereant, consolaris: in se caput nostrum suscepit membrorum suorum affectum.* Et rursum: *Sicut nos excitavit ad summa, ita nobis compatitur ad infima.* Et mox Christum nobis ita loquentem inducit: *Audisti ad te vocem fortitudinis meae: audisti in me vocem infirmitatis tuae: vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras: sed transfero in me quod trepidas, & substerno quo transeas.* F

Et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora] Theoph. & Leont. sic exponunt, q. d. In hac turbatione & agonia haereo, & animo fluctuo, & nescio quid agam vel dicam. Dicamne ergo, Pater salvifica me ex hac hora? fugiamne mortem? minime; sed vincam meam agoniam, & ultro morti obviam ibo.

Simplicius & planius alii. q. d. Quid in hac agonia dicam? quo confugiam? quem invocem? utique Patrem qui salvat. Dicam ergo; *Pater salvifica me ex hac hora*, id est, libera me ab hac agonia mortis. Nam, ut ait S. August. Beda & Rupert. similis est haec oratio illi in horto: *Pater mi, si fieri potest, transeat a me calix iste:* quae fuit oratio partis inferioris, sive appetitus naturalis, qui mortem horrebat; unde mox eam superior, puta mens & voluntas superior, correxit, dixitque: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Eodem modo & hanc corrigit, dum statim subjicit:

Sed propterea veni in horam hanc] Est correctio, qua Christus corrigit partem inferiorem, quae dixerat: *Salvifica me ex hac hora*, q. d. Etsi naturaliter horream mortem, absolute tamen nolo naturale meum desiderium impleri, cum ad hoc venerim in mundum, ut hanc mortis horam subeam, & calicem passionis bibam. Ita S. Aug. Beda, Rupert. & alii. G

Pater clarifica nomen tuum] ut per mortem Vers. 28
mihi a te decretam, quam libenter accepto, clarificem, id est glorificem nomen tuum, per meam extremam obedientiam & religionem, qua me tibi in victimam pro peccatis totius mundi offeram, itaque homines peccato perditos vitae gratiae restituam, tibique reconciliabo, ac in caelum deducam, ut te glorificent in aeternum. Ita S. Aug. Chrys. Euthym. Sic de Petro dicitur cap. 21. 19. *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Audi August. Clarifica me passione & resurrectione. Et S. Chrys. quod pro veritate moritur, gloriam Dei vocat: futurum enim erat, ut post crucem cognosceretur ab orbe nomen Dei. Et Glossa: Salutationem quaero, sed passionem non recuso, propter quam passionem clarifica me; quod est gloria nominis tui. H

Secundo, *clarifica nomen tuum* hoc quoque momento, ut Gentiles, qui ad me venerunt, itemque Judaei, cognoscant me a te missum, ut homines morte mea redimam, ideoque te, tuamque beneficentiam clarificent. Hanc enim orationem exaudiens Pater respondit illico: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Ita Theodorus Heracleor.

Venit ergo vox de caelo, Et clarificavi, et iterum clarificabo] *Clarificavi.* Primo, communicando ei quasi filio meo unigenito meam claritatem, id est majestatem, gloriam & divinitatem ab omni aeternitate, juxta illud c. 17. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te.* Ita S. Aug. & Beda.

Secundo, per eundem creando mundum, & omnia, quae in eo sunt in tempore. Ita Rupert.

Tertio, & aptissime, per vocem e caelo in baptismo delapsam. *Hic est filius meus dilectus:* item per tot tantaque miracula, & virtutum opera, quae Christus passim edidit; & in praesenti, hac voce mea e caelis clarifico,

& ite-

A *& iterum clarificabo*, scilicet in morte, & post mortem Jesu, quando per ejus resurrectionem, ascensionem in cælum, missionem Spiritus S. Apostolorum prædicationem & miracula, omnes Gentes ipsum quasi Christum Filium Dei, ac consequenter Deum Patrem agnoscent, colent, amabunt, adorabunt, Ita Chrys. Cyrill. Theoph. Leont. Euthym. Jansen. Maldon. & alii.

VERS. 29 TURBA ERGO, QUÆ STABAT ET AUDIERAT (hanc vocem tubalem Dei Patris) DICEBAT TONITRUUM ESSE FACTUM] quia vox hæc maxima, crassissima & resonantissima erat instar tonitrui. Forte etiam, quia confuse, non articulate vocem excipiebant, uti excipitur sonus confusus tonitrui. Unde Chrys. *Aperta quidem*, inquit, *& significativa erat vox, sed & crassis & carnalibus cito evolavit, tantumque sonum retinuerunt.* Et mox: *Qui quod articulata quidem esset, noverunt, sed quid significaret, non capiebant.* Sed verius est, ait Rupert. & ex eo Maldon. omnes hanc vocem articulate loquentem intellexisse, ejusque significationem cognovisse, verbi gratia, quod Jesus esset Filius Dei, Messias & Salvator: verum propter vocis magnitudinem persuadere sibi non potuisse veram esse vocem, sed aut tonitru esse, seque falli, qui humanam articulatamque vocem audisse sibi viderentur, aut certe vocem esse angeli. Atque propterea hoc Evangelistam commemorasse, ut doceret vocem non fuisse tacitam aut obscuram, ita ut solus audiret Christus, nec alii ejus essent testes; sed tam magnam, tam claram fuisse, ut non solum omnes audierint, verum ita audierint, ut alii tonitruum, alii vocem angeli, nemo humanam esse, judicaverint. Atque hoc ipsum indicabat vocem esse divinam, quod illi existimarent esse tonitruum: nam & tonitrua voces Dei vocari solent.

B

Tonitru e cælo Christi divinitatem testatur.

Symbol. Tonitruum hoc significabat Jesum esse filium Dei altitonantis, ac proinde ipsum quoque esse Deum altitonantem: tonitruum enim hic ad suum quasi recurrit auctorem, ut ipsum venerarentur, & Gentilibus indicaret. Rursum significabat Jesum, qua homo erat, non tantum ore tonare, & corde fulminare, ut dura hominum corda permoveret ad pœnitentiam, & frigida ad amoris ardorem, sed etiam Apostolos, cæterosque suos faceret tonantes & fulminantes. Unde ipse Joanni & Jacobo indidit nomen *Boanerges*, id est filii tonitrui, Marci c. 3. 17. Hinc & Paulus a S. Hier. ep. 61. vocatur *tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitru Gentium*. Subdit enim: *Quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.* Audi S. Chrysost. hom. 32. epist. ad Roman. in Moral. *Tonitru ita terribile non est, sicut vox Pauli dæmonibus. Si enim vestimenta ipsius horruerunt, multo magis vocem. Ipsa vinctos illos & captivos egit, hæc orbem terrarum expurgavit, hos morbos dissolvit, vitium expulit, veritatem superinduxit, Christum habuit inhabitatorem. Is ubique cum illo profectus est; & quod erant Cherubim, hoc erat & vox Pauli. Quemadmodum in potentatibus illis sedit Deus; ita & in lingua Pauli.* Sic *S. Basilii oratio erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur*, ait Nazianz. orat. 20. Hinc vox Christi assimilatur voci aquarum multarum, Apoc. 1. 15. & voci multitudinis, Daniel. 10. 6.

C

ALII DICEBANT: ANGELUS EI LOCUTUS EST] Erat enim vox hæc augustior humana, ideoque angelica, imo divina. Angelus enim subiens personam Dei Patris, vocem hanc instar tonitrui in aere formarat.

D

VERS. 30 RESPONDIT JESUS, ET DIXIT: NON PROPTER ME HÆC VOX VENIT, SED PROPTER VOS] ut scilicet in me credatis, itaque salvemini: ego enim hac voce non egeo. Sum enim Verbum Patris, quod increata & immensa laude & gloria glorificat Deus Pater & Spiritus S. quare creata & modica vocis hujus laude non egeo: vos vero illa egetis, quia mihi nonnulli e vobis objiciunt, me non esse Dei Filium, nec a Deo missum; alii de eo dubitant: contrarium enim utriusque hæc vox Patris vobis proclamat, ut omne dubium vobis eximat. Ita S. Aug. Beda, Rupert. Cyrillus, Chrysost. Theoph. Euthym.

VERS. 31 NUNC JUDICIUM EST MUNDI: NUNC PRINCEPS HUJUS MUNDI EJICIETUR FORAS] *Judicium* sæpe condemnationem, quæ fit in judicio, metonymice significat, & sic hoc loco accipit Chrys. Theophyl. & Euthym. q. d. Nunc instar mundi, id est Judæorum mundanorum, condemnatio, & vindicta Dei, eo quod me innocentem, imo Messiam & Dei Filium ad mortem condemnarint. Melius alii accipiunt *judicium*, non pro condemnatione nocentis, sed pro innocentis absolutione, vel potius oppressi ab oppressore & tyranno liberatione. q. d. *Nunc est*, id est, nunc instat tempus, pro mundus per tyrannidem oppressus a diabolo, ab eo liberetur. Instat enim mors mea, per quam homines a peccato, & consequenter a potestate & tyrannide diaboli liberabo, ac diabolum, qui hucusque mundo tyrannice dominatus est, ejiciam foras, ut scilicet extra mentes fidelium & Sanctorum ablegetur in mentes infidelium & impiorum. Unde argute Rupert. *Duos*, inquit, *mundos vult intelligi, videlicet alterum inimicum, alterum reconciliatum: sive alterum damnatum, & alterum salvatum, dum dicit primo sine articulo: Judicium est mundi: secundo autem signanter cum articulo, Princeps, inquit, hujus mundi. Quod ergo judicium mundi, & quæ est ejectio principis hujus mundi? utique præsens passio ipsius, qui hæc loquitur, Domini nostri Jesu Christi, judicium est mundi, id est salvatio, discernens a reprobis universitatem electorum, qui fuerunt ab initio seculi usque ad horam ejusdem passionis; ejectio vero principis hujus mundi, qui principatum tenet in amatoribus hujus mundi, reconciliatio est Gentilium electorum, in quibus diabolus per idololatriam inhabitabat, ante sepe dictam clarificationem ejusdem Domini nostri Jesu Christi.* Significat hic ergo Christus Primo, se mundum, id est gentes e toto mundo in se credituras, per mortem suam liberarum a peccato & diabolo. Secundo, se Diabolum ejecturum ex animis fidelium, item ex aris & templis, ut in iis deinceps colatur Deus verus ejectis idolis & dæmonibus. Tertio, se diabolo adempturum vim & potestatem, quia ante suum adventum, tentando validissime homines, omnes pene trahebat ad peccatum, indeque ad suum jugum: quare infregit vires diaboli Christus, ut nunc nec toties, nec tam valide, sicut ante, homines tentare possit, atque hominibus gratiam potentem largitur, qua facile, si ei conniti velint, tentationi resistere valeant.

E

Quarto, Christus multos dæmones ejecit a corporibus hominum, totoque terræ ambitu, eosque in infernum relegavit. Unde Prosper in dimidio tempor. cap. 2. legit: *Nunc princeps hujus mundi missus est deorsum*, in tartara. Hinc & dæmones expulsi a Christo, eum rogabant ne mitteret ipsos in abyssum. Luc. 8. 31. Audi S. Aug. *Prævidebat post passionem & glorificationem suam, per universum mundum multos populos creditures, e quorum cordibus diabolus, quando ei ex fide renunciant, foras ejicitur. Est quidem & de veterum justorum cordibus ejectus, sed dicitur nunc ejiciendus, quia quod in paucissimis factum est tunc, in multis magnisque populis mox erat futurum. Ejicitur quidem diabolus foras, attamen tentare non cessat; sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare.* Simile dat Chrys. *Ut si quis*, inquit, *debitores feriat, & in vincula mittat, eademque dementia eum, qui nihil debet, in carcerem ducat, is eorum, quæ in alios fecit, pœnas dabit: sic diabolus per ea, quæ in Christum ausus est, eorum etiam, quæ in nos fecit, pœnas dedit.*

F

Hoc est, quod Christus dixit Luc. 11. 21. *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.*

Christus igitur hic videns Gentiles sui videndi cupidos, indoluit totum mundum gentilismo oppressum, in idolis adorare diabolum; quare optavit mortem suam accelerari, ut eis a Deo fidem & gratiam impetraret, ac Apostolos mitteret, qui eos ad Deum converterent; ideoque ait, *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Simili modo S. Greg. teste Joanne Diacono in ejus Vita lib. 1. c. 21. cum Romæ videret venales juvenes Anglos, vultu venustos, & rogaret qui & quales essent, unde venirent, an regio eorum Christiana foret vel Pagana, cumque Paganam audisset, acriter ingemiscens, *Heu, proh dolor!* inquit, *quam splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet, tantaque frontis species vacuam ab interna Dei gratia mentem gestat.* Rursum interrogavit *quod esset vocabulum gentis illius? Mercator respondit: Angli vocantur: At ille: Bene*, inquit, *Angli, quasi angeli: quia & angelicos vultus habent, & tales in celis angelorum decet esse concives.* Iterum ergo interrogavit *quod nomen haberet ipsa provincia? Mercator resp. Provinciales illi Deiri vocantur.* Et Gregorius: *Bene*, inquit, *Deiri, quia de ira sunt eruendi, & ad Christi gratiam convocandi. Rex*, ait, *illius provinciæ quomodo nuncupatur? Mercator respondit: Ælle vocatur.* Et Gregorius alludens ad nomen dixit: *Bene, quia rex dicitur Ælle, Alleluia etenim in laude creatoris, in partibus illis oportet decantari.*

G

A *sanctari*. Mox itaque accessit ad Pontificem Benedictum, ab eoque petiit in Angliam mitti, ut Anglos converteret, unde ipse ab Anglis quasi eorum Apostolus colitur.

VERS. 32 ET EGO SI EXALTATUS FUERO A TERRA, OMNIA TRAHAM AD MEIPSUM] *Si exaltatus fuero*, per resurrectionem & ascensionem in cælum, ait Chrysost. Melius alii passim, q. d. Si exaltatus fuero in crucem, id est, si in alta cruce crucifixus fuero. Unde Joannes id explicans subdit: *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus*. Loquitur Christus, ait Maldonatus, de se tanquam de milite cum diabolo pugnante, solet miles eo fortior esse, & adversario superior, quo ex altiore loco pugnat: significavit ergo se ex cruce sua, tamquam ex altissima & munitissima arce pugnaturum, diabolumque victurum esse: propterea genus illud mortis *exaltationem* appellavit. Traxit exaltatus omnia ad semetipsum, quemadmodum aquila in sublime volans prædam trahit,

Sic Marcus Arethusæ in Syria Episcopus, sub Juliano Apostata suspensus in alto, ac melle perunctus, ut vespis & apibus fieret pabulum, suos tortores irridebat, dicebatque *illos esse humiles & terrenos, se vero arduum & sublimem*, ait Theod. l. 3. Hist. cap. 7. & Sozomen. l. 5. cap. 10. Magis ad litteram alludit Christus ad id, quod dixit cap. 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Moraliter docet hic Christus crucem non esse horrendam, sed ambiendam, quia sola crux exaltat,

B

OMNIA] Id est animam & corpus, ait S. Aug. & Beda. At Rupert. *omnia*, hoc est cælum, terram, homines, angelos & dæmones: quia scilicet efficiam, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*. Philip. 2.

Tertio & planissime, *omnia*, id est omnes homines omnium gentium, qui in me credere volent, puta omnia hominum genera, ait S. Aug. Unde S. Cyrill. Chrys. & Theoph. pro *omnia* legunt *omnes*, sed τὸ *omnia* magis emphaticum est, q. d. Omnia spolia diaboli, puta omnia mundi optima, hoc est totius mundi gentes, quæ in me credent. Quem enim paulo ante vocavit *mundum*, hic vocat *omnia*; Arabicus, *traham ad me unumquemque*; Syrus, *omnes*.

C

TRAHAM] Id est, abstraham ab invito diabolo, ut ipsos non invitos, sed volentes blandiendo suaviter, sed efficaciter traham ad meipsum, ut eos fratres meos, imo filios efficiam, ut sicut ego sum filius Dei naturalis, sic illi sint filii Dei adoptivi. Græce enim est ἑλκύσω, id est traham per vim, scilicet invito diabolo, ei violenter prædam eripiens, ac homines animans & roborans, ut sibi, suisque concupiscentiis vim faciant, juxta illud: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matt. 11.

Audi S. Leonem serm. 8. de Passione eleganter & pathetice totum hunc locum pertractantem: *O admirabilis potentia crucis, o ineffabilis gloria passionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitenda majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia, cum in execrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus cæli, & converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum se usui negaret*. Efficacius deinde hunc Christi tractum prosequitur & perurget: *Traxisti Domine ad te, quoniam scisso templi velo Sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem & lex in Evangelium verteretur: Traxisti Domine omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior seniorum & sacratior est unctio sacerdotum: quia crux tua omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

D

Porro Christus a terra exaltatus in crucem, ut medius penderet inter cælum & terram, traxit ad se omnia. Primo, quia cælum terræ, angelos Gentibus, Gentes Judæis, Deum hominibus, reconciliavit: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso, in unum novum hominem, faciens pacem; & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso*. Ephes. 2. 14. E

Secundo, quia omnes totius mundi gentes ad fidem & amorem sui traxit: traxit autem illas a terra ad crucem, puta ad pœnitentiam, continuam mortificationem, martyrium, & a cruce ad cælum: traxit, inquam, Primo, sanguinis sui merito & pretio; Secundo, suo exemplo, Tertio, suo amore. Quis enim Christum ex amore pro nobis ultro morientem non redamet? Quis non dicat cum S. Ignatio Martyre inter leones constituto: *Amor meus crucifixus est*? Vide dicta Zachar. 13. 6. ad illa: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*.

Tertio symbolice, Christus in cruce traxit ad se omnia, id est Deum creatorem cum omnibus creaturis, Deus enim hoc Christi sacrificio placatus fuit hominibus, sol & cæli obstupuerunt; unde quasi lugentes creatoris sui mortem, radios a terra subtraxerunt; luna sub sole se abscondit, aer tenebris densissimis sese involvit, terra tota e centro convulsa & conquassata intremuit, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, ut tam sepulti, quam vivi mortem Christi plangerent, uti insinuavit S. Leo. Omnes ergo creaturæ ad Christum crucifixum quasi se erexerunt, tanquam obstupescentes, & offerentes se ad pugnandum pro eo contra Judæos christicidas, eosque disperdendum. F

Porro perperam hinc colligebant Origenistæ: Christus traxit ad se omnia: ergo etiam damnatos ex inferno traxit & salvavit, quia, ut explicat S. Gregor. lib. 9. epist. 15. Christus traxit omnia scilicet electa: *nam trahi ad Deum post mortem non potuit*, inquit, *qui se a Deo male vivendo separavit*.

Symbolice, S. Bern. ser. 21. in Cant. hanc Christi sententiam sibi, omnibusque Religiosis adaptat. Hi enim per contemptum terrenorum, & amorem cælestium, exaltantur a terra, itaque omnia ad se trahunt: quia omnia tam adversa, quam prospera eis cooperantur in bonum, atque ipsi omnia quasi calcando possident; *fideli* enim *totus mundus divitiarum est*.

HOC AUTEM DICEBAT SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS] nimirum morte crucis: in hac enim pendens exaltatur a terra. Sunt verba non Christi, sed Joannis verba Christi interpretantis: unde parenthesi intercipiuntur. VERS. 33 G

RESPONDIT EI TURBA: NOS AUDIVIMUS EX LEGE, QUIA (quod) CHRISTUS MANET IN ÆTERNUM, ET QUOMODO TU DICIS, OPORTET EXALTARI FILIUM HOMINIS?] Intellexerunt Judæi, quod Christus de morte sua in cruce dixisset: exaltari enim a terra idem est quod crucifigi: quærunt ergo quomodo se dicat moriturum, cum lex asserat Christum non moriturum? Aliter S. Augustin. *Intellexerunt*, ait, *eum hoc dixisse, quod ipsi facere cogitabant, nec verborum obscuritatem eis aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia*. VERS. 34

EX LEGE] *Lex* vocatur totum vetus testamentum. Ergo Christum mansurum in æternum, ideoque non moriturum, Judæi colligebant ex illo Michææ 5. 2. *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*. Et Ps. 109. 4. *Tu es sacerdos in æternum*. Ps. 88. 30. *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli*, & v. 38. *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis*. Et Ps. 71. 5. *Et permanebit cum sole, & ante lunam in generatione & generationem*. Isaiæ 9. 7. *Vocabitur pater futuri sæculi*. Similia sunt Isaiæ 40. 8. Ezech. 37. 25. Dan. 9. 26. Verum hæ Script. loquuntur de regno Christi glorioso, quod post mortem resurgens & ascendens in cælo adeptus est: hoc enim erit æternum. Nam alioqui Christum ante hoc regnum moriturum expresse prædixit Isaias toto c. 53. David, Ps. 21. 12. & 17. Daniel, c. 9. 26. Jerem. c. 11. 19. H

QUIS EST ISTE FILIUS HOMINIS?] q. d. Si tu es ille filius hominis, de quo loquetis (uti apparet ex eo, quod te soleas Filium hominis appellare) quomodo ergo vis haberi Christus? Christus enim secundum legem, id est juxta oracula Prophetarum jam citata, est æternus, nec mori potest, cum tu ex adverso dicas filium hominis debere mori & exaltari in cruce. Quod si quis alius est filius hominis, de quo loqueris, edicito quis ille sit. ita Toler. & Jansen. Paulo aliter Maldon. censet Judæos hic, quasi Christum convicissent, ei insultare, & victo illudere: Quis est iste Filius hominis? quemadmodum si barbarus miles, & victoria insolens capto a se in bello regi, & in servi-

Digitized by Google

A servitutem redacto dicat: Quis est iste rex? quemadmodum eidem Christo iidem postea Judæi capto dixerunt: *Ave rex Judæorum*.

Vers. 35 Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: et (id est quia) qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat] Christus noluit directe ad objectionem Judæorum respondere, quia sciebat eos indignos & incapaces esse responsi, ait Cyrill. Indirecte ergo respondet, ut se quasi luce utantur: brevi enim hanc lucem extinctum iri per mortem, cum frustra eam sint requisituri: quod si hac luce uti velint, ab ea illuminationem recepturos, qua objectionis suæ solutionem videant, cæteraque ad salutem necessaria cognoscant. Latini passim τὸ *modicum* referunt ad *lumen*. q. d. Habetis adhuc modicum luminis & intelligentiæ, quo intelligitis Christum mansurum in æternum. Sed non cognoscitis ipsum moriturum quoque & resurrecturum. *Ambulate* ergo *dum lumen habetis*, hoc est, pergite, & proficite in indaganda & cognoscenda veritate, dum hoc
B intelligentiæ lumen habetis. Sic enim cognoscetis qua ratione Christus moriturus quidem sit, sed tamen resuscitatus mansurus sit in æternum. Ita S. Aug. Beda, Rupert. S. Bern. serm. 49. in Cant. Lyran. & alii.

Verum τὸ *modicum* non refertur ad lumen, sed ad χρόνον, id est tempus. Græca enim habent, ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, hoc est: *Adhuc ad modicum tempus, lux vobiscum est*. Ita Syrus, & Arabicus. *Lumen*, ait, *est vobiscum tempore modico*. Christus vocat seipsum *lumen* vel *lucem*, sive solem mundi, ob causas, quas recensui c. 1. 4. & ep. 1. Joan. 1. 5.

S. Chrysost. ergo & Theophyl. censent Christum hic se assimilasse luci, sive soli, quia sicut lux solis noctu non extinguitur, sed absconditur dumtaxat ad modicum tempus, ut mane rursum oriatur & lucear toto die; sic & se moriturum quidem, sed tertio die resurrecturum, indeque victurum & regnaturum in æternum, quod quærebant Judæi.

Secundo, planius & germanius exponas, q. d. Ego Christus, qui sum lux mundi, eum illuminans doctrina &
C cognitione Dei, salutis & rerum divinarum adhuc modico tempore (per tres dies) vobiscum, o Judæi, corporaliter ero, conversabor, docebo, prædicabo: quare si sapitis; quamdiu me sic habetis vobis præsentem, ac doctrina & miraculis prælucentem, ambulate, id est amplexamini, & sectamini hanc lucem, id est, ut sequitur, credite in me, audite me, interrogate me, ego omnia vestra dubia resolvam, ac nominatim quomodo Christus moriturus sit, & tamen mansurus in æternum, quod nunc mihi proposuistis, nam si id non feceritis, brevi a vobis auferetur hæc lux, id est, brevi ego moriar, ac tum tenebræ errorum vos occupabunt & involvent. Licet enim Apostolos post me relicturus sim, qui lucem Evangelii a me allatam prosequentur; tamen illos parvi facietis & persequemini, frustra me, qui sum ipsa originalis lux, requisituri. Simili modo Christus iisdem Judæis c. 7. 33. ait: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me. Quæretis me, & non invenietis*.

Lucem ergo Christus vocat seipsum, suamque vitam.
D Quare minus apte & genuine Chrysost. Theoph. & Rupert. per *lucem* accipiunt cujusque fidelis vitam, quæ cuique quasi sua dies est. q. d. Ambulate, id est bene agite, credite in me, dum lux vitæ vobis suppetit: nam post eam succedent tenebræ mortis, cum credere & bene agere non licebit.

Symbolice, Leont. per *tenebras* accipit peccata: Rupert. vero damnatorum pœnas: inter has enim una sunt tenebræ exteriores, Matth. 8. 12.

Vers. 36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis] Ecce hic explicat τὸ *ambulate dum lucem habetis*, per *credite in lucem*, scilicet in me qui sum lux mundi; credite, inquam, quod ego sim Messias Filius Dei, & salvator mundi, mihique & Evang. meo obedite. Ita Cyrill. Theoph. *ut sitis filii lucis*, ut scilicet sitis filii mei, qui sum lux mundi, ac consequenter filii gratiæ, charitatis, virtutis & sanctitatis in hac vita, ac filii resurrectionis, felicitatis, & gloriæ in altera. Vide dicta 1. Joan. 1. 5. *Quoniam Deus lux est*. Et in Evang. ejusdem c. 1. 4. Et Ephes. 5. 8. *Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia & veritate*.

Tropologice cum sentis Spiritus sancti illuminationes, instinctus, afflatus, eos illico sequere & exequere, quia instar fulguris apparent & disparent. Sic S. Franciscus cum audiret Dei inspirationem, licet iter agens, subsistebat, ut eam exciperet, statimque eam in opus conferebat. E

Hæc locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis] quia prævidebat eorum cogitationes, quod vellent eum capere ante præfinitum a Patre tempus. Ita Chrysost. Theophyl. & alii. *Abscondit se*, modico tempore, puta noctu. Nam Christus hisce tribus ultimis vitæ suæ diebus per diem docebat in templo, noctu vero secedebat in Montem Oliveti, indeque in Bethaniam, ut patet Lucæ 21. 37. Unde Maldonat. censet Christum *se* abscondisse secedendo in Bethaniam. Abscondit se Jesus a Judæis.

Ab eis] Non *ab eis*, ait S. Aug. & ex eo Beda, qui credere & diligere cœperant; non *ab eis*, qui cum ramis palmarum & laudibus obviam venerant, sed *ab eis* qui videbant, & invidebant, quia nec videbant, sed in lapidem illum cæcitate offendebant.

Symbol. Rupertus, Abscondit, inquit, Christus se ab eis, non loco, sed gratia; quia eos in sua infidelitate reliquit, excæcavit & obduravit, ut sequitur. F

Cum autem tanta (Græce, τοσαῦτα, id est tot & tanta, sive tam magna) signa fecisset coram eis, Vers. 37 non credebant in eum] S. Chrysost. Theophyl. & Euthym. opinantur Jesum hoc tempore multa miracula patrasse, ut iis Judæos ad credendum in se promoveret, de iisque hic, sed illa a Joanne brevitatis studio esse omissa. Melius alii censent Joannem loqui de omnibus miraculis, quæ toto prædicationis tempore Jesus operatus est. Dat enim causam, cur Jesus dixerit, *Credite in lucem*, quasi dicat, Ego tot signis probavi me esse Messiam & doctorem mundi, cur ergo in me non credidistis? Non est quod plura a me exspectetis. *Ego enim* jam ad finem mortemque pergo. Si ergo sapitis, antequam abeo, illico credite in me.

Causa cur pauci in Jesum crediderint, ac plurimi non crediderint, fuit partim corum animalis vita, qua bonis terrenis, suisque cupiditatibus affixi, bona cælestia & mundanorum contemptum, quæ Christus prædicabat, non capiebant; partim timor Scribarum, pontificum & principum, quos sciebant Jesu adversari: populus enim sequitur fidem suorum principum: partim Christi paupertas, modestia, humilitas, quam ipsi spreverunt. Sperabant enim, & etiamnum sperant, Messiam suum venturum cum magna pompa, magnisque opibus, quasi alterum Salomonem regem Israelis. Tres caus. cur Judæi non crediderint Christo. G

Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem Vers. 38 dixit: Domine quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?] τὸ *ut* non finem & scopum a Deo intentum, sed consecutionem, sive id quod secutum est, significat. q. d. Unde ex Judæorum incredulitate secutum factumque, ut sermo Isaiæ, quo eam prædixit, impleretur. Ita Chrys. Cyrill. & alii.

Quis credidit auditui nostro?] Citat Isaiæ cap. 53. 1. ubi ea plenius explicui: quare breviter hic perstringam.

Auditui nostro] Id est prædicationi & sermoni audito, quem scilicet Judæi a me Christo, meisque Apost. evangelizantibus audierunt. q. d. Quam pauci Judæi crediderunt Evangelio, quod a me & Apostolis prædicatum ipsi audierunt? Est hebraismus: nam שִׁמְעָה *Scemaa*, id est *auditus*, ponitur pro prædicatione, quæ H auditur, scilicet potentia vel actus ponitur pro suo objecto, quod crebrum est apud Hebræos.

Brachium Domini] Id est Christus. q. d. Quam paucis Judæis Christus cognitus & revelatus fuit! Christus enim dicitur *Brachium Domini*, quia a Patre ὁμοίως procedit, sicut brachium a corpore & capite *illi* consubstantiale emanat. Secundo, quia Christus qua Deus, Patris est brachium, id est virtus, robur & fortitudo, per quam omnia potenter operatur. Tertio, quia Christus, qua homo in carne assumpta, apud homines magnæ virtutis & potentiæ Dei opera exercuit. Ita S. August. Beda, Rupert. Tolet. Jans. Maldon. & alii hic, ac S. Hier. in Isaiæ c. 53. & S. Athanas. lib. de Communi essentia Patris & filii & Spiritus S. Potest Secundo, simplicius & planius *brachium* accipi pro divina virtute & potentia, quæ in miraculis Christi se exerebat, q. d. Quam pauci Judæi agnoverunt Dei virtutem in Christo tot tantaque operantem. Ita Jansen. & Maldonat. Christus est brachium Domini. I

Propterea non poterant credere quia iterum Vers. 39 dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et indu- Vers. 40 ravit cor eorum: ut non videant oculis, et non

A NON INTELLIGANT CORDE, ET CONVERTANTUR, ET SANEM EOS] *Propterea*, &c. *quia*. Nota, has duas particulas causales hic non sumi proprie, nec causam significare. q. d. Causa incredulitatis Judæorum fuit Dei excæcatio, ut vult Calvinus; sed tantum significare consecutionis necessitatem & sequelæ ordinem, q. d. Fieri non poterat, ut, cum Isaias dixerit & prædixerit, Judæos non credituros in Christum, ipsi tamen ei crederent, quia non potest mentiri Scriptura, nec falli præscientia Dei, quæ eos non credituros per Isaiam prædixit. Id autem prædixit, quia prævidebat eos sua libertate, pertinacia & malitia non credituros Christo. Ideo enim Deus prævidit eos non credituros, quia ipsi libere non erant credituri. Non autem ideo ipsi non crediderunt, quia Deus prævidebat eos non credituros. Prius enim est *ipsos* non credituros, quam Deus eos non credituros prævideat; Deus enim prævidet futurum, quia id revera futurum est: nil enim Deus prævidere potest, nisi quod jam revera fore vel futurum præsupponitur. Objectum enim visum prius est ipsa visione, nil enim videri potest, nisi quod jam est vel erit. Ita

B Chrysost, Jansen. Maldon, & alii.

Verum S. August. & ex eo Toletus sic exponit. q. d. Propterea Judæi non poterant credere Christo, quia ipsi obdurati & excæcati erant, sicut prædixit Isaias: sed tunc *non poterant*, non absolutam necessitatem, sed vel moralem, id est magnam difficultatem, vel conditionalem significat. q. d. Judæi non poterant credere Christo; posito eo quod ipsi suis vitiis, tenebris & erroribus affixi iis adhærere animum obfirmarant, ideoque sua malitia se obdurassent & excæcassent. Alioqui enim excæcati & obdurati, quia habent liberum arbitrium, nec gratia sufficiens eis deest, absolute possunt suam obdurationem deponere, Jesumque ad Deum convertere.

EXCÆCAVIT OCULOS EORUM, ET INDURAVIT COR EORUM] Citat Christus Isaiæ c. 6. 9. & 10. ubi fuse hæc explicui; quare breviter ea hic repetam. Nota Primo, excæcari proprie intellectum, obdurari vero affectum & voluntatem. Secundo, excæcationis & obdurationis directam & propriam causam esse propriam hominis libertatem & malitiam, juxta illud Sapient. cap. 2. v. 21. *Excæcavit illos malitia eorum*. Unde Arabicus hic vertit, *excæcati sunt oculi eorum, & indurata sunt corda eorum*; Syrus, *occæcati sunt oculi eorum, & tenebris offusa sunt corda eorum*. Deus tamen dicitur hominem excæcare & obdurare indirecte & improprie, quia illi lumen veritatis & gratiæ sensim subtrahit, ac errorum & vitiorum occasiones ei a diabolo, carne & mundo objici permittit, ad puniendum priora ejus peccata.

C

Porro in Isaia pro *excæcavit* est, *excæcacor populi*: quæ sunt verba Dei ad Isaiam, sed eodem redit sensus. *Excæca* enim idem est, quod prædic eum a me indirecte excæcandum. *Excæcavit* ergo idem est quod *excæcabit*. Ponitur enim præteritum pro futuro, ut significetur rei certitudo, scilicet rem tam certo futuram, ac si jam facta esset; nimirum tam certo excæcandos fore Judæos, ac si jam excæcati essent.

VERS. 41 HÆC DIXIT ISAIAS, QUANDO VIDIT GLORIAM EJUS, ET LOCUTUS EST DE EO] *Gloriam ejus*, scilicet Christi, sive filii Dei incarnati, de quo sermo præcessit & sequitur, Ita Cyrillus, Nonnus, Leont. August. & passim veteres contra Arianos. Hinc ergo patet Christum Dei Filium vere esse Deum, Patri ὁμοούσιον, qui scilicet eamdem cum Patre habeat substantiam, majestatem & gloriam. Nam verba hæc; & gloriam hanc divinam fuisse Dei Patris non negant Judæi, nec de eo dubium esse potest; hic vero dicitur eamdem gloriam fuisse Filii. Eadem fuisse Spiritus S. patet Act. c. 28. 25. ideoque S. Trinitati sic coram Isaia apparenti, Seraphini acclamabant ter: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus*.

D

Quamnam Dei gloriam vidit Isaias?

Hæc ergo gloria, quam vidit Isaias cap. 6. fuit gloriosa effigies, qua Sanctæ Trinitatis essentia, & personæ singulæ clare ei per symbolum aliquod imaginarium, modo nobis ineffabili repræsentabantur. Effigies autem hæc fuit species humana; Deus enim visus fuit Isaiæ, quasi homo vel rex sedens in throno excelso: unde tam faciem, quam pedes Dei nominat & describit Isaias. Denique hæc species gloriose adornata fuit ingenti lumine & majestate: unde Joannes illam hic vocat *gloriam*. Itaque Isaias in illa visione, ait Ribera, Maldon. Toletus & alii, cognovit apertissime, quantum ab homine in hac mortalitate cognosci potest, tres personas in unitate essentiæ, tum ex clamore Seraphim, tum ex altissima revelatione quam habuit, & ideo dicit: *Quando vidit gloriam ejus*, id est, quando ei per revelationem ostensa est persona Filii coæqualis & consubstantialis Patri & Spiritui sancto. Plura de hac visione dixi Isaiæ 6. vers. 1.

E

VERUMTAMEN ET EX PRINCIPIBUS MULTI CREDIDERUNT IN EUM; SED PROPTER PHARISÆOS NON CONFITEBANTUR, UT E SYNAGOGA NON EJICERENTUR] *Principes* vocat non summos pontifices & magistratus; hi enim paulo post Jesum ceperunt & occiderunt, sed Primores & Proceres, ut vertit Syrus, qui cæteris sapientia, auctoritate, opibus eminebant, tam inter sacerdotes quam inter laicos. Ita Rupertus. Hi ergo victi veritate, ac sanctitate, & miraculis Jesu, crediderunt ipsum esse Messiam; sed id palam profiteri non audebant, ne extra synagogam pellerentur. Hoc enim jam decretum erat a Pharisæis, ut audivimus cap. 9. 2. VERS. 42

DILEXERUNT ENIM GLORIAM HOMINUM MAGIS QUAM GLORIAM DEI] *Gloria* hic Primo active accipi potest, q. d. Dilexerunt glorificare magis homines, puta Judæos & Pharisæos, dicendo illos esse sapientes & veros legis doctores, quam Jesum a Deo missum, ut profiterentur ipsus esse Messiam, lucem & doctorem mundi. VERS. 43

F

Secundo, & potius passive, q. d. Dilexerunt magis glorificari ab hominibus, quam a Deo, ut scilicet a Pharisæis audirent: Vos estis veri Israelitæ, qui in fide patrum constantes, Mosen priscum novatori Jesu, antiquam Israelitarum religionem novitiæ Christianorum sectæ prætulistis. Ita S. August. Cyrill. Beda, Chrysost. Theoph. & alii. Hi ergo habebant fidem Christi, sed non charitatem: si enim eam habuissent, magis dilexissent gloriam Dei quam hominum, & fidem Christi, quam corde tenebant, ore professi fuissent: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10.

Tales hodie multi sunt in Anglia, Germania, Polonia, qui fidem & pietatem in mente colunt, sed exterius ostendere non audent, ne hæreticorum vel mundanorum irrisiones & scommata incurrant, contra quos fulminat Christus: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris & sanctorum angelorum*, Lucæ 9. 26.

G

Sapienter Glossa ex S. August. tract. 53. in fine: Ideo, ait, crux figitur in fronte, ubi est sedes verecundiæ, ne de Christi nomine erubescamus, magisque Dei, quam hominum gloriam quæramus.

JESUS AUTEM CLAMAVIT, ET DIXIT: QUI CREDIT IN ME, NON CREDIT IN ME (tantum, ut addit Arabicus) SED (etiam) IN EUM QUI MISIT ME] An Jesus hæc dixerit eodem tempore quo præcedentia vers. 35. ut vult Maldon. antequam se absconderet & abiret, ut dixit vers. 36. (quasi illud ibi dicatur per anticipationem, cum recto ordine ponendum sit in fine capitis) an vero alio tempore, ut vult Theophyl. incertum & ambiguum, ideoque problema est. Christus enim hisce ultimis vitæ suæ diebus, noctu secedebat in Montem Oliveti & Bethaniam, mane vero redibat ad templum, ibique docebat & concionabatur. Cum videret ergo alios sibi non credere, alios vero credere, sed non audere fidem suam profiteri, ex pudore & metu Pharisæorum, *clamavit* contenta voce ut pudorem hunc & metum eis eximeret: *Qui credit in me*, non credit in merum pauperem, miserumque hominem, sed in hominem, qui simul est Deus, ideoque *credit in Deum, qui misit me*, puta in Deum Patrem, cui sum ὁμοούσιος & consubstantialis. q. d. Non vos pudeat meæ paupertatis & humilitatis, quia, etsi exterius pauper sim & humilis, interius tamen sum dives & sublimis: sum enim Deus de Deo: quare qui in me credit, in Deum credit. Quid autem dignius & glorioſius, quam in Deum credere? Quid metuat vel erubescat, qui in Deum credit, addit Cyrillus: *Clamavit* Jesus, ut significaret se nolle timide & occulte coli, sed velle ut fidem libere & clare profitemur & proclamemus. Tertio, *clamavit*, quia parum illi temporis ad prædicandum restabat, ait Rupertus: nam post tres dies crucifixus est. q. d. Qui vult me audire, credere & salvari, illico id faciat: nam post triduum nemo me audire poterit. Ita S. Chrys. Quid formidatis, ait, credere in me, in Deum fides pervenit per me, sicut qui fluminis aquam accipit, non accipit eam quæ est fontis. Et S. August. *Quia*, ait, *homo apparebat hominibus, cum lateret Deus, ne putarent eum esse tantum, quod videbant* (hominem) *talem ac tantum se credi volens* (Deum) *qualis & quantus est Pater, inquit*. VERS. 44

H

Digitized by Google

A *inquit. Qui credit in me, non credit in me, id eſt, in hoc quod videt, ſed in eum, qui me miſit, id eſt Patrem.*
Hinc ergo patet Filium eſſe Deum, Deoque Patri conſubſtantialem. Negabant id Ariani & objiciebant: Qui credit Apoſtolis a Deo miſſis, in Deum credit; & tamen non credit Apoſtolos eſſe Deos. Ergo pariter qui credit Chriſto a Deo miſſo, eſto in Deum credat, non tamen credit Chriſtum eſſe Deum. Reſp. negando ſequelam. Nos enim credimus quidem Apoſtolis, ſed non in Apoſtolos. Chriſtus autem hic ait: *Qui credit in me, credit in eum qui miſit me.* Nemo autem credit in aliquem, niſi in eum qui eſt Deus. Ergo ſi in Chriſtum credimus, credimus ipſum eſſe Deum, cumque non niſi unus ſit Deus, credimus ipſum eumdem numero eſſe Dem cum Deo Patre, ideoque ait: *Qui credit in me, credit in eum qui miſit me.* q.d. Qui credit in me Dei Filium, credit pariter in Deum Patrem meum, quia una utique eſt natura, una majeſtas. Ita S. Aug. Cyrill. Theoph. Euthym. & alii. Unde ut id clarius ſignificet, ſubdit Chriſtus.

VERS. 45 B ET QUI VIDET ME, VIDET EUM, QUI MISIT ME] Quia unica eſt utrique natura; quare eo modo, quo per humanitatem videt deitatem meam in ea latentem, eodem modo videt quoque deitatem Patris mei, eum una ſit eademque. Ita S. Aug. Oſtendit, ait, adeo nihil diſtare inter ſe & Patrem, ut qui ſe videret, videret & Patrem.

Audi S. Cyrill. in Conc. Epheſino: *O fideles auditores mei, ne parva & humilia de me opinemini, quin potius id de me perſuaſum habetote, nempe ſi in me quem in hoc corpore cernitis, credideritis, non in unum aliquem ex multis credituros vos eſſe, ſed in ipſum Patrem per me Filium, qui licet veſtri cauſa caro factus ſim; Patri tamen omnino æqualis, nullaque in re ab eo divulſus aut ſeparatus ſum, utpote eadem qua ille natura, potentia ac gloria præditus.*

VERS. 46 C EGO LUX IN MUNDUM VENI: UT OMNIS QUI CREDIT IN ME, IN TENEBRIS NON MANEAT] identidem Chriſtus ſe vocat lucem mundi, quæ veram in Deum fidem, cultum, pietatem, virtutem, omniaque ad ſalutem conducentia oſtendat, ac infidelitatis, idololatriæ, errorum & vitiorum omnium tenebras diſpellat, ut quod ſol in mundo eſt corporaliter, hoc ipſe in mundo ſit ſpiritualiter. Nomen *lux*, ait Cyrillus, indicat divinitatem: Deo enim proprium eſt eſſe lucem mundi. Deus enim per eſſentiam eſt lux ſpiritualis, increata, immenſa, a quo omnis lux creata tam ſpiritualis, quam corporalis, tam angelorum & hominum, tam ſolis & cælorum, quam elementorum, velut radius a ſole derivatur. Proprium vero Filio eſt, quod a Deo Patre per modum radii & lucis procedat, juxta illud Symboli Niceni. *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero:* ipſe enim procedit a Patre per intellectum & cognitionem, quaſi verbum mentis, quod quaſi lucidiſſimum ſpeculum omnia repræſentat. Quocirca de eo ait Sap. c. 7. 26. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Atque ex Sapiente Apoſtolus Heb. 1. 3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus,* &c. Et Eccli. 24. 6. *Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens.* Hæc de Chriſto qua Deus eſt; qua homo vero, miſſus eſt a Deo Patre in mundum, ut eum tenebris ignorantiæ, infidelitatis & peccatorum obſitum, quaſi ſol cæleſtis illuminaret, uti dixi c. 1. 9. & ſeq.

Symbolice S. Gregor. l. 25. Moral. c. 4. *Lux æterna,* ait, D *quæ Deus eſt, quanto immutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt, & neque occulta neſcit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliviſcitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus, quia ipſa nobis & non ſibi præſentibus præſto eſt, & perverſe gradientes in ipſam impingimus, a qua per meritum longe ſumus. Cum vero nos videri non credimus, in ſole clauſos oculos tenemus. Illum videlicet nobis abſcondimus, non nos illi.*

Idem Greg. l. 7. ep. 32. ad Dominicum: *Lux gregis,* ait, *flamma eſt paſtoris. Decet enim paſtorem, decet Dominicum ſacerdotem moribus & vita clarescere, quatenus in eo, tanquam in vitæ ſuæ ſpeculo, plebs commiſſa & eligere quod ſequatur, & videre poſſit quod corrigat.*

VERS. 47 ET SI QUIS AUDIERIT VERBA MEA, ET NON CUSTODIERIT, EGO NON JUDICO EUM] *Non cuſtodierit,* id eſt, mente non retinuerit, *non crediderit,* ut habent Græca (quæ habent πίσῃ, id eſt, crediderit, pro quo Noſter cum Syro & Arabico legit τηρήσῃ, id eſt, cuſtodierit) & ſic explicat Chriſtus verſ. ſeq. *Ego non judico,* q.d. Ego non veni in carnem & mundum, ut eum judicem & dampnem, ſed ut redimam & ſalvem. Talis tamen qui non credit in me, jam judicatus eſt & damnatus per ſuam ipſius malitiam & infidelitatem, atque per æternum Patris mei decretum. Patet ex ſequenti. Ita Cyrill. Theoph. Leont. & alii. Vide dicta c. 3. 18. Hoc autem decretum Patris ego exequar in die judicii, cum quaſi judex redibo ut judicem mundum, qui jam veni quaſi redemptor, ut ſalvem mundum. Unde Chryſoſt. *Ego non judicio,* hoc eſt, ait q.d. Ego non ſum cauſa perditionis illius, ſed ipſe ſui ipſius, qui verba mea ſpernit. E

NON ENIM VENI UT JUDICEM MUNDUM, SED UT SALVIFICEM (ſalvum faciam) MUNDUM] id eſt, homines mundi incolas: quia nunc tempus eſt miſericordiæ, poſt autem judicii, ait S. Auguſt.

QUI SPERNIT ME, ET NON ACCIPIT VERBA MEA; HABET QUI JUDICET EUM] q.d. Qui *non accipit,* id eſt, animo non amplectitur (&, ut paulo ante dixit, non cuſtodit) hoc eſt, non credit verba mea, habebit Deum Patrem vindicem, qui eum puniet & damnabit per me judicem in die judicii. Nam, ut ait S. Aug. l. 1. de Trinit. *Non judicabit Chriſtus ex poteſtate humana, ſed ex poteſtate Verbi Dei.* Vers. F

SERMO, QUEM LOCUTUS SUM, ILLE JUDICABIT EUM IN NOVISSIMO DIE] S. Aug. tr. 54. per *ſermonem* accipit Chriſtum, hic enim erit judex in die judicii: *Satis,* ait, *manifeſtavit ſeipſum judicaturum in noviſſimo die; ſeipſum quippe locutus eſt, ſeipſum annunciavit, ſeipſum januam poſuit, qua ipſe ad oves paſtor intravit.* I

Planius & nervoſius alii, q. d. Sermo meus a Judæis auditus, & nō creditus contra eos in die judicii accuſabit eos, eoſq; dignos gehenna nuta voce proclamabit. Ita Rupert. *Ille ſermo,* ait, *quem audierunt, quem verum eſſe neſcire non poſſunt, utpote magnificis operum teſtimoniis comprobatum, ille judicabit eum; ille arguet, ille convincet eum. Ubinaiſte talis judex ſedebit? Quales de ſolio ſuo voces aut ſententias judicii ſui dabit? Prope aderit, intus ſedebit, in conſcientia cujuſq; juſtas ſententias terribiliter perſonabit.* Eſt proſopopæja. Sermo enim Chriſti hic inducitur quaſi perſona & teſtis accuſans incredulos apud Chriſtū judicē in die judicii.

QUIA EGO EX MEIPSO NON SUM LOCUTUS, SED QUI MISIT ME PATER, IPSE MIHI MANDATUM DEDIT QUID DICAM, ET QUID LOQUAR] τὸ *quia* dat cauſam cur ſermo Chriſti Judæos condemnaturus ſit: quia ſcilicet Chriſtus hunc ſermonem locutus eſt, non ex ſe, ſed ex Patris mandato, quare qui illi non credidit, Deo non credidit, qui illum ſprevit, Deum ſprevit, ideoque eum judicem & vindicem experietur. ita Cyrillus. Paulo aliter Rupert. *Inde,* inquit, *ſermo, quem locutus ſum, fortitudinem habet judicandi, quia ego eum a meipſo non loquor.* Porro S. Aug. S. Ambroſ. & Beda cenſent Chriſtum hic de ſe loqui, quatenus Deus eſt. q. d. Ego Chriſtus qua Deus, ex me non loquor, ſed ex Patre, qui dedit mihi mandatum quid dicam & loquar, hoc eſt, dedit mihi divinam naturam & cum ea omniſcientiam, omnemque dicendi & loquendi vim. Audi S. Aug. *In Sapientia Patris, quod eſt Verbum, omnia mandata ſunt Patris: dicitur autem mandatum datum, quia non eſt a ſeipſo is, cui dicitur datum. Eſt autem dare Filio, Filium gignere.* Porro Chryſ. *Omnia hæc,* air, *propter eos dicebantur, ut nullam habeant excuſationem.* Et Gloſſa: *Mandatum dedit Filio Pater, ipſum Verbum & Sapientiam, in qua ſunt omnia mandata gignendo, ſicut eis vitam dedit ipſum, qui vita eſt gignendo.* G

Similiter S. Cyrill. Chryſoſt. Leont. & Theoph. putant Chriſtum hic loqui de ſe, quatenus ipſe homo eſt: ſic enim proprie accepit a Patre mandatum hæc illave dicendi & loquendi, non alia. Demiſſe enim de ſe loquitur Chriſtus, ut ſuperbos Judæos, qui non credebant ipſum eſſe Deum, permoveat. q.d. Eſto purus eſſem homo, ut vos putatis; tamen mihi credere deberetis, quia ego nihil ex me loquor; ſed omnia quæ loquor a Patre audivi, imo ab eo mandatum illa dicendi accepi. Hinc colligunt Doctores Theologi (etſi nonnulli id negent) Chriſtum accepiſſe a Deo mandatum, uti dicendi omnia quæ dixit, ſic & agendi omnia quæ egit. Si enim minora, uti ſunt loqui & dicere, mandavit illi Pater: ergo & majora, uti ſunt operari, & facere virtutes & miracula. H

Accommodatitium eſt quod ait Rupertus: *mandatum a Patre accepi, quid nunc dicam patienter contradicentibus, & quid in futuro judicio loquar terribiliter, ubi nemo contradicere audebit.*

QUID DICAM, ET QUID LOQUAR] Inter *dicere* & *loqui* hoc intereſt, quod *dicere* ſit graviter quid aſſerere, docere, prædicare; *loqui* vero ſit familiariter quid eloqui. Unde Varro l. 5. de Lingua latina, ait, Loquor *dicitur a loco; infans enim*

Loqui dicimur modo ſi ferme

A *enim primo fari dicitur, deinde loqui. Loquitur ergo, qui suo loco quodque verbum sciens ponit.* Hinc *loquax*, qui nimium loquitur; *eloquens*, qui copiose loquitur; *colloquitur*, cum conveniunt in unum locum loquendi causa. Hinc & *allocutum* mulieres ire ajunt, cum eunt locutum ad aliquem, consulendi causa. Ibidem Varro *dico* derivat a Græco δικάζω, id est, judico sive jus dico. Hinc illa: *Indico bellum, Indico funus, Addixit præmium*: Hinc *dictum* in mimo *dictata* in ludo, *dictator* magister populi, quod is a Consule debebat dici. Hinc *doceo* declinatum, vel quod cum docemus, dicimus, vel quod qui docentur, inducantur in id quod docentur, ab eo quod scit ducere, qui est *dux* aut *doctor*, qui ita inducit, ut doceat: a docere *disciplina*, & *discere* litteris paucis commutatis. Ab eodem principio *documenta*, id est, exempla, quæ docendi causa dicuntur. Hæc omnia Varro. Paulo aliter Rhetores: Loqui, inquiunt, est simpliciter disserere, vel enunciare; dicere vero est ornate, disposite & diserte perorare. Loqui ergo est Dialecticorum, dicere Oratorum, ita Cicero lib. de Oratore, & Quintilianus l. 10. c. 7.

ET SCIO QUIA MANDATUM EJUS VITA ÆTERNA EST] Vers. 50 B Hoc est, causa est, & via ducens homines ad vitam æternam, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matt. 19. Porro mandatum formaliter quoque est vita æterna, quia mandatum Dei est lex æterna, quæ vivit in ideis & æternis rationibus, quæ sunt in viva mente Dei. Verum de eo non agit hic Christus: asserit ergo mandatum esse vitam æternam causaliter, non formaliter; quia scilicet, causat, meretur & efficit vitam æternam. Dicit hoc Christus, ait Chrys. ut Judæos invitet ad sibi credendum in illis, quæ mandato Patris loquebatur, invitet, inquam, spe summi præmii, scilicet vitæ æternæ, ac consequenter timore summi supplicii, si non credant, nimirum mortis æternæ in gehenna: hanc enim per antithesin tacite eis comminatur, ac ne de eo dubitent, asseveranter, ait, *scio*; q.d. Ex certa scientia dico & assevero, quod mandatum Dei est causa vitæ æternæ, quia ego id a Deo ipso audivi, indeque certissime scio id ab ipso decretum, ut sit inviolabile. Simili modo ait Christus Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna* (id est, via ad vitam æternam) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

Alludit Christus ad illud Eccl. 1. 5. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.* C Et ad Baruch c. 3. 9. *Audi Israel mandata vitæ*, &c. *Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longævitas vitæ & victus, ubi sit lumen oculorum & pax. Si ergo*, ait S. Aug. serm. 186. de Tempor. in fine, *vultis vivere de Spiritu S. tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, & pervenietis ad æternitatem.*

Christus igitur omnem suam doctrinam, omnesque suas ad populum conciones concluſit hac gnome. *Mandatum ejus vita æterna*; ut æternitatis jugem memoriam, & æternæ vitæ desiderium, quasi stimulum ad suam fidem moresque sectandum, iturus jam ad mortem, Judæis omnibusque posteris infigeret. Nil enim ita mentem ad bonum exstimulat, atque æternitatis seria, & crebra meditatio. Nam, ut ait Psaltes Ps. 118. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* q.d. Omnes res sublunares suum habent finem, at vero mandatum Dei non habet finem, sed durat in æternum, atque sui observatores ducit ad beatam æternitatem, contemptores vero ad supplicia & incendia æterna. *Momentaneum quod cruciat, æternum quod delectat. Momentaneum* D *quod delectat, æternum quod cruciat.*

Symbolice S. Aug. *Si vita æterna*, inquit, *est ipse Filius, & vita æterna est mandatum Patris; quid aliud dictum est, nisi Ego sum mandatum Patris?*

QUÆ ERGO EGO LOQUOR (id est, qui meipsum Verbum annuncio, ait Interlinearis) SICUT DIXIT MIHI PATER SIC LOQUOR] id est, ait Interlin. *Sicut verax me veritatem genuit, sic veritas me veritatem annuntio.* Et S. Aug. *Ita ille dixit ut verax, ita iste loquitur ut veritas; verax genuit veritatem.*

Hic redit Commentarius genuinus S. Cyrill. impressus, inchoatque librum nonum; nam quatuor medii libri Cyrilli, scilicet quintus, sextus, septimus & octavus, interciderunt: unde eos supplevit Judocus Clictovæus, uti superius monui. Ego tamen manuscripto Cyrilli usus sum.

E

CAPUT XIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Christus ante institutionem Eucharistiæ lavat discipulorum pedes. Secundo, vers. 17. prædicit se mox prodendum a Juda, eumque Joanni per buccellam panis indicat. Tertio, vers. 34. dat novum dilectionis mandatum, ac Petro trinam sui negationem prædicit.

ANte diem festum Paschæ, sciens Jesus quia Vers. 1. venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2. Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ:

3. sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit:

4. surgit a cœna, & ponit vestimenta sua: & F cum accepisset linteum, præcinxit se.

5. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

7. Respondit Jesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.

10. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, & ac- G cepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim.

14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

16. Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum.

17. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

18. Non de omnibus vobis dico: ergo scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.

19. Amodo dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.

20. Amen, amen dico vobis: Qui accipit si H quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

21. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.

24. Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis est, de quo dicit?

25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine quis est?

26. Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.

Digitized by Google

A 27. Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius.

28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.

29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret.

30. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.

31. Cum ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis; & Deus clarificatus est in eo.

32. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso; & continuo clarificabit eum.

33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum: Quæretis me: & sicut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico
B modo,

34. Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.

35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea.

37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.

38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

VERS. 1. An Christus celebravit Pascha decimoquarto die?

C ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ] id est, pridie Paschatis, puta die 13. primi mensis, cum postridie, scilicet die 14. juxta legem a Judæis celebrandum esset Pascha, inquiunt Græci. Ipsi enim ex hisce Joannis verbis contendunt Christum ob instantem passionem suam, uno die anticipasse Pascha, illudque celebrasse die 13. ac proinde agnum comedisse cum pane fermentato, non in azymo. Usus enim azymi panis incipiebat cum Paschate die 14. Quocirca Christum consecrasse Eucharistiam tunc in pane fermentato, ideoque ipsi eamdem consecrant & celebrant in pane fermentato, non azymo.

Verum hoc repugnat cæteris tribus Evangelistis, qui asserunt Christum celebrasse Pascha, & instituisse Eucharistiam primo die azymorum, quo Judæi immolabant pascha, id est, agnum paschalem. Ergo id fecit eodem die, quo Judæi, scilicet 14. die mensis, non 13. Sic enim lex Exodi 12. sancit & præscribit. Quod ergo Joannes ait, Christum id feciisse *ante diem festum Paschæ*, intellige eum id feciisse die 14. ad vesperam, quæ præcedebat festum Paschæ, hoc est, primum diem azymorum, qui erat 15. dies, puta mane diei feriæ sextæ, sive diei Veneris, quo crucifixus est Christus.

Pro quo Nota. Quod licet immolatio agni fieret die 14. ad vesperam, tamen festum primæ diei azymorum proprie incipiebat postero mane diei 15. Atque hoc respectu ait Joannes Christum celebrasse pascha ante diem festum
D Paschæ, quia celebravit die 14. ad vesperam, quæ erat pridie primæ diei azymorum, quæ incipiebat sequenti mane diei 15. Cæteri vero tres Evangelistæ, quia vesperam diei 14. qua immolabatur agnus paschalis, nectunt cum postero mane die 15. quasi unum eumdemque diem festum (festa enim ab Hebræis inchoabantur a vespera pridiana, & durabant ad vesperam postridianam, uti etiamnum fit in Vesperis officii Ecclesiastici:) hinc dicunt Christum celebrasse Pascha & Eucharistiam primo die azymorum, id est, 14. die mensis ad vesperam, quia hæc erat inchoatio festi: vespera enim hæc erat confinium diei 14. & diei 15. finiebatur enim in ea dies 14. & incipiebat dies 15. quare ad utrumque diem pertinebat. Unde si eam accipias ut finem diei 14. censenda est ipsa esse ante diem 15. sive ante diem festum Paschæ, hoc est, ante primum diem azymorum. Sin vero eamdem accipias ut initium festi postridie 15. celebrandi, sic ipsa pertinebat ad diem 15. vocabaturque dies 15. sive prima dies azymorum, uti eam vocant tres cæteri Evangelistæ, sicut dixit Matth. 26. 17.

SCIENS JESUS QUIA VENIT HORA EJUS, UT (per crucem, & mortem) TRANSEAT EX HOC MUNDO AD PATREM] Alludit ad nomen paschæ, pascha enim idem est quod transitus, vel potius transultus, ut dixi Exodi 12. q. d. Sciens Jesus jam esse pascha, id est festum transitus, quo Hebræi olim duce Mose, exierunt ex Ægypto, & transierunt in terram promissam per immolationem agni (hujus enim sanguine liberati sunt ab angelo percutiente Ægyptios) quæ erat typus immolationis suæ futuræ in cruce, per quam ex hoc mundo transiturus erat in cælum, & rediturus ad patrem in die ascensionis suæ, ita ut nos eodem faceret transire, & post mortem ex mundo salire in cælum: hoc, inquam, sciens, ipse ad hunc diem se comparavit per actus heroicos summæ humilitatis, qua pedes discipulorum lavit, & summæ charitatis, qua Eucharistiam instituit. Hisce enim se comparavit ad mortem, & disposuit ad martyrium, ut nos doceret idem facere, scilicet sub finem vitæ multiplicare & intendere actus virtutum, præsertim humilitatis, & charitatis, idque Primo, quia decet nos quotidie cum vita crescere & proficere, uti in annis, sic & in virtutibus, ultimosque vitæ dies & horas sanctissime transigere, ac cælitum (ad quos aspiramus & contendimus) vitam, cogitationes & mores inchoare, sicut motus naturales eo velociores sunt, quo magis ad terminum suum appropinquant, v. g. lapis sua gravitate eo velocius descendit, quo magis appropinquat ad suum centrum. Ch. lavit pedes discipulorum ex Resp. primo.

Secundo, quia decet nos fratribus, sociis, amicis, totique mundo, cum ex eo abimus, magnum virtutis exemplum relinquere. Tenacius enim ea inhærent animis amicorum, quæ adeuntes, vel morientes eis facimus & exhibemus. F

Tertio, quia decet nos hac ratione ad generosam mortem, ac subinde ad martyrium præparari, illudque quasi a Deo emereri. *Sic S.* Laurentius biduo ante martyrium ad illud se comparavit, lavando pedes pauperum, eisque thesauros Ecclesiæ, juxta S. Sixti Pontificis mandatum, distribuendo: atque hæc fuit illi occasio, imo causa, & meritum martyrii tam glorioli. Idem fecere SS. Marius, & Martha conjuges, eorumque filii Abacum, & Audifax Persæ, qui Romam venientes, ac visitantes Martyres carceri inclusos, eorumque pedes lavantes, & alimenta ministrantes, meruere & ipsi illustrem martyrii agonem. G *Sic* S. Cyriacus, Largus, maragdus & Sisinnius Diaconi, servientes decem millibus militum Christianorum, ac postea Martyrum, qui a Maximiano Imper. damnati erant ad convehenda saxa, portandam arenam, parandam calcem, &c. pro fabrica thermarum Diocletiani Imper. ac senum onera humeris suis gestantes, eisque eleemosynas a S. Marcello Pontifice, & Thrasone viro divite submissas afferentes & distribuentes, nobilem martyrii lauream in præmium adepti sunt, ut patet ex eorum actis apud Surium.

Porro aliter fideles & pii transeunt ab hoc mundo, aliter infideles. Nam, ut ait S. Aug. tract. 55. *Aliud est transire de mundo, aliud transire cum mundo: aliud ad Patrem, aliud ad hostem. Nam & Ægyptii transierunt: non enim persequendo manserunt; non tamen per transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum.*

CUM DILEXISSET SUOS (fideles, & domesticos, puta Apostolos, quibus mox pedes lavit) QUI ERANT IN MUNDO] Cyrillus putat hoc addi ad distinctionem angelorum, qui sunt in cælo, non in mundo, id est in terra: S. Chrys. vero, Theoph. & Euthym. ad distinctionem Patriarcharum & Prophetarum, qui jam non erant in mundo, sed limbo, utpote vita functi. Germanius & aptius referas ad id, quod præcessit: *Ut transeat ex hoc mundo*, q. d. Jesus transiturus ex hoc mundo, cum in mundo, id est, in tot tantisque mundi ærumnis, periculis, persecutionibus, post se relicturus esset Apostolos filios suos dilectissimos; hinc eorum misertus, antequam abiret, summam in eos dilectionem ostendit, ac summum contra omnes mundi tribulationes remedium dedit, nimirum Eucharistiam, ut in ea ipse præsens illis semper adesset, eosque contra omnia adversa muniret & roboraret. H

IN FINEM DILEXIT EOS] *In finem*, scilicet vitæ, id est, usque ad mortem, ait Cyrillus, S. August. & Rupert. sive *semper*, ut explicat S. Chrysostomus homil. 69. & ex eo Ribera. Unde Nonnus: *Cum suos socios*, inquit, *dilexisset ab initio, sic dilexit & ad finem*, Æthiopicus, *in sempiternum*. In finem quid?

Secundo, *in finem*, scilicet amoris & dilectionis, q. d.

Extre-

A Extrēmo amore, & ſumme dilexit eos: ut Græcum τέλος, id eſt finis, ponatur pro τελείωσις, id eſt perfectio, uti explicant S. Chryſ. Leont. Theoph. Accedit Euthymius, qui *in finem* exponit *vehementer*: τέλος enim eſt rei finis, ultimum, extremum & ſummum, ſumma perfectio, exitus, conſummatio, apex & culmen. q.d. Chriſtus hactenus valde dilexit diſcipulos ſuos, ſed jam ab eis abiturus & tranſiturus ad Patrem, perfectiſſimum amorem eis oſtendit, lavando eis pedes, Euchariſtiam inſtituendo, & ardentiſſima charitate eos exhortando, & inflammando ad Dei amorem, conſtantiam, omnemque virtutem. Prior ſenſus planior eſt & ſimplicior, ideoque Primo a Chriſto intentus; poſterior vero ſignificantior, & prægnantior, ideoque eum comitanter hic innuit & intendit Chriſtus, ita Tolet. Significat enim tantum fuiſſe ſuum erga diſcipulos amorem, ut licet ſciret ſibi inſtare atrociſſimam mortem; tamen ejus quaſi oblitus, totum ſe in amorem & obſequium diſcipulorum effuderit. Quocirca S. Thom. opuſc. 57. loquens de inſtitutione Euchariſtiæ ex ſummo Chriſti amore, ait: *Unde ut arctius charitatis hujus immensitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna,*

B *quando paſcha cum diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tamquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipſo factorum maximum, & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare.*

Chriſtus eſt finis. Symbolice, S. Aug. & Beda per finem accipiunt Chriſtum. Chriſtus enim *eſt finis legis*. Rom. 10. 4. Dilexit ergo ipſe ſuos *in finem*, id eſt, propter ſe, aut ſuam gloriam illis communicando. Audi S. Aug. *In finem dilexit, ut & ipſi de hoc mundo ad ſuum caput dilectione tranſirent, quid eſt enim in finem, niſi in Chriſtum? finis enim legis Chriſtus, finis perficiens, non interficiens; vel in finem, id eſt, uſque ad mortem, non tamen dilectionem morte finivit; vel uſque ad mortem dilexit, id eſt, uſque ad mortem dilectio ipſa illũ perduxit.* Et Interl. dilexit ſuos in finem, inquit, nimirum pro eis moriens, ut ejus dilectione ipſi tranſirent de mundo.

Vers. 2 Et coena facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas (filius) Simonis Iscariotæ] q.d. Peracta cœna agni legalis, item cœna communi, ante cœnam ſacram, id eſt, ante inſtitutionem Euchariſtiæ, Chriſtus lavit diſcipulorum pedes. Volebat

C enim hac lotione oſtendere, quanta puritate & humilitate accedendum ſit ad Euchariſtiam. Nota. Chriſtus hic triplicem cœnavit cœnam cum Apoſtolis. Prima fuit cæremonialis, qua comedit agnum paſchalem. Secunda, fuit communis, ſive uſualis: quia enim in amplis familiis multarum & edacium perſonarum, agnus non ſufficiebat ad explendam omnium famem, hinc poſt ejus eſum ſuccedebat cœna communis, qua alias carnes & cibos more aliorum dierum comedebant. Tertia fuit cœna Euchariſtiæ. Itaque Chriſtus poſt duas priores cœnas, ante hanc tertiam lavit Apoſtolorum pedes, ob cauſam jam dictam. Unde liquet lotionem hanc pedum factam a Chriſto, non fuiſſe illam communem & uſitatam apud Judæos & Gentiles, qua hoſpitibus & convivis, ante convivium, pedes (iis enim nudis incedebant) lavare ſolebant, ſed fuiſſe lotionem Sacramentalem, qua ſcilicet Chriſtus diſcipulos præparabat ad Euchariſtiam ſumendam: Chriſtus enim lotionem communem traduxit ad lotionem cæremonialem & ſacram. Perperam ergo nonnulli ex hoc loco arbitrantur, Chriſtum laviſſe pedes diſcipulis poſt Euchariſtiam, ante ſermonem illum prolixum, quem poſt eam ad ipſos habuit, uti ſubdit Joannes. Ita arbitratus eſt

D S. Cyprianus (vel quiſquis eſt auctor) tract. de Ablut. pedum: *Jam*, inquit, *Sacramenta corporis ſui Apoſtolis Dominus diſtribuerat, jam exierat Judas, cum repente de menſa ſurgens, linteo ſe præcinxit, & ad genua Petri lavaturus pedes ejus, ipſe genibus flexis Dominus, ſervo conſummatæ humilitatis obtulit famulatum.*

Cum diabolus, &c.] q.d. Cum Chriſtus jam prodendus eſſet a Juda, ſuaſu diaboli, & occidendus a Judæis, voluit Chriſtus ante mortem ſibi inſtantem, ſui memoriale perpetuum nobis relinquere, ſcilicet Euchariſtiam, quæ ejus paſſionem, & mortem pro nobis obitam, jugiter in memoriam revocaret, itaque nos in ejus amorem vicarium accenderet. Secundo, meminit Joannes proditionis Judæ, ut Chriſti eximiam humilitatem, patientiam, & charitatem exaggeraret, q.d. Chriſtus cum jam ſciret ſe venditum, & mox prodendum a Juda, adeo tamen in amore diſcipulorum perſtitit, ut eis, imo ipſi Judæ, pedes lavare voluerit. Ita S. Cyrill. Chryſ. Auguſt. Theoph. Euthym. & Rupertus. Dicit autem diabolum prodicionem hanc *immiſiſſe* in cor Judæ, ut ejus *indignitatem*, & atrocitatem ſignificet, ſcilicet eam fuiſſe tantam, ut non niſi diaboli opus eſſe potuerit. E

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, Vers. 3. et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit] Primo, q.d. Cum ſciret Chriſtus ſe eſſe talem & tantum, ut omnia haberet in ſua poteſtate, imo ſe eſſe verum Deum de Deo vero, ac uti a Deo exierat, ſic ad Deum mox rediturum, & ſeſſurum a dextris Dei; tamen adeo ſe demiſit, & humiliavit, ut genu flexo voluerit lavare pedes diſcipulis ſuis, imo ipſimet Judæ proditori ſuo. Ita Cyrill. Aug. Beda & S. Greg. l. 3. Moral. c. 12. Addit Maldonat. Chriſtum ſciviſſe omnia ſibi a Patre tradita eſſe, id eſt, jam ſibi licere ex Patris præſcripto perficere omnia, quæ ſibi commiſiſſet; ante non licuiſſe ſibi mori, quia tempus a Patre conſtitutum nondum advenerat, jam veniſſe tempus, quo omnia ſibi conceſſiſſet, omnia ſibi licere agere, quæ ad hominum redemptionem pertinerent, tale autem erat lavare pedes diſcipulis, ideoque eos lavare voluit.

Secundo, aptius & efficacius, Joannes hic aſſignat tria F motiva, ſive tres cauſas, quæ Chriſtum impulerunt ad hanc lotionem pedum diſcipulorum. Prima eſt, quia *omnia dedit ei Pater in manus*, id eſt, quia Pater ei credidit hominum ſalutem, ejuſque omnimodam curam ei tradidit, & commiſit: hæc enim eum incitavit, ut ſtupenda hæc ſummæ humilitatis, & charitatis opera hominibus ante diſceſſum ſuum ederet, & imitanda relinqueret. Quid ſit Chriſto omnia a Patre eſſe tradita, dixi Matth. 11. 27.

Tres cauſæ lotionis pedum Chriſti. Primo.

Altera cauſa fuit, quia *a Deo exivit*. q.d. Decuit, Secundo. ut Chriſtus Filius Deo Patri ſummam hac lotione charitatem & reverentiam exhiberet: nulla enim re magis honoratur & delectatur Deus, quam humilitate noſtra. Humilitas ergo eſt ſumma laus Dei.

Tertia fuit, *quia ad Deum vadit*. q.d. Sciebat Chriſtus inſtare ſibi mortem, & ultimum vitæ actum pro ſalute hominum, qui debet eſſe excellentiſſimus, & ſummæ virtutis, quare ſummum hic humilitatis, & charitatis actum edere, & poſteris quaſi teſtamento relinquere voluit. Ita Toletus. Tertio.

Surgit a coena, et ponit vestimenta sua: et Vers. 4. cum accepisset linteum, præcinxit se] Joannes G ſigillatim omnes lotionis Chriſti actus, conditiones, & circumſtantias recenſet, ut oſtendat quam Chriſtus in hoc opere, uti & cæteris omnibus, fuerit attentus, ſedulus, exactus, eximius, ſervanſque τὸ πρέπον id eſt decorum, ut nos idem doceret facere etiam in rebus minimis, juxta illud: *In omnibus operibus tuis præcellens eſto*, Eccli. 33. 23.

Ponit vestimenta sua] ſcilicet extimam tunicam; retenta interiore, ne corpus nudaret; aut potius veſtem cœnatoriam, quam ſupra veſtem communem cœnaturi de more aſſumebant; græcum enim eſt ἱμάτια, i.e. *veſtes extimas*, hoc eſt veſtem extimam, qualis eſt toga, vel pallium. Eſt enallage numeri, quia ponitur numerus pluralis pro ſingulari.

Præcinxit se] linteo, tum ne veſtes ſuas ſordidaret, tum ut expeditior eſſet ad opus lavandi, tum ut & pedes ablutos extergeret, tum ut ad ſervile hoc miniſterium ſervilem habitum, & veſtem congruam aſſumeret, itaque plane ſe dimitteret & humiliaret. *Quod autem mirum*, ait S. Aug. *ſi ſurrexerit a cœna, & poſuerit veſtimenta ſua, qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit?* Humilitas H enim eſt propria Chriſti & Chriſtianorum virtus. Humilitas eſt virtutum theſaurophylacium, ait S. Baſil. cap. 16. Conſtit. Humilitas eſt Chriſtianiſmi ſignum, ait S. Macarius hom. 15. quo qui caret, vas eſt diaboli: humilitas eſt ſabura virtutum.

Audi S. Aug. in Pſ. 23. conc. 1. *Quod David proſtravit Goliam, Chriſtus eſt, qui occidit diabolum. Quid eſt autem Chriſtus, qui diabolum occidit? Humilitas occidit ſuperbiam. Cum ergo Chriſtum nomino, fratres mei, maxime nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per ſuperbiam receſſeramus a Deo: redire ad eum niſi per humilitatem non poteramus, & quem nobis præponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum ſuperbia tumuerat. Et ſi exiſteret aliquis humilis vir in ſpiritu, ſicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem. Deus factus eſt humilis, ut vel ſic ſuperbia generis humani non dedignaretur ſequi veſtigia Dei.*

Digitized by Google

A DEINDE MITTIT AQUAM IN PELVIM, ET COEPIT LAVARE PEDES DISCIPULORUM, ET EXTERGERE LINTEO, QUO ERAT PRÆCINCTUS] Notant S. Chryſoſt. Theoph. & Euthym. Chriſtum hæc omnia per ſe ſolum, ſine alicujus ope vel miniſterio feciſſe, ut nos erudiat quam ſedulo, accurate & ſtudioſe aliis ſervire debeamus. Addit Euthym. Chriſtum per ſe ab hero domus pelvim petiviſſe, aquam hauſiſſe & bajulaſſe. *Quid mirum*, ait S. Aug. tr. 55. *ſi miſit aquam in pelvim, unde lavaret pedes diſcipulorum, qui in terram ſanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? quid mirum, ſi linteo, quo erat præcinctus, pedes, quos laverat, verſit, qui carne, qua erat indutus, Evangeliſtarum veſtigia confirmavit?*

Symbolice S. Ambr. prolog. l. 1. de Spiritus S. *Hæc erat aqua*, inquit, *vas ille cæleſtis; hoc prophetabatur, quod vas illo cæleſti diſcipulorum ſuorum Dominus Jeſus pedes lavaret.* Et mox: *Veni ergo Domine Jeſu, exue te veſtimentata, quæ præterrum induiſti, eſto nudus, ut nos miſericordia tua veſtias. Præcinge te propter nos linteo, ut nos tui muneris immortalitate præcingas. Mitte aquam in pelvim, lava non ſolum pedes, ſed etiam caput. Nec ſolum corporis noſtri, ſed etiam mentis veſtigia velo exuere, omnes noſtræ ſordes fragilitatis, ut & ego dicam: Nolle exuit tunicam meam, quomodo induam eam? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. Videibi dicta.

B

VERS. 6. VENIT ERGO AD SIMONEM PETRUM] ut ſcilicet a Petro, quaſi a capite, & primate Apoſtolorum, uti alias, ita & hic lotionem inciperet. Si enim potius venſſet ad alios Apoſtolos; utique illi hanc Domini ſui tantam, tamque inſolitam demiſſionem recuſarent, æque ac Petrus, ſed cum Petrum a Chriſto reprehenſum acquieſcere viderunt, acquieverunt deinde & ipſi, ſibique pedes a Chriſto lavari permiſerunt, ita S. Aug. Beda, Rupert. Maldonatus & alii.

Tropolog. indicat hic Chriſtus viſitationem, & reformationem a capite, & iis qui præſunt, inchoandam eſſe, ſic enim fideles eis ſubditos facile licebit reformare. Orig. tamen & Leont. cenſent Petrum in hac lotione fuiſſe ultimum, idem cum Chryſoſt. Theoph. Euthym. opinantur Chriſtum primo omnium laviſſe pedes Judæ, ut eum emolliret, & a ſcelere proditionis revocaret, utque nobis daret exemplum amoris inimicorum, ut maleficia beneficiis compenſemus, ipſiſque eo magis benefaciamus, quo magis ipſos in nos maleficos ſentimus.

C

ET DICIT EI PETRUS: DOMINE TU LAVAS MIHI PEDES?] id eſt; lavare paras. Significatur actio inchoata, vel potius deſtinata: necdum enim Chriſtus lavare cœperat. Dicit hoc Petrus ſtupens, & admirans tantam Chriſti humilitatem, ex profunda ejus reverentia, ait Cyrill. unde verba ejus ſingula habent emphaſin. *Tu*, qui es Rex regum, & Dominus dominantium, *mihi*, qui ſum vilis piſcator, & terræ vermiculus, *lavas* manibus tuis benedictis, *pedes* meos lutulentos, ſpurcos & fœtidos. *Cogitanda ſunt hæc*, ait Aug. *potius quam dicenda: ne forte quod ex iis verbis aliquatenus dignum concepit anima, non explicet lingua.*

VERS. 7. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: QUOD EGO FACIO, TU NESCIS MODO, SCIES AUTEM POSTEA] Significat Chriſtus in hac lotione pedum occulta latere myſteria, quæ Petrus necdum cognoſcebat. *Petrus*, ait S. Ambr. lib. de his qui initiantur c. 6. *non advertit myſterium, & ideo miniſterium recuſavit, quod gravari humilitatem ſervi crederet, ſi ſibi obſequium Domini patienter admitteret.* Ait ergo

D Chriſtus: Hoc myſterium modo neſcis, ſed ſcies poſtea. Scilicet Primo, cum paulo poſt v. 14. dicam me hoc facere, ut tibi & Apoſtolis, cæteriſque fidelibus dem exemplum ſummæ humilitatis & charitatis, quod imitemini. ita Cyrill.

Secundo, quia hac lotione ſignificatur pœnitentia, quæ præmitti debet Euchariſtiæ, uti tu, o Petre, intelliges poſt miſſionem Spiritus S. ipſe enim vos docebit omnia. Ita S. Cypr. tract. de Cœna Dom. S. Pacian. epiſt. 1. contra Novat. S. Greg. l. 9. ep. 39. idque inſinuant quoque S. Aug. & Bern. In hujus rei ſymbolo ſacerdotes Aaronici ingredientes templum ad ſacra faciendum, lavabant manus & pedes in labro æneo, ad hoc erecto ante Sanctum, idque puritatis corporalis cauſa, ut per illam puritatis ſpiritualis in mente admonerentur, Exod. 30. 19.

Lotio pedum ante Sacramentum? Reſp. Primo.

Peculiaris eſt hic S. Amb. qui l. 3. de Sacram. c. 1. & lib. de his qui initiantur, c. 6. cenſet hanc corporalem pedum ablutionem omnibus fidelibus eſſe neceſſariam ante baptiſmum, ut per eam præparentur ad S. Synaxim, ſicut ad eamdem Chriſtus hic præparavit Apoſtolos pedes eis abluendo. Quare hanc pedum lotionem eſſe Sacramentale quippiam, ſive ritum ſacrum a Chriſto hic ſancitum, quo contra diaboli ſupplantationem muniamur. Hinc ipſe inter alias baptiſmi cæremonias, ſive ritus, annumerat pedum lotionem: unde illa in uſu fuit Mediolani, ut mox dicam. Hinc & S. Bern. ſerm. de Cœna Dom. hanc pedum ablutionem vocat Sacramentum, innuitque eam valere ad remiſſionem peccatorum venialium: *Nam ut de remiſſione quotidianorum non dubitemus*, inquit, *habemus ejus ſacramentum, pedum ablutionem.* Sed S. Bern. ibi per *ſacramentum* intelligit ſymbolum, typum, figuram, ſignificationem myſticam, ut ipſe paulo poſt explicat, de quo mox plura.

E

Symbol. Origen. & S. Hier. ep. ad Damaſum de prima viſione Haiæ cenſent Chriſtum laviſſe pedes Apoſtolis, ut eos præpararet in prædicationem Evangelii, jurta illud: *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Iſaiæ 52. 7. Rom. 10. 15.

Secundo, S. Amb. de iis qui initiantur myſter. c. 6. cenſet Chriſtum in baptiſmo abluere peccata actualia, abluendo caput; hic vero abluendo pedes, abluiſſe reliquias peccati originalis, id eſt, motus concupiſcentiæ: hæc enim lotiones pedes, id eſt affectus eorum, roboraſſe, ut cupiditatibus generoſe reſiſtant.

F

Tertio, S. Aug. & S. Bern. de Cœna Dom. Pedibus, inquit, quibus terram calcamus, ſignificantur terreni amores, ſordes & defectus, qui, dum in terra, id eſt, inter res terrenas, converſamur, veluti pulvis aut lutum noſtris pedibus, id eſt affectibus, adhæreſcunt, quos abluere oportet per lacrymas & pœnitentiam, præſertim ante ſanctam Communionem.

Quarto, S. Cyprian. de Cœna Domini, & S. Greg. l. 9. ep. 39. Pedum, inquit, qui ſunt infima & ultima pars hominis, lotio ſignificat non tantum exteriora opera nobis eſſe ſcrutanda, ſed deſcendendum nobis eſſe in imas & intimas conſcientiæ latebras, easque ab omni occulta macula, & prava intentione eſſe expurgandas, per contritionem, lacrymas & gemitus.

Ex hac Chriſti lotione pedum manavit conſuetudo Mediolani, & in nonnullis aliis Eccleſiis, ut baptizandis pedes abluerentur ab Epiſcopo, ac deinde a ſacerdotibus & clericis, in fonte, qui ad hoc erectus erat ante fores Eccleſiæ; Epiſcopus deinde pedes a ſe ablutos oſculabatur, & poſterior pars pedis imi ſuper Epiſcopi caput imponebatur. Hunc morem refert & defendit S. Ambr. l. 3. de Sacram. c. 1. dicitque eum a Petro & Chriſto hoc loco manaſſe, unde miratur eum in Eccleſia Romana non ſervari. Et Concil. Toletan. XVII. cap. 3. ſancit, ut Epiſcopi & ſacerdotes lavent pedes fidelium in Cœna Domini, ad exemplum Chriſti, jubetque revocari ejus uſum intermiſſum. Hoc autem Concilium celebratum fuit æra 732. hoc eſt anno Chriſti 694.

Mos lavandi pedes baptizatorum in Mediolanenſi Eccleſia.

G

Cauſam hujus lotionis myſticam aſſerit idem Ambroſ. lib. de initiandis c. 6. dicens: *Mundus erat Petrus, ſed plantam lavare debebat: habebat enim primi hominis de ſucceſſione peccatum, quando eum ſupplantavit ſerpens, & perſuaſit errorem: ideo plantæ ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur.* alludit ad illud Dei ad ſerpentem de homine: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*, Gen. 3. 15. Idem Ambr. l. 3. de Sacram. c. 1. *Quia Adam*, ait, *ſupplantatus a diabolo eſt, & venenum ei effuſum eſt ſuprapedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat, quo poſtea te ſupplantare non poſſit. Lavas ergo pedes, ut laves venena ſerpentis. Ad humilitatem quoque profecit, ut in myſterio non erubeſcamus, quod non dedignamur in obſequio.*

H

Alia cauſa magis litteralis eſt, quia baptizandi olim nudis pedibus incedebant, ut humilitatem præ ſe ferrent. Unde hæc nuditas vocatur humilitas pedum a S. Auguſt. l. 2. de Symbolo ad catech. c. 1. quare ſordes nudis pedibus contractas abluebant. Hic mos a Mediolanenſi Eccleſia ad alias manavit, ut patet ex S. Aug. epiſt. 118. ad Januarium, & ep. 119. Unde & Palladius in Lauſiaca c. 73. narrat Serapionem Sindonitam duos mimos convertiſſe, eiſque pedes abluiſſe, ac deinde eos baptizaſſe, poſtea vero, quia nonnulli putabant hanc ablutionem pedum ad ſalutem ſufficere, nec opus eſſe baptiſmo, hinc ablutio illa vetita fuit in Concilio Elibertino cap. 48. Eccleſia tamen Mediolanenſis in ſua conſuetudine pedes abluendi perſtitit; abluere autem pedes baptizandorum ſolebat die Jovis ſancto, eadem die qua Chriſtus lavit pedes Apoſtolorum, ac deinde Vigilia Paſchatis eoſdem baptizabat. Poſtea cœperunt pedes abluere poſt baptiſmum, ipſo ſabbato ſancto. Verum quia hæc ablutio pedum

clero-

A derogare videbatur baptismo : quasi ipse non omnem culpam & pœnam peccatorum aboleret, sed pro venialibus abolendis opus adhuc esset ablutione pedum : hac de causa Concilium Elibertinum in Hispania ritum hunc abluendi pedes sustulit. ita Gabriel Vasquez 3.p.tr. de Baptis. disp. 166. c. 5. in fine. Ubi & addit in Hispania ritum hunc abluendi pedes viguisse, alioqui enim illum ibidem non vetuisset Concil. Elibertinum. Fusc de hoc ablutionis pedum ritu agit Josephus Vicecomes l. 3. de Ritibus Baptismi c. 17. & seq. omniaque a me dicta confirmat, & probat. Porro ex S. Aug. epist. 119. liquet baptizandos die Jovis sancto non solum pedes, sed & totum corpus abluisse, ut sordes corporis jejunio quadragesimali contractas abluerent, itaque se ad baptismum sabbato sancto decenter suscipiendum disponerent, ne corpore immundo & sordido illum susciperent. Rursum apud varios, imo apud eosdem, variis temporibus varius erat abluendi mos. Alii enim ante baptismum, alii post eum, alii tam ante, quam post abluebant: alii pedes dumtaxat, alii pedes & totum corpus: nunc autem hæc omnia cessant, jam diu enim hic abluendi ritus exolevit, uti notat Vasquez.

B Hinc rursum Mediolani eodem die Jovis sancto, Episcopus multis e clero Christi exemplo pedes lavabat. Idem faciunt Superiores in multis Capitulis, & monasteriis. Imo Romanus Pontifex quotannis eodem die, ut hanc lotionem Christi repræsentet, solet duodecim pauperibus manibus propriis pedes abluere, eosque deinde nova veste donare, & convivio excipere.

VERS. 8. DICIT EI PETRUS : NON LAVABIS MIHI PEDES IN ÆTERNUM] Origen. accusat Petrum protervæ audaciæ & inobedientiæ: sed recte excusat eum S. August. tract. 56. quod hæc ejus vox processerit a summa fide, reverentia, timore, humilitate, & dilectione, q.d. Ego sum vilis homuncio, tu es rex gloriæ, & Dominus majestatis: quare non patiar te mihi lavare pedes. *Ego* (sunt verba Cypriani tract. de Ablut. pedum) *si oportuerit me mori tecum, paratus sum; hoc enim debeo, hoc amplector. Pro te libenter cervicem porrigo percussori; sed Deum meum, & Dominum meum ad pedes meos prostratum non patior, non audeo sustinere.*

Resistit Petrus lotioni pedum suorum.

RESPONDIT EI JESUS : SI NON LAVERO TE, NON HABEBIS PARTEM MECUM] C Primo S. August. hoc mystice accipit, q.d. Nisi per pœnitentiam (quam lotio pedum repræsentat & excitat) lavero peccata tua venialia, non dabo tibi Eucharistiam, quam jam instituere paro, nec ingredieris cælum, quia nil coinquinatum in illud ingreditur. Sic & S. Cypr. tract. de Ablutione pedum.

Secundo, S. Chrys. & Cyrill. q.d. Nisi susceperis humilitatis documentum, quod ego hac lotione pedum tibi trado, non habebis partem mecum: quia soli humiles Dei gratiam & gloriam nanciscuntur.

Tertio, genuine ad litteram, q.d. Si, o Petre, te mihi resistentem non lavero, id est, si obstinate persistas in inobedientia, ut nolis tibi a me lavari pedes, tu quia inobediens, non habebis partem mecum, id est, non communicabis mecum in mensa Eucharistica, non dabo tibi partem panis consecrandi in corpus meum, a sacra Synaxi te excludam, non habebo te familiarem, & mensæ sacræ socium. Minatur enim Christus Petro privationem suæ familiaritatis & Eucharistiæ, non autem gratiæ & gloriæ; licet enim ægrius Petrus obediret, id tamen erat ex profunda humilitate, & reverentia, ideoque venia dignum; ita Toletus, qui & rationem addit: Minatur, D inquit, Petro, quod non sit ei daturus Eucharistiam, per quam Christus in eo, & ipse in Christo mansurus erat: ad hoc enim præcipue lavabat ipsorum pedes, ut dispositis, & mundis seipsum in cibum daret, & realiter cum eis uniretur, & hoc est, quod Petro comminatur. Si non te lavero, non eris particeps mei: nam convivium mei ipsius modo præparo, iis solis, quos lavero, daturus. Petrus verbum hoc distincte non intellexit, tunc quando prolatum est, sed id tantum concepit nihil se cum Christo habiturum commune, ab eoque se separandum, nisi lotus fuisset; quod quidem magna erat pœna: postea tamen rei mysterium cognovit. Similis phrasis est 3. Reg. 12. 16. ubi populus offensus sævitia Roboam ait, *Quæ nobis pars in David, vel quæ hereditas in filio Isai?* q.d. Nolumus deinceps amici, familiares, & subditi esse familiæ Davidis, sed alium nobis creabimus regem.

Ita S. Basil. orat. de peccato: *Hanc ob rem*, inquit, *a Christo in Petrum ejusmodi jacta sunt mina, ut nisi promptitudine ac velocitate obedientiæ voluntatem suam corresset, non illi illæ beatitudines a Deo in eum profectæ, non dona, non promissiones, non etiam illa ipsa Dei, & Patris talis ac tantæ erga unigenitum filium propensa voluntatis declaratio sufficissent ad præsentem inobedientiam expiandam.* E

Hinc idem S. Basil. ex hoc loco duas insignes colligit regulas moral. reg. 12. c. 2. Prima est. *Qui jussis Domini adversatur, licet id pio & amico animo faciat, is tamen ob eam causam abalienatur a Domino.* Altera est: *Quod quidquid a Domino dicatur, id summa cum animi expletione debemus suscipere.*

Porro ex hoc loco S. Ambr. putavit lotionem pedum omnibus fidelibus esse necessariam in baptismo, quasi præparationem & dispositionem ad Eucharistiam a Christo sanciram, uti dixi v. 7.

DICIT EI SIMON PETRUS : DOMINE NON TANTUM PEDES MEOS, SED ET MANUS, ET CAPUT] Petrus ictus hac Christi comminatione, quasi fulmine, illico Christo obedit, ac plura, quam Christus postularat, offert, scilicet manus, & caput, quæ alias subinde lavari solent. Hinc S. Basilius in Regul. brevior. resp. 60. utilem dat regulam: *Rescindendum*, inquit, *est quidquid præter præceptum Domini ante statutum est. Hoc aperte demonstrat in Apostolo Petro, qui ante statuerat: Non lavabis mihi pedes in æternum; ubi vero affirmative audivit Dominum dixisse: Nisi lavero te, non habebis partem mecum; confestim sententiam mutavit, & dixit: Domine non tantum pedes, sed & manus.* VERS. 9. F

Obedientiæ cæteris virtutibus præferenda.

Rursum Basil. resp. 233. ex hoc loco docet obedientiam cæteris virtutibus esse præferendam. Petrus, ait, cum ei talium ac tantorum recte factorum testimonium a Domino fuisset datum, atque eo modo appellatus, & beatus laudatus, ubi una tantum in re, ab obedientia visus est discedere, atque hoc ipsum non ex negligentia superbiave, sed ex reverentia honoreque erga Dominum suum, propter hoc ipsum tantum ei dicitur: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.*

DICIT EI JESUS: QUI LOTUS EST, NON INDIGET, NISI UT PEDES LAVET, SED EST MUNDUS TOTUS] Nota, Christum hic alludere ad eos, qui se lavant in balneis, qui toti quidem loti & mundi ex eis exeunt; sed quia pedibus nudis terram calcant, itaque pedes inquinant, idcirco eos tantum deinde lavant. Nota Secundo, Christum per anagogen, hic more suo a lotione corporali ad spiritualem assurgere. q. d. Qui lotus est spiritaliter per baptismum, quo ego vos, o Apostoli, ablui, aut qui lotus est per contritionem & pœnitentiam, hic totus est mundus in anima, sed tamen indiget ut solos pedes lavet, id est, ut animi affectus, qui ex terrenarum rerum, in quibus versantur, contagio subinde maculantur, & leves sordes contrahunt, sæpe expurget per contritionem, castigationem corporis, & similes virtutes (quarum hæc lotio mea est symbolum) præsertim ante sacram Synaxim & sumptionem Eucharistiæ. Sic fere S. Augustin. Beda, Rupert. & S. Bern. serm. in Cœna Domini: quem audi: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est intentio, & manus, id est operatio & conversatio, munda est, sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradiuntur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati, plusquam oporteat, cedat animus vel ad horam. In multis enim offendimus omnes. Verumtamen nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui* H *nisi per Christum Jesum, & a Christo.* VERS. 10. G

Igitur Christus hac lotione pedum expurgavit Petri, & Apostolorum peccata, venialia præsertim, quia per illam, ac per tantam suam dimissionem compunxit eorum mentes, eosque admonuit internæ lotionis per contritionem faciendæ in anima, per quam venialia peccata expiantur.

Hac de causa sacerdotes in veteri testamento lavabant pedes & manus ante sacrificium, uti jam dixi. Idem fecere Gentiles multi, quos recensct Brissonius l. 1. de Formulis Rom. p. 4. Idem olim fecere Judæi, ut patet Marc. 7. 4. & etiamnum faciunt.

Denique S. Aug. ep. 108. ad Seleucianum, τὸ *qui lotus est*, probabiliter colligit Petrum, & Apostolos ante Eucharistiam fuisse baptizatos: tum quia nemo capax est Eucharistiæ, nisi baptizatus: tum quia ante mortem Christus eos baptizavit: nam post mortem neminem baptizavit: constat autem ipsos omnes a Christo, v

Digitized by Google

A immediate, vel mediate fuiſſe baptizatos. Denique *ὁ λελουμένος* proprie lotionem, quæ fit in baptiſmo, notare videtur.

ET VOS MUNDI ESTIS, SED NON OMNES] Tacite Chriſtus pungit Judam, ut a ſua proditionis machinatione & ſcelere reſipiſcat; noluit tamen eum nominare, ne infamaret, & ne Apoſtoli in eum ut proditorem inſurgerent; eumque male tractarent.

VERS. 11 SCIEBAT ENIM QUISNAM ESSET QUI TRADERET EUM: PROPTEREA DIXIT: NON ESTIS MUNDI OMNES] Hinc S. Aug. l. 2. contra Peril. c. 22. colligit Judam tum præſentem fuiſſe, ac proinde a Chriſto lotum S. Synaxim ſumpſiſſe, licet S. Cypr. tr. de Ablut. pedum neget Judam lotioni, & conſequenter Euchariſtiæ interfuiſſe.

VERS. 13 VOS VOCATIS ME MAGISTER ET DOMINE; ET BENE DICITIS: SUM ETENIM] *Magiſter & Domine*. Chriſtus non tantum qua Deus, ſed etiam qua homo erat magiſter & dominus omnium hominum & totius mundi, nec tantum exterius loquendo docebat, uti faciunt communes magiſtri, ſed interius mentes illuminabat, & voluntatem quocumque vellet impellebat, unde ipſe ſolus perfectus, cæleſtis & divinus eſt magiſter, uti

B ipſe ait Matth. 23. 10. Vide ibi dicta.

VERS. 15 EXEMPLUM ENIM DEDI VOBIS, UT QUEMADMODUM EGO FECI VOBIS, ITA ET VOS FACIATIS] non mihi, utpote jam eunti ad mortem, ſed aliis proximis veſtris, cum neceſſitas aut pietas id exiget, v. g. cum hoſpites peregre veniunt. Nam, ut ait S. Greg. præfat. in lib. Dialog. *ad amorem patriæ cæleſtis plus exempla quam prædicamenta ſuccendunt*. Unde *Jeſus cœpit* Primo *facere*, deinde *docere*. Act. 1. v. 1. pluſque docuit facto, quam verbo. Hinc S. Baſil. l. 1. Moral. regul. 70. c. 10. docet eum qui præeſt, debere prius facere ea, quæ ſubditos facienda eſſe docet, ac c. 24. docet eum, uti dignitate, ſic & humilitate ſubditos præire oportere. Prævidebat Chriſtus Apoſtolos paulo poſt inter ſe ſuperbe diſceptaturos, quis eorum eſſet major, unde hoc humilitatis exemplum eis præmiſit objecitque, ut hanc eorum ambitionem infringeret & comprimeret, atque ita eam reipſa, ſi non eliſit, certe infregit.

In exemplum ſubditis præeant Prælati.

Ex hac Chriſti ſententia uſus invaluit, ut multi Prælati, imo principes, & reges die Jovis ſancto ſubditorum, vel pauperum pedes lavent, imo S. Ambr. cenſuit Chriſtum hic idipſum præcipere, uti ſuperius dixi. Ita pedes pauperum

C laverunt S. Ludovicus rex Franciæ, S. Eliſabetha uxor Lantgravii Haſſiæ, S. Hedvvigis Duciſſa Poloniæ, S. Brigida aliique plures, Vide Gretſerum in Pedilavio.

VERS. 16 AMEN, AMEN DICO VOBIS, NON EST SERVUS MAJOR DOMINO SUO, NEQUE APOSTOLUS MAJOR EST EO QUI MISIT ILLUM] Inſiſtit Chriſtus humilitati Apoſtolis inculcandæ, quia prævidebat eorum de primatu contentionem mox ſecuturam. q. d. Si ego veſter dominus me humiliavi, & lavi pedes veſtros, multo magis decet vos humiliare, & pedes alterutrum lavare. Si enim dominus lavit, lavet & ſervus; nec enim ſervus dedignari poteſt opus quod fecit dominus; nec Apoſtolus ſive legatus recuſare poteſt officium, quod præſtitit ejus Prælatus, vel princeps, qui eum miſit.

VERS. 17 SI HÆC SCITIS: BEATI ERITIS SI FECERITIS EA] q. d. Si hæc ſcitis, uti ſcire vos ſcio; (quis enim neſcit dominum eſſe majorem ſervo, & Prælatum ſuo apoſtolo ſive legato?) beati eritis, ſi uti ſcitis, ſic & feceritis ea, operæque compleveritis. Beati, inquam, in ſpe, ſed necdum in re; futuri autem beati in re poſt mortem, ſi uſque ad eam hæc facere perrexeritis, & in mei ſequela perſeveraveritis, uti vos omnes facturos & perſeveraturos ſcio, uno

D excepto Juda, unde eum excipiens ſubdit:

VERS. 18 NON DE OMNIBUS VOBIS DICO] vos hæc quæ dixi facturos, quia ſcio Judam id non facturum.

EGO SCIO QUOS ELEGERIM] S. Aug. tract. 59. explicat de æterna Dei prædeſtinatione, ac electione ad gloriam. q. d. Non de omnibus dico, ſed de iis tantum, quos elegi ad gloriam, ad quam non elegi Judam, ac proinde de eo non ſum locutus, ſed eum excipio. Verum hoc duriuſculum videtur; tum quia culpa omnis in Judam rejicienda eſt, non in Chriſtum, Chriſtique electionem, a qua Judam excluſit. Unde verſ. ſeq. Chriſtus culpam in Judam conjicit: tum quia Chriſtus, quando loquitur de æterna Dei electione & prædeſtinatione ad gloriam, numquam ſolet eam ſibi tribuere, ſed Patri; ipſa enim eſt pars primaria providentiæ, quæ Patri appropriatur. Agit igitur Chriſtus hic de temporali ſua electione, qua ut homo elegit duodecim Apoſtolos & inter eos ipſum quoque Judam, de qua dicitur Lucæ 6. *Vocavit ad ſe diſcipulos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit*; inter duodecim autem unus erat Judas. Loquitur ergo Chriſtus E hic de electione ad apoſtolatum, ait Toletus & Maldonatus, q. d. Ego ſcio & ſcivi, qui eo digni, qui indigni futuri ſint, qui perſeveraturi, ideoque beati futuri, qui non; ſcio eos, qui hæc quæ dixi factuti ſint, qui non, uti ſcio & ſcivi Judam a me electum ea non facturum, ſed fore meum proditorem: quare non ex ignorantia elegi eum in Apoſtolum, quaſi ignoratim eum me proditurum; imo idipſum optime præſcivi, & prævidi, ſed tamen elegi eum, ut ejus malitia uterer commune bonum, ſcilicet ut per eum impleretur mea paſſio, & per eam hominum ſalus & redemptio. Unde ſubdit,

SED UT IMPLEATUR SCRIPTURA: QUI MANDUCAT MECUM PANEM, LEVABIT CONTRA ME CALCANEUM SUUM] q. d. Sciebam Judam fore proditorem, ſed tamen elegi eum in Apoſtolum, ut per eum impleretur mea paſſio, & conſequenter Scriptura, quæ eam ejuſque modum prædixit: ſcilicet illam fore inchoandam per proditionem unius mihi familiaris & domeſtici, puta Judæ, qui mea amicitia & familiaritate perfide abuſus eſt ad me prodendum; atque ego id permittere volui, ut ex F ejus malitia ingens bonum eliciam, ſcilicet mundi redemptionem, ſicut permiſi lapſum Luciferi & Adami, ut inde elicerem Chriſti incarnationem.

LEVABIT CALCANEUM] Citat Pſ. 40. 9. ubi Septuag. vertunt, *magnificavit ſuper me ſupplantationem*: S. Hier. *levavit contra me plantam*, id eſt, me decipere, ſupplantare, prodere & perdere conatus eſt; imo reipſa me dolo & fraude ſupplantavit, me cadere fecit in manus Judæorum, me adegit ad crucem & mortem. Nam *ſupplantare* proprie eſt plantam, ſeu pedem vel calcaneum inter alterius crura immittere in lucta vel curſu, itaque facere ut pedes currentis ad pedem ſupplantantis illiſi impingant, cadant & corruant.

Loquitur David ad litteram de Achitophel, proditore ſuo apud Abſalomum filium ſuum, ut habet Chaldæus; myſtice de Juda proditore Chriſti, cujus typus fuit Achitophel, ſicut David Chriſti.

AMODO DICO VOBIS, PRIUSQUAM FIAT; UT CUM VERS. 19 FACTUM FUERIT, CREDATIS QUIA EGO SUM] *Amodo*, græce *ἀπ' ἄρτι*, quod verti poteſt Primo, *ex nunc ex hoc tempore*, ut vertit Syrus; Secundo, *confeſtim, jam jam*, cito, illico; & ſic hic accipitur, & hoc ſignificat *amodo*: notat enim inſtantem proditionem Judæ. q. d. Jam jam poſt paucas horas Judas prodet me, ideoque id vobis prædico, ut, cum mox videritis me prodi, capi, occidi, non turbemini, ſed *credatis*, id eſt, in fide mea perſeveretis *quia ego ſum*, ſcilicet, quod ego ſim Meſſias Filius Dei, ſponte me offerens morti pro redemptione hominum: ideo enim hæc prædico, ut ſciatis, me hæc omnia præſcire, & poſſe præcavere, meque ſubducere, ſed nolle, imo velle pati pro ſalute mundi: tunc pariter videbitis me vere dixiſſe non omnes vos eſſe mundos, ſed Judam eſſe immundum, & ſceleſtum, ideoque reprobandum, & damnandum, cum videritis eum ſceleris conſcientia, & immanitate laqueo ſe præfocare. Hæc ergo mea prædictio conjuncta cum rei prædictæ eventu, vos in fide mea nutaturos ſtabiliat & confirmet, ita Cyrillus.

AMEN, AMEN DICO VOBIS: QUI ACCIPIT SI QUEM VERS. 20 MISERO, ME ACCIPIT: QUI AUTEM ME ACCIPIT, ACCIPIT EUM QUI ME MISIT] Non apparet quomodo hæc verba cohæreant cum præcedentibus. Primo, Chryſoſt. hom. 71. & ex eo Theoph. hæc referunt ad paſſionem, & crucem Chriſti quaſi ad eam fortiter imitandam hortetur Apoſtolos per ſui exemplum. q. d. Nolite timere perſecutiones, mortes & cruces, quas prædicando fidem meam, patiemini: quia in hac re me ſequemini; patiemini enim ut mei legati, a me miſſi, & conſequenter a Deo Patre. Quare paſſio hæc vobis non erit ignominiæ, ſed gloriæ. Verum hic non agitur de paſſione, ſed de ſuſceptione Apoſtolorum.

H Difficultas horum verborum cum præcedentibus connexio.

Secundo, Cyrill. lib. 9. c. 12. putat Chriſtum hic oſtendere immanitatem proditionis Judæ, argumento ducto a contrario. q. d. Sicut qui a me miſſum excipit & honorat, me excipit & honorat; ſic ex adverſo qui a me miſſum reſpuit, non tantum mihi, ſed & Deo, qui me miſit, gravem contumeliam, & injuriam irrogat. Verum hic multa ſupplere oportet, quæ non dicit Chriſtus.

Tertio, Cajetan. Janſen. & Ribera probabilius cenſent Chriſtum, cum jam finire vellet ſermonem de ablutione pedum,

Digitized by Google

A pedum, nunc addere nonnulla, & ad ipsum redire, exhortarique omnes fideles, ut recipiant missos ad se Apostolos, benefaciant eis, sicut ante exhortatus fuerat Apostolos, ut benefacerent fidelibus: qua in re etiam Apostolos consolatur, ut ait Chrys. hom. 71. quos pro omnium salute, in charitatis officio laborare jusserat.

Quarto, magis particulatim & proprie, Toletus opinatur hæc pertinere ad exemplum lotionis pedum datum a Christo, ut hoc Apostoli & fideles imitentur, nec ab eo excusent se, quod hæc lotio sit vilis, hominemque vilem & abjectum efficiat, cum Christus ipse eam usurparit, & usurpando honorarit, atque quasi nobilitarit. q.d. Nolite subterfugere hospites, eisque pedes abluite, quia qui hospites fideles, præsertim Apostolos, hospitio accipit, eisque pedes lavat, me, qui eos misi, quasi hospitio accipit: qui autem me accipit, accipit & Patrem, qui misit me.

Ergo qui meos fideles & legatos recipit, Deum recipit, & honor, qui eis impenditur, Deo impenditur; ac vice versa, quia injuria quis eos afficit, eadem me, & Deum B ipsum afficit. Docet ergo hic Christus humilitatis officia, quale est lavare pedes, esse obeunda etiam ab Apostolis & Prælatis, nec recusari debere ob officii dignitatem, ne illa vilescat & contemnatur, quia per illa potius honorabuntur, ut veri imitatores & vicarii Christi, quia qui eos honorat, Christum, & Deum ipsum, qui eos misit, honorat. Humilitas ergo Prælatos non dedecorat, sed ornat & decorat. ita Toletus, Jansen. & alii. Hinc noster S. Franciscus Xaverius navigans in Indiam cum ægrotum lectos sterneret, cibos coqueret, medicinas porrigeret, audiretque sibi objici, hæc tam vilia munia dedecere Legatum Apostolicum, qualis ipse erat, respondit ea decere discipulum, & Apostolum Christi, quia Christus similia obivit, eaque quasi nobilitavit. In schola enim Christi sola humilitas nobilitat & exaltat, quia Christo Deo, & Domino nostro nos assimilat. Ita Turselinus in ejus Vita. S. Carolus Borromæus in supplicatione publica, nudis pedibus, laqueo ad collum appenso crucem bajulans incedebat, pauperibus serviebat, peste laborantibus ministrabat, vilia quæque obibat, & tamen per hæc dignitatem Archiepiscopalem & Cardinalitiam non turpavit, sed magis ornavit, ac sancti Cardinalis nomen obtinuit: sicut enim gemma carbunculi in pala ornat annulum aureum, sic humilitas exornat purpuras & coronas.

Humilitas Prælatorum.

S. Francisci Xaverii.

S. Caroli Borromæi.

C

VERS. 21 CUM HÆC DIXISSET JESUS, TURBATUS EST SPIRITU: ET PROTESTATUS EST (id est palam, aperte, & clare testatus est) ET DIXIT: AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA UNUS EX VOBIS TRADET ME] Syrus, *hæc dixit Jeschua, & infremuit spiritu, & testatus est, dixitque: Amin, amin dico vobis, unus ex vobis prodet me*, Arab. *commotus est spiritu*, &c. Turbatio ergo hæc fuit ingens dolor & indignatio ob scelus Judæ, quod ille jam jam eum esset proditurus Judæis: ob hujus enim sceleris immanitatem, æque ac ob Judæ perditionem & damnationem, intimis animi sensibus indoluit Christus, & infremuit spiritu, hunc autem dolorem non involuntarie passus est, sed libere admisit Christus, imo ultro assumpsit hic, æque ac in morte Lazari c. 11. 33. ut ibi dixi. De hac Christi prædictione proditionis Judæ, dixi Matth. 26. v. 21. & seq.

Quando Christus prædixit se prodendum.

Quæritur hic, quando hæc Christi prædictio contigerit, an ante institutionem Eucharistiæ, an post? Joannes enim illam institutionem hic omittit, quia a cæteris tribus Evangelistis diserte fuit enarrata, Matthæus autem, & Marcus prædictionem hanc Christi D præponunt institutioni Eucharistiæ, Lucas vero postponit. Sunt hic tres sententiæ probabiles.

Prima sententia.

Prima est Jansenii, & Franc. Lucæ, qui censent Christum prædixisse Judæ proditionem post institutionem Eucharistiæ, ut habet Lucas; quare Matthæum & Marcum, qui ante Eucharistiam prædictionem hanc enarrant, uti anticipatione: unde ipsi institutionem Eucharistiæ collocant immediate ante hunc v. 21. Joannis. Ratio est, quia, si ante Eucharistiam Judæ proditionem prædixisset, turbasset Apostolos, & commovisset ad iram, ac minus dispositos attentosque ad Eucharistiam reddidisset. Verum hæc ratio non concludit. Nam ante Eucharistiam prædixit Christus suam passionem & mortem, quæ multo magis Apostolos turbabit, ac paulo post Eucharistiam, ut ipsi fatentur, prædixit proditionem Judæ, quæ tunc eos turbavit, ut ad recollectionem animi, quæ post Eucharistiam requiritur, minus attenderent. Denique hæc Christi prædictio proditionis Judæ ante Eucharistiam, valuit tum ad Judam a scelere deterrendum, tum ad Apostolorum animos compungendos, & sollicitos reddendos, ut conscientiam suam quisque examinaret, ne in ea Christus quid inveniret, quod ipse æque ac scelus Judæ revelare & carpere posset. B

Secunda sententia plane contraria est Baronii anno Domini 34. c. 58. & aliorum, qui censent Christum prædixisse Judæ proditionem, non post, sed ante institutionem Eucharistiæ, ut habent Matthæus & Marcus, quare Lucam, qui eam illi postponit, uti postpositione. Putat ergo Baron. rem gestam esse eo ordine, quo a Joanne recensetur, nimirum post pedum ablutionem de sua proditione Jesum sermonem habuisse, tunc & Joanni de proditore roganti signum illud per intinctam buccellam dedisse: sed quod dicit accepta buccella continuo exisse, id quidem non ita accipiendum putamus, ut nunc temporis statim, & nulla interposita mora abierit: sed quod velut furore quodam percitus, non exspectaverit prolixam illam post cœnam habitam a Domino orationem. Nam S. Lucas aperte testatur Judam cum cæteris permansisse usque ad finem communicationis Eucharistiæ, post quam nihil jam videbatur esse reliquum in mensa (secundum prædictum Judæorum ritum) quo potuerit panis intingi: sicque nec dici posse videtur, illum panem intinctum fuisse Eucharistiam. Secunda. F

Verum Judas post buccellam *exivit continuo*, imo eodem momento, ut habet Syrus; non ergo exspectavit prolixam Apostolorum synaxin, si illa post datam buccellam contigit. Unde verisimilius alii hujus sententiæ sectatores opinantur, buccellam hanc Judæ a Christo datam, fuisse ipsam Eucharistiam: post hanc enim indigne sumptam, a diabolo actus quasi in furorem, illico exiit ad scelus, quod machinabatur, perficiendum. Porro in institutione Eucharistiæ, & post eam Christus accubuit mensæ, ibique prædixit proditionem Judæ, ut habet Lucas. Ergo omnino verisimile est mensam tunc necdum fuisse sublatam, sed in ea ex tribus Christi cœnis præcedentibus, remansisse panem & ciborum reliquias, ex quibus Christus buccellam accipere, & intingere, intinctamque Judæ dare posset.

Tertia ergo sententia inter duas jam dictas media verior videtur, scilicet Christum prædixisse proditionem Judæ, tam ante Eucharistiam, quam post eam illam iteraisse; tum quia valde illam, ejusque atrocitatem sensit & indoluit, imo turbatus est spiritu, ut ait hic Joannes: tum ut Judæ suum scelus objiceret, ac se illud scire indicaret, eumque ab illius executione absterreret: tum ut Apostolorum animos compararet, & hac prædictione præmuniret, ne mox reipsa visuri Judæ proditionem, & Jesu captivitatem, percellerentur, sed in fide Jesu constanter persisterent. Hac ratione enim concilianus optime Matthæum & Marcum cum Luca, ut utrique verum dixerint, remque suo ordine narrarint. Est hæc sententia expressa S. Aug. libr. 3. de Consensu Evang. cap. 1. Euthymii & Toleti, qui asserunt hunc fuisse rei gestæ ordinem. Peracta jam paschatis agni cœna, & communi incepta, illis cœnantibus surrexit Christus, lavitque discipulorum pedes, quibus lotis, iterum recumbens dixit omnia hæc, quæ Joannes narrat: spiritu ergo turbatus de suo loquitur traditore, & interrogat unusquisque: *Numquid ego sum?* & audit Judas, *Tu dixisti*. His peractis Eucharistiam instituit: qua instituta, & mysterio peracto, iterum de traditore loquitur, ut refert Lucas 22. *Verumtamen*, inquit, *ecce manus me tradentis mecum est in mensa*, &c. Tunc interrogat Petrus Joannem, *Quis est de quo dicit?* & Joannes interrogans H Jesum audit: *Cui ego panem intinctum porrexero*. Et post hanc buccellam introivit in Judam Satanas, & recessit, quo recedente, & cœna omnino absoluta, Christus habet ad suos discipulos mirabilem concionem a Joanne paulo post descriptam. Hinc patet institutionem Eucharistiæ non ante hunc versum, ut vult Jansen. sed ante vers. 32. *Erat ergo unus*, &c. collocandam esse. Tertia verior. G

ASPICIEBANT ERGO AD INVICEM DISCIPULI, HÆSITANTES DE QUO DICERET] imo interrogantes singuli: *Numquid ego sum Domine?* ut habet Matth. cap. 26. 22. Nam, ut ait Chrys. *quia nominatim non dixit, in omnes induxit timorem: & licet sibi male conscii non essent, tamen Christo magis, quam propriis cogitationibus credebant*. Et, ut Origen. *recordabantur velut homines, mutabiles esse affectus etiam provectorum*. VER.

ERAT ERGO RECUMBENS UNUS EX DISCIPULIS EJUS IN SINU JESU, QUEM DILIGEBAT JESUS] puta ipse Joannes. *Ut* ergo continuat sermonem prædictionis Christi de

Digitized by Google

A de proditione Judæ, etsi is interruptus fuerit per institutionem Eucharistiæ, eo quod illam hic omittat Joannes. Eucharistiam enim instituit Jesus immediate ante hunc versum, post primam prædictionem proditionis Judæ, quam recensent Matthæus & Marcus; deinde instituta jam Eucharistia, & peracta S. Synaxi, Christus eamdem prædictionem iteravit & resumpsit, dicens, ut habet Lucas 22. 21. *Verumtamen, ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, cumq; Apostoli cuperent scire nominatim quis ille foret, Petrus avidior & ferventior cæteris, innuit Joanni in sinu Jesu recumbenti, ut a Jesu eum sibi designari postulet, ut hic narrat Joannes, idque insinuat *τὸ ergo*, q. d. Joannes erat vicinior & charior Jesu, illique proximus, utpote in sinu ejus recumbens, *ergo*, id est hac de causa, innuit Petrus Joanni, ut a Jesu suo dilecto nomen proditoris exquireret. Dicitur autem Joannes in sinu Jesu recubuisse, quia veteres non assidebant mensæ, sed recumbebant bini vel terni in singulis lectulis mensalibus, ita ut cubito dextro innixi, non tam sederent, quam jacerent ad mensam, quo fiebat ut secundus ad sinistram primi proxime, sequens in ejus sinu quasi jacere & recumbere videretur. Vide Ciacconum de Triclinio.

B QUEM DILIGEBAT JESUS] non tantum amore amicitiæ humanæ, velut ætate minimum, ut vult Toletus; sed etiam amore charitatis, ob virginitatem, & puritatem, modestiam, & mansuedinem, moresque suaves & sanctos, quibus cæteros antecellabat. Ita Cyrill. Chrys. Theoph. Euthym. & S. Hier. epist. ad Heliodorum. Hinc tamen non sequitur Joannem absolute omnibus Apostolis fuisse sanctiorem: poterat enim Petrus illo esse in charitate ardentior, ideoque sanctior. Sanctitas enim maxime in charitate consistit, illaque mensuratur; ut quanta est charitas, tanta sit gratia & sanctitas cujusque.

Porro quod Joannes in sinu, & supra pectus Jesu, recubuit, non solum fuit præsentis amoris indicium, sed etiam futuræ rei signum, *quod*, scilicet *inde vocem sumeret, quam postea cunctis seculis inauditam emitteret*, ait Beda.

VERS. 24 Petro suggerente Interrogat Christum de proditore Joannes.

INNUIT ERGO HUIC SIMON PETRUS: ET DIXIT EI: QUIS EST DE QUO DICIT?] Hinc patet Petrum Joanni innuisse, non tantum signo nictus, & nutus, ut vult S. Augustin. sed etiam modeste verbo suggerendo dixisse: *Quis est de quo dicit?* uti narrat hic Joannes. Ita Origen. Chrys. & Cyrill. Rogat autem id Petrus, nonquia Apostolorum princeps, licet id velit Cyrill. nec quasi metuens sibi, ne ipse foret proditor, ut opinatur Chrysost. sed ex zelo, ut tantum scelus, & Christi proditionem impediret, uti in horto Christi captivitatem impedire voluit, amputando aurem Malcho, cum capere volenti.

C

VERS. 25 & 26.

ITAQUE CUM RECUBUISSET ILLE SUPRA PECTUS JESU, DICIT EI; DOMINE QUIS EST? RESPONDIT JESUS: ILLE EST, CUI EGO INTINCTUM PANEM PORREXERO. ET CUM INTINXISSET PANEM, DEDIT JUDÆ SIMONIS ISCARIOTÆ] *Cum recubuisset*. Videtur Joannes innuenti Petro, vel vestem ejus secreto trahenti aures, & corpus admoviisse, itaque a sinu Christi nonnihil recessisse, ut audiret Petri petitionem, qua audita rursus corpus reclinasse, & recubuisse ad pectus Jesu, ut id quod suggesserat Petrus, posceret a Jesu.

Intinctus panis hic quis?

INTINCTUM PANEM] Nota, Judam interfuisse celebrationi agni paschalis, item Eucharistiæ; eamque cum aliis Apostolis sumpsisse, uti docent S. Aug. Chrys. Cyrill. & alii passim; imo nonnulli opinati sunt *panem intinctum* fuisse Eucharistiam, sed perperam: nec enim Christus *panem intinctum* consecravit, sed panem siccum, æque ac vinum purum & merum. Quare post S. Synaxim, Christus ex mensa accepit partem, sive buccellam panis residui, eamque intinxit in embamma, vel jusculum aliquod delicatius, quod adhuc erat in mensa (nec enim decet in convivio ab hero dari convivæ panem siccum) illamque dedit Judæ, ut hoc signo ipsum esse proditorem a se designatum indicaret Joanni; nec enim Apostoli verba Christi ad Joannem de signo hoc proditoris audierunt, utpote modeste a Christo soli Joanni in aurem dicta.

D

Porro Christus eum apposite hoc signo indicavit, quia panis mensalis signum est pacis & amicitiæ; unde per illum Christus non tantum personam proditoris, sed & ejus qualitatem, modumque proditionis demonstravit, quod Judas simili amicitiæ symbolo, pura osculo, eum proditurus esset. Mystice, intinctio hæc panis fictionem, & fraudem animi in Juda denotabat, ait S. Augustin.

Rursum S. Cyrillus, & Augustin. ajunt Judam a Christo buccella panis indicatum fuisse, ut impleretur illud Psal. 40. *Qui manducat mecum panem, levavit contra me calcaneum*, imo Chrys. ait tacite ipso facto Christum hic idipsum Judæ exprobrasse, q. d. Quomodo non pudet te, o Juda, me prodere, qui mensæ meæ es socius & conviva? E

Denique Judas accepta a Christo buccella, ex conscientia sceleris, & hoc indicio Christi sentiens se notari, impudenter, & obstinate in proposito prodendi Christum perstitit. Nam omnino detectum & infamatum se videns, quasi amens & furens, instigante diabolo egressus est ad scelus perficiendum, abiitque ad principes sacerdotum, ut ab eis satellites postularet, qui se duce, & indice Jesum comprehenderent; licet enim Matth. hæc verba & responsum Christi ponat ante Eucharistiam, unde S. Augustin. lib. 3. de Consensu Evangelist. c. 1. censet ante eam esse dicta; tamen ex verbis Lucæ & Joannis liquet ea dicta esse post Eucharistiam: Matthæus enim more suo omnes has Christi prædictiones Judæ in unum convolvit, ne cogeretur eas dissecare, & iterato narrare post Eucharistiam. Nam plane verisimile est Judam audito Christi responso; *Tu dixisti*, confusum & indignantem illico exiisse. Exiit autem illico post acceptam buccellam, ut ait hic Joannes. F Ergo statim post acceptam buccellam rogavit: *Numquid ego sum Rabbi?* & audiit; *Tu dixisti*, iisque auditis erubescens & indignans confestim exivit. Unde sequitur,

VERS. 27 Satanas ab Judam ingrat.

ET POST BUCCELLAM (græce, ψωμίον, id est, buccellam, offulam) INTROIVIT IN EUM SATANAS] eum impellens, & exagitans ad vindicandam hanc suam infamiam, ut scilicet Christum suum scelus prodentem Judæis proderet, Satanas ergo qui prius in Judam ingressus erat ad proditionem machinandam, ut dictum est vers. 2. hic rursus in eum ingressus est, ad eam perficiendam, & in opus conferendam: tum quia Judas jam ab Apostolis, & Christo audiens *proditor*, ulterius inter eos manere non audebat, ne ab eis male mulctaretur: tum quia hora proditioni congrua, & a Juda destinata imminebat, scilicet qua post cœnam sciebat Christum de more iturum ad Montem Oliveti, orationis causa, ubi facile comprehendi poterat. Quare Joanni non opus fuit Judam a Christo *sibi* indicatum Petro roganti indicare; quia mox *ipse Judas* seipsum prodidit, tum sua interrogatione, tum suo discessu, & exitu.

Introivit ergo hic in Judam satanas, ut eum totum quasi possideret, idque certo & firmiter, unde mox eum ad laqueum adegit, non quod buccella a Christo data in eum diabolum immiserit: nam hæc amoris Christi fuit indicium, quo ejus animum ad se redamandum allicere volebat, sed quod Judas huic amori Christi ingratus, eam in sinistram partem acceperit; putabat enim quod Christus ex odio & vilipendio, ut ejus scelus Apostolis proderet, buccellam ei daret. Quare Judas tunc apostolatui Christi, & collegio Apostolorum nuncium remittens, abiit ad familiam & famulatum satanæ & Judæorum, velut transfuga & apostata. Ita S. Chrys. S. Aug. & Cyrill. qui notat beneficium ingratis nocere, non ex se, sed ex eorum vitio & ingratitudine. Audi S. Ambr. lib. 2. de Cain & Abel cap. 4. *Ubi se satanas immisit in corde Judæ, Christus recessit ab eo, momentoque eo, quo illum recepit, hunc amisit. Denique sic scriptum est: Post buccellam introivit in eum satanas.* Introivit autem tribus de causis. Primo, propter ingratitudinem, ait S. Augustin. cum enim omnia officia charitatis Christus erga illum præstitisset, nec ita moveretur, relictus est plene possidendus a diabolo. Secundo, quoniam diabolus ex verbis illis Domini, & ex signis cognovit jam illum esse obstinatum in malo, & relictum a Domino, ut ait Chrys. hom. 71. & Euthym. Matt. 26. Tertio, quoniam ipse Judas intellexit se jam omnibus manifestum esse, & quasi segregatum a discipulis & a magistro, & ideo confirmatus est in malo, & plane cor suum tradidit diabolo, quasi desperans; ideo etiam continuo exivit, non sustinens Domini, & Apostolorum conspectum, aut metuens ne ab eis laceraretur, ait Euthymius ex S. Chrysost. ita Ribera. Sic videmus peccatores, cum eorum peccata occulta publicantur, frontem perfricare, mentem obstinare, fremere & furere, ut sua crimina defendere velint, & in iis glorientur, ac in profundum scelerum omnium ruant. Vide hic in Juda, quomodo homo deserens Christum, sensim deseratur a Christo, ac desertus invadatur a satana, invasus possideatur, possessus in omne nefas, indeque in abyssum præcipiteur, sicut Judas ex Apostolo factus est diabolus, æque ac Lucifer ex pulcherrimo angelo factus est teterrimus cacodæmon, & sicut ex suavissimo vino fit acidissimum acetum,

Quomodo. G

V
&

V

H

Digitized by Google

A aerium, & ex monacho, v.g. Luthero, fit hæreticus, imo hereſiarcha.

Quod facis fac citius; quo ſenſu Judæ dixit Chriſtus?

ET DIXIT EI JESUS: QUOD FACIS, FAC CITIUS] *Citius*, id eſt, cito, ut vertit Syrus, ponitur enim comparativus pro poſitivo. Non præcipit Chriſtus Judæ proditionem, ſed permittit. Hæc ergo verba ſunt Chriſti, non præcipientis, ſed prædicentis, q. d. Ne putes te latere me: ſcio te machinari meam proditionem. Non præcepit facinus, ait S. Auguſt. ſed prædixit, non tam in perniciem perfidi ſæviendo, quam ad ſalutem fidelium feſtinando. Secundo, permittentis. q. d. Age quod cœpiſti, perfice quod deſtinaſti, poſſem te mille modis impedire, ne ſcelus perficias: ſed nolo, imo permitto te tuæ libertati; fac quod mente deſignaſti. Tertio, ſunt exprobrantis, ait Chryſ. q. d. Scio te mihi, a quo tot dona accepiſti, extrema mala moliri: hæccine ſunt tua maleficia, quæ tot beneficiis meis rependis? ſed age quod agis. Etſi enim tuum ſcelus aperuerim, non id feci eo animo, quaſi illud extimeſcam & impedire velim, ſi vellem enim, valerem & facerem, ſed tuam malitiã & impudentiam tibi in faciem objiciam & exprobem. Quarto, ſunt animi celſi, con-

B temnentis omnia Judæ machinamenta. q. d. Adeo non curo, nec timeo omnes tuas contra me machinationes, ut ſumme deſiderem meam captivitatem, & mortem per te accelerari, ut citius me Deo Patri in victimam offeram, & homines redimam: *Quod facis* ergo, *fac citius*. Audi S. Leonem ſerm. 7. de paſſione: *Vox hæc non jubentibus eſt, ſed ſinentis; nec trepidi, ſed parati, qui habens omnium temporum poteſtatem, oſtendit ſe moram non facere traditori, & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod a præſentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret.* Quinto, ſunt verba excludentis Judam incorrigibilem a ſua familia, & ſocietate Apoſtolorum. q. d. Quoniam tu te a nobis ſeparare vis, excludo te mea menſa, domo, apoſtolatu, ſocietate: vade ergo ad tuos Judæos & ſatanam, cui te mancipaſti. Ita S. Ambr. lib. 2. de Cain cap. 4.

Porro nove Cyril. l. 9. c. 17. ſecutus Origen. cenſet hæc a Chriſto dici, non Judæ, ſed ſatanæ in Judam introeunti. Nam ſicut, inquit, ſi vir fortis, adverſus quem fremens quiſpiam feratur, ipſe vero viribus ſuis fretus, caſurum illum non dubitet, magnaque voce minitans dicat;

C Quod facis, fac citius, ut meæ dexteræ vires experiaris; non tam properantis mori verba eſſe diceremus, quam præſcientius potiùs, quia cadet adverſarius. Sic Dominus noſter velocius currere diabolum, ad ea quæ præparavit, jubet, ut citius victus atque vinctus a tyrannide ſua orbem dimittat. Verum liquet ex antecedentibus & ſequentibus hæc dici Judæ, non ſatanæ, uti paſſim docent Patres & interpretes.

VERS. 28 & 29. HOC AUTEM NEMO SCIVIT DISCUMBENTIUM AD QUID DIXERIT EI. QUIDAM ENIM PUTABANT, QUIA LOCULOS HABEBAT JUDAS, QUOD DIXISSET EI JESUS: EME EA, QUÆ OPUS SUNT NOBIS AD DIEM FESTUM: AUT EGENIS UT ALIQUID DARET] Licet enim ex verbis Chriſti ſcirent Judam fore proditorem; tamen non ſciebant eum tam cito, ſcilicet eadem nocte, Chriſtum proditurum; ſed ſuo tempore. Quare non intellexerunt Chriſtum dicentem: *Quod facis, fac citius*, de proditione ſua loqui, ſed ad emendum neceſſaria pro inſtante Paſchate tranſtulerunt. Erat enim Judas procurator Chriſti, & Apoſtolorum.

VERS. 30 D CUM ERGO ACCEPISSET ILLE BUCELLAM, EXIVIT CONTINUO] tum quia poſt buccellam poſſeſſus fuit a diabolo, qui eum impulit ad exeundum, ad perficiendam proditionem. Tum quia Chriſtus verbis jam dictis, eum a ſua familia & domo ejiciens, eum expulit. Utrumque reſpicit & notat τὸ *ergo*. Porro exeunte immundo, ait S. Auguſt. omnes mundi cum ſuo mundatore manſerunt, velut triticum zizaniis ſeparatis.

Moraliter notat Cyrill. lib. 9. 19. diabolum impuliſſe Judam, ut illico exiret ad Chriſtum prodendum, ne virtute Euchariſtiæ, licet indigne ſumptæ, eum pungentis, & ſtimulantis, pœniteret & reſipiſceret. Audi eum: *Diabolus magnas ad imperandum eis, quos omnino jam cœpit, poſſidet vires: timet ne morando locus pœnitentiæ detur, & quaſi a temulentia mentem ſuam rectius cogitans homo eripiat, ea de cauſa feſtinat & impellit: nam & Judam, cum poſt panem ſeparaverit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo ejus accenderet, ac inde illuminaret, & ad meliora retraheret, magna præcipitem egit celeritate.* Origenes vero addit tam efficacem fuiſſe Chriſti doctrinam, ut proditorem ſuum poſtea commoverit ad pœnitentiam, ut diceret: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*, imo ad tantum dolorem, ut ſeipſum non ferens, nec vivere ſuſtinens, laqueo ſe necarit. *Oſtendens*, ait, *quantum potuerit Jeſu doctrina, etiam in peccatore fuiſſe, & proditore, non valente in totum contemnere, quæ a Jeſu didicerat.* Hinc colligas, quod iis, qui vehementer tentatione a dæmone pulſantur, ut ſcelus illico perpetrent, injiciendæ ſint moræ, ut rem differant; ipſa enim dilatione, re maturius conſiderata, videtur ſceleris turpitudo, damna & pœnæ, quæ hominem ab eo abſterrent: audiuntur prudentium conſilia, remoræ vatiæ interjici poſſunt. Denique ipſe æſtus tentationis, ipſa mora deferveſcit & langueſcit.

Ex adverſo in bonis virtutum propoſitis exquendis, v.g. in ſtatu ſacerdotii vel Religionis capeſſendo, feſtinato opus eſt, ne parentes, ſocii, diabolus, moras injiciendo rem totam disjiciant & diſſipent, uti ſæpe fieri videmus. Audi S. Chryſ. hom. 57. ad Popul. *Dum fervens eſt tibi hic amor, abi ſtatim ad illos ipſos angelos, eumque magis accende. Ne dicas: Alloquar prius propinquos, reſque meas expediam. Torporis initium eſt hæc dilatio. Patrem ſepelire diſcipulus voluit, nec id Chriſtus permiſit. Quid ita? quoniam acer inſtat diabolus, ut ſe in animum inſinuet, & ſi vel brevem arripuerit vacationem, vel prorogationem, ad magnum inducit teporem. Ideo quidam admonet: Ne differas de die in diem.* Et S. Anſel. ep. 1. *Feſtina*, ait, *ad tantum bonum, quia nullo bono efficacius pervenies ad ſummum bonum. Plures vidi promittentes & deferentes, quos ita mors tulit, ut nec id perficerent, quo ſe impediebant; nec id inciperent, quod promittebant.* Atque idem mox ſubjicit: *Qui differt in futuram, & forſitan non futuram ætatem ſuam vitam corrigere, certum bonum dimittit proculdubio, & contemnendo quod perdit, probat ſe non amare quod exſpectat, & meretur non accipere.* Et S. Bern. ſerm. in illud: *Ecce nos reliquimus omnia, Cum a Deo*, inquit, *verbum eſſe non dubites, quod opus eſt deliberatione? Vocat magni conſilii angelus: quid aliena conſilia præſtolaris? quis enim fidelior, quiſve ſapientior illo? Deduc me Domine, & deducar; fortior eſto, & invaleſce. Novi ego quanam ſint quæ oportet fieri cito.* Vide S. Thom. opuſc. 17. c. 9. & 16.

G ERAT AUTEM NOX] Addit hoc Joannes Primo, ad hiſtoriæ integritatem, ut tempus noter, quo Chriſtus a Juda proditus, a Judæis captus fuit. Secundo, ut indicet diaboli feſtinationem Judam nocte intempeſta, ad conquirendum lictores forte dormientes impellentis. Tertio, hoc ſubditur, ait Chryſ. hom. 71. ut diſcas Judæ temeritatem, quando nec tempus importunum eum tenuit.

Symbol. Gloſſa: Nox, ait, congruit ſacramento: erat enim qui exiit filius tenebrarum, faciens opera tenebrarum. Nox ergo indicat tenebras mentis, in quibus Judas verſabatur, ait S. Ambr. l. 2. de Cain c. 4. item impœnitentiam & damnationem ad tenebras gehennæ, ad quas Judas tendebat. Audi S. Greg. 2. Moral. 2. *A qualitate temporis finis exprimitur actionis, ſicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exiiſſe perhibetur, cum egrediente illo ab Evangeliſta dicitur: Erat autẽ nox. Hinc enim & iniquo diviti dicitur: Hac nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, ſed in nocte memoratur.*

VERS. 31 CUM ERGO EXISSET, DIXIT JESUS; NUNC CLARIFICATUS EST (græce eſt ἐδοξάσθη, id eſt, ut Syrus & Arabicus, *glorificatus eſt*) FILIUS HOMINIS, ET DEUS CLARIFICATUS EST IN EO] *Clarificatus eſt*, id eſt, jam jam clarificabitur & glorificabitur. Ponitur enim præterirum pro futuro inſtanti & imminenti. q. d. Judas jam exiit ad me prodendum & occidendum; ergo imminet mihi crux & mors, quæ adeo non cedit mihi ad ignominiã, ut per eam ſumme ſim glorificandus. In ea enim agnoſcar non tantum eſſe filius hominis & homo, ſed Filius Dei ac Deus: agnoſcetur enim in humanitate mea latens divinitas, ex obſcuratione ſolis, & fiſſione petrarum, ex apertione ſepulchrorum, & ſepultorum reſurrectione, ex concuſſione totius terræ, &c. hæc enim omnia ſignificabant Deum pati, & mori in cruce. Item ex ejus effectu: nam per crucem ſubjugabo mihi totum mundum, omnes dæmones, ac peccatum, mortem & gehennam, quaſi omnium Deus & Dominus. Ita S. Chryſoſt. Cyrill. Origen. Theoph. Euthym. Ubi Nota. Per hæc ſigna, & per hos effectus Deus, & deitas Chriſti non tantum clarificavit humanitatem Chriſti, ſed & ſeipſam quoque; in iis enim apparuit immenſa deitatis Chriſti bonitas, potentia,

H

Juda egreſſo Chriſtus dicit ſe clarificatum.

A rentia, ſapientia, majeſtas, & gloria. Hoc eſt quod ſequitur.

VERS. 32 SIC DEUS CLARIFICATUS EST IN EO, ET DEUS CLARIFICABIT EUM IN SEMETIPSO; ET CONTINUO (græce, εὐθὺς, id eſt, cito, ſtatim, ita Syrus) CLARIFICABIT EUM] Primo, ſi, id eſt, *quia*, q. d. Quia Chriſtus factus obediens Patri uſque ad mortem crucis, hac ſua obedientia, reverentia & ſacrificio ſumme clarificavit, id eſt, honoravit, & glorificavit Deum Patrem; hinc viciſſim Deus Pater clarificabit & glorificabit Filium *in ſemetipſo*, nimirum declarando, & demonſtrando divinitatem in ipſo latentem: idque faciet *continuo* & cito, quia die tertia eum in morte redivivum & glorioſum ſuſcitabit, ac 40. die triumphantem in cælum conſcendere, & die 50. Spiritum ſanctum e cælis in Apoſtolos mittere efficiet, e quibus omnibus maxime clareſcet latens in eo glorioſa divinitas. Per hæc omnia enim innotuit toti mundo, Jeſum non tantum eſſe hominem, ſed & Deum, Deique Filium. Ita Cyril. & Chryſ. Duplex, ait Origenes hom. 6. in Exod. fuit Chriſti glorificatio: prior in morte, qua glorificatus eſt in humilitate mortalitatis; poſterior, in reſurrectionem, qua glorificatus eſt in ſublimitate immortalitatis.

B Secundo, nervoſius S. Hilar. lib. 5. de Trinit. & ex eo Toletus, cenſent Deum dici clarificatum in Chriſto, cum in ejus morte & reſurrectione ipſe oſtendit ſuam divinitatem, ac ſe eſſe Filium Dei & Deum verum demonſtravit, ſuſcitando ſeipſum a morte, in cælum vi ſua aſcendendo, inde mittendo Spiritum S. ac per Apoſtolos plurima miracula patrando: hoc enim exigit τὸ *in eo*, & *in ſemetipſo*. q. d. *Si Deus clarificatus eſt in eo*, id eſt ſi Deus in eo (Chriſto) eſſe, & ſub humanitate ejus abſconditus latere, jam jam declarabitur, cum magna ejus claritate, & gloria; ergo & *Deus clarificabit eum in ſemetipſo*, oſtendens ſcilicet eum in ſemetipſo habere latentem divinitatem, idque faciet continuo, hoc eſt illico. q. d. Latuit in Chriſto Deus & divinitas, uſque ad mortem, ſed in morte ejus emicuit, ſeſeque exercuit, ac oſtendit Chriſtum non tantum eſſe hominem, ſed & Dei Filium; utpote, qui virtute divinitatis ſuæ ſe a morte ſuſcitarit, in cælum aſcenderit, indeque miſerit Spiritum S. Nam, ut ait Origenes: *Filius eſt totius divinæ gloriæ fulgor, ut Paulus ait; unde ſplendores perveniunt ad totam rationalem creaturam: totum enim divinæ gloriæ fulgorem capere ſolus Filius poteſt.*

C Hic fulgor in morte ejus emicuit, ſicut faces ardentes incluſæ lagenis teſtaceis iis complosis & confractis, a militibus Gedeonis emicuerunt, & terruerunt fugaruntque Madianitas. Judic. 7. 19. Sic pariter Chriſti corpore in morte confracto, emicans per ſigna jam dicta, ejus divinitas eum glorificavit, quia per eadem ſigna, ac plura, quæ ſecuta ſunt, ut miracula Apoſtolorum, & converſionem totius mundi, oſtendit eum vere eſſe Dei filium omnipotentem, & Patri coæqualem, ideoque fugavit diabolum, peccatum & mortem.

Porro τὸ *in ſemetipſo* poteſt referri Primo, ad Filium hominis. q. d. Deus clarificavit Chriſtum, hominem oſtendendo, quod ipſe ut homo in ſe ipſo contineat inhabitantem Deum, Verbique deitatem. Secundo, ad τὸ *Deus*, q. d. Deus glorificavit hominem Chriſtum, oſtendendo quod ipſe in ſeipſo, hoc eſt in Deo, puta in hypoſtaſi divina Verbi, ſubſiſtat; humanitas enim in Chriſto non habet ſuam ſubſiſtentiam humanã, ſed ſubſiſtit in eadem ſubſiſtentia divina, in qua ſubſiſtit Verbum, quæ magna eſt humanitatis Chriſti exaltatio, ſublimitas & gloria.

D FILIOLI] Nota hic teneritudinem affectus, & amoris Chriſti erga ſuos fideles, & Apoſtolos: non enim ait *filii* ſed *filioli*: materna ergo viſcera erga eos, quaſi infantes recens a ſe genitos oſtendit. Rurſum *filioli*, quia Apoſtoli adhuc parvuli erant fide & amore Chriſti: nam ejus plenitudinem, & quaſi virilem ætatem acceperunt a Spiritu S. in Pentecoſte. Symbol. Cyrill. Omnes Sancti, inquit, quantumcumque perfecti, reſpectu Chriſti ſunt filioli, id eſt parvuli.

VERS. 33 Chriſtus ſuos teneritudo.

ADHUC MODICUM (modico tempore) VOBISCUM SUM] quia poſt horam a Juda prodar, & tradar Judæis. Chriſtus hic ſuis ultimum dicit vale, q. d. Valete, o filii mei dilectiſſimi: ego enim a vobis abeo ad mortem, deinceps vobiſcum more ſolito non verſabor, ſed redibo ad cælum.

Ultima verba S. Antonii. S. Ephrem.

Sic S. Antonius moriens, ad ſuos diſcipulos converſus ait: *Valete viſcere mea. Antonius enim migrat, & jam non erit in præſenti ſeculo vobiſcum.* Ita S. Athanaſ. in ejus Vita. Et S. Ephrem in ſuo teſtamento: *Dimitte me, quia dificiens abeo. Reminiſcamini autem mei abjecti in veſtris piis orationibus. Etenim in vanitate vitam peregi meam.* E

Et S. Dominicus vocatus ab angelo dicente: *Veni dilecte mi, ingredere in vera gaudia*; ſuis edixit: *Vos quidem chariſſimi nunc me ſanum videtis: ſed ego ante celeberrimã B. Matris Dei Aſſumptionem, ad Dominum proficiſcar.* Dictum factum. Ita habet ejus Vita lib. 4. c. 12. Et S. Franciſcus: *Valete filii omnes in timore Domini, & permanete in eo ſemper. Et quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat, felices qui perſeverabunt in his, quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo.* Ac paulo poſt dicens: *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi*, ſpiritum Deo reddidit. Ita S. Bonaventura in Vita ejus lib. 1. c. 14.

S. Dominici. S. Franciſci.

QUÆRETIS ME, ET SICUT DIXI JUDÆIS: (c. 7. v. 34.) QUO EGO VADO, VOS NON POTESTIS VENIRE: ET VOBIS DICO MODO] q. d. Ego per mortem redeo ad cælum, vos, o Apoſtoli, mea præſentia deſtituti, in tribulationibus & perſecutionibus, quæ vos manent, quæretis me, & optabitis me præſentem, ut me in dubiis conſulatis, & in adverſis conſolationem ac confortationem a me accipiatis, ſed *quo ego vado, vos non poteſtis venire*: tum quia veſtra virtute, veſtris pedibus, veſtris naturæ viribus, me in cælum ſcandentem ſequi non poteſtis: tum quia ſupernaturales gratiæ vires necdum habetis, ut me ſequi poſſitis: necdum enim eſtis tam fortes, ut me ad crucem, mortem & martyrium comitari valeatis: necdum eſtis ita in gratia, virtute & charitate perfecti, ut apti & digni ſitis regno cæleſti. Denique necdum ad illud poteſtis venire, quia Pater meus cæleſtis decrevit vos poſt meam mortem mittere evangelizatum per totum orbem, ut omnes gentes ad meam fidem & ſalutem perducatis. Hiſce ergo verbis tacite Chriſtus Apoſtolos hortatur, & roborat ad omnia adverſa pro fide ſua fortiter toleranda. Ita Cyrillus lib. 9. 22. F

SICUT DIXI JUDÆIS] Addit hoc, ait Chryſ. ut oſtendat id non eſſe novum & recens, ſed jam diu ante a ſe prævisum & prædictum, ac a Patre decretum. Rurſum, ut oſtendat eos a Judæis perſecutionem paſſuros & occidendos, ſicut ipſe ab eis afflictus & occiſus fuit. Tertio, ut indicet ipſos tribulationes multas, ac tandem mortem paſſuros, ſicut Judæi paſſi ſunt, ſed diſpari cauſa & fine: Judæi enim ob ſcelera ſua exciſi iverunt in tartara; Apoſtoli vero ob Evangelium occiſi, avolarunt in cælum. G

ET VOBIS DICO MODO] tum ut prædictione hac mea vos modo præmuniam & obarmem contra omnes tribulationes vobis imminentes: tum ut ſciatis modo, id eſt hoc tempore, vos necdum me ſequi poſſe, ſecuturos tamen poſtea, cum in virtute, & meritis fueritis perfecti, cumque me morientem ſequentes morte veſtra, pro fide mea merebimini lauream martyrii in regno cælorum. Unde clare id explicans Chriſtus v. 36. ait Petro: *Non potes me modo ſequi, ſequeris autem poſtea.*

VERS. 34 Mandatum dilectionis novum. Cur

MANDATUM NOVUM DO VOBIS, UT DILIGATIS INVICEM] Cur *novum*? Varii varias dant cauſas. S. Aug. *novum*, inquit, quia per dilectionem fidelis exuit veterem hominem, & induit novum. Janſen. *Novum*, inquit, hoc eſt a Chriſto renovatum, eo quod in mentibus hominum foret antiquatum: Maldonatus, *novum*, id eſt, præſtans, eximium. Sicut Apoc. 7. dicunt virgines canere *canticum novum*, id eſt, ſingulare & eximium.

Reſp. Primo.

Verum dico mandatum dilectionis diei *novum*, quia novi teſtamenti eſt proprium, & præcipuum, ac a Chriſto verbis & exemplis præcipue commendatum, ſicut ex adverſo mandatum timoris erat antiquum, & præcipuum apud Judæos. Lex enim nova eſt amoris, ſicut lex vetus eſt timoris. H

Secundo.

Secundo, *novum*, quia Chriſtus hoc dilectionis mandatum hic explicatius, arctius, & firmius quam antea fuerat, ac proinde novum, nobis tradidit, ideoque effudit Spiritum ſanctum in Pentecoſte, ut novum hoc amoris mandatum novo amoris ſpiritu impleremus.

Tertio.

Tertio, & magis proprie ad rem præſentem, *novum* dicitur ratione novi objecti, & cauſæ diligendi: Chriſto enim, qui eſt caput Eccleſiæ, incarnato, facta eſt ſingularis communicatio, & unio membrorum Eccleſiæ, tum inter ſe, tum cum Chriſto capite ſuo jam homogeneo: unio, inquam, tum per naturam humanam a Chriſto aſſumptam, tum per gratiam, quam ipſe in nos, ceu caput in membra, influit; tum maxime per Sacramentum Euchariſtiæ recenter ab eo inſtitutum, quæ unio fundamentum eſt, & radix magis ſingularis, & arctioris amoris

Digitized by Google

A tis Christi & Christianorum, majorisque obligationis ad amandum sese invicem: per hanc enim arcte uniti sumus non tantum humanitati Christi, sed & deitati, totique S. Trinitati, ac in ea, & per eam nobis invicem.

Hunc sensum innuit Christus, dum subdit: *Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. q. d. Quia ego nove & singulariter dilexi vos, assumens carnem vestram, eamque vobis dans, quasi cibum animæ vestræ per Eucharistiam, quam paulo ante institui, ut in eo omnes vos mihi unirem, ac in me vos vobis mutuo arctissime copularem, hinc pariter exigo a vobis novum & singularem amorem, quo vos, o Christiani, invicem diligatis, non tantum sicut homo diligit hominem, quia ejusdem naturæ humanæ consortem, sed sicut Christianus diligere debet Christianum, id est, eum, qui summe sibi in Christo unitus, ejusdem Ecclesiæ & Eucharistiæ Christi est consors & particeps.

Recte enim advertit Toletus hoc Christi præceptum, non omnibus hominibus, sed solis Christianis hic dari: ii enim se invicem diligere debent, non tantum quasi proximos propter Deum; sed quasi fratres, & unius corporis B Christi membra, propter Christum.

Vide dicta 1. Joan. 2. 8. ad illa: *Mandatum novum scribo vobis*, ubi fuse octo rationes recensui, ob quas dicitur *novum*.

Christiana dilectio Gentilibus fuit admirationi.

Hæc dilectio, ait Tertull. lib. de Patientia, *est summum fidei sacramentum*, id est, signum & symbolum Christianorum. Unde idem Tertul. Apolog. c. 39. ait Gentiles admirantes hanc mutuam Christianorum dilectionem, dicere solitos: Videte quomodo Christiani se mutuo diligant; & ut alter pro altero mori sit paratus, ut ex uno patre & eadem matre nati videantur, quos nec lingua, nec natio, nec patria consuetudo, nec nativi loci diversitas dividit. Hæc est illa, ait Toletus, quam si servaremus omnes, sicut non natio beatior ulla est quam Christiana, ita nec ulla foret illa fortior aut potentior. Unde S. Pachomius militans in exercitu Constantini Imperatoris videns Christianorum charitatem, qua militibus cibum, potum omniaque necessaria ultro, & gratis offerebant, a gentilismo conversus est ad christianismum, imo ad monachismum, adeoque cœnobiticæ vitæ fundator, & princeps evasit.

C SICUTI DILEXI VOS, UT ET VOS DILIGATIS INVICEM] ut scilicet sicut ego, cum in forma Dei essem, vestri amore formam servi assumpsi; ut vos docerem, salvarem, bearem; sic & vos ad infima & aspera quæque demittatis, ut vobis invicem succurratis; ego jam pedes vestros lavi, & vos invicem pedes lavate: ego me in cibum dedi in Eucharistia, & vos proximos vestros pascite; ego jam pro vobis crucifigar & moriar, & vos mortem quamlibet corpoream excipite, ut animas salvetis: ego amavi vos nullis vestris meritis præcedentibus, cum inimici essetis, amavi vos, non meam utilitatem, sed vestram salutem quærens, amavi usque ad sanguinis effusionem; amavi ita ut nihil tam abjectum & laboriosum esset, quod recusaverim, si vobis utile esset; hæc eadem vos præstare debetis fratribus. Ita S. Chrysost. & Cyrill. Hoc est, quod ait Joan. epist. 1. cap. 3. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*.

Nota τὸ *sicut dilexi vos*, potest referri Primo, ad id, quod præcessit, quasi pertineat ad substantiam hujus mandati, q. d. Mando vobis ut diligatis vos invicem, simili modo, quo ego dilexi vos, scilicet, ut, sicut ego prior D dilexi vos, sit & vos priores diligatis invicem, & vos mutuo amore præveniatis. Ita Chrysost. Rursum, ut, sicut ego pro vita vestra spirituali dedi vitam meam corporalem, sic & vos pro salute animarum impendatis vitam corporis. Ita Cyrillus. Secundo & melius, referas, τὸ *sicut dilexi vos*, ad id quod sequitur, *ut & vos diligatis invicem*, ne sit tautologia, & idem quod ante dictum est, iterum reperatur. Unde Complut. Toletus & alii ante τὸ *sicut dilexi vos*, ponunt duo puncta. Et Syrus clare hæc distinguens vertit, *præceptum novum do vobis, ut diligatis alius alium, prout ego dilexi vos, vos quoque diligatis alium*; ut prior pars significet substantiam præcepti, scilicet juberi ut diligamus nos invicem, posterior vero pars post duo puncta, significet modum præcepti, nimirum ut diligamus invicem, simili modo quo Christus nos dilexit, uti paulo ante exposui. Insuper ut addat nobis stimulum acremad diligendum invicem. q. d. Stimulus ingens vobis, o Christiani (hos enim omnes Christus alloquitur, quia Apostoli hos omnes repræsentabant) ad mutuum amorem esse debet dilectio Christi, qua vos dilexit. Primo, quia Christus sicut vos dilexit, sic dilexit & socios vestros, omnesque fideles: hos ergo, quos Christus adeo dilexit, vos quoque, o Christi asseclæ, diligite. Secundo, Christus vos diligens pro compensatione suæ dilectionis, hoc exigit a vobis, ut & vos diligatis proximos. Hanc ergo rationem dilectionis, & vicarium amorem illi rependite quoad potestis: nec enim vestra dilectio, utpote vilis & exigua, dilectionem Christi, utpote eximiam, & inexhaustam, æquare poterit, etiamsi creseceret assidue usque ad diem judicii. Tertio, q. d. Christus: Ego proximos vestros vobis in dilectione mea conjunxi, astrinxi & associavi, æque ac in communione corporis, & sanguinis mei, in Eucharistia. Vos ergo ita vobis mutuo in me conjuncti, & quasi consanguinei, imo fratres effecti, ut tales vos invicem diligite, & redamate.

E IN HOC COGNOSCENT OMNES QUIA (quod) DISCIPULI MEI ESTIS, SI DILECTIONEM HABUERITIS AD INVICEM] VERS. 35 q. d. Schola mea est doctrina & disciplina dilectionis, schola mea est academia charitatis; si ergo me doctorem audire & sequi, si discipuli mei esse, ac ut tales ab omnibus F haberi & agnosci cupitis, voc invicem diligite. Hoc ergo privilegium soli concessum est charitati; non enim miracula, non ingenium, non eloquentia, non robur, non quid aliud, sed sola dilectio facit nos Christi discipulos; ait Chrys. Ipse enim dilectionis est magister, primipilus, rex, dux & princeps.

Hinc dilectio proximi a S. Jacobo c. 2. 8. vocatur lex regalis, ob septem causas, quas ibidem recensui. Hinc & Paulus Rom. 13. 8. *Qui diligit proximum*, ait, *legem implevit*. Tales fuere primi Christiani, de quibus Lucas ait Actor. 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, eranique illis omnia communia*. Vide ibi dicta. Appositum exemplum dat Dorotheus doctrina sexta. Sicut, inquit, in circulo, lineæ a circumferentia ductæ ad centrum, quo magis accedunt ad centrum, eo magis accedunt ad se invicem; quo vero magis recedunt & elongantur a centro; eo magis recedunt a sese invicem. Sic pariter quo quis magis accedit ad amorem Dei, & Christi, eo magis accedit ad amorem proximi: quantum vero recedit ab amore Dei, tantum quoque recedit ab G amore proximi. Deus enim est centrum mundi, æque ac cordis, & amoris nostri; proximi vero sunt quasi lineæ ductæ ad centrum. In Deo ergo omnis proximorum amor coit, & unitur. Audi Sanctum Augustinum: *Non est prætermissum illud magnum mandatum de diligendo Deum: qui enim spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit, nisi Deum? Sic & qui Deum diligit, non potest contemnere præcipientem ut diligat proximum; bene itaque intelligentibus utrumque mandatum invenitur in singulis*. Hinc S. Basil. in Regulis fusius disp. reg. 3. docet nos amori Dei satisfacere per amorem proximi: *Quippe*, ait, *cum ipse beneficium illud perinde accipiat, ac si in se proprie fuisset collatum*, juxta illud: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Matth. 25.

Deus est centrum dilectionis.

DICIT EI SIMON PETRUS: DOMINE QUO VADIS?] VERS. 36 Rogat hoc Petrus, non ut sciat, sed ut Christum, quem summe amabat, sequatur, ait Chrysost. Verum Petrus plus æquo de se præsumebat, ait Cyrillus: putabat enim se posse Christum sequi per omnia, quod necdum poterat. Unde Christus eum reprimens, subjicit: *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea*.

Romæ extat locus sacello decoratus, ante portam S. Sebastiani, in quo Christus visibiliter occurrens S. Petro, e carcere Mamertino rogatu Christianorum fugienti, rogantique: *Domine quo vadis?* respondit: *Vado Romam iterum crucifigi*. Unde S. Petrus intelligens Christum de se loqui, Romam ad carcerem rediit, ac paulo post a Nerone crucifixus est: quocirca sacellum illud usque hodie vocatur, *Domine quo vadis?*

H Sacellum Romæ dictum *Domine quo vadis*.

DICIT EI JESUS: QUO EGO VADO, NON POTES ME MODO SEQUI] quia necdum recepisti Spiritum sanctum, cujus robore mortem superes, ait Cyrillus. Oportebat enim Christum præcedere, & mortem superare. q. d. Nunc non habes eam animi firmitatem & id robur, ut pro me mori possis: veniet in te Spiritus sanctus, & tunc poteris, ait S. Augustinus tract. 66. Rursum, Petrum Christus destinarat, ut post se esset caput Apostolorum; Ecclesiæ princeps, & gubernator, ac Pontificatus Romani fundator, &c. hæc ergo prius Petrum peragere congruebat.

SEQUE-

Digitized by Google

A SEQUERIS AUTEM POSTEA] me in cruce, & per crucem ad cælum. Ita Cyrill. Hanc primam Christi sequelam in eadem cruce, merebatur tunc amor & fervor Petri.

VERS. 37 DICIT EI PETRUS: QUARE NON POSSUM TE SEQUI MODO? ANIMAM (vitam) MEAM PRO TE PONAM] Dicit hoc Petrus ex solito suo fervore & zelo, sed non secundum scientiam, ignaro scilicet & indiscreto: suspicabatur enim Christum ad mortem, uti prædixerat, ire; quare ei se comitem, & fidum Achatem in omni periculo offert. q. d. Paratus sum tecum omnem periculorum aleam subire, offero me tibi socium ad omnia adversa, mortem tecum, & pro te, libens excipiam. Laudandus pius erga Christum Petri affectus, esto carens effectu, & evanidus: necdum enim alias amoris, ad in tam sublimem crucem volandum, a Spiritu S. acceperat.

VERS. 38 RESPONDIT EI JESUS: ANIMAM (vitam) TUAM PRO ME PONES? AMEN, AMEN DICO TIBI: NON CANTABIT GALLUS, DONEC TER ME NEGES] Christus Petrum sibi præfidentem humiliat, permittitque eum cadere in sui negationem, ut discat non suis viribus, sed Christi gratiæ confidere. Quocirca sæpius id Petro prædixit Chri-

B stus, nam hæc apud Joannem prædictio diversa est ab aliis, quas commemorant cæteri tres Evangelistæ. Porro, quando & quomodo Petrus ante secundum, & ultimum galli cantum ter Christum negarit, ostendi Matth. 26. v. 70. & seq. Audi S. Chrys. hom. 72. *Experientia cognoscas nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina: unde constat hunc casum Jesum pro ipsius utilitate permisisse.* Et S. Aug. tract. 66. *Itane facies pro me, quod ego nondum pro te? animam tuam pro me pones; præire potes, qui sequi non potes? quid tantum præsumis? quid esse te credis? audi quid sis, non cantabit gallus, donec ter me neges.*

CAPUT XIV.

SYNOPSIS CAPITIS.

C *PRimo, Christus abiens e terra solatur discipulos, dicens quod vadat eis parare locum in domo Patris. Secundo, v. 6. Thomæ roganti,* Quo vadis? *& qua via? respondet Christus:* Ego sum via, veritas, & vita; *ac Philippo cupienti sibi ostendi Patrem,* Philippe, *inquit,* qui videt me, videt & Patrem meum. *Tertio, v. 16. promittit se suis alium paraclitum e cælo missurum. Quarto, Judæ Thadæo respondens, ait eum se diligere, qui servat mandata sua. Quinto, v. 27. pacem suam eis donat.*

VERS. 1. NOn turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.

2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.

3. Et si abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

4. Et quo ego vado scitis, & viam scitis.

5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo

D vadis: & quomodo possumus viam scire?

6. Dicit ei Jesus: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

7. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

9. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum: & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?

10. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.

11. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?

12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ E ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.

14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

15. Si diligitis me, mandata mea servate.

16. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,

17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.

19. Adhuc modicum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, & vos vivetis.

20. In illo die vos cognoscetis, quia ego F sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

21. Qui habet mandata mea, & servat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?

23. Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:

24. qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est G meus: sed ejus, qui misit me Patris.

25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.

26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

27. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est.

29. Et nunc dixi vobis prius quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis.

30. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.

31. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, H sic facio. Surgite, eamus hinc.

NON TURBETUR COR VESTRUM: CREDITIS IN VERS. DEUM, ET IN ME CREDITE] Videbat Christus animos discipulorum turbatos, hoc est mœstos, pavidos, anxios & consternatos, ex eo quod eis prædixerat instare suum discessum, & passionem per proditionem Judæ, ac scandalum Petri ter se negaturi. Timebant enim ne & ipsi metu Judæorum victi Christum negarent. Si enim Petrus, qui videbatur fortis ut petra, erat eum negaturus; quid facturi erant cæteri eo debiliores, & timidiores? Huic turbationi medetur Christus dicens: *Creditis in Deum, & in me credite.*

Pro *creditis*, græce est, πιστεύετε, quod tam est imperativi modi, quam indicativi. Unde Syrus & Arabicus vertunt, *credite in Deum, & in me credite.* Sensus est. q. d. Si creditis in Deum, ut scio vos credere, in me quoque credite, & consequenter sperate. Ego enim sum Deus,

A Deus, Deo Patri consubstantialis, ut hac fide & fiducia omnem turbationem & pavorem superetis, & promissorum meorum fiatis participes. Hoc enim fiet, si acies mentis per fidem & spem in me uno defigatis, ac omnem pavorem vestrum, sollicitudinem & anxietatem in me quasi Deum & Dominum vestrum conjiciatis. Ego enim esto corpore abeam a vobis, spiritu tamen, cura & gubernatione mea semper vobis adero.

Audi S. Chrysost. Divinitatis virturem ostendit, ea prodens, quæ illi habebant in mente. q. d. Timetis adversa, quæ mihi & vobis imminent: metum ponite: quia fides in me & in Patrem, potentior est his, quæ supervenient, & nihil contra eam potest prævalere. Et S. Aug. *Ne mortem Christi tanquam homines timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, Deum se esse contestans. q. d. Mortem metuitis huic formæ servi, non turbetur cor vestrum, suscisabit illam forma Dei.* Porro Christus hic facit, ait Ribera, quod facere solent agricolæ, qui vitem ut imbecillem ulmo adjungunt, ut inde firmitatem accipiat, ad scandendum & crescendum, etiamsi venti & imbres in eam sæviant: ita Dominus ad se, tanquam ad murum firmissimum Apostolos adjungit per fidem, ut fiat illud Psal. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Audi & Cyrillum: *Quis superabit divinis armis undique cataphractos? arma vero, latusque clypeus, qui teli hostium frangi non potest, fides est.* Idem sibi a Christo dici putet Christianus, cum tentatione, turbatione, aut pavore gravi pulsatur. Credis in Deum, & in Christum tuum crede; ille tibi aderit, vires dabit, viam evadendi aperiet, victorem te faciet.

B

VERS. 2. IN DOMO PATRIS MEI MANSIONES MULTÆ SUNT] Dixerat Christus se iturum ad Patrem, & Petrum se postea eodem secuturum, de cæteris discipulis tacuerat: timebant ergo illi, ne domo Patris & cælo excluderentur. Hunc timorem eis eximit Christus, q.d. Ne metuite: esto enim vos modo mecum comites in regnum Patris mei nō assumam: tamen faciam ut me suo tempore sequamini, nec putetis solum Petrum me eodem secuturum, quasi ibi non sit locus nisi mihi & Petro, assero vobis ibidem vobis non defore locum, quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt: quare non est quod timeatis, ne illæ omnes a me & Petro, vel aliis præoccupentur, ut vobis in cælo locus non supersit. Cælum enim empyreum vastissimum est, & plurimas habet mansiones, quæ omnibus omnino hominibus capiendis sufficient. Audi S. Aug. *Hoc subjungit, quia sibi discipuli metuebant, cum Petro dictum esset: Non cantabit gallus; ut a turbatione recreentur, fidentes etiam post pericula tentationum, se apud Christum cum Deo mansuros esse,* Et Chrys. *Quia Dominus dixerat Petro: Sequeris autem postea; ne existiment ei soli hanc promissionem datam, ostendit & illos etiam in eum regionem suscipiendos.*

In domo Patris cælestis mansiones multæ.

C

Porro *ἐν multi* insinuat varios in cælo beatitudinis, & gloriæ fore gradus & ordines. q. d. Suus cuique Sancto in cælo erit locus, sua cuique beatitudo, sua cuique gloria, sed pro meritis dispar. Ita Patres contra Jovinianum, qui uti censebat virtutes esse pares, sic & paria eorum fore præmia in cælo. Unde Interlin. mansiones multæ, hoc est, inquit, diversa præmia meritorum.

Audi S. August. *Mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Est quidem denarius æqualis, id est vita æterna, quod ad æternitatem pertinet, sed sunt diversæ meritorum dignitates. Fit quidem per charitatem, ut quod habent singuli, commune sit omnibus: sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Respuendus est autem illorum error, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid, ubi beati manent parvuli ex hac vita decedentes sine baptismo; absit enim ut regnantium quisquam sit extra regnum, nec Dominus dixit, In beatitudine, sed, in domo Patris mei.*

D

Rursum S. Greg. lib. 4. Moral. c. 31. *In multis mansionibus*, ait, *erit retributionum diversitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Unde & non æque laborantes in vinea, æque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt; & tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt, quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnium sublimitas vitæ.* Has mansiones multas magnitudine lucis plenas Stephano cuidam ostensas narrat idem S. Greg. 4. Dialog. c. 36. Igitur Christus hisce verbis, & hac ostentatione præmii cælestis, animat Apostolos, ut tentationes, & persecutiones sibi imminentes non reformident, sed ambiant, utpote per quas præmium hoc consecuturi sint. E

SI QUO MINUS DIXISSEM VOBIS: QUIA VADO VOBIS PARARE LOCUM] *Si quominus*, id est, si secus esset, si aliter se res haberet, si videlicet in domo Patris non essent mansiones multæ, *dixissem vobis quia* (quod) *vado parare vobis locum*. q. d. Dixissem quod a vobis abeam, & vadam ut parem vobis locum in cælo, nisi jam ibidem multæ mansiones paratæ essent; sed quia illæ jam paratæ sunt, idcirco non dixi vobis; vadam illas paraturn. Secundo, ex Græco, & Syro, qui carent τῷ *quia*, Arias Montanus & Ribera sic simpliciter exponunt. q. d. Multæ mansiones sunt in domo Patris mei: quod si ita non esset, plane vobis non dicerem, nec vos vana spe deciperem, quoniam eo ut parem vobis locum. q. d. Cum tantum vos amem, ut recedam a vobis causa parandi vobis locum, quomodo hoc non dicerem, aut in re tanta paterer decipi, quos tantopere diligo? parare autem locum est in possessionem cæli venire, quod usque ad illud tempus fuerat hominibus clausum. q.d. Me ascendente aperientur vobis cæli, juxta illud: *Attollite portas principes vestras, & introibit rex gloriæ.* Et Michææ 2. *Ascendet enim pandens iter ante eos.* F

Quomodo Christus vadit parare locum Apostolis, cum sint in cælo mansiones multæ?

Dices: Si Apostolis jam paratæ erant mansiones in cælo, quomodo ergo Christus vadit parare eis locum? Resp. Utrumque verum est. Nam Primo, hæ mansiones a Deo paratæ erant Apostolis, & cæteris electis ab æterno, ex Dei prædestinatione, quasi in actu primo. Secundo, Christus tamen vadit, ut paret eas quasi in actu secundo, ut scilicet de facto Apostolos in eas inducat, tum quia Christus iter in cælum, antea clausum & invium, sua in illud ascensione aperuit, stravit & complanavit: tum quia ipse sanguine suo, & morte in cruce, solvit Deo pretium mansionum harum cælestium, illoque eas nobis coemit. Ita S. Cyrill. tum proprie, quia Christus e cælis misit Spiritum sanctum, qui sua gratia, virtutibus & meritis heroicis Apostolos, cæterosque electos cælo dignos efficeret. Ita S. Aug. *Quomodo*, ait, *parat, si jam multæ sunt? nondum sunt si parandæ sunt: eosdem, quæ prædestinando præparavit, præparat operando. Jam ergo sunt in prædestinatione; alioqui dixisset, Ibo & preparabo, id est prædestinabo: sed quia nondum sunt in operatione, dicit: Si abiero & preparavero,* &c. *Parat modo mansiones: preparando mansores domus enim Dei, de qua Apostolus, Templum Dei sanctum quod estis vos, adhuc ædificatur, adhuc præparatur: dicitur vero abire ut præparet, quia justus ex fide vivit: si autem vides, non est fides; id ne videatur, latet ut credatur: tunc locus paratur, si ex fide vivatur, creditus desideretur, ut desideratus habeatur, vadit latendo, venit apparendo, sed nisi maneat regendo, ut proficiamus bene vivendo, non parabitur locus, ubi possimus permanere perfruendo.* Et Glossa: *Credenti colligitur meritum, eunti redditur præmium, desiderium dilectionis præparatio est mansionis.* G

ET SI ABIERO, ET PRÆPARAVERO VOBIS LOCUM: ITERUM VENIO, ET ACCIPIAM VOS AD MEIPSUM, UT UBI SUM EGO, ET VOS SITIS] *Si* id est, *cum*, q. d. Cum in cælum abiero, ibique vobis, vestrisque successoribus, id est omnibus electis, locum præparavero, dando eis successive per singula sæcula usque ad finem mundi, Spiritum sanctum, ejusque gratiam & merita, quibus se ad gloriam cælestem præparent, eaque se dignos efficiant: quo facto iterum veniam in die judicii, ut vos omnes accipiam ad meipsum, ut digno præmio in cælis coronem. Sæpe enim in Evangeliis prædixit Christus se rediturum in extremo judicio, ut fideles, & Apostolos, qui pro eo laborarunt, & multa passi sunt, ad se recipiat & glorificet. VERS. 3. H

ET QUO VADO, SCITIS, ET VIAM SCITIS] *Sciris*, id est scire facile potestis, & debetis, quia sæpe a me audistis, quod eam ad Patrem in cælum, ac viam in cælum esse meam fidem, doctrinam, vitam, passionem & crucem. Et sciebant Apostoli Christum hæc dixisse; sed necdum illa intelligebant, unde nec eorum meminerant. Unde Aug. *Sciebant quidem*, ait, *sed se scire nesciebant*, sciebant habitu, nesciebant actu: sciebant obscure & confuse, nesciebant distincte & in particulari, quomodo scilicet Christus sit via, Pater vero sit meta & terminus viæ. Ita Ribera, Tolet. Maldon. & alii. VERS. 4.

DICIT EI THOMAS: DOMINE NESCIMUS QUO VADIS, ET QUOMODO POSSUMUS VIAM SCIRE?] q.d. Cum nesciamus VERS. 5.

Digitized by Google

A scianus quo eàs, quomodo possumus scire viam, quæ eo, quo is, tendit? qui enim nescit terminum, viam quoque ad terminum nesciat oportet. Audivimus quidem te dicere, quo eas in domum Patris tui, ubi mansiones multæ sunt, parare nobis locum; sed ubi est hæc domus Patris? ubi mansiones illæ multæ? Si domus hæc est cælum, ut suspicamur, clarius & explicatius nobis idipsum edicito, plenius has mansiones exponito, ubinam, & in qua regione illæ sitæ sunt? Magna enim, & quasi immensa est cæli, imo cælorum plurium vastitas. Ita Thomas. *Christus vero*, ait Cyrillus, *nihil ad tantam curiositatem respondit; non enim totam rem exponit: sed ea opportuno tempori relicta, quo modo necessarium est, illud explanat.* Unde sequitur.

VERS. 6. Christus est via, veritas & vita.

DICIT EI JESUS: EGO SUM VIA, VERITAS, ET VITA] Breviter sensus genuinus est. q.d. Quæris, o Thoma, duo, scilicet meam viam, & ejus terminum, nimirum, quo vadam, & qua via? Resp. Ego sum via, quam quæris; via, inquam, non fallax; sed vera, quæ ducit ad veram vitam, puta ad Deum Patrem in cælis, ubi est domus Patris mei, in qua mansiones multas esse dixi, unde id explicans subdit; *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Pater ergo est terminus; ego sum via. Est hendiadys: *Via & veritas*, id est via vera. Rursum. *Veritas & vita*, est vera vita. Nam enim *veritas*, cum ponatur inter *via* & *vita*, ad utrumqua referri potest. Jam, *ego sum via*, hoc est, mea fides, doctrina, gratia, & vita est via, quæ ducit ad cælum. Sæpe enim in Scriptura Christus ponitur pro adjunctis Christo, puta pro Christi fide, gratia, doctrina. Aut *ego sum via*, id est, ego sum doctor, index & dux viæ veræ, quæ recta ducit ad æternam & beatam vitam. q.d. *Ego sum via*, quia judico, & doceo veram fidem, & sanctam conversationem, quæ vera est via ad vitam æternam. Alludit ad illud Isaiæ 30. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum, post tergum moventis: hæc est via, ambulate in ea.*

Verum, quia aliæ viæ sunt veræ & rectæ, aliæ falsæ & erroneæ, juxta illud: *Est via, quæ homini videtur recta, & novissima ejus ducunt ad mortem*, Prov. 16. hinc Christus vocatur *via & veritas*, id est via vera & recta, juxta illud Isaiæ 35. *Et hæc vobis erit directa via, ita ut stulti non errent per eam.* q. d. Judæi, Gentiles & philosophi multa dixerunt, & docuerunt de beatitudine, & beata vita, & de virtutibus; quæ quasi via ad illam ducunt, sed in multos errores inciderunt, ideoque homines non ad vitam, sed ad interitum & gehennam duxerunt: quia sicut non veram, sed fucatam & falsam beatitudinem, beatamque vitam constituerunt in opibus, honoribus, deliciis & vanis scientiis: sic non veram, sed fucatam, & falsam viam ad beatam vitam inierunt, aliosque docuerunt. At ego doceo veram fidem, pietatem, charitatem, cæteraque virtutes, quibus quasi recta via pervenitur ad veram vitam æternam, quæ est apud Patrem, & consequenter apud me. Nam ego & Pater unum sumus. Sicut ergo Pater est vita beata, tum formalis, tum causalis, quia eandem nobis communicat; tum objectiva, quia Deus est objectum visionis beatificæ; sic ego sum eadem ipsa veritas & vita. Ego sum ergo, qui rectam viam in cælum vobis demonstro, ego sum qui quasi veritas omni errore mentis vos libero: ego sum, qui ad veram vitam vos duco. Quare nolite turbari mea morte instante, & vestra secutura; sed credite & sperate in me. Ego enim tam me, quam vos a morte ab beatam vitam & gloriosam suscitabo: ego enim sum via, veritas & vita.

Christus est via, veritas & vita.

D Hinc patet, quod Christus sit via. Primo, quia ipse per meritum passionis suæ nobis viam in cælum aperuit. Ita Jansen. & Maldonat. Secundo, quia ipse sua doctrina nobis viam eamdem ostendit. Tertio, quia ipse inspirat nobis fidem, gratiam & sancta opera meritaque, quibus quasi viis tendimus ad vitam æternam. Quarto, quia ipse ad hanc viam in cælum sua sancta vita, & passione præivit, primusque calcavit, ut eum in eadem sequentes & imitantes, perveniamus ad cælum quo ipse ascendit, & pervenit.

Hic est genuinus hujus loci sensus. Verum, quia aurea hæc est Christi gnome, audi varios, & elegantes Patrum de eo partim sensus, partim sententias.

Primo. Primo, igitur, S. Leo serm. 2. de resurrect. *Christus*, ait, *est via sanctæ conversationis, veritas doctrina divinæ, vita beatitudinis sempiternæ.*

Secundo. Secundo, S. Cyrill. l. 9. c. 33. Christus ait, nobis est via per vitæ actionem, veritas per fidei rectitudinem, vita per sanctificationis fontem. Additque: *Tria sunt*, ait, *necessaria ut cælestes mansiones consequamur, operatio virtutis, fides recta, spes vitæ*: & ideo Dominus dicit, *Ego sum via*, quia legem nobis dedit, & verbo, & exemplo docuit nos mundum contemnere, & sancte operari. Veritas est, quia ipse est rectissima regula fidei nostræ & docuit nos veritates divinas. Vita est, quia vitam quam speramus, nemo nobis tagiri potest nisi ipse. Sic sensus erit. q.d. Nemo venit ad Patrem (qui est ipsa vera vita & beatitudo) nisi per charitatem ambulet in me, qui sum via, ac per fidem credat in me, qui sum veritas: & per spem confidat in me, qui sum vita æterna.

Tertio. Tertio, S. Bern. serm. 2. de Ascens. *Sequamur*, ait, *Domine te, per te, ad te, quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.* Idem Bern. ser. 7. in Cœna Domini: *Ego*, ait, *sum via, per quam est eundum, & veritas, ad quam veniendum, & vita, in qua permanendum. Ego sum via sine errore, veritas sine falsitate, vita sine morte. Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Ego sum via habilis, veritas irrevocabilis, vita interminabilis. Ego sum via lata & spatiosa, veritas potens & copiosa, vita delectabilis & gloriosa.* Hucusque S. Bernardus, vel quisquis est auctor: stylus enim arguit alium esse auctorem.

Quarto. Quarto, S. August. Christus, ait, est via secundum humanitatem, qua ad nos venit, & rediit ad Patrem, idem est veritas, & vita secundum divinitatem. Audi eum ser. 55. de Verbis Domini secundum Joannem: *Quo vis ire? ego sum via: quo vis ire? ego sum veritas: ubi vis permanere? ego sum vita. Veritatem & vitam omnis homo cupit; etiam Philosophi Deum esse vitam quandam, & veritatem viderunt, viam non omnis invenit. Verbum ergo Dei, quod apud Patrem est veritas & vita, assumendo hominem, factum ea via: ambula per hominem, & pervenies ad Deum, melius est in via claudicare, quam prater viam fortiter ambulare.* Idem August. tract. 69. *Per formam servi*, ait, *Dominus venit ad nos, & rediit ad se, carnem de morte ad vitam reducens: venerat per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces; est autem Deus verax, sed omnis homo mendax; non reliquit autem se cum veniret ad nos; nam & qui loquitur, quodammodo ad auditores procedit, nec se relinquit; cum autem tacet, veluti ad se redit, & cum illis manet, si teneant quod audierunt. Ipse Dominus per seipsum, & ad seipsum, & ad Patrem, & nos per ipsum, & ad ipsum, & ad Patrem imus.*

Quinto. Quinto, S. Hilar. lib. 7. de Trinit. *Non nos seducit*, ait, *qui via est; nec illicit per falsa, qui veritas est, nec in mortis relinquit horrore, qui vita est.* Idem lib. de essentia Patris & Filii: *Nec ducit*, ait, *per erratica, quia est via, nec illudit per falsa, quia est veritas; nec in mortis horrore relinquit, quia est vita: si via, duce alio non indigetis, si veritas, non loquor falsa: si vita, etiam morientes ad me venietis.*

Sexto. Sexto S. Chrysost. hom. 72. *Sum via*, ait, *quia per me venietis; sum veritas, quia sine dubio hæc erunt, quæ dixi: sum vita, quia neque ipsa mors prohibere poterit, quo minus ad me perveniatis.* Huc accedit Toletus, qui sic explicat: *Ego sum via*, quia per me a peccato ad justitiam, ab hoc sæculo ad æternam beatitudinem transeundum est: *Ego sum veritas*, quia justitiam & beatitudinem, quam promitto, reipsa præsto; ergo ne dubitetis me venturum ad vos, & assumpturum ad me: at ne aliquando turbemini, cum vos occidi & necari propter me videritis, dicentes: Quomodo ergo ibimus ad te? *Ego sum vita*, qui vos resurgere a morte faciam, ut assumam vos ad me: mors enim non poterit impedire, quo minus ad me veniatis, quia ego sum vitæ causa.

Septimo. Septimo, S. Ambrosius libro de Bono mortis cap. 12. Christus: ait *Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ingrediamur hanc viam, teneamus veritatem, vitam sequamur. Via est, quæ perducit, veritas, quæ confirmat, vita, quæ perseverantibus redditur.* Et post pauca: *Sequemur te Domine Jesu, sed ut sequamur accersi, quia sine nullus ascendit. Tu enim via es, veritas & vita, quia in via possibilitas, in veritate fides, in vita præmium. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita.*

Symbolice. Symbolice, Christus est via incipientium, purgans eos per odium peccati, & detestationem vitæ prioris; idem est veritas proficientium, illuminans eos per exemplar virtutum, ac studium novæ sanctæque conversationis: idem est vita perfectorum, uniens eos Deo per puri amoris affectum.

A fectum, Audi S. Bern. ser. in cœna Domini multa conglomerantem: *Ego sum via incipientium, veritas proficientium, vita pervenientium: ego sum via lucis & serena, veritas vivens absque pœna, vita felix & amœna: ego sum via in patibulo, veritas in inferno, vita in resurrectionis gaudio: ego sum via, in qua non est spina vel tribulus; veritas, in qua non est falsitatis stimulus; vita, in qua revivisci mortuus: ego sum via recta, veritas perfecta, vita sine mensura: ego sum via reconciliationis, veritas retributionis, vita æternæ beatitudinis. Nemo venit ad Patrem, nisi per me, q.d. Nemo venit ad me veritatem & vitam, nisi per me viam.*

Tropol. Tropologice, S. Basilius notat Christum dici viam, ut denoter Christianos quotidie in via virtutis ambulare & proficere debere, juxta illud Psalt is: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Audientes viã*, ait, *seriem & ordinẽ intelligimus pro opera justitiæ, perque illuminationem scientiæ ducentem ad legitimum profectum, semper ad anteriora festinantes, & ad ea quæ restãt nosmetipsos extendentes, donec perveniamus ab beatum finem, qui est Dei cognitio, quam Dominus per seſe, in ipsum credentibus largietur. Revera enim bona est via exorbitationis*

B *erroriſque nescia, Dominus noster Jesus ad Patrem, qui vere est bonus, perducens. Nemo, inquit, venit ad Patrem, nisi per me. Talis est noster ad Deum reditur per Filium.* Hucusque S. Basilius libr. de Spiritu Sancto cap. 8. qui Christum ait esse viam, non tantum per fidem, sed etiam per operationem virtutum. Rursum Theoph. Cum exerces, inquit, vitam activam, fit tibi Christus via; veritas autem, cum in contemplativa perseveras: adjecta est autem vita, quia ad Deum referenda est actio, & contemplatio.

Anagog. Anagog. S. Aug. in Sententiis n. 268. *Dominus ait: Ego sum via, veritas, & vita, id est, per me venitur, ad me pervenitur, in me manetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur, quia per æqualem ille, cui æqualis est cognoscitur, vinciente atque agglutiante nos Spiritu sancto, ut in summo atque incommutabili bono sine fine maneamus.* Hinc S. Bern. moriens apparuit cuidam absenti dicens se sursum conscendere, *quia sursum est veritas:* nam in terra deorsum nil est nisi vanitas, & falsitas, ut docet Ecclesiastes. *Nulla* (ajebat S. Bern.) *hic scientia,*

C *nulla veri cognitio; sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis.* Ita habet Vita ejus l. 5. c. 3. Et S. Benedicti in cælum. Viam S. Benedicti moriente, de eo duobus ejus monachis hæc visio exhibita est. *Viderunt namque*, ait S. Greg. l. 2. Dial. c. 37. *quia strata palliis, atque innumeris coruscis lampadibus, via recto Orientis tramite ab ejus cella in cælum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarius assistens, cujus esset via quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt, quibus ipse ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cælum Benedictus ascendit.*

NEMO (enim) VENIT AD PATREM, NISI PER ME] Ego enim sum via ad Patrem, qui est terminus: Pater enim est ipsa vita beata, omnes Sanctos beans, uti jam dixi: *Nemo*, scilicet hominum. Addit Suarez: *nemo* quoque angelorum: hos omnes enim omnem suam gratiam & gloriam accepisse a Christo, ejusque meritis, ipse censet, multisque probat 3. part. q. 19. art. 4. disp. 42. sect. 1.

VERS. 7. SI COGNOVISSETIS ME, ET PATREM MEUM UTIQUE COGNOVISSETIS] Occurrit Christus objectioni. Poterant enim discipuli objicere: Tu, o Christe, asseris te esse viam: Patrem vero terminum, ad quem vadis. At nos non co-

D gnoscimus Patrem; unde nec cognoscimus terminum, ad quem tibi nobisque eundum est; fac ergo ut Patrem cognoscamus. Rursum, si Pater est terminus, tu via, quomodo ergo dixisti: *Ego sum via, veritas & vita*, id est, ego sum via, & terminus viæ? Respondet Christus utrumque esse verum. Ego enim, inquit, unam cum Patre habeo essentiam, unam eandemque divinitatem. Quare *si cognovissetis me*, plane & perfecte, *& Patrem meum utique cognovissetis.* Cognoscebant quidem & credebant Apostoli Christum esse Dei Filium; sed necdum credebant eum esse consubstantialem Patri, & eandem numero cum eo habere essentiam, & deitatem, sed id postea recepto Spiritu sancto cognoverunt. Unde subdit.

ET AMODO COGNOSCETIS EUM, ET VIDISTIS EUM] Ita Roman. & Chrysostom. quoque & S. Hilarius legunt *agnoscetis* in futuro, q.d. Jam jam cognoscetis Patrem in Pentecoste per illuminationem Spiritus Sancti, imo jam *vidistis eum in me: qui* enim *videt me, videt & Patrem meum*, uti subdit Christus. Græcus, Syrus, Arabicus, habent, γινώσκετε, id est *cognoscitis*, in præsenti. q.d. Jam cognoscitis Patrem, quia vidistis eum in me tot virtutes, & miracula operantem. Esto enim non videritis eum nude in sua essentia & deitate; vidistis tamen eum velatum in me, meaque humanitate ceu nube, per signa & miracula, quæ quasi fulmina & tonitrua ex ea evibrat. Ita S. Cyrill. Chrys. & alii. E

DICIT EI PHILIPPUS: DOMINE OSTENDE NOBIS PATREM, ET SUFFICIT NOBIS] Philippus non intellexit responsum Christi, quomodo scilicet qui cognoscit Christum, cognoscat & Patrem, instat ergo ut Christus Patrem ipsum ostendat. q.d. Ais Patrem in te esse, & quasi latere absconditum. Aperi te, & eum nobis ostende. Pater enim est principium, fons & origo divinitatis, ut ait S. Diony. cap. 3. de Divin. nomin. S. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. & 14. & Concil. Toletan. VI. in confessione fidei. VERS. 8. Petit Philippus a Christo ut sibi Patrem ostendat.

ET SUFFICIT NOBIS] Primo, & Chrysost. q. d. Non aliud cupimus, quam ostendi nobis Patrem.

Secundo, S. Cyrill. *Sufficit nobis*, scilicet ad beatitudinem, ut omni turbatione, mœrore & pavore liberemur, quia Pater cum sit Deus, ipse beabit nos. F

Tertio, *sufficit nobis*, ad confundendum Judæos, qui negant te esse Dei Filium. Ita quoque Cyrillus.

Quarto, simplicius: *Sufficit nobis*, ut tibi, iisque, quæ jam dixisti, & nobis promisisti de mansionibus multis in cælo, credamus & fidem adhibeamus, q.d. Pro omnibus rationibus, quas, o Christe, accumulas, ut nos de tua morte mœstos soleris, unam poscimus, ut ostendas nobis Patrem: hæc enim una nobis vice omnium erit & sufficiet. Sic fere S. Hilar. lib. 6. de Trinit.

Anagogice, Interlin. Pater sufficit nobis, quia in eo sufficientia erit nobis. Et Gloss. q. d. In quo sufficientia, & non in te. Audi Sanct. Augustinum lib. 1. de Trinit. c. 8. *Illa lætitia, qua nos adimpleait cum vultu suo, nihil amplius requiretur: quod bene intellexerat Philippus, ut diceret: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis; sed nondum intellexerat se posse dicere: Domine ostende nobis te, & sufficit nobis, quod ut intelligeret, responsum est ei: Tanto tempore vobiscum sum, &c.* Deus sufficit nobis.

Hinc verum est illud S. Augustini, *Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus tuus.* Deus enim est *Saddai*, id est sufficientia, copia, abundantia bonorum omnium, uti ostendi Genes. 17. 1. Ipse enim solus est saties cordis, requies animi, jubilius mentium. Unde Psaltes: *Satiabimur cum apparuerit gloria tua*, Psalm. 16. 15. Et: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabit eos*, Psalm. 35. 9. Et: *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psalm. 72. 25. Saddai quid. G

Ratio a priori est, quod Deus hominem crearit ad imaginem & similitudinem suam; quare indidit ei capacitatem infinitam, & desiderium infinitum, quod multis bonis finitis expleri & satiari non potest. Ergo necessum est, ut solus Deus, qui est bonum infinitum, illud impleat & satiet, juxta illud S. Aug. l. 1. Confess. c. 1, *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Unde idem S. August. in Psal. 102. *Pecori*, ait, *bonum est implere ventrem, dormire, gustare, vivere, sanum esse, generare. Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi, quid gaudes, quod socius es pecorum? erige spem tuam ab bonum bonorum omnium, ipse erit bonum, a quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in genere suo facta sunt bona: qui satiat in bonis desiderium tuum.* Idem in Psal. 62. *Amas divitias?* ait, *ipse Deus tibi erit divitiæ tuæ, amas fontem bonum? quid præclarius illa sapientia? quid lucidus? Quidquid hic potest amari, pro omnibus tibi erit, qui fecit omnia. Tamquam adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* H

DICIT EI JESUS: TANTO TEMPORE VOBISCUM SUM (per triennium conversatus, docui vos quis ego sim) ET NON COGNOVISTIS (Græca, Chrys. & Cyrill. legunt, *non cognovisti* in singulari) ME] quod scilicet non tantum sim homo, sed & Dei Filius, non essentia & existentia ab eo diversus, sed ipsi Deo Patri ὁμοούσιος, & consubstantialis. Idcirco enim me viso cupis videre Patrem, quod putes Patrem a me plane esse diversum & diversam habere naturam. q.d. Vide Jesum Dei Filium, superest ut videam ejus Patrem ab eo diversum, uti apud homines fit. Hæc est radix erroris tui; quocirca eam succidens tibi assevero, dicoque. VERS. 9.

PHILIPPE

Digitized by Google

A PHILIPPE QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM] q. d. Cum ego & Pater unum plane & idem simus, puta una essentia divina, una, inquam, non tantum specie, sed una in individuo; hinc qui videt me per humanitatem, quam assumpsi, eo modo quo videt me, videt & Patrem meum, quia ego & Pater unum sumus. Ubi Nota. In Christo humanitas videbatur per se, divinitas vero per accidens, quia non in se, sed tantum per humanitatem videbatur, sicut videtur anima per corpus, in quo movetur & operatur. Quare qui oculo corporeo (de quo maxime rogabat Philippus, & respondebat Christus: nam oculo mentis ait, illos se non cognovisse, scilicet plene, & perfecte] videbat per se hunc hominem, puta Jesum, indirecte & per accidens videbat ejus deitatem, quia hic homo revera erat Deus. Quocirca cum unus idemque sit Deus, qua ratione videbat Deum Filium, eadem videbat & Deum Patrem; loquor quoad essentiam, quæ utrique eadem est & communis, non quoad personam: persona enim Filii assumpsit humanitatem, non vero persona Patris. Quare qui directe videbat hunc hominem, directe videbat personam Filii Dei in homine latentem,

Qui videt Christum, videt & Patrem quo sensu.

B non vero personam Patris, nisi per concomitantiam, uti dicam v. 10. Simili modo, qui oculo mentis videbat, & ex miraculis cognoscebat hunc hominem, puta Jesum esse Dei Filium, cognoscebat quoque ex eisdem Deum esse ejus Patrem; tum quia Deum Filium nemo generare potest, nisi Deus Pater; tum quia una est tantum divinitas, quæ proinde eadem numero est in Patre, & Filio: quare qui videt sive cognoscit deitatem Filii, cognoscit quoque deitatem Patris, cum una sit eademque. Ita S. Aug. Cyrill. Chrys. Hilar. & alii Patres passim contra Arianos, qui ex hoc loco probant Primo, Jesum vere fuisse Deum, ita ut qui videret hunc hominem, videret pariter & Deum. Secundo, aliam esse personam filii Dei, aliam Dei Patris; quod negabat Sabellius: hanc enim diversitatem personarum notant hæ voces *Me & Patrem meum*, alia enim est persona Patris, alia Filii, utpote a Patre geniti. Tertio, Filium esse Patri ὁμοούσιον: nisi enim esset ὁμοούσιος Patri, posset videri Filius, non viso Patre, & vice versa, posset videri Pater non viso Filio, ut in humanis fit, ubi sæpe filii cognoscuntur, non cognitis parentibus. Etras, ergo, o Philippe, dum viso me

C cupis videre Patrem, quasi alium Deum, aliamque dei tatem sis visurus, cum non nisi una sit eademque: *Quomodo* ergo *tu dicis, Ostende nobis Patrem*? Jam enim eum tibi in meipso ostendi, uti dixi.

Denique Hilar. lib. 7. de Trinit. & Ribera censent eum qui videt Filium, videre & Patrem: quia Filius est character & figura substantiæ Patris, id est, expressa plenaq; imago & similitudo Patris, sicut in imagine expressa in cera videtur ipsa forma sigilli, ex quo impressa est. Verum Christus hic non tam agit de similitudine, quam de identitate naturæ divinæ, ut recte advertit Toletus.

Hic verus est sensus, quo Christus directe respondet interrogationi & menti Philippi: verum quia Christus arrepta interrogationis occasione solet altius assurgere, & auditores evehere, ac sublimiora docere, eodemque sermone complecti; hinc Secundo, hic locus accipi potest de omni & propria cognitione Patris, & Filii, sive per fidem, sive per speciem. q. d. Qui videt me secundum divinitatem, videt & Patrem, quia licet ipse sit a me distinctus, tamen ego in ipso sum, & ipse in me est per naturæ identitatem: quare qui videt, id est credit, me esse

D Dei Filium, videt pariter, id est credit, Deum esse meum Patrem; & qui per visionem beatificam videt me intuitive, intuitive videt & Patrem. Ita ex Cyrill. Aug. Chrys. & Hilar. Maldon. hic, & Suarez lib. de Attrib. divin. c. 23. n. 11. qui hinc docet Beatos videntes divinam essentiam, videre pariter tres in illa personas.

NON CREDITIS QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST?] Nota Primo. Hic rursus significatur distinctio personarum divinarum: nec enim recte quis dicitur esse in seipso, sed in alio. Secundo, significatur identitas naturæ divinæ: quia enim Pater & Filius sunt & existunt in una eademque natura divina; hinc Pater est in Filio, & Filius in Patre. Probat id Christus ex effectu; quia scilicet ipse doctrinam & opera sua habebat a Patre, & cum Patre communia: ergo & eandem cum eo naturam habebat communem. Ita Cyrill. & Leont. Hinc consequenter Tertio, hac gnome significatur perfecta & intima conjunctio & inhabitatio unius personæ divinæ in alia, & e converso; qua fit ut Pater sit in Filio & Spiritu sancto, Filius in Patre & Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Patre, & Filio: quam Damascenus lib. 1. de Fide cap. 11. vocat περιχώρησιν, & ex illo Scholastici vocant circumincessionem: de quo mysterio agit S. August. lib. 6. de Trinit. cap. ult. S. Hilar. l. 4. de Trinit. S. Ambr. in c. 13. ep. v. ad Corinth. *Singula*, ait S. Aug. *sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia*. Singulæ ergo personæ divinæ in aliis singulis non tantum quoad essentiam, sed etiam quoad relationem & personam sibi propriam inexistunt, quia omnes sibi invicem sunt intimæ & conjunctissimæ, uti ex Suarez & aliis fusius ostendi Isaiæ c. 45. 14. ad illa: *Tantum in te est Deus*. Unde sequitur, quod qui bene cognoscit videtque unam personam, v. gr. Filium, uti vident Beati, non tantum videat deitatem communem Patri & Filio, sed videat quoque ipsam personam Patris; tum quia persona Patris est intima personæ Filii: tum quia ad eam relationem, & ordinem essentialem includit: Pater enim essentialiter est qui gignit Filium: & hoc est quod ait hic Christus: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est*? Addit S. Hilarius, quod Filius sit Patri simillimus, utpote ejus character & viva imago.

VERBA QUÆ EGO LOQUOR, A MEIPSO LOQUOR] q. d Verba quæ ego loquor, non sunt humana, sed divina; quare non a mea humanitate, sed a divinitate, quam a Patre accepi, velut a propria causa proficiscuntur: unde qui me loquentem audit, non tam me, quam Deum Patrem in me, & per me loquentem audit. Nota. Deitas communis Patri & Filio erat causa efficiens verborum divinorum, quæ promebat Christus; res tamen verbis significata sæpe erat propria personæ Filii, non Patris, ut cum dicebat: Ego sum Dei Filius, ego sum Verbum, Ego carnem assumpsi, Ego quæ dico & facio, accepi a Patre: hæc enim dicebat de seipso, non de Patre, ut patet: nec enim Pater factus est homo, sed Filius: Pater tamen æque ac Filius erat causa efficiens, ut incarnationis, ita & verborum a verbo incarnato prolatorum. Opera enim S. Trinitatis ad extra, ut ajunt Theologi, sunt indivisa, & tribus personis divinis communia.

PATER AUTEM IN ME MANENS IPSE FACIT OPERA] *Pater*, tanquam primum principium, non tantum creaturarum, sed & cæterarum personarum divinarum, puta Filii, & Spiritus sancti. Cum enim Pater generando communicavit suam deitatem Filio, communicavit quoque eidem suam omnipotentiam, virtutem & operationem. Quare si non Filius, sed Pater ipse humanitatem assumpsisset, idem prorsus locutus & operatus fuisset, quod locutus & operatus est Filius; tum quia Pater locutus & operatus est in Filio: tum quia eadem est deitas & omnipotentia Patris & Filii: quæ omnia loquebatur & operabatur in Filio per humanitatem assumptam. Unde Apostolis colligendum relinquit Christus, q. d. Idcirco cum me videtis & auditis, Patrem meum a vobis videri, & audiri putate. Ex his autem dictis & factis meis, ait Ribera, potestis intelligere, quam bonus sit Pater meus, quam mansuetus, quantum vos amet; ex miraculis meis potestis cognoscere meam omnipotentiam, me scire omnia, & habere in me omnia bona: ex quo intelligitis eadem similiter habere Patrem, & in eo vos veram omnium bonorum affluentiam habituros: & cum hæc externa ad tantorum bonorum cognitionem vos ducant, quid futurum putatis, si meam & Patris essentiam sine speculo & enigmate intueremini? Itaque non loquitur de cognitione essentiali, sed de ea, quæ potest haberi in via.

NON CREDITIS QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? ALIOQUIN (Syrus, *sin minus*) PROPTER OPERA IPSA CREDITE] Pro *non creditis*, Græca habent πιστεύετέ μοί, id est, *credite mihi*, & sic legit Syrus, Arabic. Euth. Cyril. & Hilar. lib. 7. de Trinit. sed eodem redit sensus, & unus alterum includit, q. d. Non creditis quod ego sim in Patre, & Pater in me? Credite, quia ego vobis hoc assevero. Alioqui si mihi, id simpliciter asseveranti non creditis, credite saltem propter ipsa opera, quia Pater operando in me, & per me tot tantaque miracula, per opera ipsa ostendit se in me habitare, ac per me tanta operari, sicut anima ostendit se esse in corpore per motum, visum, auditum, tactum, aliaque opera vitalia, quæ ipsa per corpus operatur.

VERS. 10

Filius in Patre, & Pater in Filio.

AMEN, AMEN DICO VOBIS: QUI CREDIT IN ME, OPERA, QUÆ EGO FACIO, ET IPSE FACIET, ET MAIORA HORUM FACIET] Probare vult Christus Patrem esse in se, & in se in Patre; vis argumenti in eo consistit. q. d. Qui credit

A credit Patrem esse in me, hic per hanc fidem, sive vi & virtute hujus fidei similia miracula & opera divina faciet, qualia ego facio, imo majora faciet, quam faciam. Ergo fides illa vera sit oportet, quæ scilicet credit Patrem in me esse & operari. Pater enim operatur per fidem veram, illique per opera miraculosa testimonium veritatis perhibet, non vero fidei falsæ, alioqui enim ipse, qui est prima veritas, testis & approbator esset falsitatis & mendacii.

ET MAJORA HORUM FACIET] non quilibet fidelis, qui in me credit, sed aliqui ex illis, ut Apostoli & viri Apostolici.

Quænam fuere hæc majora? Primo, Origenes hom. 7. in Numer. censet majora hæc esse, quod homines fragiles vincant carnem, dæmonem & mundum: plus enim, inquit, est quod Christus vincat in nobis, quam quod vincat in se.

Secundo, S. Chrysost. Majora, inquit, sunt quod S. Petrus sua umbra sanarit quoslibet infirmos, Actor. 5. 15. id enim non fecit Christus, & similia.

B Tertio & potius, S. Aug. tract. 72. majora hæc esse censet, conversionem omnium gentium totius mundi, factam per 12. Apostolos. Christus enim longe pauciores convertit, scilicet quingentos dumtaxat aut circiter: tot enim nominantur 1. Cor. 15. 16. Audi S. Aug. cujus verba prolixa in pauca contraxi: *Quæ sunt ista majora, an forte quod ægros umbra sanabat? majus est enim, quod sanet umbra quam fimbria; sed quando ista dicebat, verborum suorum facta commendabat; cum enim dixit: Pater in me manens, ipse facit opera: opera dicebat verba, quæ loquebatur, quorum fructus erat fides illorũ; evangelizantibus autem discipulis, non tam pauci, quam illi erant, sed Gentes etiam crediderunt: discessit ab ore Domini dives tristis; & tamen postea quod ille unus non fecit, fecerunt multi, cũ per discipulos loqueretur; non de Apostolis autem tantum loquebatur dicens: Qui credit in me*, &c. *Ipsum quidẽ credere in Christum opus est Christi, quod operatur in nobis, non utique sine nobis ipse facit ut faciamus, id est, ut ex impiis justi fiamus.* Subdit deinde rem miram & paradoxam: *Et hoc majus esse dixerim, quam creare cælũ & terram: hæc enim transibunt,*
C *prædestinatorũ autem salus & justificatio permanebit. Sunt & in cælis angeli opera Christi, etsi æqualis sit potentiæ istos creare, & impios justificare, hoc majoris est misericordiæ. Quamquam omnia Christi opera intelligere, ubi ait, Majora horum faciet, nulla necessitate cogit: horum enim forte dixit quæ tunc faciebat, faciebat autem verba fidei: minus est autem verba justitiæ prædicare, quod fecit propter nos, quam impios justificare, quod ita facis in nobis, ut faciamus & nos.* Et Glos. *Quod facit in nobis, non sine nobis, majus est his, quæ sine nobis facit, ut cælum & terra. In illis enim est tantum opus Dei, in istis imago Dei.*

Cur Christus voluit majora per Apostolos, quam per se operari.

Quæres: Cur Christus voluit majora per Apostolos, quam per se operari? Resp. Primo, quia sensim voluit fidem in se disseminari & crescere, ne, si subito cresceret, putaretur esse phantasma, & Christus magus & impostor esse crederetur, quod enim sensim crescit, sensim sui fidem acquirit, ac magis crescit, & durabilius est: quod enim cito fit, cito perit.

Secundo, ut magis Christi æquanimitas & modestia,
D æque ac potestas & magnificentia commendaretur: utpote qui non tantum in se tam potens fuerat ad tanta operandum, sed & vim efficaciam habuerit eandem potentiam in Apostolos transfundendi, ut similia, imo majora facerent. Hæc enim fecerunt Apostoli non virtute sua, sed Christi, scilicet vi, auctoritate & potestate a Christo accepta; quare Christus major erat illis, per quos majora hæc operabatur.

Tertio, quia decebat Christum prius pati & mori, ac per passionem & mortem mereri hæc opera mirabilia, quæ deinde per Apostolos operatus est.

Quarto, quia decebat Christum prius resurgere, ascendere in cælum, indeque mittere Spiritum sanctum, qui tam mirabilia operaretur. Nam mundi conversio fuit effectus, æque ac decus, ornamentum & coronis resurrectionis Christi, ascensionis & missionis Spiritus sancti. Hanc causam subdit Christus, dicens; *Quia ego ad Patrem vado.*

Discant hic a Christo Prælati, principes & Superiores minora & abjectiora sibi servare, majora & speciosiora subditis relinquere. Sic enim laudem humilitatis & subditorum gratiam, & populi gloriam consequentur. Majora enim facient per subditos, quam per seipsos: quod enim subditus facit, hoc Superior per subditum censetur facere. S. Ignatius fundator Societatis nostræ, creatus Generalis publice catechizabat, sociis vero sibi subditis ampla concionum E pulpita concedebat. Idem sanxit, ut Rectores Societatis, initio Rectoratus sui publice catechesim exerceant.

QUIA EGO AD PATREM VADO] q.d. Ego post mortem adepta victoria, de peccato, morte, dæmone, mundo, & inferno triumphans, ad solium Patris gloriosus conscendã, ac proinde majora per vos edam opera, quam ipse in hac vita luctans adhuc ediderim. Tempus humilitatis & abjectionis meæ completum est, gloriam meam recipiam: non est cur vultum meum abscondam in paupertate & humilitate, sicut feci, quia locũ dare volui passioni meæ & redemptioni hominum: at ea peracta, mox gloriosus ad Patrem conscendam, qui nomen meum toto orbe volet manifestari, celebrari, coli & adorari per prædicationem Apostolorum: quare per eos majora operabitur, quam per me in vita operatus sit. Ita Cyrill. lib. 9. c. 41. Toletus & alii.

ET QUODCUMQUE PETIERITIS PATREM (ita Roman. VERS. 13
S. Chrys. Cyrill. & alii, licet Græca, Arabicus, & Syrus jam non habeant τὸ *Patrem*) IN NOMINE MEO, HOC FACIAM: UT GLORIFICETUR PATER IN FILIO] Hæc verba pertinent ad id, quod præcessit: *Et majora faciet; quia ego ad Patrem vado.* Post fidem enim, de qua dixit v. præced. F *Qui credit in me, majora horum faciet*, hic subnectit professionem fidei, suique nominis invocationem, ac petitionem horum majorum. q. d. Ego quidem a vobis, o Apostoli, abeo, vadoque ad Patrem, sed loco præsentiæ meæ relinquo & do vobis invocationem nominis mei, ut per eam postuletis majora hæc, & impetretis. Quare Christus hic suam divinitatem, & eandem cum Patre auctoritatem significat, ait Cyrillus; gloria enim filii est, quod per ejus invocationem Pater Apostolis concedat tam magna, imo majora, quam per Filium, dum viveret, operatus est. Et sic Pater in Filio, & Filius in Apostolis glorificatus est.

IN NOMINE MEO] id est, invocato nomine meo, aut, q. d. Si petatis per merita mea, per meam virtutem & fidem, uti facit Ecclesia, quæ omnes orationes concludit dicens: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, &c.

HOC FACIAM] Efficiam ut Pater vobis concedat, imo ego in Patre, & cum Patre idipsum faciam, & vobis præstabo, ut omnis horum majorum, quæ operabimini, vis, virtus & gloria mihi adscribatur, non vobis. Nam G dum oratur Pater, oratur & Filius, ait Suarez lib. 1. de Oratione in communi c. 9. in fine. Aut certe, ut idem addit ibidem, *Pater* hic sumitur essentialiter pro Deo & tota S. Trinitate, uti sumitur cum oramus: *Pater noster qui es in cælis*; & sic nomine Patris intelligitur quoque Filius & Spiritus sanctus. Prius est germanius: quia Christus hic passim Patrem a se distinguit.

UT GLORIFICETUR PATER IN FILIO] Solet Christus modestiæ causa omnem suam gloriam transcribere in Patrem, ceu ad primum fontem & principium. Rursum hinc disce non esse poscenda opera mira & miracula, nisi ad gloriam Dei, sive cum gloria Dei illa fieri exigit & postulat.

SI QUID PETIERITIS ME IN NOMINE MEO, HOC FA- VERS. 14
CIAM] Arabicus, *faciam vobis quod volueritis.* Quod Christus v. præced. dixit de Patre, hic dicit de seipso, ut ostendat se eumdem Deum esse cum Patre, utpote qui se orantes exaudiat, & faciat omnia quæ Pater. Unde Cyrillus asserit Christum hic significare suam divinitatem. Nonnulli censent idem prorsus hic dici, & confirmari, quod dixit v. præced. Unde Chrysostomus & Nonnus hunc H versum omittunt, sed legunt eum Syrus, Arabicus, S. Augustinus, S. Cyrillus, Theophyl. Euthym.

Melius Toletus & alii censent aliud hic dici: illud enim v. præced. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo*, pertinere ad petitionem majorum, de quibus ipse dixerat, *Et majora horum faciet;* hoc vero versu Christum dicere se exauditurum preces particulares, ut licet ad Patrem adeat, sitque absens corpore: tamen semper spiritu sit præsens, eorumque preces audiat, & eorum necessitatibus succurrat, ut quidquid in nomine ejus, id est, per merita ejus petant, hoc ipse eis faciat & largiatur. Objicit S. Aug. *Rogavit Paulus ut discederet angelus Satanæ, nec tamen accepit; sed vide dictum esse, In nomine meo, quod est Jesus: quod enim petimus contra salutem, non petimus in nomine Salvatoris; quia salvator ei non erit, si, quod ejus salutem impedit, fecerit. Novit medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus, & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem; aliquando vero etiam quædam eorum, quæ in nomine ejus petimus, non tunc quando petimus facit, sed tamen facit: differuntur enim, non negantur.*

Digitized by Google

A SI DILIGITIS ME, MANDATA MEA SERVATE.] Christus hic suis discipulis ultimum dicens vale, ultima dat
VERS. 15 monita, eaque tria de tribus præcipuis virtutibus Theologicis, scilicet de fide, spe & charitate conservanda & exercenda. De fide, dicens v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* De spe, dicens v. 3. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Petitio enim, sive oratio est actus spei. De charitate, dicens hic: *Si diligitis me, mandata mea servate*; suntque hæc tria inter se connexa. Fides enim parit spem, spes parit charitatem. Sensus ergo est, q. d. Si vultis obtinere hæc mea promissa, & impetrare ea, quæ postulatis in nomine meo, ut ego ea vobis a Patre impetrem, imo per me elargiar; me vestri adeo amantem redamate, in dilectione mea perseverate & crescite. Hoc autem facietis, si mandata mea, quæ vobis dedi, observetis. q. d. Si mihi placere vultis, & per me omnia, quæ petitis, obtinere, mandata mea servate. Ita Ribera, Tolet. Maldon. & alii. Christus ergo abiens monet suos, ut persistant in sua fide, spe, dilectione, & observatione mandatorum. Si id fecerint, ingens promittit præmium, dicens;

B ET EGO ROGABO PATREM, ET ALIUM PARACLITUM
VERS. 16 DABIT VOBIS] q. d. Si perseveretis in mea dilectione, & mandatorum observatione, meis precibus vobis impetrabo Spiritum sanctum, quem in vos effundet Pater in Pentecoste, qui magna, imo majora, per vos operabitur, quam ego operatus sim.

ET ROGABO] qua homo: Christus enim, qua homo, pro nobis orat, ait S. Aug.

Paracletus tria significat. ET ALIUM PARACLITUM] *Alium*, scilicet a me. Hinc patet, quod Christus quoque fuerit Apostolorum & fidelium Paraclitus, id est Primo, advocatus, intercessor, orator, juxta illud Pauli: *Advocatum habemus apud Deum Patrem, Jesum Christum*, ait S. Aug. Secundo, exhortator, incitator, impulsor: Tertio, consolator, ut vertit Syrus, hæc tria enim significat Græcum παράκλητος. Sed abiens Christus, misit alium Paracletum, scilicet Spiritum sanctum, qui in his tribus Christo successit. Ipse enim Primo, est advocatus fidelium, quia *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8. 26. Ipse pariter est noster exhortator & consolator; quæ duo hic maxime spectat Christus. q. d.

C Ego huc usque vos, o discipuli mei, docui, rexi, consolatus sum, ac proinde ob instantem meum discessum contristamini; sed animos erigite, & confidite: ego enim mei loco vobis submittam alium Paracletum, qui vos non ad modicum tempus, ut ego, sed tota vita vestra, doceat, inciter, consoletur & protegat. Unde Euthymius sic exponit: Dabit vobis alium Paracletum, id est, alium admonitorem ac præceptorem in certaminibus virtutis, solatium ac subsidium in afflictionibus. Spiritus sanctus ergo est paracletus, id est Primo, adhortator, excitator, impulsor, quia Apostolos excitabat ad ardua virtutum opera pro Dei gloria capessenda, utque libere evangelizarent toto orbe, non timentes tyrannos, tortores, eculeos, ignes, imo ambientes mortem atrocissimā & martyrium pro Christo. Secundo, consolator, quia eos in adversis, ærumnis, dubiis, tentationibus, consolabatur, & roborabat: nam Spiritus sanctus est quasi ignis lucens & ardens, ideoque omnem animi caliginem, timorem & teporem dispellens. Ita S. Chrys. &, ut ait S. Bernar. ser. 2. de Pentecoste: *Quos repleverit, & spiritu fervere, & in veritate cognoscere facit.* Et paulo ante: *Paracletus donat pignus salutis, scientiæ lumen, & robur vitæ, ut quod per naturam est impossibile, per ejus gratiā fiat possibile, imo facile.* Vide quæ de Spiritu sancto dixi Act. 2. v. 1. & seq. & Isaiæ 11. v. 1. & seq. & alibi.

D DABIT VOBIS] o Apostoli, proxima Pentecoste. Hinc S. Hier. q. 9. ad Hedibiam, refellit hæresim Montani, Priscillæ & Maximillæ, cujus sectator fuit Tertullianus, qui dicebant diu post Apostolos primum in Montanum hæresiarcham Spiritum sanctum descendisse anno Domini 220. ideoque Montanum esse Paracletum a Christo promissum. Vide S. Epiph. hæresi 48. & S. Aug. hæresi 26. & 86.

UT MANEAT VOBISCUM IN ÆTERNUM] Ex hac Christi promissione fit, ut Spiritus S. semper maneat in Ecclesia, ac fidelibus assistat, ut paracletus, id est, consolator in afflictionibus & impulsor ad quælibet, etiam heroica virtutum opera. Objicit S. Aug. *Quomodo mandata servabimus, ut eum accipiamus, quē nisi habuerimus, mandata servare non possumus? Respondet: Habet Spiritū sanctū, qui diligit, & habendo meretur ut plus habeat, & plus habendo plus diligat. Jam itaque Spiritū habebant discipuli, sed dandus eis erat amplius; habebant occulte, accepturi erant manifeste.* Et S. Chrys. *Purgatis discipulis per passionem, & ad pericula agonesque missis, oportebat Spiritum sanctum abundanter dari.*

E SPIRITUM VERITATIS] Cur Spiritus sanctus dicitur *Spiritus veritatis*? Respondet primo Cyrillus: quia ipse est Spiritus Filii, sive procedens per spirationem a Filio, cui appropriatur sapientia & veritas, juxta illud vers. 6. *Ego sum via, veritas & vita.* Verus. Primo. Spiritus sanctus et spiritus veritatis. Primo.

Secundo, quia Spiritus sanctus Jesum esse Deum, Deique Filium, Messiam & Salvatorem, mundo manifestavit. Hoc enim urgebat hic Christus dicens v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, &c. *ego in Patre, & Pater in me est.* Ita S. Basilius lib. 2. de Spiritu sancto c. 18. Secundo.

Tertio, Euthym. Spiritus sanctus, ait, dicitur *spiritus veritatis*, id est, verissimus & præstantissimus, & opponitur angelo, animæ & vento, qui spiritus sunt; sed analogice & participative, cum Spiritus sanctus per essentiam purissimus & potentissimus sit Spiritus. Tertio.

Quarto, *veritatis*; quia dignus est fide, ait S. Chrysost. Quarto.

Quinto, alii *veritatis*, hoc est, novi Testamenti. Huic enim Spiritus S. reservatus est, utpote spiritus libertatis & amoris, cum in veteri esset spiritus servitutis & timoris. Quinto.

F Sexto & planissime, Spiritus sanctus est *spiritus veritatis*, quia omnis veritatis est auctor, ac solus puræ & integræ veritatis est doctor & largitor, qui docet nos omnes veritates ad salutem necessarias, liberatque ab omnibus erroribus. Sic enim explicat Christus dicens cap. 16. *Cum autē venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (sic Isaiæ 11. 2. idem Spiritus vocatur sapientiæ, consilii, pietatis, fortitudinis, quia nobis inspirat sapientiam, consilium, pietatem, fortitudinem) omnem, inquam, veritatem, sed maxime Evangelicam, quæ triplex est, scilicet Prima, res ipsa Christi, ejusque gratia per umbras, cæremonias, & figuras veteris legis præfigurata & adumbrata. Secunda, promissionum omnium Dei complementum: has enim complevit Christus, idque Apostolis ostendit Spiritus sanctus. Tertia, divinarum rerum cognitio, in quantum illa ad salutem est necessaria. Sexto.

Spiritus veritatis ergo opponitur spiritui malo mundi, qui mendax est, errans & fallax. Unde subdit Christus: *Quem mundus non potest accipere.* Hinc S. Aug. lib. de Gratia novi Testamenti, docet Spiritum sanctum esse animam G
Ecclesiæ, *Spiritus sanctus*, ait, *est Patris & Filii amor & connexio, ad ipsum pertinet societas, qua efficimur unum: corpus hominis multis constat membris, & vegetat omnia membra una anima, faciens in oculo ut videat, in aure ut audiat, & sic in cæteris; ita Spiritus sanctus membra corporis Christi, quod est Ecclesia, continet, & vegetat.*

QUEM MUNDUS NON POTEST ACCIPERE] *Mundus*, id est, homines mundani, animales & carnales, qui cupiditatibus terrenis, scilicet vanis opibus, honoribus, deliciis inhiant, non sunt capaces Spiritus sancti, quia hic totus est cælestis, spiritalis, divinus, qui docet terrena omnia ut vana contemnere, & cælestia ut vera & solida diligere & amplecti. Nam, ut ait Apost. Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo.* Unde S. Basil. lib. de Spiritu sancto: *Sicut*, ait, *in speculo impurgato rerum imagines recipi videri que nequeunt, sic homo illustrationem Spiritus sancti recipere non potest, nisi peccatum & carnis affectionem abjiciat.*

QUIA NON VIDET EUM, NEC SCIT EUM] quia habet oculos mentis terrenos, carnis cupiditatibus oppletos & occæcatos. Unde nec *scit eum*, id est, non cognoscit eum practice, ita scilicet ut eum amet, cupiat, gustet & ambiat. H

VOS AUTEM COGNOSCETIS EUM (scientes ejus vim, efficaciam, doctrinam, sanctitatem, viram cælestem & divinam:) QUIA APUD VOS MANEBIT, ET IN VOBIS ERIT] Ipse enim sua præsentia in vobis suam vim, gratiam, operationem divinam exeret, quo fiet ut eum cognoscatis, cognitum ametis, amatum aliis aspiretis. Sicut sentitur vis piperis, si conteratur; item vis ignis latentis in ligno, dum per flammam in ingens incendium erumpit.

MANEBIT] Legit interpres cum S. Aug. & Nonno μένει, jam alio accentu legunt Græca, Syra, Theoph. & Euth. μένει, id est *manet*. Audi S. Bern. serm. 20. inter parvos: Spiritus sanctus *procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis, unde, & quo. Unde? a Patre & Filio. Quo? ad creaturam. Procedendo prædestinat, spirando vocat quos prædestinavit; inhabitando justificat quos vocavit; replendo accumulat meritis, quos justificavit; glorificando ditat præmiis, quos accumulavit meritis.*

NON RELINQUAM VOS ORPHANOS (me patre vestro orbatos & destitutos) VENIAM AD VOS] Quia Christus discipulos v. 13. vocavit filiolos, merito ait, *Non relinquam vos orphanos*, id est, sine patre, quia, licet abeam a vobis VERS. 18 Christus promittit se non relicturum discipulos orphanos.

ad

A ad Patrem, & alium Paracletum vice mei vobis missurus sim; non tamen idcirco ego vos deseram, & orphanos relinquam, sed vadens redibo, & *veniam ad vos*, fecit id Christus Primo & proprie, cum post resurrectionem corporaliter Apostolis apparuit, eosque docuit, solatus est, & exhilaravit. Ita S. August. & Euthym. Secundo, fecit id in Pentecoste, cum visibiliter misit eis Spiritum sanctum in specie linguarum ignearum. Ita Cyrill. Jansen. & alii. Tertio, fecit id invisibiliter, cum e cælo spiritualiter eos sæpe visitavit, eisque dona sua cælestia communicavit. Ita S. Chrysost. Quarto, faciet in die judicii visibiliter, cum judicio Apostolos faciet sibi assessores, eosque secum cum triumpho in cælum deducet. Hæc magis explicabit Christus in sequent.

VERS. 19 ADHUC MODICUM: ET MUNDUS ME JAM NON VIDET. VOS AUTEM VIDETIS ME] Ita legunt Roman. & Græca, sed Syrus, S. Aug. Chrys. Theoph. Euth. Tolet. legunt, *videbitis* (Arabicus, vertit, *vidistis*) quia præsens hic de more ponitur pro futuro jam instanti & imminenti. q. d. Modicum mihi tempus vitæ restat, scilicet paucæ horæ,
B post quas in cruce moriar, & subtrahar ab hac vita & sæculo; quare homines mundani amplius me non videbunt, vos autem, o discipuli, me videtis, id est videbitis, quia tertio die a morte resurgam, & me vobis videndum exhibebo. Ad litteram enim loquitur de visione sensibili. Ita S. August. Toletus & alii.

Tropologice, mundus sicut me non videbit oculo corporis, sic nec oculo mentis, quia non credet in me, nec cognoscet me esse Messiam Dei Filium; vos autem id ipsum clarius cognoscetis per illustrationem Spiritus sancti, quem recipietis in Pentecoste. Ita Ribera.

Anagog. mundus me non videbit post diem judicii gloriose regnantem in cælo, vos autem sic me tunc videbitis, quia vos gloriæ meæ consortes efficiam. Ita S. Cyrill. Chrysost. & alii.

QUIA EGO VIVO ET VOS VIVETIS] q. d. Videbitis me, quia ego tertia die a morte resurgam, rursumque vivã; vos pariter vivetis, ut me redivivum videre possitis, utque meam mortem & resurrectionem toti mundo prædicare
C valeatis, q. d. ait Theoph. Cum me redivivum videritis, lætabimini, & tamquam mortui revivisc etis apparitione mea, sicut Jacob audiens Joseph vivere, quem putabat esse mortuum, quasi de gravi somno evigilans revisit, Genes. 45. 26. Rursum, *vos vivetis* plenius in die judicii, quando per meam vitam & resurrectionem, vos ad eandem vitam beatam & glorioſam resuscitabo, ut mecum in omni felicitate & gloria, beati vivatis in cælo per omnem æternitatem. Ita S. Aug. Cyrill. Chrys. Euth. Dicit in præsenti, *vivo*, ut significet se illico a morte resurrecturum. Audi S. Aug. *De præsenti se dixit vivere, illos de futuro victuros: eis enim mox futura erat resurrectio, illorũ autẽ in sæculi finem differenda: quia vero vivit ille, ideo & nos vivemus; per hominem quippe mors, & per hominem resurrectio mortuorum.*

VERS. 20 IN ILLO DIE VOS COGNOSCETIS, QUIA EGO SUM IN PATRE MEO, ET VOS IN ME, ET EGO IN VOBIS] q. d. Postquam resurrexero, ac præsertim postquam ascendens in cælum misero in vos Spiritum sanctum, per ipsius illustrationem clarius & certius cognoscetis hæc tria: scilicet quod *ego sum in Patre*, per unitatem essentiæ divinæ,
D quod scilicet sim verus Deus, Deique Patris Filius. Secundo, quod *vos* sitis *in me* per amorem, curam & custodiam, quod scilicet ego singulariter vos amem, curem, custodiam. Addit subtiliter Cyrillus: quod sitis *in me* per unionem substantiæ. Cum enim vestram carnem & substantiam assumpsi, totam naturam humanam mihi univi, omnesque homines quasi mihi copulavi. Tertio, quod *ego* sim *in vobis*, vos scilicet per gratiam meam inhabitans, illuminans, & dirigens ad omne bonum, & ad vitam æternam in cælis. Unde interlin. *cognoscetis*, inquit, quod *ego* sum *in Patre*, sicut radius in sole, unum cum ipso: *& vos in me*, quasi palmites in vite: *& ego in vobis*, sicut vitis in palmite, vobis succum & vitam gratiæ jugiter instillans & influens. Addit S. Hilar. l. 8 de Trinit. Christum esse in nobis quasi cibum in stomacho, per communicationem Eucharistiæ: *Ille*, ait, *in Patre per naturam divinitatis, nos in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursum in nobis per Sacramenti mysterium: ait enim: Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

VERS. 21 QUI HABET MANDATA MEA, ET SERVAT EA: ILLE EST, QUI DILIGIT ME] q. d. ait Glossa. Non solum vos Apostoli vivetis & cognoscetis, sed quicumque me diligit, ideoque mandata mea custodit. Toletus hæc accipit de fi-

Dilectio Dei probatur ex observatione mandatorum.

delibus communibus, qui tempore Christi, præter Apostolos, credebant in eum: hos enim hic ab eo moveri ut in sua fide, dilectione & obedientia perseverent. Sic enim fore ut vicissim diligantur ab ipso, & Patre, utque eis se post resurrectionem manifestet, ostendens se a morte resurrexisse redivivum & glorioſum, uti fecit apparendo plusquam quingentis fratribus, 1. Corinth. 15. 6. Hic sensus verus est & appositus, sed auctior: Christus enim loquitur omnibus fidelibus cujuslibet ævi & temporis. Sensus ergo est, q. d. Qui habet mandata mea, id est, qui præcepta, quæ a me audivit, tenet memoria, animo & affectu, *& servat ea*, ut ea opere exequatur; *qui habet in memoria, & servat in vita*, ait S. Aug. *qui habet in sermonibus, & servat in operibus; qui habet audiendo, & servat faciendo: qui habet faciendo, & servat perseverando, ille est, qui diligit me:* quia facit, quæ mihi grata sunt & placent, quæ ego amo & cupio, quæ ego volo ab illo, quæ ego illi mandavi, & mando sub pœna meæ offensæ, iræ, vindictæ & gehennæ. Simili phrasi & sensu dixit c. 5. 38. *Et verbum ejus non habetis in vobis manens.* Nam, ut ait S. Greg. hom. 30. probatio dilectionis, exhibitio est operis: F nunquam amor Dei est otiosus: operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est.

QUI AUTEM DILIGIT ME, DILIGETUR A PATRE MEO] quia mandata mea sunt mandata Patris: ego enim illa a Patre accepi: quare qui illa servat, reveretur & diligit Patrem, ac rem gratissimam illi præstat. Hinc ejus amorem vicissim in se projicit, ut amans Deum Patrem, ab eo redametur, & ad majores gratias ab eo evehatur, majoraque ab eo beneficia recipiat: magnes enim amoris est amor. Ubi Nota. Non nos prius diligimus Deum, sed Deus prior diligit nos, ideoque aspirat nobis gratiam, qua eum vicissim diligamus: quam si acceptemus, eumque diligere incipiamus, ipse rursum magis diligit nos, majoremque gratiam & charitatem nobis infundet.

ET EGO DILIGAM EUM] non tantum qua Deus: sic enim ea dilectione qua Pater diligam eum; sed etiam qua homo pergam eum diligere, & majoribus gratiis ac donis eum afficiam & cumulabo, tum in hac vita, tum G in futura. Unde S. Aug. *Ad hoc diligam*, ait, *ut manifestem: nec enim tunc non diligebat; nunc ad hoc nos dilexi, ut credamus; tunc ad hoc ut videamus; nunc diligimus credendo quod videbimus, tunc diligemus vivendo quod credidimus.*

ET MANIFESTABO EI MEIPSUM] tum in hac vita per clariorem indies mei, meorumque mysteriorum & donorum cognitionem, non tantum speculativam, sed & practicam & experimentalem, qua Sancti gustant & sapiunt Christum, quamque dulcis sit Dominus, ideoque in pios gratitudinis, amoris, laudis & jubilationis affectus erumpunt, quales eructat Paulus 1. Corinth. 2. & alibi. Ita Cyrill. tum clarissime in cælo, ubi videbit per speciem Christum Deum & hominem, quem hic credit per fidem. Ita S. Aug. tract. 75.

DICIT EI JUDAS, NON ILLE ISCARIOTES (sed Tha- VERS. 22
dæus, frater S. Jacobi Minoris, auctor epistolæ Canonicæ) DOMINE QUID FACTUM, id est, quid causæ, EST? Est hebraismus: Hebræi enim dicunt מה היה *me haja*, id est, quid fuit, id est, quæ causa est, QUIA (quod) MANIFESTATURUS ES NOBIS TEIPSUM, ET NON MUNDO?] H
Dixisti enim: *Mundus me jam non videt, vos autem videtis*, id est videbitis, quæ verba dixerat Christus de sua morte, resurrectione, & apparitione facienda Apostolis, non Judæis mundanis & incredulis; sed Judas ea non intelligebat, ideoque rogat ea sibi explicari. Causam quærit, ait S. Aug. quare non se mundo, sed suis manifestaturus sit. Respondet autem Dominus, quia hi diligunt, illi vero non diligunt. Utitur Judas voce *manifestaturus*, quia eadem immediate ante usus fuerat Christus dicens: *Manifestabo ei meipsum*. Hæc ergo vox hæsit in mente Judæ, licet priora Christi dicta ipse respiciat.

RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: SI QUIS DILIGIT VERS. 23
ME, SERMONEM MEUM SERVABIT, ET PATER MEUS DILIGET EUM, ET AD EUM VENIEMUS, ET MANSIONEM APUD EUM FACIEMUS] q. d. Ne putes, o Juda, me post resurrectionem soli tibi, tuisque sociis Apostolis appariturum, quasi fructus meæ vitæ & passionis ad vos solos arcteturr, totusque mundus ab eo excludatur: nam etsi solis vobis, & paucis aliis visibiliter sim appariturus, tamen invisibiliter apparebo omnibus iis in mundo existentibus, qui meam fidem & doctrinam per te, cæterosque Apostolos prædicandam susceperint, dilexerint & servaverint. *Quisquis enim diligit me, sermonem*

Digitized by Google

A *meum ſervabit, & Pater meus diliget eum*, æque ac vos dilexit, eo ſenſu & modo, quo explicui v. 21.

ET AD EUM VENIEMUS] ego & Pater &, conſequenter Spiritus ſanctus: ubi enim eſt una perſona divina, ibi ſunt cæteræ duæ. q. d. Eſto ego poſt reſurrectionem ad vos ſolos viſibiliter ſim venturus, tamen inviſibiliter per gratiam meam veniam ad omnes fideles, qui in me credunt, & me meamque doctrinam diligunt & ſervant, atque ſicut ego veniam ad eos, ſic veniet & Pater & Spiritus ſanctus, ut in anima ejus maneamus, & habitemus quaſi in domo & templo noſtro.

Nota. Deus, qui ubique eſt, ideoque immobilis, dicitur venire & manere, non per loci mutationem, ſed per novam operationem, quam hoc vel iſto loco exercet. Sic hic dicitur venire ad fideles & juſtos per gratiam, & novam operationem, quia ſcilicet eos in juſtitia conſervat, promovet, tuetur, & una cum libero eorum arbitrio ipſum juvans cooperatur: prævenit enim eorum intellectum ſua illuminatione, & voluntatē ſua pia affectione; qua eam impellit ad opera bona, licet ardua, eiq; ſuæ gratiæ concurſu ad

B eadem efficienda colloborat. ita S. Aug. Chryſ. Cyr. & alii.

Audi S. Aug. *Dilectio Sanctos diſcernit a mundo, quæ facit unanimes habitare in domo, in qua facit Pater & Filius manſionem, qui & dilectionem donant, quibus in fine donabunt ſuam manifeſtationem; veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt ſubveniendo, illuminando, implendo; venimus obediendo, intuendo, capiendo.*

Denique pie S. Bern. ſer. 3. de Adventu: *Beatus*, inquit, *apud quem manſionem facies Domine Jeſus Beatus, in quo ſapientia ædificat ſibi domum excidens columnas ſeptem: beata anima, quæ ſedes eſt ſapientiæ. Quænam eſt illa? Anima utique juſti. Merito plane, quia juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ. Quis in vobis, fratres, qui deſiderat in anima ſua ſedem parare Chriſto? Ecce quænam illa ſerica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari? Juſtitia & judicium, inquit, præparatio ſedis tuæ. Juſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt unicuique tribuens. Tribue ergo tribue quæ ſua ſunt. Redde ſuperiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes, & digne celebras adventum Chriſti, parans ei in juſtitia ſedem ſuam.*

C Hinc diſce Deum juſto non ſolum dare gratiam ſuam, ſed etiam ſeipſum, ita ut realiter Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus in anima juſti, quaſi in templo ſuo inhabitent, eamque ſua præſentia ornent, ſuiſque donis cumulent, uti fuſe oſtendi Oſee 1. 10. ad illa: *Dicetur eis, Filii Dei viventis.*

S. Trinitas venit ad tres animæ potentias; quomodo? Tropolog. S. Trinitas venit ad tres animæ potentias, quas ad ſui imaginem creavit, ut eas inhabitet, in eiſque ſui imaginem concupiſcentiis depravatam reformet, renovet & perficiat. Patri appropriatur memoria, quia ipſe ex fœcunda memoria omnes res concipiens, produxit Verbum, genuitque Filium. Filio appropriatur intellectus, quia ipſe per intellectionem genitus eſt, quaſi verbum mentis, idea, imago & exemplar rerum omnium. Spiritui ſancto appropriatur voluntas, quia ipſe procedit per actum voluntatis, puta amoris Patris & Filii, quaſi utriuſque amor & nexus. Pater ergo reformat memoriam, dum ex ea delet ſpecies rerum vanarum, turpium, illicitarum ac infert ſpecies rerum divinarum, ut non recordetur niſi Dei, eiuſque cultus, amoris, pietatis, cæterarumque

D virtutum. Filius reformat intellectum, ut non cogitet niſi ea, quæ ſunt ſalutis & ſanctitatis. Spiritus S. reformat voluntatem, ut eadem amet & ambiat. Quocirca anima ſancta jugiter cogitet ſe eſſe templum S. Trinitatis, juxta illud 2. Cor. 6. *Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus* (Levit. 26. 12.) *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Ergo in conſpectu tantæ majeſtatis digne ambulet, ut ei jugiter ſerviat fide, ſpe & charitate.

In veteri templo tria erant vaſa, altare ad Deo adolendum thymiama, candelabrum ſeptem lucernis lucens, & menſa panum propoſitionis. Sic pariter in anima ſancta altare orationis ſanctas laudes & pia deſideria ad Deum exhalans, ſit candelabrum ſeptem donis Spiritus ſancti præfulgens, ſit denique menſa beneficentiæ & charitatis. Tunc in ea fiet illud Apoc. 21. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Vide S. Bern. ſer. 27. in Cant. ubi docet animam ſanctam eſſe cælum, in quo coruſcat ſol charitatis, luna continentiæ, & aſtra cæterarum virtutum.

VERS. 24 QUI NON DILIGIT ME, SERMONES MEOS NON SERVAT] Cauſa ergo, cur quis Dei præcepta non ſervat, eſt quod Deum non diligit. Si enim diligeret Deum, Dei E juſſa ſervaret. Unde S. Greg. hom. 30. *Tanto*, ait, *quiſque a ſuperno amore disjungitur, quanto inferius dilectatur: de dilectione Dei ergo lingua, mens, & vita requiratur.*

ET SERMONEM (ſermo, eſt antiptoſis) QUEM AUDISTIS, NON EST MEUS; SED EJUS, QUI MISIT ME, PATRIS] Audi S. Aug. *Dixit ſingulariter, & non ſuum, ſed Patris, ſe intelligi volens, qui Patris eſt Verbum, imago & Filius: recte auctori tribuit quod facit æqualis, a quo habet hoc ipſum, quod illi eſt æqualis.* Et Chryſ. *Significat ſe nihil extra Patrem loqui, nec præter id, quod illi videtur.*

HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, APUD VOS MANENS. PARACLITUS AUTEM SPIRITUS SANCTUS, QUEM MITTET PATER IN NOMINE MEO, ILLE VOS DOCEBIT OMNIA, ET SUGGERET VOBIS OMNIA, QUÆCUMQUE DIXERO VOBIS] Ita hæc diſpungenda ſunt cum Romanis, Græcis, Syris, Arabicis, Quare minus apte S. Chryſ. τὸ *apud vos manens* (Arabicus; *apud vos ſtans*) refert ad τὸ *Paracletus*, q. d. Abeo, ſed mei loco manebit apud vos Spiritus S. referendum enim eſt ad Chriſtum, qui præceſſit, q. d. Hæc quæ huc uſque ex ore meo audiſtis, locutus ſum vo- F bis, dum apud vos manerem, voſque docerem: ſed ſcio multa ex iis a vobis non capi, nec intelligi, ſive propter veſtram ruditatem, ſive propter rerum a me dictarum novitatem & ſublimitatem. Faciam ergo ut Pater mittat vobis Spiritum ſanctum, quaſi paracletum, id eſt, inſtructorem & conſolatorem, qui hæc omnia, quæ ego dixi vobis, in memoriam reducat & explicet, ut ab eo illuſtrati, omnia facile intelligatis, quique vos de meo abitu mœſtos conſolabitur, & in quavis Judæorum perſecutione, aliaque quavis tribulatione ſolabitur & roborabit, ut eam ſuperetis. Hic denique vos ſanctificabit, adeoque faciet ut alios plurimos pari modo ſanctificare valeatis. Vocatur enim ipſe, & revera eſt Spiritus S. quia ipſe eſt ipſa per eſſentiam increata & perfecta ſanctitas, a qua omnis ſanctitas hominum & angelorum, velut radius a ſole emanat & profluit. Id Apoſtolis præſtitiſſe Spiritum ſanctum, patet Actor. c. 1. 2. & ſeq. Audi Chryſoſt. *Frequenter eum Paracletum vocat, propter eorum triſtitiam.* Et gloſſam: *Cum ſit conſolari Trinitatis opus, ad Spiritum ſanctum tamen pertinet, quia is in Scriptura bonitatis, per quam nos Deus conſolatur, nomine deſignatur.* G

QUEM MITTET PATER IN NOMINE MEO] Id eſt, per me, ait Cyrillus, quia Spiritus S. a Patre & Filio procedit: quare Pater cum Filio, vel per Filium, uti ſpirat, ſic & mittit Spiritum ſanctum. Secundo, *in nomine meo*, id eſt propter me & merita mea. Tertio, *in nomine meo*, id eſt, pro me, meo loco, ut meum opus, quod ego cœpi, proſequatur, ut mea negotia tractet; ut ſcilicet meam fidem, doctrinam, Eccleſiam per prædicationem Apoſtolorum diſſeminet per omnes gentes. Ita Maldon. Toler. & alii.

Quomodo Spiritus ſanctus miſſus a nomine Filii.

ILLE VOS DOCEBIT OMNIA] quæ ſcilicet ad myſteria mei adventus & incarnationis pertinent, *omnia*, quæ ad Eccleſiæ inſtructionem, fundationem, ſtabilitatem, ſunt neceſſaria. Audi Didymum lib. de Spiritu ſancto: *Docebit omnia in Chriſti fide perfectos ſpiritualia & intellectualia ſacramenta; docebit autem, inviſibiliter menti divinorum ſcientiam infundens.* Et Greg. hom. 30. *Niſi Spiritus ſanctus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo doctoris: nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.* Et Aug. *Non Filius ſine Spiritu S. dicit, nec docet ſine Filio Spiritus ſanctus, ſed omnia dicit & docet Trinitas; ſed niſi hæc ſigillatim commendaretur, eam nullo modo humana caperet infirmitas.* H

ET SUGGERET] Græce ὑπομνήσει, id eſt, in memoriam revocabit, ita Arab. Cyrill. Aug. Euthym. Unde ex hoc loco notat S. Aug. externam vocem Apoſtoli, vel prædicatoris, non ſufficere ad rei prædicatæ intellectum vel aſſenſū, ſed Spiritus S. opus eſſe, qui mentem interius illuminet ad illa intelligenda, & voluntatem inclinet ad eadem amplectendum, ac memoriam confert ad eadem retinendum. Idem docent omnes Doctores orthodoxi, ac Concil. Arauſicanum, Milevit. & Trident. Audi S. Aug. *Suggeret, id eſt commemorabit vos: pertinet enim ad gratiam etiā non oblivioſci ſaluberrima monita.* Et Theoph. *Docuit Spiritus ſanctus quæcumque non dixerat Chriſtus, tanquam non valentibus portare; commemoravit autem quæ dixerat Dominus, ſed obſcuritatis cauſa, vel intellectus tarditate, cōmendare memoriæ nequiverunt.* Minus genuine Interlinearis: *Docebit*, ait, ut, ſciatis, *ſuggeret* ut velitis: *ſuggeret* enim ad memoriā pertinet, ut recordemini, & recordando intelligatis. V

QUÆ-

Digitized by Google

A QUÆCUMQUE DIXERO VOBIS] Græce εἶπον, id est VERS. 26 *dixi*, ita Arabic. Syrus vero vertit, *dico*.

VERS. 27 PACEM RELINQUO VOBIS, PACEM MEAM] Arabic. *meam propriam*, quæ ita mea est, ut mihi sit propria) DO VOBIS: NON QUOMODO MUNDUS DAT, EGO DO VOBIS] Hæc est Christi valedictio. Hebræi enim, cum quem advenientem salutant, vel abeunti valedicunt, ajunt: *Pax tecum*: ubi pacis nomine salutationem, & apprecationem omnium rerum prosperatum, omnis boni, omnis felicitatis significant. q. d. Christus: Ego abiens vobis, o Apostoli, vestrisque posteris do, & quasi hæreditate relinquo meam benedictionem, qua vobis omne bonum a Deo apprecor, eamque non falsam, inanem & brevem, uti facit mundus, sed veram, solidam & æternam, non verbis adulando, uti faciunt mundani, sed reipsa spondens, & dans opem & gratiam, qua secure ad æterna bona pertingatis, atque alios plures ad eadem vestra prædicatione, charitate, oratione & sanctitate perducatis. Ita Maldon.

Pacem sui relinquit Christus ex hoc mundo discessurus.

Paulo aliter Jansenius & Toletus: Pax hæc, inquiunt, est illa, de qua Paulus Philip. 4. dicit, *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.* Conti net autem pax hæc Primo, amicitiam cum Deo: Secundo, tranquillitatem animi & serenitatē in tentationibus & persecutionibus: Tertio, mutuam inter ipsosmet concordiam. Hæc homines facit fortes in omni periculo, & in omni molestia adhibet consolationem; hanc Dominus relinquit suis, non divitias, aut temporales possessiones, super omnes enim divitias hujus sæculi pax eminet.

B

Audi S. Aug. de Verbis Domini sec. Joan. *Non poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamentū pacis noluerit observare, nec potest concordiā habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano; pax est serenitas mentis, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.*

Symbol. S. Aug. hic: *Pacem*, ait, *relinquit in hoc sæculo, in qua manentes hostem vincimus, pacem dabit in futuro, quando sine hoste regnabimus. Pax vobis ipse est, & cum credimus quia est, & cum videbimus eum sicuti est. Notandū vero, cum dicit, Dabo, addidisse, Meam, pacem suam volens intelligi, qualem habet ipse, in quo nihil repugnat, quia nullum habet peccatum; pax vero, quam nobis reliquit, nostra potius dicenda est, quam ipsius: talem habemus pacem nunc, in qua adhuc dicamus: Dimitte nobis debita nostra. Est & inter nos ipsos nobis pax, invicem enim credimus & diligimus; sed nec ipsa plena est, quia cogitationes cordis invicem non videmus. Possunt & Domini verba sic accipi, ut ejusdem sententia repetitio videatur.*

C

NON TURBETUR COR VESTRUM, NEQUE FORMIDET. AUDISTIS QUIA DIXI VOBIS: VADO ET VENIO AD VOS] Addit hoc Christus, quia videbat Apostolos propter suum abitum mœstos, timidos & pusillanimes ob odia Judæorum, & prælia sibi imminentia, ait Chrysost. ne pastore absente lupus oves invadat, ait S. Aug. Solatur ergo eos, erigitque dicendo: Nolite turbari, mœrere, angi, & formidare ob meum discessum, quasi sitis futuri oves sine pastore, filii sine patre, discipuli sine magistro, expositi Judæorum injuriis. Ego enim, ut dixi, *vado* quidem ad mortem, sed mox die tertia resurgam, *tuneque* venio, id est, illico veniam, & redibo ad vos.

D

SI DILIGERETIS ME, GAUDERETIS UTIQUE, QUIA VADO AD PATREM (Arab. *gauderetis utique de progressu meo ad Patrem:*) QUIA PATER MAJOR ME EST] Diligebant Apostoli Christum, ideoque de ejus discessu tristabantur: cum ergo ait Christus: *Si diligeretis me*, loquitur communi hominum more, estque modus loquendi & solandi amicos, ob discessum amici mœrentes. q. d. *Si*, quod vera & sincera dilectio postulat, mihi exhiberetis, o Apostoli, vobis gaudendum erat, non dolendum de meo abitu, cum mihi, imo & vobis, sit valde utilis & commodus futurus. Vado enim ad Patrem, qui major me est, id est, a consortio hominum vado ad Deum, ab humana miseria & contemptu vado ad divinam felicitatem, exaltationem, honorem & gloriam, ut vobis locum parem, & ad eamdem vos suo tempore assumam & traducam. Ita Cyrill.

RS. 28 Audi S. Aug. *Gratulandum naturæ humanæ, eo quod sic assumpta est a Verbo, ut immortalis constitueretur in cælo, atque ita fieret terra sublimis, ut sederet ad dextrā Patris, quis non suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum?*

QUIA PATER MAJOR ME EST] Hic erat Achilles Arianorum, quo probant Filium non esse Deum, sed primam Dei creaturam. Verum S. Athanas. S. August. Basil. Nazianz. cæteriquę Patres eis optime respondent, Christum hic loqui de se, non qua Deus, sed qua homo erat: sic enim erat Patre, imo angelis quoque minor. Id ita esse liquet ex eo, quod Christus hic det causam, cur ad Patrem vadat, *Quia*, inquit, *Pater major me est*. Atqui Christus vadit ad Patrem, qua homo est conscendens in cælum: nam qua Deus, semper est in cælo cum Patre. Unde S. Aug. *Ergo*, inquit, *& ibat per id quod uno loco erat, & manebat per id quod ubique erat*, id est, ibat per humanitatem, manebat per deitatem. Igitur quoad humanitatem, non quoad deitatem Pater erat illo major. Simili modo Filius ipse, qua Deus est, major est seipso qua homo est, æque ac Pater: huic enim ipse *ἐμίνω* est, & per omnia æqualis. Sensus ergo est, q. d. Gaudendum vobis est, o Apostoli, de meo discessu, quia vado ad Patrem, & ascendo in cælum, ad majorem honorem & dignitatem, ut majora a Patre mihi vobisque laboris & passionis meæ præmia impetrem, scilicet mihi sessionē ad dextram Patris; imperiumq; totius mundi, adorationem omnium angelorum, conversionem omnium gentium ad meam fidem & cultum; vobis Spiritum S. omniaque ejus dona, quibus armati totum mundum mihi vobisque subjiciatis, ac vobiscum ad gloriam cælestem perducatis. Hæc enim, quæ longe majora sunt quam hactenus vidistis & accepistis: vadens ad Patrem, ab eo postulabo & impetrabo.

E

F

Porro nonnulli, ut Arianis per omnia satisfaciant, subtilius, sed intricacius respondent Patrem esse majorem Filio, non tantum qua homo, sed etiam qua Deus est, quia nomen Patris apud homines natura sua videtur honorificentius, quam nomen filii: pater enim est principium & causa filii. Major ergo est Pater Filio, non magnitudine, non tempore, non virtute, non dignitate, non adoratione; sed ratione cujusdam apud homines honoris, id est, ratione originis: quia Pater est origo Filii: Filius vero non est origo Patris. Ita S. Athanas. ser. contra Arian, S. Hilar. l. 9. de Trinit. S. Greg. Nazianz. in orat. 4. de Theol. Cyril. l. 2. Thesauri c. 3. Leont. Chrys. Theoph. Euthym. hic. Licet a parte rei in divinis filiario, a qua dicitur filius, sit tam præstans, tam eminens, tam honorifica & honoranda, quam est paternitas in Patre, imo sicut Filius habet a Patre, quod sit Filius, sic vicissim Pater habet a Filio, quod sit Pater. Pater enim est, qui habet filium: quare hic origo passiva, quæ est in Filio, in se tam est digna & præstans, quā origo activa, quæ est in Patre. Tantum est gigni Deum, quantum est gignere Deum, ideoq; tantum est esse Filium, quantum est esse Patrem. Denique uterque habet eandem prorsus in individuo essentiam divinā, ac proinde eandem majestatem, eandem omnipotentiam, sapientiam, sanctitatem, &c. quare alter altero major esse nequit. *Major est*, ait S. Hilar. *donans donantis auctoritate, sed minor non est, cui unum esse donatur. Major*, intellige ex usu & æstimatione hominum, non Dei. Unde Maldon. opinatur Hilar. & similes plus æquo concessisse Arianis. Quare Damasc. l. 1. de Fide c. 9. id corrigens ait: *Pater major est, non natura, non dignitate, sed tantum origine.* Vide Suarez l. 2. de Trinit. c. 4. nec aliud, ut opinor, voluit S. Hilar.

G

Tertio, S. Chrys. Leont. Theoph. Euthym. respondent Patrem majorem esse Filio, non in se, sed in opinione hominum. Apostoli enim putabant Filium esse minorem Patre. Verum hoc durum videtur: Christus enim veritatis magister debebat loqui ex veritate, & Apostolorum, quasi discipulorum suorum, errorem corrigere.

H

Cur Pater non sit Filio major in Deo.

Porro, analogia generationis divinæ cum humana, quæ Arianos fefellit, in multis dispar est & diversa. In humanis enim pater major est filio, Primo, quia Filio est prior & senior: Secundo, quia illo statura & quantitate est major: grandis enim generat infantem parvulum: Tertio, quia producit naturam aliam & exilem, a sua numerice differentem, quam filio communicat, quare illo ejusque natura, utpote cujus est author, est major: Quarto, quia libere generat filium, poterat enim non generare. At in divinis prorsus alia est ratio; nam Pater Filio, nec ætate nec statura est major, sed coævus, par & æqualis; nec aliam a sua deitatem generat, sed eamdem, quam habet, Filio cō-municat: nec libere generat, sed ex naturali naturæ divinæ fœcunditate hunc Filium sibi æqualem producit, nec alium producere potest. Hæc enim deitatis fœcunditas tam potest esse in Filio, quam in Patre, adeoque potest esse in tribus personis, iisque totam se æqualiter communicat & infundit. Denique S. Cyrill. in Concil. Ephesino probat Patrem majorem esse Christo qua homo est, non qua Deus, hac ratione: *Hunc* (nempe Filium) *agnoscimus perinde atq; Patrē, nec cōverti, nec mutari posse, nullius rei indigētē, perfectum*

Digitized by Google

A *fectum Filium, ſimilem Patri, & ab eo ſolum, quia ingenitus ſit, diſcrepantem. Nam eſt accurata & expreſſa Patris imago: atque conſtat imaginē plene complecti debere eas omnes res, quibus exemplar ipſum, quod majus eſt, perfectius exprimatur, ſicut ipſe Dominus docuit, Pater major me eſt.*

VERS. 29 ET NUNC DIXI VOBIS PRIUSQUAM FIAT: UT, CUM FACTUM FUERIT, CREDATIS] q.d. Nunc meum diſceſſum & mortem, indeque reſurrectionem & reditum ad vos vobis prædico, non, ut mihi condoleatis, & vobis conſulatis; ſed ut, cum hæc ipſa reipſa compleri videritis, credatis me hæc omnia præſciviſſe & præordinaſſe, ac proinde mortem ſubiiſſe non ex neceſſitate, ſed libera voluntate, pro veſtra mundique ſalute, ideoque credatis me eſſe Meſſiam Dei filium, ſalvatorem mundi. Audi S. Auguſt. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur non videtur, ſed ex rebus quæ videntur acquiritur in nobis, ut ea credantur, quæ non videntur; viſuri erant diſcipuli poſt mortem viventem, & ad Patrem aſcendentem, eoque crediturі Filium eſſe Dei, qui hæc poſſet facere & prædicere, antequam faceret; crediturі autem fide non nova, ſed aucta: aut certe cum mortuus eſſet, defecta, cum reſurrexiſſet, refecta.*

B

VERS. 30 JAM NON MULTA LOQUAR VOBISCUM: VENIT ENIM PRINCEPS MUNDI HUJUS] q.d. Jam non eſt tempus pura loquendi, ſed ſermonem finio, quia princeps hujus mundi diabolus, cui ſe mundani homines ſubjecerunt, voluntate ſua peccando, per ſuos ſatellites *venit*, id eſt, adventat, ut me capiat & occidat. Dixit enim hoc Chriſtus cum adventarent ſatellites cum Juda, miſſi a principibus ad ipſum comprehendendum,

ET (ſed) IN ME NON HABET QUIDQUAM] q. d. Venit quidem ut me capiat, ſe in me nil habet juris, quia nihil in me inveniet peccati, propter quod Adamum & poſteros ejus mori fecit: quare injuſte mihi innocenti mortem inferet, idque ego patiar, ut morte mea injuſta eum jure ſuo ſpoliem, hominesque ab ejus poteſtate & tyrannide eripiam. Ita Cyrill. & Chryſoſt. Innocentia ergo Chriſti, morſque innocentis nos omnes nocentes a noxia liberavit. Et hæc erat magna Chriſti conſolatio, quam Apoſtolis hic ingerit. Aut, ut Maldon. q.d. Venit diabolus, ut me per Judæos capiat & occidat, ſed *in me non habet quidquam*, id eſt, non poterit me vincere aut perdere, uti ſperat; licet enim moriturus ſim, tamen id faciam non ejus potentia & vi, ſed mea voluntate & libertate, ut Patris voluntati ſatisfaciam. Patet ex ſeq.

C

Porro, S. Amb. l. de Fuga ſæculi c. 4. & S. Hilar. lib. 9. de Trinit. legunt, *in me invenit nihil*, ſcilicet quod ſuum ſit, id eſt, nullum peccatum. Rurſum iidem legunt ſic: *In me non invenit nihil*, ſicque explicant: In me non invenit peccatum, quod eſt nihil.

VERS. 31 SED UT COGNOSCAT MUNDUS, QUIA DILIGO PATREM, ET SICUT MANDATUM DEDIT MIHI PATER, SIC FACIO] q. d. Moriar, non coactus a Judæis dæmonis miniſtris, ſed libere, ut amori & obedientiæ Patris ſatisfaciam. Ipſe enim mihi mandavit, ut mortem hanc capeſſam pro redemptione hominum, quare ſic facio, & eam capeſſo. Ita S. Cryſoſt. Cyrill. Euthym. & alii.

Poteratne Chriſtus mandatum mortem ſibi a Patre acceptum non implere?

D

Dices, Chriſtus accepit mandatum a Patre patiendi, moriendi & agendi ea quæ agebat. Ergo non poterat velle contrarium, nec fuit liber, quia ſic peccaſſet: Chriſtus autem eſt impeccabilis duplici titulo, ſcilicet Primo, propter unionem hypoſtaticam cum Verbo: Secundo, propter lumen gloriæ, quia videt Deum. Chriſtus enim & Beati, quia clare vident Deum eſſe bonum immenſum, toti rapiuntur in ejus amorem, ut nil poſſint amare aut velle, quod illi ſit contrarium vel diſpliceat. Reſp. unionem hypoſtaticam cum Verbo feciſſe Chriſtum impeccabilem, eo quod Verbi officium erat humanitatem illam ſibi hypoſtatice unitam cuſtodire & præſervare, ut nullum peccatum admitteret, ne Verbum, ſive Deus ſuſtentans illam humanitatem peccaſſe diceretur. Actiones enim ſunt ſuppoſitorum, ſive perſonarum. Verbum autem cuſtodivit humanitatem ne peccaret, non phyſice prædeterminando voluntatem humanam Chriſti ad parendum mandato Patris, ſed tantum ſua gratia congrua aſſidue ita ipſam præveniendo, ſuaviterque dirigendo & impellendo, ſicut ex præſcientia futurorum conditionalium præſciebat, quod ipſa tali gratiæ conſenſura foret, ideoque ſemper Dei voluntati libere ſe ſubderet, nec vel venialiter illum offenderet. Porro lumen gloriæ neceſſitavit quidem Chriſtum, quatenus ipſe erat beatus, ut actu beatifico ſubderet ſe viſæ per hoc lumen Dei voluntati & decreto mortis; non tamen neceſſitavit eum, quatenus ipſe erat viator, quia qua viator habuit ſcientiam infuſam, uti nos habemus fidem, ſecundum quam libere actum amoris & obedientiæ elicere poterat, vel non elicere pro arbitrio, uti nos libere ſimiles actus elicimus. Elicuit ergo actum liberum, quo mandato Patris obediens, mortem crucis acceptavit, dicens: *Ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam*, Pſ. 39. 7. & Heb. 10. 9. nec prior actus determinavit poſteriorem, eo quod ſint omnino diſparati, & alterius ordinis: prior enim eſt actus beati, poſterior eſt actus viatoris. Vide Scholaſticos.

E

SURGITE, EAMUS HINC] Hæc verba pendent a præcedentibus, iiſq; ſunt connexa. q.d. Unde mundus cognoſcat me diligere patrem, & mandatum ejus de morte capeſſenda ultro exequi, ſurgite, abeamus hinc ad hortum Gethſemani, ubi Judas & Judæi me expectant, ut capiant & occidant, Ita S. Aug. tr. 70. Hilar. l. 9. de Trinit. & Tolet. & alii.

Minus recte ergo Chryſ. Euthym. & Ribera exponunt, q.d. Quia video vos, o Apoſtoli, eſſe timidos & puſillanimes, ob Judæos mihi imminentes & adventantes, ſurgite ergo, & eamus in locum, vel in partem domus ſecretiorem & tutiorem, ubi ſecurius & quietius me cætera proſequentem audiatis.

F

Myſtice, Cyrill. lib. 10. c. 12. Greg. Nazianz. orat. de amore pauperum, & S. Ambr. l. de Bono mortis c. 5. exponunt, q.d. *Surgite*, id eſt, animum attollite a terra in cælum, ut mente verſemini in cæleſtibus: ſic enim omnem metum excludetis, nec mortem timebitis, ſed ambietis, quaſi per eam recta ituri in cælum.

An Chriſtus hic a menſa ſurrexerit, domoque exierit, & ſurrexerit ea, quæ ſequuntur, in via?

Quæres, an vere Chriſtus ſurrexerit ex menſa, domoque exierit verſus hortum Gethſemani, ac in via pertexerit loqui ea, quæ narrat Joannes tribus cap. ſeq. quibus finitis, tranſierit torrentem Cedron, & hortum ingreſſus ſit, in quo orans a Juda oſculo proditus, & a Judæis captus eſt, uti narrat Joannes c. 18. 1. & ſeq. Affirmant Cyrill. Aug. Beda & Tolet. eſtque probabile. Probabilius tamen negant Janſen. Maldon. & alii, qui cenſent Chriſtum hic domo aut loco non exiiſſe, tum quia Joannes id factum eſſe non narrat, tum quia in via eundo, Chriſtus non potuiſſet commode dicere ea, quæ ſequuntur, uſque ad c. 18. ita ut Apoſtoli omnes, eum magno agmine ſequentes, omnia illa audirent & intelligerent: tum quia Chriſtum fuiſo omni ſermone tandem egreſſum eſſe aſſerit Joan. c. 18. 1. Tum denique quia Matthæus c. 26. 30. & Marcus c. 14. 27. affirmant Chriſtum domo egredientem non concionatum eſſe, ſed hymnum cantaſſe. Dicit ergo: *Surgite*, quia vere e menſa Chriſtus ſurrexit, & in pedes ſe erexit, juſſitque Apoſtolis idem facere, ut ſecum abirent in Montem Oliveti, ubi ſciebat ſe capiendum: ſed ut ſolent valedicentes chari & amici, qui ægre ſuis, quos ſumme amant, extremum vale dicunt, & ægre ab eis avelluntur, ſermonem abruptum reſumere & prolongare; ſic Chriſtus ſtando novum & longiorem ſermonem hic reſumpſit, eumque protraxit a c. 15. ſeq. uſque ad cap. 18. 1. ubi ſermonem finiens, abiit trans torrentem Cedron in Montem Oliveti. Hic enim eſt mos amantium, dum ſibi mutuo valedicunt. Sic Ovidius a ſuis abiturus in exilium, ita de ſe ægre valedicente canit l. 1. Triſtium elegia 3.

G

Ter limen tetigi, ter ſum revocatus, & ipſe
Indulgens animo, pes mihi tardus erat.
Sæpe vale dicto, rurſus ſum multa locutus,
Et quaſi diſcedens oſcula ſumma dedi.

H

Periculi occurrendum.

Tropologice, cum imminet res ardua a Deo decreta, vel a Superiore mandata, v.g. iter periculoſum, mors, martyrium, generoſe & alacres nos offeramus Deo in victimam charitatis & obedientiæ, & ob amorem Dei ultro periculo occurramus, dicentes cum Chriſto: *Surgite, eamus*. Qui enim primum impetum timoris audacter ei occurrendo infringit, hic dimidium difficultatis vicit, & reliquum facile pervincet, uti quotidie experimur, juxta illud:

Dimidium facti, qui bene cœpit habet.

CAPUT XV.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimo, Chriſtus ait ſe eſſe vitem, nos palmites, ideoque nos in eo quaſi palmites in vite manere debere, ut uvas & vinum ſpiritale proferamus. Secundo, v. 10. inculcat dilectionem Dei & proximi. Tertio, v. 20.

Digitized by Google

A *v. 20. prædicit mundi persecutiones, post mortem suam in Apostolos irruptoras, eisque opponit v. 26. Paracletum a se mittendum.*

VERS. 1. EGo sum vitis vera: & Pater meus agricola est.

2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

3. Jam vos mundi estis propter sermonem, quam locutus sum vobis.

4. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.

5. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.

6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum,
B & in ignem mittent, & ardet.

7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.

11. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

C 14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

15. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo: det vobis.

17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

18. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit.

19. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo.
D Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.

21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me.

22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

23. Qui me odit, & Patrem meum odit.

24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.

25. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

26. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me:

27. & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

EGO SUM VITIS VERA] Græce est genuinus articulus, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, id est, *illa vitis illa vera*, Syrus, *ego sum vitis illa veritatis*. Proponit hic Christus parabolam vitis & palmitum, hoc scopo & fine, ut ex ea Apostolos doceat debere manere in sua fide & dilectione, nec ab ea discedere, ob instantem passionem & mortem: sic enim fructum vitæ æternæ sibi & aliis allaturos. Hunc esse scopum & fructum parabolæ patet ex præced. & seq. præsertim ex illo v. 9. *Manete in dilectione mea.* E Christus vitis vera.

Christus se comparat viti, non qua Deus est, ut volebat Arius, inde probans Filium esse Patre, utpote agricola, minorem, sed qua homo; sic enim homines ei inseruntur, quasi palmites: hi enim cum vite sunt ejusdem naturæ & homogenei. Unde S. Hilarius lib. 9. de Trinit. *Idcirco*, ait, *Christus carnem assumpsit, ut illi quasi viti nos homines carnes, quasi palmites inseri possemus.* Sed tamen caro Christi non haberet illam vim producendi palmites, id est, fideles & sanctos omnis generis, nisi ei conjuncta esset divinitas; ideoque Cyrill. l. 10. c. 13. ait Christum esse vitem ratione divinitatis. Et S. Aug. tr. 81. *Quamvis Christus*, ait, *vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi Deus esset.* F

Quæres, cur Christus potius viti se comparet, quam pomo, piro, nuci, alterive arbori? Resp. S. Athanas. in Disput. contra Arium, & ex eo Ribera, Toletus, & alii, ob multas vitis dotes, quibus aliis arboribus præcellit, quæ optime Christo conveniunt, nimirum Primo, propter fructuum copiam: est enim fœcundissima inter omnes plantas: quod & David Ps. 127. significavit, dicens: *Uxor tua sicut vitis abundans*. Secundo, propter suavitatem fructus, est enim dulcissimus & suavissimus. Tertio, prorer vinum; quod ex ejus fructu conficitur, quod lætifico cor, multosque parit effectus similes Christi adventus fructibus. Quarto etiam, quia inter omnes plantas maxime ramos diffundit & expandit; ut considerata trunci quantitate mirum in modum palmites extendat, in quo Ecclesiæ extensio significatur, de qua Psal. 80. in figura illius populi dictum est. *Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.* Analogia Christi & vitis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Quinto, vitis habet flores odoratos & folia latissima, quibus umbram facit, unde iis pira, poma, cerasa, prunа, aliosque fructus contegere, & mensæ inferre, solemus. Folia Christi sunt gratiæ externæ loquendi, prædicandi, conversandi, &c. Quinta. G

Sexto, vitium principatus peculiaris est Italiæ, ut eo omnium gentium bona viciſſe videatur, ait Plinius l. 14. in proœmio. Sic pariter vitis, id est Ecclesiæ, principatum & Pontificatum tenet Roma. Sexta.

Septimo, tanto potentiora sentiuntur vina, quanto propior fuerit uva terræ, ait Plinius lib. 17. c. 22. sic Christi potentiam sensimus dum ad terram descendit, & ex ea carnem assumpsit. Septima.

Octavo, vetustioribus vitibus vinum melius, novellis copiosius, ait Plinius l. 16. c. 27. Rursum vina nonnulla durant ducentos annos; tumque mellis asperi saporem habent, ait Plinius l. 14. c. 4. Herbipoli Reverendissimus D. Godefridus Episcopus gustandum mihi dedit vinum centum annorum. Hinc illud: *Vino vetere utere.* Sapientia enim est senum. Octava.

Nono, raphanus & laurus odore aut succi mixtura lædunt vitem, ait Plinius l. 17. c. 24. Idem l. 20. c. 9. docet brassicam viti esse inimicam. Brassicam, ait, vitis fugit, aut si fugere non potest, moritur ex adverso: arbor viti gratissima est populus, cui se alligat, & quasi maritat. Nona. H

Decimo, nec est ulli ligno æternior materia, quam viti, ait Plinius l. 14. c. 1. Decima.

Undecimo, vitis sola bis parturit, cum primum emittit uvam, iterum cum digerit, ait Plinius l. 16. c. 25. Rursum, vites nonnullæ sunt biferæ, aliæ triferæ. Undecima.

Duodecimo, Cato de cultura vitium ita præcipit: *Quã altissimam vineam facito, alligatoque recte, dum ne nimiũ constringas*, &c. quæ fuse recitat Plinius l. 17. c. 22. Duodecima.

Denique, vites multiplici, magna & assidua egent cultura. Oportet enim eas fodere, plantare, statuminare, alligare, pastinare, ablaqueare, stercorare, putare, defrondere, &c. Sic multa, magna, & continua cura eget Ecclesia & anima sancta, quæ Christo quasi viti inseritur. Plures vitis dotes & analogias recensui Ezech. c. 15. 2. Vites assidua egent cultura.

Porro, propriæ & potissimæ causæ sunt duæ, cur Christus hic comparaverit se viti; non piro, nuci alterive arbori. Prior est, quod jam recenter Christus Eucharistiam instituerat, ac sub specie vini Apostolis sanguinem suum Cur Christus se viti comparaverit?

Digitized by Google

A bibendum dederat, & fidelibus omnibus per omnia ſæcula bibendum reliquerat, ut eo quaſi muſto in amore ejus exardeſcerent, & tentationes omnes ſuperarent. Quocirca cum paulo ante monuiſſet Chriſtus Apoſtolos, ut in dilectione ejus perſiſterent, etiamſi viderent eum prodi a Juda, capi, crucifigi & occidi, hinc jam idem hic inculcat per parabolam vitis. q. d. Sicut palmes ſemper inhæret viti, nec ullo frigore, vento, fulmine, ab ea divelli patitur, ut fructum ferat: ſic & vos, o Apoſtoli, in mea dilectione perſiſtite, nec ob meam paſſionem & mortem a mea fide & amore deſciſcite: ſic enim fructum inſignem & copioſum proferetis.

Poſterior cauſa eſt, quod Chriſtus jam ibat ad paſſionem, crucem & mortem, quam optime repræſentat vitis per ſuas uvas: ſicut enim e calcata uva exprimitur vinum præſtans & ſapidum: ſic e calcato Chriſto in torculari crucis, expreſſus eſt ſanguis, quo redemptus eſt mundus. Alludit ergo Chriſtus ad illud Gen. 49. 11. a Jacobo de ſe prædictum: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum: pulchriores ſunt oculi ejus vino.* B Vide ibi dicta. Hinc S. Hilarius lib. 9. de Trinit. *Ad conſummanda*, ait, *paſſionis ſacramenta exurgens, corporeæ aſſumptionis myſterium pandit, per quam & tamquam viti palmites inſumus.* Gloſſa quoque ſic exponit, q. d. *Me præcedentem ad paſſionem debetis ſequi, quia ego ſum vitis, id eſt caput veſtrum, ejuſdem naturæ vobiſcum.*

Vide S. Bern. (ſi tamen ipſe eſt auctor: nam ſtylus diſſonat) tract. de Paſſione hoc titulo: *Ego ſum vitis vera*, qui totus eſt de hac re, ubi inter alia c. 1. ait: plantari ſolet vitis in terra, non ſeminari, translata de ſua vite: ſic vitis primo nata de vite eſt Chriſtus, quaſi Deus genitus de Deo, Filius de Patre; ſed ut majorem ferret fructum, plantatus eſt in terra, id eſt, in Virgine Maria conceptus. Deinde omnes conditiones vitis Chriſto adaptat. Unde c. 2. agens de præciſione vitis: *Quomodo*, ait, *amputata fuit in Chriſto gloria? cultro ignominiæ: potentia? cultro abjectionis: voluptas? cultro doloris: divitiæ? cultro paupertatis.* Cap. 3. agit de circumfoſſione vitis, docetque ſimili modo Judæos foveas inſidiarum fodiſſe Chriſto, C ut eum caperent in ſermone, ſed eo illæſo, ipſoſmet in foſſas ſuas incidiſſe. Cap. 4. agit de vinculis vitis, eaque applicat funibus, quibus ligatus fuit Chriſtus, dum caperetur, & dum alligaretur columnæ, & flagellaretur, item coronæ ſpineæ, qua caput ejus Judæi vinxerunt; item clavis ferreis, quibus alligatus fuit cruci. Cap. 5. agit de cultura vitis. Cap. 6. de foliis vitis, quæ ſunt latiſſima, per eaque accipit verba Chriſti, præſertim ſeptem ultima, quæ in cruce edidit: hæc enim quaſi umbra nos in omni tentatione ſolantur, protegunt & tutantur.

Chriſtus vitis vera? Cur.

Quæres, Secundo, cur Chriſtus dicatur *vitis vera*? Reſp. Primo, Ribera, quia ipſe ſimillimus eſt viti, ipſique veriſſime competunt omnes proprietates vitis. Secundo, Euthym. *Vera*, ait, hoc eſt, quæ veritatis fructum profert. Tertio, idem Euthym. *Vera*, inquit, id eſt, eximia, ſpiritalis & incorruptibilis.

Reſp.

Verum dico Chriſtum vocari *vitem veram*, quia vere habet naturam, indolem, proprietates & dotes vitis. Sicut enim vera vitis veros palmites & veras uvas producit: Sic Chriſtus veros fideles, veraſque virtutes progignit per ſuam gratiam, quam eis velut ſuccum viniferum inſtillat. Sic igitur ipſe dicitur *vera vitis*, non corporalis, ſed ſpiritualis. Vera ergo vitis opponitur viti falſæ & fallaci, quæ ſpeciem habet vitis, ſed non naturam, quæque non uvas, ſed labruſcas, nec vinum, ſed omphacium profert: quales ſunt vites Sodomæ, quæ exterius proferunt uvas in ſpeciem pulchras, ſed ubi eas attigeris, in favillam reſolvuntur, & in fumum abeunt & evaneſcunt, teſte Joſepho l. 2. de Bello c. 5. Tales vites quoque fuere Judæi, a Deo ad idola & vitia deſciſcentes, de quibus, Deut. 32. 31. dicitur: *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, uva eorum, uva fellis & botri amariſſimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*

Secundo, Chriſtus eſt *vitis vera*, græce, ἡ ἀληθινὴ, id eſt, *illa vera*, id eſt, veriſſima, ſingularis, perfecta, eximia, cui ceteræ vites omnes comparatæ non ſunt veræ vites, ſed umbræ vitium. Sic dicitur Chriſtus lux vera, vita vera, panis verus, quia lucet, vivificat, nutrit magis quam ulla corporea lux, vita, & panis. Vide dicta c. 1. 9. Chriſtus ergo eſt vitis electa: heb. *forec*, id eſt, ſingularis & præſtantiſſima, de qua Iſaias c. 5. 2. quæ ramos ſuæ fidei & Eccleſiæ propagavit per totum orbem: ac ubique producit uvas, id eſt, agmina Martyrum, Virginum, Confeſſorum & Sanctorum omnium, juxta illud Zachar. 9. 17. *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Alludit Chriſtus ad illud de ſe a Siracide 250. annis ante prædictum: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis*, Eccli 24. 23. vide ibi dicta. Et ad illud Davidis Pſ. 79. 21. *Plantaſti radices ejus, & implevit terram, operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei: extendit palmites ſuos uſque ad mare.*

Et pater meus agricola, id eſt, viticola, est] qui ſcilicet me quaſi vitem plantavit in terra, meoſque palmites, id eſt, Apoſtolos cæteroſque fideles, excolit, inutiles reſecando, utiles purgando, ut fructum majorem afferant, ut ſequitur. Ager ergo hic non ſolum agrum ſeminis, ſed & vineam, hortum, pratum, & quidquid camporum eſt complectitur. Audi S. Aug. de Verbis Domini ſecundum Joan. ſer. 59. *Colimus Deum adorando, non arando; & colit nos Deus meliores reddendo: extirpat enim verbo ſuo mala ſemina de cordibus noſtris; aperit cor noſtrum tanquam aratro ſermonis; plantat ſemina præceptorum, expectat fructum pietatis.*

Objiciebant Ariani: Vitis & agricola ſunt diverſæ naturæ; ergo cum agricola ſit Deus Pater, vitis ſit Chriſtus, nequit Chriſtus eſſe Deus. Reſp. Athanaſ. Baſil. & Amb. Chriſtum eſſe vitem quoad humanam naturam a ſe aſſumptam, & ſic diverſæ eſſe naturæ ab agricola, id eſt, Deo Patre. Rurſum, etſi demus Chriſtum eſſe vitem, etiam qua Deus eſt, nil concludit argumentum. Nam in comparatione ſimilium, non identitas vel ſimilitudo naturæ, ſed id, in quo ponitur ſimilitudo, ſpectandum eſt. Similia enim communiter ſunt diverſæ & diſſimilis naturæ, ſed comparantur in dote aliqua, in qua conveniunt & aſſimilantur viti & agricolæ, non in identitate naturæ, ſed in ſimilitudine palmitum & fructuum, ſcilicet uvarum, quas proferunt. Porro Filius quoque & Spiritus ſanctus eſt agricola hujus vitis, ſed Chriſtus de more ſoli Patri id attribuit; quia Pater eſt G origo Filii & Spiritus ſancti, ac principium divinitatis, ut ait Dionyſius de Divin. nomin. Ita S. Aug.

Omnem palmitem] Chriſtus de vite nil dicit, ſed Vnu de palmitibus, quia Chriſtus, qui eſt vitis, ſibi ſufficit diſcipuli autem multo egent auxilio & cultura Dei, ait Chryſ. ſed & Chriſti mentem Deus aſſiduis illuſtrationibus & impulſibus excolebat, & incitabat ad opera heroica.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat] q. d. Omnem fidelem, ſive Chriſtianum, qui per fidem & baptiſmum mihi quaſi palmes viti inſertus eſt, ſi non ferat fructum bonorum operum, Deus Pater tollet eum, id eſt, velut infrugiferum & inutilem palmitem abſcindet a vite, tum ſeparando eum occulte a communione ſpiritus & gratiæ Chriſti, publice etiam ſeparando eum a Chriſto per excommunicationem aut permiſſionem lapſus in hæreſin: tum in morte ſeparando eum a Chricto Sanctorumque conſortio: eum vero, qui fert fructum, purgabit a luxurie frondium, a vermibus, omnique noxa, id eſt, ab amorem vanitatum & ſordium hujus mundi, ut fructum plus afferat. Loquitur Chriſtus primo & proxime Apoſtolis, deinde cæteris fidelibus. Sic enim Deus Pater paulo ante ſeparavit Judam proditorem a Chriſto & Apoſtolis, cogens eum egredi ex eorum domo & familia: Petrum vero alioſque Apoſtolos purgavit a nimio amore hujus vitæ ac timore Judæorum, quo perciti Chriſtum dum comprehenderetur, vel negarunt, vel fugerunt, quando in Pentecoſte miſit in eos Spiritum ſanctum, qui omnem hunc amorem & timorem refecuit, ut Dei amore pleni Judæorum manus & minas non timerent. Ita S. Aug. Chryſoſt. Cyril. Addit Cyrillus aliam expoſitionem, ut palmes infructuoſus ſit populus Judæorum, qui propter infidelitatem ſuam exciſus eſt, palmes autem fructuoſus ſint fideles, tam ex Judæis, quam ex Gentibus, quos purgat Pater, ſed diverſimode: nam Judæis Moſaicæ legis ruditas tollitur, Gentibus impuritas morum, & idololatriæ voluntas.

Falx Deus prima est verbum Dei.

Sed hic ſenſus ſcopo Chriſti non congruit. Loquitur enim de fidelibus dumtaxat: quare Judæi non poſſunt dici palmites in Chriſto manentes. Porro falx vel culter, quo Deus palmites, id eſt fideles purgat, Primo, eſt ſermo Dei.

Unde

A Unde de eo subdit vers. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Sermo enim Dei docet, incitatque ut mentem a sordibus expurgemus. Secundo, sunt tribulationes, afflictiones, persecutiones, paupertas, fames, &c. hæ enim nos ab amore mundi avocant, & ad Deum confugere compellunt. Ita Cyrill. Audi S. Gregorium lib. 7. ep. 32. *Palmes fructuosus purgari dicitur: quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis attrita aristis & paleis nudantur. Sic olivæ pressæ in olei pinguedinẽ defluunt. Sic botri vinearum tunsi calcibus, in unum liquescunt.*

Secunda, afflictiones.

Tertio, sunt illustrationes, terrores, increpationes, quas Deus mentibus fidelium immittit, ut ex eis sarmenta vitiorum expurget & resecet. Sic a Deo increpitus fuit S. Hier. imo vapulavit, quod studiosius Ciceronem, quam S. Scripturam lectitaret. Audi eum epist. 22. ad Eustochium: *Raptus in spiritu ad tribunal Judicis perrexi; ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat. Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui & inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem cœpi, & ejulans dicere: Miserere mei, Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat*, &c. Et mox: *Liventes fateor me habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto debine studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram.* Sic S. Catharina Senensis ob levem in oratione distractionem, acriter a Christo reprehensa, adeo erubuit, ut diceret malle se coram toto mundo confundi, quam similem castigationem & confusionem iterum subire. Simile de se refert S. Brigida in suis Revelat. Hinc patet necessitas æque ac vis & integritas bonorum operum, nec sufficere solam fidem ad salutem, uti volunt hæretici. Hunc enim fructum requirit hic Christus, quem nisi inveniat, minatur cuilibet palmiti, id est, cuilibet fideli, præcisionem a vite, id est, damnationem æternam. Quare errabant Begardi & Beguinæ, dicentes viros perfectos non obligari ad bona opera, quos proinde damnat Clemens V. in Concil. Viennensi, ut patet in Clement. *Ad nostrum* de hæret. Ac contra eos Christus urget *vò in me*. q.d. Indignum est, ut aliquis fidelis manens in me, nullum charitatis & virtutum fructum ferat, sed sit iners & otiosus; cum ego, qui sum Sanctus Sanctorum, Deique Filius, tot assidue proferam, adeoque tota vita mea non sit aliud, quam labor in evangelizando, ac crux & martyrium in patiendo.

Tertia, increpationes?

S. Catharina Senensis ob levem in oratione distractionem a Christo reprehenditur.

B

C

Patet Secundo, errare Lutherum, dum ait omnia fidelium opera esse peccata, eo quod ex innata concupiscentia emanent, nec fiant in charitate perfecta: si enim hoc verum esset, Christus ea non requireret, nec ea vocaret fructum, sed potius damnaret ut venenum. Vide Conc. Trident. sess. 6. can. 25.

Patet Tertio, errare pariter Lutherum, dum ait per quodlibet peccatum mortale fidem amitti: quod damnat Tridentinum ibid. can. 28. Nam Christus loquitur hic de fideli, qui in se manet per fidem, nec habet fructum charitatis. Habet ergo talis fidem, sed non charitatem.

D

VERS. 3. JAM VOS MUNDI ESTIS PROPTER SERMONEM, QUEM LOCUTUS SUM VOBIS] Ecce hæc est falx, qua Deus Pater suos Apostolos *καθαίρει*, id est, purgat & mundat, ut sint *καθαροὶ*, id est, puri & mundi, scilicet sermo Christi. Nam, ut ait Paulus Heb. 4. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Sensus ergo est, q.d. Sermo meus, id est, doctrina mea, quam vos docui, vobisque persuasi, ut illi credatis & obediatis, hæc est falx, quæ vos purgabit ab errore & vitiis, vosque mundos, sanctos, Deoq; gratos efficiet.

Loquitur Christus proprie de sermone post ultimam cœnam, qui proxime præcessit c. 13. & 14. nam, ut recte advertit Tolet. hic sermo igniit corda discipulorum jam in Christo fructum ferentia, & per gratiam & dilectionem ac fidem unita purgavit, ut plus afferrent fructus: purgavit autem a multis imperfectionibus, tum illustrando & docendo, tum increpando & admonendo, tum instruendo, tum demum affligendo; nam dolore & timore eos affecit, quibus eorum fides aucta est, & dilectio ferventior, & spes robustior est effecta.

Hoc enim Christi sermone Apostoli purgati sunt ab ignorantia quadam: nam Petrus nesciebat, quo Jesus iverat; Thomas ignorabat viam, Judas alter Patrem videre quærebat: has ignorantias resecuit Dominus. Purgati sunt etiam a vana quadam confidentia: nam Petro eorum primo dictum est: *Ter me negabis.* Purgati sunt a carnali quodam affectu; quia nimirum intenti & addicti erant præsentiæ sensibili Christi, semper ea frui cupientes; jam autem audiunt Dominum abire ad Patrem, eosque remansuros. Purgantur a pusillanimitate, qua recedente Christo jam fere de sua salute desperabant. Multæ aliæ erant imperfectiones quas Dominus a suis discipulis resecuit hac nocte cœnæ.

E

Porro quærit S. August. tract. 80. *Quare non dicit: Jam vos mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed, propter verbum?* & respondet; *Quia etiam in aqua baptismi verbum Dei est quod mundat; detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Sed hac responsione, juxta ea, quæ dixi, non est opus. Nam non loquitur Christus de munditie per baptismum vel Eucharistiam accepta, sed de ea, quam Apostolis sermo Christi jam dictus contulit: ille enim leves imperfectiones post baptismum & Eucharistiam in Apostolis remanentes purgavit & sustulit. Unde notat S. August. aitque: *Jam vos mundi estis, mundi scilicet atque mundandi: neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent, & tamen omnem qui fert fructum purgat agricola, ut fructum plus afferat.*

F

VERS. 4. MANETE IN ME, ut in vite palmites, non aridi & infrugiferi per solam fidem, sed ut frugiferi & vivi per charitatem & studium bonorum operum; ET EGO IN VOBIS] Hæc particula partim est promissio Christi. q.d. Si maneatis in me per fidem charitate formatam, vobis promitto, quod ego vicissim manebo in vobis, sicut vitis manet in palmitibus per continuum influxum, ut eis vitale alimentum succumque ad uvas gignendum subministret. Simili enim modo ego vobis Spiritum gratiæ subministrabo, ad producenda bona charitatis & virtutum opera. Ita S. August. Beda & Euthym. Partim est præceptum, q.d. Curate ut vos in me maneatis, & ego vicissim maneam in vobis, quia sine me nihil potestis facere. Hoc autem curabitis, si maneatis in mea dilectione; sic enim efficietis, ut ego vicissim in vobis maneam per meam gratiam, ac continuo spiritum meum in vos immittam & influam, quo in vita spirituali vegetemini & crescatis, ac spiritalia opera edere pergatis, ita Toler. Ribera & alii. Audi S. Gregor. in Opusc. in exposit. 6. Ps. pœnitentialis, in illis verbis: *Sustinuit anima mea in verbo ejus*, ita ait: *Ubi manendum est, nisi in Christo? deficient domus, palatia corruent, destruentur civitates ab imis sedibus, turres evellentur, cælum & terra transibunt, verbum autem Domini manet in æternum: maneamus ergo in eo, qui manet in æternum.*

G

Hæc est conclusio Christi, qua discipulos hortatur, ut in ipso, ipsiusque doctrina & dilectione perseverent, quam deinceps probat septem rationibus. Prima ratio est, quod sine ipso nil boni & salutiferi possint facere. Secunda, v. 5. quod si in ipso maneant, multum fructum proferent. Tertia, v. 6. ex pœna, quia si in ipso non maneant, arescent, & in ignem gehennæ mittentur. Quarta, v. 7. quia si in ipso maneant, impetrabunt a Deo quidquid postulabunt. Quinta, v. 8. quod hoc modo valde glorificabunt Deum, ejusque gloriam per totum orbem promovebunt. Sexta, v. 9. quia ipse continue & mirifice dilexit eos: par ergo est, ut ipsi vicissim eum diligant, & in ejus dilectione persistant. Septima, v. 11. quod per hoc sint futuri in perenni gaudio. Audi primam:

H

SICUT PALMES NON POTEST FERRE FRUCTUM A SEMETIPSO, NISI MANSERIT IN VITE; SIC NEC VOS, NISI IN ME MANSERITIS] q.d. Sicut palmes a vite haurit vitam & succum ad producendum uvas, sic & vos a me hauritis vitam gratiæ & spiritum ad producendum bona opera, quæ mereantur vitam æternam. Ex hoc loco ergo patet hominem non a se, suisque naturæ viribus, non etiam exterius ab homine docente vel suadente, sed ab interna Christi gratia, partim actu præveniente, partim habituali, haurire vim producendi bona opera, præsertim supernaturalia, ac vim per illa merendi augmentum gratiæ & gloriæ: quia palmes nil habet a se, sed omnem succum, efficientiam, & vim producendi uvas haurit a vite. Ita definit, & sic hunc locum explicat Conc. Trid. sess. 6. c. 16. canonemque subdit: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmi-*

Homo ex interna Christi gratia habet vim producendi bona opera.

Digitized by Google

A *palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent, nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam vere promeruiſſe cenſeantur.*

Objicit Calvinus: Ergo homo non habet liberum arbitrium, nec per illud cooperatur gratiæ, ſed gratia ſola totum opus facit: ſicut enim palmes omnem ſuccum uvarum haurit a vite, & nil ſucci habet ex ſe, ſic homo omnem vim bene operandi haurit a gratia, & per conſequens nihil habet ex ſe, quo gratiæ cooperetur, & quod operi ex gratia facto communicet. Reſp. Primo, negando conſequentiam: nec enim in ſimili omnia ſunt ſimilia, ut debeant aut poſſint rei aſſimilatæ applicari, ſed in eo tantum, in quo collocatur ipſa ſimilitudo. Chriſtus ergo hic in eo tantum ſuam collocat ſimilitudinem, quod, ſicut palmes omnem ſuum vigorem & ſuccum ad producendas uvas trahit, ſugitque a

B vite, ſic & fidelis a gratia Chriſti haurit omnem ſuccum, vim & vigorem ad producendum opera ſupernaturalia; ſed diſſimilitudo eſt in eo, quod homo, cum ſit rationalis, gratiæ cooperetur, idque libere: quod non facit palmes in vite, cum ſit ſtipes irrationalis: nam a libera hominis cooperatione habet opus bonum, quod ſit liberum & humanum, ſicut ab influxu gratiæ habet quod ſit opus ſupernaturale, Deo dignum & gratum.

Secundo, nego antecedens: nam palmitem, præter vigorem, & ſuccum, quem a vite accepit, etiam natura ſua aliquid ad uvas producendas cooperari, patet ex eo, quod, ſi alius palmes non frugifer, aut alterius fructus frugiferi, v. g. palmes pomi, piri, ceraſi, inſereretur viti, nihil produceret, vel certe produceret poma, pira, ceraſa, non uvas; quod ergo producat uvas, habet ab hoc palmite vitifero.

Fateor tamen ipſam cooperationem liberi arbitrii eſſe etiam a gratia, hoc ſenſu, quod niſi liberum arbitrium a gratia præventum eſſet, elevatum, roboratum, & incitatum ad cooperationem, & niſi gratiam adjutricem &

C cooperantem haberet, non poſſet ei cooperari, aut quidquam facere: de quo mox plura. Et hæc eſt ſecunda ratio, qua Chriſtus ſtimulat Apoſtolos, ut in ſe maneant.

VERS. 5. EGO SUM VITIS, VOS PALMITES: QUI MANET IN ME, ET EGO IN EO, id eſt, qui ita manet in me, ut ego etiam maneam in eo; hoc eſt qui manet in me, non per ſolam fidem, ſed per fidem charitate formatam, ita ut ego viciſſim eum redamem, meoque ſpiritu imbuam, HIC FERT FRUCTUM MULTUM] bonorum operum & meritorum, quibus augmentum gratiæ & gloriæ continue promeretur. Hinc Concil. Milevitanum & Arauſic. damnat Pelagianos dicentes: A Deo habemus quod homines ſimus, ſed a nobis quod juſti ſumus: quos Aug. tr. 21. vocat non aſſertores, ſed præcipitatores liberi arbitrii, & adverſus eos ita concludit: *Qui a ſemetipſo ſe ferre fructum exiſtimat, in vite non eſt; qui in vite non eſt, in Chriſto non eſt; qui in Chriſto non eſt, Chriſtianus non eſt.*

Sine Deo nil poſſumus.

QUIA SINE ME (non tantum generali & naturali, ſed & ſpeciali ac ſupernaturali gratiæ auxilio præveniente & concurrente) NIHIL POTESTIS FACERE] nihil ſcilicet fru-

D ctus, qui ſit fructus vitis, id eſt Chriſti, vel gratiæ, uti præceſſit, hoc eſt, nihil vita æterna aut gratia dignum & meritorium (quod uvæ & vinum, quod eſt liquor præſtans, repræſentant) uti volebant Pelagiani, qui cenſebant opera bona & meritoria poſſe abſolute fieri per liberum arbitrium, facilius tamen per gratiam. Verum Chriſtus non ait, *Difficilius*, ſed, *nihil* poteſtis ſine me facere. Audi Conc. Arauſican. cap. 7. *Qui dixerit nos poſſe bonum aliquod, quod ad ſalutem pertineat vitæ æternæ per naturæ vigorem cogitare aut eligere, aut Evangelii prædicationi credere abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus S. qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis.* Et quomodo hoc intelligat, videtur exponere cap. 9. dicens: *Divini eſt muneris, cum & recte cogitamus & pedes noſtros a falſitate & injuſtitia tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum ut operemur operatur.* Non enim ait Chriſtus: Sine me nihil facile, aut nihil magnum poteſtis facere; ſed ſimpliciter *nihil*, nec magnum, nec parvum, nec facile, nec difficile poteſtis facere, uti recte advertit S. Aug. tr. 81. & lib. 1. de Gratia Chriſti, c. 29.

Porro inepte Calvinus per τὸ *nihil* putat tolli cooperationem liberi arbitrii, cum τὸ *nihil* potius eamdem ſtatuat. Nam ſi nihil boni ſupernaturalis operari poſſumus ſine Chriſto, ejuſque gratia; ergo cum illa aliquid operari poſſumus: Unde Apoſtolus: *Abundantius omnibus illis laboravi*, inquit, *non ego* (ſolis meis viribus) *ſed gratia Dei mecum*, 1. Cor. 15. 10. Sic ſine concurſu Dei generali & naturali nil poſſumus facere, cum eo tamen poſſumus multa, ut ambulare, loqui, fabricare, &c. E

Perperam denique ex hac Chriſti gnome: *Sine me nihil poteſtis facere*, inferunt Catholici nonnulli: Ergo omnia infidelium (qui carent fide & gratia Chriſti) opera ſunt peccata: nam τὸ *nihil* refertur ad opera gratiæ Chriſti, non naturæ: hæc ergo naturalia poſſunt facere infideles, ut honorare parentes, paſcere eſurientes, benefacere proximis, non autem illa, quæ ſunt gratiæ Chriſti, ſive quæ ſunt frugifera ad promerendam vitam æternam. Inter gratiam enim & peccatum medium eſt natura, ſive opus naturaliter honeſtum, quod nec peccatum eſt, nec gratiæ opus.

Notat palmites Chriſto jungitur. F

VOS PALMITES] Notat Cyrillus nos Chriſto quaſi palmites viti jungi & inhærere, tum ſpiritaliter per fidem, ſpem & charitatem; tum corporaliter, ut vitis ſit Chriſti humanitas, cujus nos ſimus palmites propter identitatem naturæ humanæ, præſertim in Euchariſtia, in qua Chriſto non tantum ut palmites viti, ſed etiam ut ceræ liquefactæ, alteri ceræ liquefactæ jungimur & permiſcemur. Unde ſicut de Euchariſtia, dixit Chriſtus c. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis:* ſic hic de vite & palmite ait v. 6. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Et Jerem. c. 2. *Ego te plantavi vineam electam omne ſemen verum; quomodo ergo mihi converſa es in pravum vinea aliena?* Chriſtus ergo dicitur *vitis vera*, Hebr. אֱמֶת *neeman*, id eſt fidelis, vera, ſincera, quia ſuos palmites nunquam deſerit, nec influxu ſuo deſtituit, ſed eis jugiter ſuccum vinoſum inſtillat, ut veras uvas, vinumque charitatis, gratiæ & gloriæ producant. Dicit enim hoc Chriſtus Apoſtolis, ob inſtantem ſibi mortem timidis & diffidentibus. q. d. Eſto jam patiar & moriar; tamen mox reſurgam, nec vos, G o Apoſtoli, deſeram, ſed quaſi vitis vos ut palmites meos ſervabo, fovebo, vivificabo, ut uvas virtutum producatis. Nolite ergo timere, nec fugere, & a me deſciſcere, quia ſic vobis ipſis meam gratiam & vitam ſpiritalem adimetis, quam conſervabitis & augebitis, ſi in mea fide & dilectione conſtantes perſtiteritis. Sicut enim palmes non poteſt vivere nec creſcere, ſine influxu vitis, quæ omnem ſuccum vitalem ei ſubminiſtrat; ſic nec juſtus poteſt in gratiam vivere & creſcere, ſine influxu meritorum Chriſti.

SI QUIS IN ME NON MANSERIT (per fidem charitate formatam) MITTETUR FORAS SICUT PALMES (inutilis & infrugifer) ET ARESCET, ET COLLIGENT EUM, ET IN IGNEM MITTENT, ET ARDET] id eſt *ardebit*, ut vertit Arabic. q. d. Sicut palmes inutilis a vite reſecatur, & foras extra vineam projicitur, ubi omnino areſcit & in faſciculos colligitur, ac in ignem mittitur, illicoque ardet: ſic pariter fidelis, qui in me per fidem & charitatem non manet, poſt mortem mittetur foras, id eſt, ſeparabitur ab Eccleſia & populo fideli, qui ſunt membra Chriſti, ubi prorſus areſcet, id eſt, omni bono gratiæ ſucco privabitur, ac a dæmonibus cum aliis reprobis colligetur, & quaſi in faſciculos colligabitur, ut in ignem gehennæ mittatur, ibique illico ardeat in perpetuum. Jam ſingula verba ſingulas continent pœnas, ideoque ſeorſim expendenda ſunt. H

Pœnæ manent Chriſti ne non pecc.

Prima ergo pœna eſt, quod *mittetur foras*, id eſt a Chriſto, a Deo, a cælo, a conſortio angelorum & Sanctorum ſeparabitur.

Secunda, quod *areſcet*: peccatores enim in hac vita ſæpe retinent fidem & ſpem, ſæpe gratiæ illuminationes & impulſus divinos ad pœnitendum ſentiunt, crebro a concionatoribus, magiſtris, ſociis, &c. monentur ut vitam emendent, ſæpe opera moraliter bona faciunt. Manent enim in Chriſto quaſi in vite, a quo humorem aliquem bonitatis ſugunt. At poſt hanc vitam a Chriſto ſeparati, nil humoris, nil gratiæ a Chriſto ſugere queunt, ſed omnia Dei dona eis auferentur, Luc. 19. 26. ut ad nihil ſint apti, niſi ut fiant folles & fomenta gehennæ.

Tertia, *colligent eum*, quo ſignificatur reprobos in faſces colligandos, ut in ignem præcipitentur, a quo nunquam ſe liberare poterunt, juxta parabolam Matth. 13. 41. ſimul ſignificatur ligandam in eis fore voluntatem, ra-

tionem

A tionem & libertatem arbitrii, ut deinceps nil boni velle aut facere possint.

Quarta, *in ignem mittent*, scilicet in gehennam ardentem igne & sulphure, ubi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum, uti ex Isaia ait Joan. Apoc. 14. 11.

Quinta, *ardet*, id est, illico & jugiter ardebit in perpetuum. Unde S. Aug. tract. 14. *Ligna vitæ præcisa*, ait, *nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis: si in vite non est, in igne erit.* Est hoc tertium Christi argumentum, quo discipulos hortatur, ut in ipso maneant. Sequitur quartum petitum a præmio.

VERS. 7. SI MANSERITIS IN ME (id est, si perseveraveritis in mea dilectione & gratia) ET VERBA MEA IN VOBIS (in vestra memoria, ut assidue eorum recordemini, & voluntate, ut ea diligatis, & operatione, ut jussa mea perpetim exequamini) MANSERINT: QUODCUMQUE VOLUERITIS, PETETIS, ET FIET VOBIS] quia nihil petetis, nisi juxta voluntatem meam, & juxta formulam petendi a me præscriptam, Matth. 6. v. 9. nimirum nihil petetis, nisi
B quod scietis Deo gratum fore, ac ad Dei gloriam vestramque & proximorum salutem pertinere, quia manentes in Jesu (id est, Salvatore) non possunt velle, nisi quod est salutis, ait S. Augustinus. Palmes enim in vite existens, si quid petere posset; nil aliud peteret, nisi conservari in vite, & ejus influxu uvas producere: sic justi petunt in Christi gratia conservari, & bona opera efficere, illudque impetrant. Si enim quid carnale, vitiosum, inhonestum, noxium aut inutile & supervacaneum peterent, peterent id, quod Christo ingratum, ab eoque vetitum est, ideoque illum offenderent, quare nec in eo manerent, nec impetrarent quæ petunt. Unde S. Augustinus ad verba ejus, inquit, pertinet oratio, quam nos docuit (Matt. 6. 9.) ab hujus verbis & sensibus non recedamus petitionibus nostris, & quidquid petimus, fiet nobis.

VERS. 8. IN HOC CLARIFICATUS EST (hoc est, mox post mortem meam & adventum Spiritus S. clarificabitur, id est glorificabitur) PATER MEUS, UT FRUCTUM PLURIMUM AFFERATIS, ET EFFICIAMINI MEI DISCIPULI] Est hoc quintum Christi argumentum, quo impellit discipulos,
C ut in ipso, ejusque dilectione maneant, quod scilicet hoc cessurum sit ad magnam Dei gloriam. q.d. Manete in me, meaque dilectione, quia per hoc clarificabitur, id est glorificabitur Deus Pater, nimirum *ut*, id est *si*: (sic c. 17. 3. ait: *Hæc est vita æterna, ut*, id est, *si, cognoscant te solum Deum verum*) in me manendo *plurimum fructum afferatis*; nimirum ingentem animarum messem, & totius mundi conversionem, itaque *efficiamini mei discipuli*, scilicet perfecti & eximii: jam enim erant Christi discipuli, sed novitii & imperfecti. q.d. Glorificabitis Deum Patrem, si in me manentes meam fidem toto orbe prædicetis: quod facietis, si in mea doctrina & disciplina persistatis, crescatis & perficiamini: sic enim tolletis idololatriam omnium gentium, & unius Dei cultum per veram sanctitatem ubique inducetis, quæ ingens erit diaboli ignominia & Dei gloria, tum quia Deus adorabitur, non diabolus, tum quia conversio Gentium erit opus non vestrum, sed Dei, qui sua gratia id efficiet. A quo enim faciemus fructum, nisi ab illo, cujus misericordia prævenit nos? ait S. Aug.

Rursum, *& efficiamini mei discipuli*, hoc est, mei imi-
D tatores, in zelo & prædicatione Evangelii, ac animarum per totum mundum conversione. Est catachresis: discipulus enim ponitur pro imitatore, quia discipuli est imitari magistrum: ita perfecte Christum prædicantem usque ad mortem imitati sunt Apostoli, dum pro Evangelio vitam impenderunt usque ad mortem & martyrium.

VERS. 9. SICUT DILEXIT ME PATER, ET EGO DILEXI VOS. MANETE IN DILECTIONE MEA] Est sexta ratio, qua Christus incitat discipulos, ut in ipso ejusque fide & charitate persistant. τὸ *sicut* non æqualitatem dilectionis, sed similitudinem significat. Longe magis enim Pater diligit *Christum, quam Christus diligat nos*. Sensus ergo est, q.d. Sicut Deus Pater me hominem sine ullis meis meritis, gratis præ aliis omnibus dilexit, & evexit ad hypostasim Verbi, ut fierem Dei Filius, mundi salvator & redemptor, ideoque vitis non vinifera, sed salutifera: sic simili modo ego vos præ aliis hominibus gratis, sine vestris meritis dilexi, & evexi ad apostolatum, ut mihi proxime inseraminini quasi palmites viti, ac ego per vos non tantum vestram, sed & multorum, imo omnium Gentium salutem operer. Curate ergo ut in hac mea dilectione maneatis, hoc autem curabitis me diligentes, mea mandata servantes, sic enim merebimini vicissim a me solito more diligi, & E beneficiis jam dictis assidue a me augeri. ita S. August. Chrysost. & Cyrill.

Alium quoque sensum affert Cyril. q.d. Sicut dilexit me Pater, dans potestatem ejiciendi dæmones, & patrandi miracula: sic & ego dilexi vos communicando vobis eandem potestatem. Hoc verum est, sed partiale, non totale, nec Dei Christique dilectioni adæquatum. Et Euthymius, q.d. Sicut Pater dilexit me facientem voluntatem suam, sic & ego dilexi vos facientes voluntatem meam.

Nota hic Christi prædestinationem, electionem, dilectionem & gratiam esse medium, finem & exemplar nostræ prædestinationis, dilectionis, electionis & gratiæ. Unde S. August. de Prædest. Sanct. c. 15. *Ea gratia*, ait, *fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, quagratia homo ille ab initio suo factus est Christus. De ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus, eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum*. Vide dicta Rom. 1. 4.

MANÈTE IN DILECTIONE MEA] *Mea*, activa, qua F scilicet ego vos diligo. d. q. Curate ut ego semper vos diligam. Magna enim res est diligi a Christo, & magnarum gratiarum origo & causa. Rupertus tamen dilectionem Christi hic accipit activam. q.d. Manete in dilectione mea, pergite me diligere. Hoc quoque appositum est, non proprie & directe, sed consequenter. q.d. Curate ut vos diligam: hoc autem curabitis, si me diligere pergatis; ego enim diligentes me diligo, quare sicut Pater assidue me diligit, ideoque per me tot miracula & salutem mundi operatur, facitque me coli & adorari quasi Deum: sic ego vos assidue diligo, ideoque tot beneficiis, donis, & gratiis Apostolicis orno & cumulare pergo: curate ergo ut in hac mea dilectione & gratia conservemini: sic enim donorum dictorum augmentum in dies a me percipietis. Modicam ergo vestram dilectionem mihi exhibete, sic majorem longe meam erga vos dilectionem experiemini. Vide hic, quam præstans, eximia & divina virtus sit amor & dilectio: *Fidem*, ait Climacus gradu 30. *ut solis radium, spem ut lumen, charitatem ut plenum orbem seu circulum contemplor*. Et inferius, *Charitas*, ait, *ex natura suæ qualitatis est similitudo Dei, quantum mortales assequi possunt: secundum efficaciam autem, est quædam ebrietas animæ: secundum proprietatem denique est fons fidei, æqui ac patientis animi profundum, pelagus humilitatis*. G

SI PRÆCEPTA MEA SERVAVERITIS, MANEBITIS IN VERS. 10 DILECTIONE MEA] q. d. Si me amare, & mea jussa servare pergatis, manebitis in mea gratia, favore & dilectione, ut ego vicissim vos amare, & gratiis meis cumulare pergam.

SICUT ET EGO PATRIS MEI PRÆCEPTA SERVAVI, ET MANEO IN EJUS DILECTIONE] q. d. Sicut ego Patris jussis obedire pergo, ideoque ejus gratiam & dilectionem erga me conservo. Audi S. August. *Præcedit dilectio observationem præceptorum: unde enim præcepta servet, non habet qui non diligit, quod ergo hic ait, ostendit non unde dilectio generetur, sed unde monstretur, ut nemo se fallat dicendo, quod eum diligat, si ejus præcepta non servet; quamquam hoc ad dilectionem, qua nos diligit, referendum est, ut sensus sit: Ex hoc scietis, quod in dilectione, qua vos diligo, manetis, si mea præcepta servatis: non enim ut nos diligat, prius præcepta servamus: sed nisi nos diligat, servare non possumus; hac* H *est gratia, quæ humilibus patet, superbos latet*.

Prior ergo est dilectio Dei, quæ causat in nobis dilectionem & observationem mandatorum, quæ vicissim efficit, ut dilectio Dei erga nos conservetur & perseveret, sicut ignis ligna accendit & ignit, & ab eorum ignitione conservatur & durat.

HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, UT GAUDIUM MEUM IN VERS. 11 VOBIS SIT, ET GAUDIUM VESTRUM IMPLEATUR] Est hæc septima & ultima Christi ratio, qua suadet ut maneant in sua fide & charitate: si enim id fecerint, maximo gaudio afficient tum Christum, tum seipsos.

Quæres, quodnam sit hoc gaudium? Primo, Jans. c. 131. Concordiæ sic exponit. q.d. Hæc vobis dixi, ut in vobis semper sit gaudium simile gaudio, quod est in me, qui gaudeo quod a Patre diligor, ita vos mandata mea observate, ut semper a Patre meo diligamini, & gaudeatis, & hoc vestrum gaudium impleatur per meam resurrectionem ac missionem Spiritus sancti, ac deinceps cum majora Dei erga vos amoris indicia videretis, quod plane implebitur in æterna felicitate. Simili enim modo

Gaudium Christi quod? Resp. Primo.

ait

Digitized by Google

A ait Christus c. 17. *Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.*

Secundo. Secundo, S. Cyrill. l. 10. c. 21. & ex eo Ribera sic exponit. q. d. Hæc locutus sum vobis, ut gaudeatis iis rebus, quibus ego gaudeo, scilicet laboribus & periculis pro hominum salute susceptis.

Tertio. Tertio, Chrys. hom. 76. *Hæc*, ait, *locutus sum, ne a me discedatis, & a gaudio quod habuistis, ex eo quod mei discipuli eratis, decidatis, ne a cursu desistatis, sed in finem usque hæc lætitia perduret*: q.d. Etsi incidat tristitia, hanc auferam, ut ad finem veniat gaudium.

Quarto. Quarto, S. Aug. tr. 83. exponit de gaudio, quod Deus habuit ab æterno de nostra gratia & salute. q.d. *Hæc locutus sum vobis, ut id, in quo ab æterno ego gavisus sum, sit in vobis, nempe gratia & salus: gaudium vestrum autem, quod habetis de meo consortio, impleatur, paulatim proficiendo usque ad æternam beatitudinem.* Audi S. Augustinum. *Quid est gaudium nostrum quod dicit implendum, nisi ejus habere consortium? gaudium quidem ipse perfectum de*
B *vobis habebat, quando nos præsciendo & prædestinando gaudebat, sed illud gaudium in nobis non erat, quia nec nos eramus, cœpit autem esse, quando vocavit nos: inchoatur in fide renascentium, implebitur in fide resurgentium.*

Quinto Quinto, alii censent idem esse gaudium *meum & vestrum*: Gaudium enim discipulorum subjective, quia iis quasi subjectis inerat. q d. Hæc locutus sum vobis, ut afferam & efficiam in vobis gaudium spirituale & cæleste, quod est meum, meique amoris sequela: idem quoque est vestrum, quia vos gaudebitis, illudque implebitur sensim in hac vita, & plene in futura.

Sexto. Optime. Sexto, & planissime gaudium duplex hic pro præmio discipulis affert Christus; primum, est suum; secundum, est discipulorum. q.d. Hæc locutus sum vobis, ut vos ea facientes gaudio me afficiatis: gaudent enim parentes & magistri, cum vident filios & discipulos dictis suis obedientes probe se gerere; & hoc significat τὸ *gaudium meum in vobis sit*, id est, de vobis sit, ut scilicet propter vos mihi morigeros ego gaudeam. Unde S. Aug. *Quid est*, inquit, *gaudium Christi in nobis, nisi quo dignatur gaudere de nobis?* Secundum gaudium est discipulorum,
C de quo ait: *Et gaudium vestrum impleatur*: gaudium hoc erat, quo discipuli gaudebant de Christo, quod ejus essent discipuli & sequaces. Sicut enim Christus gaudebat de iis quasi bonis discipulis, sic vicissim ipsi gaudebant de Christo, quasi cælesti & optimo parente ac magistro. Respicit enim Christus ad parabolam vitis & palmitum, cui explicationem, quasi postparabolam subjunxit, dicens v. 4. *Manete in me, & ego in vobis*. q. d. Sicut vitis, si gaudere posset, gauderet de palmitibus sibi inhærentibus, & uvas producentibus; ac vicissim palmites gauderent, quod viti inhærentes ex ea sugerent succum ad producendum uvas: sic pariter si vos, o discipuli, in me, quasi in vite per amorem manseritis, & ego vicissim mansero in vobis per assiduum gratiæ & Spiritus influxum, ad producendum bona opera, & ego gaudebo de vobis mihi inhærentibus, & vos gaudebitis de me, quod ex me hauriatis gratiam & spiritum ad convertendum omnes gentes; quod gaudium sensim hic implebitur, sed plane consummabitur in æterna gloria, tam vestra, quam Gentium a vobis conversarum. Ita Maldon. Tolet. & alii.

D Denique posset, τὸ *in vobis*, simpliciter ut sonat, accipi. q.d. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum quo gaudeo de Dei gloria & totius mundi salute per me peragenda, in vos quasi Apostolos & cooperatores meos transfunderem, utque gaudium hoc crescente labore & fructu vestro crescat pariter, donec impleatur tum in hac vita, tum magis in futura: sic enim gaudium meum fit vestrum: bonum enim meum est vestrum, sicut bonum vitis est bonum palmitum.

Hic sensus videtur simplicissimus, ideoque genuinus: nam τὸ *ut gaudium meum in vobis sit*, perinde est, ac si dicat; Ut gaudium meum in vos deriverur, vobis communicetur, itaque fiat vestrum. Unde perficiens subdit. *Et gaudium vestrum impleatur*. q.d. Ut gaudium meum, quod vobis cœpi communicare, fecique vestrum, compleatur, fiatque plenum & perfectum: impleri enim nequit, nisi illud idem quod inchoatum & incæptum est. Et sic se explicat Christus cap. 17. *Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.*

Præclare S. Bern. ep. 114. *Et revera*, inquit, *illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur: & quod cum possederis, nemo tollet a te. Cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est, omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremo, quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Idem alibi: *Certum*, ait, *inhabitantis in anima Spiritus sancti signum est, spiritalis lætitia*, & juge mentis in Deo suo gaudium. Mens enim in Deo exultans & jubilans, ex Deo inhabitante exultat & jubilat. E

HOC EST PRÆCEPTUM MEUM, UT DILIGATIS INVICEM (Arabicus, *ut diligat alter vestrum alterum*) SICUT DILEXI VOS] Græce est geminus articulus ad emphasim τὴν ἐντολὴν τὴν ἐμὴν, id est *hoc præceptum hoc meum*. Refert hæc partim ad τὸ *si præcepta mea servaveritis*, partim ad τὸ in *dilectione mea*, quod est scopus totius parabolæ a principio capitis huc usque. Sensus ergo est, q.d. Jussi vobis ut præcepta mea servetis, inter quæ præcipuum esse scitote hoc, *ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Rursum jussi dicens: *Manete in dilectione mea*, id est, pergite me diligere, in eoque perseverate: illud autem facietis, si diligatis invicem, ac in proximos vestros beneficia & officia charitatis conferatis. Mihi enim nihil conferre potestis, sed quod proximis contuleritis, ego mihi quasi omnium parenti collatum existimabo. Unde vocat hoc *præceptum meum*? alludit enim ad illud c. 13. 34. *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos*, ubi fuse illud explicui. Nam quod hic vocat *meum*, ibi vocat *novum*. Hoc enim præceptum dat Christianis: hos enim repræsentabant Apostoli: voluit enim Christus per Apostolos eorumque posteros convertere totum mundum, hoc enim erat ejus, utpote Salvatoris, officium, ad quod a Patre in mundum erat missus. Jubet ergo ut ex sui amore ament & procurent omnium gentium salutem, ac pro ea omnes dotes & labores impendant, omnia pericula subeant, omnes persecutiones sustineant, ac denique sanguinem profundant, & mortem subeant. Sic enim ipse dilexit eos cæteroſque homines, ut pro eis vitam impenderit, mortemque crucis sustinuerit. Porro hoc præceptum in primis concernit Apostolos, quia eis jubet Christus ut se invicem singulari amore diligant, & se mutuo juvent: tum quia ipsi inter se & cum Christo erant conjunctissimi, utpote Christi G
Apostoli, tum quia Christus per ipsos munus suæ legationis & prædicationis in toto orbe obiturus & perfecturus erat. Quare ad hoc quisque alteri cooperari & opitulari debebat: unio enim hæc, & mutua cooperatio plurium efficacissima est ad omnes difficultates superandas, & ad gentes quaslibet quantumvis barbaras convertendum, uti hodie in Religionibus & Religiosis, virisque Apostolicis inter se unitis experimur, juxta illud Prov. 18. 19. *Frater, qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma*. Et illud Eccl. 4. 12. *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Vide ibi dicta.

Diligere invicem præceptum Christi commune.

Hoc Christi exemplum secutus S. Eligius Noviomensis Episcopus, moriens anno Christi 665. teste Sigeberto in Chron. hoc ultimum suis dedit monitum: *Si mihi amoris vicem rependitis, mandata prepotentis Dei servate: Jesum semper suspirate, præcepta ejus vestris animis affigite, ejus nomen, ita ut ego, amate: incertum vitæ lubricæ occasum ob oculos perpetim habete. Dei tremenda judicia numquam non formidate. Ego jam ingredior viam universæ carnis. Itaque me posthac habituri hic non estis. Ego autem certe cupio dissolvi, & si Domino sic visum est, ire ad requiem.* Ita Audoenus Rothom. Epic. l. 2. Vitæ ejus c. 32. H

S. Eligii Noviomensis Episcopi memorabilis præcepta omnia.

MAJOREM HAC DILECTIONEM NEMO HABET, UT ANIMAM SUAM PONAT QUIS PRO AMICIS SUIS] Ita legendum cum Græcis, Romanis, Arabico & Syro, qui clare vertit, *charitas major ista nulla est, qua quis animam suam ponat pro amicis suis*. Perperam ergo nonnulli interserendo τὸ *quam*, legunt *quam ut animam suam ponat pro amici suis*. Hæc enim lectio retento τῷ *hac*, evertit sensum, & contrarium significat, scilicet q.d. Hac mea dilectione nulla major est, nisi illa, qua quis animam suam ponat pro amicis suis: quod falsissimum est: quæ enim major dilectio quam Christi? Contrarium ergo intendit dicere Christus, uti mox patebit. Christus igitur hic proponit modum & terminum sive apicem suæ dilectionis, qua scilicet ipse nos dilexit, & vicissim vult ut diligamus invicem. q.d. Ego summe vos dilexi; a vobis ergo idem requiro, & jure reposco, ut scilicet summe diligatis invicem. Maxima enim & summa dilectio est, qua quis non tantum opes & famam, sed & animam, id est vitam ipsam ponit, id est sponte offert prodigitque pro amicis suis: hanc ego pono, id est brevi ponam & impendam pro vobis: vos ergo ve-

Digitized by Google

A go vestram patiter ponite pro amicis & proximis vestris, ut pro eorum salute nullum laborem, nullum periculum, nullam persecutionem, nullam mortem, nullum tormentum recusetis, sed ultro ambiatis.

Dices, Major charitas est, si quis vitam ponat pro inimicis, quam sit illa, quæ vitam ponit pro amicis. Resp. Primo nonnulli, sensum esse, q.d. Inter homines nulla potest esse major dilectio, quam mori pro amico; sed mea erga vos adhuc est major, quoniam morior pro inimicis. Dicere autem *pro inimicis*, non erat necesse, quoniam nunquam id inter homines fit. Unde Pyladis & Orestis amicitia, tamquam res admodum rara, omnium litteris & voce commendata est, quod alter pro altero mori voluerit: & hoc est argumentum Pauli Rom. 5. *Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsan quis audeat mori? commendat autem charitatem suam Deus*. Unde S. Bern. ser. de Feria 4. hebdom. sanctæ ait: *Tu majorem habuisti, Domine, ponens eam pro inimicis tuis.*

Animam pro amicis ponere, an sit maxima omnium charitas?

Secundo, & magis genuine, Ribera & Tolet. respondent, non conferri hic amicos cum inimicis, sed actus
B amicitiæ inter se, q. d. Inter omnes actus & officia amicitiæ, nullus major est illo, quo quis vitam ponit pro amico suo, quod ego facturus sum pro vobis, qui amici mei estis, si tamen præcepta mea servaveritis. Non enim dicitur amicus qui non diligit, licet diligatur: *Amicitia* enim *est mutua benevolentia non latens*, ait Aristot. 8. Ethic. c. 2.

Tertio, & plenissime, *amici*, hic vocantur non qui diligunt, sed qui diliguntur, quales possunt esse etiam inimici, q.d. Major dilectio esse nequit, quam sit illius, qui vitam ponit, & mortem oppetit pro amicis, id est, pro iis, quos diligit, & loco amicorum habet, etiamsi ipsi revera ejus non sint amici, sed hostes & inimici: quomodo Christus vitam suam posuit, & in cruce mortuus est pro omnibus hominibus, qui primitus erant peccatores, ideoque ejus inimici, sed ex eis multi per ipsius mortem, indeque manantem gratiam facti sunt justi, ideoque ipsius amici & discipuli. Idem facere Apostoli, virique Apostolici Christum secuti. Idem facere debet quilibet Christianus,
C ut scilicet cum pericli ratur salus animæ proximi, licet inimici, pro ea vitam exponat.

Instabis, Cur ergo Christus hos vocat amicos, non inimicos? Resp. Primo, quia loquitur Apostolis, qui jam per ejus vocationem & gratiam erant sui amici, licet ante fuissent peccatores & inimici. Secundo, Rupert. respondet, *ut suavitate locutionis dulcedinem in auditoribus sensim diffunderet ejusdem, quam illis mandabat dilectionis*. Tertio, ut doceret ex parte Christi & nostra diligendos esse omnes homines quasi amicos, etiamsi ipsi ex parte sua nobis sint infensi & inimici. Charitas Christi enim ad omnes se extendit, tamque inimicos, quam amicos diligit: quare inimicos habet pro amicis & dilectis, atque hac ratione quoslibet etiam inimicos sibi amicat, eosque ex hostibus facit amicos, tam Dei quam sui. Magnes enim amoris est amor, nec quidquam amore potentius: hic enim cogit hostes ad redamandum sui amantem.

Denique nonnulli hanc Christi sententiam accipiunt de salute non tantum spiritali & æterna, sed & corporali & temporali: unde dicunt actum heroicæ charitatis esse,
D si quis vitam temporalem prodigat pro vita temporali proximi: hoc enim ordo charitatis permittit, imo subinde suadet. Unde S. Gregorius l. 3. Dial. c. 37. laudat Sanctulum presbyterum, qui ut Diaconum quemdam a Longobardis morti destinatum ab ea liberaret, se pro eo morti obtulit; sed Deus carnificis manum stitit, ut gladium elevatum in ejus collum vibrare non posset, quod admirantes Longobardi, eum ut Sanctum revereri cœperunt, omnesque captivos ipso petente liberos dimiserunt. Tanta est vis charitatis, ut vitam suam offerens multorum vitas redimat. *Cum*, ut ait S. Greg. *se unus pro uno morti obtulit, multos a morte liberavit.*

Sanctuli presbyteri charitas.

13,14 Vos AMICI MEI ESTIS (eritis) SI FECERITIS (græce, *si facitis*, id est si feceritis: ita Euth.) QUÆ EGO PRÆCIPIO VOBIS.] Pertinet hæc gnome ad id, quod præcessit: *Animam suam ponat pro amicis suis.* q.d. Ego animam, id est vitam meam, ponam pro vobis, quasi amicis meis, vos vicissim amorem amori reddite, ac me vestri tam amantem redamate, ut mihi amico vestro sitis amici, hoc autem facietis, si mea præcepta servetis, inter quæ præcipuum, & cætera complectens est illud, ut diligatis invicem, quod paulo ante vobis inculcavi.

15 JAM NON DICAM VOS SERVOS: QUIA SERVUS NESCIT QUID FACIAT (id est facere destinet, cogitet, intendat, quæ sint ejus secreta consilia) DOMINUS EJUS. E

VOS AUTEM DIXI AMICOS, QUIA OMNIA, QUÆCUMQUE AUDIVI A PATRE MEO, NOTA FECI VOBIS] S. Aug. tr. 85. quærit quomodo hoc verum sit: nam vere Apostoli manebant servi Christi, eisque cum aliis dicturus erat Christus in die judicii: *Euge serve bone & fidelis*, &c. ac respondet, duplicem esse servitutem, unam servilem, qua mancipia ex timore serviunt heris, alteram liberalem & filialem, qua filii ex amore serviunt parentibus: Apostolos ergo non fuisse servos Christi priori modo, sed posteriori: sic enim servi quoque sunt amici. Huc accedit Rupert. *Non dicam vos servos*, hoc est, inquit, peccatores & inimicos, quia vos jam per baptismum & gratiam meam justos & amicos meos effeci.

Secundo, alii urgent τὸ *jam*, q.d. *Jam non dicam vos servos*, sed alio tempore dixi & dicam vos servos: sed subtilior est hæc responsio, quam solidior. Vult enim dicere Christus se deinceps eos non vocaturum servos.

Tertio, Tolet. *Jam non dicam vos servos*, scilicet
F eo modo, inquit, quo Judæos vocavi servos, quia feci eos servire servitutem duram sub lege veteri, a quo ego vos per Evangelium meum libero. Verum hoc nimis generale est & remotum.

Quarto, ergo genuine, sensus est, q.d. Ego vos, licet natura & conditione servi mei sitis; tamen dignor eo honore, ut quasi fidissimos mihi amicos meos, eosque intimos efficiam & nominem, eo quod omnia, quæ audivi a Patre meo quasi legatus communicanda hominibus, non turbis, non Scribis, sed vobis solis communicaverim.

Dicit autem *jam*, quia jam abiens multa eis revelavit, quæ prius tacuerat, alia quoque, quæ prius obscure per parabolas dixerat, jam dilucide & clare eis exposuit; *jam* ergo abiens majorem confidentiam & amicitiam eis exhibuit, dum omnia omnino, ad quæ a Patre legatus erat, eis solis aperte explicuit: quare eos hic nobiliore dignitate, conditione & nomine donat, scilicet amicorum. Hanc rationem dat hic ipse Christus: non ergo negat eos manere servos, sed asserit se eos, licet servos, elevare in amicos singulares, eosque hoc nomine & hac prærogativa
G dignari, ut servi fiant amici. Ita Maldon. Ribera Jans. & alii, & ante omnes S. Irenæus l. 4. c. 27.

SERVUS NESCIT] scilicet communiter & plerumque: nam aliquando heri habent servos prudentes & fideles, quibus consilia & secreta sua fidunt & communicant, tuncque eos habent loco amicorum, at raro hoc fit, ut omnia secreta sua eis revelent: Christus autem loquitur de eo, quod communiter apud homines fit.

OMNIA, QUÆ AUDIVI A PATRE, NOTA FECI VOBIS] Dices: Hoc videtur repugnare illi, quod mox dicit Christus c. seq. v. 21. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Resp. Leont. & Euthym. Christum omnia revelasse Apostolis, quæ Pater tunc illis revelari volebat, scilicet omnia quæ capere poterant. Secundo, melius S. August. & Beda respondent τὸ *nota feci*, accipi pro *mox nota faciam*, scilicet post 50. dies in Pentecoste: omnia enim quæ capere poterant, eis nota fecit Christus, cætera quæ capere non poterant, paulo post nota facturus erat per Spiritum sanctum; ideo enim abibat, ut eis illum mitteret, quia omnia revelaret.

Aliter Maldon. *Nota feci*, id est, inquit, nota face-
H re decrevi, scilicet per Spiritum S. quem missurus sum.

Moraliter ex hac Christi gnome disce mentes sanctas Deum valde amantes, quæ terrena omnia calcantes in cælis habitant, ac cum Deo per orationem familiariter versantur, cum eoque quasi amici crebro colloquuntur, a Deo illuminari, ut altissima ejus mysteria & secreta consilia, ac sacræ Scripturæ intelligentiam, imo futura quoque quæ ipse facere destinat, ab eo audiant & discant, quasi qui in intimum Dei conclave inducantur, ibique fiant ejus velut secretarii, uti fuere Isaias, Jeremias, Daniel, cæterique Prophetæ. Docet id disertè S. Bern. tr. de Interiore domo cap. 69. *Certum*, ait, *signum tibi sit quæcumque es, anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi non merueris. Quomodo enim perfecte diligis vel diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis, & ad theoricos & anagogicos illos conatus mentis alienatione non transis? Vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam, inquit, vos servos, sed amicos, quia omnia,*

Secreta sua sanctis mentibus Deus revelat.

quæ

Digitized by Google

A *quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intime & summe diligere, & omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare; collige teipsam ad temetipsam; & in solo divinitatis desiderio requiesce.* Idem docet S. Basil. S. Maximus & alii, quorum verba recitavi Eccli. 37. v. 18. ad illa: *Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quam septem circumspectores.* Hæc enim Dei amica conversatione & familiaritate, donum intelligentiæ & prophetiæ adeptus est S. Franciscus, S. Catharina Senensis, S. Franciscus Xaverius, aliique plurimi, ac primitus Henoch, Noe, Abraham, Moses, &c. quia cum Deo ambulabant, cum eoque familiariter conversabantur, & quasi amicus cum amico colloquebantur.

VERS. 16 NON VOS ME ELEGISTIS; SED EGO ELEGI VOS] S. August. hic & lib. 1. de Prædestinat. Sanct. c. 17. & alibi, eumque secuti Beda hic, & Prosper contra Collat. per electionem intelligit Dei prædestinationem. q.d. Ego vos sine ullis meritis prædestinavi & elegi ad gloriam. Verum hoc
B non recte respondet τὸ *non vos me elegistis*: nec enim Apostoli poterant Christum eligere ad gloriam cælestem: nec videtur Christus hic Apostolis suam prædestinationem revelare voluisse: hanc enim ipse solet Patri attribuere: Patri enim attribuitur providentia, cujus pars est prædestinatio.

Magis ad litteram ergo sensus est. q.d. Non vos priores me elegistis in magistrum & dominum, sed ego prior vos elegi & vocavi, meaque vocatione & gratia effeci, ut essetis mei amici, discipuli & Apostoli. Ita S. Cyrill. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Maldon. Tolet. & alii. Unde Chrysost. Leont. & Theophyl. censent Christum hic in parabola vitis & palmitum, de qua v. 1. persistere. q.d. Sicut agricola eligit optimas vites & palmites, quos in vinea sua plantet: sic ego vos, o Apostoli, elegi, ut in vinea Ecclesiæ meæ, quasi vites optimas per gratiam meam effectas plantarem ad uvas, id est, fideles plurimos & præstantissimos, producendum. Accedit Rupert. qui sic explicat. q.d. Non vos me elegistis, uti populus sibi eligit creatque regem, cui jus regium attribuit; sed ego vos Apostolos creavi, vobisque vim & auctoritatem tanti officii & dignitatis,
C puta Apostolatus, contuli.

Porro, dicit hoc Christus Primo, ut ostendat eximium suum in Apostolos amorem, quod prior eos præ cæteris omnibus hominibus, qui nobiliores, doctiores, eloquentiores erant, solos elegerit in Apostolos, hoc est, in amicos singulares, & Ecclesiæ suæ principes: quare tacite monet eos, ut ipsi vicissim Christum redament, & in amore obsequioque ejus sint constantes. Ita Chrysost. Theophyl. Euthym.

Secundo, ut ipsi celsitudinem suæ dignitatis & Apostolatus, ad quam a Christo vocati sunt, considerantes, illi satisfacere satagant, ac Christum imitentur: ut, sicut ipse prior eos vocavit ad suam fidem & apostolatum, sic & ipsi priores præveniant omnes gentes, ut prædicando eis ad Christum adducant. Ita Cyrill. & Leont.

Addunt nonnulli Christum voluisse Apostolis dare stimulum humilitatis. q.d. Esto vocatim vos amicos, & secretorum meorum conscios, tamen nolite ob hoc superbire: non enim vos hoc meruistis, sed ego gratis
D vos ad hoc elegi & exaltavi.

ET POSUI VOS UT EATIS (evangelizatum per omnes gentes) ET FRUCTUM AFFERATIS, ET FRUCTUS VESTER MANEAT] S. Chrysost. cum suis censens hic alludi ad parabolam *vitis*; τὸ *posui* explicat *plantavi*, quasi vites fructiferas in vinea Ecclesiæ meæ, Simplicius Maldon. *posui* explicat *declaravi*. Cum enim aliquis eligitur magistratus, prius eligitur, hoc est, designatur, deinde declaratur, & in officio ipso constituitur: hoc est *posui vos*. Prius Christus Apostolos elegit, Matth. 10. 1. Marc. 3. 14. Luc. 6. 3. deinde velut in possessione apostolatus, posuit, mittens ad prædicandum Evangelium, Marc. 6. 7. & Luc. 9. 12.

Simplicissime τὸ *posui* exponas *statui*, *constitui*, *collocavi*, ut hoc verbo Christus Apostolorum auctoritatem, æque ac firmitatem & fructum significet, quod scilicet ipsi a Christo sint auctorati, ideoque firmati, ut nemo eos hac dignitate spoliare valeat, nec impedire, quin fructum & messem animarum per totum orbem amplissimum proferant.

ET FRUCTUS VESTER MANEAT] Cyrill. hoc refert ad Evangelium, quod manet, cum lex vetus non manserit, sed sit abrogata per Christum. Planius & plenius τὸ *maneat* referas tum ad conversionem omnium gentium factam ab Apostolis, quæ etiam post mortem eorum manet, manebitque alternatim & successive usque ad finem E
mundi: partim ad gloriam & beatitudinem sempiternam, quam sibi suisque fidelibus Apostoli prædicando conciliarunt: hoc enim quasi fructus & merces eorum cælestis manet, æternumque manebit. Omnia hæc eo fine dicit Christus, ut suum in Apostolos amorem eximium testetur, utque eos ad apostolatus celsitudinem contemplandam excitet, & ad tanti muneris sedulam ferventemque executionem exstimulet, utpote quorum labor, & laboris fructus merceque perennabit in omne ævum.

UT QUODCUMQUE PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, DET VOBIS] τὸ *ut* non tam finem intentum, quam consecutionem, sive effectum, significat. q.d. Si fructum, ad quem vos elegi, afferatis, sequetur & fiet, ut Pater det vobis quidquid petetis, eo sensu, quem dedi c. 14. 13. *Det*, græce est δῷ, quod Secundo, verti potest, *dem* in prima persona, uti vertit Chrys. Theophl. Euth. Unde Theoph. ex hoc loco contra Arianos colligit Filium esse Deum Patri ὁμοούσιον, utpote qui æque ut Pater postulata ut Deus largiatur. *In nomine meo*, scilicet per merita mea. Porro S. Aug. *Hoc*, ait, *petimus in nomine Salvatoris, quod pertinet ad rationem salutis.*

HÆC MANDO VOBIS, UT DILIGATIS INVICEM] Primo, Jansen. Maldon. & alii sic exponunt: *hæc* id est *hoc* (ut vertit Arabicus) mando vobis ut diligatis invicem. VERS. 17

Dicit tamen *hæc* in plurali, ut significet multa quidem esse præcepta particularia a se mandata, sed hæc omnia unico, communi & facili charitatis præcepto concludi, ut, si illam habeas & expleas, omnia habeas & expleas. q.d. Hæc sunt, quæ mando vobis, hæc sunt omnia mandata mea, ut diligatis invicem: quod magnam habet vim & energiam, æque ac charientismum & suadendi gratiam. Unde iterum iterumque hoc præceptum Christus repetit & inculcat.

Secundo, planius cum S. Chrys. Theoph. Euthym. & Ribera exponas, si conjunctio *ut* significet finem, & sit sensus. Hæc, quæ de amore meo commemoravi, non exprobrandi causa dixi, nec aliam ob causam, quam ut vos mutuo amaretis, atque ita pro salute hominum quidvis æquo animo perferretis. Huc pertinet G
expositio S. August. tract. 87. *Quoniam dixerat*, inquit, *Posui vos ut eatis & fructum afferatis, nunc dicit: Hæc mando vobis; docere volens fructum, quam laturi sumus, esse dilectionem proximorum.* Et rursum: *Fructus spiritus, inquit Apostolus, est charitas: de hac ergo mandat: merito vero dilectionem sæpe commendat, tamquam sola præcipienda sit, ut sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.*

Tertio, Theodorus Heracleot. hæc refert ad sequentia. q.d. Mando vobis dilectionem mutuam, ut per eam odiis & persecutionibus mundi, quæ vobis imminent, simul uniti valide resistere possitis.

SI MUNDUS VOS ODIT, SCITOTE (græce, γινώσκετε quod & *scitote*, & *scitis*, verti potest) QUIA ME PRIOREM VOBIS ODIO HABUIT] Græce est πρῶτον ὑμῶν, quod verti potest Primo, ut nomen, q.d. Primum vestrum. q.d. Oderunt me, qui sum vobis prior, id est, præstantior & dignior (ut dictum est c. 1. 15.) imo primus omnium. Secundo & melius, ut adverbium. q.d. *Prius quam vos*, ut vertunt Syrus & Arabicus, hoc est ante vos odit me mundus, ego prius viam odii calcavi, stravi, vobisque complanavi, ut vos me eadem sequentes, faciles, læti & gloriantes incedatis: ego enim me vobis in persecutionibus non tantum comitem, sed & antesignanum, ducemque & ductorem præbeo. *Mundum* vocat homines mundanos. Primo, Judæos; Secundo Gentiles mundi vitiis addictos, ideoque doctrinæ & spiritui Christi & Apostolorum adversarios. Porro S. Aug. *Aliquando*, ait, *Ecclesia mundi nomine appellatur, ut illic, Deus erat in Christo, inquit, mundum reconcilians sibi: mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.* VERS. 18

Præmunit Christus Apostolos contra instantia Judæorum Gentiumque odia & persecutiones: tela enim prævisa minus feriunt, ut illa generose superent, imo spernant, & in iis quasi tesseris Christi glorientur & exultent. q.d. ait Ribera: Nihil miremini, aut turbemini, cum vos mundus oderit, me potius odit quam vos, gaudete quod mei imitatores eritis; & tamen nihil vobis nocebit ejus odium,

A odium, sicut nec mihi nocuit: persequitur vos mundus, quia de eo non estis, id est, quia ejus operibus non faveris, sed contradicitis ut ego, & cum hoc dicit, relinquit subintelligendum: sed tamen ego vos amabo, quia mei estis, & electi a me, ut mundi opera damnetis; multo autem magis vobis amor meus proderit, quam mundi odium oberit.

Unde infert S. August. atque: *Cur ergo se membrum super verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. Debemus pro dilectione Christi etiam mundi odium sustinere. Necesse est enim ut oderit nos, quos cernit nolle quod diligit.* Grandis ergo est hæc consolatio membri ex capite, ait Interlin. Audi S. Cyprian. lib. 4. epist. 6. de Exhort. martyrii: *Filius Dei passus est, ut nos filios Dei faceret; & filius hominis pati non vult, ut esse Dei filius perseveret? Si odio seculi laboramus, odium seculi sustinuit prior Christus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta tolerabimus; graviora expertus est mundi factor & dominus, qui & admonet dicens: Si seculum, inquit, vos odit, mementote quoniam me primo odiit.*

B Audi denique S. Bern. hom. 47. in Cant. *Utrumque est mihi Domine Jesu, & speculum patiendi & præmium patientis*, seu, ut paulo ante dixerat; *Pugnantis forma, & gloria triumphantis. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tua corona præsentia majestatis: sive quia pugnantem te specto, sive quia te exspecto non solum coronantem, sed etiam coronam: in utroque mirabiliter tibi me allicis, uterque funis vehementissimus ad trahendum.*

VERS. 19 SI DE MUNDO FUISSETIS (essetis,) MUNDUS QUOD SUUM ERAT DILIGERET: QUIA VERO DE MUNDO NON ESTIS, SED EGO ELEGI VOS DE MUNDO, PROPTEREA ODIT VOS MUNDUS] Aliam causam adjicit, ait Chrys. ostendens esse virtutis argumentum a mundo odio haberi; malitiæ vero, diligi. Sensus est, q. d. Si vos diligeretis opes, honores, delicias, libidines, &c. uti diligit mundus, ipse vos ut sui similes diligeret. At cum videt vos hisce suis cupediis contraria diligere, & diligenda docere, scilicet contemptum terrenorum, opum, honorum, delitiarum, libidinum & desideriorum terrestrium, idcirco odit vos mundus. Similitudo enim morum & amorum est causa dilectionis, dissimilitudo vero est causa aversionis & odii, ut docet Aristoteles in Ethicis, imo S. Aug. S. Thomas, & alii.

Mundum Apostolos odio habiturum prædicit Christus.

C Objicit S. August. Mali etiam persequuntur malos, scilicet impii reges & judices, homicidas & adulteros puniunt, ac respondet: odit quidem mundus quod suum est, ex ea parte, qua sceleratis nocet: sed tamen diligit quod suum est ex ea parte, qua ipsis favet. Unde Jansenius: quamvis mundus, inquit, ex aliqua sui parte malos odit in aliquo genere mali, tamen non sunt aliqui mali, quos mundus ex magna sui parte non diligat: contra autem, justos non pars mundi, sed totus mundus odit. Mihi videtur aliter respondendum: mundani homines diligunt suos, id est, fautores & participes suorum consiliorum: si quando vero alios mundanos oderunt; causa est quod illi consiliis eorum adversantur, itaque jam alieni sunt & adversarii:

D atque ideo Christum odio persequebantur, quoniam eorum opera reprehendebat, & hominibus nota faciebat, ut dicitur Sapient. 2. & eadem de causa odio habituri erant Apostolos. Ita Ribera.

RS. 20 MEMENTOTE SERMONIS MEI, QUEM EGO DIXI VOBIS (c. 13. 16.) NON EST SERVUS MAJOR DOMINO SUO] Ut detrectare possit agere aut pati, id quod Dominus egit & passus est. Si ergo ego odia Judæorum, imo crucem & mortem passus sum, vos eadem subterfugere non debetis. Nam, ut ait S. Petrus ep. 1. c. 2. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

SI ME PERSECUTI SUNT, ET VOS PERSEQUENTUR: SI SERMONEM MEUM SERVAVERUNT, ET VESTRUM SERVABUNT] *Sermonem*, id est doctrinam, legem, præcepta. q. d. Sicut me persecuti sunt, sic & vos persequentur: & sicut meæ prædicationis doctrinam non susceperunt, nec servaverunt, sed spreverunt & irriserunt; sic & vestram non suscipient, sed spernent & irridebunt. Loquor de rebellibus & incredulis, qui Apostolos probris, sannis, verberibus, tormentis, morte persecuti sunt: nam qui Apostolis crediderunt, omni honore & reverentia eos prosecuti sunt.

SED HÆC OMNIA FACIENT PROPTER NOMEN MEUM; QUIA NESCIUNT EUM QUI MISIT ME] *Propter nomen meum*, id est, propter me (*nomen* enim significat rem nominatam, per metonymiam) quia scilicet mei vocamini & estis, q.d. Gaudete in persecutionibus, quia illas sustinebitis propter me, qui sum vester Deus & Dominus, propter quem glorioſum est pati, quique vos roborabit, ut omnes pervincaris, & de omnibus triumphetis. E

QUIA NESCIUNT EUM, QUI MISIT ME] q. d. Quia non sciunt Deum Patrem misisse me, dicuntque me fingere quod sim Dei Filius, & Messias ab eo in mundum missus: si enim hoc scirent & crederent, non me persequerentur, nec contra Deum pugnare auderent. q. d. Hoc vobis glorioſum erit, quod non tantum pro me, sed & pro Deo Patre, qui misit me, persecutiones sustineatis: persecutoribus vero idipsum erit dedecoroſum æque ac noxium, quod me persequendo, Deum Patrem, qui misit me, persequantur, ideoque ipsi acriter in hac vita per excidium a Tito & Romanis punientur, acerrime deinde in gehenna ardentes perpetim cruciabuntur: licet enim nesciant Deum esse patrem meum, tamen id ex tot rationibus & miraculis, quibus idipsum probavi, scire deberent: nesciunt ergo, quia scire nolunt. F

VERS. 22 SI NON VENISSEM, ET LOCUTUS FUISSEM EIS, PECCATUM NON HABERENT: NUNC AUTEM EXCUSATIONEM NON HABENT DE PECCATO SUO] *Peccatum*, scilicet incredulitatis & odii; quo me meamque doctrinam & vitam calumniantur & infectantur. Nota. Scribæ & Pharisæi, antequam veniret Christus, habebant veram fidem, non tantum in Deum, sed & in Christum venturum. At ubi ipse venit, noluerunt eum agnoscere, eo quod eum pauperem & humilem viderent, ac quod eorum vitia taxaret. Quare tunc facti sunt increduli, fidemque perdiderunt sua obstinatione: Jesus enim abunde eis probavit se esse Messiam, sive Christum: quare sunt inexcusabiles, quod ei non crediderint.

VERS. 23 QUI ME ODIT, ET PATREM MEUM ODIT] quia ego a Patre missus veni, & quæ ipse me voluit loqui, illa locutus sum: quare me spernendo & odiendo, spernunt & odio prosequuntur Deum Patrem: sicut qui legatum spernit, spernit regem, a quo missus est. Ergo Judæi contra Deum pugnant, qui acriter hanc sui injuriam vindicabit. G

VERS. 25 SED UT ADIMPLEATUR SERMO, QUI IN LEGE (in veteri testamento, puta Psalm. 68. 5. & Psal. 24. 19. *Et odio iniquo oderunt me*) EORUM SCRIPTUS EST: QUIA (quod) ODIO HABUERUNT ME GRATIS] *Gratis*, id est sine causa, sine mea culpa, ideoque inique & injuste: nullam enim causam odii, sed summam amoris eis præbui. Sunt verba Isaiæ & Davidis in typo Christi, sive in se repræsentantium odium Judæorum in Christum. Nota. τὸ *ut* rursum non finem intentum, sed id, quod ex Judæorum incredulitate & obstinatione secutum est, significat. q. d. Atque ita secutum est, quod Isaias & David fore prædixerunt, scilicet quod Judæi Christum sine causa odio prosequerentur, ideoque forent christicidæ & deicidæ, ac proinde reprobandi & exterminandi a Deo.

VERS. 26 CUM AUTEM VENERIT PARACLITUS, QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE, SPIRITUM VERITATIS, QUI A PATRE PROCEDIT, ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT DE ME: VERS. 27 ET VOS TESTIMONIUM PERHIBEBITIS, QUIA AB INITIO MECUM ESTIS] q.d. Licet abunde Judæis demonstratum divinitatem meam, ut sint jam inexcusabiles; tamen adhuc magis demonstrabo per adventum Spiritus S. qui perhibebit de me testimonium, veniens de cælo tantummodo in vos qui in me credidistis, ac deinde in eos qui per prædicationem vestram credent, ita ut omnibus sit notus ejus adventus, cum videant vos linguis loqui, & Scripturas explicare, & miracula facere; vos etiam prædicando Evangelium perhibebitis testimonium omnibus de me, & de doctrina mea & operibus, cum mecum fueritis ab initio, quo docere homines cœpi, & inter eos versari. H

PARACLITUS] Id est consolator & exhortator. Audi Didymum lib. de Spiritu sancto: *Ab operatione nomen imponit: reddit enim a perturbatione alienos, & incredibile gaudium tribuit; sempiterna enim lætitia in eorum corde versatur, quorum Spiritus sanctus habitator est.*

Græcorum schisma de processione Spiritus sancti a solo Patre.

QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE] Ex hoc Græci recentiores contendunt Spiritum S. a solo Patre procedere & spirari, non a Filio, ideoque publicum schisma ab Ecclesia Latina fecerunt anno Domini 1054. cum Michael Patriarcha Constant. Pontificem Romanum & Latinos hac de causa excommunicare est ausus: atque hac de causa anno Domini 1452. in ipso festo Spiritu sancti,

puta

A puta in feriis Pentecoſtes, capta fuit Conſtantinopolis a Turcis, Imperator occiſus, & Imperium Græcorum extinctum eſt. Hic ergo Græcorum eſt error: nam, ut recte advertit S. Hilarius l. 8. de Trinit, & S. Auguſt. l. 4. de Trinit. c. 20. hoc loco potius contrarium ſignificatur, ſcilicet Spiritum ſanctum procedere a Patre & Filio. Hoc enim ſignificat *τὸ quem ego mittam*. Nam in S. Trinitate nulla perſona mittitur ab aliqua, niſi quæ procedit ab ea, quæ mittit. Unde Pater numquam dicitur mitti, quia a nullo procedit. Filius vero dicitur mitti a Patre, non a Spiritu ſancto; Spiritus ſanctus dicitur mitti a Patre & Filio, quia ab utroque tamquam uno ſpirationis principio procedit. Ita hunc locum intellexerunt Patres Latini æque ac Græci veteres, citati a Conc. Florent. ſeſſ. 18. & 25. ubi facta eſt unio Græcorum cum Latinis, Græcique admiſerunt Spiritum ſanctum procedere a Patre & Filio: Vide Beſſarionem Cardin. in orat. pro unione c. 7. Quocirca cum in Symbolo Conc. Nicæni dictum eſſet dumtaxat, *Credo in Spiritum ſanctum*, Conc. Conſtantinop. addidit, *Ex Patre procedentem*; ſed cum oriretur lis de Filio, Eccleſia addidit, *Filioque*, uti docet Conc. Florent. ſeſſ. 7. Idipſum clare patet ex verbis Chriſti c. 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Si enim omnia, quæ habet Pater, Filii ſunt; ergo ipſe etiam ſpirat Spiritum ſanctum. Ita hoc intellexerunt omnes Patres ejuſdem Concilii. Unde in litteris unionis univerſa Synodus ait: *Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito Filio ſuo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus eſt*. Vide Bellarm. l. 2. de Chriſto c. 20. & ſeq. fuſe & exacte hæc pertractantem.

B

Quandoquidem una perſona divina mitti dicatur ab alia?

Porro mitti dicitur una perſona divina ab alia, cum ex voluntate illius, a quo procedit, alicubi incipit eſſe novo modo, quo ibi prius non erat, uti Filius miſſus eſt a Patre in carnem, ut fieret homo; Spiritus ſanctus a Patre & Filio miſſus fuit in Apoſtolos, interius per gratiam copioſam, qua eorum mentes illuminavit, & voluntatem inflammavit, ut Chriſto, ejuſque doctrinæ teſtimonium conſtanter perhiberent: exterius vero idem fecit per linguas igneas, quibus eis efficaciam verborum indidit, ac per miracula, quæ per eos patravit.

C

MITTAM A PATRE] Dicit hoc Chriſtus Primo, plane, q.d. Cum ad Patrem in cælos aſcendero, tunc ego cum Patre mittam vobis Spiritum ſanctum. Secundo, Theophyl. *a Patre*, inquit, id eſt approbante Patre, & ſimul mittente. Tertio, *a Patre*, quia Filius a Patre habet eſſentiam divinam, & conſequenter vim ſpirandi, & mittendi Spiritum ſanctum, ut ſcilicet cum Patre eadem actione & ſpiratione ſpiret, ac eadem miſſione mittat Spiritum ſanctum. Sic dicitur Gen. 19. *Pluit Dominus a Domino*, id eſt, pluit Filius a Patre, quia licet una ſit utriuſque actio creandi & pluendi, eam tamen habet Filius a Patre. Ita S. Hilar. l. de Synodis, & Conc. Sirmienſe in Hiſt. Tripart. l. 5. c. 3.

Quarto, *a Patre*, q.d. Mittam vobis Spiritum ſanctum, qui eſt apud Patrem, utpote ei coæternus & conſubſtantialis. Ita Ribera.

Quinto, *τὸ a Patre* elidit hæreſim Eunomii, qui docebat Spiritum ſanctum non a Patre, ſed a Filio procedere, ita ut Spiritus ſanctus ſit quaſi filius Filii, & nepos Dei Patris, quam refutat S. Baſil. lib. 2. contra eumdem, docens Spiritum ſanctum a Patre & filio procedere. Sic & S. Cyrill. l. 10. c. 33. docet Spiritum eſſe Filii & Patris, à Patre procedere, ſed per Filium, quod non aliud ſignificat, quam quod nos dicimus, Filius producit Spiritum ſanctum a Patre, id eſt habet a Patre producere Spiritum ſanctum, ſicut Deus per verbum omnia creavit: omnia enim per ipſum facta ſunt.

D

Rationem a priori dat S. Thomas, Suarez, Vaſquez, Valentia, & alii 1. p. q. 36. art. 2. quia ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, non diſtingueretur a Filio. In divinis enim nulla eſt diſtinctio, niſi ob proceſſionem unius ab alio & retalionis oppoſitionem.

SPIRITUM VERITATIS] Cur ita vocetur, dixi c. 14. 17.

QUI A PATRE PROCEDIT] Ita loquitur Chriſtus, ac ſeipſum ſubticet; Primo, quia Pater eſt primum principium ſpirationis Spiritus ſancti, ut dixi. Secundo, quia Chriſtus humiliratis & reverentiæ cauſa, ut ejus nobis det exemplum, omnia ſua, quæ auctoritatis ſunt, ſolet referre ad Patrem. Tertio, quia ſi dixiſſet: *Qui a me procedit*, non apte ſubderet: *Ille teſtimonium perhibebit de me*: ille enim teſtis, qui ab aliquo procedit, ſi de eo teſtetur apud homines, de fide ſuſpectus eſſe ſolet. E

Porro Janſen. c. 135. & Arias Montanus dicunt hæc verba intelligi de proceſſione non divina & æterna, ſed temporali & humana, qua Spiritus ſanctus mittitur ad Apoſtolos alioſque fideles. Verum de divina hic agi liquet. Primo, ex eo quod plane idipſum verba ſignificent, cum ait: *Qui a Patre procedit*, nam cum de temporali agitur, additur quippiam id indicans, ut cum c. 16. ait: *Exivi a Patre, & veni in mundum*. Secundo, quia de temporali proceſſione immediate ante dixit: *Quem ego mittam vobis a Patre*, ergo hic non temporalem, ſed æternam intelligit. Tertio, quia ita intellexerunt Patres in Conc. Florent. ſeſſ. 18. & 23. Quarto, quia proceſſio ſive miſſio temporalis includit & præſupponit æternam. Nam, ut paulo ante dixi, in divinis non dicitur mitti perſona una ab alia; niſi illa quæ ab alia procedit.

ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT (Syrus, *ille teſtabitur*) DE ME] quod ſim Dei Filius, Meſſias, mundi ſalvator; idque faciet tum per internam inſpirationem & illuminationem, tum per externa miracula. Porro in teſte tria requiruntur, Primo, ſapientia, ut ſciat veritatem: Secundo, bonitas, ut eam ſincere narret, nec fallat aut decipiat; Tertio, potentia & auctoritas, ut talis ab omnibus habeatur, & omni exceptione ſit major. Hæc tria perfectiſſime conveniunt Spiritui ſancto; ipſe ergo perfectiſſimus eſt teſtis Chriſti. I

ET VOS TESTIMONIUM PERHIBEBITIS, QUIA AB INITIO MECUM ESTIS] Græce eſt *μαρτυρεῖτε*, quod tam eſt modi indicativi, ut ſignificet *teſtimonium perhibetis*, quam imperativi, ut ſignificet *perhibete*. Unde Syrus vertit, *ſed & vos teſtamini, quippe qui ab initio mecum ſitis*. Sic & Cyrill. Quod ergo Noſter vertit, *perhibebitis*, idem eſt quod *perhibete*. Jubet enim ut prædicando teſtentur eſſe Chriſtum Dei filium: nam ſæpe futurum ſumitur pro imperativo. Fecerunt id Apoſtoli: nam, ut dicitur Act. 4. *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri*. Vnus?

Ex hoc loco diſce, quis, qualis & quantus ſit Spiritus ſanctus: ſcilicet Primo, ipſum eſſe tertiam in S. Trinitate perſonam, diſtinctam a Patre & Filio: ab utroque enim ipſe procedit & mittitur, procedens autem & miſſus a mittente diſtinguitur. Secundo, Spiritum ſanctum vere eſſe Deum, Deo Patri *ὁμοούσιον* quia ab eo procedit, Deus a Deo. Tertio, ipſum procedere non a ſolo Patre, nec a ſolo Filio; ſed conjunctim ab utroque, quaſi ab uno ſpirationis principio. Quarto, ipſum non procedere a Patre per generationem, ut ſit Filius; ſed per ſpirationem, ut ſit Spiritus ſanctus. Unde S. Athanaſ. Baſil. Nazianz. Chryſ. Aug. & alii paſſim refellunt Macedonium hæreticum, dicentem Spiritum ſanctum, cum a Patre non procedat per generationem ut Filius, hinc non eſſe ei conſubſtantialem, nec eſſe Deum. Quinto, ipſum eſſe paracletum, id eſt conſolatorem & exhortatorem ad omne bonum. Sexto, ipſum eſſe Spiritum veritatis, quia docet omnem veritatem, veramque fidem, doctrinam & prudentiam. Septimo, ipſum eſſe teſtem Chriſti ejuſque doctrinæ; teſtem, inquam, omni exceptione majorem ac divinum, imo ipſum Deum. Hinc ad Spiritum ſanctum multi referunt illud ænigma Mercurii Triſmegiſti: *Monas genuit monadem, & in ſe reflexit ardorem*. q.d. Pater unicus unicum genuit Filium, eumque amore divino complectens produxit Spiritum ſanctum, qui eſt quaſi amor Patris & Filii: unde ab utroque procedit, quaſi amor reflexus & notionalis Patris & Filii. Licet alii magis genuine Triſmegiſti dictum explicent de creatione mundi. q.d. Unus Deus unum creavit mundum, non actus neceſſitate aliqua, ſed ex puro amoris ardore, ut ſcilicet ſua bona angelis, hominibus, cæteriſque mundi creaturis communicaret. G Deo orthodoxi de Spir. ſancti proceſſione. H

CAPUT XVI.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRædicit Chriſtus imminentes Apoſtolis perſecutiones, ac contra eas promittit eis Spiritum ſanctum, qui arguet mundum de peccato, de juſtitia & de judicio, ut Chriſtum clarificet. Secundo, v. 16. Modicum, *inquit*, & non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me, *illudque explicat. Tertio, v. 23.* Si quid *inquit*,

Digitized by Google

A *inquit*, potieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; *ac tandem*: In mundo, *ait*, pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.

VERS. 1. HÆc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

2. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4. Sed hæc locutus sum vobis: ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: Et nunc vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?

6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

B 7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.

9. De peccato quidem: quia non crediderunt in me:

10. de justitia vero: quia ad Patrem vado: & jam non videbitis me:

11. de judicio autem: quia princeps hujus mundi jam judicatus est.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.

13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

C 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

16. Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.

19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, D & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum.

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar E vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis:

27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego a Deo exivi.

28. Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

29. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.

30. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi.

31. Respondit eis Jesus: Modo creditis.

32. Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.

33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem F habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, UT NON SCANDALIZEMINI] Syrus, *ut non offendamini*. Primo, nonnulli censent hoc pertinere ad id, quod Christus dixit Matthæi 26. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*, quod paulo ante hæc verba dixit Christus, ut sensus sit, q.d. Prædixi & præmonui vos hac nocte scandalum in me passuros, cumque videritis me capi, fugituros: idque feci hoc fine, ut minus foret hoc vestrum scandalum, minorque turbatio, dum cogitabitis hoc a me fuisse prædictum, ideoque mox a fuga colligetis animos, & ad me redibitis. VERS. 1.

Secundo, S. Cyrill. l. 10. c. 34. Maldon. & alii referunt ad odia & persecutiones, quæ Apostolis imminere paulo ante prædixit Christus, ut se contra illa præmuniant: mala enim, quæ ex improviso ingruunt, valde percellunt etiam viros fortes, quia inopinata: prævisa vero & provisa tela minus feriunt. *Hæc ergo*, inquit Christus, de mundi in vos odio & persecutione locutus prædixi vobis, *ut non scandalizemini*; ne scilicet iis offensi & fracti deficiatis a mea fide, & a mentis constantia. G

Quodnam scandalum ab Apostolis arcet hic Christus?

Tertio, Beda, Euthym. & alii referunt ad Spiritum S. de quo proxime sermo præcessit. q.d. Hæc de Spiritu S. in vos venturo prædixi, ut, cum videritis vos persecutionibus agitari, non scandalizemini, sed iis generose resistatis, cogitantes Spiritum S. vobis opem allaturum. Huc fere accedit S. Aug. tr. 93. *Merito*, inquit, *promisso Spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes ejus, subjunxit: Hæc locutus sum vobis. Cum enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, ut non sit scandalum.*

Quarto, optime Tolet. Ribera & alii, secundam, & tertiam expositionem jungentes, sic explicant: *Hæc locutus sum vobis*, scilicet quæ dixi de persecutione, & odio mundi in vos, & etiam de adventu Spiritus sancti vos confirmaturi: *Ut non scandalizemini*, id est, ne offendatis in via æternæ vitæ, qua ibatis, & recedebatis a me, quasi ego eam non prænoverim; aut vos admonere noluerim, aut quasi intolerabilia sint quæ patimini, & præter opinionem acciderint. Scandalum ergo, id est offen- H diculum Apostolorum removet Christus: tum quia prænonet instans periculum; tum quia contra illud Spiritus sancti promittit auxilium. Hunc esse sensum patet ex seq. præsertim in Syro & Arabico, qui addunt conjunctionem causalem *enim*, per quam sequentia huic versui nectunt, quasi causam effectui, q. d. persecutiones fore causam scandali.

ABSQUE SYNAGOGIS FACIENT VOS] Syrus, & Arabic. *ejicient enim vos de synagogis suis*; græce ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, id est, *alienos a synagogis*, &, ut verbo tenus dicam, *extra synagogos facient vos*, hoc est, expellent vos e suis cœtibus, & quasi excommunicabunt vos. Ita Vatabl. Synagoga græce proprie idem est, quod latine congregatio, cœtus, collectio. Hinc cœtus populi fidelis sive Judæorum vocabatur Synagoga, uti nunc cœtus Christianorum vocatur Ecclesia. Hinc rursum locus, sive oratorium, ad quod conveniebant Judæi orationis & legis audiendæ causa, vocabatur Synagoga. Quia enim VERS. 2.

Digitized by Google

A Deus jusserat ut unicum dumtaxat in Judæa esset templum, in quo sibi sacrificia offerrentur, quod nec omnes Judæos capere, nec ab omnibus qualibet hebdomada adiri poterat; hac de causa in qualibet urbe Judæi extruxerunt synagogam unam vel plures (unde Hierosolymis tempore excidii per Titum fuere 480. synagogæ) ad quam incolæ quolibet sabbato convenicbant, non sacrificii, sed orationis causa, utque legem a Scribis explicari audirent. Quare videntur synagogæ cœpisse tempore Judicum, paulo post ingressum Hebræorum in terram Chanaan. Hinc extra synagogam ejici, erat idem, quod excommunicari: uti de cæco nato dixi c. 9. Sed Christus hic Apostolis a Judæis excommunicandis promittit Ecclesiam, imo principatum Ecclesiæ suæ. Ita S. Aug.

SED VENIT HORA (instat tempus) UT OMNIS, QUI INTERFICIT VOS, ARBITRETUR OBSEQUIUM SE PRÆSTARE DEO] q.d. Non tantum e Synagogis vos ejicient, sed & occident, & occidendo putabunt se sacrificium offerre Deo. Unde Syrus omittens τὸ *sed* vertit, *veniet que hora, cum quisquis interficiet vos, putabit oblationem se offerre Deo*. Maldon. vero τὸ *sed* accipit pro *quia*. Septuag. B enim Hebræum כי *ki*, id est, *quia*, sæpe vertunt ἀλλὰ, id est *sed*. Melius dicas *sed* poni pro *sed*, *&*, *imo*, uti ponitur 2. Cor. c. 7. 11. cum ait: *Quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed* (id est, *sed &*) *defensionem, sed indignationem*, &c.

Sed pro *quia, imo*.

OBSEQUIUM] Græce, λατρείαν, id est, *sacrificium*, ut vertit Arabic. sive *oblationem*, ut Syrus. Latria enim significat servitutem & cultum soli Deo debitum, qualis est adoratio & sacrificium, q.d. Judæi & Gentiles vos quasi victimas pro peccato mactabunt, & immolabunt Deo. Censebunt enim vos esse homines impios, scelestos, religionis avitæ eversores, Dei inimicos, ideoque mundi catharmata & piacula, uti ait Paulus 1. Corinth. c. 4. 13. Quare putabunt se vos occidendo facere sacrificium Deo gratissimum. Porro S. August. tract. 93. censet hoc dici a Christo ad consolationem Apostolorum. q.d. Ejicient vos Judæi, sed ego vos colligam, & tantam hominum multitudinem ad me convertetis, ut Judæi metuentes ne templum suum & lex deseratur, interfecturi sint vos, maximum hac cæde honorem se Deo habere existimantes, quod ejus templum, legemque defendant.

C Hoc Christi oraculum Martyres Lugdunenses sub M. Antonino Vero Imper. in se impletum fatentur in Ep. encyclica, quam refert Eusеb. lib. 5. cap. 1. cum enim servi eorum minis Gentilium adacti, testati fuissent eorum Thyesteas cœnas, & Oedipia incesta, quod scilicet vorarent humanas carnes, & promiscuos haberent concubitus, omnes simul adversus Christianos fremere, & insatiabili odio furere cœperunt. *Tunc vidimus*, inquiunt, *compleri illud Christi: Veniet tempus, in quo qui occiderit vos, putet se obsequium offerre Deo*.

Martyres Lugdunenses.

Nota. Loquitur hic Christus de persecutione non tantum Judæorum, sed & Gentium, ac præsertim principum, & Imperatorum Roman. qui a Nerone usque ad Constantinum per 300. annos acerrime persecuti sunt Apostolos, omnesque Christianos, ut Romæ dumxtaxat affecerint martyrio plusquam ducenta millia Christianorum. Causa erat prima, quod dæmon & idolorum sacerdotes persuadebant principibus per christianismum everti eorum imperium, quasi populus ab eorum fide & obedientia avocaretur ad fidem & obedientiam Christi, ideoque terram & terrenos principes negligeret, eo quod ambiret cælum & cælestia.

Causas persecutionis in Apostolos. Prima.

D Secunda, quod ipsi suam religionem avitam, & antiquam, puta cultum suorum deorum (verius dæmonum) putabant esse basim sui imperii: hanc autem destrui videbant per Apostolos & Christianos.

Secunda.

Tertia, quod Apostoli novam, & mundo portentosam religionem inducerent, docerentque hominem crucifixum, puta Christum, esse colendum & adorandum.

Tertia.

Quarta, quia videbant per Apostolos, suos mores impios, puta luxurias, ebrietates, odia, rixas, superbiam, invidiam, corrigi & castigari.

Quarta.

Quinta, quia dæmon & idolorum sacerdotes eis persuabebant, Christianam religionem esse causam omnium malorum & cladium publicarum: v. g. famis, belli, pestis, inundationum, ut patet ex Tertull. Athenagora, Justino & aliis in Apolog. pro Christianis.

Quinta.

VERS. 3. ET HÆC FACIENT VOBIS, QUIA NON NOVERUNT PATREM, NEQUE ME] Dat causam persecutionum, ut per eam persecutores non excuset, sed potius accuset, & Apostolos consoletur. q.d. Causa cur vos Judæi & Gentes persequentur est, quia nescitur, imo scire nolunt, me esse Filium Dei Patris; quod tamen ego tot miraculis & rationibus eis probavi, & vos probabitis: quare hæc ignorantia peccatum eorum non minuit, sed potius aggravat, quia, est crassa imo affectata: vobis vero in persecutionibus solarium erit, quod me & Patrem cognoscatis, colatis, & ametis, ac pro utroque patiamini: si enim gloriosum est pro patre & republica, multo gloriosius est pro Deo mortem oppetere. Ita S. Augustin. Addit Chrysost. hæc dici a Christo, ut Apostoli persecutiones Judæorum & Gentium contemnant. Sicut, inquit, princeps vel legatus principis, si relicto a tergo comitatu solus urbem ingrediatur, ideoque non cognoscatur ac indigne tractetur, & a nonnullis quasi peregrinus irrideatur, parvi hæc omnia facit: quia paulo post adventante suo comitatu faciet se cognosci, & irrisores suos pudefaciet.

E

SED HÆC LOCUTUS SUM VOBIS: UT, CUM VENERIT HORA, EORUM REMINISCAMINI (recordemini) QUIA (quod) EGO DIXI VOBIS] τὸ *sed* est adversativum; sed cujus adversi? Primo, Cyrill. l. 10. c. 13. adversum ita supplet, q.d. *Non hæc ea de causa dixi, ut vigor vestræ mentis enervetur, & antequam pericula veniant, formidetis, sed ut recordati hæc vobis a me prædicta fuisse, magis admiremini, & in ipso tempore periculorum certior ab eventu rerum stabiliorque in me fides efficiatur*. Vers. F

Secundo, Rupertus nil supplens pressius sic explicat: *Hæc*, inquit, *facient vobis, sed vos consolamini. Nam idcirco nunc ea prædico vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis: & reminiscentes illud quoque non obliviscamini, quod pollicitus sum, quia in omnibus pressuris nec capillus de capite vestro peribit, & inimicis occidentibus corpora, in patientia vestra possidebitis animas vestras*. Prior pars huic loco convenit, posterior non: Christus enim eos reminisci jubet eorum, non quæ olim, sed quæ paulo ante dixerat.

Tertio, Toletus sic nectit. q.d. Illi vos occident, quia non noverunt Patrem, neque me: sed ego prædico quæ futura sunt alia de causa, scilicet ut reminiscamini, quando illa hora venerit, me omnia ista vobis prædixisse.

Quarto, & genuine, Ribera & Maldonatus. q.d. Ista quidem patiemini, sed ego adversus illa antidotum vobis porrigo, quod memineritis me, ut qui Deus sim, ista minime latuisse, & potuisse vitare si vellem, ac mihi ut Deo confidatis, quod scilicet ego vobis ut Deus adero, vosque roborabo, ut omnia adversa fortiter superetis, ac deinde martyrii laurea vos ornem, & coronem. G

Pronomen *eorum* S. Aug. Beda, Rupert. jungunt cum *hora*: melius S. Chrysost. Theoph. Euthym. jungunt cum *reminiscamini*.

HÆC AUTEM VOBIS AB INITIO NON DIXI, QUIA VOBISCUM ERAM] Est occupatio: Christus enim occurrit tacitæ Apostolorum objectioni; illi enim dicere poterant: Cur ab initio, cum nos vocasti ad apostolatum, hoc nobis non dixisti ut dispiceremus an ea amplecti, teque sequi expediret, an non? Respondet Christus se consulto id fecisse, quod tum eorum necdum erant capaces, quodque ipse cum eis erat, qui eos per omnia dirigeret & protegeret; jam autem abiens eos sibi relinquebat, ita tamen ut sua gratia eos semper roboraret, ac misso Spiritu sancto illuminaret & confirmaret. Vers.

Sed quæ sunt hæc nova, quæ nunc primo Apostolis dicit, nec ante dixit? nam & persecutiones eis prædixit Matth. 10. 17. & Luc. 12. v. 12. Primo, S. August. tract. 94. (quem de more sequitur Beda & Rupert.) ut hoc effugiat, totum hunc locum accipit de adventu Spiritus sancti, q.d. Quæ dixi de adventu Paracleti, prius non dixi, quia ego ipse vobis aderam tamquam paracletus, id est, consolator & exhortator: jam vero abiens ad Patrem dico, & promitto vobis alium Paracletum. Hic sensus partim satisfacit, partim non, quia τὸ *hæc*, non solum adventum Spiritus sancti, sed & persecutiones prædictas respicit. H

Secundo, Glossa τὸ *hæc* refert ad omnia præcedentia consolationis Christi verba. q.d. Hæc vos consolando dixi, non prius, quia dum vobis aderam, ego ipse vos consolabar. Hoc nimis amplum est & generale.

Tertio, Jansen. & Maldonat. censet *illa*, quæ habet Matth. c. 10. de persecutionibus non tunc, sed posterius esse dicta, ibique ob loci opportunitatem inseri per anti-

A anticipationem. Probant Primo, quia cum primum Apostoli a Christo missi sunt ad prædicandum per Judæam, nullam persecutionem passi sunt, & ita non opus erat eo tempore ista dicere. Secundo, quoniam illa intelliguntur de persecutione Gentilium, tunc autem prohibiti sunt prædicare Gentilibus: *In viam Gentium ne abieritis*. Tertio, quoniam omnia fere, quæ sunt in eo loco Matth. ab illis verbis: *Ecce ego mitto vos*, Marcus & Lucas commemorant dicta alio tempore, & diversis locis: ex quibus inferunt dicta fuisse post resurrectionem, cum mittebantur ad Gentes, posita autem esse ibi, propter materiarum convenientiam.

Hanc responsionem multis impugnat Ribera & Tolet. sed argumenta eorum non convincunt.

Quinto, facillime & planissime dicas: etsi quædam de persecutionibus jam ante Apostolis prædixerat Christus, non tamen omnia, quæ hic particulatim prædicit, nec cum tanto pondere, & atrocitatis significatione; nam non prædixit eos a Judæis fore excommunicandos, uti hic ait; *Absque synagogis facient vos*; nec mortem, & martyrium omnes passuros; licet enim Luc. 21. dicatur: B *Et morte afficient ex vobis*; tamen hoc de paucis accipi poterat, non de omnibus: nec τὸ *ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*: nec τὸ *venit hora*, q.d. Jam jam instant vobis persecutiones, flagella, carceres, mortes & martyria: minus enim terrent mala diu post futura, quam statim imminentia & præsentia. Ita Chrys. Theoph. Euthym. Tolet. Ribera & alii. His adde ex S. August. persecutionum remedium, scilicet Spiritus S. in eos mittendi auxilium quod ante non prædixit.

QUIA VOBISCUM ERAM] q.d. Huc usque hæc de persecutionibus vobis imminentibus vobis non dixi, quia dum vobiscum aderam, ego omnia Judæorum odia, maledicta & maleficia a vobis averti, & in me excepi, jam autem abiens scio, quod ipsi vos propter me invadent: quare vos hac de re præmoneo, ne improvisa tela vos percellant & prosternant; ut vos contra illa armetis & præmuniatis; at vero ego ipse mittam Spiritum sanctum, qui vos præmuniat, & undique obarmet.

Tropol. Moraliter disce hic Deum initio vocationis tironibus non revelare status, ad quem eos vocat, difficultates, C tentationes, cruces, ne vocati percellantur, & id, ad quod vocantur refugiant; sed ubi in vocatione sua firmati & roborati fuerint, hæc eis immittit, aut a dæmone, carne, & mundo immitti permittit, ut eos velut milites suos ad prælia exerceat, ac vincere discat, ut vincentes coronet. Hinc de Hebræis ex Ægypto exeuntibus dicitur Exod. 13. 17. *Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans ne forte pœniteret eum si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum; sed circumduxit per viam deserti*. Hac de causa novitios in Religione Deus præservat a tentationibus, eosque consolationibus spiritualibus mulcet, uti mater lactat infantem.

VERS. 5. ET NUNC VADO AD EUM QUI MISIT ME] q.d. Per crucem & mortem vado ad resurrectionem, ut gloriose conscendam in cælum, & redeam ad Patrem, qui misit me in terram.

ET NEMO EX VOBIS INTERROGAT ME, QUO VADIS?] Licet enim idipsum rogarit Thom. c. 14. 5. tamen nec ipse, nec quis alius responsum Christi obscurum satis intellexit, nec institit, ursitque Christum, ut illud ejusque rationem & modum sibi perfectius explicaret: quia omnes erant tristitia ex abitu Christi concepta D absorpti. Ita Cyrill. Euthym. Maldon. Jansen. & alii.

Tacite ergo Christus reprehendit Apostolos, quod non magis interrogarent quo eat, id est, ad quæ gaudia pergat, ad quam gloriam, ad quod regnum, & quod auxilium inde eis sit allaturus, quæ præmia daturus: hæc enim eorum mœrorem si non discussissent, certe minuissent.

VERS. 6. SED QUIA HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, TRISTITIA IMPLEVIT COR VESTRUM] Maldonat. τὸ *sed* exponit per *nam*, ut det causam cur discipuli non interrogent Jesum, quo vadat, esse tristitiam. q.d. Non interrogatis me quia tristitia oppleti estis. Tolet. vero τὸ *sed* explicat per *imo*, ut sit auxesis. q.d. Non solum me non interrogatis quo vadam, imo potius quia hæc, nempe discessum meum, audistis, tristitia estis obruti. Simpliciter τὸ *sed* accipias ut adversativum interrogationis. q.d. Non me interrogatis, sed tristitia absorpti siletis, ut pavidi mures. Tacite eos objurgat, quod adeo se tradiderint tristitiæ, & mœrori ob suum abitum, ut nec linguam, nec animum habuerint interrogandi id, quod tristitiam leniviisset ac summæ erat consolationis, & gaudii, scilicet quod iret ad Patrem, ut mitteret ipsis Spiritum Sanctum, & ut in cælis pararet eis locum. E

SED EGO VERITATEM DICO VOBIS, EXPEDIT VOBIS UT EGO VADAM] Primo, S. Chrys. hom. 77. sic explicat, q.d. Non ad gratiam loquor, sed licet majorem in modum contristemini, quod expedit audiendum est; vos quidem ut adessem velletis, usus aliud postulat: diligentis autem est, cum utilitatem cognoscit, non permittere ut ea dilecti priventur. Sic fere & Cyrill. lib. 10. cap. 39. *Magno*, inquit, *vos dolore moveri sentio, quia ego abire constitui: nec id injuria, præsertim cum magnas vobis futuras tentationes audieritis: verum quoniam jucundis utilitas præponenda est, veritatem vobis aperiam*. VERS. 7.

Verum Christus hic *veritatem* non opponit gratiæ, sed tristitiæ, ac veritatem refert ad consolationem Apostolorum: hæc enim dicit, ut eis tristitiam eximat per lætum consolationis nuncium, q.d. Vos tristamini de meo abitu, quasi de summo vestro malo, derelictione & desolatione; sed scitote vos errare, atque in veritate expedire F vobis, ut ego vadam, discessus enim meus ad Patrem erit vobis utilissimus; nam inde Spiritum S. in vos mittam, qui vos omni virtute, & gaudio replebit: quare abitus meus cedet ad vestram non tantum utilitatem, sed voluptatem, uti in Pentecoste reipsa sentietis, unde de eo subjicit:

SI ENIM NON ABIERO, PARACLITUS (Spiritus S. consolator, & exhortator vester) NON VENIET AD VOS: SI AUTEM ABIERO, MITTAM EUM AD VOS] ob causas, quas recensui cap. 7. 39. ad illa: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Discipuli enim, sicut pueri cum matre, & pulli cum gallina, nimis addicti humanæ conversationi, & colloquiis cum Christo, ejusque præsentiæ corporali, non erant capaces Spiritus sancti, ejusque donorum spiritualium; quare abscessit Christus, ut ab eo quasi ablactati, & toti in Spiritum sanctum intenti, ab eo elevarentur ad heroica opera, quibus totum mundum converterent. Unde Spiritus sanctus in Pentecoste adveniens, ipsos ex discipulis fecit magistros, eosque orbis doctores creavit. Vide S. Aug. tract. 94. & S. Greg. lib. 8. Moral. c. 33. G

Porro appositе a Christo Spiritus sanctus hic vocatur Paracletus, ut significet ipsum discipulos ob suum discessum mœstos summe consolaturum, omnique gaudio repleturum. Hinc S. Chrys. hom. 77. contra Macedonium probat Spiritum sanctum vere esse Deum: nam si Spiritus S. non esset creator, sed creatura, quomodo expediret propter ejus adventum ad Apostolis discedere Christum, qui erat creator, & Deus? Rursum ne Spiritum S. idem esse cum Filio putetur, addit Christus: *Mittam eum ad vos*: mittens enim a misso realiter, & personaliter distinguitur. Denique τὸ *mittam* significat Spiritum sanctum a Filio æque ac a Patre procedere. In S. Trinitate enim quæcumque persona aliam mittit, eamdem producit, id est, gignit vel spirat, uti Pater mittens Filium eumdem gignit: idem cum Filio mittens Spiritum sanctum, eumdem spirat.

ET CUM VENERIT ILLE, ARGUET MUNDUM DE PECCATO, ET DE JUSTITIA, ET DE JUDICIO] Per *mundum* accipit Judæos, æque ac Gentiles mundanos, in Christum non credentes & infideles. Hos Spiritus sanctus arguet, id est, Primo, increpabit, objurgabit, redarguet: Secundo, suis argumentis convincet, ut palam pateat ipsos esse convictos; esto id ipsi in infidelitate sua obstinati nolint fateri se de ea esse convictos, nec velint in Christum credere, ut faciunt hæretici in sua hæresi pertinaces. VERS. 8.

Spiritus S. arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio quid? H

DE PECCATO QUIDEM, QUIA NON CREDIDERUNT IN ME] Ita Roman. & Arabicus, licet Syrus, & Græca legant in præsenti, πιστεύουσι, id est, credunt. Sensus est. q.d. Spiritus sanctus, quem ego mittam in Pentecoste, arguet & convincet tam Judæos, quam Gentes infideles hostes meos de peccato, tum magnæ infidelitatis, ait S. Chrysost. & S. August. tum quovis alio, ait Cyrill. quia auditis licet tot rationibus, & visis tot miraculis, noluerunt tamen in me credere. q.d. Demonstrabit eis Spiritus, tum exterius per ardentem prædicationem, sanctitatem & miracula, quæ per Apostolos patrabit; tum interius mentes eorum per internas inspirationes illuminans, statum animæ suæ, ut scilicet ipsi sciant, & licet inviti, agnoscant, se esse in pristinis infidelitatis aliorumque scelerum peccatis, ac in iis manere, eo quod ab illis liberari non possint, nisi per fidem in me, quam recipere VERS. 9.

Digitized by Google

A noluerunt. Demonstrabit enim eis non esse alium Salvatorem, qui peccata expiare possit, nisi me: *nec enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ait S. Petrus Act. 4. 12. Quocirca hac Petri, & Apostolorum prædicatione multi commoti in Christum crediderunt: alii in sua infidelitate persistentes, inexcusabiles facti seipsos damnationis, & gehennæ reos effecerunt. Unde Actor. 2. dicitur; *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & alios Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* Ita Cyrill. Leont. & alii.

VERS. 10 DE JUSTITIA VERO, QUIA AD PATREM VADO, ET JAM NON VIDEBITIS ME] q.d. Spiritus sanctus arguet & convincet falsam esse mundi justitiam; Judæorum quidem, quia ipsi eam quærebant in cæremoniis legis & lustrationibus corporeis, quæ non valent abluere animam: Gentilium vero, quia ipsi justitiam quærebant in morali honestate, sive in operibus naturaliter & mortaliter honestis; Christum autem ab utrisque idcirco spretum & æstimatum injustum, convincet, & ostendet solum esse justum, omnisque justitiæ fontem, & parentem. Ita Cyrillus libr. 6.

B Tropologice, S. Bern. in parvis serm. 21. *Spiritus sanctus*, ait, *arguit mundum de peccato, quod dissimulat: de justitia, quam non ordinat, dum sibi, non Deo eam dat: de judicio, quod usurpat, dum tam de se, quam de aliis temere judicat.*

QUIA (ego) AD PATREM VADO] q.d. Mundo & mundanis scandalum est, ex eoque arguunt me esse injustum & impostorem, quia cum ego videar esse homo communis & merus, non divinus, nova tamen, & paradoxa doceam: sed mox contrarium eis patebit, me scilicet a Deo Patre missum in terras, ut morte mea in cruce mundum Deo Patri reconciliem, & ad jus filiorum evehams: quia scilicet ascendens in cælum ad eum redibo, ut mundus amplius me non videat, nec infirmæ carnis meæ visu scandalizetur; indeque mittam Spiritum S. qui fideles in me credentes justificabit & sanctificabit: unde clarum toti mundo evadet, me non esse merum hominem, sed hominem Deum, mundi justificatorem & salvatorem. Ita Leont. Chrys. Theoph. Euthym. Addit Chrys. Spiritum sanctum ad invocationem nominis Jesu sua dona & gratias in fideles distribuisse.

C ET JAM NON VIDEBITIS ME] Non loquitur de personis, sed de genere. q.d. Homines, quales vos estis, non videbunt me. Dixit autem, *non videbitis me*, potius quam, non videbunt me; quia Apostoli, non mundus, eum in cælum scandentem conspecturi erant. q. d. Videbitis quidem me ad Patrem ascendentem, sed ulterius in hac vita me non videbitis.

Ita Maldon. Ribera & alii. Addit Toletus hoc dicere Christum ut significet non opus esse, ut iterum veniat in mundum passurus & moriturus: unica enim morte consummavit justitiam pro omnibus præteritis, præsentibus, & futuris. Vado, inquit, ad Patrem meum & vestrum, nec jam videbitis me iterum in hoc sæculo, sicut adhuc vidistis, quasi iterum sit opus mori & pati. Totam enim justitiam nunc consummavi, ideo mundus arguendus est, & convincendus de justitia statim post hunc meum discessum: quod scilicet illa jam per me perfecta sit & consummata. Addit S. Augustinus. *Arguitur*, ait, *mundus de peccato, quia in Christum non credit; de justitia vero eorum qui credunt; fidelium enim comparatio infidelium est vituperatio; quia vero infidelium vox esse consuevit: Quomodo credimus quod non videmus? ideo credentium justitiam sic delinivit: Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: beati illi qui non vident & credunt. Erit itaque vestra justitia, de qua mundus arguitur, quoniam in me, quem non videbitis, credetis.* Idem S. Aug. de Verb. Dom. ser. 61. *Illi*, ait, *non crediderunt quod ipse ad Patrem vadit, illorum ergo peccatum, ipsius autem justitia: quod enim ad nos venit, misericordia est, justitia vero, quod ad Patrem vadit, secundum illud Apostoli: Propter quod & Deus exaltavit illum.* Idem de Quæst. novi & veteris Testam. q. 89. *Per id quod regressus est, probavit se inde venisse.* Et Chrys. *Ire ad Patrem argumentum fuit, quod irreprehensibilem vitam egisset, ne possint dicere, Peccator est, & non est ex Deo.*

VERS. 11 DE JUDICIO AUTEM, QUIA PRINCEPS HUJUS MUNDI JAM JUDICATUS EST] Primo, S. Chrys. & Euthym. exponunt, q.d. Spiritus S. arguet & convincet falsum esse mundi judicium, quo me judicabit miracula, hoc est, mira in speciem facere, per opem & præstigias dæmonis; nam ostendet dæmonem a me judicatum esse, expulsum & damnatum.

Secundo. Theoph. q.d. Spiritus S. condemnavit mundum ignaviæ, eo quod vulneratum & enervatum a Christo satanam ipse mundus prosternere, calcare, & vincere noluerit. E

Tertio, Cyril. q.d. Spiritus S. redarguet mundum quasi seductum, eo quod in damnato a me dæmone spem suam habeat & collocet, sive quod omisso Deo, diabolum in creaturis & idolis adorarit.

Quarto, Toletus & alii, q. d. Spiritus Sanctus ostendet mundo me justum judicem esse vivorum, & mortuorum, dum faciet ut mundus videat principem suum, id est diabolum, a me judicari, id est, damnari & expelli: si enim dæmones judico, & damno, multo magis homines.

Quinto, & aptissime, q.d. Spiritus S. faciet ut mundus videat suum judicium, id est, condemnationem, quia faciet ut mundus cernat se damnatum in suo capite, & principe, puta diabolo, quem colebat & imitabatur, quando efficiet ut Apostoli invocato nomine Jesu eum ex templis & idolis, in quibus eum adorabat mundus, ac ex mentibus & corporibus hominum ab eo possessorum ejiciant, ejusque regnum evertant; quia si Deus angelis peccantibus non pepercit, nec parcet mundo peccanti; & si non pepercit capiti & principi, scilicet diabolo, non parcet quoque membris & subditis ejus. Ita S. Aug. Beda, Rupert. Maldon. Ribera & alii. F

Quocirca hoc eodem Christi argumento utuntur S. Justinus in Dialog. cum Tryphone, Tertull. libr. ad Scapulam, & Apolog. cap. 37. Cyprianus ad Demetrianum, Origen. lib. 1. contra Celsum, S. Athanas. lib. de Incarnat. Verbi, Lactantius lib. 2. cap. 6. & alii, ut mundum, id est Gentiles, convincant; cogantque fateri se a Christo & christianismo superatos & damnatos esse, eo quod videant suum principem, id est dæmonem, a Christianis expelli, tam e templis, quam e mentibus, & corporibus hominum.

Audi S. August. de Verbis Domini secundum Joan. serm. 60. *Hoc ipso quod foras missus est, judicatus est; & de hoc judicio mundus arguitur, quia frustra de diabolo queritur, qui non vult credere in Christum, quem judicatum, id est, foras missum, & propter nostram exercitationem forinsecus expugnare permissum, non solum viri, sed etiam mulieres & pueri Martyres vicerunt.* Idem in Joan. hoc loco: *Judicatus, id est, judicio eterni ignis irrevocabiliter destinatus, & de hoc judicio mundus arguitur, quia cum suo principe judicatur, quem superbum, & impium imitatur. Credunt itaque homines in Christum, ne arguantur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur, caveant futurum judicium, ne cum mundi principe damnentur quem imitantur.* G

VERS. 12 ADHUC MULTA HABEO VOBIS DICERE (de fidei mysteriis, de Gentium conversione, de Ecclesiarum fundatione, & gubernatione, de sacerdotibus, & Episcopis, totoque ordine hierarchio instituendo, &c.) SED NON POTESTIS PORTARE MODO] Id est, nunc non potestis ea capere, mens vestra nondum sustinet tantum rerum pondus audire & comprehendere: tum quia adhuc imbecilla est & rudis, ac carnalibus Judæorum ritibus assueta, tam sublimia & spiritualia necdum concipere potest; tum quia totam eam occupat tristitia, quæ non sinit eam ad tam multa, & grandia attendere, & assurgere; sed mox mittam vobis Spiritum sanctum, qui vos illuminando idoneos & capaces reddet, ut ea portare, & comprehendere possitis. Ita S. Chrysost. Cyrill. Theoph. & S. August. Excitat Christus Apostolos, ut ipsi animos attollant, ac desiderium concipiant, ad tanta mysteria per adventum Spiritus sancti cognoscenda. Hinc disce, Apostolos & Ecclesiam sensim in cognitione mysteriorum fidei profeciisse, & creviisse, sicut solis lumen crescit a diluculo gradatim usque ad meridiem. Unde Ecclesia *progreditur quasi aurora consurgens*, Cant. 6. 9. Sic & quilibet fidelis sensim in fide, & sanctitate proficit, juxta illud Prov. 4. 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Vide ibi dicta. H

VERS. 13 CUM AUTEM VENERIT ILLE (Paracletus) SPIRITUS VERITATIS (ob causas, quas recensui 14. 17.) DOCEBIT VOS OMNEM VERITATEM] quam scilicet vos in hac vita scire convenit, tum ut vos ipsos, tum ut omnes Gentes in viam salutis dirigatis. Ita Cyrillus, Theoph. Euthymius. Nam alioqui omnem omnino veritatem non in hac vita, sed in cælo eos docturus erat, Ita S. August. & Beda.

Digitized by Google

A & Beda. Pro *docebit* græce est ὁδηγήσει, id est, ducet recta via ad veritatem, quasi dux viæ; Syrus, *deducet vos in omnem veritatem*. Via enim veritatis est studium, vestigatio S. Script. libri Patrum, oratio, & invocatio Spiritus sancti: hisce enim quasi viis pervenitur ad veritatem. Hinc rursum patet Spiritum sanctum sensim docuisse Apostolos plura, & majora mysteria, ita ut Apostoli pedetentim in eorum cognitione profecerint. Nam in Pentecoste ipsum non docuisse omnia patet Actor. 10. ubi diu post eam S. Petro revelavit Evangelium prædicandum esse non solum Judæis, sed & Gentibus, ac inprimis Cornelio Centurioni: & Actorum 15. Gentes non esse circumcidendas, nec obligandas ad servandam legem Moysi. Quocirca Ecclesia feria IV. Pentecostes sic orat: *Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.*

Spiritus sanctus non loquetur a semetipso: cur.

NON ENIM LOQUETUR A SEMETIPSO (Syrus, *ex mente sui ipsius:*) SED QUÆ AUDIET LOQUETUR] Primo, S. Chrysost. exponit, q. d. Spiritus sanctus non loquetur contraria iis, quæ ego locutus sum & docui, sed conformia: nam quæ audiet a me, loquetur. Sic & Cyrillus, Theophylact. Rupert. & Maldonatus. Addit Chrysostom. homil. 77. hoc adjici, ne quis ex eo, quod dixit Spiritum sanctum docturum omnem veritatem, opinetur ipsum esse majorem Filio, qui omnem veritatem non docuit.

B Secundo, S. Ambros. lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 12. *Non loquetur a semetipso*, id est, inquit, non sine Patris, & mea communione. q. d. Non loquetur nisi ea, quæ audit: quare quæ ipse loquetur, etiam Pater & Filius loquentur.

Tertio, S. August. Spiritus sanctus non loquitur a semetipso, hoc est, inquit, non est a seipso, sed spiratur a Patre, & Filio.

Quarto, optime exponas jungendo secundum, & tertium sensum. q. d. Spiritus sanctus *non loquetur a semetipso*, hoc est, non sine meo & Patris arbitrio, quia non ex se est, sed ex Patre & me est; & quod subsistit & loquitur, a Patre & a me illi est, ait Didymus libr. de Spiritu sancto. Igitur τὸ *non loquetur a semetipso*. Christus explicat per antitherum dicens, *Sed quæ audiet, loquetur*. Alludit ad homines, qui dicuntur loqui a semetipso cum quid

C fabulantur & fingunt: hi enim non ex re & rei veritate, sed ex cerebri sui fictione loquuntur. *Loqui* ergo a *semetipso* est fingere, fallere, mentiri, quod facere nequit Spiritus sanctus. Rursum voluit Christus docere originem veritatis, æque ac Spiritus sancti, esse eam Patrem, quam se; quare Spiritum sanctum eamdem veritatem doctum, quam ipse docuerat: quia *quæ audit*, id est, quæ ab æterno audivit, audit & audiet semper, sive quæ cum essentia divina hausit tam a Patre quam a Filio, hæc loquetur. Simili modo superius Christus sæpe dixit, se non ex seipso loqui, sed ea quæ audivit a Patre: Patri enim convenit auctoritas originis, uti essentiæ, sic & scientiæ. Audi S. August. tract. 99. *Audire illi scire est, scire vero esse. Ab illo a quo procedit, illi est essentia, scientia & audientia. Semper audit Spiritus sanctus, quia semper scit.* Et Didymus: *Loqui Patrem, & audire Filium ejusdem naturæ in Patre & Filio, consensusque significatio est. Spiritus vero sanctus, qui est Spiritus veritatis & sapientiæ, non potest Filio loquente audire quæ nescit, cum hoc ipsum sit, quod profertur a Filio, id est, procedens veritas a veritate, consolator a consolatore, Deus de Deo.*

D Rursum S. August. tract. 99. *Non moveat*, inquit, *quod verbum futuri temporis positum est: est enim illa sempiterna audientia, quia sempiterna scientia. In sempiterno autem, sine initio, & fine cujuslibet temporis verbum ponitur, nec mendaciter dicimus Fuit, & Est, & Erit; fuit, quia numquam defuit; erit, quia numquam deerit; est, quia semper est.*

ET QUÆ VENTURA SUNT ANNUNCIABIT VOBIS] q. d. Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem, quæ vos & vestrum officium concernit non tantum præteritam & præsentem, sed & futuram; ac proinde vos non tantum Apostolos & Evangelistas, sed & Prophetas constituet, indendo vobis donum prophetiæ. Hoc enim habuisse Apostolos patet Act. 11. 28. & 20. 29. & 21. 11. Imo Apocalypsis S. Joannis fere est continua prophetia. Decebat enim Apostolos priscis Prophetis non esse inferiores, sed superiores. Unde Didymus lib. de Spiritu sancto, Per Spiritum veritatis, ait, futurorum Sanctis scientia certa con-

cediur: unde & Prophetæ futura quasi præsentia intuebantur. Spiritus sanctus enim est Spiritus veritatis, qui scilicet novit & revelat omnes veritates, etiam futuras. Est enim Spiritus æternæ sapientiæ, quæ amicos Dei, & Prophetas constituit, Sapient. 7. 27. Causam dat S. Chrysostomus. Excitavit, ait, per hoc Apostolorum mentem: ad nihil enim ita avidum est genus humanum, ut ad sciendum futura. Ab hac ergo sollicitudine eos liberavit, ostendens futura eis revelanda, ne incauti errarent. E

Anagog. Beda, *ventura annunciabit*, id est, gaudia cælestis patriæ ad memoriam reducet: nunciabit etiam mala, quæ vobis pro confessione Christi ventura sunt. Et Interlin. Non solum, ait, quæ futura sunt in tempore annunciat, sed magis æterna, quorum amore inflammat.

ILLE ME CLARIFICABIT] id est, glorificabit, ostendendo me esse Dei Filium, Messiam, doctorem & salvatorem mundi. Audi S. Aug. *Ille me clarificabit, diffundendo in cordibus charitatem, & spirituales faciendo, declaravit eis Filium Patri esse æqualem, quem secundum carnem prius tantummodo noverant. Item per ipsam charitatem fiducia repleti Apostoli, & timore depulso, annunciaverunt hominibus Christum, & sic ejus fama toto orbe diffusa est: quod enim facturi erant in Spiritu sancto, hoc eumdem Spiritum dixit facturum.* VERS. 14 F

QUIA DE MEO] Arab. *de eo quod est mihi*) ACCIPIET] scilicet a me meam essentiam divinam, ait Nazian. orat. de fide, ac consequenter meam voluntatem, & scientiam: hanc enim vobis annunciare debet, inquit Cyrill. Chrys. Jansen. Tolet. & alii. Audi Didymum: *Dans Filius non privatur his quæ tribuit, nec cum damno suo impartitur aliis, nec Spiritus sanctus accipit, quod ante non habuit; sic est intelligendus Spiritus sanctus a Filio accipere, ut una cognoscatur dantis & accipientis substantia: sic & Filius a Patre accipit ea, in quibus subsistit.* *De meo accipiet quid?*

Aliter Maldonat. q. d. *De meo accipiet*, id est, meo nomine veniet, nec aliam, quam meam doctrinam vobis quasi legatus meus exponet. Sed hoc videtur alienius. Perperam Nonnus vertit. *De meo Patre accipiet*, quasi Spiritus sanctus a Patre solo procedat, non a Filio. Non enim ait Christus: Ille Patrem clarificabit, quia de Patre accipiet, sed, *ille me clarificabit, quia de meo accipiet.*

Ex hoc loco Patres, imo Conc. Florent. sess. 25. probant G Christi divinitatem & processionem Spiritus sancti a Filio, æque ac a Patre. Citat eos fuse Maldon. hic in fine hujus versus, & Bellarm. lib. 2. de Christo c. 24. & 25. Unde docte Theodorus Heracleotes in Catena Græcor. hoc loco: *Spiritus sanctus*, inquit, *testis fuit divinitatis Unigeniti, cum ex ejus esset essentia, essentiamque ejus declararet:* nec enim spirari potest Spiritus sanctus, nisi ab eo, qui est Deus.

Dices: Cur ergo Christus non dixit, Me accipiet, sed *de meo*. Resp. quia Spiritus sanctus a Filio non accipit totum, quod est in Filio: non enim accipit filiationem, sed essentiam, ex qua & filiatione constituitur Filius secundum nostrum modum concipiendi. Et sic explicat Christus vers. sequent. dicens: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, Quia de meo accipiet.* Unde patet τὸ *de meo*, idem esse cum τῷ *omnia quæ habet Pater, mea sunt*; scilicet ipsa deitas cum omnibus suis attributis. Hinc Theoph. exponit: *De meo*: id est, de thesauro divinitatis, qui est in me, *accipiet*. Perperam ergo hæretici ex τῷ *de meo*, contendebant Spiritum sanctum non natura, sed participatione esse Deum, ut refert S. August. tract. 100. & Cyril. 13. Thesauri c. 4. participat enim naturam divinam, quæ nullas habet partes, sed tota H est indivisibilis & simplicissima.

ACCIPIET] Id est, accepit ab æterno, accipit & accipiet semper. Futurum enim omne tempus complectitur, & melius convenit æternitati, quia hæc in æternum durat, uti semper durat spiratio Spiritus sancti. Sensus totius hujus loci est, q. d. Ne tristemini, quod me abeunte, vestro doctore privemini: nam mittam Spiritum sanctum, qui cum merus sit Spiritus divinus, docebit vos omnia, quæ salutis & Spiritus sunt: eo autem docente ego vos doceo, quia a me accipit omnia, a quo procedit, ille claritatem & gloriam meam vobis demonstrabit, quia a me accipit omnia, a quo procedit, ille claritatem & gloriam meam vobis demonstrabit, quia a me accipiet omnia quæ dicturus est vobis, & ita per ipsum vobis loquar, & me demonstrabo vobis: nec miremini quod de Spiritu sancto dixerim: *De meo accipiet*; nam ego per æternam generationem accepi a Patre omnia, quæ ipse habet; & ideo

Digitized by Google

A accepi ab ipso, quod unum sim cum ipso principium Spiritus sancti. Ita Ribera.

OMNIA QUÆCUMQUE HABET PATER, MEA SUNT: Arabicus, *omnia quæcumque sunt Patri, sunt mihi*; Nonnus; *sors mea sunt omnia, quæ habet Pater meus*. Probat Spiritum sanctum a se accipere essentiam & scientiam, ex eo quod omnia, quæ habet Pater, sua sint (omnia enim sua, excepta paternitate, ait Concil. Florent. Pater generando communicavit Filio) ergo & virtutem spirandi Spiritum sanctum, quam habet Pater, communicavit Filio. Unde explicans subdit: PROPTEREA DIXI: QUIA DE MEO ACCIPIET, ET ANNUNCIABIT VOBIS] q.d. Ideo dixi, *De meo accipiet*, quia accipiet omnia, quæ habet Pater, quæque ipse mihi communicavit: omnia enim, quæ Patris sunt, mea quoque sunt, atque ego eadem Spiritui sancto spirando communico, nimirum meam deitatem, omniscientiam, omnipotentiam, &c. Ita Didymus: *Patris nomine*, ait, *se Filium esse declaravit, non paternitatem usurpavit* (uti voluit Sabellius) *quæ Pater habet juxta substantiam, id est, æternitatem, immutabilitatem, bonitatem, hæc eadem habet & Filius*. Et B S. Hilarius lib. 8. de Trinit. *Docet*, ait, *a Patre accipienda, a se tamen accipi, quia omnia, quæ Patris sunt, sua sunt, non habet universitas diversitatem*. Hinc rursum colligitur Spiritum sanctum procedere a Filio: quia omnia, quæ habet Pater, habet Filius, excepta paternitate: atqui Pater habet vim, & actionem spirandi Spiritum sanctum, ergo eamdem habet & Filius. Confirmatur: quia si Pater & Filius non haberent omnia communia, excepta relatione opposita, distinguerentur plusquam relatione, & proinde distinguerentur substantia; nam Pater ut spirator, non est relativum ad Filium, ergo si ut spirator distinguitur a Filio, distinguitur per spirationem, non ut relatio est, sed ut est forma quædam in Patre subsistens: proinde Pater & Filius in substantia differunt, quæ est hæresis Ariana.

VERS. 16 MODICUM, ET JAM NON VIDEBITIS ME: ET ITERUM MODICUM, ET VIDEBITIS ME: QUIA VADO AD PATREM] Syrus, *paulisper, & non videbitis me; & iterum paulisper & videbitis me, quippe qui abeam ad Patrem*. q.d. Modicum tempus (post paucas horas) a Judæis capiendus, Quodnam hic *Modicum*, & *non videbitis me*? C passurus, & in cruce moriturus sum, moxque sepeliendus, & tunc mœsti *non videbitis me*: sed post aliud modicum tempus, iterum *videbitis*. Nam post triduum a morte resurgam, & me vobis videndum magno cum gaudio exhibebo: quoniam paulo post iturus sum ad Patrem, & ascensurus in cælum, ac glorificandus sessione ad ejus dexteram: nec enim a morte detineri potero, sed mox eam in me vincam, faciamque ut & vos eamdem vincatis & superetis. Ita Chrysost. hom. 78. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. Ribera, Toletus, Jansen. Mœstos enim de suo abitu Apostolos solatur Christus absentiæ suæ brevitate, quod illa brevis, & modica sit futura, ac mox magno gaudio compensanda, & ingenti gloria cumulanda.

Aliter S. August. Beda, & Maldonatus, q.d. Modico & parvo tempore vobiscum commorabor in terra, scilicet per 40. dies usque ad ascensionem meam in cælum, postquam amplius non videbitis me; sed post aliud modicum tempus hujus sæculi, iterum videbitis me, nimirum in die judicii, & communi omnium resurrectione, quando vos in corpore, & anima in cælum mecum assumam, beabo D & glorificabo: *quia ad Patrem vado*, ut gloriam quam passione mea merui, sedens ad dexteram ejus obtineam, ibique cum eo gloriose regnem usque ad diem judicii, quando redibo, ut vos ad regnum meum transferam: quia tantum hujus sæculi tempus, licet plurium sit millium annorum, si comparetur cum Dei æternitate, modicum est & exile instar puncti.

Audi S. August. tract. 101. *Modicum est hoc totum spatium, quod præsens pervolat sæculum. Unde dicit idem Evangelista epist. 1. cap. 2. Novissima hora est*. Et post nonnulla: *Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; cum finitum fuerit; tunc sentiemus quod modicum fuerit: non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est: Mundus autem gaudebit, nec tamen in hujus desiderii parturitione sine gaudio tristes simus, sed sicut ait Apostolus, spe gaudentes, in tribulatione patientes, quia & ipsa parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quam tristis est de præsenti labore*. Hinc Psaltes, & ex eo S. Petrus epist. 2. cap. 3. vers. 8. *Unus dies apud Dominum*, inquit, *sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus*. Vide dicta.

VERS. 17 DIXERUNT ERGO EX DISCIPULIS EJUS AD INVICEM: QUID EST HOC, QUOD DICIT NOBIS: MODICUM, ET NON VIDEBITIS ME; ET ITERUM MODICUM, ET VIDEBITIS ME, ET QUIA VADO AD PATREM? DICEBANT ERGO: QUID EST HOC, QUOD DICIT, MODICUM? NESCIMUS QUID LOQUITUR] Videbatur Apostolis hoc Christi dictum esse obscurum, imo ænigma: nec mirum, cum etiamnum multis Christianis tale esse videatur. Studio id fecit Christus, ut mœstos eorum animos novitate hac phrasis acutæ, & involutæ erigeret, & ad ejus explicandæ interrogationem impelleret, cui ipse deinde respondens mœstitiam eorum depelleret, vel certe leniret. Causam duplicem dat S. Chrys. Theoph. Euthym. Primam, quod revera dictum hoc in se esset obscurum. Secundam, quod Apostoli mœstitia erant prægravati, & quasi oppressi. Tertiam dat Rupertus, quod Apostoli necdum caperent resurrectionis mysterium, nec certo crederent Christum die tertio a morte surrecturum. Quartam dat S. Aug. & Beda, quod *ni modicum* a Christo repetitum, & inversum turbaret eos. Modica enim voluptas hujus vitæ parit in altera, vertiturque in æternum & immensum gaudium, uti dicere solebat S. Franciscus; *Quid enim in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* 2. Cor. 4. 17. Elige. I / VERS. 17 / F

COGNOVIT AUTEM JESUS, QUIA VOLEBANT (*desiderabant, sed mœsti & pavidi non audebant*) EUM INTERROGARE] Cognovit id Christus non ex Apostolorum vultu, gestibus & nutibus, sed vi divinitatis suæ, introspiciendo secretas eorum in mente cogitationes & arcana desideria, Prævenit ergo eorum interrogationem, ut ostenderet se esse cardiognosten, id est, cordium inspectorem, ideoque Deum. Ita Cyrill. VERS. 19

AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA PLORABITIS, ET FLEBITIS (Arabicus, *ululabitis*; Syrus, *lamentabimini*) VOS, MUNDUS AUTEM GAUDEBIT: VOS AUTEM CONTRISTABIMINI, SED TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM] Subaudi, & vicissim mundi gaudium vertetur in tristitiam & luctum. Ita Rupert. VERS. 20

Primo, S. Chrys. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. & G Rupert. qui v. 16. intellexerunt de morte, & resurrectione Christi, sic exponunt, q.d. Post modicum tempus, imo post paucas horas, cum videbitis me capi, crucifigi, mori, sepeliri, vos o discipuli mei, de tam acerbo meo vestroque casu lugebitis; mundani vero Judæi hostes mei gaudebunt, quod me scelerum ipsorum insectatorem morte mulctarint; sed paulo post tristitia & luctus vester vertetur in gaudium, cum tertio die me resurgentem & redivivum videbitis, tunc que Judæi tristabuntur & indignabuntur, quod me mortem ipsorum calcasse, & superasse dolebunt. Hinc sensus proprie & primario a Christo intenditur. Explicat enim illud v. 16. *Modicum, & non videbitis me*, &c. Secundario tamen intendit significare Apostolorum persecutiones & afflictiones sui similes, & pro se tolerandas. Unde,

Secundo, S. Aug. Beda & Maldon. qui τὸ *modicum* v. 16. exponunt de tota præsenti vita, totoque hujus temporis sæculo, sic explicant. q.d. Vos, o Apostoli, post meum in cælum ascensum, prædicantes meam legem, & fidem, persecutionibus, laboribus & ærumnis afflicti dolebitis & lugebitis: mundani vero gaudebunt, H quod vobis dominentur, vosque affligant, crucient & occidant: sed in fine hujus sæculi ego veniam & liberabo vos, ut mecum in æterna beatitudine gaudeatis.

Moral. Pios in hac vita adversis affligi, impios in prosperis exultare, docet sæpe sacra Scriptura, ut Job Pii hic lugent, sed gaudebunt in futuro. c. 21. 7. David Psal. 72. v. 2. 3. 4. Habacuc cap. 1. 3. Jer. cap. 12. 1. idem docet nos quotidiana experientia. Sed eadem docet in exitu, & morte pios gaudere, impios lugere, ut patet Lucæ 6. 25. Jacobi 5. v. Gnoma. 2. & 3. Rom. 8. 18. *Difficile, imo impossibile est*, ait S. Hier. epist. 34. ad Julianum, *ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut & in cælo, & in terra appareat gloriosus*.

Quocirca Tertull. libr. de Spectac. cap. 28. hæc Christi verba eleganter & pathetice pertractans: *Vicibus*, inquit, *disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur. Sæculum, inquit, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut, cum lugere cœperint, gaudeamus;*

A *deamus; ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem.* Et paulo post: *Dicas velim: Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod & Apostoli, exire de sæculo, & recipi apud Dominum? Hæc voluptas, ubi & votum.* Mox fidelium gaudia hujus vitæ hæc assignat: *Quæ major voluptas, quam fastidiū ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus? quod calcas deos nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis, quod Deo vivis. Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita,* &c. *Ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrii palmas gloriare. Aspice impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sævitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia obumbratam, & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur.* Et mox; *Quæ illa exultatio angelorum, quæ gloria resurgentium Sanctorum? quale regnum exinde justorum? qualis civitas nova Jerusalem?*

B Idipsum 700. annis ante prævidens Isaias graphice describit c. 65. 14. *Ecce servi mei comedent & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.* Vide ibi dicta.

Exempla. Hinc S. Cæcilia Evangelium Christi semper gestans in pectore, illudque prædicans, Tiburtium plurefque alios ad Christum convertit, quibus hoc inprimis inculcabat: *Nolite, o filii hominum, hujus vitæ fugientem quærere lætitiam, ut lætitiam illius vitæ æternam possideatis, quæ hanc vitam excipit. In hac enim vita breve tempus vivitis: in illa vero in omne ævum.* Cumque Almachius præfectus eam cum suis insipientem assereret, quod, spretis hujus mundi gaudiis, austeram & lugubrem Christianorum vitam amplexa foret, resp. S. Valerianus S. Cæciliæ sponsus: *Veniet tempus, quo accipiemus millecuples fructus nostræ afflictionis; & nobis lætantibus flebunt illi, qui nunc efferuntur lætitiis: est enim nunc tempus seminandi. Qui ergo in hac vita seminant, quæ sunt ad tempus, lacrymas, in illa beata & æterna vita metent gaudium sempiternum.*

C Denique S. Cypr. tr. de Mortal. ex hac Christi gnome, evincit in peste & morte Christiano non esse tristandum, sed gaudendum, quod per eam ad Christi visionem & summum gaudium veniat. Audi eum: *Cum ergo Christum videre gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cum viderimus Christum, quæ cæcitas animi, quæve dementia est, amare pressuras, & pœnas, & lacrymas mundi, & non festinare potius ad gaudium, quod numquam possit auferri?*

VERS. 21 MULIER CUM PARIT, TRISTITIAM HABET, QUIA VENIT HORA EJUS (ut magno labore, & dolore parturiat:) CUM AUTEM PEPERERIT PUERUM, JAM NON MEMINIT PRESSURÆ PROPTER GAUDIUM, QUIA NATUS EST HOMO IN MUNDUM] Syrus, *mulier cum parit, ægritudine afficitur, quia venit dies partus ejus: cum autem pepererit filium, non meminit angoris, propter gaudium illud, quod natus sit homo in mundo,* quia scilicet mater videt infantulum, quem enixa est, quem sperat in vita sibi auxilio fore & honori, in morte vero eumdem post se successorem & superstitem in mundo relinquere; ut per eum stirps sua & familia propagetur. Quia enim homines optant semper esse & vivere, nec id in seipsis consequi possunt, D cum mortis legibus subjaceant; hinc gaudent filios edere, ut in illis perdurent, & quasi æternitatem quamdam consequantur. Sic regina gaudet, cum primo genitum peperit, quia regem se peperisse censet.

Apposita est hæc Christi parabola, qua passionis & mortis suæ tempus comparat parturitioni, resurrectionem vero gaudio post partum. Christus enim in passione cruciatus fuit doloribus & angoribus, instar mulieris parturientis; at peracto partu, cum se merito mortis suæ resurgentem vidit, nosque similiter resurrecturos cognovit, mirifice gavisus est, & magno gaudio Apostolos & fideles omnes perfudit. Hos enim quasi infantulos suos parturiit, pro iis moriens in cruce. Ita S. Chrysost. Cyrill. Theoph. Euthym. Simili modo, juxta sensum S. Augustini & Bedæ paulo ante datum, idem applices persecutionibus & doloribus Apostolorum & fidelium in hac vita, ac gaudio & exultationi eorumdem in communi omnium resurrectione, de quo mox plura.

A Lap. Tom. IX. in Evangel.

PUERUM] quia, ut ait S. August. majus gaudium esse E consuevit quando non puella, sed puer (masculus) nascitur, ut mystice significetur fideles debere esse masculo, & virili animo, ad fortia agendum & patiendum: vocati enim sunt ad cælestium contemplationem; imo ad cæli expugnationem, non ad mollitiem hujus sæculi, ait Interl. Porro puer hic mox homo vocatur, cum dicitur: *Natus est homo in mundum*; ut significetur resurrectio Christi: per resurrectionem enim Christus quasi denuo natus est, non puer sed homo & vir perfectus, ita Chrys. Non dixit *puer*, inquit, *sed homo*, occulte suam resurrectionem insinuans, æque ac nostram post mortem beatitudinem, tunc enim nascemur in vitam æternam, ait Alcuinus. Unde Beda: *Non debet*, inquit, *videri novum, si natus dicatur qui ex hac vita migraverit: ut enim procedens de matris utero in hanc lucem ingreditur, ita solutus a carnis vinculis ad lucem æternam sublimatur. Unde Sanctorum solemnia non funebria, sed natalitia vocantur.*

Porro dolori parturientis recte comparatur dolor discipulorum: Primo, quia uterque fuit acerbissimus, ac acerbior est in partu masculi, quam feminæ, ait Aug. tr. 101. Secundo, quia uterque est brevis. Ita Chrys. ser. 78. Tertio, uterque est periculosus: Quarto, uterque vertitur in gaudium, ille nativitatis pueri, hic resurrectionis Christi & discipulorum: ita Cyril. Quinto, sicut idem puer natus est causa doloris dum paritur, & gaudii dum natus est: sic idem Christus morte sua magnum dolorem creavit discipulis; resurrectione vero sua magnam lætitiam. Sexto, utriusque gaudium est mirificum & summum, quod omnem præcedentem dolorem absorbet.

Dolori parturientis cur comparatus dolor discipulorum? F

ET VOS IGITUR NUNC QUIDEM TRISTITIAM HABETIS, ITERUM AUTEM VIDEBO VOS, ET GAUDEBIT COR VESTRUM: ET GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET A VOBIS] Est postparabola, sive applicatio parabolæ, ejus scopum fructumque significans. *Et*, id est *sic*, similiter; simili modo. Connectit enim similia, scilicet mulierem parturientem cum patiente Christo & Apostolis. q.d. Sicut mulier parturiens cruciatur, & gemit, edita vero prole gaudet: sic & vos in mea passione & morte imminente tristabimini, sed die tertio resurgens, & quasi ex sepulchro renatus videbo vos, tuncque mire gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet, sed vobis manebit perenne, quia immortalis, & gloriosus resurgam, G nec amplius mori potero, sed semper vivam vitam beatam, ut vobis in omni persecutione & afflictione adsim, & opituler, vosque omnibus adversis superiores efficiam, & tandem glorioso martyrio coronem, itaque ad cælestia gaudia traducam, quæ nemo tollet a vobis, quia erunt sempiterna. Primo ergo loquitur Christus de gaudio Apostolorum ob suam; secundario vero, ob ipsorummet resurrectionem, felicitatem & gloriam, uti jam dixi: Hanc enim parturit labor, & dolor hujus vitæ, sicut prolem parit parturitio puerperæ.

Præclare S. Cyprian. ad Demetrianum: *Pœnam*, ait, *de adversis mundi ille sentit, cui & lætitia & gloria omnis in mundo est. Ille mœret & deflet, si sibi male sit in sæculo, cui bene non potest esse post sæculum, cujus vivendi fructus omnis hic capitur; cujus hic solatium omne finitur, cujus caduca & brevis vita hic aliquam dulcedinem computat & voluptatem; quando istinc recesserint, pœna jam sola superest ad dolorem. Cæterum nullus iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade, aut corporum valetudine mussitamus: spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus.* Et inferius pluribus interjectis: *Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens est & immobilis virtus, & numquam non læta patientia, & de Deo suo semper anima secura.* H

TRISTITIAM HABETIS] Tristamini ob meum abitum ad mortem, deinde post mortem meam tristabimini ob persecutiones & cruces vobis ingruentes. Sic & tristabuntur cæteri fideles, qui per lacrymas & pressuras ad gaudia æterna contendunt, ait Alcuinus. Porro, ut advertit S. Aug. in hisce pressuris *non sumus sine gaudio tristes, sed sicut dicit Apostolus, spe gaudentes: nam & mulier parturiens, cui comparati sumus, plus gadet de mox futura prole, quam tristis est de præsenti dolore.*

Tropolog. mens peccatoris pœnitentis, item mens justi, cum meditatur martyrium, ingressum Religionis, vel aliud opus arduum, & heroicum, est quasi mulier

Digitized by Google

A parturiens, quia magno labore & dolore fœtum conversionis suæ, martyrii, Religionis, &c. enititur & parit. Lege S. Aug. in Confess. lib. 8. c. 8. ubi narrat quanto molimine parturierit propositum novæ vitæ. Hoc est quod ait Isaias cap. 26. *Sicut quæ concipit, cum appropinquavit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua Domine, concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis.* Sed hæc parturitio parit ingens gaudium. Impii vero similiter parturiunt sua scelera cum ingenti labore, & dolore, sed hic vertitur in æternum gehennæ tormentum, juxta illud Isaiæ 59. *Conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem.* Et Ps. 7. *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* De his dictum est Sap. 2. *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles,* & reliqua.

Rursum prædicator, confessarius & quivis alius, qui animas Deo lucrari satagit, id facit cum magna parturitione. Unde S. Greg. lib. 30. Moral. c. 9. talem comparat cervæ parturienti, quæ difficillime parit, ideoque prædolore rugit. Explicans enim illud Job cap. 39. *Numquid,* &c. *parturientes cervas observasti? Perpaucorum est pensare,* inquit, *quis labor sit in prædicationibus Patrum;* B *quantis doloribus, quasi quibusdam conatibus animas in fide & conversatione parturiunt, quam cauta se observatione circumspiciunt, ut sint fortes in præceptis, compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adversitatibus rigidi; & tamen dum vires suas sibimet non tribuunt, infirmi: quantus sit eis dolor de cadentibus, quantus de stantibus timor; quo fervore alia adipisci appetunt, quo pavore alia adepta conservant.*

Et GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET] quia gaudium ipsorum Christus est, qui jam non moritur, ait Interlin. Rursum id verius erit in cælo. Unde S. Augustinus: *Nec vero finis nobis sufficit,* inquit, *nisi cujus nullus est finis.*

VERS. 23 Et IN ILLO DIE ME NON ROGABITIS QUIDQUAM] Græcum ἐρωτήσετε, & Latinum *rogabitis* duo significat. Primum, proprie *interrogabitis*, ut vertit Syrus, & sic legunt nonnulli codices Latini. Secundum, petetis, orabitis, postulabitis, juxta illud c. 14. 16. *Et ego rogabo Patrem,* C *& alium Paracletum dabit vobis.*

Primo ergo, Cyrillus priore modo accipit, refertque ad diem resurrectionis & Pentecostes, q. d. Cum resurrexero & Spiritum sanctum misero in Pentecoste, non erit opus me quidquam interrogare, quia partim ego resurgens, partim Spiritus sanctus adveniens docebit vos omnia, quæ ad vestrum officium, & apostolatum spectant. Multa enim discipuli ignorantes rogarant Christum, ut, *Domine quo vadis? Quomodo possumus viam scire? Ostende nobis Patrem. Cur manifestas te nobis, non mundo?* ut patet c. 14. v. 5. 8. 22. & hic v. 17. non intelligentes, τὸ *modicum,* volebant eum interrogare: Christus ergo apposite eis respondit, brevi se per Spiritum sanctum ita illuminaturum illos, ut quasi θεοδίδακτοι, non opus habeant quidquam amplius interrogare eorum, quæ ante adventum Spiritus sancti rogare solebant, uti paulo ante eum rogarunt, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. 1. Sic & Euthym.

Secundo, S. Chrys. hom. 78. Theoph. Ribera & alii τὸ *rogabitis* exponunt *petetis, orabitis, postulabitis.* q. d. In illo die cum ad vos per resurrectionem redibo, non indigebitis me rogare, & in vestris necessitatibus precari, sed satis vobis erit invocatio mei nominis apud Patrem, ut me etiam absente omnia ab illo impetretis. Huic expositioni favet id quod sequitur: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Tertio, S. Aug. tract. 101. utrumque sensum jam datum jungit, refertque ad diem cælestis gloriæ: tunc enim non opus erit quidquam interrogare vel obsecrare, cum omnia abunde per gloriam suggerantur & suppeditentur. Audi S. Aug. *At postquam resurrexit, interrogatum legimus a discipulis, quando regnum restitueret Israel; rogatus est etiam a Stephano, cum esset in cælo, ut spiritum ejus susciperet; puto ergo, quod hic dicit referendum esse ad tempus, quo videbimus eum sicuti est, ubi nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.*

AMEN, AMEN DICO (in veritate, verissime & certissime promitto, S. August. ait, *juro*: censet enim ipse *amen* esse juramentum) VOBIS; SI QUID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, DABIT VOBIS] Est nova hæc Apostolorum consolatio, novum quoque documentum eis datum a Christo, ut eo se absente utantur, ad omnia, quibus egent impetrandum a Patre, nimirum petendo ea ab ipso in nomine Christi. q. d. Nolite, o discipuli, tristari de meo abitu, & absentia, quia certo vobis promitto Deum Patrem vobis daturum quidquid in nomine meo petieritis. Petite ergo, & accipietis. Solebatis omnia, quibus egebatis, a me petere; nunc ego abeo, & *mei* loco Patrem substituo: quod a me petebatis, petite a Patre; ille tam facile, tam amanter & liberaliter vos audiet & exaudiet, sicut ego vos audite, & exaudite solebam. Nec absentiam cavisemini, vel distantiam, quod Pater sit in cælis, vos vero in terris. Nam & Pater in terris est, cum sit ubique; imo intra vos est, in anima, & mente vestra est, non tantum per essentiam, præsentiam, & potentiam, sed & per gratiam. Anima enim vestra ejus est sedes & templum, in qua ipse a vobis laudari, orari, & invocari cupit. Ibi ergo cum vobis præsentem, imo familiarem & intimum invocate: ibi ipse vos exaudiet. I

Singula verba habent emphasim. Primo, *dico vobis,* F q. d. Vobis hoc spondeo, quia vos estis intimi mei amici; discipuli & Apostoli, quos ego summe diligo, ut vestri curam singularem geram, vobisque de omnibus providebam. Primario ergo, hæc Christus dicit Apostolis; secundario, fidelibus omnibus quavis ætate viventibus, quia horum personam sustinebant, & hos repræsentabant Apostoli. Promissio Christi ex impetratione orationum expenditur.

Secundo, *quidquid*, scilicet vobis salutare, & Deo honorificum quod sit aliquid (solidum & utile, Deoque gratum) non nihil, ait Interlin. Et S. August. Aliquid, inquit, quod non in comparatione beatæ vitæ sit nihil. Qui ergo petit rem illicitam vel noxiam, ut vindictam de inimicis, non exauditur, quia non petit aliquid (salutiferum) sed nihil: peccatum enim est non ens, & quasi nihil. Licet quidem res temporales, & adiaphoras, ut sanitatem, opes, officium, dignitatem petere a Deo; sed illa referre oportet ad finem honestum, ut scilicet per ea magis placeamus Deo, ac plura bona opera exercere possimus.

Tertio, *petieritis:* græce αἰτήσητε, id est popposceritis, oraveritis, precabimini, imploraveritis, contenderitis, expostulaveritis, mendicaveritis, invocaveritis, scilicet, G uti decet & par est, nimirum Primo, humiliter; Secundo; reverenter; Tertio, fiducialiter; Quarto, ardenter; Quinto, perseveranter.

Quarto, *Patrem.* q. d. Magna spe & amore petite, quasi filii a patre: ipse enim paterno affectu vos summe diligit.

Quinto, *in nomine meo*, id est, per me & mea merita non per vestra, de quo mox plura.

Sexto, *dabit vobis*, secure, & certe, si ita petatis, uti oportet.

IN NOMINE MEO] q. d. Abiturus relinquo vobis nomen tuum, hoc allegate apud Patrem, & omnia obtinebitis. Ostendit nominis sui virtutem, ait Chrysost. solum enim nominatus apud Patrem, facit mirabilia. q. d. Ne existimetis de reliquo me non futurum vobiscum, aut vos derelictos: nomen enim meum magnam dabit securitatem. Hæc Chrysost.

Quæres: Quid est petere in nomine Christi? Resp. Primo, S. Greg. hom. 27. *Nomen filii Jesus est, Jesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur: ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. Non si id, quod non expedit, petitur, non in nomine Jesu petitur Pater. Unde & eisdem Apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, ac si aperte diceretur: Non petistis in nomine Salvatoris, quia nescitis quærere æternam salutem. Hinc est quod & Paulus non exauditur, quia si liberaretur a tentatione, ei non prodesset ad salutem.* 2. Cor. 12. Et inferius: *Pensate petitiones vestras, videte si in nomine Jesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu, Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum.* Et S. Aug. *Non petitur,* ait, *in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis, & qui sentit de Christo, quod non est de unico Dei Filio sentiendum, non petit in ejus nomine: accipit autem, qui ut debet petit, quando debet accipere: quædam enim non negantur, sed ut congruo detur tempore, differuntur.* Quid sit In nomine Christi petere: Resp. Primo. H

Sic

Digitized by Google

A Sic & Beda; Rupertus & S. Thom. Hæc vera sunt, sed symbolica, non litteralia.

Secundo. Secundo, ergo magis ad litteram, S. Cyrillus, & ex eo Jansenius: In nomine meo, dicit, inquit, ut Christus se mediatorem & collargitorem ostendat: nam quatenus Deus nobis cum Patre bona largitur; quatenus mediator est, nostras preces ad Patrem adducit, ipse enim nobis libertatem atque fiduciam ad Patrem largitur.

Tertio. Tertio, Euthym. *In nomine meo*, inquit, hoc est tamquam mei, tamquam Christiani.

Quarto, & genuine. Quarto, & genuine, S. Chrys. Theoph. Tolet. & alii, petere in nomine Christi, inquiunt, est petere per Christum, sive per Christi merita, dignitatem & auctoritatem. Christus enim sua passione & morte meruit, ut quod ejus nomine petimus, a Deo impetremus. Quare impetratio hæc respectu nostri est gratia, respectu Christi est quasi justitia. Nomen ejus in Script. significat vires, virtutem, merita, gratiam, dignitatem, auctoritatem. Petere ergo in nomine Christi, est petere allegando merita Christi, in iisque confidere, non in suis propriis: ut Deus non in nostram indignitatem & peccata, sed in faciem Christi sui respiciat, & ob ejus sanctitatem, & merita nobis donet, quod non meremur. Christus ergo hic non solum Deum, sed Deum incarnatum, obedientem usque ad mortem crucis significat. Hic enim meruit ut Pater nostras preces exaudiat. Sic explicat Ecclesia, quæ omnes orationes suas concludit. *Per Dominum nostrum Jesum Christum.* Sic Judæi orabant Deum per merita Abraham, Isaac, & Jacob parentum suorum: Christiani vero per meta Christi, qui in infinitum illorum merita superat.

Quinto. Quinto, Ribera sic explicat. Petite *in nomine meo*, hoc est petite quasi a me missi, quasi ego per vos hoc petam a Patre; sicut rex a Pontifice petit quippiam per legatum suum. Petite, non quasi vobis donandum, sed mihi, sicut fratres Joseph rogant, ut iniquitatem ipsorum condonet patri, quasi pater illam in se susceperit & postulet illam sibi condonari, non fratribus, Genes. 50. Simili enim modo Christus donat nobis sua merita, suam auctoritatem & gratiam, quam habet apud Patrem, ut per illam petamus.

Hinc rursum, petere in nomine Christi, est petere ea quæ Christus nobis cupit, & dari nobis vult, scilicet quæ ad salutem animæ spectant. Unde hæc oratio est efficax, & exauditur a Deo. Quocirca valde pia & efficax est illa nonnullorum oratio: Domine da mihi hoc, quod Christus Dominus in me desiderat, quod ipse mihi dari cupit, pro quo ipse moriens in cruce oravit, & mihi donari postulavit. Rursum quod B. Virgo mihi optat, quod ipsa pro me precatur: ipsa enim me, meamque salutem adamat, & melius me novit, quid mihi ad eam sit utilius. Hic sensus pius est, sed quartus magis litteralis, & genuinus.

C

Dabit vobis] Dices: Experimur multos multa petere a Deo, nec impetrare: quomodo ergo hic dicitur, *Dabit vobis*? Resp. Causa, cur non impetrent, est, quod non petant ea, quæ petere oportet, vel ea ratione, & modo, quo oportet, uti docet S. Jacobus in epist. cap. 4. Affirmativæ enim promissiones in Script. requirunt certas conditiones, quas ipsa alibi explicat. Sic oratio & impetratio requirit Primo, humilitatem & reverentiam: quare qui illa caret, sed superbe & præsumptuose orat, uti fecit Pharisæus ille Lucæ 18. hic nihil impetrat.

Orationis conditiones. Prima.

Secunda. Secundo, requirit contritionem de peccatis, ut orans sit amicus, vel serio cupiat fieri amicus Dei; hostes enim & inimicos suos non exaudit Deus. Quare peccatores, qui in peccatis suis persistere volunt, non audiuntur a Deo. Vis ergo ut te audiat Deus? tu prior audi, & adimple legem ipsius, fac prior voluntatem Dei; sic Deus faciet voluntatem tuam, & tua vota implebit: hoc est, quod ait Isaiæ 1. *Non exaudiam: quia manus vestræ plenæ sunt sanguine.*

D

Tertia. Tertio requirit magnam fidem & spem, sive fiduciam impetrandi per merita Christi id, quod petimus. Hac fiducia multi carent, ideoque non impetrant: *Postulet*, ait S. Jacob. c. 1. *in fide nihil hæsitans*. Hinc S. Basilius Constitut. monast. cap. 2. causam, cur non exaudiamur, assignans, ait: *Non recte petisti, quia aut dubitabundus, aut aliud agens petisti.*

Quarta. Quarto, requirit perseverentiam, ut patet Lucæ 11. v. 7. & 8. vide ibi dicta. Denique recte notat S. Aug. hic tract. 73. Deum subinde negare id quod petimus, quia hoc magis expedit saluti nostræ & gloriæ Dei. Deus ergo non exaudit nos ad voluntatem, sed ad salutem. Sic Paulum orantem liberari a stimulo carnis non exaudivit, quia hic illi utilior erat ad humilitatem, & ad continuam cum eo luctam, & victoriam. Unde audivit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Corinth. 12. 9. E

An etiam pro aliis orante exaudiamur. Vobis] Hinc S. Aug. tract. 102. censet hic dumtaxat promitti orationis effectum, si pro nobis ipsis oremus, non autem si oremus pro aliis. *Exaudiuntur Sancti*, ait, *pro seipsis, non pro omnibus: non enim dictum est, Dabit, sed, Dabit vobis.* Verum melius, & liberalius S. Basil. in Regul. brevior. reg. 26. Toletus & alii, censent id promitti, sive pro nobis, sive pro aliis oremus. Nobis enim dat Deus, quod aliis dat, pro quibus oramus; dat enim nobis orantibus orationis fructum. Et hoc magis congruit liberalissimæ Dei beneficentiæ. Adde, orare pro aliis opus esse majoris charitatis, præsertim si pro inimicis oremus; unde talis oratio exaudiri solet, uti exauditus est Christus orans pro suis crucifixoribus: & S. Stephanus orans pro Saulo. Ratio est, quam dat S. Greg. hom. 27. *Virtus*, inquit, *veræ orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quisque quod recte petit adipiscitur, cum ejus animus in petitione, nec inimici odio fuscatur. Sed plerumque reluctantem animum vincimus, si etiam pro inimicis oramus.*

F

Porro, quod subinde pro aliis orantes non exaudiamur, vel est culpa nostra, vel illorum, pro quibus oramus, qui sua ignavia, & malitia indignos se reddunt Dei gratia, imo subinde Deo obstrepunt, eumque vocantem spernunt.

Exemplum Anachoretæ pro alio orantis. Exemplum est in Vitis Patrum. Quidam enim tentatus spiritu luxuriæ postulavit preces sancti cujusdam Anachoretæ, ut illi liberationem impetraret. Oravit ille semel & iterum; sed frustra. Miranti respondit Deus: Tentatus non meretur audiri, quia ipse sua ignavia fovendo cogitationes obscœnas, iisque colludendo, causa est tentationis suæ. Anachoreta id ipsum narravit tentato, qui compunctus, ex Anachoretæ consilio dedit se orationi, vigiliis & jejuniis, ac tentatione liberari meruit. Tentati ergo orantibus pro se cooperari & colloborare debent, ut audiantur, sicut æger cooperari debet medico, ut sanetur; quod si facere nolit, frustra desudat omnis medici labor & industria. G

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo] scilicet, quia vos huc usque confisi meæ præsentiæ, a me præsente omnia petiistis, & ego pro vobis Patrem rogavi, & illa impetravi: jam autem abiturus vos remitto ad Patrem, ut ab eo peratis illa, quibus indigetis per interpositionem nominis mei. Licet ergo Apostoli invocato nomine Christi dæmones ejicerent, & ægros sanarent; tamen nihil hucusque a Patre per merita Christi petierant; eo quod ipsum haberent præsentem & ad manum, ac ab ipso peterent quæcumque vellent. Vers. 24.

Petite et accipietis] quia ego mei meritis a Patre vobis idipsum impetravi. q. d. Non est, quod tristemini, o discipuli, de meo abitu, quia Pater meus me absente a vobis invocatus per nomen meum, majora vobis dabit, quam ego dederim. Ita Euthym. Maldonat. & alii. Vide dicta Matth. 7. 7.

Ut gaudium vestrum sit plenum] Primo, S. Aug. tract. 102. hæc verba refert ad *petite*, q. d. Petite, ut Deus plene me absente vos soletur, plenoque gaudio cumulet in æterna felicitate.

Secundo, Sanctus Cyrillus refert ad τὸ *accipietis*. q. d. Si peratis, & oretis, accipietis a Deo plenum gaudium, nimirum remissionem peccatorum, & gratiarum copiam. H

Tertio, & genuine, τὸ *ut* non causam, vel finem intentum, sed effectum & consecutionem significat, q. d. Incipietis gaudere, cum videbitis me resurrexisse, uti dixi v. 22. Sed ut vestrum hoc gaudium perficiatur & compleatur, petite in nomine meo gratias omnes, quibus opus habetis: sic fiet, ut illas impetrantes a Patre, plenum habeatis gaudium, ne quid amplius in hac vita desideretis. Ita Ribera, Tolet. Jansen. & alii.

Hæc in Proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in Proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis] *In proverbiis*, id est, per proverbia: ita Arabicus, græce, *in parœmiis*; Syrus, *in Parabolis*. Proœmio in Proverb. dixi proverbium, parabolam, & paræmiam sæpe pro eodem sumi, Vers. 25. Proverbium, parabola; paræmia sæpe idem.

Digitized by Google

A sumi, ac significare quemvis occultum, obscurum, & involutum sermonem, etiamsi is proprie dictam parabolam non contineat. Sic hic sumitur. q. d. Quæ hactenus dixi de *modico*, de Spiritu sancto, de abitu ad Patrem, de gaudio vestro, &c. jam vobis videntur obscura & quasi ænigmata: sed experientia ipsa vos hæc omnia mox clarissime docebit; cum scilicet hæc ipsa ego palam & aperte *annuntio vobis*, tum per meipsum, postquam resurrexero, per 40. dies, quibus usque ad ascensionem vobiscum versabor, vobisque aperiam sensum sacræ Scripturæ, Actor. 1. 3. Ita S. Chrys. Theoph. Euthym. tum maxime per Spiritum sanctum, quem vobis mittam in Pentecoste, ut clare & distincte vos doceat mysteria meæ fidei, eorumque amore inflammet. Ita S. Aug. Beda, Maldon. & alii. Porro S. Gregorius lib. 30. Moral. cap. 5. hanc Christi promissionem refert ad statum beatitudinis in cælo: tunc enim plenissime implebitur, cum videbimus Deum facie ad faciem.

VERS. 26 IN ILLO DIE IN NOMINE MEO PETETIS: ET NON DICO VOBIS, QUIA EGO ROGABO PATREM DE VOBIS] q. d. Ego c. 14. 16. dixi: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, quare tunc rogavi Patrem pro vobis; at nunc deinceps mea rogatione non erit opus; quia mox mittam Spiritum sanctum, qui vos docebit rogare Patrem in nomine meo magno affectu: quare Pater vobis orantibus omnia concedet, quia ipse vehementer vos amat: mea ergo rogatione, & meis precibus tunc non indigebitis, illis scilicet, quas in terra vobis præsens ad Deum fudi. Nota. Hinc nonnulli Patres censent Christum in cælo non orare pro nobis oratione proprie dicta, sed tantum repræsentatione vulnerum suorum, quæ Patri ostendit. Citat eos noster Vasquez 3. p. tom. 1. ad q. 21. Verum longe probabilius est Christum in cælo pro nobis orare oratione proprie dicta, uti ostendi Rom. 8. 24. Alia ergo est hic mens Christi, nimirum illa, quam explicui, quod non sit opus sua in terris præsentia, ad orandum pro eis more solito.

VERS. 27 IPSE ENIM PATER AMAT VOS, QUIA VOS ME AMASTIS, ET CREDIDISTIS QUIA EGO A DEO EXIVI] Pater prævenit nos in amore, & prior amat nos, dum nos peccatores ad pœnitentiam, & sui amorem vocat & excitat: C quare tunc incipimus Deum amare, tuncque Deus nobis charitatem, & gratiam justificantem infundit, qua nos facit amicos & filios Dei. Quare Deus tunc majori amore nos adamat, tamquam suos amicos, & filios. Hinc patet charitatem esse amicitiam inter Deum & homines: ipsa enim facit ut nos amemus Deum, ac vicissim ut Deus amet nos, sicut amicus amat amicum, & vicissim ad eo redamatur.

CREDIDISTIS QUIA A DEO EXIVI] Id est, credidistis quod sum Dei Filius, ab eo missus in carnem, & mundum, ad vestram aliorumque salutem.

Deus vult orari. Cur? Causa Prima. Dices: Si Deus amat nos, cur ultro non dat ea, quibus scit nos indigere, sed vult rogari & obsecrari? Resp. Primo, quia hoc postulat Dei majestas & reverentia, ut scilicet orando eam revereamur, testemurque nos ejus beneficentia indigere, nec ullum nostræ necessitati posse succurrere, nisi ipsum. Hoc ergo orationis tributum illi debemus, ut nostram indigentiam, & ejus liberalitatem supplices profiteamur.

Secunda. Secundo, id postulat hominis conditio, ut se a Deo pendere, ali, foveri, protegi, & in omnibus ipsius ope D & largitione indigere agnoscat, imo se Dei esse mendicum, ait S. August. palam fateatur. Humiliter ergo se coram Deo, & ab eo demissa cervice petat & mendicet ea, quibus eget.

Tertia. Tertio, idipsum postulat rei, quæ petitur, dignitas: petimus enim a Deo gratiam & gloriam, quibus nil est præstantius. Vult ergo illa Deus oratione quasi pretio emi, ut homo pluris ea æstimet, nec amittat, sed studiose conservet. Ita S. Basil. in Constit. monast. c. 2.

Quarta. Quarto, ipsum postulat orationis utilitas, & præstantia, quæ ingentia oranti commoda confert. In ea enim exercemus, Primo, fidem: quia credimus Deum esse omnipotentem, sapientissimum & optimum, ut possit, sciat & velit donare ea, quæ petimus: Secundo spem; speramus enim eum daturum necessaria, imo utilia vitæ præsenti & æternæ, quæ flagitamus: Tertio, charitatem, qua quasi filii a patre amantissimo eadem petimus. Hanc causam dat S. Chrysost. in Psal. 4. *Quoniam*, inquit, *oratio non est parvum vinculum dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui nos assuefacit, & ad sapientiæ studium nos deducit. Si enim, qui cum magno aliquo & admirabili viro multum versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum accipit, quanto magis qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem?* Est enim oratio, ut idem alibi ait, colloquium cum Deo; quæ hominem facit quasi angelum Deo familiarem. Vide eumdem lib. de Orando Deum, & Climacum gradu 28. initio, ubi plurima & præstantissima orationis dat elogia, additque: *Oratio est pia quædam tyrannis Dei*: vim enim facit Deo, eumque quasi cogit ad præstandum ea, quæ petuntur. E

EXIVI A PATRE, ET VENI IN MUNDUM: ITERUM RELINQUO MUNDUM, ET VADO AD PATREM] *Exivi a Patre*, non tantum per exitum temporalem ad generationem humanam, nascendo ex Virgine, ut vult Jansen. sed etiam per exitum & generationem æternam, qua a Patre genitus sum Dei Filius. Ita Patres. Audi S. August. tract. 102. *Exiit a Patre, quia de Patre est, & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit*. Et Cyrill. *Exiviisse a Deo nihil aliud est, nisi natum esse, essalsisseque a substantia Patris eo processu, quo est, & ita propria intelligitur subsistentia*. Et Euthym. *Exivi a Patre, significat eum de substantia a Patris esse, sive legitimum Patris Filium*. Ita etiam Beda, S. Thom. & Lyran. Ribera, Tolet. & alii. Id magis patebit ex v. 30. Sic Heb. 7. de filiis dicitur: *Ipsi exierunt de lumbis Abrahæ*. Et Isaiæ 39. *De filiis ejus, qui exibunt a te, quos genueris*. Exire ego a Patre idem est quod ab eo gigni. VERS. 28 F

DICUNT EI DISCIPULI EJUS: ECCE NUNC PALAM LOQUERIS, ET PROVERBIUM NULLUM DICIS. NUNC SCIMUS QUIA SCIS OMNIA, ET NON OPUS EST TIBI, UT QUIS TE INTERROGET: IN HOC CREDIMUS, QUIA A DEO EXISTI] q. d. Jam clare intelligimus quod antea non capiebamus. Dixeras enim obscure: *Modicum, & non videbitis me*, &c. jam clare idipsum explicas, dum ais: *relinquo mundum, & vado ad Patrem*. VERS. 29 VERS. 30

NUNC SCIMUS QUIA SCIS OMNIA] q. d. Ex eo quod videamus te arcanas nostras cogitationes, dubitationes & desideria de interpretatione illius: *modicum & non videbitis me*, &c. v. 19. scire & prævenire respondendo, ut tibi non sit opus rogare aliquem, ut cognoscas quid ille cogitet, ac rogare & scire desideret: ex eo inquam quod antevertisti nostras cogitationes, *scimus quia* (quod) *scis omnia*, etiam arcana cordium, *& non opus est tibi, ut quis te interroget*: cum enim vellemus te de *modico* interrogare, tu id perspiciens interrogationem nostram prævenisti, & dubitationem nostram ultro explicuisti. *In hoc credimus quia* (quod) *a Deo existi*. q. d. Per hoc firmius credimus, & in fide nostra corroboramur, te esse verum Dei Filium ab eo genitum, eo quod scis omnia, & secreta cordium pervides, quod proprium est Dei. Ita Cyrillus. Aut, ut Toletus: *In hoc credimus*. q. d. Vel hoc solum satis est nobis ut credamus te exisse a Deo, quod secreta nostra reveles iisque respondeas. Et si alia argumenta (quæ multa habemus) deessent, hoc unum nobis sufficeret ad credendum in te. G

RESPONDIT EIS JESUS: MODO CREDITIS? ECCE VENIT HORA, ET JAM VENIT, UT DISPERGAMINI UNUSQUISQUE IN PROPRIA, ET ME SOLUM RELINQUATIS: ET NON SUM SOLUS, QUIA PATER MECUM EST] Ita Roman. Theoph. Euthym. Jansen. & alii per interrogationem legunt. q. d. Modo creditis? sed brevi ostendetis quam parva parumque solida sit fides, cum me videntes capi a Judæis diffugietis. Alii legunt assertive, imo Syrus & Arabicus legunt imperative, *modo credite*, sed eodem sensus redit. q. d. Modo fidem habetis in me, sed longe debiliorem, quam putatis, uti mox ostenderis, cum me relicto aufugietis. VERS. 31 VERS. 32 H

UT DISPERGAMINI UNUSQUISQUE IN PROPRIA] id est unusquisque vestrum seorsum fugiet, quo eum impetus & timor tulerit, non exspectabit alter alterum, nec in locum certum omnes convenietis, sed unusquisque in locum, qui se primo fugienti obtulerit.

ET NON SUM SOLUS] q. d. Non hæc dico mei causa, sed vestri: ego enim vestra protectione non egeo, cum mecum habeam Patrem, ejusque omnipotentiam. VERS. 32

HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, UT IN ME PACEM HABEATIS. IN MUNDO PRESSURAM HABEBITIS: SED CONFIDITE, EGO VICI MUNDUM] *Hæc*, scilicet de mundi in me & vos odio & persecutione v. 5. & cap. 15. v. 18. & 19. *locutus sum* & prædixi, *ut in me pacem habeatis*, hoc est, ut in me confidentes certamque spem reponentes, animo sitis tranquillo, stabili, & inter fluctus persecutio-

Digitized by Google

A cutionum quieto, immobili, & imperterrito. Patet ex sequenti.

IN MUNDO PRESSURAM HABEBITIS, SED CONFIDITE, EGO VICI MUNDUM] *Vici*, inchoate per sanctam vitam, & cælestem doctrinam, sed jam jam eumdem plene & perfecte devincam per heroicam passionem & mortem. q.d. Confidite in me, quia, sicut ego vici mundum, sic & vos vincetis, si in fide & dilectione perseveretis: si ergo in me manseritis, vos quoque meo exemplo per gratiam & robur Spiritus sancti, quod vobis suggeram, superabitis mundum, id est omnia Judæorum gentiumque odia, terrores, tentationes & persecutiones. Nam, ut ait Joan. ep. 1. 5. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Vide ibi dicta. Sub mundo diabolum mundi principem, cæteroſq; adversarios Christi, qui in mundo sunt, accipe. Ita Tolet. Ribera, & alii. Confidite igitur in omni pressura mundi, quia ego mundum vici, non mihi, sed vobis: vici enim, ut vos vinceretis, ut vobis vincendi normam & ideam darem, ut vobis a Deo vincendi gratiam impetrarem. Certate ergo generose, quia ego certabo in vobis, & invicam in vobis, dum vos victores efficiam. Nam, ut ait S. Aug. hic tract. 103. *non vicisset ille mundum, si ejus membra vinceret mundus.*

B

Hisce Christi verbis confisi, & roborati Montanus, ejusque socii Martyres, discipuli S. Cypriani, exultabant in carcere cæco & horrido, quia, ut ajebant ipsi: *Ubi tentatio est grandis, ille ibi major est, qui eum vincit in nobis: & non est pugna, qua non sit, Domino protegente, victoria.* Ita habent eorum Acta apud Surium, die 24. Febr. Et ipse S. Cyprian. ep. ad Fortunatum de Exhort. martyr. *Si quis*, inquit, *Dominica præcepta custodiens, & fortiter Christo adhærens, contra eum* (adversarium) *steterit, vincatur necesse esse, quia Christus invictus est.* Idem lib. 2. ep. 2. ad Donatum: *Nihil*, ait, *appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est.* Idem lib. 4. epist. 6. ad Tibaritan. *Miles Christi*, ait *præceptis ejus & monitis eruditus, non expavescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam.* Et anterius: *Gaudere nos & exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli.* Et post nonnulla: *Solus non est,*

C *cui Christus in fuga comes est, solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est: & si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut sitis aut frigus affluxerit, vel per maria præcipiti navigatione, properantem tempestas ac procella submerserit; exspectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, & persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit.* Idem tract. de Mortalitate: *Agnoscere se debet,* ait, *qui Deo militat, qui positus in cœlestibus castris divina jam sperat; ut ad procellas & turbines mundi, trepidatio nulla sit in nobis, nulla cunctatio; quando hæc ventura prædixerit Dominus, provida vocis hortatu instruens, & docens, & præparans atque corroborans.* Idem ep. 1. ad Cornelium ait, *Milites Christi, vinci non posse, mori posse, & hoc ipso invictos esse, quia mori non timent.* Pathetice vero Confessores in carcere martyrio destinati, ad S. Cypr. quasi Martyrum tubicinem scribentes l. 5. epist. 12. *Quid*

D *gloriosius*, inquiunt, *quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæculares potestatis varia & exquisita tormenta, etiam extorto, & excruciato, & excarnificato corpore, Christum Dei Filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis, in conspectu Dei jam se liberum sistere? quam cœleste regnum sine ulla cunctatione retinere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse?*

Sic mundum vicit S. Chrys. cum enim de ejus expulsione ageretur, habuit hanc de re homiliam 11. ad suos, in qua ita orditur: *Multi quidem fluctus & undæ immanes, sed subnergi non vereor: quia super petram sto, Insaniat licet mare, petram non potest evertere. Sed quid putant? Ne mortem verear, qui vivere Christus est, & mori lucrum. Ne exilium pertimescam, qui noverim Domini esse terram, & plenitudinem ejus. Sed bonorum proscriptionem metuam, qui a sciam quod nihil intulerim in hunc mundum, sed neque auferre quid possim? Quidquid terroris habet mundus, contemno: quidquid delectabile habet, rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo.*

E

CAPUT XVII.

F

SYNOPSIS CAPITIS.

CHristus hic more patris amantissimi, qui moriens filiis vale dicit, post prolixam adhortationem & consolationem discipulorum, a cap. 13. huc usque productam, jam sermonem suum concludit oratione, qua eos Deo commendat & resignat. Orat ergo hic Primo, pro sua & Patris clarificatione. Secundo, v. 9. pro suorum discipulorum custodia & salute. Tertio, v. 20. pro iis, qui per Apostolorum prædicationem credituri sunt in ipsum, ut Deus servet eos a malo, & ut omnes sint unum, ac mundus cognoscat ipsum fuisse a Patre missum ad hominum salutem.

HÆc locutus est Jesus: & sublevatis oculis VERS. 1.
in cœlum, dixit: Pater, venit hora: clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.

2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

3. Hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.

4. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam:

5. & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.

6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum servaverunt.

7. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt:

8. quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt vere quia a te exivi, & crediderunt quia tu me misisti.

9. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, G
sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt:

10. & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis.

11. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio: Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quod dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos.

12. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.

13. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.

16. De mundo non sunt, sicut & ego non H
sum de mundo.

17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

18. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.

19. Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate.

20. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:

21. ut omnes unum sint, sicut tu Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus.

23. Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati

Digitized by Google

A ſummati in unum : & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.

24. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

25. Pater juſte, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi: & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti.

26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

VERS. I. HÆC LOCUTUS EST JESUS: ET SUBLEVATIS OCULIS IN CÆLUM, DIXIT: PATER VENIT HORA, CLARIFICA (Syrus, & Arabicus, *glorifica*) FILIUM TUUM, UT FILIUS TUUS CLARIFICET (Syrus & Arabicus *glorificet*) TE] Eſt hæc Chriſti ituri ad paſſionem ultima, & quaſi cygnæa oratio, ideoque plena dulcedinis, amoris & ardoris, qua docet nos Primo, inſtante tribulatione ad orationem confugere, & a Deo robur petere ad illam ſuperandam. Secundo, patres tam corporales, quam ſpiritales, dum abeunt vel moriuntur, debere ſuos filios Deo per orationem commendare. Tertio, concionatores oportere ſtudere orationi, ut per eam impetrent tum vim dicendi, movendique animos auditorum, tum auditoribus gratiam, ut audita capiant, ament, & opere exequantur, *ne inanis verboſitas locum habeat*, ait Cyrillus lib. 11. cap. 14.

Chriſti ad paſſionem ituri cygnæa oratio.

B

SUBLEVATIS OCULIS] ut ſimili geſtu nos in oratione mentem a terra in cælum ad Deum ſuſtollere doceret. Ita Chryſoſt.

Singula verba habent emphaſim. *Pater*, Orat Chriſtus ut homo, ſed homo Deus, ſive Deo hypoſtatice unitus. Quare Deum vocat Patrem, quia ipſe genuit Filium, qua Deus eſt, ipſique hominem aſſumptum hypoſtatice univit. Patris nomen fiduciæ & amoris eſt illicium: quid enim neget pater filio? Idem majeſtatis & potentiæ eſt indicium. Nam, ut ait Cyrill. lib. 1. Theſauri cap. 6. in Deo majus eſt eſſe patrem, quam dominum, quia ut pater

E genuit filium ſibi ὁμόσιον, ut dominus creavit creaturas, quæ in infinitum minores ſunt Filio.

VENIT (græce ἐλήλυθεν, id eſt, *venit* in præterito) HORA] id eſt, tempus opportunum, ſcilicet penultima hora libertatis & vitæ meæ: jam inſtant mihi captivitas, paſſio, crux & mors, quando ego maxime egeo tua, o Pater, gratia & auxilio: tunc enim maxime occultabitur mea divinitas, quando ut ſeditioſus, & affectator regni Judaici cum latronibus infami cruci ſuffigar: quare oro ut hanc infamiam abſtergas, deitatem meam oſtendas, meque clarifices. Audi nunc S. Aug. *Oſtendit omne tempus, & quid & quando faceret, vel fieri ſineret, ab illo eſſe diſpoſitum, qui tempori ſubditus non eſt. Venit hora, non fato urgente, ſed Deo ordinante: abſit ut ſidera mori cogerent ſiderum conditorem.*

Gloria Chriſti. Primo.

CLARIFICA FILIUM TUUM] Syrus & Arabic. *glorifica*. Quæres, quam gloriam, & glorificationem hic petat Chriſtus? Primo, nonnulli accipiunt paſſionem, crucem & mortem: hæc enim fuit ingens Chriſti gloria: quia per eam homines Deo reconciliavit, peccatum abolevit,

D diabolum vicit, mortem deſtruxit, vitam & gloriam nobis procuravit. Ita Origen. hom. 6. in Exod. S. Ambr. lib. 4. Hexam. c. 2. & S. Hilarius lib. 3. de Trinit. quem audi: *Conſpuendus erat, flagellandus, crucifigendus; ſed clarificat Pater deficiente ſole, tremente terra, proclamante centurione.* Crux ergo in ſe gloria Chriſto, in fructu eidem fuit glorioſa. Vide Origen.

Secundo. Secundo, S. Aug. tract. 104. & Ribera cenſent gloriam hanc Chriſti eſſe reſurrectionem, aſcenſionem in cælum, ſeſſionem ad dexteram Dei, & miſſionem Spiritus ſancti. q. d. Ego pro gloria tua, & pro ſalute hominum, quos ab æterno elegiſti, ignominioſæ morti me offero, tu me clarifica, ut in paſſione verus filius tuus appaream & poſtea reſurgam & aſcendam in cælum: ut ita verus Deus ab hominibus credar, propter quos morior, ac divinitas & potentia & bonitas tua cognoſcantur, & ab omnibus adoreris. Audi S. Auguſt. *Si paſſione clarificatus dicitur, quanto magis reſurrectione? ait ergo, Clarifica. q. d. Venit hora ſeminanda humilitatis, fructum non differas claritatis.*

Tertio, magis præciſe & genuine, gloria hæc fuit manifeſtatio Chriſti, ut mundus agnoſceret eum eſſe Chri- Tertio.
ſtum Dei Filium, ac in eum credens juſtificaretur, & ſalvaretur. Hic enim erat finis & ſcopus incarnationis, & totius œconomiæ Chriſti, ſicque explicat Chriſtus v. 2. & ſeq. ubi hanc gloriam vocat ſui Deique manifeſtationem. Senſus ergo eſt. q. d. Ecce tu, Pater, me filium tuum miſiſti in carnem & mundum, ut mea paſſione, & morte eum perditum redimam & ſalvem: inſtat mihi paſſio & mors in cruce infamis, ob quam multi patiuntur in me ſcandalum & a ſalute per me parta excident: rogo te, o Pater, ut me mundo notifices, & glorifices, ne homines me ut vilem, ſceleratum, & infamem, ob mortem crucis contemnant, ſed filium tuum, Deumque verum agnoſcant; itaque gratiam, juſtitiam & ſalutem conſequantur. Petit ergo Chriſtus patefieri mundo conſilium Dei de ipſo incarnando, crucifigendo, & morituro pro hominum ſalute, ut ſcilicet tantum Dei opus ſuum finem & ſcopum, qui eſt ſalus hominum, aſſequatur. Ait igitur, *Clarifica*, id eſt glorifica, me crucifixum & morientem, per miracula, ſcilicet, terræ motum, eclipſim ſolis, ſciſſionem veli in templo, ſciſſionem petrarum, apertionem ſepulchrorum, item per celerem reſurrectionem & gloriam corporis, ad hæc per aſcenſionem in cælum, miſſionem Spiritus ſancti, & omnium gentium converſionem ad fidem meam, ut ex iis omnes gentes credant me eſſe Deum & Meſſiam ſalvatorem mundi, ac per hanc fidem ſanctificentur & beentur.

Hinc patet omnes haſce tres expoſitiones eodem recidere, & in idem terminari. Et hoc proprie ſignificat gloria, quæ non eſt aliud, quam nominis claritas. Unde Quintil. *Conſentiens laus bonorum*, ait, *gloria appellatur*. Et Cicero pro Marcello: *Gloria eſt illuſtris ac pervagata multorum & magnorum, vel in ſuos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum*. Idem libr. 2. Offic. *Perfecta gloria*, ait, *conſtat ex tribus his, ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam honore dignos putat*. Unde Iſidorus l. 10. Etymol. litt. G. *Glorioſus*, inquit, *a frequentia claritatis dicitur, pro c. g. litera commutata. Glorioſus a laurea dictus, que datur victoribus*. Ita S. Cyrillus hanc Chriſti gloriam explicat lib. G
11. 14. Cyprianus lib. de Duplici martyrio, Hilar. lib. 3. de Trinit. Baſil. lib. 4. contra Eunom. ſub finem, & alii. Addit Euth. q. d. Clarifica, id eſt, notifica mundo, me ex mero, & ſummo amore libere pro eis mortem crucis ſubiiſſe: hoc enim coget omnes gentes me colere & redamare. Hinc patet, hanc clarificationem proprie eſſe humanitatis Chriſti, ut ſcilicet illa cognoſcatur eſſe unica Deo; conſequenter tamen eſſe quoque divinitatis Chriſti, quia hæc ſequitur ex illa. Ex hoc enim, quod notum fuit mundo, humanitatem Chriſti unitam fuiſſe Deo, notum quoque factum eſt, Deum ex immenſa miſericordia demiſiſſe ſe ad carnem, & crucem pro nobis ſubeundam ex ſummo noſtri amore. VER

Objiciebat Arius: Filius petit clarificari a Patre: ergo Pater major & clarior eſt Filio. Retorquet hoc in ipſummet S. Baſilius: nam ſubdit Chriſtus: *Ut & Filius clarificet te*. Tam ergo Filius clarificat Patrem, quam Pater Filium.

Moraliter docet Chriſtus hic, quod Deus ignominiam Glo-
ſuo nomine ſuſceptam vertat in gloriam, eoque majorem, quo major fuit ignominia, adeoque verâ viam ad gloriam eſſe ignominiam, crucem & mortem, juxta illud Philip. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*, &c. *propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum*.

Sic S. Petrus & Paulus Romæ a Nerone ludibrio habiti, & quaſi ſuperſtitioſi, hoſteſque imperii, cruce & gladio plexi, pervenerunt ad ſummam gloriam, ut jam non tantum Romæ, ſed & toti Romano Imperio dominentur, ac S. Petrus Trajanum, & Paulus Antoninum Imperat. ſua columna triumphali dejiciens, ejus locum occuparit.

Viderunt id per umbram Gentiles. Unde Ageſilaus rex Spartæ rogatus, *qua ratione perpetuam ſibi gloriam parare poſſet?* Reſpondit: *Si mortem contempſeris. Nihil enim præclari geri poteſt ab eo, cujus animum metus mortis occupavit*. Ita Plutarchus in Lacon. Sic Alexander, Julius Cæſar, Scipio, Marcellus, Hannibal, & gloriam bellicam ſibi par avere mortis contemptu. Unde de iis ſic canit Horatius lib. 1. Carm. ode 12.

Creſcit

Digitized by Google

A *Crescit occulto velut arbor ævo*
Fama Marcelli, micat inter omnes
Julium sidus, velut iter ignes,
Luna minores,

Hinc Hispani etiamnum hoc habent axioma: Ducem belli, qui gloriæ sit avidus, debere mortem contemnere, ut gloriam emat vitæ prodigalitate. Idipsum magis dicunt viri Apostolici.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Quid enim est gloria terrena ad cælestem, humana ad divinam, temporalis ad æternam? Hinc Paulus 2. Cor. 4. *Non sunt*, inquit, *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Unde eamdem mox vocat *æternum gloriæ pondus*, quia virtutis heroes glorificabit S. Trinitas, omnes angelorum myriades, omnia beatorum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum agmina in omnem æternitatem.

B UT FILIUS TUUS CLARIFICET TE] q.d. Oro, o Pater, ut clarifices, id est notum & clarum toti mundo me efficias, ostendendo me non esse merum hominem, sed hominem Deum, ac Filium tuum a te missum in carnem ad salutem hominum: hoc autem oro, non propter me, quasi ego hujus claritatis & gloriæ sim avidus, sed ut claritas & gloria ad te redeat, velut ad fontem & auctorem omnis gloriæ meæ, ut scilicet ego manifestatus & clarificatus a te majori pondere vicissim clarificem, id est, notum, & clarum efficiam te toti mundo. Fecit hoc Christus, Primo, quiam dum clarificatur, Filius clarificatur & Pater, ait Cyrill. Sic & S. Hilar. l. 3. de Trinit. Ostendit, ait, eamdem in utroque divinitatis virtutem; claritas enim Filii est claritas Patris. Secundo, quia dum innotuit mundo magnum hoc pietatis sacramentum, scilicet Verbi incarnatio, & per illam hominum salus & redemptio, omnes illud audientes & credentes laudarunt immensam Dei Patris misericordiam, sapientiam & omnipotentiam, quam in hoc suo opere ostendit. Tertio, & maxime clarificavit Christus Patrem viva voce doctrinæ & prædicationis suæ. Prædicavit enim Christus mysterium S. Trinitatis, ac passim hic apud Joannem Patrem suum dilaudat, dicens se ab eo missum, & illi omnia sua accepta referre. Audi S. Aug. *Quomodo Filius Patrẽ clarificavit? Erat in Judæa tantummodo notus Deus; factum est vero per Evangelium Christi, ut Pater innotesceret Gentibus; ait ergo, Clarifica, &c. q. d. Resuscita me, ut innotescas toti orbi per me.*

C Nota τὸ *Filius tuus*: nam, ut ait S. Hilar. lib. 3. de Trin. *multi sunt filii, sed ipse proprius & verus origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.*

ERS. 2. SICUT DEDISTI EI POTESTATEM OMNIS CARNIS] id est omnis hominis. τὸ *sicut* Primo, similitudinem; Secundo, causam, ait Euthym. & Ribera; Tertio, proportionem & æqualitatem, ait Toletus, significat, q. d. Quia dedisti mihi, o Pater, potestatem in omnes homines, da pariter, & claritatem ad potestatem hanc necessariam, illique proportionatam, scilicet parem & æqualem; ut, sicut potestas mea est amplissima, utpote in omnes homines, sic & claritas mea sit amplissima, & per omnes gentes spargatur. Sic dicit vicerex regi: Quia dedisti mihi potestatem vicariam, o rex, da quoque ministros & sumptus ad potestatem & dignitatem hanc sustinendam necessarios. Potestas autem Christi est auctoritas, jus & imperium Christi, non tantum qua Deus, sed etiam qua homo est, in omnes homines. Pater enim omnes homines Christo homini, quasi suo principi & salvatori subjecit, omnesque curæ & gubernationi Christi commisit, ut quantum in se est, omnes salvare satagat. Posuit igitur in manu Christi salutem omnium hominum. τὸ ergo *omnis carnis*, id est, omnis hominis, ostendit non ad solos Judæos, sed ad totum orbem terrarum prædicationem Evangelii extendendam, ait Chrysost.

UT OMNE QUOD DEDISTI EI, DET EIS VITAM ÆTERNAM] Est hebraismus. *Omne* enim significat omnem hominem; sed dicit *omne*, ut magis universitatem exaggeret. Rursum mutat numerum singularem in plutalem, dicens *eis*, ut indicet in hac universitate non esse unum, vel paucos, sed plurimos. Adde, τὸ *eis* per pleonasmum Hebræis usitatum redundat. Sensus est. q. d. Glorifica & notifica me mundo, ut officio & potestate mea, mihi a te tradita rite perfungar, scilicet ut omnes homines, quantum in me est, deducam ad vitam æternam: hæc enim claritas, quæ est fides in me, necessaria est ut salutem consequantur. Dices, Christus non dat omnibus hominibus vitam æternam, quia pauci salvantur, & plures damnantur. Resp. Chrys. & Toler. Christum quantum est ex parte sua, dare omnibus vitam æternam, quia omnibus dat sua merita, suam doctrinam, sua Sacramenta, suam gratiam, cæteraque salutis media, quibus si recte utantur, pervenient ad vitam æternam: quia vero plures iis uti nolunt, hinc plures sua culpa & ignavia damnantur, quam salventur. Addit Jansen. Christum proprie loqui de solis prædestinatis, & electis: hos enim proprie Pater dedit Filio, ut patebit v. 16. Christus ergo electis dat vitam æternam efficaciter, reprobis vero sufficienter dumtaxat, quia his dat sufficientem gratiam, illis vero efficacem: unde hi salvari possunt, sed illi soli actu salvantur. E

HÆC EST AUTEM VITA ÆTERNA; UT COGNOSCANT TE SOLUM DEUM VERUM, ET QUEM MISISTI JESUM CHRISTUM] Cohæret hæc gnome apte cum præced. dat enim causam Christus cur petat clarificari; quia scil. hæc claritas est cognitio Dei & Christi, quæ unica est via ad vitã æternam. Hic ergo est totus Christi discursus: Clarifica me filium tuum, o Pater, ut Filius clarificet te, ut per hanc clarificationem, & manifestationem, qua fideles F agnoscent te esse verum Deum, meque esse verum filium mundi redemptorem, consequantur vitam æternam: nam vita æterna in hoc consistit, ut cognoscant te verum Deum, & Jesum Christum, quem misisti, ut credentes in eum salventur: nemo enim nisi per fidem, qua credit in Christum, salvari potest.

HÆC EST AUTEM VITA ÆTERNA] Primo, S. Thom. 1. p. q. 12. art. 4. & 6. & 1. 2. q. 3. art. 4. l. 3. contra gentes c. 61. & alibi, hæc verba accipit in sensu formali, indeque probat essentiam beatitudinis sitam esse in actu intellectus, non voluntatis, puta in visione Dei. Sic ergo exponit. q. d. Clarifica me, ut per hanc claritatem fideles in me consequantur vitam æternam, quæ consistit in cognitione, id est, visione Dei, id est, Patris & Filii. Vita æterna est cognoscere Deum.

Secundo, Cajetanus, Titelmann. & Jansenius censent cognitionem hoc loco accipi, ut communis est cognitioni viæ & patriæ; atq; ideo non dictum esse, ut videant te, quod Beatorum est, sed *ut cognoscant te*, quod etiam convenit viatoribus: q. d. Ego daturus sum illis vitam æternam; vita autem æterna hic inchoatur per fidem, & postea consummabitur in visione: quare sine fide assequi eam homines non possunt; ideo peto ut me clarifices. G

Tertio, & genuine, hæc verba ad literam explicanda sunt in sensu non formali, sed causali. q. d. *Hæc est vita æterna*, id est, hæc est causa vitæ æternæ, vel hæc est via ad vitam æternam; nimirum ut per fidem cognoscant homines, & credant te esse solum verum Deum, & Jesum Christum a te missum ad eorum salutem. Fides enim in Deum & Christum est recta via ducens nos ad vitam æternam, juxta illud Joan. 3. *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et c. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Est metonymia, quia ponitur effectus pro causa, scilicet vita æterna pro fide. Similis est Joan. 6. *Ego sum resurrectio, & vita*, id est, ego sum causa, vel actor & effector resurrectionis & vitæ. Et cap. 12. *Scio quia mandatum ejus vita æterna est*, id est, causa vitæ æternæ. Et 1. Joann. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* q. d. Fides est causa victoriæ nostræ. Ita Cyrillus lib. 11. c. 16. *Radicem*, inquit, *atque originem æternæ vitæ fidem, & veræ pietatis virtutum esse affirmat.* Fides enim est quasi inchoatio visionis beatificæ, in qua vita æterna & beatitudo consistit: fides enim parit spem, spes charitatem, charitas bona opera, quibus meremur vitam æternam. H

Denique audi S. Aug. tres hosce sensus complectentem & connectentem: *Si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis in vita æterna, quanto magis in hac cognitione proficimus, erit autem hæc perfecta, quando nulla mors erit: Summa Dei tunc clarificatio; quia summa gloria: definitur autem gloria Frequens de aliquo fama cum laude: quod si homo laudatur, cum fame creditur; quomodo Deus laudabitur cum videbitur: Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

UT COGNOSCANT TE, SOLUM DEUM VERUM] Ergo solus Pater est verus Deus. Ergo Filius non est verus Deus, inferunt Ariani. Hinc est eorum Achilles. Resp. Primo, S. August. tract. 105. Beda, S. Thomas, & alii hic, copulam & jungere Jesum Christum cum Deo Patre sub una deitate. q. d. *Ut cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Jesum Christum*; supple, & repete esse pariter solũ Deum verum. Ratione id probat S. Hilar. lib. 9. de Trinit.

nam

Digitized by Google

A nam alioqui hæc propositio esset hiulca, pendens & imperfecta; nam si de Patre credendum est eum esse solum verum Deum, de Jesu Christo nihil diceretur credendum, nisi intelligamus illum etiam esse Deum verum, æque ac est Pater. Sic ergo ordinanda est sententia. *Ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum*, esse *solum verum Deum*, scilicet tam Filium, quam Patrem esse Deum verum. Unde Patres ex hoc loco probant Christi divinitatem, ut S. Cyprianus lib. 1. contra Judæos, S. Ambr. lib. 5. de Fide cap. 2. S. Hilar. lib. 9. de Trinit. in medio, S. Basilius lib. 4. contra Eunom. in fine Chrys. Cyrill. Theoph. & alii.

Secundo, plenius respondent S. Chrys. Cyrill. Leont. Toletus, Ribera, & alii, vocem exclusivam *solum* hic non excludere Filium, & Spiritum sanctum, sed tantum idola & falsos deos, qui aliam habent naturam, & deitatem a vera deitate, quæ una est in S. Trinitate, ideoque eadem numero in Patre, Filio & Spiritu sancto. Pro quo Nota τὸ *solum* hic non esse subjectum, sed prædicatum: non enim sensus est. q. d. Ut cognoscant te, o Pater, qui solus es Deus verus; sed q. d. Ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui solus verus est Deus, qualis quoque est Filius & Spiritus sanctus, clarius hoc significatur in Græco: ἵνα γινώσκωσι σὲ μόνον ἀληθινὸν θεὸν, id est *ut cognoscant te, qui es solus verus Deus*; & Syrus, *ut cognoscant te esse Deum veritatis solum*, & Arabicus, *ut cognoscant te esse Deum verum solum*. Iddem innuit comma, quod Romani & Complut. ponunt post τὸν *ut cognoscant te*. Nam Filium etiam esse Deum satis insinuat, cum asserit in ejus æque ac Patris cognitione consistere vitam æternam. Vita enim æterna necessario consistit in summo bono & vero Deo, ut notat S. Ambr. lib. 5. de Fide c. 2. Christus ergo modestiæ causa expresse non vocat se Deum, sed missum a Patre, hoc est Messiam, & redemptorem mundi. Talis enim erat qua incarnatus & homo factus.

Hinc collige, ad salutem & vitam æternam requiri cognitionem, id est, fidem, tum incarnationis Jesu Christi, tum Trinitatis: nam Pater non potest plene cognosci sine Filio & Spiritu sancto: paternitas enim in Patre requirit spirationem Spiritus sancti.

Et quem misisti Jesum Christum] Nomen enim Messiæ, sive Christi, est *missus*, sive *mittendus*, ut supra C dixi: Dices; Omittitur hic Spiritus sanctus, ergo *ille* non est Deus, utpote in cujus cognitione, & visione non consistat beatitudo nostra. Resp. jam, τὸ *solum* excludere dumtaxat deos Gentium, qui aliam habent naturam a Deo vero, non autem Spiritum sanctum, qui habet eamdem.

Cur hic etiam Spiritus sanctus non nominatur?

Sed cur hic nominatur Filius dumtaxat, non Spiritus sanctus? Resp. Primo, Euthymius. *Quia nondum tempus erat, ut de eo doceret: primum enim oportebat Filii cognitionem mentibus discipulorum insinuari, deinde etiam illis ea revelari, quæ sunt Spiritus sancti.* Sed obstat, quod jam Christus discipulis promiserat Spiritum sanctum, multaque de eo dixerat.

Secundo, Ribera id censet fieri propter auctoritatem originis; quare sicut Filius omnia tribuere solet Patri; quia ab eo procedit, ita nunc cognitioni Patris, & Filii tribuitur vita æterna; & licet subintelligatur etiam Spiritus S. non tamen nominatur, quia Pater & Filius sunt principium ejus, ipse vero nullius personæ divinæ principium est, sed a Patre & Filio habet quidquid habet, quomodo explicui c. 15. in illis verbis: *Qui a Patre procedit.*

D Tertio, planius dicas Christum hic non meminisse Spiritus sancti, quia totus erat in inculcanda fide sui ipsius, scilicet ut ipse crederetur esse verus Deus, Deique Filius, & homo. Hoc enim tunc maxime erat inculcandum: tum quia novum & difficile erat creditu: tum quia hoc erat basis reliquorum credendorum: tum quia hoc credito credebatur & Spiritus sanctus, hunc enim a se procedere, & a se mittendum jam dixerat Christus. Intelligitur ergo hic Spiritus sanctus, quia, ut ait S. Augustinus, ipse est Spiritus Patris & Filii, tamquam charitas consubstantialis amborum.

Vers. 4. Ego te clarificavi (græce ἐδόξασα, id est, ut Syrus & Arabic. *glorificavi*) super terram: opus consummavi (Syrus, *absolvi*) quod dedisti mihi ut faciam] q. d. Opus prædicationis & redemptionis, ad quod me quasi legatum tuum misisti in mundum, jam jam post paucas horas passionis & mortis me consummabo, finiam & absolvam prædicationem Evangelii per omnes Gentes ex decreto tuo commissurus Apostolis. Audi S. August.

E Clarificavi te his, quos dedisti mihi, cognitum te faciens. Clarificatur Deus, cum annunciatus hominibus innotescit, & per fidem credentibus prædicatur. Nam, ut ait Chrysost. in cælo jam glorificatus fuerat, & ab angelis adoratus: de ea ergo gloria loquitur, quæ ad cultum hominum pertinet.

Et (id est, *idcirco*, quia scilicet jam opus legationis Vac. meæ consummavi, ac me amore tui humiliavi, & abjeci me usque ad mortem crucis) nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset apud te] S. August. & ex eo S. Thomas, accipit claritatem, quam Christus ut homo habuit ab æterno, non actu, sed in decreto, & prædestinatione Dei. Petit, inquit, ut, quam habuit claritatem in prædestinatione, habeat perfectione & redditione, scilicet in dextera Patris: videbat enim glorificationis prædestinatæ tempus advenisse. Sic & Suarez: Clarifica, inquit, me gloria resurrectionis, ad quam ante mundum me prædestinasti.

Simplicius alii accipiunt de claritate, id est, gloria divinitatis, quam Christus ab æterno habuit apud Patrem ut Filius, sedendo ad dexteram ipsius, hoc est, ipsi in dignitate & gloria par & æqualis, utpote Deus verus de Deo vero. Sensus ergo est. q. d. *Clarifica*, id est, glorifica me, Pater, claritate & gloria illa, quam habui apud te ab æterno: hoc est, fac, o Pater, ut moriturus mox resurgam, & ascendam in cælum, sedeamq; ad dexteram tuam quasi filius tuus, itaque glorificer, & ab hominibus agnoscar non tantum esse homo, sed & Deus, quod scilicet ob divinam naturam humanitati conjunctam, humanitas mea glorioſissime evecta sit ad dexteram tuam, sicque divina natura humanitati meæ sibi conjunctæ suam divinitatis gloriam, quam habuit ab æterno, communicarit. Petit ergo divinitatem in humanitate sua latentem agnosci, itaque utramque clarificari, & glorificari. *Clarifica* igitur me, tu Pater, *apud temetipsum*, scilicet assumendo me ad te; ut ad dexteram tuam sedeam, inquit Chrys. Cyrill. Theoph. Euthym. S. Thomas, *claritate quam habui apud te*, q. d. Colloca me ad dexteram tuam, ut omnes intelligant me habere eam claritatem, quam revera ab æterno habui apud te, scilicet me esse filium tum naturalem æqualem tibi. Ita Cyrill. & Hilar. l. 3. de Trinit. ita quoque G S. August. Leont. Toletus, Ribera, Jansenius, Maldonatus, & alii hic.

Triplex ergo hic claritas Christi significatur & involvitur. Prima est, claritas increata & infinita, puta gloria divinitatis & filiationis divinæ, quod scilicet ipse vere sit Deus Deique Filius; hanc enim gloriam habuit apud Patrem ante mundi creationem. Secunda est claritas creata & finita, puta gloria humanitatis, quam ipsa nacta est in resurrectione, ejusque dotibus glorioſis, ac mox in ascensu ad cælum & sessionem ad dexteram Dei. Christus enim non tantum qua Deus, sed & qua homo, post ascensum in cælum sedet ad dexteram Dei, uti fuse explicui Coloss. 3. v. 1. Hæc autem secunda claritas Christi ostendit primam; ex eo enim quod Christus, qua homo, ascendens ad cælum sedet ad dexteram Dei, innotuit Christum esse Deum, Deique Filium, ac ut talem sedere ad dexteram Dei, id est, *illi* divinitate, gloria & adoratione esse parem & æqualem. Sensus ergo est. q. d. Fac, o Pater, ut claritatem, id est, gloriam, quam habui, qua Deus, ante mundum, nunc habeam & participem ut homo: id est, fac, ut ego, qui ab æterno, qua Deus, sedi ad dexteram tuam, nunc ad eamdem sedeam ut homo. Hoc enim significat τὸ *apud temetipsum*, scilicet in tempore, post ascensum in cælum. Tertia claritas est, qua utraque claritas jam dicta manifestata est Apostolis, cæterisque fidelibus. Nam cum hi viderunt Christum glorioſe in cælum scandere, angelos illi applaudere, ac Christum e cælo mittere Spiritum S. cum operatione tot signorum & miraculorum, quibus ipsi ad Christum converterunt totum orbem: ex his omnibus, inquam, cognoverunt ipsi Christum non fuisse merum hominem, sed & Deum, Deique Filium, ac ut talem sedere ad dexteram Dei in summa majestate & gloria, idque per omnes gentes prædicarunt.

Petit ergo Christus primam suam claritatem & gloriam patefieri per secundam, scilicet per ascensum humanitatis in cælum; & secundam per tertiam; scilicet, ut secunda manifestetur Apostolis, cæterisque fidelibus. Summa postulat Christus, ut divinitas velut margarita absconditа in luto & testa humanitatis & passionis suæ, illa per mortem diffracta emicet, & radios suæ gloriæ ubique diffundat;

Digitized by Google

A dat: ſicut ſol nube velatus, dum illam ſuo fulgore diffringit, & diſſipat, radioſque ſuos coruſcos quaquaverſum ſpargit; tumque Chriſti claritas, id eſt gloria ejus, toto orbe ſplendeſcet. Hoc autem factum eſt in Chriſti reſurrectione, aſcenſu in cælum, miſſione Spiritus ſancti, converſione Gentium. Hinc S. Chryſoſt. per *claritatem* accipit paſſionem.

Audi S. Chryſ. alloquentem: *Quid dicis? Ad crucē cum latronibus ac prædonibus ducendus, maledictorumque necē ſubiturus, deinde & conſpuendus & virgis percutiendus es, atque alapis, & iſta vocas gloriam? Utique, inquit: nam pro dilectis iſta patiar*, &c. *ſi gloria illi non in patrio throno, ſed in contumelia reputata eſt, multo magis mihi iſtud pro gloria ducendum eſt.* Et paulo ante: *Si Chriſtus*, ait, *tanti non duxit eſſe in gloria, quanti quod mei gratia crucem ſubiret; quid, quæſo, illius nomine ferre non debeo?*

Nota τὸ *apud temetipſum*, & *apud te*. Primo, idem eſt, quod *a te*: deitatem enim ſuam, omnemque gloriam accipit Filius a Patre. Secundo, idem eſt quod *coram te*: nam licet nullus eſſet angelus vel homo Chriſtum glorificans, B ipſe tamen coram Patre haberet infinitam laudem & gloriam: hac enim Pater laudat & glorificat Filium, ac viciſſim Filius Patrem. Idem dico de Spiritu ſancto. Hoc eſt, quod ad finem ſingulorum Pſalmorum canimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.* q. d. Opto Deo Patri & Filio & Spiritui ſancto gloriam immenſam, & divinam, qualem, qualem habuit a principio, id eſt, ab æterno, & nunc habet, & habebit in perpetuum, quæ eſt gloria, qua una perſona divina cæteras ſibi ſocias immenſa laude glorificat, & viciſſim eadem ab illis glorificatur. Pater enim immenſe glorificat Filium & Spiritum ſanctum, & hi viciſſim tam Patrem, quam ſe invicem immenſe glorificant. Tertio τὸ *apud temetipſum* proprie idem eſt quod *apud te*; ſcilicet qua Deus, ſedens in trono divinitatis ad dexteram tuam, quaſi ibi ὁμόσιος, par & æqualis, juxta illud cap. 1. 1. *Et verbum erat apud Deum*, vide ibi dicta; qua homo vero ſupra omnes angelos, & creaturas elevatus, proxime aſſidens Deo.

Perperam ergo nonnulli hæretici, teſte S. Aug. tract. 105. hanc clarificationem ſic factam opinantur, ut humaC nitas in cœlo converſa ſit in divinitatem; hoc enim eſt impoſſibile, & ſic non glorificaretur humanitas Chriſti quæ paſſa eſt, utpote qua amplius non eſt, cum ſit converſa in divinitatem, ſed ſola divinitas. Participavit ergo humanitas gloriam divinitatis præ omnibus beatis angelis, & hominibus, utpote ſibi hypoſtatice unitæ, perinde ac aer participat lumen ſolis, & Beati participant gloriam Dei, Ita S. Chryſ. Cyrill. Hilar. Ambr. & Athanaſ. ſcribentes contra Arianos,

Nec mireris id nonnullos ſenſiſſe de Chriſto: nam idem ſenſerunt de Beatis omnibus, ſcilicet illos in cælo revera transformandos in Deum, ex eo, quod ait Apoſtolus 1. Cor. 15. 28. *Ut ſit Deus omnia in omnibus*. Fuit hic error Contemplativorum, ſed phanaticorum, ut ibi dixi.

VERS. 6. MANIFESTAVI NOMEN TUUM HOMINIBUS, QUOS DEDISTI MIHI DE MUNDO] Explicat τὸ *ego te clarificavi, opus conſummavi*, per *manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Hoc enim erat opus illi a Patre commiſſum. Ita Chryſ. *Nomen tuum*, non quo Deus, ſed quo Pater es & vocaris, quodque me Filium generaris tibi conſubſtantialem, ait Cyrill. Audi Interlinearem, *Nomen tuum, non quo diceris Deus, quod erat notum Judæis, ſed quo diceris Pater meus,* D *quod ſine Filio non noſcitur*. Et S. Aug. *Nam quos Deus dicitur, nec Gentibus incognitum: in hoc quod fecit mundum, notus in omnibus Deus, in hoc quod non cum diis falſis colendus, notus in Judæa Deus; in hoc quod Pater Chriſti, nunc per Chriſtum manifeſtatus*. Et Chryſ. *Se Filium Dei Patris manifeſtaverat jam & verbis & rebus*.

QUOS DEDISTI MIHI DE MUNDO] quos ſcilicet *dediſti mihi* per vocationem, & gratiam, non tantum ſufficientem, ſed & efficacem: ſive, quos *dediſti mihi* perfecte, & complete, nimirum tam, quantum eſt ex parte tua, vocando eos per gratiam prævenientem, libero eorum arbitrio congruentem, quæ actu perſuaderet eis tui fidem, amorem, & ſequelam: quam, quantum eſt ex parte ipſorum, qui a te ſic vocati, per gratiam tuam ſponte ſua vocationi tuæ obſecuti ſunt, tibique obedierunt, ut ſe mihi & meæ fidei darent, itaque ſe ſepararent de mundo, id eſt de numero infidelium & peccatorum, mundi cupedias & vanitates captantium. Hinc S. Cæcilia dicebat, *ſe nullam velle habere amicitiam cum mundo*.

Loquitur proprie de Apoſtolis, cæteriſq; ſuis diſcipulis: E atque hac phraſi ſignificat. Primo ſuum dominium & poteſtatem, quam ut homo habebat in diſcipulos cæteroſq; homines, a divinitate manare & derivari. Secundo, Deū Patrem gratia ſua eos præveniſſe, ac moviſſe ad Chriſti fidem & ſequelam. Tertio, Patrem eos ſeparaſſe a mundo, ac tradidiſſe Chriſto, ut per eum ſalventur. Quarto, ſe habere voluntatem humanam cum Patris voluntate conformem, illique per omnia ſubditam. Quinto Deum Patrem elegiſſe eos, quos volebat Chriſto tradere in Apoſtolos, & diſcipulos, illoſque Chriſto propoſuiſſe, ac Chriſtum Patri obſequentem, eos acceptaſſe.

TUI ERANT, ET MIHI EOS DEDISTI; ET SERMONEM TUUM SERVAVERUNT] Chriſtus valedicturus Apoſtolis, eis benedicit, & omnia bona a Deo apprecatur. Hic ergo per orationem eos Deo commendare incipit, ac rationem addit, dicens: *Tui ſunt*, &c. quia nimirum ab æterno eos amaſti, elegiſti, tibique aſciviſti, ut e numero mundanorum per gratiam tuam ſepararentur & ſalvarentur, ſcilicet, adduxiſti eos ad me, ut in me crederent, meumque ſermonem, id eſt, meam doctrinam & legem ſervarent, F itaque gloriam æternam, ad quam eos elegiſti, conſequerentur: nam ut dixit cap. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Quia ergo tui ſunt, hoc eſt, a te dilecti & electi, cura, conſerva, protege eos ut tuos; hoc oro, quia ſicut tui ſunt, ſic mei quoque ſunt; tu enim *mihi eos dediſti*: tuos igitur æque ac meos ama, guberna, & rectis viis dirige in vitam æternam.

NUNC COGNOVERUNT, QUIA OMNIA QUÆ DEDISTI MIHI ABS TE SUNT] ſcilicet quod omnia mea dicta & facta, non a me, ſed a te primitus ſint profecta, ideoq; meam doctrinam & legem mihi a te eſſe datam & dictatam. VERS. 7.

QUIA VERBA, QUÆ DEDISTI MIHI, DEDI EIS: ET IPSI ACCEPERUNT, ET COGNOVERUNT VERE, QUIA A TE EXIVI (a te proceſſi & genitus ſum quaſi filius, ut dixi c. 16. 30.) ET CREDIDERUNT QUIA TU ME MISISTI] q.d. Cura eos, quia ego eos curavi, & docui, ipſique me & meam doctrinam ultro acceperunt, ac crediderunt me eſſe tuū Filium a te miſſum in mundum ad ejus ſalutem, ſcilicet me eſſe Meſſiam, ſive Chriſtum ſalvatorem mundi. VERS. 8.

EGO PRO EIS ROGO (ut eos conſerves, & creſcere facias in tui meique cognitione & amore) NON PRO MUNDO ROGO, SED PRO HIS, QUOS DEDISTI MIHI: QUIA TUI SUNT] Hinc hæretici dicti Prædeſtinati, tempore S. Aug. (abutentes ſcriptis S. Aug. de Prædeſtinatione & gratia) docuerunt Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis oraſſe, natum & paſſum eſſe: quare prædeſtinatis nil obeſſe, quæcumque committant ſcelere, ac reprobis nil prodeſſe bona quæcumque faciant. Hæc hæreſis hiſce ſæculis renovata eſt Joanne Hus & Matt. Luthero. Ita Prateolus ex Sigeberto in Catal. hæret. VERS. 9. G

Pro ſuis Apoſtolis, & diſcipulis ſpeciatim hic orat Chriſtus.

Verum S. Scriptura docet Chriſtum natum & paſſum eſſe pro omnibus hominibus, etiam reprobis, aut potius ob ſua ſcelera reprobatis vel reprobandis, ut patet Luc. 23. 34. 2. Cor. 5. 14. & 15. Joan. 1. 9. 1. Tim. 2. 4. ubi dicitur: *Qui (Deus) vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ſcilicet per Chriſtum: quia Chriſtus, quantum eſt ex parte ſua, provider omnibus hominibus de mediis neceſſariis ad ſalutem: inſtituit enim Sacramenta pro omnibus, Apoſtolos miſit ad omnes gentes, doctrinam & gratiam ſuam offert omnibus. Sufficienter ergo ex parte ſua egit, ut omnes ſalvarentur. Peculiariter tamen hic orat pro ſuis fidelibus, oratione efficaci, ut Deus eos in fide & gratia data cuſtodiat. Ita S. Aug. qui & alibi ait: *Non pro mundo rogo*, hoc eſt, inquit, pro his, qui in finem H vitæ permanſuri ſunt, Mundus, id eſt infideles & impii.

Secundo, & melius ac præciſius, Chriſtus hic orat tantum pro ſuis Apoſtolis & diſcipulis (quia eis hac oratione benedicens valedicit) ut conſerventur a Deo Patre in fide, gratia & concordia, in qua jam erant. Id patet ex v. 11. & 20. ubi poſt orationem factam pro Apoſtolis, orat pro cæteris fidelibus per eorum prædicationem creditutis. Ergo pro eis hic non oravit. Porro, *pro mundo*, id eſt, mundi amatoribus & incredulis: quin & crucifixoribus ſuis, oravit Chriſtus alibi, præſertim in cruce, ut ſeſe converterent, pœnitentiam agerent, itaque veniam, gratiam & ſalutem conſequerentur, dicens: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*, Lucæ 23. v. 34. cujus orationis vi, multi ex eis paulo poſt, prædicante S. Petro, converſi ſunt, ut patet Actor. 2. Hic tamen pro eis non oravit

Digitized by Google

A vit (nec enim omnia omnibus, neque ſemper & ubique poſtulanda ſunt:) ſed tantum pro Apoſtolis, quia eis hic valedicit, & orando benedicit, ut dixi: Apoſtoli enim erant futuri propagatores Evangelii, & principes Eccleſiæ.

VERS. 10 ET MEA OMNIA TUA SUNT, ET TUA MEA SUNT: ET CLARIFICATUS SUM IN EIS] Probat quod dixit *quia tui ſunt*, & a te mihi dati; nam *mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*. q. d. Abiturus tibi, o Pater, commendo meos diſcipulos, quaſi filios, quia tui ſunt, a te electi in vitam æternam, & meæ fidei commiſſi & dati a te, tui inquam, ſunt adhuc, licet mihi dati ſint, quia omnia mea tua ſunt, & licet dixerim a te mihi datos eſſe, ſemper quoque mei fuerunt, quia omnia quæ tu habes, mea ſunt propter eſſentiæ unitatem. Ita Cyrill. & Chryſoſt.

ET CLARIFICATUS SUM IN EIS] quia ipſi in me credunt, me amant, colunt, adorant, prædicant, quaſi Meſſiam & Dei Filium. Ita Cyrill. & Chryſ. Moral. diſce hic Deum & Chriſtum glorificari in nobis cum bene agimus, ac præſertim cum ejus fidem prædicamus, & infideles vel impios ad eum convertimus.

B Aliter S. Aug. tr. 107. qui præteritum accipit pro futuro ob ejus certitudinem. q. d. Oro pro Apoſtolis, quia per ipſos glorificandus ſum in orbe, cum ipſi a morte mea meam divinitatem ubique Gentium prædicabunt.

VERS. 11 ET JAM NON SUM IN MUNDO, (id eſt, mox non ero in vita & terra hac, quia poſt paucas horas occidar) ET HI IN MUNDO SUNT, & id eſt *quia*) EGO AD TE VENIO] q. d. Ego ab illis abeo, & ad te redeo; ipſi autem manent in mundo, ut meum tuumque Evangelium toto orbe prædicent, ideoque diaboli, æque ac Judæorum & Gentium odiis, perſecutionibus, & mille periculis exponentur: tu ergo, o Pater, eos cuſtodi: nec enim eſt alius me abſente, qui eos tueatur.

PATER SANCTE, SERVA EOS IN NOMINE TUO, QUOS DEDISTI MIHI: UT SINT UNUM, SICUT ET NOS] Patri dat epithetum ſancti, quia agit de ſanctitate, petitque ut Pater ſanctus Apoſtolos in ſanctitate conſervet & promoveat. Sic v. 25. ait: *Pater juſte, mundus te non cognovit*. q. d. Juſtus es, qui injuſto & ſuperbo mundo myſteria meæ humilitatis & redemptionis abſcondis. Sic Deus Paulum in tribulatione conſolans, ab eo vocatur *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*, 2. Cor. 1. Idem vero Davidem in prælio roborans, & victorem faciens, ſic ab eodem compellatur: *Diligam te fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum*.



SERVA EOS IN NOMINE TUO] id eſt tua virtute, tuo auxilio, tua omnipotentia, ut ſemper in me, meoque ac tuo amore & cultu perſiſtant. Hinc patet Apoſtolos poſt adventum Spiritus ſancti non amiſiſſe Dei gratiam, nec peccaſſe mortaliter, quia hoc hic orat Chriſtus, cujus oratio, utpote ardens, & efficax, a Patre fuit exaudita. Ita Ribera.

UT SINT UNUM SICUT ET NOS] ſcilicet conſenſu, voluntate & ſpiritu, ſicut nos unum ſumus natura, & eadem eſſentia divinitatis, ut ſcilicet uno charitatis ſpiritu conjuncti, ſemper me ſequantur, nec inter ſe diſcordia dividantur, ſed habeant unitatem ſpiritus per concordiam, quam nos habemus per eamdem eſſentiam. Ita S. Aug. & S. Ambr. lib. 4. de Fide c. 2. Unde notat S. Cyril. hic & S. Athan. ſer. 4. contra Arian. τὸ *ſicut* ſimilitudinem quamdam & imitationem ſignificare, non identitatem. q. d. Ut imitentur noſtram unitatem per conſenſum animorum, quam nos habemus per eamdem numero eſſentiam & voluntatem.

D Nota. S. Cyrill. & S. Hilarius lib. 8. de Trinit. τὸ *ut ſint unum*, referunt ad S. Synaxim, puta ad Euchariſtiam, quaſi optet Chriſtus, ut Apoſtoli per ſumptionem corporis ſui in Euchariſtia, fiant unum & ſecum, & inter ſe, idque vere, corporaliter & ſubſtantialiter, ſicut ipſe vere cum Patre unum eſt ſubſtantialiter. Sicut enim Pater unitur Filio in eadem eſſentia divinitatis: ſic Apoſtoli & fideles omnes uniuntur ſibi invicem in eadem ſubſtantia humanitatis, & divinitatis Chriſti, quam ſumunt in Euchariſtia.

VERS. 12 CUM ESSEM CUM EIS, SERVABAM EOS IN NOMINE TUO] id eſt, tua auctoritate, tua poteſtate, tua virtute, tuis auſpiciis, quaſi tuus ad eos legatus. Ita Cyrill. Ipſi enim cognoſcentes me a te miſſum, libenter, & fortiter mihi adhæſerunt, ſcientes ſe per me adhærere Deo, ab eoque benedici, & protegi: quos enim cuſtodit Filius, hos cuſtodit & Pater. Alii *in nomine tuo*, hoc eſt inquiunt, propter nomen tuum, ſcilicet propter te, tuamque immenſam bonitatem. E

QUOS DEDISTI MIHI CUSTODIVI: ET NEMO EX EIS PERIIT NISI FILIUS PERDITIONIS] puta Judas, ob ſua ſcelera furti & proditionis, perditioni & gehennæ deſtinatus. Nomen enim *filius* cum jungitur genitivo pœnæ vel præmii, idem eſt quod dignus, vel reus & deſtinatus: ſic *filius mortis* vel *gehennæ*, eſt reus mortis & gehennæ. Judas E. perditionis.

Hinc patet, Chriſtum pro Juda hic non oraſſe; illum enim excipit, quaſi jam ſua culpa perditum & alienatum, tam a ſe & ſua familia, quam ab Apoſtolorum cœtu, & conſortio. Jam enim ab ea receſſerat, ut Chriſtum Judæis proderet. q. d. Judas non erat ex eis, qui erant tui, & a te electi, mihique a te dati; ſed ipſe ſua avaritia ſe perdidit, dum me prodidit, ideoque a me in numerum reproborum tranſiit.

UT SCRIPTURA IMPLEATUR] τὸ *ut* non finem intentum, ſed effectum & conſecutionem ſignificat. q. d. Atque ita factum eſt, ut impleretur Script. quæ mentiri nequit, dum Pf. 108. Judæ proditionem deſcribit, dicens inter alia: *Dum judicatur exeat condemnatus; & epiſcopatum* (Apoſtolatum) *ejus accipiat alter*, (ſcilicet Mathias.) Hunc enim Pſalmum ad litteram de Juda explicat S. Petrus Actor. 1. 20. F

NUNC AUTEM AD TE VENIO (id eſt, mox per mortem VERS. & reſurrectionem ad te redibo, & aſcendam:) ET HÆC LOQUOR IN MUNDO, UT HABEANT GAUDIUM MEUM IMPLETUM IN SEMETIPSIS] Syrus & Arabic. *ut ſit gaudium meum plenum in eis. Gaudium meum*, quod ſcilicet ego habeo, vel quod ego eis communicavi & dedi. q. d. Hæc dico de mea reſurrectione & aſcenſu in cælum, redituque ad Patrem, ut Apoſtoli mei de tantis bonis mecum plene gaudeant, ſperentque ſe mox a me in cælum ad eamdem gloriam meam fore recipiendos. Vide dicta c. 15. v. 11.

Aliter S. Aug. Quod ſit hoc gaudium, inquit, ſupra expreſſit dicens: *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*: hæc eſt pax & beatitudo futuri ſæculi.

NON ROGO UT TOLLAS EOS DE MUNDO, SED UT VERS. SERVES EOS A MALO. DE MUNDO NON SUNT, SICUT ET VERS. EGO NON SUM DE MUNDO] *ut eos ſerves a malo*: Primo, culpæ ſolum verum eſt malum, Secundo, pœnæ. q. d. Ut eos ſerves in quavis tribulatione & adverſitate, ita ut G vel ab ea illos protegas, vel in illa robores, ut illam glorioſe tolerent & ſuperent. Tertio, *a malo*, id eſt a diabolo, ejuſque inſidiis & tentationibus: græce enim eſt articulus, τοῦ πονηροῦ.

DE MUNDO NON SUNT] Hoc repetit: paulo ante enim hoc dixit, ut daret cauſam, cur mundus eos odiſſet, quia ſcilicet illi moribus, affectibus & vita erant diſſimiles, imo contrarii: hic vero id repetit, ut oſtendat cur Pater eos curæ habere, ſervareque debeat, quia ſcilicet ipſi, mundo relicto, Dei Chriſtique cultui & curæ ſe totos tradiderunt. Unde ſubdit.

SANCTIFICA EOS IN VERITATE. τὸ *ſanctifica* non actu VERS. inchoatum (quia jam Apoſtoli erant ſancti, ſumpſerantque paulo ante S. Synaxim) ſed proficientem & perfectum ſignificat, juxta illud Apoc. 22. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*. q. d. Confirma, promove, & perfice eos in ſanctitate, ſive per Spiritum ſanctum in Pentecoſte veritatem Evangelicam perfectam eis infunde, ut tam interna quam externa ſapientia & ſanctitate repleantur, itaque tam vita quam verbo veri ſint orbis doctores, ſacerdotes, & Eccleſiarum principes, qui ſuam ſanctitatem, quaſi ignem H divinum omnibus affient & aſpirent. Unde ſequitur: SERMO TUUS VERITAS EST] Id eſt, doctrina tua per me eis tradita veritas eſt. q. d. Non Moſes, non philoſophi, ſed ſermo tuus hanc veritatem Evangelicam docet. Moſis ergo & Judæorum ſanctitas fuit cæremonialis & umbratica: philoſophorum vel ficta, vel moralis, & naturalis; Chriſti vero ſupernaturalis, & cæleſtis & divina. Alii, *ſanctifica eos in veritate*, hoc eſt, inquit, ſanctifica eos vere, id eſt integre, & perfecte, quam Apoſtolus vocat *ſanctitatem veritatis*, id eſt veram, ſinceram, integram, Epheſ. 4. 24. Integra enim magnaque ſanctitas requiritur in Apoſtolo ad prædicandum aſſidue, ad reſiſtendum tyrannis, ad laborandum nocte & die, ad mortem & martyrium ſubeundum. Vide 2. Cor. 11.

Secundo, ſic exponi poteſt: *ſanctifica eos in veritate*, id eſt ſanctifica eos in me, qui ſum *via, veritas, & vita*, cap. 14. 16. q. d. Fac eos meæ bonitatis & ſanctitatis participes. Ita S. Auguſt. tract. 108. Cyrillus, Rupertus, S. Thomas.

Poſſet

A Posset Tertio, cum Maldon. *τὸ sanctifica eos in veritate*, exponi. q. d. Eos uti sanctos ministros & præcones Evangelii segrega, designa & consecra; sed *in veritate*, non in umbris, uti olim Aaron cum suis filiis, Levit. 9. umbratice & typice sanctificatus, id est consecratus sacerdos & pontifex. Unde Chrysost. *sanctifica eos in veritate*, hoc est, inquit, segrega eos sermoni & prædicationi. Sic Jeremias cap. 1. 5. dicitur in utero sanctificatus, id est, designatus, & quasi consecratus Propheta.

Posset Quarto, *τὸ sanctifica eos in veritate*, sic accipi. q. d. Fac eos sanctas victimas, ut per martyrium tibi sanctificentur & immolentur. Decet enim Apostolos fieri Martyres, ut sanctitatem doctrinæ suæ sanctitate martyrii sui confirment & obsignent. Unde & de facto omnes Apostoli fuere Martyres, instar Christi, qui v. 19. ait: *Pro eis ego sanctifico*, id est, offero & immolo meipsum. Sic enim in Levitico passim victimæ dicuntur

B sanctificari cum Deo immolantur, de quo rursus v. 19.

Triplex Christi sanctitas nobis data. Nota, Christus ut homo triplicem habuit sanctitatem, quam Apostolis & fidelibus communicavit. Prima fuit infusa, scilicet gratia, charitas, cæteræque virtutes, animæ Christi a Deo in primo conceptionis ejus instanti inditæ, uti nobis Deus eadem per Christi merita infundit. Secunda fuit, sanctitas divina; qua nimirum deitas ipsa sanctissima est, & fons omnis sanctitatis hominum & angelorum: hanc enim habuit Christus ut homo per communicationem idiomatum: per hanc enim attributa deitatis, inter quæ unum est sanctitas, vere attribuuntur Christo homini, utpote qui in eadem persona Verbi cum deitate subsistit. Tertia sanctitas Christi hominis, præcise facta est per ipsam ejus unionem hypostaticam cum Verbo: per hanc enim præcise humanitas Christi sanctificata fuit, effectaque sanctissima: nam etiamsi Christus ut homo nullam habuisset gratiam infusam, ipsa tamen ejus unio hypostatica cum Verbo summa erat sanctificatio & sanctitas. Hinc humanitas Christi, quia Verbo unita, peccare non poterat, erarque plane impeccabilis, Deo gratissima & acceptissima, imo Christus ut homo, erat Dei Filius, non adoptivus ut nos, sed proprius & naturalis.

C Sermo tuus veritas est] q. d. Evangelium quod a te acceptum prædico, non est umbra, uti fuit lex vetus, sed in spiritu & veritate consistit, uti dixit cap. 4. 24. Vide dicta cap. 15. 3. ad illa. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Nam, ut dictum est c. 1. 17. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

Quanta debeat esse Christiani sanctitas. Moral. disce hic quam sanctus esse debeat Christianus, præsertim Religiosus & Apostolicus, qui alios sanctificare cupit; nimirum; ut sit similis Apostolis, imo Christo, eorumque mores & actus sanctissimos imitari satagat. Vide Nyssen. tr. Quid nomen Christiani exigat: *Christianismus*, inquit, *est imitatio divinæ naturæ:* Christianus enim sanctitatem Dei & Christi imitari debet quam maxime potest, ut Christus in ejus sermone, habitu & operatione jugiter respondeat, ut qui eum videt vel audit, Christum se videre & audire existimet. Hoc est quod Deus sancit Levit. 20. 26. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus; & separavi vos de ceteris populis, ut esseris mei.* Sanctitas

D ergo est aversio a mundo, & conversio unioque cum Deo & Christo. Quocirca Apostoli magis sua sanctitate & charitate ardente, quam prædicatione converterunt orbem; imo ideo ore tonabant, quia vita fulgurabant, juxta id quod de S. Basilio ait Nazianz. *Oratio ejus erat tonitru, quia vita erat fulgur.* Hac de causa Christus Apostolis hic non sapientiam, ut Salomon, sed sanctitatem a Deo efflagitat. Vide ideam S. Pauli, sive viri Apostolici, quam præfixi Actibus Apostolorum. Vere S. Greg. l. 6. in l. 1. Regum cap. 3. *Sanctificatio corporis*, inquit, *pudicitia est: sanctificatio mentis charitas, & humilitas.*

Vers. 18 Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum] Est nova ratio cur Christus Apostolos Patri cõmendet, ut eos servare & sanctificare debeat. q. d. Sicut tu me misisti in mundum, ut eum peccatis perditum reparem & sanctificem: sic & ego Apostolos mitto per omnes gentes, ut illas sanctificent. Quare indigent magna sanctitate, tũ ne illarũ illecebris capiantur, vel persecutionibus prosternantur; tum ut illas vitiis plane depravatas sãctificent. Quare par est, o Pater, ut eos in dies magis & magis sanctifices, ut ipsi alios plurimos sanctificare valeant.

Vers. 19 Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate] Primo, S. Aug. *τὸ sanctifico* proprie accipit. q. d. Ego qua Filius Dei, sanctifico hominem a me assumptum, ut per eum sanctificem Apostolos. Audi S. Aug. *Quando Verbũ caro factum est, tunc sanctificavit in se, id est hominem se, in Verbo se, quia unus Christus Verbum & homo: propter sua vero membra dicit: Et pro eis ego sanctifico meipsum, hoc est, ipsos in me, quoniam in me etiam ipsi sunt & ego. Ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Quid est, Et ipsi? nisi quemadmodum ego; & in veritate, quod sum ego.*

Secundo. Secundo, & genuine, *sanctifico*, id est in sanctam hostiam me tibi offero & immolo, hoc est, post paucas horas offeram, immolabo in cruce, ut per illam ipsi *sint sanctificati in veritate*, id est, ut ipsi per sermonem tuum, qui veritas est & non umbra, sanctificentur, & vere tui sint, tibique se dedicent ad labores Apostolicos, ut ad te omnes gentes convertant, ideoque pro te omnes persecutiones, ærumnas & afflictiones invicto animo sustineant, ipsamque mortem & martyrium subeant, tamquam se tibi, æque ac ego, sanctificantes, id est, offerentes & immolantes. Ita S. Chrysost. hom. 81. & fuse Cyrill. Rupert. & S. Thom. Jansen. Maldon. Toletus, Ribera, & alii.

E Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui creditur sunt per verbum eorum in me] Hucusque oravit Christus pro Apostolis, sub quibus cæteros a se immediate conversos, ut 72. discipulos, intelligit: nunc orat pro cæteris fidelibus, qui per eorum prædicationem successive quovis sæculo, usque ad finem mundi in eum credituri sunt. Orat ergo pro tota Ecclesia, & pro omnibus Christianis quavis ætate futuris. Horum enim ipse est pater & patriarcha, rex & princeps, pontifex & hierarcha. Hos omnes & singulos ergo Christus ut homo (nam ut homo hic pro eis orat) distincte & perfecte, perinde ac si extitissent & præsentes fuissent, videbat in essentia divina, ait Toletus; aut potius per scientiam infusam; hæc enim Christi hominis erat, quatenus ipse erat viator; cum visio essentiæ divinæ foret ipsius, non qua viator, sed qua beatus erat. Ita Suarez. Videbat ergo in ea me & te, & quemlibet alium fidelem post mille annos nasciturum, ac pro omnibus & singulis Deum rogabat, atque gratiam cuique propriam impetrabat: quare hujus Christi orationis vi, singuli fideles nascituri suo tempore fidem, gratiam, G salutem, omniaque sua bona & Dei dona consequuntur, sed quisque sua & sibi propria, quæ Christus pro eo petiit & postulavit. Igitur tunc Christus oravit pro S. Stephano, S. Laurentio, S. Vincentio, cæterisque Martyribus, ut martyrii lauream nanciscerentur; pro S. Athanasio, & Augustino, S. Hieronymo, &c. ut Doctores Ecclesiæ fierent, pro S. Agnete, Cæcilia, Catharina, &c. ut virginitatem suam quasi hostiam Deo immolarent, & sanguine suo purpurarent. Idem dicas de cæteris Christianis. Tunc ergo æque ac in cruce Christus orans pro omnibus & singulis, omnes & singulos parturiit, quasi suos Benoni, imo Benjaminos. Hoc cogitet & expendat quilibet fidelis, ac Christo parenti suo pro tanta parturitione sui immensas agat gratias, atque uti filius patri amorem amori, sanguinem sanguini, mortem morti rependat & reddat.

Vers. 21 Ut omnes unum sint] per unam fidem, spem, charitatem, concordiam. Vide dicta v. 11. Adverte, Christum hic orare dumtaxat pro fidelibus; iis enim valedicit; non pro infidelibus, pro quibus alibi, & præsertim in cruce oravit. Rursum disce hic, quam Christiani debeant inter se esse uniti & concordes, ac quam longe H discordes, & qui lites seminant, a spiritu Christi absint.

Sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint] Nam *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joan. 4. 16. Per fidem ergo & charitatem unimur Primo, Deo & Christo, deinde nobis invicem, velut membris unius corporis mystici Christi, quod est Ecclesia. *τὸ sicut* non identitatem, ut volebant Ariani, sed similitudinem dumtaxat significat. Pater enim & Filius unum sunt per eamdem numero essentiam & deitatem: nos vero unum sumus per eamdem qualitatem, puta charitatem & concordiam: per hanc tamen ita unimur Deo, ut eum possideamus, & vicissim ab eo possideamur. Audi S. Aug. (vel quisquis est auctor) lib. de Salutaribus documentis c. 9. *Si aliquid in hoc sæculo possidere delectamur, Deũ qui possidet omnia, qui creavit omnia, expedit ut mente possideamus, & in eo habeamus quæcũque feliciter & sancte desideramus; sed quoniã nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo: simus nos ipsi facti Dei possessio, & efficietur nobis possessio Deus. Et quid potest esse in mundo felicius, quam cui efficitur suus imperator & redemptor servus, & hereditas dignatur esse ipsa divinitas? Omnes enim*

Digitized by Google

A *ex illo fructus percipimus si in illo & de illo semper vivimus. Quid, rogo, homini sufficit, cui ipse conditor non sufficit? Quid ultra quærit, cui omne gaudium & omnia suus redemptor esse debet?*

Unio amoris divini. Per amorem ergo ita unimur Deo, ut cum eo fiamus quasi unus spiritus, ut absorbeatur in nobis quidquid est cupiditatis terrenæ, & tota mens transeat per affectum in Deum, itaque quasi deificetur; sicut si gutta aquæ infundatur vino generoso, illico tota in illud transit: & sicut ferrum si igniatur, transit in ignem, manente licet ferri natura: & sicut aer a sole illuminatus, transit in lumen, adeo ut ipse nil nisi lumen solis esse videatur, Unde S. Bernardus serm. 71. in Cantic. *Quis est*, inquit, *qui perfecte adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus a Deo, Deum nihilominus in se traxit vicissim diligendo? Ergo cum undique inhærent sibi homo & Deus, inhærent autem undique intima mutuaque dilectione invisceravit alterutrum sibi, per hoc Deum in homine, & hominem in Deo esse haud dubie dixerim.*

B Hanc unionem sentiunt sapiuntque, qui cum Magdalena agunt vitam contemplativam. In ea enim amans anima defluit a seipsa, & velut ad nihilum redacta, in abyssum æterni amoris collapsa absorbetur, & sibi omnino mortua, solum vivit Deo, nil sciens, nil sentiens præter ipsum. Perdit namque se in vastissima divinitatis solitudine ac caligine, sed sic se perdere utilius & jucundius est, quam se invenire: ibi enim quidquid humanum est, exuens, & quidquid divinum est, induens, transformatur atque transmutatur in Deum. O vere beata anima, quæ propria omni operatione seposita, in vi memorativa nudatur omnibus imaginibus: in intellectu sentit & fovet perfulgidas illuminationes Solis justitiæ; in vi concupiscibili sentit æstum quemdam quieti amoris, sive contractum Spiritus sancti, in similitudinem veri fontis affluentem rivis æternæ suavitatis. Nam cum ea ab omnibus libera & semota, simplex existat, & munda ut tersum speculum, eam assiduo Dominus sui divini fulgoris radiis illustrare solet. Quia cum Deus ipse est agens, homo est patiens. Nam dum vires animæ silent, & a propria actione quiescunt, atque ab omni denique externa imagine liberæ sunt, Deus

C ipse loquitur, easque mentis vires pro libito disponit & afficit, nobilissimum opus in ea peragens. Igitur, o anima generosissima, o nobilissima, te puram & liberam custodi noli ad varietatem sensuum foras excurrere, sed cohibitis sensibus intus habita, ad Deum ardenter convertere, millies per diem in abyssum divinitatis immersa, ibi ultro citroque natare curato. Anhela ad illam supernaturalem spiritus cum Deo unionem, revola in Deum, a quo ducis originem, qui lux est increata, & lux simul æternitatis. Quocirca merito exclamat S. Bern. tract. de Amore divino c. 4. *O felicem, imo felicissimam animam, quæ Deo sic a Deo meretur affici, ut per unitatem spiritus in Deo solũ amet Deũ, non suum aliquod privatum, nec nisi in Deo amet semetipsã, & Deus in ipsa amet vel approbet quod amare vel approbare debet Deus, id est, seipsum, imo quod solũ debet amari, & a creatore Deo & a creatura Dei. Amoris enim vel nomen vel affectus, nulli competit vel debetur, nisi tibi soli, o vere amor amande Domine.* Unde subjungens ita cum S. Joanne concludit: *Et hæc est in nobis voluntas filii tui, hæc pro*

D *nobis oratio ejus ad te Deum Patrem suum: Volo ut sicut ego & tu unum sumus, ita & in nobis ipsi unum sint. Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc ex pax, hoc est gaudium in Spiritu sancto, hoc est silentium in cælo.*

UT CREDAT MUNDUS, QUIA TU ME MISISTI] *Ut credat*, non tantum per unitatem & conformitatem doctrinæ, ut vult Euthym. sed potius per unitatem & unionem cum Deo & Christo. q. d. Vel ex hoc solo mundus credet Christum Dei filium, quod videat Christianos tam Deo & Christo, quam sibi invicem amore esse conjunctos & unitos: videbit enim talem unionem non posse fieri nisi a Christo & Deo: quare per hoc allicietur, ut & ipse incredulus incredulitatem deponat; & credat in me. *Mundus* ergo hic in bonam partem accipitur, æque ac Joan. 3. *Non enim venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Et 2. Cor. 5. *Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Minus recte igitur Jansenius per mundum hic accipit reprobos. q. d. Ut credat mundus, videlicet coactus evidentia miraculorum & sanctitatis discipulorum, & mundani, inviti licet, confiteantur me esse Deum, quemadmodum ait Jacob. cap. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*.

VERS. 22 ET EGO CLARITATEM, QUAM DEDISTI MIHI, DEDI EIS; UT SINT UNUM, SICUT ET NOS UNUM SUMUS] Pater enim & Filius sunt unus Deus, non duo Dei. Per *claritatem* Primo, accipe gloriam filiationis divinæ; hanc enim habet Christus ut Deus per naturam, ut homo per unionem hypostaticam; & hanc dat & communicat fidelibus sanctis, ut scilicet eam habeant non per naturam, sed per adoptionem, sintque filii Dei, non naturales, ut est Christus, sed adoptivi. Ita Jansenius & ante eum S. Ambros. lib. 5. de Fide c. 4. E

Secundo, Maldon. per *claritatem* accipit dilectionem, qua clarificaverat eum Pater, ostendendo in baptismo & alias ipsum esse filium suum dilectum.

Tertio, per *claritatem* Leontius & Ribera accipiunt Eucharistiam; in hac enim deitas & humanitas Christi nobis datur: hæc enim summa est claritas & gloria. *Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus*, 1. Cor. 10. Ita quoque Cyrillus lib. 11. cap. 36. & Hilarius lib. 8. de Trinit. exponunt hanc claritatem ipsam divinitatem Verbi carni unitam, quam ut homo accepit Christus a Patre, quando Verbum caro factum F est; hanc dedit nobis Deus & Christus, quando suam carnem cibum nostrum effecit, & nobiscum per Sacramentum mirabile realiter unitus est.

Huc accedit Toletus, qui sic exponit, d. q. *Ego jam eos effeci unum per meam claritatem, quam a te accepi; da tu, o Pater, Spiritum sanctum, ut per eum quoque unum fiant*. Claritas hæc est divinitas ipsius Filii, quam ut homo dicit se accepisse a Patre per unionem hypostaticam: hanc divinitatem unitam carni suæ dedit nobis Christus in Sacramento, quod tunc quando hæc loquebatur jam instituerat.

Symbol. S. Chrys. & Euthym. per *claritatem* accipiunt tunc potestatem miraculorum, quam Christus discipulis dedit, tum unitatem concordiæ, de qua dictum est, *Ut sint unum*: hæc enim duo erant efficax confirmandæ fidei veritatis argumentum, nempe miracula, & tam mira in eis concordia.

Anagog. S. Aug. tract. 110. Claritas hæc, inquit, est gloria corporis, q. d. Immortalitatem & gloriam, quam dabo carni & humanitati meæ post tres dies in G resurrectione, *ego dedi*, id est, dabo fidelibus certissime in communi omnium resurrectione.

EGO IN EIS, ET TU IN ME; UT SINT CONSUMMATI VEL. IN UNUM: ET COGNOSCAT MUNDUS, QUIA TU ME MISISTI, ET DILEXISTI EOS, SICUT ET ME DILEXISTI] *Ut sint consummati in unum*, ut scilicet sit consummata & perfecta eorum unio, velut multorum membrorum in uno corpore & capite. Sicut enim multa membra unum corpus efficiunt, sic multi fideles unum Christi corpus mysticum, quod est Ecclesia, coagmentant. Rursum omnia membra uniuntur & consummantur in uno capite: sic omnes Christiani in uno Christo & Deo. Audi Toletum hæc de Eucharistia apposite exponentem; Modum, quo unio hæc claritatis & divinitatis fiat, exponit: Ego, inquit, in eis sum per carnem meam in cibum verum & realem eis datam: ut autem in me es, quia divinitas tua est carni meæ unita, si igitur divinitas est in carne, & caro est in credentibus, fit, ut in credentibus etiam divinitas per mediam carnem Christi. H Habent ergo credentes in se & carnem Christi, & per eam divinitatem in se, fiuntque unum, & quamdam habent unitatem per Christum ratione carnis suæ, & sic consummantur in unum, id est, fiunt unum perfecte, dum non solum uniuntur inter se & cum Deo, quantum ad animas, quod fit per Spiritum sanctum, sed etiam quantum ad corpora ipsa.

Hinc sanctus Dionysius de Divin. nominibus cap. 4. docet amorem divinum ire in orbem, esseque circulum; quia scilicet a Patre in Filium tendit, inde in Spiritum sanctum, ab eoque in Patrem & Filium redit: Spiritus sanctus enim est rationalis amor Patris & Filii. Rursum amor Dei est circulus, quia ex Deo in creaturas, præsertim homines & angelos, se exerit, easque ad Deum redamandum fruendumque convertit: Deus enim sicut est causa efficiens amoris, sic ejusdem est finis. Amor enim amantem transfert in amatum, anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat. *Itaque Paulus*, ait sanctus Dionysius, *ille magnus jam divino amore captus, præditusque ejus vi, quæ hominem e statu suo dimovet, divino ore: Vivo autem, inquit, jam non ego; vivit vero in me Christus, ut verus amator, & a meipso,*

quem-

A *quemadmodum ipse ait, statu dimotus, Deo dedit, non suam vitam, sed amantis, tamquam valde diligendam. Et nonnullis interjectis amorem ita definit, quod sit vis motum afferens, & ad se deducens atque evehens, &c. qui ante in bono est, & ex bono ad ea quæ sunt manat, rursusque ad bonum revertitur. In quo & fine & principio se carere divinus amor eximie declarat, quasi circulus quidam perpetuus, qui boni causa, ex bono, in bono, & in bonum conversione ab omni errore libera se volvit, atque in eodem loco, eademque ex parte & progreditur semper, & manat, & restituitur.*

Probat deinde idipsum auctoritate Sancti Hierothei magistri sui, qui ait: *Amorem sive divinum, sive angelicum, sive spiritalem; sive, ut ita dicam, animalem, sive naturalem, vim quamdam conjungentem miscentemque intelligamus, quæ superiora quidem impellit, ut inferioribus prospiciant & consulant; paria autem, ut inter se societate jungantur, inferiora vero, ut se convertant ad superiora.* Hinc & Ægyptii Deum pingebant quasi

B circulum, sed alio respectu, scilicet ut eum esse æternum, ac principio & fine carere, itemque esse immensum significarent. Unde illud. *Deus est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam.* Perse quoque Jovem cæli circulum nuncupabant. Saraceni etiam Deum vocant circulum, ut illo ipsius æternitatem repræsentent, teste Pierio Hierogl. 39. cap. 8.

Deum quasi circulum pingebant Ægyptii.

Sed ut ad prius Sancti Dionysii, quod huic loco proprium est, revertar, idem Sanct. Diony. eodem capite longius post initium, de sole, qui expressa est Dei imago, sic ait. Itaque ἥλιος, id est sol, dicitur quod omnia ἁλῇ ποιεῖ, id est congreget, colligatque dispersa. Additque, pulchrum & bonum, quod est objectum & causa amoris, græce dici κάλλος, *quod ad se* καλεῖ, *id est vocet omnia ac tota in totis in se colligat*, hoc est quod hic ait Christus: *Ut sint unum sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in*

C *unum*. Nam, ut ait Apostolus Ephes. 4. *Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Deus, una fides, unum baptisma: unus Deus & pater omnium.* Vide ibi dicta. Ibi enim Paulus multis commendat hanc fidelium unionem & unitatem.

Tropologice, animæ sanctæ student perfectæ unioni cum Deo & Christo, ut cæterorum quasi oblitæ, eum semper habeant præ oculis, illi per omnia placere & cum illo jugiter mente conversari satagant; quare a rebus exterioribus, quoad licet, se abstrahunt, & interius cum Christo agunt & colloquuntur. Cujus internæ unionis tria dat signa Rever. Dom. Bartholomæus de Martyribus Archiepisc. Bracarensis in aureo suo Compendio spiritualis doctrinæ cap. 15. ante finem, quod post ejus mortem edidit Ludovicus Granatensis, ejusque lectione valde in spiritu profecisse profitetur, uti & ego de meipso profiteor. Primum signum est, si intellectus jam ex se non emittat cogitationes alias, nisi quas fidei lumen excitet; & voluntas longo usu exercitata non producat actus amandi nisi erga Deum, vel relative ad Deum. Secundum, si cum primum reliquerit occupationem externam, cui insistebat, mox intellectus & voluntas in Deum facillime convertantur: sicut lapis remoto obstaculo, in centrum suæ quietis descendere properat. Tertium, si finita oratione, ita exteriorum omnium obliviscitur, ac si illa numquam vidisset aut tractasset, & ita se erga externa gerit, quasi denuo mundum ingrediatur, & denuo metuit confligere cum negotiis exterioribus, ea naturaliter abhorrens, nisi charitas compelleret: talis anima a rebus omnibus externis libera, facile ad se intrat, ubi solum Deum videt & se in Deo, & frequenter fervidis actibus amandi unitivis insistit. Hæc autem fervens dilectio sex gignit effectus, ut inquiunt Sancti. Primus dicitur illuminatio, id est quædam sapida ac experimentalis Dei, ac propriæ nihilitatis cogitatio & cognitio: Secundus, inflammatio: Tertius, suavitas seu delectatio: Quartus, ardentissimum desiderium possidendi bona divina: Quintus, satietas: sic enim satiatur anima illo Dei adventu, ut nil aliud velit aut cupiat. Sextus, raptus, seu mira elevatio animæ in Deum, in qua explicari nequit, quid tunc anima de Deo sentiat. Hos effectus prædictos sequuntur alii duo, scilicet securitas, qua nil anima timet pati propter Deum, & qua certissime confidit se numquam ab eo separandam; & plena quies, cum nil sit quod pavorem inferre valeat, & hoc dicitur *pax exuperans omnem sensum*. Hic est Domini para-

Tria signa unionis cum Deo.

Primum.

Secundum.

D Tertium.

Sex unionis effectus. Primus.

Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

Sextus.

E disus, ad quem ascendere possumus in terra existentes, licet inter homines corpore versemur. Deinde tria media ad hanc cum Deo & Christo unionem consequendam ex S. Thoma assignat, nimirum animi strenuitatem, severitatem & benignitatem. Est autem strenuitas, quædam animi fortitudo, quæ omnem expellit negligentiam, qua homo disponitur ad bona opera omnia confidenter, vigilanter atque eleganter perficienda. Severitas est animi fortitudo adversus concupiscentias, illas restringens, & una secum afferens ardentem asperitatis, utilitatis & paupertatis amorem. Benignitas est dulcedo animi expellens omnem rancorem, iracundiam, invidiam, austeritatem, amaritudinem, obdurationem erga proximum. Prius enim oportet animam purgari a fœcibus terrenarum affectionum, quam possit simpliciter ac pure in Deum tendere. Sicut enim peculiare ac proprium est igni, seclusis impedimentis sursum ascendere & proprium locum petere; ita animæ parvarum affectionum pondere solutæ, in Deum qui locus est ipsis proprius, elevari solent.

Tria ad media.

F

Et cognoscat mundus (fideles in mundo) quia tu me misisti] Unde cognoscet? Resp. Primo S. Aug. tract. 110. fideles id cognituros in cælo per visionem beatificam. Verum hic ad litteram agitur de cognitione hujus vitæ per fidem.

Secundo, alii respondent id cognituros ex claritate, quam v. 22. Christus ait se accepisse a Patre, & dedisse fidelibus. Unde S. Ambr. loco ibidem citato, per *claritatem* intelligens filiationem Dei, sic exponit: Cognoscent fideles, quod tu me Filium tuum in carne misisti, ex filiatione, quam eis communicavi, adoptans eos in filios Dei: inde quoque cognoscent te dilexisse eos, sicut dilexisti me, sed me ut filium naturalem, illos vero ut adoptivos.

Tertio, Cyrill. lib. 11. c. 27. & Hilar. lib. 8. de Trinit. & ex eis Toletus per *claritatem* accipientes Eucharistiam, sic explicant. q. d. Ex Eucharistia cognoscent fideles hæc duo, scilicet, me esse filium tuum a te missum, quia aliter uniti non poterant nobiscum, nisi divinitatem haberem in ea carne, quam dedi eis in Eucharistia: Secundo, dilexisse eos, sicut dilexisti me, quia divinitatem, quam meæ carni indidisti, dedisti eis, dando eis carnem meam in Eucharistia.

G

Quarto, simplicius Ribera: cognoscit id mundus ex sanctitate & mutua charitate Apostolorum, qua fiet *ut sint consummati in unum*, uti præcessit: nam, ut recte ait Chrys. hom. 81. potentiorem ad persuadendum Dominus concordiam judicat quam miracula: *& dilexisti eos*, adoptans eos in filios, faciensque Apostolos *sicut dilexisti me*, dum me Filium genuisti, & legatum in mundum misisti. Erigit Christus animos Apostolorum ad omnia ardua pro Christo subeunda, utpote cum videant se charissimos Deo & similes Christo.

Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum Vers. 24
ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi] Christus ostendit Apostolis, ait Chrys. quæ præmia illos maneant post mortem, ut magis amorem Christi erga se cognoscant, & fortiores reddantur, simulque, ut ait Cyrillus, docere vult non alios gloriam suam visuros esse, quam pro quibus oravit, & qui per

H ipsum Patri adjunguntur, & ideo dicit: *Quos dedisti mihi.*

Ait ergo, *Volo*, id est, summe cupio & desidero, o Pater, ut fideles, quos elegisti & dedisti mihi, mecum sint in cælo, ibique videant claritatem, id est gloriam, non tantum humanitatis meæ ad dexteram Patris elevatæ, uti explicant S. Aug. & Cyrill. sed etiam divinitatis meæ: in hujus enim visione constitit essentialis beatitudo nostra, sed tum τὸ *quia*, cum subdit, *Quia dilexisti me*, non significat causam, sed signum dilectionis. q. d. Ex eo quod me ab æterno dilexeris infinito amore, quasi ex signo manifesto colligitur quod mihi gignendo dederis meam claritatem & divinitatem: hanc enim dedit Pater Filio, dum eum genuit; genuit, inquam, non ex amore libero, sed ex naturali divinitatis suæ fœcunditate. Prius ergo Pater genuit Filium, deinde eum jam a se genitum dilexit, quia eum per omnia sibi similem genuerat. Ita Jansen.

Ante constitutionem (id est, ut Arabicus, *productionem*) mundi] Syrus, *ante jacta mundi fundamenta*: hoc enim significat Græcum πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου: nam καταβάλλειν, est jacere fundamenta domus vel fabricæ. Ita S. Hier. in cap. 6. ad Ephes. Significat hæc phrasis mundum nulla sui parte esse æternum, sed tam quoad materiam, quam quoad formam cæteraque dotes & æqualitates,

Digitized by Google

A a Deo in initio temporis esse creatum: tunc enim fuere primordia mundi.

VERS. 25 PATER JUSTE, MUNDUS TE NON COGNOVIT: EGO AUTEM TE COGNOVI: ET HI COGNOVERUNT QUIA TU ME MISISTI] Cur Patri dat epitheton justi? Primo, S. Aug. tract. 111. respondet Patrem justum dici, quia juste mundum & infideles cognitione sui privavit: nam quod aliquibus non reveletur Dei veritas, justitia ipsius est, propter eorum peccata; quod vero aliis manifestetur, misericordia est.

Pater cur justus. Resp. Primo.

Secundo. Secundo, Cyrill. lib. 11. c. 29. censet Patrem vocari justum, quia diabolum, qui mundum captivum detinebat, ne ad immortalitatem ad quam creatus erat pervenire posset, damnavit & dominio privavit, ut supra dictum est. Sensus igitur est: *O Pater juste, mundus non cognovit* hanc tuam justitiam, quam pro mundo erga diabolum exercuisti, quam si noviſſet, omnes ad te accurrissent,

Tertio. Tertio, Toletus censet Patrem vocari justum, quia Apostolis Christum sequentibus præparavit claritatem, id est, gloriam cælestem, quam eis hic postulavit Christus, a qua mundum incredulum excluſit. Hæc enim

B gloriæ retributio est actus justitiæ, juxta illud 2. Timoth. 4. *Quam reddet mihi justus judex.*

Quarto. Quarto, planius & germanius Ribera vo *juste* refertur ad sequentia: *Mundus te non cognovit*, &c. postquam enim Christus Apostolis postulavit sanctificationem & claritatem, sive gloriam cælestem, nunc quasi exultans spiritu, quod tanta dona Pater prædestinarit Apostolis Christum sequentibus, quæ negavit incredulis, v. g. Scribis & Pharisæis, qui superbia excæcati Christum sequi noluerunt, ait, *Pater juste*. q. d. Justum sane est, o Pater, ut superbi abjiciantur, & hæc bona parvulis istis dentur; illi superbi te non cognoverunt, nec coluerunt; ego te cognovi & amavi, & discipuli mei me imitantes cognoverunt & amaverunt te, & crediderunt in me: istis ego quia superbi nõ erant, magnam tui cognitionem dedi, & majorem dabo, postquam resurrexero, & Spiritum sanctum misero. Sic eadem de causa exultavit Christus in spiritu Matth. 11. 25. dicens: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

VERS. 26 ET NOTUM FECI EIS NOMEN TUUM, ET NOTUM FACIAM (post resurrectionem & missum Spiritum sanctum, ut dixi:) UT DILECTIO QUA DILEXISTI ME, IN IPSIS SIT, ET EGO IN IPSIS] ut scilicet dilectionem tuam, qua me, & ipsos propter me diligis, erga ipsos continues, ac majorem reipsa semper eis ostendas, eisque in dies magis benefacias, ac tuis gratiis & beneficiis cumules, ut quotidie magnis passibus in sanctitate & opere Apostolico progrediantur; atq; hac ratione ego tecum in ipsis perseverem, arctiusque persistam per crescentem in eis semper tuam gratiam & charitatem. Deus enim cum diligit creaturas rationales, donum gratiæ & dilectionis sive charitatis pretiosissimum & divinissimum eis infundit, quod non facit rationalibus, ut cælo, soli, stellis, dum eas diligit, id est, ex amore creat, ornat & gubernat. Hoc significat vo *ut dilectio in ipsis sit*; nam ut ait Paulus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, Rom. 5.

Paulo aliter Rupertus: Ut Spiritus S. inquit, qui est dilectio tua, qua me diligis, in ipsis semper sit & firmiter permaneat. Sed hoc eodem redit. Nam Spiritus S. a charitate separari nequit, sicut nec ignis a calore. Quare, cui datur charitas, huic datur & Spiritus sanctus: & quam-

D diu manet in homine charitas, tamdiu manet & Spiritus sanctus, imo tota S. Trinitas, ut dixi c. 14. v. 23.

CAPUT XVIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribit Christi passionem, scilicet v. 1. captivitatem in horto, v. 13. adductionem ad Annam, v. 17. trinam Petri negationem, v. 19. examen Jesu factum a pontifice, & alapam Jesu inflictam: v. 24. missionem Jesu ad Caipham: v. 28. accusationem ejus apud Pilatum: v. 33. examen Jesum factum a Pilato, qui reprehensa ejus innocentia eum liberare satagit, conferens eum cum Barabba.

Passionem Christi explicui Matth. cap. 26. & 27. hic ergo breviter perstringam ea duntaxat, quæ Joannes habet propria & singularia.

VERS. 1. HÆc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & di- E scipuli ejus.

2. Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.

3. Judas ergo cum accepisset cohortem, & a Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.

4. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?

5. Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.

6. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram,

7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. F

8. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.

9. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum: & percussit pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

12. Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum:

13. Et adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, G & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atrium pontificis,

16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.

17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum.

18. Stabant autem servi, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se.

19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus.

20. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil. H

21. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici?

23. Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene quid me cædis?

24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

25. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non sum.

26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?

27. Iterum ergo negavit Petrus: & statim gallus cantavit.

28. Addu-

Digitized by Google

28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.

29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?

30. Respondérunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi; Nobis non licet interficere quemquam.

32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es rex Judæorum?

34. Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35. Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36. Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.

38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset: iterum exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam.

39. Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?

40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

VERS. 1. HÆC CUM DIXISSET JESUS, EGRESSUS EST CUM DISCIPULIS SUIS TRANS TORRENTEM CEDRON, UBI ERAT HORTUS, IN QUEM INTROIVIT IPSE, ET DISCIPULI EJUS] Jesus finito ardenti sermone post cœnam, eoque prolixo (incipit enim cap. 13. & hic finitur,) quo Apostolis ultimum vale dixit, ad passionem & mortem properat, illique se offert, & ultro occurrit vadens in hortum, ibique exspectans Judam & Judæos, a quibus sciebat se capiendum. Magnanimitatis hoc dedit exemplum, ut arenam locumq; duelli cum morte, peccato & diabolo mox ineundi primus capessat, quasi certus de victoria & triumpho.

Hinc colligitur Jesum statim finito hoc sermone transisse torrentem, ac consequenter contentionem Apostolorum de primatu non post sermonem, ut vult S. Aug. sed ante eum contigisse. De hymno incertum est: nam eum a Christo & Apostolis decantatum fuisse post sermonem, insinuat Matth. dicens c. 26. 30. *Et hymno dicto exierunt in Montem olivarum.* Ante sermonem vero hymnum fuisse dictum suadere videtur ratio, quod hic hymnus fuerit gratiarum actio; statim ergo post cœnam & Eucharistiam cantatus fuit ante sermonem. Ita Chrysost. Theophy. Euthym. in Matth. c. 26. & Ribera hic. Vide chronotaxim num. 68.

EGRESSUS EST] e domo & cœnaculo, ubi totum sermonem habuit & finivit. Franc. Lucas tamen & alii censent partem sermonis a c. 14. 31. ubi ait Christus: *Surgite, eamus hinc*, hucusque habitam fuisse post egressum e domo, in itinere versus torrentem Cedron; & tunc *egressus est*, exponi debet *transgressus est*.

TRANS TORRENTEM CEDRON] *Torrens* proprie est rivus ex aquæ pluviæ confluxu productus, qui hieme fluit cum impetu, æstate siccatur, quales plurimos & ingentes vidi in Alpibus, & talis hic fuisse videtur. Unde Syrus vertit, *trans vadum Cedron*, quia vadari & pedibus transiri poterat. Torrens hic significat vehementiam & impetum Christo a Judæis in passione illatum, sed illico transeuntem. Ivit ergo Jesus per torrentem, ut innueret se ire in torrentem passionum, ait Jansen. juxta illud Ps. 109. *De torrente in via bibet.* Unde nonnulli opinantur Jesum a Judæis captum reductumque per torrentem, in eumdem præcipitatum fuisse, ait Adrichom. in Descript. Jerusalem n. 207. juxta illud Ps. 68. 1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, id est, non est locus, in quo subsistere queam.

CEDRON] Græce, τοῦ κέδρων, id est, *cedrorum*, eo quod torrens hic, hinc & inde plantatas haberet cedros, ait S. Thom. & Lyran. Favet Arabic. qui vertit *trans torrentem cedri*. Verum *Cedron* est vox Hebræa, non Græca, quæ hebr. non cedrum (hæc enim dicitur ארז erez) sed obscuritatem, nigredinem, caliginem & tenebras significat, teste S. Hier. in Locis Hebr. Dictus ergo est torrens hic *Cedron*, id est obscurus, ater, vel niger, sive ab umbrositate loci; erat enim arboribus consitus; sive ab aquarum nigredine, sive a cadaverum combustorum fuligine, de quo mox. Quare Cedron est nomen singulare, non plurale, ac proinde corrupte in Græcis legitur articulus pluralis, τῶν, cum legendus sit τοῦ.

Est hic torrens situs ab Oriente Jerusalem inter eam & Montem oliveti, ac labitur per vallem profundā Josaphat, eamque fœcundat. In hac velle, ait Adrichom. in Jerusale, n. 204. pii reges Juda, Asa, Ezechias, & Josias templi combusserunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron projecerunt. Hæc vallis commune totius civitatis cœmeterium erat, ubi vulgus & ignobiles omnes sepeliebantur: extra urbem enim Judæos sepeliri mos erat, ibique nunc Turcæ sepeliuntur. In hac quoque valle, die illa cunctis mortalibus tremenda, omnes undique homines ad extremum & generale judicium sunt congregandi, ut a Christo judice recipiant debita pro meritis præmia quisque suis.

Meminit igitur Joannes torrentis Cedron, Primo, ad historiæ exactam certitudinem: Secundo, ob figuram. David enim cum suis fugiens Absalomū, mœstus transgressus torrentem Cedron, typus fuit Christi eumdem torrentem transgredientis, at non fugientis, sed offerentis se persequenti Judæ & Judæis. Tertio, ut ostenderet se ire ad passionem, ut expiaret non sua, sed Adæ & posterorum ejus peccata omnia, quantumvis immania, qualia in valle & torrente hoc committebantur. Torrens enim Cedron labitur per vallem *Gehennom*, ubi infantes a parentibus idolo Moloch immani patricidio vivi cremabantur. Quarto, ut locum passionis verteret in locum triumphi: nam ex vicino Monte oliveti, ubi pati cœpit, oransque sudavit aquam & sanguinem, 40. die post resurrectionem triumphans ascendit in cælum: atque in fine mundi rediturus ad judicium judex sedebit supra vallem Josaphat, Joel. 3. v. 2. & supra torrentem Cedron, ut judicet tam Judæos se persequentes, quam omnes homines pro meritis; eos scilicet, qui passioni suæ grati fuere, adjudicando cælo; qui vero ingrati, gehennæ, quam ad vivum repræsentabat hic vallis Gehennon, per quam fluit torrens Cedron.

UBI ERAT HORTUS] quia in horto paradisi peccavit Adam comedens pomum vetitum; hinc peccatum ejus Christus expiare incipit in horto. *Ad pristinum enim recurrere omnia oportebat*, ait Cyrill. Addit Chrys. *Etenim in horto tamquam in carcere commoratur*, ut scil. ait Theoph. *laborem minuat Judeis se quærentibus*. Subjungit Theoph. tertiam causam dicens: *Orandi causa solitaria loca, & silentii officinas quærere solebat*, ut nos idem faciamus. Cætera dixi Matth. 26. Symbolice, Nota Christum primo iviſse in desertum, Matth. 4. inde per sata, Matth. 12. denique in hortum hic, ut doceret nos ire ad sata prædicationis, inde passionem & crucem. Audi S. Ambros. lib. 4. in Lucam: *Videte*, inquit, *quibus itineribus ad paradisum reducamur. Nunc in deserto Christus est; agit hominem, instruit, informat, exercet, ungit oleo spiritali. Ubi videt robustiorem, per sata & fructuosa traducit: ut quando querebantur Judei, quod discipuli ejus sabbato de segete spicas vellerent; jam enim Apostolos suos in agro culto & fructuoso opere collocaverat. Postea in paradiso constituit tempore passionis, quando transivit torrentem Cedron, ubi erat hortus.*

VERS. 4. JESUS ITAQUE SCIENS OMNIA, QUÆ VENTURA ERANT SUPER EUM: Addit *sciens*, ne quis putet ipsum insciium & invitum incidisse in manus Judæorum, sed scientem, volentem ultro se eis tradidisse; unde & eis obviam PROCESSIT, ET DIXIT: QUEM QUÆRITIS?] Judas jam osculatus fuerat Jesum, osculoque signum dederat cohorti, ut Jesum

Digitized by Google

A caperent, sed noluit Jesus eo signo capi, ne invitus videretur captus. Omnipotenti ergo vi divinitatis suæ cohortem detinuit, locoque suo fixit, ut dato signo ad eum capiendum accurrere non auderent, imo non possent. Hinc Christus ultro eis obviam intrepide processit & rogavit; *Quem quæritis*? quasi eos lacessens ad se invadendum.

VERS. 5. RESPONDERUNT EI: JESUM NAZARENUM] Non dicunt; Quærimus te, sed Jesum. Ergo non agnoverunt eum, licet osculo a Juda indicatum & proditum, quia Jesus eos aorasia & cæcitate percussit, ut præsentem non agnoscerent, cum tamen ministri pontificum eum sæpius antea vidissent & audissent. Ita Chrys. hom. 82. *Vides*, ait, *vim insuperabilem; quomodo in medio existens eos excæcavit*. Et Cyrill. *Potestas ergo divina enituit, quia quamvis se quærentibus se offerret, minime tamen cognoscebatur*.

STABAT AUTEM ET JUDAS, QUI TRADEBAT EUM, CUM IPSIS] Judas jam antecesserat cohortem, ut oscularetur Jesum; sed osculo dato videns cohortem non accurrere ad Christum capiendum, sed immotam consistere; perfidiæ suæ conscius, & impœnitens obstinatusque redit,

B non ad discipulos Jesu, sed ad cohortem, ut ab ea contra Jesum, cujus potentiam metuebat, defenderetur, ideoque cum ea a Christo in terram afflictus & prostratus est. Ita S. Aug. licet Euthymius & Ribera censeant Judam accessisse ad Christum, cumque osculatum esse, postquam cum Judæis in terram prostratus fuisset: quod etiam est probabile, & majorem Judæ impudentiam arguit.

VERS. 6. UT ERGO DIXIT EIS: EGO SUM; ABIERUNT RETRORSUM] quasi vi spiritus & vocis Jesu dicentis *ego sum* repulsi, retroacti, & supini in deorsum prostrati. Non enim proni antrorsum in pectus ceciderunt, ne vim prosternens aliunde, puta a tergo, manare videretur; sed retrorsum, ut liquido constaret eos vi oris & sermonis Christi prosterni, nec illius faciem & sermonem ferre vel sustinere posse. Jesum enim dicens, *Ego sum*, reticavit eis memoriam nominis, quod Deus sibi indidit, dicens Mosi Exodi 3. *Ego sum qui sum*; q. d. Hoc est nomen meum, quo vos prosterno, & si velim annihilo, quia *ego sum qui sum*. Ergo *vos estis qui non estis*; nam omne

C vestrum esse non a vobis, sed a me continuo accipitis.

Tropologiam & allegoriam hujus fulmineæ prostrationis satellitum dedi 26. 50.

VERS. 8. SI ERGO ME QUÆRITIS, SINITE HOS ABIRE] Cur id jussit Christus? Resp. Primo, quia ad ipsum spectabat, ut solus sua morte homines redimeret, quasi mediator, redemptor & salvator mundi. Ita Cyrill. *Semovit*, ait, *a periculo discipulos suos, non ignorans ad se solum certamen illud & opus salutis nostræ pertinere: regnantis enim & non servientis naturæ opus est*. Secundo, quia Apostolos destinarat superstites, ut post mortem suam resurrectionem, doctrinã & legem toto orbe promulgarent. Tertio, ut ostenderet suum erga eos amorem & curam, quo quasi bonus pastor ovium salutem curat, suam negligit, imo animam suam ponit pro ovibus, ut sua morte illis vitam daret. Hanc rationem insinuat Joannes vers. sequ. dicens.

VERS. 9. UT IMPLERETUR SERMO, QUEM DIXIT (c. 17. v. 12.) QUIA QUOS DEDISTI MIHI, NON PERDIDI EX EIS QUEMQUAM] id est, non permisi perire ullum ex undecim Apostolis, quos dedisti mihi, o Pater: nam Judas veluti

D filius perditionis illi non fuit datus absolute a Patre. Quæres, de qua perditione & morte loquitur Christus, animæne, an corporis? Alii hanc, alii illam; ego utramque accipio. Corpore enim periissent hic discipuli, quia cum Jesu magistro suo fuissent comprehensi & occisi, præsertim quia Petrus cohorti restiterat, & Malchum vulnerarat. Anima quoq; periissent, quia infirmi & pavidi ob Judæorum minas Christum negassent æque ac negavit Petrus, itaque occisi a Judæis & corpus & animam perdidissent: mortui enim fuissent in peccato mortali negationis. Ita Rupert. Cajetan. Ribera, Franc. Lucas, Toletus, & alii.

VERS. 10. ERAT AUTEM NOMEN SERVO MALCHUS] Nomen servi exprimit ad mysterium: *Melech* enim hebr. & chald. *Malcha*, unde *Malchus*, idem est quod *rex*: & erat servus pontificis, significat populum Judæorum, qui quondam rex fuerat & liber, sed postea servus factus est pontificum & sacerdotum, qui eum suis traditionibus & cæremoniis onerabant, & præterea devorabant, ut vidimus Matt. 23. Iste Petro & Apostolis prædicantibus Evangelium, dexteram auriculam amisit propter infidelitatem suam & odium Christi, id est, surdus factus est ad audiendum Evangelium, & ad audiendum ea, quæ necessaria sunt ad salutem, donec eum Dominus convertat, & ei auriculam restituat.

Malchus idem quod rex.

Ita S. Cyrillus hic & S. Amb. in Lucæ c. 22. & S. Hieron. E in Matth. c. 26. addit S. Ambros. Petrum imitari voluisse zelum Phinees qui principem Israel fornicantem cum filiabus Moab occidit, ideoque pontificatum adeptus est, Num. 25. Minuit ergo culpam Petri amor & zelus erga Christum; peccavit, tamen quia inconsulto Christo gladium strinxit, præsertim cum paulo ante ab ipso audisset, quod sponte iret ad passionem & mortem.

LIGAVERUNT EUM] a quo solvi velle debuerunt, & VERS. 12 forte erant in eis, qui postea liberati ab eo dixerunt *Dirupisti vincula mea*, ait S. Aug. Christus si voluisset, omnia vincula Judæorum facilius rupisset, quam Samson rupit stupea vincula Dalilæ. Judic. 15. 9. sed noluit: Primo, ut peccatum Adæ manibus commissum expiaret: quia enim primus Adam nimis libere manus ad pomum vetitum extendit, sic Christus secundus Adam manibus ligari voluit, ut Adæ peccatum & cætera posterorum ejus, quæ fere manibus committuntur, expiaret.

Secundo, ut satisfaceret typo: Isaac enim qui fuit typus Christi, immolandus ab Abraham ligatus fuit: solebant enim victimæ ligari, ne immolationi reluctarentur. Genes. 22. 9. F

Tertio, ut his vinculis amore nostri susceptis injiceret nobis vincula charitatis, quibus nos traheret ad se redamandum, juxta illud Osee 11. *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis*.

Porro, Judæos dure & crudeliter ligasse Christum, liquet, tum ex odio immani, quo ipsi eorumque heri pontifices ardebant in Christum, tum quod ulcisci vellent prostrationem ignominiosam, quã passi fuerant, & vim a Petro Malcho sibique illatam. Plura hac de re dixi Matth. 26. v. 55.

ET ADDUXERUNT EUM AD ANNAM PRIMUM: ERAT ENIM SOCER CAIPHÆ, QUI ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS] Quæres: cur Judas & Judæi primum duxerint Christum ad Annam, non ad Caipham, cum a Caipha, utpote pontifice, judicandus esset, non ab Anna? VERS. 13 Cur Christus primo ductus sit ad Annam.

Resp. Primo, ut honorarent Annam quasi seniorem & socerum Caiphæ, quem proinde ipse Caiphas *quasi patrem honorabat*, ait Euthym. & ex ejus consilio populum regebat.

Secundo, quia domus Annæ erat in via euntibus ad Caipham, ait S. August. G

Tertio, quia Annas præ cæteris videtur optasse & procurasse ut Christus caperetur. Unde satellites hi Christum ei quasi in triumphum ducunt, ait S. Chrysost. ut eum exhilarent, ac vicissim aliquo xenio & munere ob adductum Christum ab eo donentur.

Quarto, ut Annam, qui vespere præcedente a cæteris senioribus ob frigus noctis domum dormisurus abierat, inde evocarent ad concilium universale, contra Jesum captum postero mane in domo Caiphæ celebrandum.

Quinto & potissime, quia ab Anna Judæ fuit promissum pretium venditionis Christi, scilicet triginta argentei. Adducit ergo Judas Jesum ad Annam, ut pro eo triginta denarios sibi ab eo promissos accipiat, uti de facto illum ab eo accepisse censet S. Cyrillus, idque colligitur exeo, quod in primo principum cum Juda pacto de Christo prodendo, principes non numerarint 30. denarios, sed tantum promiserint, ut patet Matth. 26. 15. hac nocte ergo accepit illos Judas in domo Annæ, quos paulo post videns Chri- H stum Pilato traditum, facti pœnitens projecit in templo, Matth. 27. v. 3. Nam in domo Caiphæ eos accipere non potuit; tum quia Caiphas circa Christum, ut inveniret falsos testes, ut eum examinaret, ut concilium convocaret, &c. ita occupabatur, ut tempus non haberet agendi cum Juda. Unde Judas non videtur cum satellitibus progressus ultra domum Annæ, nec ingressus in domum Caiphæ: nam si in ea fuisset Judas, sane eam ingredi ausus non fuisset Petrus, metu ne a Juda prodereturr: quasi si Judas adfuisset, cum Petrus ter Christum in domo Caiphæ negavit, utique vel publice eum falsi arguisset, vel secreto ministros monuisset, Petrum fuisse secum discipulum Christi, ut eum comprehenderent.

PONTIFEX ANNI ILLIUS] quia Romani præsides sæpe & subinde singulis annis mutabant Judæorum pontifices, novosque creabant, uti quotannis creantur novi consules; licet Pilatus hoc proprii habuerit, ut pontificem Caipham quem reperit, non mutarit. Quare Caiphas toto triennio, quo Christus prædicavit, perpetuum gessit pontificatum.

UNUS ASSISTENS MINISTRORUM DEDIT ALAPAM JESU] VERS. 22 Alapa Christo datur, Vide Aug. tract. 113. ubi connumeratis multis suppliciis, qui-

A quibus servus dignus fuerat, ait: *Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, per quam vincitur mundus?* Vide & dicta Matth. 26. 59.

Porro, Christus non porrexit alteram maxillam, ne videretur culpam agnoscere. Sic & Paulus jussus injuste percuti a pontifice, ait ex zelo justitiæ. *Percutiat te Deus paries dealbate*, Act. 23. Addit S. Aug. *Jesum non solum alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparasse in ligno*, ut suum dogma Matth. 5. 39. facto sanciret.

VERS. 24 ET MISIT EUM ANNAS LIGATUM AD CAIPHAM PONTIFICEM] q.d. *Miserat autem Annas Jesum ligatum ad Caipham pontificem.* Ita Syrus, Arabic. & Cyrill. Est enim hic hysterologia. Nam Joannes quasi oblitus narrare missionem Jesu ab Anna ad Caipham, hic eam interserit, ut indicet quis fuerit pontifex, qui examinavit Jesum, cujus minister alapam dedit eidem: nimirum fuisse Caipham, non Annam. Caiphas enim erat pontifex, non Annas: quare hic versus recto ordine ponendus est post v. 13. nam trina negatio Petri & examen Jesu, omniaque, quæ post v. 13. narrat Joannes, contigerunt in domo Caiphæ pontificis, non Annæ, ut patet ex S. Matthæo, Marco & Luca.

B

VERS. 28 ADDUCUNT ERGO JESUM A CAIPHA IN PRÆTORIUM] scilicet in domum & aulam Pilati, qui erat prætor, id est præses & judex tam criminalis quam civilis Judææ. Ita legendum cum Roman. Græco, Syro & Arabico. Quare vitiosum codicem habuit S. Aug. qui tract. 114. legit: *Adducunt ergo Jesum ad Caiphim in prætorium*, indeque coactus est dicere aut Caipham in domum Pilati venisse, aut utrumque in eadem domo habitasse: cujus contrarium liquet ex Evangelio.

Prætoris etymon. Porro omnis magistratus, cui parebat exercitus, dicebatur Prætor, ait Victorinus; ac præeundo, ait Varro, quasi Præitor, quod præiret jure & exercitu. Inde ejus domus & locus, in quo jus dicebat, vocabatur prætorium: ibi ergo erat tribunal, in quo reorum causa agebatur, ideoque pontifices eo duxerunt hic Jesum, ut a Pilato damnaretur.

C ET IPSI NON INTROIERUNT IN PRÆTORIUM, UT NON CONTAMINARENTUR (ingressu in domum præsidis Ethnici & idololatræ) SED UT (puri & mundi) MANDUCARENT PASCHA] *Paschа* hic non significat agnum paschalem, ut volunt Chrys. & Cyrill. (hunc enim pridie in cœna jam comederant) sed victimas paschales, quæ per septem dies paschales immolabantur: hæc enim non nisi a mundis comedi poterant. Vide hic hypocrysin pontificum, qui videri volunt religiosissimi, cum sint sceleratissimi, imo christicidæ. Unde exclamat S. Aug. *O impia & stulta cæcitas: habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio!* Vide S. Cyrillum.

VERS. 31 *An Judæis jus necis sublatum a Romanis.* NOBIS NON LICET INTERFICERE QUEMQUAM] Hinc videtur quod Romani Judæis, utpote jure belli subactis, abstulerint jus damnandi & morte plectendi reos, illudque sibi vendicarint: hoc enim omnino hæc eorum verba significabant. Ita Rupert. S. Thomas, Jansenius, Suarez & alii.

Dices, Judæi lapidarunt S. Stephanum, & præcipitarunt S. Jacobum. Resp. id eos fecisse non ordine juris, sed tumultu & furore populi. Unde Josephus l. 20. Antiquit. c. 8. alias 16. asserit Ananiam pontificem fuisse pontificatu a præside Romano privatum, eo quod S. Jacobum jussisset occidi. Hinc & Actor. 18. Judæi Paulum non sunt ausi occidere, sed occidendum tradidere Gallioni proconsuli. Instabis: Pilatus jam dederat pontificibus licentiam judicandi & occidendi Jesum, dicens: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate.* Ergo id facere poterant. Resp. potuisse quidem pontifices id facere, sed noluisse hanc licentiam Pilati acceptare, sed tacite quasi dixisse: Vos Romani abstulistis nobis jus gladii absolute; nolumus ergo illud in hoc uno casu ut Jesum occidamus, usurpare. Aut ergo reddite nobis jus occidendi absolute, aut vos hunc cum aliis occidite. Dicebant hoc, quia volebant Jesum, quasi seditiosum & regnum Judææ affectantem, ignominiosissima morte plecti, nimirum crucifigi a præside Romano (Romani enim affectantes regnum crucifigebant) atque hujus Jesu necis invidiam cupiebant a se in Pilatum tranferre, ne a populo, quem Jesu sciebant addictum, lapidarentur, aut convitiis incesserentur.

D Alii aliter respondent, nimirum S. Aug. & Cyrill. & ex eis Suarez 3. part. qu. 47. art. 4. non licuisse Judæis occidere in festo Paschæ ob festi solemnitatem, sed alias id eis licuisse. Ribera vero respondet Pharisæos ex speciali & propria secta hoc observasse, ut neminem ad mortem damnarent, ut refert Josephus filius Gorionis lib. 4. Historiæ Judaicæ cap. 6. Illi ergo specie religionis dixerunt. *Nobis non licet*, multi enim, & præcipui ex his qui mortem Christi procurabant, erant Pharisæi, & quia auctoritatem apud populum habebant, eos alii imitati sunt.

E

UT SERMO JESU IMPLERETUR, QUEM DIXIT, SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS] VERS. 32 nimirum se tradendum Gentibus, & ab eis crucifigendum. Hoc enim prædixit Christus Joan. 12. dicens: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dixit significans qua morte esset moriturus.* Item Matth. c. 20. 18. & alibi.

INTROIVIT ERGO ITERUM IN PRÆTORIUM PILATUS] VERS. 33 q.d. Egressus erat Pilatus ad pontifices, ut accusationem eorum contra Jesum audiret, qua audita iterum ingressus est, ut de ea Jesum examinaret. Hoc significat τὸ *iterum* (quod tamen omittit Syrus) scilicet regressum post egressum.

ET DIXIT EI: TU ES REX JUDÆORUM?] Supple hic ex Luca c. 23. 2. Pontifices cum viderent sola sua auctoritate non moveri Pilatum ad Jesum damnandum, accusasse eum dicendo: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari; & dicentem se Christum regem esse*; VERS. 37 hoc tertium ut verisimilius cæteris arripiens Pilatus, rogavit Jesum: *Tu es rex Judæorum?* Cætera dixi Matth. 27. 11.

TU DICIS, QUIA REX SUM EGO] *Id* est, ego vere rex sum Judæorum, uti tu dicis, id est, sum Messias sive Christus, ut regnem in fidelibus per fidem & gratiam, eosque ad regnum cæleste perducam. Hoc enim significat hic hebraismus.

EGO IN HOC NATUS SUM, ET AD HOC VENI IN MUNDUM, UT TESTIMONIUM PERHIBEAM VERITATI] ut prædicem veritatem Evangelicam, quæ in tribus maxime consistit. Primo, in vera cognitione Dei, scilicet Deos Gentium esse falsos, & verum Deum esse unicum in essentia, & trinum in personis, scilicet Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Verum enim est passio entis, sicut & bonum. Omne enim ens est verum, id est, res vera, non ficta, & in se bona. Quare Deus qui est ipsum ens, juxta illud: *Ego sum qui sum*; idem pariter est ipsum verum & bonum, quia est ipsa per essentiam entitas, veritas & bonitas. Rursum Filius qui procedit a Patre, ut verbum, est ipsa veritas non tantum entis, sed & mentis. Unde S. Augustinus: *Cum Jesus*, inquit, *veritati testimonium perhibet, sibi perhibet: ipse enim veritas.*

Veritas Evangelica in tribus maxime sita.

Secundo, in cognitione Incarnationis Verbi, ut sciat Filium Dei esse missum a Deo Patre in carnem & mundum, ut eum salvaret; quare neminem nisi per fidem in ipsum posse salutem consequi, juxta illud c. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

Tertio, in cognitione veræ Beatitudinis, scilicet eam consistere non in opibus, honoribus, deliciis, scientiis, regnis terrenis, uti docebant Philosophi; sed in regno cælorum, id est in visione & possessione Dei. Unde summa prædicationis Christi erat hæc: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Matth. 3. 2.

G

Dicit Christus se natum ad veritatem testificandam hoc fine. Primo, ne miretur Pilatus quod se regem fassus sit. q.d. Hoc fassus sum, quia vere sum rex: debeo autem testari veritatem, quia ad hoc natus sum. Secundo, ut Pilatus cognoscat innocentiam & integritatem Jesu: hæc enim in veritate consistit. Tertio, ut eum submoneat justitiæ, ut scilicet vere justeque causam suam judicet, nec falsis pontificum criminationibus & clamoribus, vinci se sinat, ut contra veritatem & justitiam se condemnet.

H

OMNIS, QUI EST EX VERITATE, AUDIT VOCEM MEAM] Ex veritate esse dicuntur veritatis studiosi & cupidi, qui scilicet veritatem, hoc est, verum Deum, verum Messiam, veramque felicitatem & salutem, serio & cordate quærunt, eamque inventam omnibus posthabitis amplectuntur. Hi opponuntur *iis, qui sunt ex contentione*. Roman. 2. id est, iis qui non nisi contendere, litigare & argutari contendunt, quales erant tum Philosophi. Hinc *esse ex veritate* idem est quod *esse ex Deo*: qui enim est filius Dei, hic est filius veritatis: Deus enim est veritas, juxta illud c. 8. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*: quia licet ex Deo sitis per creationem, non tamen estis per electionem, fidem & gratiam. *Gratiam commendavit, quæ secundum propositum vocat*, ait S. Aug. *Qui enim accepit testimonium ejus* (Joannis Baptistæ de Jesu) *signavit quia Deus verax est.*

Digitized by Google

A Joan. 3, 33. Hoc quam verum ſit, etiam voces hoſtium indicant. Scribit enim Joſephus 18. Antiquit. c. 4. *Eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens (ſi tamen eum virum fas eſt dicere) erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt*, &c.

Tacite Chriſtus reſpondit Pilati objectioni: Si tu teſtimonium perhibes veritati, cur ergo pontifices & Scribæ, qui ſunt veritatis profeſſores, te non audiunt, imo te perſequuntur ad necem? Reſpondet Chriſtus: Quia ipſi non ſunt ex veritate, ſed ex mendacio: ſectantur enim falſas ſuas opiniones, & cupiditates opum & honorum, quas eis ſuggerit pater eorum mendax diabolus. Unde Chriſtus eis ait: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere*, ut me occidatis. Joan. 8. 44.

Vers. 38 Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?] Putabat Pilatus Chriſtum eſſe Philoſophum vel Prophetam, qui de veritate, ſcientia & ſapientia more philoſophico ſpecularetur & loqueretur. Itaque Jeſum rogat quæ ſit illa veritas, cui teſtandæ ſe natum dixerat. Verum, quia hoc parum ad rem, quam agebat Pilatus, faciebat, B ut ſe a Jeſu, quem videbat eſſe virum gravem, ſapientem & innocentem, expediret, excogitavit medium appoſitum ad eum liberandum, ſcilicet ut in Paſchate de more unum reum liberaturus, Jeſum cum Barabba infami latrone conferret, ut Judæi Jeſum potius quam Barabbam liberari peterent. Relicto ergo Jeſu in prætorio foras erupit, ut Judæis idipſum proponeret.

Quid eſt veritas? Reſp. Primo. Symbol. quid eſt veritas? Reſp. S. Auguſt. in Sentent. ſent. 386. veritas eſt ipſe Deus, *qui eſt prima vita & prima eſſentia, uti eſt prima ſapientia. Nam hæc eſt illa incommutabilis veritas; quæ lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis artificis.* Idem epiſt. 9. *Incomparabiliter*, ait, *pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum. Pro iſta enim fortius noſtri Martyres adverſus hanc Sodomam; quam pro illa illi heroes adverſus Trojam dimicaverunt.* Imo Chriſtus ipſe primus pro veritate Martyr occubuit.

Secundo. Quid eſt veritas? Audi Lactantium lib. de Ira Dei cap. 2. tres ejus gradus aſſignantem: Primus gradus eſt, C inquit, intelligere falſas religiones, ac abjicere impios cultus deorum humana manu fabricatos. Secundus vero perſpicere animo quod unus ſit Deus ſummus, cujus poteſtas ac providentia effecerit a principio mundum, & gubernet in poſterum. Tertius, cognoſcere miniſtrum ejus ac nuntium, quem legavit in terram; quo docente, liberati ab errore, quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, juſtitiam diſceremus.

Tertio. Quid eſt veritas? *Ego ſum via, veritas & vita*, ait Chriſtus Joan. 14.

Quarto. Quid eſt veritas? *Eſt præſtantiſſimum bonum*, ait S. Baſil. apud Antonium in Meliſſa c. 21. *Quid eſt veritas?* Eſt Deus, ait S. Dion. *utpote unum non multa ſecundum naturam. Verum quippe unum eſt, mendacium autem multiplex.*

Quinto. Quid eſt veritas? *Eſt facultas res obumbratas in lucem producens*, ait Philo ibidem.

Sexto. Quid eſt veritas? *omnium rerum fortiſſima eſt veritas*, ait Nazianz. orat. 13.

Septimo. Quid eſt veritas? *Eſt firma comprehenſio entis in animo*, ait S. Chryſ. ibidem. Hinc illud Zorobabelis, *Fortis rex*, D *forte vinum, fortes mulieres, ſed fortiſſima eſt veritas.* 3. Eſdræ 3. Addit ibidem Zorobabel c. 4. 36. *Omnis terra veritatem invocat, cælum etiam ipſam benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam.* Et v. 40. *Et non eſt in judicio ejus iniquum, ſed fortitudo, & regnũ, & poteſtas, & majeſtas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis.* Quocirca Alphonſus rex Aragon. *Veritas*, ait, *omnibus quidem innata eſſe debet; principium tamen præcipuum debet eſſe ornamentum, adeo ut ad fidem faciendam tantum habeat unum principis verbum, quantum privatorum juſjurandum.* Ita Panorm. lib. 1. de Geſtis Alphonſi. Hinc pontifex Aaronicus in Rationali ſcriptum gerebat *Urim, vetummim*, id eſt, *doctrina & veritas*, Exodi 28.

Gnomæ Philoſophorum de veritate. Idem per umbram videre Gentiles apud Stobæum ſerm. 11. Unde Menander: Quid eſt veritas? *Veritas*, ait, *cæli civis eſt, & ſolo fruitur convictu deorum.*

Plato ſuaviſſimam narrationem veritatem eſſe dicebat. Jamblichus, *Veritas*, ait, *ut Græcum ejus etymon indicat, circa deos & incorruptam deorum actionem verſatur.* Æſchines: *Adeo valida eſt veritas, ut omnes humanas cogitationes ſuperet.* Plato rurſum lib. de Legibus: *Veritas*, ait, *tam diis quam hominibus ad omnia bona dux eſt. Hujus quilibet, qui felix & beatus futurus eſt, ab eo particeps ſit oportet, ut quam plurimum temporis verax in vita degat.* Triſmegiſtus: *Veritas in ſolis æternis corporibus eſt, quorum & ipſamet corpora vera ſunt. Univerſa igitur ſuper terram non veritas ſunt, ſed veritatis imitationes & umbræ. Veritas abſolutiſſima virtus eſt, ipſumque ſummum bonum, quod nec a materia turbatur, neque corpore circumdatur, nudum, conſpicuum, auguſtum, mutationis & alterationis expers bonum.*

Plutarchus apud Antonium in Meliſſa c. 21. *Æqualitas trutina*, inquit, *veritas autem ratione philoſophia examinatur.* Ibidem Evagrius: *Veritatem tacere*, ait, *eſt aurum ſepelire.* Et Democritus: *Pietas*, ait, *palam declaranda, & veritas conſtanter defendenda eſt.* Ex Epicteto: *Nihil veritate pretioſius haberi debet, ne amicitia quidem, utpote obnoxia affectibus, qui quod juſtum eſt turbant & obumbrant.* Unde illud: *Amicus Plato, magis amica veritas.* Idem: *Immortalis*, ait, *& æterna res eſt veritas. Non donat autem nobis pulchritudinem paulatim tabeſcentem, neque dicendi fiduciam e juſtitia prodeuntem aufert; ſed qua juſta & legitima ſunt exhibet, diſcernens ab eis injuſta, & redarguens.* Demoſthenes rogatus, *Quid Deo ſimile haberent homines?* reſpondit, *Benigne facere, & veritatem amare.* Ita Valer. Maxim. ferm. 8.

Pythagoras dicebat *hæc duo divinitus data hominibus eſſe longe pulcherrima, veritatem complecti, & beneficiis operam dare: utrumque enim immortalium deorum operibus comparari poſſe.* Ita Ælian. lib. 12. de Varia hiſtor.

CAPUT XIX.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat v. 1. Chriſti flagellationem, coronationem, purpuram, alapas, oſtenſionem populo ſic clamanti: Crucifige eum, quia Filium Dei ſe fecit. G *Et v. 12.* Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: *qua voce victus Pilatus tradidit Judæis Jeſum. Hi ergo crucifixerunt eum in Golgotha, hoc titulo:* JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; *mox milites veſtes ejus diviſerunt. Inde v. 25. Jeſus matri ſuæ Joannem in filium aſſignat; v. 28. clamat;* Sitio; *v. 30.* Conſummatum eſt, *& expirat. Verſ. 34. lancea latus ejus aperitur, indeque exiit ſanguis & aqua. Denique v. 38. Joſeph & Nicodemus Jeſum ungunt, & in monumento novo ſepeliunt.*

TUnc ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & Vers. 1 flagellavit.

2. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpurea circumdederunt eum.

3. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave rex Judæorum: & dabant ei alapas. H

4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam.

5. (Exivit ergo Jeſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum:) Et dicit eis: Ecce homo.

6. Cum ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.

7. Reſponderunt ei Judæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.

8. Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit.

9. Et ingreſſus eſt prætorium iterum: & dixit ad Jeſum: Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei.

10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?

11. Re-

Digitized by Google

A 11. Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.

13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum: & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.

14. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Judæis: Ecce rex vester.

15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

B 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt.

17. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha:

18. ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc, medium autem Jesum.

19. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.

20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt; quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine.

21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum; sed quia ipse dixit; Rex sum Judæorum.

22. Respondit Pilatus; Quod scripsi, scripsi.

C 23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes; unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

24. Dixerunt ergo ad invicem; Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestimenta miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

25. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.

26. Cum vidisset ergo Jesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.

27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

D 28. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.

30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.

31. Judæi ergo, (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo.

33. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura:

34. sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua.

35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut & vos credatis. E

36. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.

37. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

38. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum,) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jesu.

39. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum.

40. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.

41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. F

42. Ibi ergo propter Paraseeven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

TUNC ERGO APPREHENDIT PILATUS JESUM, ET FLAGELLAVIT] *Tunc*, postquam scilicet dixisset Judæis, ut eorum furorem in Jesum restingueret, *Corripiam illum, & dimittam*, uti supplet Lucas c. 23. v. 22. *flagellavit*. Incolæ tertæ sanctæ tradunt Jesum flagellatum fuisse primo, funibus crassioribus; secundo, funiculis nodosis, additis ferreis scorpionibus, tertio, catenis; quarto, virgis spineis; sed respondet Ribera; traditiones incolarum terræ sanctæ parum fidei habere, quoniam non manserunt in ea Christiani a tempore passionis usque ad nos, ut ita ab antiquis per manus veniret traditio: sed omnes sunt advenæ, & sæpe locum mutant, ideoque veterum traditiones non retinent. VERS. 1. Christus flagellatur.

ET VESTE PURPUREA (Syrus, *coccinea*) CIRCUMDEDERUNT EUM] Vide dicta Matth. 27. 30. quibus adde S. Athanasium, qui tract. de Cruce & passione asserit Christum in chlamyde coccinea portasse hominum sanguinem, quia homicidiis diabolus terram polluerat: in spinis, peccata; in calamo, chirographum, quo nos diabolus tanquam suos scripserat: quæ omnia Christus abstulit passione sua. *Præterea*, inquit, *arundinem accepit Dominus, diabolo ignorante se dare illi gladium contra seipsum: dicetur enim arundo serpentibus lethalis esse, atque inde potissimum interfici; ita Christus cepit arundinem, ut nos liberaret a versutia serpentis.* VERS. 2. Veste purpurea circumdantur. G

DEBET MORI, QUIA FILIUM DEI SE FECIT] quasi blasphemus, sacrilegus, imo ἀντίθεος. Audi S. Augustin. *Ecce altera major invidia, parva illa videbatur affectasse regnum, & tamen neutrum sibi Jesus mendaciter usurpavit: est enim Dei unigenitus, & rex a Deo constitutus super montem Sion, & utrumque demonstraret nunc, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior.* VERS. 7.

NON HABERES POTESTATEM ADVERSUM ME ULLAM, NISI TIBI DATUM ESSET DESUPER. PROPTEREA QUI ME TRADIDIT TIBI, MAJUS PECCATUM HABET] Difficilis est hic connexio, quam exigit τὸ *propterea*: sed omissis variis variorum explicationibus, plana est Jansenii, Cajetani & Riberæ expositio. q. d. Tu non habes in me ullam potestatem, & quia ego innocens sum, & quia possem me eripere si vellem: sed Pater meus vult ut me tibi tradam atque subjiciam, ut perficiatur opus humanæ redemptionis, atque ad hoc permisi, ut tu Judæorum accusationi & voluntati acquiescas, & in me exerceas tuam potestatem, quam minime exerceres, nisi isti me accusassent: propterea isti qui te obtendunt, & urgent ut potestatem istam permissam exerceas, magis peccant quam tu. VERS. 11 H

ET EXINDE QUÆREBAT PILATUS DIMITTERE EUM] Jam ante idipsum quæsierat, sed nunc maxime, postquam audivit ipsum esse Filium Dei, ac peccatum sibi objicientem, timuit ne Dei vindictam incurreret, si filium ejus damnaret. Sed vicit timor Cæsaris timorem Dei, ut sequitur. Suspicabatur Pilatus Jesum esse Jovis, Herculis, Apollinis, vel alterius dei filium: Gentiles enim multos deorum filios numerabant, eosq; quasi semideos colebant. Ita Cyrill. VERS. 12

IN LOCO QUI DICITUR (græce) LITHOSTROTOS, id est lapide stratus: HEBRAICE AUTEM GABBATHA] id est altus: גבה *gabba* enim altum significat, quia erat in loco VERS. 13 Gabbatha quid?

Digitized by Google

A loco sublimi, ut solent esse tribunalia, ut judex a circumfusa multitudine videri & audiri possit. Dicit hoc Joannes, ut noret Jesum publicam & atrocem hanc damnationis judiciariæ sententiam & ignominiam, pro publicis nostris peccatis ultrò fuscepisse. Ad Gabbatha multis gradibus marmoreis ascendebatur, qui Romam translati, juxta basilicam Lateranensem magna fidelium religione frequentantur, & scalæ sanctæ nomen obtinent.

VERS. 14 ERAT AUTEM PARASCEVE PASCHÆ] hoc est sabbati paschalis: hoc enim quia incidebat intra Octavam Paschæ, cæteris sabbatis erat solemnius, ideoque dicebatur *magnum*, ut patet v. 31. Sensus ergo est, q.d. Erat feria sexta, sive dies veneris, in qua fiebat παρασκὴ, id est præparatio ciborum, & rerum necessariarum ad sequentem diem sabbati: illo enim, utpote sanctissimo, nec cibos coquere, nec quid aliud facere licebat. Unde solum sabbatum prævium suam habebat Paraseeven, qua cætera festa carebant. Quare perperam Græci Paraseeven Paschæ interpretantur pridie Paschæ, quo agnum immolabant.

B Nam ex Matthæo, Marco & Luca constat Christum crucifixum esse primo die azymorum, hoc est postridie Paschæ, quo agnum immolaverant, ergo Joannes primum diem azymorum vocat hic Paraseeven Paschæ, id est pridie sabbati paschalis.

Cur Christus dicitur crucifixus hora tertia? Resp. Primo. HORA QUASI SEXTA] Arabicus, *& erant sex horæ*, scilicet ab ortu solis. Dices. Marcus c. 15. vers. 25. ait: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*. Varii varie respondent. Primo aliqui apud Theophyl. censent ex Marco corrigendum esse Joannem, scribendumque hic *hora quasi tertia*. Verum obstant omnes codices Græci, Latini, Syri, Arabici, qui in Joanne habent, *Hora quasi sexta*.

Secundo. Secundo, S. Hieron. in psal. 77. ex adverso, ex Joanne vult corrigi Marcum, ut in eo legatur, *Erat autem hora sexta*. Errorem autem contigisse censet ex affinitate notarum ternarii & senarii, quarum una pro alia irrepserit. Græcis enim γ est nota ternarii, τ vero senarii. Verum omnia exemplaria in Marco habent, *Erat autem hora tertia*; nullum vero habet, *sexta*.

C Tertio. Tertio, Euthym. in Marc. 15. censet a Marco dici Christum crucifixum *hora tertia*, quia illa hora postularunt Judæi eum crucifigi, clamando, *Crucifige, crucifige eum*: sed aliud est postulare ad crucem, aliud crucifigere.

Quarto. Quarto, S. August. tract. 117. & in psal. 63. & lib. 3. de Consens. Evang. c. 13. respondet fuisse horam tertiam, quando Pilatus Jesum damnavit ad crucem, sed hanc a Joanne vocari sextam, facto computu a principio, quo cœpit Jesus præparari (hoc enim significat Paraseeve) ad mortem, quod fuit hora nona præcedentis noctis, quando a Caipha proclamatus est reus mortis: nam ab hac nona noctis hora usque ad horam tertiam diei sex intercedunt horæ, qua Christus, qui vere est Pascha; id est agnus paschalis, in cruce immolatus est. Verum hoc violentum esse agnoscit ipse S. Augustinus. Unde ipse.

Quinto. Quinto, respondet Jesum crucifixum esse linguis Judæorum *hora tertia*, qua ipsi clamarunt, *Crucifige, crucifige eum:* lingua vero & sententia Pilati, *hora sexta*: sed hoc jam rejeci in Euthymio.

D Sexto. Sexto ergo, communiter respondent Interpretes Christum crucifixum *hora tertia*, ut ait Marcus, sed finiente, hoc est inchoante *hora sexta*, ut ait Joannes. Nam horæ Romanorum & Hebræorum ternas nostras complectebantur: dividebant enim diem æque ac noctem in quatuor vigilias, sive excubias militares, quas horas nuncupabant, quare quælibet ex eis continebat tres horas nostrates.

Septimo. Optime. Septimo, probabiliter Ribera censet Christum dici crucifixum hora tertia, quia illa hora Pilatus clamantibus Judæis *crucifige* publice assensus est, ut vitaret populi tumultum, unde jussit eum flagellari, quasi parans eum ad crucem (occidendi enim rei prius flagellari solebant) sperans tamen atrocitate flagellationis molliendos fore Judæorum animos: at cum vidit eos in clamore contra Jesum perseverantes, hora sexta pro tribunali sedens judiciariam & irrevocabilem in eum sententiam crucifixionis protulit. Favet Luc. 23. 14. ubi ait Pilatus: *Nullam causam mortis invenio in eo, corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur, & invalescebant voces eorum; & Pilatus adjudicavit fieri petitionem illorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem*. Favet etiam ex Matth. 27. ubi cum Pilatus vidisset Judæos petere Barabbam, & non Christum, *accepta aqua lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum*, &c. *vos videritis, & respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos*: ergo antequam solveretur Barabbas, decrevit Christum crucifigi. Confirmatur ex B. Clemente lib. 5. Constit. Apostol. c. 16. aut juxta recentiorem translationem c. 13. ubi ita ait: *Ligno crucis hora quidem sexta affixerunt, hora vero tertia sententiam contra eum pronunciatam acceperunt*. Et lib. 8. c. 40. & juxta novam translationem 34. ait: *Tertia* (scilicet *hora*) *quod ea hora Pilatus judicium adversus Dominum pronunciavit, sexta, quod ea hora in crucem actus est; nona, quod tunc omnia mota & tremefacta sunt Domino crucifixo*. Denique S. Ignatius ep. 5. ad Trallianos sic ait: *Die ergo Paraseeves, hora tertia accipit sententiam a Pilato permittente Patre; sexta vero crucifixus est; nona autem emisit spiritum*. Ergo hora tertia Pilatus tulit sententiam, id est, consensit populo, ut crucifigeretur; sed sexta hora formalem & irrevocabilem crucis sententiam in eum dictavit. Unde & Telesphorus Papa in sua epist. *Reliquis*, ait, *temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia & eadem hora Dominus crucifixus*, F id est crucifigi jussus, vel potius permissus fuit a Pilato. Quocirca cum ait Marcus: *Et erat hora tertia, & crucifixerunt eum; τὸ crucifixerunt* actum inchoatum significat, non perfectum, q.d. Hora tertia cœperunt Judæi agere de crucifixione Christi, clamantes, *Crucifige, crucifige eum*; ac Pilatus eis consensit, ideoque jussit eum flagellari, quasi parans eum ad crucem & necem; sed sub finem horæ tertiæ, incipiente jam hora sexta, Pilatus Jesum judicide damnavit, & statim cum crucifixerunt. Marcus ergo originem & initium crucifixionis per horam tertiam indicavit; Joannes vero ejus executionem & complementum per horam sextam assignavit.

NON HABEMUS REGEM, NISI CÆSAREM] *Agnum rejecerunt*, ait Cassiod. hic, *vulpem elegerunt*, scilicet Herodem a Romanis & Cæsare sibi regem creatum. De Herode enim ait Christus: *Dicite vulpi illi*, Lucæ 13. 31. Vers.

ET BAJULANS SIBI CRUCEM] Ex lege & more Romanorum. Audi S. August. tract. 117. *Grande spectaculum; sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei monumentum: si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicii: si pietas, videt regem bajulantem lignum ad sometipsum figendum, quod fixurus etiam erat in frontibus regum, in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum*. Et affert illud Galat. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* G

ERAT AUTEM TUNICA INCONSUTILIS, DESUPER (ἐκ τῶν ἄνωθεν, id est, *ex summis*, id est, ex summo usque ad imum) CONTEXTA PER TOTUM] q.d. Tota a cervice ad talos erat continua serie contexta, sine ulla sutura vel scissura, sicut solent interulas & caligas in Belgio a summo ad imum integras, gemina acu, filis opere reticulato intextis pertexere. Unde Arabic. & Syrus vertunt, *erat autem tunica absque sutura desuper, sed contexta tota*. Origenis Interpres tract. 35. in Matth. *sursum textilis per totum*. Sic & Nonnius. Tradunt, ait Euthymius, eam a B. Virgine fuisse contextam. De eadem plura dixi Matth. 27. 35.

Allegor. tunica inconsutilis Christi est Ecclesia, quam scindere non licet, & si scindas, schisma facies.

Tropologice S. Bern. serm. 1. de Annunc. *Tunicam inconsutilem*, ait, *ego divinam arbitror esse imaginem; quæ nimirum non assuta, sed insita atque impressa naturæ, dividi scindique non potest*.

STABANT AUTEM JUXTA CRUCEM JESU MATER EJUS, ET SOROR (consobrina) MATRIS EJUS MARIA CLEOPHÆ (scilicet uxor, ac mater S. Judæ & Jacobi Minoris Apostolorum) ET MARIA MAGDALENE] quæ longe magis in amorem Jesu exarsit, dum vidit cum sanguine abluere peccata sua, quæ ipsa nuper lacrymis abluerat. Voluit hoc Christus: tum ut magis pateretur matris dolentis aspectu: tum ut ipsa sibi compatiendo perfectum patientiæ & charitatis nobis daret exemplar. Ecce hic impletur illud: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. 2. scilicet, ut ait Damasc. l. 4. 15. *Dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex materna compassione viscerum; lacerum reparturiens*. Nimirum quo sanctior quis est & Christo vicinior, eo major calix passionis illi a Christo propinatur. Euthymius asserit B. Virginem propinquius cruci astitisse, viscerum in-

Digitized by Google

A flammationē Judæorum timorem vincente, Stabat ergo corpore erecta & excelsa, animo excelsior, spectans & admirans magnum hoc pietatis sacramentum, scilicet Deum in cruce. Hinc Sophronius apud S. Hier. serm. de Assumpt. B. Virginem vocat Martyrem, imo pluſquam Martyrem: *Quia*, inquit, *mente passa est, pluſquam martyr fuit. Nimirum & ejus dilectio amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.* Sic & S. Ildephonsus serm. de Assumpt. *Pluſquam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris quam mœroris fuit: est intus gladio vulnerata: parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. Beata Dei genitrix jure pluſquam Martyr mater est, que nimio amore vulnerata testis extitit Salvatoris, & pro mœrore in animo cruciatum sustinuit passionis.* Hæc Ildephonsus.

B. Virgo pluſquam martyr astans cruci.

S. Anselmus lib. de Excellentia Virg. c. 5. *Quidquid*, ait, *crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tue passionis, que nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benigniſſimi cordis intima: & utique pia Domina non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere; nisi ipse Spiritus vite, Spiritus consolationis, Spiritus scilicet dulciſſimi filii tui, pro quo moriente torquebaris, te intus doceret non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem; quod in ipso fieri coram moribundo videbas.*

B

S. Bernar. in lament. B. Mariæ: *Nec lingua*, ait, *poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Marie. Nunc solvit Virgo cum usura, quod in partu non habuiſti a natura. Dolorem pariendo filium non senſiſti, quem millies replicatum filio moriente passa fuiſti.*

S. Mechtildis lib. 1. Revel. c. 56. narrat se vidisse Seraphinum quemdam salutasse Virginem *ob amorem, quo Deum*, inquit, *pre omni creatura in terris dilexit; quia amor in passione unigeniti sui in ea tantum prevaluit, ut omnem humanum affectum penitus devinceret & extingueret: quia omni creatura in morte Filii Dei dolente, ipsa sola cum divinitate immobilis, &*

C *gaudens filium suum pro mundi salute voluit immolari.*

Joannes Gerson scribens in *Magnificat*, asserit B. Virginem stantem juxta crucem habuisse altissimum actum obedientiæ, offerendo filium Patri, & conformando se in acerbissima filii morte cum divina voluntate: neque enim minori fortitudine prædita fuit, quam mater illa septem Machab. de qua 2. Machab. 7. sic scribitur: *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, que pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat; propter spem quam in Deo habebat, singulos illorum hortabatur voce patria, fortiter repleta sapientia & feminee cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos*, & quæ sequuntur. Neque minori constantia quam S. Felicitas, qua hortante septem filii ejus in fide perseverantes pro Christo varie sunt necati, & quam S. Symphorosa, quæ septem pariter filiis fidei magistra, & dux ad martyrium extitit.

Quantus tunc fuerit dolor Virginis, ex ejus revelatione descripsit S. Brigitta lib. 1. Revelat. cap. 10. 27. 35.

D & lib. 4. c. 23. & 70. ubi inter cætera ait: *Dolor filii erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.*

Denique Adrichom. in Descript. Jerusalem ex Saligniaco, Brendenbachio & aliis, singula loca passionis Christi graphice depingens & dimetiens, asserit B. Virginem cum Joanne, Magdalena, cæterisque mulieribus, firma mentis fideique constantia stetisse quindecim ulnis, quæ nunc octodecim gradibus metiuntur, distantem a cruce Christi, atque hunc locum adhuc pia veneratione a fidelibus decorari.

An spasm passa Virgo?

Quæres: quid de spasmo B. Virginis sentiendum? Resp. B. Virginem spasmum, id est deliquium animi, passam esse, indeque corruisse in terram ex ingenti dolore, dum primum Jesum in cruce pendentem aspexit, tradit S. Brigida lib. 1. Revelat. c. 10. & lib. 4. cap. 70. S. Bonavent. in Meditat. vitæ Christi cap. 22. & 79. S. Bernard. in opusc. de Lamentatione Virginis. Favent S. August. epist. 58. Laurent. Justin. de Triumphali agone Christi cap. 21. Dionys. Carthus. hic, Daniel Maltonius de Stigmat. sacræ sindonis cap. 17. ad finem. Confirmat idipsum Primo, ex eo quod nonnulli chorographi terræ sanctæ scribunt in via Calvariæ templum esse jam dirutum, quod nunc est stabulum equorum Turcarum, diciturque S. Maria de Spasmo, quod ibi corruerit exanimata Virgo, videns filium suum in cruce in via illa, quæ vulgo Amaritudinis dicitur. Secundo, quod Cajetanus in opusculo de Spasmo Virginis Mariæ, in fine 2. tom. opusculorum, refert celebratam esse festivitatem spasmi Virginis cum Octava, & qui celebrabant perierunt a Summo Pontifice Indulgentias.

E

Negant plures.

Ex adverso B. Virginem deliquium passam esse negat Maldon. hic, qui asserit contrarium dicere esse errori affine, Cajet. Jansenius, Toletus, Christophor. a Castro de Deipara cap. 16. Medina 3. part. q. 27. Molan. lib. 4. cap. 8. de Imagin. Suarez 3. part. qu. 27. disp. 4. sect. 3. Probant id tum ex ratione conformitatis voluntatis ejus cum divina, per quam volebat filium suum pro humani generis redemptione mori; tum ratione constantiæ & fortitudinis animi, qua ipsa prædita erat; tum etiam ratione decentiæ cujusdam, quam decuit Virginem servare: non enim inquiunt Cajetan. Suarez & Toletus, conveniebat matrem Dei corporales quosdam defectus habere, aut aliquod dissonum & indecorum in ratione esse: gratius enim erat quod compateretur secundum rationem, quam secundum partem sensitivam.

F

Hæc sententia verior, & B. Virgine dignior videtur: si quis tamen priorem sententiam sequi malit, dicat cum Salmerone lib. 10. tract. 41. B. Virginem principio erectæ crucis ex doloris vehementia in terram corruisse, postea vero resumpto animo semper stetisse, ut ait hic Joannes. Rursum dicat spasmum hunc non illam a se alienasse, ut rationis esset impos; hoc enim fuisset indecens, sed tantum mentem a sensibus abstraxisse, ut virium defectu in terram laberetur: idque factum ipsa non invita, sed permittente, ut suum erga Christum eximium amorem, indeque dolorem hominibus testaretur. Simili enim modo Christus in horto assumpsit passiones pavoris, tædii & angoris, ut sudaret sanguinem. Hæ ergo passiones Christo, ac B. Virgini erant voluntariæ, & sponte assumptæ, vel permissæ. Uterque enim liber erat a concupiscentia, ac plenum passionum suarum habebat dominium, æque ac habuit Adam per justitiam originalem in statu innocentiæ.

G

Audi S. Ambros. serm. de Instituit. Virgin. c. 7. *Stabat ante crucem mater, & fugientibus viris stabat intrepida. Videte, utrum pudorem mutare potuerit mater Jesu, que animum non mutavit. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem; stabat non degeneri mater spectaculo, que non metueret peremptorem: pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat; non ignara mysterii fuis quod genuisset resurrecturum.* Et S. Anselmus hic: *Stabat Maria in fide Jesu constantiſſima & patientiſſima: nam discipulis fugientibus cunctiſque viris recedentibus, in gloriam totius feminei sexus, inter tot pressuras filii sui constanter ipsa sola stabat in fide Jesu firma, & pulchre stabat, ut decet pudicitiam virginalem: non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium a Deo petebat; sed stabat disciplinata, verecunda Virgo, patientiſſima, lacrymis plena, doloribus immersa.*

H

Imo B. Virgo spectans in cruce pia Christi vulnera, adeo confortata est, ut etiam ipsa, pro salute mundi mori esset parata, ait S. Ambros. in cap. 23. Lucæ: non enim fide, robore & ardore charitatis erat inferior Abrahamo, qui propria manu unicum suum filium Isaac Deo jubente immolare voluit, Gen. 22. Accedebat certa fides & spes resurrectionis, quæ valde dolorem leniebat, & animum Virginis corroborabat. Certo enim credebat Christum, uti prædixerat, tertia die glorioſe resurrecturum.

Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier ecce filius tuus] Verberat Christus matris cor telo tum amoris, tum doloris. q. d. En mater in cruce morior, ut vides; deinceps tibi adesse, servire, providere & opitulari corporaliter non potero, uti hactenus feci. En loco mei tibi in filium assigno Joannem; nimirum pro Deo hominem, pro magistro discipulum, pro filio naturali adoptivum, ut hic quasi virgo, tui quasi Virginis Deiparæ amantiſſimus, omne sola-

Vers. 26

Commendat Christus S. Joannem matri suæ, & matrem S. Joanni.

Digitized by Google

A solarium, omne obsequium præstet, quod tum tua dignitas, ac senescens ætas meretur, tum Joannis alacritas & charitas promittit & spondet. Docet ergo hic Christus, filios parentum curam gerere debere usque ad extremum spiritum, ait Theoph. ex Chrysost. Audi S. Aug. *Moralis hic insinuatur locus: exemplo suo suos instruxit præceptor, ut a filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis.* Nam, ut ait Cyrill. *Oportebat ab ipso & per ipsum primum nos discere, nec quando intolerabiles imminent ærumnæ, negligendos esse parentes.* Admirare autem cum Theoph. *quomodo in cruce omnia absque turbatione facit, matris curam agens; prophetias implens, latroni paradisum aperiens; ante crucem autem laborans, sudans, anxius.* Nam, ut Euthymius ait, *ibi naturæ infirmitas; hic autem patientiæ vehementia apparet.* Commendat Christus matrem Joanni, quem eidem pro se in filium substituit, ut tam matri de tali filio, quam Joanni de tali matre prospiciat. Causas cur id fecerit dat S. Cyprian. vel quisquis est auctor Tractatus de Passione Christi:

Cur Joannes B. Virgini commendatur?

B Prima est, ut matri jam senescenti de cura & obsequio filii provideret. q. d. Ego sum filius tuus, o mater, & quia morior, tui curam gerere nequeo: illam ergo in Joannem resigno & transfero.

Causa Prima.

Secunda, ut virginem virgini commendaret; nam *pura puro commissa est*, ait Theophyl. Quare Nonni paraphrasis est: *Dixit: Mulier amans virginitatis mater, ecce virginem filium; & vice versa dixit discipulo: Virginitatis studiose, ecce virgo parens tua absque partu.* Et Ambros. c. 7. de Instit. virgin. ait: *Sed cum quo Virgo habitare debebat, quam cum eo, quem filii heredem, integritatis sciret esse custodem?* Atque hac quidem re Jesus quasi filius de matris pudore sollicitus, maternæ virginitatis perseverantiam voluit comprobatam, quod scribit Ambros. ejusdem lib. 6. *Ne quis eam convitio temeratæ integritatis aspergeret.*

Secunda.

Tertia, ut ostenderet Josephum non esse suum Patrem, hinc eo abrogato Joannem ei in cura matris substituit. Sed audi ipsum Cyprianum: *Provides sedulo benedicta inter mulieres Apostolicam clientelam, & obsequium Virginis virgini discipulo tradis: ut jam non Joseph tanti mysterii oneretur præpositura, sed Joannes, quia jam exigebat ratio, ut conjugis removeretur opinio, nec ultra pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris & conjugis tenuerat.* Occurrit deinde tacitæ objectioni dicens: *Habebat Joseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum, sed quia in spiritu actum erat conjunctionis illius mysterium, passus est Joseph æquanimiter sibi eum in hoc servitio præponi, quem digniorem se judicabat; & ideo maxime, quia magistri electio sic negotium ordinabat.*

Tertia.

C

Adverte hic auctorem (sive Cyprianus, sive quis alius fuerit) hunc opinari Josephum in passione Christi fuisse superstitem & vivum, cujus contrarium passim opinantur interpretes, idque verisimilius videtur: nulla enim ejus fit mentio; imo videtur Christus matrem Joanni commendasse hac de causa, quod Joseph jam esset vita functus: si enim vixisset, utique illi matrem suam velut sponsam charissimam commendasset, uti primitus eam commendarat dum incarnaretur & nasceretur, atque ejus fidelitatem, & sedulitatem, tum in fuga in Ægyptum, tum alias semper expertus erat.

D

Quarta causa, cur Christus Joanni præ aliis Apostolis matrem commendarit, fuit quod Joannes solus cum matre Christo crucifixo usque ad mortem intrepidus & constans, inter tot Judæorum odia & opprobria astiterit: meruit ergo ipse, ut a Jesu quasi in fratrem adoptaretur, ac pro se quasi filius matri virgini surrogaretur. Porro Christus in Joanne cæteros Apostolos, imo fideles omnes, quasi filios matri suæ assignavit, & commendavit, maxime eos, qui virgines castique sunt, ac proxime Christum in cruce sua consectantur: sic enim fiunt amicissimi ac intimi Christo ejusque matri, uti fuit S. Joannes, qui proinde a S. Cypriano loco citato, vocatur *cubicularius Christi.*

Quarta.

QUEM DILIGEBAT] cui exterius majora dilectionis signa exhibebat, eo quod cæteris esset junior, verecundior, modestior, castior & virgo, ac Jesum præ aliis diligeret, ideoque aliis fugientibus solus cum matre astaret cruci, ut superius dixi.

MULIER, ECCE FILIUS TUUS] Dicit Christus, *mulier*, non *mater*, ne nominando matrem, ipsius animam majori dolore afficiat. *Ne*, ut canit Baptista Mantuanus, *materna pium laceraret viscera nomen.* Secundo, ne astantes Judæos & Scribas contra eam conciret. Tertio, ut ostendat se affectus humanos erga parentes exuisse. Quarto, quia ad mortem & cælum tendens parentelas humanas hujus vitæ abdicavit, & abdicandas esse docere voluit. Quinto, ut matrem ad fortitudinem & animum excelsum omnia hæc fortiter tolerandi excitet, memoremque faciat se esse illam, de qua prædixerat Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31. 1. B. Virgo enim amplius & diutius passa fuit quam Christus. Nam passio Christi defiit in morte, tunc autem B. Virginis passio & compassio non defiit, sed crevit, nam Christi corpus mortuum de cruce depositum ipse excepit cum redivivo dolore, ac deinde per tres dies sepulturæ cruciatus Christi crucifixi, quos ipsa cominus oculis aspexerat, vivi hærebant in imaginatione ejus, eamque cruciabant, usque dum Christus resurgens sua apparitione, consolatione & gloria eos abstersit. Rursum B. Virgo relicta fuit a Christo post se, ut illa Apostolorum & fidelium foret mater, eos lapsos colligeret, afflictos solaretur, titubantes solidaret, dubiis & anxiis consuleret, eosque per omnia dirigeret, instrueret, animaret. Unde ipsa statim Apostolos a Christo capto diffugientes collegit; Petrum ob negationem Christi pusillanimem spe veniæ erexit, omnesque morte Christi turbatos fide resurrectionis Christi mox futuræ confirmavit. Deinde cum principes Judæorum Apostolos incarcerarent, flagellarent, occiderent, ipsa omnes hasce persecutiones quasi sibi illatas, vive sentiebat, sed excelso animo superabat, & Apostolos superare verbo & exemplo docebat.

E

Hæc omnia prævidens Christus dixit, *Mulier*, q. d. O mater esto deinceps mulier fortis & generosa, quæ mei loco sis basis, petra & columna meæ Ecclesiæ, ut eam robore tuo fulcias, & omnes contra eam tentationum procellas tua constantia, consilio, oratione elidas & dissipes, non tantum nunc, sed omnibus deinceps sæculis, usque ad finem mundi. Quocirca ipsa a fidelibus totaque Ecclesia in Litaniis vocatur, & assidue invocatur: *Consolatrix afflictorum, Refugium peccatorum, Salus infirmorum, Turris Davidica, Fœderis arca, Auxilium Christianorum, Stella matutina, Janua cæli, Mater admirabilis, Virgo virginum, Regina Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Sanctorum omnium.*

Audi S. Bern. serm. 4. de Assumpt. *Sileat*, ait, *misericordiam tuam Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Et mox: *Quis ergo misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replevit orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra: sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instaurata ruinæ cælestis Jerusalem. Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat.* Idem hom. 4. super *Missus est*: *Ex ore tuo* (o Virgo) *pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui.* Idem serm. 2. in die Pentecostes: *Ad illam* (B. Virginem) *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui in cælo habitant & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, ut resarciantur: qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes genitrix Dei, domina mundi, Regina cæli. In te enim angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benignam manus Omnipotentis, quidquid creavit, recreavit.* Nam, ut ipse ait serm. 3. super *Missus*: In B. Maria inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter, puta θεανδρικὴ ἐνέργεια, ut ait S. Dionys. ex quo theandricæ, id est, Dei-virilis actio-

F

V

V1

Digitized by Google

A actiones, quibus homines Deo reconciliavit, promanarunt. Idem serm. 3. inter parvos: *Ave Maria gratia plena: quia Deo & angelis & hominibus grata. Hominibus per fœcunditatem, angelis per virginitatem, Deo per humilitatem.* Idem serm. de B. Maria: *Eva spina fuit, quæ & virum suum usque ad mortem pupugit, & posteritati sui peccati aculeum infixit; rosa Maria, Eva spinam vulnerando; Maria rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem; Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem,*

VERS.27 DEINDE DICIT DISCIPULO: ECCE MATER TUA] q.d. Hanc ama, observa, juva ut matrem, ac vicissim ad eam quasi ad matrem in omni difficultate, tentatione, persecutione, afflictione, recurre. Ita te materno affectu suscipiet, fovebit, solabitur, proteget, opem a filio poscet, &c. Porro verba Christi non sunt ut hominum, oralia dumtaxat & inefficacia, sed ut Dei, realia & efficacia, ac perficiunt id, quod dicunt: quare S. Joanni impresserunt filialem affectum, & spiritum erga B. Virginem, quasi erga matrem suam. *Jam pape!* exclamat Theophyl. *quomodo honorat discipulum fratrem suum illum faciens? usque adeo bonum est* juxta crucem stare, & *manere apud patientem Christum.* Et Chrysost. *O honorem, quem discipulo tribuit! cum enim jam abiret, matris curam discipulo reliquit: nam cum par esset utpote matrem dolere, & protectionem quærere, merito dilecto commendat: cui etiam inquit: Ecce mater tua, ut dilectione devincirentur.*

B

ECCE MATER TUA] & tuorum collegarum Apostolorum, cæterorumque fidelium, quorum personam Joannes hic repræsentat: quare fideles omnes ad eam quasi ad matrem confugere oportet cum magna fiducia & amore, uti docet S. Bern. cujus verba jam recitavi. Ipsa ergo vera est fidelium Eva, id est, mater viventium. Ita ad illam recurrere omnes sapientes & Sancti quolibet ævo.

Audi S. Augustin. serm. de Passione, *Ecce mater tua; Curam, inquit, illius habe, eam tibi commendo, suscipe matrem tuam. Dum hæc pauca diceret; illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant; tacebant ambo illi Martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant, isti duo virgines Christum audiebant & voce loquentem, & ipsum videbant paulatim morientem, amare flebant qui amare dolebant; nam gladius doloris Christi animas utrorumque transibat.*

C

ET (hoc est, *igitur*, quia scilicet Jesus id jusserat) EX ILLA HORA ACCEPIT EAM DISCIPULUS IN SUA] Ita legendum cum Græcis, & Romanis; Syrus & Arabicus, *apud se*. Nonnulli legunt, *in suam*, scilicet habitationem vel domum. Unde Nonnus paraphrastice vertit *Virginem partu felicem convictricem habuit discipulus intra domum suam.* Nam filii solent parentes senes in domum suscipere & alere: & quos in curam nostram, hos & in domum suscipimus. Audi Bedam: Alia littera habet *in suam*, scilicet matrem, ut quidam volunt; sed congruentius subauditur: in suam curam. Et S. August. *Suscepit eam in sua, non prædia, quæ propria possidebat; sed officia, quæ propria dispensatione curabat.* Omnia ergo hæc eodem redeunt. Hinc S. Joannes abiens Ephesum eodem secum duxit B. Virginem. Unde in Synodo Ephesina cap. 26. in epistola Synodica dicitur, quod B. Virgo & S. Joannes quandoque incoluerint Ephesiorum civitatem. Vide Christophor. a Castro in Historia Deiparæ.

D Hoc ergo fuit testamentum Christi, cujus testamentarius & executor fuit S. Joan. *Testabatur enim de cruce*, ait S. Amb. in c. 23. Luc. *& testamentum ejus signabat Joannes, dignus tanto testatore testis.*

Hinc rursum collige Josephum sponsum Virginis jam vita fuisse defunctum. *Neque* enim, ait S. Ambrosius loco jam citato, *abrogaretur uxor marito, sed qua pro mysterio conjugium prætexuit, completis mysteriis jam conjugio non egebat.* Et Epiphan. hæresi 78. sit ait: *Dicit autem Evangelium: Et ab illa die accepit eam ad sua*, sive apud seipsum. *Si vero habuisset virum, si habuisset domum, si habuisset filios, in sua secessisset, & non ad alienum.* Hinc vide quam pauper, & paupertatis studiosa, fuerit B. Virgo.

VERS.28 POSTEA SCIENS JESUS, QUIA (jam) OMNIA CONSUMMATA SUNT, UT CONSUMMARETUR SCRIPTURA, DIXIT: SITIO:] *Postea*, post tres fere horas: nam ante tenebras initio crucifixionis matrem commendavit Joanni; in fine vero paulo ante mortem dixit, *Sitio*, ut impleretur Script. psal. 68. 22. *Et in siti mea potaverunt me aceto.* q. d. Ut hoc quoque tormentum propinationis aceti patiar, clamo me sitire. q.d. ait Augustinus: *Hoc enim fecistis, date quod estis;* nimirum estis acetosi & acerbi, date ergo acetum, non vinum. B

Sitiebat Christus; tum quia nec ederat, nec biberat quidquam a cœna pridiana, tum quia humorem omnem exsudarat, & sanguinem in flagellatione & crucifixione effuderat; tum quia dolores acerrimi sitim ingentem excitabant. Nam: ut ait Cyrillus: *Dolores innatum calorem exagitant, vel quod in profunditate est humidum consumunt, & ignis ardoribus dolentis viscera urunt.* Hinc fauces siccantur & præ siti arescunt; tunc ergo impletum fuit in Christo illud Psal. 21. 6. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Quæ Christi verba usurpans Cancellarius Lovaniensis, me præsente ante 40. annos moriens ajebat, numquam se illa ita intellexisse, uti tum ad vivum intelligebat, cum simili siccitate faucium & siti se laborare sentiret, & ex illa metiretur quanta fuisset Christi sitis & siccitas. Mystice, sitiebat Christus animarum salutem. Vide Bellarm. de septem Christi verbis in cruce, Nimirum, *sitit sitiri Deus*, ait Nazianz. in Tetrastichis, ut scilicet insatiabiliter eum amemus, & optemus, dicamusque cum Psalte: *Sitivit* (instar cervi anheli, ut præcessit) *anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* F

Sitiebat Christus in cruce: cur?

VAS ERGO ERAT POSITUM ACETO PLENUM. ILLI AUTEM SPONGIAM PLENAM ACETO, HYSSOPO CIRCUMPONENTES, OBTULERUNT ORI EJUS] Hunc versum explicui Matth. 27. v. 48. VERS.29

CUM ERGO ACCEPISSET JESUS ACETUM, DIXIT: CONSUMMATUM EST. ET INCLINATO CAPITE TRADIDIT SPIRITUM] q.d. Consummata jam sunt omnia tormenta, æque ac mysteria, quæ Pater a me sustinenda vel peragenda ab æterno decrevit, ac nascenti mihi sustinere & peragere præcepit, quæ proinde a Prophetis de me prædici voluit. Restat ergo catastrophe mortis, ut morte consummem cursum & passionem meam, ac morte mea reatum mortis, quem Adam peccando induxit, expiem, itaque homines vitæ restituam. Mortem ergo amplector, & in manus Patris meum resigno spiritum. Vide dicta Matth. 27. 48. & sequ. VERS.30

Nota. Christus septem edidit in cruce verba, quorum quatuor recensent Matth. Marc. & Luc. tria vero Joannes. Primum fuit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Secundum ad latronem. *Hodie mecum eris in paradiso.* Tertium ad matrem: *Mulier ecce filius tuus*, ac ad Joannem: *Ecce mater tua.* Quartum: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quintum: *Sitio.* Sextum, *Consummatum est.* Septimum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* G

Septem Christi in cruce verba:

JUDÆI ERGO (QUONIAM PARASCEVE ERAT) UT NON REMANERENT IN CRUCE CORPORA SABBATO (ERAT ENIM MAGNUS DIES ILLE SABBATI) ROGAVERUNT PILATUM, UT FRANGERENTUR EORUM CRURA, ET TOLLERENTUR] Lege sancitum erat Deut. 21. 22. *Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Sequitur causa: *Quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam.* Vide ibi dicta. Maxime vero hoc faciendum erat in parasceve sabbati, ne suspensorum cadavera, si in patibulo remanerent, quod erat solemnissimum festum, deturparent, sabbatum funestarent, & sui cruciatus horrore fœdarent, ait S. Aug. Debebant ergo rei mori & sepeliri ante solis occasum; sabbatum enim incipiebat a vespera & solis occasu, *ne occideret sol in hominis supplicio*, ait Theoph. H VERS.31

ERAT ENIM MAGNUS DIES ILLE SABBATI] Quia scilicet erat sabbatum paschale, sive incidens intra octavam Paschæ, ideoque cæteris solemnius, quia duplici titulo festum; scilicet primo, sabbati, secundo, Paschæ.

UT FRANGERENTUR EORUM CRURA] Id est, validis mallei aut vectis ferrei ictibus rumperentur. Nonnus, *ut fœdarentur*: nimirum hoc fine *ut citius morerentur*; tum *ob magnitudinem doloris*, ut ait Cyrillus; tum ob sanguinis defluentis copiam; tum quia cruribus & *genibus inest vitalitas*, ait Plinius lib. 11. cap. 45. *Namque in ipsa genu utriusque commissura, dextra lævaque a priori parte, gemina quædam buccarum inanitas inest, qua perfossa, ceu jugulo, spiritus fugit.*

Sed cur non lancea, cur non gladio cor transfoderunt; hoc enim facilius erat, & celeriorem mortem reis afferebat? Resp. crurifragio ipsos usos fuisse ad majus latronum

Digitized by Google

A mum tormentum, ſicut etiamnum latrones multis cædibus infames in rota crurifragio puniuntur. Verisimile eſt Judæos in odium Chriſti id feciſſe, ac crurifragium Chriſto inferre voluiſſe, ut eum magis cruciarent, imo Baron. cenſet idcirco eos Chriſto acetum dediſſe, ut ejus vi diutius viveret, & vivus ſervaretur ad crurifragium. Verum Chriſtus citius mortuus fuit, non quod horreret & fugeret crurifragium, ſed tum ob myſterium, de quo mox; tum quia tot flagellis, plagis, cruciatibus excruciatus erat, ut eum vires & vita deficerent. De crurifragii ſupplicio vide Lipſium lib. 2. de Cruce c. 14.

ET TOLLERENTUR] e cruce, & ſepelirentur. Videntur Judæi non tam religione ſabbati, & legis Deuter. 21. jam citatæ, urſiſſe Jeſum tolli e cruce; quam ob timorem, pudorem & ſceleris conſcientiam. Videbant enim ejus morte ſolem obſcurari, velum templi ſcindi, terram tremere, ſaxa rumpi, &c. & ab his omnibus judicium ſuum contra Chriſtum damnari. Quare metuebant ne vel Deus, vel populus Jeſu favens in ipſos quaſi chriſticidas inſurgeret: juſſerunt ergo eum e cruce, quaſi e triumpho ſuo tolli, B ac ſepeliri. Ita Franc. Lucas.

VERS. 33 AD JESUM AUTEM CUM VENISSENT. Hinc liquet eos cogitaſſe Chriſto pariter inferre crurifragium. Audi Euthymium: *Poſtremo ad eum venerunt, majore contumelia, in gratiam Judæorum, ipſum afficere volentes.* UT VIDERUNT EUM JAM MORTUUM, NON FREGERUNT EJUS CRURA] quia frangenda erant crura, ut mors illi acceleraretur imminente ſabbato. Noluit Jeſus crura ſibi frangi, quia illico integer voluit reſurgere. Audi Lactantium lib. 4. c. 26. *Sic integrum corpus patibulo detractum eſt, & ſepulchro diligenter incluſum, ne diminutum ad reſurgendum inhabile redderetur.*

Chriſto non fracta fuere crura.

Hinc patet Chriſtum jam fuiſſe mortuum, ac proinde Chriſto mortuo vice crurifragii latus fuiſſe lancea perfoſſum; non autem vivo, ut quidam ſenſere, quorum dux fuit quidam Petrus Joannes, teſte Prateolo lib. 14. c. 20. Horum error damnatus eſt in Concilio Viennenſi Clement. prima. Nimirum Chriſtus ſicut in vita manus, pedes, caput, totumque corpus flagellis, clavis & plagis pro nobis dedit; ſic in morte voluit dare nobis ſuum cor: C hoc enim lancea perfoſſum fuit, indeque ſanguis & aqua emanavit, ut ſcilicet ipſe cor proprium, & totum ſe quantus, quantus erat, nobis donaret.

Dices: Chriſtus jam mortuus erat; ergo nihil hac cordis perfoſſione meruit. Reſp. eum meruiſſe. Nam Chriſtus vivens ſciebat ſibi hoc vulnus in corde poſt mortem inferendum, illudque vivens acceptavit, & Patri pro nobis obtulit; illo ergo meruit, & operatus eſt ſalutem noſtram. Dices Secundo: Videmus ex corpore hominis occiſi manare ſanguinem, ſi coram illo compareat is, qui eum occidit: ergo hoc naturale eſt. Reſp. Non naturale eſt, ſed inſtar miraculi: fit enim ex ſingulari Dei providentia, ad indicandum & confundendum occiſorem. Multo magis in Chriſto id fuit miraculum, uti mox oſtendam.

VERS. 34 SED UNUS MILITUM LANCEA LATUS EJUS APERUIT] Fecit hoc ſubdubitans an mortuus eſſet, ait Cyrill. ut ſcilicet ſciret an revera obiiſſet, &, ſi non obiiſſet, hoc vulnere mortem illi acceleraret, & reipſa inferret. Militum enim horum, utpote cuſtodum, officium erat efficere ut ſententia judicis Pilati compleretur, nec damnati dimitterentur, donec conſtaret eos mortem luiſſe. Addit Chryſ. *Ad conciliandam Judæorum gratiam latus ejus aperuerunt, & mortuo adhuc inſultant. O peſſimam voluntatem ac ſceleratiſſimam!* Militem hunc nonnulli putant fuiſſe Centurionem, nomine Longinum, qui viſis miraculis Chriſti expirantis exclamavit: *Vere filius Dei erat iſte*, Matth. 27. 54. Idcirco autem eum perforaſſe latus Chriſti, ut oſtenderet eum jam eſſe mortuum: nam ſui muneris erat curare ne Chriſtus vivus de cruce deponeretur, alioqui capitis periculum aditurus. Verum quis credat hoc eum auſurum fuiſſe in eum quem jam Dei filium proclamarat? Nazianz. in Carm. de Chriſto patiente inſinuat eum fuiſſe cæcum, & hic a Chriſto ſuiſſe illuminatum. Alii alia narrant, quæ hic congerit Barradius, ſed incerta & apocrypha, ait Baron.

Lancea latus Chriſti aperuit.

D Nota. Primo, Miles hic transfodiens latus Chriſti, videtur fuiſſe unus ex cuſtodibus, qui latronum crura jam fregerant, fracturi etiam crura Chriſti, ſi is adhuc vixiſſet; ſed cum eum mortuum cernerent, latus perfoderunt, ut plene omnes viderent eum eſſe mortuum, ideoque ſe ejus crura non fregiſſe.

Secundo, pro *lancea* græce eſt λόγχη, id eſt, cuſpis haſtæ. Nazianz. vocat ξίφος, id eſt, *enſem*; Nonnus *machæram*; Theophyl. *rhompheam*, quæ apud veteres ſignificat genus fertamenti, quod neutram in partem inclinat, nam venit a ῥέμπω, id eſt, vergo, inclino. E

Tertio, pro *aperuit* græce eſt ἔνυξε, id eſt, compunxit, tranſpunxit; ſed Noſter legit ἤνοιξε, id eſt, aperuit: quod eodem redit.

Quarto, apertura hæc & vulnus lateris Chriſti fuit ingens, & tantum, ut manus illi imponi poſſet: id patet ex verbis Chriſti ad Thomam, Joan. 20. 27. *Infer digitum tuum huc, & vide* (tange) *manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Sicut ergo vulnera clavorum in manibus Chriſti tanta erant, ut eis poſſet imponi digitus Thomæ; ita vulnus lateris tantum fuit, ut ei poſſet imponi Thomæ manus.

Quinto vulnus hoc fuiſſe in dextro latere, docent veteres & pictores; putantque aliqui id prædictum ab Ezech. c. 47. 2. *Et ecce aquæ redundantes a latere dextro, cum egrederetur vir ad Orientem.* Unde & S. Franciſcus recipiens a Chriſto crucifixo quinque ſtigmata, accepit ſtigma in latere dextro, æque ac in manibus & pedibus, teſte S. Bonaventura in ejus Vita, Ribaden. Luca Todenſi lib. 2. contra Albig. c. 11. atque ex eo Lucas VVaddingus in Annalibus Minorum, anno Chriſti 1224. n. 19. F

Sexto, hinc patet Chriſtum habuiſſe quinque vulnera; ſcilicet duo in manibus, duo in pedibus, unum in latere.

Vulnus latus Chriſti penetrans.

Septimo, vulnus hoc videtur totum latus Chriſti penetraſſe, ut videlicet lancea hæc adacta per dextrum latus Chriſti, tranſierit per cor & pericardium, atque cuſpis ejus exierit per latus ſiniſtrum ad papillam. Nam utrumque Chriſti latus fuiſſe transfoſſum tribus locis docet Prudentius, ſcilicet in Paſſione Chriſti:

Trajectus per utrumque latus latiſque cruorem
Chriſtus agit; ſanguis victoria, lympha lavacrum eſt.

Et *Periſtephanon* hymno 8.

Ipſe loci eſt Dominus, laterum cui vulnere utroque,
Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex.

Et *Cathemerinon* hymno 9.

O novum cæde ſtupendæ vulneris miraculum!
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera.
Lympha nempe dat lavacrum, ſum corona ex ſanguine eſt. G

Idem inſinuat Cyprianus tract. de Paſſione Chriſti, cum ait: *De latere tuo, o Chriſte, diviſis limitibus aqua & ſanguis emanant.* Hinc & Theophyl. hoc vulnus lateris vocat *vivus*, in plurali, idque confirmatur ex eo, quod vulnus dextri lateris tantum fuit, ut Thomas manus imponere poſſet. Quod autem Prudentius notat ſeparatim per alterum vulnus ſanguinem fluxiſſe, per alterum vero aquam, videtur ſignificare quod per majus ſive potentius vulnus (quod procul dubio fuit in latere dextro) ob capacitatem tantum eruperit ſanguinis, ut aqua per ſe conſpici nequiverit, per ſiniſtrum vero, utpote minus & pericardio vicinius, eruperit aqua: pericardium enim continet liquorem jam dictum, & in Chriſto continuit aquam: unde pertuſum lancea effudit eam per latus vicinum, pura ſiniſtrum. Ita Prudentius. Verum quia hoc lateris ſiniſtri vulnus exiguum fuit, hinc non computatur, Chriſtuſque non ſex, ſed quinque habuiſſe vulnera dicitur.

Porro S. Brigitta lib. 4. Revelat. cap. 40. *Aperto latere*, inquit, *& extracta lancea ſanguis in cuſpide quaſi brunei coloris apparuit, ut ex eo hoc intelligeretur cor tranſfixum.* Et l. 7. c. 15. *Infixis lanceam in latere ejus dextro.* Et lib. 2. c. 21. *In corde punctus erat tam amare & immiſericorditer, quod pungens non deſtitit, donec lancea aſtigiſ coſtam, & amba partes cordis eſſent in lancea.* H

Priùs e latere Chriſti aperto ſanguis & aqua. An naturaliter.

ET CONTINUO EXIVIT SANGUIS ET AQUA] Non prius ſanguis, deinde aqua, ut vertit Nonnus; ſed ſimul ſanguis & aqua, impermixta tamen, ut unum ab altero diſcerni poſſet. Naturaliter hoc fieri non poterat, tum quia ſanguis in mortuo ex frigore condenſatur & congelaſcit; unde effluere nequit, ut docent medici, & S. Ambroſ. in Lucæ c. 23. ac experientia quotidiana; tum quia aqua ex eodem profluere non poteſt: aqua enim hæc fuit pura & vera, non phlegma, nec ſerum ſanguinis, uti definit Innoc. III. lib. 3. decret. tit. 41. de Celebr. Miſſarum cap. 8. Errat ergo Calvinus dicens aquam pericardio contineri, quo in Chriſto lancea perfoſſo naturaliter aquam effluxiſſe. Id enim falſum eſſe docent medici, qui aſſerunt liquorem illum pericardii non aquam eſſe, ſed humorem biliioſum. Quare miraculoſum fuiſſe hunc ſanguinis & aquæ fluxum, docet S. Ambr. in c. 23. Lucæ, Euthym. & Theoph. quem audi: *Contumelia in miracu-*

lum

Digitized by Google

A *lum vertitur, & ſanguinem quidem ex mortuo corpore prodiiſſe admirabile eſt; verumtamen poſſet quis Sycophantarum dicere, quod veriſimile ſit vitalem quamdam virtutem adhuc fuiſſe in corpore: aqua autem egreſſa omnem controverſiam miraculo tollit.* Et paulo poſt. *Confundantur Armenii, qui non admiſcent in myſteriis aquam vino. Non enim credunt (ut videtur) quod aqua ex latere egreſſa ſit, quod admirabilius; ſed ſanguis tantum. Et hoc loco deſtruunt magnum miraculum. Itaque ſanguis ſymbolum hominis crucifixi, acqua vero, quod is ſit ſuper hominem, hoc eſt Deus.* Vide noſtrum Adamum Contzen & Franciſcum Lucam hic.

Cur ſanguis & aqua ex latere Chriſti? Cauſa Prima.

ET CONTINUO EXIVIT SANGUIS ET AQUA] Hoc factum eſt ad myſterium, non ad meritum: meritum enim in morte Chriſtus conſummavit, nec enim jam mortuus mereri potuit. Ad quod myſterium? Reſp. Primo, ad ſignificandam veritatem corporis humani in Chriſto, ex quatuor elementis more cæterorum hominum compoſiti. Hoc eſt, quod ait Joannes epiſt. 1. c. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Vide ibi dicta.

B

Secunda.

Secundo, ut ſignificaretur ex morte & latere Chriſti, quaſi ſecundi Adæ dormientis in cruce, Eccleſiam quaſi Evam Chriſti ſponſam formatam eſſe. Hoc intellige non proprie & præciſe, ſed ſymbolice & figurate; quod ſcilicet per mortem & ſanguinem Chriſti Eccleſia redempta, inſtituta & ſanctificata ſit. Unde S. Ambr. in c. 23. Lucæ: *Ex illo*, ait, *corpore defuncto vita manabat. Aqua enim & ſanguis exivit: illa quæ diluat, iſte qui redimat*, quodque, ut ait Cyrill. & Chryſoſt. aqua ſignificet baptiſmum, qui eſt principium Eccleſiæ & Sacramentorum cæterorum; ſanguis vero repræſentet Euchariſtiam, quæ omnium Sacramentorum finis eſt & complementum, ad quæ duo quaſi ad principium & finem, cætera Sacramenta omnia reducuntur. Unde S. Auguſt. tract. 120. ait omnia Sacramenta ex latere Chriſti emanaſſe, quod intellige non merito, ſed myſterio, ut dixi. Audi S. Auguſt. *Non dixit: Percuſſit, aut vulneravit; ſed aperuit, ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manarunt, ſine quibus ad veram vitam non intratur.* Et Chryſoſt. *Quia hinc habent ortum ſacra myſteria, cum acceſſeris ad tremendum calicem, ita accedas ut ab ipſo bibituras Chriſti latere.* Ratio eſt, quia, ut ait S. Chryſoſt. & ex eo Theoph. *Eccleſia & fit & conſiſtit per Sacramenta:* nam Baptiſmo naſcitur, Confirmatione roboratur, Euchariſtia paſcitur & perficitur, Pœnitentia ſanatur, Extrema unctione munitur, Ordine gubernatur, Matrimonio propagatur.

C

Ratio.

Denique hujus rei ſymbolo, in conſecratione calicis Euchariſtici miſcendam eſſe aquam vino, ut repræſentetur hæc effuſio ſanguinis & aquæ ex latere Chriſti, docet S. Cyprian. tract. de Paſſione, Ruffinus in Expoſ. Symbol. & alii.

Tropol.

Tropologice, Tertullianus lib. de Baptiſmo, ait Chriſtum effuſione ſanguinis & aquæ innuiſſe duplicem baptiſmum, ſcilicet aquæ & ſanguinis, ſive ſacramenti & martyrii.

Anagog.

D

Anagogice, reſeratio hæc lateris Chriſti in morte, adumbrabat per mortem ejus reſeratum jam eſſe cælum, quod per quatuor annorum millia clauſum fuerat. Addit Ruffinus in Expoſ. Symbol. *Produxit aquam*, inquit, *quæ credentes diluat, produxit & ſanguinem, qui condemnet incredulos.* Plura vide apud Suarez 3. p. q. 51. diſp. 41. ſect. 1. ubi tamen opinatur ſolum Chriſti latus ſiniſtrum, in quo eſt cor, lancea fuiſſe tranſfixum, ac prius effluxiſſe ſanguinem, deinde aquam, quæ pariter ſunt probabilia.

VERS. 35

ET QUI VIDIT, TESTIMONIUM PERHIBUIT] puta ego ipſe Joannes, qui vidi, teſtor ita eſſe. Loquitur de ſe in tertia perſona modeſtiæ ergo.

VERS. 36

FACTA SUNT ENIM HÆC, UT SCRIPTURA IMPLERETUR (in ſenſu allegorico non litterali, nam litteralis eſt de agno Paſchali) OS NON COMMINUETIS EX EO] Juſſerat Deus Exodi 12. 46. ut in agno paſchali comedendo oſſa nulla comminuerent. Cauſa litteralis erat, quia feſtinantes eum comedere debebant, ut non haberent tempus oſſa comminuendi, & ex illis medullam exſugendi. Cauſa allegorica erat, quod agnus ille erat typus Chriſti in cruce immolandi, cujus nullum os comminui voluit Deus: idque, quia decebat corpus Chriſti ſanctum & divinum mox reſurrecturum, integrum permanere, ut jam dixi. Symbolice, ut per hoc ſignificaretur Primo deitatem Chriſti (quæ erat quaſi os ſuſtentans carnem Chriſti) in paſſione integram illæſamque permanſiſſe. Ita Rupert. in c. 12. Exodi.

Cur Chriſti oſſa non debuere frangi?

B

Secundo, oſſa, id eſt, virtutem & robur (hujus enim ſymbolum & cauſa ſunt oſſa) Chriſti, qua homo, per paſſionem non fuiſſe imminutam, ſed potius adauctam: nam & mens Chriſti in Deo jugiter fixa ac voluntas ejus voluntati Dei fortiter & conſtanter unita permanſit. Ita S. Hyppolitus Martyr apud Theodor. dial. 3.

Allegorica cauſa fuit, ut ſignificaretur oſſa corporis Chriſti, hoc eſt, ſanctos Apoſtolos non fore confringendos. Ita S. Aug. in Pſ. 34. S. Hier. in pſal. 21. & Greg. 24. Mor. c. 30.

Huc pertinet S. Hilar. in pſal. 40. cum ait: Non confracta Chriſti oſſa, quia Eccleſia ex oſſe formata, non debuit oſſium fractione debilitari.

Tropologicam vide apud S. Bernard. ſerm. de cute, carne & oſſibus animæ: ubi docet animæ cutem eſſe bonas cogitationes, carnem eſſe pias affectiones, oſſa eſſe ſanctas intentiones & propoſita; quæ intentiones deficientibus piis cogitationibus & affectionibus, integræ & ſolidæ ſervandæ ſunt: ſi enim rumpantur, homo rumpitur & corruit.

E

VERS. 37

ET ITERUM ALIA SCRIPTURA DICIT: VIDEBUNT IN QUEM TRANSFIXERUNT] Syrus, *perfoderunt*. Citat Zachar. 12. 10. ubi illud explicui.

VERS. 38

POST HÆC AUTEM ROGAVIT PILATUM JOSEPH AB ARIMATHÆA (EO QUOD ESSET DISCIPULUS JESU, OCCULTUS AUTEM PROPTER METUM JUDÆORUM) UT TOLLERET CORPUS JESU. ET PERMISIT PILATUS. VENIT ERGO, ET TULIT CORPUS JESU] Hæc explicui Matth. 27. 58. *Tulit corpus Jeſu.* Sepeliendum ait Chryſ. non ut condemnatum, ſed ut corpus Prophetæ magni & admirabilis, Nondum enim credebat Joſephum eſſe Deum, & tertia die reſurrecturum. Erat in eo fides Jeſu, ſed imperfecta. Ita Chryſ. Vide hic ut Deus humiles exaltet. Quam enim ignominioſa fuit paſſio & mors Chriſti, tam glorioſa fuit ejus ſepultura, juxta illud Iſaiæ 11. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.*

G

VERS. 39

VENIT AUTEM ET NICODEMUS, QUI VENERAT AD JESUM NOCTE PRIMUM] Vox *primum*, ait S. Auguſt. cum *nocte* jungenda eſt: ſignificatur autem non tunc ſolum veniſſe, ſed tunc primum; veniſſe vero etiam poſtea, ut fieret audiendo diſcipulus.

FERENS MIXTURAM MYRRHÆ, ET ALOES QUASI LIBRAS CENTUM] ut magnifice Jeſum tantum Prophetam condiret & ſepeliret. Magna enim fuit copia unguenti, quæ centum libras ponderabat; ſed voluit Nicodemus totum corpus Jeſu (quod procerum erat & magnum) non tantum circumcirca copioſe perfundere & opplere, ſed & in unguento hoc balſamando quaſi immergere & ſepelire, ut in eo non tam condi, quam innatare videretur. Forte etiam omnes haſce centum libras non inſumpſit, ſed ex eis quantum neceſſarium erat & utile, dumtaxat deprompſit. Mercedem hujus officii, charitatis & ſepulturæ Chriſti, amplam ab eodem recepit Nicodemus: nam per ejus gratiam non tantum Chriſtianus, ſed & Confeſſor ac ſemimartyr evaſit. Audi quid Gamaliel apud Lucianum in epiſt. de Inventione corporis S. Stephani de eo narret: *Cognoſcentes Judæi illum eſſe Chriſtianum, amoverunt eum a principatu ſuo, & anathematizaverunt eum, & de civitate exulaverunt. Tum ego Gamaliel quaſi perſecutionem pro Chriſto paſſum ſuſtuli eum in meum agrum, & alui, & veſtivi uſque ad finem vitæ ejus, & defunctum honorifice ſepelivi juxta dominum Stephanum.* Hinc & Nicodemus in Martyrologio Sanctis aſcriptus eſt cum S. Stephano die 3. Auguſti.

H

VERS. 40

Chriſtus ſepelitur.

ACCEPERUNT ERGO CORPUS JESU, ET LIGAVERUNT ILLUD LINTEIS (ſcil. ſindone, cui impreſſa ſunt cicatricum Chriſti veſtigia, quæ hodie Taurini in Pedemontio religioſe ſervatur, de qua vide Palæotrum) CUM AROMATIBUS, SICUT MOS EST JUDÆIS SEPELIRE] Morem hunc recenſui Matthæi 27. 59.

Hanc Chriſti ſepulturam imitati ſunt primi Chriſtiani, qui in ſepeliendis mortuis & aromatibus condiendis effuſas faciebant impenſas, ut patet ex Tertull. in Apologet. Prudent. in *Catemer.* Hym. in exequiis defunctorum, Nyſſen. orat. in funere Meletii, Nazianz. ep. 18. & aliis. Porro Chriſtiani hunc ritum accepere a Judæis, Judæi ab Ægyptiis, teſte Tacito l. 12. Annal.

qui

Digitized by Google

A qui ea arte ſic deſiccabant corpora defunctorum, ut eadem quaſi ænea efficerent, appellarentque lingua Ægyptia Gabbaras, ut tradit S. Aug. ſerm. 120. de Diverſ. c. 12.

VERS. 41 ERAT AUTEM IN LOCO, UBI CRUCIFIXUS EST, HORTUS (ubi enim ſepeliretur Jeſus omnis viroris & vigoris auctor, niſi in horto? Cauſas dedi Matth. 27. 60.) ET IN HORTO MONUMENTUM NOVUM, IN QUO NONDUM QUISQUAM POSITUS ERAT] Audi S. Auguſt. *Sicut in Mariæ Virginis utero nemo ante illum, nemo poſt illum conceptus eſt; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo poſt illum ſepultus eſt.*

VERS. 42 IBI ERGO PROPTER PARASCEVEN JUDÆORUM (ſabbati imminentis, quo nil operari, nec quem ſepelire licebat. Ita Chryſ. Theoph. Euthym.) QUIA JUXTA ERAT MONUMENTUM (quia ſcilicet monumentum hoc vicinum erat Golgothæ, ubi crucifixus fuerat Jeſus) POSUERUNT JESUM] *Volebant*, ait Euthym. *Jeſum in alio digniore monumento, quod longius a civitate diſtabat, collocare.* Sed noluit Deus, voluitque eum juxta Golgotha & Jeruſalem ſepeliri. Cauſam dat S. Chryſoſt.

B *Ut diſcipuli eo facile ſe conferre poſſent, & quæ fierent in propinquo intuerentur: & ut ſepulturæ teſtes, non ipſi tantum, ſed & inimici eſſent. Signaculum enim & cuſtodes ſepulchro impoſiti ſepulturæ erant teſtimonia. Mortem non minus quam reſurrectionem manifeſtari Chriſtus voluit: nam mors ſi tunc dubia fuiſſet, reſurrectionis ratio non conſtaret. Neque horum tantum gratia prope voluit ſepeliri, ſed ne falſo quiſpiam potuiſſet furatum inſimulare.*

CAPUT XX.

SYNOPSIS CAPITIS.

C *CHRISTUS e ſepulchro reſurgens apparet Primo, Magdalenæ ſpecie hortulani: Secundo, v. 19. decem Apoſtolis, iiſque inſufflans dat Spiritum ſanctum & poteſtatem remittendi peccata. Denique v. 26. iiſdem rurſus apparet & Thomæ, eique vulnera ſua palpanda offert.*

VERS. 1. UNa autem ſabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum a monumento.

2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum.

3. Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.

4. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.

5. Et cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introivit.

6. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina poſita,

D 7. & ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.

8. Tunc ergo introivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit:

9. nondum enim ſciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis reſurgere.

10. Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos.

11. Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans: Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum:

12. & vidit duos angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.

13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.

14. Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, E & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus eſt.

15. Dicit ei Jeſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum: & ego eum tollam.

16. Dicit ei Jeſus: Maria. Converſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter.)

17. Dicit ei Jeſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.

18. Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

19. Cum ergo ſero eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

20. Et cum dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino.

21. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.

22. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum:

23. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jeſus.

25. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. G

26. Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli ejus intus: & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis.

27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.

28. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

29. Dixit ei Jeſus: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.

30. Multa quidem, & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.

31. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei: & ut credentes, F vitam habeatis in nomine ejus.

UNA, id eſt prima die, SABBATI] id eſt, poſt ſabbatum, vel *ſabbati*, id eſt hebdomadæ (hæc enim a potiore die ſabbati vocatur ſabbatum) puta die Dominica, ſive die Paſchatis, quo Chriſtus reſurrexit. Vide dicta Matth. 28. v. 1. VERS.

MARIA MAGDALENE VENIT] cum ſociabus, quas nominant Matthæus, Marcus & Lucas; ſed hic ſola nominatur, quia ipſa cæterarum erat dux omnibus ferventior & operoſior.

CUM ADHUC TENEBRÆ ESSENT] miſtæ luci orienti, puta in aurora, ſive in *profundo diluculo*, ut ait Lucas. Nota hic diligentiam, vigilantiam, ardorem S. Magdalenæ. In aurora quærit Chriſtum, hinc prima eum quaſi ſolem orientem videre meretur. Audi S. Ambr. in tit. pſal. 55. *Pro ſuſceptione matutina. Hanc*, inquit, *matutinam ſuſceptionem poſſumus aſcribere Mariæ Magdalenæ, quæ mane ac diluculo ad monumentū vigilans, Salvatoris reſurrectionem Domini prima ſuſcepit: & clareſcente mundi ſole, Solis juſtitiæ ortum pre omnibus ſola cognovit, ac ſuſceptione qui-*

A *quidem matutina gaviſa eſt diem redditum, ſed magis gaviſa Chriſtum a mortuis ſuſcitatum: atque in ipſa completa eſt prophetia: Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum letitia.*

AD MONUMENTUM] ut Jeſum ſepultum ungeret, ait Nonnus.

ET VIDIT LAPIDEM SUBLATUM] atque angelos dicentes Chriſtus reſurrexiſſe; ſed Magdalena hoc non credidit, nec intellexit; unde feſtina, & anhela recurrens ad Petrum, & Joannem ait: *Tulerunt Dominum meum*, id eſt e ſepulchro ablatum eſt corpus Jeſu Domini mei, neſcio a quo, & ubi collocatum ſit. Vide ordinem & ſeriem totius rei geſtæ, quem recenſui Matth. 28. 8. Appoſite S. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam: *Error mulieris*, ait, *cum pietate ſociatus eſt: pietas in eo, quod deſiderabat eum, cujus noverat majeſtatem: error in eo, quod dicebat, Tulerunt.*

VERS. 2. CUCURRIT ERGO, ET VENIT AD SIMONEM PETRUM, tamquam Apoſtolorum primum, & jam a Chriſto deſignatum ſuum vicarium & ſucceſſorem, Matth. 16. ET AD ALIUM DISCIPULUM, QUEM AMABAT JESUS] Ad

B Joannem, quem ſciebat a Chriſto præ aliis diligi, ac proinde fore diligentiorem in exquirendo Chriſti corpore, quod jam e ſepulchro ſublatum deprehenderat, præſertim quia viderat Joannem ſecum aſſiſtere cruci, ac proinde magis curaturum & indagaturum corpus Chriſti.

VERS. 4. CURREBANT AUTEM DUO SIMUL] Præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amaverunt, ait S. Gregor.

PRÆCUCURRIT] quia junior, agilior & cupidior videndi corpus Chriſti, quod paulo ante viderat ita deformatum in cruce.

VERS. 5. ET CUM SE INCLINASSET, ut proſpiceret in ſepulchrum, VIDIT POSITA LINTEAMINA, ſcilicet ſindonem, cui involutum fuerat Jeſu corpus in ſepulchro: NON TAMEN INTROIVIT] reverentiam deferens Petro quaſi ſeniori & digniori, ut is prior introiret, ait Lyran. aut timore impeditus, & ſacro quodam horrore corporis Chriſti ibidem ſepulti correptus.

VERS. 6. VENIT ERGO SIMON PETRUS SEQUENS EUM, ET INTROIVIT IN MONUMENTUM] Petrus, ait Chryſ. ut fervidus introit, & diligenter univerſa inſpicit: jam enim milites ſepulchri cuſtodes, viſo angelo, & terræ motu perculſi aufugerant & ſe abſconderant. Ita

C S. Hieron. qu. 6. ad Hedibiam.

VERS. 6. & 7. ET VIDIT LINTEAMINA POSITA, ET SUDARIUM, QUOD FUERAT SUPER CAPUT EJUS (vultum obtegens, uti mortuis fieri ſolet honeſtatis cauſa) NON CUM LINTEAMINIBUS POSITUM, SED SEPARATIM INVOLUTUM IN UNUM LOCUM] *Signum hoc reſurrectionis erat*, ait Chryſ. *non enim ſi tranſtuliſſent corpus, nudaſſent; nec ſi eſſent furati, de hoc fuiſſent ſolliciti, ut ſudarium involverent, & ſeorſum ponerent, ideo Joannes premiſit ſepultum cum myrrha, que conglutinat corpori linteamina, ut ne decipereris a dicentibus furto ſublatum; quis enim fur circa rem ſuperfluam tantum laboraret?*

VERS. 8. TUNC ERGO INTROIVIT ET ILLE DISCIPULUS, QUI VENERAT PRIMUS AD MONUMENTUM] Myſtice, S. Greg. hom. 22. per Petrum accipit Synagogam Judæorum, per Joannem Eccleſiam Chriſtianorum. q. d. *Venit Synagoga prior ad monumentum, ſed non intravit, quia legis quidem precepta & prophetias de paſſione Dominica accepit, ſed credere in mortuum noluit: ſecuta poſterior Eccleſia Gentium mediatorem & Dei & hominum Jeſum Chriſtum, & cognovit carne mortuum, & credidit viventem Deum.*

D Tropolog. Toletus, Per Joannem, ait, omnes Chriſtiani, per Petrum Pontifices Chriſti vicarii ſignificantur, prior ingreditur Petrus, quia dignitate omnes antecellit Chriſtianos Chriſti vicarius; at poſterior pervenit Joannes, quia fieri poteſt, ut qui prior eſt dignitate, ſit poſterior merito & ſanctitate.

ET VIDIT ET CREDIDIT] uterque ſcilicet Petrus, & Joannes, *credidit*, inquam, non Chriſtum reſurrexiſſe, ſed Magdalenam verum dixiſſe, ſcilicet corpus Chriſti eſſe e monumento ſublatum, ait S. Auguſt. Theoph. & Janſen. Addit Cyrill. Chryſoſt. Euthym. & Nyſſenus orat. de reſurrect. utrumque credidiſſe, quod Chriſtus reſurrexerat. Planius & verius eſt, hæc verba ad ſolum Joannem, non ad Petrum ſpectare. q. d. Joannes viſis linteaminibus, & ſudario ſeorſim involuto, memor fuit Chriſtum prædixiſſe ſe tertio die reſurrecturum: quare prædictionem Chriſti cum his ſignis conferens, credidit eum reſurrexiſſe: Petrus vero ob reſurrectionis novitatem, & ingens Chriſti redivivi videndi deſiderium tardius idipſum credidit. Unde ſignanter angelus ait mulieribus: *Dicite diſcipulis ejus, & Petro.* E

NONDUM ENIM SCIEBANT SCRIPTURAM, QUIA OPORTEBAT EUM A MORTUIS RESURGERE] Refer hæc ad *credidit*. q. d. Tunc primum Joannes credidit Chriſtum reſurrexiſſe, cum antea nec ipſe, nec alii Apoſtoli id credidiſſent, quia nondum intelligebant Scripturas, quæ eum reſurrecturum prædixerant. Licet enim Chriſtus iis aſſeveraſſet ſe reſurrecturum, tamen ob rei novitatem, & magnitudinem ipſi id non capiebant, ſed putabant Chriſtum loqui figurate & parabolice, uti facere ſolebat. VERS. 9.

ABIERUNT ERGO ITERUM DISCIPULI AD SEMETIPSOS] Arabicus & Syrus, *ad locum ſuum*. q. d. Petrus & Joannes viſo Chriſti ſepulchro vacuo redierunt domum, Petrus admirans, Joannes credens eum reſurrexiſſe: ſola Magdalena ad ſepulchrum remanente, ut certius quid de Chriſti dilecti ſui corpore cognoſceret. S. Aug. tract. 121. *Unde contigit ut eum tunc ſola videret, qua remanſerat ut quæreret; quia animarum virtus boni operis perſeverantia eſt*, ait S. Greg. hom. 25. VERS. 10 F

MARIA AUTEM STABAT AD MONUMENTUM FORIS, PLORANS] quia anxia quærebat undique corpus Jeſu, cujus amore ardebat; eratque quaſi ebria, nec inveniebat, ideoque mœſta plorabat. Addit S. Aug. *Oculi, qui Dominum quæſierant, & non invenerant, lacrymis vacabant, amplius dolentes quod ablatus de monumento, quam quod occiſus in ligno: quia tanti magiſtri, cujus vita ſubtracta fuerat, nec memoria remanebat.* VERS. 11

DUM ERGO FLERET, INCLINAVIT SE, ET PROSPEXIT IN MONUMENTUM] Licet enim jam ante proſpexiſſet, & ſepulchrum corpore ſublato vacuum vidiſſet; tamen iterum iterumque proſpexit. Nam, ut ait S. Gregor. hom. 25. *Amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis: perſeveravit, ut quæreret: unde & contigit, ut inveniret: factumque eſt ut deſideria dilata creſcerent, & creſcentia caperent quod inveniſſent.*

ET VIDIT DUOS ANGELOS IN ALBIS, SEDENTES, UNUM AD CAPUT, ET UNUM AD PEDES, UBI POSITUM FUERAT CORPUS JESU] Omnia hæc, ſcilicet angeli, veſtes albæ, ſeſſio, ſymbola ſunt reſurrectionis, & gloriæ Chriſti, ad eamque credendam præparant animum Magdalenæ. Porro unus ſedet ad caput, alter ad pedes Chriſti, ut ſignificent tam pedes, quam caput & intermedia membra, id eſt, totum Chriſti corpus reſurrexiſſe; & angelorum habitum, immortalitatem, & gloriam per reſurrectionem induendo ad angelorum conſortium tranſiſſe, ideoque in ſepulchro duos hos angelos quaſi cuſtodes reliquiſſe, qui idipſum Magdalenæ nunciarent. VERS. 12 G

Myſtice Origen. Angelus ad pedes, ait, vitam activam; angelus ad caput vitam contemplativam repreſentat. Utraque enim eſt ex Jeſu, circa Jeſum, per Jeſum, & propter Jeſum.

DICUNT EI ILLI: MULIER, QUID PLORAS?] q. d. Non eſt plorandi jam locus, ſed ridendi, & gaudendi, quia nullum hic dilecti tui corpus mortuum vides; inde enim colligere debes Jeſum tuum reſurrexiſſe, ac jam non inter mortuos, ſed inter vivos, imo inter glorioſos angelos, quales nos ſumus, vitam beatam, & cœleſtem agere. VERS. 13

DICIT EIS: QUIA TULERUNT DOMINUM MEUM, ET NESCIO UBI POSUERUNT EUM] q. d. Tres ob cauſas ploro. Primo, ob tam indignam cædem & mortem Domini mei Jeſu Chriſti. Secundo, ob corpus ejus e ſepulchro ablatum: hoc enim ſi viderem, oſcularer, plorarem, ungerem, itaque non nihil dolorem meum lenirem. Tertio, quia neſcio quo illud tranſtulerunt: neſcio ubi illud requiram. Si enim ſcirem, illico eo accurrerem, illudque amplecterer, & diſſuaviarer. Vide hic ut Jeſus animas diligentium ſe ſinat ad tempus in tenebris ignorantiæ, ut ſui deſiderium in eis acuat & accendat; illudque acutum, & accenſum plena deinde ſui revelatione conſoletur, & lætificet. H

HÆC CUM DIXISSET, CONVERSA EST RETRORSUM, ET VIDIT JESUM STANTEM: ET NON SCIEBAT QUIA JESUS EST] Nota. Chriſtus apparuit a tergo Magdalenæ, ita ut angeli in eum inſpicientes ſurgerent, & caput illi inclinarent, aliaque reverentiæ & adorationis ſigna ei exhiberent: & hæc fuit occaſio, vel cauſa, cur Magda- VERS. 14 Chriſtus apparet Magdalenæ.

Digitized by Google

A Magdalena converterit ſe retrorſum, ut videret, quis ille eſſet, quem angeli tam reverenter ſalutabant, Ita S. Chryſ. hom. 85. & S. Athan. vel quiſquis eſt auctor, q. 78. ac Antiochium. Alii putant Chriſtum pedibus ſtrepitum a tergo Magdalenæ excitaſſe, ut ipſa ſe retrorſum ad Chriſtum ſtrepentem converteret.

ET VIDIT JESUM] Nimirum *prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris.*

ET NON SCIEBAT QUIA JESUS EST] quia alia ſpecie, ſcilicet hortulani, ei apparebat, uti euntibus in Emmaus ſpecie peregrini. Glorioſa enim corpora poſſunt apparere ea ſpecie & forma, qua volunt, idque faciunt non mutando ipſam ſui vultus figuram & formam, ſed impediendo, ne hæc vultus figura integras ſui ſpecies, ſed refractas, dimidiatas & detractas ad oculum intuentis jaciat. Egit hoc Chriſtus, ne primo aſpectu eam percelleret, ait Chryſoſt. Rurſum quia ipſa fervebat amore Jeſu, hinc ei Jeſus apparet; ſed quia non credit Jeſum vivere, uti angeli ei dixerant, hinc Jeſus nonnihil ſe ei abſcondit, & talis apparuit ei exterius, qualis erat in corde ipſius interius. Ita S. Greg. hom. 23. agens de diſcipulis euntibus in Emmaus, quibus
B Chriſtus apparuit uti peregrinus.

VERS. 15 DICIT EI JESUS: MULIER, QUID PLORAS? QUEM QUÆRIS?] Audi S. Ambr. libr. 3. de Virgin. enucleate ſingula expendentem: *Mulier cur ploras? Qui non credit, mulier eſt: nam qui credit, in virum perfectum reſurgit, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Mulier, inquis, non de ſexu, ſed de cunctatione convitium eſt: & bene mulier, quæ nutabat, quia Virgo jam crediderat. Quid ploras? id eſt, tu tibi es cauſa plorandi, quæ es Chriſto incredula. Ploras quia Chriſtum non vides? crede & videbis, adeſt Chriſtus, nec umquam iis, a quibus quæritur deeſt, non lacrymis opus eſt, ſed fide prompta & Deo digna: noli cogitare mortalia, & non plorabis; noli cogitare peritura, & flendi cauſam habere non poteris. Certe, inde ploras, unde alii gratulantur. Quem quæris? non vides quia Chriſtus adeſt?*

Scripſit de Magdalena inſignem piiſque affectibus plenam Origenes homiliam, in qua inter cætera ait: *Amor faciebat eam ſtare, & dolor cogebat eam plorare. Stabat, & circumſpiciebat ſi forte videret, quem diligebat, plorabat vero, quia ſublatum exiſtimabat, quem quærebat. Dolor renovatus erat, quia prius doluerat defunctum, & nunc do*
C *lebat ſublatum. Et iſte dolor major erat, quia nullam conſolationem habebat.* Et nonnullis interjectis fontem doloris aperit, dicens: *Petrus & Joannes timuerunt, & ideo non ſteterunt, Maria autem non timebat, quia nihil ſuſpicabatur ſibi ſupereſſe quod timere deberet. Perdiderat enim magiſtrũ ſuum, quem ita ſingulariter diligebat, ut præter ipſũ nihil poſſet diligere, nihil poſſet ſperare. Perdiderat vitam animæ ſuæ, & jam ſibi melius arbitrabatur fore mori, quam vivere: quia forſitan inveniret moriens, quem invenire non poterat vivens, ſine quo tamen vivere non valebat: Fortis eſt ut mors dilectio. Quid enim aliud faceret mors in Maria? facta erat ex animis, facta inſenſibilis, ſentiens non ſentiebat: videns non videbat, audiens non audiebat: ſed neque ibi erat ubi erat, quia tota ibi erat ubi magiſter erat; de qua tamen ubi eſſet neſciebat. Non quæro angelos, quia poſſunt dolorem meum augere, non delere, ſed meum & angelorum Dominum.* Et poſt plura, quæ in hanc rem ſanctis affectibus æſtuantia interſerit, ſubjicit: *Angustiæ mihi ſunt undique & quid eligam ignoro. Si juxta monumentum maneo, ego illum non invenio: ſi a monumento receſſero, neſcio infelix quo vadam, neſcio ubi eum quæram. Diſcedere a monumento, mors mihi eſt: ſtare ad monumentum irremediabilis dolor eſt. Melius autem mihi ſepulchrũ Domini cuſtodire, quam ab eo longius ire. Si enim longius abiero, forte cum rediero, ipſum ſublatum inveniam & ſepulchrum deſtructũ. Stabo igitur & hic moriar, ut ſaltem juxta ſepulchrum Domini mei ſepeliar. Revertere, revertere dilecte mi, revertere dilecte vocorum meorum.* Denique iſta ſubjungit: *Dulcis magiſter ad quid, quæſo, provocas ſpiritum hujus mulieris? ad quid commoves animam ejus? Tota pendet in te, tota manet in te, tota ſperat de te, & tota deſperat de ſe. Ita quærit te, ut quærens nihil quærat, nihil cogitet præter te. Ideoque forſitan non cognoſcit te, quia non eſt in ſe, ſed propter te eſt extra ſe. Cur ergo dicis: Quid ploras? Quem quæris?*
D

ILLA EXISTIMANS QUIA HORTULANUS ESSET (horti in quo erat ſepulchrum Jeſu) DICIT EI] Non quod appareret Jeſus ligonem aut ſarculum manu tenens; ſed, quod Theoph. & Euthym. ajunt, *a communi & viliori habitu; & quia in horto erat, arbitrata eſt hortulanum eſſe* (nam de militum abſconſorum præſentia nihil ſciviſſe videtur) quodque ſine pallio, ut veriſimile eſt, appareret quaſi domi eſſet. Sciebat Joſephum Arimathæum horti dominum illic non habitare, putavit ergo eum eſſe, cui colendi, & E
cuſtodiendi horti incumbebat cura. Ita Franc. Lucas. Pergit Origenes: *O Maria ſi quaris Jeſum, cur non cognoſcis Jeſum? Et ſi cognoſcis Jeſum, quid quæris Jeſum? Ecce Jeſus venit ad te, & quem quæris, quærit a te, Mulier quid ploras? Et tu eum hortulanum exiſtimas, ut ipſum non cognoſcas. Etenim Jeſus eſt & hortulanus, qui ipſe ſeminat amœne ſemen bonum in horto animæ tuæ, & in cordibus fidelium ſervorum.* Unde S. Greg. hom. 25. *Annon*, ait, *ei hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris ſui ſemina virtutum virentia plantabat?*

DOMINE, SI TU SUSTULISTI EUM, DICITO MIHI, UBI POSUISTI EUM; ET EGO EUM TOLLAM] *Eum.* Quem? nec enim eum nominat, ſed Jeſum, quo plena erat, intelligit. Ita S. Thom. & alii, qui dicunt hunc eſſe affectum vehementer amantium, ut de quo ipſi cogitant, putent alios etiam cogitare; licet fieri potuerit, ut cum eum prope ſe videret, exiſtimaret intellexiſſe, quod ipſa angelis reſponderat: *Quia tulerunt Dominum meum*: quod videtur ſubindicare Chryſ. Audi Origen. *Tantus dolor eam invaſerat de morte tua, ut non poſſet cogitare de vita & reſurrectione tua. Denique Joſeph poſuit in monumento corpus tuum: Maria ſepelivit ibi pariter ſpiritum ſuum, & ita indiſſolubiliter junxit, & quodammodo univit eum cum corpore tuo, ut facilius poſſet ſeparare animam ſe vivificantem a vivificato corpore ſuo, quam ſpiritum ſuum te diligentem a defuncto corpore ſuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo, quam in corpore ſuo: cum quæreret corpus tuum, requirebat pariter ſpiritum ſuum: & ubi perdidit corpus tuum, peraidit cum eo ſpiritum ſuum. Quid igitur mirum, ſi ſenſum non habebat, qua ſpiritum amiſerat? Quid mirum, ſi te neſciebat, quæ non habebat ſpiritum qui ſcire debebat? Redde ei itaque ſpiritum ſuum, quem habet in ſe corpus tuum, & non recuperabit ſenſum ſuum, & relinquet errorem ſuum.*

ET EGO EUM TOLLAM] Quid ſi ſit in atrio principis ſacerdotum? *Ego eum tollam.* Quid ſi in domo Pilati? *ego eum tollam*: quia omnia vincit amor, qui omnia etiam impoſſibilia ſibi poſſibilia, imo facilia reputat. Ita Origen. & Chryſ. Licet S. Hier. q. 5. ad Hedibiam, hæc verba ignorantiæ & inconſiderationis eſſe putet.

DICIT EI JESUS: MARIA, CONVERSA ILLA DICIT VERS. EI: RABBONI (QUOD DICITUR MAGISTER] Vocavit illam non tantum nomine proprio, ſed etiam eo voci ſono, ſuavitate, gratia & efficacia, qua eam ſolebat in vita vocare: indeque ipſa ſtatim Chriſtum agnovit. Unde Chriſti dignationem admirans exclamat Origen. *O mutatio dextera Excelſi! Converſus eſt dolor magnus in gaudium magnum, mutatæ ſunt lacrymæ doloris in lacrymas amoris. Ubi Maria audivit, Maria (ſic enim conſueverat eam vocare magiſter ſuus) perſenſit in nomine quamdam ſingularem vocationis dulcedinem, & per eam cognovit ipſum, a quo vocabatur eſſe magiſtrum ſuum. Tunc revixit ſpiritus ejus, & reverſus eſt ſenſus ejus. Cumque Jeſus vellet adhuc adjungere, non potuit hoc Maria patienter exſpectare, ſed præ nimio gaudio interrupit ea, dicens: Rabboni: Non enim arbitrabatur ſe indigere verbo, quæ invenerat Verbum, & longe utilius arbitrabatur tangere Verbum, quam audire qualibet verba. O amor fortis & impatiens! Non ſufficiebat illi videre Jeſum, & loqui cum Jeſu, niſi etiam tangeret Jeſum: ſciebat enim, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes.*

CONVERSA ILLA DICIT EI: RABBONI, (QUOD DICITUR (interpretatum) MAGISTER] *Converſa illa*: quia cum Jeſus tardaret reſpondere, illa a Jeſu averterat vultum ad angelos, quaſi rogatura ab eis, quis ſit ille hortulanus ſecum loquens, & cur ei aſſurrexerint, eumque tam reverenter ſalutarint, ſed audiens a Jeſu ſe compellari ſuo nomine *Maria*, ex voce agnoſcens Jeſum, illico gaudio rapta rurſum ad eum faciem coramque ſe convertit, Vox ergo paſtoris penetrans in aures animumque ovicula oculos ei mox aperit, ſenſus omnes occulta vi & ſolita dulcedine demulcet, excitat, & abripit, ut ipſa inſperato & inexplicabili gaudio ebria dicat: *Rabboni*, id eſt, magiſter mi, en ego tua diſcipula, tua filia ſpiritualis me totam tibi dedo, in te redivivo rurſus vivo, exulto, & jubilo. Ita Cyrillus, Chryſoſtomus, & alii. Quare provoluta in genua voluit more ſuo reverenter, non caput, ſed pedes tangere, deoſculari, & cum iis diſſuviari; ſicut Sunamitis tenuit pedes Eliſæi Prophetæ 4. Reg.

Digitized by Google

A 4. Reg. c. 4. v. 27. Id liquet ex eo, quod Christus id prohibens, subjicit.

RABBONI] id est, *magister mi*, sed τὸ *mi*, non addidit Joannes; quia græce addi non solet; sicut additur hebraice, & syriace, ubi in eamdem cum *Rabboni*, id est, *magister*, coalescit dictionem. Ita Franc. Lucas. Unde tam Joannes, quam Latinus, Syrus & Arabicus vertunt, *magister*, omisso τὸ *mi*. *Rabboni* ergo & chald. *Ribboni*, idem est, quod *Rab* & *Rabbi*, ubi ultimum *jod* accipi potest, vel ut hebraicum, vel ut pronomen affixum significans *mi*. Addit Caninius in Nomin. Hebr. cap. 6. *Rabboni* significare magistrum, Dominum, principem, esseque nomen augustius, quam sit Rabbi. Unde non nisi post resurrectionem a Magdalena Christo glorioso tributum fuisse, cum ante eam Christus vocaretur dumtaxat Rabbi, Joan. 1.

Rabboni quid?

VERS. 17 DICIT EI JESUS: NOLI ME TANGERE, NONDUM ENIM ASCENDI AD PATREM MEUM: VADE AUTEM AD FRATRES MEOS, ET DIC EIS: ASCENDO AD PATREM MEUM, ET PATREM VESTRUM; DEUM MEUM, ET DEUM VESTRUM] Difficilis est hic locus, & difficilior connexio. Quæ enim causa hic significatur, dum ait: *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem?*

Quid Noli me tangere.

B Primo, S. August. tract. 121. sic explicat & connectit. q. d. Noli me tangere, quia necdum digna es mei contactu: nondum enim in corde tuo ascendi ad Patrem; quia necdum perfecte credis, me esse Dei Filium, & ad Deum Patrem ascendere. Sic fere & S. Hier. quæst. 5. ad Hedibiam. Verum hoc mysticum potius videtur quam litterale; æque ac est illud S. Leonis, qui serm. 2. de Ascensione sic exponit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: hoc est, nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, majora tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehensura quod tangis, & creditura quæ non cernis.*

Resp. Primo.

Secundo. Secundo, Cyrill. lib. 12. c. 50. Vetuit, ait, sui contactum, significans neminem ad corpus suum glorioſum, jam etiam in Sacramento Eucharistiæ tangendum, & sumendum accedere debere, nisi prius accepto Spiritu sancto, quem hic nondum miserat, sed 50. post die misit in Pentecoste. Verum hac ratione nec aliæ mulieres, nec Thomas, nec cæteri post resurrectionem potuissent tangere Christum: quod tamen fecerunt.

C *Tertio.* Tertio, S. Chrysost. hom. 85. Theoph. & Euthym. ajunt Christum prohibuisse Magdalenam a sui contactu, quia volebat magis reverenter quam ante ab ea tangi, utpote redivivus jam immortalis, cælestis & glorioſus, qui amplius cum hominibus non versaretur, sed cum angelis & Beatis. Verum non apparet quomodo Magdalena, quæ summe erat Christi uti amans, sic & reverens, in hac ejus reverentia defecerit, reverebatur enim eum non jam ut mortalem, sed immortalem, & glorioſum. Deinde quid hoc facit ad illud: *Nondum enim ascendi ad Patrem.*

Quarto. Quarto, Justinus quæstion. a Gentibus propositarum q. 48. & ex eo Toler. Franc. Lucas, & alii sic exponunt. q. d. Noli me tangere: sum enim jam cælestis, non terrestris: licet enim necdum ascenderim ad cælum, brevi tamen eo ascendam; volo enim te & alios sensim abducere a solita mea præsentia & conversatione. Sed audi Justinum: *Illud, Noli me tangere, Mariæ a conservatore dictum est hoc sensu: Noli me sequi, ita ut mecum semper versere ea ratione, qua antequam in crucem agerer. Volebat* D *enim sensim ac pedetentim discipulos a consuetudine aspectus præsentisque corporis sui abducere. Itaque nec semper visus est discipulis, in diebus, quibus cum eis in terra post resurrectionem versatus est, nec omnino se inaspectabilem eis præbuit: sed utrumque intervallo spatioque adhibito faciebat, ut & videretur ipsis, & non videretur.* Verum hæc expositio obscura est, & multa supplere cogitur, ac invertit τὸ *nondum enim ascendi*, in τὸ *licet enim nondum ascenderim, brevi tamen ascendam.*

Quinto optime. Quinto ergo, magis connexe & genuine exponas, ut τὸ *noli me tangere*, explices in actu omnino perfecto. Magdalena enim tota Christo addicta, cum videret eum resurrexisse, ineffabili gaudio perfusa, accidit ad ejus pedes, ibique hærere volebat, nec iis deosculandis exsatiari poterat. Quare Christus eam prohibet, jubetque ne ibi hæreat, sed Apostolis mœstis suam resurrectionem annunciet. Sensus ergo est, q.d. *Noli me tangere*, id est, noli in hoc mei contactu diutius immorari, noli in osculis pedum meorum nimis diu diffuaviari: sæpius enim postea id tibi facere licebit. *Nondum enim ascendi.* Est hebraismus, hoc est, nondum enim ascendo, vel non ascendam tam cito ad cælum, sed adhuc 40. dies in terra versabor, ac me vobis videndum tangendumque exhibebo. Idcirco propera ad alias mulieres, quæ e sepulchro sequentes Petrum & Joannem, in Jerusalem ad domos suas redeunt, ac cum iis illico perge ad fratres meos Apostolos de mea morte tristes, atque dic illis me resurrexisse, & brevi in cælum ascensurum; sed prius ab eis videndum & consalutandum, ut eis tristitiam eximas, eosque summo gaudio perfundas: sæpe enim verba Hebræorum actum non inchoatum, sed continuatum & perfectum significant, uti alias ostendi. Ita hunc locum explicat Vatabl. Emman. Sa, Suarez 3. part. disp. 49. sect. 3. Dominicus Bannes 1. par. q. 1. art. 10. dub. 6. ubi ait hanc esse communem recentiorum sententiam. Sic & Ribera hic. Sciebat, inquit, Magdalena Christum ascensurum in cælum, nec postea se fruituram ejus conspectu, ideo occasionem datam tangendi Christum sibi elabi noluit. Sed Christus illi ait: *Noli me tangere*. q.d. Adhuc habebis tempus me tangendi, & alloquendi; adhuc enim sum in terra, necdum ascendi in cælum. Quare noli hic morari, sed gaudio, quo frueris, fac, ut eodem fruantur Apostoli mei. Neque enim fas est te in summo hoc resurrectionis meæ gaudio solam versari, & Apostolos meos mœstitia tabescere. Unde postea Christus permisit se ab ea & sociabus tangi, dicens, *Avete: illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus.* Matth. 28. 9. quia jam erant in via, ut nunciarent Apostolis Christum resurrexisse.

E F

Porro Christus dicens, *Noli me tangere*, digitis frontem Magdalenæ tetigit, illique eorum vestigia impressit. Audi Silvestrum Prieratem apud Surium in Vita S. Magdalenæ. Cum anno Domini 1497. devotionis gratia antrum, in quo pœnituit B. Maria Magdalena, & sacras ejus reliquias apud S. Maximinum visitassem, ostensum est mihi pluries sacrum & venerabile caput ejus, grande valde, & totum undique usque ad os denudatum, excepta ea parte frontis, quam Salvatorem omnium diximus tetigisse: ibi enim peltis ad instar Æthiopissæ clare apparet, & in pelle duæ fossæ duarum extremitatum digitorum: quarum altera multo est reliqua evidentior atque profundior, & sub pelle caro ad albedinem declinans.

Magdalenæ fronti Christus digitos suos impressit.

Secundo, moralem causam dat S. Epiphan. hæresi 26. quod Christus, ut daret nobis exemplum puriſſimæ, & perfectissimæ castitatis, noluit permittere ut Magdalena hic, utpote mulier, sola solum se tangeret; paulo vero post in præsentia aliarum mulierum id permisit. Unde hoc Christi exemplum secuti sunt S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Martinus, S. Chrysostomus, S. Borromeus, plurimique alii, qui numquam cum mulieribus, nisi aliis præsentibus, loqui voluerunt, ut testes haberent suæ integritatis. G

Tertio, allegoricam causam dat Rupertus: Maria hic gessit typum Ecclesiæ e Gentibus vocandæ & congregandæ, quæ contactu non corporali, ut Judæi, sed spirituali, hoc est fide, ad Christum post ascensionem ejus erat perventura, qua de re multa habet Chrysologus ser. 75. & sequent.

Denique valde probabile est quod docet S. August. lib. 3. de Consensu Evang. c. 24. Theoph. & Euthym. in cap. ult. Matthæi, ac S. Hier. epist. 150. ad Hedibiam q. 5. scilicet Magdalenam viso hic Christo, post ejus alloquium eo disparente festinasse, gressumque acceleraſſe, ac assecutam fuisse mulieres socias, quæ Petrum, & Joannem redeuntes secutæ domum revertebantur: ipse enim, quia mœstæ, dubiæ & fluctuantes, quid actum esset de corpore Christi, lente & tarde incedebant. Illas ergo festinans assecuta est Magdalena, ibique Christum omnibus apparentem rursum vidit, adoravit, & tetigit pedes ejus, idque satis insinuat Matthæi cap. ultimo vers. 9. estò id neget Toletus. H

Tropologice, hic disce gratius esse Christo, ut quis mœstis vel afflictis in gravi tristitia, angore, dolore & afflictione constitutis assistat, quam sibi, adeo ut concionem & Missam quoque in die festo postponat auxilio ægroti vel afflicti, cum necessitas, & pietas, vel charitas illud exigit, juxta illud: *misericordiam volo, non sacrificium*, Osee 6. 6. & Matth. 9. 13. Vide ibi dicta.

Symbolice, S. Bern. serm. 5. in festo omnium Sanctorum: *Noli me tangere*, ait, *nondum enim ascendi ad Patrem meum; verbum gloriæ est. Nempe filius sapiens gloria patris. Noli ergo, ait glossa, noli me tangere. Noli*

Digitized by Google

A *interim quærere gloriam, fuge potius, & vide ne me omnino tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secura.*

VADE AUTEM AD FRATRES MEOS] Christus Apostolos vocat fratres ex mera miraque dignatione, cum eorum sit caput, dominus & princeps, non tantum qua Deus, sed etiam qua homo: quia scilicet omnes homines sunt fratres ratione naturæ humanæ, quam eamdem traxerunt ex primo parente Adamo, & quia filii sunt ejusdem Dei patris per gratiam. Proprie vero, quia erant Apostoli: Apostoli enim inter se erant fratres. Christus autem erat Apostolus, id est legatus a Patre in mundum missus ad prædicationem Evangelicam, in qua Petrum, Joannem, & cæteros quasi fratres sibi associavit. Sic Pontifex Cardinales & Episcopos vocat fratres, cum sit eorum Superior, & Hierarcha. Dicit hoc Christus, ut Apostolos ob fugam pusillanimes animet, & in spem erigat, q. d. Esto ipsi me in passione deseruerint; ego tamen eos non desero, sed amo ut fratres, imo propterea resurgendo carnem humanam resumpsi, ut me fratrem eorum ostendam, juxta illud: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eccli. 3.

B ET DIC EIS: ASCENDO AD PATREM MEUM, ET PATREM VESTRUM; DEUM MEUM, ET DEUM VESTRUM] q. d. Dicito Apostolis ut recordentur illius, quod eis ante passionem dixi, scilicet me post paucos dies ascensurum in cœlum ad Deum Patrem.

Dicit autem, *Patrem meum, & Patrem vestrum. Meum natura*, ait S. Aug. *vestrum gratia*, ut ostendat se esse fratrem eorum, utpote qui communem cum eis habeat Deum Patrem, sed hic naturalem, illi adoptivum. Ita S. Ambr. l. 3. de Virgin. Porro S. Hilar. l. 11. de Trinit. *Est ei Pater*, ait, *ut cæteris ex ea parte qua homo est, & Deus ei ut cunctis, ex ea natura qua servus est. Unde ait; Vade ad fratres meos: unigenitus enim Deus sine fratribus est.* Planius dicas Christum vocare *Patrem* & simul *Deum*, ut per *Patrem meum* suam naturam divinam, per *Deum meum* naturam humanam a se assumptam ostendat, quodque idem ipse verus Deus sit & verus homo. Ita S. Ambr. loco citato, juxta illud Hebr. 2. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes: propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis.*

C Sensus ergo est q. d. Dic Apostolis ut timorem & mœstitiam deponant: ego enim jam a morte resurrexi, eosque ut fratres, amo, ideoque mox in cœlum ascendam, ut eis ibidem parem locum, ipsique me eo sequantur, utque inde mittam eis Spiritum sanctum, qui eos faciat heroicos Evangelii mei præcones.

VENIT MARIA MAGDALENE ANNUNCIANS (Syrus, *evangelizavit*) DISCIPULIS; QUIA VIDI DOMINUM, ET VERS. 18 HÆC DIXIT MIHI] En Magdalena hic a Christo fit Apostolorum apostola & evangelista. Unde ipsa post resurrectionem Christi a Judæis pulsa in exilium, & Massiliam appulsa, ibidem incolarum fuit apostola. Meruit hoc incenso suo in Christum amore, fide, constantia, per quam ipsa sola Apostolis emanentibus, ante solis ortum, ejus sepulchrum adiit, & indefessa apud illum permansit, donec Jesum suum videret.

VERS. 19 CUM ERGO SERO ESSET DIE ILLO, UNA SABBATORUM, ET FORES ESSENT CLAUSÆ, UBI ERANT DISCIPULI CONGREGATI PROPTER METUM JUDÆORUM: VENIT JESUS, ET STETIT IN MEDIO, ET DIXIT EIS: PAX VOBIS] *Una sabbatorum*; id est, prima die hebdomadæ, puta die Dominica, sive die Paschatis, qua Christus resurrexit. Vide dicta Matth. 28. 1.

D Apparitio Christi post resurrectionem januis clausis.

ET FORES ESSENT CLAUSÆ] Calvinus ait Christum fores clausas aperuisse, vel certe per fenestram apertam ingressum esse, ne cogatur penetrationem dimensionum admittere, quodque duo corpora possint esse in eodem loco, uti in Eucharistia totum Christi corpus est in loci puncto. Idem de corpore Christi hic censet Durandus in 4. dist. 44. q. 6. putat enim ne divina quidem potentia fieri posse ut duo corpora se penetrent. Verum contrarium omnino hic significat Joannes; idcirco enim ait fores fuisse clausas, ut per illas Christum penetrasse significet, uti penetravit clausum matris uterum nascendo, & lapidem sepulchri resurgendo, idque ut ostenderet omnipotentiam suæ divinitatis, ac dotes resurrectionis, & corporis glorioſi. Ita omnes Patres & cæteri interpretes Orthodoxi, quos fuse hic citat Adamus Contzen, Maldon. Bellarm. controv. de Eucharistia lib. 3. c. 6. & alii. Audi ex eis præcipues. Ex Latinis, S. August. partim serm. 159. & 160. de Temp. partim epist. 3. ad Volus. *Moli corporis*, ait, *ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inviolata permansit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur intelligere non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia Creatoris.* S. Ambr. in c. 24. S. Lucæ: *Clausis omnibus per invia supra corporibus, inoffensa compage corpus insertum est: & ideo mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, invisibili aditu, visibili conspectu*, &c. *Non ergo per corpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem impervia usu, clausa penetravit.* S. Hilarius post medium lib. 3. de Trinit. *Et cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia & observata, sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia.*

Ex Græcis Justinus in respons. ad quæstiones a Gentibus propositas resp. 117. *Ut Dominus*, inquit, *non corporis in spiritum mutatione in mari ambulavit; sed divina sua vi mare quod ambulando trajici non potest, pervium fecit, non solum corpori suo, sed etiam Petri: sic divina sua vi & ex monumento exiit, cum saxum in monumentum positum esset, & ad discipulos ingressus est occlusis foribus.* S. Epiph. hæresi 64. Origenis longe post medium: *Quemadmodum*, ait, *Dominus noster resurrexit ex mortuis, non aliud corpus suscitans, sed ipsum quod erat; & non aliud ab eo quod erat, sed ipsum quod erat in spiritualem subtilitatem transmutans & spirituale totum cuncta, ingressus est per fores conclusas; id quod fieri nequit hic in nostris corporibus propter crassitudinem, & quod nondum in spiritualem subtilitatem sint cuncta.* S. Cyril. in hunc locum: *Clausis foribus repente Dominus omnipotentia sua, naturarerum superata, ingressus ad Discipulos est*, &c. *Nam cum Deus verus sit, rerum naturæ non subjacet.* Euthymius, & S. Chrysost. *Januas non pulsavit ne turbarentur, sed clausis iis intravit tamquam Deus.*

Tropol. Christus apparet eis, qui fores mentis mundo & carni occluserunt, eisque adveniens suaviſſimam, nec expectatam dat pacem. Ita S. Gregor. l. 4. in l. 1. Reg. c. 5. *Clausas*, ait, *januas habent, qui contra humani lapsus negligentiam, officia corporis sub forti custodia strictæ retinent. Intus etiam sunt, quia in interna dilectione superna vitæ requiescunt. Quibus profecto resurgens Dominus apparet: quia ejus gloriam tanto clarius aspiciunt, quanto per mundi contemptum passionis ejus mysterium strictius sequuntur. Hi etiam repleri Spiritu sancto quasi in domo possunt, quia illi percipiunt abundanter gratiarum ejus dona, qui ad ea percipienda se se visibilia contemnendo paravernnt.* Tropol.

ET STETIT] repente se stitit, & visibilis apparuit sine prævio adventus sui signo. Nonnus, *stetit, ut penna vel cogitatio*, id est ea velocitate, qua volat avis vel cogitatio, se præsentem exhibuit.

IN MEDIO] Id est inter Apostolos.

Tropol. S. Bern. ser. 6. de Ascens. *Falleris*, inquit, *Thoma sancte, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus, Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent. In medio stat, id est disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur.* G

ET DIXIT EIS: PAX VOBIS] Est hebræorum usitata salutatio, qua iis quos salutant omne bonum apprecantur. Pax enim affert omne bonum, bellum vero omne malum, uti dixi Coloss. 3. v. 15. & alibi. H

ET CUM HOC DIXISSET, OSTENDIT EIS MANUS ET LATUS] Nota. Ex hoc versu, & clarius ex v. 27. liquet, Christum post resurrectionem in corpore suo glorioso servasse quinque vulnerum suorum non solum cicatrices, sed etiam foramina, idque vere, non ficte, ut contra Porphyrium docet S. August. 49. ad Deogratias. Quare vulnera hæc non implevit carne glorioſa, quæ speciem clavi haberet (uti factum esse in eorumdem stigmatibus impressis S. Francisco, narrat S. Bonav. in ejus Vita) sed ea aperta servavit, ut patet ex vers. 27. Ubi Thomas in ea jussu Christi suum digitum, & manum immisit. Idque fecit Primo, ut hæc irrefragabilia essent signa, & argumenta veritatis corporis, & resurrectionis ipsius, scilicet ipsum verum habere corpus, vereque a mortuis resurrexisse. Ita Cyrillus, & Leontius. Audi S. August. *Clavi manus ejus fixerant, lancea latus ejus aperuerat: ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia.* VERS. 20 Christus servat vulnera foramina Cur. Carn. Primo.

Secundo, in signum & trophæum victoriæ de peccato, Secundo

Digitized by Google

A mundo, carne & diabolo per passionem suam partæ. Ita S. Aug. & Ambr. in c. ult. Luc.

Tertia. Tertio, ad majorem in nobis fiduciam excitandam, eo quod Christus vulnera hæc Patri exhibens, per ea pro nobis interpellet, & omnia impetret, Ita S. Anselm. in c. 9. ad Hebr. & Cyprian. ser. de Baptismo Christi.

Quarta. Quarto ad accendendum nostrum amorem, ut Christum pro nobis vulneratum imitemur & redamemus, ac pro eo viciſſim vulnera quælibet, mortemque ipsam libenter suscipiamus. Ita S. Ambr. loco citato, & S. Greg. in Cant. cap. 2.

Quinto. Quinto, ut iis Christus judex in die judicii Judæorum & reproborum impietatem & ingratitudinem redarguat, quod tantam neglexerint gratiam. Ita S. August. Passim enim Theologi cum S. Cyrillo l. 12. c. 58. docent Christum vulnera hæc ascendendo in cælum intulisse, ibique æternum ea servaturum; idque colligitur ex Zachar. 13. 6. & Joan. 19. 37.

Porro speciali Dei miraculo factum est, ut illa vulnerum foramina in Christo non impediant, quo minus nervi & arteriæ continuæ sint, optimeque dispositæ, tum ad continendum sanguinem, tum ad omnes actiones & motus vitæ a Christo obeundos. Vide Suarez 3. par. q. 44. art. 4. disp. 47. sect. 2.

B Hinc consequenter S. Aug. l. 22. de Civit. c. 20. opinatur in Martyribus simili modo mansuras vulnerum, quæ acceperunt, cicatrices, quales cernimus in plagis jam sanatis (nec alia S. Aug. ibidem videtur ponere in Christo) non enim iis, quibus abscissum est caput, aut alia membra, aliter manere possunt in corpore integro, & glorioso, nisi per sui signa & cicatrices. Audi S. Aug. *Nescio autem quomodo sic afficimur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt; & fortasse videbimus. Non deformitas in iis, sed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit, nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata, & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum: quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit.* Additque: *Non sunt deputanda vitia virtutis indicia.*

Videtur hoc de Martyribus negare S. Cyrill. lib. 12. 58. C sed vere non negat: quia non loquitur de Martyribus, sed de iis, qui laborant aliquibus naturæ defectibus, ut luscis, cæcis, surdis: hi enim non cæci & surdi, sed videntes & audientes resurgent.

GAVISI SUNT ERGO DISCIPULI, VISO (& ex cicatricibus agnito) DOMINO] De quo audi S. Aug. 22. Civit. 19. *Claritas, qua justi fulgebunt sicut sol, in Christi corpore, cum resurrexit, abscondita fuisse potius, quam defuisse credenda est: non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando suis ita deberet attendi ut posset agnosci.*

VERS. 21 GAVISI SUNT] tum quia Christum de morte, ob quam mœrebant, ad vitam resurrexisse videbant: tum quia ab eo omnia bona ab eo promissa, sibi reipsa jam danda sperabant.

DICIT ERGO EIS (Jesus) ITERUM: PAX VOBIS] Cur *iterum*? Audi varios, qui varias causas assignant. Interl. *Iteratio confirmatio est, dat eis pacem super pacem, sicut promisit per Prophetam.* Beda: *Repetit, quia gemina est virtus charitatis, vel quia ipse est qui fecit utraque unum.* Glossa: *Pacem offert, qui propter pacem venerat, iterat ut monstret per suum sanguinem pacificata, quæ in cælis & quæ in terra.* Chrys. *Quia prælium implacabile habebant cum Judæis, rursus eis pacem annunciat ut consoletur, simul demonstrans crucis efficaciam, per quam solvit omnia tristia, & contulit omnia bona, & hæc est pax. Mulieribus vero supra annunciatum gaudium; susceperant enim maledictionem hanc: In dolore paries; & erant in mœrore.*

D

Sicut Pater misit Christum, ita Christus mittit Apostolos? quo sensu?

SICUT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS] *Sicut*, id est, simili potestate, auctoritate, fine, modo, amore.

Nota. Hac vocula *sicut*, Christus Apostolos quodammodo sibi æquat & pares efficit, scilicet proportionaliter, ut suos successores & vicarios.

Primo ergo, τὸ *sicut* significat similitudinem in officio, q. d. Simili potestate & auctoritate speciali, qua Pater me misit ad instituendam & regendam Ecclesiam, ego pariter vos mitto, ut sitis ejus doctores & rectores, sicut ego sum: ac potestatem habeatis etiam remittendi peccata, sicut ego habeo, ut sequitur. Ita Rupert. Chrys. Cyrill. Theophyl. qui asserunt Christum hisce verbis Apostolos creasse suos vicarios, orbis doctores & pastores, eisque suum officium & auctoritatem, id est, omnem potestatem E Ecclesiasticam communicasse: ac consequenter eosdem creasse hic Episcopos; licet noster Franc. Turrian. ex Ammonio, Theophane, Damiano & aliis velit Apostolos creatos esse Episcopos in Pentecoste. Ita ipse scribens in S. Clementis lib. 6. Constit. Apost. cap. 11. p. 227. Bellarm. vero lib. 1. de Romano Pontifice cap. 24. ex Turrecremata censet solum Petrum ordinatum fuisse Episcopum a Christo, cæteros vero Apostolos ordinatos esse Episcopos a S. Petro. Verum probabilius Suarez opinatur omnes Apostolos ab ipso Christo ordinatos fuisse Episcopos, licet de locis & tempore dubiter. Ita ipse tract. de Fide disp. 10. sect. 1. n. 8. favet S. Aug. in Quæst. novi & veteris Testam. 9. 97. dicens: *Ipse enim priusquam in cælos ascenderet, imponens nomen Apostolis ordinavit in Episcopos.*

Secundo, τὸ *sicut* significat similitudinem principii. q. d. Sicut Deus Pater misit me, ita & ego illi par Deus, vos mitto. Ita Theoph. principium ergo missionis tam Christi, quam Apostolorum est a Deo, imo est ipse Deus.

Tertio, τὸ *sicut* significat similitudinem in fine: utrique enim missi sunt ad eumdem finem, scilicet ad fidem F propagandam, & ad salutem totius mundi. Ita Cyrillus & Leontius.

Quarto, in modo, ut scilicet miraculis vestra dogmata confirmetis, o Apostoli, sicut ego eadem confirmavi.

Quinto in amore reciproco. q. d. Quo amore misit me Pater ad sanguinem ejus amore fundendum, eodem ego vos mitto. Summus enim Dei amor est, cum ipse quem suum & testem Martyrem efficit. Ita Toletus.

Audi S. Greg. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* q. d. *Ea charitate vos diligo cum inter scandala persecutorum vos mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.*

HÆC CUM DIXISSET, INSUFFLAVIT, ET DIXIT EIS: VERS. 22 ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM] Cur *insufflavit*? Resp. Primo, ut significaret naturam Spiritus sancti, illumque a se æque ac a Patre spirari & procedere. Sicut enim homo insufflando in aliquem, ex ore suo halitum sive spiritum suum corporeum alteri immittit; sic Pater & Filius spirando producunt Spiritum sanctum, eique suum spiritum & divinitatem communicant. Spiritus sanctus ergo est quasi flatus divinus, procedens ex spiratione Patris & Filii. Ita S. Aug. tract. 121. Cyril. Beda & alii. Porro insufflatio G hæc Christi non fuit ipse Spiritus sanctus. q. d. Accipite hanc insufflationem, quæ est Spiritus sanctus, sed fuit ejus signum. q. d. Accipite in hac insufflatione, sive per hanc insufflationem, ut per signum & causam instrumentalem donum Spiritus sancti.

Christi insufflatio: Cur? Resp. Primo.

Secundo, ut significaret Spiritum sanctum sibi & Patri esse ὁμοούσιον, hoc est, consubstantialem, perinde ac halitus insufflando emissus est consubstantialis spiritui illius, qui eum emittit & exsufflat. Ita Cyrill. & Leont. Secundo.

Tertio, ut ostenderet illum sese esse, qui primitus Adæ inspiravit spiraculum vitæ, juxta illud Gen. 2. 7. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, id est, factus est homo animal vivens: eo enim hic alludit. q. d. Sicut ego pura qua Deus olim insufflando Adæ indidi illi animam, quæ dedit ei vitam naturalem & animalem: sic nunc ego vobis insufflando Spiritum sanctum, indidi vobis vitam supernaturalem & divinam. Idem ergo ego, qui fui olim creator hominum, jam sum eorum recreator & restaurator. Ita Cyrill. lib. 12. cap. 56. Leont. Euthym. & S. Athanasius ad Antioch. q. 64. Tertio.

H Quarto, addit Cyril. & S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. & ex eo S. Ambr. ser. 20. in Ps. 118. Christum hac insufflatione significasse se primitus insufflasse in Adamum non tantum animam, sed & gratiam; sed quia ipse illam peccando perdidit, hinc se insufflando eamdem Apostolis, & per eos cæteris hominibus restituere: se ergo gratiæ amissæ esse restauratorem. q. d. Accipite Spiritum sanctum, quem peccando in Adamo perdidistis, eumque per Sacramentum pœnitentiæ pœnitentibus afflate, ac per eum peccata eorum remittite, eosque vitæ spirituali per gratiam restituite. Audi S. Cyrillum: *Primo, per Verbum Dei factus est homo, & inspiravit Deus in eum spiraculum vitæ, Genes. v. & sui Spiritus participatione eum munivit; verum quoniam per inobedientiam decidit, & pristinum decus amisit, formavit eum rursus Deus Pater, & in novam reduxit vitam per Filium; ut ergo ipsum esse discamus, qui initio naturam nostram creavit, & Spiritu sancto signavit, rursus in initio renovanda*

Quarto.

Digitized by Google

A *unde natura ſufflatione Spiritus diſcipulis largitur, ut ſicut creati ab initio ſumus, ſic etiam renovemur.*

Symbol. Symbolice, hæc inſufflatio repræſentat peccatum eſſe quaſi nubem atram. Sicut enim hæc flante vento diſſipatur: ſic, ſufflante Spiritu Sancto, diſſipatur omnis peccati nebula, juxta illud Iſaiæ 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas.* Rurſum flatus hic repræſentat poteſtatem judiciariam remittendi peccata, quam hic Chriſtus dat Apoſtolis. Hæc enim exercetur flatu vocis dicentis: *Ego te abſolvo.*

Tropol. Tropologice flatus hic notat, ſacerdotem, ut peccata remittat, debere ingenti ſpiritu, charitate & zelo pollere, quem pœnitentibus inhalet, ut eos ad veram pœnitentiam, dolorem, & contritionem impellat, per quam eoſdem ad remiſſionem peccatorum diſponat. Ita videmus Confeſſarios magno ſpiritu præditos, multos magnoſque peccatores ſpiritu oris ſui compungere, convertere & ſanctificare: uti legimus S. Ambroſium audiendo peccata confitentium illacrymari ſolitum, ac ſuis lacrymis eoſdem ad lacrymas & contritionem commoviſſe.

B Spiritus ſanctus quomodo hic detur Apoſtolis. ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM] Nota. Apoſtoli jam acceperant in baptiſmo, & S. Synaxi Spiritum ſanctum, erantque juſti & ſancti; ejus vero plenitudinem ex Chriſti promiſſione accepturi erant in Pentecoſte, ut per eam Gentes ad Chriſtum converterent: tunc enim Spiritus ſanctus viſibiliter in eos per linguas igneas deſcendens, eos omnibus donis, ac præſertim efficacia prædicandi, cumulavit. Hic ergo Chriſtus Apoſtolis Spiritum ſanctum, quem jam habebant, dat ad alium uſum, & effectum, quem necdum habebant, ſcilicet ad remittendum peccata. *Accipite* ergo *Spiritum Sanctum*, hoc eſt accipite poteſtatem remittendi per Spiritum ſanctum peccata, ita Theoph. Euthym. & Ruper. Id facit ut ſignificet ſe ad id veniſſe, juxta illud Iſaiæ 27. 9. *Et iſte omnis fructus ut auferatur peccatum*; ac ſe æque ac Patrem dare Spiritum ſanctum. Hinc patet Spiritum ſanctum dari non tantum per gratiam gratum facientem, ſed etiam per gratiam gratis datam, qualis eſt poteſtas remittendi peccata, quæ datur ſacerdotibus etiam in peccato mortali exiſtentibus, dum ordinantur. Nam Spiritus ſanctus eſt primarius auctor, qui in Sacramento operatur, & per illud peccata remittit, etiamſi ejus C miniſter ſit impius. Unde Cyrillus, & Chryſoſt. ſic exponunt: *Accipite Spiritum ſanctum*, id eſt accipite poteſtatem remittendi peccata per Spiritum ſanctum, vobis in Sacramento cooperantem & peccata remittentem. Rurſum per Spiritum ſanctum cum S. Aug. hic, & S. Ambr. ſerm. 10. in Pſ. 118. accipias ipſam Spiritus ſancti gratiam & charitatem; hæc enim hic a Chriſto major & auctior infuſa fuit Apoſtolis, eademque ſacerdotibus dum ordinantur infunditur vi Sacramenti Ordinis (niſi ipſi obicem ponant, velintque in peccatis ſuis perſeverare, vel nolint de præteritis conteri) ut rite & ſine peccato Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare poſſint, & peccatores abſolvere. Sacerdos enim qui alios abſolvit, a peccato purus eſſe debet, alioquin peccat, ſed tamen pœnitentem vere abſolvit & juſtificat. Ex dictis liquet Spiritum ſanctum habere primam & ſummam poteſtatem remittendi peccata, eamque communicare Apoſtolis, ac proinde ipſum vere eſſe Deum. Ita S. Baſilius lib. 5. contra Eunom. S. Ambroſius libr. 3. de Spiritu ſancto cap. 19. & Chryſoſtom. hom. 6. in epiſt. 2. ad Corinth. Porro eadem poteſtas communis eſt toti ſanctæ Trinitati, ſed appropriatur Spiritui ſancto, D ſicut & bonitas & amor, & omnia opera ſanctificationis: Patri vero appropriatur potentia, Filio ſapientia, ejuſque opera.

Nota Secundo, Spiritum ſanctum, ejuſque poteſtatem remittendi peccata hic dari Apoſtolis, non tam propter ipſoſmet, utpote futuros judices reorum in tribunali pœnitentiæ, quam propter reos pœnitentes: unde eadem datur etiam ſacerdotibus malis dum ordinantur; ſicut poteſtas judicandi in foro ſæculari dari poteſt judici impio: ſi tamen ipſi ſe per pœnitentiam ad ordinationis Sacramentum rite ſuſcipiendum diſponant, accipient in eo Spiritum ſanctum, etiam ad ſui ſanctificationem, ut aptiores ſint ad alios, pura pœnitentes, ſanctificandos, ſicut hic factum eſt Apoſtolis.

Notat Tertio, S. Cyrill. & ex eo Maldon. etiam Thomas licet abſenti, hic a Chriſto inſpiratum fuiſſe Spiritum ſanctum, eique collatam fuiſſe poteſtatem remittendi peccata; ſicut olim ſpiritus prophetiæ per Moſen datus fuit Eldad & Medad, licet abſentibus, Num. 11. 26. Verius tamen videtur contrarium. Nam Thomas tunc erat incredulus, ideoque incapax Spiritus ſancti, quare Spiritus ſanctus, & poteſtas remittendi peccata Thomæ a Chriſto data fuit octavo die, cum ei Chriſtus apparuit, & vulnera ſua oſtendit, itaque eum convertit. Ita Toletus, Ribera & alii. E

Denique Nota hoc Chriſti exemplum pro cæremoniis Eccleſiaſticis. Chriſtus enim cæremonia inſufflandi contulit Apoſtolis Spiritum ſanctum, & poteſtatem remittendi peccata. Ergo cæremoniæ Eccleſiaſticæ non ſunt res otioſæ, frivolæ & ſuperſtitioſæ (uti volunt hæretici) ſed decoræ, efficaces & religioſæ.

QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS: ET QUORUM RETINUERITIS, RETENTA SUNT] Calvinus hoc detorquet ad prædicationem Evangelii. q. d. Quibus prædicaveritis Evangelium, ſi ipſi ei credant, hoc ipſo per fidem remittentur eis peccata. Verum nemo non videt hanc expoſitionem eſſe contortam, violentam, ineptam & ridiculam. Nam ſic non Apoſtoli, ſed ipſi credentes quaſi judices credendo, per fidem ſuam ſibi ipſis remitterent peccata, quod eſt abſurdum: nemo enim ſeipſo ſuperior, aut ſibi ipſi judex eſt, ut ſibi peccata remittat. Verſ. 23

Poteſtas abſolvendi non eſt prædicatio Evangelii. Prob. Primo.

Secundo, hæc duo, ſcilicet prædicare Evangelium, & remittere peccata, ſunt plane diverſa, & diſparata: prius enim eſt opus Apoſtoli prædicantis; poſterius vero eſt actus judicis judicantis. Remittere enim peccata eſt actus judicialis. Secundo. F

Tertio, Evangelium omnibus eſt prædicandum, hæcque Calvini abſolutio omnibus etiam impiis dari poteſt; Remittuntur tibi peccata, ſi credis Evangelio. Chriſtus autem non omnibus vult peccata remitti, ſed aliquorum peccata jubet retineri, ſcilicet quorum retinenda cenſuerint & judicarint Apoſtoli, eorumque ſucceſſores. Tertio.

Quarto, quia Chriſtus jam ante poteſtatem prædicandi clare dederat Apoſtolis, eoſque ad prædicandum miſerat, Lucæ 10. 1. imo eis mandatum dederat prædicandi ubique, Matth. ult. & Marc. ult. 15. *Euntes*, inquit, *in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quorſum igitur hic illud verbis tam obſcuris, & intelligibilibus repeteret? Quarto.

Dico ergo: De fide eſt hunc locum intelligi debere de Sacramento Pœnitentiæ, in quo ſacerdos quaſi judex vere remittit non tantum pœnas, ſed & culpas peccatorum pœnitentium, ſeſeque per confeſſionem accuſantium. G Id patet ex ipſis verbis, quæ omnia ſonant, & ſignificant poteſtatem judiciariam remittendi, aut retinendi peccata pro ſuo judicio, hic a Chriſto dari Apoſtolis quaſi judicibus in foro & tribunali conſcientiæ. Ita hunc locum intellexere omnes Patres, totaque Eccleſia quovis ſæculo, uti definit Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 3. *Si quis dixerit*, inquit, *verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit.* Chriſtus ergo hoc loco Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii inſtituit, uti definit idem Concilium ibidem can. *Dominus*, inquit, *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Patrum teſtimonia citat Bellarm. lib. 3. de Pœnitentia cap. 2. ac inter alios S. Greg. hom. 26. dicens: *Principatum divini judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent.* H

Senſus ergo eſt. q. d. Accipite Spiritum ſanctum, per quem trado vobis poteſtatem ordinis, quam etiam qui eſt in peccato habere poteſt; & ſimul trado vobis gratiam & ſanctificationem, ut digne & ſancte hanc poteſtatem exerceatis, non in aliorum ſolum ſalutem, ſed etiam in veſtram. *Quorum remiſeritis peccata:* vere enim remittetis ut miniſtri mei, & non tantum remiſſa eſſe oſtendetis, &c. *& quorum retinueritis*; vel non abſolvendo eos, quia ad vos non veniunt, vel quia abſolutione indignos putabitis, &c. *retenta ſunt*, in cœlo a Deo.

Dices. Cyril. hic exponit hunc locum de prædicatione Evan- Obiectio ex S. Cyrillo.

Digitized by Google

A Evangelii. Resp. Cyrillus de ea non exponit τὸ *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, sed τὸ *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, scilicet ad prædicandum Evangelium. Instabis: Cyrillus explicans τὸ *quorum remiseritis peccata*, ait dupliciter remitti peccata, scilicet baptismo, & Pœnitentia. Resp. Utrumque verum est, sed & utrumque non est ad mentem Christi hoc loco: Christus enim loquitur proprie de tribunali Pœnitentiæ. Cyrillus vero sententiam Christi extendit ulterius, scilicet ad baptismum. Nam Christus proprie agit de judiciaria remissione peccati, qualis non est in baptismo, sed in Sacramento Pœnitentiæ dumtaxat, uti exponunt cæteri Patres & Concil. Trident. locis jam citatis. Vide S. Chrys. hic & l. 3. & 6. de Sacerdotio, ubi ostendit sacerdotes digniores esse non tantum regibus, sed & angelis, quibus potestas remittendi peccata non est concessa.

Porro ex eo quod Christus hic instituit tribunal hoc Pœnitentiæ, consequenter hoc ipso confessionem Sacramentalem sanxit, & jure divino præcepit, alioqui enim frustra erexisset hoc tribunal. Non enim possunt remitti peccata in hoc tribunali a sacerdote, nisi cognoscantur: cognosci autem non possunt, nisi pœnitens ea confiteatur, quia sæpe sunt occulta, imo in mente abscondita. Quare necesse est, ut peccator pœnitens hic accusatoris sui personam subeat, idemque sit reus, accusator & testis contra se, ac a sacerdote quasi judice peccatorum, de quibus se accusat, & quorum ipsum pœnitet, veniam humiliter flagitet: qui si eum vere pœnitentem viderit, in eum sententiam absolutionis proferens, eum ab omnibus absolvet, omniaque ei nomine Christi quasi ejus vicarius condonabit: Christus enim ratam habet sententiam sacerdotis, & quod ille condonat, ipse quoque condonat, quod ille retinet, Christus quoque retinet. Jubet enim sæpe in Evang. Christus ut omnes de peccatis pœnitentiam agant, ideoque tota concionum ejus summa erat: *Pœnitentiam agite*, Matth. c. 3. hanc autem agere debent eo modo, quo Christus instituit, nimirum suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ, hoc est, confitendo peccata sacerdoti in Sacramento Pœnitentiæ, & ab eo absolutionem flagitando. Ita Concil. Trid. sess. 14. c. 5. *Et institutione*, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.* Errat ergo Cajetanus dicens, hic non tradi præceptum Confessionis. Error hic post Concil. Trid. est hæresis, sed Cajetanus Concilium hoc antecessit.

B Et quorum retinueritis, retenta sunt] Nota, τὸ *retinueritis* non significat negationem dumtaxat absolutionis, sed potestatem positivam. Sensus enim est: *Quorum retinueritis*, id est, quos indignos absolutione judicaveritis ob suam indispositionem, quos repuleritis, quos rejeceritis ab absolutione, quos judicaveritis peccati reos, ideoque gehenna dignos: hos pariter tales judicabit Deus, qui solus primario & propria auctoritate peccata condonat vel retinet. Solius enim Dei proprium est condonare offensam in se commissam: sed ipse hac in re loco suo quasi vicarios suos constituit sacerdotes. Hoc est quod Christus ait Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*: v. g. sacerdos si videt pœnitentem non habere serium de peccatis dolorem, aut non habere serium propositum emendationis, quia non vult relinquere concubinam, vel alias propinquas peccandi occasiones, aut non vult restituere famam, vel opes proximo surreptas, debet ei negare absolutionem, & judicare ipsum absolutionis incapacem; & in peccato suo manere una cum reatu gehennæ.

Retinere peccata, quid?

D

Denique Nota. Licet Apostoli a Christo ordinati sint sacerdotes ante passionem, in ultima cœna post institutam Eucharistiam illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. 19. tamen tunc acceperunt solam potestatem consecrandi Eucharistiam; hic vero post resurrectionem Christi ab eo accipiunt aliam potestatem, scilicet remittendi peccata: sunt enim hæ diversæ potestates, & dividi separarique possunt. Nam Christus habuit potestatem excellentiæ, qua potuit aliter instituere sacerdotes, quam postea fuerunt in Ecclesia constituendi, quia jam in ordinatione sacerdotum materia est calix, & patena cum pane & vino; forma vero, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*: quare cum ea Episcopus tradit cuipiam, & formam jam dictam pronunciat, hoc ipso perfectum consecrat sacerdotem, ac consequenter confert ei potestatem tam remittendi peccata, quam sacrificandi. Quocirca cum postea dicit: *Accipe potestatem remittendi peccata*: hæc verba non sunt de essentia formæ, sed tantum declarant potestatem per prima verba illi traditam: uti contra Paludanum docet D. Soto in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 4. & ex Gregor. de Valent. tract. de Ordine disp. 9. quæst. 1. punct. 5.

E

Duplex sacerdotum potestas Ordinis.

Thomas autem unus ex duodecim (Apostolis) qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus] *Didymus*, id est, gemellus, ob causas, quas recensui c. 11. v. 16. Hic tamen dicitur *Didymus*, id est, geminus, varius, anceps, dubius, duplex, quia nutabat & dubitabat in fide resurrectionis Christi. Quare infirmior quidem tunc fuit aliis Apostolis, sed a Christo rursus apparente conversus factus est omnibus fortior & fidelior, utpote qui solus totum pene orbem terrarum evangelizando percurrit. Vide Thomam Stapletonum lib. de tribus Thomis, in Vita S. Thomæ Apostoli, ubi ostendit eum prædicando obiisse orbem, & perveniisse usque ad extremos Garamantas, & Indos, nec tantum Parthis, Medis, Persis, Caramanis, Hyrcanis, Bactris, sed & Abyssinis, ipsisque Sinis evangelizasse, imo in novum orbem, in Americam, inquam, penetrasse.

Vers. 24

F

Thomæ absentia.

Unde?

C

Non erat cum eis] Quia, ut ait S. Chrys. Theoph. & Euthym. Apostoli omnes in passione Christi fugientes dispersi fuere, sed die Dominico sensim se collegerunt, redieruntque ad cœnaculum, ubi cum Christo ultimam cœnam cœnarant; unde eodem die, sed sero Christus resurgens ibidem apparuit illis: Thomas vero necdum ex fuga redierat. Probabilius S. Aug. Beda, Lyran. D. Thom. Cajet. Tolet. & Ribera respondent Thomam fuisse cum cæteris Apostolis, cum duo discipuli ex Emmaus redeuntes narrarunt se vidisse Christum, sed quia hæc narratio videbatur Thomæ incredibilis & fictitia, hinc ipse offensus credulitate Apostolorum illi credentium, ipsos reliquit & abiit: sic enim abire solemus, cum sermo cujuspiam nobis displicet. Id innuit Lucas cap. ult. cum ait, mulieres e sepulchro redeuntes narrasse ea, quæ viderant, undecim Apostolis; ergo aderat tunc Thomas, & solus duodecimus Judas aberat, utpote jam suspensus. Quare cum ait Lucas c. 11. *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista*; videtur notare Thomam.

G

Vers. 25

Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus; non credam.

Thomæ incredulitas.

Nisi videro] Peccavit hic Thomas Primo incredulitate; Secundo, pertinacia; Tertio, superbia; Quarto, irreverentia, cæteris enim omnibus Apostolis dicentibus Christum resurrexisse obstinate restitit, nec fidem habere voluit. Quinto, præsumptione, quia non aliter voluit credere, nisi manum, & digitos in vulnera Christi inferret. Itane, o Thoma, præsumis leges Christo præscribere? Sexto, quod in hac incredulitate obstinate manserit per octo dies, forte etiam ipsa Christi matre contestante ut crederet. Quare fuit incredulus non circa modum resurrectionis, ut vult S. Ambr. Luc. c. ult. sed circa ipsam resurrectionis Christi veritatem, quasi alii Apostoli fuissent illusi & decepti, nec verum Christum, sed phantasma Christi specie larvatum vidisset, ut recte advertit Origen. l. 2. contra Celsum. Sic & S. Aug. l. 16. contra Faustum c. 33. & S. Greg. hom. 26.

H

Porro hæc Thomæ incredulitas orta fuit partim ex eo, quod ipse non crederet Christum esse Deum: si enim credidisset, facile cognovisset Christum potuisse corpus suum e morte ad vitam suscitare. Mirum est ergo, Cyrillum dicere, quod Thomas crediderit Christum esse Deum: partim ex nimia tristitia & dolore, præsertim quod cæteris Apostolis Christum videntibus solus ipse eum

Digitized by Google

A non vidisset. Hoc enim pungebat, & cruciabat cor ejus: unde in has voces acres doloris indices erupit. Ita Cyrill. lib. 12. c. 57. Permisit id Deus, tum ut ipse Thomas, tum ut nos omnes in humilitate, æque ac fide resurrectionis Christi per novam Christi apparitionem firmaremur. Ita S. Greg. hom. 26. S. Aug. serm. 161. de Temp. & alii.

FIXURAM] Græce τύπον, id est, *figuram*, & sic legunt multi codices Latini; sed eodem redit sensus: figura enim hæc intelligitur figura relicta ex clavorum fixione. Unde Arabicus vertit, *vestigium*; Syrus, *locum clavorum*. Radix enim τύπτω idem est quod *figo*, *insculpo*, *imprimo*, *figuro*, uti fit in incisione æris, argenti vel auri: sic enim clavis, & lancea incisa manibus & lateri Christi, insculpta, & impressa fuere vulnera. Pulchre S. Augustinus serm. 159. ad Temp. *Manus*, ait, *quærebat, & latus, &, dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrit in fide: voluit Dominus ut videret, ne incredulitate animam perderet.*

VERS. 26 ET POST DIES OCTO,] hoc est, octavo die (non nono) a Dominica resurrectione Christi jam finiente, &

B in vesperam noctemque vergente, puta Dominica in Albis, sive in octava Paschæ, quando hoc mysterium recolimus, & in Missa hoc Evangelium legimus. Unde notat Cyril. Apostolos jam tunc ex indiciis apparitionum Christi, cœpisse die Dominico conventus Ecclesiasticos agere, & quasi consecrare diem Dominicum, eo quod illo die Christus resurrexisset: quare Christum ad Dominicam sabbato substituendam sensim Apostolos direxisse.

ITERUM ERANT DISCIPULI EJUS INTUS] in cœnaculo Hierosolymitano paulo ante dicto. Parum ergo probabile est quod ait S. Hieron. in Matth. cap. ult. vers. 16. Item Rupert. & Ribera hic, Christum apparuisse Thomæ & Apostolis, non in Jerusalem, sed in Galilæa: ibi enim postea Christus apparuit non tantum Apostolis, sed & cæteris fidelibus.

Jesus iterum januis clausis apparet.

ET THOMAS CUM EIS: VENIT JESUS JANUIS CLAUSIS, ET STETIT IN MEDIO, ET DIXIT: PAX VOBIS] Nota hic miram Christi dignationem, qua ut Thomam infidelem & pertinacem convertat, iterum ei se non tantum videndum, sed & palpandum offert. Verum id fecit non

C ob Thomam solum, sed & propter cæteros Apostolos, ut VERS. 27 eos nosque omnes in fide resurrectionis firmaret.

DEINDE DICIT THOMÆ: INFER DIGITUM TUUM HUC, ET VIDE MANUS MEAS; ET AFFER MANUM TUAM, ET MITTE IN LATUS MEUM (Ecce clementiam Christi, qua per omnia ad ea quæ postularat Thomas, se dimittit, ejusque votis per omnia obsecundat, ut eum convertat. En, ait Chrys. ut Christus etiam pro una anima vulnera sua ostendat, & cum crassioris esset ingenii, a crassissimo sensuum fidem sibi quærat, id est a tactu) ET NOLI ESSE INCREDULUS, SED FIDELIS] q. d. Putas, o Thoma, me non scire ea, quæ de me absente dixisti: sed scito me ea scire, imo præsentem audivisse. Audivi te enim ex incredulitate dicentem: *Nisi mittam digitum meum in loca clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Facito, sicut dixisti; en tibi offero perforatas manus latusque meum; ut ea contrectes, palpes, imo digito & manu tua metiaris, ut deponas tuam incredulitatem, ac deinceps credas me resurrexisse; eumdem, inquam numero, qui in cruce transfixus pependi, non alium. Hac ratione curat Christus alterum vulnus infidelitatis Thomæ: ostendit enim se omnia etiam secreta nosse, esseque cardiognosten; id est, cordium cognitorem, ideoque Deum, quod Thomas non credebat. Sanat

D ergo Christus morbum a radice; ideo enim Thomas non credebat Christum resurrexisse, quia non credebat ipsum esse Deum.

Thomas tetigit vulnera Christi.

Quæres, an vere Thomas tetigerit vulnera Christi? Glossa dubitat, Euthym. putat non tetigisse: sed contrarium sentit S. Aug. qui tract. 121. ait: *Videbat tangebatque hominem; & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat: sed per hoc, quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat.* Idem ait S. Greg. Cyrill. Theoph. & Beda. Idem sentire videtur S. Chrys. nec videtur dubitandum, quia cum Dominus dixerit: *Infer digitum tuum huc*, nisi factum esset, non præteriret Joannes eum sine tactu credidisse.

Adde, Christum præcipere hic Thomæ ut inferat digitum, cui præcepto sane Thomas obedivit. Certa ergo res est, ait Tolet. & in confesso apud omnes, Thomam secundum Domini præceptum vulnera Christi tetigisse: hoc enim jussit Christus, ut argumentum efficax resurrectionis suæ, non tantum Thomæ, sed & fidelibus sæculorum omnium relinqueret. Unde S. Augustin. serm. 147. de Temp. *Voluit*, inquit, *quibusdam dubitantibus exhibere in illa carne cicatrices vulneris, ut sanaret vulnus incredulitatis.* Et S. Ambros. in cap. ult. Lucæ, *Tactu*, ait, *suo debuit me docere, sicut docuit & Paulus.* Audi S. Greg. hom. 26. *Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egis enim miro modo superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.* Rursum S. Augustin. serm. de Tempor. 161. *Thomas ergo cum esset sanctus, fidelis & justus, hæc omnia sollicite requisivit; non quod ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam sufficeret illi ad fidem propriam vidisse, quem noverat, sed nobis operatus est ut tangeret, quem videbat, ut, si forte diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere manus illius frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest; de tactu non potest dubitari.*

E

F

Dices: Christus ait, *Vide*, non tange, *manus meas*, Ergo Thomas eas vidit, sed non tetigit. Resp. *vide*, id est tange, ut ipso tactu videas, id est certo cognoscas me crucifixum eundem numero resurrexisse. Ita S. Augustin. tract. 121. Visus enim, quia generalis & nobilissimus est sensus, hinc pro quolibet sensu, etiam tactu, capitur, uti ostendi Exodi 20. v. 10. ad illud: *Populus videbat*, id est audiebat, *voces*.

An corpus glorioſum ſit palpabile?

Dices Secundo: Corpus Christi glorioſum est subtile, ergo impalpabile. Respondent Cyrill. Chrysost. Leont. Theoph. divina dispensatione fuisse palpatum a Thoma ad fidem resurrectionis faciendam, nimirum modus ille resistentiæ, qui est in corpore (quo scilicet unum corpus alteri resistit, ideoque ab eo est palpabile) quæ est passio, & proprietas quantitatis, est in potestate Christi, & cæterorum Beatorum, ut maneat vel tollatur a Deo ad libitum eorum. Idem est de visibilitate; unde Christus quando volebat, videbatur; quando nolebat, non videbatur. Vide dicta Lucæ vlt. v. 39.

G

Porro, digitus hic S. Thomæ religiose asservatur Romæ in Basilica S. Crucis in Jerusalem (ubi coninus eum aspexi, & deosculatus sum) una cum S. Cruce, titulo, clavo, & spinis coronæ spineæ, quæ S. Helena e Jerusalem eodem transtulit. Ex eo vero quod ait Christus: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum*: collige vulnus lateris Christi fuisse ingens & immane: utpote in quod totam manum suam, quæ magna & crassa erat, mittere potuerit Thomas: unde illud ipse pro se susceptum admirans exclamavit: *Dominus meus & Deus meus*: ac in eo commorari, & per illud in cor Christi ingredi desiderabat, uti multi Sanctorum desiderarunt, ac inter alios S. Bernardus, S. Franciscus & S. Elzearius Comes Ariani. Vide S. Bern. serm. 61. in Cant.

RESPONDIT THOMAS, ET DIXIT EI: DOMINUS MEUS, VERS. 28 ET DEUS MEUS] Dixit hoc Thomas, non ante, ut vult Euthym. sed post contactum Christi, ut patebit vers. seq. Mansit ergo Thomas incredulus, donec tactu explorans vulnera Christi, ex iis reipsa cognovit ipsissimum esse Jesum, qui jam apparebat redivivus, & qui in cruce vulnera jam dicta susceperat. Ita Tertull. lib. de Anima cap. 28. S. Ambr. in Psal. 43. S. Hilar. lib. 3. de Trinit. Cyrillus

H lib. 12. 58. Gregor. hom. 26.

DOMINUS MEUS, ET DEUS MEUS] Supple, Tues, o Christe; græce est utrobique articulus Ο, quo eum verum esse Deum significat, non participatione, sed natura, ait Cyrillus, scilicet ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου; Syrus, *Domine mi, & Deus mi*. Agnoscit, & damnat hic Thomas humilis & pœnitens priorem suam incredulitatem, idque facit magno fidei, spei, pœnitentiæ, & charitatis affectu. Voce *Dominus* confitetur humanam Christi naturam; voce *Deus* divinam. q. d. Ego, quia non credebam te esse Deum, hinc non credebam te resurrexisse: jam quia resurrexisse te video, credo pariter te esse Deum, ideoque quod tu vi divinitatis tuæ corpus tuum a morte ad vitam suscitaveris. Ita Hilar. l. 7. de Trinit. & S. Amb. in Ps. 43. qui & addit vs *Dominus* significare Christum esse redemptorem nostrum, utpote qui nos sanguine suo emerit, ideoque jure emptionis, & redemptionis omnium sit Dominus. Hisce verbis ergo Thomas Christo adorationem latriæ exhibuit, ait Franc. Suarez. Audi S. August. *Videbat*

Digitized by Google

A bat *tangebatque hominem & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat: sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat.* Hinc Concil. Constant. Oecumenic. V. in Constit. Vigilii Papæ, quæ pertinet ad collationem quintam, anathema dicit Theodoro Mopsuesteno, qui illud, *Dominus meus,*
VERS. 5. *& Deus meus*, dictum volebat a Thoma, non Christum Deum confitente, sed ex miraculi stupore & adoratione Deum collaudante.

Nota *τὸ meus*. q. d. Licet Jesus omnium sit dominus & Deus; meus tamen proprius est, quia ipse me ovem perditam quasi pastor bonus requisivit; quare vicissim eum intimis animæ medullis diligo, & veneror, quasi meum singularem Deum & Dominum: Tu ergo, o Jesu, mihi es Deus & Dominus, quia tuis hisce vulneribus, quæ jam palpavi, & verissima cognovi, mihi meruisti & impetrasti hanc fidem, qua credo te vere resurrexisse, & hanc spem, qua spero per merita vulnerum tuorum obtinere gratiam & gloriam; & hunc charitatis fervorem, quo te ardentissime ut Deum & Dominum meum diligo, tibique me totum offero & consecro in servum perpetuum,
B ut nihil deinceps agere velim, nisi quod tibi placeat: nisi quod te laudet & glorificet. Utinam hunc cordis mei sensum toti mundo pandere, & aspirare valerem. Utinam omnibus gentibus hanc tui fidem, spem & amorem deprædicare & communicare possem! summa, tu mihi semper eris Dominus meus & Deus meus. Sic S. Franciscus crebro dicebat: *Deus meus, & omnia.* Et regius Propheta: *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? deficit caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum*, Ps. 72. 26.

VERS. 29 DIXIT EI JESUS: QUIA VIDISTI (id est, tetigisti, & tangendo vidisti, id est, certo cognovisti) ME THOMA, CREDIDISTI: BEATI QUI NON VIDERUNT, ET CREDIDERUNT] q. d. Beatus es, Thoma, qui me tetigisti, ideoque credidisti me resurrexisse, esseque verum Deum, juxta illud: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*. Luc. 10. 21. Verum magis beati sunt, qui me non viderunt, nec tetigerunt, & tamen in me crediderunt, quia ibi fides majus habet meritum, ubi humana ratio non præbet experimentum, ait S. Greg. Dicit *crediderunt*; quia cæteri
C Apostoli, & per eos multi fideles jam crediderant Christum resurrexisse: sed sub præterito *crediderunt* intelligit præsens *credunt*, & futurum *credent*. q. d. Beatiores sunt & erunt, qui cum me non viderint, in me tamen credunt, vel credent ob rationem jam dictam. Addit S. Aug. eos qui credent, jam credidisse in Dei præscientia & prædestinatione, ideoque dici *crediderunt*; sed hoc subtilius & acutius est quam solidius.

Hinc S. Greg. hom. 26. S. Hilarius libr. 7. de Trinit. & S. August. tract. 121. docent Thomam aliud vidisse, aliud credidisse; vidisse scilicet Christum jam resuscitatum, credidisse vero eum esse Deum, ac consequenter eum seipsum suscitasse: unde dixit, *Dominus meus, & Deus meus*. q. d. Christus, Quia tu, o Thoma, vidisti & tetigisti humanitatem meam jam resuscitatam, idcirco credidisti divinitatem in ea latentem & resuscitantem. Resurrectio enim Christi confirmavit omnia ejus dogmata, inter quæ unum erat se esse Messiam Filium Dei, moriturum in cruce pro salute hominum, ac tertio die a morte surrecturum: quæ omnia hic credidit Thomas.

Rursum, id quoque quod sub sensum cadit, quod-
D que videmus & tangimus, credere possumus fide divina, sed ob aliam rationem formalem. Videmus enim, quia oculis illud aspicimus: credimus vero, quia idipsum revelavit Deus, maxime si sensus errare possit, aut involvat aliquid, quod non videtur, uti hic est resurrectio Christi jam præterita: de fide resurrectionis enim dubitavit, & arguitur hic Thomas.

Dices, S. Aug. tract. 40. ait: *Fides est credere quod non vides*. Resp. Id verum est hoc sensu, quo præcipua objecta materialia fidei talia sint, ut non videantur, at non omnia: formale autem fidei objectum, scilicet revelatio Dei semper talis est, scilicet invisibilis.

Licet ergo Thomas quatenus vidit Christus resuscitatum, eatenus formaliter id non credidit: tamen quia Christum, qua homo erat jam suscitatus, vidit & audivit idem asserere, & revelare: hinc credidit Deo per os Christi & Apostolorum dicenti, & revelanti illud, scilicet non phantasma in specie, & forma Christi, uti antea putabat Thomas, sed ipsum Christum vere a mortuis resurrexisse & apparuisse Apostolis. Sic dicimus: Quia vidisti miracula, quia audisti prædicationem Evangelii, ideo credidisti; ubi vox *quia* non rationem, aut causam formalem credendi (hæc enim est unica Dei revelatio) sed disponentem & moventem ad credendum significat. E

Potest Tertio, sic exponi: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: credidisti*, inquam, fide non divina, sed humana: sic credimus, id est, assentimur iis, quæ videmus & scimus. Credere ergo idem est, quod assentiri. Ita Toletus. Audi S. Greg. *Tangebat hominem, & Deum confitebatur*. Theoph. *Qui prius fuerat infidelis, post lateris tactum, optimum se Theologum ostendit, duplicem naturam & unam hypostasim Christi edisserens. Dicens enim Dominum, naturam humanam; dicens Deum, divinam confessus est in uno & eodem.*

MULTA QUIDEM ET ALIA SIGNA FECIT JESUS IN CONSPECTU DISCIPULORUM SUORUM, QUÆ NON SUNT SCRIPTA IN LIBRO HOC] *Signa fecit*, tum per totam vitam, ait Euthym. & Ribera, tum proprie post resurrectionem suam, ait Chrys. & Theophyl. quia de ea sermo proxime præcessit; & hæc signa Christus fecit coram solis Apostolis, cætera vero coram populo & turbis. q. d. Præter signa Apostolis & Thomæ exhibita, quæ jam re- F censui, Jesus multa alia edidit, quibus iis sua dogmata, sed maxime suam resurrectionem confirmavit, quæ ego Joannes scribere nolo, ne prolixior sim, & quia multa ex illis jam ab aliis Evangelistis præscripta sunt. Ita S. Thom. Lyran. Cajetan. Ribera, Toletus & alii. VERS. 30

Videtur enim Joannes hac clausula finire librum sui Evangelii de Christo, Christique vita, morte, & resurrectione, ait S. August. tract. 127. nam quæ sequuntur cap. ultim. non tam ad fidem resurrectioni Christi reconciliandam apud Apostolos, utpote qui jam illam credebant, quam ad mysteria Ecclesiæ & primatum Petri pertinent, ut scilicet ostendatur multiplicatio fidelium in Ecclesia, quibus Christus abiens in cælum præfecit Petrum, eumque sui vicarium in ea regenda constituit. Minus verisimile est quod censet Jansenius cap. 147. Joannem voluisse hic finire Evangelium; sed cum postea memoriæ ejus occurrerent, quæ cap. ultim. narrantur, eadem addidisse. Videtur enim non tantum Spiritus sanctus, sed & Joannes non ex recordatione, sed destinato proposito illa addidisse. An Sanctus Joannes voluerit hic finire suum Evangelium.

HÆC AUTEM SCRIPTA SUNT, UT CREDATIS QUIA (quod) JESUS EST CHRISTUS (scilicet Messias redemptor mundi, a Deo olim Abrahæ, & Davidi promissus, & nunc reipsa in carnem missus) FILIUS DEI: ET UT CREDENTES, VITAM (gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro æternam) HABEATIS IN NOMINE EJUS] id est per nomen ejus, hoc est, per eum, ait Chrysost. scilicet per merita & satisfactionem Christi, quæ nobis per fidem & Sacramenta applicantur, si scilicet credamus in eum, ejusque præceptis obediamus, credere ergo oportet eum esse Primo, Jesum, id est, Salvatorem mundi; Secundo, esse Christum, id est, Messiam a tot sæculis exspectatum; Tertio, esse Deum, Deique Filium; Quarto, quod ipse credentibus in se, sibique obedientibus dabit vitam æternam: *Ille enim vere credit, qui exercet operando quod credit*, ait Gregor. VERS. 31 G

CAPUT XXI.

SYNOPSIS CAPITIS. H

CHristus apparet Petro & sex ejus sociis in captura piscium. Secundo. vers. 13. Petro plus cæteris se diligenti oves suas pascendas, & fideles omnes regendos committit, eique mortem crucis prædicit. Hinc Tertio, v. 22. Petro roganti quid de Joanne futurum sit, Christus respondet? Quid ad te? Tu me sequere.

VERS. 1. POstea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:

2. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo.

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exie-

runt,

Digitized by Google

A runt, & aſcenderunt in navim: & illa nocte nihil prendiderunt.

4. Mane autem facto ſtetit Jeſus in littore: non tamen cognoverunt diſcipuli quia Jeſus eſt.

5. Dixit ergo eis Jeſus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non.

6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miſerunt ergo; & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.

7. Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.

8. Alii autem diſcipuli navigio venerunt, (non enim longe erant a terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium.

9. Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem.

B 10. Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.

11. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.

12. Dicit eis Jeſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? ſcientes, quia Dominus eſt.

13. Et venit Jeſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.

14. Hoc jam tertio manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, cum reſurrexiſſet a mortuis.

15. Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.

16. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo

C te. Dicit ei: Paſce agnos meos.

17. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oves meas.

18. Amen, amen dico tibi: cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.

19. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et cum hoc dixiſſet, dicit ei: Sequere me.

20. Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus, & dixit: Domine quis eſt qui tradet te?

21. Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Domine, hic autem quid?

D 22. Dicit ei Jeſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.

23. Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jeſus: Non moritur; ſed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.

25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

VERS. 1. Manifeſtatio Chriſti ad mare Tiberiadis.

POSTEA MANIFESTAVIT SE ITERUM JESUS DISCIPULIS AD MARE TIBERIADIS] quod & Galilææ dicebatur: in ea enim erat civitas Tiberias dicta, quia in honorem Tiberii Cæſaris ædificata ab Herode. Unde liquet Petrum cæteroſque Apoſtolos ex Jeruſalem, & Judæa iviſſe in Galilæam, uti juſſerat Chriſtus, Matth. 28. 10. In Galilæa E enim hæc Chriſti apparitio contigit, in qua Chriſtus in cælum iturus, ut gubernationi fidelium provideret, Petrum caput Eccleſiæ, ſuumque in terris vicarium deſignavit, ideoque hæc ſubjungit Joannes, itaque ſuum concludit Evangelium.

ITERUM] Fuit hæc Chriſti apparitio reſpectu Thomæ ſecunda, ſed reſpectu aliorum Apoſtolorum tertia, qua per ingentem piſcium capturam ingentem Gentium converſionem fore præmonſtravit.

MANIFESTAVIT AUTEM SIC: ERANT SIMUL SIMON PETRUS, ET THOMAS, QUI DICITUR DIDYMUS, ET NATHANAEL, QUI ERAT A CANA GALILÆÆ, ET FILII ZEBEDÆI, ET ALII EX DISCIPULIS EJUS DUO] Plures & honoratiores e diſcipulis congregari voluit Chriſtus, ut eo glorioſior foret ſua apparitio, utque coram iis quaſi primariis Petrum in terris vicarium declararet, quem proinde, ut talem cæteri Apoſtoli & fideles agnoſcerent & colerent. VERS. 1. & 2.

DICIT EIS SIMON PETRUS: VADO PISCARI (Syrus, *abeo venatum piſces:* ſicut enim venamur in terra lepores, & in aere aves, ſic & in mari piſces,) DICUNT EI: VENIMUS ET NOS TECUM. ET EXIERUNT, ET ASCENDERUNT IN NAVIM, ET ILLA NOCTE NIHIL PRENDIDERUNT.] Varii varias piſcationis hujus dant cauſas. S. Chryſoſt. *Quia Dominus*, ait, *non continue cum eis erat, neque eis aliquid erat commiſſum, artem piſcatoriam tractabant.* S. Greg. hom. 24. *Negotium, quod ante converſionem ſine peccato extitit, poſt converſionem repetere culpa non fuit. Itaque Petrus ad piſcationem rediit: Matthæus ad telonium non rediit. Sunt enim pleraque, quæ ſine peccato exhiberi, aut vix, aut nullatenus poſſunt, ad quæ poſt converſionem non eſt redeundum.* S. Auguſt. *Non fuerant prohibiti Apoſtoli ex parte ſua licite victum neceſſarium quærere, ſi quando unde viverent aliud non haberent. Sic Paulus ne Gentes offenderet, ſi poteſtate, quam cum cæteris prædicatoribus habebat, uteretur, artem, quam non noverat, didicit, ut dum ſuis manibus tranſigitur doctor, nullus gravaretur auditor. Quanto ergo magis B. Petrus, qui piſcator fuerat, quod noverat fecit, ſi aliud unde viveret non invenit? Quod ſi quis dicat: Cur non Dominus quod eis promiſit, ſcilicet apponenda his omnia, ſi quærerent regnum Dei, implevit? Reſpondendum; impleſſe: quis enim alius piſces qui caperentur, apposuit? qui non ob aliud credendus eis ingeſſiſſe penuriam, qua cogerentur ire piſcatum, niſi diſpoſitu volens exhibere miraculum.* Adde, hanc piſcationem contigiſſe ante Pentecoſten, & ante adventum Spiritus ſancti, a quo juſſi ſunt evangelizare: quare cum Apoſtoli tunc necdum haberent quod evangelizando agerent, & pauperes eſſent, atteque piſcatores, recte ad ſuam piſcandi artem redierunt, ut illa victum ſibi pararent: poſt adventum vero Spiritus ſancti piſcationem exercuiſſe non leguntur, quia toti erant in Evangelio prædicando, & fidelibus ad omnem perfectionem dirigendis, qui proinde paupertatis Evangelicæ ſtudioſi, omnes ſuas facultates deferebant ad pedes Apoſtolorum, ut qui illas inter ſe cæteroſque fideles diſtribuerent. In neceſſitate tamen ac penuria licite potuiſſent ad ſuam piſcationem redire, ſicut Paulus rediit ad ſuam ſcenofactoriam, ne aliis in quærendo victu gravis foret. Hoc enim majoris perfectionis eſt, ideoque conſilium Evangelicum, ſcilicet, ut quis gratis evangelizet, & labore manuum ſibi victum paret. Denique iverunt piſcatum diſcipuli, ut otium fugerent, & ad animi laxamentum. Huc facit quod ſcribit Caſſianus collat. 24. c. 21. venatorem quemdam videndi S. Joannis cauſa ipſum adiiſſe, eumque inveniſſe perdicem manu molliter demulcentem: quod cum ille miraretur, audiiſſe a Joanne: *Quid eſt quod manu tua geſtas?* Cui ille: *Arcus*, inquit. *Et cur*, ait, *non eum tenſum ubique ſemper circumfers?* Cui ille reſpondit: *Non oportet, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata molleſcat atque depereat, & cum oportuerit ut fortia in aliquam feram ſpicula dirigantur, rigore per nimietatem continua tenſionis emiſſo, violentior ictus non poſſit emitti. Nec noſtri*, inquit B. Joan. *animi te offendat, o juvenis, tam parva hæc breviſque laxatio: qui niſi remiſſione quadam rigorem intenſionis ſuæ interdum relevet ac relaxet, irremiſſo vigore lenteſcens, virtuti ſpiritus, cum neceſſitas poſcit, obſecundare non poterit.* Habet idem Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in Vita S. Remigii apud Surium 13. Jan. F G H Animi relaxatio quæ licita.

NOCTE] Nox enim piſcationi aptiſſima eſt, quia per diem piſces timidi aſpectu ſtrepituque hominum terrentur

A tur, & fugiunt, ac in profundum ſeſe abdunt. Myſtice, Theoph. Nocte, inquit, hoc eſt, ante ſolis Chriſti præſentiam, Prophetæ nihil ceperunt, quia etſi unam nationem Iſrael corrigere conarentur, illa tamen frequentior in idololatriam labebatur.

Nox piſcationis aptiſſima.

NIHIL PRENDIDERUNT] quia ſine Jeſu piſcabantur, ut diſcerent omnem ſuæ piſcationis animarum utilitatem (ad quam a Chriſto dirigebantur,) & fructum a Chriſto pendere, ideoque illum ab eodem eſſe flagitandum, juxta illud Pſ. 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.*

MANE AUTEM FACTO STETIT JESUS IN LITTORE: NON TAMEN COGNOVERUNT DISCIPULI, QUIA (quod) JESUS EST] ut oſtenderet hanc piſcium capturam fore gratiæ ſuæ non induſtriæ ipſorum. Mane enim piſces fugiunt lucem & ſtrepitum, ſeſeque in ima demergunt.

VERS. 4. NON COGNOVERUNT] quia alia forma eis apparuit, æque ac Magdalenæ c. 20. 14. nimirum volebat Chriſtus potius ex opere, & miraculo capturæ piſcium, quam ex forma agnoſci; hoc enim decebat Deum incarnatum.

B Myſtice, S. Greg. hom. 24. *Mare*, ait, *præſens ſæculum ſignificat, quod ſe cauſarum tumultibus & undis vitæ corruptibilibus illidit, ſoliditas autẽ littoris perpetuitas eſt quietis æternæ. Diſcipuli ergo adhuc fluctibus mortalitatis vitæ inerant; Dominus autem jam in littore ſtabat, ad quod Petrus, cui ſpecialiter Eccleſia commiſſa eſt, piſces pertrahit, ſtabilitatem æternæ pacis fidelibus oſtendens, quod egit verbis & epiſtolis, agitque quotidie miraculorum ſignis.*

VERS. 5. DIXIT ERGO EIS JESUS: PUERI, NUMQUID PULMENTARIUM HABETIS?] q. d. O piſcatores habetiſne piſces quos mihi vendatis? Chriſtus enim hic diſcipulis ignota ſpecie apparuit, quaſi vir gravis & mercator, qui piſces ab eis emere vellet. Ita Chryſoſt. Unde eos quaſi operarios & ſe inferiores *pueros* vocat, phraſi Hebræa. Vel *pueros*; græce, παιδία, id eſt puerulos nominat, quaſi filios ad amoris blanditias: *puer* enim Hebr. nunc filium, nunc ſervum & operarium ſignificat.

Pulmentarium quid?

PULMENTARIUM] Græce προσφάγιον, id eſt obſonium, puta cibum, qui ad panem adhibetur, & cum pane comeditur. Sic enim Plinius lib. 18. c. 8. Horatius, Perſicus, & alii *pulmentum* uſurpant pro omni cibo, qui ad pultem ſive panem additur. Priſci enim Hebræi, & Latini admodum frugales & temperantes, pulte pro pane utebantur, teſte Plin. Unde & Romani dicebantur pultiphagi. Ita Plautus in Moſtell. *Non enim*, ait, *hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus*. q. d. Hæc non fecit Romanus vel Italus, qui pulte veſcitur.

C *Pulmentarium* ergo idem eſt quod obſonium, vel ὀψάριον, ut ait Joan. hic v. 9. & 13. Quæ vox, ut vult Euſtat. in Iliad. A p. 814. dicitur ἀπὸ τ῀ ὀψὲ, id eſt a *ſero*, vel quod ſero veteres cibum hunc ſumerent; vel potius, quod, cum initio ſimplicioribus eſcis eſſent contenti, ſero delicatis hujuſmodi obſoniis voluptatis cauſa uti cœperint. Alii dictum putant ὑπὸ τ῀ ὀψαῦ id eſt aſſare, quod veteres aſſis magis carnibus, & piſcibus, quam elixis veſcerentur: ὀψαῦ autem dictum volunt quaſi ὀπταῦ ab ὄπτησις, vel ὄψις, id eſt viſus, aſpectus, intuitus; quia aſſatio crebram rei quæ aſſatur inſpectionem, & experientiam requirit.

Porro, per *pulmentarium* vel opſarium Chriſtus piſces intelligit, quia, ut ait Plutarchus lib. 4. Sympoſ. cap. 4. cum multa ſint obſonia, piſcis tamen vel ſolus, vel præcipue obſonium dicitur, quia virtute, ſimplicitate, & facilitate coquendi reliquis antecellit. Et quia priſci plerique, imo omnes ante diluvium non carnibus, ſed piſcibus veſcebantur, uti oſtendi Gen. 9. Quare Joan. hic v. 9. & 13. æque ac c. 6. 9. & 11. & per obſonium, vel opſarium, non niſi piſces intelligit, uti & Athenæus libr. 9. de Cœnis ſapientum.

D RESPONDERUNT EI, NON] Interrogatione ſua Chriſtus cogit diſcipulos fateri ſuam penuriam, & indigentiam, ut ejus opem & levamen ab ipſo exſpectent.

VERS. 6. DICIT EIS; MITTITE IN DEXTERAM NAVIGII RETE, ET INVENIETIS] quia ſcilicet Jeſus occulta vi ad dexteram navigii multitudinem hanc piſcium congregaverat, unde Apoſtoli ad ſiniſtram piſcantes tota nocte nil ceperant. Hinc moraliter diſcimus, quod ſæpe fruſtra laboramus & fatigamur, quia ſiniſtram ſine Jeſu, non ad dexteram cum Jeſu piſcamur & operamur.

Anagog. Anagogice, per piſces ad dexteram ſignificantur electi, ad dexteram Chriſti collocandi in die judicii; reprobi vero ad ſiniſtram. Matthæi 25. Vide ſymbola dexteræ, quæ recenſui Prov. 3. 16. & cap. 4. 27. Eccleſiaſt. 10. 2. Cant. 2. 6. E

Audi nunc S. Aug. tract. 122. *In captura piſcium commendatur Eccleſiæ Sacramentum, qualis futura eſt in ultima reſurrectione: ad quod commendandum valet, quod tanquam finis eſt interpoſitus libri, quod eſſet ſecuturæ narrationis quaſi proœmium: & ſeptem diſcipuli ſuo numero finem ſignificant temporis; univerſum enim tempus ſeptem diebus volvitur; & littus finem ſæculi ſignificat: eſt enim finis maris: & ſicut hic ſignificata eſt Eccleſia, qualis in fine ſæculi futura ſit; ita alia piſcatione ſignificata eſt qualiter nunc ſit. Itaque ibi non ſtabat Jeſus in littore, ſed aſcendit in navim; illic non mittuntur retia in dextram, ne ſoli ſignificentur boni, nec ſiniſtram, ne ſoli mali; ſed indifferenter, ut ſignificentur permixti boni & mali, hic vero mittitur in dexterum rete, ut ſoli boni ſignificentur, qui pertinent ad reſurrectionem vitæ, & in littore, id eſt in fine ſæculi, cum reſurrexerint, apparebunt. Habet enim iſtos Eccleſia poſt finem vitæ hujus in ſomno pacis velut in profundo latentes, donec rete perveniat; & quod in prima piſcatione duabus naviculis, hoc iſto loco centum & centum cubitis eſt figuratum, ſcilicet, utriuſque generis electi, circumciſionis, & præputii.* F

MISERUNT ERGO: ET JAM NON VALEBANT ILLUD TRAHERE PRÆ MULTITUDINE PISCIUM] En merces, & fructus promptæ obedientiæ, præſertim homini extero, ut videbatur, & incognito; ſed Chriſtus ad illam cor eorum interius inclinavit. Multitudo hæc piſcium myſtice repræſentabat multitudinem fidelium, quam Petrus & Apoſtoli reti prædicationis Evangelicæ poſtea ceperunt, & ad Chriſtum converterunt. Ita S. Auguſt. S. Gregor. S. Chryſ. Cyrill. & cæteri.

VERS. 7. DIXIT ERGO DISCIPULUS ILLE, QUEM DILIGEBAT JESUS (Joannes, qui hoc titulo ſeſe indicat, eoque gloriatur, & merito) PETRO: DOMINUS (Jeſus) EST] Quæres, unde Joannes primo agnoverit Jeſum? Cyrillus id tribuit Joannis acumini & celeritati ingenii. Sic & Chryſ. Petrus, ait, ferventior erat, ſed Joannes perſpicacior, & ideo primo cognovit Chriſtum. Verum reſpondeo Joannem dum Petrus occuparetur in attractione retis tot piſcibus pleni, accuratius Jeſum inſpexiſſe, ac Jeſum priſtinam ſuam ſpeciem primo objeciſſe S. Joanni, quia eum maxime diligebat, & quia ipſe puriſſimus erat. Unde recte S. Hieron. epiſt. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſol. *Prior*, ait, *virginitas* (Joannis) *virginale corpus* (Chriſti) *agnoſcit. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Unde hic Joannes primo Chriſtum agnovit. G

Porro Beda: Cognovit, ait, Joannes primo Dominum, ſive miraculo piſcationis, ſive ſono prædicitæ vocis. Et ſolent ſimiles, ideoque amantes ſe invicem ex quadam ſympathia, & vultus geſtuumque ſimilitudine agnoſcere. Hinc vulgo dicimus: Faber fabrum, fur furem, ſanctus ſanctum agnoſcit. Joannes autem erat intimus Chriſto, unde & in cœna in ejus pectore recubuit; quare melius Chriſti mores geſtuſque perſpexit quam cæteri.

Myſtice: quo quis Deo per orationem familiarior, intimior & ſimilior eſt, eo magis Deum Deique attributa perſpicit, penetrat, contemplatur, admiratur. Denique ſicut Joannes ob virginitatem fuit dilectus a Chriſto, ſic & ipſe viciſſim caſtos & virgines mire diligit. Audi quod ſcribit Adelredus Abbas in Vita S. Eduardi regis apud Surium Jan. 5. Eduardus nulli petenti in nomine S. Joanni Evangeliſtæ denegabat: hunc enim poſt Apoſtolorum principem arctius diligebat. Unde contigit quod quidam peregrinus abſente Camerario, in nomine S. Joannis Evangeliſtæ importune a rege eleemoſynam poſtularet. Cui rex pretioſum annulum, cum nil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit poſt hæc duos Angelicos ad adorandum Salvatoris ſepulchrum Hieroſolymam proficiſci. Qui die quadam a publica ſtrata declinantes, devia quæque ſectati ſunt, & ſole ruente nox obſcura adducta eſt. Et cum neſcirent quid agerent, quo ſe verterent, apparuit eis ſenex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reduxit. Suſceptis autem hoſpitio menſa paratur, lautiſſimeque refecti dant membra quieti. Mane autem facto egreſſis illis de civitate ait ſenex: *Viri fratres, cum ſumma proſperitate vos repatriaturos non dubitetis, quoniam proſperum iter faciet vobis Deus: & ego ob amorem regis veſtri, in omni via firmabo ſuper vos oculos meos. Ego enim ſum Apoſtolus Chriſti Joannes, qui regem veſtrum ob meritum caſtitatis ſumma dilectione complector. Hunc ergo annulum,* S. Joannes amat caſtos. H Exempla.

Digitized by Google

A *mulum, quem mihi in habitu peregrini apparenti tribuit, reportate, denunciantes ei obitus sui diem instare: quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnũ quocumque ierit.* His dictis disparuit. Hac de causa virginitatis, & castitatis studiosi solent sibi patronum adsciscere S. Joannem, eumque invocare, præsertim dum tentatione carnis pulsantur, atque ejus opem experiuntur. Ut unum e multis referam, S. Coleta virgo miræ austeritatis & sanctitatis, reformatrix Ordinis S. Claræ, ut virginitatem illibatam servaret, patronum sibi delegit S. Joannem, nec incassum; nam apparuit ei S. Joannes, eamque annulo aureo quasi sponsam virginemque sibi despondit; quem annulum multi deinde castitatis studiosi ambiverunt, uti narrat auctor Vitæ S. Coletæ c. 20. apud Surium tomo 7. ad diem 6. Martii.

SIMON PETRUS CUM AUDISSET, QUIA (quod) DOMINUS EST, TUNICA SUCCINXIT SE: ERAT ENIM NUDUS] Græce, ὁ γυμνὸς ἦν διεζώσατο, id est, *super indumentum indutus* ait *circumcinctus est*, puta tunicam induit. Ita Syrus, & Arabicus: unde patet eum antea
B non fuisse omnino nudum (hoc enim indecens, & insolitum est) sed eo modo, quo solent operarii se nudare extimis vestibus, ut in interula, vel indusio consistant. Ita Beda. Porro Theophylact. quod se præcinxit, ait, pudoris est signum; præcinxit vero se lineo amictu, quem Phœnices, & Tyrii piscatores sibi circumvolvunt cum nudi sunt.

Fervor S. Petri in mare se mittentis. ET MISIT SE IN MARE] ut natando, inquit Chrys. Leont. Theoph. & Tolet. aut pedibus mare pervadando, ait Beda, & Maldon. pergeret ad Jesum: erant enim prope terram. Petrus ferventior erat, ideo promptius quam alii venit ad Christum, ait Chrys. Quare improbabile est Petrum hic ambulasse super aquas. Hoc enim temerarium fuisset, cum a Christo non juberetur id facere, ut alias jussus fuit. Matth. 14. 28.

VERS. 8. ALII AUTEM DISCIPULI NAVIGIO VENERUNT (NON ENIM LONGE ERANT A TERRA, SED QUASI CUBITIS DUCENTIS) TRAHENTES RETE PISCIUM] *Cubitis ducentis*, id est, sexaginta passibus, aut trecentis pedibus: cubitus enim est sesquipes, passus vero quinque pedes continet. Mystice Beda, per ducentos cubitos ait gemina charitatis virtus exprimitur: per dilectionem enim Dei,
C & proximi Christo appropinquamus.

VERS. 9. UT ERGO DESCENDERUNT IN TERRAM, VIDERUNT PRUNAS POSITAS ET PISCEM SUPERPOSITUM, ET PANEM] Aliud fuit hoc Christi miraculum, quo ipse subito discipulis venientibus piscem assavit, & paravit prandium. Putat Cyril. piscem hunc a Christo e mari secreto & celerrime fuisse eductum; Chrysost. vero censet e nihilo fuisse creatum. Verisimilius Leont. Theoph. Euthym. Tolet. & Maldonat. asserunt quod Christus piscem, uti & prunas, ignem & panem subito ex aere vicino, aut alia materia, produxerit, sicut produxit panes cum eos multiplicavit, Joannis 6. 11. Fecit id Christus Primo, ut ostenderet capturam tantam piscium suum esse opus, seseque omnes illos pisces in dexteram navigii collegisse, ut ibi a Petro, & sociis caperentur. Secundo, ut se iis non indigere, sed Apostolorum causa hoc quæsisse & fecisse demonstraret. Mystice, ex S. Aug. Beda, Piscis assus, ait, est Christus passus: ipse latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo nostræ mortis, & qui nobis factus est piscis humanitate, extitit panis reficiens divinitate.

VERS. 10. D. DICIT EIS JESUS: AFFERTE DE PISCIBUS, QUOS PRENDIDISTIS NUNC] ut scilicet coram omnibus multitudinem piscium, & magnitudinem miraculi a me patrati cernatis & æstimetis, ex eoque certius me agnoscatis, reverentius colatis & ardentius redametis.

Mystice, S. Aug. tract. 123. *Piscis assus*, ait, *est Christus passus, ipse est panis, qui de cælo descendit, huic incorporatur Ecclesia ad participandum beatitudinem sempiternam, propter quod dictum est: Afferte de piscibus, quos prendidistis, ut omnes qui hanc spem gerimus per illum septenarium numerum discipulorum, per quem nostra universitas figuratur, nosmetipsos tanto Sacramento nos communicare, & eidem beatitudini sociari.*

VERS. 11. ASCENDIT SIMON PETRUS (in navim, in qua erat rete cum piscibus) ET TRAXIT RETE IN TERRAM, PLENUM MAGNIS PISCIBUS CENTUM QUINQUAGINTA TRIBUS] *Petrus*, ut dux cæteris, tamen sociatus, ut colligitur ex v. 6. nec enim rete tanta piscium mole oneratum solus attrahere potuisset; licet S. Gregor. & Rupertus putent solum Petrum rete attraxisse, non suis viribus, sed ope divina. Ubique hic innuitur primatus Petri: nam primus vocat socios ad piscandum, primus venit ad Christum: ipse quoque rete attraxit, ut significaretur omnes pisces, id est omnes fideles ab eo trahendos & regendos fore. Joannes ergo fuit magis dilectus, sed Petrus magis honoratus a Christo, cæterisque prælatus. Sic subinde subditi sunt sanctiores suis rectoribus, sed rectores subditis sunt superiores, & auctoritate eminentiores.

PISCIBUS CENTUM QUINQUAGINTA TRIBUS] cur præcise centum quinquaginta tres? Causam litteralem dat S. Hieron. in Ezech. c. 47. v. 9. quod totidem sint species piscium, nimirum 153. quasi ex singulis speciebus unum piscatus sit Petrus. Audi eum: *Ajunt qui de animantium scripsere naturis, de quibus Oppianus Cilix & Poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum: dum & nobiles, & ignobiles; divites, & pauperes & omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem.* Intellige hoc sic, quod primariæ & præcipuæ piscium species sint 153. Nam alioqui absolute longe recenset plures Guilielmus Rondeletius libro de Piscibus. Hoc ergo numero, ceu symbolo, significavit Christus omnes gentes concludendas esse reti Ecclesiæ, & Evangelicæ prædicationis, cujus caput & princeps est Petrus, ejusque successor Pontifex Romanus.

Cur centum quinquaginta tres pisces capti.

Mystica.

Symbolice, Cyrillus l. 12. c. 63. Centenarius, ait, significat plenitudinem Gentium intraturam in rete Petri, & Ecclesiæ; quinquagenarius vero, pauciores e Judæis salvandos, tria denique repræsentant mysterium S. Trinitatis, in cujus fide & cultu tam hi, quam illi congregantur & salvantur. S. August. vero tract. 122. *Numerus centum quinquaginta trium*, ait, *ter habet quinquagenarium, & insuper ipsa tria, propter mysterium Trinitatis: quinquagenarius est jubileus, in quo cunctus populus ab omni operatione quiescebat.* Jubileus repræsentabat statum Evangelii, & gratiæ.

Addit S. Gregor. hom. 14. denarium symbolum esse Decalogi legis veteris, septenarium vero septiformis spiritus & gratiæ in lege nova. Ternarium symbolum esse S. Trinitatis, ejusque fidei. Jam multiplica 17. per tria, habebis quinquaginta, & unum; hæc rursum multiplica per tria, habebis 153. ut significetur omnes omnino fideles in rete Ecclesiæ per Petrum, & Apostolos fore congregandos, per fidem unius trinique Dei, in quo solo est vera hominum requies. Addit Eusebius Emiss. homil. in hoc Evangelium feria quarta post resurrectionem: Tres sunt mundi partes, quæ per tres quinquagenas piscium significantur, scilicet Asia, Africa, Europa, quæ omnes in fide S. Trinitatis adunantur in Ecclesia.

Particularius & planius Rupert. & Maldonat. Per tres hosce numeros, inquiunt, significatur triplex genus hominum, qui salvantur: per centenarium conjugati: horum enim maxima est multitudo: per quinquagenarium vidui & continentes, quorum minor est numerus; per ternarium virgines, quorum minimus. Plura habet Petrus Bongus lib. de mysteriis Numerorum ad num. 153.

ET CUM TANTI (numero, & quantitate, id est toe & tam magni. Ita S. August.) ESSENT, NON EST SCISSUM RETE] Chrysostom. id miraculo tribuit, ita ut tria hic miracula fecerit Christus, quibus suam resurrectionem, & omnipotentiam probavit. Primum enim fuit in captura tot piscium; secundum, in productione sui, piscis, panis & prunarum; tertium hic, in retis integritate, quod significat unitatem & integritatem Ecclesiæ, quæ nullo schismate rumpi scindique potest: qui enim faciunt schisma, hoc ipso se separant ab Ecclesia, & consequenter Ecclesiam suæ unitati & integritati relinquunt.

VERS. 12. DICIT EIS (Jesus:) VENITE, PRANDETE] Nota Primo, Probabile est etiam ex piscibus, quos ceperant Apostoli, aliquos cum pisce Christi (hic enim solus non sufficisset refectioni octo virorum) prunis fuisse impositos jussu Christi dicentis: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc*, ut scilicet ex iis aliquos assemus ad commune prandium. Id fecit Christus, tum ut veritas, æque ac usus, & fructus tanti miraculi, puta multiplicationis pisctium, certo omnibus constaret; tum ut omnibus sufficerent pisces ad commune prandium. Ita S. Aug. tract. 123. Euthymius & Maldonat.

Christus cum suis manducat post resurrectionem.

Nota Secundo. Verisimile est iisdem de causis Christum cum discipulis hic prandisse, uti more suo facere solebat, ad veritatem resurrectionis suæ confirmandam.

Ita

Digitized by Google

A Ita Leontius & Theoph. hic, ac S. Gregor. hom. 24. idque colligitur ex verſ. ſeq. Quomodo corpus glorioſum cibum comedat, quidque ex eo faciat, dixi Lucæ 24. 43. & Actorum 1. 4.

Anagog. Cyrillus: Simili modo, ait, poſt labores hujus vitæ, quibus animas Deo piſcamur, Chriſtus parabit prandium cæleſte, in quo perpetim cum eo epulabimur in deliciis divinis, juxta illud: *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, Lucæ 22. 30.

ET NEMO AUDEBAT DISCUMBENTIUM] Græce μαθητῶν, id eſt, *diſcipulorum*. Sic & Syrus ac Arabicus. Unde Janſenius, & Emman. Sà putant hic legendum, *diſcentium*, id eſt diſcipulorum, ſed Roman. legunt, *diſcumbentium*, idque melius congruit huic loco. Unde videtur quod Græca hic potius ſint mendoſa, quam Latina. Ita Toletus.

INTERROGARE EUM: TU QUIS ES? SCIENTES, QUIA (quod) DOMINUS EST] Quia ſcilicet, ut advertit Chryſoſtomus hom. 86. Chriſtus necdum in propria ſpecie, & forma ſe eis objiciebat, ſed anguſtiore, ex qua an vere eſſet ipſe Jeſus, hæſitarent, cuperentque eum rogare: *Tu quis es?* Verum ex lineamentis, dictis & factis, agnoverunt ipſum eſſe Jeſum, ut de eo jam non dubitarent. Quare partim ex reverentia Chriſti, partim ex certitudine agnitionis, non fuere auſi ipſum hac de re interrogare.

B

Minus genuine S. Auguſt. tract. 123. τὸ *interrogare* interpretatur *dubitare:* hæc enim differunt, ſicut effectus, & cauſa.

VERS. 13 ET VENIT JESUS, ET ACCIPIT PANEM, ET DAT EIS, ET PISCEM SIMILITER] q. d. Cum diſcipuli juſſu Jeſu menſæ accubuiſſent, venit quoque ipſe, eidemque accubuit, ac tam ſuum panem piſcemque, quam piſces ab eis captos (ait S. Aug. tract. 123. Unde pro *piſcem* græce eſt ὀψάριον, id eſt, *obſonium*, ſcilicet piſcium) jam aſſos inter eos diſtribuit, ipſeque ſimiliter ex eis manducavit, ut eis ſe vere reſurrexiſſe oſtenderet.

VERS. 14 HOC JAM TERTIO MANIFESTATUS EST JESUS DISCIPULIS SUIS, CUM RESURREXISSET A MORTUIS] *Tertio*, ſcilicet computando eas apparitiones, quæ factæ ſunt plurib. Apoſtolis ſimul, quas ſolas Joannes hic commemorat: ſic enim hæc fuit ordine tertia, alioqui alias omnes, quas alii Evangeliſtæ narrant, numerando, hæc ordine fuit ſeptima, uti oſtendi Matth. 28. 10. ubi omnes ſuo ordine recenſui.

C

VERS. 15 CUM ERGO PRANDISSENT, DICIT SIMONI PETRO JESUS: SIMON JOANNIS (ſcilicet fili. Vide dicta c. 1. 42. addit hoc ut diſtinguatur a Simone Cananæo) DILIGIS ME PLUS HIS?] Chriſtus abiturus in cælum hic ſuum in terra vicarium deſignat, ac ſummum Pontificem creat Petrum, ut una Eccleſia ab uno paſtore regatur. Promiſerat Chriſtus idipſum Petro Matth. 16. 18. ſed hoc loco idipſum præſtat, eumque principem & rectorem totius Eccleſiæ conſtituit, ne quis propter trinam Petri negationem, Chriſtum ſuam de eo ſententiam mutaſſe autumet. Ita Cyrillus.

Chriſtus ter interrogat Petrum: *Amas me?*

Myſtice. Alcuinus hic: *Simon*, ait, hebr. idem eſt quod obediens; *Joannes*, idem eſt quod gratia. Sic vocatur Petrus, utpote obediens gratiæ Dei: quod enim ardentiori charitate eum amplectitur, non meriti humani, ſed divini eſt muneris.

D

DILIGIS ME PLUS HIS?] Primo, quia hoc munus paſcendi & regendi omnes fideles, quod tibi imponere deſtino, maximum poſcit Chriſti & fidelium amorem. *Interrogatur amor*, ait S. Auguſt. *& impetratur labor*, quia ubi eſt amor, non eſt labor.

Secundo, ut oſtendat Chriſtus quantopere oves ſuas diligat, utpote quas credere nolit, niſi ei, qui ſe, & conſequenter oves ſuas ſumme diligebat. Ita Chryſ. hom. 87. Audi eum: *Quod nobis maxime tribuit divinam benevolentiam, eſt proximorum curatio. Præteriens autem Dominus alios, Petro de talibus loquitur: erat enim Apoſtolorum eximius, & os diſcipulorum, & vertex collegii. Unde & ei fratrum prælationem committit. q. d. Animam, quam dixiſti te poſiturum pro me, hanc da pro ovibus meis.*

Tertio, quia Petrus ter Chriſtum paulo ante negaverat, ac triplex hæc negatio illi pœnitenti a Chriſto fuerat remiſſa, hinc jure ab eo, cui majorem contulerat indulgentiam, majorem poſcit amorem. *Cui enim minus dimittitur, minus diligit.* Lucæ 7. 47. Ita Cyrillus.

Porro Jeſus interrogat, ſciens quod ſe plus omnibus diligeret Petrus, ait S. Auguſt. licet enim Joannes tenerius diligeret Jeſum, tamen Petrus eumdem diligebat robuſtius & ardentius, ut patet ex omnibus ejus circa Jeſum factis & dictis. Sic parentes tenerius diligunt filios parvulos, fortius autem & ſolidius eos, qui jam juvenes, vel viri ſunt: unde eis majora donant quam parvulis. Audi S. Aug. ſer. de paſſione: *Cum moreretur Dominus; timuit & negavit: reſurgens Dominus amorem inſeruit, timorem fugavit. Negavit: mori timens; reſurgente Domino quid timeret, in quo mortem mortuam reperiret?*

E

DICIT EI (Petrus) ETIAM DOMINE, TU SCIS QUIA AMO TE] Hinc patet, ait S. Aug. *amo* & *diligo* hic idem ſignificare, etſi Latine plus ſignificet amo, quam diligo. Non auderet dicere Petrus: amo te plus cæteris; ſed, Amo te: tum quia corda cæterorum non noverat; tum quia caſus eum fecerat modeſtiorem & cautiorem. Nam aliis ſe prætulerat dicendo Matth. 26. *Domine, etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor:* & tamen paulo poſt turpius quam alii cecidit, negavitque Chriſtum, quod cæteri non fecerunt.

DICIT EI: PASCE AGNOS MEOS] *Paſce*, ſicut paſtor paſcit oves ducendo eas ad paſcua, & paſcendo regit dirigitque, ne a grege aberrent, ne noxia paſcua adeant, nec a lupo rapiantur. Hinc paſcere in Script. ſignificat regere, & principes vocantur paſtores, quia ſi recte ſubditos ſuos regere velint, debent facere id, quod faciunt paſtores, dum ſuas oves paſcunt. Unde Pſal. 22. 1. ubi Noſter vertit, *Dominus regit me*, hebr. eſt יהוה רעי, *Adonai roi*, id eſt, *Dominus eſt paſtor meus*, ſive paſcit me. Quocirca ſubdit: *In loco paſcuæ ibi me collocavit.* Sic David ex paſtore ovium factus eſt a Deo rex hominum. *Paſcere*, id eſt, regere, *Jacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.* Pſ. 77. 71. Sic Cyrus vocatur paſtor, id eſt princeps & rex a Deo conſtitutus, Iſaiæ 44. 28. *Qui dico Cyro, Paſtor meus es.* Et Pſal. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea*, hebr. תרעם *tirem*, id eſt paſces eos. Et paſſim alibi. Hebr. רעה *raa*, Græcum ποιμαίνω, & Latinum *paſco* ſignificat regere, ut videre eſt Michææ 5. 2. Matth. 26. Actorum 20. 28. Apocal. 2. 7. & c. 12. 5. & c. 19. 15. Sic Homerus Agamemnonem regem Græcorum vocat ποιμένα λαῶν, id eſt paſtorem populorum.

F

AGNOS MEOS] Chriſtus quaſi primus Eccleſiæ paſtor, hic fideles ſuos nunc *oves*, nunc blandius *agnos* vocat, idque tum propter vitæ novitatem: baptiſmo enim regenerati facti ſunt quaſi agni novelli Dei; tum propter agninam innocentiam, quam baptiſmo adepti ſunt; tum propter ſequelam Chriſti, qua a Joanne Baptiſta vocatus eſt *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Joan. 1. Igitur vox *oves* ſignificat Chriſtum eſſe paſtorem Chriſtianorum, vox vero *agnos* ſignificat Chriſtum eſſe patrem, imo matrem eorumdem, utpote quos per baptiſmum genuit Deo, & in filios ſibi adoptavit. Iidem ergo ſunt agni & oves, ait Janſen. Unde Æthiopicus pro *agnos* habet *oves*, ac τὰ *oves* tertio repetit. Addit Euthym. Theoph. & Ribera *agnos* vocari, ut nomen ipſum indicat; recens ad fidem converſos, & teneriores in fide, quorum magnus futurus erat numerus incipientibus Apoſtolis prædicare; atque hi majori cura indigebant, quoniam majori labore erant educendi & ſuſtinendi: ideo Dominus dicit bis: *Paſce agnos meos*, ut hac repetitione oſtenderet ſe optare, ut Petrus maximam illorum curam haberet; *oves* autem vocat jam robuſtiores in fide, quos cur ita vocet diximus cap. 10. Rurſum per agnos intelligit fideles ſimplices; per oves magiſtros, paſtores, Epiſcopos, & Apoſtolos, qui quaſi matres ſunt fidelium. Ita Bellarm. libr. 1. de Pontif. cap. 16.

Quinam agni, quinam oves?

G

Ex hoc ergo loco patet S. Petrum, & ejus ſucceſſorem Romanum Pontificem, eſſe caput & principem Eccleſiæ, omneſque fideles, etiam Epiſcopos, Patriarchas & Apoſtolos, illi ſubjici; & ab eo paſci regique debere. Id Primo, colligitur ex eo, quod Chriſtus hic ſolum Petrum interrogat, idque Tertio, quaſi principem, & os Apoſtolorum, ait Chryſoſt. Theoph. Euthym. Inſuper tacite hic ſignificat Chriſtus Petrum ſe plus cæteris Apoſtolis amare, ac proinde eum dignum eſſe, qui ſibi in amore, & cura gregis, id eſt, Eccleſiæ, & fidelium, ſuccedat. Ruit enim poteſtas, quam non fulcit charitas.

Petrus rector totius Eccleſiæ. Prob. Primo.

H

Secundo, id patet ex verbo *paſce*, id eſt rege, ut dixi, ac ex voce *agnos* & *oves*: hac enim voce Chriſtus ſignificat omnes fideles Eccleſiæ, ſibi quaſi primo paſtori ſubditos, nullum enim excipit. Qui ergo ſunt oves Chriſti, hi ſunt & oves Petri: illi enim eos paſcendos & regendos committit hic Chriſtus. Qui vero non ſunt oves Petri,

Secundo.

ati

Digitized by Google

A uti ſunt hæretici, hi quoque non ſunt oves Chriſti. Apoſtoli ergo cæteri, quia erant oves Chriſti, idcirco erant pariter oves Petri. Unde Petrus eos dirigere, & ſicubi errarent, corrigere, diſſidia eorum componere, ac per omnia gubernare debebat. Chriſtus enim inſtituit optimum regimen in Eccleſia, quod eſt monarchicum; tum ut una eſſet Eccleſia, tum ad tollenda ſchiſmata, uti docet S. Cyprian. lib. de Unitate Eccleſiæ: *Primatus*, ait, *Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur*, & S. Hieron. epiſt. 57. ad Damaſum: *Inter duodecim*, ait, *unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio*. Audi S. Leonem ſerm. de Aſſumptione ſua ad Pontificatum: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui univerſarum gentium vocationi & omnibus Apoſtolis, ſanctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores; omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio, & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, numquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.*

B Audi pariter S. Bern. libr. 3. de Conſider. ad Eugenium Pontificem verſus finem: *Habent illi*, id eſt Epiſcopi, *ſibi aſſignatos greges ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti ſunt: uni unus, nec modo ovium, ſed paſtorum tu unus omnium paſtor. Unde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed Apoſtolorum, ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas Petre, paſce oves meas; quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certe regni? Oves meas, inquit: cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil.* Et Innocent. III. cap. *ſolitæ*, de majorit. & obedientia ait: *Nobis autem in beato Petro ſunt oves Chriſti commiſſæ, dicente Domino: Paſce oves meas; non diſtinguens inter has oves & alias, ut alienum a ſuo demonſtraret ovili, qui Petrum & ſucceſſores ipſius magiſtros non recognoſceret & paſtores.* Vide dicta Matth. 16. 18. Vide & Bellarm. lib. 1. de Pontifice cap. 14. 15. & 16. ubi docet Chriſtum hoc præcepto, quod dedit Petro, dicens: *Paſce oves meas*, hoc ipſo ſimul inſtituiſſe Pontificatum quaſi principatum Eccleſiaſticum, illumque tradidiſſe S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus: ac cap. 14. probat hæc verba ſoli Petro a Chriſto, eſſe dicta, cap. 15. per verbum *paſce* ſignificari regimen & poteſtatem regendi, cap. 16. per oves ſignificari omnes fideles, etiam Apoſtolos totamque Eccleſiam: quæ omnia negant Calvinus, Lutherus, & hæretici.

C

Indulgentiæ. Et hoc loco Theologi & Suarez tract. de Indulgentiis, docent Petro, & Pontificibus ei ſuccedentibus a Chriſto datam eſſe poteſtatem dandi Indulgentias, idque probant. Nam ſub illo verbo *paſce* includitur omnis actus juriſdictionis, qui ad claudendum vel aperiendum regnum cælorum conferre poteſt, ut hoc modo donatio ſit æqualis promiſſioni; ſed remiſſio pœnarum per Indulgentias eſt unus ex actibus, quibus aperitur regnum cælorum: ergo ille etiam comprehenditur ſub univerſali munere paſcendi oves Chriſti.

VERS. 16 DICIT EI ITERUM: SIMON JOANNIS DILIGIS ME? AIT ILLI: ETIAM DOMINE, TU SCIS QUIA AMO TE] Audi Chryſoſt. *Rurſum formidat priora, ne forte æſtimans ſe diligere, ſi non diligat corripiatur, ſicut prius correptus eſt ſe exiſtimans fortem, itaque ad ipſum Chriſtum confugit.*

D DICIT EI ITERUM: PASCE AGNOS MEOS] Sic etiam VERS. 17 habet Arabicus. Verum Græcus & Syrus pro *agnos* habent προβατα, id eſt *oves*, ſed valde veriſimile eſt Noſtrum cum Arab. in Græco legiſſe προβατια, inſerto *jota*, id eſt *oviculas*, quales ſunt agni: horum enim præcipue habenda eſt cura paſtori, ideoque illam hic repetendo & geminando Chriſtus inculcat. q. d. ait S. Auguſt. *Sit amoris officium paſcere Dominicum gregem, ſicut fuit timoris indicium negare paſtorem.*

Hinc S. Greg. 1. part. paſtor. c. 5. *Qui*, inquit, *virtutibus pollens gregem Dei paſcere renuit, paſtorem ſuum convincitur non amare.*

DICIT EI TERTIO: SIMON JOANNIS AMAS ME? CONTRISTATUS EST PETRUS, QUIA DIXIT EI TERTIO, AMAS ME? ET DIXIT: DOMINE TU OMNIA NOSTI: TU SCIS QUIA AMO TE. DIXIT EI: PASCE OVES (Syrus, *oviculas*) MEAS] cur Chriſtus ter Petrum interrogat de amore, & ter repetit: *Paſce oves meas*? Reſp. prima cauſa eſt, ut Petrus triplicem Chriſti negationem triplici, & conſtanti ſingularis amoris ejuſdem profeſſione expiet, commutet, & adaugeat. Ita Cyrillus, Leont. Theoph. Beda & S. Auguſt. tract. 123. quem audi: *Redditur trina negationi trina confeſſio, ne minus amori lingua ſerviat, quam timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quam vita præſens. Sit amoris officium paſcere Dominicum gregem; ſi fuit timoris indicium negare paſtorem. Qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincuntur amare, non Chriſtum; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & ſubveniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit ſua quærere, non quæ Jeſu Chriſti. Nam quid eſt aliud: Si diligis me, paſce oves meas; quam ſi diceretur: Si me diligis, non te paſcere cogita, ſed oves meas; ſicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum?* Diſcant hic Epiſcopi, & Prælati lapſos ſacerdotes, cæteroſque ſecundo & tertio examinare de emendatione, ut ſecuri ſint antequam eos officio ſuo reſtituant.

E

Secunda eſt, ut Chriſtus oſtenderet quanti oves ſuas faceret, quamque in die judicii paſtores & Epiſcopos examinaturus ſit de earum cura, ac præſertim de amore. Quocirca S. Bern. ſerm. 18. in Cant. invehitur in eos, qui cum parum habeant charitatis, ambiunt tamen aliis præeſſe, ſicque ſe & alios perdunt; aut ſi ſubditos ſalvent, ſeipſos perdunt: *Tu frater*, inquit, *cui firma ſatis propria ſalus nondum eſt, cui charitas adhuc nulla eſt, aut adeo tenera atque arundinea, ut omni flatui cedat, omni credat ſpiritui, omni circumferatur vento doctrina: tu, inquam, ita in propriis te ipſum ſentiens, quanam dementia, quæſo, aliena curare aut ambis, aut acquieſcis?*

F Tertio, ut indicet paſtores triplici modo quaſi pabulo oves paſcere debere, ſcilicet veritatis verbo, vitæ exemplo, & temporali ſubſidio, de quo vide S. Gregor. hom. 14. in Evang. Et S. Bern. ſerm. 2. de Reſurr. ait tera Chriſto repeti *paſce*, ut paſtor oves paſcat mente, lingua, & manu. *Paſce*, inquit, *mente, paſce ore, paſce opere, Paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione*. Idem epiſt. 201. *Paſce*, ait, *verbo; paſce exemplo, paſce ſanctarum fructu orationum*. Hinc ille amor & zelus animarum in S. Petro, & conſequenter in S. Joanne, G qui in Evangelio & Epiſtolis ſuis paſſim ſpirat amorem & ignem divinum. Memorabile eſt exemplum in juvene illo a S. Joanne converſo, & Epiſcopo cuidam commendato, ſed ab eo neglecto, indeque latronum principe facto: quem S. Joannes ſenex ad pœnitentiam, & vitam ſanctam reduxit. Rem geſtam ex Clem. Alexand. fuſe deſcribit Euſeb. lib. 3. hiſt. cap. 23. & S. Chryſoſt. epiſt. 5. ad Theodorum lapſum.

CONTRISTATUS EST PETRUS] quia ex ter iterata interrogatione ſibi videbatur Chriſto de amore ſuſpectus; aut certe timebat ne ſibi contingeret quod in Paſſione, &, ſicut tum negavit, ſic & aliquando non amaret Chriſtum. Ita S. Chryſ. Leont. Theoph. Euthym. Unde Dominus eum mœſtum conſolatur, dicens Petrum Chriſti amore & exemplo, quaſi verum paſtorem pro ovibus crucifigendum. Ita iidem.

PASCE OVES MEAS] ut meas, ait Gloſſa, non ut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; mea lucra, non tua. Audi S. Aug. *Non ergo nos, ſed ipſum amemus, & in paſcendi ovibus ejus quæ ſunt ejus, non noſtra quæramus: qui ſe, non Deum amat, non ſe amat: qui enim non poteſt vivere de ſe, moritur amando ſe: cum ille diligitur, de quo vivitur, non ſe diligendo magis ſe diligit, qui propterea non ſe diligit ut eum diligat de quo vivit.* Talis paſtor erat S. Paulus S. Petri collega, dicens: *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*, Rom. 9. 7. Ubi D. Chryſ. *Omni*, inquit, *pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate dicta bit oratio.* In primis emphaticum eſt illud: *Ego ipſe. Quid eſt*, inquit Chryſoſt. *Ego ipſe? Qui omnium magiſter ſum effectus: qui officia meritaque infinita coegi, qui coronas infinitas exſpecto.* Et nonnullis interjectis, optationem anathematis Pauli ſic explicat, q. d. *A cælorum regno libens exciderem, & ab illa arcana gloria, maximam omnium exiſtimans conſolationem mihi afferre, ſi amplius non audiam convitiis illum affici cujus amore tantopere ardeo.*

AMEN AMEN DICO TIBI, CUM ESSES JUNIOR, CIN- VERS. GERAS TE, ET AMBULABAS UBI VOLEBAS: CUM AUTEM

Digitized by Google

TEM SENUERIS, EXTENDIS MANUS TUAS, ET ALIUS TE CINGET (Arabicus, & Syrus, *cinget tibi lumbos tuos*) ET DUCET QUO TU NON VIS] ſcilicet per voluntatem naturæ & ſenſitivam; nam voluntate rationali Petrus ſumme id appetebat. *Alius te cinget, quid?*

Senſus eſt, q. d. Cum ſenueris, o Petre, Romæ a Nerone crucifigeris, ait S. Auguſt. quaſi novæ Chriſtianorum ſectæ prædicator, & quaſi Simonis Magi, qui Neronem ſuis magicis præſtigiis dementabat, everſor & occiſor. Unde S. Chryſoſt. prædicit, inquit, illi martyrium; oſtendens quomodo, & quantum Chriſtum, & oves amare oporteat, ſcilicet uſque ad crucem.

CUM ESSES JUNIOR] Per hoc oſtenditur, ait Chryſ. quod Petrus non erat juvenis, nec ſenex, ſed vir perfectus. Talem enim decebat eſſe Pontificem & Apoſtolorum principem, ut ætas auctoritatem ei conciliaret, & tamen ad labores Apoſtolicos apta foret & valida. Addit-que cauſam: *In ſæcularibus juvenis quidem utilis, ſenex inutilis eſt; at in divinis non ita: ſed cum ſupervenit ſenectus, tunc virtus clarior: quia vero Petrus ſemper volebat pericula ſubire pro Chriſto, dicit ſe impleturum ejus deſiderium, ut qua juvenis non eſt paſſus, patiatur ſenex.*

B Senſus eſt, q. d. Cum junior eſſes, & viribus corporis magis ad toleranda labores valeres, ipſe te cingebas, i. e. liber eras & pro arbitrio tuo ſurgebas electo, cum volebas, & veſtiebas te, & ibas quo volebas: cum autem ſenueris, eo tempore, quo homines otium, & requiem quærunt, tu nequaquam quieſces, ſed magis laborabis; ligabunt enim te & agent in crucem, ubi manus extendes, id eſt, crucifigeris.

Minus recte ergo Lyranus τὸ *alius cinget te*, ſic explicat, q. d. Alius funibus te alligabit cruci, non clavis affiget. Nam τὸ *cinget* non ad crucem, ſed ad lumbos, ut vertunt Arab. & Syrus, ac ad brachia & manus Petri pertinet; q. d. *Alius*, ſcilicet lictor vel carnifex, fune ligabit tibi lumbos & brachia, ut te quaſi reum ducat, trahatque quo non vis, ſcilicet ad crucem. Porro S. Petrum non funibus, ſed clavis cruci fuiſſe affixum, diſerte docet S. Chryſ. homil. in principem Apoſtol. *Gaudeas*, inquit, *Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad magiſtri ſimilitudinem recta quidem figura ſicut Dominus noſter, crucifigi noluiſti, ſed magis inverſo capite, veluti e terra ad cœlum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa ſanctiſſima pertranſierunt!* Idem docet Prudentius *periſteph.* hymno 12. S. Maximus ſerm. 1. in Natali Apoſtol. Theod. ſerm. de Charitate.

C Præclare S. Aug. tr. 123. *Ille*, ait, *negator & amator, præſumendo elatus, negando proſtratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus; hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo ſe moriturum perverſa feſtinatione promiſerat: facit ejus reſurrectione firmatus, quod temere pollicebatur infirmus: jam non metuit vita hujus interitum, quia reſurgente Domino, vitæ alterius præceſſit exemplum.*

VERS. 19 HOC AUTEM DIXIT, SIGNIFICANS QUA MORTE CLARIFICATURUS ESSET DEUM] Græce δοξάσει, id eſt *glorificaturus eſſet*. Sic & Syrus & Arabicus. Petrus ergo moriens in cruce glorificavit Deum, adeoque mors hæc in cruce non fuit ignominioſa, uti cenſebat Nero & Romani, ſed laus, & gloria tam Dei quam Petri. *Petro crux fuit gloria.*

Primo. Primo, quia Petrus crucifixus, & mortuus eſt pro veritate fidei: hoc autem glorioſum eſt: hoc ipſo enim factus eſt Martyr, ac ſua morte obſignavit, & confirmavit fidem a ſe prædicatam.

Secundo. D Secundo, glorificavit Deum; quia pro Deo, Deique filio Jeſu Chriſto, quem prædicabat, crucifixus eſt; quid autem glorioſius, quam mori pro Deo?

Tertio. Tertio, quia in morte crucis ſimilis fuit Chriſto crucifixo, ut cui ſimilis fuerat in vita & pontificatu, ſimilis quoque eſſet in cruce & morte; nam *gloria magna eſt ſequi Dominum*, ait Eccli. 23. 38. Ita Chryſ. non dixit *moriturus*, inquit, ſed *clarificaturus*, quia pari pro Chriſto honore eſt & gloria. Hinc martyrium crucis nobilius eſt cæteris martyriis, unde & a multis crucifixis fuit exoptatum. Chriſtus enim crucem in ea moriens nobilitavit: ideoque S. Andreas, frater S. Petri, adeo ambiebat crucem, ac moriens in ea exultabat & jubilabat. Hac de cauſa ipſe S. Petrus noluit crucifigi eo modo, quo Chriſtus, ne Chriſto in gloria crucis æquaretur; ſed inverſo modo, ſcilicet capite deorſum, & pedibus in altum ſublatis, uti docet S. Aug. ſerm. 28. de Sanctis. Et S. Maxim. ſerm. 1. de Natali Apoſt. *Hic eſt*, ait, *Petrus, qui cum ad crucem tamquam Chriſti diſcipulus duceretur, verſo ſe poſcens corpore crucifigi, paſſionem non timuit, ſed æqualitatem crucis Dominicæ declinavit, ut oſtenderet univerſis admirandæ ſe humilitatis virtutem, novique myſterii diſciplinam, & inter tormenta ſervaſſe.* Theod. aliam quoque affert cauſam, ſic dicens: *Cum ad mortem crucis a Nerone damnatus eſſet: rogavit carnifices, ne ſimiliter atque Dominus trabi figeretur, ſed contrario modo: veritus (quod eſt veriſimile) ne eadem paſſio eundem ſibi ab inſipientibus honorem reconciliaret: ideo rogavit ut manus inferius, ſuperius autem pedes affigerentur.* Ita quoque Theodor. orat. de Charitate. E

Quarto. Quarto, quia Petrus in cruce moriens pro Chriſto magnam ab eo gloriam conſecutus eſt, cum in cælo, tum in terra, qua glorificavit Deum, tanquam hujus gloriæ ſuæ fontem & auctorem. Hinc fideles toto orbe, qui in & reges & principes Romam confluunt, ut locum crucis & ſepulturæ B. Petri, ejuſque baſilicam Vaticanam, quæ orbis eſt miraculum, viſitent & venerentur. Ita S. Auguſt. 28. ſer. de Sanctis: *Nunc*, inquit, *ad memoriam piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia piſcatoris.* Et alibi ſcribens ad Madaurenſes: *Videtis & Imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen, ad ſepulchrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.* Et Chryſ. hom. *quod Chriſtus ſit Deus*: *Relictis omnibus*, inquit, *ad ſepulchra piſcatoris & pellionis currunt & reges, & præſides, & milites. Et Conſtantinopoli reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur, fiantque piſcatorum oſtiarii reges.* Idem Chryſ. in Pſ. 48. *Quot reges urbes everterunt, portas exſtruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis deceſſerunt; nec tamen eis quidquam profuit, ſed ſilentio & oblivioni mandati ſunt? Piſcator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſecutus, & civitatem maxime regiam occupavit, etiam poſt mortem reſplendet ſole clarius.* Horum ſepulchris urbem eſſe munitam alibi idem tradit, cum ait: *Hoc corpus plebem hanc munit, quod quavis turri, innumeriſque mœnibus ac vallis eſt tutius; & cum ipſo corpus etiam B. Petri*, &c. Vide eundem Chryſ. hom. 32. in epiſt. ad Romanos. Merito ergo Prudentius loco jam citato, de morte S. Petri in cruce loquens ait: *Vide ſuperba morte laureatum.* Superba ergo eſt mors crucis, in qua pie ſuperbiat Chriſtianus, juxta illud Iſaiæ 60. 15. *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum.* Et c. 61. 6. *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis.* F G

Moraliter hic diſce, cum S. Petro & Paulo gloriari in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, tibique gratulari, cum Chriſtus te ejus participem facit, ac particulam aliquam crucis ſuæ tibi immittit, ſive per morbum, ſive per perſecutionem, ſive per vilipenſionem, ſive per aliam afflictionem. Nulla enim re magis glorificatur Deus, quam martyrio & cruce, ſi patienter & hilariter toleretur. Crux ergo Chriſti & Chriſtiani eſt decus & gloria, non dedecus, & ignominia.

ET CUM HOC DIXISSET, DICIT EI; SEQUERE ME] Nota, cum Cyrill. Chryſoſt. Toleto, Janſen. Maldon. Ribera & aliis, Chriſtum hic facto ſignificare Petro idipſum quod verbo dixerat. Igitur ipſe ſurgens, & abiens e convivii loco invitat Petrum ut ſe præeuntem pedibus eundo ſequatur, idque ut ſignificet eum ſe ſecutum ut legitimum Vicarium, in his quæ jam ei prædixerat, ſcilicet in cura ovium paſtorali, & in ſupplicio crucis. Ait ergo: *Sequere me.* Primo, q. d. *Sequere me*, uti eundo, ſic & ſic mihi ſuccedendo in regimine Eccleſiæ, ſuccede ergo mihi ut paſtor & rector totius Eccleſiæ meæ. H

Secundo, *Sequere me*, ut, ſicut ego præceſſi ad crucem, ſic tu me ad eamdem ſubſequaris. Nec tibi dura videatur crux pro me ſubeunda, quia ego primus illam pro te ſubivi, & ad eam tibi cæteriſque fidelibus prævi, & viam complanavi. Decet enim ut me, ſicut in vita & officio paſtorali, ſic & in morte cruceque ſequaris, ut pro ovibus vitam ponas, ac cæteris fidelibus ſis dux ad crucem & martyrium. Unde Gloſſa: *Si paſtor*, ait, *immolatus eſt ut ovis, qui de ovibus fiunt paſtores non metuant immolari.* Hinc Petro Romæ a Nerone in carcere Mamertino incluſo, cum Chriſtiani ei fugam ſuaderent, & precibus ſuis illum ad eam pene cogerent; ille, ut eis ſatisfaceret, fugit, ſed extra portam, quæ nunc S. Sebaſtiani dicitur, occurrit illi Chriſtus, qui rogatus a Petro: *Domine quo vadis?* reſpondit, *Venio Romam iterum crucifigi.* Intellexit Petrus, Chriſtum non in ſuo, ſed in Petri vicarii ſui corpore velle crucifigi. Protinus ergo ad

carce-

Digitized by Google

A carcerem rediit, & paulo post crucem subiit. Locus hic occursus & colloquii Christi, cum Petro etiamnum hodie juxtam Romam extat, & sacello decoratus religiose visitur, vulgoque vocatur: *Domine quo vadis?* Ita ex S. Ambrosio, S. Gregor. Hegesippo & aliis Baron. tom. 1. anno Christi 69. c. 6.

Tertio, *Sequere me* in cura pastorali, & modo pascendi regendique fideles, ut eos pascas tam verbo quam exemplo, ac præsertim eximia charitate, sicut ego eos pavi, atque per omnia meæ doctrinæ, & vitæ vestigia sequaris. Mea enim vita est idea & exemplar perfecti pastoris, quam proinde te, tuosque successores semper pro oculis habere & imitari volo.

Audi Theoph. In hoc, quod ait, *Sequere me*, cunctorum fidelium Prælatum eum instituit, simul & vult, ut se sequatur in cunctis verbis & operibus. Denique ostendit affectionem ad ipsum: qui enim nobis astrictiores sunt, hos nos sequi volumus.

Præclare S. Irenæus l. 4. c. 28. *Sequi Salvatorem*, ait, *est participare salutem, & sequi lumen est participare lumen: qui autem in lumine sunt, non ipsi lumen illuminant, sed illuminantur & illustrantur ab eo.*

B

VERS. 20 CONVERSUS PETRUS VIDIT ILLUM DISCIPULUM, QUEM DILIGEBAT JESUS SEQUENTEM, QUI ET RECUBUIT IN COENA SUPER PECTUS EJUS, ET DIXIT: DOMINE, QUIS

VERS. 21 EST QUI TRADET TE? HUNC ERGO CUM VIDISSET PETRUS, DIXIT JESU: DOMINE HIC AUTEM QUID?] Petrus obediens Christo incipiebat ipsum sequi; mox sequebatur & Joannes, cæterique ejus socii. Petrus ergo sollicitus de Joanne & sociis, conversus retrospexit, viditque eos sequentes, ac, cæteris omissis, rogat Christum quid de Joanne sit futurum; an videlicet Joannes simili modo Christum sit secuturus, sicut ipse, & in cruce moriturus? Rogavit hoc Petrus, tum quia Joannem præ cæteris amabat; tum quia sciebat ipsum a Christo præ aliis diligi, ideoque in pectore ejus recubuisse. Mirabatur ergo quod Christus Joannem a se adeo dilectum hic prætermitteret: unde eum illi revocat in memoriam. q. d. Quid fiet de Joanne tibi adeo dilecto? Sane sicut illum in cœna mihi prætulisti; ita nunc in officio pastorali eum mihi jure præferre poteras, meque illi quasi pastori subjicere; sed quoniam aliter tibi visum est, saltem scire velim quæ illius futura sit sors & mors. Tum denique quia Petrus hic Joanni reddit vicem in rogando: sicut enim Joannes in cœna urgente Petro rogaverat Jesum, quis eum traditurus esset: sic hic vicissim Petrus rogat Jesum de Joanne, cogitans Joannem desiderare scire quid de se futurum foret, nec tamen audere id a Christo petere. Audi Chrysost. *Quia magna ei prædixerat Dominus, & orbem terrarum commiserat, & martyrium prænunciaverat, & amorem testatus est ampliorem, volens & Joannem communicatorem accipere, dixit: Hic autem quid? q. d. Nonne eadem nobiscum veniet via: valde enim Joannem amabat Petrus, eumque putans velle interrogare de seipsos, nec audere, pro eo suscepit interrogationem.*

C

Hinc discant Prælati non sequi suos affectus, nec indulgere amori, sed sequi in omnibus rationem, ut eos pastores constituant, non qui sibi sunt chariores, sed qui ad illud officium sunt aptiores: sicut Christus hic non Joannem, licet sibi cognatum prædilectum, sed Petrum, constituit suum vicarium, successorem,

D & Pontificem Ecclesiæ.

VERS. 22 Triplex hic lectio. DICIT EIS JESUS: SIC EUM VOLO MANERE DONEC VENIAM, QUID AD TE?] Est hic triplex lectio. Prima Græcorum, indeque Syri, Arabici & Æthiopici: *Si eum volo manere*. Secunda, S. Hieron. lib. 2. contra Jovin. & aliorum, *si sic*. Tertia, Latinorum, præsertim Romanorum: *Si eum volo manere*, itaque legunt S. Augustin. Beda, Rupertus, Glossa, S. Thomas, Lyran. Ribera, & alii. Tertiam hanc lectionem multis statuere conatur Georgius Trapezuntius, licet Græcus, lib. ad Papam hac de re edito; quamvis eum refellat Bessarion Cardinalis, qui primam statuit. Primæ enim favet, quod facile Latinum *si* verti potuerit in *sic*, addita littera *c* Græcum autem ἐὰν, id est, *si*, difficile verti potuerit in οὕτως, id est, *sic*. Rursum, quod prima planum exhibeat sensum. q.d. Si velim Joannem manere in vita, nec crucifigi, uti te volo quid ad te, tu me sequere, & Joannis curam mihi relinque. Vult enim Christus reprimere dumtaxat curiositatem Petri, ut sibi soli intentus non curet de Joanne, ejusque curam sibi permittat. Ita S. Cyrillus, Toletus, Maldonatus, Franciscus Lucas, & alii.

E

Tertiæ vero lectioni favet Primo, quod Romana editio jussu Pontificis correcta eam sequatur, uti & plerique codices, & interpretes Latini. Secundo, quod juxta eam Christus magis satisfaciat interrogationi Petri. Tertio, quod ex ea discipuli facilius conceperint opinionem de Joanne, quod non esset moriturus. Quarto, quod Trapezuntius græce apprime peritus, ostendit Græcam vocem ἐὰν, & Latinam *si*, hanc habere vim, ut indicativo verbo conjuncta affirmative capiatur: cum subjunctivo vero, suspensive dubitativeque. Aliud enim est dicere: Si amo te, non detraho tibi; aliud vero: Si te amarem, non tibi detraherem. Nam in prima propositione amor affirmatur, in secunda non affirmatur, sed cum dubitatione ponitur. Probat hoc ex Priscíano, natione etiam Græco, in libro de Constitutione. Cum igitur Evangelista verbum indicativi ponat, affirmat. Propterea, inquit Trapezuntius, Patres non *si*, sed *sic* interpretati sunt; ne scilicet particula *si* Latinæ Græcæque

F

lingue sciolos propter duplicem potestatem turbaret. Latinum ergo *si* hic & alibi est affimantis, non dubitantis. Unde Virgil. 6. Æneidos: *Si te fata vocant*, ait, id est, cum te fata vocent. Et lib. eodem.

Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus.

Affirmat enim potuisse. Cicero orat. 1. in Catilinam: *Si illustrantur, si erumpunt omnia*, id est, quia illustrantur & erumpunt omnia tua machinamenta, o Catilina, muta mentem, resipisce, & consule tibi ac Reipublicæ.

Nota. Ex τῷ *sic eum volo manere donec veniam*, multi censuerunt S. Joannem non esse mortuum, sed venturum cum Elia & Henoch, ut certet contra Antichristum. Id enim asserere videtur angelus Apoc. 10. 11. dicens Joanni: *Oportet te iterum prophetare Gentibus.* Ita censuit S. Hippol. tract. de Consummatione sæculi, Dorotheus & Metaphrastes in Vita S. Joannis, Damascenus orat. de Transfigurat. idque confirmat ex illo Lucæ 9. 27. *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Sic & S. Ambr. idem intelligit lib. 7. in Lucam in principio, ac Georgius Trapezuntius tract. in τὸ *sic eum volo manere*. Catharinus in cap. 2. Gen. Huc quoque inclinant Theoph. Salmeron & Barradius hic, & Euthymius in Matth. c. 43.

G

Alii vero, quos refert & refellit hic S. Augustt. tractat. 124. opinantur S. Joannem intra sepulchrum vivere, eo quod sepulchri ejus terra dicatur continuo ebullire, putentque id fieri S. Joannis respiratione & anhelitu.

Ex adverso Theoph. vult S. Joannem occisum a Trajano Imper. idque probat illo Matth. 20. vers. 23. *Calicem meum bibetis.*

Verum dico: Longe verius est, & mihi certum, S. Joannem naturali morte esse defunctum. Id enim passim tradunt Patres, ut Irenæus, Tertull. Euseb. S. Hieron. S. Augustt. S. Chrys. S. Ambr. Beda & alii, ex quibus Baronius docet S. Joannem obiisse anno Christi 101. Clementis Pontif. 9. Trajani Imp. 2. ætatis suæ 93. a passione Christi 68. Obiisse, inquam, Ephesi, & juxta eam urbem esse sepultum, Onesimo Sancti Pauli discipulo in episcopatu Ephesino illi succedente. Idipsum confirmat Ecclesiæ traditio, quæ celebrat festum S. Joannis tamquam vita functi, ac jam beati, & cum Christo regnantis in cælo. Hoc enim nulli nisi post mortem contingit.

Porro modum, quo mortuus est Joannes, describit Gregorius Turonensis lib. 1. Histor. Franc. c. 26. *Joannes*, inquit, *Evangelista senex, & plenus dierum se deposuit in sepulchro*, & lib. 1. de Gloria Martyrum c. 30. *Joannes vivus descendens in tumulum, operiri se humo præcepit. Cujus nunc sepulchrum mannam in modum farinæ, hodieque eructat, ex quo beatæ reliquiæ per universum delatæ mundum salutem morbidis præstant.* Petr. Damiani vero ser. 2. de S. Joanne Apostolo: *Jam vero*, ait, *illa beatæ migrationis ejus novitas miraculis quem non moveat? quis felicissimæ consummationis gloriam non obstupescat? Quia enim mirabiliter vixit, mirabiliter obiit; & quia non communem cum hominibus vitam duxit, non communi hominum morte transivit. Nam ut historia continent, quadratam in Ecclesia foveam fieri jussit; moxque in eam descendens, extensis manibus post prolixa fusæ orationis verba migravit.* Subjungit deinde novum miraculum. *Mox autem tanta super eum lux celitus est immissa, ut nullus eam ferret aspectus. Postmodum vero inventa est fovea, nihil aliud in se continens nisi manna, quod videlicet, sicut dicitur*

usque

A *usque hodie scaturire non desinit. Sic, nimirum, sic dilectum auctori vita discipulum transire de seculo dignum fuit, ut tam fieret a dolore mortis extraneus, quam a corruptione carnis fuerat alienus.*

Addit Nicephorus lib. 2. c. 42. corpus S. Joannis, uti B. Virginis, post sepulturam non fuisse inventum; quare resurrexisse, rursumque animatum & gloria donatum a Christo cælis fuisse illatum. Cujus sententiæ meminit quoque S. Ambros. serm. 20. in Psal. 118. & S. Hieron. (vel quisquis est auctor) serm. de Assumptione, nec eam rejiciunt. Joannem resurrexisse, pie quoque opinatur D. Thom. hic, & B. Petrus Damianus serm. 2. de Joanne Apostolo. Causam dat Damianus: *Pium*, ait, *est arbitrari, ut, sicut de beata genitrice Dei creditur, ita etiam beatus Joannes jam resurrexisse probabiliter asseratur: quatenus sicut in virginea fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipata resurrectione merito videantur equales; nec sit in resurrectione diversitas, quibus tanta fuerat unanimitas conversationis in vita. Si enim beatissimi virgines isti, videlicet Joannes & Maria, nullatenus surrexissent, cur in eorum*

B *tumulis sepulta cadavera non jacerent, cum scilicet beatorum Petri, & Pauli, cæterorumque Apostolorũ ac Martyrum corpora suis quæque noscantur mausoleis tumulata?*

Idem opinantur Dionys. Chartus. Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, Lud. Gran. serm. 3. de S. Joanne, & multi recentiores; licet hæc opinio nec in Script. nec in veterum traditione certum habeat fundamentum, imo & obstat quod in Concilio Ephesino jubentur coli reliquiæ Martyrum, ac præcipue S. Joannis. Et Cælestinus Pontifex in epist. ad Concilium Ephesinum: *Ante omnia*, ait, *vos precipue considerare, iterum atque iterum recolere decet, quibus Joannes Apostolus prædicavit, cujus reliquias præsentes honoratis.* Idem fere habetur in Synodo VII. generali act. 5. sub finem, *Si S. Joannis reliquiæ sunt Ephesi, ergo ipse necdum resurrexit*; nisi quis dicat reliquias ibi, non corporis, sed vestium, librorum, & similium utensilium, quibus usus est Joannes, intelligi; aut certe capillorum, barbæ, vel sanguinis in phlebotomia emissi. Unde jam reliquias aliquas corporis S. Joannis non est reperire. Vide Baronium & Suarez 3. p. q. 59.

C art. 6. disp. 55 sect. 3.

S. Joannes quomodo est Martyr.

Dices: Quomodo igitur S. Joannes a Patribus & ab Ecclesia vocatur Martyr, si naturali morte est defunctus. Resp. cum S. Hier. in c. 20. Matth. S. Joannem esse Martyrem, quia ipse in ferventis olei dolium missus est Romæ ante portam Latinam, a Domitiano Imp. propter prædicationem Christi, ut docet Tertull. c. 36. de Præscript. & antiquissima Ecclesiæ Romanæ traditio confirmat, ubi in hujus rei memoriam ecclesia eodem loco erecta visitur quin & res gesta quotannis ab Ecclesia recolitur 6. Maii. Licet enim tunc S. Joannes non sit mortuus, sed illæsus exierit; tamen, quia ipse voluntarie se morti tam acerbæ pro Christo obtulit, & quia oleum illud bulliens sufficiens erat causa ad mortem illi inferendam, imo illam naturaliter & necessario illi intulisset, nisi miraculose a Deo S. Joannem illæsum conservante, vimque bullientis olei inhibente fuisset impedita: hinc Joannes jure suo Martyr est, & Martyr nuncupatur.

Sic eum volo manere quid significet?

D

Porro hic locus (uti & ille Lucæ 9. 27. & alter Apocal. 10. 11. uti ibidem ostendi) contrariæ sententiæ non patrocinatur. Sensus enim est primo, q. d. Ego, te, o Petre, volo me sequi per crucem, Joannem autem volo manere *sic*, id est, sine cruce & morte violenta, *donec veniam*, ut scilicet eum naturali morte defunctum ad me in cælum assumam. Ita Sanct. Augustinus, Beda, Sanct. Thom. Rupert. & Maldon.

Secundo. q. d. Volo Joannem in vita permanere, donec veniam ad publicum Hierosolymæ & Judææ, quæ me occidit, excidium. Veniam enim per Titum & Romanos ulturus meam, id est Messiæ, cædem, communi totius gentis Judaicæ clade & strage. S. Petrus enim & cæteri Apostoli occisi sunt ante excidium Hierosolymæ, solus vero Joannes illi fuit superstes: adeoque duo hi fratres Jacobus & Joannes, initium & finem dederunt martyrio Apostolorum: inter eos enim primus occubuit Jacobus, ultimus Joannes, ita Theophyl. Toletus, Ribera, Suarez & alii. Addunt nonnulli apud Theophyl. Joannem in Judæa mansisse usque ad ejus excidium, idque hic a Christo significari. Ita D. Thom. & Ribera, q. d. Volo Joannem manere in Judæa usque ad ejus excidium, & tunc eum educam ad prædicandum in Asia.

Voluit Christus Joannem tamdiu manere superstitem,

quatuor de causis. Prima est, ut Joannes esset basis & columna Ecclesiæ contra hæreticos jam subnascentes, omnibusque testaretur dicta & gesta Christi ab Evangelistis, æque ac a se hic conscripta, esse verissima, imo se illa oculis suis vidisse, & auribus audivisse. Secunda, ut hæc longævitas esset ei loco martyrii: valde enim Joannes desiderabat mori, ut frueretur Christo, dicens: *Veni Domine Jesu*, Apoc. 22. Tertia, ut imminente excidio Judææ moveret Christianos ex ea egredi, ut eos egressos esse testatur Euseb. l. 3. Histor. c. 4. Quarta, ut omnibus testaretur excidium Judææ inferri ob occisum ab ea Christum, idque a Christo esse prædictum, Matth. 23. 37. atque hac ratione fideles in Christi fide firmaret, infideles autem Judæos ad eam converteret. E

Denique sive legas *si*, sive *sic*, idem erit sensus, si dicas *si* subintelligi. Unde nonnulli legunt *si sic*, ut Christus loquatur per concessionem. q. d. *Si eum volo manere*, hoc est, concedo, vel esto ut velim Joannem sic manere, sive, si sic eum volo manere, quid ad te? Videtur enim Christus tantum retundere velle curiositatem Petri, uti superius ex Cyrillo & Chrysost. dixi. Et hoc modo omnium trium lectionum idem erit sensus & consensus. F

Porro, S. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni dialogo 5. sic nove exponit: *Si eum volo manere*, id est, inquit, volo Joannem manere apud mare Tiberiadis, in quo paulo ante cum Petro piscatus fuerat 153. pisces: ad illud enim stabant piscantes: te vero, o Petre, volo a mari recedere, & me sequi. Hoc nimis litterale & grammaticum, ideoque frigidum videtur, nisi aliquem e sensibus jam datis adjungas, quasi significatum rei significanti. Unde addunt aliqui apud Theophyl. *donec veniam*, id est: dum hunc volens dirigam ad prædicandum: te namque, o Petre, nunc dirigo ad orbis Pontificatum.

S. Joannes vitam contemplativam. S. Petrus vero activam refert.

Anagog. repræsentatur hic in Joanne vita contemplativa & beata, & in cælis triumphans, in Petro vero activa, laboriosa, & in terra militans. Audi S. Aug. tract. 124. *Cur Joannem plus dilexit Dominus, cum Dominum plus dilexerit Petrus? quantum intelligo, melior est, qui plus diligit Christum; felicior, quem plus diligit Christus. Puto ergo duas vitas hic significatas, unam, quæ in fide est, per Apostolum Petrum, propter apostolatus sui primatum: itaque ei dicitur: Sequere me, per imitationem scilicet perferendi temporalia mala. Alteram vero, quæ in spe per Joannem, de quo dicitur: Sic eum volo manere donec veniam, scilicet sempiterna bona redditurus. q. d. Perfecta me sequatur actio, infirmata mee passionis exemplo; inchoata vero contemplatio maneat, id est, exspectet perficienda cum venero. In activa vita quanto magis Christum diligimus, tanto facilius liberamur a malo; at ipse nos minus diligit quales sumus, & ideo liberat, ne semper tales simus, illic nos amplius diligit, ubi quod ei displiceat, & quod a nobis auferat, non habebimus. Amet eum Petrus, ut ab ista mortalitate liberemur; ametur Joannes, ut in illa immortalitate servemur. Minus Joannes diligit, quia manet, id est exspectat, necdum habens illum amorem, qui tunc multo amplior erit. Hoc ergo significatum est per Petrum plus amantem, sed minus amatum: minus enim nos amat Christus miseros, quam beatos. Minus vero veritatis contemplationem, qualis tunc futura est, amamus, quia nondum novimus, nec habemus.* G

Brevius utrumque complectitur Glossa, dum ait: *Quod magis diligat, est manifesta misericordia, sed occulta justitia: commendantur hic due Ecclesie vite: ad procelloſe gubernaculum dantur claves, ad liganda & solvenda peccata; propter illam quietam requiem super pectus Jesu discumbitur, unde veritas bibitur: & quod virgo est Joannes, convenit future vite, ubi nec nubent, nec nubentur.* H

Virginitatis immortalitas.

Tropol. repræsentatur hic virginitatis & virginum incorruptio, integritas & immortalitas, ut semper in eodem statu vivi vegetique manere videantur, uti S. Joannes diutissime mansit. Unde Sapiens c. 4. 1. exclamat: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius*, &c. *& in perpetuum coronata triumphat.* Rationem dat c. 6. dicens: *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Vide ibi dicta. Quia enim casti imitantur castitatem & puritatem Dei, hinc Deo assimilantur, ideoque ab eo diliguntur, hauriuntque mitam sapientiam, sanctitatem & sanitatem longævam hic, in cælis vero æternam, ut hausit S. Joannes. Hac de causa B. Petrus Damiani serm. de Excellentia S. Joannis, eum nuncupat *organum divinorum mysteriorum, jubar cali, aquilam celestem*, &c.

VERS. 23

Rumor inter discipulos de Joanne non moriturο.

EXIIT ERGO SERMO ISTE INTER FRATRES, QUIA DISCIPULUS ILLE NON MORITUR] q. d. Inde rumor sparsus fuit

Digitized by Google

A inter Apostolos & discipulos, quod Joannes non esset moriturus, sed in vita mansurus, donec veniret Christus ad diem judicii, ac tunc eum vivum secum duceret in cælum. Nec mirum: nam, ut paulo ante dixi, multi e Patribus idem opinati sunt.

ET NON DIXIT EI JESUS: NON MORITUR, SED SIC EUM VOLO MANERE DONEC VENIAM, QUID AD TE?] Est correctio: corrigit enim Joannes falsam suspicionem discipulorum de se, quod non esset moriturus. Unde colligitur alium fuisse sensum verborum Christi, ac Joannem vere esse mortuum, uti ostendi v. 22.

VERS. 24 HIC EST DISCIPULUS ILLE, QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE HIS, ET SCRIPSIT HÆC (puta Joannes, qui de se modestiæ causa loqui solet in tertia persona) ET SCIMUS, QUIA (quod) VERUM EST TESTIMONIUM EJUS] q.d. Non mei unius hoc est testimonium, sed ego & omnes, qui cum Christo versati sumus, aut eorum auditores & discipuli fuimus, scimus, illum discipulum vera testari & scribere. Ita Euth. Toletus, Ribera, Maldon. Pauci enim tunc erant superstites ex iis, qui cum Christo versati fuerant, sed multi ab iis idipsum audierant. Scripsit enim Evangelium hoc Joannes contra Cerinthum, Menandrum, Ebionem, aliosque hæreticos jam tum suborientes, qui negabant Christum esse Deum, ideoque detrahebant ejus prædicationi & Evangelio, quasi falso & ficto. Unde refert S. Iren. l. 3. c. 3. & S. Epiphan. hæresi 30. S. Joannem ductu Spiritus sancti iviſse ad balneum, rogasseque quis in eo lavaretur, ac audito Ebionem in eo versari, flevisse, & sociis dixisse: *Festinate, fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem.*

B

Dictum S. Joannis de Ebione hæretico.

VERS. 25 SUNT AUTEM ET ALIA MULTA, QUÆ FECIT JESUS: QUÆ SI SCRIBANTUR PER SINGULA, NEC IPSUM ARBITOR MUNDUM CAPERE POSSE EOS, QUI SCRIBENDI SUNT (id est, qui scribendi forent) LIBROS] Syrus, *quæ si sigillatim scriberentur, ne ipse mundus quidem, ut puto, sufficeret iis, qui scriberentur libris.* Arabicus, *mundus non caperet ea in scriptis libris.* Primo, S. Aug. tract. 124. Beda, Rupert. S. Thomas, Lyran. & alii *το nec mundum capere posse libros*, exponunt non de spatio locorum, sed de capacitate legentium. q.d. Totus mundus non caperet, id est non intelligeret, non penetraret mysteria doctrinæ & vitæ Christi, quia sunt profunda & divina. Sed hoc modo ne unam quidem Christi sententiam de mysterio SS. Trinitatis, incarnationis, Eucharistiæ, &c. capere, id est penetrare, quis potest.

C

Secundo, S. Hieron. in c. 21. Matth. Nicephor. lib. 1. hist. c. 24. & Ribera hic *το capere* interpretantur per fidem, hoc est credere, q.d. Si tot tamque inaudita & stupenda miracula Christi narrarentur, homines mundani non possent ferre; sed putarent aut magicis artibus delusos esse oculos hominum, aut somnia esse aut fabulas, nec posse ab ullo tot & tanta fieri: ideo Evangelistæ de maxime mirabilibus pauca dicunt. Sed obstat quod mundus incredulus ne unum quidem signum Christi credit: fideles autem omnia credidissent. Adde, dici *libros*, non *signa*.

D

Tertio, ergo & genuine, est hyperbole. q.d. Si singula Christi acta dictaque scriberentur, tam multa & magna scribenda forent, ut mundus libris impleretur, ut plurimi & quasi innumerabiles libri scriberentur. Sic vulgo dicimus. In bibliotheca innumeri, id est plurimi, sunt libri: & Tomus mundus hoc dicit, id est, plurimi hoc dicunt: *Ecce totus mundus post ipsum abiit*, Joann. 12. 19. hoc est, plurimi sequuntur Jesum, ait Cyrillus, Augustin. Chrysost. Leont. Beda, Theophyl. Euthym. Cajetan. Jansen. Toletus & alii. Hinc patet Evangelistas plurima dicta factaque Christi omisisse, & pauca tantum scripsisse, ut ex illis Christum Deum & hominem agnosceremus, & quasi ex ungue leonem æstimaremus.

Hyperbole S. Joannis de libris scribendis de Christo.

Dices: Nimis magna videtur esse hæc hyperbole: nam totus mundus innumeras librorum myriades caperet. Resp. non esse nimis magnam, imo æquo esse minorem, si cum rerum scribendarum magnitudine, præstantia & majestate comparetur. Pro quo Nota, in Christo duas fuisse naturas, divinam & humanam, indeque duplices, imo triplices actiones, scilicet Primo divinas, ut sunt omnia cognoscere & comprehendere, amare Patrem infinito amore, spirare Spiritum sanctum, & de quibus si pro dignitate scribendum foret, infiniti scribendi essent libri, quos mundus non caperet: quotquot enim ab hominibus scriberentur, numquam æquarent, multo minus exhaurirent vel unam Christi actionem, utpote divinam, & per omnia infinitam. Sic Christus unico verbo & conceptu mentis suæ omnia cognoscit, comprehendit, dicit & loquitur; & tamen unicum hoc verbum tam fœcundum est & sublime, tamque *multa* continet, ut omnes angeli & homines infinitis verbis & libris illud adæquare, pleneque exprimere nequeant. Imo angelus unus Seraphinus plus cognoscit, dicit & facit uno actu, quam infimi angeli & homines plurimis actibus: multo magis idipsum facit Christus, qui longe omnes Seraphinos superat. Secundæ actiones Christi fuere humanæ, uti sunt loqui, fabricare, comedere, ambulare, &c. hæ si nude considerentur, paucis libris scribi possent; sed si considerentur, ut fiebant a Christo, ac dirigebantur ab interno spiritu prudentiæ, charitatis, aliarumque virtutum, nullo hominis calamo digne describi possent: quia nullus scribendo valet assequi, & ex æquo exprimere spiritum & virtutes Christi: Christus enim faciebat omnia sua tam integre, tam heroice, tam angelice, cum omnibus suis circumstantiis, ut nulli scriptores ea pro dignitate scribere, & oculis subjicere possent. Singulæ enim actiones Christi, plurimas in se continebant virtutes, excellentias, perfectiones, ideoque nostris perpluribus adæquari nequeunt, sicut præstantiam adamantis nulla lapidum congeries & copia adæquare valet. Tertiæ actiones Christi fuere mixtæ, id est partim humanæ, partim divinæ, quæ idcirco a S. Dionysio theandricæ, id est Dei-viriles, appellantur, uti sunt prædicare Evangelium, suscitare mortuos, facere miracula, instituere Eucharistiam, cæteraque Sacramenta, &c. quæ Christus faciebat ut homo, sed directus a deitate sibi hypostatice unita. Hæ actiones multo minus pro dignitate ab omnibus mundi scriptoribus, qui sunt, fuerunt & erunt, explicari & repræsentari queunt, quia sunt actiones immediate manantes a Deo, ideoque divinam in se continentes vim & excellentiam, quæ omne hominum ingenium, omnem scriptorum calamum manamque longe superant, & transcendunt, juxta illud Job. 11. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.* Denique veritas hujus hyperboles patet ex eventu & experientia. Videmus enim de vita & gestis Christi quotannis fieri tot conciones, lectiones, sermones; tot scribi libros, tot commentaria, ut eos numerare sit impossibile; adeoque si mundus duraret in æternum, idem quotannis semper fieret, quæ omnia si in unum colligas, mundus ea non caperet. Unde S. Leo serm. 9. de Nativ. *Excedit*, inquit, *humani eloquii facultatem divini operis magnitudo; & inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi*, &c. *Et ideo numquam materia deficit laudis, quia numquam sufficit copia laudatoris.*

E

humanæ.

F

mixtæ.

Triplices Christi actiones, divinæ.

Tropol. hinc a Christo discе illud: *Annos virtutibus imple*, ut scilicet multa magnaque & heroica virtutum opera assidue edas, easque de virtute in virtutem, donec videas Deum deorum in Sion. Christus enim tribus annis & tribus mensibus, quibus prædicavit, tot tantaque dixit & fecit, ut nullis libris pro dignitate conscribi possint. Dic ergo tibi illud Zeuxis pictoris eximii: *Pingo æternitati, vivo æternitati.* Pingo vitæ sanctæ imaginem, imo ideam, quam in cælo Deo & angelis ostendam, ut jugiter eorum oculos feriat, ut Beati per omnem æternitatem illam mirentur & celebrent. Imitare ergo Christum, sequere orthodoxam ejus fidem & vitam. Veritas cana est, fide prisca est, quam Christus Petro, Petrus suis successoribus Pontificibus & Ecclesiæ Romanæ quasi depositum inviolate servandum tradidit. Fuge ergo omnem fidem novam & noviriam, quam Navatores a se confictam obtrudunt: fides enim nova infida est, fallax & mendax est: non fides, sed perfidia est.

G

H

Romanæ Ecclesiæ fides commendata.

Romanis scribens Paulus cap. 1. 8. hanc laudem, hoc decus assignat: *Fides vestra annunciatur in universo mundo.* Romanam Ecclesiam S. Irenæus, S. Polycarpi, indeque S. Joannis discipulus lib. 3. cap. 3. & 4. nuncupat dives depositorium Ecclesiasticarum traditionum, *eo quod Apostoli plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ.* S. Cypr. epist. 45. eamdem vocat matricem Ecclesiarum. *Ad hanc enim Ecclesiam*, ait Irenæus, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt ubique fideles: in qua*

sem-

Digitized by Google

A *semper ab his, qui sunt; undique conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio.* Tertull. lib. de Præscript. contra hæreticos c. 36. *Habes Romam*, inquit, *unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur* (crucifixus ut Christus) *ubi Paulus Joannis* (Baptistæ, qui gladio truncatus est) *exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.* S. Hieronym. præf. in lib. 2. Comm. in epist. ad Galat. *Vultis scire*, ait, *o Paula & Eustochium, quomodo Apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotaris? usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent, vel errorum. Romana plebis laudatur fides. Ubi aliquando tanto studio & frequentia ad ecclesias, & ad Martyrum sepulchra concurritur? ubi sic ad similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur. Non quod aliam habeant Romani* C *fidem, nisi hanc, quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod devotio in eis major sit & simplicitas ad credendum.*

Evangelium igitur fidemque Christi disce ab Ecclesia Romana, illamque vita & moribus exprime, atque in hoc ipso quotidie magnis virtutum passibus progredere & profice, ita Christum sequeris in cælesti gloria. Opus, quod hic in monumento operaris, in æternum manebit, & te oblectabit; opus, quod hic non operaris, in æternum tibi peribit, nec illud unquam recuperare potes. Hoc a te ipse exiget in ultimo & decretorio mundi die, quando cum omnibus angelis judex sedebit, judicabitque vivos & mortuos, ac te de fide vitaque Christiana sincere & severe examinabit, ut, si eam recto tramite sectatus fueris, te cælo; sin autem, inferno adjudicet, idque in æternum. Jacis hic aleam de tua æternitate: vide ut secure jacias, jactus enim est irrevocabilis. D

B

Crede, stude, vive, pinge

ÆTERNITATI.

O quam longa, quam profunda, quam immensa, quam beata vel misera est sæculorum omnium domina, intermina, & vivens semper ÆTERNITAS!

O fragilitas humana, exiguum est quidquid agis propter spem æternorum!
Euseb. Emissen. hom. de S. Maximo.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ his in Matthæum & Marcum Commentariis illustrantur, vel obiter explicantur,

Numerus paginam, litteræ adjunctæ eas quæ columnis interpositæ sunt, designant.

EX GENESI.

Cap. 4. *v.* 24. Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies, *pag.* 236. *lit.* a.
v. 9. Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis. 33. g.
8. 8. Non revertebatur donec siccarentur aquæ, 43. c.
15. 5. Numera stellas, si potes, sic erit semen tuum. 46. g.
v. 16. Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. 306. a. b.
26. 12. Sevit Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum. 172. a.
47. 9. Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi & mali, 126. a.
49. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. 35. g.
v. 11. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. 373. f.

EX EXODO.

Cap. 7. *v.* 12. Devoravit virga Aaron virgas eorum. 20. a.
20. 7. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, 104. a.
33. 19. Ostendam omne bonum tibi. 67. d.

EX LEVITICO.

Cap. 2. *v.* 13. Quidquid obtuleris sacrificii sale condies, 430. b.
11. 40. Sancti estote, sicut ego sanctus sum. 218. d.
19. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum. 251. b.
20. 9. Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur. 217. e.
21. 12. Nec egredietur de sanctis, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. 56. d.

EX NUMERIS.

Cap. 24. *v.* 17. Orietur stella ex Jacob. 46. f. 47. b.
30. 36. Reddes Domino juramenta tua. 103. f.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. 6. *v.* 4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. 298. b.
8. 3. Sed in omni verbo quod egredietur de ore Dei. 75. a.
33. 29. Beatus es tu Israel; quis similis tui populo, qui salvaris in Domino? 85. b.
34. 10. Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem. 176. d.

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. 13. *v.* 7. Erit puer nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ, 36. b.

EX LIBRO I. REGUM.

Cap. 20. *v.* 21. Vade & affer mihi sagittas. 172. a.

EX LIBRO II. REGUM.

Cap. 6. *v.* 23. Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ. 43. c.

EX LIBRO III. REGUM.

Cap. 19. *v.* 18. Septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. 113. d.

EX LIBRO JOB.

Cap. 16. *v.* 15. Concidit me vulnere super vulnus. 373. f.

EX LIBRO PSALMORUM.

Psal. 8. *v.* 3. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem. 288. a. d.
20. 9. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis. 172. a.
21. *Totus hic Psalmus a Spiritu Sancto de Christo dictatus est.* 384. b.
v. 1. Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum. 386. c.
v. 17. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. 379. c. & seq.
22. 1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. 125. c.
34. 42. Retribuebant mihi mala pro bonis, &c. & oratio mea in sinu meo convertetur. 164. a.
54. 23. Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. 125. a.
57. 5. Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas. 165. c.
v. 2. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. 432. c.
68. *v.* 22. Dederûnt in escâ meâ fel, & in siti potaverunt me aceto. 379. a.
70. 15. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. 33. f.
71. 7. Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur luna. 97. a.
v. 10. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. 44. b.
72. 25. Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei. &c. 87. b.
77. 2. Aperiam in parabolis os meum, enuntiabo abscondita a constitutione mundi. 205. c.
79. 9. Vinea de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam. 290. f
88. 13. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. 237. g.
v. 38. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum. 97. a.
90. 11. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. 76. f.
95. 10. Quia Dominus regnavit a ligno. 381. a.
103. 7. Herodii domus dux est eorum. 49. f.
v. 19. Sol cognovit occasum suum. 128. b.
108. 8. Et episcopatum ejus accipiat alter. 340. c. d.
109. 1. Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis. 300. a.
v. 2. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum, 43. b. 300. c.
v. 4. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum. 300. a.
111. 5. Jucundus homo qui miseretur & commodat; disponet sermones suos in judicio, 330. f.
117. 21. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, 285. c.
v. 25. O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini. 285. b.
128. 3. Super dorsum meum fabricaverunt peccatores. 373. b.
132. 1. Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum, 126. a.
136. 1. Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion. 175. a.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap. 5. *v.* 14. Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, 59. f. 174. g.

EX ISAIA.

Cap. 5. *v.* 1. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, 288. c.
6. 9. Incrassatum est cor populi hujus. 199. f.
v. 10. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude. 347. f.
9. 8. Verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel. 164. a.
11. 2. Et flos de radice ejus ascendet. 56. g.
19. 1. Dominus ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra a facie ejus. 51. c.
28. 1. Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus. 159. c.
53. 4. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. 141. g. h.
61. 1. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, prædicarem captivis indulgentiam, & clausis operationem. 174. g.

EX JEREMIA.

Cap. 2. *v.* 18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti? 160. a.
3. 17. Congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini. 286. a. b.
9. 17. Vocate lamentatrices, & veniant, &c. & deducant super nos lamentum. 153. c.
14. 46. Locutus es ad nos in nomine Domini. 286. a.
22. 30. Scribe virum istum sterilem, &c. nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David. 35. a.

EX MICHÆA.

Cap. 5. *v.* 2. Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda. 48. h.
7. 6. Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam, &c. 171. a.

EX ZACHARIA.

Cap. 9. *v.* 9. Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem. 283. g.
11. 13. Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium. 368. h.

EX MALACHIA.

Cap. 4. *v.* 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus. 242. a.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. 1. *v.* 20. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. 39. c.
5. 1. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. 17. d.
v. 15. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. 16. d.
v. 26. Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. 43. c.
6. 1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. 76. d.
8. 22. Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 19. a. 18. h.
9. 13. Misericordiam volo, & non sacrificium. 19. c.
11. 16. Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis. 19. c.
v. 23. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. 17. c.
13. 24. Simile est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. 19. f.
18. 8. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te, &c. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, &c. 18. h.
v. 24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. 16. f.
25. 15. Unicuique secundum propriam virtutem. 19. f.

EX S. MARCO.

Cap. 4. *v.* 11. Illis qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, 198. g.
v. 12. Ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, &c. 198. g.

v. 26. Sic

v. 26. Sic est regnum Dei quemadmodum si homo jaciat semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet. 18. f.
9. 49. Omnis enim igne salietur. Et omnis victima sale salietur. 18. f. g.
13. 27. A summo terræ usque ad summum cæli. 318. f.
14. 17. Vespere autem facto venit cum duodecim. 339. b.
15. 25. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. 381. b.
v. 32. Erat parasceve, quod est ante sabbatum. 330. b.
v. 36. Potum dabat ei, dicens, Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum. 388. a. b.
16. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, 17. e.

EX S. LUCA.

Cap. 1. v. 30. Invenisti gratiam apud Deum, 171. b.
7. 3. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & salvaret servum ejus. 20. d.
v. 37. Stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, 399. d.
v. 50. Fides tua te salvam fecit, vade in pace. 17. e.
9. 34. Facta est nubes, & obumbravit eos, & timuerunt intrantibus illis in nubem. 240. b. & seqq.
10. 20. Nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis. 18. b.
12. 44. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. ib.
17. 22. Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis. 315. a.
19. 9. Quia hodie salus huic domui facta est. 20. d.
v. 38. pax in cælo, gloria in excelsis. 286. c. d.
21. 24. Cadent in ore gladii, captivi ducentur in omnes gentes, & Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum. 313. c.

EX S. JOANNE.

Cap. 1. v. 14. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. 289. g.
v. 15. Qui post me venturus est, ante me factus est. 173. d. & seqq.
v. 20. Tu quis es? non sum ego Christus. 18. d.
v. 43. In crastinum voluit exire in Judæam, & invenit Philippum, & dicit ei Jesus, Sequere me. ibid.
2. 11. Crediderunt in eum discipuli ejus. 17. e.
v. 19. Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: ille autem dicebat de templo corporis sui. 359. c. d.
v. 23. Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat: ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis. 19. a.
v. 32. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 17. f.
3. 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. 18. e.
4. 24. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. 85. b.
6. 36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. 18. e.
v. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 97. f.
11. 28. Magister adest, & vocat te. 18. e.
v. 40. Nonne dixi tibi, quoniâ si credideris, videbis gloriam Dei. ib. f.
12. 1. Ante sex dies Paschæ venit Bethaniâ, & fecerunt ei cœnâ. 335. g.
v. 3. Unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis. 336. c.
v. 7. Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. 337. a.
v. 14. Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum. 18. d.
v. 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum. 314. f.
13. 1. Ante diem festum Paschæ. 329. g.
16. 32. Modo creditis: ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis. 347. a.
17. 3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. 17. a.
18. 21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. 358. g.
v. 22. Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu. 358. h.
19. 14. Erat hora quasi sexta. 381. b.
v. 25. Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus. 392. c.
20. 17. Noli me tangere. 17. e.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

Cap. 12. v. 8. Calcea te caligas tuas. 162. e.
20. 35. Beatius est magis dare quam accipere. 91. a.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 1. v. 9. Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo. 85. b.
4. 1. Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum? 172. a.
15. 16. Ut sim minister Christi in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. 8. d.

EX I. AD CORINTHIOS.

9. 5. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli? 161. f.
10. 16. Calix benedictionis cui benedicimus, &c. nonne communicatio sanguinis Christi est? 342. h.

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap. 5. v. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 19. a.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 4. v. 9. Deus pacis erit vobiscum. 92. c.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. 3. v. 15. Pax Christi exultet in cordibus vestris. 107. b.

EX I. AD TIMOTHEUM.

Cap. 3. v. 26. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum; quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu. 179. d.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 11. v. ult. Ut non sine nobis consummarentur. 391. c.

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. v. 8. Ego sum α & ω, primus & novissimus. 2. f.
3. 14. Hæc dicit Amen, testis fidelis. 96. b.
4. 7. Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti. 10. a.
v. 8. Et in circuitu & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte, dicentia; Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. ibid.
21. 4. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini, &c. 96. c.

INDEX RERUM ET VERBORUM,

Quæ his in Matthæum & Marcum Commentariis continentur.

ABa Salama monachus Æthiops Abyssiam ad fidem Christianam convertit, pag. 11. lit. a.
Abbacyrus diu a sociis vexatus omnia patienter tulit, 107. g
cur *Abba Pater* Christus dixerit, 438. b.
Abdias, qui Prophetas sub Achab latitantes aluit, an idem cum Abdia Propheta quarto inter Minores, 172. e. f.
Abel fuit typus Christianorum, Cain Judæorum. 306. g.
sub Abiathar pontifice contigisse dicit Marcus, quod vere sub Achimelech patre contigit: fuit vir excellens, 413. e. f. fuit tam ipse, quam pater, binomius, ibid. f.
Abnegare seipsum quid sit, 232. d. 233. a.
Abnegationis definitio, 233. a.
Abominatio desolationis stans in loco sancto quæ sit, 311. g. h.
Abraham eremita perpetuo gestavit cilicium, 59. e.
ex Abraham natus est Christus, 34. a. fuit Synagogæ fundator, & pater fidelium, ibid. b. ejus filii ex Cetura fuere incolæ Arabiæ, 44. d. e. ejus filiatione gloriabantur Judæi, 62. b. veri ejus filii sunt, qui ejus fidem & sanctitatem imitantur, 63. a. cur Abraham, Isaac & Jacob præ cæteris patriarchis nominentur & celebrentur, 138. b. cur his tribus Deus gloriaretur, 298. c.
Abyssini unde hauserint cognitionem Dei, an a Salomone descenderint, 194. b. crebro dimittunt uxores, 259. e.
Accumbebant veteres mensæ strati in choris, 339. g. h.
Acedia est spiritualis paralysis, & utriusque analogiæ, 149. c. d. & seqq. ejus remedia, ibid.
Acedus in bono manum quodammodo habet aridam, 186. h.
Acetum datum Christo in cruce sitienti loco vini a milite, 387. c. d. idque quatuor de causis: acetum sitim adauget, ibid. vim habet penetrandi, ibid. d. quomodo id datum Christo, ibid. f.
ἄγριαι sunt pyra silvestria, 59. g.
ἀκρίδες græce sunt proprie locustæ, ibid.
omnem Actionem Christus ad spiritualem finem exercebat, 81. f. g. actiones humanæ debent dirigi a recta ratione, 191. g. ex merito actionum nostrarum, habitus earum supernaturales statim Deus auget & intendit, 327. d.
ne Actus sit otiosus, debet referri ad finem honestum, 191. e. & seqq. actus charitatis ferventes excitati adaugent meritū & gloriā. 274. c. d.
Adagia Evangelica omnia recensentur, 28
Adam fuit typus Christi, 143. a. triplici tentatione fuit a diabolo tentatus, 74. b. ipse vitiatus totā suā progeniem vitiavit, 186. g. h. dictus est homo absolute, & quia Christus ex eo natus per matrē est, hinc dicitur Filius hominis, 143. a. & seq. non fuit hermaphroditus, 259. e. innocens, innoxie cum bestiis in paradiso egit, 410. g. qua die creatus, & qua hora pomum vetitum comedit, eadem Christus moriens, & culpam expians, eum quasi recreavit, 381. b. 388. b. e carne ejus non trahunt omnes homines aliquam particulam, 219. d. e. an ejus cranium in monte Calvariæ sepultum, 376. d. ejus peccatum extensione manuum Christi ad lignum crucis fuit expiatum, 380. d.
Adamas symbolum adversa patienter ferentis, 362. b. c.
S. Aderitus columbæ advolatu designatus est successor S. Apollinaris in sede Ravennate, 69. a.
nihil admirari, est magni animi, 42. d.
cur Admiratio proprie & absolute in Christo non fuerit, 138. d.
Adolescens in Naim a Christo resuscitatus quos peccatores denotet, 154. d. adolescens amictus sindone quis fuerit, 438. d.
Adrianus Imp. Judæos omnes Judæa exire jussit, imo vetuit ne quis eam vel eminus aspiceret, 313. e. ejus comitas & facilitas, 262. h.
Adriani II. Papæ pecunia in pauperes erogata fuit multiplicata, 212. f.
Adventus Christi exspectabatur deficiente sceptro de domo Juda, 38. e. ejus adventum primum a secundo non distinguunt Judæi, 242. f. g. quomodo uterque differat, 318. c. d. ejus adventus ad judicium fulgure repræsentatur, 335. b. apertus erit & omnibus manifestus, unde ad eum justi properabunt, ibid. e.
quis sit Adversarius cui benevoli esse jubemur, 101. b. c.
in Adversis non est cadendum animo, 168. f. g.
Adulteræ per urbem mediam in Creta traducebantur, 41. g.
ab Adultero conjuge divertere licet innocenti, 103. c. d.
Adulterium solvit matrimonium quoad thorum, non quoad vinculum, 260. c. d.
Ædificare Ecclesiam super Petrum, vel hanc petram, quid sit, 229. a.
B. Ægidii socii S. Francisci paradoxa, quoad abnegationem sensuum & cupiditatum, 233. b. vox ejus de pœnitentia Joannis, 59. d.
Ægroti ultra septiduum sine cibo omni esse possunt, 73. d. e.
Ægyptii multi, visa sanctitate B. Virginis & Josephi apud se

Digitized by Google

se habitantium, verum Deum cognovere, 52. b. eorum portentosa numina, 168. d.
cur in Ægyptum fugerit Christus, & non alio, 51. d. ejus idola ad Christi ingressum corruerunt, ibidem. e. balsamum ab eo tunc recepit, ibidem. g. postea fuit feracissima virorum sanctorum, ibid. est lepræ obnoxia, 135. e.
Ænigmata Evangelica omnia enumerantur. 29.
in Aere condensato varia potest dæmon repræsentare, 77. b. per aera raptatus est Christus a diabolo in pinnaculum templi, 75. f. aeris rubor vespere indicat pubes esse faras, ideoque nocte dissipandas, ac consequenter mane fore serenum, 224. b. c.
Ærumnas, quas anima in corpore habitura est, Deus abscondit ab ea, quia perhorresceret corpus ingredi, 125. e. f.
unde Æthiopes hauserint noticiam Dei, 194. a. b. VI. Januarii aquis se immergunt in memoriam baptismi Christi, 68. a.
Æthiopia Scripturæ nota, fuit pars Arabiæ, 44. g. h.
Æthiopica S. Scripturæ versio cum Arabica, velut matrice sua consentit, 11. a.
Affabulatio, in parabolis quid sit, 19. d.
Affectiones bonæ bona proferunt verba, malæ mala, 190. b. & seq.
Affectus pius est anima orationis, 114. c. d. affectus maxime eleemosynam commendat, 434. f. affectus sincerus meretur a Deo ulterius illustrari, 199. b. affectus septem a Christo crucifixo nobis eliciendi, 382. f.
Afflictiones variis de causis homini immittuntur, 413. d. fimus in iis adamantes & insuperabiles, 462. b.
Agape olim erat epulum omnibus fidelibus commune, in signum & fomentum charitatis, 341. d. & seq.
S. Agapitus Martyr prunas ardentes capiti impositas consideratione spineæ coronæ Christi pertulit, 375. g.
Ager in sepulturam peregrinorum emptus pecunia a Juda relata, Christi testatur innocentiam, 368. b. mira de hoc agro, ibidem. ager etiam oppidum vocatur, 490. f. g. quid denotet ager & villa, in quem abiere invitati, & ideo venire negligentes, 293. c.
ἄγνος derivatur ab ἀ & γῆ, q.d. sine terra, 57. b.
Agnoetæ hæretici docebant Christum diem judicii ignorare, 320. b.
Agnus paschalis decimo die mensis primi in urbem solemni pompa inducebatur, sic & Christus, 284. c. d. b. domi a quolibet patrefamilias immolabatur, 330. c. quomodo ederetur, qua hora mactaretur, ibid. quomodo assaretur, ibid. f. edebatur a stantibus, ib. g.
Agon Christianorum est conatus ad salutem vel gehennam, 129. f.
Agonia Christi in horto qualis fuerit, 349. b. 350. a. & seq.
Agrippinæ matris Neronis ambitio, 277. d.
Alabastrum unguenti Mariæ Magdalenæ quod fuerit, 366. a.
Alapa quomodo a colapho differat, 361. c. quæ fuit Christo a ministro impacta, quam atrox fuerit, 358. b.
Alauda symbolum est Religiosi, maxime Minoritæ, 123. f.
S. Albertus Carmelita sua patientia dæmonem ex energumena pellit, 196. g.
Alexander Alensis nihil unquam negabat quod B. Virginis nomine ab eo petebatur. 108. d.
Alexander fil. Simonis Cyrenæi Martyr occubuit, 375. c. d.
Alexandri Severi Imp. moderatio, 262. b.
schola Alexandrina quam præclaros habuerit viros, 407. c.
Alexandrini loquebantur græce, 407. f. g.
S. Alexius fuit spiritu pauper, 87. c.
Aliena non sunt danda in eleemosynam, sed propria, 108. a.
Aloë præservat corpora a putrefactione, 393. b. & seq.
Alphæus pater S. Jacobi Minoris, fuit conjux Mariæ Cleophæ, 159. b. genuit ex ea Jacobum & Judam Thaddæum, ibid.
Altilia sunt animalia quæ saginantur, 293. b. quid ea denotent symbolice, ibid.
mons Alverniæ scissus est moriente Christo, mire erga hanc S. Franciscus afficiebatur, 390. f.
S. Amandi gloriam adauxere omnes, quos conversos cælo asseruit, 322. a.
Ambitio ut evaharur prius se dejicit, 78. b. c. cæloexcludit, 247. b. c. d. quam audax & insatiabilis sit, 277. b. est pernicies rerum public. 279. c. parit invidiam, hæc indignationem adversus competitores, ibid. d. ambitio clericorum & Religiosorum de honore contendentium scandalizat sæculares, 249 b.
S. Ambrosii acta cum Arianis de basilica illis tradenda jubente Valentiniano Imper. juniore, 231. b.
Ambrosii Catharini error circa prædestinationem, 275. g.
Amen est vox non juratis, sed affirmantis rem a se dicendam, vel confirmantis jam dictam, 96. g.
in America sensim propagatur Evangelium, 312. f. g.
Amici Christi e principibus an interfuerint concilio quod Caiphas ad eum damnandum convocarat, 366. d. e.
Aminadab princeps tribus Juda primus mare rubrum ingressus dicitur, 34. e.
Amitæ tres S. Gregorii, Thaumila, Æmiliana, Gordiana; duæ priores feliciter mortuæ, tertia Religione excidit, 294. e.
Amor terrenorum exuendus Christum sequi volentibus, 265. d. amor proprius non intelligit ea quæ sunt Dei, 232. a. c. amor inordinatus erga terrena mortificandus, ibid. e. & seq. amoris animicorum novem sunt gradus, 108. b. amor Christi erga suos & Ecclesiam ex Eucharistiæ institutione colligitur, & ipsi vicissim ad eum amandum per eam alliciuntur, 344. b. amor B. Virginis in filium, & Christi in eam, major fuit, quam aliarum matrum & filiorum, 37. f.
ἀν est particula expletiva & confirmantis, non dubitantis, 17. c.
Anabaptistæ ne a judice quidem coacti, volunt jurare, 103. b. bellum omne illicitum putant, 205. g. & Christianos omnes esse debere ab omni tributo liberos, 245. g. male pueros arcent a baptismo, 263. g.
Anachoretæ veteres vestiebantur cilicio, 59. d. ante vesperam cibum non sumebant, 139. d. unde in Ægypto ita inerevenint, 407. b. c. Anachoreta de adultera temere judicans, quomodo ab angelo correptus, 127. c.
S. Anatolia virgo audito angelo virginitatem extollente, pro eadem obiit agonem, 323. b.
Ancilla ostiaria unde Petrum agnoverit esse discipulum Christi, 362. f.
Ancus rex unde dicatur sacrificus, 406. e.
S. Andreas quando & quomodo a Christo vocatus sit, 81. d. ibid. d. quid nomen ejus sonet, 159. f. ejus elogium, ibid.
Anethum quales habeat effectus, 304. e.
Angariare est cogere, est vox Persica, 107. d.
Angelus idem est quod angarus, per commutationem literæ r in l, 107. d. angelo Custode caruit Christus, cur, 76. e angelus unde cognoverit Herodis intentionem de necando Christo recens nato, 51. f. g. angelus terræ motum circa sepulchrum Domini excitavit, & cur, 398. d. apparuit mulieribus ut juvenis, ibid. f. cur lapidem revolverit, ibid. g. & super eum sederit, 399. b. c. cur Lucas eum stetisse dicat, ibid. d. an sederit extra sepulchrum super lapidem, an vero intra ipsum visus sit, ibid. d. e. cur aspectus ejus fuerit ut fulgur, ibid. f. cur vestis candida, 400. b. terruit custodes sepulchri, ibid. c. quid dixerit mulieribus, ibid. d. & seqq.
Angelos omnes Christus obsequentes habuit, 76. e. f., ei in Evangelio subservierunt, 5. a. & in deserto post victoriam de tentatione ministrarunt, 410. g. intuentur justos in bono, non temerarios, 76. e. f. cur, cum careant manibus, ex tamen iis attribuantur, ib. g. lapides in panes convertere non possunt subito & immediate, 74. g. & seq. Christum e monte in suum desertum, in quo jejunarat, transtulere, velut dominum suum, 79. c. ita consolantur omnes qui fortiter vincunt diabolum, ibid. voluntati Dei plenissime obediunt, 117. b. omnes sunt beati, ideoque impeccabiles, 249. b. curant parvulos, 250. b. & humiles, ibid. eorum humilitas & charitas, ibid. b. c. dantur in custodes hominibus, tam infidelibus & improbis, quam fidelibus & justis, 249. b. sunt hi ex infimo ordine, nonnullis tamen personis eximiis & eminentibus dantur ex ordine Archangelorum, ibid. eorum varia munia, ibid. b. sunt supremi in suo choro, 250. a. b. tria iis debemus, ibid. d. cum iis cœlo agamus, ibid. e. semper Deum vident facie ad faciem, ibid. f. etiam dum cælo exeunt, ibid. an recte denotentur per nonaginta novem oves, 251. a. b. est eorum nobis perfectio imitanda, 250. d. per aquilam denotantur, 34. f. adstant Eucharistiæ, 345. d. sunt innumeri, superantque numerum hominum omnium, 356. e. sunt in omni periculo & afflictione in auxilium invocandi, ib. f. est iis data gratia & gloria secundum naturam, 327. a. dum apparent, animum exhilarant & gaudio replent, 402. d. e. in die judicii mortuos excitabunt tuba sonitu, eosque corporatos judicio sistent, 318. d. erunt tunc velut messores, 296. a. & cum Christo cælo exibunt, eumque in corporibus splendidis comitabuntur, 329. c. angeli cælas moventes sunt virtutes cælorum, 317. b.
Anima tentationibus pulsata est velut navis in mediis fluctibus, 144. g. templum est Dei, 287. c. est velut vinea cuique excolenda, 273. d. & seq. hujus cultores æstimantur diligentia, fervore & spiritu, ib. c. anima peccatrix opem divinam quamprimum imploret, 222. e. f. dum convertitur quodammodo transfiguretur, 238. c. anima Christi primo conceptionis instanti fuit impleta gratia capitis, vidit Deum per visionem beatificam, usa quoque ratione est, etiam extra visionem beatificam, 41. b. non fuit separata ab ejus corpore postquam Eucharistiam instituit, 193. b. c. animam servare volens, perdet eam, duplici sensu: qui eam perdet, inveniet eam, 234. b. 235. a. animæ jactura nulla ratione recuperabilis est, ibid. c. ejus pretium & dignitas, ibid. d. 250. d. ejus immortalitas, 290. d. animas convertere, Deo gratissimum est, & opus divinissimum, 405. a. animæ beatæ ducuntur ad cælum per angelos, reproborum ad tartara per dæmones, 333. a. animæ eorum qui ad vitam suscitantur, non sunt judicatæ, 453. g.
Animalia quatuor Ezech. denotant quatuor Evangelistas, 9. g. & seqq.
S. Anna nonnisi unicum habuit maritum Joachimum & exea prolem solam B. Virginem, 195. e.
ad Annam ne, an ad Caipham, primum ductus fuerit Christus, 358. a.
quot anni fluxerint ab Abraham & Davide usque ad Christum, 34. a. b. quo anno mundi hic sit incarnatus, 11. f. g.
S. Anselmus vidit quæ post murum agebantur, 77. d.
Ante sabbatum erat idem quod parasceve, 439. f.
an Antichristus sit Babylone, an in Corozain nasciturus, 179. g. etiam suum habebit angelum Custodem, 249. g. summus erit impostor & seductor, 310. c. a Judæis recipiendus, denotatur in electione Barabbæ repudiato Christo, 371. g.
Antigoni regis Macedonum de regno dictum, 279. e.
Antiocheni loquebantur græce, 407. b.
Antonius Caracalla Imper. fratrem suum Getam a se occisum inter Deos retulit, 305. g.
S. Antonius aurum fugit velut pestem, 160. b. quantopere ad martyrium anhelarit, 170. d. cognovit dæmonis imbecillitatem, 189. a. audit in spiritu ab humilibus mundi laqueos posse evitari, 248. g. audita Christi voce in Evangelio de omnibus relinquendis, ea reliquit, & Christum secutus est nudus, 7. c. d. 264. g. paupertas ei fuit causa virtutum, 265. c. d.
ἄνθρωπος vox unde derivetur, 143. d.
Aperire oculos cæci, est iis videndi facultatem dare, 154. b. quo sensu aperiuntur muti & surdi, 425. c. e.
Apes hieme non comedunt, 73. e.
Apex unus a lege non præteribit, quid sit, 97. b.
ἀφανίζω quid proprie sit, 120. b.
Apollonius Tyaneus ejecit dæmones arte magica, 188. c.
Apoplexia & hemiplexia qui differant, 137. c. d. item apoplexia & paralysis, ibid. & 149. f. & seqq.
Apostasia a fide signum reprobationis, 314. d. e.
Apostatæ sunt cæteris peccatoribus deteriores, 195. b. c.
Apostolici hæretici omnibus Christianis necessariam esse dicebant paupertatem, 142. d. e.

Digitized by Google

viri Apostolici excellant in inimicorum dilectione, 109. *b.* sunt velut faces, 96. *b.* omnibus sine discrimine opem ferant. 155. *g. h.* caveant munera & aurum, 160. *h.* sint oves, 165. *a.* & vitæ prodigi, ibid. & prudentes sicut serpentes, ibid. *c.* & seqq. iis unum relinquentibus e rebus & amicis carnalibus, centum meliores reddentur, 269. *d.* & seqq.
Apostoli a Christo fuere baptizati, 66. *f.* quomodo primum ab eo sint vocati, 80. *g.* & seqq. 81. *e.* 82. *e.* & quando, 81. *d. e.* sunt velut piscatores hominum, ibidem. *d. e.* relictis omnibus Christum secuti sunt, ibid. *g. h.* debebant habere paupertatem spiritus, 87. *c.* eam Christo docente sectati sunt, ibid. *d.* fuere terræ utiles, 94. *e.* sua sapientia insultos mundi mores sapidos effecerunt, ibid. *d.* terram fecundarunt, ibid. *g.* errores hominum correxerunt: homines incorruptioni servarunt, ibidem. *h.* excitarunt sitim rerum cælestium: vitia hominum momorderunt, pupugerunt & exusserunt, 95. *a.* animas vitiis corruptas persanarunt, ibid. *b.* post Christi mortem sæpe jejunarunt, 151. *h.* eorum electio & auctorizatio, 157. *d. e.* eorum dignitas, & tria munia, ibid. in quo pares essent Petro & subessent, ibid. *f.* data iis potestas ejiciendi dæmones, & curandi omnem languorem, ibid. *f. g.* cur præcise sint duodecim electi, ibid. *g.* eorum ordo subinde ab Evangelistis variatur, ibid. *g.* denotantur per duodecim gemmas Apocal. 158. *e.* sunt a Christo eorum singuli combinati, 159. *f.* sunt in iis tria fratrum paria, ibid. cur multi inter eos Christi consanguinei fuerint, ibid. *g.* inter eos sunt tres primarii, ibid. *b.* quæ præcepta ipsis Dominus dederit, 160. *a.* 161. *b.* 163. *a.* 164. *d.* gratis accepta dona, gratis jubentur præstare, 160. *d.* cur pecuniam gestare vetentur, & quidquam pretio æstimabile possidere, 161. *a. b.* an semper mendicato vixerint, 161. *d.* & seqq. 162. *a.* qualem virgam gestare prohibeantur, 162. *b.* & 163. *a.* apud quos hospitari debeant, ibid. *c.* pacem hospiti apprecentur. ibid. *f.* & seq. cur pulverem de pedibus excutere jubeantur, 164. *b. c.* eos scelus rejicere quam sit grave, ibid. *d. e.* mittuntur ut oves inter lupos, ibid. *g.* jubentur esse simplices & prudentes, 165. *c.* & seq. fuere flagellati, & apud reges & præsides accusati, 166. *a. b.* sua morte & persecutione testificati sunt Judæis & Gentibus, & quid, ibid. *c.* vetantur esse solliciti quid apud judices respondeant, ibid. *d.* quomodo exstimulentur ad constantiam in persecutione, 167. *g. h.* qui eos recipit, recipit Christum, 172. *b.* mysteria regni cælestis oculis & auribus mentis capiebant, 199. *f. g.* sunt Ecclesiæ & totius mundi fermentum, 204. *e.* sciebant, postquam aliquo usque cum Domino vixerant, eum esse unigenitum Dei filium, 215. *d.* 216. *f.* Petrus primum id clare & diserte confessus est, ibid. cur vetentur a Christo prædicare quod ipse esset Messias, at illo mortuo id luculente fecerunt, 231. *b. c.* eos Christus alloquio suo recreat, 241. *b.* de Domini resurrectione diu dubitarunt, 245. *b.* sunt vocati in suspicionem sectæ Galilæorum, 245. *e.* 295. *c.* an solverint tributum Capharnai, & unde, 246. *a. b.* cur quærant a Christo quis sit major in regno cælorum, 329. *g. h.* & seq. undenam petitionem duorum filiorum Zebedæi intellexerint, 279. *b.* erunt judices cum Christo, sed non soli, 268. *b.* ad Judæos missi, ab eis occidendi prædicuntur a Domino antequam gens excidatur, 306. *d.* putabant urbis & orbis excidium & diem judicii pariter imminere, 310. *a.* & seq. contristati sunt audientes ab uno e suo cœtu Christum prodendum, 340. *f.* cur non sint turbati ad institutionem Eucharistiæ, 341. *b.* sunt consecrati sacerdotes in ultima cœna, 343. *c.* quomodo in Christo nocte passionis sint passi scandalum, 346. *b.* cur id Deus permiserit, 347. *d.* fugientes pro se quisque, receperunt se in cœnaculum, ubi paulo ante pascha cum Christo ederant, & ibi eis Christus post resurrectionem apparuit, ibid. *f.* quomodo non crediderint Christo eorum lapsum prædicenti, 348. *b.* eo capto illicite fugerunt, 357. *g. h.* quid eos hic facere oportuisset, ibid. etsi donum linguarum accepissent, lingua tamen sua propria melius loquebantur, 407. *b.* iis in Galilæam profectis apparuit Dominus a resurrectione, 404. *b.* ægros ungebant oleo, non tamen sacramentaliter, 421. *c.* quomodo mortem Christi ignorarent, 429. *b.* eorum zelus indiscretus in prohibendis illis qui dæmonia in Christi nomine ejiciebant, ibid. *b.* per totum mundum non evangelizarunt, 452. *d.* Apostoli reliqui videntes Petrum pro Christo animose depugnare, idem tentare voluere, sed ab eo inhibiti sunt, 356. *d. e.* & seqq. nulli tamen eorum tunc a Judæis sunt comprehensi, id inhibente Christo, 355. *a.* Apostoli tres qui transfigurationi interfuere, quid mystice denotent, 236. *d.* cur timeant in Christi transfiguratione, 241. *g. h.* cur hi silere jubeantur gesta in ea, 242. *c.* cur Dominum hic de venturo Elia interrogent, ibid. *d.* cur hi ab eo assumpti in testes suæ tristitiæ, 348. *b.* Apostoli quoque sunt Paulus & Barnabas, 158. *f.* Evangelium facit Apostolos, 7. *b.*
Apparitionis ab angelo mulieribus factæ narratio & ordo, 399. *d. e.* & seq. apparitiones Christi variæ post resurrectionem, 402. *b.*
S. Apronianus qua voce e cælis audita ad Christum sit conversus, 330. *d.*
Aquæ potus naturalis est & salubris, 212. *g. h.* aquas suo baptismo Christus sanctificavit, 66. *d.* 70. *e.*
Aquila S. Joannem designat, 10. *a.* est symbolum Christi, cur, 315. *c. d.* aquilarum variæ sunt species, ibid. *e. h.* per eam justi & sancti repræsentantur, per varias analogias, ibid. *g.* & seqq. denotat quoque agilitatem Beatorum, eorum item beatam æternitatem, 316. *b.* est symbolum veritatis & angelorum, ib. *c.*
Aquilejenses ab Attila subacti, Venetias condiderunt, 408. *d.*
S. Aquilinus maluit cæcus esse, quam videndo distractiones pati. 103. *b.*
Arabes fuere tres Magi Christum puerum adorantes, 44. *g.* cur hi dicantur Æthiopes. ibid. *h.*
Arabia Felix aure, thure & myrrha abundat, 45. *a.* 50. *a.* Arabia Sabæa quantum distet a Jerusalem, est extrema regio terræ ad mare Indicum, 194. *c.*
Arabica Evangeliorum versio Romæ est impressa cum traductione Latina, 10. *g. h.*
homo habet liberum Arbitrium, 131. *d.*
Arbor e fructu cognoscitur, 190. *f.* arboris & hominis analogiæ novem, 427. *a. b.* arbores Aquilone firmantur, Austro fatiscunt: in iis aliæ sunt mares, aliæ fœminæ, ibid. *b. c.* laborant morbis ut homines, dant homini cibum illaborarum, ib. *c.*
Archelaus filius Herodis sævus erat, ideo pulsus ab Augusto in exilium, 55. *e.* & seqq. cum fratre Antipa de regno contendit, ibid.
Archidami regis de parva uxore gnome, 261. *f.*
Arefactionem licite Christus ficui imprecatur, 288. *f.*
Arena dicitur ab arido, vel hærendo, 133. *b.* est symbolum hominis inconstantis, ibid. item vanæ gloriæ, 134. *b.*
Aretas rex Arabum socer fuit Herodis Antipæ, quem & bello vicit, 422. *e.*
Argentei triginta quibus venditus Christus, cujus sint pretii, 337. *f.* & seq. argenteus fuit dimidius siclus, id est decem stateri, ibid. *b.* eos retulit Judas ad principes, sed illis admittere nolentibus, projecit eos in templo, 367. *b. c.*
Argentum ad certum pondus olim appendebatur, 366. *b.*
Arimathæa quænam urbs, & ubi sita, 393. *a.* cur Aristoteles suæ scripserit involute. 19. *c.*
Arma gestare Apostolis vetat Christus, 163. *b.* arma priscorum erant fustes & tela, 353. *d. e.*
Arius docebat Christum Patre esse minorem, 136. *b.*
Arrogans quidam quomodo humiliatus a Deo sit, 303. *d.*
Ars est naturæ simia, 124. *e.*
Artemia soror Maximiani Imp. quia Christiana, ab eo occisa, 166. *b.*
Arundo est inconstantiæ & inconstantis typus, 175. *d.* item aliorum, ib. *d. e.* & seqq. arundo Christo in manus tradita qualis fuerit, 376. *b.* quid ea symbolice designet, ibidem. *c.* cur arundine caput Christi fuerit percussum, ib. *f.*
As quid sit, triplex est, 101. *f.* *Vide* Denarius.
Ascensus Christi ultimus in Jerusalem fuit, ut in ea pateretur, 276. *e.*
Asinus vocatur lapis molaris inferior, 249. *b.* vel meta, ib. asini Judaici nostris sunt valentiores & meliores, 283. *f.*
Aspectus mulieris quatenus peccatum sit, 102. *c. d.*
Assarion idem quod quarta stateri pars. 169. *e.*
Asseverandum simpliciter sine juramento, 105. *a. b.*
Assurgitur, dum legitur Evangelium, 5. *b.*
Astrologorum præsagia sunt ex experientia, 46. *c. d.*
S. Athanasius fugiens Catholicis consuluit, 167. *c. d.*
Atrium sacerdotum non intravit Christus, sed atrium Gentium: cum vendentes templo ejecit, 286. *g.* quale hoc esset, ibid.
Attentio summa in oratione requiritur, 113. *f. g.*
Attributa Dei in Christo attribuenda sunt homini, & hominis Deo, cur, 16. *b.* attributa Dei omnia idem sunt reipsa cum simplicissima ejus natura, 18. *a.* omnia in eo sunt paria, 135. *g. h.* eadem sunt ejus sanctitas, 115. *d.* attributa essentialia sunt tribus personis SS. Trinitatis communia, at non notionalia, 319. *g.*
Avaritia mentem excæcat & obnubilat, 122. *a.* causa est inopiæ, 103. *h.* Judam perdidit, 368. *g. h.*
Avarus auri est servus, 122. *f.* non habet aurum, sed ab eo habetur, 328. *g.* & seqq.
Auctoris scopus & methodus in hoc commentario, 11. *c. d.*
Auditor legis divinæ qualis esse debeat, 84. *e.* auditor bonus verbi Dei totum se ei attemperat, 202. *g. h.*
Auditus est sensus disciplinæ, 155. *b. c.*
S. Audomarus maluit in cæcitate esse, quam oculos habere, 103. *b.*
Avena unde dicatur, 202. *f.*
Aves docent hominem ut cælestibus intendat, 103. *e.*
S. Augustini tria desideria, 199. *h.* hæreditates a nonnullis Ecclesiæ suæ oblatas recusabat, ut inde eorum parentes alerentur, 218. *g.*
Augustus Imp. videtur Herodi veniam dedisse infantes occidendi, 51. *f.* ejus filium Archelaum misit in exilium, 55. *e. f.* & seqq. obtrectantium sibi linguas spernebat, 89. *f.*
Aureliano Imp. scabelli loco usus est Sapor rex Persarum, 300. *d.*
Aures audiendi habens, audiat: quid per hoc denotare velit Christus & quis is sit, 198. *e. f.*
Aureus Francicus valet 12. regales Hispanicos, 256. *e.* aureus Romanus quanti sit pretii, 326. *e. f.*
cur Aurum Magi Christo obtulerint, 50. *e.* & seqq. eo denotatur charitas & paupertas, ibid. *f.* auri cupiditas mentem degravat, 201. *e.* aurum templi vocatur quod gazophylacio injiciebatur, 304. *b. c.*
Aus pro *au* ponitur, cum est nota efficacis interrogationis, 128. *g.*
Autographum S. Marci Latinum an injuria temporum perierit, 408. *a. b.* & seq. sed autographum Græcum Venetiis asservatur, ibid. *c.*
Azymorum usus incipiebat cum Paschate, 338. *c. d.* & seq. dies Azymorum qui dicantur, ibid.

B

BAbylas minus per perva Evangelii est conversus, 80. *g.* tres pueros a se in pietate educatos ante se capite plecti voluit, ne seducerentur, 263. *d.*
Baculus & virgæ arma sunt rusticorum, 163. *b.*
Bajazetes substernitur Tamberlano equum scandenti, 300. *d.*
Bajocus Romanus quanti sit pretii, 170. *e.* *Vide* Denarius.
quæ lateant mysteria in Bajulatione crucis facta a Simone Cyrenæo, 375. *g.*
Balaam de stella apparitura sub ortum Christi prædixit, 46. *f.*
Balsamum secum in Ægyptum traxit, eo fugiens Jesus, & quomodo id illic proveniat, 51. *g. h.*
Baptismus triplex fluminis, flaminis & sanguinis, 64. *h.* baptismus ascribit in Ecclesiam, est tessera Ecclesiæ, 66. *c.* quando sit a Christo institutus, ibid. *c. d.* eum instituit Christus jam a Joanne baptizatus, ejus suscipiendi necessitatem indixit post mortem in Pentecoste, 70. *e.* & seq. cur dicatur regeneratio. 267. *b.* ejus forma, 404. *h.* est ad salutem necessarius, 441. *e.* baptismus Joannis qualis esset, & in quo a Christi baptismo differret, 60. *d.* ille huic præludebat, 64. *h.* illius quæ fuerit, 66. *g. h.* denotat doctrinam & omnem prædicationem ipsius. 289. *d.*

Digitized by Google

Barabbas insignis fuit latro, huic tamen Christus postponitur, 370. f. & seqq. f. quid vox sonet, 370. g. 371. g.
Barba Christi fuit a ministris in passione vellicata, 361. b. c.
S. Barbara a proprio patre interfecta est, 166. b.
Barchocabas, id est filius stellæ fuit insignis sub Adriano Imper. impostor, ad rebellandum Romanis Judæos excitavit, 45. g. fingit se esse Messiam, 314. b.
S. Barlaam oblatam a Josaphat pecuniam rejecit. 160. b.
S. Barnabas S. Matthæi Evangelium propria manu descriptum circum tulit, 8. c. 31. d.
S. Bartholomæus Apost. Evangelium S. Matthæi secum ad Indos detulit, 8. c. 31. d. nominis ejus etymon. 158. b. non fuit sponsus in Cana, nec ortus e regibus Ægypti, 159. a.
Bartimæus vocatus est cæcus ille juxta Jericho, 432. d. triplex vocis hujus etymon, ibidem.
Βάσκανος quid sit, 82. d.
Basilides docebat non Christum, sed Simonem pro se esse crucifixum, 377. b.
S. Basilio visus est Spiritus sanctus insidere in specie columnæ igneæ, 69. f. ejus efficacia in docendo, 134. f.
Beatus dictus quasi bene auctus, 85. b.
Beati in cælo sunt reges totius orbis, 88. a. non sunt in globum transformandi, 296. c. d. eorum omnia futura sit charitas, 256. c. d. eorum gloria & gaudium per escam & potum corporalem designatur, 346. c. d. eorum ira propria zelus est, 415. a. apparent ea specie & forma, qua volunt, 399. b. post resurrectionem in cælo erunt similes angelis, 297. c. item Deo, ibidem, g.
Beatitudo hujus vitæ in Evangelio invenitur, 6. b. beatitudo vitæ consistit in fide & amore Christi, 246. b. vera in quo sita sit, 85. b. est dos Dei, ibid. c. cur beatitudo cælestis dicatur regnum, 88. c. cur terra, 89. a. convivii lucidissimi nomine indicatur, 139. c. f. b. Beatos absorbet, 240. f. g.
Beatitudines octo, sunt quasi octo paradoxa mundi, 85. c. in earum singulis intelligitur vox, *spiritus*, 86. a. cur duabus primæ & ultimæ, regnum cælorum promittatur, 93. b. ipsum tamen omnibus præmium est, sed alio & alio nomine & titulo, ibidem. b. c. earum octo scalæ, ibid. d. sunt eo omnes inter se connexæ, ibid. e. earum inter se ordo, ibid. f. omnibus justis conveniunt suo quodam modo & gradu, ibid. g.
Ven. Beda Evangelio S. Joannis immortuus est, 8. b.
Beelzebub erat idolum Accaronitarum, unde ita dictum, 168. c. d.
Belli Judaici historia, 312. b.
S. Benedictus totum mundum vidit in globo, 27. d. e.
Benedixit Christus in panum miraculo primo Deum, deinde panes, 212. b. cur in institutione Eucharistiæ panem benedixerit, 342. a. benedictio hæc non fuit consecratio, sed prævia oratio, ibid. a. b.
Benefacere injurianti difficilius est quam ab eo acceptam injuriam ferre, 107. g. benefacere posse & nolle est malefacere, 107. g. b. proximo benefacere negligens, ei nocet, 414. c. d.
Beneficentia ostendebat Christum esse Messiam, 174. f. g.
Beneficia Eccles. non cognatis, sed dignis danda, 277. d.
Berenice, *Vide* Veronica.
S. Bernardo familiare erat sedere, 85. a. paralyticum cruce signatum sanitati restituit, 148. b.
Bethabara quis locus in Jordane, 63. b.
Bethaniæ fuere civitates dictæ Bethleem, 43. b. Bethleem alio nomine dicta est Ephrata. ib. cur ibi natus sit Christus, 48. b. & 49. a. ejus celebritas, ib. b. in ea fuit unum tantum diverticulum, ibid. g.
Bethlemitæ ob inhumanitatem in Deiparam prægnantem ostensam puniti strage puerorum, 54. c.
Bethphage quis locus & unde vox derivata, 283. a.
Bethsabee postea Davidis fuit uxor, 34. d. & claruit spiritu prophetico, ibid. f. ejus pro Adonia petitio a Salomone filio, quomodo adornata fuerit, 276. b.
Bethsaidæ urbis descriptio, etymon, quid in ea Christus fecerit, 179. b. modo summe deserta est, 180. a. quid ei interminetur Christus, ib. a. b. c.
Βήσαριον ex Evangelio didicit se denudare & pauperes vestire, 5. b.
Blasphemia in Spiritum sanctum quæ sit, 189. f. & seqq. vix remittitur, 190. c. blasphemiam Judæi mire exhorrebant, 360. e. f.
Blasphemus lapidabatur apud Judæos, 360. f.
Bombyces fixi olim cibus Germanorum erant, 60. a.
Boanerges, id est filii tonitrui, dicti duo filii Zebedæi: quid ea vox sit, & unde formetur, 415. g. b.
S. Bonifacius Germaniæ Apostolus Evangeliorum codicem ubique secum circumferebat, & hoc ense dissecto nulla tamen ejus littera læsa fuit, 8. a. b.
Bonum idem est quod perfectum, 264. b. bonum omne est in Deo, ibidem, & seqq. quæ sint vera bona, 85. c. bona Dei alia sunt externa, alia interna, 322. a. b. bona naturæ & fortunæ, sunt indifferentia, 120. c. non est necesse hæc a Deo petere, quia ultro nobis adjicientur, si primum regnum Dei quæramus, ibid. g.
Booz tantum fuit unus, non plures, 34. c. f.
Brachiorum extensio est mensura staturæ cujusque hominis, 124. b.
Breviarium unde dictum sit, 114. f.

C

S. Cæcilia Evangelium semper circumferens, quid ex ejus lectione sit assecuta, 7. c. una cum sponso Valeriano castitatem servavit, 40. a.
Cæcitas dolor est assiduus, 281. c. cæcitas spiritualis est error in fide vel moribus, 155. d. 280. b. 282. f. g. ea est pœna præcedentium peccatorum, 198. g. & seqq.
Cæci oculis, vident mente, 154. b. c. cæcus duos an unum, Christus veniens e Jericho curavit, 280. f. & an is idem cum eo, quem Lucas ab eo Jericho ingrediente curatum ait, ibid. horum cæcorum allegoria & tropologia, ibid. g. h. eorum importunus clamor, 281. a. sex cæcos curavit Christus, ibid. g.
Cælestia sectanda, & ambienda sunt, 289. f. cælestis gloria promissa misericordibus est, 90. b. 91. a. ejus intuitu omnis acerba generose subeunda sunt, 235. g. b.
Cælibatus est homini possibilis, 361. g. 362. c. item facilis, 362. a. consulitur, non præcipitur, 191. d. e. f.
Cælicolæ dicti sunt Christiani ad Judæos deficientes, 289. c.
Cæli etymon: ipsum ut Deum multæ gentes coluerunt, 289. d. cæli empyrei altitudo, 177. f. cælum & terra quomodo transibunt, 319. c. cælum & terra mystica quid sint? 117. b. & seqq. nomine *cæli & terræ* significantur omnes creaturæ, ideoque omnes homines & angeli, 181. a. cælum hæreditant mites ob toleratas injurias, 89. a. c. ipsum terra viventium est, ibid. b. in eo terra subtilis, lucida & cælestis est, ibidem. ejus amœnitas, ibid. g. in eo non juratur, 104. d. nec per id est jurandum, ibid. quare in cælo Deum esse in oratione dicamus, 115. a. quomodo vim patiatur, 117. b. c. d. cælum centuplo melius habet, quam terra, 270. d. ibi erunt primi novissimi, & novissimi primi, ibid. f. g. h. cælum quot habeat bona, 330. b. c. est id creatum propter Beatos, & ab æterno eis paratum, ibid. vis in ipsum per Christi mortem nobis aperta fuit, 390. a. ejus porta est arcta, & quæ sit illa, 119. d. & seqq.
Cæli in fine mundi e suis polis & cardinibus convellentur, 317. c. vis sunt aperiri post baptismum Christi a Joanne, 68. f. cur & quomodo, ibid. g.
Cæsaris etymon quod sit, 295. g.
Cæsarea Philippi est eadem cum Dan & Panea, 153. d. Cæsarea Philippi, & Cæsarea Palestinæ, diversæ sunt urbes, & unde sic dictæ, 225. e. f.
Cajani hæretici laudarunt fratricidium Caini, 306. b.
Caia fuit symbolicus Judæorum pater, suos fratres Christum & Prophetas occidentium, 306. c. idem eorum fuit avus, ibid. item typus, ibid. b.
Caiphas vere non propheravit, dicens expedire ut homo unus moreretur, etsi Spiritus sanctus id per os ejus infuderit, 132. b. ad ejus domum primum ductus videtur Christus, quod in ea convenissent Scribæ, 358. a. b. cur auditis falsis testibus, surgeret, 359. c. d. adjurat Christum, ut dicat an ipse sit Dei filius, ibid. g. cur & quomodo vestes suas scinderit, alius id ei erat illicitum, 360. c. d. blasphemiæ crimen Christo impingit, ibid. non judicem agit, sed accusatorem, ibid. mane convocat concilium ad Christum damnandum, ibid. b. 366. g.
Calamus idem est quod arundo, & calamus herbæ, 387. c. & hic fuisse videtur, quo Christo porrectum in cruce acetum, ibidem. f.
cur Calceamenta prohibita Apostolis, 162. d. & seqq. eorum tropologia, ibid. g. h.
Calceus, quem Joannes solvere se indignum reputat, denotat humanitatem Christi, 64. g.
Calecurii rex an fuerit unus e tribus Magis, 44. f. g.
Calix aquæ frigidæ remunerationem meretur, 172. b. ut calix passionis transiret a Christo absolute erat possibile, sed impossibile posito Dei decreto de redimendo homine per mortem Christi, 350. b. quis sit iste calix, 351. a. calicis consecratio facta est immediate a Christo post consecrationem panis, 343. c. ex eo primo bibit Christus, dein vicino porrexit, ibid. f. circa consecrationis ejus formam quædam notanda, 344. a. & seqq. calix significat cujusque hominis sortem, sive bonam, sive malam, ei a Domino decretam, 277. b.
Calvaria est cranium hominis carne nudum, 376. c. Calvariæ mons unde ita dictus sit, ibidem. d. videtur quasi idem cum monte Moria, ibidem. f. in terræ-motu filii discissus moriente Christo, 390. c.
Calvinistæ censent Eliam, quem in fine sæculi venturum prædixit Malachias, esse Joann. Baptistam, 242. f. peccantes suos publice in Ecclesia infamantes, graviter contra charitatem peccant, 254. b. mensæ benedicentes pileo os contegunt, quasi secreto orantes, 114. b.
Calvinus miraculum facere volens, e vivo fecit mortuum, 131. f. ejus impia dogmata, 130. g. b. & quæ ex iis secuta sint mala, ibid. ejus error de opibus retinendis, non abdicandis, 265. g. dixit se esse lapidem reprobatum factum in caput anguli, in quo se Christo æquiparat, 291. c. ejus argumenta negantia veritatem corporis Christi dissolvuntur, 341. g. ejus effugium negantis Christum clauso sepulchro resurrexisse, 398. b. & seq. ejus blasphemia de Christi responso, 350. b. 351. a. item in eum agonizantem, 350. c. d. 351. b. aut eum in cruce desperasse, 386. d. e. est in D. Petrum injurius, 214. b. ejus in eum pœnitentem scomma, 364. c. est injurius in mulierem hæmorrhoissam, 419. f. g. eum Judæ Magdalenæ factum improbat, 336. a.
Calumnias æquo animo ferre docet nos Christus, 360. g.
Camelus per foramen acus quomodo transeat, 267. a. quid hoc mystice denotet, ibidem. c. quid allegorice, ibidem, quid symbolice, ibid. camelum glutire, & culicem colare, quid sit, 304. f.
Campus sanctus Romæ est terra advecta ex agro Jerusalem in sepulturam peregrinorum comparato: ejus mira potentia, 368. f.
Cancri marini non fuerunt cibus Joannis Bapt. in deserto, 59. b.
Candor sæpe splendet, & splendor candet, 238. g. & seq. candor est color perfectissimus, 239. a.
Canes sunt symbolum obstinatorum, 128. a.
Canere hymnos erat usitatum olim in Ecclesia, 346. d. e.
Canones facem Evangelio intelligendo præferentes, 16. b. & seqq.
Capacitas intelligendi & capiendi verbum Dei est a Deo supplicibus petenda, 198. f.
Capharnaum civitas erat Galilææ superioris, cur dicta Genesar, 80. b. erat emporium totius Judææ celeberrimum: nominis ejus etymon. ibid. ibi incæpit Christus prædicare, multaque patravit miracula, ibid. d. cur vocetur civitas Christi, 167. b. quid

Digitized by Google

quid ei instaminetur Christus, 180. d. f. quem eo modo deserta sit, ibid. g.
Capillus dicitur quasi capitis pilus, 169. g. capillos Deus habet in numerato, eosque custodit, ibid. quid tropologice & allegorice denotent, ibid.
apud Captiosos sapienter loquendum est, 296. g. h.
Captivitas Babylonica fuit triplex, 35. b.
Caputiæ Christi ordo & series, 357. a.
cur per Caput suum nefas est jurare, 105. c. caput nudare apud Sinas inhonestum est, 114. a. caput inclinando mortuus est Christus, 388. d. e. quæ ejus inclinationis causæ morales, 389. a. & seqq.
Caracalla Imp. fratrem Getam a se occisum inter divos retulit, 459. d. 305. g.
Carcer Joannis Baptistæ fuit in arce Machæruntina, 422. d.
Cardinales cur purpura vestiantur, 375. b.
Carnales tentationes sunt velut flumina ingruentia, 134. c. carnales voluptates jejunio & oratione superantur, 245. g. h. ex sunt veluti fluxus sanguinis, 419. d. & seq.
Carnibus ante diluvium homines non vescebantur, 212. b. eas non prohibet Ecclesia die jejunii, quia malæ sunt, sed ad refrænandam gulam, & exercendam mortificationem, 218. e. f. caro & carnalis affectus infirma sunt ad resistendum persecutioni, 352. b. c. caro mortificanda austeritatibus, 375. c. g. quomodo caro non revelarit S. Petro Christum esse Dei Filium, 227. c. cur caro Christi in Eucharistia vocetur panis, 20. a.
S. Carolus Borromæus in cinere & cilicio est mortuus, 59. d. f. ejus labor assiduus in divino obsequio, 222. b. c.
Carolus Magnus sub obitum dedit se studio sacrarum Literarum. 8. b.
Carolus Martellus unde dictus sit, 406. d. e. ejus arrogans responsum offerentibus ei regnum Franciæ, 277. b.
Carolus V. Imper. e triplici P. de statu reip. vel urbis conjiciebat, 95. b.
Carpocratiani Evangelium S. Matthæi depravarunt. 9. c.
Castellum est minus oppido, & subinde etiam vicus & pagus, 155. g.
Castitas myrrha denotatur, 50. g. nos angelis assimilat, 297. f. est homini possibilis, 261. g. est magna virtus, 262. c.
Carena aurea e cælo demissa orationis est symbolum, 117. c.
S. Catharina Senensis diu sine omni victu cibo, 75. b. pauperi quidquid habebat donans, amplam a Deo recepit mercedem, 113. b. voluntati divinæ se in omnibus conformabat, 117. f. spineam coronam elegit præ aurea. 375. c.
Cathedra S. Jacobi a Christianis Hierosolymis Pellam est translata ante urbis excidium, 312. a. cathedra Moysis est auctoritas docendi & jubendi, 301. c.
Catomari quid sit, 372. g.
Cedendum omnibus, 67. c. d.
Census Judæi indictus a Romanis, erat didrachma: quæ illius causa & origo, 245. c.
quod Centuplum promittatur aliquid propter Christum relinquentibus, 269. d. & seqq.
Centurio, cujus puerum Christus sanavit, quis fuerit, an fuerit Hispanus cognomento C. Cornelius, 137. a. b. primo per Judæos & amicos Christum compellavit, tandem ipse eum adiit, ibid. difficultas occurrens in ejus petitione & seniorum ab eo missorum, enodatur, 137. f. & seqq. Christum credidit esse Deum, ideoque se coram eo humiliter gessit, ibid. b. ejus heroicæ virtutes, 138. b. c. quomodo ejus fides major omnium fuisse a Christo dicatur, ibidem. e. ejus domum non videtur Christus ingressus, sed in loco, ubi ei centurio occurrit, servum curasse, 140. c. d. centurio qui Christum mortuum confessus est esse Filium Dei, quis fuerit, 391. g. h. quid de eo confessus sit, & qua occasione, ibid. h. & seq.
Cephas est Petra, vel Petrus: sic dictus Simon, 81. g. 158. c.
in Cerebro maxime viget sensus tactus, 375. b. d.
Cerei accenduntur in templis ad recitationem Evangelii, 3. b.
Ceremoniæ veteris legis finem in Christo acceperunt, hoc denotat veli templi scissio, 389. b.
Certantibus datur brachium, non otiosis, 278. f. g. h.
Cervical mysticum hominis in afflictione quid, 145. b. an e Chaldæa venerint Magi Christum adorantes, 44. f. g.
Camæleon non vivit ex aere, sed ex rore & muscis in aere volantibus, 61. e.
Chananæa mulier quomodo Christum ad filiæ suæ energumenæ miserendum excitavit, 220. d. e. unde noverit eum esse Messiam, ibid. e. tam in via, quam in domo Christo supplicavit, ibid. f. ab eo semel repressa fortius institit, ibid. g. comparat se cani, 221. a. & Christum sua ipsius sententia stringit, ibid. docet illa nos orare, ibid. magna ejus fides a Christo celebratur, 209. b.
Chananæi non fuere unquam penitus ab Hebræis excisi, 220. b.
Charitas auro denotatur, 50. f. optat pro Deo dura pati, 106. d. est monile Christi & pretiosa margarita, 207. g. h. est regina virtutum, 299. b. est flamma animarum, ejus oleum sunt bona opera, 324. d. 325. c. d. ejus gradus quomodo adaugendi sint, 327. c. ei respondet gloria, 172. d. jubet diligi amicos & inimicos, 109. a. b. c. d. ea in correptione peccati requiritur, 252. h.
Cherubini Ezechielis denotant quatuor Evangelistas, 9. g.
Chet Hebraicum latine non semper vertitur per ch, 80. c.
Chiliastæ mille annos voluptatis confingunt fore post resurrectionem, 269. e.
in China olim prædicatum fuisse Evangelium probabile est, 311. g.
Chlamys fuit olim vestis regia, 375. a. quam chlamydem coccineam Christus fuerit indutus, fuit eadem, quæ purpurea, 374. b. quid symbolice & anagogice denotet, ibid. b. 375. b.
Christianismus non adversatur regimini politico, 246. b.
Christianus Druthmarus quando floruerit, 400. a.
Christianus æmulari debet divina meritum, 110. d. ei fas est jurare, 103. b. 104. a. b. agonizat pro cælo, 129. f. ei datum, sibi datum Christus reputat, 172. c. Christianus minimus in Ecclesia dignior & sublimior est Joanne Baptista, 177. a. Christianus philosophus adversis solidatur, 139. g.
Christiani sunt velut pisces, 82. a. eorum virtus languescit in pace, crescit in persecutionibus, 92. g. tendere debent ad perfectionem sui status & officii, 109. e. & seqq. sunt in hac terra velut peregrini, 394. c. d. finito christianismo beabuntur, 319. c. d. orant genuflexi, 382. a. b. & ad Orientem conversi, quia Christus crucifixus faciem conversam habuit ad Occidentem, ibidem. Christiani omnium gentium in duodecim Israelis tribubus distributi sunt, 269. a. Christiani in Tartaria precibus suis montem transtulerunt, 244. c. Christiani Hierosolymitani instante urbis excidium metuentes in Pellam sedem se contulere, 312. a. Christianorum priscorum jejunium, 298. g. h. usque ad vesperam jejunabant, 139. d. fuere pauperes, 87. a. caruere calceis, sed utebantur pallio, 161. f. post Eucharistiam sumptam hymnos canebant, 346. d. e. osculo sancto se invicem salutabant, 353. g. cur coronas ferre recusarent, 376. a. post mediam noctem in die Paschæ solvebant jejunium, & lætitiæ signa dabant, 397. c.
S. Christina Martyr a proprio patre interfecta est, 166. b.
S. Christina Mirabilis in voluntatem Dei mirabiliter conquievit, 116. b. 117. a.
Christus est nomen officii Jesu. 30. d.

CHRISTI JESU incarnatio, nativitas, infantia, fuga, nomen.

Adventus Christi exspectabatur deficiente sceptro in domo Judæ, 38. d. e. cur ex Virgine desponsata natus sit, 39. g. ex vi conceptionis fuit sanctus, 40. b. quo anno Herodis Magni natus, 44. b. est dupliciter natus rex Judæorum, 45. d. nascens non fuit colligatus stellis, nec sub earum fato, 46. a. nascens in Bethleem docuit nos humiliatem, 48. b. 49. a. an e stabulo post discessum turbæ, in domum aliquam honestam translatus sit, dum a Magis est inventus, ibid. f. non videtur id verisimile, ibidem. cum natum Magi adorarent ut Deum laetia, 50. a. quando & quare fugerit in Ægyptum, 51. c. d. quid illo eam ingrediente contigerit, ibidem. e. f. traxit secum Isalsamum in Ægyptum, dum eo fugeret, ibid. g. quando inde redierit, 52. b. c. necem evasit fugiendo in Ægyptum & ejus nomen & gloria sensim crevit, ibid. d. & seqq. ejus in strage parvulorum dolor & gaudium, 54. d. quando ex Ægypto redierit, 55. d. cur dictus Nazarænus, id est sanctus, 56. c. & seqq. cur dictus Nazarenus, id est floridus, 56. g.

Ejus baptismus, jejunium, tentatio.

Christus quo anno cœperit prædicare, 58. a. cur tam diu obscurus delituerit, ibidem. in quo fuerit Joanne Baptista fortior, 64. c. venit ad Joannem ut ab eo baptizaretur, 66. a. venit in Judæam, ibidem. cur a Joanne baptizari voluerit, ibidem. quomodo sit a Joanne agnitus, ibid. c. & seqq. non suscepit baptismum a se institutum, ibidem. f. fuit a Joanne baptizatus, ibidem. g. idque die VI. Januarii, 68. a. quotidie magis & magis se humiliabat, 67. f. g. toto corpore fuit nudatus & ablutus in baptismo, 68. c. baptizatus, sæpius postea Joannem adiit, ibidem. d. columba capiti ipsius insedit dum baptizatur, 69. g. Deo Patri in ipso complacet, 70. b. baptizatus baptismi Sacramentum instituit, ibidem. c. cœpit jejunium VI. die Januarii, 71. c. actus est a spiritu in desertum, ibidem d. e. & seqq. cur fuerit tentatus, 71. b. diabolum & omnes ejus potentias debellavit, 72. a. b. plures quam tres tentationes diaboli passus est, ibidem d. 410. f. egit inter feras ibi innoxius, ibidem, quadraginta diebus & noctibus sine omni prorsus cibo & potu jejunavit, 72. g. idque virtute supernaturali, 73. d. & seq. cur postea esurierit, 74. a. quando ejus tentatio contigerit, ib. b. c. ejus mansuetudo erga dæmonem tentantem, 75. a. fuit secundo tentatus ad vanam gloriam, ib. c. quomodo a diabolo assumptus, ibidem, illusit eum, ib. g. fuit tentatus per omnia genera tentationum, 78. f. satanam a se repulit, ibidem. g. h. quomodo e monte, in quem hic eum transtulerat, in suum redierit locum, 79. c.

Ejus prædicatio, gesta, miracula, vita, transfiguratio.

Christus Joanne incarcerato publice prædicare cœpit, 59. g. h. e Judæa successit in Galilæam fugiens Herodem, ibidem, fuit hic secundus ejus in Galilæam transitus, 80. a. cur in Nazareth non incœperit prædicationem, ibid. b. quæ & qualis fuerit ejus prædicatio, 80. f. g. cur in Capharnao prædicationem suam orsus sit, 80. d. quæ ejus rei mysticæ significatio, 80. g. h. quomodo Apostolos vocarit, 81. d. e. & seqq. 82. d. e. quo fine miracula patrarit, ibid. e. f. ejus indefessum prædicandi studium, ibidem. g. in suis miraculis initio fidem non requisivit, 83. a. cur in monte docuerit turbas sequentes, 84. d. cur montem frequentarit, ibid. d. e. docuit facto suo paupertatem, 87. d. corrigit legem repudii, 103. c. cur jurare vetet, cum subinde id sit licitum, 104. a. b. legem talionis restringit, 105. f. g. ejus doctrina quam præstans, 134. c. modus docendi ejus, ibidem. an in loco campestri longum illum sermonem habuerit, 135. d. ubi leprosum & quando sanarit, ib. sanat eum tangendo, ibidem. b. plus ei tribuit, quam petesset, 136. a. b. sanavit eum vi sua divina confestim, ibid. d. puerum centurionis sanat, ibidem. f. plura offert ei quam fuerat rogatus, 137. g. curat eum non in domo, sed in via, 140. c. so-

Digitized by Google

ſocrum Petri febricitantem curat, & quomodo, 141. e. f. ægros omnes tactu ſanat, ibid. g. & quare eam poteſtatem haberet, ibidem. h. cur tranſfretaret ſtagnum Geneſareth, ibidem Scribam avarum perſtringit, 142. a. b. cur vetuit diſcipulum volentem ſequi ſe, ſepelire patrem ſuum, 144. a. excitavit tempeſtatem, cum ipſe navi vehereur, ibidem, f. & ipſe dormiebat, cur 145. a. tempeſtatem ſedat verbo, ut Deus, ibidem. e. g. ejus civitas vocatur Capharnaum, 147. b. quos corporaliter ſanavit, etiam ſpiritualiter ſanavit, ibidem. h. porenter vocavit ad ſe Matthæum, 152. b. cur cum peccatoribus ſe agere & converſari diceret, ibidem. g. vocatum venit peccatores, attamen etiam aliquos juſtos, 151. a. filiam Archiſynagogi ſuſcitat a morte, 153. a. & ſeq. cur eam reſuſcitationem evulgari vetuerit, 154. a. tres mortuos ad vitam revocavit, ibid. d. cur cæcis duobus in via viſum non reſtituerit, ſed domi ſuæ Capharnai, 154. g. cur miracula ſua taceri voluerit, 187. b. curavit dæmoniacum mutum ad preces eum efferentium, ex mera benignitate, 187. e. etiam in pagis docuit & benefecit, 155. f. poſt ſe miſit Apoſtolos in meſſem, 156. a. habuit in ſuo comitatu mulieres, a quibus alebatur, 162. f. Apoſtolos miſſos ad prædicandum præmonuit de inſtante perſecutione, 164. f. g. idque ſecundo, 166. h. a miraculis cognitus eſt eſſe Meſſias, 184. d. e. cur laudarit Joannem poſt abitum diſcipulorum ejus, 175. a. cur vitam egerit communem, non auſteram, 179. b. Apoſtolis duarum SS. Trinitatis perſonarum cognitionem revelavit, tertiæ fidem nonniſi cum jam iret ad mortem, 181. h. libere veritatem prædicavit, 186. b. c. cur miracula ſua taceri juſſerit, ibid. f. oſtendit ſe dæmones non pellere ope dæmonis, 187. h. 188. a. b. c. 189. c. d. argumentum ejus omnium in Scribas, 190. f. judicatus eſt a ſuis inſanus, 195. f. g. ejus facta fuere velut parabolæ, 198. g. cur dicatur granum ſinapis, 203. b. & ſeqq. cur fermentum, 204. d. cur margarita, 207. a. item gemma gemmarum, ibidem. b. videtur cum patre ſuo Joſeph artem fabrilem exercuiſſe uſque ad annum, quo cœpit docere, 208. a. b. an vixerit uſque ad annum trigeſimum abſtractus inſtar religioſi, ibidem. c. ejus humilitas, 209. d. cur in Nazareth non fecerit miracula, ibidem. h. cur poſt mortem Baptiſtæ in deſertum concefſerit, 211. a. quomodo panes quinque in deſerto multiplicarit, 212. a. b. c. & ſeq. cur ibi non dederit vinum, ibidem. g. cur tranfretarit poſt hoc miraculum, 213. b. cur in ſolitudine oraſit, ibid. quare diſcipulos permiſerit tempeſtate jactari, 213. f. quomodo ſuper mare ambularit, & diſcipulos timore percelli permiſerit, ibid. g. h. ſua voce eos recreavit, 214. a. cur Petrum diffidentem ob vim ventorum mergi permiſerit, ibidem. f. quatuor in hac navigatione trans fretum contigerunt miracula, 215. b. c. ejus tactus omnes morbos ſanabat, ibid. g. cur adierit ſubinde Gentiles, neglectis Judæis, 220. a. b. cur in monte federit, 221. h. cur deinde in ſeptem panibus miraculum fecerit. 222. e. eos benedixit, orans Deum, ibidem. g. habetur a Phariſæis pro mago, hinc petunt ab eo ſignum de cælo, 223. h. & ſeq. cur putatur fuiſſe Joannes Bapt. aut Elias, aut aliquis e priſcis Prophetis, 225. b. 226. a. b. cur Apoſtolos vetuerit cuiquam revelare, quod ipſe eſſet Meſſias, 231. b. c. cur eos de morte ſua præmonuerit, ibidem. d. transfigurationem ſuam iis prædixit, 235. a. cur eam ad ſex dies diſtuleric, ibid. h. cur Apoſtolos eam ſilere jubeat, 242. c. d. lunaticum quomodo curavit, 243. e. & ſeqq. ſuam paſſionem prædicit, 245. a. cur dæmonem in dæmoniaco clamantem tacere juſſerit, 411. f. ſenſim aperiri voluit ſe Meſſiam eſſe, ibidem. cur permiſerit dæmonem, antequam exiret, energumenum contorquere & vexare, 411. h. ſolo juſſu dæmones pellit, 412. b. cur perat ab hæmorrhoiſſa, quis veſtimenta ejus tetigerit, 419. h. cur cæcum curaturus, eum extra turbam duxerit, 426. b. cur ſenſim eum curarit, 425. f. non ſinebat ut quis onuſtus vaſe vel ſarcina extimum atrium templi tranſiret, 433. d.

Ejus triumphus, paſſio, tormenta, crucifixio, mors.

Chriſtus in paſſione fuit rex & dominus tormentorum & dolorum, 106. c. d. tria in ea notanda ſunt, 353. b. cur in ea leproſi formam aſſumpſerit, 137. h. voluit pati omne genus tormentorum, & ab omni hominum genere, 159. e. ipſe diverſi mode exagitatus a Phariſæis, exemplo eſt ſuis ſectatoribus, ut in perſecutione non deficiant, 167. h. vocatus fuit a Judæis Beelzebub, 168. a. ipſe eſt dux Martyrum, 170. f. Patri potius ſuo voluit obſequi quam matri, 195. h. in cruce velut triumphum egit, 276. b. quibus traditus fuerit, ibidem. cur Apoſtolis ſuam mortem prædixerit, ibidem. c. d. cur paſſio ejus vocetur calix, 277. h. cur baptiſmus, 278. b. eſt mortuus pro omnibus, 280. c. cur ex Bethphage cum triumpho per portam auream in Jeruſalem & templum deduci voluerit, 283. a. 286. f. cur tranſire vallem Joſaphat, ibid. inſedit tam pullo quam aſinæ viciſſim, 284. a. cur cum pompa in urbem ingredi voluerit, ibid. b. & ſeqq. fauſtis acclamationibus turbæ excipitur, 284. f. h. 286. a. b. agnoſcit hæc eum pro Meſſia, 284. b. 285. h. regnum ſuum adiit in cruce, 286. a. effecit ut nemo Judæorum & Romanorum hoc ejus triumpho iritatorum manus in eum miſerit, ibidem. e. cur urbem ingreſſus primo adierit templum, 286. f. vendentes & ementes ex eo ejecit, ibid. h. & quare, 287. a. menſas & cathedras ſubvertit, ib. b. c. ſtravit ſibi viam paulatim ad paſſionem per Scribarum reprehenſiones, 291. h. ob eum crucifixum everſa fuit Jeruſalem, 313. a. paſſionem ſuam prædixit, 334. h. hi duo ante eam egit in Bethania, ibidem. d. cur in Paſchate ſit mortuus, ibidem. e. & ſeqq. excuſat & defendit Magdalenam, a qua inunctus erat, quod ad ſepeliendum eum id fecerit, 336. g. eſt volens & conſcius mortuus, ibidem. 347. g. 353. b. 354. b. 388. f. g. h. venditur triginta argenteis, 337. e. f. vili pretio venditus meruit fieri pretium mundi, 338. b. in agno paſchali ſe velut in cruce intuebatur, 339. g. cur Judæ peccatum nollet divulgare, 340. c. d. proditionem ſui Apoſtolis detexit, ibidem. cur Judam tunc nominarit, 340. d. e. ejus quinque actiones in inſtitutione Euchariſtiæ, 341. g. quomodo eam dederit, ibidem, 342. a. b. 343. e. f. g. ſuis veledicit dicendo ſe non amplius in hac vita cum eis comeſturum, 346. d. & ſeqq. cur in Montem Oliveti exierit, ibid. g. cur ſeceſſerit in villam Gethſemani, 348. f. ejus triſtitia in horto, ibid. h. ſimul dolebat & gaudebat ſumme de ſua paſſione, 349. b. c. triſtatus eſt uſque ad mortem, 350. d. cur Apoſtolos ſuſtinere juſſerit, ibid. e. fuit in paſſione portentum virtutum, ibid. f. g. quinque ob cauſas procidit in terram orans, ibid. f. g. cur ad diſcipulos dormientes venerit, 351. h. eos acerbe non increpat, 352. a ſecunda ejus oratio in horto, & tertia, ibidem. d. cur tertio orarit, ibidem. e. quo ſenſu dixerit diſcipulis: *Dormite jam* ibidem. g. obviam prodeundo hoſtibus tria noranda nobis dedit, 353. b. oſculantem Judam non reſpuit, ſed amice reoſculatur, ibidem. g. h. & blande compellat, 354. a. & ſeqq. quæ miracula patrarit jam comprehendendus, 354. f. aurem Malcho reſtituit, 355. a. & ſeq. Petri gladium ſtrigentis temeritatem caſtigat, 358. a. cur ſe defendi vetet, ibidem. b. Angelorum ope ad ſui defenſionem non habebat opus, ibid. c. & ſeqq. paſſionem ſuam ut melleum calicem amplectitur, 256. h. ipſius capturæ ordo. 357. a. & atrocitas, ibidem. d. ad quem primum ductus fuerit, 358. a. interrogatur a Caipha, 358. f. g. animoſe & intrepide ei reſpondet, ibid. alapa illic percutitur, ibid. h. quare a teſtibus accuſatus tacuerit, 359. f. adjuratur a Caipha per Deum vivum, ibidem. f. g. eique tum reſpondet clare, ibidem. h. ejus medios inter judices magnanimitas, 360. b. blaſphemare cenſetur a Caipha, ibidem. e. f. hinc tamquam blaſphemus a concilio reus mortis judicatur, ibidem. ob noſtra peccata reus erat, ibidem. f. & ſeqq. bis examinatus & rogatus in concilio fuit, ibidem. h. 361. a. quomodo a miniſtris & ſenatoribus fuerit illuſus, 361. a. & ſeqq. ejus facies fuit conſputa, ibidem. b. & barba vellicata, ib. palmis facies ejus cæditur, ibid. & illuditur quaſi ſcurra & ludio, ib. d. velata fuit facies ejus, dubas de cauſis, ibidem. e. quid ea velatio myſtice & tropologice denotaret, ibid. ſua paſſione Deum honoravit, ejuſque injuriæ ſatisfecit, ibidem. h. 362. a. apicem patientiæ & reliquarum virtutum expreſſit, ibidem. a. Martyres ad opprobria, tormenta & mortem animavit, ibidem. b. fuit adamas patientiæ, ibidem. Petrum negantem reſpexit & ad pœnitentiam adduxit, 364. a. vinctus ad Pilatum trahitur, ut ab eo damnaretur ad mortem, 366. f. cur huic traditus ſit, ibidem. g. & ſeqq. tria crimina ei coram illo objecta, 369. a. quid ei de ſuo regno reſponderit, ibidem. b. c. cur tacuerit accuſatus apud Pilatum, ibidem. h. veſte alba ab Herode illuditur, 370. c. cum Barraba componitur & poſtponitur, 370. f. 371. f. g. per Pilati uxorem innocens declaratur, 370. h. 371. a. b. ab eo jubetur flagellari, 372. e. f. fuit flagellatus antequam ad mortem damnatus, ibidem. h. 373. a. idque ſemel tantum, ſed atrociter ad columnam ligatus, ibidem. a. & ſeqq. quibus inſtrumentis fuerit flagellatus, ibidem. f. g. cur tam atrociter voluerit cædi, ibidem. g. h. ipſius in ea flagellatione patientia, & conſtantia, 374. a. paſſus eſt per omnia, ibidem. b. c. & ſeq. morti a Pilato adjudicatur, ibidem. h. a militibus ſpinea corona coronatur, 375. c. cur, ibidem. e. f. chlamydem coccineam induitur per ludibrium, 374. h. arundo ei in manus datur per contemptum, 376. e. ejus regia inſignia ſimul referuntur, ibidem. d. cur caput ejus percuſſum arundine, ibid. f. g. ad populum in hoc ſchemate producitur, ibidem. cur eum educeretur ad crucifigendum, ſuis ſit veſtimentis indutus, 377. a. quam longis itineribus fatigatus ſit in die mortis ſuæ, 377. a. quomodo crucem ſuam portarit, 375. f. quid dixerit ad mulieres ſuper ſe lamentantes, ibidem. h. 378. a. cur in loco infami & ſupplicii voluerit crucifigi, 378. f. cur extra Jeruſalem, ibidem. g. vinum felle mixtum ei propinatur ante mortem, ibid. bis ei potus oblatus in Calvariæ monte, ibid. h. cur guſtatum bibere noluerit, 379. b. clavis crucis ſuæ fuit affixus, ſed & funibus ſimul alligari potuit, ibid. c. d. quot clavis fuerit affixus, ibid. e. ſunt ii per volam manus adacti, vel per carpum brachii, & cur ibid. f. g. quem cruciatum ſenſerit in ea fixione, ibid. g. & ſeqq. maxime in pectore, 379. h. crucifixionis hujus circumſtantiæ, 380. a. an pependerit nudus, ibid. an fuerit humi cruci affixus, ibid. b. cur fuerit crucifixus, variæ dantur cauſæ, ibid. c. d. & ſeqq. in cruce pendens luit Adæ peccatum, ibid. d. & ſic cælum terræ reconciliavit, ibid. f. ſenſit in ea omnium martyrum tormenta, ibid. g. XXV. die Martii eſt crucifixus, 381. f. & in meridie, facie verſa ad Occidentem, ibid. g. 382. a. pro crucifigentibus Patrem rogavit, 382. f. vidit veſtes ſuas ſorte dividi, ibid. h. fuit in cruce ſervatus a militibus, 383. c. medius pependit inter latrones, 383. h. blaſphematur a prætereuntibus, 384. a. b. maxime a principibus, ibid. c. ſi rex Iſrael, de cruce deſcendere eum nefas, potius in eam aſcendere, ibid. d. e. cur de ea non deſcenderit, ibid. f. etiam a latrone crucifixo convitia atrocia pertulit, 385. c. in cruce Pſalmum XXI. recitavit & cur, 386. d. quomodo a Patre fuerit derelictus, ibid. e. & ſeq. datum ei pro vino acetum, 387. d. ſeptem ejus in cruce verba, 388. d. e. clamavit antequam exſpiravit, idque magna voce, & qua de cauſa, ibid. & ſeqq. emiſit ſpiritum capite inclinato, 389. a. idque feria ſexta, circa horam nonam, ibid. a. quid eo more euo contigerit, 389. e. f. & ſeqq.

Ejus ſepultura, reſurrectio, apparitiones.

Chriſtus eſt primitiæ reſurgentium, 391. a. mortuus multorum corda movit, 392. a. b. cur in monumento novo ex petra exciſo

Digitized by Google

eiſo ſepultus ſit, 394. *b.* cur poſitus in alieno ſepulchro, ib. *c.* cur in horto, ib. *e.* ejus anima in limbum deſcendit, ib. *e. f.* 389. *a.* quomodo in ſepulchro fuerit tribus diebus, & tribus noctibus, 193. *a. b.* & ſeqq. cur triduo in ſepulchro manſerit, ib. *f.* reſurrexit in aurora, 396. *g. h.* 358. *a.* paſſionis & reſurrectionis ejus ſeries, 397. *h.* & ſeqq. reſurrexit clauſo ſepulchro, 398. *c. d.* & ſeq. reſurrexit antequam ungeretur cur, 401. *a.* quare in Galilæa ſæpius ſuis apparuerit, ib. *e.* cur ſe mulieribus redivivum exhibuerit, 402. *b.* quid iis dixerit, ib. *d.* cur diſcipulos vocet fratres, ib. *f. g.* ſexies in Judæa ipſo die paſchatis apparuit, ib. *h.* deinde & aliis, 403. *a.* ipſius apparitio in Galilæa, 404. *b. c.* quomodo poſt reſurrectionem cum ſuis comederit, 346. *c. d.* apparuit eadem forma & figura, quam habuit vivens, 404. *e.* quomodo aſcenderit in cælos. 441. *h.*

Ejus deitas, dignitas, vita, officia, judicandi poteſtas, virtutes, alia.

Chriſtus etiam Propheta eſt: eſt auctor Evangelii, 4. *h.* multa legis decreta reformavit, & ad meliorem virtutis ac pietatis formam revocavit, 6. *e.* quid in Evangeliis doceat ac præſcribat, ib. in terras venit ut nobis eſſet redemptor, doctor, & vitæ exemplar, 7. *b.* eſt velut angelus cælo delapſus, 8. *f.* quatuor habet ſtemmata, leonis, vituli, hominis, aquilæ, 8. *f.* & ſeqq. ejus geſta & vita per annos ſuccincte digeruntur, 10. *b.* ſermonem ſuum magis ad mentem & ſenſa eorum, qui ſecum agebant, quam ad interrogationem & verba externa accommodabat, 16. *g.* eſt verus Deus, 17. *a.* cur vocatur *filius David*, 33. *b.* per Joſeph ſucceſſit in regnum Juda, 35. *e.* habuit erga eum jus filiale, ib. *f.* cur vere filius Joſeph fuerit, 35. *g.* & ſeqq. ſolum natus eſt ex matre, non genitus fuit a patre, 37. *a.* eſt finis totius legis, & populi & mundi captivi liberator, 38. *d. e.* eſt cum Eccleſia orbice, 42. *h.* eſt rex cælorum, 45. *e.* eſt ſtella ſplendida & matutina, 47. *c.* ejus opera erant perfecta, 50. *f.* vocatur fortis, 64. *e. f.* cum audire Deus Pater jubet, 70. *c.* caruit angelo cuſtode, 76. *e.* & quare, 249. *g.* & ſeqq. vocatur piſcis, 82. *a.* homines reconciliat Deo, eſtque princeps pacis, 92. *d.* legem non diſſolvit, ſed implevit, 96. *e. f.* vocatur *amen*, ib. *g.* prius opere præſtitit quæ alios edocuit, 97. *h.* perfecit non tantum Scribas, ſed & legem, 98. *b.* præceptum charitatis ſanxit, 110. *f. g.* 105. *h.* 106. *b.* fuit rex Martyrum, & dux patientium, ib. *c.* pro inimicis rogavit, 110. *a.* an in eo fuerit admiratio, 138. *d.* habuit præter divinam ſcientiam, triplicem aliam qua homo, ib. habuit bona in communi, 142. *e. f.* unde dicatur filius hominis, ib. *h.* & ſeqq. cur ex Adam naſci voluerit, 143. *a.* & ſeqq. ejus immenſa humilitas & cum hominibus charitas, ib. *b. c. d.* ſuis eſt pater, ib. *f.* ejus benignitas in compellandis ægris, 147. *f.* ejus divinitas probatur e peccatorum remiſſione, & humanarum cogitationum cognitione, 148. *a. b. c.* in quo fuerit major Prophetis, ibid. *c.* poteſtas excellentiæ ejus eſt quadruplex, ibid. *g.* peccata remiſit non tantum qua Deus per omnipotentiam, ſed etiam qua homo auctoritative & meritorie, ibid. fulgor faciei ejus omnes ad ſe rapiebat, 150. *c.* eſt medicus peccatorum, 150. *h.* eſt velut ſponſus, 151. *e.* eſt ſalutis & lætitiæ publicæ totius mundi auctor, 152. *b.* ejus facilitas & promptitudo ad benefaciendum, 153. *d.* 155. *d.* cur ſit major cæteris Prophetis, ibid. *e.* eſt dominus Eccleſiæ tam qua Deus, quam qua homo, 156. *a. b.* nulla ſanxit nova præcepta poſitiva, nih fidei, & Sacramentorum, 160. *g.* pecuniam non habuit, ſed Judas pro eo, 161. *g.* unicam tantum externam tunicam habuit, 162. *b. c.* magis diligendus eſt, quam filii aut parentes, 171. *b. c.* etſi junior fuerit Joanne, eo tamen major eſt, 176. *f.* quo ſenſu omnia ei ſint tradita a Patre, 131. *e.* omnes ad ſe invitat, 182. *b.* quomodo laborantes reficiat, ib. *c.* ejus jugum clemens eſt & benignum, 182. *b. f.* ejus manſuetudo in ſufferendis Scribis diſcipulis, turbis, & injuriis, ib. *f. g. b.* eſt auctor totius legis Moſaicæ, 186. *e. b.* paſſim omnibus benefacere ſtudebat, 187. *g. a. b. b.* ejus lenitas & manſuetudo, 187. *a. c.* aſſumpſit ad tempus dotes corporis glorioſi, 213. *g.* non habuit peccatum originale, 219. *a.* miſſus eſt ad ſolos Judæos, 220. *g. h.* eſt doctor, pontifex, Propheta, & ut talem eum confeſſus eſt Sanctus Petrus, 226. *d.* & ſeqq. ejus divinitas probatur, ibidem. eam carnis velo texit, 236. *b.* 237. *h.* ejus nomen in Scriptura eſt petra, 228. *e. f.* eſt dilectus Dei Patris filius, 241. *f.* cur ſolverit didrachmam, etſi a tributo immunis, 245. *f.* & ſeq. cur pro ſe ſolo & Petro, 246. *a. b.* ejus paupertas, ibid. pueris delectabatur quod eſſent ſimplices & innocentes, 248. *c.* meruit angelis gratiam & gloriam, 251. *c.* ſi vel unus homo periiſſet pro eo redimendo mortem oppeteret, ibid. *d.* de puſillis errantibus ſingularem habet curam, ibid. *e. g.* matrimonium, ad primævam ſuam inſtitutionem revocavit, 260. *d. g.* vitam activam contemplativæ junxit, 266. *c.* in cælo eſt primus, quia in terra noviſſimus, 270. *h.* quomodo ſuum eſſe neget dare ſeſſionem ad dexteram vel ſiniſtram ſuam filiis Zebedæi, 291. *c.* cur Patri ſuo hoc aſſigneat, ibid. *c. d.* ipſius in omnibus actibus humilitas, 280. *a. c.* ejus liberalis oblatio & liberalitas, 281. *e.* curavit ſex cæcos, ibid. *g.* videt & novit abſentia, 283. *d.* eſt rex Iſrael, 285. *h.* fuit maximus Prophetarum, 286. *e.* non erat ſacerdos Leviticus, ibid. *g.* zelus ejus pro honore Dei, 287. *d.* eſuriit ut malediceret ficui, 288. *e.* & ſeqq. cur Judæorum quæſtioni de ſua poteſtate non reſponderit, 289. *h.* eſt prima Eccleſiæ petra, 291. *d. e.* eſt fidelibus perenne pabulum, & gaudium, 293. *e.* quid reſponderit Phariſæis de tributo Romanis ſolvendo rogantibus, 296. *c.* eſt verus pater & magiſter, 302. *g. h.* ejus pathos & compaſſionis affectus erga Jeruſalem, 307. *d.* in quo ſit gallinæ ſimilis, ib. *c.* & ſeqq. ejus cum fulgure analogiæ, 315. *b.* comparat ſe aquilæ, ib. *e.* & ſeqq. item cadaveri, & corpori redivivo, 315. *f.* ejus exprobratio ad impios in die judicii, 318. *a.* cur in nubibus cælis venturus ſit, & in gloria & majeſtate magna, ib. *c.* & quatenus diem & horam conſummationis ſæculi noverit, 319. *g.* cur ſuri comparetur, 321. *b.* eſt Eccleſiæ ſponſus, 323. *h.* quando venturus ſit ad judicium, nocte an mane, 325. *g. h.* terribilem vultum tunc oſtendet reprobis, ibid. *h.* quando peregre profectus dici poſſit, 306. *b. c.* 327. *b. c.* quando inimicos ſuos interfecerit, ib. *c. d.* ejus judicantis majeſtas in quo ſita ſit, 329. *a.* quomodo reprobis ſua tunc beneficia quibus abuſi ſunt exprobraturus ſit, 331. *g. h.* & ſeq. ſummus ejus erga ſuos amor in Euchariſtia apparet, 344. *b.* 345. *a.* fuit ſimul viator & comprehenſor, 349. *b. c.* quomodo a nobis amandus ſit, 351. *d. e.* duas habuit voluntates, humanam & divinam, ibid. *f.* ejus clementia erga Judæos in ſe tam atroces, 353. *a.* an vultus ejus habuerit aliquid ſiderum, 354. *b.* ſedet ad dexteram Dei etiam qua homo, 360. *a.* quomodo eum in die judicii viſuri ſint Judæi & pontifices, qui eum damnarunt, ib. cur vocetur ab ancilla oſtiaria Galilæus, 362. *g. a.* primo conceptionis ſuæ inſtanti habuit proprie dominium totius mundi, quoad jus & poteſtatem, 369. *e.* ejus amor erga genus humanum omnem ſuperabat dolorem, 374. *b.* quidquid egit & paſſus eſt, pro nobis fuit, 390. *d.* quid de eo Pilatus ad Tiberium Imperator. ſcripſerit, 403. *e. g.* data ei qua homini poteſtas in cælo & in terra, & quando, 404. *f. g.* ſuis ſemper ſe adfuturum ſpondet, 405. *f. g.* Eccleſiam ſuam ſemper proteget uſque ad finem mundi, ib. *g.* eſt in anima quaſi rex, paterfamilias, auriga, ratio, anima, ignis & ſol, ib. *f.* & ſeq. ſemper nobiſcum corporaliter eſt in Ven. Euchariſtia, ib. *e.* eſt Sanctus Sanctorum, 411. *d. e.* eſt dominus ſabbati, 414. *g. h.* fuerunt in eo paſſiones, ſed domitæ, ib. *h.* quomodo ira in eo ſe exeruerit. 415. *a. b.*

S. Chryſanthus & Daria lectione Evangelii ad Chriſtum converſi ſunt, & alios converterunt, 7. *h.*

Cibus omnis quem Deus præſcriberet, alere poſſet, 75. *a. b.* cibus per cor animam non inquinat, ut volebant Judæi, 219. *e. g.* cibi triplex digeſtio & egeſtio, ib. *c.* quæ ejus pars per poros evaneſcat, & in receſſum abeat, ib. *h.* cibus delicatiſſimus peſſime poſt egeſtionem fœtet, 219. *f.* cibi immundi immunditiem non affiant animæ, 218. *c. d.* 219. *h.*

Cilicium erat veſtis S. Joannis Baptiſtæ, 59. *c. d.* ejus uſus erat frequens apud Anachoretas, ibid. *d.*

Cimices ſunt typus hæreticorum, quia vivi mordent, mortui fœtent, 95. *d.*

Cinctio veſtium docet compoſitos mores, & contra, 59. *f.*

Circuli lineis ad centri punctum deductis oſtenditur Chriſti exiſtentia in quolibet hoſtiæ puncto, 267. *a. b.*

Circulari figura oſtenditur veritas corporis Chriſti, 342. *b.*

Cives ſemper invident civibus, 209. *a. f.* cives Chriſti ſunt Judæi, qui eum agnoſcere noluerunt, & illo mortuo fidem ipſius prædicari vetuerant, 327. *a.*

Civitates Iſrael ab Apoſtolis non conſummandas antequam veniat Filius hominis, quomodo intelligatur, 167. *e.*

Clamor de nocte in nuptiis ſponſi denotat clamorem & tubam Archangeli fideles mortuos excitantis, 324. *b.* & ſeq. clamor Chriſti in cruce fuit miraculoſus, 388. *e.* cur in ea clamarit, ibid. *e.* & ſeqq.

S. Clara geſtavit per XXVIII. annos cilicium e ſetis porcinis, licet infirma, 59. *e.*

Claritas dotem Chriſtus ſemper habuit, ſed repreſſit, an in transfiguratione reprimere deſiit, 237. *g.* claritatis ſuæ dotem abſcondit Chriſtus poſt reſurrectionem apud ſuos, 404. *e.*

Claudia Procula Pilati uxor, *Vide* Uxor.

Claves regni cælorum Petro ſunt datæ, non Eccleſiæ, 229. *c.* & in eo Romanis Pontificibus Petri ſucceſſoribus, ib. *f.* quid per has denotetur, ib. *g.* per eas denotatur ſummam eorum poteſtas, ibid. *h.* & quidem in ſpiritualia, 130. *a.* quid claves tropologice denotent, ibid. *c.*

Clavis fuit Chriſtus crucis affixus, & quot, 379. *e.* clavus unus deſcribitur, ibid. *e.* per quam partem manus iis ſunt adacti, ibid. *f.*

Clauſula poſt *Amen* in oratione Dominica videtur additicia, 120. *a.*

Cleophas fuit frater S. Joſephi, 195. *e.* 208. *b.* 209. *a.* alio nomine dictus eſt Alphæus, 208. *h.* fuit Martyr, 209. *a.*

Clinias maluit damnum grave ſubire, quam jurare, 104. *c.*

Coccineus color & purpureus prope idem eſt, 374. *b.* & ſeq.

Cœna triplex Chriſti, agni paſchalis, ciborum communium, & Euchariſtiæ, 341. *c.* cœnam vocant hæretici perpetuam Euchariſtiam, ibid. *e.*

Cœnabant priſci, non prandebant, 139. *a.*

Cœnaculum, in quo Chriſtus paſcha edit, fuit plane accommodatum, 437. *h.* id fuit typus Eccleſiæ, 339. *e.*

Cogitationes hominum noverat Chriſtus, 148. *a. b. c.* eæ per capillos denotantur, 170. *h.*

Cognati etiam cognatos ob fidem perſequuntur, 166. *g.* cur cognati Chriſti eum abducere in Nazareth vellent, 195. *f. g.*

Cognitio Dei mundis corde præ aliis addicitur, 91. *h.*

Cognoſcere, ſignificat copulam conjugalem, 43. *b.*

nemo cogitur a Chriſto ad ſequelam, 332. *b. c.*

Cohors quot eſſet militum, 357. *e. f.* erat decima pars legionis: quæ cohors prætoria dicebatur: hæc agebat in Jeruſalem in arce Antonia, 374. *g.*

Colaphus & alapa qui differant, 361. *c. d.* fuit Chriſtus a miniſtris percuſſus, ibid.

Collyba & collybiſtæ quid ſint, 287. *b.*

Coloni vineæ Eccleſiæ quos denotent, 290. *c.*

Columba in Chriſti baptiſmo apparens an vera fuerit, 69. *a. b.* fuit index & ſymbolum Spiritus ſancti, ib. *b.* columbæ proprietates, ib. *b.* & ſeqq. auctoravit Epiſcopos & Doctores, ib. *e.* ejus ſimplicitas, 165. *f.* earum venditores myſtici qui ſint, 287. *d.*

Columba Hebræos per deſertum ducens, fuit figura ſtellæ ducentis Magos, 47. *c. d. g. h.* 48. *c.* cur columnæ fuerit Chriſtus alligatus, ut flagellaretur, 373. *a.* ea deſcribitur, ibid.

Combinatio Apoſtolorum cur ſit facta a Chriſto, 149. *f.*

Come-

Digitized by Google

Cometæ dum in Libra apparent, denotant rebellionem populi, 46. *b. c.*
Commentarius Chryſoſtomi in S. Marcum non eſt ejus genuinus partus, 408. *b.* uti nec alius S. Hieronymo adſcriptus, ibidem.
Commiſſura panni rudis, & veſtis veteris quomodo intelligatur, 152. *g.* & ſeqq.
Commune idem erat quod immundum, 218. *c.* 424. *b.*
Communicantes qua ſe cogitationes paſcere debeant, 345. *d. e.* omnem ſimultatem prius deponant, 94. *d.*
Comparationem duorum exprimunt Hebræi per affirmationem majoris, & negationem minoris, 18. *g. h.*
Comprehenſionis Chriſti ordo & narratio, 354. *d.* 357. *a. b. c.* ea atrox fuit, 357. *d.*
Compunctio affert animi gaudium, 89. *h.* 90. *a.*
Computum dierum qualis eſſet apud Romanos, 193. *e.*
nemo poteſt conari facere id, quod ſibi putat impoſſibile, 348. *d.*
Concilium Baſileenſe Eugenium IV. deponens peccavit. 254. *c.* concilium Sanedrin convocat mane Caiphas ad Chriſtum damnandum: qui ei interfuerint, 366. *c. d. f.* & ſeqq. erravit hoc, in facto & fide, ibidem. *e.* Concilia Oecumenica codicem Evangelicum in ſui medio ſtatuebant, ibidem. *e.* totam Eccleſiam repræſentantia, errare non poſſunt, ibidem. *e.* ea, uti & provincialia, a Spiritu ſancto diriguntur, 255. *e.* & ſeqq.
Concio Chriſti in monte continet ſummam legis Evangelicæ, 84. *f. g.* concionem audientes, non omnes inde capiunt fructum, 198. *e. f.*
Concionatores Chriſtiani quales eſſe debeant, 134. *f.* & ſeq. ante concionem orent & ſtudeant, 166. *f. g.* ſunt velut galli, 364. *a.* docturi alios, prius in ſecreto vacent orationi, & in ea ſpiritum hauriant, quem dein in auditores effundant, 58. *b. c.* 72. *a.* *Vide* Prædicator.
Concordia Deo placet præ ſacrificio, 100. *e. f.* unit familias, & munit urbes, 188. *a.* quantum ſit bonum, Deoque quam gratum, 255. *b. c. d.* concordia Evangelica eſt opus e quatuor Evangeliis contextum, 11. *d.* & ſeq.
Concubitus omnis illicitus cauſa eſt juſta divortii, 103. *e.*
Concupiſcentia nobis innata domari quidem, ſed extirpari non poteſt, 111. *b.* per febrim denotatur, 141. *a.* ibid. *b.* & ſeqq. eam mortificare quam difficile ſit, 103. *a.* quatenus ab ea liberari petere liceat, 120. *a.* concupiſcentia carnalis deliberata, eſt peccatum mortale, 102. *a. b.*
in Confeſſione falſum dicens in re parva, peccat venialiter, 119. *f.* confeſſio generoſa Petri quod Chriſtus ſit Meſſias, & Filius Dei vivi, 226. confeſſio Judæorum & Chriſtianorum quomodo differat, 60. *e. f.*
Confiteri ſumitur ſubinde pro laudare & gratias agere, 180. *h.* confitentes Chriſtum ab illo honorabuntur, 170. *b.*
in conformatione voluntatis noſtræ cum divina ſanctitas & quies noſtra conſiſtit, 117. *d.*
Congregatio ad pacificandum diſcordes, eſſet Eccleſiæ utilis, 92. *b.*
Conjuges imitentur conjugium pacificum S. Joſephi & Deiparæ, 40. *c.* ſunt duo in carne una, 259. *f.* ſe mutuo amare debent, habent alter in alterius corpus jus & poteſtatem, ibid. *g.* conjuges multi in conjugio caſte *vixerunt*, 39. *b.*
Conjugium ſolius hominis eſt a Deo inſtitutum inter unum maſculum & unam fœminam, 259. *c.*
Conſanguinei Chriſti tam Apoſtoli, quam alii, fuere ſanctitate inſignes, 159. *g.*
Conſcientia cuique ſua eſt velut gallus aſſidue cantans, 364. *d.* ejus munditiis magis curanda, quam diſcorum, 305. *b.* conſcientia pura eſt magna cordis mundities, 91. *f.* mala ſemper timet, 210. *b.* conſcientiæ omnium in die judicii patebunt, ut videant tum ſua, tum aliorum peccata, 330. *a. b.*
Conſilium doloſum de capiendo Chriſto, 335. *d.* conſilia Evangelica ſimul recenſentur, 20. item alia quæ ſimul ſunt præcepta, ibid. 21. item conſilia ſolis data Apoſtolis, ibid. ea ſervantes facilius vitam æternam conſequuntur, quam ſervantes præcepta, 270. *e. f.* non tenentur adimplere, neque ipſe Deus ad ea nos obligat, 116. *c. d.*
Conſtantia omnia adverſa ſuperat, 311. *d.*
Conſtantinus Magnus Imper. miſit codicem Evangeliorum ornatum auruo S. Nicolao, 4. *a.* Eccleſiæ negotiis ſe immiſcere noluit, 296. *f.*
Conſtitutiones monaſticæ omnes ex Evangelio acceptæ ſunt, 7. *f.*
Conſuetudo prava vix admittit verbum Dei, & non ſinit fructum agere. 201. *a. b.*
Conſummari civitates ante adventum Chriſti, quomodo intelligendum, 167. *c.*
Contemplantes attente, diu ſine cibo vivere poſſunt, 73. *g. h.*
Contemplatio conſumit ſpiritus animales, hinc eget cibo, ibidem. *h.*
Contemplativam vitam Chriſtus junxit activæ, 266. *c.*
Contentio omnis eſt Chriſtiano cavenda, 197. *e.*
Continentiæ donum quomodo ſit in hominis poteſtate, 261. *g.* 262. *c. e.* eſt ingens virtus, 262. *c.*
Contubernia quid eſſent in panum miraculo, 212. *a.*
Contumelia quando ſit peccatum veniale, quando mortale, 100. *a. b.* & ſeqq.
Converſatio quotidiana deterit de fama, 209. *g.*
veræ Converſionis ſignum eſt zelus animarum, 155. *e.* converſio peccatoris adumbratur in duobus diſcipulis miſſis ad adducendum aſinam, 283 *d.*
Converſis magis jam gaudent de virtute, quam prius de vitio, 270. *d.*
Cooperans virtuti, eodem quo operans præmio donabitur, & vice verſa cooperans crimini, 172. *d.*
Convitii gravitas metienda ex affectu convitiantis, & dignitate perſonæ cui convitiaris, 110. *b.*
Convivarum numerus ſunt decem, 324. *a.*
Convivia olim unguento condiebantur, 336. *a. b.* convivium opiparum ſpirituale in Eccleſia Chriſtus nobis jugiter apponit, 293. *d.*
Cophini olim familiares Judæis, quanæ ſint capacitatis, 213. *a.*
Cor ut eſt, ira loquitur lingua, 190. *b.* eſt inſcrutabile, 112. *f.* quo pacto ejus puritas paretur, 91. *f.* id diligentiſſime cuſtodiendum eſt, 220. *a.* cor Zvvinglii combuſti inter cineres repertum Zvvingliani magno cultu aſſervant, 425. *b.* cor uſurarii mortui in ſuo theſauro repertum, 121. *e. f.*
Corban, ſive *corbona*, idem eſt quod oblatio, 368. *a.* quale genus oblationis eſſet, 217. *g. h.* *dicere corban*, Scribis quid eſſet, ibidem.
Cornelius Janſenius interpretandi ſoliditate excellit, 11. *b. c.*
Corona ſpinea Chriſtus coronatur, an ea ex junco marino? an rhamno fuerit contexta, 375. *c. d.* an ea bis ei impoſita fuit eum ea crucifixus, ibid. *d.* hæc ei acerbiſſimum inſixit dolorem, & ſummam ignominiam, cur fuerit ea coronatus, ibid. *f.* quid moraliter denotet, ibid. *f. g.* cur coronis olim Chriſtiani abſtinerent, ibid. *g.*
Corozain urbis deſcriptio, ſitus celebritas, 179. *f.* poſt mortem Chriſti everſa & deſerta fuit, ibid. *g.* quid ei exprobret Chriſtus, ibid. *g.* 180. *a. b.*
Corporalibus rebus ſpirituales exponunt Chriſtus, Apoſtoli, & Prophetæ, 17. *g.* & ſeqq.
Corporale in Miſſa repræſentat ſindonem mundam, cui corpus Chriſti fuit involutum. 393. *b.*
Corpus Chriſti primo conceptionis inſtanti fuit perfectum, animatum anima rationali, 41. *b.* id totum in transfiguratione reſplenduit, 237. *e.* non ſemper habuit ſplendorem cæleſtem, quem viſus humani imbecillitas videre non potuerit, 237. *b.* id vere eſt in Euchariſtia, 342. *c. d.* idque demonſtratur theologice, phyſice & mathematice, ibidem & ſeqq. id ibi a nobis in ſe non dividitur, nec alteratur, nec concoquitur, 219. *f.* corpora damnatorum in igne manebunt incorruptibilia, 332. *b.*
Correctio fraterna a Chriſto præcipitur, 251. *b.* lex de ea lata, 252. *a.* quomodo ea in praxin redigenda, ibid. nec ſolum ea locum habet in injuriis privatis, ſed etiam in aliis peccatis in Deum admiſſis. 251. *g. h.* an ea ſit præcepti, an dumtaxat conſilii, 252. *f.* quos obliget, an omnes fideles, an ſolos ſacerdotes & Superiores, ibid. *c.* & ſeqq. ad eam fideles omnes tenentur, ibid. *d.* & ſeq. hæc de privata, non de publica correptione intelligenda ſunt, ibid. *f.* & ſeqq. ad eam requiritur charitas & diſcretio, ibid. *b.* quanta ejus ſit neceſſitas, ibid. eam docent elementa. 253. *a. b.* obligat ſolum in peccato mortali, ibid. *b.* quis in ea ſervandus ordo ibidem. *d.* in tamen certis caſibus non debet exacte ſervari, ibid. *e.* tres in ea notandi canones, qui ſi ſerventur, non peccabitur in ejus ordine, ibid. *h.*
Corripientium peccantes exempla, 253. *b.*
Cranganoris rex an unus e tribus Magis fuerit, 44. *f.*
Craſis nominum apud multos uſitata eſt, 227. *a. b.*
de craſtino ſolliciti eſſe veramur, 125. *c. d.* ſed craſtinum de ſeipſo ſit ſollicitum, 125. *d.*
Crates opes in mare abjecit, quaſi philoſophiæ impedimenta, 85. *f.*
per Creaturam jurans tenetur juramento, 103. *g.* non licet eam jurare, 104. *a. b.* creaturæ non ſaltant, 134. *a.* turbantur moriente Chriſto, 389. *a.*
Credere & non credere prædicationi Evangelii, eſt opus gratiæ & juſtitiæ Dei, 181. *d.* credita olim ſunt multa, quæ nunc deprehenduntur eſſe falſa, 62. *a. b.*
Critici ſibi ſunt cæci, aliis oculariſſimi, 127. *f.* apologus de iiſdem, ibid.
Crucifigendi olim crucem ſuam portabant, 375. *f.*
Crucifixionis Chriſti modus S. Brigittæ fuit revelatus, 382. *b.*
Crudelitas Herodis in necandis iis, quos ad regnum ſuum jus habere norat, illique inhiare, 48. *f. g.*
Crux erat proprium ſupplicium ſeditionis & affectati regni, & ignominioſa, 369. *a.* 371. *d.* 380. *c. d.* hinc ad eam pontifices damnari Chriſtum urgent, ibid. crux eſt velut navicula, 145. *f.* & velut pretioſa margarita, 206. *b.* 207. *a.* ejus varia elogia, 382. *d.* & ſeqq. cruce ſignaſſe videtur Chriſtus panem, ex quo Euchariſtiam conſecravit, 342. *a. b.* cur Chriſtianis propter Chriſtum animoſe ferenda eſt, 171. *c.* eam quotidie quiſque tollere debet, & qua in re id ſitum ſit, 233. *c.* quiſque ſuam habet, ibid. *e.* & ſeq. in ea per totam vitam uſque ad mortem perſeverandum eſt, ibid. *h.* crucem Domini portare in angaria, ſymbolice quid ſit, 375. *e.* quomodo ſuam Dominus portarit, ibid. an ea habuerit ſuppedaneum, cui pedes inniterentur? videtur inferne fuiſſe excavata, ut calces pedum in cavo hoc reciperentur, 379. *d.* erat quadrangula, 383. *f. g.* acerbitas ejus, 379. *g.* & ſeqq. ex quo ligno fuerit compacta, 381. *a. b.* eſt liber ſapientiæ, ibid. *b.* eſt ſpeculum omnis virtutis & perfectionis, ibid. cur de illa Chriſtus non deſcenderit, 384. *d. e.* fuit ejus currus triumphalis, 381. *a.* eſt ſignum Chriſti incarnati: cur illa in die judicii apparitura ſit, 316. *f.* idque ad conſolationem piorum, exprobrationem impiorum: an ipſiſſima crux in qua is pependit, 317. *e.* portabitur ea ab angelis, ibid. crux Chriſto futura ſcandaloſa, ſæpe ab eo ſuis erat inculcanda, 245. *a. b.* quæ ab illa bona provenerint, 400. 266. *d. e. f.* provocat nos ad amandum, 266. *d. e.*
Cubicularia hæreſis, omnia templa rejiciens, in Hollandia orta, 114. *b.*
cur in cubiculo orare Salvator jubeat, 113. *b.*
Cubitus eſt propria menſura ſtaturæ humanæ, 124. *b.*
Calicem colare, camelum glutire, proverbium eſt: quid innuat, 304. *g.*

Digitized by Google

Culpa ob ingratitudinem peccatoris erga Deum plane non revocatur, 257. f. & seqq.
Cupiditas radix est omnis peccati, 86. h. 87. a. cupiditatibus suis vim faciens, coronam in cœlo promeretur, 177. d. sunt eæ nobis abnegandæ, 232. d. & seqq. *Vide* Concupiscentia.
Curæ temporalium spinæ sunt, 201. d. e.
Custodes sepulchri sunt ab angelis exterriti, 400. c. & diffugerunt, 403. a. quid pontificibus nunciarint, ib. b. c. eos fallere erat impossibile, ib. corrumpuntur auro a pontificibus, ib. d. h. 404. a. omnem tamen fucum & rem totam Pilato aperiunt, ib. g. sed plebi aliud persuaserunt, ibid. h. 404. a.
S. Cyprianus carnifici suo jussit dari 20. aureos, 107. f.
Cyrenæ variæ sunt urbes, 375. c.
Cyrillus quidam S. Anastasii Martyris aquam dansficienti, martyrio affectus est, 173. a.

D

Dæmon juratus hominis hostis est, 108. f. gaudet immunditie, 194. h. cur agat in desertis: nusquam habet quietem, ib. ideo nocet homini, quia nequit Deo, 195. a. eum vi sua spoliavit Christus, postquam in mundum venit, 239. d. e. f. ejus fortitudo & potestas, ibid. g. h. hinc non potest nocere per suos quantum vellet, ib. g. cur hominem, quem occupat, mutum reddat & excæcet, 187. e. f. hinc eo pulso, homo loquitur & clare videt, ib. cur energumenos dire torqueat, 220. e. omne cum eo commercium vitandum, 431. f. nec ei ullatenus credendum, etiam vera dicenti, 161. d. ægerrime deturbatur possessione, quam semel occupavit, 161. g. h. est Dei simia, 419. c. cur eum de se testimonium ferre Christus permiserit, 421. c. dæmon lunaticum affligens, non erat ex minimis, ideo ab Apostolis ejici non potuerat, 243. g. h. dæmon superior raro ejicit inferiorem, 188. d. Dæmones Evangelia perhorrescunt, 187. h. 188. d. statim post suum peccatum igne gehennæ sunt cruciati; eo cruciantur etiam absentes, 146. a. tormentum eis est relegari in infernum, cur, ib. b. sunt spiritus immundi, 157. f. g. in terra inter se concordant, 188. d. dum apparent homines reddunt mœstos & anxios, 402. e. eorum summa voluptas est homines torquere & vexare, 411. g. h. hinc Christo adulantur, ne ab eo ejiciantur, ib. b. 419. b. c. inter eos alii sunt principes, alii inferiores, 155. e. cognoverunt Christum esse Messiam Dei Filium, 415. c. d. tamen non ita clare & firmiter id cognoverunt, quin alia ex parte subinde dubitarent, ib. d. adhuc ignorarent finem & fructum mysterii incarnationis; excæcabat eos quoque odium Christi, ib. d. ideo eum velut hostem juratum per Judæos occiderunt, 415. c. qui dæmones difficilius expellantur, 244. c. sunt aliqui minus validi, & minus maligni, ibid. hi jejunio & oratione pelluntur, ibid. f. judicio extremo intererunt in terrenis corporibus, 329. d. dæmonia ejicientes in nomine Christi, nec tamen eum sequentes, quinam essent, & cur ab Apostolis prohiberentur, 429. c. d. *vide* Diabolus, Lucifer,
Damnandi sunt plures quam salvandi, 130. b. c.
Damnati nil nisi malum amare possunt, 140. a. eorum pœna damni, 139. h. summus eorum cruciatus, ib. a. an lacrymentur & strideant dentibus, ibid. b. sunt ab Ecclesiæ regno exclusi, 322. f. g. sunt velut victimæ iræ Dei, 430. a. non possunt resistere Dei sententiæ, nec quidquam boni deinceps agere, 294. c. Damnati ad mortem flagellabantur prius, 372. h. iis solebat præfigi titulus, 383. a. f. iis quoque dari vinum, 387. c.
Dan urbs unde dicta, vocat. dein Paneas & Cæsarea Philippi, 60. d. 225. f. cur in eam Christus secesserit, ibid.
Danda Dei Deo, Cæsaris Cæsari, 296. f. h. dare beatius est quam accipere, 91. a.
Davidi facta promissio de Christo e posteris ejus nascituro, 33. h. 154. e. qua de causa ederit panes sanctos, 185. f.
David Georgius insignis impostor, 314. c.
Debiles in tentatione & persecutione fugiant oportet. 358. e.
Debitores olim a creditoribus in carcerem trudebantur, ibique a tortoribus excruciabantur, 257. d.
Decapolis est regio decem urbium, & quæ hæ essent, 83. b.
Decimæ lege præscriptæ erant, sed eas etiam ex herbis Pharisæi exigebant, 304. e. f.
Defodere talentum in terram quid sit; 327. f.
Defuncti non excommunicantur, nec ab excommunicatione absolvuntur, directe, sed indirecte, 231. a. b.
Delectatio non est regula nostrarum actionum, 191. g.
Demissio est via ad sublimia, 248. a.
Demosthenis de actione oratoria judicium, 67. g.
Denarius est numerus universitatis, 324. a.
Denarius nummus valet regalem Hispanicum & Julium Romanum, unde sit dictus; multas sub se continebat species nummorum, 101. f. 211. g. 257. a. 272. c. & seqq. 273. d. & seq. 337. f. h. 437. g. is erat pro censu solvendus, sed duplex, 295. e.
ter fuisse Denudatus in passione Christus videtur, 373. c. & seqq. 374. g.
quomodo a Patre Christus Derelictus fuerit, 386. e.
Desertum orationi & paci spiritus accommodum est, 71. e. & seq. in eo se disponit homo ad cum proximo agendum, 72. a. desertum habitatio dæmonis est, 194. b. desertum in quo Christus jejunavit, describitur, 71. f. ut & desertum Joannis, ejus celebritas, 58. e. desertum Bethsaidæ fuit juxta Bethsaidam in eadem ripa, 211. b.
Desiderium proficiendi in melius semper habet justus, 91. e. desideria carnalia cogitationes nostras perturbant, 281. a. sed ea obtundenda sunt, ibid. b.
Desperatio in cruce a Calvino Christo affingitur, 386. d. & seq.
Detectio proditionis Judæ quomodo facta sit, 340. f. g.
Detractorum virulentia vipera denotatur, 61. e. eorum linguæ dentes dicuntur, ibid.
Deucalione & Pyrrha jacientibus post tergum lapides homines reparatos esse dicunt poetæ, 63. d.
Dei nomen semper in ore habens, non propterea cælo donabitur, 132. c. d. Deo nihil est fortuitum, sed omnia provisa & prævisa, 17. a. b. eum per rerum corporearum imagines repræsentat Scriptura, 17. h. & seqq. ejus attributa idem sunt reipsa cum simplicissima ejus natura, ibid. nomina ejus erant varia apud Hebræos, & quid singula significent, 18. a. ejus robur elucet in incarnatione Christi, est nobiscum in Christo quadrupliciter, ibid. ex lapidibus quomodo suscitare possit filios Abrahæ, 63. c. ac saxa in homines mutare, ibid. non finit se vinci liberalitate, 91. a. & seqq. ejus visio promittitur mundis corde, ibid. g. h. est pacis amans, 92. c. in judicio omnia exactissime inquiret & ridigissime puniet, 101. h. quatenus olim jurarit, & jurare posset, 104. e. f. impiis etiam benefacit, 108. h. ejus sanctitas & bonitas, ibi, 110. b. ad ejus perfectionem attingere non possumus, ibid. b. ea tamen nobis imitanda est, ibid. d. detestatur hypocrisin & hypocritas, 113. f. est pater noster quintupliciter, 114. g. & seqq. ejus in nos dignatio, ib. h. 250. c. d. ipso dante habemus quidquid habemus, 119. g. h. dicitur subinde facere quod tantum permittit fieri, 119. g. filiis suis providere non cessabit, 125. b. peccata punit citra condignum, 127. e. audit orationes non ad voluntatem nostram, sed ad salutem, 128. e. non faciet miracula ad confirmationem falsæ doctrinæ contrariæ suæ, 132. g. h. ejus jussio est efficax, 136. c. d. non patitur se fiducia nostra vinci, 140. d. est vita animæ, 143. h. imperat ventis & mari, 145. e. g. ejus providentia erga homines, 169. f. g. h. unde cognoscat futura conditionata, 180. b. est pater, & simul dominus, 180. a. b. jam nihil de novo creat ex nihilo, 212. c. quæ facit, perfecta facit, ibid. c. d. succurrit ad necessitatem, non ad voluptatem, ibid. e. potest menti, cui illabitur, certa suæ præsentiæ signa dare, 214. d. sæpe initio preces non exaudit, sed perseverantia vincitur, 220. g. h. cur dicatur vivus, 226. e. f. id quod Pontifex jussit aut vetuit, ratum habet, 230. f. & seqq. ejus amplissima in peccantes benignitas, 190. d. 255. g. & seqq. 256. c. f. g. 257. f. peccata dimittit irrevocabiliter, 257. f. & seq. solus bonus est per essentiam, 264. a. & seqq. est fons omnis boni, ibid. b. omnia ei sunt possibilia, 135. g. 267. f. suis est centuplum, & quomodo, 270. a. Deum sonat prima vox infantilis, 288. b. cur vocetur cælum, 389. d. Ecclesiam vineam plantavit, 290. f. & seq. impios damnabit non ex odio, sed zelo justitiæ, 294. b. ei reddenda quæ sunt ejus, 206. f. est omnipotens, 297. c. summe meretur diligi, quia est solus vere & plene pater omnium, &c. 302. f. g. est verus magister, ibid. g. statuit hominibus & regnis certam mensuram peccatorum, qua implera eos puniat, 306. a. ejus erga quaslibet gentes affectus, 311. e. f. maxime erga electos, 314. a. reprobos in die judicii a se repellet exprobrans, 325. h. rerum naturalium ordinem potest invertere & evertere, 342. c. per stultitiam crucis voluit credentes salvos facere, 380. d. ei tribuitur concussio terræ, 390. a. b. an in eo sit proprius iræ affectus. 415. a. b.
Deus Pater quomodo subinde in Evangelio dicatur unus & solus, 16. h. 17. a. in Christo filio sibi complacet, 70. b. eum audiri jubet, ibid. c. communicat ei omnia sua. 181. e. & seqq. eum nemo novit nisi Filius, ibid. g. quomodo sit faber, 208. c. ab æterno decrevit Christo filio suo qua homo est, summam potestatem & regnum tam in cælo, quam in terra, 300. b. c. summe diligebat Christum, ideoque eum mori in cruce volebat, ut eum in resurrectione honorificaret, & plurimos per eum salvaret, 321. a. b. an ipse solus sciat diem & horam consummationis sæculi, non Deus Filius, 319. g.
Dextræ & sinistræ occupatio in regno Christi, quam filii Zebedæi petebant, præeminentiam aliquam significat, 279. a. cujus rei ambæ sunt symbolum, 329. f. g. dexter oculus & manus scandalizantia, & erui jussa, quid sint, 102. g. h.
Diabolus est accusator & calumniator, 71. d. 332. b. antonomastice significat Luciferum, 72. d. impeditus est videre quid inter B. Virginem & Josephum ageretur, 39. g. teneris insidiatur, 52. e. eos solet tentare graviter, quos prævidet fore eximios in Ecclesia, 72. e. tentavit Christum & Adamum assumpta corporis forma, 74. h. omnis tentatio ab eo proprie non oritur, sed sæpe a mundo & concupiscentia, etsi ille subinde hanc & mundanos homines suscitet, ut nos tentent, hinc quasi auceps cuique suam objicit escam, ibidem. b. c. dubitabat an Christus esset Dei filius, ideo eum tentatum venit, ibid. d. e. origo tentationis hujus, ibid. quomodo eum aggressus sit primo, ibid. f. voluit eum pellicere simul ad vanam gloriam, & gulam & avaritiam, ibid. quos gula superare non potuit, tentat ad vanam gloriam, 75. d. assumpsit Christum raptatum per aera, ibidem. f. non potuit illudere ejus phantasiæ, ibid. fuit ab ipso illusus, ibid. suadet ei ut se e pinnaculo deorsum mittat, 76. c. semper hominem trahit deorsum, quomodo fallatur, ibid. d. ipse in nolentem nihil potest, 77. b. Christum in montem excelsum rapiens, ostendit ei omnia regna mundi, quomodo, ibid. d. & seqq. quo pacto hæc ei repræsentarit, 78. a. b. taliter ea quoque ea depingere potest in hominis phantasia, ibid. quomodo potuerit dicere, se regna omnia mundi ei daturum, quasi propria, ibid. a. & seq. simulat se esse Filium Dei, atque ut talis cupit a Christo adorari. ibidem. a. in hac tentationem eum sollicitat ad avaritiam, ambitionem, & idololatriam; tacite vero explorat an ipse verus sit Dei filius, ibid. b. ipsius fastus, ibid. d. quia ipse e cælo cecidit, hinc omnes ad casum sollicitat, ibid. ejus pollicitatio Christo facta, fuit mendax, falsa, arrogans, dolosa, ibid. e. f. semel forciter victus in aliqua tentatione, ad tempus discedit, sed data occasione, iterum ad similiter tentandum redit, 79. e. quomodo homines decipiat, 78. e. f. sæpe se immiscet modo lunatico. 82. h. est Deus dissentionis, ib. c. in judicio nos accusabit, 101. d. non fert humilitatem, 106. e. f. & seq. nihil potest in tentando, nisi Deo permittente, 119. f. g. vocatur malus antonomastice, ibid. b. quomodo hominem exagitet, 134. c. lectatur immunditiam. 168. c. singulis multos spondet annos, 302. g.

quo-

quomodo in Judam dicatur intrasse, 337. d. peccatorem, commisso peccato in desperationem præcipitat, 367. b. c. an per uxorem Pilati Christi necem impedire voluerit, 370. h. cur diaboli in hoc aere vagari gaudeant, 146. a, b. post diem judicii omnes in infernum compingentur, ibid. *Vide* Dæmon, Lucifer.
Didrachma era medius siclus: ipsum solverunt Judæi templo in populi censu, 245. c. 295. e. 296. d.
Didymus cæcus oculis mente acutum videbat, 154. g. quomodo eum sit S. Antonius in cæcitate consolatus, 103. b.
Diei primitiæ Deo & orationi dandæ, 412. d. dies quisque suam homini adfert molestiam & curam, 125. h. 126. a. dies triplex apud Judæos erat, 193. c. d. quomodo diem computarent Romani, ibid. e. f. quomodo aliæ nationes, ibid. cum Hebræi in quatuor partes dividebant, 439. e. f. quo dies Christus Eucharistiam instituerit, 338. f. g. & seqq. dies decimus quartus est criticus in morbis, 38. g. dies prima azymorum quando inciperet, 338. f. dies cladis Hierosolymitanæ breviati sunt propter electos, 313. f. g. dierum ultimorum vitæ Christi acta recensentur, 287. h. 288. d. e. f. g. 335. f. g. diem consummationis sæculi quatenus sciat & non sciat Christus, 319. g. & seq. cur diem judicii nobis incertum esse voluerit Deus, 320. e. f. inter illum, & signa prævia intercedet aliquod quieti temporis spatium, 320. c. d. *Vide* judicium.
Nimia Diffidentia Dei providentiæ nascitur anxia hominum de cibo & veste solicitudo, 124. h.
Dilectio proximi Dei dilectionem includit, 129. c. hac continentur omnia decalogi præcepta, 299. e. f. dilectio sui ipsius omnibus innata est, 299. c. & talis proximo impendenda, ibid. dilectio inimicorum signum est summæ perfectionis, 109. h. 110. a. mandata est ea in veteri lege, 108. e. & a Christo, ib. f. g. ejus nomen sunt gradus, ibid. & seqq. *Vide* Amor, Charitas.
Diligitur Deus ex toto corde tripliciter, 298. h. diligentia procurandi vitæ necessaria a Christo vetatur, 123. b. c.
ante diluvium nullus erat usus vini aut carnis, 212. h.
Dimissam ad altero ducere nefas est, 103. e. f.
an proximo dimittere nolentes peccent recitando, *Sicut & nos dimittimus*, 119. e.
Dimittendum peccantibus in nos, quoties nos offendent, 255. g.
Diocletianus uxorem Serenam, nec non cognatos Caium Pontif. ejusque fratrem Galbinium cum filia S. Susanna, quia Christianos, jussit necari, 166. h.
Dionysia matrona filium expallescentem ad tormenta metu gehennæ, speque gloriæ Martyrem fecit, 169. d.
S. Dionysii Areopag. opera tria primaria, 4. d. & seqq. ad martyrium anhelavit, 170. d. eclipsin passionis Christi vidit in Ægypto, & quid ea visa dixerit, 386. a.
Disciplina flagellabantur olim pœnitentes. 81. a. b.
Discipulorum est stare vel assidere in scamno, 84. h. superant in vitiis magistros suos, 304. a. discipuli 72. subinde Apostoli vocantur, 157. d. hi de panibus vel omissis, vel corporalibus, inter se agentes a Domino corripiuntur, 225. b. c. quare non potuerint dæmonem ejicere e lunatico, 243. c. & seqq. qui discipuli & Apostoli de Christi resurrectione dubitarint, & quando, 404. d. e. discipuli duo missi ad asinam adducendam qui fuerint, 283. c. & seq. discipuli Joannis ad Christum transiere, 210. h. eorum jejunium, 151. c. g. discipulus patrem sepelire volens quis fuerit, 143. e. & an pater hic fuerit vivus, an mortuus, ibid. an discipulus cum Petro Jesum captum sequens, fuerit S. Joannes, 358. d.
Discordiam seminantes sunt filii diaboli, 92. c. ea perdidit Rom. rempubl. 188. a.
Discreptio in correptione fraterna imprimis necessaria est, 252. h. pacem inter homines conservat, 430. e. f.
Dissensionibus offenduntur angeli, 250. d. f.
distractiones in oratione cavendæ, 113. c. 153. h.
Dives ægre Deo servire potest, 265. d. & ægre salvari, cur, 266. f. & seqq. 147. g. h. quia in pecuniis suis, non in Deo confidit, ibid. salvatur tamen per Dei gratiam, 266. h. & seq. divites sunt triplices, censu, spiritu, censu & spiritu, 85. g. Divinitatem ambit diabolus, 78. a. divinitas Christi ostenditur, 136. b. & seqq. ipse eam Apostolis in transfiguratione non ostendit, 236. h. hæc cum in tormentis sustentabat, 386. e. ea mansit unita corpori in sepulchro jacenti, & animæ in limbo agenti, 394. f.
Divitiæ dictæ quod mentem dividant, 123. b. spinis comparantur, 201. f. & seqq. sunt fallaces, ib. e. sunt causa multorum malorum, 85. e. f. eas reipsa relinquere, majus longe est quam affectum ab iis avellere, 89. b. eas partim relinquere, partim retinere non oportet, ibid. d.
Divortium nisi causa fornicationis non licet, 103. d. quamquam etiam ob alias causas; tamen fornicatio est matrimonio propria, ibid. est contra naturam & contra Dei institutionem, 259. g. h. id licet in adulterio alterutrius conjugis quoad thorum, non autem quoad vinculum, 261. a. b. Doctoris est sedere, cur, 84. h. doctor aliorum qualis esse debeat, ib. f. docens non esse mandata servanda, etiamsi ipse ea observet, castigabitur, 97. e. f. doctor prius faciat, quod alios docturus est, ib. g. 154. d. e. f. cur vocetur Propheta, 130. e. cur apud suos soleat vilipendi, 209. e. doctor bonus non potest nisi bona opera proferre, 131. b. non vero prava, ib. e. doctor bonus vel malus designatus per arborem bonam vel malam, ib. a. doctores sunt velut stellæ, 47. g.
Doctoratus gradum, velut testimonium scientiæ, non vetat Dominus, 302. f. g.
Doctrina Christi & scribarum quomodo inter se differret, 134. d. & seqq. Christi qualis esset, ibidem. g. cur doctrinæ Evangelicæ summam Matthæus initio prædicationis Christi proposuerit. 84. f. g. ea non parem in omnibus profert fructum, 197. f. g. & seqq.
Dogmata sublimia Evangelii, 7. a.
Dolorum prævisio, quos passuri erant fideles singuli, Christo fuit causa tristitiæ in horto, 349. c.
Dominica dies cur dicatur *prima sabbati*, 397. b. c. cur dicta Dominica, ib. in ea oramus stantes, 113. c.
S. Dominicus Evangelium S. Matthæi semper circumferebat, 8. a. martyrii fuit cupidissimus, 170. f. g. ipse & S. Franciscus de humilitate inter se contendebant, 66. b.
S. Dominicus Loricatus lorica ferrea carnem domuit, 59. c.
Dominium est triplex, summum & divinum, infimum & humanum, & medium, quod est Christi qua homo est, 369. f. hoc superat cætera regna & dominia, ibid. dominium cordium promittitur viris Apostolicis, 258. f.
Dominis duobus servire nemo potest, 122. c. d.
qui domum relinquere intelligantur, 269. e. domus in qua Christus agnum paschalem edit, videtur fuisse Joannis Marci, 333. e. domus B. Virginis est ab angelis Lauretum translata, 289. b. domus S. Petri erat Bethsaidæ vel Capharnai, 140. g. h. domus vocatur stabulum in quo natus Christus, 49. f. domus spiritualis animæ e virtutibus construitur, & quæ ejus partes, 133. a.
ob donatarii ingratitudinem rescindi potest a donatore donatio vel promissio jam facta, 257. c.
Donati in Religionibus vocantur conversi. 261. f.
Donec apud Matth. significat conceptionem Christi sine patre, ex sola matre virgine, 43. b. *donec* sæpe non significat finem, sed continuationem rei, 300. d.
Donum, quia Deo oblatum, sanctificatur extrinsece, dona Magorum qualia fuerint, 45. c. d. ea symbolice exponuntur, 50. b. c. & allegorice & tropologice, ib. e. f. g. septem dona Spiritus sancti in columba repræsentantur, 69. c. & seqq. ea appropriantur septem beatitudinibus, 93. g. dona sua inæqualiter dispertit Deus, 326. f. g. sunt ea varia, gratiæ, naturæ, fortunæ, ibid. f. nemo tamen est qui nullum habeat, ibid. g. dat ea unicuique secundum propriam virtutem, robur & vires, ibid. h. cum alicui donum aliquod permanens dare decrevit, prius ei dat capacitatem, aut meritum, ibid. h. dona gratiæ gratis datæ, subinde distribuit ob arcana sua judicia, 327. b. singulis non confert sua dona secundum meriti sui modum, ibid. b. aburentes gravi digni sunt castigatione, ib. f. ut iis recte utens, mereatur alia accipere, 329. g. h.
Dotes gloriosæ repressæ sunt a Christo dum in terra viveret, 137. g. quæ repressio continuum fuit miraculum. ibid. h.
Drachma auri vel argenti quanti pretii esset, 326. c.
Duodenarii numeri perfectio & symbolum, 157. g. h.
Duities mentis per petrosam terram denotatur, 198. b. ea vix admittit bonas admonitiones, 220. e. f. duities Judæorum? 390. f.

E

E Prima vox femellæ in mundo natæ, 402. d.
Ebionitæ depravarunt Evangelium S. Matthæi, 9. c.
Ecce in Script. notat semper rem novam & inauditam, 353. d.
Ecclesiæ est definire quæ sint genuinæ Scripturæ, quæ falsæ, 31. a. b. similis est areæ, in qua plures sunt paleæ, quam tritici grana, 65. d. 130. d. navis est in mediis tentationum fluctibus, 144. g. ejus regimini necessaria est subordinatio episcoporum, sacerdotum & fidelium omnium sub uno Pontifice, ibid. in ea sunt tam boni quam mali, 207. e. cur comparetur grano sinapis, & dicatur regnum cælorum, 203. d. adversis & persecutionibus promovetur, 215. d. super Petrum fundata & ædificata est, 228. h. & seq. est semper invicta, 229. d. est regnum Christi, 247. c. d. 385. h. ejus regnum adit Christus in cruce, dum de morte, & inferno, peccato & mundo triumphavit, 286. a. producit bonos fructus, etiamsi malos habeat pastores & doctores, 291. b. est velut vinea, 291. e. f. item regnum Dei, 177. a. 291. e. ejus fabrica sæpe in Script. comparatur fabricæ domus, 291. d. habet semper instructum convivium, 293. d. & seqq. est corpus Christi, 314. a. per omnes gentes fundanda aliquanto tempore apud eas fuere debet antequam veniat mundi finis; sed quamdiu, incertum est, 311. f. duplicem habet potestatem, spiritualem & temporalem, 355. d. cur dicatur civitas Dei, 405. d. est velut Jerusalem, 283. b. nomine Ecclesiæ cui peccantes obstinati denunciari jubentur, intelliguntur ejus pastores & Prælati, 253. h. 254. f. & seqq. Ecclesia Sion, omnium Ecclesiarum matrix est & sanctissima, 339. e. in primitiva Ecclesia omnes fere Christiani faciebant miracula, 441. f.
Ecclesiastici caveant avaritiam & simoniam, 160. d.
Eclipsis solis facta moriente Christo visa est a sancto Dionysio Areopagita, 48. d. quæ in ea sint miracula, 385. c. & seqq. fuit ea per totam terram, 386. a. eclipsis nulla fit in plenilunio, ibid. c.
S. Eduardus Angliæ rex cum conjuge sua Edicha vixit pudice. 40. a.
Eleazarus filius Simonis, dux Zelotarum, templum insedit in urbis obsidione, 314. b. & seq.
Electio Dei est plane contraria electioni mundi, 181. c. electio certa facienda cuilibet per bona opera, 294. d. e.
Electi sunt duplices: ad gratiam omnes, ad gloriam salvandi, 313. f. g. electi possunt peccare, sed resurgunt, 314. c. fieri non potest ut damnentur in sensu composito, non in diviso, ibid. & seqq. an in eorum frontibus appariturus sit crux in die judicii, 317. f. g. tum illi gaudebunt plangentibus impiis, ibid. post patientiam adversitatem dabitur piis corona gloriæ & beatitudo æterna, 319. a. b. ovibus comparantur, 329. d. vocantur benedicti Dei, 330. a. excipiunt magna lætitia & dimissione sententiam Christi Judicis, ibidem. d. non flebuntur tunc miseria reproborum, sed iis exprobrabunt negligentiam, 318. f. g.
Eleemosyna est ingens fœnus, 91. d. ejus emblema, ibid. e. est subinde consilii, subinde præcepti, 21. secreta sit, 112. b. et etiam

Digitized by Google

etiam reprobis & infidelibus fieri poteſt, 331. *b. c.* illa magna eſt, quæ magno datur affectu pietatis, 435. *b.* & quæ dat neceſſario. ibid.
S. Elenchadius indicio columbæ Ravennatium ordinatus eſt Epiſcopus. 69. *c.*
Elias adhuc vivit, & veniet contra Antichriſtum, 239. *f.* ſecundum Chriſti adventum præcurret, 242. *d.* non eſt idem cum Joanne Baptiſta, ibid. *f.* ſed Joannes eſt Elias myſticus, ibid. *f. g.* & ſeqq. eum Judæi magni faciunt, & venturum expectant, 178. *c.* Chriſtus creditus eſt eſſe Elias, 226. *b.* eum vocari a Chriſto moriente & dicente *Eli*, putarunt milites Romani, 387. *a.* 388. *a. b. c.* cur ipſe & Moyſes apparuerint in Chriſti transfiguratione, 239. *b.* & ſeqq. idque in propria perſona, ibid. *f.* & glorioſa, ib. *b.* quid cum eo ſint locuti. ibid.
S. Eligius Epiſcopus Novium. quando floruerit, 332. *f.*
S. Eliſabethæ Landgraviæ pietas erga pauperes, 248. *g.* bonis omnibus ſpoliata, Deo gratias egit. 107. *c.*
S. Eleazarius Comes Ariani, omnes injurias illatas meditatione paſſionis Dominicæ ſuperabat, 89. *g.*
Emaus poſtea a Romanis dicta Nicopolis eſt, & cur, 440. *g.*
Emblemata omnia Evangelii recenſentur, 259. *a.*
Eminentes in ſæculo, erunt in cælo ultimi, 270. *e. f.* non tamen omnes, ibid. *f.*
Emmanuel eſt nobiſcum Deus, 42. *f. g.*
S. Ephrem in omnibus ſuis ſcriptis luget, 99. *b.* vidit columbæ ſpeciæ Spiritum ſanctum capiti S. Baſilii inſidentem, 69. *f.*
Epilepſia communis dæmoni eſt adſcribenda. 243. *a.*
Epileptici ſunt, qui nati ſunt in interlunio, 83. *a.*
ἐπιούσιος panis quis dicatur, 118. *a.* & ſeqq. & quis ſit, ibidem. *f.*
cur Epiphania tanta ſolemnitate celebretur, 48. *e.* in ejus vigilia Chriſtiani Græcis aquas haurire ſolebant, eæque diu manebant incorruptæ, 68. *a.* quin & fontes in vinum tunc converſi, ibid. *b.*
Epiſcopus vigil & prudens beatus a Domino dicitur, & ideo majore gloria donabitur, quam privati fideles, 322. *b.* & ſeq. Epiſcopi etiam ſurgere tenentur in Evangelii recitatione, 5. *c.* ſæpe a columba deſignati fuere, 69. *e.* ſunt dignitate inferiores Apoſtolis, 157. *b.* 158. *a.* & ſeq. in quo iis ſucceſſerint, & non ſucceſſerint, ibid. *b.* ſint vigilantes, prudentes & fideles, 321. *e.* tales rari ſunt, ibid. *f. g.* malorum Epiſcoporum caſtigatio, 322. *d.*
ἐπισήμαια diverſimode ab Interprete Latino vertitur, 20. *b.*
Eraſmus Roterod. jecit ſemina Arianiſmi, 226. *f.*
Error in fide vel moribus eſt ſpiritualis cæcitas. 155. *d.*
Eſſæi Chriſtianis favebant, imo Chriſtiani effecti ſunt, 61. *a.* primi fuere Religioſi. 406. *f.* eſt potius, non Eſſe, quam male eſſe, 407. *b.*
an Eſurierit Chriſtus ſæpius tempore jejunii ſui, an nonniſi poſt primi XL. jejunii dies exactos, 73. *c.* cur tunc eſurierit. 74. *a.*
Eſuries juſtitiæ quæ ſit, 90. *b.* & ſeqq. quatuor ejus gradus, ib.
Et ſæpe capitur pro *aut*, 97. *e. f.*
an Eva reſurrexerit reſurgente Chriſto, 391. *e.* mater fuit ploratus & perditionis, 440. *f.*
Evangeliſtæ quatuor, quatuor repræſentantur Cherubinis, 9. *g.* & ſeqq. quo ordine & tempore illorum quiſque ſcripſerit. 10. *d.* omnes inter ſe conſentiunt, quod eorum habet unus; habet & alius; quod hic ſubjicet, ille ſupplet; quod hic obſcure, ille clare enuntiat, ibidem. *d. e.* cur ſubinde inter ſe diſſonent, ibid. *e. f.* narrant geſta & dicta Chriſti pauca e multis, ſed non ſervant ordinem temporis in iis recenſendis, 16. *b.* verbis diſcordant, ſenſu concordant, ibid. *c.* quæ ſit ſingulorum in ſcribendo proprietas, 17. *g. h.* ſæpe ludunt in verbis elegantiæ cauſa, & idem nomen vel verbum ſtatim aliter atque aliter accipiunt, 18. *h.* 19. *a.* citantes Scripturam veteris Teſtam. ſæpe illam non verbo tenus, ſed quoad ſenſum citant, 20. *a.* quia brevitatis ſtudio rem geſtam involvunt, hinc ſubinde repugnantia dicere videntur, ibid. *c.* ſæpe novas formant voces, ubi res eſt nova, 118. *d.* eorum differentia quoad initium Evangelii, 410. *b.*
Evangelium proprie eſt lætum nuntium, item merces pro eo. 30. *d.*
Evangelii præcellentia & dignitas, & elogium, 3. *f.* dum id recitatur, cerei accenduntur, ejus reverentia, 3. *h.* per ipſum ſolemniter juratur. 4. *a.* eſt in honore hæreticis & dæmonibus: per id plurima patrata miracula, ibid. *b.* ejus materia eſt Chriſtus, tum qua Deus, tum qua homo, ibid. *c.* eſt compendium totius Theologiæ, & doctrinæ vitæque Chriſtianæ, ibid. *d.* ejus materia, auctor; methodus, ibid. continet doctrinam ſymbolicam, ibid. *e.* in eo rudiores inveniunt quo doceantur, ſublimia ingenia quod ſpeculentur, ibid. *f.* ad ipſum omnes alii novi Teſtamenti libri referuntur, ut ad baſin: eſt velut ſol inter planetas, ibid. *g.* ejus & legis Moſaicæ antitheſes, ibid. *h.* & ſeqq. dum in templo legitur, omnes aſſurgunt, 5. *b.* & ſeqq. eſt eadem reverentia audiendum, qua Chriſtus ipſe, ibid. *c.* idem ei honor deferendus qui cruci Chriſti, ibid. *c.* ejus quam præſtans ſit, ibid. eſt ipſa veritas, cujus lex tantum fuit umbra, ibid. *e.* eſt nuntius amoris, lex libertatis & charitatis, ibid. *f.* promittit cæleſtia, non terrena: eſt onus leve, eſt terminus legis. 6. *a.* & ſeq. datum eſt omnibus gentibus, & durabit ſemper, ibid. *c.* cuique hominum ætati, ſexui & gradui convenit, ib. eſt integrum & perfectum, ibid. *d.* tradit præcepta ſimul & conſilia, & ex utriſque mixta, 5. *g.* ejus ſublimia dogmata, 7. *a.* eſt Dei ad nos epiſtola, ibid. *b.* una cum præcepto proponit voluntati gratiam ad implendum, ib. *e.* ejus vis & efficacia ad animos permovendos, 17. *h.* facit Apoſtolos, ibid. eſt velut ſpeculum, ad quod ſuam quiſque faciem & alienam intueatur, & poliat, 8. *e.* cur dicatur ſanctum, 30. *b.* ejus perfectio, ib. *c.* cur grano ſinapi comparetur, 203. *e.* & ſeqq. cur fermento, 204. *d.* cur theſauro abſcondito, 206. *e. f.* facit reges cæleſtes, 80. *g.* id per omnem terram oſtenditur per lucernam ſuper candelabro poſitam, 96. *a. b.* cur ſagenæ comparetur, 207. *c.* ipſum prædicandum in deſerta Gentium multitudine repræſentat Joannes in deſerto prædicans, 58. *c.* ipſum prædicare & miraculis confirmare, munus eſt Apoſtolorum, 157. *f.* ejus prædicatio ſemini comparatur, 197. *f.* cur non parem ubique & in omnibus fructum proferat, ibid. *g.* & ſeqq. ejus prædicatio & doctrina ſenſim crevit, Chriſto in cælis quaſi dormiente & neſciente, 417. *f. g. h.* ante excidium urbis, per omnes provincias non fuit prædicatum, 311. *e.* ſed id fiet ante finem orbis. ibid.
Evangelium regni quid dicatur, 82. *g.* Evangelium ſecundum Hebræos cujus ſit auctoritatis, 9. *d.* non eſt Canonicum, ib. idem quoque dicitur Nazaræorum, quia hi eo utebantur, ib. Evangelium Nicodemi apocryphum eſt, 419. *e.* Evangelium S. Matthæi ſcriptum primo hebraice, 31. *c. d.* converſum mox eſt in linguam Græcam ab aliquo Apoſtolorum, ibid. *f.* ejus partitio, ibid. *h.* in quo id aliis Evangeliis præcellat, 32. *e. d.* id jam hebraice non invenitur, 31. *d. e h.* 32. *b. c. d.* id ſemper habitum fuit pro Scriptura Canonica, 408. *g.* Evangelia olim varia ſcripta ab hæreticis, & adſcripta Apoſtolis, 9. *a.* quatuor tantum ſunt legitima: ſunt ea probata ab Apoſtolis & Eccleſiæ auctoritate, ibidem. *b.* cur ſint quatuor, ibidem. *e.*
Evangelica doctrina de moribus, tradita a Chriſto eſt per breves gnomas, 16. *d.*
Evangelizare per totum mundum Apoſtolis ſæpius Chriſtus injunxit, 441. *a.*
cur Euchariſtia dicatur communio, eſt Sacramentum unionis, 100. *c.* eſt panis ſuperſubſtantialis & divinus, 118. *f.* dignior eſt manna, ibidem. æſtum concupiſcentiæ reſtinguit, 141. *c.* eſt convivium pinguium. 293. *d. e.* quo die ſit a Chriſto inſtituta, 338. *f. g.* eam unam cum cæteris ſumpſit Judas, 340. *a.* & ſeq. eſt inſtituta poſt cœnam agni & uſualem, & cur, 341. *d. e.* idque ſub horam noctis ſecundam, ibid. ſumenda eſt a jejunis, ibid. *e.* puritatem requirit conſcientiæ, ibid. *e.* in ea eſt vere corpus Chriſti, ſecus ac ſentiant hæretici, ibid. *g.* diu data fidelibus eſt in manus, jam datur in os, ibid. *h.* cur dicta Euchariſtia, 342. *a.* vere in ea eſſe corpus Chriſti demonſtratur ratione Theologica, phyſica, mathematica. 342. *c. d.* & ſeqq. dat nobis jus ad hæreditatem æternam in cælis, 344. *a.* non tantum eſt Sacramentum, ſed & ſacrificium, ibid. *c.* & ſeqq. eſt ipſa triplex ſacrificium, ibid. *e. f.* impetrat mediate culparum lethalium ſemiſſionem, ibidem. per eam Deo ſummus exhibetur cultus, ibid. *f. g.* eſt idea vitæ & paſſionis Chriſti, ibidem. *g.* animat Chriſtianos ad mortem pro Chriſto oppetendam, hinc omnes olim quotidie communicabant. 345. *a. b.* eſt ipſa virtutum multarum exercitium, ibid. *b.* debent eam ſumentes vitam vivere cæleſtem, ibidem. *c.* ei adſtant angeli, ibidem. *d.* datur in ea nobis pignus gloriæ cæleſtis, ibidem. *e.* effectus ejus varii, ibidem. eſt alimentum immortalitatis, ibid. *f.* quanta ad eam ſumendam requiratur vitæ puritas, ibid. *g.* in ea Chriſtus jugiter nobiſcum eſt, 405. *e.*
S. Eulogii presbyteri & Martyris Cordubenſis patientia injuriis: columba ejus corpori inſedit. 106. *h.*
Eunuchi triplices a Chriſto aſſignantur, 262. *e.*
S. Euſebius Vercellenſis Epiſcopus ab Arianis occiſus eſt, 55. *c.* alius Euſebius Martyr tortoribus ſuis inſultat, 381. *e.*
cur Exactores tributi a Chriſto didrachma non petant, ſed ab Apoſtolis, 245. *f.*
duplex Examen Chriſtus in nocte paſſionis ſubiit, 360. *b.*
Excæcatio tribuitur tum Deo hominem excæcatum deſerenti, tum homini ſeipſum proprie excæcanti, 199. *f. g.* excæcario Judæorum myſtice fuit denotata in velatione faciei Domini, 362. *e.*
de quo exceſſu Chriſti loquerentur Moyſes & Elias in monte Tabor, 239. *h.* & ſeq.
Excidium orbis Prophetæ & Chriſtus ſemper jungunt cum aliis excidiis, quæ fuere tantum præludia, & ab his ad illud ſaliunt, 316. *c. d.* & ſeqq. excidium Jeruſalem per Titum quam fuerit atrox & horrendum, 312. *g. h.* cauſa hujus atrocitatis fuit chriſticidium, 193. *a.* 313. *a.* eſt id præludium & typus excidii orbis. 311. *g. h.* 312. *g.*
Excommunicatio peccanti infligitur non ut pereat, ſed ut emendetur, 254. *d. e.* ejus & peccati analogia, ibid. *h.* in ea defunctus, non poteſt ab Eccleſia vel Pontifice abſolvi, 229. *h.* hæc gladio Petri denotatur, 355. *d.* & ſeq.
Exemplum plus movet quam verba, 301. *h.*
Exorciſtæ Judæi arte a Salomone tradita pellebant dæmones, 188. *d. e.*
Extrema cæli & terræ, quæ dicantur, 318. *f.* Extremæ Unctionis Sacramentum quando a Chriſto inſtitutum, 421. *f. g.* ejus proprietates & effecta. ibid. *g. h.*

F

FAber lignarius videtur fuiſſe Chriſtus, 208. *c.* hinc ſæpe a re lignaria petit ſimilitudines, ibid.
S. Fabianus judicio columbæ electus in Pontificem. 69. *e.*
Facienti quod in ſe eſt, non deeſt Deus, 328. *b.*
Faciei Chriſti fulgor omnes rapiebat, 150. *c.* hæc in transfiguratione aſſumpſit ingentem ſplendorem quaſi divinum, 237. *c.* duplici de cauſa fuit a Judæis velata, 361. *f.*
Facta præclara ſunt occultanda, 154. *a.* facta Chriſti, etiam parabolæ fuere, 198. *g.*
Factiones tres Jeroſolymis fuere tempore obſidionis, 314. *b.*
Falſi fratres Chriſtianos produnt, 311. *b.*
Fames Chriſti quatriduo ante mortem erat ſponte excitata, 288. *e.* fames ſuadet violare ſabbatum, 185. *e. f.*
Familia S. Joſephi refert imaginem SS. Trinitatis, 40. *a.* ea erat cælum terrenum. ibid. *b.*
Familiaritas parit contemptum. 209. *f. g.*

Digitized by Google

Fasciculus myrrheus contexitur ex illusionibus Christi, 362. d.
Fatum non noscitur ex astris, 466. c, & præsertim Christi ex stella, quæ Magis apparuit, ibid.
Fatuus dicitur, cibus insipidus, 95. c, fatuum vocare proximum, quam sit grave peccatum, 100. b.
Fax vocatur in Script. etiam lampas, 96. a. b, faces in nuptiis præferebantur sponsis, 324. c. d. e.
Febris dicitur a fervendo, est typus ignis concupiscentiæ, 141. a. ejus proprietates, ibid. b. febres variæ, ibid. c.
Felle potatus fuit Christus ante crucifixionem, 378. g. h.
S. Felicula in tormentis se Christi passi consideratione animabat, 381. d
an Feminæ in sexu virili resurrecturæ sint, 298. a. femina apud Judæos quando viro contribuli, quando alteri nubere potuerint, 35. d. Vide Mulieres,
Femoralibus non utebantur Judæi, 383. c.
Feriæ quartæ jejunium unde cœperit, 335. c. d.
Fermentum dicitur a fervendo, 204. d. ejus & Euangelii analogiæ, ibid. e. fermentum Pharisæorum & Herodis, erat eorum doctrina legi divinæ contraria, 426. a. ab hoc cavere suos jubet Christus, non quatenus legem docebat, sed quatenus eam suis vanis traditionibus vitiabant, 225. a.
Festuca quid sit, & ad res minimas refertur, 127. e.
Festo die male faciens gravius peccat quam aliis diebus, 414. g. h. festum decollationis S. Joannis quando celebranda, 423. b. festum Luminum apud Græcos, 70. f. g.
Ficti pauperes, mites, lugentes & pacifici, qui sint, 92. f.
Ficus nonnisi instante calore frondes emittit & grossos, ejus dulcor, 318. f. g. & seq. aliæ ejus proprietates, ibid. h. & seqq. fuit causa excidii Carthaginis, ibid. h. cur ficui Dominus maledixerit, 288. f. quid ea arefacta denoret, ibid. ex ficu se Judas suspendit, & an ex ea comederit Adam, 367. g. h.
Fidelis in Christo, ejusque lege & amore stabilitus, non curat persecutiones nec ullas minas, 133. d. sed in iis gaudet, 94. c. Deo obediens est Christi frater adoptivus, 196. a. sit velut granum piperis vel sinapis, 204. b. fidelium plures videntur salvandi quam damnandi, 130. d. sæpe ab infidelibus cognatis & consanguineis ratione fidei exagitantur, 171. a. & seqq. fideles omnes habent potentiam remotam ad continendum, 262. f. hi dicuntur filii Israel, 269. a. & sub virginibus sponso occurrentibus intelliguntur, 324. a. d. si careant operibus, sunt ficus foliatæ sine fructibus. 288. h.
Fides comparatur grano sinapis, 203. d. e. est donum Dei, 198. f. eam oblatam respuere grave est scelus, 164. c. meretur cognitionem mysteriorum regni Dei, 199. a. non denotatur veste nuptiali, 293. h. & seq. in Apostolis defecit in nocte passionis, 346. h. & seqq. cur id factum, 347. d. ipsa sine bonis operibus non prodest, nec ad salutem sufficit, 133. b. 324. d. 325. b. c. 405. b. 441. d. e. qualem fidem Christus, sanaturus ægros prius ab eis soleret requirere, 181. e. f. g. quomodo ei tribuatur salus animæ & corporis, 182. d. tunc sub ea omnes aliæ virtutes intelliguntur, ibid. est ea necessaria aliquid a Deo impetrare volentibus, 288. c. fides Christi quia initio nova erat & paradoxa, hinc a Judæis & Gentibus exagitati fuere ejus prædones, 167. a. b. fides miraculorum quæ sit, 147. d. est de Dei omnipotentia, 154. h. hæc requiruntur ad dæmonem ejiciendum, 243. c. & seq. & hæc fides, est fiducia opis divinæ impetrandæ, 244. a. & unde hæc oriatur, ibid. & seqq. potest hæc esse sine charitate, ibid. c. debet esse humilis, sed acris ac vehemens; & talis transfert montes, ibid. c. fides centurionis magna fuit, sed habuere alii majorem, 138. d. e. fides hæreticorum, quæ sibi remissa credunt peccata est vana imaginatio, 154. h.
Fiducia magna, magna impetrat, 140. d. ea est excitanda in malis ac tentationibus, 145. d.
quod fieri vis tibi honeste & recte ab hominibus, id ipsum iis præstandum, 129. b.
Filia Jairi an defuncta sit patre adhuc domi agente, 153. a. denotat peccatores lapsos ex ignorantia, vel infirmitate, 154. b. cur eam dormire dixerit Christus, 153. e. f.
Filius Religionem ingredi non potest in gravi parentum necessitate, 217. f. lege naturæ eos alere tenetur, ibid. verus Josephi filius fuit Christus, 35. g. & seqq. filio suo communicat Deus Pater omnia, 181. e. g. Patrem nemo novit nisi Filius, & Filium nemo nisi Pater, quid sit, ibid. g. est ei in dominio & potestate æqualis, ibid. h. filius Dei vivi est Christus, ex confessione S. Petri, 226. d. e. cur Filius hominis dicatur, 143. a. plus est filius hominis, quam homo, ibid. b. filii ob Evangelii professionem contemnent parentes suos, imo vitam & omnia pro pietate exponent, 171. b. filii sæpe luunt sua simul & parentum peccata, 306. c. d. non tamen puniuntur gravius quam propria peccata merentur, ibid. c. filii vocantur ab Hebræis omnes descendentes in recta linea, 33. g. h. nos sumus filii Dei, maxime imitatione ejus, 110. b. cur tres filios suos Herodes occiderit, 53. f. 55. d. aliorum filiorum superstitum dissensio, ibid. f. filii alieni dicuntur spurii, 192. g. filios Abrahæ de lapidibus suscitare potest Deus, 63. a. & seqq. qui filii Orientis dicantur, 44. d. filii regni dicuntur Israelitæ, 138. h. vox filii quid denotet Hebræis cum aliquo addita, 139. a. qui filii sponsi vocentur, 151. e.
Fimbrias quales in vestibus gestarent Judæi, 419. e. f. fimbriæ Christi tactu ægri sanabantur, 215. g. h.
Finis mundi quando futurus sit, 319. d.
Flagella olim multiplicia erant, 373. f. g.
Flagellatus est Christus antequam damnaretur ad mortem, 372. h. idque tantum semel, sed ad columnam ligatus, 373. a. idque atrociter, ibid. c. & seqq.
Flagellatio apud Romanos fuit vile servorum supplicium, 372. h. flagellatio Christi quam fuerit atrox, ibid. c. & seq. ejus modus fuit S. Brigittæ revelatus, 373. g.
Flagitium aliquod consuli aut juberi dum videtur in Script. id non proprie, sed figurate & mystice accipiendum est, 18. b.
S. Flavia Domitilla, quia Christo velata ut virgo a S. Clemente suasu SS. Nerei & Achillei, idcirco fuit cum his martyrio affecta, 169. a. b. alia S. Flavia virgo & Martyr nuda suspensa fuit, 380. b.
S. Flavianus Martyr spe gloriæ tormenta contempsit. 169. d.
Flavius Clemens patruelis Domitiani Imper. & Flavia Domitilla cognata, ob Christianam fidem interfici ab eo jussi, 166. h.
Fœnum a Deo venuste vestitur, quanto is magis vestiet homines, 124. g.
Fontes nonnulli in festo Epiphaniæ in vinum conversi. 68. k.
Forma consecrationis calicis expenditur. 344. a. & seqq.
Fornicatio est causa divortii, 103. b. c. non tamen fornicatio spiritualis, id est peccatum, ibid. d.
Forsitan quomodo addat Christus in rebus certo futuris, 17. b. hoc ut & forte sæpe accipitur pro utique. ibid. c. 180. c.
Fortitudine animi omnes dæmonis tentationes vincuntur, 77. a. b.
Franciscani sine censu, Deo providente, commode tamen ex eleemosynis fidelium vivunt, 88. b. c.
S. Franciscus suos a fœminis voluit cavere, 102. f. ad mortem usque fuit pauper, & in paupertate mortuus est, 87. e. f. 142. d. 331. d. ejus de paupertate elogium, 88. b. miraculum continuum in ejus Ordine, ibid. c. ejus de persecutione sententiæ, 94. d. a patre ob datam eleemosynam apud Episcopum accusatus, etiam vestes ei cessit, 107. b. hinc voriste nunquam petenti eleemosynam negaturum, 108. c. d. concinnavit paraphrasin orationis Dominicæ, 120. d. delectabatur avibus, præsertim alaudis, unde ei mortuo hæ etiam parentarunt, 123. e. f. ejus gnome de pecunia, 161. a. suos sine viatico prædicatum mittebat, 125. a. suum institutum hausit ex Evangelio, 162. c. intrepide fidem Christi coram Sultano Babylonis prædicabat, 170. g. mire ad martyrium anhelavit, hinc ter in Orientem ejus potiundi spe profectus est, 54. k. 170. g. instantem mortem militi suo hospiti prædicit, 172. g. horrebat vestis mollitiem, asperitatem vero amabat, 175. k. ejus visio de micis panum, 223. a. orans elevabatur in cælum, 238. f. quomodo socium suum Bernardum ad omnia sua relinquenda induxerit, 264. g. delectabatur pueris & agnis ob innocentiam, 248. f. & seqq. ejus suos ad paupertatem adhortantis oratio, 270. c. ei humili gloriosa in cælo sedes parata, 248. b. 270. h. & seq. cur Ordinis sui Superiores vocari voluerit Ministros, 279. h. doctor fuit humilitatis, 303. c. quemdam e suis mendico detrahentem severe corripuit, 332. e. in morte nudum se in terra prostravit. 380. b. c. per impressa sibi stigmata Christo crucifixo conformis effectus est, e. f. cur tantopere erga montem Alveniæ afficeretur, 498. d. e. cur in alieno sepelliri voluerit, 394. d.
B. Franciscus Borgia Societ. Jesu Generalis primo doctus est loqui *Jesus Maria*, 288. b. ejus humilitas, 341. a.
Franciscus Lucas linguarum cognitione excelluit. 11. b.
S. Franciscus Xaverius sine ullo viatico in Indias profectus est, 161. h. vitæ suæ prodigus erat, 165. b. ejus humilitas & modestia, 270. e. & seq.
Frater quis quadrupliciter dicitur natura, gente, cognatione & affectu, 40. d. e. fratri in nos peccanti semper dimittendum est, 155. g. h. fratres invicem sumus, 114. h. fratrum paria tria inter Apostolos fuerunt, 159. f. g. qui fratres Christi dicantur. 196. a. hi sunt ejus patrueles, 208. d.
Frigus an sit in inferno, propter quod dicatur futurus stridor, 120. b. c.
Fructus digni pœnitentiæ qui sint, 62. d. e. & seqq. fructus seminis dispar unde proveniat, 197. g. & seqq. fructus Spiritus sancti ascribens spiritui immundo, blasphemat in Spiritum sanctum, 190. b. & seqq. quid fructus verbi Dei centesimus, sexagesimus & trigesimus denotet, 202. a. b. quos denotet fructus, ibid.
Frumentum & spicæ quid moraliter denotent, 432. a.
Fuga persecutionis sæpe est occasio fidei propagandæ. 167. b. eam fugere quando sit præceptum, quando permissio, quando consilium, ibidem. an id præceptum fuerit perpetuum, ibidem. d. quando fuga Christi in Ægyptum contigerit, 51. b. c. non fuit ea formidinis, sed fortitudinis, ibidem. b. fuga Apostolorum capto Christo, 358. f. an ea licita, ibid. g. cur Fugere quam citissime suos Christus jubeat excidium Jerusalem, 312. a. b. & seq.
per Fulgur videtur cælum aperiri, 68. g. & seqq. fulguris descriptio, 399. c. d. optime angelorum naturam & dotes repræsentat, 10. b. item eorum gloriam: item quatuor dotes corporis gloriosi, ibid. c. d. item zelum, terrorem & iram ipsius angeli contra impios Judæos & milites sepulchri custodes. ibidem. d. item ignem gehennæ, ibid. unde fiat, & tam cito videatur, 315. c. 316. & Christi analogiæ, ibid.
Fundamentum Ecclesiæ est Petrus, 227. e. & seqq. 228. a. b. & seq.
Fundatores Religionum voluere suos habere bona in communi, 142. f. g.
Funibus adstrictum fuit corpus Christi in cruce. 379. a.
Fur dicitur a furvo, id est atro, 321. a. veniet Christus sicut fur, ibid. dum minime exspectatur, 180. a. b.
Futura conditionata novit Deus,

G

Gabriel idem quod fortitudo Dei, 398. e. f. an is per triduum custodierit cum aliis Dominicum sepulchrum, idem.
Galilæa vox idem sonat quod volubilis, vel transmigratio, 8. h. 412. c. d. & revelatio, ibid. c. erat duplex, superior & inferior, 80. b. erat valde populosa, ibid. g. in ea Dominus transfiguratus est, 236. d. e. cur in eam post resurrectionem ire Apostolos jusserit, 401. d. e. quæ fuerit ejus rei causa symbolica. ibid. Gali-

Digitized by Google

Galilæorum secta omne vectigal & dominium Cæsaris abnuebat, 245.
Gallinæ sollicitus amor in pullos, 307. a. infirmatur pro iisdem, ibid. e. voce se iis accommodat, ib. h. ramum rutæ sub alis habens tuta est a fele: est fœcunda & vigilans, ibidem. h. est typus Ecclesiæ & sacerdotum, 208. a. ejus ova salubria sunt & medica, 308. b. pro pullis toto corpore dimicat, ibid. b.
Gallus bis de nocte cantat, 347. h. 348. a.
S. Gallus incendium per Evangeliorum codicem extinxit, 4. b.
Gaspar Barzæus Societ. Jesu discordes ad unionem redigere inprimis studebat. 92. b.
Gazophylacium erat arca pecuniaria templi: sic quoque dicta porticus, in qua illa servabatur, 343. d.
Gehennæ vox unde dicta sit, 100. e. cur dicatur habere caminum, 206. b. *Vide* Infernus.
Gemmæ duodecim in cælestis Jerusalem fundamento positæ quos quæque Apostolos designent, 158. e.
cur per Genealogiam Joseph texatur Christi genealogia, 35. d. e. f. genealogiarum libros exactissime conscribebant Hebræi, idque die circumcisionis cujusque infantis, 53. f.
Generatio Christi a S. Matthæo texitur usque ad Abraham, 33. c. d. generatio Christi ex Virgine supernaturalis simul & naturalis, 37. g. h. generationes ab Abraham usque ad Christum sunt XLII. divisæ in tres tesseradecades, & cur, 38. b. & seq. aliæ earum rationes, ibid. d. cur generatio una Jechoniæ sit omissa in genealogia Christi, 35. c.
Genesareth est alius locus a Gerasa, 215. e. f. est idem qui Ceneret, vel Ceneroth: ab ea dictus est lacus illi adjacens stagnum vel mare Genesareth, ibid.
quod dicit Dominus *se non bibiturum amplius de hoc Genimine vitis*, non dixit in cœna Eucharistica; sed in agni paschalis, 345. h. 346. a. b.
Gentiles orantes multa verba effutiunt, 114. g. post epulas libabant aliis, & in illorum honorem pæana cantabant, 346. e. f. etiam inimicos dilexerunt, 109. b. injurias illatas condonarunt, 107. e. sæpe melius vivunt quam Christiani, 117. a. Gentium vocationem insinuat Christus, 151. a. eas adiri ab Apostolis se vivente vetuit Dominus, cur: sed post passionem passim ipsis evangelizatum est, 160. a. ipsæ omnes prius sunt convertendæ, quam sit futura orbis consummatio, 167. f. g. habebantur a Judæis ut canes, 220. h. quomodo his in regno cælorum sint præponendæ: 272. b. & seqq. Gentilibus Christianis laborantibus promissa merces spiritualis: longe nobilior, quam fuit promissa Judæis, 272. d. laboratum venerunt hora undecima, Judæi vocati hora prima, 274. a. b. quomodo dicere queant se a Deo non fuisse vocatos, 274. b. cum Judæis in una Ecclesia mixti fuere, id denotatum in asina & pullo ejus, 183. h. & seq. sunt in Ecclesiam admissi, Judæis venire renuentibus, 19. c. d. 222. a. 391. d. e. 293. f. g. h. cur vocarentur Græci, 425. b. c.
Genu utrumque in oratione flectendum, 113. d.
Genus humanum in Adamo peccans est velut ovis centesima errans, 251. b. d.
Gerasa alia est a Genesareth, 215. e. f.
Germen subinde dictus est Christus & cur, 56. g. h.
S. Gertrudis voluntatem suam divinæ semper accommodabat, 117. e.
Gesta Christi succincte per annos digesta, 11. f. & seq.
Gethsemani quis locus, quod ejus etymon, ejus distantia a cœnaculo: cur eo Christus secesserit, 348. e. f.
Gladio usi sunt Judæi in suppliciis reorum, 356. a. b. gladio aliquem mutilantes gladio peribunt, ibid. gladius Petri non fuit culter, sed ensis, 355. c. d. & seqq. quem gladium venerit Christus in terram mittere, 170. b.
Glires hieme non comedunt, 73. e.
in Globum transformanda non sunt Beatorum corpora post resurrectionem, 206. c.
Gloria filia laboris, 240. f. ejus fuga est via ad gloriam, 49. a. gloria mundi vana est & fugax, 284. d. e. vana gloria non semper est peccatum lethale, 112. d. vim virtutis erodit, 112. c. secus, si post clam irrepat & se ingerat, ibid. ejus damna, ibid. d. per eam tentat diabolus eos, quos gula superare non potuit, 75. e. gloria octuplicis scala, 93. d. cur gloria cælestis convivio exprimatur, 138. g. h. per denarium omnibus æqualiter datum intelligitur, 272. h. sed non eadem datur omnibus, 272. a. b. *Vide* Cælum.
Gnostici depravarunt suis additionibus Evangelium Sancti Matthæi, 31. a. docebant Christum in tormentis posse ore negari, modo ejus fides corde retineatur, 270. e. f. quomodo parabolam decem Virginum exponerent, 324. d. e. Godefridus Bullonius rex Jerusalem noluit ibi regia corona coronari, 376. a.
Golgotha petra scissa est moriente Christo, 390. e. Golgotha quænam vox, unde derivatur, 378. c. d. unde locus ubi crucifixus est Christus, dictus sit Golgotha, ibid. d.
Gomor erat mensura diurni victus sufficiens cuique, 125. b.
Gordiana amica S. Gregorii a Religione defecit, 294. e.
Gorgonia soror S. Gregorii Nazianz. tactu Eucharistiæ ab incurabili morbo fuit curata, 215. h. 419. g.
Grabatus erat exiguus lectus, 148. h.
Græci plerumque cœnabant, non prandebant, 139. b. c. cur Gentiles dicerentur Græci, 220. c. d. sæpe mutant *i* in *e* in verbis Latinis, 423. d.
negant Græci Christiani primatum Petri, 158. a. cur sacrificent in fermentato, 338. c.
Græca lingua olim late se extendit, 220. c. d. 407. g. h. ejus erat olim magnus usus Romæ, 408. g. ea S. Marcus Evangelium scripsit, 407. d. e.
Granum sinapis quid parabolice significet, 203. d. & seqq. ejus & Evangelii analogiæ, ibid. e. f.
Gratis accepta, gratis alii exhibenda, 160. e. f. gratis dare summi est momenti, cur, ibid. g.
Gratia crescit per actus remissiores, 173. a. & seqq. pro mensura gratiarum neglectarum quisque actius in die judicii castigabitur, 194. e. idem gratiæ gradus in diversis diversos operatur effectus, 327. d. e. gratia Dei & electio præservat electos a lapsu in gravissima tentatione, 314. g. ei ex æquo & totis viribus cooperandum est, 327. d. eam sæpe nonnulli in vacuum recipiunt, ibidem. g. eam semper postulantes, sunt pauperes spiritu, 86. c. d. talis paupertas quatenus ambienda & agnoscenda sit, ibidem, gratia gratum faciens tollitur peccato mortali, 328. f. gratia potens necessaria est ad quærendum Christum, 48. c. d. gratiæ Dei donum est vita æterna, 275. c. d. gratia prima non datur secundum naturales vires & merita, 326. f.
S. Gregorio libros scribenti dictavit Spiritus Sanctus scribenda per speciem columbæ ad aures ejus sedentis, 69. e. mortuum ab excommunicatione absolvit, 230. f. sua tacita eleemosyna meruit summum Ecclesiæ Pontificatum, 113. h. tres habuit amitas, quarum dispar fuit exitus, 294. e.
S. Gregorius Nazianzenus omnem terram pro patria habebat, 52. b. similis fuit Joanni Baptistæ, 58. f.
Gregorius Thaumaturgus fide sua montem templi fabricam impedientem transtulit alio, 244. h. & seqq. in monte orans, visus est velut arbor, 427. d.
S. Guilielmus seu Vvilelmus vel Dux Aquitaniæ conversus lorica ferrea carnem domabat, 59. e. quid senserit de pœnitentia vitæque circumspectione, 129. h.

H

HAbena dicitur ab *habere*, 202. e.
Habere pro *uti* sumitur interdum, 199. c. habenti dabitur, non habenti etiam quod habet auferetur, quomodo intelligendum, 198. h. & seqq. 328. g. & seqq.
Haceldama quid sonet & qualis vox, 368. c.
Hæmorrhoides communis Hebræorum morbus, 372. d.
Hæmorrhoissa fuit e Cæsarea Philippi: fuit ibi a Christo sanata & in miraculi memoriam ei imaginem erexit quotidianis illustrem miraculis, 225. g. 419. d. non fuit Martha, nec Veronica, 419. e. ejus fides & reverentia, ibid. h. & seq. cur tremens ante Christum procederit, ibid. h. non habebat adhuc perfectam fidem in eum, ibid.
Hæresiarchæ similes sunt cimicibus, qui vivi mordent, mortui fœrent, 95. d. sunt pseudochristi & seductores, 314. d.
Hæresis est lepra, 136. g. h.
Hæretici codicem Evangeliorum depravarunt, 9. a. hæretici judaizantes vinum & carnes dicebant a dæmone creata, 218. e. hæretici sunt lupi suis veste ovilla, 130. f. g. eorum fructus est duplex, primus pravæ doctrinæ, secundus pravorum morum & scelerum, 130. g. h. si faciant bona opera, ea non faciunt ratione fidei suæ, sed ex naturali propensione, 131. c. & seq. sæpe melius vivunt quam Catholici, 117. a. ad confirmationem suæ doctrinæ nullum hactenus edidere miraculum, 132. b. c. zizaniis denotantur, 202. g. cur vocentur zizania, 205. f. sunt exstirpandi & plectendi, 205. g. sunt portæ inferi, 229. c. censent impossibilem esse continentiam, 262. g. argumenta nova producunt, dum argumentis objectis respondere nequeunt, 289. c. sunt velut corvi atri, garrulæ picæ, & talpæ terrestres, 316. a. Sanctorum miracula calumniantur, 384. g. h.
Hebdomada ejusque dies omnes a sabbato denominabantur, 397. d.
Hebræi celebrant convivia vesperi, non de die, 209. h. dies civiles ab uno ortu solis ad alterum, sacros a vespera in vesperam computabant, 193. c. 338. f. 339. a. 397. f. pueris benedicere solebant, 263. a.

Hebræorum idiotismi.

Hebræorum verba actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc consummatum significant, 17. d. 224. h. antecedentia & causas tacent, consequentia & effectus narrant, 18. d. ex responsione colligendam relinquunt prævia interrogationem, ibidem. d. e. silent nonnulla quæ tamen dicta esse, vel ipsi postea, vel alii dicunt aut insinuant, ibidem. e. sæpe verbum ponunt sine supposito, quasi hoc ex circumstantiis, & antecedentibus & consequentibus facile intelligi possit, ibidem. f. exprimunt numerum, etsi aliquid ei desit aut supersit, item numerum ponunt definitum pro indefinito, 18. g. & seqq. comparationem duorum denotant per affirmationem majoris, & negationem minoris, ibidem. f. per verbum simplex significant omnia composita, 61. h. 178. d. instrumentum denotant per præpositionem *in*, 64. e. idem habent pronomen absolutum & reciprocum, 69. g. per timorem significant omnem Dei cultum, 78. h. usurpant imperativum pro futuro, 163. b. verba contactus tum corporalis, tum mentalis construunt cum præpositione *in*, 178. d. pronominis relativi vel demonstrativi antecedens non exprimunt diserte, sed illud ex circumstantiis intelligendum relinquunt, 174. b. ponunt relativum cum suo antecedente in nominativo, 191. b. *in* usurpant loco regiminis, 411. b. & loco accusativi, 411. e. *Vide* Judæi.
Hebraicus S. Matthæi, qui extat textus, est suppositicius, 31. e. h. & seqq.
S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ mire erga miseros & abjectos afficiebatur, 248. h.
Helvidius hæreticus docebat Deiparam alios e Josepho filios suscepisse, 195. d.
Hemerobaptistæ erat genus quoddam Pharisæorum quotidie sese lavantium, 217. b. c.

Digitized by Google

S. Henricus Imp. cum conjuge sua Cunegunde in matrimonio castitatem servavit, 40. a.
Henriei II. Imperatoris pœnitentia, 81. b.
Henricus II. Angliæ rex cædis S. Thomæ Cantuariensis reus, quam pœnitentiam subierit, 81. b.
Herbi, spica, frumentum adaptatur profecturi virtutum, 417. h.
Hereditas vitæ æternæ quam sit ampla, 270. h.
Hermiani hæretici suos igne baptizabant, 65. a.
Hero anachoreta miserè a diabolo illusus se in puteum præcipitat, 76. d.
Herodes Ascalonita voluit haberi pro Messia, 44. a. 52. d. & fuit habitus a nonnullis, 294. g. h. in eo defecit sceptrum de Juda, 44. a. cur turberur nato Christo, 48. e. ejus ambitio & crudelitas, ibid. g. cur clam ad se vocarit Magos, 49. c. cur stellæ apparitionis tempus ex iis didicerit, fingit se Christum velle adorare, sed necare destinat, ibid. erat suspitax & crudelis, 51. f. videns se illusum a Magis, iram in infantes effudit, 52. c. quas pœnas dederit ob eos necatos, ibidem. d. cur occiderit eos a bimatu & infra, 52. h. & quomodo id tempus intelligatur, 53. a. cur tamdiu cædem hanc distulerit, ibidem, a. d. inter cæteros occidit & filium quinti-duo ante suam mortem, ibidem. e. paucis ante mortem diebus jussit occidi primates Judææ, alios in carcerem conjecit, occisurus si diutius vixisset, ibid. h. 54. a. mox Dei sensit vindictam, ibid. d. cur eum fugerit Christus postquam Joannem incarcerasset, 410. g. & seq.
Herodes Antipas fuit filius Ascalonitæ, 44. a. ei ab Augusto concessa Galilæa, 55. e. & seqq. & postea datum nomen regis cum diademate, 55. h. instigatione Pharisæorum Joannem incarcerarit, 79. g. ab Aretæ rege Arabiæ socero suo victus est, 310. h. Christum illusit veste alba velut fatuum, 370. c. putabat Joannem in Christo resurrexisse, audiens ejus miracula & gesta, 422. a. cur vocetur rex, cum esset tantum tetrarcha, ibid. c. d. habuit duas uxores, ibid. f. Herodiadem ducendo tripliciter peccavit, ibid. erat malignæ indolis, & Joanni infensus, ibid. g. jussit eum decollari, 423. a. ob jusjurandum contristatus est, sed ficte, quia volebat eum perire, ibid. b. c. pulsus est in exilium a Cajo Imper. Lugdunum, ibidem. h.
Herodes Agrippa fuit nepos Ascalonitæ, & hujus filius Agrippa junior, coram quo S. Paulus causam suam peroravit, 44. b. ille illusus eo modo est quo alias Christus a Judæis, 376. e. f.
Herodiani unde dicti; favebant hi Romanis tributum exigentibus, 255. g.
Herodias concubina Herodis Antipæ, qualis fuerit, & cujus uxor, 422. e. commisit ei nubendo, incestum, ibidem, b. molita necem Joanni, etiam Herodem ad eam induxit, ibid. h. perist ejus caput in disco, ibidem. h. & ejus linguam acu perforavit, 423. h. sed punitionem Dei sensit, ibidem, cur Joannis caput reliquo corpori mortuo conjungere sit vetita, 219. g.
Heri servis magnam curam impendant, 140. d.
Hesperus eadem stella, quæ lucifer & Venus, 396. d.
S. Hesteria virgo in tormentis læto animo fuit, 381. e.
Hiems incommoda lugæ est, 312. f.
S. Hieronymus novum Testamentum Latinum correxit ad Græcum autographum, at non vertit id, sed tantum vetus, 31. f. g.
S. Hilarionis divitiæ erat codex Euangeliorum, 7. e. ab iis quos curabat, nulla admittebat dona, 160. a. hinc aurum sibi ab Oriono oblatum ut in pauperes distribueret, admittere noluit, 265. h. fide sua mare intumescens stitit, 244. c. cæcæ vitam sputo restituit, 426. h.
Hippone post mortem S. Augustini a Vvandalis fuit capta & incensa, 309. h.
Hirundines hieme non comedunt, 73. e.
Hispani moribundi olim monasticen profitebantur, & cur, 80. h. 81. a.
Hædi typus sunt reproborum, & quare, 329. f.
Homeritæ sunt incolæ Arabiæ Felicis, 45. b.
Homicidæ puniendi morte, nisi necessitate, vel fortuito mortem intulerint, 98. e. justo Dei judicio pereunt gladio, ictu serpentum, aut morsu ferarum, 356. b. c.
Homicidium, ejusque præludia etiam lege vetantur, 98. e. f. & seq.
Homo S. Matthæi est symbolum, 10. a. homo septem dies jejunans emoritur, 73. d. e. est velut centurio, qui præest sensibus, viribus & potentiis suis, velut militibus, 140. d. e. homo mutandus, ut ejus opera mutentur, 190. g. ejus in operando continuo infirmitas, 249. d. ejus & arboris novem analogiæ, 427. b. est omnis creatura, cur, 441. b. homo ex Deo natus potest peccare, 131. d. homo immisericors est, respectu Dei summe misericordis, 257. b. c. homo præfidens sibi, fragilis est ac labitur, 362. g. homines aliqui non sunt ex natura boni, aliqui mali, 131. d. omnes sunt Dei mendici, 117. h. 118. a. & invicem fratres, ibidem, ac plantæ a Deo plantatæ, 218. g. h. omnes habent angelum ad sui custodiam ab ortu usque ad mortem deputatum, 249. f. & cum Dei notione in mundum veniunt, 288. b. c. sunt servi Christi, duplici titulo, 329. b. omnes coram Christo in die judicii comparebunt, 349. e. homo omnis nobis est proximus & quasi frater, 299. d.
Honor sequitur fugientes, 121. e. ejus ambitus a Christo veratur, 302. f. honor parentibus debitus tria continet, 217. e. ad honorem Dei referenda sunt omnia verba nostra & opera, 192. a. in templum Honoris non patebat aditus nisi per templum Virtutis Romæ, 277. e. *Vide* Gloria,
Horæ diei, quibus vinitores illi Euangelici laborarunt quid mystice significent, 273. b. c. hora quælibet Judæorum tres nocturnas complectebatur, 439. f. cur hora nona mortuus sit Christus, 389. a.
Horoscopus Christi nascentis quis fuerit, 46. b.
Hortus vicinus Gethsemani villæ describitur, 348. e. f. cur in eo Christus suam passionem sit orsus, 348. b. 394. e.
Hosanna quid sit, 285. a. & seqq. unde desumptum, ibidem, b. *hosanna filio David*, quid sibi velit, & quo referatur, ibidem, d. e. hosanna festi Tabernaculorum quid sit, ibidem. d. g.
quid Hosius Cordubensis Ancifes Constantio Imp. Ariano responderit. 230. b. c. 296. g.
Hospes Prophetæ, ejus & prophetiæ meritum accipiet, 171. d. e. hospes Martyris sit Martyr, ibid. f.
Hospitentur visi Apostolici apud probos, 164. e. f. hospitium ne facile mutent, ibid.
Hostes etiam diligi jussit lex vetus, 108. e. etiam Christus, ibid. g.
sub parva Hostia totus contineri Christus potest, 398. h.
S. Hubertus martyrii fuit avidissimus, 370. g.
Humanitas Christi fuit exemplar sanctitatis, 40. h. ex unione cum Verbo summæ & quasi immensæ erat dignitatis, 64. g. est in cælo & Ven. Eucharistia, 405. e.
Humilians se exaltabitur, 303. b. & seqq.
Humiles solent esse mites, 88. f. humiles mente & voluntate sunt pauperes spiritu, 86. a. cælo apti censentur, 247. e. Deum summe honorant se demittendo, 248. b. amantur ab Angelis, 250. c.
ex Humilitate agnoscitur aliquis sanctus seu perfectus, 67. e. ejus signa, ibid. h. ea dicitur omnis justitia, 67. b. & seqq. ibidem. h. est gratiæ, gloriæ, regnique cælestis initium, 86. b. est honor Christiani, ibidem. in superbo mente habitare nequit, 283. g. h. est omnium animi & corporis morborum medicina, 182. d. e. ejus dignitas & effectus, ibid. cur ipsa Christo chara sit, ibidem. g. h. est sedes pacis, ibidem. h. tollit omnem laborem, ibidem. est virtus Christi, ibidem. facit jugum Christi suave, 183. a. est soror mansuetudinis, ibid. est preciosa margarita, 216. g. via est ad cælum, 247. g. 248. a. b. tres ad eam stimulos dat Christus, 247. h. ejus elogia, 248. b. gnomæ de eadem, ibid. d. dat homini cognitionem sui, 248. c. d.
quem Hymnum Christus post cœnam dixerit, 300. d. f. & prisci Christiani hymnos canebant, ibid. e. f.
Hypocrita est quasi histrio: est bicors & bilinguis: est Deo exosus, 112. ejus descriptio, ibid. f. est falsus doctor, 131. a. sæpe denotat impium, 322. e.
Hyssopus herba describitur, huic circumpositum fuit acetum quod Christo propinatum, 387. g. h. ejus vires & potentia, ib. ejus usus in mundatione leprosorum, ibid. h.

I

Jacobi etymon, 82. a. an Jacob Patriarcha in utero matris fuerit sanctificatus, 36. b.
S. Jacobus Major filius Zebedæi, Hispaniæ Apostolus fuit, 158. g. interfuit transfigurationi Domini, 236. c. d. in quo fuerit tonitru, 415. b.
an S. Jacobus Alphæi, vel Minor, in utero fuerit sanctificatus, 36. b. cur dicatur frater Domini, 159. b. est alius a Majore filio Zebedæi, 208. e. fuit avunculus Majoris, ib. unde dicatur Minor, 159. b.
Idololatria vocatur in Script. adulterium, 192. f.
Jechonias tam dictus est pater Joakim, quam ejus filius Joachin, uterque rex Juda, 35. a. b.
Jejunabant olim in luctu, 151. e. f. jejunans vultus mæstitiam discutiat, 120. b. 121. a.
a Jejunis sumenda Eucharistia est, 341. e. & seqq.
cur Jejunium vocetur statio, 72. b. potens est ad pellendos dæmones, 244. f. quomodo institui debeat, 120. g. facit homines melancholicos & biliosos, ibid. est id dissimulandum coram hominibus, 121. a. b. jejunium privatum solvere licet ob hospites, 151. c. d. in die jejunii carnes comedens peccat, quia inobedientia & intemperantia inquinat animam, 218. e. f. jejunium discipulorum Joannis quale esset, 151. c. jejunium Eliæ per XL. dies supernaturale fuit, 73. b. jejunium priscorum Christianorum quam esset rigidum, 73. b. quando jejunium suum Christus coperit, 71. e. quæ ejus fuerit causa, 72. f. & seqq. id fuit supernaturale. 73. d. ut & aliorum, qui ita jejunarunt, 73. b.
Jeremias putatus est venturus cum Elia in fine mundi, 226. b.
Jericho quantum distet a Jerusalem, 280. d.
Jericho etymon. ibid. e. quid symbolice designet, ibid. e. f.
cur Jerusalem primo adierint Magi Christum stella duce quærentes, 44. d. cur ea turbetur audiens natum regem novum Judæorum, 48. e. f. cur vocetur filia Sion, 283. g. & civitas sancta, 391. f. fuit Prophetarum carnifex, 367. d. quia Christum interfecit, relicta, deserta & a Romanis expilata & excisa est, 309. b. quæ ejus excidium signa præcesserint, 310. f. a Tito solo æquata fuit, & postea facta est urbs Gentium, dein Christianorum, ac postea Turcarum, 313. d. futura est sedes regni Antichristi, ibid. dicta deinde ab Hadriano Imp. Ælia, ib. a. tempore obsidionis tres in ea fuere factiones, & singulæ suos habebant duces, 314. b.
Jesse suo nomine præfiguravit Christum, 34. f.
Jesus idem est quod Salvator, 30. c. & seq. & quod Emmanuel, 42. d. *Vide* Christus.
S. Ignatius Antioch. quantopere ad martyrium anhelarit, 170. f. ejus constantia, 94. c.
S. Ignatius de Loyola in continua vixit quasi persecutione, 93. b. 94. a. ejus sermo efficax erat, 134. b.

Digitized by Google

Ignem compescuit Evangeliorum codex, 4. *b. c.* quos habeat effectus, 65. *b. c.* quid mystice denotet, 430. *a.* quo sensu suos igne Christus baptizet, 65. *b. c.* igne vero suos baptizabant Hermiani & Seleuciani hæretici, 65. *a.* ignis gehennæ inexstinguibilis, 65. *f.* idem numero durat in æternum, ibidem. & seqq. 332. *g. h.* in distantissima agere potest, 146. *b.* qualis sit, 331. *f.* primo & per se paratus fuit dæmonibus, postea consequenter etiam hominibus eos imitantibus, 237. *g.* quomodo is dæmones cruciet, ibidem. *c.* reprobos non absumet, 332. *h.* & seq. erit velut sal, corpora a corruptione præservans, 441. *b.* & seqq. ignis cælo delapsum impedivit Judæos templum suum Hierosolymæ restaurare, 313. *f.*

quinque Illusiones Christo a pontificum famulis per tres noctis horas illatæ, 362. *d.*

Imaginis ab Hæmorrhoissa erecta vis: ea eversa suam ejus loco posuit Julianus Apostata, sed hæc fulmine icta dissiliit, 419. *d.*

Immisericordes ob opera misericordiæ neglecta damnantur, 332. *c.*

Immisericordia nolentis proximo offensam dimittere, est peccatum mortale, ideoque culpam remissam revocat, 257. *h.*

Immundorum contactus, quia inquinabat, hinc crebro se Judæi lavabant. 216. *h.*

qui Imperare vult, discat prius obedire imperanti, 138. *b. c.*

Imperatores non se immisceant rebus sacris, 296. *f.*

Imperio delectati dure regunt, 432. *c.*

Impii vocantur paleæ, 65. *e. f.* subinde prophetant, sed non ad hæresim stabiliendam, 132. *b.* possunt abuti gratia miraculorum, ibid. *g. h.* cur dicantur filii diaboli, 205. *f.* cur scandala, 206. *a.* si in peccatis perdurent, resurgere nequeunt, 354. *b.* & seq. sub finem sæculi, etiam post tot signa visa, non resipiscent, sed genio indulgebunt, 320. *d.*

Implere omnem justitiam, quid sit, 67. *b.*

Impossibile sæpe vocat Scriptura, quod admodum est difficile, 266. *b.* Deo nihil est impossibile, 267. *a.*

Impostores Judæorum varii enumerantur, 314. *b.*

Incarnatio Filii Dei, fuit omnium Dei operum summum, & maxime stupendum, 37. *h.* quas in ea ostenderit virtutes, ibidem, ejus mysterium optime, per modum stuporis consideratur, 42. *d.* & seqq. per illam Deus nobiscum est, ibidem, *d. e.* magis stupendum est opus quam mundi creatio, 45. *f.*

Incipientibus in via perfectionis, quæ sectanda, 265. *h.*

Inconstantes sunt velut lunatici, 83. *b.* & similes arenæ, 133. *b.*

Inconstantiæ typus & adagia, 175. *d.*

an Magi Christum puerum adorantes fuerint ex India, 44. *f.*

Indulgentiæ dantur defunctis per modum suffragii, 230. *e* 231. *a.*

Infantes omnes recens nati dicunt *a.* vel *e.* 401. *d.* infantes in peccato originali mortui mediam sententiam accipient, 329. *f.*

Infantes loqui nescii Christo triumphanti etiam acclamarunt, 287. *h.* prima infantium vox sit pia, ibidem omnes primo Deum sonant, ibidem, & seq. infantes Bethlemitici cur casi a bimatu, 52. *d. e.* quantum hic tempus complectatur, 53. *a.* eorum cædes contigit decimo quinto mense a nato Christo, ibidem, *h.* quo pacto omnes necati, ibidem. *f.* idque circa Pascha, 53. *h.* occisi sunt CXLIV. millia, 54. *a. b.* sunt Martyres, ibidem, *b. e.* 55. *a. b.* iis non est acceleratus usus rationis, 54. *f.* fuere quasi agni paschales, quia circa Pascha cæsi, 54. *c.* & flores Martyrum, 54. *g.*

Infernus unde sit tenebrosus, 139. *h.* & quare vocetur tenebræ exteriores, ibidem. ejus capacitas, 130. *c.* ejus pœna duplex, 206. *a.* ejus cogitatio stimulus est ad vitiorum fugam, & studium virtutum, 333. *c. d.* ejus oblivio causa damnationis est multorum, ibid. *c. f.* cur in eum relegari timeant dæmones, 146. *d.*

Infideles ab Ecclesia puniri vel excommunicari nequeunt, 252. *f.* proprie non pertinent ad fideles: in die judicii non judicabuntur, 268. *f.*

Infidelitas dicitur in Script. adulterium, 192. *f.*

Ingratitudo post acceptam remissionem valde peccatum adauget: quomodo præterita peccata revocet, 257. *d. e.* ea maxime æstimatur in quatuor peccatis: est causa peccatorum mortalium, 258. *a.* hæc fuit ex parte causa tristitiæ, quam Christus in horto passus est, 348. *h.* & seq.

Inimicos diligi jubet lex naturæ, 108. *e.* etiam lex Evangelica, ibidem. *g.* in eorum dilectione sita est perfectio, & quare, 109. *d. e.* eam docet Christus patiens, 353. *h.* ejus emblema, 382. *g.* pro inimicis orare nos oportet exemplo Christi, ibid. *f. g.*

Injurias non dimittens non obtinebit peccatorum remissionem, 119. *c. d.*

Innocentiæ silentium, vocalius est omni defensione, 370. *b.*

Insidiatores cavendi sunt, & quare, 165. *g. h.*

quæ Insignia regalia milites Christo exhibuerint, 376. *d.*

Insolubilitatis matrimonii quæ sint causæ, 260. *a.* id insolubile primitus est institutum, ibid. *d.*

Inspirationes sanctas respuere grave est scelus, 165. *e. f.* inspiratio divina tropologice stella est, 47. *f.*

Insuperabilia tria, Deus, Angelus, vir Christianus, 133. *g. h.*

Intellectus est animæ oculus, 121. *h.*

Intentio mentis oculo repræsentatur, 122. *b.* ejus effectus, tam puræ, quam impuræ, ibid. intentio bona absolute non requiritur, ne verbum sit otiosum, 191. *e.* intentio bona ex actionibus indifferentibus facit bonas, 192. *c.* at mala totum opus bonum destruit, 112. *e.*

Interpres Evangeliorum non est S. Hieronymus, sed alius minus Latinus, 31. *g. h.* ille idem verbum Græcum diversimode vertit, præsertim dum una vox Latina vim verbi Græci non adæquat, 20. *b.* in Marco græcisat, 408. *a. b.* qui sint interpretes Evangeliorum, 10. *c.* & seqq. qui interpretes in quo excellant, etiam hæretici, ib. 11. *c.* & seq.

Intrare in tentationem, quid sit, 352. *a. b.*

Invenio sæpe idem est quod impetro, eruo, comparo, assequor, 171. *b. invenire animam*, quid sit, 172. *a. invenire* subinde idem quod quærere, ibid.

Invidiæ damna & remedia, 279. *c.*

Invitantur omnes ad Christum, 182. *b.*

Joannis etymon, 81. *c.* & quid sonet, 227. *a.*

Joannes vocatus est pater S. Petri, & crasi Jonas, 227. *a.* vel fuit binomius, ibid.

S. Joannes Abbas triennio sola vixit Eucharistia, 75. *b.*

S. Joannes Evangelista aquila denotatur, 10. *a.* solus narrat gesta anni primi prædicationis Christi, 79. *g.* 81. *d.* dilectus Domini fuit, 158. *g. h.* cur cum calice pingatur, 278. *a. b.* an vere fuerit Martyr, ibidem. & seqq. non perdidit fidem in Christi passione, 347. *c. d.* non est cum Petro Christum captum secutus, 358. *d.* in quo fuerit tonitruum, 415. *h.* & seq. eo Evangelium scribente, visa fulmina, & audita tonitrua, ibid.

Joannes Baptista fugiens Herodis persecutionem bimulus secessit in eremum, 53. *d.* in ea vixit usque ad ætatis annum trigesimum, 58. *b.* & qua de causa: fuit princeps monachorum & anachoretarum, ibidem. *c.* habitus & vocatus fuit angelus, ibidem, *d.* in deserto egit in spelunca, & ibi prædicavit pœnitentiam, 58. *d.* & seq. fuit vox Dei, 59. *b.* ejus vestis fuit vilis, aspera & cilicina, ibidem. *c.* cur tam austeram ageret vitam, ibidem. *d.* cinxit lumbos zona pellicea, ibidem, *f.* comedit locustas, ibidem, *h.* & licet cibus hic noxius sit, ipsi tamen non nocuit: non bibit nisi aquam, 40. *a. b.* edit quoque silvestre mel, ibidem, magnus ad eum fiebat hominum ex urbibus confluxus, ibidem, *d.* baptismus ejus qualis esset, ibidem, Pharisæos acriter increpabat, 61. *g. h.* negat se esse Messiam, etsi ut talem eum populus haberet, 64. *d.* ejus humilitas, ibidem, *g. h.* cur baptizaret, 66. *a.* an fuerit a Christo baptizatus, 66. *e.* ipse baptizavit Christum, ab eo jussus id facere, ibidem, *h.* quare discipulos suos ad Christum miserit, 174. *b. c. d.* non dubitavit num Jesus esset Messias, nec an sit iturus ad limbum, ibidem, *c. d.* ipsius prudentia, ibidem, *e.* laudatur a Christo a constantia in dictis, 175. *c.* a victus asperitate, ibidem, *h.* fuit plusquam Propheta, 176. *a.* omnium veteris testamenti fuit maximus, ibidem, *c.* in quibus major fuerit Moyse, ibidem, *d.* fuit quasi continuum miraculum, alia ejus elogia, ibidem. *f. g.* viam aperuit ad regnum cælorum, 177. *b.* fuit quasi lucifer Evangelii, 178. *a.* cur dicatur Elias, ibidem, cur & ubi in carcerem sit conjectus, 422. *c.* fuit vere Martyr, ibidem. *h.* præscivit suam necem, 423. *b.* ejus caput in disco epulis illatum, ibidem. *d.* septem ejus laureæ, ibidem. *e.* quando sit occisus, & quo mense, ibid. sepultus est in Sebaste, ubi plurima patravit miracula, 424. *a.*

S. Joannes Calybita librum Evangelii pro censu habuit, 7. *f.* super S. Joannis Chrysostomi ordinandi in sacerdotem caput advolabit columba, 69. *f.* nunquam juravit, 104. *d.* in exilium actus, sui oblitus, curam habuit suorum, 364. *b.*

Joannes Eleemosynarius ad eleemosynas faciendas accensus fuit exemplo Serapionis, 5. *g.* prius cum Clerico, a quo offensus erat, in gratiam rediit, quam sacrificium Missæ peragreret, 101. *a.* omnibus egentibus dabat, 108. *c.* quid egerit ut principem iræ tenacem ad reconciliationem adduceret, 119. *d. e.*

Joannes Fernandes illatam a Japone injuriam patienter excipiens, causa fuit, ut Japones ejus doctrinam sint amplexi, 106. *a.*

Joannes Gerson studiose pueros docuit, 263. *e.*

Joannes Laydanus rex Anabaptistarum Monasterii, 314. *c.*

Joannes Marcus alius est a Marco Evangelista, 406. *b.*

e littera *Jod* maximam hæresin confinxit Valentinus, 97. *b.*

Jojada sacerdos alio nomine dictus Barachias, 307. *b.*

Jonas absorptus & ejectus a cete, est signum Christi mortui & resurgentis, 192. *h.* quo tempore Ninivitis prædicarit, 193. *g.* ejus & Christi antitheses, ibid. *h.*

Jordanis fluvius unde diceretur, 60. *d.* ejus aqua a Christi baptismo non corrumpitur, 68. *c.* ubinam ejus origo, 225. *e.*

S. Josaphat Eremita duro carnem strinxit cilicio, 59. *e.*

per Joseph successit Christus in regnum Juda, 35. *e.* ejus pater & avi fuere maximi natu, ut jus regni Davidici ad eos devolveretur, ibidem, fuit jure & vere Christi pater, ibidem, *g.* habuit in eum paternam auctoritatem, 36. *a.* ei debetur summa dulia, ibidem, *b.* ejus dignitas & prærogativa: fuit maritus B. Virginis, pater Christi: & uterque eum summopere amavit & coluit, ibidem, *c.* ejus officium & ministerium fuit nobilissimum, ibidem, *d.* factus est secretorum divinorum particeps, & summarum Christi & B. Virginis virtutum quotidianus inspector: fuit eximiæ sanctitatis, & raris naturæ & gratiæ dotibus a Deo instructus, ibidem, *d.* in gratia & gloria antecellit Apostolos & Joann. Baptistam: est vita functus ante mortem Christi: post mortem una cum ipso resurrexit, ibidem, sua virginitate meruit ut fieret conjux B. Virginis, ibidem, *h.* multum sanctitatis e quotidiana ejus conversatione accepit, ibidem, *d.* & seq. crevit in amore & reverentia Christi: fuit angelus potius, quam homo: a S. Theresia magno in honore habitus fuit, ibid. *g.* an fuerit in utero matris sanctificatus, ibidem. *h.* fuit vir & conjux Deiparæ, 39. *b.* & seq. fuit virgo, & B. Virginis famam & virginitatem tutatus est, 39. *g.* 195. *d.* ejus magna virginitas, ibidem, *h.* ejus familia fuit symbolum SS. Trinitatis, & cælum terrenum, ibidem, *a.* nesciebat initio B. Virginem de Spiritu sancto concepisse, 40. *e.* cur eam voluerit dimittere, ibidem, *b.*

Digitized by Google

pon comitatus est eam, dum Elisabeth visitavit, 41. e, f. cur ejus nulla fiat mentio in adoratione Magorum, 49. h. cur Archelaum declinarit, 59. e, jussus ab angelo ex Ægypto in terram Israel redire, Judæam intellexit, sed audito ibi Archelaum regnare, secessit in Galilæam, cur, ibid. h. non aliam habuit uxorem, quam B. Virginem, 195. d. per eum Christus in mundum intravit, & per alium Joseph exivit, & sepultus est: Joseph quid significet, 393. b.
Joseph ab Arimathæa erat senator Jerusalem, & ibi habitabat, noluit subscribere sententiæ collegarum damnantium Jesum, 393. b. erat Christi discipulus, petiitque ejus corpus a Pilato audacter, ib, c, quid Pilato allegarit ad ipsum impetrandum, ib. d, mira de eo historia, ib, e Judæa ablegatus, in Anglia Christi fidem prædicavit, ibidem. f, corpus Christi gratis a Pilato accepit, ibid. f. id sepulturus involvit in sindone munda, ibid. g,
Josephus historicus putabat concupiscentiam internam non esse peccatum, 102, a, ejus de Christo testimonium, 404. a. ejus errores aliquot, 422, f,
Joseph vel Joses frater Jacobi Minoris fuit e LXXII, discipulis Christi, 208. e.
Josue, transito Jordane, in ejus medio alveo duodecim erexit lapides, 63. b,
Ira in corde supprimenda est, 89. f. ira externa & interna vetatur præcepto homicidii, 98. f, h, quæ ira sit licita, quando sit peccatum, quando non, 98. f. aliquando est laudabilis, ibid. quomodo a Deo puniatur, ibid. h, iræ privatio, 99. a. est aliquando levis, aliquando gravis, ibid, e. f. & juxta ejus gravitatem punitur minus vel gravius, ibid, g. h. non fuit in Christo, sed domita, 414. b. & seqq, ejus definitio, 415. a, ea aliter in hominibus est, aliter in Christo fuit, ibid. a, b, omnis ira mixta est dolore, ibidem. b. ira judicis Dei timenda, 61. h, hæc cavenda per præsentem pœnitentiam, 62, c. 63. g. h.
Irritare alium non oportet, ut tuam ab eo læsus exerceas patientiam, 107. a, b,
Isaac figura fuit Christi, 34. b,
Israel dicebantur omnes Hebræi, 384. d, Israelis regimen tertio fuit mutatum, 38. c,
Israelitæ cur dicantur Filii regni, 138. h.
Juda vocabatur tribus Juda, quæ regnum fuit, 43. h,
Judææ regnum mortuo Herode divisum in tetrarchiam: sed Judææ proprie dictæ præfuit Archealus, 55. f. eo in exilium acto suffecti præsides Romani, ibid, g, in ea Christus a resurrectione non nisi obiter apparuit, 401, e, f, & seq,
Judæi in cloacam delapsi, & sabbato extrahi nolentis, exemplum lepidum, 186. e. Judæi longas suas vestes zona succingebant, 59. f. gloriabantur quod essent filii Abrahæ, 62. h, in ceteris casibus debebant peccata sua sacerdoti confiteri, 60. e. frequenter Græca nomina assumebant, 81. g. h, 158. f, orabant tum stantes, tum genuflexi, 113. c. Gentiles æstimabant viles & impuros velut canes, 138. g, 220. h. vocabant se populum sanctum, 150. f. cælum & astra pro Deo colere, 289. e. f, legis divinæ observantiam & memoriam externis quibusdam signis indicabant, 302. b, non habebant usum ceræ ad lumina, 323. g. subacti a Romanis etiam usi gladio in reorum supplicis, 378. e. f. linguam Græcam perdiscebant, 407. g. diem & noctem in quatuor horas dividebant, 439. f, eorum sepeliendi ritus, 393. b, eorum doctores manu ferebant virgam, 163. a, promissa iis olim fuit merces temporalis, 272, d. non libenter solvebant vectigalia Romanis, nec tributa, 150. e. 295. c. an juste fuerint Romanis subjecti, 297. b. sponte se Romanis dediderunt, 296. b, jam a Romanis subacti, utebantur computu eorum in die & nocte disterminandæ, 193. d. e. didrachmam census ipsis pendebant, & qua occasione, 245. d. e. eam solvebant inviti, sed a Vespasiano subacti ipsum, quod templo alias pendebant, in Capitolium ferre jussi sunt, ibid. e, habebant jus aliquem crucifigendi, 366. g. h,
Judæi dissoluti, qui Gentilibus familiares erant, & gentiliter vivebant, vocantur in Evangelio peccatores, 150. f. nam tempore Christi scelestissimi erant, 352. h. non tamen omnes erant mali, sed multi ex iis erant ejus discipuli, vel in fide patrum firmi, 368. f. eorum incredulitas in Christi actis, 243. d. g. eorum diversa de ipso opinio: alii credebant eum esse unum e priscis Prophetis, pauci esse Messiam, 225. b. qui nesciebant Christum esse Dei filium, eum crucifixerunt, 382, g. in quo Cainum sint imitati, & eum ut patrem habeant, 306. g. adimplentes Scripturas de occidendo Christo, an peccarint, 356. g. venientes ad Christum capiendum, uno verbo prosternuntur in terram, 354. g. eorum cæcitas, 355. a. eorum Christum ad necem præ Barabba petentium punitio durat usque hodie, 371. g. h. & seq. imprecantur sibi & posteris culpam & vindictam effusi a se sanguinis Christi, 372, c, instanter eum in crucem agi petunt, ibid. a. voluerunt eum infami morte ex odio afficere, 380. c. ei crucifixo probra ingerunt, 384. a. & quæ: ibid. eorum multi conversi ob Christi mortui resurrectionem, 192. b,
Judæi & Galilæi, adventantibus Romanis, turmatim Jerusalem confugerunt, putantes ibi se fore tutos, 311. b, eorum clades per Titum contigit ob Christum occisum, 313. a. atque inde convinci possunt Messiam jam venisse, & esse illum, quem ipsi occiderunt, ibid. b, quot eorum in urbis obsidione perierint, & ea capta divenditi & necati fuerint, ibid. c. quot eorum millia excidio superfuerint, & salvata sint, ib. h. & seq. eorum multi tempore obsidionis in templo flammis vel gladio Romanorum sunt absumpti, 315. a. in talionis pœnam, quia Christum Romanis tradidere, ut ab eis necaretur, Romanis & Tito traditi sunt, ut ab eo vastarentur & exscinderentur, 367. a. jam perperam Scripturam legunt & intelligunt, 355. eorum hodierna excæcatio, 386. b, c. ea repræsentata fuit in facie Moysis de monte descendentis velata, 361. f. ob opprobria Christo illata omnium facti sunt probrum, 361. d. ob incredulitatem a fide sunt rejecti, & Gentiles ad eam adoptati, 63. b. 64. a. b. Evangelium repellentes ingratitudinis arguuntur, 164. d, e. sunt vocati hora prima, Gentes undecima, 274. a. d. zelarunt Gentes sibi æquari in Dei cultu, Ecclesia, christianismo, gratia & gloria Christi, 272. e. f. 274. g. arrogabant sibi solis Messiam quasi sibi solis a Deo per Prophetas promissum, ibidem, Evangelio erunt increduli usque ad finem mundi, 167. f. g. sed tunc Christum agnoscent, quem eorum patres agnoscere noluere, 308. e. f. super Judæos novissimos venere supplicia priorum, 306. f. & seq. sunt a Deo impediti, templum suum Hierosolymis sub Juliano Apostata restaurare, 313. f.
Judas Galilæus negabat Judæos debere Romanis vectigal pendere, 245. e. h. 295. d,
Judas Iscariotes unde dictus sit; cur sit a Christo electus cum sciret eum fore proditorem, 159. d. quam occasionem ceperit ad Christum Judæis prodendum, 276. a. 335. e, h. & hic murmuravit de profusione unguenti, & alios ad indignationem ex avaritia excitavit, 336. e, destinavit Christum Judæis prodere, 337. c. quomodo satanas in eum intrarit, ibidem. d, pactus est de pretio venditionis cum principibus, ibidem, e, ejus pretii vilitas, ibid. f. 437. g. h, accipit quintam partem pretii unguenti Magdalenæ, 338. b, triginta ejus maledictiones, ibid. c, quæsivit opportunitatem Christi tradendi, ibidem, interfuit cœnæ paschali, & cum cæteris Apostolis communicavit, & creatus est sacerdos, 340. a. b. c. intinxit sæpius manum in patinam jusculi, ibidem. g, detectum se palam videns, conscientia sceleris egreditur ad proditionem perficiendam, ibidem. h. & seq. togat quoque an ipse esset proditor, 340. e. f. g. & seq. hæc proditio quam grave fuerit sacrilegium, & ideo summa ejus damnatio, 341. a, b, factus est dux Latronum, 353. d. ejus vesania, ibid. e, cur osculum dederit in signum, ad Christum agnoscendum, ibid. e. osculatur eum, & osculo ab eo excipitur, 353. f. & seqq. post osculum Christum non agnovit percussus dextera, 354. e, repulsus ab eo, ivit ad cohortem, & prostratus fuit in terram, ibid. f. male pœnitens retulit argenteos, & contractum rescidit, 367. b, desperans de Jesu vita, & de salute sua, laqueo se suspendit, projectis prius argenteis in templo ad pedes sacerdotum, ibid. & seqq. est e suspendio mortuus, ib. avaritia eum perdidit, 367. h, suspendium fuit eo dignum supplicium, ibid.
S. Judas Thaddæus trinomius fuit, 159. c. *Vide* Alphæus.
Judicum est sedere, 267. h. judex Deus omnia quam exactissime inquirit, & judicat districte, 101. h. judices Christi quomodo eum visuri sint in die judicii, 360. e. b. & seqq.
Judicantes temere sæpe etiam ab aliis sinistre judicantur, sed non semper, 127. a. d. e.
Judicium pro condemnatione sæpe sumitur, 98. e. & seq. judicium, quod adversus Christum formant Scribæ, caruit forma veri judicii, 359. b. judicium temerarium hominum privatorum vetat Christus, 126. g. & quare, ibidem. h.
Judicium universale dependet a particulari, 320. e. f. an id de nocte fiet, 324. h. fiet supra vallem Josaphat, 315. f. 328. a. non peragetur in momento, 330. a. cur ejus dies imminere dicatur, 65. d. e. hæc est velut dies messis, 206. a. ea imminens securi ad radicem posita denoratur, 63. g. item ventilabro, 65. d. in ea ne unus quidem impius abibit impune, 294. b. non erit tunc excusationi locus, ibid. d. in ea gravius punientur qui majorem Dei cognitionem & gratiam habuere, sed ea uti noluere, & qui majora beneficia & gratias acceperunt, 180, c. d. 194. d. e.
Jugum Christi est lex Evangelica gratiæ & charitatis, 182. d. e, est id suave, 183. c. ipse illud portantes juvat, ibidem. d, est id molle, ibid. e, & seqq. sed hominibus & superbis videtur grave, ib. g. h.
Julianus Apostata Christum per contemptum vocabat Galilæum & Nazarenum, 149. c. statuam Christo ab hæmorrhoissa erectam evertens suam substituit, sed hæc fulmine icta dissiluit, 419. d.
S. Julianus & Basilissa in conjugio caste vixere. 39. h.
Julius Romanus idem valet, quod regalis Hispanicus, 169. c. *Vide* Denarius.
Julius Cæsar juvenis discinctus caveri jubebatur a Sylla, cur, 59. g.
B. Juniperi in convitiis patientia, 107. f.
Juniperus arbor a S. Francisco maledicta hactenus non excrevit quod fuisset causa inobedientiæ, 288. f.
Jurandi consuetudo cur jam passim invaluerit, 105. e. f. licet jurare Christiano, 103. h. 104. a. non tamen debet jurare, nisi coactus, ibidem. b. c. in cælo non juratur, ibidem. d. jurandi conditiones, 103. f. g. h. 104. a. per cælum & terram nefas jurare, ibid. h.
Juramentum omne vetitum, non tantum perjurium, 103. h. juramentum subinde licitum, quia est honor Dei, ib. h. ejus debitæ conditiones, 104. g. sed temerarium illicitum, ib. juramentum extorquere ab eo, quem scis pejeraturum, grave scelus est, ib. d. nullum exstat de eo præceptum affirmativum in Scriptura, ib. f. per Sanctos juramentum est licitum, 105. a. b. juramentum iniquum licet rescindere, 423. c. per creaturas factum etiam obligat, 304. b. etiam per templum, ib. & per 6. c cælum,
Jura civilia non repugnant divinis, nec hæc illis, 296. d. a.
Justificare difficilius est quam creare, 148. d.
Justitia duplex est, prima virtus, quæ cuique suum tribuit: qui eam ficiant: & secunda complexio omnium virtutum: 90. e. f. justitia omnis, est humilitas, 67. b. alia est justitia ima, alia media, alia summa, ib. d. *justitiam esurire*, quid sit, 90. h & seqq. & qualis ea sit, 90. d. propter justitiam pati quid sit, idque beatum est, ob tres causas, 92. b. justitiæ rigor post hanc vitam, 101. h.
Justus semper desiderat fieri justior, 90. e. f. ejus satietas in cælo, ibidem. nihil timet adversi, 145. a. aliquando peccet

Digitized by Google

cet venialiter necesse est in genere, 249. c. justum in nomine justi recipiens, mercedem justi recipit, 172. g.
Justi aliquando adhuc animales sunt, 151. d. cur dicatur filii regni, 205. e. cur dicantur semen, ibid. justi veteris testamenti egerunt etiam fide & gratia Christi, 151. a. b.
Juventus quid in angelis repræsentet, 398. f. g.

K

Κατακλιδω quid significet, 41. g.
Kepha syriace petram sonat, & S. Petri nomen, 227. e. 228. a. b. c. non derivatur Græco κεφαλη, ibid. f.
Κωφος tam mutum quam surdum in Script. significat, 155. b.

L

Sæpe mutatur in d. & in alias litteras, 107. d.
Lacrymarum in pœnitente vis, 364. e. f. sunt opus satisfactorium, ibid. b. lacrymas non fundent damnati, 140. a. lacrymæ S. Petri, 364. f. g.
Lacus est vas, quo vinum prælo expressum excipitur, 434. c.
Lætitia maxima est pro Deo sustinere opprobria, 94. c. & seqq. lætitia spiritualis optimum contra tentationes est remedium, 79. b. ea præferenda est in omni opere bono, 121. b.
Laicis sufficit una species Eucharistiæ, cur, 344. g.
Lampas pro face usurpatur, 96. a. lampades in Italia sunt turritæ, ibidem. lampades sunt virginum, tædæ virorum, 324. b.
Λαος, id est populus, dicebatur a λαας, id est lapis, 63. e.
cur Lapis magnus sepulchro Dominico advolutus sit, 394. f. g. lapis reprobatus, in caput anguli factus, quis sit, 291. g. lapides igniferi in Oriente docente cavendam vicinitatem fœminæ, 102. e. lapides in panes convertere, Christi est, panes in lapides, diaboli, 75. a.
Latina lingua non scripsit Evangelium Marcus, 407. d. quædam Latinæ voces in Græco Evangeliorum textu usurpantur, 407. b. c. Latina versio vetus tam Matthæi, quam Marci ex Græca editione translata est, 31. f. g. 408. a. b.
Latronis quod sit etymon, 287. e. latrones duo cum Christo crucifixi sunt, 383. b. horum unus damnatus, alter salvatus, quid symbolice denotent, ib. eorum unus Christum in cruce blasphemavit, 385. c.
S. Laurentius Martyr fuit granum sinapis, 204. b.
S. Laurentii Justiniani morituri votum, 221. d. e. & ultima verba, 324. g.
Lauretanæ domus translatio per angelos facta, 289. a. b.
Lazarus ad vitam a Christo revocatus, denotat peccatores inveteratos ægre converti, 154. c.
Lebbæus quid hebraice sonet, 159. c.
Legalia quando mortua, & mortifera esse cœperint, 312. g.
Legio quot contineat capita, 356. e. 419. c.
Lemures sunt dæmones minus maligni & minus validi, 244. f.
Leo S. Marci est symbolum, 10. a.
Lepra quam gravis & contagiosus sit morbus, est incurabilis, 135. e. f. 135. g. quædam tamen ejus remedia, ib. g. h. de ea judicare poterat quivis sacerdos, 412. c.
Leprosus a Christo curatus, ubi fuerit curatus, 135. e. quomodo eum adorarit, ib. f. credidit eum esse Deum, ibid. g. cur a Christo sit tactus, ibid. h.
Leprosi in civitatibus habitare non poterant, 135. e. eorum tactus inficiebat, 12.
Levi erat aliud nomen S. Matthæi, 413. e.
Legis doctor rogat Christum de mandato magno legis, & quorsum, 298. f. g.
Lex civilis non punit animum, sed tantum opus externum, 102. a. lex positiva in necessitate cedit legi naturæ, 185. f. Superiori legi divinæ contraria jubenti non est parendum, 301. f. g. lex divina non transibit, 96. h. sæpe vocatur testimonium, 136. e. ejus prævaricatores punientur, ergo ipsa observanda est, 97. b. ejus vel minimum mandatum violans, castigabitur, ibid. c. d. eam Christus non venit solvere, sed perficere & adimplere, 96. e. f. 98. b. lex vetus & nova editæ sunt in monte, 84. d. diversa bona sui observatoribus promittunt, 410. a. b. illa fuit timoris, hæc amoris & libertatis, 5. f. utriusque antitheses variæ, 4. h. 5. a. b. & seqq. lex vetus per angelum data est Mosi, 4. h. fuit velut umbra, 5. f. promittit terrena & caduca, 6. a. erat onus grave, ibid. erat via ad Christum, ibid. b. data fuit solis Judæis, & erat temporaria, ibid. fuit rudis & imperfecta, 98. d. obligare desiit in Pentecoste, 178. b. c. ejus abrogatio in transfiguratione Christi repræsentatur, 241. g. & seq. ejus mysteria a Judæis ad Gentes migrarunt, 389. h. cur lex nova suavis sit, 183. c. d.
Libamen, vel libatio, in sacrificio quid esset, 343. e. & seq.
in Libano transfiguratus non est Dominus, 136. e.
Libellus repudii permissus tantum fuit a Moyse, non præceptus, 260. c. d. per eum licebat aliam uxorem ducere, ibid. f.
Liber Hebræis idem sonat quod catalogus, 33. e. quid sit *liber generationis Jesu Christi*, ibid. e. & seq.
Unde mos Liberandi captivum aliquem in Paschate ortum habuerit apud Judæos, 370. d. & seqq.
Libertas hominis in rebus agendis non repugnat præscientiæ Dei, 17. e. f.
Libra auri continet uncias auri XII. 326. d. e. & quot libras argenti, 337. f. g.
Lictores fasces, & virgas alligatas securi gestabant, 163. a. 372. h.
Ligandi potestas in Rom. Pontifice quintuplex est, 230. d. quousque se extendat, ibid. e.
in Ligno crucis ligni peccatum expiatum est, 380. d.
Liliorum commendatio, 104. b. & seqq. ea erant in veste Salomonis acu picta, uti & aliorum, ibidem. c. sunt symbolum gloriæ cæli, ibidem. d. cur sint pulchriora veste Salomonis, ibid. e.
in Limbum descendit anima Christi mox ut exspiravit: 394. e. quamdiu ibi manserit, ibid. h. 397. b. & seqq.
Ut Lingua & aures spiritualiter aperiantur orandus est Deus, 425. d. donum linguarum olim plerique in baptismo accipiebant, 441. f.
Litteræ sæpe in alias mutantur, 107. d.
Locus in quo Christus baptizatus fuit, nobili monasterio & templo fuit decoratus, 68. d. quis fuerit ille locus, ibid. locus horti, in quo Christus oravit Patrem dum pavere describitur, 150. f. g.
Locustis vescebantur multi Orientales, 60. a. earum nonnullæ canunt ut cicadæ, 59. h. quomodo coquerentur, 60. a. b.
Lolium idem est, quod zizania, 202. e. f.
Longinus centurio morte Christi visa eum filium confessus est, 391. g. h. & eum resurrexisse asseruit, 404. a.
Lotiones crebræ Pharisæorum superstitiosæ, 216. h. 424. h. & seq. & ritus earum, 425. a.
S. Lucas vitulo denotatur, 10. a. sæpe negligit ordinem rei gestæ, 75. d.
Lucernæ sunt etiam lampades, faces, tedæ, 96. b. sunt symbolum virorum Apostolicorum, ibidem. lucernæ conspectæ omen dedere martyrii sociis S. Cypriani, 325. a.
S. Lucia Syracusana Martyr quam intrepide Paschasio præfecto loqueretur, 166. e.
Lucifer a Christo ad duellum in deserto provocatus est, 72. b. tentavit Christum & Adamum, ibidem. d. e. in cælo ambivit unionem hypostaticam cum Verbo, 74. e. f. princeps est dæmonum, 155. e. f. in cruce a Christo victus detrusus est in tartara, ut ibi ligatus maneat usque ad diem judicii, 188. h. vocatur draco, serpens antiquus, satanas antonomastice, ibid. est criminator & accusator hominum, etiam sanctorum, 332. b.
Lucrari talenta quid sit, 327. d.
quis Luctus sit beatus, 89. g. suos habet gradus, ibid.
S. Lutgardis omnem cibum humanum fastidivit, 75. b.
S. Ludovici regis Franciæ pietas in egenos, 331. c.
Ludovic. Alcazar multa excidii orbis signa non litteraliter, sed symbolice interpretatur, non recte, 316. e. 318. c.
S. Ludovico Tolosano Episcopo apparuit Christus in forma leprosi, 137. a.
Ludus puerorum lamentantium & canentium, 178. e.
Lugentes prout oportet consolabuntur, 89. h. 90. a. cur *lugere* pro jejunare sumatur, 151. e. f. quia lugentes abstinent cibo, ibidem. g.
cur Lumbos zona pellicea Joan. Baptista cingeret, 59. f.
Luna necessario obscuratur sole obscurato, 316. h. an in ea habitent homines quidam, 89. b.
Lunatici sunt ægri, qui lunæ & lunationibus subjacent, 82. h. 243. a. in lunatici curatione modicæ fidei Dominus arguit non Apostolos, sed lunatici patrem & Judæos, ibid.
Lutheri impia dogmata, 130. h.
Luxuriæ motus sanat sacra Synaxis, 419. g.
Lycurgus in injurium benevolus extitit, 109. b. c.
S. Lydvinæ bursa, e qua pauperibus succurrebat, numquam evacuabatur, 212. f.

M

Sæpe liquescit in L. 223. b.
S. Macarius suos identidem ad luctum excitabat, 89. h.
Μακαριος derivatur a χαιρειν, beatus a gaudere, 85. c.
Macedonii monachi senis humilitas, 107. g.
Maches Abbas de quibus alios judicarat, in eos defectus incidit, 127. c.
cur Madianitæ dicantur Æthiophes, 44. h.
Magedan erat oppidum ultra mare Galilææ, 223. b. an idem cum Dalmanutha: non est Medan, nec Mageddo, ibid.
Magia est astrologia naturalis, & licita scientia; sed jam abusive ad incarnationem & veneficia vox traducta est, 44. b. c.
Magi vox est Persica significans sapientes, 44. b. idipsum & in aliis linguis Orientalibus sonat, ibid.
Magi Christum adorantes fuere sapientes, ibidem. d. cur adierint Hierosolymam, ibidem. d. venerunt ab Oriente, an e Perside, ibidem. e. quota die a nativitate Christi Bethlehem venerint, ibidem. f. an fuerint Chaldæi, aut Mesopotamii, aut Indi, ibidem. g. fuisse Arabes verius est, ibid. g. & regulos, & numero tres, 45. b. fuerunt a S. Thoma Apostolo conversi: eorum nomina & dona: fuere prædicatores & Martyres: quomodo eorum corpora Coloniam translata sint, ibid. c. eorum fides & magnanimitas, ibid. d. quomodo visa stella, ea cognoverint natum Christum, ibid. h. ex oraculo Balaam & Sybillis in stella eum cognovere, 46. e. f. sed maxime instinctu & revelatione Dei, ibid. h. vocantur per stellam quia astrologi, 48. d. sunt primitiæ Gentium, ibidem. f. Christum adorarunt in stabulo, 49. f. quid cum B. Virgine & qua lingua fuerint locuti: quid a Christo pro donis suis in spiritu receperint, ibidem. h. eum adorarunt cultu latriæ ut Deum, 50. a. singuli non singula, sed tria simul dona dederunt, ibid. d. eum adorarunt decima a nativitate die, ibid. e. quo pacto per aliam viam redierint ad propria, ib. h. 51. a. eorum fides & constantia, ibid. visa stella quamprimum profectionem adornarunt, 53. c.
Magistri sententiarum error circa peccatum originale, 219. d. e.
Magistri reliqui quomodo a Christo magistro differant, 302. h. & seq.

Digitized by Google

Magnanimitas in proſperis æque atque adverſis nobis habenda, 119. & ſeqq. non ſumere vindictam magnanimitas eſt, 106. d.
Magnanimus injurias obliviſcitur & contemnit, 107. e. f.
Magnus Pan mortuus eſt, vox audita ſub Tiberio Imper. quid innuat, 390. h.
Mahomet impoſtor columbæ id facere edoctæ advolatu populo perſuaſit, ſibi Spiritum ſanctum familiarem eſſe, 69. f. epilepticus erat, & inde Turcæ epilepticos venerantur, 243. a. b.
Majeſtas Chriſti ad judicium venientis in quo apparebit, 318. c. d.
S. Malachias uno verbo furibundam mulierem manſuefecit, 134. g.
Malcho aurem amputatam Chriſtus reſtituit, 355. a. & ſeq. cur in eum potius quam in alios Petrus inſiliit, ibid. g. an ſit a Chriſto converſus, ibid. h.
Malitia ſumitur ſubinde pro afflictione, 125. h. 126. a.
Malum quatenus deprecari liceat, 120. h. mala quæ Deus fieri permittit, quatenus fieri velit poſſimus, 116. & ſeq. quomodo dicantur homines mali, 128. h. *Vide* Impii,
Mamercus Oſcis idem quod Mars, 406. f.
Mammona difficilis eſt dominus, 122. d. mammonæ etymon, ibid. h.
Mandatum maximum legis eſſe ſacrificia docebant Phariſæi, dilectionem Chriſtus, 298. h. *Vide* Phariſæi, Præceptum.
Mania ex melancholia maxime vexat in plenilunio, 243. b. ſed ex pituita in novilunio, ibid.
Manichæi docebant Chriſtum veram carnem non habuiſſe, ſed phantaſticam, 136. b. & carnem & vinum creata eſſe a diabolo, 218. e.
Manſiones multæ & variæ ſunt in cælo, 273. h. manſiones XLII. Hebræorum in deſerto reſpondent totidem generationibus uſque ad Chriſtum, 38. e. & ſeqq.
quæ Manſuetudo beata ſit, 88. g. ejus effectus, & quinque gradus, ibid. ejus elogia, ibid. h. ejus acquirendæ media, 89. f. manſuetudo Chriſti in ſufferendis Scribis, diſcipulis, turbis, probriis, injuriis, 182. f. h. eſt humilitatis ſoror, 183. a. reddit hominem longævum, 182. h. ejus natura & proprietas, ibid. b. & effectus, ibid. c.
Mantica utrimque geſtata ſymbolum temerarii judicii, 127. f.
Manus dicta a manando, 136. a. manus vocatur brachium a ſcapulis uſque ad digitos protenſum; eas homo habet exporrectas, 186. c. iis carent angeli proprie, ſed eas ſubinde eum corpore aſſumunt, 76. g. manus illotæ hominem non coinquinant, 220. h. cur tamen eas lavare expediat & decens ſit: eas lavabant olim oraturi, 220. a. eas lavari a ſumpturis cibum uſitatum, 424. b. manuum impoſitio eſt ſignum poteſtatis & dominii, tum voluntatis propenſæ ad ſanandum, 153. c. d. & ſeq. quid ea denotaret, 263. a. hanc Eccleſia uſurpat in Baptiſmo, Ordine, Pœnitentia, 263. b. manus Chriſti erant vivificæ & ſalvificæ, ibid. g.
S. Marcellinus deſignatus eſt Epiſcopus Ravennæ indicio columbæ, 69. e.
S. Marcellinus Pontifex metu tormentorum, non peccavit, contra fidem, ſed contra ejus profeſſionem, 346. h. cur eum judicare non præſumpſit Concilium Sinueſſanum, 254. c.
Marcia familia dicta ab Anco Marcio rege Rom. 406. e. unde dicti ſint Marcii, ibid.
Marcion docebat Chriſtum ſe cruci ſubduxiſſe, 377. h.
Marci nomen imponebatur primogenitis, 406. g. quid id hebraice ſonet, quid latine, ibid.
S. Marcus & Marcellianus fratres in tormentis exultarunt, 381. d.
Marcus Eremita ſibi pollicem amputavit ne fieret ſacerdos, 406. f. g.
S. Marcus Evangeliſta leone denotatur, 10. a. 406. c. ejus breve elogium & vita, 406. b. ſcripſit Evangelium Petro narrante & confirmante, ibidem. c. ei adaptantur nominis Marci etyma, ibidem. ejus religio & fortitudo, ibidem. g. fuit S. Petro charus, ceu filius, ibidem. fuit natione Hebræus ex tribu Levi, alius fuit a Joanne Marco, ib. h. & ſeq. fuit poſt mortem Chriſti a S. Petro converſus, 407. a. ejus cum Matthæo æquatio, ibidem. quo anno Evangelium ſcripſerit, ibidem. quam piam Alexandriæ Eccleſiam fundarit, & ſcholam erexerit, ibidem. b. poſtea martyrio coronatus eſt, ibid. c. Venetias ejus corpus translatum eſt, ibid. qua lingua Evangelium ſcripſerit, ibidem. d. putatur Græca ſcripſiſſe, ibidem. & ſeqq. idque patriciis & nobilibus, ibidem, g. forte & græce & latine ſcripſit, ibidem h. 408. a. non curat ordinem rei geſtæ, ibid. g.
Mare moriente Chriſto fluctibus horrendis inſonuit, 390. c. d. mare Tiberiadis & Galilææ, & ſtagnum Geneſareth, eſt idem, 81. g. h. quam id latum & longum ſit, 213. e.
Margarita ſymbolum regni cælorum vel Evangelii, 206. f. margaritarum pretium, ibid. g.
S. Maria Ægyptiaca per annos XLVII. in deſerto ſine cibo terreſtri vixit, 75. b. cur per XVII. annos a converſione ſenſerit aeres luxuriæ ſtimulos, 149. b.
Maria Alphæi & Cleophæ uxor, una & eadem eſt: modo dicta Maria Cleophæ, modo mater Jacobi & Joſeph: quatuor habuit filios, 208. g. h. 392. b. ſancte eſt mortua in Judæa, inde translata Verulas in Italiam, 209. b. ſedebat contra ſepulchrum, 394. b. venit unctum Dominum ſepultum, 396. d.
S. Maria Magdalena pœnitens ſolo cantu paſta fuit angelico, 75. b. c. bis unxit Jeſum, 365. h. & quomodo, 366. b. ab eo excuſatur, 336. g. & ſeqq. cur mortuum Chriſtum ungere non potuerit, ibidem. h. ejus factum ſemper in Eccleſia recolendum promittitur, ibidem. indivulſe adſtabat cruci, 392. b. quin etiam dux fuit aliarum ſepulchrum adeuntium, 400. d. & ſeqq. 401. b. 402. a. & ſeq.
S. Maria Ogniacenſis diu ſine omni vixit cibo, 75. b. audiens a Deo matrem ſuam eſſe damnatam, ejus voluntati acquievit, 116. h.
B. Maria Virgo in conceptione fuit in utero ſanctificata, 39. a. b. concepit filium ſine opera viri, ibid. peperit Virgo, ib. c. eſt vere mater Dei, ibidem. c. habuit in Chriſtum jus & auctoritatem maternam, ibid. d. quænam per eam conſecuta ſit privilegia, ibid. e. magis eſt mater Chriſti, quam ſint aliæ matres ſuorum filiorum, ibid. f. concurrit ad generationem filii ſui ut cauſa ſecunda; non tantum paſſive, ſed & active, ibidem. g. cur deſponſata ſit Joſepho, 38. h. fuit cum eo conjugata, 39. a. b. ejus cum eo matrimonium verum fuit, ibidem. d. nonniſi unicum filium, Chriſtum ſcilicet, peperit, nec ullos poſt eum ex Joſepho, 40. c. d. 43. b. c. maternum filio concipiendo ipſa ſola ſubminiſtravit, 41. a. b. effective etiam concurrit ad generationem ejus, ibid. cur Joſepho non dixerit ſe de Spiritu ſancto concepiſſe, 41. d. ejus reſignatio & confidentia in Deum, ibid. eſt Dejpara, 42. a. b. ſemper etiam poſt partum manſit Virgo, 43. a. & ſeqq. 195. d. eſt ſtella maris mundi hujus, 47. f. quid cum Magis ſit locuta, 49. h. per Nazareth repræſentatur, 57. fuit a Chriſto baptizata, 66. e. f. cur venerit cum cognatis, ut Chriſtum in Nazaret abducerent, 195. f. g. ejus cuſtos fuit S. Gabriel ex ordine Seraphinorum, 249. g. ejus afflictio fuit una ex cauſis triſtitiæ, quam Chriſtus in horto paſſus eſt, 349. f. an interfuerit flagellationi ejus, 373. g. adſtitit cruci ejus, 392. d. e. quantus ejus hic fuerit dolor, ibidem. d. e. quæ mentis conſtantia, ibidem. e. f. an apud Domini ſepulcrum triduo manſerit, 394. h. ideo non venit ad ungendum eum, quia ſciebat eum die illa reſurrecturum, 397. f. qui ei & primo ante alios apparuit, 402. b.
Maritimæ urbes majorem habent peccandi occaſionem, 180. d. e.
Maritis licitum erat uxores adulteras apud judices accuſare, 41. f. g.
Marius & Martha cum filiis martyrium adepti ſunt, quod Martyres captivos viſitaſſent & aluiſſent, 172. f.
Martha cur miniſtraret convivio Simonis Leproſi, 335. h. non fuit hæmorrhoiſſa a Chriſto curata, 419. e.
an S. Martialis Epiſc. fuerit puer ille, quem Chriſtus in medio ſtatuit, aut puer habens quinque panes hordaceos & duos pisces, 247. e.
S. Martianus ignem a templo S. Anaſtaſiæ arrepto codice Evangeliorum compeſcuit, 4. b. c.
S. Martinus in cinere & cilicio mortuus eſt, 59. ejus eleemoſynam Deus evulgavit, 113. a. calumniantem clericum Britium ſuſtinuit & beneficiis affecit. 354. b.
Martyr dum occiditur, in ſanguine ſuo baptizatur, 65. b. in quæſtionibus & tormentis aſſidue Deum invocat, 166. d. a. eſt velut granum ſinapis, 204. b. Martyr quilibet eſſe poteſt, 165. b. Martyrum tres ſunt claſſes, 54. b. c. eorum eſt non reſiſtere malo, nec ſe defendere, 165. g. h. 166. a. eorum hoſpites ſunt Martyres, 172. f. Euchariſtiæ ſumptione ad certamen ſe comparabant, 345. b. ad ignominiam flagellabantur, 370. f. conſideratione crucis Domini animabant ſe ad quælibet tormenta, 381. d. tamen nihil tale paſſi ſunt, quale Chriſtus, 357. e. f. eorum omnium tormenta Chriſtus in cruce ſenſit, 380. g. hinc eorum dux eſt, 170. f. Martyres Africani plurimi fœtore ſtercorum enecti, ibid. g.
Martyrium ex opere operato dat gratiam: operatur idem quod baptiſmus, 54. b. eſt baptiſma, 94. b. & recta via in cælum, 129. g. ejus excellentia, 170. e. f. id ipſum ſummopere deſiderarunt viri Apoſtolici, ibidem. c. cur vocetur calix, 297. h. & ſeqq.
Martyrius Monachus Chriſtum in leproſi ſpecie humaris portavit, 136. b.
Maſculus ſeptimius continua generatione prognatus qua vi ſtomachum curet, 132. c.
Matrem ſe habere non negavit Chriſtus, nec illius eum puduit, dum ait, *Quænam eſt mater mea?* cur humilem eam elegerit, 208. d. mater quædam ad filii, quem mortuum credebat, conſpectum gaudio moritur, 251. f. mater filio Zebedæi, dicta Salome, quando accefferit ad Chriſtum primas cathedras filiis ſuis ab eo poſtulans, 276. f. idque inſtinctu filiorum, ibid. g. cur primo petiit aliquid in confuſo, ibidem. quæ fuerit occaſio petitionis ejus, 277. a. videtur excuſanda, ibid. b. matrum ploratus in cæde parvulorum, 55. a.
Maternitas Dei quantæ ſit dignitatis, 37. c. quæ ex ea conſequantur privilegia, ibid. c. & ſeqq.
in Matrimonio jus vir & fœmina par habent, 103. d. eſt inſolubile, 259. c. d. & ſeq. & quare, 260. c. d. inter Joſeph & B. Virginem matrimonium verum, licitum & ſanctum fuit, 39. d. e. matrimonii virginalis tres effectus, ibid. f.
Matthæi etymon, 32. f. 159. a. S. Matthæus Evangel. homine denotatur, 10. a. primus ſcripſit Evangelium, 31. c. non ſcripſit græce, ſed hebraice, ib. d. Hebræus tamen textus modo intercidit, ibidem. d. ſcripſit juſſu Apoſtolorum, & quando, ibidem. e. videtur ſententias veteris Teſtamenti juxta Hebraicam veritatem citaſſe, ſed interpres Græcus in ſua tranſlatione ſubſtituit verſionem Septuag. ibid. in quo ejus Evangelium præcellat aliis, ibid. g. h. fuit Ethiopiæ Apoſtolus, & virginitatis victima, ibidem. e. voce Chriſti vocatus eum ſecutus eſt, ibidem 150. b. c. ejus abſtinentia: quid S. Brigittæ revelarit de ſuo Evangelio, 32. g. idem modum vocationis ſuæ, ibid. a. in quo Moyſen ſit imitatus, 33. d. Capharnai videtur vectigalia redemiſſe, & in telonio ſediſſe, 149. b. 150. a. ejus humilitas & gratitudo, ibid. b. quomodo a Domino vocetur, ibidem. invitavit alios publicanos ad convivium præſente Chriſto, ibidem. f. ejus modeſtia, 158. d. 159. a. idem dictus eſt Levi, ibidem. ſæpe ordinem rei geſtæ in ſuo Evangelio immutat, 140. f. plerumque in eo ſervando accuratus, 163. a. ſæpe multa ſimul conglobat, 357. d. in quo a S. Luca differat, 84. b. 92. b. 10. b.
Mauri numerant annos ab ortu mahumetiſmi, Ma-

Digitized by Google

Maxillam alteram præbere percutienti, subinde consilii, subinde præcepti est, 106. *e. h.*
S. Mechtildis doloribus capitis pressa, in vulnere lateris Christi levamen sensit, 183. *e.* moriens cælesti voce in cælum evocata est, 330. *e.*
Medan non est idem locus cum Magedan, 223. *b. c.*
Medici prius curent salutem animæ, quam corporis, 147. *h.*
Mel, quod edebat S. Joannes in deserto, quale esset, 66. *b. c.* mel novum vino veteri miscendum, ut fiat mulsum, mel novum est optimum, 207. *g. h.*
Membrum nullum nobis licet resecare, 102. *h.* nisi corpus periclitetur, 103. *b.*
Mendici docent nos orare opem Dei postulare, 86. *d.*
Mensuram peccatis & peccatoribus statuit Deus, 306. *a.*
Mentha qualis sit herba. 304. *f.*
Merces supponit meritum, 94. *b.* merces boni operis ad Deum relati est divina & æterna, 111. *d.* at vana intentione facti perit, ibid. *h.* merces respondet merito, hoc autem facit gratia, 274. *d.* mercedem Prophetæ accipere, quid sit, 172. *c.* mercedis in cælo inæqualitas, 202. *a.*
in Meridie Adam peccavit, & Christus in cruce fixus, 381. *g. h.* 399. *f.*
μεσημβρία quid sit, 123. *b.*
Meritum majus facit non major labor, sed, gratia major, 272. *d.* sine præviis meritis homo justificatur, 40. *g. h.* merita vel demerita parentum in filios redundant, 306. *b. c.*
an e Mesopotamia venerint Magi Christum natum adorantes, 44. *e. f.*
Messiam qualem Judæi expectarent, 225. *g. h.* eum esse Christum confitetur S. Petrus, 226. *d. e.* Messias non erat purus homo, sed etiam Deus, 299. *f.* & seq. ejus est miserorum misereri, 280. *h.*
Messis vocatur multitudo populi parata ad recipiendam salutarem doctrinam, 156. *a.* dominus messis est Christus, ibidem.
Metathesis in littera R. frequens est in variis linguis, 415. *h.*
Metempsychosis Pythagorica qualis esset, 422. *a.*
Micas quare colligi jusserit Christus post multiplicationem panum: eas etiam colligunt morati Religiosi: quæ miracula circa eas sint facta, 222. *h.* 223. *a.*
S. Michael custodit summum Pontificem, 250. *a. b.* ejus etymon. ibid. *c.*
cur Milites olim russatis uterentur vestibus, 375. *b. c.* milites qui ad Christum capiendum venerant, percussi sunt ἀναχωρήσει 354. *d. e.* & seq. uno ejus verbo in terram prosternuntur, ibid. *h.* cur milites servarint Christum in cruce fixum, ea custodia confirmavit resurrectionem, 383. *c. d.* milites inhibentes volentem dare acetum Christo, an dixerint *sine*, vel hic illis *finite*, 388. *a.* & seqq.
Mina sive mna, unde dicatur, quod ejus pretium, 326. *d. e.*
Minæ Evangelicæ junctim omnes recensentur, 24.
Minimum mandatum decalogi, etiam est maximum, 97. *d.* & seq. qui minimus in regno cælorum vocari dicatur. ibid. *f. g.*
Minister colaphum Christo impingens, quis fuerit, 358. *h.* ministrorum barbara sævities Christo illudentium, 361. *a.* 362. *d.* quot ministri eum flagellarint, 373. *e.*
Minor in regno cælorum, major est Joann. Baptista, 176. *f.* & seq. Minuta duo cujus essent pretii, 434. *c.*
Miraculum est certum signum veritatis & rectæ fidei, 132. *b. c.* miracula malo fine facere aliquis posset: tunc Deus concurrit quidem ad miraculum, at non ad malum finem, ibidem. *d. e.* quæ sit dispositio ad impetrandum miraculum, 147. *d.* ut convenienter fiat, requiritur potentia in parante, & fides in patiente, 241. *f.* id patraturus jejunet & oret, 244. *g.* miraculum quinque panum & duorum piscium, 212. *a.* miracula Christi in ordinem temporis quo patrata sunt, sigillatim digesta, 24. miracula non necessaria petens a Deo, eum tentat, 76. *h.* quorsum Christus ea faceret, 82. *g. h.* cur ea divulgari nollet, 425. *f.* ea divulgantes tamen non peccabant, ibid. ea etiam per malos fiunt, 132. *b.* eorum fides includit fiduciam sanitatis consequendæ, 147. *e. f.* cur eorum potestas Apostolis a Christo data sit, 160. *c. d.* ea arguebant Christum esse Messiam, 174. *e.* miracula Christi crucifixi subsannant pontifices, 384. *c. d.* quæ sint mystica miracula fidelium. 441. *f. g.*
Misericordiæ sex sunt gradus, 91. *b.* ipsa est summa, sed pia usura, ib. *c.* præstat sacrificio, 150. *h.* 186. *a.* intuitu Dei facta amplius meretur, quam quæ intuitu affectus naturalis, 172. *h.* tegit culpas misericordis, 330. *g. h.*
Misericordes in alios, misericordem experientur Deum, 91. *a.* & seqq. cur præ aliis cælo adjudicentur, 330. *e.*
e Missa non recedendum nisi post actas gratias, 346. *e.*
Mites plerumque sunt pauperes, 88. *f.* sunt domini terræ & cæli, ibid. *e. f.* & cordis sui, 89. *d.* possident in cælo corpus suum per gloriam, & Christi per configurationem: animos omnium sua mansuetudine sibi conciliant, ibid. *e.* sunt longævi, cur, 182. *h.*
Mœchatur quisquis uxorem infontem dimiserit, 261. *a. b.* item qui noxia dimissa aliam ducit, 261. *e. f.*
Moyses est auctor legis, 4. *h.* in quo fuerit minor Joanne Baptista, 176. *d. e.* cur apparuerit cum Elia in Christi transfiguratione, 239. *b.* & seqq. idque in propria persona, ibid. *f.* & in gloria, ibidem, *g.* quid sint cum eo locuti, ibid. unde sint a S. Petro agniti, 240. *c.* non veniet in fine mundi contra Antichristum, 239. *b.* non vidit Dei essentiam, ibidem, *c. d.* non mandavit repudium, sed permisit tantum, 260. *c.* summæ apud Judæos erat auctoritatis, 298. *c. d.* cur ejus testimonio potius sit usus Christus contra Sadducæos, quam aliorum Prophetarum, ib. Molæ trusatiles olim erant in usu, 320. *e.* quæ dicatur mola asinaria, 249. *a.*
Mollibus vestiri est deliciose vivere & epulari, 175. *g. h.*
Momus optabat hominum pectus esse fenestratum, 112. *f.*
Monachus percutienti alteram maxillam præbens ab energumeno dæmonem pepulit, 106. *f.* item alii, ibid. monachus qui micas mensales non collegerat in morte terriculamentis vexatur, 223. *a.* monachorum elogia, 85. *d.*
Monothelitæ unam solum in Christo statuebant voluntatem. 351. *e.*
cur in monte Christus turbas docuerit, 84. *d.* quis fuerit hic mons, ibid. *e.* quare montem ascenderit transfigurandus, 236. *d. e.* & quis mons hic fuerit, ibid. *h.* mons in quem diabolus Christum assumpsit, describitur, 77. *c.* quis sit mons Christi, ejus descriptio, 84. *c.* mons Oliveti fuit initium certaminis Christi, 346. *g.* hic Christi agonia, & ascensu in cælos celebris, 348. *g.* in quo monte Christus apparuerit a resurrectione discipulis, 404. *c.*
S. Montanus & socii unde acceperint omnem martyrii, 325. *a.*
Montani hæretici Quadragesima post Pascha, 152. *a.*
cur Monumenta aperta mortuo Christo, 391. *a.* cur Christus in monumento novo & e petra excisо tumulatus sit, 394. *a. b.*
mons Moria pene idem cum Calvaria, 378. *f.*
Morbi sæpe sunt animæ saluti utiles, 135. *h.* variis de causis homini immittuntur, 415. *b. c.* & sæpe ob peccata, 147. *h.* morbos nullos habuit Christus, sed portavit eos per compassionem in aliis, 141. *g. h.*
Mors pro Christo generose subeunda est, 171. *e. f.* mors in vita sita est quo sensu, ibid. *h.* cur vocetur somnus, 153. *f.* homines opprimuntur ab ea inopinato, 321. *b.* dilata est velut mora sponsi Christi, 325. *f.* claudit tempus merendi, ibid. ut eam non horreamus, sua tristitia nos docuit Christus, 350. *a. b.* mors gehennalis atrocior est quam corporalis, 169. *a.* mortis Dominicæ commemoratio fit in Missæ sacrificio, 343. *c. d.* hæc fuit velut somnus, 389. *d.* 400. *f. g.*
Mortificatio myrrha denotatur, 50. *f.* ejus elogium, ibid. *h.* est via arcta ad salutem ducens, 129. *d.* & seqq. animose excipienda est, 172. *e. f.* ea sectanda, & mundus ac caro relinquenda ad Christum transeuntibus, 51. *b.* mortificanda prava desideria, 232. *d.* & seq.
Mortui, sunt alii corporaliter, alii spiritualiter, 143. *g.* & seq. mortui etiam in fama & corpore plecti possunt, 230. *h.* mortui tres ad vitam a Christo revocati cujus rei sint symbolum, 154. *d.*
Morus arbor unde dicta fatua, 319. *a.*
Motus primi & involuntarii concupiscentiæ non sunt peccata, sed voluntarii & deliberati, 102. *d.*
Mulierum etiam piarum contubernium sacerdoti declinandum, 95. *e. f.* earum visio quatenus sit peccatum, 102. *d.* sunt illecebrosæ, ibid. *d.* mulier infidelibus malum necessarium, fidelibus liberum, 261. *e.* mulieris tam nuptæ quam innuptæ concupiscentia vetatur, 102. *c. d.* cur in genealogia Christi non nisi mulieres nominentur meretrices, 34. *c.* hæ miro modo viris suis copulatæ sunt, ibid. *d.* mulieres piæ lamentabantur super Christum euntem ad supplicium, 377. *h.* & seq. earum fides & constantia in astando cruci Jesu, 392. *d.* cur earum meminerit Evangelista, ibid. *e.* stabant nec procul, nec omnino prope, sed paulo remotius, ibid. *g.* quid speculatæ sint, ibid. erant hæ quæ eum de suis facultatibus aluerant, ibid. cur ab eo sepeliendo abstineant, 394. *h.* unctura eum sepultum in fine paraseves incæperunt comparare aromata, ut summo mane diei Dominicæ ad sepulchrum venirent, 396. *d. e.* & seq. cur in aurora venerint, 397. *c.* nescierunt de custodia militum & sepulchri obsignatione, ibid. *f. g.* sed Deus utrumque impedimentum iis amovit, ibidem. *g.* viso sepulchro vacuo ad Apostolos recurrerunt, 401. *b. c.* cur ipsæ præ aliis de resurrectione inaudietint, ibid. *e.* a sepulchro redeuntes partim timuere, partim gavisæ sunt, ibid. *g. h.* 440. *f.* quid discipulis de resurrectione nuntiarint, 401. *h.* cur iis Jesus se spectandum dederit, 402. *c.* cur tenuerint pedes ejus apparentis, & eum adorarint, ibid. *e.* fuerunt apostolæ Apostolorum, ibid. *f. g.* non attendebant ad Christi divinitatem, nec' resurrectionem, 440. *c.* *Vide* Femina.
Multi sunt vocati, pauci electi, quomodo sit intelligendum, 275. *e.* & seqq. 294. *d.* *multi* sæpe capitur pro *omnes*, 280. *c.*
Multiloquium in oratione reprehenditur, 114. *f. g.*
Mundities cordis est triplex, 91. *e.* quod ejus sit indicium, ibid. *f.* quomodo ad eam perveniatur, ibid. ei viso Dei promittitur, ibid. *g.*
Mundus totus Dei est, non diaboli, 78. *d. e.* post judicium universale innovabitur, 89. *b.* tribus fulcitur, 186. *a.* est velut ager, in quo verbum Dei seminatur, 205. *d.* quamdiu durabit, 319. *d.* & seqq. non statim finietur signis præviis jam cessantibus, 320. *c. d.* mundus universus S. Petro regendus commissus est, 230. *h.* ejus quatuor plagas Christus in cruce fixus est complexus, 380. *f.*
Mundi tentatio pluvia denotatur, 134. *a.* ejus judicia perversa sunt, 371. *f.*
unde Murmur vocatorum primo contra vocatos, ultimo in vineam natum sit, 272. *e. g. h.* 275. *a.*
Mustelas edunt Itali, 60. *c.*
Mutuanda sunt propria, non aliena, 107. *h.*
Mutus non semper est surdus, 155. *b.* mutus in spiritu quando curetur, ibid. *d.*
Myrrham Magi Christo obtulere velut homini, morituro, & sepeliendo, 50. *b. c.* & seqq. cadavera a putrefactione præservat, 393. *h.* & seq.
Myrrhatum vinum idem est quod felle mixtum, & tale Christo propinatum ante mortem, 379. *a.*
Myodes erat Deus Arcadum. 168. *d.*
Mysteria fidei apertissime docentur in Evangelio, 5. *c. d.* ea absconduntur superbis & prudentibus, 181. *a. b.* & revelantur parvulis, imperitis, simplicibus, ibid. *b.*
Μύθος, τρομύθιον, ἐπιμύθιον quid sit in parabolis, 19. *d.*

Digitized by Google

N

Næpe liquescit in L, 223. b.
Nardus frutex describitur, ejus spicæ & folia unguentum dant, 336. a. b.
Narratio S. Lucæ de angelis Magdalenæ & mulieribus apparentibus, an alia sit a S. Matthæo, 399. f. 401. f. g.
Natura perfectior est arte, 124. e.
Nautæ quid faciant in tempestate, 144. b.
Nazaræus, id est consecratus, separatus, cur & unde dictus Christus, 56. c. d. Nazaræi tales fuere Samson & Joseph, ib. non talis Christus, ibidem. idem dictus est Nazaræus, id est floridus & germinans, 56. f. utraque sententia conciliatur, 57. a. & seq.
Nazarenus idem est quoque quod custos vel custoditus, 57. d. Nazareni nomen Gentibus & Judæis videbatur vile & exile, ideo multi nolebant Christum ut Messiam agnoscere, ib. b.
Nazareni olim ad Christi fidem conversi legem Mosis quoque servabant, ideoque ab Ecclesia ejecti, Evangelium S. Matthæi depravarunt, 9. d. e. quomodo Christum mirarentur, & simul essent increduli, 421. g.
Nazareth civitatis descriptio & elogium, 56. a. 57. a. cur ibi suam prædicationem non incœperit Christus, 80. a. b. etsi ibi natus non esset, putabatur tamen patria Christi, 362. b.
Negationum Petri ordo, 362. b. 363. a. & seqq.
Nequam vox unde formetur, 205. f. g.
Nero primam in Christianos persecutionem movit, 311. a. b.
Nervorum a cerebro ortorum contractio gravis dolor, 137. d. nervi sunt instrumentum tactus, eorum fons in cerebro, 375. d.
Nescientia Dei qua nescit reprobos, summum malum est, 325. b.
Nicodemus attulit unguenta sepeliendo corpori Christi, 393. b.
S. Nicolaus Episc. an in utero matris sanctificatus, 36. b.
Nicolaus V. Pontifex promisit 5000. ducatos adferenti ad se Evangelium Hebraicum S. Matthæi, 33. c.
S. Nicolaus Tolentinas sub mortem miro perfusus fuit gaudio, 328. b.
Ninivitæ ad prædicationem Jonæ egerunt pœnitentiam, sed mox relapsi exciti sunt a Medis, 193. b.
Nix fulget & candet, 399. f. g. & seq.
Nobilitatis vanitas: ea in sola sita est virtute, 34. d.
Nomina Dei varia apud Hebræos, & quid singula notent. 42. e. f. quod nomen Dei in oratione Dominica sanctificari petamus, 115. b. in nomine Christi quidquid fit, bene fit, 429. e.
Notitia Dei, qua quem novit, aut non novit, non est speculativa, sed practica & affectuosa, 132. b.
Nova & exotica delectant, 209. f. & seqq.
Novissimi primi, & primi novissimi, qui sint, 270. f. & seqq. 271. b. 273. d. 275. e.
Novitas rei magnæ & difficilis præsertim inopinatæ, ingens ciet in mente pathos, 251. f.
Novitii in Religione & fide primo tentari solent gula & carnis stimulis, & his superatis, ad vanam gloriam, 75. e. sunt leviter tractandi, 151. g. h. 152. d. e.
quomodo tribus Noctibus Christum in sepulchro fuisse comprobetur, 193. d. e. noctem Hebræi in quatuor partes dividebant, 439. f.
Nubes est velum Dei gloriæ, 241. b. nubes lucida in monte Tabor quos & cur obumbraret, 240. g. undenam & cur illa facta sit, 241. a. b. c. cur fuerit lucida, ibid. d. cur in nubibus venturus sit Christus ad judicium, 318. c. d.
Nubo proprie mulieris est, apud antiquos etiam viri, 297. d. e. in cælo non nubitur, ibid. f.
Numa Pompilius primus usus est chlamyde, 375. a.
Numerus integer solet in Script. exprimi, etiamsi aliquid desit aut supersit, 18. g. item ponitur in ea definitus pro indefinito, ibid.
Numularii sunt campsores & usurarii, 328. d.
Nuptias olim a sacrificio inchoabant, 294. b. c. iis comparatur cælestis electorum felicitas, 325. f. nuptiæ secundæ olim licitæ repudianti & repudiatæ, sed non jam, 103. c. nuptiæ Christi cum Ecclesia inchoatæ sunt in incarnatione, in cælo consummabuntur, 293. a. aliæ nuptiæ spirituales, ibid.

O

Obduratos homines potest Deus emollire, 63. f.
Obedientia per thus repræsentatur, 50. g.
Obediendum malis Prælatis justa jubentibus, 301. f.
Oblivio propositi sui sæpe lapsus est occasio, 364. e. g. h.
Obstinati sunt porcis & canibus similes, nec corripiendi, 128. a. nisi ad aliorum bonum, ibid.
Occasiones peccati, etiam carissimæ, rescindendæ, 102. h. 103. a.
cur Occidentales Christiani feria VI. & sabbato carnibus abstineant, 151. h. 152. a.
cur Ochozias, Joas & Amasias in Christi genealogia sint prætermissi, 34. g. h.
Oculi maxime sunt coercendi castis, 102. f. quis oculus simplex dicatur, quis oculus nequam, 121. g. oculus mentem & sensum internum denotat, ibid. h. 122. a.
Odio nemo habendus, etiam inimicus, 108. e. odium Judæorum in Christum quantum fuerit, 438. e. f.
Offendens simul & offensus, sive jure, sive injuria reconcilientur invicem, antequam adeant communionem, 100. b.
Offensa omnis proximo remittenda, 255. g. 256. b. idque ex animo, 258. d.
Oleo Judæi ad lumina utebantur, 323. g. oleo a se benedicto multi Sancti infirmos sanabant, 421. g.
Omnis sæpe significat multos, 167. a.
Onus Christi leve est & simile plumis avium, 183. f. onera legis importabilia Pharisæi populo imponebant, quæ ipsi non subibant, 302. e.
Opes relinquere affectu & effectu debent Religiosi, estque id consilii, non præcepti, 142. e. f. cur eæ relinquendæ, 121. c. d. opes diviti non tam commodo sunt, quam oneri & impedimento ad virtutem, 267. c. veræ opes quæ sint, 121. c. d. opes cælestes sunt veræ, stabiles, & æternæ, ibidem. d. Vide Divitiæ.
S. Opilus a puero, Deo Dilectus fuit, 163. c. d.
C. Oppius an fuerit centurio qui Christum morientem confessus est esse Deum, 391. b.
S. Opportunæ, Abbatissæ felicissima mors, 525. f.
Opus nullum licet minimum, prædicatori impensum, carebit sua mercede, 173. d. opus secretum Deus publicat, 113. a. b. operum in die judicii exacta ratio a Deo exigetur, 327. g. & seqq. ea etsi exigua tunc magni fient, 331. a. b. opera bona quomodo occultanda simul, & ostentanda, 96. d. eorum vim elidit vana gloria, 112. c. sunt ad Dei gloriam facienda, ibid. d. talia raro proferunt falsi doctores, 131. a. omnia non sunt paria, 273. g. & seq. ad salutem requiruntur, 324. c. d. 325. e. d. 441. b. iis jugiter est incumbendum ob incertitudinem mortis, 325. h. 326. a. his incumbentes merentur videre angelos, 399. d. tria bonorum operum genera per tria dona Magorum designantur, 50. h. opera Christi erant perfecta, ibid. opera misericordiæ corporalia & spiritualia sunt septem, 330. h. ea omittentes damnantur, 332. c. ea proximo exhibita sunt velut unguenta quibus ungitur Christus, 440. c. d. 337. c. propter opera electi cælo adjudicantur, 330. g. opera manifeste divina & miraculosa calumniari, est blasphemia in Spiritum Sanctum, 190. a.
Orabant Judæi stantes simul & genuflexi, 113. c. d. orandum fideuter, diligenter & perseveranter, 128. c. orantes capient solitudinem, 213. c. cur oraturi olim ante orationem lavarent manus, 210. a. & seqq.
Oratio thure denotatur, 50. e. f. cibus est animæ, 73. d. ea uti & inspiratione Dei vivit homo, 75. c. d. oratio latenter & in abdito fiat, 113. c. d. per catenam auream denotatur, 117. c. sensim crescere, suumque affectum debet augere, 128. d. cur sæpe non exaudiatur a Deo, ibid. d. e. ejus mensura est spes, 147. e. ei decem virtutes sunt necessariæ, 221. c. omnia a Deo impetrat, ibid. e. f. in ea luce cælesti perfundimur, quæ sæpe in facie exterius elucet, 237. a. b. est animæ transfiguratio, 238. e. per eam pellitur dæmon, maxime accedente jejunio & carnis afflictione, 244. f. ea remedium est in afflictione, 351. g. & seq. in ea maxime requiritur perseverantia, 352. e. & seqq. oratio publica in templo commendatur, 114. e. oratio consentientium quæcumque impetrat, 255. c. d. e. orationis Dominicæ commendatio, 114. d. e. distinctio, ibid. ejus paraphrasis ex S. Francisco, 120. d.
Ordo in Matthæo aliquando non servatur, 187. b. ordo duodecim Apostolorum, 158. d. ordo militaris stellifer in Gallia a Roberto rege institutus, mutatus est a Ludovico XI. in Ordinem S. Michaelis, 45. b.
Orientem respiciunt templa Christianorum, & ipsi Orientem versus orant, 382. a.
Orientalis Ecclesia jejunabat feria IV. & VI. 151. b.
Origenes putavit pœnas infernales non fore perpetuas, 65. f. 189. g. censuit angelos custodes aliquando per negligentiam peccare, 249. h. & seqq. castravit se, non recte, 18. b. 262. d.
Os aperire idem est Hebræis quod incipere loqui, 85. a.
Osculum olim in Missa dabatur a Christianis ante communionem, 100. h. & cum sibi invicem occurrerent, 354. g. osculi signum quare Judas dederit Judæis in Christi captura, ib. f. osculum olim fuit mos salutandi apud Hebræos, ibid. h. cur Christus Judæ dederit osculum, ibid.
Ostentatio vana sui in opere bono ipsum enecat, 111. c. ostentatio Pharisæorum in bonis operibus, 302. b.
de Otioso verbo reddenda Deo est ratio in die judicii, 191. b. 192. d. quod dicatur verbum otiosum, 191. b. c. non requiritur absolute bona intentio, ne sit otiosum, ibidem. e. f. ejus remedia, 192. g. ejus auctor est diabolus, ibidem.
Otiositas verborum, cogitationum & operationum est quædam prodigalitas temporis, 192. a.
Otto Martyr Franciscanus in una maxilla percussus præbuit alteram, 106. g.
Ovis est animal simplex & incurium, 156. a. oves sint viri Apostolici, & qua in re, 164. f. g. h.
Ova gallinæ salubria sunt & medica, 308. b.

P

S. Pachomius novitios suos triennio instruxit, 151. g.
Pacifici sunt beati, eorum tres sunt gradus, 92. c. vocantur Dei filii, ibid. d. & seq.
cur Palæstini ungerentur, & faciem lavarent frequenter, 121. a. utebantur frequenter parabolis & proverbiis, 19. b.
Palamonis Eremitæ austeritas in cibo, 379. b.
Paleæ typus sunt damnandorum, 65. c.
Pallium est vestis exima, 107. a. b. erat vestis priscorum Christianorum, 162. f.
Palmarum rami de arboribus cæsi, & Christo substrati, erant signum triumphi ejus, quem de morte, dæmone, peccato & inferno erat relaturus, 284. f. g.
Pambo Abbas pecuniam oblatam repudiavit, 160. b.
Pan, *Vide* Magnus.
Panem nostrum petere & edere debemus, non alienum, 117. g. h. quis panis *ἐπιούσιος* 118. a. & seq. panis nomine petimus a Deo quidquid nobis ad vitam necessarium est, ib. g. h. panes propositionis quinam essent, & ad quid offerrentur 185. a. pa-

Digitized by Google

panem, Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, unum accepit, & fregit in duodecim partes, quarum unam ſingulis dedit, 341. *b.* cur eum benedixerit, ibid. *g.* panum quinque miraculum expenditur, 212. *a.* an ad hanc eorum multiplicationem Chriſtus aliquid crearit, ibid. *b.* hi fuere ſapidiſſimi: fuit hæc multiplicatio præambula tranſſubſtantiationis in Euchariſtia, ibid. *c.* de his plus ſuperfuit, quam initio fuit allatum, 212. *b.* quare ſemel quinque panes, ſemel ſeptem multiplicati, 222. *e. f.* panes ſeptem ſunt myſtice ſeptem Dei dona, ib. item ſeptem ejus miſericordiæ, ibid.
In Parabolis ſæpe non perſonæ perſonis, nec partes partibus rei ſignificatæ, ſed tota parabola, toti rei comparatur, 19. *e.* earum finis & ſcopus ſpectandus eſt, ibid. *f.* earum ſenſus ex prologo & concluſione venandus eſt, 19. *g.* in iis Chriſtus aliqua inſinuare voluit myſteria, quaſi ſenſu tropologico, vel allegorico, ib. *h.* eæ frequentes ſunt Syris & Palæſtinis: cur iis obſcuris & ambiguis utatur Chriſtus coram Scribis, 19. *h.* ſæpe proponebat faciles & vulgares, 418. *b. c.* quis parabolarum ſenſus litteralis ſit, 19. *c.* ſingulæ tres habent partes, profabulationem, fabulam, aſtabulationem, ib. *d.* Evangelicæ omnes ordine hiſtorico diſpoſitæ, 28. ipſæ non poſſunt per omnia adaptari, 19. *f.* 131. *e.* cur Dominus in parabolis ad turbas & Phariſæos loqueretur, 198. *e.* 199. *c. d.* parabola ſeminis per omnes partes accommodatur, 197. *e. f.* & ſeqq. parabola de zizaniis, 202. *c.* & ſeqq. per hanc Scribas perſtringit, ib. *h.* de grano ſinapis, 203. *b.* de fermento, 204. *d. e.* parabola zizaniorum exponitur, 205. *d.* & ſeqq. de theſauro abſcondito in agro, 206. *h.* de margarita inventa, ibid. *f.* & ſeqq. de ſagena miſſa in mare, 207. *c.* ovis centeſimæ erantis tripliciter applicari & explicari poteſt, 251. *a.* de rege rationem volente ponere cum ſervis ſuis, 256. *c. d.* patrisfamilias conducentis operarios in vineam ſuam, 271. *b.* ejus ſcopus, ib. partium ejus applicatio, ib. & ſeqq. 272. *e. f.* de filiis in vinea laborare volentibus, & nolentibus, 290. *a.* de vinea plantata, & ſervis male habitis, & filio necato ab agricolis, 290. *b.* & ſeq. item de lapide reprobato facto in caput anguli, 291. *c.* & ſeq. de rege ad nuptias filii ſui invitante, 292. *g.* & ſeqq. parabola decem virginum applicatur, 323. *f. h.* 324. *b. c. e.* 325. *b. d. e.* talentorum ſervis datorum, & ejus ſcopus, 326. *b.* ejus applicatio, ibid. 327. *b. d. f. h.* 328. *b.*
Paradoxa omnia Evangelica referuntur, 27.
Paralyſis quis ſit morbus, 137. *d.* eſt ægre curabilis, ibid. 147. *b. c.* ejus proprietates, 149. *c.* & ſeqq. ejus remedia, ibid.
Paralyticus a Chriſto ſanatus, magnam habuit fidem, ideoque curationem meruit, 147. *d.* cur prius ei remiſſa ſint peccata, ibid. *g.* cur ejus ſanatio videatur difficilior, quam peccatorum remiſſio, 148. *d.* & ſeqq. paralyticos duos Chriſtus ſanavit, ibid. *d. e.*
Paraſceve quid, & ejus etymon, 394. *h.* 439. *g.* in die paraſceves nati qua vi curent ſtrumas, 132. *e.*
Parentes magis amant filios, quam ab iis amentur, 220. *d.* affectus erga parentes nocet viris Religioſis, 144. *c.*
Paropſides ſunt diſci quibus cibus in menſam infertur, 305. *a.*
Particulæ excluſivæ additæ uni perſonæ divinæ in attributis eſſentialibus, non excludunt cæteras duas, 182. *b.*
cur ſicut Parvulos eſſe 1,os jubeat Chriſtus, 247. *f.* parvuli curantur ab angelis, 250. *b.* non ſunt ſcandalizandi, pro quibus Chriſtus ſe adeo dejecit, ibid. *g.* cur iis manus impoſuerit, 263. *a.* eos amat, cur ibid. *c.* parvuli quoque in judicio apparebunt, & quare, 329. *e.* parvuli ſunt baptizandi, non adulti contra Anabaptiſtas, 441. *d.* quomodo dici poſſint credere, ibid.
Paſcha ſive phaſe non derivatur a Græco, πάσχειν, 228. *f. g.* paſcha tria ſignificat, 329. *g. h.* paſchæ etymon. 335. *b.* erat Judæis feſtum gaudii, celebrabatur in plenilunio menſis Niſan, 373. *c.* cur in eo Chriſtum noluerint principes capere & occidere, 335. *d. e.* tamen in eo eſt occiſus, 367. *a.* cur in eo oramus ſtantes, 113. *e.*
Paſchalis agnus non poterat comedi niſi in Jeruſalem, 330. *c.*
Paſſeres Deo curæ ſunt, 169. *f.*
Paſſio Chriſti per articulos digeritur paucis, 15. *a. b.* & ſeqq. eam ipſe ſæpius prædixit, 245. *a. b.* ea inſtans cauſavit in Chriſto triſtitiam & ſudorem ſanguineum, 349. *d.* ejus tres fuere partes primariæ, 276. *d.* fuit fornax amoris, ib. *e.* an omnia ejus inſignia in die judicii apparitura ſint, 317. *e.* ea in Euchariſtia recolitur, 344. *h.* vocatur calix, 278. *g.* fuit Chriſto calix ſuaviſſimus, 357. *h.* ipſe eam baptiſmum vocat, 278. *b.*
Paſſiones nobis mortificandæ ſunt, 110. *e. f.* eæ fuere in Chriſto, ſed domitæ, 432. *a.*
Paſſus minor & major quot contineant pedes, 277. *a.*
Paſtinare proprie vitibus competit, 434. *e.*
qualis Paſtor, talis populus, 95. *b. e.* paſtor, præceptor & prætor ſunt ſal reip. 95. *b.* paſtores vigiles ſint ſuper gregem ſuum, 202. *d. e.* cur paſtores in Bethleem ſint vocati per angelos, 48. *d. e.*
Pater noſter eſt Deus quintupliciter, 115. *f.* patres filiis inſolenter imperare non debent, 302. *g. h.*
SS. Patres fuere pauperes ſpiritu, 87. *d.* quomodo juramentum illicitum eſſe cenſeant, 104. *d. g.*
Pati dura & fortia, perfectius eſt quam agere, 92. *g.* pati propter juſtitiam quid ſit, ibid. *h.* idque beatum eſt, ibid. pati pro Chriſto ſumma beatitudo eſt, 93. *h.* eſt hoc inſignis conſolatio, 166. *b. c.*
Patiens vincit iram & hoſtem malum inferentem, 106. *b.* neminem ad impatientiam provocat, 107. *a.*
Patientia in injuriis melior eſt quam de adverſario vindicta, 105. *h.* omnium eſt victrix, ibid. invicta Chriſti patientia, 362. *b.* maxime in flagellatione, 374. *a. b.* & in aliis ludibriis. 376. *e.*
Paucitas ſalvandorum per varios typos oſtenditur, 130. *b.* & ſeqq.
S. Paula e ſacra Scriptura in omnibus adverſis ſententias proferebat, 7. *g.* ejus pœnitentia, 81. *c.* ejus compunctio, 90. *e.* ejus beatitudo, 90. *h.* & in injuriis patientia, 106. *b.*
S. Paulinus Nolanus vendidit ſe Vvandalis in ſervum ut filium viduæ redimeret, 5. *h.* 280. *c. d.* pauper erat, 121. *g.* quod omnibus abdicatis pauperem vitam cum conjuge viveret, maniacus habetur, 179. *a.* eo moriente terra concuſſa eſt, 398. *e.*
S. Paulus Apoſt. Gentibus tradidit Evangelium, 8. *c. d.* cur tentatus ſit tentationibus luxuriæ, 77. *a.* in carcere Romano & alias ſubinde ex eleemoſynis victitabat, 162. *h.* alias ex opere manuum vivebat, ibid.
S. Paulus Eremita a fratre & ſororis marito prodi veritus, in eremum conceſſit, 166. *h.*
cur Pavor vehemens inducat ſtuporem, 400. *e.*
Pauper eſt mundi dominus, 87. *h.* omnia reputat ut ſtercora, ibid. pauperes ſunt triplices, cenſu, ſpiritu, cenſu & ſpiritu, 85. *g.* & qui ſpiritu pauperes dicantur, ibid. & ſeqq. pauperes Evangelio audiendo aptiores ſunt quam divites, 174. *h.* iis quæ dantur, a Deo multiplicantur, 212. *e.* Deus ipſis de rebus neceſſariis proſpicit, 246. *c.* ſunt iis danda, quæ quis a ſe abdicat, & cur, 266. *a.* ſunt fratres Chriſti, 331. *b.* pauperes ſancti & Religioſi magni faciendi ſunt, 232. *f.* pauperes ſpiritu beati ſunt, 85. *a.* qui ſint hi, ibid. *f.* hi jam de facto poſſident regnum cælorum, 87. *h.* 88. *a.* in eo erunt primi, 270. *f. g. h.* eſt iis promiſſus theſaurus in cælo, 266. *b.*
Paupertas via eſt ad perfectionem, 265. *a. b. c.* cur ſit radix beatitudinis, 86. *c.* ejus bona, 87. *a.* & ſeqq. paupertas Chriſti, 142. *b. c.* maxime morientis, 383. *a.* paupertas voluntaria auro denotatur, 50. *g.* ejus ſunt varii gradus, 86. *e.* & ſeqq. cur ea prima ſit beatitudo, 87. *a.* eam damnantes refelluntur, 142. *e. f.* in quo conſiſtat, ibid. ejus effectus & elogia, ibid. 265. *c.* & ſeqq. eam ſectantes quæ merces in cælo maneat, 267. *f. g.* paupertas ſpiritus oritur ex animi humilitate, 86. *a.* ejus tres ſunt gradus, ibid. *e.* huic nihil deeſt, 270. *g.*
Pax præcedit actum ſacrificii, 100. *f.* delectat angelos, 250. *d.* pax Hebræis omne denotat bonum, 163. *f.* 402. *d.* eam Apoſtoli hoſpitibus ſuis apprecari jubentur, 163. *f.* ſi eam hoſpites repellant, ad apprecantem reditura promittitur, ibid. *h.* qualem pacem Chriſtus terris attulerit, & qualem non, 170. *h.*
Peccator ante corruit, quam diabolum adoret, 78. *d.* magno in debito verſatur, 119. *h.* vere ſenſu parvulus eſt, 251. *d. h.* quatenus & quare corripiendus ſit, 252. *a. b. g.* cur poſt privatam correptionem coram teſtibus ſit corripiendus. 253. *c.* peccator pervicax & Eccleſiam contemnens, ſicut Ethnicus, & Publicanus, id eſt publicus peccator, eſt habendus, 254. *d.* & excommunicandus, ibid. peccator magnus recte aliorum culpas minimas nequit corrigere vel judicare, 127. *h.* peccator converti cupiens mire a diabolo tentatur, 411. *h.* & ſeq. jam pœnitens ſeſe humiliat, 427. *e.* ſenſim a Deo illuminatur, ib. *f.* jam converſus a ſeipſo fit alius, 232. *e. f.* peccatores omnes ſumus, 119. *b. c.* e peccatoribus naſci voluit Chriſtus, 34. *c.* peccatores ſunt in continua eſurie, 152. *a. b.* Chriſtum quodammodo rurſus in crucem agunt, 360. *g. h.* eumque ludibrio habent, ei ſuis peccatis exprobrant, 385. *c.* & ei præbent acetum, 387. *e. f.* peccatores etiam graviſſimi, ad pœnitentiam ſunt admittendi, 190. *d.* peccatores habituati ægre ſalvantur, 130. *d.* peccatores occulti non ſunt prodendi, 340. *c.* peccatores quidam nec in hoc, nec in futuro ſæculo abſolvuntur, 189. *g. h.*
Peccatum aliud veniale, aliud mortale, 100. *a.* peccatum ex diametro repugnat Deo, 148. *d.* debet eſſe voluntarium, 218. *c.* fugat angelos, 250. *e. f.* ejus & excommunicationis analogiæ, 254. *b.* peccatum unum mox trahit ad aliud, 365. *f. g.* & ſecundum gravius priore eſt, ibid., 403. *c. d.* peccatum mortale infinitam quamdam in ſe continet malitiam, 62. *e.* 332. *g.* eſt velut lepra contagioſa, 136. *c. d. h.* quanta ſit Dei injuria, 256. *e.* eſt id infinitum debitum, ibid. pro eo nulla pura creatura ex æquo poteſt ſatisfacere, ibid. recte comparatur talento, ibid. peccatum originale contra Pelagianos aſtruitur, 131. *d.* id trahimus ex Adamo non tamen ratione particulæ alicujus carnis ex eo deciſæ, 219. *d. e.* peccatis ſingulis pœnæ ex æquo admenſæ & decretæ ſunt in pœnitentialibus decretis, 62. *e.* peccata noſtra ſunt debita, 119. *a.* ea remittere ſolus poteſt Deus, 148. *h.* 149. *a.* ſemel dimiſſa a Deo, peccatori ob ingratitudinem denuo non imputantur, 257. *f.* eorum ſpinas luit Chriſtus ſpinis coronatus, 375. *e.* & ſeq. ei peccata omnium, quæ ſibi proponebat, ſummam triſtitiam intulere, 349. *d. e.* peccata in Spiritum ſanctum ſex ſunt, 189. *b.* peccata prius remiſit paralytico Chriſtus, quam eum ſanaret, 147. *d.* & ſeqq.
Pecunia triplex, aurea, argentea, ærea, 161. *a.* & quælibet dicta æs, 434. *h.* eam ferre vetantur Apoſtoli, & cur, 161. *b. c.* priſcis erat dea, 112. *g.* & ſeq. ei ſimul & Deo ſervire nemo poteſt, 122. *b.* & ſeq. ejus poſſeſſio Apoſtolis erat vetita, 161. *e. f.* pecunia qua pontifices cuſtodes ſepulchri corruperunt, fuit ex ærario ſacro ſumpta, 403. *c.*
Pedes & caput Chriſti myſtica quæ ſint, 336. *d.* pedes amplecti & oſculari, ſignum eſt venerationis & reverentiæ, 402. *e.*
S. Pelagia virgo inſiliit in flumen ne violetur, 76. *h.*
Pelagiani docebant nullum juramentum Chriſtianis eſſe licitum, 103. *h.* & juſtos ſine peccato eſſe, 119. *b.* & nullum divitem poſſe ſalvari, 165. *f.*
in Pentecoſte facta eſt promulgatio legis novæ, 70. *g.* tunc vetus obligare deſiit, ibid.
Pera eſt ſacculus viatorius, 162. *b.*
Peræa quæ regio Judææ ſit, 259. *c.*
Peregrinus impoſtor fingens ſe Chriſtianum, Chriſtianorum auro ſuffarcinatus in patriam rediit, 270. *a.*
Peregrini & hoſpites omnes hic ſumus, 52. *a.* 394. *c.*
Perfectio ſumma eſt in Deo, 264. *b.* ea imitanda nobis eſt, 110. *d. e.* perfectio Evangelii, 30. *b.* modus cito ad eam perveniendi, 110. *e. f.* conſiſtit in charitate Dei & proximi, 265. *d.* perfectio virtutum eſt domus ſpiritalis animæ, 133. *a.* quam perfectio-

fectionem a ſuis exigat Chriſtus, 109. e. quænam ſit præcepti, quænam conſilii, ibid.
Perfecti Deo ſunt cariſſimi, 109. e. & ſeq. quid obſervare debeant ut in perfectione perſeverent, 265. c. d. omnia relinquere debent, 265. g. h.
Pericles orator dictus fulminare & tonare, 416. b. ejus in injuriis patientia, 107. e.
Periculum minus licet adire, ut majus evitetur, 76. h.
an ſit ſimonia rem ſacram permutare cum alia re ſacra, 160. g.
S. Perpetua qua viſione viderit ſibi imminere martyrium, 129. g. ejus viſio de via cæli cultris obſita, 177. g.
Perſecutio proprie quid ſit, 92. g. ipſa acuit fideles Religioſos, ibid. h. eam pati ſumma eſt beatitudo, 93. h. 94. c. in ea eſt invocandus Deus, 145. a. b. ad eam conſtanter ferendam ſtimuli, 167. g. ejus aſperitate multi deficiunt a fide, 314. b. c. in ea ſectatores Chriſti opem & amicos inveniunt, 432. a.
Perſeverantia in finem virtutis eſt conſummatio, 167. b.
Perſicum Evangelium quam antiquum, & unde in Europam venerit, 11. g. h.
an e Perſide venerint Magi Chriſtum adorantes, 44. e.
Petenti omni tribuendum, 107. g. h. 108. b.
Petitio filiorum Zebedæi male erat fundata, 277. e. & ſeqq.
Petra vocatur S. Petrus, quia baſis & petra Eccleſiæ eſt, 227. e. f. & ſeqq. petra notat ſoliditatem & conſtantiam in fide Chriſti, ibidem. e. 228. a. b. c. πέτρα & πέτρος Græci lapidem ſonat, 227. g. & ſeqq. 228. f. petræ ſciſſæ ſunt moriente Chriſto, 390. e. f. & ſeqq.
S. Petroniſſa filia S. Petri, virgo obiit, 140. h.
Petroſa terra, in qua ſeminatum ſemen non potuit agere radices, quos denotet, 198. b. 201. a.
S. Petrus quando & quomodo a Chriſto vocatus ſit, 81. d. ejus domus erat Bethſaidæ vel Capharnai, 140. g. vocatus a conjugio a Chriſto reliquit uxorem & filiam, quæ ſanctæ fuere, ibid. g. h. ſemper primus in ordine Apoſtolorum ponitur, 158. a. eſt primus excellentia & auctoritate, ibid. b. ejus primatus in quo conſiſtat, ibidem. habuit ſolus poteſtatem ordinariam, ibidem. prius dictus Simon, ibidem. c. 415. f. ad Chriſtum venire ſuper aquas geſtiit, 214. b. quia certo norat eſſe Chriſtum, eum qui apparebat, ibid. & ſeqq. ejus fides hic eluxit, ibid. ambulabat ſuper aquas, 214. e. modica ejus hic diffidentia in cauſa fuit, cur mergi cœperit, ibidem. f. & ſeq. fuit a Chriſto aliquantiſper per mare deductus, ut ejus fides firmaretur, 215. b. interrogatus, quid de Chriſto ſentiret, velut ſapientior & ferventior, reſpondet pro ſe & pro omnibus, 226. c. d. ejus confeſſio ſingillatim enucleatur, ibidem. e. & ſeqq. primus clare inter Apoſtolos confeſſus eſt Chriſtum eſſe Dei filium, ob id beatus ab eo dictus eſt, ibid. h. ejus pater dictus Joannes, & crafi Jonas, 227. a. ſuper eum Eccleſiam ſuam fundandam promittit Chriſtus, hinc eſt petra & baſis Eccleſiæ, ibid. 228. b. quod pluribus probatur, 229. a. b. & ſeqq. ei datæ ſunt claves regni cælorum, ibid. e. & ſeqq. quid ſibi claves illæ velint, ibid. g. ei totus mundus a Chriſto commiſſus, 230. a. cæleſti pollet poteſtate, ibid. g. cur Chriſtum a morte retrahere ſatagat, 231. e. f. quo ſenſu ab eo vocatus ſit ſatanas, ibid. b. & ſeqq. volebat in monte Tabor hærere in gloria, 240. b. unde agnoverit ibi Eliam & Moyſen, ibid. c. neſcit præ gaudio quid petat, ibid. e. & ſeqq. cur pro eo tributum ſolverit Chriſtus Capharnai, 246. b. in nocte paſſionis fidem non perdidit, ſed in fidei profeſſionem peccavit, 347. b. 363. c. peccat tripliciter dicens ſe numquam in Jeſu ſcandalizandum, 347. h. audiit, ter ab eo ſe negandum antequam bis cantet gallus, 348. a ſtrinxit gladium non exſpectato Chriſti reſponſo, 355. b. c. voluit Malcho caput findere, ibid. ejus zelus cum Moyſis confertur: uterque regulam exceſſit emendabili animoſitate, 355. g. non bene gladium hic ſtringebat, 356. a. Chriſtum captum ſequitur a longe, 358. c. peccavit imprudentia, quod ſe ad ignem miniſtris miſcuerit, ibid. e. an ſteterit, an ſederit ad ignem, 362. e. f. quomodo eſſet in atrio foris, ibid. cecidit ad vocem ancillæ, ibid. f. ejus prima negatio, ibid. h. 363. d. negando mentitus eſt in re fidei, 363. a. ter tantum negavit, non ſepties, aut ſexies, ibid. a. negationum ejus ordo, ibid. b. an excuſari ejus reſponſio, & negatio in bonum ſenſum capi poſſit, ibid. c. negando peccavit mortaliter, & Dei gratiam amiſit, cur permiſſus tam graviter labi, ibid. c. primo galli cantu a lapſu non eſt excitatus, ibid. d. f. negavit ſecundo cum juramento, ibid. f. item tertio cum deteſtatione, ibid. g. h. reſpexit eum Dominus quo ſenſu & modo, 364. a. b. galli cantu excitus vocis Domini eſt recordatus, ibid. d. e. cur egreſſus ſit foras ut amare fleret. Judæis negando non dedit ſcandalum, ibid. e. ejus fletus quo culpam deleret, ibid. f. auſtera ejus pœnitentia per totam vitam, & aſſidua ploratio ad galli cantum, ibid. h. cur ei Chriſti reſurrectionem nuntiari angelus juſſerit, 401. b.
Petrus primus Bracarenſis Epiſc. an fuerit Samuel filius Uriæ Prophetæ occiſi a Joakim rege Juda, 422. b.
Petrus Damiani quomodo Hildebrandum Cardin., vocet ſuum ſanctum ſatanam, 232. a.
Petrus Gnapheus hæreſiarcha injurius in SS. Trinitatem, 152. e.
S. Petrus Martyr Dominicanus injuſte accuſatus & incarceratus Chriſto crucifixo conquerens, quid ex eo audierit, 386. h. in Phantaſia hominis multa dæmon poteſt repræſentare, 78. a.
Phariſæi ſibi ſanctitatem arrogabant, 216. g. profitebantur certiorem legalium rituum notitiam, 60. g. 216. g. unde dicti ſint, 60. h. erant in pretio apud populum, eorum auctores: eos acriter taxant S. Joannes, & Chriſtus paſſim, ibid. cur viperis & ſerpentibus aſſimilentur, 61. a. b. & ſeqq. 190. g. 306. c. d. eorum ſuperbia, 302. d. & ſeqq. Herodem in Galilæa licet regnantem inſtigarunt ut Joannem caperet, & quare, 79. g. h. internam concupiſcentiam docebant non eſſe peccatum, 97. d. e. a vera juſtitia multum deficiebant, 98. a. eleemoſynam facturi tubam inflabant, 112. e. putabant Chriſtum merum eſſe hominem, non Deum, 148. a. & ſeq. diſcipulos Joannis inſtigant ut petant a Chriſto quare cum ſuis non jejunaret, 151. b. c. erant non paſtores, ſed laniones ovium, & lupi, 156. a. eorum obſtinatio audientium Joannem & Chriſtum ex curioſitate, 178. f. & ſeq. illum dicebant habere dæmonium, quia auſtere vivebat; hunc, quia communem vitam ſectabatur, vocabant guloſum. 180. h. 179. b. c. eorum ſuperbia in ſpernenda Chriſti doctrina, 180. g. h. exacte ſabbatum obſervabant, 186. e. faciunt Chriſtum magum, qui ope dæmonis faciat miracula, 155. e. f. 188. h. 189. a. erant ei adverſarii quam maxime, 189. b. c. miracula ejus tacite perſtringunt, 192. e. f. a Ninivitis coarguentur in die judicii, 193. g. h. & a regina Auſtri, 194. b. ſua nequitia meruere occupari a dæmone, & a Deo puniri; ibid. c. & ſeqq. 195. c. cur a Chriſto vocentur cæci, 218. h. eorum cæcitas proveniebat ex priore invidia eorum, 198. b. & ſeqq. eorum zizania, 202. g. quo prætextu docerent parentibus negandam alimoniam, 217. b. c. d. erant hypocritæ, ibid. e. eorum error docentium non licere comedere manibus illotis, 218. c. 220. a. erant Chriſto offenſi, 218. b. cur ab eo ſignum e cælo petant, 192. d. 224. e. f. quare ei propoſuerint quæſtionem de uxoris dimiſſione, 259. c. d. eorum labores magni & ſudores pro lege Dei, ſed ſæpe inutiles, 275. h. eorum interitus & excidium prædicitur a Chriſto, 291. b. d. & ſeqq. cornutam quæſtionem ei propoſuere, 294. e. h. ei adulantur, 295. b. illum intricare volentes, in laqueum ſuum inciderunt, 295. d. e. ei ignorantiam Scripturarum volunt affingere, 298. f. docentur ab eo de perſona Meſſiæ, 299. g. erant rectores populi, & magiſtratus, & multi eorum ſacerdotes aut Levitæ, 217. f. g. 301. f. quatenus iis erat obediendum, ib. docebant, & non faciebant, ib. h. quæ populo onera imponerent, 301. a. ſuam ſanctimoniam vane oſtentabant, ib. a. b. cur dilatarent ſua phylacteria, ib. b. c. octies iis væ Chriſtus intentat, & quid per id innuat, 303. e. quomodo regnum Dei hominibus clauderent, & intrare volentes intrare non ſinerent, ib. g. viduarum domos emungebant, ib. g. cur gravius accepturi ſint judicium, ib. h. multos Gentiles ad judaiſmum pertrahere ſatagebant, 304. a. eorum error circa juramentum, 304. c. erant iniqui judices, ibid. e. minima curabant, maxima negligebant, ib. f. g. eorum rapina & immunditia, 305. c. cur ſint ſepulcra dealbata, ibid. quæ peccata admitterent in exſtruendis ſepulchris Prophetarum, ibid. d. e. erant, ut patres, propheticidæ, ibid. g. h. peccatorum impleta menſura erant evertendi, 306. a. in die judicii agnoſcere cogentur Meſſiam, quem viventem deſpexerunt & in crucem egerunt, 308. e. f. petunt a Pilato ut Chriſti ſepulcrum jubeat cuſtodiri, rabie & odio ejus flagrantes, 395. a. timebant ne reſurgeret, ibid. conati ei reſurrecturo omnimodis occludere exitum, reſurrectionis miraculum & fidem auxerunt, ibid. d. crebro & religioſe manus & vaſa lavabant, 216. a. 305. a. b. 424. h. & ſeq. cur dicantur generatio adultera, 193. f. & ſeqq. 427. g. *Vide* Judæi, Pontifices, Scribæ.
Philippi etymon Græcum & Hebræum, 158. h.
Philippus Apoſtolus candidus erat, ſed non ita acutus, 283. c. an petierit prius ſepelire patrem quam Chriſtum ſequeretur, 143. c. & ſeqq.
Philippus maritus Herodiadis quando mortuus: ejus modeſtia & juſtitia, 422. e. f.
Philippus Melanchthon Evangelii codicem ſemper penes ſe habebat, 8. e.
S. Philippus Nerius omni petenti quod poterat dabat ſolatium, 108. b.
Philoſophi non facientes ipſi quæ alios docebant, parum fructus faciebant, 98. a. Philoſophorum quorumdam in injuriis patientia, 107. e.
Phocion injuriæ ſibi illatæ obliviſci filium juſſit, 109. b. c.
Phœnicia erat confinis Judææ, 220. b.
varii erant Phœnices, etiam extra Syriam, 220. c.
Phœnix non eſt una avis in mundo, 61. e.
Photinus Chriſtum negabat eſſe Deum, 136. b.
Phylacteria quid ſint, & quare geſtarentur, 302. b.
cur Pilato Chriſtus ſit traditus, 366. h. & ſeqq. ei præſentatus de tribus criminibus a pontificibus accuſatur, 368. b. & ſeq. ſed ipſe illa negligens ſolum eum interrogavit an ipſe rex eſſet Judæorum, ibid. h. miratur Chriſti ſilentium, 370. a. ejus inſtantia ad eum liberandum, ibid. c. d. & ſeqq. vere voluit eum liberare, ibid. d. & ſeq. ab uxore monetur, ne in eum quid acerbius ſtatuat, ibid. h. an per eam ipſe converſus & Chriſtianus effectus ſit, 371. d. & ſeq. in exilium Viennam miſſus ſe occidit, ibid. e. talione a Deo punitus eſt, ibid. lavit manus quaſi a ſanguine Chriſti innocens: erat exeors & leporinus, 372. b. & ſeqq. curavit Jeſum flagellari, 372. f. ejus in ipſum lata ſententia, 374. d. eum condemnando tripliciter peccavit, 376. b. quomodo titulum crucis ſcripſerit, 383. d. Joſepho corpus Chriſti concedens, factum ſuum aliquo modo texit, 393. f. g. reddidit id gratis: cur miratus ſit quod jam obiiſſet, ibid. dedit milites Judæis ad Domini ſepulchrum cuſtodiendum 395. d. e. quid de Chriſto ad Tiberium Imper. ſcripſerit, 374. c. 376. d.
quod Pinnaculum templi fuerit, ſuper quod diabolus ſtamit Chriſtum, 75. h. erat faſtigium veſtibuli, ibid. b. an fuerit pinnaculum acutum periboli & ſepti. 76. a. b.
Piſcatores, id eſt Apoſtoli, orbem ſubegere, 81. a. b.
Piſces ſunt typus hominum, 207. d.
cur plangent in extremo judicio omnes tribus terræ, 317. b. & ſeq.
Platonici Evangelia honorarunt, 4. d. a.
Plebeji aliquando meliores ſunt ſacerdotibus, 290. c. d.
Plutus deus divitiarum eſt, 122. b.
Pœnæ damnatorum non ſunt omnes æquales, 165. f. ex numquam ceſſabunt, ſed durabunt in æternum, 331. f. & ſeqq. pœna damni ibi erit graviſſima, 140. g. h.
Pœni erant e Phœnicia oriundi, 220. c.

Digitized by Google

Pœnitens sentit tentationes invitus, 149. b.
Pœnitentia digna quæ sit, 62. e. & seqq. ejus effigies & descriptio, ibid. g. debet respondere peccatorum gravitati & multitudini, ibid. d. ejus commendatio fuit summa, finis & scopus prædicationis Christi, 80. f. pœnitentia olim dura & rigida fuit, in pane & aqua per plures annos, ibid. h. post vitam frustranea est pœnitentia, 325. b. pœnitentia alia bona, alia mala, 367. b. c.
cur Pœnitentiarii Reginæ virgas gestent quasi judices, 81. a.
Politia non adversatur religioni, 296. d.
quæ Pollinctura corporum Judæis usitata esset, 394. a.
Pompa regis Christi Jerusalem invecti, 283. e. & seqq. 284. c.
cur eam adhibuit, ibid. & seqq.
Pompejus qua occasione Judæos Romanis subjecerit, 296. a. b.
Pontifex cur dicatur *Beatissimus Pater*, 226. a. ejus tituli, 228. f. ei in Petro datæ sunt claves. 158. c. ejus potestas in ligando quintuplex est, 230. d. & seqq. quam etiam aliis inferioribus pastoribus communicat, restringit, adimit, ibid. d. e. extendit se etiam in defunctos, ib. e. & seqq. qualis ejus sit in hos potestas, 231. a. quis ab eo sub terra ligari vel absolvi mereatur, ibid. habet SS. Michaelem & Gabrielem pro custodibus, 250. a. non est a Concilio corripiendus, 254. b. c. & quia a Christo potestatem immediate accepit, nullo casu ab Ecclesia deponi potest, ibid. c. cur se vocet servum servorum Christi. 279 b.
quomodo in Christum jam ad mortem damnatum Pontifices Judæi sævierint, 362. d. ei tria crimina coram Pilato objiciunt, ei jam crucifixo insultant, sugillantes ejus miracula, 384. c. d. ei de cruce descendenti non credidissent esto id jactent, 384. g. h. audita Christi resurrectione, eam abolere conantur, 403. b. c. hinc corrumpunt custodes pecunia: sed dum eam opprimere moliuntur, magis augent, ibid. c. eorum perversitas, ibid. d. quid custodibus sepulchri persuaserint, ibid. f. quomodo eos apud Pilatum excusarint, ibid. *Vide* Pharisæi, Judæi, Scribæ.
Populi mutabilitas & ingratitudo, 288. d.
Porta angusta cæli quæ sit, quæ lata ad perditionem ducens, 129. d. & seq. porta erat tam templi, quam urbis. 286. g. porta inferi est totus infernus, vel hæretici, qui contra Ecclesiam & fidem Petri non prævalent, 229. c.
Portitores paralytici magnam ostenderunt fidem, in eum Christo sistendo, 147. c.
Posse pro *velle* sæpe in Scriptura capitur, 278. c. 412. e. f. 421. f.
Possessio pecuniæ, & omnis rei temporariæ pretio æstimabilis, retinetur Apostolis, 161. c. d.
Potestas civilis vel Ecclesiastica est necessaria ad politicum regimen, 279. e. potestas Pontificum est spiritualis, 230. a. ipsorum potestas ligandi & solvendi amplissima est, & varie ab iis exercetur, ibid. d. derivant eam etiam in ministros Ecclesiæ sibi subditos, 254. e. ea est triplex, 255. d. potestas Ecclesiæ duplex, spiritalis, & temporalis, 355. d. potestas in cælo & in terra data Christo qua homini est in incarnatione, & post resurrectionem, 404. f. potestas tenebrarum quæ dicatur, 357. b. c. & seq.
Præceptum Apostolis datum de non possidenda pecunia, calceis, virga, &c. non fuit perpetuum, sed temporale dumtaxat, 161. e. seqq. & præceptum correptionis peccantium non obligat nisi in magna necessitate, 252. c. præcepta Evangelio propria recensentur, 20. item ea, quæ partim sunt consilia, 21. item præcepta seorsim data Apostolis, ibid. præcepta Dei gravia non sunt, 183. c. d. & seq.
Prædestinationis fidelium causa originalis est Dei beneplacitum, 181. d. e.
Prædestinatorum duplex est ordo, 275. g. prædestinati a Deo damnari nequeunt, 314. e. f.
Prædicationis Apostolorum summa fuit, invitatio ad regnum cælorum, 160. b. prædicatio Evangelii per totum mundum, signum est finis instantis mundi, 311. f. prædicationis a Joanne facta quod fuerit initium, 410. a. b. c. d.
Prædicator dignus est sustentatione, 163. d. est mystice Christi mater, 196. a. quæ in oratione a Deo privatim hausit, magno spiritu in populum effundat, 197. b. & seqq. quæque tempore congruo debet depromere pro captu auditorum, 207. b. quare eum subinde orare oporteat, 213. b. sint sicut fulgura & tonitrua, 400. a. quo plus in alios docendo effundent, eo plus sapientiæ & doctrinæ cælitus recipient, 199. c. 417. b. & seqq. gloriari non debent in fructu concionis suæ, nec animo cadere, si illius nullus fructus sequatur, 417. g. sed patienter eum exspectent, 418. a. *Vide* Concio, Consionator,
cur Prægnantes facile fugere nequeant, iis non pepercere Romani in excidio Jerusalem, 312. c.
Prælatus quatuor constat virtutibus cardinalibus: qui si eas amittat, peribit, 95. e. g. lux est mundi & urbs in monte posita, ibid. g. h. auctoritatem cum modestia copulat, 279. g. ejus duo vitia capitalia, audacia imperiosa, & studium voluptatum, 322. c. eis concessa est potestas ligandi ac solvendi, 254. e. eorum negligentia nocet Ecclesiæ, 202. d. ipsis denuntiandi sunt prius moniti peccatores & scandalosi, 254. a. & seq. qui deinde in eos etiam animadvertere possunt, ibid. b. Prælati peccantes sunt ad Pontificem deferendi, ibid. c. Prælatis malis quatenus obediendum, 301. d. *Vide* Episcopus, Pontifex.
Præsides Romani Judæam administrarunt, tetrarcha Archelao in exilium pulso, 55. c.
sano veteres prandebant, aut saltem modice, 139. a. idque circa vesperam, 292. f. g. ideo prandii vix ulla in veteri Testamento fit mentio, 139. b.
Primatus Petri in quo consistat, 157. h. 158. a.
Primogenitus in sacra Script. dicitur omnis, ante quem nemo est natus, 43. c.
in Principe summa virtus est benevolentia & mansuetudo, 182. a. principes non se ingerant negotiis Ecclesiæ aut Dei, 296. f. g. principes sacerdotum congregati mane diei Mercurii, ad tractandum de Christo occidendo, 335. b. c. d. cur id faciant cum dolo, ibidem. d. cur nolint in paschate, ibidem, argenteos quos retulit Judas, recipere noluerunt, 367. b. c. eorum simulata sanctitas, 368. a. *Vide* Scribæ, Pharisæi.
Priscillianistæ dicebant stellam, quam videre Magi, fuisse fatum Christi, 46. a.
Procula dicta est Pilati uxor, an salvata sit, 371. d.
Procurator vineæ mercedem reddens operariis, quos designet, 274. c. d.
quæ Prodigia urbis Jerusalem excidium præcesserint, 310. g. h.
Proditio Judæ fuit immane sacrilegium, 341. a. eam detegit Christus Apostolis, 340. d. ordo detectionis hujus, ibid. g.
Profabulatio in parabolis quid sit, 19. d.
Proficientibus in spiritu quæ sint observanda, 265. b. c.
Promissa Evangelica simul omnia recensentur, 26.
Propheta in Scriptura varia significat, Propheta in patria sine honore est, 209. e. 306. e. Prophetæ alicujus animam in Christum migrasse Pharisæi censebant, vel eum resurrexisse, & hunc esse Jesum, 225. h. & seq. Prophetæ omnes in Christum collimant, 6. b. imperativum usurpant pro futuro, 347. e. cilicio vel sacco cilicino utebantur 59. d. gestarunt sandalia, 162. e. f. eorum munus erat non solum futura prædicere, sed & populum docere, & legem Dei prædicare, 172. c. eorum sepulcra ædificare quatenus esset vitiosum, 305. d. e. cur eos occiderent Scribæ, ibid. g. Prophetarum omnium maximus fuit Joannes Baptista, 176. b. c.
Prophetiæ Christi eo ordine, quo ab ipso per se vel suos editæ sunt, dispositæ, 25.
Propositiones affirmantes sæpe intelligendæ sunt non universaliter, sed commode, & cum exceptione, 138. e. at negantes absolute, & sine ulla conditione, ibid. g.
Proselytus erat qui a gentilismo ad judaismum accedebat, 303. h. 304. a.
Prosperitas cuique velut tempestas est, 213. d. & seq.
Prostratio Judæorum in horto significat casum eorum irreparabilem: item reproborum, 354. h.
Proverbia quædam, nova novis convenire indicantia, 152. h. alia rem impossibilem significantia, 266. h. alia curam minimorum, & oscitantiam in maximis denotantia, 304. h. 305. a.
Providentia Dei non est in astris signata, 46. b. in ea est confidendum, 125. b. & seqq. ipsa mirabilis est, ibid. ipse maximam gerit erga homines, 169. f.
Provisionem vini, frumenti, olei, etiam annuam, non verat Dominus, dum sollicitudinem anxiam inhibet, 125. g.
Proximo læso prius satisfaciendum, quam sacrificium offerendum, 100. d. ei præstandum aut non præstandum quod ipsi nobis fieri volumus aut nolumus, 129. b. c. ut proximus peccans corripiatur, exigit fraterna charitas, 251. g. idque primo privatim, dein coram testibus, 253. c. ei remittenda offensa ex intimo corde, 258. b. c. est diligendus proxime post Deum, 299. d. e. & sicut nos ipsos diligimus, ibid.
Prudentes esse jubemur sicut serpentes, 165. c. & seqq. prudens facile pacem mutuam conservat, 430. f.
Psalmus CIX. de Messia non de alio quopiam est intelligendus, 309. a.
Pseudochristi fuere varii apud Judæos, 314. b.
Pseudopropheta est, qui avocat a via salutis, aut ad latam & perversam, 130. f.
πτῶμα. Proprie est cadaver, a casu, 315. d. 316. b.
Publicani dicti quod publica vectigalia redimant & exigant, 109. a. an eorum officium sine peccato possit exerceri, 150. e. publicani & meretrices quomodo præcedant Phariseos in regnum Dei, 290. c.
Pudor a pietate deterrens superandus est, 281. b.
Puella duodennis a Christo ad vitam revocata quos peccatores denoret, 154. d.
Pueri Christi vultus divinus Magorum oculos, & magis mentem feriebat, 46. b. & seq. pueri quanto studio educandi, docendi & catechizandi sint, 263. d. male eos arcent Anabaptistæ a baptismo, ibid. f. sunt communiter simplices, innocentes, candidi, 247. f. & tales esse jubemur, ibid. g. pueri, quibus Christus manus imposuit, evasere in viros sanctos & sapientes, 262. g. h. pueri ei in Dominica palmarum acclamant, 287. b. & seq. eorum laudibus delectatur Deus, 288. b. tripliciter eum laudant, ibid., & seqq. pueros a senioribus & sacerdotibus benedictionem petere laudabile est, 263. a. simplicitas puerilis apta est regno Dei, ibid. g. *Vide* Parvuli.
S. Pulcheria quo modo fratris Theodosii Imper. oscitantiam castigarit, 276. b.
Pulverem de sandalia quomodo excutere jubeantur Apostoli, & quare id fieret, 164. c.
Purgatorium esse evincitur, 190. e. ejus pœna semel finietur, 101. e. in eo etiam valent indulgentiæ, 230. e. f. h. ei Christus plenum & primum jubilæum dedit eo post mortem descendens, 394. e. f.
cur Purpura data sit a Papa Cardinalibus, 375. b.
Pusillanimes confugiant ad Christum agonizantem pro remedio, 350. b.
cur Pusilli non sint scandalizandi, 249. f. *Vide* Pueri.
Pythagoræ symbolum de via salutis & perditionis, 130. a. docebat abstinendum a carnibus & fabis, 239. d. credebat animas ex uno corpore in aliud migrare, 422. a.

Digitized by Google

Q

Quadragenarii numeri myſterium, 38. e, f.
Quadrageſima Montani hæretici poſt Paſcha, 152. a.
Quadrageſimalis jejunii variæ ſunt cauſæ, 72. g. ſanitati corporis confert, 73. a. aliæ ejus cauſæ ſymbolicæ & myſticæ, ibidem.
Quadrageſimus numerus ſanus & ſanctus eſt, 73. a.
per Quadraginta annos multi ſine cibo vixere, 73. f.
Quadraginta Martyres alacriter in gelidum ſtagnum inſilierunt, 373. d.
Quadrans eſt quarta pars aſſis, alias triuncius, vel teruncius, 101. f. ejus dimidium erat minutum, 435. a.
Quantitas alia eſt continua, alia diſcreta, 222. d.
Quarantana defertum deſcribitur, 71. b.
Quaternarii numeri perfectio, 9. e.
Quotidianum panem petere jubemur, 118. b. c. quis is ſit in particulari, ibid. e. f.

R

Rabbi vox quid denotet, 302. a. b. non ſolum legis doctorem, ſed etiam virum principem ſignificat, 385. a.
ῥάβδος id eſt virga, tria notat, 163. a.
Raca quid ſit, & quid fratri ſuo dicere raca, 99. b. eſt id peccatum mortale, vel veniale, ibid. e. f.
Rahab etſi meretrix, nominatur tamen in genealogia Chriſti, 34. c. ob exploratores protectos nupſit Salmoni, ibid. d.
Ramos de arboribus cæſos turba Chriſto triumphanti in via ſternebat, 284. d. e.
Rarefactio aquæ in olla, oſtendit veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia, 343. b.
Ratio recta eſt regula actionum humanarum, 191. g. rationem donorum ſuorum exactam in die judicii exiget Deus, 326. b.
Rea Hebræis ſignificat ſocium, proximum, amicum, 108. c.
Recidiva peccatoris non eſt ſpeciale peccatum, ſed tantum circumſtantia generalis a peccatore volita, 257. g. *Vide* Relapſus,
Recipiens Apoſtolos, Chriſtum & Patrem ejus recipit, 172. b.
Reconciliatio fratri offenſo ante ſacrificium eſt præcepta, 100. e. f.
Reginæ Æthiopibus imperarunt, & dictæ ſunt Candaces, 194. a. b. Regina auſtri quæ ad Salomonem venit, quomodo dicta, & unde venerit, ibid. a. b. an ex Salomone, filium conceperit, ibid. b. ejus & Judæorum antitheſes. ibid.
quæ Regiones eſſent ultra Jordanem, 83. b. c. quæ regiones lepram adferant, 135. e. 136. g. h.
quomodo Regna omnia mundi diabolus Chriſto oſtenderit, 77. g. e. f. regnum Judææ Chriſto debebatur, 369. f. g. quando id ceſſarit, ibid. regnum cælorum Prophetæ veteres quidem promiſerunt, at Joannes id prædicavit mox à Chriſto prædicante reſerandum, 177. h. & ſeq. b. regnum cælorum ſimile grano ſinapis quod ſit, 203. b. an id Chriſto adaptari poſſit, ibid. c. e. quo ſenſu regnum David a Chriſto ſit reſtitutum, 433. b. c. regnum Chriſti ſitum in paupertate & mundi contemptu, 49. f. g. erat id ſpirituale & cæleſte, ideoque mite, 283. f. 369. e. non erat de hoc mundo, ibid. d. qua homo, duplex habuit regnum, etiam in terris vivens, ſpiritale & mundanum, ibid. e. ejus regnum ſuperat cetera, ibid. f. quodnam regnum ejus viderint nonnulli Apoſtolorum ante mortem, 234. b. & ſeq. id purpurea chlamyde, qua indutus in paſſione fuit, ſymbolice denotatur, 375. b. regnum Dei ſpirituale eſt hic in anima per gratiam, in futuro per gloriam, 58. b. eſt id quadruplex, 115. f. & quale ei in oratione Dominica apprecemur, ibid. b. d. regnum Dei primum quærendum, nec non ea quæ ad illud ducunt, 125. d. e.
Relapſus in peccatum pejor eſt lapſu, 193. b.
Religioſi cujuſdam in injuriis gaudium, 107. f. cur Religioſi priſci dicerentur Aſcetæ, 265. d. eorum ſummia lætitia eſt in perſecutionum & injuriarum tolerantia ſita, 94. d. ſunt tropologice Nazaræi, 56. d. quomodo cum ſæcularibus agere debeant, 95. d. terrena omnia parvi faciant, 110. f. alaudis comparantur, 123. d. f. ſint pauperes ſenſu & cenſu, 142. d. e. etiam ruſticis concionentur & opem ferant, 156. g. h. apud quos hoſpitari debeant, 163. d. e. non mutent facile hoſpitium, ib. e. abnegare debent omnia negotia ſæcularia, 132. h. una cum Chriſto erunt judices, 268. b. idque ob quatuor cauſas, ibid. g. per tria vota quaſi per tres clavos Chriſto concruciſiguntur, 381. e. f. ſunt velut peregrini, 368. e. dum peccant debent ad Superiorem deferri, & cur, 253. e. f. & ſeqq. omnes, præter Franciſcanos, poſſunt bona habere in communi, etiam immobilia, 142. f.
omnia Relinquere propter Chriſtum eſt actus heroicus paupertatis, 267. g. relinquens unum propter eum centum digniora & meliora recipiet, 269. g.
Reliquias Sanctorum quomodo honorare debeamus, 398. c. eas Calviniſtæ mergunt & comburunt, 419. d. earum uſus & vis, ibid. f. g.
Remiſſio injuriæ nobis illatæ eſt conditio peccatorum nobis à Deo dimittendorum, 119. c. d.
Reprobationis infidelium & impiorum cauſa originalis eſt ſolum Dei beneplacitum, 181. d. e. & ſeqq.
Reprobi ſero dolent ob neglectas in vita virtutes, 332. c. d. & fruſtra opem implorant, ibid. g. a dæmonibus aut angelis ad judicium raptabuntur, 318. e. & lata a Chriſto ſententia ſtatim per dæmones in tartara, 331. h. ubi ipſum accuſabunt falſitatis & iniquitatis, 332. d. numquam inferno liberabuntur, 331. b. in Deum, Chriſtum & Sanctos blaſphemant ex deſperatione, odio & rabie, 328. d. *vide* Damnati.
Repudii legem corrigit Chriſtus, 103. e. id tantum licitum eſt fornicationis cauſa, ibid.
Reſignatio ſui in voluntatem divinam eſt optimum remedium in afflictione. 351. g. h. & ſeq.
Reſpectus Chriſti ad Petrum negantem quomodo contigerit, 364. a.
Reſpondet, Hebræis idem eſt quod incipere loqui, 18. e.
Reſurrectio mortuorum eſt ſpes Chriſtianorum, 400. g. h. cur ea vocetur regeneratio, 267. b. hæc ſæpe in Scriptura aſſeritur, 297. b. c. eſt ea facilior quam creatio, ibid. reſurrectio Chriſti mortui eum, quis eſſet, evidenter evincebat, 193. b. quid in nobis operetur, 276. d. vocatur a Phariſæis error, at hæc ejus divinitatem confirmabat, 396. b. c. ejus ſeries paucis perſtricta, 15. g. 398. c. ipſa velut excitatio a ſomno fuit, & ceu reſloratio arborum, 400. f. g. quo magis oppreſſa eſt a pontificibus, eo magis innotuit, 403. d. & ſeq.
Reſurrexit Chriſtus die Dominica, 193. a. b. cur ipſo reſurgente reſurrexerint Sancti, 391. a.
Reſuſcitatio filiæ archiſynagogi allegorice exponitur, 154. c. item tropologice, ibid.
Rex Judæorum vere fuit Chriſtus, 383. d. e. reges omnes e ſervis orti & ſervi e regibus, 34. d. e. reges Franciæ & Angliæ tactu ſuo ſtrumas curant, 132. e. reges Orientales nefas erat adire ſine munere, 50. b.
Robertus rex Franciæ qua occaſione Ordinem ſtellæ inſtituerit, & quare, 45. b.
Robur Chriſti judicis in quo apparebit, 318. d.
Romani in prandio parci erant, in cœna hilarius epitabant, 139. c. d. noctu ſingulis ternis horis mutabant excubias, 213. d. diem in XII. horas per quatuor partes, ſic & noctem dividebant, 193. d. e. 273. b. honeſtiores Græcam linguam & ſapientiam perdiſcebant, 407. g. & ſeq. qua Judæos occaſione ſubjecerint, 245. d. e. variis præſidiis eos in imperio continebant, 137. a. b. an eorum in ipſos dominium juſtum fuerit, 296. b. c. iis devictis poteſtatem occidendi reos ademerant, 366. g. h. valde, tempore Titi, in Judæos exacerbati erant ob rebellionem, 313. g.
Rubor cæli veſpere ſignum eſt ſerenitatis craſtinæ, 224. b. at mane tempeſtatum, ibid. e. f.
Rudibus ſæpe majora Deus dat dona gratiæ quam literatis & ingenioſis, 327. a. b.
Rurſus filius Simonis Cyrenæi, fuit Dertoſanus Epiſcopus, 377. c. d.
Rutilus color idem eſt qui rubeus, 224. c.

S

Saba duplex eſt, una in Arabia Felice, altera in Æthiopia, 45. b. 194. a.
S. Sabas tempore jejunii ſola vixit Euchariſtia, 75. c.
Sabbati ſumma erat Judæis obſervantia & religio, 185. g. 186. d. e. 312. f. 397. a. & ſeq. idque uſque ad ſuperſtitionem, 186. e. in eo homo debet a labore quieſcere & Deo vacare, 413. g. ſabbato licet curare & benefacere, 186. e. 414. b. cur non ſit commodum fugæ, 312. f. id ſervarunt primi Chriſtiani adhuc judaizantes, ibid. f. in ſabbato capta Jeruſalem eſt, ibid. g. id in Script. ſæpe vocatur ſabbata, 397. a. ſi cum Paſchate concurreret, an paſcha transferretur, 339. g.
Sacerdotes ſunt ſal terræ, 94. d. & ſeqq. ſint ſicut ſol, 95. g. in oculis omnium verſantur, ibid. h. curant & diſcernunt lepram animæ, 136. d. quomodo ſenſim evaneſcant & pereant, 95. e. f. ſacerdotes ſcandaloſi & indocti, cauſa fuere hæreſeos, ibid. d. mali bene baptizant, 131. d. & conſecrant, 132. d. ſacerdotes in China celebrant tecto capite, 114. a. ſacerdotes conſtituti Apoſtoli in ultima cœna, poteſtatem acceperunt alios poſſe conſecrandi, 343. e. d. ſacerdotes priſci mactando victimas non violabant ſabbatum, 185. g. & ſeqq. ſacerdotum Judaicorum ſordida avaritia, 287. a.
Sacramenta quo ordine, & quibus verbis a Chriſto inſtituta, 26.
Sacrificio non expiabatur homicidium, 100. d. ſacrificium refert ſpeciem convivii, unde in eo requiritur victima & libamen, 343. e. ſacrificium Euchariſticum quam præclarum ſit, 344. c. d.
Sadducæi erat athei, 60. g. unde dicti, ibid. contra eos ſcriptus liber Sapientiæ, & II. Machab. ibid. negantes reſurrectionem, Chriſto quæſtionem inextricabilem (ut putabant) de illa propoſuerunt, 297. a. Dei quoque negabant potentiam ac providentiam, ibid. d. ſolum Pentateuchum recipiebant, recipiebant Propheras, 298. c.
Sagena quid proprie ſignificet, 207. c. quid ſagenæ miſſæ in mare ſimilitudine innuere Dominus velit, ibid.
Sal eſt balſamum naturæ: eſt ſapientiæ ſymbolum: eſt ex igne & aqua, quomodo generetur, 94. e. f. ejus etymon: cibum inſipidum gratum reddit, ibid. g. carnem a corruptione præſervat, ibid. h. ſitim excitat, ſua acredine mordicat & pungit, ſiccat & urit, ibid. h. 95. a. quatuor conſtat elementis, ibid. d. myſtice quid denotet, 430. a. b. & ſeqq.
Salamandra igne conſumitur, etſi non tam cito, 61. c.
via Salaria Romæ unde dicta ſit, 94. g.
Saliri igne, quid ſit, 419. b. & ſeqq.
Saliva Chriſti ſalvifica erat, 425. c. d. 426. g.
Salome, & mater filiorum Zebedæi, eſt eadem, 208. b. & ſeq. fuit ſoror Jacobi Minoris, ibid. c. d. & conſobrina Chriſti, ibid. adſtabat cruci Domini, 392. b. inde domum rediit, 394. b.
Salome ſaltatrix Herodiadis filia, mire a Deo punita, 423. b. 178. f. g.
Saltatio myſtica quænam ſit, 422. b.
Saltatrices olim conviviis adhibitæ, animos emolliunt, 130. b. & ſeq.
Salvandi ſunt pauci, 132. c.
Salvatores, quam gratiam ſanandi habeant a Deo, 129. d. b.
via ad Salutem arcta eſt, 129. d. b. qualem ſalutem apprecetur turba Chriſto Jeruſalem ingredienti, 285. a. b. c. 286. b. c.

Digitized by Google

Salutare oportet inimicos, 109. c. d. salutantes Hebræi pacem apprecabantur, 163. f. g. *Vide* Pax.
Salutatio repulsa quomodo ad salutantem redeat, 163. h. in salutationibus varia potest esse ambitio, 302. d.
an Samson in utero matris fuerit sanctificatus, 36. h. typus fuit Christi e sepulchro clauso prodeuntis, 399. b.
Sanati a Christo corporaliter, etiam spiritualiter ab eo sunt sanati, 147. b.
duplex modus Sanctificandi Deum infinite, 115. e.
quam nominis Dei Sanctificationem in oratione Dominica petamus, 115. a. b.
Sanctitas Evangelii quanta sit, 29. b. sanctitas Dei vocatur ejus attributa, 115. c. sanctitas nostra consistit in conformatione voluntatis nostræ cum divina, 117. d. *Vide* Perfectio.
Sanctum ingredi non licebat laicis, 185. a. unde id non intravit Christus, quia non erat sacerdos Leviticus, 286. g.
Sanctulus presbyter multiplicavit panem operariis, 212. e.
Sanctus sit alius a seipso qui fuit, 232. f.
Sancti omnes ex Evangelio petiere vitæ suæ formam, 7. f. Sanctos multos aluit Deus sine cibo, 75. b. Sancti pulsantur hortendis tentationibus ad majorem humilitatem, virtutem & meritum, 77. a. eorum honor, honor est Dei, 105. b. ipsi etiam se peccatores agnoscunt, 119. b. c. etsi divites, divitiis animum non affixere, 122. g. eos vivos non ferunt multi, functos vita venerantur, 305. g. sunt velut aquilæ, 315. c. d. & seqq. semper ad moriendum fuere dispositi, 321. c. d. & seqq. gratia bene utentes digni sunt majorem accipere, 328. f. gaudebunt in cælo de suis donis, & de reproborum, quomodo, ibid. erunt filii & heredes Dei, 92. d. per eos quatenus jurare liceat, 105. b. c. pro hominibus peccantibus orant, nec apud Deum eos accusant, 257. c. cum Christo judicabunt, & eamdem sententiam ferent quam Christus, 268. g. certis locis, quibus in vita laborarunt, a Deo in cælo præficiuntur, 328. a. Sancti non surrexerunt e monumentis, nisi resurgente Christo, & quare, 391. a. non sunt exinde rursus mortui, ibid. b. c. quinam potissimum resurrexerint, ibid. d. quibus apparuerint, ibid. g. Sancti plurimi miram in sumptione Eucharistiæ animi dulcedinem senserunt, 345. f. Sancti qui austere vixerunt, claruere miraculis, 244. f. Sancti omnes veteris testamenti cupierunt videre & audire Messiam, 199. h.
Sandalia quid sint: ea fuere permissa Apostolis, 162. d. sandalium S. Andreæ Treviris asservatur, ibid. e.
Sanedrim quod esset concilium, 99. f.
Sanguis victimarum effusus Deo libabatur, 344. b. c. unde sanguinis fluxus in Judæis habeat ortum, & an vere eum patiantur, 372. d. e. cur sanguis Christi in Eucharistia a sacerdotibus bibatur, 343. h. vinum in eum transubstantiatur, ibid. h. is ibi effunditur & offeretur sub specie vini, 344. b. & seqq. cur ei potius quam corpori tribuatur peccatorum remissio, ibid. f. quomodo is vocari possit vinum, 345. h.
Sanitatis signum est debita cibi egestio, 219. c.
Sapiens nihil miratur, 138. e.
Sapientia condit animos ad instar salis, 94. f. sapientia Dei quo sensu justa declarata a filiis suis, 179. c. & seqq.
Sapor rex Persarum Aurelianum Imp. fecit scabellum pedum suorum, 300. d.
Sapricius injurias remittere Nicephoro renuens, martyrii coronam amisit, 119. d.
quomodo Satanas in Judam intrarit, 337. d.
Satum Hebræis quæ esset mensura, 204. h. tria sata farinæ quid significent mystice, symbolice, allegorice & anagogice, ibidem.
S. Saturi heroica fortitudo in contumelia ferenda, 171. c.
SS. Savinus & Cyprianus Martyres super rotas extensi canebant, 381. d.
Scala Jacob symbolum est generationum Christi, 33. g.
Scandalizantis parvulum castigatio, 248. h. ei æternæ damnationis væ intentatur, ibid. scandalizabat multos Christi humilis conversatio & abjectio, 175. a. b. scandalizandi modi sunt varii, 249. c.
Scandalum tibi dantes amici, familiares, cognati, abscindendi & deserendi sunt. 18. b. 430. a. scandalum tam activum quam passivum multos deperdit, 249. e. quomodo necesse sit fieri scandala, 249. d. scandalum passi sunt Apostoli in Christo, in nocte passionis, 346. d. & seqq. cur id Deus permiserit, 347. d. & seq. cur scandalum Pharisæorum parum curandum sit, 218. h. & seqq.
Scientiæ sensim & paulatim instillandæ sunt, 327. f.
Scissio vestium quare Judæis usitata: cum suas scidit Caiphas, quid innuere vellet, 360. c. hæc symbolice innuebat morte Christi veterem legem scindi cum suo sacerdotio, ibid.
quam sit Scissura petræ Golgotha profunda, 390. e.
Scorpiones quibus flagellatio sit quid sint, 373. g.
Scribam se sequi volentem quomodo Christus perstringat, 142. b. Scribæ quinam dicerentur: iidem etiam dicti legis periti, 48. h. 301. e. in propatulo orabant, 113. c. & quidem stantes, ibid. eorum in jejunio hypocrisis, 120. g. & seqq. quomodo differrent in docendo, a Christo, 134. d. & seqq. eorum tres errores, 98. b. eos Christus correxit, eorumque traditiones sustulit, ibid. c. eorum error circa homicidium, 99. a. 100. d. & circa concupiscentiam carnalem in corde adhuc latentem, 102. a. & circa præludia fornicationis, ibid. b. & circa juramentum, 103. g. h. odium inimicorum inferebant ex amore proximi, 108. c. arrogabant sibi censuram novæ doctrinæ, & novorum doctorum, 216. g. devorabant domos viduarum: sanctitatem simulantes avaritiam pro pietate vendebant, 434. g. in domo Caiphæ convenerant, antequam Christus ad eum duceretur, 358. a. & seq. falsos testes contra Christum vinctum conquirebant, 359. c. eorum odii in Christum tota causa erat, quod ipse plebejus & vilis, ut videbatur, se faceret Dei filium, ibidem. g. Christo iisdem verbis in cruce illuserunt, quibus ei illusuros hostes ejus prædixit David, 384. h. ei ita eos illusisse prædixit & Sapiens, ibid. e. *Vide* Pharisæi.
Scripturam Canonicam definire debet Ecclesia, 30. b. 31. a.
S. Scripturæ dignitas, majestas, 3. a. est omnium scientiarum encyclopædia, ibid. b. est scientia scientiarum, & apotheca rebus omnibus adversus mala omnia, & ad bona omnia procuranda, instructissima, ibid. d. est velut speculum nostrum, 7. c. quæ figurate in ea accipienda sint, quæ vero proprie, 18. b. in ea multa dicuntur non ex rei veritate, sed ex opinione hominum illius temporis, 19. b. rebus licet mutatis, eadem tamen nomina, quæ prius habuere, iis assignat, 20. a. in ea multa habentur quæ magis conveniunt rei per allegoriam significatæ, quam ipsi allegoriæ & sensui ejus litterali, 205. c. d. sæpe loquitur de rebus prout hominibus apparuit, 319. a. exprimit gaudia Beatorum spiritualia per corporalia, 346. b. c. Scripturæ de passione Domini prophetantes sunt eo patiente adimpletæ, 356. g. 357. f.
Scythæ herbam hippicenore gestantes duodecim dies jejuni manent, 73. f. g.
σχυθρωπὸς proprie quid sit, 120. g.
S. Sebastianus martyrio affectus, quod SS. Marcum & Marcellianum confortasset, 172. f. g.
Sebastianus Munsterus obtrusit Evangelium Hebræum S. Matthæis sed suspectum est de falsitate, 31. d. e.
Secreta mentis non sunt evulganda, ne a diabolo impediantur, 76. d.
Sectæ tres Judæorum erant, cœptæ tempore Jonathæ Machabæi, 60. f.
Sectatores suos Christus ad paupertatem invitat, 142. b. c.
Secundum quid significet, dum dicitur *Evangelium secundum Matthæum*, 30. e.
Securis ad radicem posita metaphorice est judicium Dei imminens, 63. g. h.
Seditiones graves in Judæa fuere ante urbis excidium, 310. d.
Seductores cavendi sunt, 310. c.
Seleuciani hæretici suos igne baptizabant, 65. a.
Semen optimum quod sit, 200. f. seminis analogia cum Evangelio, 197. f. & seqq. 199. h. unde dispar seminis fructus proveniat, 197. g. & seqq. semen austeritate servatur, 200. b. cur semen in via dispereat, 200. g. h.
Semipelagianorum error circa prædestinationem, 180. c.
quis sit Sensus litteralis parabolarum, 19. c. sensus communis an in corde sit, an in cerebro, 219. g.
Sententia eadem pluries & ad diversa proposita a Christo accommodatur, 16. d. sententia Christi pro electis, quam sit futura jucunda, 329. g. h. 330. a. sententia damnationis reproborum expenditur, 331. g. h. & seq. sententiæ in Christum velut reum mortis latæ indignitas, 360. e. f. in eum a Pilato lata, 374. d.
Separatio justorum a reprobis in die judicii, 329. f.
quomodo sepelirent mortuos Judæi, 393. g. h. cur sepelire patrem vetuerit Christus eum qui se volebat sequi, 144. a.
Sepes vineæ quid denotet mystice, 291. a.
Septenarius est symbolum universitatis, 256. a. & seq. ejus duplicati mysteria, 38. e. Septuagesimi septimi numeri mysterium, 256. a.
in Sepulchris exstruendis tria peccata admittebant Pharisæi, 305. e. sepulchri Dominici forma, 394. b. ejus celebritas & gloria, ibid. d. e. cur saxo magno obseratum esset, & a Judæis obsignatum, ibid. b. d. 395. b. c. & seq. unum tantum lapidem habuit, quo clauderetur, non duos, 394. f. g.
Sequela Christi præcipitur: sequendus is *in modo vivendi*, 266. c.
Serapion dedit se & sua omnia in subsidium pauperum, idque quo Evangelio morem gereret, 5. g.
Serendi leges variæ, 200. f. g.
Serenitatis signum est rubor aeris vespertinus, 224. b.
Sermo Christi an habitus in monte, an in loco campestri, & quando habitus, 84. f. g.
Serpentes cur quadraginta diebus jejunent, 72. h. hieme non comedunt, 73. e. eorum prudentia est nobis imitanda, 165. c. & seqq.
Servi fideles benigne habendi, 140. d. servi a Deo in vineam Synagogæ missi, & a colonis male habiti aut necati, sunt Prophetæ, 296. h. servorum Christi gloria consistit in passione & cruce, 284. d.
Sessio proprie judicum est, 267. h. sessio judiciaria promittitur omnibus, qui relictis omnibus Christum pauperem pauperes sequuntur, ibid. e. quid hæc sessio denotet, ibid. f. cur sessio angeli super lapidem sepulchri Domini facta sit, 399. b. c.
Sethiani hæretici multa de Magis, & stella eis apparente, finxerunt, 47. d.
Severianus Gabalensis Episcopus quando floruerit, 403. f.
Sexus femineus non est vitium, sed naturalis conditio, 298. a. b.
Sibyllæ de Christi passione vaticinatæ sunt, 361. g.
Siclus idem quod stater, vel tetradrachmus, vel florenus Brabanticus, 246. a.
Sidon urbs Phœniciæ unde dicta, 180. a.
cur Judas militibus dederit Signum in Christo capiendo, 353. e. f. signa temporum, quæ Pharisæos scire non posse Redemptor ait, quæ sint, 224. e. f. signa excidii urbis & orbis, 310. e. f. g. & maxime urbis, ibid. 311. h. & seq. & ea semper increscebant, 311. a.
cur Silere Apostolos gesta in transfiguratione jubeat Dominus, 242. d.
Simeon Episcopus II. Hierosol. fuit frater S. Jacobi Minoris, 208. f. & seq. alius est a Simone Chananæo, ibid.
Simeon Stylites, quadraginta dies sæpius jejunavit virtute & gratia supernaturali, 73. c. ibidem. h. qua occasione conversus sit: ejus vitæ breve elogium, 85. d. qui ad populum quotidie concionaretur, ibidem. curat paralyticum, 148. h. 149. a.
Simonis etymon, 81. g. h.

Digitized by Google

Simon, apud quem Christus convivatus, cur dictus sit Leprosus, 330. g.
Simon Apost. unde dictus sit Chananæus, 159. c. an fuerit sponsus in nuptiis Cana, ibid. cur dictus sit Zelotes; ibid.
Simon Cyrenæus origine, an Judæus, an Gentilis fuerit, 377. c. fuit ad Christum cum filiis conversus, ibid. e. compulsus est portare crucem Jesu, ibid. d. e. quomodo eam tulerit, ibid. g.
Simon Gerasenus milites in deserto collegit, qui Judæos a Romanis defenderent, sed in urbem admissus, in cives cædibus grassatus est, 311. c. 314. b. h.
Simonis Magi arrogantia & impostura, 310. c. ei Romæ a Nerone fuit statua erecta velut Deo: ejus discipuli fuere varii hæretici, ibid.
Simonia veratur Ecclesiasticis, 160. d.
Simplices sunt apti regno Dei, 263. e. f.
Simplicitas columbæ nobis imitanda, 165. e. f.
Sinapis granum non est minimum seminum, 203. d. e. ejus proprietates, ibid. & seqq.
Sindon est pannus lineus subtilis, dictus a Sidone urbe Phœniciæ, 393. g. h. in sindone munda Christus sepelitur, est solus & separatus, 393. h. 394. a. b.
Singulus & singularis, est solus & separatus, 417. a.
Sitis facilius expletur quam fames, 89. d.
Sixti libelli sub nomine S. Sixti Pontificis editi, sunt Pelagiani alicujus, 265. f. g.
Societas bona parum prodest reprobis, 320. d. e. societas impiorum noxia est, 363. g.
Societatem Jesu tria conservant, 93. a. b. jubetur omnia sua munia exercere gratis, 161. g. h. in ea peccans potest licite ad Superiorem deferri, & ad hoc quilibet juri famæ suæ cedit, 253. e. & quæ hujus rei sit ratio, ibid. f.
Socratis in injuriis patientia, 107. e. omnis terra ei patria erat, 52. a.
Socrus S. Petri febricitans a Christo curata illico surrexit, 141. f.
Sodomia non tam grave scelus est, quam infidelitas, hæresis, blasphemia, sacrilegium, &c. 164. e.
Sol dictus, quod solus sit in mundo, 72. b. est typus sacerdotum, 95. g. h. quomodo ante orbis excidium sit obscurandus, 316. g. est moriente Domino toto orbe obscuratus, 385. e. & seqq. 386. a. b. citius ortus videtur, Christo resurgente, 396. h. sol occumbens videtur mergi mari, 412. b.
Solers vox unde derivetur, 125. b.
Sollicitudo hominum duplex est: una sedula & moderata, & hæc licita, 125. h. altera nimia, immoderata & anticipata, & hæc vetita, ibid. uti & a Christo sollicitudo anxia opes corrogandi, 123. b. c. & seqq. 124. a. b. & seqq. 124. h. 125. e. g. sollicitudo sæculi & salutis quid in homine operetur, 201. d.
Deus est Sollicitus pro nobis alendis & vestiendis, 125. b. & seqq.
Somnium uxori Pilati immissum an a diabolo, an a Deo fuerit, 370. h. & seq.
Somnus Prælatorum quam sit noxius, 202. d. somnus cibum hesternum digerit, 420. e. somnus Christi in tempestate, 145. a.
Sorores Christi quænam dicantur, 209. e.
Species visibiles possunt a Deo confirmari & multiplicari ut se spargant per loca longe dissita, 77. e. g. cur sub una specie laicis sufficiat communicare, 343. g.
Speculator non est idem qui spiculator, 423. c. d.
Spelunca S. Joannis Baptistæ in deserto describitur, 581. e. versa est in ecclesiam, ibid.
Sperare pro timere accipiunt subinde, 322. d.
Spes in Deum facit omnia adversa & tormenta vincere, 79. a. est mensura orationis, 147. d.
Spicas vellere olim erat licitum, 185. c.
Spicatum nardinum unguentum præstantius foliato, 437. g.
Speculator idem est quod carnifex, 423. c. d.
Spinæ coronæ Christi quales fuerint, 375. c. d.
Spiridion Trimithuntis Episcopus in una maxilla percussus præbuit alteram, 106. e. furibus ea quæ sibi ablata erant, ultro condonabat, 107. h.
Spiritualia per corporalia explicant Christus, Apostoli, & Prophetæ, 3. d.
Spiritus tria in Script. significat, 85. g. h. spiritu pauperes qui sint, ibid. quod indicium, an spiritus bonus sit an malus, 214. a. spiritus Dei non est invidus, sed omni bono congaudet, 164. b. *spiritus* vox cum absolute ponitur significat Spiritum sanctum, 71. g. h.
Spiritus sanctus direxit Evangelistas in Evangelio scribendo, 30. e. & seq. potissima fuit causa & activitas nativitatis Christi, 37. g. supplevit in Deipara concursum patris, 40. f. cur ei attribuatur opus incarnationis Filii Dei, non Patri, ibid. f. g. quod de eo Christus conceptus dicatur, tria per hoc denotantur, ibid. humanitatem ejus efformans, omnem suam sanctitatem in eam transfudit, ibid. h. ejus gratia datur in baptismo, 64. h. descendit hic in Apostolos in Pentecoste, ibid. idque specie ignis; etiam in alios, 65. a. b. cur in columbæ specie super Christum baptizatum descenderit, 69. e. septem ejus dona in columba figurantur, ibid. c. & seqq. expulit Christum in desertum, 71. d. e. h. non intendit tentationem ejus, ibid. h. locutus est in Martyribus dum ante præsides starent, 166. g. quæ dicatur blasphemia in Spiritum Sanctum, 189. f. & seqq. vix ea remittitur, 190. g. h. ei attribuuntur opera bonitatis & sanctitatis Dei, 189. b. ipse S. Petro confessionem de Christi divinitate revelavit, 227. b. c. in ejus transfiguratione apparuit in specie nubis, 241. e. f. ejus & Christi eadem sunt opera & dona, 405. d.
Splendor vultus Christi in transfiguratione fuit plusquam cælestis, sed divinus, 237. f. g. erat aureus, at transfusus in vestes erat albus, 238. g. h. splendor est omnium qualitatum sensibilium nobilissima, 239. a.
Spongia aceto plena, quia porosa, est admota Christo dicenti *sitio*; ea Romæ servatur, 387. e.
Sponso honoris causa addebantur olim comites juvenes & sponsæ Virgines, 323. g. Ecclesiæ sponsus Christus est, ibid. h.
Sporta aliud mensuræ genus est a cophinis, 222. b. 225. d.
Sputa in faciem Christi congesta a sceleratis ministris: quæ atrox fuit injuria & contumelia, 361. d.
in Stabulo adoratur Christus a Magis, 49. e. f.
Stadia octo faciunt unum milliare, 283. d. 280. d.
Stare & sedere æque proprium animæ beatæ, 268. a. stare, apud Hebræos sæpe significat tantum adesse, 362. e. f. 399. d. cur Jesus stet cæcum illuminaturus, 281. c.
Stater idem est quod siclus, 246. a.
Staturam suam nemo adaugere potest, sed solus Deus, 124. c.
Status Deus juxta vires naturæ contemperat, 326. b.
Stellæ est symbolum regis & regni, 45. g. an stellæ cuique sua fata distribuant, 46. a. b. ex earum concursu judicant astrologi de moribus nascituri, ibid. d. quomodo ex sint de cælo casuræ sub finem mundi, 317. a. stella Magos ducens radios clarioris versus Judæam extendit, 45. h. ea non fuit fatum Christi, 46. a. nec ejus ortum, facta & miracula singula ostendere potuit, ibid. c. & seqq. non fuit insignita imagine pueri gestantis crucem, ibid. e. an fuerit Spiritus sanctus, 47. a. an angelus, an cometa, ibid. fuit nova stella ceteras superans productione, materia, loco, motu, tempore, duratione, magnitudine, virtutate, fulgore, ibid. & seqq. quædam de ea figmenta, 46. c. 47. e. an supra Judæam primo Magis apparuerit, ibid. h. an in Oriente hæserit, 48. a. comitata est Magos, 48. b. & seqq. etiam alii præter Magos eam viderunt, ibid. c. aliæ ejus proprietates, ibid. d. antecessit Magos euntes in Bethlehem, 49. d. a.
S. Stephanus I. Pontifex & Martyr, quod Christianos ad bonorum jacturam faciendam animaret, gladio cæsus est, 169. b.
Stercoratio agri quomodo peragenda, 200. b.
Stimulus ad virtutis studium capessendum, 234. f.
Stola erat vestis polita & talaris: ea Scribæ ad pompam urbantur, 434. g.
Strabus Rabani discipulus auctor est Glossæ, 144. c.
an Stridor dentium sit in inferno, 140. b.
Substantiam omnem creatam potest Deus in aliam totaliter transmutare, 63. c.
Subtilitas nimia in sacra Scriptura cavenda, 18. b.
Sudarium Veronicæ cum impressa Christi effigie Romæ asservatur, 378. a.
Super ample accipi potest, 230. g. h.
Superbia est omnis injustitia, 67. b. c. est mater dissidii & belli, ibid. c. est onus grave, 184. b.
Superior gerat se modeste, non perfracte, 279. f. ei contraria legi divinæ jubenti non est parendum, 301. f. g. Superior sit pius, benignus, & velut minister, 303. b.
Superliminare templi fractum atque divisum est in excidios urbis & templi per Titum, 390. a.
per Supersubstantialem panem quid intelligatur, 118. b. c. & seq. quis sit is, ibid. f. & seqq.
quæ Supplicia essent apud Judæos in usu, 378. a.
Surdus semper est mutus, 155. b.
Suscipiens parvulos in nomine Christi, Christum recipit, 248. e. f.
Suspendium Judæ fuit elarum testimonium innocentiæ Jesu, 367. d.
non est Suspicandum sinistre de viris probis, 41. c. quia suspicio mala de proximo noxia est, 127. d.
Sustentatio debetur prædicatoribus: unde vocetur merces & stipendium, 163. g. h.
Sustinere idem est quod favere, fovere, tueri, 122. c.
Synagoga vocatur cœtus populi collectus, 208. a.
Syrophœnissa mulier unde dicta sit, 220. c.
Syri utuntur frequenter parabolis & proverbiis, 19. b. 94. c.
Hebræum *schin* sæpe in *sin* commutant, 83. c.
Syrus Matthæi, uti & totius reliqui Testamenti, textus est ex Græco traductus, 11. g. 31. g. ejus interpres non est S. Marcus favet Catholicis contra hæreticos, 32. b. hic sæpe græcizat, 202. f. Syriaca S. Marci versio non est authentica, 408. f. g. nec S. Matthæi est autographa, 32. a. Syriaca lingua successu temporum nonnihil variata est, 386. b.

T

Tabernacula tria cur in monte Tabor peteret S. Petrus fieri, 240. c. d.
in Tabor monte transfiguratus est Dominus, 236. e. fuit fidelium peregrinatione celebris, ibid. f. h. cur hunc montem potissimum Christus elegerit, ibid. h. ejus altitudo, amœnitas, etymon, 237. a. b.
Tactus Christi quam salutifer, 135. h. 136. a. omnes morbidos sanabat, 215. g. h. tactus multarum rerum Judæis olim prohibitus erat, 216. h. tactus in capite maxime viget, 375. d. e. f. g.
Talentum Atticum & Hebræum cujus sint pretii, 256. d.
Talionis lex justa est, 105. g. ei Christus opponit injuriæ tolerantiam, ibid. h.
Tamberlanus Bajazete Imper. Turcarum usus est loco scabelli, equum ascensurus, 300. d.
Tauri symbolici qui sint, 293. b. c.
Tecta Judæorum erant plana, 168. h. 312. a.
Telonium est locus, in quo vectigal solvitur, 149. b.
Tempestatem excitavit Christus cum transfretaret & cur, 144. f.
cur Templum dicatur domus Dei, 287. f. est locus orationis: quanta ei debeatur reverentia, ibid. per templum & altare jurans, quatenus obligetur, 304. b. & seqq. templi exterior facies oculos omnium in admirationem rapiebat, 309. f. cur in templum argenteos Judas retulerit, 367. d. templum luxit mortem Christi, dum velum ejus scissum est, 389. g. post hæc ipsum profanandum fore, hæc veli scissio denotabat, ibid. templum duodecim thronorum in Tiberiade a S. Helena constructum, 211. c. cur templa nostra Orientem respiciant, 381. a. b.
Temporis magna habenda est ratio, 191. g. h. tempus omne licet nobis longissimum, cum Dei tamen æternitate comparatum modi-

Digitized by Google

modicum est, 316. d. cur tempus Christi & legis Evangelicæ vocetur hora novissima, ibid. tempus fructuum vineæ Ecclesiæ quodnam esset, 290. g. & quis ejus fructus, 291. b.
cur in Tenebris veteres ad lumen comederent, 139. d. tenebræ per universam terram in morte Christi factæ sunt: unde illæ ortæ & quamdiu durarint, 385. c. & seqq. quid denotent symbolice, ibidem. g. quæ tenebræ exteriores dicantur, & unde, 139. g. b.
Tentatio omnis a diabolo non oritur, 74. b. facile superatur si Deus & cælestia præ oculis habeantur, 79. a. b. tentationes ut nobis obveniant, quatenus rogare liceat, 119. f. g. h. non possunt a nobis vinci nisi ope Dei, ibid. h. earum utilitas, ibid. h. 144. g. h. oriuntur ex Dei diffidentia, 215. a. vincuntur spe & fide, 141. d. 244. d. in iis per orationem est Dei gratia imploranda, 145. a. 215. a 347. d. e. 352. a. b. & propria agnoscenda infirmitas, 348. d. tentatio mundi est velut pluvia vehemens, 134. a. unde tentationes diaboli, quibus Christum aggressus est, habuerint originem, 74. e. earum ordo, 78. f. tentatio carnis & gulæ superanda est spe in Deum; superbiæ, timore Dei; avaritiæ & ambitionis, contemptu mundi & magnanimitate, ibid. tentationes horrendas Sanctis sæpe dæmon ingerit, 77. a. quod in iis remedium, ibid. b. tales occurrunt ad Deum conversis, 71. h. earum nulla tam gravis, quin superari possit, 72. a. sunt eæ declinandæ, & iis resistendum cum veniunt, ibid. b. c.
cur Christus fuerit a diabolo tentatus, 72. e. & seqq. tentatus faciat quod nauta in tempestate, 144. h.
S. M. Teresia censebat omnia mundi damna inde manare, quod homines veritates S. Scripturæ non penetrarent, 3. d. voto se obstrinxit, facturam se in re qualibet quod erat sanctius, 67. g. erga S. Josephum mire affecta, ejus cultum omnibus commendabat, 36. g. h.
per Terram non est jurandum, 104. h. quam terram possessuri sint mites, 88. f. & seqq. terra bona fructum dans seminis dispar est, & denotat fidelem conscientiam, 198. d. qui sint mystice terra bona semen recipiens, 201. g.
Terræ motus accidit moriente Domino in cruce, 385. h. & seq. 390. a. b. quæ loca per eum diruta sint, 390. a. b. quæ hujus motus sit causa litteralis, mystica & tropologica, ibid. c. d. cur terræ motus factus sit Christo resurgente, 398. d. is ab angelo fuit excitatus, ibid. a.
Tertullianus docuit illicitum esse fugere in persecutione, sed erat, 167. d.
Tessera decades tres in generatione Christi triplicem Israelis statum denotant, 38. b.
Testamentum Christi & fœdus cum Ecclesia sancitum est in institutione Eucharistiæ, 343. h. & seqq.
Testamentum vetus fuit figura novi, & utriusque consonantia, 20. a. b. vetus docuit Judæos Deum non tam amare quam timere, at novum docet amare, 178. a. ex illo novum illustrandum est & confirmandum, 207. h.
falsi Testes quid contra Christum depromant, 359. c. d. ejus quod deponunt, sensum depravarunt, ibid. d. e.
Testimonia falsa contra Jesum quærebant Judæi, 359. a. b. & quæ, ibidem.
Testudines edunt Hispani, 60. a. at sunt Syris nauseæ, 99. d. e.
Tetrarchia qua occasione post Herodis mortem in Judæam inducta, 55. g.
Thamar quo astu prolem e Juda susceperit, 34. d.
Thebæa legio Christiana ad mortem damnata sese defendere noluit, 106. c.
Theobaldus Comes laudatur a sinceritate, 105. d.
Theodosius Imp. propria manu descriptum legebat quotidie Evangelium, 4. a. petiit absolutionem & pœnitentiam a S. Ambrosio, 254. g. intercessione S. Joannis Bapt. Eugenium tyrannum profligavit, 424. a. b.
Theotimus copula carnali oculos amisit, 141. a.
Theriaca fit ex viperis, præsentissimum contra venena remedium, 61. d. g.
Thesaurus vocatur, quidquid amatur & magni fit, 121. e. f. thesaurus defossus spectat ad dominum agri, 206. d. thesaurus absconditus quem in parabola attulit Christus, quos repræsentet, ibid. d. e.
Thomas idem est quod geminus, 159. a. S. Thomas Apostolus post Christi resurrectionem tres Magos convertit, 45. d.
S. Thomas Aquinas studiose cavebat feminas, 102. e.
Thomæ Mori lepidum de sua parva uxore responsum, 261. f. a patre sene benedictionem petiit, 263. a.
Thori mensales quales essent, 339. g. h.
Thus Christo quasi Deo obtulere Magi, 50. b. c. thuris quod etymon, ibid. denotat orationem, ibid. f. g.
cur Tibicines in funere adhiberentur, 153. d. e.
Timæus Pythagoricus in rebus naturæ erat versatissimus, 432. c.
Timon Atheniensis mania & melancholia laborabat, 179. a.
Timor quorum sit, & non sit, 400. d. e. timor gehennæ vincit oculeos, 169. c.
Titulos singulos Evangeliis præfixit Ecclesia, 30. b. titulus crucis Christi habet nomen *nozeri* scriptum per *sfade*, 56. b. scriptus a Romanis ministris parum curantibus & peritis, an Christus diceretur Nasarenus per *sfade*, an per *qoin*. ibidem. qualis esset, 383. d. e. fuit elogium ejus, Deo sic Pilati manum dirigente. ibidem. e. eum nemo Evangelistarum perfecte & plene exprimit, 383. g. exstat Romæ in basilica crucis in Jerusalem, ibidem, g. scriptus est triplici lingua, ibidem.
Titi Imp. facilitas & comitas, 262. b. agnovit se Dei ope Jerusalem expugnasse, quod is Judæis iratus esset, 313. b. c.
Tolerantia injuriæ melior quam vindictæ: hæc subinde præcepsi, subinde consilii, 105. b. 106. a.
Tonitru semper miscetur cum fulgure, & ejus est causa, etsi fulgur audiatur, 68. b. est id visum audiri Christo jam baptizato a Joanne, ibid.
Tonsura sacerdotum refert coronam Christi, 378. b.
Tophet quis locus juxta Jerusalem, 100. d.
Torcular vineæ quid denotet, 290. f.
Tormentorum metu multi a fide defecere, 311. b.
Torpor & paralysis qui differant, 149. c.
Traditionum auctoritas necessaria est, 30. b. traditionum trium sunt genera, divinæ, Ecclesiasticæ, civiles: ukiasæ sunt vel bonæ, vel malæ & Pharisaicæ, 218. a. & hæ a Domino sigillantur, 216. b. Ecclesiasticæ non sunt abdicandæ, 217. a. nec divinæ, ibid. d.
Traducere quid sit, 41. f.
Trajani Imper. comitas & facilitas, 262. b.
Transanimatio Pythagorica, 226. a. ea non credebatur a Pharisæis, ibid. a. b.
Transfiguratio Christi, ejus velut regnum fuit, 236. d. e. ea fuit repræsentata SS. Trinitas, 241. e. cur eam ad sex dies Dominus distulerit, 235. b. tres ad hoc assumpsit Apostolos, 236. a. b. primum in monte oravit, 237. b. cur facta sit in monte, & quo monte, 236. e. & seqq. quomodo sit peracta, 237. b. & seqq. non fuit phantastica, ibid. an mane, an nocte contigerit, 241. c. Christus in ea non ostendit Apostolis suam divinitatem, nec mutavit vultus formam, essentiam, figuram, sed assumpsit ingentem splendorem quasi divinum, qui in vultu & toto corpore resplenduit, 237. d. & seqq. quo die & anno, & cur sit transfiguratus, 238. a. & seqq. idque stans, ibid. f. g. fulgor vestimentorum ejus, ibid. & seqq. cur ei tunc apparuerint Moyses & Elias, 239. b. & seqq. cur Apostoli tres timuerint, 241. b. totius transfigurationis ordo & succincta narratio, 242. a. & seqq. cur de ea Christus suos loqui vetet, ib. c.
Transfiguratus est Christus quater, & quomodo, 238. b. c.
quomodo petat Christus in horto, Transire calicem passionis a se, 352. d. & seqq.
Triangulari figura ostenditur veritas corporis Christi in Eucharistia, 342. c.
Tribulatio pro Christo libenter toleranda, 171. e. est generoso animo excipienda, 383. b. c.
Tribulus est genus spinæ, 138. a.
Tribunal triplex Hebræorum erat, 99. e.
an in Israel Tribus essent duodecim, an tredecim, 268. b.
quod Tributum Romani Judæis indixerint, 245. d. justumne illi an injustum fuerit, 90. d. cur id Christus solvit pro se solo & Petro, 246. a. b.
Triduum Christi in sepulchro quomodo sit computandum, 293. a. b. & seqq.
ante Trigesimum ætatis annum Judæo non licebat munia doctoris aut sacerdotis obire, 58. a.
SS. Trinitas in lege veteri tenuiter fuit adumbrata, in Evangelio aperte designata, 5. c. d. 16. b. 17. a. in ea sunt tres personæ, una deitas, ibid. b. ejus symbolum fuit familia S. Josephi cum B. Virgine, 40. a. b. revelata fuit in Christi baptismo, 70. a. ejus mysterium rudibus Apostolis sensim patefaciendum, 181. b. ea fuit repræsentata in baptismo & transfiguratione Christi, 241. e. ejus mysterium Christus clare expressit in baptismi forma, 404. h. ejus opera ad extra sunt indivisa, 405. d.
Trisagion revelatum fuit a puero rapto in aera, 288. b.
Tristitia animorum tormentum crudele, 149. g. h. tristitia Christi in horto vera fuit, 348. b. fuit non solum in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate, & quæ ejus causæ, 349. a. & seqq. quæ causæ finales & morales, ibid. b. fuit voluntaria, non naturalis, aut involuntaria, 350. b. tristatus est usque ad mortem, 350. d.
Triumviri Apostolorum sunt tres, 159. f.
Tsade littera Hebræa semper transseruit per *qoin*, 56. g.
Tuba præibat ducendos ad supplicium, 378. a.
Tunica est vestis interior, 107. a. tunica Christi inconsutilis qualis esset: ea Treviris servatur, 383. b. tunicas duas gestare Apostolos vetat Christus: quomodo hoc intelligendum, 162. b. c.
cur Turbam ejecerit Christus puellam vitæ restituturus, 153. b. quæ intentione Christum turbæ sequerentur, 82. b. c. quomodo eæ pedestres potuerint sequi Christum navigantem, 211. cur eas in versperam usque detinuit, ibid. a. f. earum ardor Christum per triduum sequentium, 222. b. c.
Turcis quatenus resistere debeamus, contra Lutherum, 117. a.
Turcæ bibituri vinum superstitiosa religio, 218. d.
Turris vineæ quid & quos denotet mystice, 290. g.
Tutilinenses ob exactum perjurium vapulat graviter, 104. a.
Tyranni & veri domini differentia, 279. c.
Tyrus est urbs munitissima Phœniciæ, 180. a.

V

Væ quibus Christus intentat, sunt rei culpæ mortalis, & gehennæ addicendi, 303. c.
Vah est interjectio irridentis, insultantis, exprobrantis.
Valentinianus senior negotiis Ecclesiasticis se ingerere noluit, 296. f. at junior Arianis favens, eo in genere ab Ambrosio fugillatus est, ibid.
Valentinus hæreticus censuit Christum per B. Virginem quasi per canalem transisse, 42. b.
Vallis Ennom describitur, 100. c. d. vallis Josaphat immediate adjacet urbi Jerusalem, 283. a.
Vanitas regnorum & honorum mundi, 376. e. f.
Vas per oculi atriam exiturum ferri vetuit Christus, 433. c. d.
idem Velle quod Deus vult, summa perfectio est, 110. g. h.
Velum templi cur duplex, 389. f. quod sit scissum, moriente Christo, ibid. g. & quæ scissionis hujus sit causa litteralis, mystica, & allegorica, ibid. g. & seqq.
Vendebantur olim a creditore, debitoris uxor & filii, 256. g. vendere sua & dare pauperibus, non est præceptum, sed consilium, 264. f. vendentes templo Christus ejecit postridie dicti palmarum, 286. f. & seq. idque duas ob causas, 287. a. & qui-

Digitized by Google

& quidem ſecundo eos ejecit, ibidem, cur nemo ſi reſtiterit, ibid. c.
Venditionis Chriſti pretium, 337. f. & ſeqq. quæ ſit myſtica Chriſti venditio, 338. b. venditio Joſephi fuit typus venditionis Chriſti, ibid. a.
Veneriæ quomodo coaluerint, 408. f.
Veneti ſumma religione S. Marcum colunt, 407. c. d.
Ventilabrum tritici eſt vannus, eo denotatur judicium Chriſti, 65. d.
Venti ſymbolum ſunt tentationum diabolicarum, 134. a.
quot Verba Chriſto in flagellatione fuerint inflicta, 373. c.
Verbum Dei cum fructu audiens, legens, meditans, tefferam habet ſuæ prædeſtinationis, 7. e. ejus & ſeminis analogiæ, 100. a. & ſeqq. eſt id auſteritate ſervandum, ibid. b. verbo quo, & quomodo vivant fideles, ibid. d. & ſeqq. verba ſunt prout eſt affectus, 196. b. de omni verbo otioſo reddenda ratio in die judicii, ibid. d. verba noſtra ad Dei honorem tendere debent, 592. a. otioſa verba qualiter cavere poſſimus, ibid. a. b. verba prout erunt, ita juſtificabimur, aut condemnabimur, ibid. d. verba omnia, quæ in ealicis conſecratione proferuntur, legitimam habent auctoritatem, 344. a. b. ſeptem verba Chriſti in cruce, 388. d. Verbum incarnatum ſtuporis eſt materia, 42. c. d. id in carne humana latens, eſt ceu margarita in concha, 207. a.
Verba apud Hæbreos actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc perfectum ſignificant, 17. d. verba in *Hifpael* iis ſunt paſſivæ ſignificationis, aut actionis reflexæ, ut idem ſit patiens qui agens, 418. b. verba eorum activa ſæpe inchoationem & conatum tantum ſignificant, non actum perfectum, 438. e.
Veritas in aquila denotatur, 316. c.
Vermes infernales terribiles ſunt, 429. h.
Veronica ſudarium Chriſto exhibet ut faciem ſudore & ſanguine madentem abſtergeret, quod ab eo recepit cum impreſſa ejuſdem effigie, 378. a. b. mortua eſt in Gallia, ibid. b. non fuit mulier hæmorrhoiſſa, 419. e.
Verſiones originales Orientalis linguæ clare Petrum & petram idem eſſe innuunt, 228. a.
Veſpaſianus quomodo ad imperium venerit, 313. e. habitus fuit a nonnullis pro Meſſia, 314. b.
Veſpera ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, quomodo intelligatur, 396. b. & ſeqq. veſperam Hebræi vocant noctem, 396. d.
Veſtem unam auferenti quomodo danda ſit altera, 107. a. b. veſtium vanitas & inanitas, 124. f. veſtium aſperitas commendatur, 175. h. veſtes Judæorum quales eſſent: eas ſcindebant in luctu, vel audita blaſphemia, 360. c. tres tantum veſtes habuit Chriſtus, ſcilicet ſubuculam, tunicam, & pallium extimum, 162. e. f. 383. c. ejus veſtes in transfiguratione fuere albæ & fulgidæ, 238. g. cur veſte alba Herodes Chriſtum induerit, 370. c. quid veſtis alba ſymbolice deſignet, ibid. quid veſtis candida angeli in ſepulchro Dom. apparentis innuat, 400. b. veſtis nuptialis denotat charitatem & vitæ ſanctitatem, 293. h. & ſeq. quæ ſint veſtes ovinæ, quas induunt lupi Eccleſiam vaſtantes, 130. f. g.
Veſtigia genuum Chriſti ſunt impreſſa petræ, in qua oravit in horto, 350. g. item juxta torrentem Cedron in imo vallis Joſaphat, ibid. h.
Via ad perditionem & ſalutem eſt in hac vita, 129. f. via, in quam cadit projectum ſemen, quid ſit, & quorum corda repræſentet, 198. a. 201. a. via Salaria Romæ unde ſit dicta, 94. g. viæ in quas Apoſtoli egreſſi ſunt, quid deſignent, 294. g. h.
Victimæ prius olim elevabantur, deinde cremabantur: id aptatur Chriſto in crucem elevato, 380. d.
Victor Antiochenus peculiariter in Marcum ſcripſit, 408. h.
Victoriæ matronæ Africanæ magnanimitas in tormentis, 171. d.
S. Victoria carnalem fratrem, quia Gentilem, agnoſcere renuens, ſolos Chriſtianos fratres ſuos eſſe dixit, 196. b.
Victorianus proconſul Carthag. quibus verbis ſe in tormentis animarit, 169. d.
Videre homini deſiderabile eſt, 281. e.
cur Viduæ ſint ad dandum proniores, 303. b.
ſemper cuique vigilandum eſt, 322. e. quia dies mortis eſt incerta, 325. h.
Vigilantius docebat melius eſſe divitias retinere ad faciendas eleemoſynas, quam eas ſimul relinquere, 265. g.
in quatuor Vigilias Romani & Judæi noctem & diem dividebant, 213. d. 273. h.
S. Vincentius Ferrerius vetabat ſuos pecuniam oblatam in via accipere, 161. a. ſuos tamen habebat procuratores, ibid. h.
S. Vincentius & Pontianus Martyres in tormentis miram lætitiam præ ſe tulerunt, 381. e.
Vindicta Dei in reprobos per procellas & fulmina apte exprimitur, 133. c. d.
Vinea cuique excolenda quæ ſit, 273. d.
Vinum vetus optimum, 207. h. vini non erat uſus ante diluvium, 212. b. id dabatur reis ad mortem damnatis, cur, 378. g.
Viperæ morſus quam noxius, 61. b. an ſit matricida, ibid. b. c. viperæ etymon, fœtus ejus rumpit ſecundinas, ibid. d. viperæ amant vinum, & ſunt effuſæ in libidinem, ibidem. e. vorant ſcorpios, ibid. multis medentur morbis dempto veneno, ibid. g.
cur Vir adeo appetat mulierem, 259. f. g. vir lagenam aquæ bajulans eſt alius ab eo in cujus domo comeſtus eſt agnus paſchalis, 339. e. viri inſignes a puero electi, 263. c.
Virga tria denotat, 163. c. & qualem quis vetet Chriſtus, ibid. c. permittit virgam viatoriam, ibid. a. virga amicitiæ teſſera eſt, ibid. e. notat poteſtatem Apoſtolorum, ibid. virgis olim cædebantur pœnitentes, 81. a.
Virgilius de Chriſto a Sibylla dicta, Aſinii Pollionis filio adaptas, 33. d. e.
Virginitas Deiparæ fuit angelica, 39. b.
Virgo quædam oculos ſibi eruit, quo amaſii importunitatem retunderet, 103. b. virgines ſunt angelis ſimiles, 297. g. h. virgines quinque fatuæ & quinque prudentes quos denotent, 324. c.
Virtutis via initio eſt arcta, ſed ſenſim dilatatur, 119. b. virtus invicta vincit omnia, 133. e. oppreſſa tandem triumphat, 161. f. niſi ſit voluntaria, non eſt virtus, 218. c. difficultatem quæ in ea conſiſtit, ſuperare nos docet Chriſtus agonizans in horto, 350. c. virtus quæque tres habet gradus, 303. c. virtus publicata cito exterminatur, 121. c. atque ideo maxime celanda eſt, 136. d. virtus faciendi miracula indita a Verbo humanitati Chriſti, erat qualitas moralis puta virtus inſtrumentaria, 419. h. virtutes decem orationi ſunt neceſſariæ, 221. c. quæ virtutes in Euchariſtiæ ſumptione excreantur, 345. d. quæ virtutes cælorum movendæ ſint, 317. b. & ſeq.
Vim vi repellere licet, 105. g. h. vim facimus regno Dei, quo ſenſu, 177. a. c.
Viſio Dei ſumma eſt beatitudo, 91. g. ejus privatio ingens damnatis eſt cruciatus, 331. e. viſio rerum ſupernaturalium animum & oculos intuentium concutit, 402. f. g.
Viſus hominis a Deo confortari, ut videat etiam remotiſſima objecta, 77. d. viſus feminæ quam ſit illecebroſus, 102. d.
Vita noſtra permiſcetur lætis & triſtibus, 52. a. b. vita corporis exponenda diſcrimini & perdenda, ut vita animæ habeatur, 171. g. h. qui ita perdet eam, illam inveniet in cælo, ibid. h. & ſeqq. vita præſens tempus eſt merendi, 325. e. vita Chriſti ſuccincte per annos digeſta, 11. f. g. & ſeqq. tota ejus vita fuit beneficentia, 425. f. g. vita ſancta inchoanda a lacrymis & pœnitentia, 66. d. vita Chriſtiani eſt continua perſecutio & crux, 55. b. c. vita æterna variis rebus corporeis in Evangelio repræſentatur, 17. h. ejus nomine omne bonum deſignatur, 333. d.
S. Vitalis martyrio coronatus, quod Urſicinum in morte nutantem confortaſſet, 173. f.
Vitalium alapa quidam percutiens, & ſiniſtre judicans, a dæmone correptus eſt, nec liberari ab eo potuit, niſi in cella Vitalii, 127. b.
Vites paſtinantur & repaſtinantur, 434. c.
Vitium radicale & principale aſſidue nobis impugnandum eſt, 110. f.
Vitulus S. Lucæ ſymbolum eſt, 10. a.
Vivere nos oportet quaſi hodie morituros, 320. g. h.
cur Unctio Palæſtinis uſitata: eſt ſymbolum lætitiæ & hilaritatis, 121. a. b. 336. a. unctio myſtica quæ ſit, ibid. c. d. unctio qua Apoſtoli ægros ungebant, non erat Sacramentalis, 421. c. ſed ejus præludium & typus, ibid.
Undecim dicuntur Apoſtoli, etſi unus abeſſet, 440. b. & ſeqq.
Unguentum in uſu erat apud Judæos & Orientales, 366. a. unguenti Magdalenæ præſtantia, 335. g. h.
Vocabula in Evangelio Latino-Græca, 101. f.
Vocari Hebræis idem eſt quod eſſe, 41. e. f. vocanti Deo ſtatim obediendum, 143. g. 144. c. d.
Vocati a Chriſto omnia illico relinquant, 84. d. vocati ad Religionem ne ſe implicent ſuorum teſtamentis, 144. c. cur vocati ultimo in gloria futuri æquales, etiam majores, primo vocatis, 272. f. 274. g. & ſeqq.
Vocatio Dei ad bonum, eſt velut ſtella apparens, 47. e. f. eam reſpuere grave eſt ſcelus, 164. e. vocatio Gentium ad fidem cœpit in tribus Magis, 48. a. b. vocationis Apoſtolorum ordo, 81. d. f. vocationis Chriſti efficacia, 81. d. 150. g.
Voluntas bona vel mala, operum aliquorum, ad quæ magis inclinat, bonitate vel malitia ſe prodit, 131. c. & ſeqq. voluntas malum appetens, eſt mala & vituperabilis, 102. a. b. ab ea fit actus malus peccatum, ibid. voluntas noſtra debet eſſe conformis voluntati divinæ effective, & in objecto formali, non materiali, 116. d. e. & quæ ejus rei ratio, ibid. f. nec item in permiſſione malorum, ibid. f. ſanctitas noſtra conſtit in conformatione voluntatis cum divina, 117. d. ex tota voluntate tripliciter Deus diligitur, 298. h. voluntas Dei duplex eſt, beneplaciti & ſigni, 116. a. hanc ſigni in oratione Dominica fieri poſtulamus, ibidem. a. voluntas ſigni duplex eſt, præcipiens & conſulens, ibid. g. qui Dei voluntati obedit, ei quoque ab aliis obeditur, 117. c. d. huic angeli promptiſſime obediunt, ibid. cum eam fieri petimus, perfectiſſime oramus, ibid. eam facere ſignum eſt boni Chriſtiani, 131. g. h. in voluntate ſua Chriſtus paſſionem ſuam exhorruit, 349. c. & in qua voluntate, 351. f. voluntates duas is habuit, non unam divinam, ibid. e. voluntas humana virtute in eo fuit duplex, ibid. f.
Voluptatis via initio lata, paulatim magis magiſque arctatur, 129. h. voluptas carnis eſt ſpiritualis paralyſis, 149. c. ejus curatio adaptatur curationi paralytici Evangelici, ibid.
Vota tria Religioſorum per tria dona Magorum repræſentantur, 50. h.
Vox de cælo delapſa ſimul dum ſuper Chriſtum columba deſcendit, 69. h. vox Chriſti judicis erit velut tonitru, 335. h. vox Dei Patris in transfiguratione Chriſti inſonuit poſt diſceſſum Eliæ & Moſis, 241. d. & ſeqq.
Urbs in monte poſita ſymbolum eſt Eccleſiæ & ſacerdotum, 95. h. urbium magnificentia caduca eſt, & brevi peritura, 309. f. g. & ſeqq.
Urceus quod genus vaſis ſit, 425. a. b.
Urſæ quadragenarium jejunium, 72. b. urſi hieme non comedunt, ibid. c.
Uſuras Judæi permiſſas ſibi putabant, 328. d. e.
Vvaldenſes hæretici docebant ſacerdotes & Epiſcopos debere eſſe pauperes, 142. c.
Vvamba Rex Hiſpaniæ in morte monaſticen profeſſus eſt, 81. a.
S. Vvenceslaus a matre & fratre proditorie peremptus eſt, 166. b.

Digitized by Google

Vvicleſiſtæ docebant nefas eſſe jurare, 103. *h.* & debere Epiſcopos eſſe pauperes, 142. *f.*
Uxorem adulteram reſipiſcentem non tenetur admittere in gratiam maritus, ſed in aliis criminibus tenetur, 103. *e.* uxorem aliam, dimiſſa priore ob adulterium ducens, mœchatur, ſecus ac ſentiunt Græci ac moderni hæretici, 260. *f.* uxorem non licet dimittere; niſi ob fornicationem, quid ſignificet, ibid. *g. h.* ac inſontem dimittere nefas, ibid. *h.* ipſa adulterante marito, alteri nubere non poteſt, eo vivo, 261. *e.* quis uxorem propter nomen Chriſti relinquere dicatur, 269. *d.* uxor myſtica juſti eſt ſapientia; peccatoris, ſtultitia, 256. *g. h.* uxor Ducis cujuſdam Veneti in ſummis nutrita deliciis, vivens computruit, 220. *g.* uxor Sancti Petri quomodo dicta ſit: facta eſt Martyr, 140. *g. h.* uxor Pilati mittit ad maritum pro liberando Jeſu, 370. *h.* ſomnium ejus a quo ei immiſſum, 371. *a.* an ſalvata ſit, ibid. *b.* dicta eſt Claudia Proculа, ibid. *c.* an virum converterit, ibid. *d.*
Ὑσσὸς quod genus vaſis, an ſextarius, 425. *a.*

Y

Y Littera Pythagorica ſymbolum eſt ſalutis & interitus, 130. *a.*

Z

Zain littera ſemper transfertur per ζ, 56. *c.*
Zunde diabolus dicatur Zabulus, 168. *e.*
quis ille Zacharias filius Barachiæ occiſus inter templum & altare, 307. *a.*
Zacharias pater Joannis Baptiſtæ ultimus fuit veterum Prophetarum, qua de cauſa ab Herode infanticida occiſus ſit, 307. *b.*
Zebedæi etymon, 83. *e.* filii Zebedæi quare neſcierint quid peterent, 277. *b. f.* an recte dicant poſſe ſe calicem bibere, 278. *b. c. Vide* Jacobus.
Zelotæ urbem & templum cædibus & ſanguine civium oppleverе, 312. *e.*
Zelus adverſus ſceleſtos non eſt peccatum: 98. *f.*
Zeuxis moroſe pingebat, quia æternitati pingebat, 50. *f.* ejus de ſua pictura uvarum judicium, 291. *e.*
Zizania quæ vox, & quid ſonet, 202. *e. f.* 205. *f.* etymon, ibidem, *f.* myſtice denotat hæreticos & peccatores, 202 *g.*
in Zonis olim pecunia geſtabatur, 161. *a.* zonam pelliceam S. Joannes Bapt. ad lumbos geſtabat, 59. *f.*

INDEX MATERIARUM MORALIUM,

Quæ his in Matthæum & Marcum Commentariis uberius deducuntur,

Verbis Evangelii per Dominicas, Feſtos dies, & Ferias nonnullas occurrentis accommodatarum, in gratiam & uſum Concionantium.

Meminerint porro hi, ſuis Evangelia ſingula capitibus quærere & conſulere, ubi uberiorem & peculiarem eorum explicationem, tam quoad ſenſum litteralem, quam moralem & allegoricum reperient; quaſdam tamen materias, quæ extra ordinem eſſe videntur, hoc in indiculo viſum fuit coacervare.

DOMINICA I. ADVENTUS.

ERUNT SIGNA IN SOLE. Rubens veſper ſignum eſt ſerenitatis, mane tempeſtatis, 318. *e f.*
IN SOLE. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ante ſæculi conſummationem, 316. *g.* & ſeqq. Eclipſis ſolis, quæ moriente Chriſto facta eſt, multa in ſe continet miracula, 385. *f. g.*
ET OMNES ARBORES. Arboris & hominis analogiæ, 427. *a.* Homo eſt arbor inverſa, ibid. *d.*
CÆLUM ET TERRA TRANSIBUNT. Quamdiu mundus hic duraturus, & quando conſummandus ſit, 319. *c.* & ſeqq. Quatenus Chriſtus & angeli norint & ignorent horam & diem conſummationis ſeculi, ibid. *g.* & ſeqq.
Vide notata Dominica XXIV. poſt Penteceſten.

DOMINICA II. ADVENTUS.

JOANNES IN VINCULIS. Quare Joannes hos diſcipulos ſuos ad Chriſtum miſerit, 174. *b. c.*
PAUPERES EVANGELII. *Vide notata in feſto omnium Sanctorum, & Indicem Rerum* v. Paupertas,
ARUNDINEM VENTO AGITATAM. Arundo, quin & arena, ſymbolum eſt hominis inconſtantis, 133. *f. g.* 175. *d.* quis ſit arundo, 175. *d.*
MOLLIBUS VESTITUM. Molles veſtes denotant luxum, & peccati ſunt ilicium, 175. *g.* Veſtes aſperæ commendantur, mollities earum ſugillatur.
PLUSQUAM PROPHETAM. Ut hoc Chriſtus de Joanne dixit, ita & ipſe pluſquam Propheta fuit, 148. *c.* In quo Joannes pluſquam Propheta fuerit, 176. *a. Vide Indicem Rerum* v. Joannes.

DOMINICA III. ADVENTUS.

DIRIGITE VIAM DOMINI. Idque per fructus dignos pœnitentiæ: porro pœnitentia non tantum eſt vitæ in melius emendatio, ſed & prioris per doloremdetestatio.
FRUCTUS DIGNOS POENITENTIÆ. Quæ dicatur digna pœnitentia, 62. *c.* & ſeqq.
Vide Indicem Rerum v. Pœnitentia.

FERIA IV. QUATUOR TEMPORUM.

Vide notata in feſto Annuntiationis, eſt enim idem Evangelium; & Indicem Rerum v. Incarnatio. Cur Chriſti adventus in orbem tali tempore contigerit, quo contigit, 38. *b.* & ſeq. Incarnationis Dominicæ myſterium diverſimode poteſt conſiderari, 42. *d.*

DOMINICA IV. ADVENTUS.

VOX CLAMANTIS IN DESERTO. *Elogia plura S. Joannis Baptiſtæ, vide in Indice Rerum* v. Joannes Baptiſta.
OMNIS VALLIS IMPLEBITUR. Gloriæ fuga eſt via ad gloriam, 49. *a.* Qui ſe humiliat, exaltabitur, 67. *d. Vide notata in Indicem Rerum* v. Humilis, Humilitas, *& Dominica X. poſt Penteceſten.*

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

UT PROFITERENTUR. Qua occaſione Judæi in deſcriptione cenſum ſolverint Romanis, 245. *c. d.*
BETHLEHEM. Cur in Bethlehem naſci voluerit Chriſtus, cauſa litteralis & moralis, 48. *b.*
PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM. B. Virgo nonniſi unicum filium, Chriſtum videlicet, peperit, 40. *b. c. Vide Indicem Rerum* v. Chriſtus, B. Maria Virgo.
Cur Chriſtus dicatur filius hominis, 142. *b.* ipſe item margarita eſt conceptus e cæleſti rore in puriſſimo Virginis utero, velut in conchyli, 206. *b.*

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

A SANGUINE ABEL. Abel a fratre interfectus, fuit typus Chriſti a Judæis inique necati, 306. *g.*
QUEM OCCIDISTIS INTER TEMPLUM ET ALTARE. Quis hic Zacharias ſit, 307. *a.* & ſeqq. *Vide Indicem Rerum* v. Zacharias, Martyr.
SICUT GALLINA CONGREGAT. Gallinæ proprietates Chriſto adaptantur, ibid. *b.* & ſeqq.
RELINQUETUR DOMUS VESTRA DESERTA. Jeruſalem excidium quæ ſigna præceſſerint, 310. *g. h.*
Vide notata Dominica IX. poſt Penteceſten.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

NON MORITUR. An Joannes vere fuerit Martyr, 278. *d. Vide notata in feſto S. Lucæ, & Indicem Rerum* v. Joannes.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

FUGE IN ÆGYPTUM. Quam ob cauſam Chriſtum recens natum in Ægyptum fugere oportuerit, 51. *d. e.* quid hæc per illum conſecuta ſit bona. *Vide Indicem Rerum* v. Ægyptus, Balſamum.
OCCIDIT OMNES PUEROS. Cur hos Herodes necari juſſerit, 52. *d.* quot cæſi fuerint pueri, 54. *a. b.* fuerunt hi velut agni paſchales & flores Martyrum, ibid. *e. g.* Sic pueros mente Chriſtus martyrio donat, ibid. *h.* Pueri Deum confiteri poſſunt ore, morte, & ore & morte ſimul, 288. *c.*
A BIMATU ET INFRA. Quare hoc tempus præciſe ſit deſignatum, 52. *f. g.* 53. *a.* Quorſum Herodes hoc infanticidium ad biennium diſtulerit, ibid. *b. c.*
De Herodis geſtis, immanitate, morte. *Vide Indicem Rerum* v. Herodes Aſcalonita, Innocentes, Pueri.
ARCHELAUS REGNABIT. Illius ad regnum acceſſio, regimen, geſta, relegatio, 55. *f. g.*

Digitized by Google

DOMINICA INFRA OCTAV. NATIVIT.

Voluit occulte dimittere, Cur S. Joseph voluerit B. Virginem prægnantem dimittere, 41. b. cur Deipara ei non indicarit, quod de Spiritu sancto concepisset, 41. d. *Vide Indicem Rerum* v. Joseph.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Jesus hic sonat quod Emmanuel, id est nobiscum Deus, 42. c. Varia Hebræi nomina dabant Deo, at nullum tam dignum atque est Jesus, ibid. f. g. *Vide Indicem Rerum* v. Jesus.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Ecce Magi, Magi vox quid sonat: quales hi fuerint, 44. a. & seqq. eorum nomina, conversio, mors, translatio, 45. c. d. *Vide Indicem Rerum* v. Dona, Magi, Stella.

Vidimus stellam ejus. Quomodo e stella ortum Messiæ regis didicerint, 45. b. & seqq. Vocatio Dei velut stella est, 47. e. f.

In Bethlem Judæ, Cur natus sit Christus in Bethleem, causa litteralis & moralis, 48. b.

Stella antecedebat. Stella habet speciem regiæ coronæ, 45. g. Hujus stellæ descriptio, 47. a. non erat hæc fatum Christi nati, 46. a. & seqq. qualis & quanta fuerit, 47. a. & seqq. præ reliquis stellis multa habebat privilegia, 47. a. & seqq. comitata est hæc Magos per totam viam, 48. a. & seqq. Doctores velut stellæ sunt, 47. g.

Cum Maria matre ejus. Quid cum ipsa matre Magi fuerint locuti, 49. b.

Apertis thesauris suis obtulerunt ei. Dona horum Magorum symbolice & litteraliter exponuntur; cur hæc & non alia dona obtulerint, 50. a. & seq. Exponuntur ea allegorice & tropologice, ibid. c. & seqq.

Myrrham. Per eam denotatur passionum pravarum & concupiscentiarum mortificatio, quæ assumenda est ab iis qui ad Christum pervenire volunt, 50. g. 51. b.

Quia hodie recolitur quoque memoria baptismi Christi, hinc de eo nonnulla visum annotari. Cur super Christum baptizatum descenderit Spiritus sanctus in specie columbæ, 69. b. & seqq. cur a Joanne baptizari voluerit, 66. a. dum baptizatur, vox de cælo delapsa, 70. d. *Vide Indicem Rerum* v. Baptismus, Joannes Baptista.

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

Ego et pater tuus. Joseph fuit vere pater Christi, & paternum in eum habuit jus, 35. g. & seqq. Josephi dignitas multiplici ratione probatur, 36. c. & seqq. cur ei B. Virgo fuerit desponsata & conjugata, 38. b. *Vide Indicem Rerum* v. Joseph.

Ætate et gratia. Post hunc annum duodecimum Christi nihil in Evangelio de eo legitur usque dum prædicare cœpit, quare interea videtur una cum Josepho fabrilem exercuisse: qualis autem faber fuerit docetur, 208. b.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt. Conjuges imitentur conjugium B. Virginis & Josephi, inter quos summus viguit amor & concordia: erat quippe eorum familia imago SS. Trinitatis, & cælum terrenum, 40. a. & seqq.

Matrimonium est indissolubile, 260. e.

Solvitur tamen per adulterium alterutrius conjugis quoad thorum, non quoad vinculum, 260. f. *Vide Indicem Rerum* v. Matrimonium, Nuptiæ.

Secundum purificationem Judæorum. Crebro se Judæi lavabant & purificabant. 216. b. & seq. 312. f. *Vide Indicem Rerum* v. Pharisæi.

Bonum vinum ponit. At Christo fuit oblatum vinum felle mixtum, 378. g. & seqq. deinde & acetum in hyssopo, 386. c. d. *Vide Indicem Rerum* v. Vinum.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Leprosus veniens. Lepra quam gravis sit morbus & contagiosus, 135. c.

Domine si vis, potes me mundare. Voluntatem suam divinæ conformare, summa est perfectio, 117. d.

Volo. Voluntas Dei duplex est, beneplaciti & signi, 116. a. Voluntas item Christi fuit duplex, humana & divina, humana virtute fuit duplex, naturali & rationalis, 351. f. & seqq.

Ostende te sacerdoti. Leprosi ad sacerdotem venientes ostendunt vim & efficaciam Sacramenti confessionis, 136. f. g.

Centurio rogans eum. Quis fuerit hic centurio, 137. a. & seqq. ejus legatio & postulatio ad Christum, 137. d. e. ejusdem humilitas & heroicæ virtutes, 138. b. & seqq.

Puer meus jacet. Servos benigne habendos, ostendit hujus centurionis pro puero suo deprecantis instantia, 140. d.

Paralyticus. Paralysis spiritualis, 149. c. acediæ & paralysis variæ analogiæ. ibid. d. & seqq.

Miratus est. An in Christo proprie fuerit admiratio. 138. d.

In tenebras exteriores. Unde dicantur exteriores, 139. a. & seqq.

Fletus et stridor dentium. An damnati lacrymentur, & dentibus strideant, 140. a. an torqueantur frigore, 140. b. *Vide Indicem Rerum* v. Infernus.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Motus magnus factus est in mari. Hunc motum & tempestatem excitavit Christus, & quare, 144. f. & seqq. cur discipulos ab eo jactari permiserit, 214. f.

Navicula operiretur fluctibus. Ecclesia in mediis afflictionibus & pressuris est velut navis in mediis fluctibus, 144. g. ea adversis crescit & propagatur, 215. d. *Vide Indicem Rerum* v. Ecclesia.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Unde habet zizania? Zizania quid sit, & qui per ea denotentur, 202. d. e. & seqq.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Grano sinapis. Sinapi quos mystice denotet, 203. b. & seqq. Grani sinapis & Evangelii analogiæ, ibid. e. & seqq. Martyr, est velut granum sinapis, 204. b.

Fermento. Ejus & Evangelii analogiæ, 204. & seqq.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

In vineam suam. Anima est vinea unicuique excolenda, 273. d.

Quod justum fuerit, dabo vobis. Non eadem merces datur beatis in cælo, 272. b. 273. e. f.

Redde illis mercedem. Merces supponit meritum, 94. a. b. *Vide Indicem Rerum* v. Merces.

Volo et huic. Voluntas Dei duplex est, beneplaciti & signi, 116. a. quomodo eam fieri petere possimus, etiam in permissione malorum. 116. c. & seqq.

An oculus tuus nequam est? Invidiæ damna & remedia, 279. c. d. *Vide Indicem Rerum* v. Oculus.

Quia bonus ego sum. Solus Deus est bonus per essentiam, 264. b. & seqq.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Evangelica prædicatio semini comparatur, 197. f. 200. b. & seqq.

Secus viam. Qui per viam denotentur, 198. a.

Super petram. Quos petra repræsentet, 201. a.

Super spinas. Opes spinis comparantur, 201. d. illæ sunt fallaces, ibid. e. f.

Et a voluptatibus vitæ. Concupiscentiæ æstus est velut febris quædam ardens, 140. b. 141. c. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Concupiscentia.

Voluptas carnalis est velut spiritualis paralysis, 149. c.

Fructum afferunt. Virtutum incrementum, ac perfectio per herbam, spicam & frumentum denotatur, 417. b.

In patientia. Malorum tolerantia & patientia vincit malum & adversarium, 306. a. b. ea subinde est præcepti, & subinde consilii, 306. a.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Et illudetur. Illudi se passus est Christus, ut sua tolerantia & passione Deum honoraret, ut patientiæ & virtutum omnium daret exemplum, ut martyres ad opprobria & mortem tolarandam animaret, 362. b. & seqq.

Et flagellabitur. Domini Jesu flagellatio expenditur per omnes circumstantias, 373. a. & seqq. *Vide notata in Feria VI. in Parasceve.*

Domine ut videam. Cæcitas spiritalis grave damnum est, 280. g. h.

FERIA IV. CINERUM.

Hodie incipit tempus Quadragesimale, pœnitentiæ subeundæ destinatum, illa autem non tantum est vitæ in melius mutatio, sed & prioris per dolorem detestatio, 58. e. f. quæ dicatur digna pœnitentia, 62. d. & seqq. quam rigida & longa olim peccantibus præscripta esset pœnitentia, 81. b. 82. a. & seqq.

Cum jejunatis. Quadragesimalis jejonii nostri causæ & antiquitas, 72. g. & seqq. cur Ecclesia carnes in eo probeat, 218. f.

Primorum Christianorum stricta jejunia, 73. b. Apostoli stricte quoque jejunarunt post mortem Christi, 151. h. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Jejunium.

Qui videt in abscondito. Cur in secreto & absque arbitris orandum sit, 113. f. g.

Pater tuus reddet tibi. Merces supponit meritum prævium, 94. b. Etiam calix aquæ frigidæ in nomine Christi datus, suam meretur mercedem, 173. g.

Thesauros in cælo. Cur thesauro regnum cælorum simile esse dicatur, 306. d. e.

FERIA V. POST CINERES.

Vide notata Dominica III. post Epiphan. est enim idem Evangelium.

FERIA VI. POST CINERES.

Ego autem dico vobis. Multa legis præcepta Christus reformavit & correxit, 6. e.

Diligite inimicos vestros. Inimicorum dilectio a Christo jubetur, ejus novem sunt gradus, 108. d. & seqq.

Fratres vestros. Invicem enim fratres sumus, 114. b.

Estote autem vos perfecti. Quam perfectionem a suis requirat Christus, 109. d. e. Qui perfectioni student, parent se ad irrisiones & opprobria, 168. b. Abnegare seipsum quid sit, 232. d. e. 133. a. *Vide Indicem Rerum* v. Perfecti.

Sicut et pater vester. Deus, noster est pater, 114. f.

Eleemosyna tua in abscondito. Opera bona quomodo sint abscondenda, & simul alii ea videre debeant, 96. d. Non est eleemosyna danda ob vanam hominum laudem, 112. e. f. sic omne opus bonum mala intentione factum perdit fructum & mercedem suam, ib. c. d. *Vide Indicem Rerum* v. Eleemosyna.

SABBATO POST CINERES.

Vidit discipulos laborantes in remigando. Cur discipulos in mari tempestate jactari Dominus permiserit, 213. e. f.

Venit ad eos ambulans supra mare. Quomodo hoc factum sit, 213. g.

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

Ductus est Jesus a spiritu in desertum. A quo Spiritu illuc actus sit, 71. d.

cur fuerit ibi tentatus, 71. h.

Postquam jejunasset. Jejunium Domini fuit supernaturale, 73. d. *Vide notata Feria IV. Cinerum, & Indicem Rerum* v. Jejunium, Diabolus, Tentatio.

Accedens tentator. Non omnis tentatio ortum habet a diabolo, 74. b. c. hic in invitum & nolentem nihil potest, 77. b. ipse semel victus, identidem ad tentandum redit, 79. d. an dæmon Christum agnoverit, 415. c. Tentatio sæpe oritur a parva in Deum fiducia: quare tentatus spe concepta ad Deum per orationem recurrat, 215. a. & seqq.

Tentationum superandarum modus, 79. c. quomodo petere possimus ut ab iis liberemur, 119. h. Anima tentationibus pulsata est velut navis in mediis fluctibus constituta, 144. h.

Tunc assumpsit eum. Quomodo hæc assumptio facta sit, 75. e. & seqq. & in quod templi pinnaculum. 75. h.

Digitized by Google

ANGELIS SUIS MANDAVIT DE TE. Angelo custode Christus opus non habuit. 76. c.

OSTENDIT EI OMNIA REGNA. Quomodo Deus & diabolus id facere queant, 77. d. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Mundus, Regnum.

SI CADENS ADORAVERIS ME. Divinitatem namque ambit diabolus, & ab olim ambivit. 78. a. & seqq.

VADE SATANA. Cur Dominus S. Petrum satanam vocarit, 230. f. & seqq. sic etiam alias Dominus dæmonem in laude ejus erumpentem tacere jussit. 411. e. f.

FERIA II.

IN MAJESTATE SUA. In quo majestas hæc sita sit, 329. h. & seq.

ET ANGELI EJUS CUM EO. Hi in corporibus splendidis judicio interfuturi sunt, 329. c. d. & seqq. an parvuli ei interfuerunt. ibid. e.

VENITE BENEDICTI. Hæc sententia pro electis expenditur, 329. g. item damnationis, quæ in reprobos feretur. 331. d. e.

ESURIVI ENIM. Cur misericordes præ aliis cælo digni judicentur, 330. e. *Vide Indicem Rerum* v. Judicium.

FERIA III.

Vide notata Dominica IX. Post Pentecosten.

FERIA IV.

FRATRES TUI. Quid dicantur fratres Christi, 195. d. 208. e. quæ ejusdem sorores. 209. b.

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

ASSUMPSIT JESUS PETRUM, &c. Cur tres hos Apostolos Dominus in montem hunc secum assumpserit, 236. b.

IN MONTEM. Quis fuerit ille mons? Videtur fuisse Tabor, & quare, 236. c. h. & seqq.

TRANSFIGURATUS EST. Quomodo hæc transfiguratio peracta sit, 237. b. cur eam ad sex dies Dominus post eam promissam distulerit, 238. a. Totum Domini corpus hic resplenduit, 237. c. & seqq. quam fuerit hic splendor admirabilis, 237. g. cur & quando Dominus sit transfiguratus, 238. a. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Transfiguratio.

APPARUERUNT ILLIS MOYSES ET ELIAS. Quare hi duo cum Christo ibi apparuerint, 239. b. & seqq. & quidem in propria persona, 239. e. f. unde eos S. Petrus agnoverit, 240. c.

NESCIENS QUID DICERET. Idque præ summo animi gaudio. 240. d. e.

NUBES LUCIDA OBUMBRAVIT. Quos nubes hæc & quare obumbraret, 240. g.

FERIA II.

IN PECCATIS VESTRIS MORIEMINI. Mensura peccatorum cuilibet statuta est, quam implera castigatur. 306. a.

FERIA III.

OMNIA QUÆCUMQUE DIXERINT VOBIS SERVATE. Quatenus malis Prælatis parendum sit, 301. g.

UT VIDEANTUR AB HOMINIBUS. Erat hæc Pharisæorum superbia gloriam hominum ambientium. 302. b.

PRIMAS CATHEDRAS. Ambitus doctrinæ & honoris a Christo veratur, 302. e. f.

FERIA IV.

MATER FILIORUM ZEBEDÆI. Ejus petitio expenditur, 276. f. & seqq.

DOMINANTUR EORUM. Quanta sit dominantium & nobilitatis vanitas, 34. d.

FERIA VI.

PLANTAVIT VINEAM. Vinea est Ecclesia, 290. e. f. omnia quoque parabolæ membra ea applicantur, ibid. & seqq.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

SI AUTEM ET SATANAS DIVISUS EST? Quasi id fieri nequeat: quia dæmones inter se conveniunt; est quippe inter eos ordo, ut alii sint majores, alii minores: alii principes, alii inferiores. 155. d. e.

IN BEELZEBUB EJICERE DÆMONIA. Ostendit Dominus se dæmonia non ejicere ope dæmonis, 187. h.

FIUNT NOVISSIMA PEJORA PRIORIBUS. Quia relapsus in peccata pejor est ipso lapsu, 195. b.

FERIA II.

QUIA NEMO PROPHETA ACCEPTUS EST IN PATRIA. Quæ hujus rei sit ratio, 209. e. f.

FERIA III.

CORRIPE EUM. Fraterna correptio quare præcepta sit, & an omnia omnino peccata corripienda sint, 251. h. & seq. hæc an sit consilii an præcepti, 252. c. ad quos illa spectet ibid. c. & seqq. quis in ea servandus sit ordo, 253. g. h. certis tamen in casibus ille non servatur, ibid. g. & seq. *Vide Indicem Rerum* v. Correptio.

FERIA IV.

TRADITIONES SENIORUM. Traditiones Apostolicæ bonæ sunt, 216. h. 218. a. *Vide Indicem Rerum* v. Traditiones.

SABBATO.

DEPREHENSAM IN ADULTERIO. Adulterium solvit conjugium quoad thorum; non quoad vinculum, 260. f. & seqq.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

UNDE EMEMUS PANES? Hoc panum multiplicatorum miraculum per omnes partes expenditur, 212. a. & seqq.

PANES HORDEACEOS. Qualem panem quotidianum & supersubstantialem petere in oratione Dominica debeamus, 117. g. & seqq. Hæc panum multiplicatio fuit præambulum Ven. Eucharistiæ, 212. b. c. *Vide Indicem Rerum* v. Eucharistia, Panis.

FUGIT. Gloriam fugiens eam acquiret, 49. a. *Vide notata Dominica X. post Pentecosten, & Indicem Rerum* v. Humilis, Humilitas.

FERIA III.

SANUM FECI IN SABBATO. Judæi sabbatum superstitiose observabant, 186. e. *Vide Indicem Rerum* v. Sabbatum.

NOLITE JUDICARE. Temerarium de proximo judicium vetatur, 126. g. Peccata aliena præ oculis habemus, propria minime videmus, ac post tergum rejicimus, 127. e. & seqq.

FERIA IV.

BLASPHEMIÆ. Quomodo blasphemia in Spiritum sanctum non remittatur, 189. f. & seqq.

DOMINICA IN PALMIS.

ECCE REX TUUS VENIT TIBI. Triumphus Christi cum pompa urbem Jerusalem ingredientis, 283. b. cur tunc cum triumpho eam ingredi voluerit, 284. a. & seqq. ramis de arbore palma præcisis suum de morte & peccatis triumphum ac victoriam voluit præsignari, 284. f. g.

HOSANNA FILIO DAVID. Hæc verba pluribus exponuntur; quid sit Hosanna, & cur a turba id Christo acclamatum, 285. a. & seqq.

FILIO DAVID. Cur Christus dicatur filius David, 33. h. Infantes quoque lætis vocibus victori Christo acclamarunt, 289. a. *Vide Indicem Rerum* v. Pueri.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Quo die Eucharistia sit instituta, an hoc, an præcedenti, 338. f. & seqq. an Judas etiam cum aliis eam sumpserit, 340. a. *Vide Indicem Rerum* v. Eucharistia.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Passio Christi considerata nostrum provocare nata est amorem, 276. d. e. Quod scandalum passi sint Apostoli in nocte passionis, 346. d.

S. Petrus in nocte passionis non peccavit in fidem, sed fidei professionem, 347. b.

COEPIT TÆDERE. Tristitia Christi in horto vera fuit, 348. b. quæ fuerint ejus causæ, 349. c. & seqq. quæ causæ finales & morales, ibid. b. & seqq.

TRANSEAT. Quomodo calicem passionis a se transire Christus petat, 351. b. & seqq. quis sit ille calix, ibid.

NON MEA VOLUNTAS, SED TUA FIAT. Voluntas Christi duplex fuit, divina & humana: & humana virtute fuit duplex, naturalis & rationalis, & quamnam mortem horruerit, & ambierit, 351. f. & seqq.

GLADIO S. Petri gladius non fuit culter, sed ensis, 355. c. & seqq.

DUODECIM LEGIONES ANGELORUM. Quanta sit angelorum multitudo, 356. d. e. sunt in auxilium invocandi, ibid. f.

COMPREHENDERUNT. Hæc Christi comprehensio fuit atrox, 357. d.

EXPUERUNT. Illudi sibi passus est Christus, ut sua tolerantia & passione Deum honoraret, ut patientiæ & virtutum omnium daret exemplum, ut Martyres ad opprobria & mortem toleranda animaret, 361. d. & seq.

ANATHEMATIZARE. S. Petri negationes excutiuntur, & per omnes partes expenduntur, 362. b. & seqq.

PILATO. An Christus a Judæis Pilato sit traditus, 366. b. & seqq.

REGNUM MEUM NON EST DE HOC MUNDO. Christus qua homo regnum habuit spirituale, id est Ecclesiam, & physicum sive mundanum, 369. e. ejus regnum omnia mundi regna superat, ibid. f. ei regnum Judæ debetur, ibid. e.

DIMITTERE TE. Pilatus vere voluit Christum dimittere. 370. d. & seqq.

FLAGELLATUM. Flagellatio Christi expenditur per omnes circumstantias, 373. a.

DE SPINIS. Corona Christi spinea describitur, ejusque coronatio, 375. c. & seqq. cur fuerit spinis coronatus, ibid. d.

CHLAMYDEM COCCINEAM. Hæc describitur, 374. b. & seqq.

ANGARIAVERUNT. Crucem post Christum bajulavit Simon Cyræneus, 377. g. & seqq. quæ ejus rei mystica causa fuerit, ibidem.

Calvariæ mons unde dictus sit, 378. d. & seqq.

Vinum felle mixtum fuit Christo ante mortem oblatum, 378. g. & seqq. item acetum, ibid. Clavis & funibus simul cruci fuit affixus, & quot clavis, quomodo ii per manus ejus adacti, 379. c. d. & seqq.

Acerbitas crucis Christi, 379. g. variæ crucifixionis circumstantiæ, 380. a. cur Dominus cruci fuerit affixus, 380. c. d. & seqq.

Eclipsis solis eo moriente facta, multa continet miracula, 385. g.

Quomodo Christus a Patre fuerit derelictus, 386. e. cur voce magna clamarit jam moriturus, 388. e. & seqq. cur moriatur capite inclinato, 389. a. Dolor Deiparæ in morte filii ipsius, 392. e.

DOMINICA RESURRECTIONIS DOMINI.

Quomodo Christus tribus diebus, & tribus noctibus fuerit in sepulchro, 193. a. & seqq.

Christo resurgente multa etiam Sanctorum corpora una cum ipso resurrexerunt, 390. h. an hi iterum sint mortui, 391. c. quinam Sancti tunc potissimum resurrexerint, ibid. d. Resurrectio mortuorum in multis Scripturæ locis asseritur, 297. c. d. *Vide Indicem Rerum* v. Resurrectio, Sepulchrum.

Christus resurrexit e sepulchro clauso & obserato, 398. g. h. resurgens matrem, quæ ipso moriente summopere indoluerat, primum adiit, 392. d. e. Tota passionis & resurrectionis illius series, 397. h. & seqq. Cur terra tremuerit angelo lapidem a monumento removente, 398. d. quare hic super lapidem sepulchralem sederit, 399. c. & habuerit faciem instar fulguris radiantem, 399. f. & seqq.

Sepulchrum Christi quam sit gloriosum, 394. d. quorsum id Judæi obsignarint, & a militibus custodiri jusserint, 395. b. & seqq.

Quam variis & quam diversimode Christus ipso resurrectionis die se spectandum dederit, 402. h.

DOMINICA II. POST PASCHA.

IN OMNIBUS SCRIPTURIS. Sacræ Scripturæ elogium, 1. a. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Scriptura, Evangelium.

DOMINICA III. POST PASCHA.

ARGUET MUNDUM DE PECCATO. Quia peccatum mortale summa Dei est injuria, ac debitum hominis peccantis infinitum 256. f.

Vide Indicem Rerum v. Peccator, Peccatum.

Digitized by Google

DOMINICA V. POST PASCHA.

PETITE ET ACCIPIETIS. Cur orantes & petentes non semper exaudiamur, 128. f. & seqq. Orationi decem sunt virtutes necessariæ, 221. c. & seqq. oratio est velut animæ transfiguratio, 238. e. *Vide de Oratione Indicem Rerum v.* Oratio.

PROVERBIUM NULLUM DICIS. *Vide Indicem Rerum v.* Parabola.

DOMINICA INFRA OCT. ASCENSIONIS.

UT NON SCANDALIZEMINI. *Vide notata in festo S. Michaelis, & Indicem Rerum v.* Scandalum.

IN FESTO PENTECOSTES.

LINGUE IGNEÆ. Dictus est Christus suos baptizaturus igne & Spiritu sancto, 65. a. b.

MANSIONEM APUD EUM FACIEMUS. Diversimode Deus & Christus in anima manet, 405. f. & seqq.

Cur Spiritus sanctus descendit super Christum in specie columbæ, 69. a. b. *Vide Indicem Rerum v.* Spiritus sanctus, Gratia.

Quomodo blasphemia in Spiritum sanctum non remittatur, 189. f. & seqq.

FERIA II. POST PENTECOST.

SIC DEUS DILEXIT MUNDUM. Christus est portentum amoris, 143. c. d.

NON PEREAT. Animæ jactura est irreparabilis, 234. a. b.

DOMINICA I. POST PENTECOST.

PERFECTUS AUTEM ERIT. Perfectio Dei opt. max. nobis imitanda est, 110. d. Perfectus esse qui cupit, omnia sua relinquit ut Deum sequatur, 265. g. *Vide Indicem Rerum v.* Perfecti.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

DOCETE OMNES GENTES. Evangelium per omnes gentes & provincias non fuit disseminatum ante urbis excidium, 311. e. f.

BAPTIZANTES EOS. Baptismus est necessarius ad salutem, 441. b. quando eum Christus instituerit, 72. c. & seqq.

SS. Trinitatis cognitio Apostolis sensim patefacta est, & quare, 181. b. & seqq. ejus symbolum fuit familia S. Josephi, 40. a. b. *Vide Indicem Rerum v.* Baptismus, Trinitas.

DOCENTES EOS SERVARE OMNIA. Omnia fidei mysteria in Evangelio traduntur, 5. d. e.

ECCE EGO VOBISCUM SUM. Christus quomodo in anima maneat semper, 405. e. f.

IN FESTO VENER. SACRAMENTI.

PANIS QUEM EGO DABO. In Ecclesia juge convivium nobis a Christo apponitur, 293. c. d. Jubemur in oratione Dominica petere panem quotidianum & supersubstantialem, & quis ille sit, 117. g. & seqq.

Eucharistia quo die præcise sit instituta, 338. f. g. & seqq. Cur eam Christus instituerit, 344. g. & seqq. ejus veritas probatur diversis demonstrationibus, 342. d. & seqq. est in se sacrificium, 344. b. & seqq. alia quoque diversa huc spectantia, 343. d. & seqq. ejus effectus, 345. e. f. in illa semper Christus est & manet nobiscum, *Vide Indicem Rerum v.* Eucharistia, 405. e.

DOMINICA II. POST PENTECOST.

UXOREM DUXI. *Vide notata Dominica II. post. Epiphan. & Indicem Rerum v.* Mulier.

NON POSSUM VENIRE. Divites difficillime cælum intrant, 266. f. & seq. sed per Dei gratiam intrare possunt, 267. e.

DOMINICA III. POST PENTECOST.

SUPER UNO PECCATORE POENITENTIAM AGENTE. Quia justificare talem difficilius est quam creare, & peccata remittere majus est quam miraculum facere, 148. d.

Quomodo animæ conversio & vivificatio a Deo peragatur, *Vide Indicem Rerum v.* Peccator, Pœnitentia.

DOMINICA V. POST PENTECOST.

QUI IRASCITUR FRATRI SUO. Ira quando sit peccatum, & quando non, 98. f. 99. f. g.

RACA. Raca dicere fratri suo quid sit, & unde vox derivetur. 99. b. & seqq.

FATUE. Convitium gravis est injuria, eaque pensanda ex affectu convitiantis, & dignitate personæ, cui dicitur, 100. b.

VADE PRIUS RECONCILIARI FRATRI. Reconciliatio ante sacrificium est præcepta, 100. e. f.

DOMINICA VII. POST PENTECOST.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. Tales sunt hæretici, & pravi doctores, 130. e.

IN VESTIMENTIS OVIUM. Quæ sint hæ vestes ovinæ, 130. e. f.

A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS. Voluntas bona vel mala ex operum aliquorum bonitate aut malitia se prodit, 131. e.

DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

QUASI DISSIPASSET. Avarus e contra servit divitiis sua tenaci parsimonia, 122. g. h.

DE MAMMONA INIQUITATIS. Opes veræ sunt cælestes, eæque inamissibiles & stabiles, 221. e. f. at terrenæ sunt fallaces, 201. f. *Vide Indice Rerum v.* Opes, Divitiæ.

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

NON MANEBIT IN TE LAPIS SUPER LAPIDEM. Quæ signa præcesserint excidium urbis Hierosolymitanæ, 310. f. g. unde id ortum habuerit, ibid. g. h.

EJECIT VENDENTES ET EMENTES. Quare hoc a Domino factum sit, 286. f. h. & seqq.

DOMUS MEA DOMUS ORATIONIS EST. Templa Christianorum domus sunt Dei, & locus orationis, 287. f. & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Templum.

DOMINICA X. POST PENTECOST.

IN TEMPLUM, UT ORARENT. Templum enim est locus orationis, 287. f. & seqq. Orandum genu flexo, 113. c. d. Judæi autem orabant stantes, vel in genua provoluti, ibid.

IN TEMPLUM. Oratio publica in templo quanti sit momenti, 114. a. *Vide Indicem Rerum v.* Oratio. Templum.

NON SUM SICUT CETERI. Multiloquium, quale est hujus Pharisæi, in oratione cavendum, 114. d. e.

QUI SE HUMILIAT, EXALTABITUR. Gloriam fugiens ad eam perveniet, 49. a. & qui se ad ima dejicit, exaltabitur, 67. d. 279. g.

Humilitas Christo gratissima est, 182. g. h. ipsa est via ad cælum, 247. g. 248. a. ejus elogia, ibid. b. c. & gnomæ de eadem, ibid. d. *Vide Indicem Rerum v.* Humiles, Humilitas.

DOMINICA XI. POST PENTECOST.

LOQUEBATUR RECTE. Verbum otiosum quod sit, 191. b. de eo reddenda est Deo ratio, ib. d. Quare verba nostra ad Dei honorem sint referenda, ibid. e. & seqq.

TANTO MAGIS PLUS PRÆDICABANT. Sanctificari & glorificari Dei nomen quod & quomodo petere debeamus, 115. b. & seqq.

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

DILIGES DOMINUM DEUM EX TOTO CORDE TUO. Tripliciter Deus ex toto corde diligitur, 298. b. *Vide Indicem Rerum v.* Amor, Charitas, Dilectio.

PROXIMUM SICUT TEIPSUM. Perinde ac nos ipsos diligimus, diligendi nobis sunt alii, 299. f. & seqq.

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

Vide notata Dominica III. post Epiphaniam.

OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. Confessio Christianorum quæ sacerdoti fit, quomodo differat a confessione Judæorum, 60. c. *Vide Indicem Rerum v.* Confessio, Sacerdos.

FIDES TUA TE SALVUM FECIT. Quæ sint dispositiones ad miraculum aliquod impetrandum, 147. e.

DOMINICA XIV. POST PENTECOST.

NE SOLLICITI SITIS ANIMÆ VESTRÆ. Nimia opum corrogandarum sollicitudo a Christo vetatur, 123. b. & seqq. 125. b.

RESPICITE VOLATILIA. Si aves cæli Deus pascit, multo magis pascet homines, 123. d. e.

CONSIDERATE LILIA AGRI. Liliorum commendatio & venustas, 124. c. sunt ea pulchriora quam Salomon & universi reges in omni gloria sua, 124. e. & seqq.

SCIT ENIM PATER VESTER, QUIA HIS &c. Divinæ providentiæ certo confidendum, 124. h. *Vide Indicem Rerum v.* Providentia, Sollicitudo.

DOMINICA XV. POST PENTECOST.

DEFUNCTUS EFFEREBATUR. Mortis memoriam semper in nobis diabolus satagit elidere, persuadens nos adhuc diu fore superstites, 320. g. & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Mors, Mortui.

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

DICUNT EI. DAVID. *Vide notata in festo Nativitatis Domini.*

DOMINICA XVIII. POST PENTECOST.

CONFIDE FILI. Sicut blando filii nomine Christus paralyticum hunc compellat, sic & novitii in fide & Religione leniter tractandi sunt, 151. b. c. & seqq.

DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

HOMINI REGI. Christus qua homo, regnum habuit spirituale, id est Ecclesiam, & physicum sive mundanum, 369. e. ejus regnum superat reliqua omnia, ibid. b. regnum Judææ ei debitum est, ibid. c. sed regium ejus diadema fuit corona spinea, 375. c. d. & seqq.

QUI FECIT NUPTIAS. Conjugium juge nobis Christus in Ecclesia instruxit, 293. d. e. *Vide notata Dominica II. post Epiphaniam.*

DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

MISERIUS AUTEM DOMINUS. Comitas & facilitas regum est virtus, 162. b.

OMNE DEBITUM DIMISI TIBI. Peccata semel dimissa quomodo non amplius revocentur. 257. c. d. & seq.

MISERERI CONSERVI TUI. Immisericordia nolentis proximo in se peccanti remittere facit, ut is propterea damnetur, 257. c. d.

Ingratitudo quatenus peccatum augeat: eaque in quatuor peccatis maxime cernitur, 257. g.

DOMINICA XXII. POST PENTECOST.

PHARISÆI. Quales essent Pharisæi & Sadducæi, & unde orti, 60. c. d. eorum hypocrisis & adulatio, 295. d. e. *Vide Indicem Rerum v.* Pharisæi, Sadducæi.

CUM HERODIANIS. Quinam essent Herodiani, 294. g. & seq.

LICETNE CENSUM DARE CÆSARI. An Cæsari tributum sit solvendum, 295. c. an Judæi juste ei fuerint subjecti, ibid. h.

QUID ME TENTATIS HYPOCRITÆ? Hypocrita est Deo exosus, & bicors & bilinguis, 112. e. f.

OSTENDITE MIHI NUMISMA CENSUS. Qua occasione census Romanis Judæi solvere cœperint, 245. c. d. solvebant autem denarium, 295. e. cujus pretii fuerit denarius, *Vide Indicem Rerum v.* Denarius, As, Pecunia, Judæi, Romani.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOST.

NON EST MORTUA PUELLA, SED DORMIT. Mors cur somnus vocetur, 153. f. *Vide Indicem Rerum v.* Mors, Mortui.

TIBICINES. Cur tibiæ in funere adhiberentur, 153. e.

EJECIT TURBAM TUMULTUANTEM. Tumultus mentis & distractionem ex animo ejiciendæ, 153. h.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOST.

Judicium Dei imminens securi ad radicem posita denotatur, 63. g. item ventilabro, 65. d. an diem ejus Christus norit, & quatenus ignorare se dicat, 319. c. & seqq. cur eum Deus nobis voluerit esse incertum, 320. f. g. an judicium de nocte peragendum sit, 324. h. ei angeli in corporibus splendidis intererunt, 329. c. Majestas Christi judicis in quo consistet, ibid. a.

STANTEM IN LOCO SANCTO. Unde Judææ excidium primum ortum habuerit, 310. f. g. 311. g. h.

FUGIANT AD MONTES. Cur quam citissime fugere Dominus jubeat, 311. g. h. & seqq.

TRIBULATIO MAGNA. Quam Judææ & urbis excidium fuerit atrox & horribile, 312. h. Ejus causa unica fuit Christi nex & interfectio, ibid.

Digitized by Google

NISI BREVIATI FUISSENT. Afflictionis dies solet Deus ob electos & sanctos abbreviare, 313. f. g.
PSEUDOCHRISTI. Tales seductores varii se Judæis exhibuere, 314. b. & seq.
DABUNT SIGNA ET PRODIGIA. Miracula subinde faciunt etiam seductores, sed non ad stabiliendam suam hæresim, 132. a. b.
ET AQUILÆ. Sancti per aquilas repræsentantur, 315. g. & seqq.
SOL OBSCURABITUR. *Vide notata Dominica I. Adventus, & Indicem Rerum v.* Judicium.
PAREBIT SIGNUM. In judicio ipsissima crux Domini apparitura est, 317. d. & seqq.
FILII HOMINIS. Cur Christus dicatur filius hominis, 143. c.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Vide notata Dominica XI. post Pentecosten.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

ET VOCAVIT EOS. Vocatio Dei ad certum aliquem statum est velut stella clara oculis mentis apparens, 47. e. f.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.

DISTRIBUIT ILLIS BONA SUA. Quomodo dona sua Deus elargiatur, & qualia, 326. f. g. & an unicuique juxta potestatem & vires, ibid. g. h.
EUGE SERVE BONE ET FIDELIS. Episcopi sint vigilantes, prudentes, fideles, 321. e, f, g, *Consule Indicem Rerum v.* Episcopi, Pontifex. Prælati, *& notata in Communi Pontificum.*

IN FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

LIBER GENERATIONIS. Ejus genealogia texitur eo ipso quo texitur Josephi, 35. d.
Uti ipsa fuit in utero sanctificata, sic & alii non pauci, 36. h.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

S. Paulus fuit minister Evangelii, 8. d. e. *Vide Indicem Rerum v.* Paulus.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

TU ES CHRISTUS. Honorifica fuit hæc S. Petri de Christo confessio, 226. c. & seq. unde eum propterea Christus Ecclesiæ caput & petram constituit, 227. & seqq.
TU ES PETRUS. S. Petri primatus in quo consistat, 158. a. ipse est fundamentum totius Ecclesiæ, 228. b.
ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT. Ecclesia Christi semper est invicta. 229. c. d.
TIBI DABO CLAVES. Sunt ergo eæ ipsi Petro datæ, non Ecclesiæ, 229. e. f.
S. Petrus magna fide fuit, cum viso Christo in aquas insiliit, 214. b. sed parum in valida tempestate diffidens mergi cœpit, 214. e. f. & seqq. cur satanas a Domino dictus sit, 231. f. & seqq. in nocte passionis non peccavit in fidem, sed fidei professionem, 347. b. c. ejus trinæ negationes expenduntur, 362. e. f. & seqq. *Consule Indicem Rerum v.* Petrus.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. VIRGINIS.

NAZARETH. Inde vocatus est Dominus Nazarenus, id est floridus, 56. f. g. dictus quoque Nazaræus, id est separatus, sanctus, consecratus, 56. c.
DESPONSATAM VIRO. Cur B. Virgo Josepho fuerit desponsata, 38. b. item conjugata, 39. a. & seqq. Fuit id verum, licitum & sanctum matrimonium. ibid. f. & seq.
PARIES FILIUM. B. Virgo vere fuit mater Dei, 37. c. Quantæ hæc maternitas sit dignitatis, ibid. d. & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Maria Virgo.
SEDEM DAVID. Cur Christus dicatur filius David, 33. h. habuit jus ad regnum Juda per Josephum, qui legitimus ejus pater fuit, 35. e.
SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE. De Spiritu sancto enim Christus fuit conceptus, 40. e. & seqq.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

Vitæ hujus breve elogium, 406. a. & seqq. Qualis & cujus fuerit, ibid. b. quando scripserit, & qua lingua, 407. b. & seqq. *Vide notata in festo S. Lucæ Evangelistæ, & in Communi Apostolorum, & Indicem Rerum v.* Marcus.

IN FESTO S. PHILIPPI APOST.

An S. Philippus prius patrem sepelire voluerit, quam vocantem Christum sequeretur, 143. e.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Vide Indicem Rerum v. Crux, *& notata in feria IV. in Parasceve.*

IN FESTO NATIVIT. S. JOANNIS.

QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT? Joannes puer secessit in desertum, 58. b. ejus vestis, 59. d. & seqq. ejus cibus erat mel silvestre & locustæ, 60. b. c. *Consule Indicem Rerum v.* Joannes Baptista, *& notata in festo Decollationis ejus.*

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

NON UNXISTI. Unguenta Judæi passim in conviviis adhibebant, 335. b. & seq. Quæ sit mystica unctio pedum, & capitis Christi, 336. c. d.
REMITTUNTUR EI PECCATA MULTA. Peccata remittere cuiquam majus est, quam miraculum aliquod patrare, 148. c. d. *Consule Indicem Rerum. v.* Maria Magdalena, Mulier.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

MATER FILIORUM ZEBEDÆI. *Vide Indicem Rerum v.* Salome.
DIC UT SEDEANT. Hæc matris pro filiis petitio per omnia sua membra expenditur, 277. a. & seqq.
Cur S. Jacobus una cum fratre dictus sit Boanerges, i. e. filii tonitrui, & quid sibi velit vox Boanerges, 415. f. g. & seq.

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

S. Laurentius vere granum sinapis fuit, 204. b.
QUI PERDIDERIT ANIMAM SUAM. Qui animam perdiderit, inveniet eam, & vice versa eam inveniens, eam perdet, 171. f. & seq. 233. b. Vita pro Christo libenter exponenda ut vitam habeamus, 171. g. h. Animæ jactura est irreparabilis, 234. b. c.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

ELEGIT DUODECIM. Apostolorum electio, dignitas, tria munia, 157. e. cur sint duodecim, ibid. g. quis eorum ordo, 158. d. *Vide notata in festo S. Lucæ, & in Communi Apostolorum,*

IN FESTO DECOLLATIONIS S. JOANNIS.

NON LICET TIBI HABERE UXOREM FRATRIS TUI. Herodes hanc ducens triplex peccatum admisit, 422. f.
Misso SPICULATORE, Historia decollationis S. Joannis Baptistæ ab Herode peractæ texitur, 423. c. & seq. h. & seq.
Joannes Baptista vere Martyr est, 423. a. septem ejus laureæ, ibid. e. quomodo sit occisus, ibid. b. & seq. Herodias linguam ejus acu discriminali perforavit, sed mox in eam & omnes baptisticidas secuta est Dei ultio, ibid. h. *Consule notata in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ.*

IN FESTO S. MATTHÆI APOST. ET EVANGELISTÆ.

Vide notata in festo S. Lucæ,
SEDENTEM IN TELONIO. Telonium quid sit, 149. h.
SURGENS SECUTUS EST EUM. S. Matthæi prompta in Christum sequendo obedientia, 149. h.
PUBLICANI ET PECCATORES. An officium publicanorum sine peccato exerceri possit, 150. d. e.
MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM. Fratri nostro ante sacrificium nos reconciliari oportet, 100. e.

IN FESTO DEDICATIONIS S. MICHAELIS ARCHANGELI.

ADVOCANS JESUS PARVULUM. Pueros amat Christus ob quinque eorum dotes, quanta cura a parentibus sint edocendi & educandi, ibid. e. Pueri infantes primo Deum sonare docentur, 288. b. triplicitet Deum laudare possunt, morte, ore, ore & morte simul, ibid. c.
NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI. Parvos & humiles ad martyrium Christus evehit, 54. h. cur parvulos imitari nos velit, 247. g.
QUI SCANDALIZAVERIT UNUM DE PUSILLIS ISTIS. Scandalum dantes graviter offendunt, 249. a. b. c. d.
SI OCULUS TUUS TE SCANDALIZET. Quomodo oculus & manus eruenda & præcidenda; & quo pacto id intelligendum, 102. f. g.
ANGELI EORUM. Dantur angeli ad custodiam omnibus hominibus tam justis quam injustis, a primo die ortus usque ad obitum, 249. g. h. eorum munia, ibid. h. Castitas reddit nos angelis similes, 297. g. Quanta sit angelorum multitudo, 356. f. sunt in auxilium advocandi, ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Angeli, Gabriel, Michael.
FACIEM PATRIS MEI. Deum semper vident angeli, etiam dum cælo absunt, 250. f.

IN FESTO S. FRANCISCI.

Vide notata in Indice Rerum v. Franciscus.

IN FESTO S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

ITE, ECCE EGO MITTO VOS. Quæ præcepta discipulis suis dederit Dominus, 160. a. c. 161. b. & seqq. 163. e. 164. e. 165. b. 166. d. 167. c.
SICUT OVES, Viri Apostolici sint simplices, & prudentes, 165. c. d. e.
NOLITE PORTARE SACCULUM. An semper mendicato Apostoli vixerint, 161. e. & seqq. qualem virgam gestare veterentur & permittantur, 163. a. & seqq.
DICITE, PAX HUIC DOMUI. Pacem cuilibet apprecari jubentur, 163. f. & pulverem de pedibus excutere, 164. c.
DIGNUS EST OPERARIUS MERCEDE SUA. Merces supponit meritum, 94. b.
CURATE INFIRMOS. Omnes credentes in primitiva Ecclesia patrabant miracula virtute Spiritus sancti, 441. f. Apostoli ungebant ægros, sed non sacramentaliter, 421. g.
APPROPINQUAVIT IN VOS REGNUM DEI. Regnum Dei quadruplex est, quod augeri in oratione petimus, 115. e. & seqq.
Evangelistæ sunt quatuor, 9. e. & seqq. quomodo in quatuor Cherubinis Ezechielis repræsententur, 9. g.
Evangelii præcellentia, 3. f. ejus auctor ac materia, 4. c. in eo traduntur omnia fidei mysteria, 5. c. d. ipsum est vitæ nostræ beatitudo, 6. g. h. cur vocetur margarita, 206. g.
Vide Indicem Rerum v. Evangelistæ. Evangelium.

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ APOSTOLORUM.

ET VOS PERSEQUENTUR. Animat suos Dominus ad mala sustinenda, 164. d. e.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

IN MONTEM. Cur hic in montem Christus ascenderit, 84. d. & seqq.
Octo beatitudines sunt octo mundi paradoxa, 85. c. d. earum præmium, ordo, connexio, 93. b. & seqq.
BEATI PAUPERES SPIRITU. Quinam sint pauperes spiritu 86. f. Spiritus hic tria significat, ibid. h. Pauperes fuere plurimi SS. Patres, 87. d. & seq. pauper est mundi dominus, ibid. h. Cur hæc paupertas sit prima inter beatitudines, ibid. a. hujus commendatio & elogium, 142. d. est propria via & instrumentum perfectionis Evangelicæ, 265. c. Perfectus omnia relinquit, 265. g.
BEATI MITES. Quæ mansuetudo beata dicatur, ejus effectus & gradus, 88. g. h. ejus acquirendæ media, 89. f. Quam terram mites possessuri dicantur, 89. a. c. & seqq.
BEATI QUI LUGENT. Quis sit beatus luctus, & quæ lugentium consolatio, 89. g. & seqq.
BEATI MUNDO CORDE. Quænam sit hæc mundities cordis, & quomodo comparetur, 91. e.
BEATI PACIFICI. Qui sint tales pacifici, & quomodo filii vocentur Dei, 92. a. & seqq.
QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. Vita Christiani est continua crux & exagitatio, 55. b. c. Quid sit propter justitiam, & quare id beatum censeatur, 92. h. Malorum tolerantia vincit malum & adversarium: ea subinde præcepti, subinde consilii est, 106. a. b. Paret se ad irrisiones, tribulationes & pressuram, qui esse vult Christi discipulus, 168. b. c. Crucem quisque habet & mortificationis materiam, 233. d. e.
Sancti aquilis assimilantur, 315. g. & seqq. cum Christo judicæ sententiam ferent, 268. g. & quidem in omnes homines, qui duodecim tribuum Israel nomine significantur, ibid. erunt in cælo post resurrectionem sicut angeli, 297. e.
Cælestis gloriæ descriptio, 89. b. Regnum cælorum quomodo vim

Digitized by Google

do vim patiatur, 177. a. & seq. cur thesauro comparetur, 296. a. f. non omnes parem in eo habebunt gloriam, 272. b. 273. g.
Vide Indicem Rerum v. Paupertas, Mansuetudo, Luctus, Munditiæ, Crux, Persecutio, Tribulatio, Cælum, Sancti, Beati.

IN COMMEMORAT. FIDEL. ANIMARUM.
Vide Indicem Rerum v. Mortui, Pontifex, Purgatorium.

IN FESTO S. MARTINI.
Vide notata in festo S. Nicolai, & in Communi Confessorum, Communi Pontificum, & Indicem Rerum v. S. Martinus.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG. ET MARTYR.
QUIA NESCITIS DIEM NEQUE HORAM. Christus in morte veniet inopinato & de repente ad instar furis, 321. b. hinc Sancti mortis horam semper præ oculis habuerunt, ibid.
Vide notata in Communi Virginum, & Indicem Rerum v. Virginitas, Virgo.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.
Apost. quo ordine sint vocati, 81. d. e. sunt piscatores hominum, 81. d. eorum electio, dignitas, tria munia, 157. a. b. & seq. cur sint numero duodecim, ibid. b. eorum ordo, 158. d. cur sint a Christo combinati, & cur plerique ejus fuerint consanguinei, 159. f. quæ iis præcepta dederit Dominus, 160. a. & seq. 161. b. & seq. 163. d. f. 164. d. 165. f. 166. d. 167. a. an semper mendicato vixerint, 161. e. & seq.
VOS ESTIS SAL TERRÆ. Sal terræ quomodo Apostoli sint, 94. d. & seqq. item lux mundi, 95. g. nec non lucernæ, 96. b. Ignis saliti quid sit. 429. b.
Vide Indicem Rerum v. Apostoli.
Evangelium facit Apostolos, 7. b. Jejunarunt Apostoli post mortem Christi, etsi illo vivente non tam frequenter, 151. b. 152. g. ungebant etiam ægros tempore vitæ Christi, sed non sacramentaliter, quasi oleo Extremæ unctionis, 421. g. & seqq.

IN COMMUNI PONTIFICUM.
Vide notata in Indice Rerum v. Episcopus, Pastor, Pontifex, Prælatus.
Episcopi sint fideles, vigilantes, prudentes, 321. e. f. eorum multi designati sunt indicio & advolatu columbæ, 69. e. f.

IN COMMUNI MARTYRUM.
IN PATIENTIA POSSIDEBITIS ANIMAS VESTRAS. Malorum tolerantia & patientia vincit malum & adversarium, 106. a. ea subinde præcepti, subinde consilii est, 106. a.
Martyres non sint solliciti quid apud præsides sint responsuri, 166. d. e. animam perdentes, invenerunt, 171. f. & seq. 234. a. sunt velut granum sinapis, 204. b. Christum crucifixum præ oculis habentes læti tormenta subjerunt, 381. c. d.
Quilibet potest esse Martyr seipsum vincendo, 165. b. Qui Christum coram tyrannis libere confitebitur, hunc Christus coram Deo & angelis profitebitur suum fuisse discipulum, 170. a. & seq. *Vide Indicem Rerum v.* Martyr, Martyrium.

IN COMMUNI DOCTORUM.
QUI DOCUERIT SIC HOMINES. Doctores velut stellæ sunt, & lucentes, & ad Christum ducentes, 47. e. prius ipsi opere præstent, quæ aliis edocere volunt, 97. g. b. sint velut fulgur vitæ sanctioris exemplo, & velut contra spiritus efficacia, 400. a.
UT VIDEANT OPERA VESTRA BONA. Quomodo ea abscondenda sint, & tamen ab aliis videri debeant. 96. d.
Vide Indicem Rerum v. Concionator, Prædicator, Doctor.

IN COMMUNI CONFESSORUM.
ABNEGET SEMETIPSUM. Abnegare seipsum quid sit, 332. a. b. Abnegationis definitio, 233. a. Quis sit ignis mortificationis, 430. a.
TOLLAT CRUCEM SUAM, Sua cuique crux toleranda & in humeros libenter sustollenda, 171. d. & seqq. Sic crucem post Christum bajulavit Simon Cyrenæus, 377. b. c. & seqq. Quisque suam crucem habet &, mortificationis materiam, 232. c.
JUGUM MEUM SUAVE EST, In quo illa suavitas sita sit, 183. g. & seqq.
Religiosi omnia propter Christum relinquunt, 265. g. h. propterea erunt etiam judices una cum Christo, 286. b. idque quatuor ob causas, ibid. d. & sedebunt: quid hæc sessio denoter, ibid. e. & seqq. Quod centuplum promittatur aliquid propter Christum relinquentibus, 269. d. e. 270. a. e.
Constitutiones Religiosorum omnes ex Evangelio depromptæ sunt, 7. f. *Vide Indicem Rerum v.* Mortificatio, Religiosi, Sacerdotes.

IN COMMUNI VIRGINUM.
INVENTA UNA PRETIOSA MARGARITA. Evangelium est margarita, item Christus,
Virginitatis & continentiæ donum est in hominis potestate, 261. g. & seqq. reddit illa nos angelis similes, 297. g. *Vide Indicem Rerum v.* Virginitas, Virgo, *& notata in festo S. Catharinæ.*

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ his in Lucam & Joannem Commentariis illustrantur, vel obiter explicantur.

Numerus paginam, littera adjuncta eas quæ columnis interpositæ sunt, designant.

EX GENESI.
Cap. 1. *v.* 1. IN principio creavit Deus cælum & terram, *pag.* 618. *litt. b.* & seqq.
2. 7. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem, 821. c.
4. 1. Possedi hominem per Deum, 620. f.
20. Pater habitantium in tentoriis, 711. e.
19. 24. Pluit Dominus a Domino, 784. c.
22. 15. Postquam adoraverimus, revertemur ad vos, 656. h.
41. 52. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, 741. g.
49. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, 717. b.
18. Salutare tuum expectabo Domine, 485. f. 548. d.

EX EXODO.
Cap. 5. *v.* 10. Non do vobis paleas, 592. b.
7. 1. Constitui te Deum Pharaonis, 729. e.
13. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, 483. c. d. e.
21. 13. Qui percusserit patrem aut matrem, morte moriatur, 684. f.
22. 28. Diis non maledices, 729. e.

EX LEVITICO.
26. 10. Populus videbat voces, 824. b.

EX NUMERIS.
Cap. 18. *v.* 17. Adipes adolebis in suavissimum odorem Domini, 744. c.
29. Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt, 744. c.
24. 17. Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, 470. d.

EX DEUTERONOMIO.
Cap. 15. *v.* 4. Mendicus non erit inter vos, 490. f.
27. 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit, 698. f.

EX LIBRO JOSUE.
Cap. 7. *v.* 19. Da gloriam Deo, 719. d.

EX LIBRO RUTH.
Cap. 1. *v.* 20. Ne me vocetis Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens, 513. a.

EX LIBRO II. REGUM.
Cap. 2. *v.* 4. Quod est verbum quod factum est? 480. h.

EX LIBRO III. REGUM.
Cap. 12. *v.* 16. Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai? 757. d.

EX LIBRO TOBIÆ.
Cap. 12. *v.* 19. Videbar quidem vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor, 612. e.

EX LIBRO JUDITH.
Cap. 16. *v.* 15. Respice ad nostram humilitatem, 463. e.

EX LIBRO ESTHER.
Cap. 15. *v.* 2. Memorare dierum humilitatis tuæ, 463. e.

EX LIBRO JOB.
Cap. 2. *v.* 4. Pellem pro pelle dabit homo, 627. f.
39. 1. Numquid parturientes cervas observasti? 792. a.

EX LIBRO PSALMORUM.
Psalm. 2. *v.* 9. Reges eos in virga ferrea, 829. f.
5. 13. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, 480. c.
15. 5. Dominus pars hæreditatis meæ, 537. b.
8. 2. Elevata est magnificentia tua super cælos, 461. b.
8. 6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, 729. e.
19. 4. Holocaustum tuum pingue fiat, 744. b. c.
21. 13. Tauri pingues obsederunt me, 606. c.
22. 1. Dominus regit me, 829. f.
35. 10. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, 718. a.
38. 14. Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, 503. e.
40. 10. Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, 758. f.
44. 3. Diffusa est gratia in labiis tuis, 493. f.
60. 9. Sic psalmum dicam tibi, 653. g. h.
65. 15. Holocausta medullata offeram tibi, 764. b.
68. 1. Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia, 805. a.
10. Zelus domus tuæ comedit me, 641. f.
81. 1. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat, 729. e.
6. Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes, 729. f. g.
84. 7. Deus tu conversus vivificabis nos. 601. f.
109. 4. Tecum principium in die virtutis tuæ, 707. a.
Ibid.

Digitized by Google

Ibid. Ex utero ante luciferum genui te, 629. a. & ſeqq. 695. c.
118. 18. Revela oculos meos, 485. g.
96. Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, 753. c.
131. 61. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, 498. e.
132. 1. Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum, 513. a.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

Cap. 5. v. 16. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide, 696. b.
8. 15. Per me reges regnant, 621. f. g.
22. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio, 707. a.
23. 11. Propter gratiam labiorum ſuorum amicum habebit regem, 493. b.

EX ECCLESIASTE.

Cap. 10. v. 12. Verba oris ſapientis, gratia, 493. f.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap. 2. v. 4. Ordinavit in me charitatem, 521. g.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 6. v. 8. Æqualiter eſt illi cura de omnibus, 554. a.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 24. v. 29. Qui bibent me, adhuc ſitient, 655. f.
48. 1. Et ſurrexit Elias propheta quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat, 551. d.

EX ISAIA.

Cap. 4. v. 2. In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, 470. d. e.
6. 10. Excæca cor populi hujus & aures ejus aggrava, ut videntes non videant, 751. b.
11. 10. In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, &c. 486. g. h.
29. 1. Væ Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David, &c. Et circumvallabo Ariel, & erit triſtis & mœrens, & erit mihi quaſi Ariel, 595. c.
40. 3. Ego vox clamantis in deſerto, 630. e.
41. 18. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum, 697. a.
44. 3. Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, 697. a.
28. Qui dico Cyro, Paſtor meus es, 829. f.
53. 1. Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? 750. g. h.
7. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutueſcet, & non aperiet os ſuum, 631. c. d.
8. Generationem ejus quis enarrabit? 695. c.
54. 13. Univerſos filios doctos a Domino, 680. g.
58. 11. Et eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ, 696. b.
60. 15. Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, 831. f.
61. 1. Spiritus Domini ſuper me, &c. ut conſolarer omnes lugentes, 402. b. & ſeq.
6. Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis, 831. f.
66. 19. Et ponam in eis ſignum, 613. d.

EX JEREMIA.

Cap. 1. v. 5. Antequam exires de vulva, ſanctificavi te, 730. a.
11. 19. Et ego quaſi agnus qui portatur ad victimam, 631. d.
14. 8. Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? 626. b.
17. 1. Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, 701. b.
18. 17. Sicut ventus urens diſpergam eos coram inimico: dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum, 701. a.

EX THRENIS.

Cap. 3. v. 24. Pars mea Dominus, propterea exſpectabo eum, 537. b.

EX EZECHIELE.

Cap. 1. v. 12. Non revertebantur cum incedebant, ſed unumquodque coram facie ſua gradiebatur, 528. a.
34. 23. Suſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem, &c. 724. g.

EX JOELE.

Cap. 2. v. 28. Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, &c. 696. b.

EX AMOS.

Cap. 5. v. 28. Ideo prudens in tempore illo tacebit, 517. f.

EX MICHÆA.

Cap. 3. v. 2. Egreſſus ejus a diebus æternitatis, 695. c.

EX ZACHARIA.

Cap. 3. v. 8. Ecce ego adducam ſervum meum Orientem, 470. d.
6. 12. Ecce vir, Oriens nomen ejus, 470. d. e. h.

EX MALACHIA.

Cap. 3. v. 1. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, 630. d.
4. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Propheram, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, 630. d.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. 3. v. 11. Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni, 644. d.
16. 17. Caro & ſanguis non revelabit tibi, &c. 688. c.
18. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, 633. e.
19. 12. Qui poteſt capere capiat, 710. e.
28. Vos qui ſecuti eſtis me, &c. ſedebitis ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael, 532. e.
26. 18. Apud te facio Paſcha, 592. b.

EX S. MARCO.

Cap. 8. v. 31. Oportet filium hominis, &c. & poſt tres dies reſurgere, 612. b.
15. 25. Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum, 810. b.
16. 11. Poſt hæc autem duobus ex illis ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie euntibus in villam, 607. f.

EX S. LUCA.

Cap. 1. v. 37. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, 480. h.
2. 21. Poſtquam conſummati ſunt dies octo, 490. e.
3. 23. Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, 473. g. 474. a.
4. 22. Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, 493. f.
9. 27. Sunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei, 833. f.
10. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus, 518. a.
13. 12. Mulier dimiſſa es ab infirmitate, 503. e.
23. 58. O homo non ſum, 543. h.

EX S. JOANNE.

Cap. 1. v. 3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, 616. a.
14. Vidimus gloriam ejus gloriam quaſi unigeniti, 615. g.
20. Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus, 616. a.
2. 11. Et crediderunt in eum diſcipuli ejus, 615. h.
6. 36. Sed dixi vobis; quia & vidiſtis me & non creditis, 616. c.
11. 12. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis, 514. e.
15. Gaudeo propter vos ut credatis, 616. a.
18. Magiſter adeſt & vocat te, 616. b.
12. 19. Ecce totus mundus poſt ipſum abiit, 835. c.
38. Non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ impleretur, 615. e. 749. f. g.
39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcavit oculos eorum, 749. h.
50. Scio quia mandatum ejus vita æterna eſt, 797. g.
16. 6. Domine tu mihi lavas pedes? 615. b.
17. 3. Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, 651. b.
19. 31. Erat enim magnus dies ille ſabbati, 509. a.
20. 17. Noli me tangere, 615. b.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

Cap. 3. v. 6. Argentum & aurum non eſt mihi, 683. f.
8. 16. Eunuchus Candacis, &c. venerat adorare in Jeruſalem, 656. b.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 1. v. 9. Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo, 657. f.
9. 7. Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto, 830. b.
13. Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, 562. d.

EX EPIST. I. AD CORINTHIOS.

Cap. 1. v. 9. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis, &c. 620. g.
15. 28. Tunc & Filius ſubjectus erit Patri, 491. g.

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap. 3. v. 6. Littera occidit, ſpiritus autem vivificat, 688. c.
7. 11. Quantam operatur in vobis ſollicitudinem, ad defenſionem, 786. b.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. v. 1. Reformabit corpus humilitatis noſtræ, 463. b. c. 548. b.

EX EPIST. I. AD TIMOTHEUM.

Cap. 2. v. 16. Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, 476. c.

EX EPIST. CATHOLICA S. JACOBI.

Cap. 1. b. 17. Religio munda apud Deum & Patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos, 493. f.

EX II. EPIST. S. PETRI.

Cap. 3. v. 3. Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Ubi eſt promiſſio aut adventus ejus? 587. c. d.

EX EPISTOLA I. S. JOANNIS.

Cap. 5. v. 4. Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra, 797. g.

EX APOCALYPSI S. JOANNIS.

Cap. 3. v. 14. Hæc dicit Amen, teſtis fidelis & verus, 643. b.
10. 11. Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis. 833. a.
21. 6. Ego ſum alpha & omega. 536. c.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
Quæ his in Lucam & Joannem Commentariis continentur.

Abeuntes, benedicamus iis a quibus abimus, *pag.* 643. *e.*
Abiæ classis erat octava inter sacerdotales, 445. *b.* 446. *f. g.*
Abilina regio unde dicta, & ejus situs, 495. *f.* & seqq.
Abraham fuit pater Israelitarum, eique facta promissio de Christo ex ejus semine nascituro, 469. *c. d.* ejus hospitalitas, 575. *b.* Epulonis compassione non movebatur, 577. *e.* ejus stirpe gloriabantur Judæi, 708. *f.* 709. *d. g.* eo major erat Christus, 713. *b. c.* 714. *d.* optavit videre Christum incarnatum, & mundum per eum redemptum, 713. *b.* 714. *a.* quomodo ejus diem viderit, idque e limbo, ibid. *b. c.* 714. *b.* & seqq. corpore mortuus, vivebat anima, 713. *b. c.* fuit ei revelatum mysterium SS. Trinitatis, ibid. *h.* ad diem natalem Christi per duo annorum millia anhelavit, 714. *c.* Abrahæ sinus quis sit, 575. *h.*
Abrahami Eremitæ mansuetudo barbaros edomuit, 725. *b.*
Absolutio nequit impendi super materiam incertam, 484. *a.* quomodo ea detur pœnitenti jam justificato per contritionem, 518. *g.*
Abstinentia a potu remedium est hydropis, 559. *b.*
Accumbebant prisci mensæ in lectis, 515. *e.* 760. *a. b.*
Actiones nostræ in se præcise spectatæ, inutiles sunt ad promerendam Dei gratiam & gloriam, 581. *e.* omnem valoris dignitatem habent a gratia & promissione Dei, ibid. in iis cælestia spectanda sunt, 630. *a.* earum Deus principium & finis est, 707. *b.* sunt agendæ duce Christo & cum Christo, 675. *g.* actiones sunt suppositorum & personarum, 625. *a.* 711. *b.* actiones Christi ut Dei & hominis erant triplices: aliæ divinæ, aliæ humanæ puri hominis, aliæ theandricæ, quæ erant Dei viriles, 491. *d.* 835. *d.* & seqq. eæ scribi non possent omnes, 835. *d. e.* & seqq.
Activæ vitæ typus est S. Petrus, 834. *f.* ea postponitur contemplativæ, 536. *h.* & seq. illius actus, 537. *f. g.* sternit viam ad contemplativam, ibid. *h.*
Actus etiam minimi bene agendi, 755. *g.*
Adam denotatur in homine qui descendit ex Jerusalem in Jericho & vulneratus est, 534. *a.* omnes parabolæ partes huic adaptantur, ib. & seqq. per peccatum spoliatus est bonis gratuitis, & vulneratus in naturalibus, ibib. *c.* ex eo sunt omnes homines prognati, 629. *b.* cur is Dei fuisse dicatur, 500. *b.* & seqq. nominis ejus litteræ quatuor orbis climata symbolice denotant, 642. *b.*
præsides Judææ dicti sunt Administratores, 495. *a. b.*
Adolescens in Naim a Domino vitæ redditur, 513. *f. g.*
Adolescentia libera, stulta, inconstans est, 566. *b.*
Adommim vel Adammim erat locus inter Jerusalem & Jericho latrociniis infestus, 533. *b.* ejus descriptio, ibid.
Adoratio significat omnem Dei cultum, 720. *d. e. f.* quæ sit adoratio in spiritu & veritate, 657. *e. f.* & seqq.
Adventum Christi ad judicium bonis operibus nos exspectare oportet, 548. *g. h.* & seqq. & semper, 549. *d.* erit hic instar fulguris, 584. *a. b.*
Adulteræ apud Judæos lapidabantur, 700. *e. f.* adultera absolvitur a Christo tum in foro poli, tum in fori foro, 700. *b. e.* inspiravit ei Christus contritionem de peccatis, ibid. *c.*
Adulterium multæ gentes morte plectebant, 700. *e.*
Ægrotis potius serviendum subinde quam pietati, 819. *h.*
Ægyptii pingebant Deum quasi circulum, 803. *a.* cadavera mira arte deficcabant, 816. *a.*
Ægyptus lepræ est obnoxia ob calores ingentes, 582. *b.* quo tempore Dominus in Ægyptum fugerit, 489. *f.*
Æmon oppidum ubi situm, unde dictum, 649. *b.*
Æra Hispanica XXXVIII. annis præcedit annos Christi, 625. *b.*
cur Æternitati detur principium, 618. *f.* est ipsa ab homine incomprehensibilis, ibid. est initium sine initio, ibid. ejus erebra meditatio stimulus est ad virtutem, 752. *d.* æternitas supplitiorum infernalium, 598. *d. e.* æternitas Dei, 714. *f.*
Affectus inordinati erga terrena sunt mortificandi, 756. *e. f.* 757. *g.*
Afflictiones nos ad Deum confugere faciunt, 777. *a.*
ἀγωνιάω dicitur quasi ἀγάγω, idest admiror vehementer, 461. *g. h.*
S. Agatha virgo in tormentis gavisa est, quin & ea ambiuit, 552. *d.*
ἅγιος, id est sanctus dicitur ab ἅζω, id est colo, 464. *b.* quis dicatur ἅγιος, ibid. 465. *c.*
Agnus vocatur Christus & cur, 691. *d.* & quidem agnus Dei, ibid. 632. *b.* nuptiæ Agni perficientur in cælo, 640. *g.* agni significant fideles, 829. *f.*
Agonia Christi in horto unde orta sit, 691. *h.*
ἀγωνιάω duplicis est significationis, 478. *f.*
Ain hebr. tam fontem quam oculum significat, 718. *a.*
Alapa Christo a ministro impingitur, 806. *h.*
Alexidemi factus, 559. *g. h.*
Alfonsi Tostati error quoad derivationem nominis scenopegiæ, 691. *e.*
Aliena quam propria diligentius curantur & custodiuntur, 574. *a. b.*
Alimentum debetur prædicatoribus, 530. *f.*
ἀλάβαστος derivari potest vel a λοχεύω vel a λόχια, vel λοχεῖα: quid utrumque significet quoad purissimum Virginis partum, 482. *h.*
Alphæus, qui & Cleophas, fuit pater SS. Judæ & Jacobi Minoris Apostolorum, & Salomes, per quam fuit avus S. Jacobi Majoris, & S. Joannis Apost. 608. *g.* fuit Martyr, ibid. *Vide* Cleophas.
Altare est velut præsepe, in quo per consecrationem Christus quasi nascitur & immolatur, 477. *d.* olim altaria erigebantur super sepulchra Martyrum, 513. *a.* altare thymiamatis non erat in Sancto sanctorum, sed in Sancto, 446. *h.*
Amantes cito senescunt, 569. *h.* amanti defectum amati vel verbo indicare satis est, 638. *a.*
Ambitio dedecet in omni re, 559. *d.* ambitio Pharisæorum, ibidem.
cur *Amen*, *amen* Joannes ingeminet, 615. *b.* & seqq. 643. *f. g.* & seqq. *amen* quid significet; partim nomen, partim adverbium est, 643. *b.*
pro Amico vitam ponere maximus est amicitiæ actus, 781. *a.* amicos Christus multos habet ob bona quæ ab eo accipiunt, 676. *b.*
Amo & *diligo* qui differant, 819. *e.*
in Amore servandus est ordo charitatis, 533. *a. b.* amoris emblema, 520. *a. b.* amor in hominibus descendit, non ascendit, 647. *g.* amor Dei perficietur in cælo, 537. *c.* hic docet amorem proximi, 763. *f. g.* per eum unimur Deo arctissime, 801. *h.* ejus emphasis, 647. *d.* quomodo hic sit circularis & in orbem eat, 803. *a. b.* amantem transfert in amatum, ibid. amor Patris erga Christum est causa cur ipse fideles diligat, & ipsi illum, 736. *c. d.* amor vehemens Christi erga nos, 601. *d.* 615. *f.* 763. *b. e.* amor Christi erga suos circa extremum erat summus, 795. *a. d.* qui amor Deiparæ erga filium major erat quam sit aliarum matrum erga suos, 475. *d.* hic fuit velut gladius quo anima ejus sauciata fuit, 438. *b.* amor S. Petri erga Dominum, 829. *d. e.* & seqq. quomodo hic a Domino exploretur, 830. *d. e.* & seqq. *vide* Charitas, Dilectio.
Amplexus signa sunt veniæ, amoris, gaudii, 508. *h.*
ἀν aliquando vertitur *forsitan*, 654. *d.*
ἀνατολὴ tam ad solem, quam ad germen refertur, 470. *c. e. g. h.* & seq.
S. Andreas crucem ardenter expetivit, 552. *d.* 831. *d.* quam ardenter Christum audierit, 633. *a.* etiam fratrem suum Simonem ad eum adducit, ibid. an fuerit eo senior, incertum, ib. *a.* exarsit desiderio videndi Messiæ, ibid. *c.* maximæ inter reliquos Apostolos erat auctoritatis, 746. *b.*
Angelus bonus apparens initio terret, deinde exhilarat; contra malus, 447. *d.* 479. *e.* angelus Joannis Baptist. curam in deserto suscepit, 471. *f.* angelus pastores nato Christo compellans, qualiter iis apparuerit, & quis fuerit, 479. *a.* angelus Christo oranti in horto apparens, tantum in ultima oratione apparuit, confortans eum, 601. *d. e.* quis fuerit hic angelus, ibid. *e.* quomodo eum confortarit, ib. *f.* quis angelus certo tempore aquam piscinæ moverit, 664. *e.*
Angeli adstant sacrificio & orantibus, 447. *a.* existentes in terra etiam adstant Deo, 449. *b.* omnia corpora penetrant & pervadunt, 451. *a.* Deum contemplantur admirantes, & admirando ejus dulcedine & bonitate perfruuntur, 462. *a. b.* Christum recens natum adorarunt, & missi sunt, 476. *b.* idque magno numero, 479. *b.* gaudent de conversione peccatoris, 565. *e. h.* 568. *b.* 569. *e.* revera non edunt, etsi edere videantur, 612. *d.* animas in cælum conducunt, 575. *f.* parent Christo ad nutum, 635. *d.* quia ipse eorum est dominus, ibid. *d.* quomodo & quando visi ad eum descendisse, & ascendisse, ibid. *b.* cur ea visio facta sit, ibid. solabantur animas patrum limbo detentas, 714. *c. d.* cur vocentur *elohim*, 729. *a.* an dixerint a S. Joanne secreta Verbi incarnati, 614. *g.* angeli tres in Script. nominantur, eorumque munia, 450. *c.*
Angliæ conversio S. Gregorio debetur, 749. *c.*
Anima & spiritus in homine quomodo differant, 462. *a. f.* anima non est corporea, 577. *b.* nec habet similacra membrorum, ibid. *c.* quomodo in corpus ingrediatur, & eo egrediatur: quæ vult corpora animat, 645. *a.* est Adamo indita per spiraculum, 821. *f. g.* anima per viduam flentem ob filium denotatur, 514. *b.* eam possidet patiens, 597. *f.* animam perdens, amat eam; eam odiens, custodit, 746. *g.* eam pro amico ponere est maxima omnium charitas, 781. *a. b.* ejus conversio est partus difficilis, 792. *a.* anima per virtutes templum sibi fabricat, 642. *c.* vere animam humanam Christus habuit 726. *b.* eam moriens in manus Patris commendavit, 601. *b.* quomodo eam pro ovibus posuerit, 726. *d.* anima sancta in Christi sponsa, 637. *e. d.* quomodo a S. Trinitate inhabitetur, 772. *c. d.* fit templum Dei & cælum, ibid. *d.*
Animæ non fuerunt ante corpora, 716. *c.* 720. *b.* earum immortalitatem credebant Judæi, 725. *d.* animæ damnatorum sentiunt in se in gehenna tormenta, quæ sentirent in corpore si illud haberent, 577. *c.* & seqq. animæ ab angelis in cælum deducuntur, 575. *f.* animæ Sanctorum a morte sua vident Deum, 605. *g.* animæ defunctorum quomodo viventibus appareant, 578. *h.*
Animalium cornutorum robur situm in cornibus, 468. *g.*
Anna idem est quod gratia, 488. *f.* & seq.
S. Anna socrus fuit S. Josephi, & soror Jacob patris ejus, ergo ejus amita, 498. *f. g.*

Anna

Digitized by Google

Anna vidua prophetissa erat, & doctrix juvencularum, 388. g. h. ejus elogium, ib. h. ejus triplex castitas: frequentabat assidue templum, ib. & seq. ejus jejunia & obsecrationes, 489. b. de Christo honorifice loquebatur, ibid. d.
Annas pontifex summae erat auctoritatis apud Judaeos, 496. a. cur ad eum Christus primum ductus sit, 806. f. g.
Annulus aureus index est hominis liberi, 569. b. quid mystice denotet, ibid. c. d.
Annus jubilei est annus remissionis, 503. f. quo anno Augusti natus sit Christus, 473. h. & seq. anni Juliani quando incipiant, ibid. anni XLVI. aedificationis templi, quomodo sint computandi, 641. e. f. & seqq. quo anno sint celebratae nuptiae in Cana Galilaeae, 636. b. & seqq.
ἄνωθεν significat & superne, & iterum, 644. e. b.
S. Anselmus oculis corporeis vidit, quae trans murum agebantur, 714. e.
Anselmus Laodunensis auctor Glossae interlinearis, quando floruerit, 616. g.
ἄνω Graecum quid significet, 627. b. 628. a.
Antichristus habebit daemonem assessorem, 711. f. eum Judaei avide accipient, 673. b.
Antigonus rex Macedonum multum promittebat, nihil dabat, 511. e. f.
S. Antonii ad suos ultima verba, 762. d.
Aperta Judaeorum Christum in horto comprehendere volentium, 806. a.
Apertio, vocatur caecorum illuminatio, 503. b.
Apocalypsis S. Joannis est continua prophetia, 789. d.
Apollinarius docebat corpus Christi esse divinitati consubstantiale, 481. f. & animam Christi Verbi divinitatem, 614. b. 615. b. 726. b.
Apologesis Christi in sua deploratione super Jerusalem, 594. g. & seqq.
Apostoli erant piscatores, 506. g. evangelizantes uno loco repulsam passi, jubentur silentes alium adire, 527. e. & ire per orbem bini, & quare, 529. f. & seq. cur dicantur pusillus grex, 545. g. cur timere non debeant ne quid ipsis desit, ibidem. h. gaudebant in tribulationibus, easque superabant accensi Dei amore, 551. c. erant Galilaei & proinde ignobiles, 633. e. hinc & insimulati sectae Galilaeorum, 553. g. eorum munia, 548. a. sale doctrinae & sanctitatis mundum salire debebant, 563. f. eorum fides adaucta est in Pentecoste misso in eos Spiritu sancto, 580. f. erunt primores regni Christi, 600. e. cur instante passione jubeantur sumere saeculum, peram & gladium, 601. b. an post resurrectionem tetigerint manus & pedes Christi perforatos, 611. g. quomodo de ejus resurrectione dubitarint, & eam crederent, ib. h. & seq. eorum frugalitas, ibidem, 827. c. cur gauderent Christo in caelos elevato, 613. e. f. quomodo semper essent in templo, ibidem. e. quando vocati & creati sint, cum prius essent discipuli, 648. g. sunt velut messores, 660. d. e. g. unde cognoverint Christum esse filium Dei vivi, 689. c. d. fuerunt veri pastores fidelium, 725. e. f. mercedem cum Christo in Judaeam abire, 732. g. h. sed ipse eos animat, 733. b. c. possidebant bona in communi, 745. a. b. fuere a Christo baptizati ante ejus mortem, 757. h. 758. e. quomodo non potuerint venire quo ipse abiret, 762. f. quomodo iis electis sedes & mansio a Christo praeparanda dicatur, 765. f. g. quomodo in eo Deum Patrem cognoverunt, 767. d. e. ipsi plures homines converterunt, quam Christus, 769. e. cur eos majora opera facere permiserit, quam ipse fecerit, ibidem. c. d. promittit se eos non relicturum orphanos, 770. b. & eos suo discessu moestos solatur, 773. a. b. c. e. 774. a. b. f. quomodo sint per ejus verba purgati, 777. d. e. quomodo eos dilexerit, 779. d. & seqq. pro Evangelio vitam impenderunt, ibidem. d. cur se invicem amare deberent, 780. b. c. quomodo non sint, & sint, Christi servi, sed amici, 781. e. f. gratis prae aliis hominibus a Christo sunt electi, 782. b. c. & seqq. monentur ab eo instantis persecutionis, 782. h. 785. f. 786. a. 787. b. & odii mundanorum, 783. b. dicentur a Gentibus mactandi ut victima, 786. b. quomodo diabolum profligarint, 788. e. f. quomodo non omnia a Christo dicenda, tunc potuerint portare, ibidem, & seqq. etiam Prophetae fuerunt, 789. d. cur eorum dolor absente Christo comparetur dolori parturientis, 791. e. f. erant a Deo praedestinati, 799. f. pro iis solis oravit Christus ante passionem, ibidem. f. g. post adventum Spiritus sancti fuere in gratia confirmati, 800. e. omnes fuere Martyres, 801. a. eorum sanctitas, ibidem. b. c. cur eos Christus a Judaeis in horto tangi noluerit, 806. c. & seqq. Christo vivo non intelligebant Scripturas de ipsius resurrectione loquentes, 817. e. ab eo sic sunt missi sicut ipse a Patre missus est, quo sensu, 821. d. e. & seqq. omnes ab eo sunt creati Episcopi, & quando, ibidem. d. data iis potestas remittendi peccata, 822. c. & seqq. in ejus passione fuere hinc inde dispersi, 823. f. post ejus resurrectionem abiere in Galilaeam, 826. d. e. cur piscati ibi sint, ibidem. g. post Pentecosten amplius non sunt piscati, ibid. g. h. cum Christum non sint ausi interrogare quis esset post eum agnitum in captura piscium, 829. a. cur vocet eos Dominus fratres, 601. a. 820 a. b. c. omnes fuere mortui ante excidium urbis, excepto Joanne, 834. c. Apostoli caeteri fuere S. Petro subjecti, ceu oves, 829. h. & seqq.
Apostolici viri quomodo in hospitiis se gerant, 525. a. sitiunt cruces & tormenta, strenue in vinea Domini usque ad mortem laborent, 557. d. e. miracula parantes iis non glorientur, 581. a. b. possint vivere ex Evangelio, 530. f. non sint de cibis solliciti, 659. g. cibus eorum est conversio animarum, ibidem. h. & seqq. eos recipiens & bene habens, Christum recipit, & in eo Deum Patrem, 759. a. b. *Vide* Apostoli.
Aquae etymon, 654. f. variae ejus proprietates & effectus, ibidem. 659. a. ejus & gratiae analogiae, 654. e. f. 655. e. est materia baptismi, 644. e. cur admisceatur vino in Missa, 819. c. quomodo per tubos e fonte aeclesiae, 655. a. & aquae in vinum mutatae miraculum quotannis renovatum ait Epiphanius, 636. g. haec mutatio an fuerit primum Christi miraculum, 640. b. quae ejus causa litteralis, symbolica, allegorica, ibid. c. d. & tropologice, ibidem. e. cur aqua tempore Paschali ex arido fonte lapideo in nonnullis locis Occidentis prorumpat, 637. a. quando aqua piscinae ab angelo moveretur, 664. c. d. an ea haberet vim sanandi, ibidem. e. aquae Jordanis & Siloe quare sint salutares, ex quo Christus eas tetigit, 718. c. quae dicantur aquae vivae, quae mortuae, 654. e. b. aqua viva spiritualis quinquiplex est, 697. d. aqua & sanguis quomodo e Christi latere & qua parte effluxerint, 814. f. & seqq. & quidem simul, & non naturaliter, ibid. g. b.
Ara exili quis Romae locus sit, 473. e. f.
Arbitrium habet aliquam partem in opere bono, 594. a. ipsum contra Calvinum in gratia admittenda, vel repudianda astruitur, 624. c. d. 679. b. c. b. & seqq. 778. a. & seqq. ejus cooperatio est a gratia Dei, 778. b. c. id non amittitur peccando, 766. b. c.
Arbor in Aegypto juxta Hermopolim salubris describitur, 608. a.
Archangelus mortuos omnes in fine mundi suscitaturus voce magna inclamabit, 738. b.
ἀρχὴ tam principium quam principatum significat, 707. a.
Archelaus quamdiu regnavit: cur ab illo sibi Christus metueret, 474. c. d. cur ab Augusto tetrarchia sua dejectus, & in exilium pulsus sit, & quando, ib. d. e. 495. a.
Archisynagogus invidia ductus, factum Christi in sabbato mulierem sanantis carpit, 516. b. & seq.
Architriclini quod esset officium in conviviis, 639. e. f. quomodo probarit vinum a Christo ex aqua conversum, 639. g. h.
Ariani negabant Verbum, id est Dei Filium, esse Deum, 619. b. & seqq. eum docebant Patre esse minorem, 733. d. e. & seqq. 776. f. g. & ab eo in substantia differre, 790. b. 798. b.
quid Arundo Christo in manus tradita significet, 809. f. g.
As, vel assarius, erat nummus aereus, decima denarii pars, 543. f. g.
Ascensus Christi in caelum ostendebat eum e caelo descendisse, 687. e. hic fuit causa dandi Spiritus sancti. 697. e. f.
Aser tribus quieta, robusta, dives, annosa erat, 488. h.
Aspectus Christi est efficax & operosus, 591. f. 592.
cur Assumptio vocetur Christi ascensio, 526. f.
S. Athanasii Alexandrini Episcop. elogium, 671. a.
cur Athletae lumbos praecingant, 547. a. b.
Atrium templi duplex erat, 447. a. unum interius pro sacerdotibus, alterum extimum pro laicis, 727. h. & seqq. utrumque habebat circumquaque porticus superne tectas, ibid.
Attributa in Deo in re idem sunt cum essentia ejus divina, 670. c.
Attritio & contritio qui differant, 519. a. b.
Avaritia cavenda ut causa omnis mali, 639. g. h.
Avarus quo plus habet, eo plus torquetur, 544. c. d. est hydropicus, 558. h. & seq.
Auctaria habebant miracula Christi, 665. e.
Audire & *videre* in divinis est idem, 670. a.
Auditores jure naturali & divino tenentur alere suos doctores, 530. f. g.
Auditus pro praedicatione sumitur interdum, 750. g.
Ave quid sit, & unde formetur, 451. a. erat olim matutina salutatio, ibid. b. c.
S. Augustinus solus cum foeminis agere nolebat, 529. h. 819. g.
CXXIV. tractatus in Joannem scripsit, 616. f. saepe sensu litterali leviter insinuato, inhaeret mystico & spiritali, 682. a. b.
S. Augustinus alius a S. Gregorio missus, Angliam convertit, 507. a.
Augustini Marlorati Catena in Joannem consarcinata est ex interpretibus haereticis, 616. h.
Augustus orbem pene totum sub suo habuit imperio, 466. c. cur eum describi edixerit. 473. d. unde dictus sit Augustus, ibidem, an B. Virginem in Capitolio viderit, ibidem. e. f. Judaeae tetrarchiam adjecit ad Syriae praesidis provinciam, 495. a.
Aurelianus Imp. quae monita dederit vicario suo, 497. a.
Aureus Romanus continet X. Julios, 482. e.
Auxiliatur Deus rebus jam maxime afflictis, 735. a. b.
in Azymo consecravit Christus, non in fermentato, ut docent & faciunt Graeci, 754. b. c. dies azymorum quando inciperet, ibidem.

B.

Bajuli ut fortes sint ad onera portanda lumbos praecingunt, 547. b.
Baptismus cur dicatur illuminatio, 718. a. eo Christus non eguit, ut peccata expiaret, 631. f. in eo spiritualiter renascimur, 644. c. d. ejus materia est aqua, ibid. e. ejus votum indefectu baptizantis vel aquae sufficit, ibid. f. g. quando eum Christus instituerit, ib. g. non obligavit nisi post mortem ejus in Pentecoste, ib. g. h. ante eam tamen vim habebat expiandi peccata, 648. g. h. ejus forma quae fuerit, 649. a. jam omnes obligat, & est ad salutem necessarius, non tamen parvuli eo obligantur, 638. d. ab haeretico collatus, est validus, 719. h. non debet ei praemitti pedum ablutio, 756. d. e. f. h. 757. a. est duplex, aquae & sanguinis, 818. e. f. baptismus Joannis disponebat ad baptismum Christi, 630. h. cur Christus mortem suam vocet baptismum, 552. a. b.
Baptizati soli capaces sunt Eucharistiae. 757. b.
Barchosba impostor seduxit Judaeos sub Imperatore Adriano, 673. c.
S. Bartholomaeus idem videtur fuisse cum Nathanaele, 634. b.
Basilica Sancti Petri Romae quotidie renovatur & expolitur, 642. a.
S. Basilius Athenis non noverat nisi duas plateas, unam ad templum, alteram ad scholam ducentem, 490. e. ei

Digitized by Google

cælum patria erat, 504. f. ejus vox erat contra, quia vita fulgur, 671. b. 681. d.
Datus quæ esset mensura, 572. b. 639. b. c.
Beatitudinem in quo Gentiles philosophi ponerent, 807. g. beatitudo æterna pacis nomine denotatur, 491. d. apte vocatur cœna, 560. g. & quidem cœna magna, ibidem. h. cur S. Lucas quatuor tantum beatitudines Evangelicas ponat, Matthæus octo. 509. g. h.
Beati fruentes Deo, ejusque opibus sunt divites Deo, 545. c. semper vident damnatos in tormentis, 576. f. tamen eos juvare nec possunt, nec volunt, 577. d. similes sunt angelis, quia non nubunt, nec generant, 596. e. sunt filii Dei, ibid. quomodo sint filii resurrectionis, ibid. f. sunt impeccabiles, 711. g. 774. c. d. possunt se subito reddere invisibiles, 713. g. mutant se & sua corpora prout volunt, & prout necessitas exigit eorum quibus apparent, 824. d. in Deum non transformabuntur, 798. b. c. iis omnia bona & gaudia sunt communia, 570. d. e. Vide Sancti.
Ven. Beda Augustinum passim, & subinde ad verbum, consectatur, 616. f.
Begardi docebant perfectos non obligari ad bona opera, 777. b. c.
Belgæ osculo excipiunt hospites, 518. d. e.
Christus Benedicens signum crucis formabat super eos quibus benedicebat, 613. d.
Benedicta est B. Virgo in mulieribus, 453. d. & seq.
Benedictio panis a Domino in Emmaus facta, fuit consecratio Eucharistiæ, 610. b.
via S. Benedicti in cælum euntis, 767. e.
ad Beneficia Ecclesiastica variis portis acceditur, 722. g.
S. Bernardus dum de verbo incarnato agit, totus melleus est, 476. f. g. quid post mortem apparens dixerit, 767. b. c.
Bethabaræ & Bethaniæ etymon: videtur unus & idem fuisse locus vel vicinus unus alteri: alia est Bethania Marthæ & Lazari, 631. a. cur in Bethabara Joannes baptizaret, ib. a. b. & ibi multi crederent in Christum, 730. d.
Bethaniæ significata & etyma, 631. a. erat Marthæ & Mariæ habitatio, ib. a. b. quantum distaret a Jerusalem, 734. e. cur illuc venerit Jesus paulo ante mortem, 743. b. c.
Bethlehem terra Judæ quantum distaret a Nazareth & Jerusalem, 475. a. & seqq. in ea nascitur Christus, 475. a. b. 634. d. e. unum tantum habebat diversorium, 478. e.
Bethsaida urbs erat juxta mare Galilææ, vicina Capharnaos: erat patria Apostolorum, 633. h. nominis ejus etymon, 634. d. Bethsaida item dicta est piscina Probatica, vel Bethseda, vel Bethchesda, & singulorum etyma & significationes, 664. a. b.
cur Apostoli per orbem ire jubeantur bini, 529. e. f. & seqq. binarius numerus sæpe invenitur in factis Apostolorum, 530. b. binarii figuræ, ibid. c.
Bissexti anni sunt omnes centesimi, 474. b.
Blasphemi lapidibus obrui solent, vel in saxa præcipitari, 505. d. 714. g.
Boccale continet IV. libras & IV. uncias, 639. d.
Bonum infinitum est Deus, 767. g. bonum in nullo prohibendum a quocumque fiat, 526. e. bonis præsentibus & futuris frui, est perdifficile, 510. c. d. bona in communi habere non derogat perfectioni Religiosæ, 745. a. & seqq.
Bonus, olim proprium epithetum erat regis, 599. h.
Bos & asinus ad præsepe Domini fuere, 478. a.
Botta Romana continet CCLVI. boccales, 639. c.
Brachium est symbolum potentiæ & roboris, 465. f. cur brachium Domini vocetur Christus, 750. h.
Brassica viti est inimica, 775. g. h.
Buccella Judæ data an fuerit Eucharistia, an & post eam acceptam statim egressus sit, 759. f. 760. d.
Burgundiones dicti a burgis, id est turribus & arcibus, in quibus degebant, 562. g.

C

CAchinni illiciti sunt, 510. f.
Cadavera suspensorum ante solis occasum de cruce deponi debebant, 813. h.
Cadus quæ esset mensura, 572. b.
S. Cæcilia omnia mundi blandimenta Christi amore contempsit, 548. c. sua oratione multa promeruit, 585. d. gaudia futuræ vitæ præposuit præsentibus, 791. b. c.
Cæcitas a nativitate ægre curatur, secus accidentalis, 715. g. h. & seq.
cur Cæci dicantur vincti, seu clausi, 503. b.
Cæcus natus & a Christo curatus, quomodo vocatus sit, 715. g. & seq. cur ei cæcitas immissa, 716. d. est illuminatus per sputum, 717. a. b. cur ad fontem Siloe missus sit, ibidem. f. in eo ablutus vidit, 718. c. d. ejus fides & obedientia, ibid. unde sciverit nomen Christi esse Jesum, ibidem. f. cur ad Pharisæos sit adductus, ibidem. g. ejus parentes etiam examinantur, 719. a. b. quam caute ipse respondeat Pharisæis, ib. d. ejus constantia in tuendo suo curatore, ib. e. f. ejicitur domo & synagoga a Pharisæis, ib. f. sed benigne suscipitur a Christo, & in mente illuminatur, ibid. f. 716. d. e. 720. d. f. ejus vita & mors, 720. f. g.
Cælestis gloria est epulum Beatorum, 829. a.
Cælum stellatum quantum distet a terra, 659. h. 578. b. quomodo id aperiri dicatur, 635. c. & seqq. cælum fuit per Christi mortem reseratum, 815. c. d. id pro patria fideles habeant, 504. e. in eo est unio & concordia, 536. d. e. per labores & humilitatem comparandum, 600. d. in id latro bonus non est admissus, sed in sinum Abrahæ, 605. e. f. cælum terræ Christus in cruce pendens reconciliavit, 749. d.
Cæremoniæ Ecclesiasticæ in administratione Sacramentorum stabiliuntur, 657. h. non sunt res otiosæ, 822. e.
cur Cæremonialia præcepta vocentur justificationes, 446. e. d.
an Cainan sit Christi genealogiæ inserendus, nec ne; inserendum censet jam auctor, etsi alias negarit, 500. c. & seqq.
Caiphas quod habeat etymon, 740. h. ejus impium de Christo necando judicium, quod eum mori expediret, ne tota gens pereat, ib. h. & seqq. an in eo fuerit Prophetia, 741. c. d. non erravit in eo contra fidem, sed contra justitiam & pietatem, ibidem. d. f. ejus domum Judas non videtur ingressus, 606. g. h. fuit pontifex toto triennio gubernationis Pilati, ibidem. h.
Cajus Cæsar quo die natus sit, & imperii hæres ab Augusto institutus, & obierit, 474. c. f.
Calceamenta quid mystice denotent in parabola prodigi, 569. b. & seqq.
Calix laicis dari non debet, 683. e. nec iis præceptum est, ibidem. f.
Calviniste falsum Deum adorant, quo sensu, 657. c. dicunt Eucharistiam esse panem mysticum, non verum corpus Christi, 681. e. & seqq. 687. g. h.
Calvinus Deiparam ait incredulam fuisse ad verba angeli, 454. a. b. & saltum Joannis in utero fuisse naturalem, 459. b. negat Christum ex oculis discipulorum evanuisse, 610. e. est in S. Philippum injurius, 634. d. e. baptismo adimit vim justificandi, & simul ejus necessitatem, 644. c. Christi exaltationem per crucem interpretatur ejus Evangelii prædicationem, 647. b. adimit homini liberum arbitrium, 708. c. Vide Arbitrium: errat, docens aquam pericardio contineri, cum eo contineatur humor biliosus, 814. h. negat Christum ad Apostolos januis clausis ingressum esse, 820. c. d. & potestatem absolvendi a peccatis datam Apostolis, 822. c.
P. Camillus Constantius Societat. Jesu tres horas in igne mansit immotus ad eum ab infidelibus in Japonia damnatus, 551. f.
Cana civitas Galilææ duplex erat, una in superiore, altera in inferiore, 637. e. Cana quantum a Capharnao distaret, 661. e. 662. a.
quid Candelæ cereæ accensæ in die Purificationis innuant, 547. g. dantur fidelibus morientibus in manus cur, 485. h.
Canes Lazari ulcera lingentes, sponte veniebant quasi ad spiritus cadaver, 575. b.
Canones Evangelio S. Joannis lucem afferentes, 615. c. & seqq.
Canticum *Magnificat* exponitur, 460. h. & seqq. respondet id cantico Annæ matris Samuelis, 461. h. & seq. canticum Zachariæ exponitur, 468. e. & seqq. canticum Simeonis exponitur, 485. a. & seqq. cur id quotidie sub vesperam Ecclesia canat, ibid. d. e.
Capharnaitæ putabant Christum agentem de Eucharistia dante viram, loqui de pane corporali, & carne cruda, 678. b. 679. f. & seqq. 682. e. h. 683. a. 687. a. & seqq.
Capilli sunt excrementa naturæ, simul ornamenta: ergo cum iis resurgemus, 597. e. & seqq. capillos suos Magdalena dedicat pœnitentiæ & Christo, 516. a. 744. e. d.
Caprificus alia est arbor a sycomoro, 591. a.
Carlomanni Austrasiæ & Sveviæ regis, monachi Cassinatis, humilitas, 564. g.
Carnales porcorum more viventes in gehennam descendent, 533. f. g.
Carnis humanæ utilitas, 625. f. carnis edendæ usus non erat ante diluvium, 827. d.
Caro accipitur in Script. subinde pro fœmina, 624. f. & pro carnali sensu, 648. b. & pro toto homine, 688. b. c. caro Christi sacramentaliter in Eucharistia manducatur, 682. b. c. e. f. 687. c. d. & quidem eadem quæ in cruce oblata est, 682. g. ejus usum ut crudum abhorrebant Capharnaitæ, 678. b. 679. e. f. 687. b. h. *caro non prodest quidquam*, quid sit, ibid. f. & seqq.
S. Carolus Borromæus vitam suam pro ovibus tempore pestis exposuit, 759. e. ejus humilitas, 725. b. cum fœmina etiam consanguinea non egit, nisi essent testes, 529. h. 819. f.
Carpere volens aliena, prius judicet sua, 701. f.
Casti Deo assimilantur, 834. b.
Castigatio nonnullorum cæteris esse debet exemplo, 554. a. & seq.
Casus fortuitos Deus permittit ad emendationem aliorum, 554. b. c.
S. Catharina Senensis spineam coronam elegit præ gemmea, 510. d. f. 577. g. sola Eucharistia diu vixit, 678. e. ob levem in oratione distractionem a Christo fuit reprehensa, 777. b.
L. Catilina conjurationem sanxit haustu sanguinis, 688. g.
Cautio idem est quod syngrapha obligatoria, qua creditori cavetur de damno, 572. b.
Cedron est vox Hebræa, non Græca, dicta ab obscuritate, 805. c. d.
Centenarius numerus, quid mystice innuat, 828. e. f. g.
Centrum amoris est Deus, 763. f. g.
Centurio, cujus servus infirmabatur Capharnai, alius fuit a regulo, 661. d. ex hujus filio a Christo sanato tantam ille in eum fidem concepit, 662. b. an petierit ut Christus in domum suam veniret, 512. b.
Cephas idem est quod petra, 633. c.
Ceratium idem est cum siliqua Græca, 567. b.
Chaos quid sit, & quale inter infernum & cælos sit interjectum, 578. b.
Charitas est amicitia inter Deum & homines, 794. a. b. nos unit Deo, & per eam cum ipso unum sumus, 801. h. & seq. est Pastori & Prælato summe necessaria, 725. d. charitas etiam ad inimicos se extendit, 782. c. charitas B. Virginis ardentissima fuit, ideoque meruit maternitatem Dei de congruo, 453. e. & seq.
Christiani dant infantibus nomina patrum vel cognatorum illustrium, 467. g. h. Deo serviunt amore filiali, 469. f. qualiter vivere debeant, ibidem. g. & seqq. quomodo affectum erga parentes

Digitized by Google

rentes & animam propriam relinquere debeant, 561. d. vitæ sanctitate infidelibus sint exemplo, 583. f. eorum vita debet esse expectatio Christi, 548. c. d. sunt hic velut peregrini, 626. b. c. adorant Deum in spiritu & veritate, 637. d. e. f. & seqq. quare se invicem diligere debeant, 783. a. b. e. f. masculo sint animo in patiendis adversis, 791. e. quam sancti esse debeant, 861. c. & seqq. quam inter se uniti, 801. g. Christiani primi omnia sua vendebant, & pretium redactum ad Apostolorum pedes ponebant, 546. b. quia bona habebant in communi, 744. g. & seqq. vitæ suæ prodigi, veram & æternam expectabant in cœlis, 548. b. c. quare a Gentilibus persecutione premerentur, 786. e. & seqq. in sepeliendis mortuis effusas faciebant impensas, 815. h. Christiani Romani primi in assidua vivebant persecutione, 563. d. vide Credentes, Fideles,

Christianissimus est opus arduum, & magna Dei gratia ad eum opus est, 573. d. est professio sanctitatis Christi, 465. e. & imitatio divinæ naturæ, 469. h.

Christus idem quod Messias, id est unctus, 479. f. g. 633. a. b.

Christi Jesu incarnatio, conceptio, nativitas, infantia.

Christus est incarnatus XXV. Martii, eo die & crucifixus est, & mundus creatus, 450. b. ejus genealogiæ conciliatio, 498. c. d. & seqq. a patria dictus est Nazarenus, 450. d. veram e B. Virgine carnem assumpsit, 453. f. g. quia conceptus ex Spiritu sancto non habuit peccatum originale, 454. b. cur ex eo sit conceptus, & de Virgine natus, 455. a. & seqq. quo temporis puncto sit conceptus, 456. b. incarnatum statim voluit inchoare officium Salvatoris, 458. b. ipse natus potentes omnes de sede deposuit, 466. c. tunc venit in mundum cum res Israelis essent deploratæ, ibid. d. e. duplici titulo fuit filius David, & regni ejus hæres, 498. e. f. descendit tam a pontificibus quam a regibus, 500. b. ejus stemma fuit illustre, 501. c. id deducitur usque ad Deum, 500. b. & seq. ejus incarnatio fuit patribus a Deo promissa, 466. f. g. 469. b. ob tres causas fuit incarnatus, ib. c. natus est cum bellis omnibus sopitis pax toto orbe esset, 473. e. quo anno Augusti sit natus, ibid. f. & seqq. 497. f. g. descriptus & census Bethlehemi ostendebat se esse Messiam ex tribu Juda & stirpe David ortum, 474. f. cur census sit post circumcisionem, ib. h. natus est post solstitium hiemale XXV. Decemb. cum crescere dies incipiunt, 475. c. 478. f. & quæ circa eum diem fiunt, ei adaptantur, ibid. g. h. mox ut natus, ab angelis in brachia matris deponitur, vel sponte sua in ea venit, 475. h. quare natus vagiit & lacrymatus est, 476. a. lacrymas has ac seipsum Deo pro nobis in holocaustum obtulit, ib. b. quod fieri voluit homo, variæ dantur causæ, ib. c. d. & seqq. ipse Sanctos permovit ut se incarnatum jugiter contemplarentur, ib. f. cur fasciis sit involutus, causa tropologica, 477. a. natus est in spelunca, ibid. b. ponitur in præsepio, varias ob causas, ib. c. ejus concio e præsepio, ib. h. quomodo se absconderit, & a Deo sit manifestatus, 478. e. cur natus sit post mediam noctem, ib. g. eum invisérunt pastores, 479. f. cur sit circumcisum, 481. a. b. & seqq. natus matris matricem non aperuit, ideo non obligabatur ut ex lege Domino sisteretur, 483. c. d. ejus vita fuit prodigiosa, 487. a. recens natus tribus triplicitèr apparet, 489. e. interna sapientia ab origine suæ plenus fuit, ib. f. g. & seqq. & ipsam etiam externus prodebat cum ætate, nihil ostendens puerile, sed omnem modestiam & prudentiam, ibid. g. a Deo Patre in omnibus actibus dirigebatur, ibid. h. quoto ætatis anno templum adierit, 490. a. b. quomodo se clam parentibus subduxerit, templum repeciturus, ibid. d. unde toto illo triduo cibum acceperit, ibid. b. interrogavit doctores de Messiæ adventu, & quorsum, ibid. f. cur eos ipse interrogaret, ibid. f. & seqq. omnes in stuporem rapiebat, ib. g. h. an parentes de ipso sollicitos reprehenderit, 491. b. ejus erga eos obedientia, ibid. g. erat tamen exemptus ab omni obedientia, ibid. exercuit cum Josepho ad tempus artem fabrilem, 492. e. & seqq. quæ in adolescentia & juventute egerit incognita sunt, ipse interim privatus & incognitus vixit, ibid. e. an sapientia & gratia profecerit, 493. a. erat a primo instanti conceptionis plenus utraque, ibid. a. quo sensu in utraque profecerit, ibid. b. & seqq. ejus gratiæ & nostræ quadruplex discrimen, ibid. g. & seqq.

Ejus prædicatio, gesta, miracula, dicta, doctrina, itinera, & disputationes cum Pharisæis.

Christus quo anno cœperit doctoris officium exercere, 494. h. 495. b. 497. e. f. a Spiritu sancto impulsus rediit in Galilæam, 502. e. f. se Messiam esse probavit, 503. g. 505. c. loquebatur lingua angelica, aut potius divina, 503. g. h. cur se comparet Eliæ, 504. b. quomodo manus Nazarænorum evaserit, 505. e. cur orarit ante electionem Apostolorum, 509. f. mortuos suscitat imperando, quasi dominus mortis, 513. g. cur ad convivium Simonis Leprosi iverit, 515. c. d. incedebat nudis superne pedibus, 515. h. quam comiter Simonem Leprosum compellarit, 517. b. c. quos sanabat perfecte sanabat, 519. h. adoratur a dæmoniaco, cur, 522. f. cur permiserit dæmones ingredi in porcos, 523. e. ejus gesta & prædicatio in Judæa, 526. f. g. compescit discipulos vindictam spirantes, 527. b. cur LXXII. discipulos elegerit, & Apostolos apud se retinuerit, 529. e. mulierem incurvatam per XVIII. annos manu imposita sanitati restituit, 555. h. & seq. peccatorum colloquia & mensas captabat, 564. e. cur leprosos ad sacerdotes miserit, 582. g. prædicit Apostolos suam præsentiam desideraturos in afflictionibus & persecutionibus, 583. g. h. nullus locus, nullum iter, nullum temporis momentum ei fuit otiosum, 590. f. g. Zachæo se videndum & fruendum exhibuit, 591. e. ejus aspectus est operosus & efficax, ibid. f. g. cur cum sceleris Judæis ageret, ib. h. & seq. quid Zachæo ejusque domesticis proponeret, 592. a. b. cur videns Jerusalem fleverit super illam, 594. e. f. vehemens ejus tunc pathos, ibid. g. diem dabat prædicationi, noctem orationi, 598. d. 601. d. pro Petro orans duo ei privilegia impetravit, 599. f. g. quomodo non sit agnitus a discipulis euntibus in Emmaus, 608. b. c. & qua de causa alia in forma iis apparuit, ib. c. quomodo se eorum sermoni insinuet, ib. f. g. eorum ruditatem & tarditatem credendi castigat, 609. e. quomodo finxerit se longius ire, ib. g. h. & seqq. consecravit Eucharistiam apud eos, 610. b. ex oculis eorum evanuit subito, ib. d. & seqq. quomodo habuerit corpus subtile simul & palpabile, 611. c. cur ostenderit manus & pedes suos perforatos, ibid. f. g. cur cibum petierit, 612. b. vere manducavit, non tamen fuit cibo nutritus, ibid. d. e. cur Apostolis dederit reliquias cibi, ib. e. an bis iis dixerit esse jam perfecta quæ de ipso prædixerant Prophetæ, ibid. f. cur illis sensum aperuerit ad intelligendas Scripturas, 613. a. promittit suis Spiritum sanctum, ib. b. ascendens in cælum, iis benedicit, ibid. d. ejus baptismus & gesta post baptismum, 631. b. c. baptizatus est non ut a peccato abluetetur, ibid. f. g. quomodo discipulos ad sui sequelam invitarit, 632. c. d. zelus ejus in discipulis instruendis, 632. h. novit Nathanaelem utpote cordis inspector, 634. g. & seqq. cur ierit ad nuptias in Cana, 637. c. d. g. an matrem ibi reprehenderit, eam alloquens, 638. c. d. ejus tamen voluntati morem gessit, ibid. f. g. aquam mutat in vinum, 639. c. d. quomodo in eo se gesserit, 640. a. b. c. an id primum ejus fuerit miraculum, ib. b. cur aquam in vinum converterit, ibid. c. venit cum matre & suis Capharnaum: cur in Nazareth prædicationis sedem non constituerit, ib. f. bis Capharnaum descendit, ib. vendentes e templo ejicit, ib. g. h. cur Judæi non se fideret, etsi habentibus ipsum pro Messia, 642. d. cordis intima Judæorum noverat, ibid. e. quid Nicodemo proposuerit, 645. g. h. & seqq. cur ierit Hierosolymis in reliquam Judæam, 648. f. cur per discipulos baptizaret, ib. remisit peccata tam per baptismum, quam sua voce, 648. h. & seqq. eadem forma baptizavit, qua nos, 619. a. matrem & D. Petrum baptizavit, ib. b. prudenter ob odium Pharisæorum e Judæa iterum in Galilæam secessit, 653. a. b. 662. per discipulos baptizabat, & ipse prædicationi instabat, 653. b. ejus defatigatio ex discursu, ib. f. h. & seqq. quomodo Samaritanam converterit, 654. a. & seqq. quam commodam cum ea agendi occasionem captarit, ib. b. c. cur eam virum suum vocare jusserit, 656. d. gratiose eam corripit, ibid. e. cur reguli in Capharnao fidem arguerit, 661. e. f. ejus filium curat absens, ib. g. 622. a. miracula duo in Cana fecit, ib. d. ubi ejus gesta primi anni prædicationis finiantur, 663. f. cur roget paralyticum an velit sanus fieri, 665. c. cur in miraculis suis semper quiddam addat, ex quo eorum veritas & magnitudo perspiciatur, ib. e. cur paralytico sanato, declinarit de turba, 666. b. c. cur ejus miracula essent eximia & diversa ab aliorum, 672. e. f. an navi appulerit Cenereth vel Capharnaum, 675. f. g. & hæc fuit ibi in momento, ibid. g. ambulat supra mare, ibid. g. h. 676. a. docet se esse Moyse majorem, 677. f. g. primo faciliora, dein difficiliora rudibus proponebat, 682. c. d. in synagoga Capharnaensi egit de Sacramento Eucharistico, 687. b. c. ex ascensu suo in cælos futuro suam probat divinitatem, ibid. cur quærat ex Apostolis, num & ipsi eum vellent deserere, 688. h. obibat omnia loca Galilææ, 691. d. cur tertio anno prædicationis Hierosolymam, nec in Paschate, nec in Pentecoste adierit, ibid. c. cur ei fratres dixerint ut in Judæam transiret, ibid. f. & seqq. cur clanculo Jerusalem iverit, 692. d. e. f. varia populi de eo opinio, ibid. h. an initio festi venerit Jerusalem, sed latuerit, & templum non adierit, nisi die quarto festi, 693. a. & seqq. convitium a Pharisæis illam patienter dissimulavit, 694. c. 712. f. ipsius in respondendo iis magnanimitas, 696. d. comprehensores suos majestate vultus sui terruit, 698. b. quam efficax ejus fuerit sermo, ib. c. horum in monte Oliveti quasi nocturnum hospitium & oratorium elegit sibi semestri ante mortem, 700. d. cur digito scriberet in terra, ibid. g. h. & quid, 701. b. adulteram absolvit & monet emendationis, 702. b. ejus benignitas erga peccantes, ib. cur apud Pharisæos loqueretur obscure, 703. c. 707. f. eorum contumelias nihili facit, 703. e. f. provocat eos in testes suæ innocentiæ, 711. g. h. vocatur ab iis Samaritanus, 712. d. & dæmoniacus, ibid. e. reddidit se iis invisibilem, 714. g. 730. c. cur sputo adhibito cæcum natum curarit, 717. a. b. patrato miraculo inde se subduxit, 718. g. eum etiam in mente illuminavit ultrò quærentem, 720. d. e. quomodo animam posuerit ut iterum sumeret eam, 726 g. h. quid dixerit Pharisæis petentibus ab ipso ut clare diceret, num ipse esse Messias, 728. b. c. d. 729. a. lapidibus ab eis impetitur, 714. g. 729. c. cur iverit in Bethabaram, 736. c. 732. f. diligebat Martham & Mariam, 732. e. serio cogitabat de Lazaro sanando, ibid. e. f. 733. c. d. e. f. cur iterum in Judæam se redire velle dixerit, ibid. g. mortem Lazari suis significavit, ibid. e. f. quoto die ad eum suscitandum abierit, 734. a. ejus fremitus & turbatio, suiipsius in ejus suscitatione, 736. e. cur lacrymatus sit, 737. e. ter lacrymatus legitur, ib. g. cur lapidem a sepulcro Lazari amoveri jusserit, 738. a. ejus desiderium Lazari suscitandi Deus audiit, ib. e. f. eum suscitat clamans magna voce, ib. g. 739. a. & seqq. declinavit periculum vitæ, quia nondum venerat hora ejus, 741. f. g. cur instante morte prius venerit Bethaniam, 743. b. cur Judam furem elegerit, 744. e. venit e Bethania Jerusalem, 745. g. h. quomodo Pharisæis significet se brevi moriturum, 750. b. c. abscondit se ab eis, ib. d. cur laverit pedes discipulorum, 754. e. f. 755. e. f. 758. c. 757. h. & cur primo Petri, 756. b. turbatus est spiritu ob proditionem Judæ, 759. c. d. g. illo ad eam perficiendam egresso dicit se clarificatum, 761. h. suis ultimum dicit vale, 762. d. dicit eos non posse venire quo ipse vadit, ib. f. prædicit Petro trinam negationem, 764. a. b. solatur & corroborat suos turbatos, ib. & seqq. dicit se abiturum in cælos, 758. e. & seqq. promittit se eos non relicturum orphanos, 770. h. resurrectionem suam iis addicit, ib. a. b. c. 773. c. d. 790. d. e. ib. f. g. abiens e mundo, multa iis revelavit, 781. f. g. ejus in illos

Digitized by Google

filios amor, 782. c. d. eos contra instantem persecutionem præmunit, 782. h. 790. h. promittit ipsis Spiritum sanctum, 787. f. g. & brevi tempore ab iis se abfore, 790. b. c. & si quid in nomine suo peterent, eos a Patre impetraturos, 792. d. & seqq. 793. g. apparet Magdalenæ specie hortulani, 417. h. 818. a. & seqq. cur ab ea tunc tangi nolit, 819. a. & seqq. suis pacem apprecatur, & quidem iterato, 821. c. d. apparet discipulis Thoma præsente, idque summa dignatione hujus, 824. b. c. apparet suis ad mare Tiberiadis, 826. d. e. & quomodo, ibid. h. & seqq. parat discipulis in littore prandium, 828. c. manducavit cum iis, & cur, ibid. h. 829. a. b. cur Petrum ter de amore interroget, 829. c. d. & seqq. dicit ei ut se præeuntem sequatur, 831. g. h.

Ejus Passio, mors, vulnera.

Passionem Christus inchoavit a circumcisione, 481. h. in cruce ostendit excessum omnium virtutum, 526. c. mortem non exhorruit, sed generose ad illam properavit, ibid. g. 557. c. d. e. 681. c. 805. c. & seq. eam vocat baptismum, 552. b. quomodo salutem nostram operari expetierit, ibid. mortem vocat consummationem, 557. c. agoniam & horrorem vicit orando intensius & extensius, 601. b. vere Sanguinem in ea sudavit, & unde hoc factum, 602. a. & seqq. a latrone malo passus est improperium in cruce, 603. g. quomodo in manus Patris animam tradat, 605. h. & seq. & mox exspiravit, 606. d. prænovit diu ante proditionem Judæ, 689. d. e. eum tamen nominare noluit, 689. f. nonnisi certo tempore & die mori voluit, 695. g. 696. a. b. ipsius obedientia in morte oppetenda, 492. b. 699. b. 727. b. c. poterat non pati & mori, 727. a. expediebat eum mori pro mundi salute, 741. a. b. c. e. per mortem erat clarificandus, 746. e. f. 747. g. h. 747. h. naturalem ejus horrorem habuit, 747. d. f. cur eam voluerit accelerari, 748. g. 761. b. ea erat a proditione Judæ inchoanda, 758. f. prædicit suam mortem & Judæ proditionem, ibid. g. 759. d. quomodo dixerit ei, *Quod facis fac citius*, 761. a. b. an potuerit mandatum moriendi a Patre acceptum non implere, 774. c. d. an in via versus horum habuerit partem sermonis ad Apostolos habiti, ibid. f. g. mortuus est pro inimicis suis, 781. a. b. ejus ad passionem abeuntis cygnæa oratio, 796. a. b. & seqq. quam gloriam ante eam a Patre petat. ibid. c. & seqq. passus est pro omnibus, 799. g. per torrentem Cedron ductus fuit, an in eundem præcipitatus, 805. d. e. ultro Judæis obviam processit, ibidem. f. prosternit eos in terram, 806. b. cur Apostolos ab iis tangi noluerint, ibid. b. c. cur ligari voluerit, ibidem. e. cur percussus alteram maxillam non dederit, 807. a. cur dixerit Pilato se natum ad veritatem testandam, 808. h. matrem Joanni commendat, & hunc illi, 811. h. & seqq. ejus sitis, 813. e. ei mortuo latus apertum, & ea apertione nobis multum meruit, 814. b. c. cur servarit post mortem vulnerum suorum cicatrices, 820. h. & seqq. idque non sine miraculo, 821. a. b.

Ejus dignitas, virtutes, officia, gloria, divinitas, judiciaria potestas, & alia.

Christus magnus est, qua homo & qua Deus, 453. g. regnum ejus est Ecclesia, ibidem. h. fuit sanctus sanctitate perfecta & connaturali, 456. a. b. 465. a. est benedictus præ omnibus creaturis, 460. c. duæ sunt in eo naturæ, divina & humana, at una persona, ibid. d. fuit salvator B. Virginis pecurialiter, quo sensu, 462. f. est brachium Dei, 465. f. g. 750. g. qui per eum peculiariter afflictis populi sui rebus succurrit, 466. f. est cornu salutis, 468. g. 469. a. ejus nomen proprium est Oriens, 470. c. d. est germen cæleste & terrestre, ib. e. proprietates solis & germinis ei optime attribuuntur, ibid. f. est arbor vitæ, ibidem. g. item sol & lux mundi, ibid. h. 471. a. b. 485. g. 623. d. & seqq. 670. h. 702. g. 703. b. 750. d. 752. b. c. fuit civis Romanus, 474. g. descriptus ostendebat se venisse ut nos a servitute diaboli liberaret, ibidem. h. illius erga genus humanum amor, 476. a. 478. c. 763. g. 782. b. & seqq. hic debet nobis esse stimulus ad nos invicem amandos, 763. c. & seqq. ipse se depressit, ut nos eveheret ad cælum, 476. e. f. est amor & stupor angelorum, 477. e. tres habet nativitates, 478. d. consolatur desolatos & derelictos, 479. c. 484. c. est pax nostra, 480. c. d. ubique humilitatem cum majestate copulavit, ibidem. g. propositus est omnibus in salutem, 485. f. g. fuit Israelis gloria, ibidem. h. & seqq. est positus in Ecclesia ceu lapis fundamentalis, cui omnes credentes inædificantur, 486. d. e. quomodo positus in ruinam, & in resurrectionem, ibidem. d. & in signum cui contradicetur, ibidem. g. comparatur serpenti a Moyse in deserto erecto, 487. b. redemptor est Israelis, 489. d. e. quæ ignorantia experimentalis in eo possit concedi, 490. d. illius actiones erant duplices, aliæ puri hominis, aliæ Dei hominis, in prioribus erat parentibus subditus, in posterioribus soli Patri cælesti, 491. c. d. eum voluit Tiberius inter deos referre, 495. a. qua ratione & quando unctus sit, 503. a. omnia collapsa reparavit, 532. d. e. Marthæ hospitalitatem rependit, ei apparens morienti, 534. g. ejus frugalitas, 535. c. d. & seqq. habebat potestatem judiciariam, sed ea non est usus nisi tempore & loco, 543. h. quomodo servos suos in cælo honoret, 549. d. & seqq. peccatores benigne habet ad se venientes, 564. c. 593. a. est pastor bonus ovem errantem reducens, & gaudet titulo pastoris, 479. c. 564. f. g. 724. f. g. h. 725. e. h. & seqq. ejus vita est idea veri pastoris, 831. h. gaudet de peccatoris conversione, 565. a. b. 568. h. 569. a. & seqq. denotatur per vitulum saginatum, 569. d. quomodo in Lazaro adumbretur, 758. e. pro maleficio beneficium rependit, 582. a. veniet ad judicium instar fulguris, 584. a. nullum ejus iter fuit otiosum, 590. f. g. habitat in templis per Ven. Eucharistiam, 593. a. missus est in mundum ut peccatores salvos faceret, ibidem. a. ejus regnum inchoandum post crucem, ibidem. c. d. est rex nobilis, ibidem. d. cur Apostolos vocet fratres, 601. a. ipsius summa liberalitas, 605. f. & seqq. interest bonis colloquiis, 608. h. ita loquitur externis, ut interius corda moveat, 610. f. symbolice per piscem assum devotatur, 612. b. c. apud Joannem nunc inducitur loquens ut homo, nunc ut Deus, 615. c. quomodo dicat se nihil dicere aut facere, ex seipso, sed per Patrem, ibidem. ex miraculis a se factis probat se esse Deum & Messiam, ibidem. 668. b. c. qua Deus, est lux formalis increata, qua homo, etiam lux causalis, 622. a. & seqq. 702. g. fuit lux post carnem assumptam, quin & ante eam a mundi exordio, 622. a. b. est lux vera, ibidem. g. h. & seqq. Moysi opponitur & anteponitur, 628. c. d. quomodo dicatur esse in sinu Patris, ibidem. g. h. aperit nobis arcana Patris, 629. b. c. est agnus, 601. c. ejus proprium est, habere omnes gratias Spiritus sancti, 626. g. h. 632. a. qui eum Nathanael cognoverit esse Dei filium, 635. a. est Dei filius, & rex Israel, ibidem. a. b. non fuit sub fato, 638. e. f. zelus ejus pro honore Dei, 641. b. corpus suum vocat templum, ibidem. c. est dominus hujus, uti & templi materialis, ibidem. d. in eo per communicationem idiomatum diei potest Deus natus, passus & mortuus, 646. d. sic dici potest esse in cælo per divinitatem, ibidem. f. est sponsus Ecclesiæ, 650. a. quomodo crescere ipsum oportuerit, Joannem minui, ibidem. e. & seqq. ejus dignitas, ibid. f. & seqq. habuit spiritum & gratiam sine mensura, 561. d. non tamen infinitam, ibidem. e. qua in re major Jacobo fuerit, 655. d. raro seorsum cum muliere loquebatur, 645. a. b. erat dominus sabbati, 666. g. h. idem operatur quod Deus Pater, 667. a. b. c. ab eo accipit divinam essentiam, potentiam, scientiam, ibidem. d. a Patre procedit ut Verbum, ibidem. d. f. est judex vivorum & mortuorum, 668. d. quia se humiliavit accepit a Deo potestatem judiciariam, 669. d. e. erat avidus salutis Judæorum, 672. h. a Moyse passim fuit præfiguratus, 673. d. e. quomodo sit a Patre signatus, 842. h. ipse dat panem de cælo verum, 677. f. g. ab initio conceptionis notat omnia futura, 688. d. habebant verba ejus vitam æternam, 689. b. c. est naturalis filius Dei vivi, ibidem. c. d. intrepidus in mediis periculis agit, 693. c. d. est fons aquæ vitæ, 697. c. cur Spiritum miserit post mortem suam & ascensum in cælos, ibid. f. & seqq. est speculum morum & sanctitatis, 703. a. quo sensu non judicet quemquam, ibidem. e. cur apud gazophylacium Judæorum avaritiam coarguit, 704. g. h. 705. a. erat de cælo & cælestis, 705. h. quomodo sit principium, 706. f. erat imperecabilis, 711. g. est custos generis humani, 712. g. quot vixerit annis, 714. c. fuit ab æterno qua Deus, ibid. f. ejus benignitas erga miseros, 715. h. per Siloen repræsentatur, 717. f. ejus lenitas, ibidem. erat missus vel Siloach, ibidem. f. h. quomodo dicat se ostium ovilis, 722. c. g. h. 724. b. g. cognoscit oves suas, & ipsæ illum, 726. a. b. & vitam æternam dat iis, 728. e. f. g. ejus divinitas probatur, 646. e. f. 668. b. c. 672. b. e. f. 671. b. c. e. f. 639. d. e. 729. a. b. d. g. 736. h. 737. e. 748. b. h. 751. c. d. h. 752. a. b. c. 768. b. & seqq. 797. 798. a. c. b. qui hæretici eam negent, 618. c. quomodo a Patre sanctificetur, 729. h. & seqq. ipse est resurrectio & vita, 735. d. e. g. quomodo in se assumeret passiones, 737. a. b. Romanorum regimen Hierosolymis non tangebat, sed augebat, 740. e. f. ejus obedientia usque ad mortem, 743. c. d. cur paupertatem sic professus, 744. h. est velut granum frumenti cadens in terram, 746. e. f. suos facit tonantes & fulminantes, 748. b. trahit e cruce omnes ad se, 745. a. b. & seqq. quomodo maneat in æternum, ibidem. g. & seqq. accepit a Patre mandatum dicendi & agendi omnia quæ dixit & egit, 752. h. quo die pascha celebrarit, 754. b. quomodo suos dilexerit in finem, ibid. h. ipse est finis legis, 755. b. est solus perfectus magister, 758. a. b. tenere erga suos afficitur, 762. d. est via, veritas & vita, 623. b. 766. a. b. d. & seqq. 807. f. g. h. qui ipsum videt, videt & Patrem, 768. a. ipse est in Patre & Pater in ipso, ibid. d. 771. c. cur voluerit suos majora opera facere, quam ipse fecit, 769. c. audit preces se invocantium, ibid. h. nos sumus in ipso, & ipse in nobis, 771. c. & seqq. diligit diligentes se, ibid. d. e. f. comparat se viti qua homo, 775. c. & quare, ibid. h. cur dicatur vitis vera, ibid. c. cura Gentilibus & Judæis sperneretur, 787. h. 788. a. b. orat pro obis in cælo oratione proprie dicta, 794. a. b. c. quomodo Patrem clarificarit, 800. a. b. quantum ex se est, vult omnes salvos fieri, 797. e. triplicem apud Patrem habet claritatem, 799. f. oravit pro Apostolis & mundanis, diverso tempore, 799. a. ut homo triplicem habuit sanctitatem, 801. a. b. oravit item pro fidelibus omnibus, 801. f. novit secreta cordium, 794. f. 824. c. d. quomodo se aliquando ab animabus sponte fundat, 817. h. est pater, mater & pastor fidelium, 819. f.
Chronologia LXX. interpretum est probabilis, 500. f.
unde Cibum habuerit Christus triduo amissionis suæ, 490. c. unum cibi genus salubre est, 535. c. d. cibi communis & Eucharistici discrimen, 686. a. b. cibus animæ ante omnia quærendus, 676. b. c. quis sit cibus permanens in vitam æternam, operando nobis comparandus, ibid. d. & seqq. 677. e. f. g.
Cingulum cilicinum gestarunt Sancti, 547. a
Circuli figura pingebant Ægyptii Deum, 803. a
Circumcelliones seipsos necabant cælestis vitæ spe, 747. a
Circumcisio etiam domi peragi poterat, 467. c. f. ejus efficax, ibid. est ab Abraham reducta: etiam sabbato peragi potuit, 694. f. g. præcise octavo die peragitur, ibid. ejus lege Christus non obligabatur, 481. e. ea erat instituta ad abolendum peccatum originale, ibid. c. in ea Christus summopere se humiliavit, ibid. f. & circumcisio spiritualis quæ sit, ibid. g. & seqq.
Circumcisus Christus fuit libere & sponte, non ex obligatione, 481. a. idque

Digitized by Google

idque novem de causis, ib. *f. g.* atque in spelunca in qua natus, magnum sensit in ea dolorem, ibid. *h.*
Circumincessio in divinis personis quæ sit, 768. *e.*
cur Cives civibus invideant, 504. *c. d.*
in sua singulis Civitate censeri debebant in censu, 474. *e.* quæ fuerit Civitas in qua Magdalena dicitur fuisse peccatrix, 514. *g. h.*
Clamor magnus Christi in Lazari suscitatione quid innuat, 738. *g.*
Clarificatio Christi facta est per mortem & crucem, 761. *h.* & seq. idque a Deo Patre, 762. *a. b.*
Claritatem triplicem apud Patrem habet Christus, 798. *g.*
Classes sacerdotales a Davide forte distributæ sunt, 446. *d.*
Clavis scientiæ, quam abstulere Pharisæi, quæ sit, 541. *h.* & seqq.
Cleophas nominis etymon, 608. *h.* Cleophas fuit unus e discipulis abeuntibus in Emmaus, 607. *c.* fuit frater S. Josephi, & pater & avus Apostolorum quatuor: fuit Martyr, 499. *d.* 608. *c.* & seqq.
Clerici devitent consortia feminarum, 658. *f.*
cur in Cœmeteriis fideles sepeliantur, 522. *h.*
Cœna magna, quam quidam paravit quæ sit, 560. *g.* cœnam triplicem cœnavit Christus, 755. *c.*
dies Cœtus vocabatur octava Scenopegiæ, 696. *f.*
Cogitationes aliæ descendunt in cor, aliæ ascendunt, 611. *b.* quomodo eæ in Christo revelentur, 488. *c. d.*
Cognoscere Deum, est vita æterna, 797. *e. f.*
S. Coleta in virginitatis suæ custodem delegit S. Joannem, 828. *a.*
Colloquia feminarum cavenda sunt, 658. *g.* colloquiis bonis interest Christus, malis Lucifer, 708. *h.*
an Comestio fuerit sufficiens signum resurrectionis Christi, 611. *e.* 612. *d. e.*
Commentatores S. Lucæ qui, 443. *d.* qui S. Joannis, 616. *d.*
Commiseratio Christi ob ploratum Marthæ & Mariæ, 736. *a.* 737. *a. b. c.*
Commodare & mutuare qui differant, 539. *d.*
Communicatio idiomatum naturæ divinæ & humanæ facta est in Christo, 624. *b.*
Communicaturus a peccato omni, quantum potest, per confessionem se expiet, 684. *d.*
Communio indigna affert mortem, 686. *d. e.*
per Compunctionem invenitur Deus amissus, 491. *a.* hæc enim cogit ad miserendum, 593. *g.*
Conceptio Filii Dei novo modo fieri debebat, 454. *f. g. h.*
Concio Christi e præsepio, 477. *h.* & seqq. conciones Christi celebriores Joannes fusius enarrat, 615. *b. c.*
Concionator austeritate vitæ sibi auctoritatem paret, 471. *h.* laudatus laudes ad Christum referat, 497. *d.* magni fit dum placentia dicit; vitia taxans, vituperatur, 503. *h.* docens placentia carni causa est ut populus multa scelera committat, 510. *h.* qui vero ex concione plausum quærit, damnationi se exponit, ib. publicis cladibus utatur ad salutem auditorum, 553. *h.* sit potens in opere & in sermone, 609. *a.* ita loquatur exterius, ut corda inflammet, 610. *f.* fideles conquiret Christo, non sibi, 650. *d.* prius ardeat charitate & zelo, quam aliis prædicet, 670. *h.* studeat orationi, 796. *b.*
Concordia nos unit Deo. 801. *c. d.*
Concubinarum filii videbantur spurii, quia secundarii, 709. *g.*
Concupiscentiæ per lepram adumbrantur, 481. *f. g.* sæpe impediunt fidei acceptionem, 648. *c.* eas domans, animam suam invenit, 746. *h.* harum mortificatio est via acquirendæ arctæ unionis cum Deo, 803. *d. e.* e concupiscentia carnali generatur homo, 614. *e. f.*
Confessarius quid agere debeat in perditione pœnitentis sui, 514. *b.*
Confessio peccatorum disponit ad ardentem charitatem, 568. *g.* ea necessaria peccatori, ibidem. *b. c.* hæc eum in Divorum numerum transcribit, 569. confessio humilis plus potest quam ceteræ virtutes, 589. *c. d.* est a Christo instituta, 822. *g.* & seqq.
Confiteri defectus actuum suorum B. Virgo non potuit, quia omnes erant purissimi & perfectissimi, 483. *h.* fidem suam confiteri palam oportet, 751. *f. h.*
Conjecturæ e sideribus quatenus hominibus sint necessariæ, 552. *f.*
Conjugium non reprehenditur, nisi quatenus animus per id a salute revocatur, 561. *e.*
Conjunctio & unio communicantium cum Christo per Eucharistiam quomodo fiat, 685. *b. c.* conjunctiones causales non semper causam aut finem intentum apud Joannem, sed sæpe consequentiam & eventum dumtaxat significant, 615. *e.* 620. *g.*
Connubium Christi cum humana natura initum est in incarnatione ejus, 640. *d.* item animæ cum Deo per gratiam & charitatem, ibid. *c.*
Conopeum quid sit, 691. *e.*
Conscientiæ bonæ quies, securitas & gaudium, 537. *a. b.* est fructus pœnitentiæ, 519. *g.*
Consobrini Christi in primo gradu fuere Jacobus Minor, S. Judas & Simeon Episcop. Hierosolym. Joannes & Jacobus Major in secundo gradu, 499.
Constantia B. Virginis in adstando cruci Domini, 811. *d. e.* & seqq.
Constantinus Magnus cur in porticu SS. Apostolorum sepeliri voluerit, 513. *e.*
Consuetudo peccandi est quasi paralysis, 665. *a.* & quasi lapis molaris, 738. *a.*
Consummata sunt omnia, quæ de Christo sunt prædicta, 813. *f.*
Contemplatio quid sit, 537. *e.* acquiritur per activæ vitæ opera, ibid. *g.* ea est necessaria ad plenam sanctitatem & perfectionem, 535. *g.*
Contemplativa vita præfertur activæ, 536. *b.* & seq. in cœlo perficietur, ibidem. *c.* ejus actus & effectus, ibidem. *f. g.* ejus typus est Joannes Apostolus, 834. *f.* contemplativis revelat Deus arcana sua, 781. *h.* & seqq. ei arctissime uniuntur, 802. *a. b.*
Continentiæ cingulo lumbi sunt cingendi, id est luxuriæ motus refrænandi, 547. *e.*
Contradictio Christo illata, velut gladius animam Deiparæ transfixit, 487. *d.*
Contrarium contrariis oppositum magis elucescit, 744. *h.*
Contritio perfecta de peccatis quomodo justificationem adducat, 519. *a.* ea est oranti necessaria, 793. *d.*
Contumelia sit palam, detractio clam, 541. *e. f.*
Conversio peccatoris omnes lætificat, 564. *b.* maxime Deum, 565. *a.* est omnium bonum. ibidem, quantam in eo mutationem inducat, ibidem. *a. b.* conversio mundi per Apostolos fuit effectus & decus resurrectionis Christi, 769. *d.* conversione infidelium glorificatur Deus, 800. *a. b.* conversio animarum a Christo pendet, 827. *a.*
Conversus ex zelo etiam alios studet convertere, 659. *a.*
Convitians aliis multa mala facit, 588. *b.*
Convivis olim pedes lavabantur, 518. *c. d.* & osculum dabatur, ibidem. & manus & caput unguento perfundebantur, ibidem. *e.*
Convivium instruere amicis quatenus laudabile, quatenus culpandum, 560. *c. d.* convivia vix sine culpa celebrantur, 574. *g.* præcepta in convivio servanda quoad loci electionem, 559. *g. h.*
Coponius missus a Cyrino præside Syriæ in Judeam, confiscavit facultates Archelai, 495. *b.*
Cor hominis solo Deo repleri potest, 767. *g. h.* cordis intima Christus perspiciebat, 642. *e.* cor Christi fuit lancea perforatum, 814. *g.* cor bonum & optimum quod sit, 522. *a.*
S. Cornelius Papa pingitur cum cornu, a quo nomen accepit, 468. *g.* Pontificatum non ambivit, 550. *g.*
Cornelius Jansenius solide & exacte in Joannem est commentatus, 616. *h.*
Cornu est symbolum roboris, potentiæ, victoriæ, gloriæ, regni, 468. *g.* cornu salutis quod dicatur, ibid.
Corpus aliud non cedit, aliud sentitur, aliud palpatur, & quæ sine illa corpora, 611. *c. d.* corpus suum vocat Christus templum, cur, 641. *c. d.* id non est ubique, 646. *f.* id post resurrectionem potestatem habebat visum intuentium immutandi, idque diversimode, 608. *a.* in Eucharistia continet sanguinem, proinde illud sumens, sumit & hunc, 684. *c. g.* corpore Deus caret, 658. *a.* corpora gloriosa sunt subtilia simul, & palpabilia, 611. *c. e. f.* 824. *f. g.*
Correptio Christi gratiosa erat, 656. *e.*
Corus quæ esset mensura, 572. *b.*
Crapula proprie quid sit, 598. *a.*
Craftinum sibi nemo polliceri potest, 716. *h.*
Creati a Deo multum ei debemus, 581. *c.*
quomodo Deus in omnibus Creaturis sit, 455. *b.* creaturæ omnes Christo moriente velut obstupuerunt, 749. *e. f.*
non Credentes condemnati sunt, 648. *a. b. c.* credens in Christum quo sensu habeat vitam æternam, 651. *h.* & opera majora faciat quam ipse fecit, 768. *h.* 769. *a.* ei non credentes quatenus peccarent, 688. *f.* credentes Christus benigne suscipit, nec ejicit foras, 678. *h.* *Vide* Christiani, Fideles.
Credere actu, datur a sola Dei gratia, 679. *b. c.* credere quæ non videntur, vere fides est, 825. *b.* & seqq. *credere Deo* & *in Deum* Hebræis idem sunt, 642. *d.* *credere Christo* & *in Christum* diversa sunt, 752. *a.*
Crescere, quomodo debuerit Christus, Joannes minui, 650. *e.*
Crucifixus est Christus prima die azymorum, 810. *a.* crucifixi ante solis occasum de cruce deponi debebant, 813. *g. h.*
cur Crura frangerentur crucifixis, 813. *h.* ea Christo fracta non fuere, 814. *b.*
Crux supplicium est regnum affectantium, 807. *d. e.* crucis signum formatur in benedictione, 613. *d.* crux Christi quasi vexillum est, sub quo fideles omnes militant, 486. *g. h.* ea per sycomorum denotatur, 591. *c.* & seqq. fuit adumbrata in æneo serpente, 646. *h.* & seqq. fuit velut arx Christi, e qua diabolum debellavit, 749. *a.* ea fuit summa exaltatio, 707. *h.* 761. *h.* ei adhæsit Deipara, 810. *h.* & seqq. ea multis visa probrosa Gentibus stultitia, 526. *a.* sed post Christum gloriosa facta est, 796. *h.* 832. *a. c.* in crucibus gaudendum Christiano, 831. *f. g.*
Cubitus est sesquipes, 828. *b. c.*
Cultus Deiparæ toto orbe varius est ac multiplex, 464. *a. b.*
unde Cupiditas in homine nascatur, 558. *h.* & seq. ejus remedium unde petendum, 559. *b.* est insatiabilis, 655. *e.*
Curæ hujus vitæ non sinunt hominem de salute animæ cogitare, 598. *b. c.*
Curare alios volens prius seipsum curet, 504. *a.*
Cygnus dicitur canere ante mortem, 484. *h.* & seq.
S. Cyprianus e baptismo magnam sui mutationem sensit, 520. *a.* unicuique hominum statui congruam dabat instructionem, 550. *a.*
S. Cyrilla filia Decii Imper. Christo virginitatem vovit, & pro ea martyr occubuit, 607. *e.*
S. Cyrillus Alexand. egregie in Joann. commentatus est, sed ejus libri quatuor interciderunt, quos supplevit Judocus Clictovæus, 616. *d.*
Cyrinus Syriæ præses quis fuerit, 474. *f.*
Cyrus quamdiu regnarit in Perside, & quamdiu ut monarcha, 641. *e.*

D

Dæmoniacus Evangelicus cur habitaret in sepulchris, 522. *d.* & seqq. cur coram Christo procideret, ibid. *f.* cur ad ejus pedes sederit jam liberatus, 524. *c.* prædicavit suis fidem in Christum, 524. *c.*

Dæmo-

Digitized by Google

Dæmonium habere Christum dicebant Pharisæi, 712. f. 713. b. unde ipse neget, 712. h. & seqq. dæmonia septem e Magdalena ejecta an vera fuerint, an tantum mystica, id est peccata, 522. g. dæmones sunt per Christum potentia & tyrannide sua spoliati, 503. f. maxime invadunt melancholicos, 522. e. eorum multi non sunt in inferno, ibid. g. quomodo e cœmeteriis arceantur, ibid. cur vocentur Legio. ibid. h. eorum multitudo & malignitas, 523. a. illis gaudium est in infernum non relegari, ibid. c. etiam in terra agentes, igne gehennæ uruntur, ibid. e. cur ut in porcos ingredi permitterentur, rogarint, ib. e. eorum infirmitas, ibid. quomodo porcos in mare egerint, ibid. g. h. vide diabolus.

an Damnati subinde justos videant in gloria, 576. f. eorum opem petere non possunt, nec audent, 577. d. æternum ab eorum consortio, & consolatione omni privati, sunt compacti in inferno velut in ferreo carcere, 578. d. nullum actum virtutis supernaturalis, vel naturalis elicere possunt, aut bonum aliquod naturale velle, 579. a. nunquam inferno liberabuntur, 749. f.

Damnantur nemo nisi volens, 728. f.

Dare gloriam Deo quid significet, 719. d. *date* & *dabitur* sunt sorores, 511. e. f. danda petentibus honesta, & non nocentia, ib. b. c.

David rex distribuit sacerdotes in classes XXIV. 445. h. fugiens trans torrentem Cedron, fuit typus Christi, 805. e. & seqq.

Debiles quinam ad convivium vocandi, 560. d.

Debitum nostrum erga Deum multiplex est, 581. c. d. & seqq.

Dedicatio, est quasi salus Ecclesiæ, 592. b.

cur Defuncti jam in templis sepeliantur, 613. b. & seq.

Deliciarum spiritualium & corporalium discrimen, 574. a. b.

Deliquium animi an passa sit Deipara in filii sui passione, 811. d. e. & seqq.

Demonstrare pro dare & exhibere sumitur aliquando, 667. g.

Denarius est numerus multitudinis & universitatis, 593. f. & symbolum decalogi, 828. f. g.

Denarius nummus idem est quod regalis Hispanicus, sive Julius Romanus, 517. d. 533. h.

Descendere de cælo quomodo Deus dicatur, 646. e. f.

cur descriptio orbis ab Augusto indicta, & quando, 473. d. quando prima descriptio facta sit, 474. d. tres factæ sunt ab Augusto, ibid. d. e.

Desideranti Christum ipse se mox ultro offeret, 691. e. f. desiderans Deum, ipsum invenire meretur, 633. e.

Desperandum non est Dei ope in rebus afflictis, 735. a. b.

Desperatio sæpe est causa spei, 735. c.

Detractio clam fit, contumelia palam, 541. e.

Deus quid sit, definitur, 658. b. c. & seqq. singulari quodam modo cum B. Virgine erat, 451. h. & seq. omnia ei sunt possibilia, 456. d. voluit per Elisabetham patefacere filii sui incarnationem, 458. h. quomodo magnificetur, 460. h. & seq. ejus nomen est potens, 464. d. est sanctus perfectissime, ibidem. h. & seqq. quomodo ejus sanctitatem possimus imitari, 465. b. c. est summe misericors in timentes eum, ibid. e. ejus potentia in veteri testamento, ibid. f. peculiariter erat Israelis curator & protector, 468. e. f. quanta sit ejus magnitudo & majestas, 477. b. c. per lucem gloriam suam manifestare solet, 479. d. semper humiles exaltat, 480. f. 482. a. b. & maxime filium suum, 484. b. dirigit iter Sanctorum 484. g. homines diversimode docet, 489. d. e. solus potest peccata remittere, 519. e. est unum necessarium, 535. est omnium rerum, uti & nostrum, & actionum nostrarum initium & finis ultimus, 536. c. 581. e. 707. b. providet suis in necessitate, 545. b. & seq. venier cum homines minime cogitant, 549. d. est ignis & lux, 550. b. 622. e. f. sæpe castigat minus peccantes, ad exemplum cæterorum, 553: h. nihil ei est fortuitum, 554. b. retribuet mercedem pauperes alentibus, 560. e. gaudet de conversione peccatoris, 565. a. an de uno peccatore pœnitentiæ magis gaudeat quam de XCIX. justis, ib. c. Deo carens omnibus, 566. g. ejus mira erga peccatores pœnitentes clementia, 568. g. sortes hominum distribuit, 579. d. multa ei debemus, 581. c. & seqq. omnem vendicat injustitiam, 586. e. pios ad se clamantes quantocius exaudit, ib. e. f. 738. b. c. requirit pluralitatem personarum, 619. g. est essenciale, verum, æternum ens, 622. h. ex mundi opificio cognosci potest esse unum in essentia, 623. g. eum nemo videt vivens, nec audit, 628. f. 672. a. occurrit per gratiam animæ sese desideranti, 633. c. ubique præsens omnia intuetur, 635. h. in anima quæ vult occulte operatur, 645. e. quomodo mundum dilexerit, 647. c. d. & seqq. quomodo sua dicta & oracula signet, 651. b. c. est purissimus spiritus, non corporeus, 658. a. sua dona dat sedulis & diligentibus, 664. e. habet vitam a sua essentia: est fons omnis vitæ, & vitæ dominus, 669. c. quam bene mentem intus doceat & illuminet, 680. b. 681. a. ei omnia sunt possibilia, 687. e. est principium omnium rerum, 706. g. h. & seqq. est æternus & immutabilis, 714. f. & seqq. an peccatores orantes exaudiat, 719. g. in rebus desperatis solet opitulari, 735. a. peccatorem sua gratia prius movet, 739. f. habet curam Ecclesiæ & Pontificis, 741. b. c. ei offerenda sunt optima, 744. b. ipse homines non obdurat, nec excæcat, 751. a. c. est lux increata & immensa, 752. b. c. quomodo in Christo sit clarificatus, 762. a. b. est centrum dilectionis, 763. f. g. sufficit suis, quia est ipsa sufficientia, 767. f. g. ipse prior diligit nos, 771. d. e. & seqq. quomodo maneat in anima, 772. c. d. sine eo nil facere possumus, 778. c. d. sua secreta sanctis mentibus revelat, 781. h. novitios initio vocationis leniter habet, 787. b. vult orari, 794. c. d. Deus in incarnatione e cælo in terram descendit, 646. e. f. eum pingebant Ægyptii ut circulum, 803. a.

Deus Pater posset gratiam Christo datam, utpote finitam, augere, & facere ut in ea quoad habitum proficeret, 493. f. g. cur vocetur mens, 619. a. non potest esse solus, 619. g. quomodo mundum dilexerit, 647. c. d. cur ipse carnem non assumpserit, ad magis amorem suum exhibendum, 647. e. f. quomodo dederit Filio omnia, 651. g. quæ ipse operatur, eadem operatur & Filius, 667. b. f. omnia ei communicat, ibid. f. g. intelligendo producit Verbum, ibid. d. e. g. quomodo Filio etiam majora communicarit, 868. a. ejus voluntas & Filii eadem est, ib. e. Patrem negat, qui negat eum genuisse filium, ibid. f. suam communicat Filio divinitatem, quæ vita est per essentiam, 686. c. e. f. 768. a. dedit ei scientiam & doctrinam, 693. d. g. cur ad eum se iturum dixerit Christus, 696. c. quando ipse de Christo perhibuerit testimonium, 704. a. c. d. quomodo sit cum Filio, 708. a. b. judicium universale illi commisit, 713. a. ac injurias illi & Sanctis irrogatas ipse judicat, & vindicat, ibid. voluit & jussit Filium pati, & in cruce mori, 727. b. ejus potentia, 729. a. est unus cum Filio in essentia & deitate eadem numero, ibid. 730. b. quomodo eum sanctificarit, 729. h. orantem Filium semper audit, 738. g. quomodo eum clarificarit, & adhuc clarificaturus sit, 747. h. dedit ei mandatum agendi & dicendi omnia quæ egit & dixit, 752. h. quomodo eum signarit, 677. g. & seqq. est vita beata, 766. c. d. 767. b. quomodo sit viticola, 776. e. f. quomodo palmitem in Filio non ferentem fructus tollet, & fructiferum purgabit, 776. g. h. est Filio major, & non major, 773. d. e. & seqq. 796. g. h. quomodo per Filii humilitatem clarificetur, 797. b. cur dicatur justus, 804. a.

Diabolus idem est quod accusator, 571. f. 689. g. Christus Judam diabolum vocavit, & quare, 689. g. & seqq. delectatur locis spurcis, & spurca assumit corpora, 522. e. 523. d. cognovit Christum fuisse Dei filium & Messiam, sed odio & superbia excæcatus ægre id credebat, 522. f. g. de cælo deturbatus est sicut fulgur, subito, violenter, velociter, manifeste, 530. h. & seq. ejus vis & potentia per Christum fracta est, ibid. f. 748. f. vocatur serpens & scorpio, ibid. h. suos clientes sinit perire inopia, 566. f. nec veras dat ei voluptates, 567. b. c. moro repræsentatur, 580. d. e. Sanctos afflictione vexat & agitat, ut triticum cribro agitatur, 600. e. an singulis morientibus appareat, 606. e. an etiam Christo morienti apparuerit, ibid. quo sensu esset pater Pharisæorum, 709. f. h. 710. a. b. c. 711. a. f. gaudet exitio hominum, 710. e. f. quomodo fuerit homicida ab initio, ibid. f. & modo est, ibidem. f. quomodo in veritate non steterit, ibid. f. & seqq. est mendax, 711. c. d. est in gratia creatus, sed in ea non steterit, ibid. b. ejus proprium mentiri, ibid. d. est pater mendacii & hæresum, ibid. e. lupus est, 725. g. Christus sua morte eum mundo pepulit, 748. f. in Christo non habuit quidquam, 774. b. c. est ab Apostolis e templo & idolis pulsus, 788. f. *vide* Dæmon.

Diaconi Romanæ Ecclesiæ quatuor, servientes Martyribus, facti sunt Martyres, 754. g.

Diaconissæ olim juxta templum habitabant, 489. b.

Dicere & *loqui* quomodo differant, 753. h.

cur Didymus id est gemellus, dictus sit S. Thomas, 733. g. h. sed incredulus, recte fuit Didymus, 813. f.

Dies azymorum prima quando inciperet, 754. c. dies judicii cur vocetur nox, 684. c. dies octava Scenopegiæ erat festa, diebaturque dies cœtus vel collectæ, 696. g. dies halcyonii vocantur dies sereni & placidi, 475. c. dies actorum Christi initio vocationis Apostolorum digeruntur, 633. f. item ultimi vitæ ejus, 743. b. quem diem Christi, & quomodo viderit Abraham, 713. h. & seqq. dies quatuor peccatoris quinam sint, 734. c. quo die nuptiæ sint celebratæ in Cana, 636. g.

Digitus S. Thomæ, quo Christi vulnera tetigit, Romæ asservatur, 824. g.

Dilectio prævia meretur peccatorum remissionem, 517. g. & seqq. sola facit Christi discipulos, 763. f. præcedet observationem præcepti, 779. dilectio hominum provocat dilectionem Dei erga eos, 780. e. hæc probatur ex observatione mandatorum, 771. d. e. dilectionis fervente Dei tria signa, sex effectus, 803. c. d. tria ejus consequendæ media, 803. e. dilectio mutua est præceptum Christi antonomastice, 780. e. cur id dicatur mandatum novum, 762. g. h. cur dilectio Christianorum summa esse debeat, 763. h. erat olim Gentilibus admirationi, ibid. debet esse ut dilectio Christi erga nos, ibid. b. c. atque hæc nobis esse debet ceu stimulus ad invicem diligendum, ibid. d. dilectio Christi erga Apostolos, 779. c. d. & seqq. *vide* Amor, Charitas.

Diligentia opus est ad beneficia Dei percipienda, 664. d. e.

quid sit *Diligere in finem*, 754. h. & seqq. diligens Deum ex amore tantum naturali, minus diligit quam qui eum amat ex amore supernaturali, 519. c. d.

Dimittere subinde in Script. accipitur pro liberare & sanare, 503. d.

Dipondius erat duo asses, 543. c.

cur Discipuli Christo permittente baptizarent, 648. f. g. tunc necessarii erant Apostoli, ibid. discipulorum LXXII. nomina non sunt nota, 529. a. b. figura eorum, ibid. c. eorum officium, ibid. in respondent sacerdotes, ibid. d. cur tot sint electi, ibid. e. cur bini missi, ib. e. f. ex discipulis Christi multi eum deserunt propter sermonem de carne ejus sumenda & qui hi fuerint, 688. f. an ex iis fuerit S. Marcus, ibid. f. g. qui discipuli Christi cum eo nuptiis interfuerint, 637. g. h. & hi in eum credere post risen primum miraculum perrexerunt, 640. a. b. discipulorum duorum in Emmaus euntium historia, 607. f. an in ea Lucas differat a Marco, ibid. quinam duo hi fuerint, ib. & quare in Emmaus ierint, ib. Emmaus etymon iis adaptatur, ibid. h. cur Christum non agnoverint, 608. b. c. cur iis alia in effigie apparuerit, ib. d. cur recte loquantur, 609. a. & seqq. eorum vana spes & diffidentia, ibid. b. discipulorum Joannis Christum audientium, in eo audiendo ardor, 632. g. h. quare litem moverint cum discipulis Christi super baptismo, 649. d. & seqq. ab eo docentur Christum se esse majorem & digniorem, & se non nisi ejus esse judicem, 649. g. & seqq. *vide* Apostoli.

Discordia dissolvit respubl. 536. d. e.

Dismas dictus latro bonus, 605. h.

Dispensator cuique suum pro meritis distribuat, 649. g. h. dispensatores tantus sumus donorum Dei, 571. e. 572. g. 695. e.

cur Dispersi vocarentur Gentiles a Judæis, 478. c.

in Diversorio B. Virgini prægnanti non erat locus, 478. c.

cur Divites non diu vivant, 544. a. & seq. plus a paupere accipiunt quam ei dent, 573. d. opes suas prudenter expendant ad peccatorum suorum expiationem, ib. e. sunt plerumque duriti imar

Inimitas, 575. f. g. 576. a. f. divitiis eor non opponant, 579. e. qui divites dici possint pauperes spiritu, 509. g. qui dives in Deum dicatur, 544. h. & seqq.
Divitias coacervare quando sit peccatum mortale, 510. b. qui in iis confidunt, & consolationem suam quærunt, in futuro plangent, ibid. c. earum vanitas & pernicies, 544. b. & seqq. divitiæ cælestes vere justæ sunt & homini propriæ, 572. e. f. *Vide* Opes.
Divinitas Christi astruitur & probatur, 518. g. h. 519. d. qui hæretici eam negarint, 618. c. hæc in illius morte emicuit, 762. b. c. ipse eam cognosci petit, 796. e. f. 798. h. & seqq. ipsa in Eucharistia est causa physica resurrectionis nostræ, 685. d. e. f. g. 686. a. b. nobis assidue dat vitam gratiæ, 686. g. h. hæc carni unita summa est claritas, 802. e. f. in passione integra permansit, 815. d. e. divinitas Patris & Filii una & eadem est, 768. a. b. & seqq. hæc erat causa efficiens verborum & operum Christi, ibid. f. & seqq.
Docco vox unde formetur, 752. a.
Docibiles Dei quid sit, & qui sint, 680. g. h.
Doctrina Christo erat divinitus infusa, 693. e. g. doctrina ejus omnibus est sequenda, & qualis esset, 703. a. doctrina Christiana quam afferat libertatem, 707. c. & seqq. deducit ad beatam immortalitatem, ibid. d. doctrina & veritas sacerdoti cuilibet necessaria sunt, 626. g. h.
Documenta quædam Christus dedit pro solis Apostolis, quædam pro omnibus fidelibus, 549. e. f.
Dolor B. Virginis ex filii passione & tormentis quam intensus fuerit, 487. d. e. maxime ejus cruci adstantis, 811. a. & seqq.
Christiani omnes omni lingua B. Virginem vocant Dominam nostram, 450. g. h. & seq.
Dominica dies dignior est sabbato, 509. d. & ei fuit substituta & quando, 827. f. in ea Christus fuit natus, 475. e.
S. Dominicus ex uno XV. millia dæmonum expulit, 523. a. miraculose ejus fratribus providet Deus de cibo, 675. d. ejus ultima verba, 762. d.
Dominium pecuniarum datarum habuit Christus in communi, 592. e. & seqq.
quomodo Domui Zachæi facta salus, Christo in eam ingresso, ibid. e. f. domus Zachariæ in Emmaus describitur, 458. g.
Dona spiritualia tempore Messiæ ubertim danda, prædixerunt Prophetæ, 696. h. & seq. dona Dei omnigena vocantur hominis substantia, 566. b. c. donis a Deo acceptis quisque ad Dei voluntatem & honorem uti debet, 572. g. quia eorum non domini, sed dispensatores sumus, 571. e. & seqq. ea dantur sedulis & vigilantibus, 664. e.
Drachma idem est quod regalis Hispanicus, 566. f. 593. e. f. drachmæ perditæ parabola explicatur & applicatur, 566. f.
Dualitas est mater omnis discordiæ belli, 536. e.
S. Dympna a patre rege obtruncata est, quod ejus nuptias fugeret, 637. e.

E

Ebion negabat Christum fuisse ab æterno Deum, 618. e. quid de eo dixerit S. Joannes, 835. a.
Ebrietas quid sit, & quando peccatum mortale, 598. b. sæpe capitur pro liberaliore potu mentem exhilarante, 639. h.
Ebrii de sapore non recte dijudicant, 639. h.
S. Ebrulphus Abbas sola Eucharistia diu vixit, 678. e.
Ecce quid sibi velit in cantico Mariano, 463. f.
Ecclesiæ est declarare quis liber sit canonicus, quis apocryphus, 442. b. item quis genuinus Scripturæ sensus, ibid. c. Ecclesia regnum est Christi, 453. h. ejus fundamentalis lapis est Christus, 486. d. c. navis est Petri, 507. a. ei Christus semper de oraculo veræ fidei prospicit, 600. g. successu temporis crevit ad perfectionem cognitionis mysteriorum fidei, 614. d. 788. h. est ovile Dei, 722. b. c. 724. b. habet in se varia pascua, 723. d. quantam ejus curam habeat Deus, 741. b. c. quam late se diffundat, 768. f. non est schismate scindenda, 810. g. h. ejus regimen est monarchicum, 830. a. ejus luctus in perditione filiorum suorum, 514. a. b. conflata est ex Judæis & Gentibus, 726. g.
Ecclesiastici sæcularia non tractent, 453. b.
S. Eduardus rex Angliæ nemini petenti eleemosynam in nomine S. Joannis, eam negabat: qui & ei mortem per alios prædixit, 827. h.
Electi erunt hic deliciis, ut habeant eas in cælo, 577. g.
Eleemosyna est fructus dignus pœnitentiæ, & ad omnem virtutem iter sternit, 496. f. ditat, non depauperat, 511. f. juvat dantem in altero sæculo, 572. h. est danda e superfluo, 540. g. e proprio, non ex alieno, ibid. h. & seq. ea late patet, 541. b. omnia mundat, quo sensu, ibid. c. ejus alii effectus, ib. b. c. sanat avaritiam & rapinam, ibid. c. d.
Elias veniet ante secundum adventum Christi, 630. d. ei se comparat Christus, 504. h. zelans pro honore Dei fuit typus Christi zelantis pro domo Dei, 641. a. b.
S. Eligii Noviomens. Episcopi ultima verba, 780. g.
Elisabeth quid hebraice sonet, 446. f. 447. f. sunt Elisabethæ variæ sanctæ, 446. b.
Elisabeth mater S. Joannis fuit filia sacerdotis, 446. a. fuit sancta & prophetissa, ibid. b. erat natura & complexione sterilis, ibidem. e. erubuit uterum ferens, sed in secreto cordis gaudebat, 450. a. quando a B. Virgine visitata fuerit, & qua de causa, 458. a. b. quomodo & quare ab ea sit salutata, ibid. b. repleta est tunc gratia gratum faciente, & gratis data, 459. h. accepit quoque tum domum prophetiæ, ib. unde exclamavit voce magna, 460. a. cognovit inspirante Spiritu sancto B. Virginem concepisse Filium Dei, ibid. b. cognovit item eam credidisse angelo Christi conceptionem nuntianti, 461. f. illius humilitas, ibid. trimestri apud eam Deipara egit: quæ in obsequia impenderit, 467. a. & seqq. illi etiam adfuit post partum, ibid. c. a Spiritu sancto cognovit nomen filio imponendum, ibid. f. g. cum filio fugit in desertum, & ibi mortua est, 471. f. fuit consobrina B. Virginis, & neptis S. Annæ, 499. g.
S. Elisabetha Landgravia DCCCC. pauperes quotidie convivas habuit, 569. e. ejus humilitas & sui abjectio, 609. c. lavit pauperum pedes, 758. b. c.
Elisæus relictis Israelitis Naaman Gentilem a lepra mundavit, 505. a.
Elohim tam Deum quam deos hebr. significat, 729. e.
Emmaus vocis etymon: vicus erat tempore Christi, postea a Romanis, devictis Judæis, aucta factaque trophæum, dicta est Nicopolis, 607. b. in Emmaus videtur habitasse Zacharias, 458. f.
Encænia templi Hierosolymitani qua occasione sint instituta, 727. d. e. mense Decembri celebrabantur, ibid. & seqq.
Encratitæ damnabant nuptias, quasi diaboli inventum, 637. g.
Ephi res modios continebat, 572. e.
Ephrem & Ephraim quænam sit urbs, & ubi sita, 741. f. quid vox hebraice sonet, ibid. g. est typus Ecclesiæ Gentium & animæ sanctæ, ibid. g.
S. Ephrem docetur a meretrice, 484. g. h. ejus ad suos ultima verba, 762. d.
Epicureorum mores, 574. g.
in festo Epiphaniæ tria miracula simul recolit Ecclesia a Christo facta, 636. h. 637. a.
ἐπιτιμᾶ, quid proprie sibi velit, 455. g.
Episcoparus quantum sit onus, 550. e. & seq.
Episcopi duodecim Apostolis successerunt, 529. d. olim sæcularium fidelium lites dijudicabant, 544. a. eorum munia & partes, 725. a. & seqq. non sequantur suos affectus, nec indulgeant amori, 832. c. *Vide* Pastor, Prælati.
Epulari ex adjunctis sæpe est peccatum mortale, 576. d.
Epulonis historia vera est: ejus nomen quod sit, 574. e. fuit Judæus: an Christi vixerit tempore: ejus fastus & mollities in vestitu, ibid. f. illius in epulis splendor & luxus, ibid. g. & immisericordia, 575. b. d. ibid. g. 578. a. sepultus est in inferno, 576. b. sortis ejus mutatio, ibidem. b. 576. g. h. est damnatus, 576. c. quodnam ejus peccatum sit, ibidem. c. vidit e tormentis Lazarum in sinu Abrahæ jucunde quiescentem, & cur, ibidem. f. cur invocet Abrahamum, ibid. g. Lazari opem exposcit, ibid. h. 578. b. ejus siti in tormentis, 576. h. quomodo ejus anima habere dicatur linguam, ibid. h. quære ab Abraham vocetur filius, nec tamen ab eo exaudiatur, 577. e. quare ei maneat cognitio, & memoria, ibid. ejus cruciatus apud inferos, 578. a. & seqq. an ei ostensus locus Beatorum in cælo, ib. b. Judæos superbos designat, ib. e. quomodo Lazarum ad fratres mitti roget, ibid. h. & seq. quomodo fratrum salutem optare possit, 579. a. & quare, ibid. cur mortuum aliquem ad eos mitti roget, ibid. b.
Erat apud Joannem de Verbo Dei loquentem quater repetitur, 618. f. quid significet, ibid. h. & seq. id Deo proprium est, 619. a.
Ergo sæpe est nota initii sermonis, 654. e.
Erubescens Christum confiteri, vicissim ab eo non agnoscetur, 526. a.
Essentia divina una & eadem est in Christo & Deo Patre, 689. c. 768. a. b. c.
Est proprium est Dei, 619. a.
Esurientes a Deo pascuntur & replentur, 466. c. d.
Esuries spiritualis, cibi corporalis nauseam inducit, 659. g.
Et Hebræis sæpe idem est quod *quia*, 601. h. aliquando idem quod *sic*, 667. a Joannes sæpe id capit pro *ficus*, 615. b. & pro *idcirco*, *ideo*, 625. c.
cur Evanescat Christus ex oculis discipulorum in Emmaus, 610. e.
Evangelistarum inter se consensus, 412. a. b. c.
Evangelium primo pastoribus annuntiatum est, 479. f.
Evangelium est veteris Testamenti supplementum, 618. d. ejus & legis sex differentiæ, 459. e. f.
Eucharistia pescit Christianos ad instar cibi, 466. d. cur vocetur convivium, 560. g. ejus effectus in oculis mentis aperiendis, 610. c. d. est cibus permanens in vitam æternam, 676. d. fides in ea maxime necessaria est, ibid. e. f. 677. c. d. ipsa excellentior est ipso manna, ibid. f. g. varii ejus effectus, & proprietates, ibid. quomodo in ea sit panis verus & cælestis, ibid. h. quia de cælo descendit, & dat vitam mundo, 678. a. cur vocetur panis, ib. d. tamdiu in ea Christus jam sumptus in nobis est substantialiter, quamdiu species supersunt, iis consumptis calore stomachi, adest per gratiam, 685. d. e. g. h. & seqq. vitam dat rite ipsam suscipientibus, 686. d. f. est velut lignum vitæ, 678. d. etiam corpus nutrit & vegetat, ibidem. e. debite sumpta, nauseam adducit aliarum voluptatum, ibidem. e. f. durat in perpetuum, 681. d. e. a morte liberat, ibidem. d. e. se comedentes vivificat, ibidem, e. f. 684. e. de ea loquitur Christus, cum ait eos, qui ex pane, quem ipse daturus est, manducant, victuros in æternum, 681. f. & seqq. olim dabatur & infantibus, 682. a. 683. c. est symbolum societatis & unitatis, 782. a. 683. d. 800. h. 802. f. g. in ea vere caro Christi manducatur, & sanguis bibitur, 682. e. f. ejus manducatio præceptum est, sed non nisi adultos spectat, 683. b. c. laicis danda sub una specie, ibidem, e. fine ea vita spiritualis diu retineri nequit, 684. a. b. ejus fructus & effectus ex panis & cibi effectibus sunt colligendi, ibidem. c. 685. e. f. sæpe morbos & mortis pericula depellit, 684. c. ad vitam æternam conducit per gratiam quæ in ea datur, ibidem. e. est causa resurrectionis, e. f. & seq. quo sensu, ibidem, 685. e. f. in ea carni Christi realiter & substantialiter unimur, 684. h. & quam intime, 685. a. b. per eam quoque corpori semen morale immortalitatis inseritur, ibidem. d. per eam simus spirituales, sancti & divini, & indies magis & magis, ibidem. f. præstat omni cibo, 686. a. mors est malis & indignis, ibid. e. Christi corpus in ea tangibiliter non

Digitized by Google

non editur, nec diſcerpitur, 689. d. virtus illa vivificandi, quam habet corpus Chriſti in Euchariſtia, non tam manat a carne, quam a ſpiritu Verbi, 687. g. h. ejus inſtitutio an præceſſerit prædictionem proditionis Judæ, 759. c. d. & ſeqq. 769. a. e. eam Chriſtus inſtituit paulo ante mortem, velut ſummi amoris teſſeram, 755. a. c. d. præmitti ei debet pœnitentia, & mundities conſcientiæ, ibidem, c. d. 756. c. d. f. g. vinum validiſſimum eſt, 775. h. 776. a. & ſeqq. eſt ſumma charitas, 802. d. e.

Euchitæ volebant ſemper orare, nec unquam manibus laborare, 585. d. 676. d.

S. Eulalia virgo in tenera ætate agnomen ſuum igne conſummavit, 551. g.

Eunomius negabat Spiritum ſanctum a Patre procedere, ſed a ſolo Filio, 784. c. d.

Euſebius Emiſſenus non eſt auctor homiliarum, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, 605. b.

Euthymius ſua breviter ex aliis Patribus collegit, 616. e.

Eutyches dicebat Verbum incarnatione transformatum in carnem, 625. e. h.

Exultatio Chriſti, de ejus cruce eſt intelligenda, 749. a. & ſeqq.

Execrationis ſuæ cauſa eſt ipſe homo ſua malitia, 751. b. execratio Judæorum, ibid. c.

quis ſit Exceſſus Chriſti, de quo loquuntur Elias & Moyſes in monte Tabor, 526. c. & ſeqq.

Excuſatio invitatorum ad cœnam deducitur, 561. a. & ſeqq.

Exempla bona ſunt velut lucernæ ardentes, 547. f.

Exercitus Dei ſunt angeli, 479. h.

Ἔθος quid ſignificet, 526. c.

Exſpectare Dominum quomodo debeamus, 548. b. c. d.

Exteri in cenſu & deſcriptione profitebantur ſubjectionem Cæſari, 474. g. ſæpe gratiores ſunt indigenis, & quare, 583. h. ſæpe fidem avide excipiunt, quam domeſtici faſtidiunt, 661. c.

Exultatio animæ & mentis quid ſit, 461. b. & ſeq.

F

Fabiolæ Rom. pœnitentia publica, 568. f.

Fabrilem exercuit Chriſtus adoleſcens & juvenis, 492. e.

nihil poſſumus facere ſine Deo, 777. b. 778. a.

Familiaritas cum Deo parit donum prophetiæ, 782. a. quo quis Deo familiarior, eo magis ſe deſpicit, 456. f. g.

Faſciæ Chriſti mundæ fuerunt: in earum honorem feſta dies inſtituta, 476. h. faſciæ ſepulchrales quænam eſſent, 739. c.

Fato non fuit Chriſtus ſubjectus, 705. d.

Favus mellis eſt ſymbolum Chriſti, 612. b.

triplicis ſtatus Feminarum bonum, in Maria fuit, 452. f. g. ex ſola femina natus ſine opera viri, non contraheret peccatum originale, 455. b. feminæ heredes parentum, deficiente prole maſcula, jubentur nubere in familia eadem & cognatione proxima, 498. e. feminarum conſortia vitanda, 658. g. quomodo viro Apoſtolico curandæ ſint, ibidem, h. *Vide* Mulier.

Feria VI. Chriſtus conceptus, & mortuus eſt, 475. e.

Fervor S. Petri ſe in mare mittentis, 828. b.

Feſta bonis operibus impendenda ſunt, 693. g. quæ feſta duplicia vocentur ab Eccleſia, 508. h. feſta Hebræi incipiebant a pridiana veſpera, 754. c. d.

cur cum Feſtinatione abierit B. Virgo ad cognatam, 458. d.

Fictio Chriſti apud diſcipulos euntes in Emmaus, non fuit mendacium, 609. g. & ſeqq.

Ficus infrugifera aptum eſt ſymbolum Synagogæ Judaicæ, 554. a. f. & ſeqq. ficus arbor deſcribitur, ibidem. g. & ſeqq. omnes ejus proprietates juſtis adaptantur, ibid. ſæpe fert fructus demum tertio anno, 555. b. fuit arbor vetita Adamo, 591. f. ficus ſatua & Ægyptia eadem arbor cum ſycomoro, ibidem. f. g.

Fideles Dei & Chriſti ſanctitatem debent imitari, 469. g. h. cur dicantur puſillus grex, 545. g. ipſi ſoli ſalvantur, non tamen male viventes, 556. f. & ſeqq. an eorum plures ſalventur, an damnentur, problema eſt, ibid. omnem ſuam gratiam a Chriſto mutuantur, 627. c. d. 628. a. quomodo in Eccleſia ingrediantur & egrediantur, 724. c. eos agnoſcit Chriſtus tum ſpeculative, tum practice, 726. a. & viciſſim ipſe ab iiſdem cognoſcitur, ibid. f. & ſeqq. quam ei ſint chari, 830. e. f. ipſi eorum ſingulos in eſſentia ſua divina vidit, cum pro iis ante paſſionem oravit, 801. c. quod eorum aliqui pereunt, ipſi, non Deo eſt imputandum, 728. e. ſunt in manu Chriſti, ibidem. g. quomodo in eo vivant, 735. f. g. in eo per fidem & charitatem non manentes, poſt mortem mittentur in ignem infernalem, 778. g. ſunt oves Chriſti, 723. c. 726. a. 728. e. f. vocem ejus ceu paſtoris audiunt, 723. b. eos ipſe in S. Joanne B. Virgini commendavit, 812. d. e. ſunt ſubditi Romano Pontifici, 830. b. c. ſi ſint infructuoſi, exſcinduntur, fructuoſi excolentur, 776. h. & ſeqq. *Vide* Chriſtiani, Credentes.

Fides nuda peccata non remittit, ſed formata bonis operibus, 519. f. g. & talis eſt velut lucerna accenſa, 547. e. ſola non ſufficit ad ſalutem, 535. e. luci comparatur, 622. c. eſt donum Dei, & tamen pendet ab arbitrio noſtro, 624. d. 678. b. 679. b. g. 722. b. c. eſt velut ſigillum quo obſignamus dicta Dei, 651. b. c. & cibus permanens in vitam æternam, 676. d. e. eſt opus ſanctum, 677. c. credit quæ non videt, nec capit, 684. a. b. 825. b. c. eſt velut fax, 547. d. 702. f. cur ſenſim creſcere debuerit, 769. c. fides in Deum & Chriſtum eſt via recta ducens ad vitam æternam, 797. g. h. talis eſt ceu oſtium ovilis, 722. c. fides perfecta eſt granum ſinapis, 580. d. cur eam apud Apoſtolos Dominus extollat, ibid. f. fides S. Madgalenæ pœnitentis, 516. e. fides humilis requiritur in credendo Sacramento Euchariſtiæ, 688. d. quæ fides in miraculis neceſſaria ſit, 583. c. & in oratione, 793. d. eſt ejus baſis & fundamentum, 587. a. ejus defectus eſt in terra, ib. & ſeqq. fides perfecta raro invenitur, ibid. b. & ſeqq. ea deficit maxime ſub finem mundi, ibid. eſt ſuſcimentum in adverſis, 765. a. b. fides parva reguli a Chriſto arguitur, 661. f.

Filiatio divina quantum ſit bonum, 624. c. eſt donum Dei, ib. d. provenit illa ex Deo, ibid. f.

Filius cum additur genitivo præmii vel pœnæ apud Hebræos, ſignificat dignum tali præmio vel pœna, 596. e. f. 800. e. filii parentum memoriam perpetuant, 791. d. habeant curam parentum, 812. a. filius Dei eſt, qui naſcitur de Spiritu ſancto, 456. c. filii Dei ſunt omnes per gratiam, ibid. 624. c. & omnes fideles, ii quomodo naſcantur ex Deo, ibidem, e. f. filii Abrahæ ſunt qui ejus fidem imitantur, etſi Gentiles, 466. b. filii prodigi parabola exponitur, 566. a. b. filii duo prodigus, & alter frugi murmurans, quos denotent, 570. a. b.

Filius Deo Patri æqualis eſt, non ſubditus ratione originis, 491. g. h. is paſſim in Script. vocatur Verbum Patris, 619. a. & quare, ibid. b. & ſeqq. eſt alia perſona a Patre, ibidem. f. & ſeqq. Filium Dei Chriſtum eſſe, qualiter agnoverint Nathanael & Philippus, 634. g. h. 635. a. cur ipſe ſit incarnatus, non Deus Pater aut Spiritus ſanctus, 647. e. f. non poteſt a ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem, quomodo, 668. e. & ſeqq. a Patre exivit per exitum temporalem & æternum, 794. e. f. ſunt ambo unus & idem in eſſentia & divinitate: hinc qui Filium videt, videt & Patrem, 768. a. b. c. hic eſt in illo, & ille in hoc, ibid. d.

diligere in Finem, quid ſit, 754. b.

Fixura clavorum in Chriſti corpore erat figura vulnerum aperiendorum, 814. a.

Flagellatio Chriſti excutitur, 809. f.

S. Flavia Domitilla neptis Domitiani Imper. ab eodem martyrio eſt affecta, 607. f.

quæ Fletus Chriſti ſuper Jeruſalem fuerit cauſa, 594. c.

Florentia ſtructa in medio Apennini, 505. c.

quæ Flumina aquæ vivæ dicantur, 697. a. b. quando ea fluxerint fideles cœperint, ibid. f.

Fœnerator etiam vocari poteſt mutuator, ſive creditor, 517. c.

Fœtus ſexto menſe vitalis eſt & vegetus, 456. d.

Folietta eſt quarta pars boccalis, 639. b.

Fomitem concupiſcentiæ habent omnes qui habent peccatum originale, 459. f. eo caruit B. Virgo, ibid.

Fontis etymon, 653. f. fons Jacob idem eſt quod puteus Jacob, ibidem. fontis & lucis affinitas, 718. a. fons gratiarum eſt Chriſtus, 717. g. item fons aquæ vivæ, 697. b. c. fons juxta Emmauntem ſalubris, 608. a. fons olei Romæ fluxit tempore quo Chriſtus natus, 473. f. fons Siloe & Sabbaticus deſcribitur, 717. d. e. fontes calidi, qui etiam faces accendant, 552. a.

Forma deitatis Chriſti eſt character, quo ſignatus eſt a Patre, 676. f. g.

Fornicatio myſtica eſt idololatria, 709. b.

Forſitan Joannes ſæpe ponit *utique*, 615. b. 673. c.

Fractio panis vocatur Euchariſtia, 610. b. k.

Franciſcani profitentur ſummam paupertatem, 745. d. iis manu collectis providit Deus de cibo per angelos, 675. c.

S. Franciſcus dulciſſime cum Chriſto puero diſſuaviabatur, 478. g. mater eum in ſtabulo facili partu enixa eſt, 477. d. ei obedientia, 492. c. vetuit ſuos in craſtinum quid ſervare, ſi in diem vivere juſſit, 545. g. ei humili ſedes altiſſima in cœlo præparata, 600. b. cur in Paſchate ab ipſis Fratribus ejus emoſynam petierit, 608. f. ſe apud Deum nihil eſſe opinabatur, 629. f. divinam inſpirationem percipiens, eam excepturus, ſubſiſtebat, 750. e. ejus ad ſuos ultima verba, 762. d. e. ſtigma habuit in latere dextro, non ſiniſtro, 814. f.

Franciſcus Lucas in Joannem totus litteralis eſt, ſed litteram pios trahit affectus, 616. b.

S. Franciſcus de Paula cur ſuos dici voluerit Minimos, 602. b.

Franciſcus Ribera Societ. Jeſu in Joannem brevis eſt, ſed rem & eruditus, 616. b.

R. D. Franciſcus de Salis Epiſcop. Genevenſis inſtituit congregationem Religioſarum ægris inſervientium, 481. c.

Franciſciſci Toleti commentarius in Joannem quo nomine laudetur, 616. c.

S. Franciſcus Xaverius ubique, etiam in navi, evangelizabat 535. a. b. ejus, etſi legati Apoſtolici, humilitas, 719. c.

cur Chriſtus Apoſtolos vocet fratres, 600. b. & ſeq. fratres Chriſti vocantur ejus cognati & conſobrini, 640. g. hi ei dixerunt ut in Judæam tranſiret, 691. g. quid eos moverit, ibid. & ſeqq. non credebant in eum, 692. a. an de fratribus ita vere ſollicitus fuerit Epulo, 578. b. & ſeqq. frater fratri ſine liberis defuncto debebat ſuſcitare ſemen ducta ejus uxore, 498. a. b.

quis fuerit Fremitus Chriſti in Lazari ſuſcitatione, 736. c. 737. b.

Fructus pœnitentiæ. 519. f. 852.

Frugales erant Apoſtoli & priſci, 499. b.

Fuit in genealogia Chriſti apud Lucam quid ſonet, 499. b. ſeq.

Fulguris proprietates deſcribuntur, 531. c. d. eſt ſymbolum ſuperbiæ & vanæ gloriæ, ibid. d. inſtar fulguris veniet Dominus ad judicium, 544. 531.

Fulmen & fulgur quomodo differant, 531.

Fundatores Ordinum ſtatuerunt ut ſui exirent bini, 729.

Fures ovium, id eſt fidelium, qui ſint, 722. e. f. 724. e. venerunt ibid.

hi ut mactent, 784.

Futurum tempus recte convenit æternitati,

Digitized by Google

G

Gabatha quid sit: ad id multis gradibus scandebatur, 809. & seq.
Gabelle dicta a voce *gabia*, 590.
Gabriel proxime astat Deo, estque e septem primariis angelis, 449. *b. c.* & ex ordine Seraphinorum, ibid. præest bellis fidelium, 450. *d.* quomodo ad Mariam sit ingressus, ibidem. *h.* exspectabat ejus consensum, 356. *e.* quamdiu cum illa manserit, 457. *h.* eam flexis genibus salutavit, 458. *a.*
Gabriel fuisse videtur angelus, qui pastores ad Christum in præsepio jacentem adduxit, 479. *a. b.*
Gabriel idem est quod fortitudo Dei, 448. *f.* 449. *d.* 450. *d.* & seqq. ejus quod sit etymon, 464. *e.* & an ipse Christum in horto orantem confortarit, 601. *e.*
Gadara alius est locus a Gerasa, 522. *c.* data erat habitandum Syris a Cæsare, 523. *d. e.*
Galilæa patria est Prophetarum, 698. & seqq.
Galilæorum secta docebat non debere Judæos subesse Cæsari Gentili, 553. *g.* est hæc exorta sub tempora Christi, ib. Galilæi quinam a Pilato cæsi, & qua de causa, ib. *f.* Galilæi erant ignobiles & pauperes præ Judæis, 683. *e.*
Garizim mons urbi Sichem imminet, 656. *h.* ejus celebritas, ib. habuit nobile templum, quod stetit CC. annis, ibid.
Gaudium a re inexspectata & nova ortum mentem adhuc reddit anxiam & dubiam, 612. *a. b.* præ gaudio quidam mortui sunt, 462. *c.* gaudium Christi e passione, 791. *c.* quod gaudium Christus pro præmio discipulis afferat, 779. *h.* & seqq. est id tam suum quam discipulorum, 780. *b.* quomodo id impleri & perfici possit, ibid. *g.* gaudium Spiritus sancti est fructus pœnitentiæ, 519. *g.* gaudia sæculi mutantur in luctum sempiternum, 709. *g.*
Gazophylacium erat locus publicus & amplus: ipsum describitur, 704. *h.*
Gemelli sæpe moribus & amoribus sunt invicem similes, 733. *h.*
Genealogia Christi e Matthæo & Luca conciliatur, 497. *h.* & seq. 498. *c. d. f. g.* quam ea sit nobilis, 501. *b. c.*
Generationis divinæ & humanæ antithesis, 624. *e. f.* generationem divinam & æternam Christi cur Joannes enarret, ante humanam, 618. *b. c.* quam ea alte petenda, ibid. generatio divina Christi fuit ab æterno, 695. *c. d.* & seqq. generatio Christi divina est & humana, 710. *c.* cur generationes omnes B. Virginem dicant beatam, 463. *g. h.* generationes omnes prætereunt, 500. *e.*
terra Genesar est eadem cum Genesareth, 676. *e. f.*
Gentiles in Lazaro repræsentantur, 578. *g.* & in Zachæo, 593. vocabantur a Judæis dispersi, 696. *e.* eorum nonnulli etiam ad diem festum Paschæ ascendebant, 746. *b. c.* cur per Philippum ad Christum aditum sibi parent, ib. *b.* in tenebris errorum sedentes, a Christo illuminati sunt, 485. *g.* & seqq. 715. *a.* non erant oves ejus, sed eos ipse oves fecit, 726. *e. f.* unde pro illis quoque mortuus est, 741. *a. b.* hinc rejectis Judæis Christi fidem amplexi sunt, 504. *h.* 505. *a. b.* 562. *b.* 624. *a. b.* 696. *f.* 720. *b.* 726. *e.* 746. *d.* quia majore vi prædicationis vocandi erant, hinc dicuntur compulsi intrare, 562. *b. c.* prius indigni, postea se dignos fide & Evangelio reddiderunt, 570. *c. d.* & tunc resurrexerunt quodammodo in novam vitam, 486. *f.* eorum Ecclesia quam uberem attulerit fructum, 741. *g. h.* eorum plurimi ad fidem convertendi erant, 828. *e. f. g.* sed nondum omnes ad eam sunt vocati, 561. *h.* & seq. sed tandem omnes converterentur, 702. *f. g.*
Genus humanum est cæcum a primo ortu, 716. *a. d. e.* quomodo a Christo sit illuminatum, 717. *a. c.* ejus lapsus Christo turbationem causavit in suscitatione Lazari, 737. *b. c.*
Gerasa alius locus est a Gadara, 522. *c.*
cur Geraseni rogarint Christum ut a finibus ipsorum recederet, 524. *a. b.* & seqq.
Germen vox Hebræis late patet, 470. *e.* germen cæleste & terrestre est Christus, ibid. *e. f.* & seqq.
Gesta Christi in Judæa fuere ultima vitæ ejus, 831. *g.* ubi ea Lucas scribere incipiat, 526. *f.* & seqq. ubi gesta secundi anni prædicationis ejus Joannes finiat, 690. *a.* gesta tertii anni quæ sint, 691. *b. c.* & seqq.
quis Gladius, B. Virginis animam pertransit, 487. *c.* & seqq.
Gloriæ definitio, 796. *f. g.* paratur ea per ignominiam, ib. *h.* est stimulus doctrinæ comparandæ, 694. *e.* vana gloria discipulorum Christi quod dæmones ejicerent, 530. *h.* gloriam infinitam & immensam habet Deus in & apud semetipsum, 799. *e. b.* quam gloriam Dei viderit Isaias, 751. *c. d.* qualem gloriam dederit Deus Patet Filio, 626. *d.* gloria Christi in quo sita sit, 609. *f.* per crucem ad eam ipsum pervenire oportuit, ibid. & seqq. gloria deitatis Christi per carnem assumptam quasi per velum apparuit, 626. *c.* quam gloriam Christus a Patre ante mortem suam petat, 796. *c. d.* & seqq. 797. *b.* gloria cælestis sæpe convivio a Script. exprimitur, 600. *d. e.* implet omne desiderium, 855. *h.* quæ ad eam sint viæ, 766. *b. c.* & seqq. ejus ad terrenam comparatio, 797. *a.* ea unicuique erit in cœlo, sed pro meritis dispar, 765. *c.* *vide* Cœlum. *Gloria in excelsis Deo*, diversimode exponitur, 480. *a. b.*
Gloriandum in cruce & tribulatione, 831. *f. g.*
Glorificatur Deus fidei promulgatione, 779. *c.* quæ sit glorificatio sui quam Christus a patre petit, 796. *b. d.* & seqq. 798. *f. g.*
Glossa triplex est, Interlinealis, Ordinaria & Lyrani: qui singularum auctores, 616. *g.*
S. Gorgonia a gravi paralysi per Eucharistiam liberata, 684. *c.*
Græci dicunt Christum anticipando, pascha celebrasse die XIII. ac proinde consecrasse in fermentato, 754. *c.* eorum schisma de processione Spiritus sancti a solo Patre, 783. *b.* Græci Patres de gratia parce loquuntur, ut liberum hominis arbitrium extollant, 380.
Gratia a Deo venit, 488. *h.* quid nomine gratiæ intelligatur, 503. *h.* gratiæ effectus in nobis & in Christo, 493. *g.* ea peccato deperditur, 566. *b. c.* est semen gloriæ, 580. *a.* ab ea habet opus bonum omnem suam vim & virtutem, 594. *a. b.* luci comparatur, 622. *c.* ab ea est quod opus bonum operemur, 777. *h. a. b. c.* reddit nos filios Dei adoptivos, 624. *b.* ejus & aquæ analogiæ, 657. *d. e.* cur ea dicatur aqua viva, ib. *g.* est fons saliens in cœlum, ibid. *h.* & seqq. ejus varii effectus recensentur, ibid. *f. g.* 656. *a b.* ejus blanda vis & efficacia, 680. *b. c.* ejus necessitas, ibid. *c. d.* quidam ei non cooperantur, ibid. *d.* conservatur ab Eucharistia, 684. *h.* qui eam habet, non morietur in æternum, 725. *g. h.* eam Adam amisit peccando, sed eam Christus per Spiritum sanctum datum reparavit, 821. *h.* gratia excitans opus est ut peccator convertatur, 681. *e.* 739. *a.* gratia & Spiritus sanctus sunt correlativa, 804. *c. d.* sua gratia omnibus adest Christus, 771. *h.* & seqq. gratia efficax non omnibus datur, 623. *d. e.* efficacem & congruam, & cooperantem habentes, a Deo complete trahuntur, 681. *d. e.* talis est ad salutem necessaria, ex hypothesi, ib. *e. f.* hæc assidue nobis a Deo petenda, ibid. *f. g.* gratia habitualis in Christo augeri non poterat, utpote plene ei in primo instanti conceptionis infusa, 493. *b. c. h.* hæc affert secum aliquando auxilia prævenientia, 655. *f.* gratia Christi fuit nostræ dispar quadrupliciter: fuit ei naturalis, 403. *g.* quanta illa fuerit, ibid. *h.* 617. *h.* & seq. comitem habere debet veritatem, 627. *a.* ex ejus gratia manavit omnium Sanctorum gratia, 627. *a. b. g. h.* ejus, ut hominis, gratia non fuit infinita, 651. *e. f.* gratia Deiparæ initio conceptionis superavit gratiam supremi angeli, & quomodo ea semper accreverit, 451. *g.* gratiæ omnes aliorum Sanctorum in eam confluxere, 450. *h.* 451. *d.* quomodo ipsa plena gratia, 451. *d. e.* quæ gratiæ concessæ a Christo B. Magdalenæ, 519. *h.* *gratia pro gratia*, quid sit, 627. *f. g.* & seqq.
Gratia Martyr Japonensis cum tota familia, 488. *f.*
S. Gregorii Magni in Pontificatu indefessum studium, cura, labor, 550. *a. b.* sæpe duodecim pauperes mensæ suæ adhibebat, & inter eos semel Christum, 560. *d.* luget se e Religioso factum Pontificem, 563. *a.* visis Angelis juvenibus venustis, de Angliæ conversione cogitare cœpit, 748. *h.* ea audita in spiritu exultavit, 565. *c.*
S. Gregorius Nazianzenus in solitudinem concessit, 472. *b.* ejus pater per Eucharistiam a gravissima febri liberatus est, 684. *c.*
S. Gregorius Thaumaturgus unicuique propria dabit documenta, 549. *h.* ei datus S. Joannes in præceptorem a B. Virgine, 614. *h.* 620. *b.*
Greges tempore brumæ in Palæstina etiam noctu in pascuis sunt, 478. *f. g.*
quomodo Grumos sanguineos sudarit Christus, 602. *c. d.*
S. Guilielmi de humilitate sententia, 456. *f.*
Gulosi in gehenna gravissima torquebuntur fame, 510. *d.*

H

Hæresiarchæ habuere dæmonem assessorem, 711. *e. f.*
Hæresis per lepram denotatur, 582. *b. c.* hæresim peperit gloriæ appetitus, 693. *h.*
Hæreticus recte baptizans, valide baptizat, 720. *a.* an recte Sacramentum administrans prohibendus sit, 526. *e. f.* quo pacto facile convertatur, 199. *f.* hæretici orthodoxorum sapientiam, sanctitatem & miracula mirantur, sed fidem & mores sequi nolunt, 648. *b.* sunt pravi pastores, 722. *e. f.* sunt velut lupi, 725. *g.* Christum quodam modo lapidant, 729. *c.* miracula, quæ etiam suis vident oculis, calumniantur, 740. *a.* eorum commercia vitanda, 654. *c. d.* qui hæretici Christi divinitatem negarint, 618. *b.*
Halcyones ponunt ova circa mare in solstitio hiemali, 475. *c. d.*
Hebdomas paschalis & pentecostalis erat Judæis festa & celebris, 508. *c. d.* 509. *a. b. c.*
Hebraicis phrasibus abundat S. Joannes, 615. *b.*
Hebræi die sabbati Script. in synagoga legebant, 502. *f.* agnum paschalem edebant accincti renes, 547. *b.* sæpe subvitent verba, eorumque supposita, & ea ex præcedentibus vel sequentibus, vel circumstantiis intelligenda relinquunt, 469. *d.* verba sumunt pro verborum adverbiis, 601. *a.* dum quid asseverare volunt, ipsum assertive congeminant, & negative triplicant, 630. *c.* salutantes, apprecantur pacem, & sub ea intelligunt omne bonum, 611. *a.* 820. *h.* *Vide* Pax. *Ab* usurpant pro gradu comparativo, 589. *a.* *Vide* Judæi.
Hebron erat civitas sacerdotalis in tribu Juda, sita in monte: an in ea habitarit Zacharias, 458. *e. f.*
S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ mire erga pauperes fuit affecta, 560. *e.* hinc eorum lavit pedes, 758. *e.* ejus humilitas, 600. *c. d.*
Heli idem qui Eliacim, sive Joachim: fuit socer S. Josephi, 498. *g.*
S. Hermenegildus pro fide occisus, occasio fuit, ut tota gens Visigothorum transierit ad rectam fidem, 746. *f.*
Herodis etymon significata, 445. *f.*
Herodis Ascalonitæ brevis descriptio, 445. *f.* & seqq. ejus filii inter se de successione in regnum patris contenderunt, 495. *c.* reædificavit templum Hierosolymitanum, & quo anno cœperit & absolverit, 641. *g.* quot annos fabricæ impenderit, 642. *a.* quid in eo struxerit, ib. *g. h.*
Herodes Antipas non fuit Christo infensus, etsi id assererent Pharisæi, 556. *g. h.* cur vocetur vulpes, ibid.
Heroum sepulchra erant in urbe quasi templa, 513. *e.* heroes muti fuere parvæ staturæ, 590. *h.*
Hiems mystica animorum est torpor, 727. *f. g.*
S. Hieronymus a Deo vapulatus, quod Ciceronem sacræ Scripturæ præponeret, 777. *a.*
S. Hilarion Orionum a legione dæmonum obsessum liberavit, 513. *b.*
Hillel fuitne auctor sectæ Pharisæorum, 484. *e.*
Historia divitis Epulonis & Lazari vera est historia, 574. *e. f.* historia duorum discipulorum euntium in Emmaus, 607. *f.*
Homo recto corpore creatus debet semper ad cœlestia intendere,

Digitized by Google

dere, 555. f. g. ejus generatio quo pacto fiat, 624. e. f. homo quid sit, per omnia prædicamenta, 619. f. & seq. est velut rex, 662. b. c. homo factus bestia, agnoscat Christum collocatum in præsepio, 477. c. d. homo omnis nobis est proximus, 532. b. 534. e. homines exaltati sunt cum Deum incarnatum habent pro fratre, 476. d. homines pauci sunt, respectu angelorum, 545. g. didicerunt a diabolo mentiri, 711. c. d.
Honorem Dei oportet zelare, 649. b. & seq.
Horas diei duodecim habebant Judæi, quas pro ratione temporis vel breviabant, vel producebant, 632. g. 733. a. hora Christi ad moriendum erat a Deo Patre decreta, 695. g. 695. b. quomodo ejus hora ad miraculum in Cana patrandum nondum venisse dicatur, & quæ, 638. c. an sit hora sexta, an tertia crucifixus, 810. b.
Hortum ad Montem Oliveti de nocte Christus adibat sex ante mortem mensibus, ut in eo oraret, 700. d. cur in eo pati incipiat, 805. g. h. cur in horto urbi vicino sepeliri voluerit, 816. a. b.
cur Hortulanum putarit Magdalena esse Christum, 818. h.
Hospitalitas deducit ad Christi cognitionem, 979. b. d.
Hospitibus olim lavabantur pedes, 518. d. & osculo excipiebantur, ibid.
Hospitium Christus in terra habuit, non domum propriam, 632. g.
Humanitas Christi an sensim a Verbo majorem hauserit sapientiam, 493. a. & seq. quomodo crescere in gratia & sapientia possit, & quid per eam intelligatur, ib. c. d. g. ejus divinitatem regebat, 623. b. & seqq. est ab ea velut sigillata, 676. b. a Deo dirigebatur, 708. b. numquam peccavit, 711. g. & seqq. unde esset impeccabilis, 727. c. a divina Verbi unione omnino sanctificata est, 729. b. & seqq. ea in ipso non habet subsistentiam humanam, 762. d. est velut vitis, 778. e. f. cur eam glorificari a Patre petat Christus, 796. c. 797. a. b. 798. f. in cælo non est conversa in divinitatem, 799. c.
Humiles in se virtutes, ut Dei dona agnoscunt, 463. c. & simul suum nihilum, ibid. d. a Deo exaltantur, depressis superbis, 466. a. b. & seqq. salutant non salutati, 458. b.
Humiliatio Dei, dum factus est homo, 476. f. g. humiliatio sui via est ad gloriam, 459. g. humiliatio ad Christi lavantis pedes suorum discipulorum, 756. e. f. g.
Humiliati exaltantur a Deo, 798. b.
Humilitas capitur subinde pro vilitate & abjectione, 463. b. & seqq. ejus ut virtus est, elogia, 589. c. decus est majestatis, & ejus præmium exaltatio, 480. f. 482. b. est clavis scientiæ, 541. b. ea Deus delectatur, 480. f. est via ad sublimitatem, 600. d. ejus officia etiam a Prælatis obeunda sunt, 759. b. est orationi necessaria, 793. c. humilitas B. Virginis Deo mire placuit, 453. d. 454. a. b.
Hydriæ unde dictæ: cur eis sit usus Christus in faciendo miraculo in Cana, 638. g. quid sex illæ mystice denotent, ib. b. earum mensura, ibid. h.
Hydropici cujusdam inexspectata curatio, 559. b. hydropicus a Christo sanatus an fuerit a Pharisæo Christum invitante etiam invitatus, & quare, 558. g. sanatus est contactu manus ejus, ibid. h. non audebat ab eo remedium petere propter sabbatum, ibidem.
Hydrops qualis sit morbus, 558. f. ejus remedia, effectus, causa, ib. b. hydrops spiritualis quid sit, ib. h.
an Hymnus a Christo decantatus fuerit ante ultimum sermonem, an post eum, 805. c. d.
Hyperbole S. Joannis quoad libros scribendos de Christo, 835. c. & seqq.
Hyperduliæ cultus B. Virgini defertur, 464. a.
Hypostasis divina Christi omni natura humana major & potentior est, 729. g. h. ea humanitatem sanctificavit, 739. h. & seqq. *Vide* Humanitas.

I

Jacob typus fuit Christi, 635. d. h. maxime ut pastor, 724. h. 725. b.
Jacobus Minor fuit avunculus Jacobi Majoris, 499. g.
Jam capitur subinde pro *amplius*, 571. g.
Janne, idem est qui Jannæus secundus Hyrcanus, 550. a.
Januis clausis Christus ad Apostolos ingressus est, 820. d. & sequentibus.
Japoni Martyres lento igne tosti constantes in fide perstiterunt, 551. f.
Idiomatum naturæ divinæ & humanæ communicatio facta est in persona Christi, 624. h.
Idiotismi S. Joannis, 615. b. & seqq. 616. a.
Idololatria est fornicatio mystica, 710. a.
nomen suum *Jehova* Deus Mosi revelavit, 465. d.
Jejunium tam corporis mortificatio, quam Dei cultus, 489. b. c.
Jeremias in utero matris videtur sanctificatus, 448. a.
Jerusalem est eversa ob Christum a Judæis occisum, 486. f. 834. d. est Propherarum necatrix, 557. f. & sequentibus, ideo & Christum in ea mori oportuit, ibidem. in eum mire fuit ingrata, 594. g. h. quomodo a Tito fuerit obsessa, 595. c. ad quas redacta sit angustias, ibidem. d. quomodo funditus subversa, ibidem, cur ab ea ceperit Evangelii prædicatio, 613. b.
Jesus est salvator in actu perfecto, 481. b. & seq. Jesus nomen sanctius est quam *Jehova*, 465. d. e. nominis Ἰησοῦς anagramma, 631. d. *Vide* Christus.
S. Ignatius de Loyola publice pueris catechismum tradebat, 769. d. e.
Ignis, Dei & angelorum aptissimum symbolum est, 551. c. quis sit ignis, quem Christus venit mittere in terram, ibid. c. & seqq. ignis divini exempla in fidelibus, ibid. d. an ignis sacer absconditus a Jeremia, & a Nehemia juventus eo loco, quo fuit piscina, 663. b. & seqq. ignis inferni quomodo animas adurat, 577. c. d.
Ignominia via ad gloriam est, 796. b.
Ignorantia alia invincibilis, alia vincibilis, alia crassa, alia affectata, 550. d. quæ ignorantia peccatum excuset, 721. c. ignorantia B. Virginis circa mysteria vitæ filii sui, 491. a.
Illuminentur omnes a Christo, quantum in ipso est, 623. c. d.
Imaginum usus licitus est, 645. g.
Impatiens possidetur a diabolo, 597. b.
Imperatores Romani dire Christianos sunt persecuti, 466. a.
Impii, Deo protegente in justos nihil poterunt, 530. d. dum concionatores vitia, quorum sibi sunt conscii, taxant, censent sibi injuriam fieri, 541. c. bona in hac vita recipiunt, & ejiciunt cælestibus, 577. d. & seqq. negant vel carpunt miracula, etiam mortuorum resuscitationem, 579. c. d. etsi timore Dei non moveantur, moventur tamen pudore hominum, 585. g. negant futurum judicium, 587. d. & seqq. suam hic habent diem, eaque habent pacem, 595. a. eorum cæcitas, ibid. lucem fidei & gratiæ nolunt admittere, 622. c. magno cum labore pariunt iniquitatem, 791. a. si ab iniquitate resiliant, pertinent ad filios Dei, 792. f. g. eorum vita in gehenna mors potius dicenda, quam vita, 735. h. *Vide* Reprobi.
Incarnatio Christi facta est die XXV. Martii, 450. b. c. per eam futuram dicitur Dominus esse cum B. Virgine, 451. d. hæc omne meritum antecedit, 460. d. eam tota SS. Trinitas operata est, Spiritui sancto tamen proprie tribuitur, 455. g. tunc est in B. Virgine facta, cum illa ad angeli verba consensum dedit, 457. b. c. ipsa simul, non sensim, est a Spiritu sancto peracta, ibid. & seqq. hæc omnium Dei operum fuit maximum, & summæ potentiæ, bonitatis, sapientiæ, 461. b. 463. c. & seqq. fuit ea patribus promissa, 466. f. g. ejus series, 624. b. ejus effectus, ibid. b.
Increduli fidei, sunt inimici Dei, 651. b. hi a Christo in die judicii accusabuntur, 752. e. f.
Incredulitas Judæorum causa fuit eorum reprobationis, 728. d. e.
Increpationes internæ sunt velut falx, qua fideles purgantur, 776. b. 777. a.
Indignatio Christi Lazarum suscitaturi erat in mortem & diabolum, & contra Judaicam perfidiam, 736. g. h. 737. c. d. causa ejus erat Lazari mors, & suorum & aliorum plorantium, 737. b. c.
Indulgentias dare potest Rom. Pontifex, 830. c.
Inexistentia divinarum personarum, 768. d. & seqq.
Infantes recens natos excipit terra, 476. b. infantes baptizandi sunt, non adulti, 644. d. nascuntur in peccato originali, ib. b. olim iis dabatur Eucharistia, 682. a. 683. c. d. id jam vetitum est, ib. c. d.
de Infantia Salvatoris liber est apocryphus, 498. c.
Infanticidium contigit statim post purificationem Virginis circa Pascha, 489. c. f.
Infernus est in centro terræ, 578. c. ejus supplicia describuntur, & desperatio de liberatione, ib. c. d.
Infideles fidem & fideles persecuti sunt, 551. a. omnes damnationem incurrunt, 556. f. eorum opera omnia non sunt peccatum, 778. e. *Vide* Gentiles.
Infirmitates proximi sunt ferendæ, 665. f. g. infirmitates nostras in se suscepit Deus, ut eas curaret, 747. c. quo modo infirmitas Lazari fuerit pro gloria Dei, 732. d. *Vide* Morbi.
Ingratitudinis turpitudo, 583. b. c.
Ingredi & egredi significat Hebræis libere munere suo fungi, 724. c.
Inimici etiam nostri proximi sunt, 533. f. 534. d. ipsi benefacere apex est patientiæ & charitatis, 713. c. pro iis vitam exponere, summa est charitas, 781. a. b.
Innocentia semel amissa irreparabilis est, 569. c. innocentia Christi, 774. b.
Inobedientia frustrat partem divinam, 757. c.
Instita proprie quid sit, 739. c.
cur Insufflarit Christus in Apostolos, 821. f. g. & seqq. quid hoc symbolice & tropologice significet, 822. a.
Intellectus est animæ potentia nobilissima, & ejus operationes, 667. c. d. e.
Intelligentia spiritualis maxime requiritur in Ven. Eucharistia, 688. a. & seqq.
Intentio est velut oculus, 540. d.
Interpretum quod esset olim officium in Ecclesia, 612. h. interpretes varii S. Joannis, 616. d. & seqq. & S. Lucæ, 443. d. tam docti est sapienter interrogare, quam sapienter respondere, 490. b. c.
Intinctus panis Judæ porrectus, non fuit Eucharistia, sed panis residui bucella intincta jusculo, 760. c. d.
Invitare amicos ad cœnam licitum est, imo meritorium, si fiat ex charitate, 560. b. c.
Joachim ipsem est qui Heli; fuit socer S. Josephi, 498. b.
Joanna uxor Chusæ venit ad unguendum Christum, 607. c.
Joannis quod sit etymon, 447. c.
Joannes dictus est pater S. Petri Apostoli, 607. c.
Joannis Abbatis visio de debito suo spirituali, 571. g. h. sola Eucharistia diu vixit, 678. c.
S. Joannes Apostolus & Evangelista pro Christi honore maxime zelabatur, 526. e. an fuerit discipulus Joannis Baptistæ, & illo Christum indicante, eum sit secutus, 632. d. non fuit sponsus in Cana, quia semper fuit virgo, 637. b. quando, ubi, quare Evangelium scripserit, 614. a. b. idque præmisso communi Ecclesiæ jejunio, & tonitruis ac fulguribus præviis, ibidem. c. cæteros Evangelistas sublimitate superat, ibid. c. ejus materia & argumentum est excellens, ibid. c. d. inter Evangelistas est ultimus, ibidem. d. habet dotes omnium Sanctorum, ibid. e. est Theologus, Propheta, Apostolus, virgo, ibidem, ei Christus revelavit secreta divinitatis recumbenti in sinu ejus, ibidem, e. f. est doctor angelorum, 614. g. datus

Digitized by Google

datus S. Gregorio Thaumaturgo in præceptorem a B. Virgine, ibid. *h.* apparet S. Chrysostomo, ibid. ejus stylus, 615. *a.* fuit Christo simillimus, ibid. celebriores Christi conciones & disputationes fusius enarrat, *b.* duorum priorum annorum prædicationis Christi historiam præcipue texit, ib. 675. *a.* res graves per affirmationem & negationem contrarii asserit, 616. *a.* asserit Christum aliqua dixisse, quæ ipse Joannes non narravit brevitati studens, ib. *c.* solus narrat multa ejus miracula, ib. *d.* cur a Verbi divinitate incipiat, 618. *b.* cur *amen*, *amen* ingeminet, 643. *f. g.* ejus auctoritas & revelationes, ib. *g. h.* delectatur nomine veritatis, ib. *h.* quæ scribit, cognovit duplici cognitione, naturali & divina, 644. *a.* subinde utitur hysterologia, 807. *a.* in sinu Christi recumbit, 759. *h.* & seq. quomodo recubuerit in ejus sinu, 760. *a.* & seqq. interrogat eum de proditore, ib. *c.* cur B. Virgini commendetur, ib. *c. d.* erat charissimus Christo, ib. *d.* & cur, ibib. *c.* ejus est honor quod datus sit Deiparæ in filium, 813. *a, b.* eam exinde suscepit in sua, ib. *c. d.* Petro quidem citius cucurrit, sed Petro reverentiam detulit, ut is prior sepulchrum introiret, 817. *c. d.* quid de animi relaxatione senserit, 826. *h.* an ante ultimum caput, Evangelium suum finire voluerit, 825. *f.* unde primus agnoverit Christum post ingentem piscium capturam, 827. *f.* diligit castos, ib. *g.* quo zelo animatus fuerit, 830. *f. g.* an sit mortuus: an venturus cum Elia & Henoch, 833. *e.* est vere mortuus morte naturali, & quomodo, ib. *f.* an corpus ejus resurrexerit, & cælo illatum sit, ib. *g. h.* ejus reliquiæ quomodo Ephesi colantur, 834. *a.* quomodo sit Martyr, ib. *b.* 487. *g.* fuit ultimus, vivens inter Apostolos, 834. *d.* cur tamdiu permissus vivere, ib. *d.* est typus vitæ contemplativæ, ib. *f.* scripsit Evangelium contra novos hæreticos, 835. *a.* cur ipse & Jacobus petant Samaritanos fulgure afflari, idque ex nimio zelo, 527. *b.*

Joannes Baptista natus diebus Herodis Magni, 445. *e.* est a Deo repletus multiplici gratia, 447. *h.* quomodo magnus fuerit, ibid. per omnem vitam Nazaræus fuisse videtur, ib. *h.* plenus fuit Spiritu sancto ex utero matris, ib. *d.* an sit sanctificatus in utero, 448. *a.* & seqq. præcessit Christum sextupliciter, ib. *c.* habuit spiritum & virtutem Eliæ, ibid. *d.* & seq. & similis fuit Eliæ, ib. *d.* convertit corda patrum in filios, ib. conceptus est XXIV. Septembr. 449. *f. g.* & cur in æquinoctio autumnali, ib. *h.* eum Christus suo adventu sanctificavit, & ab originali peccato expiavit, 459. *e. f.* ad eum potissimum salutatio B. Virginis dirigebatur, 459. *a.* exultans in utero fecit & matrem exultare, ib. *b.* subsilit cum vero sensu & usu rationis, ibid. *f.* an in utero prophetarit, ib. *d.* donatus ibi fuit usu rationis, ib. *e.* tum quoque accepit donum prophetiæ, & gratiam eximiam cum omnibus virtutibus infusis, ib. *f.* peccavit venialiter per subreptionem, ib. *f.* repletus Spiritu S. eodem & matrem replevit, ib. *h.* suo fastu in utero præluxit suo martyrio, 460. *e. f.* ejus nativitati adfuit Deipara, 467. *b.* dictus est a gratia & misericordia quam accepit in visitatione B. Virginis, ib. jam natus patrem Spiritu sancto replevit, 468. *a.* cur ejus nativitas omnes in admirationem rapuerit, ib. *b.* manus Dei erat cum eo diversimode, ib. *c.* præludia ejus sanctitatis, ib. *d.* huic pater testimonium dat, 469. *h.* & seq. an patris de se verba intellexerit, 470. *a.* paravit venturo Messiæ viam, ib. quotidie in spiritu crescebat, 471. *c.* a pueris concessit in desertum, & ibi continuo mansit usque ad annum XXX. ib. *f.* in desertum abiit fugiens Herodis sævitiam, ib. *f. g.* quin & ob alias causas, ib. *g. h.* & seqq. in deserto austere & angelice vixit, ib. *h.* 472. *a.* scientiam & prædicationem cælitus accepit, ib. ejus elogium, ibid. *a.* & seq. quo anno cœperit prædicare jussus cælitus, 496. *b.* prædicabat pœnitentiam, ibidem. singulis hominum statibus commoda dabat præcepta, ib. *d. e.* & seq. putatus Messias negat se esse, 497. missus est a Deo in mundum, 622. *d.* venit ut Christum testaretur esse lumen mundi, ibid. *e.* non erat Christus, sed ejus tantum testis, ib. *g.* ante eum cœpit prædicare, 627. *d.* ejus humilitas & prudentia, 630. *e. h.* quomodo sit Propheta, ibid. *d.* ejus mansuetudo, ibid. *g. h.* ejus de Christo testimonium, 622. *a.* 627. *b.* 670. *f.* ex Dei revelatione cognovit Christum, 622. *f.* non cogit discipulos ad eum sequendum, sed tantum eum iis indicat, ibid. *d.* totum corpus baptizabat, 649. *c.* usque ad incarcerationem baptizavit, ib. *d.* reprimit discipulorum ambitionem, & Christum sibi præponit, ibid. *e. f.* 650. *g.* subinde baptismi sui locum mutabat, 649. *c.* 730. *c.* fuit Christi paranymphus, 650. *b.* cur se vocet amicum ejus, ib. *c.* libenter ei cessit, ib. *d.* quomodo ob illum gravisus sit, ib. *e.* quo sensu ipse minui, Christus vero crescere debeat, ib. & seq. ipse per se baptizabat, nec potestatem eam discipulis delegandi jus habebat, 653. *a. b.* erat lucerna ardens & lucens, 670. *h.* cur Judæi eum spreverunt postea, ita ut eorum invidia sit in carcerem conjectus, 653. *a.* 671. *c.*

S. Joannes Chrysostomus, quam generose mundi terriculamenta vicerit, 795. *d.* ei apparet S. Petrus porrigens illi claves, & S. Joannes tradens librum Evangelii, 614. *h.* egregias in S. Joannem scripsit homilias, 616. *e.* verus suorum fuit pastor, 723. *e.*

S. Joanni Damasceno manum amputatam B. Virgo restituit, 462. *h.*

Joannes Ficherus Episcopatum suum tenuem noluit commutare cum honoratiore, 725. *a.*

P. Joannes Maldonatus Societat. Jesu egregie & fuse in Joannem scripsit, 616. *h.*

S. Joseph in voti virginitatis, quod B. Virgo voverat, observationem consensit, etiam ante connubium, 454. *d. e.* non est eam ad Elisabeth euntem comitatus, sed ei ancillam associavit, 458. *c.* quo pacto dicatur pater Christi, 486. *b.* quomodo potuerit esse filius Jacob & Heli, 497. *g.* & seq. videtur mortuus ante Christi passionem, 637. *f.* 812. *c.*

Josephus Scaliger unde putet Christum natum mense Septembri, 478. *f.*

Josue idem est quod Jesus, 481. *h.* & seq.

Ira superborum humiliter declinanda est, 714. *h.* iram excitant in se ipsis qui res arduas aggrediuntur, 736. *g.* quæ sit ira bona, ib. *h.* quatenus & quomodo sit assumenda, ibid. *h.* seq.

Isaac immolatio erat typus immolationis Christi, 714. *a.*

Isaias precibus suis fontem Siloe fecit erumpere, & juxta eum est sepultus, 717. *d. g.* cognovit apertissime, & vidit SS. Trinitatis personas in visione Seraphim, 751. *d.*

Israel quid hebraice sonet, 467. *e.*

Israelis gloria est Christus ob sex causas, 486. *a.*

Israelitas Deus sæpius defendit & juvit, 466. *d. e.* ipsis proprie Christus fuit promissus, ibid. *h.* 463. *f.*

Israeliticæ Ecclesiæ status veniente Christo erat afflictissimus, 484. *d.*

Italia vinis excellit, 775. *f.*

Iter Sanctorum a Deo dirigitur, 484. *g.*

Ituræa unde dicta: ejus situs, 495. *d.*

Judas vendidit Christum feria IV. 599. *g.* offensus sermone de carne Christi comedenda concepit aversionem ab eo, 588. *c.* apud eum tamen mansit, ib. *h.* cum primo electus est, bonus erat, 689. *e.* 744. *f.* cur vocetur diabolus, 689. *g.* Lucifero similis est, ibid. *h.* a Christo etiam lotus fuit, & an primus, 756. *c.* an S. Synaxim sumpserit, 758. *a.* 760. *d.* murmurat contra factum Magdalenæ, 744. *d.* ex unguento ejus divendito, aliquid sibi surripere decreverat, ib. *d. e.* ei datus panis intinctus, 760. *c.* & quare, ib. *d. e.* eo accepto abiit, adiit ad proditionem perficiendam, ib. *e. f.* & seqq. quomodo in eum post buccellam intrarit satanas, 761. *d.* ejus ingratitudo, ib. *e.* erat in malo obstinatus, ibid. *e.* & quia pudebat eum, desperans ad proditionem perficiendam continuo exivit, ibid. *c. d.* ob ejus proditionem summopere indoluit Christus, 759. *c. f. g.* fuit filius perditionis, 800. *d.* post datum osculum ad cohortem reversus cum ea ad terram prostratus est, & sibi timuit, 806. *a. b.* pecuniam pactam in domo Annæ accepit, ibidem. *g.* non videtur domum Caiphæ ingressus, ibid. *h.*

Judas Galilæus fuit auctor sectæ Galilæorum, & quid illa doceret, 553. *g.*

Judas Machabæus templum restauravit, & purgatum rursus dedicavit, 727. *e.*

Judæi extra urbem defunctos sepeliebant, 513. *c.* 522. *d.* eorum politia ter mutata est, 555. *b.* in templo orabant genuflexi, vel stantes, 587. *f.* & seq. non coluerunt Bacchum in festo Scenopegiæ, 691. *f.* quem censum Romanis penderent, 473. *d.* an ab iis subacti jus necis amisissent, 807. *c.* & seq. erant sub lege velut servi, 570. *a. b.* jactabant se justos, & Dei mandata non præteriisse, sed falso, ibid. *b. c.* quæ privilegia præ Gentibus habuerint, ibid. gloriabantur libertate & ingenuitate ab Abraham accepta, 708. *g. h.* 709. *h.* & seqq. quibus gentibus olim servierint, ibidem. *h.* 710. *a. b.* quomodo Romanis subessent, & tamen essent liberi, 807. *c.* & seqq. erant degeneres ab Abraham, 709. *d.* putabant tantum unum fore adventum Christi, scilicet gloriosum, quem præcedit Elias, 630. *d.* hic ipsis promissus erat, ejusque fides & gratia, 613. *b.* credebant animæ immortalitatem & resurrectionem corporum, 735.

Judæi quo sensu Deum non nossent, 713. *e.* vivebant impie & gentiliter, ibidem. *f.* quosnam per Judæos Joannes intelligat, 615. *f.* ipsi fuere primo ad fidem & doctrinam Evangelicam vocati, & per quos, 561. *a.* qualem Messiam exspectarent, & qualem ipsum futurum fingerent, 561. *c. d.* putabant eum non moriturum, sed mansurum in æternum, 749. *g.* 750. *a.* ejus mysteria fuerunt eis abscondita, 595. *a.* hinc visis Christi signis ei credere noluerunt, 623. *h.* 624. *a.* 661. *b. c. f.* 486. *g. h.* tres causæ cur in Christum non crederent, 615. *e. f.* 711. *h.* 712. *a.* 750. *f.* per prædicationem ejus facti sunt pervicaciores, 554. *f.* quare ad Joannem Baptistam legationem miserint scifcitantes de Messia, 629. *d.* & seqq. Christum Dei filium se facientem lapidare volunt, 729. *c.* ipsorum in eum ingratitudo, ib. *d.* erant ex mendacio, 808. *a.* ob superbiam in divite Epulone denotantur, 578. *f.* & seqq. viso multiplicationis panum miraculo, quasi id contemnentes, aliud cæleste a Domino petunt, 677. *d. e.* visa Lazari resuscitatione quo animo ad Pharisæos abierint, 740. *a. b.* volunt & Lazarum interficere, & cur, 745. *f.* ad Christum capiendum missi, etiam post signum a Juda datum, eum non agnovere, percussi cæcitate, 806. *a. b.* sed mox resupini retrorsum in terram cecidere, ibidem. *b.* cur eum urserint de cruce tolli, 814. *a.* etiam matrem Domini afflixere, & cruci adstanti insultarunt, 487. *g. h.* *Vide* Pharisæi, Pontifices, Scribæ.

Judæi Malcho auribus trunco denotantur, 806. *d.* murmurarunt ob Gentiles ad fidem & gratiam Christi admissos, 566. *a.* 569. *g. h.* ob suam incredulitatem & superbiam ab Evangelio seclusi sunt, 720. *g. h.* 721. *b. c.* Christum pauperem regnare super se noluere, dum ejus sectatores, illo mortuo, exterminari conati sunt, 593. *h.* eorum incredulorum excidium & damnatio, ibidem. 561. *h.* eorum aliqui Christo credidere post ejus mortem in cruce, & visis prodigiis, 707. *h.* & eorum pauci ad fidem sunt conversi, 828. *f.* sunt a Tito oppressi in Paschæ festo, 554. *a.* in fine mundi ab Elia convertentur, 570. *a.*

Judex judicat secundum allegata & probata, etsi sæpe falso, 704. *a.* judex reus non bene alium reum ejusdem criminis damnat, 701. *e.* judices quare Hebræis dicantur *Elohim*, id est dii, 729. *d. e.* seqq.

Judiciaria a Patre data est Christo, 669. *d. g. h.*

Judicium significat subinde omnes actus qui in judicio peraguntur, 647. *h.* 703. *f.* quomodo Christus non judicet quemquam, 703. *f.*

Judicium varia apud Joannem significat, 616. *a.* sæpe condemnationem significat, 648. *a.* 748. *d.* qualiter Judicium mundi Spiritus sanctus convincet esse falsum, 788. *c.* & seqq.

ante Judicium extremum deficiet fides in multis, 587. *b.* an id de nocte futurum sit, 684. *c.* erit subitum & inopinatum, 587. si laqueo comparatur, 598. *c.* id commissit Deus Pater Filio, 713. *a.* erit id æquissimum, 670. *a. b.*

Judocus Clictovæus S. Cyrilli libros intermedios, qui perierant, supplevit, 616. *d.* 695. *h.* 753. *d.*

Digitized by Google

Julius Cæsar inter percussores suos Brutum suum videns, quid dixerit, 594. b. ejus anni quando incipiant, 473. f.
Jungimur Christo quasi palmites viti, 771. f.
Jus humanum & divinum, cedit juri naturæ, 694. g.
Justificare capitur subinde pro justum profiteri, 514. & pro justum esse & justitiam diligere, 532. f. g.
Justificatio optime per aquam denotatur, 644. e. ea fit per spiritum sanctum, 645. a. b. justificationes & mandata legis quomodo differant, 446. c. d. cur præcepta dicantur justificationes, ibidem.
Justitia est via ad pacem animæ consequendam, 491. d. e. in quo justitiam Judæi & Gentiles collocarent, 778. f.
Justificatio repræsentantur, 554. g. h. eorum alii sunt mercenarii, alii servi, alii filii, 567. g. h. non invident peccatoribus gratiam & gloriam, imo mire de ea exultant, 569. g. eorum natalis communis est lætitia, 467. e. petunt in Dei gratia conservari, 779. b. hic affliguntur, sed post mortem, 796. g. qui sunt *justi coram Deo*, 446. c. *Vide* Sancti.

K

Κολυμβήθρα dicta est piscina Probatica, quasi natatoria, 663. g. 664. b.
Κώμη, id est vicus, aliquando civitatem significat, 527. a.
Κωφὸς tam surdum quam mutum significat, 449. d. e.

L

Lacedæmonii suos in urbe sepeliebant, 513. d.
Lacrymæ addendæ orationi, 737. e lacrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum, 515. d. e. lacrymis copiosis Magdalena Christi pedes lavit, 515. h. & seqq.
cur Lachrymatus Christus in morte Lazari, 737. f. g. ter est lacrymatus in vita, ibid. g.
Lætantes in mundi voluptatibus in futuro lugebunt, 510. f.
Laici sub una specie tantum communicent, 683. e. olim subinde sub utraque communicabant, ibid. h. sub una specie, etiam bibunt sanguinem Christi, 679. f. g.
Lampades Gedeonis quid mystice denotent, 547. f.
Lancea Christi latus aperiens qualis fuerit, 814. d. e. transit per partem dextram usque ad cor, ibid. c.
Lapidatio statuta in adulteros, 700. e. f. & seqq.
Laqueus symbolum est diei judicii, 598. c.
Latriæ cultus soli Deo debitus, 496. e. 489. b. 786. b.
cur Latrones viatores despoliatos vulnerent, 533. c.
Latro bonus alterum blasphemantem Christo increpat, 603. g. hunc confitetur Deum, ib. h. & seq. ejus contritio, confessio, pœnitentia: Christi innocentiam confitetur, 604. a. verba ejus ad Christum quem sensum includant, ib. a. b. conversio plane ejus admiraoilis fuit, ibid. & seqq. an prius etiam Christum blasphemarit, ibid. b. conversus est motivo tum externo, tum interno, ibid. c. ejus fides, spes, charitas, ibidem. e. an fuerit Martyr, ibid. f. & seqq. elogia ipsius e sanctis Patribus, ibid. h. & seqq. quem Paradisum ei Dominus promiserit, 605. e. f. descendit in Lymbum patrum, ibid. nomen ejus fuit Dismas, ibid. h.
Latus fuit apertum Christo non vivo, sed mortuo, 814. c. d. apertione ejus nobis multum meruit, ibidem. ea apertura fuit magna, 814. e. & penetravit a dextra parte usque ad cor, ibidem. f. quomodo ex ea sanguis & aqua fluxerit, ib. d. & cur, ib. d. e. f.
S. Laurentii generositas in igne ferendo, 551. e tormenta sitivit & mortem, 552. d. abluendis pauperum pedibus se ad martyrium disposuit, 754. f.
Lauretana domus ab angelis est Lauretum translata, 718. e.
Laus sui ipsius vilipenditur, 713. b.
Lazari etymon, 574. b.
Lazarus mendicus ut sanctus colitur, 574. e. illius pauperras & ulcera, 574. h. erat omnium ope destitutus, 575. a. erat vere leprosus, ib. b. canes præ infirmitate abigere a se non poterat, ib. c. novem ejus cruces, ibid. c. d. & seqq. ab angelis in sinum Abrahæ deducitur, 575. g. videtur ibi ab Epulone, 576. f. est typus Christi, 758. e.
Lazarus frater Marthæ dives erat ac nobilis, 731. e. quomodo ejus morbus non esset ad mortem, sed pro gloria Dei, 732. b. c. erat Christo carus, ib. e. eum Dominus mori permisit & sepeliri, & omnia fieri antequam domum ejus veniret, ut evidentius esset miraculum, 733. e. f. 734. a. b. 735. a. b. 738. b. 739. e. 740. d. quomodo quatriduanus fuisset in monumento, Christo in Bethaniam appellente, 734. a. cur a sororibus non sit servatus insepultus, 735. a. ejus excitatio difficilis erat, 736. f. g. quomodo ad eum resuscitandum se paulatim Dominus paraverit, 737. d. erat quatriduanus, ergo fœtebat, 738. b. ejus resuscitatio erat pro gloria Dei, 738. c. voce magna Christi excitus ad vitam resurgit, 739. a. b. c. non prius a Deo animatus, 738. f. 739. b. cur ejus vincula Christus non solverit, 739. d. excitatus ingentes egit ei gratias, ibidem. g. brevis vitæ ejus epitome, ibidem. g. cum Christo comedit jam resuscitatus, 743. d. e. cur eum Judæi vellent interficere, 745. e.
cur Legatio Judæorum ad Joannem de Messia sit instituta, 629. c. & seqq. 630. c.
Legio sex continet millia: cur se dæmones vocent Legio, 522. h. & seq.
Legisperitus quærens a Christo quid ad salutem habendam eum facere oporteat, quo animo ad ipsum accesserit, 532. f. cum primo animo tentandi accessisset, audito Domini responso hunc mutavit, ibid. g.
Lenitas miscenda cum acrimonia, 533. g.
Lepra qualis sit morbus, 582. b. ejus signa sexdecim æquivoca, alia sex univoca & propria, ibid. d. & seq. inveterata & perfecta est incurabilis, ib. e. erat apud Judæos summa immunditia, ibidem h. ei obnoxia est Judæa & Ægyptus, ibid. b. lepra spiritualis est hæresis & concupiscentia, ibid.
Leprosi urbes & castella ingredi vetabantur, 582. e. cur leprosi decem Evangelici a Christo longe stant, ibidem. cur alta voce clament, ibidem. f. cur ad sacerdotes mittantur, ibid. f. inter eundum ad illos curati sunt, ibid. h. eorum ingratitudo, 583. b. c.
Leuca continet tria milliaria Italica, 607. h.
Levitæ sacerdotibus ministrabant, 533. e.
Lex Mosaica a Christo mutata in Evangelicam. 639. e. f. 657. a. b. ejus & novæ sed differentiæ, 469. e. f. 762. g. h. & seqq.
Liber vitæ idem est quod distincta Dei præscientia, memoria, prædestinatio, 532. a. est duplex vitæ liber, unus perfectus & completus, alter conditionatus, ibid. a. liber de infantia Salvatoris est ab hæreticis confictus, 640. b. libri Hebræorum erant una longa membrana, 502. g. h.
Libertas vitæ multis est causa hæreseos, 673. a. quadruplex libertas allata a Christo, 708. d. e.
Libra erat duplex, mensuralis & ponderalis, 743. e. f.
S. Licinia uxor Maximini Imperat. quia Christiana, ab eo necari jussa, 607. e.
Ligni vitæ effectus, 678. d.
Limbus patrum idem est quod sinus Abrahæ, 575. g. ubi situs esset, 576. a. longe distat ab inferno, 578. b. c.
Linguæ & gentes orbis sunt LXXII. 529. d.
quomodo Linguam dicatur habere animam Epulonis a corpore separata, 577. b.
cur Linteo se Dominus præcinxerit lavans pedes discipulorum, 755. g.
Litteræ nominis Adam quatuor orbis partes symbolice denotant, 642. b.
Locus non tuetur Sanctos, 531. e. f. locus in convivis accipiendus, quem herus assignavit, 559. f. g. h. locus natalis homini suas qualitates affricat, 706. c. quomodo locum Apostolis parare vadat Dominus, cum in cælo mulcæ sint mansiones, 765. f. locus mortis auget ejus acerbitatem, 513. b.
λόγος quam varia significet, & omnes ejus significationes Verbo, id est Dei Filio, adaptantur, 619. a. & seqq.
Loquor & *dico* qui differant, 752. h. quomodo loquatur Christus in nobis, & quam efficaciter, 610. f. g. *loqui a semetipso* quid sit, 789. a. b. & seqq.
Lotiones crebræ Pharisæorum inter epulas, 638. h. in iis suam ponebant sanctitatem, 540. f. lotio pedum Apostolorum præmissa fuit cœnæ Eucharisticæ, & quid innuerit, 755. c. omnes lotionis hujus actus, ibidem. g. h. quæ in ea lateant mysteria, 756. c. lotio pedum non est fidelibus omnibus necessaria ante baptismum, non est sacramentalis, ibidem. d. fuit illa olim in usu Mediolani, ibidem. e. f. quæ sit causa mystica hujus lotionis & litteralis, ibid. g. h. cur postea vetita, 756. h. & seqq. & lotio hæc diversimode fiebat, 757. a.
S. Lucas scripsit græce suum Evangelium Græcis, 442. c. cur facies bovis ei tribuatur, ibidem. scripsit id contra apocrypha aliorum Evangelia, ibidem. e. 445. b. fuit antiquior Cerintho, 442. d. e. scripsit id acceptum ex ore Pauli & Apostolorum, ibid. f. fuit medicus corporum & animarum, ibidem. f. quo tempore scripserit, ibidem. g. semel a Paulo alio amandatus, ab eo rursus assumptus est, ibidem. h. ubi evangelizarit: Pataris martyrio est coronatus, 443. a. alius est a Lucio Cyrenensi, ibidem. a. quæ fuerit ei causa scribendi, ibidem. quænam habeat in suo Evangelio peculiaria, quæ alii tres non habent, ibidem. a. b. plusquam alii Dei misericordiam commendat, ibidem. e. varia ejus privilegia, ibidem. f. in gestis Christi narrandis aliquando non servat temporis ordinem, 574. d. non fuit e LXXII. discipulis, 442. e. 529. a. subinde utitur recapitulatione, 556. g. non videtur Christum in carne vidisse, 607. g. Evangelium orsus a templo, in templi devotione concludit, 614. f.
Lucernæ ardentes in manibus quid mystice designent, 547. e.
Lucifer Adamum & posteros ejus ex invidia occidit, 711. a. qui in veritate non steterit, 710. g. & seqq. ejus lapsus e cælo in abyssum describitur, 531. c. d. quodnam ejus fuerit peccatum, ibid. ipse est fulgor, ibid. & seqq.
Ludovicus Pius Imper. XL. dies jejunus transegit, sola vivens Eucharistia, 678. e.
S. Ludovicus Franciæ rex plurimos pauperes suæ mensæ adhibebat, eisque ministrabat, 560. d. & pedes lavit, 758. c.
S. Ludovicus Tolosanus Episc. pauperes plurimos mensæ suæ adhibuit, 560. e.
Lumborum præcinctio quibus conveniat, & quomodo intelligatur, 546. f. & seqq.
Lumen vitæ tam est lumen gloriæ, quam fidei & sapientiæ Christianæ, 702. b.
Lupi mystici sunt hæretici, scelerati, & diabolus, 725. g.
Lutherus habuit dæmonem familiarem, 711. f. ait omnia fidelium opera esse peccata, & per quodlibet peccatum mortale fidem amitti, 777. c. d.
per Lucem passim gloriam suam manifestat Deus, 479. d. lux symbolum est gratiæ & fidei, 622. c. ejus & fontis magna est affinitas, 718. a. lux vera est Christus diversimode, 623. g. h. lux supernaturalis est vita nostra, 621. g. h.
Luxuriæ carnis mortificatio per continentiam est mystica lumborum præcinctio, 546. e. f. 547. c. luxuria etiam quemlibet luxum significat, 555. f. consumit opes, etiam maximas, hominemque ad extremam inopiam redigit, ibid.
Lycanthrophus nocte in pecudes & homines grassatur, 522. d.
S. Lydvvina speculum patientiæ in suis morbis, 575. e.
Lysanias senior occisus ab Antonio trium vito: ejus filius Lysanias præfuit Abilinæ, 495. f.

Digitized by Google

M

Macedoniani negabant Spiritum ſanctum eſſe Deum, 620. e. 621. c.
Machabæi templum Zorobabelis exornarunt, 642. a.
Magdalenæ quatuor etyma, 521. f. & ſeqq.
B. Magdalenæ de Pazzi mira humilitas, 600. b.
Magdalum caſtellum B. Mariæ Magdalenæ erat in Galilæa juxta Bethſaidam, 514. g. 521. e.
Magnalia duodecim B. Virginis, 464. c.
Magnificat canticum exponitur, 461. a. & ſeqq. eſt id omnium canticorum præſtantiſſimum, ibid. b. c. tres ejus partes, ibid. c. magnificat aliter homo Deum, & Deus hominem, 461. a.
Magnum coram Domino quid ſit, 447. f. g. quæ magna Deus B. Virgini fecerit, 464. c.
Majus erat in Judæa menſis meſſis, 660. b.
Mala temporalia juſti æſtimant ut bona, 577. h. & ſeqq.
S. Malachias itæ ſuæ dominabatur, 737. a.
Malchus idem eſt quod rex: typus eſt populi Judaici, 806. d.
Maledictio Phariſæorum in cæcum natum caſſa fuit, 719. f.
Mali quomodo in Eccleſia tolerandi, 744. f. g. *Vide* Impii.
Malitia hominis eſt directa cauſa obdurationis ejus, 751. b.
Mammonæ etymon, 573. a. mammona iniquitatis, quid ſit, ib. d. & ſeqq.
Manaſſes uxore ducta alienigena excluſus a ſacerdotibus e templo, confugit ad Samaritas, & ibi Pontifex eſt conſtitutus, 656. h.
Mancipia olim dimenſum annonæ & victus ſingulis menſibus accipiebant, 549 g.
Mandata Dei ſervari debent & poſſunt, 446. e. quomodo ſint vita æterna, 752. g. ea obſervans oſtendit ſe diligere Deum, 771. d. & diligetur a Deo Patre, ibid. f. g. h. & ſeqq. cur mandata ſua ſervari jubeat Chriſtus, 770. a. cur mandatum dilectionis dicatur novum, 762. g. mandatum a Deo Patre Chriſtus accepit moriendi in cruce, 727. b. c. an id voluntatem ejus phyſice determinarit, ibidem. c. d. an id potuerit non implere, 774. c. d. *Vide* Præceptum.
Manducatio Chriſti poſt reſurrectionem fuit vera, 612. d. manducatio ſpiritualis Euchariſtica Calviniſtarum, & aliorum nonnullorum, rejicitur ut erronea, 681. e. f. & ſeq. 682. e. corporalis tamen ſit modo ſpiritali, 688. c. d.
Mane unde dicatur, atque inde dicitur manicare, 598. e.
Manere quid Joanni ſignificet, 685. a. b. quomodo per Euchariſtiam in Chriſto maneamus, ibid. b. c. manendum in fide & dilectione Chriſti, 777. f. & ſeqq. 779. a. b. c. 780. g.
Manichæi negabant Chriſtum veram e B. Virgine carnem aſſumpſiſſe, 453. f. 481. f. ſed phantaſticam, 626. a. duo ponebant rerum principia, ſive duos deos, 620. d. h. putarunt Chriſtum eſſe ſolem, 702. d. e. dicebant diabolum a malo Deo creatum malum, 711. b. d. ſic & homines malos, 712. b.
Manna erat panis cæleſtis, 677. e. & ſeqq. erat inferioris dignitatis quam Euchariſtia: ibid. g. ejus proprietates, ibid. g. h. non duravit in terra promiſſionis, 681. d. non arcuit mortem, ibid. d. erat figura Euchariſtiæ, 682. e.
Manſiones multæ ſunt in cælo, 765. b. c.
Manus quid ſymbolice denotet, 468. c. d. manum ad aratrum mittens non reſpiciat retro, 527. g. 528. a. b. manus Chriſti erant potentes, 555. h. *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, dicere Deo ſolent moribundi: hoc multi Sancti morientes dixerunt, 605. h. 606. a. quæ ejus rei ratio, ibid.
S. Marcella S. Marthæ ancilla, an fuerit ea quæ uterum Deiparæ laudavit: a Judæis pulſa Maſſiliam appulit, 539. g. h.
S. Marcus non vidit, nec audivit Chriſtum, 688. g. h.
Marcus Arethuſæ Epiſcopus ſuſpenſus in alto & a veſpis punctus, ſuos tortores irridebat, 749. a. b.
ſuper Mare ambulabat Jeſus, 675. h. mare Galilææ & Tiberiadis idem eſt. 674. h. 675. f. 826. d. e.
Margarita pœnitentiæ eſt ſymbolum, 515. b. c.
S. Margarita Hungariæ regis filia angelicam Salutationem recitans, ante imaginem Deiparæ flectebat, 458. a.
Mariæ nominis etymon, 450. g.
Maria ſoror Moyſis unde dicta: fuit typus Mariæ Deiparæ, 450. g.
Maria uxor Cleophæ ſex habuit proles, nec aliam fuiſſe dici poteſt quæ Simonem peperit, 499. c. d. hæc & Salome fuere filiæ Cleophæ: alias dicuntur Eſther & Thamar, ibid. h.
B. Maria Virgo verum contraxit matrimonium cum Joſepho, 451. f. eſt domina maris hujus ſæculi: ea ab omni lingua vocatur domina noſtra, ibidem. g. fuit plena gratia, & mare gratiarum, 451. b. & ſequentibus. quomodo ad eam angelus ſit ingreſſus, ibidem. a. quo ſenſu plena fuerit gratia, ibid. d. ſequentibus. gratia ejus in primo conceptionis inſtanti ſuperavit gratiam ſupremi angeli, eaque ſemper adaucta eſt, ibidem. g. h. plus a Deo amatur quam tota Eccleſia, ibidem. h. tota SS. Trinitas cum ea erat, 452. a. dominatur in cælo, mundo, Purgatorio, inferno, ibidem. c. eſt benedicta in mulieribus, ibidem. d. e. 460. a. turbata eſt ad ſpeciem angeli, & ejus ſalutationem, 452. g. paſſiones ei non fuerunt dominatæ, ibidem. h. prudenter cogitabat quid angelo eſſet reſponſura, 453. a. 2 Deo ab æterno in matrem fuit electa, & mox ut nata fuit, omni virtute & gratia exornata, 453. c. placuit ſingulis perſonis SS. Trinitatis; parvus quidam mundus eſt, ibidem. d. ob humilitatem, virginitatem & ardentem charitatem meruit fieri Dei mater, ibidem. d. non tamen de condigno, ſed congruo, ibidem. f. 454. c. non dubitat de promiſſi angelici veritate, ſed de modo dumtaxat inquirit, 454. a. b. quam de virginitate ſua fuerit ſollicita, ibid. b. & ſequentibus. ante connubium emiſit votum virginitatis, ibidem. d. idque prima, ibidem. f. ejus humilis reſignatio ſui, 456. f. aſſenſit angelo ad Verbi conceptionem: optabat ardentiſſime Meſſiæ incarnationem, ibidem. g. quomodo ipſum conceperit, ibid. g. & ſequentibus, & quo temporis puncto, ibidem, h. & ſequentibus, in filii conceptione perfectam accepit ſanctificationem, 457. e. quantum ſuo conſenſu in incarnationem meruerit, ibidem. f. an viderit tunc Dei eſſentiam, ibidem. g. & acceperit claram revelationem ſuæ prædeſtinationis, & exaltationis, ſuper omnes angelorum choros, ibidem. h. quamdiu angelus apud eam manſerit, ibidem, quando adierit Eliſabetham, & qua de cauſa, ibidem, e. & ſequentibus, cur abierit cum feſtinatione, 458. d. prius adiit Jeruſalem, & in templo ſe ſuumque conceptum Deo obtulit, ibidem, f. cur, & quomodo cognatam ſalutaret, ibidem, g. h. cur Zachariam non ſalutaret, ibidem, numquam peccavit venialiter, 459. f. habuit in utero uſum rationis, ibidem, f. vere Dei mater eſt, 461. f. vere beata fuit, eſt, & erit, ibidem, laudes ſibi a cognata datas retorquet in Deum, ibidem, ejus in angelo credendo magnanimitas, 456. g. h. tota anima Deum magnificavit, 461. c. & ſequentibus. erat domina animæ ſuæ, eamque totam tradiderat filio, ibidem, c. Deum ſummopere diligebat, ibidem, magnificabat SS. Trinitatem, ibidem, f. ejus ob conceptionem Verbi ſumma exultatio, 462. c. d. mortua eſt ex amore & deſiderio videndi filium, ibidem, c. d. ob aſſiduam poſſeſſionem exultationis in Deum vitam agebat plane angelicam, ibidem, e. quomodo vocet Deum ſalvatorem ſuum, ibidem, f. eſt mundi gaudium, ibidem, g. h. ejus humilitatem reſpexit Deus, ibidem, h. agnoſcit ſe per virtutes, maxime humilitatem, ad maternitatem Dei evectam eſſe, 463. c. d. eſt beata ſeptupliciter, ibidem, g. maternitas Verbi ſumma eſt in ea dignitas, ibidem, prædicit ſe ab omnibus ſæculis beatam prædicandam & invocandam, ibidem, a. ejus dignitas, ibidem, e. & ſequentibus. quomodo ad concipiendum Dei filium fuerit a Deo diſpoſita, 464. f. g. quid egerit apud Eliſabetham, 467. a. an adfuerit nativitati S. Joannis, ibidem, a. b. cognatæ ſuæ precibus ſuis felicem partum impetravit, ibidem, d. Auguſto Cæſari Romæ viſa eſt, 473. d. e. an prægnans iverit pedes e Nazareth Bethlehem, 375. a. b. peperit naturaliter peracta naturalis temporis ad parienudm uſitati periodo, ibidem, b. c. fuit magis mater Chriſti, quam ſint aliæ matris filiorum ſuorum, ibidem, d. peperit virgo, ſine dolore & ſorde, die Dominica, ibidem, d. e. & ſummo cum gaudio, ibidem, e. quomodo natum exceperit, ibidem, g. h. & adorarit, ibidem, h. eum pannis involvit, ipſa partu non debilitata, 476. g. h. conſervabat omnia quæ audiebat de filio, conferens in corde ſuo, 481. c. 492. g. h. an purificari debuerit ob impuritatem naturalem, 482. c. & ſeq. ejus partus fuit puriſſimus ſine ullo ſanguinis fluxu, ibidem. non habuit menſtrua, ibidem, g. an habuerit ſecundinas, ibidem, & ſequentibus, ex humilitatis tamen ſtudio purificari voluit, 483. b. non habuit peccata quæ confiteretur, ibidem, c. & ſequentibus, filium ſuum Deo ſumma devotione obtulit genu flexo, ibidem, c. paupertatis erat ſtudioſiſſima, ibidem, f. quæ ſuſceperit Sacramenta, ibidem, h. cur mirata ſit ſuper his quæ Simeon dicebat, 486. b. quid ex Simeone audierit ad ſe ſpectans, ibidem, virgo eſt, non eſt, diverſo reſpectu, ibidem, h. 487. a. b. quis gladius ejus animam pertranſierit, ibidem, b. an in filii paſſione de ejus reſurrectione dubitarit, ibidem, b. c. martyrium materiale non ſubivit, ibidem, quantus fuerit ejus dolor in filii paſſione, ibidem, e. fuit pluſquam Martyr, ibidem, g. an ſtatim poſt purificationem e Jeruſalem in Ægyptum fugerit, an prius Nazareth reverſa ſit, 489. e. f. ex Ægypto reverſa una cum Joſepho templum adiit, filium ſecum ducens, ibidem, h. quid illo amiſſo metuere ſollicita, 490. c. quomodo eum jam inventum ſit allocuta, ibidem, h. ipſius humilitas in ſe Joſepho poſtponenda, 490. h. 491. a. non noverat quomodo filius opus redemptionis mundi eſſet peracturus, 491. e. f. per matrem deſcendit e Salomone, per patrem ex Nathan, 498. c. f. cur in ejus aſſumptione legatur Evangelium de miniſterio Marthæ, & contemplatione Mariæ, 538. a. ejus uterus fuit thalamus, templum & thronus gloriæ filii Dei, 539. h. & ſequentibus, varia ejus elogia, 462. g. 463. g. h. 540. a. cur iverit ad nuptias in Cana, 637. e. orat filium modeſte in defectu vini ex affectu bono, 638. a. c. petiit id certa cum fiducia, ibidem, b. cur miniſtro juſſerit facere quodcumque dixiſſet filius, ibidem, f. in paſſione ejus maximopere doluit, 487. b. hinc cruci adſtans fuit pluſquam Martyr, 810. & ſequentibus, an paſſa ſit ſpaſmum, 811. d. a filio Joanni commendatur, & ipſi Joannes, ibidem, & ſequentibus, ipſa plus eſt paſſa quam Chriſtus, 812. e. & ſequentibus, cur relicta in terris poſt ejus mortem, ibidem, eſt refugium fidelium, ibidem, f. g. h. & ſeqq.
S. Maria Ægyptia per XVII. annos graves paſſa eſt tentationes carnis, quia totidem annis vixerat impudice, canens *Nunc dimittis Domine*, percepta Euchariſtia demortua eſt, 485. e.
S. Maria Magdalena una tantum fuit, non plures, 514. d. & ſeqq. bis dumtaxat Chriſtum unxit. ibid. f. g. ejus monumenti inſcriptio, ibid. fuit Judæa natione, ſed habitaſſe videtur in Galilæa, ibid. g. cur dicatur peccatrix, ibidem, h. ipſa a Chriſto deparata, oſtendit vim gratiæ, 515. a. cur venerit in donum Phariſæi: ejus pia impudentia, ibid. c. d. fuit alta & procera, ibid. e. genibus nixa pedes Chriſti lavit, 515. e. f. ejus verecundia, ibidem, fuit a Chriſto ſagittata telo amoris, ibid. g. h. lacrymarum copiam fudit, ibid. capillis Chriſti pedes terſit, 516. a. & eos eſt oſculata, ibid. c. ejus publica pœnitentia, ib. f. g. quid ejus unguenta denotent, ibid. d. ejus heroicæ virtutes, ibid. e. f. ejus vita in deſerto, ibidem, g. placuit Chriſto præ reliquis Sanctis, ibid. magna ejus dilectio, 517. c. d. & ſeqq. 518. b. & ſeq. 519. b. c. g. non audebat coram Chriſti facie comparere. 518. c. quando ei peccata remiſſa fuerint, ibidem, e. f. & ſeqq. 519. e. quæ gratiæ ei a Chriſto ſint conceſſæ, ibidem, g. & ſeqq. converſa eum ubique ſecuta eſt, ibidem, h. in deſerto vitam plane angelicam vixit, 520. a. unde nomen habuerit Magdalenæ, 521. e. an fuerit conjugata, ibidem, ſeptem ejecit ex ea Dominus dæmonia, ibidem, b.

Digitized by Google

ejus pœnitentis devotio, 516. f. sedebat secus pedes Jesu, eum avidissime audiens, 534. h. Marthæ præfertur, 536. f. g. gerit typum vitæ contemplativæ, 537. e. cognito Christum advenisse ad fratrem suum excitandum, illico ad eum venit, 736. c. d. cecidit ad pedes ejus orans, ibidem. d. unguentum pretiosum effudit super caput Christi, 743. e. item super pedes, 744. c. mulierum ad sepulchrum venientium fuit dux, 816. h. ejus ardens studium & Domini quærendi desiderium, ibidem. 817. a. b. c. d. & seqq. videt eum, nec agnoscit, 818. a varii ejus quærentis affectus, ibid. b. c. & sequentibus unde Dominum agnoverit, ibidem. g. h. cur is tunc ab ea tangi se noluerit, 819. a. b. & seqq. in ejus capitis fronte adhuc remanent vestigia digitorum Christi, ibid. f. viso Christo in horto propere ad socias rediit, & rursus cum iis eundem redivivum conspicit, ibidem. h. est Apostolorum apostola, 82. c. Christi fidem in Gallia disseminavit, ibid.

S. Maria Oigniacensis flectebat ante imaginem B. Virginis toties, quoties Salutationem angelicam recitabat, 458. a. assidue cum Christo, B. Virgine & diversis Sanctis agebat, ut singulos ex habitu & voce nosset, 656. c. sola Eucharistia longo tempore vixit, 678. e.

SS. Marius & Martha ob visitatos & alitos Martyres incarceratos martyrium adepti sunt, 754. f. S. Marthæ hospitalitas, 534. g. quæ quia Christum hospitio recepit ab eo mercedem recipit, dum ei morienti apparet, ibidem. g. ejus solicitum ministerium, 535. a. b. c. & turbatio, ibidem. c. d. e. postponitur Mariæ quoad sortem, 536. f. g. gerit typum vitæ activæ, 537. e. unam cum sorore significavit per nuntium Christo fratris sui Lazari morbum, 731. h. & seq. earum modesta petitio, ibidem, 732. a. b. cur ipsæ ad Dominum non ierint, ibid. b. erant ipsi caræ, ibid. c. cur multi Judæorum eas solatum venerint mœstas ob fratris mortem, 734. c. f. cur ipsa Christo occurrit, non Maria, ibid. f. cur expostulet cum eo de mora adventus, ibid. g. exigua ejus fides, ibid. 735. f. g. 738. b. modeste voluntatem suam in Christum resignat, 734. h. & seqq. cur fratris corpus non servarit insepultum, 735. a, a Christo ejus fides exacuitur, 736. a. b. 738. d. sororem silentio monet adesse Christum, 736. b. habuit alternantes motus fidei & diffidentiæ, 734. f. g.

die XXV. Martii mundus creatus, Christus conceptus & mortuus est, 450. b. c. ab eo die multi inchoant annos Christi, ibidem. c.

Martyres divini amoris igne succensi ridebant tormenta, 551. a. perfectam habuere patientiam, 597. b. eorum mors parit novos Christianos, 468. f. operibus præviis humilitatis se ad Martyrium disposuerunt, 754. e. f. cicatrices vulnerum suorum in cælo retinebunt, 611. f. g. Martyres Lugdunenses a servis suis falsæ accusati, 786. b. c.

Martyrius monachus Christum in leprosi specie humeris gestavit, 526. b.

Masculus natus cur offerri debebat Domino: sed quinque siclis redimebatur, 482. c.

Massaliani docebant semper orandum, non manibus laborandum, 676. d.

Maternitas Dei in Deipara est dignitas incomprehensibilis, 454. b. c. & fons omnium benedictionum & gratiarum ei a Deo datarum, 460. b.

an Matrem Christus in nuptiis Canensibus reprehenderit, 638. c. quam matrum luctus in morte unigeniti acerbus sit, 513. e. f. matres multæ filios ad martyrium sunt adhortatæ, 811. b. c.

Mathan fuit communis avus tam Josephi, quam B. Virginis, 499. c. tres habuit proles, ibid.

verum fuit Matrimonium inter B. Virginem & Josephum, 450. e. matrimonium etiam septimum licitum est, etsi sit indecens, 656. f.

Matronæ piæ olim Romæ Apostolos & sanctos Pontifices aluerunt, 521. h.

S. Mathias fuit e discipulis electus ad Apostolatum, 529. d.

Maximianus Syracusanus Episcopus per Ven. Eucharistiam periculum maris evasit, 684. c. d.

Mechanici laborando sibi victum parent, 492. g.

Melancholici maxime a dæmone occupantur, 522. d.

Mendacii inventor est diabolus, 711. c. d. & ipsum procudit, ibidem. e.

an Christus aliquando Mendicarit, 490. e.

Menelich an sit filius reginæ Saba e Salomone conceptus, 477. a.

Mens dicitur quasi eminens, 662. b. c. mens nostra rex est, hæc ægra a Christo sananda, ibid.

in Mensa tenendus novissimus locus, non primus occupandus, 559. f.

Menstrua quid sint: ea non habuit B. Virgo, 482. g.

Mensura tritici vel hordei olim servis quolibet mense dabatur, 549. g.

Mercenarius pastor quis sit, 725. e. hic lupo veniente fugit, ibidem. f. h.

Meritum bonorum operum adstruitur, 580. g. h. merita Christi sunt causa prædestinationis æternæ fidelium, 679. a.

Messias idem est quod Christus, 633. b. ejus nomen erat Siloach, id est missus vel mittendus a Deo, 717. h. 718. c. hic venit tempore deploratissimo regni Israelitici, 466. e. hunc se esse Christus sensim aperuit, 643. e. f. hunc esse Joannem malebant Judæi quam Christum, 629. d. eum jam debere venire sciebant passim Judæi, 658. e. qualem Messiam Judæi expectarent, 675. d. 750. f. 751. a. ejus ortus an incognitus esse debebat, 695. c. d. & seqq. eum putabant Judæi fore æternum, nec moriturum: sed sinistre Scripturas intelligebant, 749. g. h. 750. a.

Messis quo mense fieret in Judæa, 660. b. quæ sit Messis spiritualis, ibid. b. c. & seqq.

Metathesis in multis vocibus variarum linguarum locum habet, 744. a.

Metreta quæ sit mensura, & unde dicta, 639. b.

S. Michael est supremus omnium angelorum, 449. g. h. præest precibus fidelium, 450. c. est primus inter Seraphinos, ibidem. d. Christum in horto orantem confortavit, 601. d.

Militare quando licitum sit, 497. b. c.

Militum tria sunt vitia, quæ triplici remedio curantur, 497. a. varia iis dantur præcepta, ibidem. c. & seqq. miles latus Christi lancea aperiens, quis fuerit, 814. c. d. videtur fuisse unus ex iis, qui latronum crura fregerant, ibid. & seqq.

Ministrantes præcingunt lumbos, 547. d.

Miraculum est opus Dei, 615. c. d. 643. f. qualia miracula fecerit Christus, & qualia Sancti, 618. d. in iis Dei gloria est spectanda, 769. g. miracula Christi semper habebant adjunctum aliquod auctarium, 665. e iis evicit Christus se esse Messiam & Deum, 671. d. e. 677. f. 728. d. 729. d. 730. a. multa ejus miracula a solo Joanne referuntur, 616. c. inter miracula ipsius & Prophetarum magnum erat discrimen, 771. d. e. f. g. potestas horum patrandorum semper & ubique ei erat prompta, ibidem. e. hæc in eo operabatur divinitas in ipso inhabitans, 768. g. h. & seq. cur potissimum circa pauperes fiant miracula, 718. c. f. ea non faciet Deus ad confirmationem mendacii vel hypocrisis, 719. h. miraculum primum Christi fuit conversio aquæ in vinum, 492. f. & quare, 693. e. quomodo id peractum, 693. g. h. & an vere id primum sit, 640. b. quomodo miraculum quinque panum & duorum piscium sit peractum, 675. b.

Missa est sacrificium juge, sed incruentum, 682. h.

Missionis auctoritatem petunt Pharisæi a Christo postquam vendentes templo ejecit, 641. b. c. quia ea ad novam fidem docendam requiritur, 710. d.

Mna sive mina, unde dicta: erat una Attica, altera Hebræa; quid utraque valeret, 593. f.

Modicum quid sit, post quod visuri essent Apostoli Dominum, 790. d. e.

quæ Modimperatoris partes in conviviis, 639. f.

Moyses in toto Pentateucho Christum præfiguravit, 673. d. huic Christus opponitur & anteponitur, 628. c. & seqq. non vidit Dei essentiam, sed tantum corpus quoddam luminosum ab angelo assumptum, 628. f.

in Monasteriis etiam occurrere possunt scandala, 744. f.

S. Monica filium suum suis precibus & lacrymis ad vitam sanctam revocavit, 514. a.

Mons quid tropologice designet, 458. d. montes symbolum sunt Prophetarum & Patriarcharum, a quibus natus est Christus, 501. c. d. in montium medio urbes ædificari solent, non in summo, vel imo, 505. c. in montem Oliveti ultimis vitæ diebus de nocte Christus secedebat, 750. e. 751. g.

Montana Judææ & Hebron quæ sint, 458. e. f.

Montanus hæresiarcha dicebat se esse Paracletum a Christo promissum, 770. d.

Mora in bono proposito nocet, in malo prodest, 761. e. f.

Morbi sæpe a dæmonibus immittuntur Deo permittente, 555. e. f. sæpe ob peccata ægrorum, 666. d. at Sanctis ad probandam eorum patientiam, 666. e.

Mors quid sit describitur, 716. h. ejus bona, 486. a. unde Christiano sit optanda, ibid. ea cuilibet imminet, 544. g. h. ad eam tendimus mox ut nati sumus, 630. b. vocatur nox, 716. e. f. & somnus, 733. c. d. 735. f. ejus luctus tori naturæ nostræ est communis, 734. f. ejus contemptus parit gloriam, 796. g. h. mors infernalis pessima, quia erit vitalis, 668. e. d. mors Christi manifestavit, qui in Israele probi, qui improbi essent, 488. e. f. hoc fuit mundo velut nox, 716. e. fuit ei voluntaria, non coacta, 726. d. 727. c. d. ea vicit diabolum, 748. e. f. & seqq.

Mortificatio remedium est cupiditatis, 559. b. mortificatio concupiscentiarum via ad salutem est, 746. h. & sequentibus, est hæc præmittenda Sacræ Synaxi, 756. d. e. & sequentibus, 755. g.

Mortui sunt quidam ex nimia lætitia, 462. c.

Mortuos Dominus suscitat imperando, 513. g. eorum resuscitatio opus erit Filii Dei, 669. b. quomodo audient vocem ejus, ibid. a. b. resurgent ad vocem Archangeli, ibid. f. mortui tres a Christo suscitati quid & quos denotent, 514. b. c.

solus Mortuus mundo & voluptatibus Deum videre potest, 628. g.

Morus arbor sapientissima est: unde dicta sit, 580. d. est symbolum Evangelii crucis, ibid. e. & seqq. item diaboli, ibid. e. dicta est a Græco *μώρος*, id est fatuus, 591. b. est arbor prudentissima, ibid.

Motio aquæ in piscina Probatica quando ab angelo fieret, 664. c. quomodo illa ægros sanaret, ibid. e.

μωκαρίζω quid proprie sit, 574. c.

Mulieres olim in conviviis unguenta spargebant, 516. d. mulierum colloquia separata cavenda sunt, 819. g. cur mulieres piæ Christum sequerentur, 521. d. & quæ, ibid. cur mulieris nomine non matris, Deiparam Christus moriens appellarit, 800. b. mulier inclinata per XVIII. annos, quos repræsentet, 555. g. h. *Vide* Femina.

Mundanus unus cur oderit alium, 783. b. mundanorum hominum vanitas, 561. b. hi solertiores sunt in temporalibus bonis sibi providendis, quam sancti in spiritualibus, 572. d. e. non sunt capaces Spiritus sancti, 770. g. & seqq. nec Deum videbant, 771. a. b.

e Mundi opificio naturaliter nosci potest Deus unus in essentia, 623. g. h. ipse est æternus, 801. e. mundus capitur subinde pro hominibus mundanis, 623. h. hic Christum incarnatum non cognovit, 623. f. g. & seqq. cur odierit pios, 783. b. quomodo a Spiritu sancto redarguendus sit, 788. g. h. & seqq. hunc ejusque principem vincunt fideles, 795. a. b. qui sint homines de hoc mundo, 706. d. e.

Murmur fratris filii prodigi quid & quos denotet, 569. f.

Murmurare Hebræis fuit solemne, 679. g.

Mutuare & commodare qui differant, 539. d.

Digitized by Google

Mutuum non unde deriveter, 581. d. mutuum ita dandum, nulla ut compensatio inde speretur, ibid. b. qui id non reddunt, vel sunt pauperes, vel ingrati, ibid. d.
Muti nati sunt surdi, & vice versa, 449. d. a.
Mysteria vitæ filii qualiter B. Virgo ignoraret, 491. e. f.

N

Nahar hebraice tam lumen quam flumen significat, 718. a.
Naim civitas ubi sita, & unde sic dicta, 513. a.
Nardus pistica, quæ sit, 743. f. & seqq. facile adulteratur, ib. g. habet spicas & folia, ibid. h.
Natalem unius Joannis Baptistæ celebrat Ecclesia, 467. c. hic & natalis Christi in diverso contingens solstitio, quid symbolice innuebat, 650. f. de natali Messiæ inquirere Judæi neglexerunt, varii alioqui signis ejus visis, de solo natali loco dubitantes, 698. a.
Nathan filius David ex Bersabee alius est a Nathano Propheta, 510. b. ex eo descendit B. Virgo per matrem, 498. g. h.
Nathanael erat a Cana Galilææ: quomodo sit a Philippo ad Christum adductus, 634. a. quis fuerit: est verisimile fuisse S. Bartholomæum, ib. b. c. erat legis studiosus, non doctor, ibidem. d. ubi requiescat: nominis ejus etymon, ibid. d. audito Philippo, ad Jesum cum eo venit, eumque agnovit esse Christum. ibid. f. g. h.
Nativitas hominis duplex, carnalis & spiritualis, 644. b. & seqq. trea nativitates habet Christus, 478. d.
Natura manet eadem in damnatis, 579. a. naturæ duæ in Christo fuere impermixtæ, 624. b. ejus natura humana ortum habuit in Bethlehem, divina fuit ab æterno, 695. b. c. & seqq. ac divina rebus omnibus creatis est major, 728. b.
Navem conscensuri olim Eucharistiam secum sumebant, 684. c. effecit Christus ut navis esset in portu Capharnai in momento, 675. f.
Nazareni in Christum acerbiores fuere, 504. a. b. d. 505. d. e. & ideo derelicti, 504. b. & seqq.
Nazareth habita patria Christi, quia in ea conceptus, & ejus mater cum Josepho ibi habitabat, 450. d. e. quantum a Jerusalem distet, 458. g. erat vicina Canæ Galilææ, 639. d. sed locus obscurus & ignobilis, ibid. e.
Nestorius negabat B. Virginem esse matrem Dei, 453. f. docebat Christum non solum naturam hominis, sed & personam assumpsisse, 625. b.
Nicodemus idem sonat quod *victor populi*: hinc ipse superans metum Pharisæorum, credidit in Christum: adscriptus est catalogo Sanctorum: erat vir primarius inter Judæos, 643. d. cur venerit ad Jesum nocte, ib. e. petit a Christo viam ad regnum cælorum, 644. a. non intelligebat spiritualia ejus mysteria, 645. g. fides ei deerat, 646. a. hinc Christus eum docet, ib. b. c. g. quomodo eum apud collegas suos tueatur, & inauditum condemnari vetet, 698. g. ejus corpus copioso unguento perfudit, 815. g. ob hoc pietatis officium factus est semimartyr. ibid.
Nicolaus Lyranus unde dictus: breve ejus elogium, 617. g. plus æquo fabulis Judaicis consentit, ibid.
Nisi aliquando idem est quod, *sed tantum*, 667. c.
Nocturnarum vigiliarum divisio, 549. c.
Nomen infanti dabatur in circumcisione, 467. f. maxime cognatorum & patrum illustrium, ibid. g. nomina nonnullis indita ab eventu præsenti, vel futuro, ib. h. nomina, ut ovibus, sic dantur fidelibus, 723. d. quomodo in nomine Christi prædicata pœnitentia & remissio peccatorum, 613. a. a Deo in nomine Christi petendum, quidquid petimus, 769. g. & seqq. quid sit in illo petere, 795. g. h. est id apud Patrem magni ponderis, ibid. quomodo in nomine Filii Spiritus sanctus mittatur, 772. g. nominis sui claritatem a Patre petit Christus, 796. a. b. & seqq.
Nonnus Panopolitanus Joannem versibus heroicis elegantibus expressit, 616. e. f.
Res Notabiles asserit Joannes per affirmationem, & simul contrarii negationem, 616. a.
Novitios in Religione a tentationibus præservat Deus, 787. c.
Νοῦς, id est mens, vocatur Deus pater, 619. d.
quid Nox symbolice designet, 761. g. est piscationi aptissima, 826. h. nocte orandum, de die laborandum esse docet exemplo suo Christus & multi anachoretæ, 489. d. 509. g. cur de nocte Judas ad proditionem perficiendam exiverit, 761. g. b.
Nubes gignit pluviam, 455. g. cur nubes ab occasu imbrem nuntient in Judæa, ib. secus in aliis locis, ibid.
Nuncii habent lumbos accinctos, 547. a.
Nuptiæ unde dicantur, 637. d. eas Christus sua præsentia honoravit, ib. g. nuptiæ in Cana quo die & anno contigerint, 636. f. g. & seq. nuptiæ spirituales animæ cum Deo habent aliquando defectum vini, id est gratiæ, 638. b. c. quomodo eæ fiant, 640. d. e. nuptiæ Christi cum Ecclesia quæ sint, & quomodo is ab iis dicatur reverti, 548. g. h.

O

Obdurati, si velint, possunt se ad Deum convertere, 751. a.
Obediens Superiori dirigatur a Deo recta ad portũ salutis, 492. c.
Obedientiæ præstantia, 492. a. d. ipsa nobilissimas hominis potentias Deo offert velut in holocaustum: omnia opera ex ea facta, facit meritoria, ib. c. est mater virtutum, ibid. d. cæteris virtutibus est præferenda, 492. a. Superiori quasi Deo exhibenda, 492. c. 530. g. obedientia Christi erga parentes erat quoad naturam humanam, non divinam, 491. g. ejus obedientia in morte oppetenda, 755. b. c. obedientia Deiparæ cruci filii adstantis, 811. a. b. c.
Obnubere antiquis quid esset, 637. d.
Obstinatio sæpe impedit tractum Dei, 680. g.
Obumbratio Spiritus S. quomodo intelligenda, 455. d. & seqq.
Octava dies Scenopegiæ erat tam solemnis ac prima, 696. g.
Odia infidelium contra fideles sunt velut ignis: ea Christus occasionaliter excitavit, 551. a. odium mundanorum erga pios, 783. b.
Odisse subinde idem est quod minus diligere, 562. d.
Officia humilia exercere, ad humilitatem via est, 760. b.
Olei usus in vulneribus, 533. f. g. oleum symbolum est misericordiæ, 706. b.
Operari bene omnes tenemur, 581. h.
Operarii inter operandum lumbos præcingunt, 546. c.
Opes veterum erant in pecoribus, 561. d. opum nostrarum nonnisi dispensatores sumus a Deo constituti, quarum dispensationis exactam is a nobis rationem reposcet, 571. e. 572. g. 573. g. earum affluentia est illecebra peccandi, 597. f. unde vocentur iniquæ, 573. a. & cur alienæ, ibid. g. h.
Opera naturalia possunt facere infideles, non ea quæ sunt gratiæ, 777. b. & seqq. per opera bona meremur vitam æternam, 580. b. 581. h. sunt ea cibus permanens in vitam æternam, 676. d. eorum vis, necessitas, integritas, 777. b. c. homo ex interna Christi gratia habet vim ea producendi, ib. b. & seqq. Opera heroica fortiter aggredienda sunt, 526. g. opera SS. Trinitatis ad extra sunt tribus personis divinis communia, 768. f. g. opera Dei perfecta sunt, 639. b. quæ vocentur opera Dei necessaria ad comparandum panem permanentem in vitam æternam, 676. d. & seqq. opera theandrica Christus non sibi, sed Patri suo attribuit, 491. d. in iis nihil juris habebant parentes ejus, 638. c. d. opera Christus in dies excellentiora edebat, unde videbatur crescere in sapientia & gratia apud Deum & homines, 493. d. e. f. hæc de eo testimonium perhibebant, 671. c. d. opera majora quam Christus, faciet credens in eum, 769. e. & seqq.
Ὀφθαλμὸν quid sit, & unde dicatur, 827. c.
Optimus erat epithetum præsidum & magistratuum, 445. e. 599. b. optima Deo offerenda, 744. b.
quomodo semper Orare oporteat, 585. d. & cur, 587. a. quis orandi modus sit, 738. f. an orantes pro aliis etiam exaudiantur, 793. e. pro quo oratur, debet cum orante collaborare, ibid. f. orari vult Deus, nihil dat non oratus, ib. g. ter oravit Christus in horto, 601. b. & seq. orabat plerumque de nocte, 700. c. d. e. oravit ante passionem pro Apostolis, 801. f. g. item pro omnibus fidelibus, 803. e. f.
per Orationem invenitur Deus amissus, 491. a. b. oratio assidua jungit nos Deo, 536. a. in ea requiritur perseverantia, 539. f. 585. d. ejus elogia, ibidem. e. ejus dignitas, necessitas & vis, 586. f. g. h. condienda est lacrymis, 737. e. quas habere debeat conditiones, 793. c. d. quæ in ea virtutes exerceantur, 794. d. & seqq. ejus elogium, ib. e. oratio humilis a Deo exauditur, superba rejicitur, 587. d. e. oratio in Christi nomine ad Patrem facta, omnia impetrat, 792. f. orationis Dominicæ tantum quinque petitiones assignat S. Lucas: an eam bis Dominus docuerit, 539. c. d. Oratio mentalis est hujus vitæ beatitudo, 537. a oratio publicani veniam peccatorum petentis, 588. b. & seq. oratio nocturna commendatur, 489. c. ea usurpata a Christo, 509. f. oratio Christi ad passionem ituri, 796. a. & seqq. orationem suorum exaudit Deus, 769. b.
Oriens est nomen proprium Christi, 470. c. d.
Origenes semina jecit arianismi, 615. g. h. 620. f. g. in Ortum Christi plebs non inquirebat ex desidia, Scribæ ex invidia, ut ex eo discerent an ipse esset verus Messias, 698. a.
Osculum symbolum est reconciliationis & amoris, 516. c. osculo excipiuntur hospites & convivæ, 518. d.
ὅσιος & ἅγιος, id est sanctus, quomodo differunt, 465. c.
Ossa quarum rerum sint symbolum, 815. d. & seqq. cur ossa agni Paschalis frangi non licuerit, & Christi non debuerint, ib. e.
Ostii ovilis parabola explicatur, 722. c. d.
Otiosus nemo in cælum admittitur, 546. a.
Ova valde nutriunt: ita sunt dicta quod sint uvida, 539. f.
Oves pastoris voces agnoscunt, 723. b. f. significant mystice fideles, 819. f. g. oves errantes symbolum sunt peccatorum, 564. f. & seqq. oves Christi sunt omnes homines, sed maxime fideles, 728. e. f. *Vide* Fideles.
quando Ovile unum & unus pastor, factum vel futurum sit, 726. e. f.

P

Pachomius conversus est visa charitate Christianorum, 763. b. c.
Pactum Dei cum patribus de Messia nascituro, 469. c. d. e.
Palæstina ob ingentes calores lepræ est obnoxia, 682. b.
quid sit Palmitem infructuosum tolli, & fructuosum purgari a Deo Patre, 776. g. h. quasi palmites jungimur omnes Christo, 778. e. f.
Palpatio corporis Christi an fuerit sufficiens argumentum resurrectionis ejus, 611. e.
Panis Hebræis omnem escam significat, 558. f. panis mensalis est signum pacis & amicitiæ, 760. d. e. panum miraculum recensetur, 675. b.
Panni quibus Christus recens natus involutus, fuerunt pauperes, sed mundi, 476. h. & seqq.
Parabolis gaudent Syri & Hebræi, 723. a. parabola & proverbium sæpe idem sunt, 393. h. & seqq. parabolæ Evangelicæ non sunt per omnia accommodandæ, 776. f. d. parabola ficus infrugiferæ exponitur, 554. g. h. turris ædificandæ, 562. d. e. & regis bellum meditantis, 563. a. & salis, 563. e. f. ovis perditæ, 564. f. drachmæ perditæ, 565. f. & filii prodigi, 566. b. villici iniqui, 571. c. d. ejus applicatio, 572. e. f. g. 573. h. & seq. servi de agro colendo regressi, 580. g. judicis & viduæ importunæ, 585. g. Pharisæi & publicani, 587. e. exponitur, ibidem, f. g. decem mnarum servis creditarum, 593. d. ostii ovilis, 722. c. ea exponitur & applicatur, ibidem, c. & seqq. 723. d. & seqq. & pastoris boni, 724. f. g.
Paracletus tria significat, 770. b. c. paracletus nomen est Spiritus sancti, 783. h. & seqq.
an Paradisus supersit: est corporum, non animarum receptaculum, 605. f. & seqq. quem Paradisum latroni Christus addixerit, ibid. h.
Paralysis est morbus incurabilis: est symbolum peccati consuetudine roborati, 665. a. & seqq.
Paralytici ad piscinam jacentis curatio, 663. e. quid hic allegorice

Digitized by Google

denotaret, 664. a. cur interrogetur a Chriſto an velit ſanus fieri, ibidem. b. c. ad ejus quæſtionem non directe reſpondet, ibid. d. cur eum ſabbato curarit, ibid. g. quomodo reſponderit ipſe Judæis, 666. a. adiit templum Deo gratias acturus, ib. c. ob occultum peccatum longo afflictus fuit morbo, & a Chriſto monetur ut deinceps ab eo ſibi caveat, ib. c. d. excitatur ad contritionem, ib. e. ejus gratitudo, ib. f. a Chriſto ſanatur in anima & corpore, 694. g.
Paranymphi qui dicerentur, quæ eorum partes, 650. a. b.
Paraſceve erat dies pridie ſabbati, 810. a. b.
ſemper Parati ad moriendum ſimus, 549. c. d.
Parentibus filii obediant, 491. h. habeant eorum curam, 805. e. parentes ſolent impedire ſtudium vitæ perfectioris in filiis, 527. f. ſæpe in iis puniuntur, 716. c. parentes cæci nati quam prudenter Phariſæis reſpondeant, 719. a. b. parentes Chriſti quid metuerent illo amiſſo in Jeruſalem, quomodo eum quæreret, 496. a. b. quomodo eum docentem mirati ſint, 491. b. eos ipſe non reprehendit, ibid.
Parochi boni munia, 714. h. & ſeqq.
Pars in Script. ſignificat ſortem hereditariam, 737. b. quam partem Patrum non habiturum niſi lavari ſibi pedes ſineret, Dominus inſinuaret, 757. c. d.
Particulæ adverbiales & conjunctiuæ in S. Joanne valde ſunt expendendæ, 615. e.
Parturientium dolor, 792. e. f.
Partus Deiparæ fuit puriſſimus ſine ullo ſanguini profluvio, 482. e. f. ipſa adfuit partui Eliſabethæ cognatæ, 467. b. & ſeq.
Parvi ſolent eſſe magnanimi, 590. h.
Paſcere in Script. ſignificat etiam regere, 829. f. & ſeqq.
Paſcha per ſextiduum durabat, 490. a. b. erat feſtum celeberrimum, 509. a. 663. e. & feſtum hilaritatis, 741. h. multi ad hoc rite celebrandum prius Jeruſalem veniebant, ut ſacrificiis præviis ſeſe ad hoc præpararent, ibidem. qua occaſione ſit inſtitutum, & quid ſignificet, 754. b. c. Paſcha ultimum vitæ Chriſti incidebat tunc in feriam quintam, 743. c. 754. b. quatuor Paſchata Chriſtus tempore prædicationis ſuæ habuit, 663. f.
Paſchates victimæ vocantur etiam Paſcha, 807. c.
Paſſio Chriſti quantopere matrem ejus afflixerit, 487. b. c. eſt velut balneum æſtuans, 552. b. quomodo ad eam anhelarit, ib. c. denotatur in piſcina Probatica, 664. h. fuit voluntaria non coacta, 695. g. vite denotatur, 776. a ceſſit Chriſto in gloriam, 766. c.
Paſſiones multæ hominis excipiendæ ſunt, 630. a. an & quomodo paſſiones fuerint in Chriſto, 737. a. b. eæ in ipſo & B. Virgine fuerunt voluntariæ, 811. f. g.
Paſtores ad Chriſtum in Bethleem viſendum, ab angelo excíti fuere tres, & eximii evaſerunt Sancti, 478. h. cur ii primi ad Chriſtum vocati ſint, variæ dantur cauſæ, 479. b. c. d. g. cur valde timuerint, ibid. e. quod ab angelo ſignum Chriſti accipiant, ibid. f. g. interius ab angelo illuminati cognovere eum eſſe Deum ac mundi redemptorem, 480. h. ibi fuere juſtificati, aut, ſi jam juſti erant, magnum ſanctitatis incrementum acceperunt: cur feſtinarint, ib. h. 481. a. quæ ab angelo de Chriſto acceperunt, etiam aliis narrarunt, ſed hi ſoli in eum crediderunt, ibid. b. c.
Paſtores ovium, quid iis præſtent, 724. h. ſolent ovibus nomina quædam imponere, 723. c. d. octo eorum munia, ibid. d. & ſeqq. 724. h. & ſeqq. paſtor eſt Chriſtus, 722. g. h. & paſtor bonus, ibidem. h. & paſtor unicus, & paſtor paſtorum, 724. g. paſtor bonus vitam ſuam pro ovibus exponit, 725. d. 726. d. nec fugit veniente lupo, 725. g. paſtores ſpirituales qui ſint, 715. a. quid acturi in perditione ſubditorum, 514. b. vita clareſcant & moribus, 723. e. quid ſubditis præſtare debeant, 725. a. & ſeqq. triplici modo eos paſcere debent, 830. f. ab iis plus Deus exiget, quam a ſubditis, 550. e. fideles a noxiis defendant, & iter in cælum iis oſtendant, 723. e. & ſeqq. qui fuerint ſpurii paſtores Judæorum, 722. c. paſtores conſtituendi ſunt aptiſſimi, 832. c.
Paſtoritia ars eſt innocentiſſima, 479. b.
Pater ſubinde eſt idem quod inventor, 711. e. pater in divinis non eſt major Filio, 773. g. h. quomodo Pater cæleſtis operatur uſque modo, 666. g. h. patres in tenebris limbi agebant, 471. c. ad Meſſiam ardentiſſime anhelarunt, 485. e. f. 714. a. patres morituri commendent filios Deo, 796. a. b.
Pati Chriſtus debuit ut gloriam ſuam intraret, 609. e. f.
Patientia eſt animæ poſſeſſio, 597. f. videtur complexio omnium virtutum, 598. a. patientiæ ſpeculum Chriſtus eſt, 782. h. 783. a.
Patienter fructus boni operis eſt exſpectandus, 522. c.
Patria viro fideli non curanda, ſed ea orbis eſt, 504. e. extra patriam homines optimi ſunt quærendi, ibid. c.
Patriarchæ non cognovere Dei filium, niſi ex peculiari Dei revelatione, 623. b. omnes Meſſiæ adventum ardenter deſideraverunt, 737. b. fuerunt paſtores ovium, 724. b.
Pauci e Judæis Chriſtum receperunt, 624. a.
S. Paulinus pro viduæ filio ſe in ſervum vendidit, 600. c. d.
S. Pauli converſio vera fuit, 520. a. ſingulis propria dat præcepta, 543. b. quam plenus fuerit Spiritu ſancto, 697. b. c. fuit quaſi tonitruum, 747. b. zelum ardentem animarum habuit, 830. b.
Paulo Oroſio omnis locus patria erat, 504. f.
S. Pauli Simplicis viſio de peccatore converſo, 565. a. b.
cur Pauperes vocentur eſurientes, &c. ac iis danda quæ abundant domi, 544. d. ſunt ad convivium invitandi, 560. d. quod iis fit, Deus ſibi fieri reputat, ibid. e. illi ſæpe ſunt ſancti, ideoque divites potius ab iis accipiunt quam dant, 573. c. d. ſunt cæli janitores, ibid. d. non ſunt deſpiciendi a viro Apoſtolico, ſed ſuſpiciendi, 579. d. 718. f. ſæpe non habent a quo adjuventur, 665. e. cur præ divitibus miraculoſe & divinitus curentur, 718. e. pauperes cælo donari eleemoſynarios cælo recipiunt, 572. f. g. pauperibus & plebejis Evangelium annuntiatum eſt, Phariſæis & pontificibus id ſpernentibus, 651. g.
Paupertatem coluit B. Virgo, 483. f. paupertas Chriſti toto vitæ tempore, 478. c. d. qualem paupertatem rerum is profeſſus ſit, 744. h. & ſeq. paupertatis Evangelicæ vis in quo conſiſtat, 745. c. reddit longævos, 544. b. c.
Pax toto orbe erat cum naſceretur Chriſtus, 473. e. pacem apprecantur Hebræi in ſalutatione, 820. h. quia hæc iis omne bonum & proſperitatem ſignificat, 471. d. e. 480. d. 435. b. 594. g. 611. a. pax quam Simeon ſenex habuit, quæ & quotuplex fuerit, 485. a. cur ſuis poſt reſurrectionem pacem apprecetur Chriſtus, 611. a. eam ſuis reliquit ex hoc mundo abiturus, 773. a. quid ea contineat, ibid. b. c. cur eam iterum diſcipulis apprecetur, 821. d.
Peccare in cælum quid ſit, 568. c. & ſeqq.
Peccator inverecundus eſt, audens peccare in conſpectu Dei viventis & videntis, 568. e. agit in tenebris vitiorum & errorum, 471. c. putat viros ſanctos ſibi eſſe damno, 524. b. peccando longe abit a Deo & cælo, 566. d. & ſeqq. prodigit Dei gratiam, charitatem & virtutes, aliaque ſibi mala creat, 566. e. laborat inopia rerum omnium naturalium & ſupernaturalium, ibidem. g. h. & ſeqq. ejus veſania, 567. f. peccatore rogantes an exaudiat Deus, 719. g. in hac vita manent in Chriſto quaſi in vite, ſed poſt eam ab eo ſeparantur, 778. g. h. & ſeq. eorum mors peſſima, 373. h. eos convertere, Deo & angelis eſt gratiſſimum, 565. b. c. ſi pœniteant, ſæpe juſtos in operibus ſuperant, 515. b. c. tunc in eumdem, quem prius habuerant, a Deo ſtatum reſtituuntur, 596. e. eis converſis non eſt invidendum, 570. d. converſio iis ardua eſt, 791. h. & ſeq. convertendi varios in anima motus ſentiunt, 664. g. jam converſi quodammodo veniunt foras, 739. b. c. ſed manent illigati carnis moleſtiis, ibid. e. debent a ſacerdote abſolvi, ib. f. jam convertendi a Deo præveniri debent gratia, 715. h. peccator conſuetudinarius, habituatus, obduratus, eſt velut paralyticus, 665. a. & velut Lazarus quatriduo mortuus 734. b. c. 738. b. peccatores manifeſti denotantur in filio prodigo, 566. a. b.
Peccatrix, id eſt meretrix, dicitur fuiſſe Magdalena, 521. e.
Peccatum mundi tollit Chriſtus, 631. f. g. a peccato nemo eſt immunis, 701. c. d. e. g. h. peccatum mortale eſt umbra mortis, 471. b. c. ejus turpitudo, 515. g. h. unum ſine aliis remitti nequit, 519. b. c. eſt debitum graviſſimum, 517. c. d. eſt nihil, quare, 621. a. tenebris comparatur, 621. a. b. induxit ſervitutem, 709. a. eſt velut tyrannus & herus, ibidem. b. id non præcipit Deus, 761. a. b. unum eſt alio gravius, 550. d. peccata ſacerdoti confitenda ſunt, 813. a. quomodo ea ab illo retineantur, ibidem. c. d. peccato unicuique congruam Deus ſtatuit pœnam, 523. c. peccatum unum ſæpius condonari poteſt, 518. c. peccati arma fiant arma virtutis, 516. a. peccata futura Deus non punit, ſed præterita, 716. c. peccata remittendi poteſtas data per Spiritum ſanctum eſt Apoſtolis, & in illis omnibus ſacerdotibus, 812. b. & ſeqq. peccatum originale contrahitur per generationem operis viri, 455. b. in eo omnes naſcimur, ib. eſt cauſa omnium pœnarum & malorum, 716. b.
Peccata venialia omnia in hac vita juſtus vitare nequit, 446. e. ea expurgavit Chriſtus in Apoſtolis, dum pedes eorum lavit, 357. h. quomodo in peccato ſuo mortui fiat Phariſæi, 705. f.
Pectoris tunſio ſignum eſt pœnitentiæ, 588. g. item ſymbolum ſatisfactionis & vindictæ, ibid. d.
Pecuniam in ſudario ligare, eſt percepta dona ſub corpore abſcondere, 594. c. eam tractare noxium eſt Religioſis, 744. e.
Pelagius docebat omnes Chriſtianos debere eſſe pauperes ex præcepto Chriſti, 546. b. gratiæ neceſſitatem negavit, 679. b. c. aſtruens liberum arbitrium, id deſtruebat, 778. c.
Pentecoſte erat feſtum ſecundum a Paſchate, 509. a. b. eam vocant Itali Paſcha Spiritus ſancti, ibid. c. in Pentecoſte obligare cœpit lex nova, & deſiit vetus, 644. g. h. in ea quoque datus eſt Spiritus ſanctus Apoſtolis abundantiſſime, 697. e. f. in ea Conſtantinopolis a Turcis eſt expugnata ad punitionem ſchiſmatis Græcorum in Spiritum ſanctum blaſphemorum, 783. h.
Per præpoſitio quomodo tribuatur Deo Patri, 620. g.
Peræa erat locus Judææ vicinus, 596. g.
Peregrini ad hoſpitium etiam cogendi ſunt, 610. h. & ſeq. peregrini in hac vita ſumus, ac tendimus ad patriam cæleſtem, 608. f. 626. b. c. 700. d.
Pericardio non aqua continetur, ſed biliioſus humor, 814. h.
Pericula declinanda ſunt, 691. d. 692. d. 693. c. iis occurrendum timore ſuperato, 774. h.
cur Perſecutionum inſtantium mentionem apud diſcipulos faciat Dominus, 584. h. perſecutio dulcoratur conſideratione Chriſti eam paſſi, 502. h. & ſeq. perſecutionis in Apoſtolos excitatæ quæ fuerint cauſæ, 786. e. d. & ſeqq.
Perſeverantia in oratione neceſſaria eſt, non continuatio, 585. d. e.
Perſona Chriſti erat exempta ab omni obedientia, 491. h. perſonam unam conſtituit Chriſtus, & in ea eſt facta unio duarum naturarum & voluntatum reipſa diſtinctarum & diverſarum, 460. d. 624. h. & ſeqq. perſona nulla in S. Trinitate mittitur, niſi quæ procedit ab ea quæ mittit, 781. h. 784. a. b. 787. g. quando una mitti dicatur ab alia, 784. b. perſonæ diſtinctæ ſunt in Deo, 768. b. c. earum inter ſe conjunctio, ib. c. d.
Pedes lavabuntur olim ante epulum, cur, 518. d. pedes animæ quibus ad Deum venitur, ſunt intellectus ac eo illuſtratus, & voluntas ab eo impulſa, 681. a. pedes Chriſti Magdalena prius capillis ſuis abſterſit, quam ungeret, 744. c. d. pedes diſcipulorum lavit Chriſtus immediate ante inſtitutionem Euchariſtiæ, 751. c. atque tres ob cauſas, ibidem, f. pedes baptizandorum in Medio-

Digitized by Google

Mediolanenſis Eccleſia abluebantur, & quo ritu, 756. f. id poſtea vetitum, & qua de cauſa, ibidem, h. & ſeqq. quin & Epiſcopus ibi quibuſdam e Clero pedes lavabat die Jovis ſancto, 757. f.
Peſtis Romæ graſſata ob indignam communionem, 686. e.
ea quæ a Deo in oratione petenda ſint, 779. a. b. 792. f. g. & quomodo, 792. f. g. quid ſit, *petere in nomine Chriſti*, ibid. h. & ſeqq.
S. Petrus dicitur futurus hominum piſcator, 506. h. & ſeq. fidem Chriſti, etſi eum ore negaret, corde tamen ſemper retinuit, 600. f. g. fuit præpoſitus cæteris Apoſtolis & Eccleſiæ univerſæ, 601. a. ei ante ceteros Apoſtolos apparuit Chriſtus a reſurrectione, 610. h. primo a fratre de Meſſia invento audiens, eum videre exoptavit, 633. a. c. ejus nomen a Chriſto mutatur, & e Simone dictus Cephas, ibidem. e. omnium nomine reſpondet, quod apud Dominum manere vellent, 689. a. cur Joannem de proditore interrogare jubeat, 760. c. ejus de ſe nimia præſumptio, 764. a. b. & ſeqq. cur ei primo lavare pedes Dominus voluerit, 756. b. is autem id detrectat e reverentia, ibidem. c. 757. b. c. Malchum percuſſit e zelo erga Dominum, in eo tamen peccavit, 812. a. qui piſcans, piſces CL. reti concluſos ſolus attraxerit, 829. e. eum Dominus interrogat an ſe diligeret, ibidem, c. d. & ſequentibus, 830. c. & ſeqq. ac tum eum conſtituit ſuæ rectorem Eccleſiæ, ibidem. h. ardenter & robuſte Dominum diligebat, 829. d. jam factus cautior, non audet ſe de amore jactare, ibidem. e. cur de amore Domini interrogatus, ſit contriſtatus, 830. g. crucifigendus prædicitur, ibidem. h. fuit clavis cruci affixus, 831. c. d. & inverſo modo, ibidem, ei crux fuit glorioſa, ibidem, d. & ſequentibus, quam ejus ſepulchrum ſit celebre, ibidem. e. ei e carcere fugienti apparet Romæ Chriſtus, 763. h. 831. h. cur de Joannis morte Dominum roget, 832. b. ejus curioſitas a Domino reprimitur, ibidem. d.
S. Petrus primus Bracarenſis Epiſcopus an fuerit filius Uriæ Prophetæ occiſi a rege Joakim, 525. h.
P. Petrus Canifius Societatis Jeſu uſque ad mortem pro Eccleſia laboravit, 557. e.
P. Petrus Faber Societatis Jeſu ſalutare monitum dedit pro Religioſis ad hoſpitium divertentibus, 535. a.
Petri Telonarii converſio admirabilis, 593. b.
Phaniuel idem eſt quod facies Dei, 488. h.
Phariſæus quomodo ad orandum ſe compoſuerit, 587. e. cur ſteterit: ſymbolum eſt populi Judaici, ibid. f. g. quare oraret apud ſe: ejus faſtus & jactantia, ib. d. quomodo orans Deo gratias ageret, ibidem. c. d. reputat omnes ſceleratos, ſe ſolum juſtum, ibid. h. & ſeq. quot peccata orans committat, 588. a. b. quas daret decimas, ib. c. ejus ſuperbia, ibid. d. e. ejus oratio caſſa fuit, 589. b. & ſeq.
Phariſæi in crebris magniſque lotionibus ſanctitatem ponebant, 540. f. legem Dei non recte interpretabantur, 541. b. g. & ſeqq. eorum mendacium & æmulatio contra Chriſtum, 556. g. h. erant ſimiles vulpi, ibidem. h. 557. a. prima accumbendi loca in conviviis ob ſuperbiam aucupabantur & occupabant, 559. d. e. ad Evangelium vocati, venire noluerunt ob avaritiam & voluptatem, 561. a. & ſeqq. ſed iis pauperes ſunt ſurrogati, ib. g. ſe juſtos reputantes, peccatores contemnebant, 564. e. perperam murmurant quod Chriſtus cum peccatoribus verſetur, ibid. e. 565. b. ideo denotantur in fratre filii prodigi, 566. a. b. 569. f. g. h. 570. b. c. d. & ſeqq. infideles erant tam in opum adminiſtratione, quam in doctrina legis divinæ populo tradenda, 573. e. f. eorum hypocriſis, 574. c. d. quare Joannem de baptiſmo interrogant, 630. f. g. inter epulas ſæpe religionis cauſa lavabant manus, 638. h. eorum potentia, 653. c. & ambitio, 728. d. & avaritia, 705. a. urgent graviter paralyticum ad piſcinam a Chriſto ſanatum, 665 h. 666. a. & ſeqq. Chriſto gloriam invidebant, 666. g. credebant animæ immortalitatem, non Sadducæi, 672. g. ex odio & invidia Chriſtum admittere noluerunt, 672. h. & ſeqq. 673. d. eum initio Scenopegiæ quærebant, ut eum caperent & occiderent, 692. g. eum dicebant inſanire, quo ipſo diceret ſibi mortem machinari, 694. b. in eum inſurgunt quod ſabbato paralyticum curaſſet, ibidem. b. c. & ſeqq. eorum iniquum judicium, 694. h. erant e magiſtratu, & apud pontifices Jeſum accuſarunt, 695. h. 696. a. quomodo eum eſſent quæſituri & non inventuri, 696. c. eorum in ipſum odium & rancor, 666. g. 667. b. idque ſine cauſa, 783. g. quomodo ſint maledicti, 698. f. eorum negantium e Galilæa Prophetam unquam veniſſe, teſtimonium falſum, temerarium & ſtultum eſt, 697. a. b. & ſeqq. eorum dolus in accuſatione adulteræ, 700. e. f. 701. e. judicabant de Chriſto ſecundum carnem, 703. d. cur de Patre ejus inquirant, 704. d. quibus Chriſtus reſpondet caute, ibid. e. quomodo in peccato eos ſuo moriturос dixerit Chriſtus, 705. f. ei mortem deſiderant jam a longo tempore, ibid. erant terrenis affixi, ibid. 705. h. & ſeqq. erant infernales, 706. c. erant in multis rebus culpabiles, 707. d. eorum infidelitas in doctrina Chriſti rejicienda, ibid. cur eos Deus non ſinit intelligere dicta a Chriſto, 707. f. g. 710. d. e. patrem habebant diabolum, ejuſque ſpiritum ſequebantur, 709. f. h. 710. a. b. 711. f. g. h. 712. a. b. h. Chriſtum vocant Samaritanum, 712. d. & dicunt eum habere dæmonium, ibidem. e. f. ſcire debebant eum nonniſi a Deo miſſum eſſe, 719. e. f. erant ceu fures & latrones ovium, 722. e. ex cæci nati curatione ſumpſerant occaſionem Chriſtum calumniandi, 718. g. h. cur cæcum iterum iterumque interrogent, ibidem. h. cur aggrediantur parentes ejus, 719. a. b. anxia eorum de hoc cæco diſquiſitio, ibidem. d. ei maledixerunt, ibidem. e. f. confeſſionem ex ore Chriſti elicere volentes, quod ipſe eſſet Meſſias, id faciunt ejus calumniandi cauſa, 783. e. f. ipſorum incredulitas & obſtinatio, ibidem, d. 787. h. de Chriſto necando conſultant, 740. a. b. cur ſibi a Romanis ob illum indemnem metuant, ibidem, e. d. e. hunc metum præterunt tantum ſuæ invidiæ & odio in Chriſtum, ibidem d. e. 741. b. ſtatuunt eum interficere, ibidem. e. circa Paſcha eum capere volunt, 742. a. cur Lazarum redivivum interficere voluerint, 745. f. g. Chriſtum quamprimum de medio tollere ſatagunt, 746. a. b. eum cum venit, agnoſcere noluerunt, quia humilem videbant, 783. f. 786. d. e. in ea ignorantia craſſa laborarunt, 786. d. e. neminem ad mortem damnabant, 807. d. e. *Vide* Scribæ, Judæi, Pontifices,
Philanthrophia Dei erga homines, 647. d. e.
Philemon non fuit e LXXII. diſcipulis, 529. b.
S. Philippus vocatus fuit a Chriſto in Galilæa, 633. f. primus Apoſtolorum vocatus eſt voce exteriore Chriſti, ibidem. f. g. cur tam cito eum ſit ſecutus, ibidem. h. erat Nathanaeli amicus, 634. b. quomodo hic Jeſum deſcribat, ibid. d. e. e teſtimonio Joannis credidit eum eſſe Dei filium, ſed in confuſo, 635. a.
Photina, dicta eſt Samaritana converſa, 659. b. d. e.
Phraſes aliquæ S. Joanni peculiares, 616. a.
Pietas non tollit politiam, nec regnum temporale, 740. f.
Pilatus quintus fuit Judææ præſes datus a Tiberio Imp. 494. b. & ſeqq. vere Jeſum dimittere volebat, 809. h. qua hora Chriſtum ad crucem damnarit, 810. a. b. & ſeqq.
Piſcatio ab Apoſtolis uſurpata eſt a Chriſti reſurrectione: at non poſt Pentecoſten, 826. g. ea recte fit de nocte, ibid. h.
Piſcina quid eſſet, quare ea juxta templum a Salomone exſtructa: unde dicta Probatica, 663. g. ejus origo fabuloſa, ibid. g. h. cur dicta Bethſaida vel Berheſda, 664. a. b. erat plena ægris, ib. b. ejus aqua quomodo ab angelo moveretur, ib. c. d. ejus ſanandi vis fuit ſupernaturalis & miraculoſa, ib. g. quando illi ea vis acceſſerit, & adempta ſit, ib. piſcina Siloe derivabatur ex fonte Siloe, 717. f.
Piſcis aſſus a Chriſto paratus ſuis in littore unde productus: quid myſtice innuat, 828. c. & ſeqq. ſymbolum eſt Chriſti: & quare, 612. c. d. piſces lucem fugiunt, hinc nocte optime capiuntur, 826. h. & ſeqq. piſcibus veſcebantur priſci, ibidem. c. d. piſces ſunt obſonium, ibid. piſcium ad dexteram cæptorum capura miraculoſa quid innuat, 827. d. 828. d. e. piſces CL. a Petro capti quid innuant, 828. e.
Piſtica nardus quæ ſit, 743. f.
Pius V. in Pontificem electus, quid de ſe dixerit, 550. g.
Placere oportet Deo, ſimul & hominibus, 494. a.
Platonici cenſebant ſolem vivere, 702. e.
Plebeji, audita Joannis concione, ea moti ſunt potius, quam Phariſæi, 496. d. e. & ſeqq. & magis ei favebant,
falſæ opiniones Plebis imperitæ de Meſſia, 695. c. aliqui tamen ex ea Chriſto crediderunt, 701. f.
πλησίον, id eſt proximum derivatur a πλάω, id eſt accedo, 333. a.
non Pluiſſe triennio & dimidio anno tempore Eliæ, Dominus non declaravit, 504. g. h.
Plutarchi error de Scenopegiis Judæorum, 691. f.
Pœnitentis compunctio per trituram deſignatur, 483. g. h. pœnitentes per gratiam Dei a lapſu reſurgunt, 486. f. ſolent eſſe ferventiores innocentibus, 569. h. ſe Deo conſecrantes quodammodo celebrant encænia, 727. d. e. pœnitentes publice olim non miſcebantur cæteris fidelibus in Eccleſia, 568. f.
Pœnitentia eſt animæ purificatio, 423. c. pœnitentia fervens, ſæpe Deo gratior eſt quam torpens innocentia, 515. b. peccatores in juſtorum numero ponit, 518. h. & ſeq. ejus fructus, 519. a. eſt agenda in hac vita, quia in morte ſera eſt & coacta, 548. h. & ſeq. reſtituit Deo honorem ablatum per peccatum, 568. c. ea præmitti debet Euchariſtiæ, 756. c. e. 757. b. c. Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii Chriſtus inſtituit, 822. f. publica pœnitentia Magdalenæ, 516. c.
Politici politiam præferunt religioni, 740. f.
Pontificatus apud Judæos arbitrio præſidum Rom. ſæpe mutabatur, 740. g. h. non tamen erat annus, ibid. h.
Pontifex eſt ſummus hominum piſcator, 507. a. hinc debet & per ſe & per legatos & ſacerdotes a ſe miſſos infideles convertere, ibid. ſic Primi Pontifices fecerunt, ibidem. ipſe eſt oraculum veræ fidei, 700. h. eſt paſtor generalis omnium fidelium, 726. g. quantam ejus curam habeat Deus, 741. c. die Jovis ſancto duodecim pauperibus pedes lavat, & veſtem donat, 757. b. eſt caput totius Eccleſiæ & omnium fidelium, 829. h. & ſeqq.
Pontifices Romani primi per trecentos annos ob fidem Chriſti necati ſunt, 557. g. 725. e. numquam publice a fide defecerunt, vel aliquem errorem contra fidem docuerunt, 600. g.
Pontifex apud Judæos erat tantum unus, ſed alii minores ſacerdotes dicti quoque ſunt Pontifices, 496. h. pontifices hi a Rom. præſidibus facile mutabantur, 806. h.
unde Porcorum grex fuerit apud Judæos, qui porcis non veſcebantur, 523. d. cur dæmones in porcos ingredi permiſerit Chriſtus, ibidem. e quomodo porci hi ſe in mare præcipitarint, ibid. g.
in Portis olim erat forum rerum venalium, 813. f.
Porticus proprie quid ſit, 664. b. porticus Salomonis quæ eſſet, 727. g. h. & ſeqq.
Poſſe Scriptura ſæpe accipit pro velle, 710. d. e.
Poſſeſſio bonorum in communi non derogat perfectioni, 745. a. b. quid ex ea boni ſequatur, ibid. b. c. an perfectionem minuat, ibid. d.
Poſſidere animam, quid ſit, 597. h. eam poſſidet patiens, ibidem. g.
omnia ſunt Deo Poſſibilia, 456. d. e.
Potentes de ſede deponit Deus, 466. a. & depoſuit maxime ſub tempus nativitatis Chriſti, 466. b. c.
qui tres animæ Potentiæ a S. Trinitate reformentur & perficiantur, 772. c. d.
Poteſt, accipitur ſubinde pro, ſolet, 634. f.

Digitized by Google

Poteſtas Chriſti in omnes homines, 797. c. d. poteſtas judicandi omnes mortuos data Chriſto a Patre in incarnatione, 668. d. hæc eſt propria Deo, ib. d. e. poteſtas miracula patrandi Chriſto ſemper & ubique parata erat, 671. f. g. poteſtas duplex Ordinis datur ſacerdotibus, 823. e. poteſtas peccata remittendi datur Apoſtolis, & in iis omnibus ſacerdotibus, 822. b. ea non eſt Evangelii prædicatio, ibid. f.
Potus intemperantia cavenda, quia noxia, 598. a. b.
Præcepta legis Moſaicæ erant triplicia, 446. c. d. præcepta multa in Script. dantur univerſæ Eccleſiæ, ſed implenda per aliquos, non per ſingulos, 683. b. præceptum de carne Filii Dei comedenda multis videbatur durum & rigidum, 687. c. d.
Præceptor poteſt diſcipulos hebetes acriter reprehendere, 609. e. præceptor etiam dominum & herum ſonat, 582. f.
de Prædeſtinatione ad gloriam quomodo gaudendum ſit, 351. b. eſt ipſa liber vitæ, 532. a. ipſa eſt duplex abſoluta & conditionata, ib. b. ſignum ejus eſt audire libenter verba Dei, 752. d. ea tribuitur Deo Patri, 782. a. b. prædeſtinatio Chriſti eſt finis & exemplar noſtræ, 779. e.
Prædeſtinati ſoli non ſunt oves Chriſti, 722. d. 723. b. c. 726. a. 728. d. e. omnes prædeſtinati ad gloriam, ſalvantur, 728. e. f.
Prædicare verbum Dei gratis, eſt majoris perfectionis, quam ſumere alimoniam ab auditoribus, 826. g. h.
Prædicatio Evangelii velut ignis fuit, 551. a. b. cur ea cœperit a Jeruſalem, 613. b. ipſa non eſt poteſtas abſolvendi a peccatis data Apoſtolis, 823. e. f.
Prælati ſingulos propria doceant, 549. b. quid a Prælatis exacturus ſit Deus, ib. f. eorum officia & munia, 724. g. h. & ſeqq. rerum temporalium curam aliis confidant, ſibi ſervent ſpiritualium diſpenſationem, 744. f. g. præeant ſubditis in exemplum, 758. b. etiam humilia officia obeant, 759. b. non indulgeant amori in conſtituendis Paſtoribus, 832. c.
Prælaturas fugerunt Sancti, 550. g.
Præmium cæleſte eſt ingens pro parvo labore & cura, 594. b.
cur in Præſepio Chriſtus reclinetur, 477. b. ipſum Romæ aſſervatur & colitur, ibid. c.
Præſides Judææ dicti ſunt procuratores, iique recenſentur, 495. b.
Prætor dictus a præeundo, quaſi prætor, 707. b.
Precatio Sanctorum eſt efficax, 459. g.
Primatus Petri innuitur, 828. e.
Primogenitus eſt qui primo gignitur, etſi nullus poſt eum gignatur, 476. g. h.
cur S. Lucas ita ſtudioſe Principes tam ſæculares, quam Eccleſiaſticos recenſeat, qui Chriſti prædicantis tempore fuere, 495. g. principes ſacerdotum etiam dicti ſunt, qui non erant pontifices, ibid. qui principes crediderunt in Chriſtum, ſed propter Phariſæos eum non confiterentur, 752. e. idque ob gloriam hominum, ib. e. f. principes multi die Jovis ſancto pedes lavant pauperibus, vel ſubditis, 757. a. b.
quomodo Chriſtus ſe dicat Principium, 706. f. g. principium potius competit Filio Dei, quam Spiritui ſancto, reſpicitque ejus originem qua genitus eſt a Patre, ibid. g. h. *principium* apud Joannem dicit reſpectum ad omnia tempora, 618. e. f. in quo principio fuerit Verbum, ib. cur principium detur æternitati, ibid.
Priſci erant frugales, 827. c.
Proceſſio æterna Spiritus ſancti a Patre, 784. d. e.
Prodigia & ſigna quomodo differant, quid utraque ſint, 661. f.
filii Prodigi ad patrem redeuntis oratio, 568. b. & ſeqq.
Proditio Judæ fuit opus diaboli, 755. d. quando eam ſuis Chriſtus prædixerit, 759. d. & ſeqq. 760. a. S. Joanni ea fuit indicata per panem intinctum, 760. c. d.
Proficere ſemper in virtute debemus, 493. d. e. quomodo profecerit Chriſtus in gratia & ſapientia, apud Deum & homines, ibidem. b. c.
Propheta accipitur in Scripr. pro viro ſancto & eximio, 718. b. Propheta eximius eſt Chriſtus, nec equit alio Propheta, qui ejus ſit præco, 630. d. e. Prophetæ omnes de Chriſto prophetarunt, 468. b. fuere velut ſatores, 660. d. e. non ita poſſidebantur a Spiritu ſancto, quin multa poſſent agere & dicere ex proprio ſpiritu, 651. g. fuerunt miſſi a Deo, & fuere Chriſti præcurſores, 724. a. eorum plerique in Jeruſalem ſunt occiſi, 557. f. omnes deſiderarunt ardenter Meſſiæ adventum, 714. a. b. Prophetæ & Prophetides variæ e Galilæa fuere, 698. b. tempore Chriſti aliquot Prophetas Deus excitavit, 488. f. g. & ſeqq.
Prophetia Caiphæ de morte Chriſti, quatenus vera fuerit, & a Spiritu ſancto profecta, 741. c. d. & ſeqq.
in Propoſito bono non eſt ceſſandum, nec retro reſpiciendum, 527. g. ipſum eſt illico mandandum executioni, 761. e. f. propoſitum novæ vitæ eſt velut difficilis partus, 792. a.
Propterea aliquando eſt illativum, non cauſale, 694. d.
Proſtratio Judæorum in horto ad terram, 806. b.
Proverbium & paroemia ſæpe idem ſunt, 793. b. & ſeqq.
a Providentia Dei pendere in omnibus, 545. f. ipſa eſt fortuna fortunans, 554. d.
Proximus eſt nomen correlativum, 534. c. d. e. noſter proximus ſunt omnes homines, 532. b. & ſeq. quomodo ii diligendi, 533. a. proximo præſtanda eſt miſericordia, 518. a. ei quod datur, Chriſto datur, 781. c. d. proximum eſt quod nobis viciniſſimum eſt, 533. a.
Prudentia pueri Jeſu in admirationem rapiebat audientes, 490. g.
Pſeudo-Meſſiæ apud Judæos varii fuerunt, 722. e. 724. a. hi venerunt, ut mactent, 714. e.
apologus de Pittaco apud exteros bene habito, 504. d.
poſt Pubertatem vulgo nubunt puellæ, 488. b.
Publicanorum injuſtitia in quo conſiſtat, 496. g. erant apud Judæos infames, & a publicis magiſtratibus arcebantur, 587. e. vocabantur latrones, ib. 590. g. ſæpe erant ſceleſti, 591. g. b. Publicanus quomodo in templo orans ſe geſſerit, 587. e. ipſe ſymbolum eſt populi Gentilis, ibid. diſſimulat contumeliam ſibi a Phariſæo illatam, imo agnoſcit & veniam poſtulat, 588. e. quomodo ſtaret a longe: ejus humilis oculorum dejectio, ib. e. f. cur pectus tunderet, ibid. g. ejus brevis oratio, ſed efficax & ſuculenta, ib. h. deſcendit in domum ſuam juſtificatus, 589. a. & ſeqq.
Puer Hebræus, & filium, & ſervum ſignificat, 817. b. puer Jeſus non laboravit inſcitia nec ſcholas debuit frequentare, 492. e. f. puer Judæus virtute Euchariſtiæ ignes fornacis non ſenſit, 684. d. pueri ſubdantur parentibus, 491. b. vocantur agni, cur, 601. e. f.
Puerpera maſculi XL. diebus erat immunda, 481. b. d. quam offerret victimam, ibidem, e. 483. g. ejus impuritas erat duplex, naturalis & legalis, 482. d. quomodo purificaretur, 483. g.
Pulmentarium eſt obſonium ad panem adhiberi ſolitum, 817. b. c.
Puls cibus erat priſcorum Hebræorum & Latinorum, 817. b. c.
an Purgatorium interpoſitum ſit inter limbum patrum & infernum, 578. b. Purgatorium deſiderii quod ſit, 548. e. f.
Purificationis tres erant leges, tam matrem, quam prolem & victimam ſpectantes, 482. c. quis ejus eſſet ordo, 483. f. g.
Purpura regum erat veſtis, 574. f.
cur dicantur fideles Puſillus grex, 545. g.
Putei quod ſit etymon, 655. b.
Pythagoras cenſuit animas ante corpora extitiſſe, 720. b.

Q

Quadragenarius numerus ſymbolum eſt ſanitatis & perfectionis, 666. b.
quomodo Quadraginta ſex anni ædificationis templi ſint ſubducendi, 641. e. f. & ſeqq. numeri hujus myſteria, 642. a. b.
quomodo Deus amiſſus Quærendus ſit, 491. a.
Qualitas hominis eſt mera miſeria, 629. g.
Quantitas hominis quam exigua ſit, 629. g.
Quaſi & ſimiles particulæ, non ſemper ſimilitudinem, aliquando ipſam veritatem denotant, 615. g. 625. d.
Quatriduum myſticum mortis peccatoris, 734. c.
cur per Quatuor tempora jejunium & orationem Eccleſia indicat, 509. f.
Quinquagenarius quid myſtice innuat, 818. e. b.
Quomodo infidelium eſt interrogatio, 683.

R

Rabbi tam magiſtrum, quam dominum ſignificat, 582. f. *Rabboni* quæ vox, & quid ſonet, 819. a. eſt quid auguſtius quam *Rabbi*, ibid.
Raphaelis etymon & munus, 450. c. d.
Rapinæ ſunt expiandæ liberali eleemoſyna, 540. h.
Raptum non poteſt dari in eleemoſynam, 540. g. h. 541. b. c.
Rationis uſu Joannes in utero matris donatus fuit, 459. e. & hic ei exinde manſit, ib. 471. e. ratio donorum omnium acceptorum exigetur in die mortis, 571. g. h. 572. g. h.
Recidiva culpæ culpa eſt deterior, 666. f.
Recipientium Chriſtum merces, qua fieri merentur filii Dei, 624. a. b.
Rector quid agere debeat in perditione ſubditi ſui, 514. a. b. *vide* Prælatus, Superior,
cur Redemptio mundi vocetur cœna, 560. g. redemptio hominum erat Chriſto cibus ſuaviſſimus, 659. h. ob eam totos nos Deo debemus, 581. d. e.
Reformatio a capite & Superioribus inchoanda eſt, 756. b.
Regeneratio ſpiritualis fit per baptiſmum, 644. f. ejus neceſſitas, ib. h. & ſeqq.
Regnum Chriſti quod ſit: non venit cum prævio apparatu & pompa, 583. & ſeqq. quomodo id intra nos ſit, ib. e. f. quale id futurum exiſtimarent Apoſtoli, & quando illud inchoandum ſperarent, 593. c. d. id Chriſtus adiit poſt crucem aſcendens in cælum: ex illo redibit in terram in die judicii, ibid. e. id in cælo erit æternum, 749. g. h. regnum Chriſti eſt Eccleſia, & quando id cæpit, 453. b. regnum cælorum propric ſpectat ad humiles, ut parvuli, 589. f.
Regulus Capharnaita quis & qualis eſſet, 661. c. an fuerit Judæus an Gentilis, ibid. non fuit idem cum centurione, ibid. d. rogat Chriſtum pro ſanitate filii febrientis, ibid. e. minus in eum credidit, ibid. e. f. hinc parva ejus fides arguitur, ibidem. f. ejus filius verbo ſanatur, ibidem. g. cur ejus domum Chriſtus non adierit, ibidem. g. h. is in eum credidit & domus ejus tota, 662. a.
Relaxatio animi utiliſſima eſt, 826. b.
Religiones ſingulæ diverſos habent & alios fines, eoſque pios & ſanctos, 745. d.
Religioſus ſtatus, ſtatus eſt humilitatis, 560. a. eſt velut turris, 562. f. g.
Religioſæ ægris inſervientes inſtitutæ in Gallia a S. Franciſco de Sales, 458. c.
Religioſi affectum erga patriam & parentes exuant vel moderentur, 504. e. non exeant ſoli & cur, 529. f. & ſeqq. ſoli exeuntes ſæpe tentationi luxuriæ ſuccubuere, aut ejus calumniam ſuſtinuere, ibid. g. feminas ſine teſte non alloquantur, ibid. & ſeqq. quid in hoſpitiis facere debeant, 535. a. non eant ad convivia, niſi ſpiritualis fructus cauſa, 572. c. ſint potentes in opere & ſermone, 609. a. caveant ſibi a pecunia, 744. e. habere poſſunt bona in communi, 745. a. c. per amorem cæleſtium exaltantur a terra, 749. f. quam ſancti eſſe debeant, 801. c.
quia non Renuntiat omnibus poſſeſſionibus, non poteſt Chriſti eſſe diſcipulus, 703. & ſeqq. oblata

Digitized by Google

ablata non Repetere, quando præceptum, quando consilium sit, 511. b. & seq.
Reprobi post hanc vitam ad ignem infernalem damnabuntur, 778. b. 779. a.
Respiciendum non est retro in Dei vocatione & bono cœpto, 527. g. h.
Restitutio alieni debita est omni jure, 541. b. restitutio in quadruplum non est lege naturæ vel Mosis præscripta, 592. d.
Resurgemus cum quatuor humoribus, cum capillis, barba, unguibus, 597. e.
Resurrectionem negabant Sadducæi, credebant Pharisæi, 672. g. ejus symbolum & causa est Eucharistia, 677. g. h. 684. g. h. & sequentibus, ea Syris vocatur consolatio, 735. d. Christus est quadruplex resurrectionis causa, ibid. d. e. g. de resurrectione Christi dubitabant discipuli profecti in Emmaus, 609. c. ea in Script. stabilita est, 642. c. d. varia ejus argumenta & probationes, 611. g. h. & seqq. hæc ei fuit summa gloria, 796. c. hæc uti & nostra adfert beatitudinem & gaudium, 791. d. e. & seqq.
Resuscitatio Lazari summam & divinam exigebat potentiam, atque ideo Christus in ea clamavit magna voce, 738. g.
Retia dicuntur quasi retinentia: retia piscationis Apostolicæ sunt instrumenta, 507. b. quid rete non fractum in captura multorum magnorum piscium, denotet, 828. h.
Retinere peccata quid sit, 823. c. d.
quod homo pauper Retribuere non potest, retribuet Deus ei qui in ipsum benignitatem exercet, 560. e.
Retributio Dei & hominum qui differant, 560. c.
Reus poterat damnari inauditus, testibus convictus, 698. g.
Rex unus esto, 536. f. regum est pascere suos, 829. f. reges Gentiles etiam templo Jerusalem donaria miserunt, 746. c. d.
Risus moderatus non est illicitus, 510. f. g.
Robur brachio denotatur, 465. f. robur spiritus prætentandum est ei qui se Evangelicæ perfectioni vult addicere, 562. e. & seqq. 563. b.
Romani suos in campo Martio sepeliebant, 513. c. d. an Judæis jus necis abstulerint, 807. c. & seqq. Christianorum Romanorum fervor initio Ecclesiæ, 548. c. Romanæ Ecclesiæ fides commendatur, 835. b. & seqq.
S. Romula paralytica moriens ab angelis in cælum fuit evecta, 579. e.
Ros Hebræis idem quod flos, 629. b.
Rusticani & barbari etiam ad salutem vocandi, 562. a.

S

SAbbaticus fons quis sit in Palæstina, 717. e. Sabbatum unde derivetur, 691. f. id aliquando hebdomadem significat, 588. e. in sabbatis Judæi synagogas adibant ad audiendam legem, 555. e.
Sabbatum non dedecoratur bono opere, & ægrorum curatione, sed sanctificatur, 509. d. e. 556. d. 558. g. h. 665. g. sic in eo Deus continuo benefacit, 666. g. h. 668. a. ejus erat summa religio apud Judæos, 665. g. h. & solum habebat præviam parascevem, 810. a. b. & seqq. id magis violabant Pharisæi circumcidendo, quam Christus ægros sanando, 694. a. d. in eo hic paralyticum curavit, ibid. f. & cæcum natum, 718. h. sabbatum in festa Paschæ incidens, erat ceterorum sabbatorum primum & celeberrimum, dictumque sabbatum primo primum, 509. a. b. c. sabbatum secundo primum quod dicatur, 508. d. & seqq. fuit sabbatum proprie dictum, ibid. e. at quod & quale, ibid. e. & seqq. erat quod incidebat in festum Pentecostes aut infra hebdomadem Pentecostes, 508. b. & seq.
Sabelliani dicebant Filium Dei esse eamdem personam cum Patre, 619. g. 729. c.
Sacculi non veterascentes sunt sinus pauperum, vel memoria Dei, 546. c.
Sacellum Romæ dictum *Domine quo vadis?* 763. h. 831. h.
a Sacerdotum ordinatione quantum dependeat, 509. f. sacerdotes septuaginta duobus discipulis successerunt, 529. d. sacerdotes legis novæ lepram purgant & expiant, 582. g. sint potentes opere & sermone, 609. a. utramque speciem consecrant & sumunt, 683. b. & seqq. eorum est peccatores absolvere, 739. f. g. dum ordinantur, accipiunt potestatem remittendi peccata, 822. c. d. Sacramentum administrantes puri sint oportet a peccato; secus tamen, rite & vere id administrant, ib. in quo digniores sint angelis, 823. a.
Sacerdotes Judaici ex alia tribu ducere uxorem poterant, 446. a. eorum quatuor præcipua erant munia, ibid. g. hi tempore Christi erant inhumani in proximum, & tantum proprium commodum spectabant, 533. d. eorum erat de lepra judicare, 583. g. h. eos lucris inhiantes male habet quod Christus emptores templo ejiciat, 641. b. templum ingredientes manus & pedes abluebant, 756. d. 757. h.
quomodo Sacramenta e latere Christi aperto emanasse dicantur, 815. a. b. quæ Sacramenta B. Virgo susceperit, 483. h.
Sacrificium est externus cultus latriæ, 656. h. sacrificia solum in templo Salomonico fieri poterant, non alibi, ibid.
Saddai est nomen Dei, id est abundans omnibus bonis, 465. d.
Sadducæi negabant esse spiritus, 523. f.
Salathiel Lucæ in Christi genealogia alius est a Salathiele Matthæi, 500. b.
Salim erat locus baptismi Joannis, quod illic essent multæ aquæ, 649. c.
Saliva vox unde derivetur, ejus symbola, 717. a. b. saliva quam sit medica, ibid. b.
Salome uxor Zebedæi duos habuit filios, Joannem & Jacobum Majorem, 499. g. fuit soror S. Jacobi Minoris, ibidem.
a Salomone recta linea descendit Joseph sponsus Deiparæ, 496. g. b. quam ille porticum templo adjecerit, 728. a. b.
Saltus Joannis in utero an fuerit naturalis, animalis, an rationali, 459. b. rationalem fuisse probatur, ibid. illo adumbrabat saltum filiæ Herodiadis, 460. e. f. saltus Domini quis sit locus, juxta Nazareth, 505. f. g.
Salvandi triplici motivo inducuntur ad bene agendum, 567. h. & seq.
omnes vocandi sunt ad Salutem, etiam pauperes, 561. b. & seq. de nullius salute, quamvis cæci & perversi, desperandum, ibid. salus cuilibet summe sitienda est, 696. g. pro salute animæ inimici vitam Christianus exponat, 781. a. b. salus peccatorum & hominum, Dei cibus est, 569. c. salus quomodo sit ex Judæis, 657. d. salus asserenda per Christum fuit a Deo olim patribus promissa, 466. f.
Salutare Dei, idem est quod Salvator, 485. e. f.
Salutare non salutantes laudabile est, & humilitatem spirat, 458. b.
Salutatio B. Virginis ad Joannem potissimum dirigebatur, 459. a. salutationem prolixam suis inhibet Dominus, 530. e. salutatio angeli B. Virginem turbabat, 452. g. b. hæc dirigebatur ad incarnationis mysterium in ipsa peragenda, 453. a. b.
Samariæ situs: unde sic dicta, 653. d.
historia Samaritanæ a Christo juxta puteum conversæ, ibid. ipsa egreditur Sichem ad aquam hauriendam, ibid. h. & seqq. quam aquam a Christo petat, 656. a. vocare virum suum jubetur, ibid. d. non erat conjugata, sed fornicaria dumtaxat, ibidem. d. e. correptionem modestam Christi benigne admittit, ibid. d. sciebat e communi fama instare tempus Messiæ, 658. e. audit e Christo ipsum esse Messiam, ibid. f. cur properarit in oppidum relicta hydria, ibid. h. pœnitens facta est præco Christi, 659. b. ejus nomen Photina est, &, ut sancta, Martyrologio Romano est ascripta, ibid. fuit Christi verbis conversa, & actum contritionis elicuit, ibidem. d. in Africa Evangelium prædicavit, facta est Martyr cum filiis & sororibus, ibid. d. & seqq. se diffamat ut Christum celebret, 660. h.
Samaritani itinerantis in vulneratum misericordia, 533. e. h. Samaritanus leprosus a Christo curatus gratum se ei exhibuit, 583. a. & seqq. elicuit etiam actum contritionis, & factus est Christi discipulus, 583. c. d. cur Christus dictus sit Samaritanus a Pharisæis, 712. d. & id ipse dissimulat, ibidem. h.
Samaritani erant Judæis exosi, & quasi schismatici & hæretici, 533. e. 583. c. 654. a. b. c. 656. h. 657. b. c. d. 712. d. e. f. cur fecerint schisma ad iis: ideo erexerunt templum in monte Garizim, 656. h. & seqq. in quo adorabant Deum, ibid. horum nonnulli rebellantes Romanis, a Pilato in eo monte inter sacrificandum sunt occisi, 657. a. eorum origo & religio, 655. c. conversi sunt ad Christum, 660. h. 661. a cur eos adire suos Christus veraret, 653. c. erant partim Judæi, partim Gentiles, 712. e. Samaritani Sichemenses statim ad Christum sunt conversi, 659. f. & horum ipse salutem osuriebat, ibid. g. biduo apud eos mansit, 660. h.
Samuelis etymon, 462. a. ejus cum Christo comparatio, ibidem.
Sanctorum intercessio & saluratio est efficax, 459. g. semper Christum incarnatum præ oculis habuerunt, 476. f. 477. e. eorum iter a Deo dirigitur, 484. g. unguntur gratia Spiritus sancti, 503. a. optant carne dissolvi & esse cum Deo, 536. b. prælaturas fugerunt, 550. g.
Sancti apparent ea in forma hominibus, quales hi sunt, 608. d. e. & ea forma & specie qua volunt, 818. a. dum apparent, statim possunt evanescere, 610. d. e. omnem suam gratiam accipiunt a Christo, 627. a. b. g. h. gratiæ cooperantes, eamdem adaugent, 656. a. b. saliunt animo in cælum, ibidem c. morbis pulsantur ad probandam eorum patientiam, 166. e. 716. b. caveant sibi a pecuniæ tractatione, Deum semper præ oculis habent, 803. c. omnes Sancti sunt & dicuntur filii Abrahæ, 575. h. omne suum lumen fidei & gratiæ a Christo hauserunt, 627. a. b. eorum multi per miraculum geniti fuere, 446. e. & seqq. multi de nocte orarunt, 509. f. multi in vulneribus Christi habitare desiderarunt, 803. c. & seqq. multi fuere parva statura, 590. h. eorum diem fatalem recolit Ecclesia, non natalem, 467. e. tres Sancti Christo præ reliquis placuerunt, 451. h. & seq. 468. c. 516. g. h.
Sanctificatus est filius Dei a Patre, 730. a. quomodo pro Apostolis se Christus sanctificarit, 801. d. e.
Sanctimonialis quædam dæmonem ex energumeno ejiciens, permisit ei in porcum intrare, 523. g.
Sanctitas Christi quanta fuerit, 456. a. & seqq. sanctitas Christi, Judæorum, philosophorum quomodo differat, 800. h. sanctitas triplex Christi nobis data est, ibid. f. sanctitas est pro mensura charitatis, 760. b. ea in mansuetudine consistit, 465. a. b. & seq. Dei sanctitatem quomodo imitari possimus, quanta Dei sit sanctitas, ibid. e. d. sanctitate & justitia significatur omne officium virtutis decalogo præscriptum, 469. g.
Sanctuli presbyteri charitas se morti pro diacono exponentis, 781. d.
Sanctus est nomen Dei, 465. c. quid prisci Sanctum vocarent, ibid. *Sanctum* quare dicatur Christus, 456. a.
Sanctum in templo erat locus solorum sacerdotum: quid in eo ageret, 727. g. h. id ingredi Christo non licuit, quia non erat Leviticus, ibid. Sanctum sanctorum erat in altiore loco montis Sion, 588. f.
Sanguis sudatur naturaliter in vehementi angore, maxime ab eo, qui delicato, raro & poroso est corpore, 602. a. b. c. quomodo eum sudarit Redemptor in horto, & qua ex causa, ibidem. d. e. sanguis Christi quam sit efficax, ibidem. sanguis e cadavere fluens præsente homicida est instar miraculi, non naturalis, 814. c. sanguis & aqua e latere Christi fluens non fuit naturalis, sed miraculosus, 815. d. e. quæ ejus fluxus fuerit

Digitized by Google

fuerit causa, ibid. e. & seqq. ex sanguinibus sit generatio humana, 624. c.
Sapientia experimentalis in Christo in dies crevit, ac non habitualis, nec beatifica, 493. c. d. sapientia summa est amplecti quæ stulta sunt mundo, 591. c. d.
Saraceni in honore habent aquam Siloe, & cur, 718. b.
quomodo Satanas in Judam post buccellam acceptam intrarit, 760. d. e. f. g. 761. d.
S. Satyrus S. Ambrosii frater per Eucharistiam ad collum appensam naufragium evasit, 684. c. d.
Saul invidia transversum actus ob Davidis victoriam de Goliat, 556. b.
Scala Jacob fuit figura genealogiæ Christi, 501. c.
Scandalum stultorum non est curandum in magna utilitate, 559. d. scandala etiam in monasteriis possunt accidere, 744. f. g.
Scenopegiæ festum qua occasione institutum sit, 691. e. id per octiduum celebrabatur, 696. f. erat typus resurrectionis & gaudii Beatorum, ibid.
Sceptro de Juda deficiente, instabat tempus adventus Messiæ Judæis promissi, 445. f.
Schismata scindunt Ecclesiam, 818. h.
Scientia triplex erat in anima Christi, 493. b. scientia Sanctorum quid sit, 448. b.
Scribæ in Christum linguas & tela virulenta conjecerunt, 486. g. Christum avide expectarunt, sed cum is jam venisset, quia pauper erat, eorumque mores fugillabat, de eo necando cogitare coeperunt, 488. e. censebant Gentiles habendos odio, solos amandos Judæos, & quidem justos, 532. h. variis interrogationibus Christum prementes, volebant aliquod ex eo elicere verbum quod contra legem vel Cæsarem esset, 542. a. eorum erat Judicare de fide, Prophetis, Messia, 691. b. 692. b. cur odissent Jesum, 692. c. 695. f. g. h. mirantur, ejus doctrinam & scientiam velut a Deo infusam, 693. d. f. g. eorum peccata, 700. b. 701. c. e. g. erant velut fures & latrones ovium, 722. e. *Vide* Judæi, Pontifices, Pharisæi.
quid scripserit Dominus in terra in causa adulteræ, 701. b. scribenda de Christo infinita sunt, 835. c. d. & seqq.
quis genuinus S. Scripturæ sit sensus, Ecclesiæ est definire, 442. a. b. ipsa est ostium per quod in hanc intratur, 722. g. Scriptura sæpe loquitur ex communi aliorum sensu & vulgi opinione, non ex rei veritate, 500. f. 646. e. f. 647. g. h. sæpe ludit in significatione verborum, 688. c.
Scripturam die sabbati Hebræi in synagoga legebant, 502. f. g. ipsa magnæ est auctoritatis, 579. c. ea non est omnibus legentibus clara & facilis, nec interpretanda ex proprio sensu, 612. h.
Scripturæ investigandæ & rimandæ sunt, 672. e. f. ex omnes loquuntur de Christo, ibid. g.
P. Sebastiani Barradi Concordia Evangelica egregia est, 617. h.
sua Secreta Sanctis Deus revelat, 781. h.
Secundinæ membrana in prægnante quæ sit, & cui rei serviat, 482. f. an eas habuerit B. Virgo, ibid. g. 483. a.
quomodo Dominum secutus sit Petrus, 831. g. h.
Sed capitur pro *quia*, *imo*, 786. b.
Sedes nullæ erant in templo, 587. f.
Seditiosorum supplicium erat crux, 807. d. e.
Segetes in Judæa maturæ sunt circa Pentec. 509. a. b.
Σημεῖον quid proprie significet, 487. a.
Seniores Pharisæi quare primo exierint notati a Christo, in accusatione adulteræ, 701. b.
Sensus genuinus Scripturæ est is, quem docet & tradit Ecclesia, 442. a. b.
Sententiam sacerdotis absolventis vel retinentis peccata Christus ratam habet, 823. a. b. & seqq.
Sentius Saturninus missus est ab Augusto ad Judææ descriptionem faciendam, 474. d. e.
Sepeliebantur Judæi digniores in speluncis, 727. b.
Sepes, in quas servus jussus exire, quid significent, 561. a.
Septenarii numeri symbola, 662. d. est symbolum universitatis, 581. b. item gratiæ legis novæ, 828. g.
Septuaginta duo discipuli quæ habuerint nomina, incertum est, 529. a.
Septuaginta interpretum codices, descriptorum in curia, olim valde fuerunt vitiosi, 500. e. f. alibi multa addunt, & ab Hebræo sæpe evariant, ibid. e.
Septum altum tres pedes dirimebat atrium sacerdotum & laicorum, 483. g.
Sepulchra Judæorum & Romanorum extra urbem erant, 513. e. 805. f. & quidem alta & lata, 522. d. cur Christiani ea habeant in urbe, 513. b. & seqq. quam sepulchra Apostolorum Petri & Pauli sint illustria, 831. d. e. sepulchra Prophetarum exstruere laudabile est, sed non eo modo, quo Pharisæi, 541. f.
Sepultura Christi expenditur, 815. f. g. h. cur ea facta in horto urbi vicino, 816. a. b.
Serena uxor Dioclesiani, ab eo affecta est martyrio, 607. e.
Sermo Christi erat ignitus, 610. f. g. is sermonem ultimum habuit partim sedens, partim surgens, 774. f. g. quam is fuerit efficax, 777. d. e. f. an habitus is in cœnaculo, an in via ad hortum, 805. d. sermo de Assumptione B. Mariæ non est Hieronymi, nec Sophronii, sed alterius posterioris, 488. b. & seq.
cur Serpens æneus a Mose in deserto sit erectus, 645. b. erat figura Christi, 647. a. ejus cum eo analogiæ, ibid. b. fuit in hasta vexillari erectus, ibid. c. serpentes non nocent viris Apostolicis, 531. f.
Serviendum aliis sedulo & accurate, 756. a.
Servi raro fiunt secretorum herilium participes, 781. g. cur servum inutilem se dicat, qui aliquid meruit, 581. a. b. & seqq.
servi Dei omnes dæmones habent adversarios, 523. a. b. quomodo a Christo in cælo honorentur, 549. a.
Servitus olim erat arcta, 549. f. g. servitus quadruplex a Christo est ablata, 708. d. e. g.
Sex menses intercessere inter conceptionem Joannis Baptistæ & Christi, 459. b.
Sextarius Romanus, Atticus, Hebræus, diversæ erant capacitatis, 639. b.
Si junctum cum verbo indicativo capitur affirmative, cum subjunctivo vero dubitative, 833. d. e.
Sic est aliquando vocula comparantis, 645. d. aliquando capitur pro *propterea*, 653. b.
Sicera significat omne quod inebriare potest, 447. h.
Sichar quænam urbs: multa in ea gesta sunt, 653. d. cur eo ossa sua transferri mandarit Joseph, ibid. e.
Siculus idem est quod florenus Brabanticus, 482. c. d.
quomodo sua dicta Deus signare dicatur, 651. b. c. quomodo Christus sit a Patre signatus. 676. g.
quod signum nati Christi angelus dederit pastoribus, an id externum an internum fuerit, 479. e. quomodo sit Christus signum cui contradicetur, 486. g. & seq. signa in morte Christi facta, sunt facta eo mortuo, 604. d. signa plurima fecit Christus post resurrectionem, 815. e.
Siliqua quid sit, 567. c. siliqua arbor etiam describitur, ibid. d. & seqq.
Siloe erat fons sive piscina juxta Jerusalem: & juxta hanc erat turris ab eo dicta Siloe, 554. b. quomodo is fluat & primum eruperit, 717. d. 718. b. erat typus Christi, 717. f. & seqq. item baptismi, ibid. h. erat ejus aqua salutaris, ibid. 718. b. c.
Similes norunt se invicem, 827. g. h.
Similitudo morum causa est amoris, 783. c.
Simeon senex fuit sanctitate & senio venerabilis: an sacerdos fuerit, 484. a. b. & discipulus, & filius Hillelis, ibid. ejus elogium, ibid. c. exspectabat adventum Messiæ, ibid. c. d. erat plenus Spiritu sancto, ibid. e. an fuerit cæcus, ibid. e. f. accepit promissum a Spiritu sancto se ante mortem visurum Messiam, ibid. f. h. eximiæ fuit sanctitatis, ibid. f. g. a Spiritu sancto impulsus, venit in templum: quo signo Christum inter tot pueros cognoverit, ibid. g. accepit eum in ulnas, & prorupit in canticum, 485. a. voci sui factus compos paulo post mortuus videtur, ibid. c. fuit Propheta, ibid. d. parentibus benedixit, non puero, 486. c. quid matri ejus dixerit, ibid. d. & seqq.
Simeon frater SS. Jacobi & Judæ, fuit alius a Simone Chananæo, 599. h.
S. Simeon Stylites aspero fune lumbos cinxit, ita ut caro subtus computresceret; 547. c.
Simon & Simeon idem est nomen, 484. c. Simon est diversus a Simeone fratre SS. Jacobi & Judæ, 499. h. Simon Chananæus non est idem cum Nathanaele, 634. a. b. fuit sponsus in nuptiis Canensibus, 637. c. & filius Cleophæ, & S. Josephi patruelis, ibid. f. g.
Simon leprosus murmurat de facto Magdalenæ, 517. a. ejus pravum judicium de Christo & ipsa, ibid. octo ejus errores, ibidem. a. qualis ipse fuerit, ibidem. videtur a Christo conversus, ibidem. c. cur minus ei dimissum sit, 519. b. d. e.
Sinus Abrahæ quid sit, cur sic dictus, & ubi situs, 575. g. & seq. quomodo in sinu Patris dicatur esse Dei Filius, 628. g. h.
Sitire & esurire, in spiritualibus idem est, 678. e. & seqq.
Sitis Epulonis in flamma infernali, 576. h. sitis Christi in cruce qualis esset, 813. e.
Sobe mater fuit S. Elisabethæ, 499. d.
Sol nascente Christo clarior solito videtur eluxisse, 479. d. eum vivere censebant Platonici, 702. e.
Solduríi quales essent olim apud Gallos, 733. h.
Solitudinis bona & elogium, 479. a. b.
Sollicitudo nimia de futuris cavenda, 545. f. g.
Somnus Apostolorum in Tabor fuit verus & naturalis, 526. e. somnus in ægrotis est redituræ sanitatis præsagium, 733. d.
vitis Sorec quæ sit, talis est Christus, 776. d.
Sors Mariæ præfertur sorti Marthæ, 536. f. g. h.
an B. Virgo passa Spasmum videns filium suum crucifixum, 811. d. & seqq.
Species una in Ven. Eucharistia laicis sufficit, 610. e. d. 683. d. e. unam qui sumit, sumit & alteram, 683. e.
in Spelunca natus est Christus, 477. b. ex ea postea jugis scaturiit fons, ibid.
Spicata nardus quæ sit, 743. g. & seqq.
Spiritus virtutis Eliæ quid significet, 448. c. e. spiritus & anima quomodo distinguantur, 462. e. spiritus, utpote superior, trahit secum animam & corpus, ibid. e. spiritus sæpe capitur pro spirituali intellectu, 688. b. spiritus veteris legis erat virtutis; novæ, mansuetudinis & charitatis, 527. d. spiritus in viro Apostolico requiritur, & is retineri debet, 563. e. f. spiritus Christi peccatores complectitur, 564. e. spiritum Deo commendare in morte debemus, 606. b. & quare, ibid. c. & triplicem spiritum, ibid. d.
cur Spiritui sancto tribuatur opus incarnationis, 454. g. cur ex eo Christus conceptus sit, 455. a. est virtus Altissimi, ibid. c. quomodo Virginem obumbrarit, ibid. d. est in aliquo tam per gratiam gratum facientem, quam per gratiam gratis datam, 484. e. ejus dona, maxime charitas & zelus, sunt ignis, quem venit Christus mittere in terram, 551. b. c. cum suis Christus promittit, ut ejus robore cælesti roborentur, 613. b. c. habitavit in Christo, & descendit super eum dum baptizaretur, 502. d. 632. a. b. quomodo in baptizatos transfundatur, 645. b. vento comparatur, ibid. spirat ubi vult, ibid. c. ejus occultæ operationes & effectus, ibid. e. f. g. 770. b. ejus instinctus ambiendi & sequendi sunt, 645. g. ejus & aquæ

aquæ analogiæ, 654. e. & seqq. cur vocetur aqua viva, ibid. g. & seqq. est Patri & Filio intime unitus, ibid. h. ita mentem replet, ut præter ipsum nil aliud desideret, 655. g. maxime in cælo, ibid. quomodo corda immutet, 656. b. est velut fons aquarum viventium, 697. b. c. datus est Apostolis plene in Pentecoste, ibid. e. cur post mortem Christi datus sit, variæ dantur causæ, ibid. f. & seqq. est ostiarius ovilis ovium, 722. b. c. Ecclesiæ de bonis pastoribus prospicit, 723. a. est advocatus, exhortator & consolator, 770. b. c. 799. a. adest semper Ecclesiæ & fidelibus, 770. d. cur dicatur spiritus veritatis, ibid. e. f. 784. g. h. quomodo sit missus in nomine Filii, 772. g. quomodo docuerit fideles, omnia, ibid. & seqq. recte perhibet testimonium de Christo, 784. e. f. g. persona distincta a Patre & Filio, ibid. f. & seqq. est Deus, ibid. g. procedit a Patre per spirationem, 784. g. h. quomodo Apostolos informarit, 787. g. h. & seqq. 793. e. f. & quidem sensim, 789. a. eos fecit Propheras, 789. d. quid a Filio accipiat, 789. f. g. h. tam a Filio, quam a Patre procedit: id negant Græci recentiores, 783. h. & seqq. 787. g. h. 789. b. g. h. 821. f. est utrique consubstantialis, ibid. g. quomodo a Patre eum se missurum dicat Christus, 784. b. c. quomodo mundum arguet de peccato, justitia, judicio, 787. g. h. & seqq. quomodo non loquetur a semetipso, 789. b. remittit peccata in Sacramento confessionis, 822. b. c. & seqq.
Sponsi olim coronabantur, 650. b. sponsus in Cana quis fuerit, 637. b.
Stabulum capitur etiam pro hospitio, 533. h.
Stabulum, in quo Christus natus, factum est quasi cælum, 477. d.
Stadium est octava pars milliaris, 607. h. unde dictum, ibid. 675. e. 734. e.
S. Stanislaus Episcop. mortuum triennalem ad vitam revocavit, 579. d.
Stanislai Hosii Cardinalis mors & elogium, 610. a.
Stare Hebræis est esse præsentem, 515. e. f.
Stemma nobile Christi per varios reges & patriarchas, 501. b. c.
Stephanus Abbas quid in morte viderit, & ejus agonia, 571. h.
Stephani Abbatis alterius patientia, 597. b.
Sterilitas olim magnum erat opprobrium, 450. a.
quæ sit Stola prima data prodigo reduci, 569. b.
Strabus monachus Fuldensis auctor est Glossæ ordinariæ, 616. g.
Stultitia bona quæ sit, 591. c. d.
Stylus S. Joannis Evangelistæ, 615. a.
in Sublime tolli quid sit, 545. d.
Substantia a prodigo dilapidata quid denotet: 566. b.
Sudario cadaveris mortui facies ligabatur, 602. a. b.
Sudor sanguineus Christi in horto qualis fuerit, 602. c. d. vere sanguineus sudor fuit, ibid. a. unde is ortus, ibid. c. d. causæ ejus finales & morales, ibid. d. & seqq.
Sufficientia plena est in Deo, 767. f. g.
Sugillare quid sit, 585. h. unde vox dicatur, 586. a. quid metaphorice significet, ibid. b.
Sumptio Eucharistiça nullum includit horrorem, 687. h. & sequentibus,
Superbia fulgure denotatur, 531. d. ejus quatuor sunt species, 588. a.
vox *Superbus* unde derivetur, 466. a. superbi sua ipsorum superbia disperguntur, 465. h. & seq. sunt in alios injurii & contumelioši. 466. a.
Superior est vicarius Dei: ei ergo obediens, obedit Deo, 530. g. is in Superiore considerandus est, ibid. Superiores multi in Religionibus die Jovis sancto suorum pedes lavant, 757. b. 758. c. præeant subditis, in exemplum, 758. b. sibi servent abjectiora, speciosiora relinquant subditis, 769. d. *Vide* Prælatus.
Supplantare proprie quid sit, 758. f.
Susanna matrona Christum alens, fuit ejus discipula: quid hebraice *Susanna* significet, 522. a.
Suscipere in Script. varia significat, 466. d.
Sycomorus qualis sit arbor, 591. a. b. est alia a caprifico, ibid. quid mystice & tropologice denotet, ibid. c.
Symbolum fidei S. Gregorio Thaumaturgo a S. Joanne datum magnæ apud Orientales fuit auctoritatis, 614 h. 620. b.
Symphonia Ecclesiæ quæ sit, 569. h.
Synagoga Judæorum apte ficui infrugiferæ comparatur, 554. e. f. & seqq. quando ea desierit esse Ecclesia Dei, 741. d. ea erat cœtus fidelium Judæorum, 785. h. sic item vocabatur locus orationis & legis audiendæ, ibid. tales erat in singulis urbibus Judææ, ac Hierosolymis plurimæ, 786. a.
Syri gaudent parabolis, 723. a.

T

TAbernaculorum festum apud Judæos quod esset, 691. e. quid hoc significaret, 449. g. 700. d. in eo exstruebat quisque Judæus tabernacula vel in urbe, vel foris, 693. b.
Tabula genealogiæ Christi e Matthæo & Luca, 498. g. h. & seqq.
Tactus est visu solidior, 611. b. & seq.
Tactus Christi mire erat efficax, 555. h.
Talentum Hebræum cujus esset pretii, 593. g.
cur Tangi se a Magdalena non permiserit Dominus, 819. b. & seqq.
Ταπὸς dicitur quasi ἐδαφὸς, vel per metathesin, quasi σπαπλὸς, id est conculcatus, 463. c.
Τέλος diversa significat, 755. a. & seqq.
Templum locus & sedes est Dei incarnati, 490. e. cur in templi dedicatione legatur Evangelium de Zachæo, 592. h. juxta templum Hierosolym. erant habitacula feminarum religiosarum, 489. b. id ter in anno viri adire debebant, ibid. h. nullæ in eo erant sedes ad sedendum, nisi soli regi ac pontifici, 587. f. id ter ædificatum est, & a quibus, 641. e. h. alii id ipsum ornarunt & expoliarunt, 642. a. templum Garizimitanum quæ occasione exstructum, & quamdiu steterit, 656. h. & seqq.
Tempus totum prædicationis Christi & legis novæ est velut annus jubilei, 503. e. quod sit tempus visitationis Jerusalem, 595. d.
quomodo Tempus præsens verbi S. Joannes usurpet, 616. a. quod esset tempus aquæ in piscina movendæ, 664. c. d. tempus mortis Christi erat a Deo Patre constitutum, 733. a. b.
Tenebræ, errorum, vitiorum & tristitiæ sunt symbolum, 471. c. 622. c. item impiorum, ibid. d.
Tentatio recte cribrationi comparatur, 600. e. ea crescente intendenda oratio est, 601. h. tentationes carnis sæpe restant post conversionem peccatori ferendæ, 665. f.
Tentatis graviter injicienda aliqua mora, ut conceptum facinus differant, 761. e.
Ternarius symbolum est SS. Trinitatis, 828. g.
Testari reipsa est judicare, 703. f. g. h.
in Teste tria requiruntur, 828. f. quot fuerint testes divinitatis Christi, 671. e. f. 672. h. ibid. e. cum tamen iis ipse non indiguerit,
Testimonium Christi de se verum est, & quomodo, 704. a. b. c.
Tetrarcha est qui quartæ parti alicujus regni præest, 495. c. tetrarchæ quatuor ab Augusto Palæstinæ præfecti sunt, ibid. b. c. erant potentes ceu reges, ibid. & seqq.
Theandricæ actiones Christi quæ dicerentur, 491. d. 835. e.
Theodosius Imper. Romæ in templo S. Petri voluit sepeliri, 513. e.
Theophilus, ad quem Lucas Evangelium scripsit, fuit vir nobilis Antiochenus, 445. d. e.
Thesaurus hominis est id quod charum habet, 546. d.
Thomæ quod sit etymon, 733. g. S. Thomas non fuit binomius: unde ergo dictus est Didymus, ibid. paratum se exhibet ad cum Christo moriendum, ibid. c. d. ei absenti a ceteris Apostolis non fuit data potestas remittendi peccata, sed postea, 822. c. d. & seqq. quia incredulus, recte dicitur Didymus: prædicavit pene per totum orbem, 823. f. quare a ceteris Apostolis abesset & esset incredulus, ibid. & seqq. ejus incredulitas gravis erat, ibid. g. unde ea orta esset, ibid. h. jubetur a Domino digitum mittere in vulnerum loca, 824. c. d. vere vulnera tetigit, ibid. d. ejus verba post hunc tactum amorem spirant, 825. a. & seqq.
Thomæ a Kempis libellus de imitatione Christi commendatur, 703. a.
Thori mensales describuntur, 515. e.
Thus ritu omnium gentium Deo adoletur, 447. b.
Thymiama bis de die Deo offerendum erat, 446. f. g. componebatur id e quatuor odoramentis, ibid. g.
Tiberius Imper. quare Augusto in Imperio successerit, 474. f. quando cœperit imperare, ibid. voluit Christum inter deos referre, 495. a.
Timor oritur ex potentia operantis, 468. b.
Tirones initio vocationis molliter a Deo habentur, 787. b.
Tisri mensis respondet partim Septembri, partim Octobri, 449. g.
Titulus Evangelio S. Lucæ ab Ecclesia additus est, 442. a. titulus Evangelii S. Joannis, 617. a.
Titus Imper. urbem Jerusalem totam muro cinxit, 595. e.
Tonitru e cælo Christi divinitatem testatur, 748. b.
Tormenta Christi, animam B. Virginis velut gladius transfixerunt: 487. d. e.
Torrens Cedron quis esset, & unde dictus; quid mystice denotet, 805. d. dictus ab obscuritate, ibid. e. cur ejus Joannes meminerit, ibid. f.
Trachonitis quæ sit regio, & unde dicta, 495. d.
Tractus Dei quomodo sit accipiendus, 679. h. & seqq. 680. b. obstinatio cordis hunc tractum impedit, ibid. f.
Traditiones incolarum terræ sanctæ parum habent fidei, 809. f. g.
Trahit omnia Christus ad se blande, non violente, 680. a. b. maxime in cruce pendens, ibid. trahuntur alii inchoate, alii complete, 682. d.
Trajanus Imp. viduæ cito jus dixit: an ob hanc pietatem sit salvatus, 586. c.
Transitus ex hac vita fidelium & infidelium dispar est, 754. g.
Transsubstantiatio Eucharistiæ probatur, 639. e.
in Tribulatione non est de Dei ope desperandum, 735. a. b. c. tribulatio præsens futurum parit gaudium, 790. h. & seqq. ea instante orandum est, 796. a. & inea gloriandum, 831. f. g.
Triduum amissionis pueri Jesu quomodo computandum sit, 490. d.
Trigamia non est peccatum, 656. e. f.
Trigesimus annus statum erat tempus ad docendum, 497. f. g.
SS. Trinitatis personæ tres unum in eadem deitate sunt, 536. h. & seqq. ipsa tota fuit causa efficiens incarnationis, 454. g. habitat in anima sancta, 772. c. & seqq. venit ad tres animæ potentias, ibid.
Tristitia cor contrahit, & somnum inducit, 602. e. tristitia fidelium & Apostolorum in hac vita, 791. f. g. & seqq.
S. Tryphonia uxor Decii Imper fuit Martyr, 607. e.
Tunicas duas habens quomodo alteram, non habenti dare jubeatur, 496. e. tunica Christi inconsutilis qualis esset, 810. g. quid allegorice & tropologice indicet, ibid.
Tunsio pectoris signum est pœnitentiæ, 588. g. & aliorum quoque rerum symbolum, ibid. h.
Turbatio Deiparæ ad aspectum & salutationem angeli, 452. g. h. ea fuit non passio, sed propassio, ibidem, h. unde & qualis turbatio Christi fuerit Lazarum suscitaturi, 736. f. g. 737. a. b.
Turcæ adorant Deum quem nesciunt, 657. c.

Digitized by Google

Turris tria otyma, ipsa symbolum vitæ Religiosæ est, 562. f. g.
turris Eder quis locus juxta Bethlehem, 473. e. f. turris Siloe collapsa tempore Christi XVIII. homines ruina oppressit, 554. b.
Tyranni cujusdam superbi superbia divinitus retusa, quomodo, 465. h. tyranni multi filias suas & uxores in odium Christianæ fidei occidi jussere, 607. e.

V

VÆ in Scriptura Dei iram, & damnationem æternam notat, 510. b.
Valentiniani docebant Christum carnem e cælo attulisse, non e B. Virgine sumpsisse, 453. f. 481. f. 646. e.
Vallis Josaphat erat cœmeterium commune urbis, 513. c. 805. f. in ea fiet judicium extremum. 805. f. g.
Vallum est munimentum castrorum ex vallis & palis constans, 595. c.
Vanitas generationum, 501. d. vanitas hominum mundanorum, 561. c.
Ubiquetarsorum hæresis, 646. e.
Vendere sua ex amore Dei, non est præceptum, sed consilium dumtaxat, 546. b. vendentes e templo Christus bis ejecit, 640. h.
de Venia criminum impetranda nemo desperet, 515. a b.
Venire Dei quid sit, 512. d.
Ventus spiritus vocatur: spirat ubi vult, 645. c.
Verbalia in *bilis* desinentia in Script. sæpe pro participio passivo accipiuntur, 680. g. h.
Verbum derivatur a vero, 623. c. verbi & veritatis affinitas, ibid. verbum in Scriptura sæpe ponitur pro re per verbum significata, 480. h. verbum Dei est gladius spiritus, 487. c. ut id recte audiatur, multa requiruntur, 522. a. refert fructum pro quantitate bonitatis cordis audientium, ibid. a. b. id audire & custodire, in quo majus sit quam esse matrem Dei, 540. c. & seqq. id libenter audire est signum prædestinationis, 712. c. id servans non morietur in æternum, 713. a. est velus falx Dei, 777. b. & seqq.
Verbum Dei est duplex: unum essentiale, alterum notionale, 619. d. Verbi æterni generatio divina est: 618. b. c. quam ea arte petenda, ibid. in quo principio fuerit, ibid. c. d. fuit ab æterno apud Patrem, ibid. f. h. & seqq. per ipsum denotatur Dei Filius, 619. a. cur dicatur λόγος, & omnes significationes ei adaptantur, ibid. b. & seq. Verbum hoc est mens Patris æterni, ibid. c. est Verbum notionale, ibid. d. ibid. h. est forma omnium formarum superans omnia, 619. e. est diversa persona a Patre: ejus cum eo conjunctio, & utriusque æqualitas, ibid. g. & seqq. 620. a. b. c. 628. g. h. ipsum est Deus, 620. g. h. 627. e. omnia per ipsum facta sunt, 620. e. f. & quomodo, 620. g. h. & seqq. est idea rerum creatarum, ibid. g. h. est fons vitæ, 621. d. e. & in ipso vita est, ibid. d. & seqq. est vita subsistens, & in ipso vita idealis, ibid. e. item causalis naturalis, ibid. f. & causalis supernaturalis, ibid. g. est lux, 622. a. & quidem prima, increata, naturalis & essentialis lux, ibid. g. h. ab initio mundi erat in eo per essentiam, præsentiam & potentiam, 623. f. mundus per ipsum factus est, ibid. ipsum factum est caro, & quomodo, 624. g. h. 625. a. & seqq. non est mutatum in carnem, 625. a. b. & seqq. cur dicatur factum caro, ibid. c. non assumpsit hominis subsistentiam, sed essentiam & existentiam, ibid. g. h. carne vestitum fuit ut sol nube vestitus, aut ignitus carbo, &c. 626. a. quorsum caro factum sit: ibid. b. habitavit in carne inter nos, ibid. b. itaque factum est nobis quasi spectaculum, ibid. c. habuit gloriam deitatis quasi Dei Filius. ibid. e. f. fuit plenum gratia & veritate, ibid. f. g. h. & seqq.
Verba Joannes nunc sumit in actu inchoato, nunc continuato, nunc perfecto, 615. g. verba Hebræorum sæpe significant actum inchoatum, non perfectum, 481. e. & sæpe actum continuatum, non inchoatum, 820. e. verba septem Christus in cruce dixit, 813. f. g. verba gratiæ proferebat Christus, & quæ hæc dicantur, 503. h. & seq. ea erant ignita, 610. f. g. sunt effectiva, 661. g. 665. d. quomodo is haberet verba vitæ æternæ, 689. a. b.
Verecundiæ elogium, 515. f.
Veritas quadruplex in Christo fuit, 623. b. veritatis etymon, ibid. c. veritas triplex est cordis, oris, operis, 710. h. veritas non potest opprimi, 623. b. c. oppressa magis erumpit, 718. b. & seqq. qua via ad eam perveniatur, 766. b. c. & seqq. ipse Deus veritas est, 808. c. tres ejus gradus, ibid. aliæ ejus definitiones, 808. c. & seqq. quomodo Christus sit veritas, 766. a. d. & seqq. veritas Evangelica triplex est, 770. e. f. ea sita in cognitione veri Dei, incarnationis Verbi & veræ beatitudinis, 807. g. h. qui sunt ex veritate, audiunt vocem Christi, ibid. h. veritas & gratia simul in Christo fuere, 626. b. 627. a. 628. b. cur Spiritus sanctus dicatur spiritus veritatis, 770. e. f. quomodo Deus in veritate adorandus sit, 657. e. & seqq. quomodo in veritate Apostoli sanctificandi sint, 800. h. quid sit *facere Veritatem*, 648. d.
Vestes Hebræis erant longiores, ideo aliquid facturi eas præcingebant, 546. e. quatenus vestes subtiles & pretiosæ peccatum includant, 574. f. quæ vestes posuerit Christus pedes suorum abluturus, 755. g.
Via recta & vera est Christus, 766. b. & seqq.
Viatores iter agentes lumbos præcingunt, 546. g.
Victoria de mundo Christianis promittitur, 795. a. b.
Victorini monachi pœnitentia, 565. e.
de Victu suos sollicitos esse vetat Christus, 530. d. e.
quæ Videntur etiam credi possunt, estque illa etiam bona fides, 825. c. & seqq. *videre* pro frui & possidere accipitur, 644. b. 714. a. *videre & audire* in divinis idem est, 650. h.
Vidua lugens mortem unigeniti est Ecclesia, 513. h. & seq. quid denotat vidua judicem importune rogans, 586. a. b. quid allegorice & tropologice, ibid. c. d. cur viduæ uni Sareptanæ prosperexerit Elias tempore famis, 504. h. quos hæc vidua denotet, 505. a.
Vigilare nos oportet, exspectantes Dei adventum, exemplo famulorum exspectantium de nocte dominum facibus accensis, 547. d. e. 549. c.
Vigiliarum nocturnarum divisio, 549. c.
Viles non sunt negligendi in operibus charitatis, 458. c.
Utilitatis suæ consideratione homo curatur a superba, 717. a.
Villa dicta quasi vella, 571. c.
Villæ emptores, quos designent, 561. a. b.
Villicus aliquando capitur pro dispensatore & administratore, 571. d.
S. Vincentius Martyr ad tormenta anhelavit, 552. d.
Vindicare pro defendere capitur subinde, 585. g. h.
Vindicta non est novæ legis, sed antiquæ, 527. d.
Vini usus est in vulneribus, 533. f. vinum potus nobilissimus, 640. c. est symbolum gratiæ, devotionis, fervoris, ibid. e aquam in vinum Christus in nuptiis convertit, 639. c. d. & quidem in rubrum, ibid. g. & optimum, 639. g. h. vina in centum annos servantur, 775. g.
Virginitas B. Virginis Deo cum primis placuit, 453. d. & seqq. ipsa hanc unice dilexit, 454. b. c. ejus votum emisit ante connubium, ibid. e. virginitatis immortalitas, 834. c. d.
Virgo potest parere, 454. g. h. cur de virgine natus sit Christus, 455. a. b. virgo est quæ est corruptionis capax: hinc infantes proprie non sunt virgines, 488. h.
in Virtute oportet nos proficere, non deficere, 493. h. 766. d. 767. b. 835. f. g. h. ubi virtus, ibi est unitas, 536. d. virtutis studium inchoandum a vita activa, inde pergendum ad contemplativam, 537. h. virtutes sunt veræ divitiæ, 545. h. & viæ ad cælestem gloriam, 766. b. c. ex sunt intendendæ sub vitæ finem, 754. f. virtutes quatuor cardinales complectitur S. Lucas in suis quatuor beatitudinibus, 509. h. quæ virtutes animam purificent, 638. h. virtus Altissimi B. Virginem obumbrans quæ sit, 455. h.
Vis nulla cuiquam inferre damnationem potest, 728. f. g.
Viscera significant intimam Dei misericordiam, 470. c.
Visus pro quolibet sensu capitur, etiam tactu, 824. f.
Vita semper ad mortem tendit, 501. d. in motu consistit, 664. f. vita nostra debet continuum esse negotium, 593. g. est velut dies & momentanea, 716. f. h. & seqq. vita temporalis perdenda ut æterna inveniatur, 746. h. vitam pro amico ponere, maximæ dilectionis est signum, 781. a. c. d. eam dat bonus pastor pro ovibus suis, 725. d. & seqq. vita Christiani qualis esse debeat, 469. g. h. ea tota sit laus continua Christi & oratio, 585. d. 613. f. vita mixta perfectissima est: eam egit Christus & Apostoli, 537. b. c. vita activa præmittenda contemplativæ, 524. d. activæ typus est S. Petrus, contemplativæ S. Joannes, 833. g. & seqq. vita Christi merum fuit prodigium, 486. h. & seq. ea omnibus est sequenda, 702. h. quam vitam ovibus suis id est fidelibus ipse det, 724. e. f. vita originalis, quæ in Deo patre est, per Filium & Eucharistiam nobis communicatur, 686. e. g. vitæ Christi tempus, dictum est dies, 716. e. mandatum Dei Patris vita æterna est, quo sensu, 753. b. & seqq. & cognoscere Deum, 797. f. g. vitæ Apostolicæ tria sunt munia, 548. a. quomodo vita erat in Verbo, 621. e. & seq. id est vita subsistens, vita idealis, vita causalis naturalis, & causalis supernaturalis, & hæc duplex, ibid. f. g. & vita originalis, sextupliciter, ibid. g. quomodo Deus vitam habet in semetipso, 669. b. Christus est vita viventium, 735. d. e. h.
Vitis & Christi analogiæ variæ, idque ostenditur per omnes illius proprietates, 755. f. g. h. & seqq. vites assidua egent cultura, 775. h. cur Christus dicatur vitis vera, ibid. c. & seqq. 778. f.
Vitulus saginatus mystice denotat Christum, 569. d. e.
Ultima dicta & scripta sapientum dulcissima sunt, 485. a.
an Umbra Christi crucifixi obumbrarit bonum latronem, itaque eum converterit, 604. d. e. umbra mortis quid sit, & quid significet, 471. c.
quando & qua ratione Unctio Christi a Spiritu sancto sit facta, 503. a.
Undecim vocantur Apostoli, etsi abesset Thomas, 610. g. h.
Unguenta veteres conviviis adhibebant, 516. d. quibus perfundebantur manus & caput convivarum, & quo carioribus, eo pretiosioribus, 518. e. quid sit unguentum nardi pistici, 743. f. quid unguentum spicatum & foliatum nardinum, ibid. g. unguentum mysticum quadruplex, 516. c.
Unigeniti mors quam sit acerba, 513. e. f.
Unio cum Deo via est ad sanctitatem, 535. h. ejus sunt tria signa, 803. c. d. & sex effectus, ibid. tria ejus consequenda media, 803. a. unio amoris divini quam arcta sit, 801. a. unionis animorum quanta sit vis, 780. c. unio Christianorum inter se unde coalescat, 762. h. 762. e. quanta esse debeat, 802. g. h. & seqq. ejus potentia, 803. f. g. h. unio hypostatica ad solum Filium terminata est, 739. h.
Unitas est vestigium Dei, 535. h. est rerum principium & finis, 536. c. ejus bonum & commoda, ibid. d. & seqq. unitas personæ in Christo facta est in incarnatione, non confusio duarum naturarum, 624. h. & seqq.
Unum necessarium quod sit, 535. d. & seqq. 536. d. ad unum tendunt omnia, 535. h.
Vocatio Christi quam sit potens, 633. f. vocationis divinæ efficax est & alios curare vocari, ibid. h.
Vocati a Christo ad sui sequelam ne sint solliciti de facultatum divisione, 527. h.
Voluntas Christi & Patris eadem est, 670. b. voluntates duas habuit Christus, uti & mentem duplicem, divinam & humanam, 644. h. voluntas carnis quid vocetur, ibid. f. homines bonæ voluntatis donantur pace cælesti, 480. d. e. qui sint illi, ibid. d. e.
Voluptati servientes inferno sese mancipant, 510. e. voluptates hominem non satiant, sed inflant & distendunt: per siliquas denotantur:

eantur: & damna earum, 567. c. d. & seqq. de iis gnomæ, 567. g. eas in hoc & futuro sæculo habere difficile est, 510. c. d.
Voluptuarii quo pacto ad cor a Deo reducantur, 567. g. h.
Votum virginitatis fecit B. Virgo ante connubium, 454. d. idque prima, ibid. e.
Vox Christi erat efficacissima, 353. b. vox filii hominis in die judicii audienda quæ sit, 669. f. vocem homo facile immutare potest, 698. d. vox de cælo missa a Deo Patre ad clarificationem Christi, tanta fuit, ut putaretur esse tonitru, 748. a. b. c. vel angelica, ibid. c.
Urbes in medio montium commodius ædificantur, quam in summo vel imo, 505. c.
Ursus pileatus Romæ fuit macellum Martyrum, 557. g.
Utilitatis nihil afferre Deo possumus, 581. f.
Vulnus lateris Christi fuit ingens & in latere dextro, 814. e. f. h. 824. g. h. vulnera quinque habuit Christus, 814. f. cur eorum cicatrices in corpore suo glorioso retinuerit, 614. f. g. ea in die judicii improbis ostendet, ut per ea eorum ingratitudinem coarguat, 821. a. illa S. Thoma vere tetigit, 824. d. h.
Vulpes symbolum sunt hæreticorum, 556. b.
Vultures aulæ qui dicantur, 583. b.
Card. Wolsæi nimium politici justa depressio, 740. f.
Vulvam aperire quid sit, 783. c.
Uxor Lot respectans quid denotet, 584. b. c.

Z

ZAchæi etymon: ipse erat princeps publicanorum, 590. f. erat dives, ibid. g. cur cuperet Jesum videre, ibid. g. qui ei se videndum & fruendum obtulit, 591. e. f. quomodo eum Dominus viderit, ibid. f. prompta ejus obedientia, ibid. g. hospitio excipit Dominum, ibid. non fuit Gentilis, sed Judæus, ibid. h. 592. g. videtur plane ad fidem, pœnitentiam ac opum mundique contemptum verbis Christi conversus, 592. a. restituit, injuste parta, & pauperibus dimidium bonorum distribuit, ibid. octavam tantum bonorum suorum partem fraude acquisierat, ibid. b. c. omnibus relictis amplexus est pauperiatem Evangelicam, ibid. c. ex jactantia non refert sua opera, ibid. e. ejus domui tunc facta est salus, ibid. e. f. omnes ejus domestici una cum ipso conversi sunt, ibid. f. postea fuit Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, ibid. quomodo sit filius Abrahæ, ibid. g. tota ejus historia tropologice & allegorice exponitur, ibid.
Zachariæ nominis etymon, 446. b. 447. f.
Zacharias pater Joannis, sacerdos, Propheta, ac Martyr fuit: ejus caput Romæ asservatur, 445. g. duxit uxorem sacerdotalis tribus, 446. a. incensum adolere debebat sortitione inter vicis suæ sacerdotes facta, ibid. b. non fuit summus sacerdos, ibid. b. cur turbetur viso angelo, 447. b. c. in quo ejus oratio exaudita sit, ibid. c. d. & seqq. oravit prius pro prole habenda, sed non modo, ibid. d. promittitur ei filius, ibid. d. e. f. dubitat de angeli promissis, 449. a. hæc diffidentia fuit tantum venialis, ibid. cur factus sit mutus & surdus, ibid. d. e. quo die obtulerit incensum, 446. f. ejus domus in Emmaus describitur, 458. g. cur a Deipara salutatus non sit, ibid. h. scribit filii sui Joannis nomen in pugillari, 467. h. os ei apertum cœlitus, & cœpit laudare Deum, 468. a. aperte videntur ei & aures, ibid. a. repletus Spiritu sancto cepit prophetare, 468. d. quid suo cantico spectet, ibid. e. interpretatur prophetias veteres de regno & salute Christi spirituali, 469. a. in suo cantico a spiritu absorptus non spectat ad verba, ibid. d. cur ab Herode occidi jussus, 445. g. 471. f. g.
Zelus animarum qualis fuerit in Apostolis, 830. g. zelus Christi fuit justa ejus indignatio, 640. h.
ζωγρία duplicem habet derivationem, & proinde significationem duplicem, 506. b.
Zorobabel ædificavit templum a Chaldæis destructum, 641. e. & seq. Zorobabel Lucæ diversus est a Zorobabele Matthæi, 500. d.

INDEX MATERIARUM MORALIUM,

Quæ his in Lucam & Joannem Commentariis uberius deducuntur,

Verbis Evangelii per Dominicas, Festos dies, & Ferias nonnullas occurrentis accommodatarum, in gratiam & usum Concionantium.

Norint tamen singulorum se Evangeliorum explicationem tum litteralem, tum allegoricam ac symbolicam, suo quamque in capite posse invenire, ubi gustui suo quam abundantissime auctorem satisfacere comperient.

DOMINICA II. ADVENTUS.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. Pauperibus primo Evangelium annuntiatum esse videre fuit in pastoribus Bethlehemiticis, 479. b. & seqq. Quin & ipse Christus paupertatem est professus, 744. b. Evangelica paupertas in quo sita sit, 745. c. *Consule Indicem Rerum v.* Pauper, Paupertas, Religiosi, *& notata in Festo omnium Sanctorum.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

MISERUNT JUDÆI. Quorsum Judæi aliquos suorum ad Joannem miserint scisitantes num ipse Messias esset, 629. c. & seqq.
TU QUIS ES? Quid sit homo per omnia Prædicamenta Aristotelica demonstratur, 629. f. & seqq.
CUJUS EGO NON SUM DIGNUS. Sic omnes nos, servos inutiles dicere possumus, 581. a. b. & seqq.
ELIAS ES TU? Uti Joannes in virtute Eliæ venit, eique persimilis esse videbatur, ita etiam Christus se Eliæ comparavit, 870. b. *Vide Indicem Rerum v.* Joannes Baptista.

FERIA IV. QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS.

NOMEN VIRGINIS MARIA. Mariæ nominis variæ dantur derivationes, 450. g.
AVE. Ave quid sit, & unde formetur, 451. a. *Vide notata in festo annuntiationis B. Virginis, & Indicem Rerum v.* Incarnatio, B. Maria Virgo.
SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TIBI. Hæc Spiritus sancti obumbratio quomodo sit intelligenda, 455. d. & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Spiritus sanctus, *& notata in Dominica Pentecostes.*
ECCE ANCILLA DOMINI. Quo temporis puncto incarnatio Filii Dei in utero Virgineo peracta sit, 456. b. & seqq. quæ ipsa tunc gratias acceperit, & quantum per illam meritum suum adauxerit, 457. e. Variæ dantur causæ cur Dei Filius factus sit homo. 476. c.
GERMINET SALVATOREM. Christus vocatur germen tum cæleste, tum terrestre, & quare, 470. f. g.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

TETRARCHA ITURÆÆ. Tetrarchiæ ratio & causa hac exponitur, nec non singulorum Tetrarcharum provinciæ ac limites, 495. b. c. & seqq.

IN FESTO S. THOMÆ.

Vide notata Dominica in Adbis, est quippe idem Evangelium.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO. Quo anno Augusti Christus in mundum natus sit, 473. d. & seqq.
PEPERIT FILIUM SUUM. Nativitas Salvatoris per omnes circumstantias enucleatur, 475. b. & seqq. cur natus sit in stabulo, & collocatus in præsepio, 477. b. c. & seqq. concio ejusdem e præsepio ad totum genus humanum, ibid. f. & seqq.
ET PASTORES ERANT. Cur pastores præ aliis & primo ad Christum vocati sint, 479. a. b. & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Pastores.
GLORIA IN EXCELSIS DEO. Diversimode verba hæc exponuntur, 480. a.
IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. In quo principio Verbum divinum esset, 618. d. *Consule Indicem Rerum v.* Verbum.
PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS. Quomodo gratiæ & spiritus plenitudo in Christo fuerit, 651. d. e. f. non tamen habuit gratiam infinitam, ibid. e. f. *Vide Indicem Rerum v.* Gratia.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

DISCIPULUM QUEM DILIGEBAT JESUS. S. Joannis elogium, dignitas: est aquila, 614. b. c. an fuerit sponsus in Cana Galilææ, 637. b. ei Deipara virgo sub cruce a filio fuit commendata ut mater, & Joannes vicissim ei datus in filium, 812. c. & seqq. magnus hinc ei honor accessit, 812. d. e. est revera mortuus, & quomodo, 833. b. est vere Martyr, 834. b. c. est typus contemplativæ vitæ, 834. f. putabatur inter discipulos non moriturus, ibid. h. *Vide Indicem Rerum v.* Joannes.

IN

Digitized by Google

IN FESTO INNOCENTIUM.

Secessit in Ægyptum, Omnis regio viro forti pro patria est, & natale solum non est magnopere curandum,

Omnes pueros. Ut hi teneri agnelli sunt, ita & Christus agnus est, 631. d. e. *Vide Indicem Rerum v.* Puer, Innocens, Joseph.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Circumcideretur puer, Cur Christus sit circumcisus, 481. *f. g. h.* & seqq.

Nominis Jesu elogia, *Vide Indicem Rerum v.* Jesus.

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHAN.

Requirentes eum. Quid Deipara amisso filio suo meruerit, 490. *c. d.* & alia huc spectantia, ibid. & seqq.

Interrogantem. Quare Christum doctores interrogaret, 490. *g. h.* & seqq.

Invenerunt illum, Deus amissus quomodo quærendus, 491. *a.*

Et erat subditus illis. Quatenus Christus parentibus subditus esset, & non esset, 491. *g.* & seqq. alioquin ab omni erat obedientia exemptus, ibid. *g.* Obedientiæ hinc præstantiam colligere est, 492. *b.* & seqq.

Subditus quoque patri suo Josepho fuit in juventute in arte fabrili, 492. *b. c. d.*

Gratia et sapientia. An & quomodo Christus gratia & sapientia profecerit, quomodo utraque in eo caperet incrementa, 492. *h.* & seqq.

Gratia. Gratia quam habeat cum aqua analogiam, 654. *e. f.* ipsa est fons saliens in vitam æternam, 655. *h. Vide notata in festo Nativitatis Domini.*

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt. Quando & quo mense hæ nuptiæ factæ sint, & quis in eis fuerit sponsus, 637. *b. c.* an S. Joannes, an Simon Chananæus, ibid. cur ad has nuptias ierit Christus, ibidem. *g.*

Nuptiæ. Anima sancta fit spiritualiter sponsa Christi, 637. *c. d. Vide Indicem Rerum v.* Nuptiæ.

Vinum non habent. Quam modeste vini defectum B. Virgo Christo indicarit, 638. *h.*

Quid mihi et tibi est mulier? An hoc responso in speciem acerbiore matrem Dominus reprehenderit, 638. *c.*

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Habens sub me milites. Quæ præcepta Joannes militibus prædicans dederit, 497. *b. c.* & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Miles.

In tenebras exteriores. Infernalia supplicia horrenda sunt, & quia damnati numquam ab iis liberandos se norunt, hinc ad extremam desperationem adiguntur, 576. *b. c. Consule Indicem Rerum v.* Infernus.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Quid statis hic tota die otiosi? Cur servos inutiles nos coram Deo dicere possimus, 571. *a.* & seqq.

Multi sunt vocati. Sic Judas in vocatione & electione sua ad Apostolatum erat bonus. 689. *c.*

Pauci electi. Quanta salvandorum sit paucitas, 556. *f. g. Vide Indicem Rerum v.* Prædestinatio.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

In patientia. Patiens est possessor animæ suæ, 597. *f.* & seqq.

FERIA IV. CINERUM.

Tu autem cum jejunas. Jejunium & oratio indicitur per quatuor anni tempora pro ordinatione sacerdotum, 509. *g.*

FERIA VI. POST CINERES.

Diligite inimicos vestros. Pro inimico vitam ponere, exemplo Christi, maximæ est charitatis indicium, 781. *a. b.* & seqq.

Estote ergo vos perfecti sicut Pater vester. Deus est sanctus in summo gradu, 464. *g.* 465. *c. d.* hanc Dei, uti & Christi, sanctitatem omnes imitari oportet fideles, 469. *g. h. Consule Indicem Rerum v.* Perfecti, Sancti.

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

In desertum. Cur Joannes puer in desertum concesserit, 471. *e. f.* & seqq.

Accedens tentator. Dæmonum multitudo, & malignitas, 523. *a.*

Vade satana. Sic omnes Christiani & Martyres tentati a carne, dæmone & mundo, ejusque ministris, constanter obnitentes victoriam referunt, 795. *b. c.* In Christo nullam partem habuit princeps hujus mundi, 774. *b. c.*

Angeli ministrabant. Etiam alias; post ad Christum angeli descenderunt & ascenderunt, 635. *e.* & quorsum, ibid. *h.*

FERIA II.

Ite in ignem æternum. Quod ignis ille sit æternus, & numquam finiendus, ideo damnati præ rabie desperant, 576. *b. c. Vide notata Dominica III. post Epiphaniam.*

Ite. Æterna damnatorum a Deo, cælo & angelis sequestratio gravissimum ipsis erit supplicium, 578. *d. e.*

FERIA VI.

Probatica. Hæc piscina pluribus describitur: ejus forma & origo, 663. *c.* & seqq.

Triginta octo annos. Consuetudo peccandi gravissima quædam paralysis est, 665. *a. b.*

FERIA II. POST DOMINICAM II. IN QUADRAG.

In peccato vestro moriemini. Pœnæ eorum, qui in Christo non manent, sed ab eo se peccando separant, 778. *h.* & seqq.

FERIA III.

Primos accubitus. Modestia in accubitus loco deligendo commendatur, 559. *g. h.* & seqq.

FERIA V.

Lazarus. Illius misera sors & morbi describuntur, 575. *d. e. h.* & seqq.

In sinum Abrahæ. Quis sinus ille sit, 575. *c. d.*

Ut moreretur et dives. Quam sors illius, quam hæ in vita habuit, sit mutata, 576. *b. c.* quomodo ejus anima linguam habuisse dicatur, 577. *b.*

Quinque fratres. An hic vere de fratrum salute fuerit sollicitus, 578. *g. h.* & seqq.

SABBATO.

Adolescentior. Hæc parabola exponitur & applicatur, 565. *h.* & seqq.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

Omne regnum. Dæmonum multitudo & malignitas, 523. *a.*

Per loca inaquosa. Qualia sunt plerumque sepulchra ossibus aridis plena, in quibus dæmones & dæmoniaci habitare gaudent, 522. *d. e.*

FERIA IV.

Sine intellectu estis. Intellectus est nobilissima animæ potentia, 687. *h.*

SABBATO.

Perrexit in montem Oliveti. Ad orandum videlicet de nocte, quia diluculo dicitur iterum in templum venisse: ad ostendendum noctem orationi commodam esse, 509. *g. Vide Indicem Rerum v.* Oratio.

FERIA III. POST DOMINICAM IV. IN QUADRAGESIMA.

Justum judicium judicare. Cur judices vocentur dii, 729. *e. f.*

FERIA IV.

Et in sabbato. *Vide Indicem Rerum v.* Sabbatum.

Quis peccavit? Peccando peccator servus sit peccati. 708. *b.* & sequentibus.

Venit nox. Vita nostra velut dies est, mors vero nox, 716. *f. g.*

Lux sum mundi. Christus homo quorsum dicatur lux, 622. *a.* & seqq. & cur lux vera, 622. *g. h.* & seqq. ipse enim omnes homines illuminat, 623. *d.* & seqq.

Expuit in terram. Salivæ quæ sint symbola, 717. *a. b.*

Ad natatoriam Siloe. Siloe fons, ejusque origo describitur, 717. *c.* 718. *b.* Christus Dominus etiam Siloe est, qui missus est a Deo Patre, 718. *c.* & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Piscina, Siloe.

Peccatores Deus non audit. An eos vel pro se, vel pro aliis, orantes Deus exaudiat, 719. *g.* & seqq.

FERIA VI.

Lazarus. Quatriduanus hic peccatores habituatos repræsentat, 736

Ego sum resurrectio et vita. Quo sensu Dominus utrumque sit, 735. *d. e.*

Infremuit spiritu. Quis fuerit hic Christi fremitus in Lazari resuscitatione, 736. *e.* an in eo fuerint passiones, & quomodo, 737. *a. b.*

Lacrymatus est Jesus. Quare Redemptor hic lacrymatus sit, 737. *a.* & seqq. cur Lazarum excitaturus clamarit voce magna, 737. *e.* & seqq.

Solvite eum. Cur ipse Dominus hæc vincula non solverit, 739. *d.*

Ego sum lux mundi. *Vide notata feria IV. post Dominicam IV. in Quadrag.*

DOMINICA DE PASSIONE.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Prædestinationis enim signum est, verbum Dei libenti animo audire, 711. *c. d.*

Abraham exultavit ut videret. Quo sensu & modo Abraham optarit videre adventum Christi in carnem, 713. *f. h.* & seqq.

FERIA

Digitized by Google

FERIA II.

FLUMINA DE VENTRE EJUS FLUENT AQUÆ VIVÆ. *Vide notata in festo Pentecostes.*

FERIA III.

SCENOPEGIA. *Vide Indicem Rerum v.* Scenopegia.

FERIA IV.

PORTICU SALOMONIS. Hæc porticus describitur, 727. *g.*
ENCENIA. *Vide in Indice Rerum v.* Encænia.
NON ESTIS EX OVIBUS MEIS. Parabola ostii ovilis & ovium exponitur, 722. *b.* & seqq.
OVES MEÆ VOCEM MEAM AUDIUNT. Oves Christus duplices habet, prædestinatos solos, & fideles omnes, 728. *c.*
FACIS TEIPSUM DEUM. Filii Dei divinitas probatur, 798. *a. b. Vide Indicem Rerum v.* Christi divinitas.
EGO DIXI, DII ESTIS. Quare judices vocentur dii, 729. *d. e.*
OPERIBUS CREDITE. Miracula & opera evincebant Jesum esse Messiam, 671. *d.* ob duplicem ejus naturam erant in eo triplices actiones, 835. *c. d.* & seqq.

FERIA V.

ET ECCE MULIER, QUÆ ERAT. *Vide notata in festo S. Mariæ Magdalenæ, est enim idem Evangelium.*

FERIA VI.

EXPEDIT UT UNUS. Caiphæ pontificis de Christo necando consilium, an & quatenus fuerit prophetia, 741. *a.* & seqq.

SABBATO.

QUI AMAT ANIMAM SUAM, PERDET EAM. Quomodo animam perdens eam amet & simul inveniat, 746. *g.* & seqq.
PATER CLARIFICA ME. Quam sui clarificationem & glorificationem Christus a Patre suo petat, 796. *c. d.* & seqq.

DOMINICA IN PALMIS.

Quia hodie passio Domini solet & in Missarum solemnia legi & pro concione exponi. *Vide notata feria VI. in Parasceve.*

FERIA II.

LIBRAM UNGUENTI NARDI PISTICI. Nardus pistica & pretiosa quæ sit, & unde componatur, 743. *f.*

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Quo die Christus ultimum Pascha celebrarit, & Eucharistiam instituerit: quomodo in eo dissentiant Græci & Latini, 754. *b. c.* eam instituit velut argumentum extremi amoris, ibid. *h.* & seqq.
SI NON LAVERO TE. Quomodo hæc pedum Apostolicorum lotio fuerit peracta; in ea summa Christi humilitas elucet, 745. *e.* & seqq. omnes ejus actus singillatim excutiuntur, ibid. *g. h.* hæc præmissa est ante Eucharistiæ institutionem, ibid. *d. Vide Indicem Rerum v.* Lotio, Eucharistia.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

UNUS VESTRUM ME TRADET. Quando Judæ proditionem Dominus Apostolis prædixerit, 759. *d.* quomodo ei dicat, *Quod facis, fac citius*, 761. *a.*
PROLIXIUS ORABAT. Idque sub noctem, docens noctem orationi instituendæ percommodam esse, 509. *g.*
CONFORTANS EUM. Quis angelus afflictum & paventem Dominum hic confortarit, & quibus verbis, 601. *e.*
SANGUINIS DECURRENTIS IN TERRAM. Vere Christus sanguinem toto corpore exsudavit, & quæ sudoris hujus sit causa, 602. *a. b. c.*
Quare in horto a militum cohorte comprehensus & ligatus sit, 806. *e.* & seqq.
Qua hora crucifixus sit, 810. *b.* & seqq. Serpens æneus fuit figura ipsius in crucem acti, 646. *h.* & seq. ipse e cruce omnes ad se trahit, 749. *c. d.*
MEMENTO MEI DOMINE. Quam admirabilis fuerit hujus latronis conversio, & unde orta, 604. *b.* an vere is fuerit Martyr, ib. *f.* & seq.
Dolor Beatissimæ matris cruci adstantis, 487. *b. c.* 810. *h.* fuit ipsa plusquam Martyr, 811. *a. b.* an passa sit præ doloris amaritudine spasmum & animi deliquium, 811. *d.* cur Joanni a filio patiente commendetur, & ipsi Joannes, 811. *h.* & seqq. passa plus ipsa videretur quam ipse Christus, 813. *e.* & seqq. in Joanne omnes fideles ei tunc sunt commendati, ibid. *d.* 813. *b.*
Et latere Domini militis lancea aperto fluxit sanguis & aqua, 814. *b.* & seqq. quam id vulnus patens fuerit, 814. *c. d.* & seqq.
IN MONUMENTO NOVO, Sepultura Christi honorifica, uti & primorum olim Christianorum, 815. *b.*
Christus in passione ob summam mansuetudinem agnus fuit, 631. *d. Vide Indicem Rerum v.* Christi passio, B. Maria.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

AD OSTIUM MONUMENTI. Quam honorifice primi Christiani sepelirentur, 815. *b.* & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Resurrectio, Christi resurrectio.

FERIA II. POST PASCHA.

IN EMMAUS. Undenam discipuli hi Dominum secum eunrem non agnoverint, 608. *b. c.* cur ipse in alia effigie appareat, iisque oculos eorum teneat, ibid. *d. Vide Indicem Rerum v.* Emmaus, Cleophas, Crux.
NONNE OPORTUIT CHRISTUM PATI. Oportuit Christum per crucem ad gloriam pervenire, 609. *f.*
FINXIT SE LONGIUS IRE. Hæc illius ficta non fuit mendacium, 609. *g. h.*

FERIA IV. POST PASCHA.

VADO PISCARI. Apostoli a Christi resurrectione piscari debuerunt, ut victum sibi pararent, quia pauperes erant, & ut otium fugerent, 816. *f. g. h.*
DOMINUS EST. Joannes unde agnoverit Christum e capturæ ingenti piscium, 847. *f.*
PLENUM MAGNIS PISCIBUS. Quid hæc captura piscium ad dexteram navigii innuat symbolice, 818. *d. e.*

FERIA V. POST PASCHA.

MARIA STABAT. Mariæ ad monumentum ploranteis varii affectus, 817. *f. g.* & seqq. *Vide Indicem Rerum v.* Maria Magdalena.
RABBONI. Maria hoc verbo audito mirabiles in animo motus sensit, 819. *a. b.* & seqq.
NOLI ME TANGERE. Cur a Maria se Dominus tangi nolit, quod nondum ad Patrem ascendisset, 819. *b.* & seqq. quæ moralis ejus rei causa, 819. *g.*
VADO AD FRATRES MEOS. Cur Apostoli a Christo vocentur fratres, 820. *a.* & seqq.

DOMINICA IN ALBIS.

JANUIS CLAUSIS, Quomodo ad Apostolos sic ingredi potuerit, hæc contra Calvinum hoc negantem ostenditur, 820. *d.* & seqq. Ratio est, quia corpus gloriosum potest simul esse subtile & palpabile, 611. *c. d.*
OSTENDIT EIS MANUS ET LATUS. Vulnus lateri Christi inflictum per omnes circumstantias expenditur, 814. *c. d. h.* & seqq.
SICUT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS. Apostoli quomodo a Christo sint missi eadem potestate qua ipse, 821. *d.* & seqq.
INSUFFLAVIT. Quare in Apostolos Dominus insufflarit, & quid hæc insufflatio innuat, 821. *f. g.* & seqq.
QUORUM REMISERITIS PECCATA. Potestas a peccatis absolvendi fideles data est Apostolis, 822. *b.* hæc non est prædicatio Evangelii, ut vult Calvinus, 822. *c.* & seqq. hanc potestatem eis dando, instituit Christus Confessionem sacramentalem, 823. *a. b.*
THOMAS QUI DICITUR DIDYMUS. Thomæ quod sit etymon, cur dicatur Didymus, 733. *f.* ejus absentia & incredulitas unde ortum haberet, 823. *f.* & seqq. tangit & perspicit vulnera Christi, 824. *d. e. Vide Indicem Rerum v.* Thomas.
INFER DIGITUM TUUM HUC. Cur vulnerum suorum cicatrices Dominus post mortem retinuerit, 820. *h.*
DOMINUS MEUS ET DEUS MEUS. Quos amoris affectus hæc verba ejus spirent, 824. *h.* & seqq.

DOMINICA II. POST PASCHA.

EGO SUM PASTOR BONUS. Octo boni pastoris munia, 723. *d.* & seqq.
EGO SUM PASTOR. Christus unicus est pastor, & bonus, 724. *f. g.* & seqq. Pastoris corporalis & spiritualis inter se collatio, ibid. *h.* & seqq.
MERCENARIUS VIDET LUPUM VENIENTEM. Quis dicatur pastor mercenarius, & quinam sint lupi gregem discerpentes, 725. *f. g. h. Vide notata Feria III. post Pentecosten, & Indicem Rerum v.* Pastor.

DOMINICA III. POST PASCHA.

PLORABITIS ET FLEBITIS. Pii hic assidue lugent, sed eorum luctus in cælo in gaudium convertetur, 790. *g. h.* & seqq.
Consolatio in hoc sæculo & simul in futuro haberi nequit, 510. *c. Vide Indicem Rerum v.* Persecutio, Tribulatio.
MULIER CUM PARIT. Puerperæ & parturientis dolori recte comparatur dolor discipulorum, 791. *h.* & seqq.

DOMINCA IV. POST PASCHA.

ILLE ARGUET MUNDUM DE PECCATO. Quomodo Spiritus sanctus mundum de peccato, justitia & judicio sit conguturus, 789. *g. h.* & seqq.
NON ENIM LOQUETUR A SEMETIPSO. Quomodo hæc ejus locutio sit intelligenda, 789. *b. c.* & seqq.

DOMINICA V. POST PASCHA.

IN NOMINE MEO. Quid sit petere in nomine Christi, 792. *g.* & sequentibus.
USQUE MODO NON PETISTIS QUIDQUAM. Quomodo semper orandum sit, 585. *c. d.*
Quomodo Deus orandus sit; quia nil det nonrogatus, 794. *a.*

IN LITANIIS MAJORIBUS.

PETITE ET ACCIPIETIS. Orationis necessitas & vis, 586. *f.* quæ sint ejusdem conditiones, 793. *c.* & seqq. an orantes pro aliis exaudiamur, 793. *c.* & seqq.

DOMINICA INFRA OCT. ASCENS.

PARACLETUS. Hæc vox tria significat, & triplex significatio Spiritui sancto appropriatur. 770. *b. c.*
SPIRITUM VERITATIS. Quam ob causam dicatur spiritus

Digitized by Google

ritus veritatis, 770. e. Quid sit veritas, ejus gradus & definitiones, ibid.
Absque synagogis facient vos, Odium mundanorum erga pios, 783. b.

IN FESTO PENTECOSTES.

Tamquam ignis. Ignis Spiritus sancti missus in Apostolos, quid operatus sit, 551. b. c. e. & seqq.
Spiritus sanctus tam a Patre, quam a Filio procedit, 783. b. 784. a, b. d. in baptizatos infunditur, 645. a. b. ab eo habet homo quod opera bona proferat, 777. b. & seqq. quomodo ejus & gratiæ plenitudo in Christo fuerit, 651. d. e. non habuit tamen gratiam infinitam, ibid. d. gratiæ divinæ & aquæ analogia, 654. d. e. cur ipse Spiritus sanctus vocetur aqua, ibid. & quare aqua viva, ibid. g. & seqq. ipse dat animæ intellectum, quæ est præstantissima animæ potentia, 667. g. h. ejus charismata ubertim in fideles effundenda, prædixerunt Prophetæ, 696. h. ea vocantur flumina aquæ vivæ, 697. a. quando ea flumina ubertim affluere cœperint, ib. g. h. Quam ejus gratia sit efficax, quamque ejus vis blanda: & quomodo per illam trahamur, 680. b. & seqq. cur ipse datus non nisi post mortem Christi, 697. f. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Spiritus sanctus.
Ad eum veniemus. Quomodo SS. Trinitas in anima habitet, 772. c. seqq. Tria signa unionis animæ cum Deo, 803. c. d. hujus sex sunt effectus, ibid. d.
Suggeret vobis omnia. Spiritus sanctus quo sensu suis suggerat omnia, 773. b. & seqq.
Pacem relinquo vobis. Christus ex hoc mundo discessurus, Apostolis suis relinquit pacem, 773. a.
Quia Pater major me est. Quomodo Pater major sit Filio, secus ac Ariani censebant ostenditur, 773. b. & seqq.
In me non habet quidquam. Quomodo cacodæmon in Christo quidquam non habeat, 774. b.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sic Deus dilexit mundum. Amor Dei Patris in genus humanum. 647. d. e.
Ut filium suum unigenitum daret. Cur ipse Deus Pater carnem humanam non assumpserit ad magis amorem suum declarandum, 647. f. g.
Lux venit in mundum. Christus sol est, Joannes lucerna ardens & lucens, 670. b.
Ut manifestentur opera ejus. Miracula & opera evincebant Jesum esse Filium Dei, 671. d. A gratia habet homo quod opus aliquod bonum faciat, 777. b. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Miraculum, Opus.

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium. Parabola ostii ovilis & ovium pluribus exponitur, 722. b. & seq.
Ille fur est. Fures cupiunt oves laniare, perdere, mactare, 724. e. f.
Ego sum ostium. Christus enim est via, per quam itur; veritas in qua itur; & vita, ad quam itur, 766. a. b. & seqq.
Pascua inveniet. Qualia pascua in Ecclesia inveniantur, 724. c. *Vide notata Dominica II. post Paschæ.*

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Si sit sicut magister. Triplex sanctitas Christi, ut magistri, nobis data est & præscripta, 801. b.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Baptizantes eos. Baptismus omnibus fidelibus necessarius est, 644. d. Baptismus ante mortem Christi vim habuit expiandi peccata, 648. g. & seqq. Olim in nonnullis Ecclesiis baptizandi pedes abluebantur, 756. d.
In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Deus est incorporeus, sed purus spiritus, 658. a. ejus descriptio & definitiones e veteribus philosophis, ib. d. c. & seqq. Deus est velut circulus, 803. b. *Vide Indicem Rerum* v. Deus, Trinitas.

IN FESTO VEN. SACRAMENTI.

Caro mea vere est cibus. Eucharistia est dignior manna Mosaico, 677. f. g. est panis verus, quomodo, ibid. h. & seqq. cur sit panis vivus & vivificus, 686. d. & seqq. in ea verum Christi corpus manducamus, non mystice aut spiritualiter, 681. e. & seqq. ejus effectus in anima per vim vivificantem & gratiam, 685. d. e. præ omni cibo, 686. a. per ejus sumptionem ipsa deitas in nos descendit, 685. b. e. & seqq. in ea manducatur Christus non crudo modo, ut aliæ carnes, 687. c. g. h. instituit hanc velut extremi amoris erga nos argumentum, 754. h. & seqq. magna ad eam requiritur puritas, 755. c. d. laicis sub una specie eam sumere satis est, 683. e. & seqq. Quis sit cibus permanens in vitam æternam, 676. d. & seqq.
In me manet, et ego in eo. Tria signa unionis animæ cum Deo, 802. e. f. g. unionis hujus sex sunt effectus, ibid.

DOMINICA II. POST PENTECOST.

Simul se excusare. Invitatorum horum excusatio excutitur, num admitti mereatur, 561. a. b. & seqq.
Coenam magnam. Quæ sit hæc cœna magna, quam homo quidam paravit, 560. g. & seqq. Convivalis modestia in accubitus loco deligendo, 559. f. g. h. & seqq.
Villam emi. Avarus est velut hydropicus, 558. h. *Vide Indicem Rerum* v. Avarus.
Pauperes introduc huc. Pauperes cur sint adhibendi mensæ præ divitibus, 561. g.

DOMINICA III. POST PENTECOST.

Super uno peccatore poenitentiam agente. Peccatoris conversio est ingens Deo & angelis gaudium, 564. h. & seqq.
Quam super nonaginta novem justis. An hoc verum sit, & Deus plus gaudeat de uno peccatore converso, quam de nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia, 565. c. *Consule Indicem Rerum* v. Justi, Sancti, Peccator.

DOMINICA IV. POST PENTECOST.

In navim quæ erat Simonis. Navis hæc, quia Petri, typus est Ecclesiæ Romanæ, quæ S. Petri velut navis est: Romanæ Ecclesiæ fides inviolata hactenus mansit, & ipsa commendatur ut talis, 835. g. h. *Indicem Rerum* v. Petrus, Ecclesia.

DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

Facite vobis amicos de mammona. Dives in Deum quis dicatur, 545. a. & seqq.
Iniquitatis. Cur opes vocentur iniquæ, 573. a. item alienæ, ibid. g.
In æterna tabernacula. Eleemosynarii ab iis quibus bene fecerunt, intra cæli palatia admittuntur. 573. c. d.

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

Vendentes ejecit. Fecit id Dominus e zelo pro Dei Patris honore, 640. g. h.

DOMINICA X. POST PENTECOST.

Gratias ago tibi. Multa quippe sunt ob quæ Deo sumus obstricti: multaque ei debemus, 581. c. & seqq.
Publicanus autem. Tam hujus quam Pharisæi oratio examinatur, 587. c. & seqq. 588. e. f. h.
Qui se exaltat humiliabitur. Quomodo superbi dispergantur mente cordis sui, 465. g. h. & seqq. at humiles e contra a Deo semper exaltentur, 466. a. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Humilis, Humilitas, Superbi.

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

Samaritanus autem. Hujus peretranseuntis benignitas erga saucium viatorem expenditur, 533. c. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Samaritanus.

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

Viri leprosi. Lepræ spirituales variæ sunt, 582. b. c. Lepræ quædam signa æquivoca, & univoca recensentur, 582. c. & seqq.
Ostendite vos sacerdotibus. Cur leprosos Dominus ad sacerdotes ablegarit, 582. g. & seqq. *Vide de Confessione Sacramentali notata in Dominica in Albis, & Indicem Rerum* v. Confessio, Sacerdos.

DOMINICA XV. POST PENTECOST.

Defunctus efferebatur. Extra urbem Naim videlicet: etenim olim sepulchra erant extra urbem, at Christianorum jam intra eam sunt, & qua de causa, 513. c. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Mors.
Filius unicus matri. Quos adolescens hic & mater tropologice & allegorice designent, 513. h. & seq.

DOMINICA XVI. POST PENTECOST.

Sabbato. *Vide Indicem Rerum* v. Sabbatum.
Hydropicus erat ante illum. Hydrops apte denotat avaritiam, 559. a.
Non discumbas in primo loco. Modestia in loco deligendo in conviviis commendatur, 559. g. & seqq.

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

Diliges proximum tuum. Quomodo mandatum dilectionis sit novum, 762. g. h. & seqq. Pro proximo tam amico, quam inimico, vitam suam exponere, maximæ est charitatis indicium, 781. a. & seqq.
Vide Indicem Rerum v. Charitas, Dilectio.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOST.

Cum videritis hæc omnia, scitote. Clades publicas Deus permittit ad correctionem aliorum, 554. a. b.
Ab arbore fici. Ficus infrugifera symbolum est Synagogæ Judaicæ, 554. g. h. at fertilis justi. ibid. fici natura describitur, & moribus applicatur, ibid. *Vide Indicem Rerum* v. Arbor, Ficus,

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Zachæus. Hujus conversio longe deducitur, 592. a. cur hæc in festo Dedicationis Ecclesiæ recolatur, 592. h.
Sycomorus. Quænam hæc sit arbor, *Vide Indicem Rerum* v. Ficus & Sycomorus, Templum, Zachæus.

IN

Digitized by Google

IN FESTO PURIFICATIONIS B. VIRG.

Postquam impleti sunt dies. Purificationis puerperæ ritus & ordo, 482. *b.* an Deipara debuerit purificari, ibid. *c.* *Vide Indicem Rerum* v. Purificatio, B. Maria Virgo, Simeon.

Ut sisterent eum Domino. An Christus Deo sisti debuerit, & an ipse, lege docente, vulvam aperuerit, 483. *d. e.* & sequentibus. Sic ipsi nostras actiones Deo offerre debemus, maxime earum initium & finem, uti hic Christus puer Deo sistitur, 707. *b.*

Aut duos pullos columbarum. Victima & ritus purificationis, 483. *f. g.* Optima Deo sunt offerenda, 744. *b.*

Simeon. Quis pius hic senex fuerit, 484. *a. b.* quomodo expectaret redemptionem Israel, ibid. *c. d.* unde Christum puerum agnoverit, ibid.

Expectans. Vita Christiani est continua expectatio Christi venturi, 548. *d.*

Ecce positus est hic in ruinam. Quomodo Christus sit positus in ruinem & resurrectionem multorum, 486. *d.* quomodo in signum cui contradicetur, ibid. *g.* & seqq.

Doloris gladius animam pertransibit. Quis gladius animam B. Virginis pertransierit, 487. *b. c.* & seqq. B. Virgo vere fuit Martyr, cur, ibid. *g.* & seqq. summus fuit ejus dolor in filii sui passione, ibid. *e. f.* *Vide Indicem Rerum* v. B. Maria Virgo, Christi passio.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

S. Petrus denotat vitam activam, ut Joannes contemplativam, 833. *g.* *Vide notata in festo SS. Apost. Petri & Pauli, & Indicem Rerum* v. Petrus.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOST.

Jugum meum suave est. Quadruplex libertas a Christo est mundo allata, 708. *d.*

IN FESTO ANNUNT. B. VIRGINIS.

Missus est Angelus Gabriel. Quo ex ordine angelorum sit Gabriel, 449. *b. c.* quoto die mensis Martii sit missus, & Christus incarnatus, 450. *b. c.*

Maria. Mariæ nominis quid sit etymon, 450. *g.*

Ave gratia plena. Quid sit Ave, & unde formetur, 451. *a.* quomodo Maria fuerit plena gratia, ibid. *d. e.*

Dominus tecum. Quomodo Deus & tota SS. Trinitas fuerit cum illa, 452. *a. b.* & seqq. & quomodo benedicta in mulieribus, 452. *d.* & seqq.

Turbata est in sermone ejus. Quomodo sanctissima Virgo ad aspectum & salutationem angeli turbata sit, 452. *g. h.* Meruit Mater Dei fieri ex congruo, ob humilitatem, virginitatem, & ardentem charitatem, 452. *d. e.* Emiserat votum virginitatis, hinc de ea tuenda sollicita fuit, 454. *b. d. e.*

Spiritus sanctus superveniet in te. Quomodo Spiritui sancto opus incarnationis attribuatur, 454. *f. g.* 455. *d.* Obumbratio Spiritus sancti quomodo intelligenda sit, 455. *d.* & seqq. & illo obumbrante parere potest virgo, 454. *h.*

Ecce ancilla Domini. Quomodo Deipara angelo assenserit, 457. *e. f.* atque tunc incarnatio in ea peragi cœpit, 457. *h.* & seqq. quas tunc ipsa gratias acceperit, & quantum merita sit, 458. *a.* ejus uterus fuit thalamus & thronus gloriæ filii Dei, 539. *h.* *Vide Indicem Rerum*, v. Gabriel, Incarnatio, Beata Maria Virgo.

IN FESTO S. PHILIPPI APOSTOLI.

Ego sum via, veritas et vita. Christus est via, veritas & vita, quo sensu, 766. *a. b. c. d.* & seq. *Vide Indicem Rerum* v. Philippus.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Sicut Moyses exaltavit serpentem. Serpens hic æneus qua in re fuerit figura Christi in crucem acti, 646. *b.*

Quomodo Christus in cruce fixus omnes & omnia ad se traxerit, 749. *c. d. e.* *Consule Indicem Rerum* v. Crux.

IN FESTO NATIVIT. S. JOANNIS.

An Joannes fuerit materno in utero sanctificatus, 449. *a.* fuit Eliæ persimilis, ibid. *e.* sextupliciter Christum præcesserit, ibid. *d.* erat lucerna ardens, at Christus sol, 671. *g.*

Joannis nominis etymon, 447. *e.* *Vide Indicem Rerum* v. Joannes Baptista, Elisabeth, Zacharias.

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Alii autem Eliam. Cur Christus Eliæ assimiletur, 504. *h.* & seqq.

Tu es Petrus. Duo eminentia S. Petri privilegia, 600. *f.* & seq. S. Petrus de amore interrogatur a Domino, & quid, ter, 829. *c. d.* & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Petrus, Pontifex, Ecclesia.

Ædificabo Ecclesiam meam. Petrus jussus pascere agnos & oves Christi, constitutus est ab eo ejus vicarius, & universalis fidelium pastor, 829. *f. g. h.*

Crucifigendum eum Dominus prædicit, & quidem clavis, quod & factum est, 831. *a. b.* Crux ei fuit gloriosa, ibid. *c. d.* qua ratione & modo sit ei affixus, ibid. ei e carcere Romam fugienti apparet Dominus, 831. *h.*

IN FESTO VISITATIONIS B. VIRG.

Abiit in montana. Cur Deipara jam Dei filium in utero habens ad Elisabeth cognatam suam abierit, 458. *a. b.* conjux ejus Joseph eam non est comitatus, sed ancillam ei comitem adjunxit, ibid. *c. d.* *Vide Indicem Rerum* v. Elisabeth, Joannes Baptista, Zacharias.

Exultavit infans in utero. An S. Joannes in utero matris sanctificatus fuerit, 488. *a.* an ejusdem sobsalcatio in utero fuerit rationalis, & ex vero rationis usu profecta, 459. *a.* & seqq. hic fuit in eo scelerata.

Magnificat anima mea Dominum. Canticum *Magnificat* exponitur, 460. *b.* & seqq. multis.

Nativitas S. Joannis quam fuerit celebris, 467. *d. e.* & sequentibus, videtur Deipara huic adfuisse, etsi non parienti Elisabethæ, 467. *b.* & seqq. Cur Joannes bimulus in desertum concesserit, 471. *f. g.* & seqq.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Una eorum Maria Magdalena fuit, 514. *d. e.*

In civitate peccatrix. Quæ fuerit illa civitas, & qualis ipsa fuerit peccatrix, 514. *g. h.*

Lacrymis coepit rigare pedes ejus. Ipsius lacrymæ, quibus pedes Salvatoris rigavit, exponuntur, nec non extersio per capillos capitis sui, 515. *e.* & seqq. Eosdem quoque pretioso unxit unguento, 516. *d.* heroicæ ejus hoc in actu virtutes expendunturibib. *e.*

Remittuntur ei peccata multa. Quando ei peccata remissa sint, num ante actus illos pœnitentiæ, an post illos, 518. *e.* & seqq. quæ vero ei gratiæ sint a Christo concessæ, 519. *h.* *Vide Indicem Rerum* v. Maria Magdalena, Peccator, Pœnitentia.

IN FESTO S. LAURENTII.

S. Laurentius ignem tyranni ridebat, diviniore igne intus æstuans, 551. *e.* quin imo ad omnia tormenta anhelabat, 552. *d.* *Vide Indicem Rerum* v. Martyr.

IN FESTO ASSUMPT. B. VIRGINIS.

Sedens secus pedes Domini. Contemplationis bonum & necessitas, 535. *f.* & præfertur illa vitæ activæ, 536. *h.* & seqq. perficietur autem in cælo, 537. *e.* Contemplativis revelat Deus sua secreta, 781. *h.* hi fiunt unum cum Deo, 802. *a. b.* & seqq.

Sedens. Oratio animam Deo quam maxime unit, & quietam reddit, 536. *a.*

Porro unum est necessarium. Quid sit illud unum necessarium, 535. *d.* & seqq.

B. Virgo est protectrix & adjutrix omnium fidelium, utpote ipsi a Christo moriente commendatorum, 812. *d.* 813. *a. b.* *Vide Indicem Rerum* v. B. Maria Virgo.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

Pernoctans in oratione Dei. Nox enim ad orandum est aptissima, 509. *f. g.* S. Bartholomæus idem esse videtur, qui Nathanael, cum quo Dominus aliquantum differuit, 683. *a.*

IN FESTO NATIVIT. B. VIRGINIS.

Ejus genealogiam, uti & Christi, a regibus Davide & Salomone, descendere ostenditur, 499. Fuit in utero sanctificata, quia Joannes Baptista fuit, 447. *g.* Variæ Deiparæ elogia, 462. *g.* duodecim ejus magnalia, 464. *c.* quomodo omnes nationes eam beatam prædicent, 463. *e.*

IN FESTO S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

Designavit et alios. Cur septuaginta duo discipuli electi, 529. *a. b.*

Binos. Cur hi per orbem bini missi, 529. *e. f.* & seqq.

S. Lucæ Evangelistæ elogium, 442. *c. d.* Fuit medicus animarum, ibid. *g.* passus est tandem martyrium, 443. *a.* suo in Evangelio maxime Dei misericordiam commendat, ibid. *e.* *Vide Indicem Rerum* v. Evangelistæ, Apostolici viri, S. Lucas.

IN FESTO SS. APOSTOL. SIMONIS ET JUDÆ.

Ut diligatis invicem. Dilectionis mandatum, quomodo sit novum. 763. *c. d.*

Scitote quia me priorem odio habuit. Persecutio & odium mundanorum facilius toleratur, si consideremus Christum pari modo a mundo exagitatum fuisse, 782. *h.* & seqq. Quæ fuerit causa persecutionis in Apostolos excitatæ, 786. *c. d.* & seqq.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati pauperes spiritu. Talem paupertatem professus est Christus, 744. *h.* Paupertas Evangelica in quo sita sit, 745. *c.* *Vide notata Dominica II. Adventus, & Indicem Rerum* v. Pauper, Paupertas, Religiosi.

Beati qui lugent. Pii in hac vita assidue lugent, sed in altera consolabuntur & gaudebunt, 790. *h.* & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Tristitia, Luctus.

Qui persecutionem patiuntur. Patiens injuriæ, possessor est animæ suæ, 597. *f.* & seqq. persecutio dulcoratur consideratione Christi eamdem passi, 782. *h.* & seq. quam ob causam persecutionem fideles patiantur ab infidelibus, 786. *c. d.* & seqq.

Copiosa est in cælis. Quem famulis suis honorem Christus in cæ-

Digitized by Google

in cælo exhibeat, 548. h. & seq. in cælo plena erit gaudii fa-rietas, 655. f. g. singuli tamen dispari gloria donabuntur, 765. e. d. *Vide Indicem Rerum* v. Cælum, Gloria, Sancti.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG. ET MARTYR.

ORNAVERUNT LAMPADES SUAS. Lucernæ ardentes in manibus habitæ quid denotent, 547. e.

MORAM AUTEM FACIENTE SPONSO. Christiani vita est continua exspectatio sponsi Christi potentis ad jugum, 548. d.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Quomodo Apostoli majora ediderint miracula quam ipse Christus, 768. h. & seqq. & quare id ipse sic fieri voluerit, ibid. quare adversus eos sit excitata persecutio, 786. c. d. & seqq.

Apostolicæ vitæ tria munia, 548. g. *Vide postea Dominica in Adiis, & Indicem Rerum* v. Apostoli.

IN COMMUNI PONTIFICUM.

PRÆFERENS DE THESAURO SUO. Pastor & Prælatus singulis suorum propria det præcepta, 569. h. & seqq. Multum porro ab iis Deus exiget, 550. e. triplici autem modo oves suas pascere debent, 549. g. *Vide Indicem Rerum* v. Pastor, Prælati, Petrus.

QUIS VOLENS TURRIM ÆDIFICARE. Vita pastoralis & Religiosa velut turris est, & opus arduum, 562. d. e. & seqq.

IN COMMUNI MARTYRUM.

NOLITE TIMERE PUSILLUS GREX. Cur pusilli & parvi timere non debeant, 545. g. & seqq. quæ sit causa cur in primos Christianos sit excitata persecutio, 786. c. d. & seqq.

Martyres tormenta ridebant igne divini amoris succensi, 551. d. e. quinimo summopere ea desiderabant, 552. d. suæ animæ suæ possessores ob summam patientiam, 597. f. & seqq. animam perdentes, eam invenerunt, 746. g. & seq. eorum victoria de mundo ejusque ministris, 795. a. b. in cælo retinebunt vulnerum suorum cicatrices, 821. a.

EGO SUM VITIS VERA. Christi & vitis analogiæ, 775. f. & seqq. cur ipse dicatur vitis vera, ibid.

OMNEM PALMITEM NON FERENTEM. Palmitem infructuosum Deus tollet, & fructus ferentem purgabit, idque diversimode, 776. g. & seqq. *Vide Indicem Rerum* v. Martyr.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

In sacerdotum ordinatione indicitur jejunium & oratio pro felici rei successu, idque per quatuor anni tempora, 509. f.

PRÆCINCTI LUMBOS. Hæc lumborum præcinctio varia denotat, 546. f. Tria munia vitæ Apostolicæ. 548. a.

Vita Religiosa velut turris est, & opus arduum, 562. a. & seqq. Paupertas Religiosa & Evangelica in quo sita sit, 745. e.

Religiosi perfecti possunt habere bona in communi, 745. a. & seqq. quam perfectionem sectari debent, 801. c. *Vide Indicem Rerum* v. Religio, Religiosi.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Virginitatis votum emisit Deipara, hinc audiens ex angelo se matrem fore, de ea sollicita fuit, 454. a. b. & seqq. ejus immortalitas, 834. g. h.

Virgo potest parere, 454. b. *Vide Indicem Rerum* v. Virgo, Virginitas.

Continentes mortificatione concupiscentiarum lumbos cingunt, 546. e. f.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL

EX-LIBRIS PROVINCIÆ S.TI JOSEPH

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Biblioteca Episcopal de Barcelona
13030000015795
Digitized by Google

Digitized by Google